

CÆSARIS BARONII

ANNALES ECCLESIASTICI

TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS

CÆSARIS S. R. E. CARD. BARONII

OD. RAYNALDI ET JAC. LADERCHII

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERORUM

ANNALES

ECCLESIASTICI

DENUO ET ACCURATE EXCUSI

TOMUS TRIGESIMUS TERTIUS

1542-1557



BARRI-DUCIS

EX TYPIS CŒLESTINORUM — BERTRAND

36, VIA DICTA BANQUE, 36

PARISIIS

APUD BLOUD ET BARRAL, BIBLIOPOLAS

18, VIA DICTA CASSETTE, 18

M DCCC LXXVIII

SUMMARIUM

TOMI XXXIII

MDXLII. 1-8. Instructio data Morono internuntio ad conventum Spirensem destinato. 9, 10. Rex Galliæ per epistolam et oratorem aperit in hoc conventu suam sententiam de præsenti statu rerum. 11, 12. Moronus ad dietam accedit, in qua Concilium Tridenti celebrandum proponitur. 13. Bulla indictionis Concilii. 14-16. Quid de hac indictione senserint principes. 17-20. Maranum occupant Galli, unde exardescit ira inter imperatorum et Gallum regem. 21, 22. Mittit Paulus Montepolitianum ad Carolum pro pace. 23-26. Mors cardinalis Contarini, cujus fama injuste læsa defenditur. 27, 28. Pontifex regem Galliæ hortatur ad pacem. 29. Quintuplici exercitu Franciscus aggreditur Carolum. 30-35. Per litteras amantissimas Pontifex utriusque principis animum flectere nititur. 36. Expeditionis Hungariæ contra Turcas infaustus exitus. 37-40. Lutherani contra Catholicos bellum movent et ditiones Ecclesiasticas invadunt. 41. Livonia peste Lutherana infecta. 42. Eckius contra mendaces Lutheranos scribit. 43. Legati a latere Tridentum deputati. 44. Helvetios, etiam hæreticos, ad Concilium invitat Paulus. 45, 46. Germaniæ præsules ignavia insignes. 47. Cardinalium Gallorum et Hispanorum segnitiem litteris Paulus perstringit. 48-50. Poloniæ episcopos monet Paulus ut hæresim in fomite præfocare studeant. 51. In Scotia res penitus labefactatæ morte Jacobi regis. 52-55. Hæresis Calviniana Galliam implet suis erroribus. 56. Ochimus Capuccinorum generalis ab Ecclesia deficit. 57. Armeni fidei Catholicæ exemplum eximium profitentur. 58. Auctus cardinalium senatus.

MDXLIII. 1-4. Imperatoris oratores coram legatis Apostolicis exponunt quibus de causis Cæsaris clientes ad Concilium se conferre non possint, et ipsi Tridento discedere cogantur. 5-10. Concilii congregandi studia strenue navata a Paulo qui Bononiam se confert ad invisendum imperatorem. 11-16. Non Bononiæ, ad quam accedere abnuit imperator, sed in castro Buxeti tandem possunt iniri colloquia, quæ nihil proficiunt. 17. Concilium differt Paulus ob bella inter Cæsarem et regem Galliæ. 18-20. Expositæ principibus causæ dissoluti Concilii. 21. Hermannus archiepiscopus Coloniensis in hæresim Lutheranam lapsus. 22, 23. Colonienses et Monasterienses ad fidem Catholicam servandam hortatur Paulus. 24-28. Coloniensium constantia. 29. Pontifex archiepiscopo Coloniensi scribit ut resipiscat. 30. Commendat Paulus pietatem ducis Bavariæ. 31. Claudius Jayus et Petrus Faber ex primis decem sociis S. Ignatii, pro fide laborant in Germania. 32, 33. Conventus imperialis habitus Nurembergæ. 34. Solymanus Hungariam invadit. 35. Aquilegiensis Ecclesia ab administris conculcata. 36-39. Classis Turcica, a rege Galliæ excitata, gravia Christianis affert damna ; Nicia tamen ex Turcis recipitur. 40. Motus Tunetani. 41. Cæsari Clivensis dux se humiliat. 42-48. Conventus ordinum imperii, Norimbergæ primum, dein Spiræ coadunantur. 49, 50. Instructio data Sfondrato nuntio in Germaniam destinato. 51, 52. Per litteras et nuntios paci principum Christianorum totus est Pontifex. 53. Solemnes supplicationes indictæ. 54, 55. Henricus Angliæ rex bellum movet contra regem Scotiæ. 56. In Poloniam se hæretici intrudere tentant. 57, 58. Petri Vermilii defectio a fide. 59. Georgius David hæresiarcha. 60. S. Francisci Xaverii miri labores in India.

MDXLIV. 1, 2. Cæsar pacis verba respuit et ad comitia Spiræ cogenda se convertit. 3. Paulus ad conventus Spirenses rescribit se defensurum Niciæ arcem, et aliunde Christianitatem totam illis commendat. 4, 5. Carolus prudentia motus humana edicit decretum cujus venenum annotationes subnixæ demonstrant. 6-9. De Spirensi decreto gravissime queritur Pontifex tam apud imperatorem quam apud alios principes. 10, 11. Colonienses pro tuenda Catholica religione

ad Pontificium nuntium scribunt. 12-14. Conatus internuntii, et supplicationes cleri Coloniensis ad Cæsarem. 15. Archiepiscopus Coloniensis obdurescit in hæresi. 16-18. Ardet bellum inter Cæsarem et Franciscum regem : Anglus etiam in Galliam irrumpit. 19-21. Inter ipsos bellicos motus spem pacis Pontifex non deserens duos legatos mittit ad pacem tractandam. 22-27. Fœdus pactum, ob quod gratiarum actiones persolvuntur a Pontifice utrique principi. 28-33. Paulus redintegrandi Concilii percupidus futuris providet, præsentia componit et preces solemnes indicit. 34-36. Articulos condemnantes hæreses a Lovaniensi Academia editos Cæsar confirmat. 37. In Gallia hæreses deprimuntur opera cardinalis Turnonii. 38. Thomas Villanovanus sanctitate claritatem adeptus. 39. S. Francisci Xaverii opera Apostolica et miracula. 40-42. Cardinales creati. 43. Inventio cadaveris imperatricis Mariæ Honorio desponsatæ.

MDXLV. 1-3. Deputantur iterum pro Concilio tres legati quibus data potestas etiam illud alias transferendi, si necessitas exegerit. 4-6. Legati Tridentum ingrediuntur; orationes Cæsareorum nuntiorum et legati responsio. 7, 8. Diploma Pontificium quo monentur præsules ut per seipsos, non per procuratores, ad Concilium accedant. 9-14. Legatorum ancipites curæ de aperiendo Concilio. 15. Plures episcopi Tridentum adveniunt. 16. Regis Lusitaniæ ad Pontificem gratulatoriæ litteræ. 17-19. Providet Pontifex ne in comitiis Wormatiensibus res religionis pertractentur, sed referantur ad Concilium. 20-23. Votis Protestantium, qui repudiant Concilium et comitia reclamant, Cæsar annuit. 24-28. Articuli conclusi in dieta Posoniensi. 29, 30. Omnes episcopos, etiam in curia degentes, Pontifex jubet Concilio adesse, et regibus scribit ut sui regni præsules ad Concilium mittant. 31-34. Morte ducis Aurelianensis, filii Francisci regis, pax abrupta, sed mox reparata. 35-38. Legati solemniter Concilium aperiunt. 39-42. Bulla facultatum legatis concessarum, litteræ absentium, et oratio legati præsidis. 43. Articuli propositi circa ordinationem Concilii. 44, 45. Hieronymus Oleaster nomine regis Lusitaniæ perorat, et litteras sui principis legi postulat. 46. Episcopi Galli petunt ut nihil in Concilio tractetur ante adventum oratorum regis Galliæ. 47. Instructio ad legatos de rebus Concilii. 48. Censuras theologorum Lovaniensium Carolus V confirmat, unde Lutheri impius furor. 49. Lutherus suo magno periculo dæmoniacam curare aggreditur, sed incassum. 50. Novos errores disseminat David Georgius. 51. Swenckfeldiana hæresis propagatur. 52, 53. Hæresis repressa Mantuæ et Mutinæ. 54. Paulus concedit ut clerus Siculus subveniat imperatori de pecuniis Ecclesiasticis. 55. Carolus V cum Turcis inducias paciscitur : Protestantium potentia amplior et gravior fit. 56, 57. Paulus curat pacem firmare inter imperatorem et regem Galliæ. 58, 59. In Lusitania contra hæreticos exercita severitas, et simultates erga Pontificem depositæ. 60. Paulus cardinales creat. 61. Æthiopes cum Romana Ecclesia, damnato Dioscoro, conjunguntur. 62. Singularis casus Gamrati Cracoviensis episcopi. 63. Parma Placentiaque Aloysio Farnesio traditæ. 64. Dissidia inter Lutheranos et Sacramentarios. 65. Ceilanensis reguli filius occisus ob fidem.

MDXLVI. 1-3. Controversia de titulo qui inscribendus sit Concilio, et de loco qui assignandus sit aliquibus præsulibus. 4-6. Secunda Concilii sessio in qua promulgatur decretum de vita sanctiore a clericis ducenda. 7. Prohibetur ne episcopi per procuratores Concilio assistant. 8. Leguntur Bullæ facultatum legatis concessarum ut ipsi aperiant Concilium. 9. In designanda Synodo adoptantur hæ voces tantum : *Œcumenica et Generalis*. 10-14. Agitatur inter Patres de modo et ordine procedendi, et iterum de titulo decretorum. 15, 16. Tertia sessio in qua legitur decretum de symbolo fidei. 17, 18. Cur non fuerit adjectum decreti titulo : *Universam Ecclesiam repræsentans*, et non simul cum decretis de reformatione decreta de fide proposita fuerint. 19-47. Explanatur quæstio de Scripturæ et Traditionum auctoritate, necnon de Vulgatæ versionis sinceritate. 48-51. Sessio quarta in qua edita sunt decreta de canone Scripturarum, de authenticitate Vulgatæ et de pœnis in typographorum avaritiam et temeritatem. 52. Litteræ Caroli V procuratorem Cæsareum constituentis. 53, 54. Vulgata translatio Romæ semper in usu fuit, et nunquam in suspicionem hæretici erroris adducta. 55, 56. Vera libertas et zelus sincerus in Synodo Tridentina. 57-60. Pauli ad Helvetios hæreticos litteræ quibus ad officium illos reducere tentat. 61. Declamationes episcopi Fesulani contra monachos. 62-64. De episcoporum residentia agitur. 65-68. An pertineat ad legatos solos proponere quæ in Synodo tractanda sint. 69-73. Discussio de peccato originali. 74. Catalogus errorum circa peccatum originale. 75-83. Declarationes et canones de peccato originali. 84-86. Decretum de munere prædicandi. 87-93. Ratisponense colloquium. 94, 95. Fœdus inter Pontificem et imperatorem. 96-102. Gallum regem, Polonum, Venetos et alios principes Paulus hortatur ut arma contra Lutheranos sumant. 103, 104. Hermannus Coloniensis a sede deturbatus propter apostasiam. 105-108. Insurgunt Protestantes adversus Cæsarem. 109. Edictum imperatoris contra rebelles. 110, 111. Saxo et lantgravius victi, et ad pacem nonnisi duris conditionibus admissi. 112-114. Udalricus Wittembergensis et comes Palatinus arma deponunt. 115. Concionatores Lutherani ponunt paci obicem. 116-118. Admonitiones legatorum circa justificationis dogma et capita discutienda. 119-123. Sedatis prius dissensionibus de præcedentia, oratores regis Galli admittuntur in Concilium; unius ex ipsis oratio, et legati responsio. 124-129. Sextæ

sessionis prorogatio : Concilii translatio agitatur. 130-138. Errores et dubia de justificatione. 139-145. Impii Lutheri mors impia. 146. Petri Fabri mors pretiosa. 147. Venetos hortatur Paulus ut Lutheranæ hæresi Vicentiam inficienti se objiciant. 148. In Scotia novæ circa fidem contentiones. 149. Inter Gallum et Anglum confecta pax. 150-153. Lusitani sua virtute Christi regnum explicant in Indis. 154-157. Plures archiepiscopatus constituti in America. 158. Apud Armenos archiepiscopum Nazovanensem Paulus creat. 159. Fratri Lusitaniæ regis ad cardinalatum evecto permittitur apud regem ipsum morari.

MDXLVII. 1-5. Disputatur de decreto residentiam præscribente. 6-16. Sessio sexta : decretum et canones de justificatione. 17-19. Animadversiones quorumdam Patrum circa titulum decreti. 20-23. Approbatur decretum de residentia, sed nonnihil emendatum. 24-34. Disponitur materia proximæ sessionis, scilicet de Sacramentis et de Reformatione. 35-41. Canones de Sacramentis, et decretum spectans ad disciplinam Ecclesiasticam. 42-54. Peste Tridenti sæviente, transfertur Concilium Bononiam. 55-57. Ex hac translatione gravissimæ dissensiones inter imperatorem et Pontificem exortæ. 58. Acta Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Sacramento Pœnitentiæ. 59-61. Prælati Hispani jussu Cæsaris Tridenti morantur. 62-65. Prima sessio Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Sacramentis Extremæ-Unctionis, Ordinis et Matrimonii. 66-67. Secunda sessio Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Purgatorio et indulgentiis. 68. Decreta de indulgentiis. 69, 70. Articuli hæreticorum de missa et quibusdam aliis discutiuntur. 71. Tertia sessio Concilii Bononiensis prorogatur. 72-77. Admonitiones Concilii circa abusus qui subreperant in administrandis sacramentis. 78, 79. De validitate translationis Concilii disceptatum. 80-83. Carolus V oppugnat Concilium Bononiense, cujus rex Galliæ Henricus defensionem suscipit. 84, 85. Conventus Augustani postulant, sed iniquo animo, ut Concilium Tridento restituatur. 86. Archiepiscopus Gnesnensis synodum colligit de episcopis Polonis ad Concilium mittendis, sed anceps remanet, audita translatione Concilii. 87-90. Per cardinalem Madrutium Romam deferuntur postulata Cæsaris. 91-97. Pontifex, consultis Patribus, judicat non obtemperandum votis Cæsaris. 98-105. Cæsaris et Ferdinandi fratris victoriæ contra Lutheranos : gratiarum actiones et gratulationes exinde prolatæ. 106. Lutherani victi Concilio se submittunt. 107-114. Genuæ Flisci conjuratio et Parmæ Aloysii Farnesii cædes; unde nova odia exorta inter Pontificem et Cæsarem. 115. Scotiæ ab hæreticis infestæ libertas restituta. 116-119. Francisci Galliæ regis obitus, et filii Henrici coronatio. 120-124. Henricus VIII Angliæ rex moritur, non sine voto, sed equidem inani, præstandi obsequium Pontifici. 125-128. Providet Paulus rei Catholicæ, tum in Hibernia tum in Scotia. 129, 130. Dux Somerseti quod reliquum erat Catholicorum dogmatum et rituum in publicis comitiis abrogat. 131, 132. Tumultus exorti ob inquisitionem in regnis Neapolitano et Lusitano. 133. Poloniæ rex Sigismundus acerrimus religionis defensor. 134. Carolus de Guisa et Julius de Ruvere ad cardinalatum evecti. 135. Religio propagata in Indis Orientalibus et Occidentalibus. 136. Obitus S. Cajetani Thienæi.

MDXLVIII. 1-6. Paulus, consultis præsulibus Concilii Bononiensis, respondet tum statibus imperii, tum oratoribus Cæsareis circa reditum Concilii ad Tridentum. 7-13. Protestatio facta a procuratoribus imperatoris in ipso Concilio Bononiensi et responsio sacræ Synodi. 14. Translatio Concilii juridice facta. 15-18. Injuste sibi arrogat Cæsar potestatem statuendi de rebus religionis. 19-25. Coram ipso Pontifice protestantur Cæsarei oratores. 26-30. Paulus III protestationi Caroli V respondet, consultis prius præsulibus Bononiensibus. 31-33. Ob litem motam a Cæsare suspenditur Concilium. 34-38. Pontifex mandat tum patribus qui Tridenti remanserant, tum iis qui Bononiæ, ut mittant delegatos Romam ad subsellia Apostolica. 39-41. Præsulum Hispanorum responsio fallax et de ea rectum severumque judicium Pontifici obsequentium. 42, 43. Ex agendi modo præsulum Hispanorum et ipsius imperatoris schisma timendum. 44-48. Cæsar petit ut mittantur in Germaniam nuntii Pontificii facultatibus amplissimis instructi pro conciliandis Protestantibus. 49. Rex Galliæ minatur se revocaturum præsules suæ ditionis, si hæc concedantur. 50, 51. Cæsar subornatus ab impiis decretum nefarium, *Interim* dictum, ferre meditatur. 52, 53. Articuli propositi a Protestantibus, tanquam omnino necessarii, singulatim refutantur. 54-57. Carolus V temere se immiscet rebus Ecclesiasticis tractandis, quamvis a Pontifice monitus. 58. Responsio Pauli petitionibus iniquis cujusdam ducis Germaniæ. 59, 60. Deplorandum Caroli V decretum, dictum *Interim*. 61. Promulgatur sanctio inscripta : Reformatio politiæ imperialis. 62-64. A viris optimis *Interim* Caroli V reprehenditur, et in conciliandis Protestantibus nequaquam proficit. 65. Cæsar mitiorem se gerit erga Pontificem. 66-72. Quibus conditionibus admittendi sint in gremium Ecclesiæ hæretici. 73-78. Sententia Gallorum episcoporum de reformatione morum. 79. Decretum Sorbonicum contra Calvinistas. 80. Hæresis in Anglia propagatur. 81-83. Sigismundus senior moritur magno Poloniæ damno. 84. Res Turcicæ. 85. Apud Indos S. Francisci Xaverii exantlati labores. 86. Librum Exercitiorum S. Ignatii Paulus III approbat. 87. Carolus Borbonius ad dignitatem cardinalitiam evectus.

MDXLIX. 1-4. Nuntii Apostolici in Germaniam missi nihil proficiunt, obdurescentibus in suis erroribus

et criminibus Lutheranis; in Brunswicensi tamen ducatu Catholica religio restituitur. 5-7. Magdeburgenses præ cæteris in Cæsarem audaces. 8. Difficultates in observatione decreti *Interim* nuncupati. 9-11. Cæsar non solum Placentiam restituere recusat, sed et Parmam sibi arrogare affectat. 12-22. Lite rursum et acerbius agitata de translatione Concilii, Paulus pacis gratia Concilium Bononiense dissolvit. 23. Detrectatum a Pontifice fœdus cum rege Gallo : Ochini impia scripta et Vergerii a fide defectio. 24. Patriarcha Aquilegiensis hæresis suspicionem incurrit. 25, 26. Compositæ controversiæ cum Hussitis. 27-31. Spes oritur redintegrandæ fidei in Anglia. 32. Henricus II Galliæ rex hæresibus regnum purgare curat. 33, 34. Calvinus ab Espencæo confutatus. 35. Armeni se Ecclesiæ Romanæ conjungunt. 36-44. Apostolici labores S. Francisci Xaverii apud Indos et Japonenses. 45. Auctus cardinalium numerus. 46. Permittitur a Pontifice ut Poloniæ reginæ nondum coronatæ porrigantur osculanda intra missarum solemnia Evangelium et patena. 47, 48. Pauli Pontificis mors et virtutes.

MDL. 1. Cardinalis de Monte creatur Pontifex nomine Julii III. 2-4. Julius notam facit suam electionem Cæsari, Parmam Farnesio restituit, et Lutheranos principes demulcere tentat. 5, 6. Carolus V Julio pollicetur se Ecclesiam defensurum, et Julius Carolo paterna officia repromittit. 7-11. De redintegrando Concilio Tridentino agitur, necnon de removendis impedimentis huic redintegrationi, præsertim a Gallo rege, suscitatis. 12, 13. Scribit Julius multis principibus Germaniæ, etiam hæreticis, occasione Concilii. 14, 15. Aliqui cardinales deputati ad sanctiorem morum disciplinam restituendam. 16, 17. Henricus Galliæ rex benigniorem se præbet postulatis Pontificiis de Concilio, et petit ut confirmentur veteres Ecclesiæ Gallicanæ immunitates. 18. Protestantes Concilium admittunt, modo juxta sua placita celebretur. 19-21. Bulla reassumptionis Concilii. 22-24. In Germania et Belgio contusa hæreticorum tyrannis. 25-27. Joannis de Vega in Africam expeditio faustissima. 28. Absolvit Julius a censuris omnes qui sine consensu Apostolico decimas in Sicilia exegerunt, et alias exigere concedit. 29, 30. Pax inter regem Galliæ et Eduardum Anglum : regina Scotiæ et comes Araniæ gratulatorias a Pontifice accipiunt litteras. 31-34. In Anglia hæreses variæ disseminantur, et Catholici vexantur. 35, 36. Crescit et protegitur hæresis Calviniana in Gallia. 37, 38. Providet Julius ne hæresis in Italiam latius serpat, et condemnat judices sæculares se immiscentes causis religionis. 39-42. Poloniam a labe hæretica purgare nititur Julius. 43-45. Fides in India propagatur opera Joannis regis Lusitani. 46. Confirmatur iterum a Julio III Societas Jesu. 47-49. Annus Jubilæi a Julio III indicitur : mira charitatis opera Romæ edita erga pauperes peregrinos. 50. Pontifex memor præteritæ calamitatis solemnes gratiarum actiones Deo præstat. 51. Joannis a Deo, conditoris Ordinis *ab Hospitalitate* nuncupati, mors pretiosissima.

MDLI. 1-3. Sancit Carolus V ut Germani et Protestantes se Concilio submittant, sed Henricus Galliæ rex favet Protestantibus. 4-6. Julius creat legatos qui solemniter Tridentum ingrediuntur. 7, 8. Prima sessio Concilii Tridentini sub Julio III. 9. Episcopi sollicitantur a Pontifice ut ad Concilium accedant. 10, 11. Helvetios invitat Julius, dum obsistit Henricus Galliæ rex. 12. Pontifex exauctorat doctores Sorbonicos a fide deficientes. 13-17. Parmense bellum accenditur. 18-20. Cæsaris arma implorat Julius unde aucta dissidia inter Gallum et Pontificem. 21-23. Parmensi obsidione soluta, Julius ad pacem cum Gallo se convertit. 24-26. Cæsaris odio confirmata hæresis. 27-33. Secunda Concilii sessio in qua leguntur litteræ Galli regis ad Concilium. 34-36. Responsio Concilii ad protestationem Henrici. 37. Impius agendi modus principum Concilio detrahentium. 38. Accedentibus Tridentum septemviris prælatis, spes concipitur melioris exitus. 39, 40. Hæreticorum articuli contra Eucharistiam discutiuntur in Concilio. 41, 42. Sessio tertia : leguntur et laudantur litteræ marchionis Brandeburgensis. 43-51. Concilii decretum et canones circa Eucharistiam. 52. Decretum de reformatione circa causas Ecclesiasticas. 53-55. Discutiuntur articuli hæreticorum de Sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ-Unctionis. 56-59. Sessio quarta : declarationes et canones de Pœnitentia et Extrema-Unctione. 60. Articuli hæreticorum de sacrificio Missæ. 61. Insigne prodigium in Germania : vinculo sacramenti inique præstiti Brunswicenses absolvuntur. 62. Osiandri novum dogma de Justificatione. 63. Buceri mors et variæ opiniones : Mauritius Saxoniæ dux Cæsari infidus. 64, 65. Ecclesiastici septemviri retinentur in Concilio a Pontifice. 66-68. Exardescente iterum bello inter Carolum et Henricum regem, Turcæ victores evadunt. 69-73. Excitati in Transylvania et Polonia motus. 74. Auctus cardinalium numerus. 75. Urbs graviore annona laborat. 76. Confirmata Coloniensis Ecclesiæ privilegia, et instaurata Academia Ingolstadensis. 77. S. Franciscus Xaverius miraculo duobus simul in locis visus. 78. Gundisalvum Dominicanum inter beatos Julius III reponit. 79. Rex Lusitaniæ obedientiam Julio præstat. 80, 81. Comiti Lumensi episcopum postulanti annuit Pontifex. 82-85. In quibusdam Hispaniæ provinciis jus Ecclesiasticum ad quosdam certos limites sapienter reductum.

MDLII. 1, 2. Trevirensis ob valetudinis incommoda Tridento discedit, et Protestantium delegati conditiones iniquas ponunt in celebratione Concilii. 3-9. Proponitur discutienda formula doctrinæ de Sacrificio Missæ necnon de Sacramento Ordinis. 10-13. Oratores Protestantium postulant

ut supersedeatur promulgationi decretorum prædictorum, donec admittantur in Concilium. 14-16. Non Concilium, sed colloquium inane petunt Lutherani. 17-19. Instructio Pontificis circa petitiones Protestantium. 20-22. Sessio quinta sub Julio III; salvus-conductus concessus hæreticis; lis de præcedentia dirempta. 23, 24. Oratores Lusitani ad Concilium accedunt, et Joannis regis pietas commendatur. 25-29. Sessio sexta : causæ et decretum suspensionis Concilii. 30-35. Bellum movent in Carolum V Lutherani auxilio Henrici II Galliæ regis. 36, 37. Rex Lusitaniæ pro pace cum Octavio Farnesio scribit Julio a quo responsum benevolentiæ plenum accipit. 38-41. Induciæ inter Pontificem et regem Galliæ opera cardinalis Turnonii. 42, 43. Senenses tumultus. 44. Legati pro pace inter Carolum V et Henricum electio. 45-51. Apologia Ferdinandi regis de cæso Georgio cardinali. 52. Georgii cardinalis occisores dant pœnas a Deo mulctati. 53-55. Repressi in Polonia hæretici. 56. In Germania Zuingliani imposturæ et contradictionis convicti. 57. Ferrariæ hæresis excisa. 58. Fides propagata in Peruvia. 59-62. S. Franciscus Xaverius, dum Sinensibus Evangelium inferre cogitat, sanctissime moritur, et miraculis claret.

MDLIII. 1-16. Maria regina Catholica in solium Angliæ evecta, Pontifex tum per litteras, tum per legationem cardinalis Poli invigilat ut religio orthodoxa in pristinum statum restituatur. 17. Carolus V bellum Senensibus infert, quos Galli strenue defendunt. 18-21. Bellum Senense Julius componere tentat. 22-34. Frustra Pontifex per epistolas, nuntios et preces solemnes indictas ad concordiam Gallum et Cæsarem reducere curat. 35. Turca, auxiliante Gallo, multa mala infert Christianis. 36. Michael Servetus jussu Calvini Genevæ exustus. 37. In Germania bellum civile inter præcipuos Protestantium defensores. 38. Nuntius Apostolicus ad Grisones in fide confirmandos missus. 39. Otthо Augustensis cardinalis doctrina, zelo et pietate conspicuus. 40, 41. Monet Julius Polonos ne facile credant Moschovitis, et ostendit novatores non minus civili statui infestos esse quam Ecclesiastico. 42-45. Assyrii ad unitatem redeunt, misso Romam patriarcha. 46-48. Ad præparanda decreta de reformatione multi Romam acciti præsules, et auctus cardinalium senatus.

MDLIV. 1-3. Philippus Hispaniarum rex uxorem accipit Mariam Angliæ reginam, quod Calvinistæ omni modo impedire conantur. 4-8. Cardinalis Polus amplissimis facultatibus munitus tam pro confirmandis episcopis hæresim ejurantibus, quam pro reditibus per nefas possessis a restitutione eximendis. 9-12. Philippus II in Angliam appellit ad nuptias cum Maria ineundas, collatis sibi prius a Pontifice juribus regni Neapolitani. 13-17. Anglia ad fidem Catholicam redit pietate Philippi et Mariæ, sed præsertim opera cardinalis Poli ; unde maxima in Urbe signa lætitiæ, et gratiarum solemnes actiones. 18. Ex Anglia exteri hæretici ejiciuntur. 19. Confirmat Julius pacta cum Germanis a Nicolao IV sancita. 20. Bellum in Belgio et Italia ab Henrico Galliæ rege contra Cæsarem gestum. 21. Neapolitani tumultus componuntur. 22. Ad sepulchrum Christi reparandum Julius III pecuniam colligit. 23. Pontifex corruptelas quæ in cardinalitium ordinem irrepserant purgat, et religiosorum quorumdam ambitionem reprimit. 24-26. Spes reducendi Æthiopes ad unitatem Ecclesiæ affulget. 27. Pro tuenda fide fortiter certant usque ad mortem Orientales Indi. 28, 29. Floret fides in insula Japoniæ ob miracula ibi ostensa. 30. Pro fide amplificanda in America Julius III religiosos eligit. 31. De morte filii consolatur Pontifex Joannem Lusitaniæ regem. 32. Conimbricæ perditissimus peccator a tyrannide Sathanæ vindicatus.

MDLV. 1, 2. Ingenti repletus gaudio Julius ob Angliæ reditum ad fidem Catholicam. 3-5. Cardinalis Moronus mittitur in Germaniam, quæ hæresi Lutherana laborat. 6, 7. Julius III in regno Neapolitano Philippum regem Hispanum confirmat et in insula Corsicæ libertatem Ecclesiasticam defendit. 8-11. Ecclesia Abyssina ad conjunctionem cum Ecclesia Romana revocatur per patres Societatis Jesu. 12. Julii III obitus. 13-20. Marcellus II, potius ostensus quam creatus Pontifex, morte immatura præreptus. 21-23. Pauli IV electio, patria, parentes, mores et primordia. 24. Scribit imperatori et Romanorum regi ut res Germaniæ collapsas restaurent. 25-28. Anglicanæ Ecclesiæ providet et Philippo regi gratulatur. 29-32. Cramnerus de sede Cantuariensi dejectus, et hæreticorum duces capitali sententia damnati. 33, 34. De restituenda disciplina in Anglia agitur, et Synodus convocatur. 35, 36. Per cardinalem Polum instaurata pax inter Cæsarem et Galliæ regem. 37, 38. Philippus rex Angliæ Paulo IV obedientiam præstat pro regno Neapolitano fiduciario. 39, 40. Henricus Galliæ rex, a Pontifice monitus, contra hæreticos in suo regno insurgit, sed a politicis ejus severitas reprimitur. 41. Assertum jus Pontificium in Britannia et Provincia. 42, 43. Colonienses in fide stabiles : Sacramentarii exagitati a Lutheranis. 44-46. In Augustanis conventibus Bavarus et rex Romanorum Ferdinandus rei Catholicæ propugnatores fortissimi. 47-49. Ex matris obitu Carolus V nimio mœrore confectus in filium transfert majorem sui principatus partem. 50-53. Hæc Cæsaris cessio, sicut et decretum dietæ Augustanæ hæreticos et Catholicos in æqualitate constituens, rei Christianæ exitialis. 54. Constitutionem edit Paulus IV ad hæreticos comprimendos. 55-63. Irrepenti in Poloniam hæresi obsistit Paulus tum per nuntios, tum per litteras hortatorias ad regem, præsules et magnates Polonos. 64. Antonium Navarræ regem laudat

Paulus ob fidem Catholicam. 65. Mors Geraldi Ruffi pseudoepiscopi Olorensis. 66-69. Pia mors et canonizatio S. Thomæ de Villanova. 70. Electio Danielis archiepiscopi Moguntini mira Dei providentia. 71. Cardinales creantur. 72, 73. Dux Montorii accendit inter Pontificem et Philippum II bellum, quod prius sopitum cardinalis nepos rursus inflammat.

MDLVI. 1-7. Pius ardor Pauli in exscindendis hæresibus, moribus reformandis et pace restituenda deprimitur administri Hispani superbia et proditione. 8-14. Gropperus primum respuit, deinde jubente Pontifice accipit cardinalatus insignia. 15, 16. Hæretici inter se dissident. 17-21. Paulus ad Maximilianum et Albertum Bavariæ ducem, necnon ad episcopos Germaniæ scribit ut Catholicam fidem defendant. 22-24. Lutherani Evangelii obtentu decipiunt incautos et viam præbent incursionibus Turcarum. 25. David Georgius Major hæresiarcha et impostor moritur. 26. Palatinus et Badensis dux religionem Catholicam e sua ditione evellere conantur. 27. Henricus Galliæ rex, non semper sibi constans, in hæreticos sui regni severitatem exercet. 28. In Anglia religio refloret. 29. Rex Poloniæ per oratorem obedientiam Pontifici præstat. 30-33. Hæreticis in Polonia resistunt Andreas Cracoviensis et Hosius Warmiensis. 34, 35. Geminæ Pauli litteræ ad regem Poloniæ quem hortatur ut hæreticos e regno ejiciat. 36. Pauli deturpat litteras Vergerius qui refellitur ab Hosio. 37. Eucharistia a Judæis confossa sanguine manat. 38-41. Præscribit Paulus ut Synodus congregetur ad comprimendas hæreticorum insidias. 42. Joannes Lusitaniæ rex per oratorem obsequium præstat Pontifici. 43. Commendat Paulus regi Abyssinorum patriarcham. 44. S. Ignatius obit.

MDLVII. 1-4. Paulus instituit congregationem quæ terror Officialium nuncupatur, festum Cathedræ S. Petri Romæ celebrari jubet, et cardinales creat. 5-10. Hispanus Roma potiri tentat, sed cælesti virtute Urbs liberatur. 11-27. Paci procurandæ inter omnes principes Christianos Paulus totis viribus incumbit. 28. Henricus rex Calvinistas perniciosa dogmata spargentes deterret. 29, 30. Paulus in Gallia constituit Inquisitionis tribunalia quæ ob censorum mollitiem nocent potius quam prosunt fidei. 31-35. Dissolvitur colloquium Wormatiense, cujus inanitas innotescit sicut et cæterorum conventuum. 36. Pontifex liberaliter consulit annonæ. 37. Paulus evocat ad se præsules magni nominis pro Concilio disponendo. 38-41. Usus calicis in Polonia sub obtentu fictæ religionis fovet dissidia. 42-47. Pontifex legationem Anglicanam cardinali Polo abrogat et Guillelmum sufficit, sed, reclamante regina, res in statu quo prius remanent ad tempus. 48. Varia circa collegium cardinalium Paulus disponit. 49. Mors luctuosa Joannis regis Lusitaniæ. 50. Indicæ res Christianæ efflorescunt. 51. Sebastianus, triennis puer, salutatur Lusitaniæ rex, et Catharina tutrix regni consilia salutaria accipit a Pontifice. 52. Mulierem publice prædicare vetat Pontifex.

ANNALES ECCLESIASTICI.

PAULI III ANNUS 9. — CHRISTI 1542.

1. *Instructio data Morono internuntio ad conventum Spirensem destinato.* — Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Indictione quintadecima, collabentibus Christiani imperii rebus, Turcis (oppressa Hungaria) Germaniæ imminentibus, Francisco Gallorum rege nova in Carolum V bella movente, grassante latius hæresi, ac Lutheranis, fallaci concordiæ specie, majora dissidia conflare, ac principes Catholicos ab Ecclesiæ Catholicæ obsequio divellere annitentibus : Pontifex, re communicata sæpius cum senatu cardinalium, rejectis inanibus colloquiorum ludibriis Concilium Œcumenicum [1] indixit in Tridentina Germaniæ civitate. Qua vero occasione hæc civitas post multas consultationes electa fuerit, modo est dicendum. Spiræ igitur celebranda erat dieta, cujus initium, ut fuerat denuntiatum, prima die Januarii erat futurum; quare Pontifex Morono episcopo Mutinensi, in Germaniam pro reformatione illius cleri nuntio destinato, præcepit, ut Spiram accedens ageret cum illis principibus de multis publicis negotiis, et præcipue de designanda civitate pro Concilii celebratione, et cum sequenti instructione dimissus fuit :

2. « Venerabilis frater. Cum multæ et graves curæ animum nostrum his temporibus, ob maximas calamitates in quas incidit Christiana respublica, et ob ingentia et evidentia pericula, quæ nobis instare videntur, nullius tamen rei cura magis nos premit, quam hujusce in religione seditionis ortæ in Germania nobilissima et potentissima, ac puræ orthodoxæ Christianæ pietatis conservandæ desiderium, pro qua tuenda, non solum opes omnes, sed vitam quoque libenter impendere parati sumus. Idcirco cum primum superioribus mensibus ex litteris dilecti filii cardinalis Contareni intelleximus, desperandum fore, ut in Ratisbonensi conventu aliqua iniri posset concordiæ ratio, conservata religionis puritate, confestim ex consilio venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, constituimus celebrare Generale Concilium superioribus annis indictum.

« Postmodum vero hortatu atque consilio Christianorum principum, in hanc usque diem dilatum, et quia solum et præsentaneum remedium huic morbo medendo esse semper duximus, hanc nostram de celebratione Concilii sententiam, per præfatum legatum significari curavimus Cæsari primum, ac deinde reliquis principibus, ac præsertim Ecclesiasticis. Placuit hæc nostra sententia Cæsareæ majestati, reliquisque principibus omnibus, ut par erat in tam necessaria causa : propterea, quoniam putabamus non solum opportunum, sed propemodum necessarium esse, ut in Ecclesia Christiana in clericorum ordinibus reformatio fiat multarum rerum, quæ ut temporis longitudine, et humanis omnibus accidere solet, in deterius prolapsæ sunt, ut quoad fieri potest, ad pristinum Christianum statum reducantur, hac etiam ratione certo scimus, et Deum magis propitium nos habituros esse, et Christianum populum meliorem magisque orthodoxæ pietatis cultorem; idcirco eisdem litteris injunximus præfato legato nostro, ut operam daret, quod

[1] Ms. card. Spadæ to. xv. p. 668.

fieret hujusmodi, quam optamus, Christiana reformatio in Germania, provincia nobis charissima, quemadmodum jam instituimus ut fiat in hac nostra Romana curia, et in universa Italia, ac demum in aliis Christianis nationibus.

3. « Allocutus est legatus episcopos, qui conventui interfuerunt, nonnullaque eis proposuit animadvertenda et corrigenda, hilari animo hæc nostra per legatum facta adhortatio ab omnibus suscepta est, adeo ut etiam petierint sibi dari in scriptis, quæ ore fuerunt a legato dicta, quorum exemplum, quamvis putemus habere, qui aderant, erit tamen hic colligatum. Nihil præterea potuit a legato agi ob temporis brevitatem, fuit etiam, cum jam conventus esset dissolvendus, innovatum a Cæsare et principibus Catholicis fœdus Catholicum defensivum, quod tamen legato ostensum non fuit. Idcirco cum summopere cupiamus, ut ea quæ bene cæpta sunt, perficiantur, decrevimus, venerabilis frater, te in Germaniam mittere, cujus probitatem et prudentiam, singularemque fidem jam diu perspectam habemus, ad quas accedit maxima, qua præditus es, rerum Germanicarum experientia, et non mediocris illius nationis erga te benevolentia, quamobrem speramus, non mediocrem fructum ex opera tua percepturos nos esse in ea provincia, quæ præcipue nobis est cordi. Cæterum, quamvis arbitremur omnia quæ ad hæc quæ designamus conficienda facere, ante tibi explorata esse ob peritiam quam habes rerum Germanicarum, nihilominus ut petitioni tuæ satisfaciamus, ac semper in promptu habeas animum nostrum, curavimus hanc brevem formulam nostrorum mandatorum tibi perscribi, in quam possis intendere oculos in quavis rerum quæ tibi agendæ occurrent.

4. « Ac primum, sicut nos nunc divinum auxilium imploramus, ita te monemus tibique præcipimus, ut in exordio cujusvis tractationis seu rei, quam aggressurus sis, invoces Deum optimum Christum redemptorem nostrum, ut faveat tuis cæptis, tuasque actiones dirigat in viam suam. Et quoniam tria sunt, ob quæ te potissimum in Germaniam mittimus, celebratio sancti Concilii Generalis, reformatio Ecclesiarum, perfectio Catholici fœderis, paucis ea perstringimus, quæ nobis occurrunt circa unumquodque eorum, et a postremo incipiemus. Putamus nos in fœdere Catholico defensivo comprehensos esse, cum anno superiori initum fuit, super quo confectæ fuerunt litteræ publicæ a notario; idcirco non existimamus, secundum hoc posterius fœdus necessarium fuisse. Verum quoniam maxime cupimus fœderis hujus observationem et augmentum, et voluntatem nostram et animi promptitudinem omni significatione testari contendimus, tibi mandamus, ut nostro nomine dicas principibus Catholicis in fœdere comprehensis, paratissimos nos esse novum hoc Ratisbonense fœdus ingredi, verum non posse approbare has super hoc fœdere confectas leges, cum nonnulla in eis contineantur, quibus assentiri pro persona, quam gerimus, minime possumus; portionem quoque impensarum faciendarum pro fœderis conservatione nobis assignatam, quartam scilicet partem, neque vires nostras ferre posse, neque justitiam admittere. Idcirco tibi præcipimus, ut novæ litteræ (si principibus fœderis ita videbitur) nostro nomine conficiantur, quibus testatum sit omnibus, nos libentissime novum hoc fœdus ingredi, cum conditionibus et clausulis tantum pertinentibus ad mutuam defensionem in rebus religionis, quam juvaturi semper pro viribus sumus, nulla habita mentione de portione ad nos pertinente, vel si opportunum videbitur ut fiat mentio portionis, sextam partem non transgredieris, sicut in fœdere contra Turcas inito cum Cæsare et Venetis fuimus obligati.

5. « Quoad reformationem Ecclesiæ et ordinis Ecclesiastici, quoniam novimus longe melius et magis secundum pietatem Christianam omnia fieri, quæ fiunt animo lubenti, quam coacto, et etiam quoniam scimus, omnes eos episcopos venerabiles fratres nostros, pro officio eorum debito et prudentia, proque naturæ bonitate et generis nobilitate, per se promptos esse et paratos ad hanc reformationem, idcirco volumus, ut in hac parte potius indices, et præ te feras coadjutorem et cooperatorem eorum a nobis destinatum esse, quam exactorem eorum officii, et capitula, quæ requisitus ab eis legatus dedit in scriptis, si servantur, non putamus exiguam partem reformationis factam fore: horum exemplum, quamvis putamus te habere, hic tamen alligatum mittimus, quod si quæ tibi videbuntur illis addere, poteris id agere pro tua prudentia et probitate, at si in quapiam re tibi videbitur, opus esse majori auctoritate quam præstare poteris ex facultatibus, quas hic tibi concessimus per Breve, confestim facias nos per litteras certiores, nulla enim in parte volumus tuæ operæ deesse, aut utilitati nobis charissimæ nationis: et ut melius queas juvare hoc religionis negotium, tecum mittimus doctorem Scotum, et alios nonnullos viros peritos et valde pios, qui tibi pareant, quos a nobis petiisti, et quorum opera non parum adjumenti actionibus tuis præstare poterit.

6. « Reliquum esset, ut de celebratione Concilii ageremus, verum quoniam serenissimus rex Romanorum per comitem Hugurolam oratorem suum, a nobis quædam petiit abs te in hoc conventu Spirensi agenda nostro nomine, ac ei respondimus, quæ nobis videtur res ipsa exigere. Idcirco antequam de Concilio dicamus, perpaucis hæc perstringamus. Petiit a nobis

per præfatum legatum serenissimus rex duo; primum, ut in hoc conventu ita nos cum Protestantibus gereremus, ut faciliores redderentur ac promptiores ad auxilia præstanda contra Turcas. Petiit deinde, ut in hoc conventu Spirensi significaremus principibus et statibus imperii quidnam nos præstituri sumus in auxiliis contra Turcas, ac petiit instanter ut polliceremur ampla et magna auxilia, ut nostro exemplo principes imperii et status promptiores essent, ad majora etiam, quam in animo habituri pro se essent auxilia præstanda. Ad quæ respondimus, nos credere principes et status omnes, tam Catholicorum, quam Protestantium pro sua gravitate et constantia, non defuturos iis auxiliis, quæ sunt pollicita in conventu Ratisbonensi pro defensione Germaniæ eorum patriæ, nos quoque semper paratissimos futuros ad omnia, quæ serenissimo regi possunt aliqua in parte prodesse, præsertim in hac contra Turcas expeditione, ac ideo tibi injunximus, ut humanum et Christianum animum ostendas Protestantibus, non hostilem, sed eorum salutis cupidum. Quantum vero pertinet ad aliquam concessionem vel tolerantiam, non posse honeste, nec debere (quamvis universa auctoritas a Christo sit nobis concessa) cum celebratio Concilii instet, quippiam in his omnibus agere absque deliberatione et consilio Generalis Concilii.

7. « Quantum pertinet ad auxilia, quæ præstaturi sumus, respondemus, nos paratissimos esse ad præstanda maxima ea quæ poterimus, nullisque rebus parcituros in tam magno reipublicæ Christianæ periculo. Verum non posse nos certam summam statuere, quippe qui nesciamus, quo impetus Turcarum intendant, nam norunt omnes Italiam omnem, ditionem sanctæ Ecclesiæ, et Romam ipsam maximis periculis expositam esse, si Turca supra vel infra Italiam aggrederetur, quod eum facturum maxime verendum est: quamobrem cogimur rebus nostris prospicere, ac ideo offerimus, quæ poterimus omnia quam maxime, certa tamen polliceri non possumus. Præterea illustrissimo D. Granvello consiliario majestatis Cæsareæ, diximus, et putamus significata fuisse majestati Cæsareæ a prædicto Granvellano, nisi (quod Deus avertat) res nostræ in tam magnum periculum deductæ essent, ut potius ab aliis auxilia petere, quam præstare possemus.

8. « Quo autem ad Concilium celebrandum, nos constantissime persistere in nostra sententia omnino celebrandi Concilium, nec ulla ratione ab ea posse dimoveri, et quoniam cupimus interesse, vel si aliæ causæ cogerent nos non interesse, saltem non longe abesse, idcirco non putamus commodum locum Concilii celebrandi esse Germaniam, ad quam ob gravem ætatem nostram non possumus accedere, tum ob cœli mutationem, deinde non mediocriter nos movet, quod cum utrinque in his controversiis religionis accensi sint animi Germanorum, si res ibi tractetur, magnum periculum immineret, ac ex contentionibus magis ac magis eorum animi utrinque inflammarentur, et ad majores seditiones et discordias deveniretur, et fortasse ad arma, quod maxime abhorremus, cum præcipue aspiciamus constituere pacem in Christiano populo, et vitare omnino quascumque discordiæ occasiones. Desideramus tamen, quantum fieri potest, consulere commoditati illius nationis nobis dilectissimæ. Idcirco eis nostro nomine dices, videri nobis Mantuam civitatem, sitam in radicibus Alpium juxta Germaniam, commodissimam esse Concilii celebrationi, cujus ager fertilissimus est, et civitas amplitudine et commoditate hospitiorum satis esse poterit cæteris episcopis, qui conventuri sunt. Verum quoniam veremur, ne non privata principe, qui sui juris sit, ob præstitam fortasse ab ejus tutoribus non ita facile nobis concedatur : idcirco post Mantuam, Ferraria nobis videretur commoditate, aliisque quæ possunt haberi, præferenda. Est ipsa ampla, agrum habet fertilissimum, deinde vicinitate Padi amplissimi fluvii, ex omnibus fere oppidis sitis in Alpibus et Appennino omnes res commeatuum gratia facile eo deferri queunt. Sed quoniam ea quippe civitas, quamvis sit Ecclesiæ feudum, non est immediate sub potestate nostra constituta, nec exploratum habemus principis animum, nihil enim nobis visum est cum eo agere, priusquam intelligamus sententiam Germanorum principum et statuum, non possumus eam certissime et indubitate offerre. Quod si eis placeret Placentia, aut Bononia, amplissimæ civitates omnium rerum copia instructissimæ, præcipimus tibi, ut alteram earum offeras pro Concilii celebratione, ex eo quod speramus non mediocrem fructum percepturos esse. Tempus enim a nobis determinatum dies Pentecostes inest, ut Synodus, quæ in Spiritu sancto congreganda est, congregetur etiam diebus illis, qui sunt Spiritui sancto ab Ecclesia dicati, et quibus ut descendit e Cœlis, ita quoque dignetur descendere in Synodum congregatam in suo nomine.

« Hæc sunt, quæ nobis visa sunt tibi significanda esse et præcipienda, reliqua vero quæ ad hanc nostram intentionem intendunt, poteris tu, pro tua prudentia et rerum Germanicarum experientia, ad hanc nostram intentionem accommodare. Deus Optimus Maximus, Christusque ejus Unigenitus Filius sit semper tecum, et omnes actiones tuas dirigat in sui honorem, et conservationem sanctæ Catholicæ Ecclesiæ Romanæ. Apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die VIII Januarii MDXLII, Pontificatus nostri anno VIII ».

9. *Rex Galliæ per epistolam et oratorem ape-*

rit in hoc conventu suam sententiam de præsenti statu rerum. — Germaniam petiit Moronus ista instructione munitus, ibique nona Februarii Dietæ initium datum est, cui loco imperatoris rex Ferdinandus ejus frater præsedit, orationemque habuit de subsidiis adversus Turcas, tam militaribus quam nummariis exhibendis. Misit ad hunc conventum Spirensem rex Galliæ Franciscum Olivarium, supplicum libellorum in Gallia regia magistrum, subjectisque litteris extremo superiore mense exaratis, ad imperii Germanici ordines significavit, se ex Budensi clade gravem dolorem traxisse, rogavitque, ut regia mandata proponenti benignas aures præberent [1] :

« Reverendissimis, illustrissimis, amplissimis, inclytis, magnificis et spectabilibus Sacri Romani imperii principibus electoribus, cæterisque principibus atque ordinibus Spiræ conventum habentibus, consanguineis, amicis et fœderatis charissimis, salutem plurimam dicit Franciscus Dei gratia Francorum rex.

« Postquam de illa clade apud Budam accepta nuntium ad nos allatum est, pro nostra præstanti in communem rempublicam Christianam ac gentem Germanicam voluntate, fuimus commoti, paulo post cum accepimus vos conventuros, ut de summa reipublicæ conservandæ consuleretis, nihil nobis antiquius fuit, quam ut istuc mitteremus, quod eramus statim facturi, si visum vobis fuisset maturius conventum habere : mittimus ad vos igitur, qui vobiscum de re tota convenire atque statuere possit, Franciscum Olivarium equitem auratum, libellorum supplicum in regia nostra magistrum, atque a sanctiore nostro consilio dominum de Quilers, quibus certa mandata ad salutem reipublicæ Christianæ nationisque Germanicæ spectantia dedimus vobis proponenda, quos petimus ut benigne audiatis, eisque fidem adhibeatis, etc. XIX Decembris MDXLI ».

10. Habita est ab Olivario [2] regio supplicum libellorum magistro, postridie idus Februarii in principum consessu oratio, in qua post expositam multis verborum officiis regii animi erga Germanos propensionem, addidit non lacessendum Turcam pro Buda et Pesto recuperandis, cum eæ urbes milite et commeatu essent munitissimæ, sed potius vicinas arces necessariis ad propulsandum hostem instruendas, nec potentissimum hostem temere provocandum : pacem itaque, si ea frui liceat, bello anteferendam, si vero armis cum Turca decertandum sit, hortatus est, ut sublatis dissidiis, quæ hactenus Germaniam lacerarunt, vires pro defendenda religione conjungerent.

« Orationis habitæ a Gallo oratore summa.

« Non videtur e re Germaniæ, atque adeo reipublicæ Christianæ hoc tempore, id est, dissipata Ecclesiarum Germanicarum concordia, flagrantibus dissidiis, abalienatis invicem mentibus Hungarorum per dissidia et factiones non minus perturbatis, bona parte illarum Germanicum imperium aversante, denique toto orbe Christiano misere divulso proritare Turcas per inauspicatum bellum, ut Buda ac Pestum, Hungaricasque urbes recuperemus, quas illi omni arte ac studio munitas incredibili tormentorum apparatu, et insuper commeatu, ut credere par est, abunde instructas, ingentibus et fortissimis præsidiis obtinent, hanc esse viam compendiariam ad perdendos exercitus. Deinde cum ita visum fuerit, facile fore illis per universas alias, nostris forte delassatis, et diutina militia fractis, vi obsidionem solvere, vel commeatum invehere ; quod si ad prælium ventum erit, et dabitur illis vincere, antequam copias, nova tormenta, novasque pecunias cogere liceat, irrupturos illos in Germaniæ viscera, ibi cladem et vastitatem miserabilem facturos, et more gentis, agmina captivorum utriusque sexus abducturos esse. Germaniam continuis militum delectibus exhaustam, et inde tutius esse, urbes eas, quæ inter Budam et Austriacos interjacent limites, omni studio ac ratione munire, illuc undique commeatus ex agris convehere, quo in tuto sint validissima præsidia imponere, et omnino eadem agere in Bohemia locis scilicet maxime opportunis, quæ omnia sunt factu facilia, et non magnis sumptibus indigent, et in præsens tutissima sunt, neque enim committendum esse, ut dum security ferociter minusque prudenter, tam formidandum hostem provocamus, tempore tam non idoneo, ita Rempublicam Christianam præcipitemus in extremas miserias : primum nobis nostra esse munienda ac constituenda, antequam invadamus in ea, quæ ille tot præsidiis obtinet. Nihil esse tam pestilens, quam consilium præceps et periculosa plenum alea, hoc scilicet tempore, quo maxime si unquam alias veris consiliis indiget Respublica Christiana, nam quamlibet temeritatem non periculum, sed ruinam secum trahere ; quodcumque jam spei superest nobis, id præcipue situm esse in Germanis, tanto magis cavendum, ne per hujusmodi intempestivissima consilia tanta nobis spes pereat ; præstare in res paulo secundiores curare sese, et expectare, donec Germanicæ, atque adeo Christiani orbis per concordiam paulo firmiores res factæ sint ; illis sic dissipatis vix posse sperari victoriam, itaque si per Turcas liceat quiescere, ac pace frui, certe pacem bello præponendam, sic tamen, ut interim non solum constituantur atque firmentur quæcumque supersunt nobis, quemadmodum antea dictum est, sed insuper quia per imparatos nihil recte geri potest, primo quoque tempore conferantur, eligantur milites, conscribantur

[1] Ms. Francisci card. Barberini sig. 2678. p. 98. — [2] Franciscus Belcar. l. XXIII. num. 7 et 8.

exercitus, denique hujusmodi apparatus ratio ineatur, quæ excipiendo tanto hosti sufficiat, si forte contingeret illum vim parare adversum vos, aut ulterius arma promovere: hæc omnino esse facienda, etiamsi ille maxime verbis pacem ostentaret; si modo ditionibus vestris tuto frui velitis, hæc agentes non posse circumveniri. Quod si non licet vobis per Turcam pace frui, non esse dubitandum, quin vi ac armis agendum sit, sed quoniam neque multum præsidii positum est in armis, neque vestra diutius stare possint, si vos adverso Deo discordes esse pergitis, serio ante omnia curandum esse, ut ille vobis placatus fiat, et sinceram concordiam e cœlesti illa sede mittat, hoc prætermisso frustra humanis consiliis pugnari adversus impendentem Domini vindictam; per hæc flagella trahere ad concordiam, dum sanare cupit, non perdere. Ergo implorandam prona ac supplici mente omnipotentem illam Domini misericordiam, quæ nunquam non patet ex animo petentibus; precandam, ut ex illo lucis supercœlestis fonte haustas scintillas immittat in animos nostros vitiis excœcatos, quibus tandem agnoscamus in Scripturis sensum divini Spiritus, et concordibus animis amplexemur: purgandam mentem, quæ præterita scelera oderit, tota erecta sit in Deum, ab illo pendeat, illius tantum gloriam sitiat, in utilitatem proximi totam se intendat ac exerceat, atque intrepide quæcumque pericula subire parata sit pro patria, imo vero pro Christi religione ab impiorum jugo asservanda, hilariter exponere se cuicumque labori, chariores enim nos esse illi, quam nos nobis ipsis. Hanc mentem si dederit Dominus, ut certe daturus est bona fide rogantibus, primo pacem Domini habituros, quæ superat omnem sensum, deinde concordiam inter vos nullo negotio coituram, sine qua nec imperium vestrum, nec ulla omnino respublica, quamlibet florentissima, vel tantillum consistere potest, sed quo maturius dissidia hæc componi queant inter vos, jam nunc publicam pacem ac securitatem per omnem Germaniam edicite sanciendam, hic enim primus ad concordiam gradus, interim res vestras utcumque constituet, deinde, si quæ sunt, quæ videntur obstare concordiæ, qualiacumque hæc fuerint, primo quoque tempore amolienda, sic stratam viam fore ad concordiam, et breve iter ac expeditum. Hæc Christianissimo regi videri in præsens utilissima, hæc admonere libere, ut sincerum amicum et vetustissimo fœdere conjunctum, denique sanguinis vestri principem, rogare, ut proinde ea boni consulatis, sicut ille candido animo affert, nihil aliud spectans quam publicam Germaniæ tranquillitatem et hujus sacri imperii salutem ac dignitatem, quam et hoc tempore, et posthac semper curaturus sit omni studio, conatu, gratia, auctoritate, denique quibuscumque unquam æquis atque honestis rationibus licebit, idque sanctissime vobis polliceri ».

« Hæc oratio » inquit Franciscus [1] Belcarius, « in bonam partem accepta non fuit, rex enim Franciscus Pannoniam Turcis in prædam relinqui velle videbatur, ut Cæsar pro defendenda mox Germania sollicitus, res Italicas pro derelictis habere cogeretur ». Nulla enim subsidia pro repellendo Turca obtulerat Gallus, et cum jactaret legatos, qui missi ad Solymannum ac cæsi erant, propterea missos, ut Solymannum ab invadenda Hungaria averteret, contrarium tamen constabat ex litteris notis arbitrariis scriptis, quarum explicationem Vastius vi extorserat: Fregosium missum ad Venetos, ut senatum a Cæsarea societate abalienaret; Rinconem missum ad Solymannum, ut illum ad bellum Cæsari terra marique inferendum incitaret. « Itaque Olivarius », addit Belcarius, « a Germanis cum sua consultatione quodammodo contemptus, nec æquis auribus auditus ante conventum dimissus in Galliam rediit ».

11. *Moronus ad dietam accedit, in qua Concilium Tridenti celebrandum proponitur.* — Moronus vero vigesima tertia Martii in conventu Spirensi productus, Pontificia mandata, quibus erat instructus, proposuit, quibus nimirum legibus fœderi Catholico accedere vellet, maximamque Pontificii animi alacritatem pro conjungendis auxiliaribus armis explicuit, ut Germania Turcicam tyrannidem ferocientem retunderet. Refert Belcarius [2], cum varii rumores de bello Turcico spargerentur, nec quo barbarus irrumperet certum atque exploratum esset, Paulum III pollicitum esse, si Cæsar ipse expeditionem educeret adversus Turcam, quinque millia peditum submissurum; sin vero alius præesset cum imperio exercitui, mille quingentis stipendia suppeditaturum. Promissa ornavit auxitque operibus; cum enim elector Brandeburgensis gerendo in Turcas bello præfectus fuisset, Paulus Pontifex tria millia peditum duce Paulo Vitellio, et sexcentos equites præfecto Sfortia Pallavicino egregie instructos submisit.

De Concilii celebrandi loco deligendo exortæ deinde sunt difficultates, cum Cæsar et Ferdinandus rex, ne Lutheranos principes exasperarent, Italicas urbes pro Concilio congregando non admitterent; itaque Pontifex de his certior factus, licet arbitraretur nullum opportuniorem locum, quam intra limites Italiæ pro cogenda Synodo inveniri posse, tamen ut Cæsaris et Ferdinandi regis voluntatibus se accommodaret, Tridentum proposuit, ut celebrando Concilio opportunum, vel Cameracum, quod in cardinalium senatu longe commodius Patribus visum est, propter exteras gentes, quæ facilius in eam urbem se conferre possent, in limite proximo

[1] Lib. XXII. num. 8. — [2] Lib. XXIII. num. 9.

Galliæ et Germaniæ, et a Turcicis tumultibus longinquiore, ita ut nec a Germanis repudiari posset.

12. Audita igitur a dieta nuntii propositione, qua Tridentum ad Concilii celebrationem exhibebatur, « Ferdinandus », ut ait Belcarius, « cæterique veteris persuasionis sive religionis principes, Cæsarisque legati gratias egerunt, et, si in Germania Concilium celebrari non possit, Tridentum non displicere declararunt. At Protestantes, qui verbo quidem Concilium urgebant, re ipsa nihil magis refugiebant, neque Concilium a Pontifice indictum, neque locum, neque quod ulla in decreto Pontificis mentio fiat, probant. Si hoc est, se quodammodo Concilii dominos constituere volunt ». Dimissus est Spirensis conventus III idus Aprilis decretumque editum, quo de communi consilio, supremum Christiani adversus Turcas exercitus imperium Joachimo Brandeburgensi electori delatum est; at quoniam in eo omnia ad bellum Hungaricum necessaria constitui non potuerunt, alter conventus procerum indictus est Norimbergæ ad idus Julii.

13. *Bulla indictionis Concilii.* — Pontifex, postquam illi nuntiatum fuit dietæ Tridentinam urbem pro cogendo Concilio placuisse, die decima tertia Augusti Concilium indicere decrevit. Sed cum tempus nimis arctum visum fuisset, post nonnullas consultationes ter habitas, tandem die vigesima secunda Maii Bulla firmata fuit, quam postea in festo sanctorum Petri et Pauli Pontifex publicavit, indixitque initium Concilii fore in solemnitate Omnium Sanctorum, ut subjectæ testantur litteræ [1] :

« Paulus episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

« Initio nostri hujus Pontificatus , quem non ob merita nostra, sed propter suam magnam bonitatem, Dei omnipotentis providentia nobis commisit, cernentes jam tum in quas perturbationes temporum, quotque incommoda rerum fere omnium nostra pastoralis sollicitudo et vigilantia esset vocata, cupiebamus quidem mederi Christianæ reipublicæ malis, quibus illa jamdudum vexata et propemodum oppressa est, sed ipsi etiam, ut homines circumdati infirmitate [2], ad tantum onus tollendum impares vires nostras esse sentiebamus, nam cum pace opus esse intelligeremus ad liberandam et conservandam a plurimis impendentibus periculis rempublicam, omnia invenimus odiis et dissensionibus plena, dissentientibus præsertim principibus iis inter se, quibus summa rerum pæne omnis a Deo permissa est: cum unum ovile et unum pastorem [3] Dominici esse gregis ad integritatem Christianæ religionis et ad cælestium bonorum spem in nobis confirmandam necessarium esse duceremus, schismatis dissidiis et hæresibus erat Christiani nominis divulsa jam pæne et lacerata unitas. Cum tutam atque munitam ab infidelium armis atque insidiis rempublicam optaremus , nostris erratis nostraque cunctorum culpa, Dei videlicet ira peccatis nostris imminente, Rhodus fuerat amissa, Hungaria vexata, conceptum et meditatum contra Italiam, contraque Austriam et Illyricum terra marique bellum : cum impius et immitis hostis noster Turca nullo tempore requiesceret, nostrorumque inter se odia et dissensiones suam rei bene gerendæ occasionem duceret. Igitur, ut dicebamus, in tanta hæresum , dissensionum bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, cum essemus ad moderandam et gubernandam Petri naviculam vocati, nec viribus ipsi nostris satis fideremus, primum conjecimus in Domino cogitatus nostros, ut ipse nos nutriret [1], animumque nostrum firmitate et robore, mente et consilio, sapientiaque instrueret; deinde animo repetentes, majores nostros sapientia admirabili et sanctitate præditos, sæpe in summis Christianæ reipublicæ periculis remedium optimum atque opportunissimum Œcumenica Concilia, et episcoporum generales conventus adhibuisse ; ipsi quoque animum ad habendum generale Concilium adjecimus, exquisitisque principum sententiis, quorum nobis videbatur utilis in primis et opportuna ad hanc rem esse consensio, cum eos tunc non alienos ab hoc tam sancto opere invenissemus, Œcumenicum Concilium, et generalem eorum episcoporum aliorumque Patrum ad quos pertineret, conventum in civitate Mantuæ indiximus anno Incarnationis Domini, sicut litteris et monumentis nostris testatum est, millesimo quingentesimo trigesimo septimo, Pontificatus nostri tertio, ad X kalendas Junias inchoandum ; spem prope certam habentes fore, ut cum illic in nomine Domini essemus congregati, ipse, sicuti promisit, Dominus (Matthæi 18.) in medio nostrum affuturus, et bonitate ac misericordia sua omnes temporum procellas, omniaque pericula spiritu oris sui facile depulsurus esset; sed, ut semper insidiatur piis actionibus humani generis hostis, primum contra omnem spem et expectationem nostram denegata fuit nobis Mantuana civitas, nisi aliquas conditiones subiremus ab institutis majorum nostrorum ac conditione temporum, nostraque ac hujus sanctæ Sedis ac nominis Ecclesiæ dignitate libertateque prorsus alienas, quas in aliis nostris litteris expressimus. Quapropter alium invenire locum, aliamque deligere civitatem necesse habuimus, quæ cum non statim nobis occurreret idonea et apta, ad sequentes kalend. Novembris prorogare Concilii

[1] Arch. Vat. sig. num. 3232. p. 16. Ext. in Ms. Acta Conc. Trid. sub Paul. III. Bullar. in 4. Pauli III. Bull. 33. — [2] Hebr. V. — [3] Joan. X.

[1] Ps. LIV.

celebrationem fuimus coacti. Interim sævus et perpetuus hostis noster Turca ingenti classe Italiam adortus aliquot oppida in littoribus Apuliæ cæpit, vastavit, diripuit, prædas hominum delegit; nos in maximo timore et periculo omnium muniendis littoribus nostris, finitimisque auxilio juvandis fuimus occupati, nec tamen interea destitimus consulere et hortari Christianos principes ut de idoneo habendi Concilium loco quid sentirent, nobis exponerent, quorum cum essent incertæ variæque sententiæ, tempusque diutius, quam erat opus, videretur extrahi, nos optimo animo, atque ut arbitramur, consilio, Vicentiam elegimus, urbem copiosam, et Venetorum qui eam nobis concedebant virtute, auctoritate, potentia, tum aditu patentem, tum stationibus omnibus liberam, atque tutam in primis se habentem. Sed cum jam tempus longius progressum esset, novæque urbis electionem omnibus significari convenerit, jamque kal. Novembris appetentes facultatem hujus divulgationis excluderent, Hyemsque esset propinqua, rursus altera prorogatione tempus Concilii differre in proximum sequens Ver, Maiique futuras kal. compulsi fuimus. Qua re firmiter constituta atque decreta, cum et nos ipsos, et cætera omnia ad eum bene agendum, Deo juvante, celebrandumque conventum nos pararemus, plurimumque reputantes interesse cum celebrationis Concilii, tum universæ Christianæ reipublicæ Christianos principes pace inter se et concordia consentire, charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, et Christianissimum regem Franciscum duo præcipui Christiani nominis firmamenta, atque subsidia orare atque obsecrare institimus ut ad colloquium inter se et nobiscum una convenirent, quorum quidem apud utrumque litteris, nuntiis et a latere nostro missis ex venerabilium fratrum nostrorum numero legatis sæpissime egeramus, ut ex simultate et dissidiis ambo in unum fœdus, et piam amicitiam vellent convenire, labentibusque succurrere Christianis rebus, quarum servandarum cum esset illis potestas a Deo tributa, si id non agerent, et ad commune Christianorum bonum sua consilia non dirigerent, acris et severa ratio ab eis reddenda esset. Qui aliquando precibus nostris annuentes, Niciam se contulerunt, quo nos quoque longum iter et senili ætati nostræ vehementer contrarium, Dei et pacis conciliandæ causa suscepimus, neque prætermisimus; interea cum tempus Concilii præstitutum, kalendæ videlicet Maiæ appropinquarent, tres legatos summæ virtutis ac auctoritatis a latere nostro, de numero eorumdem fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium Vicentiam mittere, qui initium Concilii facerent, prælatosque undique venientes exciperent, et ea, quæ judicarent esse opus, agerent et tractarent, quoad nos ab itinere et negotio pacis reversi omnia accuratius dirigere possemus. Interim vero in illud sanctum opus maximeque necessarium, tractationem videlicet pacis inter principes, incumbimus, et quidem omni animi studio, omni pietate et diligentia. Testis est enim Deus, cujus freti clementia nosmetipsos itineris et vitæ periculo exposuimus: nostra testis conscientia, quæ nihil habet in hac re quidem, in quo nos arguat aut prætermissas aut non quæsitas ad pacificandum occasiones: principes ipsi testes, quos tam sæpe, tamque amanter nuntiis, litteris, legatis, monitis, hortatu precibusque omnibus obsecraveramus, ut simultates deponerent, ut societatem coirent, ut Christianæ reipublicæ, in maximum et propinquum jam adductæ discrimen, omnibus studiis et subsidiis opitularentur. Jam vero testes illæ vigiliæ atque curæ, illi diurni nocturnique animi nostri labores, gravesque sollicitudines, quas ob hanc rem et causam plurimas jam suscepimus, nec tamen ad optatum exitum nostra consilia et acta adhuc perducta sunt; ita enim visum Deo est, quem tamen non desperamus aliquando optata nostra benignius respecturum, ipsi quidem, quantum in nobis fuit, nihil, quod esset nostro pastorali officio debitum, in hac re omisimus. Quod si qui sunt, qui actiones pacis nostras in aliam interpretentur partem, dolemus quidem, sed tamen in dolore nostro gratias Deo Omnipotenti agimus, qui ad exemplum et doctrinam patientiæ nostræ voluit Apostolos haberi dignos, qui pro nomine Jesu, qui pax nostra est, contumeliam pateremur [1]. Verum in illo consessu colloquioque nostro, quod Niciæ habitum est, etsi (peccatis nostris impedientibus) inter duos principes vera et perpetua pax non potuit confici, induciæ tamen decennales factæ sunt, quarum opportunitate nos sperantes, et sacrum Concilium commodius celebratum iri, et deinde ex Concilii auctoritate perfici posse pacem apud principes, institimus ut et ipsi venirent ad Concilium, et prælatos suos præsentes ducerent absentesque accerserent. Qui cum de utroque se excusassent, quod et ipsis redire in regna sua necesse esset, et prælatos, quos secum habuissent, itinere atque impendiis fessos atque exhaustos recreari et refici oporteret, nos hortati sunt, ut aliam quoque prorogationem temporis habendi Concilii decerneremus. Qua in re concedenda cum essemus aliquantum difficiles, litteras interim a legatis nostris, qui Vicentiæ erant, accepimus, transacto jam ac longius præterito Concilii ineundi die, unum vix aut alterum ex externis nationibus prælatum Vicentiam se contulisse. Quo nuntio accepto, cum videremus eo tempore nulla jam ratione haberi Concilium posse, ipsis

[1] Act. v. et II Cor. II.

principibus, ut differretur tempus agendi Concilii usque ad sanctum Pascha diemque Festum Dominicæ Resurrectionis indulsimus, cujus nostri præcepti expectationisque decretæ litteræ Genuæ anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo octavo, IV kal. Julii factæ publicatæque sunt, atque hanc dilationem eo propensius fecimus, quod pollicitus est nobis uterque princeps, legatos suos Romam ad nos se missurum, ut ea, quæ ad perfectionem pacis reliqua essent, neque Niciæ ob brevitatem temporis potuerant omnia confici, Romæ commodius coram nobis agerentur et tractarentur, et ob hanc rationem etiam a nobis ambo petierunt, ut hæc pacificationis procuratio Concilii celebrationi præponeretur, cum ipsum Concilium, pace facta, multo deinde utilius et salutarius Christianæ reipublicæ futurum esset; semper enim hæc pacis spes nobis injecta principum nos voluntatibus assentiri hortata est, quam spem vehementer auxit post discessum a Nicia nostrum ipsorum duorum principum inter se benevola amicaque congressio, quæ maxima cum nostra lætitia a nobis intellecta confirmavit nos in bona spe, ut tandem aliquando nostras preces apud Deum exauditas et vota pacis accepta esse crederemus. Hanc igitur pacis conclusionem cum et expeteremus et urgeremus, nec solum duobus antedictis principibus, verum etiam charissimo in Christo filio nostro Ferdinando regi Romanorum videretur actionem Concilii, nisi pace facta, suscipi non oportere, cunctique a nobis per litteras suosque oratores contenderent, ut alias rursus temporis prorogationes faceremus, præcipue autem instaret serenissimus Cæsar, promisisse se demonstrans iis, qui a Catholica unitate dissentiunt, operam suam apud nos interpositurum, ut aliqua concordiæ ratio iniretur, quod ante suam in Germaniam profectionem apte non posset fieri. Nos eadem semper spe pacis, et tantorum principum voluntate adducti, cum præsertim cerneremus, ne ad dictum quidem Resurrectionis festum alios prælatos Vicentiam convenisse, prorogationis nomen jam fugientes, quod tam sæpe frustra fuerat repetitum, celebrationem generalis Concilii, ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendere maluimus, itaque fecimus, et de suspensione hujusmodi litteras ad singulos supradictorum principum x die Januarii MDXXXIX dedimus, sicut ex illis perspicue potest intelligi. Ea itaque suspensio necessario per nos facta, dum tempus illud magis idoneum a nobis, pacisque aliqua conclusio expectaretur, quæ et dignitatem postea, frequentiamque Concilio, et Christianæ reipublicæ præsentiorem salutem erat allatura. Christianæ interea res in deterius prolapsæ sunt, Hungaris (rege ipsorum mortuo) Turcam vocantibus, Ferdinando rege bellum in eos movente, Belgis ad defectionem a Cæsare ex parte quadam incitatis; cujus defectionis comprimendæ causa magno benevolæ inter eos voluntatis judicio transiens in Belgas serenissimus Cæsar, et illinc deinde in Germaniam profectus, conventus Germaniæ principum, et civitatum trahendæ ejus, quam dixerat, concordiæ causa habere cœpit. Sed cum spe pacis jam deficiente, ille quoque modus curandæ in conventibus tractandæque concordiæ, ad majores potius discordias concitandas aptus esse videretur, inducti sumus ad pristinum Concilii Generalis remedium reverti, idque per legatos nostros S. R. E. cardinales ipsi Cæsari obtulimus, quod etiam postremo et præcipue in Ratisbonensi conventu egimus, cum illic dilectus filius noster Gaspar tit. S. Praxedis cardinalis Contarenus summa doctrina et integritate legatum nostrum ageret. Nam cum id, quod ne accideret antea veriti eramus, ex ejus conventus sententia peteretur a nobis, ut ab Ecclesia dissentientium quosdam articulos tolerandos declararemus, quoad per Œcumenicum Concilium illi excuterentur, deciderentur, idque nobis ut concederemus, neque Christiana et Catholica veritas, neque nostra et Sedis Apostolicæ dignitas permitteret, palam potius Concilium, ut quamprimum fieret, proponi mandavimus : neque vero in alia unquam sententia et voluntate fuimus, quam ut primo quoque tempore Concilium Œcumenicum et Generale congregaretur ; sperabamus enim ex eo et pacem populo Christiano et Christianæ religionis integritatem posse recuperari : verumtamen id cum bona gratia et voluntate Christianorum principum habere volebamus, quam voluntatem dum expectamus, dum observamus tempus absconditum, *tempus beneplaciti tui, o Deus!* aliquando tandem decernere compulsi sumus , omne esse tempus beneplacitum Deo, cum de rebus sanctis et ad Christianam pietatem pertinentibus Concilia ineuntur. Quapropter videntes maximo quidem animi nostri cum dolore rem Christianam quotidie in pejus ruere, Hungaria a Turcis oppressa, Germanis periclitantibus, cæteris omnibus metu mœroreque afflictis, nullius jam principis consensum expectare, sed tantum Dei omnipotentis voluntatem, et Christianæ reipublicæ utilitatem attendere constituimus.

« Itaque cum Vicentiam amplius non haberemus, cuperemusque tum universæ Christianorum saluti, tum Germanicæ nationis incommodis in eligendo per nos novi Concilii habendi loco consulere, aliquotque locis propositis, ipsam Tridentinam civitatem ab his desiderari videremus, nos etsi in citeriore Italia commodius omnia tractari posse judicabamus, ad eorum tamen postulationes nostram voluntatem paterna charitate deflexìmus. Itaque Tridentinam civitatem elegimus, qua in civitate Œcu-

menicum Concilium ad proximas venturas kal. Novembris haberetur, idoneum locum illum statuentes, quo ex Germania quidem, aliisque Germaniæ finitimis nationibus facillime, ex Gallia, Hispania cæterisque provinciis remotioribus non difficulter episcopi et prælati convenire possent. Dies autem Concilii ea a nobis spectata est, quæ spatium in se haberet et publicandi per Christianas nationes nostri hujus decreti, et facultatis omnibus prælatis ad veniendum tribuendæ. Quo minus autem annuum tempus præfiniremus, mutando Concilii loco, sicut quibusdam constitutionibus [1] alias præscriptum est, ea res fuit in causa, quod longius extrahi spem sanandæ aliqua in parte Christianæ reipublicæ, quæ tot detrimentis et calamitatibus affecta est, noluimus, et tamen videmus tempora, agnoscimus difficultates : quid sperari possit ex consiliis nostris incertum intelligimus. Sed quia scriptum est : *Revela Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet*, magis Dei clementiæ et misericordiæ confidere, quam nostræ imbecillitati diffidere constituimus. Sæpe enim fit in bonis operibus incipiendis, ut quod humana consilia non valent, divina virtus efficiat. Hujus igitur Dei omnipotentis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ac beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli auctoritate, qua nos quoque in terris fungimur, freti, atque subnixi de venerabilium item fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, sublata et mota suspensione, de qua supra commemoratum est, quam per præsens tollimus et amovemus, sacrum Œcumenicum et Generale Concilium in civitate Tridentina, loco commodo et libero, omnibusque rationibus opportuno, ad kal. proximas Novembris anni præsentis ab Incarnatione Domini MDXLII incipiendum, prosequendum, et eodem, Domino adjuvante, ad ipsius gloriam atque laudem, et Christiani totius populi salutem absolvendum perficiendumque indicimus. Dat. Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini MDLII, XI kalend. Junii, anno VIII ».

14. *Quid de hac indictione senserint principes.* — De hac indictione Concilii Pontifex Cæsarem et reges certiores fecit, quo argumento extant litteræ ad Joannem Lusitaniæ regem, quibus Christianæ reipublicæ gravissima pericula exposuit, ad quæ propulsanda Concilio opus foret, et ad quod promovendum, ut regiam operam conferret, exoravit.

Rogatus quoque est a Pontifice Ferdinandus Romanorum, Bohemiæ et Hungariæ rex, ut præsules in regni sui principatibus constitutos, necnon Germanos urgeret, ut Tridentum pro celebrando Concilio proficiscerentur.

Meminit de his litteris Angelus Massarellus, additque humanissime fuisse responsum a Ferdinando, se oratores amplissimis fultos mandatis ad Concilium decreturum, cum gravissima rerum mole pressus, ad id (ut gerebat in votis) se conferre non posset.

15. Significavit etiam Pontifex canonicis et Capit. Tridentino indictionem Concilii per Othonem Truchses, quem nuntium ad dictam Norimbergensem demandabat pro eadem causa Concilii.

Functus est munere suo in Norimbergensibus comitiis cubicularius Pontificius Waltpurgensis Dynasta, atque Diploma Pontificium de indicto ad kal. Novembris Concilio Tridentino promulgavit : principes vero Catholici, tum Ecclesiastici, tum civiles, ut antea in Spirensibus, mandata Apostolica pio et grato animo exceperunt, ut constat ex subjecto eorum responso [1] :

« Responsio Conventus Norimbergensis MDXLII mense Augusti ad intimationem Concilii per nuntium.

16 « Sacri Romani imperii principum electorum consiliarii, aliique ejusdem imperii principes et ordines, in hisce imperialibus comitiis congregati, tam ex hortationibus vestris, nuper coram serenissima et invictissima Romanorum, et Hungariæ et Bohemiæ regia majestate domino nostro clementissimo et eisdem habitis, quam ex tenore Bullæ Apostolicæ coram eis lectæ, intellexerunt præfatum sanctissimum dominum nostrum indictionem Concilii Œcumenici et Generalis in civitate Tridentina ad kal. Novembris proxime futuras celebrandi, jam antea Romæ generaliter publicatam, majestati regiæ, sacrique imperii principibus et statibus specialiter intimare, paternoque affectu hortari et rogare voluisse, quatenus majestas regia et principes, posthabitis aliis curis, eidem Concilio personaliter interesse velint; archiepiscopos autem, episcopos, abbates, cæterosque prælatos Ecclesiasticos nihilominus commonefacere, vigore jurisjurandi Sedi Apostolicæ præstiti, Concilio hujusmodi universali intersint et assistant, ac hujusmodi quidem generalis Concilii indictionem, publicationem et insinuationem, principes et ordines hujus sacri imperii, necnon absentium consiliarii et oratores, gratis omnino animis suscipiant, non ignorantes, quanta cum jactura jam aliquot annos variæ in religione nostra Catholica dissensiones et controversiæ subortæ sint, et quoties optatum petitumque fuerit Concilium illud Œcumenicum et Generale indici et celebrari, quæ etiam difficultates et impedimenta circa ejusdem celebrationem subinde occurrerint, quamobrem sanctitati suæ ingentes agunt et habent gratias, quod omnibus difficultatibus postpositis, sacrum Œcumeni-

[1] Concil. Const. sessio XXXIX.

[1] Ms. Francisci card. Barberini sig. 2677. num. 26.

cum et generale Concilium dictis loco et tempore celebrandum decrevit, quo quidem, si unquam antea, certe hisce quoque novissimis temporibus, Ecclesia Dei tot tantisque calamitatibus afflicta, innumerisque periculis exposita, plurimum opus habet. Proinde iidem principes et status, cum toties indici et celebrari Concilium desideraverint, prout recessibus seu decretis multorum imperialium conventuum de hoc plenius continetur, ac novissimis in comitiis Spirensibus etiam in Tridentinam civitatem pro loco Concilii designandam consenserint, eidem Concilio, aut personaliter, aut justo aliquo impedimento præpediti saltem per legitimos suos nuntios et procuratores, adesse et interesse curabunt, Deum Optimum Maximum humiliter rogantes, ut in hoc pio ac necessario proposito celebrandi Concilii sanctitatem suam clementer confirmet largiaturque, ut quod nomine suo cœptum est, ab ipso suscipiat incrementum, sublatisque dissidiis et erroribus universis, ac Christiana concordia redintegrata, sibi placitum consequatur effectum.

« Deputati principum electorum, aliorum principum et ordinum Catholicorum Norimbergæ congregatorum ».

Hæc Catholici. At Protestantes in eadem pertinacia ac perfidia obduruere, ut vellent esse Concilii domini, non rei violatæ religionis, impostorum deliramenta impia Conciliorum decretis anteferrent, supremam in coadunando Concilio Pontificis auctoritatem denegarent, omnemque consensionis rationem eluderent. Dissolutus est is conventus exeunte Augusto, actumque de expeditione in Turcas educenda, lato XXVI Augusti de ea re decreto.

17. *Maranum occupant Galli, unde exardescit ira inter imperatorem et Gallum regum.* — Dum Pontifex ardentissimo studio ad indictum Concilium celebrandum, comparandaque ad id necessaria incumberet, humani generis hostis, permittente Deo, cujus sunt inscrutabilia judicia, crudele ac funestissimum bellum, ut Synodum continentibus piorum votis expetitam disturbaret, accendit. Cujus origo ex Fregosii et Rinconii oratorum Gallicorum cæde in ditione Cæsarea patrata superiore anno manavit, qui non apparatu regiis oratoribus digno, sed cultu simulato per Padum navigio vehebantur. Franciscus enim rex ultionem tanti flagitii poposcit a Cæsare, concepta ea opinione, eam cædem consentiente ipso factam, vel imperio Mediolanensis præfecti procuratam, atque adeo injuriam sibi illatam sarciri æquo jure postulabat, ac querebatur pactas jam ante nuncupato sacramento inducias violatas fuisse. At imperator contendebat purum se esse atque immunem ab eo scelere, nec illi aliqua ratione assensisse, nec auctores cædis deprehendi posse, ut supplicio afficerentur. Quare exardescentibus in dies odiis res in bellum atrox erupit; ac Cæsar in litteris redditis ad Pontificem, qui illum precibus maximis urserat, ut cogendæ Synodo operam conjungeret, Pontificio prius studio erga rempublicam Christianam collaudato, mox gravissimas querelas adversus Galliæ regem effudit, quas cum regis Galliæ Apologia Belcarius episcopus Metensis fuse descripsit.

18. Amborum istorum principum studium erat, animos aliorum principum ad se allicere : at rex Franciscus Turcarum imperatorem Solymannum omni officiorum genere studuit sibi conjungere, et occasione accepta ex rebellione terræ Marani, Venetos, ut fœdus contra Cæsarem secum inirent, pertentavit. In paludibus Venetis Austriaci [1], jam triginta annorum lapsu, terram Marani possidebant, at tunc aliqui hujus terræ incolæ, Germanis terræ custodibus ejectis, regem Galliæ, cujus militare signum in mœniis erexerant, in dominum receperunt, introducto nomine regis in terram Petro Strozzio perduellium Florentinorum capite : quare, cum Germani arma pararent ad illius terræ recuperationem, episcopus Tridentinus, cui hujus belli cura demandata fuerat, a Pontifice triremes, quas in Anconitano portu habebat, petiit. Cui respondit Pontifex, sibi necessarias pro tuendis maris Hetrusci littoribus, ac in ea controversia pacis interpretem cum Gallo rege ac Venetis acturum [2] :

« Dilecto filio Christophoro electo Tridentino.

« Dilecte fili, salutem. Recepimus litteras tuas Venetiis datas, super occupatione oppidi Marani, de quo nos antea audiveramus, maximamque, perinde ac debuimus, molestiam ac sollicitudinem acceperamus, cum serenissimi Romanorum regis nostri in Christo filii charissimi causa, tum ob commune periculum, quod in hoc verti nemo non videt, quamobrem egimus super hoc statim, omni qua potuimus instantia ac studio, et cum Christianissimi regis et cum Veneto oratore existentibus, et nuntium nostrum apud regem Christianissimum certiorem super hoc fecimus, nihilque prætermisimus, quod ad officium nostrum pertineret; quo magis etiam doluimus, non potuisse tuæ petitioni de nostris triremibus Anconitanis satisfacere, sicut optavissemus, eas enim antea ad nos, ad tutelam nostri Maris Inferi littorumque almæ Urbi vicinorum, propter metum gravioris belli et excursiones piratarum evocaveramus. Dat. Rom. XVII Februarii MDXLII, anno VIII ». Et ne putetur Pontificem captata hac occasione auxilium negare voluisse, audiamus quæ scripsit cardinali Carpio [3] :

« Rodulpho tituli Sanctæ-Priscæ presbytero

[1] Paul. Jov. l. XLI. — [2] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 63. — [3] Paul. III. l. III. brev. p. 99.

cardinali, de Carpo nuncupato, provinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ, nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

19. « Periculis, quæ hoc tempore universæ reipublicæ Christianæ, et præsertim ditioni Ecclesiasticæ, ac quæ religionis et fidei caput est, almæ Urbi, immanissimo Turcarum tyranno Italiam occupare satagente, imminere dignoscitur, et quæ eo magis timenda sunt, quo minor concordia inter principes Christianos cernitur, quantum nobis ad præsens conceditur, occurrere cupientes, et animo revolventes, quod sicut pro redemptione captivorum bona Ecclesiastica alienare licet, ita omnibus fere Sedis Apostolicæ ordinariis redditibus ob immensas impensas, quas pro illius necessitatibus subire oportuit, alienatis, licitum et honestum esse bona ipsa ad occurrendum, ne Christiani fideles, eorumque res et bona in captivitatem et perditionem deducantur, attingere. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum XIII Martii MDXLII, an. VIII ».

20. Itaque Pontifex non modo episcopo Tridentino subsidium triremium negavit, verum etiam Marani expugnationem tunc minime esse tentandam significavit : de qua Pontificis sententia cardinalis Farnesius nuntium apud imperatorem fecit certiorem, die ultima Februarii [1] :

« Quoad Maranum, illius loci occupatio suæ sanctitati valde displicuit, et postquam rex Romanorum non potuit illum, antequam rebelles possent se armis et annona munire, statim recuperare, sua beatitudo existimat forsan bonum esse consilium, non esse nunc experiendam expugnationem, quia præterquam quod recuperatio forsan male cederet, rebellibus se Turcis tradendi occasio daretur, quod si eveniret, non tam regis Galliæ, qui hujus loci possessionem acceptare non vult, quam Ferdinandi culpa evenisse judicaretur, quia supradictum periculum non prospexerit, id est, homines terræ Turcam in dominum, sicuti Budæ accidit, vocaturos esse, quando in desperationem adactos se conspicerent ». Sic Farnesius.

Occasione igitur horum perduellium Maranensium [2], Polinus, qui nomine regis Galliæ legatus ad Solymannum pergebat, Venetiis cum esset, cogere quodammodo illam rempublicam cogitavit ad fœdus ineundum cum rege Galliæ contra Cæsarem; ideoque in senatu perorans, minabatur, ni cum Christianissimo fœdus jungerent, regem Maranum Turcarum tyranno esse traditurum, quæ res in maximam perniciem Venetiarum redundatura esset. Non valuerunt Polini persuasiones et minæ ad senatum inducendum, ut cum rege Galliæ fœdus iniret. Quare ad concitandos Turcas in Cæsarem profectus Constantinopolim Solymanno persuasit, ut maxima instructa classe ditiones imperatoris invaderet, ut suo loco referetur.

21. *Mittit Paulus Montepolitianum ad Carolum pro pace.* — Prudentissimus Pontifex ex aucta immani istorum principum inimicitia, proxima Æstate sæviora bella oriunda esse conjiciens, Jo. Montepolitianum, singularis prudentiæ virum, in Hispaniam direxit, ut ad pacem istos principes adhortaretur, cui subjectas tradidit litteras [1] :

« Imperatori.

« Charissime. Remittimus ad majestatem tuam dilectum filium Jo. de Montepolitiano, camerarium nostrum secretum, latorem præsentium, pro ea causa, quam majestas tua, tam ex nuntio apud te nostro intelliget, super rebus publicis ac pace totius Christianitatis, quamobrem majestatem tuam in Deo Domino hortamur et studiose requirimus, ut eorum utrique fidem habens, seipsum vi sancta cogere, omniaque posthabere saluti universali velit, quemadmodum, cum gratia Domini, confidimus, te pro tua singulari prudentia ac bonitate esse facturum. Datum Romæ XXVII Martii MDXLII, an. VIII ».

22. Monspolitianus vero rediit Romam vigesima secunda Julii, cum operam et laborem perdidisset. At post ejus reditum Pontifex exposito prius cardinalibus Christianæ reipublicæ statu, pacem totis viribus inter eos principes conficiendam fore decrevit [2]. Quare sine mora duos legatos videlicet cardinalem Contarenum ad imperatorem, et cardinalem Sadoletum ad Christianissimum decrevit. Quia vero Contarenus die XXIV mensis Augusti Bononiæ decessit, Pontifex in ejus locum Michaelem de Sylva tit. S. Praxedis, tunc Basilicæ XII Apostolorum suffecit.

23. *Mors cardinalis Contareni, cujus fama injuste læsa defenditur.* — Cum in mortem cardinalis Contareni inciderimus [3], de tanti viri insignibus virtutibus, deque in morte ferenda constantia nonnulla afferemus. Cum amicus eum hortaretur, ut recuperandæ sanitati totis viribus incumberet, qua reddita, legationis munus ad imperatorem quantocius perficere posset, « subdidit ille statim hilari vultu (ut Joannes Casa testatur) ad alium longe majorem imperatorem sibi iter instare, idque ipsos brevi cognituros : neque tamen se hoc dicere, quia mortem valde perhorrescat, parumque animo æquo ferat se e vita discedere : intelligere enim se præclare, quot quantaque beneficia a Deo acceperit, quorum etiam pleraque commemoravit, non gloriæ causa ostentationisque, cui tunc locus minime erat, verum ut se gra-

[1] Ms. card. Bernard. Spadæ tom. LXIV. p. 454. — [2] Paul. Jov. l. XLI.

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 161. — [2] Ms. card. Spadæ to. LXXXIV. p. 439. — [3] Jo. Casa in Vita Gasp. Contareni.

tum erga auctorem illorum significaret. Inquit igitur, se ortum esse in ea civitate, quæ nulli earum cederet, quæ in universo terrarum orbe existunt : familiaque, quæ haud postremum locum in ea republica teneret : consecutumque itidem in ea honores non parvos : et ut domi, ita etiam foris gradus maximos dignitatis adeptum esse : utramque vitam se cum laude aliqua coluisse, et eam quæ in contemplatione rerum versatur, et eam quæ rebus agendis incumbit : pervenisse ad ætatis annum quinquagesimum nonum, quem terminum vitæ multi attingere non potuerunt, quare secum quoque hac parte non male actum esse : canereque se debere una cum sacro hebræorum vate carmen, quod ad æquum gratumque animum significandum pertinet, nomenque illius laude gloriaque cumulandum ; quia vero non tam liberaliter se gesserit erga multos, neque tot bonis expleverit omnem populum, sibi opes defuisse. Unum tantum sibi molestum esse, quod, ut optabat, commodis quorumdam tenuiorum hominum non prospexerit, qui sibi, postquam ad sacrum illum honoris gradum ascenderit, fideliter ministrarint : sperare tamen se Deum optimum Maximum, Pontificemque, cujus dignitati toto animo inservierit, fortunas suorum sublevaturos. Nec oblitus est suo opportuno tempore mandare custodi ipsius, ut privilegium, quod beneficii loco a Pontifice impetrarat, ad delicta penitus abstergenda traditum sibi legeret, dum mente rationeque consisteret. Cum hæc animo versaret, sane constanti ac forti, atque hoc sermone semet consolaretur, suos, qui præsentes aderant (ii autem erant, ut quisque maxime illi acceptus probatusque fuerat) angebat atque ita perturbabat, ut lacrymas vix tenere possent, e quibus tamen sibi diligenter temperabant, quamvis intelligerent, ne magna quidem copia ipsarum spectante illo effusarum, posse ipsum commoveri, et e statu illo animi dejici. Eadem vero hominis providentia in intelligendo prædicendoque suis vitæ suæ finem, exitu ipso comprobata est, quæ in cæteris rebus judicandis significandisque sæpe apparuerat. Crescente enim semper vi morbi, remediisque omnibus superatis, oppressus ille est, animamque efflavit.... kal. Septembris circa meridiem ».

24. Audita optimi viri morte, Paulus Pontifex non modicum indoluit, ac de eo hujusmodi breve protulit elogium : « Amisimus profecto magnum virum, et valde utilem Reipublicæ nostræ civem, sed ut alia, ita hoc magno constantique animo ferendum ». Etiam fidei nostræ inimici eum summis laudibus extulerunt, ut supradictus Jo. Casa in ejus Vita sic testatur : « Nonnulli, qui ab eo vehementer dissidebant, de ratione vivendi, veroque cultu Christiani hominis, et acerrimi adversarii opinionum, quas ille in Germania defendit, extiterunt, magnifice tamen de eruditione continentiaque illius, in illis ipsis libris, quibus sententias ipsius oppugnabant, locuti sunt, quod fere usuvenire non solet, ut a quibus de veritate hominis dissentiant, non eosdem etiam conentur deformare, atque ita auctoritate omni spoliare ». Attamen non defuerunt momi, qui ejus gloriam denigrare tentarent. Opposuerunt enim illi, quod Ochino olim Capuccinorum primario, cum quo de moribus Romanæ curiæ postremis suæ vitæ diebus collocutus fuerat, ad apostasiam animum adauxerit, cum impiissimus et mendax apostata in suæ ab Ecclesia Romana defectionis defensionem hoc asserat. Sed Jo. Casa maculam tergit, clare demonstrans Ochinum, extremis vitæ diebus Contareni, non potuisse cum eo (ut scelestus apostata mentiens audacter scripsit) prolixe alloqui, quod ita probat :

25. « Ludovicus Beccatellus intimus a consiliis Contareni, nec minus studiosus famæ existimationisque hujus optimi ac prudentissimi viri, quem sibi in vita tanquam vivum quoddam exemplar probitatis proposuerat, notam quam optimæ vitæ ipsius inurere præposterus quidam amicus studuit, hoc pacto delevit. Narrat enim forte evenisse, ut illo ipso tempore, quo graviter Contarenus ægrotabat, Bernardinus Ochinus Bononiam venerit, Romam ad causam dicendam evocatus (insimulabatur enim in suis concionibus, quas Venetiis habuerat, nonnulla dixisse, quæ veteribus decretis Romanæ Reipublicæ adversabantur) : additque habuisse illum litteras ad se scriptas a Giliberto episcopo Veronensi, quibus a se petebat, ut diligenter ageret cum legato, ut hortaretur hominem ad sistendum se in judicio, coramque ad ea, quæ ipsi objiciebantur, defendenda : quum cognovisset ipsum timide ad id descendere, egereque stimulo quopiam, et auctoritate magni alicujus et gravis viri : neque enim adhuc Gilibertus hominis levitatem inconstantiamque perspexerat : is autem vesperi venerat, quum jam cœnassent omnes, legatus tamen adhuc in lecto vigilaret : qui cum speraret morbum postridie leviorem fore, ut commodius eum audire posset, loquique cum ipso familiariter, jussit ut præberentur illi, quæ ad curandum corpus pertinerent; contigisse vero contra, ut ea nocte morbus ingravesceret, quare mane legatum totum distentum fuisse in remediis (quæ medici adhibenda jusserant) sumendis, novisque curationibus, unde factum fuerit, ut neque de hospite illo, neque de alia ulla re agi cum eo potuerit. Bernardinus interim, cui in primis mala sua mens malusque animus cognitus erat, atque umbras etiam (ut qui sibi alicujus sceleris conscii sunt, faciunt) reformidabat, cæpit vereri ne astute illic detineretur : putabat enim fingere morbum legatum, quo metu homo oppressus (nam hoc verum esse, non multo post

consilio quod cepit, perfectum est) non cessabat Ludovicum urgere, ut rogaret legatum potestatem sibi faciendi abeundi, in quo ille ipsi non obtemperabat, putans brevi fore, ut melius esset legato : videbatur enim sibi perspexisse, cupere illum magnopere cum Bernardino loqui, qui sane usque ad illud tempus magnum sibi nomen ex facultate illa dicendi et opinione sanctitatis conciliarat. Cum autem magis magisque semper timore crescente instaret, Ludovicus importuno sane tempore coactus est, cum æstu febris in lectulo legatus jactaretur, eo irrumpere, rogareque ut pateretur ipsum abire, in quo sane humanissimus vir et morem gessit : cumque ad eum Bernardinus introductus esset hæc ipsa verba protulit : Vides quo in statu sim, accusatio hæc apud te justa sit, et ora, ut Deus Optimus Maximus mihi propitius sit; feliciterque institutum iter perage : cui ille tantum, demisso (ut moris est) capite respondit, se prorsus ita facturum : illicoque abiit. Hic est sermo, quem Bononiæ habuit cum optimo et modestissimo viro Bernardinus, nec verbum præterea auditum est, qui tamen posteaquam susceptam vitæ rationem deseruisset, acerrimumque se hostem Pontificiæ potestatis præbuisset, ut se sapienter id fecisse ostenderet, a perditaque causa et flagitiis multis contaminata merito defecisse, habereque se multos socios ejus consilii probare vellet, non veritus est criminari amicum, memoriæque ac litteris prodere, questum secum esse eo tempore Contarenum de moribus institutisque Romanorum antistitum, et insectatione sæva atque injusta bonorum : hujuscemodique alia multa scribere prorsus inania, et quæ non solum a veritate abhorrerent, sed etiam a vita ejus, cui adficta erant, nullo modo convenirent, quæ cuncta Ludovicus (ut est vir optimus et omnis officii, quod in eo amicitia coli debeat, observantissimus) asseverabat, refellendi ejus mendacii causa, purgandæque innocentiæ illius viri mortui, quem vivum magnopere dilexerat : nec tantum hoc se ita habere, testimonio suo confirmabat, sed alios etiam testes hujus rei producebat, qui præsentes illi adfuerant, etc. ».

26. Fuit cardinalis Contarenus, præter morum probitatem, eruditione multaque scientia ornatus, uti Codices ab eo editi declarant, de quibus hæc Jo. Casa refert : « Edidit juvenis adhuc (trigesimum enim tertium ætatis annum tunc agebat) librum contra judicium Petri Mantuani doctoris sui, de Materia, de Animi mortalitate in sententia Aristotelis disputantis. Scripsit de Elementis libros quatuor, in quibus viam omnem rationemque Aristotelis diligenter expressit. Addidit his in altiore Philosophiæ parte libros quatuor; hi libri ei, qui attente legerit, nullo negotio patefacient, quæ fuerit vis animi ipsius, et quanta prudentia in rebus gravioribus tractandis. Cum juvenis adhuc, vitamque colens liberam, ac nullis sacris adstrictam, occasionem hanc ejus rei nactus, quod familiaris ipsius pontifex Bergomas destinatus fuerat, ipsum instituere cupiens, duos libros scripsit de officio eorum sacerdotum, finxitque ita, atque informavit talem virum, quales si forent, quibus tantum onus commissum est, non laboraremus. Præterea, quum orta quæstio esset in senatu de Pontificis Maximi potestate, divinitusne illa stabilita fuerit, an humanis consiliis regeretur, quumque multum de ea re illic in utramque partem disputatum esset, domum reversus, ut quid ipse de eo sentiret, ostenderet, omnique errore cives suos liberaret, spatio unius noctis libellum confecit, qui nunc excusus in manibus versatur. Sed, ut iisdem etiam in suo proprioque ipsorum munere prodesset; effigiemque ejus reipublicæ, in qua natus erat, exprimeret, quinque libros confecit de Magistratibus, Reque publica Venetorum, qui itidem divulgati sunt. Postquam vero in amplissimorum antistitum collegium cooptatus est, perlectis diligenter Synodis omnibus, quæ variis temporibus ob emendandum statum Christianæ reipublicæ coactæ sunt, in breve quoddam corpus gravissimas quasque illarum collegit, servato temporum ordine, materiaque omni quam persecutæ sunt demonstrata. Absoluto autem illo, par huic opus, et quod eumdem finem haberet, aggressus est; scripsit enim quatuor libros, de Ritibus Cæremoniisque nostræ religionis persuasionisque Christianæ, quæ Sacramenta appellant; quibus libris complexus est materiam illam omnem, et quæ radix visque ipsarum fuisset, declaravit : quidque demum pie credi et custodiri de his deberet, veris rationibus argumentisque satis firmis probavit. Confecit etiam tanquam Institutionem quamdam brevem Christiani nominis : collegitque, quæ magis mordere animum debent probra omnia, ut aperire ipsa oporteat cum dolore sacerdoti. Illustravit etiam Scholiis quibusdam suis Contarenus multos obscuros locos in Epistolis divi Pauli, quo sane studio toto animo occupatus erat, cum mors eum oppressit. Sed etiam Epistolas ipse non paucas conscripsit eruditas, et optimorum præceptorum plenas ». Hæc et plura alia Jo. Casa. Et vere fulgentissimam lucernam extinctam fuisse in Israel fatendum est, cum ex ejus lucubrationibus conjiciatur, quantum et civili dominatui et Ecclesiæ luminis afferebat, optandumque esset, et Deus orandus, ut tales faces sæpe sæpius accenderet, ad illuminandos, et in Dei amorem accendendos fideles, tenebrasque errorum omnium discutiendas.

27. *Pontifex regem Galliæ hortatur ad pacem.*— Porro Pontifex Christianissimum regem, per alias litteras a Michaele de Sylva in Conta-

reni locum suffecto legato ei redditas ad pacem inflectere constantissime nisus est [1] :

« Regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster. Etsi pacis curam ac tractationem inter majestatem tuam et serenissimum Cæsarem toties a nobis frustra tentatæ, ut aliquando deponeremus, humana prudentia suadebat, tamen Deus animum nostrum requiescere non permisit, præsertim cum videremus vestris istis acerbis et infelicibus dissidiis cunctum Christianum nomen in interitum et ruinam trahi, et quidem si recta et vera ratio locum in utroque vestrum habeat, facilis sit pacis et concordiæ conventio, sed veremur, fili charissime, quod cum magno dolore proferimus, veremur, inquam, ne, quod scriptum est, obscuraverit Deus oculos vestros, ne videatis, et cor vestrum, ne intelligatis. Nos igitur toties a vobis repulsi, toties frustra habiti revertimur, tamen ad suadendam pacem non tam sponte nostra, quam Dei Omnipotentis, ut dicimus, nutu excitati, qua spe nescimus, sed certe testatum Deo et hominibus relinquemus, etiamsi vos filii parum obedientes fueritis, nos tamen optimi patris officio esse functos : hoc itaque consilio, et cum maximo consensu venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium, duos ex eodem numero legatos a nostro latere ad utrumque principem elegimus, quorum alter Jacobus tit. S. Callixti presbyter cardinalis, qui ad majestatem tuam destinatus est, idemque tui nominis et honoris est studiosissimus, perferet ad te omnia mandata et preces nostras, quæ ad cohortationem pacis pertineant, quem non audire patienter, et nostris per eum monitis non acquiescere, vide, fili charissime, ne ingratum et molestum Deo, tibique propterea ac rebus tuis vehementer periculosum sit, sed meliora consulat Deus, tuque, Christianissime rex, Christianas maxime admonitiones nostras et vera consilia recipe, ipsumque Jacobum legatum nostrum audi benigne atque clementer, cui ut fidem plenam habeas, tecumque ut communicare nostras rationes possit, faciles aditus ut præbeas, nos majestatem tuam in Domino enixe adhortamur. Dat. Romæ etc. apud S. Marcum XVII Augusti MDXLII anno VIII ».

28. Demulcere etiam Henrici Delphini animum nisus est Pontifex, ut parentem regem a bellicis curis ad pacis consilia inflecteret, universam enim Christianam rempublicam exitiali eo bello in extremum discrimen conjici, nec defuturas litium componendarum rationes, quas legatus expressurus sit, ipsumque summam in promovenda pace apud Deum gratiam promeriturum, æternumque gloriæ decus apud omnes collecturum.

29. *Quintuplici exercitu Franciscus aggreditur Carolum.* — Interea Franciscus rex Galliæ, quintuplici exercitu comparato, mense Julio Cæsaris ditionem in Hispania citeriore, in Insubria, in Lucemburgensi Comitatu, in Brabantia, et in Atrebatensi Ducatu invasit, ambitioso quodam ad armorum ostentationem consilio, sed ad referendam victoriam inutili, nam si ex prudentum sententia tot exercitus in unum vel duos conflasset [1], vel Insubriam recuperare, vel aliqua provincia Cæsarem spoliare, aut insigni alia clade afficere potuisset. Eduxit quidem maximo terrore exercitum Henricus Delphinus in Hispaniam, ac Perpinianum milite imparatum opprimere potuisset, sed dum Helvetios adventantes expectat, et lento gressu copias movet, Hispani arcem præsidiariis copiis egregie muniverunt. Cumque ingens auxiliaris exercitus ad eum propulsandum instrueretur, nec Barbarossam ad intercludendas Aurianas navigationes, vastandisque Hispaniæ littoribus distrahendas vires ea æstate venturum Gallo regi nuntiatum esset, Delphinus a patre jussus est Perpiniani obsidionem solvere, incolumemque exercitum ex hostico reducere : ita illius expeditionis spes evanuit. In Taurinis cum Gallicæ vires flaccidæ essent, Guillelmus Langæus ex æquo pugnavit cum Hispanis, Guerassium quidem iis eripuit, sed Vastius Insubriæ præfectus Villanovam Astanorum illi ademit, et Carinianum, quod tamen mox Guillelmus Langæus recepit. Tertius Gallorum exercitus e Picardia eductus ab Antonio Borbonio duce Vindocinensi aliquot finitima oppida ignobilia cæpit in Atrebatensi agro. Quartus exercitus, cui præfuere Carolus Francisci regis filius princeps Aureliæ, et Guisii dux, maximo terrore irrupit in Lucemburgensem Ducatum, ac munitissimas aliquot arces Damvillerium, Zvodium, Monmedium expugnavit, ipsumque Lucemburgum ad deditionem coegit. Quintum exercitum e Menapiis et Sicambris conflatum immisit Guillelmus dux Clevensis Gallorum regis fœderatus de Gueldria hæreditaria cum Cæsare certaturus duce Martino Rossemio, qui Brabantiam ingressus, capto deditione Hostratensi oppido, et copiis Aurasiæ ducis fusis, regionem late populatus pæne Antuerpiam intercepit, a qua, fremente ira milite, plurimo (ut ferunt) auro corruptus castra removit, Lovaniumque frustra tentavit. Ita Gallorum rex, tot excitatis bellis, exiguos fructus inde retulit, nam Belgæ contracto exercitu, brevi omnia amissa oppida et arces ferme receperunt, tantummodo maxima innocentium et pauperum multitudo vexata, expoliata interemptaque est.

30. *Per litteras amantissimas Pontifex utriusque principis animum flectere nititur.* — Ad sedanda tam aspera bella populorumque cala-

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 338.

[1] Paul. Jov. l. XLI. Martinus Bellaius l. IX. Ludovic. Guicciar. Comment. l. VIII.

mitates levandas duo illi legati, qua maxima potuerunt celeritate, ad imperatorem et Galliæ regem pervenere. At Cæsari ingrata fuit ea legatio [1], atque Visensem in colloquium quidem admisit, sed tristi atque aspero vultu illum mox a se dimisit, difficillimumque aditu se præbuit, cum a pace concilianda averso esset animo; quare secunda die Novembris datis litteris ex ea legatione a Pontifice revocatus est. At Sadoletus benigno facilique aditu a Gallo rege exceptus est, admittendæque pacis spes illi injectæ, si Cæsar ad æquas leges descenderet. Cumque asperiora in dies crescerent bella, constituit Paulus ad eos reges pro ineundo colloquio proficisci, susceptumque consilium in consistorio cardinalibus aperuit, ut referunt Massarellus et Gualterius. Deinde ad Cæsarem sequentes transmisit litteras, quibus illum amantissime admonuit ad pacem cum Gallo adeo rei Christianæ necessariam, ut ea infecta, nec Turcarum impetus propulsari possent, nec Concilium Œcumenicum rite celebrari, nec Christiana res ab imminenti exitio vindicari, proindeque ad redintegrandas inducias et ineundum colloquium animum inflecteret [2]:

31. « Charissime in Christo fili noster, salutem, etc.

« Mirum fortasse majestati tuæ videri poterit, nos hunc laborem procurandæ inter te et Christianissimum regem pacis, toties a nobis alias, et novissime per legatum ad te missum frustra tentatum nunc repetere. Sed si eadem majestas tua officium nostrum, quale in hoc esse debeat, recordata fuerit, si statum afflictæ Christianitatis respexerit, profecto eadem majestas tua, qua est æquitate ac sapientia, et nos quod agimus valde necessario agere fatebitur, et æquiori animo has nostras leget, quas nobis Dei honor, salus populi Christiani, proximique ac gravissimi periculi imminentis metus et dolor expressit : quamvis omnium jam inde ab initio Pontificatus nostri, sicut tuæ majestati notum est, nihil antiquius nobis fuerit, quam lenire vestras iras, per quas viam infensissimo hosti aperiri ad Christianitatis exitium videbamus; atque ob eam causam litteras, nuntios, legatosque nostros sæpius ad vos miserimus, nosque etiam ipsi Niciam navigaverimus, licet hactenus a Deo (nostris forsan peccatis obicem inter nos et illius gratiam ponentibus) non meruerimus obtinere, ut nostræ preces et hortationes ad pacem a vobis exaudirentur : tamen quoad nobis suppetet vita, nunquam a nostro munere cœptaque cura cessandum nobis putavimus etc. » Et infra : « Nos considerantes, quod stante hoc inter te et dictum regem Christianissimum bello, nulla eidem Turcæ poterit ratione obsisti, postea autem omnis providentia sera futura est; statuimus propterea, Dei adjutorio, ut nihil intentatum relinquamus, experiri iterum per nos ipsos id, quod hactenus per litteras, nuntios et legatos nostros assequi non potuimus, nullaque ætatis nostræ, vel temporis, aut alterius ratione habita, prodire ipsi ex nostra Sede, versusque vos iter facere, colloquii vobiscum habendi causa; sperantes, si non nostra, at ejus cujus vices gerimus, reverentia, vos nostrum congressum, pro salute præsertim publica, non esse recusaturos, sed aliquem ad locum nobis propiorem venturos, in quo, cum utriusque vestrum commodo et securitate congredi vobiscum, eaque in hoc, utinam non extremo, Christianitatis periculo explicare vobis possimus, quæ Deus nobis Omnipotens inspiraverit ad publicam omnium fidelium vestramque etiam privatam utilitatem.

32. « Quamobrem, ita nos urgente officii nostri debito, majestatem tuam per Dei misericordiam rogamus, ut nobis facultatem hujus colloquii præbere, interim ab armis cessare, ac viam tabellariis et aliis per nos ad hoc mittendis, aperiri facere, Dei et Christianitatis causa velis ». Et infra : « Hortamur insuper serenitatem tuam, velit pro sua pietate curare atque perficere, ut omnes prælati tuorum regnorum, tam Hispaniæ quam Neapolis et Siciliæ, aliorumque tuorum dominiorum ad Concilium quantocitius proficiscantur, sicut ex officii sui debito, ac nostra etiam jussione facere tenentur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XII Novemb. MDXLII, Pontificatus nostri anno IX ».

33. Simillimis sententiis Franciscum Gallorum regem permovere nisus est, ut instauratis induciis ad mutuum congressum cum Pontifice ac Cæsare descenderet, ut pace instaurata hæreses comprimi in Concilio Œcumenico possent, atque contra irrupturos in Italiam Hungariamque Turcas socialia arma expediri [1]:

« Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Etsi vereri possumus, ne hoc nostrum officium suadendæ inter te et serenissimum Cæsarem pacis, toties jam a nobis frustra tentatum, quodque his litteris nunc repetere instituimus, nimis crebrum aut immodicum tuæ majestati videatur, propterea quod jam inde ab initio Pontificatus nostri, continuata et nunquam intermissa cura litteris, nuntiis et legatis nostris, et ante, et nuperrime ob eam missis, demumque nos ipsi Niciam profecti nihil aliud egimus; tamen si eadem tua majestas pro sua sapientia animum ad nostrum of-

[1] Petrus Paulus Arct. in Diario Ms. Act. Consistor. Ms. card. Spadæ sign. num. 133. p. 420. Ms. arch. Vat. et alia. Ms. sign. 3188. p. 209. — [2] Paulus III. lib. brev. an. VIII. p. 364. Ext. in Act. Consistor. scriptis ab Alex. card. Farnes. Vicecancell. Ms. car. Spadæ sig. 133. p. 410.

[1] Paulus III. lib. brev. an. VIII. p. 363. Ext. etiam in Actis Consistor. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 422.

ficium, necessitatemque Christianitatis, et pericula illi impendentia retulerit; speramus eam, et boni consulturam esse hanc nostram toties repetitam instantiam, et æquo animo has nostras litteras perlecturam, quod ut facere velit, studiose ab ea petimus, si enim unquam antea, fili charissime, pax inter vos expetenda omnibusque modis procuranda fuit, hoc certe tempore magis est, cum hostes Turcæ illi quidem antea potentissimi, nunc etiam opinione maritimarum virium aucti, et his, quæ proxime apud Pestum in Hungaria sunt gesta elati, maximos terra marique exercitus in dies apparare dicuntur, sicut nobis certissime significatum est, nec vero possumus dubitare, quin his copiis afflictam dissensionibus, et attritam viribus Christianitatem, ipsamque præcipue Italiam Vere proximo invadant, nec sperare si invaserint, eis posse alia ratione obsisti, quam si Dei clementia per hujus, quam suademus, pacis beneficium nos a potentissimo hoste tueri voluerit : quamobrem cum nos hanc curam die noctuque volventes, ut si qua possimus, his malis occurramus, nullum aliud remedium post divinam opem, nisi in Concilio universali vestraque concordia reperiremus, cum ipsum Concilium jampridem (ut tua majestas novit) indictum nuperrime Tridenti convocaverimus, loco cum omnibus idoneo, tum ad tranquillandam Germaniam (cujus rei tenemur summo desiderio, ut debemus) maxime apto, illuc etiam tribus legatis nostris S. R. E. cardinalibus jam destinatis, restat nobis alterum, ut pacis inter vos curam repetamus eo nunc acrius, quo magis et propius urget periculum, ut, sicut facere debemus, nunquam ab officio nostro desistamus. Considerantes igitur omnem postea operam seram nobis et incassum futuram, si ad vestram discordiam extremum bellum et potentissimi hostis impetus accesserit, statuimus, Deo coadjuvante, priusquam omnia corruant, experiri iterum per nos ipsos id quod per nostros nuntios obtinere non potuimus, nulla temporis, nec nostræ ætatis, aut alterius respectus ratione habita, prodire ipsi ex nostra Sede, iterque versus vos arripere colloquii vobiscum habendi causa, sperantes, vos, si non nostra, at illius cujus vices gerimus reverentia, nostrum congressum, præsertim pro salute publica, non esse recusaturos, sed aliquem ad locum nobis propiorem venturos, in quo cum utriusque vestrum commodo et securitate vobiscum congredi, eaque in hoc, utinam non extremo, Christianitatis periculo, vobis narrare possimus, quæ Deus Omnipotens nobis inspiraverit ad publicam omnium fidelium vestramque etiam privatam utilitatem. Quamobrem, ita nos urgente nostri officii debito, tuam serenitatem, id quod et pariter cum Cæsarea majestate facimus, per Dei misericordiam rogamus, ut nobis facultatem hujus colloquii præbere, interimque ab armis cessare, ac viam tabellariis et aliis, quos mittere pro hoc possimus, aperire, Dei et Christianitatis causa velis, decrevimus enim posteaquam qualicumque Dei judicio, nec tali tempore, talibusque periculis in hoc loco reperimus, nullas prætermittere partes, vel parentis, vel judicis, quæ ad nos, nostrumque officium pertineant : sperare tamen volumus, quod vos, pro vestra singulari prudentia et bonitate, tum his periculis animadversis, tum quod nos nullo alio respectu movemur, nisi salutis publicæ, quæ etiam ad vestram privatam redundat, cum tanquam potentissimi principes plusquam cæteri amittere in communi ruina possitis, et plus Deo debeatis quam cæteri : propterea memores vestræ dignitatis atque officii, alicubi convenire nobiscum, et nostris fidelissimis monitis aures præbere non recusabitis, cum jam dudum perspicere potueritis, quod ad æqualitatem nostri in vos amoris pertinet, nos omni affectu vacuos esse, atque hunc laborem nostræ certe ætati non levem nulla alia, nisi nostri officii, divinique obsequii, et publicæ salutis causa suscipere : hortamur insuper serenitatem tuam, velit, pro sua pietate curare atque perficere, ut omnes prælati tui regni ad Concilium quantocitius proficiscantur, sicut ex officii sui debito, ac nostra etiam jussione facere tenentur. Dat. Romæ XII Novembris MDXLII, anno IX ».

34. De his Pontificiis pro concilianda pace studiis, regibusque ad colloquium amantissime vocatis, meminit Massarellus, qui etiam ita subdit : « Imperator autem Pontifici respondens sanctitatis suæ studium in exquirenda pace probavit, quæ cur hactenus secuta non fuisset, regi Gallorum eam esse ascribendam, neque colloquium tunc commode haberi posse videbatur, cum regna sua Castellæ invisere jam proposuerit, longe id a sua in Italiam profectione remota, missis ad sanctitatem suam litteris sub data, Valentiæ XXVI Decembris MDXLII ».

35. Nec minus Gallorum rex malorum omnium causam et invidiam in Cæsarem conferebat, nec placari potuere [1], cum nondum eorum furor ducentorum millium, et amplius, ut diximus, Christianorum sanguine satiatus esset. At ab his funeribus ad alia orationem traducamus.

36. *Expeditionis Hungaricæ contra Turcas infaustus exitus.* — Narrat Paulus Jovius [2] recuperandæ tum Budæ a Ferdinando præclaram spem affulsisse, cum Turcarum copiæ imminutæ essent, atque Hungari pari consensione ad excutiendum barbaricæ servitutis jugum conspirarent, Germani autem (decreto bello) triginta millia peditum, equitumque septem millia, a regulis et liberis civitatibus submissa conflas-

[1] Paul. Jov. l. XLII. — [2] Paul. Jov. l. XL. Isthuanff. Surius in Comment. Francisc. Belcar. l. XXIII. num. 10 et seq.

sent, ac præter Austriacos, et Bohemos, Hungarosque, Styriæ præfectus decem millia equitum coegisset, Pontifex etiam tria millia lectissimorum peditum Italorum, duce Alexandro Vitellio, qui militarem famam collegerat, auxiliaria misisset, sed ingens ille bellicus apparatus facile dissolutus est, cum Ferdinandus prudentiæ nomen in una securitate collocans, discrimini bellico se objicere defugeret, bellumque per legatos administraret, quare tam procul a fructu optatæ victoriæ, quam e periculo abfuit; gessit vero supremum militare imperium in exercitu Joachimus marchio Brandeburgensis parum rei bellicæ peritus, ac tam lentis itineribus in hostem castra promota sunt, ut hostis Budam strenue communierit, castris vero ad eam defixis in aliquot tumultuariis præliis Turcæ nostris superiores evasere, donec Vitellius dux Italus, et Perennis Hungarus erumpentes Turcas astu et virtute fregerunt, diverberatis dein mœnibus tormentis bellicis, lato hiatu muri prostrati sunt, tentataque impressio hostilis in urbem. Verum Segemenes Turcarum præfectus infra murum latam et præaltam fossam duxerat declivi utrinque margine, structisque munitionibus retro Janizzeros collocarat, et munierat omni instrumento bellico, ut cum Itali per ruinas in murum assiliissent, magna cum strage fuerint propulsati, septingentis desideratis, Germanique et Hungari Italicæ virtutis otiosi inspectores, periculum adire recusarunt, demumque Joachimus Brandeburgensis, coacto militari concilio, recipiendæ ex Turca Hungariæ spe abjecta exercitum cum ignominia reduxit : abnuit enim in discrimen venire, ut Ferdinandus in otio Viennæ triumpharet, qui si vicisset, ab eo victore Protestantes (qui in exercitu erant) sibi timuissent : his addit Surius, miratos plerosque fractam adeo fuisse militarem Germanorum virtutem, ut comparatus potentissimus ille exercitus nulla lege recesserit ex hostico, adeo ut Turcæ Germanorum ignaviam effuse riderent [1], tum subdit : « Nunquam autem tot clades totque probra ex illis spurcissimis mancipiis Germania accepisset, si non religionis dissensio animorum quoque concordiam et mutuam benevolentiam abrupisset ».

37. *Lutherani contra Catholicos bellum movent, et ditiones Ecclesiasticas invadunt.* — Hungaricæ porro expeditionis occasione Saxoniæ elector, et Lantgravius Hassiæ cum fœderis Smalcaldici sociis Henricum Brunsvicensem, principem Catholicæ fidei acerrimum vindicem appetiere bello (1) eumque ditionis finibus depulere, contempto Cæsareo decreto, ne religionis causa bellum cuipiam moveretur. Ferdinandus vero rex Romanorum inanibus tantum verbis eos a flagitio deterrere conatus est, contemptusque non expedivit arma, ne exorto civili bello, expeditio Hungarica disturbaretur; sed nullum ex ea fructum retulit, et Catholicum principem fœderatum ejus operam implorantem deseruit. Accepit vero ex Henrici calamitate summum dolorem Pontifex, atque internuntios suos apud Cæsarem et Ferdinandum operam navare jussit, ut eum principatui restituendum curarent, eidemque paternæ benevolentiæ pro tuenda asserendaque ejus dignitate plurima signa explicuit [1] :

« Dilecto filio nobili viro, Henrico duci Brunsvicensi et Luneburgensi.

38. « Dilecte fili, salutem, etc. Recepimus litteras tuæ nobilitatis Landtsuet quarta præsentis mensis datas, et dilectum filium Paulum Scubingerum a te missum audivimus, nec potuimus ob paternum amorem, quo personam tuam prosequimur, tot tuis calamitatibus et damnis publicis non dolere, quibus quidem omni sane respectu, præcipue vero pro conservatione veræ religionis et Catholicæ fidei, quantum nobis per Deum liceat, occurrere ac providere cupientes, scripsimus constanter nuntiis nostris apud serenissimos Cæsarem et regem Romanorum, ut nobilitatem tuam eorum majestatibus ex parte nostra, omni cum efficacia commendarent, significavimusque præterea eidem nuntio apud regem Romanorum, ne ad proximum conventum Landtsuet una cum dictarum majestatum oratoribus ire prætermitteret, eum tamen admonentes, ut si ob motus rerum Hungariæ, contra Turcas ipsi Cæsari et regi dictum conventum differe videretur, vel ad ipsum conventum suos oratores mittere nollent, nos prius certiores faceret; ut rationes et causas, quibus moverentur, considerare possemus, ne dicti belli expeditioni sine tua utilitate nocumentum aliquod inferretur; id vero te, fili, pro certo habere volumus, nos semper eam rerum tuarum curam habituros esse, quam tua inclyta pietas et erga hanc Sanctam Sedem merita exposcunt, sicut diffusius cum eodem Paulo locuti sumus, ad quem nos super hoc referimus, et cui fidem habere poteris indubiam. Dat. in civitate nostra Reatis die XXIX Septembris MDXLII. Anno VIII ».

39. Exercuere etiam tyrannidem Lutherani in quos potuere episcopos, nam licet in Ratis-

[1] Surius in Comm.

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 442.

(1) Expeditionis ab electore Saxoniæ et Hassiæ lantgravio in Henricum Brunsvicensem susceptæ alia profecto fuit quam religionis causa. Cum Brunsvicensis movisset in Goslarienses quos imperator proscripserat (quanquam proscriptionem dein principibus imperii intercedentibus suspendisse ait Chytræus) suppetias illis laturi accurrerunt lantgravius et Saxo qui Augusto mense, arce munitissima Wolfembeutel expugnata, Brunsvicenses redegerunt in urdinem. MANSI.

bonensi conventu, in quo de concordia egerant, polliciti essent Cæsari Catholicis arma non illaturos, Hildesheimensis episcopi ditionem invasere, atque inductis concionatoribus hæreticis Hildesheimii Ecclesias clausere, monasteria eorumque vectigalia invasere, de quorum grassationibus factus certior Pontifex episcopum Hildesheimensem ad Christianam in adversis constantiam his litteris excitavit[1]:

« Venerabili fratri Valentino episcopo Hildesheimensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Idem doloris aculeus, qui te specialem, nos quoque generalem, tuæ Ecclesiæ pastores vulneravit, audientes quod Catholicis, qui bona ejusdem tuæ Ecclesiæ occupaverant, expulsis, hæretici successerunt, multo quidem illis graviores, cum illi terrena tantum bona tibi ademissent, hi etiam animas Deo tam dilectas et cœlo destinatas auferre tibi nitantur, sic enim nobis relatum est ». Et infra : « Te autem, frater venerabilis, quid exhortemur? quid moneamus : qui nunquam exhortationem nostram aut cujusquam expectasti? faciemus tamen, quod dicitur, ut stimulos tuæ pietati sponte currenti addamus, etc. » Et paucis interjectis : « Ad Concilii Universalis Tridentini (jam indicti) determinationem cuncta rejicias, in Deo Patre misericordiarum et totius consolationis spem certam reponas, quod tibi præsertim tuum officium exequenti porriget ex alto dexteram, et cum non det in æternum fluctuationem justo, tandem (quod brevi fore speramus) imperabit mari et fluctus compescet : nos quidem quantum hinc efficere poterimus, nulla in parte, aut officii, aut laboris, aut studii nostri tibi deerimus, jamque ad Cæsaream majestatem scripsimus, ut sua imperiali auctoritate, opportunisque litteris et mandatis, tibi et tuæ Ecclesiæ adesse velit, quod illam pro sua pietate et causæ honestate studiose facturam esse confidimus. Datum Romæ v Decembris MDXLII, anno IX ».

40. Pari etiam furore Lutherani usi sunt adversus Merseburgensem episcopum, quem ferro flammaque persecuturos interminati sunt, nisi sacerdotibus conjugia, laicisque Calicis communionem permitteret, erant enim ii duo præcipui harpagones hæreseos, quibus animæ in præcipitia impietatis trahebantur, de quibus factus certior Pontifex respondit, ut cum Tridenti Concilium esset indictum, nil contrarium majorum institutis in his statueret, intrepidoque animo minas hæreticorum refringeret[2]:

« Sigismundo episcopo Merseburgensi.

« Venerabilis frater. Licet, sicut nobis significare curasti, valde urgearis a tuis subditis, ut Ecclesiasticis conjugium, et laicis communionem sub utraque specie permittere velis, minis etiam per eos, qui ad hoc suos subditos induxerunt, additis, quod nisi permiseris, tuam Ecclesiam invadent, nos tamen de fraternitate tua tanquam de nobilissimo et probo episcopo illam spem ac fiduciam gerimus, quod talia, sicut hactenus non permisisti, nec permittere potuisti contra receptum universalis et Catholicæ Ecclesiæ ritum, nunc multo minus permittes, cum Universale Concilium ob hanc præcipue religionis causam Tridenti jam indictum est : nam quod ad minas attinet, vel eas non credimus processuras, cum sicut tua fraternitas novit, in novissimo Ratisbonensi conventu Cæsareæ majestati promiserint, non nocere Catholicis; vel si quid contra te auderent, pro certo habemus nihilo minori te constantia et fortitudine futurum esse, quam multi alii Germaniæ episcopi fuerint, qui quamvis vexati et gravissimas passi jacturas, omnia tamen divino honori ac suo officio posthabuerunt, non timentes eos, qui postquam corpus occiderint, non habent amplius quid faciant : quamobrem fraternitatem tuam non quidem, quod nedum executione alienissimum esse debet, tamen ex officio nostro et paterna benevolentia te hortamur et monemus in virtute etiam sanctæ obedientiæ, et sub vinculo juramenti per te præstiti, tibi præcipientes, ut memor generis munerisque tui, imo Dei omnipotentis, solita constantia ac robore animi utaris, ac improborum vocibus ita resistas, ut omnia sicut facere debes, integra eidem universali Concilio, ad cujus determinationem eosdem tuos subditos remittere poteris, reserventur, ad quod sane Concilium quanto citius tua fraternitas accedet, quemadmodum ex suo officio et nostra etiam vocatione facere tenetur, tanto celerius ac salubrius huic periculo suorum subditorum occurret. Datum Romæ apud S. Petrum die v Decembris MDXLII, anno IX ».

41. *Livonia peste Lutherana infecta.* — Grassabantur etiam in Livonia atrociter Lutherani, opprimebantque Catholicos, quorum plurimi inter gravissimas molestias incorruptæ fidei puritatem constanter servavere : præbuit vero hæreticis insolescendi occasionem Osiliensis episcopus, qui munere suo improbe perfunctus, tumultus graves in ea provincia concitarat, ad quos sedandos, comprimendosque Lutheranos Pontifex cruciferorum Livoniensium principem suis litteris sollicitavit.

Servit nunc infeliciter Livonia Lutheranæ hæresi, extinctaque equitum Cruciferorum pietate, simul libertas illius provinciæ extincta est divulsaque ab imperio, intempestivaque in Lutheranos mansuetudine Cæsar eos ad impietatem magis ac proterviam exasperavit, quæ res maxime patuit ex Ratisbonensi colloquio; nam cum concordiæ studio in suscepta impietate tolerati fuissent, armis tamen, dolisque

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 466. — [2] Ibid. p. 569.

oppressere Catholicos, atque ex disceptatiunculis cum iis habitis, ut errorum discussa caligine veritatis orthodoxæ radios exciperent, occasionem fingendarum calumniarum sumpsere, quasi Catholici eorum argumentis prostrati in eamdem cum ipsis sententiam consensissent, victasque manus impietati Lutheranæ porrigerent, ad hanc vero Lutheranorum impudentiam obterendam Joannes Eckius calamum strinxit, futilesque Buceri calumnias elisit doctissimis scriptis, de quibus hæc refert Joannes Cochlæus [1] :

42. *Eckius contra mendaces Lutheranos scribit.* — « In causa religionis bene longum edidit hoc anno librum clarissimus theologus dominus Joannes Eckius, quem inscripsit apologiam pro Catholicis adversus calumnias Buceri super actis comitiorum Ratisbonæ. In eo igitur libro primum ostendit longe plures et majores articulos controversos non esse conciliatos aut concordatos per colloquium illud, quam sunt ii quos conciliatos dicit Bucerus. Deinde per multas et varias annotationes declarat quidquid in libro, qui collocutoribus propositus fuerat, reprehensione dignum sit in quolibet libri capitulo. Sunt autem libri capitula XXIII : postea reprobat multos errores Lutheranorum, qui habentur in IX scriptis eorum, quæ per litteras A. B. C. signata erant, item ad longum per XXI puncta revellit cavillos et calumnias Buceri, quas edidit contra responsum Catholicorum principum et statuum de libro colloquii Cæsari datum. Item defendit etiam cardinalis Contareni legati responsa et declarationes , quas Bucerus calumniose sugillavit. Reprehendit vero responsum, quod a Protestantibus Cæsari de articulis conciliatis et non conciliatis datum fuit. Si maledicentia (inquit) Bucerum imitari vellem, non deesset, quo annotationem justiori et meliori causa huic responso affigerem. At quia maledici regnum Dei non possidebunt, nolo nobilissimos principes et status Protestantium offendere, suspiciens in eis donum a Deo datum, quod omnis potestas a Deo est. Et quia ex se principes ista non habent, sed spiraculum non vitæ sed mortis suggerit, quæ cum fide orthodoxa non conveniunt. Nam desertores Ecclesiæ, apostatæ, grex Epicuri , prædicatores hæretici et schismatici excellentissimos principes istos et status, Deo permittente, lethali poculo alio trahunt, non deesset amplissimus campus versandi , quod tam anxie petunt sustolli recessum Augustanum, ac si Augustus noster Carolus a Deo coronatus, cum tot Catholicis principibus (qui suæ majestati fidem dederunt de conservando recessu isto) sint muliercularum more instabiles et inconstantes, cum Sede Apostolica, cum imperiali, et regia majestate perseverare. O quam dicebat egregie dux Georgius Saxo beatæ memoriæ princeps ! Nescire Neochristianos hodie quidnam futuro anno credituri sint. Hæc, et id genus multa in Bucerum ». Eodem quoque anno scripsit in eumdem Bucerum D. Albertus Pighius Campensis itidem apologiam.

[1] Cocl. an. 1542.

43. *Legati a latere Tridentum deputati.* — Sublatum omnino volebant Lutherani decretum Augustanum dictum *interim,* cum stare Concilii Œcumenici decretoriæ sententiæ detrectarent, nec in eo ferendo Carolus V dissensiones sopiverat, sed magis accenderat, cum eo temporum intervallo auctus impiorum numerus fuerit confirmataque potentia, ut numero viribusque auctiores debellare non potuerit, quos tunc piorum imperatorum exemplo facile debellare delereque potuisset. Quid vero a Paulo indicto Concilio celebrando actum sit percurramus [1]. Interim Pontifex appetente indicta Concilii die, ne aliqua in re Christianæ reipublicæ deesset, duos nuntios, videlicet Joannem Thomam Cavensem, et Joannem Matthæum Veronensem episcopos Tridentum direxit, ut quæ ad Concilii celebrationem necessaria erant, disponerent : ac die XV Octobris deputavit tres a latere legatos, qui sacro Concilio præsiderent, Petrum Paulum tit. S. Balbinæ, Parisium, Joannem tit. S. Vitalis Moronum presbyteros, et Reginaldum SS. Nerei et Achillei diaconum Polum S. R. E. cardinales. His consentiunt Acta Consistorialia, quæ addunt, Paulum ad avertenda schismatis pericula, si vitam clauderet, quo tempore solemnes episcoporum conventus agerentur, decrevisse, ut Romæ tantum successor eligeretur.

Porro, ut narrat Angelus Massarellus, « legati præsidentes die XXI Novembris ingressi sunt Tridentum solemni more legatorum de latere : hos secuti sunt », inquit Polus Jovius [2], « aliquot præclari nominis episcopi, nam Pontifex ad repræsentandam ejus ordinis dignitatem excellenti ingenio doctrinaque supra centum descripserat, qui de veritate rerum divinarum, saluteque labantis reipublicæ in consessu gentium omnium disputarent. Venientes Christophorus Madrutius Tridentinus episcopus, pari splendore humanitateque vir liberaliter excepit [3] ». Is erat presbyter cardinalis S. Cæsarei in Palatio, ad quem extant XXV Octobris Pontificia mandata.

44. *Helvetios, etiam hæreticos, ad Concilium invitat Paulus.* — Interea non prætermisit Pontifex Germaniæ populos urgere , ut oratores mandatis idoneis fultos Tridentum mitterent, quo argumento extant ad Helvetios datæ subjectæ litteræ [4] :

[1] Angel. Massarel. in Act. Concil. Trid. Ms. arch. Vat. sig. 3188. p. 36. — [2] Lib. IV. — [3] Angel. Massarel. in Diar. Conc. Trid. — [4] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 534.

« Dilectis filiis, Sculteto, consulibus, consilio et communi Lucernensi, Ecclesiasticæ libertatis defensoribus.

« Sumus vobis, filii dilectissimi, non solum exemplo prædecessorum nostrorum, verum etiam propria inclinatione et voluntate nostra, ad quam etiam dilectus filius noster cardinalis Verulanus vestri amantissimus nos quotidie accendit, paterne ac benevole affecti, tantum spei pro defensione Christianitatis et hujus Sanctæ Sedis in vestra fortitudine et devotione collocantes, quantum ei, ex vestra præteriti temporis consuetudine, et ex præsenti erga Deum et nos fidelitate, nos collocare posse videmus, sicut et vos vicissim in nobis, et hac Sancta Sede speciali matre vestra, fiducialiter et merito potestis collocare ». Et infra : « Nos enim, si quis casus advenerit pro defensione supradicta, semper vestram nationem tanquam hujus Sanctæ Sedis filiam peculiarem plurimi faciemus; cum præsertim nunc in nostra Bononiensi custodia vestrorum militum fides ac virtus nobis plurimum satisfaciat. Quod reliquum est, speramus in Deo Domino brevi fore, ut Concilio Universali, quod Tridenti tanquam loco propinquiore et opportuno ad tranquillandam præcipue Germaniam indiximus, sicut nostis, ut cuncta Germania, nisi sibi ipsa defuerit, vestraque præcipue natio, quod maxime optamus, ab intestinis discordiis liberetur : vos proinde hortantes id, quod etiam sine ulla adhortatione vos facturos confidimus, ut quemadmodum pios et Catholicos viros decet, pro divino honore, successuroque exinde vobis et omnibus commodo etc. velitis quantum in vobis fuerit ad prosecutionem promotionemque dicti Universalis Concilii intendere, etc. Datum Romæ XXI Decembris MDXLII, anno IX ».

Simile Friburgensibus, Uraniensibus, Solodurensibus.

Pellicere quoque amantissimis litteris ad Concilium Tridentinum, ejusque opera ad veterem cum Romana Ecclesia conjunctionem redintegrandam enisus est Pontifex Helvetios Zuingliana hæresi inquinatos, ad quos excipiendos se paratissimum significavit [1] :

« Helvetiis universalibus Bernensibus, Basileæ et Scaffusæ, Ecclesiasticæ libertatis defensoribus.

« Cum Concilium Dei munere jam indictum Tridenti in loco vobis propinquo et commodo habeatis, tempus advenisse videtis, in quo una opera Deo et hominibus reconciliari, atque in veterem vestræ confessionis unitatem, qua vigente, vestra crevit auctoritas, et deficiente, nonnihil defecit, restitui et redintegrari, auctore Domino, valeatis : quamobrem nos, etsi omnium Christi fidelium salutem, pacem et concordiam universaliter cupimus, vestram tamen tanquam peculiarium hujus Sanctæ Sedis filiorum, specialius exoptamus, etc. Datum Romæ XXIII Decembris MDXLII, anno IX ».

45. *Germaniæ præsules ignavia insignes.* — Hæsere in pertinacia hæretici, qui ministros Sathanæ pro Apostolis colebant, eorumque impia placita tanquam Evangelica oracula excipiebant, nec Tridentum adiere, imo etiam Germaniæ præsules insignem negligentiæ atque inertiæ notam contraxere, de quibus enim est Robertus Vanchop insignis theologus in litteris ad cardinalem Sanctæ-Crucis [1] :

« Multos ex iis a celebrando Concilio abhorruisse, atque etiam alios, ne ad illud se conferrent, deterruisse, omnibus, inquit, viis conantur celebrationem Concilii impedire, et variis argumentis laborant inducere prælatos et principes Catholicos ad non comparendum in contemptum sanctissimi D. N. et Ecclesiæ, nunc timore difficultatum, hyemis et bellorum, nunc detractionibus et mendaciis, dicentes Pontificem dare solum verba, et quod indixerit Concilium in incapaci loco, et incongruo tempore, scilicet perturbationum et commotionum omnium fere principum Christianorum et provinciarum, sciens Concilium hujusmodi non posse sortiri suum effectum : et publice jactitant cum sanctissimi domini nostri offensione, unum, vel alterum prælatum accessisse Vicentiam, nunc vero affirmant, nec unum compariturum », et paulo post : « et vere (quod dolenter profero) invenio plurimos etiam Ecclesiasticos, plus inhærere eorum mendaciis et credere, quam litteris Apostolicis ». Et infra : « Multa impedimenta adduxit Augustensis, primo, ratione dietæ Norimbergensis; secundo, quod esset illic futurus commissarius Cæsareæ majestatis; tertio, allegavit periculum invasionis et devastationis suorum subditorum et possessionum Ecclesiasticarum per Lutheranos, sicut nuper contigit duci de Brunsvic imminere per ipsius et aliorum prælatorum elongationem et absentiam, etc. Saltzburgæ I Octob. MDXLII.

« ROBERTUS VANCHOP theologus indignus ».

46. Agebat in Germania internuntium Apostolicum Robertus Verauchop, postea archiepiscopus Armachanus, felicemque Catholicis confirmandis et confutandis hæreticis operam dabat, multamque animarum cœlo inferendarum messem colligebat. Idem vero libellum supplicem ad legatos decretos pro felici progressu Concilii scripsit, in quo monuit non ablandiendum hæreticis, maxime pertinacibus inque flagitio obfirmatis, in causa fidei non ducendum tempus, sed fidei regulam ad unum iota sive apiculum defendendam, ut magnus Basilius cuidam Valenti comiti respondit, non absistendum episcopis et principibus Germaniæ

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 565.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3230. p. 3.

non comparentibus, sed perstandum : si Cæsar et alii principes non comparuerint, iterum admonendos rogandosque.

Aliorum etiam regnorum præsules longiores moras in profectione ad Concilium Tridentinum suscipienda extraxere, qua de re extant ad regem Lusitaniæ litteræ XXIX Decembris, ut Lusitanos præsules Tridentum proficisci juberet, quo legati cardinales jam se contulerant.

47. *Cardinalium Gallorum et Hispanorum segnitiem litteris Paulus perstringit.* — Ad perducenda felicius consilia versandamque rerum gravissimarum molem, exciverat jam ante Paulus cardinales in Urbem ex reliqua Italia, necnon e Gallia et Germania : at cardinales Galli et Hispani in capessendis imperiis Pontificiis, ornandaque ad Pontificem profectione segniores extitere, quos perstrinxit Paulus subjectis litteris, quæ Lotharingo cardinali inscriptæ sunt [1] :

« Cardinali Lotharingiæ.

« Dilecte fili noster, salutem. Superiore anno considerantes, quod S. R. E. cardinales ad id creantur, ut Romano Pontifici in participatione curarum præsentes assistant; eaque esse tempora, ut si quando antea illorum opera et consilium cuiquam nostrorum prædecessorum opportuna fuissent, nobis maxime necessaria tunc essent, cum Universalis Concilii instaret celebratio, ac de summa rerum totius Christianitatis, maximoque illius periculo ageretur, vocavimus ad suum officium circumspectionem tuam, a quo tamdiu abfuerat, eique injunximus et in virtute sanctæ obedientiæ præcepimus, ut sine alia excusatione vel dilatione quamprimum commode posset, iter ad nos arriperet, ita ut in quarta feria Cinerum tunc secutura, et nunc elapsa, apud nos esset, quo ejus opera in tanta rerum ac temporum difficultate uti possemus. Licet autem complures cardinales, quos tunc vocavimus, ad nos postea venerint, atque eædem causæ, quæ nos ad id moverant, non solum ex tempore non cessaverint, verum (sicut circumspectio tua non ignorat) etiam auctæ fuerint, hodieque sint, crescente in dies hæresi, progrediente contra nos Turca, Christianisque principibus in mutuam perniciem se atterentibus, tamen eo usque toleravimus remansionem isthic circumspectionis tuæ, donec ipsum Universale Concilium ad kalendas Novembris proximo futuras Tridenti indiximus, post quam indictionem lapsis jam tribus mensibus, reque ad omnium notitiam deducta, non putavimus fore ut circumspectio tua diutius ad nos venire differret, cum præsertim probe sciret, et ex nuntio isthic nostro intellexisset, nos post indictum Concilium neminem cardinalium a veniendo excusaturos esse ; itaque mirati non parum sumus, te, audita ipsius Concilii indictione, nostræ vocationis et tui simul officii fuisse oblitum, nec nos aliquid de tuo ad nos accessu audire. Quamobrem eidem circumspectioni tuæ per præsentes denuo injungimus, et in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, ut, omni prorsus dilatione vel excusatione remota, nullaque alia jussione a nobis expectata, quamprimum iter ad nos arripias, ita ut ad nos in proximo festo Nativitatis Domini nostri Jesu Christi omnino sis, qui et ipse tuo officio non desis ulterius, nosque tua opera, consilio, prudentia et auctoritate, sicut cupimus, in tantis rebus uti possimus. Datum Romæ XVI Octob. MDXLII, anno IX ».

Simile cardinali Borbonio, card. Turnonio, card. Le Veneur, card. de Giury, card. Parisiensi, card. Le Noncourt, card. Aurelianensi, card. de Castilliono, card. Scotiæ, card. de Gaddis, card. Ferrariæ.

Simile cardinalibus Toletan. Hispalen. Gebennen. Cibo, de Auria, Grimaldo, Moguntino.

Horum consiliis meditabatur difficultatum occurrentium molestias lenire, ac salubriora expedire consilia, disciplinæ etiam instaurandæ sedulam operam navabat, ut ex Actis consistorialibus [1] constat (1) :

« XIV Julii MDXLII, apud S. Marcum fuit consistorium. Factum est verbum de reformatione, dataque omnimoda facultas reverendissimo domino S. Clementis ac Rodulpho, ut examinent et executioni mandent reformationem alias scriptam ac promulgatam ». Nonnullis interjectis, addunt eadem Acta : « XI Octobris apud SS. Apostolos fuit consistorium. Fuit factum verbum de reformatione curiæ, de hæresibus ».

48. *Poloniæ episcopos monet Paulus ut hæresim in fomite præfocare studeant.* — Ingravescebat admodum earum furor ; e Germania enim progressa hæresis Lutherana in vicina regna. In Polonia hæc magnos tumultus concitavit, cumque ex regum et populorum obsequio Romano

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 366.

[1] Alex. Farn. in Actis Consistor. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 415.

(1) Reformatio illa cujus in Actis Consistorialibus, hic in Annalibus productis, fit mentio, commissa fuit a Contareno, Sadoleto, Caraffa, Polo et episcopis ac theologis nonnullis quos Paulus Pontifex delegit ut reformandæ Ecclesiæ rationem scriptis consignarent. Ediderunt illi scriptum insigne in quo ea quæ reformatione indigebant ad certa capita redegerunt. Ac primo quidem ea descripserunt quæ a Pontifice ut supremo Ecclesiæ capite desiderabantur ; dein ea subjecerunt quæ illi ut Romanæ Urbis episcopo in melius reformandæ diœcesi suæ competebant. Scriptum istud typis sæpius vulgatum est. In nonnullis editionibus accesserunt supplementi loco Gasparis Contareni cardinalis hoc anno vita functi Epistolæ geminæ quarum alia est ad Paulum III Pontificem de potestate Pontificis in usu clavium ; altera vero ad eumdem excutit Pontificis potestatem in compositionibus. Utraque hac Epistola abusus quosdam, sive qui in opiniones doctorum, sive in curiam irrepserant, castigat et emendat. MANSI.

Pontifici præstito, et sacrosanctæ auctoritatis veneratione religio orthodoxa inconcussa consistat, nonnulli proceres impii Polonos ab obsequio et auctoritate Pontificis divellere pertentarunt, atque decreta nonnulla nefaria captata absentis regis occasione ediderunt, ad quæ abroganda Paulus regem his litteris commonefecit[1] :

« Regi Poloniæ.

« Charissime. Cum esset ad nos allatus nuntius, qui diceret, auditum fuisse ex quibusdam tuorum, qui non parvam in tuo regno auctoritatem haberent, decreta quædam adversus nostram et hujus sanctæ Sedis dignitatem jurisdictionemque a proceribus et sæcularibus regni tui (te tamen absente) fuisse facta, etsi neque credere poteramus, in tam Catholico regno, Christianissimaque natione quidquam ejusmodi cœptum attentatumque fuisse, neque de re ipsa aliquid clari certique habebamus : tamen cum optime nosceremus majestatis tuæ virtutem, pietatem, sapientiam, duximus ad eum esse scribendum, nostræque mentis cogitata apud optimum et prudentissimum regem expromenda. Nos enim, fili in Christo charissime, cum reliquas tuas virtutes præstantes atque egregias semper amavimus, tamen illam moderationem animi tui, qua semper Christianis legibus subjectus, unum Deum, in cœlo æternum et omnipotentem, et unum in terris ejus ipsius Dei Christique vicarium tibi agnoscendum honorandumque proposuisti, summis laudibus dignam esse existimavimus, tantoque in honore semper habuimus, ut tuæ majestatis nomen nobis inter cætera præcipue amandum extollendumque videretur, et hoc etiam studiosius, quod vidimus Dei omnipotentis de te judicia cum nostris judiciis convenire. Etenim quis tibi faustos perpetuo felicesque successus, quis multas præclarasque victorias, quis longævam vitam regnumque stabile inconcussumque concessit, nisi idem Deus, cui in hac re maxime inservivisti, quod unum ovile et unum pastorem, quantum in te fuit, semper agnovisti ? Nec vero quidquam omnino gratius esse Deo omnipotenti potest, quam unitatis inter ipsius cultores, charitatisque mutuæ conservatio, quæ si his temporibus aliquoties rupta et labefactata est, ab hacque sancta Sede, quam Petrus et Paulus beatissimi Apostoli et reliquorum principes suo pretiosissimo sanguine in caput Catholicæ Ecclesiæ consecrarunt, discessio facta, non potest tamen ulla humana mutatio jus divinum infringere. Est fortasse bono regi laboriosior hoc tempore, hujus, quam dicimus, Christianæ unitatis et Catholicæ veritatis in suis populis retentio, sed virtus tamen et diligentia hoc facientis illustrior, quæ tanto magis abs te, fili charissime, requiritur, quanto tu, et majoribus virtutibus ornatus, et pluribus beneficiis a Deo affectus fuisti. At nos, qui nunc Dei providentia, non meritis nostris, in hoc Apostolatus fastigio constituti sumus, gravesque curas et infinitas pæne sollicitudines animi sustinemus, quod videmus omnia circumcirca collabi et jam ruere, nec possumus tantis totque incommodis, ut vellemus, subvenire, quanta in rerum omnium desperatione essemus, nisi primum haberemus in Dei clementia misericordiaque fiduciam, deinde in iis regibus, qui vere membra Christi sunt, spem opis atque auxilii non parum poneremus, qui, si vellent omnes nobiscum una opitulari detrimentis publicis, facilis esset rerum labentium sustentatio, et in meliorem statum restitutio : sed si non omnes volunt (qui utinam aliquando velint !) saltem quos sibi commodos et salutares sæpius experta est Christiana respublica, quosque magna ex ipsorum piis sanctisque actionibus gloria consecuta est, persistant licet et perseverent, ut aliquas tamen partes in Christiano genere habeat Deus, quas in sola unitate, Catholicaque concordia habere divina ipsius majestas potest. Tu ergo, rex semper piissime semperque Christianissime, qui tot tamque eximia de tuo præstante in Christianam rempublicam animo documenta præbuisti, solita tua pietate et religione, dignam tua regali providentia curam adhibe, quemadmodum tu pro tua veteri gloria et consuetudine per te ipsum facturum fuisse speramus, et jam fecisse confidimus, ut regnum tuum et populi in eo omnes in fidei unitate Christianoque officio contineantur, ne perpetua hujus sanctæ Sedis jura apud eos violentur, cum præsertim nos in gratiam tuæ majestatis multa isthic prælatis tui regni indulserimus, etiam de jure nostro remittentes, idque etiam ad petitionem tuæ majestatis, quam moderatione regia et se digna usuram speramus, quantum cum Deo et honestate facere poterimus, libenter facere parati erimus. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum XXIV Junii MDXLII, anno VIII ».

49. Monuit etiam Pontifex Poloniæ episcopos, ut impiorum molimina eliderent, ac Sedis Apostolicæ auctoritatem, a qua ipsorum pendebat auctoritas, tuerentur, discerent ex funesto Germaniæ lapsu præfocare hæresim in fomite antequam adolesceret, contempta enim Sedis Apostolicæ auctoritate mox Polonicam Ecclesiam malis innumeris obrutum iri, denique ad conceptum fidei sacramentum tuendum excitavit[1] :

« Venerabilibus fratribus universis prælatis regni Poloniæ.

« Venerabiles fratres, salutem. Magna nos affecisset molestia rumor isthinc nuper allatus

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 298 et 329.

[1] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 288.

de quibusdam per sæculares istius regni attentatis contra jus et dignitatem hujus sanctæ Sedis, nisi ea, et absente vestro serenissimo rege, et vobis, ut debebatis, refragantibus minimeque consentientibus, gesta fuisse intellexissemus, speque certa teneremur, eumdem regem, cujus pietas, sapientia (inoffenso pede ad hoc ætatis et felicitatis, Deo illum remunerante) provecta est, talia omnino rejecturum esse, vobis præsertim illius auctoritatem sequentibus. Quamobrem, et si illo rege talibusque prælatis, nihil quod illius bonitate vestroque officio indignum esset timebamus, tamen moti hominum fama, has ad vos dandas duximus, non minus, ut vos debita laude, quam ut hortatione non necessaria prosequeremur. Est enim hæc vestra in officio constantia, quamvis per vos debita, tamen laude et commendatione plurimum digna, sive fidem, sive pietatem, sive prudentiam vestram consideremus, illa fuit fides jusjurandum servasse in promissione vestra præstitum, illa pietas ab Ecclesiæ capite atque unitate non discedere, illa prudentia prospicere ac prævidere qualis ruina Ecclesiæ Polonicæ per hæc initia aperiri posset, quod quale sit, vicina vos Germania edocere potest, cujus Ecclesiæ iisdem initiis paulatim concussæ sunt, ita ut multæ earum, conniventibus ad primos motus prælatis, rem dignitatemque suam occupantibus laicis amiserint, quod Déus a vobis longe dignetur avertere, sed tamen qui caput Ecclesiæ nunc petunt, mox si obtinuerint, nequaquam membris parsuros esse credatis : quod si id quod de vobis firmiter sperandum est, quodque sine summa impietate prætermittere non possetis, unitatem in Ecclesia cum vestro capite sub illius obedientia conservaveritis, solitamque reverentiam ac recognitionem huic sanctæ Sedi in honorem Dei omnipotentis ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum continuaveritis, tanto jam tempore, tantoque gentium Christianarum consensu observatam, tum vos quoque vestram dignitatem vestraque jura tuto retinebitis, quod Deus omnipotens vobis perpetuo concedat, idque futurum nobis post Dei clementiam vestra dignitas ac probitas, vestrorumque serenissimorum regum pietas firmiter pollicentur. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum XXIV Junii MDXLII, anno VIII ».

50. In ancipiti eo rerum discrimine, quod a novarum rerum cupidis imminebat, visum est archiepiscopo [1] Gnesnensi Poloniæ primati congregandam esse Synodum in qua de placanda divina ira, ob quam tot consurgebant hostes adversus clerum, deque elidenda impiorum audacia atque improbitate, collegiisque pro erudienda pietate et doctrina orthodoxa juventute ageretur :

[1] To. XIII. de Conc. Ms. Arch. Vat. sig. 3200. p. 147. Syn. in Polonia Archiepis. Gnesnensis.

« Articuli, de quibus in proxima Synodo deliberandum et consultandum erit.

« I. Quandoquidem invalescunt mala, quæ Ecclesiam in præsentia nostra perturbant, et ordinem Ecclesiasticum subruunt, neque ullum remedium quod tentatum sit profecerit, dubitare nemo potest quin digitus Dei sit hic, cujus furor et indignatio effusa super nos. Quamobrem quærendæ erunt causæ tantæ indignationis, et inveniendus modus earum tollendarum, ac placandi Dei, si forte conversus respiciat nos, et iram suam avertat a nobis. II. Quid cum pertinacibus et obstinatis blasphemis Ecclesias occupantibus, sacrosancta prophanantibus, synagogas novas extruentibus, in tanta effrænata audacia et licentia, ubi nullum in legibus et magistratibus præsidium est, faciendum sit. III. Quærendæ erunt viæ, quibus ii qui discesserunt ab unitate Ecclesiæ et in tot sectas scissi sunt, sanari et ad unitatem Ecclesiæ reduci possint. IV. Inquirendum erit, si aliquis abusus, superstitiones cum doctrina et pietate Catholica pugnantes invectæ sint, et quomodo sine offendiculo et scandalo tollendæ erunt. V. Consultandum erit, qua ratione reformatio cleri aggredienda est, et quatenus extendenda, ne infirmioribus occasio detur ad hæreticos transfugiendi.

« Cum tanta sit inopia sacerdotum et clericorum, ut multæ Ecclesiæ desertæ sint, non sine magno animarum periculo ; sacerdotia quoque minora, redditibus eversis, extincta, quærenda via erit, qua seminarium aliquod institui possit, et dispiciendum anne expediat collegia Societatis Jesu in celebribus locis, utpote Cracoviæ, Poznaniæ, Mazoviæ, Leopoli et Vilnæ, aut saltem in aliquibus horum instituere, ex quorum integritate, doctrina et miro instituendæ juventutis compendio ingentem profectum ad pietatem Viennæ vidimus, et unde sumptus, et ad docendos et ad alendos petendus sit ». Et paulo post :

« In conventu, qui proxime præteriit, tantus impetus tantaque impulsio ab hæreticis, qui per speciem tuendæ libertatis publicæ, inter multos Equestris Ordinis facile primum locum obtinent, eosque cæteri etiam Catholici sequuntur, facta in nos fuit, quod cum sustinere nequaquam possemus, coacti fuimus ex sententia, qui aderant, omnium Ecclesiarum Cathedralium prælatorum promittere Synodum sub ipsius proximi conventus tempus nos esse habituros, atque ibi de omnibus istis controversiis quæ nobis cum Ordine Equestri interveniunt, amice et fraterne acturos, et quanquam in eo illi non acquieverint, atque rebus infectis discesserint, majestatem tamen sacram regiam ex ea nostra promissione litteris publicis testatam esse accepimus. Quamobrem consultandum erit, quid facere nos oporteat.

« De eo etiam agendum erit, qua ratione,

et quatenus disciplinæ Ecclesiasticæ extendere jura et libertates Ecclesiarum retinere possimus et debeamus, clerumque plus nimio oppressum sublevare valeamus. Illud quoque in deliberationem veniet, quandoquidem a Summo Pontifice requisiti sumus, ut Concilio Generali, quod prope diem indicturus est, intersimus, existimamus ad id requisitos esse ibidem et alios reverendissimos dominos episcopos nostros, num liceat expediatque nos his in periculosis temporibus ab Ecclesiis nostris abesse. Deinde, qui mittendi sint Provinciæ totius nomine, qui et intersint Concilio, et approbent Sanctitati ejus et Concilio causam absentium, etc. ».

51. *In Scotia res penitus labefactatæ morte Jacobi regis.*— In Scotia res turbari cœptæ sunt, quæ postea penitus labefactatæ conciderunt; extremo enim anni mense Decembri Scoti cum exercitum eduxissent adversus Henricum Angliæ tyrannum [1], incuria sua, magis quam hostium virtute, fusi fugatique sunt, ex qua clade Jacobus ejus nominis V maximo mœrore confectus lethalem morbum contraxit, ac die decimo tertio Decembris obiit maximo rei Catholicæ damno, cum religionem Catholicam maximo pietatis ardore defendendam suscepisset. Reliquit hæredem Mariam filiam unicam in ætate imbelli ex Maria Lotharinga susceptam. Cum vero in Scotiam pervenissent hoc anno S. Ignatii socii, qui internuntii in Hiberniam decreti fuerant a Pontifice, atque in eo regno pietatem latius propagare percuperent, Paulus iisdem prærogativis, quas in Hibernia contulerat, eos affecit.

52. *Hæresis Calviniana Galliam implet suis erroribus.* — In Gallia hæresis Calviniana clam serpebat, cum plures novarum opinionum audiendarum curiosa prurigine incitati, pestiferos Hæreticorum libros, ac novas Calvini hæresiarchæ institutiones lectitarent, ac mellitæ eloquentiæ lenocinio illecti, impia simul venena, quibus conspersæ erant, haurirent, de quibus factus certior Pontifex, Senonensem archiepiscopum admonuit, ut implorato regio auxilio, in eos qui hujusmodi venenatos libros tenerent, aut venderent vel emerent acriter animadverteret [2] :

« Venerabili fratri Francisco archiepiscopo Senonensi.

« Venerabilis frater. Cum cæteras virtutes tuas sæpe ac merito laudavimus, tum præcipue illam, quod tu tanquam bonus pastor et diligens, clamorem audiens ululantium luporum, ita tuam diœcesim tuasque caulas hactenus custodivisti, ut iidem lupi rabiem Lutheranæ hæresis inferentes, illas intrare ovesque tibi commissas lacerare nequiverint, de quo plurimum gaudemus, ut debemus, tam Dei omnipotentis ac nostra, quam tua etiam causa, nihil ambigentes quin eamdem diligentiam atque curam sis adhibiturus, et nunc, et in posterum, sicut tuæ probitati, consuetudini atque officio convenit; nos enim tibi, ut omnia, quæ ad hoc pertinuerint, facere, et præsertim ne libri ipsius hæresis a quibusvis laicis aut clericis tuæ diœcesis emantur, teneantur aut legantur, sub pœnis tam Ecclesiasticis quam pecuniariis prohibere, et contra prohibitionem tuam facientes, etiamsi ipsi clerici a tua jurisdictione ordinaria per Apostolicam Sedem exempti quomodolibet fuerint, per easdem pœnas ac etiam interdicti appositionem, et si opus fuerit, auxilii brachii sæcularis invocatione debite coercere possis et valeas, Apostolica tibi auctoritate tenore præsentium concedimus, non obstantibus ipsis exemptionibus ac litteris Apostolicis super illis expeditis, cæterisque contrariis quibuscumque, seu si aliquibus etc. mentionem. Datum Romæ XXII Decembris MDXLII, an. IX ».

53. Hoc anno Joannes Calvinus [1], qui hactenus Lutheranorum more realem Christi præsentiam in Eucharistia scriptis professus erat, impietate auctior, eam e suis institutionibus expunxit, ut observat Claudius Espencæus doctor Sorbonicus. Moliebatur Calvinus novam religionem conflare, atque adeo diem Veneris pro die Dominico celebrandum indixit, ut illius secta cum Mahumetica consociaretur; sed illi a sectariis paritum non fuit. Enisus pariter est cum Joanne Vireto, et aliis auctoritatem ferendi anathematis sibi arrogare, sed magistratus hæretici se illi subjicere in ea re detrectarunt.

Cæterum, infelicissima illius secta latissime propagari cœpit, cujus sequaces fuisse deteriores paganis probat Guillelmus Rossæus : « Vastum, inquit, blasphemiarum pelagus est, et quo longius in eo quis fuerit provectus, eo majorem atheismi altitudinem et abyssum deprehendet ». Et infra : « Evangelici, quibus persuasissimum esse debebat primitivam Ecclesiam, quasi Christo et Apostolis proximam, sanctissima verissimaque fide præditam fuisse, Luciferiana superbia eam aspernantur, et singuli hæretici, Calvinus cum suis potissimum, in quibus primitiva Ecclesia ab eorum placitis discedit, in iis primitivam Ecclesiam totam ignorantiæ et stupiditatis damnare non verentur. Si quis eos premat auctoritate non unius, sed omnium simpliciter Ecclesiæ primitivæ Patrum, ut probet Purgatorium, et preces pro Defunctis : Scimus, inquiunt, fuisse vetustissimam Ecclesiæ consuetudinem, eamque Patres Apostolis tradentibus ascribere, sed quærimus, Num in eo recte fecerunt ? Aerium contra sentientem, hæreticum judicarunt, sed immerito ».

[1] Lud. Guicc. in Com. — [2] Paul. III. lib. brev. an. VIII. p. 555.

[1] Espencæus in lib. de adorat. Euchar. Jacobus Lantgæus in Vita Calvini. Guill. Rossæus p. 215.

Si dicas, iidem approbarunt sacrificium, et Prophetarum oraculis tanquam Christianæ fidei articulum astruxerunt : Ita quidem (aiunt) sed tamen « in ea magis ignoscendum est eorum inscitiæ, et sepeliendum dedecus », quam prædicanda auctoritas, aut ei confidendum.

Si ad pœnitentiam pro peccatis agendam, et dignos satisfactionis fructus edendos ejusdem Ecclesiæ exemplo et doctrina, aliquem voluptuarium ex hoc grege discipulum adhortaris, respondet ut a Magistro suo instituitur [1] : « Parum me movent quæ in veterum scriptis de satisfactione passim occurrunt. Video quidem eorum nonnullos (dicam simpliciter) omnes fere, quorum libri extant, hac in parte lapsos esse, aut nimium aspere et dure locutos. Neque vero excusari ullo pacto potest immodica veterum austeritas ». Si Quadragesimæ saltem paucis septimanis acriore jejunio corporis lasciviam reprimendam esse, si sacerdotibus a conjugio abstinendum, quo plenius Dei cultui precibusque incumbant, disputas, tota primitiva Ecclesia utique horum suffragante : « Fatemur, inquiunt [2], tunc invaluisse superstitiosam Quadragesimæ observationem, qua et vulgus eximium aliquod se præstare Deo existimabat, et pastores eam commendabant pro sancta Dei imitatione, sed mera fuit cacozelia, et superstitionis plena », illud vero alterum « de conjugio Sacerdotibus interdicto [3], factum est mera tyrannide, et fanatici homines erant » illi Concilii Nicæni patres, qui cœlibatum sacerdotibus imponere volebant.

54. Addit idem auctor de Calvinistarum erroribus [4]. Ut plurimi animam mortalem esse summa contentione urgent, et ea fide innumeros Evangelicorum greges inficiunt, una tamen ad tempus breve addunt eamdem animam cum corpore olim resuscitandam, ut extremo judicio sistatur : ita plurimi rursus totam eam Catholicorum de Resurrrectione fidem ridiculam et papisticam esse concionantur, nec quidquam tale unquam expectandum, figurisque et metaphoris solito Protestantium more ludentes, illas ipsas suorum catervas ad explodendam penitus resurrectionis fidem promovent, id quod ingenue fatetur Petrus Martyr [5] : « Hodie, inquit, emerserunt Libertini, qui corporis Resurrectionem derident, et Scripturas conantur eludere, quasi loquantur de resurrectione animorum, qui cum mortui essent peccato, per Christum et fidem in eum vitæ restituuntur. Neque dici potest quam facile inhæreant hi sermones in auribus infirmiorum fratrum, et tamen resurrectionis articulo sublato, cuncta nostræ fidei mysteria funditus evertuntur ».

55. Nec dissimile est Calvini de sui Evangelii sectatoribus judicium [1] : « Vix enim, inquit, eorum decimus quisque est, qui fidei puritatem ad extremum usque retinet : omnes fere ad corruptelas degenerunt, et a magistris licentiæ delusi prophanescunt (hoc est, evadunt Athei) et quamvis præclarum Evangelii zelum simulant, si tamen intus excutias, reperies plenos perfidia, fraudibus et dolis ».

Distinguit Calvinus hoc genus Evangelicorum in duas sectas, sed adeo late patentes, ut sub earum altera longe maxima Protestantium pars comprehendatur. Sic enim ille : « Hominis animam alii a morte ad judicii usque diem, quo a somno suo expergefiat : sine memoria, sine intelligentia, sine sensu dormire putant. Alii nihil minus quam substantiam esse volunt, sed vim dumtaxat vitæ, quæ ex spiritu, arterie aut pulmonum agitatione ducitur, et ideo cum corpore interire et evanescere fingunt, donec totus homo suscitetur ». Utrosque autem ad opinionem quam latissime disseminandam summo studio elaborasse, eam ob causam, ut cum Luthero Pontificiam de Purgatorio et Sanctorum invocatione doctrinam a fundamentis convellerent, idem Calvinus in eodem loco testatur, qui etiam recte monet, hos, etiamsi verborum forma multum discrepare, tamen et priores, qui animam vivere verbo quidem largiuntur, omni autem sensu et intelligentia privant, re non minus quam posteriores eamdem interficere et extinguere, cum sensum et intelligentiam eripiunt, in qua posita est animæ vis tota et energia. Hoc enim si sustuleris, anima non magis eo nomine vocanda est, quam corpus organicum illud quod mortuum est, et in cineres dissolutum.

56. *Ochinus Capucinorum Generalis ab Ecclesia deficit.* — Serpere etiam in ipsa Italia animadversa est hæresis, adeo ut non laici modo, sed etiam religiosi impietate Lutherana polluerentur, et quod maximum piis omnibus stuporem et offendiculum attulit, Ochinus magister supremus Capuccinorum Ordinis pietatis laude florentissimi ad Zuinglianos turpissime transfugit hoc anno, ut narrat Petrus Paulus Gualterius [2]. « In principio (inquit) Septembris frater Bernardinus de Senis generalis congregationis Cappuccinorum, qui diu sanctissimæ vitæ habitus fuit, discessit ex Italia, et profectus est Genevam ad Lutheranos; causam ambitionem fuisse puto », prensasse illum cardinalatum ferunt, speque sua deturbatum ad famam ex impietate consectandam se prostrasse.

Hic itaque dum in Draconem versus sub Agni veste hæresim Venetis ac Neapolitanis, Ecclesiastica abusus eloquentia, instillaret, Cajetanus Thyenæus, Theatinorum Ordinis insti-

[1] Calvin. Inst. l. III. c. 4. § 38. l. IV. c. 22. § 8. — [2] Ib. l. IV. c. 12. § 20. — [3] Ib. § 23. — [4] Guil. Ross. p. 212. — [5] Petrus Martyr. in I Cor. cap. 15.

[1] Guill. Ross. p. 191. Calvin. in II Epist. Pet. c. II. n. 2. Guill. Ross. p. 221. Calvin. in Psycopannichia p. 2. Petrus Paulus. — [2] Gualter. in Diario.

tutor [1], qui nomine Sanctorum fastos ornavit, pro Christo munere exploratoris functus, de perfidi hypocritæ improbitate cardinalem Theatinum, qui sacro inquisitionis officio præerat, admonuit, a quo in jus vocatus, mox impius hæresiarcha (ne credere enim aliis hæreticorum signiferis videretur) nova hæreseon monstra conflavit, projecta larva, in hæreticorum oras perfugit, ac Italiam importuno impietatis monstro liberavit. Audita fuga Ochini et defectione, Carafa cardinalis, qui in Pontificatu Pauli IV nomen accepit, pareneticam ad eum scripsit Epistolam. Cujus partem hic repetere operæ pretium duximus :

« Quid tibi in mentem venit, Bernardine? Quis te Domini malus velut reprobum, olim Israeliticum regem arripuit Spiritus ? Pater mi, Pater mi, currus Israel et auriga ejus, quem paulo ante, quasi in spiritu et virtute Eliæ ascendentem mirabamur in Cœlum, quid modo cum curribus et equis Pharaonis descendentem dolemus in infernum? Quomodo cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris? Quid orbatum lugemus et sterilem, quem innumerabilium videbamus patrem lætantem filiorum? O delire senex! quis te fascinavit, ut alterum tibi confingeres Christum, quem a Catholica Ecclesia non didicisti, ut te ad aliud converteres Evangelium, quod ab uberibus matris tuæ non suxisti? Ah! quam magnus eras in oculis omnium, si in oculis tuis parvus esse voluisses! Consartus ille saccus tuus rudis rubentes pileos et Pontificum mithras superabat. Scribis enim in illis tuis præclaris quæ vulgo circumferuntur apologeticis litteris, hactenus te Christiano populo velatum Christum prædicasse : deinceps vero verum illum, ac libertum producturum te comminaris. Quid est quod loqueris, Pater? An non vides tuis te teneri laqueis, tuis pedicis irretiri? An putas te impune jamdudum Christiano populo illudere potuisse, qui Antichristum pro Christo prædicaveris, qui Pharisaicum fermentum pro sacra doctrina, qui pharmacum pro vero lacte propinaveris? Siccine simplicem gregem infecisti? Siccine innocentes oves carnifex sermonum tuorum lenocinio ad lanienam attraxisti? Et quam fidem tibi posthac adhibendam sperare possis, qui impiissimis mendaciis auditores tuos seduxeris? Qui tamdiu divinum verbum adulteraveris? Vides ad quod saxum impingis. Attende quam male tibi non constas, quam periculose te ipsum mutas. Si veritatem tibi esse constabat apud Lutherum, si Petrum et Paulum eorumque Ecclesiæ successores non recte videbas ambulare in sinceritate Evangelii, si quæ in populis prædicabas, non secundum Catholicam fidem esse sciebas, cur tamdiu siluisti? Cur Dei veritatem in justitia detinuisti? »

[1] Jo. Baptista Gastald. in Vita B. Cajetani c. 6.

Et infra : « Ubi tu ipse, qui prædicabas non furandum, furaris, qui non mœchandum, mœcharis? qui abominabaris idolum, sacrilegium facis? ubi tu ipse Magister, totum id operis destituis, quod ante docebas? quis dabit capiti meo aquam et oculis fontem lacrymarum, ut nocte fleam, ut luce plorem baculum Ecclesiæ confractum, magistrum obcœcatum, pastorem in lupum conversum, sapientem patrem in reprobum sensum commutatum, Christi præconem diabolum effectum? Quis magnum suscitet Samuelem? Quis proferat Evangelicum patrem, qui a meretricibus revertentem prodigum filium recipiat? si forte surgas, si forte ad eum redeas, et dicas : *Pater, peccavi in Cœlum et coram te.* An non tibi melius existimas reverti ad patrem tuum, ad domum genitricis tuæ, ubi abundas panibus, quam in longinqua adeo regione pascens porcos, mori? Quid tibi in barbaris gentibus? quid tibi cum noverca? Agnosce ubera quæ te lactaverunt, agnosce vocem vocantis, vocem explorantis, vocem in Rhama, vocem ab excelso clamantis : *Revertere, dilecte mi, et assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes Bethel.* Vocat te Romanus Pontifex, vocat te caput Ecclesiæ, nihil adhuc comminatur, vim nullam intentat. Tu ad vocantis vocem nuditatis tuæ conscius te abscondis? etc. » Hæc eleganter fortiterque cardinalis Theatinus, at obfirmatum Lutherano adamante Ochini pectus pervadere minime potuit.

57. *Armeni fidei Catholicæ exemplum eximium profitentur.* — At dum impius Ochinus deficit a fide Catholica, Armeni eam magnifice sunt professi; ut Acta cardinalitii senatus testantur, in quo cardinalis Burgensis relator legit exemplar quarumdam litterarum fratrum et laicorum S. Mariæ Omnium-Sanctorum civitatis Nozovanensis in Armenia, quarum tenor talis est :

« In Nomine Unigeniti Filii Dei, qui sua gratia et miseratione de Virgine nasci dignatus est. Anno Domini MDXLII, in die B. Andreæ Apostoli congregati, pater beatissime, nos, qui sumus oves vestræ et provinciæ in spiritualibus subjectæ vestræ sanctitati, vos autem caput nostrum estis, et in sæculo omnibus superior, et nos sub vestræ sanctitatis obedientia. Vos vero cœlestem potestatem habetis, et gratiam a Deo ad regendum mundum et angelos cœlestes in societate vestra, et estis principes totius Ecclesiæ, et caput capitum, et principes prælatorum totius mundi, et estis vicarius Christi in omni loco, ubi fidem ejus duodecim Apostoli prædicaverunt, et vos veram et rectam retinetis fidem, ad cujus Sedem omnes fideles et Catholici Christiani concurrunt, et estis omnium lætitia et exultatio; qui quemadmodum de vino dicitur, corda hominum lætificatis, et estis verus successor S. Petri, qui mundum universum manu

continetis, et quodcumque ligatis et solvitis in terra ligatum similiter et solutum erit in cœlis, et estis fundamentum totius Ecclesiæ Dei. O pater sancte, quem mundus in partibus nostris non cognoscit, nos frater Andreas vicarius Casalis, seu villæ, quæ dicitur Coranch, et subprovincialis totius Provinciæ Armenorum Catholicorum, frater Azarias prior Villæ Sabonis, frater Joannes prior Abarrenor, frater Joannes prior Cascasini, frater Joannes Abbarecundis, frater Zacharias prior Salitach, frater Thomas prior Carna, frater Petrus prior de Ganza, omnes illi Christiani Catholici et fratres Ordinis prædicatorum S. Dominici, subjecti et filii obedientissimi sanctitatis vestræ, parati ad omnia exequenda. Et Petrus de Gianck, Petrus Joannes de Sabonis, Mirans Abbarener, Saphar de Cascasini, Acciech Abbarevendi, Putach de Carva, Agabech Salitach, Silvan de Gan laici omnes, et capita seu priores villarum suprascriptarum, omnes filii.

« O pater sancte, mortuus est episcopus noster, et alium pastorem et caput loco ejus cupimus substitui nobis. Conferentes autem inter nos, invenimus virum idoneum, fratrem videlicet Benedictum filium Boerzati de Nascioban Ordinis S. Dominici, quem adire fecimus regionem et Urbem vestram, quem elegimus in episcopum nostrum post biennium a morte prænominati, et prædicti Nazovensis episcopi nostri, die videlicet et anno supradictis : O pater sancte, papa Paule, conservet vos Deus omnipotens, et S. Petrus et Paulus, et omnes sancti cœlestis curiæ, et ita commendatum habeat vestra sanctitas electum nostrum, qui est bonus et Catholicus Christianus, qui neque Latinam loqui linguam, neque Italicam novit, unde compatiatur eadem sanctitas vestra. O pater sancte, quidquid boni facietis huic fratri Benedicto electo nostro, retribuent sanctitati vestræ sancti Dei Apostoli Petrus et Paulus.

« Nos infidelibus subjecti sumus, a quibus ipse jam electus captus et catenatus est, et in vinculis et catena per novem menses habitus, unde ut ipsum redimeremus, paramenta Ecclesiæ et calices et cruces vendere coacti sumus : et ita cum trecentis aureis redemimus, et venit in sanctam civitatem vestram. Nunc autem sanctitas vestra tantum boni ipsi contribuat, quantum illi Deus in mentem dederit, et ille qui scripsit osculatur pedes sanctitatis vestræ frater Joannes Abbarevendis supranominatus filius Cosigian ». Quibus perlectis sanctitas sua confirmavit dictam electionem de dicta Ecclesia Nazovensi vacante per obitum Gregorii filii Azator, id est, Deodati, et providit de persona dicti Benedicti.

58. *Auctus cardinalium senatus.* — Auctus est hoc anno cardinalium senatus a Paulo III, ut referunt Acta Consistorialia [1] : « II Junii MDXLII, assumpsit in S. R. E. presbyteros cardinales RR. DD. Jo. Episcopum Mutinensem, Marcellum Crescentium episcopum Marsicanum, Joannem Vincentium de Aquaviva episcopum Melphitanum, et Pompeium Cecium episcopum Nepesinum, Robertum Puccium episcopum Pistoriensem, necnon religiosos viros Thomam Badiam magistrum Sacri Palatii, et Gregorium Cortesium Ordinis S. Benedicti. XXI, contulit titulos reverendissimo domino cardinali Crescentio tit. SS. Joannis et Pauli, reverendissimo domino de Aquaviva tit. S. Martini in Montibus, reverendissimo D. Cecio tit. S. Cyriaci in Thermis, reverendissimo D. Puccio tit. SS. Nerei et Achillei, reverendissimo domino Sac. Palatii tit. S. Silvestri ».

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIII. p. 414.

PAULI III ANNUS 10. — CHRISTI 1543.

1. *Imperatoris oratores coram legatis Apostolicis exponunt quibus de causis Cæsaris clientes ad Concilium se conferre non possint, et ipsi Tridento discedere cogantur.* — Anno a partu Virginis quingentesimo, Indictione prima, afflicta maxime est res Christiana, Cæsare et Gallo

in mutuum exitium bella gerentibus, hæreticis in Catholicos omni dolo et vi grassantibus, Solymanno in Hungaria Christianas urbes expugnante, quibus malis et aliis gravioribus impendentibus ut occurreret Pontifex, omni studio et contentione Concilium Œcumenicum, jam ante Tridenti indictum, celebrare annisus est; quæ ut sint gesta, ex ipsis Concilii Actis nitide asseremus [1] :

« Die VIII mensis Januarii MDXLIII, applicuerunt Tridentum tres oratores Caroli V imperatoris, videlicet illustres et reverendi domini Nicolaus Perenottus dominus a Granvela, Antonius Perenottus episcopus Atrebatensis, et Didacus a Mendoza ».

Venere illi in legatorum Apostolicæ Sedis conspectum ; habitaque oratione de Concilii celebrandi necessitate pro hæresi comprimenda et morum puritate restituenda, attulere causas, ob quas Carolus V difficillimo a Gallo rege appetitus bello accedere non posset, utque ipsi ob paratas sibi a Galiis insidias tardius accessissent ; flagrante vero atrocissimo bello, in quo Gallus Turcas auxiliares exciret, præsules Hispani, vel alios Cæsaris clientes ad Concilium scilicet se conferre non posse, excusarunt. De quibus confecta hæc publica documenta extant :

« In nomine Domini. Amen. Anno a Nativitate Domini nostri Jesu Christi MDXLIII, Indictione I, die IX Januarii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri D. Pauli divina providentia papæ III anno IX, existentibus reverendissimis in Christo patribus et dominis Petro Paulo S. Balbinæ, Joanne S. Vitalis presbyteris, et Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin diacono S. R. E. cardinalibus, ac sanctæ Apostolicæ Sedis et prædicti sanctissimi domini nostri papæ ad Œcumenicum Concilium per suam Sanctitatem in hac civitate Tridentina ad sedandas hæreses anno superiori indictum de latere legatis, in ædibus sive hospitio prædicti reverendissimi S. Balbinæ in aula ædium, in qua aderant nonnulli proceres et nobiles, comparuerunt ibidem illustres et reverendissimi Cæsarei oratores, videlicet illustris dominus Nicolaus Perenottus, episcopus Atrebatensis, et illustris dominus Didacus a Mendoza ad Concilium hujusmodi per serenissimum et invictissimum principem Carolum V Romanorum imperatorem semper Augustum, etc. specialiter deputati ; dirigentes sua verba ad prædictos cardinales, locuti sunt per vocem et organum dicti reverendissimi domini Atrebatensis, in hæc verba :

2. « Prolixa oratione multisque verbis nobis opus esset, reverendissimi amplissimique patres, si de origine, institutione, forma, atque auctoritate Conciliorum, singulorumque ordinum ad illa officia, et quam exacte ab omnibus vere Catholicis observanda sint, dicere instituerremus, quod videretur causæ ratio exposcere, nisi apud vos ageremus, quibus ista multa lectione longoque rerum usu sunt quam notissima. Hoc autem dicemus, si unquam, nunc certe maxime Concilii celebrationem necessariam esse ; neque hæc res explicationis enarratione opus habet, aut perspicuis argumentis celebranda est, cum nemo sit, proh dolor ! qui aperte nimis id non intelligat (si modo prudenter expendere velit) quam infirma sit respublica Christiana, quam dissidio religionis labefactata, et suis perpetuis hostibus sit exposita, Turcis ac Mauris assiduis illam præliis infestantibus, accedente ad extremum illud malum et controversia in religione, bello intra hujus viscera ab uno e potentissimis ejus principibus renovato pluribus locis uno fere tempore, et non alieno, in quo ad propulsandos fidei nostræ hostes, terra marique exercitus parabantur. Neque multis verbis referendi onus nobis sumimus, quam sollicita cura, continuoque labore et studio, summisque officiis Concilii indictionem et celebrationem Cæsarea majestas petiverit, cum et sanctissimo domino nostro et sacrosancto collegio ista cognita sint, et a frequentibus ad hoc susceptis profectionibus Romam et ad alia Italiæ loca, ad Suam Sanctitatem et Clementem prædecessorem, ex continua ministrorum et oratorum, hujus petitionis amplissimum testimonium sumi possit. Quare sermonem huc convertemus, ut a nobis intelligatis, suam majestatem, quæ tam studiose Concilium semper expetivit hactenus, nunc maxime illius celebrationem, primisque votis, optare, per quam discordia religionis componatur, et sit utilis reipublicæ Christianæ, cum intelligat nullo alio pharmaco ab hoc tam gravi morbo posse illam convalescere ; scit et reformatione quoque opus esse, quam Sua Sanctitas frequenter obtulit et promisit, et pro qua Cæsarea majestas toties et proprio et ordinum sacrosancti imperii nomine institit, ut pro re necessaria, et sine qua, neque præterito malo mederi, neque, ne in priora incidamus, ulla ratione vitare possumus : quod tibi, reverendissime cardinalis Morone, experientia probatum existimo. Ut autem de celebratione Concilii his præmissis agamus, cupimus memoriæ vestræ succurrere, ne repetitione sit opus, ea quæ sua majestas superioribus comitiis imperialibus Ratisbonæ habitis reverendissimo quondam cardinali Contareno, tibi revendissimo Morono, tunc Suæ Sanctitatis nuntio responderit, cum utique illi explicuissetis, statuisse Suam Sanctitatem celebrandum Œcumenicum Concilium indicere, neque ea vobis excidisse puto, quæ sua majestas respondit die XXV Augusti ad Bullas indictionis, et privatas

[1] Angel. Massarel. in Diario Concil. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3218. p. 65.

litteras suæ Sanctitatis, quibus illi indictionem Concilii hic celebrandi significavit. Ex iis sua Sanctitas intelligere potest, si conjungat cum operibus diligentem Concilii petitionem, qua sit sua majestas voluntate, et quæ in genere dicta scriptave fuere, huc pertinere, ut revera et cum fructu celebretur. Ne autem sua majestas, earum, quibus imperiali et regio officio obligata est, quidquam prætermitteret, dato amplissimo mandato nobis tribus, et illustri Marchioni de Anguillara, qui apud Suam Sanctitatem suæ majestatis oratorem agit, singulisque nostrum jussit, ut ejus nomine adessemus, illius absentiam, quodque neminem hactenus miserit, excusaremus : diligentem præterea navaremus operam in his, quæ ad ipsius Concilii cum fructu celebrationem, pietatem, Ecclesiæ unionem, fidei atque religionis stabilimentum et reipublicæ Christianæ commodum pertinere videbuntur. Non admodum laborabimus in excusanda sua majestate quod non intersit : existimamus enim huic parti satisfactum per eas litteras, quas ad Suam Sanctitatem scriptas duximus. Quis enim non intelligit, motum illi bellum tot locis uno tempore, et in quo nimis aliena, ne quid pejus præter occasionem hoc loco dicamus, ab omni jure divino et humano, servata est ratio, excusare debere ? Hæc autem omnibus Christiani orbis ordinibus nota, Suæ vero Sanctitati notissima putamus, quod sit tunc motum bellum cum indictum Concilium, ob idque cognoscere potest legitimum impedimentum, dum illa, et resistendo et conatus hostium reprimendo fuit occupata. Nostis quoque, reverendissimi amplissimique patres, non deesse, quæ illum nunc e suis regionibus non patiantur egredi, dum provide illi sua munienda sint, ne proximo anno ita invadatur, ut superiore, cum id sua majestas ageret, ut terra marique, se suasque copias communi vero Christianorum inimico operam, cum tam sancta occupatio tutam illam ab omni invasione reddere deberet, præter inducias, opera et maximo cum labore sanctissimi domini nostri fœdere partas, quibus tanta auctoritate firmatis fidendum videbatur. Accedit quod ordines sacrosancti imperii invasuro, tum significaverunt constituisse se (necessitate ad id cogente) conjunctis viribus cum sua majestate et Sanctitatis Suæ auxiliis, aliorumque ordinum Christianæ reipublicæ, qui rem tam sanctam juvare vellent, Turcas ex Hungaria pellere, petiveruntque, ut secundum ea, quæ tam magnifice per suas litteras obtulerat, auxiliares ex suis copias mitteret, nec saltem ne quid occupatis illis in nostro orbe moveret, quam petitionem ita contempsit, ut mox huic contraria molitus sit. Cœterum, si quis nobis objiciat, quod serius venerimus, dicatque debuisse nos, aut alios, imperatore legitime occupato, ejus nomine prius venire, istuc facile deberemus, eodem argumento, quo pro Suæ Majestatis excusatione sumus usi, bello scilicet impeditos fuisse nulla fide relicta litteris, quibus sine periculo transitus olim concedebatur. Cumque terra tuta non fuerit, profecto minus certe mare ; non solum enim ab iis, quos bellum movisse diximus, sed a Turcis quoque, et aliis qui a fide nostra alieni sunt, cavendum erat, cum illi publice minarentur, hos in perniciem suæ majestatis et regnorum ejus esse venturos. Quid autem tentatum fuerit, et quid voluntate designatum fiducia expectationis hujus adventus, noverunt omnes, neque tutelæ, quam sanctissimi indicti Concilii auctoritas præbere debuerat, ulla ratione fidendum fuit, id enim res ipsa docuit, nam etsi intellexissent Galli a Cæsarea majestate D. Granvela missum, ut huic Concilio nomine ejus interesset, tamen ut illum interciperent, viginti duas triremes, et aliquot naves Turcicas longas minores sive Liburnicas instruxerunt, itaque transfretationem necessario distulimus, ut coactis majoribus viribus sine periculo navigaremus. Hæc certe magis legitima excusatio nostræ moræ, quam cum vellemus secundum quam aliis judicandum permittimus, sintne ad Concilii utilem celebrationem admodum animati, qui ista perpetrant, si adjungantur alia, de quibus Sua Sanctitas frequenter fuit admonita, et ea vos non latere existimamus. Expectabat etiam sua majestas, ut ingenue id, quod res est, profiteamur, explicationem nonnullorum a sanctissimo D. N. de quibus scripserat, quæ videbantur a sua majestate prius expedienda esse, quam quisquam huc ab illo mitteretur ; illis etsi responsum non est, tamen ne suis partibus argui posset, multum sibi pollicens de opinione, quam de sua Sanctitate concepit, sperans illam officium suum impleturam, nos huc mittere voluit. Dabimus et apertius testimonium Cæsareæ voluntatis, pollicemur illam, quod sæpe coram per litteras suosque ministros obtulit, adfuturam, nisi præter voluntatem suam impediatur. Si tamen hujus Concilii celebratio ita instituatur, ut res tam sancta Suæ Majestatis præsentia debeat promoveri, tum etiam præsules missuram, eosque, qui celebrando Concilio e suis regionibus interesse debent, modo illis tuto accedere liceat, quod profecto hactenus non licuit, fractis crudeliter in hac novissima invasione regnorum suæ majestatis legibus contra eos qui immunes a vi bellica esse debuerant ; quamobrem sua majestas nobis commisit, ut illos excusaremus, et illorum nomine significaremus, paratissimos semper futuros, ut suo officio satisfaciant. Ut autem absolvamus, paucisque, quæ dicturi eramus, concludantur, venimus, reverendissimi amplissimique Patres, maxima qua id fieri potuit celeritate, habemus a sua majestate mandata amplissima, parati nunc

secundum ea, ejus nomine imperiali et regio Catholico, et nomine regnorum ejus et provinciarum ei subditarum, ad omnia quæ ad celebrationem Concilii videbuntur pertinere, ne quidquam prætermittatur eorum, quæ imperatoria et regia dignitas, totque provinciarum administratio et moderatio illam obligat adjuvante Spiritu sancto Paracleto, qui et afflictam Ecclesiam suam, rempublicam Christianam, consolari et necessario pharmaco recreari, et a malis, quibus circumsepta est, liberare sua immensa bonitate et ineffabili misericordia dignetur ». Quibus dictis, et fine facto loquendi, petierunt lectionem fieri mandati Cæsarei, vigore cujus dicebant se comparere. Quod quidem mandatum lectum fuit et illius tenor talis est, videlicet :

3. « Carolus V divina favente clementia Romanorum imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. rex, archidux Austriæ, Flandriæ, Tirolis etc. Recognoscimus, et notum facimus tenore præsentium universis. Cum primis votis semper expetiverimus in publica administratione ita versari, ut voluntatem et studium nobis nunquam defuisse omnes intelligerent, tractandis iis rebus, quæ ad Reipublicæ Christianæ, studio partium et dissensionum in religione pæne labefactatam instaurationem et salutem pertinerent, et ad reducendam illam et revocandam ad Christianam et firmam concordiam. Cujus rei amplissimum dant testimonium suscepta jam toties magno cum sumptu summoque labore ad id itinera et quotidianæ nostræ actiones, quibus illum scopum constituimus. Existimamus hoc tempore nobis diligentem navandam operam, in quo beatissimus in Christo pater et dominus D. Paulus, divina providentia Pontifex Maximus, Universale Concilium Tridenti kalend. Novembris proximis celebrandum indixit; cui interesse cuperemus, et ipsi præsentes totoque conatu ea promovere, quæ ad publicam utilitatem pertinere existimaremus. Sed cum præsens rerum status id non patiatur, decrevimus oratores nostros eo mittere, qui vices nostras gererent. Hinc est quod nos confisi de probitate, pio zelo fidei, religionisque studio, morum integritate et in tractandis rebus experientia et fide illustrissimorum et venerabilium Nicolai Peronotti domini a Granvela consiliarii nostri supremi, rerum status vicesgerentis et oratoris nostri generalis ad Germaniam et Italiam, Don Joannis Fernandez Manriquez Marchionis Anguillaræ, Antonii Peronotti Episcopi Atrebatensis, et D. Didaci de Mendoza consiliariorum nostrorum, et devotorum et fidelium dilectorum, eosdem conjunctim et separatim fecimus, creavimus, constituimus et ordinavimus, atque ex nunc, tenore præsentium, ex certa animi nostri scientia, et omnibus aliis melioribus modo, via, jure et causa, quibus validius et efficacius possumus et debemus, solemniter facimus, constituimus et ordinamus nostros veros, certos, legitimos et indubitatos oratores et mandatarios : dantes eis et cuilibet ipsorum in solidum, amplam facultatem et potestatem, ut ipsi quatuor, tres, duo, aut unus ipsorum, nomine nostro, in dicto Concilio universali comparere, in omnibus sessionibus nostrum locum, ut oratores et mandatarii nostri habere, res et negotia religionis et fidei, et alia quæcumque in prædicto Concilio tractanda, una cum aliis statibus reipublicæ Christianæ eorumve legatis, oratoribus et mandatariis consultare, agere et tractare, illisque omnibus et per omnia adesse, consilium, votum, decretum nostro nomine dare, impartiri et interponere, aliaque omnia tractare, procurare, agere, concludere et exercere debeant et possint, quæ ad Dei gloriam, fidei unionem, exaltationem, et reipublicæ Christianæ honorem, commodum et augumentum pertinere, Concilio expedire visa fuerint, et quæ nos ipsi agere, tractare et procurare possemus, si præmissis omnibus et singulis personaliter interessemus, etiamsi talia essent, quæ mandatum exigerent magis speciale quam præsentibus est expressum ; ponentes idcirco præfatos oratores et mandatarios nostros, quoad prædicta, in locum et vicem personæ nostræ, promittentes in verbo nostro Cæsareo, nos habituros ratum et gratum, quidquid per ipsos oratores et mandatarios nostros, aut tres, duos aut unum ipsorum ad modum prænarratum, actum, procuratum et gestum fuerit, dolo et fraude penitus semotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appositione munitarum. Dat. in civitate nostra Barchinonæ die XVIII Octobris anno Domini MDXLII, imperii nostri XXII et regnorum nostrorum XXVII ».

« CAROLUS ».

4. Perlecto eo mandato [1] dominus de Granvela, suo et aliorum oratorum nomine, flagitavit, ut Tabulæ publicæ conficerentur, comparuisse ipsos coram legatis, et excusasse cur tardius venissent ipsi, ac præsules non possent accedere, seque ad publicam rem Christianam tuendam augendamque, et celebrandam Synodum paratissimos obtulissent, ni moto a rege Christianissimo bello distraherentur. X Januarii MDXLIII significavit Nicolaus Granvellanus, proximo die ad Norimbergensem conventum profecturus, cardinali Morono religionis res in Germania in dies collabi, Ratisbonam recenter defecisse, in Lotaringia Metim et alia circumjecta loca descivisse, de Belgio quoque formidari, ne a Catholica fide excideret, licet regina

[1] Tom. X. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 11 et 12. Ex Italia.

Maria pro ea provincia in officio continenda omnem operam collocaret : cuncta in exitium prona videri; omnem tamen laborem pro Ratisbona et Metis ad officium revocandis, apud Romanorum regem et Bavariæ principem, et Lotharingiæ duces, pro Belgio apud reginam Mariam contulisse; imperatorem pietate Christiana excellere, mentemque optimam gerere : se præcipue Concilii promovendi causa missum, ac si jusserint legati, Tridenti moraturum : rediturum vero ex conventu Norimbergensi (si litteris redire a legato fuerit jussus); Concilium omnino necessarium, atque a Cæsare ardentibus votis exambitum : ab eo præsules Hispaniæ delegatum iri ad Concilium, si tuta fuerint itinera : Galliæ regem captum detinere indigne Valentinum archiepiscopum, cum maxima Sedis Apostolicæ et Christianæ religionis injuria : episcopis Gallis liberi commeatus syngrapham datum iri, modo non alia, quam quæ spectant ad Concilium pertractent : cardinalem Moronum optime conscium esse, quantis precibus comitia imperii ursissent Cæsarem, ut Ecclesiastica disciplina instauraretur, utque ille de ea restituenda tum Lucæ, tum Romæ cum Pontifice egisset : mirari, nullum Romæ, nullum in Italia effectum operis consecutum : si in Germania rem perficere non posset, non videri admodum alienum a ratione, ut non emendatis Romanæ curiæ corruptelis, se Concilio opponeret; hæc dici ex summi cultus in Sedem Apostolicam observantiæque officio. Questus etiam est de Galliæ rege, qui Turca concitato regem Romanorum Germaniamque in discrimen adduceret.

Responsum illi a legato est, instaurandæ disciplinæ Ecclesiasticæ navatam in Italia fuisse anno superiore, tum in Germania operam Pontificio nomine : principes vero Lutheranos Ecclesiasticis obstitisse, ne Ecclesiastica jurisdictio exerceretur, ac sacerdotes, ne emendarentur, subornasse, ut deficerent ad Lutheranos; atque ideo Pontificem restituendæ disciplinæ provinciam ad Concilium rejecisse, ut ex Pontificio Diplomate constat. Cui subjecit Granvellanus, eripiendam Concilio occasionem novandarum rerum, atque adeo maculas prius eluendas.

5. *Concilii congregandi studia strenue navata a Paulo qui Bononiam se confert ad invisendum imperatorem.* — Addunt Acta [1] Cæsareos oratores Tridento recessisse, cum ardente gravissimo bello dari operam Concilio celebrando non posse assererent. Non his deterriti sunt legati Pontificii a cœptis, sed ad cogendum Concilium animos viresque obfirmarunt, tum monuere Pontificem, decretum Norimbergæ conceptum fuisse ex formula decreti Ratisbonensis, Cæsaremque pollicitum ordinibus imperii, ni decem et octo mensium flexu Concilium Generale aut nationis Germanicæ Synodus celebretur, conventum imperialem coactum iri, in quo de religionis rebus decernatur; id vero tempus proxime effluxurum, cum tamen nondum Concilium inchoatum sit; Granvellanum in Germaniam proficisci, ut Germanos in concordiam redigat ad Turcarum Gallorumque molimina retundenda : vim facere Lutheranos, ut concionatoribus suis prædicandi Lutherismi diffundendæque hæreseos facultas concedatur, atque utraque species laicis, conjugia vero sacerdotibus permittantur : at Pontifex promovendi Concilii studio Cæsarem ex Hispania venientem convenire decrevit, ut illum ad pacem cum Gallo flecteret. Hæc pia celebrandi Concilii studia cum strenue navata a Pontifice accepisset Sigismundus Poloniæ rex, gratulatus Paulo est, illum non jam amplius verbis, sed operibus Lutheranorum fingentium Pontificem defugere Concilium et aversari, calumnias obterere, cui respondit Paulus, se pro conciliandis regibus, ad Cæsarem in Italiam accessurum proficisci decrevisse; rogavitque, ut Polonos præsules ad Concilium Tridentinum mitteret.

6. Impeditis militum copiis itineribus continebant se in suis Ecclesiis episcopi, ne militari licentia spoliarentur, ac Tridenti infrequentes erant cœtus, ad quos augendos, iterum Paulus Encyclicis litteris præsules ursit, ut ad Concilium se conferrent. Ne denique ullas pro congregando Concilio diligentiæ partes prætermitteret Pontifex, Cæsarem ac Ferdinandum regem vehementissime ursit, ut præsulibus darent imperia, ut præsentia sua Concilium cohonestarent, ac publicam Ecclesiæ salutem quibusvis privatis commodis ac periculis anteferrent : at Cæsar licet sentiret ægerrime episcopos Tridenti congregatum iri, tamen Pontificis postulatis assensit; nec dissensit Ferdinandus, quem rogavit Paulus, ut præsules, qui conventus Norimbergenses adierant, impelleret ut ad Tridentinum Concilium proficiscerentur.

7. Conceptæ sunt iisdem sententiis litteræ ad Ludovicum Palatinum Rheni electorem, quo etiam argumento tum ad Ferdinandum, et alios principes, et archiepiscopos, et episcopos, et nobiles viros in Norimbergensi conventu congregatos extant conceptæ litteræ, quas Otho Truchses Baro Walpurgensis detulit, quibus significavit, tres legatos cardinales Tridenti consistere ad celebrandum Concilium, ad quod ut se conferrent peramanter contendit, ob tardiores enim Germanorum præsulum moras, aliarum provinciarum remotiorum præsules hactenus retardatos fuisse.

Misisse Ferdinandum ad indictum Concilium Tridentinum oratorem Franciscum e Castello-Alto tradunt ejusdem Concilii Acta, necnon

[1] To. x. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 13.

Germaniæ episcopos procuratores suos ad illud decrevisse, sed non admissos, cum episcopi suo ipsi munere in re gravissima perfungi deberent.

8. Pellicere paterno studio conatus etiam est Pontifex Helvetiorum Zuinglianorum proceres, ut cum jam ante post adversa illa prælia, quibus a Catholicis, quos vi opprimere affectabant, fracti fuerant, consensissent dissidia omnia de religione permittenda Concilio OEcumenico, decretoriamque illius sententiam se excepturos spopondissent, redintegrandæ veteris concordiæ occasioni præclarissimæ non deessent, seque ad eos paterno sinu complectendos paratissimum amantissime exhibuit.

9. Interea Pontifex Bononiam appulit pro ineundo cum Cæsare colloquio, in qua urbe XI Maii designavit pro constituendis rebus Concilii reverendiss. DD. decanum de Monte Guidiccionum, atque Crescentium, et de Sancto-Sylvestro cardinales, quibus tres alios addidit, videlicet de Grimanis, de Sancta-Cruce, et de Cortesio. Et die XV in congregatione generali decrevit, ut reverendissimus Parisius legatus ad sacrum Concilium ex Tridento Bononiam se conferret pro rebus nonnullis cum eo communicandis, quæ ad Concilium spectabant.

Promovebat eo ardentius indicti Tridentini Concilii celebritatem Pontifex [1], quo Lutherani grassabantur dolis, et omni contentione conventiculum Germanicæ nationis cogere ambiebant, ut in eo ementita restituendæ pristino nitori Ecclesiæ specie religionem turpissime deformarent, et Catholicos ab Apostolicæ Sedis obsequio divellerent : vehementissime vero illi a Concilio Tridentino ex omnium gentium episcopis cogendo abhorrebant : Catholici vero præsules ob Cæsaris, Gallorumque regis bella Tridentum accedere detrectabant.

10. Imperator vero ex Hispania discessurus, ante omnia Philippum filium, ejus nominis secundum, agentem sextum decimum ætatis annum, Hispaniæ regem appellarat, et totius regni civitatum oratores illi sacramento obstrinxerat : præfeceratque illi ad regendos mores, molemque negotiorum tractandam Covos prudentia singulari conspicuum : militare vero copiarum imperium supremum Ferdinando Toleto, Albæ duci, contulerat, felicique navigatione usus Genuam affecto jam Maio applicuit. Ad quem humanioribus officiis prosequendum Genuam primum a Pontifice missus Alexander Farnesius cardinalis, ut refert Angelus Massarellus.

11. *Non Bononiæ, ad quam accedere abnuit imperator, sed in castro Buxeti tandem possunt iniri colloquia, quæ nihil proficiunt.* — Cum autem hoc eodem tempore Bononiæ Pontifex moraretur, certior redditus, imperatorem non esse Bononiam accessurum, ut cum eo congrederetur, consilium in Consistorio a cardinalibus petiit, an esset consentaneum, ut se ad imperatorem conferret, cum ille Bononiam venire abnuisset, et decreverunt hoc non decorum fore. Sed cum postea cardinalis Sadoletus, prius absens, Bononiam venisset, cujus sententiam magni Pontifex faciebat, denuo res in consultationem adducta fuit, quam tamen contractam hac lege temperarunt cardinales, nisi spes meliores certioresque sanciendæ pacis ostenderentur : tum enim ut Pontifex ad imperatorem accederet, sese assensuros. Contraria autem fuit sententia cardinalis Sadoleti; videlicet ut omnimode Pontifex se ad imperatorem conferret, quare ejus rationibus auditis, Pontifex et etiam cardinalium collegium in ejus sententiam descenderunt. Sed audiamus ipsum cardinalem loquentem in Epistola ad Paulum Sadoletum : « Postridie, qui fuit sexto idus Junii, senatus iterum vocatus est; causa convocandi fuit, quod cum superioribus diebus fuisset de consilii sententia decretum, si Cæsar Bononiam venire recusaret (properare enim dicebat, nec spatium habere longe ab itinere declinandi) ut ne ulterius procederet Pontifex, sed vel illum Bononiæ exciperet, vel si id non contingeret, inappellatum abire pateretur, cum tamen, si quid in congressu agendum esset, id mittendis nuntiis facile posset sarciri. Ratio autem ita decernendi fuerat, quod videbatur hoc dignitati et gravitati Sedis Apostolicæ maxime non convenire, simulque ætatem Pontificis pergravem tot itinerum laboribus objici non placebat; ergo, hæc eadem ipsa res iterum adducta est in disceptationem, placeretne ultra procedere, necne? Nam Cæsar quidem Parmæ se ostenderat cum Pontifice libenter conventurum : hic quinque ante me rogati in sententia pristina manserunt, cum exceptione tamen, nisi certa spes aliqua de pace esset oblata, quæ iter suaderet, tum enim ire oportere censuerunt. Ego rogatus contrariam sententiam dixi, de valetudine et incolumitate corporis ad Pontificis judicium rejeci. Dignitatem in eo dixi positam, si quæ utilia et commoda reipublicæ Christianæ essent, agerentur, hanc unam me agnoscere, neque aliam præter eam ullam in Ecclesiasticis hominibus dignitatem. (Hoc utinam consilium tam salubre Ecclesiæ bene perciperetur !) Inquirere certam spem in iis rerum eventibus, quod suæ potestati Deus reservasset, non esse nostrum, velle et conari bona quæ in nobis essent, ad nos id pertinere ; me tamen sperare, cum Cæsar et tempus anni, et Pontificis ætatem laboremque conspexisset, habiturum illam officii rationem, et ad pacis consilia, si non prompte (quod tamen ipsum a tanto Pontifice expectandum non esset) attamen inductum pudoris stimulis facilius de se perac-

[1] Ms. card. Spadæ sig. num. 133.

turum in hac quidem re suadenda, et plus effecturum esse præsentem Pontificem, quam si absens per nuntios hæc eadem ageret. Postremo, vel hac una ratione necessario dixi proficiscendum, ut rumores hominum comprimerentur; erat enim sermo late dissipatus, ortas esse Pontifici cum Cæsare simultates, quare si fuisset colloquium denegatum, non sine periculo alicujus suspicionis ulterius hominum mentibus opinio insedisset. Hac a me sententia dicta, ab omnibus deinceps in eamdem est descensum. Itaque Parmam venimus, herique Pontifex ingressus urbem est ».

12. Nonnulli malevolentia suffusi piam Pontificis mentem in sinistram interpretationem detorsere, quasi profectionem hanc suscepisset affecta ætate, non ad pacem inter reges conciliandam ac rem Christianam restituendam, sed ad privata familiæ commoda consectanda : sed hanc suspicionem adversam, inanesque calumnias ita refellit inter alios cardinalis Sadoletus :[1] « Illud mihi maxime molestum est, quod non potest persuaderi hominibus, ex hoc congressu aliud quippiam quæri, nisi privatum aliquorum commodum. Itaque mira jactantur in vulgus, quæ vobis quidem audita esse arbitror. Ego, quoquo animo fuerint alii, integrum me quidem ab omni labe servabo ».

13. Cum igitur Paulus consilium cardinalis Sadoleti secutus, ab aliis cardinalibus approbatum, ad imperatorem accedere statuisset, mox atque Parmam pervenit, duos legatos Petrum Paulum Parisium et Marcellum Cervinum cardinales ad imperatorem misit, qui de colloquio inter Pontificem Cæsaremque ineundo pertractarent. Itaque vigesima prima Junii Pontifex ingressus est Castrum Buxeti, ibique cum imperatore per tres horas collocutus est; necnon quatuor sequentibus diebus.

14. Incubuit summo studio in iis colloquiis Pontifex, ut Cæsari Hungariæ et Ferdinandi fratris pericula in oculis collocaret, misereretur gentis de re Christiana deque Germania optime meritæ, quæ duobus sæculis Turcarum alluviones suis cervicibus sustinuisset, subacta Hungaria arsuram brevi barbarico incendio Austriam, nisi æquissimis de pace propositis conditionibus assentiretur, Concilium etiam Œcumenicum Gallico bello disturbatum iri, Lutheranorumque potentiam civili Catholicorum regum bello ita auctum iri, ut Cæsarem brevi contemptura esset. At Cæsar cum Anglico rege tunc fœdere junctus flecti ad concordiam non potuit, itaque pacem abnuente Cæsare Pontifex postulavit, ut postquam ipse hortando nihil profecisset, cardinales de concordia et Christianæ reipublicæ commodo verba facturos audire minime gravaretur. Cumque id Cæsar honori senatus tribuisset, paulo post vocatis cardinalibus Marinus Grimanus ejus ordinis princeps hæc inter alia fatus est[1] :

« Patere, generose pieque Cæsar, ut si quid prædurum in intimis sensibus obcalluit, id totum Christiana pietate molliatur, honestissimis siquidem, nominique maxime decoris conditionibus, quas prudentum et reipublicæ amantissimorum hominum judicio descriptas dudum perlegisti, rex Gallorum petit affinitatem, opes, copias offert, occupata restituet, ut Mediolano tua liberalitate beneficiariique juris nomine recuperato, communem hostem barbarum conjunctis armis persequatur : ut nihil porro, vel occultæ fraudis, vel parum sinceræ fidei pertimeas (qui nihil unquam invicti animi fretus altitudine timere didicisti) cuncti fere principes inita societate fœderum sponsores vadesque aderunt, ut justis armis sanctas pacis leges, juraque omnia tueantur : hanc a te pacis conditionem ante alios orat Carolus Allobrogum regulus innocentia tantum sua depulsus regno, et quod longe miserrimum videtur, per septem annos ancipiti duorum propinquorum injuria fatigatus. Hanc item Veneti tanquam ex fœdere debitam reposcunt; eamdem regna perpetuis tributis enervata, tuorumque præsertim ac hostium rapinis crudelissime divexata suppliciter efflagitant : valeant aliquid, obsecro, Cæsar, fraterna pericula, Hungarorum supplicantium lachrymæ, senatus preces, valeat ipsa sacrosancti Pontificis auctoritas, piis atque optimis nunquam spreta regibus, ut Christianus orbis luctu, miseriis et Barbarorum metu liberatus post impetratam tuo incomparabili munere pacem atque concordiam fœcundissime reflorescat ».

15. Attamen Cæsar flecti nequaquam potuit : ideoque tantam Christianorum calamitatem Jacobus Sadoletus ob Caroli ac Galliarum regis dissidia exortam ita deploravit[2] :

16. « Cum nostri principes, qui maxime tueri et regere Christianam rempublicam deberent, nihil videantur sibi habere propositum, nisi exitium et eversionem earum ipsarum nationum, quarum præcipue salus a præpotente Deo illorum est fidei commendata et credita. Cumque ea illi sola consilia exquirant, quæ sibi ipsis (omissa consideratione reipublicæ) arbitrantur utilia, in quo falluntur quidem, sed doctorem monitoremque non recipiunt, seque ita gerunt, ut quasi mercede a Barbaris hostibus Christiani nominis conducti, operam illis ipsis in profliganda re Christiana strenue studeant navare ».

17. *Concilium differt Paulus ob bella inter Cæsarem et regem Galliæ.* — Dejectus conciliandæ pacis consilio Pontifex, ac miratus rationem et studium æquitatis, et veræ gloriæ decus,

[1] Ms. arch. Vat. p. 86.

[1] Paulus Jovius l. XLIII. — [2] Jacobus Sadoletus l. XVI.

Christianæque rei salutem Cæsaris animum ad bella propensum minime inflectere, deploransque Concilium Œcumenicum celebrari non posse, Cæsare in Belgium per Germaniam contra Gallos properante, ne præsules in pericula graviora, obsessis milite itineribus, conjiceret, et operam et auctoritatem frustra perderet, indictum Concilium Tridentinum suspendit, ut refert Massarellus [1]. Conceptæ sunt eæ litteræ subjectis verbis :

« Paulus, etc. Ad futuram rei memoriam.

« Quam enixe nos semper Œcumenici et generalis Concilii celebrationem concupiverimus, et quo propterea studio et animi sollicitudine huic rei, ac inter Christianos principes paci et concordiæ incubuerimus, tot labores per nos, præsertim cum ea de causa Niciam nos contulimus, suscepti, tot nuntii et legati ad eosdem principes propterea a nobis missi, tot super ea re a nobis ad illos datæ litteræ, toties per nos denique indictum Concilium hujusmodi, totque prælatis, et aliis, qui ad illud venire tenentur, ut omnino accederent transmissa mandata et hortationes reddunt testimonium veritatis. Concilium enim ipsum Mantuæ primum, deinde Vicentiæ, ad quam propterea tres a latere nostro ex venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium numero legatos misimus, et novissime Tridenti per nostras litteras sub data Romæ apud Sanctum-Petrum XI kal. Junii anno Incarnationis Dominicæ MDXLII, in quibus ne idem referamus, cur in Mantuana et Vicentina civitatibus præfatis Concilium hujusmodi celebrari nulla ratione valuerit, explicavimus, ad kal. Novembris, quæ proxime præterierunt, incipiendum et prosequendum, et Domino adjuvante ad ipsius laudem et gloriam, et Christiani totius populi salutem, absolvendum indiximus, annuntiavimus et convocavimus ex omnibus locis, tam venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, quam dilectos filios abbates, et alios quoscumque, quibus jure aut privilegio in Conciliis Generalibus residendi, et sententias in eo dicendi permissa potestas est, requirentes, hortantes et admonentes, ac eis in vim juramenti nobis et Sedi Apostolicæ præstiti, et virtute sanctæ obedientiæ, ac sub certis tunc expressis pœnis mandantes, ut ipsimet, nisi forte justo detinerentur impedimento, aut per suos procuratores et nuntios huic sacro Concilio omnino adesse et interesse deberent : necnon charissimos filios nostros Carolum imperatorem semper Augustum, et Franciscum regem Christianissimum, cæterosque reges, duces et principes Christianos, ne Dei causam et negotium desererent, sed ipsimet ad sacri hujusmodi Concilii celebrationem venirent, et si venire non possent, saltem viros graves, legatos cum auctoritate, qui personam principis sui et prudentia, et dignitate in Concilio possent referre, mitterent ; curarentque, ut ex suis cujusque regnis et provinciis, episcopi et prælati, sine tergiversatione et mora ad Concilium proficiscerentur, rogavimus et obsecravimus, sperantes Œcumenici Concilii celebrationem hujusmodi, ad quam pro agri Dominici purgatione sæpe antea devenire (ut præfertur) frustra conati eramus, et saltem tempore, Dei benignitate et clementia, omnino successuram esse : litterisque nostris prædictis publicatis, cum postquam nuntios nostros speciales pro pace inter dictos principes tractanda destinaveramus, odia et simultates inter eosdem principes augeri.

« Et jam cum ab unoquoque eorum per alterum ab induciis nostro interventu Niciæ inter eos factis discessum esse prætenderetur, arma tractari et bellum novari cerneremus, duos summæ auctoritatis viros, inter cætera animi ornamenta, pacis studiosissimos, S. R. E. cardinales a latere legatos ad eosdem Carolum imperatorem et Franciscum regem misimus, qui ipsis nostro nomine, in quanta pericula ex eorum discordiis universa respublica Christiana Domini nostri brevi esset ventura, exponerent, eosque per viscera Jesu Christi ad pacem inter se mutuo complectendam, et rempublicam Christianam a tot tantisque imminentibus periculis liberandam, quam maxime possent, hortarentur : ac appetente jam die, pro qua, ut præfertur, Concilium indixeramus, cum in eodem proposito et desiderio illud omnino celebrandi persisteremus, dilectos filios nostros Petrum Paulum Sanctæ-Balbinæ Parisium, et Joannem Sancti-Vitalis Moronum titulorum presbyteros, et Reginaldum Sanctæ-Mariæ in Cosmedin, tunc SS. Nerei et Achillei diaconum Polum nuncupatos S. R. E. cardinales, nostros et dictæ Sedis legatos de latere, summæ virtutis, doctrinæ et auctoritatis viros, ad ipsam civitatem Tridentinam, ut episcopos, prælatos et alios ad Concilium venientes exciperent, atque ea, quæ ad Concilii celebrationem hujusmodi necessaria essent, seu opportuna facerent, destinavimus : necnon quamplures ex eisdem prælatis singulis ad illos nostris datis litteris admonuimus, ut frequentes Concilio hujusmodi interesse vellent.

« Demum cum spe pacis per prædictos legatos nostros inter eos componendæ ex iis, quæ ab eisdem legatis acceperamus, penitus destitueremur, ne quod reliquum erat in facultate nostra omitteremus, præfatos Carolum imperatorem et Franciscum regem diversis nostris ad eos datis litteris admonuimus et hortati sumus, ut pro concilianda inter eos aliqua concordia nobiscum in aliquo commodo loco, ad quem, ætati

[1] Angelus Massarell. in Actis Ms. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. 3188. p. 80. Ext. etiam in Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 19. incip. Etsi cunctis, et in Ms. sig. 3232. p. 29.

nostræ non parcentes, nos profecturos esse pollicebamur, convenirent ; utque desiderium nostrum pacis colloquii et Concilii celebrationis hujusmodi re ipsa comprobaremus, e nostra propria Sede profecti Bononiam venimus, ut motis, quod sperabamus, per appropinquationem nostram ipsorum principum animis, concordia, statui, celebrationique ipsius Concilii securius et ferventius instari, et fluctuanti reipublicæ Christianæ aliquod salutare remedium afferri posset; iterumque post adventum nostrum hujusmodi prælatos præfatos per diversas alias nostras litteras admonuimus, ut exemplo quamplurium prælatorum, qui ex Urbe nostra ad locum Concilii de mandato nostro se contulerant, ad illud accedere amplius non tardarent.

« Cum autem dicti Carolus imperator et Franciscus rex, suorum regnorum et dominiorum tuitioni intenti, cui se propter urgentia inter ipsos bella vacare oportere asserebant, nobiscum convenire recusaverint; ac licet postmodum Petrus Paulus, et Joannes, ac Reginaldus cardinales, et legati prædicti, pro prædicto Concilio ad dictam civitatem accesserint, ac inibi sex menses et ultra, non sine aliqua dictæ Sedis indignitate, expectando permanserint : nihilominus præter eos, qui ex alma Urbe, ut præfertur, venerant, admodum pauci prælati inibi convenerint : quinimo sicut provinciarum diversitas affert, diversimode se excusaverint, et alii bellorum motus, alii itinera non tuta ac viarum pericula, alii alia impedimenta obtulerunt; nos propterea prædictos Petrum Paulum, et Reginaldum cardinales et legatos, ut ab eis, quo in statu res essent, et quid super celebratione Concilii sperari posset intelligeremus, accersivimus. Cumque eumdem Carolum imperatorem Germaniam petere, et per Italiam iter facturum esse intelligeremus, nos apud eumdem Carolum imperatorem, cum quo in oppido Busseti convenimus, tam per nos ipsos, quam per venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, qui tum nobiscum aderant, pro pace hujusmodi omni cura et diligentia (quod etiam cum præfato Francisco rege non minori studio antea pluribus litteris egeramus) institimus ; cum vero nihil hactenus proficere potuerimus, et a Petro Paulo et Reginaldo cardinalibus et legatis prædictis, ac ex præfati Joannis cardinalis et legati, necnon cæterorum prælatorum in dicta civitate Tridentina existentium litteris, quorum fere singulorum super ea re sententiam exquisivimus, cognovimus (et nos ipsi clare perspicimus) vigentibus tot in locis inter eosdem principes bellis, ac immanissimo Turcarum tyranno, cum validissimo exercitu Hungariæ regnum invadente, ejusque copiosa et munitissima classe jam Mare Inferum ingressa, cujus conatibus, quantum vires nostræ, licet impares, suppetent, resistere, ut tenemur, intendimus, non posse ad præsens, Domino forsan ob peccata nostra sic permittente, nostram super hujusmodi Concilio intentionem impleri; quinimo eamdem actionem Concilii in aliud opportunius et commodius tempus, quo dignitas et frequentia Concilio, et reipublicæ Christianæ præsentior salus afferri possit, differendam esse, sperantes ex Dei bonitate et misericordia post tenebras lucem, et aliquando tandem, quod brevi futurum speramus et optamus, Concilium ipsum celebrari posse : volentes interim generalem Christianorum defensionem a periculis propter infidelium mare et terras infestantium impetus imminentibus, quantum in nobis erit, procurare, et almæ Urbi sedi nostræ ac orbis capiti omniumque perfugio, quæ nobis ab ea diutius absentibus ob ipsorum infidelium incursiones non leve periculum subire posset, nostra præsentia, quod necesse est, cæterisque præsidiis succurrere, ac conscientiis et commoditatibus prælatorum, qui ad ipsum Concilium venire tenentur, ne propter ipsius Concilii celebrationis inchoationem, molestia aut incommodo afficiantur, paterna charitate consulere : habita super iis cum eisdem fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu celebrationem Concilii hujusmodi, usque ad aliud opportunius et commodius tempus per nos declarandum, Apostolica auctoritate tenore præsentium suspendimus, et suspensam esse nuntiamus, ac pœnas contra patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates et alios in posterioribus litteris indictionis Concilii hujusmodi comprehensas et inflictas, usque ad tempus prædictum, quo Concilium ipsum omnino prosequi intendimus, relaxamus, necnon eosdem Petrum Paulum et Reginaldum cardinales, et legatum præfatum ab eodem Concilio ad nos et Sedem prædictam revocamus, et prælatis in eadem civitate occasione Concilii hujusmodi existentibus, inde usque ad tempus per nos declarandum prædictum, quo eosdem patriarchas, archiepiscopos, episcopos et abbates, ac alios in litteris posterioris indictionis Concilii hujusmodi comprehensos sub perjurii, ac aliis in eisdem litteris contentis pœnis, Concilio prædicto, juxta formam ipsarum litterarum, adesse et interesse voluimus, recedendi licentiam concedimus, decernentes ex nunc irritum et inane, si secus super his a quocumque quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, etc. Nulli ergo, etc. Datum Bononiæ anno Incarnationis Dominicæ MDXLIII. Pridie nonas Julii, Pontificatus nostri anno IX ».

18. *Expositæ principibus causæ dissoluti Concilii.* — Extant de extracto in aliud commodius tempus Concilio, Pontificis ad Moguntinum, Treverensem, Salisburgensem, Bremensem, Gnesnensem, Bisuntinum archiepiscopos

Encyclicæ litteræ [1], quibus etiam dedit imperia, ut clerum sacris precibus pro divina placanda ira, extinguendisque civilibus Christianorum bellis incumbere juberent :

« Tibi memoranda ad hoc duximus, ut et tuis posses suffraganeis significare, te et illos hortantes, ut vestri cleri jejuniis et orationibus divinam iram placare studeatis, quo, sublatis præsentibus impedimentis, tranquillitateque temporum restituta, celebrationem ipsius Concilii Universalis tam salutarem ac necessariam, quantocius resumere et prosequi, Deo favente, possimus. Dat. Bononiæ die x Julii MDXLIII, anno IX ».

Dissolvendi porro Concilii indicti præcipua et arcana causa hæc fuit, quod præsules Germaniæ apud Pontificem de non adeundo Concilio se excusarint, Lutheranorum infidorum metu, ne, dum illi Concilio gladio spiritus certaturi interessent, Lutherani ferreo gladio eorum urbes invaderent, ad quos coercendos pax esset necessaria, ut reges impiorum insidias et contumaciam armis frangere et retundere possent, quæ Pontifex Sigismundo Poloniæ regi, necnon consumptos in jungendo cum Cæsare colloquio, illustri quidem et pia conscientia, sed votorum impote irritos labores significavit [2] :

19. « Regi Poloniæ.

« Charissime, etc. Sperantes fore ut, Dei misericordia nostras actiones coadjuvante, aliquid in proximo colloquio, quod cum serenissimo Cæsare habuimus, ad concordiam inter eum et regem Christianissimum proficere, tuamque serenitatem tanquam optimum principem et erga publicam utilitatem semper optime animatum eo nuntio lætificare possemus ; sed factum est nostris et populi Christiani peccatis, ut omnem laborem et viæ et operæ nostræ frustra insumpserimus, nec quidquam vel ad frequentationem Universalis Concilii Tridentini indicti, quod nostræ personæ appropinquatione frequentius nos reddituros credebamus, proficere potuerimus ; nam quamvis legati nostri tot jam mensibus cum nonnullis prælatis hinc a nobis profectis Tridenti expectaverint, ut cæteri prælati præcipueque ex vicina Germania et locis ei propinquis convenirent, tamen paucissimi, ac fere nulli convenerunt, sed alii propter bella inter Christianos principes vigentia, alii pro diversitate provinciarum aliis de causis, nonnulli ob vicinitatem Lutheranorum suas Ecclesias tuto deserere, ac personaliter ad Concilium venire non posse se nobis excusarunt. Quamobrem nos considerantes, id quod omnibus manifestum est, in tanta perturbatione rerum, tantoque concursu bellorum tum terrestrium, tum maritimorum, quibus universa Christianitas, sicut tua majestas audire potuit, hoc miserabili tempore concutitur, cum suas omnes curas ad sua quisque vel a fidelibus vel ab infidelibus defendenda convertere cogatur, impossibile esse ipsum Universale Concilium nunc celebrari, propterea meliora tempora expectare coacti sumus. Interea prælatorum ad Concilium non venientium conscientias ulterius illaqueatas non tenere, nostramque Urbem, Sedem, et statum temporalem sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui sane adventu classis Turcarum per mare Tyrrhenum, haud procul nostro statu nunc vagantis, sunt maxime perterriti, nostro reditu ac præsentia firmare et tueri (quanquam inviti) decrevimus, itaque re mature perpensa, ac diu deliberata, tandem de consilio venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium, celebrationem ipsius Concilii Universalis eousque suspendimus, donec per Dei clementiam meliora, et ad id aptiora se offerrent tempora, quæ ab eodem Deo nobis quamprimum concedi, et optamus et humiliter petimus. Hæc autemomnia, licet ex aliis nostris generalibus litteris propediem sub plumbo expediendis plenius apparitura essent, tuæ tamen serenitati particulariter significanda duximus, ut et ipsam rem nosset celerius, et facti nostri ratio ei constaret, quam illi ut amantissimo filio nostro, et pientissimo regi speramus et cupimus probatam esse. Dat. Anconæ XXI Julii MDXLIII, anno IX ».

20. In eamdem etiam sententiam scripsit Pontifex ducibus Bavariæ [1], religionis Catholicæ præclarissimis defensoribus, nec colloquio Buxetano concordiam, aut frequentiores Concilii Tridentini cœtus promovere potuisse significavit, atque adeo in meliora tempora actiones Concilii extractas fuisse, seque ob terrorem Romæ injectum a Turcica classe hærente in finitimis ejus littoribus, ad urbem sua præsentia confirmandam proficisci :

« Dilectis filiis nobilibus viris Willelmo et Ludovico Bavariæ ducibus, etc.

« Cum nos, quas ob causas, nostra Sede relicta, Bononiam veneramus, nihil proficere potuissemus, nec circa concordiam Christianorum principum, nec circa frequentationem ipsius Concilii Tridenti indicti, cum et paucissimi prælatorum, etiam quos principes eorum conventuros nobis promiserant, convenissent, eorumque alii ob bella inter Christianos principes vigentia, alii pro diversitate provinciarum alias ob causas, nonnulli ob propinquitatem Lutheranorum suis Ecclesiis timentes, ad ipsum Concilium personaliter venire non posse se nobis excusassent, nos animadvertentes (id quod omnibus manifestum est) in tanta perturbatione rerum, tantoque concursu bellorum, tum terrestrium, tum maritimorum, quibus universa

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 300. — [2] Ib. p. 301.

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 380.

Christianitas hoc miserabili tempore concutitur, omnesque suas curas ad defensionem propriam convertere cogitur, impossibile esse ipsum Universale Concilium nunc celebrari ». Et infra : « Coacti etiam necessario sumus almam Urbem nostram statumque sanctæ Romanæ Ecclesiæ ex Turcarum classe, quæ nunc etiam in propinquioribus Urbi et statui nostro locis hæret, perterritam, nostra præsentia confirmare et tueri. Ob hæc omnia, quæ nemini esse possunt dubia, re diu ac mature pensitata et deliberata, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, celebrationem ipsius Concilii Universalis eo usque suspendimus, donec per Dei clementiam meliora et ad id aptiora se offerent tempora, etc. Dat. Anconæ XXI Julii MDXLIII, anno IX ».

Consentiunt dictis, quæ memorat Joannes Cochlæus [1] de indicto Concilio Tridentino ob bella civilia dimisso :

« Fuit eodem anno (inquit) indictum a summo Pontifice Generale Concilium ad civitatem Tridentinam, quo tres misit cardinales legatos; quoniam vero propter bella, quæ inter potentissimos erant monarchas, perpauci episcopi comparuerunt, revocatis Romam legatis, suspensum est ad tempus Concilium illud.

« Cochlæus Tridentum ad Concilium Wratislavia proficiscens, dum Campidunum usque pervenisset, comperit ibi solutum esse conventum indictæ Synodi, et vidit ibidem die XV Julii Cæsarem ex Italia cum exercitu tendentem in Germaniam inferiorem adversus ducem Clevensem, qui ab eo ad regem Franciæ defecerat, atque ducatum Gueldriæ occupaverat, ac multa Brabantinis damna (Cæsare absente) intulerat; Cæsar intra paucos menses victum ac subjugatum pro innata clementia sua rursus in gratiam recepit ».

21. *Hermannus archiepiscopus Coloniensis in hæresim Lutheranam lapsus.* — Additque Cochlæus [2], gravissimum offendiculum piis hoc tempore injectum ab Hermanno archiepiscopo Coloniensi (1), qui ad Lutheranam impietatem sceleratissime descivit : « Bucerus impia fraude Coloniensi insinuatus archiepiscopo Hermanno (qui natalibus Comes erat a Weda) gravissimam suscitavit inter illum et clerum ejus discordiam in religione. Induxit enim illum in Lutheri hæresim, reclamante frustra non solum reverendo et illustri capitulo majoris Ecclesiæ Coloniensis, sed etiam universo clero totius civitatis, totaque Universitate Coloniensi ». Præfuerat Hermannus multis annis archiepiscopatui Coloniensi multa cum laude, atque etiam Synodum ad exscindendas Lutheranæ impietatis propagines celebrarat, ab aulicis vero corruptus, ac deliciis sensim enervatus, cum sacrarum litterarum et Theologiæ scientiæ imperitus esset, specie componendorum religionis dissidiorum, a Bucero (apostata tribus incestis nuptiis infami) fascinatus, et in rabidum lupum ex pastore versus, omni contentione oves a Christo illius curæ commissas dilaniandas Lutheranis objecit, excitis in provinciam Bucero et Melancthone hæresiarchis, et aliis flagitiosa et impia eloquentia clarissimis concionatoribus, ad quod scelus, præter libidinum lenocinia, abripi se sinit cœca mentis perturbatione et ulciscendi cupidine : nam cum præter Coloniensem archiepiscopatum, etiam alios episcopatus Mindensem, Osnabrugensem et Monasteriensem, opibus florentissimos conjunxisset, necdum his satiata ejus avaritia, alia opima sacerdotia exambiret, quæ ipsi, violato aliorum jure, permitti non poterant a Pontifice, violato sacramento Pontifici præstito, impie rebellavit, conditaque intus venena effudit, in litteris enim paræneticis ad eum datis hæc verba descripta fuere, licet lenitatis studio postea inducta linea obliterata sint : « Superbia et iracundia adversum nos inflatus, non ob aliam causam, quam quia justitiam, qua totus orbis regitur, contra te super certis beneficiis Ecclesiasticis administrari passi fuimus, propterea odium tuum ad Dei offensam religionisque detrimentum convertisti, eodem enim tempore, quo de justitia contra te decreta rescivisti, Lutheranos ad te vocasti, ut sic te contra nos ulciscereris ».

22. *Colonienses et Monasterienses ad fidem servandam hortatur Paulus.* — Porro mox atque de impia hac Coloniensis archiepiscopi defectione certior factus est Pontifex, senatum Coloniensem et clerum illius urbis ad constantiam

[1] Joan. Cochl. in actis et scriptis Lutheri. — [2] Cochl. in actis et scriptis Lutheri.

(1) Quanquam Hermanni Coloniensis archiepiscopi lapsus anno huic ab omnibus quotquot legi chronistis assignatur, altius tamen vacillationem ejus in fide repetendam esse suspicor. Quin nec forte anno MDXXXVI, cum Synodum Coloniæ habuit, in novatores animum prorsus alienum gerebat. Sunt quidem in Actis Concilii hujus Catholica omnia; sed quod omissum sit dogma de Purgatorii pœnis a cardinali Sadoleto lib. XIV, Epist. IX suspicionis arguitur. Id quidem casu omitti potuisse fateor; sed potuit etiam de industria fieri; cum forte jam tunc Hermannus vacillare in iis dogmatibus potuerit, quæ non adeo perspicue in S. Scriptura expressa sunt, quo nomine purgatorias pœnas heterodoxi rejiciunt. Utcumque tamen ea res habeat sese, profecto constat Hermannum ante præsentem annum a fide palam recessisse, cum anno præcedenti MDXLII, Martinum Bucerum accitum Bonnam sacrum Evangelii præconem in ea urbe constituerit; quæ sane non obscura erat Lutheranismi professio. Quare errasse mihi exploratum est continuatorem historiæ Ecclesiasticæ de Fleury, qui nonnisi post aliquod tempus ab absoluta Nurembergensi dieta Hermannum fidei Catholicæ nuntium remisisse affirmat. Confessus enim ille exeunte Januario ad Aprilim usque constitit; Hermannum vero ante exitum Januarii Lutheranismum professum fuisse oportet, cum Pontifex die I Februarii hujus anni litteras ea de re ad senatum et clerum Coloniensem dederit, de quibus annalista hic num. 22. Si enim incipiente Februario Hermanni lapsus jam Romæ innotuerat, exploratum est utique aliquandiu ante exitum Januarii adeoque non absoluta Nurembergensi dieta Hermannum ad Lutheranos defecisse. MANSI.

in fide orthodoxa defendenda hortatus est ineunte Februario :

« Senatui Coloniensi.

« Cum ex hac plena sollicitudinum et curarum specula, in qua nos Deus omnipotens hoc tempore collocavit, hunc infelicem statum inclytæ nationis Germanicæ intuemur, quæ olim non solum belli gloria, principum nobilitate, imperiique dignitate cæteras nationes anteibat, sed quod plus erat his omnibus, in vera et Catholica religione, et Sedis Apostolicæ reverentia, nulli provinciæ aut regno cedebat, nunc pluribus in sancta fide dissensionibus in partes confracta et miserabiliter discissa est; magnum sane dolorem capimus, et ejus damnis, tanquam nobilissimæ Christianorum partis, permovemur, nec sane in hoc tam nostras et dictæ Sedis injurias attendimus, a cujus reverentia, sicut a fidei obedientia multi beneficiorum ejus obliti recesserunt (mater enim omnium et magistra fuit) quam contaminatum fidei Catholicæ sensum, ablatum Dei sanctis honorem, cultum ipsius Dei imminutum, persecutionem cleri et religiosorum, moniales antea Deo dicatas, mox monachis nuptas, spoliatas Ecclesias, et per hæc irreparabilem tot animarum jacturam dolore, quo debemus, comploramus. In his autem nostri animi vulneribus non levem ex eo consolationem recipimus, gratiasque Deo omnipotenti agimus, quod ejus clementia ipsius Germanici corporis non minimam partem adhuc incolumem præstitit, multos nobilissimos principes, multasque insignes civitates integras ab hac labe conservando, quorum in numero vestram imprimis esse eo magis gaudemus, quo semper illa Apostolicam Sedem speciali ab ea affectu dilecta specialius coluit et venerata est. Quamobrem, etsi omnium Ecclesiarum generalem curam, vestræ tamen peculiaris gerimus, vestramque constantiam præteritam dignis in Domino laudibus commendamus, vos, filii, hortamur, ut sollicite caventes, secundum Apostolum, ne quis vos seducat, provideque attendentes, non esse in Catholica religione sine Ecclesiæ auctoritate quidquam recipiendum, præsertim quod universali Ecclesiæ et tot sæculorum observantiæ adversetur, in ea, quam a Patribus accepistis, et illi per tot sæcula observatam ab Ecclesia vobis per manus tradiderunt, fide ac religione, solita constantia perseveretis, certi quod Deus et Dominus noster Jesus Christus sicut promisit, cum Ecclesia et fide Petri, pro qua ipse oravit, usque in finem sæculi permanebit, nec istæ hæreses, quas, exigentibus peccatis, idem Dominus pullulare permisit, alium finem sortientur, quam cæteræ, quas etiam amplioribus nisas viribus videtis eodem auctore Domino extinctas. Datum Romæ I Februarii MDXLIII, anno IX ». Extant aliæ eodem argumento ad clerum datæ litteræ :

« Capitulo et clero Coloniensi.

« Dilecti filii, salutem. Etsi mirabiles sunt hoc tempore elationes maris [1], cum mundanarum tempestatum fluctus adversus Ecclesiam isthic gravissime intumescant, tamen sperare, filii, debetis, quod idem Dominus, qui nunc (exigentibus peccatis) Ecclesiam suam agitari procellis et fluctibus concuti permittit, tandem suæ misericordiæ recordatus, surgens ventis imperabit ac mari, nec ad postremum, aut suos deseret, aut permittet impios de sua iniquitate gloriari, qui licet de suis superbiant excessibus, recordari tamen deberent de exitu ac fine cæterarum hæresum, et quod nihil est infelicius peccantium felicitate ; nos quidem, sicut novit Dominus, et vos etiam audire potuistis, nulla in parte officii nostri defuimus hactenus, aut in præsentiarum desumus, tum in suadenda Christianis principibus concordia, e qua omnium status dependet, tum in promovendo, quantum nos facere possumus, universali Concilio, quod Tridenti in ipsis Germaniæ portis ob id maxime indiximus, ut per illud una cum multis aliis Christianitati salubribus vestra præcipue pax et tranquillitas constitui posset, cui sane rei quamvis validus adhuc obstet discordiæ ventus, nos tamen quantum undique efficere poterimus, tanquam pater pro filiis et caput pro membris, nostramque rem agentes, omni nostro studio vere ac sincere (quidquid alii dicant) intendemus. Interea, filii dilectissimi, donec tempus miserationis Domini adveniat, quod brevi fore speramus, ad eum in tribulatione clametis, et sicut Dei ministros in sortem ejus vocatos decet, constanter in ipsius sancto servitio atque in vero fidei Catholicæ sensu perseveretis, etc. Datum Romæ I Febr. MDXLIII, anno IX ».

23. Monasteriensem pariter, Osnabrugensem et Mindensem clerum, datis vigesima secunda Martii litteris, ad induendos in adversis fortes animos spemque in Deo, qui concitatam impiam procellam esset sedaturus, collocandam excitavit : monuitque nil infelicius esse temporaria peccantium felicitate; tum exeunte Martio senatum Monasteriensem meritis laudibus extulit; qui cum sollicitaretur ab eorum nequissimo proditore pseudoepiscopo ad Lutheranam impietatem amplectendam, missis ad eum theologis, monuere, impie sentire cum Lutheranis desineret, ac si in flagitio perstaret, interminati sunt de præficiendo sibi meliore episcopo operam non intermissuros [2] :

« Capitulo et senatui Monasteriensi.

« Benedictus Deus, et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 55.

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 48. — [2] Ib p. 197.

totius consolationis, qui nos in tribulatione nostra consolari nuper dignatus est, et vobis talem animum et in fide Catholica constantiam concessit; perfusi enim sumus gaudio audientes, quod cum vester episcopus pravis, ut dicitur, eorum, quos circa se habet, consiliis petitus quam sua voluntate ductus, vobis proponi fecisset de Lutheranismo recipiendo, seu quadam nova ordinatione assumenda, vos, filii, capitulum, oblito suum munus episcopo, vestrum recordati, præpositum et scholasticum ad ipsum episcopum misistis, cum eo nomine vestro ac totius patriæ expostulantes viriliterque requirentes, ut suum pastorale officium recte ageret, alioquin cogeremini de opportuno remedio, melioreque antistite cogitare, qua vestra fortitudine animadversa, impii illorum conatus, tanquam ad solidam et firmam petram allisi rejecti fuerunt. Agimus igitur Deo omnipotenti pro vobis gratias, ei enim honorem reddidistis et fidem servastis, proficientes vobis ad meritum, et aliis ad exemplum, utinamque hanc et vestram (filii, senatus), pietatem cum eodem capitulo conspirantem sicut laudibus prosequimur, ita pro meritis aliquando remunerari possimus, nunquam certe ex animo et memoria nostra deponemus, quandoquidem non dubitamus, ex hoc vestro facto confusos fuisse improbos, confirmatos dubios, bonos meliores effectos, atque hæc quidem vestra laus tanto major est, quanto rarior, caput enim alias regere sua membra consuevit, vos membra caput vestrum rexistis, nutansque tenuistis, ne rueret, capiteque conservato totum Ecclesiæ corpus in ista civitate et ditione conservastis, unde nunquam vestra constantia apud homines delebitur, nec apud Deum suo præmio fraudabitur. Quo igitur felicius agerent civitates Germaniæ infelices ab Ecclesiæ corpore nunc avulsæ, si vestram pietatem imitarentur! Quid enim boni hæc novatio religionis eis attulit, nisi effusionem civilis sanguinis, Turcarum roborationem, Germanorum debilitatem? Nunc autem miseræ quid agunt? Quid cunctantur? Cur ad Concilium, quod tantopere instabant, non accedunt? Ecce illud Tridenti indictum, ac propinquum habent, episcopisque et omnibus expositum patet, cur suas rationes eo non deferunt, si illis confidunt? Sin diffidunt, cur in illis obstinate cum tanta suæ patriæ jactura perseverant? Sed ad vos, filii, revertimur, quos merito ut peculiares nostros et Ecclesiæ filios complectimur, vos hortantes per eum, qui in vobis habitat, Dominum Jesum, ut in fidei Catholicæ vestrique officii constantia perseveretis, et ad modicum sustineatis, et sperantes quod ipse, qui pro fide Petri oravit, et vobis cum suis fidelibus usque ad consummationem sæculi se futurum promisit, non dabit in æternum fluctuationem justis, sed permissa Sathanæ ad tempus evagandi potestate, probatis per tentationem fidelibus, pacem brevi reddet, adversariis vero vestris eumdem exitum, quem antiquarum hæresum fuisse legitis, tribuet, sicut disparia vestra et eorum merita postulant. Datum Bononiæ XXX Martii MDXLIII, anno IX ».

24. *Coloniensium constantia.* — Licet sacerdotum ordo [1] ac senatus impiis Hermanni pseudoarchiepiscopi molitionibus constanter adversaretur, plures tamen instabiles animæ, illius ac Lutheranorum laqueis irretitæ, a fide Catholica turpiter desciverunt, ruptisque claustris, protervi monachi et lascivæ moniales ad incestas nuptias (ementita conjugii specie) provolarunt, tum Lutherani rabulæ blasphemas voces et convitia contra religionem orthodoxam libere in pluribus urbibus effuderunt, qua tristi fama accepta, Pontifex iterum ineunte Junio Colonienses canonicos de fractis sceleratis Hermanni apostatæ conatibus, et pluribus finitimis populis in sacrosancta vere religione confirmatis commendavit [2] :

« Dilectis filiis canonicis majoris Ecclesiæ Coloniensis.

« Dilecti filii, salutem. In tanta animi nostri sollicitudine ac dolore, quam pro nostro officio ex væsania archiepiscopi vestri capimus, valde nos consolatur fortitudo ac pietas vestra, qua illi talia molienti vos non modo non consensisse, verum etiam viriliter restitisse audivimus, quod sane non solum vobis, sed etiam convicinis populis et Ecclesiis certam salutem attulit, nisi enim illius furori, tanto impetu se ferenti, vestra divina virtus se opposuisset, profecto et ista insignis Ecclesia ac civitas, et illius auctoritatem secutæ cæteræ ejusdem provinciæ Ecclesiæ et civitates Deo amissæ nunc essent, etc. Datum Bononiæ I Junii MDXLIII, an. IX ».

25. Refert Surius in Commentariis admonitum officii a primariis cleri Coloniensis viris Hermannum, cui inter alia propositum est S. Ambrosii exemplum [3], qui jussus a Valentiniano imperatore Auxentium Arianum in Ecclesiam Mediolanensem inducere, ita respondit : « Absit a me, ut tradam Christi hæreditatem ». Et infra : « Faciat, quod imperatoris est, imperator. Prius est, ut animam mihi quam fidem auferat ». Tum subjunxere : « Scio vulnera hæc, quæ pro Christo excipimus, non vulnera esse, quibus vita amittitur, sed propagatur, sic te quoque, reverendissime princeps ac domine, Lutheranis et Zuinglianis suggestoribus et consultoribus pessimis respondere decuisset : Absit, ut ego hæreditatem patrum sanctorum Severini, Cuneberti, Brunonis, Hereberti, Peregrini, Annonis, et omnium retro fidelium episcoporum antecessorum meorum, qui per tot collegia et

[1] Sur. in Comm. hoc anno. — [2] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 230. — [3] Amb. tom. III. l. v. post Ep. XXXII. Baron. tom. IV. Annal. an. 387. num. 4.

monasteria, quæ suo ære et labore fundaverunt, cultum et laudem Dei, et sanctorum ejus memoriam ac venerationem adauxerunt, tradam in manus tam rapacium luporum ac publice damnatorum hæreticorum, qui Ecclesiarum collegiatarum et monasteriorum hostes sunt nefandissimi. Quis prædecessorum meorum unquam ita fecit? Tali sane responso servares bonam ad Deum conscientiam, bonam fidem Christo principi pastorum, cujus tibi commissæ sunt oviculæ, debitam erga summum Pontificem et Romanorum imperatorem, dominos et superiores tuos, obedientiam atque fidelitatem, apud exteras nationes Christianas laudem, apud clerum et populum Coloniensem, qui tot jam annis unanimi tecum consensu istas perditionis damnatas sectas abominati ac detestati sunt, benevolentiam pristinam, atque præcaveres infinita in plebibus Christi scandala, quæ de hoc facto tuo non sine multorum gemitu audiuntur ».

26. In defendenda religionis causa conjunxere se Coloniensi clero senatus et consules Colonienses, quos Paulus Pontifex ob constantiam in tuenda fide Catholica, et pia monita defectori archiepiscopo suggesta, ut ab immani flagitio quo se devinxerat resipisceret, merita laude ornavit, hortatusque est, ne Bucerum et alios impios concionatores, hæreseos virus ad perdendas animas diffundere paterentur [1]:

27. « Dilectis filiis burgimagistris et senatui Coloniensi.

« Vestra illa pietas et constantia semper laudata, et in ore omnium celebris, nuper splendidius fulsit, cum vester archiepiscopus, si is hoc nomine jam dignus est, corrupta sua diœcesi, etiam civitatem vestram corrumpere, atque a veteri fide et usu Catholicæ Ecclesiæ avertere conatus est : ei enim et viriliter restitistis, et postmodum non destitistis omni studio et diligentia suadere, ut a tanto scelere desisteret. Benedictus igitur Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui nos in tribulatione consolari dignatur, qui si hoc tempore (peccatis ita exigentibus) permisit venena, etiam antidota nobis concessit ». Et infra : « Quapropter vos, filii, hortamur, et per Dominum Jesum, qui in vobis nunc habitat, rogamus, ut in cœpta pietate et constantia perseveretis, modis omnibus providentes atque impedientes, ne Bucerus et Lutherani concionatores, nunc in vicinis locis rugientes, et quærentes quem devorent, in vestra civitate prædicare aut populum seducere possint, etc. Datum Bononiæ I Junii MDXLIII, anno IX ».

Confirmati etiam fuere iidem Coloniæ magistratus Cæsareis litteris, ut fidem Catholicam tuerentur, strenueque Lutheranis obsisterent, quod cum summa laude ab iis perfectum est, ut licet Lutherani mille artibus Coloniensium constantiam expugnare pertentarint, impia tandem eorum molimina irrita conciderint, ut narrat Surius his verbis [1]:

28. « Moguntia Cæsar dat litteras ad senatum Coloniensem, quibus eorum laudat in fide Catholica constantiam, quod non cesserint quibusdam concionatoribus, qui eos a Catholica religione avertere modis omnibus attentarint, hortatur, ut perseverent, et populum in officio contineant. Idem fere scribit ad illos etiam Pontifex Paulus III. Senatus itaque convocato populo mandat, ut his edictis pareant. Dici vix queat, quot dolis, quot cuniculis, quot modo occultis, modo apertis machinationibus malus Dæmon per suos administros hanc urbem, multis hominibus longe celeberrimam, conatus sit ab una vera Catholica fide in istos deterrimos et pugnantissimos novi Evangelii errores abducere, quibus tota jam fere Germania misere periit, sed (quæ Dei est singularis benignitas) nihil hactenus efficere potuit, senatu prudentissimo et gravissimo diligenter invigilante, ne homines pestilentes voto suo potiri queant. Multæ sunt artes Cacodæmonis, et habet ille suos satellites, qui ubi vident nihil aperto bello posse consequi, vertuntur ad insidias, transferunt se in Angelos lucis, nihil nisi pacem et pietatem præ se ferunt, donec hac perniciosissima simulatione apud incautos, præclaræ cujusdam existimationis, magnæ pietatis, non dubiæ integritatis famam sibi concilient. Tum vero sensim virus effundunt suum, et sub pietatis prætextu, etiam illos non raro a Catholicæ Ecclesiæ pace et unitate avellunt, quos neque Lutherus, neque alii omnes ex professo Ecclesiæ hostes evertere potuerunt. Vigilandum est igitur omnibus, quibus sempiterna animarum suarum salus cordi est, ne circumveniantur a Sathana. Habet semperque, quandiu hic stabit orbis, habebit suas laudes eximias inclyta et præclara Colonia Agrippina, quod, tam multis in Germania ab avita eademque sanctissima religione deficientibus, ipsa constantissima permansit, nec eam fidem et religionem puerili levitate sibi deserendam putavit, quam longe ante mille annos accepisset, et in hunc usque diem a sanctis majoribus suis integra fide, velut per manus sibi tradita, religiose conservasset, licet sæpe incredibilibus astutissimorum Sathanæ satellitum fraudibus et technis, armis et machinis oppugnata. Orandus autem est Deus, ut eamdem etiam deinceps (ut bene speramus) constantiam servet, præsertim cum nunquam cesset Sathanas novos texere dolos et novas meditari artes, quibus vel tandem etiam constantissimos expugnet, nec desint, qui hanc eximiam laudem inclytæ Urbi

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 217.

[1] Surius in Comm. hoc anno.

invideant, quam illi tribuit Scriptor quidam vetustus, his verbis usus : Postquam fidem suscepisti, civitas prænobilis, recidiva non fuisti, sed in fide stabilis ».

Asserendæ apud Colonienses religioni multum profuit Adolphus ex comitum Schwemburgensium inclyta prosapia satus archiepiscopi coadjutor, ad quem extant subjectæ Pontificis litteræ.

29. *Pontifex archiepiscopo Coloniensi scribit, ut resipiscat.* — Quod ad Hermannum infelicem pseudoarchiepiscopum attinet, cum is in Lutheranorum castra transfugisset, immane facinus aggressus est, ipso enim die Festo Paschæ, celebrata Germanico idiomate divina re, populo non expiato rite præmisso sacræ exhomologeseos sacramento, Eucharistiam sub specie utraque, contra Ecclesiæ instituta, more Lutherano tradidit, non reputans illud Apostoli : *Probet autem se ipsum homo, et sic de illo pane edat* etc. Lapsum itaque in hæresim Pontifex ex illo impietatis cœno, amantissimis monitis excitare annisus est, avulsisque verborum aculeis, quos rei indignitas expresserat, humanitate pia ad officium aberrantem revocare conatus est, antequam graviori censura ex sacris decretis illum percellere cogeretur [1] :

« Hermanno archiepiscopo Coloniensi.

« Venerabilis frater, ex fama undique publica et ex multorum fide dignorum relatione intelleximus, te, licet pro boni archiepiscopi, et principis electoris officio tuam diœcesim et provinciam in ea fidei Catholicæ puritate atque observantia, in qua illas a tuis prædecessoribus acceperas, conservare et cum sancta Romana universalique Ecclesia in eadem fide consentire debuisses, prout tanto antea tempore conservaveras, et consenseras, tamen a paucis citra mensibus repente immutatum, ejectis orthodoxis, vocatisque Lutheranis prædicatoribus, introduxisse per eos Lutheranismum in diœcesim tuam, habitaque etiam per te oratione coram trium statuum tuæ provinciæ deputatis, suasisse omnibus ac præcepisse, ut ipsum Lutheranismum reciperent, cumque illi palam obsisterent, teque orarent, ut ab incœpto tam pernicioso desisteres, nullis nec monitis, nec precibus eorum te flecti potuisse, imo in die sancto Paschæ Sacrificium missæ in lingua vernacula celebratum, præmissaque publica et generali tantum confessione et Absolutione, prout in Lutheranis civitatibus fieri consuevit, cætera Lutheranismo congruentia subsecuta fuisse, quæ omnia non solum in animæ tuæ et tuæ curæ commissarum perniciem, perpetuamque tui nominis infamiam, verum etiam in totius universalis Ecclesiæ, cui tantum præjudicium tua temeritate inferre præsumpsisti, violationem et offensam manifestam redundarunt, atque eo etiam graviora fuerunt, quod nulla aut senatus, aut populi tui, sicut alibi accidit, tumultuantis, Lutheranismumque optantis, seditione ac necessitate compulsus, sed tuamet voluntate, contra capituli, senatus, cleri et universitatis egregie in fide Catholica animatorum voluntatem, eo maxime tempore hæc ausus es, quo Universale Concilium a te et cuncta Germania tantopere efflagitatum Tridenti in ipsis Germaniæ portis habebas, neminemque ex Germanis episcopis videbas, qui suam Ecclesiam non viriliter tueretur, multos etiam ex eis admirari poteras, qui potius exulare ac persecutionem pati, quam Lutheranismum recipere elegissent. Sic tu, qui exemplum constantiæ aliis esse debuisses, primus omnium prælatorum ab universali Ecclesia et fide Catholica, in qua tanto tempore perseveraras, defecisti, nullamque nec officii nec jurisjurandi a te toties in tuis promotionibus præstiti habuisti rationem, quin Deo et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, a qua nunquam offensus, et toties, præsertim in confirmatione tui archiepiscopatus vigore cujus etiam elector sacri imperii ornatus fueras, ingratus et repente hostis existens, quo sane facto, non tu quidem nobis, aut universali Ecclesiæ, cum qua se Dominus usque ad finem sæculi futurum promisit, ac Petri cymbam, etsi quandoque fluctuare, nunquam tamen mergi permisit, sed tibi ipsi nocuisti, qui in districto Dei judicio, non solum de tua, sed de tot millibus animarum, quas tecum perdidisti, rationem redditurus es. Quamvis autem omni nostra humanitate et gratia te indignum reddideris, tantum facinus attentando, tamen ex benignitate Apostolicæ Sedis, antequam ad alia procedamus, præmittere hoc tecum voluimus Christianæ charitatis officium, te etiam atque etiam hortantes, atque monentes, ut a defossa tibi fovea pedem quamprimum retrahens, ad universalis Ecclesiæ gremium atque consortium revertaris, nec tantam tibi ac tuo generi et cunctæ Ecclesiæ Germanicæ notam inuras, ut tu, qui una ex solidioribus columnis es, illam sustentare deberes, eam primus deseras. Vide, inquam, quid agas, recole qui sis, memorare quantum Deo Omnipotenti debeas, officium juramentumque tuum ante oculos tibi ponas, coepiscoporum tuorum constantiam imiteris, prudentique meditatione perpendas, quam infelices fructus hæc innovatio religionis in Germania præbuerit, effusionem scilicet civilis sanguinis, Turcarum roborationem, Germanorum debilitatem ; Lutheranos proinde ejicias, Catholicosque concionatores restituas, tuosque subditos (sicut optant) in veteri Christianæ religionis cultu perseverare permittas, quod si feceris, et illis et tibi melius consules, sin autem in cœptis perseveraveris, nos sane nec nostrum officium, nec tot anima-

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 234.

rum salutem negligemus, nulloque pacto differemus, ea contra te agere, quæ secundum sacros canones et sanctorum statuta Patrum agenda fuerint. Dat. Bononiæ I Junii MDLXIII, anno IX ».

30. *Commendat Paulus pietatem ducis Bavariæ.* — Conjunxit cum Pontifice Jo. Cochlæus pia studia, ut archiepiscopum ad mentem revocaret, at obduruit in perfidia veluti alter Judas proditor Hermannus pseudoarchiepiscopus, ac plures ficta, impia et deformatissima religionis reformatione, in scelus pellicere conatus est, quem demum exauctoratum munere archiepiscopali et principatu depulsum visuri sumus. Eodem tempore Bavariæ principes egregia pro tuenda re Catholica studia explicuere : quorum pietatem Pontifex his litteris commendat [1] :

« Ducibus Bavariæ.

« Dilecti. Reversus istinc ad nos dilectus filius doctor Scotus, Ecclesiæ Armachanæ administrator, ea nobis de singulari vestra pietate, et ad conservandam fidem Catholicam indefessa constantia retulit, quæ semper omnes retulerunt, ipse autem eo particularius ac certius cuncta nobis explicavit, quo diutius in istis vestris locis ex voluntate nostra commoratus est. Itaque quamvis minime nova, maxima tamen lætitia affecti fuimus ex ejus sermonibus, in quibus, commemoratis multis a vobis pie fortiterque gestis et in vestras effusus laudes perfecit, ut et vestra pietas apud nos illustrior, nostraque erga vos benevolentia fieret cumulatior, quamvis antea fuisset tanta, ut nihil ad eam addi posse videretur. Agimus igitur, sicut sæpe egimus, Deo Omnipotenti gratias, quod adversus has gravissimas Ecclesiæ fluctuationes, nos amantissimis filiis consolari ac munire dignatus est, quorum præsidio hanc procellam sustinere possemus, etc. » Addit, mitti eumdem doctorem Scotum vitæ puritate et doctrina præstantem, cæcitate ipsa admirabilem, una cum Claudio Jayo et sociis, ut in Bavaria, et germani fratris Salisburgensis provincia fidem tueantur, aberrantesque convertant. « Dat. Placentiæ XIV April. MDXLIII, anno IX ».

Extant de iisdem insignibus viris, pietate conspicuis, litteræ ad Salisburgensem archiepiscopum, cum eximiis dotibus ornati, et ad confirmandos in fide orthodoxa Catholicos et Lutheranos ab impietate ad Ecclesiæ castra revocandos missi essent [2] :

« Archiepiscopo Salisburgensi.

« Reputantes et messem esse multam, operarios autem paucos, Scotum, Ecclesiæ Armachanæ administratorem, ad te et eosdem fratres tuos cum Dei nomine et aliquot facultatibus ei concessis, quibus gratuito ad Dei servitium uti possit, remittimus, ut is divino auxilio vestroque fretus favore, una cum dilecto filio Claudio Jayo, quem istic reliquit, et aliis suis coadjutoribus in tota tua et eorumdem fratrum tuorum ditione, ac in aliis etiam locis, præsertim circumvicinis, ubi necessarium ac tutum duxerit, opere, verbo et exemplo, ad salutem animarum, correctionem morum, retinendosque in fide Catholica populos et aberrantes reducendos, quantum poterit, re prius tecum et cum aliis ordinariis locorum communicata, satagat, laboret et intendat, quædamque etiam tibi ex parte nostra referat, etc. Dat. Placentiæ XV Aprilis, MDXLIII, anno IX »,

31. *Claudius Jayus, et Petrus Faber ex primis decem sociis S. Ignatii pro fide laborant in Germania.* — Fuit porro Claudius Jayus ex primis sociis S. Ignatii, de cujus piis laboribus in Germania exantlatis memorat Orlandinus [1], narratque, ab illo multa Ratisbonæ a Lutheranis, tum a sacerdotibus concubinarum familiaritate contaminatis, quos a vitiis deterrebat, tolerata, deque ejus constantia hæc addit : « Ipse vero cum cruces undique et pericula intentarentur, triumphare gaudio cœpit, et minitantibus prærupta Danubii respondebat intrepidus, in Cœlum tam facile aqua, quam terra ire posse. Nec defuerunt, qui ei aut mortifera exitia veneni, aut subitum molirentur exilium : complures tamen viri boni Catholicique, atque inter hos civitatis episcopus in oculis eum ferebant, palamque exaltabant, et quod tam constanter ille se facinorosis opponeret, et innocentis vitæ speculo facilitateque permira, haud contemnendos suæ tolerantiæ fructus ferret ». Ab hoc et Petro Fabro, quem Pontifex ex Hispania revocatum in Germaniam proficisci jussit, propagata est Societas Jesu in Germania, ex qua innumeri viri insignes pietate et doctrina prodiere, qui Lutheranorum argutias egregie confutarunt, susceptisque gymnasiis pro instruenda juventute, hæresi ne latius propagaretur, fortissime restiterunt : egebat vero Germania hoc tempore horum piorum doctorum opera, cum Joannes Eckius et Albertus Pighius acerrimi religionis Catholicæ propugnatores, Lutheranorumque mallei, hoc ineunte anno, e vivis excessissent, ut Cochlæus narrat, qui de aliis rebus Germanicis hæc commendat historiæ [2] :

32. *Conventus imperialis habitus Nurembergæ.* — « Hoc anno rursus Nurembergæ, absente adhuc Cæsare in Hispaniis, per regem Romanorum habitus est conventus imperialis a mense Januario usque ad Aprilem, cujus recessus factus et publicatus fuit die XXIII April. Adjuncti fuerunt regiæ majestati ad id negotii tres commissarii a Cæsarea majestate, utpote Christophorus episcopus Augustensis, Fridericus comes Palatinus Rheni dux Bavariæ, et Joannes

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 135. — [2] Ib. p. 133.

[1] Orland. hist. Soc. Jesu. l. II. — [2] Cocl. in actis et scriptis Luth.

de Navis, quorum primus in illo conventu Nurembergæ obdormivit in Domino. Tractatum est autem et ibi præcipue de ratione belli adversus Turcas gerendi, deque præsidiis subsidiisque et constitutionibus in tempore constituendis. De causa vero religionis nihil aliud constitui commode potuit, nisi ut publica pax utique servetur, ne religionis prætextu ulli vis inferatur aut injuria ».

Habiti quidem sunt in Germania maximi delectus contra Turcas, sed cum Germanicæ vires distractæ essent a Cæsare in Belgium contra Clevensem ducem et Gallos profecturæ, tum etiam ob Lutheranorum dissidia debilitatæ, irriti conatus conciderunt, Turcicumque imperium (victis Christianis) propagatum est a Solymanno, de cujus terrifico adventu in Hungariam duces Bavariæ Pontificem certiorem reddiderunt, promissaque ab eo in colloquio Buxetano quatuor Italorum peditum millia subsidiaria expetierunt :

33. « Sanctissimo in Christo Patri et domino, D. Paulo III, sacrosanctæ Romanæ atque universalis Ecclesiæ summo Pontifici, domino nostro colendissimo.

« Beatissime in Christo pater et Domine D. colendissime. Post pedum oscula beatorum. Rediit hodie ad nos per equos dispositos bonus accursius Gygnæus consiliarius noster, ex cujus accurato sermone intelleximus ea, quæ nuper a sanctitate vestra Buxetano in colloquio in causa orthodoxæ religionis nostræ tractata sunt: quæ quidem omnia cum sancte et mature a beatitudine vestra, tamquam parente optimo ac pientissimo considerata esse videamus, maximas sibi propterea et agimus et habemus gratias, summum vero gratiæ largitorem assidue precantes, ut eas sibi uberiores retribuere dignetur. Quoniam autem Cæsaream majestatem, ipsa id a nobis efflagitante, propediem conventuri, cum eaque rem sacrosanctæ religionis nostræ omni fide ac diligentia tractaturi sumus, singula idcirco, quæ ibi inter nos, sive occurrent, sive concludentur, sanctitati vestræ adamussim significare non intermittemus. Cæterum hac hora certiores facti sumus, Turcarum tyrannum cum omnibus suis copiis Hungariæ regnum aliquot jam ante dies ingressum tripartito exercitu, Austriam versus contendere, ut Viennam magna tormentorum vi ac mole, atque omni belli apparatu oppugnet ; quare Beatitudinem vestram eo reverentius, quo possumus, comprecamur, velit quatuor illa promissa Italorum peditum millia (nulla interjecta mora) eo mittere mature, ne quid detrimenti eorum tarditate intercipiatur, cujus summæ benignitati nos omni humilitate commendamus, et totos tradimus. Dat. in urbe nostra Landshut die penultima Julii MDXLIII.

« Ejusdem sanctitatis vestræ.

« Obsequentissimi filii ac servitores. Villelmus utriusque Bavariæ dux, etc. »

Datam fidem egregie exsolvit Pontifex, ut Paulus Jovius refert ac ipsæ Pontificiæ litteræ ad Ferdinandum regem testantur [1] :

« Regi Romanorum.

« Charissime. Mittimus ad tuam civitatem Viennensem a communi hoste Turca pro nostra virili defendendam quatuor millia delectorum peditum Italorum, quibus regendis dilectum filium nobilem virum Joannem Baptistam Sabellum, nostrum secundum carnem affinem, nostræ custodiæ generalem præfectum, virum insignis virtutis et auctoritatis, capitaneum præfecimus, etc. Datum Arimini XV Julii MDXLIII ».

34. Non Viennæ oppugnationem [2] meditabatur Solimannus, sed Strigonium et Albam Regalem aliasque Hungariæ urbes expugnare, et Turcico imperio subjicere ambiebat. Primos impetus immisso duce Amurate, effudit adversus Walponium oppidum ad Dravi fluminis ripam positum non longe ab Exechio, fœda Austriaci exercitus clade jam ante nobilitatum ; licet vero oppidum egregie munitum esset, tamen præsidiarii vim Turcicam non tulere, atque in deditionem sunt accepti, inde ad Soclos promota Turcica castra, pugnatumque est accerrime ab Hungaris, qui irrumpentes Turcas vulneribus debilitatos propulsarunt, demum Soclensibus consternatis ac muro recedentibus, cum sustinere hostilem impetum non possent, in arcem confugere, cumque deditionem nuncupassent, ad unum omnes contrucidati sunt. Tunc exploratis pronisque omnibus ad victoriam, cum universo terrestri navalique exercitu ad Strigonium expugnandum provolavit, fugiente Paulo Vardano archiepiscopo, ne si interciperetur, horrendo mortis genere interimeretur, quod a Solymanno ad Ferdinandum defecisset. Præerat urbi Liscanus Hispanus fastu quam belli peritia nobilior, Turcarumque impressiones non infeliciter frangebantur ab Italis Germanisque præsidiariis, cum senex Calaber proditor, tormentorum librandorum arti assuetus, ad Turcas transfugit, perfidiæ pudorem obvelans, quod Ferdinandus rex sibi stipendia plura non persolvisset; is expugnandæ turris præcipuæ modum barbaros edocuit, qua capta, Strigonio potirentur, in qua oppugnanda cum vires intenderent Turcæ, obsessisque auxiliorum desperatione animi frangerentur, demum Liscanus præfectus, auro ex continua præda congesto prædives, cum aurum magis rapto partum servare, quam Strigonium vellet, vitam libertatemque pactus, contra militum spem voluntatemque, hostem in urbem induxit, moxque omni auro, et torque, et suppellectili exutus est,

[1] Paul. l. IX. p. 292. Paul. Jov. l. XXXIV. — [2] Paulus Jovius Surius in Comment. Isthuanff.

ac dein a Ferdinando ob admissum flagitium in custodiam traditus. Solymannus vero Strigonio potitus principem Ecclesiam prophanavit, ac Mahumeticæ impietatis superstitioni addixit: tum accitis Buda fabris, atque omni genere militum ad opus coacto urbem firmissimis propugnaculis munivit, adeo ut illius recuperandæ spem Christianis adimeret. Inde Barbarus adversus Tattam, dictam olim Theodotam, signa extulit, atque præsidiariis extremos cruciatus, si vim experirentur, intentavit; at illi ob captum Strigonium terrore perfusi, deditione nuncupata, mox abeundi potestatem accepere, atque a victore sericis vestibus donati sunt; mox vero arx illa eversa est, cum Turcæ disciplina militari, raris sed validissimis præsidiis provincias contineant : demum ad Albam-Regalem, ita dictam, quod Hungariæ reges in ea urbe regium diadema accipere soliti essent, castra defixa sunt tantusque terror obsessis offusus est, ut quingenti equites Hungari, dicti Usarones, quod latrociniis vivere soliti essent, includi in civitate detrectarint, abierintque in sylvas, dumque nimias moras Ferdinandns nectit in submittendo auxiliari exercitu, quod ærario exhaustus esset; Barbari, virgultis et arena congestis, fossam exæquarunt, et propugnacula subruere cœperunt, ut demum licet Italicæ cohortes virtutis militaris plurima signa explicuerint, demum post cladem insignem acceptam, Albam, vitam, libertatemque pacti Itali Germanique, reditu ad Ferdinandum impetrato, Barbaro se dediderunt. Exultans tanta victoria Barbarus, parta gloria contentus, Viennam progredi non ausus est, cum Pontificiæ cohortes Joanne Baptista Sabello et Julio Ursino ducibus, Viennam jam pervenissent, et Ferdinandus Bohemorum Marcomannorumque auxiliis succinctus, ascensuro hosti occursurus esset, tum ad Comaram insulam aditum in Danubio hostili classi præsepsisset. Discedente vero Constantinopolim Solymanno, Ferdinandus rex, qui perditis jam rebus sero advenerat, Autumnalis temporis imbribus impeditus est, ne quid regio nomine dignum conficeret, et qui nimia ambitione pati non potuerat, ut Joannis regis filius pacato regno potiretur, maxima Hungariæ parte in Turcicam servitutem redacta, Austriæ timere cœpit.

35. *Aquilegiensis Ecclesia ab ejus administris conculcata.* — Visus vero est divino patrocinio in tot adversis destitui, cum sacerdotum Christi patrocinium desereret, quippe administri licentiæ frœna ita laxabant, ut Ecclesiasticos conculcarent, atque immania etiam sacrilegia patrarent, de quibus Pontifex subjectis litteris questus est[1] :

« Regi Romanorum.

« Cum antea solum temporalis jurisdictio ejusdem cardinalis patriarchæ (nempe Germani Aquilegiensis et episcopi Tusculani) a tuis ministris perturbata et molestata fuisset, postea iidem tui ministri temporali jurisdictione ab ipsa Ecclesia in totum ablata et erepta, etiam spiritualem jurisdictionem in eum statum infelicitatis deduxerunt, quod in illa Ecclesia tam insigni, utpote patriarchali, et in qua tua majestas et serenissimus imperator frater tuus canonici estis, cultus divinus ex toto intermissus, ac penitus desertus est: siquidem canonici ipsius Ecclesiæ injuriis ministrorum tuorum eorumdem coacti sunt ipsam Ecclesiam deserere, in quorum locum milites illam inhabitare, et quadam in parte bruta etiam animalia stabulari dicuntur, tum vero ipsum sacrarium Eucharistiæ confractum, et reliquiæ Sanctorum violatæ, multaque alia attentata in dedecus et opprobrium Ecclesiæ et religionis fuisse dicuntur, quæ nos nunquam credemus scitu aut voluntate serenitatis tuæ facta esse etc. » Additæ preces, ne administrorum flagitiis conscientiam regiam maculari patiatur, et cuncta pristino statui restituat. « Datum Romæ apud Sanctum-Petrum XVI Februarii MDXLIII, anno IX ».

Fuisse quidem Ferdinandum pronum ad pietatem testantur auctores[1], verum ejus facilitate abusos administros avaritiæ et rapinis inhiasse. Hactenus de Ferdinandi jacturis, ac Turcicis in Hungaria victoriis, nunc de classe Turcica a Solymanno, duce Barbarossa, in inferi Maris littora immissa agendum est.

36. *Classis Turcica, a rege Galliæ excitata, gravia Christianis affert damna; Nicia tamen ex Turcis recipitur.* — Exciverat eam in auxilium Franciscus Gallorum rex[2], nulla quidem ipsius utilitate, imo gravi damno et magnæ Christianorum multitudinis, quæ Turcicis grassationibus abrepta est in servitutem impiorum, calamitate, pluriumque oppidorum excidio; ac nisi divina providentia Christianorum miserta vim Barbarorum avertisset, longe graviora exitia intulisset. Primo quidem impetu Rhegium in fretu Siculo, cum cives profugissent, captum incendit, arcemque tormentis muralibus quati cœptam in deditionem accepit, præsidiariosque ac plures cives, qui in eam perfugerant, servituti addixit. Inde Brutiorum oris vastatis, ad Terracinensium littora delatus, mox Ostiam pervenit circa festum D. Petro principi Apostolorum dicatum, tantusque terror ex ejus adventu Romano populo incussus est, ut deserere Urbem cogitaret, nisi Polinus Galliæ regis orator, qui in Turcica classe versabatur, scriptis litteris Romanos confirmasset, eam classem a Solymanno ad præsidium Galliæ missam, nec Romanis, nec Pontificiam oram incolentibus ullum damnum allaturam. Verum quia barbarorum

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 31.

[1] Paul. Jov. l. XLII. — [2] Paul. Jov. l. XLIII.

fides suspecta ex commodo infida est, raptim undique auxilia contracta sunt ad tuendam Urbem, quæ milite vacua præferoce hoste opprimi potuerat: sed eam mentem a Barbaro Deus avertit, nec si capta fuisset, valuissent blanditiæ Gallici oratoris jactantis, Franciscum regem nil habere antiquius, quam ut rem Romanam, non modo incolumem, sed maxime florentem, atque ab omni impiorum injuria defensam vellet : facta vero adaquatione ad ostium Tyberis, Barbarossa triduo post inde discedens Etruriæ et Liguriæ oram sine maleficio prætervectus Massiliam contendit. Dum ea classis centum triremibus egregie instructis et biremibus decem conflata per Mediterraneum mare volitabat, secumque per omnia littora terrorem circumferebat, Pontifex Melitensibus equitibus dedit imperia, ut suam classem cum Pontificia conjungerent ad Christianorum littora ab injuria Turcarum vindicanda [1] :

37. « Dilectis filiis magistro et conventui Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani.

« Dilecti filii, salutem, etc. Superioribus diebus vos hortati fuimus, ut quoniam classis Turcarum Mediterraneo mari volitans, et in visceribus totius Christianitatis inclusa, maximam nostris populis, quocumque se verteret, calamitatem illatura formidabatur, vos pro vestro officio, vestraque consuetudine, huic communi hosti vos opponeretis, vestrasque triremes et naves cum nostris triremibus ad defensionem nostræ et cæterorum Christianorum oræ maritimæ conjungeretis. Quamobrem cum commiserimus locumtenenti earumdem nostrarum triremium, ut eas cum vestris conjungeret, vos hortamur, ut ad communem omnium Christianorum littorum defensionem cum eisdem nostris triremibus conjuncti, contra eamdem classem Turcarum, ubicumque illa fuerit, procedatis, publicamque salutem conjunctis animis et viribus defendatis. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum etc. XXII Augusti MDXLIII, an. IX ».

38. Cum Turcica classis Massiliam applicuisset, Galliarum rex [2], quid de ea ageret, æstuare cœpit, nec facile agitata consilia explicabat, adeo ut Barbarus de cunctatione Gallorum quereretur, resque ad dissidium vergeret : demum a rege decretum est, ut conjuncta classe Gallica eductoque exercitu Nicia provincia, olim Sabaudiæ regulo oppignorata, quæ oblata ampliore pecunia, nunquam ut Gallo restitueretur impetrari potuerat, oppugnaretur ; ac post varias impressiones hostiles propulsatas, non sine Turcarum cæde, Nicienses cives extremam cladem veriti, Gallis pactione militari urbem dediderunt, qua in potestatem redacta, ad arcem situ loci inexpugnabilem et opere munitissimam expugnandam conatus versi sunt, quo tempore Marchio Vasti, qui Insubriæ præerat, auxiliarem exercitum expedire cœpit, ac Pontifex in pluribus Italiæ et Hispaniæ provinciis, clero nummaria auxiliaria ad solvenda exercitui Niciam contra Turcam profecturo stipendia imperavit, ne si Turca arce potiretur, e littore illo dein in mediterranea loca excurreret, exitialique bello Christianam rem obtereret ; ut ex subjectis constat litteris [1].

39. « Herculi S. Mariæ-Novæ diacono cardinali Mantuæ.

« Dilecte fili noster. Moti gravissimo periculo, quod prima facie littoribus Italiæ imminet, sed mox nisi obsistatur in tempore, et ad Mediterranea et interiora ipsius Italiæ, quod Deus avertat, penetrabit, cum classis Turcarum duce Barbarossa civitatem Niciæ jam ceperit, et arcem ejus obsideat : nos, ut pro nostro officio huic periculo, quantum possumus, occurramus, et charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, ejusque duces, præsertim Marchionem Vasti, qui ad dictam civitatem recuperandam, arcique subveniendum cum exercitu occurrit, etiam contributione Ecclesiastica coadjuvemus, quinque decimas cum in nonnullis aliis locis, tum in civitate et ducatu Mantuæ, Marchionatuque Montisferrati, quos pro nepote tuo gubernas, imposuimus, etc. Dat. Marini Albanensis Diœcesis III Septemb. MDXLIII, anno IX ».

Exaratæ sunt eodem argumento ad alios litteræ cum incendium illud [2], antequam latius flammas spargeret, extinguendum esset. Piis affuit Deus, nam Alphonso Vastio cum exercitu ad ferendam obsessis opem imminente, Turcæ et Galli obsidionem arcis solverunt, in quo discessu tumultuario Turcæ, Gallorum, quibus urbs tradita fuerat, nullo respectu habito, urbem diripuere, incendiisque deformarunt, et cives fidem Gallicam secutos in servitutem abripuere. Cumque jam discessisset hostis, Carolus dux Sabaudiæ, et Marchio Vasti, Germanicis, Hispanicis atque Italicis copiis succincti, per Tendanos montes subsidio venere, atque Auriana classis in Villæfranchæ portum invecta est, quo tempore exorta procella quatuor triremes ad scopulos misere sunt allisæ, ac Barbarossa delendæ classis Cæsareæ occasioni divino nutu tum defuit, missis vero expeditioribus triremibus Hispaniæ portus evastavit, congestaque præda Algerium exportata est : miserat etiam Barbarossa Constantinopolim quatuor naves præda onustas, quibus quinque millia Christianorum Italorum utriusque sexus, et eleganti forma virgines Deo sacratæ ducentæ vehebantur, ut ad Solymanni lupanaria traherentur, sed

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 274. — [2] Paul. Jov. l. XLIII. Martin. Bellaius Comment. l. X.

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 370. — [2] Paul. Jov. l. XLIII. Martin. Bellaius l. X.

Garzias proregis Neapolitani filius, cum ab evastanda Turcica ora cum sua classe rediret, in eas Turcicas naves incurrit, ac maximo Dei beneficio, Christianos Messanam perductos pristinæ libertati restituit. Vasti [1] vero Marchio exercitu ad Niciæ arcem adducto bene usus, Montemvicum, atque Carinianum, et nonnulla alia oppida Gallis in Subalpinis eripuit : vicissimque Buterius prorex Gallicus captis multis oppidis Subalpinis, Vercellas obsidione cinxit, irrito tamen exitu, cum obsessi muris disjectis internum aggerem excitassent, dum ob Cæsarei ducis adventum hostilis irruptio retardaretur.

40. *Motus Tunetani.* — Eodem tempore expeditionis a Barbarossa ductæ occasione, maximi in Africa motus concitati sunt (1), nam cum Muleasses Tuneti rex, Cæsaris cliens metueret vim Turcarum, qui aliquas regni urbes, Constantinam, antiquitus Cyrtam dictam, Leptim parvam, quæ hodie Africa dicitur, et Adrumetum præsidiis firmissimis obtinebant, improvide in Siciliam trajecerat, ut a Cæsare Genuam devecto majora præsidia impetraret. Dum autem Neapolim jussu Cæsaris subsisteret, ejus filius Amida, qui præfectus erat exercitui, sparso falso rumore, Muleassem patrem Neapoli extinctum, fratremque Mahometem Christiana sacra suscepisse, regnum invasit, minores fratres trucidavit, paternasque concubinas constupravit, quo audito Muleasses duobus circiter auxiliarium Neapolitanorum millibus conscriptis in Africam trajecit; cumque repentino adventu se Amidam oppressurum putaret, irrueretque non expectatis propinquorum Numidarum auxiliis, fallacibus aliquorum principum promissis illusus, ab hoste, qui insidias paraverat fusus captusque est, cæsis in prælio mille et trecentis Neapolitanis, cui filius impius, candenti scalpello proscissis pupillis, oculorum lumen ademit, addita objurgatione, illum atrociora promeritum, ob immanitatem in fratres exercitam, paulo vero post cum Bisertam abiisset, Tovarris Hispani Guletæ præfecti opera, qui ipsi Abdamelechum regiæ stirpis principem opposuit, regno pulsus est, quo tamen brevi extincto, iterum recepit, adversantemque sibi Joannem Perellum Tarentinum equitem fortissimum Christianum, exsectis virilibus, in foro vivum combussit, cujus eximia fuit constantia, ut oblato vitæ munere adduci non potuerit, ut a Christiana religione deficeret.

41. *Cæsari Clivensis dux se humiliat.* — Cæsar [1], qui immortali nominis sui gloria Hungariam defendere, vel etiam Christiani imperii limites latius proferrre potuerat, in Clivensem ducem et Gallos arma convertit. Expugnavit itaque impetu Duram, arcem munitissimam Geldriæ, eamque cædibus, rapinis et incendio funestavit, Juliacum deinde petiit infesto exercitu, quod vacuum recepit, postea ad Ruremundam castra defixuro cives se illi dediderunt, ac pariter Venlovium, Zutphanium, et alia Geldriæ oppida Cæsareum jugum accepere; quibus adversis fractus Guillelmus Clivensis dux, deserta Gallorum amicitia, ad Cæsarem supplex accessit, ejuratisque etiam Danico et Suecico fœderibus, veniam obtinuit iis legibus, ut Geldriæ juri renuntiaret, fidem Catholicam in Principatu inviolatam assereret, ad quem in fide continendum postea Ferdinandi fratris filiam nuptui dedit, cum sponsalia cum Henrici regis Navarræ filia celebrata dissolvisset. Adscripsit tum militiæ suæ Martinum Rossevium, atque adversus Gallos cum ingentibus copiis est profectus, excivitque Henricum Angliæ tyrannum, cum quo fœdus junxerat, ut ex composito duobus exercitibus Galliam invaderent. Cæperant vero jam ante Landrecium Galli, ac firmissimis propugnaculis ita munierant, ut ex eo in Belgium magnas excursiones agerent, dux etiam Aureliæ Lucemburgum pactione militari receperat. Cæsar itaque ad Landrecium recuperandum copias admovit, quod cum commeatu indigeret, Franciscus rex, instructo exercitu, commeatum et militare auxilium illi intulit secunda Novembris, inspectante Cæsare cum suis Germanicis, Belgicis, Hispanicis et Britannicis copiis : cumque recedente rege post datam bidui spatio prælii libertatem, Cæsar expeditum equitatum ad insequendum agmen postremum immisisset, ille a Delphino in insidiis constituto cæsus disjectusque est. At Cæsar, cum omnia in dies

[1] Surius in Comm.

[1] Paul. Jov. l. XLIV. Surius in Comm. Ludovic. Guic. in Comm. Martin. Bellaius l. IX et X.

(1) Historia motuum Tunetanorum paulo diligentius retexenda est; cum præsertim indiligentia etiam chronologica peccare annalistam compertum sit. Agens Neapoli Muleasses de filii sui Amidæ defectione certior factus est, raptim coacta militari manu in Africam trajecit, ubi in insidias a filio opportuno in loco collocatas incidens amissis militum suorum quingentis, ut historici quidam scribunt, vel mille tercentis, ut annalista ex aliis notat, ipse in hostis filii manus devenit, a quo oculis orbatus carcerique traditus est, e quo nonnisi Mahomete puero regnante se liberavit. In hunc modum Amida occupatum regnum brevi pacavit atque composuit. Sed non diu post cum ipse Bisertam petiisset, Abdamelech ejus frater cum Jovappi Hispano Gulettæ præfecto clam conveniens Tunetum occupavit, regnoque fratrem expoliavit. Novus hic rex intra dies sex et triginta fato cessit, ejusque in locum ab optimatibus filius ejus Mahometus duodennis puer substituitur. Hæc toto isto anno in regno Tunetano gesta. Succedenti anno MDXLIV teste Mambrino in historia sui temporis, Amida in spem recuperandi imperii exercitum comparavit, ususque feliciter optimatum Tunetanorum favore puerum extrusit, totamque ad se ren Tunetanam convertit. Ita ejus ætatis historici omnes, Segni hist. Florent. Mambrin. hist. sui temp. Adriani hist. sui tempor. qui de Muleasse addunt iter in Siciliam instituisse, ubi publicis sumptibus jussu imperatoris sustentatus diu egit, tum Neapolim contendit, ac tandem Romam, ubi a cardinali Farnesio exceptus convivio ac dein ad Pontificem introductus, nunquam, ne monitus quidem, genuflectere consensit, sed aliquantulum inclinatus genu Pontificis osculatus est. MANSI.

acerbiora fierent ob imbres et morbos, soluta obsidione, Cameracum liberam civitatem, ditionisque Episcopalis, pandentibus ex terrore portas civibus, intercepit, illique arcem imposuit, in eaque hyberna traduxit.

42. *Conventus ordinum imperii Norimbergæ primum, dein Spiræ coadunantur.* — Celebrati sunt in Germania duo conventus ordinum imperii [1], primus, ineunte anno, Norimbergæ, secundus, devexo atque affecto, Spiræ : in primo Norimbergensi actum est a Cæsareis legatis de comparandis auxiliis ad propulsandos Turcas, deque Henrico Brunsvicensi principe a Protestantibus ditione sua spoliato in principatum suum restituendo ; is enim leges Cæsareas adversus vim ac tyrannidem Lutheranam implorarat, at Protestantes in pertinacia obfirmati, Catholicorum bonis inhiantes, præfracte contendere, recte atque ordine se fecisse, atque etiam judices Cameræ, id est, senatum Cæsareum, ut erga Catholicos propensiorem, gradu submoveri, aliosque constitui, ni id fieret, nulla auxilia contra Turcas se conjuncturos denuntiarunt : cumque responsum iis esset, dicta causa judices amoveri non posse, neque Henricum jura implorantem deseri, rogarenturque, ut controversias religionis Tridentino Concilio jam indicto deferrent, flecti non potuere, atque professi sunt se Concilio non parituros. Remotis itaque Protestantibus Ferdinandus rex cum reliquis ordinibus Catholicis de propulsando Turca, religioneque Catholica tuenda, nonnullisque aliis rebus decretum edidere, cui decreto Protestantes se minime consentire professi sunt. Rem ita narrat Surius [2] : « Verum Protestantes aiunt non approbare Concilium. Interim nihilominus decretum facit Ferdinandus cum aliis ordinibus de certis quibusdam rebus, cui decreto Protestantes se minime consentire profitentur. Quis non videat, quam hæc ad certam Germaniæ perniciem pertinuerint, nisi Deus nobis pepercisset. Has animorum offensiones et dissensiones peperit nobis Lutheri Evangelion, cujus protasim (sive propagationem) longe tristissimam jampridem vidimus, catastrophem vero longe turbulentiorem expectamus ». De horum comitiorum Actis ab episcopo Casertano internuntio Apostolico transmissis ad Pontificem meminere Acta Consistorialia his verbis [3] :

43. « Bononiæ XIX Martii MDLIII, fuit congregatio reverendissimorum cardinalium, lectæ litteræ reverendissimi Casertani de his, quæ aguntur in Dieta Norimbergensi, primo de subsidiis dandis a Germanis contra Turcas, et de rebus quæ ad religionem pertinent. Factumque est verbum a sanctissimo de observanda reformatione, præsertim, ut proximo Concilio sententias et exempla præbeant.

[1] Act. Consist. — [2] Surius in Comm. — [3] Ms. card. Spadæ sig. 133. p. 425.

Molitos in Norimbergensibus comitiis Protestantes suadere Germanis, ut repudiato Concilio Tridentino Concilium nationis Germanicæ cogerent ad eos a conjunctione Romanæ Ecclesiæ avellendos, conflandamque pro ipsorum libidine novam religionem, ostendunt litteræ Joannis Moroni cardinalis legati Tridentini ad Alexandrum cardinalem Farnesium XXVI [1] Maii hujus anni exaratis, in quibus narratur, ut Granvellanus, qui Norimberga Tridentum redierat, ut venienti in Germaniam Cæsari occurreret, retulerit legato, se in comitiis Norimbergensibus Protestantium molimina discussisse, ne fieret Concilium nationale, ac reformationem judicii cameræ imperialis a Lutheranis obtrusam, quam a Cæsarea majestate impetrasse falso contendebant, disturbasse, ideo Lutheranos noluisse subsidia adversus Turcam Romanorum regi conferre : ingravescere vero in dies (ob plurium defectionem) Lutheranæ sectæ potentiam, ad quos Coloniensis idemque Monasteriensis episcopus desciverit ; ac ni eos Cæsareus adventus contineret, in Moguntinum arma conversuros. Laudavit vero Granvellanus ducum Bavariæ in propugnanda religione pietatem, adversasque omnes de iis suspiciones conceptas amotas esse addidit; conquestus vero est de revocatis Tridento duobus legatis, idque tota Germania pervulgatum, atque ex eo Lutheranos efferri, deprimique Catholicorum animos. Cui a legato responsum, non ad dissolvendam Synodum, sed ad deliberandum evocatos : quia Scotis favebat Gallus, Cæsarem de fœdere appellatum ab Anglo, qui ipsum adducere contendebat ad leges contra Sedem Apostolicam, quas ille repulit : ex Hispania Genuam advolasse, ut eam ad Gallum deficientem in officio contineret : rogatum Pontificem, ut studeret magis Cæsari quam Gallo, qui Turcam adversus Christianum imperium juncto fœdere concitarit, inducias cum Cæsare violarit, licet culpam rejiciat in imperatorem, totius rei judicium deferentem Pontifici, quod Gallus recusarit.

44. Ex quibus videtur culpam non redintegratæ sequestræ pacis Gallo regi hæsisse ; is tamen ad Pontificem amplissimas litteras VI idus Martii hujus anni misit, quibus Carolum V in invidiam afflictæ Christianæ reipublicæ adducebat.

45. Cæsar e contra traducere in suas partes annitebatur Pontificem, ut armorum societatem iniret adversus Gallorum regem, sed Paulus nunquam a communis parentis officio deflectere consensit, ut pacis interpretem inter dissentientes reges ageret : quod constat ex litteris cardinalis Farnesii ad regium internuntium in aula Cæsarea [2] : « Quoad illud (inquit) quod scribis, et Monspolitianus ore retulit, de instantia, quam

[1] Pag. 18. ex lit. ad card. Farn. XXVI Maii 1543. — [2] Ms. card. Spadæ to. LXXXIV. p. 453.

tibi et illi fecerunt, ut Pontifex se imperatori conjunctum declararet; scias eadem, et Marchionem de Aghilar, et reverendum de Burgo suæ sanctitati non semel retulisse. Multa respondendo scribere possem, cum res, de qua agitur, magna subministraret; attamen quia ex te oppositas rationes cognoscere potes, non est necesse tibi illas longo sermone repetere. Sua majestas certa esse debet, quod sua sanctitas semper parata erit, pro illo omnia agere quæ gradus et honor illi permittent. Hoc autem a præsenti petitione plurimum distat, quia cum imperator et rex Galliæ duo principes Christiani sint, inter se, salva fidei Catholicæ integritate, dissidentes, suæ sanctitati, cum sit amborum communis pater, non licet, unum ut amicum, et alium ut inimicum respicere ». Cumque Caroli nomine Cæsarei oratores iterum Paulum urgerent, ut ob conjunctum a Gallo armorum fœdus cum Turcarum imperatore adversus Christianam rempublicam censuras Ecclesiasticas distringeret, eumdemque armis persequeretur, respondit, Galliæ regem pari ratione implorare leges, ut in imperatorem consurgeret, damnaretque illum ob armorum fœdus percussum cum Henrico Angliæ rege damnato hæreseos, pro invadenda Gallia religioneque in ea evertenda : secundo addidit, si arma adversus Gallum expediret, nulla auxilia periclitanti Hungariæ adversus Turcas a se afferri posse, nec classem instrui adversus Turcarum excursiones maritimas. Proposuit tertio ex eo fœdere contra Gallum admisso graviora pericula impendere, ne Gallia a Pontifice abalienata ad obsequii erga Sedem Apostolicam, fideique defectionem inclinaret. Quarto subdidit, se hactenus clementissimi patris officium gessisse, omnemque operam ad filios inter se conciliandos consumpsisse; jam vero judicis officium exercere decrevisse ad tot ingentium malorum in universam rempublicam Christianam redundantium reum pro meritis justis censuris defigendum. Accepto eo responso Albanus dux Mediolani præfectus prolixis litteris ad cardinalem Farnesium datis Pontificia argumenta multis argutiarum fucis figmentisque refringere conatus est, asseruitque Pontificem maximam gloriam, si Cæsari contra Gallum Turcarum fœderatum se conjungeret, collecturum : at Pontifex in suscepta priore sententia inconcussus stetit.

46. De inita cum Solymanno societate Franciscus prolixiore oratione apud Pontificem, ut supra innuimus, se purgare nisus est, cujus summam Franciscus Belcarius [1] episcopus Metensis ita retulit : « Postremo loco de societate cum Solymanno inita se purgare conatur : hic gravissimus Cæsarianis accusationis locus est, in quo etiam magis Franciscus commoratur : neque veteri, neque novo Testamento piorum cum idololatris interdicta esse fœdera, Davidis, Salomonis, cæterorum Judæorum regum exemplis probat : neque Christus, neque Paulus magistratibus impiis pios salva pietate parere vetat : recentia Venetorum, nonnullorumque aliorum cum Turcis fœdera adducit, ut Galli quondam regni Hierosolymitani compotes, Græcique imperatores senescente memoria prætermittantur. Ut commercia inter se ac Solymannum libera essent, ne privata in causa alter alterum offenderet, ut quantum Christiana fides pateretur, mutuis inter se amicitiæ muneribus fungerentur, convenisse palam fatetur ». Attamen quod rex sibi licitum fuisse contendit, ipsi Galli execrati fuere; quare idem Belcarius mox subjicit : « At si Christianissimi regis hæreditarium cognomen tueri vult, quomodo cum tyranno omnium, quorum Historiæ meminerint, teterrimo, Christianæ persuasionis hoste infestissimo, longissimis terræ marisque spatiis separato, societatem coivit, nisi ut vicinas Cæsaris, Ferdinandi cæterorumque Christianorum provincias atque insulas illi in prædam objiceret, flagrantissimumque invidiæ suæ atque odii erga Cæsarem æstum tot innoxiis Christianis internecioni esse pateretur? De Nauplio atque Epidauro dictum est : Joannes Vaivoda, quod Pannoniæ regnum Solymanno tulisset acceptum, a Romano Pontifice malis diris devotus, et Christianorum cœtu exterminatus fuit : quem nihilominus Franciscus et Solymanno commendavit, ac clam adversus Ferdinandum, quoad potuit, juvit, atque aliquanto post ejusdem viduam Isabellam Hungarosque proceres ejusdem factionis, ut ad Solymanum itidem confugerent induxisse et pro iisdem intercessisse fertur. Quid, quod Ænobardum ad Niciam oppugnandam accersivit, et ut tot Christiani eundo redeundoque in servitutem raperentur in causa fuit ? Quin etiam ut a Solymanno frater appellaretur sustinuit : crudelissimi, inquam, tyranni frater, in cujus familia, qui rerum potitur, cæteros statim trucidari jubet : hæc immanitas, quæ a suis incipit, quanta in alios esse soleat, quis non satis colligit? Cum hoc monstro ullane Christiano homini fraternitas, aut societas esse potest ? » Cætera hujus Apologiæ capita prosequenda non putavi.

47. Decreverat etiam Franciscus rex ad Norimbergensem superiorem conventum oratores Joannem Bellaium episcopum, Franciscum Olivarium præsidem, et Malleium prætorem Divionensem : sed ii in Germaniam penetrare non potuerunt, prohibiti enim sunt aditu a Cæsareis, ne Lutheranos in Cæsarem, Gallos Turcis conjungerent : ii vero III nonas Martii hujus anni MDXLIII Naulii [1] promulgarunt Apologiam

[1] Lib. XXIII, XXVII.

[1] Naulii III non. Martii 1543.

pro Francisco Primo rege, cujus nomen tanquam Christiani nominis proditoris ab omnibus ob Turcam in Christianos concitatum diris omnibus defigebatur, parique impudentia negarunt admissum flagitium, qua ipse illud admiserat :

« Negamus (inquiebant) Francisco Francorum regi cum Solymanno fœdus ullum intercedere intercessisseve, præter vulgare illud commerciorum et quietis publicæ ergo, quale Venetis, Polonis et aliis quibusdam Christiani nominis gentibus esse omnes scimus ». Deinde conquesti sunt de Germanis atque Italis, proposito capitali supplicio, vetitis stipendia sub Gallo facere, deque aditu in Germaniam intercluso, junctoque cum Lutheranis fœdere :

« Pedite extero nobis opus est, ut multis ante sæculis opus fuit, quoties bellum maximum gerendum fuit, hoc Cæsar, qui sat cognitum haberet, proposuit edicta, ut levissime dicam, severissima, ne quis Germanus miles Franco militet, qui militaverit Franco, capite luat, cum uxore quidem ac liberis mitius aliquanto agatur ; Italis autem, quod his fere utamur duabus nationibus, pœna prope consimilis infligitur ; quicumque aut in Galliam, aut in quascumque regis ditiones patent militi aditus omnes magnis diurnis nocturnisque præsidiis circumsepsit ; quicumque in itinere adhuc sunt, trucidari omnes jussit, neminem ad regem penetrare, quoad potuit, sivit. E diverso gentem, quam ut prophanam atque impiam decennium fere est execratus, nunc posteaquam sese in nos incitari passa est ad militem evocandum ad Germaniam, in conspectu vestro omni juventutis robore spoliandam summis præmiis invitat, neque enim licere nobis vult omni Europæ auxilio exutis, aliunde, neque ex Africa, neve ex Asia militem evocare, si evocaverimus, sceleratos, impios, intestabiles pronuntiat. Deus immortalis ! quæ lex gravior feratur, quæ atrocior pœna statuatur, quam quæ in nos statuitur adversus eum, qui victus, qui profligatus, qui bello captus vitam precario agere cogatur, si, et nova ista plusquam imperatoria adversum nos edicta locum habeant, et omni externa ope nihilo secius excludamur, quid nobis denique fiat ? Quid miseris et infelicibus Francis cognatis vestris supersit, nisi ut ferreis vincti compedibus, adamantinis obstricti, jugulum irato hosti hauriendum, cervicem victori, quod ipse jam præ se fert implacabili feriendam præbent, etc ».

Tentarunt Galli oratores iterum misso ad Spirenses conventus præcone militari (quem haraldum vocant) liberi in Germaniam aditus tesseram impetrare, ut ad eos accederent, sed tanquam hostes imperii repulsi sunt.

48. Coacti sunt ii Spirenses conventus mense Decembri, ad quos Hungarici regni ordines ex Novizoliensibus comitiis oratores misere, ut Germanos excitarent ad instaurandam expeditionem pro Hungaria a tyrannide Turcica liberanda, exponerentque jam ante in superioris anni Spirensibus comitiis petita fuisse auxilia pro Turcis propulsandis, atque dum ea decernerentur, Budam a Turca expugnatam, partemque Hungariæ evastatam, sollicitatisque iterum per litteras Germanis, ut suas copias in hostem promoverent, tardius eas venisse, et Pesto obsesso, citius quam oportuit, contra Hungarorum Italorumque sententiam obsidionem solvisse, Turcasque ex eorum discessu efferatiores factos. In Norimbergensi vero conventu hujus anni celebrato non quadraginta armatorum millia, ut antea, sed tantum viginti quatuor millia promissa fuisse magno Hungarorum dolore ; at nec illa opportuno tempore movisse signa, adeo ut Turcæ Strigonium et Albam-Regalem, duasque arces munitissimas, quibus nomen est Sodios et Walgo, in suam potestatem redegerint, jussique sunt oratores palam contestari, se Turcico jugo colla subdituros, ni Germani idonea subsidia ferant, atque ex Hungaria in Germaniam victorem hostem penetraturum, cujus mandati formula subjectis verbis concepta erat [1] :

« Instructio prælatorum, baronum, ac nobilium, aliorumque ordinum et statuum regni Hungariæ in conventu Novizoliensi pro festo beatæ Elisabeth anno MCXLIII celebrato congregatorum, reverendiss. D. Martino Rechethii episcopo Vesprimiensi, ac magnifico domino Francisco de Batiun consiliariis regiæ majestatis, et egregio Georgio Raroscii vicecomiti comitatus Thuurozii oratoribus ad imperialia comitia Spiræ celebranda delectis data.

« Post salutem et servitiorum officiosam commendationem referent oratores nomine ordinum et statuum regni Hungariæ, reverendissimis, illustrissimis, generosis, magnificis ac reverendis dominis, principibus, electoribus, cæterisque ordinibus et statibus sacri Romani imperii in comitiis congregatis, recenti memoria tenere eosdem dominos principes et status imperii, ut cum instructione delecti fuerint anno ab hinc quarto ex Hungaria speciales oratores ad imperialia comitia, quæ tunc Ratisbonæ celebrabantur, præsentibus sacratissima Cæsarea et Catholica majestate, ac serenissimo Romanorum rege, quamquam copiose et diligenter in gravissimo illo Christiani orbis Concilio ab oratoribus illis expositus fuerit regni Hungariæ status, quem post varios casus, post graves et diuturnas calamitates, post ingentia pro Christiana republica, pro fide et religione suscepta pericula, natio Hungarica, olim inter alias non postrema, tandem immodica, vi hostis pro-

[1] Ms. Franc. cardin. Barb. sig. num. 2678. p. 93.

pinqui dejecta est, et quantum etiam, tum prope adesset extremum illius nationis excidium, nisi præsentanea adhiberentur remedia, neque hujus solum, sed et circumvicinarum provinciarum ampla jam pateret ruina, quarum sane tutela, ac defensio ad imperii principes ac status, velut Christianæ fidei columnæ, potiores in primis spectaret, quemadmodum ea tunc luculenter ab ipsis oratoribus Hungariæ in prædictis comitiis peracta fuisse recte constat.

« Nec illud sane præterit eosdem principes ac status imperii, cum non multo post Turcarum tyrannus magna victoria recens in Hungaria potitus, Budam regni caput in potestatem accepisset, extemploque initia jam nimium manifesta extarent multo ante prævisi excidii, status atque ordines Hungarici iterum per litteras, cum propter temporis brevitatem legati mitti non possent ex priori conventu Novizoliensi affatim significasse principibus et statibus imperii, quanto in discrimine res versaretur, et quam mature hostem e visceribus regni ejici oporteret, nisi paulo post, et Hungariam, et vicinas omnes provincias illius furori et libidini deditas vellent, et quam etiam extremis rebus Hungari ad interitum usque pro patria, pro fide et religione Christiana depugnare, dummodo a principibus Christianis non desererentur, expositis videlicet et commemoratis tunc his omnibus, quæ ad excitandos primos tantorum principum ad justissimum bellum in tam justa causa pertinere videbantur.

« Recordentur et pariter domini principes ac status imperii, quo pacto, sive legationibus, et scriptis Hungarorum, sive quod est verisimilius, avita virtute sua, et persimili etiam magnitudine commoti iidem ipsi principes ac status imperii pro sua singulari pietate in religionem Christianam decernendum sibi eo ipso duxerint, tum pro continua regni defensione ad triennium, tum vero pro generali expeditione, hostiumque exterminatione de firmo validoque exercitu, præstantissima, nec multo post illustrem D marchionem Brandeburgensem principem electorem cum ingentibus copiis in Hungariam expediverint, ad quem quidem ducem et exercitum pro oppugnanda civitate Best descendentem, constat principibus et statibus imperii Romani, quæ et quales copiæ, cum sacratissimo Romanorum regiæ majestatis, et summi Pontificis, tum vero ex omnibus fere ordinibus et statibus Hungariæ magno numero atque apparatu confluxerint, quanta cum admiratione exterorum omnium acies Hungarorum assidue sub obsessa urbe cum hostibus congressæ sint, ut facile reliquiæ bellicosissimæ nationis esse apparuerint.

« Et quamvis magna spes erat expugnandi Best, incœptamque expeditionem divina ope feliciter conficiendi, perspectum est tamen dominis principibus et statibus imperii cum et Hungari et Italicus peditatus acriter provinciæ insistendum esse instarent, exercitum tamen imperialem contineri diutius in officio non potuisse, atque ita re infecta, insequente nemine, pedem retulisse, adeoque multitudinem illam omnem brevissimo tempore dispersam esse et dissipatam. Submissa quidem alia præsidia, sed instante Hieme, aliisque rationibus obstantibus, gentes illæ adduci non potuerunt, ut progrederentur ultra Posonium, atque ita majestatem regiam, regiam expeditionem in aliud tempus oportuit rejicere.

« His igitur sic peractis, tametsi status atque ordines Hungariæ frustrati spe maxima et liberalibus oblationibus a Christianis principibus sibi factis, et jam animis consternati tot tantisque calamitatibus, hostem ferocem intra viscera habentes, et malis undique circumventi in desperationem jure videantur prolabi potuisse, nihilominus generosum illum spiritum majorum et animum retinentes, et Dei Optimi Maximi in primis auxilio freti, accepta rursum benigna regiæ Majestatis oblatione in discessu ex Posonio facta de generali capessenda expeditione in proximo sequenti Vere, ideoque ipsi omnes animati; intentique, vel patriam liberare, vel pulcherrimam mortem oppetere penes regem ipsorum, si ita res ferat, congregati in hunc locum ea omnia inter se communibus suffragiis, quibus cum præsenti Hyeme tueri se suosque fines, tum ineunte Vere, maximis quibus poterunt copiis, præsto esse suæ majestati in generali expeditione.

« Cum autem status atque ordines Hungariæ existimare non possint quacumque de causa oblata præsidia proximo anno neglecta sint, domini principes et status imperii pro sua majorumque excellenti virtute, pro magnitudine animi, et quod ipsorum proprium et peculiare est, Christianos populos ab injuriis et vi crudelis hostis sollicite vindicare, oppressosque asserere in libertatem, ipsi quoque Hungariam jamjam ruentem in interitum defensam ac conservatam velint, et cum in memoria habeant majores nostros clarissimos viros, jam inde ab initio fidei nostræ Christianæ in hoc regno propriis viribus Hungariæ fines longo tempore, non solum tutatos esse, verum etiam protulisse longe lateque per hostis ditionem, cum summa ipsorum gloria et utilitate totius Reipublicæ Christianæ, ac ubi sensim labescere res cœpit, aucta nimirum per cæteras orbis partes hostis potentia, victaque vi virtus est, tum demum simul cum Hungaria reliquas quoque provincias, et regna circumvicina furorem hostis, indigno eorum malo, experiri oportuisse, et nihilominus Hungaros nullis unquam cladibus, nullis jacturis, aut periculis regno sint ex ea relicta, triennisque illa instituta expeditio, un-

decumque accidit, vix in trimestris spatii progressum evaserit. Quo quidem facto, hostibusque quo plus erant tanti exercitus formidine perculsi, eo magis repentino ejusdem exercitus discessu irritatis, et animis erectis, constat principibus, et statibus imperii, quanta rursum contentione, quibus precibus status atque ordines Hungariæ egerint, per litteras ex conventu proxima Hyeme Posonii celebrato, ut in sanctissimo suo decreto persistentes principes ac status imperii continuum præsidium in Hungaria tenerent, hostemque curarent ex ea exterminandum, nec ab incœpto deterrerentur, quavis ratione persuasum plane habentes pacem et tranquillitatem suorum regnorum et provinciarum ex Hungaria pendere, intelligentesque Hungaros continuis bellis nimium jam attritos ac debilitatos propriis viribus diutius non posse subsistere eosdem, nisi deserantur a quibus maxime defendi oporteret, facturos more majorum, ut in excidium nominis Christiani intelligant omnes homines extrema eos quoque subire paratos. Ad quas litteras sic [1] :

« Ex Nurembergensi conventu proxima Hyeme responsum fuisse constat, sic sane regiæ majestati a principibus ac statibus sacri imperii firmiter oblatum, ut viginti quatuor millium hominum subsidium cum semestri solutione Æstate proxima majestas regia ad nutum suum in Hungarica expeditione sese habituram sciret, et majora additum iri, si ingens necessitas exigeret. Quo quidem responso etsi non parum Hungari erant commoti, priorem deliberationem tantorum principum immutatam jure admirantes, quod tamen videbatur ne hoc quidem mediocre futurum subsidium, quodque cæteris quoque principibus Christianis defensionem Hungariæ curæ fore sperabant, ita seipsos compararunt, ut cum ex pecuniario subsidio inter se decreto regni fines ad initium Æstatis usque ab insultibus hostium tutati sint, tum vero instructos armatosque viritim insurrecturos ad proximam generalem expeditionem penes regiam majestatem et imperii exercitum unanimiter deliberarint.

« Vere autem hoste formidabili, initioque Æstatis magna vi regnum invadente, consiliaque et conatus Christianorum principum celeritate præveniente, munitissimæ duæ arces Sodios et Walgo primo impetu, cum civitate et Ecclesia Quinqueclesiensi ditionis suæ fiunt, nec multo post idem hostis arcem Strigoniensem obsidione cinctam deditione cæpit, postremoque Albam-Regalem, haud diu obsessam expugnat, sicque expugnatis minimo negotio potioribus regni munimentis, quæ ex superioribus cladibus reliqua erant, iisdemque validis præsidiis firmatis (insequente nemine) prius ipse reditum instituit, quam ullæ unquam Christianorum copiæ in perniciem ipsius apparerent.

« Et quanquam majestas regia solita sua sollicitudine indefessa, virilique studio nusquam milites conscribere, armare classem, delectus habere per regna et provincias suas prætermiserit, omniaque diligenter pararet, quo priusquam hostis abiret, victoriam illi de manibus eriperet, sic tamen res cecidit, ut prius ille, peractis quæ proposuerat, quæque præmissa sunt, in reditu essent, quam sua majestas regia, cum exercitu e suis regnis et provinciis coacto Posonium in urbem venire potuisset. Quo quidem tempore intelligere potuerunt principes ac status imperii, quamvis nullus imperialis adesset exercitus, perpaucæque admodum auxiliares copiæ conspicerentur, status tamen atque ordines Hungariæ paratos (uti statuerant) viritim penes suam majestatem cunctis viribus insurgere summa contentione institisse, ut gentes exteræ, quæ cum sua majestate Posonium convenerant, institutam expeditionem exequerentur, utque majestas regia incœpto itinere ad interiora regni penetraret, neque occasionem pulcherrimam recuperandi, quæ paulo ante amissa erant, præteriret, nec absterreretur, et ab imitandis vestigiis majorum, qui semper pro rerum magnitudine denuntiavere imminentia pericula principibus Christianis.

« Ob has igitur aliasque rationes orabunt legati, obtestabunturque dominos principes et status sacri Romani imperii, ut considerato extremo periculo, quod supra caput cunctis adstat, sine mora et ipsi majoribus quibus possunt viribus Hungariæ subveniant, sanctissimumque propositum defendendi jugiter Hungariam, usque ad hostis exterminationem in manus resumere, ac firmo unanimique decreto confirmare et re exequi velint, neque ulla de causa hoc, quod præcipuum ipsorum institutum esse debet, posthabendum curent, certi fore perbrevi, ut amissa penitus Hungaria, tum demum intelligant, quanti fuerit illam, vi et furori hostis expositam, tueri, aditumque ad reliqua regna et provincias præcludere, experienturque tanto difficilius in posterum reliqua defendi, quanto bellicosiore natione destituti, illos ipsos adversarios paulo post cogantur sentire, quos nunc in communi causa acerrimos oppugnatores secum sunt habituri, quemadmodum in cæteris Christianis populis et gentibus, paulo ante a Turca subactis, magno omnium malo ætas nostra sensit. Addidere demum Hungari, se satis majorum gloriam fecisse, ac si se ab aliis nationibus deseri conspexerint, ac statum reipublicæ Christianæ pro nihilo haberi, pro servanda vita Turcicum jugum subituros, cum satis jam præteritarum ab Hungaris rerum gestarum, et præsentis eorumdem fortunæ fama terrarum orbem fore ubique pervagata sit ».

[1] Ms. card. Franç. Barb. sig. 2678. num. 96.

49. *Instructio data Sfondrato nuntio in Germaniam destinato.* — In iisdem conventibus Spirensibus cum Lutherani ad deprimendam religionem Catholicam more suo plura molituri essent, Pontifex ad eos Franciscum Sfondratum internuntium misit, ut refert Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini [1]: « Cum (inquit) Cæsar imperialem dietam Spiræ celebrandam indixisset, in qua inter alia de religionis controversia tractandum erat, sanctitas sua, ne officio suo et in hoc quoque deesset, reverendissimum dominum Joannem Franciscum cardinalem Sfondratum, tunc in minoribus agentem, episcopum scilicet Amalphitanum ad dictum Spirensem conventum die prima Decembris dicti anni destinavit ».

Postulare plura in iis conventibus non veritos Protestantium oratores, quæ ad Catholicorum damna hæreseosque incrementa vergebant, nec tamen Cæsarem, quamvis potentissimorum hostium armis peteretur, ad vota inflectere potuisse, refert Surius [2], missum vero Sfondratum ad Ferdinandum Romanorum regem, atque ad alios principes Catholicos, ut de pace redintegranda pro celebrando Concilio, et propulsandis Turcis ageret, cui tradita fuit sequens Instrutio [3]:

« Instructio pro Francisco Sfondrato nuntio in Germaniam destinato.

« Cum Sua Sanctitas ab initio sui Pontificatus prudenter considerasset, quanti impedimenti bono Reipublicæ Christianæ essent discordiæ inter imperatorem et regem Galliæ, et quæ ruinæ imminerent, non tantum ob eorum dissensiones et bella, sed etiam ob internas seditiones, maxime religionis, etiamque ob potentiam periculis plenam Turcarum, jam ad totius Christianitatis oppressionem excitatam, ideo Sua Beatitudo, paterno desiderio et permaxima sollicitudine tantis malis occurrere cupiens, in principio sui Pontificatus uti communis pater, nemini tamen singulariter addictus, cæpit istis principibus se opponere, ut dissensiones odiaque eorum extingueret, pacemque inter ipsos firmaret, ut ex ista radice fructus Concilii oriretur, quo religionis dissidia, et in Germania præcipue, ad concordiam adducerentur, et reformatio rerum multarum induceretur, quæ sicuti ex temporum variatione semper accidit, incrementa majora quotidie sumpserunt, non solum spirituali regimine, sed etiam apud sæculares principes Christianos, et præterea in eodem Concilio, post Christianorum reformationem, incumbere, et invitare omnes ad liberandos a crudeli tyrannide Turcarum populos Orientales, et ad nostram sanctam fidem in illis regionibus, in quibus initium habuit et valde floruit, restituendam.

« Ut igitur ad optatum finem et pacem et omnia alia perduceret Sua Beatitudo, nec labori nec sumptibus pepercit, ad Deum confugiens, et semper hæc cogitans, suasque actiones omnes ad hoc dirigens, et continue, modo cum nuntiis, modo cum legatis, modo cum propria persona, seipsum in ista decrepita ætate exponens multis et plenis periculorum itineribus; qui labores, Deo, ob populorum peccata, sic permittente, quamvis aliquoties spem attulissent, fructum aliquem reddituros, ut quando induciæ Niciæ firmatæ fuerunt, et cum Venetis fœdus contra Turcas sancitum fuit, attamen istorum duorum principum suspiciones et durities contrarium effectum menti Suæ Sanctitatis produxerunt, quia ex induciarum scissione majus belli incendium exarsit, et non solum vires Turcarum repressæ non fuerunt, quinimo ipsi Hungariæ regnum sibi subjecerunt; qui eventus et labores, absque fructu a Sua Sanctitate suscepti, eum, ne amplius in isto pacis negotio se interponeret, removere deberent; attamen Sua Sanctitas, ne suo officio deficiat, et necessitatem multo majorem esse præsentibus diebus, quam in aliis præteritis annis, aspiciens, cum Turca et Germaniæ et Italiæ ex parte terræ proximior sit, cum jam totam Hungariam occupaverit, et ex alia parte potentissimam classem in visceribus nostris teneat, cum qua totum excurrens mare, terris maritimis Italiæ, Hispaniæ, Africæ et omnibus Christianis insulis ultimum affert exitium, et cum bellorum præteritorum inter istos duos principes experientia docuerit, quam difficulter unus alterum vincere possit, quandoquidem ex eorum bellis nihil aliud, quam aliquarum pauperum regionum devastationem, retulerunt, multas expensas et mortem strenuorum hominum, qui ad reprimendam Turcicam audaciam apti fuissent, ita ut si bellum producatur, pro certo habere possumus, quod cum nulla alia res effectum habeat, præter alterutram consumptionem, regionum vastationem, pecuniarum dispendium et militum mortem, Turcis devincendi totam Europam occasionem præbebunt, sicuti Constantinopolitano imperio accidit, quod in manibus Turcarum cecidit, ob discordias principum Orientalium, quemadmodum nunc eædem discordiæ vigent inter Occidentales. Sua Sanctitas igitur supradictas rationes considerans, optansque tandem Concilii coadunationem ad effectum perducere, in bonitate Dei, quæ nostra vincere solet demerita, confidens, et aliquando sola sua gratia, quod difficilius ad concedendum videtur, et quod multoties negavit, concedit, noluit prætermittere, denuo reposcere ab istis duobus magnis principibus, ad quos, si ætas gravis, et conditio, et temporis brevitas non obstitissent, propria persona accessisset, non solum ut ostenderet, quo animi ardore istam pacem cupiat, sed ut auctoritate illi

[1] Angelus Massarel. Ms. arch. Vat. p. 22. — [2] Sur. in Comm. hoc anno. — [3] Ms. card. Spadæ to. XV. p. 751.

a Deo concessa, et vivis rationibus præsentium necessitatum et calamitatum Christianitatis, animos siliceos istorum principum emolliret; ideoque misit reverendissimum suum nepotem cardinalem Farnesium, ut sic, quoad fieri possit, suam ipsam personam repræsentet, cui commisit, ut omni conatu curet istam pacem obtinere, et præter supradictam necessitatem, Sua Beatitudo censuit, tempus præsens novam opportunitatem ad hoc tractandum præbere, cum Hyeme superveniente, isti duo principes arma deposuerint, et Dei gratia, cum honore utriusque partis hucusque bellatum sit, cum rex Galliæ terras parvi momenti amiserit, et imperator Geldriæ ducatum recuperaverit, et absque sanguinis effusione suam bellicam virtutem ostenderit, offensionique, quam anno præterito acceptam dicebat, satisfecerit, dum in Galliam propria persona arma intulit, ipsumque regem multoties et fortis animi principes, et Germanici imperii dignus ad campestre prælium invitavit.

« Sed quia in tractatu pacis, sicut tractationes ostenderunt, multæ difficultates propositæ fuerunt, Sua Sanctitas magnitudinem auctoritatis imperii principum considerans, et quantum eam isti duo principes magnifacere debeant, et cum certus sit, ipsos, et prudentia, et bonitate, qua sunt præditi, cernentes Christianitatis pericula, desiderantes remedia illis præbere, semper pacem suasuros, decrevit suo nomine mittere, ad orandum et hortandum, ut cum imperatore et rege Galliæ pax sequatur, omne studium ponant, utrisque demonstrantes, sicut eorum dignitatibus decet, cum tam imperii honoranda sint membra, de illo, cujus causa pax non sequetur, quærenda necessitatem, illisque omnes rationes, quas illorum prudentia suggeret, aptas ad pacem inter istos duos principes componendam, exponentes.

« Sed cum elapsis annis, dum de pace inter istos principes concilianda tractabatur, diversæ fuerunt propositæ conditiones, in quibus, sicut in rebus magni momenti accidit, varias et graves difficultates apparuerunt, et ideo modo, quando tali ex causa conditiones pacis ad conclusionem deduci non possent, Sua Sanctitas judicat, quod melius esset, vel fœdus, vel firmas inducias obtinere, et jura, de quibus disceptant, et quæ utraque pars in diversis provinciis et regnis sibi deberi contendit, ad futuri Generalis Concilii decisionem, vel si in hoc convenire non poterunt, ad idoneos arbitros remittantur. Ex istis induciis armorum, non solum saltem hoc bonum sequetur, scilicet, discrimen, damnum et probrum belli inter Christianos de medio tollere, sed etiam Concilium adeo desideratum, quæsitum et necessarium, tandem incipere, et vires ad Turcarum defensionem conjungere. Ideo Sua Sanctitas hortatur dictosque principes orat, ut secum laborem conjungant, et si aliud medium præ manibus habent melius ad consequendum supradictum effectum, placeat illi communicare, quia Sua Sanctitas, omni seposito respectu, omni sibi possibili conatu curabit, ut adeo concupita reconciliatio sequatur. Istis rationibus, aliisque similibus, quas nuntius cogitare possit, Germaniæ principibus persuadere conabitur, ut imperatori et regi Galliæ amicitiam, pacem et armorum inducias suadeant.

« Sed quia tota nuntii intentio est dirigenda ad promovendum, ut isti principes quantocyus pacis vel induciarum negotium promoveant; et quo magis eos Sua Sanctitas hortatur, eo magis in hoc incumbant, ut promptius hoc ad effectum perducant, et verbis Suæ Sanctitatis majorem fidem præstent, erit etiam nuntii officium, omnem falsam opinionem, quam forte conceperunt, quod Sua Sanctitas non serio, et ex toto animo hanc pacem promoveat, ex illorum mentibus, quoad poterit, auferre. Quod facile faciet, illis præcipue, et ordinate omnes tractationes, quas circa hanc pacem sua Sanctitas fecit, narrando, eamdemque justificationem de Concilio addendo; de quo juxta suæ Sanctitatis Bullam, summariam rationem reddere poterit, illis declarando, ultimam suspensionem Concilii Tridentini factam fuisse, causa satis clara impossibilitatis celebrationis, cum tota Christianitas ab intestinis externisque bellis, ut satis notum est, arderet et vere nomen Concilii contemni videretur, et sic remedium unicum et valde efficax malorum omnium vanum existimaretur, cum Sedis Apostolicæ legati per octo continuos menses, absque eo quod ulla Concilii forma appareret, expectarunt: tamen certos eos reddere poterit, Suam Sanctitatem non revocasse animum, nec locum Concilii, nisi quando ob publicum bonum aliter existimaretur, et firmata pace et armorum induciis, totus animus et diligentia in hac celebratione posita erit. Circa istum Concilii articulum, bonum consilium erit, nuntium curare, ut cardinali Moguntino, archiepiscopo Salisburgensi et Trevirensi placeat, istam suæ Sanctitatis mentem notam facere suis suffraganeis episcopis et imperii principibus: etiamque episcopo Augustano, ut hoc negotium assumat, præcipere, quia multum ista justificatio et exhibitio ante Dietæ imperialis coadunationem valebit, etiamque si cardinalis Moguntinus judicabit expedire, cum sit animorum volubilitas maxima, archiepiscopo Coloniensi, vel saltem ejus suffraganeis nuntiare, et quomodocumque sit, utile valde est, ut talis opinio juxta veritatem imprimatur in animis non solum episcoporum, sed etiam principum sæcularium, et Ecclesiasticorum, qui ad Dietam convenire debent, et etiam inter populos promulgare.

« Et quia aliquis sæcularis princeps de abusibus, quos esse in Dei Ecclesia, et præcipue in hac Romana aula dicent, nuntius semper quod verum est affirmabit, suæ Sanctitatis tempore non irrepsisse, nec ejus voluntatis esse eos confirmare, quinimo ut hi abusus tollantur valde desiderare, qua de causa Concilium semper maximopere optasse; sed animadvertat querelam facient nuntius, et abstineat se a contentionibus circa istos abusus, et circa fidei Catholicæ dogmata, quia in præsentiarum istud non est suum negotium : et tantum de his rebus loquetur, quantum ad modeste defendendam veritatem sufficit, simulque hoc modo animas illorum, cum quibus de his loqui oportuerit, ædificare curabit.

50. « Quando nuntio acciderit alicui mandata exponere, quoad poterit, ipse per se et non per interpositam personam faciet, et præcipue cum Guillelmo et Ludovico ducibus Bavariæ, qui forte simul morabuntur, sic se geret.

« Et postea comiti Friderico Rheni Palatino, qui cum in dietis præsidere loco imperialis gubernatoris soleat, magni ejus persona est facienda, nomine Suæ Sanctitatis dicet, Suam Sanctitatem semper in memoria res Daniæ retinuisse, ob quas etiam inter dictos duos principes pacem desideravit, qua firmata, illud regnum pro sua persona esse recuperandum, firmiter credendum est. Postea ad electorem Palatinum, ut imperii præcipuam partem, accedet : illique significabit, Suam Sanctitatem auctoritati et prudentiæ suæ in negotio pacis et in rebus Germaniæ bene dirigendis valde confidere. Poterit etiam prædictis ducibus Bavariæ et archiepiscopo Moguntino animum suæ Sanctitatis confirmandi, et magis firmandi fœdus Catholicum clare exprimere, significabitque etiam, cardinalem Farnesium habere in mandatis, et auctoritatem omnia quæ oportebit concludendi, et hoc idem ducibus Bavariæ notum facere poterit. Non deerit nuntius, quando occasio aderit, omnibus episcopis, cum quibus in itinere conveniet, juxta supradictam informationem, suadere, et præcipue animum eis addere, et demonstrare, quod si in dieta de religione agetur, tota eorum dominatio et spiritualis et temporalis in discrimen ventura sit. Postquam cum comite Palatino egerit, ad cardinalem Moguntinum accedet, cui omnibus amoris declarationibus paternum Suæ Sanctitatis erga eum affectum ostendet, et quod pro religione usque ad hoc tempus operatus est, commendabit, etiamque ut imposterum perseveret hortetur, ei ostendendo, hoc sui esse muneris, et quia est cardinalis, et quia præcipuus imperii elector, et Magdeburgensis archiepiscopus, qui est primus Germaniæ, cum ex illa perillustri familia Magdeburgensi originem trahat, quæ semper Catholica et veræ religionis auxiliatrix fuit; postea rogabit, ut suum credentiale Breve marchioni electori Brandeburgensi nepoti suo mittere placeat, notumque illi facere totum, quod nomine Suæ Sanctitatis circa pacem, Concilium et Turcarum defensionem nuntiatum ei fuit, eumque adhortari, ut suos oratores pro pace mittat. Trevirensem postea urbem petet, eademque cum illo electore archiepiscopo communicabit, addetque ei, quod si pax cum rege Galliæ firmabitur, suæ regiones, quæ continua vexatione ob finitimas Cæsareæ majestatis laborarunt, pacem in Concilio assequentur. Et istis omnibus principibus, ad bellum dissuadendum et pacem promovendam, diuturnas populorum querelas, supra vires exactionibus præteritis oppressorum, et discrimina valde clara tumultuum et rebellionum populorum ostendat.

« Accedat postea Coloniam, vel Bonnam ubi Coloniæ archiepiscopus moratur, et cum ipso de pace generaliter aget, et de Concilio, cum omni certitudine ostendens, quam bonæ mentis sit sua Sanctitas erga ista duo puncta, etiamque pericula, in quibus versatur ob res Geldriæ demonstrabit, sicuti et multo magis propter discordias civitatis Coloniensis, religionis causa, super quas, quo sit animo, intelliget. Nuntius procuret illius cives certos reddere de optima Pontificis voluntate erga pacem et Concilium, laboresque quos ob istas res sustinet exponat, eosque hortetur constanter in vera religione permanere, quod officium agendum erit cum primariis senatoribus, quibus mos est, publicas personas ad eorum urbem accedentes inviscere, et cum clero præcipue.

« Sed nuntius animadvertat, quando necesse fuerit, ut aliquem principem alloquatur, longiorem producere viam, et sic diu proferre adventum in Belgium, uti esset ad archiepiscopum Salisburgensem et marchionem Brandeburgensem accedere : litteris eo eventu suppleat, communicans omnia, ut supra dictum est, cum ducibus Bavariæ et archiepiscopo Moguntino, et Breve cum Epistolis mittat, excusando temporis brevitatem et necessitatem conveniendi cum imperatore, et opportunas causæ cognitiones, juxta Suæ Sanctitatis mandatum, afferri curet. Et cum dictus nuntius simul erit cum ducibus Bavariæ et episcopo Augustano, notitiam sumet, ubi isti principes morentur, et dum, quia valde distantes cum eis convenire non possit, opera episcopi Augustani, affectione cum Sua Sanctitate conjunctissimi, utatur. Nuntius etiam debet ex Augusta vel Spira omnia nuntiare, Epistolasque Laurentio Bordogna tabellariorum præfecto Tridentum transmittere, eique imponere, quod si non adsit occasio præsens Epistolas ad Urbem transmittendi, illas Bononiam statim mittat, et si aliquod grave negotium acciderit, quod modo non est nostrum providere, proprium tabella-

rium cursoribus equis transmittat, juxta quod ipse nuntius judicabit negotium exigere. Spiræ episcopum Hildesheimensem inveniet, cui commissa est Cameræ imperialis Judiciorum reformatio, cum eo, qui fidelis est, et cui bene sunt notæ res Germaniæ, consilia communicabit, eumque confirmabit, ut in sua perseveret solita constantia, dicetque illi, Suam Sanctitatem ejus Ecclesiæ res apud Cæsarem, ut agat cum duce de Brunsvich, commendasse, et præcipiet iterum (quamvis in mandatis hoc habeat) cardinali Farnesio, ut hoc idem cum imperatore agat, et quia, sicut ipse desideravit, pro ipso ad imperatorem Breve scriptum fuit, illud ei assignabit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris, anno Domini MDXLIII, die ultima Novembris, Pontificatus sanctissimi domini nostri Pauli anno x ».

51. *Per litteras et nuntios paci principum Christianorum totus est Pontifex.* — De misso in Germaniam Sfondrato internuntio certiorem fecit Pontifex Ferdinandum regem Romanorum [1], significavitque periclitanti rei Christianæ unicam salutem in eo sitam, ut inter Carolum Cæsarem et Franciscum regem extinctis veteribus odiis pax firmissima sanciretur, ad quam conciliandam concitatissimis equis provolare internuntius jussus esset, qua sancita, et Turcica tyrannis ingravescens comprimi, et Concilium Œcumenicum ad Lutheranos ab impietate suscepta revocandos, morumque integritatem restituendam celebrari posset.

« Regi Romanorum.

« Charissime, etc. Ut a nostro officio, quoad nobis vita suppetet, nunquam desistamus, et miseram Christianitatem in extremum pæne adductam discrimen, modo quo possumus, nostræque interpositione auctoritatis juvemus, curam pacis inter serenissimum Cæsarem fratrem tuum et regem Christianissimum toties a nobis tentatæ in præsentia repetendam et resumendam duximus. Quandoquidem non alia via Turcis obsisti, et Universale Concilium per arma necessario interruptum resumi ac celebrari posse videmus, quod sane, nisi eisdem armis prohibeamur, omnino prosequi et celebrare intendimus, itaque ob hanc causam mittimus ad dictas Majestates dilectum filium Alexandrum cardinalem de Farnesio sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellarium, nepotem ac legatum nostrum. Cupientes vero in hoc sancto opere etiam a serenitate tua ac principibus Germaniæ coadjuvari, misimus in Germaniam dilectum filium Franciscum de Sfondrato electum Sarnensem nuntium ad hoc nostrum, ut per equos dispositos omni celeritate adhibita, cum omnis mora valde periculosa sit, insigniores principes nostro nomine adeat, et ad nos in hoc sancto opere coadjuvandum, suamque operam et auctoritatem apud ambas majestates interponendum hortetur, et requirat, deindeque pari celeritate usus, cum responsionibus ac litteris dictorum principum ad residentiam tui serenissimi fratris convolet, ut in tempore, quo dictus cardinalis legatus eo venerit, adesse possit, quæ omnia etsi plenius ex relatione nuntii apud te nostri, cui scribi fecimus, eras intellecturus, volumus tamen ipsi ad serenitatem tuam his nostris litteris perscribere, tuam serenitatem maxime hortantes et requirentes, ut pro tua sapientia perspiciens, quo in periculo tota Christianitas ex hujusmodi discordiis versetur, velis pro tua singulari pietate et regia sublimitate, utilitati communi consulere, animumque ejusdem serenissimi tui fratris ad pacis consilia reddere proniorem, quo et Universale Concilium celebrari, et pericula a Turcis impendentia, quæ omnibus quidem Christianis, sed tuæ præcipue majestati imminent, repelli possint, etc. Dat. Romæ XXII Novembris MDXLIII, anno x ».

Rogatus pariter est Joachimus Marchio Brandeburgensis, ut oratores pro urgenda pace transmitteret [1]:

« Dilecto filio nobili viro Joachimo Marchioni Brandeburgensi sacri Romani imperii principi electori.

« Dilecte fili, salutem. Quamvis nostra consilia, quæ ad suadendam inter Cæsaream et Christianissimi regis majestates concordiam semper sint directa, sicut omnibus apparere potuit, sæpius antea, ac nuper proxime, ex tanto inter easdem majestates armorum apparatu, ac pæne concursu interrupta fuerint, tamen, ut primum deductis in hyberna illorum exercitibus, armorum strepitus aliquantum quietos animadvertimus, ne unquam ab officio nostro desistamus, et miseram Christianitatem eo modo, quo possumus, nostræ interpositione auctoritatis apud ipsas majestates juvemus, nostrum officium suadendæ pacis resumendum, et hoc beneficio Hyemis utendum duximus, priusquam Vere proximo iterum illorum iræ atque arma in suam et totius Christianæ reipublicæ perniciem forsan erumpant, quod Deus Omnipotens dignetur avertere, etc. Dat. Romæ XXVIII Novembris MDXLIII, anno x ».

Extant eodem argumento litteræ [2] ad Ludovicum electorem comitem Palatinum Rheni, tum ad Fridericum comitem Palatinum, ad duces Bavariæ, ad Moguntinum cardinalem, ad Trevirensem, Coloniensem et Salisburgensem archiepiscopos, ut placato bello instaurataque concordia, Concilium Tridentinum celebrari posset.

52. De Alexandri cardinalis Farnesii legatione a Paulo III ad Cæsarem, et Franciscum

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 453.

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 444. — [2] Ib. p. 461.

Galliæ regem decreta, hæc memorat Angelus Massarellus [1]: « Non destitit (inquit) Pontifex, tum hortando, tum monendo, principum animos ad unionem revocare, quare reverendissimum dominum Alexandrum cardinalem Farnesium Apostolicæ Sedis legatum ad comitem, et Gallorum regem pro tractanda inter eos pace die XXI Novembris dicti anni in sacro Patrum senatu creavit ». Fit de ea mentio in Actis Consistorialibus, in quibus additur, accessisse ad Consistorium Cæsareum oratorem, et litterarum exemplum et instructionem regis Galliæ ad ducem Aurelianensem filium suum protulisse, in quibus landtgravii Hassiæ amicitia poscebatur, ostenderatque se paratum esse, Lutheranismum in ducatum Lucemburgensem inducere. Sic Acta : « Præterea lectum fuit ab oratore Cæsareo exemplar litterarum Francisci Galliarum regis, et ejusdem instructiones Caroli ducis Aurelianensis ad Hassiæ Lantgravium, quibus idem dux ejus societatem appetebat, seque paratum fore ostendebat Lutheranismum in ducatum Lucemburgensem introducere, requisitisque reverendissimorum cardinalium votis, rejectum est negotium in aliud consistorium, cum res tanti ponderis maturiore deliberatione indigeret ». In ista eadem congregatione cardinalis Parisius, sic jubente Pontifice, disseruit super Pragmatica libertati Ecclesiæ obnoxia a Cæsare in Hispania edita. De scripturis autem contra regem Galliæ, cum exemplaria et non originalia essent, decretum fuit, ut legatus et nuntius de istis querelis verba facerent, audirentque quomodo se a culpa liberarent, legatoque ad reginam Galliæ imperatoris sororem sequentes litteras ejusdem legati commendatitias traditæ fuerunt [2] :

« Reginæ Franciæ.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem. Semper intelleximus quantum tua majestas discordiis viri et fratris tui dolens, studio pacis inter eos conciliandæ flagraverit, non modo amantissimæ uxoris atque sororis, verum etiam pientissimæ ac præstantissimæ reginæ officium peragens, et Deo acceptissimum præstans obsequium, quamobrem, cum sicut necessitas afflictæ Christianitatis postulat, in præsentia pacem inter illos toties a nobis tentatam denuo repetere, ac suadere, quantum in nobis fuit, annitamur, atque ob hanc causam dilectum filium Alexandrum cardinalem de Farnesio vicecancellarium nepotem ac legatum nostrum, ad eosdem mittamus, hortamur et rogamus serenitatem tuam in Christo Jesu, et omni quo possumus affectu ab ea petimus, ut operam, studium et auctoritatem tuam ad nos in hoc opere tam sancto ac laudabili apud eosdem virum et fratrem tuos, coadjuvandum enixe interponere velis, omnique cura contendere, ut hæc sanctissima pax conficiatur, quam si a Deo consequi medio tuæ serenitatis merebimur, nihil erit majestate tua, vel apud homines illustrius, vel apud Deum dignius, cui post terrenum regnum etiam cœleste concedat, etc. Datum Romæ XXVIII Novembris MDXLIII, anno X ».

53. *Solemnes supplicationes indictæ.* — Tot calamitatibus attritum fuerat Christianum imperium, ex civili Hispanorum Gallorumque bello, ut ducenta et amplius Christianorum millia iræ et ambitioni principum suorum immolata in variis præliis, ex quo Carolus V et Franciscus I mutua odia contraxerant, ceciderint, ac Turca ex iis dissidiis insolescens, plures provincias subegerit, atque hæretici efferatiores effecti, venena latius propagaverint, quare ad placandam divinam iram indictæ sunt a Pontifice solemnes supplicationes, noxarumque venia oraturis Deum pro instauranda principum conjunctione proposita, ut Diaria [1] horum temporum referunt :

Cæterum cum in tanta hæresum dissensione bellorumque tempestate, tantisque excitatis fluctibus, viribus suis non satis fideret Pontifex, cogitatus suos in Dominum conjecit, publicasque processiones et preces die XI Decembris præfati per universum Christianum orbem indixit, totque indulgentias pro hac principum unione et pace orantibus, concessit, quot vigesimo quinto quoque anno Jubilei tempore Apostolorum principis limina visitantibus tribui consuevere, necnon XVI ejusdem mensis Pontifex ipse, una cum reverendissimis dominis cardinalibus, qui tunc in Urbe viginti quatuor erant, et quinquaginta septem prælatis, totaque Romana curia, a palatio Apostolico ad Ecclesiam Divi-Petri per civitatem Leoninam profectus est ».

54. *Henricus Angliæ rex bellum movet contra regem Scotiæ.* — Appetierat bello Henricus Anglus Jacobum V Scotiæ regem, cum variis artibus ad impietatem pellicere atque ab obsequio Pontificis divellere frustra pertentasset, ob patrata enim scelera suspicacis ingenii princeps, subditisque, quos tyrannide attriverat, exosus, metuebat, ne conversis rebus, ex Scotia ad eum evertendum bellum moveretur (1). At Pontifex lacessitum ab hoste Scotiæ regem omni

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIII. p. 422. — [2] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 450.

[1] Ex. Diar. Concil. Trident. Angel. Massarell. Ms. arch. Vatic. pag. 33.

(1) Infelix Scotorum cum Gallis prælium anno MDXLII Decembri mense commissum est; tantusque ejus amissi dolor Jacobum regem corripuit, ut non diu post, nempe tertiadecima Decembris interierit, quod ex Buchanano notat Calvisius. Litteræ igitur Pontificis hic in Annalibus recitatæ post Jacobi regis obitum scriptæ sunt, cum Romæ de morte ejus ac tristi pugnæ eventu nuntium nondum pervenisset, quod sane mirum est, cum a commissa pugna usque ad diem IX Januarii mensis plenus intercesserit. Porro Jacobus annis XXIX et mensibus tribus regnavit. Hæreditas devoluta est ad Mariam infantem ante octiduum natam, cujus tutela ex patris voluntate iis commissa, de quibus in Annalibus. MANSI.

præsidio adjuvare enisus est, sacerdotumque decumas illi addixit, ad quem has litteras [1] antequam acceptæ cladis et contracti lethalis morbi fama in Urbem afferretur, transmisit.

« Regi Scotorum.

« Nuper cum audissemus perditionis et Sathanæ filium Henricum, qui pro rege Angliæ se gerit, bellum tibi, quod antea Deo et virtutibus intulerat, intulisse, ægerrime scilicet ferentem, quod te, quem sæpissime tentavit, secum in perditionem trahere non potuerit. Nos hac honesta et justa occasione se nobis offerente, sponte ipsi nostra, ac te nihil nunc a nobis petente, sex decimas fructuum Ecclesiasticorum unius biennii in tuo regno imponendas, et in hujus belli subventionem ac tui regni defensionem convertendas duximus, illarum generalem collectorem dilectum filium nostrum cardinalem Scotiæ deputantes, sicut ex aliis nostris litteris Majestati tuæ plenius constabit, ex quo apparere potest, nobis, qui eadem nunc fecimus quæ superiori anno denegavimus, honestam tunc facultatem defuisse potius, quam voluntatem, atque utinam, fili charissime, facultates Sedis Apostolicæ non essent ita attritæ atque exhaustæ (sicut non ignoras) certe non destitissemus hinc quoque, missa pecunia, serenitati tuæ opitulari, sed tamen te in bona spe esse volumus, quod si necesse fuerit (quod Deus avertat) nos tibi etiam de amplioribus decimis tui regni, et de proprio nostro subsidio, quantum nobis licebit, non deerimus, cum pro te tanquam præstantissimo rege ac pientissimo filio nostro, et contra illum communem hostem omnia facere cupiamus et debeamus. Tu ergo memor tuæ causæ, imo Dei Omnipotentis, quam tueris, alacriter procedas, ac fortiter prælium Domini præliaturus, ipse enim Dominus, cujus interdum auxilio unus mille et duo fugant decem millia tibi deesse non poterit, sicut speramus, cum tu honorem ejus Ecclesiæ, reverentiam, fidei sinceritatem in tuo regno conservaveris et defendas, quas e contra ille tot sceleribus et crudelitatibus fœdavit, ac de suo penitus ejecit. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die IX Januarii MDXLIII, anno IX ».

De indictis decumis extant ad clerum Scotiæ litteræ, in quibus hæc ratio dati mandati exprimitur [2] : « Rex Henricus nihil aliud molitur, nisi ut regnum Scotiæ occupet, et Catholicam ac Orthodoxam Fidem in eo, sicut in Anglia fecit, destruat ». Quod vero ad prosperos successus ejus belli exspectatos a Pontifice, visum est aliter Deo, qui gravissimis calamitatibus pios interdum exercet, quod a Propheta prædictum est [3] : *Quoniam propter te mortificamur tota die, æstimati sumus sicut oves occisionis.* Fusus est enim ingenti clade Jacobi regis Scotiæ exercitus, ex qua tantum dolorem cepit, ut contracto morbo lethali, brevi extinctus sit, relicta filia Maria regni hærede, ac testamento Betonium cardinalem S. Andreæ, ac tres alios regno administrando præfecit. Verum... Araviæ comes regni procurationem invasit, ac cardinalem captum custodiæ tradidit, de quibus adversis Pontifex his litteris condoluit [1] : « Sumus maximo constituti in mœrore, quod illum præstantissimum et omni laude dignum regem (nempe Jacobum) alienissimo sui regni tempore, quod orbatum belloque implicitum reliquit amisimus, tum quod ea spes conservandi illius regni, quam in te in primis habuissemus, ea nos in præsentiarum destituit, te in potestatem perfidorum redacto, etc. Dat. Bononiæ XXV Martii MDXLIII, anno IX ».

Misit vero Pontifex in Scotiam Marcum Patriarcham Aquileiensem, ut pro tuendo regno, asserenda fide Catholica, ac ..... Betonio cardinale in libertatem vindicando operam conferret.

55. Cui instructio tradita fuit, continens ea, quæ cum rege Galliæ agere debebat, cujus consilio nuntio in omnibus uti præcipiebatur, et inter cætera talia habuit mandata, scilicet [2] : « Notam faciat facultatem exigendi a clero regni sex decumas, ut petitioni, de qua demortuus rex supplicaverat, satisfactum sit, adhortabiturque clerum, ut libenter eas persolvat, curabit cum consilio reginæ et regni gubernatoribus, ut unus vel plures homines probi et bonæ existimationis et famæ, uti thesaurarii earum decumarum eligantur, illisque pecunia exacta custodienda tradatur, posteaque arbitrio reginæ et regni gubernatorum, expendatur; urbanitates graves et affabiles, sed non nimis exquisitæ sint; facultates concessæ, ad honorem Dei, ædificationem populorum, et utilitatem regni solummodo serviant, quapropter super tuos ministros vigiles, ne avaritia excæcati aliquid extorqueant, et in hac re cardinalem Polum, et alios, qui annis præteritis, legationis et nuntiaturæ munus illis in regnis exercuerunt, tibi proponas ad imitandum ». Et inter multa Brevia quæ illi Pontifex ad principes Galliæ et Scotiæ dedit, subjectum fuit ad regni gubernatores directum [3] :

« Venerabili fratri et dilectis filiis tribus deputatis ad regimen Scotorum.

« Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem. Superioribus mensibus cum esset ad nos allatum de bello per Henricum pro Angliæ rege se gerentem, contra claræ memoriæ Jacobum regem vestrum moto, nos, qui ipsum Jacobum tanto amore prosequebamur, quanto ejus erga Deum pietas, sincerusque in religione animus postulabat, ut ipsum ac regnum ejus aliqua ope juvaremus, ultro ipsi sex decimas super fructibus Ecclesiasticis istius regni ad defensionem

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX p. 57. — [2] Ib. p. 7. — [3] Ps. 43.

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 81. — [2] Ms. card. Spadæ to. XV. p. 705. — [3] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 222.

ejusdem regis ac regni, imposuimus, litterasque nostras complures tum super ipsa impositione, tum ad ipsum regem, atque etiam ad dilectum filium nostrum cardinalem S. Andreæ, quem collectorem ipsarum decimarum deputabamus, directas, istuc misimus, additis etiam alteris litteris, per quas de adversariis vestris repulsis eisdem regi ac cardinali gratulabamur, sed heu! miserabilem humanarum rerum instabilitatem, paucis post diebus, nostrum illud gaudium in amarissimum luctum versum est, illius præstantissimi ac pientissimi regis obitu primum, deinde etiam captura dicti cardinalis auditis, quæ nobis animum gravi doloris aculeo merito vulnerarunt, non solum immaturam talis regis mortem, indignumque ipsius cardinalis casum miserantibus, verum etiam anxiis et sollicitis de salute istius regni, quod quidem ob ipsius fidem erga regem et religionem erga Deum, omni laude dignum, specialique nostra dilectione et cura prosequendum existimamus. Novissime per nos audito, quod ipsius regni status vos ad ejusdem regni regimen interea deputarunt, dolorem nostrum non parum mitigavimus, sperantes, quod idem Deus, cujus nutu ad hanc vestram deputationem illi impulsi fuerunt, vestro felici regimini, et ipsius regni securitati clementer aspirabit : unde nos pia ac paterna cura de isto regno incensi, ne vobis et eidem regno in eo auxilio decimarum, quod vivente rege decreveramus, nunc cum illud magis necessarium vobis est, desimus, cum ea spe quam in dicto cardinale habere potuissemus, simus frustrati, mittimus istuc dedita opera venerabilem fratrem Marcum patriarcham Aquileiensem latorem præsentium, virum prudentia, nobilitate ac dignitate insignem, et cujus opera in aliis gravissimis rebus usi sumus, collectorem decimarum prædictarum in locum ejusdem cardinalis, cum opportuna facultate deputantes, ei mandavimus, ut dictas decimas diligenter exigi, exactasque penes idoneum depositarium a vobis eligendum deponi, fideliterque in defensionem et securitatem istius regni juxta providam ordinationem vestram expendi, ac dicti cardinalis liberationem, si nondum liberatus sit, omnibus modis apud vos curet, generaliterque quacumque in re nostram auctoritatem, et suam operam esse putaverit utilem ad ejusdem regni tutelam pie ac sedulo vobis nostro nomine impartiatur, etc. Datum Bononiæ XXV Martii MDXLIII, anno IX ».

Restitutus est libertati Gallicis auxiliis a Francisco rege submissis cardinalis Betonius, atque Henrici Angliæ regis grassationes compressæ sunt : exarsisse vero postea maxima de religione dissidia, pietatisque Catholicæ in eo regno nitorem defloruisse visuri sumus.

56. *In Poloniam se hæretici intrudere tentant.* — In Polonia res Catholica novatorum artibus insidiisque adducta est in discrimen, significavit enim internuntius Pontificius [1], moliri nonnullos hæresi pandere aditum, novisque rebus studere, ac si seniorem regem e vivis tolli contingeret, periclitaturam Poloniam, ne ob arces minus munitas, dissensiones civiles, Turcica irruptione vastaretur : ad novatorum vero nefaria molimina evertenda, Pontifex Sigismundum seniorem hortatus est, ut partam Catholici principis in Polonia ab hæresi vindicanda gloriam tueri pergeret, Apostolicæque Sedis auctoritatem integram illibatamque contra nonnullos proceres novarum rerum cupidos, assereret, obstaret impiis initiis, atque ex Germaniæ incendio infelici edoctus, primas dissensionum in Polonia oriundarum faces extingueret [2] :

« Regi Poloniæ.

« Charissime, etsi laudatione potius quam hortatione cum tua majestate uti debeamus, propterea quod cum superiore anno ad te scripsissemus ne jus et auctoritatem hujus sanctæ Sedis, sicut a nonnullis ex proceribus et sæcularibus tui regni attentabatur, imminui patereris, fructum optatum tuaque majestate dignum retulimus; tamen cum illos eosdem in proximo Petricoviæ conventu idem conaturos esse nobis significatum fuerit, existimavimus id, quod illi clam a tua majestate (sicut credimus) moliuntur, ad majestatis tuæ notitiam per nos esse deducendum; non enim, fili charissime, Sathanas dormit, sed fremens ac rugiens invidia et dolore ardet, quod quanquam finitimis fere omnibus perniciosa hæresi contaminatis, tuum tamen regnum, cura ac pietate majestatis tuæ videt esse incolume, proptereaque his paulatim initiis pertentat, ut idem tuum regnum in eamdem vicinorum trahat ruinam, quod Deus Omnipotens avertat, et majestate tua tuoque nato pientissimo rege viventibus, timere non posse confidimus : sed tamen cum omnis mutatio ac novitas, præsertim in his quæ ad Religionis obedientiam pertinent, periculosa sit sicut ex propinquo Germaniæ incendio majestas tua perspicere potest, nos propterea, quamvis illam abundare sciamus sapientia, et flagrare pietate, nec egere cujusquam monitis in his quæ recte agenda sunt, eamdem majestatem tuam paterna benevolentia et charitate per Dominum Jesum requirimus, hortamur et rogamus, ut repressis suorum hujusmodi conatibus eamdem in suo regno Apostolicæ Sedis reverentiam, juriumque ejus conservationem fovere velit, quam a suis accepit et ipsa hactenus pie custodivit; si hoc fecerit, longævam ætatem, præstantissimumque filium regni hæredem, foris victorias, domi tranquillitatem, ubique felicitatem a Deo consecutura est in terris, nec dubitamus quin post vitam tam pie actam majora consequatur in

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 374. — [2] Ib. p. 385.

cœlis. Datum Velitris die xv Septembris MDXLIII, anno IX ».

57. *Petri Vermilii defectio a fide.* — Hoc anno Petrus Vermilius Canonicus Regularis, Theologicis artibus et litteris Latinis, Græcis et Hebraicis excultissimus, et sacræ eloquentiæ laude florentissimus, ex impiorum librorum lectione hæresim adeo avide suxit, ut ad hæreticos transfugiens, cathedram pestilentiæ conscenderit, atque inter impios claritatem flagitio collegerit, apud quos Martyris nomen falsum sibi ascivit : digessit vero scholastico more hæreticas argutias orthodoxamque religionem acerrimi ingenii contentione oppugnavit, adeo ut etiam Calvinum improbitate æquaverit vel vicerit. Vocatus is fuerat in judicium ob errores Neapoli sparsos, sed nimia in eum adhibita clementia abusus, et Lucam relegatus, eam urbem maxime infecerat, ad quam cum Pontifex se conferret, metu percitus Genevam provolavit : nec defuere in religiosis Ordinibus plures hypocritæ, qui a vera pietate aversi hæresim simplicibus afflare niterentur, ad quæ mala avertenda Pontifex ordinum comitia celebrari jussit, atque in iis suspectos de hæresi a publicis muneribus dimoveri, tum a concionum habendarum exhomologeseonque audiendarum officio inhiberi, qua de re Congregationis Lateranensis Canonicis Regularibus, qui Placentiæ, et Prædicatoribus qui Parmæ, et Minoribus Conventualibus qui Anconæ, et Augustinianis qui Romæ congregandi erant, subjectas litteras dedit [1] :

58. « Dilectis filiis Hieronymo Scripando priori generali, ac definitoribus, et vocalibus, cæterisque Ordinis Eremitarum S. Augustini in capitulo generali dicti Ordinis Romæ proxime congregandis.

« Dilecti filii, salutem. Cum instigante Sathana, Lutherana hæresis (quod dolenter referimus) quotidie pullulet, atque ejus mali causa a verbum Dei prædicantibus, qui venena hujusmodi in miseros auditores spargunt, plerumque procedat, ideo, filii dilectissimi, convenientibus vobis in unum, ut capitulum generale vestri Ordinis de more celebretis, inter cætera ad officium vestrum, ad Dei honorem, ad animarum salutem pertinentia, hoc in primis curandum et omni opera satagendum vobis est, ut singulos vestri Ordinis, quos verbo Dei prædicando, et confessionibus etiam audiendis præficere consuevistis, diligenter excutiatis, illorumque famam, sensus et voluntates sedulo perscrutemini, et quos hac hæresi infectos, aut de ea quomodolibet suspectos cognoveritis, ab officio prædicationis et confessionum audiendarum penitus amoveatis, imo etiam canonica pœna tanquam morbidas oves afficiatis ne sanas inficiant, et in eorum locum illos substituatis, qui hac suspicione omnino careant ; his vero, quos substitueritis, vel alias deputaveritis, certam formam ac normam præscribatis, quam egredi in prædicando non possint. Denique taliter in hoc provideatis, curam adhibeatis ita sollicitam ac diligentem, ut deputatorum a vobis peccatum culpa vestra non sit, utque nobis, qui cum nostris prædecessoribus hæc officia prædicandi et confessiones audiendi in vestro Ordine, aliis tunc bene utentibus, hactenus manere permisimus, nunc vobis et aliis abutentibus, necessarium non sit, ut ipsa officia ad alios melius usuros transferamus ; sed hæc vestræ charitatis admonendæ gratia a nobis dictum sit, non quod de sinceritate universali vestri Ordinis dubitemus, sed tamen, si hæc cura atque solertia, in initio hujus mali fuisset adhibita, nunc certe tam periculose non laboraremus. Vester igitur Ordo semper fidei Catholicæ Sanctæque Ecclesiæ defensor ab his zizaniis et sentibus repurgandus vobis est, ut solito splendore niteat, utque non solum isto capituli habendi tempore, verum etiam postea, assidua et jugi cura invigiletis, ut deputati a vobis ad utrumque officium illud catholice ac pie, juxta sensum Universalis Ecclesiæ exerceant, et novas atque hæreticas opiniones nec recipiant ipsi, nec aliis sua venena propinent ; quod si qui in hunc errorem labantur, statim a vobis arripiantur ac debite puniantur, ut ipsorum pœna aliis transeat in exemplum, atque ut hæc efficaciter, sicut vestri est officii, faciatis, vos hortamur, monemus et in virtute Sanctæ obedientiæ per Apostolica vobis scripta præcipimus, acrius provisuri, nisi feceritis. Datum Bononiæ xxx Martii MDXLIII, anno IX ».

59. *Georgius David hæresiarcha.* — Hoc anno Georgius David Major in Frisia hæresiarcharum numerum auxit, fascinatus enim a Dæmone etiam magicis artibus imperitam plebem adeo fascinavit, ut tamquam novus Christus ab ea coleretur, ac mulierculæ se beatas prædicarent, si ab eo contaminarentur, de quo hæc Surius [1] : « Ille insanus non dubitavit se Dei nepotem appellare, cum feris et avibus, quocumque esset collibito idiomate colloquia miscuit, et ab illis alimenta accepit, haud dubio præstigiis et Dæmonum opera usus. Aiebat Cœlum esse vacuum, se divinitus missum, ut regni hæredes accerseret, multaque id genus alia ridicula et absurda, quibus tamen non defuerunt, qui fidem commodarent, ut est hoc sæculum pudenda levitate et plusquam anili stoliditate avidum, in res novas quantumcumque alioqui absurdas et impias ». Sed ab impio ad piissimum sermonem traducamus.

60. *S. Francisci Xaverii miri labores in India.* — Hoc anno S. Xaverius [2], Goa profectus,

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 196.

[1] Sur. in Com. — [2] Hor. Turs. S. Franc. Xav. Vit. l. II. c. 5.

ad Paravas Malabares Promontorii Comorinensis accolas, gemmarum piscatores, ut eorum animas pretiosiores gemmis piscaretur Christique coronæ adderet, barbarum populum fide Christiana excoluit. Tota regio triginta constabat insignioribus oppidis, ac viginti ex iis millia sacro quidem baptismo fuerant initiata, sed divina prorsus ignara lege, destitutaque a sacerdotibus ob sterilitatem loci; magna vero adultorum infantiumque multitudo adhuc Baptismo abluenda supererat, necnon decem oppida adhuc in idolorum cultu perstabant : maximos vero labores interprete usus in iis Christo aggregandis erudiendisque sanctissimus legatus pertulit : accedentes ad fidem quotidie salutari unda abluebat, idolorum sacrificia impediebat, sponsos sponsasque rite in matrimonia collocabat, dissidentes revocabat ad pacem, Christianæ disciplinæ capita in Malabaricam linguam conversa cum mandasset memoriæ, mox tintinnabulo puerorum greges ac virorum cogens obibat, coactis in unum locum eadem inculcabat, puerorum etiam opera usus, ut suos quisque parentes, cognatos, domesticos vicinosque omnes paulatim docerent ea quæ in schola didicissent. Si alicubi idola coli accepisset, contracta puerorum manu, eo contendebat, eaque confringi, conspui conculcarique pedibus curabat, dæmonisque cultum vertebat in ludibrium : tantus vero numerus sacra Christiana capessentium fuit, ut inter baptizandum, manibus brachiisque defatigatis, sæpe langueret, vicos enim totos, non semel, singulis diebus expiavit, confirmavit vero Deus insignibus miraculis prædicatam ab eo fidem. In Tutuchurino pago honesta mulier tertium jam diem difficultate partus periclitata, cum inanes deos frustra implorasset, a Francisco Xaverio, qui cum interprete occurrerat, utque (desperata corporis salute) animæ consuleret, baptizata, mox innoxia fœtum effudit, atque e moribunda vegeta evasit, quo miraculo primum domestici, dein oppidani Christo nomina dedere, multi (ab eo recitato Evangelio) ægroti sanati, multi energumeni liberati. Tres etiam in eodem Comorinensi tractu mortui ad vitam revocati, ut narrat Tursellinus ex fide dignissimis monumentis : « Punicale oppidum est in ora Commorinensi, haud sane ignobile. Hic adolescens quidam minime obscuro loco natus, mortem obierat, qui confestim ad Franciscum delatus a suis cum ingenti comploratione, ad ejus pedes ponitur, itaque eum Pater manu prehensum Christi nomine surgere jubet, ille continuo surgit, haud dubie redivivus. Id Xaverius humilitati suæ indulgens, quantum potuit, dissimulando suppressit, sed frustra, neque enim testes præconesque magnæ rei defuere, et huic miraculo consimile deinde adfirmavit fidem. Ibidem Christiana mulier Franciscum adiit, et flens ac suam orbitatem deplorans, suppliciter obsecrabat, ut ad parvum filium suum nuper in puteo extinctum accedere, ne gravaretur, tum ille negans puerum esse mortuum, bono esse animo mulierem jubet : eique protinus morem gerit. Ad ejus tecta ubi ventum est, procumbit in genua, Deum aliquandiu precatus, exanime pueri corpus signat Cruce, extemplo exilit puer e feretro non vivus modo, sed etiam valens, enimvero circumstantes Christiani circumstrepere et miraculum clamitare. At Xaverius enixe eos obtestatus, ut rem omni ope tacerent, repente inde proripuit se. Cæterum illi, ut rem tam admirabilem silentio supprimerent, nequaquam sibi temperare potuerunt. Et Xaverii dissimulatio illustriorem insuper ejus sanctimoniam fecit. Porro Joannes Triaga Lusitanus (ut de aliis taceam) vir juxta pius et gravis, idemque Francisci familiaris, post ejus discessum a Goani episcopi vicario rite interrogatus, pro testimonio dixit : Punicali interfuisse se, cum Franciscus puerum quemdam, itemque puellam revocaret ad vitam. Accepisse etiam se a multis, alium præterea ab eodem in vico, cui Bembari est nomen, a mortuis excitatum. De quo interrogatum ab se Xaverium ita rem humilitatis studio suppressisse, ut tamen suppressa veritas emineret, et hæc satis testata, atque ab Indiæ prorege Lusitani regis jussu conquisita obsignataque penes nos habemus ». Cum deessent sacerdotes in ampla religione ad continendas in disciplina Christiana Ecclesias, quas constituerat, in omnibus locis singulos vel binos viros virtute præstantiores præfecit, qui vicem Curionum supplerent, Baptismi rationem iis tradidit, ut si necessitas urgeret, infantibus baptismalia sacra conferrent, Ædem sacram curarent, bis in die Catechismum tum Latino, tum patrio sermone, mane viris, post meridiem mulieribus repeterent, nuptias contrahendas de more promulgarent, connubiorumque impedimenta inquirerent, natorum eo anno puerorum numerum, vel habentium pellices vel simultates exercentium Xaverio referrent, ut his malis mederetur : ad eos vero stipendiolo sustentandos perfecit cum regina Catharina, ut vectigal, quod a Paravis in illius soccos et crepidas pendebatur, in pium hoc opus converteretur, persuasitque non alios soccos, quibus ipsa cælum scanderet, futuros aptiores, quam neophytorum preces. Sæpius Brachmanas in eorum superstitione confudit, paucos tamen horum ad fidem convertit [1]. Tanta autem in his locis Xaverii animum gaudia divina perfundebant, ut ingentis sui laboris, sollicitæque in proximos charitatis fructum quemdam vel in hac vita præripere, et in cœlo conditam prægustare mercedem sibi quodammodo

[1] Orlandin. l. IV. hoc anno.

videretur : et ille quidem, cum Romam ad suos scriberet, disertis verbis affirmavit tantam esse vim gaudiorum, quæ Deus in ea excolenda barbarie sedulo laborantibus elargiebatur, ut si quid esset solidi in hac vita gaudii, id unum ibi esse videretur. Idemque sæpius auditus est inter eos labores, cum cœlestis se jucunditas superfunderet, exclamare : « Quæso te, Domine, noli me tantis in hac vita obruere gaudiis, aut si pro tua infinita liberalitate, his me circumfluere omnino placet; transfer me hinc ocius in istas sedes, regionemque beatorum ».

PAULI III ANNUS 11. — CHRISTI 1544.

1. *Cæsar pacis verba respuit et ad comitia Spiræ cogenda se convertit.* — Horrendi bellorum fragores detonuere in Christiano imperio, anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragesimo quarto. Sed demum divino imperio, fulgurantis cœli terrores in suavissimum concordiæ rorem abiere, ut redintegrandi Concilii expectatio reviviscere, et melior rerum spes reflorescere cœperit, in quo prophetæ oraculum illud suspexerunt pii : *Et statuit procellam ejus in auram, et siluerunt fluctus ejus, et lætati sunt, quia siluerunt.* Ut vero res gesta sit, ordinem temporis secuti eam percurremus.

Conciliandæ paci inter Cæsarem et Franciscum Galliæ regem ardentissimo studio navata est opera, decretusque a Pontifice legatus cardinalis Farnesius (ut vidimus) in Belgium se contulit ad Cæsarem; sed jam ille Belgio egressus, in Germaniam ad Spirensia comitia properabat, eumque in itinere consecutus, plurima cum eo de redintegranda cum Galliarum rege concordia, pro publica Christiani imperii salute asserenda, pro Lutherana hæresi comprimenda, pro cogenda Œcumenica Synodo, pro coercenda frangendaque Turcica tyrannide verba fecit, quibus Cæsar ira vehementiore in Gallum, qui Solymannum adversus Christianos cum æterno sui nominis dedecore concitarat, elatior, aures clausit, omnemque pacis actionem disjecit : cumque Vormatiam pervenisset, legatum re infecta a se dimisit, de quo Pontifex expediti cursoris opera factus certior decrevit VIII Januarii ineuntis hujus anni in ea causa gravissima, in qua Christianæ rei salus vertebatur, posthac non ut patrem et pastorem se gerere, sed judicis munus exercere, ut docent Acta Consistorialia : quibus addit Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini Farnesium cardinalem legatum reversum in Urbem, eamque prima die Martii ingressum.

2. Omni itaque pacis tractatu dissoluto imperator ad comitia imperii Spiræ agenda, quæ jam ad kal. Novembris anni præteriti indixerat, se convertit. Celeberrimi fuere ii conventus Spirenses, quibus non modo Carolus V imperator, sed etiam Ferdinandus Romanorum rex, et electores omnes interfuere, et Germaniæ principes fere universi, et in hac dieta Fridericus elector Saxoniæ Ferdinandum Cæsaris fratrem, ut regem Romanorum agnovit. De hoc conventu ita Surius [1] : « Cæsar hujus anni initio e Belgio Spiram proficiscitur ad imperii ab ipso indictum conventum, qui quidem cum primis celebris fuit, præsentibus illic electoribus omnibus, quod raro fieri solet, et ipso quoque Ferdinando rege, et principibus plerisque omnibus. In hoc conventu Cæsar contra Gallicum regem ab omnibus imperii ordinibus grandem pecuniæ summam in sex menses impetrat : cum Daniæ rege, qui cum Gallo fœdus percusserat contra ipsum omnino transigit. Saxoniæ quoque elector Ferdinando regi observantiam promittit ».

His addit Belcarius [2] : « Etiam Spiram misit Franciscus rex Galliæ, ut tesseram liberi aditus legatis suis impetraret; Cæsarem enim de se apud imperii ordines questurum prævidebat; legati autem (hi erant : Joannes Bellaius cardinalis, Franciscus Olivarius, qui postea cancellarius fuit, Africanus Melleius prætor Divio-

[1] Hoc anno in Comm. — [2] Lib. XXIII, LIV.

nensis) jam nuntium appulerant. Heraldus solemni veste indutus, regis litteras ad Cæsarem atque imperii ordines scriptas Granvellano offert. At jussus redire domum, ne quis cum illo quicquam communicaret, adhibita custodia, quatriduo post graviter increpitus dimittitur, in magnum capitis periculum incurrisse, cum rege enim Germaniæ hoste, jus gentium in Germania haud esse communicandum, Cæsarem litteras ejus nec velle, nec recipere debere, ne propter vana ejus promissa nonnulli circumscribantur. Itaque cum cæteris remissus est, re cum principibus imperii non communicata, quod a Germanorum conventuum more alienum fuit. Redeunti comites dati, qui nuntium usque deducerent, quo responso accepto, regis legati in Galliam revertuntur. Interim dum nuntii heraldi reditum præstolarentur, Christierna Christierni Daniæ regis filia, Cæsaris e sorore neptis, Antonii autem Lotharingiæ reguli nurus, Spiram, socero instigante, pacem procuratura concessit; ut quam Antonius non potuerat, ac ne quidem Paulus ipse summus Pontifex, precibus et lachrymis obtineret : quanquam enim Antonius neutram in partem inclinaret, idque ut sibi liceret longe ante impetrarat, tamen sine gravi provinciarum suarum jactura bellum istud geri non posse sapienter providebat. Cæsar consiliorum suorum pertinax executor in instituto suo perstitit. Quinto idus Februarii nonnulli imperii principes, Cæsare admonente, litteras ad Paulum Pontificem scripserunt, ut Allobrogis opem ferret, neque munitissimam Niciæ arcem in Turcarum potestatem venire permitteret, quin potius classem Turcicam e nostro mari expelleret, quarto kalend. Martii respondit Paulus », cujus litteras hic subjicimus [1] :

3. *Paulus ad conventus Spirenses rescribit se defensurum Niciæ arcem, et aliunde Christianitatem totam illis commendat.* — « Dilectis filiis nobilibus viris sacri Romani imperii principum electorum consiliis, aliisque principibus, statibus et ordinibus, absentiumque oratoribus et commissariis in comitiis imperialibus Spirensibus congregatis.

« Dilecti filii nobiles viri, salutem. Legimus libenter litteras vestras defensionem arcis Niciæ nobis commendantes, quod enim ex nobis ipsis et egimus superiore anno efficaciter, et agere in præsenti, quantum nobis licuerit, intendimus; gaudemus etiam in eo nos nobilitatibus vestris tanquam amantissimis filiis, et ea dignitate principibus gratificari, quibus sane pro nostra in eas dilectione semper gratificatum cupimus, sperantes etiam illas pro sua ingenti pietate insignique auctoritate, qua apud omnes merito pollent, sicut hujus Niciensis, ita cæterarum Reipublicæ Christianæ partium generalem curam suscepturas esse, perinde ac vestra dignitate et Romani imperii fulgore dignum est, ac nos quidem jam inde ab initio Pontificatus nostri, quales nos pro communi salute contra hunc communem hostem gesserimus, omnibus notum est, in omnium enim oculis gestum est, utque omittamus sigillatim recensere tot auxilia, milites, duces, classes contra eumdem hostem in Austriam, Hungariam, Africam, tam frequenter a nobis missa, brevi comprehendemus, nullum nostri Pontificatus tempus, quod decennale jam est, a nostra hujus hostis submovendi et Christianorum cervicibus repellendi continua cura vacavisse, tantumque auri a nobis in hoc ipso negotio fuisse profusum, in diesque profundi, quantum exhaustæ nostri ærarii vires (antea quoque per se attenuatæ) optime sentiunt, eaque fecimus et facimus in maximis Apostolicæ Sedis jacturis, obedientiaque, et auctoritate ejus tot in locis, vel prostrata penitus, vel insigniter diminuta; quid vero interea laboris, et sollicitudinis pro communi Christianorum salute nos suscepimus, quam crebro nos itineri dedimus, legatos et nuntios nostros, quos sæpe ob eamdem causam misimus, longum est censere, quam inquietos nos in hac nostra ætate cum nostra curia habuerimus, ut aliis quietem et securitatem pareremus. Jam Œcumenicum Universale Concilium exoptatum a vobis et omnibus salutare et necessarium Tridenti pro foribus Germaniæ indiximus, ut et vestra inclyta natio tranquillaretur, et mores depravati reformarentur, et multa præterea necessaria, principumque in primis Christianorum concordia, Turcarumque repulsio in isto Concilio decernerentur, sed omnibus his tentatis apparuit id quod est, curationem hujus morbi, quo Christianitas tota conficitur, ab una eademque causa pendere, quæ quoniam abscindi nostris tot curis non potuit, ipsa Christiana respublica in dies contabescens, ad manifestum fertur interitum. Quamobrem quod nos humiliter ac pie ad arcem Niciæ defendendam nostrum affectum in Domino collaudatis, ita vobis respondemus, nos, quantum licuerit, nostrarumque virium tenuitas sufferet, non solum ipsam arcem Niciæ, verum nec cæteras reipublicæ Christianæ partes negligemus, etiam reliqua Christiana regna Catholicasque provincias, ne cum perversis pervertantur, contra Turcas et contra cujusvis generis impios et infideles proposuisse defendere, et ad extremum usque spiritum nostro officio non deesse, non enim tantum ejus arcis, vel hujus aut illius loci, verum totius corporis incolumitas a nobis procuranda est, totum enim Christianitatis corpus laborat valdeque ægrum est, illi toti subveniendum est, sic et partibus ejus subvenietur. Nos igitur, sicut a vobis particularem ejus arcis curam rogati sumus, ita vos pro vestra apud

[1] Paul. III. lib. brev. an. x. p. 47.

omnes maxima auctoritate ac pietate ad universalem curam et medelam afflictæ Christianitatis vocamus, quæ quanto in periculo constituta sit, videtis. Una autem communis salutis, quod et ipsi perspicitis , ratio est , si Christianorum principum discordiæ, a quibus horum malorum omnium causa et origo processit, tollantur, tum deinde omnia mala tollentur ; tenetis enim memoria, ante has discordias nec in Germania hæreses, nec in Hungaria, Austria et Italia fuisse Turcas, post ipsas vero discordias, et ab ipsis omne malum prodiisse, hæreses, rebelliones, Turcas, intestina arma, et per hæc Universalis Concilii impedimentum. Ergo in priorem pacis statum redeundum est, ut his incommodis, quæ ex contrario invecta sunt, careamus, ac si, ut boni medici facere solent, causam morbi absciderimus, omne exitii periculum evademus, pax siquidem bellum, et Turcas, Universale autem Concilium, quod sublatis armis libere et tuto, et prorsus plene celebrari poterit, hæreses, ac pravos mores, cæteraque fæda fugabunt, paulatimque in suum nitorem afflicta Christianitas revertetur. Hanc igitur pacem, in Christo filii dilectissimi, pro communi totius Christianitatis salute omnibus modis curare et perficere nobiscum debetis, aliter, nec defensio arcis Niciæ, nec ulla localia, aut particularia remedia (quanquam nec illa negligemus) ut diximus, huic universali Christianitatis ægritudini opitulabuntur, quin (quod Deus Omnipotens dignetur avertere) omnes una ruina involvemur. Datum Romæ XXVI Februarii MDXLIV, anno X ».

4. *Carolus prudentia motus humana edicit decretum cujus venenum annotationes subnixæ demonstrant.* — In hoc ordinum imperii conventu Spirensi Cæsar XXIV Februarii orationem habuit, in qua magnifice exposuit, quantos bellicos labores pro Christiani imperii salute ad propulsandos Turcarum impetus sustinuisset : sed in tanto opere Franciscum Galliæ regem juncto cum Turcarum tyranno Solymanno fœdere sibi adversatum, in quem aculeatis sententiis omnium odia veluti in communem hostem, nominisque Christiani proditorem phalerata eloquentia accendere enisus est, ut a principibus provinciisque Germaniæ militaria auxilia adversus illum eliceret, eoque fracto ac contuso liberius arma Cæsarea adversus Turcas, qui Germaniæ jugum tyrannicum imponere exambiebant, exercere posset, potitum autem votis Sleidanus refert his verbis [1] : « Pecunia Cæsari decernitur semestris adversus Galliæ regem, in equitum millia quatuor, peditum viginti quatuor, ejus vero pecuniæ partem aliquam Cæsar communicabit Ferdinando fratri, qui loca finitima Turcis muniat ; in futurum bellum Turcicum colligi placet pecuniam viritim per omnem Germaniam pro cujusque facultatibus atque censu, nec immunitas ulli datur : ne quis exteris militet, Galliæ regi præsertim, gravissimis pœnis edicitur, et magistratui permittitur, ut in eos vindicet qui deprehensi fuerint ». De hac principum et Germaniæ populorum societate contra regem Galliæ, et de auxiliis contra ipsum ab omnibus præstitis, etiam Surius et Adrianus loquuntur.

In eodem vero conventu imperator, cum ingenti bellorum mole premeretur , magnoque indigeret ærario, ac major principum ac civitatum pars Lutherana impietate infecta esset, eorum amicitiam divino honori quodammodo prætulisse visus est : ad corradenda enim ab iis subsidia pecuniaria [1], edictum Lutheranæ factioni augendæ faustum exoptatumque ab impiis, Catholicæ vero parti infaustum promulgavit : ac licet Catholici illi minime assenserint, necessitate tamen adacti illi paruere, ut memoratus Sleidanus hæreticus narrat his verbis : « Decretum hoc minime laudabant Pontificii, totisque viribus impugnabant, sed cum Coloniensis et Monasteriensis episcopus staret a Protestantibus, Clivensis etiam et Badensis arbitrio Cæsaris omnia permitterent, qui viam hanc veluti mediam et utrisque tolerabilem, post multam disceptationem ostenderent illis, bona sua parte diminuti, non se quidem assentiri, sed ne Cæsari modum in ea præscribere, nec ipsius derogare potestati, sed tolerare velle dicunt ».

De hoc pariter decreto ita loquitur Coclæus : « Hoc anno celebris fuit conventus imperialis, a Cæsare præsente Spiræ habitus, in quo septem principes electores (quod raro fit) præsentes fuerunt, tractatum ibi rursus fuit de ratione belli defensivi contra Turcas, et de sumptibus atque contributionibus ad bellum illud necessariis, fuit et de causa religionis ibi serio actum, et Lutheranis ad importunam eorum instantiam nonnihil concessum, quod Summo Pontifici per omnia placere non potuit ».

Præcipua vero capita illius decreti, quo laxatæ sunt furenti impietati Lutheranæ habenæ, concussaque Catholicæ rei firmitas, ac quam detestandum et religioni Catholicæ obnoxium, quale fuerit, ex Sleidano [2] percipiamus, qui sic loquitur :

« Quia dissidium religionis in his bellicis occupationibus tractari non potuit, ad proximum conventum, inque mensem Decembris ejicitur. Interea Cæsar negotium se daturum ait viris bonis atque doctis , qui piam aliquam emendationis formulam conscribant : ut idem quoque principes faciant hortatur, qua post in futuris Comitiis facta collatione, de communi consensu statuatur aliquid, quod ad publicum orbis Concilium usque servetur in Germania :

[1] Lib. XV. an. 1544.

[1] In act. Lutheri an. 1544. — [2] Ubi supra.

pacem interea colant omnes, nec turbæ quicquam de religione excitentur : Ecclesiæ, cujusque sint religionis, utrobique facultates suas obtineant, earumque bona dividantur Ecclesiæ ministris solis et egestate pressis. Cameræ judices locum suum retineant, usque ad tempus eis præfixum : cum eum exierint, tunc in eum consessum recipiantur omnes promiscue, non habita ratione religionis. Edictum Augustanum, et lites omnes motæ Protestantibus, doctrinæ professionis causa, Goldariensis etiam, et Mindensis proscriptio suspensa maneat, ad proximam futuram usque tractationem. Anabaptistæ pœnam subeant eam olim decretam ; magistratus tamen, viros doctos atque pios adhibeant, qui commonstrato errore, ad sententiam ipsos revocent. Decretum hoc minime laudabant Pontificii ». Huc usque Sleidanus. Et quantam perniciem fidei Catholicæ , quantumque favoris hæreticis Lutheranis hoc decretum attulerit, si quis scire desiderat, sequentes audiat Adnotationes :

5. « Advertenda circa articulos religionis, pacis et justitiæ [1] :

Circa articulum religionis.

« Ex nono, articulus religionis et controversiæ ejusdem in præsentibus comitiis conciliari et concordari non potest, et commodius quam in Concilio Universali componi non poterunt, idcirco de Concilio Generali indicendo et celebrando Cæsarea majestas cogitabit.

« Et quia incertum est, quando Generale Concilium haberi poterit, ideo modo alium conventum imperialem Cæsarea majestas indicet ; in nono de eodem articulo religionis componendo agetur kal. Octob.

« Et interea per viros doctos, pertractabiles ac pacis amantes, Christianam reformationem Cæsarea majestas confici et ordinari curabit, et status et ordines imperii etiam hoc per suos theologos et doctos fieri curabunt, quod reformatio in dicto proximo conventu statibus proponetur et deliberabitur, ac consultabitur de controversis religionis articulis conciliandis, et ad ordinandum quid medio tempore, et interim quod Concilium Generale fieri non poterit, super illis in Romano imperio debeat.

« Non dicit, quia papa rogari debeat vel moneri, ut legatum seu nuntium ad conventum indicendum mittat, vel quia reformatio illa et ordinatio debito modo fiat, et etiam est advertendum circa istam Christianam reformationem, tunc offerendam statibus, ne per impios et sceleratos fiat et concipiatur, ac Cæsari obtrudatur ad majorem confusionem et perturbationem negotii religionis, uti fuit factum in conventu Ratisbonensi anno MDXLI.

Circa articulum pacis.

« Præterea in eventum in quem in conventu imperiali proxime habendo controversiæ religionis componi non possint, et ad Concilium nationale seu generale pro conciliatione eorumdem deveniendum et procedendum foret, ut interim pacifica omnino et quieta in Romano imperio et natione Germanica permaneant, tractabit Cæsarea majestas cum statibus imperii de articulo pacis publicæ, et administrationis justitiæ, in quibus ex plenitudine potestatis imperialis, et pro officio Cæsareo, ex nono consensum omnium statuum desuper habere nequivit, ordinavit infrascripta.

« Primo, ut publica imperii pax servetur, et propter religionem neutra partium alteri vim seu violentiam inferat, statuit conventum imperialem, seu Concilium nationale vel generale, et illius determinationem expectabunt.

« Nota. Non dicit, ordine, modo, et legitime assistente summo Pontifice, quando est habendum.

« Et attentata per Lutheranos circa religionem post recessum Ratisbonensem habitum repurgabuntur, et in priorem statum restituentur.

« Nota. Nullam tamen adjicit pœnam et seu quomodo ad hæc Lutherani loqui debeant, fructus, redditus et proventus Ecclesiasticos, tam antiquæ religionis, quam Protestantium, Ecclesiasticis ex omnibus dominiis, tam Catholicorum, quam Lutheranorum principum solventur.

« Nota. Hic ergo ad fructus et proventus Ecclesiasticos parificat Lutheranos et Catholicos clericos.

« Lutherani et Protestantes status, principes, et eis adhærentes, libere Catholicis presbyteris et clericis, fructus, redditus et proventus solvi permittent, detractis tamen ante omnia necessariis, pro eorumdem concionatoribus, scholis, hospitalibus et eleemosynis.

« Nota. Hoc pacto talis fiet detractio, quia nihil remanebit Catholicis presbyteris de fructibus hujusmodi in totalem perditionem Catholicorum presbyterorum.

« Item status Protestantium, qui se composuerit et concordaverit cum Catholicis statibus occasione bonorum Ecclesiasticorum, hoc est, bonis monasteriorum, Ecclesiarum collegiatarum, vel aliis, concordia facta observari, et bona eisdem remanere debent.

« Nota. Non dicit concordiis rite et recte, ac debito modo, et legitime factis, sed quibuscumque etiam unicuique factis, et ita etiam quamvis juris ordinationem, et dispensationem fore

[1] Ms. card. Pii sig. to. 64. p. 106.

approbandam in præjudicium perpetuum Catholicorum, quales concordiæ exortæ sint infinitæ.

Circa articulum admissionis justitiæ.

« Judicium cameræ ultimo mensis Julii proxime futuri suspendetur, et deinde alii novi assessores et judices indifferenter præponentur, tam per Catholicos quam per Lutheranos, sive etiam præsentandi sint Catholici sive Lutherani.

« Nota. Ita parificantur ad actus legitimos et ad judicia Lutherani Catholicis, qui tamen jure ab omnibus actis civilibus excluduntur, et ita erunt Lutherani judices Catholicorum, quia bonorum Ecclesiasticorum occupatores, et occasionem non habent, nec pro spoliis, nec pro sacrilegio, quia bona illa converterunt in meliorem usum ad rectum et debitum cultum divinum, missas Papisticas, idololatriam, blasphemias et impietatem esse judicant et asserunt, a quibus quales sententiæ expectari debeant, facile cognosci potest.

« Juramenta novi judices et assessores præsentandi et assumendi, et reliquæ personæ judicii cameræ de novo assumendæ præstabunt ad sancta Dei Evangelia, ultimo per Deum et sanctos ejus, donec per Cæsarem majestatem aliter ordinabitur.

« Nota. Hic trahitur in dubium veneratio sanctorum contra Ecclesiæ Catholicæ observationem, et ritum hactenus inviolabiliter observatum.

« Item, status Protestantium debent posse stare in judicio, tanquam actores et tanquam rei contra capitula, intelleximus de judiciis, quamvis sint publice excommunicati et declarati hæretici.

« Nota. Habilitatio ista per papam fieri debet, quia sibi reservavit absolutionem in Bulla edita contra Lutherum et ejus adhærentes, ac etiam in Bulla Cœnæ Domini.

« Item, jura communia et omnes recessus imperiales, hactenus facti adversus Lutheranos, quamvis illi recessus religionem concernant, usque ad finalem concordiam et compositionem negotii religionis suspenduntur.

« Nota. Per hoc parificantur bona et personæ Lutheranorum per omnia Catholicis, quia adduntur actus civiles et judiciales, nec ad illas pœnas contra hæreticos ordinatas, contra eos procedi poterit, et ita eis in futurum omnia licebunt.

« Item, omnes processus et causæ religionis, sub quo verbo Lutherani etiam spolia Ecclesiarum et bonorum Ecclesiasticorum comprehendunt, usque ad prædictam finalem determinationem contra statum religionis suspenduntur.

« Item, omnes processus judiciales, etiam in causis profanis post prætensam recusationem Protestantium contra judicium cameræ habiti et facti, antequam de ejusdem recusationis validitate cognoscatur, cassantur et annullantur.

« Item, Bannum imperiale contra civitates Goslarensem et Mindensem latum, suspensum sit et suspensum remanere debet.

« Item, in præmissis omnibus Cæsarea majestas super incidentibus seu emergentibus dubiis et differentiis, sibi declarationem reservat ».

6. *De Spirensi decreto gravissime queritur Pontifex tam apud imperatorem quam apud alios principes.* — Hoc decretum Spirensis dietæ in consistorio fuit lectum, ut indicant Acta Consistorialia [1] : « Romæ die Mercurii, quarta Julii MDXLIV fuit Consistorium, et in eo lectæ fuerunt quædam scripturæ actæ in dieta Spirensi per Cæsaream majestatem, et fuit decretum, ut mitterentur reverendissimis per manum ». De quo etiam decreto cardinalis Farnesius in Epistola sub die vigesima tertia Julii ad nuntium Poggium [2] apud imperatorem loquens, sic ait : « Nuntius Verallus Romam misit paucos ante dies recessus Spirensis exemplar, et in Latinum idioma conversum ; quanto plus expensum examinatumque fuit, eo magis officere nostræ Catholicæ religioni et auctoritati Sedis Apostolicæ cognitum fuit, quare propter nocumenti magnitudinem Sua Sanctitas, nec tacere, nec dissimulare potuit, ideoque, ut suo gradui in tanta re etiam satisfaceret, ipsemet de hoc imperatori, et longius, et peculiariter scribit ». Hoc idem refert Massarellus [3] :

« His tantis reipublicæ incommodis et calamitatibus accessit (id quod plurimum suæ santitatis animum turbavit) quod Cæsar in conventu imperiali, Spiræ habito, quædam religionem concernentia cum Lutheranis tractaverat atque concluserat, quæ ipsius Pontificis ac Sedis Apostolicæ dignitati et auctoritati adversabantur. Quare non parum commotus Pontifex, litteras in forma Brevis ad ipsum imperatorem scripsit, quibus intrepide magna animi constantia majestatem suam admonuit atque reprehendit, quod ea, quæ Pontificis Summi essent, sibi arrogaret, incipientibus litteris prædictis: « Ex edi« cto majestatis tuæ Acta conventus tui Spirensis « cognovimus ». Datum Romæ apud S. Marcum die XXIV Augusti MDXLIV ».

Et etiam Cochlæus eadem refert : « Recessus ergo (inquit Cochlæus) publicus datus fuit Spiræ X die Junii, cujus sane tenorem ubi Romæ Pontifex accepit, paterne admonuit per quamdam Epistolam Cæsaream majestatem ut in causa

[1] Ms. card. Spadæ tom. CXXXIII. p. 438. — [2] Ibid. to. LXXXIV. p. 515. — [3] Angel. Massarell. in Summar. Concil. Trid. sub. Paul. III. Ms. arch. Vat. sig. num. 8190. p. 213.

fidei et religionis, more majorum nihil velit inconsulto Romano Pontifice statuere, aut permittere in Sedis Apostolicæ præjudicium ». Quæ autem Pontifex Cæsari scripserit, se habent ut infra [1] :

7. « Quæ in recessu a Spira tamquam acta reliquisti, dilecte fili rex, magnam profecto multis admirationem, nobis autem etiam ingentem dolorem ingesserunt, qui de imperatore Augusto multa diversa ab illis et meliora sperabamus. Ut enim facile ipse agnoscas, quid secundum fidem ac religionem, quam Deo debebas, perperam egeris, quod non nostri esse muneris nescimus, obsecramus te pro paterna atque erga te peculiari dilectione nostra, ut querelam atque expostulationem nostram, et justam et necessariam patienter audias.

« Concordiam et pacem inter Germaniæ principes te primum intendere exponis, hactenus rem sane bonam atque optandam, modo ne fuerit illa pax, quam Dominus non venit in terram mittere, sed exturbare. Subdidisti id minime fieri posse, nisi quæ sunt fidei et religionis inter illos controversa simul componerentur, et hoc non abesse a veritate existimamus. Adjecisti tu, nec per te stetisse, quominus legitimo, libero et Generali Concilio, hæc jam essent definita. Quo in loco nescimus, an subtacite nos insinuare volueris, quod satis ipsa reliqua gesta videntur prætendere, tanquam per nos steterit, ne Concilium haberetur : quod quam sit veritati proximum, in promptu est consecuta, cum jam ab exordio assumptionis nostræ fere continuum de habendo Concilio tractatum habuerimus, nec unquam detrectavimus illud, quin sæpius ac pluribus in locis indixerimus, et novissime Tridenti, ut postulationi tuæ satisfaceremus. Quod autem per temporum calamitates hoc contigerit, flagrante universo Christiano orbe discordiis ac bellis, ne uspiam cogi potuerit, principum interim Christianorum animis exacerbatis, qui non perspicue cernit, profecto in luce meridiana cœcutiet. Forte nos esse in causa, quod hujusmodi bellorum incendia viguerunt, quispiam objiciet? scilicet quia toto tempore, quo Pontificium munus obivimus, nihil magis acceptius curavimus, quam ut videremus tandem aliquando pacem in diebus nostris, ita ut nec annis nostris pepercerimus molesta itinera, et in hac ætate grandæva admodum periculosa sæpius arripientes, et ut jam testimonium advocare nobis valeamus.

« Quo pacto tu, imperator, res fidei et religionis, ac tanti ponderis controversias componendas esse in tuto isto a Spira recessu definivisti? Primum Nationale Concilium spopondisti, ut ibi de fidei nostræ dogmatibus controversiæ dirimerentur, quem usum, quæ omnia, quis prudens ac sapiens non admiretur? Tum quia illa tibi et Nationali Concilio arrogaveris, quæ minime gentium ad vestram agnitionem et jurisdictionem pertineant, tum vel maxime, quod attentaveris quod scire poteras per legatum nostrum dilectum fratrem recolendæ memoriæ Gasparem Contarenum, vobis esse, et nostro nomine, ac speciali mandato, vivis etiam rationibus, interdictum : namque tibi ad eum primum spectare, qui Christi vicem in terris gerat, jam ex innumeris sanctorum Patrum sententiis ac gestis poterat esse perspicuum.

« Præterea, quæ tibi videtur in nationali Concilio poterit esse absque nobis ulla determinandi facultas, ea quæ ad fidem, et Christianam vitam, et Ecclesiasticos ritus pertinerent? Cum et istic pæne cuncta sint violata, perturbata, confusa et jam præjudicium factum adversus veritatem. Nemini dictum fuit nisi Petro : *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua ; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Et cum hæc ita se habuerint, et quam latissime pateant, tu tamen, Cæsar, præsumpta auctoritate (quod tua pace dictum velimus) declarasti, quæcumque erunt ibi determinata, etiam rata fore usque ad Generale Concilium, ita ut si forte, imo si non forte, sed etiam certe, quæ factio Lutherana prævalitura ibi, mordicus tenet, et omnis vere pius atque Catholicus execratur, determinarentur, ea ex nunc tu statuis esse rata, adeo incircumspectus, ut prius approbes quam scias esse probanda, imo postquam probabiliter noveris improbanda, tu tamen illa esse rata constituis. Ac unde hanc arrogare potestatem potes, vel statuendi, vel approbandi contra fidei veritates, qui neque illam habes licentiam fidei veritates decernendi absque nobis? cum te decet audire, et non docere; et jam statuta probare atque recipere ; non statuere aut probare, quin etiam illos gladio, quem per nos accepisti a Deo, tueri, atque defendere usque ad sanguinem, et non adversariis partibus quovis modo adhærere aut favere ; nam ejusmodi audere, quæ tu audes, quid est aliud, quam miserabiliter Ecclesiam scindere? imo etiam turpiter atque infeliciter ab ipsa Ecclesia temetipsum rescindere et segregare, et reliquam Germaniæ partem, quæ (Dei gratia) hactenus a tanta labe permanserat incontaminata, uno exemplo tecum idem in barathrum errorum adducere, ut, relicto fonte aquæ vivæ, convertantur ad cisternas dissipatas. Nos autem qui hæc interim fieri per imperatorem videmus, quanto putas mœrore afficimur. Et per eum imperatorem Carolum, cui Dominus tanta dedit, tanta credidit, quanta post primum Carolum nemini alteri, quæ et nos tibi servari, et adhuc multo majora cum Dei benedictione augeri veris perpetuo augmentis magnopere cupimus. Audivimus enim libenter, atque docemus, quæ sunt Cæsaris Cæsari, modo

[1] Ms. card. Pii sig. to. LXIV. p. 109. Ext. apud card. Pallavic. l. V. c. 6.

et tu libenter audias, quæ sunt Dei Deo serventur, non autem abs te præripiente, cujus petitorium erat, si ab alio vindicarentur vindicem esse. Si enim tu quæ jura Cæsaris esse putas, tanta cura, tanta militia tueris et vendicas, existimas Deum omnipotentem non sua tuiturum aut vindicaturum? Si quis autem, etiamsi Cæsar, eriperet, an non cogitas fidelium animas, quas Baptismo regeneravit Ecclesia in spem vivam, et suo sanguine Jesus Christus redemit, esse ipsius Dei et peculium ipsius Christi? Porro earum curam numquid Cæsari demandavit? Numquid Cæsari dictum est : *Pasce oves meas?* an uni Petro, et in ejus persona cunctis successoribus ejus? Hæc sunt fidei nostræ fundamenta, quæ qui ignorat, certe aberrat a finibus, et non putamus esse domesticum : qui autem violat, etiam hostem experiatur, cum qui hujusmodi est, ea quæ Dei sunt sibi, ut fur et latro surripiat. Quæ tibi, Cæsar, non convenire, ea tantum ratione putamus, quia hoc non a tuæ mentis bonitate, sed per subreptionem aliquam malignorum abs te obtenta atque extorsa esse existimamus : quod nobis probabit Cæsarea circumspectio, si quæ perperam acta viderit, protinus, ut speramus, revocaverit. Nam illud, quod in eisdem actis abs te præsumptum perspeximus, quantum possemus unquam justa reprehensione prosequi, cum tumet ille Cæsar, qui in Augustensi et imperiales in eos leges vigere decrevisti; tu (inquam) illemet Cæsar (si modo nunc ille idem) quæcumque abs te recte riteque ac magnifice pro Christiana religione gesta fuerant, nunc a novo conatu revocasti et reprobasti. Quod adeo improbum factum, cum omnes pii, qui sunt in Germania, detestentur, ut mitiore minusque inhonesto vocabulo linires, ne immodice religiosa pectora exulcerares, suspensionem vocas, quam nos abrogationem penitus interpretamur. Cumque in nationali conventu, quæ probanda sunt, facile quisque valeat divinare, hac in re quis summopere non admiretur, te illud egisse, per quod nulli hominum magis, quam tibi contumeliam feceris, et detrimentum, nullumque magis quam teipsum damnaveris? Si enim quos jam hæreticos censuisti nobiscum et judicasti, eos etiam nunc tales putas, nulla esset tibi profecto causa tuam revocandi aut suspendendi sententiam, ne imperatoriæ leges in eos vigeant, cum tanto magis nunc hæretici sint, quanto pertinaciores ac duriores tanto tempore in sententia perstiterint. Si autem eos nunc hæreticos inficieris, a te ipso recedens, tuamque sententiam damnans, non aliud agis, nisi quod manifeste declaras, te in eorum aggregare societatem, et illam fidem profiteri, quam scelerata et adultera illa factio prædicat, et quam Sedes Apostolica cum omnibus Catholicis Ecclesiis anathemati subdit : quod quam sit gloriosum, quamque isto cul-mine imperatorio dignum, tuæ prudentiæ tranquilla mente judicandum relinquimus : nos enim tremendum ac maxime perhorrendum tibi maxime existimaremus, non ob judicia bonorum tantum, apud quos tuæ bonæ famæ dispendium pateris, nec ob nomen, quod transmittis in posteros, cum in eorum historiis, qui gesta hujus sæculi enarrando, inter eos te adnumeratum perspiciunt, qui Hæreticorum fautores, et Ecclesiæ sanctæ Dei persecutores fuerunt, et infelices exitus habuerunt, verum ob judicium Dei, de quo dictum illud verbum audimus : *Potentes potenter tormenta patientur.* Quod si vita nostra quovis modo a Dei ritibus disjuncta esset, et illi per te periclitarentur, daremus hoc forte Cæsari, obstaremus, dissimularemus; at cum fieri nequeat, ut contempta auctoritate despectisque judiciis nostris, non simul etiam Dei auctoritatem despicias, jam nobis dissimulare non licet, sed expostulare cogimur atque admonere, ut cœptum pessimum meliore consilio retractes irritumque facias, ne in te iram Dei de terra provoces et de cælo. Attende, oramus te, atque in Domino obsecramus, quod ex ore nostro summus tibi Deus præfatur; quid enim miri si Pontifex de Cathedra intonans, profiteatur : Ego (inquit) Dominus Deus exercituum, o Cæsar, *Ego sum, qui sum, per me reges regnant,* et potentes ducuntur justitia, et in manu mea cor regis, meumque est dare et conferre regna atque imperia, ego qui novi super aspidem et basiliscum ambulare, et conculcare leonem et draconem; ego qui aufero spiritum principum, terribilis in reges terræ, regens illos in virga ferrea, et quasi vas figuli confringens eos. Et nunc, o Cæsar, intellige, et audi, qui judicas terram; recole majorum tuorum gesta et exempla, qui illam ascenderunt celsitudinem in qua tu es, considera tam tristes eorum exitus, qui ad impietatem conversi meam Ecclesiam sunt persecuti, non eos tibi commemorabo, nec aliud quidquam objiciam, nisi in mentem redigas, quam ob causam, ego imperium ad Germanos ex Græcis per meos vicarios transtulerim, eamque gentem despexerim, hoc tibi in magni commentarii locum relinquo commemoratum. Hæc ipse Christus per os meum insinuat tibi, dilectissime Carole, cujus vocem vehementem velim non obaudires, ne frustra jactam esse interpreteris, nam cum schismatico rege et Catholicæ Ecclesiæ hoste acerrimo iniisse fœdera, qui te insigni injuria affecerat, reginam amitam tuam, veram ejus uxorem, tanquam concubinam et secum adulteram infando repudio ab se segregans, quem pro horrendo scelere Romana Sedes (etiam te postulante) damnavit, Pragmaticam in regno Hispaniæ sanxisse, Augustensem tuam sententiam et aliorum imperatorum sanctiones nuper revocasse, nationalem Synodum hæreticis promi-

sisse, et ejus acta antequam appareant, rata nihilominus fore constituisse, denique nullum ulterius Concilium futurum, nisi quod celebratum fuerit in Germania, nulla etiam nostri nominis et auctoritatis facta per te mentione, quasi nihil ad nos negotia religionis pertinerent et spectarent? Quis adeo prorsus stupidæ mentis non sentiat, quid hæc sibi velint? Sunt enim certa nimis indicia, quia a parte Ecclesiæ ad partes hostiles defecisti, quod dum memoramus, etiam tui gratia contremiscimus, et stupore quodam invadimur, dum cogitamus hæc ab illo imperatore Carolo emanare, qui tantum fidei ardorem in omnibus suis actis antea proferebat. At qui dices, quia ego detuli generali Concilio, si quod liberum et Christianum fuerit, verum cum locum adjicis, scilicet in Germania celebratum fuerit, non queat esse liberum et Christianum, alterum vero quia ibi demum Christianum et liberum, ubi maxime Lutherana factio viget et præstat cæteris, ut illud juxta tuam mentem, liceat interpretari Christianum esse, quod fuerit Lutheranum.

« Nonne sentis, Cæsar, nonne sentis spicula veritatis acerba, et nonnihil ad salutem facientia, si resipiscas? Nam rursum quæso, quod putas meditari. Ais te velle Generale Concilium? hoc si vere, et ex animo, cur illis promittis nationale? cum etiam Tridenti per nos fuerit indictum, cur de illo verbum nullum? et tamen, si ita necesse fuerit, ut alibi et in Germania celebretur Concilium, fidentes in Domino non abnuemus. Modo illud reliquum conveniat, quod suo jure vera Concilia deposcunt, videlicet, ut liberum sit et Christianum, cum sit scriptum : *Non sedebo cum concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo, odivi Ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.* Tu ergo vide an liberum esse possit, ubi ad arma concurritur, et ibi Christianum, ubi Christi vicarius dicitur antichristus, et tamen ibi nihil est Christi, nisi obstentationis ac prætextus gratia, et nuda vox, quanquam hanc contumeliam (si me solum percellit) ejus exemplo, qui etiam Dæmonium haberi insimulatus est, mansuete omnino ferre deberemus, atqui blasphemiam habet in se contra Dominum clausam, cujus (licet indigni) vicem gerimus, ob istam gratiam, nec a nobis libenter accipienda est, neque a te patienter ferenda, cui dedit gladium Deus, non enim frustra portas, si ad Christiani nominis defensionem, non ad Christi sanguinis effusionem. Nolumus, o Cæsar, duris ullis verbis exulcerare, et tamen veritatem continere non possumus, ad quam, si æquo animo respicias et suspicias, erit tibi profecto salutaris. Id enim si cœpta prosequeris, ea certe facies, quibus quæcumque hactenus præclara gessisti, magnopere obscurentur, coinquinentur, atque nomen tuum nota sempiterna inuretur. Quid ignominiosum tibi magis? quid diu majorem tibi potest conflare invidiam, quam quod dicatur imperator Carolus Lutheranus. Quocirca tuum erit, dilectissime fili Carole, consulere nomini tuo et providere saluti, et vocem Patris audire, sedulo ac paterno amore monentis, nec in tua et confœderatorum quantavis potentia fidere, cum enim omnis humana potentia sub Deo, Dei omnipotenti comparata, jam non est potentia, sed infirmitas. Nos autem, ne quod habeas unde conqueri de nobis possis, pollicemur tibi animum nostrum ad omnia quæcumque petieris, promptum esse, modo divinam majestatem non lædant. Vis Concilium? damus Concilium, nec ulla per nos interponetur mora quin fiat. Vis illud in Germania? nec nos abnuimus, modo queat ibi esse liberum et Christianum. Ut enim sit Christianum non oportet illic hæreticos commisceri, tanquam sint illi pars Concilii, qui jam non sunt, et seipsos segregaverunt. Qui autem sint ejusmodi, non erit Cæsaris aut alterius cujus cumque id cognoscere et declarare, sed nostrum, qui hoc judicium accepimus ab ipso Christo. At vero ut sit Concilium liberum, tuum erit hoc facere, quod et fiet, si jusseris arma deponi, si animum inclines ad pacem, aut saltem ad inducias, fideles etiam ad pacem prævenias, interim omni causa vestræ controversiæ ad cognitionem sanctæ synodi remissa. Has leges et conditiones, quæ ad pacem faciunt, si tu recipis, pacem certe reddes orbi. Sin autem hactenus apud Dei majestatem excusabimur, quia te paterne monuimus, et quæ tibi adversa erant, pertractavimus, ut minus acerbus futurus sit nobis luctus, si forsitan (quod minime vellemus) paternas spreveris admonitiones nostras, nec minus tamen quæ nostræ erunt partes, cum omnipotentis Dei auxilio et favore, ut mature meditabimur, ita firmo animo exequemur ».

8. Excepit benevola mente Pontificia monita Cæsar, ut in historiæ Concilii Tridentini serie visuri sumus. At Lutherus satanica efferatus rabie, lectis Pontificiis litteris, impia scripta blasphemiis et spurcissimis vocibus adeo conspersa edidit, ut ne quidem a sectariis honeste legi possent. Scripsit etiam Pontifex multis aliis maxime apud Cæsarem auctoritate pollentibus, ut in officio et religione Catholica confirmaret, inter quos hæc ad Granvellanum [1] :

« Domino de Granvela.

« Dilecte fili, salutem. Cum in eo recessu, qui nuperrime Spiræ in conventu imperiali factus est, multa legerimus et compererimus Catholicæ fidei et unitati Ecclesiæ adversantia, scribentes super his ad serenissimum Cæsarem, eum de omnibus amanter ac paterne admonemus. Scientes autem qua auctoritate apud

[1] Paul. III. lib. brev. an. x. p. 369.

ipsum merito polleas, voluimus etiam ad te scribere, hortantes et studiose requirentes, ut pro tua erga Deum pietate et in ipsum Cæsarem fide, omnia considerare diligenter velis, ac pro tua prudentia, quantum in te erit, providere, ut in omnibus ipsius Cæsaris, et in primis Dei omnipotentis honori debitus respectus habeatur, sicut te omnino facturum esse confidimus. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum XXIV Augusti MDXLIV, anno X ».

Admonuit quoque Dominicum e Soto [1], quem Cæsar sacris exhomologesibus audiendis sibi adhibebat, multa in decreto Cæsareo Spirensi Catholicæ religioni exitialia contineri, iisque malis occurrere jussit.

« Dilecto filio Dominico de Soto Ord. Prædicatorum professori, serenissimi Cæsaris confessori.

« Dilecte fili. Etsi credimus pro tua pietate, quod tu, cum quotidie audire et videre possis, quid serenissimus Cæsar agat, præsertim in rebus quæ ad salutem animæ, cujus curam eum tibi commisisse intelligimus, pertinent, officio tuo apud suam majestatem non deesse, tamen cum præteritis diebus legerimus recessum ab eo Spiræ imperialem nuperrime factum, quoniam multa non solum saluti animæ ejus, verum etiam unitati Ecclesiæ damnosa ac præjudicialia in illo comperimus, sicut de iis ejus majestatem paterne admonere per nostras litteras voluimus, ita quoque visum est nobis, idem officium tecum etiam peragere, cum ad id teneri videamur, quippe qui veram ejus majestatis gloriam, una cum publica Christianitatis quiete conjunctam, summopere exoptemus, quamobrem injungimus tibi in virtute sanctæ obedientiæ, ut tam ista Germanica, quam cætera hujusmodi, quæ minoris momenti et ponderis non sunt, bene consideres ac perpendas, atque ita tuum officium administres, ut Deo in primis, deinde et nobis, qui ejus Filii in terris vicarii, licet immeriti, sumus, rationem tui muneris reddere cum laude possis. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum XXV Augusti MDXLIV, anno X ».

9. Conquestus est etiam gravissime Pontifex apud Ferdinandum regem Romanorum de Spirensi decreto, atque Dei et religionis causam ei enixe commendavit [2] :

« Regi Romanorum, etc.

« Cum superioribus diebus eorum, quæ in conventu Spirensi decreta fuerint, ad nos notitia devenerit, non mediocri molestia affecti fuimus, quod illa in pluribus capitibus Apostolicæ Sedi et Catholicæ religionis unitati adversentur, nec deesse potuimus, quin paterne (ut nos decet) ipsum Cæsarem monuerimus, sicut ab ipso nuntio nostro plenius intelliges. Itaque nobilitatem tuam hortamur in Domino et efficaciter quo possumus studio requirimus, ut ipsum Joannem Thomam episcopum et nuntium nostrum, super iis omnibus tecum locuturum, fide adjecta, libenter audias, et talem te Deo et piæ causæ præstare velis, qualem dignitas, tuaque probitas, et pietas Christiana nobis pollicentur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum XXVII Augusti MDXLIV, anno X ».

Eodem argumento scripsit Pontifex ad principes electores Ecclesiasticos et sæculares.

10. *Colonienses pro tuenda Catholica religione ad Pontificium nuntium scribunt.* — In his Spirensibus conventibus pseudoarchiepiscopus Coloniensis Cæsarem in Lutheranam hæresim impellere nisus est, illique suadere, ut fictam ab hæresiarcha Bucero profligatissimam reformationem admitteret, qua religio Catholica evertebatur, Ecclesiæ vertebantur in prostibula, sacerdotes ab altaribus et divino cultu ad concubinarios thalamos trahebantur, sacra polluebantur, ac impietas (eversa pietate) in solio et aris collocabatur, at Cæsar cum hujus nefandissimi apostatæ nequitiam aperte aversari et conterere debuisset, politicis causis adductus, ne Lutheranos a se abalienaret, quorum arma in Gallos effundere decreverat, dissimulavit nefas, ac frigide religionis causam tutatus, nec eam impiam et hæreticam reformationem aperte et constanter (ut pium decuerat Cæsarem) damnavit, ex qua dissimulatione gravissimo dolore Colonienses perculsi sunt, atque internuntium Apostolicum rogavere, ut Cæsarem ad damnanda impia hæretici hominis molimina in Cæsareo decreto Spiræ edendo incitaret [1] :

« Reverendissime in Christo pater, ac domine D. observandissime. Sparsus est hic non ita multis ante diebus rumor quidam, etiamsi non ita certus, adeo tamen bonis omnibus et nobis potissimum ingratus, ut amicos plane sollicitosque habeat quotquot veteri Ecclesiæ adhuc strenue bene volunt. Asserunt enim passim nonnulli reverendissimum D. archipræsulem Coloniensem reformationem illam suam Germanicis dudum pariter, et nunc Latinis excusam characteribus imperatoriæ majestati domino nostro clementissimo in comitiis porrexisse, precibusque apud serenissimam majestatem suam postulasse, ut ejus auctoritate comprobata recipi ab omnibus velut Catholica et orthodoxa mereretur; majestatem vero Cæsaream post exactum breviusculi temporis spatium, nec lectam fortassis, necnon penitus aliquanto introspectam reformationem illam, sic reverendissimo D. archiepiscopo nostro pro admirabili sua et divina plane sapientia respondisse ferunt, non posse ullo modo sese eam

[1] Paul. III. lib. brev. an. X. p. 362. — [2] Ib. p. 332.

[1] Paul. III. lib. brev. an. IX. p. 232.

reformationem ea in forma, qua exhibita est, sive recipere, sive approbare, cum non omni ex parte sibi arrideat, nec Ecclesiæ Christi toleranda censeatur. Quamobrem si res ad istum modum sese habet, reverendissime præsul, neque aliter mentem hanc suam et voluntatem de reformatione ista pientissimis Cæsar litteris in lucem datis expresse declaraverit, ingens est ac præsens nobis periculum, ne digressus istinc, et ad suos reversus archiepiscopus noster, ac opinionem semel arreptam pergens retinere, mordicus persuadeat multis reformationem suam a Cæsarea majestate per conniventiam approbatam esse, ut nusquam hodie desunt, proh dolor! qui tanquam corvi hiantes ad innovandas et invertendas res Ecclesiasticas et cæremonias bonas anhelant, qui ex re, quando nobis una cum toto clero, populoque, et plebe Coloniensis diœcesis ingens perturbatio ac subversio haud dubie sit exoritura, secuturaque religionis omnis et fidei Christianæ extrema quædam apud nos pernicies, cum videmus Bonnæ, Andernaci, Lynsi, Kompis, et aliis hujusce diœcesis in locis, religionem nostram veterem a Cæsaris ambitione nihilo in melius versam, quin potius in longe deterius esse prolapsam. Hinc occasione sumpta ad reverendissimam paternitatem vestram supplices confugimus, eamque etiam atque etiam rogatam volumus, ut nunc in avertendis imminentibus hisce malis, apud Cæsarem nostrum clementissimum velit nobis esse auxilio; hoc fiet, non solum facile, verum etiam ex animi nostri sententia, si cum Cæsarea majestate diligenter agere non gravabitur, ut nequaquam laconico illo suo responso, et apud paucos admodum fortassis dato, sit contenta, sed ubi Cæsarea majestas in recessu Spirensi hujusmodi Coloniensem reformationem publice reprobare, et nullam ac invalidam esse, quod vehementer cuperemus, declarare non poterit, saltem editis ad clerum, et Universitatem, ac status Coloniensis diœcesis litteris, quid et ipsa de nullitate ac invaliditate et inefficacia reformationis Coloniensis sentiat, et alios cum omnibus pseudoconcionatoribus, ac subintroductis novationibus Cæsareæ majestatis auctoritate remotis, abjectis et ab hac diœcesi procul ablegatis, sentire velit, ac jubeat, et palam faciat, quo sic tandem, et archiepiscopus noster clare intelligat ubi gradum oporteat sistere, tum nos una cum reliquis omnibus, qui sese in veteris et veræ Christianæ Ecclesiæ pomerio adhuc continent, liquido persciamus, quid nobis in serenissima ejus majestate spei sit reliquum, quod ut superis bene fortunantibus consequamur, pro voto reverendissimæ paternitatis vestræ potissimum in manu est, quam D. Jesus Ecclesiæ suæ, et sacræ Cæsareæ majestati, ac nobis omnibus pulchre valentem in Nestoreos usque annos servet. Ex Agrippina Colonia X kal. Maias anno a restituto genere humano MDXLIV ».

Reverendiss. Paternitatis Vestræ

Deditissimi deputati servi

Designati domini ex clero civitatis Coloniensis.

11. Agebat tunc Coloniæ Petrus Faber primus sancti Ignatii socius [1], qui a Pontifice ex Hispania in Germaniam se conferre jussus erat ad propagandam pietatem asserendamque contra hæreticorum artes; is vero Cæsaris dissimulationem in religionis Catholicæ damnum vergere indoluit, atque hæreticos exultare, quod Cæsar impiam illam constituendæ religionis vel potius evertendæ formulam non damnasset, monuitque internuntium Apostolicum, necessarium esse ad infringendam hæreticorum impudentiam, ut Cæsar apertis verbis commentitiam illam reformationem damnaret, monuitque collegii canonicorum principem defecisse ad Lutheranos, ac pseudoarchiepiscopo adhærescere, et percupere Colonienses (quantumvis hæretici judicium religionis Cæsari deferant) ne quidquam admittatur, quod Pontificia auctoritate confirmatum non sit [2]:

« Reverendissimo in Christo Patri, ac D. D. Poggio episcopo Tropiensi nuntio Apostolico apud Cæsarem, et Domino meo, et patrono observandissimo.

« Scripsi me expectare ex dominatione vestra abeundi copiam, et ut intelligam istius dietæ finem. Universitas Coloniensis, et cæteri, qui religionem Catholicam tuentur, maxime timent, ne archiepiscopus suus plura mala prioribus, postquam isthinc redierit, contra hæreditatem suam moliatur: audiunt enim reformationem ejus Cæsareæ majestati esse ostensam, unde facile fieri possit, ut spargatur rumor per mendaces homines Cæsarem vidisse, et non reprobasse; sic enim loquuntur hæretici, summum judicium religionis in Cæsaream majestatem referentes, non propter conscientiam, sed propter timorem: hæretici enim nulli potestati, quantum ad ea quæ sunt religionis, subditi sunt propter conscientiam, timor tamen videtur facere, ut aliquid Cæsareæ auctoritati in hac etiam parte deferant, sed et populus confortatur intellecta Cæsaris voluntate et mente: propter hoc nobis parcendum est, dum non sumus contenti nisi expressis scriptis viderimus mentiri hæreticos, aut falsa opinari, si dixerint Cæsarem, vel dissimulando tacere, vel aliud agendo non esse ipsis contrarium: hoc igitur nunc effectum vellent domini Colonienses, ut Cæsarea majestas expressis verbis statibus hujusce diœcesis significaret, se nullo modo velle, ut hæc reformatio admittatur, sed nec aliud quidquam quod auctoritate Romanæ Ecclesiæ ipsius confirmatum

[1] Orlandin. lib. III. — [2] Ext. apud Paul. III. lib. brev. an. IX. pag. 233.

non fuerit. Ego dico desideria piorum hujus civitatis, etc. Coloniæ XXII Apr. MDXLIV

« servus et capellanus minimus

« Petrus Faber ».

12. *Conatus internuntii et supplicationes cleri Coloniensis ad Cæsarem.* — His, ac superioribus Coloniensium litteris admonitus internuntius muneri suo non defuit, ac respondit Coloniensibus libellum reformationis ab archiepiscopo datum Cæsari, qui perlegendum tradiderit viris peritis, qui senserint archiepiscopum impie moliri religionem in suo principatu extinguere, verum se in spem efferri, iniquos ejus conatus a Cæsarea pietate demum obtritum iri :

« Coloniensibus.

« Perspexi (nempe ex litteris Coloniensium) quam sollicito essetis animo quidnam Cæsar decreturus sit de impia religione, quam in ista amplissima ac nobilissima civitate vester archiepiscopus instituere deliberaverat. Cæsari quidem de istiusmodi rebus libellum dedit, sed ita ab iis, quibus erat demandatum negotium, fuit lectus, ut nihil aliud illum conari judicaverint, quam sanctissimam istic delere religionem, quod Cæsarem minime passurum speramus, et profecto quotidie magis confidimus, cum aut ipsum Cæsarem alloquimur, aut ejus familiares et ministros convenimus : est præterea sperandum, Deum nostram causam vel suam potius minime deserturum, quam spem, si certam et exploratam habuerimus, ea nos profecto nunquam fallet: hic nobis curæ erit, ut archiepiscopum a suo iniquo et detestando consilio Cæsar, et privatim et publice deterrere conetur, quidquid de nefando libro sentiat ut vobis per litteras significet, quod quidem eum libentissime facturum haud dubitamus. Vos ad omnia sustinenda forti animo cohortarer, nisi nunc et multo ante vestram mentem, animum et consilium cognitum et perspectum habuissem, quæ sane quibus maxime possem laudibus extollerem, nisi vobis injuriam fieri putarem, qui enim fieri potest, ut ii qui pro Christo pugnant, non fortissimi constantissimique sint contra istos præsertim, qui ita aperte sunt improbi, ut nemini eorum possit esse ignota malitia ? nec tantam istorum esse ingenii aciem existimare debemus, ut ea in nostra religione videant, quæ majores nostri viri sanctissimi nec viderint, nec intellexerint, quorum animi bonitatem imitari potius debemus, quam istorum non occultam malitiam, præsertim cum præclare cernamus, quotidie nihil aliud quærere, quam sanctissimi Corporis Christi membra discerpere ; sed confido fore, ut brevi et divino auxilio, et religiosissimi imperatoris studio et ope, tantæ improbitati et malitiæ occurratur, etc. Valete V Non. Maii MDXLIV ».

Jo. Poggius nuntius.

13. Pervincere non potuit internuntius Apostolicus apud Cæsarem, ut apostatæ archiepiscopi conatus impios ferro elideret, obtinuit tamen ut Colonienses verbis ad constantiam, ne quid in religione novarent, hortaretur, efferatus enim odiis in Franciscum regem, permissa tunc Lutheranis grassandi in Catholicos licentia, debellandæ Galliæ inhiabat, et inanem nominis sui gloriam divinæ gloriæ anteferebat, cui nefario bello, dum vacaret Cæsar, Hermannus apostata omni contentione clientes suos pervertere conatus est, cui summa constantia et præclarissimo virtutis exemplo Colonienses restitere, ut narrat Surius [1] : « Dum Gallicum fervet bellum, Hermannus Coloniensis archiepiscopus pergit urgere suæ diœcesis infaustam planeque Buceranam reformationem. Clerus sese opponit, hortatur et obsecrat principem, ut rem differat ad Œcumenici Concilii cognitionem et definitionem, nam si secus faciat, ad supremum magistratum sibi confugiendum, easque vias excogitandas, quibus possint conscientiis suis satisfacere. Princeps male persuasus mansit in sententia. Itaque clerus et qui ad eum pertinent, Octobris octava die cum in unum convenissent, inter alia commemorant, quæ ante annos viginti tres Wormatiæ, ubi Lutherus a Cæsare cunctis fere illi principibus suffragantibus damnatus fuit, quæ item postea Augustæ et Ratisbonæ, atque recens Spiræ decreta fuerint, quibus omnibus posthabitis, Hermannus archiepiscopus res novas attentarit, Bucerum apostatam et Sacramentarium, qui jam alteris sese incœstis nuptiis contaminarit, Argentina evocaverit, concionandi munus, et illi, et passim aliis levibus hominibus demandarit : horum vero suggestione quamdam reformationis formam conceptam et principis mandato evulgatam : se quidem modis omnibus principem dehortatos, sed nihil promovisse, jam vero diœcesim pessime habere, omniaque ad summam perturbationem spectare : quamobrem necessario ipsos provocare ad summum Pontificem et ad Cæsaream majestatem. Id ubi rescivit episcopus, scripto publico testatur, nullam eos provocandi justam causam habuisse, se nihil præter officium fecisse, (o impudentiam hæretici hominis, et satanicum mendacium !) proinde eam se appellationem rejicere, sperareque ipsos a debito non discessuros. Quod si non faciant, se tamen in cœptis progressurum, simul etiam non mediocriter Lutheri et Buceri scripta commendat, sed haud dubio ab aliis male institutus. Tum vero summæ Ædis canonici totius diœcesis Coloniensis ordines ad se evocant, principis conatus explicant : Cæsaris quoque mandatum, ne quam mutationem admittant gravissime jubentis, exponunt, hortantur omnes, ut in Catholica

[1] Surius in Comm.

et quam ab Apostolis acceperint atque hactenus conservarint, religione, cum ipsis permaneant; principi vero, ut ab appellatione cessarent et quædam alia hortanti, prolixe scribunt, et ut Summi Pontificis atque Cæsaris, quibus ipse quoque subditus sit, sententiam expectet monent, multaque alia, quæ nimis longum esset hic adscribere, hisce litteris canonici primariæ Ædis, itemque divi Gereonis, et Universitas sua sigilla appendunt ».

14. Confugit etiam ad Cæsarem clerus Coloniensis, atque supplicibus hisce litteris eum rogavit, ut Hermanni archiepiscopi plura adversus Catholicam religionem novare molientis, impietatem imperiali potestate coerceret [1] :

« Supplicatio prælatorum, abbatum, capitulorum Coloniæ Agrippinæ contra archiepiscopum.

« Invictissime et gloriosissime imperator, Auguste, domine clementissime, sub finem comitiorum Spirensium sacratissimæ majestati vestræ uti unico nostro post Deum præsidio statum sacrosanctæ nostræ religionis, ut tunc illa apud nos habebat, significavimus, ejusque opem, qua majoribus et periculosioribus novationibus, quantum nisi tempestive obviam iretur, non temere metuebamus futuras, supplicibus votis efflagitavimus. Hactenus vero ad ea nostra scripta, quæ extrema sane necessitas, ut præsens rerum conditio satis indicat, extorsit, nihil responsi retulimus, nisi quod de majestatis vestræ optima voluntate in defendenda prisca nostra sancta et vera religione bene sperare jussi sumus, et persuasi quoque, ut si reverendissimus archiepiscopus noster a comitiis illis adversus Catholicam traditionem quid ulterius novare pergeret, eam suo imperiali officio, quod Ecclesiæ Christi debet non defuturam : hac spe, qua nos utcumque sustentamus freti, ad majestatem vestram rursus confugimus, ipsi non sine gravi dolore amicorum nostrorum, quam humillime exponentes, quod is timor quem jampridem timebamus advenerit, et quod verebamur acciderit, adeo etiam præfatus archiepiscopus noster post habita comitia ab instituto illo suo non cessavit, ut longe etiam vehementius quam antea illud urserit ac promoverit. Interea enim schismatici illi prædicantes, quos in hanc diœcesim infaustis auspiciis jam dudum induxit, ad illius suæ obtensæ reformationis perscriptum, atque adeo sæpe deterius, sua improbata dogmata ubivis spargere summo conatu adnituntur, veris et legitime vocatis pastoribus necessitate illis cedendi imposita, qui et nunc jubentur sacramentorum illis administrationem permittere, non quidem ad Ecclesiasticam et Catholicam formam, sed in lingua Germanica et novo more, quemadmodum prædicantibus ipsis videtur, hoc est, non sine veterum solemnium precum et piarum cæremoniarum a temporibus Apostolorum in Ecclesia Dei ad sacramentorum exhibitionem usitatarum, necnon etiam a tot sæculis observatæ missæ, ac sacrosancti canonis abrogatione.

« Ante comitia Ecclesiarum ordinariis pastoribus, aliisque presbyteris, et clericis adhuc, ut par est, licuit, cuique sua Ecclesiastica officia suis solitis et statutis locis in templis peragere, nunc vero eo ventum est, ut ejusmodi ordinariis ministris subinde mandetur, ne vel prædicando vel cantando breviter, ne verbo vel facto præessendo Ecclesiis illis ullo impedimento sint, ut taceamus, quod ab eo tempore libellus quidem apostatæ monachi Joannis Memerhagensis, qui se ministrum Ecclesiæ Bonnensis appellat, qui et recens se incœstis nuptiis polluit, sub titulo..... blasphemis et impietatibus refertus, publice denuo expositus fuerit, et nunc denique prostet liber illæ obtensæ reformationis archiepiscopi nostri Francfordiæ etiam in præsentibus nundinis, jussu ejus, ut accepimus, distrahendus, quæ omnia (quamlibet ea, ne fierent, suam celsitudinem humiliter et sedulo deprecati et obtestati sumus) in præsentiarum, apud nos aguntur, piis ad hæc ingemiscentibus, aguntur autem (id quod nobis longe gravissimum et acerbissimum est) sub eo prætextu, perinde atque sacratissima vestra Cæsarea majestas ipsi præfato principi nostro, (sicut etiam nuper quidam ex suis consiliariis ad nos retulit) ea agendi fecerit potestatem. Et quanquam adduci non possumus, ut id fecisse ullo modo credamus, scimus enim, quid majestas vestra per suas serias litteras his, deinde quoque suo ipsius oraculo, nuper personaliter præsens, denique quod per suum vicecancellarium, post comitia in diversam longe sententiam nobis mandari curaverit, ut hinc facile intelligamus archiepiscopo nostro non aliam a majestate vestra potestatem factam esse, quam forsan prædicandi Evangelii, verum non ea procul dubio mente id ut per schismaticos et hæreticos adulterantes verbum Dei facere liceret, sed tantum per pastores aliosque ministros canonice vocatos ad Apostolicam et Catholicam traditionem, quia tamen hic prætextus nobis multum in præsentiarum facessit molestiæ, neque videmus ulla alia ratione imminenti aversioni veteris religionis, quam schismatici illi per absentiam majestatis vestræ in hac diœcesi fortiter urgent, occurri posse, quam si majestas vestra suis patentibus imperialibus litteris ad nos omnesque alios prælatos, capitula, abbates, conventus, pastores, et animarum curatores, universumque clerum, necnon comites, barones, nobiles, ac communia oppidorum, omnesque fideles hujus diœcesis, conjunctim ac divisim dirigendis, aliis quoque ad senatum hujus in-

[1] Ms. card. Pii sig. 64. p. 117.

clytæ civitatis destinandis palam faciet ac declaret suæ mentis nunquam fuisse, archiepiscopo nostro permittere, et curare in hac civitate et diœcesi per aliquos verbum Dei prædicari, quam per idoneos et canonice vocatos pastores et Ecclesiasticos legitimos ministros, idque secundum Apostolicam et Catholicam traditionem, non autem per sectarios, hæreticos, schismaticos et hypocritas ministros, aliosque veteris religionis eversores, nobisque et aliis omnibus et singulis incolis supradictis serio districte demandet, ut veterem religionem mordicus retinentes, missum demus hisce pseudoecclesiasticis locum, nullasque novationes contra priscam Ecclesiam et Catholicam, ordinationes vel prætextu commemoratæ obtensæ reformationis, nostri archiepiscopi, vel alias invectas, seu invehendas admittamus, denique si nos in vestræ majestatis singularem tutelam et protectionem recipere non gravetur. Hoc igitur beneficii, ut majestatem vestram pro sua erga Christum, et Ecclesiam suam sponsam matrem nostram indicibili pietate nobis, quam humilissime supplicantibus collaturam, et plane per hunc nostrum tabellarium, idque quam maturrime transmissurum plane confidimus. Ita idem semel collatum nulla unquam apud nos aut posteros nostros delebit oblivio. Quod et in primis ipse Christus Jesus, qui majestatem vestram suæ sponsæ advocatum potentissimum fecit, immortali mercede remunerabit, et nos piis precibus pro felicissimi imperii majestatis vestræ propagatione, et de hostibus suis referenda victoria Deo sedulo fundendo pensare nunquam intermittemus, qui majestatem vestram nobis et universi orbis Christiani saluti unicum avitæ pietatis et religionis asylum incolumem perpetuo servet et prosperet, et ovantem Germaniæ pacificandæ restituat. Datum Agrippinæ Coloniæ nonis Septembr. sub nostris videlicet majoris et metropolitanæ atque divi Gereonis Coloniensium Ecclesiarum sigillis anno ab Incarnat. Domini MDXLIV ».

Sacratissimæ Cæsareæ majestatis vestræ longe devotissimi prælati, abbates, capitula et monasteria, totusque clerus Agrippinæ Coloniæ.

15. *Archiepiscopus Coloniensis obdurescit in hæresi.* — Disceptata etiam est apud subsellia Apostolica Hermanni antiarchiepiscopi Coloniensis causa, quem de hæreseos crimine postulatum referunt Acta Consistorialia [1] :

« XXII Decemb. MDXLIV fuit consistorium publicum. Dominus Achilles Maffeus advocatus consistorialis pro parte procuratoris fiscalis proposuit causam Coloniensium contra Hermannum episcopum Coloniensem, qui suæ salutis et dignitatis immemor, labe hæresis se inficere, et quod pejus est, his non contentus, cum sacerdotes Colonienses ad id vi secum adducere conaretur, idque obsistente Georgio Ecclesiæ Coloniensis viro sanctissimo, et orthodoxæ fidei defensore efficere non posset, divina humanaque omnia commiscere tentavit, et fuit commissa causa R. D. auditori cameræ, qui moneat Dom. Hermannum episcopum et complices, et fautores suos ad comparendum personaliter in curia, prout in commissione continetur ».

Non deterritus est sapientissimis Coloniensium monitis, nec Cæsaris metu, nec Pontificii judicii terrore Hermannus apostata a cœpta impia tyrannide; nec Sathanæ præcones Lutheranos a se amovit, sed in pluribus oppidis religionem Catholicam evertit, ac rudem plebeculam hæreticorum erroribus illaqueatam, in æternum exitium perduxit, ut vero principatu fuerit deturbatus, cum jam Cæsar, bello Gallico composito, a Lutheranis, qui viribus auctis confirmatisque rebellarant, lacesseretur, suo loco dicetur : nunc de ipso bello cum Francisco rege et pace redintegrata agamus.

16. *Ardet bellum initum inter Cæsarem et Franciscum regem: Anglus etiam in Galliam irrumpit.* — Refert Cochlæus[1], Cæsarem in comitiis Spirensibus pronuntiasse hostem imperii Franciscum Galliæ regem, atque Protestantium arma in eum versa fuisse, verum antequam in Galliam Cæsar et Henricus rex Angliæ irrumperent, Cæsarianæ res in maximum discrimen adductæ sunt in Italia, nam cum Galli Carinianum obsidione premerent, Alphonsus Davalus, Marchio Vastus, Germanicis Italicisque succinctus copiis opem laturus esset obsessis, commissa in Cerosolano agro pugna, die decima Aprilis eodemque Festo Paschatis maxima clade deletus est ab Anghiano duce, acceptoque vulnere ægre fuga evasit, de qua pugna hæc refert Paulus Jovius [2] : « Pugnatum est ad Cerosolam postridie idus Aprilis, quarto et quadragesimo anno supra quingentesimum atque millesimum Christianæ salutis. Occisa autem referuntur ad duodecim millia hominum. Sed multa maxima ex parte Germanorum, neque enim, quum in acie utrinque æquato fere numero supra quadraginta millia peditum constitissent, omnino incruenta victoria Gallis obtigit, sinistro præsertim eorum cornu magnis cædis et fugæ detrimentis affecto, et aliquot ex illustri Gallica nobilitate desideratis ».

Poterant Galli consternatam Insubriam invadere, ac latius victoriam proferre, sed Angliæ rex cum ad excipiendos Cæsareæ irruptionis impetus se pararet, auxiliares copias non submisit, cæterum Anghianus in Cariniani obsi-

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 149.

[1] Cochlæ. in act. et scriptis Lutheri. Petrus Paulus Gualt. in Diar. Paul. Jov. l. XLIV. Martin. Bellaius l. X. — [2] Paul. Jov. l. XLIV.

dione hæsit, ac demum pactione militari eo potitus est, cujus victoriæ sparsa fama, Florentini exules et alii Gallicarum partium studiosi circa Mirandulam exercitum ad decem millia bellatorum conflarunt, atque in Insubriam excurrentes terrorem intulere, sed opportune submisso equitatu a Cosmo duce Florentiæ is exercitus dissipatus est. De quo hæc Petrus Paulus Gualterius in Diario refert : « Hoc mense Junii decem millia peditum, quos Petrus Strozzius cum exercitu regis Franciæ in Lombardia conjungere studebat, fuerunt in transitu cæsa et fugata a Cæsarianis, et ipse Petrus cum paucis evasit ». Porro Anghianus dux nil ultra tentandum censuit, cum de belli Gallici eventu ancipiti esset sollicitus, nam Cæsar cum Henrico Angliæ rege Gallis infestissimo, ita fœdus percusserat, ut Galliam certa lege cum eo partiretur, atque ad Lutetiam ipsam regni sedem in nequissimi persecutoris Ecclesiæ communibus armis redigendam se obstringeret, quod Jovius[1] silere non potuit [1] : « Tantum (inquit) Cæsaris odium valebat adversus Gallos ab avorum usque memoria conceptum, ut gravissimarum offensionum ex repudiatæ adactæque ad necem materteræ penitus oblivisceretur, nec iniquum et fide sua indignum existimaret ad contumeliam Pontificii nominis cum eo rege fœdere conjungi, qui propter eversa sacra, despectamque et convulsam Romani Pontificis existimationem, Christiano jure anathemate a Romano Pontifice damnatus, ipso præsertim Cæsare id orante postulanteque, cum se in Britanni regis gratiam nunquam rediturum jurasset, nisi Pontificiæ dignitati Henricus satisfaceret, et ad veteres sacrorum ritus pristinamque Romani Pontificis auctoritatem se conferret ».

17. Irrupturis in Galliam Cæsare et Henrico Anglo, Franciscus rex honestissimo et pio consilio Barbarossam a se dimisit, licet ille ad evastandam Hispaniæ maritimam oram ad Gades usque se offerret, sed rex sapienter perpendit Turcicam societatem non profuisse hactenus, sed multum obfuisse, cum Protestantes ea de causa ad decernendum contra ipsum bellum adducti essent, et ipsorum Gallorum animos a se abalienaret ea societate impia, tum etiam Turcæ quoscumque possent provinciales abriperent in servitutem, neque ex insontium Hispanorum calamitate per Turcas inferenda ullum decus vel commodum, sed divinas tantum iras et publica odia promeriturum, tum quia Turcas excivisset non ad lædendos Christianos, sed ut a Cæsareæ tantum classis injuria se tueretur. At Barbarus ad Christianorum cædes et damna anhelabat, et querebatur, se non sine contumelia sui nominis retineri, cum neque Gallo utilis neque Cæsari infestus foret (addens, inquit Jovius) [1] : « Si juberetur, et rex Cæsari implacabili suo hosti in Galliam irrumpenti æquo jure nocendum putaret, se paratum fore, ut expedita et strenua excursione totius Hispaniæ oram summis ferro atque igni illatis detrimentis, a primo Pyrenei promontorio ad Gaditanum usque fretum pervastaret ; id consilium rex ab insita sua pietate prorsus alienum, quanquam amicissime oblatum, continuo repudiavit. Cur enim Christiani nominis gentes nihil tale meritas, parentesque tantum imperio Cæsaris, immanibus Barbaris delendas concederet ? cur in hoc tam atroci facto sui vetusti cognominis oblivisceretur ? cur denique usque adeo detestabilis et impiæ cladis invidiosam sibi et posteris memoriam relinqueret ? » Id virtutis exemplum in reprimenda ultionis cupidine, ut se in malo vinci sineret, placuit Deo, qui Cæsaris mentem postea ad pacem flexit, ut Cæsar pæne victor pæne victo Gallo ea concederet, quæ victor Gallus a victo Cæsare vix exprimere potuisset, ut mox dicetur. Porro Barbarossa in reditu omissis Liguribus, quos Gallus amicos optabat, Hetruscis ac Neapolitanis littoribus plura damna intulit, de quo hæc habet Petrus Gualterius Aretinus in Diario : « Hoc mense Maii Barbarossa pyrata discessit cum tota classe ex portu Tolonensi, mense Junii in suo transitu per mare Thyrrenum occupavit et incendit Portum Herculis, et Talamonem in dominio Senensium, et ab insula Lilii multos captivos duxit ». Non muniverant Senenses idoneis præsidiis eas urbes, nec oblata a Cosmo duce Florentiæ subsidia admiserant, quod finitimi hostis prævalidas copias finibus suis excipere tutum non putarent, ejusdemque monita de repentino Barbarorum adventu spreverant. Tentavit etiam Orbetellum Barbarus, inhiabat quippe Etruscæ oræ portubus, ut tutam stationem sibi in Italia pararet, ex qua Solymannus ad imperium Italiæ invadendum aspiraret ; submisso vero opportune exercitu a Florentiæ duce, Barbarus cœptis destitit, multaque præda in Hetruria capta discessit, ac deprecante Gallico oratore, ne Francisco regi invidia conflaretur, a Pontificiæ ditionis maritimæ injuria temperavit. In Ænariam vero insulam delatus, nocturna descensione incolarum multitudinem intercepit, Puteolos frustra oppugnavit, e Brutiis multam prædam congessit, profectus inde Lipparim, illius insulæ urbem terribili oppugnatione concussam ad deditionem compulit, cum illius præfectus Nicolaus suam libertatem pactus hosti cives in servitutem abducendos prodidisset, quos septem millium summam implevisse Jovius refert, ac de tristissima eorum aliorumque Christianorum captorum calamitate hæc subdit [2] : « Tantam omnis generis mortalium prædam, qui in classe

[1] Paul. Jov. l. XLV.

[1] Paul. Jov. l. XLV. — [2] Paul. Jov. l. XLV.

erant fuisse retulerunt, ut in toto cursu ad Byzantium directæ navigationis, plura captivorum (enecta fame, siti mœroreque) corpora uti erant in infimis carinis, inter naturæ sordes, angustissime constipata, omnibus prope horis in mare projicerentur execrantibus cunctis immites Galliæ regis et Cæsaris animos adeo studentes veteribus eorum odiis, ut subditæ imperio ipsorum gentes, nihil tale meritæ plecterentur, quando quidem ex sua effræni obstinataque libidine, abhorrentes concordiam tantis calamitatibus gravi cum infamia causam præbere dicerentur».

18. Abeunte Constantinopolim Barbarossa Henricus Angliæ, sublato Scotiæ rege Gallorum fœderato, qui domestico metu illum distinere potuerat, Caletum cum maximo exercitu trajecit, ac Boloniam obsidione cinxit, parte adversa Cæsar [1] Germanis, Belgicis, Hispanicis atque Italicis copiis succinctus in Galliam irrupit, ac Lucemburgum superiore anno Aureliani ducis virtute receptum, antequam communiretur ad deditionem coegit, cæpitque Linium oppidum, tum ad Sandiserium octava Julii castra promovit, quo demum pactione militari honesta potitus est, inde ad Matronam flumen progressus, cupiebat castra conjungere cum Anglo, qui triginta millia armatorum adduxerat, ut Franciscum Galliæ regem ad certamen adigeret, ne regnum ferro flammaque pervastari pateretur, sed crudelia et iniqua eorum consilia Deus Galliæ misertus discussit, nam Anglus, nisi capta Bolonia, castra movere abnuit, vel discrimini se objicere, ac Cæsar, qui Lutetiæ extremum terrorem inferebat, cœpit commeatuum variis difficultatibus angi, ac dolore meditati consilii ab Anglo Boloniæ hærente confundi, spesque subjiciendæ Galliæ temere conceptas sensit, cum Galli ad eum propulsandum acerrimis animis accingerentur.

19. *Inter ipsos bellicos motus spem pacis non deserens Paulus duos legatos mittit ad pacem tractandam.* — Dum tantis bellis turbaretur orbis, semper tamen in imperiali aula aliisque in locis pacis tractatus vigebat, sicut Epistolæ cardinalis Farnesii ad nuntium Poggium apud imperatorem testantur, sic se habet in una illarum sub vigesima tertia die Julii hujus anni [2] : « In supradictis tuis litteris cum confirmes et repetas tractatum pacis absque fundamento non esse, sua beatitudo maximo perfusa est gaudio, et eo magis, quia ex aliis locis idem percipitur, et præcipue Epistolæ Camilli Columnæ ad archiepiscopum suum fratrem hoc testantur, et ab aliis ex variis partibus hoc idem nuntiatur; ita ut sua sanctitas, quæ pacem apud Christianos suis diebus videre semper quæsivit optavitque, solummodo nomine et spe pacis animi vires resumit, maximopereque lætatur. Nec diffidit Deum a cujus pietate hoc et omne aliud bonum procedere fatendum est, ut majus et suæ dexteræ opus appareat, reservasse tempore majoris necessitatis, sicut vere est diebus istis; quapropter ob uniformitatem nuntiorum, et præcipue ob suæ majestatis Cæsareæ confessarii verba, a quo, ut scribis, hortatus fuisti, suæ beatitudini suadere, ut mediatoris et excitatoris onus ad hanc pacem stabiliendam suscipiat, decrevit, sicut annis præteritis fecit, modo etiam, officio et muneri suo non deesse, sed omnibus mediis eam procurare, et præcipue unicuique majestati virum auctoritate præditum transmittere, confidens quod in tantis Christianæ reipublicæ necessitatibus, unaquæque majestas obligationi quam Deo et populis eorum regimini ab ipso Deo commissis debet, non deficiet, quia res in eo statu sunt, in quo, etiam qui in bello superior sit, cum effectu pacem optabit, eo majora apud Deum et apud homines merita acquiret». Et in alia Epistola ad eumdem sub die vigesima sexta Augusti istius anni, sic dicit [1] : « Cum in tuis litteris nuntias tractatus pacis semper vigere, scias suæ beatitudini nihil gratius et jucundius nuntiari posse, cum ille sua desideria ad istam pacem semper direxerit, et supra quam dici possit, de ea cogitet; ideoque quidquid circa istud negotium dietim agitur, scribas, et quod ad te attinet, nihil officii circa istam pacem, quando occasio suggeret, prætermittas, quia eadem nos faciemus». Hæc Farnesius.

20. Pontifex igitur tanta spe motus duos ad tractandam pacem legatos elegit, quos sollicite expediendos esse in supradicta Epistola [2] cardinalis Farnesius promittit, et sic de ista electione Acta Consistorialia loquuntur: «XXX Julii decreti fuerunt duo legati pro tractanda pace reverendissimi domini Jo. Hieronymus Moronus ad serenissimum dominum Carolum V, Romanorum imperatorem semper Augustum, et Marinus Grimanus S. R. E. cardinales, ad Franciscum Francorum regem Christianissimum». Confirmat hæc Angelus Massarellus in Actis Concilii Tridentini, in quibus horum temporum calamitates ita describit [3] :

« Cæsar Maio mense, validissimo cum exercitu Galliam aggressus fuerat, Lignique oppidum die XXIX Junii anni ejusdem expugnaverat; Angliæque regis adjutus copiis majora prope diem in Gallos minabatur, atque etiam eodem tempore in Pedemontana regione Cæsareas copias, marchione Guasti ducente, non minus acre bellum cum Gallis gerebatur, quorum ambo exercitus die XIV Aprilis MDXLIV prope Carignani

[1] Martin. Bellaius Comm. l. x. Paul. Jov. l. XLV. — [2] Ms. card. Spadæ tom. LXXXIV. p. 442.

[1] Ubi sup. — [2] Ms. card. Spadæ to. CXXXIII. p. 430. — [3] Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 215. Diar. Conc. Trid. auctore Angel. Massarell. Secr. Ms. arch. Vat. p. 23.

oppidum, Cæsarianis in fugam versis, nec multo post, IV scilicet Junii, non longe a flumine Thesino, Gallis profligatis, conflixere.

« Non desperavit tamen Pontifex posse aliquando Dei beneficio pacem inter sæpefatos principes fieri, opusque toties frustra tentatum iterum aggressus est. Quare die XXX Julii prædicti anni duos a latere legatos [1] reverendissimos videlicet S. R. E. cardinales Marinum, episcopum Portuensem, Grimanum ad Gallorum regem, et Joannem tit. S. Vitalis presbyterum, Moronum, ad Cæsarem pro unione inter eos concilianda. Gravius nihilominus in dies magis atque magis bellum inter ipsas majestates excitabatur, Cæsare non longe a Parisiis in oppido Mellun, cum validissimis copiis existente. Rex autem Turcarum fœdere innixus, eorum classe Italicas ditionis Cæsareæ maritimas regiones continuo infestabat, nam dux ipsius classis Barbarossa Thyrreni maris dominus factus, jam Herculis Talamonisque Portus in Senensium dominio mense Junii, necnon Liparis civitatem et insulam XIV Julii una cum nonnullis oppidis expugnaverat depopulaveratque ».

21. De cardinalibus legatis decretis pro concilianda pace certiorem fecit Pontifex Ferdinandum regem Romanorum, eumque rogavit, ut una cum Germaniæ principibus, concordiæ pro re Christiana instauranda adeo pernecessariæ interpretem ageret [2] :

« Regi Romanorum.

« Etsi tamdiu, totiesque, et nullis non modis, atque omni opera et studio summos Christianorum principes inter se acerbissime dissidentes conciliare tentaverimus, et tot conatus et labores incassum hactenus effuderimus, adeo ut in re hac amplius tractanda animum fere despondissemus, tamen alia ex parte nos movet miserrimus Christianæ reipublicæ status, neque enim præteritarum dumtaxat calamitatum damna intuemur, sed imminentem procellam prospectamus, quando hinc Christianorum vires penitus atteruntur, inde Turcarum potentia ad summum aucta, omni conatu in præsens bellum molitur, atque excidium extremamque perniciem primo quoque tempore nobis minatur. Quis autem hæc non videt sentitque, aut quis extremo huic discrimini remedium perquirendum esse non cognoscit? Sed nostro hæc potissimum pectori semper insident, urgetque intime atque impellit Christiani gregis cura nobis divino ore præcipue demandata, ne omnino officii nostri munus deseramus, tum negotium sæpius etiam frustra exploratum iterum tentemus, et quantum in nobis est, Dei benigno auxilio, et præcipua in Christo confidentia idem rursus periclitemur. Cum igitur proxime destinaverimus venerabilem fratrem Grimanum, et dilectum filium Moronum cardinales legatos nostros, hunc ad Cæsarem, illum ad Franciscum regem, ut inter eos concordiam a piis omnibus maxime optatam, et Christianæ reipublicæ conservationi pernecessariam nostro nomine persuadeant, et si fieri possit, ut prosecutio Concilii Œcumenici celebretur expeditiorque reddatur, conficiant, haud nos præterit, quod etiam anno nondum elapso animadvertimus, rem hanc, præter id quod omnes tangit, ad clarissimos Germaniæ principes præcipue spectare, quorum auctoritatem et Christianam charitatem ad negotium peragendum et pia consilia nostra adjuvanda non mediocriter profutura arbitramur, atque eam ob causam ad te et nonnullos alios principes mittimus nuntium nostrum venerabilem fratrem nostrum Joannem Thomam episcopum Cavensem nobis gratum ; ut nostrum hoc pium propositum vobis significet, et tuum ac ipsorum pariter consilium auxiliumque ad id poscat, quod non ad nos tantum, neque ad paucos, sed ad universos Christianæ religionis homines pertinere manifestum est, etc. Datum Romæ apud S. Marcum XXVII Augusti MDXLIV, anno X ».

De Cavensis episcopi missione loquens cardinalis Farnesius in Epistola vigesima sexta Augusti sic fatur [1] : « Et quia quo res majoris est ponderis necessitatisque, eo magis sua sanctitas judicat, simul omnia media, quæ adjuvare possunt, esse conjungenda, mittit modo episcopum Cavensem ad serenissimum Romanorum regem et ad alios imperii principes, ad eos adhortandos, ut a Cæsarea majestate optimum concordiæ finem curent obtinere ». Hæc Farnesius.

Scripsit etiam Pontifex eodem argumento ad Septemviros, tum ad plures alios principes atque Lusitanos proceres ; indixit etiam publicas preces populo Christiano, de quo extant Encyclicæ litteræ ad archiepiscopos transmissæ.

22. *Fœdus pactum, ob quod gratiarum actiones persolvuntur a Pontifice utrique principi.* — Exceptæ cœlo fuere piorum preces, paucis enim post diebus pax confecta est, ut sacrum illud oraculum usurpari posset : *Præparationem cordis eorum audivit auris tua.* « Dum magis », inquit Angelus Massarellus [2] « omnia per totum Christianum orbem, bellis, simultatibus, dissensionibus ardent, ecce tandem lætissimus, Domino miserante, dies illuxit, in quo pax et unio inter prædictas Cæsaream et Christianissimam majestates conciliata est, die videlicet XVIII Sept. MDXLIV, cujus pacis nuntio quamprimum ad Pontificem, qui Perusii tunc erat, allato, in magnam spem Sanctitas sua devenit, posse etiam tandem Œcumenicum Concilium celebrari : Deoque in primis pro tanto in Christi-

[1] Diar. Conc. Trid. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XIX. p. 332.

[1] Lib. brev. an. X. p. 415. — [2] Angel. Massarell. in summ. Conc. Trid. Ms. Vat. sig. num. 3199. p. 214. et in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 24.

anam rempublicam collato beneficio gratias egit».

23. His addunt Acta Consistor. [1] : « VII Oct. rediit Pontifex ad Urbem, x Octobris fuit Consistorium, in quo fuerunt lectæ conditiones pacis initæ inter Cæsarem et regem Christianissimum ».

Percussum fœdus XIV kal. Octobris consignat suis Monumentis Paulus Jovius. Petrus enim e Soto Ord. Dominicani, sacrarum Cæsaris exhomologeseon exceptor, pacis maximus auctor extitit, necnon Gabriel Gusmanus reginæ Galliæ sacerdos piacularius, ab ea ad fratrem Cæsarem missus, promovit actionem concordiæ, ad quam urgebat Cæsarem inopia stipendiorum, quæ Germani arrogantius exigebant, nec tutum erat certamen experiri, cum Galli ardentissimis animis in eum prosilire parati essent, cum ipse victoriam esset relaturus suo tantum periculo, at præmia victoriæ esset comparaturus Anglo, cui Lutetia ex impio fœdere cessura erat; pacis vero leges ad commodum ducis Sabaudiæ dignitatemque Galliæ regis distinctæ fuere, quas si antea Cæsar dedisset ad Pontificias preces, conciliato sibi Gallo, et Hungariam Christiano imperio asserere, et Anglum ad officium redigere, et Protestantes ad obsequium Ecclesiæ revocare, et Christianum populum a Turcicis grassationibus vindicare potuisset : nam cum omnium dissidiorum inter Cæsarem et Franciscum regem fons et causa esset expostulatio Mediolanensis principatus, quo Cæsar eum ante viginti annos depulerat, ita lis juncto novæ affinitatis vinculo dirempta est, ut refert Martinus Bellaius [2] : « Pacis conditiones statuuntur, ut Carolus Angolismensis, qui tunc dux Aureliæ erat, Cæsaris filiam, aut certe ejus ex fratre Romanorum rege neptem intra biennium uxorem duceret, utque quo tempore exacto biennio conjugium re ipsa perficeretur, ei Cæsar vel Mediolani, vel Flandriæ et Belgii dominatum, utrum tradere mallet, traderet, utque rex ab omni deinceps jure atque actione in ducatu ipso discederet, ac in regno etiam Neapolitano; si quidem Belgium filio Aurelio daretur, utique Sabaudo omnia, quæ adempta fuerant, restituerentur : simul atque Aurelius alterius ditionis compos esset, utique dum biennii illius tempus adesset, quidquid utrinque tum in Transalpinis, tum Cisalpinis regionibus jam inde a Nicianis induciis bello captum fuerat, restitueretur, omniaque pristinum statum reciperent, quo esse, cum illæ induciæ fierent, constaret. Cæsar eis Alpes, regi Sandiserium, Linium et Commercium restituit. Rex Yvesum, Mommedium et Landrisium : Stenæum Lotharingiæ duci (munitionibus prius dirutis) restituitur : in Italia Cæsar Mondevisium dumtaxat restituit, rex ei reddidit Albam, Guerassium, Antinianum, Sandamianum, Palezuolium, Crescentinum, Verruam, Moncalium, Bargas, Pontem-Asturæ, Lanisium, Vigonem, Sansalvatorium, Sangermanum, Magnum Regionis linguarum, Marchionatus Seviani partem, et Valpergam ».

[1] Acta Consistor. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 439. Paul. Jov. l. XLV. Martin. Bellaius l. X. — [2] Martin. Bellaius l. X.

Sancita pace cum Cæsare, Franciscus Galliæ rex adversus Nortfolchium ducem Montrolii obsidionem solvere coegit : Henricus vero rex jam Boloniam in deditionem acceperat, Veruini præfecti culpa, qui, licet tempestas horrida Anglorum tentoria evertisset, eorumque castra magnis incommodis affecisset, imminente jam cum exercitu Delphino ad invadendum hostem, concepto inique sacramento stare maluit [1], licet cives ipsi adversarentur atque ad repellendum hostem essent comparati, Bolonia vero potitus Caletum primum, dein in Angliam se subduxit, atque a Delphino Bolonia irrito conatu oppugnata est, quæ demum ab Anglo, biennio post confecta pace, Galliæ est restituta.

24. Accepto porro initæ inter Cæsarem et Franciscum regem pacis nuntio, Pontifex ingenti lætitia delibutus grates Deo egit, atque hisce litteris Francisco est gratulatus [2] :

« Regi Christianissimo.

« Gratias ingentes agimus primum Deo omnipotenti bonorum omnium dispositori ac largitori, deinde majestati Christianissimæ pro tam exoptato, omnibus precibus, omnibus aris supplicato et efficacissimis votis tandem exorato nuntio super pace inter Cæsarem et serenitatem tuam nuper conventa atque conclusa : quam non magis quietem vestram et utriusque incrementa existimamus, quam totius Christiani orbis tranquillitatem, atque inimicorum ejus excidium et confusionem, cum nostris discordiis se tutos esse et proficere, atque augeri in dies existimarent. Sit laus Patri luminum, datori omnis optimi et omnis doni perfecti indulgentissimo. Post hæc, grates habemus innumerabiles eidem majestati tuæ, quod se (monitis præcipue nostris ad hoc inductam) et ut devoti filii obsequio erga Apostolicam Sedem versaretur (quod indefesse antehac fecit) coactam autumat, divinam obsecrantes benignitatem, ut isti tam bonæ, tam egregiæ menti digna retribuere præmia non dedignetur : postremo id nobis supra modum acceptissimum fuit, quod cum scires quantopere id expectaremus, ea obsecundandi promptitudine usus es, ut sponte tua, non expectato legato nostro ad hoc destinato, votum nostrum impleveris, et obsequio preces anteverteris, quod nobis cordi semper futurum est, rogaturis Deum sine ulla intermissione, ut hæc stabilia et prospera tibi, liberis tuis, propinquitati et regno larga manu concedat, et tam bonæ menti, tam benigno animo nihil neget optatum. Felicissime valeat majestas Christianissima. Romæ die XIII Octobris MDXLIV, anno X ».

[1] Mart. Bellaius l. X. — [2] Paul. III. lib. brev. an. X.

25. Strenuam in pace conficienda [1] navarunt operam regina Navarræ Francisci regis soror, cardinalis Turnonius, et Bellaius ac Moguntinus, necnon classis Gallicæ præfectus (admiralium vulgo vocant) quibus a Pontifice actæ sunt gratiæ.

Commendavit porro Cæsarem maximis laudibus Pontifex de publica Christiano restituta imperio, deque eximia animi moderatione, qua gloriosissimo victoriæ genere seipsum vicisset, hortatusque, ut imperialia consilia ad frangendam Turcarum tyrannidem, ad hæreseon pestes exscindendas, ad Concilii indicti actiones promovendas intenderet [2] :

26. « Ad Cæsarem.

« Litteræ majestatis tuæ, quibus nos de pace inter eam et Christianissimum regem composita certiores fecit, tantam nobis lætitiam attulerunt, ut eam verbis exprimere non facile possimus. Perspicimus enim ex hac vestra concordia Christianæ reipublicæ, quæ in extremum pæne erat adducta discrimen, quemdam quasi in mediis tenebris salutis diem illuxisse; quapropter ipsi Patri luminum, in cujus manu regum sunt corda, maximas egimus gratias, quod ejus rei cujus incredibili per tot annos flagravimus desiderio, sua nos bonitate compotes effecerit : majestati autem tuæ ex animo gratulamur, quod hac animi sui moderatione seipsam vicerit, quæ omnium maxima honestissimaque victoria est existimanda. Eam igitur magnopere hortamur, ut quod reliquum est, quodque illam sua sponte facturam esse non dubitamus, ad comprimendam Turcarum audaciam, quæ nimium diu in nos grassata est, et ad extinguendam hæreticorum impietatem, quod Œcumenici tantum Concilii celebratione effici posse omnibus compertum est, totis nobiscum viribus incumbat, utrumque enim Deo in primis, ejusque religioni debet, in virtute ac nomine suo. Cætera Tropiensis episcopus nuntius noster majestati tuæ uberius exponet. Datum Romæ XVI Octobris MDXLIV, anno X ».

27. Emendandus hic videtur Joannes Baptista Adrianus, qui privatis simultatibus malevolentia imbutus erat adversus Paulum Pontificem, inter quem et Cosmum nonnulla intercedebant dissidia, atque adeo iniquissime Pauli III famam ac gesta traducere non veretur : ideoque delira somnia sua, et levissimi vulgi vel aulicorum rumusculos pro oraculis historiæ suæ inspersit. Inter alia fingit Paulum formidantem potentiam Cæsaris, ne meditata consilia discuteret, armorum fœdus arcanum cum Galliæ rege et Veneta republica junxisse, verum simulasse neutri parti studere velle ! Sed iniquam hanc calumniam contraria Pauli gesta perspicue refellunt, cum eo ipso labente tempore, de quo Adrianus loquitur, Pontifex arctissimum fœdus percusserit cum Cæsare, ac supra quindecim millia militum auxiliaria decreverit pro asserenda tuendaque in Germania adversus hæreticos Catholica religione, ut cardinalis Farnesii litteræ ad Poggium Pontificium internuntium in aula Cæsarea agentem testantur; quibus illum docet, cardinalem Tridentinum attulisse Pontifici sacri fœderis pactiones a Cæsare consignatas, easque in cardinalium senatu perlectas, atque mox promissa in actum provocasse, atque stipendia pro duodecim millibus equitum levioris armaturæ, seque legatum Apostolicum in exercitu creatum fuisse, atque Octavium fratrem cum supremo militari imperio ducem præfectum fuisse. Cum vero Cæsar pluribus districtus negotiis non tam celeriter ad sacram illam expeditionem se compararet, Pontificiarum copiarum iter in Germaniam aliquandiu dilatum est.

28. *Paulus redintegrandi Concilii percupidus futuris providet, præsentia componit, et preces solemnes indicit.*— Exeunte Octobri Franciscus I litteris humanissimis Pontifici datis regias vires pro auctoritate dignitateque Sedis Apostolicæ asserenda detulit, atque ad deprimendam Angliæ regis tyrannidem auxiliares copias proposuit, in quem etiam Cæsarem sibi conjungi flagitavit, precesque addidit, ut Concilium Œcumenicum Tridenti indictum trimestri flexu maturaret, quæ litteræ in senatu cardinalium lectæ fuere, ut Acta Consistorialia referunt [1] :

« VII Novembris MDXLIV, fuerunt lectæ litteræ Christianissimi regis datæ XXVIII Octob. MDXLIV per rev. Georgium episcopum Ruthenensem ejus apud S. D. N. oratorem, quibus majestas sua Christianissima significabat, eo se desiderio teneri Sanctam Sedem Apostolicam conservandi, in primisque suæ beatitudinis auctoritatem, et quæ ad commodum et honorem ejus pertinerent, ubi opus esset, ea præstare jam animo suo constituerat, quod ut fieri posset, sanctitatem suam obsecrabat, ut in bello contra Angliæ regem ea tantum causa suscepto, quod sanctam Ecclesiam minime secutus fuit, sibi auxilia atque opem ferret, ut scilicet singulis mensibus sex millibus peditum stipendia persolveret, quodque non minus ad Sanctitatem suam quam ad se pertinere asserebat. Quem quidem regem Christianissimum, cum strenuos ac fortes milites habere Catholici jam viderent, cum eo sanctitate sua fœderata fœdus inire quam maxime petebant ad Angliæ regis interitum et exitium. Sed quoniam id a neutris præstari posse arbitrabatur, sine consensu atque in primis Cæsareæ majestatis voluntate, hortabatur sanctitatem suam, ut totis viribus ad id Cæ-

[1] Ibid. pag. 435. Pag. 436. Pag. 447. Pag. 435. — [2] Paul. III. lib. brev. an. X. p. 451.

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 445.

saream majestatem adducere conaretur. Et cum totius Christianæ reipublicæ beneficia in Christianorum omnium concordia atque pace potissimum posita essent, ad quam quidem per universale Concilium facile pervenire posse putabat, cum id imperatori atque suæ majestati Christianissimæ cordi esset, sanctitatem suam orabat, ut infra tres menses accelerari curaret, ubi jam indictum fuerat, scilicet Tridenti, qui quidem locus et Christianissimæ majestati et imperatori quam maxime placebat, et ut omnibus, qui ad Concilium venturi essent, indictum diem nuntiari curaret, ut se ad iter comparare possent reipublicæ Christianæ conservandæ et augendæ gratia ».

29. Pacato ita feliciter Christiano imperio, Pontifex Paulus redintegrandi Concilii Tridentini percupidus, habito cardinalium senatu, decretum edidit de instaurando Tridentino Concilio, cujus actiones fuerant intermissæ, ut tradunt memorata Acta Consistorialia, quibus consentit Angelus Massarellus, additque dilatione sublata, quæ Bononiæ promulgata fuerat, Concilium indicta die xv Martii anni sequentis redintegratum fuisse, edita Bulla, quæ incipit, *Lætare Hierusalem; et consilium facite omnes, qui diligitis eam*, etc. sub data Romæ xix Novembris MDXLIV, Pontificatus sui anno XI, publicata autem ultima dicti mensis.

30. Edita ac promulgata est eodem die alia constitutio ad pericula schismatis avertenda, ut si sacrosanctum solium vacuum esse contingeret, dum celebraretur Concilium, Romæ tantum a cardinalibus novus Pontifex deligeretur, ut subdit Angelus Massarellus in Actis Concilii Tridentini.

Promulgata sunt hæc Diplomata solemni ritu ultima Novembris, quæ mox transmissa sunt ad Cæsarem adjectis a Pontifice aliis litteris, quibus rogavit, ut itinera libera atque tuta commeaturis per sua regna ad Concilium præsulibus explicanda curaret.

Extant eodem argumento ad ducem Sabaudiæ Pontificis litteræ, cui etiam gratulatus est de amissa ditione beneficio pacis recuperanda, monuitque, ut præsules sui principatus ad Concilium mitteret.

31. Helveticos quoque Pontifex amantissimis litteris provocavit, ut motas de religione controversias ad Concilium Œcumenicum, quod pace inter Cæsarem et Gallorum regem constituta celebrandum erat, referrent, suosque oratores idoneis ad id mandatis fultos mitterent[1]:

« Dilectis filiis tredecim cantonibus Helvetiorum Ecclesiasticæ libertatis defensoribus in Dieta congregatis.

« Dilecti filii, salutem. Subsecuta, Dei clementia, pace, etc. Hortamur, ut huic sanctæ celebrationi favere velint, ordinareque, ut ad ipsum Concilium venturi tuto per vestra loca transire, et commode in illis hospitari possint; nos vero dabimus operam, ut nostri legati statuto tempore in loco Concilii sint excepturi venientes, et ipsi celebrationi præsessuri. Dat. Romæ III Decembr. MDXLIV, anno XI ».

32. Ad expedienda vero in dubiis certiora consilia, Pontifex cardinales, qui in variis provinciis versabantur, excivit, ut proximo Epiphaniæ festo Romæ adessent, quo argumento extant litteræ III Decembris exaratæ ad Rodulphum, ad Cybum, ad Ravennatem, ad Mantuanum, ad Auriam, ad Tridentinum, ad Ferrariensem, ad Sadoletum, ad Galliæ et Hispaniæ cardinales, et cardinalem Scotiæ, si sine detrimento ejus regni fieri posset, cujus securitas sibi charissima erat; ad Moguntinum, cujus operam pro pacanda Germania expetebat:

« Hortamur, inquit, te, ut quod personæ rerumque tuarum commodo fiat, quorum salus ac securitas nobis merito cordi est, ad nos venias, ut in tanto discrimine Catholicæ fidei et sanctæ religionis, tantaque perturbatione istius inclytæ nationis Germanicæ, quam compositam cupimus, tua prudentia ac virtute uti possimus, etc. Dat. Romæ III Decembr. MDXLIV, an. XI ».

33. Ut felicius suscepta consilia perduceret Pontifex, implorandam in primis divinam opem censuit, solemnesque supplicationes in Urbe et reliquo orbe Christiano habendas decrevit, necnon misit internuntios ad Cæsarem et Gallorum regem, qui ipsis de instaurata pace gratularentur, arctiusque eorum voluntates inter se adstringerent, ut refert Angelus Massarellus his verbis[1]:

« Die x Decembris per Urbem et Christianum orbem preces publicas ad Deum offerri et processiones per tres continuos dies fieri mandavit: necnon die XII ejusdem mensis ipsemet Pontifex, cum sacro Patrum senatu, totaque Romana curia, pedes a Basilica principis Apostolorum usque ad Ecclesiam Beatæ Mariæ supra Minervam profectus est. Præterea quoniam dicta pax eo majorem lætitiam suæ sanctitati attulit, quo magis in eo componendarum controversiarum negotio per tot annos laboraverat, et præcipuam curam adhibuerat, de hujusmodi sua exhilaratione ipsos principes non potuit certiores non reddere: quapropter[2] die XXIX dicti mensis Decembris reverendissimum D. Joannem Franciscum cardinalem Sfondratum, tunc episcopum Amalphitanum in Belgis ad Cæsarem, dieque XXX D. Hieronymum Dandinum episcopum Casertanum ad Gallorum

[1] Paul. III. lib. brev. an. X. p. 521.

[1] Summar. Conc. Trid. Angel. Massarell. Ms. arch. Vat. sign. num. 3190. — [2] In eodem Ms. sign. 3190.

regem, ut suæ sanctitatis et Sedis Apostolicæ nomine suis majestatibus de pace facta gratularentur, nuntios destinavit ».

34. *Articulos condemnantes hæreses a Lovaniensi Academia editos Cæsar confirmat.* — Refert Franciscus Belcarius [1], Heleonoram Galliæ reginam, Aureliano ac Turnonio cardinalibus comitantibus, mense Novembri Bruxellas ad fratrem Cæsarem profectam, de pace cum viro constituta illi gratulatam esse : tum addit, Cæsarem pro Belgio ab hæreseon peste vindicando Lovaniensium theologorum articulos triginta duos, quibus Lutheri, Œcolampadii. et Anabaptistarum errores damnabantur, Cæsareo edicto confirmasse. Concepti erant ii articuli subjectis verbis [2] :

35. « Decanus et facultas theologorum Lovaniensium omnibus in Christo fidelibus salutem.

« Magnas quotidie vires in his regionibus accipit hæreticæ pestis contagium, ac nisi occurratur, futurum prospeximus ut hic brevi plena sint omnia non solum Lutheranorum, Œcolampadiorum et Anabaptistarum, sed istorum etiam, qui nuper adhuc obcuris nominibus emergere cœperunt. Nec dici potest, quanto studio teneantur multi clanculum monstra ista alendi. Quare pro officio quod in Ecclesia Dei gerimus, verbis paucis complexi sumus articulos certos dogmatum, quos propter hæreses dictas valde expedit hoc tempore a bonis et Catholicis concionatoribus (nam populi causa operam hanc suscepimus) exponi, fideliterque et diligenter explicari. Quos quidem articulos aliquanto fusius pauloque altius repetitis principiis ampliare exponereque potuissemus ; verum hoc necessarium visum non est : quinimo utilius fore credidimus, si quam simplicissime proponerentur ad captum etiam imperitissimorum. Porro eo libentius hæc curavimus, quia certo intelligebamus eadem Cæsareæ majestati magnæ curæ esse, ut quæ ipsius egregia pietas est, ultro etiam istiusmodi quippiam cogitet.

ARTICULI.

« I. Credendum est septem esse Ecclesiæ sacramenta a Christo instituta, quæ sunt Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema-Unctio, Ordo, Matrimonium, per quæ (quamvis corporalia et externa signa) Deus invisibiliter sive per bonos, sive per malos ministros nostram salutem operatur.

« II. Baptismus ad salutem omnibus est necessarius, etiam infantibus, per quem peccata plene tolluntur, et fiunt filii Dei ac hæredes vitæ æternæ : nec unquam est iterandum.

« III. Pœnitentiæ sacramentum, quod post Baptismum omnibus relapsis est ad salutem necessarium, complectitur Contritionem, Confesionem et Satisfactionem.

« IV. Contritio est dolor de peccatis propter Dei offensam susceptus, cum proposito continendi et satisfaciendi, non autem (ut quidam hoc sæculo perniciose docent) terror conscientiæ propter apprehensum gehennæ supplicium peccatis debitum ; præparat enim hic terror et gehennæ metus ad veram animi contritionem.

« V. Confessurus diligentiam legitimam adhibere debet, quod sacerdoti judici manifestet omnia peccata sua mortalia, etiam occulta cordis, ut ab iis per ipsum absolvatur ; cujus absolutionis minister est solus sacerdos, secundum Ecclesiæ ritus consecratus.

« VI. Satisfactio est persolutio pœnæ, plerumque adhuc debitæ, remissa jam culpa : nam omnem pœnam peccato debitam semper condonari, culpa remissa, erroneum est, et Scripturis sacris adversatur.

« VII. Certa fide tenendum est, hominem habere liberum arbitrium, quo potest mala et cum gratia Dei bona agere, et post mortale peccatum admissum, Deo adjuvante, pœnitere, et peccatorum remissionem consequi.

« VIII. Ad justificationem ante omnia necessaria est in adultis fides, qua certo credimus Christum Jesum Dei filium nobis propitiatorem a Patre propositum esse pro peccatis nostris in sanguine ipsius, sine qua, nullis nostris operibus nullaque pœnitentia justificatio obtineri potest, sicut nec fide sola, sine pœnitentia et proposito vivendi secundum mandata Dei.

« IX. Fides, qua quis firmiter credit et certo statuit propter Christum sibi remissa esse peccata, seque possessurum vitam æternam, nullum habet Scripturæ testimonium, imo eidem adversatur, etiamsi firma et certa spe expectare debemus in hac quidem vita per sacramentum Baptismi et Pœnitentiæ peccatorum remissionem, in sæculo autem futuro vitam æternam.

« X. Itaque quamdiu inter hostes nostros et adversarias potestates hic vivimus, nulla nobis est securitas, sed cum timore et tremore (juxta sententiam Apostoli) nostram salutem operari debemus, et secundum varias animorum nostrorum affectiones, nunc magis sperare, nunc magis timere, simpliciter tamen magis et frequentius de misericordia Domini sperandum est, quam formidandum de severitate.

« XI. Opera bona omnibus adultis sunt ad salutem necessaria, et cum ex fidei et charitatis spiritu proficiscuntur, ea grata sunt Deo, et eis tanquam justam mercedem vitam tribuet æternam.

« XII. Confirmatio et Extrema-Unctio sacramenta sunt a Christo instituta, sed non ut duo præcedentia ad salutem necessaria ; ex con-

[1] Francisc. Belc. l. XXIV. num. 8 et 9. — [2] Ext. etiam tom. XIII. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. uum. 3200. p. 791.

temptu tamen illa omittere mortale peccatum est.

« XIII. In Eucharistiæ sacramento est reipsa verum Corpus Domini nostri Jesu Christi, illud ipsum quod de Virgine natum est et in cruce passum est.

« XIV. In Eucharistia non manent panis et vinum, sed hæc in Corpus et Sanguinem Christi admirabili potentia verbi ipsius sunt conversa, manentibus tamen panis vinique speciebus. Unde certa fide tenendum est, sacram Eucharistiam sancte a nobis adorari, sive in Missa sive extra missam reposita fuerit, aut quoties in supplicationibus publicis a sacerdote circumfertur.

« XV. Non est laicis necessaria ad salutem Communio sub utraque specie, justisque de causis ab Ecclesia sancitum est, ut illa sub una tantum specie panis sumeretur, in qua Carnem et Sanguinem, atque ita totum Christum sumant.

« XVI. Sacrificium Missæ ex institutione Christi tam vivis prodest quam defunctis.

« XVII. Solis sacerdotibus secundum Ecclesiæ ritum ordinatis data est a Christo potestas consecrandi verum Corpus Christi et sanguinem.

XVIII. Matrimonium contractum et consummatum inter Christianos est indissolubile, qualiscumque fiat alter conjugum sive adulter, sive sterilis, sive hæreticus.

« XIX. Nunquam licet Christiano post divortium contrahere matrimonium vivente ea, cum qua prius legitime contraxerat.

« XX. Matrimonia contracta contra canones ipsa dirimentes simpliciter sunt irrita et nulla.

« XXI. Firma tenendum fide, unam esse in terris veram et Catholicam Dei Ecclsiam, eamque visibilem, quæ ab Apostolis fundata, in hanc usque ætatem nostram perdurans retinuit et suscepit quidquid de fide et religione tradidit, tradit, traditura est Cathedra Petri, super quam ita a Christo suo sponso est ædificata, ut in his, quæ fidei sunt et religionis errare non possit.

« XXII. Extra hanc nulla speranda est salus, suntque extra eam hæretici, schismatici et excommunicati, unde vehementer formidanda est excommunicatio ; nec humana, sed divina est excommunicandi potestas.

« XXIII. Unus est Ecclesiæ summus pastor, cui omnes obedire tenentur, ad cujus judicium controversiæ, quæ super fide et religione existunt, sunt referendæ.

« XXIV. Summam hanc præposituram primus omnium gessit sanctus Petrus, verus Christi in terris vicarius, et totius familiæ ejus pastor, post Petrum vero ex Christi institutione, omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra successores.

« XXV. Certa fide tenenda sunt, non solum quæ Scripturis expresse sunt prodita, sed etiam quæ per traditionem Ecclesiæ Catholicæ credenda accepimus, et quæ definita sunt super fidei et morum negotiis per cathedram Petri vel per Concilia Generalia legitime congregata.

« XXVI. Constitutiones Ecclesiæ de celebrandis festis, et abstinentia ciborum aliisque multis obligant in conscientia, etiam extra casum scandali.

« XXVII. Recte fit in Ecclesia, quod sanctos in cœlis cum Christo agentes veneramur et invocamus ut pro nobis orent, quorum etiam meritis et intercessione Christus nobis hic multa largitur, alias non largiturus, per quos etiam miracula multa in terris operatur.

« XXVIII. Quapropter sancte et religiose faciunt, qui loca eis dicata una cum ipsis reliquiis religiosa pietate visitant, et hoc modo ab ipsis opitulationem quærunt.

« XXIX. Gratus est et Deo imaginum usus, recteque coram eis procumbimus invocaturi eos quos repræsentant.

« XXX. Firmiter credendum est post hanc vitam Purgatorium esse animarum, in quo solvitur peccatum adhuc debitum ; eisdem tamen subvenitur sacrificio altaris, jejunio, eleemosyna, aliisque bonis operibus vivorum, sicut et indulgentiis, quo citius ab eo liberentur.

« XXXI. Animæ defunctorum purgatæ mox regnant cum Christo in cœlis, et animæ impiorum hinc migrantes sempiternis inferni traduntur suppliciis.

« XXXII. Recte Deo vota facimus, tam monastica quam alia, et facta obligant apud Deum, nec adversantur libertati Evangelii, quæ a peccatis libertas est, et iis qui spiritum nostrum quodammodo impediunt, quominus totus Deo serviat, aut a juramenti obligatione, sive ab obedientia magistratus Ecclesiastici vel sæcularis liberat.

36. « Ergo, quod unum nostræ facultatis est, mandamus Theologiæ studiosis omnibus quacumque ratione nobis subjectis, et in posterum subjiciendis : primum, ne quid usquam doceant aut proferant, quod dogmatibus his contrarium sit ; deinde ut eadem cum locus et occasio postulabit, tueantur et explicent ad veteris et Orthodoxæ fidei custodiam, et ædificationem Christiani populi ; si qui vero contraria agant, eos pro modo facultatis nostræ omnino punire decrevimus.

« Anno a Nativitate Domini MDXLIV, mensis Novembris die VI ».

Facultas Theologiæ congregata per juramentum in Collegio theologorum super articulis præcedentibus, approbavit hos articulos sub forma qua scripta sunt.

« De mandato dominorum decani et Fa-

cultatis Judocus de Langhone notarius subscripsit ».

37. *In Gallia hæreses deprimuntur opera cardinalis Turnonii.* — His articulis damnatas a Lovaniensibus theologis suas hæreses Lutherus infremuit, impiaque rabie efferatus, libello typis mandato, variis mendaciis, blasphemisque ineptiis Catholicæ veritatis splendorem obscurare enisus est. Habiti quoque sunt Meloduni in Gallia, regio jussu [1], theologorum conventus, in quibus adversus Catholicæ religionis desertores controversa capita ex sacris litteris illustrata et confirmata sunt, gravissima etiam edicta adversus hæreticos sancita fuere, cumque Franciscus cardinalis Turnonius egregiam in eo regno operam pro asserenda fide Catholica tuendaque dignitate Sedis Apostolicæ navaret, illi a Pontifice gratiæ actæ sunt subjectis litteris [2] :

« Cardinali Turnonio.

« Non alia poterant expectari a nobis, et ab hac Sancta Sede officia et opera, quam ea, quæ quotidie a tua circumspectione proveniunt in nostrum et ejusdem Sedis honorem : magna cum lætitia audimus; scimus enim qua pietate et virtute præditus sis, et quanta observantia nos et dictam Sedem pro tua natura et boni cardinalis officio prosequaris, etc. Dat. Romæ VI Aprilis MDXLIV, anno X ».

In Scotia ad hæreseos præfocanda semina cardinalis Sancti-Andreæ legati Apostolici dignitate ornatus est, amplissimaque ad id auctoritate instructus.

38. *Thomas Villanovanus sanctitate claritatem adeptus.* — Fulgere cœpit hoc anno in dignitatis archiepiscopalis gradu clarissimum Hispaniarum lumen Thomas Villanovanus Ordinis Sancti Augustini, Evangelicæ prædicationis laude florentissimus, quem maximæ virtutes divinis illustratæ miraculis ad sanctorum numerum honoresque evexerunt. Ecclesiæ enim Valentinæ, quæ tanto pastore inclaruit præfectus est VII Octobris, ut referunt Acta Consistorialia [3], adduntque ex archiepiscopali vectigali detracta duo millia ducatorum pro construendo collegio pro filiis Maurorum convertendorum. Is enim in Salmanticensi academia publici professoris munus cum summa doctrinæ laude sustinuit, deinde in Augustiniana familia regendis pluribus cœnobiis adhibitus, religiosam disciplinam, cum pietatis amplificatione, excoluit, solutioresque mores astrinxit, atque ob sanctitatis et scientiæ claritatem, tum ob sacræ eloquentiæ famam, tum in peccatoribus a vitiis ad virtutem traducendis, divinorumque judiciorum terrore percellendis, vel divino amore suis concionibus inflammandis insigne nomen adeptus, a Carolo V imperatore ejusque consorte augusta regius Ecclesiastes designatus, maximam sui admirationem concitavit ; cum inter concionandum in sacro suggestu frequentes ecstases divinosque raptus vel in re divina peragenda pateretur, necnon in liberandis energumenis præcipuam potestatem obtineret, ac prophetiæ dono insigni præditus esset, collectaque inde maximi nominis existimatione, inter primarios sanctioris senatus consiliarios adlectus, non modo a nobilibus proceribusque in dubiis consulebatur, verum etiam a Cæsare in omnibus gravioris momenti rebus peragendis ejus sententia rogaretur, ejusdemque postulata et monita benigne et pie exciperentur; adeo ut aliquando ex imperatore hæc vox audita fuerit : Viri istius verba preces non sunt, sed imperia; adeoque animum meum in quamcumque velit partem trahit ac versat. Puro candore fatur hic Dei servus, et quanquam inter mortales positus, immortalium honore dignus est. Efferre illum propterea ad Ecclesiasticos honores meditatus est Cæsar, atque archiepiscopatum Granatensem amplissimis vectigalibus opulentum obtulit : at ille actis gratiis religiosa demissione ab eo munere se abdicavit; eademque mentis constantia honores aversatus Valentinum recusasset, nisi superioris sui, cui parere debuit, arctioribus imperiis ad eum admittendum adactus fuisset; cujus rei ipsemet meminit in litteris ad Seripandum Eremitici Ordinis supremum magistrum XII Augusti hujus anni Vallisoleti datis : « Multorum, inquit, judicio a Deo facta hæc electio existimatur, et licet pacem et silentium monasterii, quo fueram professus, insequi mihi magis intererat, tamen provincialis jussioni censuris intervenientibus obedire proposui, cum potior sit obedientia quam sacrificium ». Quanta vero sanctitatis gloria in Valentina sede constitutus effulserit, suo loco dicetur. Interim non abs re erit nonnulla ad Concilium Tridentinum, quod ipse divino Spiritu prænuntiarat celebratum iri, spectantia inserere. Die quodam, peracto sacrosanctæ Missæ sacrificio, non sine lachrymis et insolito pietatis sensu, conferre verba cœpit cum familiari quodam theologo de infelici statu Ecclesiæ, verum mox subdidit : « Ne dubites, magister, etenim brevi hisce malis divinitus occurretur, certum et indubitatum esse scias, nam uni de servis suis hoc ipsum Deus revelavit ». Postridie pervenit in Hispaniam nuntius cum mandatis Pauli III Pontificis, necnon cum litteris imperatoris, quibus præsules ejus regni ad indictos Concilii Tridentini cœtus evocabantur, ad quos licet Thomas ob affectam valetudinem gravissime proficisci non posset, licet absens corpore, præsens tamen animo ob flagrantissimas preces ad Deum pro Concilio fusas illi non defuit, ut constat ex Oratione funebri a magistro Ludovico Pontio de Leone in laudem

[1] Franc. Belcar. l. XXIV. num. 9. — [2] Paul. III. lib. brev. an. X. p. 284. — [3] Acta Consistor. card. Spadæ sig. num. 133. p. 433.

hujus viri Apostolici habita. Etenim Hispaniarum episcopi arrepto per Valentiam itinere cum ægrotantem salutassent, ab eo gravissimis argumentis ad prosequendum iter perferendosque labores pro divino perficiendo opere incitati sunt : cumque illi conscendissent mare, sævissimaque procella concitata, in extremo vitæ discrimine penderent jam jam absorbendi fluctibus, conclamataque omni spe salutis repente divino miraculo conspexere sanctum archiepiscopum, veluti salutare sidus pastorali baculo efferatam tempestatem comprimentem, fluctusque compescentem ac navim dirigentem ; adeo ut celeri et prospero cursu summa admiratione perfusi delibutique lætitia, brevi ad portum salvi applicuerint, egerintque gratias Deo, cui *mare et venti obediunt*, quique meritis et precibus præsulis Valentini placatus, ipsos ab imminenti mortis discrimine prodigio insigni eripuisset.

39. *S. Francisci Xaverii opera Apostolica et miracula.* — Hoc anno in India Franciscus Xaverius legatus Apostolicus e Comorinensi regione ad Travancorii regionem digressus, Machoadas, perlustratis eorum vicis, ab idolorum cultu ad Christum traduxit, tanto Evangelii in ea gente inculta et barbara, dæmonumque superstitioni addicta progressu, ut capitum amplius decem millia simul uno tempore baptismali mysterio consecravit : instituendi vero populi hæc ab eo ratio servata est[1] : « Ubi ad unum aliquem pagum baptismi causa accersitus venerat, viros omnes, pueros, mulieres, unum in locum contractos, cum unum esse Deum, Patrem, Filium et Spiritum sanctum docuisset, ter sibi quemque ad honorem sanctissimæ Trinitatis Crucis signum adhibere ex præscripto jubebat, inde linteatus Christianæ religionis mysteria ac præcepta, clara pronuntians voce, eadem ipsorum lingua, utcumque poterat, explicabat breviter, postea vero quam satis instituti videbantur, eos a Deo veniam anteactæ vitæ publice petere jussos rogitabat, an universa et singula Christianæ religionis capita haud dubie crederent, ubi illi brachiis in crucis modum compositis, se vere omnia omnino credere annuerant, tum demum baptismo rite expiabantur, et suum cuique scriptum tradebatur nomen. Ad ultimum baptizatis omnibus, Xaverius fana disturbari, deorum simulachra confringi penitus imperabat, nec aliud illi gratius jucundiusve spectaculum erat, quam cernere idola modo ab eis suppliciter culta eorum proculcari pedibus ». In hos neophytos incitati a Sathana Badagæ in Travancoriensem oram hostili impetu susceptæ ab incolis religionis odio irruperunt : sed a beato Xaverio eos increpante divinitus deliniti perculsive discessere, nec vero minus solers in tuenda fide quam serenda extitit, viginti enim amplius sacella in eo tractu excitavit, ac discedens, ut Christiana disciplina post discessum fixa et incorrupta maneret, antemeridianis ac pomeridianis horis exercendæ Christianæ institutionis moderatorem in singulis pagis reliquit. Proximo anno mense Aprili in Ceilanum insulam trajecit, ubi reperit regis filium, et fratris exemplo, et cœlestis terrestrisque crucis prodigio permotum, clam sacra Christiana suscepisse, nec multo post Manaria insula tyranno adempta a Constantino Indiæ prorege, et incolæ omnes Christianis sacris initiati fuere.

Commendata est insigni miraculo a Deo pia eleemosynæ erogandæ voluntas in sancto Xaverio, qui rogatus a naufrago de subsidio pecuniario sibi afferendo, pecunias suis precibus, quas pauperi traderet, impetravit, ut refert Vitæ ejus auctor[1] : « Testatum est et admirandum, quod in Indiæ oppido, Cormandeli nomen est, accidisse memorant. Hic cum esset Xaverius, naufragus quidam mendicus ad eum venit pro sua calamitate petitum aliquid opis atque subsidii : Franciscus, etsi benignæ voluntati deerat facultas, non potuit tamen miserum illum spei irritum dimittere ; ergo cum suæ egestatis immemor (et benignitas stimulabat) in sacculum suum inseruisset manum, nihil penitus invenit. Nec tamen incœpto destitit, sed respicere cœpit eum, cujus est aurum et argentum. Igitur tollens in cœlum oculos, mendicum confidere divinæ largitati jubet : nec Xaverii spem Deus, nec mendici decepit Xaverius. Divinæ fiduciæ plenus manum rursus inanes in loculos injectam aureis nummulis (fanoos incolæ appellant) plenam educit, protinusque pecuniam divinitus suppeditatam naufrago elargitus omnem, inexhausto divinæ spei thesauro satis fidens ».

40. *Cardinales creati.*— Auctus est hoc anno a Paulo III cardinalium senatus, nam in primis mense Julio Christophorus Madrutius episcopus Tridentinus presbyter cardinalis renuntiatus est. Mense vero Decembri sacræ purpuræ jus delatum tredecim viris conspicuis narrat Diarii Vaticani Ms. Auctor[2], quibus consentientia referuntur in Actis[3] :

« XIX Decembr. MDXLIV, S. D. N. postquam in Consistorio secreto sub die Veneris II Junii MDXLIV reverendissimos DD. Joannem, tunc episcopum Mutinensem, et Marcellum de Crescentiis, tunc episcopum Marsicanum, et alios tunc expressos in S. R. E. presbyteros cardinales de fratrum suorum consilio creaverat et deputaverat, cum in eodem consistorio nonnullos alios ad instantiam principum et sanctitatis suæ, sine certo numero nominandos et publi-

[1] Tursellin. in Vit. S. Franc. Xaveri. l. II. c. 11.

[1] Tursellin. in Vita S. Franc. Xaver. l. V. c. 2. — [2] Ms. arch. to. XI. Diar. p. 230. — [3] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. 233. pag. 448.

candos in pectore suo reservasset, idcirco de simili consilio creavit, nominavit et publicavit in ejusdem S. R. E. presbyteros et diaconos cardinales infrascriptos, videlicet; ad preces Cæsareæ majestatis rev. Gasparem de Avalos archiepiscopum Compostellanum, Franciscum de Bobadilla episcopum Cauriensem, D. Bartholomæum de la Cueva clericum Segobiensis diœcesis, Hispanos, cardinales presbyteros ; ad preces regis Christianissimi R. P. D. Georgium de Armagniaco episcopum Ruthenensem ipsius regis apud sanctitatem suam oratorem, et Jacobum D. Hanebault episcopum Luxoviensem, Gallos, cardinales presbyteros ; ad preces Romanorum regis illustris R. P. D. Othonem Truchses episcopum Augustanum, Germanum, cardinalem presbyterum ; ad preces illustris dominii Venetorum rev. Andream Cornelium electum Brixiensem, Venetum, diaconum cardinalem, necnon rever. Franciscum Sfondratum archiepiscopum Amalphitanum Cremonensem, Fridericum de Cæsiis episcopum Tudertinum, Romanum, Durantem de Durantibus episcopum Cassanensem, Brixiensem, et Nicolaum Ardinghellum episcopum Forosemproniensem, Florentinum, presbyteros cardinales : necnon Hieronymum Recanatensem de Capiteferreo electum Maurianensem, Romanum, diaconum cardinalem, et Tiberium Crispum electum Suessanum, Romanum, diaconum cardinalem ».

41. De titulis iisdem collatis hæc referunt proximi anni Acta Consistorialia [1] :

« VII Januarii MDXLV, fuit consistorium publicum propter adventum reverendissimi D. Christophori Madrutii cardinalis Tridentini, antea a sanctissimo D. N. in presbyterum cardinalem creati et publicati per Breve, vigore reservationis factæ sibi in pectore de anno MDXLIV II Junii, in quo Sanctitas sua eumdem Christophorum cardinalem recepit ad pedes, manus et osculum etc. et dedit pileum rubeum, dicens verba solita. IX Januarii dedit ei titulum Sancti-Cæsarei in Palatio. Reverendissimo Armagniaco titul. SS. Joannis et Pauli, per obitum bonæ memoriæ Petri cardinalis de la Bauma, reverendissimo de Cæsis titulum Sancti-Pancratii, reverendissimo Duranti de Durantibus, tit. XII Apostolorum, reverendissimo D. Ardinghello, tit. Sancti-Apollinaris, reverendissimo D. Cornelio diacono cardinali Sancti-Theodori, reverendissimo Hieronymo Recanatensi de Capiteferreo etiam diac. Sancti-Georgii ad Vellus Aureum, reverendiss. Crispo similiter diac. S. Agathæ ».

42. Præcepit cardinali Moguntino Pontifex ut cardinali Augustano in ista promotione ad sacram purpuram assumpto traderet cardinalitium pileum, quem illi per suum secretum cubicularium transmiserat, ut litteræ sequentes indicant [1] :

« Cardinali Moguntino.

« Dilecte fili noster, salutem. Licet dilectum filium nostrum Othonem S. R. E. presbyterum cardinalem Augustensem, quem nuper creavimus, ad nos venire, pileumque rubrum cardinalatus insigne a nobis juxta veterem et probabiliorem morem accipere maluissemus, tamen cum ob generalis commissarii totius Germaniæ officium quo fungitur, Wormatiæ in præsentibus comitiis intervenire cogitur, ob hoc ad nos veniendi labore excusatur, ipsum pileum ad eum per dilectum filium Flaminium de Sabellis camerarium nostrum secretum mittendum duximus : cum vero in ipsius pilei assignatione, sicut scis, juxta S. Romanæ Ecclesiæ cæremonias missam solemnem ab aliquo antistite celebrari consuetum sit, nos decentius existimantes cardinalem a cardinale potius quam a quovis alio dictum pileum ex parte nostra recipere, propterea hunc laborem circumspectioni tuæ in eisdem comitiis affuturæ pro confratre suo libenter injungentes, tibi mandamus, ut solemni missa in aliqua Ecclesia per te eligenda prius celebrata, receptoque ab eodem Othone cardinali juramento, cujus forma inferius adnotata est, demum ex parte nostra dictum pileum, qui a nobis de more benedictus est, capiti ejusdem Othonis cardinalis reverenter imponas : forma autem juramenti per ipsum Othonem cardinalem præstandi sequitur, et est talis, etc. Ego Otho cardinalis, etc. Concepta est iisdem verbis illius sacramenti formula, quibus alias a nobis allata est, etc. Dat. Romæ XXVIII Januarii, MDXLV, anno XI ».

Extant eodem argumento litteræ [2] ad Othonem cardinalem, quibus significat ad preces Ferdinandi Romanorum, Hungariæ et Bohemiæ regis ea dignitate insignitum, adeundæque Sedis Apostolicæ labore solutum, ut in Wormatiensi conventu, tum in Concilio Tridentino fidei et Ecclesiæ causam, communemque Christiani imperii salutem tueretur.

43. *Inventio cadaveris imperatricis Mariæ Honorio desponsatæ.* — Dum Romæ Basilicæ S. Petri magnificentius extruendæ amplificandæque daretur opera, refossum est sepulchrum Mariæ quondam Honorio imperatori desponsæ, in quo aperto inter gemmarum supellectilem pretiosissimam reperta est lamina aurea in qua insculpta erant hæc Angelorum nomina Græcis litteris, Michael, Gabriel, Raphael, Uriel : ex quo constat pervetustam esse cœlitum invocationem, contra novatores.

Erutum e terra et inventum cadaver imperatricis Mariæ hunc annum claudat, cujus historia a Surio ita narratur [3] : « Hujus anni

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIII. p. 449.

[1] Paul. III. lib. brev. an. X. p. 434. — [2] Ib. p. 419. — [3] Sur. in Comment.

mense Februario Romæ in Vaticano, haud procul a Tiberi, cum in sacello S. Petri fundamenta foderentur, inventa est marmorea arca longitudine pedum octo et semis, latitudine quinque, et sex altitudine, in qua condita fuit Maria Honorii imperatoris conjux, quæ virgo obiit, morte abrepta ante nuptias. In ea arca corpore absumpto aliquot tantum dentes supererant, capillique, ac tibiarum ossa duo, præterea vestes et pallium, quibus tantum auri fuit intextum, ut ex his combustis auri pondera triginta sex collecta sint. Erat insuper capsula argentea longa pedem unum et semissem, latitudine digitorum duodecim, in qua vascula multa ex chrystallo, nonnullaque ex agathe perpulchre elaborata. Item annuli aurei quadraginta variis gemmis ornati. Erat et smaragdus auro inclusus, in quo sculptum caput, quod creditum est ipsum Honorium referre. Is quingentis aureis nempe ducatis æstimatus est ; præterea inaures, monilia, aliaque muliebria ornamenta, in quibus una earum, quas hodie *Agnus Dei* vocant, per cujus ambitum inscriptum erat : *Maria nostra florentissima,* laminaque ex auro, et in ea hæc nomina, *Michael, Gabriel, Raphael, Uriel,* Græcis litteris. Item veluti racemus ex smaragdo aliisque gemmis consertus, et discriminale longitudine duorum digitorum, inscriptum hinc, *Domino nostro Honorio;* hinc *Domina nostra Maria.* Ad hæc erat sorex ex Chelidonio lapide, cochlæaque et patera ex crystallo, item pila ex auro lusoriæ similis, sed quæ in duas partes dividi potuit. Innumeræ aliæ inerant gemmæ, quarum etsi plurimæ vetustate corruptæ, nonnullæ tamen recentem admirandamque pulchritudinem retinebant; et hæc omnia Stilico filiæ dedit pro dote (1) ».

(1) Surii exteri scriptoris auctoritas in re asserenda, de qua cæteri ejus ætatis scriptores typis vulgati silent, suspecta esset, nisi domestici alterius auctoritate fulciretur. Arringus in opere *Roma subterranea* to. I, lib. cap. XIX, principes qui in Vaticano sepulchrum elegerunt recensens inter cæteros refert etiam Mariam hanc Stiliconis filiam, quæ Honorio nupta nunquam tamen cum illo ætate adhuc minori opus conjugale consummavit. Ejus sarcophagum Romæ in Vaticano repertum prope altare, quod hodie S. Petronillæ dicitur, affirmat anno MDXLIV, die IV Februarii, eaque omnia vel addit vel indicat quæ fusius hic annalista ex Surio. Hujus historiæ testem profert domesticum scriptorem Herculanum quemdam, cujus Diarium inter Vaticanos Ms. Codices haberi affirmat. Hæc ergo inventio certa ; sed mirari subit cur nec Baronius, cum de Maria illa agit ad A. 398, nec scriptores alii Annalium de inventione illa quidquam meminerint. In dubium tamen immerito prorsus revocaretur, cum Bartholomæus Marlianus, qui tunc Romæ agebat, id contigisse narrat quo tempore librum suum de Urbis Romæ typographia scribebat, ibique lib. V, cap. 21, rem totam ita fere describit ac annalista noster hic ex Surio refert. Neminem vero movere debet nomen *Uriel*, quod inter angelorum nomina in lamina aurea insculptum ibidem legebatur ; cum id nominis ex apocryphis quibusdam scripturis sæculo quarto vetustioribus nempe ex egregoris Henoch accipi potuerit. Forte quidem illud ab hæreticis primo fabricatum est, sed cum passim a fidelibus ut boni angeli nomen usurparetur, ut ex Actis septimæ synodi constat, inter angelos sepulchri illius tutelares adscribi potuit. Inscriptio illa *Maria nostra Florentissima* primo quidem intuitu a genio lapidario ejus ætatis abhorrere apparet; sed cum tanta concurrant quæ corpus illud Mariæ vindicent, cultus nempe, inscriptio imperatoris etc. non est cur rei veritas ex insolenti quadam inscriptiuncula sollicitaretur. Præsertim cum illud *Maria nostra* affine sit phrasi illi lapidariæ *Cæsar noster*, et *florentissima* eodem sensu scribi potuerit, ac juvenum sepulchrales inscriptiones *in flore juventæ.* MANSI.

PAULI III ANNUS 12. — CHRISTI 1545.

---

1. *Deputantur iterum pro Concilio tres legati quibus data potestas etiam illud alias transferendi, si necessitas exegerit.* — Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Indictione tertia, Paulus post confectam superiore anno inter reges pacem, concepta de celebranda Synodo Œcumenica consilia ad exitum perducere omni studio et contentione conatus est, ut novatorum, qui pacis in Germania constituendæ specie conciliabulum et fraudulenta colloquia, quibus Germaniam ab obsequio Sedis Apostolicæ omnino divellerent, promovere annitebantur, nefarias molitiones elideret; quare tres cardinales eruditione florentissimos præsides Concilii Tridentini designavit [1], nimirum

[1] Angel. Massarell. in Diar. Conc. Trid. et in Act. Ms. arch. Vat. et aliud sig. num. 3232. p. 42. Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 452.

ex episcoporum ordine, Jo. Mariam de Monte episcopum Prænestinum, qui Julii III nomine accepto Paulo III successit, ex presbyteris Marcellum tit. S. Crucis, qui Pontificios etiam apices retento eodem nomine gessit, atque ex diaconis Reginaldum Polum, religionis Catholicæ acerrimum propugnatorem, ut Acta Consistorialia testantur.

Traditæ sunt de ea legatione ipsis decreta Pontificiæ litteræ (inquit Angelus Massarellus) « sub data Romæ VIII kal. Martii MDXLIV ». Afferentur eæ suo loco, cum in Concilio perlectæ dicentur : tum subdit Angelus Massarellus : « Præterea ne tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediretur, dictis reverendissimis legatis, quandocumque ipsis visum fuerit, Concilium prædictum de eadem Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem et opportuniorem, seu tutiorem civitatem, de qua etiam eis visum fuisset, transferendi et immutandi, ac ipsum in civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi, eidemque sic translato Concilio præsidendi potestatem concessit, editis desuper litteris, quæ incipiunt : *Regiminis universalis Ecclesiæ* etc. sub data Romæ VIII kal. Martii ». Præcipua pars earum litterarum, quarum auctoritate Concilium, tertio vertente anno, Bononiam translatum visuri sumus, subjectis verbis concepta erat [1] :

2. « Paulus etc. Ne tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, et certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, parique consilio et assensu vobis insimul, aut duobus ex vobis aliquo legitimo impedimento detentis, seu inde forte absente, quomodocumque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem civitate Tridentina, ad quamcumque aliam commodiorem, et opportuniorem, ac tutiorem civitatem, de qua vobis videbitur, transferendi et mutandi, ac illud in civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi; necnon prælatis et aliis personis Concilii hujusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate Tridentina procedant, etiam sub censuris et pœnis Ecclesiasticis inhibendi, ac idem Concilium in alia civitate hujusmodi, ad quam illud transferri et mutari contigerit, continuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud prælatos et alias personas Concilii Tridentini hujusmodi, etiam sub perjurii et aliis in litteris indictionis Concilii hujusmodi expressis pœnis evocandi, eidemque sic translato et mutato, nomine et auctoritate prædictis præsidendi, ac in eo procedendi », et mox » plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus potestatem, etc. Anno Incarnationis Dominicæ MDXLIV, VIII kal. Martii, Pontificatus nostri anno XI ».

Aliis litteris die VII Martii datis [1], etiam eos potestate instruxit, ut duobus etiam impeditis, unus ex iis Concilio præsidere, omniaque gerenda gerere posset, rursumque aliis X Februarii consignatis, auxit ea prærogativa, ut in ingressu Tridentinæ urbis, gratuitam conventuro populo noxarum veniam elargirentur, modo rite eas sacra exhomologesi expiassent, vel expiare constituto sacris canonibus tempore decernerent, vel qui eo die, quo Concilium inchoaretur, princeps templum pie lustrarent.

3. Retardatus est aliquantulum ab itinere Reginaldus Polus, cum Henricus Angliæ rex in iras efferatior illius vitæ insidias compararet, ut refert Angelus Massarellus [2] :

« Reverendissimus (inquit) cardinalis Polus ob nonnullas rationabiles causas Romæ per aliquot dies immoratus est. Aiebant enim Ludovicum ab Armis Bononiensem, et comitem S. Bonifacii ab Angliæ rege pecunias accepisse, ut suo nomine milites in Italia conscriberent, et quoniam dictus rex Reginaldum cardinalem præfatum alias multoties diversis technis demoliri conatus est, ne idem in præsentiarum a dictis ducibus ferret, arrepta hac ex Urbe Tridentum versus itineris occasione, verebatur ».

De his insidiis adversus cardinalem Polum conflatis, meminit Paulus in litteris XXII Febr. datis [3] ad cardinalem Tridentinum, quibus eum monuit, ut debitis honoribus legatos exciperet, necessariaque pro celebrando Concilio Tridenti compararet : « Sumus enim, inquit, in hanc celebrationem Concilii omni cordis sinceritate intenti, sicut debemus, cum illud maxime necessarium et salubre fore videamus ».

4. *Legati Tridentum ingrediuntur : orationes Cæsareorum nuntiorum et legati responsio.* — His subdit Angelus Massarellus [4] : « Ipsi autem legati Apostolici et præsidentes, nimirum cardinales de Monte et S. Crucis, ingressi sunt Tridentum die XIII Martii MDXLV, excepti solemni legatorum de latere more. Dominica vero quarta Quadragesimæ, quæ dicitur *Lætare*, constituta pro inchoatione Concilii Tridenti, cum Apostolici tantum legati et præsidentes, et unus episcopus Feltrensis adesset, visum est ob hanc et quasdam præterea causas ex voluntate Summi Pontificis, ut Concilii inchoatio in aliud commodius tempus differetur.

« XXII Martii illustris D. Didacus Hurtadus a Mendoza orator Caroli V imperatoris ingressus est Tridentum ».

[1] Ext. in eod. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. Ext. ibid. p. 80. Ib. p. 80 et 81. — [2] Ms. arch. Vat. in Summar. Conc. Trid. et Bononien. auctore Angel. Massarell. secr. Conc. — [3] Paul. III. lib. brev. an. X. p. 358. — [4] Ibid. p. 81. et Ms. arch. Vat. sign. num. 3190. p. 216. Ms. arch. Vat. sig. 3188. p. 81. et aliud 3190. p. 21. Diar. Conc. Trid. et aliud Ms. card. Barb. sig. num. 23.

Lapso quatriduo idem orator in aula primi legati cardinalis publice apertis janius comparuit, atque habita oratione, Cæsareas curas pro Concilii Œcumenici celebratione provebenda exposuit, deque ea re mandatum imperiale exhibuit, necnon præsulum Hispanorum, qui nondum accesserant, moras excusavit, de quibus confecta sunt publica documenta, quorum potiorem partem afferimus [1] :

« Superiori anno, illustrissimi et amplissimi Patres, cum esset a sanctissimo D. N. Paulo Summo Pontifice Generale Concilium indictum Tridenti, destinatis ad id inchoandum et prosequendum reverendissimis Parisio, Mutinensi et Polo Apostolicæ Sedis legatis, invictissimus dominus meus Carolus Romanorum imperator Augustus, justissimis tunc de causis adeo detentus, ut principio Concilii a sua mjestate tantopere exoptati et efflagitati adesse non posset, episcopum Atrebatensem D. de Granvela, et me, qui Jacobus a Mendoza dicor, procuratores et oratores ad hanc Tridentinam urbem destinavit, quo futuro Concilio, vel omnes una vel quicumque nostrum ejus nomine interesset. Facta itaque a nobis Cæsaris nomine coram reverendissimis illis legatis comparitione, visum fuit sanctissimo domino ad commodius tempus Concilium protrahere. Nunc vero idem ipse sanctissimus Dominus, cujus munus atque præcipuum officium est reipublicæ Christianæ non deesse, Concilium Tridenti indixit, sicque sublata suspensione, omnibus qui interesse debent huc convenire jussit ad Quartam Dominicam Quadragesimæ præsentis, vos reverendissimi atque amplissimi patres, qui præsentes adstatis, legatos ad peragendum Concili munus demandavit. Quod ubi Cæsar intellexit, rogatus a Pontifice Maximo, cum per nuntios, tum per litteras, ut vel præsens ipse adesset, vel oratores suos mitteret statim utpote qui religiosissimi et optimi imperatoris, et piissimi principis officium nulla ex parte non explevit, animo semper ad commune reipublicæ fideique Christianæ decus ac majestatem restituendam ac confirmandam maxime propenso atque addicto, homines certos, ac litteras in omnem Hispaniam, reliquasque suæ ditionis provincias destinavit, qui excitent et cogant episcopos aliosque viros quibus sacrarum rerum cura præcipue incumbit, ut qua maxime poterunt celeritate Tridentum conveniant.

« Præterea quoniam Cæsar ipse nunc se præsentem exhibere non potest, gravissimisque iisdem impedimentis implicitus mihi, qui publice Venetiis suæ majestatis vices gerebam, mandavit quod huc venirem, et ejus nomine Generali sacro Concilio assistens Augustam ipsius præsentiam pro virili, atque auctoritatem præstem ad ea omnia conficienda, quæ sacrosancti Concili confectioni et communi reipublicæ Christianæ bono sanctissimæque religionis majestati profutura videbuntur. Verum in præsentia, reverendissimi patres, Cæsaris animum explicare operæ pretium non arbitror, quandoquidem universo orbi notissimus sit, innumeris sane et certissimis rerum testimoniis undequaque communitus, compluribus præclaris facinoribus, in reipublicæ Christianæ commodum collatis, comprobatus, cum neque Cæsar animi aut corporis labores ullos quamtumvis gravissimos subire, neque maxima et periculosissima contra Christiani nominis hostes bella suscipere nunquam recusaverit, modo quidquam subsidii reipublicæ Christianæ fideique Catholicæ afferre posset, etiam cum ingenti propriarum fortunarum detrimento, nec sine summo salutis et vitæ suæ discrimine. Adsum igitur, illustrissimi et amplissimi Patres, meque hic præsentem Cæsareo nomine statuo, ea præstaturus, quæ a me supra relata, mihique a Cæsare data in mandatis fuere ; sicque invictissimum ejusdem animum, eamdem reliogiosissimam operam, quam Cæsar hucusque præstitit, nunc totam ejus vobis nomine polliceor atque exhibeo, tum ad reipublicæ commodum et tranquillitatem, tum ad sacræ religionis majestatem amplificationemque, tum ad sacrosancti Concilii prosecutionem, etc. » Excusavit tardiorem adventum suum ob adversam valetudinem, necnon Hispaniæ et aliarum provinciarum episcopos, si nondum accessissent : id non negligentiæ adscribendum, aut ulli dolo malo, sed itinerum difficultati et intercapedini : rogavit tum ut Cæsareum mandatum legeretur, quod Bruxellis xx Februarii hujus anni, imperii xxv, aliorum vero regnorum xxx, consignatum erat : quod postea in sessione quarta productum visuri sumus.

5. Proximo die xxvii Martii publice a legatis redditum est responsum oratori Cæsareo [1], in quo inter alia significarunt, se de Cæsaris pietate ac religione confidere, non permissurum ut in conventu Wormatiensi de rebus fidei quidquam decerneretur, sed controversiæ ad Concilium referrentur :

« Responsum datum a reverendissimis legatis ad propositiones oratoris Cæsarei.

« Die Veneris xxvii mensis Martii an. MDXLV, convenerunt reverendissimi prænominati domini cardinales, responsumque ad ea, quæ hesterna die per illustrissimum oratorem Cæsareum coram proposita fuere, dederunt in hunc sensum, et verba per reverendissimum D. cardinalem de Monte ex scriptura in ejus manibus

[1] Angel. Massarell. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. et Ms. aliud sig. num. 3190. p. 216.

[1] Angel. Massarell. in Act. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. p. 30. et in Ms. sig. num. 3232.

existente, lecta et recitata in præsentia etiam antedictorum prælatorum, procerum et nobilium, videlicet:

« Quæ nobis hesterna die, illustrissime domine, de invictissimo imperatoris animo ad religionem tuendam atque amplificandam, et Concilium Universale celebrandum propenso, dominatio vestra copiose et graviter exposuit, et si pro perpetua suæ majestatis pietate, universo Christiano orbi perspecta et cognita, nihil novi audivimus, gratissima tamen nobis acciderunt. Nam cum a sanctissimo D. N. Paulo, divina providentia hujus nominis III, vero et indubitato Jesu Christi Redemptoris nostri in terris vicario, Dominici gregis pastore, ac beati principis Apostolorum successore, Œcumenicum et Universale Concilium, communicato consilio cum majestate sua Cæsarea, in hac civitate indictum sit, ea potissimum ratione, ut dissidia religionis tollantur, et animæ, quæ ex hujusmodi dissidiis assidue periclitantur, serventur, et ad ovile Dominicum, cum in cæteris provinciis, tum in Germania in primis reducantur, speramus majestatem suam effecturam, ut in conventu imperiali Wormatiensi de articulis causisve religionem concernentibus minime agatur, sed ad Concilium integre remitti debeant, cum causæ ipsæ in eo conventu sine humani divinique juris et vetustissimæ in Ecclesia consuetudinis læsione, ac sine pernicioso in omne ævum exemplo, et absque ipsius Concilii perturbatione et impedimento pertractari nequeant. Quam sane rem ad perpetuam majestatis suæ gloriam dicere volumus, ad conscientiæ serenitatem pertinere maxime arbitramur. Præterea vero et assistentia dominationis vestræ in Concilio erit nobis gratissima, cum propter ejus nobilitatem ac virtutem, tum ob favorem, quem a principe tam Catholico ac tam potenti cujus vices gerit, et nos ipsi speramus, et ipsa nobis pollicita est. Itaque mandatum majestatis suæ Cæsareæ dominationi vestræ missum, et coram nobis exhibitum et lectum, quantum de jure possumus et debemus, grato, et benevolo, et prompto animo admittimus ». Et mox : « De episcopis Hispaniarum et cœterorum regnorum et nationum (quos a sanctissimo D. N. per litteras et nuntios monitos magno cum desiderio expectamus) quoniam adhuc nullus eorum comparuit, nihil nunc habemus quod dicamus, nisi nos perlubenti animo intellexisse majestatem suam eos, qui sub ejus ditione sunt, per litteras et nuntios excitasse, quo fit ut illos propediem venturos speremus ».

6. Transmisit etiam Tridentum Ferdinandus Romanorum rex oratorem suum, propensissimum erga religionem regium animum exposuit, operamque pro celebrando Concilio detulit, ut refert Angelus Massarellus in Diario :

« Mercurii VII Aprilis, illustrissimus D. Franciscus a Castelalto orator serenissimi regis Romanorum ad Concilium designatus comparuit coram reverendissimis et illustrissimis DD. legatis cum litteris regiis sub data Wormatiæ XXIV Martii, in quibus operam omnem suam pro Concilii celebratione offerebat, id quod dictus orator fecit ore. Reverendissimi DD. legati responderunt lætari plurimum de religione et propenso erga Concilium animo regis, cui gratias agebant, etc. sperareque se tum bonitate Summi Pontificis, tum favore Cæsaris et majestatis suæ regiæ aliud tandem commodum Christianæ reipublicæ ex hoc sacro Concilio allatum iri, in quo ipsi reverendissimi legati conarentur, nihil ex eorum parte desiderari posse etc. ».

7. *Diploma Pontificium quo monentur præsules ut per seipsos, non per procuratores ad Concilium accedant.*. — Ad excitandos vero præsules, ut Tridentum pro celebrando Concilio confluerent, Pontifex XVII Aprilis in cardinalium senatu Diploma promulgavit [1], quo ipsos monuit, propositisque pœnis canonicis jussit in Tridentino Concilio præsentes, ac non procuratorum opera interesse, quod Angelus Massarellus in Actis Concilii confirmat. Præcipua ejus Diplomatis pars concepta est hisce verbis [2] :

« Ad futuram rei memoriam, etc.

« Attendentes gravitatem negotiorum, quæ in Concilio tractanda erunt, prælatorum et aliorum vocem habentium hujusmodi judicium, consilium et præsentiam exigere; et propterea ne sub prætextu alicujus forsan minime legitimi impedimenti, aut spei eorum admissionis per procuratorem, ipsi ab accedendo ad dictum Concilium retrahantur, et ut absque aliqua corruptela singulorum prælatorum et aliorum, ut præfertur, vocem habentium judicia et consilia hujusmodi in eodem Concilio libere exquiri et haberi possint, providere volentes, habita desuper cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu eosdem patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac abbates, et alios quibus in Conciliis generalibus residendi et in eis sententias dicendi, ut præfertur, permissa est potestas, de novo monemus et hortamur, ac in Domino requirimus, eisque non solum sub perjurii et aliis pœnis prædictis, verum etiam sub suspensionis a regimine et administratione Ecclesiarum, quibus præsunt, et aliarum dignitatum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, quorum ratione eis locus in Concilio et potestas sententias in eo dicendi permittitur, per eos obtentorum; necnon interdicti ingressus Ecclesiæ sententiis per eos nisi præsentibus cum effectu paruerint, eo ipso incurrendis,

[1] Act. Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 455. Ms. arch. Vat. sig. 3232. p. 71. — [2] Ext. ibid. p. 72.

districte præcipiendo mandamus, quatenus mandatis procurationum per eos hactenus, ut præfertur, factis, vel in posterum faciendis, quæ omnino revocare, et eorum revocationem procuratoribus per eos constitutis, aut in Concilio hujusmodi intimare sub eisdem pœnis et sententiis teneantur, minime attentis ipsimet personaliter per seipsos, et non per procuratorem aut procuratores, nisi forte justo detineantur impedimento ». Et mox : « quanto citius potuerint, ad eamdem civitatem Tridentinam accedere, et prosecutioni celebrationis Concilii hujusmodi adesse et interesse velint, etc. Datum Romæ etc. MDXLV, XV kal. Maii, Pontificatus nostri anno XI ».

8. Hoc decretum edidit Paulus, ut Concilium pro restituenda sanctiore morum disciplina atque hæreseos vicinas Germaniæ provincias, instar incendii latius depascentis, impetus comprimeret : at Cæsar ejusque administri politica secuti consilia Œcumenicam Synodum variis artibus retardare affectabant; atque ideo Neapolitanus prorex episcopis regni Neapolitani dederat imperia, ne adeundæ Synodi causa e suis diœcesibus discederent, sed procuratorium munus per litteras quatuor delectis episcopis demandarent. At episcopi Pontificalis officii memores iniqua respuerunt imperia, et constanter contenderunt velle se Concilio vetere more interesse, ac religione ad id adstringi; nec velle alienæ subjici voluntati ; hoc accepto responso, prorex edictum proposuit, quo regem Carolum ita imperare promulgavit. Quare Pontifex Constitutionem mox allatam edidit, eamque legatis ante promulgationem transmisit. Verum quia paulo asperior visa esset, ita eam temperavit, ut iis pœnis non constricti forent, qui legitimo impedimento distinerentur, vel a negligentiæ culpa immunes essent. Impresso deinde typis eo Diplomate Pontificius internuntius, qui Neapoli agebat, illud metropolitanis transmisit. Prorex vero multis verborum officiis acta sua excusavit apud Pontificem, atque de procuratoriis litteris sermo suppressus est.

9. *Legatorum ancipites curæ de aperiendo Concilio.* — Proxima die XVIII Aprilis legati Tridentini significarunt Pontifici, videri non serio rem agi a Cæsare, atque in ancipites curas se distractos fuisse, an Concilium aperirent, præsentesque casus et varias formidinum causas exposuerunt [1] :

« Beatissime pater, post pedum oscula beatorum.

« Accepimus reverendissimum cardinalem Farnesium Roma ad Cæsaream majestatem profectum, atque ideo ad vestram sanctitatem nostras litteras direximus. Hactenus hæsimus in ancipiti, quo tempore aperiremus ob varias rerum vicissitudines conversionesque, quas ordinum imperii comitia parere possint, ac majori luce a vestra beatitudine in re gravissima collustrari flagitamus : postremis cardinalis Farnesii litteris jussi sumus, dato casu, quo in comitiis Germanicis de religione agendum foret, Concilium, non expectato majori præsulum numero, aperire, sin vero eo periculo non urgeremur, præstolari episcopos, ut honesto numero Tridentum confluerent : ex habita Cæsareo nomine oratione ad ordines imperii perpendimus tertium casum posse contingere, cum hæc concepta verba dixerit : « Attamen quoniam « negotium reformationis maturam deliberationem efflagitat, Turcæ vero negotium ultra « differri non potest, consultius fore Cæsar existimat, quandoquidem ita factum sit Concilium, et disputatio reformationis in præsentia « suspendatur, interim habebitur, quod Concilium progrediatur, quidque ex eo si spes « nulla refulserit ante hujus dietæ finem, alia « indicetur, in qua hujus reformationis et religionis consultatio omnino habebitur ». Grave propterea incidit dubium, ne ob imminentis discriminis gravitatem comitia brevi expediantur, ut necessarius contra Turcam bellicus apparatus instruatur, ac quantocius decretum feratur, in quo ex Cæsarea sponsione indicantur comitia, in quibus de religione agatur, atque ita omnis invidia in nos transferatur : pervulgatum enim iri, patefacta in comitiis Cæsarea sententia, ut ardentius promoveretur Concilium, illud inchoatum non fuisse, atque ita vulnus nullam medelæ spem admissurum, maxime quod pro Germaniæ sanandis vulneribus Concilium celebrari debeat, totiesque legati Apostolici sine ullo fructu accesserint, in qua sententia magis confirmamur, quod D. Mignanellus internuntius pluries suis litteris significarit, coacto apertoque Concilio, Lutheranos non accessuros, sed eo casu mutaturos sententiam, atque expetituros a Cæsare, ut si velit ab iis socialia contra Turcam jungi arma, spondeat publicæ fidei syngrapha, nullos eos damno vel molestia religionis causa affectum iri, quam syngrapham Cæsar sine majestatis Cæsareæ injuria concedere nequeat, atque adeo tanquam honoris tuendi cupidissimum ad memoratum decretum, dum hic in otio degimus, inclinaturum. Vestram itaque sanctitatem horum omnium certiorem reddimus, ut consueto prudentiæ molimine imperet, quæ a nobis agenda sint, qua in re si forte nostram exquirat sententiam, hodie post collatos invicem prolixos sermones constituimus, ut sacrum de Spiritu sancto solemni ritu peragatur, antequam Cæsar ad comitia perveniat, et continuo indicatur prima sessio intra paucos dies celebranda pro discutiendis erroribus disciplinaque restituenda, antequam in comitiis decretum, quod recessum vocant,

[1] Ms. Franc. card. Barberini sig. 2677. p. 108.

promulgetur. Apertum vero Concilium, aut felicem progressum habiturum, ac tum debitas laudes Deo persolvendas, aut si ob irruptionem Turcicam asperiora fuerint tempora, aut alias vestra sanctitas de eo postuletur, illud in meliora et commodiora tempora differre, non videmus in sanctitatem vestram ex inchoato et aperto Concilio quidquam aliud quam honoris et gloriæ compendium redundaturum, quamcumque vero deliberationem sumpserit, aut progrediendi ulterius, aut suspendendi vel transferendi, vel claudendi Concilii summis precibus contendimus, ut ea quantocius nobis significet, quo ipsius mandata conficere possimus. Humillima oscula beatitudinis vestræ pedibus libamus, ac Deum comprecamur, ut ipsam salvam, incolumem ac felicem in longiora tempora servet. Datum Tridenti XVIII Aprilis MDXLV.

« Sanctitati vestræ addictissimæ creaturæ ».

Significarunt aliis litteris eodem die exaratis legati Pontifici, « Cæsarem, ut ex gravibus indiciis apparet, parum curare, ut modo celebretur Concilium, ac Didacum Mendozam illius oratorem, ab ea qua comparuit die, posthac ne verbum quidem fecisse de agendis, nec quæsisse cur in otio ageremus, contentum tantummodo diligentiæ suæ conscientia, ac purgati ab omni culpa Cæsaris ostentatione, quod in ipsa comparitione magnifica oratione præstitit, nec Cæsar tuendi honoris sui avidissimus, ac laudis in omnibus gestis appetentissimus vult, ut exeat Tridento, ut alias ne dici ulterius possit : Vocavit, et non erat qui audiret, venimus, et non erat vir. Censemus vero, non parvi referre, ut prius aperiatur Concilium antequam reverendissimus cardinalis Farnesius in conspectum Cæsaris veniat, ne maledicæ linguæ vestram sanctitatem ea calumnia appetant, legatum ad disturbandum Concilium missum fuisse, etc. Tridenti XVIII April. MDXLV ».

10. Profectus in Germaniam Alexander cardinalis Farnesius, Pontificius nepos, his maxime mandatis gravissimis instructus est, ut nummarium subsidium Cæsari pro gerendo sustentandoque contra Turcas bello afferret, eumdemque ad tuendum promovendumque Concilium accenderet, curaretque flagrantissimo studio, ut omnis de religione actio ac tractatio ad Concilium referretur. Cæterum de ea legatione varii varia opinati sunt. Belcarius vero sensit, fuisse missum, ut Cæsarem ad sociale bellum in Protestantes ad eos in officium redigendos incitaret, cogeretque decreta Concilii amplecti.

11. Appetente Concilii aperiendi die anceps curarum æstus Pontificios Cæsareosque distraxit : nam Cæsar verebatur, ne inchoato Concilio, a quo pertinacissime abhorrebant Lutherani, caperent arma in Cæsarem, si Concilium tueretur, in quo se omnino damnatos urente conscientia certissime norant : atque ita Cæsar Lutherano simul et Turcico implicitus bello succumberet sub hostium ferocissimorum tyrannide; ideoque omni ratione mulcendos Lutheranorum principum animos retardato Concilio; atque injecta illis fiducia ac spe titillabat religionis dissidia, et Ecclesiasticæ disciplinæ causas in comitiis imperialibus compositum iri. At Pontificii urgebantur a Paulo III, ut tertia Maii die sanctissimæ Cruci sacro, Concilium inchoaretur, quod testatur Angelus Massarellus, qui addit eodem tempore cardinalem Farnesium legatum XXV Aprilis Tridentum ingressum, cum ad Cæsarem se conferret, ac tunc scissos esse in varias sententias legatos cardinales, an indicta die a Pontifice inchoandum esset Concilium, an expectandum, ut prius cardinalis Farnesius salutato Cæsare rem cum illo contulisset. Vicit demum ea sententia, ut prius consuleretur Cæsar; cum cardinalis Tridentinus et Mendosius, Cæsarei in Concilio oratores, certum ac præfixum diem a Cæsare pro inchoando Concilio non accepissent : ita enim inter Pontificem Cæsaremque alendam concordiam videri; tum quia imperator comitiis indictis præsens futurus non esset, nec iis dimissis exitiale aliquod edictum metuendum esset, postquam Farnesius legatus accessisset ad Cæsarem; tum quia Granvellanus, qui imperatorio nomine conventui præsidebat, capita omnia ad religionem spectantia ad Concilium ab eo dirimenda retulisset; tum quia jam ex omnium animis eversa esset ea falsa opinio, legatum pro Concilio disturbando a Pontifice missum, sed potius pro eo ex Cæsaris consensu promovendo; tum quia prorogata dilatio brevissimo temporis flexu esset definita ; quibus acceptis Pontifex dilationi factæ assensit.

12. Exceptus est perhumaniter a Cæsare Farnesius cardinalis; sed cum arbitraretur Cæsarem ingenti gaudio cumulatum iri, audita Pontificis sententia de Concilio non amplius differendo, quod tot annorum flexu continentibus votis expetiisset, spe sua et opinione excidit; cum Cæsar potius illud ob iniquiorum temporum calamitatem retardandum contenderet : premi enim gravi metu, ne Protestantium factio, quæ se a Concilio damnatum iri prævidebat, in arma desperatione efferata consurgeret ad opprimendos Catholicos, atque etiam in Italiam bellum transferret : quare videri magis prudentiæ consonum, ut Pontifex conflando ærario operam daret, validiora subsidia pro confirmandis Catholicis compararet, ac Protestantes dilato Concilio credituros se armis non comprimendos. Ad hæc respondit legatus, Paulum, cum de religione tuenda actum fuerat, nunquam auxilia denegasse, nec iis submittendis defuturum, quanquam ejus opes tenuiores essent quam Cæsar æstimaret. Cæterum nulla

ratione posse amplius differri Concilium, cum in tot ordinum Germaniæ conventibus promissum esset a Pontifice, maximamque infamiæ labem contracturus esset, si Christiano orbi illusisse diceretur, ac Tridentinos legatos urgere, ut dies certa Concilio inchoando decerneretur. Perstabant defixi in sua sententia Cæsarei administri, tempus celebrandi Concilii opportunum non esse, posse quidem Pontificem illud aperire, sed imperatorem non assensurum, eademque Ferdinandus rex Romanorum præsente cardinale Augustano exposuit cardinali Farnesio legato, qui omnia tum Pontifici, tum legatis Tridentinis significavit, de quibus hæc tradit Massarellus : « MDXLV, vigesima quinta Maii, reverendissimi et illustrissimi DD. legati receperunt litteras a reverendissimo et illustrissimo cardinale Farnesio Wormatiæ vigesima secunda hujus datas, in quibus significavit, qualiter vigesima octava præsentis mensis locutus fuerat cum imperatore de aperitione Concilii, a quo habuisset responsum, quod cum res esset ita gravis, ut erat, non posset tam cito certam responsionem dare. Videbatur autem suæ majestati, quod pro nunc suspendendum esset a celebratione Concilii, tum multis aliis rationibus, tum maxime, quia Lutherani maxime profitentur, se nolle ad Concilium venire, interim operam dabit in Dieta Wormatiensi (quæ nunc celebratur) ut eorum animos flectat et ad Concilium amplectendum inducat ». Quæ omnia, ut idem Massarellus dicit, legati cum patribus communicarunt : « Trigesima prima Maii vocati sunt in congregatione patres, nimirum archiepiscopi quinque, et episcopi quatuordecim, quibus hæc exposita a legatis fuere ».

13. Respondere legati Tridentini cardinali Farnesio allatas rationes penitus inanes, quæ de Lutheranorum adversa sententia, vel de belli ab iis inferendi terrore adducebantur; illos enim hactenus cogendo Concilio semper restitisse, atque in hoc rerum statu illum monuere, ut in Wormatiensi conventu promulgandum curaret, non ex Pontificis vitio ac culpa Concilium non inchoari, sed illud ab imperatore impediri, qui nullam possit excusationem prætexere, si aliquod decretum religioni exitiale ferre velit. Addidere etiam, ut Pontificiam sanctitatem hortaretur, ut prius Pontificatu se abdicaret, quam toleraret Cæsaream, vel aliam laicam potestatem de religionis causis pronuntiandæ sententiæ sibi arrogare auctoritatem, illa prætexta causa, quod potestas Ecclesiastica Concilium non celebraret, suoque muneri defuisset.

Scripsere iidem legati Tridentini Pontifici, vehementer se undique angustiis premi, expectandum reditum ex aula Cæsarea cardinalis Farnesii, se in tanta rerum caligine, qua lux non affulgeret. Angebantur enim gravi metu, ne quid in comitiis religioni noxium pro conciliandis Cæsari Lutheranis constitueretur.

14. Affulsit ea lux feliciter, etenim Cæsar mentem suam cardinali Farnesio aperuit, contrahi a se exercitum, ut Protestantes cogeret ad morem Concilio gerendum, si illos humanioribus officiis flectere non posset, ut ejus legibus se subjicerent : felici hoc nuntio allato, tum Pontifex, tum legati Tridenti maximo gaudio delibuti, judicarunt differendam adhuc prudenter Concilii congregandi celebrationem ; necnon Catholici principes sincera Pontificis mente cognita recreati Spirensi decreto jam ante edito se opposuere : Lutherani vero non movere arma [1], cum non inchoaretur Concilium ; eaque occasione sequestra pax misso oratore Gerardo Wltuvicho inter eas temporis moras cum Turca conciliata est ; cum ardente bello Turcico, nec Concilium celebrari, nec Lutheranus furor compesci potuisset. Ex his refellas Petrum Soavium dum fingit cardinalem Farnesium missum ad Cæsarem, ut illum a petendo Concilio abduceret.

15. *Plures episcopi Tridentum adveniunt.* — Pervenere proximo tempore Tridentum plures episcopi, atque insignes theologi, ac inter alios Theodoricus Raius juris utriusque doctor, ab Alberto Moguntino archiepiscopo cardinale procurator missus, qui cum accepisset promulgatum a Pontifice edictum, ne episcopi procuratores mitterent, exarsit in iras ; sed monitus est, eo decreto Moguntinum non obstringi, cum justa causa distineretur, Pontificemque de ea re factum iri certiorem. Ex Italia plures accessere, et ex regno Neapolitano quatuor illi ante delecti, non tamen procuratorias aliorum episcoporum litteras attulerunt. Rex Galliæ episcopos et theologos scientiæ laude conspicuos misit. Cumque regum corda sint in manu Dei, ita divina providentia imperatoris et Ferdinandi regis animos inflexit, ut qui antea obstiterant inchoando Concilio, jam institerint, ut quantocius aperiretur ; cumque vehementius urgerent Ferdinandi oratores, ut mandata de ea re coram Patribus promulgarentur, respondere legati expectandum, ut Mendozius orator Cæsareus Venetiis Tridentum rediret, ut summo omnium consensu res perficeretur, illique a cardinale Tridentino persuasi acquievere.

16. *Regis Lusitaniæ ad Pontificem gratulatoriæ litteræ.* — Rex autem Lusitaniæ, cum conceptam contra Pontificem indignationem inani de causa deposuisset, certiorque factus fuisset, Pontificem non solum Concilium indixisse, sed etiam legatos misisse Tridentum, lætissimis officiis refertam Epistolam illi scripsit [2] :

[1] Surius in Comm. — [2] Ext. in arch. Vat. Conc. to. VIII. sign. num. 3195. p. 32. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 92. Ms. Franc. card. Barb. sig. 3232. p. 92.

« Sanctissimo in Christo patri et beatissimo domino Paulo III divina providentia papæ, et devotus et obedientissimus sanctitatis suæ filius Joannes III, Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum rex citra et ultra mare in Africa, dominus Guineæ, navigationis, expeditionis et commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, humillimum sanctorum pedum osculum mittit.

« Etsi nemini unquam dubium aut obscurum fuit, beatissime pater, nullum tui sanctissimi Pontificatus tempus a consiliis tuendæ Christianæ religionis, constituendæque inter principes amicitiæ abhorruisse ; nulla tamen res conceptam de sanctitate tua opinionem æque ac Œcumenici Concilii indictio confirmavit : quod bene feliciter cessurum universo populo Christiano facile sibi persuaserit, qui divini nominis primum, cui ejus auctoritas innititur, majestatem, deinde sanctitatis suæ in eo denuntiando constantiam perspexerit : quique postremo ad eas artes animo se et cogitatione converterit, quibus sævissimus humani generis hostis omnes aditus, qui ad sacrosancti Concilii celebritatem patere videbantur, superioribus annis obstruxit ; nec enim ille tam studiose id oppugnasset, nisi jacentem afflictamque Christianam rempublicam excitari posse ea via prævidisset, aut sanctitas tua animi contentionem in agendo totius populi Christiani conventu adhibuisset, nisi constanter sperasset fore, ut moribus pristinæ severitati restitutis, omnibusque idem de orthodoxa fide sentientibus, facile non modo hostium vim repellere, sed etiam priorum temporum calamitate amissa recipere et vindicare possemus, quæ si aliquando singula tantum habere momenti visa sunt, ut agi de illis nisi frequentissimo populi Christiani concursu pro dignitate non posset, quid nos de sanctitate tua cogitare par est, quam tot et tam graves causæ ad promulgandum Œcumenicum impulerunt, præsertim veteri Christianæ reipublicæ disciplina ita collapsa, et in tantam perturbationem adducta, ut etiamsi nullus vel hæreticorum seditiones, vel hostium incursiones pertimesceret, ad colligendas tamen antiquæ sinceritatis reliquias convenire omnes oportuerit, et suo quemque loco sententiam dicere ; nam cum labefactati mores hæreticorum improbitati et hostium victoriæ aditum patefecerint, ea sane parte diligenter constituta, et qui a fidei Catholicæ veritate defecerunt, requiescent, et qui Christianam religionem oppugnant, Dei optimi maximi potentia opprimentur, quam, ut si facilem habuerimus victoriam, pacem, otium, summa denique omnia nobis spondere possumus ? Ita eo irritato et offenso, non video quid in nostris copiis sit reliquum, in quo spem figere debeamus, quod si ubi nec ab exteris nationibus ullum grave et periculosum bellum immineret, nec intestinis factionibus esset convulsa et jactata nostra respublica Christiana, tamen religionis in te fuit ad conciliandum animorum charitatem sacrosancto Concilio locum tempusque a sanctitate tua præscribi, si ulla promovendæ Christianæ pietatis ratio haberetur, si quem augeret dolor, quem de tot animarum provinciarumque jacturis omnes capere oportebat, transacta jamdudum res esset, cum sanctitas tua tanto Concilii rite celebrandi studio esset inflammata, ut multis abhinc annis nos ad id hortari et incitare nunquam destiterit, quam animi propensionem sanctitas tua in medio bellorum tumultu præ se tulit, nunc pace tandem aliquando facta, et armis in angustiorem reipublicæ partem contractis, in animum induco, nullam difficultatis speciem tantam objici posse, quæ vel eximium sanctitatis tuæ ardorem vel conatum restinguere possit, cui nos non solum morem gerere decet, sed etiam gratias Deo, quantas maximas mens nostra concipere potest, agere : cujus nutu effectum est, ut in edicendo Concilio nunquam sanctitatis tuæ industria languesceret.

« Nec vero diffido quin qui animo vigorem dedit, incolumem etiam sanctitatis tuæ valetudinem tueatur, et quod sapienter exorsa est, cum summa etiam divini et tui nominis gloria fortiter ad extremum perducat : facile porro adducor, ut credam omnes muneris sui partes sanctitatem tuam diligenter acturam, tum quia captato toties frustra tempori nollet deesse, tum quia minime deceat sanctitatem tuam id inchoatum relinquere, quod ut inchoaret, nullam sibi recusandam molestiam, nullum non subeundum laborem, nullam honestam conditionem repudiandam judicavit. Neque sane jam multa valeant ad interrumpendum sacri Concilii cursum, quum ejus initium impedire multa non potuerunt, et si modo sanctitas tua ab eo, quod instituit, non decedet, quod Deo Optimo Maximo auctore cæpit, eodem egregium conatum juvante prosequetur : qui, ut quod maxime obstare videbatur, divinitus submovit, ita proposito omnibus sanctitatis tuæ saluberrimo exemplo, et longe lateque sacri Concilii diffuso splendore, si quorum nondum satis est confirmata voluntas et perspecta, eos paulatim ad colendum Ecclesiæ Catholicæ nomen, et ad frequentiorem Œcumenici Concilii celebritatem adducet.

« Quamobrem supplex ipse Sedis Apostolicæ filius sanctitatem tuam oro atque obtestor, quam modestissime possum, ut ad omnem se difficultatem confirmet, ne animum contrahat ac remittat : quod licet sua sponte facturam sanctitatem tuam existimem, vis tamen amoris et observantiæ meæ, rei etiam magnitudo efficit, ut a sanctitate tua id petere atque obsecrare non dubitem. Cæterum cum legatos meos, et quos illius Concilii participes sociosque destinavi, minori celeritate quam vellem, viderem se ad

iter componere, ne ulla esse in me mora videretur, ut ad id, quod sanctitas sua tantopere vult, efficerem, delegi ex eo numero viros bonos et eruditos Fr. Georgium a S. Jacobo, Fr. Hieronymum ab Oleastro, Fr. Gasparem a Regibus sacrarum litterarum professores, qui ad sanctitatem tuam celerius mea mandata perferrent, et quid de sacro Concilio peragendo sentirent, accurate responderent : quibus ut fidem habeas hac de re tota, enixe peto, beatissime pater. Christus Optimus Maximus diu tueatur incolumem sanctitatem tuam, pater sanctissime, et beatissime Domine, ad sui nominis laudem et gloriam. Datum Eboræ xx die Junii, anno humanæ salutis MDXLV ».

Accepta sunt gratissimo animo a Pontifice Lusitani regis officia, et quanto animi ardore in illud opus sanctissimum incumberet, significatum est. De prosecutione Concilii inferius denuo agemus.

17. *Providet Pontifex ne in comitiis Wormatiensibus res religionis pertractentur, sed referantur ad Concilium.* — Modo progressum Dietæ Wormatiensis videamus. Cum igitur Pontifex timeret, ne Protestantes de religione tractare vellent, Ferdinandum Bohemiæ et Romanorum regem sacris monitis instruxit, ut ea omnia, quæ ad religionem spectarent, referenda ad Concilium Œcumenicum curaret, ad quæ promovenda Fabium Mignanellum internuntium ad eum misit [1] :

« Regi Romanorum, etc.

« Charissime. Cum venerabili fratre Hieronymo Verallo archiepiscopo Rossanensi, quo nuntio apud serenitatem tuam utebamur, ad majestatem serenissimi Cæsaris fratris tui per nos destinato, nunc apud te nuntio nostro careamus, nos pro benevolentia, quam singularem ac paternam erga serenitatem tuam merito gerimus, nuntium apud te continuum, prout semper consuevimus, habere volentes, qui nostra et Apostolicæ Sedis negotia jugiter cum tua majestate tractet et exequatur, elegimus venerabilem fratrem Fabium Mignanellum episcopum Lucerinum, prælatum nostrum domesticum, latorem præsentium, singulari doctrina, prudentia et integritate præditum, cujus opera in aliis legationibus etiam apud serenitatem tuam, et multis arduis rebus usi sumus; eum itaque cum Dei nomine ad serenitatem tuam nuntium nostrum et hujus Sanctæ Sedis destinantes, serenitatem tuam hortamur et requirimus in Domino, ut pro sua erga nos et dictam sedem reverentia, eumdem Fabium episcopum nuntium solita, qua cæteros nuntios humanitate et benignitate excipere, fidemque ejus verbis tam nunc, quam quoties te nostro nomine alloquetur, haud minorem præbere velis, quam si nos ipsi præsentes majestatem tuam alloqueremur; et quoniam existimamus eamdem serenitatem tuam in Wormatiensi conventu pro sua maxima ac regia auctoritate adfuturam, hortamur et in Domino requirimus eamdem serenitatem tuam, ut causam religionis solito favore prosequens, si quid de ea in ipso conventu Wormatiensi proponi contigerit, velis curare, et efficere, ut id totum ad Universale Concilium, quod Tridenti denuo indictum et jam omnibus expositum est, remittatur, sicut omni jure debitum est, id erit consuetudine tua atque officio præstantissimi regis dignum, et Deo Omnipotenti gratissimum. Dat. Romæ XII Martii MDXLIV, anno XI ».

18. Jussus etiam est Fabius Mignanellus internuntius Pontificius proficisci ad Cæsarem, ut illum admoneret [1] ; ut si quid de religionis dissidio in conventu Wormatiensi proponeretur, id ad Concilium Tridentinum referendum curaret.

Monitus eodem tempore est a Pontifice Granvellanus, qui adversa valetudine implicito Cæsare ad conventum Wormatiensem præmissus fuerat, ut qua auctoritate florebat apud Cæsarem, causam religionis in eo conventu tuendam susciperet, controversiasque fidei ad Concilium Tridenti indictum referendas curaret. Præmoniti quoque Sancti-Petri ad Vincula cardinalis [2], idemque Moguntinus archiepiscopus, Joannes Ludovicus Trevirensis, Otho cardinalis Augustanus, ne quid de religione decerni a Wormatiensibus comitiis paterentur, sed ad Concilium Tridentinum referendum contenderent ; inter alios vero Moguntinum et Trevirensem septemviros institisse vehementer adversus Protestantes, religionis causam ad indictum Concilium referendam esse refert Franciscus Belcarius [3].

19. Celebrari cœperant Wormatiæ comitia principum Germaniæ, absente Cæsare, cum podagra impeditus esset, quare Ferdinandus rex habita oratione coacti conventus causas exposuit præcipuas, quæ fuere gravissimæ : prima, ut pacatis pristinis dissidiis religio vera in sua dignitate constitueretur : secunda, ut communi consensu bellum adversus Turcam conjunctis socialibus armis decerneretur ; ea de causa imperatorem pacem composuisse cum Galliæ rege, qui episcopos ad Concilium Tridentinum missurus esset, atque auxiliares copias adversus Turcam spopondisset : congregari jam Concilium Tridenti, ac se una cum imperatore oratores ad illud decrevisse, atque adeo causa religionis Concilio Tridentino permissa, de bello Turcico pro ferocissimis hostibus a Germanorum cervicibus propulsandis in eodem Wormatiensi conventu agendum esse.

Assensere Catholici principes propositis re-

[1] Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 268.

[1] Ibid. p. 280. Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 296. — [2] Ib. p. 258. Ib. p. 256. Ib. p. 257. — [3] Lib. XXIV. num. 9.

bus in regia oratione : at Protestantes in hæresi impia confirmati dissensere; moliebantur enim in conventu maxima ex parte ex laicis vel hæreticis coacto quoddam religionis monstrum conflare, cum jam ante omnia comitia, quæ de religione egerant, rei Catholicæ maxima damna attulissent. Quare obtulit supplicem libellum regi Romanorum [1] Mignanellus Pontificis internuntius Wormatiæ vigesima sexta April. MDXLV consignatum, quo exposuit : « A multis jam annis in omnibus ordinum imperii cœtibus Lutheranas res augeri ac confirmari, eos enim, quæ ipsis conceduntur avidissime arripere acerbeque exigere, et ea quæ vi rationis spondeant, per summam perfidiam non servare, remque Catholicam profligare, atque hactenus prætexit solitas causas toleratæ eorum insolentiæ, belli Turcici terrorem, discordiam principum, ac Concilii Œcumenici inanem expectationem, jam vero principes mutua pace conciliatos, Concilium indictum congregari, nullum imminere Turcicum terrorem, atque adeo rogavit, ne regia majestas fidei et libertatis syngrapham concederet Lutheranis, qui eam eblandiri niterentur, ut procaciter illuderent Concilio, nec aliam formulam verborum conceptam traderet, quam eam, quæ Concilii syngrapha concepta foret, constare enim de Protestantium animo, in idque ipsos inniti, ut si decretis Concilii non paruerint, ad ea amplectenda obsequiumque Cæsaris armis cogi non possint, demumque preces addidit, ut Pontificis Conciliique auctoritatem assereret. Wormatiæ vigesima sexta Aprilis MDXLV ». Vigesima octava Aprilis Protestantes propositioni Ferdinandi sua responsa obtulerunt, consertaque erant solitis insulsissimis rationibus et impiissimis næniis, ne Concilio obtemperarent [2] :

20. *Votis Protestantium qui repudiant Conlium et comitia reclamant Cæsar annuit.*— « Responsi dati XXVIII Aprilis MDXLV a Protestantibus summa, dictata a senatoribus principis Catholici.

« Respondere status confessionis Augustanæ, in recessu Spirensi promissum fuisse Concilium Universale, liberum, Christianum, id est, Lutheranum celebrandum in Germania, non vero papisticum et partiale, ut Tridentinum.

« Licet aliæ nationes se submittant judicio Concilii papistici, non tamen ipsos velle, nec posse, quod suspectus sit ipsis locus, suspecti præsides, suspecta decreta in eo condenda.

« Qui intersint illi Concilio jurejurando obstringi Pontifici, atque adeo ipsorum esse adversarios, nec propterea assentiri illi posse: non celebrari secundum purum Dei verbum, nec secundum morem veteris, veræ et Apostolicæ Ecclesiæ, secundum quem omne Concilium celebrari debet, atque adeo illi non consensuros, ut contrario animarum saluti ac confessioni Augustanæ, adhærenti rei politicæ, cum illi qui celebraturi sunt illud Concilium, sacramento sint obstricti Pontifici, atque proclives ad tuendam ejus doctrinam. Constitutiones propterea et decreta posse condere conformia juri papistico, at non purissimo verbo Dei, contra sponsionem decreti Spirensis, atque adeo rogari a se regiam majestatem Cæsareosque administros, ut si quid contrarium decerneretur in papistico Concilio Tridentino, non dissolveretur pax in recessu Spirensi, sed potius perduraret usque ad Christianam compositionem in nationali congregatione, seu dieta imperiali a Germanica natione fienda vi et tenore antedicti Spirensis recessus.

« Quod ad articulum de justitia et pace, quia edicta Wormatiense et Augustanum subjiciunt status confessionis Augustanæ pœnis contentis in privilegio pacis publicæ, ac secundum leges declarantur hæretici, adeoque bello petendi ; propterea in recessu Spirensi extorserant, ut pax iis concederetur, polliciti enim erant contra Turcam arma subsidiaria ea tantum lege ne causa religionis molestia ipsis exhiberetur ».

Addidere se id agere adactos necessitate pro bono publico Germanicæ nationis, ac vera, antiqua et orthodoxa religione asserenda.

21. Agit etiam de his comitiis Wormatiensibus Jo. Coclæus [1], et hæc refert:

« Hoc anno indictus ac celebratus est Wormatiæ conventus imperialis, qui promissus fuerat in recessu Spirensi, et constitutus in diem primum Octobris prioris anni. Itaque Cæsar ad eum diem suos jussit ibi comparare commissarios. Cæteri tardius advenerunt. Rex Romanorum mense Decembri; Cæsar, infirmitate corporali præpeditus, longe tardius advenit. Ex principibus autem electoribus, unus duntaxat personaliter comparuit, illustrissimus comes Palatinus Rheni et dux Bavariæ Fridericus ; cæteri miserunt suos oratores. Minus igitur frequens ac celebris fuit iste conventus, quam Spirensis, licet satis celebris fuerit ex Cæsaris regisque personali præsentia, ubi et reverendissimus dominus episcopus Augustensis Otho cardinalitia dignitate ac amplitudine sublimitatis insigniorem eo honore conventum illum reddidit : protractus autem est iste conventus usque in mensem Augusti, cujus die IV datus est publicus recessus, in quo propter paucitatem principum et statuum qui in propriis personis adfuerunt, majores et graviores causæ, de quibus tractatum fuit, non sunt definitæ, sed suspensæ, atque in alium conventum remissæ, quem Cæsar constituit Ratisbonæ celebrandum die festo Epipha-

[1] Ms. Franc. card. Barberini p. 132. — [2] Ib. sig. 2678. p. 130.

[1] Jo. Cochl. in Actis et script. Luth. Belcar. l. XXII.

niæ, seu Trium-Regum, ad quem omnes principes et status personaliter (excepta causa infirmitatis) convenire debeant ». Refert Belcarius [1], misisse ad hos conventus Wormatienses Gallorum regem suos oratores, atque eorum opera verbis piissimis Protestantes principes cohortatum, ut cum ipse suas lites, cum Cæsare pace confecta, diremisset, suas etiam ipsi de religione controversias componerent, atque ad Concilii Œcumenici Tridentini sententiam referrent, ut Christiana respublica, extinctis omnibus dissidiis publica pace frueretur. Verum Lutheranos hæc consilia respuisse, atque in pervicacia obduruisse confirmat Surius [2]; eosdem disertissimis verbis pernegasse se parituros Concilio Œcumenico : ex quo patuit eos malis artibus toties postulasse Concilium Œcumenicum ad obvelandam eo mendacio impietatem. « In hoc (inquit) Wormatiensi conventu inter alia, Protestantium legati palam testati sunt se Concilium Tridentinum, quod Pontifex indixerat, pro legitimo non agnoscere. Et ea fuit facillima ratio omnia ejus Concilii decreta elevandi et negligendi : si sic liceat subditis quibuslibet principum suorum decreta pro legitimis non agnoscere, nimirum brevi pulcherrimum habebimus in republica rerum ordinem et tranquillitatem ; sed hæc ab Ecclesiasticis suis Protestantium ordines hauserant. Verum hoc illius amplissimæ Synodi auctoritati nihil penitus ponderis detraxit, atque ita videre licuit, quam ex animo tot superioribus comitiis, illi Ecclesiastæ suis magistratibus suasissent, ut Œcumenicam Synodum peterent ».

22. Cum vero repudiarent procacissime Concilium Œcumenicum, postulabant privatum colloquium ; quod Cæsar concessit, ut constat ex sequenti recessu hujus Wormatiensis dietæ [3] :

« Carolus', etc. Notum facimus universis, posteaquam in proximis comitiis Spirensibus, propter multas urgentes et graves causas, generalem dietam die prima Octobris præteriti anni hic in nostram et imperii civitatem Wormatiam promulgavimus et instituimus ». Et infra : « Arduis rationibus moti, istam dietam protraximus, et alio transtulimus illam per præsentes ad festum Trium-Regum proxime futurum, in nostram et imperii civitatem Ratisbonam, vulgo Regenspurg ita ut electores principes, et cæteri ordines imperii, intuitu gravium et arduorum negotiorum imperii, ad diem præscriptum in propria persona Ratisbonæ compareant : hi vero qui mala valetudine impediti comparere nequeunt, necnon liberæ civitates imperii suos legatos et mandatarios cum sufficienti mandato sine ulla dilatione provideant, ita ut communia imperii negotia, præsertim vero illa puncta et articuli, qui in præsenti dieta debuissent expediri, perfecte consultari, concludi, et decreta ad efficacem effectum perduci possint. Nos quoque omnino proposuimus ad ipsam dietam, divina gratia non adversante, nos conferre, omniaque hæc cum consilio ordinum imperii, cum conservatione pacis, tranquillitatis, concordiæ et justitiæ in sacro imperio commode spectare possunt.

« Quoniam autem favoroso et paterno ducti affectu erga sacrum imperium Germanicæ nationis nihil magis cupimus, et optamus, quam ut dissidium religionis componatur, et ad Christianam concordiam et intellectum redigatur, fuimus quidem et sumus tanquam imperator Christianus, et defensor nostræ salutiferæ fidei, intuitu nostri officii et promissionis favorose factæ, multum inclinati hanc discordiam religionis præsenti hac dieta ad Christianam unionem ducere, sed omnibus statibus imperii satis superque est cognitum, quam graves et urgentes rationes fuerint in causa, quominus hæc compositio nunc temporis commode fieri potuerit. Ut ergo hanc pernecessariam compositionem, Deo gratiam dante, bono aliquo ordine adjuvare et in effectum ducere adhuc valeamus, ex æquo et bono visum nobis fuit, ad promovendum hujusmodi concordiam denuo concedere Christianum colloquium, quod permittimus pacis viris, iisque probis, piis, doctis, bonæ conscientiæ, pacificis, habentibus præ oculis pacem et tranquillitatem : ita quod nos tanquam caput, unum aut plures ordinabimus præsidentes, necnon quatuor collocutores totidemque adjutores Catholicæ religionis ita ut similiter faciant status confessionis Augustanæ, eligantque quatuor collocutores, totidemque auditores, et quos habere velint infra XV Septembris nominent, et præfati præsidentes, collocutores et auditores in festo Sancti-Andreæ, qui est ultimus dies Novembris, Ratisbonæ confluant, negotium ibi et discordantia puncta Christianæ fidei in nomine Domini aggrediantur, et insuper, quantum possibile erit, pacifice et Christiane componant ; solummodo respicientes, quæ sint sacræ Scripturæ consentanea, et ad tollendos abusus servire possunt : quin et sine aliquo impedimento et obstaculo habebunt respectum ad honorem Dei optimi Maximi, veram Christianam unionem et reformationem Ecclesiæ. Super hoc jam attiget, et debent nobiscum omnibus ordinibus imperii in futura dieta referre, et copiosam dare notitiam omnium, quæ inter ipsos sunt acta et collocuta, ut nos deinceps cum cæteris statibus possimus, super articulis, quibus se colloquentes concordarunt, vel non, amplius nos concordes facere, deliberare et penitus ponderare, quod in hujusmodi rebus tractandum sit, quo omnia negotia prout neces-

[1] Belcar. l. XXIV. num. 9. — [2] Sur. in Comm. hoc an. — [3] Ms. Franc. Barb. sig. 2678. p. 139.

sitas requirit, ad amicabilem, Christianam, et perfectam unionem et compositionem dirigantur, quod adjuvare ex officio debito favorose et paterne prompti sumus. Ut itaque per sacrum imperium Germanicæ nationis, pax, tranquillitas et justitia commodius et tutius conserventur, volumus ut publica pax antea erecta et publicata, necnon cæteræ pacis conditiones, et decreta imperialia, prout imperii ordines ubique acceptavere, aut nos ex officio nostro hucusque ordinavimus, per præsentes sint renovata et confirmata. Universis præterea et singulis tam summis quam infimis statibus imperii, cujusque sint dignitatis et conditionis, tenore præsentium injungimus, ut hæc in omnibus suis punctis et articulis firmiter summo cum studio conservent, unusque alium contra suprascripta, nec premat, nec gravet sub pœna in hujusmodi decretis contenta ». Multis interjectis de expeditione in Turcas comparanda, cogendoque auro subsidiario addit :

« Hæc omnia supradicta nos tanquam imperator spectantes, promittimus et pollicemur firma et rata habituros, nihil contra id inchoaturos aut permissuros, ut aliquid nostro nomine, quod his contrarium sit, intentetur, in cujus fidem et testimonium nostri sigilli imperialis appensione muniri facimus ».

23. Huic decreto non modo Catholici ordines, verum etiam Confessioni Augustanæ addicti assenserunt.

« Perculit illud decretum Catholicos magno dolore ac perturbatione, cum arcanæ mentis Cæsareæ ignari suspicarentur Cæsarem ad Lutheranas partes deflectere, quia religionis causam non retulisset ad Concilium, sed in conventu Germanico ad universam Ecclesiam spectantes controversias dirimendas promulgasset, adeo ut Tridentini præsules in eum gravissimas querelas effunderent, quos legati Apostolici, consilii Cæsarei arcani participes facti, docuere Cæsarem hac una spe detinuisse Protestantium principum animos, ne importuno admodum tempore civile bellum conflarent, antequam validus exercitus pro iis comprimendis comparatus esset; atque ea de causa Andelotium fidum administrum a Cæsare ad Pontificem transmissum ut certiorem faceret, nolle se inique Protestantium voluntati obsecundare : vehementissime enim deposcebant, ne Concilio Tridentino subjici cogerentur, ne profitendæ hæreseos libertas adimeretur, ne rapta Ecclesiastica bona etiam post comitia Ratisbonensia ab iis repetentur; eos vero tantummodo inani conventus expectatione lactari, ut felicius ad officium redigi possent, nec ullum damnum religioni allatum iri : tum multis verborum officiis ac singularis observantiæ signis Pontificiam auctoritatem assertum iri Cæsar pollicitus est : de exauctorando etiam Pontificia decretoria sententia archiepiscopo Coloniensi egit, cum hæreticam impietatem amplexus Protestantium potentiam pertinaciamque auxisset, tum addidit, ut si Concilium aperiendum foret, certior fieret a Pontifice, ut se Wormatia subduceret, ne importunis Lutheranorum precibus et querelis divexaretur.

« His acceptis respondit Pontifex, expeditionem breviore temporis flexu comparari posse, nec se submittendis auxiliis defuturum : verum si Cæsareæ majestati in bellicis rebus exercitatissimæ, et prudentiæ laude spectatissimæ aliter visum esset, cui utpote in Germania agenti, omnia locorum temporumque pro re gerenda commoda exploratiora forent, se illius judicio expeditionem totam commendare, ac promissa auxilia celerrime atque alacriter collaturum. Ita Andelotius ob conceptam a Pontificia sanctitate de Cæsarea virtute opinionem, et Pontificis in promittendis auxiliis promptam alacritatem gaudio ingenti delibutus Roma discessit.

« Quod ad Concilii res attinet, ostendit Pontifex, se antea Cæsareis consiliis, monitisque ac placitis obsecundasse, jam vero differre ulterius non posse, ne inchoaretur Concilium, nisi in se gravem culpam susciperet, famamque Concilii labefactaret : de modo vero procedendi in Concilio addidit, eam moderationem adhibitum iri, ut nullum religionis causæ nec meditatæ expeditioni impedimentum objiceretur. Scripsit vero mense Julio cardinalis Farnesius nuntio Verallo, vix unquam fieri posse, ut in Concilio dogmatum fidei pertractatio differatur, cum hæc præcipua congregandi Concilii causa extiterit, ut in Diplomate conceptis verbis expressum est, semper is mos servatus sit a Conciliis, ut ante omnia fidei controversiæ discutiantur, nec a suscepto eo more discedendendum sit, quæ dedita occasione insinuare poterit : tum etiam addidit, quod si credatur Protestantes in officio facilius ea indulgentia contineri posse, Pontificiam sanctitatem contrarium sentire et arguere ex præteritis eorum gestis : non tanta insolentia vel in Catholicos vel in alios grassaturos, si res ipsorum commodo non vertatur : si enim Concilium eorum causa consuetum agendi modum commutaret, obsolesceret illius fama adversariique magis consueto more insolescerent, et Catholicorum virtus emarcesceret : cæterum Cæsareæ voluntatis, quoad fieri poterit, rationem habitum iri.

« Quod vero spectat ad Catholicos idoneis subsidiis confirmandos, si a Lutheranis divexentur, censet sua sanctitas ut Cæsar in Germania hæreat in loco commodiore vicino Belgio, in quo et exorientes motus compescere, atque ad futuram expeditionem se comparare posset, ac sanctitati suæ Italiæque vicinior foret, denique quicumque casus sequatur, Pontificem tuendis Catholicis nunquam defuturum, et hæc Cæsari

nitide et eleganter significat; quod vero Cæsarea majestas efflagitat, ut Pontifex æqui accipiat, colloquium Catholicos inter et Lutheranos iniri, indicique novos ordinum conventus, responsum est, hæc a Pontifice æqui bonique consuli, modo Cæsar pro suo flagrantissimo religionis studio caveat, ne ordinum decretum aut colloquium fiat, quod religioni damnum afferat, vel Pontificis Sedisque Apostolicæ auctoritati; hisque rebus salvis, quod sibi conducere censuerit, agat.

De archiepiscopo Coloniensi responsum est, judiciarium ordinem brevissimum ad eum exauctorandum exercitum iri, cum illius hæresis et perduellio sint conspicuæ, ut Cæsarea majestas Pontificia adversus illum auctoritate uti possit, imo Pontificem, quantum sua attinet, meditari atque paratissimum esse ad severitatem eamdem contra quemvis electorem aut principem ejusdem criminis affinem distringendam, necnon ad sancienda fœderis capita et promissa complenda.

« Quod autem efflagitavit Cæsar præmoneri antequam aperiatur Concilium, illius votis morem gestum iri, maxime quod administri Cæsarei spondeant, dilationem eam quindecim vel sexdecim dies non excessuram. At de damnato episcopo Coloniensi inferius dicemus ».

24. *Articuli conclusi in dieta Posoniensi.* — Modo ad narrandam dietam Posoniensem in Hungaria feliciter pro religione Catholica asserenda celebratam sermo convertendus est [1]:

« Articuli conclusi in dieta Posonii MDXLV.

« In primis, quoad negotium religionis, omnes status et ordines regni una voce sentiunt, cultum divinum et religionem ad pristinam normam esse redigendum, et hæreses undique tollendas, juxta admonitionem regiæ majestatis.

« Id autem recte fieri posse existimant, si in omnibus Ecclesiis, prælati, sive sint episcopi, sive præpositi, sive abbates, viri Ecclesiastici et doctrina præditi quamprimum constituantur, qui et ipsi doceant verbo et exemplo gregem sibi commissum, et vicarios ministrosque suos sibi subjectos eorum officium exercere faciant, mittantque sine mora in omnes partes archidiaconos, vicearchidiaconos, et alios quorum interest, ad docendam plebem, quibus si ipsi forte sufficientes non sunt, prædicatores bonos adjungant, ut ubique vetus religio pristinusque Dei cultus restituatur. Parochos etiam in omnibus villis et oppidis tales constituantur, qui veram doctrinam sapiant et eam doceant, sacraque ministrent juxta ritum sanctæ Ecclesiæ Catholicæ. Iidem etiam prælati pro facultatibus ipsorum scholas erigant, in quibus bonæ litteræ et vera religio doceantur, et sic in dies magis prava dogmata tollantur et vetus religio repullulet, prædicatoresque boni per regnum dispergantur; sacerdotes autem non creentur, nisi probatæ vitæ ac doctrinæ viri, et iis sacerdotia Ecclesiasticaque beneficia conferantur, ipsi autem prælati penes Ecclesias ipsorum jugiter resideant, et unusquisque sive prælatus, sive alius vir Ecclesiasticus unum tantum beneficium possideat, non plura.

« Si quis prælatus publicis muneribus occupatus penes Ecclesiam residere non posset, vicarium virum sufficientem et Ecclesiasticum loco suo continue teneat penes Ecclesiam. Ut autem facilius et citius boni viri per regnum dispergantur, dignetur majestas regia, iis, qui in gymnasio bonis litteris operam dant, gratiose providere, ita ut studia ipsorum continuare et perficere possint. Interea ut prælati omnes modo præmisso, officio ipsorum possint omni ex parte satisfacere, videntur omnia bona, et quocumque nomine vocentur proventus, et decimæ, item abbatiæ, aliaque omnia beneficia, quæ per laicos possidentur, quæque a majestate sua regia ad beneplacitum vel ad tempus jam occultum inscripta sunt, vel probata de facto et sine titulo occupantur, de manibus quorumcumque de facto liberanda esse, iis restituenda, ad quos spectant; si quæ autem beneficia hujusmodi vacarent, majestas regia personis idoneis conferat; super bonis autem et proventibus episcopatus Jauriensis, et aliis similiter jam inscriptis, majestas sua, quemadmodum gratiose obtulit, dignetur tractatus fieri curare, quibus tractatibus ea bona ac proventus, quo facilius potest, de manibus eorum, penes quos sunt, liberentur.

« Et quoniam episcopatus fere omnes, qui sub ditione regiæ majestatis sunt, in iis disturbis, magna ex parte bonis et proventibus ipsorum spoliati sunt, adeo ut vix quotidiani sumptus episcopis suppetant, nedum arces ipsorum finitimas conservare possint, supplicant ordines et status regiæ majestatis, ut sua majestas instet et efficiat, et apud sanctiss. D. N. id quod etiam ordines, et status publico nomine facturi sunt, quo sanctitas sua confirmationes episcoporum nondum consecratorum gratis concedat, auctoritatemque insuper gratis tribuat aliquibus ex eis consecrandis hic in regno suffraganeis, ut sint qui ordines impartiantur, nam et antea suffraganeorum inopia multis in locis magnus defectus clericorum et sacerdotum in regno accidit.

« Præterea, cum hactenus multis in locis ex licentia multorum dominorum et Nobilium homines idiotæ et plerumque mechanici, et alii prædicatoris officio fungi veriti non sint, videtur ordinibus et statibus regni, ut prædicatores, vicarii, archidiaconi, vicearchidiaconi, et alii qui modo supradicto ad reformationem religionis per prælatos emittentur, diligenter istos tales

[1] Ms. Franc. card. Barber. sig. 2677. p. 78.

prohibere, et ad pristinam veramque religionem redigere curent : qui si resipiscere nollent, tunc de bonis illis ejiciantur, vel ex merito puniantur. Domini autem terrestres non solum id non impediant, sed ipsos prædicatores, et alios ministros verbi Dei per prælatos emissos juvent omnibus modis ad exercendum officium ipsorum; si quis ex eis aliter facere intelligatur, ad primam requisitionem regiæ majestatis, vel in ejus absentia, domini locumtenentis, personaliter vel per procuratorem comparere teneatur, et jure convictus ex merito puniatur.

« Anabaptistas et sacramentarios juxta admonitionem regiæ majestatis, si qui adhuc in regno supersunt, procul expellendos esse de omnibus locis, ordines et status regni statuerunt, nec amplius illos aut quempiam illorum intra regni fines esse recipiendos.

« Præterea bona et proventus monasteriorum, ac claustrorum, ac capitulorum desertorum excepto Belausar, et ejus pertinentiis, quas majestas regia durante beneplacito suo Francisco Thaltii ad sustentationem ejus concessit, ad alendos doctos parochos et verbi Dei sinceros prædicatores, qui populum in veteri orthodoxa, vera Catholicaque fide et religione confirmare, et si quis ab ea desciverit in hoc regno, ad eam reducere studeant, necnon ad instaurationem et erectionem scholarum particularium, earumdemque magistrorum, qui docti, probi et honesti sint, intertentionem, et denique bonæ spei et indolis juvenum et adolescentum, ut bonis litteris operam dare possint, promotionem et auxilium applicentur et convertantur, quo tali ratione boni et docti viri alantur et nutriantur. Ad hæc autem præmissa rite et ordine exequenda, proventusque prædictos in præmissum usum fidelium convertendos quilibet prælatus sub sua diœcesi curam gerere teneatur, et ubi opus fuerit majestati regiæ de administratione hujusmodi rationem reddat ».

25. « Supplicant ordines et status regni majestati regiæ, domino eorum clementissimo, ut majestas sua, tum sua, tum sacræ Cæsareæ majestatis auctoritate agant apud sanctissimum D. N. quo sanctitas sua Generale Concilium pro complanandis omnibus differentiis vanisque opinionibus de religione, sine diuturniori mora celebrare dignetur : quod si sanctitas sua id differret, majestas Cæsarea dignetur modum adhibere, ne celebratio Concilii diutius protrahatur.

Dum anxie legati Apostolici et Patres Tridentini expectarent Pontificium imperium de aperiendo Concilio, controverti cœptum est, an Concilium in commodiorem locum transferendum esset; aversa enim imperatoris voluntas videbatur a celebrando Tridenti Concilio, ac potius propendebat, ut in aliam urbem, vel ipsam Romam transferretur : quare internuntio Verallo in aula Cæsarea data sunt mandata, ut cum Lutherani aperte sint professi, se Tridentum non accessuros, prudenter exquirat a Cæsare, an æqui et boni accipiat, ut ob Tridentinæ urbis angustias et incommoda, in ampliorem commodioremque urbem Concilium transferatur : quinimo legati consuluere Pontifici, ut, consentiente translationi Cæsare, primum inchoetur Concilium, ac deinde translatio decernatur ob loci angustias; ne si primum indiceretur translatio, dilaberentur Patres in suas diœceses, abjecta omni celebrandi Concilii spe, et Christianus orbis se inani expectatione illusum opinaretur : si vero Cæsar transferri Concilium nolit, nec de religione asserenda damnandisque hæresibus agi, Concilium in servitute redactum iri : plures vero non deesse Concilii transferendi causas, magnam annonæ caritatem, loci angustiam, cæli asperitatem hyberno tempore; comitia imperialia proxime celebranda, in quibus contraria Concilio decernentur, Lutheranorum obfirmatam pertinaciam, constituendæ sanctioris disciplinæ difficultatem, Pontificiæ Cæsareæque majestatum absentiam.

26. Significarunt etiam Pontifici patres Tridentini, consensurum forte Cæsarem, ut inchoetur Concilium, sed intercessurum ne religionis capita theologico certamine excutiantur, donec Hispaniæ, Galliæ, Lusitaniæ, Poloniæ et aliorum regnorum præsules ac theologi Tridentum pervenerint, intermissaque hæresum damnatione de restituendo tantum morum nitore ac splendore agatur; nec se Cæsareæ voluntati assensuros, ut ab eo colloquia vel conventus de sanctissimis religionis capitibus cum Lutheranis agantur, et ipsi indicto congregatoque Concilio tanquam canes qui latrare nesciant, penitus obmutescant, abjectaque Concilii causa, frustra vitam, opes, labores, desertis propriis Ecclesiis profundant, animasque prodita divina causa illusoque orbe Christiano male perdant. Si vero imperator velit rebus suis consulere, definita brevioris temporis circumscriptione, ut adversus Protestantes bellicum apparatum comparet, se æqui accepturos, ut pro Concilii inchoatione tempus extrahatur, nulla vero ratione se assensuros, ut stante indicto coactoque Tridenti Concilio, a Cæsare cum Lutheranis pertinacissimis, vel in colloquio, vel in conventu de religionis rebus transigatur.

27. Dum hæc agitantur ancipiti animorum æstu ob implicitas gravissimas rerum difficultates, commode accessit ad Pontificem Vega orator Cæsareus de edicto Wormatiensi promulgato excusationes allaturus; atque Andalotii, qui nondum Roma discesserat, opera expetiit, ut Concilium Tridentinum nisi exacto mense Decembri aperiretur; nec in eo fidei dogmata tractarentur, sed de Ecclesiastica disciplina ad

puriorem formam revocanda, moribusque solutioribus adstringendis ageretur; cui Pontifex proposuit, an Cæsar transferri Concilium vellet; cumque orator negaret, se ulla de ea re mandata accepisse, Pontifex decreto primum Dandino episcopo Casertano, sed eo morbo impedito, Marquini, qui erat a secretis imperatori, opera Cæsarem qui jamdiu Tridentini Concilii principium ac progressum retardarat, consuluit, an vellet Concilium Tridento transferri.

28. At Cæsar cum veritus esset, ne Germanorum odia ex ea re in se concitaret, assensit, ut Concilium Tridenti aperiretur, deditque imperia Mendozio oratori apud Concilium decreto, ut mox Venetiis Tridentum se conferret, ac propterea Paulus Pontifex, qui vehementiori animi ardore flagitabat, ut Concilium Tridentinum celebraretur, decrevit habito VI Novembris cardinalium senatu, ut Concilium Tridenti XIII Decembris præsentis anni aperiretur, in quam diem tum Dominica Tertia Adventus, dicta GAUDETE, inciderat. Interea Tridentum principum oratores et episcopi accesserant, et quotidie accedebant, ut refert M. S. Vaticani auctor.

« VI Augusti MDXLV [1], reverendissimus D. archiepiscopus Aquensis, et episcopi Claromontanus, Rhedonensis et Agathensis natione Galli, qui heri Tridentum applicuerunt, visitarunt reverendissimos et illustrissimos DD. legatos, quibus nomine regis Christianissimi salutem dixerunt, suæ majestatis operam et favorem in Concilii celebratione offerentes, etc. Grato et benevolo animo excepti sunt, gratiæque Christianissimo regi actæ ». Addunt Acta [2] de aliis oratoribus a Ferdinando rege Hungariæ et Bohemiæ decretis :

« XXIX Augusti illustrissimus D. Franciscus a Castelalto orator serenissimi regis Romanorum comparuit coram reverendissimis et illustrissimis DD. legatis : quibus exhibuit mandatum regium, in quo constituebantur oratores ad Concilium suæ regiæ majestatis nomine ipse D. a Castelalto, episcopus Passaviensis, episcopus Viennensis, D. Joannes Cochlæus, et D. Antonius Queta : fuerunt excepti grato animo a reverendissimis DD. legatis, etc. »

29. *Omnes episcopos, etiam in curia degentes, Pontifex jubet Concilio adesse, et regibus scribit ut sui regni præsules ad Concilium mittant.* — Paulus etiam dedit imperia omnibus archiepiscopis et episcopis qui Romæ versabantur, ut licet munera aliqua curiæ exercerent, ad Concilium Tridentinum se conferrent, ut subjectæ litteræ ostendunt [3] :

« Venerabili fratri nostro Joanni Dominico episcopo Ostiensi S. R. E. cardinali Tranensi nuncupato; et in ejus absentia venerabili fratri nostro Joanni Petro episcopo Albanensi ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali.

« Venerabilis frater noster, salutem. Cum Universale Concilium per nos Tridenti indictum propediem, Deo favente, aperiendum sit, inibique, sicut audire potuisti, cum legatis nostris notabilis numerus prælatorum etiam ex Gallia et Hispania convenerit, nos etsi prælatis in Urbe existentibus, ut et ipsi illuc convenirent jam monitis, ob immoderatos proximæ Æstatis fervores pepercimus, ne tam periculoso tempore hoc iter arriperent, tamen caloribus jam remissis, rem omnino urgere, neminemque prælatorum eorumdem ulterius excusare decrevimus. Quamobrem volumus, ac tibi injungimus, ut adhibitis tecum cæteris cardinalibus collegis tuis, super negotio ipsius Concilii deputatis, omnibus et singulis archiepiscopis et episcopis, ac aliis prælatis ad Universale Concilium ire debentibus, Romæ existentibus, etiam quodvis officium et magistratum Romanæ curiæ exercentibus, nemine omnino excepto, ex parte nostra significes, ac in virtute sanctæ obedientiæ et sub pœnis alias geminatis mandes, ut infra octo dies se ad iter præparasse, ac ex Urbe discessisse, et intra sexdecim alios Tridentum pro ipsius Concilii celebratione pervenisse debeant, ostendasque eis id quod est, si id fecerint, eos suo primum officio satisfacturos esse, et deinde Deo omnipotenti ac nobis gratum obsequium præstituros, ac dictas pœnas evitaturos esse, ad quarum pœnarum executionem procedetur, si ipsi in hoc essent contumaces vel negligentes. Datum Viterbii IX Septembris MDXLV, anno XI ».

30. Ursit etiam Pontifex Christianos principes, ut provinciarum suarum præsules ad Tridentinam Synodum mitterent, quo argumento hæ litteræ ad Joannem Lusitaniæ regem datæ sunt, ut Lusitanorum præsulum profectionem urgeret [1] :

« Regi Portugalliæ.

« Agimus serenitati tuæ gratias de hoc studio et promptitudine animi tui ad ipsius Concilii celebrationem, Deumque oramus, ut tibi, undecumque pio, et regem optimum agenti, digna præmia in hoc et in alio sæculo concedat. Nos quidem, fili charissime, tum nostra ipsi voluntate ac desiderio, quod omnibus speramus esse manifestum, tum tuæ serenitatis hortatu in ipsius Concilii prosecutionem assidue intendimus et intendemus, quod ut facere melius possimus, tuam serenitatem in Deo Domino vicissim hortamur studioseque requirimus, ut sicut ejus præstante pietate dignum est, nosque ipsa ad hanc rem tantopere hortata est, velit urgere profectionem prælatorum sui regni, curareque efficaciter, ut illi sicut jure

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 64. ex eo Ms. Franc. card. Barber. p. 7. — [2] Ext. in Ms. Vat. — [3] Paul. III. lib. brev. an. XI, pag. 146.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 43.

obligantur et jam sæpius ad hoc sunt moniti, ad ipsum Concilium quamprimum veniant, cum præsertim illud propediem sit aperiendum, ac præter tres legatos nostros sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, et multos Italiæ prælatos, etiam aliqui Galli et Hispani prælati eo convenerint, et reliqui expectentur, etc. Datum Romæ XXIV Novemb. MDXLV ».

31. *Morte ducis Aurelianensis, filii Francisci regis, pax abrupta, mox reparata.* — Dum præsulum Gallorum major multitudo expectatur, atque ex arctissimo inter Franciscum I et Carolum V fœdere Lutheranæ hæseseos excidium, felicissimique sperantur Concilii successus, repente illud vinculum, quo juncti erant reges, disruptum est. Carolus enim Aureliæ dux [1], qui Ferdinandi regis Romanorum filiam cum dotali Mediolanensi principatu uxorem ducturus erat, pestilenti febre correptus prope castra, quæ adversus Anglos defixa erant, inter Abbevillum ac Montrolium VI idus Septembris e vita cessit : hinc perturbari inter Franciscum I et Carolum V concordia cœpit, ad quam tamen redintegrandam rex kalend. Novembris Claudium Hannebaldum Gallico mari præfectum, ac Franciscum Olivarium regii scrinii magistrum ad Cæsarem misit, qui priore fœdere ob mortem Aureliani ducis jam dissoluto, de novo ac firmiore fœdere sanciendo pertractarent : quia etiam Franciscus rex (quasi priora consilia adversus Lutheranos capta abjiceret) ac Synodo Œcumenicæ, quam tantopere commendarent, celebrandæ adversaretur, non misit præsules Tridentum, qui ituri fuerant, sed pauciores jam missos ad se litteris revocavit ; erant ii archiepiscopus Aquensis, et episcopi Claramontanus, Rhedonensis et Agathensis, de quibus Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini hæc refert [2] :

« Sabbato XIV Novembr. MDXLV. Prælati Galli petierunt licentiam a reverendissimis et illustrissimis DD. legatis recedendi ex Tridento, et revertendi in Galliam, asserentes ita habere in mandatis a suo Christianissimo rege.

« Lunæ XVI Novembris reverendissimi et illustrissimi DD. legati, accersitis coram se prælatis Gallicis, videlicet archiepiscopo Aquensi, et episcopis Rhedonensi et Agathensi, instantissime eos rogarunt, ne discederent ex Tridento, ostendentes eis multis rationibus quanti mali causa talis recessus esse posset, et tandem hoc ab eis impetrarunt, ut Rhedonensis crastina die discederet, alii duo remanerent adhuc per aliquot dies Tridenti, donec hæc res significaretur sanctissimo domino nostro ».

32. Audierat Brugis in Belgio [3] Gallorum regis oratores Cæsar, nec de Mediolanensi principatu (civilium bellorum fonte) Gallis restituendo ex novo fœdere postulata admisit, sed unum id tantum diserte Gallis oratoribus respondit, se Gallorum regi bellum nequaquam illaturum, nisi a Gallo rege provocaretur : itaque Gallici oratores ad regem suum exeunte Novembri reversi sunt cum hoc responso, quo Gallorum animi non sedati, sed exasperati sunt, eaque usi occasione Protestantes Gallorum regem sollicitarunt, ut ipsis adversus Cæsarem studeret, Gallique a Tridentino Concilio quo potentia Cæsarea excitanda videbatur, animis aversi esse cœperunt, adeo ut Agathensis episcopus clandestinam fugam corripuerit, ex qua eum legati datis litteris revocare nisi sunt.

« Reverendo domino tanquam fratri nostro charissimo domino episcopo Agathensi.

« Reverende pater et frater noster amantissime. Non parvam concepimus admirationem ex repentino discessu dominationis vestræ, cum heri vesperi venturum se hodie ad nos ministris nostris, qui eam nostro nomine vocaverant, dixisset. Nullam causam habebat, cur nobis insciis atque insalutatis clam recederet, cum nihil nobis sit magis cordi, quam ut prælati omnes ad Concilium venientes, ea qua decet, securitate et libertate gaudeant. Cupiebamus alloqui dominationem vestram amice et fraterne de iisdemmet rebus, de quibus eam et reverendissimos dominos Aquensem et Rhedonensem allocuti prius fueramus, hortando scilicet, rogandoque, et pro nostræ legationis munere monendo, ut nobiscum ad celebrandum Concilium manere et nullo pacto discedere vellet, quod et nunc per litteras, ea, qua possumus charitate, facimus, reducentes ad memoriam dominationis vestræ discrimina, in quibus respublica Christiana ante constituta exposita, quantisque periculis et fides et religio nostra reperitur, ac repetentes rationes, quas ei coram adduximus, honoris, conscientiæ, et episcopalis officii, cum præsertim jam in portis ipsius Concilii simus. Viderunt, audiverunt et legerunt prælati cujuscumque nationis hic existentes. Viderunt etiam domini Aquensis et Rhedonensis prædicti, et una cum ipsis duobus dominatio vestra litteras reverendissimi et illustrissimi domini cardinalis Farnesii VII die Novembris Romæ datas, commissioneque et mandato sanctissimi domini nostri nobis scriptas, in quibus continetur sanctitatem suam in sacro consistorio de omnium reverendissimorum dominorum cardinalium consensu decrevisse Concilium ipsum incipi debere Dominica tertia Adventus proxime futura. Quocirca dominatio vestra si adhuc precibus nostris ullum locum reliquit, iterum hortamur, et per viscera Domini nostri Jesu Christi obsecramus, ut memor dignitatis ac nobilitatis suæ, cogitansque qui-

[1] Francisc. Belcar. l. XXXIV. num. 14. Paul. Jov. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3233. Angel. Massarell. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. Ms. Franc. Barber. sig. num. 123. p. 8. — [3] Francisc. Belcar. l. XXIV. num. 16. Ms. Franc. card. Barb. sig. 1108. p. 228. Franc. Belcar. num. 17.

bus vinculis, tum proprii juramenti, tum mandati sanctissimi domini nostri ad interessendum sacro Œcumenico Concilio teneatur, ad nos redeat. Redibit autem optata nobis, atque omnibus, qui hic adsunt prælatis, in ea qua ante recessum suum erat libertate permansura. Dat. Tridenti die XXVI Novembris MDXLV ».

33. Rediit Tridentum [1] Agathensis episcopus, ac cardinali de Monte legato exposuit, se quidem ut episcopum perstare Tridenti debere, sed metuere, ne ab irato Gallorum rege bonis exuatur : felicem Concilii Tridentini successum pendere ex instauranda pace inter Gallorum regem et Cæsarem, qua constituta omnes Galli præsules Tridentum confluxuri sint, et Concilium celebrandum; ni concordia sanciatur, conjici Gallorum regem se Lutheranis adversus Cæsarem conjuncturum : ex litteris vero internuntii Pontificii in Gallica aula agentis ad Alexandrum cardinalem Farnesium datis constat, Lutheranorum principum oratores honorifice exceptos a rege, et quinquies ab eo auditos, vehementissimeque illum ursisse, ut signa attolleret in Cæsarem, ac pollicitos arma Germanica conjunctum iri, ut Mediolano potiatur, atque Austriaca familia deprimatur, Protestantes quoque omnes illum Germanicæ nationis caput ac principem constituturos, ad eum quoque a Cæsare abalienandum gravissimeque conquestos de Cæsare, qui Henricum Angliæ regem in ipsum concitasset, ambos bellum gerentes contemplari, deque industria favere Anglis, ut in fessos bello exhaustosque viribus ipse tertius demum irruat, nec minus sollicitarunt Anglum Protestantes [2], ut pacem cum Gallo adversus Cæsarem redintegraret, ac perfecere demum, ut utriusque regis oratores inter Calesium Arderasque medio intervallo sub tentoriis VI kalend. Decembris convenirent, sed irrito successu colloquium illud dissolutum est.

34. Inter ancipites hosce difficultatum æstus, Protestantibus in pervicacia obfirmatis, et contemnentibus Cæsarem, Cæsareque eos tandem perdomare ferro meditante, Paulus Pontifex legatis Tridentinis IV Decembris dedit imperia, ut Concilium inchoarent, ut refert Angelus Massarellus [3]. « Cum (inquit) Apostolici legati et præsidentes decem prope menses Tridenti absentes prælatos expectando permansissent, et jam ultra triginta patres in ea civitate convenissent, placuit Summo Pontifici Paulo III ulterius inchoationem Concilii non esse protrahendam, sed illud aperiri Dominica tertia Adventus anni MDXLV ». Afferuntur ab auctore litteræ ea de re, quæ ducunt initium ab iis verbis : *Superiore anno*, et IV Decembris hujus anni consignatæ, quo etiam die alias ad legatos litteras dedit, ut præsulum Germanorum, qui ob comparatas a Lutheranis insidias accedere Tridentum non poterant, procuratores admitterent, qui eorum vice suffragii ferendi auctoritate pollerent.

35. *Legati solemniter Concilium aperiunt.* — His acceptis imperiis mox legati ad celebrandum Concilium se accinxere, ut subdunt Acta :

« Die Veneris XI Decembris reverendissimi et illustrissimi domini legati receperunt litteras a sua Sanctitate in forma Brevis, sub data Romæ apud Sanctum-Petrum XI Decembris MDXLV, quibus litteris præcipiebatur Concilium aperiri, et inchoari die XIII præsentis mensis, quæ erat dies Dominica tertia Adventus Domini.

« Eadem die indicitur publice jejunium per totam civitatem ob felicem inchoationem sacri Concilii etc.

« Sabbato XII Decembris fit generalis processio omnium religionum et Ordinum per civitatem, et preces publicæ ad Deum effunduntur pro hujusmodi felici aperitione Concilii ».

36. Ubi proximus affulsit dies, inchoatum est Concilium pro asserenda religione, exscindendis hæresibus, alenda publica pace, expoliendis cleri moribus, et vi hostium Christiani nominis retundenda, vetere ac solemni ritu, qui in Actis describitur subjectis conceptis verbis [1] :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Amen. Anno a Nativitate ejusdem D. nostri Jesu Christi MDXLV, Indictione III, die vero XIII mensis Decembris, quæ fuit dies Dominica tertia Adventus Domini, in qua per Ecclesiam cantatur in introitu Missæ, GAUDETE ; sedente in B. Petri Apostolorum principis cathedra sanctissimo in Christo patre et domino nostro Paulo divina providentia papa III, Pontificatus ejus anno XII, datum fuit initium sacrosancto Œcumenico et generali Concilio Tridentino præsidentibus in eo ipsius S. D. N. papæ et Sanctæ Sedis Apostolicæ nomine reverendissimis in Christo patribus et illustrissimis dominis Joanne Maria episcopo Prænestino de Monte, et Marcello Tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero Cervino, ac Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin diacono Polo, S. R. E. cardinalibus et Apostolicis de latere legatis.

« Mane igitur inter primam et secundam diei horam convenerunt in Æde sanctissimæ Trinitatis in civitate Tridentina ipsi reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati, necnon reverendissimi patres et prælati, venerabilesque viri ecclesiastici infrascripti, et exinde acceptis pluvialibus, mitris et paramentis consuetis, et incœpto a cantoribus Hymno VENI

[1] Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 23. 16. p. 175. — [2] Fr. Belcar. l. XXIV. num. 17. — [3] Angel. Massarell. in Act. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 217.

[1] Angel. Massarell. in Act. Ms. arch. Vat. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. p. 103. sess. I. et Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 18. et aliud Ms. sig. num. 3248. p. 7. Diar. Concil. Trid. Ms. arch. Vat. p. 33.

Creator Spiritus : præcedentibusque Ecclesiæ cathedralis ipsius civitatis canonicis et capellanis, aliarumque Ecclesiarum sacerdotibus, religiosis et clericis, et associantibus nobilibus et popularibus, maxima cum devotione accesserunt ad Ecclesiam cathedralem prædictam sub invocatione S. Vigilii, et in loco eminentiori, et parte superiori ipsius Ecclesiæ ad celebrandum Concilium et celebrandas sessiones ordinato. In primis illustrissimus cardinalis de Monte primus præsidens et legatus cantavit Missam solemnem de Spiritu sancto. Qua absoluta conversus ad populum hæc verba fecit, videlicet : Ex speciali privilegio Apostolico conceditur omnibus hic interessentibus indulgentia plenaria in forma Ecclesiæ consueta. Rogate Deum pro pace, et maxime sanctæ matris Ecclesiæ ». Deinde per reverendissimum dominum episcopum Bituntinum, nimirum Cornelium de Mussis, patria Placentinum, eloquentiæ laude florentissimum, indutum pluviali et mitra, habita est oratio : quæ typis edita est.

37. « Cum perorasset Bituntinus episcopus », inquit Massarellus [1], qui a secretis erat, « postea illustrissimi domini præsidentes legati ac illustrissimus dominus cardinalis Tridentinus, omnesque alii prælati pluvialibus et mitris induti suo quisque loco ex ordine promotionum consederunt, et illustrissimus cardinalis de Monte primus præsidens recedens e loco ivit ad altare majus, ibique assedit ad sanctam Synodum conversus ; statimque Magister ceremoniarum ait : *Silentium.* Cumque paululum omnes quievissent, diaconus sacris indutus a dexteris præsidentis, dixit alta voce ; *Orate;* moxque ipse illustrissimus præsidens, et alii omnes genuflexi detectis capitibus, versi ad altare oraverunt, surgensque illustrissimus præsidens legit alta voce infrascriptam Orationem :

« Adsumus, Domine Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine « tuo specialiter aggregati. Veni ad nos et esto « nobiscum, et dignare illabi cordibus nostris : « doce nos quid agamus, quo gradiamur, et « ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. « Esto salus, et effector consiliorum nostrorum, « qui solus cum Deo Patre et ejus Filio nomen « possides gloriosum. Non patiaris perturbatores esse tuæ justitiæ, qui summam diligis « æquitatem : non in sinistrum nos ignorantia « trahat : non favor inflectat, non acceptio munerum vel personæ corrumpat : sed junge nos « efficaciter tibi solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, sed in nullo aberremus a « vero, quatenus in nomine tuo collecti sic in « cunctis teneamus cum moderamine pietatis « justitiam : ut hic in nullo a te dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna ». Qua Oratione finita, Cantores responderunt : *Amen.*

38. « Deinde subdiaconus a sinistris illustrissimi præsidentis surgens versus ad synodum dixit alta voce : *Erigite vos;* et omnes surrexerunt. Postea a cantoribus decantata est Antiphona : *Exaudi nos, Domine, quoniam benigna est misericordia tua, secundum multitudinem miserationum tuarum respice nos, Domine.* Iterumque diaconus versus ad Patres dixit : *Orate:* et similiter omnes genibus flexis paulisper orarunt : surgensque subdiaconus a sinistris dixit : *Erigite vos;* et omnes surrexerunt; illustrissimusque primus præsidens, deposita mitra, dixit subsequentem Orationem : « Mentes nostras, « quæsumus, domine, Paracletus, qui a te pro- « cedit, illuminet, et in omnem, sicut tuus pro- « misit Filius, inducat veritatem, qui tecum « vivit et regnat in unitate Spiritus sancti « Deus, etc. » Et cantores responderunt : *Amen.*

« Qua finita iterum omnes genuflexerunt, et duo ex cantoribus cantarunt Litanias more Romano, et ab aliis cantoribus alta voce respondebatur (licet quilibet secreto responderet). Cumque cantores illi duo pervenissent ad illum versiculum : *Ut Domnum Apostolicum,* etc. illustrissimus primus præsidens surgens cum mitra, versus ad Patres, benedixit Synodo per hæc verba : *Ut hanc sanctam Synodum, et omnes Ecclesiasticos gradus benedicere digneris :* et omnes responderunt cantores alta, prælati submissa voce : *Te rogamus, audi nos.* Deinde illustrissimus primus præsidens iterum benedixit Synodo dicens : *Ut hanc sanctam Synodum, et omnes gradus Ecclesiasticos benedicere et regere digneris;* omnesque item responderunt : *Te rogamus, audi nos.* Tertioque illustrissimus præsidens Synodo benedicens ait : *Ut hanc sanctam Synodum, et omnes gradus Ecclesiasticos benedicere, regere et conservare digneris;* omnesque item responderunt : *Te rogamus, audi nos.*

« Postea procumbente item illustrissimo domino præsidente Litaniæ a cantoribus perfectæ sunt. Absolutis Litaniis omnes surrexerunt, et illustrissimus dominus præsidens detecto capite, versus ad altare dixit : *Oremus.* Tunc diaconus a dextris ait : *Flectamus genua,* et subdiaconus a sinistris ait : *Levate.* Præsidensque ita Deum precatus est : « Da, quæsu- « mus, Ecclesiæ tuæ, misericors Deus, ut in « Spiritu sancto congregata hostili nullatenus « incursione perturbetur. Per Dominum no- « strum Jesum Christum Filium tuum, etc. » Postea diaconus petiit ab illustriss. domino præsidente benedictionem pro Evangelio, quam illustrissimus dominus præsidens ei dedit, imposuitque incensum more solito, etc. cantavitque diaconus Evangelium secundum Lucam, cap. x. *Designavit Dominus et alios septuaginta duos* etc.

[1] Angel. Massarell. in Act. Ms. sess. I.

cum luminaribus et cæremoniis consuetis. Quo finito omnes illustrissimi domini legati, et cardinalis Tridentinus sine ordine librum osculati sunt.

« Deinde alii duo illustrissimi domini legati ad altare majus profecti sederunt in faldistoriis, medium habentes ipsum illustrissimum dominum cardinalem de Monte : cumque paululum omnes quievissent, surrexerunt, et illustrissimus D. cardinalis de Monte præfatus, capite detecto genuflexus, idemque facientibus aliis, incœpit Hymnum : *Veni Creator Spiritus :* omnesque genuflexi permanserunt, donec primus versiculus Hymni perfectus est a cantoribus. Deinde omnes surrexerunt, capitibus tamen detectis, et cantores totum Hymnum continuarunt. Cum illustrissimus Dominus præsidens dixit : *Emitte spiritum tuum, et creabuntur ;* cantores responderunt : *Et renovabis faciem terræ.* Postea illustrissimus dominus præsidens oravit his verbis : « Deus qui corda fidelium Spiritus « sancti illustratione docuisti, da nobis in eo- « dem Spiritu recta sapere, et de ejus semper « consolatione gaudere. Per Dominum nostrum « Jesum Christum etc. » Postremo duo cantores dixerunt : *Benedicamus Domino ;* et ab aliis responsum est, *Deo gratias.* Quibus cæremoniis peractis, omnes suis in locis resederunt, illustrissimis dominis præsidentibus et legatis in suis faldistoriis permanentibus ante altare majus.

« Tunc reverendissimus dominus episcopus Feltrensis ascendens suggestum legit clara et intelligibili voce litteras Apostolicas super revocatione suspensionis et indictionis Concilii ad quartam Dominicam in Quadragesima, quæ incipiunt : *Lætare, Jerusalem, et conventum facite omnes, qui diligitis eam ».* Insertæ eæ ante a nobis fuere suo loco. Subdunt Acta [1] :

39. *Bulla facultatum legatis concessarum, litteræ absentium, et oratio legati præsidis.* — « Deinde legit eam Bullam legationis, seu mandati Apostolici in persona ipsorum legatorum et præsidentium. Conceptæ illæ erant subjectis verbis :

« Paulus episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino, et dilectis filiis Marcello tit. S. Crucis presbytero, et Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin S. R. E. cardinalibus, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Universalis gregis Domini curam nobis licet insufficientibus superna dispositione commissam viriliter gerere cupientes, singulis Christianæ Reipublicæ occurrentiis, quibus debitum Apostolicæ servitutis nos ipsi personaliter præstare non possumus, viros proponimus virtute, doctrina et auctoritate pollentes, quorum operatione ministerium nobis commissum, divina assistente gratia, utiliter exequi valeamus. Cum itaque nos alias sperantes, quod in rebus religionis discordia, qua Ecclesiæ unitas scindebatur, penitus tolleretur, et oves errantes ad ovile Dominicum reducerentur, ac ea, quæ in populo Christiano reformatione indigebant, reformarentur, et in meliorem formam restituerentur, necnon communi omnium consilio atque auxilio expeditio decerneretur, qua et a fidelibus recuperarentur quæ ab infidelibus occupata erant, et tot millia animarum, quæ quotidie sub eorum jugo miserabiliter peribant, liberarentur et servarentur, suspensionem celebrationis sacri Œcumenici et Universalis Concilii, dudum antea per nos in civitate Tridentina ex causis tunc expressis de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis causis usque ad aliud opportunius et convenientius tempus (per nos declarandum) de simili consilio et assensu factam, accepto nuntio pacis inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum et Franciscum Francorum regem Christianissimum conciliatæ, pari consilio et assensu sustulerimus et amoverimus, prout in aliis nostris inde confectis litteris plenius continetur. Nos qui ætate nostra valde ingravescente, et alias multipliciter impediti, ad dictam civitatem ad præsens personaliter accedere, ac ipsi Concilio juxta desiderium cordis nostri interesse nequimus, nolentes tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi initium ex nostra absentia impediri, vos » et infra « de fratrum nostrorum consilio nostros et Apostolicæ Sedis legatos de latere auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus et deputamus, vosque ad illam civitatem Tridentinam pro Concilio hujusmodi celebrando, tanquam pacis Angelos destinamus, ac vobis, aut uno ex vobis legitimo impedimento detento, seu absente, duobus vobis nomine et auctoritate nostris ipsi Concilio præsidendi, ac in illo pro vestra pietate et sapientia, ac omnia, quæ in præmissis, et circa ea necessaria, et alia quomodolibet opportuna esse, ac alias ad laudem et honorem Dei pertinere noveritis, etiamsi magis speciale mandatum exigant juxta formam litterarum indictionis nostræ faciendi et exercendi plenam et liberam auctoritate præfata, tenore præsentium, concedimus potestatem et auctoritatem ; quocirca circumspectioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus injunctum vobis munus hujusmodi ita implere studeatis, ut sperati fructus inde proveniant, vosque a nobis commendationem et a Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam consequi valeatis. Datum Romæ apud S. Petrum anno

[1] Ext. in eod. Ms. arch. Vat. p. 79. et sig. num. 1232. p. 42. Angel. Massarell. in Act. Conc. Trid.

Incarnat. Domin. MDXLIV, VIII kal. Martii, Pontificatus nostri anno XI ».

40. Subdunt Acta : « Quibus litteris lectis comparuit Dominus Alphonsus Torilla Hispanus, vertensque se ad Patres dixit infrascripta verba : Cum dominus Didacus de Mendoza, reverendissimi et sanctissimi Patres, assistens orator et procurator Cæsareus gravissimo jam morbo correptus, ac morbi gravitate præpeditus, nunc Venetiis invitus detineatur, atque ut æquum erat, et ipse cupiebat, huic sacrosancto Concilio interesse non possit, litteras has ad vos scripsit, quibus sanctitates vestræ suæ hinc absentiæ justissimam causam intelligere valeant. Deinde suæ procurationis et institutionis Cæsareas has litteras una cum suis mittit, ut vel his facile cognoscatis, quam pio, quamque Christiano animo *divus atque invictissimus* Cæsar erga hujus Sacrosanctæ Synodi celebrationem se gerat. Ego vero, ut utrasque has litteras legere jubeatis et audire dignemini, humilibus precibus sanctitates vestras precor, etc. » Præfixa erat iis litteris hæc inscriptio : « Sacrosanctæ Synodo generali Tridenti congregatæ, universalem Ecclesiam repræsentanti hæ dentur ».

Porro iisdem litteris præfatus Mendoza significabat, se a Cæsare decretum oratorem ad Concilium fuisse, atque ea de re Caroli V mandatum jam in Concilii initio legatis Joanni Mariæ, et Marcello cardinalibus ostendisse, deinde vero graviore morbo implicitum decubuisse, atque scripsisse ad Cæsarem, ut alium oratorem submitteret, tum has adjecit preces : « Vos interim precor, sanctissimi patres, ut hanc moram boni consulatis protestorque hanc, quam dixi moram ob adversam valetudinem causatam, nulla in re imperatori apud hos, qui in sacrosancto Concilio sunt, nocituram, aliquidve de ejus jure adempturam, etc. Valete. Ex Venetiis XI Decembris MDXLV ».

Perlectum deinde imperatoris mandatum, quo prædictus Mendoza Cæsareus in Concilio orator ac procurator constituebatur, cujus lectionem iterum in sessione quarta repetitam visuri sumus, atque ideo illud mandatum consulto a nobis nunc prætermittitur.

Pergunt Acta : « Quibus litteris et mandato recitatis, illustrissimus dominus primus præsidens respondit impedimentum adversæ valetudinis illustrissimi domini Didaci a Mendoza esse notorium, et propterea excusationem ejus esse admittendam : mandatum vero Cæsareum recipiendum esse et examinandum, prout in litteris domini Didaci petitur, persistendo etiam, quantum ad ipsos præsidentes et legatos pertinet, in responsionibus jam factis, cum alias privatim coram eis mandatum ipsum est exhibitum ». Addunt Acta :

41. « Illustrissimus primus præsidens allocutus est Patres his verbis : Dies tandem optatissima, patres, sacræ Synodi initium auspicandi benignitate et providentia omnipotentis Dei, sanctissimi domini nostri Pauli Pontificis Maximi pietate et constantia, augustissimi Cæsaris favore ac studio, clarissimorum regum consensu, vestrum omnium charitate, illuxit nobis. Hæc est dies, quam fecit et constituit Dominus ad instaurandam fidem, religionem, pietatem, veritatem, Dei cultum, concordiam, sanctissimarum legum observantiam : ad confirmandam quoque auctoritatem Ecclesiæ, castigandos errores, extirpandas hæreses, abscindenda putrida membra, abjiciendam pompam, fastum, luxum, mollitiem, omnemque libidinem ; præmiis denique bonos, malos vero condignis pœnis afficiendum. Itaque, Patres, genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, qui nullis longissimorum itinerum incommodis, nullis laboribus, nullis periculis deterriti huc accessistis, quique tam diuturnam in unum conveniendi moram ægre ferentes hactenus in tristitia fuistis, gaudete nunc et consolamini ab uberibus consolationis vestræ : gaudete, inquam, sicut Apostoli et Ecclesiæ voce Spiritus sanctus cunctis fidelibus hodie præcipit ; non quidem in sæculo, cujus est fallax, inane, fluxum et caducum gaudium ; sed in Domino semper, qui verum, plenum, perfectum et sempiternum gaudium elargitur diligentibus se. Modestia insuper vestra nota sit omnibus hominibus, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam. Etenim Dominus prope est. Prope est certe Dominus omnibus invocantibus eum in veritate. Ubi etiam duo vel tres in ejus nomine congregati fuerint, in medio illorum est.

« Oportet præterea nos in ejus nomine, non autem in virium nostrarum fiducia congregari, nihilque jam timidos aut sollicitos esse : nam si seposita mundi sollicitudine, promissa Dei præ oculis habentes in omni oratione, et obsecratione, et gratiarum actione pro tot in nos collatis beneficiis petitiones nostræ, non apud mortales per jactantiam, sed per humilitatem innotescent apud Deum, pax ejus, quæ summa est et exsuperat omnem sensum, in hac sacrosancta Synodo celebranda diriget et custodiet corda nostra et intelligentias nostras in Christo Jesu, ut extra ipsum nihil appetamus, nihil quæramus : sed quæcumque sunt vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinæ sit, ea cogitemus, decernamus, agamus, atque executioni demandemus ». Et prosequendo sermonem suum dixit [1] :

42. « Placetne vobis ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem

[1] In Codice Concilii.

fidei et religionis Christianæ, ad extirpationem hæresum, ad pacem et unionem Ecclesiæ, ad reformationem cleri et populi Christiani, ad depressionem et exstinctionem hostium Christiani nominis, decernere et declarare, sacrum Tridentinum et Generale Concilium incipere, et incœptum esse? Responderunt : Placet.

« Et cum proxima sit celebritas Nativitatis D. N. Jesu Christi, et subsequenter aliæ festivitates labentis et incipientis anni, placetne vobis primam futuram Sessionem habendam esse Feria V post Epiphaniam, quæ erit septima mensis Januarii anni Dom. MDXLVI? Responderunt: Placet ».

Feria sexta XVIII Decembris coacta est prima [1] congregatio generalis post apertionem Concilii, in qua D. cardinalis de Monte primus præsidens et legatus recitavit, ad invocandam Spiritus sancti gratiam, orationem, *Adsumus, etc.* Deinde proposuit articulos infrascriptos :

43. *Articuli propositi circa ordinationem Concilii.* — « Plura discutienda videntur ad Concilium ordinandum. Quædam sunt extrinseca, quædam intrinseca. Ante omnia declarandum est, ut componamus nos ipsos et personas nostras in vita et moribus, et studeamus placare Deum precibus, jejuniis, eleemosynis et aliis piis operibus.

« Ut episcopi et sacerdotes saltem in hebdomada celebrent Missam semel.

« Ut familiares nostri sobrie, caste, pacifice, sancte vivant; numerus eorum non sit excessivus.

« Ut statuatur dies ad celebrandam Missam in qualibet hebdomada in Collegiatis Ecclesiis, cum aliqua indulgentia pro celebrante et interessentibus, prout servatum fuit in recentioribus Conciliis.

« Ut Concilium sit securum et liberum in veniendo, manendo, recedendo et sententiis dicendis.

« Ut fiat provisio eorum quæ pertinent ad sustentationem nostram, et sunt humano victui necessaria.

« Ut honesto pretio conducantur hospitia, atque honesto pretio vendantur et emantur res.

« Ut statuantur magistratus ad jus dicendum, continendumque in officio bonos, malos vero puniendum.

« Ut deputentur officiales Concilii, prout sunt abbreviatores, secretarii, advocati, promotores, aliqui cantores, et aliquis impressor.

« Ut conducatur etiam aliquis medicus insignis.

« Ut constituatur ærarium a sanctissimo D. N. pro multis, et variis, et necessariis expensis ordinariis et extraordinariis, quas fieri continget.

« Ut in loco, in quo habemus Sessiones, distinguantur sedilia pro prælatis, secundum dignitatem et gradum cujuslibet, et pro oratoribus principum laicis, qui non sunt admiscendi cum prælatis indutis Pluviali et Mitra.

« Ut statuatur ordo omnium sedentium in Concilio, ne oriantur contentiones inter eos cum scandalo laicorum.

« Ut declarentur, quæ personæ sunt admittendæ ad dandam vocem consultivam, vel deliberativam, vel utramque.

« Ut in qualibet Sessione sit unus concionator, et qui voluerit subire onus, det nomen.

« Ut materiæ, de quibus erit tractandum in Congregationibus et Sessionibus, examinentur prius, et decernatur quomodo, et qualiter, et per quos erunt examinandæ.

« Ut statuatur quid sit agendum in hac prima Sessione. Super his omnibus poterunt Patres cogitare etiam in Congregatione (quæ, si placet, fiet die Martis proxime sequenti) et dicere sententiam.

« Hortamur autem omnes in Domino, quanta possumus charitate, ut cogitent quale sit hoc Concilium, et propter quid sit indictum : quam reverentiam habere debeamus erga sanctissimum Patrem et D. N. Paulum Pontificem Maximum ; quantum deferre invictissimo imperatori, Christianissimo regi, et aliis serenissimis regibus Catholicis : quæ ratio sit habenda absentium, præsertim eorum qui fortasse sunt in itinere, ut propterea nihil præcipitanter agamus, sed omnia cum moderamine et temperamento condecenti. Reliqua suppleat prudentia et pietas consulentium. Proposuerunt etiam ipsi præsidentes considerandum, utrum a dogmatibus fidei, an a reformatione inchoandum sit, in materiis pertractandis, utque super his omnibus in futura Congregatione sententias dicerent ».

44. *Hieronymus Oleaster nomine regis Lusitaniæ perorat et litteras sui principis legi postulat.* — Deinde venerabilis sacræ theologiæ magister, Hieronymus Ordinis Prædicatorum, nomine serenissimi D. Joannis regis Portugalliæ ad patres peroravit.

Præcipua ejus orationis pars his concepta erat verbis [1] :

« Serenissimus Joannes Portugalliæ rex III, spe futuri Concilii concepta, quo non corpora; sed mentes decipientium ac deceptorum hominum liberandas sperat a potestate tenebrarum, totus lætus totusque jucundus, non solum palmas suas extendit ad superos, sed quam celerius potuit oratores suos ad vos parare decrevit, qui vobis gaudium ejus de Concilii incœptione afferrent, et promptissimi animi erga fidem et Ecclesiam insignia perferrent : sed ejus

[1] In Codice Concilior. impresso, Ms. arch. Vat. to. 2188. p. 120. Diar. Conc. Trid. p. 64.

[1] Angel. Massarell. in Act. Congr. primæ, Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. p. 121. et to. XIX. p. 23.

ardens animus moras non valens ferre, dum solemniores parat, nos interim tres religiosos Dominicani instituti ad vos præmisit, ut pedibus sanctissimi Pontificis osculatis prius, datisque ad eum litteris, ad vos tandem venerimus, quibus et litteras dedit, quæ ejus animum vobis aperirent, et mandata, quæ ejus intentionem apud vos explicabant. Ait namque hoc Concilii opus esse tam debitum, tamque necessarium tempori, quo fit, et rebus in eo tractandis, ut non sine Dei numine putet illud esse indictum, ut eo, et perversa dogmata, quibus totus flagrat orbis locis tam periculosis, quibus magna celeritate obviam iri opus est, destruantur, et mores, qui pæne decidisse videntur, ubique reformentur ». Interjectis nonnullis de vindicata ab hæresi Lusitania, addidit : « Indicabo vobis, Patres, cum serenissimi regis affectu totius regni non excidium, sed firmissimam fidem ; non reipublicæ disturbium, sed summam tranquillitatem et pacem : nam etsi nullum aut parvum orbis dominium sit, in quo venenata sua dogmata nebulones isti non effuderint, mirum tamen est, quod Dei peculiari, qua illud regnum custoditur, providentiæ adscribendum, necnon Christianissimi regis industriæ, ad nos hujus Lutheranæ hæresis, quæ nunc totum occupat orbem, nec scintilla pervenerit. Valete ergo, sanctissimi Patres, et pro tam piissimo et de fide et de Ecclesia tam benemerito principe incessanter orate. Dixi ».

45. Deinde primus Concilii præses rogavit Patres, an vellent regis Lusitani litteras legi : quorum publico consensu perlectæ sunt[1] :

« Joannes, Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum rex, citra et ultra mare in Africa, dominus Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, sacrosancto generali Œcumenico divinitus Tridenti collecto, Catholicæ Ecclesiæ personam gerenti, cum sincera devotione et filiali obedientia, salutem.

« Cum earum rerum, quæ ad orthodoxæ fidei sinceritatem Deique Optimi Maximi gloriam pertinent, exitum initii dignitate metiri debeamus, magnæ mihi voluptati fuit, ea vos animorum conjunctione convenisse ad sacri Concilii celebrationem, ut Ecclesiæ Catholicæ præsidio et ornamento esse possitis : si enim statui debet nihil a sanctissimo conventu profecturum, quod non esset cum publica omnium utilitate conjunctum : cui ut non defuturum Spiritus sancti numen pro vestra omnium integritate et concordia, vero simillimum est, ita eo in consilium adhibito nihil est, quod vereri debeamus, quin constituatis ea, quæ ad constituendam Christianæ religionis auctoritatem, ad restituendam veterem morum disciplinam, ad totius denique reipublicæ pacem et tranquillitatem spectare videbuntur. Quibus omnibus de rebus omnino erunt vestra decreta firmiora, quanto frequentiore celebrioreque senatu fuerint sancita et promulgata. Proinde ne quam occasionem prætermitterem declarandæ animi mei ad eam rem propensionis, legatos isthuc meos destinavi : qui cum in apparatu suæ profectionis diuturniorem moram mihi facere viderentur, quam vestra in conveniendo maturitas, et mea in jubendo alacritas exigebat, præmisi ad vos interim religiosos fratres Georgium a Sancto-Jacobo, Hieronymum ab Oleastro, Gasparem a Regibus, sacræ Theologiæ magistros, quos inter alios legatorum comites a me selectos celerius isthuc ire volui, ut sacrosancto Concilio obsequii mei firmitatem patefacerent, et vobis consilii mei rationem explicarent. A tanto vero Concilio enixe postulo, ut æquis animis audiantur, et si quid meo nomine habere se in mandatis dixerint, admittantur. Faxit Deus Optimus Maximus, et ut qui ad celebrationem generalis sacrosancti Concilii Ecclesiam Catholicam repræsentantis rite convenietis, omnes legitime per Spiritum sanctum congregati ea statuatis, quæ ad Orthodoxæ religionis puritatem conservandam, et divini nominis augendam gloriam sint penitus accommodata. Datum Eboræ XXIV Julii anno salutis humanæ MDXLV.

« Quibus lectis litteris illustrissimus dominus cardinalis de Monte primus præsidens et legatus respondit, consensu et approbatione omnium Patrum, sanctam Synodum perlibenter audivisse litteras serenissimi regis, cujus studium et pietatem in defendenda propagandaque Christi fide, et observantia erga Ecclesiam Catholicam omnibus esse compertam. De animo autem majestatis suæ ad promovendas juvandasque futuri Concilii res admodum propenso, Deo in primis, ac majestati suæ regiæ gratias agere, ipsius vero Hieronymi præsentiam Patribus charissimam esse ob ejus religionem et doctrinam, deinde dimissa fuit Congregatio hora XXIV ».

46. *Episcopi Galli petunt ut nihil in Concilio tractetur ante adventum oratorum regis Galliæ.* — Cum autem Hieronymus supradictus petiisset, ut eum vellent recipere tamquam regis Lusitaniæ oratorem, cum electi a rege oratores non adhuc ad iter capessendum essent parati, huic petitioni legati non annuerunt, quia Epistolæ regiæ, quas obtulit, de ejus legatione non loquebantur ; decreverunt tamen, aliquem illi peculiarem honorem tribuere[1].

« Die Sabbati XIX Decembris RR. DD. archiepiscopus Aquensis et episcopus Agathensis,

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 90. Ext. in act. Ms. Concil. Trid. auctore Angelo Massarell. to. de Concil. Ms. Vat. sign. num. 3188. p. 122. et to. XIX. p. 23. Ext. etiam in Diar. Concil. Trid. Ms. arch. Vat.

[1] Pallavic. to. I. l. VI. c. 1. num. 12.

natione Galli, comparuerunt coram dominis præsidentibus et legatis, petentes ne permitterent aliquid substantiale tractari in Concilio, antequam Christianissimus rex oratores suos mitteret, exhibentes cedulam infrascriptam :

« Cum reverendissimæ et illustrissimæ dominationes vestræ inter alia multa proponant, videndum esse nobis, quibus de rebus potissimum in hoc sacro Concilio tractari conveniat, nos mandato Christianissimi regis respondemus et petimus, ne ad res tractandas ulterius procedant, sed expectent donec idem Christianissimus rex legatum suum cum reliquis regni sui prælatis et doctoribus transmiserit ».

Consultis Patribus, in secunda Congregatione generali habita XXII Decembris ita responsum est :

« Ad proposita per rever. dominos archiepiscopum Aquensem et episcopum Agathensem sacra Synodus respondit, quod ad ea quæ proposita per eos erant, et ad reliqua omnia pertinerent, se esse habituram semper rationem Christianissimi regis, quantum secundum Deum, et rectam rationem, et honorem ipsius Synodi fieri poterit. Hortatur autem et rogat majestatem suam, ut considerans quam expediat hoc tempore celebrationem Concilii non differri, velit ac dignetur quanto citius mittere legatum, sive oratorem suum, et excitare prælatos regni sui, ut veniant ad ipsum Concilium jam Dei munere incœptum, cum magna omnium Christi fidelium lætitia ». Addunt Acta : « Quo responso dato, archiepiscopus Aquensis et episcopus Agathensis gratias egerunt sanctæ Synodo ».

Rogatæ dein fuere Patrum sententiæ de septemdecim articulis antea propositis, qui iterum discussi fuere in tertia Congregatione generali habita die XXIX Decembris, in qua etiam sancitum, ut supremi religiosarum familiarum magistri in possessione ferendi utriusque suffragii et consultivi et decisivi assererentur : de infulatis etiam abbatibus visum est pariter ad jus utriusque suffragii admittendos : « Postremo », inquiunt ejus congregationis Acta [1] « delecti sunt tres patres, Hipporegiensis, Cavensis et Feltrensis episcopi, quibus onus esset videndi titulos et promotiones Prælatorum, cognoscerentque de ordine tam ipsorum prælatorum, quam oratorum principum in sedendo : et quoad ipsos prælatos observaretur tempus promotionum.

« Feria III, XXIX mensis Decembris fuit Congregatio generalis, in qua concluduntur duo decreta, unum quod abbates et generales Ordinum habeant utramque vocem consultivam et decisivam in sacro Concilio : alterum electionis trium prælatorum, qui curam habeant videndi titulos et promotiones prælatorum Concilii, et de ordine eorum et oratorum principum in sedendo cognoscant, ne altercationes et lites oriantur, nihil tamen decisive, sed referant Patribus in Congregatione generali ».

47. *Instructio ad legatos de rebus Concilii.* — Interim legatis, qui de variis rebus consilium a Pontifice petierant, hæc instructio mandato ipsius Pontificis transmissa fuit :

« De capitibus religionis, abscisso quocumque respectu, primum tractabitis, damnantes non personas, sed doctrinam, et non solum generales propositiones, sed particulares, quæ nunc vigent, et hæresum sunt fundamenta.

« De reformatione, nec ante dogmata, nec simul cum illis omnino agetur, cum hæc secundaria et minor causa congregandi Concilii fuerit; sed tali circumspectione in hac re utantur, ut occasioni aliis non sit credendi, eam nos vel evitare, vel ad finem Concilii differre velle : imo declarent, quod, quando Concilium in re principali bene procedere cœperit, de illa sicut convenit, pertractabitur.

« In rebus, quæ ad Romanam curiam pertinent, de quibus querelas afferunt, consiliis prælatorum et provinciarum libenter aures porrigant, non quia Concilii sit illas emendare, sed quia Pontifex de illis optime instructus remedia porrigat opportuna.

« Litteræ et scripturæ quæ nomine Concilii expediendæ erunt, etiam nomine legatorum, uti præsidentium, et Pontificis uti ab illis repræsentati, consignentur, ita ut non solum Pontifex Concilii convocandi auctor, sed etiam summam in eo perducendo auctoritatem præferre appareat, et tribus legatorum sigillis, vel saltem primi muniantur.

« Celeriter negotia Concilii, ni imperia contraria recipiant, expediant, ut tempus cum fructu insumatur, et calumniæ ob prolixitatem evitentur.

« Facultatem legatis damus aliquas indulgentias largiendi, sed animadvertant, ut concessæ a Concilio non appareant, cui summum jus et auctoritas non competit ». Hæc erant instructionis capita. Alii Concilii et congregationum tractatus suis locis referentur. Modo ad alia hujus anni gesta se convertat oratio.

48. *Censuras theologorum Lovaniensium Carolus V confirmat, unde Lutheri impius furor.* — Hoc anno ineunte, Cæsar pro asserenda fide Catholica in Belgio, quod impii variis hæresibus inficere nitebantur, theologorum Lovaniensium propositiones, edictis Latina et Burgundica lingua conscriptis confirmavit, atque supplicio capitali affici jussit eos, qui contraria orthodoxæ religioni sentirent; quo audito Lutherus venenata scripta adversus Lovanienses theologos sparsit, sacramentarios tamen damnavit, ac professus est

[1] Angel. Massarell. in actis Congreg. tertiæ. Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 97.

adorandum esse Christum in sacramento, quod antea negaverat, nam ejus thesis decima quinta his verbis concepta est [1] :

« In Eucharistiæ sacramento venerabile et adorabile est, et exhibetur et sumitur vere et reipsa Corpus et Sanguis Christi, tam a dignis, quam indignis ». Et thesi vigesima hæc habet : « Hæreticos serio censemus et alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos, et omnes sacramentarios, qui negant Corpus et Sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia ». Hæc ille de Zuinglianis; quid vero Zuingliani Tigurini de Luthero sentirent his verbis antea promulgarant: «Prophetæ et Apostoli (inquiunt) Dei gloriæ, non privato honori, non suæ pertinaciæ et superbiæ studebant, sed peccatorum salutem quærebant unice : Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, et confestim Sathanæ tradit quotquot illius sententiæ non illico subscribere velint, et in omnibus correptionibus suis plurimum maligni Spiritus, quam minimum vero amici et paterni ingenii habere deprehenditur ». Plane maligno se spiritu turgere ostendit impius hæresiarcha [2], cum pestilentissimas satyras adversus Pontificum Romanorum dignitatem scripsit, blasphemaque procacia contendit, Pontificatum a Christo institutum, a Sathana esse constitutum, ac picturas infames apposuit, in quibus Pontifici satellitio dæmonum succincto aures asininas appinxit, pari insania in alia imagine Ecclesiam, quam Apostolus modo virginem castam, modo columnam et firmamentum veritatis appellat, de qua in Canticis dicitur, *Tota pulchra es, amica mea,* quamque Joannes Evangelista mulieris amictæ sole lunam pedibus calcantis specie divinitus expressam vidit, specie Porcæ depinxit, cui insidebat Pontifex, dextra lustrale signum Crucis fingens, ac sinistra oletum fumans, quo Œcumenicum Concilium adumbrari volebat, præferens, et quia continentibus votis Concilium a piis expetebatur, eamdem porcam ad vaporem et halitum oleti adgrunnientem rictu avido effinxit. Quid sceleratius et spurcius, vel a Mahomete, vel a dæmone adversus Dei Ecclesiam fingi potuit? attamen hic spurcissimus scurra se organum Spiritus sancti esse jactavit. Quis non ex his agnoscat illum apertum Sathanæ administrum, blasphemumque Dei hostem, exsortemque omnis honestatis et sapientiæ, cujus tamen umbratilem et fucatam speciem hæresiarchæ affectare consueverunt? Quis tantam amentiam non lugeat, ac sectariorum horrendam cœcitatem non deploret? nulla quidem in terris sat digna inveniri poterant supplicia ad plectendam tantam Lutheri impietatem, atque adeo proximo anno ad infernalem carnificinam repente abreptus est : repetenda vero hic visa sunt verba Surii [1] gravissima, quæ his addidit : « Id quidem notatu dignum est in Lutheri et totius gregis ejus apostatarum monachorum scriptis, nihil fere crebrius malo dæmone et stercore nominari, ut intelligat prudens lector, eos se totos cacodæmoni et spurcissimæ Veneri devovisse, et tales tam impuri homines non alio, quam vel ipsius Christi Apostolorum loco habentur. O horrendam nimis Dei iram ! Sleidanus harum picturarum in suis Commentariis libenter meminit, et non modo non reprehendit, licet id plerosque fecisse scribat, sed etiam nititur nobis ex Luthero prophetam efficere. Sic olim Manichæi impurissimum nebulonem illum Manetem auctorem sectæ ipsorum non alium volebant esse, quam Spiritum sanctum. Sed veniet ille dies, quando æquissimus Judex Christus veram feret sententiam, et tunc apparebit, quam nihil profuerit Luthero Sleidanus vanissimus ipsius encomiastes ». Sed esto in tanto honore versetur apud novatores inhonestus Lutherus, et propheta ab iis falso prædicetur, quantus ille apud Deum habitus fuerit, et quantum valuerint ejus preces, vel quanta in patrandis miraculis gratia floruerit, quantumve illum dæmon malus pertimuerit, quantumve decipi Lutherus potuerit in concepta de se sanctitatis florentissimæque apud Deum gratiæ existimatione, ex conspicuis ejusdem hoc anno gestis perpendamus :

49. *Lutherus suo magno periculo dæmoniacum curare aggreditur, sed incassum.* — « Anno MDXLV », prosequitur Surius « puella quædam dæmoniaca e Misnia adducta est Wittembergam ad Lutherum, ceu tertium Eliam, ea spe, quod Lutherus dæmonem esset ejecturus. Ille quidem (utpote male sibi conscius) principio valde se difficilem præbuit, tamen tandem jussit puellam in sacrarium parochianæ Ecclesiæ introduci. Ibi suis quibusdam Luthericis exorcismis adjurat dæmonem, sed dæmon ejus exorcismos irridet. Tum vero Lutherus mire angi, discruciari, et e sacrarii ostio se velle proripere. At malus dæmon adeo obstruxit ostium, ut neque foris neque intus reserari potuerit. Ea res etiam in majores illum miserum angustias adduxit, jamque per fenestras erumpere conabatur, sed conatus ejus cancelli ferrei retardabant, denique securi ferrea per cancellos immissa ostium perfringi oportuit, ut Luthero pateret exitus. Faxit Dominus Deus noster, ut ad sanitatem redeant, qui ejus hominis nulla vitæ sanctimonia, nulla miraculorum efficacia suffulti infaustum Evangelium magno totius Europæ malo complexi sunt ».

Non defuere similes Luthero fanatici im-

[1] Surius in Comm. hoc anno. — [2] Joan. Cochl. in act. et scriptis Lutheri. Sur. in Comment. Sleidan.

[1] Surius in Comm.

postores, qui se numine afflatos fingerent, mendaciorumque phalerata pompa simplices et credulos insanis erroribus illaquearent, inter quos flagitio inclaruit hoc anno David Georgius, ut narrat Joannes Cochlæus subjectis verbis [1]:

50. *Novos errores disseminat David Georgius.* — « In Frisia surrexit laicus quidam in oppido Emeda nomine David Georgius ex Delphis oppido Hollandiæ, qui absurdissimos proposuit articulos, in quibus etiam Sadducæorum renovavit errores, negans resurrectionem carnis, extremum Judicium, Angelos, Dæmones, Baptismum, Matrimonium, Scripturas, Paulum, vitam æternam in cœlo. Affirmavit autem se tertium esse David, qui in regno Christi super terram regnare debeat; uxores voluit esse communes, docuit non esse peccatum coram hominibus : non spiritum, sed solam carnem peccare, stultos fuisse Apostolos et martyres, quod tormenta mortemque propter Christi confessionem passi sunt, quia æque bene salventur spiritus infidelium sicut fidelium, et æque bene damnetur caro Apostolorum, sicut infidelium ». Fuisse illum fascinatum a malo dæmone, magicisque artibus instructum, ac plures alios etiam errores docuisse narrat Surius in Commentariis [2] (1) : « Ille insanus, inquit, non se dubitavit Dei nepotem appellare, cum feris et avibus quocumque esset collibitum idiomate colloquia miscuit, et ab illis alimenta accepit, haud dubio præstigiis et dæmonum opera usus. Aiebat cœlum prorsus esse vacuum, se divinitus missum, ut regni hæredes accerseret, multaque id genus alia et absurda, quibus tamen non defuerunt qui fidem commendarent, ut est hoc sæculum pudendum levitate, et plusquam anili stoliditate avidum in res novas quantumcumque absurdas et impias : prorupit eo demum ipsius impietas, ut se Messiam a Prophetis promissum sequacibus, depravatis Scripturæ oraculis, suaderet, ac imperium orbis terrarum constituto tempore capessiturum, cumque arte pingendi vitri antea ægre vitam sustentaret, magnas mendaciis hujusmodi opes comparavit. Cum vero Cæsar similium impostorum amentiam coerceri suppliciis jussit, e Batavia Basileam profugit, ac civitate donatus, quod Evangelii causa se extorrem factum mentiretur, magnificas sibi paravit ædes, tum arcem ac prædia coemit, ac regia prope magnificentia conjuncta cum simulata modestia, omnium in se oculos convertit, ut vero demum infeliciter perierit, ejusque fraudes patefactæ damnatæque, suo loco dicetur ».

[1] Cocl. ad an. 1545. — [2] Sur. in Comm. ad an. 1543.

51. *Swenckfeldiana hæresis propagatur.* — Eodem anno Swenkfeldiana hæresis, quæ in Silesia et Moravia Joannis Fabri piis studiis, ac regis Ferdinandi severitate sopita fuerat, in Suevia propagata venena latius diffudit, ut narrat Cochlæus [1], qui ad confutandos impiorum errores plures etiam libros edidit :

« Erupit (inquit) alia hæresis nova in plerisque Sueviæ oppidis, quam Swenckfeldianam vocant, cujus auctor Slesita est, genere nobilis. Is ergo ut aliquid novi, per quod innotescat, afferat, ex antiqua Manichæorum hæresi dogma vetus arripit ac renovat, docens Christum non fuisse conceptum in utero Virginis Mariæ ex natura et sanguine ejusdem, opificio Spiritus sancti, neque ex ea natum, sed aliunde a Deo creatum hominem assumpsisse. Inter has insanientium et undique irruentium hæreticorum diversas machinationes impiosque conatus, sua pro parte Catholicorum studia exercens Cochlæus quædam Opuscula sua Latine scripta, velut antidota quædam evulgavit, utpote Miscellaneorum libros tres, qui diversos continent tractatus triginta ; item considerationem de concordiæ tractatu contra duo scripta Lutheranorum ; item velitationem contra quatuor conjecturas Andreæ Osiandri de fine mundi ; item Replicam in Musculi Anticochlæum de Sacerdotio et Sacrificio novæ legis, et in Antibolen Bullingeri, atque in quædam scripta Buceri, item in Nycticoracem novi Evangelii, etc ».

52. *Hæresis repressa Mantuæ et Mutinæ.* — Pertentarunt nonnulli Italiam Lutheranæ Zuinglianæque hæreseon venenis inficere, sed hæc impiorum molimina legum severitate facile fracta conciderunt, nam cum in clero et populo Mantuano ea lues apertis impiis disceptatiunculis serperet, cardinalis Mantuanus eam mox coercuit, cujus diligentiam commendavit Pontifex, illique sacræ censuræ munus adversus quoscumque etiam religiosos invexit [2] :

« Cardinali Mantuæ.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Accepimus nuper, quod cum in ista civitate Mantuæ nonnulli clerici etiam litterarum et sacræ theologiæ rudes, artesque mechanicas exercentes, ausu temerario de rebus ad fidem Catholicam perti-

[1] Cochlæus in act. et scriptis Lutheri. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 413.

(1) Haud satis assequor cur annalista noster hæresis a Davide Georgio invectæ epocham hoc anno constituerit, cum præ oculis illi fuerint Surii Commentarii qui rem totam biennio anticipantes anno MDXLIII adscribunt. Ita pariter et secessus ejus e Batavia Basileam cum an. MDXLIV conjungendus est, ut coævis scriptoribus adductis Spondanus ad A. MDXLIII, num. 10 definit. Obitum viri hujus impii et post mortem cadaveris exustio jussu magistratuum legitur apud annalistam ad A. MDXLVI.

Hæresis quoque Schwenckfeldianæ exordia longe altius sunt repetenda ; Spondano enim teste vetustis scriptoribus adstipulantibus, Gaspar Schwenckfeldius anno MDXXVII innotescere cœpit, statimque se hæresis novæ auctorem et acerrimum Lutheri adversarium præbuit.

. . . . . . MANSI.

nentibus, deque articulis fidei et sanctæ Romanæ Ecclesiæ sacris institutis non solum disputare, sed etiam dubitare auderent in animarum suarum perniciem et grave aliorum scandalum, fuit in hoc a circumspectione tua pro boni cardinalis et episcopi officio opportune provisum, ita ut hoc malum, quod si fuisset neglectum, ulterius serpere et progredi potuisset, tua cura, et diligentia, metuque acriorum pœnarum repressum fuerit, de quo eamdem circumspectionem tuam laudamus plurimum, ut debemus, et in Deo Domino commendamus hortando illam, etsi hortatione in hoc sciamus non egere, ut in cæpta pietate ac vigilantia perseveret, Apostolica quoque ei auctoritate injungentes, ut per te, vel alium, seu alios a te subdeputandos etiam contra clericos sæculares, et cujusvis Ordinis etiam Mendicantium Regulares per totam civitatem Mantuæ et tuam Diœcesim Mantuanam existentes, et ubicumque tua jurisdictio quomodolibet se extendat, etiam auctoritate Apostolica exemptos, et Sedi Apostolicæ immediate subjectos super crimine hæresis, et an eorum aliqui libros hæreticos habeant, legant, et opiniones ab Ecclesia reprobatas ac damnatas ipsi teneant, et alios doceant, juxta canonicas sanctiones diligenter inquiras, testes recipias, culpabiles et suspectos capi et præviis indiciis torqueri facias, processusque desuper usque ad sententiam diffinitivam exclusive formatos, tuo sigillo clausos in forma authentica ad nos transmittas, ut desuper opportune providere possimus, etc ». Ad hæc vero peragenda amplissimis eum mandatis rescissis quorumvis contrariis privilegiis instruxit. « Datum Romæ apud S. Petrum die VII Februarii MDXLV, anno XI ».

53. Diffundere quoque virus suum Mutinæ cœperat hæresis, opera et astu Philippi Valentini, quod cum fama accepisset Pontifex, mox ad capiendam eam vulpeculam, ne vineam Domini evastare pergeret....... duci Ferrariæ dedit mandata, ut pro suo in Deum cultu et religionis studio hæreticum hominem in carcerem conjiceret [1] :

« Duci Ferrariæ.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem. Relatum est nobis, quod in civitate Mutinæ hæresis Lutherana increbuit, et quotidie magis increbrescit ac diffunditur, quodque hujus mali auctor et caput fuit, et est iniquitatis filius Philippus Valentini, quod tuæ nobilitati, quæ insigni pietate est prædita, indecorum et nobis merito molestissimum. Quamobrem dedita opera præsentium latorem ad te mittendum duximus, te ex animo hortantes, et requirentes, ut pro boni et Catholici ducis officio, quod Deo, ac nobis, et sanctæ Ecclesiæ debes, proque tua et majorum tuorum pietate et religione dictum Philippum statim comprehendi facias, et ad nostram detineri instantiam, ejusque libros ac litteras perquiri, eo enim compresso, facile nobis ac tibi erit complices ejus compescere, et huic malo providere, etc. Datum Tusculi XXVII Maii MDXLV, anno XI ».

54. *Paulus concedit ut clerus Siculus subveniat imperatori de pecuniis Ecclesiasticis.* — Extinctis ea diligentia primis Lutheranæ impietatis scintillis, nullum in Italia exarsit incendium, quo conflagratura videbatur. Intentabat tunc etiam Turca tot præteritis victoriis elatus, Italiæ irruptionis barbaricæ terrorem, cujus primos impetus trepida Siciliæ insula expectabat; ad quos propulsandos cum Cæsar bellicos apparatus necessarios instrueret, Siculi centum millia aureorum in sumptus spopondere, modo clerus ratam portionem pro vectigalium magnitudine conferret; sed cum Lateranensis Concilii sanctio quidquam a clero exigere principibus vetuisset, Paulus ea religione Carolum suis litteris exolvit [1] :

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Exponi nobis nuper fecit majestas tua, quod cum ut impiissimo Turcarum tyranno invasionem in regnum tuum Siciliæ ultra Pharum classe parata iterum comminanti, divino possis auxilio obviare, et a regno prædicto eorum incursus propellere, magnates et alii laici ejusdem regni in quodam generali colloquio per eos habito *Parlamento* nuncupato constituerint tibi in præsenti anno, ultra donativum in præterito præstitum, causa prædictæ invasionis propulsandæ summam centum millium ducatorum auri dare, dummodo archiepiscopi, episcopi, archimandritæ et aliæ personæ Ecclesiasticæ dicti regni pro rata reddituum Ecclesiarum, monasteriorum, et aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum per eos obtentorum in hoc contribuerent, qui etsi sponte ratam præfatam etiam in præsenti anno, interveniente tamen nostra ad hoc licentia, dare statuerint obtulerintque persolvere, quia tamen per diversas canonicas sanctiones, et postremo per felicis recordationis Leonem PP. X prædecessorem nostrum in novissimo Lateranensi Concilio sub diversis censuris et pœnis prohibitum existit, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis et archimandritis, et aliis personis Ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus, subventionem aliquam pecuniarum recipiant, aut illi præstent, majestas tua subventionem ipsam capiendo, et prædicti archiepiscopi, episcopi, archimandritæ, et aliæ personæ Ecclesiasticæ elargiendo, dubitant censuras et pœnas

[1] Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 246.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 313.

prædictas incurrere, propterea majestas tua suo et prædictorum nomine humiliter nobis supplicare fecit, ut pro quiete tuæ et ipsorum conscientiæ in præmissis nostram et hujus sanctæ Sedis auctoritatem interponere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur attendentes ex defensione prædicti regni a tyrannide impiissimorum Turcarum, non minus Ecclesiasticis quam sæcularibus personis commodum provenire, imo hoc etiam in almæ Urbis nostræ, ac totius Italiæ et Christianæ religionis conservationem cedere, hujusmodi supplicationibus inclinati, archiepiscopis, episcopis, archimandritis, et aliis personis Ecclesiasticis præfatis, ut ratam hujusmodi eidem tuæ majestati persolvere, tuque vel tui officiales illam exigere et recipere absque prædictarum vel quarumvis aliarum censurarum aut pœnarum incursu libere et licite, attenta causa et necessitate prædicta, pro hac vice tantum valeatis, licentiam et facultatem auctoritate Apostolica per easdem præsentes concedimus, et indulgemus, etc. Datum Romæ, etc. die IX Maii MDXLV, anno XI ».

55. *Carolus V cum Turcis inducias paciscitur : Protestantium potentia amplior et gravior fit.* — Cæsar vero [1], cum ad arcendas Turcarum ex Pannonia in Germaniam irruptiones exercitum pararet, nec Protestantes principes posset flectere, ut adversus Turcas arma conjungerent, nisi ille ipsos a Concilii Tridentini excipiendis decretis immunes pronuntiaret, nec in jus ob Ecclesiasticos oppressos expilatosve vocari permitteret, Gerardum Veltuvichum oratorem ad Solymannum pro induciis paciscendis mandatis amplissimis fultum misit, ne eodem tempore a Turcis et Lutheranis invaderetur ; mense etiam Junio, clerum et senatum Coloniensem in suum patrocinium adscivit adversus tyrannidem Hermanni archiepiscopi Lutherani, eumdemque in jus ut accusatoribus responderet, accersivit, quem etiam Pontifex instituto ordine judiciario ad subsellia Apostolica, recurrente die sexagesimo se sistere jussit. Sprevit [2] vero ille Pontificis et Cæsaris edicta, cum Protestantium armis fulciretur, quem tamen postea gradu deturbatum pulsumque visuri sumus : ingravescebat vero in dies adeo Lutheranorum potentia, ut cum Henricus Brunsvicensis princeps ditione sua religionis Catholicæ odio depulsus conscriptis copiis principatum recuperare anniteretur, hostium numero obrutus captusque cum Carolo filio fuerit, cujus sortem miseratus Cæsar lantgravium victorem monuit, ut benignitate captos principes complecteretur : at Lutherus e contra lantgravium et Saxonem edito libello deterruit, ne Brunsvicensem dimitterent, allato eo argumento, illum a Deo castigatum non posse absolvi, nisi veram agat pœnitentiam et rite satisfaciat; quibus verbis hæresiarcha, qui pœnitentiam et satisfactionem adeo insectatus est, seipsum confecit. « Hoc loco », inquit Surius [1], « aliquid valet pœnitentia et satisfactio, quam adeo irrident isti Evangelici ». Nec prætermittendum silentio visum est, quod cum Joannes Gropperus canonicus Coloniensis, eruditione et pietatis studiis clarissimus, fortissime religionem Catholicam propugnaret contra Lutheranos, fictis criminibus fuisset appetitus a Lutheranis, quasi cum ipsis sentiret et rem Catholicam prodidisset, ut eo crimine perstrictus in odium apud Catholicos adduceretur, ille elegantem Apologiam scripsit, qua subornatum crimen a se depulit : de cujus insignibus virtutibus et castimoniæ excellenti laude hæc refert Surius [2] : « Fuit admirabili eloquentia, rara eruditione, animo imperterritus, nocte et die Scripturæ sacræ et sanctissimorum Patrum lectionis incumbens, atque a fœdissimo concubinatu, quo se plerique ex clero turpiter dehonestant, usque adeo abhorrens, ut cum quodam die domum reversus, famulam invenisset lectum ipsius sternentem, vehementissime commotus, repente famulam e cubiculo exegerit et lectum e fenestra cubiculi projecerit, hoc ipso sane egregium animi sui erga continentiam zelum et ardorem præclare declarans, quod idcirco commemorare volui, ut tanti viri exemplo commoveantur Ecclesiastici, et carnis petulantiam victus parcimonia, sacræ lectionis et ferventium precum assiduitate, vigiliis opportunis, mulierum vitanda consuetudine, et id genus aliis pietatis studiis edoment, desinantque adversum se provocare iram præpotentis Dei, atque procacibus hæreticis veterem eamdemque Catholicam religionem lacerandi ac proscindendi præbere occasionem ». Fuit ille præpositura Bonnensi donatus, pulso Friderico Lutherano, egregiamque religioni restituendæ operam navavit, ob quam cardinalitiis apicibus a Paulo IV postea ornatus est, ut suo loco visuri sumus ; nunc reliquas hujus anni res prosequamur.

56. *Paulus curat pacem firmare inter imperatorem et regem Galliæ.* — Incubuit interea Pontifex alendæ fovendæque paci, quæ superiori anno inter Cæsarem et Franciscum Galliæ regem confecta fuerat, atque ad eam arctius constringendam interpretes adhibuit, qui fuerant illius sanciendæ maximi auctores, nimirum Gabrielem Gusmanum ac Petrum de Soto Ordinis Prædicatorum, ad quorum postremum extant litteræ, quibus egregiis cœptis jussit insistere, cum ex ea pace reipublicæ Christianæ salus penderet [3] :

« Dilecto filio de Soto Ordinis Prædicato-

[1] Surius in Comm. — [2] Surius ubi sup.

[1] Lib. IV. de rebus memor. — [2] Sur. in Comm. hoc an. 1547. — [3] Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 252.

rum et sacræ Theologiæ professori, serenissimi Cæsaris confessario.

« Dilecte fili, etc. Veniens nuper ad nos dilectus filius Gabriel de Gusman Ordinis Prædicatorum et sacræ theologiæ professor, Christianissimæ reginæ Franciæ confessor, pro expeditione cujusdam monasterii, ad quod eum rex Christianissimus nobis nominavit, multa retulit de tua singulari doctrina ac pietate, utque in negotio pacis inter Cæsaream majestatem et dictum regem Christianissimum nuper confectæ, una secum pie ac diligenter laboraveris ; quæ etsi erant nobis antea de te cognita, tamen ex ipso etiam Gabriele audire jucundissimum nobis fuit, teque de hoc summopere in Domino commendamus : rem enim procurasti non solum illis principibus, et eorum regnis, verum etiam universæ Christianitati salutarem, quæ ut diutissime conservetur, nobis, ac tibi, et bonis omnibus laborandum est ; quamobrem nos publicæ utilitatis, quæ ex hoc dependet, desiderio ducti, cum nonnulla ad ejusdem præservationem pacis pertinentia nobis in mentem venissent, ea per ipsum Gabrielem isthuc redeuntem tibi nota esse voluimus, ut in his serenissimo Cæsari ad commune bonum sedandis pietatem tuam exerceas, quemadmodum ea plenius et uberius idem Gabriel nostro nomine tibi referet. Datum Romæ XXII Martii MDXLV, anno XI ».

57. Adulto anno confundi ea pax visa est [1], cum dux Aureliæ, juvenis omnibus corporis atque animi dotibus quæ a natura conferri possent florentissimus, cui Belgii aut Mediolani principatus a Cæsare cum sponsa regia erat promissus, anno vigesimo tertio extinctus est ex febre (ut dictum est) pestilenti apud Monasterium-Firmum, dum bello adversus Anglos vacaret : Franciscus enim rex Boloniam terra marique obsidione cinxerat, et Angli a Gallis cruenta pugna tumultuaria victi deletique sunt. Classis etiam Gallica centum quinquaginta onerariis, ac viginti quinque triremibus, et sexaginta minoris alvei navibus constans, mense Julio in Angliam vela fecit, ac repentina exscensione facta, multa loca evastavit. Misit etiam Franciscus rex reginæ Scotiæ viduæ subsidiarias copias (duce comite Lenoto) ad frangendam regis Angliæ vim, sed Anglus eumdem comitem (tradita illi nepte in uxorem) ad suas partes pellexit, quare Franciscus rex [2], cum novis copiis Brossium, deinde Lorgium, duces strenuos, ad Scotos confirmandos submisit. Commissis autem ad Boloniam pluribus minoribus præliis, contigit, ut Claudius Guisius dux in prælio quodam certans ab Anglo percuteretur, adacto per oculum in cerebrum lanceæ frusto ad occiput pertingente, eoque educto divinitus percuraretur ; cæterum in castris Gallorum, et circumjectis oppidis horrida lues ex nimiis imbribus grassari cœpit, et noctu repente extincti plures reperti, qui interdiu nullam morbi significationem dederant, idque in diversorio, in quo ipse habitabat contigisse tradit Martinus Bellaius, additque mitigatam luem hoc remedii genere : « Cum ad extremum non aliud sepulturæ genus usurparetur, quam quod universis in domo aliqua mortuis domus ipsa in eos diruta vice sepulchri erat ». Cæterum Henricus Angliæ rex [1] suorum veritus odia, et belli sumptibus fatigatus, rejecta antea pacis consilia complexus, Boloniam Francisco regi redimendam auro restituit, proximo anno idem etiam Franciscus rex, postquam Caroli Aureliæ ducis funus luxisset, oratores ad Cæsarem misit, acturos de pace, quæ filii morte confusa erat, redintegranda, quibus Cæsar damnosæ transactionis sollicitudine liberatus respondit se bellum regi nunquam illaturum, nisi injuria a Gallo provocatus esset, ita priores controversiæ recruduere, et Carolus dux Sabaudiæ recuperandi principatus spe dejectus est : tanto porro Franciscus rex regni ab hæreticorum peste vindicandi studio arsit, ut cum in Delphinatu et Comitatu Avenionensi nonnulli pagi hæresi infecti leviora remedia non admitterent, immissis in eos copiis funditus deleverit, nimiaque sævitia miles nulli ætati vel sexui pepercerit.

58. *In Lusitania contra hæreticos exercita severitas, et simultates erga Pontificem depositæ.* — In Lusitania sacra fidei censura exercebatur nimia acerbitate in neophytos Marranicæ hæreseos suspectos, ac Pontifici relatum est ab administris regiis et censuræ gerendæ præfectis multa crudeliter et inique patrari, insontesque eadem pœna cum sontibus involvi ; insontium itaque a judicum crudelitate vindicandorum studio Pontifex cognitionem eorum causæ sibi reservavit, animadversionemque in mancipatos carceribus extrahi jussit : quod decretum Pontificium cum Lusitaniæ rex in partem iniquam detortum acciperet, Pontifex subjectis litteris decreti sui æquitatem firmitatemque in luce collocavit, blandisque verbis regias iras permulsit [2] :

« Regi Portugalliæ.

« Attulit ad nos nuper dilectus filius Simon de Vega litteras serenitatis tuæ XIII Januarii Eboræ datas longissimas illas quidem, in quibus causas petitæ per te inquisitionis ab initio repetens, de ultimo Brevi, per quod inhibuimus, ne contra neophytos incarceratos ad executionem procederetur, donec nos a Joanne Riccio, electo Sypontino, quem ad te nuntium misimus, de

[1] Bellaius l. x. Paul. Jov. l. v. Belcar. l. XXIV. Martin. Bellaius ubi supra. — [2] Belcar. l. XXII.

[1] Belcar. forest. l. VI. c. 63. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 161 et 232.

quibusdam informaremur, multa serenitas tua queritur, contra ipsos neophytos gravissime invehitur, ne nostris quidem parcit, ad postremum omni instantia petens, ut, inhibitione revocata, inquiri isthic contra hæreticos Judaicamque perfidiam plena severitate velimus. Ad quæ nos, fili charissime, licet multo acerbius quam a te expectandum fuerat, scripta, memores tamen ejus personæ quam gerimus, remota omni iracundia, sedatoque animo respondebimus, nihilque scribet unquam tua serenitas ad nos tam aspere, quod nobis benevolentiam in te nostram minuat, ac primum ad communia communiter respondebimus, criminationes videlicet ac suspiciones hinc inde esse mutuas, et ubique famam hominum, præsertim in aulis principum, patere linguarum morsibus. Nos tamen de tua serenitate nihil ea indignum credidisse aut credere, omniumque isthic minus recte per hos annos gestorum culpam non tuæ serenitati, quam piam et rectam existimamus, sed potius tuis ministris assignare, quorum consiliis effectum est, ut nuper tua serenitas dilectum filium Joannem de Montepolitiano electum Sypontinum nuntium nostrum in tuum regnum venire prohibuit, quæ exclusio nuntii nostri cum graviter offendat, ut debet, tum causa exclusionis non minus, a tuis enim agentibus relatum nobis est, ideo ipsum nuntium a tua serenitate exclusum fuisse, quod nos post ejus discessum litteris nostris mandaverimus, ne quid contra eos fieret, qui ab inquisitionis ministris in carceribus detinebantur, quæ res multipliciter nos admirari coegit, primum quod ipse nuntius noster multo ante exclusus a te fuerat, quam hæ nostræ litteræ expedirentur, deinde quod illæ nihil continent, quod justitiæ et æquitati non maxime conveniat, nam cum gravissimæ atque acerbæ de ministris ipsius inquisitionis ad nos querelæ et antea essent delatæ et assidue deferrentur, tanquam suo officio injuste et crudeliter utentibus, nosque de nimio erga serenitatem tuam respectu subaccusaremur, nos de ipsis querelis tuos agentes paterne admonuimus, ut serenitatem tuam (forte hæc ignorantem) admonerent; illi autem statim nobis supplicarunt, pergratumque tuæ serenitati id futurum affirmarunt, ut nuntio ipsi nostro, quem tum expediebamus, mandare vellemus, ut de hujusmodi querelis se informaret, si enim eas veras comperisset, provideri a nobis posse, si autem non comperisset, apparituram illorum ministrorum probitatem, tuæque serenitatis honori simul consultum iri, itaque fecimus, mandatis hujusmodi ipsi nuntio, antequam a nobis discederet, datis. Cum vero postea novæ querelæ secutæ essent de multis injuste crematis, et pluribus, qui in carceribus essent cremandis, videntes frustra nuntium nostrum, crematis carceratorum corporibus, se esse informaturum, juste an injuste cremata essent, hoc tantum providimus, quod nisi fecissemus, omnem sane charitatem omneque officii nostri debitum exuissemus, ut executio dumtaxat contra eosdem carceratos suspenderetur, quoad de justo vel injusto ministrorum processu certiores fieri possemus, quo nostro mandato nulla nocentibus data impunitas, cum in carceribus nihilominus remaneant, sed innocentibus, ne videlicet opprimantur, tempus et spatium conceditur, quod qui reprehendit, judicum potius errata obtegere videtur, nolleque id curare, ut reorum delicta debitis pœnis afficiantur. Si hæc igitur pro nostra potestate et auctoritate, cum hæc causa spiritualis et proprie nostra sit, et ad nos omni jure pertineat, ac pro ministrorum ipsius inquisitionis detegenda vel probitate vel injustitia ordinavimus, si justas preces miserorum non neglеximus, erat nobis de tuæ serenitatis pietate ac benevolentia expectandum, ut quo etiam tua in ipsa inquisitione integritas elucesceret, nos laudaret de ea re potius quam nostrum nuntium, cum nostra et ejus Sanctæ Sedis injuria, excluderet : neque enim tua serenitas ex hoc mirari aut offendi debet, si in tanta re ubi de fide Catholica et vita tot hominum agitur, nos ministrorum ipsius inquisitionis, præsertim male audientis, curam gerere, et administrationis eorum rationem interdum revidere velimus, ne sanguis occisorum a nobis et tua serenitate postea requiratur. Secutum tamen est, quod minime debuit, ut hæc cura a nobis pro debito nostri officii ad communem nostrum tuumque honorem suscepta, quæ faciliorem admissionem nuntii nostri operari debuerat, contrarium, videlicet, exclusionem ejus operata sit. Accedit his etiam, quod licet cum serenitate tua sæpius, et per oratorem apud te nostrum, et per tuos apud nos protectorem atque agentem egerimus, ut dilecto filio nostro Michaeli cardinali Visensi possessionem, ac fructus Ecclesiæ, et beneficiorum suorum, quibus fuit per tuam serenitatem spoliatus, restituere, aut nuntio, vel alteri ministro nostro consignare velles, neutrum tamen hactenus secutum est, de quo non valde mirari et dolere non possumus, cum præsertim nos eisdem tuis protectori et agenti sæpe obtulerimus, si de aliquo delicto ipsius cardinalis nobis constaret, nos illud severe punituros esse, qua de re nihil adhuc nobis constitit, nec si etiam constitisset, fructus ipsi, qui Ecclesiastici sunt, ad alterius, quam nostram, dispositionem pertinuissent. Quamobrem, fili charissime, de his rebus omnibus, utpote in divini honoris tuæque conscientiæ offensam tendentibus, merito dolemus et angimur, teque in cæteris præstantissimum regem, in his tam dissimilem tui ac majorum tuorum esse miramur, proinde cum nec causarum hujusmodi gravitas, nec universalis Con-

cilii propinquitas patiantur, ut provisionem opportunam his adhibere ulterius differamus, has nostras ad te præmittere tuamque serenitatem paterne monere voluimus, illam studiose requirentes, ut his omnibus provisionis remedium afferre velis quamprimum ; quod si a te fiet, sicut fieri certe debet et speramus, nos maxime lætabimur, sin autem secus evenerit, non committemus, ut Deo Omnipotenti rationem reddere debeamus, quod in tam arduis tamque importantibus rebus negligentes in nostro officio fuerimus. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die xvi Junii MDXLV, Pontificatus nostri anno XI ».

59. Victus æquitate Lusitaniæ rex Pontificiis monitis morem gessit, ut ex litteris aliis colligitur, sublatis enim iis querelarum causis, extinctisque offensiunculis, germanum Lusitani regis archiepiscopum Eborensem cardinalitia dignitate Paulus ornavit, atque amoris paterni notis insignes litteras ad eumdem regem dedit [1] :

« Regi Portugalliæ.

« Charissime, etc. Quod semper optavimus, ut vere tua serenitas cognosceret nostram erga se paternam benevolentiam, et quam illi gratum facere ex animo cuperemus, hodie lætamur serenitati tuæ ostendisse, tuum enim germanum fratrem Henricum archiepiscopum Eborensem in his sacris jejuniis et in Consistorio nostro secreto S. R. E. presbyterum cardinalem de ejusdem S. R. E. cardinalium consilio creavimus ad Dei primum Omnipotentis laudem, sanctæque Sedis Apostolicæ honorem, et totius Christianitatis utilitatem, deinde etiam ad tuæ serenitatis omni virtute præstantis satisfactionem, tuæque domus (quanquam per se clarissimæ) majus ornamentum, sed quanquam tuæ serenitati vestroque regio splendori hoc tribuerimus, accesserunt tamen pro cumulo virtutes ipsius archiepiscopi, quas hac dignitate etiam per se dignas esse audimus, et proinde cohonestandas esse existimavimus ; ergo dignitatem cardinalatus, quæ in cardinibus Universalis Ecclesiæ regendis versaretur, et qua majorem in Romana Ecclesia Pontifex conferre nequit, per obitum alterius tui fratris in tua domo extinctam, per ipsius Henrici creationem restituimus, ut defuncti fratris memoria in hoc reviviscat, doloremque tuæ serenitatis ex illo conceptum hujus lætitia consoletur, atque utinam ii obices, qui sine tua, ut credimus, voluntate interpositi fuerant, citius remoti fuissent, nostri quoque erga vos paterni amoris significatio maturius erupisset, sed agimus Deo gratias, qui hæc vertit in melius, nosque inter nos eosdem fore voluit, qui semper fuimus et esse debemus, ut tu nos in amantissimi patris, nosque te in charissimi filii loco habeamus, quod et futurum in Domino confidimus. Nos, fili charissime, de hoc tui fratris honore, quem tibi in primis tribuimus, tibi gratulamur, felixque et diuturnum hoc fore gaudium vobis optamus, sperantes vos vicissim in cultu et observantia erga nos et Apostolicam Sedem, a qua merito ornati estis, regio et grato animo responsuros esse, quemadmodum venerabilis frater Joannes Riccius archiepiscopus Sypontinus noster apud te nuntius hæc plenius explicabit, qui etiam birretum rubrum a nobis de more benedictum, una cum Brevi nostro, quem ipso tuo fratri cardinali mittimus, quorum dilectus filius Ludovicus Brandon agentis apud nos tui affinis lator erit, tuæ serenitati ex parte nostra consignabit, per eamdem serenitatem tuam eidem tuo fratri cardinali ad majus utriusque vestrum gaudium consignanda. Datum Romæ die XVI Decembris MDXLV, anno XII ».

60. *Paulus cardinales creat.* — De illo et tribus aliis eodem die creatis cardinalibus hæc referunt Acta Consistorialia [1] : « Romæ die Decembris MDXLV, fuit consistorium, in quo S. D. N. de fratrum consilio et assensu assumpsit, creavit et publicavit in sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteros et diaconum cardinales infrascriptos, videlicet R. P. D. Petrum Pacecho episcopum Giennensem presbyterum cardinalem, Hispanum, Rev. Georgium de Ambasia archiepiscopum Rothomagensem presbyterum cardinalem, Gallum, R. P. D. Henricum a Portugallia archiepiscopum Eborensem presbyterum cardinalem, Lusitanum, et dominum Ranutium Farnesium, administratorem Ecclesiæ Neapolitanæ, in XVI vel circa suæ ætatis anno constitutum diaconum cardinalem, cum detentione omnium sacerdotiorum ».

Consignatæ sunt eodem die litteræ ad Franciscum Galliæ regem de Georgio Ambasiano Rothomagensi archiepiscopo in senatum cardinalium cooptato [2] :

« Regi Christianissimo.

« Hodie in his sacris jejuniis et consistorio nostro secreto ad aliquot paucorum cardinalium creationem devenientes, Georgium de Amboysia archiepiscopum Rothomagensem, in gratiam tuæ Majestatis, et tuo intuitu, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum cardinalem creavimus, in quo sumus lætati, tuæque serenitatis judicium et probitatem laudavimus, quod ejusdem archiepiscopi eas audimus esse virtutes nobilitati generis ejus adjunctas, ut quem tui contemplatione ad hanc dignitatem eveximus, etiam ex solis ejus virtutibus id facere potuissemus, etc.

1 Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 7.

1 Acta Consistor. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. — 2 Paul. III. lib. brev. an. XI. p. 2.

Datum Romæ XVI Decemb. MDXLV, anno XII ».

61. *Æthiopes cum Romana Ecclesia, damnato Dioscoro, conjunguntur.* — Calamitosissimo hoc tempore, quo tot Europæ populi ab obsequio Romani Pontificis hæreticorum pestiferis susurris subornati deficiebant, Æthiopes Orientales veterem cum Romana Ecclesia conjunctionem (damnato Dioscori schismate) redintegrare, atque adstringere expetiverunt : allatæ sunt eo argumento Claudii imperatoris, qui Davidi patri successerat, litteræ ad Pontificem, qui commendata ejus pietate, significavit, se ad eum internuntium missurum ad ipsius populos cœlesti doctrina imbuendos, afficiendosque sacris muneribus, cum in Indiam sacerdotes pietate et Christianorum sacrorum cognitione apprime instructos esset legaturus [1] :

« Charissimo in Christo filio nostro Claudio Æthiopiæ regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem; etc. Dilectus filius Paulus prior conventus monachorum Æthiopum Hierosolymis existentium attulit ad nos litteras serenitatis tuæ, quas, sicut ipse Paulus nobis affirmavit, quidam alius tuæ serenitatis orator cum illis ad nos missus, et in itinere mortuus nobis reddere non potuit; itaque, etsi voluissemus ipsum tuum oratorem ad nos pervenire, atque audire, tamen quantum ejus casu doluimus, tantum gavisi sumus Deoque gratias egimus, quod litteras tanti et tam remote Christiani regis, nobisque et Apostolicæ Sedi devoti, nostro tempore nobis recipere concesserit : ex eis igitur maxima in primis sumus lætitia affecti, quod te claræ memoriæ Davidi tuo genitori in regno Æthiopiæ successisse cognovimus, nimirum ex fama tuæ probitatis conjicientes et sperantes, quod tu sicut in regno, ita et in vera religione erga Deum, devotioneque erga Apostolicam Sedem tuis progenitoribus succedes, de quo haud dubia nobis signa in eisdem litteris dedisti, ex quibus certam in spem adducti sumus, te haud minore studio, quam illi fecerint, sanctam fidem Catholicam et veram Christi religionem in istis regionibus propagaturum esse : ad quod sane tuam serenitatem paterno affectu hortamur : nos vero cum proxime Deo concedente missuri sumus via maritima ad partes tuis regnis vicinas aliquos viros probitate et doctrina conspicuos, et ad instructionem Christianæ fidei aptos, tunc eodem adjuvante Domino dabimus operam, ut tuam serenitatem etiam per nostrum et Apostolicæ Sedis nuntium visitemus, teque, et tua regna, ac populos tibi subjectos illis spiritualibus gratiis consolemur, quas tunc idem Dominus nobis inspirare dignabitur : interea vero ipsum Paulum priorem cum his nostris litteris ad tuam serenitatem remittimus, quam Dominus omnipotens, et in præsenti vita prosperare, et in futura cœlestibus præmiis decorare dignetur. Datum Romæ XXIII Augusti MDXLV, anno XI ».

Poposcerat a Pontifice Lusitaniæ rex, ut sacerdotes societatis Jesu [1], quæ probitatis excellentis et doctrinæ fama inclarescebat, mitteret in Indiam, atque etiam a S. Ignatio socios in Æthiopiam mittendos flagitabat, ut vero ex eadem societate patriarcha delectus sit ad Æthiopiam a veteribus erroribus vindicandam, suo loco dicetur.

62. *Singularis casus Gamrati Cracoviensis episcopi.* — Nunc insignem casum Petri Gamrati Cracoviensis episcopi, qui hoc anno pie obiit, cum a sodalis defuncti anima præmonitus esset, ut se compararet ad mortem, ex Stephano Damalevicio referemus [2] :

« In Cracoviensem Ecclesiam anno Domini MDXXXVIII suffectus est, ac tandem archiepiscopatum adiit, et simul cum Cracoviensi episcopatu tenuit Paulo III indulgente. Multum ille populari gratia et aulico favore reluxit; regi Augusto Elizabetham Austriacam copulavit et diademate cinxit. Cracoviensis civis uxorem Judaismum professam comburi in foro Cracoviensi fecit; pauperum et egentiorum singularem gessit curam, singulis diebus ex eo numero centum erant, qui episcopali mensa et ferculis reficiebantur; dum iter faceret, duo currus onusti lineis indusiis, et laneis tunicis, vel si hyems esset, ex pelle ovina consutis vestibus sequebantur, nudus, vel male vestitus, si quis opem implorans obvius erat, vestiebatur, viatico etiam donabatur : hæc consuetudo familiaris Gamrato erat, cum alioquin ipse in tantis opibus, ut prodigi solent, egeret : luxui, vanitatibus, parasitis, ludionibus, compotationibus et libidini deditus fuit, quod tamen serio dolore dicitur expiasse : nam cum annis fessus, ut reliquum vitæ illius stylo Stanislai Lubienski episcopi Plocensis in monitis prosequar, et morti esset proximus, neque tamen de supremo vitæ fuisset exitu sollicitus, accidit, ut in pervigilio festi cujusdam diei ad vespertinas preces recitandas ad Ecclesiam iturus accingeretur, paratusque in cubiculo aliquantisper solus subsisteret, ecce nota illi viri cujusdam nobilis Curosii jam diu fato functi persona apparet (familiariter secum mutuorum conscii facinorum diu vixerant) exhorruit tamen ad visam redivivi hominis speciem episcopus, cumque ille, ut metu posito secum ageret, hortaretur, paululum resumpto spiritu, mortuum affatur : Etiamne tu vivis, et in quo tandem loco es mortali perfunctus vita? Respondit ille : Vivo,

[1] Ext. in lib. brev. Paul. III. sig. 2891.

[1] Orlandin. lib. 1481. num. 112. — [2] Stephanus Damalevicius de archiep. Gnesnens. in Petro Gamrato p. 297.

longeque feliciori quam vos, fruor aura. Tum Gamratus : Tune quem flagitiis gravatum et turpibus libidinibus, me (proh dolor !) conscio, fœtentem e vita excessisse constat, inter eos sis qui felices sunt ? Vix credo. Credes, inquit ille, mox, paulisper sustine. Juvenis admodum cum in Germania essem, incidi in quemdam, qui sacrilego ore sanctissimam Dei matrem Virginem incestabat, ego flagitii impatiens colaphum homini impingo, nec mora ille armatus, manu ad capulum admota, duellum mihi denuntiat, ego non segnius stringo ensem, congredimur, nec diuturnum fuit certamen, nullo accepto vulnere sacrilegum conficio, et tunc quidem ne homicidii et duelli crimine succumberem, fuga mihi consului; deinceps vix aliquando ea res mihi in mentem venit, sed cum suprema adesset hora, animaque e corpore exitura, insultantibus infernalibus hostibus conflictaretur, et ego exitii certus nullam reliquam spem haberem, ecce mox nova affulsit lux : Regina Cœli angelicis choris stipata præsto aderat, diffugiunt infernales belluæ, nescio quid horrendum frementes frendentesque. At illa vultu benigno flexit in me misericordiæ oculos. Milesne, inquit, meus, defensor honoris mei peribit ? Absit. Tum versa ad Filium, en uterus, in quo conceptus es, en ubera, quæ suxisti, ego militem, quibus olim te stringebam brachiis, complexum tantisper tenebo hunc. Tu sanguinem, quem ex meis traxisti visceribus, stilla, ego efficiam, ut ex ejus oculis uberes fluant lachrymæ abluendis sceleribus sufficientes. Dixerat, et ego ex detestatione anteactæ vitæ intimo concepto dolore singultibus concutior, lachrymas fundo, Patrem optimum me offendisse agnosco, et annuente sanctissima patrona mea, ingenti illius amore exardesco, affectu, non voce, nam morbi vis usum linguæ interceperat, atque ita supremis meis castissima Virgine assistente expiro. Anima e corpore egressa angelorum ministerio fertur in cœlum, illic non meritis meis, nam ea vel nulla, vel satis exigua erant, sed divina misericordia mihi per patronam meam conciliata æternam felicitatem adeptus vere vivo; inde ad te nunc missus sum, ut te supremorum tuorum admonerem : dudum jam merueras, ut tot beneficiorum acceptorum ingratus more ferali ad exemplum voluptuarii Udonis mulctareris, tuæ largitiones in egenos factæ, illæ epulæ quotidianæ mendicis exhibitæ, illæ vestes, quibus nuda Christi membra texisti, ne ex meritis tuis in te divina sæviret justitia, prohibuerunt. Scito autem te abhinc sexto mense (tantum tibi indulget clemens Pater) moriturum, expende et dispice quid te interim agere oporteat, nam veniæ adhuc superesse locum, vel meo doctus exemplo, ne diffidas : his dictis, ille quidem disparuit : episcopus in lachrymas resolutus, neque eo die in publicum progressus diutius solito solus mansit, et nisi sero quid sibi accidisset, iis quibus maxime fidebat patefecit. Noverat Karnkovius plerosque, qui cum Gamrato familiariter vixerant, quique supremis ejus adfuerunt, confirmabant illi ita ultimos sex illos menses ab eo exactos fuisse, ut vere et ex animo peccata detestantis hominis omnes numeros impleret, denique sanctissimis sacramentis rite expiatum cum optima æternæ salutis spe eum e vita cessisse testabantur, postquam Gnesnensem Ecclesiam quinquennium gubernasset, anno Domini MDXLV obiit ».

63. *Parma Placentiaque Aloysio Farnesio traditæ.* — Hoc anno adulta Æstate Paulus III ducatu Camerinensi Ecclesiæ Romanæ juribus concesso, Parmam Placentiamque Ecclesiasticas urbes Aloysio Farnesio fiduciario jure tradidit, ex quo infelicissima mors ipsi Aloysio conflata est, et Pontifici ante tempus accersita, bella inter Cæsarem et Galliæ regem exarsere, Tridentinum Concilium dissolutum, et impedita Lutheranorum conversio, et in maximum schismatis discrimen adducta Ecclesia, ob Cæsaris et Pauli dissensiones inde enatas, ut suis locis lugebit historia.

64. *Dissidia inter Lutheranos et Sacramentarios.* — Hoc eodem anno gravissima inter Lutheranos [1] et Sacramentarios dissidia erupere; nam cum singuli malesani sui capitis deliramenta pro vero et puro Evangelio obtrudant, superbiaque turgidi alii aliis nolint inferiores videri, Scripturam sacram in sensus adulterinos distorquent, contenduntque hæc esse Spiritus sancti augustissima oracula, nolentes parere Petro Apostolo admonenti [2], *Scripturas depravari ab indoctis et instabilibus ad suam ipsorum perditionem;* iterumque docenti, prophetiam Scripturæ propria interpretatione non fieri, *non enim voluntate humana aliquando allatam esse prophetiam.* Porro Lutherus instar phrenetici aliquod lucidum intervallum nacti in suis thesibus contra Lovanienses theologos editis Sacramentarios ita damnavit Thesi XV : « In Eucharistiæ sacramento venerabili et adorabili, est et exhibetur et sumitur vere et re ipsa Corpus et Sanguis Christi tam a dignis quam indignis ». Et Thesi XXVII : « Hæreticos, inquit, serio censemus, et alienos ab Ecclesia Dei esse Zuinglianos et omnes Sacramentarios, qui negant Corpus et Sanguinem Christi ore carnali sumi in venerabili Eucharistia etc. »

De Luthero vero hæresiarcha Tigurini sacramentarii præclarum hoc tulere testimonium, quanto intervallo iste novi Evangelii conditor ab Apostolis et Prophetis distaret : « Prophetæ et Apostoli, (inquiunt) Dei gloriæ, non privato honori, non suæ pertinaciæ et superbiæ stude-

[1] Surius in Comm. — [2] Petr. Epist. II. c. 4.

bant, sed peccatorum salutem quærebant unice : Lutherus autem sua quærit, pertinax est, insolentia nimia effertur, et confestim Sathanæ tradit, quotquot illius sententiæ non illico subscribere velint, et in omnibus correptionibus suis, plurimum maligni spiritus, quam minimum vere amici, et paterni ingenii deprehenditur ». His repetitis ex Tigurinorum sacramentariorum scriptis interjicit Surius hoc epiphonema contra novatores : « Tali scilicet Pontifice digni estis, qui Romani Pontificis jugum excussistis ». Mirum certe est ac prodigio simillimum, novatores sequi fictitium impostorum sensum, cum enim non de Scripturæ, sed de sensus illius veritate, controvertatur, non alius sensus amplectendus est, quam qui traditus est ab Ecclesia, quæ ex Apostolo est columna et firmamentum veritatis : inflatis illi et crepantibus buccis arrogantissime Scripturas extollunt in alienum sensum convulsas, quasi veteres hæretici pro nefariis suis hæresibus commendandis easdem artes non instruxerint ac venditarint. Sacramentariorum autem impietatem pluribus miraculis sæpius confutatam in annalibus Ecclesiasticis vidimus [1], hoc vero anno illa in sacerdote, qui ad eamdem clam defecerat, convicta est insigni miraculo, cujus historiam circumstantiis certissimis instructam Seripandus Augustinianorum generalis magister, postea cardinalis, ac præses Concilii Tridentini scripsit XXVIII Septembris ad cardinalem Farnesium, Suardini civis Neapolitani neptem ex filio in extremis mortis confiniis agentem legente sacerdote Evangelium de Cœna Domini, cum venisset ad ea verba, *hoc est corpus meum*, exclamasse, prætermitte ea verba, quia ea non credis, exterritumque vaticinio sacerdotem, coram adstantibus perfidiam suam fassum esse, criminisque veniam a Deo poposcisse, illam vero dimidiæ horæ fluxu animam efflasse, remque certis testibus constare.

65. *Ceilanensis reguli filius occisus ob fidem.* — In India [2] reguli Ceilanensis filius ob susceptam Christi fidem a crudeli patre occisus est, ejusque martyrium miraculis comprobatum, quibus permoti principes barbari et alii nobiles spretis omnibus terrenis, per magnos labores ad Christi castra se contulerunt, ut Indiarum prorex Joanni regi Lusitaniæ significavit. « Ceilanum est insula, ubi res ad Dei gloriam contigit sane memorabilis. Reguli cujusdam filius natu maximus, quod Christiana sacra suscipere statuisset, patris jussu necatus est, quem Lusitanus quidam Christiano more sepeliit, tali obita morte Martyrem certum existimans ; Lusitani judicium Deus illustri miraculo comprobavit. Siquidem ejus nutu factum est, ut quoad principis corpus humatum erat, in crucis figuram terra fatisceret, quæ bis barbarorum opera glebis oppleta, iterum atque iterum in eumdem hiatum est resoluta. Aiunt etiam per eos dies crucem ignei coloris visam in cœlo, quibus miraculis commota magna hominum vis ad Christum accessit, quorum multi regis immanitate eamdem martyrii coronam adepti sunt. In eo numero fuisset alius quoque regis filius, itemque sororis filius ad quem regni hæreditas pertinebat. (Sororis enim, non regis ipsius filios succedere in regnis Ceilani mos est). Horum igitur uterque ad Christum propensus regis imperio mactatus esset, nisi eos præsenti periculo regis soror mature exemisset. Ambos enim ad se vocatos de recenti adhuc miraculo interrogat, velintne fieri Christiani, cum se utique velle dixissent, cum Lusitano transigit mulier eodem ipso, qui demortui principis funus curaverat, ut eos quam occultissime Goam usque perducat, quo ut venere, fidei præceptis imbuti baptizatique magnum pietatis ac religionis specimen præbuere. Hos imitatus regius quidam præfectus, et alii decem nobiles viri, uxoribus, liberis, bonis denique omnibus sponte relictis, magno suo incommodo corporisque defatigatione passuum amplius sexcenta millia terrestri itinere emensi, Goam baptismi causa cum venissent, Catechismo instituti, sacroque fonte lustrati sunt. Id accidit an. Christi nati MDXLV ».

[1] Ex littera card. Farnes. — [2] Concil. Generale auctore Petro Lopez Altuna Castel. Trinit.

PAULI III ANNUS 13. — CHRISTI 1546.

1. *Controversia de titulo qui inscribendus sit Concilio, et de loco qui assignandus sit aliquibus præsulibus.* — Anno a Virgineo partu MDXLVI, Indictione IV, fracta est Protestantium procacia, qui excusso Pontificis jugo etiam Cæsarem de gradu imperii dejicere conati sunt, nec minus divino verbo in Tridentino Concilio, quam ferro in castris pugnatum est, quæ singula ordine recensituri seriem temporum sequemur. Coacta est quarta Januarii Congregatio Generalis a Patribus Tridentinis, cujus Acta subjectis verbis concepta sunt [1].

« Die Lunæ, quarta Januarii MDXLVI a Nativitate Domini, hora XXI, habita est Generalis congregatio, in qua primus præsidens exposuit, præsidentes ipsos accepisse litteras a Sanctissimo domino nostro, in quibus laudabat ea quæ antea acta fuerant in sessione et congregationibus, hortabaturque, ut ad articulorum controversorum explicationem unirentur ; quodque etiam brevi mitteret viros probos et idoneos officiales Concilii, cujus expensis necessariis non esset defuturus. Omnia a Patribus laudantur, quo vero ad officiales aliqui ex Patribus dixerunt, eorum creationem, cum sua Sanctitas abest, spectare ad Concilium. Quibus cardinalis de Monte respondit, non ea mente se ea proponere, ut super iis sententiæ dicerentur, sed ut patres intelligerent quid continerent litteræ suæ sanctitatis, officiales vero mittendos, esse approbandos a Patribus, et cum jam audivisset nonnullos arbitrari ex aperitione Concilii imminutam esse auctoritatem Summi Pontificis, declaravit eos maxime falli, imo potius auctam. Cui reverendus dominus episcopus Austuricensis respondens ait : Scimus quidem et nos qua auctoritate fungamur, ut scilicet in iis, quæ in Concilio tractantur, Concilii sit potestas et statuendi auctoritas; in iis vero, quæ extra Concilium geruntur, auctoritatem remansisse apud Pontificem. Ea tamen disputatio statim quievit. Deinde lectum fuit decretum formatum pro futura sessione de modo vivendi et aliis in Concilio servandis. Cumque longe major pars decretum ipsum approbaret, reverendus dominus episcopus Fesularum dixit, se desiderare in titulo ipsius decreti, apponi verba in aliis Conciliorum decretis apposita, videlicet : Sacrosancta Tridentina Synodus universalem Ecclesiam repræsentans ; cum hæc nostra Synodus, etsi adhuc pusilla esset, non tamen minore aliis fungeretur auctoritate. Reverendus pater Generalis Servorum dixit, non multi facienda esse verba illa, quando, uti compertissimum est, recens inventa sint, nec usurpata ab antiquioribus Conciliis. Dominus vero Pighinus dixit verba ipsa, quæ a nonnullis desiderantur, si recte considerentur quæ apposita sunt, eadem reipsa adesse : cum enim dicitur Œcumenicum, idem sonat quod universale et universalem Ecclesiam repræsentans, et jam in proxima sessione decretum fuerit, Œcumenicum Concilium esse apertum et inchoatum.

2. « Cardinalis de Monte comprobavit Generalis Servorum et Pighini sententiam, addens, se illa quoque ratione moveri, ne verba ipsa apponerentur, cum nullum validius telum habeamus adversus hæreticos, quam quod nos hic congregati Ecclesiam universalem repræsentemus ; noluimus eos, quos Synodum amplecti cupimus, in primo congressu causam et occasionem accipere, ut nos reprehendant, quasi nimium elatos, fimbriasque nostras in opprobrium dilatantes ; longe etiam diversam esse rationem nostræ Synodi, et Constantiensis, et Basileensis : Constantiense enim Concilium ea verba apposuit propter schisma, quod tunc vigebat ; non enim apparebat ex tribus quis verus Pontifex esset : nec tamen Concilium ipsum in

[1] Angelus Massarell. in Act. Ms. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3188. p. 127. et aliud num. 3232. p. 98. et Ms. sign. num. 3206. p. 34. et aliud sig. num. 3249. in primis Acta quartæ Cong. Generalis, et aliud Franc. cardin. Barb. sig. num. 1868. p. 14. Diar. Conc. Trid. in Act. Congr. Ms. arch. Vat.

decretis, in quibus de aliis rebus agebatur, his verbis usum fuisse : Basileense vero, quod proprius Conciliabulum dici debet, solo odio Eugenii IV ea verba minus recte usurpasse. Et profecto præter alias, ea maxime ratione abstinere ab his verbis debemus, ne inflati videamur, ut dixi, magnam sumendo auctoritatem, quin potius imitari debemus Summum Pontificem, qui cum Ecclesiæ Dei caput sit, se tamen servum servorum appellat. Cardinalis Tridentinus dixit se compertum habere, Protestantes ægre verba illa habituros, quapropter laudabat et hortabatur ne apponerentur, quæ sententia a longe majori parte Patrum approbata est ».

3. Addunt Gesta [1], deinde actum fuisse de electione Officialium, de loco oratoribus principum designando, ac de iis, qui in publica sessione sedere vel stare deberent : necnon de abbatibus, quorum prærogativis episcopalem splendorem obscurari, auctoritatemque infringi nonnulli querebantur : maxime de tribus abbatibus Cassinensibus vocatis : quam contentionem cardinalis de Monte sic diremit [2] :

« Si placet, possumus abbates tres cum mitra et pluvialibus juxta eorum privilegium admittere, non ut abbates tantum, sed ut totam eorum repræsentantes Congregationem ; ita tamen, ut eorum trium unica sit sententia ; quod quidem ab omnibus comprobatum est ». Actum postea est de sessionis proximo die constituendo, quem Itali accelerandum, Galli vero extrahendum ad bimestre tempus contendebant ; sancitum autem est, ut ad mensem indiceretur nimirum tertia sessio, sed secunda sequenti die celebraretur. Adjectæ sunt Actis Pontificiæ litteræ prima Januarii die hujus anni consignatæ, quibus Paulus III patriarchas, archiepiscopos, episcopos atque abbates in Tridentino Concilio præsentes, vel ad illud accessuros, omnibus privilegiis, vectigalibus ac juribus potiri voluit, ac si in Ecclesiis suis præsentes essent, exemit etiam ab omni decumarum onere et solutione.

4. *Secunda Concilii sessio in qua promulgatur decretum de vita sanctiore a clericis ducenda.* — « VII mensis Januarii MDXLVI a Nativitate, celebratur sessio secunda sacri Concilii Tridentini sub Paulo III, post celebratam Missam de Spiritu-Sancto per Joannem Fonsecam episcopum Castellanensem : est habita oratio per Coriolanum Martiranum episcopum S. Marci ». Ille post defletas morum corruptelas, de sævitia hæreticorum, qui se infidelibus adversus Ecclesiam conjunxissent, ita conquestus est : « Videtis quam in nos instructæ, quam paratæ, quam firmæ inimicorum et transfugarum acies circumstant, ut certatim contendant, quis in te, Ecclesia sancta, ictus profundius infligat, quis tua præcordia lethalius petat. O facinus miserandum ! quid facient inimici ? Filii, quos prius cœlum casurum, quam defecturos putabas, quibus elata præcipue et superba incedebas, in te arma converterunt ; ii, quos sanguine tuo et visceribus aluisti, ut tibi murus æneus contra hostes forent, ii veluti veneficiis incitati te deletam funditus et extinctam volunt. Huccine tui labores et vigiliæ inciderunt ? Sed quid hos incusare, aut de his conqueri opus est ? Sunt ipsi quidem nefandi, ut videtis. Quæ sit horum vita moresque cognovimus : locus in alios dicendi non erit, si se respiciant, ut tamen tam libere obloquantur, tam severe in nostros mores novi Catones vitamque invehantur ». Et paulo post :

5. « Postquam omnia conturbarunt instituta nostræ religionis, ritusque everterunt, fato omnia subjecerunt. Nostris insuper nos telis lacessunt, Scripturam sanctam, quæ nostra sunt arma, in nostrum exitium convertunt, mutilando, lacerando, intorquendo (factum impudens quis non aspicit et detestabile, quid tandem postea ?) Scripturæ sanctæ in manibus impii tela sunt plumbea, quæ objecta clypeo veritatis nullo negotio retunduntur ». Nonnullis interjectis de eorum hypocrisi ita queritur : « Dum fucis verborum dolosis, dum severitate accersita, dum veteratoria frontis tristitia illudentes, dum sua dogmata et miracula quædam, nunc horum, nunc illorum auribus instillantes, quid dico aniculas ? robustos quosdam, imo universas civitates in perniciem trahunt, etc ».

Cum finem dicendi fecisset, subdunt Acta :

« Recitata fuit per me Angelum Massarellum secretarium nomine illustrissimorum legatorum admonitio, seu hortatio ad patres super his, quæ in celebratione Concilii generalis perpendenda et facienda sunt a prælatis ipsius Concilii ». Quæ admonitio incipit : *Cum ipsa muneris nostri ratio.* Excusa est typis, atque in editione Binii male in sessionis primæ Actis collocata.

6. Promulgatum fuit in eadem sessione decretum de vita sanctiore ducenda, et modestia in Concilio, quatuor canonibus distinctum [1] :

Canon I.

« Sacrosancta Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, in ea præsidentibus eisdem tribus Apostolicæ Sedis legatis, agnoscens cum B. Jacobo Apostolo, quod [2] *omne datum optimum, et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum,* qui iis qui postulant a se sapientiam, *dat omnibus affluenter, et non improperat* eis, et simul sciens,

[1] Pallavic. tom. I. l. VI. c. 1. num. 2, 3, 4. — [2] Acta Concilii ut sup.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 18. — [2] Jac. I.

quod [1] *initium sapientiæ est timor Domini,* statuit et decrevit omnes et singulos Christi fideles in civitate Tridentina congregatos exhortandos esse prout exhortatur, ut malis et peccatis hactenus commissis emendare, ac de cætero in timore Domini ambulare [2], et *desideria carnis non perficere,* orationibus instare, sæpius confiteri, Eucharistiæ Sacramentum sumere, Ecclesias frequentare, præcepta denique Dominica, quantum quisque poterit, adimplere, necnon quotidie pro pace principum Christianorum et unitate Ecclesiæ privatim orare velint: episcopos vero et quoscumque alios in ordine sacerdotali constitutos, Œcumenicum Concilium in ea civitate concelebrantes, ut assidue in Dei laudibus incumbere, hostias, laudes et preces offerre, sacrificium Missæ quolibet saltem die Dominico, in quo Deus lucem condidit, et a mortuis resurrexit, ac [3] Spiritum sanctum in discipulos infudit, peragere satagant facientes, sicut idem Spiritus sanctus per Apostolum præcipit [4], obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro SS. D. N. papa, pro imperatore, pro regibus et cæteris qui in sublimitate constituti sunt, et pro omnibus hominibus, ut quietam et tranquillam vitam agamus, pace fruamur, et fidei incrementum videamus. Præterea hortatur, ut jejunent saltem singulis sextis feriis in memoriam passionis Domini, et eleemosynas pauperibus erogent; in Ecclesia cathedrali singulis feriis celebretur Missa de Spiritu-Sancto cum litaniis et aliis orationibus ad hoc institutis; in aliis vero Ecclesiis eadem die dicantur ad minus litaniæ et orationes; tempore autem quo sacra peraguntur, collocutiones et confabulationes non fiant, sed ore et animo celebranti assistatur.

Canon II.

« Et quoniam [5] oportet episcopos esse irreprehensibles, sobrios, castos, domuique bene præpositos, hortatur etiam, ut ante omnia quilibet in mensa [6] servet sobrietatem moderationemque ciborum; cum in eo loco sæpe otiosi sermones oriri soleant, ut in ipsorum episcoporum mensis divinarum Scripturarum lectio admisceatur: familias vero suas unusquisque instruat et erudiat, ne sint rixosi, vinosi, impudici, cupidi, elati, blasphemi et voluptatum amatores: vitia demum fugiant et virtutes amplectantur, et in vestitu, et cultu, et omnibus actionibus honestatem præ se ferant: sicut decet ministros ministrorum Dei.

Canon III.

« Ad hæc cum hujus sacrosancti Concilii præcipua cura, sollicitudo et intentio sit, ut, propulsatis hæresum tenebris, quæ per tot annos operuerunt terram, Catholicæ veritatis lux, Jesu Christo [1] qui vera lux est annuente, candor puritasque refulgeat, et ea quæ reformatione egent, reformentur; ipsa Synodus hortatur omnes Catholicos hic congregatos et congregandos, atque eos præsertim qui sacram litterarum peritiam habent, ut sedula meditatione diligenter secum ipsi cogitent, quibus potissimum viis et modis ipsius Synodi intentio dirigi et optatum effectum sortiri possit, quo maturius et consultius damnari damnanda, et probanda probari queant; ut per totum orbem omnes uno ore et eadem fidei confessione glorificent Deum Patrem Domini nostri Jesu Christi.

« In sententiis vero dicendis juxta Toletani Concilii statutum, in loco benedictionis considentibus Domini sacerdotibus nullus debeat aut immodestis vocibus obstrepere, aut tumultibus perturbare; nullis etiam falsis, vanisve, aut obstinatis disceptationibus contendere; sed quidquid dicetur, sic mitissima verborum prolatione temperetur, ut nec audientes offendantur, nec recti judicii acies perturbato animo inflectatur.

Canon IV.

« Insuper ipsa Synodus statuit ac decernit, quod si forte contigerit aliquos debito in loco non sedere, et sententiam, etiam sub verbo *Placet*, proferre, congregationibus interesse, alios quoscumque actus facere Concilio durante; nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur ».

7. *Prohibetur ne episcopi per procuratores Concilio assistant.* — His subdunt Acta perlectum fuisse ab episcopo Castellano Diploma Pauli III, quo prohibitum est, ne episcopi procuratoris opera in Concilio compareant: præcipua ejus pars concepta est his verbis: « Habita cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de eorum consilio et assensu patriarchas, archiepiscopos et episcopos ac abbates, et alios, quibus in Conciliis generalibus residendi, et in iis sententias dicendi, ut præmittitur, permissa est potestas, de novo monemus et hortamur, ac in Domino requirimus, eisque non solum sub perjurii et aliis pœnis prædictis, verum etiam sub suspensionis a regimine et administratione Ecclesiarum, quibus præsunt, et aliarum dignitatum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, quorum ratione iis locus in Concilio, et potestas sententias in eo dicendi permittitur, per eos obtentorum, necnon interdicti ingressus Eccle-

[1] Psal. CIII. — [2] Galat. V. — [3] Actor. II. — [4] II Tim. II. — [5] I Tim. III. — [6] Tit. I.

[1] Joan. I.

siæ sententiis per eos, nisi præsentibus cum effectu paruerint, eo ipso incurrendis, districte præcipiendo mandamus, quatenus mandatis procurationum per eos hactenus factis, vel in posterum faciendis, quæ omnino revocare, et eorum revocationem procuratoribus per eos constitutis, aut in Concilio hujusmodi intimare sub eisdem pœnis et sententiis teneantur, minime attentis, ipsimet personaliter per seipsos, et non per procuratorem aut procuratores, nisi forte justo detineantur impedimento : quo casu procuratorem ad se in eodem Concilio excusandum, et de eorum impedimento fidem legitimam faciendum, ita tamen quod eodem impedimento cessante, ipsi personaliter, et non per procuratorem vel procuratores, ad hæc omnino teneantur, constituere possint, quanto citius poterunt ad eamdem civitatem Tridentinam accedere, et prosecutioni celebrationis Concilii hujusmodi adesse et interesse velint, nec mandata procurationum pro aliquibus prælatis aut aliis vocem, ut præfertur, habentibus, nisi justo impedimento detineantur, et tunc ad eorum impedimenta dumtaxat deducendum et probandum, recipere aut acceptare præsumant. Nos enim omnia et singula mandata per eosdem prælatos et alios, ut præfertur, vocem habentes, ad aliud, quam ad eorum justum impedimentum in Concilio hujusmodi allegandum et probandum hactenus facta et in posterum facienda, nulla, irrita et inania, nulliusque roboris vel momenti fore, ac solum prælatos, et alios vocem, ut præfertur, habentes, in dicto Concilio præsentes, et non alios, etiamsi ab eis mandata cum quacumque, etiam plena et libera facultate, et potestate habuerint, vocem in dicto Concilio habere ; sicque in præmissis omnibus et singulis per quoscumque quavis auctoritate fungentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi auctoritate et facultate, judicari et interpretari debere, et quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDXLV, XV kal. Maii, Pontificatus nostri anno XI ».

Addunt Acta : « Qua Bulla lecta, idem reverendissimus dominus episcopus Castellanus legit successive Breve sanctissimi domini nostri, per quod sua Sanctitas mandat reverendissimis et illustrissimis dominis præsidentibus et legatis, ut aperiant Concilium, quod est hujusce tenoris [1] :

8. *Leguntur Bullæ facultatum legatis concessarum ut ipsi aperiant Concilium.* — « Paulus papa III venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino, et dilectis filiis Marcello, tit. S. Crucis in Hierusalem, ac Reginaldo S. Mariæ in Cosmedin diacono cardinalibus, nostris et Apostolicæ Sedis legatis.

« Anno superiore secuta Dei munere pace inter serenissimum Cæsarem et regem Christianissimum, nos sperantes Concilium Universale celebrari posse, ejusdem Concilii suspensionem sustulimus, illudque in Dominica *Lætare* proxime præterita inchoandum et celebrandum esse decrevimus. Cum autem ob subsecutas postea justissimas illas quidem, et ipsammet religionem concernentes rationes et causas, ipsam celebrationem in hanc usque diem distulerimus, et nuper ipsis causis cessantibus, ipsum Concilium in Dominica *Gaudete* Tertia præsentis Adventus, aperiendum, inchoandum et prosequendum esse de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio decrevimus, id vobis per præsentes nostras significare voluimus ; vobis injungentes, ut ad aperitionem et inchoationem, prosecutionemque dicti Concilii in dicta Tertia Dominica præsentis Adventus, juxta formam litterarum nostræ indictionis, ac facultates vobis desuper a nobis concessas in Dei Omnipotentis nomine procedatis etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die IV Decembris MDXLV ».

9. *In designanda Synodo adoptantur hæ voces tantum :* Œcumenica et Generalis. — Habita est congregatio die XIII Januarii [1], in qua mota est controversia, an Concilium Tridentinum universalem Ecclesiam repræsentaret, de qua cardinalis de Monte peroravit, vetustiora Concilia, splendidioribus licet illis verbis usa non fuissent, nullam tamen moveri dubium, quin universalem Ecclesiam repræsentarint (text. in cap. *Majores* XXIV quæst. I), ex usurpato vero eo nitidiore verbo posse Ecclesiæ hostes nobis odium atque invidiam conflare, cum Cæsaris Galliæque regis oratores nondum ad Concilium accessissent, atque in ludibrium adducere, triginta plus minus episcopos universalis Ecclesiæ titulos sibi adscivisse ; cumque Pontifex hanc Synodum Universalem et Œcumenicam appellarit, ab eo nomine ab ipso indicto discedendum non videri.

His addidit Marcellus cardinalis tit. S. Crucis Constantiensem Synodum non usam eo splendido titulo nisi in gravioribus causis, videlicet in citatione contra Hieronymum de Praga, in condemnatione errorum Joannis Hus, et cum adversus Joannem XXIII a Patribus proclamatum fuit : Pontificiumque mandatum indictionis forma circumscriptum, ideoque extra eos limites splendidiorem titulum non affectandum.

Tum Reginaldus cardinalis Anglus pie patres admonuit, ut quæ Dei forent, non sua quæ-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3190. p. 39.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3205. p. 29. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1790. p. 21.

rerent; multos deesse suo muneri, qui nunquam suorum episcopatuum Ecclesias vel raro perlustrarint : nec ex virtute humana, sed ex Deo bonum aliquod in Synodo expectandum, nec utili, vel honesto, vel necessitate Synodum cogi ad eos titulos sibi adscribendos, cujus sententiam laudavit Tridentinus cardinalis. Tum subjecit cardinalis Giennensis sibi nullum dubium occurrere, quin Tridentinus consessus licet exiguus universalem Ecclesiam repræsentet, ac demonstrare posse eum titulum vetustis temporibus frequentatum, cum constet Apostolos nomine Synodi scripsisse in hæc verba : *Placuit Spiritui sancto, et nobis, et toti Ecclesiæ:* cæterum in præsenti casu nulla Patres urgeri necessitate, ut eum titulum adjungant. Ferme omnes eamdem amplexi sunt sententiam, decretumque est, ut prætermissis iis verbis, adderentur tantum in decreto hæ voces *OEcumenica et generalis.*

10. *Agitatur inter Patres de modo et ordine procedendi, et iterum de titulo decretorum.* — XVIII ejusdem mensis Januarii habita est Congregatio generalis, in qua magna contentione actum inter Patres de ordine procedendi in Concilio Tridentino [1], cum Tridentinus cardinalis et alii censerent a constituenda emendatiore forma morum inchoandum, quod ex corruptis Ecclesiasticorum moribus hæresis emersisset, vocandosque ad Concilium Lutheranos, ut ipsi quoque morum vitia emendarent. Alii vero colligendas esse novatorum hæreses, ut damnarentur : ante omnia vero sollicitandos litteris imperatorem ac reges, ut oratores ad Concilium mitterent. Subdunt Acta : « Archiepiscopus Aquensis, et alii prælati Galli in primis salutarunt sanctam Synodum nomine regis Christianissimi, eique de propenso animo, quem Synodus erga majestatem suam superioribus diebus lapsis declaravit, gratias egerunt ». Rogarunt vero ne graviora tractarentur, antequam regii oratores et alii prælati accessissent, inchoandumque a dogmatibus censuere.

Inter alios præsules Thomæ Campegii Feltrensis auctoritas potissimum eminebat; hic ut de dogmatibus fidei ac de morum disciplina una simul ageretur, Patribus suggessit; cui sententiæ major pars applausit. Quare legati, qui Pighinum antea consuluerunt, an episcopis de dogmatibus et de reformatione simul pertractandum esse sentientibus ipsi contradicere potuissent, hocque minime ipsis licere ab eodem audierant, in hanc ultro sententiam defluxerunt. In sequenti itaque congregatione cardinalis de Monte Patribus proposuit, an omnibus placeret tractationem dogmatum fidei cum restauratione morum conjungendam, ut decretum de hac re in sequenti sessione promulgandum institueretur? Mox Tridentinus insurrexit, suamque opioninem validis rationibus propugnare percupiens, virorum Ecclesiasticorum reformationem ad reducendos hæreticæ pravitatis asseclas ad Orthodoxæ religionis semitam præstantissimum fore medium pluribus inculcavit. Cumque hujusmodi assertio maximum apud Patres excitasset plausum, Concilii præses prudenti usus consilio Deo Optimo Maximo gratias agere fassus est, quod Tridentini mentem tam piis Ecclesiasticoque præsule dignis imbuisset sensibus, nempe ut Catholicorum morum restauratio ab ipsis, potioribus videlicet Ecclesiæ membris, foret incipienda. Mox ut aliis, quibus in Synodo præerat, ipsemet exemplum præberet, a Papiensi præsulatu sese abdicare, splendidiore suppellectili expoliare, atque nimiam famulorum turmam dimittere paratissimum coram Patribus sese exhibuit, cæterosque ad hujusmodi abdicationem animavit. Verum non modo Romanæ aulæ, sed totius Ecclesiæ restaurationi incumbendum esse, plures in quolibet Ecclesiastico ordine abusus reperiri, arduam hanc provinciam, nimisque prolixo indigere tempore : propterea, ut tot in tenebris hæresum miserrime jacerent sepulti, amplius ab ipsis non permittendum esse subjecit. Mirum fuit! mox Patres fere omnes verbis ac potissimum exemplo cardinalis a Monte permotos, ejus sententiæ adhæsisse [1] : adeo ut Tridentinus solus in arena derelictus, neminem suo sermone permovere potuerit, neque de episcopis duas Ecclesias administrantibus vituperatis sese excusaverit.

Decretum itaque fuit in Congregatione habita XXII Januarii ut simul de dogmatibus et reformatione ageretur, atque a dogmatibus inchoandum, tum ut errantes in viam salutis reducerentur, tum ut Catholici contra hæreticorum fraudes communirentur : ostendit cardinalis de Monte, ita in Concilio Chalcedonensi, licet corrupta hæreticorum disciplina ex pravis moribus originem traxisset, nihilominus Patres primum de fide, deinde de moribus egisse, quæ cardinalis Polus confirmavit his verbis [2] : « Videri omnino impossibile tractari revera de moribus omisso tractatu de religione; qui enim mores esse possunt sublata religione aut collapsa? sic namque, si paulo altius inspexerimus, intuebimur Deum ipsum dantem duas tabulas Moysi, quorum prima et præcipua fidem continebat et religionem; secunda vero mores; sic Dominus noster Jesus Christus quando misit discipulos ad prædicandum, dixit : *Ite, et prædicate Evangelium omni creaturæ*, non dixit in moribus instituendis, quoniam sciret, ubi religio integra sit, difficile posse malos mores locum habere ».

[1] Tom. XIX. de Conc. sig. num. 3209. p. 31.

[1] Ib. p. 32. — [2] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. p. 36.

11. Sed cum Pontifex justis de causis simul optaret, ut de solis dogmatibus, et non simul de reformatione ageretur, ideo legati ut ostenderent, quod recto consilio decretum fuerit simul et de dogmatibus et de reformatione tractare, cardinali Farnesio significarunt secunda Februarii rationes, quibus fuerant adducti ut illi decreto subscriberent. Primum (inquiunt) ne incideremus in foveam, quam declinare studebamus, nimirum, ne Patres judicarent de sola reformatione agendum esse : et experientia docuit, non frustra eum timorem animis ipsorum insedisse : cum necessitas nos adegerit, pluribus Cæsareis præsulibus claritate nominis ac dignitate conspicuis contendentibus, soli constituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ castigandisque corruptelis incumbencumbendum, omni studio viriumque contentione adversari. Secundo, quia prohibere non potuimus, ne Synodus breviorem utilioremque tractandarum rerum ordinem induceret, qui magis ad finem in suæ Sanctitatis Diplomate expressum, scilicet hæresum extirpationem reformationemque, attingendum conduceret. Tertio, in hoc rerum statu gravissimum imminebat discrimen, quod omnino declinandum erat; ne si in ea sententia fixi perstaremus, ut de solis dogmatibus fidei ageretur, conjunctio nostra cum Synodo dirimeretur, cum maxima Pontificii nominis invidia et publico odio : Synodus vero elata populari aura, ac jugo papali, ut iniquo et non ferendo, necnon publicæ saluti inutili excusso, absque legatorum præsidum consensu nostra imperia contestationesque contemptu proterens, ad tractandam reformationem progressa esset : ex quo quantum vulnus ac detrimentum accepisset Sedes Apostolica facile perpendi potest. Deinde vero cum redintegranda fuisset concordia inter Pontificem et Concilium, media ratio amplectenda erat, ut unum extremum cum alio conjungeretur, consentiendumque, ut de duobus capitibus dogmatum et reformationis tractaretur : quod ergo tunc exacte, et cum maximo Sedis Apostolicæ dedecore agendum manebat, nunc sponte cum maxima suæ Sanctitatis gloria et honore Sedis Apostolicæ gestum apparet. Quarto, ut nobis viam facilem atque expeditam muniremus, qua suæ Sanctitatis imperia felicius in opus provocentur. Denique prius de dogmatibus agetur, quibus ea reformationis pars, quæ ad Romanam Curiam spectat, connectetur, quam sua Sanctitas sponte perficere poterit. Quinto, dum reformationi sive sanctitati morum revocandæ libenter incumbimus, melius res (uti convenit) peragetur, quam si ab ea abhorrere ostenderemus : consulentes vero tantæ rei honestati ac dignitati, Pontificium decus augemus, existimationemque atque auctoritatem nobis in Concilio comparamus : cujus beneficio quidquid optatur, cum pace recto ordine ad optimum exitum perducetur. Sexto, prospicietur felicius rebus Germanicis, quarum cura et sollicitudo adeo Pontificio animo insedit, ut ad eas restituendas Sedes Apostolica existimarit, cogendum esse Tridenti Concilium : atque adeo propter propositionem ab imperatore in conventu Wormatiensi mense Martio anni præteriti celebrato expositam, atque edictum inde promulgatum, et propter colloquium Ratisbonense, de quo modo agitur, ordinumque imperii cœtus mox celebrandos, tum ob convitia ab hujusmodi hominibus effundenda, si vel de dogmatibus tantum, vel de sola reformatione in Concilio tractatum iri videretur ; causæ etenim omnium malorum, quæ ex colloquio inter doctores Catholicos et Lutheranos secuto conventu dimanarent (et utinam nulla redundent!) in nos conjicerentur; ac de nullo, qui Lutheranorum partibus adhæresceret, expostulare possemus, qui statim excusationem in os nobis objicerent, non adhibitum remedium a Concilio in tanto Germaniæ morbo, qui nullam moram pati poterat, nec valeret excusatio ignorantiæ, quia protestatio vel similium contestatio in memorata propositione nobis denuntiata est. Si Concilium strenue restituendæ disciplinæ non incumbat, ipsos reformationis sanciendæ munus aggressuros ; cum in hoc rerum discrimine, Germania hæresum ardens incendio salva consistere non possit; ac præterea libros nuper a Lutheranis editos consentire veritati fateremur, quibus sparsere in vulgus, Concilium non cogi ad Ecclesiæ corruptelas castigandas, pravosque mores ad pristinum sanctitatis nitorem revocandos, sed ad placita Lutherana damnanda ; cum vitam solutiorem ut prius ducere velimus, de qua fama increbrescente opinioneque confirmata multi præsules, tum maxime Sidoniensis, vir exaggeratæ virtutis ac prudentiæ, nos graviter præmonuerant. Septimo, Concilium habiturum est progressum, vel non : si ad ulteriora progrediatur, ad reformationem constituendam cogere poterit; cum itaque necessario illa sit sancienda, præstantius est illam cum publica laude decernere, Christianumque populum in officio et Ecclesiæ obsequio continere, cum viderit nos prompto et alacri animo pro instauranda primæva morum sanctitate sedulam operam collocare, quo prætermisso labore, præsules, qui Tridento animis male affecti discederent, per varias provincias famam nostram atrocius etiam quam hæretici lacerarent; observantia quoque erga Sedem Apostolicam obsolesceret, perfrigesceret amor, atque etiam jactura proventuum, qui ad Curiæ officiales derivantur, damna quæ severa reformatio inferret, multo amplius superaret. Octavo, non deerit suæ Sanctitati spatium temporis, quo ipsa reformationem Curiæ componat; dum in-

terim modi illius perducendæ ad exitum Tridento Romam transmittuntur : duos autem modos descripsimus, ut præstantior seligatur, vel aptior inveniatur. Nono, constabat perspicuis argumentis, nunquam Concilium solas reformationis leges, pressis silentio dogmatibus fidei, admissurum ; quanquam privati et magni principes (quibus verbis Cæsar et ejus proceres designantur) divina suis commodis dimetientes ardentiore studio expeterent, ut dogmatum hæreticorum damnatio differretur.

Antequam has litteras accepisset Pontifex, aliis legatorum monitis ad æquitatem mentem inflexerat, assensumque præstiterat, ut una cum dogmatibus etiam de reformatione ageretur, ut ex litteris legatorum quarta Februarii datis enitescit.

12. « Die XXIV Januarii in alia Congregatione generali præsides Concilii proposuere [1] : « Qua via et quibus modis sit procedendum ad examinationem et discussionem utriusque causæ, an per aliquot prælatos vel sorte, vel viva voce, vel per scrutinium, vel quavis alia ratione deputandos, et coram reverendissimis dominis tribus præsidentibus congregrandos ; et an per totam Synodum divisam in tres classes congregandas, coram quolibet eorumdem dominorum præsidentium, pari numero, eadem hora, et super eisdem articulis ». Decretum est per tres classes procedendum, deligendos tamen aliquos, qui adducenda in consilium in examen revocent, postea actum est de prorogatione futuræ indictæ sessionis.

XXIX Januarii fuit Congregatio [2], in qua fuerunt lectæ ab episcopo S. Marci litteræ sanctæ Synodi ad S. D. N., ad imperatorem, ad regem Christianissimum, ad regem Romanorum, ad regem Portugalliæ et ad regem Poloniæ conscriptæ, in quibus omnes principes graviter et erudite hortabatur ad favendum huic Concilio, ad excitandos prælatos eorum, et cætera hujusmodi : Pontifici vero maximæ gratiæ agebantur ob præclara studia adhibita pro pace in populo Christiano conservanda : atque etiam hortabatur, ne ab incœptis desisteret, prælatos vero omnes iterum moneret, ut quam primum ad Concilium accederent. Lectis litteris graves dictæ fuerunt a Patribus sententiæ. Placebat cardinali Tridentino, ut litteræ quæ ad regem Romanorum destinatæ erant, ejus egregia adversus Turcas facinora uberiori laudum præconio celebrarent ; itemque ut admoneretur ad excitandos reliquos Germaniæ principes, ut se ad Concilium conferrent, quod et in litteris ad regem Poloniæ directis a plerisque desideratum fuit. Giennensis vero cardinalis urgebat, ut in litteris ad Cæsarem scriptis adderentur preces, ut præsentia sua Concilium cohonestaret.

13. Cæterum exarsit gravis controversia inter Patres, ut quæ videlicet litteræ prius essent perlegendæ in Sessione, an eæ, quæ regi Romanorum, an quæ Christianissimo regi dirigebantur? Consultius itaque visum est post aliquot altercationes, in solemni congressu ab iis perlegendis abstinere.

Deinde actum fuit de modo eligendi prælatos per classes distinctos : quæ electio delata fuit reverendissimis et illustrissimis dominis legatis.

Secunda Februarii [1] coactæ sunt singulares Congregationes in tres classes distinctæ eadem hora, ac disceptatum, an decreta promulganda extrahenda essent, donec ampliores cœtus essent, sancitumque, ut de professione fidei decretum ederetur, absentiumque ratio haberetur.

Tertia Februarii eadem proposita sunt in Congregatione generali, quæ in particularibus, eademque in proxima sessione sancienda constitutum est.

14. Instaurata tunc iterum de titulo decretorum controversia a Fesulano, Caputaquensi et Pacensi episcopis, qui efflagitarunt, ut adderentur ea verba, *Universalem Ecclesiam repræsentans,* ad conciliandam decretis Synodi majorem auctoritatis speciem. Sed major pars dissensit ; satis enim judicavit, si decretum sic inscriberetur : *Sacrosancta Œcumenica et Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata.* Profitente vero Fesulano, stare sibi fixam priorem sententiam, nec ab ea discessurum, licet major pars sibi repugnaret, ne conscientiæ suæ vim afferret, tum cardinalis Polus ita fatus est : « Quod conscientia alicui dictat, proferendum quidem est, verum postquam semel atque iterum et tertio quis sibi satisfecerit proferendo opinionem suam, et aperte cognitum ejus dictum a majori parte non solum non probari, sed omni conatu reprobari, potest ac debet ille opinionem suam dimittere, et quod amplius est, a malo est (1) ».

15. *Tertia sessio in qua legitur decretum de*

[1] Ibid. to. XIX. p. 35. et aliud Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 112. Diar. Conc. Trid. p. 68. — [2] Ms. arch. Vat. sig. n. 3209. p. 36. to. XIX. de Conc. et aliud Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 112. Diar. Conc. Trid. p. 36. Ms. Franc. card. Barber. sig. 1799. p. 30. et aliud Ms. sig. num. 23. Ms. card. Pii.

[1] To. XIX. p. 37. et to. sig. num. 3232. p. 113. et Diar. Conc. Trid. p. 26. et in Actis Congregationum p. 69. Ib. p. 39.

(1) Alterius hujus sessionis Tridentinæ historiam fuse satis et diligenter annalista persecutus est. Unum superest addendum de numero Patrum qui suffragia in sessione hac dederunt; qua in re inter scriptores non satis convenit. Petrus Soavius vel, si mavis, P. Paulus Sarpi in pervulgata Concilii Tridentini historia diserte scribit adfuisse ex Patribus suffragia ferentibus tres et quadraginta, theologos ad viginti circiter, nobiles viros decem. Id vero inter cætera Suavii mendacia accensendum contendit Pallavicinus Hist. Conc. Trident. lib. VI, cap. 5 affirmans Patres quidem adstitisse tres et quadraginta, theologos quinque super triginta, nobiles septemdecim. Verum Joannes Curtem-

symbolo fidei. — Tertia sessio celebrata est die quarta Februarii [1], in qua præter memoratos legatos ac præsules insignes, duo alii cardinales, Christophorus Madrutius Tridentinus, et Petrus Pacecchus Giennensis episcopi, necnon aliqui alii antistites interfuere. Ambrosius Catharinus Politus Senensis piam orationem habuit, qua Patres hortatus est ad consectandam sanctiorem vitam, exemplo B. Petri, « Qui etsi ter Dominum negavit, conversus tamen in se est et pœnitentiam egit ».

Perlectum deinde est a Salvatore Alexio decretum de Symbolo fidei [2], quo Romana Ecclesia utitur, quo veluti inexpugnabili propugnaculo adversus hæreticorum assultus munitur, quo veluti clypeo omnia impiorum tela retundit, in quo, veluti principio, omnes, qui fidem Christi profitentur, necessario conveniunt, quod denique fundamentum est firmum atque unicum, contra quod inferorum potestates nunquam sunt prævalituræ. Cum vero perlatum esset plures præsules iter ad Synodum suscepisse, extracta est quarta sessio in diem octavum Aprilis, ut decreta majori veneratione susciperentur, quo majore Patrum numero essent promulgata. Navata tamen interea est opera discutiendis et in examen adducendis iis, quæ in Synodo decernenda viderentur.

16. Legati vero in Epistola, quarta Februarii, causam adduxerunt, propter quam in tertia sessione fidei decretum solummodo firmaverunt : « Decretum (inquiunt) de fidei symbolo sancitum fuit : primo, ut antiquorum Conciliorum vestigia sequeremur, postea ne ista sessio absque aliquo decreto celebraretur ». Narrarunt etiam in eadem Epistola quid acciderit in sessione, addentes : « Quoad hujus diei decreta, omnes, præter episcopos Fesulanum, Caputaquensem et Pacensem, qui scriptum votum ad majores turbas evitandas dederunt, veterem decretorum inscriptionem approbarunt ».

Mota etiam controversia, an expoliendorum sanctiorum morum, castigandorum vitiorum, tollendarumque corruptelarum leges Romæ a Pontifice, an Tridenti in Concilio Œcumenico ferendæ essent? ac multis ultro citroque litteris Tridento Romam, Romaque Tridentum transmissis, re diligenter excussa, decretum est, ut Tridenti de causis dogmatum ac morum excolendorum ageretur. Licet nonnulli expeterent magis Romæ de corruptelis emendandis agi : atque imperator non de dogmatibus Tridenti, ne efferarentur Lutherani cum se damnari a Concilio acciperent, sed de moribus ad puriorem sanctioremque formam revocandis agendum flagitaret.

17. *Cur non fuerit adjectum decreti titulo* Universalem Ecclesiam repræsentans, *et non simul cum decretis de reformatione decreta de fide proposita fuerint.* — Octava Februarii coacta est prima post sessionem tertiam Congregatio generalis, in qua Joannes Maria legatus cardinalis Patribus fuse ostendit, quare decreti titulo non fuissent adjecta ea verba *Universalem Ecclesiam repræsentans* [1] :

« Cardinalis de Monte », inquiunt Acta, « dixit de titulo decretorum promulgatorum, quod si recte inspiciatur, satis amplum esse et decorum apparebit, cujus rei testes locupletissimi nobis sunt, ut sæpius dictum est, antiqua omnia Concilia, quorum nullum reperitur usum fuisse hoc, qui a nobis efflagitatur, titulo. Nec quisquam exemplum Concilii Constantiensis nobis objiciat, quoniam vel diversa ratio est in illo tempore schismatis congregato, et in isto, quod sub vero, solo et indubitato papa convocatum fuit. Addamus, quod Synodus illa Constantiensis non dicit verba illa de omnibus Conciliis, sed de se tantum loquitur. Sed quidquid sit, habemus posteriora exempla, Concilii scilicet Florentini et Lateranensis, in quibus nunquam tali titulo Synodus, præsente papa, usa est, quod tamen magis facere poterat. Quamobrem hortor et precor eos, qui dissenserunt, ut velint tandem sententiæ majoris partis acquiescere, nec ultra de re tam frivola, tamque nullius momenti verba facere, et rerum graviorum cursum et tractatum impedire ». Assensisse Patres legato subdunt Acta : « Quibus rationibus moti aliqui prælati, qui in ipsa præterita sessione dixerunt, se omnino velle, quod verba illa addantur, mutaverunt sententiam et se acquiescere majori parti Patrum ostenderunt ».

18. Deinde idem cardinalis præses rationes attulit, ob quas decretum de dogmatibus fidei una cum reformatione tractandis proponere Patribus omisisset, quorum plures de hac re questos fuisse intelligebat : nempe ab ampliore præsulum conventu tam gravis decreti promulgationem emanare debuisse ; nullum tamen ex hoc silentio ortum fuisse rectæ disciplinæ detrimentum, cum eadem quantocius operibus ipsis magis constabilienda foret : præcipue quia in Pontificis Bulla omnes fere causæ pro ape-

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 115. et seqq. Ms. card. Barber. et Ms. card. Pii. — [2] Acta typis excusa.

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 120. Acta Congreg. Conc. Trid. Ang. Massarell. in Diar. Conc. Trid. p. 37. et in Actis Congr. p. 71. Ms. card. Francisci Barb. sig. num. 1799. p. 35.

broche Gandavensis, qui cum Concilii Actibus omnibus interfuerit, Latinos eorum Commentarios scripsit, quos junctim cum Actibus ab Angelo Massarello descriptis PP. Marteue et Durand vulgarunt Monum. to. VIII, scriptor, inquam, ille sessionem hanc, quam primam signat, cum alii secundam appellent, constitisse scribit « ex Patribus quadraginta septem, et doctoribus triginta septem ».

Idem pariter Curtembroche sessionis tertiæ, vel ut ille supputat, secundæ Patrum numerum ita definit : « Adfuerunt Patres quadraginta quinque, doctores triginta quinque ». MANSI.

riendo Concilio recensebantur, quas præfatum illud decretum continebat. Tum Asturicensis episcopus, addiscendi potius (ut ipse aiebat) quam impugnandi decreti gratia legatum interrogavit, qua auctoritate decretum ab omnibus Patribus ita confirmatum permutasset? Cui blande cardinalis respondit, non modo Apostolico legato, verum etiam cuilibet episcopo permitti, ante decreti promulgationem ejus mutationem proponere coram Synodo, ejusque judicio discutiendam relinquere. Amplissimas deinde legatorum a latere facultates tunc recensere omittebat, cum ad graviora negotia peragenda urgeretur.

19. *Explanatur quæstio de Scripturæ et Traditionum auctoritate necnon de Vulgatæ versionis sinceritate.* — In eadem Congregatione Patres consensere, ut sacrorum sive canonicorum librorum catalogus texeretur ex formula a sanctis Patribus, ut in secundo Concilio Carthaginensi, et in Conciliis a Gelasio et Innocentio Pontificibus, et postremo in Florentino, præside Eugenio IV, in Diplomate ad Armenos et Jacobitas dato. De traditionum etiam Ecclesiasticarum tuenda auctoritate actum est, coercendaque eorum licentia, qui sacris Scripturis alienum sensum ex proprii intellectus audaci interpretatione affingunt; data imperia concionatoribus, ut Scripturas ex communi Ecclesiæ sensu interpretentur, tum sortes ac superstitiones omnes in die Epiphaniorum ab impiis inductæ tollerentur.

20. XII Februarii [1] fuit Congregatio generalis, in qua cardinalis de Monte præfatus dixit : « Noverunt paternitates vestræ qualiter omnis fides nostra ex revelatione divina est. Hanc revelationem tradidit nobis Ecclesia partim ex Scripturis, quæ sunt in Veteri et Novo Testamento, partim etiam ex simplici Traditione scimus. Igitur, ut omnia ordinate a nobis tradantur, consequens est ut post fidei professionem a nobis factam , Scripturas probemus , quo peracto , deinceps quoque de Traditione Ecclesiastica, quæ sine Scriptura est, in alia tamen Congregatione, discutiemus, et successive, si qui abusus, tum in vertendo ipsas Scripturas, tum etiam, si videbitur, in docendo et prædicando illos invenerimus, eos quoque recidere extra propositum non erit. Nunc de Scripturis agamus, de quibus in particularibus Congregationibus habitus sermo, et ut dicam quid ex conventibus illis hauserimus, omnes fere probarunt, ut omnes libri tam Novi, quam Veteris Testamenti ita probarentur, quemadmodum a pluribus sanctis Conciliis probati fuerunt, et novissime in Concilio Florentino : qua in re rogamus nunc in plena hac Congregatione Patrum sententias.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3233. p. 122. Acta Cong. Conc. Trid. Aug. Mass. in Diar. Conc. Trid. p. 37. et in Act. p. 71. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1977. p. 37.

« Quibus addidit cardinalis S. Crucis : duo ego subjiciam , quæ in mea particulari Congregatione tractata fuerunt, unum est, an facienda sit simpliciter approbatio ipsarum Scripturarum, sicut Florentinum et universa Concilia, an magis distinguendum sit, qui sint libri sacri , ex quibus fundamenta doctrinæ eruantur : qui vero sint Canonici quidem, sed non tales quales priores, sed ideo recepti ab Ecclesia, ut ex iis multitudo instrui possit, quales sunt libri Sapientiæ, liber Proverbiorum, et si qui similes : idque videretur e re esse, quoniam ambiguum est valde, nec adhuc ab Ecclesia determinatum, quamvis et Augustinus, et Hieronymus, et alii veteres sæpius de his nonnulla tradiderint. Alterum est, an sicco pede approbatio ista a nobis facienda sit, an vero additis rationibus et solutis argumentis, quibus adversarii maxime innituntur ad expungendas multas ex Scripturis sacris ; hæ enim ab ipsis potissimum infringuntur, liber Machabæorum, quem penitus rejiciunt, Epistola Pauli ad Hebræos, una Petri, altera Jacobi Epist. Canon., item Apocalypsis, et aliæ quædam ».

Tum dictæ sunt a Patribus sententiæ, in primisque Tridentinus laudavit, ut, tametsi omnes Scripturas, quas Florentinum Concilium numerat, ipse probaret, non tamen omnes probandas censebat, antequam adversariorum rationes audirentur et dissolverentur. At Giennensi contraria placebat sententia, nempe ut nulla habita discussione, nulloque tractatu, ita omnes libri approbarentur, quemadmodum a Concilio Florentino approbati fuerunt , ita ut nullum discrimen inter libros adnotaretur. Cujus sententiam omnes fere secuti sunt ; ita ut nemo de reprobatione librorum dissereret. Aliqui tamen, nec pauci quidem, et in primis Pacensis episcopus disputationem omnino rejiciendam esse dicebat, cæterum disquisitionem faciendam putabat exemplo Apostolorum, qui cum de legalibus legis veteris rejiciendis a nonnullis dubitaretur, conquisitione facta sententiam dixerunt ; quam quidem conquisitionem non ideo fecerunt, ut dubitarent ipsi, sed ut debiles in fide conquisitione illa confirmarentur : ita nos ad exemplum illorum posse nostra tutari et confirmare, adversariorum vero argumenta dissolvere.

Cardinalis de Monte dixit (paulo post) : « Ut vere dicam quod sentio, nunquam mihi placuit hæc conquisitio, quam pati non possum, ut de nostris principiis ineatur disceptatio ». Cui cardinalis Giennensis : « Major (inquit) pars probavit, ne conquisitio fieret omnino » ; id Tridentinus negabat, et nec bene, nec cum dignitate rem tam sicco pede pertranseundam esse censebat, ne adversariis daretur ansa vocandi illud Concilium Papisticum, quod plane facient, si nos ita ire in sententiam cognoverint. Ita multis

nullo ordine disceptantibus res diu protracta est [1] :

Cardinalis Anglicus cum adversus Fesulanum et Asturicensem se convertisset : « Sunt, inquit, aliqui qui nos ut leves et inconstantes, alii ut tardos et in re nihil diutius laborantes accusant : quod profecto non alia ratione illis evenire puto, quod ipsi satis ea quæ tractantur non intelligunt : nam si considerarent hi, quomodo, inquam, omnis nostra religio ab adversariis nostris in dubium revocatur, profecto non parum nos fecisse, neque rem nihil putare, intelligerent in receptione librorum et traditionum, quæ quidem res tanti momenti sunt, ut nihil majoris potuisset fieri ; est enim Ecclesia ista tanquam castrorum acies ordinata, quæ non ante ad bellum neque certamen progredi potest, ni prius ordinetur. Hic nempe est ordo, ut prius nos muniamus armis, deinceps vero ut decertemus cum adversariis : qui quidem ordo omnibus patebit, cum decernendum erit, et quia aliquibus ad descendendum ad hujusmodi abusus renuit, sciat quod expeditis abusibus Scripturarum et Traditionum, erit expedita pars totius negotii nostri, nam abusus Scripturarum sub se continent ordinem et modum prædicandi verbi Dei, et libros ipsos interpretandi : Traditionum vero abusus totam pæne disciplinam Ecclesiasticam respicere videntur, cum et confessiones et omnes cæremoniæ nostræ ad ipsas Traditiones respiciant ».

Censebat jure pars maxima non revocanda in controversiam [2], quæ ab Ecclesia sanctissime recepta fuerant, maxime cum hæreticorum dubia atque argutias Joannes Eckius, Albertus Pighius, et cardinalis Roffensis eruditissime dissolvissent. Alii vero, licet nullatenus receptos sacros libros in dubium revocarent, diluenda tamen eorum sophismata ad æternum iis silentium imponendum opinabantur.

Quare XV Februarii in Congregatione generali eadem quæstio ventilata est, ut referunt Acta.

21. Quod spectat [3] ad excutienda graviore examine argumenta, quibus aliquot libri sacri (ut Esdræ, Machabæorum, Baruch, Epistola Pauli ad Hebræos, secunda Petri, et Apocalypsis Joannis) impugnantur, Patres bifariam divisi sunt ; aliis omnino prætermittendum asserentibus, aliis e contra has rationes adducentibus : quod licet de his, quæ semel per Concilium statuta sunt, disputare minime liceat, ea tamen disceptatio, quæ ad confutandos errores fiat, licita fit et laudabilis, secundum Thomam 2, 2, q. 10. art. 7 et Gloss. in l. *Nemo. c. de Summ. Trin. et Fide Catholica.* Athanasius enim in Antiocheno Concilio cum Ario, prius in Nicæno I Conc. damnato, disputavit ; beatusque Hieronymus cum Luciferiano, quem ex Actis anterioris Concilii devicit, necnon Africanum Concilium sub Bonifacio in instructione, quam legatis suis dederat, attestatur, quod Donatistæ hac de causa fuerunt invitati, ut secum pacifice conferrent, et mansuetudine Christiana, si quid veritatis tenerent, non ambigerent proferre. Cum quibus quidem Augustinus postea disputavit, et nihilominus eorum errores in Nicæno et Africano Conciliis damnati prius extiterant. Filium enim minorem Patre, et hæreticos rebaptizandos censebant, ut in *c. Quidam* 24. *q.* 3. Beatus item Dominicus cum Albigensibus, quorum errores damnati prius fuerant, Tolosæ disputavit. Itemque Macharius, qui in V Synodo damnatus, et Romam relegatus fuerat, a Benedicto Romano Pontifice in disputationem admittitur. Nam Bonifacium consiliarium suum ad eum misit, qui per quadraginta dies commonitoriis verbis ex divina Scriptura instrueret, licet pertinaciter semper permanserit, ut habetur in *c. Convenientibus* 55. Item Petrus 1 q. 7 et quod de semel constitutis ad simplices instruendos disserere liceat, docuit Leo I Ep. 76 ad Leonem imperatorem, cum ait : « Multo gaudio mens nostra exultat », et quæ sequuntur ; ad quod etiam B. Petrus in Ep. I cap. 3 nos monuit, ut *parati semper simus ad satisfactionem omni poscenti nos rationem de ea, quæ in nobis est, spe,* et fide. Beatusque Paulus ad Titum inquit, ut *simus idonei exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.*

At isti e contra censebant, disputare de his quæ fidei sunt et a cunctis Conciliis constituta, infidelitatem sapere *c. Quicumque de Hæreticis libro* 6 quæ disputatio inhibetur per Martianum imperatorem per Constitutionem, quæ habetur in l. *Nemo. C. de Summa Trin. et fide cap.* Item Gelasius in *c. Majores,* 24 *q.* I. decrevit, ut quod contra unamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fidei unione et veritate Catholica promulgasset, non sineret novis retractationibus mutilari. De quo etiam Leo Ep. 42 ad Martianum imperatorem, sic ait : « Nimis iniquum est, ut per paucorum insipientiam ad conjecturas opinionum, et ad carnalium disceptationum bella provocemur, tanquam reparata disceptatione tractandum sit, utrum Eutyches impie senserit, et utrum impie Dioscorus judicarit ». Necnon Ep. 43 ad eumdem inquit : « Unde per ipsum Dominum nostrum Jesum Christum, qui regni vestri est auctor et rector, obtestor et obsecro clementiam vestram, ut in præsenti Synodo fidem, quam beati Patres nostri ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi dubiam retractari, et quæ olim Majorum sunt auctoritate damnata, redivivis non permittatis conatibus excitari ». Quare Paulus Epistola II ad Timotheum refert : *Noli verbis con-*

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 46. — [2] Ib. p. 122. — [3] Ib. p. 123. Diar. Conc. Trid. in Act. Congreg. habitæ XV Feb. MDXLVI. Ms. arch. Vat. Auctore Angelo Massarell. Secretario.

tendere, nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Et paulo post :

Votis perquisitis, a saniori tamen parte in hanc sententiam ventum est, ut libri sacri ante omnia recipiantur omnes, ut in præterita Congregatione decretum fuit, deinde domi privatim ab uno quoque (si velit) fiat aliqualis dictarum rationum discussio et examinatio, ita tamen ut non videatur res in controversiam adduci.

22. Deinde alia quæstio orta est, scilicet, an æqualis fuerit sacrorum illorum librorum auctoritas? Nonnullos enim libros majori honoris gradu habendos esse plerique existimabant : sententiis inquisitis, generaliter suscipiendos pari auctoritate decretum est : « Quod libri sacri (inquiunt) pure et simpliciter recipiantur et numerentur, rationum autem discussio omnino omittatur, non prohibendo tamen, quod unusquisque, si voluerit, privatim faceret aliquam examinationem ».

Habitæ sunt die XVIII Februarii privatæ Congregationes, in quibus de Traditionibus actum ; in sua vero classe, auditis Patribus, cardinalis Sanctæ-Crucis ita peroravit : « Nobis hæc via magis idonea visa est, ut post Symboli professionem, sacri libri tanquam prima fundamenta, ubi omnes nostræ conclusiones firmari debeant, recipiantur. Multa enim ardua et difficilia a sacra Synodo pertractanda erunt, quæ nisi firmis fundamentis stabiliantur, corruerent. Post igitur primum Symboli fundamentum, cætera, quæ restabant principia, sumenda necessario videbantur. Ea autem fidei nostræ principia tria esse inveniemus. Nam doctrinam nostram, nonnisi revelationem quamdam diversis temporibus factam, esse dignoscimus. Patriarchis primum, quorum fidem in sacris Scripturis habemus, hasque Vetus Testamentum nominamus. Procedente tempore placuit divinæ bonitati eadem, et longe plura hominibus per Unigenitum Filium suum revelare, qui non scripto, sed ore, non in charta, sed in corde plantavit Evangelium suum, prout nihilominus iidem Prophetæ prædixerant, et hoc Novum Testamentum dicimus. Eorum tamen quæ a Christo emanarunt, quædam Scripturæ demandata, quædam in cordibus hominum relicta fuerunt, hocque secundum principium est fidei nostræ.

« Tertium autem , quoniam non semper Filius Hominis nobiscum mansurus erat, Spiritum sanctum suum in mundum misit, qui Dei secreta, et quæ dubia apud homines erant, declararet. Quibus omnibus diligenter consideratis, ad eadem principia suspicienda ingressi sumus. Sed quoniam dicta principia in Veteris et Novi Testamenti Scripturis consistunt, easdem Scripturas in primis cum Dei benedictione suscipimus. Cæterum eorum quæ ab Apostolis inter homines profecta sunt, nonnulla facta et non scripta credimus. Igitur multa dicta, et non scripta fuisse fateri debemus. Apostoli enim adeo prædicationibus intenti erant, ut propriæ etiam mensæ non ministrarent, quæ quidem rationes plurima, quæ a Domino ad Apostolos, et ab Apostolis ad nos devenerunt, scripto minime demandata esse demonstrant ; quare a traditionibus prius incipiendum suaderi debemus. Nihil tamen inter Scripturas sacras et Apostolicas traditiones differt, illæ enim scriptæ, hæ per insinuationem habentur, utræque tamen a Spiritu sancto eodem modo emanatæ ». Et mox : « Quo autem ad auctoritatem Ecclesiæ, quoniam ante susceptionem sacrarum Scripturarum de ea tractari non poterat, successive ad illam mature suo loco devenietur. Demum ut abusus, qui ex sacris libris et Apostolicis traditionibus occurrunt, in scriptis notarent, Patres admonuit ».

23. Die XIX et XX ejusdem mensis [1] theologorum Congregationes habitæ sunt, in quibus de traditione Apostolica, ac de abusibus qui circa sacram Scripturam occurrunt, actum est magno animorum æstu. Quare a præsidentibus Concilii decretum est, quoties de articulis fidei et dogmatibus agendum esset, antequam quidquam a sancta Synodo decerneretur, omnia prius cum dictis theologis familiariter conferenda, eorumque opiniones intelligendas esse. Isti autem theologorum conventus coram legatis fiebant ; quoniam episcopi, ut in suis Congregationibus interessent , constanter renuebant.

24. XXIV Februarii redditæ reverendissimis dominis legatis litteræ reverendissimi domini cardinalis Augustani Dilingæ datæ, in quibus ferebatur Fridericum comitem Palatinum Rheni, Othonem, Henricum et Wolfgangum duces....... necnon Brunsvicensem , pseudoarchiepiscopum Coloniensem, XXV Januarii Francofurti, in qua urbe Lutheranorum conventus habebatur, Smalcaldico fœderi se conjunxisse ; in qua sociali coitione hæc duo præcipua capita continebantur, ut in religionis, vel quacumque alia causa adversus omnes molestiam inferentes, sociale bellum gererent, nec per suas ditiones militaribus copiis aditum præberent, nisi a fœderatis conscriptæ essent : timere enim se bello a Cæsare petitum iri, pluresque nobiles urbesque illi fœderi accessisse, quam conjurationem imperialis defensionis nomine cohonestaverint. Cæterum Germaniæ episcopos non accessuros ad Concilium, vel propter senilem infirmitatem, vel ob Lutheranorum metum, vel quia opinantur Concilium dissolvendum : nihil vero ea re tristius atque funestius Sedi Apostolicæ posse accidere, atque adeo urgendos a Pontifice episcopos, ut ad Concilium se conferant. Addidit etiam libellos satyricos, picturas infames con-

[1] Ms. card. Spadæ.

tra Concilium Pontificemque, ac mille calumnias et probra passim spargi.

25. XXIII Februarii[1] congregatæ sunt coram legatis theologorum classes, relatumque quid de modo recipiendi Sacros libros et traditiones Apostolicas sentirent :

« Procurator reverendissimi D. cardinalis Augustani laudavit communem sententiam ut Traditiones nunc primum recipiantur. Verum distinguendas esse Traditiones, quæ reciperentur. Sunt enim diversarum specierum, nam quædam ad fidem pertinent, et eæ pari auctoritate cum Evangeliis a nobis suscipiendæ sunt; de aliis autem, quæ cæremoniales existunt, non ita. Nam de bigamia et de sanguine suffocato aliter a nobis observatur, quam ab ipsis Apostolis sit traditum ». Laudata est ea sententia a Generali Eremitarum S. Augustani et cardinali Sanctæ-Crucis, qui subdidit, quæ sint traditiones, ipsas suo tempore revidendas putabamus. Nam traditionum aliquæ scriptæ, aliquæ non scriptæ reperiuntur, et aliquæ essentiales, aliquæ cæremoniales sunt, ut ab Augustensi recte dictum fuerat; nam in Sacramentis nonnulla scripta, nonnulla tradita ab Apostolis fuerunt, quæ Sacramenta essentialia fidei nostræ sunt. In cæremonialibus autem habemus Quadragesimam, quæ licet vix ex Scripturis probari possit, Apostolos tamen eam nobis tradidisse certo scimus. Quod autem scriptæ sint aliquæ, aliquæ non scriptæ Apostolorum traditiones legit c. *Ecclesiasticam* II dist. *et infra.* Postremo ipse cardinalis legit, quæ de traditionibus congregatio excerpserat. In congregationibus privatis auctoritas Traditionum Apostolicarum recepta fuit, de qua legati cardinali Farnesio ita scripseruut vigesima quarta Februarii[2]. « Heri omnes in privatis congregationibus traditiones Apostolorum receperunt, de quibus in decreto sacrarum Scripturarum, post dinumerationem tamen in genere, et non pro nunc in specie librorum Novi Testamenti facienda erit mentio, eas modo prætermittentes, ut de illis postea suis locis agatur. Fuit etiam juxta nostram propositionem constitutum, ut sex præsulibus (scilicet pro qualibet classe duobus) uni theologo, et alteri Canonum professori formatio decreti Scripturarum et Traditionum committeretur : omnia ista die Veneris vigesima sexta in Congregatione generali firmabuntur, et postea ad abusus Sacrarum Scripturarum tollendos intendent ».

26. Igitur vigesima sexta Februarii in Congregatione generali excussa est eadem controversia de traditionum Apostolicarum auctoritate.

Clodiensis (inquiunt Acta) novarum rerum cupidus, frustra, inquit, nos modo quærere traditiones per manus verbo et observantia communis Ecclesiæ ad nos perductas, cum habeamus Evangelium, in quo omnia, quæ ad salutem et vitam Christianam necessaria sunt scripta inveniuntur.

Reprehensus est a pluribus[1], etiam ex verbis ipsiusmet Evangelii Joan. ult. *Sunt et alia multa, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.* Item Jo. XX : *Multa quidem, et alia signa fecit Jesus in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Item Jo. c. XVI : *Adhuc multa habeo vobis dicere, quæ non potestis portare modo, cum autem venerit ille, qui est Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Et Christus nunquam præcepit Apostolis ut scriberent, sed ait : *Ite, et prædicate,* etc. Item Paulus pluribus in locis suarum Epistolarum aperte ostendit, multa extra Evangelium ab eo præcepta ad Christianam vitam necessaria esse emanata, ut I Cor. II : *Laudo vos,* etc. et *sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis.* Item c. XI : *Collaudo autem vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et quemadmodum tradidi vobis, instituta tenetis,* et similibus. Item Jo. II : *Plura habens vobis scribere nolui,* etc. Item Pauli ad Phil. IV : *Fratres, quæcumque sunt vera, etc. hæc cogitate, quæ et didicistis, et accepistis, et audistis, et vidistis in me.* Item II ad Thess. : *State, et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram.* Item II Thess. IV : *Fratres, rogamus vos et obsecramus in Domino Jesu Christo, ut quemadmodum accepistis a nobis, quomodo oporteat vos ambulare, et placere Deo, ita ambuletis, ut abundetis magis. Scitis enim, quæ præcepta dederim vobis.* Item Dionys. Areopag. Hierarch. Eccl. c. I : « Eloquia divina duplicis sunt generis, quædam in sanctis theologicis libris nobis commendata, et alia præterea, quæ ex animo in animum medio intercurrente verbo, etc. » Item alia quamplura, quæ in classe diei XXIII præsentis mensis commemorantur.

Quod autem Augustus dicat in Evangelio omnia esse scripta, quæ necessaria sunt ad salutem; verba illa formaliter intelligi debent, scilicet ad fidem Christi accipiendam, ut salvi fiamus, quo vero ad mores, et Christianam vitam instituendam, certe non omnia scripta sunt, quare ipse Dominus noster ait : *Mittam autem Spiritum Sanctum Paracletum, qui docebit vos omnia* etc. Ergo indigebant etiam ipsi Apostoli adhuc alia doctrina extra eam, quam ab ipso Christo verbo didicerant, ad recte beateque vivendum necessaria, quæ a Spiritu sancto suggereretur eis.

27. Cum mentio deinde injecta esset de Bulla

[1] Diar. Conc. Trid. in Actis Congreg. habitæ XXVI Feb. p. 86. — [2] Ms. card. Spadæ to. CCX. p. 59.

[1] Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 61. In Actis Cong. habitæ XXIX Febr.

Eugenii IV de unione Jacobitarum, quæ in calce VI Decretalium conscripta, in qua sacri libri connumerantur, atque episcopus Clodiensis argueret ex adjecta temporis nota non esse editam in Florentino Concilio, responsum est a legatis, Florentinum Concilium non fuisse dissolutum post unionem Græcorum, sed post eam perdurasse fere per tres annos, usque ad annum MCDXLII, ut ex Actis ab Augustino Patritio Senensi editis constat, et translationem Concilii ex civitate Florentina in Lateranensem Ecclesiam decretam in X sessione VI kal. Maii XCDXLII, cum Eugenio significatum esset « Legatos etiam Zaræ Jacob Magni regis Æthiopiæ (quem presbyterum Joannem vocant) ad dictum Concilium Florentinum orthodoxæ fidei suscipiendæ gratia adventare ». Bullam vero unionis Jacobitarum MCDXLI in Concilio Florentino editam constare ex autographo, et subscriptione Eugenii et cardinalium obsignata, quam Angelus Massarellus propriis oculis Romæ in arce Sancti-Angeli, et cardinalis Cervinus (ut alii asserunt) inspexerunt. His discussis, Patres unanimes fere omnes concurrere in eam sententiam, ut in uno eodemque decreto sacri libri et traditiones Apostolicæ recipiantur.

Decreti mox tres archiepiscopi tresque episcopi pro eo decreto conficiendo, quod deinde in Congregatione expendendum erat. Interim singulæ classes de abusibus Scripturarum sive corruptelis egerunt. Hic tamen non de reformanda Scriptura, sed de emendandis erroribus, qui ab exscriptoribus irrepserant, et castiganda adulterantium Scripturas audacia agebatur. Quæ omnia, uti gesta fuere in generali illo conventu, legati duabus Epistolis eadem die Romam transmissis Pontifici denuntiarunt; ad quarum calcem præfatæ Bullæ Jacobitarum autographum, vel exemplar authenticum ad se mitti postularunt. Quæ Bulla, ut suo loco videbimus, Tridentum transmissa fuit.

28. I Martii (pergunt Acta [1]) Aquensis legit schedulam infrascripti tenoris : « Abusum quidam in scriptis, inesse, sunt, in loco, in tempore, et in fine. Ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad interpretandum. Ad docendum abusus considerantur, aut quia non sunt idonei, aut quia non possunt, vel quia non sunt approbati. Item considerantur abusus realiter, privative et active ».

Primo, circa editionem, quia non omnes textus sunt conformes, imo plures sunt corrupti, ideo erit bonum committere correctionem peritis deputandis, et quia correctio Veteris Testamenti est principaliter consideranda circa Hebræum, et Novi Testamenti circa Græcum, a quibus respective ut plurimum editio Latina emanavit, ideo deputandi sunt docti in Hebræo, in Græco, et docti theologi in Latino, et etiam mixti in omnibus, et bonum esset habere textus antiquos tam in Latino, quam in Hebræo et Græco, qui verisimiliter essent et reputarentur correcti. Quantum ad translationem, habeantur et colligantur tot antiqui translatores (aliter dicti interpretes) quot haberi poterunt. Non quod dubitemus de translatione beati Hieronymi, et aliorum doctorum ac sanctorum, sed ut emendatio ipsa circa loca corrupta et depravata melius fieri possit.

Secundo, circa interpretationem, quia multi detorquent sacræ Scripturæ testimonia, oracula et eloquia in perversum sensum ; ideo determinetur quis Scripturæ sensus sit Catholicus, et quis non. Qui etiam doctores sint admittendi ad interpretandum, ut scilicet sint, nedum docti, sed etiam probi, et Catholici, et inter alios aliqui enumerantur in c. *Sacrosancta* 15 *dist.* Observetur determinatio generalis Concilii Lateranensis, de qua in c. *Quia nonnulli de Magistris In antiquis.*

Tertio, circa impressionem aut scripturam tenendam, quod fiat prohibitio sub pœnis, etc. Quod Biblia ipsa non imprimantur teneanturve, minusque illis utatur quis, nisi secundum quod fuerint correcta et emendata : tum addidit sacra Biblia non esse convertenda in linguam vernaculam, ne forte ignari nefarios sensus sacræ Scripturæ pro sua libidine affingant, atque in varios errores prolabantur ; sufficere enim mulieribus et plebeiis, ut sacrarum litterarum sensum a concionatoribus excipiant : prohibendum etiam, ne in margine sacrorum librorum notæ aliquæ apponantur.

Quarto subdidit arcendos laicos, necnon mulieres ab habendis concionibus ; adhibendumque diligens studium, ut sacerdotes non tantum verbo, sed etiam exemplo prædicent, ne ex Apostolo aliis prædicando reprobi fiant, cum etiam Christus pronuntiet hæc verba, *qui fecerit et docuerit etc.* Questus etiam est viros doctrina excultissimos in religiosis familiis distrahi a munere concionandi, atque præfici alienis muneribus : aliquos etiam Evangelicam prædicationem fabellis immixtis polluere, atque adulterare, ut auditorum aures titillent : aut præsulum, sacerdotum, vel principum famam carpere, atque in contemptum eos adducere : tum hæc addidit, eis est prohibitum in virtute sanctæ obedientiæ, et sub interminatione maledictionis æternæ, detrahere dictis prælatis in eorum prædicationibus in Clem. 1 § *Quibus de privilegiis.* Dicit tamen ibi gloss. *Quod in Genere,* etc. Non retrahant etiam populos ab Ecclesiarum suarum parochialium accessu, quia hoc est eis jam prohibitum, quinimo hortentur eos, ut diebus Dominicis intersint Missæ parochiali, publicationibus seu denuntiationibus, quæ ibi fiunt, ut

[1] In Diar. Conc. Trid. auctore Angelo Massarello Ms. arch. Vat. pag. 97.

addiscant mandata Dei et Ecclesiæ, et dies festivos ac jejuniorum et caveant ab excommunicatione, cum ibi publicantur monitoria generalia. Non abalienent populum a solutione decimarum, et aliorum, ad quæ jure divino et positivo sunt omnes obstricti : si illi qui prædicare tenentur noluerint aut non potuerint, vel, quod absit, et tolerandum non est, si nesciant prædicare, alii eorum sumptibus in eorum locum deputentur juxta c. *Inter cætera de off. ord.* Non prædicent absque licentia sanctæ Sedis Apostolicæ et episcopi diœcesani, quia sæpe plures indigni disseminant per castra et parochias errores pessimos. *Quomodo prædicabunt, nisi mittantur* (inquit Apostolus). Et in Evangelio dicitur : *Rogate Dominum messis, ut mittat operarios,* etc. Quoties habeant prædicare, qui prædicare tenentur, ut scilicet prædicent tempore Quadragesimæ et Adventus, et diebus Dominicis et festivis et alias si opportunum fuerit in locis suspectis de hæresi. Adjiciatur præceptum quod opportuno tempore beneficiati habentes curam animarum provideant de prædicatore pro Quadragesima. Hactenus Aquensis.

Feltrensis suam hujus tenoris sententiam legit :

Maximus abusus Scripturarum est eorum, qui indocti et instabiles eas depravant ad suam ipsorum perditionem, ut dixit B. Petrus de his qui D. Pauli Epistolas ad malum sensum detorquebant. Hinc in Germania abusus irrepsit communionis sub utraque specie ex mala interpretatione illius Dominici præcepti, quod habetur Matth. XXVI. *Bibite ex hoc omnes.* Illius Pauli I Cor. XI. *Ego enim accepi a Domino.* Et ejus quod prius dixerat c. X : *Unus panis et unum corpus multi sumus, qui de uno pane et calice participamus,* etc. et *comperimus* de consecr. dist. II. Hinc connubium sacerdotum ex prava detorsione illorum locorum; *Crescite, et multiplicamini. Habeat unusquisque uxorem suam propter fornicationem. Melius est nubere, quam uri,* episcopum eligendum, qui sit unius *uxoris vir,* et similium. Hinc jejuniorum abrogatio, et quorumdam ciborum certis diebus abstinentiæ ex prava interpretatione illorum locorum sacræ Scripturæ : *Non est regnum Dei esca et potus. Esca non commendat nos Deo. Nemo vos dijudicet in cibo et potu. Omnis creatura bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur,* et similia.

29. Gesta hujus Congregationis legati Tridentini significarunt cardinali Farnesio, necnon exposuere causam Petri Pauli Vergerii Justinopolitani episcopi, qui a cardinale Aleandro delatus Lutheranæ hæreseos virus hausisse, atque adeo judicio postulatus, se purgare abnuit, sed ad Concilium Tridentinum se contulit concepta spe Tridentini cardinalis opera Concilio assessurum : sed spe sua dejectus, jussusque coram patriarcha Veneto et Pontificio internuntio purgare crimen, non Venetias adiit, sed in Ripæ oppido aliquandiu moratus, demum ad Helvetios hæreticos fugam capessivit, exutaque Catholici præsulis larva, condita diu intimo pectore venena publice effudit, scriptis adversus Pontificem et Concilium libris : nimia enim librorum hæreticorum (spretis sanctis Patribus) lectione mentem corrumpi ac fascinari siverat. Pœnituit illum postea flagitii admissi, prensavitque gratiam Pontificis, sed cum hæresim ejurare juberetur, respondit, non esse honesti viri palinodiam canere, atque in crimine obfirmatus hæsit. Mirum certe ac plane miserabile fuit virum episcopali charactere insignitum, qui in Germania Clementis VII et Pauli III internuntium egerat maxima cum laude, et flagrantissimo religionis tuendæ ardore tantos labores pertulerat, in hæreseos barathrum se fœdissime conjecisse, ac tanquam Luciferum e Cælo decidisse, ut verissimum sit Apostoli oraculum, *qui se existimat stare, videat ne cadat.*

30. De tollendis corruptelis adstringendaque solutiore Ecclesiastica disciplina, agitata sunt graviora consilia, de quibus legati VI Martii [1] Paulum Pontificem certiorem fecere : securim nimirum radicibus imprimendam, fibrasque malorum evellendas, instaurata enim sanctiore disciplina, non extimescendum quippiam in Concilio adversus auctoritatem Pontificiam novatum iri, Synodumque ad feliciorem exitum perducendam fore : cumque Pontificio nomine transmissa esset ad legatos imperfecta disciplinæ in Curia Romana constituendæ ratio, nitide septima Martii [2] significarunt Pontifici legati, non recte ita consuli divino cultui, nec Pontificiæ sanctitatis honori, nec temporum necessitati, nec conceptæ a Patribus Tridentinis expectationi : atque ex privato cum præsulibus sermone collegisse, eos iniquo ferre animo, eripi regendarum animarum ipsis commissarum libertatem, ac contendere spectare ad ipsos sacerdotia, quibus animarum cura annexa est, conferre, sacerdotalibus sacris initiare clericos immunitate donatos, vel canonicorum Collegiis addictos, vel regulares non debere concionatorum munus invadere, vel sacras exhomologeses excipere sine obtenta a præsulibus potestate; quæstores tollendos, indulgentias sive gratuitas noxarum condonationes pro fabrica Sancti-Petri vel Crucesignatorum militia quæstuarias abolendas; Romanam Curiam in gravissimum odium ob avaritiam, pompaticum fastum luxumque adductam, quæ vitia castiganda sint [3], Pœnitentiariæ, Cancellariæ et Rotæ tribunalia ad æquitatis leges revocanda : maxima vero contentione deposci ab omnibus, ut

[1] Epist. Legat. XXV. Martii Ms. card. Spadæ to. CCX. p. 105. — [2] Ubi sup. p. 73. — [3] Ubi sup. p. 76.

sacerdotia conferantur iis, qui illa gerere velint et possint, non a conductitiis administranda, decumana subsidia temperanda, expectativas gratias maximo omnium offendiculo concedi, ex quibus gravissima mala emergere exploratum est : Pontificii decoris esse, ut hæc tollat vel tollenda curet a Concilio : hac enim ratione præsulum benevolentiam populorumque observantiam Sedi Apostolicæ conciliandam.

31. Excepit Pontifex æquo animo legatorum monita, præmisitque liberam Ecclesiarum administrationem episcopis se permissurum, modo immunitatem a Sedis Apostolicæ imperio non affectarent : eosdem etiam legatos ursit, ut morum corruptelis delendis sedulam operam darent, non tamen de Pontificia et Concilii auctoritate disceptationes induci permitterent. Respondere Pontifici legati hoc malum non aliunde posse emergere, quam ex discordia et dissensione in tractando reformationis opere, profiteri præsules Pontificem esse Concilii caput, maximam eorum partem summo obsequio et amore illum complecti : ac si quis eam quæstionem inducat, illum moliri avellere caput a corpore, et schisma conflare; ac si qui expetant, ut in decretis addatur Concilium repræsentare universalem Ecclesiam, eos negare non posse intelligi Concilium suo capiti conjunctum, a quo divulsum conciliabulum evaderet.

Addidere legati, ideo Concilium primum egisse de Scripturis et de traditionibus, quia hæretici nonnullas Scripturas, quibus impietatis convicti sunt, tentant convellere, et traditiones Apostolicas refellunt, ut deliramenta sua nefanda obtrudant. Quæ vero gesta sint in præsulum theologorumque congregationibus, describunt earum Acta [1] :

32. « XVI Martii Congregatio generalis habita est in qua deputati retulerunt abusus, quorum quatuor in scriptis exhibuerunt. Primus est, haberi varias editiones Bibliæ, et ejus remedium est, recipere tantum Vulgatam editionem, et ea pro authentica uti. Secundus abusus est mendositas Codicum, qui circumferuntur. Remedium est, ut purgetur unus Codex, qui imprimatur fideliter. Tertius abusus est, quemlibet interpretari ad suum sensum Scripturam sacram, et eam ad profana convertere. Remedium est, id gravissimis pœnis prohibere. Quartus abusus est, impressores sacrarum Scripturarum imprimere sine licentia superiorum Ecclesiasticorum, et libros sine nomine auctoris edere. Remedium est, id prohibere sub maxima censura. Super quibus abusibus moniti fuerunt Patres, ut cogitarent pro futura Congregatione [2]. Superiori etenim Congregatione cum de versione Scripturarum in linguam vernaculam controverteretur, ita disseruit cardinalis Giennensis :

33. « Animadvertebant hujusmodi deputati ad colligendos abusus circa translationem Bibliorum in linguam maternam, quia solet hoc sæpius nonnulla scandala parere, itemque videtur providendum, ne deinceps Bibliorum tam variæ interpretationes hactenus editæ et depravatæ relinquantur in manibus hominum. Cui cardinalis Tridentinus : Nollem, inquit, si possem, adversari sententiæ reverendissimi domini mei Giennensis ; sed pro ea, quæ nobis a Deo data est, libertate loquendi in hoc loco, summa cum sinceritate loqui cogor, et ea dicere, quæ mihi adeo vera videntur, ut tergiversari non valeant. Illud est scilicet, ne unquam permittatur versionem Bibliorum in maternam linguam inter abusus numerari. Quid enim dicent adversarii nostri, si sciverint velle nos e manibus hominum sacram Scripturam avellere, quam sœpius Paulus Apostolus nunquam ab ore nostro separandam esse censuit ? » Et mox : « Utinam Græcæ et Hæbraicæ linguæ professores nunquam in Germania fuissent, quia hac molestia nos hodie careremus, et infelix Germania non ita misere in tot hæreses delapsa fuisset. Non enim hæreses et mala semina ab idiotis, et maternam tantum linguam scientibus ortæ sunt. Quamobrem oro ne vobis, patres, in mentem veniat aliquando, ne dicatur, ut hanc rem inter abusus numeremus, sed si eam controvertamus, posse abusum nuncupari ».

34. Cum de corruptelis circa Scripturas admissis ageretur [1], ac præsides legati censerent articulum, an versio sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam permittenda sit, non proponendum, cum Galliæ et Hispaniarum regna eam non suscipiant, aliæ vero nationes, ut Germani, Italique et Poloni expectant; relinquendam itaque unamquamque nationem in suis institutis, ut quod sibi necessarium vel utile censet, amplectatur, cardinalis Giennensis proponendum articulum censuit hac de causa : « Quod pars affirmativa hujus articuli a paucissimis tenebitur, cum in primis Hispani prælati, Gallique omnes, et magna pars Italorum in negativam inclinent, magnique apud Concilium momenti et existimationis esse debet, quod duo illa amplissima regna Hispaniarum et Galliæ ita versionem hanc detestentur, ut nedum pluribus edictis pœnis gravissimis et prohibitionibus publicis vetuerint, sed novissime his diebus Universitas Parisiensis, quæ ultra centum et quinquaginta doctores habet, non solum versiones sacrorum Librorum non esse in vernaculam linguam faciendas censuit, verum etiam, qui eas vertunt, tanquam hæreticos habendos esse declaravit. Et sacra ista Synodus, cum nunc

[1] Ang. Massarell. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 88. Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 123. — [2] Acta Congr. Concil. Trid. auctore Ang. Massarello Secret. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1677. p. 50.

[1] Ibid. p. 128.

de abusibus Scripturarum sermonem habeat, articulum hunc relinquet indiscussum? Consideret parumper unusquisque unde potissimum tot hæreses in orbe Christiano ortæ fuerint; nulla equidem alia ex causa id evenisse comperiet, quam ex versione sacrorum Librorum in vernaculam linguam, nam Germania in primis antequam libri sacri rusticis et plebi legendi traderentur, paululum in Catholica religione permansit, quamprimum vero eorum omnibus facta est copia, in quam calamitatem devenerit, quisque oculis intueri potest. Idem in Gallia, idem et in Hispaniis pullulare cœperat, ni optimorum principum diligentia et pietate gravissimis legibus id fuisset prohibitum. Quid vero, et in aliquibus vestræ Italiæ civitatibus (Germania enitatur) minime latere arbitror. Discutiatur igitur articulus iste, et Spiritus sancti determinationi acquiescamus. Egoque in primis si contrarium a sacra Synodo decretum fuerit, quam ipse modo sentiam, acquiescam libenter communi Patrum consilio. Cum res hæc adeo difficilis controversa et dubia inter Patres esset, ut quæ pars prævaleret in votis recte cognosci non posset, tunc sacra Synodus statuit Summum Pontificem consulere, ejusque sententiæ acquiescere, tum quia caput et dominus est nostrum omnium, et ad quem omnes res arduæ referri deberent ».

35. Significarunt legati cardinales Pontifici, cardinalem Tridentinum vehementer, sed honeste adversatum esse cardinali Giennensi, in quæstione de sacra Scriptura e Latino idiomate in vernaculum non traducenda, nam si prohiberetur ea traductio a Concilio, maximos animorum motus concitandos in Germania, pluresque forte ad Lutheranas partes defecturos, proptereaque rem in aliam Congregationem extractam, ut accuratiore examine discuteretur.

36. Excussa sunt acerbiore examine adulto mense Martio singula decreti de Scriptura et traditionibus capita, ac de ipso decreti titulo quæstiones ventilatæ; hæc enim Acta Congregationis generalis referunt. « Fesulanus se decretum probare dixit, si tamen illa verba demerentur, videlicet *præsidentibus in Synodo tribus Apostolicæ Sedis legatis*, quoniam hæc nullo veterum exemplo addita fuissent. Cui cum episcopus Aquensis respondere cœpisset, cardinalis S. Crucis dixit: Ne velitis hunc frustra laborem sumere, quoniam ego in vetustissimis quibusque Conciliis hoc observatum fuisse Fesulano ostendam. Cui Fesulanus: nullibi in Conciliorum decretis ostendi potest de legatis Sedis Apostolicæ factam mentionem. Cardinalis S. Crucis: Hoc, inquit, accidit, quoniam omnes canones uno die simul promulgabantur, et propterea satis erat in principio sessionis de ipsis legatis semel fieri mentionem, at hic, cum separatim fiant decreta, in unoquoque de legatis Apostolicæ Sedis fieri mentionem oportet.

37. « Fanensis episcopus acriter decretum impugnavit, primum quod iniquum videbatur dicere, nos pari pietatis affectu, et Scripturas sacras, et traditiones Ecclesiasticas suscipere. Sunt enim (inquit) inter has multa discrimina; Scriptura enim sacra indelebilis est penitus, et traditionum Apostolicarum pleræque mutabiles sunt, et pro arbitrio Ecclesiæ tolli et immutari possunt: et quamvis ab uno Spiritu profectæ, non tamen æquali gradu habendæ sunt, quoniam omnis veritas a Spiritu sancto est, et tamen non omnis Scriptura veritatem continens paris est potestatis. Præterea cum suscipiamus Apostolorum traditiones non scriptas in libris sacris ad eum effectum ut dogma conficiamus, quod directe contrarium sit dogmati Lutheranorum, qui dicunt, nihil tenendum esse, quod non sit in sacris litteris scriptum; quare non potius dicendum est hoc modo, videlicet: Item, quoniam hæc sancta Synodus scit quamplura alia esse a Spiritu sancto dictata, quæ in sacris litteris non sunt prodita, propterea illa quoque suscipit et veneratur; nam hoc modo melius Synodi intentio explicatur, et ansa calumniantibus aufertur: nam statim quod traditiones Apostolorum a nobis ita receptas viderint, dicent: Quas traditiones isti suscipiunt, quarum ipsi violatores existunt? Nam certum est communicare hominem sub utraque specie, ut stantes a Paschate ad Pentecosten, ut adversus Orientem oremus, traditiones esse Apostolicas, quarum aliquæ consulto mutatæ sint, aliquæ vero Christianorum socordia relictæ. Nec satis tuti videmur, respondendo, quod recipimus eas dumtaxat, quæ ad nos pervenerunt; quoniam adversarii dicent factum per nos esse, quominus pervenirent; et propterea dicent nos eas traditiones suscipere, quas volumus; quas vero nolumus, excludere ».

XXVII Martii collectæ sunt tandem controversæ difficultates, atque in schedulis ad Patres singulos missis descriptæ, ut eas diligentissime expenderent.

Ea dubia fuere numero tredecim, quorum præcipua hæc fuere: « An satis sit, cum de traditionibus Apostolorum fit mentio in decreto, agnoscere tales esse in Ecclesia; an vero per hoc decretum sit statuendum eas esse et recipiendas esse.

« An placeat dici, quod in decreto est scriptum, cum de libris sacris et traditionibus Apostolorum fit mentio, quibus par debetur pietatis affectus: an vero hæc verba sint expungenda, et alia illorum loco addenda, quæ debitam utriusque reverentiam adhibendam exprimant ».

38. Legati deinde Pontificem enixe rogarunt, etc. ut promovendæ sanciendæque disciplinæ Ecclesiasticæ adeo strenue operam daret, ut illa Christiani orbis expectationi conceptæ

responderet. Quibus XXVIII Martii Pontificio nomine cardinalis Farnesius responsum dedit, nil gratius Pontifici accidere posse, quam ut extremo hoc vitæ suæ cadentis flexu deletum omne corruptelarum genus, ac primævam Ecclesiasticæ disciplinæ sanctitatem suo splendori restitutam intueretur ; verum admonuit, ut in ea controversia nil penitus decernerent, nisi antea rem totam Pontifici detulissent, addidit etiam se mittere autographum illius Diplomatis, quod in Concilio Florentino ab Eugenio IV Pontifice editum fuerat, de quo mota fuerat in congregatione generali a nonnullis controversia.

39. Prima Aprilis summa Patrum consensione confectum est decretum, quo Scripturarum et traditionum Apostolicarum auctoritas asserta est, iterumque de corruptelis in vertendis vel invertendis et evertendis Scripturis actum est, de quibus Acta hæc addunt [1] :

« Expedito decreto, cardinalis de Monte : Adhuc, inquit, restat, ut de abusibus Scripturarum, de quibus toties facta est mentio, agamus ». Et mox : « Cardinalis Giennensis : Multa habeo (inquit) quæ me dubitare faciunt, in primis mihi parum provisum videtur circa multiplices translationes Bibliæ, nisi post hujus Vulgatæ approbationem rejiciantur omnes aliæ editiones, itemque hæreticorum omnes translationes damnentur. Cui episcopus Fanensis unus ex deputatis : Si placet, inquit, ego facile has dubitationes resolvam : nam advertendum est, quod nos non dicimus pro abusu diversas et varias esse Bibliorum translationes, quoniam et hoc semper antiquis temporibus toleratum fuit et hodie tolerari debet : sed dicimus abusum esse, plures hujusmodi translationes ut authenticas afferri, quibus in disputationibus, interpretationibus et prædicationibus utantur : nam unam solam authenticam esse volumus Vulgatam editionem, tum quia antiqua est et semper in manibus Christianorum habita, tum etiam ne adversariis ipsis detur ansa dicendi, nos hactenus libros non probos habuisse ; si enim, inquiunt, libros bonos non habuerunt, quomodo bona dogmata et bonas cæremonias habere potuerunt ? alias autem non rejicimus, quoniam noluimus Christianam libertatem restringere, imo ne hæreticorum quidem translationes rejicere voluimus, idque exemplo veterum, nam constat Aquilam, Symmachum, Theodosionem hæreticos quidem fuisse, et nihilominus ab illa antiqua Ecclesia non fuerunt rejectæ illorum translationes. Accedit ad hæc, quod nondum illi, qui translationes fecerunt, fuerunt hactenus palam ut hæretici publicati.

40. « Tunc cardinalis Giennensis : Est et aliud quod me torquet, nam vultis Vulgatam editionem recipere, et dicitis illam mendosam esse : hoc mihi implicat contrarietatem. Cui Fanensis episcopus : Non dicimus, inquit, Vulgatam editionem corruptam esse, nam illam integram et incorruptam habemus ; sed dicimus aliquos ex libris, qui circumferuntur, mendosos esse, quod minus inconvenit, neque decreto nostro contrariatur : emendationem autem in sanctissimum D. N. ideo rejecimus, quod cum ad ipsam faciendam tria requirantur præcipue, scilicet Codicum antiquorum copia, multa hominum doctorum peritia, denique vero maxima pecuniarum quantitas, habemus nos dumtaxat ex his tribus unum, scilicet peritorum copiam, exemplaria autem pecuniasque non habemus, quæ tamen omnia Optimo Maximo Pontifici facile adsunt.

« Tunc Giennensis : Non adnotatum est, inquit, inter abusus hujusmodi translationes in linguam vulgarem, cui cum Fanensis respondere vellet, cardinalis de Monte dixit : Non est alicujus novas quæstiones proponere, sed nostrum id est munus, et id, cum tempus erit faciendi, faciemus ».

41. Nonnullis interjectis subjecit Giennensis : « Plura sunt, quæ in hac abusuum collectione me offendunt ; et in primis mihi videtur, quod recipere hanc Vulgatam editionem pro authentica, et non rejicere alias, sit nihil agere : propterea desidero, ut omnes aliæ editiones et translationes, etiam illæ septuaginta Interpretum, rejiciantur, et ejiciantur illæ, quæ ab hæreticis translatæ fuerunt, sed ante omnia desidero, ne recipiatur Biblia, nisi optime prius expolita, et ad normam veterum exemplarium emendata : cujus emendationem hic magis per deputatos ab hac sancta Synodo, quam Romæ fieri cupio ». Et infra : « Cardinalis de Monte dixit : Quæritur tantum an una Biblia, id est, Vulgata editio, quam emendatissima haberi et probari debeat pro canonica. Et quod dictum est de remittenda emendatione illius ad Sanctiss. D. N. est dictum pro facilitate materiæ, non enim aliud est Pontifex, aliud est Synodus, sed utriusque unum est corpus cujus ipse papa est caput, quem hic repræsentamus.

42. « Tertia Aprilis habita est Congregatio generalis, in qua (inquiunt Acta [1]) conclusum fuit recipiendam esse Vulgatam editionem Bibliæ, et alia, quæ circa reformationem in quarta sessione promulgata fuerunt. Item demandatur cura conficiendi decretum super his abusibus eisdem patribus, qui eos collegerunt, de quibus supra in Congregatione habita die v Martii ». His addunt Acta [2] Congregationis tertia Aprilis habitæ :

[1] Acta Congr. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sign. num. 1799. p. 57.

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 131. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3249. p. 171.

« Valde discussum fuit a Patribus, an ipsa sacra Scriptura verti deberet in linguam vernaculam, nonnullis id enixe petentibus, atque ut a sancta Synodo decretum fieri deberet, multis rationibus contendentibus, ne præsertim, qui linguam Latinam ignorant, lectione sacrarum Scripturarum carerent, ac aliquibus etiam suadentibus, ut Missa, lingua, quam populus qui adstat, intelligeret, celebraretur, ut quoties a sacerdote invitatur, respondere posset, alias vel omnino taceret, ut solet ».

43. Visum est Patribus nil in ea re novandum, cum plurimæ rationes afferri possent, eam tantum referemus [1], quam affert Stanislaus Hosius cardinalis Varmiensis in tract. de Sacram. Euchar. « Ne existimet aliquis temere sic sine causa factum esse, quod una et sola lingua Latina in Occidentali Ecclesia sacra peraguntur, in qua sicut una est fides, ita visum est æquum, ut una esset quasi Catholica lingua, communis omnium gentium et nationum, qua res divina fieret, per quam etiam unitas fidei retineretur, etc. ».

44. Proximæ congregationi generali interfuit Franciscus e Toleto Cæsareus orator, atque ad Patres orationem multis honestissimis officiis ornatam habuit, quæ ab his verbis duxit exordium : « Cæsarea majestas eximio illo amore et studio, quo universam rempublicam Christianam sedulo fovere solet ac prosequi vos omnes, o reverendissimi domini, quotquot in hac sacrosancta Synodo in fide et sinceritate Evangelica estis congregati, officiosissime per me salutatos esse voluit in Christo ». Pluribusque verbis in laudes Cæsareas effusus addit : « Quod reliquum est, Patres amplissimi, præsules vigilantissimi, Dominum Deum communibus votis omnes oremus, ut istis vestris tam sanctis, tam piis conatibus, divino suo numine aspirare dignetur, et quod hujus negotii præcipuum caput est, robur et stabilimentum, sanctissimum dominum nostrum Paulum III et invictissimum Cæsarem in hac tam pari et germana quadam animorum conformitate quam diutissime conservet, qua ipsi inter sese mutuo conjunctissimi omnes rationes, consilia, studia, conatus et vires suas ad asserendam Evangelicam libertatem conferunt, ut quæcumque sæculi malignitate, morum corruptela, vitæ licentia, vitiorum omnium seminariis, in Christi sponsa Ecclesia fœdata sunt, in pristinum illum candorem restitui possint, atque utriusque solerti industria, diligenti cura, sedulo labore, ex agro Domini omni convulsa zizania, omnes errorum caligines ac tenebræ profligatæ ad coruscantem Evangelii lucem tamquam umbræ evanescant ».

Lecta ea propositione, cardinalis de Monte legatus, ex consensu Patrum, ita respondit [1] : « Gratissimum esse sanctæ Synodo adventum ipsius domini oratoris, libenterque et grato animo audivisse augustissimi imperatoris mandatum, et suæ Cæsareæ majestatis optimam mentem erga religionem Christianam et hanc sanctam Synodum ; de quo gratias Deo Optimo Maximo et ipsi Cæsari agit. Quod vero ad propositionem ipsius domini oratoris, Sanctam Synodum daturam ei esse responsum in proxima Congregatione ».

45. Addit in Actis Angelus Massarellus se postea legisse decretum de sacris libris et traditionibus Apostolicis suscipiendis, idque in examen adductum : postea lectum aliud decretum de corruptelis sive abusibus circa sacros Libros. Sexta Aprilis die congregatas esse præsulum classes pro responso oratori Cæsareo dando, ac die septima Congregationem generalem habitam esse, ac post peractam rem divinam precesque repetitas, responsum hisce verbis redditum fuisse : « Illustrissime domine orator, adventus dominationis vestræ huic sacrosanctæ Synodo gratissimus est, tum propter eam observantiam, qua merito augustissimum imperatorem Synodus ipsa prosequitur, tum propter favorem, quem de piissimo animo majestatis suæ in tam sancto et universo Christianæ reipublicæ salutari opere sibi firmissime pollicetur : in qua etiam dominationis vestræ præsentiam ob præstantes ejus animi dotes, et religionis studium plurimum adjumenti allaturum sperat, quare et dominationem vestram grato ac benevolo animo amplectitur, et mandata Cæsareæ majestatis per eam exhibita et producta quantum de jure admittit ». Ea verba ita expressa referunt alia Acta [2] hac de causa :

« Quoniam in mandato ipso aderat, ut ipse orator in omnibus congregationibus et sessionibus admitteretur, etiam ad interponendum votum et decretum Cæsareæ Majestatis, quod a jure absonum est ». Paucis interjectis verbis in eodem responso hæc adjecta : « Pro conjuncta vero ipsius augustissimi imperatoris cum santissimo domino nostro Paulo III Pontifice maximo in orthodoxa fide et religione nostra tuenda et conservanda voluntate, omnipotenti Deo omnium bonorum operum auctori, quantas maxime potest gratias agit, quem assidue precabitur, ut piis utriusque studiis, ad ipsius omnipotentis Dei laudem et gloriam, Religionis Christianæ incrementum, Ecclesiæ pacem, prosperumque in omnibus et optatum ipsius sanctæ Synodi recessum aspirare dignetur ».

46. Rogatæ deinde fuere Patrum sententiæ circa decreta in proxima sessione promulganda, communique consensione confirmata fuere. Dissentiente tamen ac inhoneste repugnante

[1] Hosius card. Varmien. c. 41. confess. Cathol. p. 124.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 136. — [2] Ibid. p. 139.

episcopo Clodiensi, qui in ea parte decreti, qua refertur Scripturam et Traditiones recipi *pari pietatis affectu et reverentia* prolaturus sententiam, dixit se ea verba ut impia rejicere, nec eumdem pietatis cultum atque affectum deberi traditionibus Apostolorum, et sacræ Scripturæ, etc.

47. Fascinatus ille erat fallaci atque nefaria recentiorum veterumque hæreticorum opinione, qui ut Scripturam sacram in alienum sensum distorquerent, traditiones Apostolicas rejecerunt : non perpendebat Evangelium, non scripto primum instar Mosaicæ legis promulgatum, sed verbo, propagatamque fuisse fidem Christianam primum verbo et traditione ab Apostolis, antequam Evangelia et reliqua Instrumenta Christianæ legis scriberentur. Non perpenderat quod dictum erat a divo Paulo, Ep. II ad Thessalon. cap. II : *State et tenete traditiones, quas didicistis, sive per sermonem, sive per Epistolam;* iterumque I ad Corinth. cap. XI. vers. 2 : *Laudo vos, fratres, quod per omnia mei memores estis, et sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis;* ac postquam Apostolus toto eo capite de Sacramento Eucharistiæ disseruerat, demum in ultimo versu addidisse : *Cætera cum venero disponam.* Ex quibus verbis colligit Augustinus in Epistola ad Januarium, ordinem qui in celebrando sacrificio universa per orbem tenet Ecclesia, tum a D. Paulo, tum ab aliis Apostolis fuisse institutum : nec enim decebat, ut singula scripta consignarentur, ne margaritæ (ex Christi monito) projicerentur ante porcos. Non perpenderat Clodiensis Scripturæ auctoritatem traditione niti, verumque Scripturæ sensum traditione teneri ; non enim verbum Filii cum Patre consubstantialis, quo Ariana hæresis jugulata est : nec illud dogma, Deum esse unum in natura ac trinum in personis, nec etiam ipsum personæ vel hypostaseos nomen in Scriptura haberi. Non distinxerat alias traditiones spectare ad fidem, alias ad religionem, alias ad ritus sive cærimonias, et priores immutabiles, de quibus agebat Synodus, alias jure positivo nixas pro varia temporum occasione mutari posse, ut modo præcepta fuerit laicorum communio sub duplici specie, alias sub una tantum ; ita præceptam a sanguine et suffocato abstinentiam, deinde vero sublatam. Ideoque merito a Patribus correctus fuit, ut legati in Epistola octava die Aprilis Romam directa Pontifici renuntiarunt.

48. *Sessio quarta in qua edita sunt decreta de canone Scripturarum, de authenticitate Vulgatæ, et de pœnis in typographorum avaritiam et temeritatem.* — Celebrata est quarta sessio octava die Aprilis, cui præter legatos, et Tridentinum ac Giennensem cardinales, Cæsareumque oratorem quinquaginta quinque præsules mitrati, et præpositi generales interfuerunt (1). Sacrum de Spiritu sancto ab archiepiscopo Turritano celebratum est, et oratio habita a Francisco Augustino Bonuccio [1] Generali Servorum B. Mariæ, in qua Dæmonis (Lutheri opera) adversus Ecclesiam nefanda molimina hac apostrophe ita expressit : « Novum nactus es Judam, jam in novum ingressus es apostatam, qui simulato osculo et ficta salutatione Christum prodere non veretur, falsum sane illum discipulum nostris his temporibus verbum Dei, cujus est sceleratissimus corruptor, prætendentem, et Evangelii titulo dicentem ea, quæ recto, ut aiunt, diametro cum Evangelio pugnant, numerosam habet cohortem fustibus et armis instructam, nempe auctores sectarum propriis furoribus, quæ carnis sunt docentes etc ».

Ubi ab eo peroratum est, inquit Angelus Massarellus [2] : « Publicantur duo decreta, in quorum primo recipiuntur et numerantur libri sacri et canonici Veteris et Novi Testamenti. Item, recipiuntur traditiones Apostolorum. In secundo autem decreto, recipitur Vulgata editio Bibliæ pro authentica. Item, corriguntur quidam abusus qui circa dictam sacram Scripturam orti erant, videlicet circa interpretationem ipsius sacræ Scripturæ. Item circa impressores et modum imprimendi dictos sacros libros : decretum autem primum erat infrascripti tenoris :

« Sacrosancta Œcumenica et Generalis Tridentina Synodus ». Et infra : « Orthodoxorum Patrum exempla secuta omnes libros tam Veteris quam Novi Testamenti cum utriusque unus Deus sit auctor, necnon traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel ore tenus a Christo, vel a Spiritu sancto dictatas et continua successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentia suscipit et veneratur. Sacrorum vero

[1] Aug. Bonucius Gener. Servorum in serm. habito die VIII Apr. MDXLVI. Ms. Vat. sig. num. 3190. p. 91. — [2] Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. et aliud sig. num. 3249. Angel. Massarell. in Diario Conc. Trid. p. 39.

(1) In numero Patrum sessionis hujus omnino corrigendus annalista ; supputat tantummodo 55, Suavius cardinales quinque et episcopos 48 exhibet. Verum Curtembroche Patres convenisse scribit duos supra sexaginta, doctores vero quatuor et triginta. Idemque scriptor totam recitat orationem Augustini de Arretio ad Concilium, in qua vir pius monendos Patres illos censuit ut dogmata illa vel probare vel damnare studeant, quæ fidei et moribus aut plane consona, aut plane repugnantia offenderint, intacta relinquentes ea quæ inter doctores Catholicos salva fide in utramque partem disputantur. Neque enim decere ait Concilium eorum mores sequi, qui si contrarium aliquod doctrinæ, quam semel in scholis perbiberunt, audierint, statim velut impium et Lutheranum dogma traducunt et detestantur.

Addendum hic pariter censeo numerum eorum omnium qui sessioni V interfuerunt. Quanquam enim idem Patrum numerus et apud Pallavicinum cæterosque Actorum Concilii scriptores occurrit ; attamen Curtembrochius doctores supputat, quos reliqui prætereunt. Ita ergo scriptor ille : « Adfuerunt patres sexaginta quinque », quot adamussim reddit summa eorum Patrum quos in suas classes enumerat. MANSI.

Librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt vero infrascripti, Testamenti Veteris, quinque Moysi, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Regum, duo Paralipomenon, necnon Esdræ primus, et secundus qui dicitur Nehemias, Tobias, Judith, Esther, Job, Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias cum Baruch, Ezechiel, Daniel, duodecim Prophetæ Minores, id est, Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Nahum, Habacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias, duo Machabeorum primus et secundus. Testamenti Novi, quatuor Evangelia secundum Matthæum, Marcum, Lucam et Joannem, Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, scilicet ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philæmonem, ad Hebræos : Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, et Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, et in veteri Vulgata Latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit, et traditiones prædictas sciens et prudens contempserit, anathema sit ».

50. Ad reprimendam etiam eorum temeritatem, qui divinæ Scripturæ oracula in sensus contrarios iis, quos tenet Ecclesia, detorquerent, hæc sancita a Synodo : « Ad coercenda petulantia ingenia decernit, ut nemo suæ prudentiæ innixus in rebus fidei, et morum ad ædificationem doctrinæ Christianæ pertinentium, sacram Scripturam ad suos sensus contorquens, contra eum sensum, quem tenuit et tenet sancta Mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione Scripturarum sanctarum, aut etiam contra unanimem consensum Patrum ipsam Scripturam sacram interpretari audeat, etiamsi hujusmodi interpretationes nullo unquam tempore in lucem edendæ forent; qui contravenerint, et per ordinarios declarentur, et pœnis a jure statutis puniantur ».

51. Interjectis nonnullis, ad frænandam typographorum avaritiam, qui sine præsulum venia expositiones in sacros libros typis excudunt, vel pretio distrahunt, pœnæ a Lateranensi Concilio in eos constitutæ, instauratæ sunt. Vetiti sunt fideles sacris oraculis, vel ad facetias et scurrilitates, vel ad magicas artes abuti.

« Temeritatem (inquit) illam reprimere volens, qua ad profana quæque convertuntur et torquentur verba et sententiæ sacræ Scripturæ, ad scurrilia scilicet, fabulosa, vana, adulationes, detractiones, superstitiones impias, et diabolicas incantationes, divinationes, sortes, libellos etiam famosos, mandat et præcipit, ad tollendam hujusmodi irreverentiam et contemptum, ne de cœtero quisquam quomodolibet verba Scripturæ sacræ ad hæc et similia audeat usurpare, et ut omnes hujus generis temeratores et violatores verbi Dei, juris et arbitrii pœnis per episcopos coerceantur , etc. » Ultimo canone quinta sessio in feriam quintam post festivam Pentecostis celebritatem indicta est.

52. *Litteræ Caroli V procuratorem Cæsareum constituentis.* — Demum perlectæ sunt litteræ Caroli V [1], amplissimis titulis refertæ, quibus Jacobum Mendozam procuratorem Cæsareum in Synodo constituebat.

« Carolus V, divina favente clementia Romanorum imperator Augustus, et rex Germaniæ, Hispaniarum , utriusque Siciliæ , Jerusalem , Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, insularum Balearium, Sardiniæ, Fortunatarum insularum, ac terræ firmæ maris Oceani, etc. Archidux Austriæ, dux Burgundiæ , Brabantiæ, Lotherici, Limburgiæ , Lucemburgiæ, Gheldriæ, Witembergiæ, comes Habsburgi, Flandriæ, Tyrolis, Arthesiæ et Burgundiæ , Palatinus Hannoniæ , Hollandiæ, Zelandiæ, Ferreti, Riburgi, Namurci et Zuthphaniæ, lantgravius Alsatiæ, marchio Burgoviæ et sacri Romani imperii, et princeps Sueviæ, etc. dominus Frisiæ, Molinæ, Salinarum, Tripolis, et Mechliniæ, etc.

« Recognoscimus et commendamus memoriæ universis quibus expedit. Cum beatissimus in Christo pater et dominus , dominus Paulus III, divina providentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex Maximus, Œcumenici Concilii celebrationem aliquandiu suspensam jam denuo instituerit, ac sublata et remota ea suspensione, ipsius Concilii prosecutioni aliam diem, nempe quartam Dominicam hujus imminentis Quadragesimæ in civitate Tridentina præfixerit, nosque cum per litteras tum per nuntios rogaverit, ut vel personaliter, vel per oratores nostros idoneos adesse et assistere velimus ; nos vero jam olim ipsius Concilii celebrationem votis omnibus, et expetiverimus, et quantum in nobis fuit sollicite procuraverimus, et per nostros oratores solemnes Tridenti comparuerimus ; proinde quamvis alioqui justis impedimentis detineamur, quominus principio Concilii adesse possimus, tamen ne quid moræ aut difficultatis per nostram absentiam injiciatur, neve in verbis quidpiam desideretur, quod ad rem juvandam pertinere queat, idcirco confisi de singulari pietate, religione, fide, probitate, eruditione, judicio, et multarum rerum experientia venerabilis devoti nobis dilecti domini Jacobi a

[1] Ext. etiam in Ms. arch. Vat. sig. num. 3249. p. 183.

Mendoza consiliarii et oratoris nostri apud Venetos, eumdem dominum Jacobum oratorem, nuntium et procuratorem nostrum fecimus, constituimus et deputavimus, ac tenore præsentium ex nostra certa scientia facimus, constituimus et deputamus, dantes ei plenam potestatem et facultatem una cum amplo et libero mandato, citra tamen aliorum nostrorum procuratorum et mandatariorum jam constitutorum et constituendorum revocationem vel præjudicium, ut nostro nomine præfatæ Concilii celebrationi intervenire, atque adesse et interesse, locum et vices nostras in omnibus sessionibus, consultationibus, deliberationibus et actibus obtinere, et gerere votum, et decretum nostrum interponere, atque alia omnia agere, facere, dicere, gerere, tractare, procurare et promovere possit et valeat, quæ ex usu reipublicæ Christianæ et dignitate nostra fore videbuntur, quæque nos ipsi facere, dicere, gerere et tractare possemus, si coram præsentes essemus, etiamsi talia essent, quæ mandatum exigerent magis speciale quam hic expressum est; habituri proinde ratum et gratum quidquid per præfatum oratorem, procuratorem et mandatarium nostrum præmissso modo actum, dictum, gestum, factum et procuratum fuerit, dolo et fraude remotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri Cæsarei appositione munitarum. Datum in oppido nostro Bruxellensi die XX mensis Februarii anno Domini MDXLV, imperii nostri XXV, et regnorum nostrorum XXX.

« CAROLUS ».

Addit Angelus Massarellus se perlegisse aliud mandatum Cæsareum Francisco a Toleto traditum, ut Jacobo a Mendoza morbo implicito Cæsareas vices gereret, quod hac loci et temporis nota consignatum erat : « Datum in civitate nostra Trajectensi die altero mensis Februarii anno Domini MDXLVI, imperii nostri XXVI, et regnorum nostrorum XXXI ».

53. *Vulgata translatio Romæ semper in usu fuit, et nunquam in suspicionem hæretici erroris adducta.* — Cum decreta hujus sessionis Romam perlata fuissent, quibus maxime Vulgata editio Scripturæ a Concilio recepta fuerat, nonnulli expostularunt, cur in eo decreto de emendatione errorum, qui in illam irrepserant, actum non fuisset; quorum expostulatio cum a cardinale Farnesio cardinalibus legatis significata fuisset, hoc illi responsum dedere : Reverendissima vestra dominatio sciat, plurimos doctores Hispanos, Gallos atque Italos, theologos tum ex diversis Academiis, tum ex pluribus religiosis familiis prædicatorum, ac S. Francisci, aliorumque ordinum, opinatos editionem Vulgatam Latinam a S. Hieronymo confectam fuisse, multaque argumenta ad id comprobandum cumulasse; alios vero id non approbasse, omnes tamen in hoc consensisse, editionem Latinam, qua Romana Ecclesia semper usa est, præ omnibus aliis firmiorem esse gravioreque auctoritate pollere, ac nunquam pravitatis hæreticæ nota perstrictam, quamvis in aliquibus versibus a textu Hebraico et Græco discrepare videatur, ejusque stylus humilis sit nec careat alicujus vocis barbaræ labe. Porro hæreticos alia sacræ Scripturæ volumina variis in locis corrupisse : atque adeo non alio confugiendum esse, quam ad observantiam legemque ejus Ecclesiæ, quæ imperii Christiani caput est, et quæ singulari divina gratia confirmata, fidem ab omni erroris labe purissimam semper servavit, perpetuamque ac nunquam interruptam Pontificum successionem tenuit. Vulgatam itaque Latinam editionem receptam cum maximæ auctoritatis prærogativa, non tamen alias editiones damnari, modo Catholicæ doctrinæ consentiant, aut Vulgatam illustrent. Addidere demum, errores, qui exscriptorum vitio irrepsere, Pontificio studio ac diligentia emendandos, nec Synodum illius subsidio defuturum.

54. Assensit Pontifex Biblia sacra ab erroribus, qui vitio exscriptorum aut typographorum irrepserant, vindicanda, decrevitque, ut rei in opus provocandæ strenua ac diligentissima opera daretur; cujus pium consilium legati meritis laudibus commendarunt; cum hæretici sathanico furore ad conciliandam nefandissimis suis erroribus auctoritatem apud ignarum vulgus, novas in dies ex Hebraico et Græco idiomate translationes impietate inquinatissimas, licet Latini sermonis elegantia perpolitas mandarent typis : cum e contra Vulgata translatio, licet minus tersa, nunquam antea nisi ab hostibus Ecclesiæ recentioribus, in suspicionem hæretici erroris adducta fuisset; cujus veritas flagrantissimo pietatis studio adversus novatores, qui eam ex Hebræo et Græco sermone emendare affectant, asserenda sit, quanquam si qui illis textus obscuri videantur, liceat eos ex Hebræo et Græco textu, theologis et sacris interpretibus illustrare, ad majorem lucem affundendam Catholicæ veritati, quæ sæpe magis inclarescit simplici ac agresti sermone, quam perpolito et phalerato : quod cardinalis Baronius in Annalibus ex sanctorum Patrum decretis antiquissimis demonstravit.

55. *Vera libertas et zelus sincerus in Synodo Tridentina.* — Refellendæ hoc loco videntur calumniæ hæreticorum effusæ adversus Concilium Tridentinum, inter quos Petrus Soavius libertatem Concilii a Pontifice legatisque Apostolicis violatam conqueritur, quasi Patres Tridentini servitute premerentur, eo quod Pontifex quæ agenda forent legatis præciperet, illique e Pontificio nutu penderent. Sed ne hujus hæretici aculeatis dictis ac laqueis prudens lector irretiatur, revolvat, quæso, Œcumenicorum

Conciliorum codices, ac præcipue sextæ Synodi Acta, instructiones Pontificias legatis traditas sedulo animadvertat, quibus præcipiebatur, ne limites ipsis præscriptos transirent, neque in Concilio alia decerni permitterent, nisi ea quæ a Romana Sede Apostolicaque auctoritate sancita erant. Perpendat aliam esse libertatem carnis, quam affectant hæretici, aliam spiritus, quam commendat Apostolus : nam et *ubi Spiritus, ibi libertas*. Omnia enim in Concilio debita directione atque ordine pertractanda erant : cumque Pontifex sit caput visibile Ecclesiæ militantis, et monarchicum teneat imperium, ad eum pertinere directionem Concilii, et quæ sint excutienda ac decernenda proponere perspicuum est; nam si quisque episcopus sibi arrogaret jus proponendi quæ vellet, tum maximæ turbæ inducta anarchia concitarentur : ac præterea nec inique correpti fuere aliqui episcopi, cum absona vel aliena a rei veritate in Concilio effutirent; nec legati ea dicta corrigendo male libertatem sustulere; quæ enim a Deo sunt, ordinata sunt; sed de hoc alibi occurret sermo.

56. Absolutis sessionis quartæ actionibus legati Romanis, qui de variis corruptelis conquesti erant, responderunt : Datariæ reformationem opere potius quam Diplomate perficiendam : cathedrales sine prævio debito examine et informatione minime conferendas; ad illas, quarum nominatio ad principes pertinet, viros ætate jam adulta, doctos et graves promovendos, ita tamen ut velint ac possint in iis residere; Ecclesiarum pluralitatem etiam in cardinalitio ordine, qui aliis virtutis normam præferre debet, omnino auferendam. Quantum ad episcopos spectat, ipsis residentiam non solum ex honestate, verum etiam ex necessitate præscribendam. Quamvis autem episcopalis potestatis exercitium a regularibus, a dominis temporalibus, atque ab ipsamet Apostolica Sede persæpe impediatur, ideoque præsules a suis sedibus crebro removeantur : attamen opportunam aliquam regularium cum episcopis conventionem opera ac studio præpositorum suorum generalium in Synodo præsentium pertractandam; necnon contra dominos sæculares jurisdictionis Ecclesiasticæ usurpatores sacrorum canonum constitutiones instaurandas. Has vero, necnon alias corruptelas sublatas suis locis visuri sumus.

57. *Pauli ad Helvetios hæreticos litteræ quibus ad officium illos reducere tentat.* — Collocabat interea omnem operam Paulus Pontifex flagrantissimo pietatis ardore, ut extinctis hæresibus omnes populos ad Ecclesiæ conjunctionem revocaret : quare Helvetios, qui antea multis rebus præclare gestis in bello pro Ecclesiastica libertate suscepto a Julio II Pontifice maximam nominis gloriam collegerant, cum suæ nationis ordinum celebres conventus agerent, Paulus amantissimis litteris eos provocavit, ut pro æterna animarum salute comparanda, parentum exemplo, qui nunquam a religione Catholica defecerant, redirent in sinum Romanæ Ecclesiæ, ac pro componendis dissidiis, excipiendisque Concilii Tridentini decretis, oratores ad illud mitterent, cum jam ante illud congregari ardentibus votis expetiissent [1] :

« Dilectis filiis Helvetiis Ligæ superioris Alemaniæ Ecclesiasticæ libertatis defensoribus in diæta congregandis.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Magno in dolore animique nostri anxietate sumus, quod præter eam, quam omnium Christi fidelium animarum curare debemus, salutem, vestram fortissimam nationem Sedi Apostolicæ specialiter devotam, titulumque meritam Ecclesiasticæ libertatis defensorum, jamdudum divisam ac scissam inter se novis in religione videmus, cum quidem antea in religione concors et unanimis, et robore esset et auctoritate apud omnes insignis : itaque, quod ad nostrum officium et in vos paternum amorem pertinet, non destitimus crebris litteris et mandatis per dilectum filium Hieronymum Franchum nuntium nostrum vos hortari, ut in pristinam sanctæ fidei unitatem, et veterem concordiam, per quas vestra in tantum creverat existimatio, redire velitis, congruentes cum patribus et majoribus vestris, qui ex quo Christianam fidem acceperunt, nunquam illam deseruerunt, aut ulla sui parte imminuerunt, sed constanter in omni tempore retentam pie conservarunt, cumque laudabilis et pia responsio vestra ad nos fuisset perlata, quod cuncta super religione ad universale Concilium Tridenti indictum essetis rejecturi, ejusque determinationi obedienter acquieturi, dici non potest quam illa voluntas ac pia intentio vestra fuerit nobis jucunda et grata. Ecce igitur, filii dilectissimi, advenit tempus sponsionis vestræ, et tempus acceptabile, tempus non solum salutis, verum etiam tranquillitatis vestræ, ipsum enim Concilium Dei munere jam apertum et celebrari cœptum, Gallisque, et Hispanis, atque Italis cæterisque prælatis in dies confluentibus frequens habetis, a quo remedium vestrarum in religione dissensionum et petere et obtinere potestis, si ad illud, quemadmodum promisistis, accedere volueritis : vos igitur per illum, qui nos pretioso suo sanguine redemit, communem Dominum Jesum hortamur et rogamus, ut ad ipsum Concilium vestros oratores quamprimum mittere velitis, pro medela et remedio vestris dissensionibus humiliter implorando. Nos enim in Domini misericordia speramus, si sanctam et spiritualem ejusdem Concilii disci-

[1] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 274.

plinam, ut vos decet, admiseritis, nec obicem divinæ gratiæ opposueritis, futurum, ut salutis, quietis et tranquillitatis vestræ fructum optatum inde referentes, atque in unum religionis consensum unanimes reversi, et pietate apud Deum et auctoritate apud homines, ut prius, polleatis; nosque, qui nemini prædecessorum nostrorum in benevolentia erga vos cedimus, vestra concordia et pietate lætemur, ac tanquam filios peculiares hujus sanctæ Sedis omni nostra charitate et favore semper prosequamur, quemadmodum hæc plenius et particularius idem noster nuntius vobis explicabit. Datum Romæ die XI Aprilis MDXLVI, anno XII ».

58. Extant aliæ ad eosdem eodemque argumento exaratæ litteræ, quibus dolet aliquorum impiorum insidiis ac dolis magnam gentis Helveticæ partem fuisse ab obsequio Romanæ Ecclesiæ divulsam, provocavitque ipsos ad exempla majorum, qui post acceptam fidem Christianam summa constantia Romanæ Ecclesiæ adhæsissent, hortatusque est, ut Concilii Œcumenici, quod regi solet a Spiritu sancto, auctoritatem sequerentur [1] :

« Dilectis filiis tredecim Cantonibus Helvetiorum Ligæ superioris Alemaniæ, libertatis Ecclesiasticæ defensoribus.

« Dilecti filii etc. Pro nostra perpetua et prædecessorum nostrorum erga devotiones vestras, totamque istam fortissimam nationem benevolentia, quæ facit, ut semper nos vestri memores, vestrorum commodorum atque honorum summam rationem habeamus, non dubitamus quin vobis quoque in animo et in memoria infixum sit, quanta fuerit semper inter vos et hanc sanctam Sedem conjunctio, quod mutui amoris vinculum, quam multa indicia benevolæ utrinque et beneficæ voluntatis, cum nos semper nostris judiciis nostrisque stipendiis vos honestaverimus : vestra fides nunquam prædecessoribus nostris, et nobis ulla in temporum varietate defuerit, atqui hanc tantam et tam arctam inter nos amicitiæ conjunctionem, quæ utrique parti et honori fuit semper et commodo, fuerunt tamen vafri et insidiosi homines perturbatores legum, morumque bonorum, iidemque sanctæ Catholicæ et Apostolicæ religionis corruptores, qui separare et convellere conati sunt, quibus tantum favit perfidus humani generis hostis, ut ex ista fortissima et nobis charissima natione aliquos a nobis potuerit avellere magno cum dolore nostro, tanquam e sinu et complexu amantissimi patris dilectissimos filios, quorum jacturam atque damnum etiam nunc lugere et lamentari non desistimus, desiderantes Deo restitui et nobis, quos nostræ curæ, diurnæque et nocturnæ cogitationes, omnibus precibus apud Deum, et assiduis lamentationibus requirunt : illud tamen Deo, ejusque divinæ bonitati et clementiæ referimus acceptum, quod bona pars vestrum in fide erga ipsum Deum et erga sanctam matrem Ecclesiam perstitit, nec se alienari a cultu veræ et Christianæ religionis passa est, in quo Deus, misericordiæ Dominus, et vobis, qui integri remansistis, de spiritu suæ sapientiæ effudit, et si qui gentis vestræ decepti et inducti improborum sermonibus in alienum sensum abierunt, illis tamen exemplum ante oculos positum esse voluit constantioris et melioris partis, per quam aliquando possint facilius resipiscere et reverti ad eam sanctam fidem, quam patres ipsorum, omnesque avi et majores, perpetuo cursu veterum sæculorum in Catholicæ Ecclesiæ gremio tenuerunt, cujus Dei voluntatis maximum est argumentum, quod pax et concordia inter vos ne dissidio quidem religionis, e quo solent asperrimæ seditiones oriri, infringi aut violari potuit, quam pacem vestram et conjunctionem nos optimum signum vestræ probitatis et optatæ ac speratæ nobiscum consensionis habemus.

59. « Ac nobis quidem jam inde a nostri Pontificatus initio omnia tentantibus ac molientibus, quo his dissidiorum atque hæresum domesticis malis occurreretur, cum et pro pace inter Christianos principes reconcilianda, sicut notum vobis est, plurimum laborassemus, et lenibus primo remediis, scribendo, hortando, monendo, iniquos hæreticorum animos placare studuissemus, postquam cætera non satis processerunt, ad summum et maximum omnium hujusmodi malorum remedium, Œcumenicum et generale Concilium indicendum, devenimus, et quoniam in Germania maxime hæc hæreticorum prava seges pullulabat, locum Concilio habendo Tridentum elegimus, juris et nationis Germanicæ civitatem, ad quam illi commode venire tutoque commorari in ea, et tueri (si vellent) partes suas possent : speravimus enim, id quod erat sperandum, in tanta Concilii generalis auctoritate, cui semper reges Christiani et populi plurimum detulerunt, in tanto conventu venerabilium episcorum, qui ex omnibus nationibus illuc collecti, de summa fide Catholica (auctore Spiritu sancto) essent acturi, neminem fore tanta impietate perditum, qui non se tantæ divinæ magis quam humanæ auctoritati submitteret, qui non rejectis falsis suggestionibus improborum, judicium universum Catholicæ Ecclesiæ susciperet, quam etiam nunc spem, dilectissimi filii, de vobis retinemus, pacemque illam inter vos, quam omni laude dignam paulo ante diximus, tanquam ansam divinitus nobis datam, accipimus ad conglutinandos iterum vestros cum Deo et nobiscum animos, cum et qui fideles et constantes ex vobis manserunt, hoc certe animo obtemperandi sacro Concilio sint

[1] Paul. III. lib. brev. an. 1546. p. 371.

futuri, et qui non sua culpa, sed quodam credulitatis errore, qui sæpe etiam bonis incidit, prolapsi sunt, auctoritatem Œcumenici Concilii, et ejus Spiritus sancti, qui Concilium regit, non contempturi esse videantur, ad quod nos Concilium tanquam ad cœlestem senatum quemdam, cui Deus præest, eumque ipsemet et moderatur et gubernat, devotiones vestras, sicut etiam ante fecimus, et invitamus, et adhortamur.

60. « Quod vero nobis præter omnem spem et expectationem accidit, ut invenirentur inter Germanos, non pauci etiam de numero eorum, qui se dicunt esse principes, qui Œcumenici Concilii gravissimam auctoritatem, potiusque divinam, ut diximus, quam humanam, ita superbe insolenterque despicerent, ut non modo ad id se accessuros negarent, sed contumeliis et maledictis petulantibus atque nefariis omnem Conciliorum sanctitatem improbissime insectarentur, seque nec Concilii decretis staturos dicerent : id nobis, ut vere loquamur, maxime dolori fuit : vidimus enim hanc perditorum contumaciam summam nobis necessitatem afferre, ut de vi atque armis esset cogitandum, cum nec tantum animarum interitum, quæ hæresum venenis quotidie inficiebantur, nec conculcationem totius, non magis Ecclesiastici quam Christiani nominis atque honoris possemus amplius perferre, quod alterum nobis pastorale officium, charitasque paterna, quam erga omnes fideles Dei filios atque nostros gerimus; alterum locus, atque honor, et summi Pontificatus dignitas non permittebat; sed nobis sæpe cogitantibus, quid agendum esset, Deumque precantibus, ut his divini sui consilii nobis lumen afferret, opportune accidit, ut charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper Augustus, cujus erga Deum Omnipotentem, et sanctam Catholicam Apostolicamque fidem, singulare semper extitit studium et præstantissima pietas, impiorum sceleribus, eisdem fere quibus nos offensus, et quod cum Concilium Germanicæ nationi ipsius præsertim postulatione et opera a nobis datum esset, qui id contemnebant, ipsius quoque et factum et auctoritatem videbantur contemnere, sicut quidam aperte petulanterque faciebant, armis sibi constitueret violatæ fidei Catholicæ sanctitatem ac unitatem esse vindicandam, cui nos occasioni tanquam nobis a Deo sine ulla dubitatione oblatæ studiose nos adjunximus, summique imperatoris optimam voluntatem omnibus nostris et sanctæ Romanæ Ecclesiæ opibus atque auxiliis juvare constituimus, Deo hanc nostram operam et actionem tribuentes, cujus nomen honoremque defendimus, nec volumus committere, ut si lente negligenterque nos geramus, is post tot filiorum animas hæreticorum perfidia in interitum adductas, e nostra manu requirat, quem animum nostrum et totam consilii rationem voluimus vobis, dilecti filii, nostris litteris facere notam, primum, ut vobiscum, tanquam cum eis quos charissimos habemus, curas et sollicitudines, quæ nos premunt, communicaremus etc. ».

Hæsere in pertinacia Zuingliani, Lutheranorum exemplum secuti, qua enim licentia divina pervertunt oracula, et sanctorum Patrum doctrinam respuunt, eadem Concilii auctoritatem abjecerunt.

XV Aprilis post sessionem quartam habita est Congregatio generalis, in qua refert Angelus Massarellus adductum fuisse in examen [1] : « Decretum de lectoribus et lectionibus sacræ Scripturæ instituendis, et concionatoribus ordinandis ».

61. *Declamationes episcopi Fesulani contra monachos.* — Qua occasione usus Braccius Martellus episcopus Fesulanus, erga Pontificem et religiosos Ordines male affectus, declamavit contra monachos, ut referunt alia Acta : Fesulanus ex scripto sententiam dixit : « Me torquet, ut sit liberum regularibus in suis monasteriis, nec missis, nec vocatis a nobis in nostris diœcesibus prædicare, nam hoc si admiserimus, Pontifices, quid aliud est, quam pati, ut lupi non per ostium, sed per posticum intrantes, greges nostros turbent. Quapropter rogo vos, Pontifices, ut hæc pati nolitis. Quod si secus factum fuerit, protestor quod invitus omnino hoc permittam : verum provocabo ad Christi tribunal, me nihil in hoc peccasse. Super vos igitur erit et culpa et sanguis eorum. Cui suo ordine Britinoriensis optime respondisse visus est, inquit enim : Patres, scire nos oportet omnium Christianorum episcoporum esse papam, nos autem in partem ejus sollicitudinis vocatos esse : quamobrem non minus per ostium intrat, qui a Pontifice Maximo mittitur ad nostras oves, quam is, qui a nobis mittitur. Cogitate, si placet, Pontifices ipsos Maximos privilegia ipsa regularibus concessisse propter nostram desidiam, ne dicam ignorantiam; quod ni fecissent, protinus Christi Ecclesia corruisset; sunt enim regulares, qui omne onus episcopale subeunt; nos si quid lucri est, nullo labore suscipimus. Britinoriensis sententiam alii quoque secuti fuerunt ».

62. *De episcoporum residentia agitur.* — In congregatione generali decima quinta Aprilis actum fuit de episcoporum residentia, et de tollendis ejus impedimentis : deinde cunctorum Patrum suffragia super duos Scripturarum abusus, scilicet lectionum et concionum, in aliis prioribus conventibus non rite discussos audita fuere. Hoc temporis flexu cardinalis Tridentinus ac Cæsareus orator nomine imperatoris efflagitarunt, ut in Synodo, prætermissa dog-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 151.

matum discussione, de vitiis exscindendis et disciplina Ecclesiastica restituenda ageretur : eo enim vergebant studia Lutheranorum, ut damnarentur hæreses, et Ecclesiastici cumulatis in eos calumniis vexarentur. Cæsar vero Lutheranos asperare verebatur, ne res in apertum bellum erumperet : quare legati misso concitatissimis equis tabellario Pontificem consuluerunt : a quo responsum est, causam dogmatum non prætermittendam, ut omnium in Concilio gravissimam.

63. Coactam fuisse Congregationem generalem decima Maii tradit Angelus Massarellus, in qua lectæ sunt sententiæ collectæ in qualibet classe super decreto de lectionibus et prædicatione sacræ Scripturæ. Tum vero Petrus Pacecchus cardinalis de episcoporum residentia, ac de causa pro instruendo Christiana doctrina populo sermonem intulit, ut referunt Acta : « Omnis substantia hujus rei, ut mihi quidem videtur, est episcoporum residentia ; quæ si fiat, omnia, ut optime a domino meo Tridentino dictum fuit, facile præstabimus. Et cum dico residentiam, intelligo ad effectum ut prædicent et officio sibi commisso fungantur. Utinam etiam verum esset, quod Panormitanus archiepiscopus dixit, ut videlicet jure divino non essemus adstricti ad prædicandum, quoniam bene nobiscum ageretur : verum scimus Paulum sæpius dixisse : *Væ mihi, si non evangelizavero :* et alibi, *sumus doctores et pastores;* quamobrem non opus, ut in hoc nobis nimis indulgeamus, sed sciamus oportet, jure divino nos coactos esse ad prædicandum, quando autem prædicare debeamus, id jure humano statutum est. Debet igitur, meo judicio, sancta hæc Synodus in primis et ante omnia renovare canones antiquos super episcoporum residentia per fructuum subtractionem, et per alia opportuna remedia : ita ut si diu ea pœna parvipendatur, tandem ad depositionem deveniatur. Et in primis exoretur Summus Pontifex, ne passim indocti ad episcopatum promoveantur, nam hæc justa est causa, ut deponi possit episcopus, si litteras nesciat. Memini cum primum promotus fuissem ad Ecclesiam Pampilonensem, audivisse, civitatem illam annis octuaginta ante me non vidisse episcopum suum : quod accidit quoniam episcopatus semper fuit in manibus cardinalium ».

64. Addit Angelus Massarellus ortam fuisse non modicam altercationem de quibusdam verbis prolatis a Fesulano, quod episcopi Christi vicem in terris gerant, sed omnia pacata mox fuisse, quæ distinctius in Actis sic referuntur :

« Cardinalis de Monte conversus ad Fesulanum dixit : Domine, altera die dixisti appellare ad tribunal Christi, si aliter in re, de qua agitur, statueretur, quam a vobis dictum fuerat : persistisne in illa appellatione ? Fesulanus : Oblitus sum, inquit, id dicere. Ego, ut scitis, Patres, provocavi ad tribunal Christi, non ut provocarem sic ut qui superiorem judicem appellant, sed quemadmodum faciunt, qui suam conscientiam exonerare cupiunt, ejus rei causa perhumane fui hodie a reverendissimis legatis admonitus, qui mihi dixerunt, provocationem ad Christum hæresim sapere, si quis in illa pertinaciter insistat : propterea me declaro, non provocandi et appellandi animo id dixisse, sed ut meam conscientiam exonerarem, et nihilominus ab appellatione ipsa, quatenus appellatio est, desisto, illique penitus renuntio ». Et infra :

« Cardinalis Anglicus ad Fesulanum conversus dixit : Multa bona dicta fuerunt a domino Fesulano, quæ et nos et boni omnes æque secum desiderant; nam episcopos residere, prædicare, muneri episcopali operam dare nonnisi bonum est; modus autem dicendi nequaquam bonus est, hoc enim magis invectiva fuit quam libera sententia, et seditiosa concitatio quam plana et æqua oratio ; quamvis, si omnia perpendantur, neque oratio ipsa æque ipsamet satis sibi constat, non videt enim, quod dum proximis diebus curaret, ut nomina legatorum delerentur ex decretis, et pridie dum ad tribunal Christi appellasset, quantum in se erat, jus et auctoritatem Concilii minuisset, quam maxime debeat extollere, si ex Concilii auctoritate desiderabat pristina jura episcopis concedi et restitui : nunc rursus non cogitat, dum adversus omnes regulares invadit, ut episcopis propria restituantur, hoc unum agere, ut episcopi careant ministris. Utinam enim episcopi sine iis facere possent, quoniam res Christiana melius se haberet, quam se habeat, etc. »

65. *An pertineat ad legatos solos proponere quæ in Synodo tractanda sint.* — Significarunt legati cardinali Farnesio gesta istius conventus, nempe ut decreto de tollendis corruptelis, quæ in tractandis sacris Scripturis committuntur, finis imponeretur, extractamque in rem noctem ob sententiarum in diversis capitibus varietatem ; cum plures episcopi propriis commodis magis quam æquitati consulerent, ac regularium parochorumque privilegia rescindi cuperent ; quasi ipsorum auctoritas ex depressa eorum dignitate excresceret : consumptam partem temporis, ut Tridentino cardinali, qui legatorum munus affectare visus est, obsisteretur, cum sponte sua proponeret, dandum responsum litteris regis Lusitaniæ, quas duo religiosi viri Roma attulerant : Fesulanum et Clodiensem episcopos, quorum dicta ad seditionem quodammodo spectare viderentur, ex Concilio revocandos videri ; arsisse autem odio Fesulanum præsulem in religiosos Ordines, declamantemque adversus eos lubenter audiri a pluribus : interjectis paucis diebus scripsere Pelargum Ordinis Prædicatorum theologum accessisse Tridentum ; ac litteras archiepiscopi Trevirensis

et cardinalis Augustani attulisse, quibus illi se graviore impedimento distineri significarunt, ne, ut gerebant in votis, se ad Concilium Tridentinum conferrent : commendatus est etiam ab Augustano internuntius Verallus, qui suis concionibus sacris pietatem late propagaret :

66. « XVIII Maii, coacta Congregatione generali, cardinalis de Monte (inquit Angelus Massarellus) reprehendit immodestiam aliquorum Patrum in sententiis dicendis, qui nimis licentiose loquuntur, nominavitque episcopum Fesulanum, contra quem excerpta fuerant quædam capita ex concione, quam ipse Fesulanus habuit in Congregatione die x præsentis mensis contra regulares, monens omnes, ut in futurum modestius et reverentius loquantur, et quod si libera debent esse, prout sunt in Concilio, Patrum suffragia, ea tamen dici debent, quæ in nullius injuriam cedant ». Tum addit, « ortam contentionem inter Concilii præsides et quosdam præsules, num ad legatos Apostolicos tantum spectet officium proponendi in Concilio et Congregationibus generalibus ». Quo argumento, quæ hinc inde jactata sint, recensent alia Acta :

67. Asturicensis inquit : « Fateor et semper fassus sum, ad præsidentes pertinere specialiter ut proponant, et vota super propositis colligant; sed et munus hoc proponendi cuilibet competere puto. Sic Osius in Laodiceno Concilio, et alii plerique, quamvis non præsiderent, materias proposuisse legimus, super quibus materiis deinde canones facti fuere, si quis tamen hoc neget, ego id me probaturum et probatissimis viris interpretibus profiteor. Cui cardinalis de Monte : Istud (inquit) plane recipio ad præsidentes pertinere ut proponant et vota colligant; at illud idem cuilibet episcopo competere prorsus nego, quando apud omnes constat, proponere et præsidere ad eos tantummodo pertinere, qui in unaquaque universitate locum primum tenent, sic enim leges, consule interrogante, sciscebantur, et plebiscita plebeio magistratu, id est, Tribunis interrogantibus, et quod dictum de Osio non mirum est, quoniam is legati primæ Sedis fuisset auditor ».

68. At Asturicensis : « Erunt igitur (inquit) adeo adstricti episcopi, ut nihil, quod ad rem Christianam, nihil quod ad proprias provincias pertineat, proponere possint? Quod si fateatur, nescio an rebus Concilii bene caveatur. Nam apud omnes, quos ego hactenus percurri auctores, et apud Bartolum et Baldum invenio, licere omnibus de universitate proponere id, quod possunt omnibus ostendere. Cui cardinalis de Monte : Non est (inquit) ut hac de re vobiscum disputem, sunt enim si vultis hic jurisconsulti, qui vobiscum de jure disceptabunt. Cui Asturicensis : Nolo (inquit) cum jurisconsultis disputare, nec a me sunt dicta jurisconsultis, sed Synodo, quam volui meam intelligere sententiam, ut sciant omnes eis licere, proponere quodlibet, dummodo honestum sit. Credo (inquit Giennensis) cardinalem de Monte, quando dixit non licere episcopis proponere, intelligere ita, ut vota præsidentibus ipsis invitis colligere possint; quod et ego credo : verum ac quod quilibet, dum sententiam dicit, non possit, quid sentit, proponere et explicare, non credo esse ejus sententiam. Dico (inquit Asturicensis) posse singulos episcopos proponere, nec aliter fieri posse, exempli causa : ponamus aliquem episcopum velle aliquam materiam contra legatos ipsos vel cardinales proponere, æquumne censetis illa oportere legatis ipsis prius dicere, an non ? Non (inquit cardinalis de Monte) vobis licere arbitror, neque licebit unquam contra legatos Sedis Apostolicæ, neque contra cardinales aliquid proponere, nec enim me præsente talia alicui permittam impune facere, et miror vos audere talia dicere. Asturicensis inquit : Non dico de legatis, ut de legatis, sed ut de cardinalibus in genere. Ne hoc quidem vobis licet (inquit cardinalis de Monte) nam quæ vobis liceant satis alias explicavi, et nunc optime ex cardinali Giennensi discere poteritis. Cui cum acquiesceret Asturicensis, cardinalis Giennensis ad illum conversus dixit : Satis est (inquit) dixisse vestram sententiam, quam Patres, ut videtis, non probant. Gratias (inquit Asturicensis) vobis refero, quoniam satis meam audivistis sententiam. Cui cardinalis Giennensis : Non possum (inquit) id probare quod ego non teneo. Episcopus Vasionensis dixit : Ego nunquam, etiam rogatus, respondebo, nisi legatis interrogantibus, qui nostrum caput sunt, alios autem omnes in Concilio pares esse existimo ». Hæc paucis perstringens Angelus Massarellus ita scribit : « Cardinalis de Monte comprobavit multis rationibus et auctoritatibus, quod licet unicuique liberum sit dicendi in Concilio sententiam, munus tamen proponendi ad solos reverendissimos cardinales pertinet ». Recruduisse eam controversiam post plures annos sub Pio IV visuri sumus.

69. *Discussio de peccato originali.* — Interea legati, cum ex cardinalis Farnesii litteris percepissent Pontificis mentem esse, ut omnimode peccati originalis dogma proponeretur atque summa diligentia discuteretur, absque mora Pontificio imperio sese obtemperaturos significarunt; præcipue quia de Justificatione rite pertractare non poterant ante decretum de peccato originali; quare mox auditis theologis, et expensis mediis, quibus in dogmate peccati originalis procedendum erat, decretum ab iis fuit prius diligenti examine perquirendum, quid de hac re Concilia generalia, aliaque a Sede Apostolica approbata statuerint; et innovatis veteribus Constitutionibus, illas addere, quæ ad statum rerum præsentem magis accommodæ cen-

sebantur, rejectis tamen supervacaneis et non necessariis ; quem modum una simul Patres commendarunt ; licet nonnulli ac potissimum Hispani, excepto tamen cardinale Giennensi, de reformatione ante omnia pertractandum esse a Synodo insisterent : quibus tamen polliciti sunt, post hujus decreti decisionem, de reformatione ac de episcoporum residentia absque mora pertractaturos.

70. Perspexerat imperator (ut paulo ante insinuatum est) Protestantes ad defectionem a Cæsareo obsequio inclinare, atque adeo promulgatis in Concilio dogmatibus Catholicis asperandos, atque in arma consurrecturos verebatur : Patres vero Tridentini extimescebant, ne si invito ac reluctante imperatore, de dogmatibus fidei agerent, ejus patricinio orbarentur. Consultum itaque est a cardinale Tridentino, ut de peccato originali ageretur, cum in illo articulo in colloquio Ratisbonensi Catholici et Protestantes inter se consensisse dicerentur : verumtamen Franciscus Toletanus Cæsareus orator intercedebat, ne ille articulus tractaretur, donec Ratisbonensis conventûs solutus foret, trahebatque in suas partes præsules Hispano imperio obnoxios, verum major episcoporum pars una cum legatis in suscepta perstitit sententia adducendæ in examen quæstionis de peccato originali, definiendæque in proxima sessione : jusserat enim Pontifex, sicuti innuimus, ut ea controversia dirimeretur, ex cujus mandato collegere animos legati, ut importunæ Francisci Toletani factioni generose repugnarent.

71. XXIV Maii propositi sunt theologis plures articuli controversiarum circa peccatum originale, de quibus disserturi erant. XXVIII vero die in Congregatione generali Cardinalis de Monte de eo dogmate ita ad Patres disseruit [1] : Auditis theologis, et considerato quanta laboremus temporis angustia, quoniam permagni interest, qua via procedatur, cogitabamus, si videretur Patribus, ut is modus foret optimus, si ante omnia prospiceremus, quid super hujusmodi articulo a majoribus nostris in Conciliis, aut universalibus, aut provincialibus approbatis et receptis ab Ecclesia decretum esset : et illis omnibus collectis adderemus ea, quæ pro statu præsentis temporis addenda viderentur, et veteribus decretis innovatis, et novis additis, ab hac sancta Synodo super hoc, ut fieret salutare decretum. Dicant igitur Patres, utrum hic modus procedendi eis placeat. Super qua re sententiis perquisitis, omnes modum propositum laudarunt ». Deinde ipse reverendissimus et illustrissimus præsidens legit ea, quæ super ipso articulo collegerat [2], videlicet :

Propositio articuli de peccato originali.

« Articulus de peccato originali non incommode dividi potest in duas partes. Prima est de ejus cognitione, propagatione, et malitia seu damno. Secunda de ejus remedio et remedii effectibus. Quoad primam attinet, de qua nunc agendum est, hæc ex decretis Summorum Ponficum et Conciliorum annotata sint pro faciliori Patrum indagatione, ut per ea invitentur ad exquirenda alia, et ea addenda, quæ pro hujus temporis statu deesse videantur ».

Subjecit mox ex Concilio Milevitano canonem secundum, ex Carthaginensi cap. 72, ex Arausicano canonem I, ex eodem can. 2, ex Toletano 12, can. 2.

Ex Concilio Florentino de unione Armenorum : « Firmiter credit, profitetur et docet neminem unquam ex viro fœminaque conceptum, a Diaboli dominatu fuisse liberum, etc. ».

Subjunxit deinde testimonia Pontificum Innocentii I ad Concilium Carthaginense Epist. 25, Cœlestini I Epist. I, c. 4, Leonis Epist. 84 ad Aquilegiensem episcopum, Leonis Epist. 91, can. 9 et 10.

72. Quarum auctoritatum exempla ad omnes Patres eadem die transmissa sunt.

Institit iterum Giennensis cardinalis in eadem Congregatione ex singulari (ut videbatur) sensu pietatis, qua erga B. Virginem delibutus erat, ut de immaculata B. Virginis Conceptione ageretur in Concilio ; maximam enim Christiani orbis partem pie ita sentire, remque Hispanis et Gallis fore gratissimam : maxima tamen præsulum pars, quibus se etiam aliqui Hispani conjunxere, sensit ab ea quæstione magnis implicita difficultatibus abstinendum, ac potius perspicuas hæreses damnandas, quam in occultis et ambiguis controversiis tempus terendum, quæ significavit cardinalis e Monte legatus cardinali Farnesio, opportuniore vero tempore eam quæstionem excuti atque illustrari posse. Verum Giennensem cardinalem magis ductum abblandiendi Cæsareis voluntatibus, quam pietatis studio, referunt Acta, ut dum in ea quæstione tereretur tempus, Lutheranæ impietatis dogmata silentio involverentur, tum subdunt : « Aquensis mirum in modum institutum legatorum de dogmatibus pertractandis laudavit in eoque perseverandum esse dicebat, donec tandem omnes hæreses, quarum præcipue causa Concilium convocatum fuerat, extirparentur ». Et mox : « Reformationem unusquisque sibi facere posset, dogmata nonnisi in Conciliis commode definiri posse ». Multis interjectis :

« Fanensis Episcopus : Probo (inquit) quod de peccato originali propositum est, quod autem controversia illa de Maria Virgine in sacrosancta hac Synodo pertractetur, mihi persuaderi non poterit. Primum, quod sciam utram-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 1586. Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 40. — [2] Ext. etiam Ms. arch. Vat. sig. num. 3249. p. 239.

que partem maxime piam esse, et a tot sanctissimis doctoribus hinc inde suas partes comprobantes, ut non sine manifesta plurium nota et damnatione posset Synodus hanc rem determinare : addo etiam rei difficultatem : quis enim sententiam hanc nosse potuit, quæ Sedi Apostolicæ adeo obscura hactenus visa est, ut neutram usque adhuc partem elegerit. Ne autem vos, Patres, prætereat, scitote, nihil Protestantibus gratius hoc tempore nos facere posse, nisi de hac ipsa re pertractare, quæ non adeo brevis erit, ut aliqui putant, sed quæ ne tribus quidem mensibus perfici poterit, cum magno dedecore Synodi, dicentibus omnibus, quæ decidenda sunt omitti, et silenda decerni, propterea hac in re laudarem, ut perpetuum silentium imponeretur omnibus, ita ut nulli deinceps liceret hac de re palam disputare, neque aliquid populum docere ».

XXXI Maii in Congregatione generali [1] excussa est prima quæstio de peccato originali, de ejus cognitione, propagatione et malitia, de quibus primum a cardinali Giennensi, deinde ab archiepiscopis, et episcopis, et abbatibus sententiæ dictæ, inter quos Fanensem episcopum erudite perlocutum referunt alia Acta : « Theologi rem ipsam longa oratione prosecuti sunt, quorum omnium Fanensis episcopus omnem a capite materiam commode pertractasse visus est. Constare quidem ipse ex totius Ecclesiæ consensu dicebat, Adam ipsum, præter ea, quæ ut homo ab auctore consecutus fuerat, fuisse insuper rectitudine et justitia donatum a Deo, quam quidem si servasset, ut poterat, perpetua immortalitate gavisus fuisset, et hæc quidem ipsi Adamo data fuere a Deo ipso, ut naturæ parenti, ita ut in omnes ex semine ejus nascituros provenirent : de aliis autem virtutibus, quibus Adam a Deo ipso donatus fuerat, puta de stellarum cognitione, de natura animalium et similibus, non satis constat inter theologos, ut ita datæ essent, an propriæ ipsius Adami essent, an potius ut transmitterentur una cum rectitudine ipsa.

« Constat quoque apud eamdem Ecclesiam, Adam ipsum coram Deo peccasse, et genus quidem peccati inobedientiam fuisse, sive fuerit per pomorum susceptionem ex arbore prohibita, sive quovis alio modo, nihil interest. Satis est nos scire Adam peccasse, cujus peccati ea vis fuit, ut mereretur ipse Adam gratia justitiæ et rectitudinis sibi a Deo datæ privari : quo quidem Adæ privilegio posteros quoque ejus privavit, quoniam sicut gratia ipsa Adæ data fuerat, ita ab ipso et per ipsum a posteris ejus accepta fuisset. Id Apostolus dixit : *Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.* Quæ quidem mors, nisi per Baptismum tollatur, omnes reos gehennæ facit : quibus in rebus statuenda duo in primis semper consideranda mihi visa sunt. Alterum, ut ita concipiamus verba, ita rem pertractemus, ut nulla culpa ipsi Deo, nullaque injustitia ei, qui semper rectus est, tribui a nobis videatur. Alterum, ne peccatum ipsum Adæ ita minuamus, ut pæne frustra Dominum nostrum Jesum Christum humanam pro nobis carnem sumpsisse affirmare videamur. Quod autem Lutheranos ipsos tangit, omnino falsum est, dum dicunt per Baptismum peccatum originis non tolli, sed nobis non imputari, nos vero, neque manere, neque imputari nobis defendimus, etc. »

74. *Catalogus errorum circa peccatum originale.* — IV Junii et v in Congregationibus generalibus [1], de secunda quæstione, nimirum de remedio peccati originalis, et de ejusdem remedii effectibus actum est. VIII vero Junii propositum decretum de Peccato originali excutiendum.

IX Junii in Congregatione generali residentia episcoporum proposita, deinde hæreseon circa peccatum originale catalogus perlegitur [2] :

Hæreses et errores super peccato originali.

« I. Primus error est ille notissimus Pelagii : nos non nasci aut concipi peccatores, sive nullam peccati labem ex nostra generatione contrahere : quem errorem damnavit Concilium Milevitanum.

« II. Est Valentini, Manichæi et Priscilliani, ex Christiano conjugio natos non contrahere originalis culpæ contagionem. Quem errorem damnavit Innocentius I et profligavit Augustinus lib. de peccat. mer. et remiss. c. 25 et 26.

« III. Est Pelagianorum, quem etiam secutus est Erasmus, Paulum, Ep. ad Rom. 5 hujus peccati originalis nullam prorsus facere mentionem.

« IV. Peccatum originale nihil esse in unoquoque nostrum, sed esse dumtaxat ipsam Adæ prævaricationem, quæ revera nobis non insit, sed soli Adæ.

« V. Est Martini Lutheri, concupiscentiam nobis innatam atque inspersam, quæ remanet in baptizatis, esse peccatum originale, quæ scilicet concupiscentia complete atque præcise sortita sit originalis peccati rationem.

« VI. Est ejusdem Martini Lutheri, originale peccatum esse concupiscentiam ultimo præcepto Decalogi notatam.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 163. Acta Congr. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sig. 2799. p. 100.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3231. p. 164. — [2] Ext. etiam in Ms. sig. num. 3249. p. 275. perlect. IX Junii in Cong. gen.

« VII. Est error Pelagii, peccatum originale esse prævaricationis Adæ imitationem.

« VIII. Est ejusdem Pelagii, quem Martinus Lutherus sequitur, ad peccatum originale expiandum in parvulis Baptisma non esse necessarium.

« IX. Ejusdem etiam Pelagii, ad quem errorem Martinus Lutherus accedere videtur, puellos non baptizatos morientes non damnari, sed salvari, et vitæ æternæ fieri possessores, licet ad regnum Christi non pertineant. Contra quem errorem late scripsit Augustinus.

« X. Est Priscillianorum, Euchytarum, Messallianorum et Manichæorum, Baptismum infantibus nihil prodesse : quem errorem etiam Anabaptistæ sequuntur.

« XI. Est eorumdem Anabaptistarum, parvulos in infantia baptizatos rebaptizandos esse.

« XII. Est eorum, qui dicunt quoslibet infantium actus, quamvis ratione careant, esse peccata, atque in ejusmodi consistere peccati originalis rationem, nullaque alia ratione eos esse baptizandos, quam ut hæc sola peccata expiantur.

« Tertius decimus est eorum, qui tenent non unum esse peccatum originale, sed plura, quem errorem confutat Magister Sententiarum 33 dist.

« Quorum errorum unusquisque hodie suos habet defensores ».

75. *Declarationes et canones de peccato originali.* — Decima Junii in Congregatione generali agitatum est de residentia ; cumque ea controversia dirimi non posset in proxima sessione, in aliud tempus extracta.

XIV Junii [1] discussum est acerbo examine decretum de peccato originali : « In cujus decreti examinatione (addunt Acta Angeli Massarelli) oritur magna contentio, disputatio inter Patres, num in hoc decreto de peccato originali esset decidenda quæstio de Conceptione Beatæ Mariæ Virginis ». Lectæ tum in ea Congregatione generali fuere ab episcopo Bituntino auctoritates plurium sanctorum Patrum negantium Immaculatam Conceptionem.

Addit vero Angelus Massarellus decretoriam in ea re sententiam : « Et majori parti visum fuit relinquendum esse hunc articulum sub determinatione felicis recordationis Sixti papæ IV, quæ determinatio a Concilio innovetur ».

Narrantur paulo fusius hujus Congregationis Acta in alio Ms. [2] in quo verba a Polo et Paceccho cardinalibus habita recensentur.

Lecto decreto de peccato originis, cardinalis Polus sententiam suam ita dixit [3] : « Ut a capite decreti incipiam, quid sit peccatum originale, magis nos ipsi in omnibus sentimus omnes re ipsa, quam ipsi sciamus, quid sit, verbis comprehendere. Hæc inde possumus ostendere, quod, cum multi sanctissimi Patres de hac re scripserint, tamen hoc quid esset, definire nescierunt. Hoc etiam vobis patuit ad oculum tam in Congregationibus episcoporum, quam theologorum, in quibus maxima fuit omnium concordia in reliquis constituendis, sed in hoc uno valde fuerunt dissidentes. Illud valde scimus, mortem nobis per Adæ peccatum interminatam esse, mortem, inquam, non ut statim occumberet ipse Adam, et nos cum ipso, sed mentis obtenebrationem, quæ et ipsa mors dici potest. Hoc senserunt et vetustissimi Philosophi fere omnes, non a fide ut nos edocti, sed a natura ipsa, cujus vim et mortem sentiebant in malam pœnam esse. Id Aristoteles dixit, dum regimen magis apud rempublicam esse vult, quam apud regem unum, ea scilicet ratione, quoniam spiritus unius sæpe impotentes sunt ad resistendum malis, ad quæ natura nos inclinat. Id ostendit Socrates, dum post universam perlustratam Philosophiam, se unum scire fassus est, quod nihil sciret. Philosophi igitur huic morbo providere volentes, legibus muniendam esse rempublicam decreverunt, ut quorum scilicet concupiscentiam indomitam esse cognoscebant, saltem pœna cum metu coercerent.

76. « Longe alia via Deus Omnipotens cum priscis Patribus nostris egit ; certavit scilicet beneficiis et gratiis nostros motus reprimere, et impetum protinus extinguere. Sed neque præmia, neque mannæ manducatio diuturna, neque aliquod aliud gentem duræ cervicis potuit domare. Exemplo potest esse Salomon tot tantisque bonis a Deo donatus, ut nemo plus eo acceperit, fatetur plane ipse omnia vanitatem esse, et in ipsa quoque sapientia labores. Quamobrem Deus, ut generi humano provideret, per mortem Unigeniti Filii nobis gratiam et salutem dedit. Hæc tendunt ad demonstrandum, quod ad abolendam hujus peccati vim nulla unquam humana res valere potuit. Hæcque ad declarationem primi, secundi et tertii capitis, in quibus nihil addi minuive desidero. Quod mihi dubium fuit, est quod dicitur in fine decreti, nihil esse, quod Deo displicere possit. Quæ quidem verba, si rite intelligantur, nullam habent distinctionem, quo modo de hoc ipso Paulus loquens : *In renatis* (inquit) *qui in Christo sunt, nihil odibile esse ;* nam in aliis non auderem id ego affirmare, propter nostras imbecillitates : propterea addendum aliquod verbum existimarem ad majorem declarationem, ne alioquin aliqui, perperam intelligentes hunc locum, intelligant omnino renatos impeccabiles esse : quod quam falsissimum est, omnes intelligunt, quinimo statutum est, ut etiam viri sancti dicerent quotidie, *Dimitte nobis debita nostra ;* et non propter humilitatem, sed propter veritatem.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3206. p. 166. Ext. in Ms. Vat. sign. num. 3206. p. 119. — [2] Ib. p. 166. — [3] To. XIX. de Conc.

« Giennensis censebat [1] stare posse verba illa decreti, nec aliquo modo mutanda, ne videatur magis potuisse unius Adæ peccatum quam Christi meritum. Hoc referre, quod etiam justi dicunt : *Dimitte nobis peccata nostra ;* quia id sit propter peccata, quæ timentur, et quæ a quantumvis justis timeri debent. Illud autem, quod in fine decreti ponitur, mihi non placet, dum dicitur :

« Declarat autem Synodus non esse suæ intentionis, in decreto hujusmodi, ubi de peccato originali loquitur, comprehendere Beatam et Immaculatam Virginem Mariam matrem Jesu Christi, de qua re ad præsens nihil declarare intendit, præter id, quod a felicis recordationis Sixto IV decretum fuit ; hæc enim declaratio non est juxta decretum Synodi, nam in proxima congregatione plusquam duæ ex tribus partibus tenuere eximendam esse a decreto B. Virginem Mariam, cum hac adjectione, videlicet, de qua pie creditur sine peccato originali conceptam fuisse ». Verum quidem est, in antecedenti congregatione ex tribus partibus duas in dictam decreti formam consensisse, sed in sequenti recesserunt, ut in Actis in Castro S. Angeli asservatis ita narratur :

77. « Die octava Junii, in congregatione generali decretum de originali peccato a theologis in privatis congregationibus compositum, lectum fuit. Cardinalis Giennensis præcognoscens tam brevi temporis intervallo tali quæstioni possibile non esse finem imponere, requisivit, ut universali propositioni, cum qua declaratur originalem culpam esse communem omnibus hominibus, talia adderentur verba, scilicet : Quod ad Beatam Virginem attinet, sacrum Concilium nihil definire intelligit, quamvis pie credatur, eam sine originali peccato conceptam fuisse. Tali sententiæ tunc major pars consensit. Sed episcopi, aliique ex Prædicatorum familia ardentes contradixerunt, multique eis adhæserunt. Opponebantque, si pium est unam opinionem credere, consequenter aliam partem credere impium esse. Et sic (quamvis tacite) quæstio definita censeretur. Ideoque consilium fuit, excogitanda esse verba, quibus nec unius, nec alterius opinioni præjudicium afferretur, et ambæ in eodem statu, quo tunc in Ecclesia erant, permanerent. Ideo theologi, ut Synodi mentem executioni mandarent, in suis congregationibus sequens decretum exararunt : Declarat sancta Synodus, non esse suæ intentionis in hoc decreto, ubi de peccato originali agitur, Beatam et Immaculatam Virginem Mariam matrem Domini nostri Jesu Christi comprehendere, cum modo circa hoc nihil declarare intelligat, præter quod a felicis recordationis Sixto IV decretum fuit. Attamen cardinalis Giennen. non acquievit, asserens, in præterita Congregatione generali ex tribus partibus supra duas consensisse, ut decreto adderetur, de qua pie creditur, sine peccato originali conceptam fuisse ». Et paulo post : « Asturicensis episcopus proposuit, ut illa verba declararentur, quibus asserebatur, Concilium modo nihil se declarare intelligebat. Placuit ista propositio Bertano aliisque Dominicanis. Sed cardinalis Giennen. ejusque sectatores eam non approbarunt. Et cum plus temporis quam par erat, et præter consuetum in illa Congregatione consumptum fuisset, tandem suffragia collecta fuere, et conclusum, quod quamvis major pars Conceptionem absque peccato fuisse crederet, tamen etiam major pars melius consilium existimavit, nullum contrariæ opinioni præjudicium esse ferendum. Quare verba decreti juxta sententiam Asturicensis recepta fuere, quod cardinalis Giennensis cum amaritudine animi pertulit.

78. XVI mensis Junii coacta Congregatio generalis, in qua sancita decreta de peccato originali, et de lectionibus sacræ Scripturæ instituendis, et concionatoribus ordinandis promulganda esse in quinta sessione postero die celebranda.

79. XVII Junii celebrata est quinta sessio Concilii Tridentini [1], cui quadraginta novem episcopi, archiepiscopi novem, quatuor cardinales, duo monachorum abbates, tres Mendicantium præpositi Generales, duo Cæsarei oratores interfuere, atque in ea gravissimi novatorum errores circa peccatum originale damnati fuere :

« Sacrosancta Œcumenica et Generalis Trid. Synodus in Spiritu sancto legitime congregata præsidentibus in ea eisdem tribus Apostolicæ Sedis legatis, jam ad revocandos errantes et nutantes confirmandos accedere volens, sacrarum Scripturarum, sanctorum Patrum, ac probatissimorum Conciliorum testimonia, et ipsius Ecclesiæ judicium et consensum secuta, hæc de de ipso peccato originali statui fatetur ac declarat.

« Si quis non confitetur, primum hominem Adam, cum mandatum Dei fuisset transgressum, statim sanctitatem et justitiam in qua constitus fuerat, amisisse, incurrisseque per offensam prævaricationis hujusmodi iram et indignationem Dei, atque ideo mortem, quam antea illi comminatus fuerat Deus, et cum morte captivitatem sub ejus potestate, qui mortis deinde habuit imperium, hoc est, Diaboli, totumque Adam per illam prævaricationis offensam secundum corpus et animam in deterius commutatum fuisse, anathema sit.

[1] To. XIX. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. 3206. p. 117. Ms. Fr. card. Barber. sign. num. 1179. p. 116. Diar. Conc. Ms. arch. Vat. p. 41. card. Pallav. to, I. l. VII. c. 7. num. 2.

[1] Pallavic. to. I. l. VII. c. 13.

« Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, et non ejus propagini asserit nocuisse, et acceptam a Deo sanctitatem et justitiam, quam perdidit, sibi soli, et non nobis etiam eum perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum, mortem et pœnas corporis tantum in omne genus humanum transfudisse, non autem et peccatum, quod mors est animæ ; anathema sit. Cum contradicit [1] Apostolo dicenti ; *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt.*

80. « Si quis hoc Adæ peccatum, quod origine unum est, et propagatione, non imitatione transfusum omnibus , idest (inest) unicuique proprium, vel per humanæ naturæ vires, vel per aliud remedium asserit tolli, quam per meritum unius mediatoris Domini nostri Jesu Christi, qui nos Deo reconciliavit in sanguine suo, factus nobis justitia, sanctificatio et redemptio ; aut negat ipsum Christi Jesu meritum per Baptismi sacramentum in forma Ecclesiæ rite collatum tam adultis quam parvulis applicari : anathema sit : quia non est aliud nomen sub cælo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri ; unde illa vox, *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi,* et illa, *quicumque baptizati estis Christum induistis.*

81. « Si quis parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, etiamsi fuerint a baptizatis parentibus orti, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro necesse sit expiari ad vitam æternam consequendam ; unde fit consequens, ut in eis forma Baptismatis in remissionem peccatorum non vera, sed falsa intelligatur : anathema sit. Quoniam non aliter intelligendum est id, quod dixit Apostolus, *Per unum hominem peccatum intravit in mundum, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit, in quo omnes peccaverunt;* nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit ; propter hanc enim regulam fidei ex traditione Apostolorum etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis committere potuerunt, ideo in remissionem peccatorum veraciter baptizantur, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt. *Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei* ». Damnati sunt eo decreto Calvinistæ, qui segniores erant ad conferendum parvulis baptisma, ut eorum plurimi inde infeliciter perirent.

82. Invexerat alium errorem Lutherus, quem secutus est Calvinistarum grex, remanere post Baptismum in baptizatis peccatum, sed non imputari : utque errorem fulcirent, contendebant concupiscentiam esse peccatum, quæ cum remaneat in baptizatis, concludebant peccatum etiam in iis remanere ; ac verba Apostoli et S. Augustini, qui concupiscentiam dixere peccatum, eo quod concupiscentia sit peccati causa, et pœna peccati, atque etiam inclinet ad peccatum, detorsere in pravum sensum ; quasi sit proprie et secundum essentiam suam peccatum, contra quos novatores addidere Patres Tridentini in decreto :

« Si quis per Jesu Christi Domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat : aut etiam asserit, non tolli totum id, quod veram et propriam peccati rationem habet, sed illud dicit tantum radi aut non imputari ; anathema sit. In renatis enim nihil odit Deus, quia nihil damnationis in iis, qui non secundum carnem ambulant, sed veterem hominem exuentes, et novum, qui secundum Deum creatus est, induentes, innocentes, immaculati, puri, innoxii ac Deo dilecti effecti sunt, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi ; ita ut nihil prorsus eos ab ingressu cœli remoretur.

83. « Manere autem in baptizatis concupiscentiam vel fomitem hæc sancta Synodus fatetur et sentit, quæ cum ad agonem relicta sit, nocere valet consentientibus, sed viriliter per Christi gratiam repugnantibus non valet, quinimo qui legitime certaverit coronabitur. Hanc concupiscentiam, quam aliquando Apostolus peccatum appellat, sancta Synodus declarat, Ecclesiam Catholicam nunquam intellexisse peccatum appellari, quod vere et proprie in renatis peccatum sit, sed quia ex peccato est, et ad peccatum inclinat. Si quis autem contrarium senserit, anathema sit ».

84. *Decretum de munere prædicandi.* — Perlectum etiam est in eadem Sessione decretum de certis capitibus restituendæ adstringendæque disciplinæ Ecclesiasticæ : atque in primis sancitum, ut sacrarum litterarum interpretes ac lectores stipendiis Ecclesiasticis sustentandi in Ecclesiis insignium civitatum suo munere fungerentur ; ut in oppidis magister Grammaticæ pro instruendis clericis inopibus teneretur, ut sibi viam ad sacra Theologiæ studia munirent ; ut in monasteriis et conventibus Regularium sacræ Scripturæ lectiones habeantur ab iis, qui prius de vita, moribus et scientia excussi, atque ab episcopo approbati fuerint, ne impietas specie pietatis propagetur.

85. De Evangelii prædicatione constitutum est, ut primates, archiepiscopi, episcopi, et alii Ecclesiarum prælati, necnon archipresbyteri, et parochi Evangelium prædicent ad populum instruendum, ac si fuerint impediti, idoneos concionatores eligant. De Regularibus vero conciones sacras habituris hæc sancita lex : « Regulares cujuscumque Ordinis, nisi a suis

[1] Rom. v.

superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Ecclesiis suorum Ordinum prædicare non possint, cum qua licentia personaliter se coram episcopis præsentare, et ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant ». Additum est, ne sine impertita ab episcopis facultate in aliis Ecclesiis quæ non sunt suorum Ordinum conciones habeant, si quis vero hæresim in populum sparserit, omni immunitatum respectu abscisso, in eum episcopus auctoritate Apostolica, et tanquam Sedis Apostolicæ delegatus severitatem legum distringat.

86. Lectum postea fuit petente archiepiscopo Turritano Breve Pontificium legatis directum. Postea procurator Severolus absentium contumaciam accusavit, ut contra ipsos processus statuerentur, et januæ Cathedralis Ecclesiæ Tridentinæ affigerentur; sed in hac re suffragia inter se multum discrepantia fuerunt. Duæ sententiæ numero ampliores apparuerunt, in una earum convenerunt legati, qui contra non legitime impeditos distringendas leges judicabant, in alia cardinalis Giennen. excipiendos esse dicebat Germanos, quam exceptionem aliqui volebant extendere ad omnes illos quibus Cæsari respectum habendum esse in proxima Congregatione requisierant. Alii solos in Dieta commorantes, et usquedum illa congregata esset, excipi optabant; sed præter istas duas sententias, quæ pluribus placebant, episcopus Faventinus eorum solummodo contumaciam, qui Romæ morabantur, accusandam esse censebat; alii, ne episcopi a Concilio absque justa et cognita a Concilio causa possent discedere, addendum esse dicebant. Et alii alias diversas sententias protulerunt.

87. *Ratisponense colloquium.* — Dum Patres Tridentini nullis parcunt laboribus pro restituendo primario religionis splendore, exscindendis vitiis, discutiendaque hæreseon caligine, coegere Lutherani suos conventus ad confirmandam suam in Pontificem Cæsaremque perduellionem, in iisque de respuendo Concilio Tridentino, de prorogando impio fœdere, de sumptibus belli Brunsvicensis sustinendis, de Hermanno antiarchiepiscopo Coloniensi, qui a Catholica religione desciverat, tuendo, deliberarunt, in quo quidem conventu Coloniensi apostatæ legati questi sunt de clero Catholico, qui sacras aras præferret meretricularum thalamis, religionemque avitam deserere abnueret, deque promulgatis in Hermannum a Pontifice et Cæsare edictis, ut Lutheranæ libertati contrariis questi sunt : « Eo jam res in Germania reciderat, ut de summis magistratibus liceret querelas deferre ad paucos imperii principes, qui etiam dicerent, se non defuturos Coloniensi archiepiscopo, si qua vis ei fieret ». At impia eorum consilia divina misericordia confudit. Conati sunt illi quidem missis oratoribus Cæsarem delinire, ne Coloniensi exarchiepiscopo adversaretur clerumque Catholicum tueretur, sed a suscepta animi constantia dimovere non potuerunt, eos enim Cæsar hortatus est, ut abjecta pertinacia mitiora pacis consilia sequerentur, ut refert Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini [1] :

88. « Reverendissimi domini legati receperunt litteras a reverendissimo domino archiepiscopo Rossanensi Verallo nuntio apud Cæsaream majestatem ex Leodio tertio hujus datas, in quibus significat oratores Lutheranorum, præsertim trium sæcularium electorum, Saxoniæ, Palatini et Brandeburgensis petiisse Cæsarem apud Mastrich die Veneris XXVI Februarii, in qua die tria Cæsareæ majestati proposuisse, primum, ut mitius cum electore Coloniensi agat, tum quia elector et princeps imperii, tum ob alias multas rationes. Cæsar enim dicto electori injunxit, ut infra quindecim dies restituat quantum ab eo in nova secta innovatum est. Secundum, quod amicabiliter per viam concordiæ ad conciliandam Germaniam pergere velit, non autem armis, ut verentur, et ex rumoribus, qui ubique sparguntur, conjicere est. Tertium. Petierunt ut Cæsarea majestas eis dicat, an cum consensu suo Concilium Tridentinum sit apertum, non enim hoc credere possunt, cum toties Cæsar eis promiserit, colloquio, dieta, vel nationali concilio, si generale haberi non posset, res controversas religionis in Germania tractaturum, Concilium autem Tridentinum non esse legitimum, tum quia illa civitas, licet sit imperialis, non est in Germania, et ejus episcopus est obnoxius papæ, tum quia auctoritate Pontificis Romani celebratur. Det igitur Cæsar liberum Concilium in Germania, et ipsi libenter illuc proficiscentur.

« His respondit imperator prima hujus mensis in hanc sententiam : Quoad primum, quod Coloniensis pessime se gerat, parvique faciat et suam et imperii auctoritatem. Ad secundum, quod nihil neque magis optavit, quam res Germaniæ amicabili tractatione componere, quare bono sint animo, hac enim de causa nunc Ratisbonam petit, hortarique, ut sui principes illuc iter capiant. Ad tertium respondit adeo obscure, ut verus sensus elici non possit, inquiens Ratisbonæ clarius responsurum esse, etc. »

Condictum fuerat superiore anno in Wormatiensi conventu Ratisbonense colloquium invitis Catholicis principibus, cum indicto coactoque jam Concilio Œcumenico, vel inane vel exitiale futurum esset tale colloquium, tamen Cæsar illud inter Catholicos et Lutheranos

[1] Ms. arch. Vat. inscriptum Diar. Conc. Trid. auct. Angel. Massarell. secr. Conc. p. 126.

ad tentandam aliquam concordiæ rationem admiserat, vel ut ad comparandum exercitum temporis moras captaret.

89. Colloquium die ultima Octobris MDXLV indictum fuerat [1], sed Cæsar justis de causis ad diem decimam quartam Decembris protraxit, et inceptum fuit solummodo vigesima septima Januarii hujus anni, quia Laurentius Zocchius auditor, et Georgius Major collocutor pro Protestantibus Ratisbonam pervenerunt vigesima prima ejusdem mensis. Die igitur vigesima septima initium habuit colloquium, de quo loquuntur Spondanus, Bzovius, Belcarius, Cochlæus, Surius, et Ulembergus, et ita dicunt : imperator Mauritium episcopum Eisteten. et Fridericum comitem Furstembergensem, quibus postea addit Julium Pflugium electum episcopum Naumbergensem præsides elegit. Pro Catholicis ad disceptandum astiterunt, Petrus Maluenda Dominicanus, Everardus Bellicus Carmelita, Jo. Hoffonisterus Augustinianus, et Jo. Cochlæus doctor clericus sæcularis. Pro hæreticis steterunt in acie Martinus Bucerus, Jo. Brenzius, Georgius Major, Erardus Schneppius. Die autem supradicta, Catholici primum sacrum solemne de Spiritu sancto in Cathedrali Ecclesia celebrarunt, et postea cum hæreticis in publico Palatio convenerunt, ubi præsidentes mandatum imperiale legerunt, et postea formam constitutam ab imperatore servandam in disputatione materiarum a collocutoribus, quæ est sequens : « Primo, ut cæteris omissis, tractetur confessio exhibita per Protestantes in Comitiis Augustæ habitis anno Dom. MDXXX, cujus singula facta discutiantur, ac inter eos et Catholicos agatur, quid in ea recipiendum, quidve rejiciendum eis videatur, et relatio fiat Cæsareæ majestati et statibus imperii.

« Disputatio versetur in eis solum, quæ fidei sunt, omissis opinionibus, quibus studiosi solent exerceri.

« Primi tres articuli Confessionis prædictæ omittantur, quia primus et tertius sunt de Incarnatione ac Trinitate, in quibus nulla est controversia. Secundus vero est de peccato originali, et satis est disputatus, nec minus opus est illum denuo agitari.

« Quia in confessione Augustana sunt multi articuli, etiam diversi quoque ad unam materiam pertinentes. Primo agatur de Justificatione, Remissione peccatorum, Impletione Legis, de Fide bonisque Operibus, necessitate eorum et merito : secundo de Sacramentis et eorum virtute in universum, ac etiam sigillatim de quolibet eorum, de Baptismo scilicet, Eucharistia, et præterea in singulis ea agantur, quæ in uno quoque eorum controvertuntur : ut in materia et sacramento Eucharistiæ : de administratione sacramenti sub utraque specie, de adoratione ejusdem ; et in Pœnitentia : de Confessione et Satisfactione, ad eumdem modum ; de Matrimonio, Ordine et reliquis.

« De Purgatorio et Suffragiis Defunctorum, de Veneratione, Invocatione, Reliquiis et Imaginibus Sanctorum, de Votis Monasticis, et Cœlibatu sacerdotum, de delectu ciborum, de Feriis, Lætaniis, aliisque cæremoniis, ac Ecclesiasticis traditionibus quomodo obligent conscientiam ad sui observationem.

« Ultimo de Ecclesia, potestate clavium, ordine Hierarchico, auctoritate episcoporum, Romani Pontificis et Conciliorum. Si quid tamen inciderit dubitationis, vult Cæsarea majestas, ut ob eam causam reliqua non remorentur, sed nihilominus in illis procedatur, usque ad adventum suæ majestatis, quæ tamen super hujusmodi incidentiis et controversiis mentem suam declarabit. Verum cum talia fuerint, quæ moram ferre non possunt, ea ad majestatem suam perscribantur in itinere, quæ pari ratione significabit id quod facere opus judicaverit ».

90. Hæc forma ab imperatore proposita, non placuit Protestantibus, ideoque nolebant colloquio initium dare, ni modus ab ipsis præscriptus observaretur, quare propter eorum duritiem, colloquium die quarta Februarii inchoatum fuit, qua die Maluenda theologus Catholicus sermonem habuit de Justificatione, et usque ad vigesimam quartam ejusdem mensis disceptationes perseveraverunt ; præsidentes hoc tempore mediante, imperatorem admonuerunt, quod necessitate adducti, permiserunt ut forma ab eo præscripta in colloquendo non servaretur, sed illa uterentur quam Protestantes proposuerant, quia ad discedendum erant parati, quando in colloquendo forma ab eis tradita non sequeretur. En quo arrogans petulantia rebellium ab Ecclesia devenerat, ut leges etiam imperatori et omnibus ordinibus præscribere auderent. Vigesima sexta Februarii responsum imperatoris receptum fuit, in quo formam servandam in colloquiis dabat : Catholici ad obediendum se esse paratos dixerunt ; Protestantes vero pervicacissima obstinatione in sua sententia seipsos firmarunt, pro causa adducentes, eorum principes talibus conditionibus non consentire ; denique proposuerunt, ut imperatori iterum scriberetur orando, ut ordinationes illas immutaret, cum Protestantes in aliam formam adducere non liceret. Præsidentes pacis et concordiæ amatores Cæsari iterum scripserunt, ut etiam in hac re Protestantibus satisfaceret, et dum de die in diem Cæsaris responsum expectabatur, collocutores et auditores Protestantium vigesima et vigesima prima Martii clam discesserunt, et post eorum discessum decima Aprilis Cæsar Ratisbonam pervenit, ac de colloquio re-

[1] To. III. an. 1546. num. 10. an. 1546. num. 6, 7. lib. XXIV. an. 1545. An. 1545. c. 30. num. 7.

dintegrando agere cœpit, consulitque Catholicos collocutores, an spes ulla concordiæ eo instaurato affulgeret, qui nitide respondere, nullam affulgere, cum pertinacissime veritatem Catholicam, quam probe norant, oppugnarent, et profiterentur nunquam ab hæresi discessuros, principesque ab iis illusos esse inanibus argutiis, remque felicius per Concilium Œcumenicum quam per colloquium gerendam, et tale responsum dederunt [1] :

« Responsio quatuor collocutorum Catholicorum data Cæsareæ majestati XIV Aprilis MDXLVI, quid ex novo colloquio sperandum.

91. « Imperialis vestra majestas rogari jussit sententiam de spe futuræ concordiæ, si ad colloquium, quod non culpa nostra, sed adversariorum potius improbitate discussum est, rediretur, ut scilicet ex iis, quæ hoc et et superioribus colloquiis gesta sunt, conjectura, facta diceremus, an in colloquendi ratione locum ullum concordiæ relictum, aut pacificandæ in Germania religionis remedium aliquod positum esse arbitremur, aut si omnino inutile colloquium esse sentiamus, quonam modo his Germaniæ malis occurrendum esse putemus.

« Nos etiamsi intelligamus in sacra majestate vestra eam vim ingenii ac judicii in omni reipublicæ administratione semper fuisse, ut nullius hominis consilio indigere possit, parentes tamen majestatis vestræ voluntati sanctissimæ, quid nobis de toto hoc negotio videatur paucis explicabimus.

« At primum colloquium, quod discussum est, videtur nobis instaurandum, neque recens aliquod hoc tempore constituendum, quod ut sentiamus his potissimum rationibus adducimur.

« Mandatum est Apostoli Pauli : *Hæreticum hominem post unam, et alteram correptionem devita, sciens quia subversus est hujusmodi, et delinquit, cum sit proprio judicio condemnatus.* Sic Irenæus martyr et Tertullianus, scriptores vetustissimi, hæreticorum disputationes et colloquia vitanda esse censent, ut quæ Ecclesiæ Catholicæ nullam unquam utilitatem attulerint.

« Ita in Nicæno Concilio sub imperatore Constantino Catholica pietas nihil adversus Arianos disputationibus profecit, Theodosius quoque magnus, hortante Nectario Constantinopolitano episcopo, Arianorum pertinaciam non disputationibus, sed vetustatis auctoritate, quam soleat etiam hæretica impudentia revereri, censuit esse reprimendam; sic Augustini variæ cum Donatistis collationes; sic sub Eugenio IV Ferrariæ et Florentiæ disputationes cum Græcis neminem ad Ecclesiæ gremium revocarunt.

« Et ut prætermittamus vetera, certe in superioribus quatuor colloquiis Augustano, Wormatiensi, Ratisbonensibus priore et posteriore, sacræ majestatis vestræ diligentia omnia tentata sunt et procurata, mutatis subinde rationibus, ut concordiam velut fugientem retinere possemus, rerum tamen gestarum eventus ostendit, nullum inde fructum maximis laboribus etiam et sumptibus respondisse.

« Ad hæc quid Catholicum sit adversarii non ignorant, et si sequi vellent, neque disputatione colloquiorum, neque alia admonitione opus esset. Sed Catholicam veritatem volentes ac scientes nunc oppugnant, quin etiam libris editis profitentur se nulla ratione ab iis dogmatibus, quæ hactenus docuerunt velle recedere, ut supervacaneum sit ullo disputationis genere ejusmodi homines ad agnitionem veritatis velle permovere.

« Porro ad colloquii tractationem ab adversa parte semper adhibentur, aut auctores sectarum, aut promotores, iique principes ipsos et respublicas in errores et gravissimum hoc discordiæ malum induxerunt.

« Hi vero si Catholicam doctrinam, sine qua vera concordia esse non potest, acceptaverint, satis intelligunt certum sibi exitium impendere a principibus ac populis quos per summum flagitium deceperunt, e contra si in errore persistant, imperare se principibus et populis, jura prætextu Evangelii dicere, atque in summa rerum omnium copia vitam agere. Quomodo autem hi in colloquio concordiam appetent, cum qua certe sciunt sibi, aut moriendum esse suorum manu, aut ad severitatem vitæ monasticæ redeundum ? Annon potius discordiam cum ipsius imperii ruina cogitabunt, in qua multis jam annis, opibus, luxu, dignitate, ac principum et civitatum justo prope imperio perfruuntur ? Nos equidem vehementer miramur, ab illis etiam principibus non animadverti horum hominum cogitationes eo tendere, ut cum ementito Evangelii nomine populum sibi satis obsequentem fecerint, ut non de religione solum, verum etiam de summa rerum Germanicarum pro arbitrio possint statuere.

« Hæc aliaque non pauca colloquium instaurare dissuadent, quod restitutum nunquam cum tanta adversariorum ignominia discutietur quanta postremum hoc desertum fuit.

« Altera de quærendis huic dissensioni remediis deliberatio difficilior nobis est visa, quam ut principium commodum, aut exitum invenire possit, sed quando ita jubet sacra vestra majestas, consilium, quod nobis in summa rerum difficultate solum restare videtur, etiam non celabimus.

« Primo omnium curandum esse putamus,

[1] Ms. card. Barb. sig. 2679. p. 143. Ext. etiam in Ms. card. Pii sig. to. LXIV. in charta volatili.

ne cum de pace et componenda religione consultabitur, sectarum auctores (quos illi verbi ministros appellant) consiliis principum intersint, ne frustra omnis de statuenda religione labor suscipiatur, in quam sententiam ut facilius veniant Protestantes, si pacis et Germaniæ quietis desiderio tenentur, his rationibus poterunt, ut quidem speramus, adduci.

« Prima ratio, quod ab auctoribus hujus dissidii variæ et compugnantes sententiæ in Germania sint inductæ, et fere tot dogmata quot civitates aut principes, et ex illa varietate concionatorum fraus et error facile possit deprehendi. Item, quod in singulis sectis magna sit doctrinæ inconstantia, cum vero hoc ad salutem necessarium esse dicant, modo diversum, et innumeris scriptorum suorum locis a seipsis dissideant, et neque in observandis traditionibus ac administratione sacramentorum aliquam formam retineant.

« Tertio, quod Ecclesiæ Catholicæ impingant falsa, et absurda, atque indigna, quo bonorum animos, qui Catholicam doctrinam non legerunt a nobis alienent, universumque Catholicorum nomen fictis inanium sententiarum mendaciis reddant invisum.

« Tria hæc productis earum rerum testimoniis diligenter sunt principibus Protestantibus commonstranda ac inculcanda, ut in omni actione, quæ ad pacem religionemque pertinet, suorum concionatorum consilium, aut tollant, aut certe habeant suspectum.

« Est præterea non diffitendum multos crassosque abusus contra disciplinam et regulas Patrum in Ecclesiam irrepsisse, sed Protestantes teneri majoribus, quos omnes utrinque sublatos in primis cupiamus, et ut ad Fidei et Catholicæ doctrinæ regulam reformentur, optemus.

« Atque hinc admonendi sunt, ut tam in accipienda vera Catholicaque doctrina, quam in morum ac disciplinæ reformatione ordinariæ potestati, hoc est, sacro Concilio, more majorum se dedant, quod et ab aliis omnibus, qui Christiano nomine censentur, faciendum vident.

« Cæterum, si Augustanæ confessionis ordines his verissimis rationibus non moveantur, nec malint se saluberrimæ Concilii auctoritati, quam suorum concionatorum subjicere, manifeste fraudem committere.

« In summa consiliorum inopia nullum aliud videtur nobis superesse, quam conceptam aliquam reformationem piam et Catholicam, ita constitutam, ut quæ sibi Protestantes petunt donari, prorsus ad Concilium rejiciantur, proponi eis jubeat vestra majestas, dum per Tridentinum Concilium melius fusiusque, quæ ad doctrinam et mores spectant, non imperio tantum, sed reliquis etiam regibus ac principibus præscribuntur ».

92. Accepto eo responso Cæsar, abruptum colloquium redintegrare meditatus, principes Lutheranos subjecto edicto sollicitavit ad componendas religionis controversias, quibus non conciliatis, pax et concordia in imperio conciliari non posset[1] :

« Carolus divina clementia Romanorum imperator semper Augustus.

« Dubitamus minime ex nostris proximis edictis ratione hujus instantis conventus imperialis ex nostra civitate Trajectensi inferiori pridie kal. Februar. Fideles charissimi, nuper vobis cum cæteris nostris et imperii principibus et ordinibus redditis tempus et locum determinatum, præterea etiam animum et conatum nostrum eumdem conventum constitutum propria persona nos cum primis visitaturos una cum ampliore ejusdem edicti sententia vos satis superque intellexisse, quamvis tamen nos deinde adventum nostrum ex solo nostro hæreditario inferioris Germaniæ non distulimus, sed ita Omnipotentis auxilio jam ante aliquot dies Ratisbonam ingressi sumus, planeque omnes principes electores, cum principibus, ordinibus et statibus imperii, vel majorem ex his partem præsentem illic invenisse sperassemus, verumtamen quod nec ullos imperii status vel ordines hactenus propria persona præter nonnullos numero perpaucos eorum mandatarios, legatos et commissarios comparuisse videmus, non possumus satis admirari, et eo magis, quod cum conventus ipse noster imperialis initio in comitiis Wormatiensibus, jam nuper celebratis, arbitratu quidem et consensu omnium imperii ordinum determinatus et constitutus, postea etiam absque omni procrastinatione declaratus et publicatus sit, neminem sua negotia hunc in modum disposuisse, ut ad hujus conventus congregationem debito tempore paratum se facere potuisset, quanto magis autem causæ et negotia quæ apud nos trutinanda per se non pauci momenti, sed ipsa gravitate gravioris, atque ita formata sint, quod ea non ampliorem imperii partem, ac in ea cujusvis, et corporis, et animæ, bonorumque eorum omnium salutem comprehendant, tanto magis etiam ad legitimam unitatem et commodam concordiam harum controversiarum omnium principum et statuum præsentia maxime opus fuerit. Necessitatis ergo sacri imperii nationisque Germanicæ gravaminum causam : proinde vos iterum atque iterum per obedientiam, qua nobis et sacro imperio astricti estis, requirimus stricte admonentes, ac hæc prædicta gravia negotia, et Germanicæ nationi omnia necessaria adamussim perpendere, et mentibus vestris commendare, atque cum his cogitare velitis, nos horum et non aliorum causa præcipue, vide-

[1] Ms. card. Barb. sig. 2678. p. 116.

licet ad reparationem sacri imperii, et Germanicæ nationis componendas, sedandas in causa religionis controversias, tanquam principalius Germanicæ nationis gravamen, ex quibus omnis diversitas, dissensio, perturbatio, diffidentia, cæteraque incommoda promanarunt. Et timendum ne cum instantes hæ religionis discordiæ per diuturniorem indulgentiam, sic diutius manebunt, posteriora primis pejora immineant modo ad vos venisse : neque vos lateat simul ac quibus modis pacem justitiamque, tranquillitatem, religionem, pietatem et concordiam, in sacro imperio, et inter ejusdem universa viscera status et ordines erigere, instaurare, transplantare et propagare, cæterisque imperii necessitatibus succurrere possimus, ad præmeditanda decrevimus, hanc perlongam et molestissimam nostram peregrinationem necnon imbecillitatem minime respicientes, cæterisque multifariis negotiis interea etiam postpositis, propterea præfatarum causarum causa, qua primum, et post intuitu hujus nostri edicti vos itineri, si nondum accincti estis, accingere, etiam juxta tenorem superioris edicti nostri apud nos et communem imperii congregationem comparere non gravemini, quæ negotiis his arduis, pro quibus hic conventus imperialis incœptus et institutus est, eo exactius et salubrius consilio et adminiculo vestro salutem ferre, et peremptorie concludere valeamus. Quin etiam nemo absentiam suam in alios transferre, vel alia negotia impedire præsumat. Cæterum cum auditores et colloquentes, qui Augustanæ Confessioni adhærentium nomine in proximo colloquio ad dispares religionis articulos conciliandos vocati et ordinati fuere, nuperrime ante nostrum adventum, nobis insciis, etiam (uti ex aliis accepimus) nostrorum ad id deputatorum præsidentium, eorum deliberatione habita ab ipsis neglecta, citra omnem necessariam et legitimam causam (quod forte neminem clam habet) inexpectata festinatione terga dederint, quorum recessus culpa, actus nunc totius colloquii silet et jacet, denuo in hoc necessitas requirit vestrum etiam consilium. Quare sic præmeditatis et bene instructis omnibus obsequiis nobis deesse minime velitis, quod de vobis prompte sic fore non desperamus, his enim non solum expectationem et desiderium nostrum implebitis, verum etiam sacro imperio, communique patriæ consulueritis feliciter.

« Datum in nostra imperiali civitate Ratisbonensi XXII die Aprilis MDXLVI ».

93. Laudarunt decretum Cæsaris Catholici ordines de extinguendis religionis dissidiis, gratesque de præclaro eo studio egere, ac multa ad rem in opus provocandam variis distincta capitibus consilia suggesserunt. Meminit superioris edicti Joannes Cochlæus, Cæsarisque piam mentem ad sedandas civiles discordias commendat, tum subdit :

« Ita demum etiam hac vice res ipsa probavit (ut inquit Surius) non esse in ejusmodi colloquiis expeditam et certam pacis componendæ rationem, maxime cum religionis negotium omnino maturiori et augustiori deliberatione tractandum sit, nec in paucorum hominum privato tractatu ponendum, tum quoque ea sit sectariorum pervicacia, ut vinci quidem facile possint, sed nec victi unquam cedere velint, victique videri ».

Tolli poterant hæc dissidia si promissis stetissent Lutherani, toties enim expetierant Concilium, questique fuerant illud dolo et simulatione a Pontificibus indici, adeo ut Joannes Eckius [1] exclamaret : « Deus faciat ut papa Paulus noster hoc semel tollat opprobrium, quo omnes jactitant, Pontifices hactenus non ex animo indixisse Concilium, sed fuco quodam voluisse Germanis illudere, et vana spe decipere ». At cum fractæ jam essent eæ calumniæ, ac jam plures sessiones Concilii essent habitæ, Concilium pertinacissime respuerunt; quale autem Concilium vellent Lutherani, descripsit ipse Bucerus in pestiferi libelli folio 22, ex quo Joannes Eckius hæc repetiit : « Fundamentum componendi facit impius apostata, ut id fiat, sine consensu Pontificum, episcoporum et doctorum, imo ipsis reclamantibus, modo fiat sub hoc bono et solo Pastore Christo. Non videre miseri novatores, Pontifice et Episcopis spretis, eos non Christum pastorem, sed Dæmonem malum et solum pastorem habere, contestante Domino : *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquam Ethnicus.* Ethnicorum autem pastorem Dæmonem esse constat ». Repudiato Concilio Tridentino, principes Protestantes in pervicacia confirmati, ac perduellionem meditati, cum viribus pollerent, varia conventicula egerunt, armorumque fœdera inter se pegigerunt, ac Cæsar jam ex longo veterno excitatus, expertusque vera esse tot Pontificum oracula, qui illum tot jam ante annis præmonuerant, hæreticos, qui Ecclesiæ jugum excutiebant, Cæsareum quoque jugum tandem excussuros, domare armis eorum perduellionem constituit, de quo hæc Surius [2] : « Cæsar dum multa dissimulat, sed pactis cum Turca induciis, pace quoque cum Gallo et Anglo confecta, non putavit ulterius differendum, præsertim cum vir prudentissimus non ignorasse videatur, quid plerique molirentur. Erant per id tempus Lutheranorum seu Protestantium magnæ vires, porro Cæsari exiguæ copiæ, et magna gerendi belli in ipso initio impedimenta ac difficultates, præsertim quod Cæsaris consilia etiam ab amicis ad hostes perferri diceretur ».

[1] Joan. Eck. in replica contra Bucer. p. 45. — [2] Sur. in Com.

94. *Fœdus inter Pontificem et imperatorem.* — In hoc ancipiti discrimine Cæsar sanxit fœdus cum Pontifice, qui ad submittendas illi copias subsidiarias se obstrinxit.

XXII Junii MDXLVI, fuit facta Congregatio RR. DD. S. R. E. cardinalium coram Sanctitate sua, in qua fuerunt lecta per reverendissimum dominum Augustinum Sancti-Hadriani diaconum cardinalem Trivultium, capitula tenoris sequentis [1] :

« Cum multis jam retro evolutis annis Germania variis hæresibus perturbata et concussa fuerit, ex quibus innumera pericula et damna oborta, quæ summam extremamque illius perniciem maximo aliarum provinciarum offendiculo minitantur, cumque illius concordia et quies ejus Provinciæ variis rationibus tentata fuerit, ac congregato Tridenti OEcumenico Concilio Protestantes et Smalcaldiano fœdere juncti professi sint publice, se nunquam decretis ejus Concilii submissuros, quod tertia Dominica Adventus proxime præteriti inchoatum est, et in quo plures sessiones habitæ, ut divina juvante gratia, publica imperii Christiani maximeque Germaniæ salus promoveatur, inter Pontificem Cæsaremque hæc capita fœderis sancita sunt :

« Ut Cæsarea majestas in nomine Domini, cum auxiliis Pontificiæ sanctitatis proximo mense Julii in expeditionem educat omnes copias suas summo virium molimine adversus Protestantes et Smalcaldianos, omnesque alios hæreticos cujuscumque sectæ, et ad veram et antiquam religionem et obsequium Sedis Apostolicæ revocentur, possitque Cæsarea majestas tentare omnes modos, si forte sine armorum vi ipsos ad religionem Catholicam traducere possit, temporeque constituto, si res e sententia non successerit, capessantur arma.

« Non possit Cæsarea majestas cum Protestantibus et Smalcaldianis, vel aliis hæreticis fœdus ullum aut concordiam inire, quod expeditionem dissolvat aut retardet, maximeque quippiam permittere non possit contra religionem Catholicam atque Ecclesiæ sanctiones, sine expresso consensu Sedis Apostolicæ vel legati Apostolici.

« Teneatur Pontificia sanctitas unius mensis flexu ab hoc fœdere pacto deponere apud Trapezitas Venetos centum millia aureorum, quæ una cum aliis centum millibus Augustæ Vindelicorum depositis ab administris Pontificiis convertantur in hujus expeditionis sumptus.

« Teneatur Pontificia sanctitas mittere duodecim millia peditum subsidiaria, et quingentos equites semestri stipendio conducta, mittat etiam legatum, qui exercitui intersit, una cum aliis centurionibus tribunisque necessariis, quod semestre tempus ita intelligatur, si expeditio tantum temporis tenuerit.

« Concedat Pontifex Cæsareæ majestati dimidiam partem vectigalium Ecclesiasticorum Hispaniæ unius anni flexu, ut in sumptus hujus sacræ expeditionis vertantur, de quo jam confecta sunt Diplomata.

« Concedat etiam, ut ex distractis juribus monasteriorum Hispaniæ in bona fiduciaria ac clientes, redigantur quingenta millia nummorum in hanc expeditionem derivanda.

« Si quis princeps sine justa causa vel Pontifici vel Cæsari bellum moveat, quod expeditionem hanc disturbet vel retardet, juncta armorum societate compescatur, atque hæc societas toto expeditionis tempore sexque mensium flexu perduret.

« Accedere possint huic fœderi omnes principes Catholici, tam Ecclesiastici quam laici, ac pro cujusque gradu honoris, debitus gradus cuique relictus sit.

« Ad majorem fœderis conjunctionem ac perspicuitatem, ut hæc conventa a sacro cardinalium senatu approbentur, ut tam a Pontifice quam a Cæsare integre et sincere observentur.

« Ut expeditionis conficiendæ mense Junio proximo tempus designatum exprimatur de mense Junio præsentis anni MDXLVI, cum hæc capita multo ante descripta fuerint, licet consignata non essent, ut omnis erroris scrupulus eximatur ».

Subdunt Acta consistorialia : « Fuerunt approbata supradicta capitula, et unanimi consensu reverendissimorum cardinalium, excepto capitulo continente venditionem vassallagiorum monasteriorum Hispaniæ, quod non fuit approbatum, sed fuit dictum, ut provideretur majestati suæ de æquivalenti recompensa in Hispania, deducto eo, quod sua sanctitas in recompensam dictorum vassallagiorum dare promisit ».

Licet secundo capite indicta in mensem Junii expeditio sanciatur, declaratur intelligi præsentis anni MDXLVI, quia multo ante conceptæ fuerant hæ leges, quarum nonnullæ controversæ erant.

Subscripsit his capitibus Pontificia sanctitas Romæ XXVI Junii præsentibus reverendissimo et illustrissimo Tridentino ac D. Joanne de Vega Cæsareæ majestatis oratore.

Conceptum id fuisse aliquot ante mensibus refert Franciscus Belcarius [1].

95. Quod datæ litteræ ad episcopum Tropiensem internuntium de cogendo auro subsidiario, quod Carolo Cæsari ex Ecclesiasticis vectigalibus, nullo etiam cardinalium habito discrimine, decreverat in ejusdem regnis et principatibus, ostendunt [2] :

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 485.

[1] Franc. Belc. l. XXIV. n. 21. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 279.

« Venerabili fratri Joanni Poggio episcopo Tropiensi in regnis Hispaniarum nuntio nostro.

« Venerabilis frater, salutem etc. Superioribus mensibus sub data videlicet tertio kal. Septemb. anni præteriti ex urgentissimis et fidem Catholicam concernentibus tunc expressis causis, unum subsidium quartæ partis veri annui valoris ex omnium et singulorum fructuum, reddituum et proventuum Ecclesiasticorum duorum integrorum annorum, in istis regnis et aliis tunc expressis dominiis, charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto eorumdem regnorum regi Catholico, subjectis, ipsi Carolo imperatori consignandam, et per eum in defensionem fidei Catholicæ et Christianæ reipublicæ exponendam », et infra « imposuimus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum xv Julii MDXLVI, an. XII ».

96. *Gallum regem, Polonum, Venetos et alios principes Paulus hortatur, ut arma contra Lutheranos sumant.* — Pellicere vero in sacri hujus belli adversus Lutheranos societatem Catholicos reges nisus est Pontifex, atque in primis Franciscum Gallorum regem sollicitavit, ut ad sacrum fœdus accederet in impios, qui insidiis dolisque grassari non desinerent, horrendamque stragem animarum ederent, ac fastu inaudito negarent profecturos se ad Concilium Tridentinum, vel ejus decreta judiciaria admissuros [1] :

« Regi Christianissimo.

« Charissime etc. Ex quo tempore in hunc summi Apostolatus apicem divina providentia sublati fuimus, semper ea cura in animo fuit nobis insita, quæ quidem nostro honori atque officio maxime conveniebat, ut et pacem procuraremus inter Christianos principes, et perniciosarum hæresum mala semina, quæ in Germania plurimum pullularant, sparserantque etiam inter alias aliquot nationes vim non modicam zizaniorum, extirpare possemus, satis intelligentes, nisi hoc posterius (Deo nos juvante) bene fuisset effectum, neque illud prius, quod pertineret ad pacem, commode posse effici, cum pateat omnibus, quoad bellum impium geratur adversus Deum (quod hæretici faciunt) paci inter homines stabilem locum non esse. Hac igitur cura semper nos exstimulante, urgenteque paterno affectu, quem habemus erga filios nostros, quorum tantum numerum perire quotidie dolebamus, nihil prætermisimus usque adhuc nec studii, nec diligentiæ, quo per leniora remedia, quæ boni parentis propria sunt, partim aversos a veritate fidei Catholicæ simpliciorum animos in viam rectam reduceremus, partim insidiis sceléreque grassantes aliquo terrore comprimeremus, et usque ad ultimum quidem et summum auxilium generalis Concilii, te quoque, Christianissime rex, multum approbante, nobis necesse fuerit devenire; quo indicto congregatoque Concilio, cum speraremus aliquando malorum animos compunctos melius prospecturos conscientiæ suæ, et simul paci tranquillitatique publicæ, jamque septem mensibus Concilium apertum manserit, aliquotque in eo actæ et celebratæ fuerint sessiones ; non modo impii homines nihil moti sunt, ut quam debent obedientiam sanctæ matri Ecclesiæ præstent, sed ultro jactare et præ se ferre non desinunt, se ad Concilium non ituros, seque judiciis definitionibusque Concilii nec fidem ullam esse, nec honorem habituros, quod nunquam ulla natio tam fera fuit, aut tam immanis, nullus tam potens, tam superbus rex, qui ausus fuerit adversus Conciliorum generalium auctoritatem aut sentire, aut dicere, ut jam certum et exploratum omnibus esse possit, horum animos esse penitus immedicabiles, qui omnem ab sese et a suis mentibus tum venerationem divinæ religionis, tum humani juris æquitatem rejecerunt : quæ nos videntes magno quidem cum dolore, sed tamen misericordia moti erga Germanicam nationem, quam semper amavimus, quam amplam et florentem (sicut erat ante hæc dedecora perturbatæ in ea contaminatæque religionis) videre semper cupivimus, in cujus etiam commodum et honorem, quo his tot malis, quibus illa plurimum et premebatur et afflicta erat, propinquior esset medicina, universale Concilium Tridenti potissimum in ipsius ejusdem gentis jure ditioneque indiximus, ad arma tandem coacti sumus respicere, potiusque adhibere vitiosæ parti scalpellum, quam pati totum corpus turpi et pestifera contagione corrumpi, ad quod nos consilium non voluntas nostra, sed necessitas ipsa deduxit, et confidimus quidem Deum bonarum cogitationum auctorem, hoc nostræ menti lumen prætulisse, sed tamen tua quoque, fili charissime, auctoritas, tua prudentia magno ad hujusmodi rationem ineundam nobis fuit incitamento. Perspeximus enim semper, quid tu de hoc genere hominum judicares, quodque hanc labem atque pestem perversæ superstitionis a tuis populis atque provinciis esse amotam velles, in quo animi tui virtus, et erga Deum Omnipotentem præstans et singularis pietas, et tunc plane patefacta est, et nunquam postea eadem esse destitit. Nos certe ejusdem fidei et pietatis vestigiis ingressi, postquam de istorum salute et correctione desperare cœpimus, cum charissimo filio nostro Carolo Romanorum imperatore semper Augusto, ad quem hæc res Germanica præcipue pertinebat, assidue ac diligenter egimus, ut susciperet curam ac negotium sanandæ illius fortissimæ ac nobilissimæ nationis, et quos auctoritate ac monitis non posset, eos ferro atque armis coerceret, in quod opus fœdusque sanctum, et nomini Christiano in pri-

[1] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 360.

mis salutare, nos quoque ea auxilia, easque copias ei obtulimus, et præstaturi sumus, quas non vires nostræ, neque Romanæ Ecclesiæ opes (superatur enim nostra facultas magnitudine rei) sed quas Dei inspiratio et ardens in nobis restituendæ veræ religionis studium, ut offerremus et polliceremur, nobis suasit : quod ea re etiam studiosius fecimus, quod intelligimus tentatis tot aliis rationibus et modis, hanc unam esse reliquam, certam atque exploratam ad communem pacem et concordiam totius Christiani nominis perveniendi viam ; ad quam ineundam, ita nos paramus, ut confidamus (Deo Omnipotente freti) omnes Christianos principes cum dignitate et gloria sua, quemque in unum sacrum fœdus et communem consensum esse coituros ; atque hæc quidem consilia sunt, et præsentes cogitationes nostræ, quæ ut procedere melius et felicius possint, cum in tua manu plurimum opis et momenti sit, hortamur majestatem tuam in Domino, eamque rogamus, ut non solum agnoscere, et acceptas habere rationes nostras, quæ ad Dei honorem et publicum bonum spectant, verum etiam eis favere, atque adesse omni sua approbatione et auxilio velit, ac si preces et auctoritas nostra apud te vim habent, etiam teipsum nobiscum non graveris conjungere, ut in hoc sanctissimo opere, et exequendo, et conficiendo partes eæ et honoris, et laudis, quæ tua virtute et Christianissimi cognominis gloria dignæ sunt, ad te ipsum perveniant, nec solum humanis, sed divinis etiam immortalitatis præmiis tanti in populos Christianos beneficii tui par gratia referatur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum die XI Julii MDXLVI, anno XII ».

97. Junxerat antea cum [1] Lutheranis amicitiam Franciscus rex, verum cum superiore anno ipsos hortatus esset oratoris opera, ut ad Ecclesiæ castra reverterentur, spernentes ejus monita deseruit. Cum etiam hæresis in ejus regno pullularet, Franciscus rex ad præfocanda ejus semina regiam operam adhibuit, nam cum Meldis profani hæreticorum ritus in sacris Ædibus exercerentur, ex iis circiter sexaginta deportatos carris Lutetiam judiciaria severitate damnari jussit ; ex iis quatuordecim decreto senatus flammis exusti ; reliqui virgis cædendi Meldam remissi, nonnulli exilio mulctati, quam animadversionem in hæreticos a cardinale Turnonio promotam ferunt : ea vero res idibus Novembris accidit, quæ aversum ab hæreticis regium animum demonstrat.

98. Concitare quoque nisus est adversus Lutheranos Paulus Pontifex Sigismundum Poloniæ regem, illique litteris exposuit, quantis studiis et piis laboribus Germanos ab hæresi ad avitam orthodoxamque religionem revocare pertentasset, eaque de causa indictum fuisse Tridenti Concilium, verum Lutheranos in pertinacia majore obduruisse, et Concilii decretis stare abnuisse, itaque spe eorum emendationis omissa, se opes viresque Romanæ Ecclesiæ ad comprimendam eorum insolentiam Cæsari detulisse, ac Polonum rogavit, ut ad redigendos ad officium publicæ pacis hostes Polonica arma conjungeret, tum gloriam immortalem, quam in eo pio opere esset collecturus, proposuit :

« Regi Poloniæ [1].

« Charissime, etc. Quo tempore ad summum Apostolatus fastigium (Deo ita disponente) sine ullis nostris meritis evecti sumus, cum alia multa gravia onera in nostros humeros incumbere intelleximus, tum illud præcipue officii nostri esse duximus, impiis ac pestiferis hæresibus, quæ in Germania exortæ et corroboratæ, in aliis etiam Christiani nominis provinciis pullulare et serpere jam cœperant, tollendis atque extirpandis, animarum saluti et Ecclesiæ paci tranquillitatique consulere : itaque cum omnes curas nostras ad hujus mali originem in Germania abolendam convertissemus, miserantes casum illius nobilissimæ et huic sanctæ Sedi conjunctissimæ nationis, multos jam annos omnem operam ac diligentiam adhibuimus, ut illos populos, qui pietatis et religionis laude quondam maxime floruerunt, quique maximum et nobilissimum Christiani nominis membrum, antequam his contaminarentur hæresibus, fuerunt, sanaremus, et ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem reduceremus : quodque noster in eos paternus hortabatur affectus, fecimus, ut lenibus primo remediis eos sanare, ac nobis et sanctæ Catholicæ Ecclesiæ reconciliare conaremur, id, quod cum diu frustra tentavissemus omnesque conatus nostri irriti atque inanes fuissent, paulo efficacius remedii genus adhibere coacti sumus, itaque generale Concilium (quemadmodum tua novit majestas) indiximus, idque congregari in ea urbe voluimus, quæ urbs illis et ad accedendum commoda et ad commorandum tuta esset. Tridentum enim delegimus oppidum in ipsius Germaniæ finibus situm, ac sane sperabamus, eos auctoritate Concilii generalis adductos, pertinaciæ finem facturos et ad Ecclesiæ obedientiam redituros, verum ea nos opinio tantopere fefellit, ut majorem etiam quam antea pertinaciam acrioremque animorum obstinationem præ se ferant : jactant enim et dictitant aperteque ostendunt nullius apud se auctoritatis esse illud generale Concilium, itaque cum septem id jam menses apertum fuerit, plurimique eo ex variis regionibus episcopi theologique convenirent, aliquotque habitæ in eo et celebratæ sessiones fuerint, nemo eorum illuc accedere, nemo adesse voluit,

[1] Franc. Belc. l. XXIV. num. 30.

[1] Paul. III. lib. brev. an. 1547. p. 419.

seque ejus actis, decretis et constitutionibus minime staturos esse denuntiant. Ita, quo eos remedio flecti et ab impietate deduci posse sperabamus, id eos vehementius etiam obduravit, et ad agnoscendam fidei Catholicæ veritatem alienatos reddidit : quamobrem hujusmodi frustra rationibus tentatis, nostraque moderatione et lenitate jam omnibus spectata, cum de eorum correctione desperaremus, neque pati deberemus id malum ad cæterorum contagionem ac perniciem confirmari atque augeri, coacti sumus contra atque voluissemus, ea consilia capere, per quæ insolentium hominum furor atque impietas reprimeretur, pacique et tranquillitati publicæ consuleretur. Igitur cum charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatore egimus, eique optime sentienti facile persuasimus ut Catholicæ fidei, quam sibi maximæ curæ, (ut Catholicum principem decebat) esse semper ostendit, defensionem susciperet, et quando ne ipse quidem diuturna patientia mollibus viis (ut jam diu conatus fuerat) eam nationem corrigere potuisset, arma adversus eam, non minus pia quam necessaria sumeret, nostrasque illi et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ opes, quantæ esse possunt, ad tam sanctum opus et tam quieti publicæ recuperandæ necessarium detulimus : quam nos cogitationem cum Deo auctore susceperimus, qui religionem suam integram inviolatamque servari, et hæreses ex Ecclesia sua tolli atque extirpari vult, ejus etiam primo auxilio, deinde pio sanctoque subsidio Catholicorum principum, quos hujus pulcherrimæ actionis societatem nobiscum inituros esse speramus, celeriter eum quem meretur exitum habituram confidimus : in primis autem te, charissime fili, et de toto consilio nostro certiorem faciendum, et hortandum etiam duximus, ut cum nos ad hoc bellum suscipiendum gravissimis et maxime necessariis causis compulsos esse intelligas, pro tua perpetua erga Deum religione, erga hanc sanctam Sedem et rem Christianam studio atque observantia, de quibus tu et prædecessores tui religiosissimi principes optime meriti sunt, nobiscum te conjungas, et contra perditos atque impios homines pacis Ecclesiæ turbatores, susceptum bellum tuis opibus adjuves : qua actione nullam suscipere potes, quæ aut tutelæ regni tui accommodatior, aut Deo acceptior, aut nomini tuo futura sit gloriosior. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum die III Julii MDXLVI, anno XII ».

99. Sollicitatus fuerat superiore anno Polonus a Cæsare, ut sibi adversus Lutheranos et Turcas subsidio esset, atque ille Cæsari non defuturum spoponderat, ut refert Franciscus Belcarius Metensis episcopus [1] : « Cæsar, inquit, ad Poloniæ regem legatum miserat, et se jam multos annos totis viribus laborasse significarat, ut omnes Christiani principes in Turcam uno consensu arma sua converterent, solas religionis controversias impedimento esse : eæ ut componantur, aut penitus tollantur, Concilium magno suo labore Tridenti indictum, rogare ut legatos suos eo mittat, Concilium approbet, cui Protestantes, si in contumacia sua perseverent, cum cæteris Christianis principibus parere cogat. Omnia principum Christianorum robora adversus Turcam explicari, Polonus se mirum in modum desiderare respondit, ubi se haud postremum fore spopondit : desiderare non minus religionis concordiam ac tranquillitatem, quidquid ad id conducet, pro virili parte se lubentissime præstaturum, Cæsari amico et affini quum res postulabit, non defuturum ».

100. Monuit etiam Pontifex Franciscum Donatum ducem Venetorum, Lutheranos nihil honoris vel obedientiæ Concilio Œcumenico deferre voluisse, ac petulantissimis dictis scriptisque Ecclesiæ auctoritatem quotidie violare, latiusque venena diffundere : itaque se adactum necessitate, bellum in eos cum Cæsare decrevisse, rogasseque Francorum regem, ut ad domandam tantam perfidiam, delendumque e Germania tantum dedecus, asserendumque Christiani nominis splendorem auxilia conferret : demum ducem senatumque Venetum precibus ursit, ut acceptam a majoribus, qui toties contra infideles pro tuendo religionis splendore arma arripuerant, gloriam præclaro hoc facinore in conjungendis contra Lutheranos subsidiis cumularent. Tentati vero fuere Veneti variis promissis a Lutheranis, ut se illis ad deprimendam Cæsaream potentiam nimium ipsis suspectam conjungerent, ut refert Angelus Massarellus his verbis [1] :

« XVIII Julii reverendissimi domini legati miserunt me ad illustrissimum dominum Didacum oratorem Cæsareum, qui dixit mihi contenta in litteris imperialibus ; videlicet, quod imperator conquestus sit cum oratore Veneto Ratisbonæ, quod orator Venetus Romæ conatus sit suadere Pontifici, ne uniatur Cæsareæ majestati in hoc bello contra Lutheranos. Secundo, quod cadat suspicio Venetis, ne Pontifex et imperator hac occasione aliqua loca Venetorum surripere velint. Tertio, quod admiserint oratorem Lutheranorum Venetiis, cui dixerint, ne timeant bellum imperatoris, quia neque Pontificis, neque Cæsaris pecuniæ diu hoc bellum sustinere poterunt, quare perseverent in suis opinionibus, quia sic perdurando per quatuor menses, non deerunt, qui in sui favorem se discooperiant : qui orator Lutheranorum obtulit Venetis decem millia peditum et mille quin-

[1] Franc. Belcar. l. XXIV. num. 15.

[1] Diar. Conc. Trid. auct. Ang. Massarell. Ms. arch. Vat. p. 159.

gentos equites in suis occurrentiis : quare mandat Cæsar oratori Didaco, ut Venetias se conferat ».

101. Nil valuere Lutheranorum artes, nam Veneti conjuncti hæsere Cæsari ac Pontifici, cujus extant ad eos subjectæ litteræ [1].

« Dilecto filio nobili viro Francisco Donato duci Venetorum.

« Dilecte fili etc. Profecto res sic se habet, ut qui a Deo penitus se removerint, hi toti in potestate contrarii dæmonis sint ; non modo enim impii hæretici, nihil honoris neque obedientiæ Concilio detulerunt, sed et dictis et scriptis nefariis et petulantibus quotidie illius nomen et auctoritatem non desinunt violare : hoc nos moti dolore, qui non tam ex nostra, quam ex Dei omnipotentis illiusque sponsæ sanctissimæ injuria et contumelia in nobis est excitatus, postquam alia remedia nil profuerant, et profutura in posterum desperavimus, circumspeximus jam diu mente et animo, si qua offerretur occasio alia ratione experiendi, quod obtinere precibus nequivimus, ut scilicet hæc tanta pestis e Christiana republica ejiceretur : cum interea non sine nutu et providentia summi Dei charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper Augustus in cujus maxime munus atque officium illa Germanicæ sanandæ nationis cura incumbebat, eisdem rationibus motus accessit ad hanc voluntatem, ut bello atque armis purgandam pravis vepribus et spinis Germaniam, decusque et splendorem veteris, sanctæ veræque religionis, illi nobilissimæ nationi constitueret restituendum : cui nos quidem omnibus nostris et sanctæ Ecclesiæ auxiliis atque opibus, statuimus non deesse, sed ut in re magna atque gravi, et cujus utilitas in omnes pios principes et populos communiter est redundatura, cogimur etiam aliorum auxilia implorare quicumque sunt, qui causam Dei, et integræ ac puræ religionis adjutam et defensam velint, et ad charissimum in Christo filium nostrum Franciscum regem Christianissimum, hac de re scripsimus, quasi pro certo nobis pollicentes, ejus majestatem semper ad fidei Catholicæ defensionem paratam, eas partes in favorem hujus sanctæ expeditionis suscepturam, quæ dignæ illius virtute et præstantia animi sunt, et ad tuam item nobilitatem, istudque amplum et illustre dominium scribendum duximus, ut cum virtute et religione præditi, usu moreque majorum vestrorum, et vestro, sæpe contra infideles pia arma tuleritis, velitis quoque in hac causa nobis, vel potius Deo, ejusque divinæ fidei ac religioni suffragari : quare nobilitatem tuam in Domino hortamur, ut intellectis et consideratis eis causis omnibus, quæ supra a nobis propositæ sunt, quæque nos necessario ob munus et debitum nostri officii moverunt, velit id accipere in partem optimam, quod a nobis ad publicam utilitatem Christiani nominis gestum est, tum etiam causæ et defensioni Catholicæ fidei sua ope adesse, ut bona pars, et gratiæ apud Deum, et apud homines gloriæ, ad laudem vestræ inclytæ civitatis, et ad cætera ampla atque honorifica vestra et majorum vestrorum facta, accedat. Datum Romæ apud S. Marcum die III Julii MDXLVI, anno XII ».

102. Reliqui etiam Italiæ principes ad hanc gloriosam in defendenda religione societatem provocati fuere, Catholicos etiam Germaniæ principes hortatus est Paulus, ut arma cum imperatore Carolo V ad contundendam Lutheranorum, qui Ecclesiæ parere recusabant, procaciam arma conjungerent, inter quos Moguntinum archiepiscopum incitavit, ut pietatem in Deum studiumque religionis asserendæ in ea occasione explicaret, maxime cum certum discrimen dignitatis et vitæ immineret Ecclesiasticis, si Lutherani (quod Deus avertat) victoria potirentur [1] :

« Archiepiscopo Moguntino.

« Venerabilis frater etc. Quod semper cogitavimus (Deo nobis inspirante) et quod propositum consiliis nostris habuimus, ut aliquo modo aliquoque non minus necessario quam salutari remedio istis furoribus impiarum hæresum, quibus maxime afflicta et vexata est Germania obviam iretur, postquam lenia remedia, quibus jamdiu usi sumus, nihil adhuc profuerunt (etiam Concilio generali a nobis indicto et ab illis superbissime contempto) ad illud extremum accessimus, quod non voluntas nostra, sed ipsa necessitas reliquum nobis fecit, ut fœdus sanctum et salutare cum charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatore semper Augusto iniremus ad impios homines, quos ratio bona docere non posset, armis frangendos et reprimendos : quis enim est, qui alia putet medicina eos posse corrigi, qui diu Deo et Ecclesiæ rebelles, violatis omnibus et divinis et humanis legibus, nomine ipso Christianæ appellationis ad omnes suas cupiditates improbe satiandas solum abusi sunt ? ac invenimus quidem in summo imperatore Carolo eam virtutem et magnitudinem animi, quam speraveramus, nihil enim religiosissimus et præstantissimus princeps, neque Deo, neque nobis, nec suæ amplitudini dignitatique negavit ; sed reliqua cura nostra est, ut omnes cohortemur et moneamus, qui in honore et principatu aliquo positi, bene de Deo et fide Catholica sentiunt, ut si quem sperant, unum se habituros locum gratiæ Deo pro acceptis ab ipso beneficiis referendæ, sciant hoc tempus

[1] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 392.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 218.

nunc opportunissimum esse, pietatem suam et animum erga Deum gratum declarandi, si convenire nobiscum in hoc sanctissimo fœdere, et adjuvare Dei ipsius causam, non solum voluntate et studio, sed etiam opibus suis armisque instituant : quod nos in primis abs te, venerabilis frater, expectamus, qui Ecclesiastica dignitate eximia fulges, sacrique Romani imperii elector, et natione ipse Germanus debes, et hunc animum et hoc auxilium, et Deo et patriæ et dignitati inde tuæ ; hoc etiam magis quod si istorum amentia manserit impunita, facile est cognoscere, impios homines ita omnia esse occupaturos, ut nec tibi, nec cæteris, qui honoribus nunc insignes sunt, locus futurus sit, non solum dignitatis, sed ne incolumitatis quidem suæ diutius retinendæ : quare pio animo erga rempublicam Christianam, ipsamque præcipue Germaniam moti, quam vindicare in suum honorem pristinum, et liberare a domesticis hostibus cupimus, hortamur fraternitatem tuam in Domino, impenseque ab ea petimus, ut se nobiscum et cum clarissimo imperatore conjungere, omnibusque suis et suæ Ecclesiæ opibus juvare Dei causam, et communem omnium Christianorum velit, in quo opere sancto et laudabili quantum tua virtus ad utilitatem publicam attulerit, tantum eo plus mercedis et præmii, primum a Deo summo remuneratore omnium bonorum operum, deinde a nobis quoque , et ab ipso serenissimo imperatore est receptura. Datum Romæ apud S. Marcum III Julii MDXLVI, anno XII ».

103. *Hermannus Coloniensis a Sede deturbatur propter apostasiam.* — Decretoria quoque sententia defixit Paulus XVII kal. Maii, omnique archiepiscopali jure deturbavit Hermannum archiepiscopum Coloniensem nequissimum apostatam, qui postquam in varias libidines turpi levitate se effudisset, demum in hæreseos Lutheranæ abyssum prolapsus, conjunctusque cæteris Protestantibus, populos antea subditos trahere in exitium annitebatur : « XVI Aprilis MDXLVI », inquiunt Acta Consistorialia [1] « fuit Consistorium : pronuntiatum in causa Coloniensium, prout in cedula ». A qua sententia nefandissimus apostata ad hæreticorum conciliabulum provocavit fretus nobilium et plebeiorum multitudine, quæ hæreseos laqueis fuerat irretita. Diutius Pontifex sententiam in hæreticum præsulem distulerat, cum mansuetudine illum ad officium redigere pertentaret, atque ad sententiam in opus adducendam Cæsareis armis opus esset : in Hermanni vero locum subrogavit Adolphum ex comitum Schwembergensium nobili prosapia satum tuendæ fidei Catholicæ studiis præstantem, qui Hermanno multis annis coadjutor extiterat, et Colonienses illi omni opera adesse, fortissimeque Hermanno obsistere jussit, tum Acta judiciaria in Hermannum confecta ad ipsos transmisit [1] :

104. « Dilectis filiis capitulo, et clero, senatui, necnon Universitati studii generalis Coloniensis.

« Dilecti filii etc. Dominus Deus noster, qui initio rerum creandarum subito fecit e tenebris lumen splendescere, non desinit nostris etiam temporibus, quasi in fine sæculorum, eisdem mirabilibus suæ Omnipotentiæ operibus firmare et statuere ea quæ creavit, qui, cum essent offusæ tenebræ tot jam hominum et pæne populorum mentibus, ut lux veræ et immaculatæ religionis per impias hæreticorum suasiones et doctrinas esset illis abscondita, vosque circumfusi hac velut nocte essetis, vestrum tamen et clerum, et populum, vestram istam inclytam et nobilem civitatem sole justitiæ suæ et divino lumine veritatis fulgere semper voluit, tanto majore suæ in vos benevolentiæ charitatisque testimonio, quanto cum qui vobis lux esse debebat, is fuligo factus sit, vos tamen lumen vobis ipsis fuistis, et in unum Deum ejusque sanctam et immaculatam sponsam matrem vestram Ecclesiam intuentes, illam potius audire, illique obtemperare, quam falso ejus vicario et interpreti voluistis : quod vestrum factum egregium et memorabile, nulla deinceps ætas non omnibus laudibus in cœlum sublatura est : habetis amplam et magnificam civitatem, florentissimum populum, clerum modestia et religione insignem, vigent in vobis rerum divinarum et humanarum studia, optimæ artes, præclara officia, sed nihil est præstantius, quam hoc nomen, quod per constantiam et sanctitatem religionis vobis acquisivistis ; cui vestræ virtuti non facile cernimus, quæ antiquorum virtus possit comparari : itaque, et gratulamur vestræ laudi affectu veri patris, et devotiones vestras in Domino de hac re plurimum commendamus, ac quod ad nostrum munus et officium pertinebat, fuimus fortasse ad malum præsulem a vobis amovendum aliquanto tardiores, quam videbatur justa severitas postulare ; præsertim cum ille etiam antequam in hoc se barathrum hæreticæ impietatis præcipitasset, levitate quadam et amentia ductus, nunquam sui honoris, nunquam sui decoris habuisset rationem : sed nos, dilecti filii, partim naturæ nostræ, quæ ad humanitatem est propensa, partim etiam imitationi Dei Creatoris nostri, qui justus et patiens, multumque misericors, libentius expectat in peccatore pœnitentiam, quam infligit pœnam, servire aliquandiu voluimus ; nunc maturo jam tempore, ipsa justitia cogente, servatis omnibus rebus, quæ debuerant

[1] Act. Consistor. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 481. Franc. Belc. l. XXIV. num. 20.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 216.

servari, ipsum Hermannum archiepiscopum olim vestrum, qui dudum Catholica religione rejecta, pro Dei et Ecclesiæ filio, factus est Satbanæ et impietatis filius, ipso archiepiscopatu privavimus, eumque ab omni cœtu piorum ejicimus, cæteraque egimus et fecimus, quæ ad nostræ in eum latæ sententiæ plenam executionem visa sunt pertinere : quam nostram condemnatoriam privatoriamque sententiam, cum cæteris actis, quæ intervenerunt, ad vestras devotiones mittendam esse duximus, non solum ut cognosceretis justissimum decretum deliberationis nostræ, verum etiam ut ad id mandandum executioni, omni vestra ope omnique auxilio adesse studeretis, id etiam vos hortantes, ut depositi jam archiepiscopi coadjutorem, quem nos vestrarum devotionum testimonio probum, et pium, et prudentem esse cognovimus, ad suscipiendum onus regendæ et administrandæ Ecclesiæ cohortemini, eique vestra ope faveatis, et assistatis, ad quem nos quoque scribimus, idem postulantes. Vos itaque, dilecti filii, quibus vere Deus pater, et sancta Ecclesia Catholica est mater, qui virtute et pietate vestra estis meriti, ut et nobis et cæteris in visceribus sitis positi paternæ fraternæque charitatis, pergite, ut a vobis cæptum est, habere Deum semper vobis propositum, fidemque sanctam, quam patres et majores nostri ab Apostolis usque, perpetua successione, pie constanterque coluerunt, et factis vestris præclaris et scriptis, sicut adhuc fecistis, adversus impios defendite : magna est vobis parata apud Deum gratia, magnus apud homines honor. Nos quidem, qui illius vices in terris, quanquam indigni, gerimus, qui bonorum operum summus remunerator est, non solum nostram vobis paternam benevolentiam, sed et facultatem spiritualis hujus potestatis, quæ a Deo nobis est tradita, vestris commodis et honoribus omnem offerimus et pollicemur, id gratissimum habituri, in quo vobis rem gratam facere poterimus. Dat. Romæ apud S. Marcum die III Julii MDXLVI, anno XII ».

105. *Insurgunt Protestantes adversus Cæsarem.* — Explicuere Colonienses eximiæ pietatis et constantiæ exempla, proximoque anno cum Cæsar victor Lutheranos conjuratos fregisset, pulso Hermanno hæretico, restitutam toti Coloniensi diœcesi religionem Catholicam ab Adolpho successore visuri sumus. Extulerat autem se adeo Lutheranorum potentia, nimia Cæsaris clementia abusa, ut aliis atque aliis in dies principibus et civitatibus in suas partes pellectis, extremi exitii terrorem intentaret, nam recenter præter Hermannum Coloniensem, etiam Fridericum Palatinum Lutherana hæresi infecerat, ac nil propius aerat, quam ut Cæsarem Germanico imperio depellerent conjurati, quod utique iis facillimum fuisse constat, nisi Deus malam eorum mentem turbasset; dum enim Cæsar Ratisbonenses conventus inanes ageret [1], illi tantas copias contraxere, ut ad nonaginta peditum millia, equitum vero decem millia ascenderent, atque in castris maximam tormentorum bellicorum copiam haberent, quæ si recta Ratisbonam contendissent, non iis pollebat viribus Cæsar, ut resistere posset; nam ex longinquis partibus contrahendæ ejus copiæ fuerunt, ex Italia, ex Pannonia, ex Belgio : misit quidem Paulus Pontifex ad Cæsarem, cum quo fœdus inierat, duodecim circiter millia peditum, equites vero mille, e quibus ducenti a Cosmo Medice Florentino, centum vero a Ferrariensi mittebantur. Præfuit vero illi exercitui subsidiario Octavius Farnesius Pontificis nepos, cui Alexander Farnesius [2] cardinalis legatus adjunctus est, qui de se ac fratre Octavio hæc refert in Actis Consistorialibus :

« Romæ die XXV Junii MDXLVI, fuit Consistorium, in quo fui deputatus legatus de latere ad serenissimum principem Carolum V semper Augustum, ac exercitum, quem sanctitas sua contra Lutheranæ et aliarum damnatarum hæresum in partibus Germaniæ sectatores ad præsens destinat, et quascumque provincias, terras et loca, ad quæ me cum eodem exercitu, vel sine illo declinare contigerit, cum facultatibus in litteris exprimendis.

« Die Dominica IV Julii MDXLVI, in Ecclesia B. Mariæ de Ara-Cœli post celebrationem Missæ congregatis ad hoc reverendissimis DD. cardinalibus, S. D. N. me legatum de latere ad serenissimum principem Carolum V Romanorum imperatorem semper Augustum, ac exercitum, quem sanctitas sua contra Lutheranæ et aliarum damnatarum hæresum in partibus Germaniæ sectatores destinavit, a sanctitate sua nuper creatum ante Crucem genuflexum stantem, benedixit, dicens solitas orationes, osculatoque pede sanctitatis suæ, recessi ad meam legationem profecturus : quem reverendissimi cardinales usque ad B. Mariam de populo de more comitati sunt. Fuit etiam deputatus capitaneus generalis dicti exercitus illustrissimus D. Octavius Farnesius, cui similiter genuflexo ad pedes suæ sanctitatis, stanti sanctitas sua dedit vexillum cœlesti benedictione sanctificatum, prout in libro cæremoniarum continetur, acceptoque dicto vexillo, et osculatis pedibus ejusdem sanctitatis suæ, ipse D. Octavius cum suis statim recessit ». Præter Pontificium auxiliarem exercitum, ex Belgio Maximilianus Egmondanus Burani comes bellica peritia florentissimus decem millia peditum equitumque quatuor millia adduxit. Præterea [3] Cæsar Germanorum sexdecim millia contraxit, Hispanorumque octo mil-

[1] Ludovicus Avila Mag. Alcantaræ Camerarius. Surius in Comm. Ludovicus Guicciard. Lambertus Hortensius. Belcarius. Panvin. — [2] Alex. card. Farnes. in Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 487. — [3] Lud. Avila. Lud. Guicc.

lia præsto illi affuere, quibus plerique se conjunxere, quarum copiarum militari imperio Ferdinandum Albæ ducem præfecit.

107. Belli initium fecere Lutherani [1], ineunte Julio, duce Sebastiano Scertelo, qui cum Vindeliciis copiis Fiessam Augustani episcopi oppidum ad Lycum amnem obsedit, arcemque VI idus Julii deditione cepit : Clusa mox atque Erebergo Ferdinandi arce in Alpium exitu potitur, quibus præsidio firmatis Œnipontem oppugnare decrevit, ut Pontificiis copiis ac cæteris Italicis aditum in Germaniam præcluderet. At Lutheranorum consilia irrita cecidere, nam Franciscus Castelaltus Ferdinandi regis ad Tridentinum Concilium orator, coactis duodecim peditum millibus, firmissimum præsidium Œniponti imposuit, atque itinerum angustias occupavit, de quibus hæc Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini scribit [2] :

« XIII Julii cardinalis Tridentinus dixit se recepisse litteras ex Germania, quod dux Wittembergensis occupavit Clusiam, quam vocant, locum scilicet angustum post Œnipontem, ut recepto illo transitu, impediatur aditus Italicis militibus in Germaniam transgrediendi, quod dux habeat viginti quinque millia militum, et conatur ulterius progredi ad Œnipontem, cui ex adverso obsistit illustrissimus D. Franciscus Castelalto cum octo millibus militum, et quod tot alii conscribantur usque ad summam viginti quinque millium, quare velit mittere cursorem ad reverendissimum cardinalem Farnesium, qui cito huc advolet cum exercitu, rogavitque ut reverendissimi legati idem scriberent, quod et fecerunt ».

Decimo tertio post die pervenit Tridentum auxiliaris Pontificius exercitus, de quo hæc subdit idem auctor [3] :

« XXVI Julii illustrissimus D. Octavius Farnesius capitaneus generalis exercitus, Joannes Baptista Sabellus generalis equitum, Alexander Vitellius generalis peditum, Paulus Vitellius, Fridericus Sabellus, Julius Ursinus, Sforzinus Sfortia de S. Flora Columnelli, necnon alii quamplures capitanei et nobiles ad summam fere sexcentorum a legatis honorifice splendideque recepti sunt : dum in prandio erant, omnis exercitus suo ordine ante mensam reverendissimorum legatorum pertransivit, qui exercitus est peditum duodecim millium, et equitum octingentorum, et omnes sunt Itali, quos tamen sequuntur ultra quingenti nobiles Italici, qui sua pecunia militant, cum causa religionis bellum hoc susceptum sit, nempe contra Lutheranos ». Jure vero sensere vim ferri Pontificii hostes, qui per Hyemem in profanis ac impiis comediis Pontificiæ illuserant majestati.

[1] Franc. Belc. l. xxiv. num. 21 et 22. — [2] In Diar. Conc. Trid. auct. Ang. Mass. Secret. Ms. arch. Vat. p. 158. — [3] Diar. Conc. Ms. arch. Vat. p. 161. et aliud Ms. sig. num. 3132. p. 206.

108. Interea Albanus dux [1] cum aliis Cæsareis copiis in Scertelum signa extulerat, quare ille territus ad fœderatorum perduellium exercitum, qui ad Danubium castra fixerat, se recepit, quo digresso, Cæsarei Copstenum cum magna Lutherani præsidii strage receperunt, necnon Dillingam, Augustani episcopi oppidum, arcemque X kal. Augusti deditione ceperunt. Quo die Cæsar, qui tamdiu proterviam ac perduellionem Lantgravii Hassiæ et Friderici electoris ducis Saxoniæ pertulerat, cum fastu turgido illum imperio deturbare molirentur, tantaque contemptus significatione bellum indicerent, ut non Cæsarem, sed Carolum Gandavensem, qui Cæsaris nomen sibi arrogaret, appellarent (adeo vera extiterant Clementis VII ad Carolum V monita ante viginti annos data, Lutheranos excusso Pontificio jugo Cæsarem quoque depellere meditaturos) edictis in eos editis decretoriam proscriptionis sententiam Ratisbonæ, quam parte exercitus ad sui custodiam reservata firmaverat, pronuntiavit, in qua eas causas recensuit, Lantgravium et Saxonem sibi Germaniæ dissidia componere annitenti semper obstitisse, tyrannidem in alios imperii ordines exercuisse, bella propria audacia suscepisse, Brunsvicensem principatus possessione depulisse, plures episcopos et alios Ecclesiasticos clientes imperii oppressisse, multos suis bonis religionis prætextu spoliasse, Ratisbonensia comitia contempsisse, sibique imperatori parere recusasse, necnon publicis scriptis calumnias et probra in Cæsaream majestatem sparsisse, plures conventus ad ineundas conjurationes coegisse, exteras etiam nationes adversus imperium concitasse, omniaque clementiæ officia erga eos exhibita contemptu protrivisse, quod edictum subjectis verbis conceptum est [2] :

109. *Edictum imperatoris contra rebelles.* — « Nos Carolus V, divina favente clementia, Romanorum imperator etc. Significamus omnibus et singulis electoribus, principibus, tam spiritualibus quam sæcularibus prælatis, comitibus, baronibus, capitaneis, prætoribus, consulibus, judicibus, civibus civitatum, et aliis universis et singulis Romani imperii, cujuscumque status sint, præcipue autem Joannis Friderici ducis Saxoniæ, et electoris, et Philippi lantgravii Hassiæ subditis, his nostris litteris a fide dignis transcriptis, salutem nostram et omne bonum. Reverendi, illustres, dilecti, nepotes, electores, principes, comites etc.

« Quamvis ab initio nostræ imperialis gubernationis, in quam omnipotens Deus nos legitima electione constituit, ex innato amore, quo sacrum imperium Germanicæ nationis, sicuti dilectam nostram patriam semper am-

[1] Angel. Massarell. in Diar. Conc. Trid. — [2] Ms. Franc. cardin. Barber. sig. num. 2678. p. 158.

plectimur, sensum nostrum eo direxerimus, ut Germanæ nationis honorem et commodum pro viribus nostris procuraremus. Quamobrem sæpe sæpius hæreditaria nostra regna non parvo nostro dispendio deseruimus, tum etiam, ut jam a multis annis periculosissimis et noxiis erroribus religionis, in quibus ipsa Germana natio nostris temporibus gravissime occupata existit, liberaretur, clementi et paterno animo non parva exhibuimus officia, ut has perniciosas Germaniæ discordias in bonam unitatem et incrementum dissidentiæ ordinum imperii, in amicam et bonam reconciliationem adduceremus, tam studiose, ut animus noster nullo tempore alia præditus fuerit voluntate, nec sit, quam ut semel prædicti errores, sicuti multa habita comitia et ordinum initia voluntatis nostræ testimonia perhibent, per generale Concilium aut alia idonea media concilientur et ordinentur, in quo nos adhibito consilio ordinum, imo pro nostra propria persona nihil intentatum reliquimus, quod nobis visum est erroribus istis aliquid commodi allaturum, quod etiam nos ab initio nostræ imperialis gubernationis, et hucusque erga universos et singulos imperii subditos talem ostenderimus, quod nulla bona fide nullus in nos transferre potest, quin veram Christianam religionem et Germanæ nationis libertatem conservaverimus, quamvis aliqui injurii contrarium sine ulla veritate, temere proprio malevolo animo vobis persuadere intendunt : hoc ipsum testimonio esse potest, quod nulli rebellionis causam dedimus, imo pacem, commodum et concordiam Romani imperii semper quæsivimus singulis comitiis omnem operam adhibendo, ut Christiani sanguinis et nominis immanissimus hostis Turca, et alii infideles, præcipue illi, qui Christianis fere in foribus sunt, debellarentur.

« Præterea (quod charitates, paternitatesque vestras haud latet) omnes et singuli, tam supremi quam inferioris gradus ordinis, membra et subditi imperii nobis uti naturali suo domino et capiti, vinculo juramenti obstricti promisistis, nunquam in illis locis inveniri, ubi contra nostram personam iniretur consilium, sed nostro et sacri Romani imperii commodo semper prodesse, detrimento autem quantum ad vires vestras pertineret, nunquam adesse, et si aliquis consiliis contra majestatem nostram sive personam consuleretur, certior fieret, id absque omni mora et tarditate ad nos referre teneretur.

« Insuper etiam in nostra imperiali pace et secutis induciis clarissime continetur, tum in religiosis, tum in aliis rebus, quod nullus alterum, quovis prætextu id fieri possit, debellet, molestet aut perturbet, neque de suis possessionibus pellat, et suæ religioni adhærere cogat, subditos etiam suos nulla ratione ad fugiendum invitet, et fugitivos illos suæ ditioni adjungat. Cum autem præcipuum munus nostrum sit, sicuti Romani imperatoris est, cui divina providentia in omnes imperatoris subditos data et commissa est superioris potestas, auctoritate nostra imperiali supradicta conservare obedientes in pace et jure bono defendere, et injuriosam aliorum potentiam depellere, rebelles vero et corruptores imperialis nostræ pacis, adhibitis omnibus idoneis modis, ad debitam obedientiam redigere, cum nulli, cujuscumque status, conditionis, seu religionis fuerint, cum divinis, tum humanis statutis nequaquam concessum sit, in nos temere manus inferre, et debitam suam obedientiam, qua nobis constrictus est, abstrahere, quod bonis politicis gravem jacturam afferret, imo singulorum subditis, quibus per hujusmodi exempla rebellionem in magistratum suum exercendi campus pateret.

« Attendentes, quod spretis nostris officiis, supranominati Joannes Fridericus dux Saxoniæ elector, et Philippus lantgravius Hassiæ, jam per longa tempora, mera propria temeraria voluntate et pertinacia adducti, omni nostræ adhibitæ diligentiæ, labori et sæpissime habitis actionibus, quibus (ut supra dictum est) ad sustinendam Romani imperii pacem et tranquillitatem, et deponendos multifarios illius errores incubuimus, hactenus pro viribus impedimento fuere, detracta propria et decenti nobis obedientia : insuper etiam alios ordines et membra sacri Romani imperii clanculum initis multis prohibitis conspirationibus ad hujusmodi inobedientiam compulerunt, sedulo operam dantes, quo pacto nobis in nostra consueta imperiali potentia jacturam aliquam inferre possent : quod primitus lantgravius neglecto et non respecto eo, quod sicuti membrum sacri imperii, nobis et imperio subjectum haud decere ullam tyrannidem in alios imperii ordines exercere, neque ullum bellum ignorantibus nobis inferre. Nihilominus contra aliquos ordines sub prætextu juste inferendi belli, propria audacia, bellum suscepit, eos graviter gravans, partim tributum imperans, partim vero principatibus et dominiis suis depellens. Nec his contentus, una cum Joanne Friderico electore Saxoniæ sibi similem principem et commembrum imperii, rebellavit, non expectans sententiam judicis, sed propria in eumdem principem, qui suum principatum nostra et imperiali auctoritate possidebat, de principatu prædicto dejecit, adhuc dominium illud occupans, aliquos etiam principales episcopos, multasque diœceses et prælaturas, comitatus et dominia, quæ hactenus sicut membra Romanii imperii a nobis et ipso imperio cogniti, nobisque et sacro imperio debitam obedientiam præstant, a quibus sæpissime in habitis comitiis supplicati, ut eos in veteribus eorum

regalibus sustinere deberemus, curareque ne ulla calumnia illis inferretur, Romano imperio, et nobis abstrahere, suæque ditioni adjungere conati sunt; quemadmodum multos imperii subditos violenter et temere sine ullo bono jure contra mandata nostra in suam obedientiam redactos, adhuc possidentes, insuper multos tam supremi quam inferioris gradus ordinis, suis redditibus spoliaverunt eos, clanculum calliditate sua sub prætextu bonæ religionis, eo vertentes, ut defensionibus suis se commiserint, prædicta omnia nulla alia ratione facientes, quamque nobis uti naturali domino nostros et imperii subditos subtrahant, ut suo dominio adjungere possint.

« Similiter ex mera pervicacia aliquos ordines eo compulerunt, quod hæc nostra Ratisbonensia comitia invisitata reliquerint cum maxima nostra ignominia et impedimento gravissimarum imperii causarum, quod propterea seposita omni cura facere ausi sunt, quia neque judicium neque magistratum agnoscunt, sed omnem administrationem justitiæ tali ratione taliter turbant, quod justissimis judicum sententiis non solum rebellatum est, eo modo, quod nulli per spatium diei et anni justitia administrari potuit, quod non solum graviter ferendum est, verum etiam dolendum, quod multis oppressis miseriis et spoliatis a contra partibus juri non parum detrimenti parit, et apud exteras nationes minimis laudibus extollitur; id autem universos præ omnibus gravat, quod faciunt prædicta omnia bonæ religionis sustentaculo, pacis, justitiæ ac Germanæ nationis libertatis prætextu, quibus ut obice suorum malefactorum utuntur, cum tam vera Christiana religio nullo modo jubeat hujusmodi facinora perpetrare, et in sacra Scriptura, et aliis fide dignis scripturis et historiis contineatur, quod primi Christi fideles, qui non solum verbis, sed effuso sanguine proprio fidem suam in publicum dederunt, etiam gentilibus imperatoribus et regibus debitam exhibuerunt obedientiam, quanto magis indecens reputandum est, quod prædicti inobedientes notorie perfidi, nobis naturali eorum domino debitam obedientiam prætextu bonæ religionis subtrahere conantur.

« Significamus ergo omnibus et singulis, eos nulla alia ratione id facere, quam ut postremo nos auctoritate nostra imperiali, corona sceptroque spolient, ac una cum religione, pace, justitia et libertatibus opprimere possint, proprium suum commodum et honorem ambitiosis rationibus quærentes, quod aperte ex illis frivolis scriptis videre est, quæ in ditionibus suis in publicum dederunt, in quibus maximis opprobriis et calumniis affecti sumus, quod sane nulla alia opinione fecerunt, quam ut vulgus ad tumultuosas discordias incitarent.

« Præterea non solum conspirationes et conventicula contra nos collegerunt, sed etiam multas exteras nationes insidiose in nos excitaverunt, quibus polliciti sunt eas, pro viribus omnibus modis quibus nobis noceri possunt, juvare, quarum rerum aliqui, si necessitas postularet, produci possent, qui testimonium perhiberent, et quo pacto Germanam nationem cum immanissimo Turca periculis exponere operam dederunt, ut tandem illis campus pateret tyrannidem exercendi juxta desiderium animi sui, neglectis illis juramentis, quibus nobis uti imperatori Romanorum et naturali domino obstricti reperiuntur, necnon in contemptum et detractionem nostræ imperialis auctoritatis : et contra imperialem nostram pacem secutasque inducias, ausi sunt asserere prædictas politias nullam aliam ob causam erectas esse, quam ut obedientibus naturalem et concessam defensionem auferrent, ob idque illis e contra concessum esse, omnes inhibitas et injustas machinationes in imperii obedientes ordines excogitare.

« Quibus enumeratis rationibus, nempe rebellione et detractione nostræ imperialis celsitudinis, castigationem nostram meritos esse, haud narrare necessarium putamus, quandoquidem nemini eorum perpetrata facinora non comperta sunt; ex quibus quamvis non modicæ occasiones nobis datæ fuerint, prædictos Saxoniæ ducem et Lantgravium Hassiæ debita et benemerita pœna afficere : tamen ad sustinendam pacem et cavenda bella, id clementissime omisimus, illis multo pluris quam nos decuerat, non parva læsione nostræ conscientiæ, maximoque dispendio multorum ordinum, hactenus non solum pepercimus, verum etiam principio proximis habitis Ratisbonensibus comitiis erga lantgravium et in Spirensibus erga electorem Saxoniæ, quam clementissime nos ostendimus, putantes eos per nostram offensam clementiam a rebellione et inobedientia sua revocare.

« Sed postquam re ipsa comperimus paternam nostram clementiam et patientiam apud electorem et lantgravium languere, eosque nobis hactenus non solum verba dedisse, factis autem nihil respondisse, sed omnem eorum operam eo directam esse, ut nostris imperialibus politiis rectæque religionis paci impedimento futuri sint, cum maxima abusione nostrorum mandatorum, quæ ad sustinendam religionem in imperio Romano a nobis exierunt, utentes omnibus nostris cum illis Spiræ habitis pactionibus vice obicis ad protegenda malefacta sua, neminem interim non malo et invidioso animo, indecentique cupiditate dominandi, bonis suis spoliare contendunt, ob idque judicia, neque jura pati volunt, sed potius ex concepta invidia contra omnem justitiam et æquitatem, principes, comites, barones et liberos nobiles, imo alios omnes imperii ordines,

tam spirituales quam sæculares, contra condictam imperialem pacem per vim suæ ditioni conjungere conati sunt, præcipue tamen pacem et jus imperii opprimere ac sibimetipsis dedicare, conventiculas congregare, fœdera et conspirationes contra nos inire, et nobis honorique nostro per calumniosa eorum scripta detrimento esse, quanquam clementem et pium nos illis exhibuimus, tam pervivaces e regione se nobis ostenderunt; quas ob causas nullas non magnas inconsuetasque pœnas meritos esse censemus : propterea si talia facinora a nobis ulterius tolerarentur, nec nostra imperiali potentia in prædictos rebelles, electorem Saxoniæ et lantgravium Hassiæ uteremur, nullo modo pax et concordia in militanti religione speranda esset, sed potius carentia pacis et boni juris, immanisque potentia tyrannidis, destructio denique bonarum politiarum in foribus nostris continue versarentur, quæ omnia imperiali nostra gubernatione diutius pati, nullo modo justitiæ consentaneum putamus. Idcirco nobis est animus, ad vitanda plurima damna, quæ imperio Germanæ nationis universæque Christianitati ex prædictis meis imminere possent, nostro imperiali officio adversus sæpedictos electorem Saxoniæ et lantgravium Hassiæ uti.

« Cum enim nemini non istorum rebellio, perturbatio pacis et concordiæ, et offensa notræ majestatis pateat, quorum se dicti elector et lantgravius nulla bona fide excusare possunt, qui neque judicem, neque jus amplius pati volunt, sed violenter, tam in nostram amplitudinem, quam in alios ordines suas inferre manus, constituimus propter inevitabilem necessitatem juxta nobis a Deo commissum officium sæpedictos Joannem Fridericum electorem et lantgravium Hassiæ sicuti inobedientes, perfidos, rebelles, corruptores fidei, tumultuosos, nostræque majestatis contemptores, extra nostrum et sacri Romani imperii ordinem redigere, prout declaramus et redigimus extra ordinem de Romani imperii pace, eosque in prædictas et multifarias pœnas incurrisse his nostris litteris significamus.

« Propterea animo nostro proposuimus prædictam exordinationem, quam Joannes Fridericus et lantgravius Hassiæ benemeriti sunt, exequi, eosque sicuti corruptores bonæ pacis et tranquillitatis, justis pœnis afficere, demum cessante illorum impedimento, pacem, jus et unitatem in sacro Romano imperio revocare et renovare, prout officium nostrum imperiale ipsaque Germanæ nationis urgens necessitas expostulat.

« Significamus ergo vestris charitatibus, paternitatibus et singulis, hanc nostram voluntatem, et justas nostras causas, a quibus ad suscipiendum hoc bellum cogimur, ne postea a vobis tamquam falsi et injurii accusemur. Mandantes omnibus et singulis Romani imperii subditis per illam objurationem, qua nobis obstricti estis, imo immissionem regalium et libertatum vestrarum, quæ a nobis et felicis memoriæ imperatoribus et regibus antecessoribus nostris meruistis, ut prædictos electorem et lantgravium, nullo modo, quoad fieri possit, bombardis, commeatu aut aliis rebus bellicis nunquam juvetis. Si autem aliquis salario eorum obstrictus, aut aliis rationibus illis inservierit, inspectis nostris litteris continuo eis abrenuntiet, nec suo famulatu ulterius eos uti permittat. Vobis autem et omnibus imperii sæpedictorum electoris Saxoniæ et lantgravii subditis, mandamus, ut eis debitam obedientiam, si ulla obstricti estis, ulterius non præstetis, eosque nequaquam, quavis ratione id fieri possit, juvetis, ne a nobis rebellionis eorum participes facti, sicut ipsi, corrigamini. Insuper etiam suppetias vestras contra rebelles et perfidos illos petimus, ut ea saltem ratione ad debitam obedientiam redigi possint, inita fœdera, et conspirationes (quantum in vobis est) impedire non prætermittatis, quæ fœdera auctoritate nostra imperiali, quæ contra nos malevolo animo sunt inita, cassamus in nihilumque redacta esse volumus. Vos ordines, ab illis fœderibus, subditos autem prædictorum electoris Saxoniæ et lantgravii, ab omnibus hæreditariis juramentis, absolvimus, ac vobis libertatem nostram imperialem præsentibus nostris litteris donamus. Constituimus insuper serio auctoritate nostra, ne ullam profectionem ex gratia, libertatibus, regia pace, jure civili, veteribusque consuetudinibus, quæ illis a prædecessoribus nostris donatæ sunt capere possint, ex quibus omnibus consuetudinibus, libertatibusque, illos quasi extra ordinem positos, seclusos esse volumus. Si autem unus vel plures, cujuscumque status vel conditionis hi fuerint, eos juvaverint, et in prædictis inobedientes fuerint nobis reperti, illos non minus quam electorem ipsum Saxoniæ et lantgravium Hassiæ justis et meritis pœnis afficere proposuimus ex illis enumeratis causis. Quisquis igitur semetipsum, ne nostras pœnas incurrat, prudenter regat. Hæc est animi nostri seria sententia. Datum in nostra et imperii civitate Ratisbonæ xx Julii anno a Christo nato MDXLVI, nostri imperii XXVI, aliorum vero regnorum XXXI ».

Pressit silentio Cæsar præcipua lantgravii et Saxonis flagitia de eversa religione Catholica et impietate Lutherana propagata, non enim voluit omnes Lutheranos ejus criminis socios eo edicto involvere ex politicæ prudentiæ legibus, ne plures in se hostes concitaret. Sed professus est non religionis causa, sed æqui conservandi gratia adversus conjuratos arma corripuisse, eaque arte Joachimum marchionem Brandeburgensem, et Mauritium Saxonicæ stir-

pis principem in obsequio retinuit, deterruitque Hermannum Coloniensem exarchiepiscopum, et Helvetios Zuinglianos, ne in bello se commoverent.

110. *Saxo et lantgravius victi, et ad pacem nonnisi duris conditionibus admissi.* — Tertio idus Augusti Saxo et lantgravius Cæsari ad Landtshutum castra habenti, misso præcone militari, bellum indixere, epistola sagittæ cuspidi præligata. Cæsar epistolam non accepit, sed proscriptionis tabulas ab eodem ferri jussit, vetuitque ne quis in posterum ab illis ad se accederet, proposita accessuris capitali pœna. Inde coactis omnibus copiis [1] cum hostes ob pugnantia inter se consilia gerendæ rei occasioni defuissent, in eos ad Ingolstadium stativa habentes eduxit exercitum, multisque affectos incommodis loco cedere coegit, inde Neoburgum petit, compellitque ad deditionem clementia in præsidiarios usus, lustratoque exercitu recensita sunt quadraginta quinque peditum, novemque equitum millia : Vendingum venienti portæ panduntur, detrectantibus vero hostibus inire cum eo certaminis aleam, varias Lutheranorum urbes : Danovertum ad Danubium situm, necnon Dilingam, et Laugingam, et Gundelfingam in suam potestatem redegit, fuso fugatoque Scertelo, qui ægerrime cum paucis evasit.

« V Septembris », inquit Massarellus [2] in Diario Concilii Tridentini, « venit cursor ex Germania, cum litteris cardinalis Farnesii ex Ingolstadio, quod exercitus simul quotidie confligant, et comes Durus Ratisbonam applicuerit, quod Cæsar, ut vere Cæsar, se gerebat, tum agendo, tum hortando milites, et quod exercitus lantgravii non distat a Cæsareo, nisi per unum milliare Italicum.

« VIII Septembris fuit facta processio generalis omnium Ordinum et Religionum civitatis Tridentinæ ; iverunt etiam reverendissimi et illustrissimi præsidentes et reverendissimi DD. cardinales Tridentinus et Giennensis ; iverunt necnon prælati et oratores, ac cæteri conciliares omnes, ob felicem eventum Cæsarei belli contra Lutheranos ».

111. Dum ita prospere res geritur a Cæsare, Ferdinandus rex et Mauritius princeps in Saxoniam irrupere, magnamque ejus partem subegere : quo tempore perduellium exercitus a Cæsare commeatus eorum intercipiente ita vexatus est inedia, ut quinque diebus pane caruerit. His itaque incommodis attriti Fridericus Saxoniæ dux et Philippus lantgravius Hassiæ superbos spiritus fregere, quater enim jam castris cedere coacti erant, Cæsaremque de pacis legibus ac deditione supplices appellarunt.

Cæsar successuum felicitate erectus duras conditiones proposuit, ut scilicet Saxo et lantgravius exercitum dimitterent, quidquid possidebant, arma, tormenta, urbes, oppida, arces, victori Cæsari permitterent, supplices accederent petituri veniam, quam deprecatore Joanne Brandeburgensi essent consecuturi, nihil æqui postea a Cæsare, qui nonnisi justa bella suscipit, susceptaque non minus fortiter gerit se impetraturos certo sciant. Ad hæc illi non responderunt, sed cum septimo kal. Decembris in eos Cæsar irruere pararet, illi rem subodorati fugam nocturnam capessiverunt, a quibus persequendis asperitas Hyemis Cæsarem deterruit, cum occasioni antea defuisset ; plures vero urbes, Bopingha, Nordlinga, Œttingensis arx atque Hala in Suevia, ac Rottemburgum in Cæsaris potestatem concesserunt.

112. *Uldalricus Wittembergensis et comes Palatinus arma deponunt.* — Dum Rottemburgi ageret Cæsar, ad Udalricum Wittembergensem regulum litteras dedit, ut terrore pœnæ ad officium illum redigeret, quarum præcipua pars his verbis concepta est [1] :

« Quamvis aliquot ante annis propter bellum abs te et lantgravio adversus fratrem meum motum, et agrum Wittembergensem, quo mulctatus fueras, receptum, in vos exemplum edere jure potuissem, noxam tamen omnem et injuriam clementer, quam supplex petebas, tibi remisi ». Et infra : « Tu, his omnibus ludibrio habitis, violata fidei (quam mihi debes) religione, societatem et amicitiam cum hostibus meis inivisti, quos proscripsi, quorum urbes, oppida, arces agrosque, non hasta, sed armis subjeci, cum his arma et vires consociasti, et ne qua contumelia ludibriumque prætermitteretur, confœderatorum tuorum opibus fretus, fratris mei primum, deinde quorumdam ex ordinibus imperii, adeoque mea, quæ ad imperium pertinent, oppida armis petivisti non modo, sed etiam dolo invasisti : his nondum quamvis gravibus et atrocibus flagitiis expletus bellum insuper, qua fuisti amentia captus, mihi fecisti, majestatem meam dictis virulentis imminuisti : meam auctoritatem decusque levasti, omnemque in id operam sedulo navasti, ut me imperatorio splendore exueres, renuntiata ea, qua mihi obnoxius es fide, quam sociorum conjurationi posthabuisti ». Et paulo post : « Hæc quanquam ita se habent, et causæ cur in te ultimo humanorum supplicio animadvertere possem, comparent, uti meritus es, ne tamen plebs insons, cui plus misericordiæ, quam tuæ causæ spei debetur, rei principis peccatum luat (huic omnino parcere stat sententia) edico, ut extem-

[1] Franc. Belcar. l. XXIV. num. 27 et seq. — [2] Diar. Conc. Trid. auct. Ang. Massarell. Sec. Ms. arch. Vat. p. 166. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 313.

[1] Ext. apud Melch. Goldast. to. I. p. 517.

plo simul ac meas litteras acceperis, te ultro mihi dedas, omnem tuam provinciam, urbes, agros, castella, quantum denique fortunarum tibi est, in jus meum tradas, ut de his ex meo arbitrio consulam, etc. Datæ Rottemburgi ad Neccarum MDXLVI, mense Decembri ».

Consederat in finibus agri Wittembergensis Cæsareus exercitus, atque Udalricus sustinendæ belli moli impar aufugerat, supplicibusque litteris veniam precatus XIII Januarii proximo mense Cæsari reconciliatus est, Burenus etiam Hassiam populatus, Francofurtum ac plures alias urbes ad Cæsaris obsequium redegit. De his felicibus Cæsaris successibus meminere Acta Consistorialia [1] his verbis :

« Romæ apud Sanctum-Petrum XVII Decembr. MDXLVI, fuerunt lectæ litteræ reverendissimi Hieronymi Veralli archiepiscopi Rossanensis, sanctitatis suæ apud Cæsaream majestatem nuntii, quibus significabat felicem successum rerum Germaniæ contra hæreticos, et propterea fuit declaratum, ut fierent supplicationes et Missa celebraretur ».

113. Suffectus fuerat in locum Alexandri cardinalis Farnesii, qui ex legatione Germanica revocatus fuerat, Rossanensis archiepiscopus, instructusque est mandatis amplissimis, ut cum ex pacti fœderis legibus Cæsar cum Lutheranis pacem inire non posset inconsulto Pontifice, vel ejus legato, ipse in ea re polleret eadem auctoritate, quæ legato collata fuerat, ac si honesta concordiæ ratio affulgeret, eam auctoritate Apostolica confirmare posset. De reditu vero cardinalis Farnesii e Germanica legatione hæc refert Angelus Massarellus [2] in Diario Concilii Tridentini :

« XIV Novembr. cardinalis Farnesius rediens ex Germania, ubi legatus Pontificii exercitus contra Lutheranos fuerat, Tridentum applicuit, die XVII Romam proficiscitur ». Mandata vero internuntio Verallo data his verbis concepta sunt :

« Venerab. fratri Hieronymo archiepisc. Rossanensi apud sereniss. Cæsarem nuntio nostro, salutem.

« Venerabilis frater, cum inter cætera capitula fœderis, inter nos et serenissimum Cæsarem contra hæreticos Germaniæ anno præterito initi, illud sit, quod ipse Cæsar non possit cum Lutheranis, seu Protestantibus, vel aliis hæreticis aliquem tractatum habere, vel concordiam facere, quæ effectum aut substantiam expeditionis contra eos concerneret, aut aliam impediret, vel retardaret, et particulariter, quod iisdem hæreticis aliquid, quod contra Catholicam religionem, aut Ecclesiæ constitutiones esset, concedere aut permittere nequiret, sine expressa voluntate et consensu nostro vel legati nostri, et dilectus filius noster Alexander cardinalis Farnesius, quem in ipsam expeditionem nostrum et Apostolicæ Sedis legatum miseramus, cum in Germania aliquot mensibus permansisset, et nonnullis necessariis et rationabilibus causis a nobis revocatus ad nos redierit : Nos ne ob dicti Alexandri cardinalis legati absentiam idem Cæsar ipsos hæreticos ad obedientiam recipere, aut cum eis aliquam honestam concordiam inire impediatur, de tuæ fraternitatis fide ac prudentia confisi, eidem fraternitati tuæ eamdem super præmissis facultatem et auctoritatem concedimus, quam idem Alexander cardinalis legatus habebat, etc. Datum Romæ, etc. XXIII Decembris anno XIII ».

114. Extremo anno [1] Palatinus comes elector Cæsarea felicitate territus, cum antea religione Catholica, excito Argentina Paulo Fagio, descivisset, et quadringentos equites ad Lutheranos, apud Ingolstadium stativa habentes, auxiliares misisset (inimicitias enim graves cum ducibus Bavariæ Catholicæ religionis acerrimis defensoribus contraxerat) ad Cæsarem per deprecatores impetrato aditu ejus pedibus advolutus veniam impetravit : Ulmenses quoque missis Halam legatis (culpa agnita) se suaque omnia Cæsari permiserunt, qui centum aureorum millibus et tormentis bellicis duodecim mulctati fuere. Florebat Ulma opibus civiumque multitudine , quare ex ejus deditione Cæsareæ res multum auctæ : pervenit vero fama ejus deditionis Tridentum primo die Januarii anni insequentis , ut refert Angelus Massarellus [2], et confirmant Acta Concilii.

« Die Dominica II mensis Januarii gratiæ Deo aguntur pro deditione civitatis Ulmensis in potestatem invictissimi Cæsaris, qui una cum Pontificiis copiis in præsentiarum contra Lutheranos et hæreticos pugnat ».

115. *Concionatores Lutherani ponunt paci obicem.* — Inclinabant ad concordiam Lutherani principes , nisi improbissimi concionatores , qui privata commoda ex ipsorum principum exitio animarumque æterna internecione consectabantur, eos misere fascinassent : ii vero copias ita divisere , ut lantgravius ad sua tuenda in Hassiam se receperit, Fridericus vero Saxo ad Saxoniam contra Ferdinandi regis ducisque Mauritii grassationes defendendam procurrit, atque in itinere Gemundam Sueviæ oppidum cœpit, atque Moguntinum principem et Fuldensem abbatem, aliosque Catholicos præsules viribus impares auro mulctavit, quos Cæsar litteris solatus est se brevi hostium tyrannidem obtriturum [3]. « Hic fuit », inquit Surius, « primi belli Germanici contra

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sign. num. 133. p. 488. — [2] Diar. Conc. Trid. Ms. card. Franc. Barber. sig. num. 23. Ms. car. Pii. Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 340.

[1] Franc. Belc. l. XXIV. num. 31. — [2] Ang. Massarel. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 241. — [3] Sur. in Comm.

imperatorem temere suscepti eventus, ad quod imperii ordines impulerunt impuri apostatæ et seditiosi ecclesiastæ qui, salva Cæsaris amplissima auctoritate, res suas salvas esse non posse facile providebant, ex ipsis autem atrocissimis religionis et dogmatum dissidiis, quæ inter illos vigent, haud obscure potest animadverti, non magnopere illis curæ esse reipublicæ et Christianorum salutem, sed ut suis privatis rebus consulant, quantumvis interim sursum deorsum moveantur omnia. Ipse quidem Lutherus in libello, quem non diu ante obitum suum ad Saxoniæ principem et lantgravium scripsit, ad hoc Germaniæ bellum classicum canit, dum inter cætera ait : Quisquis arma non corripit, dum potest, is non utitur rebus a Deo oblatis ».

Sublatus ex humanis fuerat impius ille hæresiarcha, Germaniæ fax et pestis, pro cujus tuendis deliramentis tantum bellum sibique exitiale ii principes male fascinati concitarunt. Sed de Lutheri morte infelici agetur inferius.

116. *Admonitiones legatorum circa justificationis dogma, et capita discutienda.* — Dum stringuntur arma a Cæsare adversus lantgravium et Saxonem perduelles, certatum est verbo divino in Concilio Tridentino adversus Lutheranorum errores [1], qui accuratissimo examine tum in theologorum, tum in præsulum Congregationibus discussi sunt. Præcipuus error circa justificationem vertebatur.

Cum de justificatione in Concilio agendum esset, cardinalis Cervinus, qui absente ob infirmitatem cardinale de Monte, primi legati vicem gerebat, Patribus significavit, justificationis dogma, quod in examen adducendum erat, ex peccati originali quæstione obscuris magnisque difficultatibus implicitum esse : nam licet antiqui scholastici fusius de peccato originali scripsissent, de justificatione tamen parcius disseruere : quare cum orthodoxi scriptores, qui retro evolutis viginti annis offusas a Luthero tenebras scriptis suis discussere, plurima luce veritatem collustrassent, ab ipsis potissimum, quid in hac re statuendum, decerpi facile posse. Tum Reginaldus Polus cardinalis legatus addidit, hoc dogma cum originalis peccati dogmate connectendum ; ut perspecto eo, quod in primo Adamo perdidimus, agnoscamus etiam quid per secundi gratiam comparaverimus ; atque adeo quo magis sit ardua ac difficilis quæstio, eo magis divinum lumen fusis ad Deum precibus atque auxilium implorandum ; propterea se hortari patres, ut sacra oracula consulant, adversariorum etiam libros mature excutiant, bonaque a malis discernant : non aliter enim quam venefici venena exquisitis cibis immiscent, ita Lutherum aliosque hæreticos veris falsa permiscere consuevisse ; nec statim temerariam sententiam non probe excussam proferendam, omnia in iis contenta falsa ac respuenda, exemplumque attulit Alberti Pighii, qui dum in peccati originalis articulo omnem Lutheranorum doctrinam confutaret, propius ad Pelagianorum errorem accessit.

117. Cum perorasset Polus cardinalis, Pacechus subjunxit, non modo veteres theologos quæstionem de justificatione contractiore sermone pertractasse, sed etiam in antiquis Conciliis agitatam definitamque non fuisse ; quare in Tridentino præsenti Concilio eam excutiendam divinaque ope definiendam. Consulere itaque ut in hoc argumento servetur ordo accuratior, quam in aliis quæstionibus. Primum ut minores theologi singulas quæstionis partes diligentissime excutiant, tum excussas inter se conferant, expensas illustratasque postea Patribus exponant, qui singulos articulos summo adhibito studio expendant, atque in luce collocatos in ordinem redigant. Pro disciplina vero Ecclesiastica constituenda proposuit agendum de residentia ; monuitque, ut illi operi præfecti ad id spectantia colligerent. Conquestus etiam est idem cardinalis plures episcopos, quorum præsentia in Concilio erat necessaria, pro tam gravi condendo decreto Tridentum nondum accessisse ; alios autem ad defugiendum laborem in vicina amœna loca discedere, ac tum die consessus futuri accessuros : accurato enim examine decretorum argumenta perpendenda, divinamque opem precibus ardentissimis efflagitandam, antequam lecto decreto verbum *Placet* proferretur. Tum cardinalis Cervinus subdidit, nemini a legatis discedendi facultatem permissam, ac de compescenda ea licentia sumendum esse consilium. Postremo decretum est, ut in tractandis quæstionum capitibus, propositus a legatis ordo servaretur ; sancitumque, nulli præsulum fas esse Tridento discedere.

Ex cardinalium legatorum modestia dicentium quæstionem de justificatione difficultatibus esse implicitam, arripuit occasionem impius calumniator Soavius præsules ac theologos Tridentinos insimulandi, eosque ut imperitos et bardos traduxit, qui Lutheri doctrinam non caperent. At re ipsa eam quæstionem fuisse magnis difficultatum sentibus obsitam ostendit stultissima Lutheri Lutheranorumque impietas, qui justificationem in vana suæ salutis fiducia, sine charitate divinorumque mandatorum observantia collocarunt, cum sacra oracula contrarium omnino promulgarint. Sed spretis serpentis hujus sibilis institutam orationem prosequamur.

118. XXI itaque Junii in Congregatione generali propositum est dogma de justificatione discutiendum, necnon circa emendationem mo-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 181. Ang. Massarell. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 23, p. 54 et alii Ms. card. Pii Diar. Conc. Trid. apud Pallavic. tom. I. l. VIII. c. 2. num. 2.

rum, de residentia episcoporum. Sequenti vero die in Congregatione theologorum minorum hæc capita proposita :

« Dicant primo, quid sit ipsa justificatio, quoad nomen, et quoad rem, et quid intelligatur per justificari hominem.

« II. Quæ sunt causæ justificationis, hoc est, quid efficiat Deus, et quid requiratur ex parte hominis.

« III. Quomodo intelligendum sit, justificari hominem per fidem.

« IV. An et quomodo opera faciant ad justificationem ante et post. Idem de Sacramentis.

« V. Declaretur quid præcedat, quid comitetur, et quid sequatur ipsam justificationem.

« VI. Quibus auctoritatibus sacræ Scripturæ et Conciliorum, aut sanctorum Patrum sive traditionum Apostolicarum, ea quæ statuenda erunt fulciantur. Habitæ sunt de iis plures concertationes a theologis in pluribus eorum Congregationibus, quæ reliquo mensis flexu coactæ sunt ».

XXX Junii Congregatio generalis celebrata est, in qua cardinalis de Monte, qui ex infirmitate convaluerat (ut referunt Acta) proposuit articulum de justificatione divisum in tres status, sub his verbis :

De justificatione adultorum.

Circa hunc articulum videntur posse commode considerari tres status hominum :

« Primus status est, quomodo quis ex infideli fit fidelis, hoc est, accedit tunc primum ad fidem : et in hoc statu examinandus est totus progressus justificationis.

« Quomodo ei merita Christi Salvatoris nostri applicentur, quid faciat Deus, quid requiratur ex parte hominis, an et quomodo opera faciant ad hanc justificationem, quid sit ipsa justificatio, et quomodo intelligendum sit hominem justificari per fidem, et si qua alia ad hanc rem pertinent.

« Secundus status est, quomodo jam justificatus possit et debeat acceptam justificationem conservare, et in illa fideliter laborare, proficere, et quomodo renatus in spem gloriæ filiorum Dei, tandem ipsam gloriam consequatur.

« Tertius status est, si quis post justificationem peccando exciderit, quomodo resurgere habeat, ut iterum justificetur, et ei merita Christi iterum applicentur, et in quo hæc justificatio a prima differat, et in quo conveniat.

« Si quid in probatis Conciliis a Patribus nostris declaratum est, quod ad hanc rem faciat, sancta Synodus poterit innovare, et eo uti.

« Deinde lecti fuerunt errores circa hunc articulum de justificatione.

Qui videantur errores circa ea, quæ primum statum justificationis concernunt.

« I. Natura nostra post Adæ peccatum propriis viribus, etiam gratia non præventa, potest se disponere, acquirere et mereri gratiam apud Deum.

« II. Post Adæ peccatum, liberum arbitrium est res de solo titulo, imo titulus sine re.

« III. Propriis viribus justificamur, et omnia peccata vitare possumus, et præcepta implere, et præservari, et gloriam mereri absque hoc quod gratia Dei cooperante egeamus, nisi forte, ut facienda cognoscamus vel cognita facilius exequamur.

« IV. Deum quidem solum incipere justifitionis opus, et nos solos illud perficere.

« V. Sola opinione de Deo, et dolore, etiam sine fide, posse hominem ad justificationem disponi.

« VI. In justificationis negotio solum Deum omnia operari, nobis nihil cooperantibus, sed mere passive habentibus.

« VII. Ante charitatem justificamur sola fide, qua credimus vel confidimus vel sentimus nobis dimissa peccata per justitiam Christi, nobis licet injustis imputatam, et justitiam aliam inhærentem non habentibus.

« VIII. In peccatore justificando, dolor vel timor non faciunt, vel disponunt ad justitiam, et omnis talis conatus, ante remissionem peccatorum et gratiam, peccatum est damnabile, nec ante remissionem, posse hominem vel votum gratiæ habere.

« XI. In Baptismate sola fides est, quæ reddit hominem justum, ipso Baptismate nihil juvante.

« X. Hæc justitia, vel vocationis gratia non datur nisi prædestinatis, aliis, dum vocantur, a Deo illusis.

Errores circa ea quæ secundum statum justificationis concernunt.

« I. Justificatus potest sine Dei auxilio speciali perseverare, et vitare omnia peccata, etiam venialia.

« II. Quod justificatus non potest justitiam amittere.

« III. Quod in justificato adulto maneant etiam peccata actualia, licet non imputentur.

« IV. Quod justificatus non tenetur implere præcepta, maxime perfectus ; et quod promissio gloriæ in Evangelio sit absolute credendi, et non sub conditione servandi mandata.

« V. Quod omnia opera justificati sint peccata, et infernum mereantur.

« VI. Quod opera omnia spe gloriæ vel metu pœnæ æternæ facta sint mala.

« VII. Quod opera bona sequantur justitiam,

cum tantum significent, nec justificent, id est, justitiæ augmentum mereantur,

« VIII. Quod opera justi non merentur vitam æternam.

« IX. Quod justificatus tenetur credere se esse in gratia, et sibi non imputari peccata, et se esse prædestinatum.

Errores circa ea, quæ tertium statum concernunt in justificatione peccatoris fidelis lapsi.

« I. Præparatio ad dolorem est superflua, et mala.

« II. Confessio non est necessaria, vel in voto, et peccatum non delet, sed remissio peccati datur soli fidei, qua credit quis se esse absolutum ; fidem autem, vel credulitatem, vel fiduciam intelligunt.

« III. Quod nunquam in tali peccato remaneat obligatio ad satisfactionem per pœnam temporalem culpæ, et pœnæ æternæ remissionem, et per hoc nihil valere indulgentias, neque esse Purgatorium post hanc vitam, neque valere suffragia pro defunctis.

V, VI et VII Julii, ea capita in examen adducta fuerunt in Congregationibus generalibus.

119. *Sedatis prius dissensionibus de præcedentia, oratores Galli admittuntur in Concilium*; *unius ex ipsis oratio, et legati responsio.* — Iis diebus, scilicet vigesima sexta Julii, ad Concilium pervenerunt d'Urfe, Jacobus Ligneri, et Petrus Danes regis Galliæ oratores ; florebant ii magna nominis existimatione, et publice in Congregatione generali auditi fuerunt, sed antequam in Congregationem admitterentur, de loco in quo sessuri essent, disceptatum fuit, quia lecto in Congregatione generali die trigesima Julii regio mandato, cardinalis de Monte inquit : « Datum est mihi mandatum, et petitum oratorum legatorum nomine , ut admittantur ipsi tam in Synodo, quam in Congregatione, qua de re considerare oportet nedum de admissione ipsa, sed etiam de loco ubi sedere ipsi oratores debeant. Propterea dicant Patres super iis sententias, si tamen prius admoniti fuerint, nos eisdem verbis responsuros et admissuros mandatum ipsum, quibus admisimus mandata oratorum Cæsareæ majestatis.

« Tunc cardinalis Giennensis : Gratiæ, inquit, sunt habendæ tam pio, tam maximo et Christianissimo regi, qui tanta pietate Concilium confovet, de cujus laudibus nemo unquam satis (ut arbitror) dicere poterit, laudo itaque responsionem, quam recensuit D. primus præses, si illi addantur verba ostendentia quam gratissimum fuisse Synodo ipsorum legatorum adventum : de admissionne eorum tam in sessionibus, quam in congregationibus, meo judicio non esset dubitandum, et propterea censeo illos admittendos esse, cum maxime sint viri graves admodum et docti ; de loco autem credo certe, ipsos de loco cum Cæsareis oratoribus non decertare, et propterea laudarem, ut de eorum loco, quia hactenus nulla est controversia, nihil diceretur, sed res relinquatur omnino, donec vel controversia cesset, vel Patres melius super hoc cogitent. Ego (quod ad me attinet) de hac re nullum aliud scirem proferre, quam ut aliorum Conciliorum, et Sedis Apostolicæ mos inspiceretur et secundum illum locus assignaretur. Quis autem fuerit usus vel mos, ego ingenue fateor me nescire. Dixerunt deinde et reliqui Patres sententias, quorum non pauci iverunt in sententiam Giennensis, alii ad legatos rem totam rejecerunt. Non defuerunt, qui de præcedentia inter regem Romanorum et regem Gallorum dissererent, dicente archiepiscopo Materano, non satis se scire quid juris esset in casu isto, verum se scire oratores regis Romanorum in Concilio Lateranensi præcessisse oratores regis Gallorum. Cui Armacanus : Rex, inquit, Romanorum, de quo in Concilio Lateranensi, fuit Maximilianus, qui tametsi coronatus non erat, imperator tamen erat, et jura imperii exercebat, quæ ratio in Ferdinando rege Romanorum cessat, qui tantum futuram imperii successionem habet. Feltrensis duos esse posse imperatores probavit, seque intellexisse dixit, regem Romanorum privilegia concedere et alia plerumque jura imperialia exercere. Cui Bituntinus, se unum imperatorem scire dixit, non duos, nec unquam legisse Carolum et Ferdinandum simul imperatorem, sed Cæsarem Carolum tantum ; propterea sibi mirum videri de re tam liquida aliquos hæsitare ». Et infra : « De loco », inquit cardinalis de Monte « nos ipsi cogitabimus, et ne qua controversia eveniat ; jam enim, ut Patres norunt, fecimus decretum, ne cuique acquiratur jus, vel præjudicium generetur ».

120. Sed oratores regis Galliæ de istis controversiis admoniti, offensi animis et variis suspicionibus suffusi, declararunt primum per episcopum Agathensem, et postea per se ipsos, quando private legatos inviserunt, se esse discessuros, nisi inter alios principum oratores locum obtinerent ; legati vero [1], ut eorum animos compescerent, responderunt, flocci esse faciendum, quid in consessu tot variorum capitum aliquis minus prudenter locutus esset, sed ad rei substantiam respicerent, quia cum Ferdinandi oratores in publicis Comitiis nunquam adfuissent, consequenter nemo aderat, qui se eis in hac sessionis honorificentia opponeret. Sed his oratores non acquiescentes suspicionem moverunt legatis ne vellent inde discedere, et prætextu uterentur. Denique persuasionibus

[1] Epistola legatorum ad card. Farnes. apud Pallavic. to. I. l. VIII. c. 3. num. 3.

cedentes, ne res in controversiam adduceretur cum Concilii perturbatione, consenserunt in publicis conventibus cum Cæsareis oratoribus sedere, cum Ferdinandi oratores non adessent. Et ut Cæsarei oratores ostenderent, gratum illis esse simul cum Gallicis oratoribus assidere in Congregatione, in qua recepti fuerunt, Didacus de Mendozza, qui ob suam infirmitatem nunquam in aliis Congregationibus intererat, adesse voluit simul cum Francisco Toletano, qui in aliis Congregationibus solitus erat solus pro imperatore præsentiam præstare. Sic lite composita : « Tertia Julii fuit Congregatio, in qua tres legati regis Galliæ, videlicet Claudius D'Urfe, Jacobus a Lingueriis, ac Petrus Danesius, per archiepiscopum Corcyrensem et episcopos Senogaliensem et Vasionensem, de mandato DD. præsidentium introducti fuere, quorum legatorum postremus Danesius, postquam omnes consederunt, et ipse sedens, foribus adhuc Congregationis apertis, et maximo audiente populo elegantem sane ac doctam habuit orationem. Concepta illa fuit subjectis verbis [1].

121. « Christianissimo regi, reverendissimi S. R. E. legati et cardinales, archiepiscopi, et cæteri omnium ordinum in hanc sanctam Synodum cooptati et conscripti Patres, sicut præcipuus antea pro ejus pietate erat dolor, ex miserrimis et post hominum memoriam turbulentissimis Ecclesiæ temporibus susceptus, ita nunc cujusdam lætitiæ causam attulit nova tranquillitatis oblata spes, quam sacri hujus Concilii nomen expectatioque commovit. Neque enim potuit aut non sperare id futurum, quod vos auctore ipso Conciliorum præside Deo agere sciret; aut quod maxime semper expediret, non vehementer eventurum esse lætari : nec vero convenire existimavit, cum de summa re Christiana ageretur, non singulare existere Christianissimi regis studium, qui ad bene de ea merendum cum cognomine sibi hæreditario, tum plurimis majorum exemplis invitaretur : itaque quod facturus ipse, si præsens adesset, fuisset, nempe ut vos etsi sponte currentes, tamen acrius incitaret ad populi Christiani pacem et concordiam reconciliandam, sacerdotii dignitatem (prope amissam) recuperandam, veteres nimiumque diu neglectas Ecclesiæ ruinas fulciendas, ad eaque conficienda suas omnes curas, consilia, cogitationes et opes polliceretur, id nobis legationis hujus munere imposito, suo nomine ut faceremus mandavit, cujus ego legationis summam, priusquam vobis, Patres, exponam, quod quidem extrema oratione mea faciam, pauca quædam necessaria dicam cum de plurimis regum Franciæ superiorum meritis, tum de hujus ipsius, a quo allegati sumus, Francisci perpetuis in eamdem officiis : non quod, aut hunc ita velle arbitror, aut illos, ut clariores fiant, egere præconio putem; neque enim, aut hic cum ita se gereret, et ut ipso et ejus majoribus dignum erat inanem nescio quam verborum laudem expectavit, aut illorum res pro Christi Ecclesia gestæ ita sunt obscuræ, ut illuminari, vel communes, ut ornari, vel denique tenues, ut amplificari cujusquam oratione debeant. Sed et hic, qui se uni Deo probatum vellet, sola recte factorum conscientia facile contentus, id demum bene agendo speravit, semper bene ut ageret, et illorum, quas dixi actiones hujusmodi certe sunt, ut nullam non orationis facultatem, nedum meam, quam sentio, quam sit modica, exsuperet ».

Excurrit dein orator in veterum regum præclara gesta pro Dei gloria et merita amplissima, deque mutua Pontificum regumque Gallorum conjunctione hæc addidit :

« Sanctissima hæc necessitudo ac conjunctio Romani Pontificis et Francorum regis nunquam ex eo tempore (nimirum Caroli M. et Ludovici Pii) intermissa, sed multis potius et magnis utrinque officiis culta, cum uterque suam in alterius dignitate contineri dignitatem existimaret, integra adhuc incolumisque permansit, ut verissimum esse videatur, quod Innocentius III Epist. quadam ad Galliarum episcopos missa testatus est, *Francorum regum exaltationem,* (ipsius enim verba, quo magis agnoscantur, ponam) *sublimationem Apostolicæ Sedis esse,* viderique id regnum præcipua quadam gratia a Deo benedictum, cujus et rex et populus sinceram semper fidem retinuissent, et singulare quoddam eximiumque studium in Ecclesias, præcipue in Romanam præstitissent ».

Demum ad Franciscum I delapsus est orator, eumque commendavit, quod spretis politicis commodis regnum ab hæreseon recentium infectione vindicasset.

« Quid hoc (inquit) commemorem perpetuas ejus excubias et custodias sanctissimæ nostræ religionis? quæ cum per hosce sex et viginti annos ita jactaretur in hac, quam omnes meminimus, partimque etiam sentimus, contrariarum opinionum quasi ventorum tempestate, vix ut statui posset quid quisque sequeretur, id egit, quod pro sua et majorum suorum perpetua consuetudine sapientissime potuit, quod enim acceperat, et ipsorum exemplo Apostolorum traditum, et a Catholicis principibus semper observatum, ut de iis, quæ de fide vocarentur in quæstionem, nihil a quoquam privata auctoritate constitueretur, sed Ecclesiæ potius judicium, cui omnes stare oporteret, expectaretur, ita sane fecit, diligentissime in omnes partes cavit, ne quid omnino in communi Ecclesiæ usu novaretur, cum interea non dees-

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3195. p. 62. Ms. aliud sign. num. 3232. p. 188.

sent, qui multa cum in doctrina populi Christiani, tum in moribus vitæque institutis mutanda esse censerent, idque adeo tentare auderent, ut inquirerent eos qui in dies nova perferrent. Sed ipse omnes has causas vestris, Patres, judiciis reservavit, quamobrem, quo facilius id assequeretur (quamvis suapte ingenio ad clementiam ac lenitatem pronior esset, et etiam vel a singulorum hominum, quoad publica salus pateretur, pœnis abhorreret) coactus est interdum in tanta multitudine peccantium, et omnia miscere ac perturbare, nisi occurreretur, paratorum, contra naturam suam esse severior, ut graviora in illos edicta proponeret, si qui auderent privata temeritate Ecclesiæ statum convellere, et ita perfecit cum sua providentia, tum judicum suorum incredibili in exequendis mandatis studio et vigilantia, ut in tanta repente coorta tempestate, in qua difficillimum videbatur cursum tenere, facillime eo quo intenderat pervenerit, cum tamen multas sævissima hæc procella civitates, imo vero (proh Dei immortalis fidem !) nationes gentesque totas vel everterit vel gravissime certe afflixerit : pacatam dat vobis, Patres, amplissimam nobilissimamque provinciam, nihil in ea novum, nihil alienum, nihil non ex veteri more ac disciplina publice introductum reperietis : omnia in illa vetera, doctrina, ritus, cæremoniæ, mores, justitia constant. Vos nunc de omnibus ea statuite, quæ vera, quæ e republica esse, quæ ad summam populi Christiani concordiam, et ad Dei gloriam pertinere vobis videbuntur, ne quod adhuc magno piorum omnium animi dolore accidit, ultra eveniat, ut impuri Turcæ, nefarii Judæi, et utrisque importuniores non homines, sed in hominum figura belluæ, novi quidam horum temporum Epicurei, qui omnem ex hominum animis tollere humanitatem et religionem convellere de mundo conantur, suo illo incesto ore sanctissimæ nostræ pietati convitium faciunt, et quod imperitis jure agere videantur, crebro illud nobis exprobrent, *Ubi est Deus eorum?* Porro autem cum animadverteret Christianissimus rex, quantam semper vim habuisset ad res continendas, esse unum in Ecclesia Romana episcopum, utpote Petri successorem, reliquorum et auctoritate et dignitate principem, ad quem cæteri ut ad caput referrentur, qua maxime re nostra hæc in terris militans Ecclesia, illius in cœlo triumphantis effigies quædam agnosceretur, non minore cura ac studio providit, ne qua inde secessio defectiove ullam ob causam accideret : in quo vel clarissima regia virtus et constantia enituit. Sæpius enim omni ratione tentatus et multis invitatus, nec his vulgaribus commodis, ut aliquid auderet aliquando, nec editum ab altero exemplum dubitaret sequi, perstitit in sententia, ut quorumdam propterea finitimorum amicitiam desiderarit, eaque re parum sit suorum quieti et otio consulere visus, sed maluit maximo et excellenti animi robore ac pietate præditus justum bellum, quam inhonestam pacem.

« Post autem, ut certior primum est factus conventum Christiani nominis universi hanc in urbem indictum esse a Paulo III Pontifice maximo, in quo de tantis Ecclesiæ incendiis communi tandem consilio restinguendis ageretur, jamque eo aliquot parvo numero, sed et sapientia et sanctitate præstantissimos Patres præmissos, qui ea, quæ Concilio necessaria viderentur, ante providerent, compararent, administrarent; sibi non defuit, quin eodem delectos e suis episcopos mitteret, communium participes curarum et socios futuros : denique aliquo satis magno temporis spatio interjecto, et rem serio agi, et consessionibus duabus, tribusve, aliquot jam auctoritate vestra perscriptas esse leges allatum est, qui illuc usque omnia fecisset, quæ principem et re et nomine Christianissimum decerent, minime judicavit convenire, suum in re tam necessaria, tamque et a se, et ab omnibus bonis semper exoptata officium non præstare. Itaque qui multo libentius (si regni negotia id pati potuissent) fecisset, ut hic adesset, ubi tot sanctissimos Dei sacerdotes, divino, ut credi par est, spiritu afflatos, maximis de rebus consistentes videret, quorum in vultu, gestu, oratione acquiesceret, sed quod proximum erat, legatos procuratoresque suos, et voluntatis interpretes nos misit, cum his mandatis, quæ ego nunc universim tantum summatimque exponam.

122. « Hæc est mandatorum Christianissimi regis summa : etsi minime dubitat, quin vos, omnia de quibus convenistis, quæque ab hoc sanctissimo Concilio expectantur, summo sitis per vos studio acturi, a vobis tamen pro sua pietate in Deum, observantia in hunc ordinem, et in populum Christianum universum charitate petit : primum, ut pacis concordiæque causa, ac ne amplius non solum imperitæ imbecillæque multitudinis, sed quorumdam etiam robustorum (licet levium) mentes fluctuent, et in diversa ac contraria ferantur, quæ res Ecclesiæ statum perturbet, et tanquam unitatem abrumpat, de doctrinis ea semel constituatis, publiceque proponatis, quæ omnes ubique Christi fidem professi sequantur, teneant, credant; nec enim fieri potest, ut alia ex re ulla major existat animorum disjunctio reique publicæ perturbatio, quam ex sententiarum, quæ de religione habeantur, dissidio, ut non libentissime omnes assentiantur iis, quæ vos auctore Deo, qui huic loco præsidet, sanctissimo Dei Spiritu comprobaveritis. Deinde cum omnia Ecclesiæ mala et incommoda ex eo fonte profluxisse multis videantur, quod omnium pæne

ordinum ministri Ecclesiæ ab illa priscorum temporum sanctitate et innocentia plurimum deflexerint, ut vix tenue ejus vestigium jam appareat; ideo vos rogat et obtestatur, ut vitæ morumque in Ecclesiasticis personis disciplinam acerrima sacrorum canonum norma dirigatis : ita enim fiet, ut hic ordo, qui prælucere cæteris et ad doctrinam et ad vitæ exempla deberet, nunc autem maximo reipublicæ malo, ob plurimas quorumdam labes et maculas vulgo est despectissimus, longo intervallo pristinum suum splendorem dignitatemque obtineat; ex quo illud mox consequetur, ut cum tanta jam esse cœperit in ordine auctoritas, quanta esse in moderatoribus magistrisque vitæ deberet, latius se fundat utilitas, ut quæ in præclarum Dei populum, id est, eos, quos propterea majores nostri clericos appellarunt, privatim sanxeritis, eadem valeant in omnes, nullusque jam in toto corpore Ecclesiæ nævus, nulla labes, nulla ruga, quæ quidem sponsum queat gravius offendere, relinquatur. Agite ergo, excitamini per immortalem Deum aliquando, Patres, et in causam tantam, tam gravem, tam necessariam totis pectoribus animisque incumbite. De doctrinis, de moribus ea statuite ac decernite, quæ sapientissimus ille hujus moderator Concilii Spiritus vobis suggesserit, quibusque populus omnis Christianus ac Christianissimus, quasi certissimis ab ipso Deo editis miraculis libens pareat : ea certe, ut in Galliis totoque Francorum imperio observentur, Christianissimus rex pro sua pietate curabit. Has sibi ille partes deposcit, vestrorumque ille decretorum curam, patrocinium , propugnationem profitetur. In eam omnes regiæ potestatis nervos intendet [1], gladii etiam, quem a Deo porrectum ad malorum, ut sanctissimus ait Apostolus, vindictam, bonorum vero laudem gestat, vim aciemque, si ita opus sit, experietur. Denique cum tanta esse constet Francorum regum in Ecclesiam, et præcipue Romanam merita, quibus majores vestri summique Pontifices, quæ amplissima habuerunt præmia, semper tribuerint, a vobis hoc postulat, quod est profecto æquissimum, ea sibi ut præmia conservetis, neque quidquam omnino imminui aut mutari patiamini eorum, quorum in possessione cum ille ipse, cujus antea memini, Ludovicus Pius Caroli Magni filius, tum alii deinceps Francorum reges sine ulla dubitatione aut controversia, fuerint : postremo, ut omnibus Galliarum Ecclesiis, quarum ipse tutelam a majoribus relictam et commendatam habet, sua omnia jura, privilegia, immunitates confirmetis. Hæc si feceritis, erit cur et gratias vobis quam maximas universi ex Gallia agamus, nec vos ita aut sensisse, aut fecisse unquam pœniteat ».

[1] Ext. etiam in Ms. arch. Vat. sign. num. 3195. p. 35 et p. 60. et Ms. sig. num. 3232. p. 197.

Suprascripta oratione absoluta, reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte primus ipsius sacri Concilii præsidens et legatus respondit, consensu et approbatione totius Synodi, sub infrascripta forma [1] :

123. « Sacrosancta Synodus, regis legati ornatissimi, magnam cepit ex adventu dominationum vestrarum voluptatem atque lætitiam, libentissime etiam audivit ea, quæ de summa Galliæ regum in Romanos Pontifices, Concilia et Catholicam Ecclesiam pietate et laboribus pro fide Christi tuenda et amplificanda susceptis, comperta quamvis omnibus et explicata, dominationes vestræ luculenta oratione recitarunt. Sciunt omnes ii sanctissimi patres, Christianissimum regem Franciscum ab ejus majoribus nequaquam esse degenerem, fixumque in animo divinum illud eloquium habere : *Per me reges regnant, per me principes imperant, et potentes decernunt justitiam.* Itaque dominationes vestras, quas præstanti virtute præditas esse non ignorant, lætis amplectuntur atque recipiunt animis, regium mandatum in hoc loco lectum et recitatum, quantum de jure debent, admittunt. Ut autem pax et concordia, sanaque et vera in Ecclesia doctrina statuatur, omniaque religionis dissidia tollantur, moresque depravati emendentur, pro se quisque, sicut decet Dei ministros et Apostolorum successores, atque hujus calamitosi temporis necessitas exigit, Conciliorum duce, auctore et gubernatore Spiritu sancto inspirante, maxime nitetur. Quod vero rex ipse patrocinium et custodiam eorum, quæ sacrosancta Synodus decernenda censuerit, se in ditionis suæ locis habiturum pollicetur, majestati ipsius Synodus universa quas potest gratias agit. Cujus sane ingentium in Christianam rempublicam meritorum privilegiorumque Galliarum Ecclesiis concessorum, quantum publica utilitas feret, rationem habebit, ita ut rex ipse Christianissimus sacrosancti Concilii propensam in se voluntatem ac studium agnoscere facillime possit, nec ei ullo unquam tempore causa futura sit, ut suæ eum pietatis pœniteat ».

Deinde idem reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte post lectas et recitatas ad invocandum Spiritus sancti numen preces consuetas, rogavit Patres, ut prosequerentur examinationem articuli de justificatione : super quo dixit sententiam suam R. D. episcopus Fanensis. Postea dimissa fuit Congregatio.

124. *Sextæ sessionis prorogatio : Concilii translatio agitatur.* — Nonis Julii x, xi, xii, et xiv, excutiendis acerrime articulis de justificatione data est opera, dictæque a pluribus Patribus sententiæ; episcopus vero Cavensis in Congregatione generali decima septima Julii

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 201.

habita cum in dicenda sententia nonnulla verba cum veritate Catholicæ fidei parum consona protulisset, ab episcopo Chironensi correptus est : qua correptione ita excanduit, ut dimissa concione antequam legati ex aula exiissent in episcopum Chironensem petulantissime insiliens aliquos barbæ pilos evulserit; ad quem dein, coacta alia Congregatione ad eum castigandum, anathema contraxisse pronuntiatus, et carceri in monasterio S. Bernardini addictus; licet ipse sedata ira veniam flagitii deposceret, atque etiam Chironensis episcopus læsus flexis genibus flagitaret, ut illi parceretur. De re tota certiore facto Pontifice, jussus est pelli e Concilio, exilioque Tridentinæ urbis mulctari : demum anathemate solutus a legatis, cum reatum deflecteret, in suam diœcesim amandatus est.

125. XXVIII Julii actum est in Congregatione generali a cardinali a Monte de promulgando decreto de justificatione, verum consulti Patres sessionem prorogandam censuerunt, de quo alia Acta hæc addunt [1] :

Prorogatio sessionis VI *Concilii Tridentini sub Paulo III Pont. Max.*

« Gerente bellum invictissimo Carolo V imperatore adversus Ecclesiæ hostes Lutheranos, eorum ducibus Joanne Friderico Saxone electore et Philippo lantgravio Hassiæ, qui contra ipsum Cæsarem rebellaverant, et primi arma cæperant, ingentemque exercitum paraverant, ac propterea cum jam omnia in Germania armis arderent, et dissensionibus, et tumultibus scaterent, Cæsari summo Pontifice Paulo III (uti fidei Catholicæ et Christianæ doctrinæ propugnatori) suppetias ferente : novatoribus rebellibus nonnullis aliis ipsius Germaniæ principibus , et ex liberis civitatibus quamplurimis faventibus, milites, pecuniam, tormenta bellica, commeatusque submittentibus : respublica Christiana in maximum discrimen adduci, sed in primis sacrum Concilium omni spe ejus, quam intenderat, restituendæ Ecclesiæ unitatis destitutum videbatur. Quare Patres in tanta temporum perturbatione, non solum ab incœptis rerum tractandarum discussionibus aliquantulum remorari coacti sunt, sed quod consilium capiendum foret ignorabant. Adveniente itaque die XXIX mensis Julii MDXLVI, quæ pro sessione VI celebranda fuerat constituta, cum neque decreta super re tam ardua, nempe de justificatione, tam præcipiti ac turbato tempore præparari, neque Patres ad ea publicanda quieto ac pacato animo esse possent (cum multo longius tempus, major alia perquisitio, alia discussio, alia denique animorum quies ad ea decreta conficienda atque decernenda requireretur) necessario sessio ipsa proroganda erat. Cumque Patres certi esse non possent, quo tempore, quave die decreta ipsa ita absoluta essent, ut publicari possent, consentaneum et opportunum visum est ut dies incertus relinqueretur, ne iterum ad prorogationem faciendam, non absque indignitate devenire necessum esset. Habita igitur in ipsa die XXIX Julii Congregatione generali, sessio ipsa, quæ dicta die juxta decretum in V sessione publicatum celebranda erat, prorogatur ab beneplacitum ipsius sanctæ Synodi ».

Adjecta sunt præsulum, qui Congregationi interfuere nomina.

126. XXX Julii Congregatio generalis habita est [1], in qua cardinalis de Monte : « Vidi, inquit, vota Patrum, quæ quoniam mihi et collegæ meo æqualia videntur, propterea censuimus accelerandum esse, ut extrema manus huic decreto de justificatione imponatur, et deinde dies sessionis præfiniretur ».

At Giennensis : « Nonnulli Patres retulerunt mihi numerasse vota et invenisse minorem partem sentire, ut dies certus præfiniretur. Quamobrem sententiæ majoris partis, non vestræ ordinationi standum est ». Cui cardinalis de Monte : « Fateor ego numerum eorum qui diem certam statuerunt visum in uno, aut altero excedere, sed non semper numerandæ sunt sententiæ ». « Mihi, inquit Giennensis, ex hoc irrogatur injuria, quoniam ex hoc censetur esse meam sententiam debiliorem quam alterius, quamobrem afferantur sententiæ Patrum per secretarium collectæ, et secundum majorem partem decernatur ». Tum ex responsione cardinalis de Monte, qui suam in Concilio præsidentiam et Pontificis intentionem plurimum extollebat, Tridentinus paululum excitatus, ut magis blande, pie ac Christiane cum ipsis ageret, cardinalem de Monte admonuit. Hic vero intrepido animo, a quocumque etiam minimo privatim se corrigi et moneri paratum esse, in publicis autem Synodi conventibus juxta delegatam sibi a Pontifice auctoritatem, nemini tanquam magistro sese nunquam subjecturum professus est. De hac dicendi libertate excusari merito potest cardinalis præses, quia Tridentinus semel et iterum ei dixerat, ne verbum proferret cujus deinde pœniteret, quod sane dictum minantis potius ac imperantis, non prælati in Synodo tantum libere loquentis speciem præferebat, tum subdidit constanti animo : « Sciat ipse, nullas esse Tridentini etiam irati minas apud cardinalem de Monte, cui vis quidem inferri potest, ut timeat autem, non sat fieri potest, maxime ubi id officium exigat suum ».

127. Multis interjectis additur in Actis : « Secretarius legit vota Patrum dicta in hesterna

[1] Ms. arch. Vatic. sign. num. 3232. p. 206. Angel. Massarell. in Act. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 37.

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 323. p. 207. Acta Congreg. Concil. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1799. p. 154.

Congregatione super certitudine vel incertitudine diei sessionis, inventique fuerunt viginti septem, qui diem incertam probarent, novem, qui certam. Decernatur ergo, inquit Giennensis, secundum vota majoris partis. Cui cardinalis de Monte : Plura in hac materia concurrunt, quæ consideratione indigent; primum, quod sumus in rebus, quæ ad ordinem rerum conciliarium pertineant, quarum directio et moderatio ad nos solos præsidentes spectat, quorum est dirigere gesta Concilii, alioquin nihil differt præsideat quisque an subsit, si ubique omnium par est auctoritas; deinde cum in rebus magna est controversia, parvaque est in numero Patrum differentia, legatorum Sedis Apostolicæ sententia ita ponderanda est, ut cuicumque parti adhæserit, stetur. Tertio considerandum est, quoniam non est major numerus eorum, qui diem certam volunt, si recte sententiæ perpendantur, quoniam plures dixerunt diem certam, dummodo intra octo dies, alii dummodo intra quindecim, alii dummodo intra tres menses, alii intra sex, quæ sententiæ cum conditionales sint, nihil ponunt in esse, nihilque juvant partem illam, nisi prius statuatur dies ab ipsis nominata, quamobrem si hæ conditionales sententiæ submoveantur, remanebunt multo plures, qui diem incertam statuant, quam certam, etc ».

Dimissa Congregatione, statim Giennensis conversus ad cardinalem de Monte, petiit ab eo, ut vellet in bonam partem trahere verba, quæ ab eo dicta fuere, eique parcere, si in aliquo illum offendisset. Cui cum annuisset cardinalis de Monte, Tridentinus similiter fecit : verum cum cardinalis de Monte capite parum inclinato ei annuisset, indignatus cardinalis Tridentinus, quod non et verbis ei responderetur, dixit : « Capiatis mea verba ut vultis, quoniam mea nihil refert quomodo accipiatis, sum enim ego nobilis ». « Si nobilis es », inquit cardinalis de Monte, « ego ignobilis non sum, sed ibi ad locum, ubi nobilis mihi imperare non possit ».

Nimium efferri se sinit cardinalis Tridentinus inani nobilitatis generis jactantia, quam nobilitatem D. Gregorius Nazianzenus luteam vocat. Cum vero Tridentinus et Giennensis, atque alii Cæsareæ majestati obnoxii præsules urgere vel etiam cogere velle viderentur legatos Apostolicos, ut potius Cæsareas quam Pontificias voluntates sequerentur, a legatis de transferendo Concilio in Italiæ urbem non obnoxiam Cæsari cum Pontifice agi cœptum est, ex quo dissidiorum fonte proximo anno Tridentinum Concilium dissolutum visuri sumus. Cardinalis Cervinus Tridento tunc absens erat, ut cardinali Farnesio legato a latere cum Pontificio exercitu in Germaniam proficiscenti assisteret, et Rovereti oppidi, Tridento proximi, infirmitate detentus : itaque cum altercationes inter collegas suos in Synodo recenter obortas percepisset, maximo affectus dolore, cardinali Tridentino insinuare studuit, ut ipsemet imperatori necessitatem Concilii alio transferendi significaret, ejusque consensum impetrare conaretur, et ita honori suo consuleret : alias totam in ipsum culpam Patrum Tridento discedentium refundendam. Scripsit quoque ad Bernardinum Maffeum, qui Pontifici a secretis erat, ut Paulum de his omnibus certiorem redderet : hanc præter cæteras, quas sua sanctitas novit, occasionem minime amittendam; justissimas esse causas et ab omnibus etiam approbandas, quæ hinc cogunt discedere, non ut Concilium suspendatur, sed ut in locum cunctis nationibus tutum transferatur; nullo modo sperandum ad dogmatum, ac præcipue ad justificationis decisionem posse perveniri, Germanis Patribus Cæsaris voluntati nimium faventibus. Prosequitur idem Cervinus in Epistola referre, quod ipse Tridentum quamprimum reversus, ut turbatis rebus finem imponeret; cum Fanensi episcopo egisse, ut cardinalem Tridentinum ad impetrandum ejus opera ab imperatore alio Concilium transferendi consensum adhortaretur; ne ipsi causa hujusmodi recessus adscriberetur; etenim injuria, qua legatum, et Concilii præsidem affecerat, nota omnibus, coram oratoribus Gallis et tota Synodo illata erat. Subjicit mox episcopum Fanensem cardinali Tridentino hæc omnia renuntiasse, qui non modo de prudenti dato consilio sibi gratias retulerit, verum etiam ipsum Fanensem cum Nicolao fratre suo mittere decrevit ad imperatorem, quod jam operi mandaverat. Interim suam beatitudinem decernere posse, quomodo se gerere debeat in eo rerum eventu, et locum designare ad Concilii prosecutionem. Lucam tamen ipse summopere approbabat. Verum Pontificis mens ante has turbas in translationem valde propendebat; quare legatis facultatem per Breve concessit Concilium alio transferendi, quotiescumque major Patrum numerus assentiretur; quorum etiam arbitrio locum relinquebat, Ferrariam tamen, Senam et Lucam sibi præcipue placere significavit. Certior factus imperator de hac Concilii transferendi tractatione, antequam Fanensis ad eum perveniret ira excanduit, adeo ut cum legatis aspere de hac re expostulare suo oratori præceperit, et præcipue cum cardinale Cervino, qui hujus rei auctor credebatur. De quo sic Acta Conciliaria tradunt [1] :

« XII Augusti illustrissimus D. Didacus a Mendoza venit ad reverendissimos legatos, docuitque de mente imperatoris, qui non vult ut Concilium ex Tridento transferatur. In maximo periculo sunt res Christianitatis : undique profecto ingentia mala imminent : ex una enim

[1] Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 163.

imperator non solum dicit, quod non vult, quod Concilium ex Tridento discedat, sed etiam minatur, si aliquis loquatur de translatione, et præsertim minatus est reverendissimo cardinali S. Crucis, cui impingunt quod cupiat et agat ut Concilium hinc transferatur, contra quem cardinalem adeo prorupit in injurias, et jurgia, et minas imperator, ut numquam contra aliquem talia dixerit. Ex altera vero, ob imminentia bella locus iste tutus non est, et undique Lutheranis circumvallatus et rusticis, qui etiam contra proprium episcopum non semel machinati et grassati sunt, ne dicam de rerum omnium in hac civitate penuria, sterilitate et loci angustia. Deus igitur faxit, ut quod reipublicæ Christianæ expedit, et Dei gloriam concernit, fiat ».

128. Indigna Cæsarei oratoris exambientis Ecclesiasticum imperium subjicere Cæsareo insolentia asperavit magis legatorum animos, ut Pontificem urgerent ad Concilium Tridento transferendum in Italiam ; ut eorum litteræ ad cardinalem Camerarium ostendunt : « Nos expedire judicamus firma fronte et animo constanti translationem Concilii executioni mandandam esse, cum certum sit Tridenti non diu posse permanere : ideoque si hic repugnante natura retinere quis velit, dissolutio necessario, et alia absurda sequentur, et si sua sanctitas istis comminantibus vili animo cedat, episcopus non est, qui in futurum nec verbum pro nobis locuturus sit, nec imperatori et suis ministris oppositurus ». At dein legatorum animi sedati sunt ob Cæsaris modestiam observantiamque erga legatos : nam cum ad imperatorem pervenisset cardinalis Farnesius, questusque esset de injuriis verbisque minacibus ab oratore profusis contra cardinalem Cervinum, negavit imperator dedisse oratori ea imperia : tum addidit, si ex Pontificis voluntate translatio Concilii fieret, eum invidiam ac reatum omnium malorum quæ inde emergerent suscepturum, suamque conscientiam oneraturum : si vero præsules imperii sui ac regnorum translationi causam præberent, se in eos animadversurum. Posuere igitur iras legati, silentioque translatione pressa, ad damnandas Lutheranorum aliorumque impiorum hæreses flagrantissima studia converterunt, ut Acta manuscripta denontant [1] :

129. « XIII Augusti in Congregatione generali cardinalis de Monte (inquiunt Acta) admonuit Patres, ut bono essent animo, nihilque timerent (nam multi ob hos tumultus bellicos ex Tridento discedere decreverant) neque ex Concilio recederent, sed permanere vellent una cum ipsis reverendissimis et illustrissimis dominis præsidentibus, quibus salus et securitas cujuslibet ex Patribus ita erat cordi et curæ atque propria : deinde proposuit examinandum decretum de justificatione a dominis deputatis confectum ». De quo iterum Patres XVII Augusti sententias dixere, decrevereque, ut Pontificiæ indulgentiæ propositæ oraturis pro felici successu expeditionis Cæsareæ contra Lutheranos promulgarentur : ac XIX Augusti [1] solemnis supplicatio instructo agmine religioso a Patribus Tridentinis celebrata est :

« XXVIII Augusti in Congregatione generali præsides legati consuluere Patres, an decidenda quæstio de certitudine gratiæ, quæ etiam inter Catholicos vertitur, an vero solummodo damnanda sit assertio Lutheranorum. Placuit majori parti damnandam tantum esse assertionem hæreticorum, qui dicunt justificatum teneri ex fide ad credendum se esse in gratia Dei, quod nisi certo credat, non esse justificatum ».

130. *Errores et dubia de justificatione.* — XXIII Septembris [2] in generali Congregatione decreti nova formula proposita excussaque, necnon die XXVII Septembris, ac XXIX, et I Octobris, ac II et V et VI, quo die errores Lutheranorum circa justificationem collecti, atque in medium adducti fuere [3], ut gravissimo examine discuterentur.

Errores Lutheranorum circa articulum de Justificatione collecti a R. D. Episcopo Minoricensi, et lecti in Congregatione VI *Octobris* MDXLVI.

« Baptismo non tolli peccatum, sed solam imputationem.

« Solam fidem sufficere ad salutem.

« Opera nullo modo justificare.

« Evangelium pugnare cum lege.

« Deum præcepisse impossibilia.

« Justum in omni bono opere peccare, etiam dum orat.

« Omne opus optime factum esse peccatum, et mortale quidem, nisi Dei misericordia fiat veniale, licet alibi inter veniale et mortale non faciat differentiam : sed dicunt : Theologi, qui differentiam inter mortale et veniale docent, ad insaniam perditissime nituntur torquere conscientias hominum.

« Homo Christianus continuo per Christum liberatus est a lege Dei.

« Decem præcepta non pertinent ad Christianos, sed ad solos Judæos.

« Nihil est præceptum a Deo in Evangelio.

« Opera Deus nihil curat, nec eis indiget.

« Opera nihil omnino ad salutem, aut ad justitiam valent.

« Sola fides Christi necessaria est, qua justi simus : cætera autem liberrima sunt, neque præcepta, neque prohibita.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 208, 1586.

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3232. p. 213. In Diar. Conc. Trid. auctore Aug. Massarello. Ms. arch. Vat. — [2] Ms. card. Barb. sign. num. 23. p. 63. et aliud Ms. card. Pii. — [3] Ms. arch. Vat. sign. num. 3249. p. 109.

« Nulla peccata possunt homines damnare, etiamsi velint, nisi sola incredulitas.

« Nulla est justitia nisi fides.

« Opera quæcumque ante charitatem facta, sunt peccata, et damnabilia, et indisponentia ad gratiam.

« Opera nihil sunt, aut sunt etiam æqualia, quantum ad meritum attinet.

« Omnia debet operari homo pro aliis, et non pro se, quia solum aliis vivit, non sibi.

« Sola ultima duo decalogi præcepta a nullo quocumque sancto aliquo modo implentur, cætera alia implentur, sed in his manent rei et peccatores.

« Præcepta duo ultima Decalogi non habent rationem peccati, et ideo non sunt confitenda.

« Omne præceptum Dei magis est positum ut ostendat præteritum et præsens peccatum, quam ut futurum prohibeat.

« Bona opera non salvant nos, mala non damnant.

« Tam peccata quam bona opera damnant, sola gratia salvat.

« Nulla res tam bona, nulla tam mala quæ non in bonum mihi convertantur, si credidero.

« Doctrina operum necessario fit doctrina dæmoniorum ;

« Caveamus a peccato, sed multo magis ab operibus bonis ; quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam infundit.

« Christus non est Legislator ».

131. VIII die Octobris in generali Congregatione Hieronymus Seripandus Augustinianorum summus magister, postea cardinalis, sententiam dixit his conceptam verbis :

« Statum quæstionis hunc esse aiunt, utrum nos, qui justificati sumus apud divinum tribunal, judicandi simus ex una tantum justitia operum nostrorum prodeuntium ex charitate, quæ in nobis est ; an duplici justitia, nostra scilicet prædicta, et justitia Christi supplente imperfectionem justitiæ nostræ ?

« Dicunt respondendum esse in hac re non speculative, sed practice. Statuatur scilicet peccator ante tribunal Dei, et interrogetur, an velit judicari sua justitia tantum, et in ea fide ? an et justitia Christi ejus imperfectionem supplere ? cum Augustinus dicat : *Væ homini vitæ quantumcumque laudabilis, si remota misericordia discutiatur,* quod et Bernardus sentire videtur.

« Secundo, justitia Christi nostra dicitur, non quod nos informet, sed quod per sacramenta nobis communicetur, ut nostram suppleat imperfectionem ; quemadmodum quæ pro defunctis agimus, defunctorum dici possunt, quoniam nostræ charitatis vi illis prosunt, et quod illis deest supplemus.

« Hac assertione statuitur satisfactio, quia si nulla esset, quomodo ejus imperfectio posset suppleri per satisfactionem Christi ?

« Item, statuitur Purgatorium, quia non agimus, inquit, de animæ glorificatione, sed de judicio. Animæ enim Purgatorii certæ sunt de sua salute, et si diceretur ; Nostra imperfectio suppletur justitia Christi, quid amplius purgatione egemus ? Respondent, quod suppletur non usque ad glorificationem, sed ad judicium, an scilicet digni judicemur purgari in Purgatorio ? » Et infra :

« Aiunt nonnulli : justitia fidei dicitur, quia fides prima datur etc. Quanto verius Augustinus, quem docta sequitur theologorum schola, qui justitiam fidei comparatione ad actum credendi, atque ad actum justificandi, non ad ordinem accipiendi definivit dicens : Justitia ex fide est, qua credimus justificari, hoc est, justos fieri gratia Dei per Jesum Christum, vel quia credimus justitiam nobis divinitus dari, non nostris viribus in nobis fieri ; cui justitiam ex lege opposuit, et ejus esse definivit, qui arbitrii sui viribus legem impleturum esse confidit, nec fide recurrit ad spiritum vivificantem, ne reum factum littera occidat etc. »

132. Plura alia addidit, quæ eo spectabant [1], ut admoneret Patres, ut quam oculatissimi esse vellent, ne dum Lutherum et cæteros sequaces damnare cupiant, inter quos Contarenus et Ægidius cardinales sibi hoc decreto damnari videbantur, et cum ipsis Albertus Pighius, et alii plures.

« Neque (inquit) timendum est, per hujusmodi opinionem satisfactioni et bonis operibus detrahi, quoniam si recte inspicimus, ipsas maximopere confirmat. Nisi enim aliquid essent coram tribunali Dei, asserendæ non essent, et gratia, quam per Christum meruimus, non posset uti, quæ non est incrementum dare, quemadmodum Augustinus dixit iis, qui propterea quod viderent ipsum magnifacientem gratiam, dicebant ipsum negare liberum arbitrium. At ille inquit : Dum majorem gratiam facio, tunc maxime liberum arbitrium magni facio, quod nisi adesset, per gratiam augeri nequiret. Neque rursus timendum est, per hanc ipsam opinionem Purgatorium negari, aut infringi, nam si ita est, ego omnium primus damnare illam cupio, sed, quæso, advertatis quoniam non dicitur, quod statim ac quis se præsentat tribunali Dei, offerens nedum merita propria, sed et Christi, plene justificatum, ut statim ad gloriam assumatur, sed ita dicimus etiam hominem justificari, ut dignus habeatur qui in Purgatorium mittitur pro satisfactione pœnarum temporalium : nam certum est omnes qui in Purgatorio sunt, justificatos esse ex eo, quod certi sunt de gloria cœlesti, sibi aliquando debita post luitionem pœnarum temporalium ».

[1] Acta Congreg. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1799. p. 165.

Addit se hæc Patribus dixisse, non ut ita sentiret, sed ut totam rem ob oculos sanctæ Synodi judicandam proponeret, in hoc se saltem Synodo satisfecisse dicens, ne scilicet tot Patres inauditi per Synodum damnarent.

133. XI Octobris[1] coacta Congregatione generali cardinalis de Monte ita Patres affatus est: « Inter alia, quæ in ipso decreto de justificatione consideranda occurrunt, præcipui sunt illi duo articuli de justitia imputativa et certitudine gratiæ : videri sibi ante omnia hos duos articuticulos bene examinandos cum a Patribus, tum etiam a theologis minoribus, ut inde magis veritas elucescat, et imponatur finis controversiis et contentionibus, quæ super eisdem articulis passim non solum inter hæreticos, sed etiam Catholicos versantur, quod cum ab omnibus laudatum fuisset, decretum fuit habendam Congregationem theologorum minorum ».

XII Octobris[2] in Congregatione generali : « Reformationem (inquit cardinalis de Monte) nemo quam nos magis unquam concupivit, scimusque etiam S. D. N. non minus cordi esse, quam nobis et unicuique vestrum : et in primis hanc quam nonnulli notaverunt, avaritiam extirpare, quantum possumus, nobis in animo est, qua in re non parum faciemus, si veterum statuta observaverimus, nempe ut omnium Ecclesiasticorum proventuum quatuor partes faciamus, quarum una pauperibus Christi detur, altera clero, tertia fabricæ Ecclesiæ impendatur, reliquam vero dumtaxat nostris necessitatibus reservatam esse sciamus. Quod ad ambitionem attinet, et id reservandum erit, sed hæc pars non minus sæculares principes quam Ecclesiasticos tangit, quoniam et imperator, et Gallorum rex in Ecclesiis, in quibus eligendi jus habent, coercendi erunt.

« De titulo vero decreti, videlicet illa verba *Universalem Ecclesiam repræsentans* addendane sint in Præfatione ipsius decreti, statueram me nihil velle dicere, sed in eorum gratiam, qui tunc non interfuerunt, cum hæc controversia a quibusdam suscitaretur, et maxime oratorum Christianissimi regis, specialiter aliqua dicere cogar, et in primis, quod hic, de quo agitur, titulus nunquam ab antiquis Conciliis usurpatus fuit. Constantiense Concilium primo hoc titulo usum est, sed eo tempore, quo nullus indubitatus Pontifex Maximus esset, et postquam Joannes XXIII qui majorem papatus partem obtinebat, papatui cesserat, quod quidem Concilium nihil commune habet cum isto ab unico et indubitato papa indicto. Basileensis vero Synodus quam feliciter hoc titulo usa fuerit, vos omnes scitis. His omnibus aliisque multis rationibus, cum de re hujusmodi alias ageretur, dictum fuit ab hoc titulo abstinendum esse, nisi aliter, et legatis, et Synodo quandoque videretur, idque ab omnibus (paucis exceptis) firmatum fuit, quorum qui sua in opinione permanserunt, id etiam in sessionibus firmaverunt, quod et nunc (si ita eis videbitur) facere poterunt, quoniam nos cum neque rei, neque tempori necessarium esse hujusmodi titulum cognoscamus, ut apponatur, volumus (nisi tamen vobis videatur) illis verbis et hoc addendum esse : *Universalis Synodus universalem Ecclesiam repræsentans a S. D. N. qui unicum in Ecclesia militanti caput est et Christi vicarius, legitime convocata est :* quo casu facile patiar addi verbum *Universalis Ecclesiæ.* Addo etiam quod sive exemplum Constantiensis, sive etiam Basileensis Synodi accipiamus, neutrum casui nostro deserviet, quoniam in iis omnibus consentientibus titulus universalis Ecclesiæ appositus fuit, et hic nedum aliqui contradicunt, sed longe major pars ».

134. XV Octobris[1] in theologorum Congregatione discussi sunt articuli controversi de Justitia imputativa, et certitudine gratiæ his concepti verbis:

Articulus de Justitia imputativa.

« Utrum justificatus, qui operatus est opera bona, ex gratia et auxilio divino, a meritis Passionis Domini nostri Jesu Christi profecto, ita ut retinuerit inhærentem justitiam, præsentans se cum illa ante tribunal Christi censendus sit satisfecisse divinæ justitiæ ad meritum et acquisitionem vitæ æternæ ? An vero cum hac inhærente justitia opus insuper habeat misericordia et justitia Christi, hoc est, merito Passionis ejus, quo suppleantur defectus suæ justitiæ, quæ justitia Christi communicetur ex divina dispensatione , secundum mensuram fidei et charitatis ?

Articulus de certitudine gratiæ.

« Utrum aliquis possit esse certus de sua adepta gratia, secundum præsentem justitiam, et quo genere certitudinis ? »

Habitæ sunt pluribus diebus a theologis concertationes in eorum Congregationibus, in quibus, addunt Acta ab Angelo Massarello scripta :

« Locuti sunt triginta septem theologi, quorum quinque tantum tenuerunt esse necessariam novam applicationem justitiæ imputativæ, reliqui omnes censuerunt justitiam inhærentem sufficere.

« Quo vero ad certitudinem gratiæ viginti

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 216. — [2] Acta Congr. Concil. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1799. p. 168.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 217. Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. Ep. XLVII. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 23. p. 66 et aliud Ms, card. Pii.

supra unum fuerunt in sententia, quod homo justificatus possit in aliquo casu, sine certitudine fidei, scire se esse in gratia Dei : quatuordecim autem tenuerunt, quod in nullo casu homo (quantumvis justus) scire potest certitudine fidei, se esse in gratia, et inter hos omnes theologos duo fuere neutrales, facile huic vel illi parti adhærentes ».

XXIX Octobris [1] in Congregatione generali cardinalis de Monte Patribus retulit quæ acta fuissent, tum addit : « Propterea ad evitandas contentiones et scandala, videretur consultius eos damnare secundum assertionem hæreticorum : super qua re sententiis rogatis placuit majori parti, ut ii articuli damnentur, prout a Lutheranis asseruntur, et nihilominus super iis, in examinatione decreti de justificatione Patres sententias dicant.

« XXXI Octobris [2] cardinalis Polus tertius præses Concilii ob adversam valetudinem abiit e legatione cum bona Pontificis venia, Antonius Maria de Monte et Marcellus Tit. S. Crucis remansere ».

IX Novembris vocatur in examen decretum cum duobus articulis de justificatione et certitudine gratiæ, ac 18 præsules sententias dixere : die sequenti alii duodecim ; xii mensis alii sex; xiii Novembris octo alii, habitæque duodecim aliæ congregationes generales in eadem controversia, ac rursus decretum, et censuræ de eadem in pluribus aliis excutiuntur reliquo anni decursu.

« XVIII Decembris (inquit Angelus Massarellus [3]) fit Congregatio theologorum prælatorum, qui diu disputarunt in inveniendo perpetuo consensu Ecclesiæ in interpretandis illis verbis Pauli : *Arbitramur hominem justificari per fidem*, et conclusum, ut inveniantur verba, quæ ponantur in decreto in vii cap. quæ ad omnem justificationem referri possint, scilicet primam, id est, dispositionem, ipsam justificationem, et incrementum ipsius : quod propositum fuit a reverendissimo domino cardinale S. Crucis, et ab omnibus approbatum est ».

XXI Decembris [4] fit Congregatio theologorum prælatorum, quibus proponuntur verba declarantia, verba Pauli dicentis *per fidem sine operibus legis hominem justificari*, quæ sunt :

« Per fidem autem ideo justificari dicimur, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum ac radix omnis justificationis ; nam sine fide impossibile est placere Deo, et ad filiorum Dei consortium pervenire » : quæ verba fuerunt examinata, et tandem ab omnibus approbata.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 223. — [2] Ms. card. Barber. sig. num. 13. Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 224 et seqq. — [3] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. — [4] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 238. Diar. Conc. Trid. auct. Ang. Massar. Ms. arch. Vat. in Act. Congr. gen. p. 190.

135. XXII Decembris [1] laborarunt prælati theologi in inveniendo perpetuo consensu Ecclesiæ in interpretatione verborum Pauli, cum dicit *gratis sine operibus nos justificari*, et omnes tandem consenserunt in infrascripta verba : « Gratis vero igitur justificari dicamur, quia nihil eorum, quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam meretur ».

« XXIII Decembris concordarunt ut manerent in decreto hæc verba, finalis causa, gloria Dei et Christi, ac vita æterna ». Et paulo post : « Egerunt magna disceptatione, an fides habere debeat aliquem locum in ipsis causis justificationis. Et quia Patres concordare non poterant, differtur decisio hujus quæstionis xxviii Decembris ». Et mox : « Conclusum concorditer, quod in nullam causam sit ponenda fides, sed satis ei tributum sit in verbis decreti pluribus in locis ».

In Congregatione vigesima nona Decembris celebrata [2], decreta fuit dies sessionis ad decimam tertiam Januarii anni proximi futuri, de quo sic inquiunt legati in Epistola ad cardinalem Farnesium. Illi qui sessionis decretum non approbarunt, fuere fere omnes illi, qui Julio præterito, ne stabiliretur totis viribus contenderunt, sexdecim fuerunt, et quinquaginta Indictionem sessionis approbaverunt.

XXX Decembris [3] in Congregatione generali actum est de residentia, in qua, inquiunt Acta, cardinalis Giennensis hora cum dimidia de materia residentiæ erudite et copiose disseruit. Ejus orationis summa hæc fuit, residentiam esse de jure divino, quod maxime ex Cajetano comprobavit, et episcopos non residentes ab Augustino pro non episcopis haberi, sed pro canibus, a Damaso vero papa meretricibus comparari, quæ partus suos aliis educandos tradunt, ut possint luxuriæ et voluptatibus indulgere ; cum idem quoque faciant episcopi non residentes, quoniam populum sibi commissum, ut voluptatibus et genio indulgeant, aliis regendum tradunt. Quamobrem statuendum esse residentiam de jure divino esse. « Et mox » : Cui consequens est residentia parochorum, sine quibus parochis vix est, ut episcopus muneri sub commisso par esse possit : se scire affirmans, nullos fere hodie parochorum residentiam facere, quorum aliqui, quod exempti sint, alii quod curiales, alii quod licentiam habeant, alii aliis de causis, ita ut omnis populus curatis commissus, non per se, sed per mercenarios pascatur, quorum proprium est negligere gregem, pastoris autem mori (si opus sit) pro ovibus suis etc.

[1] Ms. Fr. car Barb. sig. num. 23. et aliud Ms. car. Pii. — [2] Ms. car. Spadæ Ep. xxviii Dec. to. ccx. — [3] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 240. Acta Cong. Conc. Trid. Ms. card. Barb. sign. num. 1795. p. 176.

XXXI Decembris [1] prælati theologi in Congregatione sua excussere ea verba (justificati in dies magis renovantur.) Cum aliqui dubitent, quod ex eis innuatur aliquid reatus remanere in homine post Baptismum, quod in dies in ipso justificatio innovetur, quod tamen falsum est: sed exquisitis sententiis placuit ut manerent, cum revera justificati in dies renoventur, id est, magis justificetur, et ex justitia crescant, et gratia augeatur, juxta illud, qui justus est, et justificetur adhuc, et illud, ne verearis usque ad mortem justificari. Item discursum fuit, an auctoritas Jacobi : Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum, loquatur de secunda justificatione, hoc est de operibus quæ subsequuntur ipsam justificationem : et conclusum sit : cum Jacobus dicat ex operibus justificari, et opera post justificationem justificant, id est justitiam augent, opera vero facta ante justificationem non justificant, sed præparant ad ipsam justificationem. Item, an consilia sint exprimenda inter bona opera, quibus justificatio augetur ? et conclusum, quod non, cum sub nomine bonorum operum consilia comprehendantur.

136. Excurrente octo mensium flexu quæstio de Justificatione agitata est [2], non modo propter gravissimas difficultates, quibus erat implicita, sed etiam, quia Cæsar variis artibus extrahebat administrorum opera perfectionem ac promulgationem decreti: verebatur enim ne Lutherani, quos armis fractos vel territos ad suum cogebat obsequium, audita fidei Lutheranæ damnatione, in rabiem desperationemque adducti, iterum ab eo deficerent: ac meditabatur animo clementia eos flectere, ut demum excipiendis in religionis causa Concilii decretis se subjicerent. Sed nullis officiis, nulla mansuetudine obdurata eorum pertinacia vinci poterat, omniaque Cæsarea consilia eludebat.

137. Ex retardatis vero Actis decretisque Concilii, fides Lutherana atque Zuingliana, et Calvinistica hæresis in plura regna latius diffundebatur, atque innumeræ animæ ignorantiæ tenebris immersæ in exitium salutis suæ præcipites ruebant : querebantur etiam episcopi se Tridenti in maximis domesticæ rei difficultatibus et periculis, ne a furentibus Lutheranis circumsiderentur, sine ullo fructu et divinæ gloriæ ac religionis compendio, vel amplificatione distineri; cum tamen Concilium indictum esset ad hæreses exortas in Germania delendas, nec Germani præsules, nec hæretici ad Concilium accederent. Legati etiam Apostolici opponebant nitide Cæsareo consilio, non ita a Synodo Tridentina curandas res Germanicas, ut Gallia, Hispaniæ, Italia et alia Christiana regna negligerentur, nec sine crimine promulgationem decreti de justificatione differri posse; cumque Cæsar plures alios theologos ex Parisiensi et Lovaniensi Academiis exciri pro injicienda mora flagitaret, respondere legati non pendere auctoritatem Concilii ex hominibus illud componentibus, sed a Deo et a Sede Apostolica, nec tantummodo in quæstione de justificatione, sed etiam in aliis articulis fidei controversis, ut tandem finis Concilio imponatur; nec quidquam salubrius et augustins pro Germaniæ salute asserenda consuli vel fieri posse, quam veritas Catholicæ fidei rite ac nitide sanciatur ac promulgetur. Addidere etiam legati Tridentini Galliæ regis oratores ejusdemque regni episcopos maxime gerere in votis, ut decretum de justificatione in Concilio, rescissa omni mora, feratur.

138. Tandem XIII die Januarii proxime sequentis anni, celebrato solemni episcoporum consessu, doctrina Catholicæ fidei de justificatione promulgata est, ut postea dicetur.

139. *Impii Lutheri mors impia.* — Accidit hoc anno impiissima mors scelestissimi hæresiarchæ Lutheri; de qua hæc Joannes Cochlæus [1], qui ineptias hæreticorum refellit.

« Islebii die XVII Februarii, peracta in publico cum aliis cœna, eaque largiter sumpta, et facetiis hilariter extracta, eadem nocte interiit, de cujus obitu multa scribunt. Aliter narrant, scribunt ex vicinis locis Catholici, aliter loquuntur et scribunt Lutherani, qui multos agminatim emittunt Germanice libellos ad persuadendum cunctis, quam sancte mortuus sit ille sanctissimus (ut aiunt) omnium eorum pater ». Et infra : « At quo majorum aut Apostolorum exemplo, ipse hæreticus notorius et ab utraque potestate suprema legitimo juris ordine damnatus, atque in episcopum nunquam electus aut ordinatus, novo ritu a sese frivole excogitato ordinavit et consecravit (ut ait Jonas in ista sua historia) Islebii duos presbyteros, ipse neque Missam celebrans, neque tunc cum aliis communicatus? Quid vero sanctitatis aut miraculi hoc habet, quod omni vespere, post cœnam opipare paratam et largiter acceptam, distento cibis et potu ventre, in habitaculo suo (per fenestram prospiciens) aliquantulum oravit, interdum tam serio ac sedulo (sicut recitat historia) ut circumstantes, dum taciti adessent, quædam ejus verba admirabundi perceperint, cum nihil dicatur ibi vel de Horis Canonicis, ad quas dicendas utique, ut monachus professus et presbyter olim ordinatus, de jure obligatus erat, vel de aliis ab eo interdiu factis (si quas modo fecit) orationibus ! O sanctitatem miraculosam, et apud Christianos nunquam

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3232. p. 241. — [2] Ms. card. Spadæ p. 210.

[1] Cochl. in act. et scriptis Lutheri Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 2678. p. 149.

auditam! quod novus Saxoniæ apostolus, tota die sæcularibus intentus negotiis, prandiique et cœnæ crapula oneratus, omissis totius diei Horis Canonicis, paululum antequam cubitum iret in fenestræ prospectum orasse deprehensus est: cujus hæresi ac scelere tot per omnem fere Saxoniam, Pomeraniam, Daniam, Sueviam et Norwegiam, monasteria et collegiatæ Ecclesiæ, atque etiam cathedrales (non solum omissis, sed etiam publica violentia prohibitis et interdictis Missis et Horis Canonicis) desolantur, et a Dei laudibus obmutescunt die noctuque, et ab omni cultu veterique solemnitate cessant ». Et paulo post :

140. « Quid item egregium ejus apophtegma? nos senes tam diu vivere oportet, ut in diaboli posteriora respiciamus, ac tot mala, infidelitates, miseriasque mundi experientes, testes sumus diabolum tam malum spiritum fuisse ». Id certe verissime factus est Lutherus, cum dæmonem ducem secutus sit, ejusque præeuntis vestigiis inhæserit, atque a sectariis perfidis et sceleratissimis mala innumera patrata testis oculatus viderit. Pergit Cochlæus, usurpataque a Luthero adagia affert: « Item, genus humanum est sicut ovile ovium occisionis. Item, illud quod in historia omissum in Jonæ ad electorem Saxoniæ Epistola majusculis insertum est litteris : solitarium esse non affert lætitiam : quasi vero monachis a Paulo dictum non sit : *Gaudete in Domino semper, iterum dico, gaudete,* aut quasi non ad vitam et salutem, sed ad occisionem et perditionem a Deo creatum sit genus humanum, aut falso dixerit Apostolus : *Deus vult omnes homines salvos fieri,* aut quasi non fuerit Luthero senior Moyses, quando dixit ei Deus : *Videbis posteriora mea, faciem autem meam videre non poteris :* ad Dei igitur potius quam ad diaboli posteriora respiciendum est senibus. Quid denique dicemus de ultima Lutheri ratione, quam historia majusculis litteris notatam recitat? O mi Pater, (inquit) cœlestis, Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Deus totius consolationis, gratias ago tibi, quod mihi dilectum Filium tuum Jesum Christum revelasti, in quem credo, quem prædicavi, et confessus sum, quem amavi et laudavi : quem abominabilis papa et omnes impii vituperant, persequuntur et blasphemant etc. Interroget hic Jonas Patres, excutiat vel diligentissime omnes Scripturarum, legum, et canonum, Conciliorumque angulos, an apud ullum Christianum invenire queat talem morituri orationem, in qua quispiam ita sese jactitet, ita præ se cunctos, qui sub papa Christum coluerunt, contemnat et incuset, ita insectetur et calumnietur Ecclesiæ pastorem summum Pontificem ? An non potius credendum est, Christum judicem mox post verba ejus, in ipso exitu raptæ jam de corpore animulæ ejus dixisse, *De ore tuo judico te, serve nequam :* quia tu ipse antea dixisti et scripsisti, te audire in papa vocem Christi in eo loquentis et præsidentis. (Item, anathema sit et maledictus, qui contra veritatem Apostolicarum veniarum loquitur. Item fateor sub papatu plurimum esse boni Christianorum, imo omne bonum Christianum: et sub papa esse veram Christianitatem, atque adeo verum nucleum Christianitatis). Quid igitur spei de salute potest esse homini sic indurato, et in finem usque contra charitatem, in hæresi, schismate, ac rebellione, odioque contra papam perpetuo persistenti, ac pertinacem et obstinatam animam efflanti? judicat enim eum non solum Christi, Pauli, Cypriani, Augustini et similium sententia multipliciter attestata, sed etiam sermo ipsius, et oris proprii judicium. Stulte igitur ac impie laudat eum de hac oratione Jonas, quemadmodum et Pomeranus in fine funebris ad populum orationis suæ cantatam jactitat stulte illius prophetiam hoc carmine:

Pestis eram vivens, moriens ero mors tua, papa.

141. « Non enim tam papæ, quam Germaniæ et innumeris animabus pestis fuit vivus : mortuus quoque nemini magis, quam iis qui ei credunt, pestis et exitium fuit : quod si vivus et moriens, mors est summo Pontifici (ut vane gloriatur), quid est, quæso, quod elector Saxoniæ in edicto suo nuper decima quarta die Februarii per omnes terras suas promulgato, tam vehementer sibi suisque confœderatis a papæ practicis (ut ait) timet, et suos domi manere, atque in continuo armorum apparatu persistere jubet? Numquid mortuus papa tam magnopere timendus est? at vulgare est Italorum proverbium : *Homo mortuus non facit guerram.* Manet igitur papa, et manebit usque ad consummationem sæculi : hæretici vero velut aqua dilabuntur unus post alium : ubi nunc sunt magniloqui oppugnatores papæ, Zuinglius, Carolostadius, Capito, Grinæus, Lutherus et complures alii? mors depascit eos nunc et usque in æternum : Papa et Sedes Apostolica supra petram firmiter ædificata perpetuo permanet. Quid vero prodesse potuit animæ Lutheri ad tribunal Christi raptæ vanissima pompa funeris »? Et infra : « Quo denique exemplo Catherina monialis uxor Lutherina post funeris currum carpento vecta in publica processione, se suosque tres ex Luthero filios, Joannem, Martinum et Paulum (ut enumerat historia) spectandos præbuit? numquid tali modo deductum fuit funus olim B. Martini, aut B. Ambrosii, aut divi Augustini ? O miseros et excœcatos homines, quos talium non pudet, qui tam cœcum habent, et de rebus humanis, et de religione Christiana judicium ! Væ autem improbis et impiis lauda-

toribus illis, qui dicunt malum bonum, et bonum malum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras.

142. « Considerent autem pii, quid tantis pravæ intentionis laboribus curisque ac studiis effecerit Lutherus, cujus rebelli ac seditiosa concitatione tam multa hominum millia et corpore et anima in æternum perierunt, atque deinceps adhuc peribunt, et tota per eum Germania confusa et conturbata omne decus pristinum perturbato imperio amisit, et ad bella tum externa, tum civilia spectans trepidat, a generali et pacifico Concilio abhorrens, et a papa, a quo fidem Christi suscepit, velut ab antichristo per scelerata Lutheri dogmata sibi timet.

143. « Stulta enim Jonæ historia refert hanc quoque Lutheri morituri tam impiam quam ridiculam stultitiam, quod eadem nocte, qua periit, dixerit ipsi Jonæ, et Cœlio, aliisque circumstantibus : Orate pro domino nostro Deo et ejus Evangelio, ut ei bene succedat, quia Concilium Tridenti et abominabilis papa graviter ei adversantur : quis unquam audivit orandum esse pro Domino nostro Deo ? » Quem tandem pro Deo blasphemus ille orandum voluit? de quo illud Davidicum vere usurpari potest, *Stet diabolus a dextris ejus; cum judicatur exeat condemnatus, et oratio ejus fiat in peccatum.* De eo vere antea adversus Bucerum Lutheri Encomiastem Joannes Eckius [1] scripserat : « Ex dictis, scriptis ac factis Lutheri luce clarius apparet, hunc carbonarii filium non esse organum Dei, sed diaboli, non membrum Christi, sed Antichristi et nonnæ suæ, Ecclesiarum internæ ac externæ deformatorem, Antichristi præcursorem et Apostolum, hæreticorum omnium hæredem et fæcem ». Et infra : « Vanissime jactat Bucer myriades Ecclesiarum quæ Lutherum sequantur; profecto hæc est ira Dei potentis, quod in tam modico tempore tot millia ex Germanis a stabilitate fidei exciderunt ad unius lupi excucullati monachi vocem; sic monuit Tertullianus : *Nemo miretur hæreses tantum valere :* ideo credibilius est, quid sit futurum tempore Antichristi, qui apertis thesauris suis (nam divitiæ Ecclesiarum et monasteriorum tunc erunt absumptæ) tot myriades hominum attrahet, ut Christus dicat : *Verumtamen Filius hominis veniens putas inveniet fidem in terra?* » paucis interjectis, dictum Buceri fingentis Lutheranas Ecclesias non esse alienas a Christo ita refellit : « Bucer non vult Ecclesias Lutheranas judicari alienas a Christo : at hoc est Dei judicium, extra unam Ecclesiam Christi, extra arcam Noe, extra naviculam Christi nullam novimus. Judicium Christi est : *Qui non est mecum, contra me est, et qui non congregat mecum, spargit.* Non enim agnoscit Dominus oves extra ovile suum, sed male olentes capras et fœtidos hircos damnat ».

[1] Jo. Eck. in Replica advers. Bucerum.

Tradunt quo die Lutherus vivere desiit, in Belgio [1] plures energumenos abeuntibus dæmonibus liberari visos, deinde vero in eadem corpora reversos de extincto Luthero, cujus animam ad infernale barathrum delatam stipassent, fidem fecisse, cum post aliquod tempus de Luthero eo die sublato publica fama manasset.

144. Id porro animadversione dignum est [2], quod cum Lutherus, Bucerusque, et alii hæretici adversus vitia sacerdotum Romanæ Ecclesiæ et Catholicorum acerbissime declamarint, maximam tamen morum cladem a Luthero et sociis reformationis buccinatoribus illatam fuisse, ut vitia longe magis inter sectarios quam inter Catholicos inhorruerint, ex eorumdem confessione Lutherus libere professus est (inquit Erasmus [3]) : « Malle se pristinum papæ ac monachorum regnum quam hoc hominum genus sub Evangelii prætextu in Sogdianorum vitam sese proripientium. Idem in suis ad me litteris deploravit Melancthon. Idem in colloquio fassus est Œcolampadius ». Sic item [4] Lutherus ipse de suis sectariis : « Volunt (inquit) plusquam Christus ipse videri Evangelici; dicunt : Domine, Domine, sequar, quocumque, quocumque; et de Evangelio loquuntur, quasi sint Angeli, sed si opera spectes, sunt meri diaboli ». Imo vero (ut videas mirabile incrementum hujus Evangelii omnia hominum genera suo contagio vastantis) non solum (inquit ille [5]) magni viri, nobiles et mercatores, sed ipsi etiam rustici, qui alias simplices et sinceri solebant esse, thrasonice, jactanter, sibi jam nullo prædicatore opus esse. Quid ita? An quia paucis annis prædicatum a Luthero Evangelium novum ita eos reddidit, vel in omnibus fidei mysteriis peritos, vel excellenti vitæ sanctimonia præstantes? Nihil minus, sed quia homines mira pernicitate ad extremum hujus Evangelismi finem et scopum proficiebant, « quia (ut ipse ait Lutherus) futuræ vitæ rationem habent nullam, sed sicut credunt, ita vivunt, sunt et manent sues et sicut sues moriuntur ».

Illud certe verissimum est [6], Lutherum in Commentariis suis omnes consectari verborum et syllabarum argutias, quibus post mortem animas cum corporibus dormire et sepeliri probet, atque ita cum corpore omni, ut gaudio, sic pœna carere (exempli gratia sic ille [7] in Ecclesiasten) : « Ex hoc, inquit, loco patet mortuos sic dormire, ut prorsus nihil sciant, et est fortissimus locus pro mortuis nihil intelligentibus rerum nostrarum contra sanctorum invocatio-

[2] Cratepolius. — [2] Guill. Ross. p. 191. — [3] Erasm. in Epist. ad Fr. infr. Germ. — [4] Luth. to. v. in Matth. c. v. — [5] Ib. enar. in I Corint. c. xv. — [6] Guill. Ross. p. 209. — [7] Luth. to. v. in Eccl. c. IX, 5.

nem et Purgatorii fictionem ». Rursum in eodem capite [1] : « Hic alius locus est, quod mortui nihil sentiant. Nulla est, inquit, in inferno cogitatio, ars, cognitio, scientia. Sensit ergo Salomon mortuos omnino dormire, et nihil prorsus sentire ». Ubi ut prætermittam manifestam vim Scripturæ, et sensui et verbis illatam, maxime si inferni vox sepulchrum significet, ut in eadem prorsus sententia Lutherus docet, illud solum animadvertat Christianus lector, quam curiose et acriter nefarius impostor omnes captat umbras, ut suam illam pestiferam de animarum dormitione hæresim persuadeat. Atque in hunc scopum, ne plurimis locis coacervandis prolixior sim, perditissimus ille quæcumque potest obscura Scripturarum membra et incisa interpretatur, semperque illud inculcat [2] : « Ego sequor Scripturam, quæ dicit, *mortui dormiunt*. Ego puto eos sic ineffabili et miro somno consopitos, ut minus sentiant [3] aut videant, quam hi qui alias dormiunt. Animæ mortuorum ingrediuntur, nec in Infernum etc. Deus facit similes bestiis dormiendo, vigilando, comedendo. Anima enim humana dormit omnibus sensibus sepultis, etc. Ita nec mortuorum locus cruciatus ullos habet ». Quis autem fructus ex hac doctrina? nisi quod per universam Germaniam pervaserit, ut quam impudenter homines in omnem se luxuriam et libidinem effundant, quam effrænate publicas vias obsideant, et quorumcumque bona deprædentur, ut fœdissimis peccatis nullum statuant finem nec modum, hac diabolica confidentia subnixi, quia post hanc vitam alia nulla est attendenda, nullum Dei judicium, nulla in cœlo præmia, nulla in inferno cruciamenta, sed morte corporis omnia terminentur, anima simul cum corpore in sepulchrum inclusa : hoc partim supra attigimus, partim deinceps ostendetur. Interim ex Brentio (quo quem quærimus testem fide digniorem? promptum est colligere hanc valde generalem Protestantium fidem et sententiam. « Et si », inquit Brentius [4], « nulla sit inter nos publica professio, quod anima simul cum corpore intereat, et quod non sit mortuorum resurrectio, tamen et impurissima et profanissima illa vita, quam maxima pars hominum sectatur, perspicue indicat, quod non sentiant esse vitam post hanc, nonnullis etiam tam voces inter pocula, quam sobriis in familiaribus colloquiis excidunt ». Hæc Brentius, qui quod de impurissima et profanissima fratrum suorum vita, idque in ipso Evangelii flore conqueritur, tam est evidens, ut innumeris Musculi, Lutheri, Buceri, et Calvini testimoniis comprobari possit.

145. Denique de infelicissimi Lutheri obitu tractationem cum Surio ita adversus eum declamante claudamus : « O vere mortem expavescendam et horrendam, ita obstinato in Pontificem et Catholicos odio exhalare spiritum, atque sic proficisci ad illum æquissimum judicem ! O si miser ille seipsum cognovisset, certe illa extrema hora palam fassus esset, se longe omnium atrocissime et immanissime vituperasse, persecutum fuisse et blasphemasse Christum, cui unus ipse suis impiis dogmatibus tot abstulit animas, ut sine horrore et stupore nec dici queat! Ille quidem sic mortuus est, sed post se in multis Europæ amplissimis regnis et provinciis supremam fere reliquit vastitatem, religione miserabiliter confusa et perturbata, innumeris eversis Ecclesiis, destructis monasteriis, omnibus piis abrogatis cæremoniis et ritibus Ecclesiasticis, sacramentis horrendum in modum profligatis, ut ad Mahometanam constituendam impietatem parum aut nihil superesse videatur. Eos nobis fructus affatim produxit miser ille, et mortalium omnium longe infelicissimus, qui utinam nunquam natus fuisset, aut certe solus periisset ». Et bene, quod de impiissimo Christi proditore Juda in Evangelio perlegitur [1]; *Bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*, novo huic Judæ nefandissimoque apostatæ convenit : in ejus enim cor misit diabolus, cum quo assidue agebat (unde vas Satanæ a cardinali Hosio nuncupatum est) ut traderet Christi Ecclesiam, animamque suam ob vile humanæ gloriolæ pretium perpetuis deputaret inferorum tormentis [2]. *Quantum enim glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum dabitur illi tormentum et luctus.*

146. *Petri Fabri mors pretiosa.* — Verum quam pessima fuit apostatæ Lutheri mors, tam pretiosa extitit Petri Fabri primi D. Ignatii socii, quæ hoc anno accidit, mors. Is ab optimo parente ex Hispaniis Romam evocatus, ut juxta Pontificis mentem ad Concilium Tridentinum pergeret, a ferventibus infestæ caniculæ caloribus, imbecillis ac prope æger, vexatus, paucos intra dies nova morbi vi arreptus, e vita decessit. Strenuam pro fide Catholica in Germania navasse operam, Bucerum et Melancthonem ad certamen provocasse, ac validissimis argumentis rationibusque eorum insanias confutasse, ad Joannem Gropperum Ecclesiæ Coloniensis archidiaconum, et ad Antonium Perenottum Granvelanum, qui demum cardinalis fuit, tum Atrebatensem episcopum, acres litteras dedisse, quibus fallaces hæreticorum dolos aperiebat, et ad Coloniensis potissimum Ecclesiæ causam omni ardore defendendam eos excitabat, alias vidimus. In Epistola ad Lainium in Societate collegam de modo hæreticos recte curando, qua potissimum in sanandis eo infectis veneno mentibus norma ipse se gereret, luculenter apparet:

[1] Luth. tom. v. in Eccl. c. IX, 26. — [2] Luth. in Jonam cap. — [3] Ib. to. VI. Genes. c. XXV. fol. 361. Ib. c. XLIII, 11. — [4] Brentius in Luc. c. XXII. hom. 35.

[1] Matth. XXVI, 24. — [2] Apoc. XVIII, 7.

« Quoniam in cæteris Lutheranorum erroribus (post plura sic inquit) is est ferme communis, ut humanas actiones ac facta suis meritis spolient, contemptisque recte factis, omnia in fide reponant; idcirco faciendum nobis est, ut in eorum congressibus atque colloquiis ab operibus ac recte factis progrediamur ad fidem, iis perpetuo sermonibus inserendis, quibus eorum animi ad amorem ac studium excitentur ». Et infra: «Sic existimo, si quis efficacitate doctrinæ, aut ardore spiritus persuadere Luthero posset, ut excussis ex animo pravis suis opinionibus, et recepto religionis ornatu sese alacri quadam parendi voluntate ad ea, quæ imperantur, explenda et facienda converteret, fore ut eo ipso nulla adhibita concertatione hæreticus esse desineret ». Tanta autem in ejus dictis vis, tantus e consuetudine familiari questus pietatis, tanta apud omnes ejus existimatio ac celebritas percrebuit, ut Lainius sanctum Ignatium per litteras, quanta cum Germaniæ labe ac bonorum hominum desiderio Faber abscesserit, certiorem reddiderit, cujus vel nomen ipsum in utraque Germania Catholicos erigere, et ad utriusque reparandæ spem viros etiam principes excitare fassus est.

147. *Venetos hortatur Paulus, ut Lutheranæ hæresi Vicentiam inficienti se objiciant.* — Interim excubabat Pontifex omni studio, ne Lutherana hæresis Italiam pervaderet, quæ cum Vicentiam Veneto subditam imperio inficere cœpisset, ducem ac senatum Venetum præmonuit, ut fidei censores sua auctoritate fulcirent: verum licet Rodulphus cardinalis Vicentinæ Ecclesiæ administrator capiendis vulpeculis, quæ Vicentinam vineam demoliebantur, operam daret, tamen administri magistratus Veneti illius studiis non tam cito obsecundarunt, quare latius contagio hæreseos diffusa plures corripuit, adeo ut Pontifex iterum ducem senatumque Venetum sollicitarit, ut ad exscindendas mali fibras, antequam ingravesceret, sedulo incumberent [1] :

« Duci et senatui Venetorum.

« Dilecti filii etc. Egimus alias vobiscum, et per litteras, et per nuntios nostros sæpius, ut hæresim Lutheranam in vestra civitate Vicentiæ exortam et a non paucis illius civitatis receptam, vestro favore et pia justitia succidi facere in ipso semine velletis, ne mox confirmata invalesceret, intellectoque tunc per nos, quod potestati et capitaneo dictæ civitatis mandaveratis, ut in extirpationem ipsius hæresis totaliter intenderent ac faverent, firmiter speravimus, vestram auctoritatem apud illos magistratus, et eorum executionem adversus ipsos hæreticos ita valituram, ut negotio optatus finis atque exitus cito imponeretur, cum præsertim dilectus filius noster N. cardinalis Rodulphus Ecclesiæ Vicentinæ administrator, suo boni pastoris officio nulla in parte defuerit, brachiumque dictorum potestatis et capitanei, sine quo rem perficere non poterat, sæpius imploraverit : sed tamen (sicut nobis relatum est) et de quo satis mirari nequivimus, effectu mandati vestri et spei nostræ ex eo caruimus, quod ipsi potestas et capitaneus jussionem vestram diligenter (sicut oportebat) exequi neglexerunt, ob quod ipsi hæretici alacriores facti, urgente gressus eorum diabolo, radices suæ impietatis latius postea protenderunt, et quotidie ita protendunt, ut nisi vere ac alacriter huic malo obsistatur, verendum sit ne serpat ad proxima, et in dicta civitate multo acrius convalescat : quamobrem nobilitatem et devotiones vestras iterum in Domino requirendas duximus, et omni studio atque instantia requirimus, ut sicut dignum pietate atque officio vestro est, remedium huic malo nimium sane jam tolerato efficaciter afferre, potestatique et capitaneo in dicta civitate nunc existentibus districtius mandare velitis, ut vicario dicti cardinalis administratoris omnes favores in comprehendendis puniendisque dictis hæreticis quamprimum præbeat opportunos, negligentiamque prædecessorum suorum studio fideli et diligentia sua compensent : nam cum vos vestrorum majorum exemplo, religionem Catholicam summa constantia semper colueritis et colatis, minime est vobis ferendum vestros subditos in cultu Dei omnipotentis a vobis deviare, perniciosamque hanc hæresim aperte profiteri in oculis prope vestris et Universalis Concilii, quod Tridenti ob has præcipue hæreses expungendas indictum et apertum est : nec vero fugit sapientiam vestram, quæ singularis est, præter eam, quam Deo conservare debetis, sicut facitis, sanctam Catholicam religionem tot jam sæculis per vos majoresque vestros observatam, etiam ad divisiones factionesque illius civitatis animadvertendum esse, ne ad veteres hac nova superaddita causa, novitatibus aditumque defectionibus aliquando præbeat, cum sicut nostris, vel hæc sola religionis dissensio multis in locis obedientiam ac fidelitatem excusserit, ideoque a vobis omnino sananda esset, cum hominibus fideles esse non possint, qui Deo omnipotenti fidem violaverint : sed prudentia vestra non eget monitis, excitanda solum a nobis fuit, ut quod laudabiliter cœpistis, efficaciter perficiatis, quod sane nos a vestra pietate ac justitia firmiter expectamus etc. Dat. Romæ i Maii MDXLVI, anno XII ».

Paruere Veneti Pontificiis monitis, atque acerbissimis edictis hæreticos proscripsere, ut qui divino timore arceri a flagitio non poterant, suppliciorum metu ab impietate submoverentur, quorum pietatem ac prudentiam eximiam commendat Surius his verbis :

« Veneti edicto cavent, ut libri a Catholica religione discrepantes ad certos homines addu-

[1] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 158.

cantur, idque intra dies octo, quibus elapsis, inquisitum iri aiunt, et qui deprehensi fuerint non impune abituros : iis qui deferant hujus edicti contemptores, munera promittunt. Hæc molestissime ferunt homines, sed si saperent, gauderent magistratus eorum saluti mature consulere, atque utinam ubique terrarum proscripti essent libri omnes ex hæreticorum officinis profecti, nam sermo eorum, quod verissime dixit Apostolus, *ut cancer serpit* ».

148. *In Scotia novæ circa fidem contentiones.* — In Scotia maximæ de religione contentiones hoc tempore exortæ multos tumultus peperere, cumque Florentius Volusenus Scotus in patriam reditum pararet, Jacobus Sadoletus cardinalis illum hisce monitis præceptisque ad colendam religionem Catholicam, sectasque novas respuendas erudivit :

« Cum et sacræ nos litteræ, et rerum eventus ipse docuerit, Ecclesiam Dei turbulentis hominum seditiosorum consiliis perpetuo infestam esse et obnoxiam, nimirum id permittente Deo, quo hic bonorum exploretur fides atque constantia, profecto dubium esse non potest, quin quod sanctissimi viri hujusmodi dissidiis et contentionibus exortis semper fecerunt, ut Ecclesiæ partes sequerentur, eique tanquam firmamento veritatis inniterentur, in hoc quoque optimus et gravissimus facere debeat, et sanctissimum parentem omni pietate et studio constantissime tueri atque defendere. Etenim summa sit, non dicam, imprudentia, sed amentia, Catholica relicta ac deserta Ecclesia, ejusque perpetuo consensu, et tot sanctissimorum patrum auctoritate contempta, eorum sectam sequi, qui impulsi odio, furore quodam rapti, tam temere ac nefarie ab Ecclesia discedere, eamque vexare atque oppugnare ausi sunt, quos ut corrupti sacerdotum mores gravissime offenderint, nequaquam ea tamen aut alia omnino turbandæ pacis et commovendæ seditionis causa justa esse potuit. Quamobrem suadeo, hortor et moneo, ut majorum nostrorum vestigiis insistas, atque ea, quæ statuit, decrevit, et tot jam sæculis observavit Ecclesia tanquam Spiritus sancti, qui illi custos et veritatis omnis doctor perpetuo adest, decreta et instituta, sanctissime servanda esse censeas. Dat..... anno MDXLVI ».

Præerat tum in Scotia [1] sacræ fidei censuræ David Betonius cardinalis, idemque archiepiscopus S. Andreæ, qui in novatores legum severitate distringebat, ac concionatorem hæreticum flammis exuri jussit, ex quo impiorum odia adeo in se accendit, ut cum Normæo Lesle comitis filio trucidandum conjurarint, quod immane flagitium eo in cubiculo proditione intercepto patrarunt, gladiisque confoderunt, ac deinde ad fenestras, ad majoris ignominiæ decus suspenderunt. Sed mirum fuit, quod ejus sanguis in lapides effusus, nulla aquarum affusione quacumque adhibita, ab impiis arte et diligentia elui potuit : eo cæso parricidæ arcem urbis S. Andreæ occuparunt, ad quam recuperandam Jacobus Arraniæ comes Scotiæ administrator cum exercitu provolavit, ne Angliæ regi infensissimo Scotorum hosti dederetur. Cum vero obsessi de transigenda deditione verba nuncupassent, eam addidere legem, ut a Pontifice etiam censuris omnibus ob cæsum cardinalem solverentur, de quo proximo ineunte anno factus certior Paulus, ne Angli ea arce recepta in regni interiora penetrarent, misso Diplomate de legum severitate remisit, quo Arraniæ comes uteretur, si militum virtute proditorum pertinaciam expugnare non posset [1] :

« Dilecto filio nobili viro Jacobo comiti Arraniæ in regno Scotiæ gubernatori.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem, etc. Scribit ad nos nobilitas tua, quod interfectores bonæ memoriæ Davidis cardinalis S. Andreæ olim in isto regno nostri et Apostolicæ Sedis de latere legati, qui post dicti cardinalis cædem castrum civitatis S. Andreæ hostiliter occuparunt et adhuc occupant, castrum ipsum, quod tua nobilitas quamvis jamdiu magno labore obsessum, hactenus recuperare non potuit, nullo modo restituere intendunt, nisi ab hujusmodi delicto absolvantur : et non ab re formidari, quod nisi idem castrum ad manus tuas quamprimum redigatur, Catholicæ fidei hostes, qui dicti regni occupationi semper inhiant, occupantium deditione dicto castro potiantur, et per illud veluti ipsius regni januam regnum ejusmodi invadant ad direptionem : et huic imminenti periculo provideri posse nobilitas tua asserat, si dicti occupatores a dicto crimine absolvantur. Quamobrem, etsi nobis flagitium illud longe atrocissimum et omni indulgentia indignum videatur, tamen minus malum eligentes, ne dictum regnum aliquod majus detrimentum patiatur, ipsam absolutionem certis isthic judicibus commisimus, sicut in aliis nostris in forma Brevis litteris expressum est, quod etsi istius regni salute permoti fecimus, justo tamen Dei judicio, tuaque ac tuorum militum virtute fore speramus, ut tanti criminis rei potius in tuas manus, si nondum devenerunt, deveniant, quod de absolutione a nobis per vim extorta, gloriari non possint; nos quidem, qui hanc rem regi Christianissimo commendavimus, tibi et isti regno, quantum nobis licuerit, numquam deerimus. Dat. Romæ III Februarii MDXLVI, anno XIII »

Non potuit Scotiæ administrator perfidos armis frangere, ad quos edomandos auxiliarem Gallorum classem excivit, ut proximo anno dicetur.

[1] Buchan.

[1] Paul. III. lib. brev. XXIII. p. 203.

149. *Inter Gallum et Anglum confecta pax.* — Confecta porro est hoc anno pax [1] inter Franciscum Galliæ regem et Henricum Angliæ tyrannum, quam etiam a Cæsare Bernardi Patritii Veneti opera promotam referunt. Sollicitatus enim ab Anglo, ut Gallicam expeditionem (omissa Germanica) oblato in singulos menses Anglicano auro subsidiario susciperet, ut internuntii Pontificii ad cardinalem Farnesium datæ litteræ ostendunt, flagitio abstinuit, ac potius Anglum ad concordiam cum Gallo incitavit. Fatigatus quidem erat Henricus, et morbo, et maximis sumptibus gravioris belli, in quo multis adversis exceptus erat, nam etiam hoc anno Anglos tumultuaria pugna cæsos describit Bellaius : Franciscum vero regem ad pacem inclinasse ait, eo quod extincto filio Aureliæ duce rebus suis a Cæsare diffideret : leges itaque latæ sunt in hunc modum, ut Bolonia et aliæ arces in ejus agro excitatæ ab Henrico Gallo traderentur. Gallus vero octingenta coronatorum millia, ex reliquatione pensionis intermissæ, vel ob sumptus in muniendis arcibus factos intra octo annos Henrico solveret : at hujus pacis beneficio rebusque humanis brevi potiri, utrique regi non licuit; cum utrumque Deus proximo anno ad tenendum alium in æternitate pro meritis demeritisve locum evocarit.

150. *Lusitani sua virtute Christi regnum explicant in Indis.* — In India [2] gestum est hoc anno gravissimum bellum inter Christianos ac Mahometanos, ac divino potius miraculo, quam Lusitanorum virtute Christianum in India imperium stetit contra vim Mamudii Cambaiæ regis, qui Sofarem Diensi toparchia donatum huic bello præfecerat. Præerat arci Mascharenius, a quo plura bellicæ virtutis exempla edita, ac licet in oppugnatione Sofar Diensis toparcha globo discerptus fuerit, succedente tamen militari imperio Rumecane filio, præferoci animo prædito, Lusitani in extremum discrimen a subeuntibus in mœnia hostibus, ac propugnacula cuniculis subruentibus, adducti sunt, donec Joannes Castrius prorex Indiæ instructa classe suppetias attulit, ac III idus Novembris in hostium castra tanto impetu irrupit, ut cæsis quatuor Barbarorum millibus, desideratis tantum Lusitanis sexaginta, florentissimam victoriam retulerit, potitus universo militari apparatu, atque inter alios triginta quinque majoribus tormentis æneis. His subdit Indicæ historiæ auctor.

« Clara admodum et gloriosa Lusitanis hæc victoria fuit, vel magnitudine periculi, vel prædicatione omnium et fama : celebritatem auxere divina miracula, quod hostes ipsimet affirmarent conserta jam pugna majores aliquot ballistas applicitum, quater ignem cœlo minime pluvio respuisse, et super ædiculam arcis apparuisse mulierem cœlesti lumine radiantem, cujus fulgor ita adspicientium oculos mentesque perstringeret, ut cœci propemodum, neque in ordines ire, neque in unum conglobare se possent, ac tanto superiores numero, tamen immutata repente rerum omnium specie, in denos Lusitanos pugnaturi singuli viderentur; inde consternationem et fugam ortam; prætor ab tam felici eventu, primum Deo supplicationes habendas curavit, collaudato dein exercitu, laureatas ad Joannem regem litteras misit ».

151. Contulit tam insignem victoriam Joanni regi Lusitaniæ Deus, ejusque in India firmavit imperium, cum Joannes paulo ante piis Michaelis Vasæi sacerdotis, virtutibus conspicui, et S. Xaverii consiliis inductus ad proferendam in India Christianam religionem augendamque, delendam idololatriam, tuendos neophytos, alendos sacerdotes insigne edictum ad Joannem Castrium proregem dedisset, quod veluti illustre regiæ pietatis monumentum subjicimus [1] :

« Joannes rex Joanni Castrio Indiæ prætori amico, salutem.

« Quod non ignoras, idololatria tam grave piaculum est, ut ea in meis regnis ullo pacto ferenda non sit : delatum autem est ad nos in Goanis finibus, tum publice, tum privatim coli sacella idolorum. Præterea ludos ritusque ethnicos celebrari palam, et proinde tibi etiam atque etiam mando, atque plane jubeo idola omnia per idoneos administros investigata et undique sublata comminuas comburasque, et cum gravibus edicas minis, ne cui prorsus ullum ejusmodi simulachrum, aut signum ex ære, ligno, argilla, gypso aliove metallo, materia, massa, fundere, ducere, sculpere, fingere, exprimere, figurare, aut aliunde importatum habere, seu sacra ludosve ethnico more facere, aut Brachmanas concionatores magistrosve, teterrimos Christi adversarios, ulla ope juvare, vel tecto recipere liceat. Qui secus faxit, pœnis in edicto propositis nulla remissione mulctato.

« Et quia gentes ad legitimum unius Dei cultum non modo spe futuræ beatitudinis, sed etiam præsentibus interdum præmiis invitandæ sunt, curabis enixe ut redempturæ vectigalium, curationes publicæ, et alia munera quæstuosa, in homines ethnicos ad hanc diem conferri solita, in ipsos Christi neophytos primo quoque tempore transferantur ». Et infra : « Ad hæc certis auctoribus magno mihi meo dolore compertum est, ab Lusitanis hominibus vili pretio coempta mancipia, quæ apud Christianos dominos perfacili negotio adduci possint, Mahometanis ac barbaris mercatoribus ad non dubium animarum interitum, uberioris quæstus

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 137. p. 44. Ludovic. Guic. in Comm. Martinus Bellaius in Comm. — [2] Maff. hist. Indiæ l. XIII.

[1] Ext. apud Joan. Pet. Maff. lib. histor. Indiæ XII.

causa venundari. Id periculum ne admittatur in posterum, neve servitia ulli nisi Christiano emptori aut licitatori, gravi cavebis edicto. Fœneratorum licentiam, quam certo capite Goanarum legum didicimus, fac imperio atque auctoritate coerceas, idque caput e legum serie quamprimum expungas. In oppido Bazaino templum divo Josepho extruito, idoneumque stipendium alendo vicario et beneficiariis aliquot de meo adsignato. Annua porro tria pardaum millia in impuras Mahometis ædes et nefarium cultum ab ejus sectatoribus antehac impendi solita, Evangelii præconibus et conversionis adjutoribus in posterum numeranto ». Et paulo post : « Ages etiam cum ipso Cocini rege ut ritus quosdam ethnicos ab ipsius auguribus in piperis venditione adhiberi solitos (quandoquidem nihil ipsius ea res interest) e nostro commercio tolli permittat. Ab eodem rege aiunt Indos ex ejus ditione, qui relictis idolis Christiana suscipiunt sacra, fortunis omnibus illico spoliari. Ab ejusmodi immanitate, et tu omnibus nervis amicum regem niteris avertere, et nos ipsi quoque in eamdem sententiam ad eum litteras dabimus. Socotoranam causam diligenter ipse tu mihi coram, et per litteras commendasti : eos ego populos e miserrima servitute ereptos admodum cupio, sed cum eo ne Turca, cujus in imperio sunt, acrius irritetur, classesque in isthæc maria mittere paulatim adsuescat. Piscarii littoris incolas cum aliis, injuriis affici a meis ducibus ferunt, tum vero cogi ad ea quæ piscantur sibi tantum iniqua conditione vendenda. Cavebis igitur etiam atque etiam ne populis iis liberum vendendi arbitrium adimatur, ducesque mei in commercio ejusmodi ne quid sibi proprium arrogent; atque ad cæteram quoque tollendam vexationem, videbis num ea littora sat custodiri, meaque vectigalia sat commode exigi sine classibus possint, quæ res si facultatem habuerit, non est cur illuc in posterum navigent. Præterea cum magistro Francisco Xaverio consultabis, atque dispicies num ad ejus Ecclesiæ incrementum expediat, fasve sit piscandi potestatem petere tantum iis, qui Christum induerint, cæteros quoad sapiant, eo quæstu et commodo prohiberi. Qui ex ethnicis ad Christum sese convertunt, eos audio tanquam sceleratos et sacros, a parentibus, cognatis amicisque tecto ejici, bonis everti, ac summa protinus in solitudine atque egestate versari : horum tu inopiæ sublevandæ, communicata cum Vasæo re, annuam e redditibus meis pecuniæ summam decernes distribuendam a sacerdote, qui ejusmodi neophytorum institutioni præfuerit.

« E Ceilano insula regius, uti fertur, adolescentulus, impias avunculine an parentis effugiens manus, Goam baptismi gratia se contulit, hujus in persona, quando ad aliorum conversionem haud leve momentum est, dabis operam, ut doctrina quidem ac moribus in D. Pauli collegio cum alumnis cæteris imbuatur : quod vero victum cultumque attinet, lauto separatim hospitio impensa mea copiose ac liberaliter habeatur. Significavit is ipse mihi per litteras ad Ceilani regnum sibi jus actionemque competere, quidnam hoc sit, totamque rem probe exploratam et cognitam ad me perscribes. Quod autem tyrannus in suos populares, qui Evangelio credidere, tam crudeliter sævit, seras quidem illas, verum tamen debitas tanto sceleri pœnas ab eo per te quamprimum exigi volo, et gravem audaciæ mercedem statui, quo intelligant omnes, nihil mihi esse antiquius, quam ut omni ex parte integri incolumesque serventur, qui a dæmonum castris ad Christiana sacra transierint. Ab ethnicis artificibus, Christi Domini, Virginis Mariæ, et sanctorum imagines pingi atque adeo circumferri venales, minime decorum est nomini Christiano : tu ergo cum proscriptionis ac virgarum minis edices, ne cui profano ejusmodi tabulas pingere aut vendere quoquo modo in posterum liceat. Parœciale Cocini templum, atque Colani dudum inchoata patere imbribus putrefacienda turpissimum est, utrumque, architectis ac fabris adhibitis, quamprimum tegendum ac perficiendum curabis. Placet etiam invito Noroa templum D. Thomæ Apostolo fieri. Calapore cœptam Sanctæ-Crucis ædem absolvi, itemque in Ciorano insula templum excitari. Præterea locis idoneis auditoria et scholas institui, ad quæ statis diebus non Christiana modo plebs catechismi causa, verum etiam ethnici ad Evangelium audiendum, vel inviti conveniant : quandoquidem in ista mea ditione mihi primum omnium et maximum est obsequium Dei et Christianæ religionis amplificatio; cupio vehementer e Salsetanis et Bardisiis finibus, quibus mihi nuper Idalcan cessit, idolorum cultum, ac profanas gentium superstitiones prorsus evelli, id quod citra tumultum ac vim hoc præsertim initio fiat expedit, rationibus ac disputationibus quam lenissime populos edoceri, quanto in errore ac veritatis ignoratione versentur, quamque, vel perversum, vel impium sit, cultum uni debitum Deo, simulacris lapidibusque ab homine tribui. Porro ad eas pellendas tenebras, alios viros adhibebis virtute et eruditione præstantes; tum vero ipse tu primarios gentis, evocare, alloqui, monere non desines, atque omni ratione ad Christum allicere. Qui sese dederint hosce in fidem receptos non tueberis modo, sed etiam pro suo quemque captu fovebis ornabisque. Hæc omnia scito nobis majorem in modum esse cordi : quæ singula te pro tua industria et probitate sedulo curaturum esse confidimus. Almerini VIII idus Martii MDXLVI ».

152. Hoc anno [1] S. Franciscus Xaverius in Indiis legatus Sedis Apostolicæ demandatum a Paulo III, convertendorum ethnicorum munus strenue exercens mense Maio ad insulam Mauricam appulit, ac dum forte die Michaeli archangelo sacro divinam rem de more faceret, repente tota insula contremuit, quod ille ita interpretatus est, ut diceret divum Michaelem deturbasse in tartara dæmones divino cultui adversantes, tot vero ethnicos ad Christum traduxit, ut in uno oppido, cui Tolum nomen est, ad viginti quinque millia capitum Christo initiata tradantur. At magna eorum pars postea Geliolii tyranni externi vim veriti seu gratiam inituri, simul a Christo atque a Lusitaniæ rege defecerunt; ac mox sacram ædem evertere, cruces et sacras imagines per ludibrium fregere, piorum bona invasere : at in perfidissimos apostatas mox divina ira sævit : eorum ager ex feraci squallidus et sterilis evasit, fruges in horreis corruptæ, aquæ amaræ effectæ, indeque plures mortales absumpti; Molucorum præfectus hortatu Xaverii in eos bellum capessivit, moxque Deus pro Lusitanis pugnare visus, nam antequam exscensionem facerent, sol circa meridiem a repentina caligine offusus est, atque ex vicini montis vertice horrendo cum fragore erupit incendium, vibrataque maxima cineris et pumicum vis, arcis fossas implevit, succussa terræmotu horrido terra tectorum magnam stragem fecit, tempestas tres dies noctesque tenuit : Tolani plures ruinis oppressi, plures in fugam acti, plures pavore consternati, cum armatus Lusitanus irruit, ac per aggestos pumices conscendit facile in mœnia, ac sine prælio arcem, urbem, regionemque subegit, pacemque victis dedit iis legibus, ut templum eversum reficerent, adempta piis restituerent bona, fidemque Christianam sanctissime colerent; subdit auctor : « Tam memorabilem victoriam divina magis quam humana ope partam etiam inter Barbaros constitit. Cæterum tam opportunum flagrantis montis auxilium, cum subita cineris ac pumicum congerie, communis Lusitanorum consensus acceptum Francisco retulit, qui velut alter Moses ipsis cum perfido hoste bellantibus, divinam opem conciliarat, ut cujus belli fautor extiterat, præcipuus quoque existeret adjutor ».

153. Meliapore [2] insignis ad memoriam accidit res : Lusitani suburbano in colle, ubi mactatum a barbaris Apostolum Dei Thomam fuisse docuimus, novum eidem Apostolo sacellum instruebant. Aperientibus fundamentum insculpta quadrato lapidi sanguineis et in speciem recentibus conspersa guttis apparuit crux, lapideo item circulo inclusa repandum in lilium desinens, insidet in summo columba : lætæ ab imo herbæ luxuriant : in eo circulo incisæ notæ cernuntur, quas propter vetustatem legi potuisse negant, quidam alii seorsum ad legendum adhibitos diversarum nationum Brahmanas duos præcipua eruditionis fama, haud parvo quidem labore, verumtamen congruenti amborum interpretatione, respondisse ferunt. Notas eas plurium litterarum singulas obtinere vim, iis Apostoli sancti martyrium, quale nos e traditione descripsimus, breviter contineri, atque illud nominatim (quod ipsæ testantur guttæ) Christi famulum inter ejus crucis adorationem et oscula cecidisse. Extractam ergo tabulam ac probe purgatam Lusitani confestim in ara gratulabundi constituunt, intentiore cura sacellum absolvunt. Nova inde loco frequentia, novus honos accessit, sed miraculo mox evidenti majorem in modum aucta religio; octo ante Christi Domini, tribus ante Apostoli natalem diebus, cum ab Ecclesia celebratur expectatio Virginei partus, in eam ædiculam Christiani rei divinæ convenerant. Mirum dictu, simul atque a sacerdote cœptum Evangelium est, universo inspectante populo crux ea, modicis primum stillis, largo dein sudore manavit, admota hinc tersui linteola sacra liquido cruentas ebibere maculas. Color etiam crucis e candido sensim in pallidum, ex pallido in atrum cessit : grato post hæc splendore ceruleus effulsit : ad extremum sacrificio peracto nativus rediit. Scilicet res tam nova et illustris ineffabili quodam gaudio delibutis adstantium animis, altos gemitus, pias acclamationes, vim lachrymarum excivit : neque vero proprium illius dumtaxat diei cœtusque id spectaculum fuit. Ex eo tempore singulis ferme annis eadem festa luce, eodem non modo sacrificii, sed etiam Evangelii momento recurrit, si quando intermissum est, ipso doctus eventu dierum aliquid portendi populus putat. Ac ne quis apud nos in tali tantaque re dubitandi foret locus, totam dein facti seriem publicis consignatam litteris, et operis effigiem e lapide ipso diligenter expressam Cocinensis episcopus in Europam sub initia Concilii Tridentini transmisit.

154. *Plures archiepiscopatus constituti in America.* — Propagata latius in America sive Indiis Occidentalibus religione Catholica plures episcopatus conditi sunt; ut referunt Acta Consistorialia [1] his verbis : « VIII Januarii erexit ad supplicationem Cæsareæ majestatis oppidum del Quito, aut Santi-Francisci del Quito nuncupatum, situm in Brasilia in insulis Indiarum Oceani, in civitatem, ut archiepiscopo Hispalensi jure metropolitico subsit, attributis pro dote a Carolo imperatore ducentis nonaginta ducatis auri annuis, deque persona Gar-

[1] Horat. Tursellin. in Vit. S. Franc. Xav. l. III. c. 3. — [2] Joan. Maff. hist. Indiæ l. XII. Tursellin. in Vit. S. Xav. l. II. c. 14.

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 474.

ziæ Dias Toletanæ diœcesis providit in episcopum et pastorem ».

155. Quo efferatiores fuere Brasilii et ab humano cultu abhorrentes, eo clariores triumphi de iis Christo adjunctis fuere.

In Mexicano etiam regno et aliis vastissimis provinciis novi episcopatus, proximo mense instituti sunt ad barbaras eas gentes ad Ecclesiæ castra traducendas, quo tempore plures sathanico astu illusi ab Ecclesia infelicissime desciverunt, placuit enim divinæ misericordiæ coronas cœlestes in eos transferre, quæ indigne a pluribus Europeis abjiciebantur oblitis ejus sacri moniti : *Vide ne coronam tuam alter accipiat.* Eorum vero episcopatuum provinciæ limites in Actis consistorialibus [1] subjectis verbis recensentur :

156. « XI Februar. MDXLVI, referente reverendissimo cardinali Burgensi, S. D. N. dismembravit et separavit ad supplicationem Cæsareæ majestatis singulas cathedrales Ecclesias insularum magni maris Oceani quæcumque essent, cum earum civitatibus et diœcesi, a provincia metropolitana Ecclesiæ Hispalensis, cui metropolitico jure suberant, de consensu moderni archiepiscopi Hispalensis, ac illarum præsules pro tempore existentes, necnon clerum et populum a superioritate, visitatione, correctione et jurisdictione pro existentis archiepiscopi Hispalensis, prorsus exemit et totaliter liberavit, ac de Mexico, cui Joannes de Zumarrga, et Sancti-Dominici, cui Alfonsus de Fuente Mayor, ac Regum Ecclesias in dictis insulis consistentes, cui Hieronymus de Lojasa de Mexico, et Sancti-Dominici, ac Regum episcopi præesse dignoscuntur, in metropolitanas, cum archiepiscopali dignitate, jurisdictione, ac omnimoda pallii et crucis delatione, et aliis metropoliticis insignibus erexit et instituit, ac eosdem Joannem, et Alfonsum, et Hieronymum illis in archiepiscopos respective præfecit et pastores, necnon de Mexico, de Antequeras, et de Mechoacan, ac de Texcala, et de Guatimala, ac civitatis regalis de los Navos, de Chiapa, et de proximo in nova Galitia, aliarumque limitibus et terminis dictæ Ecclesiæ de Mexico erigendarum et instituendarum cathedralium Ecclesiarum, ac Sancti-Dominici, Conceptionis, et de la Vega eidem Ecclesiæ Sancti-Dominici ad vitam dicti Alfonsi unitæ, si ab ea dissolvi contigerit, ac insulæ Sancti-Joannis de Puerto Rivo, et insulæ de Cuba, ac civitatis de Cozo provinciæ de la Veruevela, ac Sanctæ-Marthæ, et de Carthagena, necnon civitatis de Trugillo provinciæ de Hondras, Regum vero Ecclesiis prædictis del Cuzeo, et civitatis del Quito, ac Castellæ de auro provinciæ terræ firmæ, et civitatis Legionensis in provincia de Ricaregna, ac de Popatan, aliarumque in ejusdem Ecclesiæ Regum limitibus ; et provinciis similiter erigendarum cathedralium Ecclesiarum, civitates et diœceses pro suis provinciis, ac earumdem Ecclesiarum præsules pro tempore existentes pro earum suffraganeis, ac illarum capitula, clerum, et populum pro suis provincialibus clero et populo concessit et assignavit, cum clausulis opportunis et consuetis ».

Sub ejusdem Caroli V imperatoris auspiciis Popatensis episcopatus in Americæ provincia ejus nominis institutus est ut eadem Acta narrant [1] :

157. « XXII Augusti MDXLVI. Erexit ad supplicationem serenissimi dom. Caroli imperatoris oppidum, seu pagum de Popatam situm in provincia de Popatam Indiarum Maris Oceani in civitatem de Popatam nuncupandam, in qua erexit cathedralem sub invocatione beatæ Mariæ pro uno episcopo de Popatam nuncupando, qui illi præsit, et in ea, ac ejus civitate et diœcesi verbum Dei prædicet, ac eorum incolas infideles ad fidem convertat, et in ea instruat, necnon spiritualia ministret et ministrari faciat, ac jurisdictionem temporalem exerceat, necnon in ipsa Ecclesia dignitates et canonicatus, et præbendas, aliaque beneficia Ecclesiastica, cum cura et sine cura erigat, et archiepiscopo civitatis Regum pro tempore existenti jure metropolitico subsit. Subditur, ut Carolus V imperator annuum vectigal ducentorum aureorum episcopatui illi contulerit, cui Joannes Valle presbyter Segobiensis præfectus est ».

Addunt eadem Acta Consistorialia translatum fuisse ad Americæ, sive Novi-Orbis patriarchatum Ferdinandum archiepiscopum Granatensem :

« VIII. MDXLVI absolvit reveren. Ferdinandum archiepiscopum, nuper Granatensem, et eum ad præsentationem Cæsareæ majestatis, transtulit ad patriarchalem Ecclesiam Indiarum Maris Oceani, tunc per obitum bonæ memoriæ Gabrielis tit. sanctorum Joannis et Pauli vacantem, et curam ipsius Ecclesiæ, quæ sede patriarchali et capitulo caret, et cujus fructus nulli sunt, sibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Romæ apud S. Petrum ».

158. *Apud Armenos archiepiscopum Nazovanensem Paulus creat.* — Non prætermittendum etiam ducimus Paulum ad continendos in fide Catholica Armenos [2] creasse archiepiscopum Nazovanensem virum doctrina et pietate clarum ex Ordine Prædicatorum, qui in iis regionibus præclaram Christo et Ecclesiæ operam navabat.

« Romæ XXVII Januarii MDXLVI. Referente reverendissimo cardinali camerario providit Ecclesiam Nazovanensem in partibus Armeniæ,

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133.

[1] Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 490. — [2] Ibid. p. 476.

tunc per obitum quondam Benedicti de Masciocan olim archiepiscopi Nazovaniensis extra Romanam curiam defuncti, de persona D. Stephani Cazorzentis Ordinis Fratrum Prædicatorum professoris, qui ejusdem Ordinis in illis partibus professores juxta eorum laudabilem consuetudinem, sanctitati suæ ad hoc per eorum litteras nominaverant, ipsum in archiepiscopum præfecit ».

159. *Fratri Lusitaniæ regis ad cardinalatum evecto permittitur apud regem ipsum morari.* — Motus quoque idem Paulus rationabili desiderio regis Lusitani, benigne indulsit Henrico illius germano XVI kal. Januarii præcedentis anni ad cardinalatum evecto apud ipsum regem morari, ad quem finem pileum rubrum transmisit, et sequenti littera directa regi [1] associavit :

« Regi Portugalliæ.

« Charissime etc. Quanti ponderis apud nos sit voluntas majestatis tuæ, cum in cæteris, tum in hoc quoque gaudemus tibi ostendisse. Licet enim statuissemus, ut dilectus filius noster Henricus cardinalis Portugalliæ frater tuus veniret ad nos pro pileo rubro a nobis ipsis juxta veterem et probabiliorem morem recipiendo, denique apud nos commoraretur, ut opera, consilio et auctoritate ejus in hac tanta temporum et rerum difficultate, uti possemus ; tamen, ut cognovimus desiderium serenitatis tuæ nobis juxta tuas litteras per protectorem et agentem tuos declaratum de ipso cardinale apud te nunc retinendo, cunctis posthabitis respectibus, tuæ voluntati ac desiderio satisfaciendum duximus, firmiter etiam sperantes, ipsum cardinalem se membrum hujus sanctæ Sedis honorificentissimum reminiscentem isthic haud minorem ejusdem Sedis utilitati atque ornamento, quam si apud nos moraretur esse, posse, ac futurum esse : præsertim pio tuæ serenitatis favore accedente. Quemadmodum igitur ipsum Henricum adjutum quoque suis virtutibus in gratiam tuæ majestatis cardinalem creavimus, ita etiam eum absentem ipso pileo rubro in eamdem tuam gratiam ornandum existimantes, mittimus ad eumdem cardinalem ipsum pileum rubrum per dilectum filium Stephanum de Bubalis nobilem Romanum camerarium secretum nostrum exhibitorem præsentium, cui mandavimus, ut serenitate tua nostro nomine officiose atque amantissime salutata, nostram tibi paternam et intimam benevolentiam, sicut in hoc ostendimus, ita etiam in cæteris tuis honestis desideriis semper paratam fore crederet, cum te etiam pro tua pietate præstantissimique regis officio, et majorum tuorum consuetudine nobis in amore et observantia filiali responsurum esse speremus, quemadmodum tam ipse Stephanus, quam venerabilis frater Joannes archiepiscopus Sypontinus nuntius apud te noster hæc latius explicabunt. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum etc. die XV Octobris MDXLVI, anno XII ».

[1] Paul. III. lib. brev. an. XII. p. 304.

PAULI III ANNUS 14. — CHRISTI 1547.

1. *Disputatur de decreto residentiam præscribente.* — Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, Indictione quinta, in Tridentino Concilio, ut referunt ejus Acta ab Angelo Massarello conscripta [1] : « Prima Januarii fit Congregatio in qua examinatur, an sit simpliciter verum, quod per infidelitatem amittatur fides, cum habeamus exemplum beati Petri, qui licet infidelitate peccaverit, dum Christum etiam cum juramento negavit, fidem tamen non amisit, cum Christus ipse Petro dixisset : *Rogavi pro te, Petre, ne deficiat fides tua;* sed conclusum quod amittatur ».

In iisdem Congregationibus de tollendis impedimentis residentiæ episcoporum actum

[1] Diar. Conc. Trid. auct. Angel. Massarell. Ms. arch. Vat. p. 53. Epist. card. Farnes. apud Pallav. to. I. l. VIII. c. 18. num. 1.

fuit, quæ erat reformationis materia; multæ et diversæ sententiæ in medium prodierunt. Legatis autem jam mente Junio, quando post quintam sessionem decretum fuerat, ut de residentia tractaretur, Pontifex expresse præceperat, ne in decreto de reformatione residentiæ permitterent, ut de cardinalibus mentio fieret, nam isti cum præcipui Ecclesiæ senatores sint, decere non videbatur, ut ab aliis, quam a Summo Pontifice emendatione et pœna afficerentur, sicuti ipse postea cum peculiari Bulla executioni mandavit; et insuper jussit, ne in disputationem adduci paterentur, an residentia esset de jure divino necne, quia ubi de pœnis agendum erat, non debebat discuti an residentia esset de jure divino, cum esset res difficultatibus plena, et longum tempus ad disceptandum exigeret. Sed quando legati residentiæ decretum proposuerunt, quamvis ista duo capita evitaverint, tamen Hispani et alii, ut de istis etiam ageretur, postularunt; quibus cardinalis de Monte sic respondit, ut Acta Concilii a Massarello conscripta testantur [1] :

2. « Dictis sententiis, cardinalis de Monte : Non sum (inquit) ejus sententiæ, ut velim omnia a Patribus dicta recensere, neque illis respondere, qui ab aliis dissentire visi sunt; dicam tamen aliqua, et in primis, quod pertinet ad illam quæstionem, an residentia sit de jure divino? Reverendissimus dominus meus Giennensis multa dixit, sed tamen non mihi esse hujus sententiæ visus est, ut velit illam statui esse de jure divino. Et licet aliqui post eum ita tenuerint, nihilominus majori parti aliter visum est, et certe non absque ratione. Scimus enim nos et in hoc conveniunt omnes, residendum esse. Ad quid ergo, quo jure id facere teneamur explorare? certe si hoc sit, ne Pontifex dispenset, ridicula est ratio. Nam cum nullo episcopo non residenti dispensavit papa, etsi vellet dispensare, non propterea prohiberetur. Quando omnes fatemur aliqua esse impedimenta, quæ excusant episcopum non residentem; quid ergo hæc statuere, ut onus nostris humeris imponamus, quod ferre non valeamus? Alii fuerunt, qui cardinales omnino ad residentiam cogendos esse arbitrantur, allegantes chartulam quamdam quorumdam cardinalium, qui alias hoc bonum esse Pontifici suaserunt. Hoc sciant hi, nihil esse actum, tametsi cardinales ipsi interrogati a Pontifice sententias suas dixerint, tamen non super ea re facta fuit aliqua lex, idque in causa fuit, quod multo plures ex numero cardinalium, et alii, non consentientes, auctoritate juris ipsi Pontifici Maximo aliter faciendum esse, multis et maximis rationibus dixerunt. Sed quicquid sit, ego, quantum in me est, facile assentiar, idemque facturum puto reverendissimum collegam meum, ut omnes quocumque gradu sint et cujusvis existimationis, residere cogantur, legemque ferre, quantum unquam latam; ut tamen expresse nominentur cardinales, æquum esse non censeo. Videretur enim de illis male existimari. Unum est reliquum, quod admoneam Patres, quam brevissime possunt, sententiam dicant. Consumimus enim tres integras congregationes in hoc uno articulo de pœna contra non residentes, quibus potuissemus discutere decem et amplius capita ad residentiam pertinentia : quamobrem, si pauca hoc tempore expedientur, non putetis per nos stetisse; verum fiet decretum, et in prima Congregatione Patribus legendum exhibebitur.

3. « Die octava fuit Congregatio ad dicendum sententias super decretum de residentia. Giennensis : Etsi heri (inquit) dum legeretur decretum, auribus meis quodammodo applaudere visus sim, tamen re maturius considerata, et singulis decreti verbis bene pensatis, in eam descendo sententiam, ut mihi non placeat, et parcant mihi qui illud fecerunt, dico, quod nulla decreti pars, proœmio excepto, mihi placet; et ut aliqua tangam, videtur omitti provisio, ut episcopatus personis dignis concedatur, quod in primis curandum erat : deinde, quoad residentiam episcoporum, non video, quomodo provisum esse quisque dicere possit, nisi in primis caveatur expresse, quod nemo possit duos episcopatus obtinere, quocumque honore fulgeat, etiamsi cardinalis sit; alioquin decretum facimus inane et vanum, obligabimus habentes plures episcopatus ad impossibilia, quod nihil aliud est, quam conscientias illorum onerare, et nihil providere calamitatibus Ecclesiæ; quoad pœnam et executores pertinet, utrumque remedium mihi leve videtur. Si tamen videatur augenda pœna, non negligatur executio, et propterea sum in sententia, ut alias dixi, ut executores sint talium pœnarum Concilia Provincialia. Quæ quidem Concilia tot bonorum fuerunt causa, ut audeam dicere per ipsa conservari eam canonicæ disciplinæ partem, quam habemus : et miror aliquem tam sancto et pio instituto velle adversari, cum utique post tot Concilia generalia, etiam postremo loco Concilio Lateranensi ultimo confirmata fuerint. Quoad curatorum residentiam attinet, melius, arbitror, fuisset nihil dicere, quam ita demisse loqui; quinimo hoc confirmare est eorum excusationes, non illas tollere. Scio enim, non solere concedi in Romana curia, ut perpetuo quis non accedat, sed pro tempore : at confirmare ista nihil aliud est, quam introducere, ut auctoritate hujus Concilii nemo accedat. De revocandis vero exemptionibus, non video ad quid prosit decretum factum, nisi ut exempti in suis exemptionibus firmentur; nam si firmentur exemptiones in fundatione concessæ, si exempti ab

[1] Ms. card. Spadæ to. XII.

immemorabili tempore debent remanere exempti, si denique temporales exemptiones firmentur, quis erit hujus decreti fructus? aut in quibus casibus locum sibi vendicabit? Certe in nullo. De reliquis decreti partibus, non est, quod amplius loquar, hoc unum est, decretum mihi non probari, et magis esse conveniens Synodo nil agere, quam tale quid agere.

« Ad hæc cardinalis de Monte, cum non parum commotam Synodum animadvertisset ex verbis Giennensis : Ut Patres (inquit) melius rem totam teneant, paucis respondebo ad ea quæ reverendissimus dominus Giennensis dixit; et in primis, ut admoneamus et rogemus Summum Pontificem, ut episcopatus det dignis tali honore, id mihi cautum plane ipso decreto videtur, plene, inquam, quantum Synodo et nobis convenit. Certum est enim, nostrum non esse, legem in hoc præfinire Sanctissimo Domino nostro, et si antea aliquæ factæ fuerunt provisiones circa tales promotiones episcoporum, fuerunt factæ tunc cum per capitula fiebant promotiones episcoporum, quibus Synodus jubere poterat, at nostra alia est causa : propterea debet sufficere, et abunde quidem, id, quod in decreto provisum est. Legitque verba ipsius decreti in proœmio, ubi habetur: Sancta Synodus confidens sanctissimo Domino nostro ejusque successoribus, ut tales eligat episcopos, qui Ecclesiæ regimine juxta canonicas sanctiones digni sint. Quod vero pertinet ad pluralitatem episcopatuum, sciant Patres, id raro, et non sine magna causa Romæ concedi solere, ut liceat alicui duos episcopatus habere. Scio enim, quod cum reverendiss. Tridentinus, tunc in minoribus constitutus, fuisset a capitulo Brixinonensi postulatus, facta fuit maxima diligentia et diu disputatum, et tandem propter magnam Ecclesiæ utilitatem, hoc illi indultum fuit; ea maxime ratione, quia creditum est, illum ita posse melius quam alius, adversum Lutheranos et hæreticos resistere. Præterea habemus exemplum Gregorii, ut liceat alterum episcopatum in titulum, alterum in commendam habere. Sed quidquid sit, nunc de hoc non est sermo; quando de reformatione plenius agetur, tractabitur de hoc articulo, et circa hoc considerandum erit, et si placuerit, poterit tunc prohiberi multiplicitas episcopatuum. De pœna ego non curo, quicquid in hac parte placuerit Synodo, id facile sequar, idemque faciam de executoribus. Quanquam non video alium legitimum episcoporum executorem, præter papam. Quod ad exemptiones attinet, satis superque provisum est, nec amplius sine aliorum injuria concedi poterat, quam concessum est. Nam quoad ea privilegia, quæ exemptis in fundatione alicujus beneficii vel Collegiatæ Ecclesiæ concessa fuerunt, quæ tractu temporis in usu fuerant, cujus contrarii memoria non extat, iniquum esset illos suo jure privare. Quoad vero exemptiones temporales infirmari volumus, si ex causa et ad tempus; propterea additum est in decreto, contra certum prælatum. Quod autem ad curatorum residentiam pertinet, unus dumtaxat casus exceptus videtur, ut quando ad breve tempus concessæ sunt, veluti his, qui sunt in studiis, vel aliis hujumodi. Et propterea, salva pace domini mei optime decretum providisse videtur in omnibus his casibus. Tunc Giennensis cum ad hoc respondere vellet : Hoc (inquit cardinalis de Monte) esset in infinitum procedere. Nolo (inquit Giennensis) respondere, sed unum verbum addere, et hoc est : Me semper existimasse, in rebus reformationis plus posse uno die Pontificem quam Synodum uno anno, et propterea cuperem hæc per Sanctissimum Dominum nostrum sanciri, et nunc abstinendum esse a nobis, quando in rei veritate, hoc non est quod a nobis expectat mundus ».

4. Alii Patres [1] suas sententias super idem decretum non solum in ista Congregatione, sed etiam in aliis dixere, sed inter se adeo dissidentes, ut perdifficile esset ad unitatem adducere. Quare cardinalis de Monte, in Congregatione decima Januarii, ut in Diario Massarellus refert, ad Patres conversus : « Plures fuerunt (inquit) Patres, qui dixerunt in hoc decreto cardinales comprehendendos esse verbis expressis, sed si recte verba decreti ipsi perpendant, nihil dubitabunt, quin hoc decreto et cardinales comprehendantur; verba enim generalia sunt, et ad omnes qui quovis modo Ecclesias regunt, pertinent. Et ideo omnes, quovis colore illas obtineant, comprehendi in dubium non venit. Et si quid est, quod deesse videatur, suppleri potest. At dixerunt aliqui : nominentur ergo cardinales expressim. Hoc æquum, ut arbitror, non est, multis magnisque rationibus. Præcipue quod nec episcopi nec alii in decreto nominantur. Ideo ne quodammodo contradicere nobis ipsis videamur, quod esset, si diceremus, cardinales (quorum officium est papæ in concilio adesse) resideant: quomodo enim residebit, qui apud papam erit? Quoniam autem a multis probari video, ut renoventur Provincialia Concilia, sciant Patres, nobis quoque (quoad me tantum loquor) id non improbari, instaurationem Conciliorum provincialium (inquam) quæ ab uno metropolitano et suffraganeis ejusdem constituuntur, non plurium, veluti quæ nationalia vocant; hæc enim semper perniciosa fuere, illa vero, ut plurimum, salubria. Quamobrem mihi non displicet, nedum ut hujus decreti de residentia executores sint, sed etiam omnium, quæ ab hac sancta Synodo emanabunt. Verum hæc alia erit materia, et necesse erit hæc sanctæ Synodo referre. Alii alia multa

[1] Ms. card. Spadæ to. XII.

dixerunt, quæ ut breviori manu tractare possimus, cras de mane legum professores mecum erunt, et curabimus ut decretum ipsum aptetur.

5. « Hoc interim (ut Massarellus [1] ait) die Dominica, nona Januarii, fuit Congregatio prælatorum theologorum, qui diffuse egerunt de certitudine gratiæ, et tandem omnes convenerunt, quod nemo potest esse certus certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, de gratia Dei, quod magno gaudio, cum Dei laude factum est, approbatusque Can. XXVI, secundum censuram Parisiensem. Et propterea die undecima Januarii, hora XXI, fuit Congregatio generalis, in qua plures ex Patribus sententias dixerunt super decretum Justificationis. Giennensis cupiebat per Canones damnari tenentes certitudinem gratiæ, probaveruntque omnes decretum, paucis admodum exceptis, qui magis de quibusdam verbis, quam de re ipsa loquebantur. Deinde cardinalis Sanctæ-Crucis admonuit theologos, ut de mane essent coram eo, ut pauca hæc, quæ remanserant, ex theologorum voto aptarent, et huic decreto ultima manus imponeretur. Die vero Mercurii ejusdem fuit alia Congregatio generalis (quæ fuit ultima ante sessionem) in qua cardinalis de Monte : Habui, inquit, hoc mane consultationem cum D. prælatis juris professoribus, et tandem in hunc modum, præsente etiam reverendissimo D. Giennensi decretum aptavimus. Legit deinde ipsum decretum, quo lecto dixere Patres sententiam. Giennensis decretum probavit, si quædam non adeo maximi momenti adderentur. Aliorum desiderium, et Concilio in eo ut plurimum versata est, ut vellent omnino expressis verbis cardinales comprehendi. Itemque hoc decreto pluralitatem tum parrochialium, tum etiam metropolitanarum Ecclesiarum prohiberi. Dictis omnium sententiis cardinalis de Monte conversus ad Synodum, dixit : Post sex mensium quidem spatium, Deo juvante, cras hora XVI celebrabimus sessionem, et duo ista sanctissima decreta publicabuntur. Quoad primum de justificatione, certi sumus neminem aliquid desideraturum. Quo vero ad aliud de residentia, aptabimus nos illud in his, quæ votis Patrum adaptari posse videbimus. In reliquis, si quis vestrum erit, qui aliquam decreti partem non probet, id in ipsa sessione chirographo manu propria subscripto, significare poterit, quod quidem chirographum recipietur, et ad futuram rei memoriam registrabitur. Statuta est etiam, omnibus consentientibus, sessionis dies Feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ. Mox cardinalis de Monte podagræ dolore vexatus discessit. Egit tum cardinal. Sanctæ-Crucis de prælatorum contumacia, qua in re, instante Concilii promotore, placuit Patribus, ut tres ex Patribus per reverendissimos legatos deputarentur judices, ad processum faciendum contra episcopos absentes. Pacensis conversus ad Synodum, dixit, se adhuc permanere in sua sententia, ita ut animus non quiesceret suus, nisi iis decretis addatur clausula, Ecclesiam repræsentans, dictæque sunt multæ rationes a cardinali Sanctæ-Crucis, quare id fieri non deberet ».

[1] Act. Cong. Concil. Trid. Ms. card. Spadæ to. XII. Diar. Conc. Trid. Massarell.

6. *Sessio sexta*: *decretum et canones de justificativne.* — Celebrata est de more solemnis Sessio sexta (1) de qua hæc refert Diarii auctor : « Die Jovis, XII Januarii, anno salutis MDXLVII, fuit Sessio, in qua interfuerunt duo Sedis Apostolicæ legati, item cardinalis Tridentinus et Giennensis, decem archiepiscopi, quadraginta quinque episcopi. Nullus tamen orator principum interfuit. Nam Galli, qui soli ex omnibus Tridenti erant, ad Sessionem venire recusarunt, quoniam aiebant se nolle Cæsari injuriam facere, arbitrantes Cæsarem non sane libenter auditurum Sessionis hujus celebrationem, quod ex eo aiebant constare, ex quo ad Sessionem Didacus de Mendoza suus orator non venisset, et venisset, si Cæsari Sessionem placere cognovisset, tandem se venturos aiebant, et interventuros, si cardinalis Giennensis nomine Cœsaris huic sessioni interfuisset, et chirographo manu sua conscripto affirmaret, quod cum cardinalis Giennensis se facturum recusaret, domi permanserant Galli : cæterum missam celebravit archiepiscopus Salpensis, deinde decantatis Litaniis, et per diaconum Evangelio : *Vos estis sal terræ*, Matt. c. 5, ipse reverendiss. et illustriss. dominus cardinalis de Monte allocutus est Sanctam Synodum [1] :

7. « Magnus ille propheta Isaias, dignissimi antistites, prævidens lumen atque gloriam per Christum Ecclesiæ venturam, exclamavit : *Surge, illuminare, Jerusalem, quia venit lumen tuum*,

[1] In act. sess. 6. Ms. arch. Vat. sign. num. 319. p. 122. et Ms. sig. num. 3232. p. 251. Ms. card. Barber. sig. num. 23. et aliud Ms. card. Pii.

(1) Certa dies habitæ sessionis sextæ tum et Patrum numerus multo diligentius definiendi sunt. Die XII Januarii coivisse Patres in sessionem præter Pallavicinum et Suavium affirmant acta Curtembrochii, nec dissentiunt Acta ab annalista excerpta ; quanquam enim diem XII Januarii præferunt, diem tamen illam sessionis cum feria V componunt ; feria vero quinta eo anno in diem XIII non vero XII Januarii incidit. Sacris operatus est, non quidem episcopus Salpensis, ut Acta annalistæ mendose legunt, sed archiepiscopus Spalatensis ; neque enim Salpensis archiepiscopum, sed episcopum tantummodo egit. Qui tamen Salpensis pro concione verba fecit ad Patres et synodalia decreta perlegit. Affuerunt Patres « sexaginta octa et doctores quinquaginta sex », Curtembrochio teste, apud quem orationem episcopi Salpensis legas.

Proximæ sessionis ad diem III Martii indictæ Patres LX idem Curtembrochius recenset. MANSI.

et gloria Domini super te orta est; quam sane pulcherrimam jucundissimamque vocem his proximis solemniis sæpe repetitam, cum nunc lumen illud fulgentissimum fidei, spei et charitatis (quod pæne absconditum videbatur) iterum appareat, jure ac merito putamus a nobis hodie repeti posse : Surge igitur, et illuminare, Jerusalem, surge, inquam, tu, et illuminare, ipsius Christi Domini ac Dei nostri Sponsa dilecta nimis Ecclesia. Non te posthac hæreticorum versutiæ dolique decipient, ut scelus pro pietate, iniquitatem pro justitia, neglectum sacrorum pro religione, cæremoniarum contemptum pro cultu, servitutem carnis pro libertate legis Christianæ, confusionem, perturbationem, dissipationem pro recto bene beateque vivendi ordine, cuncta denique vitia pro virtutibus amplectaris.

« Cessent nunc, jam cessent irridere te hostes tui, probris contumeliisque lacessere, doctrinam tuam spernere, se puros, beatos, veritatis amatores falso jactent. Nam tenebræ quæ tot annos operuerunt terram, et caligo quæ tam longo tempore operuit populos, jam adveniente lumine, recedunt. *Populus, qui ambulabat in tenebris, jam videt lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis lux orta est eis. In lumine tuo ambulabunt gentes, et reges in splendore ortus tui.* Te audivimus, tua monita et jussa sequentes, tuas leges venerantes. *Leva in circuitu oculos tuos, et vide, omnes isti filii tui congregati sunt, venerunt tibi,* quo sua videlicet singulari prudentia, humanarum divinarumque rerum peritia, pietate demum et auctoritate, tuis prospiciant incommodis, tuis medeantur vulneribus, tuum tibi pristinum splendorem restituant, pro tua denique dignitate ac majestate tuenda, vel sanguinem et animam effundant.

« Unde, fratres sancti, vocationis cœlestis participes, cum et Ecclesiæ testimoniis, et re ipsa videamus apparuisse gratiam, et benignitatem, et lumen, atque gloriam Salvatoris nostri Dei, sine mora surgamus. Jam tempus est nos de somno surgere, satis superque satis dormivimus, satis induciarum dedimus callidissimo hosti ad seminanda zizania, parandas insidias, struendos laqueos, diffundenda venena, invadendos mactandosque greges nostros. Expergiscamur, vigilemus, laboremus, omnibus hominibus præbeamus nos ipsos exemplum bonorum operum, omnis conversatio nostra sit rationabilis, casta et sancta, quam infideles reprehendere nequeant, fideles imitari queant. Sedemus censores Christiani orbis, de religione ac fide, deque uniuscujusque vita et moribus judicantes. Decet propterea nos a nobis ipsis judicium auspicari, nos ipsos ante omnes alios in fide, spe et charitate corroborare, moresque nostros componere et in melius formare. Alioqui, ut D. Ambrosii verbis utamur, quis e turbida aqua potum sumat? Quis in cœno fontem requirat? quis ab intemperantibus hominibus aliquid hauriendum putet? quis nos alienæ causæ utiles credat quos viderit inutiles esse suæ?

« Audivimus in Evangelio dictum esse : *Vos estis sal terræ. Vos estis lux mundi :* Ad nullos alios verba illa magis quam ad nosmetipsos pertinere credi par est, ut scilicet sanæ doctrinæ veræque sapientiæ sale condire, et bonorum operum luce mundum illuminare debeamus, præcaventes in primis illud quod ipse Servator noster nos monet, ne si sal evanuerit, mittatur foras et conculcetur ab hominibus; memoresque æternæ ejus ac divinæ promissionis : *Qui autem fecerit et docuerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum;* nempe hac una ratione fit, ut ii, qui ex adverso sunt, vereantur et confundantur, suamque abnegantes impietatem et sæcularia desideria, sobrie, et juste et pie vivant, ac pacem Ecclesiæ reddant. Quod ut nobis clementissimus ipse Deus elargiri dignetur, Spiritus ejus almi præsidium atque opem supplices omnes una nobiscum implorate.

« Quibus verbis completis, ipse reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte invocavit auxilium Sancti Spiritus per hymnum : *Veni, Creator Spiritus;* cantoribus prosequentibus.

« His omnibus absolutis, reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis Sanctæ-Crucis secundus ipsius Concilii præsidens et legatus accessit ad Altare majus, ante quod ipsi reverendissimi et illustrissimi domini legati consederunt in faldistoriis versa facie ad sanctam Synodum, cæterisque prælatis sedentibus in locis suis secundum ordinem suarum promotionum. R. D. archiepiscopus Spalatinus accepit e manibus reverendissimorum et illustrissimorum dominorum legatorum decreta duo, quæ in hac sessione publicanda erant, alterum scilicet de Justificatione, et alterum de residentia episcoporum et aliorum inferiorum, ascendensque ambonem legit primum alta et intelligibili voce ipsum decretum de Justificatione ».

8. Distinctum est illud decretum capitibus sexdecim, quibus adjecti sunt anathematismi triginta tres contra hæreticos male sentientes de justificatione.

In Præfatione declaratur a Tridentina Œcumenica et generali Synodo præsidentibus in ea nomine Pauli III Pontificis Joanne Maria de Monte episcopo Prænestino, et Marcello S. Crucis presbyteris cardinalibus Apostolicæ Sedis legatis : « Exponi omnibus Christi fidelibus veram sanamque doctrinam Justificationis, quam Sol Justitiæ Christus Jesus fidei nostræ auctor et consummator docuit, Apostoli crediderunt, et Catholica Ecclesia Spiritu S. suggerente perpetuo retinuit, inhibendo ne deinceps audeat quisquam aliter credere, prædicare, aut docere,

quam præsenti decreto creditur ac declaratur ».

Primo capite decernitur, omnes homines, ut in decreto de peccato originali constitutum est, ex prævaricatione Adæ effectos filios iræ, servitutique Dœmonis addictos, ut nec gentes lege naturæ nec Judæi lege Moysis possent a peccato vindicari in gratiæ libertatem, licet liberum arbitrium extinctum non esset, sed viribus debilitatum.

Secundo docetur, Deum Patrem misertum generis humani, ante Legem et Legis tempore, promisisse Filium venturum, ac proposuisse propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, non solum pro nostris, sed etiam pro totius mundi peccatis.

Tertio decretum est, etsi ille pro omnibus mortuus sit, non tamen mortis ejus beneficio omnes potiri ; sed eos tantum, quibus meritum passionis ejus confertur : ut enim, qui ex Adam propagantur, peccatum contrahunt, ita qui in Christo renascuntur, per meritum passionis ejus gratiam justitiamque adipiscuntur, atque in regnum Filii dilectionis suæ e potestate tenebrarum erepti transferuntur.

9. Quarto sancitur post Evangelium promulgatum eam translationem in adoptionem filiorum Dei, non perfici sine lavacro regenerationis aut sine ejus voto ex Christi Domini oraculo : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei.*

Quinto declaratur, hominem adultum peccato inquinatum, non posse viribus naturæ disponere se ad gratiam justificantem, collustratum vero divina luce præveniente a Spiritu sancto posse, non ut omnino ipse nihil agat, cum eam motionem abjicere possit, si velit, nec tamen sine gratia Dei movere se ad justitiam, libera sua voluntate possit, quod testantur sacræ litteræ, cum dicitur : *Convertimini ad me, et ego convertar ad vos*, libertatis nostræ admonemur; cum respondemus : *Converte nos, Domine, ad te, et convertemur,* Dei nos gratia præveniri confitemur.

Sexto illustratur modus, quo adulti ante baptismalia sacra suscepta se comparant ad justificationem, excitari nimirum illos a divina gratia, ut fidem ex auditu concipiant, credant quæ divinitus revelata sunt, atque a Deo promissa atque in primis justificari per gratiam redemptionis, conceptoque peccatorum odio, et divinino timore perculsi, spem figant in Dei misericordia, proponantque suscepto baptismo novam ac piam vitam instituere, divinisque mandatis parere : quæ Evangelico illo oraculo continentur : *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, docentes eos servare omnia quæcumque mandavi vobis.*

10. Septimo decisum est, dispositionem, de qua dictum est : *Præparate corda vestra Domino*, præire justificationi, justificationemque non esse solam remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, et renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ et donorum supernaturalium, quibus homo ex injusto fit justus, et ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ.

De causis justificationis pronuntiatum est, finalem esse gloriam Dei et Christi, ac vitæ æternæ præmium : efficientem vero, misericordem Deum abluentem peccatorum sordes, et sanctificantem, consignantemque Spiritu sancto : causam meritoriam passionem Christi qua scelera nostra expiavit, nec tantum placavit divinam justitiam, sed etiam justificationem adoptionemque nobis promeruit : instrumentalem, Baptismum, quod est Sacramentum fidei, sine quo non fit justificatio : formalem denique, justitiam Dei, non qua ipse justus est, sed qua ipse justos nos efficit, ut simus *nova Dei creatura, diffusa charitate in cordibus nostris :* nec modo reputamur justi, sed etiam vere dicimur et sumus justi secundum mensuram, quam Spiritus singulis impartitur, et una cum remissione peccatorum per Christum, cui inserimur, Fides, Spes et Charitas infunduntur : sola enim fides non perfecte nos conjungit Christo, ut vere simus illius membra viva, cum sine operibus mortua sit : quare dictum est ab Apostolo neque circumcisionem valere, neque præputium, sed fidem, quæ per charitatem operatur, at de vera fide et justitia prolata est a Christo hæc sententia : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

Octavo illustratus verus sensus verborum Apostololi dicentis, *hominem gratis justificari per fidem,* dici per fidem, quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum, et radix omnis justificationis : sine qua impossibile est placere Deo : idèo vero dici justificari gratis « quia nihil eorum quæ justificationem præcedunt, sive fides, sive opera, ipsam justificationis gratiam promeretur : si enim gratia est, jam non ex operibus, alioquin ut idem Apostolus inquit, *gratia jam non est gratia.*

11. Nono confutatus est hæreticorum error asserentium justificationem sitam esse in fiducia inani et persuasione, sibi remissa esse peccata propter Christum, atque hac sola fide absolutionem justificationemque perfici : quasi qui hoc non credit, de Dei promissis, deque mortis et resurrectionis Christi efficacia dubitet; ut enim nemo de Sacramentorum virtute et efficacia dubitat, ita propter infirmitatem de recta dispositione sua ad gratiam pertimescere potest, *cum nullus scire valeat certitudine fidei,* cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum.

Decimo pronuntiat justificatum hominem per gratiam Christi, cooperante fide et bonis operibus perfectis, crescere posse in gratia et

justitia, ex oraculo D. Joannis : *Qui justus est, justificetur adhuc.* Et ex Jacobo Apostolo : *Videtis quoniam ex operibus justificatur homo, et non ex fide tantum.*

Undecimo promulgatum est prohibitam intentato anathemate impiam illam vocem ; Dei præcepta ad observandum esse impossibilia homini justificato : « Nam Deus impossibilia non præcipit, sed jubendo monet, et facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis, cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, et onus leve ». Tum subdit : « Itaque nemo sibi in fide sola blandiri debet putans fide sola se hæredem esse constitutum, hæreditatemque consecuturum, etiam si Christo non compatiatur, ut et conglorificetur : nam et Christus ipse, inquit Apostolus, didicit ex iis quæ passus est obedientiam, et consummatus factus omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ ».

Damnati etiam omnes, qui dicunt justum in omni bono opere peccare, vel ut sit dignus venia, aut quod intolerabilius est, æternas pœnas mereri, vel peccare qui præmiorum æternorum spe ad virtutes se excitarit.

12. Duodecimo, damnata quoque eorum vana præsumptio, qui certo statuunt se in numero esse prædestinatorum, quasi verum sit justificatum amplius peccare non posse ; aut si peccaverit, certam sibi resipiscentiam arrogare debeat. Non enim sciri posse sine divina revelatione quos Deus elegerit.

Decimo tertio sancitum est de perseverantiæ munere, obtineri tantum posse a Deo, qui stantem confirmare potest, ut stare perseveret, et cadentem restituere : firmissimam vero in Deo spem collocandam : « Deus enim, nisi illius gratiæ defuerimus, sicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle et perficere ». Formidandum tamen, cum sciamus in spem gloriæ, nondum in gloriam renatos, et in pugna, quæ superest cum carne, cum mundo, cum diabolo, victores esse non posse nisi cum Dei gratia.

Decimo quarto pronuntiatum est, peccantes post Baptismum amissam gratiam recuperare posse per Pœnitentiæ sacramentum, quod sancti Patres secundam, post naufragium, deperditæ gratiæ tabulam appellarunt. Hoc vero sacramentum Pœnitentiæ institutum a Christo cum dixit : *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt.* Atque adeo pœnitentiam Christiani hominis post lapsum differre a pœnitentia baptismali ; complectique non modo abstinentiam a prioribus peccatis, eorumque odium, sive cor humile et contritum, sed etiam eorumdem sacramentalem confessionem, saltem in voto, ac suo tempore peragendam, et sacerdotalem absolutionem, itemque satisfactionem per jejunia, eleemosynas, orationes et alia pia spiritualis vitæ sacrificia, non quidem pro pœna æterna, quæ vel sacramenti voto una cum culpa remittitur, sed pro pœna temporaria, quæ non tota semper, ut in Baptismo, dimittitur : hac enim plecti promerentur, qui ingrati gratiæ acceptæ immemores, templum Dei violare ac Spiritum sanctum pellere non perhorruerunt. De qua pœnitentia scriptum est : *Memor esto unde excideris, age pœnitentiam, et priora opera fac.*

13. Decimo quinto convicti impii assentatores peccantium, fingentes solo infidelitatis peccato justificationem amitti : cum Apostolus plura recenseat peccata lethalia, quibus fideles obstricti a regno Dei excluduntur ; et ab iis, divina adjuvante gratia, abstinere potuerint.

Decimo sexto, explicata est meriti ratio, et commendata fidelibus bona opera, quæ spernunt hæretici, cum dicat Apostolus, *Abundate in omni opere bono, scientes quod labor vester non est inanis in Domino :* bene enim operantibus usque in finem, et in Deo sperantibus proposita est vita æterna, et tanquam gratia filiis Dei per Christum Jesum misericorditer promissa, et tanquam merces ex ipsius Dei promissione bonis operibus et meritis fideliter reddenda. « Cum ille ipse Christus Jesus tanquam caput in membra, et tanquam vitis in palmites in ipsos justificatos jugiter virtutem influat, quæ virtus eorum bona opera semper antecedit, et comitatur, et subsequitur, et sine qua nullo pacto Deo grata et meritoria esse possent ». Et paulo post : « Itaque neque propria nostra justitia, tanquam ex nobis propria statuitur, neque ignoratur, aut repudiatur justitia Dei, quæ enim justitia nostra dicitur, quia per eam nobis inhærentem justificamur, illa eadem Dei est, quæ a Deo nobis infunditur per Christi meritum ». Et infra : « Absit tamen ut Christianus homo in seipso vel confidat, vel glorietur, et non in Domino, cujus tanta est erga homines bonitas, ut eorum velit esse merita, quæ sunt ipsius dona ». Additum est, quia in multis omnes offendimus, divinæ spei divinum timorem conjungendum, quia humana vita non humano judicio, sed divino excutienda et judicanda est.

Huic doctrinæ sive decretoriæ sententiæ adjuncti sunt triginta tres Canones, quibus defixi anathemate promulgantur, qui doctrinam de justificatione respuerent.

DE JUSTIFICATIONE.

CANON I.

14. « Si quis dixerit hominem suis operibus, quæ vel per humanæ naturæ vires vel per legis doctrinam fiant, absque divina per Jesum Christum gratia posse justificari coram Deo ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, ad hoc solum divinam gratiam per Christum Jesum dari, ut facilius homo juste vivere ac vitam æternam promereri possit, quasi per liberum arbitrium sine gratia utrumque, sed ægre tamen et difficulter possit; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, sine præveniente Spiritus sancti inspiratione atque ejus adjutorio, hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari, assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac præparet; neque posse dissentire, si velit, sed velut inanime quoddam nihil omnino agere, mereque passive se habere ; anathema sit.

CANON V.

« Si quis liberum hominis arbitrium post Adæ peccatum amissum et extinctum esse dixerit, aut rem esse de solo titulo, imo titulum sine re ; figmentum denique a Satana invectum in Ecclesiam; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit non esse in potestate hominis vias suas malas facere, sed mala opera, ita ut bona Deum operari, non permissive solum, sed etiam proprie et per se, adeo ut sit proprium ejus opus non minus proditio Judæ, quam vocatio Pauli; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, opera omnia, quæ ante justificationem fiunt, quacumque ratione facta sint, vere esse peccata, vel odium Dei mereri; aut quanto vehementius quis nititur se disponere ad gratiam, tanto eum gravius peccare; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit , gehennæ metum , per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit, sola fide impium justificari, ita ut intelligat nihil aliud requiri quo ad justificationis gratiam consequendam cooperetur, et nulla ex parte necesse esse, eum suæ voluntatis motu præparari atque disponi; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit, hominem sine Christi justitia per quam nobis meruit justificari, aut per eam ipsam formaliter justos esse; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit homines justificari, vel sola imputatione justitiæ Christi, vel sola peccatorum remissione, exclusa gratia et charitate, quæ in cordibus eorum per Spiritum sanctum diffundatur, atque inhæreat, aut etiam gratiam, qua justificamur, esse tantum favorem Dei; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit, fidem justificantem nihil aliud esse, quam fiduciam divinæ misericordiæ peccata remittentis propter Christum; vel eam fiduciam solam esse, qua justificamur; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit, omni homini ad remissionem peccatorum assequendam necessarium esse, ut credat certo, et absque ulla hæsitatione propriæ infirmitatis et dispositionis, peccata sibi esse remissa; anathema sit.

CANON XIV.

« Si quis dixerit, hominem a peccatis absolvi ac justificari, ex eo quod se absolvi ac justificari certo credat; aut neminem vere esse justificatum, et hac sola fide absolutionem et justificationem perfici; anathema sit.

CANON XV.

« Si quis dixerit, hominem renatum et justificatum teneri ex fide ad credendum, se certo esse in numero prædestinatorum; anathema sit.

CANON XVI.

« Si quis magnum illud usque in finem perseverantiæ donum se certo habiturum absoluta et infallibili certitudine dixerit, nisi hoc ex speciali revelatione didicerit; anathema sit.

CANON XVII.

« Si quis justificationis gratiam nonnisi prædestinatis ad vitam contingere dixerit, reliquos vero omnes qui vocantur, vocari quidem, sed gratiam non accipere, utpote divina potestate prædestinatos ad malum; anathema sit.

CANON XVIII.

« Si quis dixerit Dei præcepta homini etiam justificato, et sub gratia constituto, esse ad observandum impossibilia; anathema sit.

CANON XIX.

« Si quis dixerit nihil præceptum esse in Evangelio præter fidem, cætera esse indifferentia, neque præcepta, neque prohibita, sed libera; aut decem præcepta nihil pertinere ad Christianos; anathema sit.

CANON XX.

15. « Si quis hominem justificatum et quantumlibet perfectum dixerit non teneri ad observantiam mandatorum Dei et Ecclesiæ, sed tantum ad credendum, quasi vero Evangelium sit nuda et absoluta promissio vitæ æternæ, sine conditione observationis; anathema sit.

CANON XXI.

« Si quis dixerit Christum Jesum a Deo hominibus datum fuisse, ut redemptorem cui fidant; non etiam ut legislatorem, cui obediant; anathema sit.

CANON XXII.

« Si quis dixerit justificatum, vel sine speciali auxilio Dei in accepta justitia perseverare posse, vel cum eo non posse; anathema sit.

CANON XXIII.

« Si quis hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse neque gratiam amittere; atque ideo eum qui labitur et peccat, nunquam vere fuisse justificatum; aut contra, posse in tota vita peccata omnia, etiam venialia, vitare, nisi ex speciali Dei privilegio, quemadmodum de beata Maria Virgine tenet Ecclesia; anathema sit.

CANON XXIV.

« Si quis dixerit justitiam acceptam non conservari, atque etiam non augeri coram Deo per bona opera, sed opera ipsa fructus solummodo et signa esse justificationis adeptæ, non autem ipsius augendæ causam; anathema sit.

CANON XXV.

« Si quis in quolibet opere justum saltem venialiter peccare dixerit, aut quod intolerabilius est, mortaliter, atque ideo pœnas æternas mereri; tantumque ob id non damnari, quia Deus ea opera non imputet ad damnationem; anathema sit.

CANON XXVI.

16. « Si quis dixerit justos non debere pro bonis operibus, quæ in Deo fuerint facta, expectare et sperare æternam retributionem a Deo, per ejus misericordiam et Jesu Christi meritum, si bene agendo et divina mandata custodiendo usque in finem perseveraverint; anathema sit.

CANON XXVII.

« Si quis dixerit nullum esse mortale peccatum, nisi infidelitatis; aut nullo alio, quamtumvis gravi et enormi, præterquam infidelitatis, peccato, semel acceptam gratiam amitti; anathema sit.

CANON XXVIII.

« Si quis dixerit, amissa per peccatum gratia, simul fidem semper amitti, aut fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, licet non sit viva; aut eum qui fidem sine charitate habet, non esse Christianum; anathema sit.

CANON XXIX.

« Si quis dixerit eum qui post Baptismum lapsus est, non posse per Dei gratiam resurgere : aut posse quidem, sed sola fide amissam justitiam recuperare sine Sacramento Pœnitentiæ, prout sancta Romana et universalis Ecclesia a Christo Domino, et ejus Apostolis edocta, huc usque professa est, servavit et docuit; anathema sit.

CANON XXX.

« Si quis post acceptam justificationis gratiam cuilibet peccatori pœnitenti ita culpam remitti, et reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis exsolvendæ, vel in hoc sæculo, vel in futuro in Purgatorio, antequam ad regna cælorum aditus patere possit; anathema sit.

CANON XXXI.

« Si quis dixerit justificatum peccare, dum intuitu æternæ mercedis bene operatur; anathema sit.

CANON XXXII.

« Si quis dixerit hominis justificati bona opera ita esse dona Dei, ut non sint etiam bona ipsius justificati merita; aut ipsum justificatum bonis operibus, quæ ab eo per Dei gratiam et Jesu Christi meritum, cujus vivum membrum est, fiunt, non vere mereri augmentum gratiæ, vitam æternam, et ipsius vitæ æternæ (si tamen in gratia decesserit) consecutionem, atque etiam gloriæ augmentum; anathema sit.

CANON XXXIII.

« Si quis dixerit per hanc doctrinam Catholicam de justificatione, a S. Synodo hoc præsenti decreto expressam, aliqua ex parte gloriæ Dei vel meritis Jesu Christi Domini nostri derogari, et non potius veritatem fidei nostræ, Dei denique ac Christi Jesu gloriam illustrari; anathema sit.

17. *Animadversiones quorumdam Patrum circa titulum decreti.* — « Perlecto decreto de

justificatione una cum canonibus, R. D. archiepiscopus Spalatrensis interrogavit Patres, an placeret, per hæc verba, videlicet : Reverendissimi et illustrissimi Domini , placentne hæc omnia vobis ? Tunc a reverendissimo et illustrissimo D. card. de Monte primo præsidente et legato responsum est his verbis, videlicet : Placent, et ita cum magna veneratione suscipimus, et amplectimur hanc sanctam et Catholicam de justificatione doctrinam. Et successive a reverendissimo et illustrissimo D. card. S. Crucis secundo præsidente et legato responsum fuit per eadem verba formalia. Deinde quilibet ex Patribus interrogatus fuit singulariter a me Angelo Massarello sacri Concilii secretario, an placerent. Et primum reverendissimus et illustrissimus dominus card. Tridentinus dixit hæc verba, videlicet : Placebunt omnia probata per sanctam Synodum, quia ego non interfui Congregationibus. Postea reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis Giennensis, et successive archiepiscopi et episcopi cæterique prælati responderunt omnes per verbum : Placent, proferens fere quilibet hæc verba formalia : Placent, et magna cum reverentia et devotione suscipio, et amplector sanctam hanc Catholicam et salutarem de justificatione doctrinam, et anathematizo omnes, qui eam non receperint. Dederunt tamen aliqui schedulas infrascriptas, videlicet :

« R. D. Archiepiscopus Turritanus.

« Sanctam hanc et Catholicam de justificatione doctrinam, fidem et regulam amplector et veneror ego archiepiscopus Turritanus : et sic fideliter toto corde suscipio. Ita me Deus perpetuo justificare dignetur. Amen.

« Et quod sancta Tridentina hæc Synodus tenet, teneo : quod anathematizat, anathematizo.

« Idem archiepiscopus manu propria subscripsi, et placet decies.

« R. D. episcopus Senogalliensis.

« Patres amplissimi, quantum nefas opinor repugnare conformibus sententiis vestris, et tantumdem reluctante conscientia quidquam statuere. Ut igitur ex his tricis eo modo, quo possumus, in præsentiarum me ipsum explicem, eas partes decreti, in quibus cum de misericordia Dei diminute tractatum fuisse censui, rationibus in Congregationibus adductus, exonerando conscientiam meam , atque vestras onerando comprobo, dummodo conformentur in omnibus et sacræ Scripturæ et sanctorum Patrum sententiis, quemadmodum profitemur, qua lege reliqua mihi probantur omnia. Articulum præterea certitudinis gratiæ ea lege comprobatum volo, si quemadmodum a sacrosancta Synodo decretum fuit, opiniones tantummodo confutentur hæreticorum.

« Marcus episcopus Senogalliensis.

« Reverendus dominus episcopus Sibinicensis.

« Decretum sanctissimum justificationis in omnibus suis partibus mihi summopere placet, quo vero ad proœmium ipsius decreti, videlicet *Universalem Ecclesiam repræsentans*, aliqui ex reverendis patribus objecerunt titulum Constantiensem, quod Concilium ab Ecclesia revera est receptum : propterea dico et respondeo cum B. Augustino ; distingue tempora, et concordabis Scripturas. Intelligo considerandum esse quo, et quali tempore, quave ratione Concilium Constantiense ista dixerit, nimirum tempore schismatis, quo erant tres quorum quilibet se verum papam asserebat, et in tali casu et tempore schismatis fateor Concilium esse supra papam, quia aliter non posset Ecclesiæ Dei provideri, et scandalum exitiale schismatis non posset extingui. Hoc enim unicum est remedium in terris : aliorum autem temporum non est similis ratio, et propterea aliis temporibus talis clausula, videlicet *Universalem Ecclesiam repræsentans* (prout ipsi Patres asserunt) non debet apponi, et præsertim ad removenda multa scandala, quæ exinde possent oriri in Ecclesia Dei, maxime his temporibus. In summa dico, clausulas illas Concilii Constantiensis esse intelligendas tempore schismatis, non alio, et ideo non esse apponendas. Quidquid videtur aut simile reperitur in Actis ejusdem Concilii Constantiensis, ad idem tempus schismatis censeo referendum : cum ante nihil unquam tale in ullo Concilio fuerit constitutum : imo potius trecenti illi Patres, qui sub Marcellino papa et propter Marcellinum collecti fuerunt, asseverant primam Sedem, id est, Romanam, a nemine judicari : atque propterea non ipsi damnant aut deponunt Marcellinum ; sed eo instante ipsi (inquiunt) ex tuo ore ipse judicabis, et ex tuo ore condemnabis, nam primam Sedem nemo judicat, prout recitatur in decretis Gratiani 21. dist. c. *Nunc autem*. Itaque non expedit, ut hoc temporis talis clausula decreto inseratur, sed fuerit satis statuere, hoc sacrum Concilium esse Generale aut Œcumenicum, quando id fuit satis Concilio illi frequentissimo et celeberrimo Chalcedonensi, reliquisque priscis, quorum auctoritas et nunc est, et merito erit semper gravissima atque sanctissima. Hæc pauca volui dixisse submittens me correctioni reverendissimorum et illustrissimorum dominorum meorum præsidentium et hujus sacrosanctæ Synodi.

« Reverendus dominus episcopus Lancianensis.

« Displicet, ut non ponatur in tit. decreti de Justificatione *Universalem Ecclesiam*, et quia non confodiuntur hæretici contrarium asserentes.

« Joannes episcopus Lancianensis.

« Reverendus dominus episcopus Pacensis.

18. « Decretum de Justificatione summe

probo, quandoquidem video illud esse pium, sanctum, et vere Christianum. Opto tamen in titulo apponi illa verba, scilicet *Universalem Ecclesiam repræsentans :* absit a me hoc velim, ut in ullo conveniam cum schismaticis, quos omnes minus bene sentientes de auctoritate Sedis Apostolicæ detestor et execror, ut verum decet Christianum ; sed quoniam mihi pro re compertissima habeo Concilium Universale rite indictum et congregatum ab eo, qui habet hanc potestatem, nempe a summo Pontifice Christi vicario (ut est hoc Concilium Tridentinum) repræsentare Ecclesiam Universalem, ut tenent D. Gregorius cap. *Sicut,* bonæ memoriæ Gelasius papa c. *Majores* 24 q. I, idem Gelasius c. *Confidimus* 25. q. I. facit sexta Synodus actione 17. cum dicit : *Hoc Sanctum universale nostrum congregans collegium totius Ecclesiæ adunavit compaginem.* Unde hoc *sanctum nostrum universale :* etc. quare si hæc verba non apponuntur, videtur Concilium privari suo proprio et debito titulo.

« Item notum est Concilium Constantiense fuisse usum hac præfatione, non tantum propter schisma, quod tunc erat in Ecclesia, sed, ut ex eo constat, quia Wicleff, Joannes Hus et Hieronymus a Praga, quorum errores in eo Concilio damnati sunt, falso asserebant, Concilium Universale rite congregatum non vere repræsentare Ecclesiam Universalem, quod postea approbavit Martinus V in sua Bulla, et præcepit inquiri contra omnes suspectos quod favissent dictis hæreticis, scilicet Wicleff, Hus, et Hieronymo a Praga, vel credidissent illorum erroribus, dicens quod interrogentur inter alia si credant, teneant et asserant, quodlibet Concilium Generale, et etiam Constantiense repræsentare Universalem Ecclesiam » : et post alia : « Liber etiam Cæremonialium, lib. I. cap. de Concilio generali fol. 62. dicit eam esse observantiam Conciliorum, cum summus Pontifex est præsens in Concilio, omnia expediantur sub nomine papæ et per ejus Bullam ; cum autem est absens, sub nomine Concilii, additis illis verbis, *Universalem Ecclesiam,* etc. Meminerint etiam reverendissimi legati, quod cum in principio Concilii fuit controversum de his verbis apponendis in titulo, dictum fuit quod, cum causæ graviores tractandæ essent, maxime quæ spectant ad fidem, apponenda erant illa verba in titulo. Cum igitur in decreto de justificatione agatur de fide nostra, itaque de re gravissima, non video cur non debeant apponi in titulo.

« Franciscus episcopus Pacensis.

« Reverendus dominus episcopus Calagurritanus.

19. « Placet decretum in omnibus, nisi in eo, quod desunt verba illa : *Universalem Ecclesiam repræsentans,* in titulo ejus.

« Episcopus Calagurritanus.

« Quibus votis collectis, et reverendissimis et illustrissimis dominis præsidentibus significatis, ipse illustrissimus dominus cardinalis de Monte dixit alta et intelligibili voce hæc verba, videlicet : Gratias innumeras agimus omnipotenti Deo, sanctum hoc decretum de justificatione approbatum esse universaliter ab omnibus uno consensu.

20. *Approbatur decretum de residentia, sed nonnihil emendatum.* — « Deinde idem reverendus dominus archiepiscopus Spalatensis, existens adhuc in ambone, legit decretum de residentia episcoporum et aliorum, in quo hæc primo capite : Quia integritas præsidentium salus est subditorum, continentur : Eadem sacrosancta Synodus, eisdem præsidentibus et Apostolicæ Sedis legatis, etc.

« Quia nonnulli (quod vehementer dolendum est) hoc tempore reperiuntur, qui propriæ etiam salutis immemores, terrenaque cœlestibus, ac divinis humana præferentes, in diversis curiis vagantur, aut in negotiorum temporalium sollicitudine, ovili derelicto, atque ovium sibi commissarum cura neglecta, sinunt sese occupatos esse, placuit sacrosanctæ Synodo antiquos canones, qui temporum atque hominum injuria pæne in dissuetudinem abierunt, adversus non residentes promulgatos innovare, quemadmodum virtute præsentis decreti innovat, ac ulterius pro firmiori eorumdem residentia, de reformandis in Ecclesia moribus, in hunc qui sequitur modum statuere atque sancire. Si quis a patriarchali, primatiali, metropolitana, seu cathedrali Ecclesia, sibi quocumque titulo, causa, nomine seu jure commissa, quacumque ille dignitate, gradu et præeminentia præfulgeat, legitimo impedimento, seu justis et rationalibus causis cessantibus, sex mensibus continuis extra suam diœcesim morando abfuerit, quartæ partis fructuum unius anni fabricæ Ecclesiæ, et pauperibus loci per superiorem Ecclesiasticum applicandorum pœnam ipso jure incurrat. Quod si per alios sex menses in hujusmodi absentia perseveraverit, aliam quartam partem fructuum similiter applicandam eo ipso amittat. Crescente vero contumacia, ut severiori sacrorum canonum censuræ subjiciatur, metropolitanus suffraganeos episcopos absentes, metropolitanum vero absentem suffraganeus episcopus antiquior residens sub pœna interdicti ingressus Ecclesiæ eo ipso incurrenda infra tres menses, per litteras, seu nuntium Romano Pontifici denuntiare teneatur, qui in ipsos absentes prout cujusque major aut minor contumacia exegerit, suæ supremæ Sedis auctoritate animadvertere, et Ecclesiis ipsis de pastoribus utilioribus providere poterit, sicut in Domino noverit salubriter expedire ».

21. Capite secundo decreti ejusdem jussi episcopi adigere sacerdotes ad personalem resi-

dentiam obstrictos, ut eam exhibeant pro divini cultus amplificatione, et optimo Ecclesiarum regimine gerendo, ac in reluctantes legibus animadvertere, rescissis omnibus contrariis prærogativis.

Tertio capite imperatum est Ecclesiarum prælatis, ut severitatem in subditos criminum reos distringant, ac regulares extra monasterium vagantes ex canonicis sanctionibus coerceant.

Quarto capite canonicorum collegia in Ecclesiis principibus episcoporum auctoritati subesse jussa, pronuntiatumque in eosdem canonicos ab episcopis inquiri et animadverti posse, si a suo munere defecerint, et omnia contraria acta et privilegia quovis modo concepta deleta.

Quinto capite decretum, ut nullus episcopus cujusvis prærogativæ prætextu in aliena diœcesi pontificale munus, sine ordinarii præsulis facultate data, exercere possit. Subdunt Acta Concilii :

22. « Quo decreto lecto, rogavit patres, num sibi decretum placeret. Cui reverendissimus de Monte sibi placere respondit, et cum eo multi fuere : tamen plures multa in decreto desiderarunt, dederuntque ipsi chartulas, quibus eorum sententia explicata erat : omnium itaque collectis votis, cum difficile tunc foret omnes schedulas percurrere, et singulorum sententias excutere, reverendissimus de Monte dixit : Patres omnes probant decretum exceptis quibusdam particulis, de quibus habebitur sermo in Congregatione. Quod cum omnibus placuisset, idem episcopus ex Patrum voto unanimi, pronuntiavit futuram sessionem tenendam esse Feria quinta post primam Dominicam Quadragesimæ. Post hæc Hercules Sevarolus promotor Concilii accusavit contumaciam omnium prælatorum absentium, et petiit illos ut contumaces haberi et declarari, et propterea eos incidisse in censuras et pœnas tam in jure, quam in ea a sanctiss. D. N. expressas. Cui reverendissimus de Monte : Placet, inquit, de accusatione contumaciæ, et declaramus adversus omnes, exceptis legitime impeditis, procedendum esse per dominum episcopum Aquensem, episcopum Asturicensem, et Alifanensem, quos ad hoc specialiter deputamus. Placuit omnibus deputatio et contumaciæ accusatio adversus omnes, exceptis tamen Germanis episcopis, tanquam notorie impeditis. Mox idem promotor petiit auctoritate sanctæ Synodi, moneri omnes prælatos præsentes ne ab hac civitate discederent, ante finitam proximam sessionem, sub pœnis excommunicationis et privationis omnium officiorum et beneficiorum Ecclesiasticorum ipso jure incurrendis. Ad cujus petitionem reverendissimus cardinalis de Monte : Placet, inquit, omnes prælatos moneri; et ita omnes hac monitione, quam pro trina et canonica haberi volumus, sub pœnis prædictis, monemus et requirimus, ne discedant ab hac civitate ante finem sessionis subsequentis : quod et alii probaverunt, paucis admodum exceptis. Postremo idem promotor petiit, per notarium et protonotarium præsentes fieri unum vel plura Instrumenta de omnibus et singulis gestis, solutaque est Synodus, cum jam esset hora XXIII ».

23. Absoluta igitur sexta Sessione, ita Acta Concilii loquuntur. « Die Decima quinta ejusdem mensis Januarii fuit Congregatio, in qua cardinalis de Monte laudavit summopere Patres de concordia eorum super decreto de justificatione. Tum idem diversas recensuit Patrum sententias quæ exhibitæ per chirographum fuerant super decretum residentiæ : Fuere, inquit, viginti et octo qui decretum simpliciter probaverunt, sex qui nomine cardinalium exprimi desiderarunt ; quatuor, qui titulum Ecclesiæ Universalis vellent addi in decreto ; totidem, qui unam reformationis partem sine altera sanciri non debere affirmarent ; duodecim, qui pœnas contra non residentes statutas, desiderarunt ad jus commune reduci. Tum addidit : Scitis vos, Patres, iis, qui nomina cardinalium exprimi desiderabant, sæpius responsum esse, itaque non placet, neque æquum est nominare expresse. De titulo sæpius dictum est, adhuc tamen si quis dubitat, videre poterit in Cajetano et Turrecremata adversantibus Concilio Basileensi et Constantiensi, in hoc, quod in decretis suis nomen *Universalis Ecclesiæ* repræsentans apposuerunt. Legitque Patribus eorum hac de re sententiam. His autem, qui unam partem reformationis sine altera non esse expediendam censuerunt, non est quid respondere oporteat, adeo ab omni ratione aliena est eorum sententia. De pœnis vero et de Provincialibus Conciliis, sufficiant ea quæ a me proximis diebus dicta fuerunt. Hoc unum adderem, me cogitare in futurum abstinere a Congregatione, postquam video plures ita dura cervice, ut ex sua opinione nulla ratione divelli queant, et certe si ita agendum est, frustra hunc laborem Congregationum assumimus. Cogitent igitur Patres, quid hac de re agendum sit : ego illorum opinionem libenter audiam ; quæ vero in futurum tractanda erunt, sunt hæc, videlicet, de dogmatibus et materia Sacramentorum. De reformatione vero agetur, et de impedimentis episcoporum. Expedienturque omnia, quæ ad decretum de residentia pertinent. Ad hæc cardinalis Giennensis : Ego simpliciter (inquit) decretum probavi et probo, quantum ad me attinet, et desideravi ab omnibus item probari, verum postquam aliter se habuit, optimum esse arbitror, de hac ipsa re habere aliquas Congregationes particulares, et de consensu jurisperitorum, ac demum Congregationis generalis aptare decretum ; idque

non parum Patribus placere videbatur: fuere tamen, ut Asturicensis et Calagurritanus, qui omnino publicandum decretum dixerunt post decretum admonitionis pœnarum, quod et in aliis Conciliis, et præcipue in ultimo Lateranensi factum fuisse constat. Quibus cardinalis de Monte: Non est par ratio (inquit) illius atque istius Concilii, et non est unus, aut alter, qui dissentit, sed plures admodum. Et propterea satius existimo decretum ipsum non publicare, quam tot notis in illo appositis edere. Ad hæc Pacensis: Non (inquit) titulum desideravi inscribi decreto alia de causa, quam ut hæreses damnarentur, constat enim inter alias hæreses, hanc unam præcipue Lutheranos opinionem sequi, ut negent Concilium legitime congregatum Ecclesiam Universalem repræsentare. Cui cardinalis de Monte dixit: Si hac causa quisque movetur, bono zelo eum moveri necesse est; sed ne amplius hoc desideret quisque, facile fiet, si in uno atque altero articulo hanc adversariorum hæreticam sententiam damnaverimus, quod cum omnes probare viderentur, episcopus Salutiarum: Credo, inquit, Patres, et multis quidem rationibus, Concilium Ecclesiam Universalem non repræsentare, nam cum constet ex capite et membris, non potest totum corpus repræsentare sine capite, quod est Christi vicarius. Item Ecclesia constat ex vivis et mortuis, ac hic nulli mortui reperiuntur. Præterea Ecclesia est omnium fidelium, et constat extra hoc gremium multos esse fideles. Addebat et alia in hanc sententiam, sed ejus oratione adeo Patres commoti sunt, dicentes hanc sententiam hæresim sapere, ut omnes inclamarent. Sed et præsides dixere, nunquam se ita sensisse: Et quid est, inquit, cardinalis de Monte, ut ego hic triginta episcopis præsim, nisi Ecclesiam Universalem correpræsentare sciam? sed abstinendum esse titulo censuimus semper, ne posteris malum exemplum præbeamus, non enim hoc Concilium, sed posteriora timemus, ne aliquando hujus exemplo invitati aliquid adversus Apostolicam Ecclesiam moliantur. Addidit mox episcopus Salutiarum: Ego (inquit) verba mea intelligo adversus eos, qui moliuntur aliquid sub illis verbis, ut velint papam alicui subesse Concilio, ut scio aliquas vulpeculas facere. Quæ postrema verba tanta cum indignatione a pluribus, et maxime ab Hispanis audita sunt, ut nihil supra; multaque mox verba ab illis in illum dicta sunt, nec cessatum fuisset, nisi præsides silentium indixissent ». At vera sententia erat Concilium Ecclesiam universalem non repræsentare sine capite, id est, sine Pontifice. At in Concilio Tridentino legati Apostolici repræsentabant Pontificem non dubium. Basileense quidem post translationem cum esset acephalum, stante non ambiguo Pontifice, Conciliabulum extitit schismaticum, Constantiense Concilium, cum plures dubii Pontificium jus nomenque sibi asciscerent, universalem Ecclesiam repræsentare jure professus est.

24. *Disponitur materia proximæ sessionis, scilicet de Sacramentis et de Reformatione.* — « Die Lunæ decima ejusdem fuit Congregatio, in qua cardinalis de Monte: Non parum (inquit) hodie agimus, si præparabimus materiam sequentis Sessionis; hæc duplex est, una ad dogmata, altera ad mores spectat, de prima dicet reverendus collega meus, ego alteram prosequar. Mox cardinalis Sanctæ-Crucis: Dedimus (inquit) operam, ut omnes errores circa Sacramenta inveniremus, inventi autem sunt hi, qui sequuntur, quod in tres partes divisi sunt; prima pertinet ad errores concernentes circa Sacramenta in genere: secunda ad errores, qui versantur circa aliqua Sacramenta. Quod rursus in duas dividitur partes, legitque ipsos omnes, et Patres admonuit, ut eorum exemplaria acciperent, et suo tempore essent parati dicere sententias, postquam sacri theologi extra Concilium auditi fuerint. Deinde cardinalis de Monte legit notulam impedimentorum collectorum ex diversis impedimentorum chartulis porrectis ab ipsis episcopis. Nec (inquit) erit materia a nobis tractanda eodem tempore, quo reverendus collega meus pertractabit materiam Sacramentorum, seorsum tamen intervenient mecum jurisperiti, et qui interesse volent: cum illo autem theologi. Hæc fuerunt verba reverendissimi de Monte, et mox impedimentorum lectio, tam Patribus grata, ut præ lætitia gestire omnes viderentur. Admonitique fuerunt omnes, ut eorum impedimentorum exemplaria, si qui vellent, describi facerent. Actum est denique, ut concederetur licentia aliquibus episcopis, qui ex causa essent discessuri, brevi tamen reversuri. Quod ita demum fieri placuit, si hi episcopi antequam discederent, se obligarent ad redeundum intra terminum per legatos statuendum ». Errores autem circa Sacramenta in genere et in specie sunt qui sequuntur:

Articuli hæreticorum super Sacramentis in genere.

25. « I. Sacramenta Ecclesiæ non esse septem, sed vel plura vel pauciora, quæ vere Sacramenta dici possint.

« II. Sacramenta non esse necessaria, et sine eis ac eorum voto homines a Deo gratiam adipisci.

« III. Nullum Sacramentum esse alio dignius.

« IV. Sacramenta novæ Legis non conferre gratiam etiam non ponenti obicem.

« V. Sacramenta nunquam gratiam aut remissionem peccatorum dedisse; sed solam fidem Sacramenti.

« VI. Satim post lapsum Adæ fuisse Sacramenta a Deo instituta, in quibus gratia daretur.

« VII. Sacramentis tantummodo dari gratiam credentibus sibi remitti peccata.

« VIII. Non dari gratiam in Sacramentis semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, sed quando et ubi visum est Deo.

« IX. In nullo Sacramento imprimi characterem, sed rem fictitiam esse.

« X. Malum ministrum non conferre Sacramenta.

« XI. Omnes Christianos cujusvis sexus habere parem potestatem in verbo et Sacramento ministrando.

« XII. Quemvis pastorem habere potestatem formas Sacramentorum prolongandi et abbreviandi pro arbitrio suo, et mutandi.

« XIII. Intentionem ministrorum non requiri, nihilque agere in Sacramentis.

« XIV. Sacramenta ad solam fidem nutriendam esse instituta.

« Die xx Januarii, Feria v, vocatis in Congregationibus Patribus lecti sunt errores hæreticorum circa Sacramenta Baptismi et Confirmationis, ut maturo examine discutiantur ».

Errores Lutheranorum circa Sacramentum Baptismi.

26. « I. In Ecclesia Romana et Catholica, non esse verum Baptismum.

« II. Baptismum liberum esse, nec necessarium ad salutem.

« III. Baptismum datum ab hæreticis verum non esse, et ob hoc iterandum.

« IV. Baptismum esse pœnitentiam.

« V. Baptismum esse tantum externum signum, ut ovium creta rubea, nec habere partem in justificatione.

« VI. Baptismum iterandum esse.

« VII. Verum Baptismum esse fidem credentem pœnitentibus remitti peccata.

« VIII. Baptismo non tolli peccatum, sed solam imputationem.

« IX. Eamdem esse vim Baptismi Christi, et Joannis.

« X. Baptismum Christi non evacuasse Baptismum Joannis, sed ei addidisse promissionem.

« XI. Ritus alios in Baptismo adhiberi solitos liberos esse, id est, sine peccato omitti posse, et solam immersionem esse necessariam.

« XII. Præstare, omittere Baptisma puerorum, quam eos non credentes baptizari.

« XIII. Parvulos propriam habere fidem, ideo non esse baptizandos.

« XIV. Baptizatos in pueritia, quia non crediderunt, esse rebaptizandos, cum pervenerint ad annos discretionis.

« XV. Baptizatos in infantia cum adolescunt interrogandos, an ratum habeant Baptismum, quod si negent se habere ratum, dimittendos.

« XVI. Remitti peccata post Baptismum sola recordatione et fide quod quis sit baptizatus.

« XVII. Votum Baptismi non habere conditionem nisi fidei, et alia omnia vota evacuare ».

Errores Lutheranorum circa Sacramentum Confirmationis.

27. « I. Confirmationem non esse Sacramentum.

« II. Confirmationem esse a Patribus institutam, et non habere promissionem gratiæ Dei.

« III. Confirmationem esse otiosam cæremoniam, et olim fuisse catechesim, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant.

« IV. Confirmationis ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis sacerdotem.

« Die vero Lunæ, ultima Januarii, fuit Congregatio, et cardinalis de Monte dixit : Per deputationem particularem jurisperitorum aptatos fuisse nonnullos canones in materia residentiæ, de quibus in proximis Congregationibus generalibus erit sermo habendus, et propterea poterant omnes episcopi eorum canonum exemplaria sumere, et in prima Congregatione venire parati ad dicendum super iis. Interim enim (inquit) dum hæc a nobis geruntur, reverendus collega meus curabit, ut audiantur theologi non conciliares super reliquis Sacramentis. Quod ea ratione cogitatum est, non ut omnia in hac proxima Sessione expediantur, sed ut in subsequenti Sessione paratiores simus. Sunt enim proxime abfuturi theologi isti ob prædicationem, et propterea judicavimus esse præveniendum ». Et ideo tertia Februarii die cæpti sunt discuti a theologis hæreticorum articuli [1] de Eucharistia subjectis his concepti verbis :

Articuli Hæreticorum super Sacramento Eucharistiæ propositi examinandi Theologis.

28. « I. In Eucharistia non esse revera Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum ut in signo, sicut vinum dicitur esse in circulo ante tabernam ».

Hic error est Zuinglii et Œcolampadii, et Sacramentariorum.

« II. Exhiberi in Eucharistia Christum, sed specialiter tantum manducandum per fidem ».

Hic error est Œcolampadii in libello de Eucharistia cap. 14 et multis aliis in locis.

« III. In Eucharistia esse quidem Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit tran-

[1] Ms. Vat. sig. num. 3232. p. 298.

substantiatio, sed unio hypostatica humanitatis et substantiæ panis et vini ».

Lutherus in Testamento de Sacramento Altaris ait : Profiteor quod in eo veraciter corpus et Sanguis Christi in pane et vino corporaliter manducatur et bibitur, idem in Assertionibus.

« IV. Christum in Eucharistia non esse adorandum, neque festis venerandum, neque in processionibus circumgestandum , neque ad infirmos deferendum, et ejus adoratores esse veros idololatras ».

Lutherus ad Valdenses.

« V. Non esse reservandam Eucharistiam in sacrario, sed statim consumendam, et præsentibus dandam, et aliter facientes abuti hoc Sacramento ».

Hæc habentur in Libello reformationis ad Colonienses.

« VI. In hostiis seu particulis consecratis post Communionem remanentibus non remanere Corpus Domini, sed tantum ibi esse dum sumitur, non autem ante nec post sumptionem ».

Lutherus, ut refert Coclæus in Libello contra eum edito.

« VII. De jure divino esse, sub utraque specie etiam populum communicare, ac propterea peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti, et tamen præcipiente Concilio ut plebs sub utraque specie communicet, eo casu sub altera tantum communicandum ».

In Confessione Aug. c. *De utraque specie* et Lutherus *De Formula Missæ*. Si quo casu Concilium statuerit (minime omnium vellemus) utraque specie potiri, imo tunc primum in despectum Concilii vellemus, aut una tantum, aut neutra, et nequaquam utraque potiri, ac plane eos anathema habere quicumque auctoritate talis Concilii potiretur utraque.

« VIII. Non contineri sub altera specie quantum continetur sub utraque, nec tantum sumere communicantem sub altera specie quantum sub utraque ».

Joannes Eckius in disputationibus , item Lutherus Lib. disput. 1531.

« IX. Solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendam Eucharistiam, neque teneri homines ad Communionem in Paschate ».

Luther. *Libr. de Captiv. Babylonic.* Item *In Visitatione Saxonica cap. De Euch.*

« X. Non licere, ut quis seipsum communicet ».

Hic error videtur esse Lutheri et aliorum hæreticorum superiorum. Hos articulos Alphonsus Salmeron in Congregatione theologorum luculenter confutavit, et consequentibus diebus alii theologi refellerunt.

29. Dum a theologis dissereretur de Sacramentis, et jurisperiti egissent de reformatione :

« Die tertia Februarii fuit Congregatio, in qua dixerunt plerique Patres sententias super canonibus præmissis. Omnium primus fuit Giennensis, qui non pauca adnotavit. Non enim probavit, ut recentioris Concilii Lateranensis mentio haberetur, addique cupiebat, neminem in episcopum creari debere, nisi legitimo matrimonio natum. De beneficiorum et Ecclesiarum pluralitate nihil actum esse aiebat, nisi etiam de præteritis provideretur, subjiciebat insuper ut nulli pastoralis Ecclesia daretur, qui non actu residentiam impleret, quod facillime fieri posset, si ita omnes curatæ Ecclesiæ conferrentur, quo modo patrimonialia beneficia conferri in Hispania consueverunt, hoc est, præhabito rigoroso examine. De dispensationibus autem, hoc in universum censuit, ut quoad possibile esset, restringerentur ; adjecit et alia in hanc pæne sententiam, quam et Turrianus, et nonnulli alii secuti sunt. Præfatus in primis tamen est Turrianus, se maximopere cupere, ut totus hic de reformatione tractatus rejiceretur ad Sanctissimum Dominum nostrum, cujus de hac re sententiam secuti sunt Feltrensis et Aciensis. Sed pluribus Aciensis disseruit, ut ostenderet omnia congregationem frustra acturam esse, nisi Pontifex Maximus assenserit, aiebatque sæpius Romæ actum fuisse hac de ipsa reformatione, primo per decem a sua Sanctitate deputatos, et alios deinceps, et tamen omnium laborem incassum cessisse. Proptera scirent Patres, ita demum decretum de residentia locum habiturum, si Pontifici Maximo placuisset. Adjecit præterea, non esse potestatem Concilii ad hoc. Hujus sententiam nonnulli secuti sunt. Senogalliensis potius aiebat, omnino a reformatione abstinendum, quam tales canones edere, per quos potius deformaretur, quam reformaretur Ecclesia ; dicebatque maxima expectari ab isto Concilio, quæ nisi præstentur, futurum, ut maximum in Ecclesia Dei scandalum veniat. A cujus opinione parum dissiderunt Fesulanus et Caputaquensis. Illud in primis affirmantes, se huic decreto assensum non præbituros, nisi expresse de cardinalibus mentio haberetur, affirmantes nunquam ferendum esse, ut posthabitis majoribus Ecclesiis, quorum major pars est in manibus cardinalium, tenuioribus tantum Ecclesiis provideatur ».

Sed cum Patres in ista Congregatione non dixissent omnes suas sententias, in aliis tamen Congregationibus protulerunt, et ideo sequuntur Acta : « Die Veneris quarta Februarii dixerunt sententias plures ex Patribus eadem de re. Episcopus Salutiarum nisus est defendere canones ipsos ab his objectionibus, quæ a cardinali Giennensi et aliis Patribus factæ fuerunt, quod et ante Tarentinus episcopus præstiterat ; cæteri pæne omnes canones probaverunt, læsionibus iisdem notis adjectis.

30. « Die sequenti dixerunt sententias reliqui

Patres, tribus quatuorve exceptis. Agathensis omnia pæne improbavit, quæ a cardinali Giennensi dicta fuerant, itemque etiam fecerunt Lancianensis, Syracusanus, Pacensis, Asturicensis, Osciensis, Calagurritanus, cum quibus et Aquinas, et Bituntinus, et Britinoriensis in nonnullis capitulis sensere, et maxime in hoc, ut lex de pluralitate cardinalium et curatorum Ecclesiarum generalis esset, nemoque ab ea exciperetur, ita etiam ut lex non tantum futuris, sed etiam præsentibus provideret ; verum hac in re et in aliis pluribus longe vehementiores fuere Hispani ; quorum summa sententiæ hæc continebat :

« Ut quæ a majori parte Patrum in proxima sessione sancita fuere, ederentur, nec amplius de illis esset quæstio.

« Ut Concilium Lateranum nullo modo probaretur quoad reformationem, et quod in pluribus suis capitibus deformationem Ecclesiæ magis augeret quam tolleret.

« Ut nulla omnino dispensatione liceat cuique ultra duas curatas Ecclesias habere.

« Ut nemo nisi unam cathedralem haberet, quacumque præfulgeat dignitate.

« Ut in hoc decreto de cardinalibus expressa fieret mentio.

« Ut nulla omnino teneat dispensatio, nisi ex justis et in jure expressis, vel saltem rationabilibus causis concessa.

« Ut causæ hujusmodi coram ordinariis probandæ sint.

« Canones autem ita comprobandos esse, ut dicant abusum esse aliter facere.

« Dispensationes esse dissipationes, et non juvare quemquam in Foro Poli, nisi ex justis et rationabilibus causis concessæ essent.

« Et propterea cardinales beneficiis nunquam sat plenos, cum peccato mortali beneficia retinere.

« Ad hæc omnia Albiganensis multis rationibus respondit, sed minus grata ejus oratio visa est multis, propterea quod asseruit omnino episcoporum auctoritatem a Sede Apostolica emanasse, nec aliquam episcopos auctoritatem habere a Deo, nisi eo quod et omnes aliæ res immediate sunt a Deo. Item, quod Concilii potestas delegata esset, nec quicquam Concilium decernere posset, quod non sibi a prima Sede mandatum esset.

« Die sequenti dixerunt sententiam reliqui ex Patribus. Canariensis multa deduxit, ut persuaderet, ante omnia statuendum esse episcoporum residentiam de jure divino esse : episcopatum et episcopale officium in jure divino esse contendit. Cui Alisanus et Minoritensis responderunt, adeo ut omnes ejus rationes convellerent. Sequuntur Acta narrare quæ gesta fuerunt in alia Congregatione. Die sequenti, septima ejusdem fuit Congregatio, in qua reverendissimus de Monte aliqua ad Patres præfatus est super querelis, quas nonnulli fecerunt adversus corruptos mores hujus sæculi : Tum dimittamus (inquit) querelas et veniamus ad remedia ipsa. Multi de potestate Concilii frustra disputarunt ; quid enim opus est tam longis disputationibus tempus terere, cum id quod a multis petitur verbo, re ipsa præstatur, dum a nobis leges promulgantur. Aliqui suadere conati sunt, ut negotium reformationis remittatur ad Sanctissimum Dominum nostrum, non ea ratione, ut putarent Concilium carere potestate, sed quia videbant Patres non convenire inter se : plerique etiam ad interrogata non responderunt. Aliqui censuerunt statuenda esse omnia, qua de re alias a me dictum fuit. Non enim video, quod ex hoc provenire possit aliqua utilitas. Omnes enim bonum et rectum cupimus, sed sæpius decipimur specie recti ; aliquos episcopos cupere examinari omnes beneficiatos, omnes uniones, et omnesque dispensationes revocare, quod tempora minime ferunt, et vereor, ne si hoc statueretur, plurimis ridiculi essemus. Quid ergo faciendum ? Illud quod licet et quod expedit, hoc est, ut cura animarum a nobis nullatenus negligatur. Quod credimus his canonibus ample provisum esse, si tamen aliquid deerit, ex sententiis dominationum vestrarum supplebitur. Alii execrati sunt simoniam, maxime curialium, et hæc culpa non est rejicenda ad Sanctissimum Dominum nostrum. Sunt et in curia Romana et boni et mali, nec est possibile in omnes malos animadvertere, et præcipue quia mali homines caute in hac materia procedere solent, ut a nemine deprehendi valeant ; fiat tamen de hoc quæcumque provisio Synodo placuerit.

« Permagni putant plurimi [1] ad conservandam auctoritatem Sedis Apostolicæ fidei exactissimam reformationem ; probamus hanc sententiam, fiat reformatio, sed debito modo fiat, ne dum volumus auctoritatem et potestatem ipsius Sedis tueri et defendere, cujus causa præcipue et Concilium in hac civitate indictum fuit, ipsam lædamus et infringamus, nec satis esset verbo affirmare et fateri supremam potestatem, si facto vellemus illam convellere. Operæ pretium igitur erit in hoc sequi antiquorum canonum normam. In Canonibus enim Nicæni Concili insertis inter decreta papæ Julii § 3, 6 et 14 his verbis Apostolica auctoritas excipitur, salvo in omnibus Romanæ Ecclesiæ privilegio, quod et alibi habetur c. 6, q. 3, c. *Peregrina*. Aliquis prælatus dixit promulgandam esse legem de beneficiis conferendis, quam etiam Sanctissimus Dominus noster observare teneatur ; huic respondet Paschalis Pontifex, qui in c. *Significasti. De electione :* Aiunt (inquit) in Conciliis

[1] To. XIX. de Conc. arch. sig. num. 3206. p. 190. Ms. sig. num. 3232. p. 275 et 283. Acta Concil. Trid. Ms. Fr. card. Barber. sign. num. 1799. p. 202.

statutum non inveniri, quasi Romanæ Ecclesiæ legem Concilia ulla præfixerint, cum omnia Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, et facta sint, et robur acceperint, et in eorum Statutis Romani Pontificis patenter excipiatur auctoritas. Aliquis dixit canones hos sophisticos esse. Certe si hæc verba canones ipsos respicerent, non autem personas nostras, non ægro animo id accepissemus : propterea enim canones dantur Patribus, ut ex perfectis eorum sententiis, quod ipsis deest suppleatur. At dicere sophisticos esse canones, est nobis imponere quod Patres his canonibus decipere voluerimus, qua de re plura a nobis dicenda essent, ni inter eos essemus, apud quos certe habemus fidem et integritatem nostram esse perspectam. Hactenus fortassis plusquam oportebat patientes fuimus, si post hæc aliquis adversus nos talia dixerit, sciat nos muneri nostro non defuturos, et hæc familiariter et cum omni charitate dicta sint. Patres omnia boni consulant, Patrum sententiæ proponantur, et ex eorum voto Canones aptabuntur. Patres dicent sententias in materia Sacramentorum.

31. « Mox cardinalis S. Crucis : Redegimus articulos istos de Sacramentis in tres classes, quorum prima continet articulos, qui ex judicio theologorum visi sunt omnino hæretici. In secunda classe positi sunt, qui scandalosi visi sunt. In tertia vero articuli, qui partim omittendi, partim autem dubii visi sunt ».

Hic animadvertendum est, repetitionem articulorum hæreticorum circa sacramenta, quos supra recitavimus , in hoc congressu factam fuisse : qua autem ratione id gestum fuerit, curioso lectori discutiendum relinquimus.

Articuli autem sequuntur, et sunt tales.

Errores Lutheranorum
circa Sacramenta in genere.

« Sacramenta Ecclesiæ non esse septem, sed vel plura, vel pauciora, quæ vere Sacramenta dici possint.

« Sacramenta non esse necessaria, et sine eis ac eorum voto homines gratiam adipisci.

« Nullum Sacramentum esse alio dignius.

« Sacramenta novæ Legis non conferre gratiam etiam non ponenti obicem.

« Sacramenta nunquam gratiam, aut remissionem peccatorum dedisse, sed solam fidem Sacramentorum.

« Sacramentis dari tantummodo gratiam credentibus remitti sibi peccata.

« Non dari gratiam in Sacramentis semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, nisi quando et ubi visum est Deo.

« Malum ministrum non conferre Sacramentum.

« Omnes Christianos cujusvis sexus habere parem potestatem in verbo et Sacramento administrando.

« Sacramenta ad solam fidem nutriendam esse instituta.

De Baptismo.

« In Ecclesia Romana et Catholica non esse verum Baptisma.

« Baptismum liberum esse, nec necessarium ad salutem.

« Baptismum datum ab hæreticis non esse verum, et ob hoc iterandum.

« Baptismum esse tantum externum signum, et ut ovium creta rubea, nec habere partem in Justificatione.

« Baptismum iterandum esse.

« Verum Baptismum esse fidem credentem pœnitentibus remitti peccata.

« Baptismo non tolli peccatum, sed solum imputationem.

« Præstare omittere Baptisma puerorum, quam eos non credentes baptizari.

« Parvulos propriam habere fidem, et ideo non rebaptizandos.

« Baptizatos in pueritia, quia non crediderunt, esse rebaptizandos cum pervenerint ad ætatem discretionis.

« Baptizatos in infantia, cum adolescunt, interrogandos , an habeant ratum Baptismum, quod si negent, habendos pro Ethnicis.

« Remitti peccata sola recordatione, et fide quod quis sit baptizatus.

« Votum Baptismi non habere conditionem nisi fidei, et omnia alia vota evacuare.

De Confirmatione.

« Confirmationem non esse Sacramentum.

« Confirmationem esse a Patribus institutam, et non habere promissionem gratiæ Dei.

« Confirmationem esse otiosam cæremoniam, et olim fuisse catechesim, qua olim adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant ».

Articuli, qui multis theologis non videntur damnandi, sine aliqua declaratione.

De Sacramentis in genere.

« Sacramenta non esse septem , sed vel plura, vel pauciora, quæ vere Sacramenta dici possint.

« Hunc articulum aliqui cuperent damnari tantum quoad primam partem, videlicet Sacramenta Ecclesiæ non esse septem, nulla facta mentione partis posterioris, scilicet, quod non sint plura vel pauciora, ut factum est in Concilio Florentino.

« Sacramenta non esse necessaria, et sine eis ac eorum voto per solam fidem hominem a Deo gratiam adipisci.

« Nonnulli censent hunc articulum non esse damnandum, prout jacet, sed cum hac additione, ut dicatur non esse necessaria in Ecclesia, quia non singula Sacramenta singulis necessaria sunt.

« Nullum Sacramentum alio dignius.

« Quia Sacramenta diversis respectibus alia aliis digniora esse possunt, aliquibus non videtur hic articulus damnandus sine declaratione.

« In nullo Sacramento imprimi characterem, sed rem fictitiam esse.

« Quidam optarent hunc articulum non simpliciter damnari ut hæreticum, sed amplexandam aliam partem, ut probabiliorem.

« Intentionem ministrorum non requiri, nihilque agere in Sacramentis.

« Quoniam intentio ministrorum, ut aliqui asserunt, non est simpliciter necessaria, sed tantum quod intendant facere id, quod Ecclesia intendit, ideo cuperent hunc articulum damnari cum aliqua declaratione.

De Baptismo.

« Baptismum esse pœnitentiam.

« Cum Baptismus aliquo modo dici possit Pœnitentia et ita appelletur ab Epiphanio et Tertulliano, nonnulli censent hunc articulum damnandum hoc modo, Baptismum esse Sacramentum Pœnitentiæ, quod a nemine non esse damnandum judicatur.

« Ritus alios in Baptismo adhiberi solitos liberos esse, id est, sine peccato omitti posse, et solam intentionem esse necessariam.

« Aliqui declarandum putabunt de ritibus substantialibus, quia arbitrantur alios omitti posse sine peccato.

De Confirmatione.

« Confirmationis ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis sacerdotem.

« Hunc articulum vellent redigi ad normam verborum expressam in Concilio Florentino ».

Articuli, quos aliqui theologi non damnandos, sed silentio prætereundos censent.

De Sacramentis in genere.

« Statim post lapsum Adæ fuisse a Deo Sacramenta instituta, quibus gratia daretur.

De Baptismo.

« Eamdem esse vim Baptismi Christi, et Joannis.

« Baptismum Christi non evacuasse Baptismum Joannis, sed ei dedisse promissionem ».

Articuli, quos ultra propositos theologi damnandos arbitrantur.

De Sacramentis in genere.

« Omnia Sacramenta non esse a Christo instituta.

« Sacramenta esse tantum signa et notas nostræ professionis, sive allegoria bonorum operum.

« Non esse Sacramentum, nisi habeatur in Scripturis.

De Baptismo.

« Pueros in uteris maternis per invocationem Trinitatis et benedictionem salvari.

« Negantes fidem Christianam apud infideles, cum revertuntur ad propria, rebaptizandos esse.

« Neminem baptizandum esse, nisi in mortis articulo.

« Neminem baptizandum esse, nisi ea ætate, qua baptizatus est Christus.

« Aquam non esse de necessitate, sed solam assistentiam Spiritus sancti.

« Baptismum non esse nisi signum afflictionum, quod oporteat Christianos subire fluctus, et pericula omnis generis perferre.

« Morte corporali Baptismo satisfieri, et eam esse ejus proprium significatum.

« Baptismum omnia peccata, quæ post ejus susceptionem perpetrantur, venialia facere.

« Fœdus inter Deum et baptizatum in Baptismo initum non implicare divinæ legis observantiam.

« Filios Israel in transitu Maris Rubri non figurative, sed vero fuisse Baptismate baptizatos, sicut et Noe cum veheretur in arca.

« Fomitem retardare baptizatos ab ingressu cœli.

De Chrismate.

« Qui dicunt oleum Chrismatis esse oleum salutis, Christum negant.

« Spiritui sancto sunt injurii, qui Confirmationis oleo ullam tribuunt virtutem, quia perinde est ac si quis diceret, omne oleum virtutem esse Spiritus sancti ».

Octava Februarii [1] coacta Congregatione generali primus Concilii præses de instauranda vetere disciplina Christiana moribusque ad sanctiorem normam revocandis egit, remque a Pontifice et legatis maxime efflagitari demonstravit, ita tamen, ut offendicula præcaveantur : « Quoniam nonnulli conquesti sunt in votis suis reddendis de malignitate temporum,

[1] Diar. Conc. Trid. auct. Ang. Massarel. Ms. arch. Vat. p. 203.

et quod præsentanea indigemus reformatione, de qua longo sermone perorarunt; reverendissimus D. cardinalis de Monte confessus est Ecclesiam Dei indigere reformatione, et quod nemo magis eam cupiat quam Pontifex et ipsi reverendissimi DD. legati : verum ea statuenda sunt, quæ executioni demandari possunt, ne cum reformare volumus, orbem Christianum in scandalum ponamus, dum præsertim præterito et præsenti providere intendimus, in quo multorum jura offendentur. Sed id in primis attendendum est, quod licet aliqui dixerint, quod Concilium non potest facere reformationem (qui fuerunt episcopi Feltrensis, de Nobilibus et Chironensis) hoc verum non est, quia Concilium hoc legitime congregatum omnia potest in his, quæ sibi a Sua Sanctitate demandata sunt, in aliis autem nihil potest. Si igitur Concilium procedere voluerit in his, quæ in Bullis Sanctissimi D. N. continentur, procedat, quia habebit ipsos legatos promptissimos, salva tamen semper auctoritate et præeminentia Sedis Apostolicæ, ut alia Concilia semper fecerunt, allegando exempla Nicæni Concilii in multis canonibus, et nonnullorum aliorum Conciliorum. In his autem, quæ Concilium non potest et proprie spectant ad Pontificem, asserunt legati se paratissimos futuros mediatores, ut Sua Sanctitas ea concedat, quæ a Sua Sanctitate petuntur.

« Die octava ejusdem fuit Congregatio [1], et successive diebus sequentibus, exceptis Dominicis diebus , usque ad vigesimam primam hujus mensis, fuerunt Congregationes, in quibus disceptatum est super articulos damnandos, de quibus supra. Patrum vero sententias non recensendas esse duxi propter illarum multitudinem.

32. « Die Jovis XXIV ejusdem mensis Februarii fuit Congregatio , in qua cardinalis Giennensis : Antequam, inquit, de canonibus dicere incipiam, velim scire, an canones, qui promulgati fuerunt in proxima Sessione, vim et robur obtineant. Si enim vim obtinent, ut et ego credo, non erit amplius de iis dicenda sententia, alioquin oportebit et illos iterum examinare. Quantum tamen si simpliciter ego illos tunc probaverim, id feci, ne aliqua inter nos controversia oriretur, et ideo si non essent expediti, dicerem et de illis quæ mihi occurrunt. Ad hæc cardinalis de Monte. Sciunt, inquit, Patres omnes, quod propter sententiarum varietatem in sessione concludi non potuit, et ideo tunc dixi nos in Congregatione deliberaturos, sed postquam Patrum tam varias vidimus annotationes , censuimus parvum decorem esse Concilii, si hujusmodi canones cum tot censuris ederentur, et propterea eosdemmet canones, et majori ordine et majori lima politos una cum aliis canonibus vobis nunc dedimus in manibus, ut omnes, si ita Patribus placebit, ex integro et in proxima sessione statuantur. Si tamen Patribus placet, ut canones ipsi habeantur pro expeditis, nos legati libenter voto Patrum subscribemus, et ita minuetur in hac parte labor noster. Sed considerent Patres ne ridiculi videamur, si canones tantis notis onustos edamus. Cardinalis Sanctæ-Crucis : Quæstio, inquit, facti est, crastina die vota et censuræ Patrum videbuntur, et quod a pluribus probatum fuisse cognoscetur, id pro firmo habebitur. Ego quidem, quoad me, semper tenui decretum ipsum valere, nec esse in potestate nostra illud amplius minuere, vel variare, nisi simus in alia sessione. Fuerunt viginti novem, qui decretum simpliciter probaverunt; reliqui Patres divisi sunt, adeo ut decretum ipsum obtentum fuerit; tamen de hoc lectis et consideratis sententiis Patrum, deliberare poterimus. Feltrensis dixit : Separari potuerunt capitula , et quæ nullam habuerunt controversiam publicare , reliqua vero remanere, ut judicastis. Contra Pisaurensis inquit : Omnia sunt connexa, et a residentia omnia dependent, et propterea unum caput sine altero publicari non potest. Castellimaris episcopus omnia aiebat separata esse, et tot esse sententias, quot rerum capita, propterea posse unum sine altero sustineri. Adjecit ad hæc Calagurritanus notas Patrum a decreto non dissentire, quoniam non videntur decretum improbare , qui dicunt ultra personas in decreto comprehensas, velle etiam ut nominatim cardinales exprimantur. Cardinalis de Monte : Omnia (inquit) a residentia dependent, et ideo si illa non stat, nec reliqua stare poterunt, quoniam ejus respectu canones conditi sunt, nec subsistit ratio domini Calagurritani, quoniam cum in lege interveniat stipulatio, scilicet interrogatio, et responsio, non dicitur respondere ad interrogatum, nec aliquid firmare, qui pure et simpliciter interrogatus, sub conditione respondet; leg. I. §. *Si quis simpliciter. ff. de verborum significationibus*, et jura sunt vulgaria. Giennensis : Mihi placet, inquit, opinio ista, ut reliqui canones pendeant a residentia, et quod nisi ista subsistat, nec reliqua subsistant. Hoc tamen scimus, quod in Concilio Lateranensi, etiam in præsentia papæ, audiebantur vota Patrum contradicentium, et registrabantur eorum dicta, una cum ipsis decretis. Frustra nunc de hac re, inquit cardinalis de Monte, meo judicio disputatur, cum præcipue nos parati simus sequi Patrum sententias, nam nihil omnino nostra neque Synodi referre putamus, hoc vel in præterita sessione statutum fuisse, vel in proxima illud ipsum esse statuendum. Nam de canonibus illis nihil omnino, quod substantiam mutet, demimus. Quod autem alias in Concilio

[1] Acta Conc. Ms. card. Spadæ to. XII.

Lateranensi factum fuerit, nihil ad propositum facit, quia papa in Concilio non tenebatur sequi sententias Patrum, si nolebat, et propterea etiamsi major pars contradixisset, potuisset etiam ipse solus statuere. Sed dimissa pro nunc controversia hujusmodi dicantur sententiæ super reliquis octo canonibus, de quibus nondum auditæ fuerunt Patrum sententiæ, nam de reliquis, quorum auditæ sunt semel Patrum sententiæ, alia die agetur.

« Mox Giennensis sententiam de canonibus ultimo additis dixit; illud solum desiderans, ut uniones, quæ ex causis non veris factæ essent, revocentur. Item, quod episcopi, qui sciscitarentur, exemptos habere stipendium, et in omnibus privilegiatis servetur c. I. *de privilegiatis* in VI. Materensis admonuit in hisce canonibus plura esse, quæ Apostolicæ Sedi derogarent, et propterea scirent omnes, eum qui de privilegio primæ Sedis detrahere studet ut hæreticum a jure haberi. Senogalliensis dixit, se canones acceptare, dummodo juribus DD. episcoporum non derogent in aliquo, et sint conformes regulis sanctorum Patrum, et aliquibus abbatibus non faveant. Fesulanus ex scripto recitavit, se valde condolere, episcopos in propriis diœcesibus auctoritate aliena agere, hoc nequaquam ferendum esse aiebat, ut episcopi Apostolicam, id est, alienam auctoritatem in gregem sibi commissum animadvertant. Quod, inquit, quam iniquum sit, non meis verbis, sed verbis Clementis papæ I Pontificis attendite. Tunc alta voce clamavit episcopus Alifanus conversus ad legatos, dixit : Non esse ferendum Fesulanum in tanto consessu adversus primam Sedem loquentem, petiitque dari sibi libellum, quem habebat Fesulanus in manibus, quoniam convincere volebat verba illa hæretica esse. Ad quæ Fesulanus : Quid, inquam, dixi, quod hæreticum sapiat ? Ego dixi quod dixi. Dico autem juxta Clementem papam I, et quicquid sit, sententiam meam, quam nondum protuli, submitto judicio sanctæ Synodi. Contra hæc Alifanus dari libellum postulabat, ut redarguere posset illum de hæresi. Adversus quem Calagurritanus et Giennensis dixerunt : Inconveniens esse in Synodo libertatem impedire, neque esse Alifani aut alterius cujusque prælati, dicentem impedire, vel de hæresi arguere, sed solum reverendissimorum præsidentium. Albiganensis : Non, Patres, amplius Fesulanus, inquit, audiendus, quia relapsus est, sed acriter coercendus. Castellamaris : Nulla est, inquit, Concilii amplius libertas. Cardinalis de Monte jussit Fesulano sub excommunicationis pœna libellum tradere ; cui cum statim non pareret, iterum atque iterum illum admonuit, tandemque Fesulanus libellum porrexit cardinali S. Crucis, asserens omnia, quæ dixit, submittere judicio sanctæ Synodi. Non hoc, inquit Albinganensis, sufficit, quando protestatio contraria est facto, indeque ortis multis verbis inter Castellamarensem et Albiganensem, dixit : Castellamarensem non vera dicere, inde clamores magni ex omni parte exorti. Hispani omnes Fesulanum tuebantur, et cum eis Senogalliensis : contra Albiganensis et Alifanus clamabant, adeo ut præ clamore non facile dicentes audirentur. Isti, non esse quemquam adversus primam Sedem loquentem audiendum : alii libertatem Concilii læsam clamabant. Armacanus [1] se ex Sanctis. D. nostro audivisse nuper dixit (redierat is Tridentum ab Urbe, pauci erant dies, ut Pallavicinus observat) quod vellet liberum esse unicuique dicere sententiam in Concilio, tam circa mores quam circa dogmata, nec aliquem velle reprehendi, etiamsi manifestam hæresim dixerit, dummodo se submitteret Concilio. Cujus verba ita laudaverunt Hispani, ut nihil sanctius, nihil sapientius a summo Pontifice exire potuisset. Tandem legatorum auctoritate omnes quieverunt. Dixeruntque reliqui Patres sententias, quorum plures simpliciter canones probaverunt. Alii se imparatos ad dicendum sententiam dixerunt. Reliqui fere omnes cum Giennensi fuerunt. Calagurritanus post hæc multa de læsa libertate Concilii conquestus est, petiit sibi licentiam abeundi concedi, si pro arbitrio uniuscujusque in alium sit invehendum, et adversus ea, quæ Materanus postulaverat, dixit : Non est aliquis hic, ut arbitror, qui primæ Sedi privilegium auferre conetur, sed omnes, si opus esset, credo, pro ipsa moreremur. Sed sumus vocati huc, non alia causa, quam ut restituantur collapsi mores, et quomodo hoc fiet, nisi plagæ ostendantur ? Non dico ego papam hoc vel illud facere non posse, sed dico non debere, non decere, hoc non ædificare. Si præterea male dico, non est quod ultra permaneamus in hoc loco, nec quod laboremus. Adjecit et alia in hac sententia. Multa etiam protulit, quare omnes exemptiones omnesque annexiones, maxime Parochialium Ecclesiarum, non funditus essent revocandæ. Adversusque mox Alifensis disseruit, affirmans, nulli libere loquenti dandum esse vitio, si quæ mala esse arbitratur, proferat, sed nullum esse ferendum, qui potestatem papæ neget. Revocare autem omnes uniones, nihil aliud esse, quam omnem mundi machinam evertere, et quod subtus est, sursum ponere. Exemptos quoque privare suis privilegiis, omnino nihil aliud esse, quam nolle Pontificem posse aliquem ex unius episcopi gremio ad se transferre. Satis abundeque fieri, si in hoc, unde delinquendi occasionem percipere solebant exempti, canone provideatur, ut provisum erat. Nempe, ut episcopi auctoritate Aposto-

[1] To. I. l. IX. c. 2. num. 2.

lica (quando sua non poterant) punire possent discolos et delinquentes. Dictis omnium sententiis, cardinalis de Monte : Nisi, inquam, fiduciam in Domino haberemus, malam omnino conjecturam facere oporteret de progressu hujus sanctæ Synodi videntes in principio Quadragesimæ, tam omnium pæne sensus irritatos, ut ne unum quidem verbum quisquam ferre possit, sed ut dixi, fidimus in Domino, et etiam in vobis, ut deinceps quietiores esse debeatis. Et certe si cum unus ex Patribus pro zelo suo contra aliquem loquitur, quod omnino temperate agendum est, alii silerent, non profecto in tantas rixas incideremus. Scitote quod hæc perferuntur nedum ad Catholicos, sed etiam ad hæreticos, hujusque rei causa apud plurimos male auditur. Propterea obsecro Patres, ut deinceps omnia patienter ferant. Nos omnia etiam quæ Fesulanus dixit, boni consulimus, et credimus ipsum potius judicio deceptum, quam sponte errasse, et propterea facile ignoscimus illi, dummodo in futurum a simili abstineat ; rogamusque Patres, ut dicta ad invicem sibi remittant, agantque ut episcopos decet. Et ad Calagurritanum conversus : Non sunt, ut alias dixi, domine Calagurritane, tales nostræ ætatis homines, ut talem qualem vos cupitis, reformationem sustinere possint. Scio enim omnia a bono zelo proficisci, sed idem quoque bonus zelus est apud nos, sed sæpe recti specie plurimum homines decipiuntur ; inchoata est reformatio, et (Deo dante) perficietur, et talis quæ possit omnibus placere, sed omnia suo loco et suo tempore. Quod vero sæpius inculcatum est, et de cardinalium mentione facienda, proculdubio S. D. N. certior fiet. Mox cardinalis S. Crucis conversus ad Antonium a Camera (qui erat proximus episcopo Albiganensi) et ad Alifanum illos leniter corripuit, admonuitque, ut deinceps munus hoc redarguendi prælatos non sibi assumerent. Si enim, inquit, nos hæc audimus et toleramus, qui legati sumus, et nihil minus quam vos Sedem Apostolicam diligimus, vos etiam tolerare potestis. Mox Fesulanum admonuit, ne toties repetitas cantilenas cum offensione aurium omnium bonorum repeteret, hortatusque est illum, ad remittendam, si quam animi propter verba D. Alifani concepisset tristitiam. Et ita deinceps, et Fesulanus et Alifanus mutuis amplexibus sese exceperunt. Idem mox fecerunt Antonius a Camera et Castellamaris, quibus peractis reverendissimus de Monte restituit Fesulano suum libellum cum maxima Patrum consensione ».

33. Hic lectores animadvertant, Concilio homines, et non angelos interfuisse, nam etsi in sacra Apocalypsi [1], episcopi angeli appellentur et angeli sint, tamen sunt ex carne progeniti, et carne circumamicti ; quod si inter sanctissimos Paradisi incolas dissensiones circa media (licet non circa finem) oriri possint, antequam Dei voluntas illis innotescat, ut clare ex Danielis [1] revelationibus nobis constat, non erit mirum in terris episcopos aliquos nonnunquam inter se dissensisse.

« Die sequenti, xxv ejusdem, fuit Congregatio [2], in qua dixerunt sententias Patres illi, qui prius non dixerant, quæ parum, imo nihil ab iis, in priori Congregatione dictis fuere discrepantes. Deinde cardinalis de Monte : Consideravimus, inquit, et diligenter consideravimus vota Patrum super decretum de residentia in proxima sessione lectum, et invenimus plures esse eos, qui decretum simpliciter probaverunt : fuerunt triginta duo, quibus si addantur generales et abbates, sunt triginta octo. Qui autem dissenserunt, vel cum aliqua conditione decretum probaverunt, non sunt nisi viginti quinque. Et propterea pronuntiamus et concludimus, decretum fuisse obtentum et observandum, et quamvis ab initio fuerim alterius sententiæ, tamen admonitus a reverendissimo domino Giennensi, et etiam considerata rei qualitate, facile ex sententia discedo, et dico cum reverendissimo collega meo, decretum haberi pro expedito, et dandam copiam petentibus. Ad hæc, inquit Pisaurensis, indecorum valde erit Synodo, si tot notis distinctum decretum edatur ; quamobrem statuatur, ut sine notis edatur. Cumque ea die et a diversis diversæ proferrentur sententiæ, cardinalis de Monte dixit : Missa nunc faciamus ista, alias forte de hac re agetur. Nunc descendamus ad reliquorum canonum absolutionem, quod antequam faciamus, volumus vos certiores facere, jam per sanctissimum Dominum nostrum circa cardinales provisum esse, legitque alterum caput litterarum reverendissimi Farnesii, in quo continebatur, in proximo Consistorio statutum fuisse, ne quis deinceps cardinalis ultra unam obtineat Ecclesiam cathedralem ; qui autem nunc habent, illas dimittant infra sex menses, si Pontificis sit libera ejus collatio, si vero ad nominationem vel aliam dispositionem principum esset, infra annum ». Ista etiam adnotata sunt in Actis Consistorialibus [3] sub die xviii Februarii hujus anni : « Legit deinde canonem, quo statuitur de qualitatibus assumendorum ad cathedrales Ecclesias, rogavitque an is Patribus placeret ? Et omnes responderunt, placet. Deinde legit canonem de submovenda pluralitate Ecclesiarum cathedralium, quod omnibus pæne placuit, si ea adderentur, quæ a Sanctissimo D. N. optimo de cardinalibus provisa fuerunt. Quod a Giennensi

[1] Cap. 2.

[1] Dan. x, 13. — [2] Acta Concil. Ms. card. Spadæ tom. xii. — [3] Ms. card. Spadæ to. cxxxiii.

primum, et deinde a plurimis firmatum fuit, paucis admodum exceptis, qui simpliciter canonem probarunt. Et ita, inquit cardinalis de Monte, ut placuit Patribus canonem aptabimus, utinam ita in reliquis conveniamus. Legitque alterum caput, quo cautum est de qualitate promovendorum ad curata beneficia. Ad quod cardinalis Giennensis respondit : Frustra esse membranas occupare repetitione antiquorum canonum, si nihil adderetur de novo, prout nihil addebatur. Cui Alifanus dixit : In hoc ultra jura antiqua provisum esse, ut etiam provisi a Sede Apostolica examinari possint, et si minus idonei visi fuerint, sacerdotiis privari, quod in antiquis canonibus cautum non erat. Si ita est, inquit Giennensis, bene est, sed declarentur taliter verba, ut nemo de voluntate Synodi dubitet in futurum. Fuere deinde alii aptati canones plures, magno cum Patrum consensu.

34. « Die vigesima sexta Februarii, et ultima ejusdem mensis, et die prima et secunda Martii fuerunt Congregationes, in quibus cum maximo consensu Patrum fuerunt approbati canones, tam ad Sacramenta spectantia, quam ad reformationem. Die secunda Martii de sero hora vigesima prima fuit Congregatio generalis, in qua postrema manus canonibus de Sacramentis imposita fuit, et aptata fuere in eis ad viginti loca de Patrum consensu. Fuerunt nonnulli, qui prorogationem sessionis ad aliquod breve tempus desiderarunt, quo majori cum animi quiete et majori cum diligentia canones ipsi expediri possent, non tamen de hac re quidquam a præsidentibus propositum fuit. Deinde cardinalis de Monte legit decretum de reformatione, quod ab omnibus probatum fuit; fuere ad decem, qui aliqua desiderarunt; Senogalliensis se aiebat probare canones, quatenus conformes essent canonibus sanctorum Patrum, et nihil juribus DD. episcoporum præjudicarent. Claramontanus, providendum esse de præterito, et nominandos esse cardinales, et imitandum in hoc decretum Sanctissimi D. N. qui cardinalibus in suo sanctissimo de pluralitate Ecclesiarum decreto non pepercerat. Fesulanus ut omnia episcopi suo jure agerent, desiderabat, non ut Apostolicæ Sedis delegati. Pacensis, itemque Asturicensis, et Calagurritanus addi in titulo desiderabant, *Universalem Ecclesiam repræsentans*, et exprimi cardinalium nomina, et provideri de præterito circa pluralitatem curatorum beneficiorum, et insuper nullas amplius fieri annexiones perpetuas parochialium Ecclesiarum. Castellamaris canones, non autem decretum, se publicare dixit, quod perinde erat ac si dixisset, se neque titulum, neque verba illa probare, videlicet, *salva Apostolica auctoritate :* quod et Lancianensis secutus fuit. Dimissa est Congregatio hora tertia noctis ». Absolutis Congregationibus celebrata fuit septima sessio ; de qua sic Acta :

35. *Canones de Sacramentis et decretum spectans ad disciplinam Ecclesiasticam.* — « Die sequenti tertia Martii fuit sessio publica [1], in qua cantavit missam archiepiscopus Corcyrensis. Oratio habita autem non fuit, quia episcopus S. Marci, cui hoc munus mandatum fuerat, raucus adeo erat, ut vix loqui posset ». Post consuetas cæremonias, episcopus Salpensis legit decretum sive canones de Sacramentis, per quæ justitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amissa recuperatur : concepta vero sunt hisce verbis :

« Sacrosancta Œcumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, ad errores eliminandos et extirpandas hæreses, quæ circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra tempestate, tum de damnatis olim a Patribus nostris hæresibus suscitatæ, tum etiam de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ecclesiæ puritati et animarum saluti magnopere officiunt : sanctarum Scripturarum doctrinæ, Apostolicis traditionibus atque aliorum Conciliorum et Patrum consensui inhærendo, hos præsentes canones statuendos et decernendos censuit : reliquos qui supersunt ad cœpti operis perfectionem deinceps, divino Spiritu adjuvante, editura.

DE SACRAMENTIS.

CANON I.

36. « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non fuisse omnia a Jesu Christo Domino nostro instituta, aut esse plura vel pauciora quam septem videlicet : Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Extremam-Unctionem, Ordinem et Matrimonium ; aut etiam aliquod horum septem non esse vere et proprie Sacramentum ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis Sacramenta, a Sacramentis antiquæ Legis non differre, nisi quia cæremoniæ sunt aliæ, et alii ritus externi ; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit alio dignius, anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, Sacramenta novæ Legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, et sine iis aut eorum voto per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet

[1] Ms. card. Spadæ to. XII.

omnia singulis necessaria non sint ; anathema sit.

CANON V.

« « Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse ; anathema sit.

CANON VI.

37. « Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre ; quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ vel justitiæ, et notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus ; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper et omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando et aliquibus ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit per ipsa novæ Legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissionis ad gratiam consequendam sufficere ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit in tribus Sacramentis Baptismo scilicet, Confirmatione, et Ordine, non imprimi characterem in anima, hoc est, signum quoddam spirituale et indelebile, unda ea iterari non possint ; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit Christianos omnes in verbo et omnibus Sacramentis administrandis habere potestatem ; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit in ministris, dum Sacramenta conficiunt et conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi quod facit Ecclesia ; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere aut conferre sacramentum ; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit receptos et approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiarum pastorem mutari posse ; anathema sit.

DE BAPTISMO.

CANON I.

38. Si quis dixerit baptismum Joannis habuisse eamdem vim cum Baptismo Christi ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit aquam veram et naturalem non esse de necessitate Baptismi : atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi ; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto*, ad metaphoram aliquam detorserit ; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est et magistra, non esse verum Baptismum ; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti, cum intentione faciendi quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum ; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem ; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcumque peccet, nisi nolit credere ; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum fiunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ irrita esse intelligant, quasi per ea et fidei, quam professi sunt, detrahatur, et ipsi Baptismo ; anathema sit.

CANON X.

39. « Si quis dixerit peccata omnia, quæ post Baptismum fiunt, sola recordatione et fide suscepti Baptismi, vel dimitti vel venialia fieri ; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit verum et rite collatum Baptismum iterandum esse illi qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur ; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo ; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit parvulos eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo intra fideles computandos non esse ; ac propterea, cum ad annos discretionis pervenerint, esse rebaptizandos, aut præstare omitti eorum baptisma, quam eos non actu proprio credentes baptizari in sola fide Ecclesiæ, anathema sit.

CANON XIV.

« Si quis dixerit hujusmodi parvulos baptizatos, cum adoleverint, interrogandos esse, an ratum habere velint, quod patrini eorum nomine, dum baptizarentur, polliciti sunt, et ubi se nolle responderint, suo esse arbitrio relinquendos, nec alia interim pœna ad Christianam vitam cogendos, nisi ut ab Eucharistiæ aliorumque Sacramentorum perceptione arceantur, donec resipiscant ; anathema sit.

DE CONFIRMATIONE

CANON I.

40. « Si quis dixerit Confirmationem baptizatorum otiosam cœremoniam esse, et non potius verum et proprium Sacramentum ; aut olim nihil aliud fuisse, quam catechesim quamdam, qua adolescentiæ proximi fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit injurios esse Spiritui sancto eos, qui sacro Confirmationis chrismati virtutem aliquam tribuunt ; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum episcopum, sed quemvis simplicem sacerdotem, anathema sit ».

41. Perlecto superiore decreto rogati patres singuli summa animorum consensione responderunt per verbum *Placet*. Calagurritanus vero episcopus flagitavit adjici titulo has voces *Universalem Ecclesiam repræsentans*. Postea Salpensis episcopus decretum spectans ad Ecclesiasticam disciplinam solutiorem adstringendam perlegit e suggestu. In primis ut nullus ad moderandas cathedrales Ecclesias nisi legitimo conjugio procreatus, ætate matura, morum gravitate et scientia ornatus præficeretur.

Secundo, ut nullus quacumque dignitate conspicuus ac præcellens plures cathedrales Ecclesias quovis titulo vel prætextu obtineat.

Tertio, ut Ecclesiæ, quibus animarum cura conjuncta est, viris dignis atque idoneis probitate et doctrina instructis tradantur, et residere in iis cogantur.

Quarto, qui plura sacerdotia gerunt, quæ ab eodem jure nequeunt possideri, retento uno, alia dimittere jussi sunt.

Addita sunt alia undecim capita quæ in Actis Concilii avidus lector consulere potest.

Rogati Patres, an hæc decreta placerent, quinquaginta ea comprobarunt ; tredecim vero alia quædam addenda, de quibus actum erat in ultima Congregatione, flagitarunt. Interfuere huic Sessioni tres cardinales, archiepiscopi novem, episcópi quinquaginta : duo abbates mitra ornati, religiosarum familiarum quinque præfecti generales : de quibus petente Severolo promotore Concilii publica Instrumenta confecta sunt : proxima vero Sessio ad XXI Aprilis indicta est.

42. *Peste Tridenti sæviente, transfertur Concilium Bononiam.* — IX Martii, die Mercurii, Congregatio generalis habita est, in qua plures Patres de sacramentis suam sententiam dixere : quibus dictis, cardinalis e Monte significavit Patribus grassari Tridenti morbum pestilentem pestisque prænuntium, dictum lenticularum, quo affecta corpora maculis instar lenticularum aspersa apparent ; quas maculas appellant medici *pettechias*, quod plerumque pectora inquinent ; discessisse Tridento duodecim prælatos, partim se insalutato, partim petita a se at non obtenta abeundi facultate, hesternaque die plures præsules Caputaquensis episcopi morte perturbatos ad se confluxisse, ac denuntiasse Tridento discessuros, ut vitæ consulerent, rogatos vero ut differrent discessum, donec de ea re ad Synodum relatum fuisset. Addidit legatus se in hac rerum difficultatate nullius opinionis vel consilii velle auctorem fieri : sed eam sententiam, quam Synodus amplectatur, secuturum ; dummodo Christianæ reipublicæ et Synodi saluti consultum sit, nec Concilium dissolvatur.

Dicturus sententiam cardinalis Giennensis subjecit gravissimam quæstionem de translatione Concilii, vel de discessu Patrum e Concilio propositam, seque non perspiscere, an ea, Pontifice et Cæsare ac principibus Christianis

inconsultis, tractari vel dirimi possit; atque adeo rem perdifficilem in dies aliquot differendam, ut prudenter deliberari possit, intereaque Pontificem Cæsaremque consulendos.

Sententiam cardinalis Giennensis secuti sunt Hispani omnes, et cum iis consenserunt archiepiscopus Turritanus, et Panormitanus, ac episcopi Calestanus, Fesulanus, Sancti-Marci, Syracusanus, et alii nonnulli. Vicit tamen contraria sententia, ut discendendum omnino esset. Succlamabant enim Materanus et cum eo plures non expectandam esse pestem, quandoquidem sufficiat sola pestis suspicio, ne alioquin tarda sint remedia.

« Commemoratumque fuit a nonnullis, quod cum anno præterito duo peste periissent in oppido Rovereti, clausæ fuerunt Tridentinis omnes vicinarum civitatum portæ, interdictumque fuit omnino commercium, unde accidit, ut non pauci ex his Patribus, qui eo tempore discesserant a civitate Tridentina, nullibi in terra Venetorum hospitio reciperentur; quamobrem sub dio pernoctarunt, non sine maximo vitæ periculo. Additum est præterea, hesterno die septem in eadem civitate sepultos fuisse; et ultra quadraginta reperiri eodem morbo laborantes. Eorum autem, qui discedendum esse arbitrabantur, divisa erat sententia, quoniam nonnulli suspendendum esse Concilium aiebant; alii concedendam esse Patribus licentiam ad aliquot menses; alii transferendum esse Concilium dicebant; multæ in his sententiis difficultates sese offerebant. Nam per suspensionem, si fieret ad certum tempus, non satis rebus consulebatur, quia possibile esset, ut finito suspensionis tempore, adhuc duraret aeris intemperies. Si vero suspensio ad certum tempus non referretur, videretur potius dissolutio, quam Concilii suspensio, quod et eveniebat, si Patribus daretur licentia discedendi quo vellent. Translatio improbari non posse videbatur, sed locus, quo Concilium transferendum esset, non minimam difficultatem habebat, quoniam ad alienam civitatem, sine principis illius sententia accedere, præter id quod indecorum erat, etiam periculosum, ne ipse cujus esset civitas, nollet Concilium admittere, et nullum dabatur tempus, quo consuli posset. Deinceps iterum cardinalis Giennensis eadem pæne, quæ antea dixerat, replicavit, addens, plures quidem causas a pluribus allegatas fuisse, quare discedendum esset, si veræ essent, ut proponebantur, idoneas posse judicari ad Concilii translationem: verum non esse de facili credendum omnibus, et eo minus, quoniam ea quæ dicebantur, in facto consistebant, de quorum veritate una die constare non poterat; propterea si quid agendum erat, ita ageretur, ut ablato quodammodo velo, ut aiunt, tanta res agi videretur. Fuerunt aliqui, qui legatorum sententias se adjuturos libenter affirmarent ». His dictis, cardinalis de Monte: « Auditæ sunt, inquit, Patrum sententiæ, et licet longe major fuerit pars eorum, qui discedendum esse ab hoc loco quamprimum arbitrantur, et propterea secundum eorum sententias concludi posset; tamen quoniam res gravis est, et quoniam non adhuc planum est, quo abeundum sit, videtur nobis, pro rei gravitate, audiendos iterum esse Patres, qui hic ad diem crastinum cogitare poterunt super his quæ a Patribus dicta sunt, et sic sacra Synodus cavere, postpositis omnibus humanis affectionibus. Hoc interim volumus scire Patres, nos non recusare hic permanere cum nostræ vitæ periculo, quamvis maximo, si reliqui Patres nobiscum permaneant; verum si major pars discesserit, nos hic cum minore parte Patrum permansuros non esse ».

43. Die sequenti eadem hora fuit Congregatio, in qua cardinalis de Monte: « Cogimur, inquit, ea, quæ in hesterna Congregatione gesta sunt, summatim repetere; diximus enim, plures ex Patribus post Sessionem celebratam recessisse, partem nobis insciis, multos præterea nudius tertius testatione nobis firmasse, se omnino discessuros esse, propter hanc influentiam, sive morbum. Quamobrem a nobis accitos medicos esse, ex quibus multa de hujus morbi evidentia audivimus, quæ quoniam non contemnenda videbantur, ad vos retulimus, quod cum causa communis esset, et videremus ex hac Patrum profectione Concilium dissolvi, existimasse ad officium nostrum pertinere, Patres de his omnibus admonere, et insuper rogare, prout rogavimus, ut omni humano affectu deposito, et solum Deum præ oculis habentes, sententiæ prout unicuique Spiritus suggesserit, pro communi securitate et Concilii conservatione dicerentur. Diximus etiam nos auctores aut persuasores esse nolle alicujus consilii vel deliberationis, sed omnem super hac re deliberationem liberam et integram Patribus relinquere, protestantes omni vitæ discrimine neglecto, paratos esse remanendum hic usque ad finem Concilii, si Patres vellent manere nobiscum, de quibus omnibus vos, Patres, testes estis. Consideratis Patrum sententiis, invenimus longe majorem partem stare, ut ex hoc loco discederetur: pro gravitate rei visum est nobis conclusionem differendam usque ad præsentem Congregationem, et interim rogavimus Deum ex toto corde ad inspirandum illud consilium, quod magis conveniret Reipublicæ Christianæ. Restat nunc discutiendum de modo discedendi, ita ne Concilium dissolvatur, qua de re aliqui putabant transferendum, aliqui suspendendum esse Concilium, aliqui dandam esse licentiam Patribus, ut possint secedere ad loca vicina, non tamen ultra duas vel tres dietas, et ibi expectandam deliberationem Sanctissimi Domini

nostri super loco : aliqui putabant [1] retardandam esse deliberationem ad aliquod tempus, donec Sanctissimus Dominus noster et Cæsar consulerentur : acclamantibus vero aliis et dicentibus, vim et genus morbi tale esse, ut nullam pateretur moram, nos quamlibet deliberationem probare cupimus, dummodo Concilium non dissolvatur, et quia multi rogaverunt nos heri, ut vellemus super hac re aperire mentem nostram, libere proferemus id quod nobis occurrit, repetentes id quod a nobis sæpe dictum est, omnem nostram curam et sollicitudinem ad id tendere, ut Concilium conservetur, quamobrem non satis probare possumus Concilii suspensionem, quoniam suspensio ipsa in hominum opinione haberet speciem dissolutionis. Primum igitur quod sese offert nobis est, ut præsupposita profectione et discessu ab hac civitate, ut majori parti Patrum placuit, designemus locum, in quo certi simus Concilium recipiendum esse ; secundum, quod locus sit huic civitati propinquus quantum fieri potest, non solum pro majori commoditate hinc recedentium, sed etiam pro majori facilitate redeuntium ad hanc urbem , si quando , cessantibus impedimentis quæ nunc urgent, videretur Sanctissimo Domino nostro pro rebus Germaniæ Concilium esse in hanc civitatem reducendum ; tertium, quod locus sit capax, habeat salubritatem aeris et copiam rerum humano victui necessariarum, ut uno nos absolvamus verbo, sola Bononia videtur nobis huic intentioni accommodata. Non dubitamus quin ibi recipiamur, cum magna gratulatione et veneratione, de illius civitatis dotibus disserere supervacaneum esset, cum omnibus palam sit paucis admodum Italiæ civitatibus secundam esse. Itaque putamus posse a nobis commode statui, Concilium illuc transferendum, et ibi celebrandam esse sessionem a nobis indictam pro XXI Aprilis, et prosecutioni Concilii incumbendum ad beneplacitum Sanctissimi Domini nostri, et donec et quousque aliter Sanctitati Suæ et sacro Concilio providendum et decernendum videbitur.

44. « Hoc enim pacto videtur satisfieri quodammodo iis, qui volebant Patres ultra tres dietas ab hac civitate non abesse, et nullum scandalum in populo generabitur. Quod recedant qui voluerint recedere et remaneant, qui voluerint remanere, hoc nos prohibere non possumus. Poterunt igitur Patres dicere sententiam. An placeat eis Concilium Bononiam transferri, et ibi celebrare jam dictam sessionem, et deinceps ad ulteriora procedere, usque ad beneplacitum sanctissimi Domini nostri et Sedis Apostolicæ, donec àliter statutum fuerit per Sanctitatem Suam et ipsam Sedem Apostolicam, accedente consensu sive approbatione majoris partis Concilii ». Quibus ab eo graviter explicatis cardinalis Giennensis : « Quanto, inquit, majore studio et diligentia potui, quantumque mihi propter temporis penuriam datum est, evolvi libros de materia translationis loquentes, eorum nemo non fatetur articulum ipsum gravissimum esse, et plures sunt qui hoc esse de reservatis papæ fatentur, et propterea nescio quomodo nos sine auctoritate expressa sanctissimi Domini nostri hoc nedum facere , sed etiam tentare possimus. Sciunt enim omnes Patres, quanto labore quantisque vigiliis tandem factum sit expetente serenissimo Carolo imperatore ut Concilium hic haberetur, et deinceps quamdiu hic permanserimus, antequam Concilium aperiretur et debitum haberet progressum, quod quo magis notum est Patribus, eo minus mihi laborandum est, ut ostendam vobis et invictissimum imperatorem, et reliquos principes Christianos hanc nostram profectionem, et si modo hinc abierimus, non æquo animo laturos, eoque minus ab omnibus probabitur profectio Concilii, quoniam nullam habemus proficiscendi legitimam causam. Nam morbus iste puncticularum, qui prætenditur, si vera essent, quæ a multis heri dicta fuerunt, fortasse legitima causa abeundi esse posset, sed maximam ego pro mei informatione diligentiam feci, ut invenirem veritatem tam eorum, qui ex hoc morbo perierunt, quam infirmorum; de mortuis quidem testantur parochi, qui medio juramento testantur, paucos admodum morbo defunctos esse, et inter cæteros parochus sancti Petri, vir fide dignus, juramento firmavit, in sua parochia, quæ valde ampla est, toto hoc mense nonnisi duos defunctos esse, alterum quidem infantem, alterum vero hydropisi laborantem. Infirmi quoque diligenter perquisiti sunt, nec inventi sunt in tota hac civitate plusquam triginta quinque infirmi , quorum quatuor vel quinque ad summum hoc puncticularum morbo laborant. Quamobrem non video quomodo causa ista discedendi legitima videri possit. Si tamen aliquis de his, quæ a me dicta sunt, dubitat, possunt eligi per sanctam Synodum tres vel quatuor prælati, qui de præmissis se diligenter informent et ad Synodum referant. Quod enim ad medicorum judicium attinet, se contraria ex medicis hujus civitatis intellexisse.

45. « Sed esto, quod causa quæ prætenditur manifesta esset, adhuc non posset Concilium transferri, nisi omnes consentiant. Et propterea, cum ego unus dissentiam, translatio fieri non potest. Ut autem perpetuis temporibus constet me translationi hujusmodi non consensisse, in hac schedula, quam registrari peto, meam sententiam exposui. Melius igitur erit

[1] Acta Congr. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barber. sign. num. 2978. p. 219.

meo judicio, ut expectetur per tres vel octo dies, donec habeantur litteræ a Cæsare et sanctissimo Domino nostro, quos certi esse possumus, non esse hujus mentis ut velint cum vitæ discrimine hic nos permanere. Et interim cogantur prælati sub gravissimis pœnis, ne discedant ab hac civitate, donec aliter deliberetur. Illud non prætermittam, medicos hujus civitatis rogatos fuisse a Fracastorio, ut se subscriberent ejus sententiæ, et id facere recusasse, quoniam sibi non videbantur vera ea, quæ ab ipso Fracastorio in scriptis redacta erant.

« Cui cardinalis Sanctæ-Crucis : Hoc, inquit, quod medici Tridentini dicunt, verum non est. Mox cardinalis de Monte : Pauca adhuc me dicere necesse est. Nam quoad infirmos et mortuos attinet, quid opus est amplius quærere, cum cæmeteria jam omnia pro mortuorum multitudine defossa sint ; et Tridentini cives, ne tot quotidie mori intelligerentur a nobis, prohibuerint pro mortuis campanas pulsari, proptereaque mortuorum corpora noctu efferuntur, ne sciamus stragem hujus contagionis, antequam nos occupaverit. Quod medicos attinet, non esse comparandos hujus civitatis medicos cum Fracastorio, cujus fides a Concilio jam probata est, et eo maxime, quod apud nos istorum fides suspecta non parum est ex justissimis causis, verumtamen scimus se subscripturos fuisse dictis per Fracastorium, nisi quibusdam rationibus Patribus notis detenti fuissent; quæ autem dicta fuerunt de auctoritate sanctissimi Domini nostri, satis adesse ejus auctoritatem ubi legati ejus adessent. Quod autem requiratur in translatione omnium consensus, se non invenisse apud graves auctores, nisi cum translatio fit absque aliqua causa : quod autem jubeamus majori parti ne discedat, non sat scimus quo jure facere possimus, cum teneamur hac in re sequi majoris partis sententiam, eo maxime, quo quis non est cogendus invitus ad permanendum aliquo in loco cum suæ vitæ discrimine. Ad hæc Giennensis inquit : Unum verbum tantum addam, videlicet, quod consentire translationi Concilii est de reservatis papæ , et propterea ad hoc speciali mandato opus est. Dixerunt deinceps ordine reliqui Patres sententiam. Quorum decem et sex, vel decem et septem ad summum, secuti sunt Giennensis sententiam, pluresque eorum eo sub prætextu Giennensis sententiæ inhærebant, quoniam aiebant sibi non constare de voluntate Pontificis, cujus voluntas si perspecta illis esset, se ab eo, quod sanctissimus Dominus noster juberet, ne latum quidem unguem discessuros ». Et cum haberent, uti inferius videbitur, Bullam facultatis Concilii transferendi , legati illam tunc non publicarunt, ut Patribus libertatem dicendi non adimerent ». Addidit episcopus Castellimaris, et post eum Pacensis, Asturicensis et Oscensis, se testatione firmare, ut nullus omnino discederet ex hac civitate; quod si discesserit, se protestari, remanere et remansuram semper apud eos, qui remanerent , omnem Concilii auctoritatem et potestatem. Qua de re libellos sive chartulas quasdam secretario registrandas tradiderunt, in quibus eorum sententiæ scriptæ erant. Cæteri omnes uno ore consilium reverendissimorum legatorum probarunt, nec defuerunt qui responderent Hispanis et cardinali Giennensi, dicentes protestationes hujusmodi nullum habere robur , quoniam contra jus factæ erant. Alii adlaborarunt ut ostenderent, in casu inopinato, maxime licere Concilium et transferri et suspendi, etiam absque auctoritate Sedis Apostolicæ. Duo, qui hesterna die cum Giennensis sententia fuerant, sententiam mutarunt, laudantes Concilii translationem : hi fuere Hispalensis archiepiscopus et episcopus Calestanensis, et forte alii. Dictum fuit a nonnullis, adeo rem instare, et periculum esse in mora, ut bonum esset confestim accedere ad Ecclesiam, et ibi celebrata parva missa de Spiritu sancto in arena capere consilium. Quod et multi Hispani, et in primis episcopus Castellimaris probare videbantur. Sed hoc minime Giennensi placebat , cujus opinionem secuti sunt etiam legati, nedum propter horæ tarditatem, sed ne tumultuaria profectio videretur. Omnium sententiis explicatis , cardinalis de Monte : Non est, inquit, cur hic amplius laboremus, hora duodecima ibimus in Ecclesiam, et ibi celebrata Missa, et factis aliis de more invocationibus, orabimus ad Paracletum illum Spiritum sanctum, qui devote invocantibus non deficit; hoc iterum edicimus : nos nullo modo cum decem vel viginti prælatis hic permansuros esse, verum si omnes permanere voluerint, nos libenter permanebimus, omni vitæ periculo posthabito ».

46. Undecima Martii octava Sessio habita est, in qua ob morbum epidemicum, qui Tridentum et vicina loca invaserat, Concilium Tridento Bononiam translatum est, qua auctoritate legati instructi fuerant Diplomate Pontificio, cujus Sessionis Acta compendio contracta referuntur in Actis typis excusis. Cum vero ex ea translatione maximæ controversiæ exarserint, non sine gravissimo schismatis terrore et incremento hæreseos, ipsumque Concilium intercisum sit, fusius repetenda Acta ex Ms. Archivi Vaticani ab Angelo Massarello [1], qui Concilio, ut sæpe diximus, a secretis erat, conscripta, ex quibus nonnulla visa sunt ad rei gestæ veritatem in sua luce collocandam decerpenda :

« In nomine Domini nostri Jesu Christi, Amen. Anno a Nativitate ejusdem MDXLVII, In-

[1] Ang. Mass. Secr. in Actis Ms. Sess. 8. Ms. arch. Vat. sign. num. 3190. p. 182. Ms. ejusd. arch. sig. num. 3232. p. 343.

dictione v, die vero Veneris undecima mensis Martii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri domini Pauli divina providentia papæ III anno xiii. Convenerunt in Ecclesia Cathedrali Tridentina sub invocatione S. Vigilii in loco ad Sessiones habendas et Concilium celebrandum deputato, pro Sessione habenda ad infrascripta, reverendissimi et illustrissimi domini Joannes Maria episcopus Prænestinus de Monte, et Marcellus tit. S. Crucis in Hierusalem presbyteri sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ipsius sacri Concilii præsidentes et Apostolici de latere legati, necnon reverendissimus et illustrissimus dominus Petrus Paceccus cardinalis Giennensis, et reverendi domini archiepiscopi, episcopi, abbates, et Generales ordinum infrascripti, ubi reverendus in Christo Pater et dominus episcopus Britenoriensis cantavit Missam solemnem de Spiritu sancto. Qua finita, tam prædicti reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati, quam cæteri prælati omnes acceperunt solita paramenta et mitras : deinde per reverendissimum et illustrissimum Carolum de Monte præsidentem et legatum præfatum decantatæ sunt orationes et preces in publicis Sessionibus cantari consuetæ, ac solitæ cæremoniæ de more peractæ sunt, invocato etiam auxilio sancti Spiritus per Hymnum, *Veni, creator Spiritus ;* et decantatis a cantoribus Concilii Litaniis, et per Diaconum Evangelio, *Euntes docete omnes gentes* Matt. x etc. quibus omnibus completis, et ipsis reverendissimis et illustrissimis dominis præsidentibus et legatis sedentibus ante Altare majus versa facie ad Patres Concilii, præfatus reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte legatus et præses, alta et intelligibili voce ex scripto recitavit, et legit de verbo ad verbum », ea quæ in duabus proximis præcedentibus Congregationibus ad prohibendam imminentem dissolutionem Concilii, et ad ejus conservationem, prosecutionem, necnon pro communi salute et vitæ securitate acta fuerunt.

47. Deinde subjecit, auditis Patrum sententiis : Diximus quamcumque provisionem et deliberationem nos probare posse, dummodo Concilium non dissolvatur. Et quia multi rogaverunt nos, ut vellemus super hac re aliquod lumen eis præbere, cum quo possent in hac repentina necessitate dirigere sententias suas ; repetentes illud, quod antea sæpe dictum fuerat a nobis, scilicet omnem nostram curam et sollicitudinem ad id tendere, ut Concilium conservetur, et suum possit habere progressum, subjunximus nos satis et undequaque probare non posse suspensionem , cum suspensio ipsa habitura esset speciem dissolutionis, saltem quoad hominum opinionem.

Primum et præcipuum, quod sese in tota hac ratione aut discursu offerret nobis, ut postquam tot Patres perseverabant in suo discedendi proposito, et nullis persuasionibus adduci poterant, ut per brevissimum saltem temporis spatium nobiscum remanere vellent, et erant in tanto numero, ut longe majorem partem Concilii facerent, designaremus locum, in quo certi essemus Concilium ipsum constitui posse, et Patres omnes, sine aliqua contradictione seu difficultate, ibidem esse recipiendos.

Secundum, quod locus ipse esset huic civitati propinquus, quantum fieri posset, saltem pro majori facultate redeundi ad hanc urbem, si quando, cessantibus per Dei gratiam impedimentis quæ nunc urgent, videretur Sanctissimo Domino nostro pro rebus Germaniæ Concilium esse in hac civitate reducendum et reponendum.

Tertium, quod locus ipse esset capax, haberet salubritatem aeris, copiam rerum, quæ sunt humano usui et victui necessaria, et alia requisita : et ut uno nos absolveremus verbo, solam Bononiam a pluribus nominatam videri nobis his omnibus intentionibus accommodatam : non dubitare nos quin ibi recipiamur cum magna omnium illorum civium gratulatione, et veneratione erga singulos Patres. De illius civitatis dotibus disserere supervacaneum esse, cum paucis civitatibus Italiæ posthaberi possit, viderique nobis hac via satisfieri illorum opinioni, qui volebant Patres non abesse ultra tres dietas, cum non multo longiori itinere distet Bononia , itemque Sanctissimi Domini nostri deliberationem expectari, non dissolvi Concilium, non generari scandalum in populo Christiano, non omitti celebrationem sessionis jam indictæ, et reservari deliberationem Sanctitati suæ pro subsequenti tempore, vel in eodem loco, vel in alio, vel etiam in hac ipsa civitate Tridentina. Denique si Concilium conservetur et manuteneatur, omnia bona sperare nos posse ; si dissolvatur, omnia mala pertimeri : quod recedant qui velint, et eant quocumque velint, et remaneant qui voluerint remanere, nullo modo nos prohibere posse.

48. His a nobis expositis, Patres omnes dixerunt sententias suas, et pro longe majori parte concordes et conformes fuerunt. Quibus auditis diximus, et pro gravitate eorum, quæ decernenda erant, dignum et æquum esse, ut omnis nostra in hac re deliberatio ab invocatione divini numinis initium sumeret : et propterea alta voce monuimus omnes, ut hoc ipso die et hac hora ad hanc Ecclesiam in paramentis consuetis convenirent, facturi eam deliberationem, quam Spiritus sanctus mentibus Patrum inspiraret. De his omnibus estis vos, Patres, coram Deo et hominibus locupletissimi testes : audietis etiam ea, quæ proferet dominus promotor Concilii in hac materia.

Et statim ipse promotor dixit : Reverendissimi et illustrissimi domini, et amplissimi

Patres. Cum audivissem in Congregationibus proxime factis aliquos Patres desiderare fieri aliquam investigationem super hac infectione et suspicione, examinavi tam ex efficio, quam ex commissione et mandato reverendissimorum et illustrissimorum dominorum legatorum nonnullos testes super quibusdam articulis, quos peto recipi et admitti. Et reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte præsidens et legatus dixit : Placet quod legantur? Et omnes Patres responderunt : Legantur, etc.

Concepti erant ii articuli de morbo epidemico contagioso dicto puncticularum, qui ab excurrente mense Tridentinam urbem ac finitima loca invasisset, atque episcopum Caputaquensem, et Generalem Observantium, et Balduinum canonicum, et plures alios extinxisset, deque gravibus ejus morbi symptomatibus, ex quibus qui evaserant aut stolidi aut capti oculis manerent, deque gravissimis periculis in quibus versarentur Patres, si is morbus in pestem, uti calore aucto fieri solet, descideret; quadraginta et amplius eo morbo Tridenti laborare, nec medicos accersitos velle accedere ad invisendos ægros, ac de ea re testium dicta relata sunt. Fracastorii et Balduini medicorum testimonia quæ ex parte fuisse fallacia secutus rerum exitus comprobavit, quibus perlectis addunt Acta [1] :

« Successive ipse reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte præsisidens et legatus præfatus versus ad ipsos Patres dixit : Reliquum est ut nunc super decreto ex mente majoris partis Patrum concepto et formato sententias vestras libere dicatis, et nulla mora interposita legit alta et intelligibili voce decretum ipsum subsequentis tenoris :

49. « Placetne vobis decernere et declarare de hujusmodi morbo ex præmissis et aliis allegatis ita manifeste et notorie constare, ut prælati in hac civitate sine vitæ discrimine commorari, et in ea idcirco inviti minime retineri possint et debeant? Itemque attento recessu multorum prælatorum post proximam præteritam sessionem, et attentis protestationibus aliorum complurium prælatorum in Congregationibus generalibus factis hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui juste detineri non possunt, et ex quorum discessu Concilium vel dissolveretur, vel ex paucitate prælatorum bonus ejus progressus impediretur, et attento etiam imminenti periculo vitæ, et aliis causis per aliquot ex Patribus in ipsis Congregationibus allegatis, utpote notorie veris et legitimis? Placetne vobis similiter decernere et declarare pro conservatione et prosecutione ipsius Concilii, et securitate vitæ ipsorum prælatorum , Concilium ipsum ad civitatem Bononiæ veluti ad locum magis paratum, salubrem et idoneum pro tempore transferendum esse et ex nunc transferri, et ibidem sessionem jam indictam statuta die vigesima prima Aprilis celebrandam esse et celebrari, et successive ad ultiora procedendum, donec Sanctissimo Domino nostro et sacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo Cæsare ,. Christianissimo rege et aliis regibus ac principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit et debeat? Responderunt : Placet.

50. « Quo decreto lecto [1], unusquisque etiam interrogatus singulariter a me Angelo Massarello secretario Concilii una cum D. Claudio de la Casa ipsius Concilii notario, dixit alta et intelligibili voce sententiam suam in hunc qui sequitur modum, videlicet reverendissimis et illustrissimis dominis præsidentibus et legatis placet decretum, et omnia alia adducta et probata, tanquam vera et legitime approbata. Reverendissimus cardinalis Giennensis dixit, non sufficere allegata per promotorem, quia eorum majorem partem scit esse falsam : fit contra jus translatio, cum nulla sit causa legitima transferendi in eamdem provinciam; et si esset transferendum, esset juxta formam Concilii Constantiensis transferendum, quare protestatur se non assentiri translationi ; posset tamen sessio prorogari. Reverendus dominus archiepiscopus Spalatensis dixit : Placent decreta. Reverendus dominus archiepiscopus Turritanus dedit schedulam infrascripti tenoris : Quia proposita translatio Concilii ad civitatem Bononiæ ab hoc loco, in quo legitime in Spiritu sancto congregatum et inchoatum existit, videtur mihi coram Deo verisimiliter allatura scandalum et perturbationem reductioni errantium Germanorum, et paci ac unitati Ecclesiæ, hæresumque illarum extirpationi propter quod conventus in hoc præcipue loco celebratur a sacri imperii ordinibus acceptato, id quod maxime hoc tempore speratur, quo pacata et subacta provincia, jam rerum potitur Catholicus imperator, et ad religionis præsertim negotia, de quibus agimus, dietam indixit, cui vel hoc nomine parum commodos non dubito nos futuros, nedum nobis ipsis importunos, cum hoc præsertim tentari videam sine scientia et voluntate sanctissimi Romani Pontificis, quo mandante, huc convenimus, cujus speciale oraculum res hujusmodi desiderabat : ideo non probatur mihi, nec placet, sed neque credo de jure licere hoc Patribus, inconsulta Sua Sanctitate præfata, et propter rationabilem contradictionem etiam minoris partis, præsertim quia numerus non in tantum excedit, ut excludat alias juridicas considerationes, quas non impedit modicus excessus in numero, in

[1] Ext. in Act. typis excusis.

[1] Ms. sign. num. 3190. p. 194.

quo neque in multitudine, sed ratione vincendum est, et alias timori ac saluti Patrum per prorogationem indictæ sessionis ad certum tempus, vel ad beneplacitum Sanctitatis Suæ et sanctæ Synodi circa Concilii dissolutionem vel coactionem, opportunius poterat esse consultum, etiamsi causa contagionis prætensa legitima foret, et juridice ac mature discussa fuisset, nec in controversiam vel dubium verteretur ».

Subdunt Acta archiepiscopos Antibarensem, Materanum, Naxiensem, Hispalensem, Armacanum approbasse eadem decreta, Panormitanum vero dixisse : « Non placent quousque papæ et imperatoris voluntas habeatur ».

51. Rogatæ deinde sunt episcoporum sententiæ, quorum primus Senogalliensis ita fatus est : « Probo decretum et translationem ad beneplacitum Sanctissimi Domini nostri, et hujus sacri Concilii ob urgentem necessitatem, adhibito (si opus est) singulari cujusque nostrum juramento huc revertendi, quandocumque Suæ Sanctitati et sacro Concilio pro rebus religionis videbitur expedire, si quo modo possimus reverendissimos dominos Hispanos fratres nostros inducere ad conveniendum nobiscum ; quod si nolint, et ex hoc timendum sit de aliquo schismate, censerem quod potius hic moreremur omnes, quam quod hodie occasionem schismatis præberemus in Ecclesia Dei ».

At episcopi Asculanus, Feltrensis, Aciensis, Melitensis, Iserniensis, Placentinus, Torcellanus, Sibinicensis, Albensis, Vasionensis, Emoniensis, Tarvisinus, Parentinus, Motonensis, Salutiensis, Milonensis, Caprulanus, Vigorinensis, Corsulanus, Bellicastrensis, Britinoriensis, Pisauriensis, Famaugustanus, Albiganensis, Narniensis, Aliphanus, Minoricensis, decreto assensere : necnon abbas Cassinensis, ac tres Generales Ordinum. Ex episcopis vero hi repugnarunt, in primis Gadicensis dixit : « Placuisset quod antequam de translatione Concilii quidquam deliberatum esset, quod pro humilitate et reverentia, quam Summo Pontifici domino debemus, Sanctitatem Suam consuluissemus : tamen si reverendissimi domini præsidentes in hoc mentem Sanctitatis Suæ sciunt, sum in sententia Patrum, qui volunt Concilium Bononiam transferri. R. D. episcopus Sancti-Marci dedit schedulam : Ego persisto in hesterna sententia, et dico me nullo pacto assentiri huic translationi, propterea quod causa non videtur justa, et idonea, et quia sit inconsulto Sanctissimo Domino nostro, inconsulto Cæsare et Christianissimo.

« R. D. Archiepiscopus Rossanensis : Non probo causam translationis, et personæ examinatæ sunt suspectæ ; et propterea non placet translatio, quia non constat de voluntatæ papæ, de qua si constaret, placeret.

« R. D. episcopus Castellimaris : Non placet, quia reverendissimi domini legati non ostenderunt habere potestatem transferendi, et permanentes sunt obedientes Suæ Sanctitati, et placet sententia reverendissimi domini cardinalis Giennensis : si autem constaret de mandato Sanctissimi Domini nostri, obedirem. Episcopus Agathensis non probat, neque reprobat ; hoc tantum, ut Synodus faciat quod Ecclesiæ et reipublicæ Christianæ est expediens.

« R. D. episcopus Lancianensis dixit : Non placet, cum non sit causa legitima : præsertim cum sine consultatione Sanctissimi Domini nostri, et reverendissimi domini legati non habeant potestatem.

« R. D. episcopus Syracusanus dedit schedulam : Nullo modo mihi placet translatio Concilii, cum nulla subsit causa legitima seu legitime probata, et quæ allegatur est levissima, cum revera pauci infirmentur in civitate ista, et ex illis quasi nullus moritur : nam rem agimus magnæ importantiæ de statu totius Christianæ religionis, et si Concilium hoc est per tot annos desideratum, et tantis laboribus tandem per Sanctitatem D. N. congregatum, accedente etiam assensu et voluntate Cæsareæ Majestatis et Christianissimi regis, ac aliorum principum, nullo modo debuit ita præcipitanter transferri, nisi prius consulto Sanctissimo Domino nostro Pontifice Romano, et Cæsarea majestate, et reliquis principibus Christianis : quod per breve tempus fieri poterat. Propterea nisi prius consulatur Sanctitas D. N., Cæsarea majestas, Christianissimus rex et reliqui principes, ea via qua de jure possum et debeo, protestor me non consentire recessui, nec translationi, nec mutationi Concilii.

« Pacensis episcopus addit : Non placent informationes promotoris, neque translatio, præsertim cum non constet de mandato Pontificis.

« Subjecit Asturicensis : Non placent probationes, quia non sunt factæ auctoritate judiciali : neque placet translatio, cum non appareat de voluntate Sanctissimi Domini nostri. Neque placet locus, quo transfertur, quia non est liber. Quod si aliter constaret de voluntate Sanctissimi, essem paratus obedire.

« R. D. episcopus Calagurritanus dixit : Non placet decretum, et causa non est sufficiens in re tanti momenti, maturius esset deliberandum et non ita timide et præcipitanter procedendum.

« R. D. episcopus Canariensis dixit : Nunquam placuit, neque placet, quia causa non est sufficienter probata ; et quia neque papa neque Cæsar fuerunt consulti ; quare expectetur donec ipsi consulantur ad minus per octo dies ».

52. Dictis omnium sententiis, iisque per secretarium alta voce recitatis, petiit cardinalis Giennensis, ut et ipsi legati dicerent sententiam. Cui cardinalis de Monte [1] : « Ego (inquit) post-

[1] Ext. excusa in Actis ex editione Binii post Sess. 7.

quam translationem Concilii nedum a majori parte, sed etiam a duabus ex tribus partibus abunde probari video, ut Apostolicæ Sedis legatus, et episcopus, et ut cardinalis translationi consentio, et ita in nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Sessio jam indicta habebitur Bononiæ die ipsa XXI Aprilis, et ut Patres cognoscant, quam sincere, quam simpliciter semper in usus Concilii processerimus, et quantum libertatem ejusdem Concilii semper fecerimus, ad eorum maxime consolationem, qui dixerunt se consensuros translationi, si sibi constaret de auctoritate papæ nobis ad hoc concessa, sciant Patres nos ab initio nostræ legationis habuisse a sanctissimo Domino nostro facultatem transferendi Concilium, quemadmodum in Bulla ejus nobis concessa mox apparebit, quam quidem Bullam hactenus noluimus legi, ne honor, qui debite defertur ab omnibus ipsi Sedi, traheret fortasse aliquos ad consentiendum in id, quod alias facturi non essent : ea, si placet, legetur ? Cumque id omnes uno ore petiissent, Angelus a secretis legit Bullam ipsam, in qua cardinalibus de Monte, Sanctæ-Crucis, et Anglico, vel duobus ex ipsis dabatur potestas a sanctissimo Domino nostro transferendi Concilium auctoritate Apostolica, si quando vel peste, vel bello, vel alia justa causa Tridenti esse non possent. Qua Bulla lecta, idem cardinalis de Monte admonuit omnes prælatos præsentes sub pœnis et censuris in ipsa Bulla expressis, ut eadem die XXI Aprilis Bononiæ ad celebrandam Sessionem indictam adessent. Qua Bulla lecta, Giennensis et omnes, qui cum eo senserant, obmutuerunt. Giennensis tamen petiit tam Bullæ quam aliorum gestorum sibi fieri copiam. Mox Hercules Severolus promotor Concilii petiit de omnibus et singulis gestis in sancta Synodo per notarios et protonotarios Concilii fieri unum vel plura, publicum seu publica Instrumenta.

53. Refert auctor Diarii [1] Concilii Tridentini ex litteris XXIII Martii Roma Bononiam transmissis, consultum fuisse antea a cardinale a Monte Pontificem de transferendo Concilio : sed adeo vehementi impetu deliberationem ab eo præcipitatam, ut responsum non expectarit. Subdunt Acta :

« Die XXII Martii discesserunt reverendissimi legati a civitate Tridentina, et die XX ejusdem pervenerunt ad civitatem Bononiæ, cum non paucis prælatis (1) : fuere illi ferme omnes Itali ; at Hispani aliorumque regnorum Cæsari obnoxiorum præsules Tridenti hæsere consulto

[1] Diar. Conc. Trid. p. 214.

Cæsare, e cujus voluntate pendebant, Galli vero discesserant, atque oratores Francisci regis, regulus Durfe Forensium præfectus, et præses de Ligny ante medium Februarii Venetias concesserant : quam translationem versam in maximum rei Catholicæ damnum deplorat Angelus Massarellus [1], qui Concilio Tridentino erat a secretis, ut sæpe dictum est :

De translatione Concilii Tridento Bononiam.

54. « Sacrosancto Concilio Tridentino prospere feliciterque magno omnium nationum consensu et plausu procedente, et jam majori ex parte dogmatum erroribus trucidatis atque evulsis, corruptis cleri populique Christiani moribus multis capitibus emendatis, ac denique se ad optatum finem (Deo benevolente) omni conatu alacriter disponente ac præparante (pauca enim tam circa ipsa dogmata, quam reformationem expedienda supererant), ecce (ut fit in bonis operibus consummandis) humani generis hostis hunc felicem cursum, hoc sanctum propositum interrupit atque perturbavit. In civitate enim Tridentina nescio quæ aeris intemperies suboritur, quæ sævissimum puncticularum, seu lenticularum, ut vocant, morbum inducit, adeoque in ipsa civitate morbus invaluit, ut quotidie multi etiam ultra loci qualitatem perirent, inter quos fuere duo Patres Concilii, episcopus Caputaquensis, et Generalis Ordinis Minorum de Observantia, multo etiam plures infirmarentur, et jam pestis uti ipsi morbo peculiari ratione insitæ, atque in vicinis regionibus, præsertim vero in Germania sævientis non solum suspicio, sed perspicua indicia habebantur. Quo malo periculo ac timore ita perterriti sunt Patres Concilii, ut quotidie quamplures ex Tridento, vel non petita, vel petita et non obtenta licentia, recederent, et qui remanebant nullis hortationibus, persuasionibus vel monitionibus retineri possent, asserentes nullo jure eo in loco cum evidenti vitæ discrimine posse detineri. Ex qua continua Patrum secessione animadvertentes legati ipsi et præsidentes Concilium certo certius dissolutum iri, quod nullo modo permittendum esse existimabant, habita prius ipsius morbi, tum per medicorum judicium, tum per complurium fide dignorum testium depositionem certa notitia, proposuerunt Patribus quid super hujusmodi rerum statu esset consilii capiendum ».

[1] Ang. Mass. Secret. in Actis Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 64.

(1) Episcoporum qui sessioni huic Bononiensi interfuerunt catalogum exhibens Curtembrochius perspicue demonstrat ex Galliarum episcopis unicum tantummodo Petrum Vosatium, episcopum Aquensem, Flandrum, adfuisse. Patres vero simul omnes numerum 36 circiter non superasse ex eodem scimus ; Italos omnes præter episcopum illum Aquensem, Richardum Petrum episcopum Vigorniensem, et Græcos nonnullos, cum archiepiscopo Armachano Scoto. Ex quibus omnibus falsi arguitur Segnius qui in Historia Florentina lib. XII, episcoporum neminem Bononiam invitatum venisse asserit. MANSI.

55. *Ex hac translatione gravissimæ dissensiones inter imperatorem et Pontificem exortæ.* — Pervulgata translationis Concilii Tridentini fama, gravissima inter Paulum III Pontificem, et Carolum V imperatorem dissensionum semina ad evertendam Christianam rempublicam, et confirmandam hæreticorum pertinaciam excreverunt, cum in contrarias sententias nec obscura odia infeliciter exardescerent : Paulus enim Pontifex XXIII Martii accepto translationis nuntio, rem gestam coacto cardinalium senatu comprobavit : quantumvis Burgensis, de Auria et Sadoletus prudentia admodum insignes suaderent, ne quid in ea re decerneret, nisi prius consuluisset Cæsarem ; ex ipsius enim ac Cæsaris dissensione gravissima mala emersura, quibus Pontifex subiratus paulo acerba voce respondit, Germanos biennii flexu expectatos Tridenti, nec unquam accessisse, nec jam amplius expectandos : cui cum cardinalis Auria subjiceret, sperandum eos a Cæsare cogendos, perstrinxit illum tacite Paulus nimio studio Cæsari adhærere, cardinalitii nimirum ordinis viros debere ab omni humano affectu esse divulsos affirmans.

56. At Cæsar maximas iras concepit adversus Paulum Pontificem, qui arcanis litteris transferendo Concilio favisset ac jure translatum contenderet, cumque ex hoc dissidio imminentia graviora mala præsentiret Petrus Soto Ordinis Prædicatorum, vir eximiæ prudentiæ et insignis Christianæ demissionis, qua oblatas dignitates constantissime respuit, qui Cæsaris sacras exhomologeses excipiebat, Alexandrum cardinalem Farnesium monuit ut partes suas adhiberet apud Pontificem, ut Concilium Tridento restituendum curaret, de quo factus certior a cardinale Farnesio Pontifex [1] significavit Petro e Soto quantis studiis Cæsarem semper esset complexus, addiditque vehementer dolere se a malevolis omnia pia studia sua in odium adduci, deque translatione Concilii addidit, se inconsulto eam factam, posse vero eos, qui Tridenti hæserant Bononiam accedere, ac dein vel Tridentum, vel alium locum designatum iri.

57. « Dilecto filio Petro e Soto Ordinis Prædicatorum professori, serenissimi Cæsaris confessori.

« Dilecte fili. Ex litteris quas dilecto filio nostro Alexandro cardinali Farnesio misisti, ipso nobis referente cognovimus, quo tu animo, et quo erga nos et hanc sanctam Sedem devotionis zelo capiaris, atque desideres ut omnia inter nos et charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum pacata, quieta benevolaque succedant, atque ut hæc Concilii Generalis nuper Tridento Bononiam facta translatio, quoniam ei nonnihil molesta videtur accidisse, ita gubernetur atque procedat, ut si quid offensionis in illius animo est natum, id nostra obsequela nostrisque officiis tollatur atque omne sanetur, in quo nos, et tuam benevolam erga nos voluntatem, et probum sapiensque consilium tuum non solum valde commendamus in Domino, verum etiam grate et libenter accipimus, ac quod ad mutuam inter nos et serenissimum ipsum Cæsarem benevolentiam, pacem consensionemque attinet, tua devotio optima potest esse testis, quantopere nos semper studuerimus illum omnibus nostris obsequiis et donis, et omnium rerum concessionibus juvare atque ornare, cum nihil ille unquam a nobis postulaverit, in quo nostra ad indulgendum et concedendum voluntas non fuerit parata, nisi si qua nonnunquam petita ejusmodi sunt, quæ aut nostras longe superaverint vires, aut alia esse nobis visa sunt, ut salva nostra dignitate permittere ea non possemus : in cæteris quidem rebus nunquam nos illius commodis, honori, famæ amplitudinique defuimus, sed huic sanctæ Sedis pecuniis, et Ecclesiasticis multarum provinciarum facultatibus, terrestri militum manu et maritima participes esse voluimus illius laborum, sollicitudinum, sumptuum, cum ad id nos summus quidam erga illius majestatem ab initio susceptus amor sanctissimeque conservatus impelleret, ut illius commoda atque ornamenta omnia procuraremus, quæ tamen nostra merita erga eum ferme iniquorum et malevolorum obtrectationibus in eam partem accepta sunt, ut videremus in ipsis beneficiis quasi damnum illi atque incommodum velle inferre, quod certe nobis magno dolori fuit.

« Itaque sæpe ipsi nobiscum taciti æstimantes, et animum nostrum erga illum, et illius erga nos, non potuimus non summopere angi, cum videremus, quam impari conditione ad amandum accessissemus, et quam nostra optima erga eum voluntas pravis interpretationibus quorumdam in suspicionem et dubium apud illum adduceretur : sed nos in nostra semper sententia et pristino amore permanentes, non desistemus tamen tantum et tam insignem principem omnibus nostris officiis et meritis honoribus prosequi, cujus præsertim virtus et animi magnitudo, ac pro defensione fidei Catholicæ suscepti tot jam labores, hique tam admirabili felicitate consecuta grati atque accepti Deo declarati, non solum in universæ Christianæ reipublicæ, sed etiam hujus sanctæ Sedis, cui divina providentia præsidemus, peculiare beneficium redundaverint : quare, dilecte fili, quæ nostræ sunt partes, nos Cæsaris amori atque amplitudini et antea dediti semper fuimus, et sumus futuri. Ille, ut ea voluntate sit, qua profecto esse debet, neque se sinat malevolorum immutari sermoni-

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 160.

bus, cujuslibet boni est et in primis tuum pro tua probitate et virtute procurare; nam, quod ad Concilium attinet, si in tranferendo fuit culpa, aut error, nos certe expertes earum rerum fuimus; ante enim captum ab illis consilium est quam ad nostras aures potuerit res pervenire, et tamen justa ipsimet Concilio causa fuit visa tranferendi sese, neque vero adhuc cognoscere potuimus, cur minus Bononiæ quam Tridenti possint omnia ad Cæsaris commodum et utilitatem agi; sed tamen si mutatio loci est quærenda, nos, qui pro imperio et auctoritate nihil agere volumus, quod videatur auctoritati Concilii ulla in parte derogare, censeremus hoc expedire esseque opportunum, ut prælati atque episcopi qui Tridenti manserunt, Bononiam accedentes, Patribus cæteris persuaderent, ut rursus Tridentum, aut aptiorem alium in locum referretur Concilium, quo communi concordia consensuque omnium, quæ ad integritatem Catholicæ fidei, morumque correctionem pertinent, Deo, et Spiritu sancto auctore tractarentur, de qua re si Bononiæ agetur, convenientibus eo (ut diximus) omnibus non erit (credimus) difficile ita rem totam etiam nobis adjuvantibus dirigere, ut et Cæsaris voluntati et publicæ simul utilitati satisfiat, cui in primis studemus omnibus viribus et conatibus nostris consulere, sicut etiam referet tibi latius dilectus filius, et legatus noster cardinalis Sfondratus, cui fidem indubiam adhibebis. Datum Romæ XXX Martii MDXLVII anno XIII ».

Adduci non potuere Hispani præsules qui Tridenti hæserant, ut Bononiam se conferrent ad egregia cæpta absolvenda, nam Cæsar in suscepta sententia perstitit Concilii non in Italia, sed in Germania celebrandi. Reliqui vero qui Bononiam elegerant, ad Concilii Pontificisque auctoritatem tuendam Synodumque prosequendam, in qua urbe maximo cum honore et publica lætitia excepti fuerant, animos obfirmarunt, cujus Acta [1] typis non sunt excusa, ne dissensioni majori occasionem præberent:

58. *Acta Concilii Bononiensis: articuli hæreticorum de Sacramento Pœnitentiæ* — « Die XXV dicti mensis Martii », inquiunt Acta, « ipsi reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes exhibuerunt theologis minoribus exemplum XIV Articulorum excerptorum ex libris modernorum hæreticorum super Sacramento Pœnitentiæ, ut juxta morem hactenus Tridenti in sacro Concilio observatum, antequam dominis prælatis et Patribus ipsius Concilii proponerentur, ab ipsis theologis minoribus discuterentur et examinarentur ».

[1] Ms. card. Barber. sign. num. 123. in script. Acta Concil. Bonon. pag. 2.

Articuli hæreticorum super Sacramento Pœnitentiæ.

« I. Non esse tres sacramentalis Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem, et Satisfactionem, sed duas tantum, mortificationem scilicet et vivificationem, seu quod aliis verbis dicunt, terrorem seu timorem, et huic succurrentem fidem certæ remissionis peccatorum.

« II. Contritionem ex recogitatione et consideratione peccatorum ortam, aut timore servili paratam, facere hominem hypocritam et magis peccatorem.

« III. Confessionem auricularem, nec mandatam esse jure divino, nec necessariam, quia sine ea peccata remittuntur contritis et fide se substentantibus.

« IV. Confessionem auricularem, quam Ecclesia quotannis faciendam præcipit, esse impossibilem, adeoque figmentum hominum.

« V. Non esse necessarium confiteri omnia peccata mortalia, quorum quis sibi est conscius, sed ea tantum, quæ conscientiam perplexam tenent et angunt: sed neque ullas circumstantias peccatorum confitendas esse.

« VI. Nec peccata contra duo ultima Decalogi præcepta confitenda esse, nec licere venialia confiteri.

« VII. Absolutionis ministrum esse quemlibet Christianum, et absolvere posse etiam non confitentem peccata.

« VIII. Absolvi hominem a peccatis, modo credat se absolutum, etiamsi non esset contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat.

« IX. Absolutionem privatam sacerdotis nihil efficere.

« X. Satisfactionem pœnitentium non esse aliam, quam solam fidem, qua apprehendunt Christum satisfecisse.

« XI. Deum per gratiam peccata condonantem non exigere opera, seu dignos fructus Pœnitentiæ.

« XII. Satisfactiones canonicas quondam, vel exempli vel disciplinæ causa fuisse a Patribus institutas, non autem ad remissionem pœnæ.

« XIII. Satisfactionibus a sacerdote injunctis obscurari doctrinam de gratia et vero Dei cultu.

« XIV. Temporalibus pœnis æterna mutari supplicia fictio est, non veritas ».

Anno Domini MDXLVII, die vero Martis XXIX mensis Martii, etc. celebrata fuit prima Congregatio theologorum minorum, et sumpsit exordium sacrum Œcumenicum Concilium Bononiense; quibus theologis propositi sunt examinandi et discutiendi articuli suprascripti de Sacramento Pœnitentiæ.

59. *Prælati Hispani jussu Cæsaris Tridenti morantur.* — Interim Romæ motæ sunt gravio-

res lites apud Pontificem a Cæsare de Concilii translatione : nam Joannes Vega orator Cæsareus acceptis litteris imperatoris eadem die questus est apud Paulum III de repentina mutatione Concilii Tridentini Bononiam translati, non consulto prius Cæsare. Pontifex vero, cum adhuc ab internuntio litteras non accepisset, respondit Vegæ, summa maturitate consultum iri, Conciliique Patribus exponenda istius rei capita, ut perpenderentur; se quoque de ea non præmonitum; translationem non modo a majori parte, sed etiam a duabus et amplius partibus factam, adeo ut qui repugnent, tertiam non conficiant; ac propterea legitimam censeri : Tridentinum Concilium se reducere non posse, nisi auctoritatem ejus infringat, omniaque acta agendaque convellat; neque præsules suis mandatis forte parituros, ut ad reditum adigerentur; cum ibi latius grassaretur lues, plurimosque non modo Tridentinos cives, verum etiam et nonnullos Patrum famulos extinxisset. Subjecit etiam Pontifex, Tridentinum Concilium revocari non posse, nisi ex decreto ejusdem Concilii, cum ipse nollet illi libertatem eripere, quam integram illæsamque servare voluerat, etiam cum de proprio commodo et Romanæ curiæ rebus ageretur : pollicitus tamen est oratori, se Patres Concilii admoniturum ut sua utantur libertate, seque conferant in alium quemvis locum Bononia accomodatiorem, ut Cæsareæ majestati rem gratam facerent, pluraque alia congessit, quibus Bononiam a nemine suspectam censeri jure posse, cæterisque urbibus tutiorem esse ostendebat; præsertim cum undique ea cincta esset provinciis Cæsareæ majestatis partibus addictissimis in Italia, ad quam etiam ipse Pontifex una cum Cæsare, si voluisset, commode accedere posset. Ad id vero, quod ad Cæsarem spectabat Concilii tutelam gerere, respondit, id intelligi dumtaxat in casu quo foret necessarium, ac Patres Concilii id ab eo efflagitassent : quare cum Bononia tuta esset, neque ob nationum discrimina ulla oriri posset suspicio, Cæsarea ista securitas supervacanea videbatur, cum ipsemet Pontifex in neutram partem inclinaret, communisque parentis munus gereret.

Ista decerpsimus ex litteris cardinalis Farnesii ad Hieronymum Verallum conscriptis, ad quarum calcem hæc erant subjecta : « Hæ sunt, quæ a vestra dominatione Cæsareæ majestati insinuanda sunt, eamque pro responso ad ea, quæ Joannes e Vega orator repetiit sanctitati suæ de optima Cæsaris in eam voluntate, confirmet, sanctitatem suam pari studio amoris Cæsareæ majestati responsuram, rogetque ne aures improbis pandat, sed teneat certissime sanctitatem suam ipsum paterno amore complecti, ut filium primogenitum, tum ob contractæ affinitatis vincula, ac si interdum Sua Sanctitas Cæsareis postulatis non assentiat, id fieri non quod ipsi gratificari nolit, sed quia non possit, vel quia rationi consona non putet, licet alii secus sentiant; eadem conferat cum piaculario Cæsareo sacerdote, qui consuetis optimis officiis non sit defuturus. Dat. Romæ v Aprilis MDXLVII ».

60. Interea significarat cardinalis Farnesius legatis Pontificio nomine translationem Concilii approbatam a Pontifice ob allatas causas, monuitque, ne ob paucitatem præsulum (pars enim magna Tridento ad suas sedes se subduxerat, expectandaque erat, ut Bononiam se conferret) quippiam de dogmatibus decernerent, indictam tamen sessionem ad XXI Aprilis celebrarent, corruptelisque emendandis et castigandis moribus darent operam; necnon translationis Acta repeterent ad eam confirmandam, quibus hæc addidit, ut refert Angelus Massarellus [1] : « Et quod in modo procedendi idem modus et ordo servetur, qui hactenus servatus est in Concilio Tridentino in omnibus, in decretis promulgandis de dogmatibus et reformatione, quod in omnibus aliis, et deinceps in subsequenti sessione maturius procedendum ». Addunt Acta a legatis per litteras x Aprilis exaratas sollicitatum fuisse Dandinum in aula Gallica Pontificium nuntium, ut rogaret Henricum regem, ut præsulibus, qui Tridenti fuerant, daret imperia, ut Bononiam accederent, tum hæc addita refert Massarellus : « Item de rebus Concilii, videlicet, quod imperator post translationem petierit magna cum instantia a Pontifice, ut reduceret Concilium Tridentum, et quod Pontifex responderit, quod cum semper reliquerit Concilium in sua libertate, et ipsum Concilium causam translationis veram et legitimam judicaverit eamque approbaverit, nunc sanctitas sua non vult neque debet ipsum Concilium cogere, ac propterea ante omnia Concilium congregetur Bononiæ, quo translatum est, et ibi postea cogitari poterit de capienda ea deliberatione, quæ expedire videbitur honori Dei, religioni, et reipublicæ Christianæ; quare reverendissimi ipsi legati Concilium hic prosequentur, et sessionem indictam XXI Aprilis omnino celebrabunt ». Henricus vero Gallorum rex (nam Franciscus I jam obierat, ut dicetur inferius) sensit ad schismatis pericula ex lacerato Concilio avertenda, Concilium auctoritate Pontificia suspendendum esse, idque Pontifici suadere nisus est, ut Diarii auctor commemorat :

« XIII Aprilis cardinalis S. Crucis recepit litteras a Bernardino Maffeo secretario cardinalis Farnesii, quibus scribit, regem Galliæ proposuisse suæ sanctitati suspensionem Concilii tanquam necessariam rebus præsentibus, cui suspensioni tota Ecclesia Gallicana consensura

[1] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid.

sit, etc. Rex itaque ordinavit, quod oratores et prælati illius regni, qui hactenus fuerint Tridenti in Concilio, morentur Ferrariæ, expectantes quid imperator circa Concilium facere voluerit ». Et infra :

« Cardinalis de Monte gratum habuit suspensionem fieri, cujus contrarium censuit cardinalis S. Crucis ».

61. Provocati interea fuere humanissimis litteris præsules, qui Tridenti hæserant, a legatis Apostolicis, ut Bononiam se conferrent ad optima consilia pro re Christiana expedienda, ut narrat Actorum Concilii scriptor :

« Die XII mensis April. ejusdem anni MDXLVII, reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati scripserunt ad prælatos, qui remanserunt Tridenti post translationem sacri Concilii infrascriptas litteras videlicet [1] :

« Reverendissimo et illustrissimo D. Petro Paceccho S. R. E. cardinali Giennensi.

« Ad XIII kal. Aprilis Bononiam pervenimus, ubi ab ovantibus magistratibus et omnium ordinum civibus nullo erga nos et alios prælatos gratulationis et honoris genere prætermisso, recepti fuimus. Gratiæ sunt agendæ Deo, quod in illa tam justa et tam necessaria loci mutatione proposuerit oculis Patrum urbem adeo pulchram, opulentam, et omnibus, quæ ad victum necessaria sunt, abundantem, in qua Concilium prosequi cum omni pace, libertate et securitate valeamus. Parati jam sumus, ut Sessionem statuta die X kal. Maii Deo duce omnino celebremus, quæ omnia dominationi vestræ reverendissimæ pro nostra in eam observantia significanda duximus ; nos eidem plurimum commendantes. Datum Bononiæ die XI Aprilis MDXLVII ».

Conceptæ sunt eodem argumento eorumdem præsidum litteræ [2] ad omnes conjunctim divisimque singulos præsules, qui Tridenti hæserant, provocatique humanissime ut Bononiam accederent.

« Reverende pater, a nostro legationis et præsidentiæ munere minime alienum esse putamus dominationi vestræ significare, id quod facimus per præsentes, nos XIII kal. Aprilis Bononiam incolumes Dei gratia pervenisse, atque ab omnibus magistratibus et omnium ordinum civibus, cum ingenti ostensione lætitiæ, ac omni genere honoris, humanitatis et officii erga nos et prælatos, qui nobiscum venerunt, receptos fuisse, et ita excipi quotidie Patres venientes. Urbs ipsa pulchra, ampla, honestissimis hospitiis, et omnibus rebus, quæ humanitus necessariæ sunt, abundat ; publico contenta totam se commodis Concilii exhibuit, in qua omnium nationum Patres plena et omnimoda libertate et securitate gaudeant, quod et nos dominationi vestræ tam privato nostro, quam publico legationis nostræ nomine harum litterarum vi ac virtute specialiter pollicemur. Parati jam sumus, ut sessionem statuta die, XI scilicet kalend. Maii Deo favente celebremus, ubi præsentiam dominationis vestræ et doctrinam magnopere desideramus, quam et in Domino bene valere cupimus. Datum Bononiæ die XI April. MDXLVII ».

62. *Prima sessio Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Sacramentis Extremæ-Unctionis, Ordinis et Matrimonii.* — Dimoveri e sententia non potuere præsules Tridentini ob mandata contraria Cæsaris, qui a Pontifice tandem impetravit per suum Romæ oratorem, ne in sessione indicta Concilii quid gravioris momenti promulgaretur, nec in ea translatio confirmaretur, ut Diarii auctor [1] narrat, qui etiam addit, cardinalem Sfondratum ad Cæsarem ad componenda hæc dissidia, flectendumque animum missum fuisse, idque Patribus Bononiæ significatum :

« XVIII Aprilis reverendissimi DD. legati receperunt litteras a reverendissimo cardinali Farnesio, quibus significabat Sanctissimo Domino nostro non videri, quod in hac Sessione aliquod decretum substantiale publicetur, neque confirmetur translatio Tridento, sed tantum prorogetur Sessio usque ad Pentecostem, quod factum est, id petente maxima cum instantia illustrissimo D. Didaco a Mendoza oratore Cæsareo ».

XIX Aprilis in Congregatione generali proponitur a reverendissimo D. cardinale de Monte, quod gratiæ agendæ sunt Deo, quod huc incolumem hanc sanctam Synodum reduxerit ; dixit deinde : « Quod hæc translatio Concilii grata fuit sanctissimo Domino nostro, et omnibus principibus Christianis, excepto Cæsare ; quod nunc mittitur ad suam majestatem reverendissimus D. cardinalis Sfondratus legatus Apostolicus, qui procurabit ut ejus majestas translationi assentiat, et prælatos suorum regnorum huc accedere permittat. Interim videtur opportunum, quod Sessio in proxima die indicta celebretur, sed in ea nihil substantiale agatur, neque aliquod decretum promulgetur vel de fide vel de reformatione, sed tantum ipsa sessio prorogetur ad feriam V infra Octavam Pentecostes [2], quo tempore haberi poterit mens Cæsaris, et materiæ, quæ propter absentiam prælatorum et festa Paschalia tractari et examinari non poterunt, absolventur. Super quo rogantur sententiæ, et ab omnibus probatum est ».

Quod ad cardinalis Sfondrati legationem attinet, decreta ea jam ante fuerat extremo

[1] To. X. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 86. Ext. inter Act. Conc. Bonon. p. 3. Diar. auct. Ang. Massar. Ms. arch. Vat. p. 219. — [2] Ext. ibid. p. 425.

[1] Diar. Conc. Trid. p. 220. — [2] Jo. Franciscus Firmanus rituum Magist. in Diar. Ms. arch. Vat.

Februario, antequam fieret translatio, ut dicetur inferius.

63. Appetente XXI Aprilis die, quæ ad Sessionem Bononiæ condicta fuerat, veteres ritus celebrati fuere, quos in Actis describit Angelus Massarellus[1]:

« In Nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

« Anno a Navitate ejusdem Domini nostri Jesu Christi MDXLVII, Indictione V, die vero Jovis XXI mensis Aprilis, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pauli divina providentia PP. III anno XIII, celebrata fuit prima publica Sessio sacrosancti Œcumenici et generalis Concilii Bononiensis, præsidentibus in eo nomine Sanctissimi domini nostri papæ reverendissimis Patribus et illustrissimis dominis, dominis Joanne Maria episcopo Prænestino de Monte, et Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero S. R. E. cardinalibus, et Apostostolicis de latere legatis. Mane igitur hora circiter XIII, ipsi reverendissimi et illustrissimi domini et præsidentes et legati, ac reverendi domini prælati infrascripti (fuerunt ii archiepiscopi sex, episcopi unus et triginta, ferme omnes Itali, e Græcia tres, ex Anglia unus, e Scotia unus, ex Hispania unus, ex Belgio unus, et quatuor Ordinum generales) convenerunt in Collegiata Ecclesia S. Petronii Bononiensis, in loco ad Concilium celebrandum et Sessiones habendas ad ipsa sancta Synodo deputato, ubi reverendissimus D. Sebastianus Lequavela archiepiscopus Naxiensis celebravit Missam solemnem de Spiritu sancto, qua absoluta, et publicata de more per diaconum indulgentia, reverendissimus D. Catharinus Politus episcopus Minoricensis indutus pluviali et mithra, ascendens ambonem habuit piam et luculentam orationem, qua completa, tam ipsi reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati, quam cæteri prælati omnes acceperunt pluvialia et mithras aliaque paramenta consueta, cantantibus cantoribus Psal. 83. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine.* Deinde reverendissimus et illustrissimus dominus præsidens et legatus præfatus accessit ad altare majus, ubi solitas Orationes legit, et cæremonias in aliis publicis Sessionibus servari consuetas de more peregit, benedicens ter sanctam Synodum, et per cantores decantatæ fuerunt Litaniæ, et per diaconum Evangelium: *Ego sum vitis, et vos palmites.* Joan. XV. Postea reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis S. Crucis secundus præsidens et legatus præfatus accessit etiam ad altare majus, et reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte imploravit auxilium S. Spiritus per Hymnum: *Veni, Creator Spiritus*, quem cantores absolverunt, usque in finem. Quo absoluto, ambo reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati consederunt ante Altare majus in faldistoriis versa facie ad S. Synodum, cæterisque prælatis sedentibus in locis suis juxta tempus suarum promotionum, et D. archiepiscopus Naxiensis indutus pluviali et mithra accedens ad Altare majus, accepit e manibus ipsorum reverendissimorum et illustrissimorum dominorum præsidentium decretum, quod in hac Sessione publicandum erat, ascendensque ambonem legit illud alta et intelligibili voce, quod est tenoris infrascripti, videlicet:

« Hæc sacrosancta Œcumenica et generalis Synodus, quæ dudum in civitate Tridenti congregata, nunc Bononiæ in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea nomine sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Pauli divina providentia PP. III, ejusdem reverendissimis dominis DD. Joanne Maria episcopo Prænestino de Monte, et Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero S. R. E. cardinalibus et Apostolicis de latere legatis. Considerans, quod die XI mensis Martii præsentis anni in generali publica Sessione in eadem civitate Tridenti et in loco consueto celebrata, omnibusque agendis de more peractis, ex causis tunc instantibus, urgentibus et legitimis, interveniente etiam auctoritate sanctæ Sedis Apostostolicæ eisdem reverendissimis præsidentibus etiam specialiter concessa, decrevit et ordinavit Concilium ex eo loco in hanc civitatem transferendum esse, sicuti transtulit, itemque Sessionem pro præsenti die XXI Aprilis illic indictam, ut de Sacramentorum et reformationis materiis, de quibus tractandum proposuerat, canones sancirentur et promulgarentur, in hac ipsa civitate Bononiæ celebrari debere, consideransque nonnullos ex Patribus, qui in hoc Concilio interesse consueverunt, his superioribus majoris Hebdomadæ et solemnitatibus Paschalis diebus, in propriis Ecclesiis occupatos, aliquos etiam aliis impedimentis detentos, huc nondum accessisse, quos tamen brevi affuturos sperandum est, ac propterea factum esse, ut non ea, quam sancta Synodus desiderabat, prælatorum frequentia potuerint materiæ ipsæ Sacramentorum et reformationis examinari ac discuti: ut omnia maturo consilio, et cum dignitate et gravitate debita fiant, bonum, opportunum et expediens censuit, censetque Sessionem prædictam, quæ hoc ipso die, ut præfertur, celebranda erat, ad diem Jovis infra Octavam Pentecostes proxime futuram, quoad ipsas materias expediendas, differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt et prorogat. Quam diem, et rei gerendæ maxime opportunam, et Patribus præsertim absentibus per commodam judicavit et judicat: hoc tamen adjecto, quod terminum

[1] Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 229. Acta Concil. Bonon. p. 6. Ms. Franc. card. Barber. per Angel. Massarell. secr. Conc.

ipsum ipsa Sancta Synodus pro ejus arbitrio et voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in privata Congregatione restringere et imminuere possit et valeat ».

Addunt Acta, præsides Concilii ab eodem archiepiscopo interrogatos, præsules vero a secretario Concilii coram duobus notariis rogatos, id decretum gratum et ratum habuisse.

64. Celebrata prima sessione [1], cum peracta esset inter theologos minores examinatio suprascriptorum articulorum Sacramenti Pœnitentiæ; incœpti fuerunt discuti et examinari ab ipsis theologis minoribus articuli hæreticorum super tribus Sacramentis quæ restabant, scilicet; Extrema-Unctione, Ordine sacro et Matrimonio, qui articuli incœperunt examinari die XXIX Aprilis MDXLVII, sub infrascripta forma videlicet :

Articuli super Sacramento Extremæ-Unctionis.

« I. Extremam-Unctionem figmentum esse humanum, aut ritum acceptum a Patribus, diversum omnino a Sacramentis, quæ mandatum Dei habent et promissionem gratiæ.

« II. Extremam-Unctionem non fieri ab Ecclesia Romana, juxta Evangelii et Jacobi sententiam, ideo ritum immutandum esse ».

Articuli hæreticorum super Sacramento ordinis.

« I. Ordinem non esse Sacramentum, sed solummodo effectum, et ex jure divino per populares institui et destitui debere.

« II. Ordinem potestatem esse prædicandi, non offerendi, ideoque eos qui verbum Dei non prædicant, non esse sacerdotes.

« III. Omnes Christianos ex æquo esse sacerdotes, sed ad usum sive executionem opus esse vocatione majoris et consensu populi.

« IV. Episcopos non habere jus ordinandi, ideo ordinationem per eos factam irritam esse ».

Articuli hæreticorum super Sacramento matrimonii.

« I. Matrimonia clandestina non esse legitima, ac proinde a parentibus irritari posse.

« II. Licere Christianis plures simul habere uxores, et polygamiam nulla lege esse prohibitam.

« III. Mulier quæ alteri viro sui fecit copiam adeo uxor esse desiit, ut utrique, aut alii saltem conjugum liceat aliam uxorem ducere, vel alteri nubere, et non mœchari, qui dimissam adulteram illam duxerit.

« IV. Divortium dirimit matrimonium, unde ab illo rite celebrato, licet et repudianti et repudiatæ reiterare conjugium.

« V. Gradus consanguinitatis et affinitatis descriptos Levitici X præcise servandos esse, nec plures, nec pauciores : Ecclesiam in aliis, neque interdicere posse ne matrimonium contrahatur, neque rescindere contractum ».

Qui articuli suprascripti discutiuntur, et examinantur in Congregationibus ipsorum theologorum minorum a dicta die XXIX Aprilis usque ad diem VII mensis subsequentis.

Peracta examinatione articulorum hæreticorum super omnibus Sacramentis inter ipsos minores theologos, incipiunt examinari et discuti in generalibus Congregationibus a RR. DD. prælatis canones formati super Sacramento Eucharistiæ, qui canones proponuntur primum Patribus in generali Congregatione die Lunæ IX Maii ejusdem anni MDXLVII habita, et examinantur usque ad diem XVI ejusdem mensis.

Censuræ autem factæ in dictis Congregationibus generalibus super ipsis canonibus Sacramenti Eucharistiæ discutiuntur, et examinantur in particularibus Congregationibus dominorum prælatorum theologorum deputatorum, ut hactenus observatum fuit in Concilio Tridentino, qui RR. DD. deputati convenientes coram reverendissimo et illustrissimo D. cardinale S. Crucis, secundo ipsius Concilii præsidente, per multos dies a die scilicet XVII usque ad XXVII ejusdem mensis Maii ipsos canones secundum prædictas censuras aptarunt et reformarunt, ut habentur in textu Concilii.

65. XXX Maii legati receperunt litteras [1] a reverendissimo cardinali Farnesio, quibus significabat suam sanctitatem velle, ut hæc prima sessio prorogaretur usque ad mensem Augusti, non longe ab Assumptione B. Mariæ Virginis.

Prima Junii MDXLVII, auditis sententiis, reverendissimus dominus cardinalis de Monte repetiit, quæ in principio dixerat : « Non expedire quod publicentur decreta de dogmatibus neque de reformatione, tum quia materiæ quoad reformationem non sunt paratæ, tum quod si essent etiam paratæ, non deberent expediri ob statum præsentium temporum : paratæ autem non sunt, quoniam quæ restant de reformatione, sunt duo capita, unum quod tangit regulares, quorum generales sunt absentes, sine quorum præsentia non potuit tractari. Alterum tangit principes sæculares, quorum cum nulli adsint oratores, neque ea materia tractari potuit. Et decretum de dogmatibus solum expediri non debet, cum simul de utraque materia juxta ordinem et morem Concilii agendum sit. Præterea habenda est ratio absentium,

[1] Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 23. et Ms. card. Pii inscriptum Conc. Bonon.

[1] To. XVII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3204. p. 124. Diar. Act. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 231.

qui sunt Tridenti, cum intuitu imperatoris ibi maneant, etc. Improbans autem sententiam D. Acciensis, qui nolebat ullius humanæ causæ, vel principis haberi rationem, probavit sententias majoris partis, et ita conclusit, ut cras fieret sessionis prorogatio solemniter in Ecclesia ad dictum diem xv Septembris proxime futuri.

« Quæ prorogatio hac de causa facta est, ut habeatur ratio imperatoris, qui adhuc perseverat in opinione, ut Concilium Tridentum revertatur, et nullatenus consentire vult, ut suorum regnorum prælati Bononiam conveniant, et ideo prælati Hispani et regni Neapolitani, qui Tridenti remanserunt, post translationem illinc discedere noluerunt, et adhuc nolunt, ut Cæsari satisfaciant. Facta est etiam prorogatio hæc, quoniam materiæ, quæ publicandæ erant ex decreto Synodali in utraque causa, tam dogmatum quam reformationis adhuc digestæ non erant ». Et mox : « Accedit ad hoc quod neque rex Gallorum misit adhuc aliquem e suis Bononiam, et brevi sperandum sit, quod uterque princeps, imperator scilicet et rex Gallorum, Concilio adhæreant, cum duo reverendissimi domini cardinales legati de latere ad quemlibet eorum missi fuerint ».

66. *Secunda sessio Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Purgatorio et indulgentiis.* — Die Jovis ii mensis Junii ejusdem anni habetur secunda sessio Bononiensis [1], ut inferius descriptum est.

« Anno a Nativitate Christi MDXLVII, Indictione v, die vero Jovis secunda mensis Junii, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri D. Pauli divina providentia PP. III anno XIII, celebrata fuit secunda publica sessio sacrosancti Œcumenici et generalis Concilii Bononiensis, præsidentibus in eo nomine ejusdem sanctissimi D. N. PP. reverendissimis Patribus et illustrissimis DD. DD. Joanne Maria episcopo Prænestino de Monte et Marcello tit. Sanctæ-Crucis in Hierusalem presbytero S. R. E. cardinalibus, et Apostolicis de latere legatis etc.». Nonnullis de sacris ritibus observari consuetis interjectis, addunt Acta, hoc decretum in Synodo ab archiepiscopo Upsalensi (is erat Olaus Magnus Gothus) perlectum :

« Quamvis hæc sacrosancta Œcumenica et generalis Synodus sessione, quæ die XXI mensis Aprilis proxime præteriti super Sacramentorum et reformationis materiis in hac inclyta civitate Bononiæ ex decreto in urbe Tridentina in publica sessione die XI mensis Martii promulgato celebranda erat, propter aliquas causas ac præsertim propter absentiam nonnullorum Patrum, quos brevi affuturos sperabat, ad hunc præsentem diem differendam et prorogandam esse censuerit, volens tamen cum iis qui non venerunt etiam adhuc benigne agere, eadem sacrosancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata præsidentibus in eo eisdem S. R. E. cardinalibus et Apostolicæ Sedis legatis, statuit et decernit sessionem ipsam, quam hac die secunda Junii præsentis anni MDXLVII celebrare decreverat ad diem Jovis post festum Nativitatis B. Mariæ Virginis, quæ erit XV mensis Septembris proxime futuri, quoad prædictas et alias materias expediendas differendam et prorogandam esse, quemadmodum differt et prorogat : ita tamen quod prosecutio discussionis tam eorum quæ ad dogmata, quam ad reformationem pertinent, interim non omittatur, et terminum ipsum ipsa S. Synodus pro ejus libito et voluntate etiam in privata Congregatione abbreviare et prorogare libere possit et valeat. Cujus decreti lectione absoluta, idem reverendissimus D. archiepiscopus Upsalensis interrogavit Patres, an placeret : his verbis videlicet :

« Reverendissimi et illustrissimi domini amplissimique Patres : Placentne hæc omnia vobis ? Et statim reverendissimi et illustrissimi domini præsidentes et legati responderunt : Placet ».

Deinde quilibet ex Patribus interrogatus fuit singulariter a me Angelo Massarello ipsi sacri Concilii secretario una cum dominis Claudio della Casa, et Nicolao Duiel notariis, an placeret ? Et omnes responderunt : Placet, exceptis duobus etc.

Postremo idem reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis de Monte præsidens et legatus præfatus manu elevata benedixit iterum S. Synodum signo crucis et Patres omnes deposuerunt paramenta, et discesserunt hora circiter xv.

Interfuere huic sessioni præter duos cardinales legatos, sex archiepiscopi variarum nationum et episcopi triginta sex.

67. Domini theologi convenientes coram reverendissimo et illustrissimo D. cardinali S. Crucis secundo sacri Concilii præsidente, per multos dies, nempe a XVII dicti mensis Junii usque ad XII mensis Julii subsequentis, ipsos canones secundum prædictas censuras aptarunt et reformarunt.

Interea dum de Pœnitentia canones a Patribus deputatis aptantur et reformantur, proponuntur theologis minoribus disputandi et discutiendi articuli super Purgatorio et Indulgentiis sub his verbis, videlicet :

De Purgatorio.

« I. Esse Purgatorium, an habeatur in Scriptura ? et si habetur, quibus in locis ?

« II. An reliquiæ peccatorum purgentur per mortem, ita ut Purgatorio non sit opus ?

[1] Ibid. p. 12. Secunda sess. Bonon.

« III. An animæ in Purgatorio sint extra statum merendi seu peccandi, et an habeant incertitudinem suæ salutis ?

« IV. Suffragia pro defunctis habeanturne in Scriptura, et si habeantur, quibus in locis ? »

De Indulgentiis.

« I. Quid sit Indulgentia, an remissio culpæ ? an pœnæ ?

« II. Si pœnæ, an temporalis ? an æternæ ?

« III. Si temporalis, vel juxta taxationem Canonum ? vel justitiæ divinæ ?

« IV. Thesaurus indulgentiarum, quibus ex meritis sit collectus ? Et si ex meritis etiam sanctorum, quomodo cum ipsi sancti bonorum omnium auctori quæcumque egerint, vel agere potuerint, Deo debitores fuisse videantur ?

« V. Si contritus, confessus et absolutus non eget nova applicatione justitiæ Christi, quomodo Indulgentia, quæ ex meritorum Christi thesauro est, erit illi adjumento ?

« VI. An requiratur causa ad Indulgentiæ validitatem ? Et si requiratur, quæ ex usu sit idonea.

« VII. Indulgentia an prosit defunctis et quomodo ? »

Qui articuli suprascripti discutiuntur et disputantur ab ipsis theologis minoribus per viginti tres dies continuos, a XXIII scilicet mensis Junii usque ad XV mensis Julii subsequentis eumdem.

Memorata vero die XXIII Julii distributæ sunt Patribus schedulæ iisdem conceptæ verbis, in quibus argumenta quæ vim sacrarum Indulgentiarum confirmant, brevi compendio contracta designabantur.

XVI Julii DD. legati scripserunt ad cardinalem Farnesium significantes perfectionem examinationis articulorum de Purgatorio, et Indulgentiis, et canonum de Pœnitentia.

68. *Decreta de Indulgentiis.* — Die decima nona Julii [1] excussæ sunt controversiæ de Indulgentiis a theologis et a præsulibus in suis Congregationibus usque ad decimam quintam Julii, conceptumque fuit hoc decretum :

De Indulgentiis.

« I. Cum sancta Ecclesia divino spiritu docta, et potestatis sibi a Deo traditæ conscia, antiquissimo usu etiam generalium Conciliorum auctoritate comprobato receperit, Indulgentias ex piis, justis et rationi consentaneis causis Christi fidelibus concedere, quarum vi temporalis pœna, quæ condonata jam culpa Deo debetur, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ per summam misericordiam remittitur, deceatque maxime cœlestem hunc ac plane divinum Ecclesiæ thesaurum summa cum sinceritate et integritate dispensari ; abusus, qui in aliquibus locis, non sine ejusdem Ecclesiæ divinique honoris magna jactura inoleverunt, sancta Synodus præsenti decreto tollendos esse statuit atque decernit. In primis autem in Domino hortatur episcopos, ut curent omnes, quibus prædicandi munus incumbit, ut populum quam diligenter admoneant per Indulgentias non remitti culpam, ut quæstores plerique cauponantes verbum Dei, falso et temerarie jactitant, sed iis solum prodesse, qui ab omni peccato mortali liberi et immunes, cum Deo in gratiam redierunt, quæ nonnisi per Sacramenta re vel voto suscepta sint.

« II. Quoniam vero ex eadem S. R. E. antiqua consuetudine constat Indulgentias nonnisi piis et justis de causis, atque maxima cum moderatione concedi solitas fuisse, illud quoque non probat, quod ob leves causas, veluti ob paucalas quasdam preces, amplissimæ Indulgentiæ et multorum annorum remissiones, atque animarum a pœnis Purgatorii liberationes concedantur : facile enim evenire solet, ut facilitas veniæ liberius ad peccandum invitet et alliciat, atque ita disciplinæ Ecclesiasticæ vigor, pœnitentialis satisfactio nimia largitate enervatur.

« III. Præterea, ut avaritiæ, quæ radix omnium malorum esse solet, ostium occludatur, statuit sancta Synodus, ut cum Indulgentiæ propter eleemosynas ad certum aliquem pium usum conceduntur, veluti ad redemptionem captivorum, aut hospitale, seu locum aliquem pium construendum, aut quodvis aliud opus, cujuscumque illud sit generis, a nemine, neque ab executoribus quidem statuatur certa aliqua pecuniæ summa exsolvenda, sed quilibet libere donet quod pro sua pietate et devotione malit. Cum tamen intelligere debeat, tanto apud Deum magis promereri, quanto devotius, religiosius et liberalius piis hisce operibus vacaverit. Quæ autem hactenus aliter quacumque ex causa concessæ, vel a quocumque taxatæ sunt, hoc modo moderatæ esse censeantur.

« IV. Illæ quoque detestandæ fraudes et imposturæ prohibendæ et coercendæ sunt, prout præsenti decreto sancta Synodus prohibet et graviter coerceri jubet, ut ne ex eadem Indulgentiarum concessione plures partes a commissariis et executoribus fiant sub eisdem vel diversis nominibus, etiam cum revocatione vel suspensione aliarum partium, ne ut quod singulis personis ad vitam vel in longum tempus conceditur, post breve tempus facile revocetur vel suspendatur. Si tamen ex rationabili causa illas revocare aut suspendere contigerit in earumdem personarum, vel locorum temporale commodum, iterum nullatenus concedantur, cum ex eo nihil aliud, quam novi proventus

[1] Decr. Conc. Bonon. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. n. 3194. p. 314.

quæri videantur, quod sordidæ avaritiæ, et quærimoniarum, atque scandalorum occasio esse solet.

« V. Maximus item et execrandus abusus, atque Christianæ charitati in primis contrarius est, quod propter Indulgentias cogantur homines, etiam pauperes agricolæ et artifices, a suis operibus diebus profestis cessare, et eas conciones, quas ad Indulgentiarum publicationem seu explicationem spectant, inviti audire, non tam pietatis causa, quam ut divinarum rerum prætextu cogantur Indulgentias accipere : aut etiam, quod fraudibus vel vi, etiam abutendo censuris Ecclesiasticis, compellantur nomina dare ad accipiendas Indulgentias et taxatam pecuniam solvendum ; cum tamen hilarem datorem diligat Dominus, hisque tam iniquis extorsionibus, et cœlestes hi thesauri invidiosi fiant, et sanctissimum Ecclesiæ ministerium vituperetur.

« VI. Locationibus quoque proventuum, qui Indulgentiarum intuitu accipiuntur, atque quibuscumque aliis contractibus quibusvis personis tam Ecclesiasticis quam laicis, districte sancta Synodus interdicit, atque decernit ut ipso facto Indulgentiæ prorsus revocatæ esse censeantur, et excommunicationis censuram incurrant, tam locatores quam conductores, et cæteri contrahentes, qui a nullo, quam a Romano Pontifice possint absolvi, cum a Christiana pietate et religione, atque a sanctissimorum Romanorum Pontificum, qui hasce Indulgentias concesserunt, mente sit valde alienum spirituales gratias in sordidum quæstum converti.

« VII. Et cum nuper in hac sancta Synodo quæstorum nomen atque usus abolitus fuerit, et Indulgentias aut alias spirituales gratias per ordinarios locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas esse decreverit, quibus etiam eleemosynas atque oblata sibi charitatis subsidia, nulla prorsus mercede accepta, fideliter colligendi facultas data sit, statuit sancta Synodus, ut nemo illas practicare audeat, qui non ab episcopo deputatus, atque pius, eruditus, et ad id munus apte exequendum idoneus ab eodem judicatus fuerit. Qui vero Indulgentias prædicare non deputatus ab episcopo præsumpserit, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat, et a ministerio Altaris suspensus sit, communibusque beneficiis Ecclesiasticis, si quæ habebit, privetur. Episcopi autem teneantur, antequam Indulgentiæ divulgentur, illarum originalia videre ; neque ulla ratione permittant eorum interpretationem, nisi a se approbatam publicari, ne imperitæ plebi perditi et scelerati homines, qui quæstum pietatem esse existimant, imponant.

« VIII. Multorum etiam malorum occasio esse solet, quod facultas una cum Indulgentiis concedatur, aut ita interpretatio a commissariis vel executoribus fiat, ut de male ablatis, vel iis, quæ incertis personis debentur, compositio aliqua, parte etiam parva soluta, fiat ; unde occurrit, ut non facta diligentia ut veris dominis innotescat, ipsi debita restitutione fraudentur, et aliis delinquendi occasio præbeatur, atque miserorum animæ magis illaqueentur, cum certum sit peccata non dimitti, nisi quæ ablata sunt restituantur. Quamobrem præcipit sancta Synodus, ut hæc facultas nemini unquam concedatur, neque hujusmodi interpretationes fiant : hactenus vero concessas ita moderatur, ut certis personis ablata eisdem omnino integre restituantur ; ea vero quæ incertis debentur, tota iisdem locis piis aut personis quibus illa facultas concessa erat, aut pauperibus restituantur.

« IX. Facultas eligendi confessorem et absolvendi a casibus quocumque modo reservatis, quæ etiam concedi una cum Indulgentiis solet, nemini deinceps concedatur sine magna et urgenti causa, et dummodo confessor sit ab episcopo, vel si regularis sit is cui hæc facultas conceditur, a suo superiore approbatus : et ita hactenus concessæ interpretentur. Ne vero disciplina Ecclesiastica paulatim collabescat, eadem ratione admonet sancta Synodus, ne deinceps, nisi magnis et urgentibus de causis, relaxationes præceptorum Ecclesiasticorum concedantur, præsertim eleemosynarum intuitu, qualis est ciborum delectus, jejuniorum observantiæ relaxatio, qualis concessio sacramentorum in privatis domibus administrationis, votorum commutationis, sive redemptionis, quibus relaxationibus, et merita diminuuntur, et homines ad pœnitentiam fiunt segniores ; hisce præsertim temporibus, in quibus antiqua canonum in pœnitentiis injungendis severitas tantopere languit.

« X. Ut vero hæc recte executioni mandentur, et nulla fraus intervenire possit, sancta Synodus committit omnibus episcopis, ut Apostolica auctoritate per se, aut suos vicarios, quoties diœcesim suam visitaverint, vel alias quoties opportunum videbitur, indulgentias Ecclesiis vel monasteriis, aut aliis piis locis etiam exemptis, et personis quibuscumque item exemptis concessas examinent, et animadvertant, an indulgentiæ ad certum tempus concessæ sint, illudque ne sit finitum ; atque an in eos usus pios eleemosynæ expendantur, quarum causa concessæ sunt, et quatenus causa cessaverit, ipsas quoque cessasse declarent, et fraudem committentes debitis pœnis atque censuris coerceant, omniaque ita moderentur, ut pietatis opus in avaritiam, quæ ab Ecclesia quam longissime abesse debeat, nullo modo cedant.

« XI. Et quia ex locorum et temporum va-

rietate alii atque alii abusus evenire solent, nec possunt omnia unica regula tolli, Conciliis provincialibus sancta Synodus committit, ut quæ in suis provinciis circa præmissa emendatione indigent, ea tolli et moderari procurent, quæ episcopi mandare executioni curabunt, et tanquam Apostolicæ Sedis delegati ».

69. *Articuli hæreticorum de Missa et quibusdam aliis discutiuntur.* — Post varias theologorum disceptationes concepti sunt, XXVII Julii die [1], discussique in Congregatione generali, atque accuratissimo examine expensi hi articuli, necnon in consequentibus Congregationibus.

Addunt Acta [2], perfecta discussione canonum Extremæ-Unctionis et Ordinis, propositos fuisse theologis minoris gradus articulos hæreticorum adversus sacrosanctum Missæ sacrificium.

Articuli super quibus domini theologi dicturi sunt, an videlicet omnes, aut hæretici, aut schismatici esse videantur ; et si videntur, quibus testimoniis sacræ Scripturæ, aut sacrorum Patrum, vel Conciliorum auctoritatibus id comprobari possit.

De Missa.

« I. Eucharistiam in Missa non esse sacrificium, non esse oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in Cruce peracti, neque eam offerre esse opus bonum aut meritorium.

« II. Missam nec vivis nec mortuis ut sacrificium prodesse, nec aliis applicari posse.

« III. Missam non esse ex Evangelio, neque a Christo institutam, sed inventam ab hominibus quæstus et lucri causa.

« IV. Missas privatas illicitas esse, atque abrogandas, neque ullo die in una Ecclesia nisi unam tantum Missam celebrandam esse.

« V. Non licet sacerdotibus sacrum facere, si non adsint communicantes.

« VI. Canonem Missæ abrogandum esse, fugiendumque non secus ac pessimam abominationem.

« VII. Aquam non esse miscendam cum vino in Missa, quod ita factum in Evangelio non legitur ».

Qui articuli suprascripti examinantur, et disputantur ab ipsis theologis minoribus a die Martis, secunda mensis Augusti, usque ad diem Lnnæ, vigesimam secundam ejusdem mensis, dicti anni MDXLVII.

Interea vero dum a theologis minoribus examinantur articuli de Missa suprascripti, discutiuntur a dominis prælatis deputatis theologis censuræ factæ in Congregationibus generalibus super canonibus Sacramenti Extremæ-Unctionis et Ordinis, secundum formam exhibitam Patribus die XXVII mensis Julii, qui reverendi domini deputati convenientes per plures continuos dies, a secunda videlicet mensis Augusti usque ad vigesimam sextam ejusdem, coram reverendissimo et illustrissimo domino cardinali S. Crucis, secundo ipsius Concilii præsidente, canones ipsos secundum censuras prædictas aptarunt et reformarunt.

IX Augusti [1] fuit congregatio prælatorum theologorum : in canonibus Extremæ-Unctionis fuit maxima disputatio inter Patres, an usus Extremæ-Unctionis fuerit semper in Ecclesia : id est, dandi Sacramentum hoc in extremis, cum neque Marcus, neque Jacobus meminerit hujus dictionis, sed locuti fuerint generaliter : *Si quis infirmatur in vobis.* Et, *Ungebant infirmos, et sanabantur.* Et conclusum quod sic, quia licet forsan in primitiva Ecclesia daretur aliquando non laborantibus in extremis, ut et donum miraculorum ad fundandam ipsam Ecclesiam faceret, tamen eodem ipso tempore et laborantibus in extremis dabatur.

« XIII Augusti [2] legati scripserunt ad cardinalem Farnesium de iis quæ aguntur in Concilio, id est, quod heri perfecta est examinatio censurarum canonum Extremæ-Unctionis, et quolibet die audiuntur theologi super examinatione articulorum de Missa ».

XXIV Augusti [3] reverendissimi DD. legati receperunt litteras a reverendissimo cardinale Farnesio Pontificem excogitasse se conferre ad hanc civitatem Bononiensem, et Concilio interesse, super quo petit legatorum consilium. Laudat item nomine suæ Sanctitatis, quod reverendissimi legati diligenter intendant prosecutioni et examinationi materiarum Concilii, ut suo tempore in plena sessione omnia publicari possint.

XXV Augusti [4] fuit Congregatio prælatorum theologorum super examinatione quatuor capitum :

« I. Exprimatur, quod sacerdotium est potestas in anima, et quod per depositionem non aufertur.

« II. Damnetur, quod neque presbyteri, neque diaconi prædicare possunt, nisi mittantur ab episcopo, vel a Sede Apostolica.

« III. Exprimatur, quod episcopus præscitus habeat eamdem potestatem, quam electus et prædestinatus.

« IV. Declaretur, quid sit sacerdos, et quid ad eum pertineat ».

70. XXIX Augusti [5] propositi sunt canones de Sacramento Extremæ-Unctionis castigati ac redacti in bonam formam.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 373. — [2] Act. Conc. Bonon. Auct. Angel. Mass. Secr. Ms. Franc. card. Barber. sign. num. 23. et aliud Ms. card. Pii.

[1] Diar. Conc. Trid. et Bon. 245. — [2] Ut supra p. 246. — [3] Ib. p. 149. — [4] Ib. p. 249. — [5] Acta Conc. Bonon.

Hoc etiam tempore dum articuli de Missa a theologis minoribus discutiuntur, et canones super Extremæ-Unctionis et Ordinis sacramentis, a prælatis theologis deputatis secundum censuras præfatas reformantur : reverendi domini deputati canonistæ collegerunt abusus super Sacramento Pœnitentiæ. Qui abusus exhibiti fuerunt ab ipsis dominis deputatis in generali Congregatione die Lunæ XXIX Augusti prædicti anni MDXLVII.

Supererant plura discutienda de Sacramento Matrimonii, atque in primis cum Lutherani negarent clandestina Matrimonia esse valida, tum etiam contenderent vinculum Matrimonii solvi crimine adulterii, adeo ut saltem pars innocens ad alias nuptias transvolare posset, data sunt ad discutiendum singulis Patribus ac theologis argumenta in utramque partem, partim e sacra Scriptura, partim e Conciliis, partim e jure Pontificio et dictis SS. Patrum decerpta : auditisque dein sententiis formati sunt canones de Sacramento Matrimonii, qui diligentiori examine discuti cœpti in generali Congregatione habita die X Septembris, tum in aliis Congregationibus coactis usque ad XXIV ejusdem mensis.

71. *Tertia sessio Bononiensis prorogatur.* — Dum agitantur eæ controversiæ fidei ad discutiendos hæreticorum errores, ut coacto amplissimo episcoporum Italorum Gallorumque consessu decretoriæ in eo sententiæ sive canones promulgarentur, inopino casu cædis Petri Aloysii Farnesii, et Placentiæ a Mediolanensi præfecto interceptæ, atque provinciæ ob id perturbatæ, quare agendum fuit de prorogatione sessionis, de qua hæc referunt Acta :

« Anno salutis MDXLVII [1], Indictione V, Feria IV, XIV mensis Septembris, Pontificatus sanctissimi in Christo Patris et Domini nostri Pauli divina providentia PP. III anno XIII, Bononiæ habita fuit Congregatio generalis Patrum ipsius Concilii » : multisque interjectis de ritibus sacris observatis additur :

« Absoluta oratione reverendissimus et illustrissimus D. cardinalis de Monte præsidens et legatus præfatus allocutus fuit Patres, his verbis :

« Dies crastina, sanctissimi Patres, (ut dominationes vestræ sciunt) erit ea dies, quæ statuta fuit a nobis ad sessionem celebrandam. Quot, quantisque et quam diversis circumveniamur angustiis, difficultatibus et impedimentis, nemo est qui non videat. Nondum venerunt prælati complures, quos scimus arripuisse iter, ac præsertim pie et inclytæ nationis Gallicanæ. Aliqui venerunt hodie, heri, nudius tertius, nudius quartus : denique tam de repente, ut non potuerint seipsos et animum suum informare in materia tam gravi, ampla et diffusa, prout est hæc Sacramentorum Ecclesiæ et abusuum innumerabilium, qui in ministerio ipsorum Sacramentorum irrepserunt. Sed quid loquimur de absentibus, aut de iis qui nuper venerunt ? cum illi, qui semper fuerunt præsentes, et tota Æstate versati sunt in disputationibus et examinationibus et in audiendo privatim et publice minores theologos, adhuc parati non sint, neque esse potuerint. His difficultatibus atrocitas irrepsit casus illustrissimi ducis Placentiæ, qui nos detinet occupatos in tuenda libertate civitatum Ecclesiæ, ut nos ipsi neque per horam quidem, vel punctum temporis liberi simus. Lætamur et gratias agimus Deo, quod in decreto proxime præteritæ sessionis fuerit addita illa clausula, in fine prorogandi et restringendi terminum etiam in privata Congregatione, etc. per quam certe magna cura et sollicitudine levamur, cum non oporteat nos imparatos ad Ecclesiam accedere, ut sessionem celebremus. Itaque ne diutius dominationes vestras perplexas detineamus, consilium nostrum est ; quid dicimus consilium ? quinimo necessitas, ut beneficio illius decreti et clausulæ nos juvemus, prorogando nunc terminum sessionis, et omittendo crastina die celebrationem. Cupimus intelligere, utrum placeat dominationibus vestris consilium nostrum ? Hoc puncto absoluto, agemus de tempore ».

Super qua re rogatis sententiis Patrum, placuit omnibus, sessionem ipsam, quæ die crastina celebranda erat, prorogari.

« Deinde idem reverendissimus et illustrissimus dominus de Monte præsidens et legatus præfatus prosequendo sermonem suum dixit infrascripta verba, videlicet :

« Multum cogitavimus de tempore hujus prorogationis : nullam tandem invenimus in mente nostra rationem, in qua possimus figere pedem pro die aliquo certo. Certi esse non possumus, quando erimus parati in materiis ipsis, ita ut super ipsis possit promulgari decretum. Scimus quod cum essemus Tridenti, et crederemus spatio quindecim dierum posse expediri decretum justificationis, coacti fuimus insudare in eo continuis septem mensibus, non intermittendo unum diem, et habendo sæpe duas Congregationes in uno et eodem die. Ubi igitur de fide, de dogmatibus, de confutandis hæreticis, oportet nos cum pede plumbeo procedere, et interdum in unius verbuli discussione longo tempore immorari. Occurrunt etiam nobis aliæ difficultates permultæ, sed quæ nos acrius et vehementius urget, est, quia eam videmus esse conditionem temporum, ita esse tempora præparata et disposita ad producendas res novas, ut nesciamus, neque pro firmo et constanti asserere possimus, utrum necessitas nobis futura

[1] Ms. Vat. sig. num. 3205. inscriptum Acta Bonon. Conc. 363. Angel. Mass. Secr. in Actis Conc. Bonon. sub Paulo III. Ms. arch. Vat. sig. num. 3213. p. 75.

sit celebrandi sessionem perendie ex aliquo novo et insperato emergenti et incidenti, vel hinc ad octo dies, vel ad unum mensem, vel plures. Propterea sumus hujus sententiæ, ut si velimus caute et prudenter agere, debeamus facere prorogationem ipsam ad beneplacitum Concilii : hoc modo et hac ratione erit semper sacro Concilio liberum et integrum ut possit celebrare sessionem tunc et quando noverit ita honori divino, rationibus ipsius Concilii et reipublicæ expedire, sic denique putamus ex usu esse præsentis temporis, etc.

« Postea Patres dixerunt sententias suas, et omnibus placuit sessionem ipsam, quæ die crastina juxta decretum publicatum in proxima præcedenti sessione die secunda Junii præsentis anni celebranda erat, prorogari ad beneplacitum sacri Concilii. Et ita fuit conclusum, decretum et firmatum, dein dimittitur Congregatio ».

Interfuere vero illi cœtui duo cardinales legati, orator Henrici Galliarum regis Claudus Durfe Forensis provinciæ præfectus, archiepiscopi quinque diversorum regnorum, episcopi quadraginta octo, Prædicatorum, Augustinianorum Carmelitarumque Generales.

72. *Admonitiones Concilii circa abusus qui subreperant in administrandis Sacramentis.* — Prorogata ita Sessione tertia, vocati sunt in examen canones adversus abusus quos tam in conferendis quam recipiendis vel custodiendo necessario apparatu Sacramentorum Baptismi et Confirmationis admitti contigerat, pluresque congregationes prælatorum theologorum habitæ, in quibus in examen vocantur canones de iis abusibus conscripti, de quibus hæc delibamus :

« Ecclesiastica Sacramenta gratis et libere conferantur, ac pro eorum collatione nihil prorsus quovis colore petatur vel exigatur. Proinde nec vasculum, nec linteum, nec aliquod id genus apponatur, per quod saltem tacite quidpiam peti videatur, neque eorum collatio denegetur vel differatur prætextu alicujus quantumlibet longæ atque antiquæ consuetudinis, quod Sacramenta non conferantur, nisi certa prius recepta mercede, aut nisi fuerit satisfactum conferenti de aliqua re ei debita, cum nullius consuetudinis obtentu reatum suum quis tueri possit, nec diuturnitas temporis peccatum diminuat, sed augeat ; qui vero secus fecerit pœnis contra Simoniacos a jure statutis subjaceat.

« Saluberrimum Baptismi Sacramentum non in profanis locis, sed in Ecclesiis tantum conferatur, nisi necessitate urgente ». Et infra :

« Episcopi sedulo præcavere studeant, ut nullum adultum excommunicatum, sive interdictum, seu alias in peccato mortali existentem confirment, etc. ».

Hi Canones a XXVII Septembris ad V Octobris in Congregationibus discussi sunt, hæc etiam provisa : sacerdotes in exhibitione Sacramentorum omnino confessi et contriti sint, et si fieri potest, jejuni ; legantque orationes ab Ecclesia institutas, et cæremonias solitas faciant cum condecenti devotione, ad quam etiam eorum exemplo laici præsentes moveri possint, et parochianos suos erudiant, quomodo in casu necessitatis pueri sint domi baptizandi : debet enim in primis adhiberi sacerdos, si in tempore fieri potest, sin minus diaconus, aut subdiaconus, vel saltem clericus : si vero clericus haberi non potest, vir aliquis, mulier autem nonnisi in subsidium viris deficientibus, et quicumque baptizat verba formalia Baptismi omnino explicare debet, neque sacerdotes debent puerum domi baptizatum rebaptizare etiam sub illa conditione : *Quatenus baptizatus non sis ;* sed orationes tantum et cæremonias omissas supplere, et adultos non baptizare nisi præcedente catechismo ad minus viginti dierum, diligenter eos ipsos interim admonendo, ne ad tantum Sacramentum causa alicujus commodi temporalis, vel humanæ gratiæ, sed solum zelo fidei et spe æternæ beatitudinis accedant ; in præmissis negligens a suo ordinario coerceatur.

Vetitum quoque, ne occasione Baptismi convivia cum tripudiis et choreis fiant, sed Deo laudes et gratiarum actiones pro tanto beneficio reddantur.

Addunt Acta : « Domini deputati convenientes per plures dies coram reverendissimo et illustrissimo domino cardinale Sanctæ-Crucis, secundo ipsius Concilii præsidente, a die Lunæ, X mensis Octob., usque ad diem Veneris IV mensis Novembris dicti anni MDXLVII, canones ipsos secundum censuras præfatas aptarunt et reformarunt ».

73. Interea habiti sunt alii conventus prælatorum jurisperitorum coram cardinale de Monte pro emendandis corruptelis in Sacramentorum Baptismi et Confirmationis administratione committi solitis, exeunteque Octobri in generalibus Congregationibus canones de iis concepti accurate excussi. Addunt Acta :

« X mensis sæpedicti Octobris proponuntur examinandi et discutiendi Patribus canones formati super abusibus Sacramenti Eucharistiæ sub forma infrascripta, videlicet :

« Canones super abusibus Sacramenti santissimæ Eucharistiæ.

« Quoniam detestabile nimis et piis auribus horrendum est, et nulla ratione ferendum, quod sanctissimum illud et omnium maximum Dominici Corporis et Sanguinis Sacramentum, cui omne genu flecti debet, cœlestium, terrestrium et infernorum, hac ætate nostra a nonnullis frigida et negligenti devotione colatur ; idcirco et ex indevotione hujusmodi irreverentia crescat, ex irreverentia contemptus, et ex contemptu

impietas; ad ejus honorem et gloriam, qui sub Sacramento illo mirabili præsentia invisibili continetur, placuit sanctæ Synodo statuere et præcipere :

« Ut quoties sacratissimum Eucharistiæ sacramentum ostenditur in altari, vel etiam defertur in via, nemo sedere, nemo stare, cuncti qui adsunt protinus assurgere, genua flectere, et capita aperire debeant.

« Ut in qualibet Ecclesia curam animarum habente sanctissimum hoc Eucharistiæ sacramentum, in vase mundo atque honorifico, et sub fideli custodia perpetuo conservetur, et cum necessitas exegerit, ad infirmos quocumque tempore deferri possit, nec ultra quindecim dies renovatio ipsius Sacramenti differatur, ac in Ecclesiis omnibus, in quibus conservari solet ac debet, diu noctuque lampas ante ipsum ardens continuo teneatur.

« Et cum ad infirmos ipsum Eucharistiæ Sacramentum defertur, in habitu decenti et honorifico per sacerdotem manifeste ante pectus cum omni reverentia, nunquam sine lumine deferatur.

« Ut episcopi et sacerdotes curam animarum habentes non desinant frequenter admonere et edocere populos suæ spirituali curæ subjectos, quanta in hujus admirabilis Sacramenti Eucharistiæ perceptione gratia conferatur : ac propterea eos hortentur, ut frequentius illud accipiant, præparatione tamen debita præmissa. Et qui illud saltem in sacratissimo Dominicæ Resurrectionis Paschate recipere neglexerint, sciant se nulla excusatione fulciri, quin pœnas Constitutionis, quæ incipit : *Omnis utriusque sexus*, in sancta magna Lateranensi Synodo promulgatæ incurrant.

« Ut ordinarii super his omnibus, de quibus Deo (cujus res agitur) rationem reddituri sunt, diligenter invigilent, curentque ut hæc præcepta transgredientes ultra pœnas in Constitutione Honorii III quæ incipit *Sane*, et alia Innocentii III quæ incipit *Statuimus*, in sancto magno Lateranensi Concilio edita : quas quidem Constitutiones eadem Sacrosancta Synodus innovandas censuit et innovat, eorum quoque arbitrio gravissime puniantur.

« Admonitiones circa administrationem Baptismi et Confirmationis.

74. « Placuit S. Synodo statuere et ordinare [1], ut sacerdotes, qui habent populum sibi commissum, et conferunt Sacramentum Baptismi, habeant penes se librum, in quo describantur nomina eorum qui baptizantur, ac parentum, et illorum pariter qui baptizatos ex fonte suscipiunt, et teneant fontem Baptismi clausum, itemque vasa in quibus servatur Chrisma, Oleum Sanctum et Oleum Catechumenorum, munda, extersa et sub clavibus bene custodita, et quolibet anno renovent Oleum Chrismatis pro benedictione fontis, et Chrisma accipiatur a proprio episcopo, ac in diebus festis accedenti populo ad divina declarent formam verborum Baptismi, vimque et substantiam illorum, et in Ecclesiis Collegiatis in quibus est fons Baptismi, unus de collegio, qui sit idoneus scientia et moribus ad exhibendum ipsum Sacramentum eligatur. Et in baptizando sacerdos admoneat, ac jubeat compatres diligenter attendere, et animadvertere ad ea quæ dicuntur, quæque ipsi compatres pro pueris spondent, cum pueros ipsos in illis instruere suo tempore teneantur. Sintque sacerdotes in exhibitione Sacramentorum omnino confessi et contriti, et si fieri potest, jejuni, legantque Orationes ab Ecclesia institutas, et ceremonias solitas faciant cum condecenti devotione, ad quam etiam eorum exemplo laici præsentes moveri possint, et parochianos suos erudiant, quomodo in casu necessitatis pueri sint domi baptizandi. Debet enim in primis adhiberi sacerdos, si in tempore fieri potest, sin minus diaconus, aut subdiaconus, vel saltem clericus, si vero clericus haberi non potest, vir aliquis, mulier autem nonnisi in subsidium viris deficientibus, et quicumque sit, qui baptizat, verba formalia Baptismi omnino explicare debet, neque sacerdotes debent puerum domi baptizatum rebaptizare etiam sub illa conditione : *Quatenus baptizatus non sis;* sed orationes tantum et cæremonias omissas supplere, et adultos non baptizare, nisi præcedente catechismo ad minus viginti dierum, diligenter eosdem ipsos interim admonendo, ne ad tantum Sacramentum causa alicujus commodi temporalis vel humanæ gloriæ, sed solum zelo fidei et spe æternæ beatitudinis accedant. In præmissis negligens a suo Ordinario coerceatur.

« Admonet etiam sancta Synodus omnes episcopos, ut singulis annis in Cœna Domini nova Sacramenta conficiant, et Sacrum Chrisma nonnisi honestis sibique notis personis cedant ac tradant, et saltem in solemnitate Pentecostes confirmare non prætermittant, ac magnam diœcesim habentes, dum eam visitant, diœcesanos suos ad evitandam confusionem, quæ interdum ex nimia multitudine venientium oriri solet, in locis commodis et opportunis confirment, et per seipsos vel alios idoneos declarent confirmandis et aliis præsentibus vim et virtutem Sacramenti Confirmationis, et dum confirmando pacem dant, confirmatis leviter eos manu tangant, neque in sua diœcesi episcopi levent ex sacro Fonte, vel præsentent confirmandos, cum ipsi per exhibitionem Sacramentorum hujusmodi, quæ ad eos vere pertinent, patres sint, et jure proprii officii monere ac docere populos sibi commissos teneantur, nec permittant ab uno

[1] To. XVII. de Conc. Ms. arch. Vat. inscriptum Acta Conc. Bonon. sig. num. 3204. p. 398.

præsentari in uno die ultra tres confirmandos nisi in casu necessitatis, admonerique curent plebes sibi creditas, ne occasione Baptismi fiant solemnia convivia cum tripudiis et choræis, sed cum benedictionibus et gratiarum actione, laudeque et gloria Dei et Domini Redemptoris nostri, qui ex sua ineffabili bonitate Sacramenta largitus est hominibus in remedium humanæ fragilitatis.

75. « XXII Octobris [1] in quatuor Congregationibus maximis disputationibus actum est, an, ubi dicitur in canone illo primo, pro Sacramentorum collatione nihil petatur, vel exigatur, addi debeat, neque etiam accipiatur, adeo ut Patres fere æqualiter divisi fuerint, alii affirmativam, alii negativam partem defendentes.

« XXIX Octobris consentiunt addendum, nihil accipiatur. Et in fine canonis fiat mentio, quod non propterea sancta Synodus intendit prohibere pias et voluntarias Christi fidelium oblationes.

« XXIV et XXV Octobris [2] habitæ sunt congregationes, in quibus excussi canones superiores de Sacramento Matrimonii, et de corruptelis, quæ inoleverant circa Sacramentum sanctissimæ Eucharistiæ : consecutis etiam diebus censuræ circa eos allatæ in jurisperitorum cætu coram primo præside Concilii discussæ.

« Mense Novembri plures cœtus habiti pro emendandis corruptelis admissis circa Sacramenta Pœnitentiæ, tum Ordinis, tum Extremæ-Unctionis.

« XVIII Novembris [3] cœpti sunt revocari ad examen canones de abusibus circa Sacramentum Ordinis in generali Congregatione : quod ad XXVIII ejusdem mensis Bononiæ perductum est; quorum exempla singulis Patribus tradita sunt, deinde in cœtu publico ita peroratum est :

76. « Dolebat ethnicus apud Gentes, in humanis honoribus dandis ultimam de moribus fieri quæstionem. Quid nobis faciendum est, quoniam in sacris ordinibus et dignitatibus decernendis, nullam de moribus haberi rationem videmus? Ex hoc haud dubie effectum est, ut omnis Ecclesiastica disciplina, vel enervata, vel corrupta, vel pæne extincta jaceat. Hinc tota illa officina vitiorum, quæ a dissolutis moribus clericorum confecta est, proficiscitur : quæ quanta sit, non ignorare potest, qui videt tot clericos cujuscumque Ordinis, et utinam non etiam majores prælatos, concubinarios publicos, incestuosos, et aliis abominabilibus fornicationibus publice tamquam in cœno involutos, simoniacos, ebrios, etc. Et quia ab indiscretis promotionibus episcoporum et aliorum prælatorum longe majora et graviora oriuntur scandala, ideo ab iis exordium sumendum est, et in primis circa promovendos.

[1] Diar. Conc. Bonon. p. 266. — [2] Acta Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. sig. num. 4204. — [3] Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 356.

« Primum igitur remedium istud esset, sine quo semper omnis labor circa reformationem vanus et irritus erit, si a Sancta Sede Apostolica, ad quam ordinationes et promotiones episcoporum pertinent, omnis cura et diligentia adhiberetur, ut tales tantum ordinarentur et promoverentur episcopi et prælati, quorum vita, mos, scientia et ætas congruerent censuræ sacrorum Canonum.

« Item, modus aliquis adhiberetur circa numerum, quando, ut experientia docet, superfluus numerus nullam utilitatem afferat, quamlibet etiam amplissimam dignitatem vilem et contemptibilem reddat. Ideo titulares episcopi, a quibus Ecclesia multa damna et incommoda sustinet, et nullam vel modicam utilitatem recipit, nonnisi ex magna et urgenti causa promovendi essent.

« Præterea cum secundum regulam Apostolicam non conveniat episcopum ordinari, nisi in magnis et populosis civitatibus, ne tanta divina auctoritas ignobilitate loci vilescat, et in multis locis (præsertim in Italia) videmus in quolibet oppidulo ordinatum episcopum, ex quo fit, ut cum propter ingentem numerum, tum propter ignobilitatem loci, tum quia ex redditibus illius Ecclesiæ, vel ex oblationibus fidelium tantum percipi non potest, ut secundum decentiam episcopalis dignitatis episcopus vivere valeat, necessarium est quod valde vilescat episcopalis dignitas. Honestum igitur, quinimo necessarium videretur, ut Sancta Sedes Apostolica, ad quam hoc spectat, plures hujusmodi Ecclesias convicinas simul uniret, ita ut talis constitueretur episcopatus, ex quo bonus episcopus commode vivere et episcopalia onera supportare valeret.

« Item, desideratur ab illa Sancta Sede, ut rarissime, et nonnisi ex magna devotione et exemplari vita, cum ordinandis, sed vel alia urgentissima causa cum promovendis ad episcopalem ordinem, necnon ad sacerdotalem, in ætate dispensaret, cum indecens videatur eos, qui cura aliorum indigerent, ad regendum alios præpositos esse ; et non conveniat tantum mysterium, prout est mysterium Altaris, et adolescentibus tractari, quod plerumque ipsos videntes et audientes indevotiores reddit, et nonnullorum animos valde conturbat : qua ratione idem quoque in religiosis statuendum esset.

« Quod vero ad ordinationes, quæ ad episcopos pertinet, illud in primis ordinandum esset ad evitandam confusam multitudinem clericorum et sacerdotum, ut unusquisque episcopus tantum tot clericos in sua Ecclesia et diœcesi ordinaret, quot videret eisdem necessarios vel utiles fore, et non admitteret aliquem non idoneum scientia, moribus et ætate secundum cujuslibet gradus congruentiam : et nihilominus non ordinaret aliquem in sacris Ordinibus, nisi

ad titulum beneficii vel patrimonii habilem, et sufficientem ad sustentationem ipsius ordinandi; alioquin episcopus de propriis redditibus clericos aliter a se ordinatos honeste alere teneretur, nec ulla conventione aut pacto defendi posset. Eadem quoque observantia facienda esset in litteris dimissoriis dandis, quas episcopi nullo modo dare deberent, nisi habita diligenti informatione, ut dictum est, de vita, moribus et scientia ejus, cui dictæ litteræ conceduntur : et nihilominus statuendum esset, ut nullus episcopus clericum alterius jurisdictionis ordinare posset, nisi per litteras plena fides sibi fieret de vita et moribus ipsius promovendi, si in sacris Ordinibus de sufficienti titulo, et ipsemet talem clericum habilem in scientia invenerit. Et quamvis tria sint, quæ principaliter in dandis Ordinibus consideranda sunt, ætas videlicet, litterarum scientia et mores, attamen episcopo quoad ætatem non est elaborandum : satis est sibi servare decretum Concilii Viennensis, contra quod ipse dispensare non potest.

« Circa vero litterarum scientiam, constat per rei evidentiam, sive negligentia, sive dolo examinatorum, valde erratum fuisse, unde tot apparent imperiti et indocti sacerdotes, ut infinitus prope sit eorum numerus. Ut autem aliquando hujusmodi perniciosus abusus ab Ecclesia removeatur, ordinandum est, quod episcopus non majoribus aut gravioribus negotiis impeditus, examini ordinandorum in sacris Ordinibus, et præsertim ad sacerdotalem Ordinem, duobus viris litteratis et timoratæ conscientiæ secum adhibitis, personaliter adesse teneretur, sive examen fieret per archidiaconum suum, ad quem regulariter hoc munus pertinet, sive in defectum archidiaconi per deputatos a seipso. Eo vero legitime impedito, archidiaconus, si adest, et ad eum hoc munus de jure seu consuetudine pertineat, duobus pari modo adjunctis sibi viris litteratis et probis ab episcopo deputandis personaliter munus suum adimplere studeat; quo deficiente, episcopus per idoneos deputatos hoc fieri procuret, teneaturque archidiaconus, seu deputati ab episcopo fidelem relationem de idoneitate ordinandorum medio juramento fidem facere.

77. « Circa vero mores, in quibus est difficilior cognitio et majus versatur periculum, videtur quod aliqua utilis provisio fieri non possit, nisi in partem saltem renovaretur censura antiquorum canonum circa tempus probationis vitæ ordinandorum. Vix enim fieri potest, ut in tribus vel in quatuor mensibus fieri possit probatio vitæ ordinandi, saltem quoad continentiam, cum multi per duos vel tres menses poterunt se continere, qui per duos vel tres annos non poterunt. Statuendum igitur esset, quod dispositio Concilii Viennensis omnino servanda esset : et insuper quod nemo sæcularis excedens XXV annum posset a minoribus Ordinibus ad sacerdotalem Ordinem, nisi post triennium ascendere, nisi quis alioquin idoneus fuerit, vel ex aliqua urgenti necessitate, vel utilitate Ecclesiæ episcopo aliter expedire videretur. Quibus casibus nihilominus triennium illud per episcopum ad minus quam ad annum limitari non posset. Religiosi vero, ubi testimonium probatæ vitæ et magnæ devotionis ab eorum superioribus secum habebunt, post annum statim, et non antea, ad sacerdotalem Ordinem ascendere poterunt.

« Curare autem deberet episcopus infra hoc tempus probationis, diligentem et fidelem habere informationem de vita et moribus ordinandorum, et ille videretur bonus modus si in Synodo sua diœcesana, quam singulis annis tenetur habere, committeret omnibus suis parochis, ut unusquisque diligenter procuraret vitam et mores clericorum, qui sub sua essent parochia, ut in proxima Synodo sibi referre possent : quam relationem tenerentur parochi facere cum juramento.

« Et quia plerumque indiscretæ promotiones procedunt etiam a radice avaritiæ, vel ab humana gratia, providendum esset, ne episcopus sub pœna suspensionis ab officio et beneficio, ipso facto incurrenda, aliquod lucrum seu emolumentum occasione ordinationum directe vel indirecte, per se vel per mediam personam, nec etiam occasione sigilli sui recipere posset, exceptis faculis, quæ juxta formam Pontificalis offerri debent. Similiter eadem pœna statuenda esset, ne aliquem in gratiam alicujus ordinaret. Et bonum esset ad removendam omnem fraudem, quæ adhiberi posset, ipsis notariis, qui adhibentur pro rogatu et ordinationibus, statuere certum salarium pro mercede sua, quod videtur congruum si pro quolibet promoto petente a se testimonium, seu instrumentum, seu promotionis, et non aliter, sextam partem unius aurei tantum exigere posset.

« Providendum quoque esset quod examitores, ut ipsi aliquid non reciperent pro examine ab ipsis ordinandis ; sed episcopus illis de suo, vel de redditibus archidiaconatus, ubi archidiaconus examinare teneretur, et negligeret, vel idoneus non esset, provideat.

« Adjuncti sunt alii canones de habitu clericorum, et pœnis, qui eum non deferret, constitutis : necnon de familia episcoporum et aliorum prælatorum componenda ; de suppellectilis lautitia inhibenda, luxuque castigando, de instaurandis vero provincialibus Conciliis hæc addita :

« Utile esset, ut provincialia Concilia cum effectu restituerentur, ut vera Concilia appareant, et non Conciliorum umbra, in quibus metropolitanus diligenter curam adhiberet, ut plenam notitiam de vita, moribus, scientia et

regimine suorum suffraganeorum caperet : et si aliquem reperiret, vel propter malos mores, vel propter intolerabilem ignorantiam, vel malam administrationem seu negligentiam suos subditos scandalizantem, illum omnino denuntiaret Sedi Apostolicæ juxta sanctorum Patrum regulas corrigendum, et prout saluti subditorum magis utile Sedi Apostolicæ videretur : suffraganei autem pari modo suum metropolitanum scandalosum denuntiare tenerentur.

« Valde etiam utile esset si sanctissimus Dominus noster papa singulo saltem triennio per omnes provincias visitatores destinaret, qui plenam caperent informationem de vita, moribus, scientia et regimine prælatorum, et juxta officium visitatoris, quæ digna correctione inveniret, et emendaret, et corrigeret; graviora autem, et quæ fide dignorum testimoniorum in prælatis scandalosa reperiret, suæ Sanctitati fideliter deferret, ut pro exigentia et subditorum salute opportune providere posset, curaretque Sanctitas sua scandalosos prælatos secundum regulas Patrum omnino punire, et nulli parcere, ut saltem formidine pœnæ omnes abstinerent a malo : curaret etiam, ut eisdem visitatoribus merum officium visitationis committeret, nullamque aliam facultatem concederet : inhiberet quoque eis omnem pecuniarum exactionem.

« Quo vero ad inferiores sacerdotes et clericos, ut tollantur infinita scandala, quæ in dies oriuntur, illud videretur omnino necessarium esse, quod statuatur sub gravissimis pœnis, ut unusquisque prælatus, qui de jure vel de consuetudine visitationem habet, suam diœcesim, vel territorium sibi commissum, semel saltem in anno personaliter, nisi legitime impeditus fuerit, et tunc per vicarium idoneum visitare teneatur, et in ipsa visitatione nihil aliud accipere possit, quam procurationem victus, et eum nullo modo in pecunia, etc ».

Jussi quoque religiosorum præsules ad subditorum castiganda vitia incumbere, et qui neglexerint a Summo Pontifice munere suo deturbari, aliosque in ipsorum loca subrogari.

Mense Decembri [1] actum in Congregationibus de tollendis corruptelis circa Sacramentum Matrimonii. Non tamen superiores canones, in Concilio Bononiensi excussi, in publica sessione promulgati fuere cum præstolarentur Patres, ut Hispani præsules, qui Tridenti hæserant, Bononiam accederent, ut unanimi consensu, sine schismatis metu promulgari possent, sed adversante perpetuo Cæsare Bononiensi Concilio, contendenteque illud jure non translatum Tridento, demum prosecutio Concilii intercisa est.

[1] Acta Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. sig. num. 3204. pag. et aliud Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 123.

78. *De validitate translationis Concilii disceptatum.* — Ob motas lites a Cæsare de translatione Concilii, « Pontificem ipsum de validitate ipsius translationis ad se et sanctam Apostolicam Sedem advocare oportuit, ipsaque causa pendente Concilii processum suspendere ac prohibere ». Hujus vero rei implicatissimæ series modo describenda est [1], cum translationis decreto præsules diversorum regnorum Cæsari obnoxiorum intercessissent, certioremque de ea fecissent Cæsarem, jussi ab eo sunt Tridenti perstare, cum auctoritate sua a Pontifice obtenturum se putaret, ut Concilium Tridento restitueretur, sed cum Joannes Vega illius orator de ea re egisset cum Pontifice, nihil impetrare potuit, ut dictum est, maxime cum contenderet Cæsarei esse juris, ut Concilium haberet in sua potestate, atque Alexander cardinalis Farnesius Pontificio nomine scripsit ad Hieronymum Verallum archiepiscopum Rossanensem, Apostolicum apud Cæsarem internuntium [2], ut doceret Cæsarem Concilium Bononiense Tridentum reduci non posse, nisi ex consensu ipsius Concilii, cujus in ea re auctoritas infringi non deberet, quæ litteræ quinta Aprilis exaratæ sunt. Medio vero Aprili [3] a Pontifice cardinalis Sfondratus missus est ad Cæsarem, ut eas de Concilii translatione controversias componeret, promoveretque ut residuos Tridentinos Bononiam accedere juberet, at Cæsar e contra misso Didaco Mendoza urgebat Pontificem, ut Concilium Bononiense Tridentum revocaret, adeo ut ex contrariis voluntatibus Pontificis Cæsarisque animi exasperari cœperint, ut narrat Angelus Massarellus [4], qui Concilio a secretis erat :

« Secunda Maii retuli D. cardinali de Monte in Congregatione reverendissimorum deputatorum cardinalium Romæ super rebus fidei conclusum esse, ut Concilium hic Bononiæ suum haberet progressum, et quod Pontifex ea die, qua recessit ex Urbe, præteriti mensis versus Viterbium, cum denuo molestaretur ab illustrissimo domino Didaco a Mendoza oratore Cæsareo, ut comitium Tridentum reverteretur, idque instantissime nomine Cæsareo peteret, neque rationibus suæ sanctitatis acquiescere vellet, Pontificem respondisse, quod Cæsar volebat Concilium reverti Tridentum, et ipse volebat quod permaneret Bononiæ, ubi nunc est. Cumque iterum impeteretur Pontifex ab illustrissimo domino Didaco, suam sanctitatem replicasse, quod Cæsar debebat meminisse, quod non suæ majestati Cæsareæ, neque imperatori dictum fuerit a Christo : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam,* sed Petro et Pontificibus successoribus, quo dicto

[1] Angel. Mass. in Actis Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 79. — [2] Ext. in Ms. card. Pii sig. num. 260. — [3] Diar. Conc. Trid. et Bonon. Auct. Angel. Mass. p. 221. — [4] Ms. Arch. Vat. Diar. Conc. Trid. et Bonon. Auct. Angel. Mass. p. 2246.

terga dedit, et recessit a conspectu ipsius D. oratoris Cæsarei.

« III Maii ex Germania dominus Verallus nuntius Apostolicus litteris XXIII datis significat imperatorem adhuc esse firmi animi, ut Concilium Tridentum revertatur, adducique non posse, ut credat eo tempore, quo translatio Concilii facta est, Tridenti fuisse puncticulas, proptereaque cum Pontifice et reverendissimis legatis maxima sit concitatus ira maximeque in specie contra cardinalem Sanctæ-Crucis, cui totum negotium translationis tribuit. Reverendissimi domini legati scripserunt ad cardinalem Farnesium mittentes copiam litterarum domini Veralli, et respondentes ad tria capita ipsarum litterarum, quibus imperator dicit non fuisse petechias : loci nominationem et assecurationem pertinere ad suam majestatem : tertio quod præcepti declaratione legati usi sint in ipsa translatione, quæ omnia falsa esse ostendunt reverendissimi legati, etc ».

79. Interea componendæ liti navata est opera, ac propositum est, ut præsules qui Tridenti hæserant Bononiam accederent, ut Concilium Bononia Tridentum unanimi voluntatum conspiratione reduceretur : tum etiam postulatum a Cæsare, ut Lutheranos ad excipienda Concilii decreta cogeret, de quibus ultima Maii a cardinale Farnesio ad cardinalem Sfondratum in Germania legatum subjectæ litteræ [1] exaratæ.

« De his, quæ inter Pontificem et Didacum Cæsaris oratorem acta sunt, certiorem facimus, quia est animadversum, ex dissensione circa Concilium plura mala emergere posse, de concordiæ ratione ineunda agendum visum est, et licet Didacus nullis ad eam sit instructus mandatis, tamen cupiditate servandæ conjunctionis inter Cæsarem ac Pontificem colloquium non refugit, proposuitque ut Concilium revocetur Tridentum, vel in alium Germaniæ locum transferatur : pro ea provincia Ecclesiæ concilianda, ut Concilii Sedisque Apostolicæ dignitati consulatur, posse præsules Tridentinos Bononiam accersiri, ut communi consilio ea translatio decernatur. Cui responsum est, ut consentiat Pontifex illi translationi in Germaniam, necessarium, ut de effectu et successu felici (cujus gratia petitur Concilium) ipsi exploratum sit, ut Germania submittat se ad excipienda decreta ejusdem Concilii, nec id difficile fore Cæsari, ut id suadeat Pontifici, si Germanos adduxerit ad decreta Tridenti edita, vel in comitiis Ordinum permoverit, ut decernendis in Concilio pareant, vel alia quacumque ratione constare possit effectum, quem pro motivo affert, successurum, secus enim præsules persuaderi non posse ut in Germaniam redeant, pluresque æstimaturos, Pontificem in re ad universum orbem Christianum spectante prudentia non uti, si verbis nudis ad deliberationem gravissimam moveretur, eoque magis, quod Concilium jam bis Tridenti convocatum sit, nec duorum annorum fluxu aliquod conversionis Germanorum signum affulserit : remque eo magis honestam, ne Pontifex sine causa id aggrediatur, ac tum sibi æqui consulere, tum aliis principibus rationem reddere possit, ad quæ Didacus respondere non potuit, licet opinetur Germaniam Concilio parituram : negare etiam non potuit consentaneum esse rationi, ut Tridentini Bononiam veniant, ac una cum aliis de rebus ad Germaniam spectantibus decernant, maxime pro restituenda disciplina, tum ne Concilii fama obsolescat, dum marcet otio, tum ut communibus sententiis Bononia pro Germaniæ reconciliatione translatio fiat. De his Didacus ad Cæsarem rescripturus est, petiitque, ne hæc actio Bononiensium decretis perturbaretur, ut eorum sessio protraheretur, cui Pontifex protrahendam consensit, ut antea protracta est, tum ut ille rem cœptam promovere, tum vestra dominatio ad Cæsaream majestatem rebus integris pervenire possit : certiorem etiam facimus, Galliæ regem præsules quamplurimos missurum Bononiam, ac dignitatis Sedis Apostolicæ asserendæ studium ingens explicare : convenit præterea Pontifex cum Didaco, ut Cæsari pro compensatione fiduciariorum bonorum Ecclesiasticorum quater centum millia numero tradantur, licet nondum cœpta sit Germaniæ reductio, ex quo Cæsar optimam Pontificis voluntatem dignoscere possit. XXXI Mai MDXLVII.

80. *Carolus V oppugnat Concilium Bononiense, cujus rex Galliæ Henricus defensionem suscipit.* — Extremo eodem mense [1] actum est, ut si Tridentum reduci Concilium non posset, alia Italiæ civitas, ut Ferraria, vel Luca, vel Senæ pro celebrando Concilio a Pontifice designarentur : at neque Cæsar oratoris sui propositionem admisit, sed in suscepta voluntate perstitit, quod mense Julio legatis Bononiensibus significatum a cardinale Sfondrato refert Angelus Massarellus [2] :

« XII Julii litteris cardinalis Sfondrati legati apud Cæsarem ad reverendissimos legatos VII hujus Norimbergæ datis significatum, quod Cæsar adhuc est ejus opinionis, ut Concilium Tridentum revertatur, neque ullis rationibus hucusque flecti potuit ».

Obfirmato in sua sententia Cæsare Pontifex in eas leges descendit, Concilium Tridento restitutum iri, modo Germani pollicerentur se decreta Concilii excepturos, et vacuo sacrosancto solio nihil novatum iri. Quod in sanctiore se-

[1] Ext. in Ms. card. Pii sig. num. 260.

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. ex lit. card. Farn. ad legatos. — [2] Diar. Conc. Trid. et Bonon.

natu Pontificio constitutum narrat memoratus auctor[1]:

« Ex Urbe scribitur, quod die XIX hujus in Congregatione deputatorum cardinalium conclusum sit, quod Pontifex reducat Concilium Tridentum quibusdam adjectis conditionibus, videlicet, quod Germani primo promittant se recepturos quidquid actum est et agetur in Concilio, item quod in eventu Sedis vacantis, Concilium nihil innovet, et quibusdam aliis ».

81. Noluit Cæsar ad id obstringi, subinde actum est de intercidendo progressu Bononiensis Concilii, quod Cæsar toleraturum se negabat, ut propterea belli terror impenderet, ad quod propulsandum inter Pontificem, et Gallorum regem, ac Venetos pro tuenda Italia tractabatur; cum vero Sfondratus in Germania legatus Concilium Bononiense suspendendum consuleret, Bononienses institere, ut cœtus Tridentinus dissolveretur, ut tradit Diarium[2]:

« XXII Julii cardinalis Sfondratus legatus apud Cæsarem ex Germania significabat Cæsaream majestatem adhuc enixe petere, velleque quod Concilium revertatur Tridentum, suadetque ipse reverendissimus Sfondratus fieri suspensionem Concilii, ipseque cardinalis Farnesius petebat consilium, et sententiam ipsorum reverendissimorum legatorum; qui igitur reverendissimi legati responderunt, suspensionem eis non displicere, quando fieri posset, ut prælati, qui sunt Tridenti, illinc descenderent, neque corpus illud qualecumque sit, remaneret, et hoc legitimum, (quod nunc est Bononiæ) dissolveretur. Sed quoniam hoc fieri non posse credunt, consulunt ut sanctitas sua per Breve convocet ad se unum ex ipsis legatis, vel ambos una cum aliquibus prælatis, qui hic sunt, Romam, et similiter cardinalem Giennensem, et aliquot ex prælatis, qui sunt Tridenti, hac occasione, ut velit intelligere eorum rationes et causam eorum concordare, et interim Concilium suspendatur, id est, non procedat sine novo mandato Suæ Sanctitatis. Quod utile futurum multis rationibus demonstrarunt ». His addidere legati Bononienses datis X Augusti litteris ad cardinalem Farnesium, Concilium non esse revocandum in Tridentinam civitatem, non modo Cæsare, sed etiam cæteris regibus inconsultis, cum ita in translatione Concilii decretum esset : rursumque aliis datis XIII Augusti ad eumdem Farnesium Pontificis optimam voluntatem commendarunt, quod translationis negotium ad Concilium Bononiense referret, rursumque XX Augusti cardinali Sfondrato vehementer suadenti, ut Concilium Bononia Tridentum revocaretur acerrime contrariis argumentis repugnarunt, ex qua re discordiæ magis exasperatæ non sine maximo Ecclesiæ damno, fideliumque perturbatione, hæreticorum vero funestissimo tripudio; Cæsar enim in sua obfirmatus sententia publicas provocationis litteras adversus Concilium Bononiense edidit[1], atque ad ejus impedienda acta litem intentavit, illud jure translatum non fuisse, ita demonstrans :

82. « Carolus V, divina favente clementia Romanorum imperator Augustus, ac Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, etc. Rex archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ, etc. Comes Habspurgi, Flandriæ, Tyrolis, etc.

« Notum facimus tenore præsentium, cum pro ratione muneris nostri, quo Dei optimi maximi voluntate fungimur, proque eo zelo, quem erga sacrosanctam fidem et religionem nostram orthodoxam gerimus, et ipsius religionis summa necessitate ita exigente, cogamur contra nonnullos, qui sese asserunt legationis munere fungi una cum aliis prælatis et personis in conventu Bononiensi, cui titulum Concilii generalis prætexunt, jam congregatis et eo nomine congregandis, justam atque legitimam protestationem facere, id vero ob locorum distantiam coram facere non possimus. Eapropter de fide, prudentia et rerum usu honorabilium doctorum, fidelium nobis dilectorum Francisci Licentiati Vargas procuratoris generalis fisci nostri regii Castellæ, Martini de Soria Velasco Burgensis jurium doctoris, consiliariorum nostrorum plane confisi, eosdem fecimus, constituimus et deputavimus, ac tenore præsentium ex certa nostra scientia, deputamus procuratores et mandatarios nostros simul et in solidum, dantes eis plenam facultatem et potestatem, ut simul, vel saltem eorum, qui interesse poterit protestationem nostro ac totius sacri imperii, regnorumque et dominiorum nostrorum omnium nomine contra præfatos assertos legatos, aliosque prælatos et personas nomine Concilii Bononiæ, tam congregatos quam congregandos solemniter, tum verbo, tum scripto proponere, et adregistrari petere, et obtinere instrumenta superinde necessaria a notario seu notariis publicis adhibitis seu adhibendis requirere, et omnia alia dicere, facere et exercere possint et valeant, quæ in hujusmodi actibus requiruntur et necessaria fuerint, seu quovis modo opportuna, et quæ nos ipsi facere possemus et deberemus, si præmissis personaliter interessemus, et secundum quod a nobis habent in mandatis, promittentes in verbo nostro Cæsareo et regio, nos ratum gratumque habituros quidquid per præfatos procuratores et mandatarios, vel alterum eorum, factum, dictum gestumque fuerit in præmissis, nec quovis modo illis con-

[1] Diar. Conc. Trid. p. 242. — [2] Ext. in lit. card. Farnes. Diar. Conc. Trid. et Bonon. Arch. Vat. p. 242. Auct. Ang. Mass. Sur.

[1] Ext. inter Acta Conc. Bon. p. 43. Ext. etiam apud Melch. Goldast. to. I. p. 563. Ext. inter Acta Conc. Bon. p. 48. simil. p. 786. ad Didacum Mendoza. Ext. in Ms. card. Pii.

traventuros esse, dolo et fraude penitus remotis, harum testimonio litterarum manibus nostris subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. Dat. in civitate nostra imperiali Augustæ Vindelicorum die XXII mensis Augusti anno Domini MDXLVII, imperii nostri XXVII, et regnorum nostrorum XXXVII.

« CAROLUS ».

Ex his corrigas errores, qui apud Goldastum in nota temporis irrepsere, adscripsit enim male annum Domini MDXLVIII, imperii annum XVII.

83. Cum deprimere atque evertere Concilii Bononiensis auctoritatem niteretur Cæsar, Pontifex ad eam confirmandam de adeunda Bononia deliberavit, sed legati Bononienses XXVII [1] Augusti rescripsere id rebus præsentibus non conducere, ne videretur cogere velle Concilium ad suas voluntates.

Porro ad infringenda Cæsaris molimina Pontifex Gallorum regis amicitiam prensavit, qui promptissimo animo ad Pontificis et Concilii Bononiensis defensionem suscipiendam se obtulit, Gallicarum rerum in Italia agendarum spe, de quo hæc Angelus Massarellus narrat [2] :

« Reverendissimi legati receperunt litteras a reverendissimo Domino cardinale Sancti-Georgii legato apud regem Christianissimum, et episcopo Imolensi nuntio XII hujus, regem illum accepisse coronam et inunctionem XXVI præteriti mensis Julii in Rhemensi civitate a novo cardinali et archiepiscopo illius loci.

« Item, quod rex ipse jusserat, ut illustrissimus dominus Durfe orator suus designatus ad Concilium una cum prælatis nonnullis electis ex Galliis discederent, et Bononiam peterent, miseratque duas litteras regias domino archiepiscopo Aquensi, et alteras episcopo Mirapiscensi, qui fuerant in Concilio Tridentino regio nomine, post translationem tamen huc accedere noluerunt sine mandato sui regis, quibus mandatur, ut statim se Bononiam conferant ».

Cum misisset etiam [3] regulum Rohanum Henricus rex, ut regio nomine obsequium Pontifici addiceret, ille vigesima secunda Augusti Bononiam perveniens legatos Concilii convenit, quibus optimam regis erga Pontificem et Concilium Bononiense voluntatem exposuit, significavit regulum Durfeum oratorem ad Concilium, cum multis præsulibus ac theologis decretum fuisse, quod exeunte Augusto in Gallica aula Pontificius legatus litteris suis confirmavit, quem quidem oratorem venisse Bononiam mense Septembri, ac secundum oratorem fuisse Hospitalis Parisiensis præsidem refert Diarii Bononiensis auctor, atque ipsa Concilii Acta testantur.

Ineunte Septembri iterum Sfondratus et Augustensis cardinales monuere Pontificem fixum stare Cæsareæ menti provocare adversus Concilium Bononiense, atque ad Pontificem jus ferendæ sententiæ in ea lite spectaturum, retardandamque esse sessionem Concilii Bononiensis, ut docent Acta.

« III Septembris reverendissimus legatus cardinalis Sfondratus et cardinalis Augustensis scribunt ex Germania, quod imperator adhuc enixe petit, ut Concilium reducatur Tridentum, et quod alias sit protestaturus contra nullitatem Bononiæ attentatam, etc. Consulunt reverendissimi legati (de his consulti a cardinali Farnesio) ad tollendas omnes altercationes, ut sua Sanctitas judicium de hac controversia faciat, ad eum enim pertinet decidere, scilicet an translatio sit valida necne, quod judicium Sua Beatitudo facere potest in consistorio publico coram cardinalibus, prælatis aliquibus et oratoribus principum, ut re cognita et informatione habita, a se uno, vel etiam duobus legatis pronuntiet veritatem, ut tandem una pars quiescat, et quod expediat prorogare futuram sessionem, cum prælati Galli prope diem venturi sint ». Ea monita de retardanda Sessione secutus Pontifex legatis Bononiensibus significavit VII Septembris opera cardinalis Farnesii, ut aiunt Acta :

« Quod Sanctitas Sua cupiebat relinqui diem incertum pro futura Sessione, et quod prorogaretur ad tempus beneplacito Synodi declarandum. Item, quod orator ipse Didacus ponat et offerat quasdam conditiones non adeo spernendas pro concordia Pontificis et imperatoris circa locum Concilii ».

84. *Conventus Augustani postulant, sed iniquo animo, ut Concilium Tridento restituatur.* — Decima Septembris, trucidato Petro Aloysio Farnesio, Parmæ et Placentiæ duce, Placentiaque ab Insubriæ præfecto Cæsareo occupata, dissidia magis inter Pontificem Cæsaremque exacerbata sunt, Bononiaque bellico terrore concussa est. Decimo quarto vero Septembris Ordines imperii Status Ecclesiastici ex Augustanis Comitiis Pontificem supplicibus litteris rogarunt, ut pro Lutheranis, qui se Concilii decretis submiserant, ad Ecclesiæ gremium revocandis, asserenda libertate Ecclesiastica, exscindendis hæreseon erroribus, instauranda disciplina Christiana, Concilium Tridento restitueret, ni justis postulatis obsecundaret, alia consilia rei conficiendæ idonea, ac forte ingrata Pontificiæ majestati ineunda monuerunt, quæ litteræ his verbis conceptæ fuere [1] :

« Sanctissimo in Christo patri ac domino Paulo ejus nominis III, divina providentia sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 250. — [2] Diar. Conc. Trid. et Bonon. — [3] Diar. Conc. Bonon. ibid.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3224. p. 92. in Ms. card. Pii sig. 260 p. 60.

Summo Pontifici, domino nostro colendissimo.

« Post debita beatorum pedum oscula. Beatissime in Christo pater et domine clementissime. Quantis malis atque incommodis multos jam annos ex novorum dogmatum importunitate vexetur Germanica natio quantisque agitata dissidiis concussa fluctuet, afflictaque pæne ad extrema deducta sit, multis modis cognovit sanctitas vestra, et ni cognovisset, vocem tamen gemitus laborantium Ecclesiarum in eadem natione, et convulsi Ordinum imperii nexus, ad extremum etiam fremitum, fragoremque armorum in ultimam inter se cladem imminentium Transalpium juga exaudire potuisset; nec dubium est, quin his tantis malis paratum semper provisumque fuerit auxilium, si modo adhiberi maturo gliscentique morbo in tempore occurrere potuisset. Qua quidem in re, beatissime pater, cum nos pro officio, et fide nostra erga rempublicam Ecclesiasticam, proque observantia ea quam debemus ac libenter deferimus Sedi Apostolicæ, in generalibus conventibus actum illud semper judicaverimus, non posse tantorum malorum causam terminari, nec restingui incendium, nisi universalis Concilii judicio et auctoritate, summo consensu ac studio, non semel egimus apud Cæsaream majestatem, quam per se propensam tamen, nostraque studia antevertentem semper invenimus, ut pro imperiali auctoritate ac nomine instaret apud Sanctitatem Vestram de indicendo celebrandoque in aliquo opportuno loco Germaniæ Concilio , non equidem ad rationem civitatis, privatamque commoditatem nostram, sed ut obiri is conventus ac frequentari possit ab aliis, quos maxime interesset, qui cum propter episcopatus suos tenerent etiam sæcularium ditionum gubernacula, in hac temporum perturbatione, incertoque rerum statu longe abesse a domo, atque evagari, sine publicæ pacis periculo non possent, et hac quidem sedula, omnibusque conventibus repetita flagitatione, eo usque profectum est, ut post irritam Mantuanæ ac Vicentinæ Synodi indictionem longo satis, sed heu! nimis longo intervallo, ac pæne fessis Germaniæ rebus, indictum sit Tridentinum Concilium, ne indictum modo, sed etiam inchoatum magno quidem voto omnium et expectatum, sed non, ut flagitatum erat, intra fines Germaniæ, resque ita poscebat, sed in Tridenti oppido longe interjectis Alpium montibus, ut verius in Italiæ finibus, quam intra Germaniæ oram constitutum fuisse videatur : quæ sane etiam causa fuit, beatissime pater, quod pauci admodum ex nostris, ac nulli pæne eam adire Synodum, ac ne nuntios quidem suos mittere potuerint, præsertim ardente bello maximo periculosissimoque in Germania, quod jam multo ante ex eisdem malorum causis, de quibus hic querimur, impenderat, cui tantus terror ac trepidatio extitit, ut metu periculorum armorumque discursu completa fuerint omnia, nullum iter satis tutum, nullus aditus ad Tridentum patuerit ; sed nunc victis fractisque inconsultæ temeritatis viribus, cum virtute ac felicitate Cæsareæ majestatis, adeoque evidenti clarissimoque Dei beneficio res eum in locum adducta sit, ut respirare tandem ac meliora sperare liceat; cumque omnes jamdudum in spe certa erecti simus pacem restitui posse Germaniæ, omniaque ad pristinum ordinem et tranquillitatem facile redigi, si modo radix incumbentium malorum causaque ipsa amputata fuerit, ecce in ipso portu, medioque successu rerum bene gerendarum, vel transfertur, vel ut alii volunt, dividitur Concilium, ex cujus progressu et determinatione pendebant omnia , ejusque judicii severitate tanquam gladio quodam amputari, exscindique oportebat stirpem hanc, ex qua provenerant hæc mala omnia, neque futura tempora, nisi propitia, sine dubio proventura sunt.

« Non possumus, beatissime pater, non possumus non dolere ac satis conqueri vicem periclitantis Germaniæ, totos septem et viginti annos conflictamur , cum variis perniciosisque dogmatibus invaluere sectæ variæ , episcoporum auctoritas, universa pæne disciplina Ecclesiastica jacet. Heu ! quantum mali, quantam jacturam animarum trahit hæc una vastitas. Tunc vero ex eodem fonte veneni promanantibus late rivis, nulla societas animorum inter diversæ religionis sectatores, nulla firma conjunctio, nulla jampridem extitit. Laxata est pulchra illa imperii compago, turbatique ordines, in quibus dignitas cum potentia, vires cum auctoritate non ad privatorum modo salutem, sed etiam ad totius Ecclesiæ præsidium semper cunjunctæ fuerunt : nec patet tamen adhuc exitus, frustrata expectatio, quia quo solum sustentabatur Sedis Apostolicæ auxilium, negatum fuerit, spes omnes rationesque nostræ pariter conciderunt.

« Hæc cum ita sint, vereque majora etiam, nisi mature provideatur, impendeant, supplicamus sanctitatem vestram, quantoque possumus studio et obsecratione obtestamur, ut integrato Tridentino Concilio, quo in pristinum locum ac statum suum restituto, consulat saluti et tranquillitati nationis Germanicæ : eadem opera efficiat, ut expulsis errorum tenebris omnique dissidio procul ab Ecclesiastica doctrina atque animis hominum profligato, reddatur lux pristina Ecclesiis in Germania cum splendore : cum veritas cultusque religionis Catholicæ pristinum locum et dignitatem suam recuperaverint, tum fructus cœlo digni ampliores profecto quam multis jam annis factum est, consequentur. Hoc si fecerit sanctitas vestra, nostrisque precibus, quas non justas modo, sed etiam

necessarias arbitrati sumus, locum dederit, habebit nos paratos et obsequentes ad omnia, quæ pro exstirpandis hæresibus, proque pacificatione non tantum Germanicæ nationis, quæ ut labore præ cæteris, ita majore etiam cura, præsentioreque medico opus habet, sed totius etiam imperii, atque adeo Catholicæ Ecclesiæ tranquillitate suscepta fuerint : seu minus, quod divina clementia in hoc ancipiti periculosoque rerum statu avertat, quod agemus aut quo confugiemus, beatissime pater? Unde petemus auxilium certis nimis ruinis nostris ? Cui denique Sedis Apostolicæ, quam contra procellas omnes Servator noster supra firmam petram constituit, præsidium implorabimus ? Undique urgent venti et ad extrema jam ventum est. Videat sanctissima paternitas vestra, ac pro fide summaque sollicitudine sua erga rempublicam Christianam reputet, si nihil profecerint preces nostræ, nihil pericula Germaniæ, quæ neque progredi longius, neque ampliorem dilationem ferre possunt, quis tandem exitus malorum futurus sit, adeoque illum possideat, ne cessante diutius in hoc opere Sede Apostolica, alia sumantur consilia, aliisque viis et rationibus hæc causa tandem expediatur. Hæc sunt, beatissime pater, quæ nos hoc tempore pro officii nostri ratione coegit summa rerum necessitas ad sanctitatem vestram perscribere, orantes, ut studium hoc sedulitatemque nostram boni consulat, Deumque Optimum maximum precantes, ut eamdem sanctitatem vestram longissimo tempore valentem et incolumem conservet. Ex conventu Augustano XIV Septembris MDXLVII. Ordinum imperii status Ecclesiastici in conventu Augustano ».

85. Quid ad has litteras responderit Pontifex proximo anno referemus. At Protestantes, qui nunquam sincero animo, sed fraudulento de concordia egere cum Catholicis, cum audirent Pontificem a Concilio Tridentum reducendo abhorrere, institere, ut in Tridentinam urbem revocaretur, eo tamen Tridentum revocato, mox petituri, ut in interiorem Germaniam transferatur, quo ipsum in sua potestate habeant; addidere alia etiam postulata impia, ut episcopi a sacramento Pontifici præstito et religione solverentur, et ut legati Pontificii non præessent Concilio, sed tanquam privati tantum episcopi internuntii interessent, hoc est, ut Catholici a Christo et ejus Vicario ad Sathanam et Lutherum deficerent, nec Tridenti fieret Concilium ad divulsa Ecclesiæ membra redintegranda, sed conciliabulum contra veterum Conciliorum instituta ad membra Ecclesiæ a suo capite divellenda. De his vero cardinalis Sfondratus apud Cæsarem legatus, Bononiensis Concilii legatos certiores fecit, ex quibus patebat, quam juste Pontifex urgeret Cæsarem, ut pro restituendo Tridento Concilio se obstringeret ad Lutheranos adigendos, ut decretis Concilii Tridentini promulgatis promulgandisque obsequerentur. Ea vero in litteris cardinalis Sfondrati, quæ Bononiæ XI Octobris exceptæ fuere contineri docet Angelus Massarellus, qui Concilio a secretis erat, his verbis: « Cardinalis retulit, quæ sint illa enormia, quæ petunt Lutherani circa religionem et Concilium ab imperatore, videlicet quod volunt Concilium sedere Tridenti. Secundo, quod absolvantur a juramento præstito Sedi Apostolicæ. Tertio, quod papa non præsit Concilio, sed tantum mittat suos legatos, ut simplex episcopus Romanus ». Nunquam tot sæculorum flexu hujusmodi næ-nias Catholica Ecclesia sibi cani ab hæreticis audierat, quæ in tot Conciliis Œcumenicis legatos Pontificios ut præsides Conciliorum admisit, ut ex ipsorum Actis, et a cardinale Baronio in historia Ecclesiastica demonstratur.

86. *Archiepiscopus Gnesnensis Synodum colligit de episcopis Polonis ad Concilium mittendis, sed anceps remanet, audita translatione Concilii.* — Quæ vero inter Alexandrum cardinalem Farnesium, et Didacum Mendozam Cæsareum oratorem pertractata pro componenda controversia, vidimus ea a Cæsare repudiata, ut scripsit mense Octobri [1] cardinalis Sfondratus, quo tempore Nicolaus archiepiscopus Gnesnensis Poloniæ primas significavit Paulo III coactam fuisse a se Synodum pro decernendis episcopis ad Concilium Tridentinum, sed translationis Tridento Bononiam factæ fama accepta hæsisse ancipites Polonos præsules ac doctores, an Bononiam proficisci deberent, in quam nondum Transalpini aliorum regnorum episcopi se contulissent, exposuitque nullam utilitatem ex Concilio Bononiensi, ad quod Germani non essent accessuri, decerpi posse, ac si Bononia Romam translaturus sit, eo majores animorum motus clamoresque adversariorum concitatum iri, atque adeo rogavit Polonorum nomine Pontificiam sanctitatem, ut pro universæ Ecclesiæ bono in Tridentinam urbem Germanis Polonisque commodiorem Concilium revocare dignaretur [2] :

« Sanctissimo ac beatissimo in Christo patri et domino, domino Paulo III, divina providentia sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, domino clementissimo.

« Sanctissime ac beatissime in Christo pater ac domine clementissime, observantiam meam et servitutem meam perpetuam sanctitati vestræ submisse et reverenter in primis defero, quod in hunc usque diem nemo ex provincia mea ad sacrosanctum Concilium Œcumenicum venerit, ne putet Sanctitas Vestra negligentia id factum esse, sed quod mandatum ea de re Vestræ Sanctitatis, atque ut more majorum meorum ad

[1] Diar. Conc. Trid. p. 265. — [2] Ms. card. Pii sig. 260. p. 84.

sacrum Concilium hoc a Sanctitate Vestra vocarer expectabam, postquam vero certior sum factus, qui ante me ad Ecclesiæ metropolitanæ hujus gubernacula sedit rev. D. Petrum archiepiscopum Gnesnensem et episcopum Cracoviensem ad Concilium hoc, quod Tridenti fuerat in Christo congregatum, Sanctitatis Vestræ litteris vocatum fuisse, et si æquum erat, ut illo ex hac vita sublato mihi quoque, qui sum illi in hac Ecclesia metropolitana successor, aliqua ejus rei significatio daretur, feci nihilominus, ut in provincia mea Synodum convocarem, in qua de mittendis ad Concilium hoc Œcumenicum legatis deliberatio susciperetur, ad quam cum frequentes nuntii et Ecclesiarum cathedralium nuntii venissent, designati quidem sunt de consilio sententiaque omnium, qui ad Concilium istud proficiscerentur, sed quoniam allatum sub id tempus fuerat, sacrum Concilium hoc Tridento Bononiam esse translatum, quo nemo se Transalpinorum episcopus conferre voluerit, ingens fuit dubitatio, num ad id Concilium, sive potius ad eum locum nobis proficiscendum esset, quo nullus adhuc Transalpinorum venisse diceretur. Tandem decretum est in Synodo provinciali per me congregata, ut ad Sanctitatem vestram litteras darem, quibus quid esset de multorum consilio hoc judicium illi significarem, simul etiam communi sacerdotum ordinis nomine, qui sunt in provincia mea, supplex illum orarem et obsecrarem, quandoquidem capitis nostri Domini Jesu Christi in terris locum gerit, ut afflictis ejus rationibus succurrere, et quæ gravissima nostris cervicibus impendere pericula videntur, ea prudentia vigilantiaque sua, prout amantem sui gregis pastorem facere decet, propellere et propulsare dignetur. Summa secundum Deum spes nobis fuit exstirpandarum hæresum et tollendorum fidei dissidiorum, et rerum Ecclesiasticarum constituendarum in sacro Concilio hoc Œcumenico edicto, sed cum ad id e Germania nemo prope venisse diceretur, quæ præcipue Concilio huic congregando causam dedisse videbatur, et in provincia mea dubitare multos videbam, num apud omnes rata erant futura, quæ in eo definita essent, quoniam sermones quorumdam ad me perferebantur, quorum in his terris auctoritas erat non postrema, qui dicerent nequaquam se recepturos, quæ per vestros et Concilium forent allata, nisi a finitimis quoque nobis populis eadem illa recepta prius essent, justam etiam habere causam ad Concilium non veniendi Germanos vulgo fertur, quibus cum liberum Concilium promissum esset, nunc in his locis haberetur, ubi tuto eis versari, ac libere quid sentirent dicere licitum non foret, quorum causa etiamsi a nostra sejuncta est, nos tamen nusquam esse possumus tutiores, quam sub umbra alarum sanctitatis vestræ, quam indubitatum Christi vicarium profitemur, ejus auctoritatem non modo non fugimus, verum etiam, nisi illa salva, salvos nos esse non posse persuasum habemus, non visa tamen sunt nobis ea negligenda, quæ passim a multis dicuntur, de quibus ut certiorem facerem Sanctitatem Vestram, universæ Synodo, a qua tamen propter adversam valetudinem meam longius aberam, visum fuit, cujus etiam nomine ad beatos sanctitatis vestræ pedes provolutus supplico vestræ sanctitati, qua summa possum animi mei submissione, ut rationem aliquam ineat, qua possit præfato quoque ordini, quem sæcularem vocant, satisfieri; alia autem ratione vix posse videtur, quam si Concilium in hujusmodi loco habeatur, de quo nemo queri possit, quod ei tutus ad illum accessus non pateat, nam si, quod instituisse dicitur Sanctitas vestra, longius etiam in ipsam Urbem usque ad sanctum Joannem Lateranum Concilium transtulerit, majores etiam clamores et graviores suspiciones excitabuntur, nos vero alacri animo, prout fides ac officium nostrum postulat, imperata Sanctitatis vestræ facere sumus parati, ad cujus nos etiam nutum libenter conversuri sumus omnes, sed eam tamen etiam atque etiam majorem in modum petimus velit habere temporum istorum rationem, quæ difficiliora nunc sunt, quam fuerant a multis sæculis, neque de loco Concilii quidquam statuat, nisi quod esse cum reipublicæ Christianæ commodo conjunctum intellexerit; quandoque etiam eorum sententia poterit approbari, ad quos quamvis id minus pertinere videatur, multum tamen interest, ad perficienda ea quæ cogitat Sanctitas vestra, hoc est, ad pacem et tranquillitatem in Ecclesia Dei constituendam, ut eorum etiam voluntates a consilio Sanctitatis vestræ non sint abjectæ, quorum fidem atque auxilium in executionem eorum, quæ decreta fuerint in Concilio facienda, necesse erit implorare, quid enim ex eo Concilio utilitatis ad nos esset perventurum, si quæ sancita in eo sint (quod omen Deus avertat) in sola Italia, aut ei finitima una sive altera provincia, et non in universo orbe Christiano recepta fuerint? Velit itaque providere Sanctitas vestra, ne locus detur cuiquam tergiversandi, et auctoritatem sacri Concilii defugiendi, quin omnes potius causæ præcidantur, quibus adducti, jure fecisse se contendere possint, qui se nuper ab Ecclesiæ corpore segregarunt, quod ad sacrum hoc Concilium non accesserunt. Non est fortasse tenuitatis nostræ Sanctitatem vestram harum rerum commonefacere, quæ non eget consilio, quo valet plurimum, cum in his etiam locis sit, ubi lux est orbis terrarum, et summum populorum et gentium omnium consilium, cum præsens periculum videtur, sed neque novum est et insolitum, summos gubernatores in

magnis tempestatibus a vectoribus admoneri. Quamobrem dabit veniam Sanctitas vestra curæ nostræ et sollicitudini, quæ cum vehementer angat animos nostros, has a nobis litteras extorsit, atque in eam nos mentem, licet humiles Sanctitatis vestræ creaturas, impulit ut Christi in terris vicarium tum aliis multis virtutibus, tum usu rerum et providentia singulari præditum, de his, quæ vehementer nos urgent, hortari libere et obsecrare auderemus. Quod si scire posset Sanctitas vestra, qui sit nunc rerum nostrarum status, quanta propter vicinum malum nos pericula circumstent, facile ignosceret curæ huic nostræ et anxiæ sollicitudini, quod eam pro sua paterna clementia facturam, ac divina sua providentia Christo opitulante, eo metu et discrimine, in quo nunc videmur nos esse, liberaturam confidimus. Pertinet autem hæc res ad Sanctitatem vestram, cum ad promerendam Dei optimi Maximi gratiam et misericordiam, tum ad laudem nominis ejus ad sempiternam memoriam propagandam, nos porro Deum supplices precari nunquam intermittemus, ut illam pro sui nominis gloria, et Ecclesiæ utilitate, quam longissimo tempore servet incolumem, ac omni felicitatis genere cumulet. Lovicii die XX Octobr. MDXLVII.

« Ejusdem sanctitatis vestræ humillimus capellanus et creatura.
« NICOLAUS, *archiepiscopus Gnesnensis* ».

87. *Per cardinalem Madrutium Romam deferuntur postulata Cæsaris.* — V Novembris [1] cum Velascus regnorum Hispaniæ fisci procurator Tridento Bononiam accessisset, ut si publica fieret Sessio, Cæsareo nomine adversus illius Acta, nuncupata protestatione intercederet, legati Bononienses cardinalem Farnesium Pontificiarum voluntatum interpretem consuluere, quid Cæsareæ protestationi respondendum esset : cardinalis vero Farnesius VI Novembris in hoc ancipiti casu, ad schismatis avertenda pericula, iisdem legatis proposuit, num conduceret Catholicæ rei Concilium suspendere, et qua ratione, et quo tempore, at ad quantum temporis intervallum. VIII Novembris, cum graviora de rebus Concilii impenderent pericula, ut certius de his decerneret, Marcellum cardinalem Sanctæ-Crucis legatum Bononia Romam excivit, jussitque ut alter legatus Joannes Maria de Monte vocandis ad examen controversiis dare operam pergeret, quod Patribus eodem die a cardinali e Monte significatum est. Proxima vero die nona Novembris cardinalis Sanctæ-Crucis Patres monuit, se ob publicum Christianæ reipublicæ commodum ad aulam Pontificiam proficisci. Paulo post Christophorus Madrutius cardinalis Tridentinus a Cæsare ad Pontificem legatus est, de quo hæc referunt Concilii Bononiensis Diaria [1] :

« XVII Novembris applicuit Bononiam Christophorus Madrutius tit. Sancti-Stephani in Cœlio Monte presbyter cardinalis, qui venit ex Germania ab Augusta missus a Carolo V imperatore ad Summum Pontificem Paulum III, ut cum eo agat de reductione Concilii ad civitatem Tridentinam, et de aliqua concordia ineunda super civitate Placentiæ ». His subjiciunt Acta :

« XXX Novembris [2] allatæ litteræ cardinalis Farnesii XXVIII datæ una cum instructione, quam imperator dedit cardinali Tridentino de agendis et tractandis coram Pontifice, in qua instructione hæc continentur. Primum, quod nomine suæ majestatis Cæsareæ et serenissimi regis Romanorum et totius Germaniæ, petat magna cum instantia a Sua Sanctitate, ut reducat Concilium Tridentum, ostendens necessitatem esse, ex eo quod provincia ipsa Germaniæ vult stare determinationi ipsius Concilii, et ei se submittere pure et simpliciter; et quod ad illud venient omnes.

« Et quod interim donec Concilium celebrabitur, Sua Sanctitas inveniat modum, secundum quem vivere deberent Germani et ea de causa mittat Sua Sanctitas in Germaniam aliquos viros cum potestate hoc faciendi. Quod si Sua Sanctitas nollet consentire reductioni Concilii ad civitatem Tridentinam, tunc ipse cardinalis Tridentinus una cum domino Didaco a Mendoza oratore suo apud Pontificem certiores reddant omnes cardinales, qui sunt Romæ, et omnes oratores principum de hac diligentia et instantia, quam facit sua majestas apud Suam Sanctitatem.

« Quod denique, si nulla via moveri potest Sua Beatitudo ad reducendum ipsum Concilium Tridentum, tunc orator ipse interponat protestationes, quas habet in mandatis, præsertim si aliquid ageretur Bononiæ a Concilio quod esset in præjudicium Concilii Tridentini, ipseque reverendissimus dominus cardinalis Farnesius scribit ipsi reverendissimo domino cardinali de Monte, ut dicat judicium suum, quid respondendum sit a Pontifice ».

88. Prima Decembris [3] cardinalis de Monte legatus Bononiensis responsum dedit ad ea quæ a cardinale Tridentino nomine Cæsareo proponenda afferebantur, quod responsum his fere verbis conceptum erat, quibus transmissum est ad Pontificem :

« Reverendissimis dominis deputatis visum est, quod Sanctitas Vestra paterna charitate salutem provinciæ Germanicæ quibuscumque modis potuit semper procuraverit, quod ex multis argumentis, præsertim ex Concilio Tridenti indicto, et ex legatis semel atque iterum ad eam

[1] Diar. Concil. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 268.

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 279. — [2] Diar. Conc. p. 272. — [3] Ms. card. Pii p. 18.

civitatem missis apertissime constat, minimeque dubitandum sit, quin Sanctitas Vestra eodem animo erga illam provinciam in posterum futura sit, ut antea semper fuit, optimo scilicet et ad bene de ea merendum propensissimo : quantum ad ea, quæ reverendissimus dominus meus cardinalis Tridentinus nomine invictissimi imperatoris, serenissimi Romanorum regis, necnon illustrissimorum statuum Germaniæ retulit, scilicet ut omnes sacro Œcumenico Concilio se submittant, laudandam esse admodum pietatem majestatis suæ, ac bonam spem de eorum salute, qui hactenus a recta via aberraverunt, concipiendam. Verum quoniam illa ipsorum submissione additum est, quod se submittant Concilio Tridenti celebrando, et ea de causa petitur nunc ut Sanctitas Vestra ipsum ad Tridentinam civitatem reduci faciat, reverendissimis DD. deputatis persuasum est id a pientissimo imperatore, et nobilissima illa provincia efflagitari et peti, quatenus sine scandalo, imo cum pace et concordia cæterarum provinciarum, servata etiam auctoritate Concilii et Ecclesiastica libertate, fieri possit, ad quæ omnia, sicut Sanctitas Vestra pro sua pastorali cura et omnium Ecclesiarum sollicitudine prospicere jure debet, et ea nullo modo negligere, sic existimandum esse majestatem suam et illustrissimos sacri imperii status in bonam partem laturos, si sanctitas vestra more majorum suorum in tam ardua et communi deliberatione episcopos fratres suos et prælatos, qui omnium fere nationum in Concilio nunc Bononiæ existunt, pro communi pace servanda, et turbis ac scandalis vitandis ante omnia consulere velit, eisdemque dominis meis videtur par esse, Sanctitatem Vestram operam dare, ut quam minima mora in ipsa consultatione facienda interponatur, atque etiam ne res in Germania detrimentum patiantur, benigne satisfieri debet a Sanctitate Vestra secundæ petitioni majestatis suæ de mittendo ad illam provinciam, uno vel pluribus prælatis cum opportuna facultate, ut communis aliquis et rectus vivendi modus usque ad finem Concilii reformetur et statuatur. Quod vero attinet ad universalem reformationem, cum de ea Concilium ipsum jam plurima et salutaria decreta ediderit, et eorum, quæ restant, examinata et discussa apud se prosequatur, eam brevi perfici posse sperandum est, cui etiam et perficiendæ et observandæ Sanctitatem Vestram omnem suam diligentiam et auctoritatem adhibituram ».

« Ad postremum caput de electione Romani Pontificis, si durante Concilio (quod Deus avertat) Sedem vacare contigerit, tametsi jura hujus Collegii firma et adeo clara et diuturna sint, ut verti in dubium minime possit, quin Romani Pontificis electio ad solos cardinales pertineat, etiam durante Concilio, tamen pro tam benevolo animo suæ majestatis ei gratias habendas esse ».

89. Nona Decembris die [1] Christophorus Madrutius cardinalis, Romæ in frequentissimo cardinalium senatu coram Pontifice habita oratione, Cæsaris studia et labores pro Germanis Ecclesiæ conciliandis laudibus extulit, rogavitque, ut cum Protestantes decretis Tridentini Concilii se submitterent, Patres, qui Bononiam Cæsare inconsulto migraverant, Tridentum redire juberet, tum legatos in Germaniam decerneret, ex quorum sententia usque ad exitum Concilii disciplina Christiana restitueretur, et corruptelæ, quæ in ordinem Ecclesiasticum irrepserant, delerentur, demum jussus addidit non sine Pontificis offensione, perpenderet ac statueret, si Concilii tempore contingeret ipsum e vivis eripi, utrum eligendi potestas ad Patres in Synodo congregatos, an ad cardinales, qui Romæ degant, pertineat, plerosque enim jure metuere, ne si res ad eum casum redactæ sint ex ea occasione dissensionum semina oriantur. Re in quæstionem adducta et rogatis cardinalium sententiis, alii Cæsari salva et incolumi Pontificiæ auctoritatis majestate indulgendum dixere ; alii non satis idonee a Cæsare et Ferdinando caveri Germanos Concilii decretis parituros, nec Bononia Concilium dimovendum, ni idonee cautum esset : alii ad Patres qui Bononiæ essent rem integram deferendam, qui enim Pontificia auctoritate fulti transtulissent Concilium, Ecclesiamque universam referrent, omnino consulendos : hanc sententiam ut juri consonam amplexus Pontifex cardinali Tridentino respondit, se Patribus Bononiæ congregatis revocandi Tridentum Concilii jus conferre, deque ea re ad Christiani orbis principes, quorum mutua consensione celebrandum erat Concilium, velle perscribere.

90. Didacum quoque Mendozam fere eadem in Consistorio pro Cæsare retulisse narrant Acta [2] : videlicet Cæsarem graviora discrimina subiisse, ut aberrantes Germanos ad Ecclesiæ obsequium revocaret, votorum vero compotem fieri non posse, nisi promissum Germanis Concilium in Germania celebretur, quod cum ex communi principum consensu Tridenti indictum sit, rogare ut Tridentum revocetur, cum ex eo tot animarum perditarum millia in lucrum cessura sint, quod beneficium ea ratione possit indulgeri, ac si Turca, vel Judæus in Basilica Lateranensi Baptismo initiari vellet, qui certe cum periculo ejus animæ ad Basilicam Sancti-Petri initiandus amandaretur, nec ullum damnum ex ea Pontificia indulgentia ad alias provincias redundare posset. Rogati vero in eo Consistorio cardinales ut sententiam dicerent, inter alios Guisius cardinalis graviter dixit : « Summopere laudandum esse Cæsarem, qui cum subjecerit corpora Germanorum armis

[1] Goldast. to. I. consist. Imp. Thuanus l. IV. — [2] Pag. 14.

temporalibus, velit etiam armis spiritualibus, hoc est, sacro Concilio subjicere animos et spiritus eorum ». Ac demum conclusit consulendos Patres Bononienses, an Bononiæ promovendum Concilium, an Tridentum foret transferendum? quam sententiam maxima senatus pars amplexa est. At cardinalis Theatinus acerbe addidit eum non esse Christianum, qui diceret Concilium Bononiense non esse verum Concilium, nec ex legibus canonicis translatum. At sapientissime cardinalis Polus consuluit, mittendos esse qui Protestantes principes pertentarent, rogarentque an accessuri ad Tridentinum Concilium, seque ejus decretis submissuri essent, eademque cum ipsis asserente atque offerente Cæsare, submotis omnibus difficultatum impedimentis, Concilium esse Tridentum revocandum.

91. *Pontifex, consultis Patribus, judicat non obtemperandum votis Cæsaris.* — XVI Decembris [1] Pontifex subjectis litteris Concilium Bononiense consuluit, quid pro Germanicæ nationis, quæ se Concilii Tridentini celebrandi decretis Cæsarea opera submiserat, salute agendum ipsis videretur, proposita ob oculos unius numinis gloria, jussusque est legatus rem Patribus proponere :

« Venerabili fratri nostro Joanni Mariæ episcopo Prænestino nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis legato de latere.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Missus ad nos his proximis diebus a serenissimo Cæsare dilectus filius noster Christophorus tituli sancti Cæsarii presbyter cardinalis Tridentinus ipsius Cæsaris nomine nobis retulit, majestatem suam magno studio et diligentia procurasse, ut universa natio Germanica Concilio jam indicto et incœpto Tridenti celebrando se submitteret, prout se submiserat, addiditque se habere in mandatis ab ipso Cæsare, ut suæ majestatis ac serenissimi ejus fratris Romanorum regis, et statuum sacri imperii nomine a nobis peteret, ut pro reunione dictæ nationis ad gremium Ecclesiæ ipsum Concilium Tridentum reduci faceremus. Et deinde dilectus filius Didacus Mendoza ipsius Cæsaris orator in nostro Consistorio (interessentibus de nostra voluntate, cum ipsi id cuperent, cæteris oratoribus principum et rerumpublicarum, qui apud nos sunt) idem dixit et petiit, et ne mora interponeretur instanter postulavit. Nos vero re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus communicata, de ipsorum consilio et voto pro communis pacis conservatione, et pro evitandis scandalis, et ut tam illud, per quod Concilium Bononiam translatum est, quam cætera istius sacrosanctæ Synodi decreta illæsa conservarentur, ante omnia in re tam ardua, more majorum nostrorum ipsius sanctæ Synodi fratres nostros episcopos et prælatos, qui ex omnibus fere nationibus isthic sunt, consulendos esse decrevimus. Quamobrem de salute dictæ nationis solliciti, et ne mora ad respondendum ipsi Cæsari interponatur, volumus ut hæc omnia ejusdem sacrosanctæ Synodi Patribus explices, ac sancti Spiritus numine quo illa regitur invocato, universale bonum reipublicæ Christianæ et sanctæ fidei Catholicæ, ac dictæ nationis reunionem præ oculis habentes, omnes ea mature examinetis et perpendatis, et quid ipsi Cæsari a nobis super hoc responderi posse putetis, ad nos scribere non differas. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Decembris MDXLVII, Pontificatus nostri anno XIV ».

92. Acceptis Pontificiis litteris, generalis ac solemnis Congregatio Bononiæ coacta est a legato cardinale Prænestino, cui episcopi quinquaginta septem, ac duo Gallorum regis oratores interfuerunt, in qua respondendum decrevere, ut prius Hispani qui Tridenti hæserant, Bononiam se conferrent, ut explicaretur nitide, an Germani decreta jam edita essent admissuri, quæ forma decernendi observanda esset in Concilio, ut Patrum securitati libertatique caveretur, quod Acta [1] a Massarello descripta testantur :

93. « Die Lunæ, XIX Decembris, hora XXI, fuit Congregatio generalis Bononiæ, in qua reverendiss. dominus cardinalis de Monte præsidens retulit Patribus, qualiter heri sero recepisset Breve unum a sanctissimo domino nostro sub data Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XVI Decembris præsentis, in quo sua sanctitas narrat, quod cardinalis Tridentinus, et Don Didacus a Mendozza orator Cæsareus petierit a sanctitate sua magna cum instantia, ut Concilium reduceret Tridentum, cum Cæsar ipse induxerit Germanos omnes, etiam hæreticos, ad submittendum se Concilio Tridenti celebrando, et quod sua sanctitas super ea deliberare nolit, nisi prius intelligat consilium et judicium sacræ Synodi, quid scilicet ei videatur, quid sit a sua sanctitate ipsi Cæsari respondendum. Quod Breve ipse reverendissimus dominus cardinalis alta voce legit, deinde ad majorem informationem Patrum, et quoniam ita fieri solet in rebus arduis consulendis, ut prius per ipsum præsidentem Patres informentur, et eis lumen aliquod ostendatur, dixit, sibi non videri sanctam Synodum super præsenti reductione Concilii Tridentum posse deliberare, nisi prius prælati qui sunt Tridenti Bononiam veniant, cum illi in contemptum Concilii post translationem ibi remanserint, quod sit contra honorem et auctoritatem Concilii.

[1] Ext. in Actis Conc. Bonon. p. 38. Ms. Fr. card. Barb. sig. 123.

[1] Diar. Conc. Trid. Auct. Ang. Mass. Secr. Ms. arch. Vat. p. 274.

« Secundo, nisi prius declaretur quomodo intelligatur hæc submissio Germanorum, an decreta jam publicata Tridenti firma et rata manere debeant, cum illa nullo modo retractari debeant, neque possint, præsertim cum illa decreta sint jam a toto Christiano orbe recepta.

« Tertio, qua forma sit procedendum in Concilio.

« Quarto, quam securitatem Patres habebunt standi, eundi, recedendi, etc.

« Quinto, quod liberum sit Concilii majori parti, quandocumque ei videbitur subsistere legitima causa, se transferre ex Tridento ad alium locum, et etiam si videbitur, Concilium ipsum claudere, terminare et finire ; quibus dubiis explicatis, Concilium poterit deliberare, quid faciendum sit de reditu ad civitatem Tridentinam : super quibus rogavit Patrum sententias, eos monendo, hortando bis aut ter, ut libere quilibet diceret sententiam suam.

« Patres omnes probarunt multis rationibus, quod dixerat reverendissimus dominus præsidens, ostendentes esse omnino necessarium prius explicari dubia illa, quam de reditu ad Tridentum deliberare, exceptis quinque, qui volebant responderi a sancta Synodo, quod esset absque ulla declaratione Tridentum redeundum, cum id (ut ipsi dicebant) expediat reductioni Germanorum.

« Conclusum fuit, quod reverendissimus dominus præsidens formaret litteras scribendas ad suam sanctitatem, et die crastina Patribus legerentur, et ab eis comprobarentur, etc. et ita dimittitur Congregatio hora prima noctis, cui interfuerunt ambo oratores Galli, et quinquaginta septem prælati ».

94. XX Decembris [1] hora XVI, Congregatio generalis habita est, in qua perlecta est litterarum a legato ad Pontificem mittendarum formula, quæ omnium Patrum consensu comprobata est, in quibus repetitum est, quid Cæsareis oratoribus respondendum esset, quidve exigendum pro Concilio ad Tridentinam urbem revocando.

« Beatissime pater et clementissime domine, post humillimam recommendationem, et pedum oscula beatorum.

« Recepi nudius tertius, adveniente nocte, Sanctitatis Vestræ Breve Roma apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Decembris MDXLVII, Pontificatus sui anno XIV datum, in quo narratur dilectum filium Sanctitatis Vestræ Christophorum tit. Sancti-Cæsarei presbyterum cardinalem Tridentinum, dominum a me observandum, his proximis diebus a serenissimo Cæsare missum, Sanctitati Vestræ retulisse ipsius Cæsaris nomine, majestatem suam magno studio et diligentia procurasse, ut universa natio Germanica Concilio jam indicto et incœpto Tridenti celebrando se submitteret, prout se submiserat, addiditque se habere in mandatis ab ipso Cæsare, ut suæ majestatis ac sereniss. fratris Romanorum regis, et statuum sacri imperii nomine a Sanctitate Vestra peteret, ut pro reunione dictæ nationis ad gremium Ecclesiæ, ipsum Concilium Tridentum reduci faceret, et dilectum Sanctitatis Vestræ filium Didacum de Mendoza, ipsius Cæsaris apud eumdem oratorem, in sacro Consistorio interessentibus de Sanctitatis Vestræ voluntate (cum ipsi id cuperent) cæteris oratoribus principum, et rerumpublicarum, qui apud eam sunt, idem dixisse et petiisse, et ne mora aliqua interponeretur instanter postulasse ; Sanctitatem vero Vestram re cum venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus dominis meis observandissimis communicata, de ipsorum consilio et voto, pro communis pacis conservatione, et pro evitandis scandalis, et ut tam illud per quod Concilium Bononiam translatum est, quam cætera hujus sacrosanctæ Synodi decreta illæsa conservarentur, ante omnia in re tam ardua more majorum ipsius Synodi fratres suos episcopos et prælatos, qui ex omnibus fere nationibus hic sunt, consulendos esse decrevisse, quamobrem de salute dictæ nationis Sanctitatem Vestram sollicitam, et ne mora ad respondendum ipsi Cæsari interponeretur, velle ut hæc omnia ejusdem sacrosanctæ Synodi Patribus explicarem, et sancti Spiritus numine, quo illa regitur, invocato, universale bonum reipublicæ Christianæ et sanctæ fidei Catholicæ, ac dictæ nationis reunionem præ oculis habentes, omnes ea mature examinaremus, et perpenderemus, et quid ipsi Cæsari a Sanctitate Vestra super hoc responderi posse putaremus, ad eam scribere non differrem, quo Brevi per me qua debeo reverentia recepto, Sanctitatis Vestræ mandatis parere volens statim operam dedi, ut hujus sacrosanctæ Synodi Patres subsequenti die, hesterna videlicet, in loco et tempore consueto congregarentur, quibus quidem in Spiritu sancto congregatis ejusdem Spiritus sancti auxilio implorato, solitisque orationibus et precibus per me factis, Breve ipsum alta et intelligibili voce, ita ut nemo non ipsius Brevis tenorem commode intelligere posset, legi ac recitavi, subinde vero posteaquam Breve ipsum a me lectum et recitatum fuit (putans ad me præsidentiæ et legationis officio id maxime pertinere) Patres, quibus potui, pro ingenii mei tenuitate, verbis hortatus sum, ut omnia bene ac diligenter considerarent, denique reipublicæ Christianæ salutem, honorem Concilii, ac pium desiderium Sanctitatis Vestræ reuniendi illam inclytam Germanicam nationem, atque ipsi Cæ-

[1] Acta Conc. Bonon. p. 39. Ms. Franc. card. Barber. sig. num. 1802. p. 21.

sari, quantum fieri possit, gratificandi præ oculis habentes, libere, et prout Spiritus idem sanctus suggereret eis, dicerent sententias suas, sicuti prudenter, graviter et copiose dixerunt, quarum quidem sententiarum summa hæc est : In primis sancta ipsa Synodus Beatitudinis Vestræ pietatem cum pastorali sollicitudine conjunctam, Jesu Christi Redemptoris nostri vicario summoque in Ecclesia Dei pastore dignam agnoscens, et Sanctitati Vestræ maximas, quas potest, gratias agens, eamque venerans, ejusque sanctissimos pedes deosculans, itemque invictissimi et augustissimi imperatoris erga sanctam Catholicam fidem et religionem nostram studium zelumque commendans, ac pro ipsius et sacri imperii prosperitate Deum Optimum Maximum rogans, cum a Sanctitate Vestra, tum a sua majestate humiliter petit, ut quæcumque ipsa sancta Synodus in hac re, de qua consuluerit, responderit, boni consulere, et pro Dei gloria, et Christianæ Reipublicæ salute et pace dicta esse censere velint : nam etsi multis Patribus, qui jam tribus fere annis assiduos labores, graves expensas, plurima et varia incommoda sustinuerunt, durum admodum atque intolerabile videtur de reditu ad Tridentinam urbem hoc tempore agere, quo de exitu Concilii cogitandum et sperandum erat, præsertim cum ex magna parte ea, propter quæ indictum, congregatum et apertum fuit, ita discussa et digesta esse videantur, ut nihil aliud jure desiderari possit, quam ut publica sessione per sanctam Synodum statuantur et promulgentur, tamen nemo est, qui ut Sanctitatis Vestræ, et suæ majestatis zelo, et piæ erga nobilissimam illam nationem Germanicam voluntati respondeat, Tridentum redire, novaque et graviora incommoda ac dispendia sustinere recuset, si modo dum uni Germaniæ prospicitur, non ipsa universalis Ecclesia, et nunc, et in posterum hac nostra forsan intempestiva e Bononia ad Tridentum transmigratione manifestis perturbationibus exponatur, cum enim constet aliquos prælatos Concilio e civitate Tridenti ad hanc civitatem Bononiæ legitime translato ibidem post generalem monitionem in publica sessione ipsa translationis die omnibus prælatis factam, post amicabiles nostras Epistolas eorum unicuique hinc ad Tridentinam civitatem per nuntium specialem a me et a reverendissimo collega meo missas et præsentatas, jam per tot menses ad hunc usque diem remansisse, et adhuc remanere non sine magno vilipendio Concilii, ac fortasse aliquorum scandalo, qui remansionem illam divisionem arbitrantur, ac propterea minoris auctoritatis Concilium esse putant, non videt sacrosancta Synodus, qua via quave ratione, salva dignitate, majestate, honore et existimatione ipsius Synodi, ac sine pernicioso pestiferoque in omne ævum exemplo de reditu ad civitatem Tridenti deliberari possit, nisi prius prælati ipsi Bononiam veniant, et cum reliquis Patribus se conjungant, atque ipsius sanctæ Synodi auctoritatem et potestatem agnoscant et amplectantur, quod Synodus ipsa ad tollenda scandala in populis suscitata, ac pro Ecclesiæ pace atque unitate maxime cupit, et parvo negotio, ac solo ipsius Cæsaris nutu fieri posse confidit, et de hoc majestatem suam enixe precatur. Non etiam videt ipsa sancta Synodus quomodo de hac deliberatione tractari possit, nisi prius certa reddatur quod ita se natio Germanica Concilio Tridenti celebrando submittat, ut fidem concernentia decreta, quæ ibidem promulgata etiam ab omnibus Christianis regnis, gymnasiis, atque insignibus theologorum universitatibus, et ab omni Catholica Ecclesia summo assensu, et gaudio, et plausu recepta sunt, rata, firma, stabilia et perpetua futura sint, nec ulterius in controversiam aliquam quovis prætextu, colore, occasione vel causa deducantur, cum juxta sacros canones, sanctorum Patrum exempla et statuta, et imperiales constitutiones exploratissimi juris sit, quæ contra unamquamque hæresim coacta semel Synodus pro fidei communione et unitate Catholica atque Apostolica promulgasset, non esse novis postea retractationibus mutilanda, et injuriam fieri reverendissimæ Synodo si quis semel judicata revolvere et publice disputare contenderit.

« Præterea cum rumor increbuerit prætextu cujusdam vulgaris seu popularis Concilii, ex omni hominum genere colligendi (quod Christianum Concilium appellant) mutandam esse formam generalium Conciliorum, quæ per Apostolos et ab Apostolorum tempore per sanctam Romanam et universalem Ecclesiam celebrata fuere, posthabito laudabili more sive modo procedendi, atque in nostris conciliaribus definitionibus a nobis hucusque retento, cupit sancta Synodus de ipsa re certa reddi, ac sibi opportune caveri, antequam de reditu ad ipsam Tridenti urbem deliberetur.

« Scire etiam cupit quænam cautio dabitur Patribus Tridentum ituris, pro suis personis, rebus et bonis, ita ut tam singuli, quam universi plena securitate ac libertate fruantur et gaudeant, et unicuique pro suo libito eundi, standi, ac recedendi libera potestas futura sit, atque a nemine via facti compelli possit.

« Scire etiam cupit, et certa reddi, quæ cautio ipsi Concilio dabitur, ut quandocumque videbuntur majori parti legitimæ et rationabiles causæ adesse, se ex Tridento ad locum ab ipsa majori parte eligendum transferendi, itemque causis (ob quas Concilium indictum fuit) satisfactum esse, liberum sit ipsi majori parti (cujusvis contradictione, oppositione seu reclamatione non obstante) Concilium transferre, vel etiam claudere et finire.

« Alia vero, quæ ad Sanctitatis vestræ et suæ Apostolicæ Sedis auctoritatem tuendam, et ad removendam quocumque tempore schismatis occasionem, conservandamque Christianissimi regis et aliorum principum erga sanctum Concilium gratiam, assensum, et favorem pertinet, vestræ beatitudinis prudentissimo judicio relinquenda censuit, hoc tamen adjiciens, quod ubi ipsa sancta Synodus (tempore ei bene viso) harum difficultatum dilucidationem, seu declarationem ac resolutionem expectaverit, liberum sibi esse vult ad expeditionem materiarum discussarum et examinatarum, canonumque ac decretorum promulgationem Spiritu sancto inspirante, et Concilium ipsum dirigente, ac protegente procedere.

« Hæc sunt, beatissime pater, quæ in hesterna Congregatione pro Dei gloria, sacri Concilii honore, libertate, securitate, bonoque exemplo, reunione potentissimæ nationis Germanicæ juxta pium Sanctitatis Vestræ et serenissimi imperatoris desiderium, pro communique totius Christianæ reipublicæ salute Patribus consideranda occurrerunt, quæque majestati suæ per Sanctitatem Vestram congruenter, et rationabiliter, et opportune responderi posse Patres ipsi putaverunt.

95. « Quibus auditis, eos hortatus sum et monui, quo res gravius et maturius deliberaretur, hodie mane litteras ex eorum communi sententia Sanctitati Vestræ mittendas audituri, et tam super ipsis litteris, quam super re ipsa hesterna die examinata iterum sententias dicturi ad Congregationem generalem convenirent. Itaque hac ipsa die congregatis omnibus Patribus, ac celebrata prius per unum ex sacerdotibus nostris Missa de Spiritu sancto, recitatisque a me de more precibus et orationibus consuetis, has præsentes litteras alta et intelligibili voce ego ipse, et an ipsæ litteræ placerent, et si quid addendum, vel minuendum, seu immutandum esse existimarent, ut sententias suas libere dicerent rogavi, semel etiam atque iterum commonens, ut conscientiis suis omnes et singuli prout Spiritus sanctus illis subministraret, plene et libere satisfacerent. His peractis, unoquoque suo ordine sententiam suam dicente omnes (quatuor dumtaxat exceptis, duobus scilicet expresse contradicentibus, aliis vero duobus sub certis conditionibus approbantibus) has ipsas litteras, et omnia quæ in eis continentur, comprobarunt et laudarunt, et Sanctitati Vestræ mittendas unanimi consensu decreverunt. Dominus Deus benedictus Sanctitatem Vestram diu Ecclesiæ suæ servet incolumem. Dat. in generali Congregatione Bononiæ die XX Decembris MDXLVII ».

« Ejusdem Vestræ Sanctitatis humillima creatura Joannes Maria cardinalis de Monte sacri Concilii præsidens et legatus.

« Ego Angelus Massarellus secretarius Concilii omnibus et singulis interfui et præsens fui.

« Ego Claudius della Casa sacri Concilii notarius, dum præmissæ litteræ legerentur interfui, et in notam sumpsi una cum meo collega rogatus.

« Ego Nicolaus Driel sacri Concilii notarius, dum præmissæ litteræ, ut præfertur, legerentur, et sententiæ exquirerentur et dicerentur interfui, et in notam sumpsi una cum meo collega prædicto rogatus ».

96. Allato ad Pontificem Concilii Bononiensis responso, vocatus est XXIV Decembris sanctior cardinalium senatus, in quo re maturius « perpensa ac discussa », inquit Angelus Massarellus, « Synodi responsionem et omnia in ea petita, et justa et legitima Pontifex et sacer senatus probavit ac judicavit ».

Habito dein XXVII Decembris [1] publico senatu, ad quem Didacus Mendoza orator Cæsareus, et alii regum et principum oratores accessere, Pontifex responsum conceptum contextumque responso Concilii Bononiensis Cæsari dedit, ut subjecta documenta testantur, ore præsulis, qui a secretis Pontificiis erat :

« Responsio Summi Pontificis data oratori Cæsareo super petitione imperatoris de reductione Concilii Tridentum etc.

« Cum in ultimo consistorio secreto, illustrissime domine orator, Sanctissimo Domino nostro nomine Cæsareæ majestatis supplicasses, ut Sua Sanctitas universale Concilium pro salute Germanicæ nationis Tridentum remittere dignaretur, Sanctitas Sua (sicut excellentia tua recordari potest) etsi fuisset parata statim ad proposita per te (quantum in ea erat) respondere, tamen quoniam ea ipsa non coram sanctitate Sua solum, verum etiam universis his dominis reverendissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus exponere voluerat, merito eosdem reverendissimos dominos pro rei etiam gravitate consulendos duxit, et excellentiam tuam monuit ad redeundum in primo consistorio pro responso Suæ Sanctitatis accipiendo, qua in re ne longior mora interponeretur, negotium cum eisdem reverendissimis dominis cardinalibus eo ipso in consistorio discussit, ac de eorum consilio et assensu reverendos episcopos et prælatos, qui Bononiæ in Concilio sunt, ante omnia consuli debere decrevit, quod sane statim Sua Sanctitas fecit celeri etiam Tabellario dedita opera ad eos cum litteris missis hujus tenoris :

« Paulus papa III, etc. » Subjectæ sunt litteræ ad cardinalem e Monte exaratæ, quæ ab his verbis ducunt exordium : *Missus ad nos a serenissimo Cæsare*, etc. In fine autem ipsius Brevis sequuntur hæc verba videlicet :

[1] Ms. card. Barb. sig. num. 123. p. 43. Ext. etiam in Ms. card. Pii sig. 260. p. 21.

« Ipsa autem sacrosancta Synodus auxilio Spiritus sancti implorato, solitisque orationibus ac precibus per reverendissimum dominum cardinalem de Monte præsidentem et legatum Concilii antea lectis, ac litteris Sanctitatis suæ prædictis alta et intelligibili voce, ita ut nemo ipsarum litterarum tenorem commode intelligere non posset, recitatis, ac re in duabus desuper Congregationibus factis discussa, in primis quidem humiliter a Sanctitate sua et dicta majestate petit, ut quæcumque ipsa Synodus de hac re, de qua consulitur, responderit, boni consulere, ac pro Dei gloria, et pace dicta esse conferre velle, deindeque responderit, quod cum constet aliquos prælatos Concilio e civitate Tridentina ad civitatem Bononiæ legitime translato ibidem post generalem monitionem », et cætera quæ sequuntur supra in litteris reverendissimi et illustrissimi cardinalis de Monte ad ipsum Summum Pontificem, usque ad caput quod incipit: « Alia vero, quæ ad Sanctitatis Vestræ, etc. » exclusive.

Deinde sequuntur in eadem responsione Pontificis hæc verba [1], videlicet :

97. « Ex quibus quidem excellentia tua cognoscere clare potest, non posse ipsam Synodum de reditu ad ipsam civitatem Tridentinam deliberare, antequam præmissa omnia dilucidentur et declarentur, ac plana fiant, quæ tanquam rationabilia et sanctorum Patrum cæterorum decretis conformia et ad bonum publicum et quietem Reipublicæ Christianæ tendentia, et suæ Sanctitati et eisdem reverendissimis dominis cardinalibus ab iis, qui se Concilio submiserunt, sicut tua excellentia asseruit, juxta desiderium dictæ sanctæ Synodi ante omnia reipsa adimpleri, ipsamque deliberationem præcedere debere videntur.

« Quantum autem ad Sanctitatem suam pertinet, respondet se omnibus studiis ac votis cupere salutem, pacem et quietem ipsius nationis Germanicæ, sicut jam multis et claris argumentis ostendit, et ipsi in primis Cæsareæ majestati cognitum est : ac paratam esse et semper fore omnia curare et facere, quæ pro ejusdem nationis salute ad boni pastoris et amantissimi parentis officium quomodolibet pertinebunt, certo sibi persuadens rem ipsam a sapientissimis et optimis Cæsare et rege Romanorum, nobilissimaque illa provincia eatenus peti, quatenus sine scandalo et perturbatione, imo cum pace et concordia cæterarum nationum et provinciarum, servata etiam auctoritate Concilii et libertate Ecclesiastica, fieri possit, ad quæ omnia sua Sanctitas pro universali ejus cura et officio invigilare universaliter debet.

« Datum Romæ in sacro Consistorio præsentibus omnibus oratoribus regum, principum et rerum publicarum, qui eo tempore manent in Urbe. Die XXII Decembris MDXLVII ».

Ingratum adeo accidit Mendozæ Cæsareo oratori Patrum Bononiensium Pontificisque responsum, ut in eodem senatu de translatione Concilii non legibus, sed vitio, sine justa causa facta Cæsareo nomine protestationem interpositurus fuerit, nisi cardinalium ordo intercessisset, ut rem differret, donec id responsum Cæsari renuntiatum esset. Anno sequenti videbimus quid actum fuerit a Cæsareo oratore circa protestationem, modo tempus est agendi de bello contra Lutheranos feliciter auxiliante Deo confecto.

98. *Cæsaris Ferdinandi fratris victoriæ contra Lutheranos : gratiarum actiones et gratulationes exinde prolatæ.* — « Igitur prima Januarii », inquit Angelus Massarellus [1] in Diario Concilii Tridentini, « nuntiatum, quod Ulmensis civitas Germaniæ fecerit deditionem Cæsari, quæ civitas præcipua est ex Lutheranis civitatibus, ideo magni momenti res existimatur, quare intimatur Missa solemnis pro crastina die, ut Deo gratiæ reddantur ».

Tertio nonas Januarii [2] Uldericus Wittembergensis dux extremo superiore anno reconciliationem pactus ad Cæsarem accessit, veniam defectionis petiturus, qua donatus, fœdus cum Saxone et Landgravio damnavit, decretisque Cæsareis de republica latis ferendisque pariturum se pollicitus est ; nonnullis arcibus suis oppigneratis. Post Wittembergensem plures urbes, Memminga, Ravensburgum, Campodonum, Isnenses, Argentoratenses legatis missis ad Cæsaris obsequium procubuere, quibus felicibus successibus auditis, Pontifex [3] grates Deo solemni ritu persolvit, supplicationesque Romæ decrevit, subjectisque litteris victori Cæsari est gratulatus :

« Imperatori.

« Charissime, etc. Venerabilis fratris Hieronymi archiepiscopi Rossanensis apud majestatem tuam nuntii nostri litteris et multorum sermone cognovimus, eos jam esse exitus rerum Germanicarum, effectumque hujus justissimæ sanctissimæque expeditionis, ut omnia tuo imperio et voluntati prona jam admodum et parata sint, et ut impii homines, qui neque contenti violasse cultum et veritatem Catholicæ fidei et religionis, etiam contra tuam auctoritatem imperatoriamque jurisdictionem arma sumpserant, ducesque sese multorum sive errori sive furori in hoc crimine præbuerunt, nunc tua virtute consiliisque domiti atque victi, aut confugiant ad deditiones atque preces, aut salutis suæ præsidium in fuga et exilio ponere cogan-

[1] Ext. inter Acta Conc. Bonon. p. 44.

[1] Ms. arch. Vat. p. 193. — [2] Franc. Belc. l. XXIV. n. 31. Surius in Comm. hoc anno Natal. comes l. II. — [3] Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 16.

tur; quo nos nuntio, omnibus prosperis eventibus majestatis tuæ, incredibile pæne est quanta lætitia affecti fuerimus, ac jure istud quidem, etenim videtur hæc quoque victoriæ et felicitatis gratulatio ad nos aliqua ex parte pertinere qui nostra tecum socia arma conjunximus ad retundendos utriusque nostrum hostes, quantumque potuimus copiis atque auxiliis, et causam sanctæ religionis tutandam suscepimus, et in tua auctoritate non vindicanda solum, verum etiam augenda et amplificanda non destitimus jam sæpius omnem curam et omne studium adhibere, sed nos nihil proprium nobis nec separatum quærentes, hoc uno potissimum lætamur, quod cernimus charissimum filium nostrum, suæ eximiæ virtutis, suæ patientiæ, sui fortissimi animi eos fructus capientem, qui maximi in hac vita et uberrimi semper existimati sunt; laus enim, et celebritas, et prædicatio rerum fortiter sapienterque gestarum summum semper virtutum præmium esse consueverunt, quod quidem præmium tum maxime est optabile, cum est cum honore Dei Omnipotentis, et cum laude pietatis erga ipsum Deum conjunctum, quæ tibi quidem omnia feliciter affuerunt, nam et justitia et religio armis tuis et virtute defensa est: et in difficillimis rebus asperrimisque periculis tantam constantiam fortitudinemque præstitisti, ut nihil majus ne cogitari quidem possit, et tam admirabili erga te Dei benignitate et gratia es usus, ut cum maximis periculis te involutum timebamus, tum maxime ab omnibus periculis te liberum intuemur, in quo nemo est, qui non intelligat præsentem Dei opem, cœlesteque præsidium tuis justissimis armis sanctissimisque non defuisse, itaque nos initio rerum bene succedentium tuarum, cum speraremus Dei clementiam piis consiliis sua ope subvenire, divina re superioribus diebus celebrata, supplicationibusque per totam Urbem indictis, et gratias ei egimus tuo nomine, quod a nobis optatam atque expectatam benignitatem erga te suam ostendere jam cœpisset, et de reliquo precati sumus, ut in favendo et secundando actiones tuas plenum suum beneficium ad nos vellet pervenire, cujus jam voti et desiderii compotes facti, post gratias Deo actas, tibi, charissime fili, pro nostra summa erga te benevolentia, et in cunctum Christianum nomen pietate plurimum in eodem Deo Dominoque gratulamur, et pariter optamus, ut sancta et Catholica religio multis locis rebusque labefactata, tua diligentia, ope auctoritateque in integrum reponatur, verusque Dei cultus in ipsa Germania, unitasque Christianæ fidei, quemadmodum te facturum recepisti, restituatur, quod erit tuorum factorum clarorum atque magnorum tanquam apex quidam absolutaque perfectio: nos autem jam confecto pæne bello, rebusque tuis optime, ut cernimus, constitutis, eam manum militum, quam auxilio tibi miseramus ad paucos jam redactam revocare ex Germania instituimus eo animo, ut cum alia sese occasio obtulerit, et simile aliquod bellum adversus Christianæ religionis hostes susceperis, tibi, ut hactenus fecimus, nunquam pro nostris et Apostolicæ Sedis viribus simus defuturi. Dat. Romæ XXII Januarii MDXLVII, anno XIII ».

99. XXVIII Januarii [1] Augusta Vindelicorum ad Cæsaris obsequium reversa est, ut refert Diarii Tridentini auctor his verbis:

« I Februarii nuntiatum est Tridenti qualiter die XXVIII mensis præteriti Januarii civitas Augustana dedisset se in gratiam et discretionem Cæsaris, et quod eam Cæsar in suum arbitrium recepit. Civitas hæc est una de illis, quæ plurimum infensa fuit imperatori, dum hactenus bellum inter ipsum Cæsarem et lantdgravium gestum est, et una magis hæretica et Lutherana ex omnibus civitatibus Germaniæ. Deo igitur gratias agamus (1) ».

100. Licet vero latius victoriam proferret Cæsar, ac perduelles plures urbes parere sibi cogeret, nondum tamen confectum erat bellum: nam Fridericus Saxoniæ dux copias ad suam ditionem adversus Ferdinandum regem principemque Mauritium recuperandam converterat, ususque felicitate, non hostes modo dispulit, atque amissa in Thuringia et Misnia recuperavit, verum etiam subegit ditionem Mauritii principis, exceptis Dresda, et Lipsia, cujus obsidionem decima octava Januarii solvit, tum ad deturbandum Bohemia Ferdinandum artes viresque instruxit, plures enim Bohemos ad suas partes pellexit, Joachimicam vallem, æris, argenti aurique feracem Ferdinando eripuit, adeoque in Ferdinandum serpsit rebellio, ut Casurgii partium Saxonicarum studiosi comitia iniverint. Scribit etiam Angelus Massarellus XIII Aprilis [2] Bononienses legatos excepisse litteras: « Quod Bohemi rebellassent regi Ferdinando, peterentque in regem Maximilianum ipsius filium ». Addiderat iis animos Alberti marchionis clades, qui cum Rocanizzi, quod deditione ceperat, cum copiis ageret, blanditiis Biudæ fæminæ principis Philippi landgravii sororis delinitus illususque rem bellicam ignave tractavit, dum illa

[1] Diar. Conc. Trid. p. 202. — [2] Diar. Conc. Trid. et Bon. Ms. arch. Vat.

(1) Augustana urbs in Cæsaris gratiam ita rediit hoc anno ut simul et Catholica sacra jamdiu intermissa receperit. Qui enim Augustanos Annales per hæc tempora scribebat, Achilles Gassarus ait hoc ipso anno Ottonum episcopum qui S. R. E. cardinalis titulo S. Balbinæ renuntiatus fuerat in urbem illam suam venisse, et exeunte Julio polluta templa expiasse, solemne S. Afræ festum die VII Augusti celebrasse, ac denique canonicos antehac expulsos postliminio revocasse, eosque festa S. Hilariæ die vespertinas preces in expiato majori templo cecinisse. MANSI.

Fredericum Saxonem de omnibus fecit certiorem; quo irruente cum exercitu generoso, et militari magis quam prudenti consilio usus, copias in planitiem vicinam urbi eduxit, commissoque prælio fusus captusque est cum Christophoro Lichtembergensi; prona inde omnia ad victorem fuere, ac Praga a Ferdinando descivit, adeo ut seditiosi filias Ferdinandi in arce obsederint, quibus adversis fractus Ferdinandus citam fratris Cæsaris opem imploravit, qui mox Norimbergam venit, secundaque civium gratulatione exceptus, aliquot diebus ad infirmam valetudinem confirmandam hæsit, demumque ad Ægram Bohemiæ oppidum, Ferdinandi regis et Mauritii principis copias suis conjungit, florentissimo atque succinctus exercitu Fridericum ducem Saxoniæ viribus imparem persequi constituit. Posuerat ad Milburgum in ulteriore Albis ripa castra Fridericus Saxo, cumque latior fluminis alveus jungi constrato naviculis ponte non posset ad intercipiendas hostium naves, decem Hispani admirandum facinus sunt aggressi, nam exuti vestibus gladios ore tenentes mordicus in scaphas evasere, ac ut erant nudi triginta tres Saxones armatos confodere, navesque adduxere, et vado a pastore præeunte ostenso, Cæsar cum equitatu in adversam ripam non sine singulari divina providentia trajecit, nam non multo post tempore vado trajici non potuit, dum vero tardius traduceretur peditatus, ne hostis fuga avolaret, Cæsar cum solo equitatu in eum irruere decrevit victoriam in celeritate positam ratus, antequam aut Wittembergam, aut Gotham se subducere posset. « In ipso autem itinere », inquit Surius, « dum hostes insequitur, in statuam Christi e Cruce pendentis, cujus pectus tormenti globulo trajectum erat, id ille pius princeps conspicatus, magno animi dolore correptus suspicit in Cœlum, etc. : O Deus ! (inquit) modo velis, facile potes tantum scelus ulcisci : sicque cœptum prosequitur iter ». Facta in hostes impressione, eam Lutherani non sustinuere, eorumque equites in fugam effusi peditatum cædi ac prædæ objecerunt, maxima eorum pars in sylvam Lochanam se proripiens arma projecit, ut pondus inutile fugienti, adeo ut eorum multitudo cursum victoris in nemore retardaret; major in insectando, cædendo capiendoque hoste, quam in pugnando fuit labor, ac Fridericus ille Saxo, quem hæresis ita inflarat fastu, ut affectaret imperium, et Cæsarem per ludibrium Carolum a Gandavo, qui se falso Cæsarem dicebat, appellaret in litteris publicis, captus est cum in vultu sauciatus esset, adductusque ad Cæsarem superbos spiritus fregit, nudatoque capite veniam precari coactus, Cæsaris clementiæ se commendavit. Cui Cæsar, illum pro meritis habitum iri, respondit; captus una cum eo est Ernestus dux Brunsvicensis, capta est universa suppellex bellica, multa signa legionaria et equestria capta victoriam nobilitarunt, quinquaginta tantum equites in prælio Cæsar amisit, atque ob facilitatem celeritatemque partæ victoriæ, cujus gloriam Numini acceptam referebat, Julii Cæsaris in Pontico triumpho decantata verba, sed ob veram pietatem paulo immutata usurpavit : *Veni, vidi, Deus vicit.* Fuit autem is dies vigesimus quartus Aprilis, a cujus hora undecima ad septimam noctis pugnatum est quindecim milliarium intervallo, quod Saxones ab Albi fluvio in suo recessu pugnando confecere : postero die intercepta sunt sex hostium tormenta bellica, atque ex itinere Torga in deditionem accepta : ad Wittembergam denique Lutheranæ hæreseos sentinam ac rebellionis fornacem belli moles incubuit, adductis ad eam universis copiis : hanc Saxo viginti quinque annorum flexu firmissimis propugnaculis ita communierat, ut diuturnam obsidionem toleratura videretur. Jussus Fridericus Saxo, intentato capitali supplicio, ut eam ad deditionem adigeret, respondit libertatem animi non ademptam sibi, licet corporis libertatem amisisset, relictum id Cæsaris potestati, ut eam vi expugnaret.

101. Accepto superioris victoriæ nuntio maximam lætitiam hausit Pontifex, cum religionis causa ad conficiendum id bellum ipse copias subministrasset, ac solemnibus supplicationibus decretis solemnes grates Deo egit, Cæsari vero de Lutheranæ sectæ signifero Saxone capto gratulatus eum hortatus est, ut ad religionem Catholicam pristino in Germania splendori restituendam incumberet, ut scriptæ in eam sententiam subjectæ litteræ ostendunt [1] :

« Imperatori.

« Charissime etc. Cum audivimus nuntium de tuæ majestatis rebus contra Catholicæ fidei impium hostem ducem Saxonum gestis, ea quæ nobis erant optatissima referentem, summam quidem et singularem lætitiam cepimus, quod talis victoria non solum tuo nomine ampla, et Christianæ Reipublicæ utilis, sanctæque Apostolicæ Sedi, in qua divina providentia præsidemus, in primis opportuna et commoda accidisset, sed auxit etiam gaudium et jucunditatem animi nostri, quod per eum esset parta, in quo nos uno principe et fortissimo omnium et maximo spes tranquillitatis publicæ jamdiu reposuimus. Gratulamur itaque tibi, fili charissime, de tam insigni parta victoria, nobisque gaudemus, ea enim est, quæ non solum refringit impietatis germina, sed et radices totas penitus extirpat, caput enim sceleris, origo omnis improbitatis iste Saxoniæ dux fuit, cujus tu pertinaciam constantia tua, impietatem iniquitatemque admirabili quadam virtute patientiaque repressisti : itaque, quod in Pharaonem egit Deus, ut illum

[1] Lib. brev. XIII. p. 167. Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 168.

compluribus damnis pœnisque admonitum cum videret non posse corrigi, extremo tandem exitio manifestoque mactaret, id retulit in hunc Saxonem, qui ipso illo Pharaone deterior non alienam religionem suppliciis insectatus est, sed suam sanctam atque veram in seipso corrupit, adjunxitque ad rebellionem, quam adversus Deum susceperat, etiam illam, qua tibi suo justissimo dignissimoque imperatori arma impia inferre est conatus. Deus igitur illum justo severoque judicio suo in manus tuas traditum tuæ potestati subjectum esse voluit, ut qui superbia tumens omnia divina et humana jura spernebat, nunc se intelligat eis legibus subjectum, non quæ bonis præmia, sed quæ impiis et nefariis supplicia scelerum proponunt et minitantur. Quod nos opus vere Dei esse et fuisse agnoscimus, neque vero tu aliter (ut opinamur) intelligis. Quamobrem, charissime fili, cum signis jam certissimis videas atque intelligas, quam sit piis et sanctis expeditionibus favens et propitius Deus, perge, quæsumus, frui hac tanta ipsius erga te et benevolentia, et gratia, et ea, quæ tibi felicissime processerunt, ad illius honorem gloriamque converte ; primo, ut qui a Catholica fide recesserunt ad veritatis lucem revertantur, deinde, ut qui semper impii et Christi hostes perstiterunt, ut antea nos suis minis armisque terrebant, nunc timere ipsi vicissim tuam virtutem potentiamque cogantur, quarum certe rerum et multarum aliarum præterea summa tibi facultas ab eodem Deo data est, quam tu optime rectissimeque tuebere ac diriges, si pacem inter Christianos tutam inviolatamque conservans, studium ac vires tuas, et istam singularem animi magnitudinem qua es præditus, prudentiamque qua polles, ad propagandum Christianum nomen inter Barbaros, veteremque Christianæ reipublicæ dignitatem recuperandam conferes atque adhibebis, quod tibi ex nostra voluntate, et ex Christianæ reipublicæ utilitate quieteque feliciter eveniat, Deum eumdem Omnipotentem supplicationibus publice habitis et omni cum pietate deprecati sumus, et semper deprecabimur. Datum Romæ etc. XXX Mai MDXLVII, anno XIII ».

102. Nec modo Romæ, sed etiam Bononiæ a Patribus Concilii Bononiensis pro Cæsarea victoria redditas numini gratias narrat Actorum Concilii Bononiensis scriptor Angelus Massarellus :

« Recurrente XXII Maii a cardinale S. Crucis solemni ritu sacrum peractum est, gratiæque redditæ Deo, qui acerrimum hostem Catholicæ Ecclesiæ ducem Lutheranorum in Cæsaris potestatem redegerit ». Tum subdit auctor :

« XXVIII Maii receperunt litteras (nimirum legati) ex Germania a D. Verallo XV in exercitu Cæsareo datas, quibus significat, quod imperator dederit libertatem duci Joanni Friderico Saxoniæ, his adjectis conditionibus, quod maneat in curia Cæsarea vel principis Hispaniarum filii imperatoris ; quod det omnia loca munita sui ducatus in potestatem Cæsaris ; quod reddat quod abstulit de bonis Ecclesiarum et de aliis principibus ; quod promittat se recepturum quoad religionem, quod in Concilio generali determinatum fuerit ; quod cedat Electoratum imperii fratri suo Mauritio ; quod de suis redditibus tantum quinquaginta millia florenorum habebit, cætera regi Romanorum et fratri suo ; quod solvat ad præsens imperatori quingenta millia florenorum ».

103. His consentientia tradunt alii scriptores, pro Saxone accessisse demum concordiæ interpretes ac veniæ deprecatores Joachimum electorem Brandeburgicum et Clivensem principem, cujus soror Saxoni nupserat, et capitalem sententiam ob affectatam tyrannidem commutatam esse iis legibus, ut Wittemberga deditionem faceret, atque omnem bellicarum rerum apparatum et tormenta ænea minora et majora, quorum maxima erat multitudo, traderet, Gotha arx inexpugnabilis æquaretur solo, cederet electoris dignitatem cum omnibus oppidis ad electoris ditionem pertinentibus, illi vero ad tuendam vitam familiæque splendorem aliquæ arces, et agri, et oppida in Thuringia reservata, porro electoralis dignitas Saxonica in Mauritium principem tranfusa est.

Dum hæc ad Wittembergam gererentur, Ferdinandus rex tribus equitum peditumque sex millibus receptis, Bohemos tumultuantes, qui illius jugum excutere deficereque ad Saxonem meditati erant, Friderici adversis casibus fractos et consternatos compescuit, redegitque ad officium, maxime cum Cæsar eorum oratores, apud Halam venientes pacem cum Ferdinando fratre, cui nunquam esset defuturus, transigere jussisset, nisi extrama experiri vellent ; de qua victoria Pontifex Ferdinando subjectis litteris gratulatus, hortatusque est, ut constabilita religione Catholica, oppressaque hæresi sempiterna trophæa in cœlo sibi excitaret [1] :

104. « Regi Romanorum.

« Charissime etc. Cum accepimus serenitatem tuam Dei Omnipotentis auxilio, et virtute sua Bohemos subditos suos, qui perfidiosius se gerere, et tuo imperio obtrectare velle videbantur, rursus in ditionem et potestatem tuam redegisse : atque ea illis jam fræna imposuisse, quæ ab sese excutere, et a quibus se exsolvere nullo modo possent, sane affecti sumus non mediocri lætitia, quod duorum præstantissimorum fratrum ductu atque imperio duæ fortissimæ nationes maximo cum Christianæ reipublicæ commodo pacatæ et ad fidem atque officium revocatæ sunt, quarum alteram longe maximam et potentissimam summus imperator frater tuus, alteram tu graviter tumultuantem

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 167.

et perturbatam vestro consilio, virtute, vigilantia ferre jam fidelitatis et obedientiæ jugum, et jus superioris potestatis recognoscere docuistis, quo nos nihil arbitramur reipublicæ Christianæ hoc tempore potuisse evenire optabilius; nam cum illarum nationum atque gentium vi atque ferocitate inter sese dissidente, et domesticis seditionibus agitata, magnum ex ea re periculum reipublicæ ab hoste Turca imminebat, tum vero utraque pravorum hominum fraude et perniciosis consiliis a vero Dei cultu et fidei Catholicæ unitate magna ex parte distracta, alio etiam propiore periculo nos terrebat, quod videbamus et dolebamus fere quotidie ob ejus mali contagionem magnum numerum fidelium animarum Deo eripi et illius nostroque perpetuo adversario Sathanæ ab hominibus impiis acquiri, cui nunc tanto malo vestra et victoria et sapientia provisum fore speramus atque confidimus: itaque ut serenissimo Cæsari proximus his diebus per litteras et nuntios gratulati sumus, sic nunc tuæ serenitati, fili charissime, ex animo gratulamur, tibique istam rem et actionem tua virtute dignissimam bene ac prospere in perpetuum evenire cupimus, Deumque Omnipotentem, cujus causam una cum tua suscepisti atque egisti, ita effecturum non dubitamus, ut exitus hujus victoriæ tibi semper commodus atque jucundus, populis autem per te compressis atque pacatis etiam salutaris sit. Sed cum videas atque intelligas, et tua prudentia et ipso rerum successu eruditus, eos, qui se a Catholicæ Ecclesiæ obedientia sejungunt, ne regibus quidem ac principibus fidem servare posse, quod Deo summo regum omnium posthabito et neglecto, facilis deinde est mobilibus populis ab inferioribus regibus defectio, est jam tui Catholici animi Christianique consilii proprium ita dirigere et gubernare populos illos, ut primum et ante omnia ad rectum Dei cultum, et pristinam et Catholicam religionis Christianæ observantiam reducantur, quod quidem certe in potestate tua totum est, et ob hanc præcipue causam, ut non frustra credimus, eos Deus Optimus tuæ potestati penitus subjectos tradidit, ut cum tu in eorum corpora et fortunas potestatem haberes, illorum animas pretiosissimam generis Christiani partem ipsi eidem Deo illarum creatori et Redemptori restitueres, in quo actu præclaro atque eximio, et tuæ illustris victoriæ fructus sempiternus, et regni tui præcipuum, ut quoque intelligis, stabilimentum consistit. Nos quidem, charissime fili, omni nostra benevolentia paternaque charitate, et laudibus tuis favemus, et omnia tibi prospera ac felicia tum apud Deum, tum apud homines, et optamus et precamur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum XXIX Julii MDXLVI, an. XIII ».

105. Indicti fuere ad VI Julii [1] conventus a Ferdinando in arce Pragensi, in quibus magistratus ac nobiles supplices affuere, et in gratiam admissi, fœderatorum vero princeps Pflugius proscriptus est, illiusque caput quinque millibus aureorum licitatum. Edomandus supererat Cæsari Philippus lantgravius Hassiæ, in quem cum victricia signa attollerentur, is extremo perfusus terrore, cum antea varias concordiæ leges irrito exitu proposuisset, unicum conclamatis rebus suis in Cæsaris clementia relictum præsidium arbitratus, ad Cæsarem apud Halam Saxonicam centum equitibus stipatus venit, provolutusque in genua, quem antea Cæsarem negaverat, verbis honorificentissimis Cæsarem appellavit, fidemque sacramento solemni addixit, is vero a Cæsare capitali pœna, et proscriptione, et carceribus perpetuis absolutus est: eduxerat vero antea e carcere Henricum ducem Brunsvicensem, in quo diu illum tenuerat, qui illi spectaculo interfuit, cum ex omni ditione quatuor arces delectas dare jussus erat, diruere aliqua munitiora loca, centum quinquaginta aureorum millia refundere, ac tormenta omnia bellica rhedis subvehi solita (quæ plura quam ducenta erant) tradere, cum vero se libertate potiturum, atque omnis periculi immunitatem adeptum opinaretur, temporario carceri mancipatus est, quod ægre Joachimus Brandeburgicus et princeps Clivensis tulere, quasi fides data violata esset, sed scriptis suis revicti sunt, in quibus unius litterulæ Germanicam vocem immutantis vim non satis perpendisse animadverterunt, in hanc vero calamitatem Lutherani concionatores utrumque principem Saxonem et Hassium conjecerunt (1). Cæsar dirutis lantgravii munitioribus locis, tormenta bellica, quæ in hoc bello ceperat, ita distribuit, ut trecenta in Belgium, quinquaginta Mediolanum, totidemque Neapolim transmiserit. Audita florentissimæ hujus victoriæ mentione, Paulus Jovius ita historiam suam clausit: « Cæsar bellum quod inferebatur, conversis rebus, ita hostibus intulit, ut protracto bello per aliquot menses, fractoque Germanorum impetu, quum nusquam justo bello esset dimi-

[1] Surius in Comm.

(1) Historiola quam hic narrat annalista, satis promulgata est, ac nemo ullus est qui capti Landgravii causam aliam prætendat, quam litterulæ cujusdam vel casu vel dolo corruptionem. Cum enim scribendum fuerit in Instrumento confectæ pacis OHN EINIGE GEFANKNIES *sine aliquo carcere*, legebatur OHN EWIGE etc. *sine perpetuo* etc. At quonam auctore illa litterarum transmutatio obtrusa sit, non satis liquido constat. Sunt enim qui ab ipso Landtgravio scriptam singrapham rati, oscitantem unum pro altero scripsisse affirment. Opinionem hanc tacite insinuare annalista visus est; at Spondanus merito hæc rejicienda censet, totiusque doli auctorem, non Landtgravii oscitantiam, sed Cæsaris dolum constituit. Nec sane unquam Landtgravio objectum fuit immerito illum de Cæsare conqueri, cum ipse sibi condemnationem suam scripserit. MANSI.

micatum, Germania omnis intra Danubium et Albim et Rhenum incredibili felicitate gloriaque subacta sit, utroque etiam duce, eo rerum exitu, ut ipsis vinctis atque productis, nobilissimum de subacta Germania triumphum, quem Romanis olim ducibus denegatum constat, instruere potuerit». Ornatum fuisse Carolum V a Pontifice MAXIMI et FORTISSIMI cognomine refert Surius, nec immerito, cum Saxoniam omnem tribus mensibus sibi parere coegerit, quam Carolus Magnus ægre triginta annis domuerat. Cum vero Cæsaris beneficio Henricum Brunsvicensem e lantgravii carcere liberatum accepisset Pontifex, illi gratulatorias hasce litteras de superata adversa calamitate dedit [1] :

« Dilecto filio nobili viro Henrico juniori duci Brunsvicensi et Luneburgensi.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem. Ad nostram de communi nostra victoria contra Lutheranos Ecclesiæ et fidei hostes lætitiam non parvus cumulus accessit tua, fili dilecte, liberatio, per quam te nobilissimum et religiosissimum principem nobis et eidem Catholicæ fidei restitutum gaudemus, sicut antea indigno casu et nefaria tuorum proditione interceptum ab hostibus fuisse dolebamus. Itaque de tua hac libertate non solum tibi, quem semper amavimus, verum etiam nobis et huic sanctæ Sedi ac religioni ipsi Catholicæ ex magno animo gratulamur, quando ad nobilitatem, virtutem et auctoritatem tuam pientissimum hunc animum adjunxisti, ut te semper Catholicæ fidei et sacrosanctæ Ecclesiæ athletam et propugnatorem fore pollicearis, de quo nos, sicut nunquam dubitamus, ita nunc tuæ in Deum pietati, et in hanc sanctam Sedem observantiæ paterno semper affectu et singulari benevolentia respondisse. Datum Romæ apud S. Marcum XIII Augusti MDXLVII ».

106. *Lutherani victi Concilio se submittunt.* — Asseruit Henricus princeps in sua ditione religionem Catholicam, quam Lutherani depresserant, erexit pariter sese res Catholica in archiepiscopatu Coloniensi, deturbato impio Hermanno, in ejusque locum Adolpho suffecto, de cujus præclarissimis laboribus hæc refert Surius [2] : « Ubi ad eam pervenit dignitatem, mox religionem veterem in tota diœcesi restituit, commenta prorsus abolevit, et verum pastorem re ipsa se declaravit; id quidem mature accidit præclarissimæ diœcesi, quæ jam multis locis ita erat novis dogmatibus infecta, ut difficilis omnino curatio videretur, nisi Deus manum apposuisset suam ». Recuperavit tum Julius Pflugius Nurembergensem episcopatum, cui Nicolaus Amsdorffus deterrimus Lutheranus incubabat, Augustæ etiam et in aliis nonnullis locis, in quibus impiorum tyrannide religio oppressa erat, refloruit, ac certe ad pristinum splendorem illius revocandæ spes affulgebat, nisi gravissimæ inter Pontificem Cæsaremque suspiciones dissensionesque de loco Concilii, cui in Augustanis conventibus a Cæsare ad kal. Septembris indictis Lutherani se submisere, novæque de Pontificia Cæsareaque auctoritate ventilatæ lites emersissent, tantæque victoriæ fructum corrupissent.

Obortæ sunt hujus anni principio gravissimæ bellorum suspiciones inter Franciscum Gallorum regem [1] et Cæsarem in Italia, cum Gallis Cæsare Germanico bello implicito novandarum recuperandarumque rerum amissarum in Italia occasio eximia non deesset, maxime cum graviores tumultus Neapoli adversus Petrum Toletanum proregem, sacræ censuræ tribunalia more Hispano instituere meditantem, excitati essent, tum etiam Genuæ maximi civiles motus exorti erant, ad quæ avertenda mala, tum ad rem Catholicam erigendam duos cardinales legatos Sfondratum ad Cæsarem, et Sancti-Georgii ad Franciscum I XXV Februarii decretos refert Joannes Franciscus Firmanus.

107. *Genuæ Flisci conjuratio et Parmæ Aloysii Farnesii cædes; unde nova odia exorta inter Pontificem et Cæsarem.* — Erupit Genuæ mense Januario [2] atrocissima conjuratio, quæ si e meditato consilio successisset, Cæsareæ res in Italia in extremum discrimen erant adductæ, iniquissimo quidem tempore, quo Cæsar Lutherano bello implicitus erat, sed divina providentia periculum omne in conjurationis principem detorsit, adeo ut in ipso victoriæ articulo non hostili virtute, sed improviso casu infelicissime perierit. Is fuit Ludovicus Fliscus Lavaniæ comes, qui Auriensis familiæ felicitate perstrictus, ejusdemque fastu lacessitus, in illius internecionem, Verrina suasore, conspiravit, Genuæque principatum affectavit : non defuere illi artes, quibus Genuensem juventutem singulari comitate sibi devinciret, populique conciliaret voluntates, tum a Francisco Gallorum rege clandestino dolo subministratisque opibus incitari creditus est, ejusque clientelæ se commisisse, ut Andrea de Auria, qui olim et classem Gallicam, et Genuam, et spem obtinendæ Neapolis abstulisset, trucidato Galli regis injuriam vindicaret, classeque occupata una cum Massiliensi classe tumultuantem Neapolim adversus Petrum Toletanum proregem ad Gallorum vetus imperium revocaret. Hujus conjurationis societati accessisse existimatus Petrus Aloysius Farnesius, qui ad Parmæ et Placentiæ principatum evectus fuerat, ut infelicius periret; is

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 86. — [2] Sur. in Comm.

[1] Franc. Belc. l. XXIV. num. 45. Ib. num. 32. Jo. Franc. Firman. de Macer. Ms. Diar. Arch. Vat. — [2] Ubertus Folieta in Vita Andreæ Auriæ. Ludovic. Guicc. in Comm. Bizar. l. XXII. hist. Genuen. Natalis Comes l. III. Panvin. in Paulo III. Lud. Cavitell. in hist. Crem. Belcar. l. XXIV. num. 32. Panvin. in Paulo III.

vero acceptis a Joannitio de Auria injuriis irritatus fuerat, nam Joannitius quatuor triremes Pontificias proditione jam ante interceperat, et quamvis a Cæsareis administris increpitus eas restituisset, injuriæ tamen dolor alte fixus in animo hæserat, tum Cæsari infensus erat, quod Parmæ et Placentiæ munus a Pontifice collatum augusta auctoritate confirmare nunquam voluisset, adeoque ad Gallicas partes se converterat.

108. Itaque in Parmensi et Placentino agro contractæ fuere copiæ, quæ Ludovico Flisco submitterentur ad meditata contra Auriensem familiam consilia perducenda, propterea que Cæsarei in Pontificem velut Gallicarum partium studiosum, participemque hujus conjurationis gravissimas suspiciones concepere. Comparatis igitur copiis Ludovicus Fliscus, et factionis suæ viris in varias stationes noctu distributis ipse, ut erat avidus gloriæ, ad Cæsaream classem occupandam animum adjecit, ac succinctus armatis triremes quatuor occupavit, in prætoriam vero triremem cum assiliret, ac tabula idoneis retinaculis non esset devincta, ex triremis fluctuatione gliscente tabula non in sperati imperii solium conscendit, sed in profundum gurgitem mersus, atque ut erat armis onustus in ima revolutus periit, nec suorum ope inani ex insperatæ calamitatis abysso emergere potuit. Audito classicorum tumultu Joannes, sive Joannitius de Auria male instructus armis, e suburbano agro ad portam Thomasiam procurrit, quæ cum a conjuratis occupata esset, ab iis contrucidatur, quo tristi casu perculsus Andreas de Auria, antequam conjurati irruerent, a suis in equum subvectus fuga salutem sibi peperit, interea in civitate gravissima seditio nocte coorta est civibus in contraria studia distractis, sed cum conjurationis princeps non compareret, Cæsarei administri, qui fugam jam adornabant trepidi, collectis ex terrore animis viribusque aucti conjuratos in fugam compulere, partim militari pactione abjectis armis discedere coegerunt; verum cum ea pactio (licet sacramento confirmata) inique extorta disceptaretur, postea rescissa est, ac legum severitas in Hieronymum Fliscum et Verrinam securi percussos districta est, sociique proscripti fuere. Contrario rerum exitu audito Gallorum classis, quæ Neapolim petitura erat, Massiliæ se continuit, ac Neapolitani seditiosi siluerunt, et quia vehemens suspicio de Pontifice concepta erat, Ludovici Flisci scribæ acerbissime in equuleo torti sunt, ut rem arcanam panderent, sed nunquam quippiam ab iis de Pontificis societate aliqua exprimi potuit, odiorum itaque omnium fax Petro Aloysio Farnesio Parmensi principi adhæsit, qui cum Gallis fœdus junxisset, atque ad eum male perdendum Cæsareorum administrorum studia conversa sunt.

109. Accensa eo magis erant odia, quod Pontifex inclinasse in Gallorum partes videretur, nam cum Henrico rege affinitatem contraxerat, exeunte Junio, conciliato opera legati Capitisferrei inter Horatium Farnesium nepotem ex duce Castri et Dianam filiam regis notham matrimonio, Gallorumque, quos ad Bononiense Concilium pellexerat [1], viribus fretus non assentiebat Cæsareis postulatis ut Concilium transferretur Tridentum, Octaviumque nepotem ducem Pontificii in Germania exercitus adversus Lutheranos e castris Cæsareis revocarat, quem VII Septembris tribus diebus antequam pater trucidaretur recessisse narrat Angelus Massarellus.

Non defuit vero Cæsareæ factionis studiosis explendi in Petrum Aloysium Farnesium Parmæ et Placentiæ ducem [2] odii occasio, cum Petrus Aloysius Farnesius se in adulteria vagasque libidines effunderet, proindeque clientum suorum rabida in se odia accenderet, itaque conflata in eum cruenta conjuratio est, cujus princeps fuit Augustinus Landus, qui illum incautum in ipsa arce Placentina, quam tutissimam opinabatur, decimo Septembris multis vulneribus confodit.

Sic trucidatum, abscissis per ignominiam genitalibus, conjurati altero pede suspenderunt e fenestra, unde magis e foro urbis posset prospici, satiatisque eo spectaculo civibus dejecerunt præcipitem in fossam oppidi, in qua conculcatum est cadaver ab insana plebecula, et ultra mortem in eum sævitum. Conjurati vero libertatem nomenque Cæsareum conclamarunt, moxque Ferdinandus Gonzaga Insubriæ præfectus multo succintus milite Placentiam provolavit arcemque Cæsarianorum militum præsidio munivit, antequam Bononiæ prolegatus collectis copiis procurreret.

110. Paulus autem, audita morte Petri Aloysii, ad flectendum precibus Cæsarem se convertit, et his litteris rogavit, ut communibus nepotibus Placentiam redderet, et de Petri Aloysii cæde ultionem sumeret [3]:

« Imperatori.

« Charissime etc. Credimus majestatem tuam audivisse jam immanem et violentam cædem bonæ memoriæ Petri Aloysii Farnesii nostri Parmæ et Placentiæ ducis a nonnullis sceleratis ac impiis civibus Placentinis ejus subditis contra omnia etiam gentium jura, et contra jusjurandum per illos ei præstitum perpetratam, idque tibi pluribus de causis displicuisse non dubitamus. Nos sane maximo cum dolore rem intelleximus, at illud, fili charissime, dolorem nobis auxit, dilectum filium Ferrantem Gonzagam Mediolani pro tua maje-

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 137. — [2] Ubertus Folieta. Natalis comes l. III. hist. — [3] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 103.

state gubernatorem, Placentiam cum magno militum præsidio ingressum fuisse, tuæque majestatis nomine (sicut ipse jactitat) detinere audivimus, id enim nobis, qui tuam majestatem semper dileximus, et huic sanctæ Sedi, cujus peculiaris es advocatus, molestissimum accidit, ac duci Octavio genero tuo, cujus erga te observantiam et fidem, si nunquam antea, in proximo Germaniæ bello cognoscere potuisti, tuisque ex eo nepotibus, ad quos Placentia pertinet, damnum intulit, secutumque est, ut in tota fere Italia rumor percrebuerit, majestatem tuam contra nos et Sedem Apostolicam arma movisse. At agat ille quidquid velit, nos nunquam credere poterimus, majestatem tuam huic impio facinori consensisse, aut ab eo gesta approbare debere, scimus enim quanto semper studio procuraveris, ne famam tuam, tanto sudore, tot vigiliis, tot præclaris gestis a te partam aliquo indigno facinore maculares, neve Deum omnipotentem, cui victorias tuas omnes semper acceptas referre solitus es, offenderes. Licet autem nos tuam majestatem sine ulla nostra instantia his rebus intellectis pientissimi et justissimi animi sui signum super illis jam dedisse putemus, tamen ut nobis ipsis in hoc satisfaciamus, mittimus ad majestatem tuam venerabilem fratrem Fabium episcopum Lucerinum prælatum domesticum, et ad id specialem nuntium nostrum, ut omnia plenius majestati tuæ referat, hortamur proinde ipsam tuam majestatem, et omni quo possumus studio ab ea petimus, ut ipsum Fabium episcopum nuntium virum ob suas virtutes et fidem nobis gratum cum fide audire, et pro ea summa spe, quam nos et omnes nostri in te collocatam habemus, si id nondum ab ea factum est, providere velit, ut ipse Ferrantes Placentiam duci Octavio restituat, et quantum in eo fuerit, dicti Petri Aloysii ducis necem tuæ majestatis auctoritate pro justitia et dictæ Sedis honore ulciscatur. Sic enim nos et omnes nostros, qui hujus beneficii memores semper erimus, tibi arctius devincies, et ortum de motis a te armis in Italia rumorem extingues, efficiesque, ut animi tui religionem et pietatem omnes agnoscant. Datum Perusiæ XX Septemb. MDXLVII, anno XIII ».

111. Pontificis precibus imperator aures non præbuit, cum jam cives pactis conditionibus Cæsaris jugo cervicem accommodassent : ad removendam tamen a se omnem culpæ suspicionem, oratorem misit, qui Pontifici ejusque nepoti duci Octavio de Petri Aloysii cæde condoleret, significaretque maximum se ex illa cæde dolorem traxisse : Ferdinandus etiam Gonzaga datis litteris finxit se ejus cædis conscium non fuisse, sed audita cæde Placentiam ad sedandum tumultum advolasse, quam excusationem ab Atrebatensi episcopo Cæsari allatam confutavit cardinalis Sfondratus legatus Pontificis; docuitque constare jam ante patratam cædem ingentes armorum apparatus Laudæ, Ticini et Cremonæ instructos fuisse; ac deinde infirmis vehementissimisque precibus ursit, ut gratum animum erga Paulum Pontificem exhiberet, qui subsidiarias copias in Germaniam illi submisisset, suumque ærarium pro solvendis militi stipendiis exhausisset, qui nocendi occasiones oblatas repulisset, cuique beneficiario regni Neapolitani jure obstrictus esset; cui Cæsar respondit, se ducem Octavium ut filium quidem diligere, sed Pontificem non ita se erga Cæsarem gessisse, ut nepoti Octavio Placentiam restitui mereretur.

112. Perstrictus hoc acerbo responso cardinalis legatus non destitit exponere Cæsari publicæ rei Christianæ graviora pericula impendere, si Pontificem adeo offensum placare nollet, cui subjecit Cæsar publicam rem ex privata non pendere : Cæsari subintulit legatus, ex privata re publicam aliquando pendere, quando ita sunt connexæ, ut publicæ rei subveniri non possit nisi privatæ ratio habeatur. Ad quæ respondit Cæsar, a se religionis causam omnibus rebus præferri, omneque studium pro ea amplificanda collocari, ut in comitiis Augustanis, quæ tunc celebrabantur, religionis dignitas refloresceret; nec in ea causa quidquam decretum, nisi ex Pontificis ejusque legati consilio et consensu. De Placentina vero re nihil adhuc constituisse, sed postea debita consilii maturitate deliberaturum : cui subdidit legatus, nisi quantocius consuleret de ea re Cæsar, remedium opportune non allatum iri. Auditi postea sunt Mignanellus Pontificius internuntius et Sfortia Palavicinus orator Octavii ducis a Cæsare, qui de nece Petri Aloysii et occupata Placentia conquesti sunt, quibus interprete Granvellano responsum est, Cæsarem e Petri Aloysii cæde magnum dolorem hausisse : de re vero Placentina nondum quidquam posse decerni, licet enim erga Octavium ducem consanguinitatis jure admodum amore afficeretur, Cæsarei tamen esse muneris, et imperialem auctoritatem et quietem Italiæ asserere. Ita Cæsar simultatem cum Paulo Pontifice contraxit, ac Paulus Pontifex domestica calamitate impeditus, abalienatusque a Cæsare, causam religionis, quæ in restituenda Tridento Synodo cogendisque ad illius decreta excipienda Lutheranis vertebatur, remissiore animo promovit.

113. Interea cum Ferrantes Gonzaga duci Octavio bellum indixisset, et multa ejus oppida occupasset, tandem cum ipso convenit de armorum induciis, de quibus ita Diarium Concilii [1] : « Nona Octobris induciæ inter Parmensem et Ferdinandum Gonzagam gubernatorem

[1] Jo. Bapt. Adrian. l. VI. an. 1547.

Mediolani ad beneplacitum Pontificis et Cæsaris, redditis aliquibus locis munitis ab ipso duce domino Ferrando. Dux Octavius proficiscitur ad Pontificem, deinde ad imperatorem, pro conclusione rerum suarum ».

114. Cæterum imperator occupata Placentia non contentus, etiam ad Parmam ut jure spectantem ad ducatum Mediolanensem subjiciendam animum applicuerat : Pontifex vero, ut illum ab eo consilio dimoveret, Julium Ursinum amplissimis instructum mandatis ad Cæsarem misit. Plura hinc inde disceptata sunt, sed irrito successu, dum vixit Paulus, qui Parmam Ecclesiæ restituere, et Camerinum Octavio Farnesio tradere ad litem conciliandam meditatus est. Ea vero lis in longius tempus extracta est, de qua mentio suis locis recurret.

115. *Scotiæ ab hæreticis infestæ libertas restituta.* — In Scotia, ob mortem cardinalis Davidis legati ac Scotorum primatis, quam anno superiore ab hæreticis illi temere intentatam luximus, conjurati, Sancti-Andreæ arce occupata, Anglorum hæreticorum auxiliaribus armis freti, moderatoris Scotiæ impetus pertinacissime propulsabant : quod cum maximo religionis et Gallicæ rei incommodo vertendum esset, Pontifex Franciscum regem rogavit, ut classem Scotiæ opem laturam mitteret [1] :

« Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Recepimus litteras majestatis tuæ, per quas nobis significat, quod interfectores bonæ memoriæ Davidis tit. Sancti-Stephani in Cœlio-Monte presbyteri cardinalis, de Sancto-Andrea nuncupati, nostri et Apostolicæ Sedis in regno Scotiæ de latere legati, qui post dicti cardinalis cædem castrum civitatis Sancti-Andreæ hostiliter occuparunt, prout adhuc detinent castrum ipsum, quod dilectus filius nobilis vir ipsius regni gubernator, quamvis jamdiu magno labore obsessum, hactenus recuperare non potuit; cumque non ab re formidetur, quod nisi idem castrum ad manus ipsius gubernatoris quamprimum redigatur, Catholicæ fidei hostes, qui dicti regni Scotiæ occupationi semper inhiant, occupantium deditione dicto castro potiantur, et per illud velut ipsius regni januam regnum hujusmodi invadant, et huic imminenti periculo providere posse majestatem tuam asserunt, si dicti occupatores ab ipso crimine absolvantur; nos etsi flagitium illud longe atrocissimum et omni indulgentia indignum videatur, tamen minus malum eligentes, ne quod majus detrimentum regnum ipsum patiatur, quod te etiam novisse credimus, ipsam absolutionem certis judicibus commisimus, sicut in aliis nostris in forma Brevis litteris expressum est, et orator apud nos tuus ad majestatem tuam perscribet, in quo non solum illius regni salute, verum etiam tua auctoritate persuasi fuimus, sperantes nihilominus fore, ut justo Dei judicio, et tuæ etiam serenitatis, quæ Ecclesiæ semper affuit, futurum, ut tanti cardinalis, et tam probi et Catholici viri interfectores una cum dicto castro in potestatem nostrorum deveniant, et non solum absolutionem hujusmodi vi extorsisse non glorientur, verum tam nefandi sceleris pœnas subire cogantur. Dat. Romæ III Februarii MDXLVII, anno XIII ».

Non defuit Pontificiis precibus [1], et Gallicæ rei commodis Franciscus rex, classem enim egregie instructam cum validis copiis submisit, quæ junctæ Scotis arcem Sancti-Andreæ expugnarunt, repressoque Anglorum fastu, libertatem regno restituerunt, ac patrati facinoris in occiso cardinale reos in Gallias vinctos adduxere, ubi meritis suppliciis affecti sunt.

116. *Francisci Galliæ regis obitus et filii Henrici coronatio.* — At de Scoticis rebus inferius, nunc cœpta de Francisco rege, qui hoc anno appetente Paschate finem vitæ imposuit, narratio absolvenda est. Is diu lenta febri cruciatus, cum tædia venatu levare niteretur, malum auxit, accessit conceptus dolor ex ulcere inter anum et vesicam exorto, quo diu antea laborarat, itaque ad salutem animæ Sacramentis rite procurandam se convertit, ut refert Martinus Bellaius his verbis [2] :

« Tum vitæ finem imminere arbitratus, cœpit animam ad piam cogitationem advertere, atque ad mortem homine Christiano dignam se comparare : multis Delphinum, hodie regem, graviter sapienterque cohortari cœpit, populum Gallicum ejus fidei committens et mandans, his perfectis, animam Deo tradidit in arce Rambollietana pridie kal. Aprilis anno MDXLVI, ante Paschalia » : additum est in margine MDXLVII more Romano : subjicit auctor ejusdem elogium : « Hic princeps magnum sui tum civibus, tum exteris desiderium reliquit, quod omnibus virtutibus se præstantem præbuit, magni erat et generosi animi, bonas litteras maxime amavit et fovit ». Et infra : « Mortuus est anno ætatis quinquagesimo tertio, variam subinde fortunæ vicissitudinem, sæpius tamen adversam quam secundam expertus, neque tamen vel gravissima unquam calamitas animi ejus firmitudinem et constantiam fregit, sed immota spe ab uno Deo suspensas omnes suas rationes habuit, mentis et memoriæ integrum usum ad extremum usque spiritum servavit ». Celebratur a Joanne Eckio [3] summa pii ardoris in tuenda fide Catholica laude, quanquam Zuinglius, dedicatis illi totius perfidiæ suæ Commentariis, illum inficere pertentasset, et Martinus Bucerus librum in Psalmos Del-

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 36.

[1] Acta Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 137. Paul. Jov. l. XLV. Belleforest. — [2] Martinus Bellaius l. X. Franc. Belc. l. XXV. n. 1. — [3] Pag. 191. Jo. Eck. in Replica adversus Bucerum.

phino inscripsisset, perfidos enim homines ad injiciendam suspicionem, quasi faverent impietati, id dolo egisse ostendit, tum subdit : « At quantum faverit, (nempe Franciscus rex) testatur Berequin, nobilis alioquin vir et locuples cum innumeris aliis ob hæreseos crimen a rege Francorum combustis : testatur Calvini, Lamberti, Farelli sociorum tuorum et aliorum Gallorum fuga, qui flammas ignis debitas evaserunt ».

Audita Francisci regis morte, Pontifex mox rem divinam pro ejus anima solemni ritu peregit decima octava Aprilis die [1], tum illius successorem Henricum ad ferendum constanter conceptum ex paterna morte dolorem, sectandas regias virtutes, fidemque Catholicam defendendam hortatus est, illique Pontificia studia pollicitus est [2] » :

117. « Henrico regi Franciæ Christianissimo.

« Charissime, etc. Summum dolorem, quem ex obitu Christianissimi et præstantissimi regis tui genitoris non solum publica totius Christianitatis causa, verum etiam nostro privato affectu et benevolentia accipimus, consolatur et lenit, fili charissime, quod tu illi in ejus non solum regnum, sed etiam virtutes successisti, inter quas cum emineat tua singularis erga Ecclesiam et hanc sanctam Sedem devotio, ac fidei Catholicæ protectio, merito fit ut jacturam ac molestiam ex illius morte alioqui maximam, ob tuam successionem, minorem sentiamus, cum præsertim speremus et confidamus in Dei misericordia, animam ipsius, quæ in colenda justitia, fide Catholica defendenda, atque hac Sancta Sede omni studio et favore prosequenda semper versata est, nunc ex regno terreno in cœleste et perpetuum assumptam ubertate quietis et lætitiæ perfrui. Tibi igitur, fili charissime, paterna charitate et affectu nostro de communi hac jactura condolentes, te hortamur, ut divinæ voluntati acquiescere velis, atque ad tuum regnum justitia, pietate et sapientia, quas in te vigere novimus, gubernandum animum, sicut facis, convertas, et spei de tuis virtutibus a nobis et omnibus conceptæ respondeas, quod futurum confidimus. Nos quidem veteri prædecessorum nostrorum exemplo, et erga prædecessores tuos amore, te præstantissimum atque optimum regem peculiari quadam charitate et benevolentia nostra semper prosequemur, Deum Dominum suppliciter deprecantes, ut te una cum charissima tua consorte et sobole diutissime conservare dignetur ad commune bonum et quietem totius nominis Christiani, de quibus et aliis omnibus dilectus filius cardinalis Sancti-Georgii legatus noster ex parte nostra serenitati tuæ referet, cui indubiam fidem habebis. Datum Romæ etc. XVII Aprilis MDXLVII, anno XIII ».

118. Jussus est cardinalis S. Georgii celerrime etiam equis concitatissimis, si valetudo id permitteret, in Galliam proficisci, dataque illi mandata, ut regi exponeret, quantum Pontifex dolorem hausisset ex morte Francisci regis, quantamque lætitiam ex illius in regnum successione cepisset ; hortaretur ad sanciendam pacem cum Cæsare pro tuenda Christiana republica religionisque hostibus comprimendis ; regia etiam studia pro Anglis ad Ecclesiæ obsequium revocandis collocaret, preces etiam adderet, ut ad Concilium Tridento Bononiam translatum præsules Gallos transmitteret, eos vero qui Tridenti hæserant, inde revocaret : præterea legato data sunt imperia, ut regi significaret, duo decreta confecta fuisse primum, ut cardinales in aula Romana morari tenerentur, ut Pontifici consilio et opera assistant : alterum, ut unius tantum Ecclesiæ administrationem gerant, dimittant vero alias quas obtinerent.

119. Redimitus est regio diademate Henricus solemni ritu octavo kal. sextiles a Carolo Lotharingo Rhemensi archiepiscopo, atque in regni exordio fortiter novatores suppliciis coercuit, et Sedis Apostolicæ dignitatem tuendam suscepit, ac misso amplissimo oratore, Francisco Rohano, Pontifici demissa obsequia detulit VI Octobris.

Transfugit postea Franciscus Rohanus ad Sathanæ et Calvini castra, Henricus vero rex defecit a pristina pietate [1], atque exitiale cum Lutheranis fœdus iniit grassandique licentiam in regno hæreticis laxavit, quo flagitio sibi et stirpi suæ florentissimæ extremum exitium peperit, ut dicetur inferius. Jam ad Henricum Angliæ regem bimestri ante Franciscum regem extinctum, a cujus funesto exitu abhorret oratio, digrediamur.

120. *Angliæ rex moritur, non sine voto, sed equidem inani, præstandi obsequium Pontifici.* — Ardente conscientia admissorum flagitiorum ille excitatus, de abrumpendo impio schismate, repetendoque Pontificis Romani obsequio varia consilia agitavit, quæ ob tumorem animi et aulicorum fraudes, et infirmam voluntatem demum in opus non perduxit, ut deplorat Sanderus his verbis [2] : « Is cum jam graviori ægritudine premeretur, nec facile speraret ex ea liberari se posse, videns, qua cupiditate, vel quo potius furore vinculum unitatis Ecclesiasticæ dissolvisset, cum episcopis nonnullis privatim agere cœpit, de ratione qua iterum Sedi Apostolicæ, ac per eam reliquis gentibus Christianis conciliari posset. Verum hic videre licet

[1] Joan. Francisc. Firmanus Magister Cæremoniarum in Diario. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 318.

[1] Belcar. l. XXV. — [2] Paul. Jov. l. XLV. Sander. de Angl. Schismat. l. I.

severitatem Dei in eos, qui aut prudentes ceciderunt, aut in peccatis suis alte obdormierunt. Præterita enim Henrici crudelitas fecit, ut nemo jam illi fidele consilium dare, nemo sui pectoris sensa patefacere, nemo veritatem aperire auderet; sciebatur enim multos neci datos esse, cum prius aut illi aut Cromuelo, etiam jussi, libere quod sentiebant loquerentur. Itaque nunc quoque unus ex episcopis, utrum ipsi insidiæ struerentur, incertus, respondit regem omnibus viris sapientiorem esse, illum divino consilio Pontificis Romani primatum abdicasse, nec jam habere quod timere debeat, cum publica regni lege judicium illud confirmatum sit ». O proditionem immanem, qua ille pseudo-episcopus similis Judæ assentationis nefariæ osculo Henricum male perdidit! non enim de timore humani judicii, sed divini terrore agebatur. Subdit Sanderus : « Stephanus autem Gardinerus Wintoniensis episcopus seorsim regi suasisse dicitur, ut si fieri posset, ordinibus regni convocatis, rem tanti ponderis cum illis communicaret. Sin ad eam rem spatium temporis non daretur, saltem animi sui sententiam scripto proderet, ibique conscientiæ suæ testimonium exponeret. Deum solo cordis voto contentum esse, quando res propter aliquod necessarium impedimentum expediri non posset. Sed cum is discessisset, aderat mox ingens parasitorum turba, qui veriti ne, si obedientia Romano Pontifici redderetur, ipsi bonis Ecclesiasticis exciderent, regi omnino persuadebant, ne scrupulum talem in animum irrepere pateretur. Et facile quidem a bono proposito revocatur, qui non est in charitate fundatus et radicatus. Ad nihil igitur aliud valuit Henrici cum episcopis de restituenda unitate Ecclesiæ oratio, quam ut se hactenus renitente conscientia divisum ab Ecclesia Romana fuisse, et ideo dum agnitam veritatem oppugnaret, in Spiritum sanctum peccasse patefaceret ».

Nonnullis interjectis addit auctor, illum de Eucharistiæ Sacramento cum Romana Ecclesia sensisse, atque a libidine sola in flagitium ac defectionem impulsum : « Sacramentum (inquit) Eucharistiæ summo semper in honore habuit, itaque cum paulo ante mortem sub unica specie (quod semper observavit) communicaturus de cathedra, in quo sedebat, assurgeret, ut genibus in terram defixis Salvatoris nostri Corpus adoraret, Zuingliani autem, qui astabant dicerent, posse majestatem suam in hac imbecilli valetudine sedentem in cathedra Eucharistiam percipere, illis respondit : Si me non modo usque ad terram dejicerem, sed et sub ipsam terram demitterem, nec sic quidem satis honoris huic sanctissimo Sacramento mihi viderer delaturus. Denique nulla fere in re a fide Catholica discessit, præterquam libidinis et luxuriæ causa; penitus enim a carne sua victus et superatus ob repudium Catharinæ non permissum, Pontificiam potestatem abjecit, monasteria etiam evertit, partim quod monachi et religiosi fratres maxime omnes repudio ejus adversarentur, partim quod bonis Ecclesiasticis inhiaret, quo suppeteret, unde sumptus effusiores in epulas, in meretrices et insanas substructiones faceret ».

121. At in ea libandarum voluptatum carnis felicitate fuisse infelicissimum describit idem auctor : « Mirabile est dictu in quantas animi vitæque perturbationes inciderit, postquam enim e recto Christianæ vitæ tramite egressus voluptatibus carnis ac peccatis se implicabat, nunquam sibi aut aliis gratus, nunquam aut mente serenus, aut conscientia securus videbatur, præceps ferebatur in omnes vitiorum gurgites, tribus tamen maxime præ cæteris obruebatur, libidinis, avaritiæ et crudelitatis, quorum priora duo ex iis, quæ proxime duo constare possunt, ita tertium ex hoc uno constat, quod cum Henricus toto reliquo sui regni tempore paucissimos e plebe, ex universa nobilitate duos tantum sustulisset, Edmundum de la Pola Suffolciæ comitem, et Eduardum Buchingamiæ ducem, et priorem quidem ex patris morientis præscripto, a quo de seditionibus condemnatus fuerat, posteriorem vero ex cardinalis Volsæi, qui Buchingamium oderat, instigatione, post interpositum divortium cum uxore legitima, et dissidium cum Ecclesia, vix explicari potest quantam stragem nobilitatis suorumque civium ediderit, paucis illis annis, quibus supervixit, ex tabulis tamen publicis numerantur. Reginæ tres aut quatuor ad exitium perductæ, heroinæ duæ, cardinales duo, tertiusque absens morti condemnatus, duces, marchiones, comites, comitumque filii duodecim, barones equitesque aurati decem et octo, abbates ac priores cœnobiorum tredecim, monachi, presbyteri ac religiosi septuaginta septem, ex reliqua nobilitate ac plebe fere innumeri. Id etiam annotabat cardinalis Polus, quod qui intimi erant Henrico, et in amicitia ejus præcipui, ii proximi semper erant periculis, ut ex Volsæo, Comptono, Noresio, Bolenis, Cramuelo, Hovardis, aliisque plurimis manifestum evadet ». Nonnullis interjectis, extrema morientis verba refert auctor : « Cum de instanti mortis articulo ab amicis admoneretur, pateram vini almi poposcit, atque ad unum e suis conversus : Omnia (inquit) perdidimus (adjecisse hæc verba, fidem, regnum, animam fert communis traditio); intermortuis deinde vocibus monachorum nomen aliquoties ingeminasse dicitur, atque ita expirasse » nimirum sanctorum monachorum animas, quas martyrio ex humanis sustulerat, ad eum coram divino judice accusandum visendas se objecisse a piis existimatum est.

122. Periit infelix V kalend. Februarii hujus

anni, quod confirmat Angelus Massarellus his verbis [1] :

« XV Februarii cardinalis Tridentinus ostendit litteras ex Germania, quod rex Angliæ obierat die qua obiit regina Romanorum, XXVII scilicet Januarii præteriti, et rex in suo testamento reliquit tutorem filii imperatorem, qui brevi illuc missurus esset unum ex suis ». Pontifex audita illius morte, quam XVIII Februarii significavit sacro senatui, primum XXV Februarii tres legatos cardinales pro revocanda a schismate et hæresi Anglia decrevit, ex quibus alium ad Cæsarem, alium ad Francorum regem proficisci jussit, tertium vero, qui in Angliam mittendus erat, non expressit.

123. Humanissimis interea litteris Paulus hortatus est Anglos ad fidem Catholicam sectandam [2] :

« Dilectis filiis in Concilio Parlamenti regni Angliæ congregatis.

« Dilecti filii, salutem, etc. Cum non ignoraremus hunc morem et consuetudinem vestræ nationis esse, ut rege defuncto Concilium totius nationis, quod ex tribus statibus congregatum est, convocare soleatis, atque in eo de rebus communibus, regnique successore firmando agere et deliberare, duximus nostri officii esse has ad vos scribere in forma Brevis litteras, per quas, et nostrum paternum erga vos animum vobis ostenderemus, et ea moneremus atque hortaremur, quæ Deo Omnipotenti grata, nobis desiderata, vobis autem in primis commoda esse intelligeremus et salutaria ; quanquam enim magnis, et variis, atque continuatis multorum annorum a defuncto rege lacessiti fuerimus injuriis, quæ non tam in personæ nostræ contumeliam, quam in ipsius Dei et Sedis Apostolicæ a Christo constitutæ contemptum redundarunt, non tamen hæc nos magis contra vos incitare debent aut possunt, quam vetustus amor majorum nostrorum et antiqua cura Romanorum Pontificum, cum erga universum Christi gregem, tum vero præcipue erga istam inclytam nationem Anglicam, in primis autem ipsius Christi Domini nostri exemplum, qui etiam contra inimicos omnia amoris officia exercuit, nos provocare, ut in ejus visceribus vos amplectamur, atque omni in re juvemus, quam ad vestra commoda et salutem quoquo modo pertinere posse judicemus ; quare cum in hoc rerum statu et mutatione regis multa vobis imminere pericula videremus, quæ etiam vos pro vestra prudentia perspicere non dubitamus, hæc autem ejus generis esse, ut nisi illis mature provideatur, in maximum salutis discrimen res regni vestri facile sint adductura, non expectantes, dum ipsa rerum vestrarum difficultas vos admoneat, quo ad quærendam opem magis opportunam confugere debeatis, sed cogitantes dubitationem in animis vestris de nostra erga vos benevolentia vos facile deterrere posse, ne ad nos, apud quos maxime promptum auxilium rebus vestris est repositum, confugere auderitis, hac in parte omnes ejusmodi cogitationes vestras et dubitationes prævenire voluimus, et nos vobis ultro offerre in omnibus, quæ vel ad pericula propulsanda, vel ad ipsius regni pacem et tranquillitatem confirmandam pertinent, habita semper ratione honoris eorum, quibus regni gubernacula sunt tradita, et salutem omnium et singulorum, quantum vero in his rebus nostra auctoritas et benevolentia vobis prodesse possit, vel ex hoc facile intelligere poteritis, si vobiscum cogitetis, ut nullam aliam vos oppugnandi causam in regno isto aliis daretis, hanc semper, vel paratissimam et justissimam futuram , quod a nostræ auctoritatis obedientia defecistis, quæ quantum valet, utinam in recenti potius aliorum exemplo, quam in vestro experiri velitis. Quare, dilecti filii, monemus vos atque hortamur, ut ad nostram et hujus sanctæ Sedis obedientiam redeatis, et simul legitimam ac præcipuam vos lædendi occasionem omnibus præcidatis ; quod si feceritis, nostram auctoritatem atque opem in omnibus ad vestram salutem et commoda paratam semper invenietis , quæ omnia ut notoria vobis essent, familiarem nostrum, et in Basilica S. Petri pro natione Anglica Pœnitentiarium ad vos misimus, qui hæc coram vobis latius explicabit, cui ut plenam fidem in omnibus, quæ vobis de paterno nostro erga vos amore referet, adhibeatis, per vestram salutem in Domino hortamur atque obsecramus. Dat. etc. Romæ, etc. III Martii MDXLVII, anno XIII ».

124. Successit Henrico Eduardus ex Jana Semeria adolescentulus novem annorum, cui Henricus sexdecim gubernatores cum æquali potestate præfecerat, ut si quispiam optimatum regnum affectaret, non deessent, qui teneram ejus ætatem propugnarent ; verum illi salutis suæ immemores et in pristino schismate obfirmati, puero, qui seipsum regere non poterat primatum Anglicanæ Ecclesiæ impie detulerunt. Extinctam vero spem restituendæ in Anglia religionis referunt Acta Consistorialia, cum in ipsa coronati regis celebritate ab impiis scurris comœdia in ludibrium Pontificis et cardinalium peracta fuisset, quare legatio in Angliam suppressa est. Magnates vero regiæ Angliæ procuratores privatis commodis inescatos fuisse in flagitium impulsos describit Sanderus [1] : « Ex his tutoribus cum non pauci essent Catholici, eamque ob causam ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem totius regni statum revocare cuperent, præsertim quod ea etiam mente Henricum, et

[1] Diar. Conc. Trid. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 73.

[1] Sander. l. XII.

alias, et maxime jam moriturum fuisse cognoverant, alii ex eodem numero scientes, multo plus præsentis commodi et lucri per Ecclesiarum direptionem, quam per rerum ablatarum restitutionem acquiri posse, non solum ab ea sententia dissenserunt, verum etiam ulterius in schismate progrediendum judicarunt».

125. *Providet Paulus rei Catholicæ tum in Hibernia tum in Scotia.* — Non hic hæsit politicorum impietas [1], sed in nefandas alias hæreses prorupit, ac in primis tutores regii, cum Ecclesiæ partes strenue tueri detrectassent, ab Eduardo Seimero regis Eduardi avunculo, Herefordiæ comite, paulo post Somerseti ducis titulos arripiente, dignitate dejecti atque in ordinem redacti sunt; is enim in omnem projectus audaciam seipsum unicum regis tutorem ac regni protectorem, cæteris vel dissimulantibus vel perterritis, renuntiavit, cumque Zuingliana hæresi infectus esset, Eduardum regem infecit hæresi, atque Anglos in Zuinglianam sive Puritanam hæresim impulit, eamque in Scotia propagavit, ut dicetur paulo inferius. Cæterum Hiberni in retinenda fide Catholica majorem constantiam, quam Angli explicuere, ac tyrannorum regiæ libidini obsequentium minas fortiter contempserunt, quibus ob eximium virtutis exemplum Pontifex gratulatus est, atque ad felicis immortalitatis præmia consectanda accendit subjectis litteris [2] :

« Dilectis filiis universis principibus, nobilibus, et dominis temporalibus insulæ Hiberniæ salutem, etc.

« Cum assidue de vestra pietate et in fide Catholica perseverantia, atque ergà hanc sanctam Sedem devotione admodum quidem læti ob Dei honorem animarumque vestrarum salutem audiremus, dilectumque filium Osnaldum Massimglbord fratrem hospitalis Sancti-Joannis Hierosolymitani, priorem prioratus Kilmain istius insulæ haberemus isthuc redeuntem, moti paterna ac debita benevolentia qua vos prosequimur, libenter ipsi Osnaldo has litteras dedimus ad vos cum salutatione et benedictione nostra perferendas, magno enim nostro amore et hujus sanctæ Sedis dilectione digni estis, qui venenatis suasionibus repulsis minisque contemptis, vos vestrasque animas Deo et vobis conservatis in fidei puritate et sinceritate non contaminata novis impietatibus, quibus vicina vobis insula infecta est; proinde, filii dilectissimi, vos hortamur in illo, qui hunc spiritum vobis immisit, ut in sancto vestro proposito pia ac salutari constantia persistatis, certi quod benignus Deus vos fidem ei servantes non deseret, sed sua vos ope muniens præmio etiam cœlesti, quo nihil beatius homini expectari potest, remunerabit, cujus et nos majestati humiliter supplicamus, ut sicut fidei sanctæ donum largiri vobis dignatus est, ita etiam in eo perseverantiam largiri dignetur, quod et futurum in ejus bonitate confidimus, cæterum ipsum Osnaldum pium et fortem Dei athletam vestris nobilitatibus ex animo commendamus, etc. Datum Romæ XII Novembris MDXLVII, anno XIII ».

Passi sunt graviora Hiberni ob servatam incorruptæ fidei puritatem, ac licet proceres et divites magna ex parte commoda carnis animæ saluti prætulerint, tamen alii constantiores, necnon plebs, et agrestes, ac rusticani, contemptis omnibus incommodis, fidem Catholicam ardentissime coluerunt, nec promissi a Christo cœlestis regni spem ullis impiorum illecebris avelli sustinuerunt.

126. Quod ad Scotiæ res attinet, Pontifex extremo Martio exaratis litteris proceres regni Scotiæ ad asserendam fidem Catholicam, et tuendam libertatem, comprimendos impiorum conatus, mutuam alendam concordiam, atque hostium insidias defugiendas opprimendasve sollicitavit [1] :

« Dilectis filiis nobilibus viris, cancellario, comitibus, dominis, baronibus, et cæteris regni Scotiæ proceribus.

« Dilecti filii, etc. In animi dolore, quem ex magna reipublicæ Christianæ perturbatione capimus, maximo nobis solatio semper fuit nobilitatum vestrarum virtus, quippe qui et in tuenda vestra regni istius libertate egregiam jamdiu fortitudinem et magnitudinem animi summa vestra cum gloria præstitistis, et in nos atque hanc sanctam Sedem ea devotione extitistis, quam cum probitas vestra postulabat, tum majorum vestrorum clarorum et in primis orthodoxorum hominum imitatio, atque hæc quidem virtus et pietas vestra, Catholicæque religionis observatio, quam Deo grata extiterit, ex eo intelligere potuistis, quod is non paucas vobis ex hoste finitimo concessit victorias, in quo cum divinam erga vos benignitatem ignorare minime possitis, non dubitamus quidem, quin in rectissimo vestro instituto et laudabilium actionum proposito sitis permansuri, ut et antiquam et veram religionem erga Deum constanter retineatis, et salutarem inter vos concordiam perpetuo conservetis, sed tamen ad animorum vestrorum propositionem ac studium accedere etiam cohortationem nostram pro nostra in vos paterna charitate voluimus, maxime enim nobis curæ est pro pastorali officio, quod divina voluntate non nostris ullis meritis sustinemus, cum reliqui Dominici gregis, tum vestra ac populorum istorum salus, atque incolumitas, atque animarum quidem salus, cujus nobis et reliquis omnibus cura potissima esse debet, in

[1] Sander. l. II. de schism. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 340.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 181.

antiqua et vobis a majoribus tradita religione rite observanda, hujusque sanctæ Sedis et Catholicæ Ecclesiæ unione consistit, ut vos pro vestra prudentia intelligitis, libertatis vero et temporalium bonorum vestrorum conservatio in eo præcipue sita est, si unanimes inter vos concordesque maneatis : nihil enim concordia, ut vos minime præterit, regnis salutarius, nec rursus dissensione ac discordia perniciosius ; itaque iis, qui aliorum libertatem opprimere student, nihil optabilius est, quam ut inter eos, quibus insidiantur, existant dissensiones atque discordiæ. Quamobrem vos pro paterno nostro in vos animo et benevolentia etiam atque etiam hortamur, ut si vestram tum pietatem, tum consensionem maximos vobis adhuc fructus tulisse intelligitis et laudis ab hominibus, et beneficiorum a Deo, utramque earum vobis firmiter constanterque tenendam statuatis, quemadmodum quidem et sentire vos, et facturos etiam esse confidimus. A nobis quidem, atque hac sancte Sede quæcumque proficisci officia poterunt, vel ad cohonestandos vos, vel ad nostram, atque istius regni libertatem defendendam nullo unquam sunt tempore defutura, cujus nostræ in vos optimæ voluntatis testem, et eorum consiliorum, quæ ad libertatem et pacem istius regni conservandam spectabunt, adjutorem proprium istuc nuntium nostrum gravem et probum hominem missuri sumus, a vobis vicissim, dilecti filii, cum hoc nos in vos animo simus, ea expectamus, quæ vestra et majorum vestrorum virtute ac pietate, et perpetua in hanc sanctam Sedem devotione digna sunt. Datum Romæ XXVII Martii MDXLVII, anno XIII ».

127. Commendavit etiam Jacobi Hamiltoni Araniæ comitis ac regni administratoris virtutem, qui intestinas factiones compressisset, atque externum hostem in Scotiam irruentem contudisset, tum illi sacros addidit stimulos, ut religionem in Scotia asserere pergeret, ac si sanciendi cum Anglis fœderis se daret occasio, paterne monuit, ut incorruptæ fidei splendorem et Scotiæ libertatem generose tueretur [1] :

« Dilecto filio nobili viro Jacobo Araniæ comiti, regni Scotiæ gubernatori.

« Dilecte fili, etc. Cum jamdiu nobis cognita et perspecta virtus tua in eam spem nos adduxerit, ut confidamus, Deo primum adjuvante, deinde tua prudentia gubernante, res istius regni multis periculorum fluctibus agitatas, tandem in tuto portu esse collocandas, voluimus etiam accedere cohortationem nostram, quæ et tua præterita facta comprobaret, et ad ea, quæ supersunt, perficienda te animaret, ac aliquot quidem menses jam sunt, cum a tua nobilitate litteras accepimus testes tui animi optimi atque fortissimi ; in illis enim ostendebas quantæ tibi curæ esset, et istius regni tutela et securitas, sanctæ Christianæ fidei honor et conservatio, quorum utrumque dignum tua virtute et pietate est, sed nos dum tuis petitionibus obsequi cupimus, dum hominem quærimus idoneum, quem ad vos mittamus, maximis præsertim curis et sollicitudinibus aliarum tot et tam variarum rerum distracti, nobilitati adhuc tuæ respondere non potuimus, cui quidem nunc rescribentes dicimus, nos in istud regnum regesque paterna semper charitate in primis affectos fuisse, maximamque cepisse curam et quotidie capere, ut vestrorum populorum, vestrique regni salus et libertas a finitimo hoste inviolata sit et communita, in quo tu quidem, dilecte fili, egregiam operam diligentiamque præstitisti, qui et hostium impetum conantium irrumpere in Scotiam tua virtute sæpe repressisti, et multis de illis partis victoriis illustrasti et tuam laudem, et nomen Scoticæ nationis non solum adversus externum hostem, sed etiam in comprimendis domesticis regni factionibus et discordiis plurimum enituit virtus tua, quodque maximum omnium est, nunc in regali genere nomineque conservando, quod morte immatura proximi regis afflictum in unius tantum parvulæ filiæ anima retinetur, non solum animi tui fortitudo, sed etiam integritas, fides innocentiaque tua apud omnes homines clara et commendata est, quæ nos Dei Omnipotentis in viro præstante dona multo majora omnibus bonis temporalibus semper esse duximus : quare gratulamur quidem nobilitati tuæ, quod tot occasiones tibi a Domino Deo tuæ virtutis declarandæ datas non solum magno animo exceperis, sed etiam prudentibus consiliis direxeris. Verum illud præ omnibus et gratum nobis et tuæ nobilitati amplum honorificumque est, quod Christi sancta et Catholica fides, in qua nostræ salutis perpetuæ tota spes continetur, per te ita defenditur et sustinetur, ut pateat omnibus, si quis hasce pravas et perniciosas hæreticorum opiniones in medium protulerit, te hostem illi futurum, quam nos tuam egregiam voluntatem pietatemque erga Deum, non solum summe commendamus, sed paterna etiam nostra benevolentia singulariter amplectimur, teque adhortamur in eodem Domino Deo, ut quemadmodum cœpisti, ita pergere, regnumque istud et nomen regium conservare omni tuo studio, cura vigilantiaque insistas, pro quo præmia digna tibi erunt, et in cœlo et in terris tam in hac vita, quam in altera parata. Nos quod ad nostras attinet partes, nunquam desistemus omni nostro patrocinio et auctoritate pacem istius regni, salutem libertatemque defendere, quo etiam nuntium nostrum hominem gravem et probum post paucos dies missuri sumus, qui isthic procerum concordiam, religionis integritatem, regalis generis regnique totius incolumitatem tecum una procuret

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 74.

et tueatur; quod si quid acciderit interim ut fœdus aliquod et pactio cum vestris finitimis Anglis sit facienda, tuam nobilitatem omni animi studio requirimus et obtestamur, ut salva regni Scotiæ libertate, divinæque religionis integritate, omnia ita agantur atque tractentur, ut ex tua et majorum tuorum, qui semper Catholicæ fidei firmi propugnatores extiterunt, virtute et diligentia acta et tractata esse appareant. Extremum est, ut tuæ nobilitati notum faciamus, nos eo animo et benevolentia erga te esse, ut quidquid honeste et cum Deo hac nostra Pontificali auctoritate possumus, totum velimus tuis honoribus et commodis esse expositum. Datum Romæ XXVII Martii MDXLVII, anno XIII ».

128. Dissidiorum inter Anglos et Scotos cardo in eo vertebatur hoc tempore quod tutor Eduardi Angliæ regis Mariam reginam Scotiæ in spem pacti antea conjugii cum rege, tradendam deposceret, ut ea regna arctissimo fœdere in unum coalescerent, sed obstabat petitis schismatis, quo laborabant Angli, infamia, tum etiam Scoti contra suæ dignitatis jura arbitrabantur subjici Anglorum imperio, atque si armis peterentur, ad libertatem tuendam ferro erant comparati, Pontifex autem maxime veritus ne orthodoxa religio in Scotia ex fœdere Anglico deleretur, Mariam reginam seniorem hortatus est, ut filiam Mariam reginam Christiana pietate imbueret excoleretque, tum orthodoxam religionem in regno assereret, necnon proceres mutuo concordiæ fœdere conjungeret inter se ac conglutinaret, evellendisque omnibus dissidiis sedulam operam navaret [1] :

« Ad Mariam reginam seniorem.

« Charissima in Christo filia, etc. Cum pastoralis officii nostri ratio, tum paterna, qua semper te et fortem istam nationem dileximus, benevolentia facit, ut crebro nos animum et cogitationem nostram ad res vestras referamus, est enim magnæ nobis curæ, ut et filia tua, quæ adhuc parvula est, quam optime instituatur, et regnum istud salvum incolumeque conservetur, quorum nos utrumque in tua maxime diligentia et auctoritate positum esse intelligimus. Itaque, etsi de virtute et prudentia tua optime existimemus, teque hortatione nulla egere arbitremur, tamen his te litteris in Domino cohortandam putavimus, primum ut quemadmodum te et facere et facturam esse minime dubitamus, operam des, ut regina filia tua cum aliis bonis instituatur moribus, tum præcipue tener ejus animus Catholica et vera, quæ a majoribus tradita est, fide in Deum ac pietate imbuatur. Hæc enim pietatis laus, ut ipsa minime ignoras, initium ac fundamentum est reliquarum virtutum omnium, et in ea salutis ac beatitudinis æternæ ratio posita est. Deinde cum nullum regnum, existentibus in eo dissensionibus, diutius salvum et incolume esse possit, sicuti Dei ac Domini nostri voce testatum est, enitere atque elabora, ut nobilium virorum atque istius regni procerum unionem inter se et concordiam tueare atque conserves; nihil enim, neque eorum consensione regno isti salutarius, nec rursus discordia perniciosius esse potest, quos quidem cum prudentia et probitate sua, tum vero auctoritate tua adductos, concordes et consentientes inter se futuros esse confidimus. Hæc nobis, quæ ad te in præsentia scriberemus in mentem veniebant, quæ si, ut speramus, effeceris, cum tibi honesta, atque ampla, tum regno isti futura sunt salutaria, sed his de rebus tecum propediem agemus per nuntium, probum et gravem hominem, quem isthuc missuri sumus, cum nostræ in te ac populos istos benevolentiæ testem, tum eorum consiliorum adjutorem, quæ ad pacem et tranquillitatem regni istius pertinebunt, interim omnia tibi de nobis polliceri ac spondere potes, quæ ad serenitatem tuam, regnique istius pacem et libertatem tuendam proficisci a nobis atque ab hac sancta Sede poterunt, ea te de nobis spes atque expectatio, quantum cum Domino fieri poterit, nunquam fallet. Dat. Romæ XXVII Martii MDXLVII, anno XIII ».

Demisit alte in animum Pontificis [1] monita regina Maria, ac filiam Catholica religione more majorum eximie institutam non Anglo, a quo hæresi inficeretur, sed Galliarum regis filio conjugem dare meditata est, Anglorumque eam deposcentium insultus fortiter sustinere. Pium reginæ ac Scotorum consilium non latuit Anglos, qui instructo validissimo exercitu, duce Somerseti principe, regis tutore, in Scotiam mense Augusto irruperunt, reginam vi rapturi, ad quos retundendos Jacobus Hamiltonus Scotiæ administrator occurrit; pugnatum est ad Messelburgum cruento et ancipiti prælio, Scotis pro religione et libertate fortissime dimicantibus, demum cum Scotorum copiæ numero impares essent, fusæ sunt, Anglisque victoriam reliquerunt; intulit victor fœdam agris vastitatem, atque Angliæ fines latius propagavit, non fracti tamen sunt his adversis Scoti, sed collecto novo exercitu victorem coercuerunt, ac ne regina junior in eorum potestatem caderet, eam in Gallias proximo anno devexerunt.

129. *Dux Somerseti quod reliquum erat Catholicorum dogmatum et rituum in publicis comitiis abrogat.* — At Eduardus Somerseti dux parta de Scotis victoria adeo intumuit, ut mutare Anglorum leges, et omnem Pontificium ritum, qui hactenus in schismate retinebatur, abrogare decreverit; publicis itaque comitiis Londini habitis pridie nonas Novembris, fidem ac religionem pervertere aggressus, hæc impia de-

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 107.

[1] Ludovicus Guicc. in Comm. Natalis l. III.

creta tulit, quæ refert Sanderus [1] : « Lege decernitur ut omnes Ecclesiæ, Basilicæ ac oratoria ad id instituta aut dotata, ut in eis pro defunctorum animabus orationes, eleemosynæ aut sacrificia fierent, regis Eduardi esse deinceps censerentur. Omnes item capellæ, sacella et altaria, quæ vel annuos census vel oblationes, vel ullum aliud emolumentum haberent, omnes præterea congregationes, sodalitates, aut confraternitates ad quodvis genus piorum operum institutæ fisco regis concedebantur. Quibus sic constitutis ad commoda temporalia, quorum prima ipsis cogitatio ac cura fuit, transierunt deinde ad religionis capita, ac primo loco sanxerunt, ut cum episcopi ac presbyteri Anglicani ritu fere Catholico (excepta Romani Pontificis obedientia, quam omnes abnegabant) ad illud usque tempus ordinati fuissent, alia omnino forma ab ipsis præscripta ordinationes fierent auctoritate a puero rege ad id accepta. Hinc novum etiam ritum sacramenta administrandi adjunxerunt, et de ea re librum publicum comitiorum auctoritate confirmatum ediderunt.

« Deinde cum non paucæ adhuc sanctorum imagines ac statuæ alicujus etiam pretii ac momenti per Angliam viserentur, eas primo quoque tempore tollendas judicarunt, emissis itaque hominibus quibusdam impiissimis, audacissimis, qui hoc sacrilegium aggrederentur, et una cum eis nonnullis ministris certisque concionatoribus, qui imaginum usum populo dissuaderent (non ignorabant enim plebem hoc ægre laturam a qua etiam in provincia Cornubensi unus e commissariis, Bodeus nomine, occisus fuit) Christi Salvatoris, Deiparæ Virginis, Apostolorum et prophetarum omnes omnino imagines, tam pictas quam fabrefactas, partim deleverunt, partim combusserunt, eo ipso declarantes, cui bellum indicerent et contra quem venirent : in locum vero dejectæ Crucis Christi subrogarunt regis Angliæ insignia nempe tres Leopardos, et tria Lilia, hinc serpentis, inde canis pedibus expansis sustentata, quod perinde erat ac si dixissent, se non Christum, cujus imaginem contumeliose dejecerant, sed regem terrenum, cujus insignia eodem loco erexerant, colere et adorare.

130. « Nec his malis contenti Zuingliani tremendum etiam Corporis et Sanguinis Domini Sacrificium, quod a Cathecumenorum prima et fidelium sequente dimissione, Missarum nomen jam olim acceperat, in publicis comitiis abrogarunt, nec enim per aliam speciem, argenteæ pixides et cruces, urceoli et alia sacra vasa, candelabra argentea et ænea, sacræ vestes auro intertextæ, vexilla serica, cereorum, olei, et aliorum omnium, quæ cultui divino dedicabantur, pretium, denique ipsi fundi, et agri ad has res sustentandas donati, non poterant alio prætextu fere auferri, quæ omnia horum comitiorum auctoritate regio fisco concedebantur.

« Quarto autem loco sancitum est, ut Eucharistiæ utraque species cuilibet de mysteriis participanti necessaria traderetur.

« Quinto loco decreverunt, ut sacra officia recitarentur in vulgari lingua. In quo decreto illud perridicule evenit, ut cum omnia in Ecclesiis Anglice legerentur, eo videlicet prætextu ne populus, quid in rebus divinis ageretur, ignoraret, sed Amen respondere posset, interim neque Wallorum, neque Cornubiensium, neque Hibernorum populus quidquam eorum, quæ recitabantur, intelligeret ». Et paulo post :

« Administrandæ autem Eucharistiæ ritus in illis primis regni comitiis præscripti parum a Catholicorum missa distabant, ut videlicet populus non putaret quidquam sibi ablatum, sed ea, quæ latine prius legebantur, tantum in vulgarem linguam crederet esse translata. Itaque canon Missarum pene totus ab initio ad verbum transcriptus fuit. Signa etiam benedictæ Crucis retenta sunt, illa, inquam, quæ manu sacerdotis tantum expressa erant. Cæterum non omnes Protestantes eodem spiritu agebantur; qui enim nihil nisi opes Ecclesiasticas quærebant, parum curabant, si Crucis imagines in aere solo designarentur. Qui vero non poterant ferre, ut vel ita saltem mortis Christi figura et imago in honore aut usu aliquo haberetur, brevi postea obtinuerunt, ut sublatis hujusmodi cæremoniis, totoque canone remoto, nova Liturgiæ forma proponeretur, quæ Protestantium inconstantia multum retardavit rudem populum, ut eorum doctrinæ assentiretur, dicebat enim, videamus prius, quo evadent, ubi consistent, ubi quiescent ». Propagatam late fuisse proximo anno Zuinglianam sive Puritanam impietatem dicetur suo loco.

131. *Tumultus exorti ob inquisitionem in regnis Neapolitano et Lusitano.* — Sedati sunt hoc anno Neapolitani tumultus, qui fuerant concitati, cum Petrus Toletanus prorex censuræ sacræ fidei tribunalia Hispano more erigere vellet : non repugnabant quidem Neapolitani inquiri in hæreticos vetere Romanæ Ecclesiæ more, cujus clientelæ essent addicti, sed verebantur, ne si Hispano more censura exerceretur, plures insontes a calumniatoribus falso delati opprimerentur : tum ne qui in odium et invidiam apud Hispanos essent adducti politica fraude, ut rei hæresis circumvenirentur; cum vero a prorege atque a civibus ad imperatorem legationes decretæ essent, ita res ab eo composita est, ut vetere instituto contra hæreticos censura exerceretur, cives vero arma proregi traderent, tum etiam civitas certa vi auri mulctata ob rebellionis signa in proregem motæ ostensa, cujus imperiis cives demisse paruerunt.

[1] Sand. l. II. de Schism. Anglic.

In Lusitania quidem tanta acerbitate ab administris sacra censura exercebatur in neophytos Hæbrei generis violatæ religionis reos, ut Pontifex eorum causæ cognitionem ad subsellia Apostolica revocarit, demum cum Lusitaniæ rex profiteretur daturum operam, ut in impios ita severitas legum distringeretur, ut insontes nulla injuria afficeretur, censuræ exercendæ libertatem regiis administris restituit, de quo cardinali supremo in eo regno fidei censori has litteras dedit [1] :

« Cardinali Portugalliæ.

« Dilecte fili noster. Cum serenissimum tuum fratrem Portugalliæ regem jugiter intellexerimus impense cupere, ut inquisitio in ejus regno per nos concessa nullo retardetur prætextu, nos, etsi non paucæ tum querelæ et rationes ex adverso interdum opponebantur, tamen sperantes summam ipsius regis religionem ac justitiam nihil aliud quam suorum regnorum emundationem ab hæresibus et illarum suspicionibus optare, cunctis contrariis rationibus spem nostram in ejus probitate sitam præferentes, inquisitionem istius regni et liberam procedendi facultatem non solum concessimus, sed etiam exemptiones ab eis cunctas, aliquibus tamen, quæ ex nonnullis justis causis concessæ sunt, exceptis, revocavimus, sicut ex diversis nostris litteris plenius apparebit, speravimus tamen ac speramus primum quidem in probitate et æquitate dicti regis, quas esse in ore et honore omnium principum scimus, tum deinde in ipsa circumspectione tua, quæ tanquam caput ipsius inquisitionis est, facultatem hanc (licet liberam) moderate tamen ac pie exercendam fore , ut laxitatem jurisdictionis moderatio charitatis, et tua bonitas restringat, jugumque hoc, cum Christi Domini sit, leve et supportabile sentiatur, etc. Dat. I Julii MDXLVII, anno XIII ».

132. Præmonuit porro Pontifex Lusitaniæ regem, ut in neophytos clementiam explicaret, eos enim in Christiana pietate instituendos erudiendosque blanditiis potius ac humanitatis officiis, quam terrore, eosque ipsi commendavit, ut velut charissimos filios paterna benevolentia complecteretur.

« Regi Portugalliæ.

« Charissime, etc. Licet nos pro Dei omnipotentis honore et animarum salute, ac etiam ut tuæ serenitati omni pietate conspicuæ id a nobis instanter petenti rem gratam faceremus, inquisitionem liberam, et secundum jus commune, in istis tuis regnis concesserimus, tamen quoniam movet nos quasi infantia istorum novorum Christianorum, in qua blanditiis potius quam minis, sicut ab ipsa natura et a sacris etiam litteris edocemur , educandi et alendi sunt, majestatem tuam in Domino hortamur, et ab ea omni, quo possumus, studio petimus, ut pro sua probitate ac pro nostra etiam consolatione apud majorem et cæteros inquisitores agere velit, ut ipsos novos Christianos cum charitate amplecti, et severitate judicis paulisper deposita, pii patris personam erga eos induere velint, quod erit nobis gratissimum, sicut dicent plenius tuæ serenitati ex parte nostra nuntius isthic noster, et dilectus filius Joannes Ugolinus præsentium lator, quem dedita opera mittimus, quibus fidem habebis. Dat. Romæ XV Novembris MDXLVII, anno XIV ».

Non prætermittendum hic visum est in Hispania fuisse hoc tempore doctam fœminam, quæ linguas Latinam , Græcam , Hebraicam, Syriacam atque Arabicam calleret, cui Pontifex his litteris gratulatus est, quod eam scientiam cum eximio pietatis cultu conjunxisset [1] :

« Dilectæ in Christo filiæ Aloysiæ Sygæ mulieri Toletanæ.

« Dilecta in Christo filia, salutem. Recepimus litteras tuas Latine, Græce, Hebraice, Syriace atque Arabice scriptas, quæ gratissimæ nobis extiterunt, ex illis enim non solum singularem erga nos devotionem, sed miram quoque et omni laude dignam peritiam tuam cognovimus. Mirum certe est, quod istius ætatis fœmina tot linguarum cognitione, talique scribendi studio animum excolueris exornaverisque, quo magis Deo gratias agere, in Christo filia, debes talium gratiarum largitori, illisque ad ornamentum honestatis et pietatis cultum uti etc. Datum... Januar. MDXLVII, anno XIII ».

133. *Poloniæ rex Sigismundus acerrimus religionis defensor.* — In Polonia Sigismundus senior rex in Romanæ Ecclesiæ fide et obsequio constantissimus id regnum ab hæreticorum insidiis infideliumque conatibus fortissime vindicabat, ad cujus virtutes imitandas, sectandaque majorum, qui tot triumphos de Moschis, Turcis Tartarisque retulerant, exempla, Pontifex Sigismundum regem juniorem provocavit [2] :

« Sigismundo juveni regi Poloniæ.

« Charissime fili, salutem. Ex nobilis viri Nicolai Dapiferi relatu cognovimus, quæ serenissima majestas vestra a nobis et sancta Apostolica Sede desideraret, et certe nos in universa commoda atque honores serenitatis vestræ, et regni ac dominiorum ipsius, quæ cum Apostolicæ ipsius Sedis dignitate expediri queunt , propensissimi sumus, prout semper fuimus et prædecessores nostri fuerunt; multum siquidem stabilimenti et firmitatis pro recta fide adversus infideles aut schismaticos malosque Christianos in iis semper fuit multa trophæa et spolia, te de iis Deo adjuvante, relata, ornamento fidei incrementisque accesserunt, quæ

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 116.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIII. p. 12. — [2] Ibid. p. 63.

eminentissime in familia vestra, patre patruisque serenissimis regibus, atque adeo majoribus vestris enituerunt, ut omnipotentis providentia contra Mahometanæ perfidiæ ac schismaticæ pravitatis jacula, quasi quoddam repagulum in regni et dominiorum vestrorum viribus videatur constituisse, neque enim ignoramus quot victorias atque inclyta decora de Turcis, Tartaris, Moschovitis, atque aliis circumfusis gentibus male in Catholicam affectis fidem familia vestra retulerit, cujus imitationem tibi, charissime fili, proponendam in primis censemus; neque enim si per vestigia patris ac majorum, juris unquam a via aberrabis, quæ te ad culmen gloriæ, et regni æterni præmia ad extremum deducet etc. Datum Romæ die I Martii MDXLVII, anno XIII ».

134. *Carolus de Guisa et Julius de Ruvere ad cardinalatum evecti.* — Auctus est hoc anno cardinalium senatus, ut refert Joannes Franciscus Firmanus sacrorum rituum magister [1] : « XXVII Julii, inquit, in Consistorio secreto fuerunt creati duo cardinales, quorum unus fuit publicatus Carolus de Guisa archiepiscopus Rhemensis, alter vero non fuit publicatus Julius de Ruvere Urbinatensis ».

Priorem fuisse insignitum titulo presbyterali S. Cæciliæ refert Panvinus, quem etiam Henrici regis Gallorum nomine Pontificio obsequio Gallicam potentiam detulisse narrat Belcarius, et luculenta oratione Francorum regum cum Romanis Pontificibus conjunctionem ac fœdus celebrasse, confirmatque Jacobus Augustus Thuanus, ac decimo nono kal. Januar. rem gestam consignat in eodem senatu, in quo, ut diximus, cardinalis Tridentinus et Jacobus Hurtadus Mendoza oratores Cæsarei, dum urgerent acerrime, ut Concilium Bononia Tridentum revocaretur, imprudenter Pontificem [2], quem obsequiis delinire debuerant, intempestivis minis pupugere, ex qua animorum offensione injuriisque a Cæsaris administris Pontifici illatis occasione sumpta Galli Paulum sibi arctissime devincire pertentarunt, cardinalis enim Guisius in illa sua luculenta oratione, cum eximia regum Galliæ in Pontifices merita recoluisset, ac opes omnes Henrici regis pro asserenda Pontificis dignitate amplissimo ornatissimoque officiorum apparatu detulisset, addidit in sugillationem Cæsaris, se Paulum monere, ut nascentibus factionibus, quæ magnas plerumque ex parvis initiis vires acquirant, se opponeret, neque enim eum latere, in quas se olim nimia securitate Joannes XIII, Gregorius VII et Paschalis III calamitates induxerint, ac postremo Alexander III, donec eorum successores ope Gallorum ereptam ab imperatoribus auctoritatem recuperaverint. At Pontifex, licet ad ineunda cum Gallis consilia inclinaret, quia tamen imbecilliores erant illi Anglico bello impliciti, et ætati affectæ Pontificis parum fidebant, res lente ac pacate acta est.

[1] Hist. l. IV. p. 134. — [2] Belcar. l. XXIV, XLIX.

135. *Religio propagata in Indis Orientalibus et Occidentalibus.* — In India Peruana gravissimæ hoc tempore dissensiones inter Hispanos proceres provinciarum præfectos exarsere [1], in quibus prorex Blascus ob fastum publico contracto odio ab inimicis cæsus est, et Christiana religio, quæ in iis oris longissimo diffusis tractu terrarum, quæ vix semestri toto pertransiri possint, efflorescebat, Barbaris ad divinum cultum, a quo Germani et Angli deficiebant, traductis, in grave discrimen adducta est, sed eæ turbæ singulari prudentia et felicitate Petri Gascæ jurisconsulti sedatæ sunt. Is regii senatus præsidis titulis ornatus, et amplissimis fultus mandatis, cum ad oppidum Marthæ applicuisset, factus est certior Melchiorem Vercucam Cæsarearum copiarum ducem ab Hinogiensibus partes Consalvi Pizzari secutis profligatum, is tamen ostensa eximia clementiæ spe, cum res Cæsareæ conclamatæ viderentur, Laurentium Aldanam sibi conjunxit, et Consalvi Pizzari milites spe veniæ delinitos ab eo divulsit, ut singulari divinæ providentiæ munere, perduellibus edomitis, pacem Americæ restituerit. Eluxit maxime illius virtus in despiciendis auro et gemmis, et unica justitia tantum colenda, contrario enim aliorum Hispanorum magistratuum more ex Americana provincia, auri gemmarumque feracissima, inops cum eadem veste, sed paulo magis detrita, reddit, dignusque fuit, qui episcopatum capesseret. Porro ad propagandam in Occidentali India religionem constitutæ sunt a Pontifice plures Ecclesiæ cathedrales, eædemque Hispalensis archiepiscopi imperio solutæ ac liberæ renuntiatæ.

Inter alias episcopatum fluminis argentei vulgo *Rio de la Plata* ob fodinas argenti feraces, quas illud perluit, institutum, atque a Carolo V vectigalibus ditatum referunt Acta Consistorialia [2].

« Hoc anno XV MDXLVII, erexit et instituit instante serenissimo D. Carolo Romanorum imperatore semper Augusto oppidum, seu pagum *del Rio de la Plata* nuncupatum, situm in Provincia *del Rio de la Plata* nuncupanda in insulis Indiarum pro uno episcopo *del Rio de la Plata* nuncupando, qui eidem Ecclesiæ præsit, ac in ea, necnon dicta civitate et illi assignanda diœcesi verbum Dei prædicet, et eorum incolas infideles ad orthodoxæ fidei cultum convertat, et in ea instruat et confirmet, et Baptismi gratiam impendat, necnon ad eas declinantibus Eccle-

[1] Natal. Comes l. I. — [2] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 499. sig. num. 133. p. 105.

siastica sacramenta, et alia spiritualia ministret, ac faciat, et procuret, necnon in eisdem Ecclesia et diœcesi jurisdictionem episcopalem exerceat, ac dignitates, canonicatus, et præbendas, aliaque beneficia Ecclesiastica erigat et instituat pro divini cultus augmento, quæ ipsorum incolarum saluti expedire cognoverit, quique archiepiscopo civitatis regis pro tempore existenti jure metropolitico subsit, ac ex omnibus inibi pro tempore provenientibus, præterquam ex auro, aliis metallis, gemmis et lapidibus pretiosis decimas et primitias de jure debitas, cæteraque episcopalia jura, prout alii in Hispania episcopi de jure vel consuetudine exigat » etc. Attributum est a Carolo imperatore ducentorum aureorum annuum vectigal ex regio ærario, præfectus vero illi est episcopus Joannes de los Barrios Ordinis Fratrum Minorum, imperatori vero ac successoribus jus patronatus, ac jus designandi episcopi, quod vocant præsentandi, reservatum.

In India Orientali [1], auctore et suasore sacri belli B. Xaverio Apostolico in India legato, de hostibus fidei parta est divino beneficio insignis victoria, navibus tribus Christianis tantum desideratis, ac tanta cum Barbarorum strage, ut quatuor millia eo prælio absumpta sint, decem hostium naves in prælio demersæ, ac reliqua classis universa in potestatem redacta ; eam victoriam S. Xaverius divino Spiritu afflatus prædixit pro concione Malacensibus, diemque fixum definivit, quo de Lusitanorum incolumitate ac victoria nuntius esset venturus, licet locus in quo pugnatum est, ducentis amplius millibus passuum Malaca abesset.

136. *Obitus S. Cajetani Thienæi.* — Migravit ad cœlum VII Augusti B. Cajetanus Thienæus Clericorum Regularium conditor, vir summarum virtutum exemplis clarissimus. Assiduus nimisque austerus sui corporis censor ac lictor fuit, adeo ut dicere soleret se corpus suum tanquam rebellem quemdam infirmumque genium odiisse : quas durissimas corporis afflictationes vel maxime intendebat, cum aut impetrare sibi aliisque a Deo beneficium aliquod institueret, aut arceri publica mala, propitiarique numen oporteret. Illibato mentis candore corporisque integritati servandæ unice studuit, mulieres evitabat, ac præcipue eas, quæ non sine honestatis fraude, nobilitati ac formæ splendore vestium nimie indulgebant : quare cum insignem hunc illius pudicitiæ amorem probe jam scirent prænobiles matronæ, illud cum Cajetano observarunt, ut cum eum adire ad sui eruditionem exoptarent, non antea auderent, quam abjecto omni corporis ac vestium cultu orisque elegantia neglectu quodam castigatis, ad illam sancti viri modestiæ formam sese componerent. Hinc factum est, ut etiam post mortem tuendæ pudicitiæ patronus plurimis extiterit, irrefragabili Romanæ Rotæ judicio ita attestante : « Plurimi a diuturnis ac inveteratis carnalium vitiorum vexationibus exemptos, et hujusmodi illecebrarum stimulis prorsus immunes sese cognoverunt, ubi servo Dei fiducialiter ac devote se ipsos commendaverunt ». Eximius rerum humanarum contemptor semper extitit, infulas primarias constanter respuit, nobilium parentum domos adeo aversatus, ut cum redire Vicentiam ei interdum contingeret, etsi diu multumque obtestarentur fratres, ut ad cognatas ædes diverteret, exorari nunquam potuerit, sed ad publicum urbis xenodochium appulerit : et quod potissimum dignum memoratu est, cum Neapolim plerique ejus consanguinei pervenissent, ut absentem diutius inspicerent, eos neque alloqui neque intueri voluerit; ita ut eo insalutato ad quem venerant, redire clarissimos viros oportuerit. Qui vero sectandæ Apostolicæ paupertatis amor, nudique in Cruce Salvatoris imitandi ardor in eo fuerit, haud quidem clarius ostendere potuit quam in sui Ordinis institutione, cui non modo non censum, non opes, nec certum aliquem proventum, verum etiam neque victum emendicare permisit ; piaculum omnino ducens, si quis in summa egestate pietatem stipemque fidelium imploraret : ideoque, dum animam ageret, extremæ hujus paupertatis cultum suorum animis novissimis his verbis imprimere voluit : « Filii, usquedum vixi, vixi pauper, ac defungi vita in summa inopia peroptavi. Hanc vero commendatam vobis magnopere virtutem pervelim ». In juvandis proximorum animis totus adfuit, propterea animarum venator dictus : « Dulcissimum reputans refocillamentum (ita Romanæ Rotæ censores) inventa nova moliri, quibus animarum saluti opem præstaret, et studio consuleret, quare assiduo charitatis opere detinebatur, sermonibus, epistolis, consiliis, confessionibus se totum in animarum levamen dabat ». In ipso pæne ætatis ac virtutis flore nondum regulari disciplina auctoratus, sacræ Eucharistiæ frequentiam Vicentiæ instaurare studuit. Instituto vero Ordine, hoc potissimum in commune bonum consuluit, quod reflorescere eo adhortante ac redire obsoletus jam sacræ synaxis usus visus fuerit. Et quia externa magis specie sensuque movemur, augustissimum Sacramentum inter collucentes faces, et quo elegantiore posset cultu exponere publicæ venerationi occœpit; qui sacer ritus ingenti cum pietatis incremento ubique populorum propagatus cernitur. Perlatum ei fuit, dum Neapoli ageret, antistitem quemdam purpuratum magni nominis in Romana aula per plures interdum dies ab ara abstinere negotiorum mole detentum : mox Neapoli per æstivos calores ma-

[1] Tursellin. l. III. c. 10.

joris charitatis flamma succensus, Romam contendit, ut cardinalem tantummodo de hac re admoneret, statimque abscessit in similitudinem fulguris coruscantis : siquidem adfuisse et abfuisse idem pæne fuit. Cæterum tam adorandum Sacramentum ipse ad intimam animi venerationem colebat, ut ejus amore inflammatus octonas persæpe horas ante Sacrificium inter pias preces transigeret. Divinam Eucharistiam non esse sumendam aiebat, ut Christus sese in nos commutet, sed ut nos in se ipsum : hoc est, non eo scopo communicandum, ut Christus nostram faciat voluntatem, sed ut nos ejus voluntatem sequamur. Mundi delicias et voluptates dæmonum præstigia appellare consueverat, quibus homines a se excantatos minime replet, sed tantummodo inflat ; Deum vero solum habere in sua potestate veras solidasque voluptates, quæ humana corda abunde expleant. Cum excitare rerum humanarum suique contemptum vellet, hæc pronuntiare potissimum solitus erat : gemere sub hac gravi sarcina mortalitatis omnibus contingit : at quamvis una eademque viventes omnes calamitas ac lues tangat, iis nihilominus miseriarum seges felicior provenit, quibus charior est vita ; et qui pluris æstimant, plus dolent. At Dei amorem hac etiam sententia excitabat : Deum ama, illi ut placeas, vires nervosque omnes intende : tum ipse, etiamsi omnes te cœli cives deserant, tuis semper necessitatibus præsto ac totus aderit. Denique cum acerbissima in Petrum Toletanum proregem excandesceret civium invidia, excitarenturque passim turbæ, quod ille ingratum exosumque Neapolitanis inquisitionis nomen officiumque invehi adniteretur, ut teterrimos Lutheri emissarios, qui Neapoli pestilenti ingenio insignique facundia impietatem disseminaverant, uti superius innuimus, eorumdemque sectatores quantocius exterminaret ; Cajetanus, qui novatorum istorum technas optime noverat, et cardinali Theatino jam pridem renuntiaverat, primum opportuna remedia a prorege proposita, populi reluctantis pertinaciam, deinde hostiles in ea urbe excursiones, frequenterque conflictus ac cædes acerrime condolens, ferventissimis ad Deum precibus noctes integras transigebat : ac viros principes per diem enixe cohortabatur, omnesque prensabat, ut ab eo tumultu ac seditione desisterent. At cum flagrare nihilominus incendia ac cædes, et recrudescere in dies incitatæ multitudinis odia animadverteret, amantissimæ illius urbis commiseratione usque adeo extabuit, ut in gravissimam febrem inciderit, angoremque ei adauxit ac morbum perlatus per id tempus rumor, translatum interpellatumque Tridenti fuisse grassante epidemica lue Concilium, quod summis votis exoptaverat. Potissimam sancti viri mortis mox secutæ causam præfatam urbis fuisse calamitatem abunde testatur sequens epitaphium ejus sepulchro affixum : « Beatus Cajetanus, e nobili stirpe Comitum Thienæorum Vicentinus, unus ex quatuor Clericorum Regularium conditoribus Romæ MDXXIX. Divino plenus Spiritu, verbo, exemplo ubique præclarus, et miraculorum gloria insignis, obiit Neapoli MDXLVII, VIII idus Augusti, ex angore animi ob imminentem civitati cladem et seditiosos tumultus, qui tamen precibus ipsuis in cœlum evecti sedati sunt ». Claruit miraculis : in vita serpentem gangrænam in sodalis pede, qui abscindendus erat a chirurgis, suis precibus sanavit : maniacum bonæ menti restituit : Venetam matronam propinato liquore, qui ex corpore sancti Andreæ Apostoli extillat, a morbo, cujus sanandi spes conclamata erat, incolumem repente reddidit. Tempestatem injecta icuncula *Agni Dei* sedavit : utque a se inanem gloriam amoveret, exemplo S. Gregorii Turonensis, in edendis miraculis sanctorum lipsana adhibere consueverat. Verum post mortem innumera usque ad nostra tempora patrata ejus intercessione ubique terrarum miracula eximiam sanctissimi hujus viri pietatem patefecere, quibus permotus Clemens X Pontifex Maximus, anno a partu Virginis MDCLXXI, illum inter sanctos adscripsit sacro solemni ritu simul cum SS. Francisco de Borgia Societatis Jesu, Philippo Benitio ex Ordine Servorum Beatæ Mariæ, et Ludovico Bertrando ex Dominicanorum familia, et Rosa virgine Peruana ex aggregatione sororum Pœnitentiæ S. Dominici.

PAULI III ANNUS 15. — CHRISTI 1548.

1. *Paulus, consultis præsulibus Concilii Bononiensis respondet tum statibus imperii, tum oratoribus Cæsareis circa reditum Concilii ad Tridentum.* — Anno Servatoris millesimo quingentesimo quadragesimo octavo, Indictione sexta, gravissimæ controversiæ, an jure Concilium Tridento Bononiam translatum esset, exarsere, quæ demum tristi exitu, Cæsare latas in Conciliis leges adversus hæreticos pro Cæsareo munere non exercente, sed politica sua consilia nimium defendente, in maximum religionis damnum eruperunt. Miserat ille devexo superiore anno, ut vidimus, Christophorum Madruccium cardinalem Tridentinum cum Didaco Mendoza oratore, qui Pontifici hæc quatuor capita proposuerat. Primo loco, ut Concilium Bononia Tridentum revocaretur ob spes ingentes traducendorum ad castra Ecclesiæ aberrantium hæreticorum. Secundo, ut prælati idoneis instructi mandatis mitterentur in Germaniam, qui redeuntes censuris solverent, et quamdam molliorem vitæ rationem constituerent, donec Concilium absolutum esset. Tertio, ut in Concilio Christiana disciplina in clero populoque restituta veteri morum puritate instauraretur. Quarto loco pollicebatur Cæsar ad difficultatem transferendi Tridentum Concilii lævigandam, si is casus contingeret ut Pontifex e vivis migraret, stante adhuc et congregato Concilio, non delectum iri a Concilio Pontificem, sed a cardinalibus de quibus Paulus Concilii Bononiensis præsules consuluit, ut supra vidimus. Consultis itaque Patribus, præses Concilii ita Pontifici respondit [1] :

2. « Reverendissimis dominis deputatis visum est, quod cum Sanctitas vestra paterna charitate salutem provinciæ Germaniæ, quibuscumque modis potuit, semper procuraverit, quod ex multis argumentis, et præcipue ex Concilio Tridenti indicto, et ex legatis semel et iterum ad eam civitatem missis apertissime constat, minime dubitandum sit, quin Sanctitas vestra eodem animo erga illam provinciam in posterum sit, ut antea semper fuit, optimo scilicet, et ad bene de ea promerendum propensissimo : quantum ad ea, quæ reverendissimus dominus cardinalis Tridentinus nomine invictissimi imperatoris, serenissimi Romanorum regis, necnon illustrissimorum statuum Germaniæ retulit, scilicet, ut omnes sacro et Œcumenico Concilio se submittant, laudandam esse admodum pietatem majestatis suæ, ac bonam spem de eorum salute qui hactenus a recta via aberraverunt concipiendam : verum quoniam in illa ipsorum submissione additum est, quod se submittant Concilio Tridenti celebrando, et ea de causa petitur nunc, ut vestra Sanctitas ipsum ad Tridentinam civitatem reduci faciat, reverendissimis dominis meis deputatis persuasum est id a pientissimo imperatore et nobilissima illa provincia efflagitari et peti, quatenus sine scandalo, imo cum pace et concordia cæterarum provinciarum, servata etiam auctoritate Concilii et Ecclesiastica libertate fieri posset, ad quæ nomine Sanctitatis vestræ pro sua pastorali cura et omnium Ecclesiarum sollicitudine prospicere jure debet, et ea nullo modo negligere ; sic quoque existimandum esse majestates suas et illustrissimos sacri imperii status in bonam partem laturos, si Sanctitas vestra more majorum suorum in tam ardua et communi deliberatione episcopos fratres suos et prælatos, qui omnium fere nationum in Concilio Bononiæ existunt, pro communi pace servanda, et turbis et scandalis vitandis, ante omnia consulere velit : eisdemque dominis meis videtur, par esse, Sanctitatem vestram operam dare, ut quam minima mora in ipsa consultatione facienda interponatur, atque etiam ne res in Germania detrimentum patiatur, benigne satisfieri debere a Sanctitate vestra secundæ petitioni majestatis suæ de mittendo ad illam provinciam uno vel pluribus

[1] Tom. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 160.

prælatis cum opportuna facultate, ut communis aliquis et idem rectus vivendi modus usque ad finem Concilii reformetur et statuatur ».

3. Quia vero etiam Ecclesiastici status imperii de reductione Concilii Tridentum Pontificem rogabant, Paulus eos monuit ut ipsi etiam in personis propriis accederent, saltem mitterent nuntios suos Bononiam consulturi una cum aliis Patribus quod circa ipsum Concilium agendum esset, scriptis ad eos litteris in forma Brevis, quas hic subjicimus.

4. Subjiciendæ visæ sunt eæ litteræ suis verbis conceptæ, in quibus primum objecit Germanis præsulibus modo eos anxie petere, ut Concilium transferatur Tridentum, cum tamen Tridenti antea quindecim mensibus expectati, nec venissent, nec procuratores pro sui excusatione misissent, licet Hispani, Galli atque Itali ex remotioribus locis Tridentum se contulissent, translationem porro inscia Sede Apostolica factam, et Concilium valere auctoritate se transferendi, ubi de ipsius salute agebatur ; potuisse facile eos, qui Tridenti hæserant, Bononiam accedere, cum non longo intervallo Bononia disjuncta foret ; quod si fecissent, nulla modo controversia verteretur, ideo vero serius dari ipsis responsum, quod Cæsari idem cum ipsis petenti prius consulto Bononiensi Concilio respondendum esset ; dati vero Tridentino cardinali [1], ac Cæsareo oratori responsi seriem ad eos transmitti, demumque hortatus est, ut Bononiensi Concilio pro communi pace se conjungerent, vel ad absolvendum illud, vel si Tridentum aptius visum sit, ad translationem in eam Urbem conjunctis suffragiis celebrandam.

« Venerabilibus fratribus et dilectis filiis ordinum imperii statibus Ecclesiasticis in conventu Augustano.

« Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem, etc. Accepimus superioribus diebus litteras vestras XIV [2] Septembris Augustæ datas, quibus post explicatas diuturnas et graves provinciæ Germaniæ calamitates a nobis petitis, ut redintegrato Tridentino Concilio inque pristinum locum et statum suum restituto, saluti et tranquillitati vestræ nationis consulamus. Qua in re sollicitudo vestra, quoniam nobiscum communis est, gratissima nobis fuit. Hanc enim curam ab initio nostri Pontificatus in animo fixam semper habuimus, ut ipsi provinciæ graviter affectæ et laboranti, quantum in nobis esset, mederemur. Cujus sane nostri paterni in vos animi, ut multa alia argumenta omittamus, illud satis sufficere possit, quod post Mantuanam et Vicentinam indictionem, Concilio habendo urbem Tridentinam delegimus vobis propinquam et commodam ; quodque legatis illuc nostris semel atque iterum missis, omni studio et diligentia ad illud celebrandum incubuimus, neque ullis sumptibus pepercimus.

« Verum cum incœpto jam Concilio totos quindecim menses a posteriore indictione expectati estis, neque adhuc ullum in Germania bellum existeret, si non admodum multi vestræ nationis illuc accesserunt aut miserunt, cum tamen aliqui accessissent aut misissent, non nobis, sed illis est tribuendum ; qui cum propiores cæteris essent, ire ipsi, ut debebant, aut saltem excusationem mittere non curarunt. At vero eo ex Hispaniis, Galliis, Italia et ex remotioribus provinciis, quibus civitas Tridenti non ita commoda erat, satis magnus episcoporum et prælatorum numerus confluxerat, multæque interea sessiones habitæ fuerant, quibus plurima salutaria decreta quæ partim ad fidem et religionem, partim ad morum reformationem pertinerent, divini Spiritus instinctu atque auxilio, summaque episcoporum ac prælatorum consensione facta sunt, quibus quidem maxime impiorum dogmatum pars, quæ ab hæreticis hujus temporis defendebantur, declarata et convicta est. Quare intelligi ex his licet curam semper excubuisse apud nos illius sedandæ provinciæ, et a calamitatibus (quantum cum Dei gratia per nos fieri potuit) liberandæ.

5. « Nam quod post biennium fere a posteriore indictione translatum ex illa urbe Concilium est, ea translatio non modo nobis auctoribus, sed ne scientibus quidem facta est. Et tamen quoniam dubitari non potest quin Concilium generale justum et legitimum ex hujus sanctæ Sedis auctoritate indictum et congregatum, jus habuerit sui ipsius, eo quo Spiritus sanctus dictaverit, transferendi, præsertim sui conservandi causa, justam nos et legitimam ipsam translationem existimare debemus, nisi rem aliter se habere plene cognoverimus. Qua quidem a translatione licet pauci dissenserunt, stari eo tamen debet, quod multo maxima pars constituerit atque decreverit. Neque propterea divisum esse Concilium putandum est : etsi enim quidam adhuc Bononiam profecti non sunt, sed Tridenti remanserunt, manet tamen illud singulare atque unicum, nec tamen illud in eam urbem translatum est, quæ aut nimis longe a Tridentina urbe absit, aut ad commorandum incommoda, aut ad celebrandum ipsum Concilium parum tuta videri debeat : nam neque ab urbe Tridento magno admodum intervallo urbs Bononiensis distat, et cum ob aeris salubritatem, tum ob rerum victui necessariarum copiam, tum ob civium hospitalitatem et ipsius magnitudinem commodissima est. Quod vero sub tutela Ecclesiæ est, ob id vestræ præcipue nationi minus tuta videri non debet, quæ ab Ecclesia ipsa non solum fidem et religionem Christianam, sed etiam multa alia maternæ cha-

[1] Ext. in Comm. 13. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3200. p. 216. — [2] In aliis XXIV.

ritatis et munificentiæ egregia in se monumenta habet et fruitur; præsertim cum eidem urbi Bononiensi illi principes et populi finitimi sint, qui in fide sunt charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti.

« Verum ut ad litterarum vestrarum postulata redeamus, serius quidem a nobis quam voluissemus ad illa responsum est, atque hujus tarditatis causam explicandam esse vobis ducimus, ne quid in nobis voluntariæ moræ fuisse existimetis. Cum enim haud multo post receptionem vestrarum litterarum venisset ad nos dilectus filius noster Christophorus cardinalis Tridentinus a serenissimo Cæsare ad nos missus, et una cum dilecto filio nobili viro Didaco de Mendozza ejusdem Cæsaris apud nos oratore nobis exposuisset, universam istam Germanicam nationem opera ac diligentia ipsius Cæsaris Concilio Tridenti celebrando se submisisse, et propterea tam dictæ majestatis, quam de ejus mandato etiam serenissimi Romanorum regis, et omnium statuum sacri imperii nomine a nobis petiisset, ut ipsum Concilium ex Bononia Tridentum remittere vellemus; nos cum vestra postulata cum postulatis dictæ majestatis congruerent, eademque prorsus essent, non putavimus ad vestras prius, quam ad dictæ majestatis litteras esse respondendum. Itaque cum idem Christophorus cardinalis et Didacus orator Cæsareus sæpius rem hanc non solum privatim coram nobis, sed etiam publice coram universis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus in consistorio nostro proposuissent, necessario factum est, ut nos etiam cum eisdem cardinalibus rem discusserimus, quod et rei gravitas postulabat. Itaque, matura consultatione cum ipsis cardinalibus præhabita, de ipsorum consilio decrevimus, cum de reductione Concilii et de negotio communiter ad omnes spectante ageretur, prælatos ex omnibus fere nationibus Bononiæ in Concilio existentes ante omnia consulendos esse. Quod cum ad abrumpendam omnem moram statim fecissemus, celeri tabellario ad eos dedita opera cum nostris litteris misso, responsum ab eis tale habuimus, quale et ipsi oratori Cæsaris (jam cardinali Tridentino a nobis digresso) in congregatione nostra multis præsentibus dedimus, et fraternitatibus vestris, ne longiores in his simus, mittimus præsentibus alligatum.

« Ex quo sane fraternitates vestræ percipient quænam dilucidari et declarari ac plene fieri, et ab his, qui se Concilio submisisse dicuntur, re ipsa adimpleri debeant, antequam de reditu ipsius Concilii ad civitatem Tridentinam deliberaretur, in quo solitam vestrorum æquitatem animorum, veritatisque ac justitiæ amorem semper vobis insitum nunc optamus et expectamus, vos in Deo Domino hortantes, ut tranquillitati Ecclesiæ Catholicæ, cui semper pro vestra probitate adhæsistis, omni vestra auctoritate, ope, consilio consulatis, quo nobilissimæ nationi vestræ, quantum in vobis erit, pacis fructus, sedatis seditionibus, et veræ religionis lux, pulsis impietatis tenebris, restituatur. Quod ut nostris diebus videamus ab eodem Deo supplices ac votis omnibus precamur ac petimus : et hortamur, ut cum cæteris Bononiam proficisci, aut nuntios vestros sine mora mittere velitis, vel Concilium ipsum prosecuturi, vel si locus minus aptus visus fuerit, cum aliis quid agendum sit, dictante Spiritu sancto, deliberaturi. Nam quod extremis vestris litteris verendum nobis esse significatis, ne cessante in hoc opere diutius Sede Apostolica, alia sumantur consilia, aliisque viis et rationibus hæc causa tandem expediatur; nunc quidem, si agnosceremus in procuranda salute illius inclytæ provinciæ a nobis cessatum fuisse, omnia sane timerentur, præcipue vero Dei ira, qui nos in hac sancta Sede tanquam in speculo collocavit, ut omnium Christi ovium, præcipue autem illarum, quæ a reliquo grege se subtraxerunt, curam haberemus. Quod vero non defuerimus in hoc opere consulendi provinciæ Germaniæ, ea, quæ supra scripsimus, satis testimonio esse possunt; præsertim cum nota scribamus, non tam vobis quam universo orbi Christiano. Quare, quod ad nos attinet, eo minus nobis timendum duximus, quo magis nostri studii et laboris in hac causa sumus conscii, et quod eam de gravitate ac moderatione vestra opinionem, eam de Cæsaris sapientia et animo in Christianam rempublicam spem habemus, ut nec illum, nec vos ullam hujus expediendæ causæ rationem, nisi quæ recta, et ipso ac vobis digna sit, probaturos credamus; hoc enim experta vestra et constans semper in aliorum defectione pietas et fides nos sperare jubet. Quod si non fiat, nova vero consilia contra auctoritatem hujus sanctæ Sedis suscipiantur, nos quidem non ii sumus, qui prohibere possimus quominus in eam tanquam in domum aliquam descendat pluvia, veniant flumina, flent atque irruant venti, hæc enim omnia futura esse ab ipso summo architecto, cum ejus fundamenta jaceret, sunt prædicta, ne vero propterea cadat, ne dissolvatur, timere quidem non possumus, quia scimus fundatam esse supra firmam petram. Illis potius timemus, et eorum vicem valde dolemus, qui nec irritis conatibus illorum, qui hanc sibi olim oppugnandam animo proposuerunt, nec gravibus Dei judiciis, nec veteribus, tum novis, in omnes qui hoc aliquando tentarunt, deterreantur quo minus ejusmodi consilia capiant, malintque se certo periculo, cum totius Ecclesiæ perturbatione exponere, dum opus Dei dissolvere conantur : quod nullo non sæculo ab improbis oppugnatum, nunquam expugnari po-

tuit, quam in pulchritudine pacis nobiscum unanimes in una domo vivere : ad quam eos semper invitavimus et perpetuo invitamus. Idem autem ut vos faciatis et non permittatis, ut aliena, et nullis profutura consilia locum aut auctoritatem in vestris conventibus habeant, valde in Domino hortamur, vosque ita facturos de pristina vestra et constanti, quam semper ostendistis, pietate et fide maxime confidimus. Datum, etc. I Januarii MDXLVIII, Pontificatus nostri anno XIV ».

6. Postera die cardinalis de Monte Concilii præses in Congregatione generali retulit Patribus responsa a Pontifice data cardinali Tridentino, ac Cæsareo oratori seriem, utque a Pontifice Concilii defenderetur auctoritas, atque quinque dubia ante proposita pro translatione decernenda prius a Cæsare illustrari vellet, de quibus hæc Angelus Massarellus [1] refert :

« II Januarii MDXLVIII, etc. Reverendissimus dominus cardinalis retulit Patribus qualiter sanctissimus dominus noster dedit responsum oratori Cæsareo circa petitionem, quam fecerat nomine imperatoris, quod Concilium reduceretur Tridentum, quam responsionem ipse reverendissimus dominus cardinalis alta voce legit, cujus summa est, quod Pontifex narrat factum dictæ petitionis, et qualiter sua Sanctitas scripserit pro consilio sacræ Synodi, et inseritur Breve missum ad ipsum reverendissimum dominum cardinalem de Monte una cum responso Concilii cum insertione tamen eorum quinque dubiorum, de quibus supra die XIX præteriti mensis, quorum dubiorum dilucidationem probat sua Sanctitas antequam de reditu ad civitatem Tridentinam agatur, et in fine offert se promptam pro unione nationis Germanicæ.

« Quo responso lecto, ipse reverendissimus dominus cardinalis dixit agendas esse gratias Deo et summo Pontifici pro eo quod tantum deferat sua Sanctitas Concilio, et ejus voto assenserit in totum, et orandum Deum pro concordia principum ».

Prosequendo Concilio intentus præses decreta de Sacramento Ordinis excutienda proposuit, ut corruptelæ circa illud invectæ tollerentur, ut addit idem auctor [2] :

« IV Januarii datur exemplum canonum super abusibus de Sacramento Ordinis ». Eadem die, Feria quarta, IV Januarii, in Congregatione generali forma data concionatoribus prædicandi verbi divini ex decreto Tridentino. IX Januarii adducti in examen canones super abusibus Sacramenti Pœnitentiæ, quorum exemplum exhibitum fuerat Patribus die tertia ejusdem mensis, habitæque plures Congregationes.

Lunæ XVI Januarii hora XXI fuit Congregatio generalis, in qua Patres prosecuti sunt examinationem supradictorum canonum super abusibus Sacramenti Pœnitentiæ. Loqui cœpit hodie Rev. D. episcopus Aquensis Vorstius.

Actum deinde est, an procuratores Cæsaris admittendi essent, cum Cæsaris mandata prius exhibere noluissent, extatque de ea re Fesulani episcopi sententia tribus propositionibus distincta [1] :

« Propositio Prima. An admittendi essent hi qui dicebantur Cæsaris nomine adesse, neque litteras Cæsaris aut mandata nisi per se ipsos proferre volebant ». Censeo omnino esse admittendos.

« Propositio II. An prolatis jam Cæsaris litteris et recitatis audiendi essent hi cum suis notariis et testibus, ut ipsi petebant ». Audiantur, ut petunt, ne aliquod inconveniens consequatur.

« Propositio III. An ea res in proximum conventum rejiceretur, et de protestationibus inquireretur ».

Vellem mori potius quam videre schisma in Ecclesia Christi.

A Patribus decretum est communi consensu audiendos Cæsareos procuratores licet hostilia dicturi essent, tum subdunt Acta : « Procuratores Caroli V imperatoris petierunt audiri a Patribus, qui intromissi fuerunt, ostendentes mandatum Cæsareum, quod est sub data Augustæ die XXII Augusti MDXLVII, in quo mandato constituebantur procuratores ad protestandum assertis legatis et Patribus, qui erant Bononiæ sub nomine Concilii generalis (ita enim imperator loquebatur) nomine suo, totius imperii et regnorum suorum, prout habebant in mandatis.

« Data fuit licentia fandi, sed quoniam noluerunt loqui, nisi intromissis in Congregatione quibusdam suis notariis et testibus, posita est (eis exire jussis) res in consultationem, placuit Patribus, quod admitterentur sui notarii, sed non rogarentur soli, sed in solidum cum notariis Concilii, et ita factum est ».

7. *Protestatio facta a procuratoribus imperatoris in ipso Concilio Bononiensi, et responsio sacræ Synodi.* — Quæ vero mox gesta sint ea fuse continentur in publicis documentis, tum confectis, quæ subjicimus [2] :

« Processus protestationis factæ a procuratoribus imperatoris in Concilio Bononiensi, et responsio sacræ Synodi.

« In nomine Domini, etc. Die Lunæ XVI mensis Januarii MDXLVIII de sero, hora circiter prima noctis, Bononiæ in loco solito ubi Congregationes generales sacri Concilii Bononiensis fieri consueverunt, in nostrum et testium infrascrip-

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 277. — [2] Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 279.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 180. — [2] Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 270. Ms. arch. Vat. sig... Ext. inter Acta Conc. Bonon. auctore Ang. Massar. Sec. p. 45. Ms. Fr. card. Barb. et in Ms. card. Pii.

torum præsentia introducti fuerunt in ipsum locum Congregationis magnifici domini Franciscus Vargas procurator generalis fisci regni Castellæ, et Martinus de Soria Velasco Burgensis jurium doctor, et invictissimi Cæsaris consiliarii. Quibus coram reverendissimo et illustrissimo domino cardinale de Monte ipsius sacri Concilii præsidente, et Patribus ibidem congregatis numero quadraginta quatuor, vel circa, ut invictissimi imperatoris procuratoribus comparentibus, prædictus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus petiit sibi restitui mandatum Cæsareum, quod antea ipsi sacræ Congregationi per ipsum et collegam suum traditum fuerat. Quo ei restituto reverendissimus dominus cardinalis de Monte prædictus mandavit legi per dominum Claudium della Casa ipsius sacri Concilii notarium infrascriptam protestationem, antequam autem ipse D. Claudius protestationem præfatam legeret, ipse magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus petiit audiri. Sed ipse reverendissimus dominus cardinalis de Monte mandavit ante omnia dictam suam et sacræ Synodi protestationem legi. Quam quidem protestationem ipse dominus Claudius notarius alta et intelligibili voce legit, cujus tenor sequitur et est talis :

8. « Licet hæc sancta Congregatio cum præsidentia reverendissimi et illustrissimi domini cardinalis de Monte legati Apostolici non debeat et non teneatur audire aliquam propositionem vestram faciendam occasione mandati Cæsareæ majestatis per vos exhibiti, quod mandatum vere et cum effectu non dirigitur ad hanc sanctam, universalem et Œcumenicam Synodum in hac civitate Bononiæ legitime translatam et congregatam, tamen ut nemo unquam possit prætendere in hac sancta Synodo non esse omnimodam libertatem omnibus loquendi, contenta est vos audire; solemni tamen protestatione præmissa, quod per hanc audientiam et qualemcumque propositionem vestram factam aut faciendam , non intelligit aliquo modo approbare nec admittere personas vestras, nec dicta, nec dicenda, nec facta, nec facienda per vos juxta tenorem prætensi mandati, et ipsius mandati occasione : et etiam solemni protestatione præmissa, quod per ipsum mandatum, et quæcumque exinde subsecuta et subsequenda non intelligit ipsa sancta Synodus aliquod præjudicium sibi, neque etiam sanctissimo Domino nostro, qui est ipsius Concilii caput, inferri, nec aliquod jus ipsi invictissimo imperatori mandanti acquiri, neque cuicumque alteri personæ, per quod ipsa sancta Synodus minus possit ad ulteriorem prosecutionem, celebrationem et expeditionem sacri Concilii, Deo dante, procedere, et omnia alia facere, quæ sibi videbuntur necessaria et opportuna : reservans sibi nihilominus ipsa sancta Synodus jus, ac potestatem, et auctoritatem omnia et singula præmissa, et quæcumque ab eis quomodocumque dependentia, et dependenda, et emergentia, sive emergenda plenius et uberius in una, vel pluribus sessionibus per eam celebrandis, prout ipsi sanctæ Synodo utilius videbitur, eclarandi et decernendi; necnon contra contumaces et rebelles quoscumque ad pœnas juris, et litterarum Apostolicarum, et arbitrarii ipsius sacri Concilii procedendi. Quam protestationem voluit sancta Congregatio in principio, medio, et in fine, et semper esse repetitam, et pro repetita intelligi et haberi ».

Qua quidem protestatione lecta, rev. D. Hercules Severolus ipsius sacri Concilii promotor, ibidem adstans et præsens hæc verba protulit, videlicet : « Et ego tanquam promotor ipsius sacri Concilii peto a vobis notariis de præmissis fieri unum vel plura, publicum vel publica instrumentum vel instrumenta ».

9. Deinde prædictus magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus petiit sibi dari testimonium et fidem publicam a nobis notariis, quod non fuit permissum eum ante loqui. neque exponere ea, quæ ipse et collega suus habebant in mandatis, quam legeretur suprascripta protestatio.

Postea alta et intelligibili voce idem magnificus dominus Franciscus Vargas Cæsareus fiscalis sic orsus est, et protulit quædam verba, quæ postea in scriptis tradidit domino Claudio notario suprascripto, quorum tenor sequitur, et est talis : « Adsumus, reverendissimi domini, reverendique admodum Patres, Cæsaris domini nostri Romanorum imperatoris optimi maximi procuratores legitimi, cujus mandatum authenticum audieritis. Adsumus quidem apud vos acturi de re omnium maxima, quam et vos futuram jam diu augurati estis, et respublica Christiana summis votis efflagitat, ut vos hac in re æquos præbeatis. Est enim apud omnes in confesso, et ob oculos jam versari videtur , quanta rerum humanarum calamitas eventura sit necessario, si mordicus persistere velitis in sententia, quam semel haud satis provide arripuistis; e contra quanta orbis tranquillitas ac felicitas si, ut vos decet, velitis in commune consilium, et Cæsareæ majestatis voluntatem pro vestra virili fovere. Verum ut omnia constent, non tantum vobis, apud quos nihil novi dicturi videmur, sed universæ etiam reipublicæ Christianæ, paulo altius repetemus rem omnem : sic enim planum faciemus, quam perniciose sitis curaturi, si persuaderi volueritis, et invictissimi imperatoris domini nostri animis quam late patet orbis Christianus omnibus manifeste erit : illud tantum præfabor, nos nec verbum quidem addituros ex nostri animi sententia, sed bona fide explicaturos, quæ a Cæsarea majestate in mandatis habuimus ».

Quo facto reverendissimus dominus cardinalis de Monte prædictus respondit ad ea, quæ dictus magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus dixerat, primum verbo, deinde scripto, ut sequitur, videlicet : « Adsum et ego hujus sacrosancti Concilii pro sanctissimo D. N. Paulo divina providentia papa III vero et indubitato ac certo beati Petri successore, ac Jesu Christi Domini et Redemptoris nostri in terris vicario præsidens et legatus. Adsunt et ii sanctissimi Patres Concilio ex civitate Tridentina legitime et ex causis ipsi Concilio probatis translato, ad ipsum Concilium cum Dei adjutorio, et Spiritu sancto suggerente, pro ipsius Dei gloria et reipublicæ Christianæ salute prosequendum et celebrandum. Rogamus majestatem suam sententiam mutare velit, et nobis auxilium et favorem suum impertiri, ac ipsius Concilii celebrationem perturbantes comprimere et compescere. Scitur quod Concilium impedientes et perturbantes, quacumque illi dignitate præfulgeant, gravissimas pœnas incurrunt, utcumque tamen evenerit, quicumque afferantur terrores, nos libenter, et honori Ecclesiæ, Concilii et nostro defuturi non sumus ».

Et successive prædictus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus, tenens in suis manibus mandatum Cæsaris originale, quod sibi restitui fecerat, illud solemniter præsentavit suo et collegæ nomine, quod quidem erat scriptum in charta pergamena, imperiali sigillo appenso, non vitiatum, non cancellatum, nec in aliqua parte subrasum, sed in forma publica et solemni scriptum et redactum, et legi alta voce petiit, quod ita lectum statim fuit coram omnibus per D. Angelum Massarellum, ejusdem Concilii secretarium, eratque tenoris sequentis :

« Carolus V etc. Notum facimus, etc. XXII Augusti anno Domini MDXLVII, imperii nostri XXVII, et regnorum nostrorum XXXVII ».

10. Mandatum imperatoris [1] ad protestandum in persona D. Didaci de Mendozza, de quo fit mentio in superiori responsione :

« Carolus Quintus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus, etc.

« Notum facimus tenore præsentium, quod pro ratione muneris nostri, quo Dei optimi maximi voluntate fungimur, proque eo zelo, quem erga sacrosanctam fidem et religionem nostram orthodoxam merito gerimus, et ipsius religionis summa necessitate ita exigente cogimur contra nonnullos, qui sese asserunt legationis munere fungi una cum aliis prælatis et personis in conventu Bononiensi, cui titulum Generalis Concilii prætexunt, jam congregatis, et deinceps eo nomine congregandis, justam atque legitimam protestationem, tam coram beatissimo in Christo Patre et Domino Domino Paulo III divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontifice maximo, domino nostro reverendissimo, quam etiam coram cœtu reverendissimorum cardinalium Urbis, necnon præfatis assertis legatis prælatis, et personis Bononiæ sub prætextu Concilii congregatis et in posterum congregandis facere. Id vero cum ob locorum distantiam coram facere non possimus, eapropter de fide, prudentia et rerum usu venerabilis devoti nobis dilecti Don Jacobi de Mendozza consiliarii et oratoris nostri apud beatitudinem præfati Pontificis maximi plene confisi, eumdem Don Jacobum fecimus, et constituimus ac deputavimus, ac tenore præsentium ex certa nostra scientia et sano accedente consilio facimus, constituimus et deputamus procuratorem et mandatarium nostrum, dantes ei plenam facultatem et potestatem, ut hujusmodi protestationem nostro et totius sacri Romani imperii, regnorumque et dominiorum nostrorum omnium nomine contra præfatos assertos legatos, aliosque prælatos et personas nomine Concilii Bononiæ tam congregatas, quam congregandas, coram præfato Pontifice maximo, et cœtu cardinalium conjunctim aut separatim solemniter, tum verbo, tum scripto proponere, et instrumenta superinde necessaria a notario seu notariis publicis adhibitis seu adhibendis requirere, et omnia alia dicere, facere, gerere et exercere possit et valeat, quæ in hujusmodi actibus requirerentur et necessaria fuerint, seu quovis modo opportuna, et quæ nos ipsi facere possemus ac deberemus si præmissis personaliter interessemus, et secundum quod a nobis habet in mandatis. Promittentes in verbo nostro Cæsareo et regio, nos ratum gratumque habituros quidquid per præfatum procuratorem et mandatarium nostrum actum, dictum gestumque fuerit in præmissis, nec quovis modo illis contraventuros esse, dolo et fraude penitus semotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri appensione munitarum. Datum in civitate nostra imperiali Augustæ Vindelicorum die XXII Augusti anno Domini MDXLVII, imperii nostri XXVII, et regnorum nostrorum XXXVII ».

Quo mandato lecto, Dominus Hercules Severolus promotor præfatus repetiit iterum protestationem sacræ Synodi præfatam ; idemque fecit reverendissimus et illustrissimus dominus cardinalis de Monte præfatus, et dictus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus dixit ea, quæ a se et collega suo dicenda erant, contineri in protestatione statim legenda a præfato collega suo, quam quidem protestationem repetere intendebat, et pro repetita haberi volebat toties quoties opus esset : eamdemque repetitionem protestationis lectæ per antedictum dominum Claudium reverendissimus et illustris. domi-

[1] Ext. in Diar. Conc. Bonon. p. 786.

nus cardinalis de Monte toties quoties opus esset, fecit et declaravit. Petiitque insuper, et requisivit dictus magnificus dominus Franciscus Vargas fiscalis Cæsareus a nobis notariis in actis redigi, qualiter reverendissimus dominus cardinalis de Monte et Patres præsentes non consenserunt, quod notarii et testes per eum nominati fuerint admissi, ut singulariter et de per se rogarentur de omnibus per eum et collegam suum dictis et dicendis, sed a nobis conjunctim. Deinde prædictus magnificus dominus Velasco nomine dicti magnifici fiscalis Cæsarei et suo legit alta et intelligibili voce scripturam protestationis tenoris infrascripti [1], videlicet :

11. « Cum respublica Christiana miserabiliter convulsa esset, religio labefactaretur, mores vehementer corrupti essent, tota fere Germania descivisset ab Ecclesia, invictissimus Carolus Cæsar Romanorum imperator semper Augustus, cujus nos procuratores sumus, primum a Leone, deinde ab Hadriano, deinde a Clemente sanctæ memoriæ Pontificibus Maximis, ac postremo a Summo Pontifice Maximo Paulo III, sæpissime et continuis precibus universale Concilium flagitaverat, et ratione suæ dignitatis, et ut satisfaceret assiduis supplicationibus Ordinum imperii, et solum eversarum rerum perfugium, ad quod semper in duris Ecclesia accedere consuesset; tandem a Sanctitate sua primo Mantuam, postremo Vicentiam convocatum est generale Concilium. Sed harum civitatum neutra satis apta fuit, in quam multarum et diversarum provinciarum homines libenter et commode convenirent, Germani præsertim, quibus justis et gravibus de causis eo proficisci non licebat. Demum ad imperatoris ipsius voluntatem, cæteris etiam Christianis principibus assentientibus ipsisque adeo poscentibus Germanis, Summus Pontifex Tridentum elegit ipsorum Germanorum causa, propter quos id præcipue Concilium fiebat, quod illam approbaverat civitatem, quemadmodum ipsi Cæsari, illisque in publicis Ratisbonæ habitis comitiis in provincia Germaniæ celebrandum concesserat idem Summus Pontifex, quod locus esset aptissimus ob libertatem et securitatem, ita enim positus est, ut tam Italiæ quam Germaniæ particeps esse, nec a Gallicis aut Hispanicis longe distare videatur : cujus civitatis et episcopus esset Christophorus Madrutius, vir sane probus et pius, ac sacri imperii princeps, et quod omnium rerum, quæ ad victum necessariæ essent, commoditas non desit, ut ipse Summus Pontifex in sua Indictionis Bulla latius declarat. Indictum est, inquam, Tridenti Concilium generale omnium consensu : legati cardinales missi, primum Parisius, Moronus et Polus affuere : qui locum imperatoris repræsentarent oratores episcopus Atrebatensis, dominus de Granvela, et Jacobus Mendozza. Sed nondum visum est tempus satis idoneum ad inchoandum Concilium. Post aliquod tempus iterum missi estis vos Tridentum, reverendissimi Sedis Apostolicæ cardinales legati, reverendissimus de Monte, reverendissimus de Sancta-Cruce, et item reverendissimus Polus, qui nunc abest. Rursum oratores imperatoris idem Jacobus Mendozza et Franciscus Toleto. Accesserunt nonnulli aliorum principum ibidem oratores. Nonnulli erant in itinere multarum nationum episcopi, et ab ultimis terris magna impensa, magno labore convenerunt.

« Inchoatum est tam expetitum ab omnibus Christianis Concilium, causa religionis et reformationis morum in eo tractari cœpta : aliquot habitæ Sessiones, aliquot super his lata decreta. Eodem quoque tempore bellum adversus hostes et sacri imperii violatores imperator gerebat, in quo suscipiendo potissimum tuendæ et amplificandæ religionis, interveniente quoque Sanctitate sua, ratio habita est, ita ut quos ratione flectere non poterat, armis cogeret.

12. « Cum res essent in hoc statu, cœpto religionis negotio, causa morum, quæ tot viribus et consilio indigebat, ad quam peragendam sua majestas et Germaniæ ordines a retro Pontificibus et Sanctitate Sua jam antea remedium tam crebro flagitaverant, sed frigide nimis et vix tentata, virtute imperatoris pacata Germania, in qua recuperandæ religionis eidem Sanctitati et sacro Concilio munus incumbebat, maxima spe adversus tam eorum, qui hucusque Concilium recusaverant, tam etiam eorum, qui in tam necessario negotio imperatori adjutores fuerant, ecce vos reverendissimi domini, translationem, præter omnium expectationem, Pontifice Maximo (quod quidem vos nunquam negastis) inscio et inconsulto, levissima sane causa procurata et conficta, de translatione Concilii retulistis ad Patres consultandi nullo, sed neque cogitandi spatio dato, ita ut pridie proposueritis, postridie decreveritis, perendie discesseritis, cum haud multis Patribus atque iis quidem unius fere Italicæ nationis.

« Huic consilio sancti Patres aliquot, episcopi magnæ fidei et auctoritatis viri, quibus religionis et morum causa cordi erat, tanquam callido nimis et immaturo, Christianæque reipublicæ periculoso contravenere, planeque et publice, inspirante Spiritu sancto, tum translationem Concilii, tum legatorum assertorum et Patrum, qui eos secuti erant, secessum improbaverunt. Publice etiam protestati sunt injustam esse translationem Concilii, velleque se manere Tridenti, libero et legitimo Concilii loco.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 119. et in aliis Ms. ubi supra.

« Inter hæc imperator, dum Bononiæ congregati estis, hoste ad Albam devicto, Saxoniæ provincia superata, duobus belli ducibus altero pugna, altero deditione captis, pacata prorsus Germania, arduum et periculosissimum bellum solus confecit. Nec destitit sæpius summum Pontificem per nuntios, per legatum Sedis Apostolicæ, per eumdem Cæsaris oratorem, et ante confectum et post confectum bellum, magnis et continuis precibus sollicitare, juberet vos omnes, qui adhuc Bononiæ moramini, ad Concilium redire, tandemque admonere, prævideat quot scandala, dissidia, pericula impendeant Christianæ religioni, si incœptum Concilium Tridenti non absolvatur.

« Comitia interim Augustæ Germanis indixit, quæ quidem adhuc celebrantur. In his libero et spontaneo generali totius Germaniæ ordinum et statuum, præterea omnium civitatum consensu, petente Cæsare, decretum est Germanos omnes ad Concilium Tridenti convocatum venire, ut ea, super quibus indictum fuit, tractarentur, et sacrosancta Concilii auctoritate decidantur : ipsos sacrosanctam Synodum suscepturos, idque prorsus et absque ulla conditione præstituros se Cæsari sunt polliciti.

« Legavit imperator oratorem ad eumdem Pontificem Maximum reverendissimum et illustrissimum Christophorum Madrutium cardinalem et principem Tridentinum, qui suæ majestatis et serenissimi Cæsaris, Romanorum regis, ordinumque sacri imperii nomine suæ beatitudini pium hoc et sanctum Germaniæ consilium indicaret, supplicaret, juberet vos, qui Bononiæ agitis, ad Concilium Tridenti inchoatum reverti : hortaretur et admoneret, ut honestissimam et necessariam occasionem tot laboribus et periculis tamdiu quæsitam, nunc demum partam susciperet et amplexaretur. In qua et Patres cum dignitate Tridentum redire, et religionis causa generali Christianorum consensu, ipsorumque Germanorum, quorum potissimum gratia ipsa sacrosancta Synodus Tridenti convocata fuerat, tractari et confici, sacrosanctæ Sedis Apostolicæ auctoritas cum Pontificii nominis dignitate et ipsius Summi Pontificis immortali gloria augeri posset, idque non privatim solum, sed publice cum reverendissimorum cardinalium consensu. Præterea jussit eumdem Jacobum Mendozzam (qui Senas ad componendas illius reipublicæ res venerat) idem negotium præstare, præcepitque, quod si Summus Pontifex dilationem aut excusationem aliquam interponeret, neque præsentem occasionem susciperet, hujusce rei et tam justæ petitionis, præsentissimique in Christianam religionem, tum ipsius Cæsaris, tum serenissimi Romanorum regis animi tam publice quam privatim testes ipsos reverendissimos cardinales, omniumque principum oratores, quotquot adessent Romæ, sisterent: factum est id. Verum Summus Pontifex tempus interposuit, ut consuleret vos, qui hic congregati estis, qui quidem non dissimile secessioni, sive ut vos dicitis, translationi, quam jampridem fecistis, consilium dedistis : inane, subdolum, captiosum et dignum sane quod a Pontifice Maximo damnaretur. Summus autem Pontifex non solum id consilium approbavit, vestramque sententiam secutus est, sed etiam illegitimam illam secessionem Tridentinam, perniciosissimam sane et perniciosam reipublicæ Christianæ, translationis vocabulo, congregationemque seu illegitimum conventum Bononiensem Generalis Concilii nomine appellat, huicque illegitimo conventui tantum auctoritatis in suis ad reverendissimum cardinalem de Monte episcopum Prænestinum, et ad vos, qui hic adestis, litteris et suo ad imperatorem responso tribuit, quantum vos auctoritate propria vobis ipsis arrogare ausi estis, in gravissimum religionis et universalis Ecclesiæ dissidium et scandalum. Quid præterea desiderabamus a Germanis? quid ab his petebamus? toties a Cæsare repetitis itineribus, tot impensis, tot laboribus, maximo et ancipiti suscepto bello atque confecto? Perdetis omnes hos labores pro religione susceptos? perdetis optimam et præsentem instaurandæ restituendæque religionis occasionem? perdetis religionis causam admoniti et requisiti? Id vero certissimum est, Concilium Universale ob causas gravissimas et maxime necessarias Tridenti congregatum suæ sanctitatis indictione, flagitante imperatore, principibus Christianis assentientibus, petentibus Germanis, convenientibus episcopis jam cœptum, nisi summa urgente necessitate, procedentibus tractatibus, ac diligentissima discussione, servato juris ordine, consensu omnium Patrum, alio mutari neque legitime posse neque licere. Sæpe enim translationes, sine causa, callido et præcipiti consilio factæ in causa esse solent, ut magno religionis periculo, magnis in republica Christiana turbis et dissensionibus, interdum populi Christiani perniciosa divisione consilia dissolvantur.

« Causa autem tam subitæ translationis nulla fuit, sed abrupta, quæ se primum obtulit occasio, ac vos, reverendissimi asserti legati, et reliqui Patres, id quod jam pridem meditati fueratis : febres enim nescio quas et aeris vitium causati, affectatum et procuratum quorumdam medicorum testimonium recitantes, vos præcipites Tridento effudistis. Nempe et tunc et deinceps apertissime patuit nullam extitisse vanæ formidinis causam. Præterea ut ulla fuerit ratio discedendi, suam sanctitatem in hac præterea causa consuluissetis, cum tam parvi temporis mora nihil periculi esset allatura; neque enim tam repentina res erat, quod exitus morbi quem causati fueratis, comproba-

vit : inconsulta autem sanctitate sua discessisse vos ipsi fassi estis, et Summus Pontifex postmodum affirmavit. Imperatore quoque consulto et consentiente id facere debuissetis, cui curæ sunt et tutelæ Universalia Concilia, atque id examinare officii augustalis, cujus quanta sit in Conciliis auctoritas , manifestum est. Verum tanta fuit vestra festinatio, ut nec vos ipsi volueritis consulere, nec eos, qui dicebant Beatitudinem suam et imperatorem prius per sanctam Synodum certiores fieri oportere, audiendos putastis , quanquam imperator ipse pro tuenda atque amplificanda religione, pro Ecclesia, pro Concilio laboraret. Vos, reverendissimi domini, et cæteri qui hic adestis, vano et inani timore simulato, imperatore inconsulto abscessistis : ut qui sæpe alias imperator per oratores suos tam vos ipsos, qui legatos Sedis Apostolicæ esse asseritis, tum Pontificem Maximum admonuerat, se neque translationi Concilii, sed neque suspensioni, aut vacationi tacite vel expresse assentiri potuisse.

« Præterea juris ordinem contempsistis, et eam causæ cognitionem, quæ in Synodalibus translationibus sanctorum Patrum sanctionibus instituta est : rem enim omnium fere gravissimam, propere sane et leviter confecistis. Debueratis certe justas multorum gravissimorum Patrum, qui vobis haudquaquam assentiri debere ex certa scientia consulebant, contradictiones libenter audire, eorumque sententias et rationes animadvertere, atque examinare, ac non ipsis neglectis vixque auditis, rem pro libito definire. Quorum quidem sententiæ, tametsi numero pauciores essent, quia tamen firmiores erant, sanioresque reipublicæ Christianæ, debuissent jure præferri, potuissentque multarum nationum Patres, etsi multitudine aliis impares, translationem mere voluntariam, eamdemque reipublicæ Christianæ perniciosam impedire ; quæ si fieri oportebat, fuerant sacrorum Conciliorum decreta servanda, ne discederetur a terminis ejus regionis ; eligendus erat in Germania locus, atque ob id maxime id fieri oportebat, ut de quorum causa præcipue agebatur, Germani tuto possent ad Concilium venire ; quod proculdubio fecissent, omnibus non veniendi subterfugiis, impedimentis et difficultatibus sublatis, ut exitus ipse comprobavit. Idcirco nulla ratione defendi potest, quod Bononiam in medio Italiæ collocatam , subditam imperio Ecclesiastico delegistis , quo nemini dubium est non adituros Germanos. Locum itaque delegistis , quem possent omnes merito multis de causis, quæ nunc a nobis prætermittuntur, recusare, non ut Concilium prosequeremini, sed ut summo exitio Christianorum Concilium præpropere et ex abrupto dissolveretis, aut ex animorum sententia conficiatis. At cum sit Conciliorum officium dissidia tollere, religionem sustentare, mores emendare, hic recessus, quem vos translationem vocatis, turbabit Concilium, perdet omnia.

« Verum cum piissimus imperator, ut verus et legitimus imperator Romanorum, Ecclesiam omnium matrem defendere ac augere teneatur, quod semper ab initio regnorum suorum et imperii fecit ; quanquam ab antiquissimis usque temporibus imperatorii muneris fuerit, Universalia Concilia protegere, et eo usque integra et salva præstare, quo negotia quorum gratia congregantur, debito loco et ordine absoluta sint ; cumque Germaniæ dissidia componere, eamque provinciam, partem imperii potissimam, magnumque Ecclesiæ membrum pacare, et ad veram Christianamque religionem reducere instituerit ; cumque ad eumdem etiam Hispaniarum aliorumque regnorum ac statuum suorum, quorum rex verus et dominus est, auxilio Summi Pontificis et sacrosancti Concilii corrigendorum, et ad veram Christianam vitam reducendorum cura pertineat, quæ ita demum vana non erit, si Concilium Tridenti indictum, Tridenti cœptum, Tridenti continuabitur et absolvetur, animadvertentes hunc recessum, seu ut vos dicitis, translationem, sine ordine legitimo factum, neque lege, neque ordine, neque causa, neque consilio inniti, omnem sancti justique propositi sui rationem perturbare, magnam ex hoc cladem et exitium populo Christiano imminere. Præterea totam Germaniam, ad quam hæc potissimum causa spectat, Concilium postulare Tridenti, polliceri se Concilio Tridenti affuturam, sanctam Tridentinam Synodum suscepturam, ut bonus obediensque Ecclesiæ filius, vos, qui legatos Sedis Apostolicæ esse asseritis, cum reliquis episcopis qui recessistis, et quotquot hic adestis maxime contestatur, ne magno cum labore tamdiu quæsitam componendæ instaurandæque religionis occasionem prætermittatis , ovibus Christi sanguine redemptis auxilium feratis, et ut primo quoque tempore Tridentum revertamini, qui locus visus est Summi Pontificis approbatione tutus et liber, ipsiusque invictissimi et pientissimi imperatoris fide tutior atque liberior, cujus muneris est Concilium protegere atque tueri, ibique, ut decet et necessarium est, sacrosanctum Concilium auctoritate Summi Pontificis, imperatoris efflagitatione, assensu principum, Tridenti inchoatum diuque habitum prosequamini : quod nullo pacto recusare potestis. Et sane id jam antea estis polliciti, si utique Germani ad Concilium accesserint Conciliumque susceperint, vos, cum primum falsi morbi suspicio refrixisset, esse redituros, idemque sanctissimus Pontifex idipsum sæpe per nuntios et legatos promisit ; anno jam fere elapso cessante morbo (si quis fuit), re tranquilla et pacata, ablata ratione timoris, postulantibus principibus et statibus Germaniæ, iisdemque polli-

centibus se libere et absque ulla contradictione aut prætextu sacrosanctam Tridentinam Synodum suscepturos. Cur non revertimini, ut intermissum continuatis opus, ubi cœpistis et continuari oportebat?

« Hoc si fueritis executi, et vos, reverendissimi domini, cum reliquis episcopis Tridentum redieritis, neque dilationem aut difficultatem ullam interposueritis, rem populo Christiano valde necessariam et divinæ majestati gratissimam facietis ; sin autem (quod absit et credibile non est) tam justæ petitioni in tempore et occasione necessaria, quæ quidem nunc se ultro præstans offert, assentiri nolueritis, nos licentiatus Franciscus Vargas et doctor Velascus Cæsaris procuratores et consiliarii, nomine piissimi et invictissimi domini nostri Caroli Cæsaris Romanorum imperatoris, ex illius speciali mandato protestamur, dictam translationem fuisse et esse illegitimam et nullam, et omnia inde acta et secuta, et quæ post hæc quomodocumque de re qualibet agentur et sequentur, affectata fuisse, et futuras rixas et contentiones in Ecclesia Dei inducere atque nutrire, ac proinde nullius momenti, nullius effectus, nullamque habuisse vim, sed nec habitura vigorem ullum, ullam penitus subsistentiam, neque eam posse esse auctoritatem vestram, qui vos legatos asseritis, et episcoporum qui hic adestis et convenistis, et Summo Pontifici majori ex parte adscriptorum, atque ab illius nutu omnino pendentium, ut in religionis et morum reformationis causa, tanti momenti negotio, universæ reipublicæ Christianæ, eique præsertim provinciæ, cujus mores et instituta parum ei nota sunt, legem præscribere possitis. Præterea ejusdem invictissimi imperatoris semper Augusti nomine et speciali mandato protestamur, atque denuntiamus, suæ Sanctitatis, et vestram responsionem, nec aptam, nec præsenti negotio et necessitati convenientem, sed illegitimam, et figmentis plenam, et prorsus delusionem fuisse et esse, nulloque jure nulla ratione subsistere.

« Protestamur insuper omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, quæ inde evenere, ac evenient, ac possunt contingere vobis omnibus, et huic congregationi, quam Concilium appellatis, non sibi imputanda ; ad quæ quidem potestis facillime et debetis remedium canonicum adhibere. Protestamurque similiter, invictissimum dominum nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, defectu, culpa et negligentia vestra, et sanctissimi Pauli III Summi Pontificis, Ecclesiæ procellis et tempestatibus, quas metuit ex hoc facto, videtque impendere, totis suis viribus obviam iturum, ejusque protectionem et tutelam omni studio suscepturum, totumque id, quod sui juris, muneris, officii et dignitatis est, quo imperator est, quo rex est, quatenus jus patitur, et legibus, Sanctorumque Patrum institutis, et orbis consensu decretum et observatum est, non omissurum, omniaque alia, quæ ejusdem domini nostri imperatoris nomine possumus et debemus, quo melius expediat atque conveniat modo et ordine, fierique hujus nostræ protestationis Instrumentum in forma publica a præsentibus notariis, et eorum quolibet petimus et nobis reddi postulamus una cum mandato originali, unde et constet Cæsarem suo muneri et nos officio nobis injuncto minime defuisse. Petimus insuper protestationem hanc nostram, una cum Cæsaris domini nostri mandato in Actis hujus prætensæ congregationis a notario vestro inseri, ut perpetuo constare possit.

« Licentiatus Vargas et doctor Velasco ».

Qua protestatione lecta, idem magnificus et fiscalis Cæsareus suo et collegæ nomine dictam protestationis scripturam sic lectam et recitatam virtute mandati Cæsarei præsentavit, illamque in Acta redigi petiit et requisivit modo et forma, prout in ipsa continetur.

13. Ad quæ omnia reverendiss. et illustriss. D. cardinalis de Monte præsidens [1] præfatus repetita protestatione lecta per dominum Claudium notarium suprascriptum ex mente et sententia Patrum existentium in Congregatione respondit, narrata et recitata per D. Doctorem Velascum, prout recitantur et narrantur in protestatione seu scriptura per eum lecta, præsertim contra honorem ipsius reverendiss. et illustriss. collegæ sui, et Patrum in civitate Bononiensi congregatorum, et ea quæ proposita fuerunt de invaliditate translationis ex civitate Tridentina ad civitatem Bononiensem dolose factæ, et quæ proposita fuerunt de securitate et libertate civitatis Tridentinæ, non esse vera et veritatis clypeo carere. Contestatur de hoc Deum, qui est ipsa veritas, prout suo loco et tempore, si opus fuerit, deducetur et ostendetur, asserens etiam et affirmans se esse paratum una cum Patribus Concilii mortem oppetere, et martyrium pati potius, quam consentiant, quod hoc exemplum in Ecclesiam introducatur, ut sæcularis potestas velit Concilium cogere pro libito suo, et ei libertatem adimere : et imperatorem (quod cum pace ejus dicitur) esse Ecclesiæ filium, non autem dominum vel magistrum : se et collegam suum esse Sedis Apostolicæ legatos, et de iis quæ eis imponuntur, et de tota villicatione sua paratos se esse reddere rationem Deo primum, deinde sanctissimo D. N. in ipsa Sede sedenti. Et nihilominus cum proposita per ipsos dominos procuratores Cæsareæ majestatis longam contineant seriem verborum, et non possint omnia memoria retineri, dixit et obtulit, quod dabitur eis congruum et plenius responsum

[1] Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. ubi sup. p. 280. Ms. car. Pii.

die Veneris proxime futura hora Congregationis consueta; monendo eosdem, ut eadem die et hora compareant responsum ipsum accepturi, et nisi comparuerint, dixit et protestatus est, quod nihilominus responsum dabitur, et publicabitur mundo universo, repetens protestationem præfatam et pro repetita habere volens.

14. *Translatio Concilii juridice facta.* — Quibus verbis prolatis, prædictus dominus fiscalis Cæsareus dixit suo et collegæ nomine, ea tantum respondenda, quæ tantum in sua protestatione dicta erant, de quibus publicum Instrumentum vel publica Instrumenta confici et sibi reddi in publica forma petiit et requisivit.

His peractis, dimissa fuit Congregatio hora tertia noctis, ac Patres omnes discesserunt.

His enarratis Angelus Massarellus [1] addit: « Deus omnipotens sua ineffabili bonitate, suique unigeniti Filii Domini et Redemptoris nostri Jesu Christi Passionis meritis avertere dignetur, ne hodierna sit principium maximi schismatis in Ecclesia Dei ».

Non repudiatum autem jure Concilium Bononiense, quod Bononia ditionis Ecclesiasticæ foret, uti imperator objiciebat, subjectis argumentis [2]:

« De securitate civitatis nempe Bononiæ dubitandum non erat, nam civitas Ecclesiæ est, a qua Ecclesia Germania ipsa et religionem Christianam a principio habuit et libertatem nempe imperium. Et cum Ecclesia mater sit omnium, Germani ut filii non deberent dissidere a matre, et eo maxime, quod principes vicini Bononiæ fere omnes pendent a Cæsare, et quod libera sit illa civitas apparet, cum fiscales ejusdem Cæsaris protestati fuerint contra legatos et Concilium sine ullo respectu et per modum invectivæ, absque eo quod visitaverint unquam legatos et Concilium sine ullo respectu, vel aliud signum humanitatis præ se tulerint, non tamen aliter quam comiter et benigne tractati fuerint, et episcopus ille, qui magisjoco quam serio verba minus redolentia jactavit, graviter et acerbe reprehensus fuit. Veritas tamen est, licet Bononia rejicienda non esset, neque suspecta habenda, tamen tempore translationis non fuit electa pro civitate permanente, sed pro diversorio, donec alius securus et idoneus locus pro prosequendo Concilio eligeretur. Dispensatione vero et providentia divina factum est, ut decretum hoc translationis revocaretur in dubium, ut apud omnes magis clara fieret justificatio ejus, nam post avocationem causæ a Sanctiss. D. N. nemo ausus est ei opponere, cum non habeant quid opponant, nec tempore etiam discessus, vel post conquesti unquam sunt cum Pontifice; imo quando discedebatur, nonnulli ex Hispanis adeuntes legatos rogaverunt, ut se excusatos haberent, si cæteris comites se non præbebant, indignationem enim Cæsaris se timere dicebant, et sic obedire magis volebant hominibus quam Deo. Non est ergo dubitandum de decreto hoc translationis. Nam cum Concilium esset Œcumenicum et liberum, potuit et voluit sua auctoritate et libertate se transferre, nec Pontifex voluit unquam plenitudine suæ potestatis Concilii impedire libertatem, sed quidquid Concilio, et in reditu ad Tridentum, vel mansione in Bononia, vel electione alterius loci placuisset, id etiam sibi placebat ».

15. *Injuste sibi arrogat Cæsar potestatem statuendi de rebus religionis.* — De hac Cæsaris protestatione, ut qui supremum in Ecclesiam imperium sibi arrogaret, ac pro arbitratu suo Concilium in eo, quem vellet, loco congregandum contenderet, non modo Pontifice et Concilio tum coacto, sed etiam cæteris regibus contemptis, agit Jacobus Augustus Thuanus, laudatque Joannis Mariæ de Monte Concilii præsidis constantiam, qui potius mortem oppetendam professus sit, quam ut a Cæsare impie eam auctoritatem invadi pateretur.

« Montanus, inquit, de voluntate Patrum multa graviter elocutus, injuriam sacrosancto huic cœtui fieri queritur, Deumque testatur, se paratos extrema quæque ac mortem denique potius oppetere, quam adeo pernicioso Ecclesiæ exemplo pati, ut civilis magistratus pro arbitratu Synodum cogat: Cæsarem quippe non dominum aut magistrum, sed Ecclesiæ filium esse, se vero et collegas qui adsunt Romanæ Sedis legatos esse, penes quos ordinandi et transferendi Concilii jus sit, neque tamen recusare, quin Deo in primis, deinde Summo Pontifici suæ legationis rationem reddant; quod ad protestationem attinet, ei intra paucos dies responsum iri ».

Quo vero Cæsar in Ecclesiam usurpare affectabat auctoritatem, eo Henricus II Gallorum rex ad defendendam Ecclesiam juraque Pontificis, et Concilii se comparabat, ac xv Januarii Cenetensis episcopus Bononiensis Concilii Patres (significata optima regia in Pontificem voluntate) confirmavit exposuitque Parmam regio sumptu adversus Cæsaream vim propugnatum iri; Pontifex vero xi Januarii ad devinciendum sibi eumdem regem, Carolum Borbonium principem, a quo religionem Catholicam in Gallia constantissime difficillimis temporibus defensam visuri sumus, cardinalitia dignitate decoravit.

16. His addunt Acta Bononiensis Concilii [1]:

« XIX mensis Januarii MDXLVIII, in Concilio Bononiensi agitur de responsione ad ea, quæ Cæsaris nomine ab eisdem procuratoribus fue-

[1] Ms. arch. Vat. ubi sup. p. 280. — [2] Ms. card. Pii sig. num. 260. p. 128.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 180.

rant die Lunæ exposita ». Cum vero rogarentur sententiæ, hæc a Braccio Martello episcopo Fesulano prolata est :

« Sententia I.

« Quoniam gravissimis de rebus agitur, patres amplissimi, et maxime, ut puto, periculosis, de responsione videlicet ad ea, quæ in proximo conventu, imperatoris maximi nomine, hoc plane in loco fuerunt exposita, et quia etiam res certe videntur in extremum adductæ discrimen, cavendum sane hoc tempore arbitror, non ut quam maxima cum dignitate, sed ut quam minimo cum periculo ac perturbatione rerum, hæc negotia transigantur, ne forte tanti Christianorum imperatoris animo rebus adhuc peractis (ut videtur) incenso, verborum etiam faces admoveantur, quo ingens aliquod Patribus creetur incommodum ; qua etiam ex re, cum ea regula sit, ut nemo ad respondendum de improviso, ut inquiunt, teneatur, ac summa ratione ab illustrissimo præside, aliisque Patribus proximo in conventu dictum fuit, ut responsum ad ea, quæ tum Cæsaris nomine afferebantur, in aliud tempus differretur ». Et mox : « Dicam in summa mihi illud tantum placere, quod ad Christi Ecclesiæ, Christianorumque principum ac nationum pacem, tranquillitatem et concordiam spectat ; ea autem omnia, quæ ad horum lites, rixas, discordias et contentiones nulla ratione pertinent, probare non posse.

« Maxime igitur censeo faciendum, quo ingentes malorum moles depellantur, ut omni contentione omissa, et patientiæ prorsus ac tolerantiæ quibusdam quasi radicibus nixi, nobis, atque inhærentibus, quod certe episcopos et successores Apostolorum maxime decet, de reversione Tridentum omnino agatur ; ne sane pro extirpandis hæresibus, componendisque moribus, et pace inter Christianos concilianda, ad quæ Concilium ipsum convocatum Apostolicis litteris fuisse constat, Christianis fere omnibus quiescentibus et Concilii exitum expectantibus, contentione hac Tridentina reversionis nostræ rebus incompositis ad incredibiles horum temporum hæreses, schisma horribile atque atrocissimum bellum adjungatur.

« Et quoniam non solum clades, pernicies et vastitas infinita, sed totius Christianæ reipublicæ status, qui nunc est, funus atque interitus sit proxime pertimescendus.

« Quare cum hæc omnia non impendere tantum, sed jam adesse, ac prope nos urgere videamus, nisi forte ea, quæ videmus, volumus dissimulare, non, credo, jam dubitabunt aliqui, quo tot mala ac tanta a populo Christiano arceantur, quin illud unum, quod in vestra situm est manu, Tridentinæ reversionis remedium sit quam primum arripiendum, præsertim cum hi præclare possint intelligere statum hunc rerum, qui nunc est, nulla ratione nisi concordia posse retineri, ne dicam minore eorum incommodo ordinari, etc. ».

17. Sensere alii obsistendum Cæsari, cum æquissimas leges pro transferendo ex omnium consensu Concilio refelleret, metuendumque esset, ne translato Concilio, alia in gratiam Lutheranorum, quos non tam conciliatos vere Ecclesiæ ac Deo, quam sibi devinctos volebat, pertentaret, deque responso ejus procuratoribus reddendo maturitate summa consilii actum est. Sed ut subjicit Angelus Massarellus :

« Sed cum res indigeret discussione, delecti sunt Patres infrascripti, qui ipsam responsionem aptarent, qui Patres fuerunt reverendissimi domini archiepiscopus Aquensis, Materanus, Naxiensis, Upsalensis, Armachanus, et episcopi Feltrensis, Anicensis, Ambricensis, Noviomensis, Camerinensis, Veronensis, Salutiarum, Albinganensis, Aliphanus, necnon reverendus pater Hieronymus Seripandus Generalis Eremitarum S. Augustini.

« Die Veneris xx Januarii hora xv, fuit Congregatio supranominatorum dominorum deputatorum coram ipso reverendissimo et illustrissimo domino primo præsidente, diuque egerunt magna discussione super aptanda responsione danda procuratoribus Cæsareis ad eorum protestationem, sed tandem conclusum fuit, ut brevissime pro nunc responderetur, affirmando quod Bononiæ est verum legitimum, universale Concilium, et quod a nemine de hoc dubitari jure potest, et quod adducta et recitata per ipsos procuratores, cum sint omni rationi et veritati contraria, et videantur piæ et Catholicæ menti invictissimi imperatoris repugnare et adversari, sancta Synodus certo credit, vel sine suæ Cæsareæ majestatis commissione et scientia, sed ex mala et sinistra informatione processisse. Non recedendo tamen a protestationibus per eamdem sanctam Synodum infrascripta die Lunæ factis. Deinde dimittitur Congregatio hora xx. Eadem die hora xxi, coacta est alia Congregatio generalis, discessereque Bononia procuratores Cæsarei, nec ad responsum excipiendum hærere voluerunt, quare cum die condicta et hora non comparerent, promulgatum est, non stare per Synodum quin responsum daretur, quod erat his verbis conceptum :

« Sacrosancta hæc Œcumenica et generalis Bononiensis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea sanctæ Sedis Apostolicæ legatis, quæ nullatenus dubitat, neque ab aliquo jure dubitari posse scit, quin legitimum et universale Concilium faciat et constituat, cum die Lunæ proxime præterita in generali congregatione, post lectam a nobis propositionem vestram, monuerit vos, ut hac die compareretis, congruum et plenius responsum

ad vestras prætensas protestationes accepturi, sic vobis respondet : Quod quæcumque per vos adducta fuerunt, cum sint omni rationi contraria, et videantur piæ et Catholicæ menti invictissimi Cæsaris repugnare et adversari, sancta Synodus certo credit, vel sine suæ Cæsareæ majestatis commissione et scientia, vel ex mala ac sinistra informatione processisse. Et ita vobis dicit, et denuntiat, non recedendo tamen a suis protestationibus, supradicta die Lunæ factis ».

18. Interea infirmatus in sua voluntate Carolus V nimiam de rebus religionis constituendi auctoritatem sibi arrogavit, cujus rei fama postero die Bononiam perlata est, ut refert Angelus Massarellus in Diario [1] :

« XX Januarii mane recepimus litteras e Germania XVI hujus Augustæ datas, quibus significatur, imperatorem post relationem cardinalis Tridentini de sua legatione proposuisse statibus imperii, quod hoc INTERIM, quod Concilium non reducitur Tridentum, eligant status imperii aliquos viros, et ipse Cæsar addet aliquos, qui agant et discutiant de re tota controversa super religione, deinde referant suæ majestati, qui constituet, quid agendum usque ad futurum Concilium (præsupponit enim, quod Bononiæ non sit Concilium); deinde de Concilio agetur ».

Quam vero injuste Cæsar protestationes suas adduceret, patuit ex ipso exemplo ab eo dato, nam cum postea Concilium Tridentum translatum esset, Galliæ rex eodem tunc jure, quo modo Cæsar, protestatus est, non placere sibi instauratum Tridenti Concilium, atque ab eo provocavit, ex qua provocatione et protestatione gravissima mala emersisse suo loco lugendum erit : nam regum non est imperare Ecclesiæ, sed illi subesse. Porro cœptis insistens Cæsar, protestationem adversus Bononiense Concilium nuncupatum Bononiæ, etiam Romæ coram Pontifice in senatu cardinalium procuratorum opera, XXIII Januarii (ut Acta Consistorialia [2] testantur) repetivit, causamque suam non promovit, sed corrupit, cum obsequiis et precibus restitutaque Placentia provehere eam debuisset. Poterant enim præsules Hispani Christiana demissione Concilii Bononiensis auctoritatem agnoscere, quo rursum Bononia Tridentum Synodus revocaretur, justissimeque exigebatur, ut Lutherani decreta fidei jam Tridenti edita suscipere cogerentur, utque Cæsar se obstringeret, quod Concilium vetere ritu inductis popularibus laicis vel hæreticis celebraretur.

19. *Coram ipso Pontifice protestantur Cæsarei oratores.* — Edita vero coram Pontifice protestatio Cæsaris ab oratore subjectis verbis concepta erat [3] :

« Caroli V imp. Augusti protestatio contra conciliabulum Bononiense a Paulo III congregatum facta Romæ per illustrem Jacobum Mendozam, legatum Cæsareum, anno Domini MDXLVIII.

« Sanctissime Pater, cum respublica Christiana miserabiliter convulsa esset, religio labefactaretur, mores vehementer corrupti essent, tota fere Germania ab Ecclesia descivisset, invictissimus dominus Carolus Cæsar Romanorum imperator semper Augustus, cujus ego oratoris et procuratoris vices gero, primum a Leone, deinde ab Hadriano, deinde a Clemente sanctissimæ memoriæ Pontificibus Maximis, postremo a Sanctitate vestra, beatissime pater, Paulo III sæpe summis et continuis precibus universale Concilium efflagitavit, et ratione suæ dignitatis, et ut satisfaceret assiduis supplicationibus ordinum imperii, ut solum eversarum rerum effugium, ad quod semper in duris Ecclesia accedere consuesset, quas quidam ob causas a sanctitate vestra primum Mantuam, postremo Vicentiam convocatum est Generale Concilium, sed harum civitatum neutra satis apta fuit, in qua diversarum et multarum provinciarum homines libenter simul et commode convenirent, Germani præsertim, quibus justis et gravibus de causis eo proficisci non licebat.

« Demum imperatoris ipsius voluntate, cæteris etiam Christianis principibus assistentibus, ipsisque adeo poscentibus Germanis, Sanctitas vestra Tridentum delegit Germanorum gratia, propter quos id præcipue Concilium fiebat; quod illam approbaverant civitatem, quemadmodum imperatori, iisque in publicis eorum Ratisbonæ habitis comitiis in Provincia Germaniæ, celebrandisque concesserat, eadem Sanctitas vestra, quod locus esset aptissimus ob libertatem, securitatem et opportunitatem, ita enim positus est, ut tam Italiæ propinquus, quam Germaniæ situs esset, nec a Gallia aut Hispanis longissime distare videretur, cujus civitatis episcopus esset Christophorus Madrucius vir sane probus piusque ac sacri imperii princeps, et sanctitatis vestræ multis nominibus amicus, et quod omnium rerum, quæ ad victum necessariæ sunt, commoditas non desit, ut Sanctitas vestra in sua Bulla latius declarat.

« Tridenti est, inquam, indictum Concilium generale omnium consensu, legati cardinales missi primum reverendissimus Parisius, Moronus et Polus adfuere, qui vices Pontificis repræsentarent, oratores imperatoris admodum illustrissimus religiosissimus episcopus Atrebatensis, illustrissimus vir dominus de Granvella, et ego Jacobus de Mendoza, sed nondum visum fuit sanctitati vestræ, ut apparet ex secunda

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 281. — [2] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sign. num. 133. p. 511. — [3] Ext. apud Goldast. to. II. inter Const. imp. p. 562. Ext. etiam in Actis Conc. Bonon. p. 406. Et in Ms. card. Pii sig. num. 268. p. 25.

Bulla Sanctitatis vestræ, tempus satis idoneum ad inchoandum Concilium, post aliquot dies iterum a Sanctitate vestra missi Sedis Apostolicæ legati cardinales reverendus de Monte, reverendus S. Crucis, et iterum reverendus Polus; rursum oratores, ego Jacobus Mendoza et illustris vir Franciscus Toledo absens : accesserunt nonnulli aliorum principum itidem oratores, nonnulli erant in itinere, multarum nationum episcopi etiam ab ultimis terris convenere, magnis impensis, magno labore inchoatum est, et petitum ab omnibus Christianis Concilium, et causa religionis et reformationis morum in eo tractari cœpta.

« Eodem quoque tempore bellum adversus hostes et sacri imperii violatores imperator gerebat, in quo suscipiendo potissimum tuendæ et amplificandæ religionis, idque interveniente Sanctitate vestra ratio habita est, ita ut quos ratione flectere non poteramus, armis cogeremus. Cum res essent in hoc statu, cœpto (ut dixi) religionis negotio causa morum quæ totis viribus Concilio indigebat, ad quam legitime et absolute prorsus peragendam sacra majestas et Germaniæ ordines a retro Pontificibus et Sanctitas vestra jam antea remedium tam crebro flagitaverant, sed frigide nimis et vix tentata.

« Deinde virtute imperatoris pacata Germania, in qua recuperanda Sanctitas vestra et sacrosancti Concilii munus incumbebat maxima spe et certitudine eorum adventus, tum etiam, qui hucusque Concilium recusaverant, et eorum qui in tam necessario religionis negotio adhuc occupati imperatori adjutores erant.

« Ecce reverendissimi asserti legati tumultuose præter omnium expectationem, Sanctitate vestra, quod ipsi dicunt, inscia et inconsulta, levissima sane causa procurata et conficta, de translatione Concilii retulerunt ad Patres, nullo consultandi, sed neque cogitandi spatio dato, ita ut pridie proposuerint, postridie decreverint, perendie discesserint cum multis Patribus, atque iis quidem tum temporis, vel unius fere Italicæ nationis, vel ante adeptum episcopatus nomen in Italia degentibus.

« Huic consilio, sanctissime Pater, plures episcopi magnæ fidei et auctoritatis mire, quibus religionis et morum causa cordi erat, tanquam callido nimis et immaturo, Christianæque reipublicæ periculoso, contravenere, planeque et publice, inspirante eis Spiritu sancto, cujus sane causa in primis agi debebat, tum translationem propositam, tum legatorum assertorum et Patrum qui eos secuti sunt, injustam esse translationem Concilii, velleque se manere Tridenti libero et legitimo Concilii loco publice protestati sunt.

« Inter hæc imperator, dum episcoporum congregatio Bononiæ manet, hoste ad Albium devicto, Saxoniæ provincia superata, duobus belli ducibus, altero pugna, altero deditione captis, pacata prorsus Germania, arduum et periculosissimum bellum solus confecit, nec destitit sæpius Sanctitatem vestram per nuntios, per legatos Sedis Apostolicæ, per illustrissimum Joannem Vegam, per me, et majestatis suæ apud Sanctitatem vestram oratores, et ante et post confectum bellum magnis et continuis precibus sollicitare, juberet Patres, qui Bononiæ perstant, ad Concilium Tridentum redire, eamdemque ipsam admonere, prævideat, quot scandala, dissidia, pericula impendeant Christianæ religioni, si jam cœptum Concilium Tridenti non continuetur et absolvatur.

« Comitia interim Augustæ Germanis indixit, quæ quidem adhuc celebrantur; in his libero spontaneo generali totius Germaniæ ordinum et statuum, præterea omnium civitatum consensu, petente imperatore decretum est, Germanos omnes ad Concilium Tridenti convocatum venturos, ut ea, super quibus indictum fuit, tractentur, et sacrosancta Concilii auctoritate decidantur; ipsam sacrosanctam Tridentinam Synodum se suscepturos, idque prorsus et absque ulla conditione se præstituros imperatori sunt polliciti.

« Legavit imperator oratorem ad Sanctitatem vestram illustrissimum et reverendissimum Christophorum Madrucium cardinalem et principem Tridentinum, quo suæ majestatis et serenissimi Romanorum regis, Ordinumque sacri imperii nomine Sanctitas vestra pium hoc et sanctum Germaniæ Concilium indiceret, supplicaret, juberet Patres, qui Bononiæ agunt, ad Concilium Tridenti inchoatum reverti, hortaretur et admoneret, ut honestissimam et necessariam occasionem tot laboribus et periculis tamdiu quæsitam, nunc demum partam susciperet et amplecteretur, in qua et Patres cum dignitate Tridentum redire et religionis causa generali Christianorum consensu, ipsorumque Germanorum quorum potissimum gratia ipsa sacrosancta Synodus Tridenti convocata fuerat, tractari et confici, et sacrosanctæ Sedis Apostolicæ auctoritas magna cum Pontificii nominis majestate, et ipsius Sanctitatis vestræ immortali gloria augeri posset, idque non privatim solum, sed publice faceret in reverendissimorum cardinalium consessu.

« Præterea jussit me, qui Senas ad componendas illius reipublicæ res veneram, idem negotium præstare, quod si Sanctitas vestra dilationem aut excusationem aliquam interponeret, neque præsentem occasionem susciperet hujusce rei, ut tam justæ petitionis, promptissimique erga Christianam religionem majestatis suæ animi tam publice quam privatim, vos ipsos reverendissimos cardinales, et omnes omnium principum oratores, qui Romæ agunt, testes vocarem, præcepit.

« Præterea jussit procuratores et consiliarios suos, qui Bononiæ expectabant de ea re responsum, et a Patribus ibi congregatis, et a Sanctitate vestra, si unquam vel ipsi Patres vel Sanctitas vestra id recusassent, vel dilationem aliquam interposuissent, in generali Patrum cœtu nomine majestatis suæ protestari, iniquam fuisse translationem, et omnia inde facta et secuta ab ipsis Patribus affectata, et nulla esse, atque futura fore. Factum est, beatissime Pater, post requisitiones privatas, etiam publice, primum a reverendissimo Tridentino die nona Decembris, deinde a me die decima quarta ejusdem mensis hora antemeridiana, in hoc reverendissimorum Patrum consessu, cum debita humilitate, instantissime rogando, idemque per viscera et per sanguinem Domini nostri Jesu Christi : tempus tamen Sanctitas vestra interposuit ad consulendos super responso Patres qui Bononiæ sunt, qui quidem non dissimile secessioni, sive (ut ipsi dicunt) translationi consilium dedere, vanum, subdolum et captiosum in gravissimum religionis et universalis Ecclesiæ dissidium, scandalum et detrimentum.

20. « Sanctitas autem vestra id Concilium approbasse, illorumque sententiam suscepisse quodammodo visa est, illegitimam secessionem Tridentinam, periculosissimam sane et perniciosam reipublicæ Christianæ, translationis vocabulo, congregationemque seu illegitimum conventum Bononiensem Generalis Concilii nomine appellans, tantumque ei congregationi auctoritatis in suis ad reverendissimum cardinalem de Monte episcopum Prænestinum, et ad vos, qui adestis, litteris, et suo ad imperatorem responso tribuere videtur, quantum episcopi prænominati auctoritate propria sibi ipsis arrogare ausi sunt.

« Præterea responsum ad Cæsarem dat dilatorium et illegitimum, præsenti occasioni et negotio impertinens, ineptum et inconveniens.

« Quid enim magis alienum, quam in gravissima causa, in negotio religionis, et Spiritus sancti, et causæ cognatione antevertere, et sententiam ferre, et se judicem constituere, antequam sibi judicium deferatur : et his qui ægrotabant et sanandi erant, qui hucusque remedium detrectare videbantur, qui nunc religionem, qui morum reformationem, qui unionem publicarum dissensionum petunt, et Concilium Tridenti, ubi cœptum fuerat, continuari et absolvi (quod omnium bonorum causam futurum certissime credunt), præstantissimam medicinam tergiversationibus et ambagibus procedere et denegare. Nos poscebat illi Concilium vetere ritu et instituto celebrandum, in quo Pontifex eorum judicio præsideret, sed illius accusatores se constituere, ac Cæsari eum subjicere moliebantur, quarum Sirenarum mortiferis cantiunculis Cæsar in præcipitia se pellici videbatur.

« Et cum probationem causarum translationis a perspicuis, et religiosissimis, et probatissimis testibus sumi conveniens, sit in ipsa testibus inter se parum convenientibus nullius auctoritatis de plebe hominibus fidem adhibere, imperatoris autem, et regis Romanorum, et principum, statuumque Germaniæ, qui in publicis comitiis congregati sint, qui et per sanctæ Sedis Apostolicæ cardinalem, atque eumdem sacri imperii principem Sanctitatem vestram certiorem faciunt, de hoc tam sancto, tam pio Germanorum proposito atque decreto, fidem in dubium vertere, quod ex ipsorum Sanctitati vestræ responso tum publice, tum privatim dato intelligi potest. Nulla infertur injuria, si Pontifex hujus controversiæ judex Concilii Bononiam translati Patres audiendos censuerit, nec parti Cæsareæ totum se addicere debuit.

21. « Multa alia a me prætermittuntur, sanctissime pater, quæ tempore et loco (si opus fuerit) in hac causa dicentur, quid præterea desiderabamus a Germanis? quid ab eis petebamus? toties a Cæsare repetitis itineribus, tot impensis, tot laboribus maximo et ancipiti suscepto bello atque confecto? Perdet omnes labores hos Sanctitas vestra pro religione susceptos, perdet optimam et præstantem sanandæ restituendæque religionis occasionem, et perdet religionis causam admonitus et requisitus. Id vero certissimum Concilium Universale ob causas gravissimas et maxime necessarias Tridenti congregatum vestræ Sanctitatis indictione, flagitante imperatore, Christianis principibus assentientibus, petentibus Germanis, convenientibus episcopis jam cœptum, nisi summa urgentique necessitate præcedentibus tractatibus, et diligentissima discussione servato juris ordine consensu omnium Patrum alio mutari, neque legitime posse nec licere.

« Sæpe enim translationes callido et præcipiti consilio sine causa factæ in causa esse solent, ut magno religionis periculo, magnis in republica Christiana turbis et dissensionibus, interdum populi Christiani perniciosa divisione Concilia dissolvantur, causa autem tam subitæ translationis nulla fuit, sed arrepta quæ se primum obtulit occasione, reverendissimi asserti legati, ut a me dictum est, et reliqui Patres fecerunt : quod jam pridem meditati fuerant. Febres enim nescio quas et aeris vitium causati affectatum et procuratum quorumdam medicorum, sed præcipue ancillarum, et coquorum vilissimorum hominum testimonium recitantes, Tridento præcipites discesserunt : nempe, et tunc et deinceps apertissime patuit nullam extitisse vanæ formidinis causam.

« Præterea, si ulla fuerit ratio discedendi vestram Sanctitatem in hac prætensa causa consuluissent, cum tam parvi temporis mora nihil periculi esset allatura ; neque enim tam repen-

tina res erat, quod exitus morbi, quem causati fuerant, comprobavit.

« Inconsulta autem Sanctitate vestra discessisse illos episcopos fassi sunt, et Sanctitas vestra postmodnm affirmavit. Cui quidem sanctitatis vestræ testimonio multum certe fidei et auctoritatis detrahunt vestræ ad reverendissimum de Monte litteræ et responsiones ad Cæsarem datæ.

« Imperatore quoque consulto et assentiente id facere debuissent, cui curæ sunt et tutelæ Universalia Concilia, atque id ex munere officii Augustalis, cujus quanta sit in Conciliis auctoritas, manifestum est.

« Verum tanta fuit legatorum assertorum festinatio et simulatio, ut nec ipsi voluerint consulere, nec eos qui dicebant Sanctitatem vestram et imperatorem prius per Sanctam Synodum certiores fieri oportere audiendos putarint. Cumque imperator ipse pro tuenda et amplificanda religione, pro Ecclesia, pro Concilio laboraret, ipsi vano et inani timore simulato, imperatore inconsulto abscesserunt. At qui sæpe alias imperator per oratores suos cum ipsos assertos legatos, tum Sanctitatem vestram admonuit, se neque suspensioni, aut vacationi tacite vel expresse assentiri posse.

22. « Præterea juris ordinem contempserunt, et eam causæ cognitionem, quæ in Synodalibus translationibus sanctorum Patrum sanctionibus instituta est. Rem enim fere omnium gravissimam, propere sane et leviter confecerunt. Debuerant certe justas multorum gravissimorum Patrum, qui illis haudquaquam assentiri, docti re, ex recta conscientia consulebant, contradictiones libenter audire, eorumque sententias ac rationes animadvertere, atque examinare, ac non ipsis neglectis vixque auditis, rem pro libitu definire : quorum quidem sententiæ, quod graviores et firmiores erant sanioresque reipublicæ, debuissent in re præferri, potuissentque multarum nationum Patres, etsi multitudine aliis impares, translationem mere voluntariam, eamdemque reipublicæ Christianæ perniciosam impedire. Quam si fieri oportebat, fuerant sacrorum Conciliorum decreta servanda, ne discederetur a terminis ejus regionis : eligendus erat in Germania locus propinquior et opportunior, atque ob id maxime fieri oportebat, ut de quorum causa præcipue agebatur, Germani tuto possent ad Concilium venire, quod proculdubio fecissent, omnibus non veniendi subterfugiis, impedimentis et difficultatibus sublatis, ut exitus ipse comprobavit.

« Illud vero nulla ratione defendi potest, quod Bononiam in medio Italiæ collocatam, subditam imperio Ecclesiæ delegerint, quo nemini dubium est, non adituros Germanos. Locum itaque delegerunt, quem possent omnes merito multis de causis, quæ nunc a me prætermittuntur, recusare, non ut Concilium prosequantur, sed ut summo exitio Christianorum, decoloratione et deformatione status reipublicæ Christianæ Concilium præpropere et ex abrupto dissolvant, aut ex animi eorum sententia conficiant. At cum sit Conciliorum officium dissidia tollere, religionem sustentare, mores emendare, hic recessus, quem ipsi translationem vocant, turbabit Concilium, perdet omnia.

« Verum cum piissimus imperator, sanctissime et summe Pontifex, ut verus et legitimus Romanus imperator, Ecclesiam omnium matrem augere ac defendere teneatur (quod semper ab initio regnorum suorum et imperii fecit) cumque ab antiquissimis retro temporibus imperatorii muneris fuerit, Universalia Concilia protegere, et eo usque integra et salva præstare, quoad negotia, quorum gratia congregantur, debito loco et ordine absoluta sint ; cumque Germaniæ dissidia componere, eamque provinciam, partem imperii potissimam, magnumque Ecclesiæ membrum pacare, et ad veram Christianamque religionem reducere constituerit, cumque ad eumdem etiam Hispaniarum aliorumque regnorum et statuum suorum, quorum rex verus ac dominus est, auxilio Sanctitatis vestræ et sacrosancti Concilii corrigendorum, et ad veram Christianam vitam reducendorum cura pertineat, quæ ita demum vana non erit, si Sanctitas vestra Concilium Tridenti indictum, Tridenti cœptum, Tridenti continuaverit et absolverit.

23. « Animadvertens, inquam, imperator hunc recessum, seu (ut ipsi dicunt) translationem sine ordine legitimo factam, neque lege, nec ratione, neque causa, neque consilio inniti, omnem sancti justique propositi sui rationem perturbare ; præterea totam Germaniam, ad quam hæc potissimum causa spectat, Concilium postulare Tridenti, polliceri se Concilio Tridenti affuturam, sanctam Tridentinam Synodum suscepturam, Sanctitatem vestram, quam semel atque iterum obtestatus est, nunc quoque ut bonus obediensque Sanctitatis vestræ et Ecclesiæ filius maxime contestatur debita humilitate et Christiana monitione per viscera Domini nostri Jesu Christi, ne magno labore tamdiu quæsitam componendæ restaurandæque religionis occasionem prætermittat, ovibus a Deo Optimo maximo sibi commissis auxilium ferat, jubeat suos assertos legatos cum reliquis episcopis qui recesserunt, sine mora Tridentum reverti, qui locus visus est Sanctitatis vestræ approbatione tutus et liber, ipsiusque invictissimi et pientissimi imperatoris fide tutior atque liberior, cujus muneris est Concilia protegere atque tueri, ibique ut decet ac necessarium est, sacrosanctum Concilium auctoritate imperatoris, efflagitatione et assensu principum Tridenti inchoatum, diuque habitum prosequantur,

quod nullo pacto recusare possunt, et sane id jam antea polliciti sunt, si utique Germani ad Concilium accessissent, se quamprimum illa falsi morbi suspicio refrixisset, esse redituros, atque adeo Sanctitas vestra idipsum Cæsari per nuntios sæpe et legatos promisit.

24. « Anno jam fere elapso, cessante morbo (si quis fuit) re tranquilla et pacata allata ratione timoris, postulantibus principibus et statibus Germaniæ, iisque denique se libere et absque ulla conditione aut prætextu Synodum sanctam Tridentinam suscepturos, cur non revertuntur et intermissum continuant opus, ut cœperant, ut continuare oportebat ? Hoc si Sanctitas vestra fuerit executa, et nunc assertos legatos Tridentum redire sua auctoritate et imperio coegerit, neque dilationem aut difficultatem ullam interposuerit, rem populo Christiano valde necessariam et divinæ majestati gratissimam faciet.

« Sin autem justæ petitioni tempore et occasione necessaria, quæ quidem nunc se ultro præsens offert, assentiri noluerit (quod abhorrendum sane est ab eo, qui prorsus totius reipublicæ Christianæ curam gerit, atque adeo ipsius Domini nostri Jesu Christi vices repræsentat) Ego Jacobus Hurtadus Mendoza nomine pientissimi et invictissimi domini mei Caroli Cæsaris Romanorum imperatoris ex illius speciali mandato, et nomine totius Sacri imperii, regnorum et dominiorum suorum, multiplicatas privatim et publice Evangelicas requisitiones, monitiones, denuntiationes, idque non solum, ut superius dictum est, a me semel atque iterum, sed etiam pluries in hoc amplissimo et religiosissimo cardinalium consessu, die Mercurii hora antemeridiana decima quarta Decembris, et in hoc eodem loco rursus die Martis hora promeridiana vigesima septima ejusdem Decembris, præsentibus reverendissimis Patribus et principum oratoribus, aliam protestationem die Lunæ decima sexta mensis Januarii hora promeridiana a procuratoribus et consiliariis imperatoriæ majestatis prolatis in generali cœtu conventibus Bononiæ habitam, tandem novissime protestor, dictam translationem, seu recessionem fuisse et esse illegitimam et nullam, atque omnia inde acta atque secuta, et quæ posthac quomodocumque de re qualibet agentur atque sequentur, affectata fuisse, et futuras rixas et contentiones in Ecclesias Dei inducere atque nutrire, ac deinde nullius momenti, nullius effectus causa, magnam cladem et exitium populo Christiano minari, fidem Catholicam et sacrosanctam religionem in periculum adducere, universalem Ecclesiam Dei scandalizare, decolorare, deformare, ejusque statum et majestatem, ac proinde nullius momenti, nullius effectus causam, nullamque habuisse vim, sed nec habitura vigorem ullum, ullam penitus subsistentiam, neque eam posse esse auctoritatem assertorum legatorum sanctitatis vestræ et eorum episcoporum, qui Bononiæ sunt sanctitati vestræ majori ex parte obnoxiorum, atque ab illius nutu omnino pendentium, ut in religionis et morum reformationis causa tanti momenti negotio universæ reipublicæ Christianæ, eique provinciæ præsertim, cujus mores et instituta parum eis nota, legem præscribant.

« Præterea ejusdem invictissimi Romanorum imperatoris semper Augusti nomine, et speciali mandato, prout supra, protestor atque denuntio Sanctitati vestræ responsionem illegitimam, præsenti negotio et necessitati ineptam, inconvenientem, fuco et figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse et esse, nulloque jure nullaque ratione subsistere.

« Protestor præterea omnia damna, tumultus, dissidia, clades, ruinas, excidia populorum, ad hæc divisiones et scandala in Ecclesia Dei, et religionis pericula, atque reipublicæ Christianæ detrimenta, quæ inde evenire, atque eveniunt, et possunt contingere, vestræ beatitudini, non sibi imputanda. At quæ quidem facillime et potuit et debuit ex forma et essentia Pontificatus, usque ad sanguinem, usque ad animam remedium commodum adhibere.

25. « Protestorque similiter Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum defectu, culpa et negligentia sanctitatis vestræ Ecclesiæ procellis et tempestatibus, quas metuit ex hoc facto videtque impendere, totis suis viribus obviam iturum ejusque protectionem et tutelam omni studio suscepturum, totumque id quod sui juris, muneris, officii et dignitatis est, quo imperator est, quatenus jus patitur, et legibus sanctorumque Patrum institutis, et orbis consensu decretum atque observatum est, ex nunc non omissurum, omniaque alia, quæ ejusdem domini mei imperatoris nomine possum et debeo, quo melius expediat atque conveniat modo et ordine.

« Protestor vobis etiam, Romani Patres, amplissimi cardinales, salvo omni jure, et facultatibus quomodocumque domino meo imperatori competentibus, ubi Sanctitas sua in præmissis negligens fuerit, aut quacumque alia causa instaurationem religionis, unionem provinciarum Germaniæ, veram, absolutam et generalem in sancto Universali Concilio fieri oportet, morum reformationem omiserit aut distulerit, vosque itidem in his negligentes fueritis, eadem omnia, quæ Sanctitati Suæ protestatus sum, eodem modo et ordine nomine invictissimi et piissimi domini mei Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti protestor, atque denuntio, atque hanc protestationem bis et ter, et toties quoties, et ubi mihi visum fuerit esse necessarium, et quamcumque aliam super præmissis, et ab eis dependentibus connexis et

emergentibus facturum affirmo, et facultatem mihi reservo, testes vos omnes, qui adestis, huic meæ protestationi sistens, petoque a vobis notariis et a quocumque vestrum, ut publica de his omnibus conficiatis Instrumenta ».

26. *Paulus III protestationi Caroli V respondet, consultis prius præsulibus Bononiensibus.* — Respondit mox Cæsarei oratoris protestationi nomine Pontificio Blosius designatus episcopus Fulginatensis [1], qui Pontifici a secretis erat, eam protestationem, ut iniquam et inanem non admitti : cæterum re maturius cum cardinalibus perpensa in proximo senatu amplissimum responsum redditum iri :

« Responsio summi Pontificis ad protestationem eadem die data ipsi oratori Cæsareo, qui tamen vocatur ad aliam diem, plenius responsum accepturus.

« Audivit sanctissimus Dominus noster, illustrissime domine orator, tuæ procurationis mandati tenore, et quæ procuratorio nomine Cæsareæ majestatis exposuisti, ac coram sua Sanctitate et his reverendissimis dominis fuisti dicto nomine protestatus. Quibus omnibus quantum ad suæ sanctitatis officium pertinet, licet potuisset Sanctitas sua, et Deo, cui nihil est occultum, et hominibus , qui conciliaris hujus rei negotium noverant, etiam tacendo satisfacere, nec recensere quæ in ea re Sanctitas sua ad Dei ipsius laudem et Christianæ reipublicæ beneficium hactenus præstitit, ne tamen apud rerum harum ignaros opinio præjudicet veritati, cum etiam taciturnitas nocere quandoque soleat protestato, sua Sanctitas non admittendo per aliquem actum, tam præsentem quam futurum, protestationem hujusmodi, nec illi ut frivolæ tacite vel expresse consentiendo, intendit, re prius cum venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus mature discussa, omnibus et singulis per te propositis, et in ista protestatione contentis, particulariter et specialiter respondere , quorum copia omnium per te gestorum et scripturarum nunc exhibita. Monet te tamen, ut oratorem, et ad actum hunc specialem suæ majestatis procuratorem, ac cæteros vos omnes notarios et testes ut in primo celebrando consistorio redèatis, responsionem hujusmodi accepturi et audituri. Interimque ab Urbe non recedatis nec fidem aut testimonium hujus intimationis detis, ut de omnibus simul rogati sitis, et requisiti ».

27. Consuluit interea Pontifex Bononiensis Concilii Patres, quid ab ipso Cæsareæ protestationi Romæ respondendum esset, reversusque Bononiam Marcellus Cervinus Concilii legatus significavit Patribus sanxisse Pontificem , ut omnia decreta præteriti Concilii Tridentini de instauranda disciplina servarentur, et quæ circa dogmata fidei concepta erant, in dubium revocari vetuisse, quibus Angelus Massarellus hæc subjicit [1] :

« XXIV Januarii reverendissimus dominus cardinalis Marcellus Cervinus de Monte-Politiano tituli Sanctæ-Crucis secundus sacri Concilii præsidens et legatus Apostolicus ex Urbe reversus salutavit Patres nomine sanctissimi domini nostri papæ, retulitque suæ moræ causam fuisse urgentia negotia, quæ in sua absentia emerserunt, hortatusque fuit Patres, ut bono essent animo, beneque sperarent in bonitate Dei de successu præsentium rerum ita turbulentarum, et quod sua Sanctitas mandaverit observari omnia decreta a sancta Synodo Tridenti promulgata, præsertim ea, quæ tangunt reformationem, cum ea, quæ dogmata respiciunt, jam diu observata fuerint et observentur, de quo Patres lætari debent. Deinde reverendissimus dominus cardinalis de Monte egit gratias nomine sanctæ Synodi suæ Sanctitati, et ipsi reverendissimo domino cardinali Sanctæ-Crucis de labore suscepto. Deinde rogantur sententiæ super canonibus abusuum Sacramenti Pœnitentiæ ».

Inter has protestationum Cæsarearum procellas, quibus Ecclesiæ navicula jactabatur , offusus erat omnium oculis funesti alicujus schismatis terror, ad quod discrimen avertendum, visum est præsidibus Bononiensis Concilii consultius fore, ut abrumperetur Pontificia auctoritate Concilium , atque in commodius tempus differretur , quod Farnesio cardinali significatum memorat Massarellus [2] :

« XXIV Januarii reverendissimi domini legati scripserunt ad cardinalem Farnesium qualiter considerato diligenter præsenti statu rerum, videtur eis necessarium fieri suspensionem Concilii, cum prælati amplius in hoc statu retineri non possint, quæ suspensio necessario facienda videtur in responsione oratori Cæsareo post ejus protestationem danda, ut scandalis obvietur, etc. » Subdit auctor formulam responsi dandi oratori Cæsareo, cujus protestatio xxv Januarii Bononiæ excepta est, concinnatam a legatis fuisse, consultumque Pontifici, ut controversiam translationis ad subsellia Apostolica judicandam traduceret.

« XXVI Januarii reverendissimi legati miserunt ad reverendissimum cardinalem Farnesium judicium eorum circa responsionem dandam a sua Sanctitate ad protestationem oratoris Cæsarei , cum quo conjungat suspensionem, offerendo se facturum judicium de validitate translationis, quæ impugnatur a Cæsare ».

28. Kalendis Februarii Paulus Pontifex in

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 133. p. 311. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. um. 3229. et in Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 125. Summarium. Ms. Conc. Trid. et Bonon. p. 57. Ext. in actis Conc. Bonon. p. 61.

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 282. — [2] Id. ib.

senatu accuratius ac prolixius responsum dedit oratori Cæsareo, jactatasque ab eo improbe accusationes ac defectionis minas Apostolica constantia refregit, motamque de injusta Concilii translatione litem definiendam a Sede Apostolica pronuntiavit Blosii, qui a secretis erat, ore ac opera, ut referunt Acta Consistorialia [1]:

« Romæ apud Sanctum-Petrum I Februarii MDXLVIII, fuit consistorium, R. P. D. electus Blosius Fulginatensis Sanctitatis suæ secretarius, jussu ejusdem suæ Sanctitatis legit responsionem protestationis per illustrissimum dominum Didacum Hurtadum de Mendoza Cæsareæ majestatis oratorem nomine suæ majestatis (ut asseruit) in præcedenti consistorio factæ, ipsi domino Didaco oratori, prout penes Dominum Blosium electum secretarium constat ». Perstringuntur a Jacobo Augusto Thuano [2] illius responsi capita his verbis :

« Accurato et artificioso scripto respondet ex ea contestatione initio magnopere commotum et incredibili dolore affectum fuisse : quippe cum res sit pessimi exempli, neque hactenus usurpata, nisi ab iis, qui ab Ecclesiæ obsequio atque adeo religione ipsa defecerint, quod tantum abest, ut de Cæsare credere vel ullo modo suspicari velit, ut potius eum legitimam Ecclesiæ potestatem detrectantes ad officium reducturum, et in eos severissime animadversurum speret, quod cum bello nuper, in quo Pontificiis præcipue copiis adjutus est, confecto ostenderit, mirari se eo magis Cæsarem pro tanto beneficio disparem gratiam rependere; verum se summo illo dolore postea levatum postquam mandati formula inspecta deprehensum est, Mendozæ minime datam facultatem, ut contra Pontificem et cardinalium senatum protestaretur, sed legatis tantum Bononiam missis, ut coram Patribus qui illic sunt agerent, injunctum fuisse, itaque mandati fines egressum esse Mendozam, et modestissimo principi suo injuriam fecisse, qui non aliter quam contra translationis Synodi auctores contestari suos intellexerit, totiusque negotii et controversiæ, si qua sit, judicium ad Pontificem pertinere existimaverit, qui si a Cæsare interpellatus recusasset, tunc protestationi contra ipsum merito locum futurum fuisse : id cum nusquam factum sit, iniquum esse quod petat Mendoza, ut Pontifex præjudicio usus decretum de Concilii translatione factum rescindat, ita corruere omni ex parte Mendozæ actionis fundamentum, qui nec æquum petat, nec agendi facultatem habeat. Quod ad criminationes attinet, quasi ipse negligenter in Ecclesiæ causa versetur, non se quidem invidere Cæsari gloriæ, quod egregiam operam in hoc negotio navaverit, cæterum sibi suam eripi minime pati posse ; si Cæsari constans desiderium fuit, ut perageretur Concilium, eamdem et sibi mentem fuisse etiam antequam Cæsar de eo cogitaret, quippe cum illum ætate antecedat ; id cum bellis Germanicis interturbatum sit, relinquere in medio disceptandum, uter in eo negotio ardentior fuerit, Cæsar-ne, qui bellicis motibus Synodi celebrationem impedierit, an ipse, qui nulli principi operam suam addixit præterquam uni Cæsari, quem in eo bello, cujus successus ad tam optatum finem munire viam videbatur, opibus suis adjuvit; quippe nullam non inivit Christiani orbis pacificandi rationem, ex quo ad summum sacerdotium vocatus est, nec Patrum migrationem adeo exaggerandam esse, cum ea majoris sive sanioris partis decreto facta sit, et in eorum potestate sit ex justis et legitimis causis Concilium transferre. In præsentiarum quidem an legitime translatum sit nolle pronuntiare : verum si in controversiam veniat, ejus rei sibi judicium reservare, atque interim cœtum illum, qui Bononiæ sit, Concilium jure appellare : nunquam se prorsus recusasse quin Tridentum redeatur, modo id legitime fiat, hoc est, citra Ecclesiasticæ auctoritatis detrimentum, et sine aliarum nationum offensione; satis constare quam de Germaniæ salute sollicitus fuerit, jam bis indicto Tridentum Concilio; verum id frustra fuisse, discedentibus Cæsaris legatis, ac nullis fere episcopis Germanicis eo venientibus, quamvis ex Gallia, Hispania et aliis remotioribus provinciis episcopi confluerent : lætari se quidem magnopere temporum ac rerum statum in Germania mutatum esse, libenterque audire, successibus tam prosperis, auctoritate et potentia auctum Cæsarem in se recipere, Germanos, si Tridentum redeatur, Concilio subscripturos : cæterum mirari qui fiat, ut si Germani tam bene affecta voluntate sint, adeo salutare remedium intra unius civitatis mœnia concludant. Etsi enim eorum præcipue gratia cogatur, cogitare tamen debere illos, cum eodem morbo teneantur hodie Dani, Gothi atque Britanni, hoc exemplo necessitatem induci, ut in eorum finibus etiam Synodus habeatur; contra vero multis testimoniis ostendi posse extra provincias, in quibus hæreses exortæ sint, sæpius celebrata fuisse Concilia, unde appareat nihil tam acri et festina denuntiatione opus fuisse, et conditiones a Patribus propositas neque novas esse neque iniquas, quippe solere ista non tantum Pontificum, sed et Cæsarum legibus definiri, itaque non fuisse cur Patrum responsum frivolum esse ac figmentis plenum dixerit Mendoza : nec vero Pontificem, quamvis negligentiæ vere accusari non possit, moleste ferre, si quando contingat eum officio deesse, eo diligentiam Cæsaris excitari, modo intra cancellos, qui illi circumdantur consistat et juris formulam, ac

[1] Acta Consist. sig. num. 133. p. 316. — [2] Jacob. Aug. Thuanus hist. l. v.

sanctorum Patrum leges, Christianique orbis consensum in eo sequatur, quod si fiat, minime dubitare, quin utriusque functio, licet diversa et distincta sit, Ecclesiæ futura salutaris; postremo quod migrationem Patrum illegitimam esse contendat Mendoza, quoniam in hoc controversiæ cardo vertatur, ejus rei cognitionem pro ea, quam in Ecclesia obtinet, potestate sibi vindicare, eamque viris amplissimis collegis ac fratribus suis Parisio, Burgensi, Polo et Crescentio demandare, et si quidem finito judicio parebit, illegitime Concilium Bononiam translatum fuisse, omni ratione curaturum ut Tridentum revocetur. Interea dum illi cognoscent, petere ne quid ab alterutra parte in contrarium fiat, sed quidquid hac de re velint in medium afferre, id ut intra proximum mensem faciant edicere, ac ne Germaniæ deesse videatur, legatos eos se missurum pollicetur, qui populorum illorum infirmitati, si Cæsari et ipsis non ingratum esse cognoverit, commoda ratione medeantur. Hæc eo scripto continebantur.

29. Extat illud in Ms. Archivi Vaticani [1], cujus series ob rei gravitatem repetenda visa est:

« Responsio Sanctissimi Domini nostri data ipsi oratori Cæsareo in publico consistorio Romæ I Februarii MDXLVIII.

« Magnam superiori consistorio, illustrissime domine orator, mœroris causam dedisti sanctissimo Domino nostro et sacro cardinalium collegio, cum ex Diplomatis illius verbis, quod mandatum appellabas, hoc in loco abs te prolati et recitati facultatem tibi ipsi sanctissimo domino nostro et sacro collegio protestandi a Cæsarea majestate datam esse assereres, qua statim es usus. Magna idem mandatum postea diligentius expensum et examinatum lætitia eos ipsos affecit, quorum animos dolore antea afflixerat, cum nihil in eo repertum sit, quod tibi istam facultatem, quam tu tibi sumpseris, daret. Hæc vero duo cum explicavero, ac simul doloris et mœroris causas atque rationes reddidero, scias tibi maxima ex parte, ad ea omnia, quæ alicujus momenti, vel dicta abs te prolixius vel acta in superiori consistorio fuere, de quibus nunc responsionem expectas, esse responsum: quæ enim protestatio illa complectebatur, licet responsione non indigeret, tamen silentio non præteribo. Hunc vero ordinem in respondendo sequar sanctissimi domini nostri auctoritati obtemperans, quem mihi præscripsit, cum mihi has partes tibi respondendi dedit.

« Igitur, ut a mœroris causa explicanda incipiam, ea quidem hujusmodi est, quam per te facile intelligere possis, præsertim cum partem hujus molestiæ in ipso protestandi munere fungendo, quasi gravi onere portando, teipsum sensisse minime dubitandum sit; eo autem majorem, quo vel majus studium tuum erga clarissimam Cæsareæ pietatis et religionis famam; vel major pietas erga Ecclesiam esse deberet, cui ex hac re non minimam perturbationem impendisti, ut quisque pius ac prudens rerum æstimator fuerit, merito suspicari posset.

« Hæc ergo est ipsa causa doloris, quam protestandi asserta abs te facultas merito utrisque attulit, quam si in te ipso, quod minime credendum est, expertus non fuisses, in illis certe religiosissimis et principibus viris, et nomini Cæsareo multis de causis addictissimis, qui te, cum jam ad protestandum accederes, adierunt, multis lachrymis mixtas preces et hortationes secum afferentes, ut te ab incœpto protestandi proposito abduceres. Hanc qualis sit facile cognoscere potuisti. Illud vero omnibus notum est, rem mali exempli, et ab iis potissimum usurpatam, qui vel prorsus ab obedientia recesserunt, vel in ea vacillare cœperunt. Quare si hæc maxime perturbationis Ecclesiæ signa certissima graviter sanctissimi domini nostri animum commoverunt, qui paterno amore semper Cæsaream majestatem est prosecutus, et Ecclesiæ paci, ut pastorem Ecclesiæ decet, semper studuit, nihil mirum. Eo vero graviorem dolorem et ejus Sanctitati et sacro Collegio, et omnibus qui pacem Ecclesiæ amant, incusserunt, quo minus hoc tempore aliquid hujusmodi expectabatur. Quid enim minus expectari poterat a Cæsarea majestate, quam eo tempore, quo contra eos, quibus rebellionis nomen erga ejus majestatem, maxime vero erga Ecclesiam Romanam obtigerat, cum Protestantes se appellarunt, gloriosissimam victoriam reportavit, idque non tantum interveniente Sanctitate sua ut, domine orator, nimis leviter æstimans auxilia suæ Sanctitatis in hoc ipso bello Cæsareæ majestati missa dixisti, sed ita prolixe copiis et pecuniis adjuvante, ut vires pro patrocinio Ecclesiæ excesserit, omnia autem tempore opportuno data, ut ipsa opportunitate auxilia utcumque magna beneficio et utilitate superarent. Quid igitur minus expectari potuit, quam ut adepta victoria, et ea adhuc recenti, tales fructus pietati et benevolentiæ sanctitatis ejus Cæsarea majestas redderet, ut finis illius belli principium protestandi contra eum futurum esset? *An expectavit, ut faceret uvas, et fecit labruscas?* dicit Propheta in Dei persona ad populum suum post multa beneficia illi collata, cum eorum ingratum animum redargueret. Si vero ipse Dei vicarius Cæsaream majestatem tanquam plantam nobilissimam, omni studio, cum inde ab initio Pontificatus sui semper colens, ex qua sanctissimi et nobilissimi fructus ad pacem et concordiam Ecclesiæ expectaban-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 99. et in Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 123. insc. Summar. Conc. Trid. et Bonon. post. med. p. 61. In eodem lib. sunt Acta Conc. Bonon. vide p. 62. Ext. in Act. Conc. Bonon. p. 61. et in Ms. card. Pii sig. num. 260. p. 35.

tur, hac sua diligenti et assidua cultura non suavis pacis et concordiæ tanquam uvarum fructus, sed protestationis minime decentis, et discordiarum acerbissimas quasi labruscas percipiat, cui magis conveniret veraci animo dicere : *Quid potui facere vineæ meæ, et non feci!* et quæ sequuntur. Hæc ergo fuerunt, quæ sanctissimo domino nostro, et universo huic sacro collegio mœrorem animi merito attulerunt, cum tu, domine orator, Diplomatis mandati tui auctoritate et facultate fretus, nullis rationibus, quo minus a protestatione abstinens, deduci te patereris.

« Nunc igitur accipe quo pacto idem mandatum diligentius examinatum, primum Sanctitatem suam, deinde reliquos omnes, qui ob causam dolore sunt affecti, omni dolore levavit, quod uno verbo, minime Diplomate contineri ne verbum quidem, quod tibi facultatem præbeat, sub ea forma verborum contra Sanctitatem suam et sacrum collegium protestandi, qua in tua protestatione usus es, cum minime honorifica Sanctitati suæ, tum Cæsarea majestate parum digna. Dico vero iterum atque iterum, ut melius audias et intelligas, nullum scilicet verbum esse in mandati Diplomate, quod significet talem voluntatem Cæsaris fuisse, ut eo modo contra Sanctissimum Dominum nostrum protestareris, quo jam es protestatus, nullum quod hanc tibi facultatem daret. Tu enim, quasi facultas tibi data esset contra Sanctitatem suam et sacrum Collegium protestandi, sic ea usus es. Hujus vero rei in mandato tuo nullam non modo expressam, sed ne leviter quidem adumbratam voluntatem Cæsareæ majestatis habes : in hoc vero expressam contra legatos Sanctitatis suæ, et prælatos Bononiæ existentes, quos translationis Concilii ex Tridento Bononiam auctores fuisse accusas, ac ut contra eos sui procuratores protestantur, mandat. Tu vero, cum audieris contra illos a procuratoribus Cæsaris jam protestatum fuisse, quasi idem esset protestari coram Sanctitate sua et sacro Collegio, et contra ejus Sanctitatem et ipsum Collegium, eo modo protestandi es usus in hoc sacro loco, assertus hac in causa procurator quomodo alii procuratores Cæsareæ majestatis apud assertos, ut appellas, legatos Sanctitatis suæ Bononiæ sunt usi, quam et facultatem, ut dixi, tibi non competere ex tenore et data mandati plane constat ; præcipue enim quæ tu protestando objicis, aliquot mensium spatio, postquam mandatum factum fuerit, acciderunt, et illud complecti ea, quæ necdum contigerunt, nulla ratione queat. Sed quid melius hoc intelligi potest, quam ex ipsius mandati verbis. Recitabo igitur bona fide, quæ tu bona fide scripta esse dixisti, cum descriptum exemplar mandati mihi traderes ». *Recitatur mandatum.*

« Intellexisti nunc tandem, domine orator, quod ante non animadvertisti in verbis mandati : si enim abs te animadversum fuisset, non tam longe extra fines mandati fuisses progressus. Sed nunc admonitus annon animadvertis, quo pacto cum de legatis Bononiæ, et de protestatione mandati loquitur, hanc voluntatem Cæsaris fuisse, satis apertis verbis declarat, ut contra eos protestareris, cum de Sanctitate sua et sacro collegio contra ipsos legatos, ex quo super his majestas sua judicium a Sanctitate sua, quæ legitimus et unicus judex hujus negotii est, exposcere censenda est ; nunc ergo ex iis videmus omnes, et libenter prædicamus, legitimos fines modestissimi principis Cæsarem mandato suo non egressum, qui si se offensum existimabat a legatis sanctitatis suæ prælatis, nihil alienum a justitia fecisse videbatur, si contra illos coram sanctissimo domino nostro, et sacro hoc collegio protestaretur, neque enim extra hos terminos Diploma illud, quod mandatum appellas quoque progreditur. Quod si Sanctitas sua hujus causæ recognitionem suscipere recusasset, tum demum, si unquam, protestationi contra Sanctitatem suam locus aliquis et tempus fuisset. Tu vero non modo hoc tempus non expectasti, quod certe si futurum fuisset expectare debuisses, si vel speciem aliquam justitiæ tuam protestationem expectare voluisses, sed nec tale judicium unquam postulasti. Si quid vero postulasti, quod ad judicium hujus causæ pertinet, hæc summa postulationis tuæ fuit, ut legatos ipsos una cum maxima parte ipsorum prælatorum in dicta causa sua Sanctitas condemnaret. Quid enim aliud revera petis, quando a Sanctitate sua postulas, ut decretum illud Concilii, quod statuit translationem ejusdem Concilii ex Tridento Bononiam, quod illi ut necessario et salutariter, sic et justissimis modis factum asserunt, rescindere et abrogare tanquam injustum, et factione potius quam jure factum, sine ulla ulteriore causæ cognitione postulet, ut et multo maximam partem prælatorum una cum legatis minimæ parti, quæ Tridenti manserat, cedere cogat : quo quid magis omnem auctoritatem ipsi Concilio non modo in præteritis actis, sed etiam in futuris adimere possit, præsertim cum nullam æquitatis formam, nullam juris id judicium habiturum esset, non video ; quanto æquius fuisset, ut pauciores illi, qui Tridenti remanserunt, si quid a majore parte minus juste factum fuisse in hac translatione cognovissent, ejus Sanctitati suas, vel excusationes, vel querelas porrigerent, quas quidem ejus Sanctitas nunquam sane recusasset accipere, quemadmodum neque nunc recusat. Imo quando Cæsareæ majestatis mandati verba huc spectent et provocent, quemadmodum justissimum et religiosissimum principem decet, Sanctitas sua, ejus causæ cognitionem et controversiam de jure translationis

ejusdem, veteri et perpetuo more et jure Romanorum Pontificum ad se revocat. Quanta vero æquitate hoc faciat et facturus sit, paulo post explicabo. Nunc ut concludam hunc locum, gratulationis et gaudii ex iis, quæ jam diximus, vides, domine orator, quantam causam habet, et Sanctitas ejus et sacrum hoc collegium, ac omnes pii, tu ipse denique principis tui causa Ecclesiæ gratulandi ereptæ ex tanto timore, quanto asserta protestatio tanti principis tali tempore merito incutere posset. Qua in re divinæ bonitati maximæ sunt agendæ gratiæ, quod cum seditiosa consilia non deessent, quæ Cæsaream majestatem huc impellerent, tanta Dei tutela in tanta causa extitit, non modo ut non permiserit eum aliquid hujusmodi in suis scriptis complecti, quod Ecclesiæ perturbationem afferre posset, sed contra, veram et legitimam viam aperuerit ad ipsam pacem Ecclesiæ, et Concilii ipsius concordiam firmandam. Principis igitur tui causa habes, domine orator, quod gaudeas, tu vero quantum, vel ad gaudendum vel dolendum tibi sit, tuo judicio perpendendum relinquitur.

« Atque hæc quidem, quæ hactenus dicta sunt, cum ejusmodi sint, quæ fundamentum tuorum dictorum et actorum in superiori consistorio tollant, iisdem sane sua Sanctitas omnem suam responsionem concludere posset, nec quidquam præterea ad protestationem tuam, quæ nulla est, nullam vim habet, nullo jure consistit, respondere. Verum quia fieri posset, ut si quæ abs te sunt dicta silentio præterirentur, suspicionem ea res alicujus veri objecti criminis (tu vero plura objecisti) ignaris rerum afferre posset, idque cum detrimento salutis animarum eorum qui illis fidem essent habituri; ideo Sanctitas ejus, omnium saluti consulere volens, et falsos rumores sparsos, quantum fieri potest, ex omnium animis depellere, paterne etiam jussit, ut ad objecta tua in asserta illa tua protestatione responderem ea, quæ a me nunc es auditurus, si primum quo spectet tota hæc protestatio, quem finem sibi proponat edixero. Scopum vero eum esse video, ut negligentem in rebus Ecclesiæ suam Sanctitatem, tergiversantem ac moram afferentem, ne Concilia rite celebrarentur, ostendat; contra vero vigilantem et diligentem ipsam Cæsaream majestatem. Cum igitur hunc scopum tua protestatio sibi proposuerit, argumenta omnia quibus viam ad hanc conclusionem firmandam tibi munire contendis, ejus quidem generis sunt, quæ maxime videntur Cæsareæ majestatis pietatem et studium erga Ecclesiam declarare, præcipue vero in procuratione celebrationis Generalis Concilii, quod præcipuum remedium rebus Ecclesiæ afflictis et perturbatis semper est judicatum. Quæ omnia si abs te hoc animo prolata fuissent, ut Cæsaris tantam pietatem testatiorem redderes, ne opus quidem esset hic alia responsione, præter gratulationem apud ipsam Ecclesiam, et gratiarum actionem apud divinam bonitatem, quæ tali animo præditum imperatorem Ecclesiæ dederit. Nec vero Sanctitas sua Cæsaris virtutes obscurari cupit, ut suæ illustrentur, quod esset invidi, nec minores videri eas desiderare potest, pro quibus augendis preces una cum Ecclesia continue fudit, sed quoniam tu in hac tua asserta protestatione, quo magis virtutes Cæsaris illustras, hoc magis obscuras pia Sanctitatis ejus studia et ejusdem negligentiam in rebus Ecclesiæ testatiorem reddere existimasti, ideo huic parti, quæ prima pars est protestationis tuæ, in qua Cæsaris studium extollis in procurandis rebus Ecclesiæ, maxime autem frequenti postulatione generalis Concilii primum apud felicis recordationis Pontificem Leonem et Clementem, tandem autem apud Sanctitatem suam, sic respondeo. Sua Sanctitas, si Cæsaris hic animus fuit, si hoc ejus desiderium, ut Concilium generale celebraretur, commune quidem hoc desiderium fuisse Sanctitati suæ cum illius majestate. Sic vero commune, ut Sanctitatis ejus voluntas hac in re quemadmodum est illi ætate, sic tempore fuit antiquior, quam eamdem fuisse ante Pontificatum adeptum sic declaravit, ut nullus ex hoc sacro collegio frequentius ea de re cum iisdem Pontificibus egerit, idque testimonio ipsius sacri Collegii, præsertim eorum, qui tum in cardinalium numerum adscripti fuere, nec ratio inanem hanc ejus voluntatem fuisse, sed sinceram atque stabilem. Factus Pontifex statim declaravit cum nulla de re prius apud principes, quam de celebratione Concilii egerit. Simul ac autem ei vel minima occasio ejus celebrandi est oblata, id indixit, primum quidem Mantuæ, ut tu, domine orator, recte commemoras, deinde Vicentiæ : quibus in locis si res ex voluntate Sanctitatis suæ non successit, quod Mantuæ fere nulli, Vicentiæ pauci prælati convenerant, tamen non defuit cura et studium suæ Sanctitatis, quæ Vicentiæ suos legatos sex mensium spatio expectare episcopos fecit, quos per litteras suas ad omnes provincias directas ad Concilium invitavit, et simul nuntios ad principes dimiserat, ut bona eorum pace liceret episcopis ex quavis provincia, quo convocati erant, venire. Quod si nec Mantuæ nec Vicentiæ ulla frequentia episcoporum fuerit, non ob eam quidem causam accidit, quam tu, domine orator, affers, cum dicis illas civitates minime aptas fuisse, quo diversarum provinciarum homines convenirent, qui solam Tridentinam nunc aptam esse contendis, præsertim cum hoc constet etiam, ut satis opportuna sit Tridentina civitas, tamen commoditate loci et abundantia omnium rerum, quæ celebrationi Concilii sunt necessariæ, has urbes Tridentinam longe superare. Sed aliæ causæ fuere : maxime vero ipsa bella inter principes

Christianos, quæ hoc sanctissimum studium celebrandi Concilii plusquam ulla causa, et pæne sola impedivit. Hic vero nunc magis eminere Sanctitatis ejus celebrandi Concilii studium, Cæsaris studio est necesse, quod Cæsar sive invitus id fecerit, sive quacumque causa adductus et tractus ad bella quæ gessit, maxima impedimenta interposuisse celebrationi Concilii nemo negare potest, quæ hanc tamen majorem occasionem ejus Sanctitati declarandæ suæ voluntatis dedere, quod assiduus suasor pacis semper fuerit, bellum ipse nunquam gesserit, quod vel minimum impedimentum Concilii celebrationi dare potuerit : nulli parti plusquam alteri adhæserit, nulli principi se socium belli adjunxerit, præterquam ipsi Cæsari eo in bello quod videbatur maxime viam munire Concilio celebrando, atque tu ipse, Domine orator, recte dixisti, ut qui ratione suaderi sibi non permitterent, ut sanis consiliis non obedirent, vi cogerentur. Verum ne singula recenseantur, quod esset nimis longum, et ut omnis actionum comparatio tollatur, quam Sanctitas sua fieri non vult, præsertim hac in re, in qua de pietatis laude fit contentio, quæ, qualiscumque sit, tota tribuenda Deo est. Sed ut concludatur hic locus de studio suæ Sanctitatis, de laboribus, de impensis pro celebratione Concilii, in cujus commemoratione tu, domine orator, Sanctitatem suam compulisti, sic brevi a me expediatur tota hæc oratio, si tu, domine orator, apud animum tuum paulum recensere volueris singulorum annorum Pontificatus Sanctitatis suæ, quæ publice omnibus sunt nota. Quod si feceris, ejus piam voluntatem statim clarissime in nuntiis et legatis agnosces, quos singulis fere annis cum iis mandatis præcipuis ad diversas provincias misit, ut quoties ab armis cessatum esset, et intervalla bellorum spem aliquam alicujus opportunitatis celebrandi Concilii darent, de hoc cum iis principibus agerent, quorum auctoritate et opera Concilia indigere solent, cum bella flagrarent de pace, cujus tamen finis et quasi fructus esset ipsa Concilii celebratio : qua in re ita fuit ardens animo ejus Sanctitas, ut nec annorum longitudine, nec incommodis deterreri potuerit, licet annis admodum gravis, quominus ejusmodi legationem, idque non semel apud principes discordes, per se obire vellet pro ipsa Ecclesia, ut ei simul cum pace Concilium Generale redderet. Hos certe annos si paululum tecum consideraveris, videbis universum ejus Pontificatum in his duobus sanctissimis negotiis esse consumptum; neque vero tu quidquam horum negas, quia nihil accusas antequam ventum sit ad Tridentinum Concilium. Neque etiam quidquam hic objicis antequam venias ad translationem, ac ne in ea quidem aliquid accusas, fateris enim, inscia Sanctitate sua, id factum fuisse, et ob eam causam legatos accusas, quod inconsulta Sanctitate sua id fuerint ausi, in hoc tantum factum Sanctitatis suæ improbas, quod quibusdam litteris, in quibus prælatorum, qui e Tridento Bononiam una cum legatis Concilii se contulerant mentionem faciens, Concilii Bononiensis nomine illorum congregationem appellat, in grave (ut tu dicis) præjudicium illorum prælatorum, qui Tridenti remanserunt; si vero hoc præjudicium Concilii appellationem attulisse illis affirmas, annon idem præjudicium est, quod Cæsar ipsius in litteris eis attulit, quod tu ipse, domine orator, quod reverendissimus Tridentinus cum verba litterarum Cæsaris sequentes postularetis, ut sua Sanctitas Concilium Tridentum convocaret, reverti faceret, reduceret, quod fieri quidem non posset, si nusquam nisi Tridenti Concilium esset. Quare cum de Congregatione Bononiensi constet imperatorem intellexisse Concilium eam congregationem, illud quoque appellasse non est dubium ? Cur ergo hic non idem est præjudicium ? an quod summi Pontificis verbum qui legitimus est judex, vim sententiæ habere videatur : In hoc enim Sanctitatem ejus accusas quod præpropero judicio antevertens judicis sententiam, causam eorum, qui Tridenti remanserunt damnavit, Congregationem Bononiensem Concilium appellans. Ausculta ergo et intellige, domine orator, qui recte hac in causa suam Sanctitatem judicem agnoscis, ne latum quidem unguem eum ab officio judicis discessisse, nullumque præjudicium alteri parti attulisse, etiamsi Concilium conventum Bononiensem appellat, quia donec causa cognoscatur, liberum est judici communi vocabulo quo omnes utuntur, uti ; omnes vero ita vulgo et loquuntur et scribunt, Concilium esse translatum e Tridento Bononiam, et illic nunc esse; imo Sanctitas sua, donec aliter sibi per probationes contrarias constiterit, cum videat multo maximam partem episcoporum una cum legatis Sedis Apostolicæ Bononiam causa transferendi Concilii se contulisse, aliter, si justi judicis partes sequi velit, dicere aut appellare non potest, nec enim minor pars in re dubia, quod tu in tua protestatione asseris, sed major, sanior haberi debet. Non igitur alia appellatione majoris partis episcoporum se ex Tridento Bononiam transferentis uti potuit, præsertim cum sciat Concilio potestatem datam esse seipsum transferendi. An vero legitimis modis translatum fuerit, quoniam in eo est controversia, hoc judicium sua Sanctitas, prout ad se delatum est, sibi reservat, Concilii tamen appellationem non aufert, donec (ut dixi) alterius partis probationibus error et injustitia modi transferendi ostendatur. Adjungis vero nescio quid in illa tua querela injustæ, ut dicis, translationis Concilii, quod non tam ad prælatos illos pertinet, qui auctores ejus rei fuerunt, quam ad ejus

Sanctitatem in eadem causa, et(ut dicis) crimine involvendam, cum dicis prælatos quosdam obnoxios et addictos nomini Sanctitatis suæ hoc fecisse : quod vero tu, domine orator, an ut hos accusas quod sunt addicti, sic illos laudas qui Tridenti manserunt, quod nomini Pontificio non sunt addicti ? An vides quare periculum inde timeri poterit, nec enim schisma ex alia re nasci, quam ex his prælatis, qui nomini Pontificis Romani minus sunt addicti ? Sin vero intelligis fastidiosos quosdam, qui partes suæ Sanctitatis jure vel injuria defendere velint, tales quidem sua Sanctitas nullos cognoscit, quia partes suas proprias nullas agnovit præter eas, quæ sunt patris erga filios, et pastoris erga gregem. Nec vero accidit in Concilio ulla talis controversia, ut hujusmodi addictis opus esset, tantum denique sua Sanctitas sibi addictos episcopos esse cupit, quantum suæ conscientiæ et libertati (cujus præcipue semper in Concilio est ratio) addicti esse velint. Neque vero quidquam fuit, quod sua Sanctitas legatis suis discedentibus majori cura commendavit, quam ut viderent, ne Patribus in Concilio ullam occasionem de adempta sibi libertate dicendarum sententiarum conquerendi præberent. Sed transeamus nunc ad reliqua, quæ apertis oculis objicis Sanctitati suæ. Ad illud vero in primis, in quo insistis maxime, quod sua Sanctitas nullis nec Cæsaris nec Serenissimi regis Romanorum hortationibus, nullis aliorum principum Germaniæ vel hortationibus vel precibus sibi persuaderi patiatur, ut Concilium revertatur Tridentum ; ex quo argumentaris minimæ curæ esse Sanctitati suæ res Germanorum, eorum salutem pro nihilo apud eam haberi, præsertim cum majestatis suæ studio ac cura effectum sit, ut si Concilium redeat Tridentum, ii statim Tridentinæ Synodi decreta sint suscepturi, qui jam pridem ab Ecclesiæ obedientia discesserunt. Hic quidem sua Sanctitas primum respondet, nunquam se præcise negasse reditum Concilii Tridentum, modo id debitis modis fiat, illique Provinciæ sic utiliter sineque scandalo aliarum provinciarum provideri possit, id quod sæpe a Sanctitatis suæ legatis est affirmatum ; sed ne hoc facile credat, experientia superiorum annorum satis admonetur, quæ hac ratione adducta, quod salutarem Germaniæ populis indictionem Concilii Tridenti futuram speraret, jam bis eodem loco Concilium vocavit, bis legatos misit, quod satis ostendit Sanctitati suæ, non minimæ sed maximæ curæ res esse Germanorum. Sed cum legati ejus Sanctitatis in prima indictione septem menses integros expectassent adventum Germanonorum et aliarum provinciarum episcopos , quam pauci venerint, quam nulli potius, quis te melius novit, domine orator, qui una cum illustrissimo domino Granvela et reverendo domino episcopo Atrebatensi tertius orator Cæsareæ majestatis eo accessisti, cum legati tum eo in loco adessent reverendissimi domini cardinales Parisius, Moronus et Polus, quorum patientiæ in expectando ipse optimus testis esse potes? Eo autem locupletius testimonium hac in re dare, quod invitati tu et collegæ tui a legatis, ut eamdem imitaremini, ut saltem vel unus vestrum maneret Tridenti, quia vestrum exemplum multos invitare facile posset ut venirent, vos ipsos excusastis , quod id minime facere possetis, et cum pauculos dies illic fuissetis , dum discessistis , secutum est postea in eodem loco maturiori tempore, ut est existimatum, indictum a sanctissimo domino nostro Concilium missis eodem legatis reverendissimis de Monte, Sanctæ-Crucis, et eodem Polo, cum tu, domine orator, una cum illustrissimo domino Francisco Toledo Cæsareæ majestatis oratore iterum venisses. Quanta vero et quam longa expectatio legatorum fuerit, cum tu eorum patientiæ particeps esses, nihil attinet apud te commemorare, sed meminisse potes, quot menses frustra pæne consumpti sint antequam principium Concilio dari potuerit. Post vero, cum jam per Dei gratiam et sollicitudinem sanctissimi domini nostri et suorum legatorum Concilium inchoaretur, etiam præclaros progressus fecisset, multa præclara cum de fide, tum de morum reformatione decreta edidisset, omniaque abunde adessent Concilio, quæ Germanos, ut venirent, invitare possent, tamen vidisti, quam pauci accesserint. Ex illis quidem, qui medicina Concilii indigerent, nulli, ex episcoporum vero numero, et si aliqui inventi sunt saltem, qui procuratores suos miserint, tamen quod attinet ad id remedium, quod ex Concilio Tridenti celebrando salutis, Germanorum causa sperári potuit, nec minima quidem ex parte ea signa voluntatis in recipienda medicina salutis ostendebant, quæ quantum studio, curæ, et sollicitudini sanctissimi domini nostri in ea porrigenda responderent, imo in ipso studio diligentiæ accedendi ad Concilium ipsa Germanica natio, licet propinquior, passa est se vinci ab aliis nationibus, ab aliis episcopis, qui satis magno numero venerunt ex Hispaniis, Galliis, Italia et remotioribus provinciis, quibus civitas Tridentina non erat ita commoda. At alia nunc tempora sunt, aucta nunc magis est auctoritas Cæsaris, qui in se recipit Germanos, si Concilium redeat Tridentum, omnes ad obedientiam redituros. Hoc enim se effecturum Cæsar, cæterique principes status Germaniæ pollicentur. Tu vero, domine orator, tecum considera si Germani hanc voluntatem habent, cum non simpliciter se Concilio submiserunt. Quanquam hoc non propterea dictum quasi multum laboret Sanctitas sua Bononiæne an alio in loco perficiatur Concilium, modo publicæ et communis Ecclesiæ utilitatis ratio habeatur. Tu vero, do-

mine orator, ita vim loci et urbis Tridentinæ in hac causa verbis exaggeras, et ita necessariam illam civitatem affirmas, quo redeat Concilium, ut nisi in eo loco, ubi incœptum est, illic quoque Concilium finiatur, actum esse de salute populi Germaniæ asseras. Quare culpam hanc suæ Sanctitati tribuere vis, nisi ejus auctoritate rursus Concilium redeat. Considera, quæso, quæ dicis de hac auctoritate cogendi Concilii eo uno in loco, in quo videris idem facere in re Concilii, atque factum est divina Providentia sic statuente in veteri populo, cum nondum Spiritus esset datus, et uno tantumque in loco, in una tantum civitate Hierosolymitana sacrificare possent. Cur enim Concilii Universalis vim in quo Spiritus sanctus præsideat, ad unius civitatis muros cogis, in qua de Germanorum salute agatur? An non eamdem servitutem in celebrandis Conciliis pro salute populi Germani introducis, quæ erat populi Judæorum in sacrificiis, qui nusquam salutares hostias præterquam Hierosolymis afferre potuerant? Nunc enim, qui certum locum præscribere velit Concilii, de cujuscumque populi salute agatur, quasi nunquam pro illis quidquam salutare decerni possit, nisi in eo certo loco, vim quidem et injuriam facit Spiritui sancto, et illi ex cujus merito, et per cujus misericordiam per orbem universum est diffusus. Vide vero si hæc ratio valeret, qua sola niti videris, cum contendis Concilium necessario Tridentum reduci oportere, hac scilicet, quia Germani illis morbis laborant, qui per Concilium necessario sanari debent. Quid ergo si Daci, et Gothi, et Bohemi, si Angli, iisdem morbis laborant, an singulis domi suæ generale Concilium dabitur? Nec vero quando de commoditate loci agitur in celebrationibus Conciliorum eorum ratio habetur, qui recepturi sunt decreta Conciliorum, sed eorum, qui facturi sunt, qui sunt ipsi episcopi, qui præsunt in Conciliis, quorum commoditati ea in re maxime consulitur, nec ita spectatur unius nationis hac in re commoditas. Quot enim Concilia nominari possunt, ad exstirpandas unius provinciæ hæreses, in alia indicta et celebrata, quæ non minus erant utilia illi provinciæ adversus hæreses, quam si in ipsa celebrata fuissent. Denique quam iniquum hoc videtur, ut longe, vel decreto facto a Germanis de loco certo uno vobis statuendo pro Concilio, ipsi cæteris libertatem et jus eligendi loci auferre, et sibi vendicare velint. Hæc vero nunc sint dicta, ut intelligas, cum de Concilio celebrando conveniat, nullam esse causam, cur tam pertinaciter de uno certo loco contendi debeat, ut necesse sit ad tam extrema remedia, qualia sunt hæc genera protestationum venire, quibus tu nunc apud sanctissimum dominum nostrum, apud quem minime oportuit, es usus, quorum capita in fine tuæ prolixæ orationis colligis, ad quæ nunc respondebo, sed mutato ordine, ut ad primum caput in quo contra illos, qui Concilium Tridento Bononiam transtulerunt, protestaris, eorum factum, ut alienum a legibus et moribus Ecclesiæ et Conciliorum accusas, ultimo loco respondeam. Tametsi in his, quæ a me supra dicta sunt, quæ juste et legitime dici possunt a sua Sanctitate, jam intellexisti. Illud autem in primis, quod si sua Sanctitas verbo approbare visa est illam translationem Concilii, sequens majoris partis sententiam, cum nondum talis controversia exorta esset, et pro ea judicanda judicis personam sumere esset necesse, tamen nunc in eo non persistit re jam vocata ad judicium, sed in fine distinctius declarabitur, quid hac in re sua Sanctitas declarare statuerit. Nunc quod in secundo capite totam protestationem convertis contra suam Sanctitatem, objiciens ejus responsionem ad majestatem Cæsaream illegitimam, præsenti negotio et necessitati ineptam et inconvenientem, fuco et figmentis plenam, ac prorsus delusoriam fuisse et esse, nulloque jure, nulla ratione subsistere. Hic enim tua verba repeto, quæ utinam, aut modestiora fuissent, aut saltem ejusmodi, ut non in genere tantum dicta, sed aliquibus probationibus nixus distinctius ostendisses, qua in re, quo in capite, nam plura continebat responsio suæ Sanctitatis, illa peccaret. Sic enim distinctius posset tibi responderi, nunc autem cum in genere dicas, vel in genere erit respondendum, rem contra se habere atque tu affirmas esse, sed legitimam et pro tempore et causa opportunam, ac ab omni fuco alienam Sanctitatis ejus responsionem, vel si quid distinctius responderi debeat, suspicari oportebit, quibus rebus maxime offendaris, si vero his, quæ præcipua capita sunt, quæ postulant ut rata et firma ea decreta habeantur, quæ jam tractata sunt, quæ petunt ea quæ ad securitatem loci præstandam pertinent, quæ ad libertatem eorum, qui venturi sunt ad Concilium, ut tutus sit eorum itus et reditus, quæ petunt, ut is ordo retineatur in Concilio, qui jam inde ab Apostolorum temporibus per sanctam Romanam et universalem Ecclesiam fuerit observatus, quæ postulant rei frumentariæ et commeatus rationes explicari antequam Tridentum redeatur. Hæc omnia consueta sunt postulari in omnibus Conciliis, ac non tam legibus Pontificum, quam ipsorum Cæsarum firmata. Quare quid ex his te magis offendat, injustitiæ spem præ se ferat, cum tu nihil explices, difficile est divinare; utcumque sit, ex his satis ad hoc caput responsum erit. Restant duo alia, in quorum priori protestaris omnia damna, tumultus et pericula quæ in rempublicam Christianam sint eventura Sanctitati suæ majestatem Cæsaream attributuram: in altero majestatem suam non defuturam Ecclesiæ, sed in omnibus in quibus negligens invenietur sua Sanctitas, in

iisdem eamdem majestatem Cæsaream protectionem Ecclesiæ suscepturam. Ad quæ duo capita Sanctitas sua sic simul repondet, se quatenus humanam fragilitatem per divinam gratiam vincere possit, non commissuram, ut jure negligens in rebus Ecclesiæ haberi possit; sin ita contigerit, (septies enim in die cadit justus) se eo minus dolere posse, si ejus negligentia Cæsaris vigilantiam acuere possit, ut necessitatibus Ecclesiæ subveniat, modo ita ejus curam suscipiat, quemadmodum tu majestati suæ in hac asserta protestatione præscribis, cum dicis quatenus jus patitur, et legibus, sanctissimorumque Patrum institutis, et orbis consensu, hoc decretum et observatum fuerit, quem morem et modum si Cæsar sibi observandum animo proposuerit, tum Sanctitatem suam in optimam spem venire facile per Dei gratiam omnia ea mala, quæ hæc protestatio nominat, depelli posse, nihil autem in posterum opus fore protestationibus, nec enim unquam talem suam negligentiam futuram sperat, quin si Cæsar hanc diligentiam præstet, quam hæc protestatio pollicetur, uterque suo officio fungens Ecclesiæ utilitatibus ad Dei honorem, cujus in diverso munere ambo sunt ministri, cumque pace et tranquillitate populi Christiani servire possit. Reliquum nunc solum est, ut ad illud caput tuæ protestationis respondeatur, quod tu solum, domine orator, si attulisses, exactius formam tui mandati secutus fuisses, nec tantam materiam sermonis cum multo scandalo dedisses, quantum vel falsum rumorem protestationis hujus multorum animis attulisse est verisimile. Quoniam tu procuratorio nomine suæ majestatis protestationem contra legatos et alios prælatos Bononiæ sub nomine Concilii congregatos et congregandos, coram sua Sanctitate et his venerabilibus fratribus suis interposuisti, ad quod tantum faciendum et proponendum majestas sua te procuratorem et mandatarium constituit et deputavit, Sanctitas sua, habita super his cum eisdem venerabilibus fratribus suis S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de ipsorum consilio et unanimi assensu protestationem hujusmodi admittit, si et in quantum de jure admittenda veniat, et non alias, aliter, nec alio modo, non intendens præterea per hujusmodi admissionem Concilio, aut legatis et prælatis præfatis, seu aliis quibuscumque, quorum interest aut interesse potest vel poterit, quomodolibet in futurum in aliquo præjudicari, nec eis jacturam aut ullum præjudicium fieri, sed eorum jus, si quod illis, jure, privilegio vel consuetudine, qualitercumque competat, salvum, integrum et illæsum præservari, neque ex hoc suæ majestati, aut quibuscumque personis, regnis et dominiis suis protestationi hujusmodi adhærentibus seu adhærere volentibus, actionem, vel exceptionem, seu jus aliquod de novo acquiri. Et nihilominus cum in dicta protestatione translationem Concilii ex Tridento ad Bononiæ civitatem factam, nullam et invalidam et injustam, nulliusque momenti et effectus fuisse, coram Beatitudine sua et eisdem venerabilibus fratribus suis proponatur, et quamplures quidem causæ et rationes ad id allegentur et deducantur, quæ probationem causæque cognitionem requirunt, volens Sanctitas sua, prout ad suum incumbit officium, quæstionem coram ea propositam hujusmodi cognoscere, illamque ad universalis Ecclesiæ unitatem, pacem et tranquillitatem in conjunctione membrorum ad unum caput Christum videlicet conservandam, ac divisionem ovilis suæ Sanctitati ex alto commissi, et in illo schisma, per quod ipsa Ecclesia scindi et scandalizari, grexque Dominicus sibi creditus turbari possit, prohibendum, necnon scandalis et damnis, quæ exinde evenire possent, occurrendum, concordia, vel jure, seu alias fine debito, quam celerrime poterit, decidere et determinare.

« Igitur de eodem consilio et assensu, tam ex officio, quam per viam querelæ, et ad instantiam omnium et singulorum quorum interest, et alias omni meliore modo et forma, via, jure et causa quibus melius et efficacius potest, etiam de Apostolicæ Sanctitatis suæ in persona S. Petri concessæ potestatis plenitudine causam et causas nullitatis, et invaliditatis, ac injustitiæ translationis hujusmodi, ac processuum omnium desuper habitorum, et inde secutorum quorumcumque ad se assumit, ac illam, et illas, cum dependentibus, emergentibus, annexis et connexis, etiam summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii, solaque facti veritate inspecta audiendas, et in sacro consistorio referendas reverendissimis dominis Parisiensi et Burgensi, ac Crescentio et Polo S. R. E. cardinalibus committit; et mandat cum potestate citandi et inhibendi, etiam per publicum edictum, constito summarie et extrajudicialiter de non tuto accessu, ac omnia et singula alia, quæ in præmissis necessaria fuerint, seu quomodolibet opportuna faciendi, gerendi et exequendi. Inhibens præterea in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub excommunicationis, anathematis, et maledictionis æternæ, ac dignitatum, et beneficiorum Ecclesiasticorum, quorumcumque feudorum, indultorum, privilegiorum, concessionum, facultatum, privationum pœnis ipso facto incurrendis, ipsis legatis ac prælatis utrobique existentibus, necnon quibuscumque personis, quacumque Ecclesiastica seu mundana dignitate præfulgeant, ne interim pendente cognitione hujusmodi, aliquid in ejus præjudicium attentare aut innovare audeat vel præsumat, decernens ex nunc irritum et inane, si secus super his a quoquam scienter vel ignoranter contigerit attentari. Mandans insuper sub

eisdem pœnis tam legatis quam prælatis Tridenti existentibus, ut aliquos ex eis vita, moribus et scientia commendabiles, et ad hoc instructos et peritos, qui postpositis odiis, conciliatis animis, et Spiritu sancto, non autem passionibus repleti dicant quod sentient, et sentiant quod loquentur, ad nos quanto citius mittere procurent, monens ipsos omnes ac quoscumque alios sua interesse putantes, ut infra mensem a die intimationis præsentium faciendæ computandum, per se, seu aliquos, ut præfertur, ex eis compareant præterea coram Sanctitate sua vel ipsis judicibus ad allegandum, deducendum et probandum, quidquid allegare, deducere et probare voluerint in præmissis. Verumtamen pendente hoc translationis judicio, ne ulla ex parte sua Sanctitas saluti provinciæ Germaniæ deesse videatur, quemadmodum pium parentem decet, legatos aut nuntios eo mittere offert, si id præsenti tempori expediens, et ipsi serenissimo Cæsari et ipsis Germanis gratum cognoverit, qui eorum populorum infirmitati præsenti aliqua curatione medeantur. Finito vero judicio, si quacumque causa, nulla aut injusta translatio reperiatur, Concilium Tridenti prosequendum omni sua auctoritate et studio curabit. In omnem vero eventum sua Sanctitas charitate, qua complectitur inclytam Germanorum nationem, nullum officii genus prætermittet, quod in ejus Sanctitatis potestate sit, quominus nobilissimam provinciam ad Catholicæ Ecclesiæ unitatem revocet, et in ea pristinum Christianæ religionis splendorem restituat, quemadmodum a Deo Optimo Maximo votis omnibus precatur atque exoptat.

30. « Illustrissime domine orator, tædet sanctitatem suam his tuis continuis protestationibus contendere, nec ipsam ægre ferre credat Cæsareæ majestatis ac sacri imperii jus, cui tantum præjudicari times, si quid competat per te illæsum præservari, cum illud lædere sua Sanctitas nunquam intendit. Sint tamen pariter Sanctitatis suæ ac sanctæ Apostolicæ Sedis et hujus sacri senatus jura semper salva et præservata, nec per has tuas quantumcumque per te nuper et hac præsenti die gesta et dicta in aliquo læsa. Satis est ad protestationem per te in præterito consistorio factam congrue esse responsum, illudque tibimet, ut illi qui eam proposuisti, ac temet præsente et intelligente, necnon coram eisdem notariis et testibus datum, quod quidem nec tua probatione indigere, nec ei tua negatione, aut inficiatione, seu improbatione aliquid juris detrahi posse, constat. Eritis igitur iidem vos et alii, si qui præsentes sitis, notarii de omnibus et singulis rogati et requisiti, ut adhibitis iisdemmet testibus, et cæteris hic præsentibus, qui pariter ad id rogantur et requiruntur, unum vel plura Instrumentum seu Instrumenta, prout necessarium fuerit, desuper conficiatis et in notam redigatis.

« Die prima Februarii MDXLVIII, in consistorio secreto jussu sanctissimi domini nostri legi suprascriptam responsionem ipso domino Didaco oratore Cæsareo præsente, et audiente, ac intelligente, præsentibus ibidem etc. ».

31. *Ob litem motam a Cæsare suspenditur Concilium.* — De his mox certiores facti sunt legati Bononiensis Concilii, ut Pontifex causam translationis Concilii cognoscendam suscepisset, atque Concilium intermitti jussisset, donec lata esset decretoria sententia, de quo hæc memorat Angelus Massarellus [1] :

« III Februarii reverendissimus cardinalis Farnesius significat, qualiter sanctissimus D. noster die Mercurii, qui primo hujus mensis in Consistorio dederat responsum ad protestationes factas coram sua Sanctitate ab oratore Cæsareo, cujus responsionis summa est, quod Sanctitas sua cum videat controversiam de validitate translationis Concilii ex Tridento, ipsa advocat ad se hoc judicium cognoscendi de validitate, constituitque judices quatuor cardinales videlicet Parisium, Burgensem, Crescentium et Polum, qui audiant quoscumque contra dictam translationem opponere volentes, quibus datur terminus unius mensis a die intimationis, nos vero interim præcipit supersedere ab omni actu Conciliari quocumque in loco sub gravissimis pœnis ipso facto incurrendis. Ipsum Concilium quoad prosecutionem suspendit, donec hujusmodi judicium pendeat, mandans legatis qui hic sunt, et prælatis qui Tridenti remanserunt, ut mittant ad suam Sanctitatem aliquos viros bene instructos et morigeratos, qui utriusque rationes afferant, et partes suas tueantur, offerens sua Sanctitas hoc interim mittere in Germaniam unum vel duos legatos, ut aliquod remedium illi nationi tribuant medio tempore, dum judicium pendet ».

32. Interjectis nonnullis diebus, ipse Pontifex scriptis ad legatos litteris retardari progressum Concilii ob litem motam a Cæsare jussit pendente judicio, significavitque monitos eos, qui vellent contendere judicio, ut argumenta causæ suæ depromerent, atque adeo nomine Concilii Bononiensis non pauciores tribus de re apprime instructos præsules mitti imperavit [2].

« Venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino et dilecto filio Marcello tit. S. Crucis in Hierusalem presbytero, S. R. E. cardinalibus nostris et Apostolicæ Sedis de latere legatis.

« Venerabilis frater, et dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quam semper fuit flagrans et ardens desiderium nostrum, ut Œcumenicum Concilium pro remedio hæresum, et reformatione morum, ac cæteris Chri-

[1] Diar. Conc. Trid. p. 273. Ms. Vat. — [2] Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 123. p. 796.

stianitatis necessitatibus per nos non solum indiceretur, sed indictum aperiretur, continuaretur, fineque debito concluderetur, notum Deo est, non ignotum hominibus, vobis vero notissimum, qui in ipso Concilio legati nostri, eique nostro nomine præsidentes, id nostrum desiderium cura, diligentia et pietate vestra, illorumque venerabilium Patrum vobiscum in eo commorantium, hactenus indeficienter executi estis, ita ut rem ad propinquum pæne finem Domino auctore perduxeritis : sed accidit, ut dum nos nostri officii, universalisque beneficii, et vestri pii laboris fructum atque exitum jamjam affore speraremus, hic noster vesterque in sancto pietatis studio cursus, sicut alias ex bellis et discordiis Christianorum principum, ita nunc ex causa, quam vobis putamus non ignotam, aliquantisper necessario retardandus fuerit. Cogimur enim querelas coram nobis propositas audire, ne justitiæ administrationem super illis denegare velle videamur, quod sane neque nostræ neque hujus Sanctæ Sedis consuetudinis unquam fuit. Proinde etsi voluissemus ea, quæ restabant, per nos agenda in ipso Concilio quanto citius expediri, ne celebratio neque expeditio ejus tamdiu contra nostram voluntatem dilata diutius differretur, boni tamen consulendum et æquanimiter ferendum nobis est, si ad modicum tempus a prosecutione rerum in ipso Concilio tractandarum supersedeatur, et interim præcognita ipsius rei veritate ad ipsam prosecutionem Concilii postea recurratur tanto ardentius, quanto id ipsum ad nostrum utcumque officium, atque ad bonum publicum, cui omnes studere debemus, pertinebit.

« Nuper siquidem pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti, per dilectum filium Jacobum seu Didacum de Mendozza apud nos oratorem procuratoremque ad id specialiter constitutum, coram nobis et venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto, fuit contra vos et prælatos vobiscum Bononiæ congregatos exhibita ac proposita querela, per quam idem Jacobus procurator nomine ejusdem Cæsaris conquerebatur et protestabatur, translationem Concilii ex Tridento ad istam Bononiæ civitatem alias factam fuisse et esse nullam, et illegitimam, affectatamque ac indebite procuratam, sicut et apud vos alii dictæ majestatis agentes in diem (sicut scitis) conquesti et protestati fuerunt. Nos autem etsi decretum ipsius translationis a tot Catholicis et religiosis episcopis, vobis etiam, qui ipsi Concilio tunc etiam præsidebatis, assentientibus, factum rite et rationabiliter promulgatum, ac canonicum, et legitimum, necnon majorem partem prælatorum, quibus id placuit, saniorem, et ab omni dolo, fraude et culpa remotam esse : idemque Œcumenicum Concilium, quod Tridenti erat, nunc Bononiæ congregatum existere, jure credere et præsumere debeamus, re tamen in controversiam deducta, et ad nostrum judicium delata, nisi (quod absit) justi judicis partes postponere voluissemus, non poteramus, si quæ contra præsumptionem hujusmodi probanda deducebantur, desuper veritatem nolle diligentius perscrutari.

33. « Habita itaque propterea cum eisdem fratribus nostris deliberatione matura, de ipsorum consilio et assensu causam et causas nullitatis, et invaliditatis, ac injustitiæ translationis hujusmodi assumpsimus, illamque et illas nonnullis ex dictis cardinalibus probis et peritis viris certis modo et forma audiendas et cognoscendas, ac in ipso consistorio nobis et reliquis cardinalibus referendas commisimus, omnesque et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes, monuimus, ut si qui contra translationem hujusmodi aliquid opponere, deducere et probare vellent, comparerent coram nobis, et propterea tam prælatis, qui Tridenti remanserunt, quam vobis et prælatis istis, qui Bononiæ vobiscum resident, sub certis tunc expressis pœnis inhibuimus, ne cognitione hujusmodi pendente aliquid in illius præjudicium innovare, aut attentare præsumatis vel præsumant, prout in cedula per nostrum secretarium de mandato nostro in eodem Consistorio lecta et recitata, (cujus authenticum ad vos transmitti mandavimus) plenius continetur.

« Cupientes igitur quæstionem hujusmodi concordia (si poterimus), aliter jure, per celerem tamen sententiam, sicut rei qualitas exigit, terminare, ne longa hujus cognitionis dilatio non solum in tempore, sed in re peccatum includat, vobis per præsentes injungimus, quatenus integrum hujus translationis habitum processum in authentica forma per aliquem nuntium aut fidelem cursorem ad nos transmitti curetis, ac eosdem istos prælatos nostra ex parte moneatis et requiratis, prout nos per easdem præsentes monemus et requirimus, ut aliqui ex eis non pauciores tribus de hoc translationis negotio instructi et informati, qui tam eorum proprio quam vestro et cæterorum istorum prælatorum nomine, defensioni causæ et causarum hujusmodi assistant, quanto citius ad nos venire nostroque conspectui se præsentare procurent. Non obstantibus Apostolicis, ac Synodalibus, et Conciliaribus ordinationibus et constitutionibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XVI Februarii MDXLVIII, Pontificatus nostri anno XIV ».

34. *Pontifex mandat tum patribus qui Tridenti remanserant, tum iis qui Bononiæ, ut mittant delegatos Romam ad subsellia Apostolica.* — Proximo die Pontifex Petro Paceccho cardinali ac cæteris præsulibus, qui Tridenti hæserant,

scripsit Epistolam [1], cujus caput et compendium hoc erat. Vel justa, vel injusta fuit Concilii translatio : si justa, cur tamdiu Tridenti immorentur, cum publico totius Ecclesiæ offendiculo, ac discrimine schismatis? Si injustam æstiment, cur non ad Sedem Apostolicam provocaverint? tam diu etc. horum enim alterum ex officii religione fieri ab iis debuisse, quo facto præsens offendiculum submovissent. Tum eos coarguit quod prius eorum querelas Cæsar Sedi Apostolicæ detulisset, quam eas ipsi vel litteris, vel internuntiorum opera denuntiassent, subditque jam Cæsareum oratorem eorum munus implevisse, atque conquestum contra fas ac leges, Concilium Tridento Bononiam translatum esse, qua nata controversia (addit Pontifex) se, licet a majori Concilii parte, et a legatis Apostolicis Concilium jure translatum sentire debeat, tamen pro singulari suo in nationem Hispanam studio, judicis partes suscepisse, denuntiasseque, ut si qui adversus memoratam translationem apud subsellia Apostolica disceptare vellent, sisterent se judicio : tum vetuit vel a Tridentinis vel a Bononiensibus præsulibus quippiam lite pendente pertentari, monuitque Tridenti congregatos, ut tres ad minimum præsules ex suis idoneis mandatis instructos ad rem judicio experiendam transmitterent. Ut autem lectori res exploratior fiat, placuit hic integram Pontificis Epistolam [2] afferre :

« Dilecto filio nostro Petro S. R. E. presbytero cardinali Giennensi nuncupato, ac venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis ad præsens Tridenti commorantibus.

« Dilecte fili noster, et venerabiles fratres, salutem etc. Cum semper hoc apud nos statuissemus, quoties nobiscum Ecclesiæ statum tot et tantis malis jampridem vexatæ consideraremus, nulla remedia illis tollendis æque profutura esse, atque illa, quæ ex Concilii Œcumenici celebratione afferri possent : hunc autem animum nostrum nondum vocati ad curam universi gregis Christi apud felicis memoriæ Pontifices prædecessores nostros, qui hoc munus Deo imponente sustinebant, sæpe essemus testati : tum vero in hac sententia multo magis confirmabamur, cum in nos licet indignos, divina providentia sic statuente , eadem cura esset translata, auctis jam progressu temporis malis, et ita per orbem Christianum sparsis, ut quidquid præter hoc unum remedii tentaretur, frustra adhiberi videretur; itaque inito Pontificatu statim Concilium Œcumenicum indicendum curavimus, sed non eo statim successu, quem optabamus, propter varia impedimenta, quæ ex bellis partim domesticis principum Christianorum inter se, partim vero externis contra communem hostem fidei oriebantur, quæ episcopis opportunitatem veniendi ad Concilium, licet a nobis variis in locis pro eorum commoditate indictum, sustulerunt. Tandem vero cum divina bonitate factum esset, ut cessante communi hoste ab infestatione reipublicæ Christianæ, et reconciliatis Christianorum principum animis, ac nostram sententiam probantibus, Concilium Tridenti per nos indictum convenientibus eo diversarum provinciarum episcopis celebrari cæptum esset, nullum quidem nuntium lætiorem audire potuimus, tum enim principium jactum esse nobis persuadebamus pacis et tranquillitatis Ecclesiæ, sublatis malorum radicibus , restituendæ. Auxit vero hanc nostram lætitiam ejusdem progressus, quem partim purgandis erroribus et resecandis falsis dogmatibus , partim in restituenda collapsa morum disciplina in suis decretis diversis sessionibus promulgatis ostendebat, quæ tandem ita crevisse accepimus, ut quæ pro remediis malorum Ecclesiæ a Concilio expectari possent, omnia fere complecti viderentur. Ut vero hæc nobis grata fuere, quo maturius hac ratione provideri posse Ecclesiæ malis sperabamus, sic omnia, quæ moram aliquam huic rei afferrent molesta extiterunt, quare cum primum nobis de discessu legatorum nostrorum, et maximæ partis episcoporum e Tridento translationis Concilii causa vobis eodem in loco manentibus allatum esset, non potuimus id sine magna animi molestia audire, quo magis nobis ante oculos versabatur, quantum inde moræ in prosequendis rebus Concilii, quantum scandalorum in Ecclesia facile oriri posset; quæ cum vobis non minus quam nobis nota essent, satis mirari non possumus, quid acciderit, cur, si justa et rite facta illa translatio vobis videbatur, comites vos legatis nostris et cæteris episcopis ad locum pro prosequendo Concilio destinatum non dedistis, vel si injusta aut nulla, cur vestras querelas hac de re nobis non detulistis, nec enim alterum istorum ad vestrum officium pertinere ignorare potuistis, quorum utrumvis si a vobis factum fuisset, idem omnem scandali speciem, quæ in multorum animis ob hanc rem oriri potuit, facillime sustulisset, quare in utroque vos defuisse constat; prius autem nos a charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatore de vestris querelis esse admonitos, quam per aliquem vestrum, saltem per vestras litteras vel nuntios, non possumus sine aliquo animi dolore ad vos scribere; quod si hoc officium ab aliis expectabamus, abs te certe, fili noster Petre, id prætermissum fuisse, eo majorem conquerendi causam habemus, quo majori vinculo propter cardinalatus munus, quo fungeris, ad ejusmodi officia astrictus esses, nos quidem cum aliquandiu taciti expectaremus, ut alterum istorum a vobis fieret, jam autem vestrum hoc

[1] Apud Goldast. to. II. p. 261. — [2] Paul. III. lib. brev. an. 1548. p. 58.

officium Cæsarea majestas antevertit, quæ per oratorem suum et per litteras de nulla et illegitima translatione Concilii nobiscum est conquesta, idem prorsus, quod ante de ea re vobis conquerentibus nunquam fuissemus recusaturi, hoc nunc prompti offerimus, ut vestras querelas hac in re libenter et prompte audiamus, atque totam hujusmodi causam cognoscamus. Licet autem decretum ipsius translationis, quod a majori parte Concilii assentientibus nostris et Sedis Apostolicæ legatis est factum, rite et legitime esse factum, ac idem Concilium Œcumenicum, quod Tridenti erat, nunc Bononiæ congregatum existere jure credere et præsumere debeamus ; tamen re in controversiam adducta, et ad nostrum judicium delata, ut justi judicis partes in omnibus sequeremur, si quid vos contra hujusmodi præsumptionem dicere velitis, vos audire, atque probationes vestras intelligere, atque omnia quæ a judice requiruntur, implere prompti sumus, qua in re etiam inclytæ nationis vestræ Hispanicæ, ejusdem autem devotissimæ Sedis Apostolicæ, et personarum vestrarum dignitatis rationem habuimus, quas cum ex relatione fide dignorum doctrina et moribus in primis ornatas, ac pietatis atque omnis disciplinæ Ecclesiasticæ maxime retinentes cognovissemus, committere noluimus, ut aliqua præsumptio quantumvis magna contra vos prævaleret aut impediret, quominus a nobis æquis animis semper auscultaremini.

35. « Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus matura deliberatione, de ipsorum consilio et assensu, causam et causas nullitatis et invaliditatis ac injustitiæ translationis hujusmodi assumpsimus, illamque et illas nonnullis ex dictis cardinalibus probis et peritis, certo modo et forma audiendas et cognoscendas, ac in ipso Consistorio nobis et reliquis cardinalibus referendas commisimus, omnesque et singulos sua communiter vel divisim interesse putantes monuimus, ut si qui contra translationem hujusmodi aliquid opponere, deducere et probare vellent, comparerent propterea coram nobis et eisdem cardinalibus per nos, ut præfertur, deputatis, necnon tam prælatis, qui Bononiæ, quam vobis qui Tridenti residetis, sub certis tunc expressis pœnis inhibuimus, ne cognitione hujusmodi pendente, aliquid in illius præjudicium innovare aut attentare præsumatis aut præsumant : prout in cedula per secretarium nostrum de mandato nostro in eodem Consistorio lecta et recitata, cujus exemplum authenticum ad vos transmitti mandavimus, plenius continetur. Cupientes igitur quæstionem hujusmodi concordia si poterimus, aliter jure, per celerem tamen sententiam (sicut rei qualitas exigit) terminare, ne longa hujus cognitionis dilatio non solum in tempore, sed in re peccatum includat, vobis in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub censuris et pœnis in eadem cedula contentis per præsentes mandamus, vosque monemus et requirimus, ut si translationem hujusmodi invalidam, aut minus legitimam fuisse prætendatis, aliqui ex vobis non pauciores tribus de hoc translationis negotio instructi et informati, qui tam eorum proprio quam vestrorum omnium nomine causæ et causis hujusmodi assistant, ac quidquid contra translationem primam dicere, allegare vel proponere volueritis, deducere et probare possint et debeant, quanto citius ad nos venire, nostroque conspectui se præsentare procurent, non obstantibus Apostolicis ac Synodalibus et Conciliaribus constitutionibus et ordinationibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem per præsentes tibi, fili charissime cardinalis, et duobus, vel tribus ex vobis intimatæ, ac in valvis cathedralis Ecclesiæ Tridentinæ affixa illarum copia ibidem dimissis, perinde vos arctent, ac si vobis omnibus et singulis intimatæ fuissent. Datum Romæ XVII Februarii MDXLVIII, anno XIV ».

36. Acceptis Pontificiis imperiis Concilii Bononiensis Patres, ut meliore jure fulti erant, ita Pontificio imperio demisse paruerunt, ut ex eorum Actis constat ; habita enim congregatione generali Materanum archiepiscopum, necnon Feltrensem, Motonensem coadjutorem Veronensem, Salutiarum, Albinganensem, et Aliphanum episcopos decreverunt procuratores pro jure translationis Concilii defendendo apud subsellia Apostolica, de quibus legati has litteras ad Paulum Pontificem dedere :

« Sanctissimo Domino nostro papæ.

« Beatissime pater, post humillimam commendationem et pedum oscula beatorum.

« Conferent se ad beatissimos pedes vestræ Sanctitatis honorabiles hujus sacri Concilii Patres summa doctrina, prudentia et pietate præditi, archiepiscopus Materanus, necnon Feltrensis, Motonensis idemque Veronensis Ecclesiæ coadjutor, Salutiarum, Albiganensis et Aliphanus episcopi virtute Brevis vestræ sanctitatis sub data Romæ apud S. Petrum die XVI Februarii nobis directi, in plena congregatione communi consensu electi, ut defensioni translationis assistant. Processum vero super ipsa translatione habitum providus vir Hercules Severolus hujus sacri Concilii promotor Sanctitati vestræ clausum et obsignatum, ac authentica forma redactum præsentabit. Reliquum est, ut causam Dei, quæ in ipso translationis judicio maxime agitur, et reipublicæ Christianæ salutem, ac Conciliorum Generalium honorem atque auctoritatem, nosque ipsos beatitudini vestræ plurimum commendemus, quam Deus ipse diu incolumem Ecclesiæ suæ servare dignetur. Bononia IX Martii MDXLVIII.

« Vestræ Sanctitatis

« Servi et creaturæ Joannes Maria cardinalis, Marcellus cardinalis S. Crucis ».

Cum venissent Romam Bononiensis Concilii procuratores designati, in cardinalium senatu, ad translationis jus ostendendum, et sententiam Pontificis excipiendam accessere, de quibus hæc Acta [1] Consistorialia :

« Romæ apud Sanctum-Petrum XXII Martii MDXLVIII, fuit congregatio generalis reverendissimorum DD. cardinalium. Comparuerunt coram Sanctitate sua sex prælati, qui nuper de mandato Sanctitatis suæ Bononia advenerunt ad assistendum defensioni causæ et causarum translationis Concilii ex Tridento ad civitatem Bononiensem, de quorum comparitione fuit rogatus R. D. Blosius electus Fulginatensis suæ Sanctitatis secretarius, prout penes eum constat ». Concepta sunt subjectis verbis ea publica documenta [2].

37. « Comparitio reverendissimorum DD. deputatorum Concilii, coram sanctissimo domino nostro Romæ in generali Congregatione reverendissimorum cardinalium die XXIII mensis Martii MDXLVIII.

« Beatissime Pater. Audivit Sanctitas vestra, audiveruntque reverendissimi domini cardinales, et vos in primis reverendissimi domini deputati ex litteris jam lectis causam adventus nostri : venimus enim a sancta Synodo Œcumenica Bononiensi pro obedientia litterarum Sanctitatis vestræ destinati, ut defensioni translationis sacri Concilii a civitate Tridentina ad civitatem Bononiensem assistamus. Et licet translatio ipsa nulla egeat defensione, cum fuerit facta rite ac recte a majori parte Patrum, Spiritu S. suggerente et illuminante, cujus directione sacra Œcumenica Concilia diriguntur ac gubernantur, tamen ut Sanctitatis vestræ monitis ac præceptis sacrum Œcumenicum Generaleque Concilium Bononiense (ut par est) obtemperaret, habita prius diligenti discussione et numeri et personarum Patrum mittendorum communi consensu, nos ad pedes Sanctitatis vestræ delegavit, atque misit injungens nobis, ut deosculatis prius humiliter pedibus Sanctitatis vestræ, tum nomine reverendissimorum cardinalium in ipso sacro Concilio præsidentium, tum cæterorum omnium Patrum ibi legitime congregatorum, nostroque, prout deosculati fuimus, pro veritate et justitia assisteremus defensioni ipsius translationis Concilii pie justissimeque factæ. Sperat autem eadem sancta Synodus, eumdem Spiritum sanctum dominum et vivificantem, cujus spiratione ac directione ipsa translatio facta fuit, in ejus tutela nobis non defuturum. Igitur, clementissime pater, qui Petri Sedem et fidem merito tenes, et Christi vices geris in terris, tuum erit, si quispiam translationem hujusmodi oppugnare voluerit, justissimam defensionem nostram benigne audire, et æquum judicem præbere, cum causa Dei et res agatur, nostrum autem defensioni ipsius negotii adesse, et partes nostras fideliter adimplere; precamur insuper et suppliciter oramus Sanctitatem vestram, ut quemadmodum summa sua providentia ac bonitate, pro reparanda restaurandaque religione Christiana jam fere collapsa, sacrum, generale et Œcumenicum Concilium saluberrimum remedium indixit et congregavit, eadem prudentia ac pietate auctoritatem præsentis generalis Bononiensis Concilii, cujus ipse caput certissimum est, cæterorumque futurorum Conciliorum, ac libertatem Ecclesiæ, divinamque causam, sine quibus actum certe esset de republica Christiana, conservare atque protegere dignetur. Processum autem et gesta in ipsa translatione habita, ut mandata Sanctitatis vestræ impleantur, magister Hercules promotor nomine sacri Concilii mox Sanctitati vestræ in authenticam formam redacta præsentabit et exhibebit. Rogamus itaque vos dominum secretarium et notarium, ut de hujusmodi nostra comparitione fidem legitimam faciatis ».

38. His gestis præsules, qui a Concilio Bononiensi procuratores deputati fuerant apud subsellia Apostolica in causa translationis, certiores fecere Patres Bononiensis Concilii, quod coram Pontifice comparuissent in judicio, benigneque ab eo excepti fuissent, de quibus hæc memorat Angelus Massarellus [1] :

« XXIX Martii in litteris deputatorum significatur qualiter XXII præsentis mensis recepti fuerunt in generali congregatione omnium cardinalium a sua Sanctitate benigne, ejusque pedes nomine sacræ Synodi, reverendissimorum præsidentium, et suo, deosculati fuerint, commendantes suæ beatitudini causam Dei, et auctoritatem sacri Concilii Bononiensis erga suam beatitudinem, quæ exposita fuerunt per organum reverendi domini archiepiscopi Materani decani deputationis. Deinde dominus Hercules Severolus promotor Concilii præsentavit suæ Sanctitati processum authenticum ipsius translationis ».

Memoratæ vero præsulum designatorum a Concilio Bononiensi litteræ subjectis verbis conceptæ erant [1] :

« Reverendissimis et illustrissimis DD. cardinalibus de Monte et Sanctæ-Crucis de latere legatis, sacrique Œcumenici Concilii Bono-

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sign. num. 133. pag. 514. — [2] Tom. XVII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3204. p. 454. Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 123. p. 83.

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 290. — [2] To. XII. de Conc. Ms. arch. Vat. pag. sig. num. 3204. p. 445. et in Ms. card. sig. num. 123. p. 83.

niensis præsidentibus, nostris observandissimis ac reverendis Patribus in ipso Generali Concilio existentibus fratribus colendissimis.

« Illustrissimi et reverendissimi domini legati reverendique Patres. Itinerum incommoda propter pluvias continue ingruentes, necnon fluminum difficiles transitus in causa fuerunt, ut non sicut desiderabamus, atque nobis fuerat injunctum, sed ut tantum XV kal. Aprilis ad Urbem omnes applicare potuerimus, adventuque nostro statim a nobis sanctissimo domino nostro significato, Sanctitatis suæ nomine per reverendum dominum electum Massanum nobis ordinatum fuit, ut domi maneremus, donec a reverendissimis dominis cardinalibus super rebus sacri Concilii, quomodo a Sanctitate sua essemus recipiendi, fuisset discussum. Quo facto, die Jovis, quæ fuit XXII præsentis mensis, in generali congregatione, assistentibus omnibus illustrissimis reverendissimisque cardinalibus, Sanctitas sua nos benigne recepit, et deosculatis prius a nobis Sanctitatis suæ pedibus nomine dominationum vestrarum illustrissimarum et reverendissimarum, nostræ deputationis testimoniales litteras exhibuimus, quibus per secretarium lectis, causam nostri adventus, justitiam translationis, ac humilem supplicationem protectionis conservationisque auctoritatis sacri Concilii, libertatis Ecclesiæ, divinæque causæ Sanctitati suæ, ut in exemplo quod his inclusum transmittimus, breviter exposuimus. Promotorque Concilii gesta in ipsa translatione habita juxta mandatum quod habebat, Sanctitati suæ exhibuit, quæ de ejus mandato reverendissimo cardinali Bellayo consignata fuere. Demum eumdem secretarium de comparitione nostra et actorum præsentatione rogavimus. Cumque sanctissimus dominus noster adventum nostrum gratanti animo suscepisset, et aures supplicationi nostræ perbenignas præbuisset, obedientiamque dominationum vestrarum reverendissimarum cæterorumque Patrum commendasset, celeremque expeditionem causæ hujusmodi pro justitia pollicita esset, ad quatuor reverendissimos dominos cardinales super hujusmodi negotio deputatos nos remisit : quos omnes conjunctim, ut decebat, visitavimus, et pro defensione translationis unumquemque ipsorum, quantum pro loci et temporis congruentia nobis sufficiens visum fuit, informavimus, iterum et sæpius eos informaturi, si contradictores venerint : nam hucusque ex adverso nullus comparuit. Hæc sunt, quæ in materia negotii nobis impositi hactenus peracta fuere, de quibus dominationes vestras illustrissimas, reverendosque Patres omnes litteris nostris certiores facere voluimus, itidem facturi de reliquis, quæ in futurum occurrerint, rogamusque interim Deum optimum Maximum, ut dominationes vestras reverendissimas et illustrissimas reverendosque omnes istos Patres diu incolumes et felices conservet, quibus nos humiliter commendamus. Dat. Romæ die XXIV mensis Martii MDXLVIII ».

Reverendissimarum et illustrissimarum dominationum vestrarum servitores et paternitatum vestrarum fratres obsequentissimi, sacrique Bononiensis Œcumenici Concilii deputati.

« Joannes Michael archiepiscopus Acheruntinus et Materanus.

« Thomas episcopus Feltrensis.

« Aloysius coadjutor Veronensis.

« Philippus Salutiarum.

« Joannes Baptista Albinganensis.

« Sebastianus Aliphanus ».

39. *Præsulum Hispanorum responsio fallax et de ea rectum severumque judicium Pontifici obsequentium.* — Defecere ab hoc obedientiæ Christianæ exemplo præsules Hispani, qui Tridenti hæserant, non enim aliquos e suis ad disceptandam translationis causam ad subsellia Apostolica miserunt, cum agerentur imperiis Cæsareis, litteras tamen Christianæ demissionis erga Pontificem notis refertas misere ad declinandum judicium, multisque excusationum fucis ac figmentis suam in Tridentina urbe residentiam colorarunt [1] :

« Sanctissime pater, post humillima pedum oscula beatorum. Accepimus Sanctitatis vestræ litteras in forma Brevis plenas clementiæ et mansuetudinis, ut vere Apostolicum pectus redolentes, quibus nos redarguit non uno nomine, quasi cessatores in officio. Quod si a nobis utcumque prætermissum sit erga Sanctitatem vestram, cui nulla non officiorum genera plane deberi ingenue profitemur, ipsa judicet : recreat enim nos benignitas et prudentia sua incomparabilis, quæ facile intelliget, nihil nos, vel dum translationi contradicimus, vel cum silemus, sed neque quod hactenus hoc in loco manserimus, nihil, inquam, minus de Sanctitate vestra, de Apostolica ipsa Sede, de republica denique Christiana quam bene mereri, quam qui optime, absit verbo invidia ! cogimur enim sic dicere. Tantum enim abest, ut in causa translationis de Sanctitate vestra offendenda cogitaremus, ut vel maxime hinc ansam dissentiendi acceperimus, quod videbamus de re omnium gravissima, inconsulta Sanctitate vestra decerni. In quo etiam pientissimum imperatorem, optime de republica Christiana merentem, desiderabamus non fuisse neglectum. Videbamus non defuturos, qui rem incommode interpretaturi forent ; prospiciebamus a Sanctitate vestra, ut est consummati sensus, non probatum iri faciliter. Quod autem tacentibus nobis,

[1] To. XVII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. 3204. p. 436. continente Acta Conc. Bonon. p. 88. Ms. card. Franc. Barb. sign. num. 123. Ext. etiam in Ms. card. Pii sig. 260. p. 73.

dum Sanctitas vestra expectationem nostram desiderat et expectat, augustissimus imperator, quod nostri censebat esse muneris, anteverterit, conquestus cum Sanctitate vestra de illegitima translatione, non ita, quæsumus, interpretetur, quasi nos cum eramus delaturi querelam Sanctitati vestræ, ad Cæsaream majestatem adduxerimus : sed proprio ipsius Cæsaris motu factum est, qui protectionem Ecclesiæ ad suum pertinere munus jampridem intellexit, scilicet se ei advocatum præstare, zelatus unionem nobilissimæ nationis ad Catholicam Ecclesiam, et unum caput Christum, ejusque vicarium Sanctitatem vestram. Sed neque unquam in mentem nostram venit potuisse desiderari in hoc officium nostrum, ut certiorem redderemus Sanctitatem vestram, quam nunquam non factam certissimam a legatis suis arbitrati sumus ; palam enim excipientibus notariis coram universa Ecclesia apertis verbis locuti sumus, et humanis omnibus sepositis affectibus contestati, imminere scandalum reipublicæ Christianæ ex recessu Patrum ab hoc Tridenti loco, afferri negotio incommodas moras : videbatur nobis sufficere, quod indicassemus quid de re sentiremus : deinde siluimus. Quo etiam fit ut cum denuo nihil aliud ad rem ipsam afferre possimus, præsentiam nostram in negotio desiderari minime credamus. Sed si quid interim cessatum videtur, satis res ipsa indicet candorem animi nostri. Et quid enim erat operis, vel negotii, patri satisfecisse, si desiderantem credidissemus, molestia levare, si inde contristandum essemus opinati ? majora sibi nos debere fatemur, ut agnoscat universa Ecclesia filios seniores, qui semper cum patre mansimus, et eo melius habentes, quo jam ita sumus de junioris filii, qui perierat, salute et solliciti, Germanici scilicet populi, ut non solum patrem a molestia mitigandæ nostræ invidiæ liberemus, sed magis etiam ad congaudendum invitemus, et ut revertentibus occurrat filiis, rogemus alioquin desiderantem. Nostras itaque partes tantum esse existimavimus, ut a translatione proposita pro conscientia dissentire deberemus : præ modestia vero et humilitate non ausi sumus intempestive Sanctitatem vestram interpellare quasi officii admonentes, quem sperabamus nulli officiorum generi, quod ex re Ecclesiæ judicasset, fuisse defuturum, volentes, ut par est, suo judicio tribuere : neque videmus, quare nos comites proficiscentibus legatis et prælatis ipsis dare debuerimus, quorum nobis sententia non probabatur, et iis quidem, qui repetita oratione pollicentibus tum in generali congregatione, tum in publica sessione in recessu ipso celebrata, se quamprimum illa asserti morbi opinio refrixisset, esse redituros ; præsertim si se Germani Concilio submitterent. Nos vero interea sedimus in civitate manentes, quos audieramus, et bona fide credebamus reversuros, et continuo de reversione cogitantes audivimus, et agentes, quod factum prope credidimus tunc primum cum illa vox lætitiæ audita est, Dei scilicet gratia factum, et imperatoris virtute, ut quod erat commune Ecclesiæ desiderium, Germani se tandem Concilio submisissent.

« Tenes igitur jam, pater sanctissime, quod tam diu desiderasti. Ecce virtus imperatoris tui, Josue alterius, vincentis, dum tu oras velut Moyses sanctus. Ecce Carolus reducit errantes oves, et minat ad virgam Pastoris, reportat ad caulam Dominicam, et quos nuper Deus sibi subjecit, Deo ipse subjicit, redditque vicario Filii sui, nempe qui non alia ratione magis, non alio scilicet secretiore consilio bellum suscepit, quam quia prælium Domini erat. Dirige igitur errantem gregem, pastor optime, ad pascua Synodalia, cogeque virga, hæc enim directionis virga regni tui est. Benedictus Deus in tanta materia benefaciendi, rebus præsertim desperatis collapsisque. A Domino certe est, quod tantum accessionis factum sit Apostolicæ vestræ Sedi, a qua jam pridem fuerat miseranda discessio. Intelleximus præterea a Sanctitate vestra scandalum aliquod accepisse, qui nos hoc in loco remansisse audierant. Satis nobis est si non dederimus ; nos enim qui sumus, ut prohibere possimus ? Commune hoc nobis cum reliquis Patribus est, quod et ipsorum plures etiam turbavit recessus. Quod autem Sanctitas vestra nobis tantum tribuit, est quod magis adscribamus paternæ pietati quæ ad meliora semper satagit provocare, quam ut agnoscamus merita nostra, præterquam illa quæ nobis communia sunt cum nationis nostræ laude, non sine Dei munere ; semper enim majores nostri Filii Dei vicarium coluerunt, et beati Petri Apostolorum principis successorem pie venerati sunt, quæ nostra omnium observantia jure exigit a Sanctitate vestra, ut non sit passa prævaluisse in nos aliquam præsumptionem, qui in hujusmodi non solum a malo, sed ab omni specie mali fuerimus abstinentes. Non igitur videmus unde in hanc invidiam trahimur. Habet igitur Sanctitas vestra actionis nostræ rationem : tuæ erit clementiæ boni consulendo præstare, ne nobis, vel immodica pietas fraudi sit, neque contraisse videamur, dum bene mereri studemus. Superest ut cum Concilii finis pax sit, rogemus humiliter Sanctitatem vestram, ne patiatur nos litibus exerceri : servos enim Dei litigare non decet. Aut enim de qua agitur causa nostra est, aut Dei ; si nostra, parati sumus magis injuriam pati, quam inferre. Si Dei est et Christi, ut vere est, ad quem magis, quam ad ejus vicarium pertinere potest ejus defensio ? Si tu justificas, quis est qui condemnet, ut nobis egeat defensoribus ?

« Obsecramus supplices Sanctitatem ve-

stram, ut indicti jam Concilii intermissa redeat celebratio, et desideratus progressus. Redde, Domine, loco huic Apostolicos tuos legatos : redde civitati præelectæ Patres; compendio agetur, si de translatione nullam malueris habere rationem, discussionem nullam. Si tu, sanctissime Pater, quod omnes sibi promittunt, remedium non affers tantis malis (ad quæ tollenda consilia tua omnia direxisti, et convertisti) quæ poterit esse in posterum spes ? quem optabimus Pontificem ut fessis labefactisque rebus occurrat ? Quum autem totus tuus supra Pontificatus summa sit tibi cum laude actus, et ad personam, quam sustines convenientissime, nunc tu hoc actu, nulla adduci possumus ratione, ut credamus te posse deficere, cum plausus excitandus est, plausus, inquam, æternus. Patere igitur, Pater sancte, quæ tua est consuetudo, et sustine, quæ tui animi est placiditas, quod paucis his egerimus tecum, apud quem alii forsan peritius, nullus profecto amantius, quam nos, et observantius, atque prudenter, aut commode ipse existimaris ; licet nec ex humanitate tua, tantum nobis licentia arrogaverimus, ut disseramus, quid tantum Pontificem deceat, cui fuerit satis, quid abs te speremus, indicare. Deus autem Sanctitatem vestram diu servet incolumem Ecclesiæ suæ sanctæ. Tridento X kal. Aprilis anno Domini MDXLVIII.

« Humillimæ creaturæ et devoti oratores cardinalis Giennensis, archiepiscopus Turritanus, archiepiscopus Panormitanus, episcopi Rossanensis, Castelli-Maris, Algarensis, Lancianensis, Syracusanus, Pacensis, Asturicensis, Oscensis, Calaguritanus, Canariensis ».

40. Traditum etiam est harum litterarum exemplum Bononiensis Concilii procuratoribus, ut si quid in iis veritate aut jure non niteretur, ipsi illud arguerent : ii vero gravissime reprehenderunt in præsulibus Hispanis, quod magis privatæ sententiæ, quam divinæ voci e Pontificio throno processuræ crederent, nec, ut Dei servos decuerat, ad schismatis defugienda pericula tollendaque publica offendicula, Christi vicario cognitione causæ translationis ob protestationem Cæsaream suscepta parerent, multaque alia addidere ad suæ causæ defensionem, quæ ex subjectis eorum scriptis patebunt [1] :

« Judicium dominorum deputatorum Concilii super litteris prælatorum Tridentinorum.

« Beatissime pater. Interpellati fuimus a reverendissimis dominis cardinalibus super negotio translationis Concilii deputatis, quid sentiremus de responso dato litteris Sanctitatis vestræ a reverendissimo cardinale Giennensi et aliis prælatis, qui post ipsam translationem Tridenti hactenus remanserunt. Nos igitur omnibus mature consideratis, illud in primis perspeximus, causæ vestræ terminationem ex his facillimam reddi, cum et judicium simul et judicem non improbent, et in hujusmodi judicio contradictores se constituere nolle profiteantur. Quæ quidem res sicut grata nobis, ita minime nova extitit, propterea quod notissima sit translationis justitia : quamobrem cum tota illa responsio nobis, qui translationis defensioni assistemus, in hac ipsa re nullum facessat negotium, tantummodo illud superest, ut nonnulla percurramus in eo responso obiter inserta, per quæ fortassis, nisi pro veritate refellantur, nonnihil festinationis, aut non maturæ considerationis argui posse videmur. Idcirco omni modestia nobis ipsis proposita, et fraterno amore ac sincera charitate ducti, et dumtaxat quæ minime possunt dissimulari in nos prolixius objecta paucis diluemus, nullo pacto impugnantes id quod illi de se asserunt, nempe de republica Christiana bene meruisse, non tamen sustinentes illud, quod aiunt, quam qui optime. Eos enim potius optime meruisse arbitramur, qui decretum sanctæ Synodi a longe majori parte sancitum agnoverunt, ipsosque reverendissimos a latere legatos secuti sunt, ac sanctissimam Crucem pro vexillo sacri Concilii, eisdem a Sanctitate vestra solemniter traditam, non deseruerunt.

« Quod autem prius Sanctitatem vestram consultam fuisse desiderasse videntur, superfluum profecto fuit desiderium illud, cum nec Sanctitatis vestræ auctoritas deesset in ipsis reverendissimis legatis, nec defuerit eis speciale Diploma datum anno usque millesimo quingentesimo quadragesimo quarto die VIII kal. Martii, facultatem transferendi Concilii ipsis reverendissimis legatis, quandocumque eis videretur, concedens sub his verbis : « Motu proprio, ex « certa scientia ac de Apostolicæ auctoritatis « plenitudine, parique consilio et assensu vobis « insimul, aut duobus ex vobis reliquo legitimo « impedimento detento, seu inde absente, quan- « documque vobis videbitur Concilium prædic- « tum de eadem civitate Tridentina, ad quamcum- « que aliam commodiorem, et opportuniorem, « seu tutiorem civitatem, de qua etiam vobis « videbitur, transferendi, et mutandi, ac illud in « civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi ; « necnon prælatis et aliis personis Concilii hu- « jusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta civitate « Tridentina procedant, etiam sub censuris « et pœnis Ecclesiasticis inhibendi, ac idem Con- « cilium in alia civitate hujusmodi, ad quam « illud transferri et mutari contigerit, conti- « nuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud præ- « latos, et alias personas Concilii Tridentini, « etiam sub perjurii et aliis in litteris indictio- « nis Concilii hujusmodi expressis pœnis coer-

[1] To. XVII. Conc. sign. num. 320. Ms. arch. Vat. sign. p. 467. Ext. inter Acta Conc. Bonon. et in alio p. 92. Ext. in Ms. car. Pii -12. t. . n. 260. p. 77.

« cendi, etc. » Quæ omnia tunc publice lecta et recitata fuere in ipsa Sessione, propterea quod nonnulli a translatione dissidentes, hujusmodi cognita facultate, communi se decreto submissuros palam profitebantur; prout illo audito amplius minime restiterunt.

« Neglectam vero majestatem Cæsaream (ut illi affirmant) non modo re ipsa, sed neque cognitione quidem sola factum asserimus. Neque enim minorem rationem habuimus majestatis suæ, quam Sanctitatis vestræ, ut qui (res enim ipsa moram non patiebatur) saluti nostræ in primis, ex qua pendebat totius Concilii summa, nunc providerimus. Eo enim res adducta erat, ut nisi Concilium transferretur, ipsius manifesta dissolutio immineret; ipsa vero dissolutione nihil perniciosius esse cogitari poterat. Morbus enim ille pestilens longe lateque in civitate illa pagisque adjacentibus, in Germania gravius, unde magna quotidie confluebat miserabilium multitudo, grassabatur, trepidabantque universi Patres, quorum pars magna jam discesserat, reliqui se itineri, nulla discedendi venia sibi minime concessa, habita ratione accingebant : cum etiam prius frequenter contestati apud reverendissimos præsides fuissent, nullo modo tanto se periculo amplius objecturos. Medici autem, quorum fidei committebamur, discrimen augebant, præsertim magni nominis ille Fracastorius publico stipendio conductus, contagiosum esse ex aeris infectione morbum, et qui in nobiles et delicatos præcipue sæviret, jurejurando affirmabat, omninoque nos deserere velle protestabatur : sicuti etiam antequam translatio fieret, deseruit. Ad hæc quoque indubitatus oriebatur timor, civitates finitimas statim commercium nobis interdicturas; unde et commeatus penuria in loco sterili et inter montes posito, ac magna itineris difficultas, morbo procedente, parabatur. Sed ne verbis agamus in ea re, quæ Actis Concilii patet Sanctitatis vestræ jussu huc allatis, satis erit ad ea, quæ indubitatæ sunt fidei, nos referre, atque ita apparebit omnes, qui nos festinantiæ aut properantis nimium judicii arguere velle conantur, hanc vere notam ipsos incurrere, nos vero pro negotii, personarum et temporum qualitate, matura deliberatione processisse. Nam quid horrendum magis timeri poterat, quam adeo necessarii Concilii dissolutionem fieri? quod vero non defuturi essent, qui rem incommode interpretarentur, facile id erat ipsis Patribus evitare, si decretum longe majoris partis (quod facere tenebantur) agnovissent, quo uno decenti remedio facile perspiciebant obviam iri scandalo, quod reipublicæ Christianæ imminere asserunt, ac eodem remedio incommodas moras ad progressum sanctissimæ Synodi evitari.

« Nequaquam igitur credibile est, quod ipsi aiunt, in hoc negotio præsentiam eorum desiderari non credidisse. Nonne post generalem monitionem, etiam sub censuris et gravissimis pœnis, præsertim illis, quæ in Sanctitatis vestræ Diplomate continebantur, omnibus in die Sessionis factam, reverendissimi legati privatim eosdem post decretum translationis, ut se Bononiam conferrent, monuerunt? Deinde postquam Bononiam ventum est, nonne per litteras eorumdem sibi fideliter exhibitas rogati et moniti fuerunt, ut se nobiscum jungerent? Quod autem in eodem responso sæpius repetitum est, eos videlicet, teste conscientia et proposita translatione dissentire debuisse, idcirco se comites non dedisse proficiscentibus legatis cum cæteris patribus, quorum ipsis sententia non probaretur, ulteriori profecto explicatione distinguendum est. Nam aliter potuerunt sentire quidem, et cum omni conscientia, ante decretam et sancitam translationem (vota enim singulorum libera esse decet in sacro Concilio), verum posteaquam longe major pars (quæ de jure quidem sanior esse censetur, et cui etiam ex conclusione in generali Congregatione communi omnium Patrum consensu facta standum erat) translationem ipsam decrevit et sancivit, si qui prius aliter sentiebant, decebat eos intellectum captivare in obsequium majoris partis; id quoque ipsis non modo probantibus, sed etiam petentibus, servatum a nobis in aliis sessionibus semper fuit; quod nisi fieret, nihil unquam in Conciliis deliberari ac statui posset, nihilque propterea unquam firmum, nihil stabile futurum esset in Ecclesia Dei, nullaque amplius esset sacrorum Conciliorum auctoritas, unde oriretur scandalum, scandalorum omnium gravissimum.

41. « Quod autem polliciti fuerimus reversionem, cum primum illa pestilentis (quod aiunt) asserti morbi suspicio refrixisset, pollicitatio ipsa qualis fuerit, non opus est ut verbis contendamus. Acta loquuntur, quæ sic habent : Placetne vobis similiter decernere et declarare pro conservatione et prosecutione ipsius Concilii, securitateque vitæ ipsorum prælatorum, Concilium ipsum ad civitatem Bononiensem veluti ad locum magis paratum, salubrem et idoneum pro tempore transferendum esse, et ex nunc transferri, et ibidem Sessionem jam indictam statuta die XXI Aprilis celebrandam esse et celebrari; et successive ad ulteriora procedendum, donec sanctissimo domino nostro et sacro Concilio expedire videbitur, ut ad hunc seu alium locum, communicato etiam consilio cum invictissimo Cæsare, Christianissimo rege, et aliis regibus ac principibus Christianis, ipsum Concilium reduci possit et debeat?

« Præterea ut demus causam hanc fuisse mansionis Tridenti, quod bona fide crederent nos illuc reversuros, quid est quod a reverendissimis legatis moniti, ut se nobiscum Bononiæ

jungerent, nihil responderunt? Cur etiam pro eorum pietate nunquam nos monuerunt, cum probe agnoscerent tanti viri, nihil boni Tridenti pro Ecclesia agere : quinimo scissionis tunicæ Christi inconsutilis (quod certe admittere volumus eos nunquam cogitasse) infirmioribus multis dubitationem injecisse ? Sed et nullus sani capitis ambiget, mansionem illam Cæsareæ protestationi occasionem præstitisse, quæ nullo pacto profecto potuisset a Cæsare emanare, si Conciliorum ipsi probatos mores, et majorem ac saniorem partem Patrum, imo sacrosanctam crucem, insigne unicum et amabile veræ et legitimæ potestatis, et præsentiæ Sacri Concilii, quæ nulli per Sanctitatem vestram alligata est loco, secuti fuissent. Non erat igitur eo pacto repetenda reversio, quod difficilior reddebatur, sed quod facilior, utpote ex concordi nobiscum sacri Œcumenici Concilii progressu.

« Ad hæc cum valde observemus reverendissimum et illustrissimum dominum cardinalem, et cæteros Patres ipsos toto diligamus affectu, non potuimus non valde tristari ex ipsarum litterarum suarum particula, dum asserti morbi suspicionem fuisse dicunt, et non magis veri morbi invasionem, nisi forte ita intellexerint, asserti morbi, id est, assertive a sacro Œcumenico Concilio pro evidenti et notorio declarati : frustra enim post latam sententiam diffinitivam de iis, quæ a sacro Concilio diffinita sunt, amplius dubitatur. Hæc enim sunt verba sacrosancti illius decreti : Placetne vobis decernere et declarare de hujusmodi morbo, ex præmissis et aliis allegatis ita manifeste et notorie constare, ut prælati in hac civitate sine vitæ discrimine commorari et in ea idcirco inviti minime retineri possint et debeant? Itemque attento recessu multorum prælatorum post proxime præteritam Sessionem, et attentis protestationibus aliorum quamplurium prælatorum in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui juste detineri non poterant, et ex quorum discessu Concilium dissolveretur, vel ex paucitate prælatorum bonus ejus progressus impediretur, et attento etiam imminenti periculo vitæ et aliis causis per aliquot ex Patribus in ipsis Congregationibus allegatis, utpote notorie veris et legitimis. Quæ cum sint etiam maxime notoria declaratione, si adhuc dubitant, et rem se aliter habuisse prætendunt, advertant, quæsumus, Patres illi quanti momenti verbum eis exciderit : nam Sanctitas vestra in memoratis litteris ad eos destinatis, inter cætera ait : « Vos in virtute « sanctæ obedientiæ, ac sub censuris et pœnis « in eadem schedula contentis per præsentes « monemus ac requirimus ut si translationem « hujusmodi invalidam prætendatis, aliqui ex « vobis, etc. » Nonne hoc est speciale mandatum pœnam maximarum continens censurarum, ac æternæ (quod audire horribile est) maledictionis? Igitur cum non miserint, et nihilominus morbum illum notorium (qui verissimus utinam non fuisset!) assertum vocent, hoc unum certe contra ipsam translationem prætendisse videntur. Verum cum minime verisimile sit, ut tanti Catholici Patres has gravissimas censuras neglexerint, verbum illud casu excidisse, non autem ex animo prolatum fuisse arbitrari maluimus. Non enim satis esset contra mandatum hoc strictissimum speciosa illa ipsorum divisio, videlicet ? « Aut enim de qua agitur causa nostra « est, aut Dei etc. » Nam in primis dicimus superfluum esse hoc responsum, imo assumptæ huic causæ impertinens, ut se exponant injuriæ patiendæ, quam neque nos, neque alius quispiam intulerit, neque velit cogitetve inferre. Causam vero Christi ad ejus vicarium justificandam referre, totum hoc religiosissime, ut sanctos viros decet, dictum arbitramur. Verumtamen ad rem, de qua interpellat Sanctitas vestra, non admodum explicite, ut decebat, convenit. Tota enim Dei causa est, et quæstio facti, et in quo et Sanctitas vestra divinare non debet, ut quæcumque in facto dubia proponuntur, absque ulla facti dilucidatione condemnet, vel justificet. Sed, inquiunt, servos Dei litigare non oportet; at obedire certe oportet, et ad sobrietatem sapere, atque in primis quærere, ne specie recti decipiantur, ac seipsos seducant. Unde qui in tota Epistola illud præcipue agunt, ut translationem improbent, bene fecissent si ad judicium Sanctitatis vestræ in tempore accessissent, et voci procedenti de throno, in quo Spiritus Dei loquitur, magis quam suo spiritui credidissent.

« Quamobrem cum invictissimus imperator in suis mandatis ad protestandum directis, reverendissimos legatos in sacro Bononiensi Concilio degentes, assertos, et non veros esse, Patresque ibi commorantes, in privato conventu non in sacra Synodo existere, ac plurima adversus translationem, de qua agitur, ut libitum fuit suæ majestati, plena opprobriis cumulaverit, inde suasit ratio, ut causa hæc apud Sanctitatem vestram assumeretur, inde etiam emanarunt litteræ illæ, de quibus agitur, pro exquirenda facti veritate, non ut lites foverentur, vel ut magis (quemamodum servos Dei decet) faciliori modo terminentur sopianturque. Qua de re oportebat ipsos Patres Tridenti commorantes apertius loqui, aut juxta expressum Sanctitatis vestræ mandatum aliquos ex ipsis destinare. Quanquam in eo, quod ad nos attinet, satis superque arbitramur factum nobis iri, quod vel saltem profiteantur se nihil contra ipsam translationem prætendere, propterea quod neminem miserint. Scandalum vero hoc totum quod ortum est, unde hoc magis provenerit, ex mansione Tridenti, vel ex recessu (ut ipsi aiunt) quem recessum jure et congruentius

debuissent translationem veram et legitimam (prout fuit) dicere, credimus de facili perpendi posse. Quandoquidem etiamsi causæ omnes, propter quas translatio facta fuit, cessarent, cæteræque implerentur in decreto ipso translationis explicatæ, sola nihilominus hæc causa superveniens mansioni in civitate Tridenti jure obstare posset, ut mansione hac durante Tridentum reverti non expediat, ne hoc exemplum firmetur futuris temporibus perniciosissimum, potuisse videlicet paucissimos Patres contra decretum sacri Œcumenici Concilii rite factum, ex mansione sua (ne dicamus pertinacia) longe majorem partem cogere, et ad se reducere. Ideo non sine maxima causa hoc expostulavit sancta Synodus, quando ad certas litteras Sanctitatis vestræ responsum dedit, ut Patres illi nobis se prius jungerent.

« Superest ut in nullo illud indiscussum permaneat, dum ipsi rogant Sanctitatem vestram, ut indicti jam Concilii intermissa tedeat celebratio : nam si de intermissione processus more solito habiti in congregationibus Synodalibus intelligunt, nullo modo intermissa fuit celebratio, præterquam ab assumptione causæ, et intimatione litterarum Sanctitatis vestræ, citra quæ, ut inde majus bonum eliciatur (testante id Sanctitate vestra) processisse memorantur; si vero canonum præparatorum publicatione conqueruntur, ingrati admodum existerent erga officium nostrum, qui publicationem hujusmodi in sessionibus Bononiæ habitis gratia ipsorum, ut nobiscum jungerentur, distulimus. Quanquam in hac ipsa re exigua erit temporis jactura, cum tot et tanta a nobis ibidem de fide et moribus diligentissime discussa unica sessione publica valeant, atque uno die, facillime sanciri.

« Sunt et alia in eorum litteris jactabunda de sua pietate, prudentia, humilitate, mansuetudine, patientia, zelo, perseverantia in domo Patris (ut qui filii sint sapientiores, et tanquam ii qui nesciant nec inferre nec referre injuriam :) quæ quoniam vice versa tantis in nos undique scatent accusationibus, ut nulli attente legenti non patet, cum tamen, quod ipsi verbis jactant, nos re ipsa potius præstemus, merito duximus transigenda silentio.

« Rogamus itaque Sanctitatem vestram, ut in eo, quod progressum sacri Concilii (in cujus pacifica quasi eramus possessione) paulisper, ut rationem majestatis Cæsareæ haberet, in sua, quam a Deo habet potestatis plenitudine retardare voluit, amplius non persistat, sed restituta sine ulteriori dilatione Patribus Bononiæ residentibus, quæ restant examinandi et discutiendi plena possessione, ne ex tam diuturna cessatione respublica Christiana detrimentum patiatur, suam quamprimum sanctissimam sententiam subinde proferat; ac toti orbi justissimam causam nostram palam esse faciat. Desiderio enim magno desideramus tot et tantos labores nostros, non sub modio, sed super candelabrum statui et cum omni charitate dilectissimos fratres nostros nobiscum se conjungentes amplexari, et quæcumque supersunt celerrime (quantum in nobis erit) expedire. Hoc etiam postremo animadvertat Sanctitas vestra, quod a principio nascentis Ecclesiæ usque ad diem hanc (seposito schismate, a quo Dei gratia immunes sumus), vix ullum Concilium tanto tempore perduraverit. Unde jam pridem jure meritoque suos episcopos propriæ expectant sedes et commissæ Ecclesiæ, a quibus tamdiu abesse, non sine ingenti dolore atque animarum jactura fieri posse manifestum est. Ipse autem Deus Optimus maximus, cujus tota hæc causa est, cor Sanctitatis vestræ, quod in sua semper est manu, dirigat ad salutem, pacem, quietem et concordiam nostri ac universi gregis Sanctitati vestræ ad pascendum tertio iterata jussione traditi et commissi, quam Deus Ecclesiæ suæ diu servet incolumem ».

42. *Ex agendi modo præsulum Hispanorum et ipsius imperatoris schisma timendum.* — Cum Hispani præsules, qui Tridenti hæserant, in superioribus litteris contenderent, ideo se Tridenti immoratos, quod legati polliciti essent, sedato epidemico morbo, se Tridentum reversuros, ad hæc legati respondere, ut refert Angelus Massarellus [1] :

« Reverendissimi domini legati responderunt ad prædictas litteras prælatorum in eo, quod dicunt se expectasse Tridenti reditum Concilii tanquam promissum ab ipsis reverendissimis legatis, quod hoc non est verum, sed referunt se ad decretum ipsius translationis, et dato quod aliquid privatim dixerunt (quod tamen non dixerunt) nihil valet, quoad obligandum Concilium, ut Tridentum revertatur ». De eodem responso procuratores Concilii a legatis certiores redditi sunt, quo argumento extant eorumdem legatorum litteræ ad cardinalem Farnesium conceptæ verbis Italicis, quibus significant Tridentinos Patres, qui se excusant expectasse Tridenti reditum legatorum et aliorum præsulum, tanquam ab iis promissum, aberrare, iterumque confirmant pollicitationes datas a Synodo summa fide in Actis et decreto translationis, quod ad Pontificem transmissum est, insertas, quod ad promissa ab ipsis legatis privatim data spectaret, professi sunt, nec Synodum ad ea obstrinxisse, nec obstringere potuisse, nec quippiam decreto contrarium spopondisse, etiamsi ab ipsis aliqua verba jactata essent, quæ in sensum ab ipsis prætensum detorqueri possent. Porro non ea causa permotos ipsos Tridenti hæsisse constare ex litteris, qui-

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 291

bus provocati sunt humaniter, ut Bononiam accederent, quibus nunquam responderint. At si veritati eorum dicta consentirent, debuisse ipsos litteris respondere, monereque dati iis promissi, quo adducti hærerent Tridenti. Ne vero legatis culpa adscribatur cum veritatis injuria, datas præsulibus deputatis partes, ut Pontifice consentiente objectis respondeant modesto scripto, quod in publica etiam Acta redigatur. Cæterum nulla re alia offendi ipsos, maxime in ea parte, qua erga Pontificem obsequiorum signa explicuere, nec quippiam gravioris momenti contra translationis jus auctoritatemque adduxerint.

43. Cum in ea lite de translatione Concilii intentata a Cæsare, debuisset Cæsar Pontificis sententiæ decretoriæ se submittere, atque Lutheranos ad veterum Conciliorum decreta sanctissima servanda adigere (constabat enim pari pertinacia eos futuri Concilii contempturos sanctiones, qua veterum Conciliorum ab universa Ecclesia cultas conculcassent) variis illusus argutiis, pæne ad schismatis discrimen deflexit : visus enim est negare velle Pontificem non ambiguum non esse supremum in causis Ecclesiasticis judicem, quod Concilia Lugdunense secundum et Constantiense, atque aliqua vetera professa sunt, ipsique Græcorum imperatores, cum ejurarunt schisma, demisse agnoverunt, sed veluti reum litis ad aliud tribunal, quod a Cæsareo penderet imperio adducendum. Illud vero tribunal, ad quod provocare velle Pontificem interminatus est, dixit legitimum Concilium, quasi vero possit esse aliquod legitimum Concilium, quod adversus Pontificem non ambiguum a Cæsare indicatur : in hoc schisma incitari Cæsarem a senatoribus suis scripsit cardinalis Sfondratus ad cardinalem Farnesium, qui de his præsidem Concilii Bononiensis certiorem fecit. « Prima Martii » inquit Angelus Massarellus, « scribitur, Cæsarem nolle acquiescere commissioni causæ, quam fecit Pontifex de validitate vel invaliditate translationis, sed velle appellare ad legitimum Concilium, et velle et ratificare, quæ suus orator protestatus fuerat contra suam Sanctitatem, nisi redeatur Tridentum ». Consulti de his legati Bononiensis Concilii respondere, si provocatio edita adversus Pontificem ab oratore Cæsareo rata habeatur a Cæsare; atque in eum, ut suspectum, appellet ad legitimum Concilium, Concilium Romæ convocandum, atque in eo decretoriam a Pontifice sententiam ferendam, an translatio jure celebrata fuerit : subdit memoratus auctor, qui Concilio a secretis erat :

« IV Martii reverendissimi domini legati scripserunt ad cardinalem Farnesium judicium eorum quoad Concilium, videlicet, cum timetur quod imperator sit ratificaturus gesta per dominum Didacum in protestatione et nolit accipere judicium translationis, et allegare suam Sanctitatem suspectam, et appellare ad legitimum Concilium, quod sua Sanctitas convocet ad suam præsentiam Concilium quocumque ex loco, et cum ejus assistentia una cum oratoribus principum, qui interesse voluerint, causam super validitate translationis cognoscat et sententiam ferat ».

In hoc ancipiti et lubrico rerum statu, cum lis in bellum apertum eruptura, Cæsarque defecturus a Pontificis obsequio et Ecclesiæ conjunctione formidaretur, ad retundendum Cæsaris vim, a Pontifice cum Henrico Gallorum rege de armorum societate agitatum est, regiæque voluntatis interpres extitit Carolus cardinalis Guisius, a quo conventa Henricus rex habuit rata v Martii, ut Patribus Bononiensibus retulit regius orator xi Martii, quo tempore nil prætermissum est ad Cæsarem flectendum ad æquitatem, atque a schismatis tramite devio abducendum, eaque de causa Julianus Ardinghellus internuntius nona Martii incitatissimis equis a cardinale Farnesio provolare ad imperatorem jussus est, qui eodem mense celerrime reversus meliores concordiæ spes retulit, ut narrat Angelus Massarellus [1].

« XXVIII Martii applicuit Bononiam dominus Julianus Ardinghellus, qui revertitur ex Germania ab imperatore, retulitque reverendissimis legatis, qualiter mitteret eum sua majestas Cæsarea de rebus religionis, et quod venerit in hanc conclusionem, quod pro reductione Germaniæ sua Sanctitas mittat aliquos legatos in Germaniam cum plena facultate inveniendi modum concordiæ cum illa natione, quod legati celeriter eant Augustam, et quod hoc interim nihil fiat in Concilio, neque Bononiæ, neque alibi, et quod de reductione Concilii Tridentini pro nunc amplius sermo non habeatur, quousque res Germanicæ non sint compositæ, quia tunc vel non erit opus Concilio pacatis Lutheranis, vel si erit opus, tractabitur vel de Tridento, vel de alio loco neutro, hocque etiam interim nihil innovetur in judicio translationis, et quod Pontifex mittat aliquem ad suam majestatem, cum quo agetur de recompensatione Placentiæ ».

44. *Cæsar petit ut mittantur in Germaniam nuntii Pontificii facultatibus amplissimis instructi pro conciliandis Protestantibus.* — Flecti nunquam potuit Cæsar ad restituendam Placentiam, et hæc fuit novorum bellorum causa, cum Parmam Galli tuendam suscepissent. Quod ad nuntios Apostolicos in Germaniam mittendos pro conciliandis Ecclesiæ aberrantibus populis, Christianaque disciplina redintegranda a Cæsare postulatos attinet, Bononienses legati suasere Pontifici, ut eos mitteret, atque etiam Romæ pro castigandis perpoliendisque aliarum

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 289.

nationum moribus præsules variorum regnorum Romæ congregaret : « V Aprilis MDXLVIII », inquit Angelus Massarellus [1], « reverendissimi legati probant quod proponit imperator, de reformatione facienda in Germania per nuntios Apostolicos illuc mittendos, ut eo interim fiat reformatio aliarum nationum Romæ coram sua Sanctitate, et quod vocentur prælati, qui sunt Tridenti, et qui sunt hic Bononiæ ad dictam reformationem faciendam, etc. ».

Pie quidem petiti ab imperatore legati sive nuntii a Pontifice fuere, sed non pie ab eo postulatum est, ut ii mandatis instruerentur ad dissolvendam omnem disciplinam Ecclesiasticam, petiit enim inter alia, permitti sacerdotibus, ut in cœpto concubinatu prætenso nomine conjugii jacerent ; ut solveretur lex de jejuniis ; ut calicis usus laicis concederetur, quæ concordiæ species omni bello funestior futura erat. Sed hanc ipsam ab eo postulatorum formulam afferamus [2] :

« Facultates pio reverendissimo legato e Germania Romam missæ, ut tales expedirentur.

45. « Ut statuatur competens aliquis modus circa religionem in Germanica natione observandus, donec per Concilium generale aliud definiatur, supplicatur suæ Sanctitati, ut velit committere vices suas reverendissimis dominis cardinalibus, tanquam legatis de latere cum facultatibus infrascriptis.

« In primis videlicet, quod possint omnes et singulas utriusque sexus personas, cujuscumque qualitatis fuerint, ad gremium Ecclesiæ redeuntes, tam in genere quam in specie, et tam in communi quam in particulari ab omni hæresi absolvere, ac communioni fidelium, et in pristinum rem restituere, remittendo vel moderando abjurationis formam, et alia requisita eorum arbitrio, necnon etiam propterea pœnas per eas incursas et pœnitentias, quas de rigore juris subire deberent, et in foro temporali et contentioso in toto vel parte, prout juxta qualitatem temporum et locorum, ac multitudinem personarum eis expedire videbitur.

« Et si hujusmodi hæreticorum aliqui sacerdotes, sive sæculares, sive regulares ante lapsum in hæresim rite et legitime ordinati fuerint, possint ipsi reverendissimi domini legati, cognita in eis vera et non ficta pœnitentia, super irregularitate per eos contracta, etiam missas et alia divina officia more hæreticorum celebrando, dispensare. Itaque ea non obstante in eorum Ordinibus et in altaris ministerio ministrare, et beneficia Ecclesiastica, quæ ante in Catholica Ecclesia obtinebant, quæ tamen non fuerint interim per Sedem Apostolicam aliis collata, retinere, et alia in futurum eis conferenda recipere et retinere valeant.

« Et si hujusmodi presbyteri, sive sæculares, sive regulares fuerint, post lapsum in hæresim propter contractum matrimonium cum viduis vel corruptis bigamiam incurrerint, possint ipsi reverendissimi domini legati cum eisdem quorum uxores jam ab humanis decesserint, vel qui ad gremium Ecclesiæ omnino redire volentes illas reliquerint, etiam ad exercitium ordinum et ministerium altaris, cognita eorum qualitate idonea, ad beneficia obtinendum et retinendum, super ipsa bigamia dispensare, et hoc propter penuriam presbyterorum, et quousque in generali Concilio disponatur, quid desuper sit faciendum.

« Item si etiam ex prædictis qui in sacris constituti matrimonia contraxerunt, sive sæculares sive regulares fuerint, nonnulli, ad dimittendas uxores, eo quod continenter vivere non possint, (hoc dogma Lutheranum falsum est, quia per Christi gratiam concupiscentia vinci potest, ut docent sancti Patres et sacræ litteræ) minime induci valebunt, habeant facultatem ipsi reverendissimi legati, considerata aliquorum singulari qualitate, et cognita eorum vera conversione, ac temporis exigentia, cum illis specialiter dispensare, ut cum uxoribus quas duxerint permanere, et stipendia Ecclesiastica percipere possint, et hoc usque ad Concilii generalis diffinitionem.

« Item, habeant facultatem dispensandi cum ipsis in hæresim lapsis, qui in sacris constituti non erunt, ut post receptum absolutionis beneficium et peractam pœnitentiam, ad id, si ab eorum ordinariis digni atque idonei reperti fuerint, possint, si voluerint, ad omnes etiam sacros presbyteratus ordines promoveri, et beneficia Ecclesiastica eis canonice conferenda obtinere.

« Item, habeant facultatem absolvendi ab apostasia quoscumque religiosos, qui extra regularia loca vagantes, et his, qui ad redeundum ad eorum ordines induci non poterunt, licentiam manendi extra regularia loca, etiam in habitu presbyterorum sæcularium, deserviendo tamen aliquibus beneficiis curatis, concedendi, et hoc attenta etiam penuria presbyterorum, ut supra dictum est.

« Item, habeant facultatem dispensandi et ordinandi circa communionem sub utraque specie cum his, quos omnino altera contentari nolle cognoverint, prout ipsis reverendissimis dominis legatis videbitur paci et tranquillitati Ecclesiarum expedire, et hoc usque ad Concilii, ut supra dictum est, diffinitionem.

« Item, possint ipsi reverendissimi domini legati circa delectum ciborum, et jejunia, ac ferias dispensare, vel moderari in communi vel particulari, prout eis expediens conscientiæ,

[1] Ut supra p. 291. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 126 et 3204. inscript. Acta Concilii Bonon. p. 460.

quieti et animarum saluti videbitur, et hoc ut supra dictum est, usque ad Concilii generalis determinationem.

« Item, pro reformando mores cleri, ne scandalosi sint populo, detur facultatas ipsis reverendissimis legatis omnia statuere et ordinare, quæ temporum qualitati et conservationi religionis secundum Deum viderint expedire.

« Item, habeant facultatem beneficia quæcumque arbitrio suo dividendi, dismembrandi, uniendi et applicandi, et hæc ad effectum, ut provideatur aliis beneficiis exilibus, seu hospitalibus, vel scholis studentium, aut aliis piis locis, sive pro prædicatoribus, vel aliis Ecclesiæ ministris, cum, vel si magis expedire videbitur, possessoribus ipsorum beneficiorum modum distributionis fructuum eorumdem, arbitrio ipsorum reverendissimorum injungere, et quod de ipsa distributione teneantur rationem reddere, vel ordinariis, vel futuro Concilio, aut alias, prout per ipsos reverendissimos dominos legatos ordinabitur.

« Item, quia circa restitutionem bonorum Ecclesiasticorum plurimæ difficultates occurrere possunt, ob temporum prædictorum calamitatem, idcirco detur facultas ipsis reverendissimis dominis legatis ipsam restitutionem in toto, vel in parte differendi, vel moderandi, aut cum personis, per quos fieri debet restitutio, concordandi : et hoc arbitrio ipsorum reverendissimorum, et prout eis expedire videbitur, Cæsarea majestate id postulante, tam suo quam ordinum imperii nomine.

« Item, possint ipsi reverendissimi, quoad præmissa omnia et singula, alios quoque, quos voluerint, subdelegare cum simili et limitata potestate.

« Item, quod omnia tractent interveniente Cæsarea majestate, et de ejus consensu tanquam periti rerum Germanicarum, et cujus zelus in restituenda unione Ecclesiæ sanctissimo domino nostro et toto orbi cognitus est.

« Item, quod in litteris fiat amplissima derogatio regularum cancellariæ Apostolicæ, etiam de non tollendo jure quæsito, ac constitutionum et ordinationum Apostolicarum, etiam in generalibus Conciliis editarum, necnon statutorum et consuetudinum, tam provincialium quam Synodalium, ac privilegiorum, quorum tenores in amplissima forma etc. »

46. Consulti de his a cardinale Farnesio, Pontificio nomine Concilii Bononiensis præsides respondere, adeo Cæsareis votis indulgendum, ut quidquid sine peccato tolerandum videri potuerit theologis, tolerandum assenserint, velut de retinendis uxoribus quæ prius erant concubinæ a sæcularibus sacerdotibus, non autem a religiosis : idem petiere Ferdinandus et principes electores a Pio IV. Sed repulsam passos visuri sumus.

« Judicium legatorum Concilii circa facultates dandas legatis in Germaniam mittendis 1548, transmissum sanctissimo Domino nostro.

« I. Quoad primum, videntur excipiendi hæresiarchæ, quibus non videtur concedenda remissio sine publica abjuratione, vel saltem nisi in eis appareant evidentissima signa veræ et non fictæ pœnitentiæ : de qua tamen etiam publice aliquo modo constare deberet : et nihilominus, ne difficultates a nobis nasci viderentur, posset tota hæc pars de hæresiarchis committi privatim fidei legatorum nulla facta mentione de ea in Bulla.

« II. Placet attentis illis verbis : *Cognita in eis vera, et non ficta pœnitentia.*

« III. Posset concedi, attenta ratione adducta per reverendissimum dominum legatum, injuncta tamen eis prius pœnitentia salutari.

« IV. Videntur omnino excipiendi regulares, quia forte cum eis non potest dispensari cum dispensatione communi. c. *Cum ad Monasterium* de Stat. Regular. et etiam secundum doctrinam B. Thomæ.

« V. Videtur quod possit concedi.

« VI. Si concedatur, videtur addenda clausula : *Dummodo deferant habitum suæ professionis subtus presbyteralem.*

« VII. Magnam videtur habere difficultatem propter falsum dogma inclusum, propter exemplum, et propter multa pericula, præsertim quando essent communicandi magno numero, et tempore, et etiam si sanguis esset conservandus et deferendus ad infirmos. Et quia fortasse dubitari potest, quod illorum petitio quoad hoc procedat potius ex contentione, quam ex devotione ; tamen si concedendum esset, videretur addenda clausula, « quoad illos tantum, qui devotionis causa peterent, » fatendo Christum esse totum in qualibet specie, et remoto periculo effusionis, etc.

« VIII. Verbum *in communi* videtur excedere modum dispensationis, et quod saperet potius introductionem novæ legis, a qua deinceps cum difficultate retraherentur.

« IX. Placet.

« X. Non displiceret, nisi dubitaremus de exemplo, quod extendi posset ultra Germaniam successu temporis, tamen non videtur, denegandum propter necessitatem, attento præsenti statu illius provinciæ.

« XI. Videtur concedendum, attenta necessitaté propter pacem reducendam dumtaxat, quoad moderandas restitutiones bonorum Ecclesiasticorum moneantur legati, ut hac facultate parcius utantur, cum sit res pessimi exempli, et arguat impœnitentiam eorum, qui integram restitutionem facere nollent.

« XII. Non placet aliquo modo, quia eligitur industria personæ, quæ non præsumitur in omnibus.

« XIII. Verbum *de consensu* nullo modo placet, et videtur mutandum, ut dicatur *de consilio*.

47. « Quoad capitula inclusa in litteris reverendissimi domini legati datis v Aprilis, de quibus quidem capitulis dicit responsum fuisse, ea non videri a doctrina Catholica aliena : a primo de conditione hominis recti, usque ad ultimum de Cæremoniis nihil dicimus, quia oportet, quod totus tenor inspiciatur, et consideretur unumquodque quantumvis minimum verbum, quod non repugnet determinatis in Concilio Tridentino, et aliis sacrosanctis Conciliis, et traditionibus, et consuetudinibus Ecclesiæ, et communi doctrinæ Sanctorum ».

Consulti etiam a Pontifice præsules, qui a Concilio Bononiensi Romam deputati fuerant, ita respondere [1] :

48. « Specialiter quartum caput, dum in eo de retinendis uxoribus agitur, quoad regulares, qui solemni voto castitatis se obligarunt, moderandum esse existimamus ut nisi cum aliquibus, et his paucissimis ex aliqua urgentissima causa vel evidenti necessitate dispensetur, nimirum non initiatis sacerdotio. Quo vero ad sæculares in sacris constitutos nullatenus nobis cum eisdem dispensandum videtur, ut cum uxoribus titulos beneficiorum, quibus cura imminet animarum, neque executionem ordinum quoad ministerium Altaris retinere possint. Prolapsos in eamdem impietatem vidimus Lutheranos, ut illusi a Sathana sacerdotes episcopale munus in conferendis ordinibus sibi arrogarent atque etiam laici munus sacerdotale invaderent, ac tot ac tam nefarias hæreses pertinacibus hauserant animis, ut licet postulata Cæsarea quæ gravissima trahebant animarum pericula, Lutheranis permitterentur a Romana Ecclesia, non tamen ab hæresi ad fidem orthodoxam traducendi forent, sed magis in suscepto flagitio obfirmandi, ut suis locis inferius illustrabitur.

« De septimo capite assensere, posse calicem concedi, si pietatis studio petatur, et profiteantur Christum tam integre sub una, quam sub utraque specie contineri.

» Quoad octavum circa delectum ciborum, saltem sextam feriam omnino excipiendam esse censemus.

« Quoad nonum caput, facultatem illam generalem restringendam esse pro reformatione morum cleri nationis Germaniæ duratura usque ad determinationem generalis Concilii.

« Circa decimum tertium, existimamus alienum esse a decretis et institutis sanctorum Patrum, ut spiritualia cum consensu sæcularium potestatum definiantur ; licet quandoque eorum consilium requisitum fuisse memoretur ».

[1] Sig. 3200. p. 232, 234.

Consulti etiam, an expediret supersedere in judicio translationis, subjecere : « Sanctitatem vestram humiliter rogamus ut quam primum ad expeditionem negotii devenire dignetur, prout in litteris suis Synodo destinatis, et nobis coram Sanctitate vestra comparentibus benigne pollicita est ». At obstitit Carolus V, qui instabat ut intermisso ac interciso translationis judicio, Concilium ob eas causas, ob quas indictum fuerat, Tridentum reduceretur. Addidere demum iidem præsules : « Quo vero ad missionem legatorum in Germaniam, non videtur posse denegari aliquo modo propter multas rationes ». Hæc illi, quæ mox legatis Bononiensis Concilii significarunt, ut narrat Angelus Massarellus, qui eorum sententiam in tria distinctam capita breviter perstringit :

« XIV Aprilis domini deputati Concilii significant legatis, quod responderent dubiis propositis ex parte suæ Sanctitatis an legati essent mittendi in Germaniam ? Quod sic. 2. Quoad facultates eis dandas, limitarint missas a Cæsare. An supersedendum sit in judicio translationis, vel ferenda sententia ? Quod feratur sententia ».

49. *Rex Galliæ minatur se revocaturum præsules suæ ditionis, si hæc concedantur.* — Indulgebantur hæc Lutheranis concepta pia spe eos a schismate et hæresi revocandos, putaruntque politici omnino Lutheranos hac arte ad Ecclesiæ obsequium revocatum iri, Cæsarique futuros addictissimos, adeo ut Galli policiti qui Cæsarem civilibus hæreticorum bellis implicitum teneri peroptabant, ne ipsis Cæsar bella moveret, adduxerint cardinales Gallos suis artibus, ut Pontificem a mittendis legatis in Germaniam, objecto Cæsareæ potentiæ inde augendæ terrore revocare niterentur, quod legatis Bononiensis Concilii significatum a cardinale Farnesio refert Massarellus [1].

« XIX Aprilis reverendissimi domini legati receperunt litteras a reverendissimo domino cardinale Farnesio xv hujus datas, quibus significat cardinales Gallos interponere difficultates ante suam Sanctitatem, ne mittat legatos in Germaniam, prout petit imperator, cum vereantur ex hoc Cæsarem fieri absolute dominum illius nationis, et deinde facile conversurum se ad bellum contra regem eorum, propterea Beatitudo sua aliquid certi non statuit, et quod etiam reverendissimi domini deputati in hoc sint discordes », quibus addit :

« Eo progressa est Gallorum politicorum hæresim ac discordiam in imperio alere meditantium astutia, ut internuntius in aula Gallica significarit, regem Galliæ revocaturum e Concilio Bononiensi suum oratorem, si legati in Germaniam decernantur, si vero non mittantur, omnes vires pro tuendo Pontifice adversus Cæsarem

[1] Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 292.

vim conversurum ». Quod relatum Bononiensibus Patribus narrat Angelus Massarellus [1] :

« XVI Maii nuntius Apostolicus apud Gallos significat, regem Christianissimum ægre ferre, quod legati vel nuntii Apostolici mittantur in Germaniam, cum hoc tendat ad tyrannidem imperatoris augendam, non autem ad bonum publicum, quare protestatur, si mittantur, se velle revocare suum oratorem et prælatos Gallos a Concilio Bononiensi, alias pollicetur omnem favorem et vires pro defensione Sedis Apostolicæ, prout sui antecessores semper fecerunt ».

Exosæ fuerunt Deo eæ Gallorum artes, dum enim in Germania fovere hæreticos moliuntur Cæsareæ potentiæ deprimendæ studio, hæresis clam irrepsit in Gallias, quas immensis cladibus postea funestavit.

50. *Cæsar subornatus ab impiis decretum nefarium, Interim dictum, ferre meditatur.* —

At Pontifex , quanquam pro conciliandis Ecclesiæ Lutheranis ad mittendos legatos esset paratissimus, tamen Cæsaris postulata de conferenda legatis auctoritate, permittendarum sacerdotibus et monachis uxorum , indulgendi laicis calicis usum, et solvendæ legis de jejuniis iniquiora videbantur, quæ potius Catholicos pellectura essent in Lutheranismum, quam Lutheranos ad Ecclesiæ castra traductura, gravissimaque alia mala invectura, quare ad temperanda Cæsarea postulata Chissemensem episcopum ad Cæsarem misit : sed Pontificius internuntius flectere Cæsarem non potuit, ut Pontificia potius quam suorum politicorum, qui imperialem auctoritatem auctam, depressamque Pontificiam optabant, consilia admitteret : itaque Cæsar ab impiis impie subornatus, tertiam religionis formam, adversam Catholicæ, nec cum Lutherana consentientem, conflavit, nec advertit disciplinam Ecclesiæ circa continentiam sacerdotum non ex placito humano, ut fingebant Lutherani, sed a Spiritu sancto et traditione Apostolica esse constitutam. Quamvis itaque exambiverit Cæsar, ut sanctio sua nefaria approbaretur a Pontifice, obtinere non potuit, ut constat ex Angello Massarello :

51. « XXVI Aprilis cardinalis Moronus retulit novitates ex Augusta XVI et XVII hujus datas, quod concordaverint in modo vivendi in religione usque ad determinationem Concilii ; mittitur a cardinale Sfondrato, legato apud Cæsarem, exemplum modi, quem tractarunt Germani in dieta, secundum quem vivere debeant usque ad decisionem Concilii , et examinaverunt scripturas, quas vocant INTERIM.

« II Maii reverendissimi DD. legati scripserunt ad cardinalem Farnesium, quod viderunt et examinaverunt scripturam quam INTERIM vocant, quam in duas partes diviserunt. In prima continentur materiæ publicatæ Tridenti in Concilio de peccato originali et justificatione, et quoad hanc partem nihil a sanctissimo domino nostro innovandum censent, sed decreta Tridentina illibata permaneant. In secunda continentur materiæ nondum publicatæ, et in hac multa advertunt, quæ in scriptis ei demandabunt ». Nonnullis interjectis addit auctor, legatos libello Cæsareo notulas apposuisse, quibus ea quæ a veritate Catholica dissidebant, expungenda ostenderunt.

52. *Articuli propositi a Protestantibus tanquam omnino necessarii singulatim refutantur.* — Nec minus Cæsar, dum religionis dissidium in Germania componere affectat, tranctandis rebus Ecclesiasticis male se immiscuit in Augustanis comitiis, ac primum colloquia inter Catholicos et Lutheranos inania atque exitialia instituit, quamvis edoctus toties fuisset, ut ab iis abstineret (1).

Controversiarum earum capita fuere eadem, quæ alias fuerant agitata.

Primum, quod a Lutheranis mordicus tenebatur, fuit de fide, qua sola conferri justificationem effutiebant, quam tamen in alio colloquio Augustano jam a pluribus annis non solam justificare consenserant, eam vero propositionem falsam esse ostensum est, uti etiam fallacem salutis certitudinem ex eo conceptam , quod quis salutem se consecuturum sibi præfidat.

Secundum controversiæ caput vertebatur de legitima Sacramentorum administratione , quam rite non tractari in Lutherana Ecclesia perspicue demonstratum est.

Tertio capite disciplina Evangelica in vero

[1] Ut supra p. 295.

(1) Inter plura Augustana comitia per hos annos indicta, nullius adeo celebris memoria præ comitiis anni hujus superest. Horum famam perennat liber *Interim* in iisdem comitiis publicatus quo servanda in Ecclesia Germanica disciplina interim usque ad exitum Concilii præscribebatur. Propositum hisce principibus approbandum die XV Maii scribit in Annalibus suis Calvisius ; sed Gassarus in Augustanis Annalibus die XII Junii productum affirmat, Cæsare auctore. A Julio Pflug episcopo Naumburgensi, Michaele Sidonio archiepiscopi Moguntini vicario, et Joanne Agricola Islebio Lutherano digestus fuit, quibus adjungendus fuerat Bucerus ea de causa e Strasburgo accitus ; sed is approbare opus recusans non sine indignatione remissus fuit. Fidei dogmata in illo sane erant omnia ; disciplinæ quædam capita, quæ a consuetudine R. E. abhorrebant, permissa, Pontificem offenderunt, quemadmodum orthodoxæ fidei dogmata Lutheranos evertebant. Quare nec ab orthodoxis, nec ab hæreticis approbationem obtinuit. Quanquam ex principibus non pauci partim metu, partim commodi privati gratia recipere illud visi sunt, non defuerunt tamen vel in ipsa Germania principes qui palam reprobare non dubitaverint. Constantia, urbs celebris, primum restitit, dein coacta cessit. Magdeburgum restitit. Joannes Fridericus Saxo ne captivus quidem cogi ad id potuit. De Lantgravio ambigitur ; extat enim ejus nomine inscripta ad imperatorem Epistola, qui arma sua in Lutheranos offert, paratumque se ad librum probandum exhibet, siquidem carcere exemptus libertati restituatur. Sunt tamen quibus litteras illas suspectas efficiat constantia filiorum ejusdem Lantgravii, quos ex iisdem litteris nihilo permoveri se permisisse constat, ut Cæsaris jussioni sese submitterent. Vide Durand, *Hist. du XVI[e] siècle*, lib. XIX. MANSI.

usu clavium constituebatur : ostensum vero est usum clavium a Lutheranis pessime exerceri, cum plurimi eorum pastores sacerdotio non sint initiati.

Quarto loco proposita est legitima institutio ministrorum Ecclesiæ, quam apud Lutheranos nullo jure niti responsum est.

Quinto loco postulabatur a Lutheranis libertas sacri Evangelii : at sub aureo verborum eorum velamine plures latebant pestes, cœlibatum enim clericorum, et monachorum vota abolita cupiebant, quæ non pugnare cum libertate Evangelica ostensum est.

Sexto capite flagitabant Lutherani Christianam libertatem, at non qualem Christus et Apostoli commendarunt, sed qualem libertini antea affectabant, sed hac libertate improba in Sathanæ servitutem ipsos redigi illustratum est, ad quos articulos extat hoc Catholicum responsum [1] :

53. « Ad sex articulos, quos pro omnino necessariis habent Lutherani, responsio.

I.

« Doctrina de justificatione facile concordabitur, si non contendatur solam fidem justificare, et si omittatur affectata verborum novitas, et retineatur potius vetus dicendi modus, quo usi sunt Patres nostri antiqui, S. Jacobus, S. Cyprianus, S. Augustinus, de fide et operibus: Si fides vera nunquam est sine bonis operibus, ut ipsi dicunt, quid opus est addere hanc vocem SOLA, ut excludat a fide opera ? Hoc enim intendunt potissime, quando dicunt SOLA FIDES JUSTIFICAT, ut a justificatione opera excludant : quoniam vero propositio illa SOLA FIDES JUSTIFICAT reprobatur a S. Jacobo et a S. Augustino expressis verbis, et multam in populo bene agendi negligentiam generat, atque etiam certis rationibus dialectice falsa esse convincitur, quia si sola fides justificaret, sequeretur, quod nec Deus, nec gratia, nec charitas, nec Sacramentum Baptismi, nec Pœnitentiæ justificaret, quia nihil horum est fides, sequitur autem, si sola fides justificat, sicut sequitur solus Deus creat aliquid ex nihilo, ergo nihil, quod non est Deus, ex nihilo aliquid creat.

« Rectius igitur omittatur hæc de sola fide contentio et dicendi novitas, ut maneamus unanimiter in antiqua SS. Jacobi, et Augustini, totiusque Ecclesiæ sententia, nempe, ut non baptizatus peccator per fidem et Baptismum justificetur ; baptizatus vero peccator, justificetur per fidem et Pœnitentiæ sacramentum. Hoc breviter dictum est, et neminem scandalizat, nec est contra ullam Scripturam, nec misericordiæ Dei aut merito Christi derogat, sine quibus utique, nec fides, nec Sacramenta per sese tantæ forent, aut esse possent efficaciæ, ut peccatorem justificarent sine gratia Dei et merito Christi.

« Quod autem aiunt nos hac fiducia misericordiæ certos et securos de salute reddi, simile est illi Lutheri doctrinæ, quod homo baptizatus salutem perdere non possit, nisi nolit credere, quia per fidem Baptismi dum credit aut recordatur se baptizatum esse, statim omnia peccata absorbentur. Et adhuc audacius ait Philippus Melancthon in Methodo et in Commentario ad Rom. : Eos qui dubitant an consecuti sint remissionem peccatorum, et Deo placeant, atque in gratia ejus sint, non esse Christianos, sed Ethnicos, nec certe invocare Deum. At hujusmodi temeraria de vita æterna præsumptio, certitudoque et securitas toti repugnat Scripturæ et veteris et novi Testamenti, quia in Prophetis sæpe adjicitur dubitationis vocabulum *quis scit, forte, forsitan,* ut Dan. IV, Jon. III., Johel. II., et Judith. VII. et Eccles. IX., apertissime dicitur : *Nescit homo, an amore, an odio dignus sit.* In novo quoque Testamento ait ipse Dominus, Matth. VII. *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine :* Item, *Angusta est via,* etc. et Paulus Rom. IX. : *Non est volentis, neque currentis.* Et II. *Tu autem fide stas : noli altum sapere, sed time,* etc. I. Cor. IV. *Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum.* Præterea dum aiunt conscientiam sibi peccati consciam esse, quia legi nunquam satisfaciamus, hoc alludit ad illos reprobos Lutheri articulos, quod justus in omni opere bono peccat, quod nobis impossibile sit legem implere, etc. At cum dictum est, quod Paulus ait : *Nihil mihi conscius sum,* ergo conscientia non est sibi semper peccati conscia ; et Luc. I., quod parentes Joannis Baptistæ *ambulaverunt in lege Domini sine querela ;* Marc. IX., quod *credenti omnia sint possibilia ;* et Phil. IV. *Omnia possum in eo, qui me confortat ;* et SS. doctores Hieronymus et Augustinus dicunt, gravem esse blasphemiam dicere, quod Deus nobis impossibilia præceperit, quia tyrannicum est subditis impossibilia præcipere. Tria igitur sunt in primo articulo quæ debent corrigi. Primo, ne dicatur : *Sola fides justificat.* Secundo, ne dicant : *Nos fiducia misericordiæ certos reddi de salute.* Tertio, ne dicant : *Nos legi nunquam satisfacere, sed omni opere bono peccare.* Talia enim dicta non ædificant, sed scandalizant populum Dei.

II.

« Sacramentorum legitima administratio. Hic vident in oculo nostro festucam, et non vident trabem in oculo suo, ipsi enim maxime illegitime administrant Sacramenta, utpote foris extra Ecclesiam in schismate et rebellione. Hic est omnium pessimus abusus : in Missa præterea utrumque Canonem reprobant, et omittunt

[1] To. XVI. de Conc. Ms. Vat. sig. num. 3203. p. 147.

Communionem unius speciei, et vocant dimidiatam dispensationem, cum tamen extra Missam semper in Ecclesia fuerit communio infirmorum. Eucharistiam pro infirmis non observant, sed circa infirmi lectulum dicunt repente sine Missa verba Consecrationis supra panem et vinum, et mittunt ea in os infirmi, plerumque residuum Calicis, quod infirmus non bibit, fundunt in terram, nec retinent numerum septem Sacramentorum, altaria demoliuntur, missas privatas abrogant, in Baptismo, Chrisma et Oleum, et alia multa omittunt et despiciunt, quæ semper tamen in Ecclesia fuerunt : quomodo igitur super iis poterimus cum eis concordare? Melius profecto est, si ab his malis cedere et cessare nolunt, ut nos permaneamus cum reliquis nationibus, quam ut accedamus eis, et simul cum eis fiamus schismatici, et eorum schisma augeamus.

III.

« Disciplina Evangelica, verus usus clavium. Hunc articulum facile admittimus per omnia, si recte intelligatur, sed admonendi sunt, quod maximus est apud ipsos clavium abusus, nam eas committunt multis, qui veri presbyteri non sunt, utpote a nullo episcopo rite ordinati, et per novum eorum Evangelium omnis Evangelica disciplina evanuit, quia in eo non obeditur præpositis Ecclesiarum ordinariis, et omnis devotio, timor Dei, visitatio Ecclesiarum, oratio, jejunium etc. in populo languet et minuitur.

IV.

« Institutio legitima ministrorum Ecclesiæ. Et hic quoque in verbis nulla est inter nos discordia, sensu autem maxima, quia legitimam institutionem vocant ipsi, ubi novi eorum visitatores et superintendentes eligunt, et nova benedicendi formula presbyteros et diaconos instituunt, ubi nullus est verus episcopus, talis autem institutio, ut est maxime frivola, ita in Ecclesia tot retro sæculis approbata, aut usitata non fuit.

V.

« Libertas sacri Evangelii. Hic difficillime concordabimus. Difficillimum est enim nobis a tam antiqua et lege et consuetudine totius Ecclesiæ discedere, eisque consentire. Concubinatus tamen non minus nobis quam ipsis displicet. Libenter itaque simul cum ipsis consulere in medium volumus, quomodo tolli queat scandalum istud : vota autem monastica, quæ tot utriusque Testamenti Scripturis sunt fundata, et tot sæculis per omnem Ecclesiam comprobata, et in perpetuo usu servata calcare jam et pro nihilo habere non possumus. Ut igitur dicere non possint nos nostra defensione velle pacem et unitatem Germanicæ nationis impedire; dicamus eis, et hic sicut super art. secundo, ut ipsi primo super hac re quærant consensum aliarum nationum, et Romani Pontificis, sine quorum consensu nos in novitatem istam consentire non possumus, quia faceremus nos alienos ab illorum communione et vere schismaticos.

« Nam quod dicunt, neminem pie et caste vivere posse, quod laqueo sit, negamus nos votum continentiæ laqueum esse secundum se; licet per accidens laqueo fieri queat iis, qui carnaliter vivunt et concupiscentiæ laxant habenas, secundum se vero est pulchrum et salubre sanctitatis vehiculum, vereque pietatis et vitæ Christianæ adminiculum, sicut expresse docet Paulus I Cor. VII : *Virgo et innupta cogitat, quæ Dei sunt, ut sit munda corpore et spiritu.* Nec est impossibile votum illud servare, quod tot millia monachorum et monialium per tot sæcula servarunt, omnia enim potuerunt in eo qui eos confortabat, Philipp. IV. Et paulo post : *Credenti enim omnia sunt possibilia :* Marc. IX. *Et continentiam petentibus dat Deus :* Sap. VIII. Falsum est autem quod aiunt libertatem conjugii Scripturam concedere contra votum, eamque tempore Nicæni Concilii in Ecclesia fuisse, nunquam enim probare poterunt tempore illius Concilii licuisse ulli sacerdoti monachoque aut moniali conjugium inire, quandoquidem et Apostolorum canones non omnibus clericis permiserunt nubere, sed iis tantum qui in minoribus erant constituti Ordinibus. Cæterum Pauli verbum : *Melius est nubere quam uri*, alium habet sensum, quam ipsi putant, non enim statim uritur, quem stimulus carnis vexat, sed qui tentatione vincitur et concupiscentiæ consentit, juxta illud Jacobi I : *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus, et illectus :* dein, *concupiscentia cum conceperit, parit peccatum.* At Paulo, cum vexaretur illo carnis stimulo, dictum est : *Sufficit tibi gratia mea.* I Cor. XII. Hoc et unicuique Ecclesiastico dici posset, si forti animo contra tentationes carnis resisteret.

VI.

« Christiana libertas. Hanc duplicem petunt, in ritibus, et in cibis, ut tollant per hoc omnem Ecclesiæ statuendi ac prohibendi auctoritatem. At hoc est contra omnem Scripturam. Christus jubet audire Ecclesiam, Matth. XVIII, prælatos, Luc. X. presbyteros et præpositos, I Thess. I, Hebr. XIII. Apostoli præceperunt abstinere a sanguine et suffocato, Act. XV. Paulus jussit tacere mulieres in Ecclesia, et velatas esse, et alii multi statuerunt multa quæ ad pietatem et ad Dei cultum deservire visa sunt. Non est igitur hæc Romano Pontifici et Conciliis tollenda auctoritas præcipiendi ea, quæ ad populi ædifi-

cationem faciunt. Christiana enim libertas liberat a peccato et a servitute diaboli, Jo. VIII et Rom. VI, non autem a jugo præcepti, quod suave vocat ipse Dominus Matth. XI; ait enim Jo. XIII : *Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem;* et Lutherus olim in serm. de Indulgentiis dixit, quanto plus est præcepti, tanto major est securitas, et plus meriti : et super Decalogum scribens docebat, non esse bonum sine præceptis esse, allegans illud Judic. ultimo : *In diebus illis non erat rex in Israel : sed unusquisque, quod sibi rectum videbatur, faciebat.* Hoc autem dicebat Lutherus non esse bonum ».

54. *Carolus V temere se immiscet rebus Ecclesiasticis tractandis, quamvis a Pontifice monitus.* — XII Maii[1] reverendissimi legati scripserunt ad cardinalem Farnesium eorum judicium circa Scripturam, quæ dicitur INTERIM, quod videlicet, quoad materias jam determinatas Tridenti, nullo modo admitti vel approbari debeat : at quoad alias miserunt notulas multas, in quibus ille libellus a Catholica veritate discordat, quare si non reformetur, nullo modo comprobandus est, et quoad sententiam ferendam super validitate translationis, si certa concordiæ spes appareat ex dilatione, differendam esse, alias cito ferendam ».

55. Quam male ferendis hujusmodi decretis se implicuerit Carolus V, constat ex sanctis Patribus, qui imperatores episcopale munus invadentes corripuerunt, ut Hosius[2] Warmiensis episcopus pluribus commemorat. Verum excusat eum Surius, quod prius libellum cum Pontifice communicarit affirmans. At falso rumore deceptus, opinatus est Surius, Carolum V egisse quod pium imperatorem decuerat : sed longe ab eo abfuit, non enim consuluit Pontificem de proponendis dogmatibus fidei præscribendaque disciplina, sed legatus Apostolicus cardinalis Sfondratus monuit Pontificem, in quos Cæsar errores se induceret, a quibus cum Pontifex illum pro pastorali munere opera Prosperi Sanctacrucii Chissemensis episcopi, quem ad eum misit, amantissime revocare pertentaret, Cæsar internuntium Apostolicum audire recusavit, donec in comitiis Augustanis nefarium suum decretum dictum INTERIM, quo pseudo-pontificatum Germaniæ invadere visus est, XV Maii tulisset, frigidaque excusatione flagrantissimum delictum temperavit, ut constat ex iis, quæ nitide recenset Angelus Massarellus[3] :

« XXI Maii reverendissimus dominus cardinalis de Monte recepit litteras ex Augusta XVI hujus datas a reverendo domino episcopo Chissemensi nuntio Apostolico, qui scribit se applicuisse Augustam XI hujus, et non potuisse habere audientiam ab imperatore ante diem XV, in qua die sua majestas hora XX publicavit scripturam, quam INTERIM vocant, ut secundum eam status Germaniæ vivere debeant in religione usque ad determinationem Concilii, et hora XXI audivit dictum dominum Chissemensem, qui frigide nimis exposuit suam commissionem, cum tota ejus vis consistat circa ipsum INTERIM, quod cum publicatum fuisset, nihil restabat quod cum sua majestate nomine sanctissimi Domini nostri ageret; imperator excusavit se de hujusmodi publicatione, asserens se non posse amplius retinere dietam Augustæ, et sciebat quod ipse Chissemensis non habebat in mandatis a sua Sanctitate aliquid momenti. Circa civitatem Placentinam respondit imperator velle prius agere de rebus publicis, et deinde de privatis, nam res privata est agi de Placentia, cum ea pertineat ad domum Farnesianam, et quod ipse imperator dixerat, se non egisse aliquid quod non esset boni et Catholici principis ».

56. Verum cum nondum pervenerat secundi hujus decreti fama ad Pontificem, cum pacis cupidissimus modos omnes exquirebat, quibus primum decretum de dogmatibus tolerari posset, quod testatur Angelus Massarellus[1] : « Pontifex mittit episcopum Fanensem in Germaniam ad imperatorem, ut una cum cardinali Sfondrato legato agat pro rebus religionis in illa provincia, et inveniat modum tolerandi scripturam, quæ INTERIM vocatur, et quod supersedetur sententia translationis ». Multis interjectis, mixtos cum veris fuisse nonnullos errores in scripto Cæsareo auctor indicat, dum ait :

« XV Junii formavimus responsum ad cardinalem Farnesium super scriptura INTERIM cum episcopo Minoricensi ».

57. At Cæsar in comitiis Augustanis edidit decretum, quo disciplinam sacram disciplinæ instaurandæ specie profligavit, Pontificiamque aulam ac pios omnes maxime conturbavit, ut testis est Angelus Massarellus[2] :

« XXV Junii reverendissimus dominus cardinalis Moronus recepit litteras a reverendissimo cardinali Sfondrato ex Augusta XIX hujus datas, quibus significat imperatorem proposuisse in dieta reformationem cleri Germanici, et eis modum vivendi, quoad mores XIV hujus præscripsisse, ita ut jam unusquisque videat imperatorem hunc Carolum usurpasse sibi omnem jurisdictionem Ecclesiasticam, nam die XV Maii præteriti præscripsit modum credendi quoad dogmata fidei, nunc autem XIV hujus mensis formam vivendi quoad mores Germaniæ dedit ».

In eo secundo decreto Cæsar, qui novi Concilii cupidissimum se jactabat, superiora Concilia, quæ continentiam sacerdotibus imperarunt, et laicis calicis usum vetuere, audaci

[1] Diar. Conc. Trid. in Bonon. Ms. arch. Vat. p. 294. — [2] Hosius Ep. Varm. in confess. Cath. Fid. c. 25. — [3] Angel. Mass. in Diar. Conc. Bonon. Ms. arch. Vat. p. 295.

[1] Ut supra 297. — [2] Diar. Ms. arch. Vat. p. 298. auctore Ang. Mass. Secret.

contemptu protrivit, prætexens, id sibi licere usque ad novum Concilium, quasi homini laico ita veterum Conciliorum, quæ a Spiritu sancto regebantur, flocci auctoritatem fecisse licuerit, eoque prætextu omnia Concilia novi Concilii spe et expectatione, abrogare cuivis principi liceat : ut vero in futuro Tridentino hæc rejecta sint, suo loco dicetur.

58. *Responsio Pauli petitionibus iniquis cujusdam ducis Germaniæ.* — Quam vero abhorruerit Paulus Pontifex ab his decretis, constat ex responso [1] ab eo dato cuidam præpotenti Germaniæ duci petenti a Sede Apostolica, ut in ejus principatu conjugium sacerdotibus, laicis calicis usus, jejuniorum abrogatio ob inductas a Lutheranis turbas permitterentur (erant hæc Lutheranismi retia, quibus tot improvidæ nationes illaqueatæ sunt); ad hæc vero Pauli III nomine brevibus, sed gravissimis sententiis responsum est :

« Petitiones ducis tres, communio sub utraque, matrimonium sacerdotum, ciborum indifferentia. Mœret et dolet et admiratur Pontifex plus credi versantibus in tenebris peccatorum, quam sanctæ matri Ecclesiæ, quæ in fide errare non potest. Novatores novis opinionibus nova moliuntur ut status principum mutent, bona Ecclesiæ rapiantur. Dolet Pontifex de incommodo ducis, et sperat Deum non defuturum ei.

« Laudat ducem, quod quæstiones de fide ad Pontificem referat, quod ab Ecclesia non recedat. Germaniam non quærere vera remedia ad evadenda pericula, quæ a Turca imminent Hungariæ et Croatiæ, ne reliquam partem occupet, cum quærat, ut schisma a papa confirmetur.

« Petitiones has non posse approbari sine scandalo omnium provinciarum, in quibus sequentes hæreses Lutheranorum comburuntur.

« Exemplum adducit imperii Constantinopolitani eversi ob hæresim de Spiritu sancto.

« Ad primam, consuetudo antiqua communicandi laicos sub una specie approbata a Concilio Constantiensi est habenda pro lege. Hæc non potest mutari absque Concilio generali sine scandalo.

« Ecclesia credit totum Christum esse sub qualibet particula. Fructum quoque integrum et præmium non deesse. Ergo obediendum est Ecclesiæ. Exemplum Christi admonet, ne quærendo species externas, amittat quis fructum internum. Deus permittit variis fluctibus opinionum quati impios propter arrogantiam ». A fructibus cognoscitur qualitas hujus opinionis.

Ad secundam de uxoribus. Negari exemplo Veteris Legis, quæ jubebat offerentes extra domum manere. A majori etc. Non posse id mutari absque scandalo, et Dei offensione, et imminutione cultus. Post votum voluntarium non licet : posse, si velint, cum Dei gratia continere se ; hortatur ad sobrietatem ; non videre qui novitates expetunt, quantum in eis mali sit absconditum ; incommoda et pericula matrimonii Sacerdotum recenset, periculum usurpationis Ecclesiæ, periculum annullationis Ordinum sacrorum. Observationi de gravioribus peccatis quæ sacerdotes committunt, respondet : Lex non est tollenda, quia Legis prævaricatores inveniuntur : sed reformatio facienda est.

Ad tertiam petitionem respondet. Per jura prohibitum est, nisi de consensu utriusque medici. Ariana hæresis prætextu libertatis jejunium tollebat. Adhortatur ad Ecclesiasticas institutiones observandas, et fructus ex jejunio explicat. Petitioni ut tolerentur hæc usque ad Concilium respondet, infringi superiorum Conciliorum auctoritatem : exemplum dari ut futura Concilia sint nullius auctoritatis, et omnia prætextu novi Concilii posse mutari Concilium hæc non concessurum. Concilio non credunt. Pontificem curare unitatem, pacem inter principes. Admonet ducem, ut sit constans in fide Catholica.

Paruit Pontificiis monitis dux ille, ac tumultuantes novatores repressit, quem de iisdem Concilium Tridentinum sub Pio IV consuluisse visuri sumus.

59. *Deplorandum Caroli V decretum dictum* Interim. — At Cæsar a Pontifice monitus quibus se errorum laqueis implicaret, non resipuit, sed superiora duo decreta ultima Junii in comitiorum Augustanorum recessu impie promulgavit, quæ inter Constitutiones imperiales a Melchiore Goldasto [1] recensentur :

« Caroli V imperatoris Interim.

« Cum res ipsa declaret illud dissidium adeo altas egisse radices, ut jam non solum Germanicam, verum etiam multas alias nationes attingerit, omnibusque eis commune esse cœperit, ita ut visum sit huic tam gravi morbo nullo alio convenientiori remedio, quam per viam Universalis Catholici Concilii subveniri non posse, impetravit tandem ad preces statuum sua majestas post multas in ea re habitas tractationes, quod generale Concilium in Germanica natione Tridenti convocatum et celebrari cœptum sit ; quapropter et horum comitiorum initio cum statibus ita egit, eosque permovit, ut insequentes sanctorum patrum, majorumque nostrorum vestigia, qui in negotiis fidei semper ad sacra Concilia recurrere, eisdemque obtemperare soliti fuere, in adhæsionem et submissionem hujus Concilii communiter consenserint, ac ulterius suæ majestati liberum permiserint, de Christianis ac convenientibus mediis cogitare, quibus medio tempore usque ad finem ac determinationem Concilii omnes status pie ac pacifice simul vivere et habitare queant, ita ut nemo contra jus

[1] To. xi. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197.

[1] Ext. inter Constit. Imp. apud Gold. to. i. p. 518.

ac æquitatem gravetur. Et sicut sua majestas tunc temporis hujusmodi statuum consensum ac remissionem clementissimo animo suscepit, ita et nunc non minus suscipit.

« De negotio vero remissionis tanquam per se gravissimo sua majestas hactenus paterno affectu fideliter, et cum summa diligentia deliberavit, statuumque sententias (sicut ipsimet sciunt) exquisivit : neque persona non sine dolore animi percepit quam immensa incommoda huic inclytæ nationi hactenus ex prædicto dissidio fuerint illata, quæ calamitas et pernicies ex eodem impendeat, ita ut inevitabilis necessitas expostulet pro constitutione ac conservatione firmæ pacis, justitiæ, unitatis ac pro tollendis discordiarum seminibus, hanc rem usque ad progressum et determinationem generalis Concilii, non in præsenti statu et confusione quasi suspensam relinquere, sed potius ad majorem Christianam concordiam, moderationem ac saniorem et propiorem intellectum reducere, variisque contrariis opinionibus amplius non connivere vel committere, ut per eas publica pax amplius turbetur et impediatur.

« Dum igitur majestas sua in hoc tota est occupata, peropportune contigit, quod quidam viri magni status et nominis proculdubio, bono quodam zelo erga Christianam concordiam, pacem et tranquillitatem, et ex vero erga patriam amore adjunctum hoc consilium et sententiam ipsorum suæ majestati proposuere, exactius discutiendam tradidere, seque diligentius eam observaturos polliciti sunt.

« Id consilium sua majestas nonnullis egregiis sacræ Scripturæ peritis ac probatis doctoribus videndum commisit, ex quorum relatione animadversum est, id, si in recto Christiano sensu intelligatur, a nostra vera Catholica religione, et Ecclesiasticis doctrinis, statutis et ordinationibus (exceptis duobus articulis Communionem sub utraque specie et Matrimonium Sacerdotum concernentibus) non abhorrere, sed ad promovendam ac impetrandam pleniorem controversæ religionis Christianæ concordiam, conservandamque in sacro imperio publicam pacem et tranquillitatem conducere, quemadmodum et adhuc majestati suæ attenta qualitate horum ita videtur, nihilque magis in votis est, quam ut omnes ordines sub ipsius Cæsareo regimine, sicut ex officio hoc suæ majestati incumbit, in religione concorditer et pacifice simul vivant et conveniant.

« Itaque majestas sua communes status, qui hactenus ordinationes et status universalis Ecclesiæ observarunt, requirit clementer petens, ut et in posterum ea observent, constanter in iis permaneant, perseverent, nec desciscant, vel quidquam immutent; quod se facturos esse constanter asseruerunt. Reliquos vero status, qui innovationem instituerunt pari, modo majestas sua clementer et serio requirit, ut vel communibus statibus sese rursus conjungant, et cum illis in observatione statutorum ac cæremoniarum universalis Ecclesiæ Catholicæ consentiant, vel saltem in doctrina sua, et Ecclesiasticis ordinationibus cum prædicto consilio sese omnino conforment, nec ultra illud quidquam instituant vel attentent. Et casu, quo ulterius se intromisissent, per omnia sese præfato consilio et confessioni conforment, firmiterque in eo permaneant, et ut omnes status ad promotionem publicæ pacis, quietis et unionis prædictum scriptum pro nunc tolerent, neque illud impugnent, neque contra illud doceant, scribant aut concionentur, sed omnes status universalis Concilii declarationem atque determinationem patienter et obedienter expectent.

« Nihilominus majestas sua omnem diligentiam adhibebit, nihilque intentatum relinquet, quo Concilium Universale juxta statuum requisitionem quamprimum celebretur, et Germanica natio ap præsenti schismate penitus liberetur.

« Similiter et majestas sua tota in eo est occupata, ut Catholica quædam reformatio concipiatur in præsentibus quoque comitiis ipsis statibus publicanda, de qua sperandum sit, ipsam usque ad determinationem sæpe dicti Concilii, ad tollendos abusus et scandala, atque ad plantationem et conservationem Catholicæ disciplinæ, rationis vivendi et virtutum non parum frugiferam futuram.

« Et quamvis in sæpe nominato consilio sub Rubrica de Cæremoniis inter alia contineatur si quid in illis succreverit, ex quo superstitio oriri posset, ut illud tollatur, etc. reservat sua majestas sibi in eo, et aliis articulis, ubi et in quantum opus fuerit, nunc vel deinceps omni tempore potestatem convenienter statuendi ac disponendi. Quidquid enim sua majestas ad promovendam Dei gloriam, ad componendam controversam religionem, conservandam firmam pacem, justitiam et tranquillitatem in sacro imperio Germanicæ nationis, denique ad utilitatem et commodum communium statuum suscipere, instituere, efficere et promovere poterit, in eo sese juxta officium suum imperiale, cum omni clementia exhibet promptissimum.

« Atque hæc ad declarandam Cæsareæ majestatis voluntatem communibus imperii statibus clementer et benigne significanda duximus ».

Distincta sunt illa in hæc capita I. De conditione hominis ante lapsum. XI. De conditione hominis lapsi. III. De redemptione per Christum Dominum nostrum. IV. De justificatione. V. De utilitate et fructibus Justificationis. VI. De modo per quem homo justificationem accipit. VII. De charitate et bonis operibus. VIII. De fiducia remissionis peccatorum. IX. De Ecclesia. X. De notis

et signis Ecclesiæ veræ. XI. De auctoritate et potestate Ecclesiæ. XII. De ministris Ecclesiæ. XIII. De Pontifice et episcopis.

60. « XIII. Atque ut Ecclesia, quæ est unius capitis, hoc est, Christi unum corpus, eo facilius in unitate contineri posset, etsi multos habet episcopos, qui populum ejus, quem Christus pretioso sanguine suo acquisivit, regant, idque jure divino, unum tamen in remedium schismatis, qui cæteris omnibus præsit, cum plenitudine potestatis Summum Pontificem habet, idque pro prærogativa Petro concessa, quod ipsum quam utile sit ad avertenda Ecclesiæ schismata satis constat, iis qui non ignorant, a contemptu hujus summi Sacerdotis plerumque schismata orta esse, ut Cyprianus scribit et res ipsa testatur ; qui igitur Cathedram Petri tenet Summus Pontifex eo jure quo Petrus accepit a Christo dicente : *Pasce oves meas*, universam Ecclesiam et gubernat et gubernare debet. Qua tamen potestate sua uti debet non ad destructionem, sed ad ædificationem. Hanc autem plenitudinem potestatis, sic videtur Christus Petro ejusque successoribus dedisse, ut reliquis episcopis partem sollicitudinis ejus commissæ non abstulerit, sed suarum Ecclesiarum et diœcesum veros jure divino episcopos esse voluerit. Debent autem Christiani homines, et Pontifici summo, et singulis suis episcopis parere juxta illud Apostoli : *Obedite præpositis vestris, qui vigilant pro animabus vestris* ».

XIV. Subduntur plura de Sacramentis in genere. XV. De Baptismo. XVI. De Confirmatione. XVII. De Sacramento Pœnitentiæ. XVIII. De Sacramento Eucharistiæ. XIX. De Sacra-Unctione. XX. De Sacramento Ordinis. XXI. De Sacramento Matrimonii. XXII. De Sacrificio Missæ. XXIII. De memoria Sanctorum in Altaris sacrificio fieri consueta, et de eorum intercessione inibi expedita, et obiter de Sanctorum invocatione. XXIV. De memoria defunctorum in Christo. XXV. De Communione cum sacrificio jungenda. XXVI. De cæremoniis et usu Sacramentorum. Hoc caput viginti quatuor articulis distinguitur. Mox subditur :

« XXVII. Et quanquam cum Apostolo sentiendum, eum, qui cœlebs est, curare quæ sunt Domini, etc. eoque magis optandum multos inveniri clericos, qui cum cœlibes sint, vere etiam contineant, tamen cum multi, qui ministerii Ecclesiastici functiones tenent, jam multis in locis duxerint uxores, quas a se dimittere nolint, super ea re generalis Concilii sententia expectetur, cum aliqua mutatio in ea re, ut nunc sunt tempora, sine gravi rerum perturbatione nunc fieri non possit.

« XXVIII. Illud tamen negandum non est, etsi conjugium per se honorabile est juxta Scripturam, eum tamen qui non ducit uxorem, et vere continet, melius facere secundum Scripturam.

« XXIX. Eadem est ratio usus Eucharistiæ sub utraque specie, cui multi etiam assueverunt, et ab eo avelli sine gravi rerum motu hoc tempore non possunt. Et quia Concilium Œcumenicum, cui omnes imperii status se submiserunt, procul dubio piam et sollicitam curam adhibebit, ut in hoc casu conscientiis multorum et publicæ tranquillitati optime consulatur, qui usum utriusque speciei antehac receperunt eumque relinquere nolunt, super ea quoque re deliberationem et sententiam Œcumenici Concilii expectent.

« Hi tamen, qui utrumque speciei usum amplectuntur, illam inveteratam sub una specie communicandi consuetudinem reprehendere non debent, nec alteri alteros perturbent, donec super ea re Concilium Œcumenicum decreverit ».

Subdit Christum sub singulis speciebus integrum contineri, atque adeo adorandum, ac etiamsi asservetur Eucharistia, in ea permanere : demum hortatur ad servanda, quæ ad disciplinam cleri et populi pertineant, atque ad tollenda publica offendicula constituentur [1] :

« Datum in civitate imperiali Augusta die ultima Junii anno Incarnationis Christi Domini nostri MDXLVIII, imperii nostri XXVIII, regnorum trigesimo tertio ».

61. *Promulgatur sanctio inscripta : Reformatio politiæ imperialis.* — Promulgata est eadem die ultima Junii sanctio inscripta *Reformatio politiæ imperialis*, in qua inter alia Carolus Quintus pie pro Cæsareo munere blasphemos impia in Deum, in Salvatorem, in ejus Sacramenta, in Genitricem Christi, in Sanctos verba vomentes justis pœnis affici, ebrietatem coerceri, castigari luxum, concubinarios et adulteros plecti, famosorum libellorum, picturarum auctores et typographos, venditoresque mulctari jussit [2]. « Carolus Quintus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus etc. Universis et singulis nostris, et sacri Romani imperii electoribus et principibus Ecclesiasticis, archiepiscopis, episcopis, et aliis prælatis, etc.

« Gratissimum nobis fuit, placuisse dilectionibus vestris et vobis conceptam reformationem, ex qua disciplinam Ecclesiasticam multis partibus deformatam pristinæ dignitati ac nitori restituere pro virili vestra statuistis, cupientes ea parte sollicitudinis, quam suscepistis e manu Domini, afflictis imperii rebus succurrere, et omni studio, ac diligentia collapsam pæne religionem erigere ac confirmare : quam vestram voluntatem egregiam sane ac piam, ut perspectam ante habuimus, et nunc libenter agnoscimus, ita quoque deinceps in ipsa rerum administratione operam vestram futuram strenuam ac diligentem nobis pollicemur. Ideoque ne pius

[1] Ext. apud Gold. to. I. p. 547. — [2] Ibid. to. II. p. 525.

hic exercendæ reformationis calor longa temporis dilatione refrigeretur, valde nobis probatur, quod in hoc ipsum de celebrandis Synodis Diœcesanis ad festum divi Martini diem proximum constituistis, nam Provinciales ut ante Quadragesimam omnes absolvantur, videtur omnino necessarium. Data in civitate nostra Augustana Vindelica die IX mensis Julii MDXLVIII, imperii nostri XXVIII, et regnorum XXXIII ».

Subtexitur formula illius reformationis Ecclesiasticæ decerpta ex sacris Canonibus, et ex Traditionibus, et e sacra Scriptura, donec a Concilio generali corruptelæ, quæ irrepserant, tollerentur, quæ hisce capitibus distincta est. I. De ordinatione et electione ministrorum Ecclesiæ. II. De ordinum Ecclesiasticorum officiis. III. De officio decani et canonicorum. IV. De horis canonicis et psalmodiis. V. De monasteriis. VI. De scholis et Universitatibus. VII. De hospitalibus pauperum infirmorum et peregrinorum. VIII. De dispensatione verbi Dei, et officio Ecclesiastæ. IX. De administratione sacramentorum. X. De administratione sacramenti Baptismi. XI. De administratione sacramenti Confirmationis. XII. De Missæ cæremoniis. XIII. De sacramenti Pœnitentiæ administratione. XIV. De Unctionis-Extremæ administratione. XV. De Sacramenti Matrimonii administratione. XVI. De cæremoniis Ecclesiasticis. XVII. De disciplina cleri et populi. XVIII. De pluralitate beneficiorum. XIX. De disciplina populi. XX. De justificatione. XXI. De Synodis. XXII. De excommunicatione.

Nonnulla in his sparsa erant, quæ juri Pontificio, quo immunitates et privilegia nonnullis concedebantur adversa erant, adeoque præsules expetiere a Cæsare, ut cum Pontifice ageret, ut in iis huic decreto se accommodaret, quod munus Cæsar in se recepit.

62. *A viris optimis* Interim *Caroli V reprehenditur, et in conciliandis Protestantibus nequaquam proficit.* — De hoc instaurandæ Ecclesiasticæ decreto promulgato a Cæsare refert Angelus Massarellus [1]: « Secunda Julii MDXLVIII, cum cardinali de Monte formam reformationis ab imperatore in Germania propositam examinavimus. IX Julii, cardinalis de Monte de ea scribit ad cardinalem Farnesium ».

Reprehenderunt viri prudentia et doctrina conspicui in Cæsare, illum nonnulla contraria decretis Concilii Tridentini inseruisse ; ac licet tacito nomine Concilii doctrinam veram tradidisset, arguendum tamen ex eo quod munus alienum invaderet, potuisse illud honestius decernere, ut Concilii decreta servarentur, et ita postulare, ut Concilium Tridentum transferretur. Alii tamen aliter senserunt, ut in veteri Ms. cardinalis Pii tum edito perpenditur [2] : « Cum Cæsar (inquit) improbet translationem, et velit cogere redire Tridentum, ostendit nolle Concilium esse liberum, ut etiam in publicatione INTERIM videtur credere Concilium non esse legitimum, nunquam legitime congregatum, cum in eo contineantur et diversa et contraria decretis Concilii, ut de lapsu hominis, et de justificatione, et de auctoritate papæ ; si enim decreta Concilii de verbo ad verbum in INTERIM inseruisset, subticens nomen Concilii, et non accepta illa ferens Concilio, culpandus adhuc esset ; si enim volebat ponere falcem in messem alienam, quo nomine nunquam excusaretur, etiamsi Evangelium ipsum publicasset, debebat prius statuere, quod decreta Concilii essent servanda, et hoc colore petere ut Concilium rediret Tridentum, sed cum ipse impugnet illud hac sua falsa doctrina, non video ; quo jure petat reditum Concilii ad Tridentum : quam enim curam vult habere Concilii non legitimi, et potius conciliabuli, quam Concilii »?

Conflata est superiori Cæsareo decreto hæresis *Interimistarum*, a quibus tamen idem decretum non fuisse observatum refert Stanislaus Hosius [1] episcopus Varmiensis, postea cardinalis et Concilii Tridentini præses : « Conscripta fuit in Germania quædam INTERIM religio, (quam recte nolo dicere), sed fuit auctoritate comitiorum ab omnibus prope recepta, paucis quibusdam exceptis : num autem a quibus recepta est, apud eos legitimum sacerdotium, juxta formulam in eo libello præscriptam, fuit restitutum ? Nihil minus, etiam INTERIMISTÆ æque sunt, fuerunt, ut alii Lutheristæ, nisi quod a carnibus alicubi abstinent in Quadragesima, et pro sabbato, et rem divinam, vel prophanam potius, ne dicam sacrilegam, facientes, lineis et sacerdotalibus aliis indumentis nonnullis in locis utuntur ».

63. Non conversos eo decreto ad fidem orthodoxam Lutheranos, sed inter se in diversas sectas fuisse dissectos, idem episcopus multis interjectis narrat [2] :

« Inter Lutheranos, et Christianos quoties actum fuit de concordia ! Quæ causa vero fuit, cur INTERIM religio constitueretur, nisi quod non deerant qui minime dubiam spem ostenderent fore, ut per hanc viam et rationem coiret inter Christianos et Lutheranos concordia? Num autem eum, quem sperabant homines, res est exitum consecuta? Minime gentium : quin, quod omnium fere judicio (paucissimis exceptis) in comitiis imperii fuerat approbatum, quod summa eorum voluntate constitutum, hoc paulo post ab illis ipsis, a quibus fuit receptum, non est servatum. Lipsenses ne viderentur non esse prudentiores quam universum imperium, quamvis in plurimis ad illam in comitiis præ-

[1] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. — [2] Ms. card. Pii.

[1] Stanisl. Hosius de expresso Dei verbo p. 62. — [2] Ib. p. 69.

scriptam INTERIM religionem assensi fuerant, pleraque tamen sua suique magistri Martini Lutheri retinenda esse putaverunt, ac duplex INTERIM conscripserunt, quod in quibusdam consentirent, in aliis ab eo, quod erat constitutum in comitiis, discreparent. Wittembergenses vero quanquam et vicini Lipsensium, et eidem principi qui subscripserat INTERIM religioni subjecti, quoddam et ipsi scriptum ediderunt, nec INTERIMISTÆ, verum ADIAPHORISTÆ dici et esse voluerunt, et in minus multis quam Lipsenses, a magistri sui Lutherani doctrina discesserunt. Porro Saxoniæ civitates cum faces illi adderet Matthias Flaccus Illyricus, ne latum quidem unguem, a magistri sui Martini Lutheri placitis sibi discedendum esse duxerunt, cum quidquid ab illo dictum esset et scriptum, id tanquam expressum Dei verbum recipiendum et adorandum esse censerent. Itaque post concordiam tentatam, quæ facta jam etiam esse putabatur, major est discordia consecuta. Nam sicut ipsi Lutherani nefario scelere, ab unitate Catholica se tanquam ab area Dominica separarunt, sic et suam paulo post unitatem discordiis furialibus dissiparunt, vel de sola alba veste linea, cujus vetus usus est sacerdotibus in templis, quantæ fuerunt, quam acerbæ contentiones inter Germanos Lutheranos, quales videri volunt ii qui sunt a Flacco, et inter degeneres Lutheri discipulos, quos ille vocat ADIAPHORISTAS, et INTEREMISTAS, cujusmodi sunt qui Philippum sequuntur? Quæ fuit autem causa, cur tam hostiliter mutuo minutis adeo de rebus insectarentur? Non alia, quam quod metuebant Germani Lutherani, si qui fuissent ex priscis illis ritibus, et cœremoniis in Ecclesiam restituti, ne qua a Luthero ad Christum inclinatio facta, neve secuturo papatui fenestræ fabricari viderentur. Si qui vero Lutherani dici gaudent, tanto studio caverunt, ne vetustis Ecclesiæ ritibus restitutis papatui fenestræ fabricarentur, quanto majore studio providendum nobis est, qui non alio magis, quam Christianorum nomine gloriamur, ne fabricentur Satanatui, cui fabricantur procul omni dubio cum assuefiunt homines Ecclesiam non audire, si quæ fuerint ab illa decreta pro nihilo ducere, tum illius judicio suum privatum judicium anteponere ».

64. Illusum fuisse Cæsarem a Lutheranis tradit Gaspar Cardillos [1], cum enim armorum potentia cogere eos ad officium potuisset, nimium illis adblanditum fuisse, qui ea indulgentia abusi sensim collectis ac redintegratis viribus, incautum pæne oppresserunt, ut ex suo decreto INTERIM dicto nil aliud, quam dedecus discrimenque extremum sibi compararit.

« Reprehendunt enim Protestantes clarissimum omni genere virtutis imperatorem Carolum V, quod INTERIM conscribi fecerit, hæreticisque concesserit, dum Concilium celebrandi tempus a bellorum tumultu liberum atque exemptum suppeteret, et quod clementiæ ac benignitati Cæsaris dandum erat, id adversarii (more suo) minis ac vi illatæ tribuunt, quasi vero tunc Cæsar jure cum hæreticis Germanis agere non posset, ut INTERIM dum Ecclesia Catholica in Œcumenica Synodo rem illam definiret, de qua publica controversia agitabatur, Ecclesiæ Romanæ vetustam disciplinam atque fidem nulla immutatione facta sectarentur, ac si jus aspernarentur, non posset ille nullo aut facili negotio potentia atque armis, quibus bene instructus erat, in antiquo eosdem officio retinere, sed clementissimus atque optimus imperator, ne qua ratione Germanos exasperaret, sed benignitate potius et mansuetudine provocaret ad religionem, passus est, ut INTERIM dum celebraretur Synodus, pleraque illi tenerent nova, modo INTERIM nihil innovarent. Illi vero accepta conditione non solum fidem datam servare sartam tectam minime voluerunt, quam interposito jurejurando Cæsari adstrinxerunt, sed veluti furiis quibudam atrocissimis agitati, tunc maxime errorem errori, hæresim hæresi, tumultum tumultui, seditionem denique longe alia graviori et magis periculosæ seditioni cumulaverunt, donec tandem undique collectis copiis potentiores effecti, injustissime arma adversus imperatorem ac principes suos pestilentissimi homines arriperent: verum est enim, quod Augustinus testatur, hæreticos initio vulpes esse, quoniam cum viribus possunt parum, arte, calliditate, fraudibus atque dolis plurimum utuntur, armis vero potentes effecti, leonibus esse similes omnino, qui, uti unguibus leones, vi et armis omnia tentent, aggrediantur, pulsent, diripiant atque discerpant etc. » De hac Lutheranorum proditione agetur inferius suo loco, ex qua perspicue enitescet, quam male Cæsar se eorum næniis duci passus fuerit, nec leges pro redintegrando Concilio Tridentino propositas a Concilio Bononiensi et Pontifice admiserit: collimabant enim eo impiorum artes, ut non Concilium vetere Ecclesiæ more et instituto celebraretur, sed cogeretur conciliabulum, in quo jam definita in aliis Conciliis atque in ultimo Tridentino in controversiam adducerentur, ut ex fide dignissimis monumentis [1] constat, quæ etiam docent, decretum Cæsareum INTERIM dictum nec apud Catholicos valuisse: adversus protestationem vero Cæsaream, ne ea temere effusa evertisse Ecclesiæ auctoritatem putaretur, scripta exarata sunt, ut Angelus Massarellus [2], qui Concilio Bononiensi a secretis erat, memorat: « XIII Julii aptavimus respon-

[1] Gasp. Cardill. disp. 4. p. 696.

[1] Ext. in to. III. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 262. — [2] Ang. Mass. in Conc. Trid. Bonon. p. 326.

sionem dandam imperatori ad suam protestationem contra Concilium a Minoricensi primo formatam, in qua totum diem consumpsimus ».

65. *Cæsar mitiorem se gerit erga Pontificem.* — Inter hæc revocatus est ex aula Cæsarea cardinalis Sfondratus Cremonensis qui legatum Apostolicum apud Carolum V imperatorem agebat, quem XXVI Julii Bononiam ingressum refert Angelus Massarellus, additque Petrum Bertanum episcopum Fanensem, qui XVII Junii ad Cæsarem missus fuerat, ut de rebus Concilii ac de Placentia restituenda ageret, varia colloquia cum administris Cæsareis contulisse irrito exitu. Dum Cæsar acerbe ageret cum Pontifice, ac plura adversus ipsum moliri videretur, atque in bellum dissensio eruptura crederetur, Pontifex pro Concilii et Ecclesiæ dignitate tuenda ac libertate Italiæ defendenda, cum Henrico Gallorum rege fœdus armorum sancire meditatus est, dumque de bellicis sumptibus conferendis agitur, Lugduni certam vim auri apud trapezitas a Pontifice deponi voluit, atque ex eo difficultas non levis oborta est, ad quam leniendam Hieronymus Dandinus episcopus Imolensis ad regem Christianissimum, per equos dispositos celerrime provolare jussus est ; ea de causa Alba-Spina, qui regi a secretis erat, XXII Augusti Romam ad Pontificem accessit, sed irrito exitu id fœdus [agitatum est, ut Dandinus episcopus Imolensis XV Septembris retulit, Cæsar vero mitius agere cæpit cum Pontifice, et concordiæ cum Cæsare spes ostensa est, de qua hæc refert memoratus Angelus Massarellus [1] : « Prima Augusti reverendissimus dominus cardinalis de Monte recepit litteras a reverendo domino episcopo Fanensi nuntio apud imperatorem, quibus significat egisse cum ministris Cæsarianis , et concordasse quod Concilium suspendatur per sex menses, et quod interim supersedeatur in sententia translationis, et quod mittantur facultates quas petit imperator, et quod fiat reformatio, ubi voluerit Pontifex cum interventu prælatorum omnium nationum, quod placeat imperatori. XII Augusti recepimus litteras a cardinale S. Crucis, quod ea forma concordiæ non spernatur a Pontifice ». Mox subdit ab eodem cardinale significatum esse, quædam Cæsaris postulata immutatum iri. Nunquam tamen assensit Paulus Caroli V Cæsaris decreto *Interimistico* de permittendis sacerdotum vel monachorum conjugiis, ut constat ex aliis fide dignissimis documentis ; de mittendis vero Apostolicis internuntiis in Germaniam pro conciliandis Ecclesiæ Lutheranis, ac temperanda erga eos canonum Ecclesiasticarum acerbitate, Pontifex, adversante Gallorum rege, qui Germaniam perpetuo civili bello implicitam percupiebat, constituit, quos non fuisse adhuc

[1] Ang. Mass. in Conc. Trid. et Bonon. p. 297.

missos querebatur Cæsar, sed ob iniquiora ejus postulata retardata res fuerat non sine justissima causa, ut in Instrumento de translatione Concilii juridico refertur [1] : « Nec arguendus est Pontifex de mora in missione legatorum super hoc INTERIM, quia in causa fidei, quæ est omnium gravissima, cunctandum erat, nam etiam Concilium in decreto justificationis per novem menses supersedit, quod decretum confessor Cæsaris dixit, nec sanctius, nec sanius ab Angelo potuisse fieri, nec excusandus Cæsar, quod a dieta vellet recedere, cum post publicationem INTERIM per multos dies non recesserit ».

66. *Quibus conditionibus admittendi sint in gremium Ecclesiæ hæretici.* — Diu certatum est de modo et conditionibus, quibus admittendi essent in gremium Ecclesiæ Lutherani vel alii hæretici, deque auctoritate internuntiis Apostolicis conferenda, cum Cæsar nonnulla cum legibus Ecclesiasticis pugnantia flagitasset, de quibus consulti præsules doctrina florentissimi ita respondebant Pontifici [2] :

67. « Quamvis redeuntes ab hæresi tantum recipiendi forent, ut laicis communicarent, et satis foret admitti ad pacem, qui hostes fuere Ecclesiæ ex sententia Cypriani ad Stephanum, nec promoveri deberent ad majorem dignitatem, id decernente Gregorio in Epistola quam scripsit universis Numidis, et Leone in Epistola ad Januarium episcopum Aquilegiensem , in septima tamen Synodo, quæ dixit, id fieri exemplo aliarum sex Synodorum, decretum est, recipiendos revertentes ab hæresi, et jussi sunt Basilius episcopus Ancyræ, et Theodorus episcopus Mirensis et Theodorus episcopus sedere in gradibus , sedibus suis , Anatolius , qui a Dioscoro ordinatus fuerat, nedum receptus, sed factus princeps episcopus Constantinopolitanus , et id quidem non absque ratione, cum plus erga corrigendos agat benevolentia quam severitas, plus cohortatio quam comminatio, plus charitas quam potestas, ut dixit Gregorius in Epistola ad episcopos per Galliam et Germaniam constitutos, et nunc præcipue, ubi per gravem dissensionem scissuræ non hujus aut illius hominis est periculum, sed plurimorum strages instet, detrahendum est aliquid severitati, ut majoribus malis sanandis sincera charitas subveniat ; habeant ergo de præterito detestabili errore sicut Petrus habuit de mendacio et timore, amarum dolorem, et veniant ad Ecclesiam Christi veram, id est, Catho-

[1] Ms. card. Pii ex discursu juridico de translat. Concil. — [2] Ms. card. Francisc. Barb. sig. num. 2677. Pag. 83. Habetur in cap. *Si quis Presbyteri* 1. *q.* 7. Habetur in cap. *Nos* 12. *dist.* Habetur in cap. *Saluberrimam.* 1. *q.* 7. *Pharacutan.* Habetur in cap. *Conventibus.* 1. *q.* 7. Habetur in cap. *Licet* 45. *dist.* Habetur in cap. *Ut constitueretur. L. dist.* Et in cap. *Ipsa est pietas.* 23. *q.* 4. Ugo Car. et alii in d. c. *Ipsa est pietas.* Habetur in cap. *quoties in q.* 7. et in cap. *Ego Berengar. de consec. d.* 2. Habetur in cap. *Si quis* 23. *q.* 3. Habetur in cap. *Legat.* 24. *q.* 2. *c. Si quis præpostera L. dist.*

licam matrem, sint in illa clerici, sint episcopi utiliter, qui contra eam fuerunt hostiliter; verba fuere Augustini ad Bonifacium; quod tamen provenit ex Ecclesiæ misericordia et charitate, quæ quos recepit ad veniam, non repellit severitate pœnæ, ut sic eos alliciat ad sui emendationem exemplo patris qui filium prodigum recepit cum honore.

« Propterea Germaniæ redeunti ad gremium Sanctæ Matris Ecclesiæ dici potest, quod dicitur Hierem. III : *Tu fornicata es cum multis amatoribus, revertere ad me, dicit Dominus, et ego recipiam te.*

« Ex his subsequitur non alienum fore a ratione et æquitate si Sanctissimus D. N. acquiescens postulatis Cæsareæ majestatis, nuntiis in Germaniam destinandis facultatem et auctoritatem dederit redeuntes ad Ecclesiæ gremium absolvendi, et moderandi pœnas et pœnitentias, ac alia indulgendi, quæ primo, secundo et tertio capitulis continentur.

« Si tamen remittatur formula abjurationis hæresis, scilicet specialis detestatio, imprecationes, chartula professionis fidei, et aliæ solemnitates, de quibus meminit Gregorius in Registro, non tamen videtur omittendum juramentum, se scilicet non recessuros, nec præstituros hæreticis auxilium et favorem. Magna enim apud Germanos juramenti religio, et usque adeo ut etiam vi et metu extortum servent.

« Cavendum etiam erit, ne indiscreta sit aut nimie facilis hujusmodi remissio, mentique infixum esse debet, quod dixit Gregorius Homil. quod ea, quæ in nos committuntur facile possumus dimittere, ea vero, quæ in Deum commissa sunt, cum magna discretione sunt relaxanda, et diligenter prospiciendum, ut vera sit hujusmodi pœnitentia, non ficta aut simulata, cum non legatur, ex quo est religio Christiana, nec detur exemplum in Ecclesia Dei a quibuslibet Pontificibus, aut ab ipsis Apostolis, aut ab ipso denique Salvatore, veniam nisi corrigentibus esse concessam, mortuos suscitasse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legimus, ut rescripsit Fausto apud Constantinopolim legato; provocat enim Dei iram, qui impœnitentibus veniam impartitur, teste Cypr. in lib. de lapsis.

« Inducendi viderentur, et modis omnibus alliciendi Protestantium concionatores et pseudotheologi, ut quam scriptis improbarunt majorum nostrorum fidem, religionem, ritus et cæremonias, editis libellis approbarent et agnoscerent, ac quemadmodum non erubuit Lutherus in lib. quem scripsit contra Zuinglium, Œcolampadium et Carolostadium, omnia illa improbare, quæ ante quadriennium aut quinquennium conscripserat, et in visitatione Saxonica in pluribus recedere ab his, quæ prius docuerat. Nec Bucerus erubuit Argentinæ e suggesto in magna populi frequentia retractare, quæ docuerat de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, nec id vitio dandum, cum et Augustinus retractaverit, quæ prius asseruerat : ac quemadmodum universa illa cohors Augustanæ Confessionis non erubuit ab illa Apologia, quam post conventum Augustensem anni MDXXX ediderunt, cui veluti sacræ anchoræ innitebantur, in pluribus dissentire in Apologia edita anno MDXL, quam tamen pro eadem haberi volebant, et pugnantia etiam profiteri, ut Zuinglianos ad se traherent. Sic nec hi ipsi Apologiarum auctores erubescere deberent pro tollendo schismate, pro pace concilianda, pro animarum suarum salute veritatem agnoscere, eamque fidem scripto profiteri, quam majores sui continuata sæculorum serie professi sunt, disjectisque densissimis tenebris veram lucem aspicere, et abruptis catenis, quas humani generis hostis ad eos perdendos injecerat, sese ab ejus captivitate vindicare, ut eadem manus salutem restituat, quæ vulnus intulerat.

« Nec prætereundum censeo, non debere delegatos Apostolicos in communi absolutionem impartiri, quod petitur [1] caput I, si per in communi intelligunt una communi absolutione absolvi universum populum, quia sicut universitas excommunicari non potest, cum persona sit quædam repræsentata carens anima, sic nec absolvi potest a nexu excommunicationis, qua hæretici ipso jure irretiti sunt.

68. « Majorem difficultatem habet, quod IV caput continetur, cum dicitur : Si qui in sacris constituti Matrimonium contraxerunt, sive sæculares, sive regulares, ad dimittendas uxores, eo quod continenter vivere non possint, minime induci valebunt, possit cum aliquibus, ex speciali prærogativa, pro temporis exigentia, dispensari, qui volent cum uxoribus permanere et Ecclesiastica stipendia percipere. Et in primis non admittenda ratio, quod continenter vivere non possint, quoniam nemo, si vult se continere, potest dicere : Non valeo, cum teste Apostolo Corinth. X : *Fidelis Deus est, qui non patitur nos tentari supra id, quod possumus sustinere.* Et Genes. IV : *Sub te erit appetitus tuus, et tu dominaberis illius.* Et Ecclesiast. XV : *Ante hominem vita et mors, bonum et malum, quod placuerit dabitur ei.*

« Secundo, perpendendum videtur, an danda sit hujusmoni dispensatio [2], an ab ea abstinendum, in quo censerem minime concedendam, nec ullam fore aut temporis necessitatem, aut personæ prærogativam, quæ justa causa sit ut his concedatur, quoniam etsi annis CD a Christo nato permissum fuit uxorem habentes assumi ad sacerdotium, quod pauci in legis

[1] C. Romana de sent. excomm. n. 1. 6. — [2] Habetur in cap. *Presbyt. de* 27. *dist.* Habetur in cap. *Cum in præterito* 84. *dist*

Evangelicæ exordio forent cœlibes Ecclesiastico ministerio idonei, et ne eo tempore, quo in Christianos sæviebat tyrannorum rabies, hac etiam legis austeritate deterrerentur homines a fide suscipienda et sacerdotio, nunquam tamen permissum fuit sacerdotes Matrimonio jungi, quod id foret posita manu ad aratrum retro aspicere, et retrocedere a perfectiori statu ad imperfectiorem; quinimo expresse vetitum can. 25. Apostolorum, et deinde a Calixto I, Carthaginensi Concilio asserente, hoc exemplo docuisse Apostolos, et ipsam servasse antiquitatem, et aliis pluribus synodis.

« Non negamus apud Romanum Pontificem auctoritatem esse dispensandi, aut (jus divinum interpretando) declarandi ex urgentissima causa, ut sacerdos aliquis regularis vel sæcularis valeat matrimonium contrahere, idque quandoque fecisse Romanum Pontificem, sed dicimus in casu nostro id minime faciendum, nec adesse rationabilem causam, quoniam si dispensandum cum his, qui post votum castitatis uxores duxere, repugnante jure divino, quonam modo si id petierint, ut indubite petent Germani, negare poterimus, repugnante solum humano jure, quod omisso in suscipiendis ordinibus sacris castitatis voto, uxorati in sacerdotes assumi, aut etiam sacerdotes qui votum castitatis non susceperint, mariti fieri possint? Etsi enim Ecclesiæ institutum sit, quod ad sacros Ordines promovendi castitatem voveant, juris tamen divini est, quod postquam voverint, votum reddant. An autem expediat, aut deceat legem cœlibatus abrogare, quantum esset immutare universalem statum Ecclesiæ, quam prope id esset sacerdotes ad sæcularem ordinem traducere, omnia profanare, satis discere possumus exemplo Orientalis Ecclesiæ, quæ tamen nullo unquam tempore permisit monachos uxores ducere, ut alias disseruimus.

« Deinde habenda est ratio, quod etiamsi parcendum sit multitudini, cum sine scandalo puniri non possit ex sententia Augustini, auctores tamen scelerum puniendi sunt, sicut num. 10 mandavit Dominus suspendi principes populi pro peccato multitudinis, et rescripsit Alex. III archiep. Toletano [1]. Et propterea sacerdotes et apostatæ Germaniæ, qui causa fuere dissidii, et auctores tot hæresum et abominationum, quibus divina et humana omnia polluerunt, tantæ effusionis sanguinis, perditionis tot animarum, et denique tot malorum, puniendi forent, non autem cum his dispensandum, ut sacrilegas plurimi uxores retinere possint. Quod si pro bono pacis remittenda est eis pœna, moderandæ pœnitentiæ, recipiendi in gratiam, et ex magna indulgentia stipendio Ecclesiastico sustentandi, non tamen tam malo exemplo confovendi in sua pertinacia, ut uxores retineant : persuadendi igitur sunt et cogendi, quin etiam præmiis et stipendiis alliciendi, ut dimittant. Facile erit eis, quas pro uxoribus habent persuadere, ut pro communi incolumitate, pro filiorum salute et sustentatione seorsum vivant, et eorum careant contubernio, cum videant, quos pro maritis habuere, et ex eis susceptos filios opibus juvari, ad honores et dignitates assumi, alioquin perdendos et ejiciendos; quod si obdurati in suo errore perstiterint, providendum, ne conventus habeant, ne quid scriptis disseminare audeant, quin etiam banno imperiali e tota Germania ejiciendi, constituenda præmia capientibus et eos interficientibus, et denique omnia tentanda et providenda potius, quam indulgendum sit, ut cum tanto Ecclesiasticæ disciplinæ dispendio uxores retineant. Hæc mea hucusque constans est opinio, et ut in ea sint et alii prudentes maxime cupio et opto.

69. « De Communione sub utraque specie, de qua cap. VII, in primis præmittendum, quod quia sacra Scriptura, et Salvator ipse noster indifferenter, modo unius duntaxat speciei, modo duarum meminit, colligi posse, non multum referre sub una, vel sub duabus speciebus sanctum Eucharistiæ Sacramentum suscipere, nisi obstaret Ecclesiæ constitutio, et antiqua plurium sæculorum observatio ; loca autem quæ unam tantum speciem aut commendarunt, aut præceperunt, sunt hæc Jo. VI : *Hic est panis qui de Cœlo descendit, ut si quis manducaverit ex eo, non moriatur*. Et rursus : *Panis verus est, qui de Cœlo descendit, et dat vitam mundo*. Item : *Ego sum panis vivus, qui de Cœlo descendi*. Et paulo post : *Panis, quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita*. Et in Oratione Dominica solum panem supersubstantialem postulamus, et Dominus Jesus discipulos euntes in Emmaus, solo pane communicavit, fuit enim illa panis traditio post benedictionem et fractionem Sacramenti Eucharistiæ exhibitio, ex Augustino lib. III. de consensu Evangelistarum.

« Loca autem de utraque specie sunt eodem VI cap. Joan. : *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, et biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam æternam*. Apost. ad Cor. X : *Unus panis, et unum corpus multi sumus, qui de uno pane et uno calice participamus*. Et cap. XI. : *Quotiescumque manducaveritis panem hunc et calicem biberitis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Item : *Quicumque manducaverit panem hunc, et calicem Domini biberit indigne, reus erit corporis et sanguinis Domini. Probet autem seipsum homo, et sic de pane illo edat, et de calice bibat*.

« Secundo, præmittendum est, olim et per

[1] Habetur in cap. *Ut constitueretur* 7 *dist*. et in cap. *Infidel*. 23. *q*. 4. Habetur in cap. *Lateres de cleri*.

multa sæcula fuisse usum communicandi sub utraque specie [1], quod ex pluribus Sanctorum scriptis colligitur. Soter enim Pontifex, qui fuit XIII a B. Petro, inquit : In Cœna Domini a quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur, quæ quoniam eodem die ab omnibus fidelibus, exceptis his, quibus gravissimis criminibus inhibitum est, percipienda sit, Ecclesiasticus usus demonstrat, cum etiam pœnitentes eadem die a percipiendo corporis et sanguinis Sacramento reconcilientur.

« Cyprianus uno sæculo posterior in serm. de lapsis, dum loquitur de quadam puella a Dæmone obsessa, ad ipsum divina celebrantem deducta, inquit : Ubi vero solemnibus adimpletis diaconus calicem offerre cœpit præsentibus et accipientibus cæteris locus ejus advenit, faciem suam parvula instinctu divinæ majestatis avertere, os labiis obturantibus premere, calicem recusare perstitit, tum Diaconus etiam reluctanti de Sacramento calicis infudit.

« Augustinus [2] in lib. Sententiarum Prosperi, inquit : Cum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud, quam Dominici corporis immolatio, ejusque sanguinis de latere effusio designatur?

« Gregorius [3] in quadam homil. Paschali, inquit : Quid sit sanguis Agni, non jam audiendo, sed bibendo didicistis, qui sanguis super utrumque postem ponitur; quare non solum ore corporis, sed etiam ore cordis hauritur.

« Sextæ Synodi [4] caput habetur : Didicimus, quod in quibusdam Ecclesiis sacerdotes Sacrificio oblationis conjungant uvas, quæ in Altari offeruntur, et sic utraque populo dispensent, præcipimus igitur, ut nullus sacerdos hoc ulterius faciat.

« Ex sermone S. Ambrosii ad Theodosium imper. cum eum ob cladem Thessalonicensium Ecclesia exclusit, constat ætate sua laicos sub utraque specie communicasse, cum inquit : Istasne adhuc stillantes sanguine injustæ cædis manus extendes, et his sanctissimum Domini corpus prehendes, vel tum pretiosum illum sanguinem admovebis ori tuo, qui tantum effuderis sanguinem dictato furentis animi : et habetur lib. v Ecclesiast. historiæ Theodoreti ep. c. XVIII.

« Idem colligitur observatum usque ad ætatem D. Thomæ Aquinatis, dum dixit III part. Summæ quæst. 80, art. XII, esse usum multarum Ecclesiarum, in quibus populo communicanti detur corpus Christi sumendum, non autem sanguinem. Si multarum, ergo non omnium, et quæst. 82. dum dicit, quod dispensatio sanguinis convenit diaconibus.

[1] Cap. *In Cœn. de consecr. dist.* 2. — [2] Cap. *Cum frangitur de consecr. dist.* 2. — [3] Cap. *Quid sit de consecr. dist.* 2. — [4] Cap. *Didicimus de consecr. dist.* 2.

70. « Cum itaque primum consuetudine, cujus initium ignoratur, et forte non multorum sæculorum indictum sit, ut laicis detur Eucharistiæ sacramentum sub una dumtaxat specie, et deinde a Constantiensi Concilio sancitum, nec repugnet jus divinum, quod sub utraque specie detur pro bono pacis, et ad tollendas religionis controversias, ut etiam in aliquo condescendamus infirmitati pusillorum, et plus nimio scrupulosis conscientiis videretur, nedum his, qui usum communicandi sub utraque specie susceperunt, sed omnibus, qui voluerint in Germania, quin etiam in aliis nationibus et provinciis, ne dispar in re tanti momenti sit ritus et observatio, abrogato decreto Constantiensis Concilii, committere uniuscujusque conscientiæ sub una vel utraque specie communicare, modo communicantes sub utraque non detrahant unam dumtaxat sumentibus, quod integrum non sumant, sed dimidiatum sacramentum, ac etiam fateantur non minus sub una specie, quam sub utraque adesse verum et integrum Sacramentum, et verum et impassibile corpus cum sanguine et anima Domini nostri Jesu Christi.

« Nec probarem, quod delegati Apostolici id indulgerent per modum tolerantiæ et conniventiæ, quomodo Judæis permissus fuit repudii libellus, illa enim peccatum non excluderet, non sublato Ecclesiæ decreto, quod nunquam permittendum est, etiam ut declinetur majus peccatum, sed quod abrogato aut sublato Ecclesiæ decreto, auctoritate Domini nostri Jesu Christi et Ecclesiæ veræ sponsæ suæ sit licita, et digne sumentibus utilis et salutaris, ea scilicet ratione ut quod erat illicitum prohibente Ecclesia, sublata prohibitione, reddatur licitum permittente Ecclesia.

« De delectu ciborum et jejunio, quod capit. 8. continetur, non damnant Protestantes jejunia et delectum ciborum, ut de se mala, prout fecerat Jovinianus, non ignari utrumque commendari, tam in veteri, quam in Novo Testamento, sed contendunt, non omnia meliora aut optima legibus sancienda, sed faciliora tantum, quæ commodius servari possint, et propterea super his decreta abroganda, sed egregie falluntur. Quoniam ut dixit Augustinus in lib. de vera Religione cap. XXXI in istis temporalibus legibus quanquam de his omnibus judicent, cum eas instituunt, si tamen fuerint institutæ et firmatæ, non licet de ipsis judicare, sed secundum ipsas (si modo de delectu ciborum et jejunio humanæ leges sunt, non potius divinæ, et ex traditione Apostolorum deductæ.) Postquam enim per tot sæcula receptæ sunt, non videtur disceptandum, quam difficiles sint, et propterea abrogandæ, sed sequendæ et observandæ, nec ideo malæ censendæ, quod plures sint transgressores, quod observatione difficiles sint, prout de lege cœlibatus dictum est. Propterea censerem dele-

gatos abstinere debere, et a novis constitutionibus et a derogatione veterum, quæ sicut universali aliarum nationum, provinciarum consensu decretæ sunt, et usu comprobatæ, ita et universali consensu abrogandæ forent, si abrogandas urgens necessitas suaderet, idque omnino ad Concilium rejiciendum. Probarem tamen quod aliquod ciborum genus, qualia sunt ova et lacticinia jejunii tempore, excepta Quadragesima, quod multis in locis usus, vel potius abusus introduxit, permitterentur, quodque aliqui ab illius observatione expressim eximerentur, quales sunt pueri et adolescentes citra XXI, et senes ultra LX suæ ætatis annum, prægnantes, itinerantes, et qui labore corporis et virium defatigatione artes suas exercent. Jejunia tamen, quæ Vigilias vocant, et dies festos non receptos ab universali Ecclesia, sed in locis particularibus introducta ab obligatione eximi, et uniuscujusque affectui et devotioni citra obligationem permitti possent.

71. « De reformatione morum cleri et facultate statuendi et ordinandi, quod 10 cap. continetur, major res videtur, quam quæ a nuntiis Apostolicis fieri debeat, sed opportuna videretur auctoritas legati cardinalis, et Synodi, vel Generalis, vel Provincialis, præsidente ipso Apostolico legato ; tutius tamen foret Generali, quam Provinciali Synodo providere. Ardua enim res est, et multis periculis plena novarum legum constitutio, sat esse, si antiquorum canonum usum restituerunt, sublatis abusibus. Idem de his quæ II capite continentur.

« De restitutione bonorum Ecclesiasticorum in primis habenda est ratio, ut restituatur intermissa fere in tota Germania decimarum solutio, quæ cum jure divino constituta sit, et ante legem, et post legem Moysi datam, et a Salvatore nostro in lege gratiæ comprobata, eo majori diligentia procuranda est, quo majori auctoritate decreta.

« De aliis autem bonis pro varietate casuum varia sunt ineunda consilia, nam quædam sunt monasteria et Ecclesiæ prorsus solo æquata, quædam quorum extant ædificia, sed prophanata et ad alios usus translata, istorumque et illorum aut nulli, aut vix unus, vel alter superest monachus, vel minister, eorum prædiis et proventibus a principibus aut magistratibus occupatis, nonnullis etiam a privatis hominibus possessis, ab aliquibus titulo emptionis, dotis et legati defunctorum ipsis ignorantibus auctores fuisse malæ fidei possessores.

« De monasteriis penitus desolatis, seu destinatis, cum in Germania paucissimi sint, qui velint regularem vitam profiteri, et propterea exigua supersit spes restituendi in eis regularem observantiam, videretur constitui posse collegia sæcularium clericorum, aut illa unienda et applicanda militiæ S. Georgii, alias in Germania ad preces Friderici III Caroli imperatoris proavi, institutæ, vel novum militiæ Ordinem constituere ». Et infra :

« His, et prioribus præceptoriis allici facile possent Protestantium concionatores et theologi ad concordiam, etiam omissa uxorum retentione, si sibi et filiis de his præceptoriis provideretur, qui postquam assecuti fuissent, metu eas amittendi, etiamsi bonus fidei zelus abesset, in officio retinerentur, quo fieret, ut brevi tempore desistentibus a doctrina concionatoribus, oblivioni traderetur Lutherana vesania.

« Ac etiam cum episcopi, et alii habentes jurisdictionem, non modicum patiantur detrimentum in eorum redditibus et proventibus, ex eo quod magistratus sæculares sibi vindicant jurisdictionem in causis Ecclesiasticis, officium etiam delegatorum erit, providere, ut jurisdictio et libertas Ecclesiastica illæsa remaneat, et sublata non minus quam immobilia restituantur.

« Ut autem concordia super bonis ablatis et eorum fructibus perceptis facilior redderetur, exorandus esset Cæsar, ut permitteret, quin etiam mandaret judicibus imperialis cameræ, jus dicerent contra bonorum Ecclesiasticorum occupatores, sublata quacumque suspensione alias facta ».

72. Demum exeunte Augusto idoneis instructi mandatis internuntii Apostolici tres decreti fuere in cardinalium senatu, quorum nomina Angelus Massarellus [1] subjectis verbis recenset :

« IV Septembris MDXLVIII, recepit reverendissimus dominus cardinalis de Monte a cardinali S. Crucis, quibus significat, quod ultima præteriti mensis fuerit consistorium : in quo deputati fuerint episcopi Aloysius Lipomanus Veronensis, Sebastianus Pighinus Ferentinus, et Aliphanus nuntii Apostolici in Germania; ut eant cum facultatibus, quas petit imperator dispensari cum Lutheranis ad gremium redire volentibus ». Cujus vice Fanensem deinde missum fuisse in aula Cæsarea tunc agentem narrat Massarellus.

Eæ vero facultates postulatæ a Cæsare non in effusa amplitudine internuntiis concessæ sunt, sed justitia pro Dei cultu amplificando temperatæ, non ad Ecclesiæ destructionem, sed ædificationem, ut eloquitur Pontifex in suis diplomatibus : cum enim non iidem casus occurrerent in omnibus [2], qui solvi lege Ecclesiastica flagitabant, ideo pro eorum varietate distincta fuere tria Diplomata, quibus jussi sunt internuntii in sacerdotum conjugiis, et communione sub utraque specie permittendis, jejuniorum et feriarum observantia restringenda,

[1] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. p. 305. — [2] Bellarm. card. l. I. de Cler. c. 19.

sacerdotiorum vectigalibus conjungendis, rerumque ablatarum restitutione componenda esse parcissimi, ac nisi tres internuntii mutuā sententiarum consensione conspirarent : ideo vero importunis precibus Cæsaris, quem a suscepta sententia dimovere non poterat, nonnullis assensisse visus est Paulus, quod cœlibatus sacerdotum positivo tantum jure, licet antiquissimo et æquissimo, imo ab Apostolis tradito constitutus esset : ac Cæsar Lutheranos ex ea indulgentia ad fidem Catholicam et Ecclesiæ conjunctionem revocandos præfideret. At promissa Cæsaris de Lutheranis ea ratione Ecclesiæ conciliandis evanuere : stetitque fixa et inconcussa de cœlibatu sacerdotali Ecclesiæ vetustissima disciplina, nec sacerdotes Lutherani cum Ecclesia in gratiam admissi, nisi pellices abigerent. Ex iis enim internuntiis Sebastianus Pighinus episcopus Ferentinus profectus in Germaniam lapso bimestri, certiorem fecit cardinalem Farnesium, se peragrasse superiorem Germaniam non sine periculo; infectos Lutherana lue in perfidia obduruisse, et paucos ad religionem Catholicam reversos, spesque tenues eorum in castra Ecclesiæ traducendorum affulgere, nisi Cæsarea majestas magis strenuam operam ad id contulerit : jacta quidem ab ea fundamenta redintegrandæ veræ religionis in omnibus terris ipsi obnoxiis, aut in maxima earum parte, Ecclesiasticos et monachos, qui pulsi ab hæreticis erant, suis bonis restituisse : in Ecclesiis principibus duo altaria excitari jussisse, omnia enim eversa ac sublata fuerant, et in iis quotidie duo sacra celebrari, sed paucos iis interesse, compressis imperio illius adversariis, Catholicos in omnibus locis concionari posse. At quod majoris ponderis erat, non interdixisse Lutheranos a concionibus habendis, ac propterea illos majori quam antea diligentia ac furore habere conciones, impietatemque diffundere et confirmare, cum formidarent ne extingueretur. Addit quoque plura Cæsari ex formula decreti, cui INTERIM nomen est, sese pollicitos; at promissis defuisse, illique illudere, satyrisque dietim compositis illud decretum traducere. Donec ergo eos perduelles ac perfidos meritis pœnis affecerit, vetueritque falsas suas opiniones prædicare, quibus infelices populos seducunt ac dementant, eo quod quæ carnem et sensum afficiunt, iis mirifice jucunda sunt, nullus felix restituendæ religionis successus sperari potest. Ita denique concludit : « Spero majestatem Cæsaream, intellecta rei veritate, sedulo adhibendæ operæ non defuturam, ac certissime rem conficere potest, religionemque pristino splendori restituere, cum tanquam dominator Germaniæ extra virgam imperitet, proceres ac plebeii tanto ejus nominis terrore perfusi sunt, ut nullus ejus voluntati repugnare ausurus sit, cum hujus sectæ signiferos ac principes ducem Saxoniæ et landtgravium Hassiæ in vinculis teneat, ac munitioribus arcibus ducis Wittembergensis potiatur, præsidiaque validissima omnibus terris liberis imposuerit, ac veteribus magistratibus dejectis, novos pro sua voluntate præfecerit. Hæc sunt de quibus modo reverendissimam et illustrissimam dominationem vestram admonendam censui. Moguntiæ v Novemb. MDXLVIII ».

73. *Sententia Gallorum episcoporum de reformatione morum.* — Decretis in Germaniam internuntiis, Pontifex ad corruptelas quæ irrepserant tollendas, disciplinamque cleri et populi Christiani instaurandam curas convertit, atque ex variis regnis episcopos Romam excivit, eaque de causa indictos fuisse XXIX Septembris conventus episcoporum in Gallia apud Nolium, ut episcopi Galli Romam mittendi pro disciplina Christiana ad meliorem formam revocanda decernerentur, refert Angelus Massarellus [1], in quibus conventibus actum est de Pontificis Romani auctoritate, quam Carolus V prædictis suis protestationibus infringere moliebatur, multisque argumentis illustrata, ut ex subjecto episcoporum consulto Henrico Gallorum regi dato patebit [2] :

« Communis aliquot episcoporum Gallicanæ Ecclesiæ sententia, quam rogati dederunt. Viderentur necne mittendi Romam episcopi aliquot disceptaturi de moribus universæ Ecclesiæ.

« Est hoc ad nos relatum a rege nostro Christianissimo Henrico ex beatissimi Patris Pauli papæ nostri litteris, viderenturne nobis Romam esse mittendi aliquot episcopi, qui cum cæteris, qui illuc convocati essent, agerent de collapsa corruptaque Ecclesiæ disciplina ». Et paulo post :

« Id quidem haud paulo facilius esset explicare, nisi hoc ab rege Christianissimo peteretur, eo tempore potissimum, quo utpote publico Christianorum conventu instituto, nec liberum est nobis decernere, nec si nobis hoc integrum sit, reipublicæ commodum.

« Etenim hoc in primis considerandum, quem in locum summa rerum Christianorum progressa sit, quid ex eo conducat, quid secus animadvertendum.

« Exorta est jampridem Martini Lutheri pestilentissimi hominis pestilentior secta, quæ primum administrorum Ecclesiæ auctoritatem, vim deinde sacramentorum et efficaciam labefactans, post in dissimiles secumque pugnantes hæreticorum familias dissecta, omnem admodum Christianæ religionis speciem deformavit et corrupit integritatem, postremo cum in arcem totius pietatis invasisset, Baptismi, Eucharistiæ,

[1] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. et Bonon. p. 308. — [2] Fr. Belcar. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 247. Ms. Franc. card. Barb. sig. 2077. p. 153.

reliquorum sacramentorum religionem atque sanctitatem evertit.

« Ad hæc, quæ non alia disciplinæ Christianæ instituta Œcolampadiani, Zuingliani, Buceriani, Calviniani, cæteræ importunissimæ pestes et immanissimæ violarunt, tum scriptis factisque impudentissimis, tum præcipiti quadam et perdita prædicandi ac obloquendi vanitate et obtrectandi petulantia? In quo profecto omnem superarunt antiquorum immanitatem et insaniam hæreticorum, quoniam ex furore et vecordia hæc rabies profecta est recentioris veneni, haud paulo magis furiosa amentia.

74. « Itum est utcumque obviam a Catholicis, et est res libris ac disputationibus acta, nec minus tamen maxima Germaniæ pars, nonnulla Galliæ, Britannia pæne tota, maxima ubique perditorum hominum multitudo hoc incendio conflagravit. Ex eo tempore haud dubie Christianum Concilium cœpit esse pernecessarium, ut et isto morbo correpta Ecclesiæ viscera curarentur quamprimum, et ab integris arceretur contagio. Cujus unius remedii permulta extiterunt vetustissima exempla, sed ne ultima repetamus, Apostoli, cum de circumcisione gentium a nonnullis esset illata quæstio, convenerunt Hierosolymam, res constitit, habito Concilio, ne gentes circumcidi cogerentur [1]. Secundum hæc tempora, ut Simonem, Basilidem, Apellem, Menandrum, cætera Ecclesiæ vulnera omittam, Paulumque Samosatenum Antiochiæ confutatum ac damnatum, Nicæna Synodus adversus Arianorum blasphemias propugnavit et Trinitatis veritatem in unitate, et in Trinitate unitatem; stetit pro Spiritus sancti divinitate contra Macedonium, Eunomium, Eudoxum Constantinopolitana; damnavit Ephesina Nestorium duas in Christo personas constituentem, uti unam in eodem Christo naturam asserentem Eutychem abbatem Constantinopolitanum, et Dioscorum et Nestorium iterum Chalcedonensis, altera Constantinopolitana Theodorum; aliæ alios Christianæ Ecclesiæ et religionis hostes.

« Hoc exemplo in tanta hæreticorum insolentia ad unicum subsidium pietatis occursum est, universæ videlicet Ecclesiæ Concilium, ut quibus copiis adhuc res Christiana fuit hæreticis omnibus schismaticisque superior, Patrum quidem auctoritatibus, nos iisdem uteremur in non dissimili periculo et graviore etiam, nostro quidem judicio. Hæc itaque causa quæ fuerit, hoc tempus quam justum, quam necessarium, quot quantisque exemplis nitatur antiquitatis, satis arbitramur esse probatum, ut nec tempore, nec causa, nec necessitate conventus ipse Tridentinus ulli antiquorum cedere videatur. Itaque decretus et indictus est a beatissimo patre papa nostro Paulo, adnitente tunc rege nostro Christianissimo Francisco, instante etiam imperatore Carolo, quorum alterius nunc vita functi memoriam laudibus apud omnes homines, lachrymis vero etiam ad Christum, et assidua totius Ecclesiæ nostræ precatione prosequimur, alterius quoque vitam et salutem, qua debemus charitate complectimur, auctoritatem certe utriusque conjunctam præsertim arbitramur esse defendendam, nam quidquam aut in beatissimi papæ nostri Pauli desiderare Sanctitate, aut in gravitate Tridentinæ celebritatis, nec pudoris est nostri, nec recti sincerique judicii : quid enim eum non laudare auctorem possumus, qui in locum successoris principis Apostolorum Petri, aut eam non suscipere frequentiam, quæ Ecclesiæ totius sustineat dignitatem atque potestatem, cum utrique tot tantaque testimonia sint sanctitatis atque gravitatis?

75. « Apostolis suis [1] verba sua annuntiaturus non universis tantum, sed singulis Spiritum sanctum ad principes præsto fore pollicetur Christus, neve quid respondeant solliciti sint [2], neque enim eos fore qui loquerentur aut responderent, sed Spiritum Patris sui illis omnia quæ dixerunt suppeditaturum. Hoc autem præ cæteris Petro tributum videtur hoc argumento, quod qui se improbatum lapidem [3] in Scripturis dici intelligeret Christus, quanquam Paulus Apostolus angularem, Petrus ipse offensionis et scandali, idem ille Christus cum Petro hujus nominis notionem communicaverit, *Tu vocaberis* (inquit) *Cephas*, idem ad nominis sui egregiam ingenuamque professionem Petri eadem in eodem denominationem repetivit, addidit et consequentia illa, quæ mirifice commemorata sunt de exædificanda Ecclesia, perstatque in ejusdem nominis mysterio discipuli præcepto, de singulari potestate alligandi et solvendi. Sunt quamplurima alia, sed hoc vel maxime ad præstantiam muneris, quod ter repetita commendatione [4] committit gregem suum Dominus Petro præter cæteros omnes.

« Neque tamen minus se in conventu Catholico affuturum [5] et Spiritu sancto administraturum pollicitus est, nec minorem cæteris, quorum gravitatem et auctoritatem sustinent epi scopi, quam Petro, cujus dignitatem refert summus Pontifex Romanus, et alligandi et expediendi facultatem fecit atque auctoritatem, remissionem retentionemque peccatorum, et apud Matthæum [6] sancti Spiritus inspiratione futuram suam præsentiam, et gubernationem Ecclesiæ sempiternam prædicationisque pollicetur remissionem.

« Eumdem autem Spiritum Petro [7] atque

[1] Act. xxv.

[1] Matt. x. — [2] Marc. xiii. — [3] Ps. xvii. Matt. xxv. Eph. iii. Isa. ii. I Petr. ii. Jo. xxi. Matt. xviii. — [4] Joan. xxi. — [5] Matt. xviii. Joan. xx. — [6] Matt. ult. — [7] Ad. Gal. ii. ad Eph. iv.

universæ Apostolorum fuisse Ecclesiæ ita probabile est, ut Paulus quoque adscriptus ad illum numerum, eum qui Petrum sublevasset in administrationem circumcisorum, testatus sit adjutorem sibi fuisse, et legato, et oratori ad gentes, et quidem quemadmodum unum in una Dei Ecclesia corpus est, unus est Spiritus, unus Dominus, una Fides, unus Deus, ita hæc omnia in Petro et Apostolis, in optimo Pontifice et optimo præsulum conventu eadem sunt.

« Sic id quod est ipsum decantatum viri omnium sapientissimi versibus retinendum est ab omnibus, ut Ecclesia quam maxime una sit : *Una* [1], inquit, *est columba mea, perfecta mea, una est matris suæ, electa genitricis suæ*, etenim sic illius simplicitas atque constantia servabitur, si unus semper fuerit, et boni Pastoris, et veræ Ecclesiæ sensus secum semper ipsa consentiens, sed ab alienis discedens, nisi forte in illo Apostolorum conventu Petri principis mentem ab reliquorum Apostolorum sensu, hoc est autem Spiritum a Spiritu discrepare putamus, et in hoc *unitatem coarguimus* Apostolici edicti, quod ita habuit : *Visum est* [2] *Spiritui sancto, et nobis.* Aut nobis illusit omnibus scribens Paulus ad Corinthios [3] illum conventum, quem ut cum suo absente spiritu ad illius incesti damnationem unum in locum convenire hortatus est, summam in eo consensionem probavit ; in altera ad eosdem Corinthios Epistola inquiens [4], *Si quid, cui conceditis, et ego.* Itaque illa eodem in Spiritu suis in omnibus conjuncta partibus Ecclesia, et sibi ipsa conveniens non modo in capite, sed ne in articulis quidem ullum, sive doctrinæ, sive morum experiri potest dissidium.

« Non est quidem Ecclesia certe hoc modo aliud Paulo, quam domus Dei, columna fundamentumque veritatis, et hæc sane duo cum uno in sensu conspirant, quid absurdius esse queat, quam alterum cum altero committere stultis istis et insulsis decertationibus? Hoc dum quærunt ineptissimi homines, Summine Pontificis auctoritas sit Conciliorum auctoritate potior an contra, dissentientium enim partium est istiusmodi dijudicatio, et pugnantium inter se, non unius ejusdemque et Dei et Domini Spiritus opinionum et voluntatum, si forte dissimiles essent ac diversi invicem : summa Ecclesiæ conciliatio non patitur hoc Ecclesiæ vere dissidium, et hoc Paulus ad Corinthios detestatur et aspernatur a se in enuntiatione verbi divini, ulla appareat inconstantia ejusmodi ; videtur in his contrariis verbis inesse est, et non est, quid autem magis secum pugnet, quam si partes inter se Concilii alicujus ita discrepent, ut idem aliæ affirment, aliæ negent, ut indignitas eadem incidat, quam tanta indignatione Paulus prosequitur, cum hæc inter discipulos jactari cognosceret : *Ego quidem sum Cephæ. Ego sum Pauli. Ego sum Apollo.* Tunc enim justissima et sanctissima animi permotione velut excandescens inquit : *Divisus est in vobis Christus ? an Paulus pro vobis crucifixus est?*

« Paulo post idem rem totam ita concludit, ut ne quid divisionis, aut sectæ admittere videatur, utpote quem ab uno principio totum pendere, ab uno fonte proficisci, et defluere necesse sit : *Ego plantavi,* (inquit) *Apollo rigavit, sed neque qui plantat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat Deus.* Ergo ex ipsius Dei majestate atque præsentia, non ex sua utriusque dignitate perpendenda est utriusque auctoritas.

« Qui autem aut Marcellini papæ causa abdicatio, aut accusatio Damasi, aut Anastasii papæ detestatio, aut recentiorum nonnullorum invidia Pontificum, aliorum oberit innocentiæ, quemadmodum nihil efficiet ad elevandum Conciliorum Catholicorum aut potestatem aut fidem actitari ab hæreticis schismaticisque conventus, quibus una sæpenumero opposita Pontificum Romanorum auctoritas integritatem retinuit Ecclesiæ.

76. « Princeps Apostolorum Petrus ancillarum atque servorum proterviorem vultum non ferens, non modo præceptorem dissimulavit suum, verum etiam negavit turpiter ac flagitiose, et idem ille socio administrationis Paulo, post acceptum proprie Spiritum sanctum, dignus est reprehensione habitus ; haud propterea tamen, aut Christi misericordia ex superiore culpa est judicatus indignus, aut ex posteriore castigatione minus ad principatum idoneus. Ita se res habet, singulorum vitæ ac moribus facile detrahitur, quanquam est apud nos iniquos haud admodum difficilis humanæ infirmitatis venia.

« Catholicorum porro Pontificum solemnes conventus ab omni fraude suspicioneque vacant, quorum gravitas dignitasque omni superiorum temporum antiquitatisque commendatione et fide celebratur. Horum de jure atque amplitudine si quid ademptum sit semel aut detractum sit in posterum de subsidio, quod unum semel reliquum extitit laboranti titubantique religioni, ut omnia effudisse medicamenta restituendæ veritatis, atque salutis publicæ videantur, qui vim illam atque religionem ulla ex parte tentare conati sunt, hoc est Spiritus sancti vocem labefactare, diminuere majestatem, potestatem convellere. Horum auctoritate Romani Pontifices suam dignitatem conservarunt, ut Nicæi, ut Chalcedonensis, ut cæterorum, quorum illos decretis stetisse testantur canones universi [1], tum eorum auctoritate comprobati,

[1] Cant. VI. — [2] Act. XV. — [3] I ad Cor. V. — [4] Ibid.

[1] Dist. 15.

tum admixti, adscriptique Pontificiarum Epistolarum auctoritatibus ; Gregorius non minus quam Evangeliorum , Conciliorum approbat atque veneratur instituta. De iis non multo secus Gelasius[1] sensit; ab Apostolorum canonibus ad quartam et vigesimam Lugdunensem alteram Synodum, recensentur omnes atque comprobantur. Papa Zosimus, Gelasius, Leo, Damasus, Urbanus, cæteri complures ita decreta Christianorum conventuum confirmant, ut vel Romanis Pontificibus præ cæteris omnibus rata sint. His quantum Augustinus tribuerit, Hieronymus, Ambrosius, Athanasius, Cyrillus, Chrysostomus, infinitum esset recensere, quin etiam supervacaneum, qui Græci Latinique auctores hos fere secundum sacrarum litterarum dignitatem, sanctitate, auctoritate, fide proximos esse voluerint, quorum de jure non dubitavimus eadem illa prædicare, quæ de prædicationis suæ veritate professus est Paulus, ut si quis docuisset secus, detestabilis esset.

« Illa ergo et Pontificis summi et Concilii auctoritas una atque eadem auctoritas est, ac veterum Pontificum, veterum Conciliorum nec dissimilis nec dispar ; quippe cum cætera omnia convenire non diffiteamur, ne revocetur in dubium, idque multo minus in Pontificio conventu ab ipso summo Pontifice congregato, qui conventus, aut nulla (quod nefas est putare) aut antiqua pollet sanctitate.

77. « Is autem hoc tempore ita se habet. Cœptus quidem ille est, et inchoatus tantum, ut de doctrina decerneretur, quæ pars erat causæ, totius altera vix disputatio sit ad elementa actionis illius perducta. Deinde sunt cur dicamus omissa, certe intermissa omnia. Causam afferunt insalubrem cœli statum et pestilentem aeris intemperiem, quorum nos opinioni libentius accedimus, concedimusque non inviti de loco transferendi inter Patres recte atque ordine convenisse ; verum ut hoc dicere liceat, nimis acceleratam alii, aut precipitatam potius, nec illam plane integram deliberationem fuisse conquererentur, causam quoque ipsam commentitiam et fictam (Non commentitia nec ficta fuit transferendi Concilii causa, sed justa, cum enim Cæsar hæreses impias Lutheranorum, quos sibi maxime conciliatos tunc cupiebat, damnari non sineret, ne exasperarentur, et ab eisdem Lutheranis Concilium ex improviso opprimi posset, de quibus cardinalis Cervinus, qui in Pontificatu Marcelli II nomen gessit, Paulum admonebat, transferendi in Italiam Concilii occasio ex morbo epidemico ardenter arrepta est) subdunt litteræ Gallorum præsulum. Et sic adhuc in sententia permanent, ut ne pedem quidem extulerint Tridento, nec ullum alium præter hunc locum esse Concilii fateantur graves illi quidem viri, et tum dignitate Pontificia, tum eruditionis excellentia, cum sanctitate morum, et commendatione vitæ totius insignes, penes quos sit veritas, ut de hoc non ambigamus, ex eo tamen res sunt in controversia.

« Sic autem rex Christianissimus noster Henricus impressa pietatis a majoribus suis vestigia prosecutus, non consecutus est modo, verum etiam studio vicit superiores, qui beatissimi patris Pauli papæ nostri voluntate provocatus, translatum Bononiam Concilium celebravit. Sed ab altera parte Romanorum imperator Carolus perstat, perseveratque in patrocinio loci Tridentini. Hinc ad illa ulcera, quæ ab hæreticis sunt imposita Ecclesiæ, adjunctæ discessionum calamitates, quæ adhuc pars conjuncta, et una adeo fuerat Ecclesia, verendum est in primis, ne quod prope incœptum est, in partes abeat, et scissione dilabatur, quod ipsum certe, et majoris multo et discriminis, et damni fuerit familiæ scilicet Ecclesiasticæ jactura, quam futura fuerat hæreticorum (hoc est hominum jam dudum alienorum) desperatio, qui tamen ut revocarentur, toto consilio, omnibus Ecclesiæ viribus atque opibus actum est. Quanto magis igitur elaborandum est, ne hanc multo graviorem plagam accipiat Ecclesia, ut in ea parte, quæ ad hæc tempora stetit sua integritate incolumis, miserabiliter in partes divisa videatur. Christus Dominus apud nos divisus ad labem Christiani nominis sempiternam, quod sit argumentum vel maxime adversariis nostris debacchandi vehementius et furendi, ut rex Christianissimus Henricus in propugnatione Bononiensis loci, imperator Romanus Tridenti inter se dissentient, quorum cæteris in rebus mirificus consensus est, cui malo ante omnia est nostro quidem judicio occurrendum, et eo remedia omnia adhibenda, nec cogitandum ante quidquam aliud, aut tentandum, quam hoc sit dissidium compositum. Concurrunt hæc omnia, imperatoris protestatio Tridentina ad consessum Bononiensem jam inde suspensum, omnium expectatio quid Concilio futurum sit, ex ea velut offensione major hæreticorum arrogantia, summum integræ partis periculum, armorum motus, quæ omnia nobis non videntur posse admittere perficiendæ rei vel dilationem, vel tergiversationem. Nam quod Romam interim ad differendum (ut ab iniquis dicitur) remedium convocantur episcopi, qui mores Ecclesiæ judicent constituantque : hæc quidem primum res in opinionem adduxit, ut initum videatur esse Concilium de supprimenda prorsus tractatione publica, et religionis morum, sive est ea Tridentina, sive Bononiensis suppressa. Sane Synodus, ut omnem corruptarum partium sanandarum rationem evertit, ita obstruit viam earum servandarum, quæ sunt a contagione integræ, et expectationem reliquam aufert in posterum

[1] Dist. 16.

melioris aliquando futuræ Ecclesiasticæ conditionis. Verum intermittatur tantummodo ne tollatur. Differt autem ea ratio ejus ægritudinis curationem, ejusque periculi cautionem, quam aut primo quoque tempore necesse est expediri, aut vix nunquam postea verisimile est explicari posse, nisi forte, quæ sua sponte in dies fiunt deteriora longinquitate temporis neglecta, meliora fient, ut quæ recentia mala et parva vix sanari possunt, eisdem et inveteratis et majoribus factis medebimur, aut impendenti jamque urgenti gravioris incommodi periculo non præstantissimo quoque opus est remedio. Age vero cum salus agitur corporis universi, quo in discrimine maximo et extremo prope jamdiu versamur, ac ne deposita cura ad experiendas corporis gravissime laborantis partes, et quasdam velut reduvias sanandas animam convertemus, quanquam non negamus in restituendis moribus, et excolenda disciplina Christianæ vitæ operam optime poni universæ Ecclesiæ. Hæc tamen et pars est altera eorum, quæ proponebantur indicendo Concilio, et si differri non possit, a singulis metropolitanis ad veterum canonum severitatem commodius exigetur, committendum nobis non videtur, ut superioribus maleficiis hoc adjungatur haud parum malum, ut in sermones malevolorum hominum incurramus, non minus velle quam corruptorum principiorum, Ecclesiæ administrationis, medicinam, quam improbitatem nostram retractari et corrigi, quod solum summum Concilium et suscipere et perficere queat, propterea subterfugere nos, nec ulli remedii generi acquiescere.

« Etsi hæc nostra communis omnium sententia nil magis necessarium esse, quam controversiam istam locorum componi, ut de alterutro, aut de tertio aliquo conveniat, instituti conventus actiones progredi ac finem accipere : ad id ante nihil minus conducere, vel nihil plus obesse potius, nihilve magis esse præposterum, quam conventionem istam fieri Romæ, neque vero ex quatuor quæ feruntur generibus Conciliorum ignoramus, nos uni summo esse obnoxios, cui et jam satisfactum est ex parte, et in posterum non sumus defuturi. Scimus duos maximos simul esse non posse conventus. Verum nec venerationi in beatissimum papam Paulum nostrum, nec in Christianissimum nostrum Henricum ullos regionum terminos circumscribimus, id tantummodo censuimus, quod nobis videtur rei Christianæ utile ».

78. Tradit memoratus Angelus Massarellus XIII Octobris excitos fuisse Romam[1] e Bononiensi Concilio Claudium Mirapicensem, Joannem Noviomensem, Robertum Ambricensem, aliosve, et Joannem Nivernensem episcopos Gallos pro restituendo pristino morum nitore : nam Lutherani, qui hæreseos et schismatis et profligatissimæ vitæ suæ trabes horrendas in oculis suis non viderant, de festucis quas in oculis cleri Catholici videbant, acerbissime querebantur, atque adeo Cæsar ardentissime contenderat a Pontifice, ut corruptelæ veteres abolerentur. Datæ vero ad eos episcopos Gallos extant litteræ subjecta verborum formula conceptæ[1] :

« Venerabili fratri Joanni episcopo Noviomensi.

« Venerabilis frater, salutem. Cupientes tecum pro tua doctrina, prudentia ac probitate super nonnullis rebus Universale Concilium, et salutem reipublicæ Christianæ concernentibus loqui, hortamur te, tibique injungimus, ut pro commodo publico, particulare ad nos veniendi incommodum subire, et quanto citius poteris, ad nos te transferre velis ; venies enim nobis gratissimus, et libenter te videbimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, x Octobris MDXLVIII, anno XIV ».

Interjectis paucis diebus Gallorum regis orator Bononia Romam contulit. Porro ejus Concilii actiones publicas omnino fuisse intercisas docent ejusdem Concilii Acta.

79. *Decretum Sorbonicum contra Calvinistas.* — In Galliis hoc tempore plures novarum hæreseon illecebris deliniti, pestiferas opiniones apud simplex vulgus sparsere, ad quorum reprimendam impietatem Sorbonica Academia, Concilii Tridentini sub Paulo III celebrati et aliorum Conciliorum decreta secuta, errores novatorum proscripsit hoc anno, ac e suggestu sacro proponi vetuit, quorum decretum Parisiensis senatus in Acta sua retulit, conceptum vero subjectis verbis fuit hoc decretum Sorbonicum[2] :

« Decanus et facultas theologorum Parisiensium omnibus in Christo fidelibus, salutem.

« Cum hodie per concionatorum in asserendis dogmatibus altercationem videamus plures fidelium, juxta id quod Ephesiis scribit Paulus, tanquam parvulos fluctuare, et ad omnem ventum cujusvis doctrinæ circumferri et agitari; nostrum autem intersit (quod in nobis erit) dissidentes opinionum fluctus componere, de sanctissimo Christianissimi regis proposito abunde persuasi, quidnam circa articulos hodie a plerisque controversos, et Christianis doctoribus et concionatoribus prædicandum, et cæteris Christi fidelibus cum universa sit Ecclesia credendum, paucis hoc ordine visum est annotare :

« Certa et firma fide credendum est, Baptisma omnibus, etiam parvulis, ad salutem necessarium esse, et per ipsum dari gratiam Spiritus sancti.

« Eadem fidei constantia est tuendum, ho-

[1] Acta Conc. Bonon.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 459. — [2] Ext. in tom. XI. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 189.

mini inesse liberum arbitrium, quo possit bene vel male agere, et per quod, etiamsi in peccato mortali fuerit, Deo adjuvante, ad gratiam resurgere valeat.

« Non minus certum est, adultis et ratione utentibus, post peccatum mortale admissum, necessariam est pœnitentiam, quæ in Contritione et Confessione sacramentali vocaliter sacerdoti facienda, similiter et Satisfactione consistit.

« Ad hæc peccatorem non sola fide, sed et bonis operibus justificari, quæ adeo necessaria sunt, ut sine illis nemo adultus vitam consequatur æternam.

« Quilibet Christianus tenetur firmiter credere, in consecratione Eucharistiæ panem et vinum converti in verum Domini corpus et sanguinem, remanentibus tantum panis et vini speciebus, sub quibus realiter verum Domini corpus continetur, quod ex Virgine natum est et in cruce passum.

« Sacrificium Missæ est ex Domini institutione valens pro vivis et defunctis.

« Non est laicis ad salutem necessaria communio sub utraque specie : recteque certis et justis de causis olim ab Ecclesia sancitum, ut ab illis sub una tantum panis specie communicetur.

« Porro solis sacerdotibus secundum Ecclesiæ ritum ordinatis data est a Christo potestas consecrandi verum corpus, et in foro Pœnitentiæ a peccatis absolvendi.

« Quos certum est, etiamsi mali et in peccato mortali fuerint, consecrare verum Christi corpus, si quidem illud consecrare intendunt.

« Confirmatio et Unctio-Extrema sunt duo Sacramenta a Christo instituta, per quæ datur gratia Spiritus sancti.

« Nec dubitandum est, sanctos in hac mortali vita et in Paradiso agentes miracula operari.

« Sanctum est et Deo maxime gratum orare beatam Dei Genitricem et sanctos qui in Cœlo sunt, et sunt pro nobis advocati, intercessores apud Deum.

« Hi itaque sancti beate cum Christo degentes non solum sunt imitandi, sed et venerandi et orandi.

« Ob idque religiose faciunt, qui loca eis dicata ex devotione visitant.

« Si quis in templo aut extra templum prius sua oratione ad beatam Virginem, aut sanctorum aliquem recurrat, quam ad Deum, non peccat.

« Nec ullo modo dubitandum est, quin genuflectere coram imagine Crucifixi, et beatæ Mariæ et sanctorum ad rogandum Christum et sanctos, opus sit bonum et pium.

« Adhuc firmiter credendum est et nullatenus dubitandum, Purgatorium esse, in quo animæ detentæ oratione, jejunio aliisque bonis operibus juvantur, ut citius liberentur a pœnis.

« Tenetur et quilibet Christianus firmiter credere unam esse in terris universalem Ecclesiam visibilem, in fide et moribus errare non valentem, cui omnes fideles in his quæ sunt fidei et morum obedire obstringuntur.

« Quod si quid in Scripturis sacris controversiæ aut dubii oriatur, ad præfatam Ecclesiam definire spectat et determinare.

« Est certum, multa esse credenda, quæ non sunt expresse et speciatim tradita in sacris Scripturis, quæ per Traditionem Ecclesiæ sunt necessario recipienda.

« Eadem etiam veritatis certitudine credendum est, quod jus anathematizandi est ex jure divino Ecclesiæ a Christo Jesu immediate concessum, et idcirco censuræ Ecclesiasticæ sunt magnopere formidandæ.

« Certissimum est etiam Concilium Generale legitime et debite congregatum, Universalem Ecclesiam repræsentans, non posse in fidei determinationibus bonisque moribus errare.

« Illud etiam non minus certum est, quod ex jure divino est unus Pontifex, id est, papa, qui supremum est caput militantis Ecclesiæ Christi, cui omnes Christiani parere debent, et penes quem est potestas indulgentias conferendi.

« Constitutiones Ecclesiæ, utpote jejunia, epularum discretiones, abstinere se a carnibus, et pleraque alia, ipsam conscientiam obligant, omni pariter secluso scandalo.

« Vota etiam, præsertim monastica et religionis, quemadmodum etiam perpetuæ continentiæ, paupertatis et obedientiæ itidem conscientiam obligant.

« Dicta theologiæ facultas prohibuit, prohibetque omnibus, qui suæ Congregationis existunt doctoribus, baccalauriis, iisque omnibus, qui nunc et in futurum sibi ea in facultate gradum comparare student, ne ullo pacto suis in concionibus, propositionibus, dictis contraria controvertere, neque in suis lectionibus, neque alibi illa legant doceantque.

« Præterea jubet, ut ab omnibus præfatis dictæ propositiones subscribantur, utque demum non sint socordes ad commendandum defunctorum animas orationibus precibusque populorum, sub perpetua privationis pœna dictæ societatis et Congregationis. Anno gratiæ MDXLVIII, X Martii, theologiæ facultas in Sorbonico collegio debite congregata super præcedentium articulorum negotio, illas, qua forma scriptæ sunt, sacramento approbat, subscribique fecit, tum decani, facultatisque mandato eorum scribi, secretarii manu.

« Signatum I. Formier, de mandato.

« Lecta, publicata et registrata, audito procuratore generali regis hoc requirente, Parisiis in Parlamento ultimo die Julii anno Domini MDXLVIII ».

80. *Hæresis in Anglia propagatur.* — Propagata est maxime hoc anno in Anglia Zuingliana hæresis tyrannide regii tutoris, qui velut Antichristi præcursor juge sacrificium sustulit ex Anglia : « Hoc tempore », inquit Surius [1], « sub puero rege Missa abrogata est ». Funestam hanc historiam fusius Sanderus [2] his verbis enarrat (1) :

« Interim Catholici Angli, et præsertim doctores, qui schisma Henrici VIII saltem post mortem ejus reprimendum sperabant, ubi adeo id non evenire perspicerent, ut potius in pestilentiorem hæresim erumperet, partim seipsos accusarunt, quod primis initiis fortius non obstitissent, partim mœrore ac squallore confecti miserrimam vitam traducebant. Qui enim legerunt apud S. Joannem Chrysostomum contra Paganos divinitatem Christi propugnantem, veterem et antiquam patriæ suæ fidem ob hoc ipsum commendatam, quod altaria olim erecta Christo fuissent (sunt etiam, inquit Chrysostomus, in Britannicis insulis extra hoc mare satis fundatæ Ecclesiæ et erecta altaria) cum illi iidem jam post mille et pæne ducentos annos a Chrysostomi morte eadem altaria non a paganis, verum ab iis, qui seipsos vocant Christianos, dirui et everti conspexissent : quo animo par est eos spectasse ? Quas fudisse lachrymas ? Quos gemitus edidisse ? Nam si altaria Christi olim fuerunt in Anglia, affirmante Chrysostomo, Christianæ fidei signa, utique eodem modo altarium dejectio jam est signum perfidiæ Antichristianæ. Atque ingemuerunt quidem et his novitatibus utcumque se opposuerunt Stephanus Wintoniensis, Edmundus Londinensis, Cuthbertus Dunelmensis, Nicolaus Vigorniensis, et Darius Cicestrensis episcopi, omnes doctrina et gravitate præstantes viri, qui etiam in ordinum conventu suffragia habebant, religionisque sententia ac interiori affectu Catholici erant, sed facti episcopi in schismate Henriciano extra Ecclesiam, vel potius contra Ecclesiam, regio, non Pontificio mandato aut assensu, et pro regia libidine Ecclesiasticoque ejus primatu stabiliendo non habebant illum fortitudinis et veritatis Spiritum, qui in unitate Ecclesiæ Catholicæ rite ordinatis et inunctis tribui solet : timide ergo restiterunt pueri regis primatui, imo simpliciter subscripserunt, et in omnes cæteras innovationes, quæ non videbantur ipsis continere apertam hæresim, ne episcopatus ac honores perderent, vel ultro, vel contra conscientiam coacti consenserunt, cujus criminis gravissimas paulo post pœnas, primum sub hoc ipso Eduardo, quia in reliquas omnes hæreses, seu (ut tunc loquebantur) regiæ majestatis in reformanda religione progressiones non sunt assensi, nec blasphema quædam illis proposita dogmata, pro concione, ut jubebantur, explicare et comprobare voluerunt, deinde multo magis sub Elizabetha omnes luerunt, depositionem, et (ut postea dicemus) diuturnos carceres usque ad mortem patientissime tolerantes, misericordiamque simul et justissima in se Dei judicia collaudantes.

« His ergo metu superiora edicta schismatica approbantibus, ac reliquis recenter regio nomine creatis pseudo-episcopis, ad ea stabilienda, sectamque per totum regnum propagandam diligentissime invigilantibus, secundum tempus lege comitiorum designatum, tremendum sacrificium cæteraque omnia officia et Sacramenta Catholico ritu publice fieri omnino desierunt; nec unus videbatur in toto regno, qui falsorum officiorum ac rituum communione non fuisset contaminatus, licet plurimi occulte etiam tum Missas fecerint et audierint, qui tamen et ipsi calicis Christi et dæmoniorum participes, templa quoque ac Sacramenta hæretico ritu administrata frequentabant, existimantes (ut divus Augustinus olim de quibusdam in Africa schisma Donatistarum sequentibus dixerat) satis esse si quovis modo Christum colant, et ignorantes id solum Christo placere, ut in unitate colatur.

« Sola serenissima Maria primogenita Henrici filia, Eduardi soror, quæ ei in imperio successit, sanctissimæ matris suæ Catharinæ fidem et constantiam secuta, non potuit ullis protectoris, aut cæterorum regiorum tutorum precibus aut comminationibus adduci, ut oratorium suum, quod domi habebat, vel claudi, vel sacrum Missæ Officium in Cœnam Calvinicam mutari, vel saltem, ut secreto illud tantum, et non palam in contemptum legum regiarum, ac aliorum (ut dicebatur) scandalum fieri permitteret.

« Cum autem hæretici viderent se nihil apud eam in hac re proficere, nec ausi essent aliquid durius statuere in personam ejus, quæ esset sanguine et successionis jure regi tam propinqua, quæque sæpe protectorem ac cæteros Eduardi consiliarios cum palam ac præsens, tum etiam per litteras ac nuntios audacter ad-

[1] Sur. in Comm. — [2] Sander. l. II. de Schism. Angl.

(1) Reformatio illa Anglicana, de qua agendum hic suscipit annalista, ad annum præcedentem anticipanda est. Anno enim illo vergente, Protector per delectos a se viros hæresi infectos universam per regnum diffusam Ecclesiam lustravit, mandavit singulis ut sacras e templis imagines veluti superstitionis fomenta tollerent et abolerent. Tum in publicis regni comitiis die XXIV Novembris ejusdem anni sub utraque specie Eucharistia populo ut distribueretur mandatum est, additumque ut sacra vernaculo sermone haberentur. His constitutis, missæ privatæ cessarunt, ac tunc demum altaria direpta sunt. Ita Burnetus *Hist. de la Reform. en Anglet.*, to. II. MANSI.

monuisset, ne fratris sui pueritia ita ad reipublicæ et religionis perniciem abuterentur, adjungens præterea futurum forsan tempus, cum cogerentur administrationis hujus suæ tam insolentis, tamque ultimæ voluntati patris sui, quam saltem rege adhuc impubere religiose ipsos servare oportuisset, contrariæ rationem reddere; illi cum quid responderent aut statuerent non haberent, præsertim cum ipsa apud Eduardum fratrem ætate postea paulo maturiorem liberius aliquoties conquesta esset, illique ex amoris teneritudine etiam lachrymas movisse diceretur, hoc consilium homines perditi inierunt, ut primum blanditiis et precibus, deinde minis rem agerent, sed cum neutro modo obtinerent quod cupiebant, aliam viam aggressi sunt, nimirum ut ab illa sacellanos suos, qui coram ipsa sacra Officia pro more faciebant, divellerent, in eosque ut in transgressores legum publicarum, carcere et aliis pœnis animadverterent, quod semel aut iterum quidem fecerunt ingravescente ita hæresi ac furente ». E Germania in Angliam Petrus Martyr et Bucerus, maximi Dæmonis laquei, cum alia impiorum rabularum fœce provolarunt.

81. *Sigismundus senior moritur magno Poloniæ damno.* — Passa est hoc anno Polonia gravissimum damnum extincto prima Aprilis die Sigismundo seniore rege, qui dum vixit, illud regnum regia constantia ab hæreticorum impietate insidiisque vindicavit, de quo insigne hoc elogium scripsit Stanislaus Hosius [1] episcopus Warmiensis :

« Sanctus ille rex Sigismundus, ejus nominis Primus, qui ante annos non ita multos in Christo obdormivit, cum aliis heroicis virtutibus multis clarus, tum in tuenda fide Catholica constantia quadam, et animi robore singulari præditus, et qui libenter vestigiis ejus incedit, serenissimus filius hic ejus, ejusdemque nominis Secundus, quem utinam paterna felicitate paternos annos assecutum, regni hujus gubernacula longissimo ævo tenentem videamus, numquid non et ipsi eodem animo, eadem sententia, eademque religione fuerunt ? Postularunt ab utroque nonnulli, quibus recte dici potuit : *Nescitis quid petatis*, ut purum Evangelium in regno suo prædicari permitteret. Respondit divus pater sui non esse muneris de puritate verbi cognoscere, ad episcoporum officium id pertinere, quorum quidem hac de re judicio se etiam ipsam libenter majestas ejus submitteret, eorumque jurisdictionem salvam in omnibus esse vellet. Respondit eisdem prope verbis serenissimus ejus filius, neque dubitandum est, quin quotquot sunt Catholici reges et principes, si quis eis judicium de causis fidei delatum vellet, omnes uno sint ore responsuri ». De pio eodem responso dato hæreticis in comitiis Warsaviensibus meminit Surius [1] : regii nimirum non esse muneris de causa religionis agnoscere, regem se, non Pontificem, agere velle, satisque sibi negotii cum profanis causis. Tum subdit auctor : « Utinam hanc tanti regis constantiam plerique alii secuti essent politici magistratus, quibus ab impostoribus illis novi Evangelii buccinatoribus pestifera adulatione persuasum est, ad ipsos pertinere, ut de fide et de religione sibi judicium usurpent, quæ res magnas non uno loco calamitates attulit ».

82. Audito tanti regis obitu Pontifex magnum ex eo traxisse dolorem Sigismundo juniori significavit, cum Ecclesiam adversus schismaticos semper defendisset, atque hæreticos, ne impiis opinionibus populum inficerent, repressisset, tum hortatus est, ut non minus in paternas virtutes, quam in regnum successisse ostenderet, Sedisque Apostolicæ auctoritatem dignitatemque tueretur [2] :

« Sigismundo regi Poloniæ.

« Charissime. Obitus claræ memoriæ Sigismundi Poloniæ regis genitoris tui gravissimus nobis accidit, ut debuit; ea enim erat in eo pietas, prudentia et regia virtus, ut si unquam alias, hoc maxime tempore necessaria esset reipublicæ Christianæ ejus vita et incolumitas, quamvis enim Deus Omnipotens illi præstantissimo et optimo regi vitam in multos annos propagaverit, ut valde longævus ex ea discessisse videri possit, parum tamen vixisse dicendus sit, qui et suo regno, et universæ Christianitati tam erat utilis et necessarius; nam et semper in commune consuluit, semperque fidem Catholicam adversus schismaticos defendit, nec in suum regnum hæreticas unquam opiniones admisit : quamobrem nobis in præsentium acerbitate temporum positis, in quibus undique nos mala nostra perturbant, genitor tuus vere est desiderandus, essetque multo desiderabilior, nisi te ex illo genitum, in illius regnum pariter ac virtutes successisse intelligeremus, quo uno solatio tantum dolorem ex illius morte susceptum temperamus. Te enim firmiter credimus, tam bonæ arboris germen, optimos paternarum laudum fructus nobis relaturum ac producturum esse, quo fit, ut minus ex obitu genitoris tui doleamus. Quare cum illum viventem maximis ejus adducti meritis singulariter dilexerimus, totumque in illum amorem nostrum in te illius filium optimæ spei regem transfuderimus, mittendum ad te duximus dedita opera dilectum filium abbatem Martinengum camerarium secretum et nuntium nostrum, exhibitorem præsentium, ut nostro nomine con-

[1] Stanis. Hosius ep. Warmien. in Confessione Cath. fidei c. 24. pag. 24.

[1] Sur. in Comm. hoc anno. — [2] Paul. III. lib. brev. anno XIV, pag. 242.

solationem ad te nostram de obitu genitoris tui, simulque gratulationem de tua in regnum successione perferret, tum deinde serenitatem tuam de omnibus hic rebus, et quo in statu negotium universalis Concilii hoc tempore reperiatur, et quid a te et regno tuo fieri cupiamus edoceat, quod sane officium cum una cum ipso tuo genitore exequi statuissemus, variis præpediti impedimentis fuimus, ne id citius facere potuerimus, sicut hæc omnia idem abbas nuntius plenius tuæ majestati referet. Hortamur proinde serenitatem tuam in Deo Domino, ut per vestigia paternæ pietatis inconcussæque erga sanctam Romanam Ecclesiam devotionis incedens, Catholicæ fidei tutelam paterna constantia, atque exemplo in tuo regno continuare, et Apostolicæ Sedis auctoritatem in honorem Dei Omnipotentis, ac beatorum ejus Apostolorum Petri et Pauli tueri velis, ut gloriam majorum vestrorum, in primisque genitoris tui, qui hoc indesinenter egit, dum vixit, simulque cœleste regnum, ad quod illum translatum esse sperandum est, assequaris, etc. Datum Romæ apud S. Marcum XXI Junii MDXLVIII, anno XIV ».

83. Decrevit ad Pontificem Sigismundus II Poloniæ rex Martinum Chromerum oratorem, ut regio nomine obsequia addiceret Pontifici, atque ab eo flagitaret, ut ad sedanda religionis dissidia Concilium Œcumenicum absolveret, de cujus adventu gratissimo cardinalis Farnesius has litteras ad eumdem regem dedit [1] :

« Sigismundo regi Poloniæ illustri.

« Serenissime rex. Adventus regiæ majestatis nuntii clari viri domini Martini Chromeri, et sanctissimo domino nostro, et nostro S. R. E. cardinalium collegio gratus et acceptissimus fuit, tum quod gravi et eleganti oratione dolorem eum levavit, quem omnes ob serenissimæ majestatis vestræ piæ memoriæ parentis obitum ceperamus, tum quod ea de præclara voluntate ac propenso animo majestatis vestræ erga ipsam beatitudinem domini nostri et sacræ Sedis Apostolicæ testificata, quæ etsi pro comperto habebantur, ipsius tamen Chromeri oratione quasi repræsentata multa jucundissima fuerunt. Persuasum itaque habeat majestas vestra de ejus virtute, fide, constantia jam omnia expectari, quæ a summo et generosissimo rege expectanda sunt.

« Quid ad mandata, quæ nomine majestatis vestræ Chromerus diligenter exposuit, sanctissimus dominus noster responderit, quod ab ipso singula fidelissime pronuntiatum iri pro certo habeo, litteris hisce mandare supervacaneum duxi. Duo tamen hæc non prætermittenda mihi putavi, primum de Concilio Œcumenico, sanctissimum D. N. eodem animi ardore et sollicitudine, quo illud indixit et ut rite celebretur operam dedit, modo per litteras, modo per nuntios suos Patres hortari, rogare, urgere, ut frequenti episcoporum conventu sacrosancta hæc comitia continuentur, tantoque nisu et flagranti studio in hanc unam rem incumbere, ut plane nemo dubitare possit, nunc per Sanctitatem suam omnino non stare quominus tam sacro tamque divinitus suscepto operi aliquando eadem Dei gratia aspirante, cujus præsenti numine felicissime est inchoatum et magna ex parte confectum, extrema manus imponatur, quod certe eventurum Deo freta beatitudo sua sperat, accedente præsertim majestatis vestræ æquissima ad optatam causam tuendam voluntate. Verum quæ sint dilationis causæ, quique totius negotii progressus, cognoscet majestas vestra ex domini Chromeri verbis, et eadem puto explicatius ipsi enarrata jam fuerunt a secretario Sanctitatis suæ reverendissimo viro abbate Martinengo. Alterum, quod esse in eisdem litteris mandatum existimavi, illud nempe est accurata reverendissimi domini Cracoviensis commendatio pro cardinalatus honore, gratissimum Sanctitati suæ contigisse, quod ex liquido proponit talem esse virum, qualem et fama et multorum fide dignissimorum testimoniis jampridem intellexit : quare præcipue erit Sanctitati suæ curæ, et majestatis vestræ voluntatis ac judicii certissimam rationem habere, et simul nationem Polonicam sibi merito charissimam hoc recenti suo beneficio prosequi, etc. Romæ die XI Septembris MDXLVIII ».

Confirmabat Sigismundum regem in avita pietate ejus mater Bona regina, fidei Catholicæ studio et singulari in Sedem Apostolicam observantia conspicua, quam pietatis significationem cum expressisset litteris, Pontifex his verbis respondit [1]:

« Charissimæ in Christo filiæ Bonæ reginæ Poloniæ illustri.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem. Attulit ad nos litteras serenitatis tuæ dilectus filius Martinus Chromerus serenissimi filii tui Poloniæ regis secretarius et orator, prudentique sermone eas subsecutus, nobis per se gratas fecit gratiores, de pietate tua erga fidem Catholicam et observantia erga nos et Sedem Apostolicam multa testatus, itaque et litteras, et pium animum serenitatis tuæ lætanter accepimus, teque in Domino hortamur, ut pari pietate in futurum procedas et continues, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum IX Septembris MDXLVIII, anno XIV ».

Infecta est postea Polonia [2] variis pestibus Arianorum, Nestorianorum, Calvinistarum, Tritheitarum, Trinitatisque hostium, a quibus motæ ingentes in eo regno turbæ, debilitatum vero ab hæreticis regnum, Turcæ et alii hostes

[1] Ms. card. Pii sig. 260. p. 89.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 378. — [2] Sur. in Comm.

finitimi magnis cladibus concussere, ut suis locis lugendum erit.

84. *Res Turcicæ.* — Quod ad res Turcicas attinet, verterat Solymannus imperator, pactis cum Cæsare induciis, arma adversus Persas, sed ea expeditio ipsi feliciter non cessit, ut refert Angelus Massarellus [1] : « Octobris MDXLVIII, habuimus hodie ex Venetiis (1) quod Turca revertatur Constantinopolim ab expeditione contra Sophi, re infecta ». In Africa vero Christiani oppugnati sunt a Mauris, qui Tripolim, quam equites Rhodii tuebantur, vexarunt, maritimasque excursiones prædasque graves egerunt, ob quas Pontifex Cæsarem rogavit, ut equites Rhodios opportunis subsidiis adjuvaret, captisque redimendis operam daret [2] :

« Imperatori.

« Charissime. Dilecti filii prior Alemaniæ, et commendator felices a suo magistro et conventu Hospitalis Sancti-Joannis Hierosolymitani ad majestatem tuam transmissi referre ei potuerunt, quam gravi jactura his proximis diebus eorum Ordo affectus fuerit, capta a piratis infidelibus una eorum triremi cum non modica summa pecuniarum, et quamplurimis Ordinis militibus in servitutem redactis, et quanto etiam oneri eis sit bellum, quod continue cum Mauris gerunt pro defensione civitatis Tripolitanæ, ac super his tuæ majestatis opem forsan implorarunt. Nos vero, etsi hos religiosos et fortissimos viros a tua majestate semper dilectos et plurimi factos scimus, facit tamen paternus noster et in eos amor, et officii ratio, ut illos tuæ majestati impense commendemus, hortemurque te, ut si unquam in eos tua effulsit benignitas, efficias ut hoc maxime tempore eluceat, quo illi maxime indigent, protegasque præterea eorum bona et jurisdictionem, ut solitus es, ac priorem et commendatorem prædictos pro publica causa laborantes, tua solita humanitate excipias et audias; erit id tua majestate dignum, nobisque apprime gratum. Datum Romæ XII Octob. MDXLVIII, anno XIV ».

Decretus fuerat pariter ab equitibus Sancti-Joannis in Galliam orator prior Sancti-Ægidii, ut ad defendendam Tripolim contra Barbarorum impetus imploraret opem ab Henrico [3] Galliarum rege, quem Pontifex etiam datis ad eumdem regem litteris eodem die exaratis commendavit.

[1] Angel. Massar. in Diar. Conc. Trid. et Bonon. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 442. — [3] Ext. XV. p. 441.

85. *Apud Indos S. Francisci Xaverii exantlati labores.* — Hoc tempore sanctus Xaverius [1] in Indiis legatus Apostolicus Apostolico munere sanctissime fungebatur, Barbarisque ad Christi fidem traducendis felicem operam dabat in summa egestate, in qua quantis divinis deliciis afflueret, sodalibus suis, quos ad laborum et gloriæ societatem vocabat, significavit, ac de insulis Mauricis, in quibus agebat, hæc scripsit:

« Terra est aspera et sterilis alimentorum, frumento caret et vino, caro quid sit, fere incolæ ignorant, nulla enim apud eos armenta, nulli greges, præter paucos admodum sues, quos mirari magis quam gustare licet. Apris abundant. Aquæ dulcis magna inopia. Orizæ satis est, magna copia arborum, unde panem et vinum petunt. Aliæ porro arbores sunt, ex quarum cortice depexo conficiunt vestem, qua utuntur omnes. Hæc vobis, fratres charissimi, eo scripsi, ut sciatis quantopere hæ insulæ cœlestibus affluant gaudiis, nimirum hæc omnia pericula atque incommoda Christi Domini nostri causa suscepta, thesauri sunt cœlestibus solatiis refertissimi, sic prorsus, ut has insulas perappositas esse credas ad lumen oculorum paucis annis ex suavissimi fletus suavitate perdendum. Equidem nunquam alibi, nec tam liquidis perpetuisque animi voluptatibus perfusum me esse memini, nec tam leviter labores omnes et ærumnas corporis pertulisse, quam cum insulas concursarem cinctas ab inimicis non fidelissimis, easdemque omnibus vel morborum subsidiis, vel vitæ tuendæ præsidiis atque adjumentis destitutas, ut divinæ spei potius quam maris insulæ appellandæ esse viderentur ».

Fuisse Indos idolorum cultui addictissimos, atque in libidines effusos idem vir sanctissimus scribit in aliis litteris [2], quibus Franciscum Henricum sacerdotem in Travancoride de Evangelio prædicando insudantem solatus est, si laboribus non respondere fructus viderentur; non enim exiguos esse, si infantes sacro lavacro tingeret, qui ejus opera felici immortalitate potirentur, nam de adultis vel albis vel nigris addidit paucissimos cœleste regnum adipisci.

« Francisco Henrico in Travancoridem.

« Noli mœrere, frater, quod minus quam velles in istorum neophytorum cultura proficias; quippe, et cum gens ipsa, ut scribis, idolorum cultui dedita sit, et rex a Christi religione

[1] S. Xaver. l. I. Ep. VI. — [2] Ibid. l. II. Ep. VII.

(1) Vana fuisse nuntia hæc Venetias delata de reditu Solymanni suspicor. Qui enim anno MDL, Ægiræ DCDLVI, Annales Turcicos a Leunclavio vulgatos absolvit anonymus auctor testatur expeditionem hanc Persicam Solymanni cœpisse Ægira DCDLV, mense Sofar, qui anni Mahometici secundus est. Cum vero Ægira hæc cœperit hoc anno MDXLVIII, die decima Februarii, teste Calvisio in Opere Chronologico, mensis Sophar in Martium nostratem incidit. Teste vero eodem annalista Leunclaviano, expeditio hæc Persica duravit « annum integrum cum novem mensibus » ; tum addit idem annalista Solymannum rediisse Constantinopolim primo die mensis Silchizii anno Ægiræ DCDLVI, id est, anno sequenti labente, cum mensis ille anni Mahometici postremus sit, ac medio circiter Decembris anni MDXLIX cœperit. MANSI.

alienus acerbe insectetur Christianos, plus utique proficis quam tu putas, infantes diligentissime conquisitos Cœlo per Baptismum pariendo; nam si circumspicere animo voles, reperies profecto ex Indis vel albis vel nigris paucos in Cœlum pervenire, nisi eos, qui quatuordecim annis minores cum baptismali innocentia excedunt e vita. Videsne, frater charissime, te, uti dixi, plus istic quam putes, proficere? id adeo cerne in pueris, iis scilicet qui abs te baptizati cœlesti jam fruuntur beatitudine, qua nimirum carerent, si ita ex istis locis discessisses, neque eos per Baptismum Christo genuisses. XI kal. Nov. Punicali ».

86. *Librum exercitiorum S. Ignatii Paulus III approbat.* — Hoc anno comprobatus est Apostolica auctoritate pius exercitiorum spiritualium Liber a S. Ignatio societatis Jesu conditore compositus, in quo plura sacra documenta ad contemplandas res cœlestes, et consectandas virtutes traduntur, flagitante id a Paulo Pontifice Francisco Borgia duce Gandiæ, qui iisdem exercitiis excultus ad magnam effloruit sanctitatem. Pontificium vero Diploma hac verborum forma conceptum est [1]:

« Cum, sicut dilectus filius nobilis vir Franciscus Borgia, dux Gandiæ, nobis nuper exponi fecit, dilectus filius Ignatius de Loyola præpositus generalis societatis Jesu per nos in alma Urbe nostra erectæ, et per nos auctoritate Apostolica confirmatæ, quædam documenta sive exercitia spiritualia ex sacris Scripturis et vitæ spiritualis experimentis elicita composuerit, et in ordinem ad pie movendos fidelium animos aptissimum redegerit, illaque Christi fidelibus ad spiritualem consolationem et profectum magnopere utilia et salubria esse, non solum fama ex plurimis locis allata, prædictus Franciscus dux didicerit, sed etiam experimento manifesto cum Barcinone, tum Valentiæ, tum Gandiæ id compertum habuerit, quare idem Franciscus dux nobis humiliter supplicari fecit, ut documenta et exercitia spiritualia prædicta, quo latius eorum fructus pateat, et plures Christi fideles majori cum devotione ad utendum illis invitentur, examinari facere, et si approbatione et laude digna inveniremus, approbare et laudare, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apost. dignaremur. Nos igitur, qui documenta et exercitia hujusmodi examinari fecimus, et quæ testimonio ac relatione dilecti filii nostri Joannis tituli S. Clementis presbyteri cardinalis, Burgensis episcopi, ac hæreticæ pravitatis inquisitoris, et venerabilis fratris nostri Philippi Salutiarum episcopi, atque Urbis nostræ in spiritualibus vicarii generalis, necnon dilecti filii Ægidii Foscararii nostri sacri Pauli magistri nobis desuper facta pietate ac sanctitate plena, et ad ædificationem et spiritualem profectum fidelium valde utilia et salubria esse et fore comperimus, debitum etiam respectum ad fructus uberes, quos Ignatius et ab ipso instituta societas præfata in Ecclesia Dei, ubique gentium producere non cessant, et ad maximum adjumentum, quod ad id prædicta exercitia attulerunt, non immerito habentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, documenta et exercitia prædicta, ac omnia et singula in eis contenta, auctoritate prædicta, tenore præsentium ex certa scientia nostra approbamus, collaudamus, ac præsentis scripti patrocinio communimus, hortantes plurimum omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles ubilibet constitutos, ut tam piis documentis et exercitiis uti, et illis instrui devote velint, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die ultimo Julii MDXLVIII, Pontificatus nostri anno XIV ».

87. *Carolus Borbonius ad dignitatem cardinalitiam evectus.* — Hoc anno nono Januarii die in cardinalium numerum adscitus est Carolus Borbonius episcopus Sanctonensis, regio stemmate clarus, de quo extant subjecta ad eumdem litteræ [1].

« Dilecto filio nostro Carolo de Borbonio, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Sanctoniensi.

« Dilecte fili noster. Cum nuper charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex Christianissimus per dilectum filium nostrum cardinalem de Guysa nobis omni instantia ac precibus supplicasset ut te sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem creare vellemus, nos etsi multa ac gravia impedimenta obstabant, tamen tanto desiderio ipsius regis, cui in omnibus quibus honeste gratificari possumus, maxime cupimus, perspecto cum idem cardinalis de Guysa nomine ejusdem regis, nil diligentiæ ac summi studii in hoc prætermisisset, in consistorio nostro superatis omnibus difficultatibus, et communi creatione cardinalium sacrisque jejuniis non expectatis, te genere regio ortum, et episcopum Sanctonensem in presbyteratus ordine constitutum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyterum cardinalem solum de cæterorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio creavimus ad Dei Omnipotentis laudem, et ipsius regis satisfactionem, in cujus gratiam cum libenter id fecerimus, non minus etiam libenter fecimus tua virtute, quam in te conspicimus, accedente, ex quibus speramus te nobis et huic Sanctæ Sedi in his difficillimis temporibus magno futurum non solum ornamento, sed etiam adjumento. Quamobrem te, fili noster, hortamur, ut quo magis tui similibus viris nunc egemus, cum a Deo sis ac nobis in participationem solli-

[1] Ext. apud Orland. l. VIII.

[1] Paul. III. lib. brev. p. 19. Panvin. in Vit. Paul. III.

citudinis et curarum præsentium vocatus, ad nos, sicut debes, venire matures, quo tua opera et consilio uti possimus. Venies enim nobis et eisdem tuis confratribus acceptissimus, pileumque rubrum plenius cardinalatus insigne a nobis ipsis juxta veterem et probabiliorem morem recipies, interea birretum rubrum a nobis de more benedictum ad te cum præsentibus mittimus in manibus ipsius Christianissimi regis, et per nuntium isthic nostrum assignari jussimus, tibi per ejus majestatem consignandum vel mittendum, quem tu debita reverentia, et quo dedimus amore, recipies. Datum Romæ IX Januarii MDXLVIII, anno XIV ».

Cum vero Carolus ad Urbem sese conferre non potuisset, Pontifex Henrici II regis rogatu pileum rubrum X Junii illi transmisit, ac nuncupandi sacramenti formulam his conceptam verbis tradidit : « Ego Carolus cardinalis promitto et juro, quod ab hac hora in antea fidelis et obediens ero beato Petro, sanctæque Romanæ Ecclesiæ, et domino nostro domino Paulo papæ III suisque successoribus canonice intrantibus ». Pluribus interjectis additum est : « Regulas sanctorum Patrum, decreta, ordines seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica totis viribus observabo, et faciam ab aliis observari, hæreticos, schismaticos et rebelles eidem domino nostro vel successoribus prædictis pro posse persequar et impugnabo, etc. ».

Fidem Carolus sacramenti hujus mire coluit, orthodoxam enim religionem adversus novatores constantissime in Galliis asseruit, ad quam defendendam cum incumberet, ne sceptrum in hæretici principis manus decideret, vinculis nefanda impiorum proditione mancipatus est, quo permittente scelerum vindice Deo, e vivis sublato, a Catholicis rex Galliarum renuntiatus est, quanquam paulo post ad Cœlum vocatus sit.

PAULI III ANNUS 16. — CHRISTI 1549.

1. *Nuntii Apostolici in Germaniam missi nihil proficiunt, obdurescentibus in suis erroribus et criminibus Lutheranis; in Brunswicensi tamen ducatu Catholica religio restituitur.* — Anno a partu Virginis millesimo quingentesimo quadragesimo nono, Indictione nona, revocandis ad Ecclesiæ castra et incorruptam fidei puritatem Lutheranis, tum a Pontifice, tum a Cæsare navata est opera, sed eam obfirmata in errore impiorum pertinacia infeliciter elusit. Decreverat, ut diximus, Pontifex affecto jam superiore anno tres episcopos internuntios amplissimis mandatis suffultos, ut fractos jam armis a Cæsare Protestantes, qui Concilii Œcumenici decretis se parituros polliciti erant, ejurata impia hæresi, censurarum omnium, quibus illaqueati tenebantur, religione exsolverent, fideliumque communioni rite aggregarent.

Sed ut queritur Alexander cardinalis [1], in suis ad Pontificium apud Cæsarem internuntium litteris illi Apostolici nuntii vel legati frustra tempus in Germania contriverunt : obduruere enim perfidi Lutherani in perfidia sua, in qua eos confirmarunt apostatæ sacerdotes et monachi, qui jubebantur contra Cæsareum decretum concubinas suas a se removere, ut rite censurarum religione solverentur, cum prætensa eorum conjugia juratæ essent scortationes, nec Cæsar, ut ab eo expetebatur, auctoritatem suam ad plectendam impiorum pertinaciam adhibuit, refert vero Jacobus Augustus Thuanus [1], Apostolicos nuntios ad Cæsarem in Belgium se contulisse, Pontificiaque mandata exposuisse.

Pontificem partim sua sponte et pro pastoralis muneris necessitate, partim Cæsaris rogatu ex cardinalium consensu legatos in Germaniam misisse, qui ad Ecclesiæ gremium redeuntes recipiant, et ipsis omnia læta de ejus benigni-

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ. sig. num. 37.

[1] Jacobus Augustus Thuanus l. VI.

tate polliceantur, modo leges accipiant, non præscribant: hoc vero beneficium omnibus in perpetuum impertiri nullo pravæ opinionis crimine excepto, quamvis in eo per multos annos perseveraverint, ea lege, ut qui ea peste infecti fuerint, suum errorem apud sacerdotem orthodoxum profiteantur juxta præscriptam pœnitentiæ formulam ; publicam proinde confessionem, abjurationem et satisfactionem jure præfinitam ipsis omnino remittere, potestatem insuper facere legatis, ut eos, qui pacto, jurejurando, aut quovis alio modo Lutheranis obstricti sunt, iis vinculis solvant, monachos in hæresim lapsos, et extra cœnobia sua vagantes, in Ecclesiam admittant, iisque resumpto pristino suo amictu, suo munere ut antea in Ecclesia fungi concedant, esu lactis, casei, butyri, ovorum et carnium (habita locorum et hominum ratione) permisso : addit etiam auctor legatos a Pontifice (cupidissimo scilicet lucrandarum Christo animarum, quas dæmon fallacibus argutiis male fascinarat) auctoritate instructos, ut laicis, quibus ob periculum effusionis species vini Eucharistica prohibita est, sub utraque specie Eucharistiæ usum (tolerato effusionis periculo) ne perirent animæ, pro quibus Sanguis Christi effusus est, certa lege permitterent, iis nimirum, qui cæteris abjuratis erroribus Concilii Constantiensis decreto subscripserint, atque sub altera specie tantum quantum sub utraque sumi, quique Ecclesiam ob factum de una specie decretum non errasse palam declaraverint, quod tamen ad tempus concessum intelligatur, et ita, ut illi ipsi, qui ita sument, seorsim sumant ab aliis, neque tunc cum aliis quibus sub una specie tantum ministratur : at quia plures vectigalia, prædia et jura Ecclesiastica invaserant, ita iis consultum fuit a Pontifice, ut legati cum sacrorum bonorum usurpatoribus et possessoribus, de fructibus perceptis atque consumptis transigere possint, modo in posterum Ecclesiasticis possessionem vacuam relinquant, ad idque contumaces censuris cogant, implorato etiam civilis magistratus auxilio, et ut res commodius ac celerius executioni demandetur, per Germaniam alios episcopos delegent ac substituant : ex eorum numero Argentinensis episcopus fuit, cui sacerdotes, qui a fide defecerant, in gratiam cum Ecclesia recipiendi potestas concessa est, modo inductas prætexto conjugii nomine pellices a se removerent, omninoque expellerent.

2. Publicum de his Pontificium Diploma acceptum Cæsar ad Germaniæ episcopos misit, omnesque seorsim commonuit, ut suarum diœceseon Protestantes placide ac sine vi, precibusque et adhortationibus potius quam execrationibus et minis ab hæresi et Sathanæ castris ad gremium Ecclesiæ pellicere blande pertentarent. At nimium hactenus blanditiis palpatum exasperatumque fuerat hæreseos monstrum, ac nisi ferro et igne domari poterat; egregium enim adeo clementiæ Pontificiæ ac Cæsareæ specimen impiorum contumacia protrivit ; nam cum Moguntinus archiepiscopus ad Philippi Hassiæ Lantgravii in custodia detenti præfectos et senatores scripsisset, ac de sollicitudine pastorali sua ac Cæsaris voluntate eximia multa præfatus eos postulasset, ut concionatoribus suis formulam recuperandæ Ecclesiæ gratiæ pristinæque redintegrandæ conjunctionis a Pontifice præscriptam exhiberent, eique parere juberent, illi in vetere perfidia obduruere, ac postulata facere recusarunt, impio etiam turgidi fastu procaciter jactarunt, doctrinam suam cum Prophetarum et Apostolorum testimoniis conspirare, nullum profiteri errorem, nihil sibi opus esse gratia et indulgentia Romani Pontificis, nec veniam ab eo exorandam, et quia sacerdotes apostatæ concubinas conjugii specie duxerant, ita offusas menti eorum tenebras pro luce Evangelica coluere, ut oblocuti fuerint, uxores ac liberos se deserere non posse, quos diligendos, et cura ac benevolentia complectendos didicerent auctore Christo, qui conjugium amplissimo elogio cohonestaverit, nuptias impuro cœlibatu meliores, denique ex Apostolo melius esse nubere quam uri, nec miseri intelligere voluerunt, Apostolum loqui de iis, quibus licitum sit nubere, nec se contrario voto constrinxerint, cum dicat perspicue, voti reos qui nupserint damnationi obnoxios, cum primam fidem irritam fecerint. De permissa etiam certis legibus utraque specie addidere, in Ecclesiis suis cœnæ integræ usum permitti juxta Christi mandatum, et veteris Ecclesiæ morem, nec mutationem ullam in eo recepturos, in quo impio responso calumniati sunt, integrum apud Catholicos non esse Eucharistiæ usum, mentiti etiam sunt imperatam omnibus a Christo utramque speciem, et dum utramque speciem male affectatam, non veram cœnam Dominicam, sed fallacem tantum et umbratilem illius speciem retinuere (nam cum Catholici sub unica specie integrum Christum sumant) ipsi tantum panem vinumque sumpsere, quæ ab iis, quæ in popina sumuntur, non differant, dum pro conficienda Eucharistia sacerdotes rite consecratos non adhibuere, vel si adhibuerint, judicium sibi manducent in schismate, et bibant. Ita nil profectum est cum Lutheranis seris illis ac non idoneis remediis, nam quod de Concilio Œcumenico admittendo erant superiore anno polliciti, id ita intellexere, si Concilium sathanicum foret, in quo non præsideret Christi vicarius, sed hæretici concionatores cum episcopis sederent, ut dicetur suo loco, quod vero Tridentinum nuperis annis celebratum respuerent, inani ea excusatione se tuebantur, quod jam ipsorum placita de peccato originali,

ac de justificatione in eo damnata essent, quam prorsus futilem esse ita ostendebatur [1] :

3. « Si Tridentinum Concilium a recentioribus hæreticis recusari posset ex eo quia ante Synodum ab Apostolica Sede condemnati fuerint, possent Macedonius, Sabellius et Eunomius secundam universalem Synodum, quæ fuit prima Constantinopolitana, recusare, cum et ipsi ante Synodum a Damaso anathematizati fuissent, sic et Nestorius Ephesinam primam, qui a Cælestino damnatus fuerit, Eutyches etiam et Nestorius Chalcedonensem recusare potuissent, cum a Leone ante Synodum damnati fuissent. Eadem Petro et Severo Antiochenis patriarchis, alteri item Petro Apamearum episcopo una cum Zoaro Syro monacho, Anthimo quoque Trapezuntio archiepiscopo, et Constantinopolitanæ Ecclesiæ invasori, querela et exceptio patuisset adversus quintam et ultimam Synodum, nam isti omnes ante Synodum damnati fuerant Apostolicæ Sedis judicio, Petrus Antiochenus a Felice Romano Pontifice, Severus, alter ille Petrus Apamianus, et Zoarus ab Hormisda, et Anthimus ab Agapito. Eadem adversus sextam Synodum, Cypro Alexandrino, Sergio et Pyrrho, Paulo, Petro et Georgio Constantinopolitano, Machario quoque Antiocheno episcopis per Synodum damnatis : Cyprum enim, Sergium et Pyrrhum damnaverat Honorius, Paulum vero et alios Theodorus et Martinus Romani Pontifices. Eadem et Iconoclastis adversus septimam Synodum, quod prius a Georgio III, Stephano II damnati fuissent, eademque denique exceptio competiisset Photio adversus VII Synodum, quæ fuit quarta Constantinopolitana, quia per Nicolaum I ante Synodum damnatus fuisset.

« Non recusanda Synodus ex eo, quia Maximus Hierosolymitanus antistes recusavit Antiochenam Synodum, et Athanasius ab ea, quæ in Tyro convenerat, aufugerit, nec ad eam, quæ Seleuciæ congregata fuerit, accedere voluerit, quoniam constat, Synodos illas illegitimas fuisse absque Apostolicæ Sedis auctoritate adversus sanctissimæ Nicenæ Synodi professores congregatas et ab impiis celebratas ».

4. Nec minus Saxones quam Hassii ad Pontificia et Cæsarea imperia præfractos se ostenderunt, in nonnullis tamen locis velut in Brunsvicensi et Luneburgensi principatu Catholica religio restituta est, de quo Pontifex Henrico principi his litteris gratulatus [2] :

« Dilecto filio nobili viro Henrico Juniori duci Brunsvicênsi et Luneburgensi.

« Dilecte fili, salutem. Redditæ sunt nobis litteræ tuæ nobilitatis XVI Maii præsentis datæ, ex quarum prima parte dolorem, ex postrema lætitiam accepimus : doluimus siquidem res Germaniæ, quas sperabamus paccatas, nunc sicut tua nobilitas scribit, in Saxonia et aliis partibus Septemtrionalibus ad novam tumultuationem spectare, cui Deus Omnipotens sua misericordia dignetur occurrere. Lætati vero sumus, quod tua nobilitas (sui generis et officii memor) orthodoxam religionem et pium cultum in suo ducatu restituerit, cæteraque se digna egerit et actura sit, de quo omnipotentem Deum laudamus, ejus majestatem orantes, ut talem te principem ad Catholicæ fidei tutelam diutissime nobis conservet, pro certissimo enim habemus, te sanctæ religioni in istis locis nunquam defuturum. Nos hinc te et tuos solito amore semper prosequemur, gratumque recipiemus, si ad nos aliquando scripseris. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum III Julii MDXLIX, anno XV ».

5. *Magdeburgenses præ cæteris in Cæsarem audaces.* — Quod ad turbas in Saxonia et aliis Germaniæ locis obortas attinet, eæ proximo anno in manifestam perduellionem eruperunt, cum Cæsar partam de Lutheranis victoriam intempestivo clementiæ genere corrumperet, et Christi causa abjecta in Belgium secessisset, ut Belgas Batavosque in Philippi filii verba solemni sacramento adigeret, quo animadverso, Pontifex cum Lutheranos nulla molliore via ad officium revocari posse perspiceret, nec Cæsarem delere velle, judiciorum severitate, Lutheranam impietatem, præsules Hispanos Tridenti congregatos ad se revocavit, non ut Germanicas res perturbaret, ut malevoli interpretati sunt [1], sed ut ex eorum consilio restituendæ disciplinæ Ecclesiasticæ leges sanciret, tum etiam schismatis conflandi occasiones perturbatissimis his temporibus præscinderet. Turbarum porro movendarum occasionem sumpserant Lutherani nequiores, qui impiis animis nefandas Lutheri hæreses ita impresserant, ut decretum religionis, licet mancum ac mutilum a Cæsare editum admittere detrectarent, inter quos a nefariis impostoribus subornati Magdeburgenses audacia et flagitio eminebant, de quibus hæc refert Surius [2] : « Magdeburgenses jam antea proscripserat Cæsar, cumque nollent decretum religionis Augustæ evulgatum accipere, majorem in eos concepit indignationem. Hæc urbs fere prima amplexa Lutheri infaustum Evangelium, erantque hoc tempore illic aliquot strenui Lutherani concionatores, Nicolaus Amsdorffius, quem Cæsar ex Numburgensi episcopatu ejecerat, et Matthias Flaccus Illyricus. Isti videntur commovisse cives, ut pertinaciter Cæsaris decretum repudiarent. Illyricus diu fuerat Melancthonis discipulus, sed cum videretur non prorsus a Cæsaris decreto abhorrere, multa quoque concedere, scripsit una cum sociis Magdeburgicis, qui nec latum unguem ulla in re a Lutheri

[1] Ms. card. Pii tom. sig. 64. p. 390. ex libello de Concil. — [2] Paul. III. lib. brev. an. XV. p. 157.

[1] Jac. Aug. Thuanus l. VI. — [2] Surius in Comm.

placitis discedendum putabant, contra Melancthonem et ejus asseclas : scripsit etiam in eos Nicolaus Gallus ». Et paulo post : « Hæc vero rigidorum et mollium Confessionistarum (sic enim Catholici quidam eos vocant) contentio tandem eousque progressa est, ut miser Illyricus tota fere Saxonia proscriptus Ratisbonam usque ad Nicolaum Gallum profugerit ».

6. Addit Surius Illyricum in dicendo fuisse vehementiorem, ac mirum in modum conquestum, Confessionem Augustanam multis in locis fuisse depravatam, crimenque falsi impegisse Melancthoni, quod eam necnon Lutheri libros multis locis adulteravit, nec plane mentitum, cum constet Confessionem Augustanam, non semel a Melancthone immutatam, inconstantes enim hæretici pro temporis ratione fidei suæ cothurnos mutare consueverunt. Dum vero Madgeburgi eloquentia sua versarent civium animos perfidi ii concionatores, diu Magdeburgenses pessimo exemplo Cæsari rebellarunt, utque alios ejusdem sectæ populos ac principes in impia pertinacia obfirmarent, litteras [1] multis fraudium mendaciorumque fucis pigmentisque coloratas transmisere, quibus impudentissime mentiti sunt, se ob Evangelicæ fidei constantiam proscriptos, cum constaret, eos teterrimæ hæreseos impietate infectos acceptam a majoribus Evangelicam veritatem proposita flagitiorum impunitate, quam ex sola fide sibi finxerant, detestanda levitate deseruisse : « Religio », inquiebant orthodoxæ religionis hostes, « petitur, hoc est cur rebelles, cur perduelles vocamur, imperii edictis proscribimur, ad perniciem et internecionem destinamur, quo magis miramur illos, qui nobiscum idem in religione sentiunt, fœdere et antiqua necessitudine conjuncti, nos in manifesto et communi discrimine, non solum deserere, sed etiam bello persequi, neque videre arma in nos sumpta, in ipsos tandem recasura esse, atque a nobis fieri initium, ut qui universi vinci simul non poterant, singuli ac separatim facile superentur ».

Nonnullis interjectis, concepta in Christi vicarium virulenta odia, suæ immemores salutis, exprompsere : « Ultro ac libenter de jure nostro remisissemus, modo in salva conscientia licuisset, nunc bello absumptis ac direptis facultatibus ; etiam ac vis animis ac mentibus infertur, quid enim formula illa Augustana aliud agitur, quam ut Pontificiæ auctoritatis jugum, quod adeo generose excussimus, rursus cervicibus nostris imponatur. His recte convenit illud Jeremiæ [2] : *A sæculo confregisti jugum meum, rupisti vincula mea, et dixisti non serviam :* nec minus impia, quæ falso subdunt illusi, ut errores (inquiunt) nuper detecti, et certis Scripturæ testimoniis revicti iterum in domum Dei invehantur, ut tot annorum contentionibus ac laboribus parta libertas turpi obsequio ac morigeratione, quæ non solum ad nostrum dedecus, sed ad Dei ignominiam et offensionem pertinet, corrumpatur et penitus amittatur ? At enim aliorum exemplo cedere tempori, et tranquillitati publicæ consulere decuit, id enim maxime omnium urgent adversarii, in eoque criminationum suarum veluti arcem constituunt. Verum id in cæteris, quæ ad fluxæ hujus vitæ commoda pertinent, locum habere possit, ad ea vero, quæ Dei gloriam spectant, minime porrigi debere non ambigitur ».

7. Somniarunt scilicet impostores isti eversa altaria, profanata sacramenta, derisa bona opera, hæreses, schismata ad gloriam Dei spectare, et qui sanctorum Patrum doctrinam sprevere, eorum exempla se æmulari mentiuntur : « Hoc enim (inquiunt) illa veteris Ecclesiæ lumina, Joannes Chrysostomus, Augustinus, Ambrosius docuerunt, testimonioque beati Petri, cujus ille, qui nos per Cæsarem oppugnat, se immerito successorem jactat, confirmarunt, Deo, non hominibus, in iis quæ Dei sunt, parere homines debere admonentis ; itaque et in veteris Ecclesiæ Annalibus legimus Gordium Cæsariensem, qui sub Licinio imperatore ordines duxit, et postremo veræ gloriæ corona insignitus est, cum ad supplicium raperetur, rogatum ab amicis, ut periculi evitandi gratia sententiam retractaret, respondisse, non oportere linguam in contumeliam ejus, qui eam creasset, quidquam pronuntiare, et Basilius Magnus hanc etiam civi suo laudem tribuit, quod cum moveretur, ut de Deo quod vellet sentiret, cæterum in sinu suo tegeret, neque motum animi palam evulgaret, monitorem aspernatus sit, veritatem non solum ab iis prodi dictitans, qui eam deserunt, sed etiam ab iis qui eam agnitam non audent publice profiteri, id enim exemplo Danielis confirmari, qui contra Darii regis edictum magno et constanti animo apertis fenestris Deum adoraverit, cum id privatim et clanculum facere posset. Verum quod ea res ad divini nominis gloriam pertineret, nullam instantis periculi rationem habuerit, quod ei ab invidis et æmulis conflatum, postea Deo ita volente in ipsorum caput recidit. Valeant ergo, qui nos facto Christum agnoscere, verbo autem rejicere suadent. Quid enim magis pudendum, quam nomen ejus erubescere, qui mundum condidit, qui nos ad imaginem sui creavit, tot beneficiis licet indignos cumulavit, per quem vivimus, spiramus, cujus denique nos hæreditas sumus ? Hæc summa est accusationis ». Hæc illi, et plura alia, quæ licet vera falsis et bona malis accommodarint, repetenda visa sunt, ut pateret, quam infeliciter divini verbi adulteratores stultæ plebeculæ suaserint

[1] Ext. apud Jac. Aug. Tuan. hist. l. IX. p. 169. — [2] Jer. c. 2. ℣ 20.

futuros Christi martyres, dum Sathanæ martyres fierent. Evulgata Magdeburgensium oratio ad omnes imperii ordines magnos animorum motus inter Lutherano dogmate fascinatos concitavit, adeo ut horum pertinacia tribueretur constantiæ, atque hoc anno a vi aperta adversum illos absente Cæsare temperatum sit ; ut vero dein redintegrata in eos priora consilia fuerint, atque ad frangendam eorum pervicaciam bellum decretum fuerit, proximo anno dicetur.

8. *Difficultates in observatione Decreti INTERIM nuncupati.* — Non servatum etiam est Decretum Cæsareum, (cui INTERIM nomen est) a Catholicis ob varias causas, quæ in Ms. Vaticano his verbis sunt expressæ [1] :

« Circa observantiam INTERIM. Catholici et Ecclesiastici principes, quominus hujusmodi INTERIM tam exacte observare nequiverint, has adducunt causas, quod scilicet magistratus sæcularis quibusdam in locis sese de facto opposuerit, tum etiam passim et ubique locorum maxima Catholicorum sacerdotum sit penuria.

« Alii vero electores, cæterique principes, et status imperii sæculares illas afferunt causas, quod nova illa secta nunc per triginta annos multorum animis sic insederit, quod tam cito eradicari non possit, imo per diligentes piasque admonitiones pedetentim ad præcavendum utique tumultum, qui alias a vulgo exoriri posset, sint ad pristinam fidei observantiam reducendi.

« Item, quod hujusmodi INTERIM in quibusdam punctis cum sacra Scriptura videatur pugnare, et ideo laicus absque communis et generalis Concilii determinatione ad aliud tandem persuaderi et induci non poterit.

« Item, quod nullos presbyteros, qui subditos juxta tenorem INTERIM, præcipue quoad illa duo puncta, communionem scilicet sub utraque specie, et sacerdotale conjugium concernentia docere velint, adipisci valeant.

« Item, quod in Academiis, aliisque particularibus Studiis et Universitatibus juventus præter et contra mentem Cæsareæ declarationis erudiatur, similiter et quidam concionatores [2] passim, et in publico hujusmodi declarationi reclamare audeant.

« Item, quod cum ratione communionis sub utraque specie, necnon sacerdotalis conjugii hucusque nullum concessum sit a Sede Apostolica indultum, vel aliqua subsecuta approbatio, contingat, quod quidam deinde totam non observent declarationem.

« Item, quoad sustentandam hujusmodi declarationem, necesse sit ministros Ecclesiæ a suis ordinariis prævio examine consecrari, et habilitari, et eos illis fore et esse subditos et obedientes.

« Item, quoad hucusque tum superioris, tum etiam inferioris status magistratus. parum omnino suis subditis circa hujusmodi declarationem præbuerint exemplum , nec præierint plebi, ut illa sequatur.

« Item, quod passim contra Cæsareæ majestatis declarationem, tam impune famosi libelli eduntur et circumferuntur.

« Demum omnes sacri imperii principes et status unanimiter concludunt, quod rebus Christianis nonnisi per Generale Concilium opitulari et consuli possit ».

9. *Cæsar non solum Placentiam restituere recusat, sed et Parmam sibi arrogare affectat.* — Eo difficilius componi potuere Germanici de religione tumultus, quo priores post occupatam a Cæsare Placentiam dissensiones inter Pontificem Cæsaremque vigebant, detrectante Cæsare Placentiam restituere Pontifici, adeo ut cum superiore anno Cæsar post plura colloquia cum internuntiis spes illius urbis restituendæ ostendisset, hoc anno nitide negaverit a se restitutum iri, ut Angelus Massarellus in Diario narrat [1] :

« XXVI Junii reverendissimus dominus cardinalis de Monte retulit ea quæ scribit D. Marcus Antonius e curia Cæsarea, quod imperator dederit finalem responsionem D. Julio Ursino circa restitutionem Placentiæ, quod illa civitas non spectet ad Ecclesiam. Nota quid sperandum ab imperatore, cui tot et tanta beneficia contulit Pontifex, cum nolit restituere, quod sicarii ei dederunt, præsertim genero suo Octavio.

« III Julii illustrissimus D. Julius Ursinus reversus ex Germania a curia Cæsaris nihil boni fert, neque de restitutione Placentiæ, neque de Concilii celebratione ».

10. Tantum aberat Cæsar a restituenda Placentia, ut etiam Parmam affectaret (1), posceretque ut res ipsius judicio permitteretur, quibus auditis, Joannes Maria de Monte [2] Concilii Bononiensis legatus in litteris ad Marcellum Cervinum cardinalem S. Crucis questus est :

« De impudentissimis administrorum Cæsareorum postulatis non modo retinentium Placentiam, sed etiam Parmam affectantium, si ego Pauli Pontificis personam gererem, atque ea

[1] To. XIII. de Conc. Ms. Vat. sig. num. 3200. p. 262. — [2] Interim tom. XIII. de Conc. p. 268.

[1] Angel. Mass. in Diar. Conc. Trid. et Bonon. Ms. arch. Vat. — [2] Jo. Maria car. de Monte leg. ad card. Marcellum Ms. arch. Vat. pag. 106.

(1) Parmam non affectavit tantummodo imperator, sed proditione capiendam tentavit ; nam allectum in partes suas magnorum præmiorum pollicitatione Octavium Farnesium Pontificis nepotem clam misit Parmam, ut qui eam tenebat Ecclesiæ nomine Camillum Ursinum ex Pontificis quod simulabat mandato ad urbem sibi tradendam induceret. Sed Ursinus fraudem aliquam subodoratus verborum ludificatione tamdiu detinuit Farnesium, donec per litteras Pontificis voluntatem exploraret. Qua cognita, urbem retinuit Farnesiumque vacuum remisit.
MANSI.

prudentia animique magnitudine, qua ille pollet, præditus essem, prius optarem mille mortes ac mille supplicia pati, quam cessione et consensu, aut metu, aut precibus, aut premio, aut amore erga posteros, aut ullo affectu humano constituere imperatorem legitimum Placentiæ possessorem, absolvereque a culpa spolii adeo ignominiosi, adeo violenter commissi, ac si non commissi, saltem promoti, confoti, approbati, (et ut ego sentio) ab administris suis procurati, (forte non sine ipsius assensu) ac pro omnium dolorum solatio ac pro mercede auri, argenti, suppellectilis, et aliarum opum, quæ conjurati ac sicarii rapuere, tradere Parmam, ne Historiis Annalibusque mandaretur, non modo sponte Ecclesiam privasse, sed etiam Italiam duobus magnis propugnaculis, atque ea addicere imperio cum diris et execrationibus omnium principum Christianorum, atque adeo summe placuit responsum redditum Martino Alphonso a Pontifice non admittente imperatorem in judicem illiusque sententiam respuente, placuit missa esse ad Cæsarem Brevia, ut videat Pontificem stare suo pondere ac sua vi, nec velle auctoritatem dignitatemque suam ab alio precariam accipere, cumque faucibus pes imprimitur, tum nos ad libertatem tuendam magis animatos, sed firmitate, constantia ac perseverantia opus est, vellem cardinalis Farnesii auribus insinuare, ut jam occasionem arriperet conciliandi sibi sine multo labore principes Christianos, qui ipsi multarum rerum successum adscribunt etc. Bononiæ II Augusti MDXLIX ».

11. Componi non potuit ea lis inter Paulum Pontificem ac Cæsarem, cum Cæsar contenderet non modo Placentiam, sed etiam Parmam spectare ad imperium, atque in ea lite dirimenda ferendam a se decretoriam sententiam; verumtamen si Parma sibi dederetur, grati animi magnificentia se Farnesiis quadraginta millia nummorum annua traditurum. At e contra Paulus opponebat, nolle se coram Cæsare judicio contendere, ni prius Placentia sibi fuisset restituta : cum constaret illam per vim ac nefas ereptam, ac jure optimo tot annorum flexu fuisse a Pontificibus possessam ; necnon Maximilianum I avum paternum Caroli V anno MDXI, ex pactione fœderis initi cum Julio II, jus omne Placentiæ concessisse Pontifici, consentiente Ferdinando Catholico ejusdem Cæsaris materno avo, necnon ipsum Carolum V anno MDXXI publicis conscriptis documentis professum esse Parmam et Placentiam juris esse Pontificii ; adeo ut iis ostensis Didacus Mendoza orator Caroli Cæsaris obmutesceret : ut vero post mortem Pauli III quæ hujus litis actionem intercidit, ac varios casus, Cæsar demum Octavio Farnesio Placentiam ex consanguinitatis propenso amore restitueret, suo loco dicetur.

12. *Lite rursum et acerbius agitata de translatione Concilii, Paulus pacis gratia Concilium Bononiense dissolvit.* — Vertebatur lis alia ardua apud Pontificem Paulum III de translato Bononiam Tridento Concilio, inconsulto Cæsare, tam præcipiti celeritate, ob pestis suspicionem, ut præsides Concilii nullo dato Patribus ad deliberandum temporis spatio, pridie translationis causas proposuerint, postridie transferendum Bononiam decreverint, perendie, id est, die tertio discesserint Tridento Bononiam profecturi. Objiciebant Hispani præsules, in quos se graviter animadversurum interminatus erat Cæsar, si transferendo vel dissolvendo Concilio Tridentino consentirent, sine causa justa decretam factamque translationem, arrepta avidissime levissima occasione, numeratasque fuisse sententias, non ponderatas, nec majorem partem saniori præferri debuisse, tum ex ea translatione gravissima mala emersisse, ac majora etiam emersura, ni Tridenti Concilium restituatur, maxime cum Germani Lutherani se decreta Concilii Tridenti suscepturos polliceantur. Addidere Bononiam idoneam pro celebrando Concilio non esse, cum in media Italia sit sita atque Ecclesiæ imperio subdita.

13. Hæ præsulum Hispano sive Cæsareo imperio subditorum rationes ex aliqua parte videbantur veræ, sed maxima ex parte fallaces ; nam verum quidem erat avidissime arreptam ex epidemico morbo transferendi Concilii occasionem ; sed antequam morbus ille sæviret Tridenti, meditabantur legati transferre Concilium, quod Cæsar libertatem Concilii auferre videbatur. Jactabant autem falso Hispani saniorem conflasse partem Concilii, cum illi magis timerent Cæsarem quam Christum, ac magis obtemperarent Cæsari quam Christi vicario, cui sacramento solemni erant obstricti ; ac rogari, ut accederent Bononiam, ut ex communi omnium decreto reliquæ Lutheranæ hæreses damnarentur, quasi trabalibus affixi clavis movere se Tridento recusarunt. Porro multa mala emersisse ex ea translatione atque intercisum fuisse Concilium, verissimum fuit, sed hæc mala peperit eorumdem pertinacia. Quod addunt, Lutheranos comparatos ad suscipienda Concilii decreta, si Tridentum transferretur, a veritate hoc omnino alienum erat, cum pro defendenda hæresi arcanas coitiones inirent. Conquesti etiam male sunt, Bononiam non fuisse idoneam pro celebrando Concilio ; cum in ea urbe Patres maxima libertate potirentur, Tridenti vero a Lutheranis Cæsareæ etiam Majestatis proditoribus opprimi potuissent ; ita ut Cæsar ipse a Mauritio Saxoniæ principe, quem maximo principatu auxerat, proditus, vix intempesta nocte, profugus ex ejus servitute evaserit, ut redintegrato postea Tridenti Concilio visuri sumus. Cæterum cum Paulus Pontifex decretoriam esset laturus sententiam de translato jure

Concilio, iterum præsules Tridentinos ac Bononienses ad subsellia Apostolica excivit, de quo hæc vetus Manuscriptum refert :

14. « Et si domini sacri Concilii deputati, una cum illustrissimo domino primo præsidente, adeo justitiam translationis ostendissent, ut a nemine de ejus validitate amplius jure dubitari deberet, quia tamen diversæ quotidie offerebantur difficultates, cum præsertim nomine Cæsaris peteretur ut ad aliquod tempus in hujusmodi judicio supersederetur, quod fieri sine gravi reipublicæ Christianæ detrimento, auctoritatis ac libertatis Concilii diminutione non poterat; id vero denegari absque maxima Cæsaris indignatione (quod valde advertendum erat) sineque novarum turbarum incendio, majorique Ecclesiæ perturbatione posse non videbatur, Summus Pontifex decrevit super his omnibus, non solum reverendissimorum S. R. E. cardinalium atque Cæsaris et Galliarum regis (ad quos ea de causa nuntios miserat) sed etiam aliquot diversarum nationum episcoporum, tam eorum qui Bononiæ in Concilio erant, quam qui Tridenti morabantur, sententiam intelligere. Quare misso ad utramque civitatem expresso nuntio, quatuor ex unoquoque loco evocavit, scriptis ad eorum quemlibet litteris infra scriptis [1] :

« Dilecto filio nostro S. R. E. presbytero card. Pacecco nuncupato.

« Dilecte fili, salutem, etc. In eo statu res Christianæ reipublicæ constitutæ sunt, ut matura provisione omnino indigeant : quamobrem, quod potissimum in re tam ardua nobis faciendum sit cogitantes, decrevimus sicut cæteros venerabiles fratres nostros S. R. E. cardinales, ita etiam te in consilium adhibere, et tuam pariter sententiam intelligere. Quare in Domino hortamur, tibique in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut intra quadraginta dies post præsentium receptionem ad nos venias : quæ enim consilia ad publicam et universalem salutem nobis afferes, libenter audiemus, et tecum nostra vicissim conferemus. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum XVIII Julii MDXLIX ».

15. Transmissæ sunt aliis præsulibus Tridenti commorantibus, eadem ferme verborum formula conceptæ litteræ, quibus significavit Pontifex eos a se Romam tot exciri, ut eorum judicium circa præsentem rerum statum intelligat. De hac præsulum Tridentinorum ac Bononiensium vocatione, deque illius causis, nimirum, ut ex eorum consilio disciplina Ecclesiastica in sanctiorem formam redigeretur, ac de loco, in quo Concilium de controversiis fidei, quæ dirimendæ supererant, decerneret, constitueretur, refert Angelus Massarellus his verbis [2] :

« Cursor sanctissimi domini nostri præsentavit die Dominico, VI die Augusti, MDXLIX, quatuor Brevia nomine suæ Sanctitatis, quatuor prælatis, ex iis qui remanserunt in civitate post translationem Concilii ad civitatem Bononiensem, quæ fuit die XI Martii MDXLVII, cum ipsi prælati prætenderent, quod Concilium non esset legitime translatum, qui prælati quatuor sunt, reverendissimus dominus Petrus Paceccus cardinalis Giennensis Hispanus, et reverendi domini Petrus Tagliavia archiepiscopus Panormitanus Siculus, ac episcopi Franciscus de Navarra Pacensis, et Bernardus Diaz Calagurritanus Hispani, quibus Brevibus dicti prælati vocantur a sua Sanctitate, ut eant ad Urbem ob aliqua negotia reipublicæ Christianæ, in quibus Pontifex indiget consilio eorum. Qui supradictus cursor præsentavit etiam XIII Augusti quatuor alia Brevia ejusdem tenoris quatuor prælatis ex iis, qui in hac civitate Bononiensi commorantur, translationem ipsam approbantes : sunt autem ipsi quatuor prælati reverendi domini Sebastianus Leccavella archiepiscopus Naxiensis Græcus, Olaus Magnus archiepiscopus Upsalensis Gothus, et Joannes ab Hangesto episcopus Noviomensis Gallus, ac Ricardus Petrus Vigorniensis episcopus Anglicus.

« Causa autem hujus vocationis est, licet non exponatur in Brevibus, propter reformationem faciendam, nam cum Pontifex videret, quod jam per biennium prælati qui Tridenti remanserunt post translationem, non potuerunt concordare cum prælatis qui sunt in Concilio Bononiensi, defendente imperatore Carolo V Tridentinorum partes, et Pontifice istis adversante, ne ulterius tempus teratur, Sanctitas sua vult hoc intuitu, quo Dei bonitate aliqua concordia ineatur, vacare reformationi cleri et populi Christiani, cum hæc cura præcipue spectet ad suam Sanctitatem, coram qua erunt tot Patres reverendissimi domini cardinales, tot prælati omnium nationum et oratores principum. Deinde reformatione facta vacabitur conciliandis prælatis Concilii, et agetur de loco, in quo dogmata, quæ dilucidanda restant, expedientur, etc. ».

16. Non paruere Tridentini præsules nec adduci Romam potuere, cum magis Cæsarem quam Christum pertimescerent, seque his litteris turpiter excusarunt, immemores sacramenti, quo Romano Pontifici adstricti erant. Redditæ vero sunt a cardinale Giennensi hæ litteræ [1] :

« Litteras Sanctitatis vestræ in forma Brevis conscriptas reddidit mihi cursor, quem huc dedita opera miserat, quas, ut decet Sanctitatis vestræ humilissimam creaturam, summa reverentia et submissione veneratus sum, nihilque

[1] Ext. tom. VI. sign. p. 506. Acta Concil. Bonon. p. 98. Ext. etiam in Ms. card. Pii sig. num. 260. p. 68. — [2] Diar. Conc. Trid. Auct. Angel. Mass. Arch. Vat. p. 332.

[1] Tom. VI. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3198. p. 508. Ms. card. Pii sig. num. 260. p. 68. Card. Gien. ad PP.

magis optavi quam ut mox nullo intermisso tempore exacte voluntatem Sanctitatis vestræ exequi possem. Sed cum intelligat ipsa apertissime, quibus potissimum de causis universi, qui adsumus Tridenti ad Œcumenicum Concilium, non tam nostra sponte advenimus, quam Sanctitatis vestræ jussu coacti sumus, facillime intelliget, nihil nos aliud expectare hic aut postulare, quam ut Deus Optimus Maximus quæ turbata sunt sic componat, ut concordi studio ea pertractari possint, quæ ad necessariam Ecclesiæ restaurationem et summam Dei gloriam pertinent, quæ quidem in tuto, legitimo et aperto hic Concilio commodissime tractari possunt et confici, quam possum humillime obsecro, et oro Sanctitatem vestram, ut quando statum totius negotii, cujus causa hic sumus, ita novit, ut neque id explicare necesse sit, neque fortasse expediat, me, si Romam hoc tempore non proficiscor, excusatum habere velit. Interim vero Sanctitati vestræ, cui referre non possum, ago et maximas gratias, quod me consiliorum suorum participem esse velit. Deus Optimus Maximus prosperam valetudinem Sanctitati vestræ et felicem universali Ecclesiæ statum conferat. Tridenti XXV Aug. MDXLIX. Ejusdem Sanctitatis vestræ humilissima creatura Petrus cardinalis Giennensis ».

Conceptis eisdem ferme verbis [1], ut subditur : « Ad verbum (ait) ut supra responderunt suæ Sanctitati ex Tridento prælati infrascripti.......

« E. S. V. humiles et devotæ creaturæ.

« P. archiepiscopus Panormitanus.

« Franciscus episcopus Pacensis.

« Joannes episcopus Calagurritanus ».

De his consultus Joannes Maria e Monte [2] rescripsit Pontifici Tridentinorum rationes, inania verba esse, omninoque esse mala tempora.

17. Iterum Pontifex cum prælatorum Tridentinorum excusationem non admitteret, eos mense Septembri monuit, ut officii sui memores ad Urbem accederent pro tractandis iis, quæ ad totius Christianæ reipublicæ commodum spectabant, quo argumento extant hæ ad cardinalem Giennensem et alios missæ litteræ [3] :

« Venerabili frâtri nostro, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Quod ad nostras litteras, quibus te de his, quæ ad universalem Christianam rempublicam pertinent cum aliis prælatis consulturum vocavimus, respondes te isthic expectare, ut Deus Optimus Maximus quæ turbata sunt in Ecclesia sua componat, ideoque te excusatum haberi postulas, si ad nos hoc tempore non proficisceris ; sane haud gravate excusationes tuas admisissemus, si et legitimæ essent, et hujusmodi quæ a nobis probari possent. Verum considerantes, quemadmodum scribis, te non tua sponte, sed jussu nostro isthuc venisse, haud facile nobis persuadere possumus, quin idem quoque et nunc facias, præsertim cum ad ipsum voceris, cujus gratia te isthic præstolari significasti, hoc est, unde concordi studio, ea quæ ad commodum publicum, Dei gloriam et Ecclesiæ instaurationem pertinent, pertractentur. Quare fit ut non videamus quomodo ex causis quas affers, legitime excusari possis, et qui nobiscum in partem sollicitudinis vocatus es, velis officio tuo et Ecclesiæ deesse, et capiti tuo non obedire, cui et Domini voce, et juramento adstringeris. Verumtamen, utcumque sese res habebit, non desistemus a proposito nostro, prout gregis nobis a Deo commissi cura exposcit, ideoque a nostro priore mandato non recedentes, te iterum ad ipsam consultandum vocamus.

« Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die VII Septembris MDXLIX, Pontificatus nostri anno XV ».

18. Obduruere iidem Hispani præsules, cum e nutu Cæsaris penderent, in contumacia, quam futili excusatione obvelarant, addit enim Ms. Vaticani auctor : « Nec propterea prælati ipsi Tridento recedere voluerunt, rursus et ipsi eamdem excusationem repetentes ». Paruere vero Pontificio imperio præsules Bononienses, quod Angelus Massarellus [1] diserte tradit, subjicitque Concilium Bononiense a Pontifice fuisse dissolutum, cum ipse vellet spectantia ad controversiam de translatione Concilii, et ad rei Christianæ commodum, vel ad disciplinæ splendorem restituendum Romæ tractare :

« XIV Septembris reverendus D. Olaus Magnus archiepiscopus Upsalensis, et Ricardus Petrus episcopus Vigorniensis recesserunt ex Bononia ituri Romam juxta vocationem suæ Sanctitatis ad conventum Romæ habendum pro controversiis Concilii et reformatione.

« XVII Septembris reverendissimus dominus Joannes Maria cardinalis de Monte sac. Concilii præsidens et legatus recepit litteras reverendissimi Alexandri S. Laurentii in Damaso diaconi cardinalis sub data XIII mensis Septembris, in quibus scribit nomine suæ Sanctitatis, ut ipse cardinalis de Monte det licentiam omnibus prælatis hic Bononiæ in Concilio existentibus, ut redeant ad propria, cum Pontifex hoc tempore Concilium celebrare non intendat, sed in conventu Romæ habendo agetur de præsentibus controversiis, et ita notandum est, quod ab hac die cessat Concilium Bononiense. Concilium autem non fuit neque suspensum (nisi ejus processus) quod factum fuit, dum Pontifex avocavit

[1] Ext. in eod. to. VI. Ms. arch. Vat. sign. num. 3198. p. 507. — [2] Jo. Maria e Monte Leg. Conc. Bonon. in litteris ad Paul. III. — [3] Ms. card. Pii sig. num. 360. p. 71.

[1] Diar. Conc. Trid. Auctore Ang. Mass. Secret. Ms. arch. Vat. p. 334, 335.

ad se causam super validitate translationis die I Febr. MDXLVIII, neque clausum. Quo igitur consilio hoc a Pontifice factum sit ignoratur, cum adhuc prælati, qui Tridenti manent, personaliter et ipsi translationi contradicunt, in ea civitate nemine dempto permaneant, perseveranter asserentes, Concilium non fuisse legitime translatum (quod tamen falsum est, ut ex Actis ipsius translationis apparet) et ita sunt in quasi-possessione Concilii, et ideo non convenit, ut Bononienses prælati relicto loco vero Concilii abeant. Deus Omnipotens dirigat hoc negotium in bonum et pacem communem reipublicæ Christianæ, quæ in tot annis undique labefactata, et pene divulsa ab hæreticis, et Christiani nominis hostibus, nunc novissime ab iis, qui ejus præcipui defensores et protectores esse debeant, perturbatur. Sapienti pauca, non enim licet omnia loqui ».

19. Acerbissima res videbatur et periculo plena dissolvi Bononiense Concilium, non dissoluto Tridentino cœtu, ac licet Petrus orator a duce Florentiæ missus assereret, nil in spectantibus ad Concilium innovandum iri ex parte Cæsaris, neque ex parte Pontificis innovandum, sed utramque partem usuram beneficio temporis, tamen Joannes Maria de Monte [1] Bononiensis legatus exclamabat in litteris ad Alexandrum cardinalem Farnesium datis : « Ad quid conventus ille præsulum Tridenti retinetur ? Ego misera Cassandra exclamo apud vestram reverendissimam dominationem, an prudentiæ et cautionis ergo id patimur, ne quid pejus contingat, nec jam cogitatur de ferenda publica sententia in causa translationis Concilii ? saltem fiat declaratio occulta, si aliud remedium non occurrat : in ea narrari posset Sanctitatem suam suspendisse Concilium, atque ad se cognitionem validitatis translationis revocasse ad tollendam, quantum in se esset, omnem schismatis occasionem ; res concordia etiam conciliari tutius posset quam per sententiam, si permitteret Cæsar, ut Tridentini accederent Romam, ut de causæ suæ jure doceant Pontificem, ac de loco transferendi Concilii paciscantur, cum nec illis Bononia, nec his Tridentum placeat : vero cum suspensa sit sententia de translationis validitate ad avertendam schismatis occasionem, videndum etiam ne ea suspensio sententiæ schisma sit paritura, cum pars præsulum sibi licere putet hic stare, altera alibi subsistere ; propterea sua Sanctitas, in eo casu quo ex humanis a Deo ipsam vocari contingeret, ex nunc prout ex tunc pronuntiet, declaret et notum faciat omnibus principibus et rebuspublicis, et præsulibus, et universo clero, et populo Christiano se, diligentissima inquisitione et examine præhabitis, comperisse translationem Concilii Tridento Bononiam (factam ex causis, de quibus in Actis ipsius Concilii) a majori parte præsulum intervenientibus, assistentibus præsidentibus atque adhærentibus legatis Apostolicis, proprio nomine, et cum singulari auctoritate concessa ipsis legatis per specialem Bullam lectam ac publicatam die Sessionis, in qua facta est translatio, esse validam, ac subsistere, ut non possit ab aliquo cujuscumque gradus, præeminentiæ et dignitatis jure impugnari, ac si quis in contrarium tendat, non abesse a periculo ne ipso facto incurrat indignationem Apostolorum Petri et Pauli, ac censuras et pœnas a sacris canonibus et Conciliis constitutas, (decernendo nihilominus irritum et inane quidquid in contrarium a quovis contingeret attentari). Hæc nitide reverendissimæ dominationi vestræ scribo, ambo enim novimus in quanto periculo versentur Tridenti res sanctissimi domini nostri, et Sedis Apostolicæ, et Collegii nostri, et Curiæ Romanæ : novimus contempsisse nos vitæ pericula et jacturam bonorum, ut fungeremur munere verarum legitimarumque ac non abortivarum creaturarum ; si Pontifex e vivis exeat, non edita hac declaratione, nobis culpa adscribetur. Video inde ruinam irreparabilem impendere. Suspensio Concilii a sanctissimo facta nocebit solis patribus Bononiensibus, qui eam admisere illique paruere, ac possessionem loci amisere, tum ob suspensionem, tum quia ferme omnes discessere vel sunt abituri. At Tridentini suspensionem Concilii non admisere, ita ut in suo statu integri permaneant, et nullibi nisi Tridenti reperitur facies, vel forma, vel species, vel imago Concilii ; qua tandem ratione retundere hos poterimus, nisi objecta in os Pontificia declaratione de translatione valida » ? Addita sunt alia numeris arcanis expressa Bononiæ VIII Junii MDXLIX.

20. Metuebat idem cardinalis e Monte, ne Cæsar, captata vacantis Sedis occasione, præsulibus factionis suæ fretus in Concilium, imo in Concilium Pontificemque conjunctim imperium arriperet, sed ab eo flagitio Cæsar abfuit, sed acerbissime Concilium eo inconsulto non debuisse, vel jure non potuisse transferri contendebat. At divina providentia imminentia discussit pericula, dimissumque est a Paulo III Pontifice, accommodante se temporum acerbitati, Concilium Bononiense ob concordiæ studium, ut Massarellus refert his verbis [1] :

21. « Finis Concilii Bononiensis sub Paulo III Pontifice Maximo.

« Cum igitur res in eo statu essent, ut quotidie in deterius laberentur, atque ideo difficilis admodum quævis deliberatio absque evidenti reipublicæ Christianæ detrimento ac periculo,

[1] Jo. Maria de Monte in lit. ad card. Far. Ext. in Ms. arch. Vat.

[1] To. VI de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3198. p. 508, et aliud Ms. p. 250.

majorumque in Ecclesia Dei terrore et dissidiorum excitatione videretur, summus Pontifex temporibus cedens, Concilii celebrationem et controversiarum super translatione decisionem ad meliora tempora reservare, et in solo Deo spem omnem collocare coactus fuit. Quare ne diutius prælati, qui Bononiæ in Concilio erant, ab eorum Ecclesiis cum animarum eorum curæ commissarum jactura abessent, frustraque otio in ea civitate torperent, concessit eis licentiam abeundi, et ad dictas eorum Ecclesias revertendi, ibi meliora felicioraque tempora expectaturis, scriptis ad illustrissimum dominum cardinalem de Monte primum præsidentem (cum jam alter præsidens recessisset) litteris sub datum Romæ XIII Septembris MDXLIX. Et ita ab hac die Concilium Bononiense dissolvitur. Deus omnipotens Ecclesiæ sanctæ unionem et pacem reddere, Christianamque religionem, tot jam annis undique labefactatam et pæne divulsam tueri ac defendere ad sui nominis gloriam dignetur. Amen ».

Hactenus de Bononiensi Concilio, in quo diu hæreticorum errores disceptati et confutati fuere, ac licet ejus decreta promulgata non fuerint in publica Sessione, quod Cæsarei Bononiam accedere detrectarint, plurimum tamen ad prosequendum sub Julio III Concilium profuere, cujus Concilii Acta cum obscuriora furint, eorum, qui interfuere, nomina posterorum memoriæ commendanda visa sunt.

22. Nomina, cognomina et patriæ eorum, qui interfuerunt sacro Œcumenico Concilio Bononiensi [1] :

SACRI CONCILII PRÆSIDENTES ET LEGATI.

« Reverendissimus et illustrissimus dominus Joannes Maria episcopus Prænestinus de Monte.

« Reverendissimus et illustrissimus dominus Marcellus Cervinus, tit. Sanctæ-Crucis in Hierusalem presbyter, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales sacri Concilii præsidentes et Apostolici legati de latere.

ORATORES HENRICI REGIS CHRISTIANISSIMI.

« Illustrissimus D. Claudius d'Urfé, præfectus Provinciæ de Forez, Gallus.

« Illustrissimus D. Michael ab Hospitali, consiliarius Parisiensis, Gallus.

ARCHIEPISCOPI.

« R. D. Andreas Cornelius, archiepiscopus Spalatrensis, Venetus.

« R. D. Antonius Filholi, archiepiscopus Aquensis.

« R. D. Ludovicus Cheregattus, archiepiscopus Antibarensis, Ordinis Minorum de Observantia, Vicentinus.

« R. D. Jacobus Coccus, archiepiscopus Corcyrensis, Venetus.

« R. D. Michael Saracenus, archiepiscopus Materanus et Acheruntinus, Neapolitanus.

« R. D. Lacavela, archiepiscopus Naxiensis, Ordinis Prædicatorum, Græcus.

« R. D. Olaus archiepiscopus Upsalensis, Gothus.

« R. D. Robertus Vauchop Venantius, archiepiscopus Armacanus, Scotus.

EPISCOPI.

« R. D. Christophorus de Spiritibus, episcopus Cæsenatensis, Viterbiensis.

« R. D. Philos Roverella, episcopus Asculanus, Ferrariensis.

« R. D. Jacobus Ponzetta, episcopus Malphetensis.

« R. D. Thomas Campegius, episcopus Feltrensis, Bononiensis.

« R. D. Benedictus de Nobilibus, episcopus Aciensis, Ordinis prædicatorum, Lucensis.

« R. D. Quintius de Rusticis, episcopus Militensis, Romanus.

« R. D. Robertus Senatis, episcopus Ambricensis, Gallus.

« R. D. Joannes ab Angesto, episcopus Noviomensis, Gallus.

« R. D. Cathelanus Trivultius, episcopus Placentinus, Mediolanensis.

« R. D. Ferdinandus Pandolphinus, episcopus Trojanus, Florentinus.

« R. D. Alexander Campegius, episcopus Bononiensis, Bononien.

« R. D. Antonius de Humeis, episcopus Isernensis, Florentinus.

« R. D. Leo Ursinus, episcopus Foroliviensis, Romanus.

« R. D. Fuscherus, episcopus Torcellan. Venetus.

« R. D. Jo. Lucius Staphileus, episcopus Sibinicen. Illyricus

« R. D. Marcus Antonius episcopus Grossetan. Bononien.

« R. D. Dionysius Græcus, episcopus Millopotamen. et Chironensis, Ordinis Minorum de Observantia, Græcus.

« R. D. Braccius Martellus, episcopus Fesulanus, Florentinus.

« R. D. Baruffus de Piis, episcopus Sarsinatensis, Britonobiensis.

« R. D. Philibertus Babu, episcopus Angolismensis, Gallus.

« R. D. Joannes Baptista Campegius, episcopus Majoricensis, Bononiensis.

« R. D. Thadæus de Pepulis, episcopus Carinensis, Bononiensis.

« R. D. Petrus Vorstius, episcopus Aquensis, auditor Romanæ curiæ, Flander.

[1] Acta Conc. Bon. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 123.

« R. D. Augustinus Zanettus, episcopus Sebastensis, Bononiensis.

« R. D. Heliseus Theodinus, episcopus Soranus, Arpinas.

« R. D. Jacobus Cortesius a Prato, episcopus Vasionensis, Romanus.

« R. D. Franciscus Boerus, episcopus Macloviensis, Gallus.

« R. D. Georgius Cornelius, episcopus Tarvisinus, Venetus,

« R. D. Baldassar Lympus, episcopus Portuensis in Portugallia, Ordinis Carmelitarum, Portugalliensis.

« R. D. Bernardus Bonjoannes, episcopus Camerinensis, Romanus.

« R. D. Angelus Paschalis, episcopus Motulanus, Ordinis Prædicatorum, Dalmata.

« R. D. Joannes Campegius, episcopus Parentinus, Bononiensis.

« R. D. Ludovicus Simoneta, episcopus Pisauriensis, Mediolanensis.

« R. D. Augustinus Stenchus, episcopus Chissamensis, bibliothecarius Apostolicus, Eugubinus.

« R. D. Tiberius de Mutis, episcopus Jeracensis, Romanus.

« R. D. Georgius Andreacius, episcopus Regiensis, Mantuanus.

« R. D. Aloysius Lipomanus, episcopus Motonensis, coadjutor Veronensis, Venetus.

« R. D. Jolicius, episc. Sancti-Pauli, Gallus.

« R. D. Philippus Archintus, episcopus Salutiarum, vicarius Sanctiss. N. D. papæ in urbe Mediolanensi.

« R. D. Vincentius de Durantibus, episcopus Thermularum, Brixien.

« R. D. Jo. Petrus Ferrettus, episcopus Mylonensis, Ravennaten.

« R. D. Claudius de la Guiche, episcopus Mirapiscensis, Gallus.

« R. D. Ægidius Folietta, episcopus Caprulanus, Cingulanus.

« R. D. Ricardus Patus, episcopus Vigorniensis, Anglicus.

« R. D. Petrus Ghinuccius, episcopus Cavallicen. Senensis.

« R. D. Cornelius de Mussis, episcopus Bituntinus, Ordinis Minorum Conventualium, Placentinus.

« R. D. Marcus Maliperius, episcopus Corsulanus, Venetus.

« R. D. Jacobus Jacobellus, episcopus Bellicastren., commissarius generalis Apostolicus sacri Concilii, Romanus.

« R. D. Alvarus de la Quadra, episcopus Venusinus, Hispanus.

« R. D. Thomas Casellus, episcopus Britinorien., Ordinis Prædicatorum, Rossanen.

« R. D. Galeatius Floreimonteus, episcopus Aquinaten., Suessanus.

« R. D. Phillippus Bonus, episcopus Famagusten., Venetus.

« R. D. Jo. Baptista Cicada, episcopus Albingenen., auditor Cameræ Apostolicæ, Genuensis.

« R. D. Stella, episcopus Lavellensis, Ordinis Prædicatorum, Venetus.

« R. D. Franciscus de Mauni, episcopus Briocensis, Gallus.

« R. D. Laurentius Puccius, episcopus Veneten., Florentinus.

« R. D. Berengarius Bombau, episcopus Calvensis, Hispanus.

« R. D. Franciscus Gallianus, episcopus Pistoriensis, Florentinus.

« R. D. Petrus Dival, episcopus Sagiensis, Gallus.

« R. D. Gregorius Castagnola, episcopus Mylonensis, Ordinis Prædicatorum, Græcus.

« R. D. Philippus Roccabella, episcopus Maceratensis, Recanatensis.

« R. D. Jacobus Barba, episcopus Aprutinus, Ordinis Heremitarum, sacrista Apostolicus, Neapolitanus.

« R. D. Camillus Mentuatus, episcopus Satrianensis. Placentinus.

« R. D. Jacobus Spiphame, episcopus Niverniensis, Gallus.

« R. D. Sebastianus Pighinus, episcopus Aliphanus, auditor curiæ Romanæ, Regiensis.

« R. D. Ambrosius Catherinus Politus, episcopus Minoriensis, Ordinis Prædicatorum, Senensis.

« R. D. Peregrinus Fabius, episcopus Vestanensis, auditor Romanæ curiæ, Bononiensis.

« R. D. Pompeius de Zambeccariis, episcopus Sulmonensis, Bononiensis.

« R. D. Camillus Peruschus, episcopus Alatrinus, rector Studii Romani, Romanus.

PROCURATORES.

« R. P. Ambrosius Pelargus, Ordinis Prædicatorum procurator, reverendissimi et illustrissimi domini Adolphi archiepiscopi Coloniensis, Sacri Romani imperii electoris, necnon capituli ejusdem Ecclesiæ Coloniensis procurator, reverendissimi et illustrissimi domini archiepiscopi Treverensis, electoris sacri imperii germanus.

ABBATES.

« R. D. Lucianus de Ottonibus, abbas Pomposiæ Ferrariensis, Mantuanus.

« R. D. Chrysostomus Gimilianensis, abbas SS. Trinitatis de Cajeta, Calaber.

GENERALES ORDINUM.

« R. P. Franciscus Romeus, Generalis Ordinis Prædicatorum, Aretinus.

« R. P. Bonaventura Pius, Generalis Ordinis Minorum Conventualium, Costacciarius.

« R. P. Hieronymus Seripandus, Generalis Heremitarum Sancti Augustini, Neapolitanus.

« R. P. Nicolaus Audetus, Generalis Ordinis Carmelitarum, Cyprius.

« R. P. Augustinus Bonuccius, Generalis Ordinis Sanctæ-Mariæ Servorum, Aretinus.

« R. P. Simon Guicciardus Stampensis, Generalis Ordinis Minimorum Sancti Francisci de Paula, Gallus.

OFFICIALES CONCILII.

« D. Hugo Boncompagnus, abbreviator, Bononien.

« D. Hercules Severolus, promotor, Faventinus.

« D. Angelus Massarellus, secretarius, Sanctoseverinus.

« Pompeius de Spiritibus, magister cæremoniarum, Spoletanus ».

Subduntur nomina notariorum diversarum nationum, qui fuere tredecim, et theologiæ professorum, qui fuere numero octuaginta quinque, quorum ultimi ex Societate Jesu, qui Presbyteri reformati dicebantur, fuere viri insignes, Claudius Jaius, Jacobus Laynes, Alphonsus Salmeron socii sancti Ignatii, et Petrus Canisius Germanus, eruditis operibus clarissimus.

23. *Detrectatum a Pontifice fœdus cum rege Gallo: Ochini impia scripta et Vergerii a fide defectio.* — Servire tempori maluit Pontifex, gravioraque imminentia mala defugere, quam adversus Cæsarem, multa indigna molientem, Apostolicam tueri auctoritatem cum maxima Christianæ reipublicæ perturbatione, quare a ferenda de translatione Concilii decretoria sententia abstinuit, ac minus malum tolerare maluit, quam majus accersere, ut narrat Angelus Massarellus [1] his verbis : « VIII Novembris reverendus dominus archiepiscopus Materanus dixit de sententia validitatis translationis danda a sua Sanctitate, et quod ego referrem cardinali Sanctæ-Crucis animum suum, ut unius ex deputatis a Concilio. Retuli : significavit animum cardinalium deputatorum super religione esse, ut pro nunc nihil agatur, tanquam eligendum minus malum contradicente imperatore ». Verebatur nimirum Pontifex, ne Cæsar adversus Pontificiam sententiam intercederet, et majores in Ecclesia Dei tumultus orirentur, quorum malorum avertendorum causa, licet Galliæ rex ardentissimis studiis offerret se Pontifici ad sanciendum fœdus armorum adversus Cæsarem, et Brosia regius orator omni arte et contentione pellicere Pontificem ad eam societatem niteretur, tamen Pontifex licet infensum Cæsaris animum adversus Sedem Apostolicam experiretur, nunquam cum Gallo id fœdus sancire voluit, ut Alexander cardinalis Farnesius Pontificio apud Cæsarem internuntio litteris significavit [1], ut certiorem faceret Cæsarem maluisse Pontificem expectare, ut Cæsar sponte sua Placentiam restitueret. Conqueri etiam jussit de libris contumeliosissimis in Pontificem sparsis nomine Bernardini Ochini apostatæ, Cæsarique exponere, hæretici hominis rabiem ac levitatem, reique indignitatem ac infamiam in ipsam Cæsaream majestatem redundare, cum hæc omnia sub ejus patrocinio committantur. De his libris impiis meminit Surius [2] additque : « Si quis ita scriberet in principes Evangelicos quemadmodum liber ille perstringit Pontificem, nemo æquo ferret animo, et hic visus est dignus Sleidano Sacramentario, e quo non pauca in defuncti Pontificis contumeliam suis illis præclaris Commentariis infarciret. Sane qui talium Commentariorum lectione delectantur, illi facile quoque Mahometis Alcoranum, et id genus alia commenta non admodum recusaturi videntur ».

Nequissimo huic apostatæ Ochino ad inficiendas suis hæresibus Angliam et Poloniam tunc intento scelestissimum alium apostatam conjungimus Petrum Paulum Vergerium, qui internuntium Apostolicum egerat in Germania, ac plura etiam pietatis ardentissimæ adversus hæreticos signa dederat, sed dum curiosus in hæreticorum perlegendis libris versatur, Theologicis disciplinis destitutus, in eorum cœno mersus periit, hæresimque aliis afflare non pertimuit, quare a Paulo Pontifice exauctoratum narrant Acta [3] Consistorialia :

« Romæ apud Sanctum-Marcum die Mercurii III Julii MDXLIX, fuit Consistorium, in quo sanctissimus dominus noster de reverendissimorum consilio declaravit per ejus diffinitivam sententiam Petrum Paulum Vergerium episcopum nuper Justinopolitanum, ob causas in cedula expressas, regimine et administratione Ecclesiæ Justinopolitanæ privatum, aliisque pœnis a jure indictis afficiendum esse, prout in dicta cedula per Sanctitatem suam subscripta quæ penes reverendum dominum Blosium electum Fulginatensem Sanctitatis suæ secretarium ex hujusmodi causa notarium remansit, latius constat ».

Percussus hac sententia Petrus Paulus Vergerius, in desperationem efferatus, acerbissime adversus Pontificiam auctoritatem scripsit, actusque in reprobum sensum latius diffudit hæresim in Polonia, ac multos Catholicos imbecilles in Sathanæ castra traduxit, licet vero non semel de reditu ad Ecclesiam egerit, tamen fastu nimio deterritus est, ne publice suos errores ejuraret, de quo Hosius episcopus Warmiensis postea cardinalis veluti de magno Sathanæ administro queritur.

[1] Ang. Mass. in Diar. Ms. arch. Vat. p. 338.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 37. p. 616. — [2] Sur. in Comm. — [3] Acta Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 13.

24. *Patriarcha Aquilegiensis hæresis suspicionem incurrit.* — Eodem anno in gravem hæreseos suspicionem adductus est Grimanus patriarcha Aquilegiensis in controversia de Prædestinatione, quæ ex hac occasione suborta est. Cum Ecclesiæ Utinensis [1] Collegiatæ concionator temere offendiculum populo Utinensi objecisset concionando, prædestinatum a Deo nullo modo posse damnari, quantacumque scelera admiserit, præscitum vero, sive reprobatum, quantumvis virtutibus se excolere annitatur, necessario damnandum, quibus verbis cum Lutheranis colludere visus est, qui ejusmodi verbis a virtutis studio avertere Christianum populum, atque in vitia ex quadam desperatione impellere consueverant, ob exortam ex his verbis publicam offensionem Utinensis vicarius concionatorem illum munere habendarum concionum interdixit. Concionator vero provocavit ad Grimanum patriarcham, qui VII Aprilis hujus anni ad vicarium Utinensem litteras [2] dedit, deque Prædestinatione sermone instituto concionatoris verba defendit, prædestinatum ideo non posse ullo modo damnari, quia tandem a peccato eruendus sit, pariterque præscitum necessario damnandum, electionemque et prædestinationem adeo necessariam sine ulla distinctione constituit, ut in nostra voluntate arbitrioque nullo modo sit positum salutem consequi vel damnari.

Has patriarchæ litteras, ut hæreseos crimine infames, Utinensis vicarius ad censores fidei, qui agebant Venetiis, transmisit, illi rem ad Romanæ Inquisitionis Tribunal detulere, vocatusque in jus a Pontifice patriarcha Aquilegiensis Apologiam [3] conscripsit, in qua pluribus sententiis excerptis ex D. Augustino et nonnullis SS. Patribus, scripta in litteris confirmavit, sed ea Apologia majorem illi hæreseos suspicionem conflavit, lisque in plures annos extracta est, donec in Concilio Tridentino sub Pio IV constituti sunt judices [4] Theologica scientia florentissimi, qui consensere plures sententias apud divos Augustinum et Prosperum assertis a patriarcha non dissimiles reperiri, ac patriarcham XVII Septembris MDLXIII crimine hæreseos purum ac liberum pronuntiarunt, vetuere tamen ne ejus litteræ, vel Apologia typis unquam mandarentur cum hujusmodi sententiæ gravem offensionem parere ac turbare plurium mentes possent. Purum autem ac nitidum dogma Catholicum est, nulla humana industria salutem comparari posse sine gratia Dei, quæ per merita Christi confertur; nec quemquam damnationem evadere sine eadem gratia, cui tanquam principali secundaria cooperatio nostra conjungenda est, Deum vero ex parte sua velle omnes salvos fieri, et Christum pro omnibus mortuum sacræ testantur litteræ.

[1] Tom. de Vat. sign. num. 205. p. 352. — [2] Ext. in eod. Ms. p. 152 et 160. — [3] Ext. ib. p. 154. — [4] Ib. p. 152.

25. *Compositæ controversiæ cum Hussitis.* — « In Bohemia [1] Prosper S. Crucis internuntius ad regem Romanorum missus, ut Hussitas Bohemiæ Ecclesiæ Romanæ Ferdinandi regis ope conciliaret, felicem in ea re operam navavit, de qua re scripsit cardinali Farnesio, Hussitas initio pervicacia sua omnem piam industriam elusisse, regia vero industria demum evictos, ut nonnulla sacri fœderis capita admitterent, quæ una cum litteris transmisit, hæc vero fuisse non quidem qualia optanda essent, sed qualia possent tolerari, ut sensim eorum secta deleretur; assensisse eos, cum solemnis sacerdotum Hussitarum conventus esset, integrum esse sub qualibet specie Sacramentum et Corpus Christi, non tamen adstringi voluisse, ut communicantes admonerent, quod sub unaquaque specie sit integrum corpus, ob graves in ea re difficultates; damnasse errorem quod sufficeret semel in anno confiteri, si quis vellet sæpius sacram Eucharistiam sumere; destitisse a celebranda Joannis Hussi hæresiarchæ festivitate; professos se obedientiam justam et debitam exhibituros Pontifici; de communione infantium articulum suppressum, quod sint pauci qui eam conferant, atque sacerdotes initiandos sacramento esse constringendos eam infantibus non collaturos, atque ut ea consuetudo delenda sit operam daturam regiam majestatem in conventibus ordinum nomine totius regni ut postuletur a Pontifice facultas archiepiscopo concedenda, ut absolvat Hussitas eosque in gremium Ecclesiæ restituat, quæ ut promoveri possint cursorem Romam direxisse, ut Pontificiam mentem intelligat, summa contentione deprecari, ut paternæ charitatis ardore horum defectus exurat, pacta enim cum Hussitis concordia, se omnes hæreses in Bohemia serpentes gravissimis edictis elisurum, atque etiam illicitos libros prohibiturum, ac progressu temporis ab his, qui utramque speciem sumunt optimi archiepiscopi diligentia et exemplis plura obtineri posse, perpensis porro omnibus se comperisse plures ad Hussitas deflexisse, ut confessionis molestiam defugerent, jam vero cum sint professi confessionem auricularem necessariam, ac tantum sub una quantum sub utraque specie contineri, sperari posse brevi temporis flexu consuetudinem communicandi sub utraque relicturos. Creditur etiam Lutheranos animis dejectum iri cum viderint eos, quibus maxime nitebantur, ad Sedis Apostolicæ obsequium conjunctionemque rediisse. Dat. Pragæ XIII Novembris MDXLIX.

« Dominationis vestræ reverendissimæ humillimus ac devotus servus Prosper e Sancta Cruce ».

[1] Ms. card. Pii. sig. num. 260. p. 139.

26. De singulis his controversiis compositis cum Hussitis, sive cum Calixtinis, extant aliæ Sebastiani Pighini [1] episcopi Ferentini internuntii Apostolici in Germaniam decreti ad eumdem cardinalem Farnesium :

« Reverendissimo et illustrissimo cardinali Farnesio.

« Tandem regiæ majestatis opera post gravissimas difficultates, divina favente gratia Calixtini sacerdotes, qui sub utraque specie communicant populum, ad Catholicos articulos profitendos adducti : « Credere se secundum « primitivæ et universalis Ecclesiæ Concilia, « nec ulterius contendendum sensere theologi, « cum vox *universalis* omnia contineat ; professi « quoque integrum esse sacramentum sub una « specie, semper deberent communicantes ad- « monere, quod sub unaquaque specie est inte- « grum Corpus », noluere tamen obstringi, ut repeteretur singulis vicibus, sed id prædicatum iri, ac universos in conventu consensuros. Circa articulum confessionis contendebant, quod sufficeret semel in anno confiteri, etiamsi quis vellet sæpius sacram Eucharistiam sumere, sed demum ad Catholicam sententiam revocati sunt. Circa quintum articulum de festo Joannis Hus, assensere, ut id festum infaustum aboleatur. Circa obedientiam Pontifici exhibendam, addidere justam et debitam, nec altercandum visum est, cum nil injustum ab his exigi possit, atque ipsi archiepiscopo Pragensi creando omnem obedientiam sacramento spondere debeant, archiepiscopus vero omnem fidem, subjectionem et obedientiam polliciturus sit. Circa articulum de compactatis, scilicet in quo sensu essent intelligenda, disceptatio prætermissa est, cum novæ pactiones initæ sint, quibus veteres antiquantur, frustraque disputaremus, in quo sensu vetera compactata accipienda. Circa ultimum articulum non visum est anxie disquirendum, cum archiepiscopus religionis Catholicæ studio et eruditione præstantissimus creandus sit, qui multa emendaturus sit Catholica censura : superest indecisus articulus de communione infantium, ac regia majestas de ea se acturum cum felici successu in conventu ordinum sperat. Porro archiepiscopus initiandos sacerdotes obstricturus est sacramento ad hos omnes articulos observandos, neque ad dandam infantibus communionem, ac multi ex Calixtinorum sacerdotibus consentiunt, ut non detur. Itaque ille usus apud paucos supererit, quibus extinctis, delebitur consuetudo.

« Superest ut veniam præteritorum deposcant, regia majestas ait se nomine totius regni misso oratore petituram, atque etiam in Conciliis decretum iri aliquos, qui pro ea deprecatores agant, flagitareque, ut archiepiscopo absolvendi potestas conferatur, utque gesta a sua Sanctitate confirmari efflagitent, quæ hactenus regia majestas privato nomine egit, ac si ipsi in comitiis dixerint missuros ad Pontificem oratores, regium quoque, ut rem provehat, se adjuncturum.

« Certiorem etiam reddit regia majestas beatitudinem ipsius, concordia hac constabilita, regni ordines ad publica comitia vocaturum, atque in iis acerbissima edicta promulgatum iri adversus omnes hæreses, quæ in hoc regno serpunt non exiguo numero, atque summa diligentia rem confectum iri, ut in optimum statum redigantur omnia, ac libri hæretici prohibeantur, et quæ ab ipsius sanctitate pro salute animarum commonenda visa fuerint, in opus provocatum iri. Datum Pragæ XIII Novembris MDXLIX ».

27. *Spes oritur redintegrandæ fidei in Anglia.* — Hoc anno in Anglia gravissimæ rerum conversiones contigerunt, quarum occasione de redintegranda in eo regno Catholica religione actum est, extant enim Alexandri cardinalis Farnesii litteræ [1] ad Pontificium in aula Cæsarea internuntium, quibus jussus est Pontificio nomine agere apud Cæsarem, ut pro restituenda in Anglia religione Catholica vires conjungat, muniri enim viam huic rei, quæ facile ad exitum perduci possit, Cæsarem gravissimis ex causis ad pium hoc opus obstringi, cum ob judiciaria acta postulante Cæsare in Henricum regem a Clemente VII confecta, defectio illius ab Ecclesia secuta esset.

De rerum Anglicarum spe hæc Jo. Maria de Monte [2] legatus Concilii Bononiensis scripsit ad Alexandrum card. Farnesium : « Hæc mea fixa est sententia, ut reverendiss. atque illustriss. card. Polus creetur legatus ad invictissimum imperatorem et ad regem Christianissimum, et ad quoscumque reges et principes Christianos, ad quos eum declinare, vel a quibus subsidia petere contingeret, et ad Anglos ad unitatem et gremium Ecclesiæ redire volentes, et nos porrigeremus manus adjutrices, ac divenderemus et oppignoraremus mithras, calices, patenas, nosque omnibus opibus spoliaremus », subjicitque, deberet sua sanctitas attollere in Cœlum manus, gratiasque Deo agere, quod vitam sibi adeo propagarit, ut si non omnimodam recuperationem videat, tamen spes recuperandi illius regni optime comparatas alat : necnon legatum per litteras urgere, ut ad Cæsarem pro statu rerum Anglicanarum se conferat : « Opinor enim », ita concludit, « quod cum ipsius reverendissima dominatio tot dotibus et ornamentis naturæ sit prædita, tantaque

[1] Pighini lit. ad card. Farn. ex Ital. Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3224. p. 100.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sign. num. 37. p. 91. — [2] Lit. Jo. Mariæ de Monte car. Leg. ad Alex. card.

gratia et auctoritate apud Cæsarem polleat, implicatissimis his litibus de Concilio, translatione et reformatione expediendis utilem operam navare posset, et hæc sufficiant in tot occupationibus meis, quæ omnia submitto sapientissimo judicio vestræ reverendissimæ et illustrissimæ dominationis et reverendissimi domini mei cardinalis Sanctæ-Crucis, etc. Bononiæ XI Septembris MDXLIX ».

28. Occupatus erat Cæsar in Belgis ad Philippi filii obsequium adigendis sacramento, defuitque præclaræ occasioni Angliæ ad Catholicam religionem revocandæ, cum maximis dissidiis ob varias pugnantesque inter se hæreses arderet, importunis hominibus novum Evangelium excitatum ab inferis propagantibus, male quædam Scripturæ loca distorquentibus. « Sed impudentissimam eorum vanitatem », inquit Surius, « ipsa doctrinæ varietas et pugnantia coarguit, quæ nihil potest habere cum veritate commercii ». At senatus Anglicus armis ortas seditiones compescuit, sumpsitque supplicium de earum auctoritatibus, aucta etiam subinde inter proceres hæreticos dissidia, ac Thomas Semerus Anglici regni protector (sed verus eversor) tandem impietatis suæ pœnas experiri cœpit, a Joanne enim Dudleio Warvicensi comite de republica male gesta accusatus, sibi metuens una cum Eduardo rege pupillo Windesoriam præsidii causa confugit, desertusque ab omnibus, deditione nuncupata, in custodiam mense Octobri conjectus est. Quam infelix vero fuerit Angliæ status sub hoc regni procuratore tyrannoque nequissimo, cum sua auctoritate perfidissimos hæresiarchas ad impietatem diffundendam, perdendamque rem Catholicam armaret, narrat subjectis verbis Nicolaus Sanderus : « Cum cæteri novi magistri, tum maxime isti, quos diximus (scilicet Bucerus, Petrus Martyr, Ochinus) theologastri cœperunt tandem ex pulpitis et cathedris professioni theologicæ olim assignatis suo more docere vel potius declamare, omnique ad fallendum composito artificio, ut ad quos singuli non modo Theologiæ (ut olim) candidati, qui reliquas necessarias artes ante didicerant, sed juvenes ac adolescentuli pueri etiam omnium classium, qui latine loquentes intelligere potuerunt, accedere, eorumque lectiones et conciones quotidie audire sunt coacti, quo enim quique minori erant ætate, et doctrina et judicio imperitiores, eo erant istorum fraudibus magis obnoxii. Istorum ergo rudioribus animis, ac prurientibus cæterorum auribus, primum ex difficilioribus Scripturarum locis, variisque de præscientia, prædestinatione, reprobatione æterna, rerumque ac eventuum necessitate impiis tractationibus instillarunt incredibilem curiositatem et de rebus summis contendendi libidinem. Aliis ex locis sub prætextu asserendæ libertatis omnia illa, quæ ad licentiam vitæ ac morum inducendam facere videbantur, diligenter proponebant, ut inde Confessionem, pœnitentias, dierum ac jejuniorum observationes, omnesque Ecclesiæ ac superiorum præceptiones contemnendas junioribus non ægre persuaserint. Ex aliis demum Scripturis, quæ apud eos quorum sensus non fuerunt in rebus divinis exercitati videntur facere pro sectariis, ut de Sacramenti duplici specie, de officio precum in lingua vulgari, ac similibus ita fidem majorum nostrorum in iisdem tractandis elevarunt, suam sinceritatem commendarunt, animosque suorum præoccuparunt, ut exinde in quibuslibet controversis locis maximisque mysteriis explicandis, etiam ubi sacri contextus verba, circumstantiæ, omnisque antiquitas aperte sonent pro Catholicis, lubenter istorum falsissimis ineptissimisque Commentariis omnino acquiescant, atque ita tandem discipulos suos corruperunt, ut quaslibet de Deo, de Sanctis, de Sacramento, de Sacrificio impias opiniones facile hauserint. Atque de Patribus antiquis Ecclesiæ Doctoribus, vel singulis, vel in Concilio collectis, ita apud suos disserebant eos fuisse homines (ac si Protestantes nihil humani haberent) et non modo errare potuisse, sed et in multis quod undique ex singulorum scriptis (incommode aut male intellectis sententiis fraudulenter congestis) demonstrare nitebantur, turpiter hallucinatos fuisse. Et Augustinum quidem ex præcipuis unum etiam errata sua confessum esse, et peculiari libro multa retractasse, sæpeque item admonuisse omnes, ne sibi aliter quisquam crederet, quam videret id esse in Scripturis consentaneum, quod affirmaret. Ac mox captiosa apostrophe compellantes auditores sciscitabantur utrum æquius esse putarent, Scripturis sacris, quæ errare non possent, credere, an doctoribus, hominibus scilicet, qui falli possunt, et fallere ; se enim id tantum requirere dicebant, ut omnes potius Deo credant quam hominibus.

« Hac fraude imperiti permulti decepti non adverterunt antithesim, seu collationem non faciendam esse inter Scripturam et Patres, nec in eo versari quæstionem, utrum magis Deo an hominibus, Scripturis vel Doctorum libris sit tribuendum, sed illud potius, utrum quoad Scripturarum intelligentiam et expositionem, istis paucis indoctis, turbulentis ac sceleratis transfugis securius, quam illis antiquissimis, sanctissimis, doctissimis Patribus, vel singulis, vel simul omnibus credendum sit.

29. « Hoc miseri adolescentes hæc non observantes, suis magistris, ac si non aliud quam Dei eloquia funderent, sine exceptione obtemperabant, doctoribus autem ac Conciliis non aliter nisi quatenus sacris litteris consentanea dicerent. Cujus rei, vel se ipsi, vel suos præceptores faciebant judices.

« De Ecclesia, episcopis, presbyteris ac pastoribus, quia multos horum nomine et auctoritate in avita fide retineri cernerent, admonebant illam fœminam esse, et debere obedire viro suo, id est, Christo in sacris Scripturis loquenti, (At isti Sathanæ sensum Christi verbis affingebant) addebant etiam istos, nimirum sacerdotes non debere elevare se super populum Dei , cum omnis multitudo sanctorum sit, et ad clerum partemque sacerdotalem non minus, quam illi, quos clericos et presbyteros vulgus vocat, pertineat : ita cum Chore schismatis auctore passim concinebant isti.

« Biblia autem sacra, quæ illi omnem veritatem complecti dicebant, ita data opera seu Latine seu Anglice versa et perversa legenda proponebant, ut in eis Ecclesiæ, presbyteri, sacramenti, ac similium vocabula, quorum vel venerandis nominibus antiqua religionis veritas contineri, et plurimi in vetusta fide teneri videbantur, nuspiam extarent, pro quibus substituerunt congregationem, seniores, secretum, et hujusmodi vocum novitates. Illud autem ab Apostolis ipsis veræ Ecclesiæ, et rite Christum colentibus Christianis, ut ab hæreticis hominibus, ac conventiculis discernerentur, attributum Catholici nomen, quo solo multi a sancto Augustino edocti in Ecclesiæ gremio tum retinebantur, partim falsa interpretatione eludebant, partim sibi et suis tumide usurpabant, partim ridicula inversione in cacolycum mutarunt, ac nonnunquam etiam cum Donatistis diabolicum esse inventum, ac sine Verbo Dei institutum dixerunt. In papam incredibili semper scurrilitate , ex quolibet textu Scripturæ insane debacchati sunt , et maxime in festo SS. Petri et Pauli ». Et infra : « Jam in omnibus officinis et tabernis, in popinis et fornicibus de fide inibatur disputatio, sacram Scripturam (ut Hieronymus olim questus est) garrula anus, delirus senex, sophista verbosus, universi denique præsumebant, lacerabant, docebant antequam discerent, alii philosophabantur inter mulierculas, alii discebant a fœminis, quod viros docerent, præcipue autem Apocalypsis, quæ tot habet sacramenta quot verba, in omnium ore versabatur, inde Protestantes sua dogmata confirmabant, inde ad sensum suum incongrua aptabant testimonia, magna id audacia edisserentes aliis, quod ipsi non intelligebant : nec ad aliud quidquam tum (ut in sectarum initiis maxime fieri solet) vacabant Angli, quam ut aliquid novi dicerent aut docerent ».

30. Hactenus [1] nil in ista nova secta certi habebatur præter illud unum, quod cum Catholica fide nihil sibi fere commune intercedere vellent, et Bucerus ac Martyr, ex quorum judicio scholæ pæne omnes pendebant, assertionem diu cohibebant suam tantum Prolegomenis ad quamlibet hæresim indifferentibus. Animas enim isti et linguas habentes venales in secta constituenda omnino a Cramnero archiepiscopo, qui ultra Lutheranismum non erat progressus, is itidem a protectore pendebat, qui in Zuinglianismum, licet sententiam suam usque ad futurum ordinum conventum occultaret , propensus videbatur, Bucerus autem etiam in Judaismum utpote ex Judæis oriundus multum putabatur proclivis.

Petrus Martyr molliter et serviliter se in sectæ et doctrinæ suæ accommodatione gessit. Nam Lutheri hæresim, quam in Germania imbiberat, et illinc in Angliam secum advexerat, non aliter nec diutius defendendam vel retinendam statuit, quam quod id Cantuariensi et protectori visum esset, nosque ipsi, qui hæc scribimus, eum docentem audivimus, cum impium quemdam de Eucharistia ac corporis Christi præsentia tractatum ex historia Cœnæ Dominicæ, et maxime ex undecimo capite prioris Epistolæ ad Corinthios adornaturus in eam tractationem ita est ingressus, ut anxius an pendulus prorsus hæreret, veterumne Protestantium, an novorum Sacramentariorum sibi esset dogma defendendum, quid enim archiepiscopus præscriberet, quid Parlamentum sequendum constitueret, quod tum coactum erat, et de re tota prolixe deliberabat, quid demum protector docendum mandaret, miserrimus homo ex aula in dies expectabat, quorum tandem per litteras Cantuariensis comperta voluntate, se subito in Calvinistam transformavit, et deinceps usque ad mortem vel Calvini, vel saltem Zuinglii sectam est consecutus; magnus sane (ut D. Augustinus de Fausto Manichæo dixit) Diaboli laqueus, qui verbo, scriptione, doctrinæque ac eloquentiæ opinione plures seduxit; moribus tam mollis et effœminatus etiam in senectute ex illius coapostatæ monialis suæ consortio extitit, ut in illa jam mortua, oratione funebri publice deflenda turpissime se gesserit , et Joanni Checo regio præceptori eum de uxoris morte per litteras consolanti sic responderit, se ita valere, atque ita suæ conjugis charissimæ obitum ferre, ut homo omnino dimidiatus poterat. Delicatus monachus adeo solus esse non potuit, ut a fœminis divulsus non se integrum, sed mutilum plane et dimidiatum existimaverit : cui tamen defectui libidinosus senex aliis dicitur medelam postea attulisse. Talibus heu ! auctoribus ac doctoribus infelix Anglia periit.

31. Inter has religionis orthodoxæ in Anglia cadentis ruinas stetit intrepida Maria futura postea regina, soror Eduardi, quem gravissimis monitis a cœpta Catholicorum persecutione deterrere conatam narrat Natalis [1] Comes :

[1] Sander. l. I. de Schism. Anglic.

[1] Natalis Comes hist. l. IV.

« Fama est, Mariam novi regis sororem ut quæ Catholica dogmata diligenter complecteretur, visis hæresibus, quibus omnia repleta contaminataque fuerant, convenisse regem seorsum et in privatum thalamum, quem monuit, ut susceptam hæresim deponeret, futurum enim, ut ira et indignatio divina eum affligeret, qui spretis divinis legibus et avitis sanctorum Patrum institutis, complexus sit recens liberius vivendi genus a legitima ratione sejunctum, maxime vero iram Dei timendam esse regibus tanquam auctoribus omnis probitatis, vel sceleris cæteris hominibus subditis, qui pro viribus regum et principum instituta servare nituntur. Turpe esse principi homini, nobilitate, divitiis, auctoritate, potentia, honoribus præstare reliquis hominibus, at ingenio, moribus, prudentia, nihil differre ab infima multitudine; quod si Henricus pater odio Pontificis a Romana Ecclesia desciverat, non esse in errore diutius insistendum, quoniam, cum peccatum Henrici fuisset gravissimum, quia auctor tantæ improbitatis suis extitit, certe multo gravius futurum erat filii, si conscleratorum hominum persuasionibus ab recta religione, et a vera fide Christi incontaminataque se abduci pateretur. Inde populorum Catholicorum odia futura in ipsum regem ante oculos proponit, et pericula ejus capiti imminentia, et divinam ultionem, quæ et ipsi, si in ea hæresi perseveraret, et ejus impuris ministris tantæ impietatis, nisi cito ab ea impietate desisteret, immineret. Rex attentissime sororis verba, et non sine lacrymis ingentique trepidatione audivit, sibi perobscurum esse respondit, quid ageret in tanta rerum magnitudine, futurum esse ut magis opportune illis consuleret, at nunc ita oportere parere gubernatoribus. His dictis a lachrymabundo puero discedit. Gubernatores cum puerum ita mœstum et prope afflictum conspexissent, rati id quod erat, non passi sunt amplius ut Maria cum puero rege loqueretur ». Ut porro Eduardus divino judicio ob flagitia percussus e vivis sublatus fuerit, ac Maria in regnum successerit, postea dicetur.

32. *Henricus II Galliæ rex hæresibus regnum purgare curat.* — Anglorum intestinis seditionibus Henricus Galliæ rex bene usus [1], Bononiensem expeditionem in Gallia Belgica suscepit, Sellaquam arcem trucidatis Anglis cepit, Amblitellum ad deditionem coegit, Montem-Lambertinum extructa arce muniit ad intercipiendos commeatus Bononiæ inferendos, ut eam urbem in extremas angustias compulerit, tandemque pacis cum Anglo confectæ beneficio receperit, refusa certa auri vi pro sumptibus in propugnaculis extruendis factis; missa etiam in Scotiam classe Henricus duce Thermeo Scotos Mariæ reginæ parere coegit, atque Edintonio arce munitissima Anglos bello et peste attritos dispulit, atque alia ab Anglis antea occupata Scotiæ adjunxit. Commendat Surius eumdem regem, quod accepto insigni regio ritu solemni sanctissimas leges ad regnum a peste hæretica vindicandum promulgarit :

« Henricus rex cum esset Parisiis severiter animadvertit in quosdam hæreticos, habuitque solemnem et publicam supplicationem ad Deum et Sanctos ejus. Deinde scripto quodam typis excuso testatur, se Catholicæ fidei, auctoritatis Apostolicæ et cleri suscepturum patrocinium, palamque declarat, quam ex animo detestetur nostrorum temporum hæreticos et hæreses partim e cineribus excitatas, partim recens inventas a Luthero, Carolostadio, Zuinglio, Œcolampadio, Melancthone, Bucero, Calvino, et indignis aliis hæresiarchis hominibus monstruosis et pestiferis, quas etiam velle se ait e suis ditionibus extirpare, et in rem gravissime vindicare. Hæc quidem ille rex catholice et ut decebat regem Christianissimum, atque in ea re secutus est patrem Franciscum, qui nova dogmata ferre non potuit, et sæpe acerba sumpsit supplicia de hæreticis. Videbant sane illi reges, quam fere nisi tumultus et seditiones, Divinarum humanarumque legum contemptum, magistratus odium et fastidium, et multa alia horrenda mala pariat novum illud Evangelium. Et felices sane atque florentes illæ sunt respublicæ in quas exitiosa dogmata minime irrepserunt. Speramus autem fore quandoque, Deo bene propitio, ut omnes intelligant, quam nihil nisi meræ fraudes et imposturæ fuerint, quæ sub puri verbi Dei et sinceræ doctrinæ speciosis titulis novorum dogmatum architecti et satores orbi venditarunt ».

33. *Calvinus ab Espencæo confutatus.* — Hoc anno Joannes Calvinus hæreseos, qua Galliam infecit, virus confecit. Vere enim dixit Propheta : *Abyssus abyssum invocat.* Et impii in deterius semper proficere consueverunt. Hic in libello [1] edito anno MDXL, Christum in Eucharistiæ Sacramento existere, atque daorandum professus erat, ita tamen, ut panem simul consistere diceret cum Luthero, deinde anno MDXLV, ex libello suo adorandum expunxerat, tamen in Eucharistico dogmate proxime Luthero adhæserat, ac præsentiam Christi in Eucharistia, et conjunctionem veritatis cum signo agnoverat, ut etiam ad finem libelli scripserit : « Zuinglium et Œcolampadium in hoc offendisse, quod tum toti in eo sunt, ut assererent panem et vinum, Corpus et Sanguinem Christi vocari, quia ipsorum signa sint, non interea simul hoc egerunt, ut nihilominus veritas cum eis con-

[1] Belc. l. IV. num. 20. Sander. l. II. in Eduar. VI. Natal. Comes l. IV.

[1] Claudius Espenc. l. V. de Euch. adoratione c. 9.

juncta sit ». At demum hoc anno MDXLIX, inquit Espencæus [1], in impietatis infimam abyssum prolapsus cum Bullingero facta consensione non amplius dixit, Christi Corpus esse vere, realiter ac substantialiter in Eucharistia, sed tanquam signatum in signo, nec conjunctam amplius cum signo veritatem, sed Christum tantum ab Eucharistia abesse, quantum cœlum distet a terra, et verba Christi : *Hoc est Corpus meum : Hic est Sanguis meus*, non litteraliter, sed extra controversiam figurate sive per energiam accipienda, quo veneno plura regna infecit.

34. Opposuit Calvini figmentis Espencæus SS. Patrum, ac maxime Chrysostomi oracula : « Auditores (inquit) suos de Eucharistia concionantes Catholici pro Corporis et Sanguinis Jesu Christi in ea veritate amandabant ad Deum verum, veracem, fidelem, omnipotentem, qui simul, quod aiunt, et semel eodem temporis articulo sursum cum Patre sederet, et hic una nobiscum invisibiliter adesset, omnium nostrum manibus, ore, linguis exciperetur. Quod hic Corpus degustamus, et Sanguinem delibamus, ejus esse, qui supra cœlos proxime Deum residens ab Angelis adoratur, qui plusquam Elias, non ut is Eliseo melotem, sed propriam carnem et ipsam habens, ascendit et nobis reliquit, ubi, quæso, nisi in his mysteriis, qui illuc ad supernum utique thronum extulit, quod et nobis, ut hic teneamus et manducemus, exhibuit, qui etiam dum in hac vita sumus, in hoc mysterio facit, ut terra nobis cœlum sit, quod enim illic summo honore dignum est, id in terra nobis ostenditur, non Angeli nimirum, non Archangeli, non Cœli Cœlorum, sed ipse horum omnium Dominus, et verum in cœlo corpus, quod nunc in terra videndum, tangendum et sumendum tibi proponitur, quasi Christus nos sic alloqueretur : Et te sursum in cœlo habeo et deorsum in terra tibi contrector et copulor. Nec mihi satis est, ut neque tuum desiderium satiat, quod in cœlo origine tibi inde data tui primitias habeo, nisi rursus ad terram descendissem, neque simpliciter, ac utcumque tibi connector ac commisceor, sed et in esum trador, et manducor, ut summa fiat copula, conjunctio et unio, ut nullo nos deinceps intervallo distare, aut nihil jam medii esse esse velim, sed e duobus unum fieri, et utraque unum esse malim.

« Hæc omnia Chrysostomiana conferat lector cum Calvinianis, hoc est, vincula, copulas, unionem Christi (quod hic auctor sæpe ait) maximum esse amoris signum. Sic tu his (inquam) mysteriis et per hac mysteria, quæ utique non alibi, quam in terra celebrantur, et sumuntur nobiscum, et nostri cum Christo cum ejus a nobis, et nostri ab illo breviter signorum a rebus, et rerum a signis Calvinianis localibus distantiis atque intervallis, quæ nec Chrysostomo, nec ulli (quod sciam) veterum ante hos modernos, vel per somnium venerunt. Quin etiam Bucerus Calvini reformator, quique eum ex Zuingliano refinxerat, argumenta hujusmodi ex Domini in cœlo præsentia ducta, et ejus in Cœna præsentia opposita inepta putavit, irreligiosa, inconsequentia, impia, blasphema, furiosa etiam putarunt quidam Lutherani horum articulorum oppositioni et collusioni nominatim Zuinglianæ et Calvinianæ, opponentes Christi omnipotentiam et veracitatem ».

35. *Armeni se Ecclesiæ Romanæ conjungunt.* — Dum in Europa orthodoxa religio labefactatur ab hæreticis, divina providentia e lapidibus, sive lapidum dæmonumque cultoribus filios Abrahæ suscitatura in extremis Asiæ oris Evangelium propagavit : in primis Armenii suavissimo Romanæ Ecclesiæ jugo, quod Europæi plures excutiebant, se subjecere, de eorum enim patriarcha hæc referunt Acta Consistorialia [1] :

« Romæ XXI Augusti MDXLIX, fuit Consistorium, in quo reverendissimus D. Marcellus tit. S. Crucis in Hierusalem presbyter cardinalis, fecit verbum de quodam patriarcha Armeno, qui superioribus diebus ad Urbem venerat, et qui se offerebat præstare obedientiam Sanctitati suæ et Romanæ Ecclesiæ, petens electionem de persona sua in patriarcham Armeniæ a populo celebratam per Sanctitatem suam approbari, et fuit commissum negotium eidem reverendissimo Marcello cardinali, necnon reverendissimis de Crescentiis et Sfondrato ». Tradunt eadem Acta in eodem senatu Portalegrensem episcopatum fuisse institutum in Lusitania a Pontifice, atque Olyssipponensi archiepiscopatui addictum.

36. *Apostolici labores S. Francisci Xaverii apud Indos et Japonenses.* — In Indiis [2] ultra Gangem hoc anno S. Franciscus Xaverius legatus et novus Apostolus, Japoniorum insulis, in quibus nunquam auditum fuerat Christi nomen, Evangelium maximis cum laboribus felicissime intulit, in quibus religio Christiana ita effloruit, ut maxima Barbarorum multitudo fide Christiana exculta in iis martyrii coronas suo purpurata cruore collegerit, dum impura sacerdotum et monachorum cohors Lutheri suinis grunnitibus excitata in vetitarum libidinum cœno volutata inconstantes populos ab Apostolicis, et Evangelicis institutis deficientes, ementito Evangelii nomine, in Sathanæ castra traduxit. Utinam perpenderent novatores proprium esse hæreti-

[1] Claudius Espenc. l. v. c. 9. p. 1195. Chrysost. l. de Sacer. homil. 3. ad Ephes. et 6. ad Antiochen. IV Reg. XI. homil. 24. in I Cor. scr. de cara vit. homil. 55. ad Antioch. et 15. in I Tim.

[1] Acta Consist. sig. 134. p. 15. — [2] Orlandin. l. IX. Hist. Soc. Jesu.

corum, fideles mille dolis mendaciisque pervertere, atque distortis interpretationibus Evangelii Evangelium obscurare, proprium autem veræ ejusdemque Romanæ et Apostolicæ Ecclesiæ signum infideles collustrare Evangelio, atque ab idolorum cultu ad veri numinis cultum ritumque Catholicum cœlestibus miraculis veraque doctrina traducere, quod in Evangelico viro legatoque Pontificio Xaverio tanta pompa emicuit, ut pseudoevangelicorum novatorum tenebræ illius splendore facile discutiantur : suscepti porro ab eo tanti fuere labores pro Christi Evangelio apud Indos Japoniosque propagando, ut vere quod de Paulo dictum est a Christo, illi Apostolatu simili perfuncto adscribi possit [1] : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus et regibus : ego enim ostendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati.* Reversus ille e Cambaiæ regno Goam, profectionem Japonicam adornavit, nec ullo periculorum, quæ commemorabant amici, horrore, nec itineris longinquitate, cum Japonii Goa amplius mille et trecentis leucis distent, nec pelagi drocellis infamis totas sæpe naves vorticibus absorbentis sævitia deterreri potuit, existimabat enim indignum, legatum Apostolicum saluti animarum, et cœlestibus lucris inhiantem inde terreri, unde terrenarum opum avidi mercatores non arcerentur, responditque amicis : « Servorum Dei animos magis conquiescere in periculis quam in portu, nec majorem se unquam sensisse quietem, quam in æstu ipso laborum atque discriminum ».

37. De suscepto pio consilio hæc S. Franciscus Xaverius ad S. Ignatium e Cocinensi urbe Indiæ, scripsit [2] :

« Patri Ignatio Loiolæ præposito generali.

« Abest Japonia ab urbe Goa leucas amplius mille trecentas ex itinere, et urbs Malaca et Sinæ attingendæ sunt, nullis verbis exequi possum, quantum ex provinciæ hujus susceptione fructum capiam divinæ voluptatis. Constat enim iter plurimis ac maximis tempestatum, Syrtium, Piratarum periculis obnoxium esse, ut præclare agi cum navicularìis videatur, si alternæ naves Japonicum teneant cursum. Ego vero interiore quodam animi sensu sic affectus animatusque sum, ut Japonicæ profectionis consilium abjiciendum mihi non putem, ne si pro certo quidem habeam majora discrimina subeunda, quam unquam antea in omni vita. Tantam mihi spem religionis propagandæ Pauli Japonii sermo, vel ipse potius Deus injecit ». Et infra : « Te ego, pater animæ meæ, summeque mihi venerande, positis humi genibus (sic enim hanc tibi Epistolam scribo, tanquam si præsentem intuerer) suppliciter oro, ne Deum pro me in sanctis sacrificiis tuis ac precibus obsecrare desistas, ut dum vita suppeditat, sanctissimæ voluntatis suæ mihi det, et plane agnoscendæ, et omnino exequendæ facultatem; idem cæteros socios oratos volo. XIX kalend. Februarii MDXLIX. Cocini ».

Cum Malacam applicuisset, duo læti rumores ardens Japonicæ profectionis desiderium magis incenderunt, alter erat, quod dynasta quidam in Japonia perdiscendæ legis Christianæ cupidus misso oratore ad proregem Indiæ sacerdotes postularet; alter fuit, quod sacrosanctæ crucis insignia, jam inter Japonios in honore esse in quadam insula dicerentur, atque excitarentur in ædium vestibulis ad fugandos dæmones, cum Lusitanos crucis præsidio ad tetra ea monstra abigenda uti cognovissent : quippe in oppido quodam cum deserta domicilia, et dæmonum spectris, ac terriculamentis infesta Lusitanis mercatoribus rei totius ignaris ad hospitium Japones assignassent, dæmonesque crucis signo fugati essent, Lusitanorum edocti periculo exemploque cognorant, nihil esse adversus insidias terroresque dæmonum Christi cruce præsentius, de quibus hæc S. Xaverius Apostolicus nuntius Romanis sociis Malaca scripsit [1] :

38. « Societati Romam.

« Pridie kal. Junias anno post Christum natum MDXLIX, perveni Malacam, vix e navi descenderam, cum Lusitanorum mercatorum litteras ex Japonia accepi, ex quibus cognovi principem quemdam Japoniæ virum fieri velle Christianum, itaque legatos ab eo ad prætorem Indiæ missos cum mandatis ut aliquot nostræ societatis homines postularent Christianæ legis magistros. In iisdem litteris illud quoque erat scriptum, in quodam Japoniæ oppido mercatores Lusitanos jussu regis in hospitium dæmonibus infestum, ac propterea desertum esse deductos, ibi cum ignari totius rei Lusitani lacinia retraherentur, et conversi nihil omnino cernerent attonitos quid tandem id esset requisisse. Nocte autem quadam cum famulus spectro nescio quo exterritus exclamasset, eo clamore reliquos excitatos arripuisse arma, aliud quidpiam esse existimantes, quibus tumultus causam requirentibus respondisse puerum se nocturno spectro perculsum inclamasse. Inde famulum illum complures disposuisse cruces in ædibus, et spectra illa evanuisse, denique incolas enuntiasse Lusitanis in tectis illis Diabolos habitare, et simul quæsisse quo tandem remedio fugarentur, tum respondisse Lusitanos, nullum remedium cruce præsentius inveniri. Itaque posteaquam eam domum Lusitani crucibus munierint, exemplum incolis secutis ante domos passim excitatas cruces. Ad hæc nuntiabatur in Japonia latissimum Evangelio patere campum, gentem enim prudentem esse atque

[1] Acta Apost. c. 9. — [2] S. Franc. Xaver. l. II. Ep. IX.

[1] Ibid. apud Tursell. l. III. Ep. IV.

ingeniosam, rationi obtemperantem, discendique percupidam. X kal. Jul. MDXLIX. Malaca ».

39. At Lusitano destitutus navigio Xaverius, cum Sinensi navarcho idololatra transegit; Dei magis quam barbari fide confisus, timoresque omnes, qui Dei fiduciam minuerent, ab se abjecit. Jam in cursu erat navis, cum Barbari dæmonem, jactis sortibus, de itinere consuluere, ingemiscente Xaverio profectionem suam Dei causa susceptam ad diaboli arbitrium disturbari : is dolor gemino casu auctus est, nam Xaverii comes Emmanuel Sina jactatione navis in apertam forte sentinam in caput prolapsus, mersusque ad umbilicum usque ægre extrahi potuit, cumque diu exanimis jacuisset, vulnusque grave accepisset in capite, precibus Xaverii percuratus est : mox vero navarchi filia agitatione navigii excussa in fluctus vorticibus hausta, Barbarisque ad placandum sacrificiis idolum versis respondit edita sorte malus dæmon, si Emmanuel homo Christianus periisset in sentina, puellam in mari non fuisse perituram : adversus hostis insidias in preces ardentes effusus Xaverius Dei benignitate, cui omnia famulantur, pervicit, ut navarchus ventorum vi adactus in Japoniam flexerit, ac die assumptæ in Cœlum Deiparæ sacro, reluctante Sathana, nautisque invitis Cangoximam in regno Saxumæ potissimam Pauli Japonii in Goensi gymnasio fide Christiana exculti patriam appulerit.

Ingressus ita Japoniorum regnum divus Xaverius legatus Apostolicus a Paulo III Pontifice (ut vidimus) ad convertendas ad Christum barbaras Orientis gentes missus, ad omnia propter Evangelium ferenda paratissimus, cum animadvertisset Bonzios idolorum sacerdotes Sathanæ ad divinam gloriam aspirantis imperio ad nefandam hypocriseos pompam, personatam sanctitatem carnis et piscium abstinentia induisse, ab iis etiam ne cujusquam Japonii offensionem incurreret, temperavit, multoque arctiorem abstinentiæ legem sibi indixit ; subdit auctor : « Pro pane oriza, pro obsonio fere pomis oleribusque barbaro item more conditis leniebat desideria naturæ, nec tamen melius alibi quam in Japonia valuisse se scribit, scilicet non tam frugalitatis naturali ope, quam cœlestis pabulo charitatis. Deinde sedulam et accuratam operam dare linguæ Japonicæ rudimentis aggressus in præcipuis Christianæ fidei capitibus convertendis, adjuvante Paulo (is erat Japonius neophytus Goæ sacris Christianis excultus) complures dies summis laboribus desudavit ».

40. De suo porro in Japoniam appulsu socios Goenses fecit certiores, subjectis litteris [1] :

« Societati Goam.

« Ad has regiones, tantopere a nobis exoptatas, Deo aspirante, pervenimus ipso die B. Mariæ in Cœlum assumptæ sacro anno MDXLIX, et quoniam alium portum tenere non licuit, Cangoximam, quæ Pauli a Sancta-Fide patria est, applicuimus ». Multis interjectis : « Hoc nomine plurimum debemus, quod nos in has Barbarorum terras deduxit, ubi nos ipsos penitus obliviscamur. Nam cum ethnicis et veræ religionis hostibus omnia teneantur, in quo spem habemus, ad cujus præsidium confugiamus, præter Deum habemus neminem. Etenim domi nostræ, ubi Christi Domini religio viget, nescio quot homines ipsi ac res creatæ, veluti parentum, patriæ, consanguineorum amor, amicorum consuetudines, vitæ commoda, morborum remedia nobis impedimento sunt, quominus omnes spes nostras in uno Deo fixas et locatas habeamus. Hic vero tam procul ab domo atque inter Barbaros, ubi omnia præsidia subsidiaque humana deficiunt, una Dei fiducia nitamur necesse est. Hæc tantorum erga nos Dei beneficiorum cogitatio non vulgarem nobis pudorem ac verecundiam affert. Divinam enim nos largitatem pæne oculis cernimus, ut qui in hæc loca divinæ religionis amplificandæ studio venientes aliquam a Deo gratiam inire arbitraremur, demum plane videamus, idipsum summum Dei esse beneficium. Etenim ille cum nos perduxit in Japoniam, rerum humanarum amore, quo irretiti minimum in Deo spei habebamus, penitus expedivit, ut toti apti ex ipso penderemus etc. III nonas Novemb. MDXLIX. Cangoximæ ».

Lapso ab his exaratis litteris tertio die, de tenuissimo inter Japonios victu usurpari solito, et gravissimis difficultatibus, quæ mentem ab humanarum rerum cogitatione et amore divellerent, hæc significavit : « Multis vinculis solutos nos agnoscimus, quæ spem nostram ac fidem quominus cresceret, distinebant. Ad hæc illud quoque non leve commodum accedit, quod deliciis eis quæ alibi carnis stimulos irritare, animique et corporis vires solent infringere, hic caremus omnino. Etenim Japonii nullum altile mactant vel comedunt, pisce vescuntur, interdum oriza, et tritico non abundant, herbis et arborum fructibus ut plurimum victitant, et quidem ita prospera valetudine ad multam usque senectutem utuntur, ut facile appareat, quam paucis sit eadem, quæ alioquin est insatiabilis, natura nostra contenta. Cangoxima, nonis Novemb. MDXLIX ».

41. Addebat pios omnibus Evangelicis præconibus, qui in India versabantur, variis litteris ad sanctitatem stimulos, atque inter alios socium, qui apud Paravas religioni propagandæ operam dabat, ac jurgia quædam cum Lusitanis contraxerat, sanctissimis hisce sententiis increpuit : « Insitum naturæ nostræ vitium esse dicimus, quod sæpe est incuriæ et negligentiæ : ita Dei ac nostri oblivionem naturæ conditione,

[1] Ibid. l. III. Ep. V. Ibid. l. IV. Ep. X.

tamquam velo quodam obtendimus, sed Deus non irridetur aut fallitur ». Comparatis linguæ Japonicæ levibus rudimentis, ad prædicandum Japoniis Evangelium se totum impendit.

Exceptus initio est legatus Apostolicus Xaverius risu et cachinnis a Japoniis, cum legis Christianæ mysteria, lingua Japonia hiulce, aspere et impolite sonante, elegantiarum expers pronuntiaret; verum divina exaggeratus constantia, spretis cachinnis gentilium, fidei Symbolum repetere ac docere non desiit, atque infirmus sermone, sed opere præpotens, divinis miraculis potentiam Apostolicam explicuit; a Saxumano vero rege, ut facilius auditorum captaret benevolentiam, legis Evangelicæ prædicandi potestatem edicto publico impetravit, per terrenum enim regnum sæpe, ut ait Isidorus, cœleste proficit; ita Christiana sacra Cangoximæ a D. Xaverio promulgata. Qui vero fructus uberrimi tanta patientia a novo hoc Japoniorum Apostolo collecti fuerint, describit gestorum ipsius scriptor [1] e Monumentis summa fide dignissimis : « Pauli primum uxor ac filia, tum propinqui et amici complures, qui haud iniquo animo tulerant eum factum esse Christianum, assiduis ejus monitis et hortatibus ad baptismum perducuntur. Hos deinceps subsecuti alii et paucorum mensium spatio cives amplius centum, haud repugnantibus invitisque propinquis, in iis Bonzii duo, quos cum aliis aliquot neophytis Xaverius in Indiam misit, ut ingenuis artibus in Collegio Goano et religionis imbuti mysteriis, suis deinde popularibus reversi prodessent.

42. « Ipse vero nondum usum vernaculi sermonis adeptus præcipua fidei nostræ capita Japonice conversa, litterisque nostratibus consignata neophytis e codice populoque tradebat. Porro ad ejus confirmandam inter homines ethnicos et alienos a veritate doctrinam prodigiorum adminicula miraculaque non deerant. Ethnico homini Cangoximæ civi honesto ac locupleti filiam, quam unice diligebat, immaturo funere mors abstulerat. Hunc amici neophyti cognatique nonnulli nimiis angoribus deditum cum vidissent, et vi doloris pæne dementem, hortantur, ut ad Xaverium præcipua sanctitatis fama præstantem opem aliquam imploraturus accedat. Confestim ille desiderio charissimæ filiæ ad eum, quem sibi nominaverant, advolat, et madentibus uberi fletu genis, multis ac supplicibus verbis obtestatur et orat, ut opem aliquam, si qua sit, extinctæ filiæ porrigat. Xaverius orbitatem hominis ac solitudinem miseratus, cum Joanne Fernandio socio ad orandum se recepit. Nec jam multo post, lætus et alacer, (quod indicium solet esse plerumque Numinis exorati) e precatione reversus, hominem jubet bono animo esse, vivere filiam ejus et salvam esse. Ille vero Xaverii verbis non satis intellectis, quæ utique vir sanctus in re persimili a Christo didicerat, indignabundus abscedit, suspicatus, opinor, eum, vel ab suis ædibus abhorrere, vel minorem sibi fidem habere de filiæ morte narranti. Domum repetenti puer domesticus obviam venit, et filiam vivam et incolumen nuntiat, quo nuntio mœstus pater exhilaratus domum properat, et quam exanimem reliquerat, vivam reperit. Obstupuit parens ad ejus aspectum, et manantibus gaudio lachrymis ex eamet sciscitatur, qui tandem rediisset in vita. Respondit illa se cum exisset e corpore, dum a terris quibusdam satellitibus ad horrenda quædam deportatur incendia, repente duobus a viris sane quam egregiis ex eorum ereptam manibus vitæ redditam. Sensit pater familias præsentissimam Xaverii opem, et una cum filia gratiarum ergo ad eum confestim redit, filia Xaverium et ejus socium intuita admirabunda patri succlamat; En, inquit, illi qui me ex inferis revocarunt, et obortis ambo lachrymis procumbunt ad pedes, mox tota cum familia relictis superstitionibus patriis, Christianis sacris initiantur.

43. « Disseminata hujus prodigii fama, pusio quidam affertur totus tumens ac turgidus, quem sublatum suas Xaverius in ulnas, et aliquoties sic affatus : Benedicat tibi Dominus; pulsis tumoribus sanum reddidit. Cujus etiam alius locuples et honestus alta scabie et lepra respersus Xaverium per internuntium rogat, ut ad se curandum ne gravetur accedere, Xaverius excusatis occupationibus, pro se misit e comitibus unum, qui salutato suis verbis ægroto, semel, iterum, tertioque perquireret, Christianusne fieri vellet ? cum æger annuisset, is manu deducta in morem Crucis hominem signat, statimque abstersa est omnis macula : nitor rediit, ut nitorem reciperet animi, qui jam receperat corporis. Stetit promissis, et Christianus factus est. His prodigiis quanquam ad Christi fidem populus propendebat, tamen ex altera parte Bonzii, qui initio siluerant, id quod Xaverius tanto ante præviderat, ut senserunt Christianis institutis sua instituta convelli, vitia perstringi, discipulos ab se abduci, peregrinam religionem in dies propagari, toto pectore Evangelii cursum evertere et odio furere in Xaverium instituunt, iniere etiam inter se consilium, quemadmodum eum vel de medio tollerent, vel in Indiam relegarent. Interim in ipsum et ejus socios, de suggestibus iram suam effundere, maledictis proscindere, dæmones ac veneficos appellare, qui nefariis præstigiis et arte diaboli, fictis miraculis ac prodigiis oculis humanis illuderent : quibus sermonibus populus incitatus aversari cœpit eos, quos paulo ante videbatur appetere, prohibere ne foris exirent, irridere cum prodirent, et ad risus

[1] Orland. Hist. Soc. Jesu l. IX. p. 306.

ac probra verborum lapidationes adjungere : quocirca Patres velut domestica inclusi custodia carere publico ad dies aliquot sunt coacti, sed ne sic quidem a petulantissima multitudine tuti esse poterant, quæ nocturna lapidatione fores fenestrasque petens, concepta in hominum capita odia expromebat in tecta. Nec defuit ad cohibenda ora maledica cœleste prodigium. Appetitus convitio et maledicto Xaverius, mente animoque Dei numen iratum in maledictum vidit, cujus vicem vir mitissimus miseratus ad eum conversus : Caveat, inquit, ori tuo Deus, nec temere ea effatus est verba : repentino enim et copioso pituitæ cursu, fœde misero illi distortum est os, ut quoties hisceret ac fari vellet, toties intortæ in Dei famulum contumeliæ memoria veniret in mentem ».

Cangoxima Firandum petiit divus Xaverius legatus Apostolicus, ut aliis populis Evangelii lucem inferret, qui vero ab eo relicti fuerant Cangoximæ centum neophyti probe edocti atque instituti tanta constantia in Christi fide perstitere, ut sacerdotum præsidio destituti, non modo nemo eorum a suscepta religione desciverit, sed etiam annorum tredecim flexu ad quingentos aucti sint, ac morum sanctitate cæteris Japonibus ita præluxerint, ut Saxumanus rex ex India sacerdotes ad perdiscendam fidem Christianam tantarum virtutum magistram ac parentem postea evocaverit.

44. In regno Armuziensi studio Gasparis Barzæi Christiana res aucta est, maxima enim opera ab eo in peccatoribus e vitiorum cœno eruendis impensa, ostensumque est in uno ex iis divino insigni prodigio quanta sit Sacramenti Pœnitentiæ vis, et quam in misero statu versentur, qui se noxarum lethalium vinculis implicari patiuntur ; rem narrat his verbis Orlandinus [1] :

« Quemdam Gaspar diu multumque cunctantem ac tergiversantem, tandem ad evomendam animi saniem et confitenda peccata perduxerat : quorum enumeratio cum dies aliquot absumpsisset, pridie quam beneficium absolutionis acciperet, dum circa noctem mediam impositam a Patre pœnam persolvit, ecce felibus, muribus, tetrisque aliis animalibus cubiculum repente completur. Cohorruit homo ad tam fœdum spectaculum, et peccatorum conscius ne vivus in tartarum abriperetur, extimuit. Deinde ubi se ex pavore collegit, detractam e pariete Christi Redemptoris imaginem arcte complexus, magno clamore divinum Numen implorat. Ad eas voces monstra illa momento diffugiunt, tanto cum strepitu fremituque, ut domus tota concuti et convelli funditus videretur. Quibus ille spectris admonitus, quarum se bestiarum similem effecisset flagitiose vivendo, studuit in humana specie hominum more vivere, non vitam imitari bestiarum ». Addit auctor Evangelii sacerdotis ab Apostolica Sede in Indiam missi ardentissimis studiis a Mahometana impietate Armuxiæ, indeque in finitimis religionibus plures Barbaros ad Christi cultum traductos fuisse :

« Fama Gasparis atque fructus non una Armuzia continebatur, transvolabat Persidem et Arabiam, et quas pede non poterat regiones, fama et nomine peragrabat. Germanus erat genere, Joannes nomine, Coloniæ natus, parentibus locupletibus, qui Turcarum in oppido Carifa non longe ab Armuziæ finibus pro Mahometano annum jam decimum se gerebat, tormentarii pulveris artifex, atque ob id ipsum genti percharus. Is audito Gasparis nomine, et quæ ab eo gerebantur Armuziæ, constituit prorsus ab impio ministerio ad Christi famulatum, si Gaspar adjuvaret, redire quamprimum. Sed cum atramenti non esset copia, quo litteras exararet, e diluto sulphuris pulvere litteras ad eum scripsit Latino, Belgico, Francoque sermone, vehementer optare se, modo apud Lusitanos tuto liceat commorari, Armuziam accedere, et Christo Domino per Sacramentum Pœnitentiæ reconciliari. Gaspar eo nuntio lætus extemplo rescribit, fidenter accedat, sibi ac Lusitanis adventum ipsius gratissimum fore. Hæc Epistola a Catisano præfecto intercepta Joannis consilia prodidit. Confestim a Turcis de illius religione quæsitum. Ille vero intrepide se Christianum fateri, atque ad omnia tormenta necemque promptum exhibere pro Christo ; inde a furentibus Mahometanis fœde laniatus atque dissectus, ad ultimum usque spiritum in veræ fidei confessione permansit. Caput abscissum et prælongo infixum hastili Turcæ in arcis mœnibus posuerunt. Haud ita multo post a Lusitana classe capto oppido atque direpto, Gasparis Epistola apud præfectum reperta, eoque indicio de Joannis nece cognitum. Ergo refixum e vestigio martyris caput Armuzium accurate transmittitur, idque a Gaspare postea cum psalmodia et laude perhonorifica conditum est ».

Navata est ab eodem viro Apostolico egregia opera in convertendis ethnicis Armuziensibus, Judæis Turcisque permixtis, qui divinitatis honores mutis animantibus et idolis tribuebant, quorum insanos ritus, ut ex iis Christi liberatoris gratia magis illustretur, ex auctore repetimus : « Serpentes (inquit) et vaccas colunt, vaccisque per urbem libere vagantibus ad ædium vestibula, quæ apud eos ampla sunt, aquam ad potum exponunt magni utique emptam, cum nusquam in insula dulcis aqua reperiatur : iisdem mos est currus triumphales ingentes extruere, in quibus vehuntur multi Pagodibus immolandi, et ipsimet cultris et novaculis se

[1] Orland. Hist. Soc. Jesu l. IX. Maffeius Hist. Ind.

incidunt, donec ex curru mortui decidant. Occisorum porro carnes arcubus ejaculantur in populum, qui certatim eas student arripere religionis causa, nec de populo sæpe desunt, qui eadem adducti superstitione sub rotas curruum sese ultro conjiciant, et insana religione comminuant : quod nihil gratius suis se diis facturos sibi persuadent, quam si eo lethi genere sese mactent, iisque sacrificent. Cum vir decesserit, uxor viva comburitur, et sexcenta id genus apud ethnicos digna lachrymis Gaspar invenit. Quibus erudiendis cum unum inter hebdomadam diem tribuisset, plurimos a suis avocavit insaniis, plurimos convertit ad Christum. Aiebant ethnici, et qui Deum penitus ignorabant, non unis Christianis, sed sibi quoque et cuicumque humano generi Gasparem missum, ut cunctos naturæ legem et rationis præcepta doceret. Saraceni vero, qui prius hominis paupertate contempta, conviciis eum ac probris, cœno ac lapidibus appetebant, postea admirati virtutem cœlestemque philosophiam, qua Christianos jubeat sua cuique reddere, nullo habito sectæ religionisve discrimine, sive Christiano, sive Saraceno, contemptum in venerationem, ludibria in honores et officia converterunt. Obtulerunt ei splendidam vestem et pretiosam, quam cum suis sordibus vilique tunica commutaret : sed ille pauperatis amatorem se esse contestans eam ultro remisit, complures suo Mahometo Christianæ legis admiratione relicto secuti sunt Christum, et qui in suis tenebris ac cœcitate perstabant, ei nihilominus tantum habebant honoris, ut eum magnum sacerdotem Christianorum appellarent ».

45. *Auctus cardinalium numerus.* — Auctus est hoc anno cardinalium senatus, ut refert Joannes Franciscus Firmanus [1] in Diario, de quibus agit etiam Panvinus, ac singulorum nomina et titulos accurate recenset, quæ tamen ex ipsis Actis Consistorialibus [2] a nobis repetenda visa sunt :

« Romæ apud Sanctum-Petrum, die Lunæ, VIII Aprilis MDXLIX, fuit Consistorium, in quo creavit et assumpsit reverendissimos DD. de consilio, etc. in sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales presbyteros videlicet reverendos Hieronymum Verallum archiepiscopum Rossanensem, Joannem Angelum Medices archiepiscopum Ragusinum, hic Pii IV nomen in Pontificatu gessit et Concilium Tridentinum absolvit, Philibertum de Ferreriis episcopum Hipporegiensem, et Bernardinum Maffeum episcopum Massanum. Insuper Sanctitas sua de simili consilio duos alios per Sanctitatem suam nominandos in ipsius sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales creandos et assumendos duxit, ac illorum publicationem ad tempus sibi reservavit. Et infra XII Aprilis recepit ad pedes, manus et osculum reverendissimos DD. cardinales noviter creatos, eisque dedit pileum rubrum.

« X Maii donavit eos annulis pretiosis, ac propriis titulis illos decoravit, videlicet Hieronymum Verallum Sancti-Martini in Montibus, Joannem Angelum Medices Sanctæ-Potentianæ, Maffeum Sancti-Cyriaci in Thermis, Philibertum de Ferreriis Sancti-Vitalis ».

46. *Permittitur a Pontifice ut Poloniæ reginæ nondum coronatæ porrigantur osculanda intra missarum solemnia Evangelium et patena.* — Non prætermittendum hic visum est Paulum precibus regis Poloniæ permotum indulsisse reginæ Poloniæ [1], ut inter divina mysteria Evangelium et patena illi deosculanda porrigerentur, licet nondum sacro ritu corona regia esset redimita :

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniæ regi illustri.

« Charissime, etc. Dilectus filius et secundum carnem nepos noster Alexander cardinalis Farnesius sanctæ Romanæ Ecclesiæ vice-cancellarius, tui regni apud nos protector, tuo nobili nomine exposuit, esse istic certas cæremonias, quibus episcopi, dum sacra celebrantur uti consueverunt, quoties regibus aut reginis Evangelium, aut patenam præbent osculandam, et quoniam serenissima conjux tua nondum coronata est, quadam religione impediri videri episcopos ipsos, ne iisdem cæremoniis erga eam utantur, petiitque a nobis maxima cum instantia ut pro tua et dictæ tuæ uxoris spirituali consolatione in hoc opportune providere dignaremur, nos vero qui etiam litteras tuæ majestatis ad ipsum Alexandrum cardinalem super hac re enixe et studiose scriptas legimus, cupientes tam vehementi tuo ejusdem rei desiderio satisfacere, auctoritate Apostolica tenore præsentium omnibus venerabilibus fratribus nostris episcopis Poloniæ, quandocumque voluerint supradictis cæremoniis etiam erga dictam conjugem tuam libere et sine conscientiæ scrupulo uti possint, concedimus et indulgemus, etc. Datum Romæ XI Martii MDXLIX ».

47. *Pauli Pontificis mors et virtutes.* — Claudimus hunc annum Pauli III morte, quam Octavii nepotis rebellio in avum ante tempus accersivit. Cum Cæsar occupata Placentia Parmam etiam imperio adjicere affectaret, Paulus eam urbem divulsam a ditione Ecclesiastica eidem conjungere, atque Camerinum Octavio restituere meditabatur. At dux Octavius jacturam tantam æquo animo ferre non poterat, quare ex Romana aula concitatissimis equis se proripuit, fultusque amicorum subsidio in Parmæ possessionem

[1] Jo. Franc. Firm. de Macerata Ms. arch. Vat. to. XI. Diar. pag. 281. Panvin. in Paulo III. — [2] Acta Consist. sig. num. 134. p. 9.

[1] Paul. III. lib. brev. an. XIV. p. 242.

variis artibus se inducere pertentavit, sed ejus artes contrariis artibus et constantia Camilli Ursini, cui Pontifex eam urbem nomine Ecclesiæ custodiendam tradiderat, elusæ sunt. Pontifex de his factus certior cardinalem e Monte ad eum Bononia proficisci, ac persuadere jussit, ut ad Pontificiam aulam rediret; at ille præferox ingenio, et principatus amissi dolore percitus respondit, nunquam tanto affectum dedecore ad avum rediturum, sed pro recuperando principatu omnes suas vires collocaturum : scripsitque cardinali Farnesio nisi Parma sibi restitueretur, se fœdus cum Ferdinando Gonzaga, qui Parmam ferme ex omni parte obsidione premebat, initurum, suffultumque armis Mediolanensium et civium Parmensium ad se inclinantium amicitia fretum, Parmam tandem recuperaturum. Has litteras Alexander cardinalis Farnesius imprudenter Pontifici detulit, cum ætas effœta morbos animi facillime refundat in corpus : quibus perlectis Pontifex adeo in iram et indignationem excanduit, ut dolore animi victus, deficienteque spiritu in terram exanimis procubiturus esset, nisi circumstantes sustentassent, cubilique imposuissent; qui multis adhibitis remediis cardiacis, tandem post quatuor horas, fugientes vitales spiritus ægre collegit. Correptus inde gravi morbo, excitis cardinalibus reipublicæ Christianæ curas reliquit, ut refertur in Diario Concilii : « Nona Novembris nocte præterita Pontifex male se habuit, hora decima quinta fuit Congregatio cardinalium coram sua Sanctitate , qui eis commendavit Ecclesiam, et impertitus est illis omnem auctoritatem se congregandi separatim a sua beatitudine, et omnia ea faciendi quæ judicarent expedire pro republica Christiana. Conservatores Urbis supplicarunt Pontificem pro exemptione et liberatione a gabellis macinæ et contractuum, quas Sanctitas sua imposuerat, pro quibusdam necessitatibus civitatis, et sua beatitudo annuit (1) ».

48. Commendatur Paulus ob multos susceptos labores pro conciliandis inter se Carolo V Cæsare, et Francisco I Galliæ rege, ut Concilium Œcumenicum, ad damnandas hæreses, quæ Ecclesiam Dei lacerabant, celebrari posset; constantiæ etiam laudem retulit in defendenda Apostolicæ Sedis auctoritate, quam premere Cæsar videbatur, et prudentia sua grave conflandi schismatis periculum discussit. Laudatur a Surio communem salutem propriæ prætulisse : « Crebro, inquit, ille dicebat : quorsum vitam hanc extraxisse attinet, nisi ut hæc extrema officia jam in ruinam propendenti reipublicæ qua possumus fide præstemus ? et certe optatius erit, communi omnium expectationi, etiam si ex ea mors oppetenda sit, satisfecisse, quam turpi ignavia vitæ spatia extendisse ». Arguitur tamen a pluribus nimio in suos amori indulsisse, ac Parmæ et Placentiæ principatum iniqua arte in Aloysium spurium contulisse : quo facto illi peperit exitium sibique mortem accivit : de quo in fine vitæ vehementer illum pœnituit, repetendo ea verba Davidica : *Et peccatum meum contra me est semper*, et rursum : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero*. Decima Novembris febre et catharro oppressus, diem extremum clausit.

Audita Pauli Pontificis morte Ascanius Columnas contractis copiis Pallianum, et alias arces, vel oppida, quæ illi ob rebellionem erepta fuerant, occupavit : atque ad novos motus compescendos statim collectus est exercitus. Cardinalis vero Farnesius inducendi in possessionem Parmæ Octavii Farnesii cupidissimus, cardinalium Collegium adduxit , ut Camillo Ursino Parmam Octavio restitui juberet. At ille respondit, se a Pontifice Parmæ præfecturam accepisse, atque illam novo Pontifici a se restitutum iri.

Exeunte Novembri cardinales ingressi sunt conclave ut referunt Acta Vaticana : « Die Veneris, vigilia sancti Andreæ, vigesima nona ejusdem mensis Novembris, celebrata Missa Spiritus-Sancti in Divi-Petri, et oratione habita per reverendum Beroaldum episcopum Telesinum, reverendissimi D. cardinales præcedente Cruce, pro celebranda futuri Pontificis electione accesserunt ad conclave ».

Discissum est in duas contrarias partes cardinalium collegium, altera erat Cæsarianorum, altera Gallorum et Farnesiorum, ob quas dissensiones electio protracta fuit ad diem septimam Februarii anni sequentis. Quo tempore miraculum hoc contigit, quod Hieronymus Rubeus [1] in sua historia Ravennatum narrat subjectis verbis :

[1] Hieron. Rubeus Hist. Ravennatum l. III. Ex eo Jodoc. Coccius to. l. VI. de Euch.

(1) Paulus III Pontifex hoc anno affectam senio et laboribus vitam absolvit, ætatem agens annorum trium et octoginta. Pontifex, si privati hominis virtutes, si principis dotes spectes, incomparabilis. Inter gesta ejus præclara Concilii Tridentini convocatio maxima omnia superat. Nec est cur coactus eo descendisse reputetur, cum ea fuerit constantia Pontifex, ut cum res Ecclesiæ postularet, vel ipsi potentissimo Carolo imperatori restiterit. Quare si postulantibus Concilii convocationem assensit, id ab eo præstitum, non vi coacto, sed sponte utilitatisve Ecclesiæ amore persuasus, censendus est. Adeo vero Ecclesiæ commodis studebat, ut vel ipsum potentissimum imperatorem Carolum V in se concitare non dubitaverit, quoties Ecclesiæ repugnantem illum nanciscebatur ; protestatus nolle se imperatori deferre, nisi imperator ipse Ecclesiæ obsequeretur, ait Segni Hist. Florent. lib. XII, pag. 317. Reliquas privati hominis virtutes depingit atque commendat dictum illud Nicolai Ardinghelli cardinalis apud Segni lib. XII, pag. 322 : « Paulo nihil peccati objici potest, nisi unicum hoc, minimum scilicet in nepotes suos studium ». Id profecto vitii ab omnibus ætatis illius scriptoribus Pontifici cæteroqui optimo tributum est ; nec aliud quidquam ex multis quæ per insectationem et invidiam objecta sunt illi, veritati congruere arbitror, cum vel ab adversariis gratis objiciantur, vel levibus deducta indiciis a scriptoribus non plane benevolis affirmentur, cujusmodi ea sunt quæ legas apud eumdem Segni lib. XI, pag. 304, de astrologicis quin et magicis scientiis a Paulo cultis, et alia id generis sexcenta. MANSI.

« Ob Pauli Tertii Pontificis Maximi obitum, Sede vacante, pulcherrimam eam imaginem divæ Virginis Matris, una cum aurea pæne testudine ingenti ruina ac damno corruisse vidimus, in quo maximum quiddam certe contigit, quod cum inferius Eucharistia loculo inclusa servaretur hinc atque hinc ruina, et lapidibus maximis decidentibus et quasi attingere non audentibus, incolumis et intacta permansit, cum tamen vel ipsa pavimenti marmora in minutissimas partes confracta sint ».

JULII III ANNUS 1. — CHRISTI 1550.

1. *Cardinalis de Monte creatur Pontifex nomine Julii III.* — Affulsit annus a partu Virgineo millesimus quingentesimus quinquagesimus felix Jubilei expiatione, et religionis orthodoxæ in Germania restituendæ spe, redintegratoque Concilio Tridentino a novo Pontifice Julio Tertio, qui ob varias cardinalium dissensiones, extracto in Conclavi ad tres ferme menses interregno præter expectationem conciliatis repente omnium voluntatibus, ad Pontificatum evectus est, ut Acta Consistorialia referunt[1] : « Die Veneris, septima Februarii MDL, hora tertia noctis, fuit electus et assumptus in Summum Pontificem reverendissimus dominus Joannes Maria episcopus Portuensis S. R. E. cardinalis de Monte, qui assumpsit sibi nomen Julii III ». Hic patre Vincentio Fabiani filio inter jureconsultos celeberrimo ex Monte Sabino agri Aretini oriundo, matre Senensi, a patruo Antonio Maria de Monte cardinale in litteris educatus, in quibus cum excelleret, Sypontinus archiepiscopus creatus, et Urbis etiam gubernationi a Clemente Pontifice bis præfectus, ac demum in Urbis excidio obses datus furenti Germano militi, ad Campum Floræ bis ad patibulum ab impiis latronis more raptatus, ereptusque a divina Providentia, Bononiensem legationem gessit, dein auditoris cameræ Apostolicæ munus cum laude sustinuit, postea Paulo III cum lectissimis viris in cardinalium numerum adscitus, et aliquot provinciis integre administratis conspicuus, in Tridentino Concilio una cum collegis Marcello Cervino et Reginaldo Polo, ac demum etiam solus Pontificis vice præfuit, Bononiamque transtulit, et ex Bononiæ et Concilii legato, atque episcopo Prænestino ad Pontificatum evectus est, octava Februarii, cui Guisium et Ferrariensem cardinales plurimum studuisse idem professus fuit in litteris eodem die ad ducem Ferrariæ exaratis[1] : « Factum est Dei in primis benignitate, in quem hoc totum referri debet, deindeque dilectorum filiorum nostrorum Guisa affinis et Ferrariensis fratris tui cardinalium in primis opera, studio et amore, quem ipsi nobis in hoc mirificum exhibuerunt, ut hodie concordibus cæterorum cardinalium fratrum nostrorum suffragiis ad apicem Summi Apostolatus evecti fuerimus, etc. die VIII Februarii MDL ».

2. *Julius notam facit suam electionem Cæsari, Parmam Farnesio restituit, et Lutheranos principes demulcere tentat.* — Studuisse etiam Julio pro assequendo Pontificatu Cæsareis partibus addictos cardinales ipse profitetur in litteris[2] ad Cæsarem proximo die exaratis (1),

[1] Franciscus Firmanus in Diario Ms. arch. Vat. tom. XI. p. 1. Adrian. l. VII. an. 1549. Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 19.

[1] Jul. III. l. I. brev. p. 18. — [2] Palavic. card. in Hist. Conc. Trid. lib.

(1) Si vera prodat Segni Hist. Florent. lib. XII, pag. 322. Cæsariani cardinales unum aliquem ex suis fautoribus assumere in Pontificem tentarunt, nempe Reginaldum Polum (quem historicus Raymundum de la Rosa mendose appellat) Anglum ; at cum cardinalium suffragia minora essent, quam ut rem evincerent, Cæsarianorum et Farnesianorum cardinalium studia in cardinalem Rodulphum Florentinum conversa sunt; sed illo subito fato extincto, tertius tandem venit in discussionem cardinalis de Monte, qui et a Farnesianis et ab imperialibus assumptus fuit in Pontificem. Dies electionis hujus satis constat ex Annalibus. Annos Pontificatus ab electione an potius ab assumptis Pontificiis insignibus duxerit ambigit Papebrochius in conatu ad chronolog. Pontif. ante tomum Maii. Mihi vero satis exploratum est epo-

quod admiratione certe non caruit, cum ille pro tuenda Pauli III dignitate adversus Cæsarem, ejusque administros Tridenti ac Bononiæ plura fortiter egisset, adeoque eorum odia in se asperasset, ut ab iis etiam vectigalibus episcopatus Ticinensis fuisset mulctatus.

Mox Cæsarem rogavit, ut pro tuenda restituendaque re Christiana, necnon obortis in ditione Ecclesiastica motibus compescendis imperatoriam operam auctoritatemque conjungeret, ut subjectæ ostendunt litteræ [1] :

« Imperatori.

« Charissime, etc. Placuit heri Deo Omnipotenti, cujus bonitas sæpe vocat ea quæ non sunt tanquam ea quæ sunt, humilitatem nostram misericorditer respicere, ac nos per concordia fratrum nostrorum suffragia ad apicem Summi Apostolatus subvehere, sicut a tuis plenius tibi significari non ambigimus, qua quidem in re cum benevoli ac studiosi tuæ serenitatis nobis plurimum faverint, tibi post Deum (cui hoc totum tribuendum est) valde nos debere fatemur, sed tamen, fili in Christo charissime, longe majus a tua serenitate beneficium universa nobiscum Christianitas postulat, ut scilicet multis ac magnis tam hujus Sanctæ Sedis, quam ipsius Christianitatis incommodis providere velis, opemque tuam afferre salutarem, res enim nostras valde perturbatas invenimus, ut vides, onusque administrandi Pontificatus semper quidem grave, at hoc tempore multo gravissimum nobis fore videmus, nisi benignus favor, ac bonitas tuæ serenitatis accesserit; quamobrem illam rogamus, ut nobis in tanto ferendo onere deesse nolit, hoc autem multis a te procedere rationibus potest, eaque in primis, si tuæ bonitati obsecutus hanc Sanctam Sedem (cujus advocatus es) in primis tranquillaveris, quod vel solo tuo nutu facere potes, deindeque erga bonum universale illum animum continuaveris, quem omnes speramus, quique optimo Cæsare dignus, et Deo Omnipotenti gratissimus est futurus, etc. Tuam Serenitatem diutissime ac felicissime a Deo conservari cupimus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die IX Febr. MDL, suscepti Pontificatus anno I ».

Recurrente die sacro Cathedræ S. Petri solemni ritu fuisse thiara Pontificia redimitum ab Innocentio Cybo diacono cardinale tradunt Acta Consistorialia, quod confirmat Angelus Massarellus [2], qui subdit præsentes fuisse huic coronationi oratores imperatoris, regis Christianissimi, Romanorum, Portugalliæ, Venetorum, Florentiæ.

[1] Jul. III. lib. brev. sig. num. 2889. p. 5. — [2] Ang. Mass. Ms. arch. Vat. p. 343. Franc. Firmanus in Diar. Arch. Vat. tom. XI. Diar. par. I.

3. Sanxerant in conclavi cardinales nonnullas pactiones, ad quas servandas sacramento se obstrinxerant, inter quas, urgente ac suæ domus commoda promovente Alexandro Farnesio, ea inserta fuit, ut qui renuntiatus esset Pontifex, mox accepto Pontificatu, Parmam Octavio Farnesio restitueret. Julius itaque ingentium malorum, quæ ex Parma restituta Octavio emersura erant, ac futuræ perduellionis Octavii ignarus, misso archiepiscopo Barensi, cui nomen erat de Saulis, dedit imperia Camillo Ursino Parmæ præfecto, ut eam urbem traderet Octavio, qui Pontificio mandato obsecutus, Octavium in Parmæ possessionem induxit : aliæ vero pactiones ad cardinalium commoda compositæ, ut iniquæ a Julio, exemplo Innocentii VI, rescissæ sunt : tum instaurandi Concilii cupidissimus Petrum Toletanum ad imperatorem proficisci jussit, ut illi flagrantissimum pietatis ardorem, pro asserenda religione tuendaque reipublicæ Christianæ tranquillitate, et alenda pace significaret; cum nullum præstantius esset remedium pro hæreticorum frænanda licentia, coercendaque improbitate, necnon pro Turcarum propulsanda tyrannide, quam ut firmissima concordia inter Christianos principes redintegraretur; tum etiam faceret certiorem se nulla erga eum amantissimi patris officia prætermissurum, tum illi Alexandrum Farnesium cardinalem atque Octavium Cæsareum generum commendavit; quæ litteræ XVI Februarii hujus anni consignatæ sunt.

4. Misit eadem die Julius ad Henricum Galliæ regem abbatem Rossettum cum litteris humanissimis, insignibusque amoris notis aspersis, restitutæque Octavio Parmæ causas exposuit, ut bellici incendii exorientem in Italia flammam extingueret, affectandæque a Cæsare Parmæ occasionem adimeret.

Addit Angelus Massarellus [1], Julium Pontificem octava Februarii die excurrentis hujus anni MDL, statim plura virtutum exempla explicuisse, benignitatem in primis erga Romanum populum, et alienum ab avaritiæ sordibus animum sublato vectigali acerbo, quod molendo frumento impositum erat magna pauperum calamitate, quodque etiam Paulus III in extremo mortis confinio remiserat; abolevisse etiam aliud molestum vectigal contractuum, liberalitatem etiam munificam in plures effudisse, maxime in cardinales, a quibus ad partam dignitatem fuerat provectus.

Nec modo in amicos exercuit munificentiam, sed etiam erga eos qui indigne illum

[1] Ms. arch. Vat. n. p. 343.

cham illum suam ab electione cœpisse cum in Annalibus anno MDLII, num. 17, legatur Bulla die XX Februarii eodem anno MDLII data quæ annum Pontificatus III præfert; qui sane annus tertius nondum obtinuisset, si ab assumpta Pontificia corona supputandus fuisset.
MANSI.

injuria affecerant, ac inter alios Hieronymum Rubeum, qui Ferdinando Gonzaga et senatu Mediolanensi impellentibus illum in Ticinensis episcopatus possessione ante improbissime divexarat, damnatusque a Paulo propterea fuerat, protritis omnibus generosa oblivione injuriis, Ticinensi episcopatu ornavit; Julio Madrucio cardinali, qui ob avitam nobilitatem fastu turgidus inhoneste illum, dum præsidem Concilii Tridentini ageret, tractaverat, non modo illa decem millia nummorum, quæ a Paulo III ob quosdam sumptus controversos repetere non potuerat, illi refudit, sed etiam aliorum decem millium munere illum cumulavit: tum etiam Germaniæ principes Lutheri fraudibus irretitos ad Ecclesiæ gremium revocare studuit: quo argumento inscriptæ sunt litteræ [1] multis amoris notis illustres Mauritio duci Saxoniæ, quem amplissimo principatu a Cæsare auctum ad Catholicam fidem ejusdem Cæsaris opera sperabat rediturum.

« Dilecto filio nobili viro Mauritio duci Saxoniæ, sacri Romani imperii principi electori.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem. Licet assumptionem nostram ad summi Apostolatus apicem, quam Deus Omnipotens octava die hujus mensis per concordia omnium fratrum nostrorum suffragia operari dignatus est, jam credamus tibi notam, tamen illam tibi tanquam sacri Romani imperii principi et electori, summa nobilitate, virtute et auctoritate præstanti, etiam nostris litteris notam esse voluimus, ut eam certius acciperes nobis scribentibus. Nos quidem, fili, nostræ imbecillitatis conscii, totum hoc in Deum referentes, ut debemus, nihilque nostris meritis, quæ nulla sunt, tribuentes, et tanti ponderis gravitate horremus præsertim his temporibus ac moribus, quæ tam difficilem regendi rationem habitura videntur, quo magis Dei clementiam imploramus, ut in ferendo onere nobis ipse adsit, qui illud imposuit, et tuæ quoque nobilitatis, cæterorumque principum dignitate atque auctoritate pollentium pium nobis juvamen conciliet et concedat, ut qui nostræ virtuti diffidimus, ejus sancto auxilio, vestrarumque cooperatione pietatum tantæ curarum moli, cui nos longe impares cognoscimus, sufficere ad Dei servitium et bonum commune possimus, in quo non dubitamus tuam nobilitatem nobis pro sua pietate et principis electoris officio ac dignitate amanter ac ad futurum, cui quidem nos in omnibus ejus honestis desideriis paterno animo ac voluntate semper respondebimus. Datum Romæ die ultima Febr. MDL, anno I ».

5. *Carolus V Julio pollicetur se Ecclesiam defensurum, et Julius Carolo paterna officia repromittit.* — Frustra demulcere ferocem ac impium principem nisus est Julius, quem ad opprimendum insigni proditione Cæsarem, Conciliique Tridentini Patres trucidandos fugandosve conjurasse visuri sumus. Respondere vero mutuis officiis Pontifici alii reges ac principes, ac inter alios Carolus Cæsar humanissimis litteris [1] amantissimi et obsequentissimi filii officia illi detulit, Sedisque Apostolicæ et Ecclesiæ dignitatem omni studio defensurum est pollicitus:

« Beatissimo in Christo patri et domino, Domino Julio III, divina providentia sacrosanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, domino nostro reverendissimo.

« Carolus, divina favente clementia, Romanorum imperator Augustus, ac rex Germaniæ, Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ etc. archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ etc. comes Flandriæ, Tyrolis, etc.

« Beatissime pater, domine reverendissime. Etsi jam pridem quum publico rumore primum, deinde vero e litteris oratoris nostri isthic ex Urbe ad nos perlatum esset Sanctitatem vestram sacrosancti cœtus amplissimorum Patrum S. R. E. cardinalium concordibus suffragiis ad Summi Apostolatus munus Dei Optimi Maximi beneficio assumptam esse, id sane perquam libenter, audiverimus, gratissimum tamen fuit hoc ipsum e Sanctitatis vestræ litteris cognoscere, quas plenas benevolentiæ per internuntium suum ad nos dedit: antea enim Ecclesia pastore destituta, cum ingens desiderium ac summa omnium esset expectatio, ut talis illi præficeretur, qui et posset et vellet publicæ necessitati succurrere, cum animum Sanctitatem vestram ad hanc administrationem adferre magna cum voluptate accepimus, nam plerumque, quod litteris suis id amplissime testatur Sanctitas vestra, ea insuper initia dedit, unde in summam spem adducimur nihil de hac præclara sua voluntate toto administrationis suæ cursu Sanctitatem vestram remissuram, atque adeo ex ejus assumptione rempublicam Christianam amplissimos fructus consecuturam esse, id quod optamus, et summis precibus a Deo Domino flagitamus. Quod autem ad nos attinet, dabimus sane, quantum Dei benignitas nobis concesserit, omnem operam, ne opinionem, quam animadvertimus Sanctitatem vestram de nobis concepisse, modo fefellisse videamur, neque committemus, quantum in nobis erit, ut quispiam in tuenda Ecclesia, ac illius procurandis commodis nos segnes aut remissos jure merito arguere possit, quin et hortationi et expectationi Sanctitatis vestræ pro virili respondebimus, nihil recessuri de veteri nostro instituto, et in reddendo eidem Sanctitati vestræ et isti Sanctæ Sedi officio cum

[1] Brev. Julii III. an. 1550. p. 183.

[1] Jul. III. lib. brev. p. 88.

omni submissione et animi alacritate, cum quovis alio contendemus. Interim vero dum Petrum de Toleto, quem Sanctitas vestra se missuram ad negotia scribit, expectamus, ne quidquam de officio nostro prætermisisse aut longius distulisse videamur, mittimus ad Sanctitatem vestram debita ad hoc opera magnificum fidelem nobis dilectum Ludovicum de Zuniga commendatorem Ordinis militaris de Alcantara nuncupati, familiarem et cubicularium nostrum, qui cum oratore nostro Sanctitatis vestræ pedes nomine nostro deosculetur, et assumptioni ad hunc summum gradum Apostolatus gratuletur. Itaque Sanctitatem vestram summopere rogamus, ut nos filiis obedientibus connumerare, et quando amore tam paterno nos prosequitur, sibi vicissim de nobis ea polliceri velit, quæ ab obedientissimo filio expectari possunt et debent, et præfatum Ludovicum de Zuniga ac oratorem nostrum in his, quæ Sanctitati vestræ verbis nostris expositúri sunt, et benigne audire, et eam fidem adhibere, quam nobis ipsis, si adessemus, esset datura; quod superest, Deum Optimum Maximum precamur, ut in honorem et obsequium suum, Ecclesiæ suæ augmentum, et Christiani populi communem salutem Sanctitatem vestram diu servare incolumem, feliciterque præesse velit. Datum in oppido Bruxellensi Ducatus nostri Brabantiæ, die penultima mensis Februarii, anno Domini MDL, imperii nostri XXX, et regnorum nostrorum XXXV ».

6. Detersit Cæsar iis litteris ex animo Julii omnem aversam suspicionem ob illatas antea illi ab administris Cæsareis injurias conceptam, mirificeque recreatus Cæsaris officia pietatemque amplissimis laudibus extulit, vicissimque se Pontificia benevolentia paternisque officiis Cæsarem complexurum est pollicitus, ut sequentes probant litteræ [1]:

« Imperatori.

« Charissime etc. Attulit ad nos dilectus filius Ludovicus de Zuniga intimus cubicularius tuus litteras serenitatis tuæ plenas humanitatis, benevolentiæ et pietatis nobis longe gratissimas, quas etiam ipse prudenti sermone subsecutus fecit nobis gratiores, nam et de tuo in nos amore et propensa in hanc Sanctam Sedem voluntate multa commemoravit, quæ nobis audire fuit dulcissimum, ipso præsertim Ludovico referente, quem tibi merito charissimum ad hoc munus fuisse electum non parum gavisi sumus; ex hoc enim major tuæ serenitatis amor in nos apparuit, quanquam et ipsæ litteræ, quas attulit, ita undique pietatem tuam spirant, ut nihil illis gratius, nihil jucundius nobis accidere potuerit, quanti enim hæc sunt in tuis litteris perscripta verba: te omnem daturum operam, ne opinionem, quam nos de te concepisse animadvertis, ullo modo fefellisse videaris, nec commissurum, quantum in te erit, ut quispiam in tuenda Ecclesia, ac illius procurandis commodis te aut segnem aut remissum merito arguere possit. Addis etiam te et hortationi et expectationi nostræ pro virili responsurum, et in reddendo nobis et huic Sanctæ Sedi officio cum omni animi alacritate cum quovis alio certaturum esse, quæ verba, fili charissime, nobis non tam atramento et calamo quam corde et animo, et imperiali quadam magnanimitate perscripta videntur, ob quod erunt in animo ac memoria nostra infixa sempiterna. Quid enim nobis optabilius esse aut potest, aut debet, quam totos nos religioni et Ecclesiæ vacare posse, a tumultibus quiescere, teque potentissimum Cæsarem sicut officio et titulo advocatum Ecclesiæ habemus, ita etiam tuo studio et voluntate, sub cujus præsidio tuti nostrum munus exequi cum tranquillitate animi et sancto Dei servitio possimus, ad hunc scopum omnes curas et cogitationes nostras dirigentes. Quo gaudio excipere debemus hunc animum serenitatis tuæ, quem nobis offers et polliceris, qua instantia Deo supplicamus, ut te talem tantum principem nobis et Ecclesiæ diutissime conservet? Sumus id quidem, fili charissime, continue facturi, paternaque ac peculiari benevolentia semper tibi responsuri, sed super his diffusius cum ipso Ludovico collocuti sumus: Nos tuæ serenitati de humanissimo atque amantissimo gratulationis et oblationum tuarum officio per ipsum Ludovicum et oratorem nobis præstito gratias agimus, utinamque cum Deo referre aliquando possimus. Tibi quidem ac tuis omnia felicia a Deo optamus et speramus ad honorem nominis sancti sui, totiusque Christiani nominis tranquillitatem et pacem. Datum Romæ apud S. Petrum die XII Aprilis MDL, anno I ».

7. *De redintegrando Concilio Tridentino agitur, necnon de removendis impedimentis huic redintegrationi præsertim a Gallo rege suscitatis.* — Adstricta est ita inter Julium Cæsaremque arctissima conjunctio, adeo, ut qui antea, dum præsidem Concilii ageret, Concilii Tridento transferendi auctor fuerat ob animum a Cæsareis libertatem Concilii infringentibus abalienatum, ac postea Bononiæ gravissime intercesserat, ne a Paulo III in id inclinante Concilium, petente Cæsare, Tridentum revocaretur, jam in alium mutatus virum, omnes curas et studia converterit, ut Tridentum illud restitueret: de quo hæc in veteri Ms. [1] referuntur, significasse Julium III Cæsari optimam erga eum voluntatem; atque summo candore sine ulla arte ac dolo cum eo acturum: velle Tridentinum Concilium instaurare, etiam ob commoda quæ in Cæsarem ex eo redundarent, sed necessarium

[1] Jul. III. l. I. p. 87.

[1] Ms. card. Pii sig. num. 45. sub fin. l. III. ex Ital.

esse, ut Gallorum quoque rex suam operam opemque in id conferret, ejusque regni præsules illi interessent, ne Concilium nationale fieret, atque Gallia ab Ecclesia discederet : secundo conducere ut daret operam, ne inani otio ac mora tempus teratur in Concilio, inopesque episcopi sumptuum diuturna profusione vexentur, nec legati otio marcescant, atque adeo necessarium, ut Cæsarea majestas Germaniam ita contineat in officio, ut tum Catholici, tum Protestantes Concilio sint parituri : tertio, ut Protestantes decreta Concilii se suscepturos polliceantur, dataque est a Pontifice opera, ut hæc ubique promulgarentur.

8. Commendavit Cæsar Pontificia studia, ac se Concilium contra hostilem vim protecturum spopondit, sed a Lutheranis delusus est, nec enim illi parere Concilio, sed illud una cum Cæsare opprimere armis meditabantur, eamque ob causam non in Italia, sed in Germania cogi flagitarunt. Addit autem Angelus Massarellus [1] in Diario, missum ab imperatore nobilem Hispanum Avilam XXV Martii, libasse pia oscula Pontificiis pedibus nomine Cæsaris, gratulatum de parta Pontificia dignitate, Cæsaremque Pontificis mandatis obedientem futurum professum esse : subjungit sequenti die Claudium Durfe provinciæ Foresii præfectum, Henrici regis Galliæ oratorem, regio nomine Julio obedientiam detulisse, ac pedes sacros deosculatum, a Pontifice vero ad manus et oris osculum admissum.

Tradunt vero Acta Consistorialia in his primis Pontificatus auspiciis Julium de redintegrando Concilio, deque restituenda puritate morum, et Ecclesiastica disciplina in meliorem formam revocanda verba fecisse cum cardinalibus, necnon Tridentini cœtus Paulo adversi principem Pacecum cardinalem sibi conciliasse, dedisseque illi annulum, ac pro titulo cardinalitio Ecclesiam S. Balbinæ contulisse, tum sex cardinales consultores elegisse, decanum, Tusculanum, Crescentium, Sfondratum, Cybum ac Polum, ut quæ in sacerdotiorum collatione emendanda essent, scriptis consignarent. De provocanda etiam in opus Pauli III Constitutione edixisse, ut cardinales, qui plures metropolitanas vel cathedrales Ecclesias obtinerent, vel alias administrarent, retenta principe una quam vellent, aliarum jure cederent semestri flexu, administrationemque abjicerent.

9. Mense Aprili Cæsareus orator Didacus Mendoza ardentissimo studio flagitavit a Julio, ut intermissum Tridentinum Concilium instauraret, cujus precibus flexus Julius, in sacro senatu exposuit quanti referret, pro divina tuenda gloria et asserenda fide Catholica illud Concilium redintegrare, atque etiam contrarias difficultates ostendit, quas magna consilii et prudentiæ maturitate excuti voluit, ut refert Angelus Massarellus [1], qui addit :

« XIX Aprilis, quoniam illustrissimus D. Didacus orator Cæsareæ majestatis maximopere instabat apud summum Pontificem nomine majestatis suæ ut reduceret Concilium ad civitatem Tridentinam, prout hactenus sub Paulo III sua majestas multoties diversis argumentis idem postulaverat, Sanctitas sua, ne Cæsareæ majestati ac reipublicæ Christianæ deesset, neque etiam auctoritatem ipsius Concilii et sanctæ Sedis contemneret, id cum cardinalibus alias ad id deputatis consulere prius voluit, eisque difficultates aliquas, quæ sese in hac causa offerebant, patefacere, quas difficultates hodie ad ipsos reverendissimos dominos transmitti curavit, etc.

Mox subjicit [2], prosecutionem Concilii omnino necessariam visam esse, cardinales vero, quos huic rei præfecerat, fuisse Tranensem, Neapolitanum, Moronum, Cusentinum, Sfondratum, Polum et Marcellum tit. sanctæ Crucis.

Quod ad difficultates instaurandi Concilii Tridentini attinet, eas omnino graves extitisse constat ex veteri Ms. Vaticano [3], in quo eæ recensentur, quas cardinalis Moronus, qui in ea causa decretus fuerat, proposuit :

« Reverendissimi domini Moroni difficultates solvendæ pro Concilio Tridentino MDL ».

« Prosecutio Concilii videtur omnino necessaria ex pluribus causis satis notis. Hoc stante, quoniam conventus Germaniæ, et status tam Protestantium quam Catholicorum submiserunt se, ut dicitur, Concilio Tridentino, et causa potissimum Germaniæ agitur, videtur negari non posse quin Concilium ipsum Tridenti prosequi et celebrari debeat. Hoc præsupposito, nonnullæ difficultates occurrunt, quibus providendum est.

« Prima videtur esse, quomodo Tridentum reduci debeat sine læsione auctoritatis Sedis Apostolicæ et ipsius Concilii, attenta translatione jam facta, et pendentia litis ipsius translationis. Secunda difficultas est, quia dubitatur, quod Germani Protestantes non venient, et si venient, an et quomodo sint admittendi, et quod prælati etiam Catholici Germani non comparebunt, nisi per procuratores, quos Concilium nullo modo admittet.

« Eadem dubitatio est de prælatis Galliæ quod non sint venturi; et similiter de prælatis Italiæ, cum sint pauperes, et experientia hoc ostenderit; consideretur igitur quid in his casibus agendum sit. Tertia difficultas est, quia videtur, quod Sedes Apostolica, cum sit adeo exhausta, non poterit sufferre expensas legatorum, neque subvenire prælatis indigentibus,

[1] Ang. Mass. p. 350.

[1] Ang. Mass. in Diar. rer. Jul. III. p. 356. — [2] Ib. p. 368. — [3] Ext. in to. XIII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 208.

neque alios sumptus necessarios facere. Quarta difficultas videtur esse propter loci angustiam, et aliarum rerum penuriam in civitate Tridenti, si contigerit in ea fieri magnum concursum prælatorum. Quinta difficultas est, ubi comparerent Protestantes, vel alii qui vellent retractare, vel in dubium revocare jam decisa et diffinita per Concilium Tridentinum : quod videtur esse contra sacros canones et approbata Concilia. Sexta difficultas, nam si tractandum erit de reformatione generali, non solum proponetur reformatio clericorum, verum et laicorum etiam principum, et tunc posset contingere, quod tractandum esset de negotiis aliquibus tangentibus interesse Cæsareæ majestatis, et præjudicium aliorum, qui conqueri possent quod locus Tridenti esset ipsis suspectus et Cæsari nimis affectus. Ultima difficultas est, ubi in Concilio non fieret debitus progressus, et sic tempus incassum tereretur, quod non esset sine intolerabili jactura et magno dedecore Sanctæ Sedis, quid in eo casu agendum esset ».

10. Augebat has difficultates Henricus Galliæ rex, qui in Cæsaris odium susceperat defendendum Bononiense Concilium, ac vehementer abhorrebat, ne illud Tridentum revocaretur, ex quo Germani intestina dissidia compondituri religionis dissidiis compositis credebantur, ex quorum concordia imperii potentia refloresceret : politicis ita privatisque commodis illusus opinabatur, res Gallicas majus incrementum suscepturas, si potentia Cæsaris Lutheranorum dissidiis implicita distineretur : eamque etiam ob causam, cum Julium Pontificem Cæsari adversaturum putaret ex gestis præteritis, illi ardentissimo studio armorum Gallicorum potentiam adversus ejus hostes obtulerat. At Julius susceptis Ecclesiæ gubernaculis, pacis consilia versabat animo, ejusque beneficio hæreses, quæ propter bella excreverant, exscindere meditabatur; quare studia sua convertit ad Henricum regem flectendum, ut a bellicis consiliis et fovenda Lutheranorum perfidia ac perduellione ad divinam gloriam amplificandam, religionemque Catholicam defendendam, ex qua illius ac regni salus pendebat, regia studia traduceret, in qua re administrum atque interpretem adhibuit Guisium cardinalem [1], qui multa apud Henricum regem gratia florebat, ut eum ad conjungendam regiam operam pro Concilio Tridenti instaurando adduceret.

« Cardinali de Guisia.

« Dilecte fili noster, salutem etc. Quam probe meminimus, quam diffuse et particulariter, quave nostri in te amoris fiducia, longoque discursu, antequam a nobis discederes, tecum locuti fuerimus super materia Universalis Concilii, memoriaque etiam tenemus, qua tu pietate et boni cardinalis officio, ea ipsa quæ tecum loquebamur, appehenderes et admitteres, cupimus propterea, ut hæc etiam reliqua, quæ super eadem re venerabilis frater Antonius episcopus Tolonensis secum defert et tecum communicare a nobis jussus est, plene ex eo cognoscas : utque in ea occasione, quam opportunam existimaveris, vel solus, vel ipso episcopo Tolonensi adjuncto, majestatem Christianissimi regis de his ipsis plenius edoceas et capacem reddas. Quo eadem majestas liquido intelligat, qualem honoris et dignitatis ejus in hoc rationem habeamus, et quod in hujusmodi negotio nec omittitur nec omittetur quicquam a nobis, quod nostræ pastorali vigilantiæ, et in ipsum regem paternæ benevolentiæ convenire possit. Quemadmodum hæc plenius et uberius dicet circumspectioni tuæ idem Antonius episcopus nuntius, cujus verbis nunc et deinceps circumspectio tua fidem præstabit indubiam. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XVI Junii MDL, anno I ».

11. De Tolonensi episcopo in Gallias misso ad Henricum Galliæ regem meminit Massarellus, atque ex veteribus Monumentis [1] peculiariter colligitur Julium, inter alias pactiones in conclavi a singulis cardinalibus sacramento confirmatas, se obstrinxisse ad Concilium, quod a Paulo ob motas de jure translationis lites intercisum fuerat, redintegrandum, partoque Pontificatu se amplissimis verbis promovendi Concilii cupidissimum demonstrasse, modo veteri ritu et instituto, modo pro asserenda orthodoxa fide, modo pro exscindenda hæresi, modo pro tuenda Sedis Apostolicæ dignitate, modo pro constituenda publica re, alenda pace, et ipsius Cæsaris rebus adversus novatores constabiliendis celebraretur : porro Hurtadum Mendozium oratorem Cæsareum medio Aprili gravissima oratione apud Julium contendisse, ut Concilium Tridenti instauraretur, ac Julium ea de causa summorum virorum congregationem pro re provehenda instituisse : etenim jam versa erat rerum facies, et veteres litium causæ evanuerant. Paulo enim Pontifice transferendi Tridento Concilii ea causa maxima fuerat, concepta gravissima suspicio impediri Concilii libertatem in damnandis Lutheranorum hæresibus, ne exasperati ea damnatione consurgerent in arma, tum ne, Pontifice affectæ ætatis ex humanis sublato, Tridentini cœtus creandi Pontificis jus sibi arrogarent; jam vero evanuerat ea iniqua suspicio; cum (extincto Paulo) card. Pacechus, dimisso cœtu Tridentino, Romam se contulisset, ac reliqui præsules Hispani Tridento discessissent, itaque si jam instauraretur Concilium sola auctoritate

[1] Brevia Jul. III. 1550. p. 279.

[1] Sfortia Pallavic. card. l. XI. c. 8. Diar. Massarell. Eod. c. 8. Eod. cap.

Apostolica, penitus scilicet extincta veteri lite, instauratum iri. Præterea internuntii Pontificii, qui apud Cæsarem in Germania agebant certiorem fecere Pontificem celebrandi Concilii extremam necessitatem urgere, non quidem, quod affulgerent spes Lutheranorum principum ab hæresi revocandorum, cum opibus Ecclesiasticis inescati prædæ avidissime inhiarent, tum quia populi morum licentiæ effusæ assueti, a severitate Catholica maxime abhorrebant; sed quia gravissimum impendebat discrimen, ne reliqui principes Catholici pravis hæreticorum principum exemplis incitati, præsentiumque rerum illecebra lactati a fide deficerent; Pontificiam etiam auctoritatem, quæ legibus a Cæsare in rebus fidei temere latis labefactata fuerat, (celebrato Concilio) confirmandam, antevertenda quoque graviora pericula, ne Cæsar, intermisso Concilio, Pontificem ac senatum cardinalium inertiæ accusaret, atque Ecclesiasticam auctoritatem, supplendi tanti defectus obtenta specie, invaderet ac iniquas leges conderet, vel cum hæreticis fœdus exitiale pangeret : nec justi e præteritis exemplis petiti deerant metus, nam Cæsar vigesima quarta Junii comitia Augustæ celebraturus summa contentione apud Julium institit, ut Concilium Tridenti indiceret; ut vero id rite fieret, Julius ad Cæsarem Sebastianum Pighium Manfredoniæ sive Sypontinum archiepiscopum miserat prima die Julii, qui ipsum ad tuendum Romanæ Ecclesiæ jus et dignitatem certis legibus adstringeret.

12. *Scribit Julius multis principibus Germaniæ, etiam hæreticis, occasione Concilii.* — Jussus etiam est Pighius internuntius de eadem re agere cum Philippo, ejus nominis Secundo, Hispaniæ principe, et Mauritio duce Saxoniæ, ad quem extant hæ litteræ Pontificis [1] paterni in eum amoris indices.

« Mauritio duci Saxoniæ, etc. electori.

« Dilecte fili, nobilis vir. Mittimus venerabilem fratrem Sebastianum archiepiscopum Sypontinum ad serenissimi Cæsaris majestatem nuntium nostrum ordinarium latorem præsentium, cui mandavimus, ut nobilitatem tuam, quam ut sacri Romani imperii principem electorem, multaque virtute, nobilitate et auctoritate fulgentem paterne diligimus et magni facimus, a nobis inviseret ac salutaret, nostrumque erga illam peculiarem et paternum amorem ei declararet ac referret, tum in omnibus per eum et pro tempore tractandis tuo favore et gratia semper uteretur, etc. Datum Romæ XXII Junii MDL, anno I ».

13. Conceptæ sunt iisdem verbis litteræ ad marchionem Brandeburgensem ac Fridericum [2] comitem Palatinum Rheni electorem, Lutherana impietate inquinatos, tum ad Catholicos principes Henricum ducem Brunsvicensem multis pro tuenda fide orthodoxa laboribus exercitum ab impiis, ad quem, aliis autem litteris, hæc scripserat Pontifex : « Tuos sanctos labores, pericula, detrimenta atque incommoda, quæ pro Dei causa passus es, nunquam oblivisci poterimus »; ad Albertum ducem Bavariæ, qui Willelmo duci parenti, strenuissimo religionis defensori, successerat, necnon ad Moguntinum, Coloniensem ac Treverensem archiepiscopos. Porro Cæsar ac Ferdinandus rex Bohemiæ, principesque Catholici propositas a Pontifice pro celebrando Concilio leges admisere, mussitantibus contra hæreticis. Quod ad Brunsvicensem principem vexatum ab hæreticis attinet, referunt litteræ [1] ad cardinalem camerarium scriptæ VIII Septemb. MDL, etiam præsente in Germania Cæsare, bellicos motus exortos inter Brunsvicenses cives Lutheranos, ac ducem Brunsvici Catholicum, atque Brunsvicensibus civitates liberas, studio asserendæ Lutheranæ hæreseos, inito armorum fœdere, sese conjunxisse, easque potissimum, quæ non modo fœderatæ sunt pro mutua ditionum suarum defensione, sed etiam pro tuenda nova religione, contractisque copiis equestribus ducem illum Catholicum accerimo bello appetiisse, qui ad Cæsarem perfugit, a quo militaris præco missus, qui utramque partem arma ponere jusserit, atque in comitiis imperii legibus disceptare. Cæterum in conventu Ordinum imperii electores laicos, Mauritium Saxonem, Brandeburgensem et comitem Palatinum non comparuisse, sed tantum procuratorum opera, qui præter Cæsareæ majestatis opinionem adversus Concilium inhonestam protestationem ediderint, induciarum tempus inter Romanorum regem et Turcam effluxisse, atque in dies ingentium adversus Hungariam apparatuum famam increbrescere.

14. *Aliqui cardinales deputati ad sanctiorem morum disciplinam restituendam.* — Mense Julio Pontifex ad muniendam celebrando Concilio viam, in cardinalium senatu egit de condendis nonnullis decretis pro Ecclesiastica disciplina in sanctiorem formam redigenda, ut narrant Acta Consistorialia, deputavitque sex cardinales, qui huic reformationi incumberent, et ad tollendas corruptelas conclavis reverendissimos de Medicis et Maffeum, ut notarent ea quæ sibi viderentur ad defugienda scandala et electionem Pontificis facilem reddendam.

15. Accepto felici Germanorum responso, opera Pighini internuntii Pontifex illud ad internuntium apud Venetos agentem transmisit, ut de eo cum duce et senatu ageret, ut scribit Massarellus [2], subditque in consilium adhibitos fuisse a Pontifice nonnullos cardinales pro

[1] Jul. III. lib. brev. p. 152. — [2] Reg. post eamd. Ep. p. 17. Pag. 214. Pag. 152. Pag. 335.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 137. p. 127. — [2] Ang. Mas. secr. in Diar. Ms. arch. Vat. p. 375.

corruptelis veteribus abolendis et sanctiore disciplina constituenda :

« MDL. XXIX Septembris quoniam in Concilio Tridentino ob supervenientem morbum lenticularum et pestis, ex quo secuta est postea translatio ad civitatem Bononiensem, neque in ipsa civitate Bononiensi ob protestationes Cæsaris contra Concilium, et advocationem causæ judicii ipsius translationis factam a felicis recordationis Paulo papa III, reformatio morum perfici non potuit, et ne diutius collapsi mores tam cleri quam populi inemendati permaneant; decrevit sanctissimus dominus noster Julius III ipsam reformationem præ manibus sumere et perficere, quare exemplo prædecessoris sui aliquos peritos piosque cardinales in consilium adhibere volens vocavit per suas litteras in forma Brevis his diebus reverendissimos dominos cardinales Marcellum Sanctæ-Crucis, qui secundus præsidens, et suæ Sanctitatis tunc collega in ipso Concilio tam Tridenti quam Bononiæ, fuit, Joannem Moronum, et Reginaldum Polum, qui nunc absentes sunt ab Urbe, ut Romam revertantur, et una cum eis et quibusdam aliis ipsum reformationis negotium prosequatur ».

16. *Henricus Galliæ rex benigniorem se præbet postulatis Pontificiis de Concilio, et petit ut confirmentur veteres Ecclesiæ Gallicanæ immunitates.* — Iisdem ferme diebus Julius [1] Henrico Gallorum regi significavit, cum Cæsare conventum esse pro celebrando iterum Concilio Tridentino, illumque piis monitis cohortatus est, ut pro delenda hæresi, atque innumeris animabus ab æterno exitio in salutis viam et Ecclesiæ gremium revocandis, regia studia conjungeret.

« Regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Intelleximus nuper ex litteris venerabilis fratris Sebastiani archiepiscopi Sypontini, nostri apud Cæsarem serenissimum imperatorem nuntii, se nostro nomine cum ipso operam suam interposuisse, ut Œcumenicum et sacrosanctum Universale Concilium pro totius Christianæ reipublicæ bono et hæresum extirpatione a felicis recordationis Paulo papa III prædecessore nostro indictum, et per nos tunc cardinalatus honore fungentes, et ipsi Concilio præsidentes inchoatum et fore absolutum, in proximis Quadragesimæ jejuniis prosequi, et ad optatum finem perducere, cooperante Domino valeamus. Quo quidem nuntio non mediocrem sane lætitiam cepimus. Speramus enim Dei benignitate fore ut ex hoc omnis de religione dissensio tollatur, et summa cunctæ Christianitatis tranquillitas subsequatur. Itaque cum sciamus te pientissimum et religiosissimum principem, pro tua et Christianissimorum regum antecessorum tuorum consuetudine, tanquam ad commune, præsertim religionis, commodum tendunt, libenter cogniturum, has nostras ad te statim dandas duximus, majestatem tuam in Deo Domino hortantes, et in visceribus charitatis enixe requirentes, ut pro tua auctoritate, quæ certe maxima est, in omnibus ad hoc tam sanctum, necessarium et laudabile opus perficiendum nobiscum adesse, idque omni studio, opera, consilio confovere velit. Sicut te pro tua inclyta erga Deum pietate et in hanc Sanctam Sedem observantia facturum esse confidimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXII Septembris MDL, anno I ».

Assensit postulatis Pontificiis [1] Henricus Galliæ rex, quod mirum visum est, cum nimiæ Cæsaris potentiæ invideret, optaretque illum dissidiis Lutheranorum implicitum distineri, ut jam ante ejus administri sermonibus ostenderant, sed illum gravissimæ causæ in hanc partem flexere, nimirum illi ostensum, non provehendæ rei Cæsareæ consilio, sed religionis tantum asserendæ, et hæreseos delendæ studio Pontificem permoveri, ac Synodum Œcumenicam indicendam, qua celebrata, cum Lutherani in perfidia obdurescant, Cæsarem in iis debellandis, cogendisque ad officium occupatum iri, nec rei Gallicæ negotium exhibiturum, sin vero Concilium denegetur, illum fœdus cum hæreticis Germanis initurum, ac tum arma in Galliam facile aversurum : dum vero Concilium teneret, pacem necessario a Cæsare cultum iri, ne Concilium disturbet. Hac vero lege Concilio Tridenti celebrando Galliæ regem assensisse refert Thuanus [2], ut in eo nihil adversus jus regium Gallicum, nec adversus immunitates et jura Gallicanæ Ecclesiæ decerneretur.

17. Prætermittere hoc loco non possumus Henricum regem immunitatum Gallicanæ Ecclesiæ tuendarum, sive jurium regiorum in beneficiorum Ecclesiasticorum causa asserendorum cupidum flagitasse a Julio, ut veteres pactiones inter Leonem X et Franciscum I sancitas instauraret; de qua re extat ejusdem regis Diploma [3] :

« Henricus Dei gratia Francorum rex, universis præsentes litteras inspecturis, salutem, etc.

« Cum postquam nos, defuncto claræ memoriæ Francisco Francorum rege Christianissimo genitore nostro, cui per felicis recordationis Clementem Septimum et prius per Leonem X seu alios Romanos Pontifices nonnulla nominandi ad Ecclesias cathedrales et monasteria, seu alia beneficia Ecclesiastica certo modo qualificata in regno Franciæ, ac certis aliis dominiis, necnon ducatu Britaniæ, et provincia Pro-

[1] Brev. Jul. III. 1550. p. 335.

[1] Sfortia Pallavic. card. l. XI. c. 9. — [2] Jac. Aug. Thuan. l. VII. — [3] Acta Consist. Ms. card. Spadæ num. 134. p. 276.

vinciæ consistentia extra Romanam curiam pro tempore vacantia, privilegia et indulta certis modo et forma concessa fuerunt, apud sanctissimum dominum Julium III Pontificem Maximum ad præsens regnantem pro similibus privilegiis et indultis instaremus, et a Sanctitate sua illa nobis, prout dicto genitori nostro concessa erant, nostra vita durante, pariter concedi peteremus, pro parte ejusdem sanctissimi Domini nostri, tam nostris apud Sanctitatem suam agentibus, quam nobis per ejus nuntios fuerit significatum, ut cum in dicto regno Franciæ et Delphinatu, et Comitatu Viennensi et Valentinensi ultra, et præter, et forsan contra tenorem concordatorum dudum inter dictum Franciscum regem genitorem nostrum et Leonem Decimum et Sedem Apostolicam prædictos initorum, nonnulla in diminutionem et præjudicium Ecclesiasticæ libertatis et auctoritatis sanctæ Apostolicæ Sedis attentata esse et continuo attentari reperiuntur, pro nostra erga dictam Sanctam Sedem devotione, attentata hujusmodi impedire et prohibere, ac ut Sanctitas sua dictaque Sedes, juxta concordata prædicta pleno suo jure et auctoritate uti fruique valeat, providere faceremus. Unde re omni particulari in scriptis nobis tradita, et ad notitiam nostram deducta tam ex juris debito, quam volentes et Sanctitatem suam dictamque Sedem Apostolicam non minori quam in privilegiis et indultis nobis concedendis prædictis benevolam et gratam nobis esse speramus, gratitudine et benevolentia prosequi ; in primis taliter providendum duximus, prosequimur et plena nostra scientia et auctoritate regia tenore præsentium diximus, et declaravimus, ac dicimus, et declaramus nostram præcipue voluntatem et intentionem fuisse et esse non transgredi nec terminos nec sensum dictorum concordatorum. Itaque per præsentes declaramus nos omnino velle servare et servari per nostros officiarios et subditos prædicta concordata juxta illorum tenorem, juxta quem tenorem deinceps non intendimus nominare ad aliquod monasterium, quod sit caput Ordinis, neque ad dignitates in cathedralibus, aut collegiatis seu conventualibus, nec ad monasteria monialium, neque ad Ecclesias et monasteria apud Sedem vacantia. Ipsis autem concordatis et privilegiis, quæ illorum vigore concessa sunt, nec intendimus uti, seu illa habere locum in Britannia, neque in provincia Provinciæ, etsi dictus Britanniæ ducatus sit regiæ nostræ coronæ unitus, sed tantum in dicto regno Franciæ et Delphinatu, ac eisdem concordatis nominatim expressis et specificatis ; mandantes nostris dilectis et fidelibus consiliariis nostrum consilium privatum tenentibus, quatenus ipsi nostras præsentes declarationes et receptas, et admissas manuteneant et observent aut custodiri et manuteneri et observari, ac vocatis et adhibitis advocatis et procuratoribus nostris fiscalibus in eorum authenticis et publicis libris registrari, scribi et observari faciant, eisque prædictum dominum nostrum papam, sanctamque Sedem Apostolicam, et ejus officiarios, commissarios et deputatos plene et pacifice gaudere ac uti permittant, absque eo quod illis aliquam desuper molestiam, perturbationem ullumque impedimentum inferant. Et si quæ post prædictam approbationem et registraturam contra præmissa facta sint vel fuerint, absque dilatione amoveant, eademque præmissa plene et integre expedita in pristinum et debitum statum restituant, seu restitui faciant, et ne qua fiat difficultas, aut contraventio, quæ in observatione aut interpretatione possent emergere, de plenitudine regiæ nostræ potestatis atque auctoritatis commisimus atque committimus per præsentes dictis nostris consiliariis, nostrum secretum et privatum consilium tenentibus, cognitionem omnimodam controversiarum, contentionum ac litium, quas super dictis observatione et interpretatione præsentium posthac contigerit exoriri, idque privative ad omnes alias nostras jurisdictiones, cujuscumque dignitatis et auctoritatis existant, quibus nos eadem regiæ potestatis plenitudine per præsentes, omnem cognitionem, judicium et decisionem dictarum controversiarum ac litium, prout dictum est, movendarum. Sic enim nobis fieri placet, in cujus rei testimonium præsentibus litteris nostrum sigillum apponendum jussimus. Dat. apud Sanctum Germanum die XXIX mensis Julii anno Domini MDL, regni nostri IV ».

Assensit postulatis regiis Julius, easdemque pactiones instauratas a Pio IV ad preces Caroli IX Gallorum regis suo loco visuri sumus, sed ad institutum de redintegrando Tridentino Concilio sermonem redeamus.

18. *Protestantes Concilium admittunt, modo juxta sua placita celebretur.* — Cæpta erant Augustana Comitia [1] a Cæsare, in quibus sancitum est dissidia religionis componenda ex decretis Concilii Tridentini, cui celebrando strenue incumbendum esset ; ita vero a Pighino internuntio Apostolico cum Cæsare actum erat, ut Germanorum nomine Concilium postularetur, quod illius decreta excipienda colendaque magis adstringerentur : Cæsar quoque ad tuendam Romani Pontificis dignitatem adversus eos qui illam convellere niterentur, se devinxit. Cæsarei enim administri ingenue agnovere eversa Catholica religione everti quoque politicum statum, ac necessario Christianæ religionis supremum principem atque antistitem agnoscendum esse, atque Cæsaream auctoritatem debilitatam fuisse, cum novatoribus concionandi libertas impune permissa fuisset, a quibus subornati

[1] Surius in Comm. hoc anno.

populi non Romani Pontificis modo, sed etiam Cæsaris jugum excussissent. Dum ita de Concilio Tridentino instaurando ageretur [1], Lutherani principes ac populi a prioribus postulatis partim clam, partim palam descivere ; nam Mauritius Saxoniæ princeps atque elector, qui a Cæsare, non ejurata Lutherana impietate, perperam in Saxoniæ principatum evectus fuerat, confirmata jam Cæsareis armis potentia, ab impiis novatoribus fascinatus in Augustensibus comitiis oratorum opera poposcit, ut in Concilio Œcumenico, in quo dogmatum lites erant dirimendæ, Pontificii legati non præsiderent, ac Protestantes in eodem ferendæ decretoriæ sententiæ jure pollerent, atque his judicibus Pontifex Romanus se submitteret : necnon decreta antea Tridenti in examen vocarentur, atque episcopi religione sacramenti, quo Pontifici obstricti sunt, solverentur : his vero impiis postulatis perduellium Lutheranorum se signiferum demonstravit Saxo, justaque belli ab eo Cæsari movendi suspicio apud sapientes concitata est. Cæterum cum de hac impia contestatione publica Acta confici flagitassent ejus oratores , repulsam passi sunt, ac Germanorum communi nomine decretum conceptum est, quo Tridentinum Concilium a Julio Pontifice postulatum est, nec audita hæretica ducis Mauritii petita, quæ non alia erant, quam ut Catholici fierent Lutherani, atque in æternam damnationem cum iis proruerent; postulante itaque ardentiore studio Cæsare indictionem Concilii, Pontifex exeunte Octobri rem detulit ad cardinalium senatum, ut referunt Acta Consistorialia, quæ subdunt cardinales S. Crucis, Moronum et Polum absentes, excitos, ut Diploma, quod Bullam vocant, conficeretur, nonnullisque corruptelis tollendis circa electionem Pontificis opera daretur.

19. *Bulla reassumptionis Concilii.* — Inter hæc flagitavit Cæsar [2] ab internuntio Apostolico, ut concepti de Concilio redintegrando Diplomatis rudimentum vel exemplum a Pontifice mittendum curaret, ut illud Germanis ostenderet, ac difficultates contrarias lævigaret. Itaque Pontifex Diploma integrum suisque numeris absolutum, in quo decreta jam antea in priore Concilio Tridentino sub Paulo III edita justa et firmissima esse sanciebat, misit ad Cæsarem, antequam illud promulgaret, visumque est illud Cæsaris senatoribus asperius in asserendo jure Pontificio, sensereque exacerbatum iri Lutheranos, si in ipso Diplomate de instaurando Concilio decretoria in ipsos sententia promulgetur, molliter potius pelliciendos videri ad Concilium, in quo edoceri possint, non aliter quam interdum prudenter cedunt feris earum magistri, dum cicurantur. At Pontifex constantissime respondit , omnia Protestantibus libere exponenda, quæ ad salutem ipsorum spectent ; docere Christum, Pontificem esse caput visibile militantis Ecclesiæ, nec Sedem Apostolicam cavillis agere, sed puram veritatem exponere, nec lucernam ponendam sub modio, sed super candelabrum ; Diploma Pontificium stylo consueto exaratum, nec mutari posse, cum ritu institutoque vetere, ac prædecessorum more compositum sit. Tumultuantibus Protestantibus ac recusantibus Concilium, si præsit illi Pontifex, ad eos demulcendos respondit Cæsar se accessurum ad Concilium, utque ordine fiant omnia temperaturum ; cumque Concilium sit liberum et Œcumenicum, ac reliquæ nationes Christianæ pareant Pontifici, Germanorumque causa veniant ad Concilium, par non esse, atque abhorrere a ratione, ut ipsi Germani a Concilio absint. Interea movere nonnullas lites Cæsarei administri pro actis Cæsareis adversus translationem suspensionemque defendendis : verum Julius iis spretis Pauli III Acta confirmavit, ac XIV Novembris Concilium Tridenti kalend. Maii anni proximi instaurandum , propagandumque indixit, de quo hæc in Ms. Vaticano [1] :

20. « Cum sanctissimus in Christo pater et dominus noster Dominus Julius divina providentia papa III, statim assumpto Pontificatu, cerneret Ecclesiam Dei innumeris afflictam esse calamitatibus, dissidiis atque ærumnis : hinc hæresibus in toto fere Christiano orbe jam misere serpentibus, illinc cleri populique Christiani moribus corruptis abusibusque late grassantibus; et his malis nullo alio præstantiori antidoto, quam Œcumenici Concilii celebratione mederi posse considerans, ad eam statim omnem ejus curam atque meditationem adjecit. Verum quoniam Concilium ipsum jam fere per quadriennium variis maximisque perturbationibus vexatum fuerat, tum aliis ex causis, tum ea potissimum, quod ejus translatio, quæ die XI Martii anno MDXLVII ex Tridento ad civitatem Bononiensem facta fuit, Carolo V imperatori Augusto minime grata extiterat, et a quibusdam paucis prælatis, qui Tridenti remanserant, nulla licet subsistente ratione, improbaretur ; ex quo non solum ipsius Concilii processus, qui eo tempore Bononiæ magna Patrum frequentia felicissime habebatur, impeditus fuit, sed multa etiam alia mala in orbe Christiano subsecuta sunt; Sanctitas sua, ut ab iis turbulentiis ac dissensionibus Ecclesiam ipsam aliquando liberaret, et quieti ac paci publicæ (quantum in eo erat) consuleret, ac præcipue, ut religionis nostræ controversiæ , quæ in Germania per tot annos incredibili cum animarum jactura ac reliqui Christiani orbis scandalo viguerunt, tol-

[1] Ms. vetus card. sig. num. 45. Surius in Comm. hoc anno. Natalis comes. Jac. Aug. Thuan. l. VI. Sfortia Pallavic. c. 11. — [2] Ms. Pii card. sig. num. 45.

[1] Tom. VI. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 64.

lerentur, bonum, opportunum et expediens judicavit ipsum Concilium ad civitatem Tridentinam reduci, cum id præsertim Cæsarea majestas et per litteras et per nuntios vehementissime a Sanctitate sua efflagitasset. Quare post diversas deliberationes dissensionesque hac de re cum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, tum particulariter, tum generaliter habitas, tandem ad Omnipotentis Dei laudem et gloriam, Ecclesiæque unitatem et tranquillitatem die XIII Novembris anno MDL, Sanctitas sua reductionem prædictam in sacro senatu statuit atque decrevit in dicto die ad ipsum Concilium resumendum et prosequendum kalend. Maii anno Domini MDLI, prout hæc omnia in litteris Sanctitatis suæ super hac re publicatis latius continentur, quarum litterarum [1] tenor sequitur :

21. « Julius, etc.

« Cum ad tollenda religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore non sine totius Christiani orbis perturbatione et scandalo viguerunt, bonum, opportunum et expediens esse videatur, sicuti etiam charissimus in Christo filius noster Carolus Romanorum imperator semper Augustus nobis per suas litteras et nuntios significari fecit, ut sacrum Œcumenicum generale Concilium per felicis recordationis Paulum III prædecessorem nostrum indictum, et per nos tunc cardinalatus honore fungentes, atque ipsius prædecessoris nomine una cum duobus aliis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus ipsi Concilio præsidentibus incœptum, ordinatum et continuatum, in quo plures publicæ et solemnes fuerunt sessiones, pluraque tam in causa fidei quam reformationis promulgata et decreta, multaque etiam ad utramque causam pertinentia examinata et discussa, ad civitatem Tridentinam reducatur. Nos ad quos et summos pro tempore Pontifices spectat generalia Concilia indicere et dirigere, ut Ecclesiæ pacem et Christianæ fidei atque orthodoxæ religionis incrementum ad omnipotentis Dei laudem et gloriam procuremus, et quantum in nobis est, tranquillitati ipsius Germaniæ, quæ sane provincia retroactis temporibus in vera religione ac sacrorum Conciliorum et sanctorum Patrum doctrina excolenda, exhibendaque Maximis Pontificibus, Christi Redemptoris nostri in terra vicariis, debita reverentia et obedientia nulli Christianorum provinciæ fuit unquam secunda, paterne consulamus, sperantes per ipsius Dei gratiam et benignitatem futurum, ut reges omnes ac principes Christiani justis piisque nostris in hac re votis annuant, faveant atque assistant, venerabiles fratres patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates, omnesque alios et singulos, qui de jure, vel de consuetudine, vel privilegio Conciliis Generalibus interesse debent, quosque idem prædecessor noster in suis indictionibus, et aliis quibuscumque desuper confectis et publicatis litteris Concilio interesse voluit, per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi hortamur, requirimus et monemus, ut proximis futuris kal. Maii, quem diem ad ipsum Concilium in eo, in quo nunc reperitur statu, resumendum et prosequendum prævia matura deliberatione, et ex certa nostra scientia, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu statuimus, decrevimus et declaramus in ipsa civitate Tridenti, legitimo cessante impedimento, convenire, et se congregare, ac ipsius Concilii continuationi et prosecutioni omni mora postposita incumbere velint. Nos enim operam sedulo daturi sumus, ut eodem tempore, in eadem civitate nostri omnino adsint legati, per quos si per ætatem nostram valetudinemque et Sedis Apostolicæ necessitates personaliter adesse nequiverimus, Spiritu sancto duce præsidebimus, quacumque ipsius Concilii translatione et suspensione, cæterisque contrariis quibuscumque, et præsertim illis, quæ idem prædecessor noster in suis litteris prædictis, quas cum omnibus et singulis in iis contentis clausulis et decretis in suo robore permanere volumus atque decernimus, et quatenus opus sit innovamus, voluit non obstare, irritum nihilominus decernentes et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDL, XVIII kal. Decembris, Pontificatus nostri anno I ».

22. *In Germania et Belgio contusa hæreticorum tyrannis.* — Porro in Germania res Catholica reflorescere visa est [1], contusa hæreticorum tyrannide, nam et Argentinæ Zuinglianismo infectæ liber religionis usus restitutus est, licet sacrilegi novatores illum turbare non perhorruerunt, ut narrat Surius :

« Anno MDL, ipso Purificationis die solemni, Argentinensis clerus Missam in tribus templis rursus celebrat jam plusquam viginti annis intermissam. Ibi itidem Sleidanus mire est facetus, et cæremonias Ecclesiasticas haud secus atque Turca aliquis aut Scytha irridet. Eo autem die excitatus est Argentinæ tumultus, occasione quadam, et usque adeo res periculi plena fuit, ut inde usque ad Pentecostem rursus divina officia intermissa sint. Oderant clerum plerique urbis incolæ, nec alio quam idololatriæ loco habebant plerasque omnes Catholicæ Ecclesiæ cæremonias. Porro apostatæ Buceri identidem repetitæ incestæ nuptiæ, horrendæ in Eucharistiam et alia Sacramenta blasphemiæ, divina-

[1] Ext. in Act. Conc. Trid. præfixæ sess. XI.

[1] Sur. in Comm. hoc anno.

rum et humanarum rerum plusquam Babylonica confusio purum Evangelium videbantur. Hæc quidem faciunt, ut minorem apud nos admirationem habeant, quæ Antichristi temporibus futura creduntur. Habebit ille plurimos, qui ejus impietati consentiant; sed habent etiam horum temporum prodigiosi dogmatistæ, qui cupide illorum absurditates amplectantur, idque adeo, ut non desint qui scribere ausi fuerint, nec adorandum Deum nec præsidium ab eo expectandum, et hoc quidem dogma est Ochini. Quid vero deterius ex ipsa Antichristi schola prodire poterit? neque vero multo tolerabilior eorum doctrina est, qui Missam usque adeo execrantur, nec ferre possunt, ut in Eucharistia Christum adoremus ».

Intermissus fuit usque ad Pentecostem sacrorum usus, donec a magistratibus adhibito forensi satellitio impiorum petulantia coercita est. Augustæ quoque Othonis cardinalis opera [1], qui gravissimos labores in præterito adversus Lutheranos bello pertulerat, res Catholica restituta est pristino splendori, necnon Constantiæ, in qua Zuingliani jam ante tyrannidem exercuerant sævissimam in Catholicos, et cleri in exilium pulsi opes et vectigalia invaserant : quæ cum victores Ecclesiastici jam repeterent, Pontifex, pacis studio episcopo et clero Constantiensi has litteras dedit [2], ut cum civibus de juribus Ecclesiasticis honesta pactione convenirent:

23. « Venerabili fratri episcopo, et dilectis filiis capitulo Constantiensi, Julius papa III.

« Venerabilis frater et dilecti fili, salutem. Cum sicut accepimus, licet alias civitatem Constantiensem, postquam illius populus, antea Zuinglianorum hæresi addictus, vos ipsa civitate expulerant, et Ecclesiasticam jurisdictionem et auctoritatem suppresserant, ac calices, clenodia, et alias res ac ornatus Ecclesiæ pretiosiores diripuerant, templaque et domos sacerdotales, cum certis eorum redditibus occupaverant, sub obedientia charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum et Hungariæ regis illustris in imperatorem electi reducta, ipse Ferdinandus rex primo curavit, ut exploso Zuinglianismo, et domus hujusmodi, necnon proventus Ecclesiastici vobis et dilectis filiis clero ejusdem civitatis libere restituerentur, et inde super hoc specialiter deputatos commissarios vobis plura ad plenam perpetuamque securitatem nobis constituendam et firmandam proponi fecerit, vosque ut ad residendum apud Ecclesiam vestram rediretis, religionemque et cultum divinum instauraretis, sacra administraretis, et pristinis vestris auctoritate, jurisdictione et privilegiis uteremini, hortatus fuerit, seque nobis obtulerit curaturum, ut omnes controversiæ, quas cum eisdem populis habetis, immutabili compositione tollerentur, et interim vobis in dictam civitatem redeuntibus omnem personarum et rerum ac jurium vestrorum defensionem et manutentionem pollicitus fuerit, nihilominus vos non solum adhortationibus ipsius Ferdinandi regis adhærere neglexeritis, verum etiam cum dilecti filii Joannes ex comitibus de Lupten canonicus et custos, ac tres alii canonici ipsius Ecclesiæ, cum nonnullis cappellanis se ad dictam Ecclesiam contulissent, et inibi sacra administrassent, et rem divinam curarent, vos calices et alia ad Missæ sacrificium necessaria, et per eos a vobis requisita eis mittere denegaveritis, et postremo eos distributionibus quotidianis privaveritis, ac cum vos coram certis probis viris, quos charissimus in Christo filius Carolus Romanorum imperator semper Augustus, ad tractandum inter eos et ipsos Constantienses amicabilem concordiam miserat, comparuissetis, eos inter vos recipere, et ad præmissa admittere recusaveritis : nos qui ex Apostolatus ministerio nobis desuper commisso illud in primis exquirimus, ut hæreses et damnatæ sectæ omnes exstirpentur, vetus Christiana et orthodoxa fides ac religio instaurentur et conserventur, attendentes, in quibus negotiis, præsertim Ecclesiasticis et spiritualibus, in quibus de salute animarum tractatur, occasionem rei bene gerendæ prætermitti non debere, et considerantes, quod cum templa et domus, ac proventus Ecclesiastici nobis, ut præfertur, restituta fuerint, quod reliquum est, ipso maxime Ferdinando rege intercedente, facile componi posse, et utile nequaquam fore, ut idem populus Constantiensis ex vestra duritia in ultimam desperationem adducatur, vos iis nostris admonendos, et in Domino hortandos censuimus, ut rebus jam, ut præfertur, pacatis, quod aliquando Dei pietate sperari vere poterat, ad ipsam Ecclesiam vestram revertamini, et apud eam resideatis, et circa divinum cultum vestro satisfaciatis officio, percuretisque eumdem Constantiensem populum benignitate et mansuetudine, ac bonis exemplis vestris in vera religione confirmare, etsi id, nisi prius controversiis prædictis cognitis et terminatis, aliquibus justis prætextibus non esse faciendum censueritis, saltem dictum clerum et consistorium, et audientiam causarum ad forum Ecclesiasticum pertinentium, ad eamdem civitatem remittere , ac dictos tres canonicos propterea a capitulo vestro non excludatis, et cum apud ipsam Ecclesiam Constantiensem resideant, et divinis officiis intersint, tanquam præsentes ad distributiones quotidianas, earumque perceptionem, perinde ac si vobiscum residerent, admittatis, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXI Junii, Pontificatus anno I ».

24. In Saxonia Brunsvicum eodem tempore

[1] Jul. l. II. brev. p. 347. — [2] Ib. p. 291.

ab Henrico duce oppugnatum est [1], et vastatus ager, verum Cæsar hujusmodi causam ad se revocavit. Omnium porro Lutheranorum pertinacissimi Magdeburgenses, qui Cæsaris edictum, quo plures hæreses novatorum castigabantur, admittere detrectabant, bello urgeri cœperunt, proscripti a Cæsare, ac primum a Gregorio duce Magnopolensi gravibus damnis affecti fuere, atque insigni prælio deleti, quo tormenta et bellicum apparatum omnem amisere; obfirmabantur autem in pertinacia a perfidis concionatoribus, quorum signifer Matthias Illyricus, edito libello Lutheranos omnes in arma adversus Cæsarem hæresim exscindere meditantem concitare annitebatur, nec de Cæsarea auctoritate asserenda, sed de fide suscepta defendenda agi contendebat, verum spreto illius gannitu, Mauritius Saxoniæ dux et Brandeburgicus marchio cum Alberto patruele et Henrico Brunsvicensi exercitum adversus Magdeburgenses eduxere, et quarta Octobris die urbs perduellis cincta est obsidione, quæ in proximum annum extracta est, miserique Magdeburgenses pro tuenda impietate gravissimis cladibus attriti fuere, quantumvis se conferrent cum martyribus, et Christo bellum inferri mentirentur.

In Belgio [2], Carolus Cæsar ad hæreseos progressus abrumpendos gravissimam Bruxellis sanctionem edidit, qua in hæreticos acerbissime inquiri jussit, et scripta Lutheri, Zuinglii, Œcolampadii, Buceri et Calvini flammis deleri. Cum vero perculsis inde gravi terrore Anglis emporium Antuerpiense disturbaretur, ad Mariæ reginæ preces, acerbitatem legis temperavit. Meditatus vero est, Belgicarum provinciarum imperio in filium Philippum transfuso, etiam in illum jura imperii in Augustanis comitiis derivare, quod quidem religionis commodo vertendum videbatur, pro Lutheranis ad officium redigendis. « Non dubium », inquit Surius, « quin Cæsar, qui sciret Philippi amplissimas ditiones et vires reipublicæ Christianæ in illo promovendo consulere voluerit, quandoquidem, et Turcæ vicini, et alii imperii hostes non nisi summa potentia arceri possent ». Obstitit Caroli Cæsaris consiliis Ferdinandus, qui in suam stirpem imperium inferri maluit, ac Maximilianus, Caroli gener et nepos, accepta ejus consilii fama, ex Hispania in Germaniam ad illud discutiendum pervolavit, ac Ferdinandum, licet Maria regina interprete, amplissima illi promissa offerrentur, in retinendi in stirpe sua imperii sententia confirmavit.

25. *Joannis de Vega in Africam expeditio faustissima.*— In Africa [3] sub auspiciis Cæsaris a Joanne Vega, Siciliæ prorege, septuagesimo quarto obsidionis die expugnata est Leptis, alias dicta Aphrodisium sive Africa, urbs munitissima,quam Dragutus archipyrata insederat, suisque inde excursionibus Siciliam et maria infestabat. Capta sunt in ea urbe aç in servitutem subducta octo Barbarorum millia; multa Christianæ pietatis exempla explicuit in ea expeditione Lainius, sancti Ignatii socius, in expiandis militum animis, ut refert Orlandinus, qui narrat Pontificias et Melitenses triremes classi Cæsareæ fuisse conjunctas, tum hæc addit : « Quarto idus Septembris expugnata urbs est, quatriduoque post, qui dies Dominicus, et Sanctæ Crucis Exaltationi sacer illuxit, cæremonia magna præcipuum e Mahometicis fanis, Deo vero Sancti Joannis-Baptistæ titulo dedicatum, et Maurorum quidam sacro fonte lustrati, quorum unus graviter saucius eodem die decessit ».

26. De parta hac victoria Angelus Massarellus hæc Monumentis suis commendat : cui addunt Acta Consistorialia [1] a Pontifice decretas fuisse solemnes in urbe supplicationes pro agendis Deo gratiis :

« Romæ, die Veneris, III Octobris MDL, Sanctissimus dominus noster fecit verbum de victoria habita in Africa a Cæsareis militibus, et propterea jussit fieri supplicationes in Ecclesiis Urbis, et Missam in Basilica S. Petri per reverendiss. dominum Compostellanum celebrari, in qua Sanctitas sua et cæteri reverendissimi interessent ».

Hæc victoria in reditu funestata est tristi clade [2], quam fœda tempestas nocte inhorrescente intulit, aliquot triremibus mersis, ac duabus onerariis dissolutis, totidem fractis.

Affectus est etiam domestico luctu prorex Joannes Vega amisso primogenito, ad quem extant hæ Pontificis litteræ [3]:

« Joanni de Vega viceregi Siciliæ.

« Responderamus pleni lætitia ad tuàs litteras de capta Africa, quando tristem nuntium accepimus de obitu nati tui primogeniti, et cum non possimus pro nostra erga te benevolentia, sicut tuorum gaudiorum, ita et dolorum non esse participes, valde eo nuntio tristati sumus, etc. XII Octobris MDL, anno primo ».

27. Transmisit proximo ineunte anno ad Pontificem Joannes e Vega raptorum ex hoste spoliorum partem, nonnullaque vexilla partæ victoriæ monumenta, de quibus actæ illi a Julio grates subjectis litteris [4]:

« Dilecto filio nobili viro Joanni de Vega viceregi Siciliæ.

« Dilecte fili, etc. Quas nobis de Africa expugnata exuvias misisti, libenti animo accepi-

[1] Jac. Aug. Thuan. l. VI. Sur. in Comm. — [2] Lu. Guicc. in Comm. Surius in Comm. Jac. Aug. Thuan. l. VI. Idem. l. VII. — [3] Jul. l. II, brev. p. 369. Act. Consist. Sur. in Comm. Fazell. post Decad. Natal. Comes. Jac. Aug. Thuan. hist. l. VII. Ang. Mass. in Diar. Ms. arch. Vat. Orlandin. l. X.

[1] Pag. 43. — [2] Fazell. post Decad.— [3] Jul. III. l. II. brev. p. 399. — [4] Ibid. an. 1561. sig. num. 288. p. 25.

mus, quasque nuntius tuus exposuit rationes, quamobrem nobis eas dono potissimum miseris, magna cum voluptate audivimus. Erunt hæc omnia cum tuæ erga nos, fili, benevolentiæ et pietatis, tum vero et pulcherrimæ de Christiani nominis hostibus victoriæ monimenta. Horum nos alia diligentia asservari, alia sacro et illustri loco ad summi Dei honorem affigi curabimus, ut qui ea spectabunt commonefiant ad eas victorias magnos principes aspirare debere, quæ veram illis solidamque gloriam de sacrosanctæ religionis hostibus debellatis pariant. Tibi nos quidem de tam luculentis tamque piis muneribus ingentes habemus gratias, optamus vero præpotentis Dei ope ac favore freti speramus, non defuturum tibi in aliis, etiam huic similibus declarandæ denuo virtutis facultatem, et nova ex infidelium hostium manubiis Deo divisque dona consecrandi. Nos interea, quibuscumque rebus poterimus, sedulo operam dabimus, ut et munera ipsa, et alia tua erga nos officia nobis quam gratissima fuisse intelligas. Dat. etc. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XVII Februarii MDLI, anno I ».

Præter Aphrodisium ereptas etiam hosti fuisse alias duas arces, Monasterium et Siagulem, easque Carvennæ regi socio restitutas, necnon secundo prælio in Meninge insula profligatos Barbaros refert Thuanus [1]. Verum hujus victoriæ gaudio graviori luctu cladibusque ingentibus confusa proximo anno videbimus.

28. *Absolvit Julius III a censuris omnes, qui sine consensu Apostolico decimas in Sicilia exegerunt et alias exigere concedit.* — Cæterum cum in hujus belli apparatu instruendo, et Siculi regni arcibus reficiendis graviores sumptus profundendi fuissent, Cæsar a clero Siculo nummaria subsidia expressit; quod cum lege Ecclesiastica vetitum esset, Julius Cæsarem [2] religione censurarum exsolvit, cum id publicæ rei Siculæ, imo totius Italiæ commodo cederet.

« Charissimo in Christo filio Carolo Romanorum imperatori semper Augusto, Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Exponi nobis nuper fecit majestas tua quod cum anno a Nativitate Salvatoris Domini nostri Jesu Christi MDXLVIII, magnates et alii laici regni Siciliæ ultra Pharum, cujus tu Catholicus rex existis, considerarent, ob plurima per te tam gesta adversus infideles et Christi hostes bella, tuum ærarium exhaustum existere, ac fortalitia et munitiones dicti regni reparatione indigere, ac volentes tuæ majestatis indigentiis subvenire, et eidem reparationi providere tuæ majestati, quædam donativa servitia nuncupata in necessitatem, et certam pecuniarum summam in reparationem hujusmodi usus convertendam sub certis terminis et solutionibus tunc expressis, dummodo archiepiscopi, episcopi, archimandritæ, et aliæ personæ Ecclesiasticæ dicti regni pro certa rata in hoc contribuerent, et dare statuerint, ipsique archiepiscopi, episcopi, archimandritæ, et aliæ personæ Ecclesiasticæ, eorum ratam, salvo in hoc nostro et Sedis Apostolicæ beneplacito, contribuere obtulerint, promittentes, quod quamprimum, si hujusmodi beneplacitum accessisset, dictam ratam majestati tuæ et tuis officialibus persolvere; cum autem sicut eadem expositio subjungebat, tam ex eo, quod per diversas canonicas sanctiones, et postremo per felicis recordationis Leonem papam X prædecessorem nostrum in novissimo Lateranensi Concilio sub diversis censuris et pœnis prohibitum fuit, ne reges, principes et alii potentatus ab archiepiscopis, episcopis, abbatibus et aliis personis Ecclesiasticis, etiam sponte offerentibus subventionem aliquam pecuniarum recipiant, majestas tua dubitat, subventionem prædictam capiendo, censuras et pœnas prædictas incurrere, et propterea nobis humiliter supplicari fecerit, ut pro ejus conscientiæ quiete, præmissis nostram et hujus sanctæ Sedis auctoritatem interponere dignaremur : nos attendentes ex tuitione et defensione dicti regni a dictis infidelibus, non minus Ecclesiasticis quam sæcularibus personis commodum provenire, imo hoc etiam in hujus almæ Urbis et totius Italiæ commodum cedere, hujusmodi supplicationibus inclinati oblationi et provisioni per archiepiscopos, episcopos, archimandritas, et alias Ecclesiasticas personas, ut præfertur, factis, nostram et dictæ Sedis auctoritatem interponimus per præsentes : et nihilominus archiepiscopis, episcopis, archimandritis, et aliis Ecclesiasticis personis prædictis, ut ratam hujusmodi per eos, ut prædicitur, oblatam et promissam pro annis præteritis tantum persolvere, tuaque majestas vel tui officiales illam recipere, absque censurarum prædictarum incursu auctoritate Apostolica per easdem præsentes concedimus et indulgemus, et si forsan ipsi archiepiscopi, episcopi, archimandritæ et aliæ personæ Ecclesiasticæ prædictæ dictam ratam persolverint, et tua majestas et tui officiales illam receperint, majestatem tuam, et ipsos, ac eorum quemlibet ab omnibus et singulis censuris et pœnis propterea quomodolibet incursis, dicta auctoritate similiter absolvimus ; volumus autem, quod confessor, quem quilibet ex his, qui vigore præsentium absolventur, elegerit, et pœnitentiam, quam adimplere teneatur, injungat etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XII Aprilis MDL, anno I ».

29. *Pax inter regem Galliæ et Eduardum Anglum; regina Scotiæ et comes Araniæ gratulatorias a Pontifice accipiunt litteras.* — Confe-

[1] Jac. Aug. Thuan. hist. l. VII. — [2] Jul. III. l. II. brev. an. I.

cta est hoc [1] anno pax inter Henricum Galliæ, et Eduardum Angliæ reges iis legibus, ut ab Anglis Bononia et aliæ arces in eo agro excitatæ, una cum tormentis bellicis ac reliquo militari apparatu Gallo restituerentur, Gallus vero quadraginta aureorum millia duabus pensionibus Anglo persolveret. Promulgata ea pace kal. Aprilis reges equestris militiæ suæ insignia sibi mutuo dono contulere. Cumque ex Anglia præfectus castrorum S. Andreanus rediret, a Belgis insidiis appetitus est, ex quo novi inter Gallos et Belgas belli tristia initia eruperunt. Superioris autem fœderis beneficio potita est regina Scotiæ cui nonnullæ etiam arces in limite Scotiæ restitutæ fuerunt. In meliore autem statu erant collocatæ Scotiæ res virtute ac felicitate Henrici regis, qui Scotiam tuendam susceperat, ut Pontifex hisce litteris [2] reginæ Scotiæ paulo ante erat gratulatus :

« Reginæ Scotiæ.

« Charissima, etc. Licet credamus jam notum esse tuæ serenitati de obitu prædecessoris nostri, et assumptione nostra ad apicem summi Apostolatus, quam Dei benignitas octava hujus mensis per concordia fratrum nostrorum suffragia operari dignatus est, tamen nos etiam per litteras nostras tibi tanquam pientissimæ reginæ et charissimæ in Christo filiæ nostræ id significamus, teque nostrarum litterarum primitiis cum Apostolica benedictione salutandam duximus. Cum enim simus tuæ serenitati privatim ac paterne affecti ex eo quod dilectis filiis nostris de Lotharingia et de Guisa patruo ac fratri cardinalibus, qui nobis plurimum faverunt, valde debemus, accedit etiam causa publica istius regni vestri, quod ob justitiam et religionem patitur, multaque a vicinis hæreticis detrimenta sustinuit, ex quibus tanquam fidelium filiorum jacturis cum impense hæc Sancta Sedes doluerit, nunc vicissim congaudet tuæ serenitati, quod divina misericordia per piam opitulationem Christianissimi regis vestris rebus benigne aspirare jam cœperit, easque meliorem ac lætiorem in statum restituerit, sicut et in dies magis eas prosperaturum speramus, proinde hortamur serenitatem tuam in Domino, ut in sancta hac vigilia istius regni ab hostibus Dei ac tuis tuendi, et in fide Catholica conservandi pie fortiterque perseveres, Deique opem confidas tibi clementer affuturam, cujus nos etiam misericordiam humiliter imploramus, ut serenitatem tuam una cum serenissima tua nata, gubernatoreque regni, ad quem etiam scribimus, et cuncto isto Catholico regno conservare, prosperare, et suo sancto auxilio, protegere dignetur, ad custodiendam animarum vestrarum salutem, cultumque Catholicum nominis sancti sui. Dat. Romæ apud S. Petrum, etc. die XV Februarii MDL, anno I ».

30. Explicuit in defendendo contra hæreticorum vires, atque insidias eximiam militarem virtutem Araniæ comes Scotiæ procurator, ad quem Pontificiæ extant subjectæ litteræ [1] :

« Dilecto filio nobili viro comiti Araniæ, regni Scotiæ gubernatori.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem, etc. Licet non dubitemus tuæ nobilitati jam esse cognitum de obitu prædecessoris nostri et assumptione nostra ad apicem Summi Apostolatus, quam Deus Omnipotens sua misericordia, nullis nostris meritis, octava hujus mensis per concordia omnium fratrum nostrorum suffragia operari dignatus est, nos tamen etiam ipsi nostris litteris tuæ nobilitati eam significare voluimus, ut tibi, et isti regno Catholico ex obitu ejusdem nostri prædecessoris contristatis, lætitiam de creato successore præberemus, nostramque salutationem cum Apostolica benedictione impartiremur, quod sane omni amore ac benevolentia vobiscum facimus, tuam prudentiam, virtutem, vigilantiam in isto regno tuendo sapienterque gubernando, populorum autem ipsius regni singularem pietatem et admirantes et in Domino collaudantes ; Deo quoque ipsi maximas gratias agimus, quod quamvis vestram fidem et constantiam ad probationem interdum tentari affligique permiserit, ad postremum tamen vos resque vestras meliorem in statum restituit, in diesque magis, ut speramus, restituet, quo magis, fili, in tua virtute ac robore confirmari debes, Deoque gratias agere ac sperare illius opem vobis affuturam, quæ vere ac sincere eum colentibus, firmamque in eo spem collocantibus nunquam defuit. Accedit etiam causæ pietas, quod adversarii vestri fidem Catholicam oppugnant, vos defenditis, illi tunicam Domini nostri incònsutilem scindunt, vos in vobis conservatis. Nos quidem ex pastorali nostro officio et paterna erga istud regnum propter justitiam patiens charitate, nunquam vobis, quacumque in re poterimus, defuturi sumus, Deum Patrem misericordiarum et totius consolationis suppliciter deprecantes, ut tibi fortissimo ejus athletæ, simulque fidem Catholicam et istius regni salutem defendenti suæ dexteræ auxilio faveat, prosperaque cuncta concedat, ut de isto regno non solum in ditione et finibus suis, verum etiam, quod longe amplius est, in vera et orthodoxa religione, ex qua salus animarum provenit, serenissimæ reginæ pupillæ, ejusque destinato consorti Franciæ Delphino, fideliter conservato laudem apud homines, gratitudinem ipsorum regum, omnemque gratiam nostram, ab ipso autem omnipotente Deo præmia æterna, quæ cuncta humana longe exsupe-

[1] Belcar. l. II. Belleforest. l. VI. c. 70. Nic. Sand. l. II. — [2] Jul. III. lib. brev. an. 2289. p. 23.

[1] Ibid. sig. num. 2889. p. 22.

rant, consequaris. Dat. Romæ apud S. Petrum die XV Februarii MDL, suscepti Pontificatus anno primo ».

Claruit in Scotia religio, dum Galliæ res floruere, at versis rebus religio quoque eversa est.

31. *In Anglia hæreses variæ disseminantur, et Catholici vexantur.* — Porro in Anglia fœdissimæ in dies hæreses exortæ, adeo ut Zuingliani judiciorum acerbitatem in eas distringere sint coacti, ne graviores turbas excitarent, ut refert Sanderus [1] his verbis : « Dum hæretici inter se armis ac odiis tumultuarentur, ac hæresis in dies hæresim, (ut fit) ac seditio seditionem pareret, accidit, ut Zuinglianorum istorum patientiam, aliarum etiam sectarum inventores ac defensores exercerent. Inter cæteros Georgius quidam Parisius obstinatione incredibili Arianam hæresim in Anglia tuebatur, atque in Anglia disseminavit, quem Zuingliani contra suam fucatam fictamque lenitatem, et contra falsissimam suam sententiam, qua alias asserere solent, hujusmodi homines ad fidem non esse cogendos, publice combusserunt. Extitit etiam hoc ipso tempore ex Cantiana provincia soror quædam ex Lutheri schola Joanna Buchera, quæ tantum profecerat, ut præter Calvinianam hæresim, quam secuta est, negaret una cum Valentino Christum ex Maria Virgine carnem sumpsisse, quem dicebat per illam nonnisi velut per canalem transiisse : at cum videret doctrinam suam Zuinglianis non probari, addebat olim quoque creditum ab illis fuisse, cum Lutherani essent, quod Christi caro in Eucharistia sub specie panis et vini contineretur, et Annam Ascuam, quæ id negabat, pro hæretica nuper ab ipsis habitam, et flammis publice traditam fuisse, nec se dubitare, quin ut nunc Zuingliani ipsi credunt, quod Anna tunc docuit, quam persequebantur, sic brevi etiam credituri sint, quod ipsa jam doceret. Combusta tamen est ipsorum jussu in campo Fabrorum Londini IV id. Maias ».

32. Eodem tempore uxorati sacerdotes hæretici, cum filios ut spurios temni, uxores ut meretriculas patere ludibrio dolerent, ad regni comitia confugere, atque obtinuere, ut regni Angliæ ordinum decreto eorum filii legitimi censerentur. Cumque variis difficultatibus ac dissensionibus de religione ac modo vivendi, de potestate et regimine reipublicæ hæreticos implicitos animadverterent Catholici, collectis animis tueri orthodoxam fidem, ac disputationibus hæreticos lacessere, eorum ignorantiam, mores dissolutissimos, impietatemque coarguere cœperunt. Inter alios Richardus Smithæus Petrum Martyrem Oxonii prælegentem ad disceptandum provocavit, nec cum eo, utpote doctissimo, Petrus Martyr hæresiarcha in certamen theologicum descendere ausus est. Redegerat ille vir impius in unum libellum plures calumnias adversus Eucharistiam, quas Stephanus episcopus Wintoniensis carcere Londinensis arcis clausus, paucis diebus confutavit, inscripto libro Marci Constantii nomine, ne agnitus graviora pateretur. Langdallus etiam doctor Ridlæi contra Eucharistiam cavillationes dissolvit, Crispinus et Mormannus sacerdotes, atque alii plures cum sacris concionibus scriptisque fidem orthodoxam assererent, ærumnas persecutionum, et carceres, et vincula fortiter tolerarunt, subdit Sanderus :

« Tempus me deficeret, si omnes enumerarem, qui ob Catholicam fidem illis diebus ex Ecclesiis aut Collegiis sunt ejecti, aut aliis dignitatibus commodisque spoliati, graviora etiam carcerum ac vinculorum tormenta animose subierint ; adeo jam incalescere cœperat Dei Spiritus in Catholicorum præcordiis, ut si diuturna fuissent illa tempora, et crevisset persecutio, habuisset Anglia sine dubio plurimos martyres et infinitos confessores. In dies enim augebatur, non solum credentium, verum etiam et confitentium numerus, et illi, qui ab initio viriliter parum restiterant, præcipue episcopi, modo eventu rerum inexpectato edocti, consilioque maturiori errorum suorum admoniti, pœnitentiam egerunt, et fortissimos se constantissimosque in causa Dei tuenda præbuerunt. Hinc est, quod Edmundus Bonerus Londinensis, Stephanus Gardinerus Wintoniensis, Cuthertus Tonstallus Dunelmensis, Nicolaus Herthus Wigorniensis, aliique tum episcopi non solum dignitatibus exuti, sed et carceribus mancipati his diebus fuerint. Sed multo maximus cæpit esse numerus eorum, qui voluntarium exilium conscientiæ causa eligebant, quorum fere primus fuerat Joannes Storæus utriusque juris doctor, postea martyrium sub Elizabetha passus. Hic in publicis regni comitiis cum de fide perperam tractari cerneret, ausus est tandem cum Salomone exclamare : *Væ terræ cujus rex puer est!* cujus verbi tanta fuit invidia, ut sibi deinde in Anglia consistere non esset tutum ».

33. Addit auctor præstantium doctrina orthodoxorum loco fœces et quisquilias hominum episcopatus, dignitatesque et doctorales cathedras invasisse, ac inter eos Milonis cujusdam Coverdali, qui in Germania hæresim diu hauserat, insanum facinus enarrat : hic cum Oxonienses Academicos Catholicæ doctrinæ addictos in impietatem traducere vellet, ita e suggestu disseruit : « De causa omnium maxima, hoc est, de Sacramento Eucharistiæ ait se dicturum. Itaque primum ubi eos ante omnia vehementer reprehendisset, qui in eum stomachati fuissent, quod vas commoditatis haberet (ita enim suam meretriculam appellabat) adjunxit merito sibi

[1] Sander. l. II. de Schism. Angl.

fidem in hac potissimum Eucharistiæ controversia adhibendam esse. Propterea quod cum vidisset Catholicos transsubstantiationem credere, Lutheranos veri Corporis Christi impanationem docere, Zuinglium vero ejusdem corporis typum ac figuram, ac Calvinum efficaciam præterea et energiam ponere : ipse prorsus neglecta omni auctoritate humana, omnique animi affectu et perturbatione deposita, nulli omnino parti addictus, veritatem ipsam sinceram et certam, non ex humana traditione, sed ex solis Scripturis divinis, quam per totos jam quatuordecim annos serio indagasset, compendio tradere. Hæc ille cum magno conatu diceret sibi sapere, aliis delirare, doctoribus vero etiam insanire videbatur. Cum enim ipse profiteretur fidem se Catholicam in domo Dei prædicatam et rejectam abjecisse, ac per annos omnino quatuordecim certa fide in eo mysterio caruisse, ac propterea infidelem ac incredulum tanto spatio perseverasse, imo nec ulli ex magistris suis Luthero, Zuinglio, aut Calvino, nec ulli antiquorum Patrum fidem adhibuisse : nonne insano similis est, si ob hoc ipsum, quod infidelis fuit, fidem suo verbo haberi postulat.

34. « Sed hujusmodi hominum ac spirituum feracissima erat hæc ætas [1], ruptis semel Ecclesiæ septis, et laxatis ad omnem opinionum licentiam habenis. Jam in Anglia extiterant (ut supra dictum est), Matthæus Parisius, qui Christi divinitatem cum Ario negabat, et Joanna Bucera, quæ una cum Valentino ejusdem Incarnationem ex B. Virgine impugnabat. Jam Lutherani, Zuingliani, Calviniani et Anabaptistæ, omnes ex eadem radice et ab una schola parum ante prodeuntes, per Angliam, Germaniam aliasque Christiani orbis partes apparere, et inter se dimicare cœperunt. Jam Tolosæ extitit (quæ Galliæ est præclarissima Universitas) qui Joannis Baptistæ se habere spiritum jactaret, alter Lutetiæ, qui Sancti Petri genio se foveri affirmaret, tertius Basileæ, qui se Mosis angelum possidere contenderet. Jam Lutheri coquus justum se Jonam prædicabat : jam Rodulphus a Mosham decanus Pataviensis Lutheranismi et papatus mediatorem se a Deo demissum asserebat ; jam denique David Georgius sartor per Hollandiam et Frisiam scribebat se verum esse Messiam, regem regum, ac Dei nepotem, et non ex carne, sed ex Spiritu sancto natum. Hæc insaniæ prodigia una cum hæresi in orbem proruperunt ». Ostensa eodem tempore plura divinæ iræ indicia tradit auctor, prodigiosos mulierum et animalium partus apparuisse, Tamesim ad decimum sextum kal. Januarii intra novem horas præter omnem consuetudinem fluxisse et refluxisse, sudatorium pestiferum morbum intra septem dies octingentos Londini sustulisse, et alibi innumeratam hominum multitudinem præfocasse, nec ullam pestis naturam retulisse, idque datum prodigio, quo Deus Anglos admissi criminis deserta majorum fide admonuisse, nihil tamen perditis profuisse.

35. *Crescit et protegitur hæresis Calviniana in Gallia.* — De fanaticis hujusmodi hominibus a Sathana illusis meminit Genebrardus in Chronico [1], ac refert illum, qui Tolosa Joannis Baptistæ spiritu se regi jactabat, non impune scelus tulisse, sed flammis traditum fuisse. Cæterum non defuere, qui in Gallica regia hæreticorum patrocinium susceperint, serpebat enim clam impietas, et cum jam ante jussu Francisci I regis adversus hæreticos, qui plura Provinciæ oppida maxime Caprariam et Merindolum infecerant, atque in jus vocati leges contumacissime tempserant, imo de intercipienda Massilia agitasse consilia ferebantur, regiæ copiæ immissæ fuissent, a quibus viginti duo oppida evastata fuerant, ac de pluribus ab Oppedæ dynasta Aquensis senatus principe supplicia sumpta fuerant, idem Oppedæ regulus ob multa in ea expeditione crudeliter gesta, insontesque eadem cum sontibus pœna militari licentia involutos apud Henricum in crimen accersitus, conjectusque in vincula est, cujus causam Pontifex subjectis litteris [2] Henrico regi commendavit, ne ob districtam in hæreticos severitatem vexari pateretur.

« Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi Christianissimo Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Cum nuper intellexerimus dilectum filium nobilem virum Joannem Maynerii baronem loci Oppedæ Cavallicensis diœcesis vasallum nostrum, et curiæ tui Parlamenti Provinciæ primum præsidentem, propterea quod tanquam claræ memoriæ Francisci Francorum regis genitoris tui, tunc in humanis agentis, in partibus illis locumtenens, obsidioni et expugnationi, et direptioni loci de Capreriis (dictæ diœcesis) Comitatus nostri Venaysini pro exterminatione quorumdam hæreticorum, tam in eodem de Capreriis, quam aliis dictæ Provinciæ locis tunc existentium, de mandato felicis recordationis Pauli Papæ III prædecessoris nostri, et ordinatione tunc vicelegati nunc in civitate nostra Avenionensi, Apostolicæ Sedis legati, factis, jussu prædicti Francisci regis, qui tunc ad hoc pro parte ipsius prædecessoris instantissime requisitus fuerat, interfuit et se egregie gessit, in carceribus jam dudum detineri, et coram certis officialibus tui regni molestari. Nos attendentes, et Paulum prædecessorem et Franciscum regem prædictos, præmissa, tanquam ad honorem Dei et pro conservatione suæ fidei Catholicæ gesta permisisse, majestatem tuam

[1] Sand. l. I. de Schism. Genebr. l. IV. in Chron. an. 1550.

[1] Ibid. in Chron. hoc anno. — [2] Jul. III. l. II. brev. p. 309.

regiam his nostris rogamus et hortamur, ut intuitu ejusdem religionis, et ne si quæ adhuc in istis partibus supersint, hæreticorum reliquiæ ex molestiis eidem Joanni illatis sibi gloriam comparent, officialibus tuis prædictis mandes, ne eumdem Joannem occasione expeditionis loci de Capreriis hujusmodi, et quorumcumque in illa gestorum in persona, vel bonis quomodolibet molestare præsumant, quinimo eum statim liberum dimittant, rem etenim nobis, qui hoc summopere cupimus, gratissimam præstabis, plura super hoc referet noster apud te nuntius, cui plenam fidem adhibere poteris. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXVIII Julii MDL, anno I ».

Agit de his fuse Jacobus Augustus Thuanus [1] ac more suo hæreticorum causam tuetur, læsæque religionis vindices in invidiam adducit, refertque Guerinum solum, qui regiis copiis præfuerat, ac avaritiæ, libidini et immanitati fræna laxarat, capitali sententia damnatum fuisse. Cæterum Julius [2] amplissimo Diplomate VI Maii consignato omnia privilegia Francisco I jam ante concessa Henrico II asseruit, vicissimque Henricus Pontificium jus in Sabaudia et Pedemontio ab administris labefactatum splendori pristino restituit, corruptelas sustulit, ac Pontificia decreta in episcopatibus et monasteriis earum provinciarum conferendis infringi vetuit. Præclarum etiam hoc anno principis Catholici specimen edidit Antonius rex Navarræ, atque obsequia sua religiose addixit Julio III Pontifici, cui subjectis litteris actæ gratiæ [3] :

36. « Regi Navarræ.

« Charissime, etc. Venerabilis frater noster cardinalis de Turnono litteras tuæ serenitatis nobis reddidit geminato ex officio nobis gratissimas. In uno benevolentia erga nos, quod plurimi, in altero observantia et devotio tua erga hanc Sanctam Sedem, quod multo pluris facimus, nobis repræsentata est. Cum enim regia humanitate et filiali amore hanc nostram ad Summi Apostolatus apicem assumptionem nobis esses gratulatus, quod privatim ad nos, deinde obedientiam nobis et huic Sanctæ Sedi pie et officiose præstitisti, quod publice ad nostram dignitatem pertinuit. Agimus igitur tuæ serenitati de gratulatione tua gratias, illamque divinæ clementiæ ac tuæ humanitati, potius quam nostris meritis acceptam referimus; obedientiam vero libenti ac paterno animo, tam nostro quam dictæ Sedis nomine, acceptamus, tuæ vicissim serenitati omnem paterni affectus nostri gratitudinem, quantum per Deum nobis licuerit, omni tempore benigne offerimus et pollicemur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. Die XI Augusti MDL, anno I ».

Obsidebant hujus regis et Joannæ reginæ [1] aures hæretici, qui in Benearnia, et aliis eorum principatibus Calvinianam hæresim, Lutheranæ prolem infelicissimam, occulte disseminabant. Inter hos eminebant flagitio Russellus abbas Cleriacensis, idemque episcopus Oleronensis, Guillelmus etiam Pelicerius episcopus Montispessulani, quæ urbs Antonio regi parebat, hæreseos peste infectus eam late spargebat (ut nonnulli tradunt), inque scelus pellexit etiam Guillelmum Rondeletium medica scientia clarum, qui Academiam Monspeliensem graviter corrupit, de quo in ejus Vita Laurentius Joubertus Calvinista refert, eum plurimum addictum fuisse studio theologiæ, verius dixisset, dæmonologiæ, cum hæretici tantum pro dæmone adversus Deum deblaterent : additque illum clam domi aluisse multo tempore Franciscum Caparonem Dominicani Ordinis infamem apostatam, qui ob impietatem latebras quærebat, virusque ad se venientibus instillabat.

37. *Providet Julius ne hæresis in Italiam latius serpat, et condemnat judices sæculares se immiscentes causis religionis.* — Non deerant quoque in Italia, qui hæresim clandestinis artibus afflarent, adeo ut eo flagitio etiam Mendicantium Ordinum professores, parochi eorumve vicarii se devincirent, cujus mali contagio cum Mutinæ latius pullularet, Julius [2] Ægidio episcopo mandata dedit, ut rescissis omnibus privilegiis concessis antea Religiosorum Ordinum professoribus, omnes de re Catholica male sentientes ab administratione Sacramentorum sacrisque habendis concionibus amoveret. Cumque Brixiæ eadem labes serperet, et improborum multitudine territus cardinalis Cornelii vicarius Vincentius Nigusantius, Arbensis episcopus, munus abjicere meditaretur, illum Julius [3] in suscepto munere perstare, animadvertereque in hæreticos jussit, non enim illi magistratus Venetos in asserenda Orthodoxa religione, ut erant polliciti, unquam defuturos. Prætermittendæ vero hic non visæ sunt insignes litteræ Pontificis ad Venetos, quibus de mutua animorum studiorumque conjunctione ita est gratulatus [4] :

« Dilectis filiis nobilibus viris Francisco Donato duci ac senatui Venetiarum etc.

« Nos quidem nostros prædecessores, vestrosque majores sapientissime illud cogitasse atque egisse videmus, quod cæteris Italiæ partibus ab reliqua Italia quodammodo avulsis, et in aliorum potestatem præter admodum paucos redactis, hæ duæ regiones ac ditiones nostra vestraque, sicut ab eadem origine olim fluxerunt, et suis finibus alicubi conterminæ sunt, ita in conservationem communis boni ac libertatis semper fere inter se consenserint, nec minus

[1] J.-c. Aug. Thuan. l. VI. — [2] Jul. lib. II. brev. p. 224. — [3] Ibid. p. 1550 et p. 320.

[1] Raymun. Laur. Joubert. in Vit. Rondeletii. — [2] Jul. l. II. brev. p. 310. — [3] Pag. 337. — [4] Ibid. sig. num. 2889. p. 9.

animis et benevolentia quam loco et propinquitate conjunctæ fuerint, quod vero apud vos legum observantia, morum gravitas, justitiæ cultus tantopere vigent, singularisque in regendo prudentia vestra celebris apud omnes est, quod magna vestra liberalitate adapertum orbi Christiano habetis Patavii emporium bonis litteris addiscendis id, quod pariter hæc Sancta Sedes Bononiæ fecit et facit, merito augent inter nos amorem, morum, studiorum et voluntatum similitudo; illud quoque ad vestras tot laudes summe laudandum accedit, quod nobilitas Italiæ in vestram civitatem ab ejus initio confluxit, et in Christi fide fundata nunquam hæreses, aut veteres, aut has recentiores admisit semper ipsa pia ac nobilis. Habet igitur, habuitque hæc Sancta Sedes multas ac justas causas suæ erga vos dilectionis, in qua nos quidem constanter permanebimus, nullique nostrorum prædecessorum in hoc cedemus etc. Datum Romæ die XII Februarii MDL, suscepti Pontificatus anno I ».

38. Violata non nihil postea est ea animorum consensio, cum Veneti politicis argutiis illusi libertatem censorum fidei auctoritatemque infringere statuissent novo decreto, quo laicos judices illis adjunxere : quod Pontifex ob graviora mala inde emersura ferendum non censuit, ut refert Angelus Massarellus [1] :

« Die XXX mensis Decembris fuit congregatio reverendissimorum cardinalium deputatorum in causa fidei coram Pontifice super examinatione Bullæ, quam Sanctitas Sua editura est contra impedientes libertatem Ecclesiasticam, et turbantes jurisdictionem spiritualem, et præsertim contra se intromittentes in cognitione hæresis, cum id multis in locis maxime invaluerit, præcipue autem apud Venetos, qui novissimo his diebus lege publica statuerunt, ut per eorum dominium nullus inquisitor, vel ordinarius cognoscat de dicto crimine absque assistentia et interventu deputatorum sæcularium per per eos constituendorum, quod mirum in modum Suæ Sanctitati displicuit, idque nullo modo pati vult. Approbata fuit ab omnibus cardinalibus pia mens Suæ Sanctitatis » : mox vero subjicit :

« Feria VI Hebdomadæ Sanctæ [2] in Sacello lecta Bulla, quam Julius III edidit contra sæculares intromittentes se cognitione hæresis ».

39. *Poloniam a labe hæretica purgare nititur Julius.* — Accensus eodem tuendæ Catholicæ religionis ardore Julius Sigismundum Augustum regem Poloniæ hortatus est [3], ne Lutheranos e Germania in Poloniam adrepere pateretur, utque regnum ab hæreseos lue vendicaret, stimulos addidit :

« Regi Poloniæ.

« Charissime, etc. Prædecessorum merita erga religionem et rempublicam Christianam maxima fuisse scimus, et tua etiam accessura confidimus, ex illa enim arbore prodiisti, quæ tot fortissimos et pientissimos reges, tuumque in primis genitorem orbi Christiano protulit, cujus virtus et pietas inclyta et excellens in totius Christianitatis grata recordatione versatur, et semper versabitur, non minus quidem ob perpetuum Sedis Apostolicæ colendæ ac fidei Catholicæ in suo regno conservandæ studium, quodque vicinas hæreses in suum regnum irrepere nunquam est passus, quam quod tot victorias ac triumphos ex vicinis hostibus retulit, cujus clarissimi et omnium sæculorum memoria digni genitoris tui pietatem et gloriam quin sequi velis non ambigimus, quin ut huic Sanctæ Sedi paternum atque avitum amorem et observantiam sis continuaturus , idque ut facias , tuumque regnum ab hæresibus ex Germania profugis inviolatum Deo et tibi conserves, te, fili, plurimum in eodem Deo adhortamur. Dat. Romæ die XVII Februarii MDL, suscepti Pontificatus anno I ».

Perstabat quidem Sigismundus rex in pristino religionis cultu atque Pontificis Romani obsequio, certioremque reddidit Julium se oratoris opera obsequia sua vetere more et instituto Pontificiæ majestati addicturum, verum nimia facilitate usus hæreticis aditum in Poloniam permisit, adeo ut nonnulli magnates impietate corrupti, in solemnibus Ordinum regni comitiis veterem animorum concordiam dissolvere pertentarint, deque immutandis sacrosanctis Ecclesiæ ritibus impia moliri consilia non perhorruerint, ad novos vero hosce motus pacandos Sigismundus rex hortatus est Julium, ut ad componenda religionis dissidia Concilium celebrandum curaret. Cui responsum est a Julio [1], se omnem operam pro celebrando Concilio navaturum, et legatum cardinalem, si res id exegerit, pro coercenda impietate decreturum.

40. « Sigismundo Augusto regi Poloniæ.

« Charissime etc. Majestatis tuæ litteræ, quas secretarius tuus ternas nobis reddidit, varie nos affecere, eæ enim quibus de eo nobis gratularis, quod ad summum Pontificatus fastigium evecti sumus, teque post celebrata tui regni comitia oratorem tuum ad præstandam nobis de more obedientiam missurum esse scribis, voluptati et gaudio nobis fuerunt, liquido enim ex eis litteris fere perspeximus id quod semper de tua serenitate et speravimus et expectavimus, te inclytæ recordationis genitori tuo omnium sæculorum memoria digno regi, haud minus in cultu et observantia Apostolicæ Sedis, cæterisque virtutibus, quæ quidem vera est laudataque hæreditas, quam in regno et dominiis successorum, contra vero ex aliis litteris,

[1] Ang. Mass. secr. Julii III. in Diar. p. 388. — [2] An. 1551. Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 399. — [3] Jul. III. l. I. brev. p. 1.

[1] Jul. III. l. I. brev. p. 153.

per quas nonnullos majestatis tuæ ditioni atque imperio subjectos quædam de ritibus Catholicæ fidei et sanctæ Matris Ecclesiæ in tuo regno immutandis moliri significas, gravi sane molestia et sollicitudine, pro eo ac debuimus, affecti sumus, quam tamen eædem tuæ litteræ non parum minuerunt, quod in illis affirmas te in ea religione persistere omnino velle, in qua natus es, neque ab Ecclesiæ placitis unguem latum discedere, quæ verba, et pientissimo eodemque prudentissimo rege digna, plane certam atque exploratam spem nobis attulerunt, minime timendum esse, ne, te rege et moderatore tuorum et regni et dominiorum talem sensum et animum gerente, quidquam hæreticum aut schismaticum per tuos subditos suscitari possit, quorum ferme ea consuetudo semper est ut suorum regum ac principum mores sequantur. Quod vero pluribus verbis ac rationibus majestas tua persuadere nobis conatur, ut pro his ipsis quæ in tuo regno metuis et universalis Ecclesiæ bono Concilium prosequi velimus, non est, quod in eo nobis persuadendo valde tua serenitas laboret, siquidem ex quo Dei benignitate ad nos delatum est summi Apostolatus munus atque officium, nihil animo nostro magis fixum fuit, hodieque hæret, quam ut Concilium ipsum primo quoque tempore celebremus, et ad eum finem atque exitum, quem boni omnes optare debent, Deo præeunte et adjuvante perducamus, ut tandem sublata funditus omni de religione cultuque opinionum dissensione et errore sua Ecclesiæ Catholicæ restituatur concordia et unitas, præterea mittemus brevi ad majestatem tuam non modo nuntium, verum etiam S. R. E. cardinalem legatum nostrum talem, qualem te cupere ostendis, qui res et motus tui regni hujusmodi, nisi interim forte sedati conquieverint, ex serenitatis tuæ sententia ac votis componere studebit ». Et paulo infra : « Te autem, fili charissime, ita persuasum esse cupimus, nos pro tuorum progenitorum, tuisque in nos et hanc Sanctam Sedem reverentia, pietate ac meritis, proque nostro vicissim paterno erga te amore, quantum cum Deo poterimus, libentissime semper honesta vota tua ad exauditionis gratiam admissuros esse, sicut ex cardinalis Farnesii litteris plenius intelliges.

« Datum Romæ apud S. Petrum die XXIII Julii MDL, anno I ».

41. Infecerat maxime Pomerianam, ejusque diœcesim hæresis ob episcopi Pomesaniensis impietatem, qui episcopalis muneris oblitus, versusque in hostem, atque administrum Sathanæ, partes hæreticorum efferre non perhorruit, ad quem reprimendum, aliosque ad officium religionis revocandos, Julius Culmensem episcopum amplissimis mandatis instruxit [1], ut censuram fidei in impios exerceret, redeuntesque ad officium Ecclesiæ conciliaret.

« Venerabili fratri Moderno, episcopo Culmensi, Julius papa III.

« Venerabilis frater salutem etc. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Sigismundus Augustus Poloniæ rex illustris, nobis nuper exponi fecit in civitate et diœcesi Pomesaniensi variæ hæreses et pravæ circa Catholicam Christi fidem opiniones pullulent et vigeant, et ne majores in dies succedant, verisimiliter formidetur, et qui pro episcopo Pomesaniensi ad præsens se gerit, præmissis nedum non occurrat, sed quantum in eo est, faveat et adhæreat, idem Sigismundus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut pro exstirpatione dictarum hæresum curam alicui ejusdem regni Poloniæ prælato demandare de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur volentes pro nostri pastoralis officii debito inconvenientibus hujusmodi providere, fraternitatem tuam, de cujus prudentia, probitate, et in Deum pietate certam spem concipimus, et quem ad præmissa verbis et opere potentem esse intelleximus ad hæreses et pravas opiniones hujusmodi in civitate et diœcesi prædictis extirpandas inquisitorem, cum plena, libera et omnimoda facultate ad omnia, quæ ad officium inquisitionis hæreticæ pravitatis a Sede Apostolica specialiter deputati de jure vel consuetudine, aut alias quomodolibet pertinent, faciendi, dicendi, gerendi, exercendi et procurandi Apostolica auctoritate tenore præsentium ad nostrum beneplacitum constituimus et deputamus, curam super criminibus hæresim vel a fide Catholica apostasias vel alios errores sapientibus hujusmodi inquirendi, ac errantes, seu qualitercumque in præmissis culpabiles debitis pœnis puniendi et mulctandi, necnon ad cor reversos, et eorum errores recognoscentes ad gremium Ecclesiæ redire sponte volentes, et ad orthodoxam fidem recipi humiliter postulantes, ab omnibus et singulis eorum criminibus, excessibus et delictis, ac Ecclesiasticis seu temporalibus sententiis, censuris et pœnis propterea incursis in utroque foro, prævisa abjuratione, ac servatis de jure servandis, et liberandi ac aliorum Christi fidelium consortio aggregandi, et ad famam, et honores, et patriam, et bona restituendi, et reintegrandi plenam et liberam tibi etiam una cum Ecclesia Culmensi, præesse dignosceris, plenarie committendo in illo, qui dat gratias, et elargitur præmia confidentes, dirigente Domino actus tuos in Ecclesia, et ipsa civitate et diœcesi Pomesaniensi diligentiæ industriam hæreses, et pravæ opiniones hujusmodi tollantur, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXV Julii MDL, anno I ».

42. Diffuderant etiam in alias regni Poloniæ provincias hæreseos virus novarum rerum cupidi, suisque argutiis simplices irretiebant, ut

[1] Jul. III. an. I. p. 306.

Poloniæ episcopi conquesti sunt apud Julium, qui exaratis Encyclicis litteris ad Nicolaum archiepiscopum Gnesnensem regni Poloniæ primatem, ad Andream Wladislaviensem, Joannem Chelmensem, Samuelem Cracoviensem, Andream Plocensem, Benedictum Posnaniensem, Joannem Primisliensem, Stanislaum Culmensem episcopos, eos monuit, ferocientis mali vim duplici remedio repressum iri, si ipsi regia fulti auctoritate animadverterent in hæreticos [1] : a se vero omnem operam pro celebrando Œcumenico Concilio adhibitum iri :

« Episcopis universis Poloniæ.

« Venerabiles fratres. Quæ ad nos scripsistis de imminentibus amplissimo Poloniæ regno calamitatibus ob perniciosas de religione dissensiones ad eas sedandas cogitationum nostrarum cursum magnopere incitarunt. Non desimus itaque assidue meditari, qua ratione a tam pestifera labe cum universam Christianam rempublicam vindicemus, tum nobilissimi istius regni saluti ac tranquillitati consulamus, ac imminentibus quidem malis, de quibus ad nos scribitis duplex nobis omnino medendi ratio occurrit; prima namque est, ut vos, fratres, populos vestros assidue commonefaciatis, verum Dei cultum et Ecclesiæ Catholicæ instituta conservetis, perditorum vero atque impiorum quorumdam conatus pro jure potestateque vestra coerceatis : ad hæc in primis charissimi in Christo filii nostri regis, vestri optimi et religiosissimi principis fidem atque spem imploretis, in qua re quid est quod vos pluribus hortemur, cum potius incensum studium vestrum sit laudandum, quam diligentia excitanda? Alterum impendentis periculi remedium nostræ curæ et sollicitudinis maxime proprium est, sacri Œcumenici Concilii celebratio, quod Tridenti inchoatum molesti quidam casus et Apostolicæ Sedis vacatio interruperant. Nobis vero, simul ac ad summum Apostolatus fastigium pervenimus, nihil illa cura fuit antiquius quam ut Concilium kal. Maii ad eamdem civitatem reducendum, et inibi prosequendum curaremus, qua de re nostras plumbo obsignatas litteras ad serenissimum Cæsarem in Germaniam perlatas fuisse vobis ex multorum litteris, et nuntiis innotuisse putamus, et in præsentia ex oratore serenissimi regis, et ex dictarum litterarum exemplo authentico, quod ad vos propediem mittemus, cognoscere poteritis. Vos itaque, fratres, hortamur, ut ad dictam diem Tridenti adesse velitis; confidimus enim fore ut vestro et aliarum nationum et Christianorum principum summo consensu non modo Concilium amplius non differatur, sed præpotenti Deo favente per ipsum, cum ad optatum finem perductum fuerit, Christiana respublica incolumitatem et salutem certissimam consequetur. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XX Decembris MDL, anno I ».

Quod ad oratorem a Sigismundo rege Poloniæ missum ad Pontificem spectat, refert Massarellus illum regio nomine obsequia detulisse Pontifici, ac fecisse certiorem de flagrantissimo studio religionis in Polonia asserendæ. Additque nobilem virum D. Herculem Estensem ducem Ferrariæ ultima Martii habita oratione in publico Consistorio Pontifici præstitisse solemnem obedientiæ sponsionem, necnon Octavii Farnesii ducis Parmæ et Placentiæ, ducis quoque Sabaudiæ, ac ducis Florentiæ, Genuensiumque oratores, diversis quidem diebus, eidem Pontifici obsequia devovisse.

43. *Fides in India propagatur opera Joannis regis Lusitani.* — Dum in Europæ pluribus regnis ac provinciis fides orthodoxa deflouresceret, atque improbi Christiani terrenis commodis deliniti a castris Ecclesiæ ad Sathanæ castra transfugerent, divina providentia in extremis Asiæ oris Romanæ Ecclesiæ fidem amplificavit, atque ex lapidibus sive lapidum cultoribus filios Abrahæ suscitavit, adeo ut, quæ olim obcœcatis Judæis ac gentibus ad Deum conversis contigere, eadem improbis Christianis in hæreses varias lapsis, et Indis Japoniisque Ecclesiæ aggregatis instaurata viderentur, et verba Apostoli de Judæis dicta Lutheranis accommodari possint : *Illorum delicto salus est gentibus, delictum illorum divitiæ sunt mundi, et diminutio eorum divitiæ gentium,* quæ cum consentiente piissima atque ardentissima Lusitanorum opera maxime fierent, de his ita Julius Joanni regi Lusitaniæ gratulatus est [1] :

« Regi Portugalliæ.

« Te, fili in Christo charissime, inter cæteros Christianos reges impense diligimus et maximi facimus, non solum ob inclytam erga Deum pietatem, atque erga hanc Sanctam Sedem observantiam, cæterasque virtutes tuas, quibus splendorem regii culminis exornas, sed etiam quod tuo tuorumque progenitorum beneficio et navigationibus, orbis terrarum antea ignotus, magna ex parte nunc cognitus, et quod plus est, Deo ac vobis per agnitionem Christianæ veritatis acquisitus est, ut illud tamdiu expectatum videre nostris temporibus cœperimus, *in omnem terram exivit sonus eorum, et in fines orbis terræ verba eorum.* Quod quoniam vestro ministerio Deus omnipotens fieri voluit, vos propterea in conspectu divinæ majestatis gratos et acceptos filios fuisse agnoscimus; vobisque ac cæteris, qui eidem Deo tale obsequium et illis populis in tenebris jacentibus tantum beneficium, nempe salutis æternæ, præstiterunt, una cum universa Christiana republica

[1] Jul. III, tom. I, p. 212.

[1] Brev. Julii III. 1550. p. 36.

valde debemus. Hortamur proinde serenitatem tuam in Domino, sicut in futurum certo confidimus, ut in Christiana religione et ditione propaganda, devotioneque hujus Sanctæ Sedis continuanda eodem animo ac pietate nostris temporibus sis, qui semper fuisti, et tui majores fuerunt, ut talem te gerenti tibi ac tuis Deus optimus Maximus, per quem reges regnant, ad terrenum hoc vestrum tot ac tantis terrarum et marium spatiis diffusum, tandem cæleste etiam regnum adjiciat, sicut suis fidelibus repromisit. Dat. Romæ die XIII Februarii MDL ».

44. Hoc anno, S. Xaverius, prædicata Cangoximæ Christi fide, illius latius apud alios Japonios disseminandæ cupidissimus Amangucium profectus est, ubi opprobria multa pertulit, factus instar Apostoli omnium peripsema, sed gloriosissima demum animarum spolia Christo retulit, ut ipse sociis Goensibus hoc anno significavit hisce litteris [1] :

« Societati Goam.

« Cosmo Turriano neophytis (scilicet Cangoximensibus) præsidere jusso. Ego una cum Joanne Ferdinando Amanguci regis (ut captus est Japoniorum) sane opulenti sedem contendimus ». Et mox : « Itaque cum optimum factu statuissemus in compitis ac triviis bis in die concionari nostri illius libri capita pronuntiantes de Christi religione ad populum verba faciebamus, dynastæ etiam nonnulli domum suam nos invitabant, ut commodius de nostra religione cognoscerent, atque ultro pollicebantur eam se sua meliorem, si censuissent, sine ulla dubitatione suscepturos. Ac multi nostros sermones de lege divina sane libenter audiebant, alii contra iniquis ferebant animis, ultro etiam quæ dicebantur irridebant. Ergo quoties per urbis vias ibamus, toties nos puerorum atque infimæ fæcis multitudo irridens, atque illudens ejusmodi vocibus prosequebatur : En qui divinam nos legem, ut salvi simus, suscipere jubent, propterea quod ab interitu vindicari nisi per omnium rerum effectorem, ejusque Filium non possumus ; en qui plus una uxore habere nefas esse prædicant ; consimili modo reliqua religionis nostræ capita inculcabant per ludum et jocum ». Addit deinde ut ob exiguos fructus ibi collectos perrexerit Meacum, urbem Japoniorum principem, mensesque duos graviora pericula et frigora perpessus posuerit ; sed cum omnia bello flagrarent, nec audiri posset, Amangucium reversum regi litteras et munera a prorege et Goano episcopo reddidisse, tum de piis laboribus a se exantlatis subjicit : « Bis concionabamur in die, concionem semper excipiebat concertatio de religione bene longa, proinde perpetuo aut in sermonibus habendis, aut in quæstionibus profligandis eramus occupati. Concionibus sæpe intererant Bonzii multi, aliique e nobilitate ac plebe quamplurimi, semper fere domus erat homininibus referta, sic ut interdum nonnulli loci angustiis excluderentur. Percontationum tanta vis fuit, ut ex responsis plane, et legum suarum, Deorumque falsitatem, et Christianæ legis veritatem intelligerent. Post multorum dierum certamina et interrogationes demum victi manus dare, et ad Christi fidem se conferre cœperunt. Omnium autem principes extiterunt ii, qui in concertationibus percontationibusque acerrimos sese præbuerant adversarios ». Et infra : « Ac mensium duorum spatio facti sunt Christiani facile quingenti, atque hic numerus augetur in dies, ut magnopere lætandum, Deoque gratulandum sit tam multos esse, qui Christi religionem amplectantur, quique Bonziorum fallacias, librorumque atque sectarum mysteria enuntient. Anno MDL, Amangucio ».

45. Non disparem operam [1] navabant in Indiis propagando Evangelio plures viri pietate spectatissimi e societate Jesu, e quibus Gaspar Barzæus quemdam Brachmanarum principem ab impia superstitione ad Christi signa traduxit non sine insigni miraculo, cum lapsa divinitus cœlesti voce Christo nomen dare jussus fuerit, cujus exemplo plures Brachmanæ Ecclesiæ sunt aggregati :

« Ex ethnicis, quos sua Gaspar disputatione conjunctos ad Ecclesiam aggregavit, Joannes quidam fuit insigni duritia et austeritate vitæ, magnæque proinde opinionis in vulgus, sunt enim Jogues e Brachmanarum genere, qui sanctimoniæ famam horrido in primis et aspero victu cultuque vulgo captant e veterum illa (ut apparet) Gymnosophistarum secta, quos, ut sanctus Hieronymus auctor est, Bardesanes vir Babylonius Samanæos vocabat. Hi suburbanum Armuziæ specum ac delubrum habebant ; unde ad imbuendas variis erroribus hominum mentes interdiu, et emendicandam stipem, cibosque prodibant : cumque propius ad muros accederent, haud urbem ingressi, tamdiu venatoris cornu canebant, suum significantes adventum donec ciborum aliquid quispiam afferret, cujus ex reliquiis nihil eis licebat in crastinum condere. Noctu sese in eamdem latebram recipiebant, statisque horis signo dato, ad certas primum commentationes, tum ad suum venerandum Idolum (quod Pagodem Indorum vulgus appellat) evigilabant. Unus omnibus præerat neglecta semper barba et capillo, asperso cineribus corpore, obsitus pannis, ac seminudus, grandi macie torridus, qui cunctos in tantam sui adorationem asperitate vitæ traduxerat, ut qua pedes aqua lavisset, hanc Armuziæ rex ipse, religionis causa, potaret. Is ergo Gasparis

[1] S. Franc. Xaver. l. III. Ep. VII.

[1] Orlandin. Hist. Soc. l. X.

colloquiis rationibusque paulatim in studium Christianæ religionis adductus, cum inter consilium mutandæ vitæ perplexus hæreret, triginta dierum spatium ad deliberandum sumpsit : cui Gaspar insuper auctor fuit, ut singulis diebus quina virgæ verbera totidem Christi plagas recolendo susciperet, certamque sibi lucem a Deo accuratis precibus imploraret, qui dum facit imperata, divinasque laudes nocte quadam apud se reputat, clara subito vox ad aures accidit : Quin tu quod tibi monstratur ad vitam iter ingrederis ? una est ad salutem via, qua populus Christianus insistit. Simul vigilanti magnificus sacrorum apparatus, et pretiosa vestis multiplici varietate distincta, quam ad rem divinam solemni pompa rituque faciendam Christianorum usurpat Ecclesia, per visum objicitur. Quo ille vehementer incensus, admonitusque mane Gasparem baptismi gratia sine cunctatione convenit, et Christianæ captus humilitatis amore, ut regis vitaret aspectum atque congressum, quem audierat ad se visendi causa, ut solebat, accedere, de suo cænobio profugit. Hunc deinde aqua salutis exceptum, Paulique nomine nuncupatum Jogues alii rectoris auctoritatem, non sine ejusdem impulsu Spiritus sancti secuti sunt ».

46. *Confirmatur iterum a Julio III Societas Jesu.* — Confirmata est hoc anno novo Diplomate a Julio [1] Societas Jesu, ita enim dictus est pius ille sacerdotum Ordo, quod singulari studio se obsequio Jesu Christi, atque Evangelio propagando addixerit, ac religiosæ vitæ formula Apostolica auctoritate corroborata, cujus præcipua pars a S. Ignatio subjectis verbis concepta erat :

« Quicumque in hac Societate professionem emiserint, non solum in primis professionis suæ foribus intelligant, sed quoad vixerint memores sint, Societatem hanc universam, et singulos qui in ea profitentur, sub sanctissimi domini nostri Pauli papæ III, et aliorum Romanorum Pontificum successorum ejus, fideli obedientia Deo militare, et quamvis Evangelio doceamus et fide orthodoxa cognoscamus, ac firmiter teneamus omnes Christi fideles Romano Pontifici tanquam capiti, ac Jesu Christi vicario subesse, ob devotionem tamen majorem ac obedientiam Sedis Apostolicæ, et majorem voluntatum nostrarum abnegationem, et certiorem Spiritus sancti directionem summopere conducere judicavimus, singulos nos, et quicumque in posterum professionem emiserint, ultra illud commune trium votorum vinculum, speciali ad hoc voto adstringi, ut quidquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes jusserint ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens et ad quascumque provincias nos mittere voluerint, sine ulla tergiversatione, aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, sive nos ad Turcas, sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus quas Indias vocant, sive ad quoscumque hæreticos, schismaticos, seu etiam ad quosvis fideles mittendos censuerit, exequi teneamur. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt, antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur an tantum pecuniæ spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc juxta consilium Dominicum possint consummare, hoc est, an Spiritus S. qui illos impellit, tantum illis gratiæ polliceatur, ut hujus vocationis pondus, illo adjuvante, se laturos sperent, et postquam, Domino inspirante, huic Jesu Christi militiæ nomen dederint, die noctuque succincti lumbos, et tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt ».

47. *Annus Jubilæi a Julio III indicitur : mira charitatis opera Romæ edita erga pauperes peregrinos.* — Cum ex veteri more Jubilæi celebritas instauranda esset, Julius III eam consecravit anno præsenti MDL, ut Acta Consistorialia testantur [1].

« Die Lunæ XXIV, quo celebratur festum sancti Matthiæ Apostoli, Sanctitas sua aperuit portam Jubilæi. Eodemque die fuit facta congregatio cardinalium, in qua fuerunt deputati legati a latere ad aperiendas alias portas dicti Jubilæi, videlicet reverendissimus Tranensis decanus ad aperiendam portam Sancti-Joannis Lateranensis, reverendissimus dominus Portuensis ad aperiendam portam Sancti-Pauli, necnon reverendissimus D. camerarius ad aperiendam portam Sanctæ-Mariæ Majoris cum cæremoniis solitis ». Sed quia non omnes Romam accedere poterant, ideo Julius inter alios benigne imperatori et Philippo ejus filio principi Hispaniarum hoc supplici prece petentibus, concessit ut etiam absentes cum aulicis ea peculiari gratia frui possent.

48. « Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto, Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem, etc. Tuæ majestatis in hac parte nobis humiliter porrectis supplicationibus inclinati, tibi et dilecto filio nobili viro Philippo Hispaniarum principi tuo nato, necnon familiaribus continuis commensalibus ac cæteris curialibus tuis, ipsiusque Philippi, vere confessis et contritis, quod tu, ipseque Philippus unam vel duas, alii vero quatuor Ecclesias, seu unum, vel duo, aut quatuor respective Altaria diversarum Ecclesiarum in civitate, oppido, seu loco, in qua seu quo te vel ipsum Philippum residere, seu esse contigerit, per te vel ipsum Philippum eligendas seu eli-

[1] Bul. in Jul. III. const. 9.

[1] Ms. card. Spadæ tom. CXXXIV. p. 19.

genda, et si dicta tua majestas infirmitate detenta fuerit, in domo residentiæ aliquam Salvatoris Domini nostri Jesu Christi, seu B. Mariæ Virginis ejus Matris imaginem devote visitando, et eadem majestas, et Philippus semel tantum, alii vero familiares, et curiales prædicti, per decem continuos sive interpolatos dies, quinquies Orationem Dominicam et toties Salutationem Angelicam recitando, pro peccatorum suorum remissione et Catholicæ fidei exaltatione pie orando, Jubileum, ac omnes et singulas indulgentias, et peccatorum remissiones etiam plenarias, quod et quas consequeremini, et consequi possetis, si quatuor Basilicas et Ecclesias almæ Urbis, et extra illius muros, ad id deputatas personaliter singulis quindecim diebus visitaretis, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus et indulgemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXIX Novembris MDL, anno I ».

49. Hoc Jubilei anno Romæ emicuit pietas Sodalitatis Sanctissimæ Trinitatis, cujus munus est pauperes peregrinos, qui ex omnibus mundi partibus ad Urbem veniunt, pie excipere, eosque per aliquot dies alere. Hæc Sodalitas a Sancto Philippo Nerio Florentino [1], cum adhuc in laicali habitu vitam degeret, et ab aliis piis viris anno MDXLVIII decima sexta Augusti instituta fuit. Hoc igitur Jubilei anno mirifice horum virorum pietas eluxit, cum pauperes peregrinos, qui ad lucrandas indulgentias Romam venerant, reciperent, mensas eis ponerent, pedes lavarent, lectos sternerent, aliisque charitatis officiis eos prosequerentur, qua de causa fragrans pietatis odor non solum per Urbem, sed etiam in exteras provincias se diffudit; versaque sunt honori et gloriæ publica pietatis officia, quæ non solum Romani proceres, sed etiam præsules, cardinales, ipsique Summi Pontifices exhibuere : adeo nt nonnulli hæretica pravitate infecti, humilitate et charitate maxime purpuratorum Patrum corde emolliti hæreticam pertinaciam deposuerint.

50. *Pontifex memor præteritæ calamitatis solemnes gratiarum actiones Deo præstat.* — Hoc anno a Julio auctus est cardinalium senatus, et primus ad purpuram evectus adolescens annorum septemdecim a Balduino Pontificio fratre in filium cooptatus, quem duodecim millium aureorum proventu annuo auxit : Verum tanta ille beneficia in vitiorum irritamenta vertit, vitamque inquinatissimam duxit, ut de eo exauctorando actum sit. Premendum hic silentio non est visum, Julium inclinante anno in Pontificiæ felicitatis culmine situm, præteritæ olim calamitatis memorem cum ab impiis Germanis una cum aliquot præsulibus circum furcas circumductus fuerat catena vinctus, solemnem gratiarum actionem ac pompam Deo (qui ad inferos deducit et reducit) præstitisse, de qua hæc refert Massarellus : « In festo Sancti Andreæ, quoniam hæc dies festivitatis Sancti Andreæ est Summo Pontifici felix, in ea enim e manibus Germanorum militum, qui Urbem diripuerunt, anno MDXXVII liberatus fuit, cum obses a Clemente VII una cum quinque aliis, ipsis militibus et toti exercitui Cæsareo datus esset; voluit Sanctitas sua, ut celebraretur Missa solemnis in Ecclesia S. Petri XXIV Decembris. Pontifex celebravit in sacello secreto, communicavitque omnes suos familiares, quibus absoluta communione concessit Indulgentiam Jubilei his verbis : Nos auctoritate Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus, et nostra, ac etiam virtute Sacramenti per vos percepti, concedimus vobis omnibus, qui illud Sacramentum percepistis, plenariam Indulgentiam sanctissimi Jubilei ».

51. *Joannis a Deo conditoris Ordinis*, ab Hospitalitate *nuncupati, mors pretiosissima.* — Evolavit in Cœlum hoc anno B. Joannes a Deo conditor sacræ familiæ *ab hospitalitate* nuncupatæ : hic consilio Joannis de Avila, celeberrimi in Hispania divini verbi præconis, Granatam profectus, xenodochium pro pauperibus, peregrinis ægrisque excipiendis extruxit ornavitque : in quo charitatis Christianæ demissionisque officio, quot et quantas difficultates laboresque pertulerit, incredibile dictu est. At non defuere illi præpotentis Numinis auxilia, cum inter alia Raphael archangelus certiorem fecerit, se a Deo missum, ut in ministerio infirmorum illum adjuvaret, jussumque in Commentarios accurate referre quidquid in pauperum obsequium conferret, vel in eo conficeret. Cum aliquando ad mensam Tudensis episcopi, casu tunc Granatæ agentis, adhibitus pranderet, interrogatusque de nomine, respondisset sibi nomen Joannis inditum, hoc accepit ab episcopo oraculum, tu deinceps Joannes a Deo vocaberis, atque ex eo tempore cognomen illud apud omnes retulit : quia vero propriis vestibus induebat pauperes, vel cum eorum laceris panniculis commutabat, non tantum misere et incommode, sed etiam indecore indutus, læta tamen facie, ac mira pietate delibutus incedebat, quem aliquando euntem conspicatus memoratus episcopus religiosa illum veste ornavit additis iis verbis : Quoniam nomen a me accepisti, etiam formam habitus a me accipe. Cum vero curandis ægris corporibus maximam operam ac diligentiam adhiberet, ardentiorem tamen procurandis excolendisque animabus industriam conferebat, divinaque adjutus ope, plures perditissimæ vitæ fœminas, juvenesque profligatos, a vitiis ad pietatem Christianam traduxit, cujus flagrantissimum in Deum et proximos amorem non ferens Dæmon, invidia furens illum exagitare aggres-

[1] Vita S. Philippi l. I, c. 8.

sus est, modo elegantiore mulieris lascivientis forma se illi visendum objiciebat; utque ardentes illius ad Deum preces, quas per integras ferme noctes perducebat, abrumperet, illum affligebat humi, ferina specie horrida appetebat rostro, conculcatumque pedibus circumagebat in luto; alias sublatum in aerem allidebat solo, alias diris verberibus tundebat, et quodam die adeo immaniter in eum sævit, ut extremos se spiritus afflare jam crederet, cum beatissima Virgo clienti suo, illius imploranti opem præsto adstitit, eumque recreavit. Innumeris denique exhaustus laboribus, ac prophetiæ dono et miraculis clarus, a Raphaele archangelo de morte illi imminente admonitus, felicisque æternitatis iter initurus, ab archiepiscopo Granatensi sanctissimo Eucharistiæ viatico refectus munitusque est pignore immortalitatis : quo tempore beatam Mariam Virginem, Joannem Evangelistam, et Raphaelem archangelum se illi videndos præbuisse ipsemet Joannes familiari amicissimo enarravit, ac Deiparam frontis illius sudorem abstersisse, additis his verbis : « Hæc est hora, qua meis famulis mihi devotis deesse nunquam soleo ». Quia vero nunquam charitas excidit, juxta Apostoli oraculum, quæ Joannes a Deo beneficia in homines vivus contulit, extinctus conferre etiam non destitit, tantaque miraculorum ad illius sepulchrum editorum gloria effulsit, ut iis permotus Urbanus VIII Summus Pontifex anno millesimo sexcentesimo trigesimo die vigesima prima Septembris, ad pias regum Catholicorum preces, Joannem a Deo solemni ritu in beatorum numero descripserit : tandemque efflorescente magis in dies ejus sanctitatis fama, divinisque virtutibus editis confirmata : anno vero millesimo sexcentesimo octogesimo octavo a Sacra Rituum Congregatione decretum editum est de eo inter sanctos referendo, cui Innocentius Undecimus feliciter Ecclesiæ gubernacula moderans anno sequenti annuit.

JULII III ANNUS 2. — CHRISTI 1551.

1. *Sancit Carolus V ut Germani et Protestantes se Concilio submittant, sed Henricus Galliæ rex favet Protestantibus.* — Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo primo, Indictione nona, ostensæ sunt maximæ spes delendæ in Germania Lutheranæ superstitionis , veterisque Orthodoxæ religionis restituendæ, cum Cæsar in Augustanis conventibus pervicisset, ut ad tollenda vetera religionis dissidia Protestantes, indictis superiore anno a Julio Tridenti solemnibus episcoporum conventibus, eorumque decretis se submitterent, qua de re decima quarta Februarii hæc Cæsarea sanctio [1] promulgata est :

« Carolus etc.

« Inter alias sacri imperii prægnantes causas illum articulum in novissimis comitiis propositum quidem et determinatum, nondum tamen executioni mandatum, nimirum, qui de religione, quique sine dubio præcipuus est, electoribus principibus, aliisque ordinibus, ac absentium consiliariis, legatis ac nuntiis proponendum duximus, eosque admonendos nullam esse meliorem commodioremque viam aut modum, ut huic articulo extrema manus imponatur, quam Universale Christianorum Concilium, commemoratis etiam his, quæ in novissimis comitiis ad hujus promotionem cum sanctissimo papa egimus, in quam nostram sententiam, quoad Concilium attinet, ut scilicet in eo religionis controversiæ componerentur, et ad unanimem sensum perducerentur, electores, principes, aliique ordines ac absentium consiliarii, legati ac nuntii descenderunt. Nos itaque omni studio et diligentia nihil omisimus in his comitiis, et apud sanctissimum papam ulterius egimus tandemque hoc impetravimus, ut illius Sanctitas Concilii indictionem decerneret, qua

[1] Ext. apud Goldast. to. II. p. 340.

prælati rursum ad primam proximi mensis Maii diem comparituri, finemque Concilii expectaturi Tridentum convocarentur, quæ quidem indictio jam dudum expedita, et vulgata, et nobis transmissa est, eamque nos omnibus ordinibus imperii in hoc communi comitiorum conventu significare et proponere curavimus. Et quoniam sine dubio deprehenditur, quod qui hactenus in religione emerserunt errores et controversiæ, nulla commodiore, utiliore aut certiore ratione, quam per Universale Concilium tolli possint, summa quoque urgensque necessitas expetat et postulet hujusmodi errores inter Christianos ad conservandam veram Christianorum fidem et pacem aboleri, absentium consiliarii, legati et nuntii in nos novissime peractis comitiis, ob id Concilium acceptarunt approbaruntque, ac sese eidem submiserunt, atque etiam denuo testati sunt, se idem Concilium cum obedientia expectaturos, quare par et æquum est, ut omnia secundum omnium in prioribus comitiis assensum, quo definitio et determinatio controversiæ religionis ad Concilium rejecta est, suo loco maneant et conquiescant, ideoque volumus serio ac summa sedulitate determinationi comitiorum novissime hic habitorum, declarationique ac oblationi nostræ erga omnes ordines clementer inhærere, omni opera ac studio id curare, ut omnia in præfato Concilio recte atque ordine proponantur. Nunc ergo Concilii indictione per universum Christianorum orbem proposita plane confidimus principes sui officii memores fore, et quantum in eis erit, indictioni Concilii obtemperaturos, illique satisfacturos, ac illud velut salutare Christianorum institutum omnibus rationibus et modis opportunis adfuturos.

« Nostra quoque ea est mens, Christianaque voluntas, et propositum ; quidquid nobis veluti patrono sacrosanctæ Ecclesiæ Conciliorumque defensori ratione muneris imperialis incumbentis facere par est et convenit, quando etiam idipsum in novissimis comitiis ad statuum imperii preces et vota obtulimus nos præstaturos, neque ab incœpto destituros, volentes præterea ex imperatoria auctoritate et potestate, ut quotquot ad Concilium causa religionis componendæ, aut alias ob causas venturi sunt, id certum persuasumque habeant, sese libere et absque ullo obstaculo illuc venturos compariturosque, quo quisque, illud, quod ex secura ac certa conscientia bonum necessariumque judicabit, in medium adferat, tumque illinc ad suum domicilium libere ac tuto revertatur.

2. « Præterea in animo habemus intra limites sacri imperii, aut quantum fieri poterit, in proximo permanere, ut Concilium promoveamus juvemusque, quo ad bonum ratumque finem perducatur, atque ex eo hujus salutaris instituti fructus et utilitas manifesta, ac re ipsa augmentum et incrementum totius Christianitatis, maxime vero ad constantem pacem, tranquillitatem et concordiam Germanicæ nationis elucescat.

« Postulamus ob id, admonemus et hortamur electores, principes, aliosque status sacri imperii, præsertim proceres et prælatos status Ecclesiastici, atque etiam illos, apud quos religio innovata est, ut sese ad hanc sanctissimam papæ indictionem convocationemque, et ad futurum Concilium instruant, paratique ad illud se conferant, ne postea querelæ aut prætextus occasio relinquatur, quasi ex improviso pressi, ac quod postulabat eorum necessitas in medium adferre aut proponere prohibiti sunt. Hoc profecto quantum possumus non admittemus, ut quidquam eorum, quæ in sæpedictis novissimis comitiis continentur, prætermittatur, quo etiam illi, apud quos innovata est religio, quive Confessioni Augustanæ adhæserunt, aut eorum legati ad dictum Concilium venire possint, atque illuc, ibi, ac illinc in suum usque domicilium tuti, et fide publica deducantur, et sint, quantumque necesse erit, audiantur, ut totum hoc negotium illiusque definitio pie ac Christiane, omnibus affectibus depositis, secundum sacras veterumque Scripturas et Traditiones proponatur, tractetur ac determinetur, Christianaque quædam ac utilis reformatio, tam Ecclesiasticorum quam sæcularium omnibus pravis traditionibus et abusibus, ut æquum est, abrogatis, componatur.

« Insuper ex electorum principum, statuumque ac absentium consiliariorum, legatorum, et nuntiorum in novissimis comitiis assensu et permissu, ad promovendam conservandamque pacem et tranquillitatem in sacro imperio, quo omnes status inter se Christiane, pie pacificaque consuetudine vivant et agant, determinationemque Concilii expectent, rationique consentaneam tolerabilemque resolutionem ac declarationem, quomodo interea quam determinabitur et definietur, Concilium, singula in religione observanda sint, clementer edidimus, ut eadem nostra declaratione et ordinatione in novissimis comitiis edita continetur ». Et infra :

« At quum omnis opera et labor in publica pace instauranda, renovanda et resarcienda frustra impendatur, neque possit in sacro imperio communis pax, tranquillitas et securitas conservari, nisi hisce, qui adversus saluberrimam publicæ pacis constitutionem agunt, serio occurratur, justaque animadversione coerceantur ; cumque inter cæteros hujus publicæ pacis violatores, ac nobis, sacroque imperio inobedientes et rebelles, qui conati sunt etiam alios obedientes imperii status et ordines subditos re ipsa bellica manu opprimere, invadere ac perdere ; consules, senatores et tribuni antiquæ civitatis Magdeburgensis præcipue inventi sunt, utpote, qui non solum sua pervicaci rebellione indurati

omnem effrænem libidinem in vivos et mortuos intra ipsam civitatem exercuerunt, quosdam suis facultatibus exuentes, verum etiam armata manu eruperunt, et vicinos ex mera temeritate et insolentia suam petulantiam exercuerunt ». Subdit: « Ut molliore via pertentati sint a septemviris et principibus, excitique sint ad colloquium benevolum, sed ipsi in pertinacia obduruerint, ad quam frangendam, obsidione eos premere constituerit, ac stipendia militi suppeditanda sanxerit, donec Magdeburgenses perdomiti essent, tum plures alias leges ad temperandam administrandamque publicam rem promulgaverit, ex consensu septemvirorum et procerum Catholicorum et Protestantium, qui miserant oratores, inter quos Fridericus comes Palatinus Rheni, dux Bavariæ et imperii archidapifer Mauritius, Dux Saxoniæ elector, idemque Thuringiæ Lantgravius, Joachimus Brandeburgensis marchio, idemque Dux Stetiniæ et et Pomeraniæ eminebant. Consignata vero est sanctio hac loci et temporis nota : Dat. in nostri imperatoris Caroli et sacri imperii civitate Augusta, XIV Februarii a Nativitate Christi anno MDLI, imperii nostri XXXIII, aliorum vero regnorum XXXVI ».

3. Caruit optato successu hoc decretum, cum Cæsar exercitui suo non principem Catholicum, sed perfidissimum Lutheranum Mauritium Saxonem præfecisset ; conjunxit se cum eo arcano fœdere Henricus Galliæ rex, cum metueret, ne restituta Germaniæ veteri concordia, Carolus Cæsar virium magnitudine aucta Galliam opprimeret; itaque artes omnes instruxit, ut vetera in Germania dissidia aleret, atque Lutheranos ab instauranda cum Romana Ecclesia conjunctione avocaret, quod facinus adeo aperte patravit, ut etiam superioribus annis Romanæ aulæ proceribus, ac Paulo III persuadere niteretur, ne Tridenti Concilium Œcumenicum celebraretur, ne Germania a Cæsare pacata, ab eo universa Italia in Provinciæ formam redigeretur. Ut vero Protestantes in suas partes traxerit, maximumque Cæsari periculum creaverit, dicetur inferius. De Cæsareo decreto in conventu Augustano recentissime promulgato Pontifex certior factus, religionis controversias non amplius in colloquiis futilibus, sed in Concilio Œcumenico agitandas dirimendasque cardinalium senatui exposuit, se pro eo congregando promovendoque muneri Pontificio non defuturum, necnon pro sanctiore disciplina Christiana constituenda operam collocaturum, ut refert Angelus Massarellus in Diario Concilii Tridentini.

4. *Julius creat legatos qui solemniter Tridentum ingrediuntur.* — Cum itaque Pontifex Germaniæ principes, qui novas hæreses amplexi erant, ad sacrosanctæ Synodi decreta excipienda, abjiciendasque impias opiniones comparatos accepisset, habito quarto Martii senatu legatum e latere Marcellum Crescentium cardinalem decrevit, illique duos episcopos Concilii etiam præsides designatos adjunxit, quos amplissima auctoritate ad sustinendam muneris dignitatem instruxit, ut e subjectis litteris [1], quarum præcipuam partem afferimus, patebit :

« Dilecto filio Marcello tit. S. Marcelli presbytero cardinali, Crescentio nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis ad Concilium Tridentinum legato de latere, et venerabilibus fratribus Sebastiano Pighino archiepiscopo Sypontino, ac Aloysio Lipomano episcopo Veronensi, nostro et ipsius Sedis, ac in dicto Concilio una cum eodem Marcello cardinali et legato nomine nostro ad præsidendum nuntiis, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos et episcopos, ac dilectos filios abbates, omnesque alios et singulos, qui de jure vel consuetudine aut privilegio Conciliis Generalibus interesse debent, hortati fuimus, requisivimus et monuimus, ut proxime futuris kal. Maii, quam diem ad ipsum Concilium, in eo quo reperitur statu resumendum, prævia matura deliberatione ex certa nostra scientia et de Apostolicæ potestatis plenitudine, ac venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu statuimus, decrevimus et declaravimus in ipsa civitate Tridentina, legitimo cessante impedimento, convenire, et se congregare, ac ipsius Concilii continuationi et prosecutioni, omni mora postposita, incumbere vellent, prout in aliis nostris litteris inde confectis plenius continetur. Nos igitur, qui ætate nostra ingravescente, et aliis multipliciter impediti ad dictam civitatem ad præsens personaliter accedere, et ipsi Concilio juxta desiderium cordis nostri interesse nequimus : volentes resumptionem, continuationem et prosecutionem Concilii hujusmodi ex nostra absentia non impediri, te, fili Marcelle cardinalis, fide ferventem, prudentia, scientia ac rerum usu conspicuum, nostrum et Apostolicæ Sedis ad Concilium hujusmodi legatum de latere, ac vos fratres, Sebastiane archiepiscope et Aloysi episcope, pietate et doctrina ac rerum experientia insignes, nostros et ipsius Sedis ad dictum Concilium una tecum, fili Marcelle cardinalis et legate, nomine nostro præsidendum nuntios cum speciali et expresso mandato, necnon ratihabitionibus et aliis clausulis in similibus apponi solitis, de simili eorumdem fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate tenore præsentium constituimus et deputamus, etc.

« Datum... Pontificatus anno II ».

5. Indixit etiam populo Christiano [2], ut Deo sacras preces pro felici Concilii progressu funderet, gratuitamque noxarum veniam exhomo-

[1] Ext. in Act. Conc. Trid. — [2] Lib. IV. brev. p. 278.

logeseon et Pœnitentiæ Sacramenta rite sumpturis proposuit.

Tardiorem porro fuisse Concilii progressum ex Cæsareo consilio refert Angelus Massarellus [1], additque, præsides Concilii Pontificio fultos mandato pridie kalend. Maii Tridentum ingressos, solemnique exceptos pompa :

« XXIV Aprilis reverendus dominus Hieronymus Dandinus episcopus Imolensis, reversus ab imperatore, retulit Tridenti animum majestatis suæ, ut in Concilii processu pedetentim incedatur, quousque alii prælati, præsertim Germani, veniant : item quod in rebus Parmensibus erit libenti animo auxilio Sanctitati suæ ». Non prævidit nimirum Cæsar Gallum Parmensi bello lacessitum se conjuncturum Lutheranis ad disturbandum Concilium, belloque inopino a Saxone proditore Cæsarem ipsum in extremum periculum adductum iri; de quibus agetur inferius : nunc pompæ ordinem quo legati Tridentum sint ingressi, describimus [2] :

6. « Die XXIX Aprilis ejusdem anni MDLI, reverendissimus et illustrissimus dominus Marcellus tit. S. Marcelli S. R. E. presbyter cardinalis, Crescentius vulgariter nuncupatus, patria Romanus, S. D. N. Julii papæ III et Sedis Apostolicæ de latere legatus, et reverendi domini Sebastianus Pighinus Regiensis archiepiscopus, Sypontinus, et Aloysius Lipomanus Venetus episcopus, Veronensis, Apostolici nuntii, sacri Concilii præsidentes, ingressi sunt civitatem Tridentinam hoc ordine : primo reverendissimus et illustrissimus dominus Christophorus Madrutius tit. S. Cæsarei in Palatio, necnon prælati omnes, qui tunc Tridenti erant tredecim, videlicet archiepiscopi, Turritanus, Antibarensis, Panormitanus, ac episcopi Castellimaris, Lancianensis, Alganensis, Syracusanus, Pacensis, Oscensis, Calagurritanus, Monopolitanus et Rossanensis iverunt eis obviam extra civitatem ad duo milliaria : in ipsoque congressu dominus Laurentius Flander secretarius ipsius cardinalis Tridentini habuit orationem, qua ostendebatur lætitia eorum in adventu ipsorum præsidentium, quos maxima cum animi alacritate, tum obedientia et reverentia excipiebant, eisque obsequium erga sanctam Sedem Apostolicam, summum Pontificem ac etiam eos una cum civitate offerebant, ac Deo gratias agebant, qui tandem Ecclesiæ suæ misertus Concilium Tridentum cum omnium pace et tranquillitate reducere dignatus esset, piamque ac sanctam mentem beatitudinis suæ, suis præconiis extollentes ». Cui quidem orationi [3] nomine ipsorum legati et præsidentium responsum congrue fuit a domino Antonio Floribello ipsius reverendissimi legati secretario. Postquam vero hinc inde magnæ benevolentiæ ac humanitatis amplexus facti sunt, tunc prosecuti sunt iter : cumque pervenissent ad monasterium S. Crucis, quod extra Tridentum ad jactum lapidis situm est, ibi descenderunt, vestesque Pontificales acceperunt; deinde, antequam equos ascenderent, Franciscus fiscalis imperatoris præsentavit ipsi reverendissimo legato litteras majestatis suæ Cæsareæ, quibus fidem verbis ejus nomine dicendis adhiberi expostulabat, postea locutus est, in hanc sententiam. Subjiciebatur oratio [1], qua pium Cæsaris animum, conceptasque spes de instaurandis collapsis rebus exposuit. Subduntque Acta :

« Reverendissimus autem legatus orationi suprascriptæ ea, qua decebat, gravitate respondit, Cæsari gratias agens, ejus Catholicam piamque mentem commendans, et se una cum præsidentibus nihil omissurum in rebus Concilii et religionis pro eorum posse dirigendis juvandisque promittens, sperareque cum bonitate Dei, tum prudentia et sanctissima voluntate Pontificis, ac etiam favore Cæsaris, et aliorum regum et principum Christianorum, ut tandem res ad optatum finem perduceretur, etc. »

Postea equos ascenderunt, ac civitatem ipsam solemniter ingressi sunt. Ibant primi reverendissimus legatus, et illustrissimus cardinalis Tridentinus : deinde duo præsidentes, post quos sequebantur alii prælati.

In ingressu civitatis receptus est legatus maxima cum lætitia et honore a toto clero et populo, a quo deductus est sub umbraculo ad Ecclesiam cathedralem, quæ est sub invocatione B. Vigilii, apud quam omnes descenderunt oraveruntque, et solitas cæremonias peregerunt. Publicata post solemnem benedictionem indulgentia plenaria. Deinde usque ad hospitium legato præparatum sociales fuerunt : ubi reiteratis amplexibus, et humanitatis ac benevolentiæ verbis, unusquisque ad propria remeavit.

« Eadem die XXIX Aprilis applicuit Tridentum illustrissimus Dominus Franciscus a Toletano orator et procurator Caroli V imperatoris Augusti, ut nomine suæ Cæsareæ majestatis in Concilio assistat ».

7. *Prima sessio Concilii sub Julio III.* — Congregatio prima Concilii Tridentini instaurati a Julio III post ingressum legati habita est ultimo Aprilis die, in qua post imploratum Spiritus sancti præsidium, « reverendissimus », inquiunt [2] Acta, « et illustrissimus dominus legatus allocutus est Patres in hanc sententiam, videlicet primo excusavit se, si non ea, qua opus erat, oratione cum eis ageret, tum ob brevitatem temporis, tum ob scientiam et experien-

[1] Angel. Massar. Diar. Conc. Trid. p. 402. Tom. X. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3197. p. 73. — [2] Angel. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 402. — [3] Ext. ibid. p. 74. ea Oratio.

[1] Ext. ibid. p. 7. — [2] To. X. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 79. Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 402.

tiam, quam ipsi Patres habent Concilii. Deinde exposuit causam sui adventus, missum videlicet a S. D. N. Julio III, ut Concilium die statuta kal. Maii juxta litteras suæ Sanctitatis una cum eis resumeret, excusavitque se, quod tam sero Tridentum advenisset, quia Bononiæ in negotiis suæ legationis detentus fuerat. Postea declaravit piam sanctamque mentem suæ beatitudinis in rebus Concilii promovendis, miseræque et afflictæ religioni nostræ succurrendo, ac etiam erga pacem, quietem et bonum universale totius reipublicæ Christianæ, summeque Sanctitatem suam esse affectam erga ipsos prælatos, qui Tridenti erant; cum jam diu eorum pietatem et doctrinam pernovisset; excusavitque prælatos Italiæ, cum adhuc ad Concilium non venissent, ob præsentis anni sterilitatem : sperare tamen brevi eos venturos esse ». Post alia : « Postremo ostendit multis de causis ac rationibus futuram sessionem non posse ad brevius tempus indici, quam ad proximas kal. Septembris ».

8. Cum rogatæ essent de ea re sententiæ, præsules Hispani in longius tempus non extrahendam secundam sessionem contendere : at Actorum scriptor tradit, justo dolore et tædio affectos.

« Cum Tridenti jam Concilii causa per sex annos continuos permansissent, et eorum quatuor in perpetuo otio et potius dedecore, et conscientiarum suarum gravamine, cum non semel a Paulo III interpellati monitique fuissent, ut inde discederent, et alios Patres Concilii, qui Bononiæ, quo Concilium ipsum translatum fuerat, convenerant, sequerentur, qua de causa cito rem absolvi, et ad propria reverti cupientes, neque absentium, neque aliarum considerationum, quæ gravissimæ et magni momenti occurrebant, rationem habendam esse perpendebant ». At eos ab ea sententia revocatos prudenti oratione secundi præsidis refert Actorum scriptor : « Reverendissimus dominus archiepiscopus Sypontinus secundus præsidens eis ostendit, quo in statu res eo tempore se haberent, etc. Monuit etiam considerandum non esse ex usu pacis publicæ, ut Concilium cum solis Hispanis vel Italis celebretur : sed requiratur in primis præsentia Germanorum, quorum causa Concilium Tridenti a sanctæ memoriæ Paulo III indictum, et a sanctissimo D. N. Julio III reductum fuerat; præsertim Lutheranorum, qui se Protestantes appellant, qui semper respuendi decreta Concilii occasionem sumerent, si eis non expectatis, neque etiam auditis, decreta ipsa promulgarentur, etc. His addebatur, quod materiæ in ipsa sessione publicandæ, non essent adhuc discussæ, aut examinatæ et notabile tempus ad eas præparandas requirebatur, etc. His et aliis multis rationibus comprobavit, dictam futuram sessionem non posse ad brevius tempus indici, quam ad dictas kal. Septembris, ut reverendissimus legatus proposuerat ».

Collectis demum omnibus suffragiis, legatus ex longe majoris partis consensione decrevit, secundam Sessionem ad kal. Septembris indicendam : proximo vero crastino matutino primam solemni ritu celebrandam.

Kal. Maii in Ecclesia principe, S. Vigilii nomini sacra, Tridentini præsides Concilii vetere instituto, rituque solemni post divina peracta mysteria Concilium inchoarunt, inchoatumque perducendum ad debitum finem promulgarunt, cujus Sessionis primæ Acta ita descripta habentur ab Angelo Massarello [1], qui Concilio a secretis erat :

« Prima Sessio Concilii Tridentini sub Julio papa III.

« Postquam per annos quatuor, mensem unum, et dies viginti, ab undecima videlicet Martii MDXLVII, qua die Concilium Tridento ad civitatem Bononiensem translatum fuit, usque ad præsentem diem, Concilium partim Bononiæ per biennium promovendum, partim suspensum a sanctæ memoriæ Paulo III a Tridento abfuit ; placuit tandem divinæ bonitati ut Tridentum reduceretur, et hodierna die Feria VI, prima Maii, anno Domini MDLI, ad laudem et gloriam ipsius Omnipotentis Dei, et incrementum fidei, et religionis nostræ, sacrum ipsum generale et Œcumenicum Concilium Tridentinum resumptum fuit, et ejus prima Sessio sub sanctissimo in Christo patre et domino nostro domino Julio divina providentia papa III, præsentibus in ea reverendissimo et illustrissimo domino Marcello tit. Sancti-Marcelli sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali, Crescentio nuncupato, patria Romano, suæ Sanctitatis et sanctæ Apostolicæ Sedis de latere legato, ac reverendissimis dominis Sebastiano Pighino Regiensi archiepiscopo, Sypontino, et Aloysio Lipomano Veneto episcopo, Veronensi, ipsius Sedis Apost. nuntiis, qui convenientes mane hora XII in Ecclesia Cathedrali Tridentina, quæ est sub invocatione B. Vigilii, in loco ad Sessiones habendas sub Paulo III deputato, una cum reverendissimo domino Christophoro Tit. Sancti-Cæsarei in palatio sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali episcopo Tridentino, et administratore Brixinensi, necnon Don Francisco a Toleto oratore Cæsareo, ac prælatis infrascriptis, præfatus reverendissimus dominus legatus celebravit Missam solemnem de Spiritu-Sancto, publicata Indulgentia plenaria, habuitque orationem reverendus sacræ theologiæ magister Sigismundus Diruta Ordinis Minorum Conventualis ; cæremoniisque consuetis peractis, ac orationibus ad hoc institutis lectis, invocatoque auxilio Sancti-Spiritus, ac decantatis Litaniis et Evan-

[1] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 403.

gelio Luc. cap. 10. *Designavit Dominus, et alios septuaginta duos,* sedentibus ipso reverendissimo legato ac præsidentibus in faldistoriis ante Altare majus, cæterisque aliis suis in locis cum pluvialibus et mitris, silentioque facto, ego Angelus Massarellus de Sancto-Severino Camerinensis diœcesis, sanctissimi domini nostri Julii papæ III, et sacri Concilii secretarius, legi clara voce Bullam suæ Sanctitatis super reductione Concilii ad civitatem Tridentinam, quæ est sub data Romæ apud Sanctum-Petrum die XIV Novembris anno Domini MDL, quæ incipit : *Ad tollenda religionis nostræ dissidia, etc.* Deinde legi Bullam ejusdem Sanctitatis suæ in personam ipsius reverendissimi legati et præsidentium sub data Romæ apud Sanctum-Petrum die IV Martii anno Domini MDLI quæ incipit : *Ad prudentis Patris familias officium spectat, etc.* Postea reveverendus dominus archiepiscopus Turritanus ascendit ambonem, et protulit alta voce infrascripta verba, videlicet :

« Reverendissimi et illustrissimi DD. reverendique Patres, placetne vobis ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus saucti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis Christianæ, sacrum Œcumenicum et Generale Concilium Tridentinum juxta formam et tenorem litterarum sanctissimi Domini nostri resumi debere, et procedendum esse ad ulteriora ?

« Et statim ab omnibus unanimiter responsum fuit : Placet.

« Tunc præfatus reverendissimus legatus dixit infrascripta verba, videlicet : Et ita Concilium ipsum resumimus, et ad ulteriora procedendum esse declaramus. Deinde iterum reverendus dominus archiepiscopus iterum interrogando Patres dixit hæc verba videlicet :

« Reverendissimi et illustrissimi domini, reverendique Patres , placetne vobis proxime futuram Sessionem habendam et celebrandam esse in futuris kal. Septembris ?

« Et ab omnibus similiter responsum est per verbum, Placet. Quo facto rogati sunt protonotarii et notarii ibidem præsentes, ut de omnibus in ea Sessione actis publica documenta conficerent, cantatoque Hymno, *Te Deum laudamus*, reverendissimus et illustrissimus legatus benedixit Patres signo Crucis , et Patres omnes deposuerunt paramenta et recesserunt ».

Subjicitur Catologus Patrum, qui interfuere huic Sessioni ; fuere illic cardinalis legatus, ac duo præsides nuntii, orator Cæsareus, archiepiscopi Turritanus , Antibarensis , Calaritanus ; episcopi vero, Castelli-Maris, Lancianensis, Algarensis, Syracusanus, Pacensis, Oscensis, Calagurritanus, Monopolitanus, Rossanensis, Verdunensis, tum alii plures theologi ac proceres.

Eadem die Romæ Julius Pontifex gratuitas pœnarum temporariarum debitarum condonationes concedi anno Jubileo solitas proposuit iis, qui rite sacra exhomologesi expiati Eucharistiam susciperent, solemnesque supplicationes instructo agmine religioso præsulum et cardinalium, cui præsens interfuit, indixit, ac pro Concilio feliciter promovendo preces a fidelibus fundi jussit. Non prætermittendum hic visum est, cum in hac Sessione duo præsules essent præsides Concilii, eos cum legato ante Altare majus sedisse, locumque honorificentiorem cardinalibus, qui non erant legati tenuisse, at in Congregationibus, eosdem cardinales digniorem iis locum obtinuisse.

9. *Episcopi sollicitantur a Pontifice ut ad Concilium accedant.* — Cum vero exiguus episcoporum numerus interfuisset primæ illi Sessioni, Pontifex episcopos sollicitavit litteris, ut ad Concilium Tridentinum se conferrent, quo argumento extant subjectæ ad Sedunensem episcopum litteræ [1], ut una cum finitimis præsulibus Tridentum properaret.

« Venerabili fratri Joanni Jordano episcopo Sedunensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Cum dilectum filium equitem Hieronymum Francum nuntium nostrum ad dilectos filios Helvetios Ecclesiasticæ libertatis defensores ea de causa mitteremus, ut ipsi in Œcumenio Concilio prosequendo, quod, Deo adjuvante, Tridenti kal. præsentis mensis Maii instaurari et celebrari cœptum fuit, omni sua ope et auxilio adesse, et prælatorum suorum probatissimum quemque excitare velint, ut ad kal. Septembris proxime futuras, qua die secunda Sessio celebranda erit, eidem Concilio intersint, ad tuam quoque fraternitatem, quam ob ejus singularem virtutem, et merita semper plurimum dileximus, scribendum duximus, ut non ipsa solum pro sui officii debito ad dictum Concilium statuta die se conferre, sed pro sua auctoritate, quam isthic non mediocrem esse accepimus, cæteros circumvicinos antistites, ut idem faciant, nostro nomine cohortari et monere velit, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XXII Maii MDLI, anno II ».

10. *Helvetios invitat Julius dum obsistit Henricus Galliæ rex.* — Conceptæ iisdem verbis litteræ ad Diethelinum Helvetium abbatem Sancti-Galli transmissæ sunt : amantissimas quoque litteras [2] tredecim Helveticarum regionum proceribus, qui solemnes conventus erant inituri, conscripsit, quibus eos plurimis paterni amoris et officiorum notis hortatus est, ut præsules provinciæ suæ Tridenti kal. Septembris adesse permoverent :

« Helvetiis tredecim Cantonum ligæ superioris Alemaniæ, Ecclesiasticæ libertatis defensoribus in dieta congregandis.

[1] Jul. III. l. v. brev. sig. num. 2884. p. 211. — [2] Jul. III. lib. brev. sig. num. 2883. p. 61.

« Dilecti filii, salutem, etc. Jam tum ab initio cum per summi Dei benignitatem ad Pontificatum assumpti fuimus, ut felicis recordationis Julii II prædecessoris nostri, qui præcipuam quamdam et plane paternam erga vos olim charitatem præ se tulerat, nomen sumpsimus, sic etiam in vobis diligendis et complectendis exemplum nobis imitandum proposuimus, sed cum multæ et graves de Christianæ reipublicæ statu curæ atque occupationes animum nostrum assidue oppressum et distractnm tenuerint, non potuimus tam mature quam volumus per certum aliquem nuntium vobis salutem et benedictionem impertiri nostram, ac nostri erga vos animi propensionem declarare : non destitimus tamen interea perpetuam vestram erga hanc Sanctam Sedem observantiam et fidem memoria retinere, cujus rei minime obscura fuit significatio, quod et in hac alma Urbe personæ nostræ pedestre præsidium, et item in civitate Bononiensi, quæ status Ecclesiastici quasi alterum lumen est, nominatim Helvetiis vestris decrevimus, eos in primis dignos existimantes, quorum fidei et solertiæ duplex custodia tanti præsertim momenti committeretur, in præsentia vero ad vos scribendi ea se nobis occasio obtulit, quod cum Œcumenicum Concilium in civitate Tridentina, Deo adjuvante, instaurari ac celebrari kalendis Maii præteritis cœptum fuerit, et vestra, fili, studia et auxilia ad tam pium et Christianæ religioni necessarium opus continuandum et prosequendum magno adjumento futura confidamus, vos cum quanto possumus pii animi affectu monendos et cohortandos censuimus, ut ad kal. mensis Septembris proxime futuras, quo die secunda Sessio celebranda erit, prælatorum vestrorum probatissimum quemque permoveatis se Tridentum conferre, ut ipsi Concilio interesse velit ». Et paulo infra : « Ut autem intelligatis, quantum nobis curæ sit, ut amplissimi Tridenti consessus auctoritate imminentia sacrosanctæ Ecclesiæ pericula propulsentur, quod hactenus facere nequivimus, cum incerti essemus, quo die resumendum esset, non multo post de intimis prælatis nostris mittemus aliquem, qui nomine nostro, quæ opus fuerit de Concilio vobiscum agat, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. XXII Maii MDLI, anno II ».

11. Obstrinxisse se antea diximus Helvetios ad amplectenda Concilii Œcumenici decreta in religionis dissidiis, maximaque spes illius nationis generosissimæ a Zuinglii erroribus in castra Ecclesiæ traducendæ affulserat. Verum non parum obstitit Henricus Galliæ rex, cum vereretur ne ea ratione Helvetii ab ipsius fœdere in partes Cæsaris transvolarent, ut refert accuratissime Jacobus Augustus Thuanus [1] regius senator, et in suprema regni Gallici curia præses : « Jam antea, inquit, Pontifex X kal. Junii litteras peramanter scriptas ad Helvetios dederat, quibus revocata Julii II qui eos summa charitate amplexus erat, cujusque nomen ipse renovaverit, memoria, eodem se animo erga ipsos se esse ostendit, ascito ex ipsorum numero ad sui corporis custodiam satellitio, et Bononiæ nuper ex ipsis imposito præsidio : nunc hortati ipsos quoniam ad Concilii celebrationem conjunctio magni momenti futura sit, ut eos legatos ad kal. Septembris mittant, cætera plenius intellecturi ex Hieronymo Francho legato suo, cujus fidem et diligentiam jam a multis annis exploratam habeant, et quem brevi aliquis ex intimis suis episcopis subsecuturus sit, qui de Concilio cum ipsis agat prolixius. Verum rex Morlæo Museo, suo apud Helvetios legato, negotium dederat, ut quoquo modo posset, ne legati ab iis Tridentum mitterentur, impediret. Is quod rem difficultatibus implicatam cerneret, Paulum Vergerium apostatam, olim episcopum Justinopolitanum, ex Rhætis, quo Patavio nuper se contulerat, accersit, ejusque opera usus et monitis instructus ad Badensem conventum proficiscitur : ubi rationibus suis et argumentis perfecit, ut non solum iis, qui a Pontifice defecerant, sed etiam cæteris Helvetiorum pagis, quod vellet persuaderet; continuoque Thomam Platum Curiensem episcopum eo profectum revocant, quod a Vergerio admoniti intellexissent, agere Pontificem, ut auctoritatem suam per illum apud ipsos recuperaret ». Hæc Thuanus. At hæc quidem egit Henricus non hæreseos fovendæ studio, cum hoc anno in castro Briandeo arcerbisssimo edicto hæreticos in Gallia proscripserit, sed ex artis politicæ impiis documentis. E Gallia excindi sapienter voluit hereticos, ne regnum dissidiis confunderent, in Germania vero iniit cum iis fœdus, ut Cæsari molestiam et bella conflaret.

12. *Pontifex exauctorat doctores Sorbonicos a fide deficientes.* — Serpebat vero clam in Gallia hæresis, atque ex ipsa Sorbonica Academia nonnulli novarum opinionum virus adeo hausere, ut etiam illud in concionibus apud populum effunderent, quorum sine forensi strepitu exauctorandorum jus contulit Pontifex Sorbonico collegio [1], ac ne quem lapsum relapsumve illi aggregarent, vetuit.

« Dilectis filiis collegio magistrorum in theologia Universitatis studii generalis Parisiensis.

« Dilecti filii, salutem. Sinceritas fidei, quam semper in nostro et Apostolicæ Sedis conspectu libere præstitistis, nos inducunt ut ea vobis libenter impertiamur, per quæ damnatæ hære-

[1] Jac. Aug. Thuan. hist. l. VIII.

[1] Jul. III. lib. III. brev. sig. num. 2882. p. 40.

ses evellantur ; hinc est, quod nos de vestra prudentia, et in Deum pietatis experientia plurimum confidentes, vobis, quod omnes et singulos licentiatos et magistros in theologia, qui in suis concionibus aliquas propositiones hæreticas, aut scandalosas proposuerint, de societate vestra, et corpore facultatis theologiæ hujusmodi, sine aliquo judiciario strepitu ejicere libere et licite valeatis, plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium licentiam et facultatem concedimus, vobis nihilominus in virtute sanctæ obedientiæ districtius inhibentes, ne de cætero aliquem, qui de hæresi suspectus, aut infectus, seu in illam lapsus vel relapsus fuerit, aut de cujus honestis conversatione, fama et moribus prius non constiterit, ad gradus, aut licentiaturæ, vel magisterii in theologia hujusmodi admittere præsumatis, non obstantibus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die VI Februarii MDLI, anno I ».

13. *Parmense bellum accenditur.* — Dum Julius comprimendæ hæresi, ne latius serperet, ac revocandis in sinum Ecclesiæ Zuinglianis ac Lutheranis operam daret, confudit infelicissime sacra illius consilia inopina occasio ; cum restituta Octavio Farnesio Parma pacatum iri opinatus esset Italiam, ex levissima belli scintilla conflatum est maximum incendium : nam Cæsar, qui jam Placentiam occuparat, ad Parmam invadendam expugnandamque animum adjecerat, ratus eadem ratione Mediolanensi principatui Parmam restituendam esse a Julio, qua Leo X Francisco I Gallorum regi Ducatu Mediolanensi potito Parmam Placentiamque restituerat: nec flecti potuit Julii Pontificis precibus Cæsar, ne Parmensem ditionem affectaret, multo vero minus, ut Placentiam illi restitueret : itaque Octavius, maximi animi juvenis, retinendæ Parmæ cupidissimus, in Henrici Gallorum regis clientelam se contulit, ut Gallicis armis Cæsarea arma propulsaret. Præfocandi in fomite hujus belli avidus Julius internuntii opera rogavit Cæsarem, ut Placentiam jure fiduciario traderet Octavio, Pontificio etiam nomine Parmam simili jure traditum iri, salvo et integro tum Pontificis, tum imperatoris controverso in utramque urbem jure. Non admisit Cæsar hanc tuendæ pacis Italicæ legem, ex qua totius reipublicæ Christianæ concordiæ ratio pendebat : quare Octavius, pro asserendo Parmensi principatu, præsidiarias Gallorum regis copias Parma excepit; ita inter Galliæ regem et Cæsarem accensæ funestissimi belli et odiorum faces ; nec enim Pontifex ullis monitis abducere potuit Octavium a Gallico fœdere, nec etiam minis vel censuris intentatis ad officium revocare : cumque decreturus esset in cardinalium senatu arma conjungere cum Cæsare pro eripienda Octavio Parma, prævidit bellum simile esse labyrintho, in quem facilis patet aditus, sed via ex eo emergendi ignoratur. Cæsareum ærarium ob præterita bella fore exinanitum, Pontificiumque ferme esse exhaustum, Turcas a Gallo in Cæsarem concitari posse, vel etiam Lutheranos ad defectionem posse trahi, Conciliumque Tridentinum, ardente inter eos reges bello, odiisque inflammatis dissipari posse ; nondum enim pacatas firmasque res Germaniæ, quæ internuntii opera significata sunt Cæsari ; necnon expositum est satius fore ut Concilium Tridentinum tantum kalend. Septembris aperiretur, propter maximam annonæ difficultatem ; necnon ut sciri posset, quid tandem in Concilio Gallicæ nationis tum indicto decerneretur.

14. At Cæsar [1] omnem operam defixit, ut Julium, qui se partibus Cæsareis nimium addixerat, adversus Gallorum regem, qui præsidium Parmæ imposuerat pro tuendo Octavio Farnesio, in belli societatem adigeret (1). Julius vero volvens animo plura graviora pericula ex eo bello impendere, atque impedimenta celebrando Concilio Tridentino conflari, sopiendæ dissensionis studio Ascanium Corneum ad Galliæ regem oratorem misit, ut eum a gerenda Octavii Farnesii clientela abduceret, cum regiæ dignitatis non esset, perduellem juvenem adversus Pontificem supremum Parmæ dominum armis defendere ; utque etiam indictionem Gallicanæ Synodi admodum suspectam rescinderet, ac potius Galliarum episcopos ad Concilium Tridentinum mitteret [2], ad quod promovendum regia studia collocaret. At Henricus rex deserere Octavium abnuit, eumque in Parmæ possessione tueri constituit ; et ita actio concordiæ, quam cardinalis Medices cum Octavio Pontificio nomine tractabat, abrupta est : Cæsar vero Pontifici iracundia in Octavium inflammato validissima auxilia, ac ducenta aureorum millia pro bellico sumptu pollicitus est; necnon Parmam, cum expugnata fuisset, se Ecclesiæ concessurum, quibus promissis Pontifex in suscepto gerendi belli Parmensis consilio firmatus est,

[1] Mass. in Diar. Conc. Trid. — [2] Ext. de his lit. l. IV. brev.

(1) Ex iis quæ inferius num. 24 ex Surio narrat annalista satis constare arbitror bellum hoc Parmense Julio tantummodo Pontifici imputandum esse. Imperatorem vero hac occasione nihil rei cum Gallo habuisse ; quanquam postulanti Pontifici auxiliares copias indulsit. Hinc post aliquot menses novum accidit et improvisum Germanis nuntium de bello ab Henrico Gallorum rege indicto, ut ex Surio ibidem num. 24 relato discimus. Omnem vero instituti belli hujus Parmensis causam non in Pontificem quidem, sed in Didacum Mendozum Cæsareum apud Pontificem oratorem refert Prosper Sanctacrucius coævus auctor in Commentario de civilibus Galliæ dissensionibus, vulgatus a Martene in Thesauro Monumentorum to. v. Hujus suasionibus, ait scriptor ille lib. I Julio « invito, ac nolente imperatore bellum » susceptum est. Corrigendus est igitur annalista qui expeditionis hujus principes auctoresque Julium et Carolum imperatorem constituit.

MANSI.

ac supremum Ecclesiastici exercitus imperium militare Ferdinando Gonzagæ infensissimo Octavii hosti contulit die VII Junii ; atque Angelum Medicem, qui postea in Pontificatu Pii IV nomen accepit, in eodem exercitu legatum cardinalem creavit. Quare effusas a Gallorum regis oratore et cardinalibus querelas gravissimas, Octavium non foveri ab Henrico rege, ut perduellem, sed ut filium Ecclesiæ obsequentem, quem Cæsarei Parmensi principatu deturbare moliebantur, contempsit, Gallicique regni odia contra se maximo Christianæ reipublicæ damno, conflavit. Conciliandæ tamen pacis avidus misso Parmam cardinale Sanctofloreo Octavii patruele pro Parma, quam sibi restitui flagitabat, Ducatum Camerini, ac Civitatis-Novæ ditionem, atque octo millia nummorum annua obtulit decima die Junii, consentiente cardinalium senatu : tum Alexandrum cardinalem Farnesium, ut fratrem ad has concordiæ leges inflecteret, misit. At ille non Parmam, sed ad ducem Urbini sororium se contulit, contractasque militum copias subsidio fratri misit : illusus ab Alexandro Pontifex Raynutium cardinalem Farnesium Parmam proficisci jussit, ut fratrem Octavium ad Pontificis obsequium adduceret; at ille Urbinum, spreto mandato Pontificio, profectus, inde Venetias secessit : studuit Julius amantissimis litteris utrumque cardinalem, quibus de parto Pontificatu obstrictus erat, ad officium revocare, quo argumento inscriptæ sunt Alexandro cardinali subjectæ litteræ [1] :

15. « Dilecto filio nostro Alexandro Sancti-Laurentii in Damaso diacono cardinali, Farnesio nuncupato, sanctæ Romanæ Ecclesiæ vicecancellario, salutem, etc.

« Meminisse debes te licentiam a nobis discedendi ea ratione habuisse, ut Parmam ires, et Octavium fratrem tuum ab ejus inobedientia et contumacia ad gratiæ nostræ (quæ erga vos fratres cumulatissima semper fuit, eritque si volueritis) gremium reducens, quod an feceris tu ipse scis : illud vero de quo hic vulgus omne prædicat, et rumor quotidie magis percrebrescit, quod scilicet, postquam in ducatum Urbini te reduxisti, ibi militum copias publice describas, atque ipsi Octavio rebelli contra edictum nostrum, necnon Horatio Farnesio, et aliis, qui apud Mirandulam sunt, et agrum civitatis nostræ Bononiæ hostiliter invaserunt et diripuerunt mittas, vix abduci possumus ut credamus. Quamobrem, ut nos molestia id quotidie de te audiendi, teque ea infamia simul liberemus, hortamur, requirimus et monemus te tibique in virtute sanctæ obedientiæ præcipimus, quatenus receptis præsentibus sine mora et omni excusatione semota, isthinc discedens ad nos redeas, ac nobis in regimine universalis Ecclesiæ, ut teneris, assistas, nos enim te redeuntem et fratres tuos inobedientes deserentem læti videbimus, amplectemur paterne, et ut filium, omnium per te hactenus commissorum et perpetratorum penitus obliti, amantissime tractabimus, quod Deo, mundo et tibi in verbo et fide veri Romani Pontificis spondemus et pollicemur. Dat. Romæ, etc. XVI Junii MDLI, anno II ».

Excusanti se Alexandro [1], redeundi ad Urbem onus remisit, modo ad aliquam ditionis Ecclesiasticæ, vel Principatus Cosmi ducis Florentiæ urbem se conferret, seque in obsequio Sedis Apostolicæ contineret.

16. Cum vero metueret Julius, ne circa Urbem bellici tumultus excitarentur, cum Horatius Farnesius urbe Castro, ac plurimis oppidis in Patrimonio potiretur, contractis copiis Castrum expugnare decrevit, si Hieronymam ducissam Farnesiam ad deditionem non compelleret. At illa belli tristem exitum verita, eam concordiam iniit, facturam se deditionem, modo Castrum et alia oppida filiis ad obsequium Ecclesiæ reversis restituerentur. Laudavit Julius [2] prudentiam ducissæ, quæ ut mater amantissima eam partem, qua filiis magis prodesset, elegisset, datisque litteris XXV Junii pollicitus est se acceptas a filiis ejus injurias voluntaria oblivione deleturum, et Castrum et alia oppida, cum ad obsequium officiumque rediissent, restitutum iri.

17. Interea Ferdinandus Gonzaga Mediolani præfectus exercitum adversus Parmam duxit, captisque Brisello et Nocero oppidis, multa Parmensibus intercluso commeatu damna intulit. Ex adversa parte Gallica Petrus Strozzius, et Cornelius Bentivolus Gallicis succincti copiis, Mirandula erumpentes Bononiensem agrum vastarunt, atque ingenti terrore Bononiam complevere, ad quam tuendam Pontificiæ copiæ relicta Parma provolarunt.

18. *Cæsaris arma implorat Julius*, *unde aucta dissidia inter Gallum et Pontificem.* — His pressus angustiis Julius, ac timens ne Romandiola et Ravenna in graviores tumultus conjectæ discrimen adirent, imperatoris opem imploravit [3], ac multa de Octavii defectione conquestus, rogavit, ut Galliæ regem per litteras, vel per oratorem permoveret, ne pro tuendo Octavio tam graves injurias Sedi Apostolicæ inferret.

« Imperatori.

« Charissime, etc. Novit ille, qui nihil ignorat, novit etiam majestas tua, cui omnia nostra tum de pace, tum de religione consilia nota semper esse voluimus, quæ præcipue ratio et causa nos ad compescendum Octavii Farnesii obstinatam temeritatem impulerit, atque quot

[1] Jul. III. lib. brev. sig. num. 1883. p. 109.

[1] Lib. III. p. 333. — [2] Ext. l. v. brev. — [3] Jul. III. lib. brev. III. sig. num. 2882. p. 354. et l. IV. p. 164.

litteris, nuntiis, monitis, ac etiam oblationibus hominem beneficiorum ab hac Sancta Sede receptorum immemorem, nobis inobedientem et rebellem, ad saniorem mentem et ad nostram gratiam reducere enixi fuerimus, antequam ad ea remedia deveniremus, atque pro nostro et hujus Sedis honore inviti deveniemus, qua in re cum a majestate tua tanquam ab Ecclesiæ advocato brachium sæculare imploravissemus, quam sperabamus pietatem in ea invenimus, quippe quæ officii pientissimi imperatoris potius et justitiæ, quam illius humanæ necessitudinis rationem habere voluit. Cum vero sciremus ipsum Octavium non in suis, ac suorum viribus, sed in regis Francorum favore confidentem in tam pertinaci proposito damnabiliter perseverare, ipsum regem per litteras, per nuntium apud eum nostrum, per ejus apud nos oratores, per diversos viros graves, et nonnullos etiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, et tandem per nostrum nepotem ad illum missum, cum omni humilitate precati sumus, ut nostrum et hujus Sedis honorem posthabere nollet, velletque amicitiam nostram firmam et solidam, ipsiusque Octavii levitati anteponere, non posse nos ullo modo, sine pernicioso in perpetuum exemplo, quandoquidem hæc Sedes innumeros subditos eosque potentiores habet, feudatarii et subditi nostri inobedientiam et rebellionem dissimulare, proptereaque nulla nos vel juris vel facti remedia contra ipsum Octavium omissuros esse, qua in re neque ipsum regem, neque quemquam ex suis offendi putabamus.

19. « Dum autem tam frequentes et justas preces nostras exaudiri expectamus, ecce iniquitatis filii/ Horatius Farnesius, Petrus Strozzius, Aurelius Fregosius, et Cornelius Bentivolus, necnon supra cæteros iniquissimus Picus una cum aliis Pedemontani regii exercitus ex Gallis currentes veniunt, Parmam se primum conferunt et Octavium confirmant, collecta deinde apud Mirandulam, facinorosorum omnium asylum, multorum aliorum exulum et perditorum manu, inimicissimo et hostili animo in agrum civitatis nostræ Bononiæ erumpunt, oppida Ecclesiæ invadunt, admotis bellicis tormentis diruunt, homines liberos subditos nostros capiunt, spoliant, devinciunt, greges et armenta abducunt, magnam segetum et frumenti copiam asportant, omniaque ferro et igne vastant, et tandem præda onusti ad ipsum oppidum Mirandulæ se recipiunt, idemque non semel tantum, sed bis, ter et quater faciunt, nunquam ab hac sævitia temperaturi, sed malis pejora semper reddituri, nisi Ecclesiastici exercitus milites tot injuriis permoti, expeditionem Parmæ intermittere, et ad resistendum prædictorum exulum furori prope Mirandulam castra ponere coacti fuissent. Maxime vellemus ab horum factorum culpa regem ipsum excusare, sed ex iis quæ nuper detecta sunt aliter sentire cogimur : misit enim ipse Horatius ad nos certum famulum suum cum litteris, in quibus scribebat, ut illi ipsi ejus familiari plenam fidem in referendis haberemus : is vero in suo sermone cum excusare vellet ea, quæ Horatius gesserat, jurejurando affirmavit, venisse ipsum in Italiam jussu regis, ab eo habuisse in mandatis, ut quidquid dominus de Thermes nuncupatus, qui regis tunc orator apud nos erat, ei injungeret, impigre faceret, illam agri Bononiensis invasionem et vastationem fuisse ipsi Horatio ab eodem Domino de Thermes injunctam ac demandatam. O rem indignam, et antehac inauditam ! non dubitamus majestatem tuam, cum hæc legerit, in tantam esse admirationem venturam, ut juxta dicta factum fuisse credere vix possit. Res tamen ita se habet, ut ex processu authentico præsentibus alligato, majestas tua clarius et latius cognoscere poterit : nos, fili charissime, in magna sumus animi anxietate constituti, detecta harum injuriarum origine, et valde dolemus, quod talis rex nulla in re a nobis lacessitus præter veterem prædecessorum suorum morem, qui innumeris honoribus ab hac Sancta Sede honestati eam semper defendere consueverunt, nostro tempore arma contra eam moverit, et nobiscum ita hostiliter agat, sed probitas et pietas majestatis tuæ, in qua omnes spes nostras collocavimus, nos consolatur et recreat : proinde ab ipsa majestate tua per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi petimus, ut de suæ summæ auctoritatis patrocinio nobis et eidem Sedi apud ipsum regem deesse nolit, eique per speciales nuntios vel litteras persuadere velit, ne tam graves injurias nobis suo nomine inferri ulterius patiatur, ostendens ei rem esse illa corona indignam, et quæ florentem ejus ætatem et virtutem non levi dedecore et infamia sit apud omnes maculatura. Speramus sane majestatis tuæ operam et exhortationem ejus ponderis apud eumdem regem futuram, ut seipsum agnoscens, Octavii defectionem non foveat, milites, qui in Mirandula sunt, revocet, atque nobis et huic Sanctæ Sedi veteri suorum prædecessorum instituto et more adhæreat; quod si exhortationes et preces etiam majestatis tuæ non audierit, hortamur eam, ut nobis, et huic Sanctæ Sedi præsenti auxilio succurrens dilecto filio nobili viro Ferranti Gonzagæ, tuæ majestatis in Italia locumtenenti, mandare velit, ut manu forti se statim dictis militibus in Mirandula existentibus opponat, curetque, ne ulterius Ecclesiasticæ ditionis loca invadere, et majoribus quotidie damnis afficere valeat. Deum autem Optimum Maximum votis omnibus precamur, ut ipsum regem ad ea capienda consilia dirigat, quæ universæ Christianæ reipublicæ pacem, concordiam et salutem, ipsique regi et

nobis animi tranquillitatem et quietem parere possint. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum XXVII Julii MDLI, anno II ».

20. Non defuit Cæsar Julio Pontifici [1], cui undecima Julii centum quinquaginta aureorum millia in militum stipendia submisit, cum antea mense Julio alia centum millia numerasset : auctusque viribus Julius Mirandulam, ex qua excursiones in agrum Bononiensem factæ erant, obsidione cinxit; necnon Ferdinandus Gonzaga ad Parmam castra promovit : Galliæ vero rex cum frustra tentasset Julium flectere, ut Octavio conciliaretur, concepta in eum iracundia vetuit e Gallia pro expedienda sacerdotiorum collatione pecuniam transferri Romam, ne hosti ad bellum gerendum usui esset: tum in cardinalium senatu [2] Pauli de Thermes oratoris opera questus est, Julium supremum imperii Christiani caput, communis parentis, judicis integerrimi, ac veritatis vindicis munus, cum iniqui accusatoris et privati hostis officio commutare, regio nomini maculam aspergere, quasi defectionem ab Ecclesia meditaretur; cum tamen Christianissimi regis acceptum nomen piis operibus ornasset, translato Bononiam Concilio pro tuenda Sedis Apostolicæ auctoritate adhæsisset, pro asserenda etiam re Catholica in Scotia et Gallia contra hæreticorum Anglorum impetus multa prælia confecisset, affictam sibi criminis suspicionem, cum ad comprimendam serpentem hæresim monuisset litteris episcopos, ut suas diœceses lustrarent, exscinderent vitia, notarent corruptelas, quæ ad Concilium referri possent, significasse metropolitanis, ut episcopos desides in jus vocarent, Synodos Provinciales celebrarent, quarum usus sacris canonibus adeo commendatus intermissus erat, atque in Concilio nationali religionis splendor, et puritas morum restitueretur, nec se quidquam adversus Sedis Apostolicæ, et Concilii Œcumenici dignitatem meditatum, pro qua tuenda sanguinem profundere paratissimus esset, ut antea a cardinale Lotharingio fuerat Pontificio internuntio significatum; tum addidit, aliena culpa in Italia concitari bella, fœdusque ictum cum Octavio Parmensi in adversam partem accipi. Perpenderent porro Pontifex et cardinales, num ea sumpta clientela pro libertate Italica defendenda, ac ditione Ecclesiastica contra vim Cæsaris propugnanda, eorum odia promereretur. Parmam enim gravioris esse momenti, qua occupata ab hoste, jugum Cæsareum imponeretur, nec vero externam militiam inductam in Parmensem urbem, nec adversus decus Pontificium gestum, suppeditata tantummodo pro Parma propugnanda stipendia, quæ nunquam repetenda forent. Cæterum se abjecturum Parmæ patrocinium, si Pontifex ad Parmam suis armis defendendam se obstringat, Farnesiorumque damna sarciat, ac Cæsar pariter Placentiam Eccclesiæ restituat. Tum præmonuit, promoto Parmensi bello, Concilium disturbatum iri, contestatusque est graviora inde mala oboritura, quorum culpæ immunis foret; cæterum, quicumque casus acciderit, nunquam se ab Apostolicæ Sedis obsequio defecturum. Ad hæc Julius gesta ac dicta sua excusavit, constitisse enim ex regiis litteris Avenionem ad cardinalem Armeniacum, necnon Romam transmissis ad episcopos Gallos Concilium nationale fuisse ab Henrico indictum ; ex quo novandarum rerum ingentiumque discriminum suspicio apud pios quosque fuerat concitata, cum altare adversus altare erigi, Conciliumque adversus Concilium cogi videretur.

At Tridentini Patres ægerrime accepere geri a Pontifice Parmense bellum, cum pax ad provehendas res Concilii pernecessaria esset, nec etiam liquebat, cur potius Julius adversus Gallum pro defensa Parmæ clientela bellum gereret, quam adversus Cæsarem pro invasa Placentia; gratiam namque Cæsaris secutus, illi se adversus Gallum conjunxit, quem postea suscepti male belli graviter pænituit. Ardente autem Parmensi bello Henricus rex in cardinalium senatu oratoris opera iterum kal. Augusti contestatus est, se omnes rationes pro tuenda publica pace conquisivisse, verum se invito bellum accensum, quo Europa arsura, ac Concilium disturbandum esset, cujus auctoritatem mox elevare cæpit, ac acerbe carpere, dictitans id tantum in eo spectari, ut Cæsari tantum, non vero toti reipublicæ Christianæ prodesset; proinde æqui acciperent Pontifex et cardinales, si episcopos e Gallia Tridentum nullos mitteret, cum ob belli incommoda, nec tutum, nec liberum iis foret Tridentum adire, atque adeo non futurum Œcumenicum, sed particulare, in quo Julius aliquibus principibus, nimirum Carolo ac Ferdinando abblandiretur, seque eorum voluntatibus accommodaret. Adeo irarum æstus abripuit Henricum regem, ut contemptus a Pontifice ad defectionem inclinare videretur, sed demum dicti acerbitatem ita lenivit, se, licet Ecclesiæ Gallicanæ jura tueretur, nunquam ab Apostolicæ Sedis obsequio discessurum. Ad hæc Pontifex Henrico celebrandi Concilii causas exposuit, nec quorumdam principum commodis in ea re morem geri, tum Gallorum episcopis liberi ac tuti commeatus syngrapham obtulit, qui si defuerint, non tamen Concilii Tridentini dignitati detractum iri, quin vere Œcumenicum sit, tum Galliæ episcopos, ad quos Apologiam scripsit, hortatus est, ut precibus regem flecterent, ut pro celebrando Concilio Tridentum adire iis permitteret; sed incassum fusæ preces.

21. *Parmensi obsidione soluta, Julius ad*

[1] Diar. Conc. Trid. Adrian. l. VIII. — [2] Jac. Aug. Thuan. l. VIII.

pacem cum Gallo se convertit. — Infensus erat Henricus Julio, cujus animum duriorem cum emollire ad amplectenda pacis consilia non potuisset, frangere armis constituit, eductoque ex Pedemontio exercitu forti, factaque in Insubriam irruptione, plura oppida impetu cepit; quo adverso casu perculsus Ferdinandus Gonzaga Parmensem obsidionem solvit, ut ad tuendam Insubriam procurreret : ac tnm Pontifex volvens animo, non modo Italiæ imminentia mala, multorum ad pacem eum adhortantium principum precibus impulsus, necnon Venetorum, quos frustra, misso internuntio Achille Grassio, ad suas et Cæsareas partes pellicere pertentavit, persuasione victus, ut communem omnium parentem se gereret, tum bellicis incommodis fatigatus, ad pacis consilia se convertit[1], atque ad imperatorem cardinalem Carpensem, ad Henricum vero Galliæ regem cardinalem Verallum legatos concordiæ interpretes circiter medio Septembri decrevit, de quibus Henricum regem certiorem fecit hisce litteris exaratis[2], multis paterni amoris et benevolentiæ notis aspersis :

22. « Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Eo die quo placuit Deo pro ejus providentia et bonitate nos nullis nostris meritis ad summi Apostolatus apicem assumi, in animum nobis induximus, ut benevolentissimi parentis personam erga omnes Christianos principes indueremus, maxime vero erga tuam serenitatem, cui nos plurimum debere sciebamus : quamvis autem postea aliqua inter nos dissensio exorta fuerit, nunquam tamen paterni nostri erga tuam majestatem amoris obliti sumus; cum autem ob plurima atque magna tum Pontificii muneris, tum personæ nostræ impedimenta, per nos ipsos sicut vellemus tuæ majestati animum nostrum notum facere nequeamus, ut quanti eam faciamus ipsi tuæ majestati, toti Galliæ, atque universæ Christianæ reipublicæ innotescat, et quid in corde semper gesserimus, testatum apud omnes sit, elegimus in nostro Consistorio secreto de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio dilectum filium nostrum Hieronymum tit. S. Martini in Montibus presbyterum cardinalem, Verallum nuncupatum, virum dignitate, doctrina atque prudentia præclarum, tuæ majestatis studiosum, quem nunc Dei et nostra benedictione nostrum et hujus Sanctæ Sedis legatum ad majestatem tuam mittimus. Is sane eidem tuæ majestati omnia nostra consilia, atque cogitationes de communi pace, de religione instauranda, de tuæ majestatis apud nos existimatione, atque tandem de Italia, et totius Christianæ reipublicæ tranquillitate apertissime explicabit. Hortamur igitur, atque rogamus tuam serenitatem in Domino, ut pro sua suorumque majorum erga hanc Sanctam Sedem pietate et observantia ipsum Hieronymum cardinalem legatum honorifice excipere, atque benigne etiam cum ea fide audire velit, cum qua nos ipsos audiret, si eam alloqueremur : spondemus enim in verbo veri Romani Pontificis nos quæcumque ipse nostro nomine cum majestate tua aget, esse firmiter observaturos. Dat. Romæ I Octob. MDLI, anno II ».

23. Hortatus etiam est Pontifex Catharinam reginam[1], ut pro eximio in Romanos Pontifices studio, et quæ Leonis X et Clementis VII neptis extitisset, legati pia consilia ad Dei gloriam et religionis dignitatem spectantia proveheret apud regem :

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ, Francorum reginæ Christianissimæ.

« Quod nos in tuæ majestatis opera ad pacificandam Christianorum rempublicam, ejusque salutem procurandam spem maximam habeamus, faciunt tum religio pietasque tua, tum, quod Christianissimi regis uxoris, et Christianissimæ reginæ titulo decoraris; ac præterea duorum Summorum Pontificum Leonis X et Clementis VII, quos amoris gratia nominamus, neptis, dum viverent, fuisti, propterea mandavimus dilecto filio cardinali Verallo legato nostro, ut majestate tua paterne a nobis salutata, super negotiis cum rege ipso viro tuo agendis ad publicum bonum pertinentibus, cum ipsa tua majestate nostro nomine loquatur. Hortamur proinde eamdem tuam majestatem in Domino, ut ipsum cardinalem legatum, magnæ dignitatis ac doctrinæ virum, benigne audire, consilio dirigere, favore et gratia, qua plurimum apud ipsum regem potest, fovere et juvare velit, quod sicut singulari virtute et probitate majestatis tuæ dignum, ita Deo acceptum, et nobis super quam dici possit, gratum erit. Datum Romæ I Octobr. MDLI, anno II ».

Exceptum magnificentissime legatum Parisiis refert Jacobus Augustus Thuanus[2] his verbis :

« Hieronymus Verallus legatus Pontificis regem ad Fontem-Bellaqueum convenit idibus Decembris, et paulo post Lutetiæ solemni pompa de more ab omnibus ordinibus regis jussu excipitur, ejus mandatis in senatu cum diplomate regio allatis, ac deliberatione habita, promulgatis, eædem conditiones appositæ sunt, quæ olim Ambrosii, Gaufierii, Pratensis, Farnesii, Sadoleti, et nuper S. Georgii cardinalium consimilibus mandatis : additumque insuper ne legatus per alios vicarios, sed tantum per se munus suum in Gallia exerceat, dignitates majores post Pontificales in cathedralibus, atque

[1] Acta Consist. — [2] Jul. III. l. IV. sig. num. 1884. p. 244.

[1] Jul. III. l. IV. brev. sign. num. 2883. p. 245. — [2] Jac. Aug. Thuan. l. VIII.

etiam in collegialibus, in quibus formula capitis, *quia propter* servatur, in quemquam ne conferat, nec canonicos, ne de collegiorum quidem consensu, spe in futurum gratiæ obtinendæ, creet, nihilque faciat, quod sanctis decretis, pactis, juribus, privilegiis ac prærogativis regis, immunitatibus et libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, et publicarum regni scholarum edictis, constitutionibus regiis, et senatusconsultis, ac nominatim edictis, quæ *parvas datas*, quas vocant, et notarios Ecclesiasticos spectant, deroget aut præjudicet, easque conditiones impleturum se, scheda manu propria subscripta, et in curiæ acta referenda, regi cavere teneatur, id actum in senatu exeunte anno XVII kal. Januarii ». Legatus cum rege pacis capita ex mandato Pontificio transegit, cum rex consentiret, ut Octavius Farnesius Parmam restitueret Pontifici his legibus, primo ut æqua compensatio Octavio tribueretur : secundo ut regi certissime ac fidelissime se obstringeret, Parmam in potestatem Cæsaris non esse redigendam, præfectum Parmæ imponeret præsidio militari instructum, qui nec Gallicæ nec Cæsareæ partium esset, sed nomine Sedis Apostolicæ eam teneret : tertio, ut in dissidiis, quæ inter Galliæ regem et Cæsarem intercederent, partes Cæsareas non efferret : cui responsum est a Julio, se nullis parciturum laboribus, ut pacem firmissimam inter Galliæ regem Cæsaremque conciliaret, itaque proximo ineunte anno pax inter Julium Pontificem et Henricum regem firmata est, ac relictus Cæsari locus ut fœderi accederet.

24. *Cæsaris odio confirmata hæresis.* — Ad hæc significanda Cæsari cum cardinalis Carpensis, febre quartana implicitus, ad imperatorem non se contulisset, Pontifex Camajanum ad Cæsarem proficisci jussit, inclinante mense Decembri; ut eum, sublatis jam belli Parmensis causis, ad pacem cum Henrico rege sanciendam incitaret. At Cæsar acerbo animo pacis hujus nuntium excepit; graves enim iras conceperat adversus Henricum regem, qui plures in Insubria arces Cæsareas expugnarat, atque etiam novas res Mediolani erat molitus, tum in Belgico mari classem Cæsaream dolo ac proditione oppresserat, prædamque ad quingenta millia aureorum ascendentem rapuerat; dumque fovet in eum odia, pacemque adeo necessariam pro Concilio ad felicem finem perducendo et extinguenda hæresi respuit, Henricus graviorem in eum odiorum malorumque molem effudit, ac protrita divini numinis causa, novam belli procellam conflavit in Germania; misso enim Joanne Fraxineo episcopo Bajonensi, fœdus cum Mauritio Saxoniæ duce, et... Marchione Brandeburgensi VII idus Octobris adversus Cæsarem percussit, specie tuendæ libertatis Germanicæ, quod Carolus Cæsar Protestantes ab impia superstitione ad pietatem, et obsequium Romanæ Ecclesiæ, opera Tridentini Concilii revocare eniteretur, de quo hæc Surius [1] : « Augusti die xx, Ecclesiæ Augustanæ ministri Evangelici Cæsaris voluntate intra diem tertium ex urbe decedere jubentur, nec usquam omnino concionari intra Cæsaris ditiones. Intra Augustam vetat Cæsar Lutheri dogmata doceri. Eodem modo actum est cum Memmingensibus, et aliis Sueviæ concionatoribus. Erat in iis quidam, cujus Dalila cum jam proxima esset partui, is sibi copiam fieri uxoris, ut ipsa vocabat, invisendæ. Tum Atrebatensis episcopus cum primis eruditus, ad suos conversus ait, uxorem iste vocat, quæ scortum est, et revera non nisi scorta, imo scortis pejores sunt, quæ vel sacerdotibus vel monachis junguntur. Horum autem profligatio magnum omnibus ubique terrorem incussit, qui haud dubio idem sibi quoque formidarent, potuissetque hac ratione populus misere seductus in viam reduci, expulsis pravis et seditiosis doctoribus, cum ecce in tanta publicæ pacis et tranquillitatis expectatione Galliæ rex Cæsari bellum movet. Mauritius deinde cum Gallo fœdus ferit, eam gratiam pro maximis beneficiis Cæsari rependens, Cæsaremque vehementer et Gallus et Mauritius afflixerunt, tam inopinato nec usquam indicto bello : imo cum Cæsari Mauritius omnem interim obsequentiam polliceretur, et Gallus videretur nullas belli justas causas habere. Quicumque autem hujus in Cæsarem inexpectati belli auctores fuere, non diu postea supervixere, et plerique omnes in ipso ætatis flore dura morte periere. In Galliæ Christianissimo rege mirum fuit, quod se eo quoque nomine scriberet bellum Cæsari facere, ut Saxonem et Lantgravium, qui erant præcipui Lutheranæ doctrinæ patroni, in libertatem assereret, cum tamen ipse in sua ditione Lutheranos, et aliarum sectarum homines severissime persequeretur ».

25. Nec modo Henricus oratores ad Concilium Tridentinum regis Christianissimi more non decrevit, verum præsules, ne ad illud se conferrent, inhibuit. Defenderat antea Bononiense Concilium adversus Cæsaris conatus, jam vero Tridentinum, quod illi Cæsar impense faveret, insectatus est; adeo reges suis reguntur cupiditatibus, ut religionem iis servire, non religioni servire non raro velint. Extant porro in Synodi Actis [2] Cæsareæ litteræ, quibus ille Julio ineunte oratores, ad sessionem kal. Septembris celebrandam decrevit, cum Germanicis turbis districtus Concilio interesse non posset.

26. « Cum beatissimus in Christo pater et DD. Julius III, divina providentia S. R. ac universalis Ecclesiæ Pontifex Maximus D. N. R. sacrum Œcumenicum et Generale Concilium

[1] Surius in Comm. hoc anno. — [2] Ext. in Actis Conc. ex edit. Binii.

per Sanctitatis suæ prædecessorem felicis recordationis Paulum P. P. III indictum et incæptum, et aliquandiu ad tollenda religionis nostræ dissidia, quæ in Germania longo tempore maxima totius orbis Christiani perturbatione viguerunt, denuo ad civitatem Tridentinam revocaverit, ac per litteras suæ Sanctitatis kal. Maias proxime præteritas convocaverit. Nos vero ob adversam valetudinem, cum qua aliquandiu, et jam continuo ferme conflictamur, tum aliis negotiis impediti, quum eidem Concilio, uti cupiebamus, personaliter interesse non possimus, ne tamen muneri nostro in re tam ardua defuisse videamur, operæ pretium duximus mandatarios, procuratores nostros eo ablegare, ac proinde confisi de fide, probitate et rerum experientia, ac erga sacrosanctam religionem nostram orthodoxam zelo ac pietate venerabilium, devotorum, ac generositate nobilium fidelium nobis dilectorum Hugonis comitis a Montfort, domini Francisci a Toleto prioris monasterii Reconvalensis, et Guillelmi a Pictavia archidiaconi Campaniæ, consiliariorum nostrorum, eosdem tam ratione imperialis nostræ dignitatis, quam sustinemus, quam regnorum et provinciarum hæreditario jure nobis spectantium conjunctim et separatim fecimus, creavimus et constituimus, etc. Datum in civitate nostra imperiali Augusta Vindelica die primo Julii MDLI, imperii nostri XXXIII, et regnorum nostrorum XXXVI ».

27. *Secunda Concilii sessio in qua leguntur litteræ Galli regis ad Concilium.*— Condicta die, prima Septembris, sessio duodecima eademque secunda Julio Pontifice celebrata est; solemnique ritu divina res peracta atque a Concilii præside sacra oratio habita, qua præsules ad diligentiam omnem pro asserenda Catholica re, hæresique delenda excitati fuere, cujus præcipua pars his sententiis ac verbis concepta fuit [1] :

« Maxima semper, ut vos minime præterit, patres, generalium Conciliorum vis maxima fuit atque auctoritas. Nec enim dubium est, quin eis, modo recte et ordine habeantur, Spiritus sanctus ipse præsideat, etenim si Dominus noster, ubicumque duo aut tres in nomine ejus fuerint congregati, in medio eorum se futurum confirmavit, quis eum, et sanctum ipsius Spiritum abesse putet ab hujusmodi plurimorum Patrum et sacerdotum conventu justo atque legitimo,qui, quemadmodum hic noster, propter causam fidei et religionis, propter correctionem morum, propter pacem denique et tranquillitatem Ecclesiæ sit coactus. Itaque, talium Conciliorum scita non hominum magis quam Dei ipsius existimantur esse decreta. Horum exemplum nobis primis illis Ecclesiæ temporibus Spiritus sancto pleni Apostoli prodiderunt. Ad hoc remedium majores nostri deinceps gravissimis Ecclesiæ temporibus confugerunt. Hoc Arianam illam sectam toto terrarum orbe diffusam, tam inveteratam, tantis studiis opibusque potentissimorum principum defensam, hoc Macedonii, Nestorii et Eutychetis hæresim, innumerabilesque alias sustulerunt. Hoc sæpe sacerdotum et populi vitam ac mores reformarunt. Hoc seditionibus et discordiis aliquando agitatam Ecclesiam in quietum et tranquillum statum redegerunt : quare magna spe, magno animo, Patres, tam pias actiones, et tam Christiano nomini salutares persequamur. Hoc munus, hæ partes, hoc officium nostrum est, qui hanc ob causam ex tam distantibus, et tam remotis regionibus in hanc Urbem convenimus. Nam cum propter pravos et corruptos mores, Dei venerationem, cultum et charitatem ubique imminuta, tum vero hæresibus et impietate dogmatum, veritatem et sinceritatem fidei nusquam vere non contaminatam atque pollutam videamus, quis tam ingratus, ac tam immemor divinorum munerum ac beneficiorum erit, qui non Dei benedicti cultum et gloriam non cæteris modo rebus anteponat, sed vita et anima sua habeat chariorem ». Et infra : « Incredibile est, quibus piorum omnium votis expetitum, qua lætitia cœptum, qua expectatione rursus restitutum hoc fuerit instauratum Concilium. Persuasum iis est et recte persuasum, hoc unum esse remedium, quo Ecclesiæ navis jam diu hæresum et discordiarum procellis agitata atque quassata, et cum vi tempestatis, tum nautarum etiam negligentia prope obruta e periculo eripi et tuto in portu possit collocari, etc. »

Lectæ sunt ab Angelo Massarello [1] Concilii chartophylace, piæ quædam admonitiones de modo in Concilio agendi. Deinde publicatur decretum, in quo redditur ratio, quare in præsenti sessione nihil agatur de rebus fidei vel morum. Indicitur futura ad diem XI Octobris, et quod statim tractabitur de Sacramento Eucharistiæ, et de impedimentis quæ restant circa commodiorem residentiam episcoporum.

Exhibetur mandatum procuræ Cæsareum ab illustrissimo domino comite a Monteforti, qui etiam scripturam quamdam, in qua suam comparitionem designabat, præsentavit, quod mandatum et scripturam ego legi, deinde respondi nomine Synodi, et ejus mandatum et comparitio admittitur.

Postea episcopus Viennensis orator regis Romanorum exhibuit etiam mandatum suum, quod similiter a me lectum fuit et admissum, et nomine Synodi responsum.

Postremo comparuit quidam nuntius Henrici regis Gallorum, qui litteras regias exhibuit.

[1] Acta Conc. Trid. Angel. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 417. Ext. in Acta Conc.

[1] Ang. Mass. in Diar. Ms. arch. Vat. p. 417.

Erat is Amiottus, Bellozanensis abbas, postea Antissiodorensis episcopus, a quo allatæ litteræ conventui Tridentino inscriptæ erant, honestiore Concilii nomine perperam prætermisso, quare plurimi Patres maxime Hispani obluctati sunt, ne publice legerentur, cum Gallus rex ea inscriptione auctoritatem Tridentini Concilii traducere videretur; lenivit illius nominis invidiam regius orator, cum diceret apud Latinos scriptores Concilium modo nomine conventus, modo consessus nomine designari, nec regium animum ulla in Concilium malevolentia suffusum, sed contestari tantum, moto a Cæsare bello, Galliæ episcopos ob justas causas Tridentum non accessuros. Facto porro in sacrario templi secessu, rogatisque optimatum sententiis decretum est, demulcendas esse comitate iras regias, non juris nimia acerbitate asperandas, atque adeo promotor [1] Concilii his verbis regium oratorem, affatus est : « Vir eruditissime, sacrosanctum Concilium censuit, legendas esse in Concilio litteras regis Christianissimi, cum putet ab illo conventus nomen in malam partem non accipi ; sin vero in pravam interpretationem conventus nomen detorqueret, de ea re, ut irrita ac iniqua intercessit ». Regiæ vero litteræ [2] in eam sententiam erant conceptæ, ut civilis belli invidiam a se removeret, atque episcopos Gallos, si Tridentum non accederent, excusandos deprecaretur, sperare se aiebat, Patres ab omnium partium studio futuros exortes, eosque, ut arbitros honorarios admittere, orabatque, verba sua non quasi hostis externi excipi, sed tanquam Ecclesiæ primogeniti, qui pro eo titulo asserendo nunquam divinæ gratiæ defuturus esset. Stare enim fixum animo virtutibus ac vestigiis majorum insistere, nec enim dum oppressos ueretur, injuriasque illatas propulsaret, a regii officii religione discedere, nec quidquam de pristino in Ecclesiam amore et observantia detracturum, atque omnia, quæ decreta forent, modo ordine debito et jure fierent, excepturum spondebat : quas litteras cum Jacobus Augustus Thuanus mendaciis hæreticorum illusus, indigne perverterit, e Vaticanis Monumentis, in quibus autographa Actorum Concilii continentur [3], decerpendæ visæ sunt :

28. « Comparuit », inquiunt Acta, « quidam nuntius regis Gallorum, nomine Jacobus Amiott, Gallus , qui præsentavit sacrosanctæ Synodo quasdam litteras nomine ipsius regis, una cum quadam scriptura, quam legendi sibi licentiam concedi petiit. Quæ litteræ, cum receptæ fuissent a reverendissimo domino legato, et mihi secretario legendæ traderentur, earum inscriptionem primo legi : in qua, cum non nominaretur hæc sancta Synodus Concilium, sed conventus , Patres summopere commoti atque turbati sunt, asserentes alta voce se nullo modo eas litteras recipere velle, quia ad eos non dirigerentur, cum non diceretur in titulo, sive inscriptione dandas esse Patribus Concilii Tridentini, sed conventus. Tridenti autem non esse simplicem conventum, sed sacrosanctum Œcumenicum, et generale, legitimumque Concilium et verum.

« Tandem post multa hinc inde adducta et tractata, cum Patres concordare non possent, et major tumultus continuo excitaretur, visum est reverendissimo legato pro majori quiete et honore, ac minori populi adstantis scandalo, ut ea res secreto inter ipsos Patres solos ageretur. Quare recedentes Patres ipsi e loco sessionis, secesserunt in sacrarium ubi re ipsa mature examinata atque discussa, placuit omnibus ut litteræ prædictæ reciperentur et legerentur; et scriptura etiam, quam ipse nuntius legere velle proposuerat, audiretur, præmissa tamen prius protestatione infrascripta.

« Cum igitur Patres in locum sessionis reversi fuissent, promotor sacri Concilii protestationem ipsam nomine ipsius sacræ Synodi alta voce legit, quæ est tenoris infrascripti, videlicet :

« Sacrosancta Œcumenica et Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata , interpretando verba litterarum Christianissimi regis, ubi illam conventum appellat, in bonam partem, prout de tanto Christianissimo rege credendum est, ita ut de conventu hoc legitimo Œcumenicum et Generale Concilium faciente intelligatur, et protestando, si aliter litteræ intelligerentur , non esse ad ipsam sanctam Synodum directas, passa est, quod litteræ regis prædicti legantur, et protestatur legi sine aliquo ipsius præjudicio. Et statim, suprascripta protestatione præmissa, ego secretarius præmissas litteras ipsas regis Gallorum legi : sunt autem tenoris qui sequitur [1] :

« Henricus, divino beneficio Francorum rex, sanctissimis in Christo et observandis summopere Patribus Tridentini consessus, salutem plurimam dicit.

29. « Hoc in primis visum est convenire, cum cuidam singulari observantiæ nostræ, majorumque nostrorum in universalem Ecclesiam, tum egregio præterito studio erga ordinem vestrum, Patres ornatissimi, quod apud nos minime dissimulandum duximus, quibus causis quam justis quamque necessariis non modo adducti vel impulsi, verum etiam coacti simus nullum episcopum, qui nostræ ditionis esset, Tridentum mittere ad eum conventum cele-

[1] Sfortiæ Pallavic. l. XI. c. 7. — [2] Ext. in lib. typis cuso an. 1613. — [3] Ext. etiam in lib. edito anno 1613. de litteris Galliæ regum ad Concilium Trid. p. 7. Ang. Mass. secr. Conc. in Actis Ms. sess. II. sub Julio III. Ms. arch. Vat. sig. 3191. p. 28.

[1] Ut sup. sig. num. 1391. p. 29.

brandum, qui esset a beatissimo patre papa nostro Julio indictus nomine publici Concilii, eaque de causa præscribenda breviter ad vos omnia curavimus, et quæ pro nobis exponenda, et quæ vobis ista dignitate, ista gravitate hominibus diligenter et attente perpendenda videbantur : præsertim cum nobis dubium non esset, valde alienum a sapientia, prudentia, integritate vestra, sanctissimi Patres, factum aliquod nostrum, aut alterius cujusvis temere condemnare, quod perspecta dijudicataque causa facillime probatur.

« In iis itaque, quæ pro causa nostra scripta mittimus, sunt, quæ partim communi omnium, partim quæ præcipuo jure aut profitemur ultro, aut sperantur a nobis ac deprecamur, necessario quodam et explorato pæne injuriæ et contumeliæ metu : cum a nonnullis, si quis a nobis retineatur humanitatis sensus aut benignitatis nimis vehementer ac præter modum videamur oppugnari, quibus tamen ne repugnaremus quidem, si liceret nobis ab omni justitiæ atque æquitatis instituto et suscepto semel patrocinio recedere. Sed hæc omnia, sanctissimi Patres, non secus ac honorarii arbitri comiter et benigne uti audiatis, ab eoque recitari patiamini, cui has litteras ad vos nulla alia de re dedimus, vos vehementer oramus atque etiam obtestamur, eaque sic accipiatis obsecramus, non tanquam ab ignoto, aut alieno, aut adversario profecta, sed veluti ab eo, qui hæreditario nomine maximus, aut sicuti loquimur, primus, et perhibemur esse, Ecclesiæ Catholicæ filius, quo quidem in domestico ornamento obtinendo et sustinendo, majorum nostrorum et virtutis et pietatis opinione pollicemur vobis, Patres præstantissimi, idque adeo nobis sumere audemus, freti benignitate Domini nostri Jesu Christi recipimus, spondemus nos mirificam illam animi magnitudinem, vigilantiam, sollicitudinem, fortitudinem, religionem omni genere præstaturos esse studiorum, officiorumque nostrorum; tantum abest, ut dum factam et illatam ab aliis injuriam necessario cogimur repellere, aut traditam nobis a majoribus nostris Ecclesiæ Catholicæ charitatem deponere quæramus, aut nostra sponte desinere prosequi quidquid ab ea pertractatum, decretum, constitutum fuerit, quomodo, videlicet, ab illa pertractari, decerni, constitui par est, dum ne quid interea sincero atque integro ab hæreticorum vecordia principi immerenti atque innocenti, aut captiosum comparetur, aut contumeliosum. Sit Dominus noster Jesus Christus, qui auctor est, custos etiam et conservator, Patres ornatissimi, salutis, incolumitatis, dignitatisque vestræ. Valete. Ex villa regia, quæ Fontis-Bellæaquæ dicitur ante diem idus Augusti MDLI.

« HENRY ».

« A tergo autem : Sanctissimis et observandis in primis in Christo patribus conventus Tridentini. Quibus litteris lectis, ipse nuntius regis Gallorum legit scripturam quamdam, quæ erat tenoris infrascripti :

30. « Hæc sunt, sanctissimi patres, quæ post susceptum primum agri Parmensis patrocinium a Christianissimo rege, exortam deinde ea de re gravissimam, sed injustissimam illam quidem querimoniam, post oblatum postremo proximum hunc tumultum, et certissimum civilium armorum intestinique belli terrorem ostentatum, rex Christianissimus imperavit, beatissimo patri papæ nostro Julio, tum sacro cardinalium collegio profiteri denuntiarique, quæ totidem fere verbis sunt deinde exposita. Cum facta quædam sua, quæ non modo reprehensione nulla, sed summa etiam laude digna essent, trahi tamen atque vocari in invidiam animadverteret, idque quorumdam hominum iniqua interpretatione fieri, atque dissensionum semina jaci, quærique materiam armorum, illud in primis seduloque curavisse, ut quoad integra res esset, et consilii et facti totius rationem illius sanctitati, collegioque accuratissime redderet, Paulus a Thermis orator suus, vir equestri dignitate clarissimus, idque eo consilio a se factum esse, ut si qua in animis illorum minus commoda de se opinio insedisset, ingenua illa satisfactione revelleretur, atque ita imminentibus malis, si repudiata pace occasiones armorum cupidius arriperentur, iret ipse obviam, et quoad ejus fieri posset tanto ante refutaret : itaque primum omnium illud proposuisse, id quod fecimus, ut ejus propugnationem susciperet, qui in fidem suam quasi in portum aliquem confugisset; se non videre, qua ratione a quoquam jure posset improbari : quippe cum id non magis communis cujusdam esset humanitatis ad incertos, et rerum et temporum casus, quam optimi, maximique, ac vere regii animi, et liberalis officium, nec æquum esse se deteriori conditione haberi, quam cæteros, a se nihilominus nil astute actum, nihil subdole cogitatum, nihil commodi alicujus sui causa gestum ; sed unius Ecclesiæ tantummodo habitam esse rationem pro perpetua quadam Francorum regum, ac majorum suorum consuetudine, qui illam non opibus solum suis exornarint, aut armis extulerint, sed corpora etiam sua gravissimis illis temporibus periculis omnibus opposuerint, idque (quod fieret) illius causa cœptum esse, his conditionibus esse testatissimum, quas ipse pacis concordiæque constituendæ obtulisset, quæ semper eo spectarunt, uti, qua de re agebatur, ea res ne Ecclesiæ aliquando vel subriperetur, vel eriperetur, quam vellet perpetuo juris ejusdem ditionisque esse, idque unum tantopere contenderit : quæ cum ejusmodi essent, neminem sanæ mentis existimare posse quidquam a se vel actum, vel susceptum, quod

non maximum generosissimumque regem deceret, et hoc loco, et hoc animo principem, qui se non modo abstinentissimum præstitisset, sed etiam maximis suis sumptibus, ac nonnullo rerum suarum dispendio Italiæ pacem, otium libertatemque obtulisset, et omni suo studio, conatuque Ecclesiæ dignitatem atque auctoritatem procurasset : se præterea palam denuntiasse ac testatum esse, si beatissimi papæ nostri Sanctitas hanc justam esse causam armorum decrevisset, ac proinde Italiam, atque adeo universam pæne Europam bello implicuisset, ex quo Ecclesiæ status convelleretur, tum mores, tum religio, tum fidei ipsius causa in ultimum discrimen adduceretur, maximo id quidem suo cum dolore futurum ; sed sibi tamen nihil eorum merito imputatum iri, qui omnia ante fecisset, quominus illa acciderent, omnesque propterea conditiones, quæ modo honestæ, et illius temporis essent, non solum ferre, verum etiam accipere voluisset.

31. « Denique Concilii, quod nuper indictum esset, solutionem, quam, si ad arma iretur, necesse erat consequi, sibi minime assignari posse ; orare etiam atque obtestari enixius summi nostri Pontificis sanctitatem, considerans etiam quanta ex bello semel sumpto damna atque incommoda reipublicæ Christianæ impenderent, eaque ne evenirent, quod pace tuenda facillimum erat, efficeret. Attamen cum hæc tot ac tanta ipse pro se per supradictum illum oratorem suum egisset, monuisset, denuntiasset, hortatus esset, tantum abesse ut illis omnibus, quæ summopere jure omni divino humanoque niterentur, ullo modo summus Christianorum Pontifex moveretur, ut cum pacem tranquillitatemque tueri deberet, controversias, dissidia, lites, si quæ ipsis inter se principibus Christianis essent, vel minuere vel funditus tollere, otium atque securitatem omni ratione celebrando Concilio parare ; Italiæ tamen funestissimum bellum concitare, quo totam mox Europam conflagrare necesse esset, nova excitare armorum dissidia, aditus ad Concilium omnes præcludere maluisse videretur, eamque omnibus suspicionem inducere istam ipsam Concilii Tridentini indictionem, non communis universæ Ecclesiæ utilitatis gratia expetitam esse, sed factam potius coitionem cum iis, quorum privatis rationibus ac commodis illic inserviretur, nullo reclamante, nullo repugnante videri certe summi Pontificis nostri sanctitatem se excludere, ac fructu optatissimi Concilii privare voluisse ; id rerum initia, progressus, exitus, consilium Sanctitatis ejus declarasse, cum illa de causa, nec hoc tempore, nec hoc auctore, aut bellum tam perniciosum tanto universæ reipublicæ periculo suscipi, aut tanta ejusdem reipublicæ jactura et calamitate geri debuerit. Claros sæpenumero et admirabili quadam animi magnitudine principes dissimulandis gravioribus injuriis pacem retinuisse, atque modo restinxisse initia communis incendii, nunc quæsitam videri ultro et adornatam, a quo minime debuit, flammæ istius perniciosissimæ ac luctuosissimæ materiam.

32. « Constituendam fuisse aut revocandam magis exemplo Sanctitatis illius, Concilio jam indicto, veteris Ecclesiæ severiorem disciplinam, ac speciem non labefactandam, aut deformandam eam, quæ cum paucissimorum hominum religione nititur, tum pauciorum multo honestate ac moribus agnoscitur ; nec spargenda Christianis principibus odiorum semina, nec objiciendam Petri Principis Apostolorum naviculam majoribus prope fluctibus, quam unquam ulla majorum nostrorum memoria, objecta sit, nec si ab eo Concilio, quod magnopere expetivisset interclusis itineribus arceri oportuisset, regem perpetuo suo sensu non modo nomine Christianissimum, cujus cum tanta majorum beneficia in Ecclesiam existant, ipsa in communi fidei atque religionis causa nec hæserit unquam, nec offenderit, nec titubarit ullo modo, nec animo futurus sit unquam ab Ecclesiæ Catholicæ rationibus alieno : se facere non potuisse, quin apud illius Sanctitatem, apud sacrum cardinalium collegium dolorem suum exponeret, ac vere et ex animo conquereretur, illudque tum querendo, tum precando postularet, ne alienum existimarent, aut suo, aut majorum suorum more, quod deprecaretur, quædam, hoc est, ut nunc loquimur, protestaretur ipse, quomodo quidem omnino protestatus est, sicut ab ipso sibi jure permissum esse non ignorabat, videlicet ne ipsi gravissimis bellicorum motuum difficultatibus implicato necesse esset Tridentum ad Concilium mittere suæ ditionis episcopos, quippe quibus nec liber nec tutus eo pateret accessus, neve id ipsum Concilium, a quo excluderetur invitissimus, Generale totius Ecclesiæ Catholicæ aut haberetur aut appellaretur ; quin potius privatum existimaretur Concilium, quod videretur illud quidem quæsitum et expetitum non reformandæ, restituendæque disciplinæ, nec sectarum comprimendarum studio, sed quibusdam obsequendi, quorum privatæ utilitatis magis quam publicæ ratio inita esse videretur.

« Denique neque Concilii hujusmodi, eorumve decretis, aut ipse, aut populus Gallicus, aut ulli Gallicæ Ecclesiæ ministri in posterum tenerentur : imo vero se testari palam, ac denuntiare, ad eadem se remedia ac præsidia descensurum, si necesse videretur, quibus majores sui Francorum reges in re consimili causaque uti consuevissent ; nec sibi quidquam antiquius fore, secundum fidei ac religionis integritatem, libertate et incolumitate Ecclesiæ Gallicæ ; nihilominus hoc se profiteri : tamen

non hæc ita a se dici, quasi aut cogitaret ullo modo, aut haberet in animo meritam ac debitam a se Sanctæ Sedi Apostolicæ observantiam, et obediendi conditionem aut excutere, aut imminuere : contra operam daturum esse ut magis ac magis in dies se dignum præberet hoc Christianissimi regis cognomine : hoc maximi Ecclesiæ filii elogio animi hujus sui, ac studii propensionem ad feliciora melioraque tempora reservari, cum scilicet hoc humano generi, ac præcipue reipublicæ Christianæ hoc sui ipsius, ac populi totius Galliæ votis Dei Optimi Maximi gratia tribuisset, ut honeste depositis armis, quæ essent parum modeste illata, motiones animi componerentur, et hoc modo pax ipsa conveniret. Se præterea supplicare cum ab ejus Sanctitate, tum ab ipso sacro collegio postulare, uti ne moleste ferant, si suam ipse professionem, instaurationem, denuntiationem, deprecationem in Acta referri peteret, sibique Instrumenta his de rebus publice fieri, quibus quoties aut tempora, aut res suæ poposcissent, uti posset, ad superiorum omnium fidem, sibique ne ad singula responderetur, rogare, ut his de rebus omnibus cæteros Christiani nominis principes, populos, civitates liceret certiores facere. Nunc itaque, sanctissimi patres, cum vobis promptum sit ac facile, nedum Christianissimi regis animum, et explicatam apertamque facti consiliique sui mentem perspicere, potestis statuere, ne hunc ordinis istius conventum ab illo sperni, nec auctoritatem gravitatemque magni fieri, sed præreptam potius hujus celebrandi facultatem, quod vos ita accepturos confidit, ornatissimi patres, ut nec de illius religione dubitare possitis, nec de animo erga vos, totamque Ecclesiasticam administrationem secus ac commodum est judicare. In quo vestro judicio adversus malevolorum et iniquorum hominum sermones satis sibi præsidii esse putat, satis adversus sugillatores argumenti, ut simul acquiescat et innocentiæ suæ conscientia, et recordatione officiorum suorum.

« Henry ».

« Cujus quidem scripturæ lectione absoluta, statim promotor sacri Concilii interposuit infrascriptam protestationem, quam clara et alta voce legit sub tenore, qui sequitur :

« Sacrosancta Œcumenica et generalis Synodus in Spiritu sancto legitime congregata intendens consulto et mature, ac causæ cognitione adhibita, et publica Sessione, prout vos facere elegistis, necnon ipsius negotii qualitas requirit, vobis respondere, monet vos ut ad audiendam et recipiendam responsionem hujusmodi prima proxima futura Sessione, quæ erit XIII mensis Octobris proxime venturi coram ipsa Synodo comparere omnino debeatis, dum Christianissimus rex vester in suis litteris affirmat, in civitate Tridentina adesse Concilium, acceptat admittitque libenter. Personam vero vestram pro legitima, et omnia alia per vos dicta non admittit, nisi si et in quantum de jure id facere tenetur ; protestans nihilominus nullum interea ipsi sacrosanctæ Synodo, ac prosecutioni ipsius Concilii, etiam per quæcumque per vos acta et gesta præjudicium generari : ac interim prohibet omnibus notariis, ut Instrumentum istius actus vobis aut alicui tradant, nisi una cum adjectione suæ responsionis, quam die supradicta vobis tradere parata est ; ac sine sui notariis subscriptione ; alias protestatur de nullitate ». Deinde cantato hymno consueto, benedicta sancta Synodo, Patres dimittuntur.

Interfuere illi Sessioni [1] inter alios Moguntinus et Treverensis principes electores, iidemque archiepiscopi.

33. Ex his refellas Jacobum Augustum Thuanum præsidem Parisiensem [2], qui affinxit oratori regio hanc orationem hæretico veneno imbutam.

« Hoc est, Patres, quod præcipue regis Christianissimi animum urit, hoc est quod maxime ad suam et universæ Ecclesiæ injuriam pertinere arbitratur, quod eo tempore Concilium coegerit Pontifex, quo conjunctis cum Cæsare copiis ipsum bello oppugnat, ne videlicet Gallicæ Ecclesiæ præsules eo convenire possint, quorum salutaribus sententiis ac consiliis, tam in caput quam in membra diligentissime inquiratur, quæ corrupto usu in Ecclesiam irrepserunt emendentur, et emendatis iis quæ in doctrina ac moribus corrupta sunt, publica Ecclesiæ concordia sarciatur : hoc est, inquam, Patres, cujus causa me rex ad vos misit, non ut de injuria sibi facta conqueratur ». Et infra : « Verum sacra profanis misceri, ambitioni religionem, inexplebili aliena invadendi cupiditati pietatem, jus rapinis, fas violentiæ obtendi indignatur, et eo impudentiæ postremo inimicos suos devenisse, ut cum maxime fallunt, cum fucum hominibus faciunt, tunc doctrinæ et morum in Ecclesia emendationem constituere videri velint ; itaque rex Christianissimus, et natu maximus Ecclesiæ filius, his enim titulis a majoribus acceptis merito gloriatur, qui videat secum tam implacate et inique agi cum dissimulationi amplius locus esse non possit, me suo nomine coram vobis, sicuti per suos legatos Romæ jam fecisse scitis, denuntiare jussit, ob excitatum tam iniquum tamque alieno tempore bellum, non licere nec integrum esse ditionis suæ episcopos Tridentum mittere, neque habere hunc consessum pro Œcumenica et legitime congregata Synodo, sed magis, quod litterarum nuper traditarum inscriptio doceat, pro conventu quodam privato, qui non religio-

[1] Diar. Cond. Trid. p. ult. — [2] Jac. Aug. Thuan. hist. l. VIII.

nis ac reipublicæ causa, verum in ambitiosorum quorumdam compendium ex his turbis captantium gratiam sit constitutus; proinde illius decretis, nec se, nec regni sui ordines ullo pacto obligari, contra adhibiturum ea remedia si opus fuerit, quibus majores sui in consimili causa usi fuerint». Fingit nimirum auctor [1] Henricum defectionem interminatum a Pontifice, atque in eum moliturum, quæ Philippus Pulcher adversus Bonifacium VIII, quæ Carolus VI adversus Benedictum XIII Pseudopontificem, quæ Ludovicus XII adversus Julium II egissent. Verum auctor mendacii convincitur manifesti ex Actis Synodalibus. Nulla enim a Jacobo Amiotto regio oratore habita est oratio, sed tantummodo lectum est scriptum regium inclusum litteris, sigilloque obsignatum, cujus seriem ipse penitus ignorabat, eaque de causa pudore suffundi visus est, cum ipsi traditum est, ut illud coram Patribus perlegeret, quo quidem scripto eadem penitus repetita fuere, quæ antea Romæ in cardinalium senatu præsente Julio fuerant perorata; cum vero piis verbis se Apostolicam Sedem debito cultu et observantia prosequi Henricus rex profiteretur, nec tamen indicto a Pontifice Concilio se conjungeret, pugnantia inter se dicere existimatus est: porro Concilii promotor regio oratori edixit, ut responsum ad regias litteras, atque Apologiam in proxima Sessione dandam expectaret. At ille, ut erat jussus, responso non expectato, Tridento se proripuit, atque Henricus rex tertia Septembris die promulgavit, moto a Julio Pontifice bello, Concilium disturbari, Gallosque præsules Tridentum proficisci vetuit. Quodnam vero responsum a Patribus Henrico II Gallorum regi redditum sit, hic attexere visum est, licet illud in fine sequentis Sessionis, undecima Octobris, datum sit, ne eadem repetere subinde cogamur. Hæc vero narrantur in Actis.

34. *Responsio Concilii ad protestationem Henrici.* — Reverendus dominus episcopus Bituntinus legit e suggestu responsum [2], quod sequitur:

« Responsum ad protestationem regis Francorum lectum in publica Sessione die VI Octobris MDLI, et exhibitum ipsius regis oratori.

« Cum in proxima Sessione maximam hæc Sancta Synodus lætitiam voluptatemque cepisset, non solum propter auctoritatem ac Patrum frequentiam, adventum ampliorem Germaniæ præsulum, et eorumdem principum, ac sacri Romani imperii electorum, verum etiam quia a piissimo imperatore, et ex Ungariæ et Bohemiæ regnis a serenissimo Romanorum rege legati viri ornatissimi cum litteris ac mandatis venerant, quæ fuerunt ea ipsa in Sessione recitata; ac per eosdem dies ex litteris duorum clarissimorum regum Lusitaniæ et Poloniæ cognitum fuerat, illos quoque inclytos reges in animo habere legatos suos ad sacrosanctam hanc Synodum mittere: omnes tamen Patres, collaudato imperatoris et illorum regum officio, atque erga sanctam hanc Synodum reverentia, cum meritas Deo gratias egerint, quod post diuturnas tenebras maxima subito lux Christianæ reipublicæ fulsisset, tum minime dubium habuerunt, quin rex Christianissimus pro sua et majorum suorum dignitate, ac religionis studio, suos quoque legatos episcoposque missurus, et insigne quoddam religionis, pacis unitatisque Ecclesiasticæ signum declaraturus. Namque cum omnibus gentibus notum sit, quam egregia Francorum regum merita in rempublicam Christianam extiterint; cumque hunc regem putandum sit, nec pietate erga Deum, neque studio fidei orthodoxæ, neque magnitudine animi quoquam illorum esse inferiorem, quis non existimavit firmum præsidium huic sanctæ Synodo et Catholicæ Ecclesiæ in ejus virtute et auctoritate esse constitutum? Verum cum ipsius nuntius in conventum Patrum processisset, et litteræ ab eo allatæ, una cum scriptura quadam illis adjuncta, recitatæ fuissent, magno mox Synodus dolore et sollicitudine affecta est: quanquam enim modeste admodum scriptæ erant, nec parum reverentiæ, qua ille rex hunc sacrum conventum prosequitur, significationem habeant, tamen inde difficultatem videri objici, unde auxilium expectabatur, quis non et vehementer admiraretur et magnopere doleret? Sed et si propter quosdam causas, opinionesque incommodas regis animum offensum et exulceratum esse apparebat, non propterea tamen sancta Synodus spem de illo pristinam sibi abjiciendam putavit, optimorum enim consiliorum sibi et rectissimæ voluntatis conscientia præter spem, quam in Deo Sacrorum Conciliorum auctore et præside habet maximam, ipsum regem confidit, re pro sua prudentia melius secum perpensa, habiturum esse cum officii ac dignitatis suæ rationem, tum communis Ecclesiæ utilitatis ac salutis; nec plus apud eum auctoritatis et ponderis habitura esse minus recta fortasse quorumdam consilia, quam sanctæ Œcumenicæ, illiusque amantissimæ Synodi hortationes atque monita. Quæ quidem libenter audire, et ejus auctoritate moveri Christianissimus rex debet, memor ejus, quod Dominus dixit: *Qui vos audit, me audit.*

« Ac primum illa, quam rex Christianissimus reticuit, omnino omittenda suspicio est, si qui sunt, qui existiment ab hoc sacro Concilio, non communi Ecclesiæ utilitati, sed privatis alicujus commodis et rationibus inserviri. Etenim quibus de rebus agendum sit, directe præ-

[1] Sfortia Pall. hist. Conc. Trid. l. XII. c. 17. — [2] Ang. Mass. in act. ms. sess. III. Conc. Trid. sub Julio III. Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 56. Ms. card. Pii sig. num. to. 64. p. 308. Ext. etiam in alio Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 240.

scriptum est bonis litteris Summorum Pontificum, quarum alteris Concilium hoc a Paulo Tertio felicis recordationis hujus prædecessore indictum est ; alteris ab hoc ipso Summo Pontifice Maximo in eamdem hanc urbem restitutum. Res autem hæ sunt, extirpatio hæresum, reformatio morum, pax Ecclesiæ. Quæ tandem harum rerum, cum toti Ecclesiæ utilis ac necessaria est, tum ab omnibus piis principibus expectanda et summis studiis juvanda. Hæresis quidem longe lateque non per Germaniam modo, unde orta est, sed per reliquas etiam provincias omnes, non absque miserabili animarum interitu, et maxima divini cultus diminutione pervagatur, corroboratur ea pestis, et in dies latius serpit non sine novarum rerum periculo. Qui tanto malo obviam ire cupiunt, ii proprio cujusque commodo, ac non Dei Optimi Maximi honori, et animarum incolumitati inservire putandi sunt? Vetus illa et sancta majorum nostrorum disciplina jam pridem negligitur, populorum mores depravati atque corrupti sunt, qui Ecclesiasticam disciplinam restituere, qui mores reformare, qui populos ad rectiorem vivendi rationem revocare conantur, privatim hi principi cuidam consultum volunt? Postremo principum discordiis, quis nescit quantas respublica Christiana calamitates acceperit, quibus hoc propositum est, cum Dei honori et animarum saluti prospexerunt, et disciplinam populi ac sacerdotum severioribus legibus astrinxerit, cum æternæ quoque Ecclesiæ paci consulere, et ad componendas regum controversias auctoritatem suam interponere, utrum ii videntur uni alicui obsequi et gratificari cupere, an cum principibus, tum eorum populis regnisque consulere ? Non cadit profecto in hanc sacram Synodum hæc suspicio, aliena est atque abhorrens ab ejus fide, gravitate, constantia. Nec vero existimandum est Patres in ea congregatos, tam longe a sedibus et Ecclesiis suis, tanto suo et suarum rerum incommodo in hanc urbem convenisse, quo cuipiam principi fidem, et religionem, et animas suas addicerent. Illi vero, pro loco, pro munere, pro ministerio, ad quod a Deo vocati sunt, Principi principum Christo primum, deinde ejus Ecclesiæ deservierunt, neque præcipuum alicujus commodum spectant, sed communem Christiani populi utilitatem et salutem intuentur; quod cum principium ipsum jam indicare potuit, tum rerum exitus, Deo juvante, apertius declarabit. Quamobrem movere Christianissimum regem suspicio hæc minime debet, quominus sinat episcopos regni sui huc venire, neque cum huic sacro conventui, tantum in litteris suis tribuat, eumque perhonorifice semper appellet, hujusmodi quippiam debet suspicari.

35. « Quod vero ad eam controversiam attinet, quæ propter urbem Parmam exorta est; non dubitat hæc Sancta Synodus, quin Pontifex Maximus totius sui facti et consilii sui rationem redditurus sit ; ipsis quidem Patribus nihil potest esse optatius, quam ut res ad otium et concordiam deducatur, utcumque autem sit privatum illud negotium, nihil ad hoc publicum pertinet, neque ob eam controversiam Christianissimo regi recusandum censet hæc Synodus, quominus ad sacrosanctum ac Generale Concilium sinat regni sui episcopos venire, pluris enim a tam pio et orthodoxo rege universa Ecclesia facienda est, quam unus ab eo in fidem, et is alienus cliens et stipendiarius receptus : neque Christianissimum regem decet, propter privatam offensionem, officium erga communem matrem deserere, et rem Christianæ reipublicæ maxime salutarem non adjuvare : nam quia accessus huc illis parum tutus esse videtur, propter bellicosos scilicet motus, hac excusatione minime uti licet nunc temporis, qui nec bello domi detinentur, et in locum quietum, et omni tumultu vacuum ad Concilium vocamus, et tuto illuc possunt pervenire.

« At illud fortasse metuunt, ne si forte aliqua de re actum fuerit, quæ illis minus probetur, parum illis libere quod senserint liceat dicere : quod nec illis verendum est : nonne regius nuntius, cum litteras a rege attulisset, illas quidem non nimis huic sanctæ Synodo jucundas, in Patrum consessum admissus est; et cum libere quidquid ei videretur, diceret, attente et patienter auditus est? An vero privato homini tanta libertate, ut permissum fuit, episcopis illo honore, illa dignitate præditis minus libere proferre quod senserint ? illis vero libere loquendi potestas erit, et si venerint, omni honore et studio cum sua, tum regis causa ab omnibus Patribus excipientur, sin autem, quod credere difficile est, muneri atque officio suo defecerint, nequaquam propterea Concilium esse desinet, quod more exemploque aliorum Conciliorum Generalium indictum, et in Spiritu sancto legitime congregatum est, et huc tandem justis de causis restitutum, ubi ex compluribus provinciis episcoporum adventu et concursu quotidie fit frequentius, cujus acta atque decreta sanctæ Apostolicæ et universalis Ecclesiæ auctoritate nitentur : unus enim est Christus, una ejus sponsa, unum corpus, Catholica videlicet Ecclesia, quæ ut illa Domini nostri tunica inconsutilis fuit, ita ipsa singularis est atque unica.

36. « Quod vero testatur rex, atque denuntiat se, si necesse fuerit, ad eadem illa remedia descensurum, quibus majores sui aliquando usi fuerint, adduci non potest hæc sancta Synodus, ut eum ita sentire arbitretur, aut omnino ejusmodi proprium esse facturum : etenim quid tam alienum esset a Christianissimo rege, quam instituta quæ significat, vel ipsius causa

renovare, quæ gravissimis honestissimisque de causis, non sine maximo Francorum regum commodo, fuerunt jampridem abrogata? Quæ porro tanta ejusmodi capiendi consilii necessitas unquam poterit existere? Nonne quodvis subire incommodum satius fuerit, quam tantam nobilissimo illi regno labem aspergere, tanto scandalo Deum Omnipotentem et Ecclesiam Catholicam offendere? quam alienum vero a prudentia Christianissimi regis esset, præter animæ et salutis æternæ periculum, omnibus seipsum commodis beneficiisque privare, tum a Sede Apostolica ante concessis, tum ab hoc ipso Pontifice Maximo tributis? Verum sancta hæc Synodus minime timet, ne rex tam turbulentum consilium atque inutile unquam capiat, nec plus dolori indulgeat, quam obtemperet rationi. Illud potius ab eo expectat, ut Dei honori, Ecclesiæ tranquillitati, animarum saluti consulat atque prospiciat, quibus quidem servire, easque vita ipsa potiores habere omnes debent, in primis tamen qui a Deo constituti sunt reges, atque principes, atque in altiore honoris et dignitatis gradu locati sunt, hoc in illum existant gratiores : sperandumque, quod tam opulentum regnum Dei munere rex adeptus, tantis præterea beneficiis affectus, etiam operam det, ut quam gratissimus in Deum videatur, ac eum charissimæ Christi Domini nostri sponsæ et sanctissimæ omnium nostrum parentis Ecclesiæ diuturnæ miseriæ calamitatesque moveant. Jam pridem vexatur, scinditur, laceratur, crescit in dies malum, et vehementius ingravescit, nulla res amplius dilationem ac moram patitur, cum tandem aliquando sancta hæc Synodus a Spiritu sancto excitata ad ejus salutem incumbere cœperit, numquid Christianissimus Francorum rex Henricus tam piorum et salutarium consiliorum expers sustinebitur, non opem et fidem suam imploranti dexteram porriget, non fulciendis ejus ruinis manum admovebit? Nescio quam aliam occasionem expectabit, cum ille perpetuus Ecclesiæ adversarius aliud minime ipse tempus expectet; sed eam oppugnare, vexare et lacerare non desinat. Absit ut ille rex in tam gravi et necessario tempore desit Ecclesiæ! absit ut tantam quotidie fieri animarum jacturam negligat! Propria hæc quidem episcoporum cura, proprium hoc munus est, Ecclesiæ unitatem tueri et saluti animarum prospicere; verumtamen pii semper hoc reges principesque fecerunt, ut hujusmodi episcoporum conventibus auctoritate et studio adessent, sive civitatum suarum episcopos non ire ad eos solum sinerent, verum etiam hortarentur, legatos mitterent, pietatem denique in eo suam toti terrarum orbi declararent. Hoc idem facere Christianissimum illum regem, et huic sanctæ Synodo amabilem principem oportet, si officio ac muneri suo satisfacere, si se dignum illo eximio præbere cognomine, si Galliarum Ecclesiis, quæ illi charissimæ sunt, studet consulere, si denique patrem suum vult piæ memoriæ regem imitari. Etenim is pro sua præstanti pietate et unitatis Ecclesiæ studio, in hanc ipsam urbem ad Concilium lectissimos regni sui episcopos venire non solum non prohibuit, verum etiam una cum eis legatos viros ornatissimos misit. Et eo magis hoc facere debet, quia jam episcopi Galliarum a Pontifice per litteras de restituto hoc Concilio certiores facti, et ut venirent, ipso sciente et consentiente rege, admoniti fuerunt.

« Quæ cum ita sint, fratres illos suos hæc sancta Synodus amantissime ac studiosissime in Domino hortatur, ut ad ipsam in cursu tam piarum actionum adjuvandam, omissa omni cunctatione, huc se conferant. Quod igitur eorum munus sit, quod officium, quid tanta Ecclesiæ necessitas ab eis postulet, ac potius efflagitet, quid Deo, quid Ecclesiis, quid Summo Pontifici, quid universali Synodo præstare debeant, minime ignorant, ne recusent, a Pontifice Maximo evocati atque admoniti, a fratribus suis et universali hac Synodo expectati, ad res sanctissimas salutaresque gerendas, ad instaurandam religionem, ad reformandos mores, ad pacem et unionem Ecclesiæ constituendam accedere. Regem vero Christianissimum eadem hæc sancta Synodus per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi obtestatur, ut animi sui offensionem ipsi Christo Redemptori nostro velit dimittere, et cæteris rebus omnibus Christianæ reipublicæ commoda anteponere. Interea eos ipsos principes, quos propter hujusmodi moderationem et magnitudinem animi, et ob dissimulatas interdum pacis retinendæ causa graves injurias laudet, imitetur superiores Francorum reges, ac majores suos, quos ob Ecclesiam non solum illorum opibus exornatam, verum etiam armis et corporum suorum oppositu defensam magnis merito laudibus extollit. Memoretur præclari illius sui cognominis, quod ab illis acceptum perpetuo bene de Christiana republica merendo non minus quam regnum ipsum tueri et conservare debet, in quo, si hujus Synodi spei opinionique responderit, et fidelissimis ejus amantissimisque consiliis, maximam ab omnibus laudem et æternum a Deo præmium moderationis et pietatis suæ consequetur. Deus, in cujus manu manus et corda sunt principum, regium animum ad hæc consilia dirigat, quæ et regi gloriosa futura sunt, et Christianæ reipublicæ salutaria.

« Super quo responso Patres omnes rogati etiam singulariter a me secretario, responderunt : Placet; a promotoreque requisitis protonotariis et nuntiis ibi præsentibus. Reliquæ vero ejus Sessionis Acta inferius recensebuntur ».

37. *Impius agendi modus principum Concilio detrahentium.* — Porro Henricus Galliæ rex sua protestatione adversus Tridentinum Concilium illam Caroli V Cæsaris adversus Concilium Bononiense æmulari visus est, hisque protestationibus ii reges arrogare visi sunt sibi eam auctoritatem, ut Concilium Œcumenicum fieri non posset, si ipsi dissentirent, Ecclesiamque subjicere vellent suæ servituti. Quot vero et quanta mala ex hac contestatione manarint, lugeri satis non possunt. Confirmati sunt Lutheranorum animi in pertinacia, adeo ut Saxoniæ dux incautum Cæsarem intercipere molitus sit, Conciliumque anno proximo dissiparit, atque hæresis in Galliam irrepserit, nec crimen inultum Henricus tulit, cum in ipso ætatis flore extinctus sit, ejus stirps ab hæreticis vexata brevi excisa sit, ut suis locis lugendum erit, atque hactenus de Henrici regis protestatione ac responso ei reddito.

In superiore porro Sessione secunda, nulla de fidei dogmatibus decreta promulgavere, sed in diem II Octobris proximam Sessionem tertiam indixere, cum Moguntini et Treverensis archiepiscoporum, qui accesserant, exemplo plures alios præsules venturos sperarent, et capita, de quibus agendum foret, proposuere [1] : « Sacrosancta (inquiunt) Œcumenica et generalis Tridentina Synodus, etc. cum in præteritis Sessionibus de septem Sacramentis novæ legis in genere, et in specie de Baptismo et Confirmatione definitum fuerit, statuit, et decrevit de sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento, necnon quoad reformationem attinet, de reliquis, quæ ad faciliorem et commodiorem prælatorum residentiam pertinent, agi et tractari debere, ac monet et hortatur omnes Patres, ut interim Domini nostri Jesu Christi exemplo, quantum tamen humana fragilitas patietur, jejuniis et orationibus vacent, ut tandem placatus, qui in sæcula sit benedictus Deus, corda hominum ad veræ suæ fidei agnitionem, et sanctæ matris Ecclesiæ unitatem, ac recte vivendi normam reducere dignetur ».

38. *Accedentibus Tridentum septemviris prælatis, spes concipitur melioris exitus.* — De Moguntini archiepiscopi ejusdemque septemviri ad cœtus Tridentinos accessu factus certior Julius magnam cœpit lætitiam, concepta spe res Concilii optimos progressus habituras, eidemque principi subjectis litteris [2] gratulatus est.

« Venerabili fratri archiepiscopo Moguntino, sacri Romani imperii principi electori.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Magno cum gaudio accepimus fraternitatem tuam Tridentum pervenisse, ut indictum a nobis Concilii Œcumenici tempus obeas; speramus enim ejusdem Dei summi clementia, perque tuam et aliorum Catholicorum antistitum prudentiam, consilium, gravitatem, Concilium ipsum optimos progressus habiturum, et tam universæ Dei Ecclesiæ statum, quam Germaniæ populos a calamitosis discordiis et seditionibus respiraturos. Te igitur, frater, pro ea, quæ dies noctesque animum nostrum exstimulat, Catholicam fidem, et Christianam rempublicam in pristinam incolumitatem et dignitatem restituendi cura magnopere hortamur, ut tam pium ac salutare opus constantia tua, ac recta rerum intelligentia adjuves, ac ea, quam sacri Romani imperii elector summam obtinens, auctoritate prosequare, hac enim maxime ratione ab unico et præpotenti Deo certissimum præmium, et ab hac Sancta Sede, et a nobis perpetuam tibi gratiam et favorem promereberis. Datum Romæ apud S. Petrum die VII Septemb. MDLI, anno II ».

Accessisse quoque Tridentum [1] Coloniensem et Treverensem archiepiscopos pro celebrando Concilio ex aliis Pontificis litteris constat.

De his meminit Angelus Massarellus [2] his verbis :

« Ultima Augusti, congregatio generalis, ut de supra agendis decerneretur. Primum autem admittuntur electores imperii , quibus datur locus supra omnes prælatos in sedibus ornatioribus paulo a prælatis disjunctis, e regione oratorum Cæsaris parte dextra aulæ, et sedilium legati et præsidentium. Decernitur deinde die crastino habendam Sessionem et futuram celebrandam ad diem XI Octobris sequentis ».

Accessit etiam inter alios Germaniæ præsules Viennensis episcopus, atque in Concilio doctrinæ magnum specimen explicuit, tum pro vindicanda ab impiorum calumniis argutiisque Sedis Apostolicæ dignitate volumen scripsit, de quo illi a Julio [3] gratiæ actæ fuerunt.

39. *Hæreticorum articuli contra Eucharistiam discutiuntur in Concilio.* — Antequam celebraretur tertia Sessio discussi sunt hæreticorum articuli circa Eucharistiam, quos Angelus Massarellus [4] subjectis verbis conceptos fuisse narrat :

« Cum in sequenti Sessione agendum sit de sanctissimo Eucharistiæ sacramento, illustrissimi domini præsidentes juxta morem hactenus in Concilio observatum proposuerunt discutiendos atque examinandos a Sac. theologiæ professoribus articulos infrascriptos :

« I. In Eucharistia non esse revera Corpus et Sanguinem, neque divinitatem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum ut in signo.

« Hic error est Zuinglii, Œcolampadii et Sacramentariorum.

[1] Acta Conc. sess. XII. — [2] Julii III. lib. brev. V. sign. num. 2884. p. 92.

[1] Lib. V. brev. p. 272. — [2] Ang. Mass. in Diar. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. p. 417. — [3] Julii III. l. V. brev. sig. num. 2884. p. 38. — [4] Ang. Mass. Ms. arch. Vat. sig. num. 3161. p. 37. Post sess. II. sub Julio III. et in Diar. pag. ult.

« II. Exhiberi in Eucharistia Christum, sed spiritualiter tantum manducandum per fidem, non autem sacramentaliter.

« Articulus iste est supradictorum hæreticorum, præsertim Œcolampadii in libello, quem fecit de Eucharistiæ Sacramento cap. XIII et in multis aliis locis : cum enim negent Christum esse revera in Eucharistia, asserunt non posse manducari Christum nisi per fidem, sacramentaliter autem accipi buccellam panis.

« III. In Eucharistia esse quidem Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed simul cum substantia panis et vini, ita ut non sit transsubstantiatio, sed unio hypostatica humanitatis, et substantiæ panis et vini, ita ut verum sit dicere, hic panis est Corpus meum, et hoc vinum est Sanguis meus.

« Martinus Lutherus in suo testamento de altaris Sacramento sic ait : « Profiteor, quod in « eo veraciter Corpus et Sanguis Christi in pane « et vino corporaliter manducatur, et bibitur ». Et in assertionibus sic scribit : « Postquam vidi, « quæ esset Ecclesia, quæ aliter determinasset, « nempe Thomistica, id est, Aristotelica, auda- « cior factus sum, et quid inter saxum et sa- « crum, hærebam. Tandem stabilivi conscien- « tiam meam in sententia priori esse, videlicet, « verum panem, verumque vinum, in quibus « Christi vera Caro verusque Sanguis non aliter « nec minus sit, quam ipsi sub accidentibus « suis pronunt ». Idemque Lutherus, scribens ad regem Angliæ, sic inquit : « Impius et blas- « phemus est, qui dicit panem transsubstan- « tiari ».

« IV. Eucharistiam institutam esse ob solam remissionem peccatorum.

« Hic articulus, ut refert Roffensis, est Lutheri.

« V. Christum in Eucharistiam non esse adorandum, neque festis venerandum, neque in processionibus circumgestandum, neque ad infirmos deferendum, et ejus adoratores esse veros idololatras.

« Lutherus ad Valdenses sic ait : « Dicimus « illos non esse damnandos, nec de hæresi ac- « cusandos, qui Sacramentum Eucharistiæ non « adorant, cum non sit præceptum, neque « Christus in hoc ibi adsit : sed tamen ubique « vides illam adorationem Sacramenti, nec esse « sine periculo ubi fides et verbum non exer- « cetur; quare tutius forsan fuerit cum Aposto- « lis non adorare ». Idem alio in loco ad eosdem ait : « Nullum festum magis odi, quam « festum Corporis Christi », idemque docetur in confessione Augustana.

« VI. Non esse reservandam Eucharistiam in Sacrario, sed statim comedendam, et præsentibus dandam, et aliter facientes abuti hoc Sacramento, neque licere, ut quis seipsum communicet.

« Hæc habentur in libello reformationis ad Colonienses.

« VII. In hostiis, seu particulis consecratis post communionem remanentibus non remanere Corpus Domini, sed tantum ibi esse dum sumitur, non autem ante vel post sumptionem.

« Hic articulus est Lutheri in libello, ut refert Cochlæus, contra eum edito.

« VIII. De jure divino esse, sub utraque specie etiam populum et parvulos communicare, et propterea peccare eos, qui cogunt populum altera specie uti ». In Confessione Augustana cap. de utraque specie sic habetur : « Hic mos « sub utraque specie habet mandatum Domini « (Matth. XVI). *Bibite ex hoc omnes*, ubi manifeste « præcepit Christus, ut de poculo omnes bi- « bant ». Item Lutherus de formula Missæ sic ait : « Si quo casu Concilium statuerit, minime « omnium vellemus utraque specie potiri, imo « tunc primum in despectum Concilii vellemus, « aut una tantum, aut neutra, aut nequaquam « utraque potiri. Ac placet eos anathema ha- « bere, quicumque talis Concilii potiretur utra- « que, cum id habeamus de jure divino.

« IX. Non contineri sub altera specie quantum continetur sub utraque, neque tantum sumere communionem sub altera specie, quantum sub utraque. Joannes Eckius in disputationibus ait, laicis sub panis specie, ut ipsi loquuntur, aut cum pane utramque Sacramenti partem, et corpus et sanguinem porrigi. Nugæ sunt. Item Lutherus lib. disputationum MDXXXV. « Quid si « ego contra sentiam, me non tantum accipere « sub altera, quantum sub utraque, quia non « totam Christi institutionem, sed solum dimi- « diam accipio.

« X. Solam fidem esse sufficientem ad sumendam Eucharistiam, neque ad id confessionem esse necessariam, sed liberam, præsertim doctis : neque teneri homines ad communionem in Paschate. Lutherus lib. de captivitate Babylonica sic ait : « Verbum promissionis re- « gnare debet in fide pura quæ est unica, et sola « sufficiens præparatio ad Sacramenti sumptio- « nem ». Item serm. de confessione part. III inquit : « Fidele consilium meum est, ut homo « Christianus tempore Quadragesimæ et Pascha- « tis non confiteatur, nec ad Sacramentum eat ». Idem ipse Lutherus asserit in libello de Visitatione Saxonica cap. de Eucharistia.

40. *Modus præfixus theologis in sententiis dicendis.*

« Sententiæ per theologos dicendæ deducantur ex sacra Scriptura, traditionibus Apostolicis, sacris et approbatis Conciliis, ac constitutionibus et auctoritatibus summorum Pontificum, et sanctorum Patrum, et consensu Catholicæ Ecclesiæ. Utantur brevitate, et absti-

neant a superfluis et inutilibus quæstionibus, ac etiam protervis contentionibus. Ordo autem in sententiis dicendis erit talis, ut primo loco dicant missi a sanctissimo D. N., deinde missi ab oratore imperatoris, postea clerici sæculares juxta eorum promotionem, et postremo regulares juxta eorum ordinem ».

Concessa est iis a legato Apostolico, et præsidibus Concilii potestas legendorum librorum prohibitorum, confutandarum hæreseon, et asserendæ veritatis studio. Octava vero die Septembris cœptæ sunt Congregationes theologorum, quæ consecutis aliis diebus octo perductæ sunt. In quibus sententias circa memoratos articulos dixere primum missi a Pontifice Jacobus Laynes Societatis Jesu, Hispanus, Alfonsus Salmeron ejusdem Societatis. Dein missi a Cæsare Joannes Arze clericus sæcularis, Melchior Canus Ordinis Prædicatorum, Joannes de Orthega Ordinis Minorum. Deinde alii. Consensere vero omnes ex memoratis articulis simpliciter damnandos esse, primum, tertium, quintum, sextum, septimum et octavum ; alios vero damnandos cum aliqua declaratione, quam ad singulos eos articulos suis conceptam verbis expressere : quæ omnia postea in decem Congregationibus generalibus sunt expensa, et canones propositi, ut quinta Octobris in examen adducerentur.

41. *Sessio tertia : leguntur et laudantur literæ Marchionis Brandeburgensis.* — Recurrente die undecima Octobris , celebrata est tertia Sessio, in qua solemni ritu peracta re divina, et habita sacra concione, lectæ sunt litteræ Joachim Marchionis Brandeburgensis ad Concilium Tridentinum, quibus redintegrandæ in Germania veteris concordiæ religionis asserendæ, ac disciplinæ instaurandæ cupidissimum se ostendit [1] Concilioque conjunxit :

« Nos Joachimus Dei gratia Marchio Brandeburgensis, sacri Romani imperii archicamerarius et elector, Stetiniæ, Pomeraniæ, Casubiorum et Slavorum, necnon Crosnæ Silesinæ dux, Burggravius Norimbergæ et Princeps Russiæ.

« Fatemur et notum facimus cunctis honorandissimis dominis et amicis nostris, cujuscumque status et conditionis sint, quod cum sacra Cæsarea majestas, dominus noster clementissimus, nobis significarit, quomodo sanctissimus in Christo pater et dominus D. Julius III, divina favente clementia, et sacrosanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ summus Pontifex, dominus noster gratiosissimus Concilium generale Tridentinum kal. Maii præteritis continuandum instituisset, paternaque omni patientia et charitate, quo tandem in nostra Germania jam dudum ortæ, multisque annis alitæ controversiæ religionis, hac via legitima componantur, beataque pax Ecclesiæ Dei, et quies Germaniæ restituatur, promoturum suæ majestati promisisset ; suaque majestas non huic Œcumenico Concilio cum aliis principibus viris et statibus Christianitatis personaliter, vel saltem, si legitime impediremur, per nostros intimos consiliarios et viros bonos pacis publicæ tranquillitatisque sollicitos interessemus, clementer et gratiose admonuerit requisiveritque, nobisque ab ineunte nostri regiminis ætate nihil magis studii curæque fuerit, nihilque magis a Deo Optimo Maximo optemus cupiamusque, quam ut sanctissimum ejus nomen glorificetur, et unanimis Catholica et orthodoxa religio in nostra Germania restituatur, Ecclesiæque Dei ab omnibus malis et perversis dogmatibus repurgentur, et status publicus cum moribus reformetur, nosque cum variis et legitimis ex causis, adversaque corporis valetudine, et quominus personaliter interesse possemus, impediamur : quod propterea intimum et dilectum nobis consiliarium nobilem et doctum virum Christophorum de Straffen, Juris utriusque doctorem, secretariumque nostrum Joannem Hoffmannum cum pleno mandato et potestate in hoc Œcumenico Tridentino Concilio nostro nomine comparendi » et infra, « constituimus et ordinamus, etc. Datum Coloniæ ad Suevum, I die Augusti MDLI.

« JOACHIMUS elector manu propria ».

42. Perlecto eo mandato Christophorus memoratus orator piam orationem subjectis conceptam verbis ad Patres habuit [1] :

« Reverendissime et illustrissime cardinalis sanctissimi D. N. Julii divina providentia papæ III legate, reverendissime et illustrissime cardinalis et princeps Tridentine, reverendissimi et illustrissimi principes electores, clarissimi oratores, piissimi patres sacrosanctæ Synodi, domini observandissimi.

« Quemadmodum magna et incredibilis proculdubio lætitia in omnium piorum animos se effundere deberet, quia post turbulentissimas tempestates, quibus tot annos misere jactata est Christiana religio, tam inopinate spes hæc tranquillitatis affulserit, et reipublicæ fideique Christianæ pristinum decus, auctoritas majestasque hac via legitima per Œcumenicum Concilium restitueretur, ita et illustrissimo principi, et DD. Joachimo Marchioni Brandeburgensi sacri Romani imperii archicamerario , et principi electori Mechliniæ, Pomeraniæ, Casubiorum, Slavorum, necnon Chrosnæ Silesinæ duci, Burgravio Nurimberghæ et Russiæ principi, domino meo generoso, nihil jucundius evenire potuit, quam quod nostræ religionis Christianæ tantis jam totque procellarum injuriis laceram navem ex imminenti naufragio in tutum tandem portum vobis fidelissimis naucleris suo maxime

[1] Ubi sup. p. 45.

[1] Ut sup. sig. num. 3191. pag. Ms. card. Pii to. LXXIV. p. 307.

tempore perduci videret. Igitur suarum partium quoque esse et ad principem Christianum pertinere existimavit, si quantum in se esset, daret operam, ut omnium saluti Dei et religionis pretioso ejus Sanguine asserta, necessaria hæc res ad optatum tandem finem deducatur. Cum ergo optimus, sacratissimus et invictissimus princeps et D. Carolus V, divina favente clementia Romanorum imperator semper Augustus, dominus noster omnium clementissimus, ille domino meo D. Joachimo Marchioni Brandeburgensi, et principi electori significasset, quomodo S. D. N. Julius III divina providentia sacrosanctæ Romanæ Universalis Ecclesiæ summus Pontifex sacrum hoc Œcumenicum Concilium Tridentinum, jam olim a felicis recordationis Paulo III cœptum, primis kal. Maii præteritis Tridenti continuandum instituisset, suaque majestas illustrissimum principem electorem Brandeburgensem, et huic sacro Œcumenico Concilio cum cæteris principibus viris et statibus Christianitatis personaliter, vel saltem, si legitime impediretur, per suos consiliarios et oratores interesse, et sacram Synodum pro viribus promovere, fovere tuerique non gravaretur, admonuisset requisivissetque, nihil quidem illustrissimus princeps elector maluisset, nihil antiquius nihilque dignius putavit, quam hoc pio et Christiano officio, piissimis Cæsareæ majestatis votis obsequi, et præsens Concilio interesse, impeditus tamen adversa corporis valetudine, turbulentissimoque rerum maxime istarum partium statu, quominus hoc ipsum per se præstare possit, nihilominus, ut devotissimum animum suum, propensamque voluntatem erga hanc sacrosanctam Œcumenicam Synodum testaretur, me cum collega meo huc delegavit, jussitque in primis sanctam Synodum suo nomine obsequiose et reverenter salutare, reverendissimis et illustrissimis dominationibus vestris sua obsequia deferre, rogareque, ut sancta Synodus suam illustrissimam dominationem excusatam habere dignetur. Neque vero dubitare debet sancta Synodus me cum collega meo omnia pro conservanda ampliandaque sancti Concilii auctoritate, progressuque et incremento sacrosanctæ Christianæ religionis, pacis, tranquillitatisque publicæ pertinere videbuntur, diligenterque pro viribus facturum, promoturumque, principemque electorem illustrissimum omnia, quæ sancte et sincere, ut principem Christianum et obedientiæ filium Ecclesiæ Catholicæ decet, observaturum, defensurumque, ut hæc omnia ex authentico ejus mandato sacra Synodus perspicere potest. Reliquum est, ut illustrissimum principem electorem, meque cum collega reverendissimis et sanctissimis dominationibus vestris commendem ».

Commendata est a Patribus Joachimi Marchionis Brandeburgensis, qui se ad excipienda Concilii decreta submiserat, pietas, reddito illi responso :

« Responsio sanctæ Synodi ad eosdem oratores.

« Dici non potest, ornatissimi viri, quantam lætitiam huic sanctæ Synodo vester adventus attulerit, quantaque animi voluptate audierit ea quæ a vobis relata sunt. De propenso illustrissimi principis vestri erga ipsam Synodum animo, præsertim de filiali et humili submissione, et de proposito acceptandi et observandi ea quæ a sancta Synodo decerni continget; sperat enim Dei bonitate futurum, ut clarissimus vester princeps, sicuti ea verbo a vobis exponi voluit, ita facto et opere comprobabit, quare et personas vestras benevole et amanter amplectitur, et mandatum per vos exhibitum, quantum de jure debet, admittit.

43. *Concilii decretum et canones circa Eucharistiam.* — Dato eo responso, promulgata fuere in eo Patrum consessu plura decreta de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quæ ob rerum in iis contentarum majestatem, assertamque nitide fidei veritatem contra hæreses, quæ impiæ ignorantiæ tenebris tot populos immerserant, suis concepta verbis adducenda visa sunt :

Decretum de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

« Sacrosancta, Œcumenica et generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ legato et nuntiis, etsi in eum finem, non absque peculiari Spiritus sancti ductu et gubernatione, convenerit, ut veram et antiquam de fide et Sacramentis doctrinam exponeret, ut hæresibus omnibus et aliis gravissimis incommodis, quibus Dei Ecclesia misere nunc exagitatur, et in multas ac varias partes scinditur, remedium afferret; hoc præsertim jam inde a principio in votis habuit, ut stirpitus convelleret zizania execrabilium errorum et schismatum, quæ inimicus homo his nostris calamitosis temporibus in doctrina fidei, usu et cultu sacrosanctæ Eucharistiæ superseminavit, quam alioqui Salvator noster in Ecclesia sua tanquam Symbolum reliquit ejus unitatis et charitatis qua Christianos omnes inter se conjunctos et copulatos esse voluit. Itaque eadem sacrosancta Synodus sanam et sinceram illam de venerabili hoc et divino Eucharistiæ Sacramento doctrinam tradens, quam semper Catholica Ecclesia, ab ipso Jesu Christo Domino nostro, et ejus Apostolis erudita, atque a Spiritu sancto illi omnem veritatem in dies suggerente edocta, retinuit, et ad finem usque sæculi conservabit; omnibus Christi fidelibus interdicit, ne posthac de sanctissima Eucharistia aliter crede-

re, docere aut prædicare audeant, quam ut est hoc præsenti decreto explicatum atque definitum.

44. De reali præsentia Domini nostri Jesu Christi in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento.

« Principio docet sancta Synodus, et aperte ac simpliciter profitetur in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis et vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, vere, realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat, juxta modum existendi naturalem, et ut multis nihilominus aliis in locis sacramentaliter præsens sua substantia nobis adsit, ea existendi ratione, quam et si verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustrata, assequi possumus, et constantissime credere debemus. Ita enim majores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de SS. hoc sacramento disseruerunt, apertissime professi sunt, hoc tam admirabile Sacramentum in ultima cœna Redemptorem nostrum instituisse, cum post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præberet ac suum sanguinem, disertis ac perspicuis verbis testatus est : quæ verba a sanctis Evangelistis commemorata, et a D. Paulo postea repetita, cum propriam illam et apertissimam significationem præ se ferant, secundum quam a Patribus intellecta sunt, indignissimum sane flagitium est, ea a quibusdam contentiosis et pravis hominibus ad fictitios et imaginarios tropos, quibus veritas carnis et sanguinis Christi negatur, contra universum Ecclesiæ sensum detorqueri, quæ tanquam columna et firmamentum veritatis, hæc ab impiis hominibus excogitata commenta, velut satanica, detestata est, grato semper et memori animo præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

45. De ratione institutionis hujus sanctissimi Sacramenti.

« Ergo Salvator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris, voluit effundi, memoriam faciens mirabilium suorum; et in illius sumptione colere nos sui memoriam præcepit, suamque annuntiare mortem, donec ipse ad judicandum mundum veniat. Sumi autem voluit Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur et confortentur viventes vita illius, qui dixit : *Qui manducat me, et ipse vivet propter me :* et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus præservemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ et perpetuæ felicitatis; adeoque Symbolum unius illius corpus, cujus ipse caput existit, cuique nos, tanquam membra, arctissima fidei, spei et charitatis connexione astrictos esse voluit, ut id ipsum omnes diceremus, nec essent in nobis schismata.

46. De excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta.

« Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, symbolum esse rei sacræ, et invisibilis gratiæ formam visibilem, verum illud in ea excellens et singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cum quis illis utitur, at in Eucharistia ipse sanctitatis auctor ante usum est : nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cum vere tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbebat, et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem verum Domini nostri corpus, verumque ejus sanguinem sub panis et vini specie una cum ipsius anima et divinitate existere; sed corpus quidem sub specie panis, et sanguinem sub vini specie ex vi verborum : ipsum autem corpus sub specie vini, et sanguinem sub specie panis, animamque sub utraque, vi naturalis illius connexionis et concomitantiæ, qua partes Christi Domini, qui jam ex mortuis resurrexit, non amplius moriturus, inter se copulantur : divinitatem porro propter admirabilem illam ejus cum corpore et anima hypostaticam unionem, quapropter verissimum est, tantumdem sub alterutra specie, atque sub utraque contineri : totus enim et integer Christus sub panis specie, et sub quavis ipsius speciei parte, totus item sub vini specie, et sub ejus partibus existit.

47. De transsubstantiatione.

« Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, vere esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuo sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis et vini, conversionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, et totius substantiæ vini in substantiam sanguinis ejus, quæ conversio convenienter et proprie a sanctissima Catholica Ecclesia transsubstantiatio est appellata.

De cultu ac veneratione huic sanctissimo Sacramento exhibenda.

« Nullus itaque dubitandi locus relinqui-

tur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant. Neque enim ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum : nam illum eumdem Deum præsentem in eo adesse credimus, quem Pater Æternus introducens in orbem terrarum dicit : *et adorent eum omnes Angeli Dei;* quem Magi procidentes adoraverunt; quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur. Declarat præterea sancta Synodus pie et religiose admodum in Dei Ecclesiam inductum fuisse hunc morem, ut singulis annis peculiari quodam et festo die præcelsum hoc et venerabile Sacramentum singulari veneratione ac solemnitate celebraretur, utque in processionibus reverenter et honorifice illud per vias et loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cum Christiani omnes singulari ac rara quadam significatione gratos et memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plene divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repræsentatur : atque si quidem oportuit, victricem veritatem de mendacio et hæresi triumphum agere; ut ejus adversarii conspectu tanti splendoris, et in tanta universæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati et fracti tabescant, vel pudore affecti et confusi aliquando resipiscant.

48. *De asservando sacræ Eucharistiæ Sacramento et ad infirmos deferendo.*

« Consuetudo asservandi in sacrario sanctam Eucharistiam adeo antiqua est, ut eam sæculum etiam Nicæni Concilii agnoverit. Porro deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, et hunc usum diligenter in Ecclesiis conservari, præterquam quod cum summa æquitate et ratione conjunctum est, tum multis in Conciliis præceptum invenitur, et vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est observatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc et necessarium morem statuit.

De præparatione, quæ adhibenda est, ut digne quis Eucharistiam percipiat.

« Si non decet ad sacras ullas functiones quempiam accedere, nisi sancte, certe quo magis sanctitas et divinitas cœlestis hujus Sacramenti viro Christiano comperta est, eo diligentius cavere ille debet, ne absque magna reverentia et sanctitate ad id recipiendum accedat; præsertim, cum illa plena formidinis verba apud Apostolum legamus : *Qui manducat et bibit indigne, judicium sibi manducat et bibit, non dijudicans Corpus Domini.* Quare communicare volenti revocandum est in memoriam ejus præceptum : *Probet se ipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse; ut nullus sibi conscius mortalis peccati, quamtumvis sibi contritus videatur, absque præmissa sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat; quod a Christianis omnibus, etiam ab iis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuo servandum esse decrevit, modo non desit illi copia confessoris : quod si, necessitate urgente, sacerdos absque prævia confessione celebraverit, quamprimum confiteatur.

49. *De usu admirabilis hujus Sacramenti.*

« Quoad usum autem, recte et sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt sacramentaliter dumtaxat id sumere, ut peccatores; alios tantum spiritualiter, illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viva, quæ per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt; tertio porro sacramentaliter simul et spiritualiter; hi autem sunt, qui ita se prius probant et instruunt, ut vestem nuptialem induti, ad divinam hanc mensam accedant. In sacramentali autem sumptione semper in Ecclesia Dei mos fuit, ut laici a sacerdotibus communionem acciperent; sacerdotes autem celebrantes se ipsos communicarent : qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens, jure ac merito retineri debet. Demum autem paterno affectu admonet S. Synodus, hortatur, rogat et obsecrat per viscera misericordiæ Dei nostri, ut omnes, et singuli, qui Christiano nomine censentur, in hoc vinculo charitatis, in hoc concordiæ symbolo jam tandem aliquando conveniant et concordent, memoresque tantæ majestatis, et tam eximii amoris Jesu Christi Domini nostri, qui dilectam animam suam in nostræ salutis pretium, et carnem suam nobis dedit ad manducandum, hæc sacra mysteria Corporis et Sanguinis ejus ea fidei constantia et firmitate, ea animi devotione, ea pietate et cultu credant et venerentur, ut panem illum supersubstantialem frequenter suscipere possint; et is vere eis sit animæ vita, et perpetua sanitas mentis; cujus vigore confortati, ex hujus miseræ peregrinationis itinere ad cælestem patriam pervenire valeant, eumdem panem Angelorum, quem modo sub sacris velaminibus edunt, absque ullo velamine manducaturi. Quoniam autem non est satis veritatem dicere, nisi detegantur et refellantur errores; placuit sanctæ Synodo hos canones subjungere, ut omnes, jam agnita Catholica doctrina, intelligant quoque, quæ ab illis hæreses caveri vitarique debeant.

50. DE SACROSANCTO EUCHARISTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

« Si quis negaverit, in sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento contineri vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi ac proinde totum Christum : sed dixerit tantummodo esse in eo, ut in signo, vel figura, aut virtute ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, in sacrosancto Eucharistiæ Sacramento remanere substantiam panis et vini una cum Corpore et Sanguine Domini nostri Jesu Christi ; negaveritque mirabilem illam et singularem conversionem totius substantiæ panis in corpus et totius substantiæ vini in sanguinem, manentibus dumtaxat speciebus panis et vini ; quam quidem conversionem Catholica Ecclesia aptissime transsubstantiationem appellat; anathema sit.

CANON III.

« Si quis negaverit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ sub unaquaque specie, et sub singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, peracta consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse Corpus et Sanguinem Domini nostri Jesu Christi, sed tantum in usu, dum sumitur ; non autem ante, vel post ; et in hostiis seu particulis consecratis, quæ post communionem reservantur vel supersunt, non remanere verum Corpus Domini ; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus provenire; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum unigenitum Dei Filium non esse cultu latriæ etiam externo adorandum : atque ideo nec festiva peculiari celebritate venerandum ; neque in processionem secundum laudabilem et universalem Ecclesiæ sanctæ ritum, et consuetudinem solemniter circumgestandum, vel non publice ut adoretur, populo proponendum, et ejus adoratores esse idololatras ; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reservari, sed statim post consecrationem adstantibus necessario distribuendum ; aut non licere, ut illa ad infirmos honorifice deferatur ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantum manducari, et non etiam sacramentaliter et realiter ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis negaverit omnes et singulos Christi fideles utriusque sexus, cum ad annos discretionis pervenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum, juxta præceptum sanctissimæ matris Ecclesiæ ; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti se ipsum communicare ; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ; anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indigne, atque ideo in mortem et condemnationem sumatur, statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis, quos conscientia peccati mortalis gravat, quantumcumque etiam se contritos existiment, habita copia Confessoris , necessario præmittendam esse confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare, vel pertinaciter asserere, vel etiam publice disputando defendere præsumpserit, eo ipso excommunicatus existat ».

51. Dirimendæ superarent quatuor aliæ controversiæ ad Eucharistiam spectantes. « An necessarium sit ad salutem et divino jure præceptum, ut singuli Christi fideles sub utraque specie ipsum venerabile Sacramentum accipiant, et non minus sumat, qui sub altera, quam qui sub utraque specie communicat? et an erraverit sancta mater Ecclesia laicos et non celebrantes sacerdotes sub panis specie duntaxat communicando? et an parvuli etiam communicandi sint? » Verum cum in iis discutiendis controversiis Protestantes audiri vellent , Concilium, dissolvendi schismatis et hæreseos extinguendæ percupidum, tuti et liberi commeatus syngrapham iis transmisit, ac vigesimum quintum diem Januarii indixit, quo de iis ageretur.

52. *Decretum de reformatione circa causas Ecclesiasticas.* — In eadem decima tertia Sessione promulgatum est decretum de instauranda disciplina Ecclesiastica , ac in primis jussi præsules virtutum prælucere exemplo, ac

severitatem in delinquentes distringere benignitate temperatam, tum ad provocationum diffugia intercludenda hæc sancita sunt :

« In causis visitationis et correctionis, sive habilitatis et inhabilitatis, necnon criminalibus ab episcopo, seu illius in spiritualibus vicario generali ante diffinitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocumque gravamine non appelletur, nec episcopus, seu vicarius appellationi hujusmodi, tamquam frivolæ deferre teneatur, sed ea, ac quacumque inhibitione ab appellationis judice emanata, necnon omni stylo et consuetudine etiam immemorabili contraria non obstante, ad ulteriora valeat procedere, nisi gravamen hujusmodi per diffinitivam sententiam reparari, vel ab ipsa diffinitiva appellari non possit, quibus casibus sacrorum et antiquorum canonum statuta illibata persistant ».

De sacerdotibus, qui ob immania crimina sacerdotali jure exauctorandi sunt, constitutum, ut cum episcoporum numerus sacris canonibus definitus commode cogi non possit, vel abbates mithrati totidem, vel alii scientia conspicui Ecclesiastici una cum episcopo, vel ejus vicario intersint ; de causis demum episcoporum hæc promulgata : causæ episcoporum cum pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur.

53. *Discutiuntur articuli hæreticorum de Sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ-Unctionis.* — Celebrata superiori Sessione [1], cum juxta ejus decretum de Sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ-Unctionis agendum esset, illustrissimi dominus legatus et præsidentes die xv Octobris exhibuerunt theologis discutiendos articulos infrascriptos :

« I. Pœnitentiam non esse proprie Sacramentum ad reconciliationem pro lapsis post Baptismum a Christo institutum ; nec recte a Patribus secundam tabulam post naufragium appellari : sed Baptismum vere esse ipsum Sacramentum Pœnitentiæ.

« Iste articulus asseritur a Calvino in sua institutione cap. xxix, item a Melancthone.

« II. Non esse tres Pœnitentiæ partes, Contritionem, Confessionem et Satisfactionem ; sed duas tantum, terrores scilicet incussos conscientiis agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio vel absolutione, qua credit quis per Christum esse remissa peccata.

« Asseritur iste articulus a Melancthone disputatione de partibus Pœnitentiæ. Item in Confessione Augustana Artic. xii. Item in Apologia et Locis communibus ; et Calvinus capite ix numero 4, item Brentius et Lutherus.

« III. Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum non præparare ad gratiam Dei, nec remittere peccata, sed potius efficere hominem magis peccatorem, eamque Contritionem dolorem esse exactum et non liberum.

« Hic articulus est Melancthonis in disputatione de summa doctrina Pœnitentiæ ; item Lutheri Sermone de Pœnitentia.

« IV. Confessionem sacramentalem secretam juris divini non esse, nec apud antiquos Patres ante Concilium Lateranense ejus factam fuisse mentionem, sed publicæ tantum pœnitentiæ.

« Articulus iste asseritur a Melancthone in Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Confessione ; item a Calvino cap. ix. num. 19, 20, 21, 23, 27, 29. Item a Luthero, ut citatur a censura Parisiensi.

« V. Enumerationem peccatorum in Confessione non esse necessariam ad illorum remissionem, sed liberam, et tantum hac ætate utilem ad erudiendum pœnitentem et consolandum : et olim fuisse ad satisfactionem canonicam imponendam. Nec necessarium esse confiteri omnia peccata mortalia, ut puta, occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta : sed neque ullas circumstantiias peccatorum, quas homines otiosi excogitarunt, velleque omnia confiteri, esse, nihil relinquere divinæ misericordiæ ignoscendum, imo, neque licere confiteri venialia.

« Iste articulus est Lutheri in visitatione Saxonica cap. de Confessione. Item ejusdem in disputatione habita anno mdxx, et citatur a censura Parisiensi. Item lib. de Ratione confitendi. Item de Captivitate Babylonica. Item Melancthon in Locis communibus. Item Calvinus in Institutione sua. Item Bucerus in Reformatione pro Coloniensibus.

« VI. Confessionem omnium peccatorum, quam Ecclesia faciendam præcipit, esse impossibilem, traditionemque humanam a piis abolendam, neque confitendum esse semper Quadragesima.

« Assertio hæc est Lutheri in Libro de Captivitate Babylonica ; item in suo Testamento ; item in Assertionibus ; item Calvini cap. ix, n. 28. Item Melancthonis in locis communibus.

« VII. Absolutionem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi, remissa esse peccata confitenti, modo credat se esse absolutum, etiamsi non sit contritus, aut sacerdos non serio, sed joco absolvat ; imo etiam sine confessione peccatoris sacerdotem eum absolvere posse.

« Hic articulus asseritur a Luthero in suis Assertionibus. Item Melancthon in Apologia et Cathechismo. Item a Luthero in responsione ad

[1] Acta Ms. Conc. Trid. post sess. iii. sub Julio III. Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 80. Et aliud Ms. sig. num. 3209.

ejus condemnationem factam a Leone papa X. Item a Calvino cap. IX, num. 25.

« VIII. Sacerdotes non habent potestatem ligandi et solvendi, nisi Spiritus sancti gratia et charitate sint præditi, et non eos solos esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christianis esse dictum : *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in cœlo*, etc. Quorum verborum virtute absolvere possunt peccata, publica quidem per correctionem, si correctus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem.

« Auctor hujus articuli est Lutherus in Responsione ad condemnationem factam a Leone X, item in Captivitate Babylonica.

« IX. Absolutionis ministrum, etiamsi contra prohibitionem superioris absolvat, vere nihilominus absolvere a culpa et coram Deo. Ideo casuum reservationem non impedire absolutionem, nec episcopos habere jus eos sibi reservandi, nisi quoad externam politiam.

« Articulus iste est Lutheri in Disputatione habita MDXVIII, et Melancthonis in Apologia Confessionis Augustanæ cap. de Confessione et Satisfactione.

« X. Totam pœnam et culpam simul remitti semper a Deo, Satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse, ideoque satisfactiones canonicas quondam exempli causa, vel disciplinæ, vel probandi fideles causa, fuisse a Patribus institutas, et in Concilio Nicæno exortas, nunquam autem ad remissionem pœnæ.

« Hic articulus est Lutheri, ut citatur a censura Parisiensi. Item idem de Visitatione Saxonica cap. de Justificatione. Item Melancthonis in Apologia Confessionis Augustanæ. Item Calvini capite IX, num. 50.

« XI. Optimam pœnitentiam esse novam vitam, pœnisque temporalibus a Deo inflictis minime satisfieri, sed neque voluntarie susceptis, et jejuniis, orationibus, eleemosynis et aliis bonis operibus non præceptis a Deo, quæ supererogationes censentur.

« Hæc assertio est Lutheri in sermone de Pœnitentia, et Melancthonis in Confess. Augustana. Item ejusdem in Locis communibus cap. de Satisfactione, ac etiam Calvini cap IX, num. 44, 48, 49.

« XII. Satisfactiones non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia et vero Dei cultu, atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes, et fictiones esse, quod virtute clavium æterna supplicia in pœnas temporales convertantur, cum illorum non sit munus pœnas imponere, sed absolvere.

« Articulus iste asseritur a Melancthone in Apologia Confess. Augustanæ, et ejusdem in Locis communibus cap. de Satisfactione, item in disput. de Partibus Pœnitentiæ : item a Calvino cap. IX num. 13, 39 et 42.

54. DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

« I. Extremam-Unctionem non esse Sacramentum novæ legis a Christo institutum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum.

« Hic articulus est Lutheri in Lib. De Captivitate Babylonica. et Melancthonis in Apolog. Confess. August. cap. de numero et usu Sacramentorum. Item asseritur a Calvino et Bucero.

« II. Extremam-Unctionem non conferre gratiam neque remissionem peccatorum, sed neque alleviare infirmos, qui olim per gratiam curationum sanabantur ; atque adeo cum primitiva Ecclesia cessasse, sicut et gratiam curationum.

« Articulus iste est Melancthonis in Locis communibus, et in Apologia Confessionis Augustanæ, de numero et usu Sacramentorum, et etiam Calvini.

« III. Extremæ-Unctionis ritum et usum non servari ab Ecclesia Romana juxta beati Jacobi Apostoli sententiam ; ideoque eum mutandum esse, posseque a Christianis absque peccato contemni.

« Hæc assertio est Lutheri in suo Testamento, et Calvini cap. 19. disserentis de Extrema-Unctione, et Melancthonis in Locis communibus.

« IV. Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem, presbyterosque Ecclesiæ, quos beatus Jacobus adducendos ad infirmum ungendum hortatur, non esse sacerdotes ab ipso ordinatos, sed ætate seniores in qualibet communitate.

« Assertio hæc repetitur a Melancthone in locis communibus, et Apol. Augustan. et Calvino cap. XIX.

« Sententiæ per theologos dicendæ deducentur ex sacra Scriptura, traditionibus Apostolicis, sacris et approbatis Conciliis, summorum Pontificum et sanctorum Patrum constitutionibus et auctoritatibus, ac consensu Ecclesiæ Catholicæ. Sint breves, ne vagentur per inutiles quæstiones, fugiantque protervas contentiones ».

55. Habita est XX Octobris [1] theologorum Congregatio, in qua illi articuli excussi sunt, tum in aliis Congregationibus consequentibus decem diebus coactis, at primo loco missi a Pontifice Laynes ac Salmeron societatis Jesu, secundo missi a Cæsare, tertio Lovanienses missi a Maria regina Hungariæ vidua, quarto missi ab Augustano et Tridentino cardinalibus, quinto missi ab imperii electoribus, sexto cle-

[1] Ms. sig. num. 3181. p. 83.

rici sæculares, qui sunt apud præsules, octavo regulares sententias [1] dixere.

Communi vero eorum consensu adnotationes quædam in eos articulos conscriptæ fuere, quæ omnia adducta sunt in Congregationibus prælatorum [2], qui septem dierum flexu bis in die convenerunt.

Decima sexta Novembris proposita est prima formula doctrinæ de Sacramentis Pœnitentiæ, et Extremæ-Unctionis in prælatorum ad id constitutorum Congregatione, expensique iterum duodecim articuli Lutheranorum circa Sacramentum Pœnitentiæ, et quatuor circa Sacramentum Extremæ-Unctionis, qui postea in publica Sessione damnati fuere.

56. *Sessio quarta : declarationes et canones de Pœnitentia et Extrema-Unctione.* — Quarta Sessio [3] sub Julio III Pontifice celebrata est die vigesima quinta Novembris, in qua de Sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ-Unctionis, ac disciplina collapsa restituenda actum est, ac in primis necessitas et institutio Sacramenti Pœnitentiæ divinis oraculis demonstrata. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis.* Et rursus : *Quorum remiseritis peccata remittentur eis, etc.* tum plura addita de iis, in quibus Baptismus et Pœnitentia differant, ac demum fuit ita pronuntiatum : « Est hoc Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum ad salutem necessarium, ut nondum regeneratis ipse Baptismus ». Sanxere Patres tertio capite, formam Sacramenti Pœnitentiæ consistere in iis verbis a piaculario sacerdote prolatis, *ego te absolvo;* et quibus pie conjunguntur piæ preces ab Ecclesia institutæ, quæ tamen non conflant ipsam formæ essentiam : materiam vero Sacramenti esse ipsius pœnitentis actus, contritionem, confessionem et satisfactionem, quæ ad perfectam peccatorum expiationem ex institutione exiguntur; effectum vero ejusdem Sacramenti esse reconciliationem cum Deo, et internam pacem, sacram lætitiam, qua Spiritus sanctus pias mentes perfundere solet.

De Contritione pronuntiatum est capite quarto contra Lutheranum dogma, eam non esse tantummodo abstinentiam a crimine, sed etiam commissi criminis dolorem atque odium, et vitæ sanctioris inchoandæ firmam voluntatem ex vaticinio Ezechielis : *Projicite a vobis omnes iniquitates vestras, in quibus prævaricati estis, et facite vobis cor novum et spiritum novum.* Addidere etiam si aliquando perfectus contritionis actus eliciatur sine usu Sacramenti, includi in eo actu necessario votum Sacramenti. Declaravit etiam Synodus, attritionem imperfectam, quæ ex peccati turpitudine, et terrore inferni, vel pœnarum metu concipitur, non esse hypocrisim nefariam, sed Dei donum atque afflatum Spiritus sancti, nondum quidem inhabitantis in attrito, sed illum comparantis ad divinam gratiam in Sacramento consequendam. Vindicavit etiam Catholicos scriptores a calumnia ipsis affcta, quasi doceant sine prævio Spiritus sancti motu gratiam suscipientibus Sacramentum conferri, eosdemque hæreticos falso et impie jactare, contritionem esse extortam et coactam, non liberam et voluntariam promulgavit.

57. De Confessione decretum est capite quinto integram peccatorum confessionem omnibus post Baptismum lapsis jure divino præceptam esse ac necessariam; cum Christus cœlos conscensurus sacerdotes sui vice præsides ac judices constituerit, quibus a lapsis fidelibus lethalia peccata deferantur, ut de iis vel remittendis vel retinendis sententiam decretoriam proferant; cum stet, hoc judicium causa incognita exerceri non posse, nec æquitatem juris in pœna infligenda servari, si in genere tantum, ac non in specie et numero deferantur; propter eaque accurate ac diligenter discutiendos esse conscientiæ sinus, atque omnia peccata lethalia occulta, etiam animo et cupidine tantum concepta, contra duo ultima Decalogi præcepta, quæ sæpius magis lethali ac periculoso vulnere quam manifesto animas conficiunt, nec dignoscuntur facile, ac difficilius in memoriam revocantur.

58. De venialibus noxis sancitum est, eas pie exprimi posse piaculario sacerdoti, non tamen necessario, quia aliis piis operibus deleri possunt : verum lethalia crimina, quæ memoriæ occurrunt, etiam sola mente concepta, quia filios iræ et Dei inimicos homines constituunt, cum verecunda confessione promenda, veniamque a Deo demisse poscendam : Si qui vero aliqua silentio premant, divina misericordia indignos reddi : si quæ vero diligenti adhibito examine e memoria exciderint, ut eadem confessione inclusa a divina misericordia remitti : pro quibus orabat Propheta, *ab occultis meis munda me.* Damnati deinde sunt, qui arcanam sacramentalem Confessionem, quæ semper in Ecclesiæ Dei continuo usu viguit, ut humanum commentum traducere non perhorrescunt : morem autem a Concilio Lateranensi tantum inductum fuisse, ut Quadragesimali tempore, pro celebrando rite Paschate, peccata Sacramentali confessione expientur.

De ministro hujus Sacramenti cap. VI promulgatum est, solis episcopis et sacerdotibus jus remittendi, vel retinendi peccata collatum a Christo, atque ab iis rite consecratis judiciariam sententiam ferri.

Addidit Synodus cap. VII [1] absolutoriam

[1] Ext. eorum sententia in Ms. Vat. sig. num. 3209. p. 187. Ms. sig. num. 3191. Ibid. p. 84. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3209. p. 175. — [3] Ibid. c. 2.

[1] Conc. Trid. sess. XIV. de doctr. pœnit. c. 7.

sacerdotis sententiam non valere nisi erga eos, in quos obtineat jurisdicundi auctoritatem, vel ordinariam, vel subdelegatam, atque ad disciplinam Ecclesiasticam adstringendam vetere more atque sanctorum Patrum instituto, atrociora crimina, maximeque illa, quibus anathema intentatum est a Pontifice summo, vel a præsulibus, eorum judicio reservari, ut veniæ difficultas a flagitio deterreat : « Magnopere, inquit, ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctissimis Patribus nostris visum est, ut atrociora quædam et gravia crimina non a quibusvis, sed a summis dumtaxat sacerdotibus absolvantur. Unde merito Pontifices Maximi, pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores, suo poterunt particulari judicio reservare; neque dubitandum est quando omnia, quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc ipsum episcopis omnibus in sua quaque diœcesi, in ædificationem tamen, et non in destructionem, liceat pro illis in subditos tradita super reliquos inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quoad illa, quibus excommunicationis censura annexa est ».

Adjecit tamen hanc exceptionem Synodus, in extremo vitæ discrimine traditam omnibus sacerdotibus potestatem absolvendi ab omnibus peccatis, censurisque Ecclesiasticis quibus fuerint peccatores illaqueati.

59. De satisfactione sancitum est, falsam esse, et a divinorum oraculorum veritate abhorrentem eam opinionem, quæ astruit culpam remitti non posse, nisi etiam omnis pœna illi debita condonetur : convinci enim eum errorem Geneseos III, II Regum XII, et Num. 11 et 20 ac longe disparem esse rationem illius, qui in Baptismate culpæ et pœnarum remissionem liberam adipiscitur; et illius, qui sacro Baptismo Christo insitus, libere ac turpissime dæmonis servituti se addixit, atque ex anima Spiritum sanctum dispulit : atque adeo placandam divinam justitiam pœnitentiæ operibus : tum additur : « Neque vero ita nostra est satisfactio hæc, quam pro peccatis nostris exsolvimus, ut non sit per Christum Jesum : nam qui ex nobis tanquam ex nobis nihil possumus, eo autem cooperante, qui nos confortat, omnia possumus : ita non habet homo unde glorietur, sed omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo vivimus, in quo meremur, in quo satisfacimus, facientes fructus pœnitentiæ, qui ex illo vim habent, ab illo offeruntur Patri, et per illum acceptantur a Patre ». Ex quibus constat imperata a sacerdotibus satisfactione, vim meritorum et satisfactionis Christi non obscurari, nec imminui, ut ganniunt novatores.

Docuit eadem sancta Synodus cap. IX tantam esse divinæ clementiæ erga nos munificentiam, ut non tantum pœnis sacerdotis arbitrio impositis, vel sponte susceptis ad vindicanda peccata, sed etiam temporariis pœnis divinitus inflictis æquo animo toleratis, per Christum apud Deum Patrem satisfacere possimus.

In eadem Sessione de Sacramento Extremæ-Unctionis definitum est a sancta Synodo, illud esse Sacramentum Novi Testamenti a Christo Domino institutum, atque apud Marcum cap. VI, vers. 14 insinuatum, cum de Apostolis dictum : *Et ungebant oleo multos ægros, et sanabant.* A Jacobo vero Apostolo fidelibus commendatum ac promulgatum, cum ait : *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ,* quibus verbis administri hujus Sacramenti designantur, nimirum episcopi vel sacerdotes rite consecrati. Tum subditur, *et orent super eum;* qua voce indicatur forma, quæ per hæc verba exprimitur : *Per hanc sanctam unctionem etc. Ungentes eum oleo in nomine Domini,* in quo dicto significatur materia Sacramenti, nimirum oleum ab episcopo sacra prece lustratum. *Et oratio fidei salvabit infirmum, et alleviabit infirmum, et si in peccato fuerit, dimittentur ei,* his verbis explicatur res, quæ confertur, sive effectus, qui comparatur per hoc Sacramentum, nimirum gratia Spiritus sancti, « cujus unctio (ut loquitur Concilium) delicta, si quæ sint adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, et ægroti animam alleviat et confirmat, magnam in eo divinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus sublevatur, ac morbi incommoda et labores levius fert, et tentationibus dæmonis calcaneo insidiantis facilius resistit, et sanitatem corporis interdum, ubi saluti animæ expedierit, consequitur ».

Concludit ultimo cap. Concilium : si æger suscepto Extremæ-Unctionis Sacramento pristinæ valetudini fuerit restitutus, contracto alio lethali morbo, eodem Sacramento muniri posse : tum damnat calumnias adversus hoc Sacramentum effusas ab hæreticis : « Nulla ratione audiendi sunt, qui contra tam apertam et dilucidam Apostoli Jacobi sententiam docent hanc unctionem vel figmentum esse humanum, vel ritum a Patribus acceptum, nec mandatum Dei aut promissionem gratiæ habentem, et qui illam jam cessasse asserunt, quasi ad gratiam curationum dumtaxat in primitiva Ecclesia referenda esset; et qui dicunt ritum et usum, quem S. R. E. in hujus Sacramenti administratione observat; Jacobi Apostoli sententiæ repugnare, atque adeo in alium commutandum esse; denique, qui hanc Extremam-Unctionem a fidelibus sine peccato contemni posse affirmant; hæc enim omnia manifestissime pugnant cum perspicuis tanti Apostoli verbis ». Demum, qui contra superiorem doctrinam impie sentirent, anathemate defixi sunt a Concilio subjectis verbis :

DE SANCTISSIMO POENITENTIÆ SACRAMENTO.

CANON I.

« Si quis dixerit in Catholica Ecclesia Pœnitentiam non esse vere et proprie Sacramentum pro fidelibus, quoties post Baptismum in peccata labuntur, ipsi Deo reconciliandis, a Christo Domino nostro institutum; anathema sit.

CANON II.

« Si quis Sacramenta confundens, ipsum Baptismum Pœnitentiæ Sacramentum esse dixerit, quasi hæc duo Sacramenta distincta non sint, atque ideo Pœnitentiam non recte secundam post naufragium tabulam appellari; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, verba illa Domini Salvatoris : *Accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, et quorum retinueritis retenta sunt :* non esse intelligenda de potestate remittendi et retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit; detorserit autem contra institutionem hujus Sacramenti ad auctoritatem prædicandi Evangelium; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis negaverit ad integram et perfectam peccatorum remissionem requiri tres actus in pœnitente quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, Confessionem et Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ partes dicuntur : aut dixerit duas tantum esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet incussos conscientiæ agnito peccato, et fidem conceptam ex Evangelio, vel absolutione, qua credit quis sibi per Christum remissa peccata; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, eam Contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem et detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fæditatem, amissionem æternæ beatitudinis, et æternæ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ, non esse verum et utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam et magis peccatorem, demum illum esse dolorem coactum, et non liberum ac voluntarium; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis negaverit Confessionem sacramentalem, vel institutam, vel ad salutem necessariam esse jure divino, aut dixerit modum secrete confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper observavit et observat, alienum esse ab institutione et mandato Christi, et inventum esse humanum; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad remissionem peccatorum necessarium non esse jure divino confiteri omnia et singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita et diligenti præmeditatione habeatur, etiam occulta, et quæ sunt contra duo ultima Decalogi præcepta, et circumstantias quæ peccati speciem mutant; sed eam Confessionem tantum esse utilem ad erudiendum et consolandum pœnitentem, et olim observatam fuisse tantum ad satisfactionem canonicam imponendam : aut dixerit eos, qui omnia peccata confiteri student, nihil relinquere velle divinæ misericordiæ ignoscendum; aut demum non licere confiteri peccata venialia; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, confessionem omnium peccatorum, qualem Ecclesia servat, esse impossibilem, et traditionem humanam a piis abolendam, aut ad eam non teneri omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, juxta magni Concilii Lateranensis constitutionem, semel in anno, et ob id suadendum esse Christi fidelibus, ut non confiteantur tempore Quadragesimæ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem sacerdotis non esse actum judicialem, sed nudum ministerium pronuntiandi et declarandi remissa esse peccata confitenti, modo tantum credat se esse absolutum; aut sacerdos non serio, sed joco absolvat; aut dixerit non requiri Confessionem pœnitentis, ut sacerdos eum absolvere possit; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit sacerdotes, qui in peccato mortali sunt, potestatem ligandi et solvendi non habere : aut non solos sacerdotes esse ministros absolutionis, sed omnibus et singulis Christi fidelibus esse dictum : *Quæcumque ligaveritis super terram, erunt ligata et in cœlo : quorum remiseritis peccata remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt :* quorum verborum virtute quilibet absolvere possit peccata; publica quidem per correptionem dumtaxat, si correptus acquieverit; secreta vero per spontaneam confessionem; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit episcopos non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam po-

litiam; atque ideo casuum reservationem non prohibere, quominus sacerdos a reservatis vere absolvat; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit, totam pœnam simul cum culpa remitti semper a Deo, Satisfactionemque pœnitentium non esse aliam quam fidem, qua apprehendunt Christum pro eis satisfecisse; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit pro peccatis, quoad pœnam temporalem, minime Deo per Christi merita satisfieri pœnis ab eo inflictis et patienter toleratis, vel a sacerdote injunctis, sed neque sponte susceptis, vel jejuniis, orationibus, eleemosynis, vel aliis etiam pietatis operibus, atque ideo optimam pœnitentiam esse tantum novam vitam; anathema sit.

CANON XIV.

« Si quis dixerit satisfactiones quibus pœnitentes per Christum Jesum peccata redimunt, non esse cultus Dei, sed traditiones hominum, doctrinam de gratia, et verum Dei cultum atque ipsum beneficium mortis Christi obscurantes; anathema sit.

CANON XV.

« Si quis dixerit, claves Ecclesiæ esse datas tantum ad solvendum, non etiam ad ligandum, et propterea sacerdotes, dum imponunt pœnas confitentibus, agere contra finem clavium, et contra institutionem Christi, et fictionem esse, quod virtute clavium sublata pœna æterna, pœna temporalis plerumque exsolvenda remaneat; anathema sit.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ-UNCTIONIS.

CANON I.

« Si quis dixerit, Extremam-Unctionem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino nostro institutum, et a B. Jacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum a Patribus, aut figmentum humanum; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, sacram infirmorum Unctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleviare infirmos; sed jam cessasse quasi olim tantum fuerit gratia curationum; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, Extremæ-Unctionis ritum et usum, quem observat S. Romana Ecclesia repugnare sententiæ B. Jacobi Apostoli; ideoque eum mutari posse, atque a Christianis absque peccato contemni; anathema sit. •

CANON IV.

« Si quis dixerit, presbyteros Ecclesiæ, quos B. Jacobus adducendos esse ad infirmos inungendum hortatur, non esse sacerdotes ab episcopo ordinatos, sed ætate seniores in quavis communitate : ob idque proprium Extremæ-Unctionis ministrum non esse solum sacerdotem; anathema sit.

« Promulgatum deinde decretum fuit de emendandis vitiis, moribusque ad sanctiorem vitæ formam revocandis; atque in primis sancitum, ut episcopi, clerici, ac maxime, quibus animarum cura demandata est, vitæ sanctitate ac scientia sint ornati, ne eorum munus in contemptum adducatur, et iis possit illud Propheticum exprobrari, *sacerdotes Dei contaminant sancta, et reprobant legem :* utque subditi superioribus debitum obsequium deferant, ne ad altiorem gradum, vel ordines, vel dignitatem promoveri possint, si a prælatis ob occultum etiam crimen munere pristino sint interdicti.

« De episcopis, qui clero carent, ac titulos in partibus infidelium sitos gerunt, ne sine ordinarii episcopi potestate accepta sacros ordines conferre possint, nec etiam in Ecclesiis vel monasteriis nullius diœceseos, vel exemptis, nisi episcoporum suorum, aut prælatorum litteras commendatitias promovendi ostenderint.

« Ut episcopus quoscumque subditos suos, maxime sacris initiatos, sine præcedente examine, ac minus idoneos a munere sacerdotali obeundo submovere possit. Omnes Ecclesiarum prælati vitiis subditorum castigandis incumbere jussi, rescisso quocumque privilegio reis concesso; sublatæque litterarum conservatoriarum, quibus certi judices ad cognoscendam eorum causam constituebantur, corruptelæ, exceptæ tamen causæ mercedis, et miserorum hominum, necnon xenodochiis, Academiis, collegiis doctorum, et scholarium pristina jura asserta.

« Monachi et clerici vestium decus et honestatem ipsis consentaneam tenere jussi, ac laicalem cultum deponere; ac si ab episcopo moniti non paruerint, muneribus suis ac dignitatibus pelli atque exauctorari jussi.

« Sancitum etiam, ut qui meditato consilio aut structis insidiis homicidium patrarit, ad sacros ordines promoveri non possit, nec ullius sacerdotii stipendiis potiri; qui vero casu, non ex meditato consilio, aut vim vi repellendo, hominem occiderit, proposito casu loci ordinario, aut ex causa metropolitano, aut viciniori episcopo, probata re lege Ecclesiastica, solvi possit.

« Constitutum etiam, ut episcopi animadvertendi in alienos subditos etiam atrocium

criminum reos jus auctoritatemque sibi non arrogent.

« Decretum quoque, ne unius diœceseos Ecclesiæ in alterius diœceseos terminos vel jura transferantur : ne etiam sacerdotia regularium laicis, sed ejusdem Ordinis religiosis conferantur.

« Ad coercendos etiam regulares, qui ex uno Ordine in alium traducti evadunt gyrovagi, pronuntiatum est, ut ab alio prælato excipi non possint, nisi ut in ipso Ordine, ad quem transfertur sub imperio superioris in claustro perpetuo maneat, nec aliquod sacerdotium Parochiale laicum gerere possit.

« De jure patronatus Ecclesiastici nonnulla etiam definita; promulgatumque in proximo consessu habendo vigesima Januarii recurrentis anni proximi de sacrificio Missæ sacrosancto, et de Sacramento Ordinis actum iri.

60. *Articuli hæreticorum de Sacramento Missæ.* — « Post Sessionem IV [1] sub Julio III Pontifice Maximo articuli de sacrificio Missæ et Sacramento Ordinis propositi examinandi theologis, an sint hæretici et per sanctam Synodum damnandi.

« I. Missam non esse sacrificium, nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem sacrificii in Cruce peracti, vocari autem a Patribus translato nomine sacrificium, et vere et proprie non esse, sed tantum Testamentum, et promissionem remissionis peccatorum.

« Hic articulus asseritur a Luthero in captivitate Babylonica, et habetur in Apologia Augustana.

« II. Missam non esse ex Evangelio, neque a Christo institutam, sed inventam ab hominibus; neque eam esse opus bonum aut meritorium, imo in ea committi manifestam et multiplicem idololatriam.

« Assertio hæc habetur in Apologia Augustana, et apud Calvinum et Melancthonem.

« III. Blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto, si quis credat Dei Filium denuo a sacerdotibus in Missis Deo Patri offerri : Christumque pro nobis mystice immolari, et offerri non aliud esse, quam illum nobis ad manducandum dari. Et Christus illis verbis, *hoc facite in meam commemorationem*, non ordinasse, ut Apostoli offerrent Corpus et Sanguinem ejus in sacrificio Missæ.

« Urbanus Reghus contra Eckium, Luther. de Captiv. Babylonica, Bucerus de Reformatione.

« IV. Canonem Missæ erroribus et seductionibus scatere, abrogandum esse, fugiendum non secus ac pessimam abominationem.

« Habetur in Apologia, et apud Zuinglium, et Bulingerum, Melancthonem in libro contra privatam Missam.

[1] Ms. arch. Vat. num. 3191. p. 116.

« V. Missam nec vivis nec mortuis, ut sacrificium prodesse, et impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus et aliis necessitatibus.

« Melancthon in Locis communibus. Calvinus de Cœna Domini et in Apologia, et Lutherus de Captivitate Babylonica.

« VI. Sicut nemo pro alio communicat, vel pro alio absolvitur; sic nec in Missa sacerdos pro alio sacrificium offerre potest.

« Habetur in Apologia Augustana.

« VII. Missas privatas, in quibus scilicet solus sacerdos, et non alii communicant, ante Gregorium Magnum non fuisse, et illicitas esse atque abrogandas, ac cum Christi institutione pugnare, et repræsentare magis excommunicationem, quam communionem a Christo institutam.

« Apologia Augustana et Calvinus de Cœna Domini.

« VIII. Vinum materiam non esse hujus Sacrificii, neque aquam miscendam cum vino in Calice, idque esse contra Christi institutionem.

« Bucerus in Apologia contra Antididagma.

« IX. Ecclesiæ Romanæ ritum, quo secreto et submissa voce verba consecrationis proferuntur, damnandum esse; Missamque nonnisi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debere, imposturamque esse certas certis Missas sanctis attribuere.

« Asseritur a Calvino in libr. de Cœna Domini.

« X. In celebratione Missarum omnes cærimonias, vestes et externa signa, irritamenta impietatis esse magis, quam officia pietatis, et sicut Missa Christi simplicissima fuit, ita quanto Missæ illi primæ omnium Missa vicinior et similior fit, tanto magis esse Christianam.

« Lutherus de Captivitate Babylonica.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

« I. Ordinem non esse Sacramentum, sed ritum quemdam eligendi et constituendi ministros verbi et sacramentorum, imo, quod Ordo Sacramentum sit, figmentum esse humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis.

« Lutherus de Captivitate Babylonica tit. de Ordine. Bucerus lib. Reformation. Calvinus lib. Institutionum, et Melancthon in Locis communibus.

« II. Ordinem non esse unum Sacramentum, nec infimos et modicos Ordines velut gradus quosdam tendere in sacerdotii Ordinem.

« Calvinus in sua Institutione cap. de Ordine Ecclesiastico.

« III. Nullam esse hierarchiam Ecclesiasticam, sed omnes Christianos ex æquo esse sacer-

dotes, et ad usum seu executionem opus esse vocatione magistratus et consensu populi, et qui sacerdos semel sit, laicum rursus fieri posse.

« Lutherus de Captivitate Babylonica, et Calvinus in suis Institutionibus.

« IV. Non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, neque potestatem aliquam spiritualem, sive ad consecrandum Corpus et Sanguinem Domini, sive ad offerendum, sive ad absolvendum coram Deo a peccatis, sed officium tantum et ministerium prædicandi Evangelium, et eos qui non prædicant prorsus non esse sacerdotes.

« Bucerus super Joann. cap. VI, Lutherus de Captivitate Babylonica, Calvinus in Institutionibus.

« V. Unctionem non solum non requiri in Ordinum traditione, sed esse perniciosam et contemnendam, similiter et omnes alias cæremonias, et per ordinationem non conferri Spiritum sanctum, proinde impertinenter episcopos cum ordinant, dicere, *Accipite Spiritum Sanctum.*

« Calvinus c. XVIII suarum Institutionum.

« VI. Episcopos jure divino non esse institutos, neque presbyteris superiores, neque habere jus ordinandi, aut si habent, illis esse commune cum presbyteris, ordinationesque ab ipsis factas sine plebis consensu irritas esse.

« Lutherus de Captivitate Babylonica, Calvinus libro Institutionum, Bucerus libr. Reformationis.

« Qui articuli discussi sunt in Congregationibus theologorum habitis mane et a prandio diebus VII, VIII, IX, X, XI, XII Decembris ».

Decima tertia die Decembris [1], necnon decima quarta, et decima sexta alii theologi veritatem Catholicam contra hæreticorum articulos adversus Sacramentum Ordinis confirmarunt. Die vero decima quinta ejusdem mensis inquiunt Acta :

« Legatus, præsidentes ac Patres omnes, Maximilianum et Mariam, regem et reginam Bohemiæ, qui ex Hispaniis venientes Tridentum die XIII applicuerant, domi visitant, ipseque legatus eadem die a dicto rege domi etiam visitatur. XVIII, XIX, XX, XXI, XXII, XXIV, celebratisque festivitatibus Nativitatis Domini, die XXIX Decembris discussio ipsa absolvitur ».

61. *Insigne prodigium in Germania : vinculo sacramenti inique præstiti Brunswicenses absolvuntur.* — In Germania insigne prodigium plures hoc anno terruit; simulachrum enim Christi in Cruce confixi stupendo sudore quatuor horarum spatio diffluxit, quo miraculo visa est Lutheranorum obfirmata in hæresi pertinacia ac impietas damnari, ut refert Surius [2] his verbis :

« Mensis Martii die XIV in oppido Bernburgensi sub concionem statua Christi in Cruce pendentis magno et stupendo miraculo ad quatuor horas largiter sudavit. Erant qui sudorem illum subinde abstergerent, sed rursus magna copia manavit. Multæ hac nostra ætate dum regnant passim hæreses, statuis et imaginibus injuriæ et contumeliæ petulanter illatæ sunt, nec adhuc cessatur, licet non desint id genus prodigia, quibus possunt importuni homines absterreri. Videntur sibi valde Evangelici, si ab hominum oculis Imagines Christi et Sanctorum removeant, nec pudet eos Judæorum et Turcarum, aliorumque Mahometanorum imitari væcordiam et impietatem, sed hac quoque ratione via sternitur Antichristo ».

Exposuere Pontifici Henricus et Carolus Brunsvicenses, iidemque Luneburgenses duces se insigni Lutheranorum perduellium proditione captos, atque a Philippo Lantgravio in vincula abductos, cumque Carolus Cæsar victoriam de Lutheranis imperii perduellibus reportasset, atque Lantgravius perduellionis reus proscriptus jussus esset Brunsvici principes pristinæ libertati restituere, Lutheranos contra Cæsarea edicta mala fraude usos antequam vinculis eos exsolverent, iniquis pactionibus impie constrinxisse, ne Lutheranæ unquam sectæ obsisterent, ne monasteria, et sacerdotia, vel Ecclesias a Lutheranis repeterent, et sacra vectigalia blasphemis hæreseos buccinatoribus permitterent, tum Brunsvici, tum Goslariæ : quæ pacta conventa dolo et impie extorta Pontifex pronuntiavit, ac sacramenti inique præstiti religione Brunsvicenses duces liberavit, qua de re litteræ XVII die Februarii hujus anni consignatæ.

62. *Osiandri novum dogma de justificatione.* — Inducta est hoc anno inter Lutheranos nova hæresis auctore Andrea Osiandro, qui dum divina oracula pro libito distorquet, commentus est justum eadem justitia fieri justum, qua Deus essentialiter justus est, de cujus impio delirio hoc refert Surius [1] : « Anno MDLI, in Prussia, Andræas Osiander novum de Justificatione dogma e suo cerebro fabricat, videlicet, hominem Christianum eadem prorsus justitia, qua Deus essentialiter justus est, justum esse oportere, hanc vero justitiam homini inseri, etc. Contra hunc, licet alioqui strenuus esset Lutheri propugnator, multi Evangelici aliquot principum et civitatum Lutheranorum præcones acriter scripserunt, sed ita, ut et illi Osiandro, et illis rursus Osiander multas execrandas hæreses impingat. In primis autem Wittembergenses, et in his Melancthonem perstringit, sic illi fratres Evangelici non contenti turbare Ecclesiam Dei, etiam se mutuo lacessere et perturbare non desinunt, et quamvis tam multos haberet Osian-

[1] Ut sup. p. 117. et seqq. — [2] Sur. in Comm.

[1] Surius in Comm. hoc anno.

der contradictores Evangelicos, tamen in suam sententiam pertrahere potuit Albertum Prussiæ principem, qui ejus adversarios, et in his Joachimum Merlinum insignem Evangelicum e suis finibus exegit. Quis non rideat apud infaustos istos rerum novatores Evangelii sui doctrinam toties in novas mutari formas, easque tam diversas, atque inter se mire discrepantes? Sed dolendum maxime est, dum isti ita in rebus gravissimis ludunt, miseræ plebi tam miserabiliter, ac nimium exitiabiliter illudi ».

63. *Buceri mors et variæ opiniones : Mauritius Saxoniæ dux Cæsari infidus.* — Addit idem auctor[1] Bucerum hæresiarcham, qui toties conciliandæ inter Catholicos et Lutheranos concordiæ promotæ a Cæsare obstiterat, metuque Cæsaris in Angliam diffugerat, ne pertinaciæ et impietatis suæ justas daret pœnas, ad divinum tribunal hoc anno raptum, de cujus lascivia et impietate hæc tradit Historia.

« Die XXVII Februarii periit in Anglia Martinus Bucerus monachus apostata, et qui contra omnium sæculorum et Christianarum gentium morem, cum esset sacerdos, ad tertias usque nuptias progressus est. Audivi ego ex quodam gravi longeque doctissimo viro fuisse eum Judæum, et cum quandoque puerum quemdam nescio ex qua fæmina sustulisset, eum circumcidisse. Utrum autem hæc prorsus certa sint non possum affirmare, præsertim quod ille quoque, qui hæc referebat, se ab aliis accepisse diceret ». Fluctuasse Bucerum in fide, ac postquam a vera excidisset, variarum opinionum fluctibus contrariis mire exagitatum fuisse, scribit Sanderus[2] his verbis :

« Post ejus obitum, regnante regina Maria, illustris dominus Baro Pagettus, Catholicorum tunc regum consiliarius dignissimus, testificatus est se præsentem, ac ejus apud Dudlæum ducem Nortumbriæ interpretem fuisse, cum eidem duci suam de reali Corporis Christi in sacramento præsentiam interroganti, ingenue responderit, nullum merito dubitare posse, qui non dubitet de fide Evangelistarum, non tamen is ego (subjecit) qui certo ea omnia credenda existimem, quæ in Novo Testamento de Christo et ejus Actis scribuntur, quanquam nec hactenus aperte negare libuerit. Atque ista homini, quem sciebat non multum de ulla religione esse sollicitum, libere dixit. Cæterum scriptione ac libera professione Lutheranismum ad Anglicanæ sectæ normam aliquantulum modificatum et temperatum usque ad mortem tenuit ».

Redactis sub jugum Magdeburgensibus offusum esse Lutheranis terrorem ingentem, quorum plures concionatores ex urbibus pulsi sunt, quod seditionum faces accenderent, populosque in pervicacia continerent, narrat Surius :

[1] Sur. in Comm. — [2] Sander. de Schism. Angl. l. II. p. 273.

« Augusti die XXVI, Ecclesiæ Augustanæ ministri Evangelici Cæsaris voluntate intra diem tertium ex urbe discedere jubentur, nec usquam omnino concionari intra Cæsaris ditiones. Intra Augustam vetat Cæsar Lutheri dogmata doceri. Eodem modo actum est cum Memmingensibus, et aliis Sueviæ concionatoribus. Erat in iis quidam, cujus Dalila jam proxima esset partui. Is petit sibi copiam fieri uxoris, ut ipse vocabat, invisendæ. Tum Atrebatensis episcopus cum primis eruditus ad suos conversus, uxorem iste vocat, ait, quæ scortum est. Et revera nonnisi scorta, imo scortis pejores sunt, quæ vel sacerdotibus vel monachis junguntur. Horum autem profligatio magnum omnibus ubique terrorem incussit, qui haud dubio idem sibi quoque formidarent, potuissetque hac ratione facile populus misere seductus in viam reduci, expulsis pravis et seditiosis doctoribus, cum ecce in tanta publicæ pacis et tranquillitatis expectatione Galliæ rex Cæsari bellum movet. Mauritius deinde cum Gallo fœdus ferit, eam gratiam pro maximis beneficiis Cæsari rependens ».

Ita cum Germaniæ ad orthodoxæ religionis cultum ab impia Lutheri superstitione revocandæ spes arrideret, repente majores tumultus exorti, Christianam rem in grave discrimen adduxere : perdomiti diuturno bello Magdeburgenses a Mauritio duce Saxoniæ, qui Cæsareo exercitui cum summo imperio præerat, deditionem Mense Novembri nuncuparunt his legibus, quas Surius[1] refert : « Supplices a Cæsare veniam petant, in Austriacam et Burgundicam familiam nihil faciant, cameræ se submittant, Augustano decreto postremo pareant, aureorum quinquaginta millia persolvant in usum fisci pro belli sumptu, tormenta majora duodecim Cæsari tradant, et quædam aliæ duræ satis conditiones adjectæ ».

Nocuit Cæsari hoc bellum per se non administrasse; Lutheranus enim Saxo permisit victis, ut in Lutherano cœno hærerent, qui de impia et delira superstitione defensa adversus Cæsarem inanem gloriolam aucupati sunt, quasi nefanda eorum pertinacia cum Martyrum constantia conferenda esset, nec defuere impii scriptores, qui ipsorum perfidiæ fallacibus verbis fuerint lenocinati, quos graviter refellit Surius : « Nemo sanæ mentis dixerit eos laudem vel gloriam mereri, qui ob pertinaciam et rebellionem proscripti a Cæsare suo exemplo alios quoque ad rebellandum invitent ».

64. *Ecclesiastici septemviri retinentur in Concilio a Pontifice.* — Porro Mauritius princeps cum præsidiarias Magdeburgensium copias ex urbe eductas suo exercitui conjunxisset, parti triumphi gloria elatior nova moliri in Cæsarem

[1] Sur. in Comm. hoc anno. Jac. Aug. Thuan. l. VIII. Natal. Comes. Ludov. Guicc.

cœpit, ad quam defectionem Lutherani concionatores sectæ suæ confirmandæ propagandæque cupidissimi eum variis artibus adversus Cæsarem incitarunt; is vero cum turmas in hyberna duxisset, eæ per Thuringiam et finitima loca dispersæ militari licentia grassari, et varias excursiones agere cœperunt, gravioraque mala Catholicis prædandi cupidine intulerunt, quæ cum Moguntino et Treverensi archiepiscopis relata essent, ii de Tridento ad sua tuenda deserendo cogitarunt, Pontificemque de tota re certiorem fecere. At Julius [1] cum eos motus prudentia atque auctoritate Cæsaris sopitum iri præfideret, coitionesque in Cæsarem conflatas ignoraret, eos præsules ut perstarent Tridenti hortatus est, ne ex eorum, et aliorum præsulum discessu Concilium dissolveretur, eximiaque asserendæ suo splendori Germaniæ contra novatorum fraudes consilia evanescerent. Sumerent interea animos, Cæsareo imperio eos tumultus compositum iri.

« Venerabilibus fratribus Moguntino et Treverensi archiepiscopis, sacri Romani imperii principibus electoribus.

« Venerabiles fratres, salutem, etc. Magnam nuper nobis molestiam attulerunt litteræ dilecti filii Marcelli cardinalis Crescentii legati nostri et venerabilium fratrum prælatorum sacro Œcumenico Concilio præsidentium, per quas certiores facti sumus novos quosdam motus in finitimis fraternitatum vestrarum Ecclesiarum locis, concitatos, ex quibus jam et aliæ Ecclesiæ detrimentis et calamitatibus non mediocribus affectæ fuerint, et ipsis Moguntinæ et Treverensi grave imminere periculum, in tanta tamen ac tam inopinata re, ea nobis occurrit consolatio, quod cum charissimus in Christo filius noster Carolus imperator Augustus unus omnium tam nostra quam Patrum memoria maximus et potentissimus hanc causam non solum communem, sed etiam propriam existimare debeat, ejus opibus, consilio, et auctoritate facile hujusmodi tumultus sedari et extingui posse speramus, ad quam curam eum omnes cogitationes suas conversurum minime dubitamus, cum ut nobilissimæ illius regionis incolumitati consulat, tum ut a suo ipsius imperio hanc tam seditiosarum factionum pestem arceat, quod illi haud quidem difficile fore arbitramur, cum illam nefariam tumultuariorum militum manum, nulla certa ratione subnixam, furere ausam intelligamus, quare per se ipsam dilapsuram, et ejus omnes conatus brevi in irritum casuros facile ut credamus adducimur; vos quidem, fratres, cum ex iisdem litteris accepeperimus in animo habuisse isthinc discedere, ut Ecclesiis vestris opem ferretis, talem divina juvante clementia earum seditionum exitum fore speramus, ut ipsi etiam speretis magnopere hortamur, et quoniam Concilium Œcumenicum vestra in primis præsentia et auctoritate prosperos adhuc habuit progressus, pro singulari prudentia ac pietate vestra cogitetis volumus ne ipsius Concilii, tam exoptati omnibus nationibus, et ab ipsa præcipue Germania efflagitati, et in quo orthodoxæ religionis, atque otii, et tranquillitatis universæ reipublicæ Christianæ stabiliendæ spes certissima reposita esse debet, causam deseratis. Neque enim dubitandum est quin ex vestro discessu, tam sanctum, tam salutare, tam necessarium opus quodammodo titubare incipiat, cum vester adventus ei tantum attulerit adjumenti, atque ut eo libentius permaneatis, et Concilii ipsius Acta securiore animo prosequamini, illud sciatis volumus ad omnem periculi metum funditus tollendum quid facere debeamus moneatis, neque ante unquam desiimus in præsentia nihil a nobis prætermitti neque officii, neque sedulitatis, quo inter Christianos principes pax et gratia reconcilietur, quam immensa præpotentis Dei benignitate ac misericordia, cum in ejus manu sint ipsa regum corda et consilia, brevi successuram confidimus. Quamobrem, si, ut nobis persuademus, fraternitates vestræ publicam Christi Redemptoris nostri, et Catholicæ religionis causam quibuscumque privatis vestris rationibus, quibus etiam absentes, ipso præsertim Cæsare adjuvante, prospicere poteritis, potiorem duxeritis, præterquam quod et ipsius Dei gratiam promerebimini, nobis etiam, qui vos paterne diligimus, vestrumque honorem quantum cum Deo poterimus augere cupimus, plurimum satisfacietis. Hæc erant, quæ pro summa nostra in vos charitate vobis scribenda habuimus, nam illud ut vos admoneamus, supervacaneum ducimus, ne scilicet quicumque rerum eventus fuerit, aliquid de discessu vestro, inconsulto Cæsare, et contra ipsius sanctæ Synodi sententiam pernicioso aliorum exemplo statuatis, reliqua cum ex ejusdem dilecti filii nostri cardinalis Crescentii legati, tum vero ex Petri Camajani, intimi cubicularii nostri, quem etiam hac ipsa de causa ad Cæsarem mittimus, sermone plenius fraternitates vestræ cognoscent. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXIV Decembris MDLI, anno II ».

65. Majus constantiæ specimen explicabat archiepiscopus Coloniensis, qui cum divina humanis præferret, censuit insistendum celebrando Concilio spretis bellicis tumultibus, cum nil antiquius esse deberet orthodoxæ religionis restituendæ, et pravorum dogmatum corruptelarumque, quæ in clero irrepserant, delendarum sollicitudine : cujus fortitudinem ac pia consilia Julius [1] his litteris commendavit :

[1] Julii III. lib. brev. IV. sig. num. 2882. p. 272.

[1] Julii III. l. IV. sig. num. 1882. p. 297.

« Venerabili fratri archiepiscopo Coloniensi, sacri Romani imperii principi electori.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Magno cum gaudio accepimus ex litteris dilecti filii Crescentii legati nostri, et venerabilium fratrum prælatorum sacro Œcumenico Concilio præsidentium, fraternitatem tuam turbulentis tumultuariorum militum motibus a prosecutione ipsius Concilii, quod tua in primis præsentia et auctoritate optimos jam progressus habuit, minime discedendum decrevisse, publicamque Dei et Catholicæ religionis causam privatis suis rationibus potiorem duxisse, qua in sententia etsi pro tua summa singularique prudentia et pietate permansurum omnino confidimus, tamen te majori, quo possumus, animi nostri affectu hortamur in Domino, ut quod hactenus de eodem Concilio promovendo, et ab eo non recedendo pie et sancte cepisti consilium, in eo ut laudabiliter pergas ac persistas, nam præterquam quod hujus facti constantia divinam gratiam promereberis, nobis etiam qui te paterne diligimus, tuumque honorem quantum cum Deo poterimus augere cupimus, plurimum satisfacies, reliqua cum ex dicti cardinalis et legati, tum vero ex dilecti filii Petri Camajani cubicularii nostri intimi, quem dedita opera ad serenissimum Cæsarem mittimus, sermone uberius fraternitas tua cognoscet. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XXIV Decembris MDLI, anno II ».

66. *Exardescente iterum bello inter Carolum et Henricum regem, Turcæ victores evadunt.* — Aucti sunt in dies tumultus, adeo ut proximo vere ii tres archiepiscopi electores discedere Tridento coacti fuerint, et Concilium dissolutum sit ob conjurationem ab Henrico rege et principibus Lutheranis adversus Cæsarem conflatam, bellumque difficilius inter Gallum et Carolum V incanduit, cujus causam et culpam vicissim illi a se in æmulum transtulerunt, ut memorat Augustus Thuanus [1] his verbis :

« Alter in alterum culpam rejiciebat, nam Cæsariani ultro nos Octavii tutelam suscepisse criminabantur, non tam supplicis defendendi, quam belli in Italia, atque adeo inter Christianos excitandi causa, ob id ipsum sollicitasse imperii ordines et principes, ut a Cæsare deficerent, neque in Concilium, quod ipsorum rogatu Cæsar ad sarciendam Ecclesiæ concordiam coegisset (id est cogendum curasset) consentirent missis legatis, qui contestarentur, et illud pro irrito illos habituros denuntiarent. Addebant et nuper Brissaccum, ut belli occasionem quæreret in Subalpina regione, cœnobium, quod Bargæ pagi a Cæsarianis custoditi ditionis est, occupasse, et festinato opere nunc munire, et quod nos summa invidia onerabat, nuper etiam cum Turca in Christiani nominis perniciem fœdus iniisse. Sed nostri antiquiores et justiores multo causas adducebant, Cæsarem videlicet, cum Aquitania seditionibus arderet, misso Burano cum Anglis egisse, ut Burdigalensium tumultuantium tutelam susciperent, et jus, quod in Aquitania armis amiserant, jure recuperarent, pace ante biennium cum Anglis facta, Santandreano e Britannia redeunti insidias tetendisse, et quasdam e nostris naves per Belgas intercepisse, Helvetios quominus cum rege fœdus renovarent sollicitasse. Sebastianum Vogelspergum quod regi militasset prius tormentis cruciatum Augustæ in imperii comitiis, non sine regis ignominia securi percussisse : cum de interceptis in Belgio quorumdam negotiatorum navibus apud Mariam Pannoniæ reginam querimonia institueretur, legatum eo regis nomine missum, jure gentium violato, in carcerem conjectum, et perverso ordine bona nostrorum Antuerpiæ fisco adjudicata fuisse, postremo Cæsarem Carolo Marillaco Venetorum (in Britannia, scilicet minori) episcopo apud ipsum oratori injuriose interminatum, fore ut, si res ad arma deveniret, regem ad minimi ex suis conditionem redigeret ».

De Lutheranorum, qui instar maniacorum in Cæsarem consurrexere, quod maniæ ipsorum mederi, eosque opera Concilii ad cultum veræ religionis traducere niteretur, bello, dicetur proximo anno, nunc de Turcarum in Christianos grassationibus agendum est.

67. Adhæsit quidem Gallo regi maxima invidiæ fax, quod Turcam ad invadendam Cæsaream ditionem concitasse crederetur [1], Angelus enim Massarellus in Diario Concilii Tridentini hæc tradit : « XVII Julii, ex litteris nuntii Apostolici apud Venetos habetur classem Turcicam, quæ nonaginta tribus triremibus, viginti navibus, et triginta myoparonibus constat, intrasse jam Mare-Adriaticum, jamque ad damnum Cæsaris et Pontificis sollicitatam, ductam et alitam a rege Gallorum, quod certe valde mirum est, cum ipsi Gallorum reges semper fuerint defensores Pontificum et Ecclesiæ, ob quæ meruerunt nomen illud Christianissimum, nunc autem videntur contra Pontificem arma sumere, Turcas ad vastandas Christianorum ditiones deducere ». Verum utut res fuerit, Turca in omnes occasiones invadendi Christiani imperii provehendarumque rerum suarum occasioni amplissimæ erant, accenso jam inter Christianos acerrimo isto civili bello. Præfectus est a Solymanno classi barbaricæ Sinamus, qui expostulavit de violatis superiore anno a Cæsare induciis in Africa atque Aphrodisium, Singulum et Monasterium sibi restituenda exegit, cui respon-

[1] Lud. Aug. Thuan. l. VIII.

[1] Hist. Turc. in Solyman. Sur. in Comm. hoc anno. Lud. Guicc. Fazellus Aug. Thuan. l. VII. Diar. Conc. Trid. p. 417.

sum est, prius a Dragute archipirata inducias fuisse violatas ; at ille primum in Messanæ conspectum se dedit, dein ad Catanam deflexit, Augustamque oppidum supra Syracusas diripuit incenditque, moxque Melitam insulam tentavit, metuensque Cæsaream classem, reductis in naves tormentis Corcyram insulam longissime distantem mox terrore oppressit, Sinuessanus enim præfectus metu fractus deditionem nuncupavit, ac sex millia capitum Christianorum supra quingenta servituti Turcicæ mancipata sunt. Admisit tunc miserandum facinus Siculus, qui uxorem ac filias duas nubiles peremit, ne stuprarentur a Turcis, armatusque in medium Turcarum globum se conjecit, ac cæsis aliquot hostibus cæsus est. Elatus ea victoria Sinamus in Africam vela obvertit, ac Tripolim, quam Hierosolymitani equites tuebantur, adortus est. Præerat urbi Gaspar Valerius eques, Allobrox militari peritia conspicuus : aliquandiu virtute Barbaricos impetus elisit, demum succubuit, cum cellæ promptuariæ magister proditor et apostata Cabillonensis docuisset Turcas , qua parte minus communita tormenta libranda essent. Contulit se ad castra Turcica Aramontius eques, Galli apud Turcam regis orator, ut Sinamum a Tripolitana obsidione precibus abduceret ; sed illi a Sinamo responsum est, sacramento obstrictos in Rhodia deditione nunquam arma in Turcas laturos, eos vero fidei defuisse, ac in Aphrodisii expugnatione subsidiaria arma Cæsari tulisse, demum cum Hispani propugnandæ Tripolis despondissent animos, deditionem fecere XVII kalendas Septembris conceptis certis legibus, quæ mox a Barbaro victoria insolescente violatæ ; spoliati enim omnibus fuere equites addictique servituti. Mauri vero milites ducenti trucidati, quod pro Christianis arma gestassent. Demum Aramontius ducentos religiosos equites Gallos liberavit, Hispanos, pretio soluto, catenis exsolvit. Verumtamen graviores querelæ in Aramontium fusæ, quod Tripolis dedendæ auctor fuerit, nec minores de summo equitum magistro jactatæ, quod rogatus initio, ut Tripolitanis auxilia submitteret, id facere detrectarit, ne Melitam præsidiis exueret : tantus vero terror offusus est equitum Hierosolymitanorum principi, ut cum Solymannum de exscindendo universo illo Equestri Ordine conjurasse opinaretur, transferendi Messanam vel Syracusas conventus illius Ordinis consilia iniverit, de quibus factus certior Julius, cum infelici bello Parmensi distractus nulla Melitensibus auxilia transmittere posset, summa auctoritate ejusdem Ordinis principem ad rem conficiendam instruxit subjectis litteris [1] :

« Dilecto filio Joanni de Omedes Magistro Hospitalis Sancti-Joannis Hierosolymitani.

68. « Dilecte fili, salutem, etc. In hac Tripolis deditione, quam Turcæ obtinuere de te, ac de istorum nobilium et religiosorum hominum conventu pro nostro officio anxii valde sumus ; veremur enim, ne si ipsi Turcæ pluribus tum veteribus, tum recentibus victoriis elati, et instructissimæ classis viribus confisi ad vos expugnandos se convertant, voto impio suo, quod Deus pro sua pietate prohibeat, potiantur, quamobrem quanti momenti, discriminis et præjudicii toti reipublicæ Christianæ foret, si tu et cæteri fratres tui in manus tam immanis hostis deveniretis considerantes, vobisque omnibus consultum iri putantes, si ipsam classem isthic omnino non expectantes, quando præsentium temporum sævitia aliter vos juvare non possumus, mittimus ad te dedita opera præsentium exhibitorem, volumusque, ac tibi in virtute sanctæ obedientiæ mandamus, ut relictis ad tutelam et defensionem istius loci militibus, et iis vestri Ordinis, qui tibi præsertim ætatis robore ad obsistendum ipsi classi apti videbuntur, offerente se occasione tuto navigandi, una cum consiliariis et cæteris tui Ordinis isthinc abeatis, et vel Syracusas, vel Messanam vos conferatis, unde isti loco subvenire pro temporibus et rerum necessitate , nobis vobisque servatis ac liberis, facilius erit. Nos vero interim dum hæc ad vos scribimus, et Neapolis et Siciliæ viceregibus significari fecimus, ut in locum illorum, qui isthinc discedent, ad vos armatos milites mittant, quod eos facturos omnino speramus. Ne autem aliquis ex tuis se in hoc excusare possit, tibi ultra ordinariam, quam in istius Ordinis homines auctoritatem habes, quod nostra auctoritate tam illis, quos tecum ducere volueris, ut tecum veniant, quam illis, quos ad loci defensionem, et custodiam opportunos censueris, ut remaneant, sub excommunicationis latæ sententiæ, ac suarum præceptoriarum, et quarumvis dignitatum, et beneficiorum, et officiorum, antianitatumque amissionis ipso facto per eos incurrenda, et sub quibus aliis tibi visis pœnis præcipere et mandare possis, facultatem auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus, non obstantibus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum etc. die XI Septembris MDLI, anno II ».

69. *Excitati in Transylvania et Polonia motus.* — Non discedendum esse Melita ob graviores causas postea visum est, ne Equester ille Ordo dissolveretur, gravissima vero damna a Turcica classe fuisse illata, ac plura oppida capta, vastata, incensaque, ac plura Christianorum miserorum millia in servitutem crudelissimam abducta, deplorat Pontifex aliis litteris exeunte Novembri exaratis, instructosque a Turca ingentes bellicos apparatus, ad gravius bellum proximo Vere inferendum. Cæterum in Transyl-

[1] Jul. III. l. IV. brev. sig. num. 2883. p 218.

vaniam conversos impetus Turcicos visuri sumus, in qua etiam superiore anno concitati fuerant gravissimi motus, ad quos compescendos cum Georgius Martinutius regis procurator in perduelles sine judiciario ordine animadvertisset, contraxissetque censuras Ecclesiasticas, ab earum religione exsolvi flagitavit, subjecto casu proposito, quem repetit Pontifex [1] :

« Georgio episcopo Varadiensi.

« In his periculis et tumultibus, in quibus ob varias Turcarum incursiones, tu et istud regnum, in quo locumtenens es, proxime præterita Æstate versati estis, cum quidam ejusdem regni factiosi homines arma contra communem hostem sumere nollent, magnamque seditionem eorum opera in maximam ejusdem regni cladem excitarent, ne malum id longius serperet, priusquam jure de illis statutum esset, capitis supplicio eos affici jussisti, ex quorum morte cum tua te conscientia urgeret, cum a celebratione Missarum, tum ab aliis episcopalibus officiis abstinuisti etc. Dat. Romæ xxv Februarii MDLI, anno II ».

Restitutus est a Julio pristinæ episcopalis muneris exercendi potestati, cum autem novi tumultus in Transylvania coorti essent, ille ad infringendam Turcarum tyrannidem vires suas cum Ferdinando rege conjungere decrevit, ad quod sequendum consilium mandandumque operi Pontifex [2] illum hortatus est :

« Fratri Georgio episcopo Varadiensi.

70. « Venerabilis frater, salutem. Cum antea perspecta nobis esset tua in Catholica religione tuenda fides atque constantia, non mediocriter, quam de tua prudentia ac pietate opinionem semper habuimus, nuper confirmarunt litteræ et nuntii, ex quibus intelleximus te in turbulentissimo istius provinciæ tumultu cum charissimo in Christo filio nostro Romanorum rege omnes vires opesque tuas, ad optimam causam defendendam contulisse. Ac sane cum egregiam virtutem tuam et pietatem magnopere laudamus, tum vero etiam hortamur, ut quod a te consilium pie fortiterque susceptum est, id omni cura, labore, contentione prosequare, qua scilicet nobilissimam et opulentissimam Pannonici regni partem, quam quidem tua potissimum opera et consilio reliquam habemus, ab impendente hæreticorum atque infidelium tyrannide defendas ac tueare, idque tibi haud omnino difficile futurum arbitramur, adjunctis præsertim ipsius regis Ferdinandi auspiciis et copiis ; ejusmodi autem beneficium, si, quemadmodum speramus, in Christianam rempublicam contuleris, cum satis tuæ in Christum pietati et officio feceris, tum vero ab omnibus Christianis principibus, et a nobis in primis tantam eo nomine gratiam inieris, ut nihil sane eorum quæ ad tua vel ornamenta vel commoda pertineant, ullo loco prætermissuri simus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xx Julii MDLI, Pontificatus nostri anno II ».

Detulit vero Isabella regina una cum filio puero demissa obsequia Julio Pontifici Augustini oratoris opera, ac vicissim Julius [1] illam ac puerum regem paternis officiis semper complexurum se spopondit, eorumque fidem et observantiam in Apostolicam Sedem commendavit ; suscepta vero consilia de Transylvanis cum Germanis conjungendis in Turcas ita provexit Georgius, ut puerum regem Transylvaniæ in tutelam Cæsaris ac Ferdinandi contulerit, Turcicamque servituti funestæ non disparem abjecerit, ex quo Pontifex maxime recreatus Georgio subjectis litteris gratulatus est [2], cum rem Christianam ea ratione in Transylvania contra Turcicas insidias viresque assertam putaret, ac dignitati illius amplificandæ se operam daturum significavit :

71. « Venerabili fratri Georgio episcopo Varadiensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Magnum nobis gaudium attulit, quod ex aliquot nuntiis et nuper ex fraternitatis tuæ litteris cognovimus, in tuenda charissima in Christo filia nostra Isabella regina, ejusque illustri filio te valde rectum et salubre consilium cepisse, effectumque esse, divina adjuvante clementia, ut per tuam fidem ac prudentiam regnum istud, quod e truculenti hostis faucibus alia nulla ratione eripi posse videbatur, firmissimos et fidelissimos tutores serenissimum Cæsarem, ejusque fratrem Ferdinandum Romanorum regem nactum fuerit, ex pulcherrimo itaque hoc tuæ fraternitatis facto perpetuam ipsius in Christianam rempublicam pietatem agnovimus, et ex tuis litteris officii erga nos ac observantiæ plenissimis quanto animi affectu et devotione hanc sanctam Sedem colas, facile perspeximus, ut pergas autem in isto regno, tam contra hæreticorum perversitatem, quam infidelium hostium insidias et conatus Orthodoxam religionem et Catholicam fidem tueri, fraternitatem tuam ut cohortemur nihil esse nobis necesse ducimus, cum virtute et constantia tua freti nihil dubitemus novis te semper meritis cætera accumulaturum ; illud certe nobis erit præcipue curæ, ut cum primum res aut tempus nobis facultatem dederit augendæ et amplificandæ dignitatis, non minorem quam de tua rationem habitam intelligas. Datum Romæ apud S. Petrum die x Octobris MDLI, anno II ».

72. Ornavit paulo post Georgium, ut de re Christiana optime meritum, Pontifex cardinalitia purpura, Ferdinando rege eum honorem ipsi

[1] Jul. III. lib. brev. sig. num. 2883. p. 35. — [2] Ib. p. 148.

[1] Lib. IV. brev. p. 233. — [2] Julii III. lib. IV. brev. sign. num. 2884. p. 253.

deprecante a Pontifice, qua de re hæc memorant Acta [1] Consistorialia :

« XII Octobris fuit consistorium, in quo Sanctitas Sua ob religionis zelum, et singularem doctrinam, et quamplurimas alias virtutum dotes, quibus frater Georgius episcopus Waradiensis insignitus erat, sperans illum Sedi Apostolicæ quamplurimis de causis fore maxime proficuum, eumdem Georgium episcopum absentem in S. R. E. presbyterum cardinalem de fratrum consilio creavit, etc.

« XVI Octobris MDLI fuit consistorium, in quo fuit decretum, ut mitterentur per unum ex Sanctitatis Suæ camerariis, et biretum et pileus rubeus reverendissimo domino Georgio cardinali noviter creato cum indulto, si ei videbitur, utendi vestibus rubeis et pavonatiis, et aliis indumentis, quibus cæteri cardinales, qui tempore suæ assumptionis ad cardinalatum presbyteri, seu clerici sæculares erant, utuntur, dummodo tamen habitum suum regularem subtus deferat.

« Romæ die XVI Novembris MDLI, fuerunt lectæ litteræ reverendissimi domini Georgii cardinalis Transylvaniæ datæ in castris, quibus significabat res versari in maximo discrimine, diemque fatalem publici conflictus adversus Turcas de proximo imminere. Et propterea supplicabat Sanctitati Suæ, ut procuraret pacem fieri inter principes Christianos, unde Sanctitas sua decrevit, ut celebraretur Missa in Basilica S. Petri die Dedicationis dictæ Basilicæ pro pace et conservatione Christianitatis ab infidelibus, cum indulgentiis et remissionibus solitis ».

73. Dum in Turcas apparat arma Georgius, ab æmulis contrucidatus est, ita repente meliorum rerum spes in contrarios eventus conversæ fuere, nam Ferdinandus non tueri pupillum regem Transylvanum, sed in regni possessionem, exuto pupillo, induci affectabat, cujus immodicæ cupiditatis vitio Hungariam in Turcicam servitutem prolapsam jam ante vidimus, cumque vivo ac spirante Georgio cardinale votorum compos fieri non posset, Ferdinandi duces, qui Georgii potentiam ferre non poterant, circumventum calumniis, quasi Georgius Transylvaniam sibi subjicere, oppressoque pupillo in Turcarum clientelam transvolare niteretur, aspernatusque pileum cardinalitium, regium diadema affectaret, illum insidiarum ignarum exeunte anno XIV kal. Januarii ingeminatis vocibus Jesum inclamantem, carnificesque suos fratres appellantem inhumanissime obtruncarunt, ex cujus cæde, cum Ferdinandus res suas augere putaret, magis attrivit, nec enim Transylvaniæ regno potiri potuit, sed Transylvani illud pupillo asseruere : tum vero hæreses, quas Georgius, dum vixit, in Transylvania extinxerat, pullulare et grassari cœperunt, totaque regio, sublato illius defensore, Turcicis excursionibus evastata fuit. Ut vero Ferdinandus ab hoc scelere se purgare curaverit proximo anno dicetur. Cæterum non prætermittendum videtur, versum prodigio, divinæque ascriptum justitiæ, quod in ea arce, quam in eversi monasterii ruinis magnis molibus extruxerat communieratque, cæsus sit, cum eam calamitatem pulsus inique abbas illi imprecatus esset, vel prædixisset.

In Polonia cum Sigismundi Augusti regis facilitate hæretici sua venena diffudissent, mox in eo regno tumultus coorti sunt, ad quos comprimendos a Pontifice episcopus Camerinensis internuntius fuit decretus. Sopitæ vero hæreseos flammæ, dein vehementius in eo regno exarsere, ut dicetur inferius.

74. *Auctus cardinalium numerus.* — Auctum est affecto anno cardinalium collegium, addictis ad eam dignitatem pluribus viris amplissimis, quorum nomina ac titulos referunt Acta Consistorialia [1] :

« Romæ die Veneris XX Novembris MDLI fuit consistorium, in quo Sanctitas sua de reverendissimorum DD. meorum consilio et unanimi consensu creavit et assumpsit in S. R. E. presbyteros et diaconum cardinales infrascriptos : R. P. D. Christophorum episcopum Massiliensem, R. P. D. Fulvium de la Corgna, R. P. D. Michaelem archiepiscopum Matheranensem, R. P. D. Joannem Riccium archiepiscopum Sypontinum, R. P. D. Joannem Mercurium archiepiscopum Messanensem, R. P. D. Jacobum Puteum archiepiscopum Barensem, R. P. D. Alexandrum Campegium episcopum Bononiensem, R. P. D. Petrum episcopum Fanensem, R. P. D. Fabium Mignanellum episcopum Grossetanum, R. P. D. Joannem episcopum Tropiensem Pogium, R. P. D. Joannem Baptistam Cicadam episcopum Albinganensem, R. P. D. Hieronymum Dandinum episcopum Imolensem presbyteros, R. P. D. Aloysium Cornelium, magnum commendatorem Cypri.

« Romæ die Sabbati XXVIII Novemb. MDLI, fuit consistorium publicum propter cardinales noviter creatos, in quo recensuit Sua Sanctitas merita uniuscujusque illorum cum pluribus devotis monitionibus, quibus peractis, et in similibus servari solitis observatis, illos ad pedes, manus et osculum benigne accepit, ac coram eo genibus flexis constitutis imposuit galerum rubeum super singula capita eorum, dicens verba solita.

« IV Decembris eis aperuit os, id est, contulit fandi auctoritatem, et annulis pretiosis et titulis eosdem donavit; tradidit nimirum Ecclesiam S. Praxedis Christophoro de Monte : Eccle-

[1] Lib. VI. sig. num. 2885. p. 106. Panvin. in Julio III. Acta Conc. Ms. card. Spadæ sih. num. 134. p. 73.

[1] Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 75.

siam B. Mariæ in Via Fulvio Corneo, Ecclesiam S. Barbaræ, quam in tit. Presbyt. card. erexit, Joanni Andreæ Mercurio card. Messanensi, Ecclesiam S. Luciæ in Silice Alexandro Campegio, Ecclesiam S. Clementis Joanni Baptistæ Cicadæ, Ecclesiam S. Matthæi Hieronymo Dandino, Ecclesiam S. Theodori Aloysio Cornelio, Ecclesiam S. Anastasiæ Joanni Pogio »,

His addunt Acta [1] proximo anno de Sebastiano Pighino archiepiscopo Sypontino.

« Romæ die Lunæ XXX Maii MDLII. Cum alias Sanctitas sua de reverendissimorum consilio et assensu Sebastianum Pighinum archiepiscopum Sypontinum, tunc absentem, in S. R. E. cardinalem creasset, et ex certis causis illius publicatione m penes se retinuisset, eumdém Sebastia num archiepiscopum presbyterum cardinalem fore et esse pronuntiavit ».

75. *Urbs graviore annona laborat.* — Afflictum fuisse ineunte anno populum Romanum graviore annona, flebilibusque vocibus efflagitasse a Julio, ut ea levaretur, subventumque illi fuisse refert Angelus Massarellus, nam constituto prætio jussit frumentum adhibita vi divendi ab iis, qui illud conditum tenebant.

76. *Instaurata Academia Ingolstadiensis.* — Confirmata sunt hoc anno a Julio Tertio Coloniensis Ecclesiæ privilegia, quæ a pluribus Cæsaribus nimirum a Friderico II, ab Alberto rege, a Carolo IV, a Friderico III, ac demum a Carolo V illi collata fuerunt, cui Pontificio Diplomati hæc temporis nota adscripta est : « Dat. Romæ XIV Maii MDLI, anno II ».

Instaurata est eodem anno Ingolstadiensis Academia ab Alberto duce Bavariæ, ut in ea sacerdotes theologicis scientiis ad discutiendas offusas ab hæreticis tenebras excolerentur, cujus pium consilium Pontifex his litteris [2] commendavit :

« Alberto duci Bavariæ.

« Nihil ad honorem Dei aptius, ad reipublicæ salutem commodius, ad tuæ nobilitatis gloriam a te fieri potest præclarius, quam quod in locis tuis doctorum et Catholicorum virorum quasi seminarium fiat, ex quibus lapsa religio, et diminutus in Germania sacerdotum numerus reparari possit, etc. Dat. Romæ XV Februarii MDLI, anno I ».

Collatæ sunt ad constituenda doctorum stipendia triennales decumæ sacerdotum ejus provinciæ, inductique sunt viri pietate et eruditione præstantissimi Claudius Jaius, Alphonsus Salmeron socii sancti Ignatii, ac Petrus Canisius [3], ut Theologiam docerent.

77. *Franciscus Xaverius miraculo duobus simul in locis visus.* — In extrema Indiarum Orientalium ora S. Xaverius legatus Apostolicus qui Indiarum Apostoli nomen promeruit, cum, Ecclesia Japonica constituta, fidem Sinensibus inferre cogitaret, reversurus in Indiam pro Apostolica ea expeditione instruenda cum Burgensis regis legato, qui proregi Indiæ ferebat dona, conscendit navem Novembris mense, hujus sæculi quinquagesimo primo. Ex Japonia Matthæum et Bernardum indigenas a se baptizatos secum deduxit, simul specimen gentis Japonicæ, simul idoneos majestatis Christianæ spectatores. Romam deinde missurus in eo itinere onerariam navim undis pæne obrutam suis precibus servavit et quod majus, scapham tempestate abreptam divinitus ad onerariam reduci impetravit, ita simul et in oneraria et in scapha a vectoribus cerneretur, quam rem miram, et pæne fidem excedentem ita narrat Tursellinus [1]. « Mendes Pintus Lusitanus honestus et gravis, comes Francisci peregrinationis ex Japonia in Sinas, et periculi socius fuit, is auctor est, reduces illos in onerariam receptos, cum vellet nauta scapham inanem jam ac religatam submovere, inhibuisse clamantes, ut manum prius Xaverio porrigeret, qui adhuc in scapha resideret. Respondenti nautæ Xaverium in navi esse ac fuisse ante ipsorum reditum, certatim illos affirmasse, nimirum quandiu ipsos in scapha tempestas agitasset infesto vagantes mari Franciscum adfuisse, cunctosque solantem, et ad spem salutis excitantem scaphæ cursum ad onerariam direxissse, tum demum intellectum est Francisci pro iis supplicantis speciem eis præsto fuisse, quod et de sancto Nicolao Myrensi episcopo memoriæ proditum est, ut appareret, cujus ope a præsenti exitio servati forent. Res omnium vectorum nautarumque sermonibus celebrabatur ». De piis sanctissimisque viri Apostolici laboribus et pio exitu proximo anno agemus, nunc ab eo ad alium sanctitate conspicuum virum beatum Gundisalvum Ordinis Prædicatorum digredimur.

78. *Gundisalvum Dominicanum inter beatos Julius III reponit.* — Inclarescebat ejus gloria insignibus miraculis apud Lusitanos, quæ regem Joannem permovere, ut Pontificem postularet de sacra actione judiciaria de illius sanctissimæ vitæ gestis cœlestibusque virtutibus editis instituenda, cujus precibus assensit Julius [2], ac internuntio Pontificio eam Provinciam demandavit, tum permisit, ut in Lusitania recurrente beati Gundisalvi obitus die, sacra ejus memoria horariis precibus, atque in divinis mysteriis recoleretur, atque Ecclesiam, in qua ejus reliquiæ erant conditæ, lustraturis, gratuitam noxarum veniam certis legibus condonavit.

« Venerabili fratri Pompeio episcopo Sul-

[1] Ut sup. num. 133. p. 83. — [2] Jul. III. l. IV. brev. sign. num. 2882. p. 11. — [3] Nicol. Orland. hist. Soc. Jesu l. IX. num. 54.

[1] Horatius Tursellin. in Vita S. Franc. Xaver. l. V. c. 2. — [2] Jul. III. lib. brev. p. 86.

monensi, nostro et Apostolicæ Sedis in regno Portugalliæ nuntio, Julius papa III.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Cum, sicut charissimus in Christo filius noster Joannes Portugalliæ et Algarbiorum rex illustris nobis nuper exponi fecit, beatus Gundisalvus olim presbyter, et deinde Ordinis Prædicatorum professor in istis regnis unde oriundus exigit, ob crebra miracula, quæ misericors Deus et Dominus noster Jesus Christus ejus, ut pie creditur, intercessione, tam in vita quam post obitum ipsius beati Gundisalvi operari dignatus est, et in dies operari dignatur, in maxima Christi fidelium veneratione et devotione habeatur, et ipse rex in honorem prædicti beati Gundisalvi in loco, ubi ejus corpus requiescit, unam insignem domum dicti Ordinis construxerit, et dotaverit, prout ad Ecclesiam domus hujusmodi devotionis causa Christi fidelium multitudo in dies confluat, prædictus Joannes rex nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi quod in singulis ipsorum regnorum Ecclesiis, tam sæcularibus quam regularibus in die obitus dicti beati Gundisalvi in ejus memoriam et honorem Officium et Missa de eo libere celebrari possent, concedere, ac omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, seu firmum statutis a jure temporibus confitendi propositum habentibus, qui Ecclesiam hujusmodi dicta die, a primis ejus Vesperis usque ad occasum solis inclusive, devote visitaverint, et inibi ter Orationem Dominicam, et Salutationem Angelicam pro felici statu Universalis Ecclesiæ, et regum dictorum regnorum conservatione recitaverint, viginti annos et totidem quadragenas de injunctis eis pœnitentiis misericorditer relaxari de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur et si voluissemus pro dicti regis de hac sancta Sede optime meriti desiderio statim satisfacere, tamen in re tanti momenti maturius procedendum esse censentes, tibi per præsentes committimus et mandamus, quatenus tam super dicta vita et obitu dicti beati Gundisalvi, quam miraculis et aliis præmissis, servata forma sacrorum canonum, te diligenter informes, et processum desuper conficias, illumque tuo sigillo obsignatum ad nos transmittas, ex iis enim, quæ repereris, consilium capiemus, ut secundum Deum ipsi regi in præmissis satisfacere valeamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXIV Aprilis MDLI, anno II ».

79. *Rex Lusitaniæ obedientiam Julio præstat.* — Complectebatur singulari cultu et observantia Lusitaniæ rex Apostolicam Sedem, ac Julio oratoris opera solemni ritu obsequium detulit, cujus pietatem in eo præstando, tum in Concilio Tridentino provehendo amantissimis litteris commendavit.

Efflagitante eodem rege, constitutam fuisse, auctoritate Pontificia, episcopalem Sedem S. Salvatoris in Brasilia, cujus incolæ ferarum more saginæ humanæ assueti ab immanitate ferina, et dæmonum cultu sensim traducebantur ad Christum, referunt Acta Consistorialia, adduntque eam a Funchalensis sedis imperio divulsam.

80. *Comiti Lumensi episcopum postulanti annuit Pontifex.* — Constituta quidem antea fuerat Funchalensis Ecclesia in insula Madeira quæ una est ex Fortunatis insulis in Atlantico Oceano, metropolis earum insularum ac aliarum Indiarum Occidentalium ; sed cum perpensum esset Brasiliam, ac alias Americæ regiones longissimo marium intervallo dissitas, Funchalensis Ecclesia jure metropolitico exuta est, ac Olyssipponensi archiepiscopatui subesse jussa, ut narrant superiora Acta.

81. Expetiit hoc anno Lumensis populus sub infidelium servitute ingemiscens, ac multis pressus angustiis, necnon episcopi solatio destitutus, a Pontifice præsulem, qui ipsos Christiana pietate erudiret, quorum piis postulatis assensit Julius [1] ac subjectis litteris eos ad constantiam in Christiana fide, adversaque omnia fortiter toleranda excitavit :

« Dilectis filiis comiti Gregorio Lumensi et comiti Paulo Volconith, eorumque natis civitatis Lumensis, ac universo populo.

« Dilecti filii, etc. In summo dolore, quem ex litteris cepimus, quibus status vestri calamitatem exponentes suppliciter postulatis pastorem et episcopum vobis dari, illud nobis magnæ consolationi fuit, quod cum omni genere miseriæ, quam secum gravis sub infideli principe servitus afferre solet, sitis oppressi, nullum tamen magis deploratis, quam quod pastoris et episcopi solatio jam pridem sitis orbati ; quæ quidem vestra postulatio, cum lecta fuisset in secreto nostro consistorio coram venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, cum omnium animos commiseratione commovit, tum vero sic nostrum gaudio etiam implevit, ut statim mente precati simus id quod Deus exemplum paternæ et pastoralis affectionis nobis præbens populo suo obedientiam promittenti dixit : *Quis det populo talem mentem, ut timeat me, et custodiat mandata mea, ut bene sit illis et eorum filiis in perpetuum.* Hoc quidem divino exemplo admoniti, audita vestra postulatione vobis precati sumus, et statim de consensu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum pastorem et epicopum vobis designavimus hunc ipsum fratrem Danielem, quem vos nominatim postulatis, in quo quidem cum vestris precibus sit a nobis satisfactum, reliquum est, ut vos in Domino hortemur, ut fructum tam pii desiderii capiatis, quod quidem fiet, si tunc cum ad vos desideratus pastor advenerit, magis quam antea caute

[1] Jul. III. lib. brev. v. sig. num. 2883. p. 169.

ambulaveritis, cum non solum ab infidelibus, sed a falsis fratribus, et hæreticis, qui sub specie pietatis vos seducere, et in errores secum trahere conantur, vobis ex litteris vestris timendum esse perspexerimus, horum quidem insidias pastoris vestri doctrinam sequentes facile effugietis, ab illorum autem vi et timore, qui prorsus a nostra religione sunt alieni, sic facile (divina gratia adjuvante) liberi eritis, ut etiam eosdem Domino lucrifacere sperare possitis, id autem assequemini conversationem inter gentes bonam habentes; ut in eo quod detrahant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis; eadem enim regia et tuta erit vobis via ad effugiendam aciem gladii ejus, qui in vos a Deo vitæ et necis potestatem habet, et ad reliqua omnia gravis servitutis onera vel tollenda, vel mitiganda, quod ut sperare possitis, magna exempla vobis divina misericordia dedit eorum, qui primi et qui deinceps multis sæculis Domini nostri Jesu Christi fidem sunt professi, quorum multi cum non dissimilem vobis servitutis conditionem essent sortiti, et gravioribus malis premerentur, fide et patientia sunt consecuti, non solum ut sibi et posteris jugum servitutis levius redderent, sed ut eos quibus ante serviebant, sibi, ut fratres amore conjunctos, et ut filios patribus subjectos et obedientes efficerent: quare qui in genere miseriæ et servitutis illis similes estis, ut in tam gloriosis fructibus per fidem et patientiam, et bonam et laudabilem totius vitæ conversationem reportandis similes esse omni studio contendere velitis, vos magnopere in Domino hortamur, quidquid vero sit, in quo pro pastorali nostro officio, et cura universi gregis divina misericordia nobis commendati vobis auxilio et consolationi esse possimus, id vobis in visceribus Domini nostri Jesu Christi promptum semper paratumque fore pollicemur. Datum Romæ, etc. XXIV Decembris MDLI, anno II ».

82. *In quibusdam Hispaniæ provinciis jus Ecclesiasticum ad quosdam certos limites sapienter redactum.* — In nonnullis Hispaniæ provinciis, Cathalonia, Rossillione, et Ceritania gravissimæ obortæ sunt controversiæ inter Ecclesiastici Ordinis viros et regios magistratus, cum nonnulli dignitatis sacræ, quam gerebant, immemores, in vitiorum cæno demersi, sub libertatis Ecclesiasticæ clypeo improbitatem tectam esse vellent, magistratus corruptelæ morum odio incitati, auctoritatisque suæ latius proferendæ occasionem aucupati, liberius in sacri Ordinis viros grassarentur, eosque in servitutem redigere, justitiæ exercendæ fallaci specimine niterentur, de quibus jam olim ortæ controversiæ cum certis legibus et pactionibus a legato Apostolico, et Petro rege Aragonum fuissent compositæ, easdem pactiones iterum Julius [1] Apostolica auctoritate confirmavit, ne jus Ecclesiasticum obsolesceret, neve sceleri libere habenæ laxarentur.

« Charissimo in Christo filio Romanorum imperatori semper Augusto, Julius papa III.

« Charissime in Christo fili noster, salutem. Exponi nuper fecit majestas tua, quod alias cum super correctione et punitione clericorum delinquentium principatus Cataloniæ et Comitatuum Rossilionis et Ceritaniæ, quorum tua majestas princeps et comes existit, inter Ecclesiasticas et sæculares curias dictorum principatus et comitatuum diversæ contentiones et lites exortæ fuissent, bonæ memoriæ Eleonora regina Aragonum, et Bertrandus sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, de Cuenca nuncupatus, tunc in partibus illis Sedis Apostolicæ legatus de latere, pro sedandis contentionibus et litibus prædictis ad infrascriptam devenerunt concordiam, cujus tenor sequitur et est talis: In Christi nomine. Pateat cunctis quod cum inter illustrissimum dominum Petrum Dei gratia regem Aragonum, Valentiæ, Majoricarum, Sardiniæ et Corsicæ, comitemque Barchinonæ, Roncilionis et Ceritaniæ ex una parte, et reverendissimum in Christo patrem dominum Petrum divina providentia Tarraconæ archiepiscopum, et nonnullos alios prælatos, et clerum provinciæ Tarraconæ ex altera, quæstiones et controversiæ suscitatæ fuissent ratione quorumdam gravaminum, quæ dicti archiepiscopus, prælati et clerus asserebant eis per dictum dominum regem et officiales suos fore illata, quæ gravamina in scriptis dicto domino regi oblata fuerunt sub hac forma. Primo, quod curia regia incœperit facere processus occupationis temporalitatis contra prælatos Vicensem et Gerundensem episcopos, et abbatem Sancti-Benedicti de Bagnis, et alios quoscumque contra libertatem Ecclesiæ et justitiæ, sumpta occasione, quia prælati nolunt revocare processus Ecclesiasticos contra clericos justissime factos. Secundo, quod facit fieri processus pacis et treguæ contra clericos, etiam in sacris constitutos, et contra prælatos, in contemptum sanctæ matris Ecclesiæ, et domini nostri papæ, et specialiter contra dominum archiepiscopum Tarraconæ, eo quia deliberaverat vicecancellarium regium in constitutione sacrorum Conciliorum Tarraconæ edita, contra invasores et usurpatores jurisdictionis dicti domini archiepiscopi et suæ Ecclesiæ Tarraconæ incidisse pœnas. Tertio, quia facit servari processus soni emissi contra clerum et castra, et loca eorum sita contra laicos, et ex hoc sequitur interdictum, quod diruuntur castra et loca Ecclesiarum contra Deum et justitiam, et Ecclesiæ libertatem, cum clerici et eorum loca non sint de foro judicum sæcula-

[1] Ibid. p. 38.

rium, cum etiam non comprehendatur sub statutis pacis et treguæ, et soni emissi, nec ad ipsos jure dictorum statutorum possit fieri nec debeat extensio. Quarto, quia notorie citantur prælati et ipsorum officiales ad instantiam laicorum, ut compareant in audientia regia, ubi comminantur, ut revocent processus Ecclesiasticos juste et rite factos, quod nisi fecerint, contra eos proceditur, tanquam contra usurpantes jurisdictionem et regalias regias, et ubi dictam revocationem processuum obtinere non valent, dicta curia regia mandat suis, quod cum sint suspecti domino regi, exeant dicti prælati et clerici, seu eorum Officiales intra certum tempus de regno; alias, quod contra eos, ut suspectos domino regi procedetur in personis et bonis, quod est contra jus et Ecclesiæ libertatem. Verum cum dictæ partes super prædictis quam plurimum contendissent, et non possent super eis amicabiliter convenire, tandem sanctissimus et beatissimus in Christo pater et dominus D. Gregorius divina Dei providentia papa XI, tunc præsidens, ut dictis quæstionibus et controversiis finis amicabilis poneretur, serenissimæ dominæ Eleonoræ reginæ et comitissæ regnorum et comitatuum prædictorum, et reverendo in Christo patri et domino Bertrando sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali Apostolicæ Sedis nuntio per suas Bullas scripsit in hunc modum :

83. GREGORIUS, etc.

« Charissimæ in Christo filiæ Eleonoræ reginæ illustri, salutem.

« Paterna, sicut decuit, affectione, recepimus litteras quas misisti, lætati super earum serie, qua nobis significasti super concordia inter charissimum in Christo filium nostrum Petrum regem Aragonum illustrem virum tuum et prælatos sui regni, de discordiis inter eos super certis libertatibus Ecclesiasticis exortis velle laborare, super quo tanto potius mereris commendari, quanto credimus scripta tua ex puro mentis animo processisse, et ideo Excellentiam tuam attente rogamus, quatenus ut Sion filia veritatis circumamicta varietatibus, quibus te Dominus insignivit, proficiens actu in bonum, prout laudabiliter inchoasti ad hujusmodi concordiam peragendam, sic, prout plene confidimus, studia tuæ benignitatis impendas, ac opem des et operam efficacem, quod jura Ecclesiarum et Ecclesiasticarum personarum serventur illæsa, devotionem tuam dignis in Domino laudibus attollamus, in hoc enim Deo gratum præstabis obsequium, et exinde magnificentius exaltabitur in gentibus nomen tuum. Datum Avenione V kal. Decembris, Pontificatus nostri anno I ».

84. Annexæ sunt his aliæ litteræ Gregorii XI ad Bertrandum S. R. E. presbyterum cardinalem A. S. N. datæ, quibus illi provincia demandata est, ut inter clerum Catalanum et regios administros ex constitutione Alphonsi Primi, Aragoniæ regis, assentiente Tarraconensi archiepiscopo Apostolicæ Sedis legato, editam concordiam redintegraret, quibus recensitis Julius Pontifex Carolo V imperatori, eidemque Aragonum regi de exercendæ in reos clericos Aragones, et alios insulanos Baleares ac Sardos justitiæ modo ac forma subjectis litteris hæc rescripsit :

« Cum autem, sicut eadem petitio subjungebat, inter Ecclesiasticos et sæculares curias Majoricensem, Minoricensem et Sardiniæ insularum, quarum dicta majestas tua, ratione regni Aragonum, cujus rex Catholicus existis, et in temporalibus existit super correctione et punitione clericorum delinquentium, similes quotidie exoriantur discordiæ et dissensiones, et ob id clericorum insularum hujusmodi delinquendi inoleverit audacia, ut illi nedum horrenda perpetrare audeant scelera, verum etiam aliis perpetrandi occasionem præbeant, ex quo plurima proveniunt damna et scandala, quæ insularum prædictarum perturbant statum, iterum, si per ipsum concordia disposita, prout in ejusdem principatu et comitatu, ac Aragonum regno hactenus observata existit, in eisdem observaretur insulis, profecto scandalis præmissis obviaretur, quare eadem majestas tua nobis humiliter supplicare fecit, quatenus tranquillo statui insularum hujusmodi, ac alias in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur ejusdem majestatis tuæ votis annuere volentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, per præsentes statuimus et ordinamus, quod omnia et singula in dicta concordia contenta dictos clericos delinquentes contentionem jurisdictionis inter Ecclesiasticos et sæculares judices concernentia per Ecclesiasticas et sæculares curias insularum prædictarum, earumque officiales, prout in dictis principatu et comitatibus, et aliis regni Aragonum hujusmodi partibus observantur, et observari debeant in omnibus et per omnia, ac si dicta concordia inter curias insularum, illarumque officiales hujusmodi inita et facta, ipsæque insulæ in dicta concordia specialiter et expresse nominatæ fuissent. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum die XX Martii MDLI, anno II ».

Ejusdem Constitutionis beneficio potiri voluit Valentini regni sacerdotes Julius [1], de quo extant subjectæ litteræ :

« Venerabili fratri episcopi Fecensi, nunc et pro tempore existenti.

85. « Venerabilis frater, salutem. Dudum pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Romanorum imperatoris semper Augusti,

[1] Jul. III. l. II. brev. p. 32.

qui etiam Valentiæ rex et principatus Cataloniæ ac comitatuum Rossillionis et Ceretaniæ comes existit, primo felicis recordationis Clementi VII et deinde Paulo III Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, et postea nobis exposito : quod in dictis principatu et comitatibus, adeo in clericis delinquendi inoleverat audacia, quod nedum ipsi horrenda perpetrare facinora, sævaque committere assassinia non expaverant, verum etiam aliis ad similia committenda delicta auxilium et consilium præstarent, ex quo principatus et comitatuum prædictorum tranquillus et quietus perturbabatur status. Dicti prædecessores et nos prædicti Caroli imperatoris supplicationibus inclinati certis Ecclesiasticis judicibus, ut contra hujusmodi clericos facinorosos, etiam in sacris Ordinibus constitutos sæculares et quorumvis Ordinum regulares, exemptos et non exemptos, quos hujusmodi atrociorum criminum reos esse constitisset, certis modis ibi expressis, etiam usque ad degradationem, et curiæ sæculari traditionem, ultimique supplicii pœnam, absque alicujus irregularitatis et pœnæ incursu procedere valerent et possent, per eorum et nostras litteras dederunt, et dedimus in mandatis, prout in singulis desuper in forma Brevis confectis litteris, quarum tenores, ac si de verbo ad verbum præsentibus insererentur, haberi volumus, prout in expressis plenius continentur. Et quia, sicut nobis pro parte dicti Caroli imperatoris et regis exhibita petitio continebat, etiam in prædicto regno Valentiæ graviora et atrociora crimina, et delicta per clericos in sacris, etiam presbyteratus ordinibus constitutos, committuntur et perpetrantur, pro parte dicti Caroli imperatoris et regis nobis fuit humiliter supplicatum, ut litteras hujusmodi cum omnibus et singulis in eis contentis clericis ad prædictum Valentiæ regnum extendere et ampliare, atque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur ; nos supplicationibus hujusmodi inclinati litteras prædictas cum omnibus et singulis in eis contentis clericis ad prædictum Valentiæ regnum auctoritate Apostolica per præsentes extendimus et ampliamus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die xx Martii MDLI, anno II ».

JULII III ANNUS 3. — CHRISTI 1552.

1. *Trevirensis ob valetudinis incommoda Tridento discedit, et Protestantium delegati conditiones iniquas ponunt in celebratione Concilii.* — Anno a Virgineo partu quinquagesimo secundo supra millesimum quingentesimum, Indictione decima, dissolutum est Concilium Tridentinum Lutheranorum perfidia, qui cum in Augustanis conventibus ad amplectenda Concilii Œcumenici toties expetiti, in dissidiis religionis decreta se obstrinxissent [1], dolerentque Carolum V Cæsarem concionatores scholarumque moderatores Lutheranos ex multis urbibus depulisse, ut plebs ab orthodoxis doctoribus in viam salutis revocaretur, et juventus a Catholicis ludimagistris pietate et disciplinis excoleretur, efferati in rabiem Mauritium Saxonem et Albertum Brandeburgicum assiduis hortatibus impulerunt, ut ad Cæsarem Germania depellendum, confirmandam Lutheranam impietatem disturbandumque Concilium conjurarent : imbecilliores erant eorum vires, quam ut tam arduum opus in opus perducere possent, sed nacti sunt Henricum Galliæ regem, qui veteri in Cæsarem imbutus odio, belloque Parmensi lacessitus, cum ipsis fœdus pepigerat, defensorem se libertatis Germanicæ dixit; at ne Cæsar adversus tot hostes communire se posset necessariis præsidiis, hoc fœdus occultissimum tenuere, ac Mauritius maxime Cæsarem fallaci obsequii et observantiæ sponsione externoque specimine delinivit, ut illum imparatum opprimeret, ac suos etiam oratores ad Concilium Tridentinum, ineunte anno, misit, non ut serio de religionis controversiis in Concilio ageret, sed

1 Sur. in Comm. hoc anno.

ut Cæsari Concilioque illuderet, bellumque concordiæ inani spe objecta pararet, adeo ut cum superiore anno tumultuantibus in Hassia et aliis provinciis Lutheranis, Moguntinus, Coloniensis et Trevirensis archiepiscopi, iidemque electores Cæsari XI kalendas Januarii significassent [1], decrevisse in suas ditiones se recipere ad eas ab hostium injuriis vindicandas, Cæsar scriptis III nonas Januarii litteris eos metum ponere jusserit, militem fræna laxasse licentiæ ob non soluta stipendia, quibus persolutis, ad officium brevi redigendus sit, a Mauritio omne obsequiorum genus sibi deferri, ejus oratores Œnipontem accessisse, ac brevi Tridentum venturos, deterruitque ne Concilio abscederent, ne Lutheranis calumniarum fundendarum occasio, quasi toties promissum Concilium denegatum esset, præberetur. Hæsere quidem Tridenti Cæsareis verbis confirmati Moguntinus et Coloniensis archiepiscopi, Joannes vero Trevirensis valetudinis incommodis pressus, a Julio discessionis veniam ineunte hoc anno petiit subjectis litteris [2] :

2. « Sanctissime Pater, post pedum oscula beatorum. Optaveram pro summa illa mea qua pius semper et humilis Sanctam Sedem Apostolicam et tuam beatitudinem prosecutus sum religione et observantia, sicut jam integros quinque menses huic sacrosancto Concilio interfui, ita posse ad exitum usque, qui felix faustusque sit, interesse perpetuo, quanquam non ignorem tenuitatem meam inter tot et tantos viros parum esse frugi, sed dura necessitatis lex, cui nemo resistere potest, me compellit, ut nolens potius quam volens curandæ valetudinis, imo vero vitæ tuendæ gratia hos fines deseram, et in aerem patrium me transferam : id vero, nisi tua beatitudine consentiente, facere nolui, quare præsentium exhibitori commisi, ut Sanctitatis tuæ pedes meo nomine exosculetur, illique polliceatur me omni tempore omnem operam meam, quanta est, aut esse potest, præstiturum, ut et sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et tuæ beatitudinis auctoritas, quam Deus summam esse voluit, agnoscatur et colatur. Dignetur Sanctitas tua meæ infirmitatis misereri, indulgere meis necessitatibus, boni consulere hunc meum discessum, amplecti pietatem meam, me meamque Ecclesiam denique in suæ ipsius sanctæ charitatis gremio clementer fovere. Suffragia mea pro hujus sacri Concilii decreto non deerunt unquam, relinquam enim viros doctos, qui vel meo nomine sententiam dicent, vel procuratorio consultabunt.

« Beatitudinis tuæ devotissimus servus Joannes archiepiscopus Trevirensis, sacri Romani imperii princeps elector ».

[1] Aug. Thuan. l. IX. — [2] Ext. apud Jul. III. lib. brev. sig. num. 2888. p. 41.

Indulsit Trevirensis archiepiscopi petitis Julius. Interea decreti a Mauritio principe oratores Tridentum accessere, quo jam ante Wittembergici ducis et Argentinæ, aliarumque civitatum legati venerant, ac abalienati penitus a concordia animi illustria signa dedere, nec enim cardinalem Crescentium legatum Pontificium, Conciliique præsidentem adiere, ne in eo Pontificiæ potestatis culmen venerari viderentur, sed cum Cæsarem se pro supremo Ecclesiæ principe colere dicerent, ad quem tamen male perdendum conjurarant, Cæsareos oratores convenere, iisque subdola impiaque postulata, dignaque obfirmatis in flagitio hæreticis proposuere. Primum causati sunt non esse Tridentinum Concilium Œcumenicum ; non enim omnes Christianas nationes ad id confluxisse, utque ad id venirent ursere; pertinere etiam ne Pontifex in Concilio præsidis auctoritatem exerceret, sed Concilio se submitteret; addidere, ut decreta fidei, quæ antea edita fuerant, irrita censerentur, ne Lutheranæ causæ præjudicatum esset, utque ea cum venissent Lutherani theologi in examen adducerentur : hæc fuit concordiæ ratio, quæ admodum æqua Lutheranis visa est, ut nimirum conculcata fide Catholica, eversoque Pontifice, omnes Lutherani fierent, atque in Sathanæ potestatem transfugerent, et nunquam intermorituris suppliciis una cum ipsis se addicerent. Porro ut eorum hæresiarchæ Melancthon, Brentius et alii, quos appellabant theologos, ad Concilium Tridentinum accedere dignarentur, flagitarunt liberi commeatus syngrapham ampliore formula conceptam, decerptamque ex ea, quæ Bohemis olim a Basileensi Concilio tradita fuerat, ac poposcere, ut ii ferendæ decretoriæ sententiæ auctoritate una cum præsulibus pollerent, atque ut judicium Concilii penitus eliderent, contendere, ut sacræ Scripturæ, sublato veteris Ecclesiæ usu, emortuæ scilicet membranæ, quæ fari non possunt, cum de vero verborum sensu ab omnibus hæreticis depravari solito disceptatur, judicis loco essent, ut ipsis more suo liceret sacra prophanare, ut denique nihil in ipsorum doctrinæ contemptum opprobriumque decerneretur. Ex impiis impudentissimisque Lutheranorum postulatis constabat eos penitus in flagitio obfirmatos, legesque dare Concilio velle, non excipere, verumtamen dura eorum pectora mollire omni clementiæ significatione Patres Tridentini pertentarunt, et Coloniensem archiepiscopum, Viennensem et Julium Flugium Neuburgensem episcopos doctrina et probitate conspicuos legatos, ut cum ipsis agerent, decrevere, qui quidem benignis verbis Lutheranos in rationis tramitem et gyrum æquitatis ducere conati sunt, ac docuere, non esse in potestate Concilii, ut omnes nationes Tridentum venirent, nec propterea si aliquæ desint, non esse Œcumenicum, neque

in ullo veterum Œcumenicorum Conciliorum omnes nationes Christianas convenisse, porro vere Œcumenicum esse ratione supremæ in omnes potestatis Pontificiæ, qua congregatum est : non detrahendam Pontifici supremam præsidendi auctoritatem, quam in omnibus Conciliis semper obtinuerit, non congruere Concilii dignitati, ut decreta sua in dubium revocet, rescindatve ; sacram Scripturam utpote membranam emortuam judicis munere fungi non posse, cum de vero Scripturæ sensu contenditur, non enim fandi usu pollere, quæ si sola sufficeret, leges pariter in republica sufficere, ac judices et magistratus abigendos : ut enim ad magistratum legis interpretatio spectat, ita ad Concilium dubii et ancipitis Scripturæ sensus explanationem pertinere, illiusque sententiæ decretoriæ in iis controversiis, quæ subortæ sunt in Ecclesia, obtemperandum ; cumque inter cætera etiam adderent ducis Wittembergensis oratores, ut de partis utriusque voluntate eligerentur [1], qui de rebus controversis legitime cognoscerent, ne Pontificii episcopi et partes, et judices agerent, quod maxime Lutheranos torquebat , edocti sunt, controversias fidei non a paucis, sed ab Œcumenico Concilio legitime dirimi posse, idque ut judicem in Augustanis comitiis expetitum, quod vero partis et judicis munere fungatur, id in omni supremo tribunali contingere.

Ea mente ipsos venire debuisse, ut audirentur, audirentque vicissim, ac si contra eorum opinionem, decretario in religionis dissidio de vero Scripturæ sensu, de veteris Ecclesiæ usu, de Patrum veterum consensu sententia feratur, quam nolint admittere, liberum ipsis futurum ut discedant.

3. *Proponitur formula doctrinæ de Sacrificio Missæ necnon de Sacramento Ordinis.* — Vigesima Januarii die, doctrinæ formula de Missæ Sacrificio a quinque archiepiscopis, et tredecim episcopis ad id designatis conscripta proposita est, quatuor distincta capitibus. In primo demonstratum est ex divinis oraculis verum et proprium Sacrificium a Christo Domino esse institutum ; secundo capite necessitas Sacrificii Missæ, et consensio cum Crucis Sacrificio ostensa ; in tertio fructus Sacrificii Missæ, et ejus applicatio illustrantur; in quarto de ritibus et cæremoniis in celebranda Missa adhibitis disseritur, quæ ex Ms. Vaticano, Concilii Congregationum Acta continente [2], delibanda visa sunt :

« Doctrina de Sacrificio Missæ proposita examinanda Patribus in Concilio Tridentino xx Januarii MDLII, id est, non ultimo examine discussa, nec promulgata fuit, dissoluto ob hostilem irruptionem ducis Mauritii Concilio.

[1] Palavic. card. p. 1. l. XII. c. 15. — [2] To. IV. de Conc. sign. num. 8191. p. 126. et to. II. p. 92. et to. XVIII. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3205. p. 127.

In Missa verum et proprium esse Sacrificium a Christo Domino institutum.

CAP. I.

« Ut semper in Ecclesia Dei creditum est, per veteris legis abrogationem factum non fuisse, ut Christiani omni lege carerent, sed ut sub nova potius et longe præstantiore lege viverent, qualem novum et tanto excellentius testamentum postulabat, ita sancta Synodus multis Scripturarum testimoniis adducta, et constanti veterum Patrum traditione confirmata, ac divino Spiritus Sancti magisterio instructa, nunquam in ipsa dubitatum fuisse declarat, novum sacerdotium Christianos simul cum nova lege suscepisse, nec veterum sacrificiorum abolitionem, omnem illis sacrificandi rationem sustulisse : quinimo novum et plane divinum Sacrificium Christianis sacerdotibus esse relictum , quod ipsi non tantum in gratiarum actionem, sed pro peccatis etiam quotidie offerrent.

« Missam igitur veram et propriam Sacrificii habere rationem illud in primis Dei Patris jusjurandum ostendit : *Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech.* Hujus enim sacerdotii munere tunc Christus Dominus functus est, cum se suo Patri sub sensibilibus panis et vini signis in ultima Cœna obtulit, et per sacerdotes, qui ejus ministerio funguntur, usque ad judicium offerre non cessat, sicut ipse Melchisedech panem et vinum in sacrificium Deo obtulerat.

« Confirmat deinde oblatio illa munda, quam Dominus per Malachiam, priori populo et ejus munere reprobato, suo nomini in omni loco sacrificandam et offerendam prædixit, quod nomen suum magnum futurum esset in gentibus. Nam adeo sane munda illa est, ut inquinari malitia offerentium nequeat : offertur enim per eam is, qui mentes hominum ab omni peccatorum pollutione mundare potest. Tam assidue etiam illa in omni loco, quam late vera Christi Redemptoris nostri fides extenditur, per Christianos sacerdotes offertur, ut merito a Daniele juge Sacrificium sit appellata. Paulus quoque ad Corinthios scribens : *Videte*, ait, *Israel secundum carnem. Nonne qui edunt hostias participes sunt Altaris? Quid ergo dico quod Idolis immolatum sit aliquid, aut quod Idolum sit aliquid? Sed quod quæ immolant gentes, Dæmoniis immolant, et non Deo. Nolo autem vos socios fieri Dæmoniorum; non potestis Calicem Domini bibere, et Calicem Dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, et mensæ Dæmoniorum.* Quibus verbis dum manifeste annumerat inter victimas Israelis, et immolatas Dæmoniis, Eucharistiam colligitur illam esse Sacrificium, erga quod ea semper veterum Patrum pietas et religio fuit, ut certatim præclaris et magnificentissimis elogiis augustissimam ejus dignitatem commendarent,

et suam erga ipsum reverentiam et devotionem declararent. Itaque appellatum id invenimus Sacrificium verum, incruentum, purum, summum, plenum, vivificum, singulare : rursum salutarem hostiam, holocaustum semper permanens, Sacrificium sacrosanctum, excedens omnes victimas, afferens horrorem, tremenda mysteria, aliis denique hujus generis nominibus honorificentissimis. Ad hæc, cum constet rem externam mystica sacerdotis operatione consecratam et Deo oblatam, Sacrificium esse proprie dictum, nihil causæ dici potest, quia Eucharistia, quam sacerdotes Christi sacra benedictione, quæ verbis fit quibus Catholica Ecclesia utitur, tanquam forma Sacramenti conficiunt, atque Deo offerunt, verum et proprium Sacrificium dici debeat.

« Instituit autem Christus Dominus pro sua divina sapientia hoc sacrificium, cum in novissima Cœna verus ipse secundum ordinem Melchisedech sacerdos, panem et vinum in suum Corpus et Sanguinem convertens, se æterno suo Patri sub panis vinique speciebus obtulit, suisque se discipulis sub earumdem rerum symbolis communicavit, præcipiens illis : *Hoc facite in meam commemorationem.* Quibus verbis Ecclesia sancta Dei præceptum esse sacerdotibus intellexit, ut Sacrificium in Christi memoriam offerrent. Proinde in sacro Canone Missæ eos dicere voluit : *Unde et memores nos, Domine, servi tui, offerimus præclaræ Majestati tuæ hostiam puram,* etc.

« Eo autem tempore cum novum ipse Dominus sacerdotium suis Apostolis contulit, tum partes illas, quæ ad perfectum et consummatum Missæ Sacrificium pertinent, consecrationem, videlicet, oblationem et communionem instituit, quemadmodum veteres Ecclesiæ Patres magno consensu tradunt. Nam quod nonnullos movere solet, Eucharistiam donum Dei esse, sumique solere, commemorationem denique et signum existere salutaris illius Sacrificii, quod semel a Christo Domino in Cruce peractum est, nihil id plane continet, quod veram Sacrificii rationem adimat Eucharistiæ : constat enim illum Judæorum immolantium Agnum typicum donum fuisse Dei et dici solitum, ipsumque a Judæis in memoriam exitus ab Ægypto immolari consuevisse. Nec vero quod Sanguis in Missa consecratus Sacramentum a Domino vocetur, ideo minus ad Sacrificium pertinet : Dominus siquidem Sanguinem suum Novum Testamentum eo sensu vocavit, quod pactum remissionis peccatorum, quæ Novo Testamento promittitur, per illum immolatum et in Eucharistia contentum non aliter sanciretur, quam sanguine vitulorum immolato vetus Testamentum dedicatum fuit.

« Cum igitur ex his, quæ dicta sunt, perspicuum evaserit, Missam sacrificium esse a Christo Domino institutum, et sua oblatione in Cœna inchoatum, et per Apostolos sanctosque Dei ministros continue Deo oblatum, profecto turpissime hallucinantur, qui eam opus bonum esse negant, cum Missæ opus Christi ipsius præcipue sit in terris sanctificantis, non autem hominis, nisi ut exterius ministerium exhibentis, qui dum Christiane in charitate sacrificat, opus procul dubio meritorium et Deo gratum exercet.

4. *De necessitate sacrificii Missæ* [1], *et quod Crucis sacrificio non derogat.*

CAP. II.

« Quamvis unica illa communis hostia (si ejus vim atque virtutem consideremus) totius mundi peccata deleverit, quia tamen nemo unquam potest, ita divina lege ferente, ipsius oblationis fructum, remissionem scilicet peccatorum, et salutem percipere, nisi eum sibi vel ex sacramentorum vel sacrificiorum oratione applicaverit; ideo necessarium fuisse dicendum est, salutare hoc Eucharistiæ sacrificium nobis a Domino relinqui, ut eo ipso, præter reliqua Sacramenta, meritum passionis ejus non uni aut alteri tantum homini, sed universæ etiam Ecclesiæ prodesset; atque ut in ipsa perfectissima Christi lege sæpe visibile externumque sacrificium inveniretur, quo fideles Dei opem et auxilium implorent, atque a Deo impetrare possint : nam si ante Christi adventum per ea sacrificia, quæ futuram redemptionem præsignabant, Patrum per fidem in ipsum redemptorem spes excitabatur, qua quidem erecti utilitatem passionis ejus, veluti eam sibi ipsis vellent præveniendo applicare, in se traducere potuerunt, multo quidem magis decuit hoc Missæ sacrificium, quod non offerendum, sed oblatum in Cruce Dominum significat atque comprehendit, beneficium mortis ejus Christianis omnibus posse conferre. Eadem enim hostia, idem ipse Christus, qui in Cruce seipsum obtulit, in hoc sacrificio Patri offertur et immolatur, sola tamen diversa offerendi ratione : nam etsi vere Apostolus dixerit Dominum unica oblatione consummasse in æternum sanctificatos, ea tamen oblatio sanguinis effusione peracta est. Hæc vero hostia incruento modo singulis diebus consecratur, offertur et sumitur, ut convenienter illius memoria fiat, et particeps unusquisque effici valeat præmii et fructuum, quos ipse redemptor noster sua illa in Cruce oblatione promeruit : ipse namque, ut Paulus ait, didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam; et consummatus factus fuit omnibus obtemperantibus sibi causa salutis æternæ.

« Itaque patet sacrificii hujus perenni oblatione, et maximum Deo tribui honorem, et Christi ejusque passionis memoriam conser-

[1] To. II. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3198. p. 93.

vari, ac propterea fateri unumquemque debere hoc ipso sacrificio oblationis in Cruce peractæ dignitati non detrahi : nam quemadmodum assiduæ atque perpetuæ Christi preces, quas ipse apud Patrem pro nobis in cœlis existens fundere creditur, nihil potentissimæ orationi detrahunt, qua in Cruce cum lachrymis Patrem pro nobis oravit, et exauditus est pro sua reverentia : ita profecto confitendum est sacrificium Missæ incruento modo peractum, in quo seipsum Patri Christus offert, nihil cruento illi Crucis, etsi efficacissimo, derogare.

5. *De fructibus sanctissimi Missæ sacrificii* [1], *et ejus applicatione.*

CAP. III.

« Quantus et quam varius ex venerando hoc Missæ sacrificio in Christianos fructus redundet, illi demum recte noverunt, qui commoda omnia, quæ universis legis sacrificiis deputabantur, diligenter enumerantes, ea viderunt, in hoc uno et singulari sacrificio, cujus illa umbræ fuerunt, copiosius et abundantius, quam in illis omnibus esse comprehensa. Et certe, qui ferre animum velit per omnia sacrificia, quibus olim populus Dei utebatur, hos præcipuos institutionis eorum fines extitisse comperiet, susceptorum beneficiorum memoriam renovare, ac spem futurorum significando erigere (quæ duo Agno Paschali in primis efficiebantur) maximum Dei supra res omnes imperium commendare, hominesque cum primo et supremo suo Domino, commercio aliquo et consuetudine copulare, fœdera Dei confirmare, et promissionum ejus fide alte in mentibus hominum impressa omnes ad summas ipsius laudes excitare, et ut holocausto fieri solebat, largitori bonorum omnium gratias agere, opemque ejus et auxilium in futurum tempus implorare. Huc enim hostia pacifica spectabat, admissorum delictorum ac scelerum remissionem impetrare, ipsosque homines Deo inimicos reconciliare; quod per ea præsertim sacrificia operabatur, quæ pro peccatis nominatim erant instituta : denique animos hominum sanctis actionibus et meditationibus occupare, et ne pravis ullis desideriis serviant, quod omnium sacrificiorum munus erat, inhibere. Hæc autem omnia emolumenta, et si quæ alia magna et salubria fuerunt, quæ ex ullis ullo unquam tempore sacrificiis perciperentur, declarat sancta Synodus uberius et præstantius quadam ratione per unum Missæ sacrificium sanctissimum a Christianis præstari, in qua illud idem, ut sæpe admonuimus, sacrificium offertur, quod a Domino in Cœna fuit immolatum. Nam illud quidem primum nemo nescit, memoriam beneficii redemptionis nostræ, et immensæ illius charitatis, quam Pater æternus in nos servos suos, cum adhuc inimici essemus, ostendit, gratissima commemoratione in Missa celebrari, dum ob oculos nobis in ea redemptoris nostri mors in illo mysterio tanquam in speculo proponitur. Negari etenim non potest vehementer per ipsam spem futuri æterni convivii in illis confirmari, qui panem sibi in ea Angelorum proponi non dubitant. Dominium vero Dei et summam ejus in nos providentiam, quanam re profiteri evidentius potuissemus, quam credendo nos morte Filii ejus vivificatos per eumdem in hoc sacrificio viventem sustentari ?

« Commercium autem an esse aliud majus hominibus cum Deo posset, quam si per hanc divinissimam hostiam, quam Patri ut nostram offerimus, nobiscum præsens esset omnibus diebus usque ad consummationem sæculi, ut potiori ratione dicere possemus : *Quæ est alia gens tam inclyta, quæ habeat Deos appropinquantes, sicut Deus noster adest nobis ?* Constat porro fœdera non veteris, sed Novi Testamenti, non temporalis, sed æternæ hæreditatis sacra hac oblatione tanquam arrabone confirmari. Neque enim, si nos Deus voluisset aliquando occidere, tale nobis unquam sacrificium dedisset, aut de nostris manibus accepisset. Cum maximum etiam fidei mysterium sit, de aliis fidei mysteriis nos certos confirmatosque reddit. Quamobrem amore accensi singulare hoc holocaustum Deo offerimus, quod cum totum oblatum et incensum Deo fuerit, totum remanet edendum et esum rursus totum Deo incendendum. Jam vero, ut commodior nulla ratio iniri potuit ad agendas Deo gratias pro summo redemptionis nostræ mysterio, quam si Patri Filium suum unigenitum, in quo complacitum est ei, ejusque pro nobis effusum sanguinem exemplo Prophetæ instructi offerremus, dicentis : *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo.* Ita nulla certiore via uti possumus ad exposcenda et impetranda quævis ab ipso dona, per quæ majores nostri non gratiam tantum et vitam æternam, sed quæcumque præterea vel animi, vel corporis usui essent, modo spiritui deservirent, postulabant : nulla enim dona a Patre luminum, sive per Sacramenta, sive quavis alia ratione descendunt, quæ non etiam ab eo per hoc salutare Missæ sacrificium impertiantur, atque impetrentur, cujus assidua celebratio non modo sanctam sacerdotibus, verum etiam cæteris fidelibus occupationem affert, dum eos, vel orationibus, laudibus et canticis, vel piis meditationibus, vel aliis utilibus fidei Christianæ actionibus maximo cum spiritus fructu detinet, ut ea de populo Christiano sublata necessum sit

[1] To. VIII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3205. p. 220.

etiam nutare fidem, claudicare spem, refrigescere charitatem.

« Cæterum ex omnibus hujus sacræ oblationis fructibus ille est longe maximus quod per eam tanquam per propitiatorium et expiatorium sacrificium iratus Dominus placatur, et ad tantam nonnunquam misericordiam flectitur, ut etiam ingentibus hominum criminibus propitietur; Dominus enim dixit : *Hic est Calix Novi Testamenti, qui pro vobis, et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Hic autem Sanguis in Cruce effusus, cum sit in Eucharistia contentus, et in mysterio fusus offeratur, fieri nequit, quin sacrificium hoc iis, pro quibus offertur, in remissionem peccatorum valere non debeat, præsertim cum sacrificia olim pro peccatis instituta fuerint, quæ hanc oblationem figurabant, nec Pontifex ex omnibus assumebatur ullus, qui sacrificia pro peccatis oblaturus non esset, et eo quidem pro gravioribus potius quam pro levioribus quod illa expiatione magis egeant.

« Illud quoque sancta Synodus affirmat, nunquam in Ecclesia Dei permissum fuisse ut hoc communionis sacrificium pro iis offerretur, qui non antea membra Corporis Christi per Baptismum essent effecti : « *Quis enim offerat* », inquit Augustinus, « *Corpus Christi nisi pro* « *his, qui sunt membra Christi ?* » Baptizatorum autem nomine vivos et mortuos intelligendos hic esse perpetua et constantissima Ecclesiastica traditio nos docet, quæ pro mortuis ab Apostolis erudita offerre consuevit, de cujus tam solemni more velle dubitare insolentissimæ prorsus superbiæ est.

6. « Modus, quo hoc sacrificium est propitiatorium, et hæc delictorum remissio vivis et mortuis impenditur, superest explicandus. In primis, quod ad Deum attinet, acceptat ille suavissimum fidei sacrificium, respiciens ad illud, non quatenus incruentum est, quia sine sanguinis effusione non fit remissio, sed in quantum illud, quod in Cruce peractum fuit, repræsentat : nam eadem Hostia est cum illa quæ in Cruce oblata fuit, eam quoque commemorat, atque nobis applicat, quia qui in se resurgens a mortuis jam non moritur, adhuc per hanc ipsam hostiam pia quadam solemnique Passionis recordatione et contemplatione in suo mysterio quasi rursus patitur : nam quoties ei hostiam suæ Passionis offerimus, toties nobis absolutionem nostram, Passionem illius reparamus; non quidem quod Missa applicata remissionem peccatorum mereatur, sed quia Pater in faciem Filii sui, qui ei præsentatur respiciens, exoratur, ut peccata remittat ingentia.

« Quod ad suscipientem autem hujus Hostiæ fructum spectat; fide et erga hoc sacrificium speciali devotione opus est, ut remissionem peccatorum accipiat; nec tamen sic valet hoc sacrificium ad mortalium delictorum expiationem et bonos motus mentis, ut Sacramentum excludat Pœnitentiæ, sine quo, actu vel voto suscepto, nullum peccatum mortale remittitur : impetratur enim per hoc sacrificium gratia quâ de peccatis conterimur, et veram pœnitentiam agimus.

« Defunctis autem, qui in Christo quiescunt, valet ad reatus pœnarum expiationem, et ad æternæ gloriæ præmia citius consequenda, ex devotione, quam viventes ad hoc sacrificium habuerunt, et adhuc habere non desistunt. Hanc vero fructuum participationem particularis applicatio promovet, quæ per sacerdotem legitimum sacrificii dispensatorem secundum justitiæ et charitatis regulas ipsi Deo rata efficitur : nam si oratio specialiter applicata ei, pro quo funditur, utilis haud dubie est, et si sacrificia antiqua certis de causis quibusdam applicabantur, nulla ratio est, cur hoc de excellentissimo sacrificio negetur, quod cum omnibus antiquis successerit, omnium illorum virtutem eminenter continet.

7. *De ritibus et cæremoniis, quæ in Missæ celebratione* [1] *adhibentur.*

CAP. IV.

« Quoniam rudis hominum natura, quæ nihil absque sensuum anticipatione percipit, difficile contineri in officio, et erudiri in religione, ac ad pietatem et devotionem excitari absque sensibilibus cæremoniis et externis aliis adminiculis potest, noluit Deus Christianam religionem hoc tanto præsidio esse destitutam. Declarat igitur sancta Synodus Eucharisticas cæremonias, neque Scripturarum testimoniis, neque mysteriorum ratione carere. Quanquam autem non omnes peculiares ritus et cæremoniæ, quæ in Missæ celebratione adhibentur, in Scripturis expressæ inveniantur, nullas tamen absque Spiritus sancti instinctu in Ecclesiam introductas fuisse, et tam constanter et tam religiose tot sæculis observatas affirmat. Atque illæ quam sint necessariæ populo in officio continendo, ipsi Ecclesiæ hostes declarant, qui postquam veteres et receptas cæremonias rejecerunt, novas excogitare et inducere coacti sunt. Nihil igitur in ritibus hujusmodi vel abrogandum est omnino, vel imminuendum, quare totum Missæ Canonem sancta Synodus asserit sanctissime esse constitutum, nec quidquam continere quod pietatem et religionem non spiret; quod si quæ forte sint obscuriora loca, et quæ explicationis lucem desiderent, qualia permulta in Scripturis reperiuntur, consultis orthodoxis Patribus, qui ea suis expositionibus

[1] Ang. Mass. in Actis Concil. Trid. post Sess. III. sub Julio III. Ms. Vat. sig. num. 3191. p. 1266. Et tom. XVIII. sign. num. 3205. p. 132.

illustrarunt, pie ac catholice intelligi debent. Ideo nonnisi pernicioso et pravo consilio abrogari quidam Canonem Missæ suadent, vel tanquam erroribus, mendaciis et seductionibus scatentem impie traducunt. Propterea religiose et sapienter etiam observatur, ut Consecrationis verba et maxima pars canonis tacite et submissa voce a sacerdote recitentur. Hac enim ratione sanctitas et majestas hujus ineffabilis mysterii rectius servatur, et populus excitatur, ut de eo reverentius et majori cum devotione cogitet. Lingua enim latina, quæ in titulo Crucis Domini tanquam quoddam divinum instrumentum est consecrata, mysteriis Missæ in Ecclesia Occidentali celebrandis maxime convenit: quæ cum tot gentes, magna sermonis diversitate distinctas et frequentissime inter se communicantes brevi terræ spatio complectitur, uno hoc profecto sermone, qui omnibus communis est, in peragendo hoc Communionis Sacrificio uti debuit, præsertim cum hac ratione pluribus incommodis obviam eatur, quæ tanta evulgatione, et tam varia translationum in mysteriis fidei diversitate nasci possent. Quod si quæ intersint, omnibus esse nota, ut Veteris et Novi Testamenti lectiones quæ in Missa recitantur: ea per Concionatores debent saltem diebus Festis populo declarari, quemadmodum in illis omnibus Ecclesiis fit, quarum pastores officiis suis non desunt.

« Quantum autem vestibus, luminaribus atque aliis externis rebus, quæ in Missæ cultu adhibentur, et ad eum peculiari consecratione per verbum Dei et orationem sanctificantur, moveri homines soleant, ut revocent animos a cogitatione rerum profanarum, et rem ibi sacram et divinam agi cum reverentia cogitent, nemo est qui nesciat. Est enim in his omnibus utilissima et sanctissima significatio, quam qui intelligunt vehementer excitantur, ut in vero spiritu Patrem adorent, et illam puritatem ac mentis elevationem, quoad ejus fieri possit, imitentur, quam Redemptor noster in illa novissimæ suæ Cœnæ Missa habuit. Quæ ideo simplicissima fuit, et his externis signis et ornamentis caruit, quoniam nec ullis externis adminiculis, quibus excitaretur, ille indigebat, nec tempus quoque, aut locus, ut ea adhiberet, poscebat. Ideo idem Spiritus, qui ad sacrificandum eo modo Christum impulit, Ecclesiam docuit decentes et pias pro temporis ratione cæremonias addere.

« Porro Missæ, in quibus nullus præter sacerdotes celebrantes communicant, immerito ut privatæ traducuntur et illicitæ: nam, cum Missa omnis commune Sacrificium sit, et a publico ministro celebretur, privata profecto Missa dici non potest, in qua pro universa Christi Ecclesia Sacrificium offertur. Publicæ igitur omnes Missæ sunt, et non absque maximo totius Ecclesiæ et multorum membrorum ejus fructu, ubicumque illæ fiant, frequentantur. Nec profecto excommunicationis ullam faciem habent, cum populus, qui hujusmodi Sacrificio adstat, a sacerdote celebrante pacis osculum et benedictionem recipiat, atque etiam Communionem, si velit, accipere possit. Nec vere earum usus a Magno Gregorio primum fuit inductus; sed longe vetustissimus est, ut ex antiquorum Patrum scriptis patere potest, cum crebrius illis temporibus Missæ celebrarentur, quam fideles in eis communicarent.

« Quæ pro intercessione aliquorum sanctorum, in eorum etiam memoriam [1] et honorem particulari ratione celebrantur, cum sit certum, nec aliis, quam Deo Sacrificium in eis offerri, et sanctorum commemorationem duntaxat fieri, quam in illorum gloriam, et in Christi fidelium utilitatem cedere, semper in Dei Ecclesia creditum est.

« Jam vero quoniam controversia de aqua cum vino in hoc Sacrificio miscenda, jam pridem extincta, his denuo temporibus est excitata, declarat sancta Synodus, juxta Catholicæ Ecclesiæ fidem et sanctorum Patrum traditionem et consensum, aqua vino esse admiscendam, tum quod ita Christus Dominus fecisse traditur, tum quod illa fluxum nobis aquæ et sanguinis ex latere Domini nostri in Cruce pendentis significet, ac ipsius etiam cum populo conjunctionem repræsentet.

« Huic doctrinæ adjecti sunt Canones, quibus anathemate defixi sunt ii, qui pertinaciter contrarios errores tuentur.

8. *De Sacrificio Missæ propositi examinandi eodem die.*

CANON I.

« Si quis dixerit, in Missa non esse Sacrificium, nec oblationem pro peccatis, sed tantum commemorationem Sacrificii in Cruce peracti, aut vocari translato nomine Sacrificium, at vere et proprie non esse; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, Missam esse tantum testamentum et promissionem remissionis peccatorum; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, Missæ Sacrificium non esse ex Evangelio, nec a Christo institutum, sed inventum ab hominibus, neque illud offerre esse opus bonum aut meritorium, imo in eo committi manifestam et multiplicem idololatriam; anathema sit.

[1] Tom. IV. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 128. E. tom. XVIII. sig. num. 3205. p. 140.

CANON IV.

« Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi Sacrificio in Cruce peracto ab iis, qui Dei Filium a sacerdotibus in Missa Deo offerri credunt ; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, Christum pro nobis mystice in Missa immolari, et offerri non aliud esse, quam nobis ad manducandum dari, aut illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, non ordinasse ut apostoli et alii sacerdotes offerant Corpus et Sanguinem ejus ; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, Canonem Missæ erroribus et seductionibus scatere, abrogandum esse fugiendumque, non secus ac pessimam abominationem ; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, Missam, nec vivis, nec mortuis prodesse, aut impium esse applicare eam pro peccatis, pro satisfactionibus et aliis necessitatibus ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, neminem pro alio Sacrificium Missæ offerre posse, sicut nullus pro alio communicat vel absolvitur ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit, Missas privatas, in quibus videlicet solus sacerdos, et non alii communicant, quæ diu ante Gregorium Magnum fuere in Ecclesia, illicitas esse atque abrogandas, et cum Christi instituto pugnare, aut repræsentare magis excommunicationem, quam communionem a Christo institutam ; anathema sit.

CANON X.

« Si quis dixerit, vinum necessariam materiam non esse hujus Sacrificii, neque aquam esse miscendam cum vino in calice, idque esse contra Christi institutionem ; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo secreto et submissa voce verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse, Missamque nonnisi in lingua vulgari celebrari debere, ac imposturam esse certas Missas certis sanctis, sicuti Ecclesia intendit, attribuere ; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit, cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritamenta impietatis esse magis quam officia pietatis ; anathema sit.

CANON XIII.

« Si quis dixerit, Missam minus Christianam esse, quia cum pluribus cæremoniis celebratur, quam fuerit a Christo celebrata ; anathema sit ».

Fridericus Nausea [1], episcopus Viennensis, cum diceret sententiam de superiori doctrina, hæc præfatus est : « Quod ad doctrinarum capita de sacrificio Missæ et Ordinis Sacramento pertinet, audeo equidem, non ut adulator, sed ut ipsissimæ veritatis amator et propugnator, coram palamque affirmare et asserere, quidquid earum est doctrinarum, tam mihi suis numeris omnibus undecumque absolutum videri, ut nec ipsum quidem Dionysium copiosius, nec Origenem sublimius, nec Tertullianum acutius, nec Cyprianum doctius, nec Gregorium disertius, nec Augustinum exquisitius, nec Ambrosium dulcius, nec Hieronymum gravius, nec Chrysostomum redundantius, nec Thomam dilucidius, nec Bernardum devotius, nec Scotum subtilius, nec alium quemquam, quibuscumque etiam vel animi vel ingenii dotibus præpollentem, perfectius et absolutius hoc ipsum concipere et concinnare quoquo modo potuisse crediderim. In his ipsis doctrinis videor mihi summa cum jucunditate audire, et docere quidquid unquam sancti Patres, aut de Ordinis Sacramento, aut de Missæ Sacrificio rite docteque scripserunt et docuerunt ».

9. Conscripta quoque est doctrina [2] de Sacramento Ordinis, ac revocata ad examen XXI Januarii. In primo capite de necessitate et institutione Sacramenti Ordinis actum est. In secundo de visibili et externo Ecclesiæ sacerdotio. In tertio de ecclesiastica hierarchia, et episcopi ac presbyteri differentia ; Canones etiam illi doctrinæ annexi excuti atque ad examen revocari cœpti sunt.

De Sacramento Ordinis [3] *propositi examinandi eadem die*, *nimirum* XXI *Januarii*.

CANON I.

« Si quis dixerit, Ordinem non esse vere et proprie Sacramentum a Christo Domino institutum, sed tantum ritum quemdam eligendi ministros verbi et Sacramentorum, aut figmentum esse humanum, quod Ordo sit Sacramentum ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, Ordinem non esse unum Sacramentum, aut infimos et medios Ordines ve-

[1] Tom. XVIII. p. 226. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 1296. p. 181, 133. — [3] Tom. IV. de Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3141. p. 1356. To. VIII. sig. num. 3205. p. 141.

lut gradus quosdam non tendere in sacerdotium; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, nullam esse ecclesiasticam hierarchiam, aut omnes Christianos ex æquo esse sacerdotes, sed ad usum et executionem Ordinum opus esse vocatione magistratus sæcularis, vel consensu populi; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, Ordinationes ab episcopis factas sine plebis consensu irritas esse, aut eum qui semel est sacerdos, laicum rursus fieri posse; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, in Novo Testamento non esse sacerdotium visibile et externum, nec potestatem spiritualem consecrandi, offerendi, a peccatis absolvendi, sed officium tantum et ministerium prædicandi Evangelium, aut eos qui non prædicant prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, Unctionem non requiri in Sacramenti Ordinis traditione, imo esse perniciosam et contemnendam, similiter et omnes alias cæremonias; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, per Sacramentum Ordinis non conferri Spiritum sanctum; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, episcopos non esse jure divino institutos, nec presbyteris superiores, aut non habere jus ordinandi, vel id etiam presbyteris competere; anathema sit ».

10. *Oratores Protestantium postulant ut supersedeatur promulgationi decretorum prædictorum donec admittantur in Concilium.* — Cum iis Canonibus et doctrinis hæreses suas confutari [1] damnarique audissent Protestantium principum oratores, qui Tridentum accesserant, postulavere ut differretur eorum promulgatio, donec eorum theologi argumenta sua explicuissent, quos ipsi venturos falso pollicebantur; ita ii Canones cum doctrina in Sessione publica approbati promulgatique non fuerunt; quare iterum de iis sub Pio IV, decennio post, Sessio celebrata est, quæ vigesima secunda numeratur.

Addunt Acta [2]:

« Die XVIII Januarii, habita Congregatione generali, significatur Patribus advenisse oratores Mauritii, ducis Saxoniæ, qui petunt sibi dari alium salvum conductum in ampliori forma, et hoc interim supersederi a publicatione et diffinitione materiarum jam discussarum : cum super eis cupiant, ut eorum theologi audiantur. Super quibus rogatis sententiis, licet Patres jure se timere assererent, ne deluderentur, idque solum peti, ut mora moræ, et difficultates difficultatibus adderentur, tamen visum est convenire, ut Ecclesia tanquam pia mater omnes semper benigne excipiat, gremiumque ad se redire profitentibus non claudat; præsertim vero, ut eis omnis amplius cunctandi occasio adimeretur, placuit omnibus, ut eorum petitionibus satisfieret ».

11. Ob summam revocandorum ab errore Lutheranorum voluntatem non servata sunt monita Pontificia [1] quibus legati Tridentum ituri præmuniti fuerant, ut antequam audirentur hæreticorum oratores, illi ad agnoscendam Concilii auctoritatem adigerentur, concepta enim erant de his subjecta mandata :

« Antequam quidquam cum hæreticis tractetur, aut disputetur, illud omnino servandum (quod et divini et humani juris est) ut primum conveniant de judicio ac judice, et confiteantur unam esse Ecclesiam Christi toto terrarum orbe diffusam, unumque esse ipsius Ecclesiæ caput Christi vicarium, ipsiusque Christi verbo constitutum, et quod Concilium Generale legitimum, id est, ab eodem ipso Ecclesiæ capite indictum ac probatum repræsentet universam Ecclesiam; cujus quidem Concilii decretis, determinationibus ac declarationibus se subdere, subditosque esse volunt atque consentiunt.

« Quod si hæc inficientur, non debent quovis modo audiri super quoquam contendentes, cum se declarent apertissime schismaticos et hæreticos : nam is qui dubitat, non habet principia fidei, et articulum Catholicæ Ecclesiæ convincitur non recipere; et ideo hoc casu cum illis agendum est, quasi cum schismaticis et hæreticis damnatis, non quasi cum paribus, paremque nobiscum causam habentibus, juxta illud Psal. XXV : *Non sedi cum Concilio vanitatis, et cum iniqua gerentibus non introibo. Odivi ecclesiam malignantium, et cum impiis non sedebo.*

« Si autem supradicta admiserint, audiantur et discutiantur eorum querelæ et propositiones cum omni mansuetudine et maturitate, et ad ipsum Caput Summum Pontificem ab eo deinceps cum approbatione Concilii determinandæ deferantur.

12. « Non sunt hæc ab iis exacta, ut jure exigi debuerant, sed ne absterriti a Concilio abscederent, tanquam feræ cicurandi pelli-

[1] Ms. Vat. sig. num. 3181. — [2] Aug. Mass. Ms. arch. Vat. sign. num. 3191. p. 1266.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 267.

ciendique benignitate ad officium visi sunt, at eo præfractiores oratores Lutherani exambivere impia sua mandata in publico sacro consessu exponere, ut petulanter illuderent Synodo, sed admissi sunt tantummodo ad privatam Congregationem die vigesima quarta Januarii, in qua matutino tempore Wittembergici ducis oratores, quia prius venerant, auditi sunt, serotino vero Mauritiani, impiæque et insolentes eorum expostulationes pie et benigne refractæ fuerunt, ac non aliter quam medici furentes phreneticos blandis lenire verbis consueverunt, ita Patres tolerandam Lutheranorum petulantiam, eorumque doctores audiendos sollicitandosque, ut Tridentum venirent, decreverunt, quo ignorantiæ caliginem ex eorum oculis detergerent, aberrantesque in salutis viam leniter traducerent.

« Die Dominica XXIV Januarii habita fuit Congregatio Generalis [1], in qua proponitur adesse oratores Christophori ducis Wittembergensis, petereque ut a sancta Synodo audiantur, quod omnibus placuit, præmissa prius protestatione infrascripta : Hæc sacrosancta Œcumenica et Generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata præsidentibus in ea eisdem sanctæ Sedis Apostolicæ legato et nuntiis.

« Ne ob disceptationes (quæ tam de personis comparentibus, mandatisque et scripturis exhibendis, quam de loco ad sedendum personis assignando oriri possint) felix ipsius Concilii progressus retardetur, inhærens decreto in secunda Sessione promulgato, atque illud innovans, statuit, decernit, declarat, quod si forte contigerit, aliquos, qui ex dispositione juris aut ex approbatorum Conciliorum more admittendi aut recipiendi non essent, vel per se ipsos vel per interpositas personas admitti, aut recipi, vel in loco non debito sedere, vel sententiam sub verbo, *Placet*, proferre, vel Congregationibus interesse, vel alios quoscumque actus facere Concilio durante, quodque si etiam contigerit, mandata, instrumenta, protestationes, et alia hujusmodi generis scripta, quæcumque, quæ ipsius Concilii honorem, jus ac potestatem quomodocumque læderent, seu lædere possent, recipi, aut admitti, propterea non præjudicetur, neque aliquo modo præjudicatum censeatur vel intelligatur præsenti Concilio, neque Conciliis Œcumenicis ac Generalibus in perpetuum celebrandis : cum omnis intentio hujus Concilii sit et eo tendat, ut pax et concordia, quacumque ratione, licita tamen et congruenti, in Ecclesiam reducatur.

13. « Deinde intromissi sunt præfati oratores, qui stantes in calce aulæ, capitibus detectis, junior Joannes Henricus Hoecklin locutus est his verbis :

« Reverendissimi Patres, illustrissimi principes et domini observandissimi.

« Sacra Romana Cæsarea majestas dominus noster clementissimus hortatus est, pro summa clementia majestatis suæ, illustrissimum principem nostrum gratiosum cujus legatione in præsentia, vigore hujus mandati, quod hic exhibemus, fungimur, ut ad cœtum reverendissimarum vestrarum paternitatum referat, si quid habet, quod ad publicam Catholicæ Ecclesiæ utilitatem , et ad conscientiæ tranquillitatem pertinere videatur; quare, ut jam dictus illustrissimus princeps dominus noster gratiosus testificetur pium suum affectum erga vestram Ecclesiam Christi, declaret obedientiam suam erga sacram Romanam Cæsaream majestatem, Dominus noster clementissimus curavit in scriptum conferri ea, quæ arbitratur ad constituendum veram pacem Ecclesiæ, tam in doctrina quam in ritibus Ecclesiasticis emendanda esse. Hoc scriptum offerimus, jussu et mandato illustrissimi principis nostri reverendissimi vestris paternitatibus, et speramus fore, ut vestræ reverendissimæ paternitates ex eo cognoscant illustrissimo principi nostro nec curam nec studium deesse, ut vera pax et concordia in Ecclesia Christi constituatur : quod si vero quid in hoc brevius vel obscurius, quam res tanta postulat, dictum fuerit, aut si alioquin opus esse videbitur, idem illustrissimus princeps noster theologos suos, qui id copiosius et magis perspicue explicent, necnon sacræ Scripturæ testimoniis defendant ac tueantur, debita eis præstita securitate, se missurum pollicetur et offert. Et cum hucusque dilata sit actio, princeps noster illustrissimus interea nobis aliquot gravamina transmisit, jussitque reverendissimis paternitatibus vestris illa exhiberi, ut videlicet eo facilius ad causæ tractationem perveniri possit; et ut theologi principis nostris eo citius huc amandentur. Cumque hæc ipsa gravamina sint hujusmodi, ut pro rei magnitudine prætermitti non possint, et necessario proponantur, illustrissimi principis nostri nomine, etiam atque etiam rogamus, ut reverendissimæ paternitates vestræ benigne illa suscipiant, simul atque responsum nobis commodum, quam primum fieri poterit, reddant.

« His dictis exhibuerunt scriptum quoddam, in quo eorum opinionem in rebus fidei et religionis contineri asserebant, ac ipsius ducis mandatum.

« In eo profitebatur Wittembergensis [1] dux sæpius in comitiis imperii sancitum fuisse, ut omnia religionis dissidia tollerentur in Œcumenico, libero et Christiano Concilio, disciplina

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3291. p. 136. Ext. in Actis excus. in edit. Binii p. 316.

[1] Ext. ibid. p. 139.

Christiana in pristinum nitorem restitueretur, liberumque esset omnibus principibus ordinibusque imperii omnia sua incommoda et gravamina in deliberationem adducere, Cæsaremque edicto publico electores et alios principes ad id monuisse. Ne itaque muneri suo deesset, decretos a se oratores fuisse, ut Christianæ reipublicæ discordiæ sedarentur. Actum in oppido nostro Tubinga xx die mensis Septemb. MDLI.

« Christophorus dux Wittembergensis ».

14. *Non Concilium, sed colloquium inane petunt Lutherani.* — At cum placidis iis verbis pacis osculum Ecclesiæ libare Wittembergensis ipse dux videretur, mox impio alio scripto, tanquam pugione, instar Joab Amasam amplectentis, illius viscera confodere ac dilaniare annisus summam in hæresi pertinaciam professus est. Angelus enim Massarellus [1] indigna oratorum ejus postulata perstringit his verbis :

« Petierunt tria, ut ipsi dicebant, gravamina explicari, illa autem sunt : Primum, ut constituantur judices et arbitri, qui judicent de controversiis religionis; et ii non sint episcopi uti partes. Secundum, ut Concilium non ita continuetur, ut decreta in eo hactenus promulgata pro conclusis et ratis habeantur. Tertium, ut ipsa decreta in Tridentino Concilio promulgata, tanquam parte altera super eis non audita, retractentur et irrita fiant ».

Extant eadem suis concepta verbis in Congregationum generalium Actis [2], sequentibus verbis :

« Gravamina seu conditiones, quibus oratores ducis Wittembergensis petunt Concilium celebrari.

« Illustrissimus princeps ac dominus D. Christophorus, dux Wittembergensis noster clementissimus, ordinavit ad Concilium Tridentinum quosdam suos theologos, qui oblatam confessionem auctoritate Sacræ Scripturæ et veræ Catholicæ Ecclesiæ consensu defendant ac tueantur, et si opus fuerit, copiosius explicent. Sed priusquam theologi suscipiant explicationem, petit illustrissimus princeps noster, de quibusdam gravaminibus suis sententiam Tridentini conventus audiri.

« Primum ergo gravamen est, quod ad audiendam theologorum explicationem non sint ordinati et constituti ex utriusque partis consensu idonei judices aut arbitri, qui de præsenti controversia religionis legitime juxta Scripta Prophetica et Apostolica cognoscant. Etiam cum illustrissimus princeps noster intellexerit maximam partem doctrinæ suorum theologorum pugnare cum doctrina et sententia Pontificis Romani, et eorum episcoporum qui Romano Pontifici juramentis et aliis obligationibus sunt addicti, nullo jure, nulla æquitate fieri potest, ut Pontifex et episcopi ejus in hac causa, in qua ipsi sunt pars, sive accusatores, sive rei, pro idoneis judicibus seu arbitris cognoscantur. Petit igitur illustrissimus princeps noster se reddi certiorem, quinam sint futuri hujus rei judices aut arbitri.

« Secundum gravamen est, quod conventus Tridentinus non videatur servari juxta recessus comitiorum imperialium Augustanorum, in quibus decretum fuit, quod Concilium Tridentinum continuari, et omnia Christiane, honeste et congruenti ordine tractari debeant. Hæc verba illustrissimus princeps noster nunquam intelliget aut intellexit aliter, quam quod Concilium Tridenti ante annum quadragesimum sextum, nimirum excurrentis sæculi, institutum non sit ita continuandum et prosequendum, ut decreta in eo facta pro conclusis et ratis habeantur : quæ enim hæc esset honestas ac congruentia, ea decreta pro ratis et sacrosanctis habenda imponere, quæ parte altera nondum audita sunt constituta? Sed quod omnia capita religionis nostræ, de quibus controvertitur, iterum tractari, et ni his audiendis et dijudicandis vere legitima et æquitati conveniens actio observari debeat. Quod cum hoc Tridentinum Concilium videatur hoc modo institutum, petit illustrissimus princeps noster, ut recessui comitiorum imperialium hac in parte satisfiat.

« Tertium est, quod in Sessionibus non solum ejus Concilii, quod anno MDXLVI Tridenti est institutum, verum etiam hujus Concilii, quod jam continuatur, decreta sint multa aliena a sacris litteris, et confirmati multi veteres errores, sicut illustrissimi principis theologi sese coram idoneis judicibus et arbitris declaraturos recipiunt. Petit itaque illustrissimus princeps noster, ut talia decreta non habeantur pro conclusis et ratis, sed tantum pro discernendis et judicandis, donec *idonei judices aut arbitri ex utriusque partis consensu veræ Ecclesiæ cognitio fiat.* Ut ergo illustrissimus princeps noster in hoc unum præcipue incumbat, ut vera et pia concordia in Ecclesia Dei constituatur, non dubitat æquum esse, ut jam his commemoratis gravaminibus levetur et exoneretur, ac vicissim recipit se ope et auxilio divinæ clementiæ nullum officium Christiano dignum et pio principe intermissurum, quo sperat se Deo Patri D. N. Jesu Christi fidem et obsequium suum probare, et incolumitatem et tranquillitatem veræ, sanctæ, et Catholicæ Apostolicæque Ecclesiæ juvare posse.

« Quibus omnibus responsum fuit his verbis : Sancta hæc Œcumenica Synodus audivit ea, quæ a vobis relata sunt, et cum deliberatione providebit.

« Eadem die XXIV Januarii, hora autem XXI, habita iterum Congregatione generali, in primis

[1] Ang. Mass. Sum. Conc. Trid. sub Jul. III. Ms. Vat. sig. num. 3190 p. 206. — [2] Ext. in Act. arch. Ms. Vat. sign. num. 3191 pag. 140.

proponuntur et approbantur decreta prorogationis, diffinitionis et publicationis decretorum, necnon salvi conductus Germanis ea forma, qua ipsi petierunt, dandi. Deinde proponitur iterum causa postulationis filii Electoris Brandeburgensis. Rogatisque sententiis majori parti Patrum placuit, ut hujusmodi confirmatio a Pontifice ob publicum bonum concederetur, cum dispensatione opportuna, dato ipsi postulato administratore, usque ad legitimam ætatem, et quousque appareat, quod in fide Catholica recte sentiat, quodque Tridentum ad Concilium veniat, ei se subjiciat, et ejus decreta se recepturum et observaturum juret (1) ».

15. Postea introducuntur oratores Mauritii, ducis Saxoniæ electoris, videlicet, Wolfgangus Koler, capitaneus Thuringiæ, et Leonardus Badenhorn, utriusque juris doctor : quibus stantibus in calce aulæ, doctor locutus est his verbis :

« Propositio oratorum Mauritii, ducis Saxoniæ electoris, in eorum comparitione.

« Quod bonum, felix ac faustum sit Christianæ reipublicæ, reverendissimi, et amplissimi quarumcumque dignitatum ordinis et status viri, patres, ac domini debita reverentia observandi.

« Illustrissimus princeps Mauritius, dux Saxoniæ, sacri Romani imperii elector et archimareschallus, præses Thuringiæ, et marchio Misniæ, etc., dominus noster clementissimus, misit nos ad vestras reverendissimas et amplissimas dignitates et præstantias, et precatur primum a Deo optimo Maximo Patre Domini nostri Jesu Christi, ut Spiritum sanctum suum benigne largiri ac aspirare dignetur, quo omnia, quæ hic agitis acturique estis, ad sui sanctissimi nominis, et Christi Filii sui Domini ac Salvatoris nostri gloriam et honorem, et Ecclesiæ suæ pacem et incrementum, atque cunctorum Christi fidelium veram et æternam salutem tendant et dirigantur. Deinde notum vult esse universo huic ordini vestro, quod jam diu secum constituit, et animum suum ita declaravit, si quando, propitio Deo, contingeret universale, liberum et Christianum Concilium congregari, in quo controversiæ religionis nostræ sepositis affectibus, secundum sacram Scripturam tractari et dijudicari, omnes tuto admitti et audiri atque Christiana reformatio, tam in capite quam in membris institui deberet, quod ad tale Concilium suos quoque theologos, viros pios, doctos ac pacificos mittere vellet. Et quia putat hoc nomine congregatos nunc esse, in hoc convenisse hic vos omnes, ut eo, quo dictum modo est, procedatur, ideo convocatis suis theologis, qui antecessorum suorum, et partim etiam suo tempore scribendo claruerunt, mandatum dedit, ut missis ex suo numero quibusdam, suæ doctrinæ confessionem in hoc casu nostro faciant, et eam sacræ Scripturæ testimoniis confirment, atque in omnibus, quibus secundum sacram Scripturam possint, nobiscum communicent ac concordent; id quod illi se facturos prompti ac volentes in se receperunt.

« Quod vero hoc hactenus factum non sit, et illi hic nondum comparuerint, causam hanc habet, quod princeps noster admonitus fuit cujusdam constitutionis Concilii Constantiensis, quæ habet, quod hæreticis et de hæresi suspectis nulla publica fides, nullusque salvus conductus, sive per imperatorem, sive per reges, seu per alios datus, quocumque vinculo ad servandum se adstrinxerint, servari debeat : quinimo si confisi aliqui super hujusmodi salvo conductu venerint, alias non venturi, a potestate Ecclesiastica possint, non obstante ejusmodi salvo conductu, nihilominus puniri. Et habetur tenor illius Constitutionis in XIX Sessione Concilii Constantiensis, cujus Constitutionis exemplar, si forte alias nunc ad manum non sit, jam dabimus. Et movit hæc Constitutio principis nostri animum eo magis, quo timore hujus etiam Bohemi tempore Basileensis Concilii accedere ad illud nequaquam voluerunt, nisi eis plena et perfecta securitas veniendi eo et ibi commorandi, atque inde redeundi in propria a Concilio daretur, cum derogatione dictæ Constutionis Constantiensis expressa, et multis aliis clausulis. Unde et Concilium illud Basileense plenissimam securitatem salvi conductus illis concessit, cum memoratæ Constitutionis expressa derogatione, et multis aliis clausulis, ut est videre in quarta Sessione ejus Concilii, cujus formam priori subjiciemus. Ejusmodi ergo salvum conductum petivit princeps noster dari etiam suis theologis, consiliariis, et aliis quos hic missurus esset, cum eorum ministris et familiaribus quos secum adducerent, et tuto huc venire, hic commorari ac redire hinc secure possint. Et spem certissimam conceperat fore, ut quod Basileensis Synodus Bohemis benignissime concesserat, id hic Tridenti Germanis non negaretur.

« Verum oblata est illi ante dies non multos quædam membranea schedula aperta sine sigillo, cum significatione hac, quod per istam satis cautum suis esse deberet, cujus copiam etiam exhibebimus ; sed, quia multum discors hæc ab illa fuit, et cum Basileensi salvo conductu vester salvus conductus in plurimis articulis minime conveniebat, ob id grave et peri-

(1) Doctores Lutheranos ad Concilium non venisse certum est ; sed exploratum pariter reipsa quosdam e secta Lutheri theologos primarios iter Tridentum suscepisse. Etenim Enochus Windemannus, in Chronico Curiæ vulgato a Menkenio Rer. Germ. to. III, narrat Dominica Epiphaniarum secunda Philippum Melanchtonem, Erasmum Sarcerium, Joannem Paulum Gasparem Peucerum venisse Curiam, ut ad Concilium iter maturarent. MANSI.

culosum judicatum est, non impetrato eo, qui petitur, et qualis Bohemis datus esset, salvo conductu, huc accedere, maxime enim cum ex proœmio et aliquot decretis hic Tridenti promulgatis, quæ typis excusa in publicum prodierunt, manifestum sit pro schismaticis et hæreticis hic haberi et culpari; cum nequaquam huc vocati, multo minus hic auditi fuerint, et nihilominus prompti sint doctrinam suam testimoniis sacræ Scripturæ corroborare. Quare petit princeps noster ex commemoratis causis, et se ac suos quominus hic hactenus comparuerint, excusatos haberi, et qua rogavit forma, quaque Bohemis in Basileensi Concilio datus est salvus conductus, eadem nunc suis etiam dari, atque quamprimum sibi transmitti. Præterea certior est redditus princeps noster, quamvis, ut dictum est, sui theologi neque vocati, neque auditi fuerint, et propter defectum pleni atque integri salvi conductus venire huc et comparere hic nondum potuerint : quod tamen nihilominus sine mora procedatur et concludatur, etiam in illis articulis religionis, qui controversiam habent, sicut videmus, quod nunc sessionem habere, et decreta super articulis in controversia positis publicare velitis; quod principi nostro præjudiciale, et tam divino quam humano, tum naturali, tum positivo juri contrarium extitit : quæ jura omnia volunt, quod non auditi non debeant prægravari.

« Cum itaque velit princeps noster suos theologos huc mittere, doctrinæ suæ consessionem facturos, et eam sacræ Scripturæ testimoniis corroboraturos, quique in omnibus, quibus cum verbo Dei possint, et velint, et debeant vobiscum concordare, sed ex defectu salvi conductus id facere hactenus impediantur, manifestum est culpam nullam illis attribui posse : unde rogamus nomine nostri illustrissimi principis, ut tractatio illa articulorum, qui controversiam habent, et præsens instituta Sessio decreto publico eo usque differantur et protrahantur, donec ipsius etiam theologi tuto huc adveniant, et ad plenum audiantur, qui jam nunc in itinere sunt, et ad LX milliaria Germanica huc processerunt, expectantes vestrum salvum conductum, ut eo accepto mox progrediantur, et, quamprimum fieri poterit, hic apud vos compareant, doctrinam suam, ejusque testimonia sacra edant, ac in lucem proferant.

« Tertium est, quod relatum fuit principi nostro, quod illa decreta, quæ superioribus annis hic Tridenti tractata fuerunt, pro decretis conciliaribus et firmis conclusis habere, articulos, qui controversiam habent, et in quibus qui Augustanæ sunt confessionis dissentiunt, non reassumere, neque audire suos super illis velitis.

« Cum vero illi declaratum sit, pleraque eorum decretorum etiam in præcipuis capitibus religionis nostram justificationem concernentibus, errores non leves continere, qui per sacram Scripturam ostendi et declarari possunt, summe necessarium et ipse plerique alii semper judicarunt et adhuc judicant, ut sui etiam theologi super illis decretis audiantur, et sic in controversia positi articuli reassumantur. Quapropter orat princeps noster, ut illa decreta in articulis, qui controversiam habent, omnino reassumantur, et cum sui, tum alii Augustanæ confessionis theologi super illis plene audiantur, eorum rationes et argumenta ex sacris litteris expendantur, quod pium et Dei Verbo consentaneum fuerit admittatur, et suffragiis omnium nationum Christiani orbis laudetur recipiaturque.

« Ad hæc sunt ista decreta tunc tractata, quando paucissimi eorum, qui ad universale, liberum, et Christianum Concilium requiruntur, pauci prælati paucique legati statuum Germaniæ præsentes fuerunt, ut patet ex catalogo nominum eorum, qui una cum illis decretis typis excusis in publicum prodiit. Unde etiam pro decretis universalis Concilii illa decreta haberi aut vendicari nequaquam possunt, nam ad universale, liberum, et Christianum Concilium requiruntur universæ Christiani orbis nationes, ut omnes secure admittantur libereque audiantur, utque eorum rationes, causæ et argumenta secundum sacram Scripturam expendantur, dijudicenturque : alioquin ea, quæ habetur Congregatio, nomen universalis, et liberi, et Christiani Concilii minime meretur, et quod in ea decernitur pro decretis Œcumenici, liberi, et Christiani Concilii haberi et acceptari minime potest.

16. « Quarto loco referre et in memoriam revocare debemus vestris amplissimis dignitatibus et præstantiis, quod articuli controversiam habentes, fidem nostram Christianam, et aliqui eorum Pontificem præcipue concernunt : cum autem et jura et Concilia, tum Constantiense, tum Basileense expresse constituerint, quod in causis fidei, et quæ ipsum etiam Pontificem contingunt, Pontifex Concilio subjectus, et Concilium supra Pontificem sit et esse debeat, conveniens fuerit, illud hoc etiam in loco omnino ita servare, et ante omnia confirmare, sicut in Basileensi Synodo factum est, et in secunda sessione ejusdem habetur, ut quod per hoc prælati ac reliqui in Concilio, cujuscumque gradus ac ordinis fuerint, a suis juramentis, quibus Pontifici obstricti erant, quantum ad Concilium et causas in eo tractandas pertinet, liberi sint. Et censet princeps noster, quod hujusmodi liberatio, etiam sine expressa Pontificis relaxatione, sequatur clare ex conclusis Basileensis Concilii in multis locis, ubi ponitur quod etiam papalis eminentia et dignitas in talibus casibus Concilio subjecta sit. Si ergo subjecta est papalis eminentia Concilio, sequi-

tur quod personæ repræsentantes, ab ejus nexibus et ipsi præstitis juramentis quantum ad fidei articulos, et Christianam reformationem tam in capite quam in membris instituendam spectat, liberæ sunt, et etiamsi Pontifex nollet eis juramenta ea remittere, quantum vi et virtute prædictarum constitutionum Constantiensis et Basileensis Conciliorum jam liberæ sunt, eo quod ita declarari merito debeant : si enim liberum debet esse Concilium, in quo semoti affectibus de controversiis religionis, et Christiana reformatione capitis et membrorum tractari, atque omnia secundum sacram Scripturam fieri conveniat, necesse est, liberas esse personas quæ libere de his omnibus disserere et judicare debeant : liberæ autem, et sine affectibus nunquam erunt... Pontifici subjectæ, et ab ejus imperio, quantum ad causas in Concilio tractandas pertinet, non solutæ censeri debeant.

« Rogat itaque summopere princeps noster prædictas Constitutiones Constantiensis et Basileensis Conciliorum, quod nimirum in fidei articulis, et qui Pontificem et ejus potentiam contingunt, Pontifex Concilio subjectus sit, ante omnia confirmari exemplo Basileensis Concilii, quod ab initio decretum Constantiensis Concilii in articulo, quod Universale Concilium supra Pontificem sit, ante omnia repetivit, approbavit, ratificavit, atque etiam de verbo ad verbum Actis illis inseruit, quemadmodum secundæ Sessionis ejus Concilii Acta manifestissime demonstrant. Et negare nunquam potest, quin et Pontifex, et reliquorum clericorum status ac vita magna ac gravi reformatione opus habeant : quanquam enim proxima ante centum et aliquot annos celebrata Concilia tempora certa præfinierunt, inter quæ semper generalia Concilia celebrari debuissent, quod præviderunt jam tunc absque dubio prudentiores ejus sæculi futuros ac secuturos hos abusus, quibus occurrendum in tempore esse rectissime judicarunt, tamen sequentium temporum Pontifices, neque eas neque alias bonas Patrum constitutiones, quas bona cum conscientia potuissent, et necessario debuissent observare, servarunt, et sic perniciosos hosce errores et abusus subcrescere permiserunt, unde plurima, et infinita mala ac multiplicia schismata Christianum orbem invaserunt; exorta bella, odia, dissensiones, tumultus et latissima occasio data ac relicta est grassandi in populum Christianum misere sævissimo, crudelissimo nefandissimoque Christiani nominis hosti perpetuo ; quis non videt ? aut quis dubitat difficillimum fore hos abusus tollere, pie et Christiane emendare, atque corrigere, præ quibus ita prophanatum esse constat statum Ecclesiasticum, ut species, ut fucus quidem religionis potius quam religio appareat ? Quis emendabit, aut quomodo emendabit hæc Concilium, si personæ Concilii ad nutum et voluntatem Pontificis vivere, ad ejus præscriptum agere omnia, ad ei obediendum, ad conservandum ejus honorem statumque et potentiam juramento debeant esse ac manere obligati ? Declarandum ergo, et exprimendum hoc amplius fuerit, quod quicumque sunt in Concilio cardinales, archiepiscopi, episcopi, prælati, atque omnes omnino omnium ordinum et officiorum homines per talem constitutionem a suis juramentis Pontifici præstitis, quantum ad Concilii causas et ejus reformationem spectat, debeant esse liberi et soluti ; et quod per ipsam illam Constitutionem liberi et soluti declarati esse debeant, ut ea confisi, in ejus libertate freti, liberius quid sentiant dicere, in mediumque consulere, ac suffragari libere secundum sacram Scripturam possint. Si vero etiam præterea a Pontifice hoc impetrari posset, quo sua dignitas pro honore Dei, et servanda Christiana reformatione, atque provehendis communibus commodis ultro relaxaret ac remitteret eis illa sua juramenta ; hoc vero laudabile, rectum, integrum atque celebre fuerit, et apud idiotas hæc res singularem atque ingentem conciliatura favorem, plus fidei et fiduciæ paritura, majorem obedientiam auctoritatemque datura Concilio, et omnibus quæ in eo decreta et conclusa fuerint, quod confiteri omnes necesse esset, vere liberum, et Christianum hoc esse Concilium, in quo liberi homines, liberæ linguæ et voces, libera suffragia essent ; et non ad hujus aut illius nutum, aut voluntatem sententias dicere oporteret ; sed ad Christi verbum, præscriptum tractare ac dijudicare omnia liceret. Certe hoc mirabilem assensum, ingenuum factum, et singularem auctoritatem Concilio ejusque reputationi daturum esset, et per hoc ita urget, et fieri adeo hæc petit princeps noster, quæ ordine enumeravimus, id non vitio sibi verti, neque in aliam, quam ipse facit, partem accipi etiam atque etiam orat : testem Deum habet, quod cuncta hæc fidelissimo et optimo animo, et affectu sincerissimo faciat, quo erga religionem et Christianam rempublicam afficitur, quodque ipsius causæ gravitas negotiique magnitudo hæc ita exigere, et requirere omnino videtur : neque dubitat, quin quicumque pii, prudentes et sapientes estis, quibus cordi et curæ est Christiana respublica, Christiani orbis calamitas et præsens rerum status, intellecturi ipsimet sitis. Hæc summe necessaria esse et requiri omnino ad celebrandum vere liberum, et Christianum, atque Universale Concilium, in quo de communi salute omnium, de vera fide, vero Dei cultu, ac divini nominis sincera invocatione et veneratione tractari debet, de tollendis erroribus et abusibus, formandis moribus Christiani populi, et tam capitis quam membrorum emendatione, reparanda vera pace Eccle-

siæ, propaganda fide et regno Christi. Quare quo cuique hæc omnia sunt chariora, quo magis his quisque movetur et afficitur, quo proprius tangit quemque sua propria et suorum omnium, patriæ suæ et communis totius populi Christiani salus, pax et tranquillitas, quo magis amat et diligit quisque Deum, et Filii Dei gloriam propagare cupit, quo beatius et in hoc et in futuro sæculo vivere omnes desideramus, et majori studio, fide et diligentia in hæc quisque incumbet, et in commune consulere juvabit : qua in re, et Deo omnipotenti, et toti orbi Christiano gratissimum ac vere bonum opus præstabit et vestræ vestrorumque, atque omnium saluti consuletis : quod ut fiat faxit Christus Jesus Dominus et Salvator noster, cui cum Deo Patre, et Spiritu sancto sit honor, laus et gloria in sæcula. Amen ».

17. *Instructio Pontificis circa petitiones Protestantium.* — Ad quæ omnia responsum fuit nomine sanctæ Synodi his verbis : « Sancta hæc Œcumenica Synodus audivit ea, quæ a præstantiis vestris relata sunt, et cum deliberatione omnia considerabit ; ipsisque oratoribus recedentibus decernitur sequentem Sessionem indicendam esse ad diem XIX mensis Martii, et in ea præter alia agendum esse de Sacramento Matrimonii ».

Consultus de impiis ac impudentissimis Protestantium postulatis Julius III Pontifex rescripsit præsidibus gravissimo responso ea refellenda, atque internuntium arcanis mandatis instructum submisit, is erat Achilles Faliscorum episcopus, quem Antonio Granvellano gratia apud Cæsarem florentissimo commendavit his litteris [1] :

« Venerabili fratri Antonio episcopo Atrebatensi.

« Venerabilis frater, salutem. Cum desideremus sacri Concilii progressus ad omnipotentis Dei laudem et gloriam, atque ad universæ reipublicæ Christianæ salutem et consolationem dirigi inconcussa cum serenissimo Cæsare amicitia atque conjunctione, mittimus ad ejus majestatem venerabilem fratrem Achillem episcopum Montis-Flasconensem unum ex sacri palatii nostri auditoribus locumtenentem et prælatum domesticum nostrum, nobis ob ejus doctrinam et virtutem valde charum, ut nonnulla ad hoc spectantia ejus majestati ex parte nostra exponat, quæ cum tuæ quoque fraternitati de mandato nostro expositurus sit, fraternitatem tuam hortamur, ut ejus verbis plenam fidem præstare velit. Datum Romæ XX Februarii MDLII, anno III ».

18. Porro mandata arcana internuntio data subjectis sententiis concepta fuere [2] :

[1] Jul. III. l. III. brev. sig. num. 2888. p. 442. — [2] Tom. XIII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3200. p. 71.

« Instructio circa petitiones Protestantium.

« Responderi ab internuntio decreto jussit Julius legato ac præsidibus Concilii, re in deliberationem adducta circa gravamina proposita ab oratore ducis Wittembergæ, atque alia prolata ore ab oratoribus ducis Saxoniæ, non modo utile et honestum, sed etiam necessarium, ut aliquod responsum iis detur, ne contemptos se doleant, atque aversionis occasionem captent, vel ne putent propositiones adeo absonas approbatas esse, vel ne putent aut metu aut imperitia servatum silentium, atque pravas suas opiniones apud populos hæresi contaminatos confirment ; utque constet apud posteros, qua ratione Concilium processerit adversus verba impudentissima, ac videri Concilium ad dandum responsum obstrictum esse, cum dixerit : Audivit omnia et cum deliberatione providebit, ac si non respondeatur, Concilium nimiæ moræ culpam subiturum, ac si ipsi responsum non curarent, culpam adhæsuram Concilio, non obstante progressu ad ulteriora.

« Etsi vero Pontifex respondendum iis censeat, non tamen ad singulas particulas dictorum vel scriptorum ab eis ob rationem allatam a legato, nimirum quod judex non respondet parti, ne ex judice se partem constituat, ac ne infiniti progressus detur occasio, ac defugiatur causa dissidii.

« Visum itaque Pontifici respondendum esse circa eam partem, quæ ad jurisdictionem Concilii pertinet, quæ omni ratione conservanda, cum sit indubitatus judex in rebus fidei, et aliis expressis in litteris indictionis, quod confirmandum rationibus et usu in Ecclesia observato. Cujus consuetudinis possessionem tenet adhuc Concilium Tridentinum. In hac re Catholicos omnes consensuros certum est, nec Protestantes adversus eam veritatem multum fari posse. Punctum itaque jurisdictionis et auctoritatis illustretur et confirmetur, responsumque ita temperetur, ut dum verum dicitur, paterna ostendatur charitas et cupiditas ardentissima eorum ad conjunctionem Ecclesiæ revocandorum, nec contumeliosis carpentur verbis, ne proterviendi occasio illis detur. Et quia legatus, ac præsides, et alii Concilii Patres doctrina spectatissimi responsi condendi prudentia valent, propterea iis Pontificiam mentem patefieri sufficit, et proponi responsi formulam, cui ipsi addere vel detrahere possint, prout e re visum fuerit.

19. « Hoc peracto jussus est internuntius adire imperatorem, ac nomine Pontificio exponere illi proposita in Concilio gravamina ab oratoribus Protestantium, atque eorum impudentiam, impietatem iniquitatemque illustrare, et impugnare et refellere ea per singula capita argumentis divinis, naturalibus et humanis, ac ei significare, licet ea petita responso sint indi-

gna ob eorum perversitatem, tamen visum Pontifici, ut iis pacifice respondeatur, responsique seriem illi aperire, ut agnoscat optimam mentem Pontificis pro ea Provincia ad gremium Ecclesiæ revocanda : obsecundasse eam votis Cæsareis, omnibus difficultatibus abruptis : Concilium traduxisse Tridentum magnis suis sumptibus et præsulum laboribus, atque adeo maximum dolorem traxisse ex perspecto malo et iniquo animo Lutheranorum, qui in hoc principio ostenderint nullam bonam conversionis gerere voluntatem, sed in pravis opinionibus obdurescere, ac velle omne colloquium cum Concilio abrumpere, cum postulata adeo injusta obtinere non possint, aut perverso judicio illusos sibi persuasisse posse adducere Concilium, ut iis morem gerat.

« Petentes commune Concilium [1] hæretici, et schismatici repellendi sunt a Conciliis Universalibus, saltem, ut non habeant in eis votum, ut est auctoritas Gelasii Pontificis Canonic. in c. *Cum quibus* 24 q. 3. Ubi Archidiac. et Joann. de Turrecrem. et ad idem tendit auctoritas Bedæ in cap. *Omnis* 24 q. I, item auctoritas Cypriani in cap. *Didicimus causa* et 9, quibus locis dicitur nullo modo communicandum esse Concilium cum hæreticis et schismaticis, quia sunt extra Ecclesiam, et adæquantur Gentilibus, ut dicit sanctus Cyprianus in cap. *Denique* 7. q. I ». Et infra : « Sed bene possunt admitti, ut possint interesse pro convincendis etiam pluries eorum erroribus, prout etiam interfuerunt in Concilio Lugdunensi et Florentino : dum tamen idonee promittant, se paratos stare determinationibus quæ fient in Concilio.

20. *Sessio quinta sub Julio III, salvus conductus concessus hæreticis; lis de præcedentia dirempta.* — « Celebrata vigesima quinta die Januarii Sessio quinta decima, eademque Julio tertio quinta, cui præter cæteros præsules, qui superiore anno adfuerant, novem alii præsules interfuere. Sacris vero operatus est episcopus Catanensis, orationemque habuit episcopus Majoricensis, cum vero Protestantes principes suos oratores miserint, qui de controversis fidei capitibus disceptarent, an necessaria sit ad salutem utraque sub specie communio, et an minus capiat qui unicam speciem accipit, et an Ecclesiæ decreto laicis sub unica panis specie communio, et an parvulis Eucharistia sit porrigenda? antequam decretoria de iis ferretur sententia, intermissa est actio concordiæ conciliandæ spe, ut docent Acta Synodalia.

« Cum (inquiunt) ex eo, quod proximis Sessionibus decretum fuit, ut sancta hæc et universalis Synodus per hos dies accuratissime diligentissimeque tractaverit ea, quæ ad Sanctissimum Missæ Sacrificium et ad Sacramentum Ordinis spectant, atque ut hodierna Sessione, quemadmodum Spiritus sanctus suggessisset, decreta de his rebus, et quatuor præterea articulos ad sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum pertinentes, in hanc tandem Sessionem delatos publicaret, atque interim affuturos esse putaverit ad hoc sacrosanctum Concilium eos qui se Protestantes vocant, quorum causa eorum publicationem articulorum distulerat, et ut libere ac sine cunctatione ulla huc venirent, fidem eis publicam, sive salvum conductum concesserat; tamen cum illi nondum venerint, et eorum nomine supplicatum huic sanctæ Synodo fuerit, ut publicatio, quæ hodierna die facienda fuerat, in sequentem Sessionem differatur, certa spe allata affuturos esse omnino multo ante illam Sessionem, salvo conductu amplioris formæ accepto, eadem sancta Synodus in Spiritu sancto legitime congregata iisdem legato et nuntiis præsidentibus, nihil magis optans, quam ex præstantissima natione Germanica omnes de religione dissensiones et schismata tollere, ac ejus quieti, paci otioque consulere parata, ipsos (si venerint) et humaniter excipere et benigne audire, confidensque eos non fidei Catholicæ pertinaciter oppugnandæ, sed veritatis cognoscendæ studio esse venturos, et ut Evangelicæ veritatis studiosos decet, sanctæ matris Ecclesiæ decretis ac disciplinæ ad extremum esse acquieturos, sequentem Sessionem ad edenda et publicanda ea, quæ supra commemorata, in diem festum Sancti Josephi, qui erit die XIX Martii distulit, ut illi satis temporis et spatii habeant non solum ad veniendum, verum etiam ad ea quæ voluerint, antequam is dies veniat, proponenda, quibus ut omnem diutius cunctandi causam adimat, fidem publicam, sive salvum conductum, ejus qui recitabitur tenoris et sententiæ, libenter dat et concedit. Interea vero de Matrimonii Sacramento agendum, et de eo præter superiorum decretorum publicationem definiendam esse eadem Sessione, statuit et decernit, et prosequendam esse materiam reformationis ».

21. Conceptæ præterea ampliori formula tuti et liberi commeatus Syngraphæ Lutheranis oratoribus traditæ sunt, quibus concedebatur potestas libere ad civitatem Tridentinam veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia quæcumque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet, tam verbo quam scripto libere offerendi, proponendi, eosque Scripturis sacris et sanctorum Patrum verbis et sententiis et rationibus declarandi, astruendi et persuadendi, et si opus fuerit etiam ad objecta Concilii generalis respondendi, et cum iis, qui a Concilio delecti fuerint disputandi, Christiane aut charitative absque omni impedimento con-

[1] Tom. XIII. Conc. sig. num. 3200. p. 162.

ferendi, opprobriis, et convitiis, ac contumeliis penitus semotis, et signanter quod causæ controversæ secundum sacram Scripturam et Apostolicas Traditiones, probata Concilia, et Catholicæ Ecclesiæ consensum, et sanctorum Patrum auctoritatem tractentur. Contenderant illi, ut sacra Scriptura, quam in nefarios sensus pro libidine distorquebant, judicis loco esset, sed delira ea postulata rejecta fuere a Patribus, cum surda ac muta membrana contrarios verborum sensus distinguere non possit. Cum vero Lutherani multa, vel in Congregationibus vel publicis consessibus contra religionis dignitatem dicturi facturive crederentur, ne ex paterna in eos indulgentia divinæ causæ Conciliive auctoritati præjudicaretur, subjecta sanctio [1] promulgata est :

22. « Hæc sacrosancta Synodus, etc. Ne ob disceptationes, quæ tam de personis comparentibus, mandatisque, et scripturis exhibendis, quam de loco personis assignando oriri possent, felix ipsius Concilii progressus retardetur, inhærens decreto in secunda Sessione promulgato, atque illud innovans statuit, decernit, declarat, quod si forte contigerit aliquos, qui ex dispositione juris, aut ex approbatorum Conciliorum more admittendi aut recipiendi non essent, vel per se ipsos, vel per interpositas personas admitti aut recipi, vel in loco debito sedere, vel sententiam etiam sub verbo *Placet* proferre, vel congregationibus interesse, vel alios quoscumque actus facere, Concilio durante, quodque si etiam contigerit, mandata, instrumenta, protestationes, et alia cujusvis generis scripta quæcumque, quæ ipsius Concilii honorem, jus et potestatem quomodocumque læderent, seu lædere possent, recipi aut admitti, propterea non præjudicetur, neque ullo modo præjudicatum censeatur, vel intelligatur præsenti Concilio, neque Conciliis Œcumenicis generalibus in perpetuum celebrandis , cum omnis intentio hujus Concilii sit, et eo tendat, ut pax et concordia quacumque ratione, licita tamen et congruenti, in Ecclesia reducantur ».

Eo decreto sopitæ sunt controversiæ, quæ inter Lusitanos et Hungaros de honorificentioris loci obtinendi dignitate oriundæ erant, ineunte enim Martio pervenere Tridentum missi a Joanne rege Lusitaniæ oratores, de quibus exceptis hæc habent Acta [2] :

23. *Oratores Lusitani ad Concilium accedunt, et Joannis regis pietas commendatur.* — « Die quinta Martii applicuerunt Tridentum tres oratores serenissimi domini Joannis regis Portugalliæ, videlicet, dominus Jacobus Sylvius consiliarius regius, Jacobus Goveanus sacræ Theologiæ professor, et Joannes Paez juris utriusque doctor. Die XIX Martii habetur Congregatio generalis, in qua illustrissimus legatus retulit Patribus advenisse oratores serenissimi domini Joannis regis Portugalliæ, eosque petere admitti et audiri a Synodo. Quod quidem omnibus placuit. Verum, cum oriretur quæstio de præcedentia circa locum inter eos et oratores regis Hungariæ, decretum fuit, ut pro eo actu daretur eis locus in medio aulæ e regione præsidentium, in calce sedilium prælatorum. Intromissi exhibuerunt litteras infrascriptas :

« Joannes Dei gratia Portugalliæ et Algarbiorum rex citra et ultra mare, in Africa dominus Guineæ, navigationis, expeditionis, commercii Æthiopiæ, Arabiæ, Persidis et Indiæ, sacrosancto Œcumenico Concilio Tridentino in Spiritu sancto legitime congregato Ecclesiam Universalem repræsentanti, salutem dicit.

« Est tanto amplius, quod nobis Dei Optimi Maximi pietas spondet atque pollicetur ad bene sperandum, quam quod temporum asperitas objicit, opponitque ex adverso ad objiciendam spem animumque penitus deponendum, ut quanto obstructiores videntur omnes aditus ad sacri hujus Concilii conclusionem, si quis humanas rationes cogitatione complectatur, tanto faciliores exitus divina sapientia, quæ omnia fortiter attingit, sit inventura. Qua de re ipse spem concepi maximam, et vos, patres amplissimi, ut in eam curam vehementius incumbatis ; ut obsecrare obtestarique non desinam, non vestræ probitatis diffidentia, sed rei magnitudo, et mea in hoc sacrum Concilium observantia facit, quo ipse nunc mitto Jacobum Sylvium virum in primis nobilem, et propter singularem prudentiam in Patrum conscriptorum, qui mihi a consiliis esse possunt, numerum et dignitatem a me cooptatum, legatum meum, et cum eo Jacobum Goveanum sacrarum litterarum professorem , et Joannem Paez Caesarei Pontificiique juris doctorem, legatorum meorum nomine et dignitate a me ad hanc obeundam legationem pariter exornatos, ut meo nomine omnes intersint, et apud vos agant illis de rebus, quas in mandatis habent, neque vero dubium esse mihi potest, quin meo in vos animo responderit benignitas, qua et legatos meos excipiendos, et res meas accipiendas a sacro Concilio spero. Iterum tamen atque iterum oro vos, ut suscipiatis illos in vestrum patrocinium, humaniterque tractetis et omnibus illis in rebus, quas nostro nomine proponent, non fidem modo habeatis, sed eam benevolentiam quam nostra in vos observantia pietasque postulat, adhibeatis , sacrosanctum Œcumenicum Concilium Ecclesiam Universalem legitime repræsentans. Faxit Deus Optimus Maximus, ut feliciter sanctissimum opus prosequamini et absolvatis, Patres amplissimi. Almerini, XXIX Septembris MDLI.

« EL REY.

« A tergo. Sacrosancto Œcumenico Conci-

[1] Acta Conc. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 160.

lio Tridentino in Spiritu sancto legitime congregato Ecclesiam universalem repræsentanti ».

24. Responsum est Concilii nomine Lusitanis oratoribus humanissime, commendataque flagrantissima Joannis regis pietas in propaganda latius apud Indos religione Christiana, ac populis ab idolorum dæmonumque servitute ad Christi cultum traducendis.

« Responsum sanctæ Synodi in comparitione oratorum regis Portugalliæ.

« Serenissimi Portugalliæ regis Joannis litteræ, quæ recitatæ sunt, gravissimi et ornatissimi viri, cum declararint eximiam quamdam regis vestri in Deum pietatem, insignem in rempublicam Christianam obedientiam, ac summam erga sacrum hoc Œcumenicum et Generale Concilium observantiam, Patribus maximam quidem, non tamen præter eorum expectationem, lætitiam attulerunt, non enim ipsis modo, verum toti terrarum orbi notus atque testatus est regis vestri animus dignus ipso, et parente ejus clarissimo, et piissimo rege, cujus imitatione atque exemplo, Dei vero omnipotentis instinctu et numine, cum veram fidem orthodoxamque religionem in Orientis partibus instaurandam propagandamque curaverit. Non minorem is tamen laudem hoc tempore meretur, qui in tam perturbato reipublicæ Christianæ statu, tantis dissidiis, tot hæresibus exortis , pia et salutaria hujus Synodi consilia adjuvare tenetur, quam in Barbaris, et idolorum cultui deditis nationibus ad veram religionem traducendis adeptus sit. Quamobrem hæc sacrosancta Synodus Deo quidem meritas agit gratias, quod tantum in ejus regis auctoritate, virtute ac animi magnitudine, Ecclesiæ suæ præsidium, calamitosis hisce temporibus constituerit: regis vero mandatum, quantum de jure potest, grate admodum et libenter admittit, vestram præsentiam, cum regis causa, tum etiam propter egregias vestras insignesque virtutes gratam semper habitura.

« Quo responso recitato, oratores ipsi a Congregatione discesserunt. Deinde cum ea dies deputata fuisset ad sessionem habendam, quæ tamen nullo modo ob multas rationes, sed præsertim ob tumultus bellicos, ob quos prælati absentes se excusabant, et præsentes recedebant, celebrari non poterat, proponitur ejus prorogatio, quæ cum ab omnibus approbaretur, prorogatur sessio ipsa ad proximas kal. Maias ».

25. *Sessio sexta : causæ et decretum suspensionis Concilii.* — Additur in Actis [1] decretum prorogationis sessionis ob Mauritii ducis Saxoniæ et Alberti marchionis Brandeburgensis rebellionem, qui conflato cum Henrico Gallorum rege fœdere in arma adversus Carolum Cæsarem consurrexerant.

« Sessionis VI prorogatio sub Julio III Pontifice Maximo.

« Adveniente die XIX Martii, quæ pro Sessione habenda decreta fuerat, cum Sessio ipsa ob diversas causas celebrari non posset, præsertim ob absentiam Lutheranorum, qui jam in duabus proximis præteritis Sessionibus invitati fuerunt, ut ad Concilium venirent : et jamdiu antea, et toto tempore a præterita proxima, usque ad hanc diem expectati fuissent, neque adhuc nisi quidam pauci, nempe Wittembergenses et Argentinenses comparuissent, assererentque retineri ob tumultus bellicos in Germania ortos, cum scilicet Mauritius dux Saxoniæ elector, et Albertus marchio Brandeburgensis, electoris frater, cum quibusdam aliis ejusdem sortis hominibus seditiosis, et rerum novarum cupidis, ac publicæ quietis turbatoribus contra Cæsarem eorum dominum insurrexissent ac rebellavissent, inito fœdere cum Henrico Gallorum rege, et jam arma capere et bella movere cœpissent; ob quas novitates et tumultus, tam Catholici quam Lutherani ipsi, cum adhuc res quo tandem tenderet, an videlicet alii principes vel civitates cum eisdem novatoribus adhæsissent, in suspenso essent, omni æquitati et rationi consonum, statuique tunc præsentis temporis expedire visum est, ut pro eo tempore a progressu Concilii, donec earum rerum eventus dilucidius appareret, supersederetur, quare a sessione præterita usque ad hunc diem ab omnibus actibus conciliaribus cessatum fuit. Cæterum quoniam hodierna dies pro sessione ipsa (ut demonstratum est) deputata erat, et sessio ipsa cum haberi non posset, proroganda videbatur, et id in Ecclesia Cathedrali de more fieret; quod absque Concilii nota esse non potuisset, quasi sæpius in Ecclesiam absque publicatione decretorum inaniter iretur, convenientissimum multis rationibus videbatur, ut prorogatio ipsa in Congregatione ipsa generali decerneretur. Quapropter habita ea ipsa die XIX Martii Congregatione omnium Patrum, postquam admissi fuerunt oratores serenissimi Joannis Portugalliæ regis, qui paulo ante Tridentum applicaverant, prorogatio ipsa communi consensu ad futuras kalend. Maias decreta fuit.

« Tonante belli Lutherani fragore, trepidatum est Tridenti, ne hostes ad opprimendos Patres conjurassent, territique plures Germani præsules ad suos principatus ab hostium tyrannide vindicandos discessere, nonnullique alii temporum iniquitate permoti, cum jam Augusta a Lutheranis fuisset occupata, Concilium abrumpendum censuerunt, necnon Pontifex de his certior factus, missis ad Concilii præsides litteris, differendum in tempora commodiora decre-

[1] Angel. Mass. in Actis Concil. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 123.

vit, atque ex eventu suspendendum, de quibus hæc Acta [1] subjiciunt :

« Causæ suspensionis Concilii.

« Rebus Concilii sic stantibus, bella in dies magis magisque in Germania sævire incipiunt, Mauritio duce Saxoniæ electore, cum nonnullis aliis principibus contra imperatorem arma sumente, et jam Augusta Vindelicorum occupata, Œnipontem, ubi Cæsar inermis erat, properabat. Quo ita perterriti sunt Patres, ut quotidie multi Tridento recederent, nulla etiam petita licentia, tanquam id sibi jure ex imminenti notoque periculo liceret, nec longe aberat, ut Concilium dissolveretur. Quod ut primum summo Pontifici innotuit, consultius pro rerum et temporum conditione suspensionem faciendam censuit, eamque fecit die xv April. » De hac meminere Acta [2] Consistorialia subjectis verbis :

« Romæ die Veneris sancto, xv April. MDLII, ante celebrationem divini officii fuit facta Congregatio generalis reverendissimorum, in qua sanctissimus dominus noster de eorumdem reverendissimorum consilio et assensu, Concilium Tridentinum inchoatum ad sanctitatis suæ beneplacitum suspendit, et suspensum esse voluit ». Editæ sunt de ea re Pontificiæ litteræ, quas subjectis verbis conceptas affert Angelus Massarellus :

« Dilecto filio Marcello tit. Sancti-Marcelli presbytero cardinali, Crescentio nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis ad Concilium Tridentinum legato de latere, et venerabilibus fratribus Sebastiano archiepiscopo Sypontino, et Aloysio episcopo Veronensi, nostri et ipsius Sedis ad in dicto Concilio una cum Marcello cardinale et legato nostro præsidendum nuntiis, et eorum cuilibet, etc.

« Cum intellexerimus nuper ex multorum fide dignorum litteris excitatos fuisse in Germania non leves armorum tumultus, et sacri Romani imperii electores, nonnullosque alios, tam Germanicæ quam aliarum nationum prælatos istinc discessisse, vosque et cæteros, qui remanserunt in magna etiam trepidatione et periculo constitutos; anxii profecto eramus, et molestia pleni verebamurque ne istud Concilium (quod magnos fructus, tum labefactatæ religioni, tum periclitanti Germaniæ aliquando allaturum sperabamus) violenter fere, et cum magno Christianæ reipublicæ scandalo dissolveretur. Quamobrem communicato hodie negotio cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, atque mature discusso, nullum aliud præsentius, tutius et salutarius remedium instanti necessitati adhiberi posse judicavimus, quam dictum Concilium, sive ejus prosecutionem ad aliquod tempus suspendere, minime dubitantes, Christianos principes, vosque et reliquos Concilii Patres id boni consulturos atque gratum habituros esse : quapropter motu proprio et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu Concilium ipsum, ejusque prosecutionem ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum suspendimus ». Et infra : « Et quoniam intentionis nostræ est, ut nihil interea omittatur, quod ad placandam Dei iram per morum emendationem et reformationem pertineat, idcirco volumus, ut vos, vel duo, aut unus vestrum reliquis absentibus vel impeditis, istos venerabiles fratres nostros archiepiscopos et episcopos ex parte nostra per Domini nostri misericordiam hortemini, ut eorum aliqui ex qualibet ratione, qui commode id facere poterunt, ad nos se conferre velint, quo eorum opera et consilio eam reformationem aggrediamur, quæ populo Christiano salutaris, et ipsi Concilio (cum divina opitulante gratia resumetur) grata esse possit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die xv Aprilis MDLII, Pontificatus nostri anno III ».

Perlectæ non sunt publice a principibus Concilii litteræ, ne ea occasione controversia de Concilii Pontificisque auctoritate recrudesceret; quare Concilium interrumpi ab ipsius Concilii Patribus conjuncta Pontificis auctoritate satius visum est, ut tradunt eadem Acta :

« Præsidentes autem eas litteras in Concilio minime publicare voluerunt : nam cum animadverterent nonnullis ex Patribus haudquaquam æquum videri, ut suspensio a summo Pontifice absque Concilii consensu, vel consilio decerneretur, quieti et unioni consulentes, utque difficultates, quæ jam oriri cœperant, et imminere videbantur, submoverentur, nihilque referre existimantes suspensionem ipsam, vel a Pontifice solo, vel a Concilio, suæ Sanctitatis nihilominus auctoritate, quæ in ipsis præsidentibus erat, decerni; annuerunt, ut suspensio fieret, nulla habita mentione litterarum summi Pontificis.

26. « Die Dominica xxiv Aprilis in Ecclesia Cathedrali, cum ob gravissimam ægritudinem illustrissimi legati in aula consueta fieri non posset, habetur congregatio generalis, in qua R. D. secundus præsidens proposuit Patribus difficultates, quæ Concilii celebrationem impedire videbantur, bella scilicet, cum in aliis locis, tum præcipue in Germania vigentia : præsertim vero inquiens, cum Germani Protestantes, qui jamdiu expectati sunt, et ita benigne cum eis actum est, ut omnes eorum petitiones concessæ fuerint, non solum ad Concilium minime se venturos affirmant, sed illud publice diversis modis detestantur, parvipendunt, illudunt.

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3191. p. 162. — [2] Acta Cons. Ms. card. sig. num. 134. p. 83.

Quare sibi videri statuit, et conditioni temporum convenire, ut suspensio Concilii fieret : rogatisque Patrum sententiis major pars proposita ab ipso præsidente laudavit, Conciliumque ad biennium suspendendum censuit. Eligunturque ad decretum super ea re conficiendum RR. DD. Panormitanus, Granatensis, Calaritanus, Sancti-Marci, Cathaniensis, Sylvensis, Auriensis, qui convenientes die sequenti decretum ipsum condiderunt. Habitaque die XXVI Congregatione generali [1], illud examinandum proponitur : significaturque Patribus Pontificem cupere, ut suspenso Concilio aliqui Patres ex qualibet natione ad sanctitatem suam se conferrent, ut eorum opera et consilio in reformatione facienda uteretur : cumque super his sententiæ rogatæ fuissent, missio prælatorum ad Urbem a paucis approbatur ».

27. XXVIII Aprilis Sessio sexta, quæ ultima fuit sub Julio III Pontifice, ob imminens a Lutheranis discrimen ante indictum tempus celebrata est, cum Mauritius Clusam arcem, quæ inexpugnabilis credebatur, impetu inopino expugnasset, ut narrant Acta [2] :

« Sessio VI. De suspensione concilii, et ejus causis.

« Decreta prorogatione Concilii suprascripta, etsi Patres ipsi parati essent omnes labores et incommoda libenter subire, ut saltem cunctando rem Germanicam in pristinam pietatem et religionem restituerent, bello tamen in dies magis magisque multis in locis, ac præcipue in ipsa Germania crudelius sæviente, omnis celebrandi Concilii spes adimebatur. Interea Mauritius dux Saxoniæ Augustæ civitatem occupat, ejusque viribus mirum in modum auctis, Cæsari atque Catholicis omnibus majorem quotidie timorem incutit ; qua ex re prælati præter id quod Tridenti absque fructu jam per multos dies otiosi permanerent, parum admodum tuti sibi in ea civitate amplius commorari posse videbantur, accedente præsertim fama, quæ omnes adjacentes regiones impleverat, Mauritium ipsum propediem propugnaculo quodam, quod inter Augustam et OEnipontem est, expugnato, OEnipontem ipsum properare ad imperatorem impetendum : quod ubi eveniret, nullus remansisset locus tutus ab OEniponte Tridentum. Quo timore ita perterriti sunt prælati, cæterique Conciliares omnes, ut quotidie multi Tridento discederent, nulla petita licentia, tanquam id sibi ex imminenti omnibus noto periculo jure liceret, ex qua quidem Patrum secessione Concilium ita imminuebatur, ut propediem dissolutio indubie expectaretur, quod cum Patres qui Tridenti perseverabant, animadverterent, considerantes nihil Ecclesiæ Dei magis officere posse, quam dissolutionem ipsam, consultius, pro rerum et temporum opportunitate suspensionem faciendam censuerunt : quare XXVIII mensis Aprilis ipsius anni MDLII, habita publica Sessione suspensionem ipsam decreverunt edito infrascripto decreto :

28. « Sacrosancta OEcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata præsidentibus in ea reverendissimis dominis Sebastiano archiepiscopo Sypontino, et Aloysio episcopo Veronensi Apostolicis nuntiis, tam eorum proprio, quam reverendissimi domini Marcelli tit. Sancti-Marcelli sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Crescentii legati, ob adversam ejus gravissimam valetudinem absentis nomine, non dubitat Christianis omnibus patere, hoc Concilium OEcumenicum Tridentinum primo a Paulo III felicis recordationis convocatum et collectum fuisse, deinde a sanctissimo domino nostro Julio III, efflagitante Carolo V augustissimo imperatore, ea præcipue de causa restitutum, ut religionem in multis orbis partibus, præsertim in Germania in diversas opiniones miserabiliter distractam in statum pristinum revocaret, abusus et mores Christianos corruptissimos emendaret, cumque ad hoc agendum quamplurimi Patres nulla laborum suorum, periculorumque habita ratione e diversis regionibus alacriter confluxissent, resque strenue magno fidelium concursu feliciterque procederet, ac spes esset non levis illos Germanos, qui eas novitates excitarant, in Concilium venturos, sic animatos, ut veris Ecclesiæ rationibus unanimiter acquiescerent, lux denique quædam rebus affulsisse videretur, caputque attollere inciperet profligata et afflicta respublica Christiana, ii repente tumultus et bella hostis generis humani versutia exarserunt, ut Concilium velut hærere ac cursum suum interrumpere satis incommode cogeretur, spesque omnis ulterioris progressus hoc in tempore tolleretur, tantumque aberat, ut sancta Synodus Christianorum malis et incommodis mederetur, ut multorum mentes præter sui animi sententiam irritaret potius quam placaret. Cum igitur ipsa sancta Synodus omnia, et præcipue Germaniam armis ardere et discordiis videret, et omnes fere episcopos Germanos, præsertim principes electores suis consulturos Ecclesiis e Concilio abiisse, decrevit tantæ necessitati non reluctari, et ad meliora tempora rejicere, ut Patres, quod eis nunc agere non licet, suis omnibus prospecturi ad suas Ecclesias regredi valerent, ne diutius inutili otio utrobique conterantur, atque ita, quoniam sic temporum conditio tulit, hujus OEcumenici Concilii progressum per biennium suspendendum fore decrevit, prout præsenti decreto suspendit, ea tamen lege, ut si citius pacata res sit, ac tranquillitas pristina revertatur (quod sperat Dei Optimi Maximi beneficio

Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 165. et aliud sig. num. 3212. p. 125. — [2] Ang. Mass. in Actis Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 125.

non longo forsan spatio futurum) ipsius Concilii progressus eodemmet tempore suam vim, firmitatem vigoremque habere censeatur; sin autem (quod Deus avertat) peracto biennio, præstita legitima impedimenta non fuerint submota, cum primum cessaverit talis suspensio, eo ipso sublata intelligatur, ac suus vigor et robur Concilio sit restitutum, et esse intelligatur, sine alia nova Concilii convocatione, accedente ad hoc decretum consensu et auctoritate Sanctitatis suæ et sanctæ Sedis Apostolicæ. Interea tamen eadem sancta Synodus exhortatur omnes principes Christianos et omnes prælatos, ut observent, et respective, quoad eos spectat, observare faciant in suis regnis, dominiis et Ecclesiis omnia et singula, quæ per hoc sacrum Œcumenicum Concilium fuerunt hactenus statuta et decreta ».

His addit Angelus Massarellus [1] : « Super quo decreto, rogatis Patrum sententiis, ab omnibus responsum est simpliciter per verbum *Placet*, exceptis infrascriptis, qui responderunt ut sequitur : R. D. archiepiscopus Turritanus legit ac exhibuit cedulam infrascriptam [2] :

29. « Cum hoc sacrum Œcumenicum Concilium ante tot annos a toto Christiano orbe desideratum, tantis laboribus procuratum, tandem Tridenti ad exstirpandas hæreses, tollenda schismata, reformandos mores, pacemque inter Christianos principes componendam fuerit convocatum, neque post ejus convocationem fuerit adhuc satisfactum, nedum omnibus, sed ne plene alteri ex causis, propter quas convocatum est, præsertim reformationis necessariæ abusuum, unde mala omnia, quibus vexatur Ecclesia, et orta esse, et confoveri apertum est; nos infrascripti archiepiscopus et episcopi, conscientiarum testimonio compulsi, huic decreto suspensionis Concilii cum omnibus in eo contentis tam primo quoad substantiam, quam quoad formam, contradicere decrevimus, prout de præsenti contradicimus et repugnamus, tum quia causæ suspendendi, quæ in eo assignantur, bella scilicet et Germanici tumultus, quos brevi sedatos iri et componi vel in ipso decreto sperari dicitur, non usque adeo videntur urgere, ut sit propter eos a prosecutione Concilii cessandum, saltem in his, quæ ad reformationem attinent, quinimo ad sedandas principum discordias aptissima via est Concilii convocatio et continuatio; tum quia dicta suspensio magis dissolutionis, quam justæ, moderatæ aut necessariæ suspensionis spem præferre videtur : neque enim, etsi cæteræ difficultates non deerunt, quas timere nos docuit experientia, tam celebris prælatorum conventus tam diversis remotisque Provinciis haberi facile non poterit, nec deerunt impugnatoribus Catholicæ Ecclesiæ occasiones ad serenda alendaque bella ac discordias, quibus hujus Concilii, cujus nomen apud eos tam est odiosum, reassumptionem impediant, ac ludificent, quod nunc eos conari vanisque rationibus tentare vidimus; si præsertim viderint conatus hujusmodi prospere eis cedere, nosque eo adegisse, ut ab incœpto cessaverimus, præterea urgeret nos ingens scandalum, certaque hæresum confirmatio, quam ex tali ac tam diuturna suspensione, necdum ipsis Ecclesiæ adversariis, sed Catholicis plerisque offensionem orituram esse manifestum est, cum Domicam publicamque causam deseri non alia ratione, quam persecutionum metu, laborum impatientia, et (quod pejus est) causæ ipsius et divini auxilii desperatione opinabuntur, cum in tuto loco ab omni bellica injuria remotos esse viderint, ubi cum alias non minus periculosa bella gerentur, nihilominus ipsa Synodus fiducialiter in divino hoc opere perseverare debet, quod inficiari nec nos ipsi possumus.

« Cum itaque e manibus nostris eripiendæ sint animæ, quæ perituræ sunt, per subtractionem hujus salubris remedii, aliisque de causis conscientias nostras moventibus, huic decreto non contradicere non possumus, imo etiam contradicimus; et quantum possumus absolute repugnamus. Ne tamen in omni consilio dissentiendi rationem quærere videamur, neve abhorrere credamur à suavi rerum dispositione, cum et nos difficultatem temporum, recessumque prælatorum Germanicæ nationis fere omnium rationem aliquam habendam esse non improbemus, petimus, ut si quando viam, quam hactenus tenuit hæc sancta Synodus, Sessionem ad proximas kalendas Maii indictam ad moderatum aliquem terminum proroget, diemque dictet, qui ita peremptorie interpellet, ut alia convocatio, declaratio aut intimatio minime sit expectanda, quo magis ad hunc locum Concilii omnes prælati convenire possint, addentesque nihilominus, quia, si infra dictum terminum prædicta impedimenta cessaverint, curet Sanctitas sua prælatos omnes ad prosecutionem Concilii advocare, quos interim ad proprias Ecclesias remeare, si libeat, licebit.

« Ultima vero decreti verba placerent, ubique, si absque his verbis, quantum ad eos de jure spectat, publicetur, quæ litium occasio videtur. Quæ quidem omnia ita et non aliter fieri debere protestamur : si secus fiat, nullum nobis nec sanctæ Synodo præjudicium fieri quovis tempore, tam propter hujus decreti suspensionis publicationem, quam ob quemcumque alium actum, factum vel faciendum, attentatum vel attentandum per quascumque personas contra hujus Œcumenici Concilii auctoritatem et potestatem, Conciliorumque Œcumenicorum omnium. Petimus insuper ab

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3191. p. 166. Ang. Mass. in Act. Conc. Trid. in sess. VI. sub Jul. III. — [2] Ms. card. Pii to. LXIV. p. 215.

hujus Synodi notario, ut hanc nostram schedulam contradictionis, attestationis et protestationis in Acta Synodi una cum decreto inserat, indeque ipsi, vel alii nobis unum vel plura authentica Instrumenta exhibeant. Cui schedulæ adjecta fuere hæc præsulum nomina :

« S. archiepiscopus Turritanus, Joannes episcopus Castellimaris, Joannes episcopus Lancianensis, M. episcopus Elnensis, Franciscus episcopus Pacensis, Joannes episcopus Tudensis, Alvarus episcopus Venusinus, M. episcopus Guadicensis, Alvarus episcopus Pampelunensis, P. episcopus Astoricensis, Petrus episcopus Civitatensis; a quibus nihilominus (excepto Venusino) dantur etiam schedulæ, tenoris qui sequitur : Non placet decretum, sed sum in sententia reverendissimi archiepiscopi Turritani, cui me subscripsi et subscribo. Contradixit etiam episcopus Calagurritanus verbo tantum. Sunt igitur, qui contradixerunt duodecim, qui vero decretum approbaverunt quadraginta quinque : omnes enim Patres erant numero quinquaginta septem, ut inferius describuntur, quare R. D. secundus præsidens decretum ipsum approbatum et conclusum esse alta voce pronuntiavit, atque declaravit : de quo requisiti per D. promotorem protonotarii et notarii, ut publica documenta conficerent, omnes recesserunt ».

30. *Bellum movent in Carolum V Lutherani auxilio Henrici II, Galliæ regis.*—Tantus mense Maio hostium terror invasit omnes, audita Clusæ expugnatione et fuga Cæsaris, ut non modo Tridentini Patres, sed etiam cives ipsi in fugam se conjecerint, ac legatus cardinalis Crescentius, aucto ex fugæ incommodis morbo, Veronæ extinctus sit, ut narrat Angelus Massarellus [1] :

« Suspensione facta, et licentia prælatis abeundi concessa, Patres quamplures statim Tridento recesserunt : nonnulli ob privata commoda per aliquot adhuc dies ibidem immorabantur. Quidam vero, eo quod æquo animo ipsam suspensionem non tulerant, ac propterea Tridento minime recedendum esse arbitrabantur, cum ecce (la Chiusa) oppidum (quod propugnaculum est inter Augustam et Œnipontem) a Mauritio occupatur, indeque cum suis copiis Œnipontem ipsum, ubi imperator erat, proficiscitur. Qua de re Cæsar ipse, cum inermis esset, ex eo loco recedere coactus est, iterque per Carinthiam habens, Villachi oppidum petit. Mauritius interea Œniponte potitur, Tridentumque (ut qui nihil Concilii nomine infensius haberet) jamjam proficisci ferebatur. Qui timor ita omnes Tridenti commorantes invasit, ut una vel altera die nemo fere, neque ex Patribus, neque incolis in ea civitate permanserint; unoquoque rebus suis fuga vel ad altiores montes, vel densas sylvas aut maritima loca, seu finitimas civitates, confugiente. Reverendissimus autem et illustrissimus dominus cardinalis Crescentius, sacri Concilii legatus, etsi gravissima febri ac dissenteria, quibus jam a vigesima quinta die mensis Martii præteriti perpetuo laboraverat, detineretur, coactus est tamen et ipse Tridento recedere : quod fecit die Jovis vigesima sexta præsentis mensis Maii, secundoque flumine Veronam versus adnavigavit : quam civitatem die Veneris subsequentis mane circiter hora XII intravit. Ingravescente vero continue magis ejus morbo, tandem sicuti Altissimo placuit, die Sabbati XXIX dicti mensis Maii ejusdem anni MDLII in ea civitate obiit. Cujus corpus postea Romam delatum est, ac in templo Beatæ Mariæ de Rotunda, Pantheon dicto, honorifice tumulatur. Talis igitur fuit exitus Concilii Tridentini post ejus suspensionem, quæ facta fuit XXVIII Aprilis MDLII, sub Julio III Pontifice Optimo maximo ».

Hæc Tridentini Concilii dissolutio innumerabilium animarum clades attulit, nam hæresis latius propagata est, ejusque faces in Galliam illatæ ex Gallico cum hæreticis fœdere : infelicissime etiam Pontificis et Cæsaris arma circa Parmam distracta fuere, cum animadversa impudentissima Lutheranorum adversus Patres Concilii pervicacia, ad eos perdomandos conjungi debuissent, nimiæque in hæreticis positæ fiduciæ, jactatarumque adversus Gallorum regem minarum pœnas Cæsar dedit.

Agunt de hoc bello exitiali, quo religio Christiana maximum accepit vulnus, ac spes delendæ hæreseos, ac tot populorum ad salutis tramitem revocandorum excisæ sunt, omnium gentium historici, e quibus Surius hæc refert :

« Anno MDLII, Germanicum in Cæsarem bellum suscipitur, Galliæ rege cum Mauritio et aliis quibusdam sese conjungente, et defensore Germanicæ libertatis se palam scribente ». Multis interjectis addit : « Scriptum istud Galliæ regis typis fuit excusum lingua populari, et in fronte præferebat pileum inter duos pugiones, subtus erat titulus regis, qui se libertatis Germanicæ et principum captivorum vindicem appellabat : sunt qui dicant hoc symbolum repertum in antiquo Numismate, et ab illis, qui Julium Cæsarem occiderunt, usurpatum. Historici interdum scribunt servos ad pileum vocatos, hoc est, ad libertatem, cujus insigne est pileus. Jam ante dixi multos fuisse admiratos, quod ille rex, qui diceretur Christianissimus, eos principes ex Cæsaris Catholici manibus vi extorquere voluit, qui essent Lutheranorum præcipui patroni, cum tamen ipse in suo regno, hoc ipso fere tempore decretum severissimum in Lutheranos promulgasset ». Noluit scilicet regnum suum hæreticorum factionibus lace-

[1] Tom. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 209.

rari; dissidia vero in Germania alere voluit ad potentiam Cæsaris infringendam.

31. Ut vero Cæsar a Mauritio principe Albertoque, maximis beneficiis affectis, illusus sit, describit memoratus auctor : « Cæsar, nedum quidquam comperti habuit de Mauritii machinationibus, quippe qui omne studium Cæsari per litteras et legatos polliceretur et etiam legatos suos ad Concilium mitteret ; Cæsari quoque persuaderet milites ob non soluta stipendia tumultuari, cum tamen ejus sacramento tenerentur. Hæc quidem in illo principe, quem Cæsar maximis auxisset honoribus et beneficiis, minime probantur. Nam et landtgravii liberationi nihil opus erat tam pernicioso bello, quo Germaniæ plerique principes dirissime afflicti, civitates magna damna perpessæ sunt. Norimberga in primis, cui Albertus Brandeburgicus, Mauritii socius, tantum damni dedit, quantum credi vix queat, et quo denique latius serpente, ipse Mauritius florente ætate extinctus est. Si accessisset ad Cæsarem, ut et se facturum dixerat, et Cæsar per litteras petebat, haud dubie illius animum flexisset, et landtgravium longe faciliori via liberasset. Sed non una landtgravii captivitas, verum multo magis, ut est verisimile, importuna Lutheranorum dogmatistarum instantia eum ad hoc bellum Cæsari præter omnem expectationem faciendum induxit.

« Cum Tridentum crebris nuntiis de bello fama allata esset, paulatim Concilii Patres domum abeunt, neque enim tutum erat cum armato milite de religione disceptare. Ita tot Cæsaris conatus, tot sumptus et labores eo importuno bello perierunt. Jam Mauritius cum exercitu progreditur, prius tamen ad ordines imperii scribit, facti sui rationem reddens. Cæsarem (non tamen nominatim) acerbe perstringit, et moderatissimo principi multa impingit, quæ in illum minime quadrant. Apparet illas litteras non a Mauritio, sed ab aliquo impuro apostata, vel Melancthone præsertim conscriptas, quod ad primam etiam partem attinet, ita altera agit de landtgravio, ubi rursus imputat Cæsari, licet oblique, studium arripiendæ monarchiæ ».

Conflatum itaque est gravissimum bellum adversus Cæsarem hinc a Gallorum rege, qui educto e Galliis florentissimo exercitu Tullum, Virodunum ac Metim, claras imperii urbes, invasit, Lotharingiæ, transmisso in Gallias puero duce, jura dedit. Metensium vero calamitatem plerique divinitus inflictam putavere, cum Lutherana pestis late cives corrupisset, quibus impii libri a Gallis erepti, atque incendio traditi fuerunt. Pertentavit Argentinam Galliæ rex, sed cives, Metensium, qui se dediderant, exemplo admoniti, ad vim repellandam se accinxere, Germanicæque libertatis simulatum vindicem Germanicas urbes sub jugum mittentem, retro signa vertere coegerunt, maxime cum Belgæ, duce Rossemia, in Galliam irrupissent, fœdamque Campaniæ inferrent vastitatem.

32. Parte alia Mauritius, Augusta subacta senatuque mutato, Ulmam tentavit frustra, obviisque urbibus in deditionem acceptis ad opprimendum incautum Cæsarem provolavit; inque montium faucibus arce munitissima, quæ inexpugnabilis credebatur, cui Freburgum nomen est, intercepta, inopino casu pastoris fugientis notosque sibi calles percurrentis indicio, tantum terrorem incussit Cæsari tam nefandæ conjurationis ignaro, ut Œniponte ubi periculi ignarus agebat, noctu præcipiti fuga cum paucis e suis imparatus se proripuerit, subduxeritque in Carniam, inque obvia Venetorum auxilia incurrens tantum pavorem concepit, ut ægre ex eo, de optima amicorum voluntate certior factus, se colligeret. His adversis attrita est admodum Cæsaris valetudo, ut scribit Surius : « Ita nec opinato a tam multis non uno loco hostiliter appeti, et jam prope in ipsas hostium manus incidere : tam est humanæ infirmitati molestum, ut non pauci etiam ex longe minoribus casibus legantur subito vel apoplexia vel alio morbo extincti, et est verisimile Carolo Cæsari hanc inopinatam persecutionem non paucos vitæ annos detraxisse, quanquam nec illi diu supervixerunt, qui in eum tam hostiliter incurrerunt ». Occupato Œniponte eadem die, qua discesserat Cæsar, Mauritius, cum intercicipiendi Cæsaris spem amisisset, veritus ne a Cæsare, conquisitis undique auxiliis ac instructo exercitu everteretur, ad pacis consilia mentem flexit, ac primum a Ferdinando rege Lincii in colloquium pellectus est; cumque sine sociis pacisci posse negaret, extracta est concordiæ actio, indictique solemnes conventus Passavii, in quibus Mauritius Cæsari conciliatus copias in Hungariam adversus Turcas transmisit, scriptisque Gallo regi undecimo die Maii litteris Gallico fœderi abrenuntiavit, Lutheranos vero concionatores proscriptos a Cæsare Augustam revocavit, ita enim se libertatem Germaniæ restituisse sibi persuasit. Sed, o miseram libertatem, quæ Sathanæ mancipat hujus libertatis cupidos atque assertores! Narrat enim Surius, cum in Pataviensibus cœtibus disquireretur, in quibus violata esset Germanica libertas, decretum fuisse, ut religionis causa nemini molestia fieret, donec lis omnis composita foret, ac landtgravium liberatum, Saxonemque e carcere a Cæsare dimissum fuisse.

33. Ingrata ac permolesta fuit ea concordia tum Henrico Galliæ regi, tum Alberto Brandeburgico, atque adeo ab iis repudiata ; et quidem Albertus Brandeburgicus, cum jam ante a Wolfgango Theutonici Ordinis magistro post vexatam direptionibus et variis cladibus ejus

ditionem insignem pecuniæ vim extorsisset, æque in Lutheranas urbes atque in episcopos avaritiam crudelitatemque exercuit. Norimbergensem agrum depopulationibus incendiisque atrocissime fœdavit, atque a civibus demum ducenta aureorum millia abrasit, abstraxitque tormenta sex bellica majora; Bambergensem et Wirczburgensem episcopos ad pacem ab eo redimendam adegit, Wormatiam Spiramque ococcupavit, Francfordiam Ulmamque fatigavit bello, Moguntium Trevirosque invasit, totque oppida delevit spoliavitque, ut vere Germaniæ flagellum crederetur. Cumque Lutherani ob pecunias Romam sacerdotiorum causa exportari solitas in Romanum Pontificem, ut Germaniæ spoliatorem declamare sint soliti, tot et tanta damna ab ipsis Lutheranis Germaniæ illata fuere violatæ religionis causa, ut eæ pecuniæ Romam exportari solitæ pro nihilo habendæ sint: denique Albertus spoliata Germania, cum de stipendio cum Galliæ rege disceptaret, a Cæsare illius arma in Gallum avertere meditante in gratiam admissus est; nec auditæ sunt a Germanis Lutheranis, Cæsaris et Concilii metu jam levatis Gallorum regis preces, quibus eos in fœderis sui fide continere confirmareque in rebellione nitebatur.

34. Extant enim Henrici II regis Gallorum litteræ ad Germaniæ principes [1], quibus repetita veteris inter Gallos et Germanos amicitiæ memoria, insinuat se præteritis mensibus postulatum fuisse a nonnullis principibus Germanis, ut eorum libertatem a vi et tyrannide Austriacæ familiæ vindicatam tueretur, ad quam asserendam, captosque principes liberandos arma ceperit, ac non exercitum modo, sed etiam vitam discriminibus objecerit, secundo successu, adeo ut principes liberati e carcere fuerint, ac præsidia Hispana ex urbibus Germaniæ deducta, gravioraque Cæsaris imperia conversa in amicas preces, nec jam novam rerum conversionem metuendam, cum imperator difficillimo implicitus morbo decumbat, jamque Gallicis armis Austriacum jugum e Germanorum cervicibus depulsum : tanti itaque beneficii ut memores sint rogat, nec patiantur quidquam in Ordinum comitiis adversus Galliam decerni. Imperatorem multa quidem agitare consilia adversus Gallos, ut vindictam repetat ab iis principibus, qui erga eos studium regium explicuerint, indeque asperatas ejus iras, quod præcisas spes exercendi in Germania liberi dominii, vel saltem doleat inducere jam non posse filium in successionem hæreditariam imperii, maximo tot principum antiquissimæ nobilitatis damno, abjectaque imperii adversus Turcicam vim defensione, belli molem in Galliæ regnum converterit, ipsos itaque tanquam præcipua imperii membra hortatur, ne illius voluntatibus consentiant, neve ulla auxilia aut præsidia ipsi adversus Galliam decernant, ut alias in Spirensi conventu inique decreta fuere, unde innumera mala in Germaniam redundarint : moliri Cæsarem principum vires infringere, ut cum debilitati fuerint, eos in gyrum mandatorum suorum agat, nec posthac iidem principes in comitiis tueri sua jura, seque ab injuriis imperatoris vel administrorum ejus vindicare possint : sola pietate se permotum ad infringendam ejus vim ac tyrannidem : ab omni verisimilitudine alienum esse, quod prætexit : se tanquam imperii patrem huic bello accingere, ad Metim, Tullum ac Virodunum recuperanda, hæc enim aliena ab omni jure, cum eæ urbes olim Gallicæ fuerint ditionis, atque in fœdere cum principibus inito comprehensæ sint, ob dignissimos respectus, ac bonum publicum ipsius imperii, atque adversus vim Austriacæ domus, imo ne evertatur imperium, vel ne aliquo damno afficiatur; illum ad effundendum animi furorem et instabilem ambitionem satiandam has inimicitias suscepisse, ac Germania Turcicæ prædæ exposita minaces iras in Galliam convertere, nec tamen alium fructum, quam insignis pudoris, ac damni relaturum meminerint; itaque datæ fidei ab eorum oratoribus in castris regiis prope Visimburgum sint memores, nec hosti auxilia ulla conferant; certiorem vero se factum promissa ab iis auxilia Cæsari, atque consensisse ut per eorum terras in Galliam irrumpat, quod si permiserint, cum ditiones Galliæ finitimas teneant, ultionem ab iis repetendam intentat. « Dat. Rhemis XII Novembris MDLII ».

35. Porro Henricus Galliæ rex, specie tuendæ libertatis Germanicæ, Tullo, Viroduno ac Meti potitus, ut diximus, rejectusque ab Argentinensibus, Lucemburgensem ditionem invaserat, atque Damvillerium, Yvodiumque (capto in eo Mansfeldio comite) subegerat, a quo captas urbes imperii repetiturus. Cæsar vero pacatis Germaniæ turbis, permissaque Lutheranis impie sentiendi contra fidem licentia, florentissimo exercitu collecto, immissisque in Galliam Belgicis copiis, atque Hisdino expugnato, importuno maxime tempore vigesimo secundo Octobris Metim obsedit, medioque Novembri pervenit in castra, ac licet omni conatu et impressione irrumpere in urbem assidua tormentorum bellicorum diverberatione quassatam pertentaret, fracti sunt ejus impetus virtute Guisii ducis, cujus frater Aumalius initio in eruptione ab Alberto captus fuerat, sævientibusque in exercitu Germanico frigore morbisque epidemicis, exeunte Decembri, Cæsar obsidionem solvit, relicta sauciorum, frigoreque ac fame pereuntium misera multitudine, quæ sequi castra non poterat, quam Guisius exaggerata Christiana pietate præditus non confecit, sed refecit, refectamque

[1] Ms. card. Spadæ sig. num. 137. p. 202.

libertate donavit, cujus virtutem Surius [1] his verbis commendat : « Guisius princeps, qui urbem propugnavit, egregia in milites Cæsaris morbo aut vulneribus ne exercitum sequi possent, impeditos, usus est humanitate et liberalitate, benigne eos recipiens, et rebus omnibus necessariis adjuvans. Fuit sane hoc facinus Christiano principe dignum, et merita apud omnem posteritatem laude celebrandum. Certe idem ille princeps religionis Catholicæ fuit constantissimus propugnator, quæ res illi tandem mortem concivit ». Habitis a Guisio solemnibus supplicationibus, inquit Thuanus, « Postridie Lutherani libri per urbis domos diligenter conquiruntur, et Guisii jussu palam a carnifice cremantur ».

Exceptus est tot adversis Cæsar cum acerbius ageret cum Gallo, nec illius amicitiam ad exscindendam hæresim pernecessariam cum aliquo rerum suarum damno, quod longe majore compendio resarcitum fuisset, compararet, affectatæque in Galliam tyrannidis suspicionem non removeret, quanta autem infelix illa inter Cæsarem Gallumque æmulatio Christiano imperio mala invexerit nulla mens capere potest, nec oratio exprimere, cum inde disturbatum Concilium, hæresisque confirmata fuerit.

36. *Rex Lusitaniæ pro pace cum Octavio Farnesio scribit Julio, a quo responsum benevolentiæ plenum accipit.* — Cum vero hæc ultima bella duxissent originem ex Octavii Farnesii ducis defectione, Lusitaniæ rex publicæ pacis et Christiani imperii quietis amplificationisque sollicitus, præsentiens imminentia mala, Pontificem ad redintegrandam cum Octavio et Gallorum rege, qui ejus clientelam arripuerat, concordiam sollicitavit. Cui respondit Julius alendæ pacis amore illius perturbatori ac perduelli Octavio motum bellum, imploratumque Cæsareum in eum auxilium : verum Octavium accersitis Gallicis copiis obduruisse in pertinacia, vexatumque ab his hostili populatione agrum Bononiensem : ac se Gallorum regis respectu benevolentiæque in eum insita propensione, Octavium, si redierit ad officium, Parmamque recepto Camerino Ecclesiæ restituerit, illum in gratiam admissurum [2] :

37. « Regi Portugalliæ.

« Charissime, antequam Deus nos ad Pontificatum vocaret, et post nostram etiam ad illum vocationem, nihil æque ac studium, desiderium amoremque publicæ pacis animo et mente revolvimus, nihilque magis abhorruimus, quam arma et bella ; isque præcipue pacis amor effecit, ut ad continendum in officio Octavium Farnesium subditum nostrum nobis et huic sanctæ Sedi rebellantem, eaque molientem, quæ Italiæ tranquillitatem turbare poterant, auxilium brachii sæcularis a charissimo in Christo filio nostro Carolo V imperatore semper Augusto imploraverimus : cum neque exhortationes, neque preces, neque minæ, quas prius adhibueramus, quidquam cum ipso Octavio profuissent ; qua in re accidit (id quod minime fore expectabamus) ut charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex Christianissimus, nulla in re a nobis lacessitus, quinimo omnibus honoribus et favoribus a nobis auctus, Octavii defensionem susceperit, ejusque milites non semel tantum, sed sæpius agrum nostrum Bononiensem, et Romanæ Ecclesiæ loca hostiliter atque immaniter invaserint ac diripuerint. Hæc fuit, fili charissime, causa atque origo discordiarum et belli, in quo si ulli conquerendi ratio competit, nobis certe conquerendi, lamentandi, clamandi et ad cœlum usque voces extollendi competit. Tacuimus tamen, nec ullo modo hactenus conquesti sumus, credentes nos patientia regem ipsum vincere posse, clementissimumque Deum rogantes, ut eidem mentem immutaret ad meliora capienda consilia, quæ ipsi regi, ejus regno, nobis, universæ Italiæ, atque universæ reipublicæ Christianæ salutaria forent. Nondum placuit ipsi Deo, cujus incomprehensibilia sunt judicia et investigabiles viæ ejus, nos consolari, quo fit, ut majestatis tuæ de pace officia mirum in modum nobis placuerint ; fatemur enim ingenue optare, nos cum omnibus hominibus, ac præsertim cum ipso rege, pacem habere : neque obliti sumus aut unquam obliviscimur præclarissimorum suæ majestatis erga personam nostram meritorum, sed in hoc uno pax versatur, ut Octavius nostræ mansuetudinis et clementiæ indulgentia, quam minime meritus est, quamque nihilominus ipsius Christianissimi regis intuitu clementer elargiemur, nobis obediat, sicut debet, atque accepta a nobis ampla Ducatus Camerini recompensa, quam sanctæ memoriæ Paulus III prædecessor noster ejus avus, ei forsan non dedisset, nobis et huic sanctæ Sedi Parmam discordiarum causam et fomitem restituat, quocirca sicut majestati tuæ de iis, quæ jam pro pace reducenda fecit, gratias agimus, ita eam in Domino hortamur, ut ab ejus pio incœpto non desistat ; nam nos ad omnia, quæ ad ipsam pacem conficiendam spectent, paratissimos ac promptissimos inveniet, modo nostri et hujus sanctæ Sedis honoris ratio habeatur, etc. Dat. Romæ VI Januarii MDLII, anno II ».

38. *Induciæ inter Pontificem et regem Galliæ, opera cardinalis Turnonii.* — Secuta mox Germanicarum rerum conversione, ac Cæsare difficillimo implicito bello ac pæne oppresso, Pontifex ad pacis spectavit consilia, ac permissa etiam Octavio Parma, pacisci inducias decrevit, de quo Joannes Baptista e Monte Gonzagam

[1] Sur. in Comm. Jac. Aug. Thuan. l. XI. — [2] Jul. III. l. VI. brev. sig. num. 2885. p. 5.

belli Parmensis auctorem ac ducem certiorem fecit, kal. Aprilis, eodemque mense misso a Gallo rege cardinale Turnonio, oratore atque interprete, sequestra pax sancita est, de qua meminere Acta [1] Consistorialia his verbis : « Nuper Sanctitas sua fecit verbum de tractatu inter eum et reverendissimum de Turnone super suspensione armorum inter Sanctitatem suam, et serenissimum dominum Henricum Francorum regem Christianissimum ratione Mirandulæ et Parmæ, reddens illius rationem ». Constitutæ sunt eæ induciæ in duos annos, ut ex eo initio paci universæ via muniretur ; dolebat enim Pontifex Parmensis belli occasione tot ac tantas hominum cædes patratas fuisse, perturbatumque Christianum imperium, quæ omnia Pontifex Gonzagæ his litteris adulto Aprili significavit [2], monuitque, ut lapso eodem mense Mirandulæ obsidionem solveret, in qua tumultuario certamine Joannes Baptista de Monte, nepos Pontificis, dum Cæsareas partes sequitur, vulneratus occubuit.

39. « Don Ferranti Gonzagæ.

« Dilecte fili, salutem. Tractavit nobiscum venerabilis frater noster Franciscus cardinalis de Turnono, charissimi in Christo filii nostri Henrici Francorum regis Christianissimi nomine, ut tam ratione Parmæ quam Mirandulæ ad certum tempus armorum suspensio, utpote pacis prævia, fiat, ita ut post ipsum tempus rex ipse Octavium Farnesium in sua libertate dimittere teneatur, etsi placuerit charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto in hac suspensione comprehendi nulla injuria nullumque damnum, tam ipsius imperatoris statibus quam nostris ex dictis locis Parmæ et Mirandulæ inferri queat ; quæ quidem omnia et quæcumque alia inter nos et cardinalem ipsum tractata, ipsi Cæsari per nuntium apud ejus majestatem nostrum dedita opera significari fecimus, et nos huic dilecto filio nobili viro Didaco de Mendoza Cæsareo oratori explicavimus. Cum autem consideremus obsidionem Parmæ et Mirandulæ nullos alios hactenus peperisse fructus, quam hominum cædes, vastationes ac rapinas, quas semper abhorruimus abhorremusque, neque alios inde effectus in futurum sperari posse, quodque finito suspensionis tempore, Octavius ipse, vel nobis omnino obediet, vel censuræ atque aliæ pœnæ contra eum prolatæ faciliorem executionem habere poterunt, hanc suspensionem armorum, quantum in nobis est, Deo duce, amplecti decrevimus, firma scilicet spe ducti, ut postea plena et generalis pax per ipsius Dei gratiam omnino subsequatur, pro qua reducenda nullum communis Patris officium omittemus, neque ullum præterea laborem aut incommodum effugiemus : scripsimus itaque dilecto filio nobili viro Alexandro Vitellio, id quod etiam bonæ memoriæ Joanni Baptistæ de Monte, nostro secundum carnem nepoti, scripseramus, tuæque nobilitati id significari mandaveramus, ut post præsentem mensem, pro quo milites solita stipendia jam receperant, ab obsidione Mirandulæ cum suis militibus discedat ; licet autem putemus nobilitatem tuam hæc omnia non solum, et ipsius nepotis nostri, sed etiam aliorum litteris et nuntiis intellexisse, voluimus tamen nos quoque, ea ipsi tuæ nobilitati per proprium tabellarium significare, ut quæcumque futura sit ipsius imperatoris, quoad ejus comprehensionem, in hoc suspensionis tractatu deliberatio, possit tua nobilitas interim ea parare, quæ ejus majestatis rationibus, ac dominii, et exercitus securitati conducere existimabit. Datum Romæ, etc. XX Aprilis MDLII, anno III ».

40. Quod ad pacis leges inter Pontificem Gallumque constitutas attinet, referunt litteræ XXIX Aprilis exaratæ [1], Pontificem pollicitum, Pontificium Cæsareumque exercitum a Parmæ et Mirandulæ obsidione remotum iri, nec biennii flexu in Parmensi Mirandulæve agro hostiles excursiones agendas, vicissimque Gallos spopondisse, ex Parma Mirandulave adversus Pontificem Cæsaremve nullas hostiles eruptiones factum iri ; porro Gallorum regem debito cultu majorum more observantiaque Pontificem prosecuturum, nec Romana Diplomata Pontificiaque in sacerdotiis conferendis decreta rescissurum aut impediturum ; censuras atque judiciaria Acta confecta adversus Octavium, ejusque socios ad biennium revocatum iri, atque oppidum, cui Castri nomen est, Farnesiis restituendum a Pontifice, nec ex ea arce quippiam hostile adversus Romanum agrum, vel ditionem Cæsaream, vel Senas tentandum a Gallo. Si forte pactis conventis Cæsar assentiri nollet, Pontificem Cæsareis bellis non se impliciturum, ac si dierum sexdecim flexu pactas leges non admitteret, beneficio pacis tum in iis, quæ ad ipsum vel Senensem rem spectarent, exclusus censeretur. Quæ conventa Pontifex rata habuit his verbis : « Ego Julius Catholicæ Ecclesiæ episcopus promitto et assero, ut supra ».

Cardinalis vero Turnonius regio nomine hæc verba scribit : « Ego Franciscus de Turnonio cardinalis episcopus Sabinensis, nomine quo supra, promitto, juro et affirmo ».

Cæterum Cæsar adversarum rerum mole pressus damnavit Parmense bellum assensitque induciis memoratis, de quo [2] Joannes Jacobus Medices XXIX Maii Carolum Gonzagam certiorem fecit.

[1] Acta Consist. sig. num. 324. p. 83. — [2] Jul. III. lib brev. v. sig. num. 2884. p. 124.

[1] Ext. l. III. Lit. princ. p. 123. — [2] Ext. de eo Ital. l. III. lit. princ.

41. Conciliata felicibus hisce auspiciis pax inter Pontificem et Gallorum regem gravissima rerum mole exoneratus Julius, licet Henricus Galliæ rex immanissimo facinore læsisset Ecclesiam ; ut qui obstitisset, ex inito cum Lutheranis fœdere, ne illi decretis Concilii Tridentini parere cogerentur a Cæsare, tamen ne eum regem judiciaria acerbitate in graviora mala adduceret, ac potius ut eum lenitate ad officium alliceret, refertas ad eum pio officiorum genere hasce litteras dedit [1] oratoremque ad alendum mutuum amorem ad eum decrevit.

« Regi Christianissimo.

« Charissime, etc. Quemadmodum nihil nobis molestius erat tuæ majestatis nobiscum dissensione, ita nihil jucundius, aut optatius mutua nostra reconciliatione nobis accidere potuit, quod quidem tuæ quoque majestati pro sua ac majorum suorum erga hanc sanctam Sedem et Summos Pontifices benevolentia atque observantia evenisse non dubitamus : quod ad nos attinet, daturi certe sumus operam, ut ex parte nostra hæc reconciliatio perpetua futura sit, sperantes majestatem tuam non commissuram, ut in ea re vincatur a nobis : nam memoria recolere debet, sicut et nos quoque recolimus, quantum semper honoris, existimationis ac commodi et huic sanctæ Sedi, et isti regiæ coronæ attulerit Summorum Pontificum et regum Christianissimorum concordia atque conjunctio : quamobrem Deum supplices oramus, ut eam, quam certe mundus dare non potest, pacem, quamque majestati tuæ, et nobis clementer concessit pro sua divina bonitate et gratia perpetuo conservet : interim vero, ut pro veteri hujus sanctæ Sedis consuetudine nuntium nostrum apud majestatem tuam permanentem habeamus, qui nostras et ipsius Sedis res et negotia apud eam tractet et agat : vicissimque de tuæ majestatis rebus et negotiis, quandocumque acciderit, ad nos scribat, venerabilem fratrem Prosperum de Sancta-Cruce Romanum, episcopum Chisamensem, prælatum domesticum nostrum, et Rotæ nostræ auditorem, quem quidem ob ejus nobilitatem, doctrinam ac prudentiam amamus plurimum, in Dei nomine ad majestatem tuam mittendum duximus, etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die XV Julii MDLII, anno III ».

42. *Senenses tumultus.* — Conciliato sibi Gallorum rege Julius nisus est exortos in Italia tumultus componere, qui, Senensium civium inter se dissentientium occasione, in apertum et exitiale bellum erumpebant [2] ; ut dum alii Cæsareum, alii Gallicum exambiunt subsidium, Cæsareis Gallisque inter se certantibus, bellicis attriti calamitatibus amissa libertate in externorum ceciderint servitutem. Floruerunt Senæ opibus dum Cæsareas partes tuerentur. Sed cum nonnulli invidia perciti summos etiam prensarent honores, hinc mutuus inter eos livor et bellicus strepitus exarsit : ad pacandos eos motus, suadente Cosmo Medice, Granvellanus administer Cæsareus Senas se contulit, Hispano nomini addictos confirmavit, Gallicæ factionis studiosos vel suspectos civitate dispulit, sanxitque ut præses Cæsareus Senis maneret, ad quem graviores causæ deferrentur. Ad cujus auctoritatem confirmandam præsidium Hispanum Senis imposuit. At cum præfectura Senensis collata fuisset Didaco Mendozæ, ille, ut Hispanum imperium in ea urbe assereret, munitissimam arcem extruxit, frænumque urbi injecit.

43. At Senenses ab Hispanorum militari licentia lacessiti, atque impatientes servitutis, icto cum Gallis clandestino fœdere, eos Clusium excivere ; ex quo oppido Senas facto impetu ingressi, conjunctisque sibi Senensibus Hispanos oppressere atque ejecere ex arce, quam mox solo adæquarunt.

De parta libertate Gallicis copiis Senenses Galliæ regi maximas grates egerunt ; sed cum pulsis Hispanis foverent Gallos, suspicionem movere Cosmo Duci Florentiæ, ne a Gallis sibi aliquod periculum impenderet ; atque adeo monuit Senenses, ut suam ita tuerentur libertatem, ut nec Gallis nec Hispanis se addicerent ; Julius etiam Pontifex, cum metueret, ne Senensis discordiæ faces etiam ditionem Ecclesiasticam corriperent (non enim passurus videbatur imperator, ut Galli Senis imperitarent), decrevit legatum cardinalem ad Senenses mittere, ut eos in concordiam adduceret ; atque ita libertatem suam assererent, ut nec Gallis nec Hispanis se subjicerent ; habitoque cardinalium Senatu ferme medio Augusto Fabium Mignanellum tit. S. Sylvestri presbyterum cardinalem patria Senensem misit, instruxitque amplissimis mandatis.

De hac legatione decreta monuit Florentinos Julius, ne Senenses civili bello attritos vexarent, vel exules auxiliaribus armis juvarent, ac ne adjecto novo igne arderet Italia : totam enim controversiam amantissima concordia, et firmissimi fœderis pactione, de qua colloquia Romæ inita sint, componendam.

Pontificius legatus se contulit Senas ; sed qui gubernacula illius urbis capessiverant, metuentes sibi, ne ab adversariis ab administratione publicæ rei submoverentur, Gallico suffulti præsidio, legati consilia ac mandata Pontificia disturbarunt : quare Julius legatum Romam redire jussit, atque imperator ad eos bello edomandos se comparavit, de quo proximo anno recurret sermo.

44. *Legati pro pace inter Carolum V et Henricum electio.*— Convertit etiam studia sua Julius

[1] Jul. III. l. VI. brev. sig. num. 2885. p. 191. — [2] Adrian. l. V et seq.

ad redintegrandam pacem inter Carolum Quintum Cæsarem et Henricum Galliæ regem, quam suscepto infeliciter Parmensi bello turbaverat, deque decernendis ad eos legatis egisse in senatu cardinalitio referunt Acta [1] Consistorialia :

« Die Lunæ XI Julii MDLII, Sanctissimus Dominus noster fecit verbum de classe Turcarum, quæ descenderat in mare Tyrrhenum, et tumultibus quotidie in Germania factis, necnon odiis intestinis inter principes Christianos contractis, et quod propterea deliberaverat in primis mittere duos nuntios, unum videlicet ad Cæsaream majestatem, et alium ad regem Christianissimum pro pace concilianda, et postmodum, si opus esset, duos cardinales, et demum inhærendo vestigiis suorum prædecessorum ad illos se personaliter conferre, et principes ipsos totis viribus ad pacem reducere ». Repetita sunt eadem studia [2], et curæ instauratæ mense Septembri, cum Cæsar omnes Germaniæ vires in Galliam effundere meditaretur.

« XXVIII Septembris MDLII, Sanctissimus accepit vota reverendissimorum DD. de modo tenendo pro componenda pace inter Christianos principes, et conclusum est, ut Sanctitas sua deputaret aliquos ex reverendissimis, qui ei assisterent, et viderent quando esset tempus opportunum vel mittendorum legatorum, vel litterarum scribendarum, et postea collegio referrent, et ut Sanctitas sua tentaret omnia pro pace, ne taciturnitas pro negligentia habeatur». Continentibus piorum omnium votis expetebatur pax eo ardentius, quo discordia et Turcas, et Lutheranos, instigante Gallo, in exitium Ecclesiæ armaverat, nec tanta unquam mala ex Parmensi bello oritura Julius unquam existimaverat; præviderat quidem, ineunte anno, Italiam Turcarum excursionibus vexandam, ad quas comprimendas se accinxerat, ac tria ordinum sacri senatus capita adornandæ classi incumbere jusserat. Instructa ita est classis, tum Pontificio, tum Cæsareo sumptu duce Auria Genuensi ad retundendos impetus Turcarum [3], qui juncti Gallis Neapolitanum regnum invasuri credebantur, at Christiana classis par Turcicæ comparata non est, cum tamen Turcica prædas ex Neapolitani regni littore abactura Draguto duce divisa fuisset; in eam divisam Auria incurrere decrevit; sed cum de ejus adventu certiores facti essent Turcæ, Auriæ classem mediam hinc inde cinxere, adeo ut jacta de omnium salute alea, septem triremibus, quibus Germani vehebantur, abjectis, fugam arripere coactus sit; his vero potitus Turca Christianos captos, vinculis onustos miseræ addixit servituti, atque spoliis et præda varia auctus est : Salernitanus vero princeps, qui Gallicæ classi dum imperio præerat, ac Gallicis Turcisque auxiliis fretus Neapolitanum, regnum invadere, et amicos vel instabiles animos ad defectionem sollicitare decreverat; cum frustra factionis socios pertentasset, re infecta classem Turcicam secutus Constantinopolim pervenit, ductisque ibi hybernis classem in proximum annum ad vastandam Italiam a Solymanno impetravit : ita Christianorum infelicissima dissensione Christiana res in exitium perducta est, paribus dissidiis in Hungaria inter Christianos flagrantibus; Christiana res in quoque regno magis afflicta est, ut mox dicetur.

45. *Apologia Ferdinandi regis de cæso Georgio cardinale.* — Instituta est hoc anno judiciaria actio a Pontifice adversus Ferdinandum Hungariæ Bohemiæque regem, ipsiusque administros, qui ipsius imperio Georgium cardinalem moderatorem Transylvaniæ, ex insidiis trucidarant.

Cædem jure factam contendit Ferdinandus rex, ac Lasco oratore ad Pontificem misso, multis criminibus cæsum oneravit, veluti Christiani imperii proditorem, ac Turcarum socium, quorum capita Julius ordinem judiciarium servaturus ad internuntium misit, ut de eorum veritate inquireret, erantque concepta subjectis verbis [1] :

« Ad docendum clareque demonstrandum, quod quondam frater Georgius, dum vixit episcopus Waradiensis, erga serenissimam majestatem serenissimi domini Ferdinandi regis, cujus servitor erat, ipsiusque secretorum regis, in missum contra Turcas hostes pro defensione regni Hungariæ exercitum, et ipsum Hungariæ regnum, universamque exinde Christianitatem proditionem et tradimentum moliebatur, præparabatque et ducebat in favorem Turcarum Christianæ religionis hostium et eorum principis; quodque propterea, et ex aliis infra dicendis causis et rationibus, tanquam reipublicæ Christianæ proditor et publicus hostis impune occidi potuit et meruit, ad aliosque omnes meliores fines et effectus, quibus magis et melius dici et fieri potuit procurator, et eo nomine prædicti serenissimi regis, necnon et nobilium dominorum ipsius serenissimi regis in regno Hungariæ locumtenentis bellici, aliorumque qui in morte dicti fratris Georgii intervenerunt, aut mortis ejusdem quoquo modo participes et conscii fuerunt; dat, facit et exhibet articulos infrascriptos, super quibus instat et petit per vos reverendissimos dominos sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, quibus Sanctissimum Dominum nostrum dominum Julium divina providentia papam Tertium hujus negotii commissio delegata est etiam ad perpetuam rei memoriam ». Et paulo infra :

[1] Acta Consist. sign. num. 134. p. 86. — [2] Acta Consist. sign. num. 134. p. 93. — [3] Natal. Comes l. v.

[1] Jul. III. l. VI. brev. sig. num. 2885. p. 106.

« In primis quidem procurator prædictus ponit et probare intendit, quod prædictus quondam frater Georgius, dum vixit episcopus Waradiensis, vivente adhuc quondam rege Joanne, et deinde illo defuncto, donec ipse frater Georgius vixit, multa etiam magnæ importantiæ et enormia damna non solum Hungariæ et Bohemiæ regnis, sed universæ etiam Christianitati intulit, et quod per Turcas Christianæ religionis hostes illata fuerint, causam et occasionem præstitit, et inter alia licet post mortem dicti Joannis regis serenissima domina regina Isabella illius uxor bene pro sua et filii utilitate, ac etiam pro totius Christianitatis securitate consulta decrevisset, et vellet sedem regiam, arcem et civitatem Budensem concedere et consignare præfato serenissimo Ferdinando regi Romanorum, etc. tamen per dictum fratrem Georgium, et alios illi adhærentes id facere impedita, et deinde civitatem et arcem prædictas principi Turcarum cedere, et ab eodem Turcarum principe Transylvaniam provinciam pro ipsius reginæ filio cum titulo Sangiacatus, et sub certo annuo censu magnæ quantitatis per testes exprimendæ prædicto Turcarum principi persolvendo accipere persuasa et compulsa fuit in magnam totius Christianitatis potentiæ imminutionem, magnumque damnum et detrimentum, sicque testes examinandi sciunt, sicque fuit, et est ubique, et præsertim in illis partibus publica vox et fama.

« Item, quod post prædicta, cum dictus frater Georgius, relicta civitate et arce Budensi, cum prædicta serenissima regina Isabella in Transylvaniam se contulisset, ibidem ipse frater Georgius suis artibus et fallaciis multifariam, decepta dicta regina, ejusdem provinciæ administrationem arripuisset, talem administrationem gerendi causa, multis et variis injuriis ac gravaminibus reginam prædictam et illustrem ejus filium affecit ». Et paulo infra :

46. « Item, quod cum successu temporis magis crevissent discordiæ et rixæ inter prædictam reginam Isabellam, et dictum fratrem Georgium, et ad illas sedandas magistratus principis Turcarum in civitate Budensi commorans, Bassa Budensis vulgariter nuncupatus, cum aliquot millibus scelestorum militum Turcarum Transylvaniam ingredi conaretur, fuit inde per prædictum fratrem Georgium armata manu occurrentem repulsus, ac re infecta retroducere coactus, quamobrem et aliis etiam de causis per testes, si opus erit, exprimendis, princeps Turcarum cœpit odio habere dictum fratrem Georgium, et velle eum ab administratione dictæ provinciæ Transylvaniæ omnino removere, sicque fuit, et est verum, ac publica vox et fama.

« Item, quod inde dictus frater Georgius animadvertens se per ipsummet invito principe Turcarum non posse dictam provinciam Transylvaniæ tueri, se in illius regimine conservare, et sic tali sua privata utilitate impulsus et coactus convertit se et confugit ad patrocinium prædicti serenissimi domini Ferdinandi regis, orando, ut sua regia majestas Transylvaniam ad manus suas reciperet, contentando filium regis Joannis ratione patrimonii, et ipsam reginam ratione suæ dotis, et donationis propter nuptias, et cum dictus serenissimus dominus Ferdinandus rex ex anteacta vita cognosceret subdolum et versipelle dicti fratris Georgii ingenium, noluit illius verbis fidem præstare, tandem ipse frater Georgius, iteratis litteris et nuntiis, sponte sua obtulit, promisit et juravit de cætero regiæ suæ majestati et Christianitati fideliter inservire, protestando insuper, quod si sua majestas illud facere negligeret, et exinde Christianitati damnum emergeret, quod illud sine sua culpa eveniret : quapropter præfatus serenissimus dominus Ferdinandus rex, victus precibus, et adhibita fide pollicitis dicti fratris Georgii, conclusit pactum et conventionem prædictam, ut quemadmodum cum dicto quondam rege Joanne tractatum, et eo defuncto, cum prædicta regina Isabella renovatum fuerat, Transylvania et cætera ad regnum Hungariæ pertinentia ipsi serenissimo domino Ferdinando regi restitui et dimitti deberent, ipsique regina Isabella et filius pro patrimonialibus bonis ac dote et donatione propter nuptias respective contentarentur, prout contentati fuerunt, assignato etiam filio dictæ reginæ Isabellæ ducatu Opoliensi in Silesia, quem obtinet, ipsoque serenissimo domino Ferdinando rege Transylvaniam assecuto, ipsoque per omnes illius provinciæ ordines in verum dominum agnito, et per illos fidelitatis juramento sibi præstito palam et publice, et sic fuit, et est verum, ac publica vox et fama.

47. « Item, quod præmissis peractis prædictus serenissimus dominus Ferdinandus rex ad magis demulcendum et continendum in officio pravum dicti fratris Georgii ingenium, ne denuo aliquas turbas in suæ majestatis et Christianæ reipublicæ detrimentum ordiretur et statueret, et sperans quod jam saltem in suo extremo senectutis termino constitutus, longa rerum experientia doctus, fidem servare didicisset, recepit illum ad suæ majestatis servitium, præfecitque eum officio Wayvodatus in Transylvania prius una cum nobili viro Andrea de Bathor, comitatuum de Zathmar, Zabolech, et deinde cum ipse frater Georgius, prout erat homo ambitiosus et superbus, recusare vellet in officio collegam habere, solum eum dicto officio Wayvodatus præposuit, ac etiam thesaurarium Transylvaniæ fecit, stipendiumque propterea ipsi fratri Georgio constituit magis quam unquam alicui alteri dicta officia exercenti da-

tum fuisset, et præterea ad sanctissimum dominum nostrum dominum Julium divina providentia papam III diligentissime intercessit, ut sua beatitudo eumdem fratrem Georgium in numerum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium assumeret, cooptaret, prout assumpsit et cooptavit, prout de his omnibus et singulis testes examinandi notitiam habent, ac fuit et est publica vox et fama.

« Item, quod non attentis nec consideratis præmissis serenissimi, et quod ipse frater Georgius erat prædicti domini Ferdinandi regis officialis conductus et juratus, et tam multiplicibus beneficiis ornatus et auctus, et quod toties de præstanda in perpetuum fidelitate promissiones et juramenta fecerat, idem frater Georgius maligno et diabolico, ut verisimiliter credi potest, spiritu ductus, cum nefanda ejus opera et consilia infra dicenda a bono spiritu esse non possent, assumpsit propositum, fixitque intentionem, ut recuperaret gratiam principis Turcarum, et si pro illa recuperanda universum Hungariæ regnum, quinimo etiam omnes totius Christianitatis provinciæ in ejusdem principis Turcarum manibus, sive per vim, sive per traditionem, et per Christianorum exercituum cædem tradendæ essent, et in tam malo et impio proposito usque ad mortem perseveravit; et pro ejus nefarii propositi implemento multa nefaria et enormia inferius magis particulariter exprimenda fecit et perpetravit, sicque fuit et erat in illis partibus communis opinio et reputatio, firma credulitas apud omnes etiam populares, ac publica vox et fama.

48. « Item, pro proxime præcedentis articuli clariori et magis particulari demonstratione ponit, et probare intendit, quod licet post conclusam conventionem prædictam, et juxta ipsius conventionis tenorem dicta regina Isabella cum illustri suo filio Cassoviam se contulisset, ut tam diu ibi manerent, donec prædictus dominus Ferdinandus rex eis dictum ducatum Opoliensem traderet, et licet etiam inter eos tractatum esset, quod tributum occasione Transylvaniæ nomine dicti filii regis Joannis pro tempore decurso Turcarum principi non aliter solveret, quam si ipse Turcarum princeps inducias cum prædicto serenissimo domino Ferdinando rege, etiam nomine et respectu Transylvaniæ prorogaret, et eamdem Transylvaniam ipsi serenissimo domino Ferdinando regi quietam dimitteret, sicque dicti tributi oblatio quidem ex tunc modo prædicto, sed solutio non aliter, quam induciis prædictis firmatis facienda esset, ita quod per ipsum serenissimum dominum Ferdinandum regem prius dicto principi Turcarum sub die penultimo mensis Julii anni præteriti MDLI, de recepta ad sui obedientiam Transylvania, et aliis ut præfertur gestis significatum, et deinde dicto fratri Georgio per litteras ex Collesuario septimo die mensis Augusti anni MDLI datas, ne dicto principi Turcarum, aut suis magistratibus diversimode, sed conformiter scriberet, ac cum eis de solutione tributi, ut præfertur, tractaret, mandatum fuisset, ipseque frater Georgius in suis litteris eidem serenissimo domino Ferdinando regi ad prædicta in hæc verba respondisset; videlicet : Memor autem sum eorum, quæ de principe Turcarum majestati vestræ scripseram, eam igitur deinceps sententiam et in scribendo observabo, ut meæ quoque litteræ a majestatis vestræ litteris differre non videantur. His tamen omnibus non attentis, sed postergatis, idem frater Georgius maligno suo spiritu prædicto, ut verisimiliter existimari potest, persuasus et ductus ad eumdem principem Turcarum omnino diversa, atque etiam contraria scripsit et nuntiavit, dicendo etiam contra rei gestæ veritatem, quod Transylvania adhuc erat in manibus et obedientia filii regis Joannis, et quod ipse filius regis Joannis eam dumtaxat ob causam profectus esset Cassoviam, ut unam ipsius serenissimi domini Ferdinandi regis filiam, principum more, fide sibi data in matrimonium esset copulaturus, supplicavitque eidem Turcarum principi, ut dictum filium regis Joannis solita sua benignitate et prosequi, et in eo tuendo suam erga illum gratiam ostendere vellet, promittendo, quod idem regis Joannis filius ipsi Turcarum principi non minus quam antea fidelis et per omnia obsequens servus foret, et infidelitatis accusando nobilem virum Petrovith, qui arces suæ custodiæ commissas serenissimo domino Ferdinando regi tradidisset, seque magnifaciendo et excusando, quod ipse Lippam, Solimos et Themesium nunquam possedisset, sed dictus Petrus, qui illas serenissimo regi Ferdinando tradiderat, et præterea per certos nuntios ad id destinatos, idem frater Georgius ad dictum principem Turcarum tributum prædictum occasione Transylvaniæ, nomine dicti filii regis Joannis et suo, nulla habita mentione seu ratione induciarum prædictarum, misit palam et publice, et sic fuit et est verum, ac publica vox et fama.

49. « Item, quod præmissa adeo et in tantum fuerunt et sunt vera, quod dictus Turcarum princeps ab eodem fratre Georgio, sicut præfertur, incitatus, suo magistratui Græciæ Beglerbego nuncupato mandavit, ut cum suo exercitu versus Transylvaniam pergeret et quæ posset loca ex inferioribus Hungariæ regni partibus occuparet, eidemque fratri Georgio et regni Transylvaniæ statibus districte præcepit, ne dictam reginam Isabellam cum filio suo e regno Hungariæ emigrare paterentur, et casu quo jam egressi essent, eos citra moram reducerent. Et cum antea princeps Turcarum prædictus eumdem fratrem Georgium ab omni guberna-

tione removeri jussisset, eumque (ut præfertur) odio prosequeretur, malis ipsius fratris Georgii prædictis delinitus, eum denuo administrationi regni præfecit, omnem eidem regni prædicti gubernationem committendo, præcipiendoque dictæ reginæ Isabellæ, ne fratrem Georgium in regimine et administratione prædictorum impediret, seu quoquo modo turbaret, palam et publice, et sic fuit et est verum, ac publica vox et fama.

« Item quod ejusdem temporis spatio dictus frater Georgius inconsulto dicto serenissimo Ferdinando rege suos proprios nuntios, et cum suis propriis mandatis, tam ad præfatum Beglerbegum Græciæ, quam ad Portam ipsius principis Turcarum ablegavit, et misit ad effectum magis conciliandi sibi gratiam dicti principis Turcarum, illiusque Bassarum et Visiriorum, offerendo eis inter alia præfati serenissimi regis Ferdinandi milites in Hungaria et Transylvania existentes, aut exinde expellere, aut in ipsorum Turcarum manibus tradere velle palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama.

« Item, quod licet intellecto adventu dicti Beglerbegi cum suo exercitu versus inferiorem regni Hungariæ partem, serenissimus dominus Ferdinandus rex crebris litteris præfatum fratrem Georgium admonuisset, ac per nobilem et strenuum virum Joannem Baptistam Castaldum in illis partibus, et serenissimi domini Bohemiæ regis bellicum locumtenentem cohortari fecisset, ut ipse frater Georgius una cum eodem domino Joanne Baptista locumtenente, ea, quæ ad illarum partium regni defensionem pertinerent, agenda et curanda fortiter susciperet, civitates aliquas præcipuas et passus in confinibus magis necessarios fortificaret, viris, armisque, et victualibus communiret, ad eamque rem subsidium et contributionem aliquam a regnicolis obtinere juvaret, et cooperaretur ; et licet ipse frater Georgius ad præmissa se bene affectum et præparatum fore ostenderet et polliceretur, tamen animo, ut hostes facilius et tutius procedere possent (proditorem se gerens) regnicolarum conventum convocare plus æquo distulit, et eo tandem convocato, licet ipsi regnicolæ pro certorum locorum communitione contributionem decrevissent, ipse tamen frater Georgius clandestine suis practicis et fraudibus decretas fortificationes et communitiones hujusmodi continuari et perfici variis modis impedivit et distulit ; dumque hæc in Transylvania gerebantur, ejus dilationis et impedimentorum occasione captata, et per ipsius Georgii fratris litteras et nuntios sollicitatus Beglerbeghus prædictus cum suo exercitu Danubium trajecit, pontemque navalem etiam Tybisco fluvio injiceret paravit, ad occupandamque inferiorum Hungariæ regni partem festinavit palam et publice, et sic fuit et est verum, et publica vox et fama.

« Item, quod allato nuntio adventus Beglerbeghi, licet capitanei et officiales dicti serenissimi domini Ferdinandi regis in illis partibus regni Hungariæ ad prohibendum Beglerbego Thybisci transitum publicis edictis regnicolas ad arma et patriæ defensionem evocavissent, et prædicto fratri Georgio supremam potestatem in Transylvania habenti, ut ipse quoque in Transylvania similiter faceret, eisque quam gravissima posset subsidia mitteret, diligenter significassent, ipse tamen frater Georgius non solum diligentias prædictas facere, et subsidia prædicta mittere distulit, sed etiam proprios suos homines et nuntios ad easdem inferiores Hungariæ regni partes misit, qui nobilibus, tam Hungaris, quam Rascianis jam ad mandata nobilis Andreæ de Bathor supremi illius regni capitanei, et aliorum regiorum officialium partim insurrexerant et armati venerant, partim in procinctu erant accessuri , omnibus artibus persuaderent, ne jussis capitanei et officialium prædictorum parerent, sed potius ipsi serenissimo domino Ferdinando regi supplicarent, quod etiam illarum partium gubernium et administrationem fratri Georgio concederet, et dicerent, non videri eis, quod per alium, quam per ipsum fratrem Georgium e manibus Turcarum liberari possent, sicque testes super præsentibus examinandi, qui etiam cum aliquibus ex subornatis hominibus, et nuntiis prædictis allocuti fuerunt, sciunt et dicunt, fuitque et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama.

« Item, quod propter dilationes et fraudes prædictas dicti fratris Georgii, cum incolæ illarum partium viderent Beglerbegum cum universo exercitu instare, fratrem Georgium nulla subsidia misisse,pro majori parte ad Turcas hostes defecerunt, et Beglerbeghi castra secuti sunt, reliquaque oppida et arces, quæ in fide et obedientia prædicti serenissimi domini Ferdinandi regis perseverabant, ad similem defectionem sollicitaverunt, et præfatus Beglerbegus transacto Tybisco et arcibus Belz et Bekereke, arcibus ad ripam Tybisci sitis, ac etiam Lippa civitate expugnatis et occupatis, ejusdem fratris Georgii litteris et nuntiis in dies confirmatus, Themesium quoque obsidere conatus est, spe sibi facta a Rascianis, qui, ut proxime dictum est, ad ipsum Beglerbegum defecerant, quod ipsum oppidum Themesium, et illius arcem opera consanguineorum et amicorum suorum in eis existentium ad manus ejus daturi essent palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama ».

50. Objectum etiam est illum monitum, ut

Chyanadiensem arcem communiret, nullum præsidium submisisse, præfectum claves arcis Beglerbego quatuor adhuc milliaribus dissito transmisisse, scilicet fratris Georgii imperio necnon ejusdem fraude exercitum, quem Andreas de Bathor coegerat, dissolutum, Lippam et alias arces captas, obsesso vero Themesio jussum a Cæsareo duce, ut cum copiis in Turcas consurgeret, vel copias submitteret, promissis defuisse, nec commeatibus instruxisse arces, ut caperentur a Turcis, cumque Sfortia Pallavicinus marchio, cum copiis a Ferdinando submissus se conjunxisset legato Cæsareo ad Lippam obsidendam, in qua Beglerbegus lectissima quinque millia Turcarum duce Olomambego collocarat, ac Georgius cum copiis etiam accessisset, captaque impetu urbe, ac tribus millibus Turcarum cæsis, reliqua duo millia in arcem confugissent, dieque sequenti deditionis verba nuncuparent, habito cum Georgii famulo colloquio mutasse consilium, ac noluisse deditionem facere, nisi cum omnibus fortunis incolumes dimitterentur; cumque tormentis bellicis arx quateretur, Georgium obsessis clam submississe commeatus, exercitui vero Cæsareo parce subministrasse, cum Olomambego clandestinum etiam colloquium inivisse, dedisse etiam operam, ut plures abirent ex castris, adegisseque ob inopiam victuum legatum Cæsareum, et marchionem, ut Turcas liberos dimitti paterentur. Georgium vero excivisse ad se Olomambegum, eumque magnis muneribus ornasse, tum currum pixidibus manualibus oneratum donasse, misisse internuntios sæpius ad Turcas, vicissimque ab iis, quos Chiausos vocant, recepisse : pepigisse etiam cum Turcis, ut exercitum Cæsareum expelleret, vel trucidandum objiceret, Transylvanos proceres sollicitasse, ne exercitum Cæsareum hyberna agere in Transylvania paterentur, vel ut in pagis spargerentur, ut ita facile opprimi possent; magnum Turcarum numerum excivisse in Moldaviam et Transylvaniam, ut duorum Wayvodarum ope Cæsareos contrucidaret, tum subditur :

51. « Item, quod inter alia ejus proditionis et rebellionis opera dictus frater Georgius decreverat et statuerat se facere dominum Transylvaniæ, tributarium principis Turcarum etiamsi ad talem effectum consequendum non solum Hungariæ regnum, sed omnes totius Christianitatis provinciæ Turcis tradendæ fuissent, a quo proposito etiam suis, et apud ipsum magnæ auctoritatis viris dehortatus est, et quod tanquam bonus Christianus et religiosus haberet misericordiam Christianitatis, teneretque memoriam pactorum et juramentorum fidelitatis præfato serenissimo D. Ferdinando regi præstitorum, beneficiorumque ab ipso receptorum, et opinionis et spei quam universæ Christianitati dederat, et etiam per litteras scripserat summo Pontifici Romano, imperatori Romanorum, et aliis principibus Christianis de bona opera per eum donec viveret pro Christiana religione præstanda, persuasus dimoveri nunquam potuit, sed semper in suo malo proposito prædicto usque ad mortem perseveravit palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama ».

Interjectis nonnullis, quod inconsulto Ferdinando rege conventus ordinum indixisset, arcium præfectos a rege constitutos amovisset, ac plura perfidiæ et proditionis argumenta dedisset, subditur : « Item, quod propter præmissa eo deventum erat, quod nisi dictus frater Georgius prudentia et strenuitate dicti domini Joannis Baptistæ bellici locumtenentis, et aliorum qui sibi astiterunt, de medio ex improviso sublatus fuisset, prout sublatus fuit, brevi futurum erat, quod ejus fraudibus et dolo universa regna Hungariæ et Transylvaniæ prædictæ in potestatem Turcarum devenissent, dictusque regius exercitus eisdem Turcis ab eisdem trucidandus proditus fuisset, sicque testes super præsentibus examinandi de præmissis bene informati sciunt palam et publice, et sic fuit et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama.

« Item, quod si delatum fuisset, dictum fratrem Georgium non ita subito, quemadmodum factum fuit, occidere, sed vel desuper dictum dominum nostrum papam consulere, vel ipsum fratrem Georgium captum, ut in judicio in Transylvania vel alibi sisteretur, et causa cognita, condemnaretur, id fieri quodammodo impossibile et omnino periculosissimum fuisset, nec omnino fieri potuisset, quin magni motus in perniciem Christianæ religionis et illorum regnorum inde suscitarentur, tum propter ipsius fratris Georgii sequaces regnicolas, tum etiam propter suorum amicorum, tam Turcarum, quam Moldaviensis et Transalpinæ Wayvodarum, quibus concitatis, non dubitandum est, quin pro ipso fratre Georgio tanquam amico liberando magna fuissent per eum universæ Christianitati damna illata, sicque quilibet de præmissis informatus, et similium rerum expertus diceret, arbitraretur et judicaret, prout communiter dicitur, arbitratur et judicatur, fuitque et est verum, publicum, notorium et manifestum, ac publica vox et fama, etc.

« Die... Aprilis MDLII, dom. Didacus Lasco serenissimi regis Romanorum apud S. D. N. orator, ac ad supradictos articulos coram reverendissimis dominis cardinalibus supramemoratis dedit, et exhibuit, eosque admitti, et testes desuper producendos examinari petiit, et obtinuit omni meliori modo, etc. »

Quod ad Joannem Baptistam Castaldum

attinet, extant ejus litteræ XXII Julii exaratæ [1] ad Ascanium Centorium, quibus queritur, se licet singulis diebus caput mille periculis pro salute publica contra Turcas objiciat, censuris Ecclesiasticis a Pontifice defigi, atque virtute sua centum millia Turcarum, Moldavorum ac Tartarorum fugata fuisse gloriatur, verum post eam victoriam redactum fuisse in angustias addidit, atque Agrienses a Budensi Bassa graviora passos, Lippenses in discrimen adductos, Themisvarenses, et Carasambeanos opem efflictim deposcere, in Georgii vero memoriam pluribus invectus est, ac Georgium non Christianum, sed infidelem Cerberum vocat, qui Turcas in Hungariam exciverit. Cæterum post Georgii mortem Ferdinandi res admodum depressæ in Hungaria fuerunt, quod Acta [2] Consistorialia confirmant his verbis :

« Romæ die Veneris, prima Julii MDLII, fuerunt lectæ litteræ serenissimi domini Ferdinandi regis Hungariæ, quibus significabat expugnationem civitatis Vesprimiensis in Hungaria, et invasionem Transylvaniæ factas a Turcis petens suffragia a sua Sanctitate, et fuit commissum negotium sex reverendissimis Tranensi, Neapolitano, Sancti-Jacobi, Burgensi, Verallo et Camerario ».

52. *Georgii cardinalis occisores pœnas dant a Deo mulctati.* — Percrebuit fama inique illum oppressum a calumniatoribus thesauris illius inhiantibus, adeo ut quantum incrementi ex illius morte suis rebus accessurum arbitrabatur Ferdinandus, a ministris delusus, tantum detrimenti se accepisse (sed sero) senserit translato ad externos homines summo imperio, et publica administratione, a qua cum se provinciæ reguli remotos viderent, minus animi et constantiæ semper in dies ad propulsandum communem hostem adhibuerunt, et ingentibus propterea cladibus acceptis, mox revocato rege Joanne, Ferdinandi imperium aversati sunt. Certe percussores Georgii post ejus necem ad unum omnes pœnas dedisse scripserunt, ac Sfortiam quidem Pallavicinum diuturna, et morte pejore, apud Turcas captivitate mulctatum; Monimum vero in Subalpina regione ad Germani Fanum cervice abscissa periisse; Ferrarium denique Alexandriæ, quæ ipsi pacta erat, cardinalis Tridentini jussu, sexennio post securi percussum, postremo equitem Campegium, hujus sæculi anno LXII, inter venandum in Ferdinandi ipsius conspectu apri fulmineo dente in Bohemia discerptum esse.

Ex Georgii cardinalis morte grave etiam aliud damnum passa est Transylvania, nam hæretici in eam irrepsere, ac suarum opinionum virus simplicibus populis afflarunt, indeque maximæ animarum strages secutæ fuerunt.

[1] Ext. l. III. lit. princ. p. 163. — [2] Acta Cons. sig. num. 134. p. 86.

53. *Repressi in Polonia hæretici.* — In Polonia grassari cœperat Lutherana hæresis [1], ac sacerdotes objecta nuptiarum vetitarum illecebra, populum vero communionis sub duplici specie lenocinio corrumpebat : adeo ut in comitiis Petricoviensibus nonnulli proceres impiis argutiis hæreticorum fascinati superiore anno postulare impudenter ausi sint, ut sacerdotibus meretriculæ prætexto conjugii specioso nomine, et laicis utraque species permitterentur.

Non tulit Poloniæ rex a novatoribus regnum lacerari, eosque regia auctoritate repressit, jussitque ut novarum controversiarum auctores et satores eas ad Concilium Tridentinum, quod nondum dissolutum erat, referrent, cujus sapientissimum decretum commendavit Pontifex, utque episcopos ad compescendos turbarum seditionumque incentores regia vi fulciret admonuit [2] :

« Regi Poloniæ.

« Charissime, etc. Quæ nuper intelleximus a venerabilibus fratribus Cracoviensi et Primisliensi episcopis, contra Conradum Crupek, et Stanislaum Oricovium pie et constanter acta fuisse, ea nobis cum grata acciderunt, tum vero illud gratissimum, majestatem tuam in primis ad eam rem omne studium suum ac præsidium contulisse : eam enim patriis et avitis inhærentem vestigiis, majora quotidie atque illustriora Catholicæ religionis, et suæ erga nos et hanc sanctam Sedem observantiæ signa data lætamur, quam quidem pro sua prudentia atque sapientia illud minime ignorare arbitramur, consuevisse semper novos ejusmodi in religione motus regnorum quoque statum simulque populorum quietem perturbare, cujus rei vel maxime testis est vicina Germania, quæ quandiu religionem Catholicam sancte integreque coluit, florentissima extitit, ubi vero pestiferam Lutheri hæresim recepit, plurimas et gravissimas calamitates perpessa est. Accedit etiam in iis, quæ ad ipsam disciplinam Christianam pertinent, tanta opinionum varietas, ut quod quisque sequatur nemo prorsus teneat, sed omnes tanquam cæci, Ecclesia Catholica duce relicta, huc illuc turpissime errent. His tot ac tantis malis cum nullum ostenderetur magis præsens remedium, magisque a cunctis nationibus expetitum, quam universale Concilium, id a nobis primo quoque tempore adhibendum statuimus : Tridentinum itaque illud, qua in civitate superioribus annis celebrari cœptum fuerat, revocavimus, quod jam divina sane juvante gratia, et Spiritu sancto cooperante, satis frequens in dies progreditur. Ad ipsum igitur Concilium, sicut et majestatem tuam proximis

[1] Neugebaver. l. VIII. Florimund. Raym. de Orig. hæres. l. IV. — [2] Jul. III. lib. brev. num. 2885. p. 17.

comitiis prudenter fecisse audivimus, remittendos, atque omnino rejiciendos esse censemus eos, quos in isto regno religionis novandæ cupidos, neque timor Domini, neque ulla sacrarum legum ratio queat in officio continere, ita ut effractis pudoris et continentiæ septis, sacerdotum connubii et communionis sub utraque specie causam, de qua jamdiu Catholica Ecclesia decidit, ac statuit, quid sequendum foret, in dubium revocare, et toties divini et humani juris rationem pervertere conentur; quod nisi regni istius prælatos una cum oratore majestatis tuæ Tridentum jam appropinquare, aut certe in viam sese dedisse a dilecto filio Paulo archidiacono Plocensi accepissemus, qui Tridentum missus ad nos venit, internuntium nostrum istuc omnino ad comitia Petricoviensia his de rebus misissemus; nunc vero majestatem tuam pro singulari nostra et paterna erga ipsum benevolentia, suaque item erga nos, Apostolicam hanc Sedem observantia et pietate, proque nobilissimi istius regni salute et incolumitate hortamur et rogamus, ut omnes cogitationes, opes, consilia ad ditionem suam ab hujusmodi peste teterrima defendendam et conservandam conferat, utque ipsis Cracoviensi et Primisliensi episcopis, cæterisque regni sui prælatis, qui ex canonicarum sanctionum præscripto in hæreticos homines, et pravorum dogmatum sectatores animadvertendum statuerint, ita faveat, ut eorum sententiæ ratæ ac firmæ habeantur, quod quemadmodum majestatem tuam per se jam effecisse libenter cognovimus, sic illam, tam pium rectumque animi sensum perpetuo retinere, et valde cupimus et speramus, quod quidem ejusmodi est, ut majestati tuæ in primis gloriosum, nobilissimo isti regno salutare, nobis optatissimum, denique ipsi Deo optimo Maximo longe gratissimum futurum sit. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die XXVIII Januarii MDLII, anno II ».

54. Explicuit flagrantissimum tuendæ incorruptæ orthodoxæ religionis studium Andreas episcopus Cracoviensis, atque Conradum Crupek novatorum signiferum justa severitate coercuit [1], cujus pium ardorem celebravit laudibus Pontifex, illumque est cohortatus, ut nefarios novatores, qui simplices suo veneno inficere moliebantur, depelleret, justoque terrore percelleret.

« Andreæ episcopo Cracoviensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Non parum solatii calamitosis hisce temporibus nobis attulerunt fraternitatis tuæ litteræ, quas dilectus filius noster Bernardinus cardinalis Maffæus istius regni viceprotector nobis reddidit, ex iis enim liquido cognovimus, quam pro tui officii debito assidue cogitare, atque adeo laborare studeas, ne oves gregis tibi crediti, non modo pravis hæresibus non inficiantur, verum etiam morbidæ effectæ ab reliquo ovili ejiciantur et expellantur, cujus quidem optimæ tuæ voluntatis et eximiæ pietatis præclarum et illustre exemplum contra Petrum Conradum Crupek proxime a te editum fuisse scribis, qua de re te magnopere in Deo domino commendamus, teque et item cæteros ejusdem regni prælatos, ut id in posterum omni exhibita diligentia curetis et efficiatis, vos majori quo possumus animi nostri affectu cohortamur et paterne monemus, quo impii et hæretici homines sentiant vos multo vigilare acrius ad Catholicæ Ecclesiæ præfatam et ipsius regni salutem, quam illi ad oppugnationem et perniciem, nam præterquam quod labor vester non erit inanis in Domino, nos quoque et hanc sanctam Sedem, quoties se occasio obtulerit, pro vestro hujusmodi studio atque officio gratos semper et memores estis habituri. Quod autem menses nostros (id est, quibus vacantium sacerdotiorum in eo episcopatu conferendorum jus spectabat ad Pontificem) si a nobis petis, id tibi libenter concessimus, quemadmodum idem cardinalis tibi latius significabit, ex cujus item litteris de instituta celebrandi Concilii ratione, ejusque felici progressu, et quanti judicium de hac re tuum fecerimus, cognosces. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die XXVIII Januarii anno MDLII, anno II ».

55. Vindicavit etiam gregem suum ab impiorum grassatione Primisliensis episcopus clerumque suæ diœceseos in pietatis officio continuit, Stanislaumque Orichovium Sathanæ administrum judiciorum severitati subjecit: ut reliqui vero episcopi pari constantia incorruptam religionem contra impias hæreticorum molitiones assererent, eos Pontifex subjectis litteris excitavit ad tuendos sanctissimos ritus a majoribus acceptos, Conciliorumque veterum decreta servanda, tum mala quæ hæresis in Poloniam esset invectura, proposuit, denique ut ad Concilium Œcumenicum pari cum aliis episcopis studiorum animorumque conspiratione celebrandum Tridentum se conferrent [1], provocavit:

« Venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, et dilectis filiis principibus, baronibus, comitibus, capitaneis, cæterisque dominis et prælatis regni Poloniæ in comitiis Petricoviensibus congregatis.

« Venerabiles fratres et dilecti filii, salutem, etc. Allatum superioribus diebus ad nos fuit, venerabiles fratres, Cracoviensem et Primisliensem episcopos pro sui officii debito die dicta Petro Conrado Crupek et Stanislao Orichovio perniciosas hæreses concitare isthic conantibus

[1] Jul. III. lib. brev. num. 2885. p. 20.

[1] Jul. III. lib. VI. brev. sig. num. 885. p. 16.

eos condemnasse, et a Christianorum cœtu omnino segregandos, et debitis pœnis mulctandos decrevisse, quod egregium factum, cum valde nobis probatur, tum vere summa laude dignum, et isti inclyto regno magnopere salutare contigisse arbitramur : quid enim aliud facinorosi et impii ejusmodi homines agunt, quid conantur, quid moliuntur, nisi ut disseminatis in Catholica religione dissentionibus et discordiis vos mutuis odiis irritatos intestinis contentionibus atque cædibus opprimant ac conficiant, unde vobis hac peste et lethali morbo implicitis et defatigatis, ipsi postea diabolica fraude exultantes in omni vitiorum et libidinum genus libere et impune prorumpere possint : jam aperte et impudenter petunt sacerdotum conjugium et Calicis communionem, quod nempe est Ecclesiæ probatissimos ritus penitus convellere, Concilia divinitus celebrata abrogare, sanctissimorum Patrum decreta rescindere, canonicas sanctiones infirmare, omnia denique humana ac divina confundere et permiscere, qua præcipue ratione si audirentur [quod Deus prohibeat] nobilissimam istam provinciam ad certissimum exitium vocarent. Cur autem, si ut apud imperitum vulgus jactare audeant, æquam tuentur causam, qua nihil absurdius, et ab ipsa veritate alienius esse potest, ad sacrosanctum Œcumenicum Concilium, quod ad hæreses potissimum extirpandas, ac pro totius Christianæ reipublicæ bono et tranquillitate Tridentum reduximus, ubi nunc, adjutore Deo, promovere cœptum est, non accedunt ? ubi quid sectandum, quid vitandum, quid tandem tenendum et observandum plenissime intelligent. Quare, venerabiles fratres et dilecti filii, incumbite in hanc curam diligenter, ut cœpistis, et nefandam istorum temeritatem vestra diligentia ac virtute comprimite, vos vestrosque omnes ab eorum fraudulentis insidiis sedulo conservate, neque permittite opulentissimum istud regnum hujusmodi veneno contabescere, quod ut omni cura, labore, sollicitudine efficiatis, vos per eum, qui in die illa tremenda nos omnes judicaturus est, Dominum Redemptorem nostrum, de cujus causa in primis agitur, hortamur, oramus et obsecramus : habetis bonorum omnium ordines in hoc consentientes, habetis optimum et maximum Christianum regem, nullique majorum suorum præstantissimorum principum in tuenda et conservanda Catholica fide secundum, quem pro sua singulari admirandaque probitate, prudentia ac pietate nobiscum Dei et orthodoxæ religionis patrocinium et tutelam una cum ipsius regni salute conjunctam libentissime, sicut antehac sæpissime fecit, et præclara jam sæpius exempla dedit, quandocumque opus fuerit, suscepturum, alacriterque amplexurum, et scelestam temerariorum hominum audaciam ac furorem acerrime vindicaturum non dubitamus. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XXVIII Januarii MDLII. An. II ».

56. *In Germania Zuingliani imposturæ et contradictionis convicti.* — In Germania hæretici non minus inter se, quam cum Catholicis dissensere, ac Joachimus Westphalus luculenter demonstravit, Zuinglianos manifestos esse impostores, de quibus hæc Surius refert : « Magna omnino atque incredibilia hoc anno damna tulit Germania, idque ab ipsis Germanis, qui se Germaniæ libertatis vindices profiterentur, præterquam quod etiam tres Germaniæ episcopatus Gallus sibi vindicavit. Videbantur jam Evangelici præcones restituti, cum ecce Joachimus Westphalus Ecclesiæ Hamburgensis pastor, classicum canit, nec sinit pace gaudere Zuingliani Evangelii fratres. Libellum enim emisit hac inscriptione : *Farrago confusanearum,* et inter se dissidentium opinionum de Cæna Domini ex Sacramentariorum libris congesta. Hoc telo præter spem Tigurini et reliqui ejus generis Symmistæ, in primis Calvinus percutitur ; vult Joachimus hoc libello ostendere, Zuinglianos in varias et pugnantes inter se opiniones scissos esse, quæ sit propria nota seductorum. Certe ipse quoque Lutherus octo Zuinglianorum sectas in brevi sua confessione enumerat. Hortatur quoque Joachimus doctiores, ut nocentissimum Zuinglianorum errorem oppugnent, denique dicit esse dignas Zuinglianorum blasphemias, quæ potius magistratus sceptro quam stylo refutentur. Paulo ante Calvinus ostenderat, idem se cum Tigurinis de Cæna sentire, sed hoc Joachimus per simulationem factum dicit. Nemo quidem contra hoc Westphali scriptum quidquam hoc anno edidisse visus est ».

57. *Ferrariæ hæresis excisa.* — Infecerat multis jam ante annis Calvinus Ferrariam, dum clericum sacelli ducalis ageret, in obsequio aulico Renatæ ducissæ, sparsaque impietatis semina in nonnullorum animis radices fixerant, adeo, ut aperta interdum hæreseos germina erumperent, ad quæ exscindenda, licet variis temporibus navata esset opera, iterum ad fibras omnes evellendas fidei censores a Julio [1] fuerunt constituti :

« Venerabili fratri Franzino Michaeli episcopo Casalensi, et dilecto filio Hieronymo de Laude Ordinis Prædicatorum, et Theologiæ professori, commissariis nostris, salutem.

« Cum, sicut accepimus, venerabilis frater Joannes Petrus episcopus Tusculanus, et dilecti filii nostri Rodulphus S. Mariæ Transtyberim, et Joannes S. Pancratii Compostellanus, et Marcellus S. Crucis in Hierusalem tit. presbyteri S. R. E. cardinales per universam Christianam rempublicam contra hæreticam pravitatem in-

[1] Jul. III. l. IV. brev. sig. num. 2884. p. 1.

quisitores generales a nobis et ab hac Sancta Sede Apostolica specialiter deputati, postquam intellexerant pestiferum semen hæresis in civitate ac diœcesi Ferrariensi, et in nonnullis aliis locis dominii dilecti filii nobilis viri Herculis ducis Ferrariæ pullulare cæpisse, volentes pro eorum officio illud, antequam validiores faceret radices, quantum in eis erat, exstirpare, ad Dei Omnipotentis servitium, Catholicæ fidei conservationem, et animarum salutem, de vestra doctrina, probitate, fide ac legalitate plurimum in Domino confisi, vos eorum commissarios in civitate, diœcesi ac toto dominio prædictis constituerint et fecerint, concedentes vobis, ut in eo negotio contra quoscumque de hæresi quomodolibet suspectos, eorumque fautores usque ad sententiam inclusive procedere possetis, quemadmodum ipsi procedere possent, prout in eorum patentibus litteris desuper confectis plenius continetur, nos, ut hujusmodi vobis demandatam commissionem eo promptius et virilius exequi possitis, quo nostra fuerit confirmatione roborata, deputationem de vobis factam, ac desuper confectas patentes litteras auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus, etc. Datum Romæ die XXII Januarii MDLII, anno II ».

Pari studio Florentiæ censores fidei elidendæ impietati jussi sunt incumbere.

58. *Fides propagata in Peruvia.* — Diffusa latius in Indiis Occidentalibus Christiana fide, sub auspiciis Caroli V Cæsaris, in Peruvia episcopalis sedes condita est, subministratis episcopo ab eodem Cæsare vectigalibus annuis, cui episcopatui primus præfuit Thomas Ordinis Prædicatorum, ut Acta Consistorialia referunt.

59. *S. Franciscus Xaverius dum Evangelium Sinensibus inferre cogitat, sanctissime moritur et miraculis claret.* — In extremis Orientalium oris apud Japonios propagata est fides Catholica legato Apostolico novo earum gentium apostolo Francisco Xaverio [1], qui virtutibus et divinis miraculis clarissimus sanctorum honores promeritus est. Is disseminata inter Japonios fide Christiana, Evangelii Sinensibus inferendi sacra cupiditate ardens, cum omnis Japoniorum superstitio ab iis fluxisset, susceptum alta mente consilium, his litteris aperuit Ignatio Societatis Jesu præposito, qui postea Sanctorum fastos nomine suo auxit.

« Patri meo in Christo, patri Ignatio, Romæ.

« Japonia abest ab Urbe Roma leucarum amplius sex millia : post sextum diem, Deo approbante, tres e Societate, in his duo sacerdotes, ad Sinarum regnum profecturi sumus. Id regnum e regione Japoniæ est longe amplissimum, acribus ingeniis, hominibusque eruditis vel maxime frequentatum, nam quantum ego cognoscere potui, florent apud eos studia doctrinarum, atque ut quisque doctissimus est, ita cæteris et dignitate excellit et potestate ; et religiones, quibus Japones utuntur, satis constat petitas ab Sinis. Imus spei fiduciæque divinæ pleni, confidimusque Christi nomen in Sinas aliquando penetraturum : quæso te Deum pro his qui in Japonia sunt, quique in Sinas contendunt, præcari ne desinas, etc. Datæ V id. April., anno MDLII. Goa ».

« Significavit idem consilium promulgandi apud Sinenses Evangelii consilium sanctissimus apostolus Xaverius Joanni regi Lusitaniæ talium consiliorum flagrantissimo promotori, se conjuncturum Jacobo Pereiræ, qui nomine Lusitani regis legationem apud Sinarum regem obiturus esset, ac pretiosissima Indica munera illi delaturus, et actum iri in ea legatione de captivis apud Sinenses Lusitanis in libertatem restituendis, de Sinarum rege Lusitanis amicitia conjungendo, deque dæmonum cultu apud barbaras eas gentes delendo ; quo argumento conceptæ sunt subjectæ litteræ [1] :

60. « Joanni regi Lusitaniæ.

« Goa post quintum diem Malacam versus, qua iter est in Sinas una cum Jacobo Pereira ad regem Sinarum legato proficiscar, multa sane pretiosa regi munera afferimus, quæ Jacobus coemit, partim regia pecunia, partim sua. Eximium item donum afferimus ejusmodi, quod haud scio, an nemo rex regi unquam post hominum memoriam miserit, Evangelium, inquam, Jesu Christi, quod ille, cujusmodi tandem sit, si intellexerit, ne id suis opibus, quamvis amplis, longe anteponeret. Spero fore, ut Deus tam amplum regnum gentemque aliquando respiciat, hominibusque ad sui similitudinem conditis oculos aperiat ad cognitionem effectoris sui, et Jesu Christi communis omnium Salvatoris. Tres omnino e Societate simul cum Pereira in Sinas proficiscimur, eo quidem consilio, ut Lusitanos captivos in libertatem vindicemus, Sinarum regem ad Lusitanorum perducamus amicitiam, bellum Dæmonibus eorumque cultoribus inferamus, itaque regi primum, deinde cæteris cælestis regis nomine denuntiabimus, ne Diabolum posthac, sed Deum hominum conditorem, et Jesum eorumdem vindicem ac Dominum colant, etc. VI id. April. MDLII ».

Obstitit tam piis conatibus S. Xaverii Malacensis præfectus in aurea Chersoneso, cum invidia gloriæ inde a Pereira colligendæ percitus esset, ex ejus scelere Xaverius maximum dolorem traxit, atque divino Prophetiæ lumine illustratus, ad Jacobum Pereiram [2] hæc scripsit : « Præfectum, quoniam nostrum iter tam appositum ad rei Christianæ amplificationem impe-

[1] S. Franc. Xaver. l. VI. Ep. VI.

[1] S. Francis. Xaver. interprete Tursellino l. IV. Ep. VIII. — [2] Ep. LXVI.

dire non dubitavit, valere jussi, Deus homini ignoscat. Equidem ejus vicem doleo, longe enim graviores pœnas daturus est, quam ipse unquam putarit. VII kal. Jul. MDLII ». Significavit idem Pereiræ aliis litteris nonnullos augendarum rerum suarum et compendii studio inflammatos [1], præclaram Sinensem legationem disturbare, sed eos contrario exitu rerum suarum incrementa corrupturos.

« Accepi (inquit) certos homines fuisse, qui cum nostri itineris impedimenta removere possent, sui compendii causa noluerunt, sed vehementer errant, qui deserto fonte bonorum omnium Deo, commoda atque utilitates ab hominibus petunt, verum istud præclarum est ulciscendorum inimicorum hominum genus, ut eis et cœleste Numen placare, et benigne facere studeamus; nimirum Deus ipse vicem nostram ulciscetur, pœnasque ab eis repetet omnium opinione majores, quod utinam secus eveniat ».

Dictis consensere exitus [2], nam cum postea idem præfectus Goani proregis contempsisset imperia, ut perduelli injectæ sunt cathenæ, vinctusque in Lusitaniam abductus, ubi bonis exutus æterno carceri addictus est, lepraque teterrima correptus, interiit. At ex freto Sincapuraneo XIII kal. Augusti Gaspari Goani Collegii rectori hæc dedit imperia Xaverius : « Curabis diligenter, ut episcopus ad Malacensem vicarium excommunicationis formulam mittat, qua formula præfecto Malacensi, itemque aliis, qui tam utile rei Christianæ consilium fregerunt, publice ac nominatim sacris esse interdictum denuntietur. Velim autem in ea formula illud poni, me a Paulo III Pontifice Maximo legatum Apostolicum missum in Indiam cum Diplomatibus iis, quæ ipse agnoverit episcopus ».

Cum pervenisset ad Sinensis regni confinia S. Xaverius, Jacobum Pereiram [3], qui a Lusitano rege ad Sinensium regem orator decretus fuerat, atque itinere interclusus, certiorem fecit, se contemptis omnibus periculis penetrare decrevisse in Sinense regnum, si divina providentia permiserit, hæc vero meditantem, pacta cum Sinensi trajectionis mercede, implicitum morbo decubuisse.

61. « Nobili viro Jacobo Pereiræ.

« Sanciani portum a Cantone millia passuum circiter centum viginti, Deo favente, tenuimus, simul atque e navi descendimus, ædiculam struendam curavi, ubi quotidie quoad in morbum incidi, rem Divinam feci ». Et infra : « Inventus est non sine Dei consilio, ut arbitror, mercator Cantoniensis sane honestus, quocum aureis ducentis decidi; is pollicetur transmissurum nos parva navicula, ubi præter liberos suos et vernaculos paucos nemo sit, ut si forte urbis præfectus rem odoretur, nautarum indicio rescire non possit, quis me Cantonem adduxerit. Idem recepit se triduum aut quatriduum domi suæ nos cum nostris libellis ac sarcinulis asservaturum, tum summo mane ad urbis portam viamque deducturum, quæ recta ad Prætorium ferat. Mox ego præfectum conveniam scilicet, eique demonstrabo me eo consilio venisse, ut Sinarum regi divinam cœlestemque legem exponerem, a Goano episcopo ad regem proferam litteras. Non sum nescius duo in hoc negotio inesse pericula, alterum ne Sina ille mercator accepta pecunia in deserta aliqua insula nos destituat, aut in mare deturbet rei occultandæ gratia : alterum si Cantonem devecti erimus, ne præfectus urbis omnia in nos exempla et cruciatus edat, aut certe in perpetuam redigat servitutem ». Et infra : « Verum Christo Domino parebimus admonenti : *Qui amat animam suam in hoc mundo, perdet eam; qui autem perdiderit animam suam propter me, inveniet eam,* etc. »

Implicitus eo lethali morbo Xaverius apud Indos Orientales legatus Apostolicus sacro subeundi martyrii ardore extabescens animam sanctissimam Cœlo transfudit, obtinuitque suis precibus a Deo, ut aditus apud Sinas sibi negatus, sociis ad disseminandam apud amplissimas eas gentes Evangelium panderetur, cujus piam mortem describit his verbis Tursellinus [1] :

62. « Unum ægre ferebat, naturali se vulgarique morte extingui in lectulo, omnibusque expetitam votis martyrii palmam sibi pæne in manibus infringi. Cæterum haud ignarus martyrii decus donum Dei esse gratuitum, quod sæpe negetur expetentibus, aliud agentibus offeratur, ad divinæ Providentiæ rationem animum composuit suum, tam insigni beneficio se indignum existimans, inde vis mali vehementior penitus insitam Francisci sanctimoniam declaravit, namque, ut in cæteris fere cum urgentur morbo, tum maxime vitiosa se prodit natura; ita in Francisco tum præcipue solida atque egregia pietas emicabat. Quippe eadem propemodum faciebat moribundus, quæ sanus facere consueverat, nunc defixo in Cœlum oculorum obtutu, læta fronte, ac vultu cum Christo Domino quasi adesset colloquens, nunc Psalmorum versus pie admodum usurpans, identidemque illas iterans voces; *Jesu Fili David, miserere mei, tu autem peccatorum meorum miserere : Mater Dei, memento mei.* Hisce aliisque ejusmodi vocibus biduum extraxit : aderat jam illi suprema hora, igitur Christi Crucifixi effigiem manutenens, intentisque oculis intuens, crebros edere gemitus, et subinde succlamare, *Jesu Deus cordis mei,* lacrymas precibus miscens, donec eum vox pariter ac vita defecit. Ita ad extremum usque spiritum fortissime cum

[1] Eid. XIX. — [2] Vit. S. Franc. Xaver. l. V. c. 6. Xaver. Ep. XIII. — [3] Lib. IV. Ep. XV.

[1] Tursell. in Vit. S. Franc. Xaver. l. V. c. 12.

morbo ac vita luctatus quarto nonas Decembris (qui dies sanctæ Bibianæ Virgini sacer est) *Jesum et Mariam* sæpius inclamans, æquissimo animo obdormivit in Domino, atque ad eos ipsos, quos vivens in visceribus, moriens in ore semper habuerat, migravit in Cœlum. Vultus adeo hilaris mansit ac lætus, ut species ipsa corporis animi beatitudinem indicaret. Decessit annos natus circiter LV, decennio jam expleto post suum in Indiam adventum, anno post Christum natum MDLII. Vir plane admirabilis cum veris virtutibus, tum vero incredibili animi magnitudine studioque convertendorum ethnicorum, nullum unquam laborem aut discrimen Dei causa recusavit, et Indorum finitimarumque Gentium convertendarum salute ac labore non contentus, omnem Orientem complexus est charitate illa, cui nimis angustus ad benemerendum orbis videbatur, itaque Evangelio ac Societate toto pæne Oriente disseminatis, in ipsa cura ac meditatione Cantonii portus petendi defunctus hujus vitæ fluctibus, æternæ felicitatis tenuit portum, Sinas præsentibus apud Deum precibus adjuturus ».

Vulgata ejus morte, Lusitani mercatores corpus vestibus sacerdotalibus decenter indutum ligneo loculo inclusere, deinde placuit ad carnem exedendam adhiberi corpori vivam calcem, ut nuda ossa in Indiam deportarent. Lapso jam quarto mense arca refossa est, inspectumque corpus, quod excussa calce prorsus integrum repertum, ut recenter humatum videretur : « Nullus gravis odor, sed suavis, nulla tabes, ne in naso quidem, qui primus mortuis effluere solet, color vivax, caro plane recens, vestimenta nulla ex parte tabefacta læsave, nec vigor quidem, qui ex spiritu animali constat, destituerat vultum ». Navarchus miraculo permotus, arcam, ut erat, cum calce in navim imposuit, ac e Sanciano portu mense Martio solvens, Malacam secundis ventis applicuit.

Allato per scapham præviam nuntio, universa civitas Malacensis obviam se effudit summa magnificentia funus curatura, præ cæteris Jacobus Pereira [1] legatus luctu in gaudium verso, sumptus præstitit, ac in novo loculo sacrum corpus reposuit, moxque novo miraculo tanti viri sanctitas demonstrata : « Novi loculi brevitas coegerat eos, qui operam dabant funeri Xaverii, corpus nonnihil comprimere atque inflectere, itaque ex humeris repente profluxit sanguis miram afflans odoris suavitatem, quæ res objecta oculis animisque, omnes qui aderant stupore ac miraculo attonitos defixit, quippe cum corpus, quod quintum jam mensem vacabat animo (adeo rarum pariter ac diuturnum miraculum fuit) non modo carnem, succum et colorem, sed etiam sanguinem eumque odoriferum retineret, ut ille odor non tam sanguinis videretur esse, quam sanctitatis. Quocirca cum sine loculo condi placuisset arca exemptum, non honorifice solum a Malencensibus humatum est, sed velut divinæ clementiæ pignus asservatum, nec vero sua illos frustrata spes est, iisdem diebus, haud dubia Dei ira tota urbe contagiosa grassabatur lues, quæ magnam civitatis partem depopulata terrore omnes percusserat; subibat anxios religione animos Xaverii prædictio ex injuria iratique Numinis causam non aliam esse credebant. Hæc lues ea, qua Xaverio parentatum est, die compressa, satis ostendit eumdem jam placatum irarum cœlestium veniam, pestique finem attulisse ».

[1] Eodem L. c. 11 et cap. 14.

JULII III ANNUS 4. — CHRISTI 1553.

1. *Maria regina Catholica in solium Angliæ evecta, Pontifex tum per litteras, tum per legationem cardinalis Poli invigilat ut religio orthodoxa in pristinum statum restituatur.* — Anno a Virgineo partu millesimo quingentesimo tertio, Indictione undecima, refloruit in Anglia Catholica religio, extincto Eduardo VI Angliæ rege adolescente a pueritia imbuto capitali in Catho-

licos odio, hæreseosque funesto propagatore, succedenteque in solium Maria sorore, Catholicam fidem profitente, superatisque nefariis insidiis proditorum, qui divino judicio ad exscindendam e terris Henrici VIII sobolem conjurarunt, quos ille caducarum rerum nimio amore irretitus in impietatem pellexerat : ut vero res gesta sit, narrat Sanderus [1]. « Potitus procuratione regni Angliæ Joannes Dudleius comes Varvicensis majora animo concipere cœpit; erat enim tunc universa Anglia in sua potestate, præcipue rex a quo cætera pendebant : quem cum ille vel tabe quadam laborantem, vel ita in manu sua constitutum, ut ad ipsius nutum et arbitrium laborare posset, animadverteret, iniit cogitationem de occupando regno, quod hac ipsa ratione, quam nunc consecuturum se speravit. Erant Henrico Marchioni Dorcestriæ, quem nuper Suffolciæ ducem factum esse meminimus, filiæ tres ex uxore Francisca, quæ filia fuerat Mariæ sororis Henrici regis Octavi natu minoris. Hæ tres ducis Suffolciensis filiæ videbantur proximæ successioni regnandi jure, si Henrici liberi non obstarent, nam de Margaritæ majoris natu sobole, cum in Scotia esset, nullam Anglis habendam esse rationem Dudleius existimabat. Ineunt ergo consilium duo isti duces Suffolciensis et Northumbrius de collocandis in matrimonio his tribus filiabus, ac deinde de tollendis Henrici VIII liberis, qui tres etiam erant, ut sic ad has transiret successio : ut autem communicatione tanti boni plures colligarentur ad sceleris suscepti defensionem, statuitur, ut duorum potentissimorum comitum Pembruchiæ et Huntingtoniæ filiis primogenitis duæ Suffolciensis ducis filiæ nuptui tradantur; Jana vero ætate maxima, ad quam primo loco, Henrici liberis sublatis, regni hæreditatem cupiebant pervenire, Dudleii filio quartogenito, cui Gilfordi nomen fuit, in uxorem daretur, atque ita factum est, et omnia tria matrimonia eodem die insigni pompa Londini celebrata sunt.

« Statim vero post ægrotare cœpit Eduardus, ac lenta tabe consumi, quo perspecto, Dudleius diligentius incumbere negotio, ac primo quoque tempore Mariam primogenitam Henrici ex Catharina filiam, quam solam timebat (nam de Elizabetha ex Anna Bolena parum curabat) Londinum advocare, ut in sua potestate esset, ac publica custodia sæpire statuit, sed præceler Eduardi mors consilium nonnihil impedivit, Maria enim princeps cum Dudlei jussu Londinum properaret, ac jam civitati proxima esset, admonita a suis regem in extremis, ac periculum sibi Londini parari, deseruit incœptum iter, et ad arcem quamdam suam minime munitam, quæ Framingham dicitur, omni celeritate se recepit, ubi vigesimo deinde die ab amicis quibusdam secretis, quos in aula habebat, certior facta, quod rex obiisset, quamquam adhuc divulgata res non esset, nec ipsa ignoraret, quantæ vires contra eam paratæ essent, omni tamen timore deposito, in Deo innocentiæ protectore confisa, tubarum sonitu reginam se promulgavit.

2. « Mortuus est Eduardus pridie nonas Julii ætatis suæ anno decimo sexto (1), eodem prorsus die, quo pater ejus Thomam Morum integritatis et justitiæ caput capite feriendum ante aliquot annos, curaverat; ut omnes, qui recte rerum rationes expenderent, facile perspicerent Henricum tanti viri cædem morte primogeniti sui luisse, nec tamen expiasse, quia pœnitentiam de peccato suo secundum Deum non egit. Eodem pertinet et ad eamdem Dei justitiam referri debet, quod nullus plane ex Henrici liberis (quos ille ut multiplicaret ac perpetuaret, toties se uxores mutare fingebat) sobolem ullam ex se reliquerit, (licet omnes juventute florerent) sed steriles anni transierint sine prole, aut germine, ne Patris tam impii propago radices ullas ageret. Northumbrius ac Suffolciensis duces nonnihil perculsi præmatura Eduardi morte, quam diu celari vix posse sperabant, etsi omnia nondum rite disposita essent, progrediendum tamen rati, ad arcem Londinensem quamprimum se conferunt; ibi accepto clam universæ fere præcipuæ nobilitatis jurejurando in verba sua, ac Janæ ducis Suffolciensis filiæ, quæ regina erat futura, paulo post evocarunt clanculum prætorem Londinensem, et sex præcipuos senatores, quorum etiam jusjurandum in eamdem senten-

[1] Sander. l. II. in Eduardo. Surius in Comm. hoc anno.

(1) Ingens rerum mutatio hoc anno in Anglia facta est. Eduardus rex lento morbo sensim tabescens, cum de vita plane sibi desperandum intelligeret, committendum sibi censuit, ut quam in regnam invexit Zuingliana hæresis se amoto adhuc persisteret ; et cum consilio huic suo plane repugnantem Mariam Henrici VIII ex Catharina filiam nancisceretur, edicto a se lato et ab aulicis quos habebat a sanctiori consilio confirmato cavit ne alia regni hæres quam Joanna Graia ducis Suffolciensis filia, quæ filio ducis Huntingtoniæ nupserat, agnosceretur. Id vero juri Mariæ quam Henricus VIII Eduardo substituerat, plane aversabatur. Ita rebus sese habentibus, Eduardus diem claudit extremam die et mense, quos indicat annalista ; statimque die x Julii Joanna in regni solium conscendit. Nec interim Maria quievit ; statim enim a fratris obitu, Norwici agens reginam se salutandam curavit, coegitque exercitum, qui in dies novorum militum accessione auctus post dies paucos novæ reginæ spem fecit firmiorem. Successit provinciarum regni spontanea deditio, atque inter primas ipsa metropolis Londinum ad Mariam accessit. Acclamata est Londini die XIX Julii, qua facile die Joanna regiis insignibus exuta in turrim Londiniensem depulsa est. Metropolis exemplum statim urbes et provinciæ omnes secutæ sunt, pacatumque regnum Mariæ cessit. Cum Maria ipsa pariter Catholica religio in Anglia superiora obtinuit, nam et exules episcopos Catholicos revocavit, et concionatores hæreticos adegit ad silentium, ac in ipsa urbe metropoli sacra Catholica quæ sub Eduardo cessaverant, restituit. Secundum hæc die XIV Septembris Cramnerus Cantuariensis archiepiscopus hæreticorum fautor præcipuus in Londiniensem turrim detruditur. Die prima Octobris, Maria ritu solemni regiam coronam manu Garneri Londiniensis episcopi accepit, tum supremo regni senatu, quem parlamentum vocant, coacto die x ejusdem mensis Henrici cum Catharina connubium ratum ac legitimum declaratum est, latæ ab Eduardo de religione leges abrogatæ, ac tandem securitati Catholicorum clericorum provisum. MANSI.

tiam postularunt : et tandem interpositis aliis duobus diebus prædictam Janam edictis publicis reginam promulgarunt, quam rem populus indignissime se ferre inusitato quodam silentio commonstravit, nonnulli etiam apertius obmurmurare, quorum unus, cui Gilberto Polto nomen fuit, a domino suo proditus et accusatus, abscissis auriculis publice castigatus fuit. Accusator autem, qui Sanderus vocabatur, eodem ipso die per Thamesim vectus, submersa scapha submersus est; alii carceribus traditi sunt, eo quod scripto a ducibus proposito, contra Mariam subscribere recusassent, quorum fere primus ac præcipuus fuit Franciscus Inglesildus eques auratus, summæ fidei ac integritatis vir ». Et infra : « Northumbrius cum Londini omnia pro arbitrio constituisset, Janam reginam promulgasset, ac in arce Londinensi collocasset, optimatum syngraphas ac jusjurandum accepisset, populum confirmasset, magistratuum officia distribuisset, et concionatores nonnullos delegisset, quorum primus fuit Ridlæus pseudo-episcopus Londinensis, qui e suggestis tam Mariæ quam Elisabethæ causam impugnarent, Janæ vero defenderent ac populo commendarent, quod illi sedulo pro consuetudine fecerunt, cum illorum institutum sit ad omnem humanum favorem se commodare, et id populo semper pro Dei verbo proponere, quod a potentioribus suæ sectæ præscriptum fuerit. His confectis, non aliud sibi jam obstare ratus, quam quod Maria in sua potestate non esset, ne procrastinatione sua populus ad illam conflueret, omni celeritate delecto milite in eam ducit, Suffolciensi duce ad res Londini conservandas suo loco relicto. Cæterum Mariæ causa tam erat perspecta ac grata universæ plebi, et Northumbrii ambitio ita odiosa, ut ex omnibus undique partibus ad illam ingens fieret concursus, et minus quam decem dierum spatio supra triginta millia militum secum habuerit, quibus omnibus tamen tanta erat abundantia rerum ad victum necessariarum, ut cervisiæ cadus uno Reali Hispanico, quatuor vero panes magni sexta Realis parte vænierint. Nonnulli etiam ex optimatibus qui Londino abfuerunt, ad illam confluebant; quod cum senatores ac reliqui ex nobilitate Londini degentes intellexissent, quanquam Northumbrii postulatis, cum præsens esset, refragari non auderent, eum tamen tunc cum exercitu egressum proditorem declarant ac ducem Suffolciensem suo loco relictum una cum Jana filia regina paulo ante declarata in custodiam tradunt, Mariam honori et regno restituunt, et edictis publicis quidquid antea, vel a se, vel a Northumbrio Janæ nomine factum fuerat, rescindunt : ita completum est vaticinium piæ illius virginis, quam ab Henrico VIII affectam supplicio ob vaticinia vidimus ».

3. Inter has Anglicarum rerum conversiones Pontifex de Eduardi regis morte factus certior, ineunte Augusto curas omnes pro restituenda Angliæ religione Catholica defixit : qua de re hæc referunt Acta Consistorialia [1] :

« Romæ die Sabbathi apud S. Marcum, v Augusti MDLIII, fuit facta Congregatio coram Sanctitate sua, hora XX, super rebus Angliæ, et deputati legati et nuntii ad regnum Angliæ, cum significatum esset, populum filiam antiqui regis in eorum reginam elegisse, et fuit deputatus legatus ad principes Christianos, et præcipue ad ipsam reginam reverendissimus dominus Reginaldus S. Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis Polus, cum facultatibus, et modo, et forma in Brevi expressis », eique commisit sedulam operam navare, seque vel ad Cæsarem, vel ad Gallorum regem, vel ad utrumque conferre [2], prout gerendæ rei spes illi affulgeret.

4. « Reginaldo cardinali Polo.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Allato nobis nuntio de obitu adolescentis Angliæ regis, (si rex is appellandus est, qui contra omnes divinas humanasque leges a patre susceptus, per vim et crudelitatem, puræque ac sanctæ religionis eversionem in Christianorum cervicibus populorum impius impositus erat tyrannus) auditoque gravi dissidio, quod inter illius regni proceres de successione regni subortum est, statim cogitare cœpimus, num Deus aliquando calamitatum illius nobilis provinciæ misertus occasionem nobis præbere vellet, per has procerum illorum contentiones atque discordias, pium religionis cultum et sanctarum legum observantiam populis illis restituendi. Itaque, advocato statim nobis venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium concilio, multa contulimus inter nos, multa cogitavimus, sed illud omnium opportunissimum visum fuit, tuam in primis de omnibus illis rebus sententiam consiliumque exquirere, nam nulli magis ejus provinciæ status, hominumque illorum voluntates et studia, quam tibi uni sunt explorata, nec vero quisquam est, qui aut pietate in patriam, aut religione in Deum, aut in hanc sanctam Sedem fide atque observantia tibi sit anteponendus; quare circumspectionem tuam hortamur in Domino, ut totius sui consilii nos quamprimum faciat participes, quid a nobis sperandum, quid tentandum, quid, aut per quos, aut quomodo agendum ac tractandum putet; ac si circumspectio tua existimet, personam suam, si proprius ad illa loca accederet (quod plerisque videbatur), magnum momentum ad hoc quod cupimus conficiendum afferre posse, libere atque aperte nobiscum agat, nos enim eo hac

[1] Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 135. p. 128. — [2] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 271.

in re animo sumus, ut nec tibi id oneris, si non sit irritus labor, imponendum existimemus, nec si qua spes sit aliquid per nos ad religionis causam perfici posse, ulli labori, vel tuo vel nostro, ullius operæ aut impensæ parcendum putemus; quare hæc tota tua fuerit deliberatio; itemque an te ad Cæsarem, an ad Gallorum regem, an ad utrumque eorum a nobis legari magis expediat, de quibus omnibus, et de tua simul voluntate libere atque ingenue, ut supra diximus, sublato omni in respondendo pudore, qui in Dei et boni publici causa importunus esset, circumspectio tua certiores nos faciet, ut si qua sit occasio Deo inserviendi, et Christianam rempublicam juvandi, id pro nostri muneris officio diligenter exsequi possimus. Dat. Romæ apud Sanctum-Marcum, die II Augusti MDLIII, anno IV ».

5. De legationis munere Polo demandato certiorem reddidit Pontifex Henricum Galliæ regem, illumque hortatus est, ut regiam auctoritatem ac potentiam pro revocanda in pristinum splendorem Catholicæ religionis dignitate adhiberet, cum ex præclarissimo facinore immortalem gloriam apud Deum hominesque esset collecturus [1] :

« Henrico Francorum regi.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Cum in his Angliæ motibus pius et misericors Dominus spem magnam nobis ostenderet illius nobilissimæ provinciæ, quæ tam diu per vim et crudelitatem a reliquo Christiani nominis corpore avulsa fuit, recuperandæ, et intra ejusdem Domini ovile reducendæ, nos tam piæ tamque optatæ causæ pro nostri officii munere deesse nolentes, statim dilectum filium nostrum Reginaldum Polum S. R. E. cardinalem in illud regnum nostrum et Sedis Apostolicæ legatum destinavimus, ut nostris salutaribus hortationibus atque consiliis saluberrimum hoc opus ad Dei laudem et gloriam, quantum cum illius auxilio fieri possit, promoveat atque adjuvet; cui piæ Deoque acceptissimæ causæ cum tua majestas propter locorum propinquitatem, summamque et auctoritatem et potentiam maxime omnium prodesse possit, propter autem suam eximiam in Deum pietatem in primis eam velle non dubitemus, idcirco et eidem Reginaldo cardinali ac legato mandavimus, ut tuam ad eam rem opem et auxilium ubi fuerit opus imploret, et has ad majestatem ipsam tuam dare voluimus litteras, per quas eam in Domino plurimum hortemur ac rogemus, ut tanti publici boni occasionem pro sua parte non deserat, sed omnia agat atque efficiat, ut illa in primis Catholica natio, quæ quorumdam impietate tamdiu a recta salutis via aberrare coacta fuit, in veram nobiscum fidem et religionem, Deique et sanctarum legum obedientiam redintegretur, atque ut positis tantisper privatarum rationum considerationibus, quæ præclaris interdum ac vere salutaribus consiliis impedimento esse solent, hanc majestas ipsa tua Dei esse causam cogitet, Dei in ea nomen et gloriam, Dei denique voluntatem agi consideret, ut tua majestas, quæ præter cæteros Christianos principes Christianissimi regis cognomine insignita est, in hac etiam parte Christianæ fidei tuendæ, ac propagandæ et celebratissimo cognomini, et suæ majorumque suorum virtuti respondeat. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum, die VI Augusti MDLIII ».

6. Perlatum est eodem tempore Mariam Angliæ reginam a populo senatuque Anglico fuisse regiis honoribus exceptam cultamque, ex quo felici nuntio ingenti lætitia delibutus Julius, majores spes de religione Catholica in Anglia instauranda concepit, ad quæ pia consilia in opus provocanda, amplissimis mandatis cardinalem Polum instruxit, utque Mariæ reginæ de honore regio divinitus illi collato gratularetur, Pontificiæque benevolentiæ effusa officia polliceretur, imperia dedit [1] :

« Reginaldo cardinali Polo legato.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Post nuntium nobis allatum de adolescentis Angliæ regis (si tamen is rex appellandus est) morte, cum nos in assidua cura consultationeque versaremur una cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, quid moliri agereve possemus, ut illi nobilissimo regno impia tamdiu tyrannide oppresso, verus Christianæ religionis cultus et sanctarum legum observatio restitueretur, tu nobis statim occurreras, cujus potissimum fidei, consilio, virtuti, totum hoc negotium committeremus, quemadmodum ex aliis nostris litteris ad te scriptis intelligere poteris, verum interea dextera Domini fecit virtutem, suaque illa admirabili atque nostris oculis incognita providentia, salutem illius provinciæ per se operata est, nam charissima in Christo filia nostra Maria Angliæ regina declarata, quæ semper in recta fide religioneque tuenda firmam sese atque constantem contra paternas ac fraternas injurias persistiterat, nemini dubium esse potest, quin et illius regni salus ac tranquillitas Deo Optimo Maximo curæ sit, et piorum labores gemitusque ab illius bonitate opportuno tempore sint exauditi; itaque hujus tanti divini muneris statim cum eisdem fratribus nostris gratulatione facta, gratiisque eidem misericordi Deo, prout pro temporis angustia fieri potuit, persolutis, circumspectionem tuam de ipsorum consilio atque unanimi assensu nostrum et Sedis Apostolicæ legatum ad eamdem Mariam Angliæ reginam deputavimus;

[1] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 273.

[1] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 273.

primum, ut ei nostro et Sedis Apostolicæ nomine de honore illi divinitus oblato gratuleris, nostrumque animum ad eam deferas, tum paternæ erga illam pietatis charitatisque plenum, tum secundarum omnium ipsius rerum atque illius regni cupidissimum, deinde ut perturbatum illic ac labefactatum puræ religionis cultum tua præstanti singularique virtute, pietate, sapientia, doctrina, auctoritate ad pristinam Patrum disciplinam revoces, in quo quid agere conveniat, tu quidem a nobis minime es admonendus, cui res illæ æque ac nobis ipsis cordi sunt, et magis quam cæteris omnibus notæ : illud quod nostrarum partium fuit, prompto et alacri animo fecimus, ut circumspectionem tuam amplissimis facultatibus a nobis atque ab hac Apostolica Sede muniremus, per quas in errorem lapsos consolari, et in Dei gratiam ac sanctæ Catholicæ suæ Ecclesiæ communionem restituere possis, quemadmodum aliis nostris sub plumbo datis litteris, quas propediem ad te mittimus, latius explicabitur. Datum Romæ apud S. Marcum, die VI Augusti MDLIII, anno IV ».

7. Eadem die Julius reginæ Mariæ de superatis Dudlæi et Suffolcii ducum et conjuratorum, qui illam vi opprimere nitebantur, insidiis, regioque insigni secundo populorum applausu accepto gratulatus est, atque ad restituendam pristino splendori collapsam religionem cohortatus est[1] :

« Mariæ Angliæ reginæ.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem, etc. Posteaquam renuntiatum nobis est post Eduardi adolescentis obitum cum multæ potentium virorum fraude atque insidiis multa pericula saluti ac dignitati tuæ intenderentur, Omnipotentem Deum, qui te antea ab omni impietatis hæresumque contagione, quæ in ista Provincia fuerant excitatæ, illæsam immaculatamque præservarat, nunc tot laborum tuorum simulque tantarum calamitatum istius nobilissimi regni misertum, fecisse potentiam in brachio suo, majestatem tuam, manu sua illa excelsa a perditis perfidorum conatibus mirabiliter liberasse, teque maximis omnium illorum populorum ac consentientibus studiis et voluntatibus Angliæ reginam optimo jure declaratam, ac salutatam fuisse, novam sane quamdam, atque animo nostro insolitam in Domino lætitiam cepimus, cum jam per complures annos in isto imprimis pio Catholicoque regno tam multæ seditiones atque discordiæ, tantus pietatis ac veræ religionis, omniumque tam divinarum quam humanarum legum contemptus extiterit, ut nihil fere conspiceremus, quod non summum dolorem ex perturbato isthic Christianæ disciplinæ ordine, et ex animarum illarum, quas Christus suo pretioso sanguine redemerat, amissione nobis afferret. In hoc ergo nostro ex tantis istius provinciæ incommodis mœrore, immensa Dei benignitate hic primus nobis lætus illuxit dies, qui te istius nobilissimæ potentissimæque provinciæ reginam tot manifestis divini erga te auxilii atque favoris indiciis declaratam fuisse ad nos attulit, haud enim dubium esse potest, clementissimum Deum, istius regni incolumitatem et salutem in omnem partem respicere, cum talem illi reginam fide, pietate, æquitate, mansuetudine, auctoritateque præstantem, ea admirabili cura semper esse conservatam, isto etiam admirabiliori modo præposuerit, ille enim profecto te ex impiorum manibus voluit liberare, ut per eamdem te fidelibus populis suis tamdiu per vim et sævitiam a puræ et sanctæ suæ religionis cultu abscissis, vere Christiana libertas restituatur, ille tantas tibi opes potentiamque tribuit, ut eas maxime ad impietatem tollendam, et ad sui nominis laudem concelebrandam convertas. Nos quidem qui pro pastoralis officii a Deo nobis injuncti munere, Christianorum populorum salutem vita ipsa nostra longe habemus chariorem, et qui nihil tam cupimus quam eos qui a recta salutis via aberraverint, quæ nimirum in Catholicæ atque Apostolicæ fidei consensu atque unitate sanctarumque legum observantia consistit, in semitam redire justitiæ, seque cum reliquo Christiano corpore, et cum illo divinitus attributo capite conjungere, omnem nostram operam, studium, consilium, auctoritatem, majestati tuæ ad istum optimum, ac Deo acceptissimum finem libentissime studiosissimeque deferimus ; elegimus autem, qui nostræ hujusmodi erga te voluntatis internuntius sit et interpres, dilectum filium nostrum Reginaldum Polum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, quem tuæ majestati, tum propter illius eximias præstantissimasque virtutes, excellentemque pietatem, doctrinam, sapientiam, tum propter multas et magnas, quas tecum habet necessitudinis ac consanguinitatis causas, scimus esse probatissimum, qui idem superioribus temporibus pro Christianæ religionis veritate, et tuæ simul majestatis dignitate tuenda, in maximas gravissimasque ærumnas incidit, eum nos ad majestatem tuam nostrum et Sedis Apostolicæ legatum statim destinavimus, ut tibi de honore divinitus oblato, nostro nomine gratuletur, omniaque benevoli erga te atque universam istam nobilissimam nationem Patris munera pro nobis adimpleat. Nos illum talem virum, causamque eam, quam tecum acturus est, cum Dei causa sit, cui ipsa tam multa debes, majestati tuæ commendare supervacaneum ducimus, tantum Deum Optimum Maximum omnibus precibus oramus, ut ipse Reginaldus nostrorum suorumque rectissimorum consiliorum eos exitus habeat, qui et no-

[1] Jul. III. lib. VII. brev. sig. num. 2886. p. 273.

stra pietate et illius virtute, tua integritate, piaque et grata in Deum mente maxime sint digni, ut gaudium nostrum et spes, quam ex iis divinam in tuam majestatem benignitatis initiis maximam concepimus, speratos ex secundis eventibus rerum fructus proferat. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum, die VI Augusti MDLIII, anno IV ».

8. De felici hac rerum conversione, et Maria regina in Anglicum solium evecta conceptam lætitiam Pontifex communicavit cum Cæsare, illumque rogavit, ut Reginaldum cardinalem legatum suis consiliis auxiliisque instrueret, ut ille in Anglia demandato sibi munere pro depellenda hæreseos tyrannide ac religione orthodoxa in pristinam dignitatem adducenda perfungi posset [1] :

« Imperatori.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Multis et gravibus nostrorum temporum incommodis, quæ nos assiduo dolore, Christianæque reipublicæ et fidei collabentis miseratione conficiunt, lætus aliquando nobis per Dei bonitatem atque clementiam dies illuxit, qui videlicet nuntium nobis attulit post mortem Eduardi, qui se pro rege Angliæ gerebat, nobilissimum illud regnum ad charissimam in Christo filiam nostram Mariam optimam præstantissimamque reginam consobrinam tuam, quæ semper in Dei et veræ religionis causa tuenda fidelissimam sese constantissimamque præstitit, tum jure et legibus, tum incredibili populorum illorum voluntate atque consensu fuisse delatum, in quo quidem admirando opere conficiendo, quo minus auxilii ex humanis opibus ac consiliis fuisse conspicitur, eo magis Omnipotentis Dei virtus providentiaque apparet, totamque hujus eximii in Christianam rempublicam collati beneficii laudem et gloriam sibi soli vindicat, quod ipsum cum nobis ad singularem lætitiam satis per se magnum atque amplum est, tum animum nostrum communium antea miseriarum desperatione jacentem, etiam quoad reliquas male affectæ Christianitatis partes ad magnam spem divinæ ejusdem salutis erexit, cum videamus id quod hominum viribus ac consiliis impossibile sit, excelsi Dei potestati, clementiæ, bonitati esse facillimum. Quod vero ad ipsam Mariam Angliæ reginam resque illius Provinciæ pertinet, nos tantum publicum bonum nostris studiis, hortationibus, consiliis, eaque, quæ a Deo Optimo Maximo attributa nobis est, potestate adjuvare volentes, dilectum filium nostrum Reginaldum Polum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem ad eam nostrum et Sedis Apostolicæ legatum destinavimus, hominem ea pietate, integritate sapientiaque præditum, eumdemque ipsius reginæ ita studiosum atque observantem, ut is vere Angelus pacis, bonorumque omnium mediator sit existimandus. Eum ad majestatem tuam primo accedentem, ut opem, consilium, auxiliumque tuum in tanta publica causa pro excelso, quem in Christiana republica obtines loco, ubi fuerit opus, imploret, benigne ut excipias, ejusque consilia ad Dei honorem, et gloriam, et ad universam illius provinciæ salutem, quæ in observatione rectæ religionis maxime consistit, spectantia, et tua sapientia dirigere, et auctoritate, opibus præstantique potentia adjuvare velis, tandem majestatem tuam plurimum in Domino hortamur, ab eaque toto animi affectu requirimus ac petimus, quanquam eam in istam rem ipsam, tum propter suam in Deum pietatem, tum propter Mariæ ipsius reginæ consanguinitatem satis per se promptam esse confidimus, ac propterea tecum gratulatione magis opus esse quam hortatione putamus; tamen gratissimum nobis erit, et tuo etiam nomini gloriosum, si in hanc optimam atque illi nobilissimæ provinciæ salutarem causam, ita toto animi ac consilii tui robore incubueris, ut omnes majestatem tuam, non plura in eo carni et sanguini, humanæve ulli affectioni dedisse, quam suæ eximiæ in Deum pietati et sanctæ illius religionis propugnationi tribuisse intelligant. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum, die VI Augusti MDLIII, anno IV ».

9. Agebat tunc Benaci in Insubriæ finibus cardinalis Polus in percelebri cœnobio ac divinarum rerum contemplationi vacabat, cum Anglicæ legationis obeundæ imperia a Pontifice accepit, is vero cum Angliæ regnum ob superiora schismata perturbatissimum arbitraretur, non se commovit antequam rerum Anglicarum conditio ipsi explorata esset; misso vero internuntio humanissimis litteris reginæ Mariæ de conscenso regni Anglici solio est gratulatus, tum illi significavit, quæ pro fide Catholica, tum ipsius reginæ causa esset perpessus, omniaque illi felicia comprecatus sacris adhortationibus accendit, ut omnem operam pro religione Catholica Angliæ restituenda explicaret, tum significavit sibi ea de causa legati Apostolici munus demandatum, rogavitque, ut vicissim sibi significaret quod tempus aucupandum præstolandumve, vel quæ ratio ineunda foret, ut mandata Pontificia conficeret; sperare enim se ut redeuntibus ad Ecclesiæ obsequium Anglis pristina felicitas, una cum religione in eo regno reflouresceret [1] :

10. « Mariæ reginæ Angliæ, etc.

« Benedicta manus Omnipotentis Dei, quæ non solum majestatem tuam in alto throno et in possessione regni collocavit, quod per multos annos ad eam spectabat, et ab omnibus bonis optabatur, atque inter sacras preces pete-

[1] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 281.

[1] Ext. apud Natal. Comit. l. VII.

batur a divina clementia, sed etiam eo res deduxit, ut non modo res ipsa, verum etiam ratio ipsius rei conficiendæ omnes animos incredibili lætitia perfundat, et præcipue pium animum tuum, quia sine sanguine res peracta est prope, cum magna clades esset timenda, propter fraudes adversariorum, quæ non parvis viribus erant suffultæ ad eam justissima successione privandam; atque cum propter longum spatium sibi divinitus concessum ad suas insidias subtexendas, putarant se ad finem optatum cum scelere suscepti consilii pervenisse, sine novis auxiliis, sed solis viribus, quas Spiritus Dei excitavit in animis mortalium, effectum est, divina providentia, ut brevi momento temporis irriti ac delusi sint omnes mortalium apparatus, ita conversi sunt, qui humanæ militiæ militabant, ad protegendum honorem Dei, majestatis tuæ incolumitatem ac totius regni salutem. Si quis itaque miratur, cur tua majestas nullis externis viribus, paucis etiam subditis audentibus ejus partes amplecti, potuerit regnum ita usurpatum adversus tantam hominum malitiam et potentiam recuperare; aut si quis rogaret, quomodo factum est istud? res ipsa respondere poterit : Spiritus sanctus supervenit in corda hominum, qui ea ratione tibi regnum restituere voluit, atque hoc uno exemplo non solum vestris populis, sed etiam universis Christianis, et Barbaris nationibus manifestum sit, quia nullum sit consilium, nec prudentia, nec fortitudo contra Dominum Deum, et quod Excelsus dominatur in regno hominum, et cui voluerit, et quando voluerit, dabit illud. Ejus divinæ providentiæ in rebus humanis credulitas præcipuum nostræ religionis fundamentum, si unquam in istud regnum introduci et confirmari debuit per ullam manifestam experientiam, hoc maxime tempore introduci necesse est, quo propter impiorum tam diuturnam auctoritatem, ita erat in animis hominum debilitata, et in eorum animis præsertim, qui prudentiores sapientioresque putabantur, ut penitus videretur exstincta. Cum divinæ itaque bonitati placuit, ita evidentibus signis suam potentiam in tua majestate extollenda, tunc cum a suis inimicis et a multis aliis penitus oppressa putabatur, declarare : hoc est, cur maxime omnes boni et pii glorientur, et quod tibi magis gratum esse certo scio, quam regiam dignitatem; atque si ulla fæmina debuit Deum laudare his verbis suæ sanctissimæ Matris, cujus nomen refers, quibus ea usa est ad exprimendam lætitiam propter divinam providentiam ad sui humanique generis salutem, cum Spiritu sancto repleta inquit, *Magnificat anima mea Dominum,* cum iis, quæ sequuntur, tua majestas justissima de causa eum Psalmum canere potest, cum in se ipsa sentiat, quod omnes vident, et ut divina bonitas *respexit humilitatem ancillæ suæ, fecit potentiam in brachio suo, statim deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles,* hoc dictum de divina providentia erga majestatem tuam, semper manifestius in administratione cognoscetur tua, cum incremento illo lætitiæ, quod desideratur ad honorem et laudem divinæ majestatis. Enimvero mea erga Deum et suam Ecclesiam, ac erga majestatem tuam pietas me cogit unum in hoc regni tui initio tibi in memoriam revocare : quod est, ut cum ita singulare beneficium a Deo acceperis, diligenter consideres, e quibus radicibus perturbationes rerum ad justitiam et ad veræ religionis cultum pertinentium pullularint : quippe cum illæ in dies in illo regno cum tanta ruina succreverint, tam publica quam privata, quanta non ignorantur. Atque si hoc ita feceris, percipies profecto principium et causam omnium malorum tunc pullulasse, cum perpetuus humani generis adversarius patri tuo persuasit impurum consilium, ut divortium fieret matris tuæ optimæ reginæ. Atque illi magnæ in Deum, in ipsam, in te, in seipsum injuriæ majus additum est scelus, quod a matre divortium fecit omnium Christianorum a sancta Catholica obedientia, et ab Apostolica reverentia. Ex hoc iniquo et impio semine tot pestiferi fructus nati sunt, ut ita regnum ubique corruperint, ut nullum neque justitiæ, neque veræ religionis vestigium apparuerit, relegatæ enim sunt ambæ, quando reverentia et obedientia Ecclesiæ ejecta fuit, neque prius sunt rediture, quam divina obedientia in animum recepta sit eorum, qui rebus præfuerint; hoc facile tua majestas illi servo suo potest credere, qui plurima et ista et majestatis vestræ causa passus est. Neque ullam defendendæ causæ tuæ rationem prætermisit, ubi aliquod extaret remedium, quo te tuis molestiis sublevarem, quod si mei labores eum finem consecuti non sunt, quem semper desideravi sæpius vel vitam ipsam periculis exponens, certe nunc ea de re multo magis lætor, quam si ipse adjutor fuissem, cum apertissime cognoverim divinæ providentiæ in majestatem tuam propensam voluntatem. Nam profecto noluit Deus ulla humana te manu adjuvari, neque Pontificis, neque Cæsaris, neque ullius principis, quamvis nunquam cessavit Pontifex Cæsarem ad opem ferendam cohortari, neque mea defuit diligentia utriusque ad hoc pium opus sollicitandi sed divinitus res protracta est, donec statutum tempus a Deo adventarit, quo divina manu sublevareris. Interim usus est Deus eadem ratione, qua erga charissimos et dilectissimos uti consuevit, quos nutrit et educat in omni calamitatum ærumnarumque genere, ut gratiæ suæ semen altiores radices in corde tuo posset extendere, meliusque floreat, ac nobiliores fructus producat, cum visum fuerit in pristinam

felicitatem revocare. Illud nunc omnes boni exspectant, atque ego in primis, cui major occasio concessa est dotes animi, quæ divinitus tibi concessæ sunt, a teneris cognoscendi. Ea res me multo etiam magis impellit, ut majestati tuæ id significarem, de re tanta, quanta est Ecclesiæ obedientia, me magis etiam sollicitum esse quam antea, qua mente sis erga religionem, et quo pacto affecta. Nam cum circiter trecenta millia passuum distem ab Urbe Roma, nuper ad me de rebus Britannicis est delatum, et per litteras summi Pontificis certior factus sum, te ad summum imperium esse provectam, et me electum legatum a sancta Sede Apostolica ad majestatem tuam, et ad Cæsarem, et ad Galliarum regem, ut tibi gratularer pro victoria Dei, in hac causa ipsius Dei. Sed quia quanti res sit intelligo, censui non inutile fore, si majestatis tuæ mentem, quo pacto Deus moverit, prius percunctatus fuero, cujus causa præsentem nuntium cum meis litteris mitto : neque istud quidem, quia de optima ista voluntate tua subdubitem, quoniam te semper gratam erga Deum fuisse cognovi, et acceptorum non immemorem, legumque divinarum observantissimam, inter quas obedientia Apostolicæ Sedis continetur, cui maxime omnium favere debes. Nam certe quidem majestatis tuæ pater nulla alia de causa Apostolicam obedientiam reliquit, nisi quia noluit Pontifex Romanus causæ tuæ favens, turpi et iniquo ejus desiderio assentiri. Sed quoniam tot annos tanta facta est mutatio tantaque malitia conata est evellere ex animis hominum, penitusque restinguere hanc ipsam obedientiam et observantiam, mihi visum est non absurdum fore, si ex te ipsa percunctarer, quod tempus aut quæ ratio aptior commodiorque videretur ad ipsius vicarii Christi legatione perfungendum, idque ad istius regni beneficium et consolationem, cujus felicitas et quies semper magis oppressa fuit, ex quo sancta obedientia expugnari cœpta est, coactaque solum vertere. Decrevi igitur prius responsum exspectare, quod, ut exspectationi meæ optime respondeat, ab omnipotente Deo suppliciter peto, omniumque piorum spei, quam habent de majestate tua conceptam, idque ad confirmationem et incrementum felicitatis tuæ et illius regni. Quod si mihi benignam audientiam concesseris, spero futurum Dei Optimi maximi beneficio, ut intelligas in hac ipsa obedientia Ecclesiæ consistere, et collocatum esse fundamentum et stabilimentum omnium bonorum ipsius regni. Sic igitur rogans omnipotentem Deum, ut pro sua infinita misericordia majestatem tuam fortunet in ipso imperio, in quo te collocavit, finem scribendi faciam. E cœnobio Megazeni Benaci, idibus Sextilis MDLIII ».

11. « Dum responsum exspectat cardinalis Polus, subsistitque in Italia », inquit Sanderus [1], « altera cum illa Anglicana etiam ad Cæsarem de pace interipsum et regem Gallorum concilianda decernitur legatio ». Revocarat nimirum e provincia Julius Verallum et Dandinum cardinales, cum omnes pii eorum conatus ob insitam veterum odiorum pertinaciam elusi fuissent : affulserant vero novæ spes sedandæ discordiæ, cum beneficio illius pacis inter eos reges sanciendæ, in Anglia Germaniaque instauranda religio videretur, porro internuntius, qui a cardinale Polo ad Angliæ reginam missus fuerat humanissime acceptus est, ab eaque cardinali Polo de piis monitis actæ sunt gratiæ, ac summi in Sedem Apostolicam cultus, et amantissimi obsequii gravissimæ testificationes exhibitæ, verum cunctari jussit, donec pacatior foret temporis ratio, ac tum commode accersitum iri rescripsit [2], ut e subjectis litteris patebit :

« Optime sobrine Pole, in Christo observandissime. Accepi litteras tuas, quas tuus familiaris mihi reddidit, ex quibus intellexi perpetuam, optimam voluntatem erga hoc regnum, patriam tuam nimirum, et erga legitimos hæredes cum summa lætitiæ significatione ob ea quæ placuerunt divinæ clementiæ Omnipotentis Dei in ostendenda sua erga me vera justissima infinitaque misericordia, propter quam me tibi etiam non parum debere sentio, cum monita amantissima præterea in litteris addideris, quod si nullum naturæ vinculum inter nos intercederet, quod certe maximum intercedit, tamen vel una hac de causa maximas tibi deberem gratias, quod me tam amanter monueris, atque ego dabo operam pro viribus, ut monitis tuis satisfaciam, quippe cum neque unquam fuerim, nec sim, neque (ut divinæ misericordiæ confido) unquam futura sim Catholicæ adhortationi in tuis litteris contentæ adversaria. Quod attinet ad meam obedientiam et debitam observantiam erga sponsam Christi, et matrem divinam suam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam harum litterarum lator poterit te commode docere ; is enim poterit explanare, quanta sit animi mei molestia, propterea quod non possim animi mei sententiam in hac re prorsus patefacere, sed cum primum data erit facultas sinceritatis animi mei erga divinum cultum explicandæ, obedientiæque, quid sentiam, exsequendæ, faciam te primum per litteras certiorem. Quod spectat ad coronationem, idem nuntius omnia plane explicare poterit, multaque alia quibus illum adesse volui, cum mirifice Omnipotentis Dei misericordia confidam futurum, ut hæc comitia omnia statuta abrogent, unde omnium calamitatum hujusce regni semina pullularunt ; spero autem futurum, ut delictorum veniam a Summi Pontificis clementia obtineam : cui te rogo, ut meo nomine humillime gratias agas

[1] Sander. l. II. — [2] Ext. apud Natal. Comit.

pro sua multiplici in me bonitate, ut in eadem persistat clementia, omnemque præteritorum commissorum oblivionem concedat. Hunc igitur remitto spe postulationis non irritæ futuræ opera tua, quando tantum benevolentiæ et fraternæ charitatis mihi pignus obtulisti. Me itaque plurimum Sancto Patri, ac tibi commendans, finem facio scribendi. Westmonasterio, VI idus Octobris MDLIII ».

12. Acceperat illa insigne regium solemni ritu kalendis Octobris summo populi procerumque applausu, ac magnanima pietate primatus Ecclesiastici adulterinos titulos aspernata erat, necnon inique religionis odio divexatos libertati, honoribus juribusque pristinis restituerat, ut narrat his verbis Sanderus [1] : « Civitatem et arcem Londinensem more triumphantis ingressa, mox, nullo senatus consulto exspectato, sed sua sola pietate profanum primatus Ecclestiaci titulum respuit, et e carcere regio sustulit episcopos Edmundum Londinensem, Stephanum Wintoniensem, Cuthbertum Dunelmensem, qui ob fidem variis carceribus vincti asservabantur; Thomam item Norfolciæ ducem, et Eduardum Courtinæum marchionis Exoniensis, olim ab Henrico occisi filium, quem Devoniæ etiam comitem illa postea creavit, injuste ad perpetuos carceres damnatos, et libertati et honori pristino restituit; exilii et perduellionis iniquissimam contra Reginaldum Polum cardinalem latam sententiam revocavit, gravissimum vectigal populo prius ab Eduardo impositum condonavit. Et ne adulteratæ pecuniæ permutatione tam misere expoliarentur subditi, misericordissime curavit, ut Rex regi quid præstet, ut hæretico Catholicus, quantum intersit omnes statim viderint ». Cum vero cardinalis Polus nondum in Angliam acciri posset, missus est Franciscus Commendonus Pontificius cubicularius, natione Venetus, vir magno et expedito ingenio, qui postea rerum gestarum peritia et virtute cardinalitiam purpuram promeruit : « Is », inquit Sanderus, « tam prudenter ac impigre rem egit, ut et cætera omnia exploraret, et reginam ipsam aliquoties clam alloqueretur, et ab ipsa Syngrapham acciperet, qua obedientiam Apostolicæ Sedi pollicebatur, atque a schismate absolutionem pro regno petebat, promittens se rebus publicis compositis, tumultibusque sedatis, officium suum per oratores facturam. Commendonus cum iis mandatis Romam rediens promptam reginæ voluntatem Pontifici aperuit ». Affecto Octobri regina Maria cardinali Polo pium regni ad avitam orthodoxam fidem revocandi, illiusque in Angliam adventus desiderium significavit rogavitque ut suo nomine obsequium Pontifici deferret, cujus sacrosanctis precibus se commendabat, at non defuere malevoli, qui eximiam reginæ erga Romanam Ecclesiam voluntatem, fictis calumniis abalienare niterentur, et quæ de piis ejus gestis, deque præcipuis hostibus merito affectis supplicio, atque admiranda eorum resipiscentia in consistorio cardinalium maxima cum illius laude et commendatione fuerant celebrata, in adversam partem verterent, regiumque animum, quasi ejus honori detractum fuisset, malevolentia suffundere molirentur, a quorum fraudibus ut caveret, Pontifex eam hisce litteris [1] præmonuit :

13. « Mariæ Angliæ reginæ.

« In magna voluptate nostra, quam ex litteris tuæ majestatis ad dilectum filium nostrum Reginaldum Polum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem et legatum XXVIII Octobris die datis accepimus, cum eæ nobis maximum et optatissimum tuæ eximiæ virtutis et sapientiæ testimonium præberent, illud nobis sane molestum fuit, quod expostulas quasi quædam per hominem nostrum fidum a dilecto filio nostro cardinale Imolense in Angliam missum, publice in Consistorio nostro fuerint prolata, quæ tuæ majestatis rationibus obessent ; quod longe secus esse et ab omni veritate prorsus alienum, cupimus, ut majestas tua nobis in verbo veri Romani Pontificis affirmantibus credat : jussimus quidem eum, quæ ille isthic præsens vidisset, de damnatorum pœna deque eorumdem miranda resipiscentia et oratione, deque tuis publicis et dictis atque factis, quæ præclara tuæ piæ Catholicæque mentis præ se ferrent indicia venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus exponere, ut tantum publicum gaudium cum illis potissimum communicaremus, quos habemus curarum et sollicitudinum nostrarum participes; de cæteris vero omnibus, præsertim quæ te lædere, ut tuis piis actionibus difficultatem quoquo modo afferre potuissent, nihil est, quod tua majestas vereatur quidquam ab eodem nuntio fuisse prolatum ; quæ omnia cum fictitia ac commentitia sint hominum, videlicet, tum majestatis tuæ verissimæ gloriæ, tum nostræ in Domino consolationi invidentium, haud satis vel mirari vel dolere possumus horum perversitatem temporum, cum sint qui his artibus tuam a nobis voluntatem alienare, et nostrum atque hujus sanctæ Apostolicæ Sedis nomen tuæ majestati invisum reddere conentur, sed firma in Deum spe freti sumus majestatem tuam quæ tantos divini in se favoris atque auxilii quotidie afflatus sentit, eodem semper divino Spiritu omnes rerum difficultates sua constantia et hominum astutiam et malignitatem sua admirabili sapientia superaturam esse, quod nos, ut ita eveniat, tam vehementer cupimus,

[1] Sander. l. II. par. 2.

[1] Julii III. lib. brev. VII. sig. num. 2886. p. 433.

ut in eo omnes cogitationes, desideriaque nostra habeamus fixa ac collocata, non solum in hoc Deo et conscientiæ nostræ deesse nolentes, sed etiam tuæ isti eximiæ virtuti et pietati satisfacere cupientes, quemadmodum ex litteris ejusdem Poli cardinalis et legati tua majestas plenius et crebrius intelliget, cui mandavimus, ut totam istam legationis functionem tuo potissimum consilio ac voluntate moderetur. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die XIII Decemb. MDLIII, anno IV ».

14. Quod ad damnatorum admirandam illam resipiscentiam attinet, de qua meminit Pontifex, referunt Sanderus [1] et alii Joannem Dudlæum ducem Northumbriæ, qui Janam nurum tot fraudibus ad regium solium provexerat, antequam securi percuteretur, undecimo kalendas Septembris ex consilio Nicolai Hæthi postea Eboracensis archiepiscopi hæresim ejurasse, fidemque Catholicam amplexum e catasta promulgasse Londinensi populo unicam ac veram esse fidem, quam profitetur Romana Ecclesia, contrarias vero sectas esse perditissimas hæreses, id aperte demonstrari ex gravissimis malis, quæ Germaniæ et Angliæ intulissent, se vero graviter deliquisse, qui licet id probe intelligeret, tamen ambitione obcœcatus hæresim professus esset, ut ad majores honores spemque regni obtinendi assurgeret; cum vero hæretici ea publica contestatione, quam imminentis divini judicii terror exprimebat, confunderentur, finxere versutum hominem his adumbratis pœnitentiæ signis pro eblandienda venia demulcere regias iras pertentasse. Cæterum regina in ejus filios læsæ majestatis reos clementiam explicuit, ut narrat Sanderus [2] : « Quatuor (inquit) ejus filiis parcitum est, quorum duo adhuc vivunt in magna gratia apud Elisabetham, Ambrosius Warvicensis et Robertus Lecestrensis comites; Ambrosius mitioris naturæ ac minoris semper ambitionis extitit, Robertus vero tantorum malorum auctor habitus deinde fuit, ut nihil optima Maria fecisse in universa vita reipublicæ Christianæ incommodius existimetur, quam quod illum justissime condemnatum vita donaverit ».

Porro Jana Suffolciæ ducis filia, quæ regia corona instar victimæ, ut mactaretur, fuerat redimita, una cum parente Suffolciæ duce, qui in arboris trunco jejunus biduo latuerat, capitali supplicio iniquum alienum facinus luit : universi vero ferme regni optimates restituendæ Catholicæ religioni adversabantur, tum quia vitiorum lenociniis erant irretiti, tum quia Ecclesiasticarum opum, quas invaserant, commodis inescati; itaque cum multa cardinali Polo, ne demandatum legationis munus exerceret in Anglia objicerentur, Pontifex ad explicandam faciliorem gerendarum rerum rationem eidem cardinali permisit [1], ut privato cultu in Angliam ad amissas, Henrici tyrannide, recuperandas res capta temporis opportunitate se conferret.

15. « Cardinali Polo.

« Cum magno animi nostri dolore videamus, tam Anglicæ quam de pace circumspectioni tuæ per nos commissæ legationi multa undique inferri quotidie impedimenta, quæ et iter tuum, et consilia nostra, et tantum commune bonum remorentur ». Et infra : « Permittimus et veniam damus, ut cum tibi res id poscere videatur, deposito tantisper legationum quibus nunc fungeris nomine atque insignibus, privato tuo nomine in Angliam te conferre possis; et rursum cum tibi idonea publicas res juvandi sese offerre visa fuerit occasio, volumus, ut earumdem ambarum legationum vel utrius expedire cognoveris, nomen, insignia, auctoritatemque denuo queas assumere, atque ita illarum functionum, usumque tua prudentia moderari, ut tibi nec in privatis tuis rebus agendis obsit, nec in communibus procurandis publicæ quam nunc sustines personæ desit auctoritas. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die VIII Decembris MDLIII, anno IV ».

Detinuit Reginaldum Polum Cæsar, ne in Angliam trajiceret, nam cum de Philippo filio Mariæ reginæ connubii legibus sacris conjungendo, ut Angliam Hispaniæ conjungeret, Anglorumque viribus auctior Gallorum regem deprimeret, graviora consilia volveret, pertimuit, ne Reginaldus, qui materna stirpe proseminatus erat e regio Anglorum sanguine, necdum sacerdotio erat initiatus, ætateque reginæ suppar in regem expeteretur; itaque variis artibus illum in variis locis tenuit ancipiti exspectatione suspensum, donec conjugium Philippi cum Maria transactum est : ut vero eo sancito excitus in Angliam honorificentissime legationis munus obierit, proximo anno dicetur :

16. « Cæsar et rex Christianissimus inter se sævis bellis certabant, non solum in Belgio et in Germania, sed etiam in Hætruria ob Senarum urbem, pro quo bello gerendo cum utraque pars milite indigeret, Pontifex ne status Ecclesiæ, qui proximus loco certaminis erat, exhauriretur hominibus, qui stipendiis horum principum allecti sub eorum vexillis essent nomina daturi, ne quis eorum regum quos mutuo fœdere inter se conciliare annitebatur, bellis se implicaret, neve proceres Ecclesiasticæ ditionis in varias factiones dividerentur, legem hanc tulit : Qui hujusmodi contravenientium notitiam habuerint, et eos revelare neglexerint, in ære et in corpore ipsorum inobedientiæ meritam pœnam severe recepturos declaramus.

[1] Sander. l. II. in fin. p. 1. Sur. in Comm. hoc anno. Sander. ubi sup. — [2] Sander. ubi sup.

[1] Jul. III. lib. brev. VII. sig. num. 2886. p. 400.

Volumus etiam, ut si qui forte supradicto modo pecunias aut dederint, aut promiserint, aut acceperint, aut se obligaverint, infra triduum post præsentium publicationem sese nobis, aut locorum nostrorum rectoribus aut gubernatoribus, aut prædicto Juliano, manifestantes, ab illiusmodi promissionibus aut obligationibus retrahere se impune et libere possint, post quorum dierum terminum, qui se interea, ut præmittitur, manifestare neglexerint, in prædictas pœnas irremissibiliter incurrisse censeantur. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die xx Februarii MDLIII, anno III ».

17. *Carolus V bellum Senensibus infert, quos Galli strenue defendunt.* — Cum igitur Cæsar [1] Senenses subjicere decrevisset, in hujus expeditionis ducem elegit Petrum Toletanum ducis Florentiæ socerum, et proregem Neapolitanum, qui Florentiam cum petiisset, post paucos dies ibi moratus diem clausit extremum, et in ejus locum, recusante exercitus imperium militare Florentiæ duce, Garzias proregis filius successit, qui viginti mille militibus stipatus bello initium dedit, multisque prius oppidis Senensium occupatis, tandem Montem-Alcinum obsidione cinxit, Senenses vero Galli strenua virtute defendebant. Interim Florentiæ dux Pontificem hortabatur, ut operam daret ad pacem inter Cæsarem et regem firmandam, cum in Italiæ exitium id bellum verteretur. Pontifex pertentavit Gallorum animos, an paci honestæ essent assensuri, ducemque Florentiæ hortatus, ut operam suam in ea re collocaret, ut subjectæ ostendunt litteræ [2] :

« Duci Florentiæ.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Et nostro perpetuo procurandæ pacis studio adducti, et tuæ etiam nobilitatis rectissimæ voluntati in eo satisfacere cupientes, quod proxime ad te scripsimus nos propediem facturos, ut aliquem ex nostris ad ipsam tractandam pacem mitteremus, id nunc facimus. Mittimus enim cum litteris mandatisque nostris dilectum filium Federicum Fantucium sacri palatii nostri causarum auditorem, hominem nobis doctrina, fide, industria veterique etiam nobiscum familiaritate in primis probatum et gratum, qui primo Senas se conferat, illarumque partium duces æquis propositis conditionibus ad pacem amplectendam nostris verbis diligenter hortetur, ac deinde ad tuam nobilitatem omnia deferat, ut ejus consilio atque prudentia ponderentur, quam ipsam, ut huic pacis causæ faveat, hortari superfluum esse censemus, cum nobis ipsius animus sit notissimus ; tantum abs te petimus, ut si quæ proposita fuerint, æqua et tolerabilia esse videantur, tu, et nostro etiam nomine dilectum filium nobilem virum Garziam de Toledo Cæsarei istius exercitus præfectum ad eas non aspernandas conditiones, vel per teipsum vel etiam ad eum prædictum Federicum, si tibi videbitur, legando excites et cohortere, et sublatis istius exitiosi pestiferique belli causis, et pax Italiæ atque isti præcipuæ nobilissimæ Hetruscæ nationi securitas reddatur, et nos omnes, in quorum finibus id geritur, ab hac gravi molestia, atque cura, et a periculosa ejusdem belli contagione liberemur, etc. Datum Romæ apud S. Petrum die XXIX Martii MDLIII, anno IV ».

18. *Bellum Senense Julius componere tentat.* — Consensit ille paribus studiis cum Pontifice, ut Hetruriam ab exterorum servitute vindicaret, et Garziam Toletanum lævirum ad concordiæ conditiones admittendas delinire conatus est. Interea Pontifex creavit internuntios Apostolicos, ac ad Cæsarem regemque Gallorum pro concordia urgenda misit, ut tradunt Acta Consistorialia [1] :

« XXX Januarii MDLIII, fuit Consistorium. S. D. N. fecit verbum de mittendis nuntiis ad serenissimos principes Carolum V Romanorum imperatorem semper Augustum, et Henricum regem Christianissimum pro pace inter eos concilianda, tanquam præcursores legatorum » ; et infra : « XIX Februarii duos nuntios ad prædictos principes nuntiaturos progressum legatorum ad eorum majestates hac de causa, ut in pace viverent ». Mense Aprili, Sancti-Matthæi ac S. Georgii cardinales legatos ad Cæsarem, atque ad Henricum Galliæ regem decrevit [2], ad eos ad mutuam concordiam propositis ingentibus malis, quæ ex eorum internecino bello oriebantur, revocandos, de quibus hæ litteræ Cæsari inscriptæ sunt [3] :

19. « Carolo imperatori.

« Gravi et intolerando dolore jamdudum afficimur, ex horum conditione temporum, et præsenti Christianæ reipublicæ statu, quæ cum antea per tot annos, tam diuturnis principum discordiis vexata, tot perfidorum hominum odiis dissidiisque lacerata, tam multis nobilibusque provinciis ab immani Christiani nominis hoste nudata spoliataque fuerit, cum vero recenti hoc bello, quod inter majestatem tuam et Henricum Francorum regem est excitatum, in tantum tamque manifestum discrimen adducta est, ut non amplius nova una aliqua plaga, insignisque ærumna extimescenda sit, sed universus ex eo Christianæ rei immineat interitus, tanto enim ardore nunc quidem concurritur, tanto studio omnium regnorum vestrorum auxilia, opes copiæque undique contrahuntur, tam longe ac late fidelissimorum populorum vestrorum oppida diruuntur, villæ

[1] Adrian. l. IX. anno 1553. — [2] Jul. III. l. VI. brev. sign. num. 2888. p. 590.

[1] Acta sig. Cons. num. 134. p. 97. — [2] Jo. Bapt. Adrian. l. IX. anno 1553. Natalis Comes l. VI. — [3] Jul. III. l. VI. brev. sig. num. 2885. p. 106.

incenduntur, provinciæ devastantur, ut maxime verendum sit, ne universum Christianæ reipublicæ robur viresque, quæ a Deo optimo Maximo Christianis principibus ad populos veræ ac sanctæ fidei suæ cultores defendendos, tam largiter fuerant attributæ, mutuis nunc inter se concisæ vulneribus plane debilitentur et concidant, atque ita infirmum et exsangue miseræ Christianitatis corpus perpetuo et crudelissimo hosti nostro, qui nostris semper malis ærumnisque inhiat, non jam ad injurias atque cædes, sed ad excidium atque internecionem prodatur, quæ nos pro paterno in rempublicam Christianam affectu nostris diurnis ac nocturnis curis subjicientes, nullam prorsus partem veræ et solidæ capimus quietis, cogitantes in qualia tempora, quam perturbata, quam confusa, quam misera nostrum hoc Pontificatus onus incurrerit, cum is non tam ad ingruentia mala levanda, quam spectanda, nec ad adjuvandam reipublicæ salutem, sed ad ejus interitum deplorandum constitutus fuisse videatur, quod, etsi spes optatissimæ inter vos pacis, quæ una tot malis atque incommodis mederi potest, haud sane nobis facilis ex humanis consiliis proponebatur, non tamen desistendum putavimus, quin pro muneris nostri officio, atque hujus loci auctoritate omnia tentaremus et experiremur, per quæ et odia sedari et discordiarum causæ tolli, et desideratissimæ pacis munus Christianis populis restitui posset, memores illius, qui contra spem in spem credidisset Dei potentiam ac benignitatem longe superiorem omnibus humanis viribus est expertus, et sane consuevit clementissimus ac misericors Dominus, ut ipsius excelsæ virtuti et potestati, non autem humanæ industriæ beneficii laus tribuatur, in maxima desperatione rerum, tunc maxime spem suæ salutis ac bonitatis excitare. Hac nos divini auxilii spe maxime freti, atque etiam postremi vestri ad nos responsi humanitate atque æquitate plurimum confirmati dilectum filium nostrum Hieronymum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, Imolensem nuncupatum, nobis propter ejus virtutem, industriam, fidem plurimarumque rerum usum maxime probatum, legatum ad majestatem tuam destinavimus, ut et dolorem, quem ex his reipublicæ et Christianorum populorum incommodis incredibilem capimus, plene cum illa communicaremus, et quæ hujus temporis videbantur esse consilia ac monita ad communem utilitatem et tranquillitatem deprecandam spectantia ei proponeremus, sicuti per alterum legatum nostrum Henrico ipsi Francorum regi eadem hoc ipso etiam litterarum exemplo ad nostræ erga vos æquissimæ voluntatis testimonium proposuimus, parique diligentia et cura ad eum deferenda mandavimus, in quo inspectorem cordium Deum in animam nostram invocamus testem, nihil nobis præter Dei ipsius voluntatem, et officii nostri functionem, et publici boni utilitatem, in quo nimirum vestri etiam boni ratio continetur, esse propositum : nunc te rogamus, fili charissime, atque in Domino etiam hortamur et obsecramus (si hoc officium nostrum plenum pietatis esse vides, si rem quam petimus ac cupimus ita universo Christiano populo exoptatam, ita necessariam esse agnoscis, ut eadem cum Christianissimi imperatoris munere, ac vera dignitate maxime sit conjuncta) ut majestas ipsa tua nostras has rationes paternaque monita, et benigne auscultare, et sua bonitate ac sapientia una cum Dei timore conjuncta diligenter considerare, et Deo ipsi per nos eam monenti atque hortanti obtemperare velit; etenim, ut etiam atque etiam cogitet, quid Deus ipse a Christianis principibus, quibus ille fideles suos populos tanquam pretiosum aliquod depositum commisit, exigat, quid eorum officii ratio postulet, quid Christianorum populorum quotidianæ querelæ, voces gemitusque requirant, quid nostræ conditionis et communis humanitatis jura desiderent, ut pace aliquando afflictæ Christianorum nationi per vos reddita alia magis tuta et gloriosa administrandæ reipublicæ via ineatur, per quam et æternæ vitæ ratio, in quam videlicet omnes curæ cogitationesque nostræ in primis intendere debent, expeditior vobis fiat, et in hac etiam vita vera celebritate et gloria, utriusque et solidis gaudiis ex subditorum vobis populorum pace, otio, tranquillitate, commodis et vestri nominis claritate perfruamini, quod nobis idem misericors, atque omnipotens Dominus, in cujus manu cor regum est, et quo voluerit vertit, illud concedere per suam gratiam dignetur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XII Aprilis MDLIII, anno IV ».

20. Conceptæ eadem verborum formula litteræ transmissæ sunt Gallorum regi : tum etiam Lusitaniæ rex interpres a Julio adhibitus est, ut Cæsarem Gallumque ad concordiam sollicitaret [1] :

« Regi Portugalliæ.

« Charissime in Christo fili, salutem, etc. Et majestatis tuæ spectata virtus, et singularis tum in Christianam rempublicam voluntas, tum Christiana ipsius sanctissimæ religionis mandatorumque Dei observantia faciunt, ut et quæ nos ad publicam tranquillitatem cogitemus, cum tua majestate libentissime communicemus, et tuæ etiam prudentiæ, auctoritatis sapientiæque auxilium ad boni ejusdem operis perfectionem advocemus. Cum igitur in hoc tristi calamitosoque bello, quod inter charissimos in Christo filios nostros serenissimum Cæsarem et Galliæ regem ita excitatum est, ut

[1] Jul. III. l. VI. brev. sig. num. 2886. p 167.

ex eo non unius potentia et amplitudo, sed ipsorummet et universi secum Christiani nominis ex mutuis suorum damnis detrimentisque excidium sit expectandum, nos summum dolorem, quem ex communibus miseriis capimus, pro nostra paterna salutis omnium cura tacitum ferre non possemus, nisi pacem omnibus modis perquirere, ac inter ipsos principes conciliare cum Dei auxilio simus adnixi, itaque tum litteris, tum nuntiis legatisque nostris in omnem partem mittendis nihil omittimus, nec consilii, nec laboris, quo ad optatum tanti boni exitum pervenire possimus, in quo, tametsi potissima et maxima nobis spes in Dei bonitate et clementia, vix autem visa in humanis rationibus aut consiliis videtur esse proposita, tamen non ignorantes quanta tua atque optimo jure quidem, tum apud serenissimum Cæsarem, tum apud ipsum Gallorum regem futura sit auctoritas, majestatem tuam in hanc cogitationem et curam maxime sua virtute, et pietate, et sapientia dignam excitare voluimus his litteris, ut in ipsis principibus ad pacem, et ad afflictis Christianorum rebus incolumitatem jam aliquando restituendam exhortandis, ipsa quoque omnem suam auctoritatem, operam consiliumque adhibeat, movere enim eos maxime poterunt ejus regis monita atque consilia, qui semper a civilibus ac socialibus armis abstinens in summa omnium benevolentia ac charitate vivit. Hac certe tuæ majestatis opera nihil, aut Deo gratius, aut reipublicæ utilius aut laudi nominique suo honorificentius esse poterit, quemadmodum pluribus verbis venerabilis frater Pompeius episcopus Sulmonensis nuntius apud illam noster cum tua majestate aget, cujus dictis plenam fidem illa habebit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die VIII April. MDLIII, anno IV ».

21. Non potuere adduci reges æmuli ad controversias omnes concordia et æquitate dirimendas, at bellum tamen Senense, revocatis ex Hetruria utrimque copiis, componendum consenserunt; quod cum a Cæsare et Gallo Julius pervicisset, exeunte Maio Fulvium Corneum et Nicolaum Cajetanum cardinales legatos creavit, ut alter Senas, alter Florentiam se conferret ad factionum adversarum animos in mutuam concordiam redigendos, de quibus hæc narrant Acta [1] :

« Romæ die XXIX Maii MDLIII, fuit Congregatio generalis, in qua S. D. N. fecit verbum de litteris habitis a duce Florentiæ super remissione armorum ab utroque Catholico exercitu, videlicet, Senensi et Cæsareo, et fuerunt deputati duo legati, videlicet, reverendissimus Fulvius de la Cornea ad ducem Florentiæ, et reverendissimus dominus Sermoneta ad reverendissimum Ferrariensem, et dominus de Thermes Senas, qui juberent utriusque exercitui ut remitterent arma, et quod Sanctitas sua die Veneris immediate sequenti erat discessura versus Viterbium pro pace inter eos componenda, quibus subjectas litteras dedit [1] :

« Dilectis filiis Fulvio Corneo, nostro secundum carnem nepoti, et Nicolao Cajetano S. R. E. cardinalibus nostris et Sedis Apostolicæ legatis.

« Dilecti filii nostri, salutem. Cum nulla sit cura, quæ magis hoc tempore animo nostro insideat, quam ut arma per totum fere Christianum orbem suscitata deponantur, et præsertim ex provincia Hetruriæ, patria nostra charissima, tollantur, idcirco nihil prætermittimus aut officii aut laboris, ut optatum hunc pii desiderii nostri finem consequamur, itaque cum hodie matura cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus habita deliberatione decrevimus, post solemnem, quæ diei sacratissimi Corporis Christi Domini nostri dicata est, supplicationem ad civitatem nostram Viterbii propius illam provinciam accedere, ut vicinitate nostra, seu etiam, si ita opus fuerit, præsentia, susceptam compositionis causam juvare possimus. Idcirco, ut interim cætera ad eum finem spectantia tractentur ac disponantur, neve ullis novis motibus instituta dissipentur, vos ambos, de quorum fide, integritate, prudentia in Domino plurimum confidimus, de eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio atque assensu nostros et sanctæ Apostolicæ Sedis legatos creavimus, ut alter Senas, Florentiam alter accedat, et utriusque exercitus duces, quibus has nostras de pace cogitationes jamdiu patefecimus, ubicumque eos repererit, nostris verbis alloquatur, mandataque nostra atque consilia ad eosdem deferat, sitque tum nostræ mentis et voluntatis interpres, tum vero etiam adventus nostri præcursor. Volumus igitur, tam per ambarum partium duces illarumque fautores, quacumque dignitate præfulgeant, quam per Senensis reipublicæ moderatores et præfectos, plenam circumspectionibus vestris fidem, ut Apostolicæ Sedis legatis adhiberi, vos in Domino plurimum hortantes, ut vestræ virtutis atque industriæ tale in hoc nobis specimen præbeatis, ut et nos nostræ hujusmodi de vobis electionis majorem in dies voluptatem, et Christiani populi utilitatem sentiant. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XXIX Maii MDLIII, anno IV ».

22. *Frustra Pontifex per epistolas, nuntios et preces solemnes indictas, ad concordiam Gallum et Cæsarem reducere curat.* — Defixerat Julius omnes curas, ut composito Senensi bello, Italos principes [2] conjungeret mutuo fœdere adversus

[1] Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 116.

[1] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2888. p. 216. — [2] Adrian. l. IX.

Turcas, qui instructa validissima classe invadendo regno Neapolitano imminebant; collatoque cum duce Florentiæ consilio Galliæ regem ad honestam pacem flectere moliebatur : eæ vero pactiones erant propositæ, ut Galli et Hispani paterentur Senenses integra libertate potiri, Ferrariensis cardinalis ac Regulus de Thermes Gallicas copias educerent, induciæ inter adversas partes sacramento firmarentur, Julius cardinalem Marcellum Cervinum e Monte-Politiano virum summa probitate atque integritate spectatissimum ad moderanda Senensis urbis gubernacula præficeret, ac pro tuenda publica tranquilla pace præfectus armorum nulli parti adversæ addictus Italicis succinctus copiis, cui stipendia a Pontifice et aliis Italiæ principibus fœderatis suppeditarentur, fovendæ civium quieti incumberet, ad quæ consilia in opus provocanda Julius cum Jo. Manriquez oratore Cæsareo Viterbium se contulit, ac syngrapham de servandis pactionibus transmisit ad cardinalem Ferrariensem, qui una cum regulo de Thermes regis Galliæ nomine Senensibus præerat, ut solemni sacramento ad sequestram pacem amplectendam se obstringeret. Res grata erat Henrico regi, ut honestissima, gratissima Cæsari, cum vellet Cæsareas copias avelli ex Hetruria, atque in Neapolitanum regnum traduci ad Turcarum impetus propulsandos; adeo ut cum Senenses exules illum urgerent precibus, ut aliquas copias in Hetruria retineret, responderit, Senas recuperari a se non posse, ac Neapolim nolle amittere. In hoc rerum cardine Ferrariensis cardinalis infelici usus consilio inducias non admisit, sed varias nectens inanes moras Pontificis industriam pro concilianda pace elusit, impulsus a senatoribus, qui querebantur, discedentibus e Senensi urbe Gallis, se ab hostibus opprimendos, in qua sinistra opinione confirmabantur a Gallis præsidiariis. Abscissa ita omni spe concordiæ Pontifex Viterbio Romam rediit, atque in cardinalium senatu [1] quanta pro concordia inter imperatorem ac Senenses conficienda egisset, recensuit. At Cosmus dux Florentiæ cum Gallorum inimicitias contraxisse probe nosset, clandestino fœdere cum imperatore percusso, ad Gallos et Senenses inopino bello obruendos clam arma comparavit, ut proximo anno dicetur. Julius vero ne quid intentatum esset pro instauranda pace, pia et nova consilia agitavit, ut imminentia mala averteret, atque ad ea cum Neapolitano prorege conferenda Achillem e Grassis Faliscorum episcopum misit, commendavitque hisce litteris [2] :

23. « Viceregi Neapolis.

« Dilecte fili, salutem, etc. Admonet nos, tum nostri muneris atque officii ratio, tum perpetuum nostrum quietis ac tranquillitatis publicæ desiderium, ut et noctes atque dies pacis consilia cogitemus, et cum videamus aliquam nobis spem, aliquod lumen alicunde offerri, libentissime illud non solum arripiamus ipsi, sed et cæteros Christiani populi nobiscum rectores ac principes in eamdem cogitationem et curam adducere totis viribus conemur : itaque cum in his armorum apparatibus, tantaque bellorum mole, atque hac universa Italiæ perturbatione ex multorum colloquiis in aliquam spem compositionis atque otii devenissemus, per quam Hetruriæ ac reliquæ Italiæ civitates ab impendentibus malis atque incommodis, et Christiani ipsi principes a bellorum itidem periculis atque dispendiis salva ipsorum dignitate liberari posse viderentur, non nobis abs re visum fuit, et tuæ nobilitati, cujus in hac vel optatissimæ pacis vel perniciosissimi belli deliberatione eæ sunt partes, quas tibi locus, dignitas, auctoritasque tua tribuit, quamprimum significare : quare elegimus venerabilem fratrem Achillem de Grassis episcopum Montisflasconensem, Rotæ nostræ Apostolicæ auditorem, prælatum nostrum domesticum, nobis doctrina, fide, industria, gravitate pluribusque in nos atque hanc sanctam Sedem officiis in primis probatum ac gratum, quo etiam nos alias apud charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum cum magnis de rebus internuntio essemus usi, valde is suam cum nobis fidem, tum ipsi Cæsari dexteritatem, tum prudentiam utrique nostrum probavit; eumdem igitur Achillem ad tuam nobilitatem nunc mittimus, quo secum ejusmodi nostra consilia ad pacem ac tranquillitatem spectantia communicet, cui ut plenam non solum fidem adhibeat, sed ut eum etiam non communi tantum legationis nostræ nomine, sed ut hominem a nobis eximie dilectum benigne audiat, in familiaritatem suam admittat, omnique eum benevolentia sua, comitate, humanitate complectatur, eamdem tuam nobilitatem plurimum hortamur, atque illud in primis et maxime, ut has cogitationes nostras nobilitas ipsa sua, et bonitate sua excipere, et prudentia adjuvare velit, ut favente nostris piis consiliis Deo Maximo, afflictam Italiam, uterque nostrum beneficio magno, et universam Christianam rempublicam munere afficiat. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die XXVII Decembris MDLIII, anno III ».

24. Licet Italia ea sequestra pace recreata esset, trans Alpes detonabant bellici fragores, ad quos sopiendos, adstringendamque concordiam, submovendasque dissidiorum causas decreverat antea Julius duos legatos amplissimos, ut exasperatos regum animos sacris monitis demulcerent, de quo munere iis demandato hæc referuntur in Actis [1] Consistorialibus :

[1] Act. Cons. Adrian. l. x. — [2] Ib. num. 2886. p. 438.

[1] Act. Consist. sig. num. 134. p. 79.

« Romæ die Lunæ III Aprilis MDLIII, fuit Congregatio, in qua Sanctitas Sua fecit verbum de pace concilianda inter principes Christianos pro necessitate reipublicæ Christianæ, et fuerunt deputati ad hujusmodi effectum duo legati, videlicet reverendissimus dominus Imolensis ad Cæsaream majestatem, et reverendissimus de Capiteferreo ad regem Francorum cum facultatibus solitis.

« Die Sabbati VIII April. MDLIII, fuit Congregatio generalis, in qua fuerunt benedicti legati, et data crux, et comitati extra portam Sancti-Petri profecturi ad suam legationem ».

De his legatis ad Cæsarem et Galliæ regem decretis Julius [1] eodem die certiorem fecit Philippum Hispaniarum principem, eumque rogavit, ut apud parentem imperatorem studia sua pro exitiali bello componendo et concilianda pace conjungeret.

« Philippo Hispaniarum principi.

« Dilectissime fili, etc. Tuam celsitudinem hortamur, ac, quanto animi studio possumus, rogamus, ut pro sua pietate et prudentia adjuvare hæc nostra pacis et compositionis consilia velit, omnique sua auctoritate et gratia apud ipsum serenissimum Cæsarem ejus patrem agere atque instare, ut pace aliquando Christiano populo per illius bonitatem ac sapientiam reddita, et Dei voluntati, et publicæ utilitati, et veræ maximi Christiani imperatoris gloriæ, et suæ etiam, populorumque , et regnorum suorum conservationi et saluti satisfiat, in quo etiam, et quieti tranquillitatique tuæ, et tuis in futurum tempus rationibus maxime prospicies ; vides enim profecto, dilectissime fili, quanta bellorum molestissimorumque ac difficillimorum negotiorum moles instet, quæ quidem facilius sapientia nunc declinari, quam ulla potentia frangi posse videntur, quare ut in hanc curam tua præcipue celsitudo toto pectore incumbat, in qua nos ipsi penitus infixi sumus, eamdem pro loco, quem obtinemus, valde et hortamur et obsecramus, quod ut illi pluribus verbis exponant, eamque vehementius nostro nomine ad hanc seipsa maxime dignam cogitationem suscipiendam excitent, eidem Leonardo episcopo una cum dilecto filio nostro Joanne cardinali Poggio nostro apud celsitudinem tuam legato diligenter mandavimus , quibus plenam atque integram fidem habebit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die VIII Aprilis MDLIII, anno IV ».

25. Interjectis quatuor diebus Mariam Ungariæ reginam Caroli V Cæsaris sororem Pontifex rogavit [2], ut cardinali Imolensi pro conficienda pace faveret, horrendaque mala, quæ ex bello pullularent, exposuit, ut regiam operam apud fratrem adhiberet, quo pace confecta, curisque gravissimis abjectis pacatioris vitæ feliciora consilia amplecteretur.

« Mariæ reginæ Ungariæ.

« Charissima in Christo filia, salutem, etc. Mittentes dilectum filium nostrum Hieronymum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum imperatorem semper Augustum, nostrum et Sedis Apostolicæ de latere legatum, ut nostras sollicitudines et curas, quas ex bellorum inter illum atque Henricum Francorum regem incendiis, atque ex hac præsentium temporum perturbatione capimus, ad eum perferret, multaque de nostris consiliis ac desideriis ei exponeret, ad rationem concordiæ et publicæ tranquillitatis spectantia, jussimus ei, ut eadem in primis cum majestate tua communicet, tuamque cum auctoritatem et gratiam, tum vero eximiam prudentiam, consilium, sapientiam, ad totum hoc negotium tractandum conficiendumque adhibeat, te enim omnium fœminarum sapientissimam haud profecto præterit, quantum bellorum, molestissimarumque atque impeditissimarum rerum moles instet, quæ non tam ullis armis victoriisque perrumpi, quam prudentia et æquanimitate expediri possint, et sane misera duraque Christiano præsertim principi ea vitæ est conditio, quæ semper in bellicis rebus occupata, tot continuis perturbationibus animi atque angoribus, tanto ingratissimarum curarum sollicitudinumque pondere sit oppressa, quibus se aliquando exsolvere, salubrioraque vitæ pacatius degendæ consilia inire, magnæ profecto virtutis est et sapientiæ. Hæc tuam majestatem serenissimi Cæsaris fratris tui animo subinde proponere, fidelium item populorum suorum damna, clades, excidia ejus clementiæ benignitatique commendare , omnia denique agere et suadere, per quæ optatissimæ pacis amœnitas Christianis populis aliquando restitui possit, eamdem majestatem tuam vehementer in Domino hortamur et rogamus, nihil est quod illa aut summo Deo, a quo tam multa dona accepit, gratius, aut ipsi etiam Cæsari, ut nos arbitramur, convenientius ac gloriosius, populis certe vestris utilius atque optatius sua ista auctoritate et potentia agere ac curare possit. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XII Aprilis MDLIII, anno IV ».

26. Convertit quoque Julius Pontificia studia apud Catharinam Galliæ reginam, ut Henricum regem flecteret ad pia concordiæ consilia, cum ex eo bello mala innumera emergerent, et Christianum imperium fœdissimis populorum stragibus urbiumque eversionibus funestaretur, illique Hieronymum S. R. E. cardinalem commendavit :

« Catharinæ Francorum reginæ.

« Cum mitteremus dilectum filium nostrum Hieronymum Sancti-Georgii, sanctæ Romanæ

[1] Jul. III. l. VII. brev. p. 169. — [2] Ib. num. 2888. p. 616.

Ecclesiæ cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum regem christianissimum, conjugem tuum, nostrum et Sedis Apostolicæ de latere legatum, mandavimus illi, ut hæc nostra pacis procurandæ consilia cum majestate tua potissimum communicaret, quam pro suo mitissimo ingenio a publicæ tranquillitatis ac quietis desiderio minime alienam esse arbitramur, et sunt præterea multa, quæ in longa ac difficili armorum tractatione prudentium animos ad cogitationem periculosorum eventuum movere debeant, quæ majestatem tuam pro sua prudentia, et singulari erga ipsum Henricum regem, ejusque regnum, filiosque regios amore tacitam cum animo suo sæpius volvere non dubitamus : ea est enim profecto, tum ipsius regis, universæque ejus regiæ familiæ, tum etiam istius florentissimi regni amplitudo, eaque fortuna, ut non tam illius amplificatio quærenda sit, quam conservatio procuranda, proinde, si quæ compositiones honestæ et æquæ conditiones propositæ fuerint, quas per Dei bonitatem atque clementiam propositum iri speramus, eas ut rex ipse libenter amplectatur majestati ipsi tuæ omni suo studio, consilio, ope, gratia, precibusque est elaborandum, in quo præterquam quod suis suorumque commodis mirifice prospiciet, quam etiam Deo ipsi pacis ac dilectionis nobis in primis auctori rem gratam atque acceptam factura sit, eam pro sua pietate perspicere confidimus, nos certe tuæ hoc majestatis amplum atque insigne in Christianam rempublicam beneficium, et gratissima semper memoria, et debitis laudibus prosequemur. Dat. Romæ apud S. Petrum, die XII Aprilis MDLIII, anno IV ».

27. Extant eodem argumento, eodemque die exaratæ litteræ ad Memorantium regulum, magistrum Equitum, gratia et auctoritate, necnon militari gloria in regia Gallica florentissimum, quem Julius precibus ursit, ut pro constituenda pace apud regem operam omnem atque industriam collocaret [1] :

« Domino de Montmorency comestabili.

« Dilecte fili, etc. Cum mitteremus dilectum filium nostrum Hieronymum Sancti-Georgii sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem ad charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum regem Christianissimum, nostrum et Sedis Apostolicæ de latere legatum, ut nostras sollicitudines ac curas, quas ex bellorum inter illum, ac serenissimum Carolum imperatorem incendiis, atque ex hac præsentium temporum perturbatione capimus, ad eum perferret, multaque de nostris consiliis ac desideriis ei exponeret ad rationem concordiæ et publicæ tranquillitatis spectantia, jussimus ei, ut omnia cum tua nobilitate in primis communicaret, quam et prudentia et bonitate plurimum pollere semper existimavimus, et ita in bellicis rebus consiliisque excellere, ut tamen a pace inter Christianos principes constituenda, quæ quidem cum ipsius serenissimi regis dignitate conjuncta esset, non abhorreret, quod si ullum unquam necessarium ipsius pacis et expetendæ, et omnibus modis consulendæ ac procurandæ tempus fuit, hoc profecto est, cum omnes Christiani nominis opes cum ex præteritis, tum ex instantibus bellis ita attritæ debilitatæque sint, ut nisi diuturna pace et principum providentia recreentur, omnia ad interitum brevi tempore sint prolapsura. Hæc nobis præcipue suadendi atque monendi, et ob personam a Deo nobis attributam, et ob eximiam, quam erga Christianam rempublicam et conservationem fidelium populorum habemus voluntatem, impositam nobis necessitatem esse judicavimus, sperantes hujusmodi nostris piis salutaribusque consiliis, et summi Dei auxilium, et ipsorum principum æquitatem, et vestrum etiam, quorum apud illos merito ac jure magna est auctoritas, studium non defuturum. Quare te, fili, plurimum in Domino etiam atque etiam hortamur, ut omnem tuam operam, consilium, auctoritatem, gratiam in eam rem conferas, ut ipse rex nostra hæc pacis consilia amplectatur; detque se ad eas cogitationes, quæ et ipsius nomine ac munere maxime dignæ sint, et ad afflictæ ac perditæ Christianitati salutem restituendam accommodatæ ; eo tua nobilitas nec Deo acceptius quidquam, nec nobis gratius, nec vere isto loco istaque fortuna dignius facere potest. Dat. Romæ apud S. Petrum, die XII Aprilis MDLIII, anno IV ».

28. Inter bellicos fragores non sunt auditi cardinales [1]; Cæsar Teroannam Morinorum urbem captam evertit incenditque. Hisdinum superiore anno eripuerant Gallis Cæsariani; hoc vero anno Galli eam urbem recepere, quam rursum Cæsar, admoto exercitu, mense Julio expugnavit,in quo prælio Horatius Farnesius,Pauli III nepos, ac gener Henrici regis, cæsus est cum multa nobilitate Gallica; nec incruenta Cæsarianis stetit victoria : æquavit solo Hisdinum ira Cæsaris, qui cum Dorlanum tentare vellet, ejus exercitus a Gallis in fugam actus est, multis occisis ac captis ; cum rursus Galli Cameracum pertentassent, oppugnatio non successit, ad Valencenas vero castra castris tam prope conjuncta sunt, ut gravissimo prælio decernendum videretur; sed tumultuariis velitationibus gesta res, abeuntesque XVIII Septembris Galli plura Belgii oppida incendiis deleverunt, ancipiti alternanteque victoria, cumque legatorum cardinalium pios conatus et industriam inveteratorum odiorum eluderet pertinacia, eos ex legatione revocandos censuit Julius [2], ne calamitatum

[1] Ibid. num. 2883. p. 610.

[1] Sur. in Comment. hoc anno Adrian. l. x. an. 1553. — [2] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 336. p. 336.

populi Christiani infelices spectatores evaderent.

29. « Cardinali Imolensi et cardinali Sancti-Georgii legatis, etc.

« Cum vos ad charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, et Henricum Francorum regem Christianissimum legatos de pace mitteremus, testis est nobis Deus, vosque etiam ipsi testes estis, nihil a nobis fuisse spectatum, nihil quæsitum, nihil optatum, nisi ut Christianæ rei propter hasce ipsorum principum discordias intestinaque bella collabenti, pace inter eos, si ita fieri posset, composita, paterna nostra charitate, studio, consilio, precibus, obtestationibusque apud illos nostris succurreremus, non solum in eo Christi Domini nostri, cujus nos in terris, quanquam meritis parum idonei, vices gerimus, præcepta adimplentes, sed etiam majorum nostrorum summorum sanctissimorumque Pontificum exempla imitantes, qui magnas sæpe discordias inter Christianos principes subortas sua auctoritate et monitis non solum sedare, sed eosdem conciliatos inter se atque pacatos in impios Dei et Christianæ religionis hostes armare impellereque potuerunt, quibus, si nos optato consiliorum exitu et salutari eventu rerum pares esse non possumus, animo certe et voluntate, atque ardenti charitate in communi Christianorum populorum utilitate procuranda non cedimus, quod si nunc omnipotens Deus nostra pacis consilia desideriaque et vota haud exaudire dignatus est, nequaquam tamen desperandum est fore, ut is fidelibus populis suis pretioso Unigeniti Filii sui sanguine redemptis adsit, atque humanis affectibus obdurata corda, cum ei fuerit visum, sui divini spiritus afflatu molliat, ipsosque reges et principes ad ineundam amplectendamque pacem, vel invitos ac reluctantes compellat, cujus rei si quando maturitas advenerit, nos nostro officio et pietati, quemadmodum quidem adhuc fecimus, nullo loco deerimus, nec solum legatos, quorum tunc diuturnior apud illos commoratio in tanta bellorum obstinatione non supervacanea modo, sed hujus loci auctoritate parum jam digna videtur esse, cum inflicta per tot annos reipublicæ vulnera, quæ nos tanto studio sanare adnitimur, novis in dies cladibus magis exulcerentur, denuo ad ipsos principes mittemus, sed nos ipsi hoc jam gravi annis et valetudine affecto corpore sanctissimam illam legationem, si ita opus fuerit, libentissime suscipiemus, quare circumspectionibus vestris mandamus, nisi interea aliqua vobis certior pacis spes fuerit oblata, ne tam miserabiliter profusi Christiani sanguinis et tantarum communium calamitatum otiosi spectatores esse cogamini, ad nos jam tandem, cum bona istorum ipsorum principum venia, primo quoque tempore redeatis, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die VIII Septembris MDLIII, anno IV ».

30. Scripsit eodem argumento etiam Pontifex Carolo imperatori [1], proposuitque, quanta graviora mala ex crudeli eo bello emergerent, quantave commoda ex mutua pace ad totius rei Christianæ amplificationem efflorescere possent, de Cæsarea tamen voluntate, cui iniqua repugnabant tempora, optime se sentire significavit.

« Imperatori.

« Charissime, etc. Cum videamus nostrorum pro pace inter majestatem tuam, et Henricum Francorum regem componenda susceptorum laborum non eos capere nos fructus, qui et collabentis reipublicæ necessitati, et Christianorum populorum exspectationi, et pietati nostræ maxime erant debiti, sed veteres potius Christianitatis clades novis quotidie cladibus cumulari, scribimus ad dilectum filium nostrum Hieronymum tituli Sancti-Georgii, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem, apud majestatem tuam nostrum et Sedis Apostolicæ legatum, ut nisi aliqua illi interea certior spes pacis oblata fuerit, jam tandem ad nos, bona tuæ majestatis venia, revertatur, quod ipsum alteri nostro apud prædictum regem legato item mandavimus, ne videlicet S. A. S. legati ab omni spe pacis et compositionis exclusi in quotidiana pæne Christianorum populorum cæde versantes ea diutius cogantur adspicere, quæ Christiano cujusvis sortis homini audire et cogitare nimis est miserum ; quod si aliquando misericors Deus ad opem afflictæ Christianæ Reipublicæ ferendam respiciens, corda vestra suo divino afflatu ad pacem recipiendam molliverit, tunc non solum legatos rursum ad vos mittere, sed nos ipsi illam sanctissimam legationem, si ita opus fuerit, suscipere sumus parati ; quod vero tua majestas ipsum Hieronymum legatum, tam honorifice (nostra causa) excipere, liberaliterque tractare, omniaque amantissimi atque observantissimi Ecclesiæ filii in eum præstare officia dignata est, agnoscimus in eo humanitatem tuam, tuæque majestatis hujusmodi erga nos ipsos non minus grata nobis fuit pietas et benevolentia, quam fuerit molestum eamdem facilitatem benignitatemque tuam optato in publica causa eventu caruisse, quanquam nos illa voluntati bonitatique tuæ, hæc autem non tuæ voluntati, sed temporum difficultati adscribimus, quare et de eo quod nobis majestas tua tribuit valde eam amamus, gratiasque ei etiam agimus, ut quod nobis desiderandum reliquit, id nos ab illius sapientia, bonitate, clementia, et semper optare, et aliquando exspectare non desinamus. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die VIII Septemb. MDLIII, anno IV ».

31. Revocavit quoque Julius e Gallia Hiero-

[1] Julii III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 312.

nymum cardinalem Sancti-Georgii, qui legationis munus gesserat apud Henricum II regem, cui rescripsit magno se dolore affectum ex delusa pacis spe; seque ita revocare e Gallis legatum, ut si novæ concordiæ lux in tantarum perturbationum tenebris affulgeret, mox eum in Gallias dimissurus esset, atque etiam, si rerum pondus id deposceret, se etiam profectionem suscepturum adjecit.

Conceptæ iisdem verbis litteræ [1] ad Cæsarem repetitæ sunt, cui etiam interjectis paucis diebus significavit, non abrumpi pacis actionem revocatis prioribus legatis, quinimo promovendæ illius curam provinciamque Reginaldo Polo cardinali demandatam.

32. Initurus putabatur colloquia Reginaldus Polus cum Cæsare et Galliæ rege pro constituenda re Anglicana, eaque de causa illi dedit imperia Pontifex, ut licet ii principes hactenus a concordia alieni visi essent, tamen occasiones omnes temporumque inclinationes observare jussit, ut pro exaggerata sua prudentia concordiam inter eos conciliaret [2], sedatis enim funestissimis iis bellis ad erigendas labantes Christiani imperii res, evellendasque hæreses omnia studia conversum iri.

33. « Reginaldo cardinali Polo legato, etc.

« Cum proximis superioribus diebus legatos, quos ad charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, et Henricum Francorum regem Christianissimum de pace miseramus, propter hanc durissimam conditionem temporum, nos tamdiu exclusi ab optato pacis aut ullius compositionis eventu revocare fuerimus coacti, ne tamen ob ipsorum legatorum discessum tota illa actio de pace (in qua nimirum communis salutis secundum Deum spes est reposita) ad nihilum recidisse, ac penitus sublata esse videatur, idcirco visum est nobis, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio atque unanimi assensu, circumspectioni tuæ, quæ in prædictorum principum colloquium prope necessario ventura est, etiam hanc de pace legationem, actionem procurationemque committere; nam etsi, ut nunc quidem est, hominum animos ab hac salutari cogitatione longissime abesse et recte fideliterque consulentium monita adhuc respuere, videntur multa tamen in occasionibus et inclinationibus temporum esse posita, quæ tu pro tua prudentia singularique animi atque ingenii solertia observare, et ad ea sermonis orationisque tuæ vim, et hujus sanctæ Sedis auctoritatem et monita accommodare poteris; porro nos nihil circumspectioni tuæ præscribimus, sed plenam et liberam omnia ad eum finem nostro nomine agendi, tractandi, pollicendi, quæ ex nostra et hujus sanctæ Sedis dignitate, et Christianæ reipublicæ utilitate esse judicaveris, auctoritatem concedimus et facultatem. Noti tibi sunt omnes animi nostri sensus, nota consilia, et quam ad hoc communis pacis et tranquillitatis bonum nostra sit ardens et plena charitatis voluntas, ut sedatis aliquando his armorum tumultibus, quæ omnibus piis ac salutaribus actionibus officiunt, ad cæteras quoque ægrotæ Christianitatis partes eam, quam jam diu cogitamus, medicinam cum Dei Optimi Maximi auxilio adhibere possimus. Quare quidquid in ea re laboris, studii, operæ consiliique posueris, id cum tua spectata virtute dignissimum erit, tum nobis profecto gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XX Septembris MDLIII, anno IV ».

34. Ad flectendas denique regum voluntates, divinamque opem implorandam Julius fundendas solemni ritu preces populo Christiano indixit, gratuitamque temporalium pœnarum noxis debitarum condonationem iis, qui rite Sacramentis se munirent, imperataque pia opera præstarent, indulsit, de quo ad cardinalem Pacecum hæ scriptæ litteræ [1] :

« Dilecto filio nostro Petro tit. Sanctæ-Balbinæ presbytero cardinali Giennensi, alias cardinali Paceco.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Cum nos nuper ex certis tunc expressis rationabilibus causis omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles per universum orbem terrarum existentes per nostras sub plumbo confectas litteras monuerimus et hortati fuerimus in Domino, ut postquam dictæ litteræ ad eorum notitiam pervenissent, ad Dominum nostrum Jesum Christum humili corde conversi, conscientiam suam studerent diligenti examine discutere, et ad purissimam peccatorum suorum confessionem devenire, ac quarta et sexta Feriis necnon die Sabbathi ejusdem, vel alterius immediate sequentis hebdomadæ jejunarent, vel orationibus et eleemosynarum erogationibus, seu aliis piis operibus juxta eorum conscientiam, sive sacerdotum quibus peccata sua confiterentur salutare consilium, vacarent, ac die Dominico dictam Sabbathi immediate sequenti sacratissimum corpus Domini nostri Jesu Christi in ea quam mallent Ecclesia Deo dicata reverenter et devote susciperent, Deum ex intimis cordis præcordiis enixe precantes, ut reductioni Angliæ optatum successum tribuere, et Christianorum calamitates, et belli pericula miseratus Christianos principes ad veram pacem et firmam concordiam reducere dignaretur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XVIII Decembris MDLI, anno IV ».

35. *Turca, auxiliante Gallo, multa mala*

[1] Ib. p. 312. — [2] Ib. p. 330.

[1] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 399.

infert Christianis. — Dum furorem Cæsar adversus Gallos effunderet, ut urbium incendiis pasceret oculos, Galli in eum Turcam concitarunt, quorum classis, Bipho Mustafa duce, multa damna maritimis Siciliæ et Calabriæ locis intulit, quod confirmant Pontificis litteræ proximo ineunte anno exaratæ [1], his verbis, quibus narrat ad compescendas Turcicas grassationes septem decumas clero imperatas.

« Superiore anno cum classis immanissimi Turcarum tyranni multa Christiani nominis oppida et loca invasisset, cepisset, vastasset et incendisset, ac ex illis complura miserabilium animarum millia in crudelissimam servitutem abduxisset, et nuntiaretur eumdem tyrannum novos exercitus, eosque sane ingentes et formidolosos parare, nosque periculis inde imminentibus, ob ærarium nostrum exhaustum nulla ratione occurrere possemus, septem integras decimas ». Et infra : « imposuimus, etc. IV Januarii anno Incarnationis Domini MDLIII, anno II (1) ».

Conjunxit se Turcicæ classi Gallica classis in Portu-Herculis instructa [2], partemque maximam Corsicæ, Corsis et Genuensibus multis occisis, regi subegit præcipuo astu Thermei ducis, qui cum litteras Genuensium ad portus Syracusani præfectum intercepisset, supposuit adulterinas, translato eodem sigillo, et maxima auri vi, litterarum latore corrupto, quibus falso Genuam seditionibus vexatam, ut nullum ferre subsidium posset, significabat; Hetruriæ etiam littora infestavit classis Turcica, omniaque Italiæ necnon Dalmatiæ maritima oppidula magnis calamitatibus afflixit, cumulata ingenti præda, et Christianis multis in captivitatem Turcicam abductis, atdum superum mare Mustapha latrociniis infestum redderet, Christophorus Canalis Venetus adeo fortiter eum invasit, ut tres rostratas triremes procella tormentorum primo impetu laceratas demerserit, duas ceperit, fugientemque Mustapham demum assecutus, capitali supplicio ut latronem affecerit, Turcarumque latrocinia multo exinde tempore compressa fuerint. Licet vero Gallorum rex magno sui nominis dedecore Turcas in Christianorum exitium vocasset, tamen hæreticos regni sui acerrime persecutus est, nam apud Metenses inquisitos per civium domos hæreticos libros manu carnificis exuri publice jussit, Lutetiæ multos, qui se Evangelicos jactabant, ut veros Sathanistas, qui Sathanæ ministrorum Scripturas corrumpentium interpretationes falsas sectabantur, flammis tradidit. Lugduni etiam novem Sathanistæ a Sathanæ ministro Calvino illusi temporario incendio ad æternum demigrarunt; mirum autem omnibus visum est, ut Henricus rex, qui tanto odio prosequebatur hæreticos, quos in regno suo suppliciis delebat, patrocinium Germanorum principum, qui in arma adversus Cæsarem consurrexerant, ne Augustana Confessio, id est, Lutherana hæresis extingueretur in Tridentino Concilio, susceperit, nam si illum divini amoris studium urebat, pari studio in Germania hæresim extinguendam optasset, at non illum divini honoris tuendi ardor inflammarat, sed proprii honoris et commodi ratio ducebat; norat enim, quam dira pestis esset hæresis, quæ nutrita, Galliæ regnum eversura esset, cum vero Germaniam Cæsaris odio eversam vellet, tantam pestem in Germania fovendam senserat, ut Austriaca familia eo læthali cancro arrosa, viribus debilitaretur : accessere quidem apud Henricum regem deprecatores Helvetii Zuingliani, ut mitius ageret cum hæreticis, sed illum ad sua vota inflectere non potuerunt.

36. *Michael Servetus jussu Calvini Genevæ exustus.* — Eodem anno Genevæ Calvinus Michaelem Servetum, patria Hispanum, professione medicum, qui inter Judæos et Mauros blasphemiis sanctissimam Trinitatem appetere didicerat, variasque provincias, ut eodem veneno inficeret, peragrarat, extremo supplicio ut hæresiarcham affecit : « Mirum hoc erat », inquit Surius [1], « non solum quod Calvinus nihilo esset illo melior, sed etiam, quod isti Evangelici nolunt morte affici hæreticos. Porro vero Calvinus suum hoc factum usque adeo illustre esse voluit, ut scripto evulgato, totam historiam comprehenderit, et in hæreticos gladio vindicandum docuerit. Tanta est novæ hujus Evangelicæ doctrinæ constantia. Constans scilicet in eo est, ut sit inconstantissima. Sleidanus hanc Serveti necem non improbat, non probaturus, ut apparet, si Pontifex aut Catholici eam hæretico illi intulissent. In summa quidquid facit Lutherus, Calvinus, Zuinglius, et id genus pestes, id non potest non esse Evangelicum ; si quid ejusdem generis faciat Pontifex Romanus, sæva tyrannis est et facinus antichristianum. O cœcas hominum mentes! certe Calvinus non minus commeruerat mortem atque Servetus

[1] Jul. III. l. VII. brev. p. 49. — [2] Sur. in Comm. hoc anno. Natalis Comes l. VI. Adrian. l. X. an. 1553.

[1] Sur. in Comm. hoc ann. Jacobus Laingæus in Vit. Calvini c. 3.

(1) Litteras hic ab annalista recitatas ad proximum annum pertinere, ipso licet affirmante, plane nego. Neque enim Julius aliam anni supputandi rationem quam vulgarem a Januario ductam tenuit. Nunquam ergo litteras Januario anni sequentis exaratas consignasset anno MDLIII. Nec insuper annus MDLIV Januario mense annum II, ut litteris illis adnotatur, sed IV signabat. Has igitur litteras exaratas censeo anno MDLII, Januario mense, quo alter Pontificatus Julii annus agebatur. Excursiones vero Turcarum, de quibus in iis litteris, illæ sunt quas anno MDLI Dragutes littorales urbes Siculas obivit, de quibus annalista ad A. MDLI, 67. Annorum ergo nota ita emendanda est « IV Januarii anno incarnationis Domini MDLII, anno II ». MANSI.

ille, nec refert secus de illo sentire miseros, quos ille miser evertit. Lutherani sane si habuissent illum, tractassent illum haud aliter, ni fallor, atque hæreticum ».

Non odio nefandissimæ hæreseos Calvinus in eum sævit, divinique honoris asserendi causa, ut describit Laingæus in Vita Calvini, cum etiam ipse Calvinus de Christi divinitate male sentiret, sed ad exsaturanda in Servetum odia, octavo enim ante anno Servetus cum Viennæ in Gallia Lugdunensi ageret, una cum libro suo triginta sex Epistolas ad Calvinum miserat, quibus ostendebat Calvino errores ex libris Institutionum ejus excerptos, quibus lectis Calvinus in furias adversus Servetum efferatus est, utque Servetum perderet, ausus est scribere ad Franciscum cardinalem Turnonium, Servetumque accusare hæreseos. Quibus auditis, non abstinuit a risu cardinalis, cum audiret hæreticum accusare hæreticum, perinde ac si latro accusaret latronem, captus autem postea est Servetus Lugduni, ac detrusus in carcerem, ex quo cum evasisset, Calvinum implacabilem inimicum rogavit, ut illum Genevam accerseret, putabat enim amicum, ut impietatis socium; at Calvinus hæc Petro Vireto scripsit, cupere Servetum habere obstrictam suam fidem, ut Genevam veniret, sed constituisse, si veniat, nunquam passurum, ut salvus exeat. Hæc erat benignitas Calvinistici Evangelii. Cum horum ignarus Servetus Italiam petiturus per Genevam iter suscepisset, Calvini imperio captus, ejusdemque astu et auctoritate a senatu damnatus, et lento igne exustus est: « Quamvis hic dignus erat », inquit Laingæus [1], « qui hæc mala pateretur, ille tamen sycophanta Calvinus indignus erat, qui hæc faceret, cum eodem morbo laboraret, eademque hæresi infectus esset. Tum demum id omnium pessimum est, et contra hunc præstigiatorem maxime facit, quod is non ita pridem librum scripserat, et in lucem emiserat, quo conatus est probare hæreticum non debere plecti capite, neque de sacrilego sumendas esse cum sanguine pœnas ». Pari ultionis appetitu Calvinus alium hæreticum Petrum Ameum chartularium, a quo se gravatum injuria querebatur Evangelica illa sua mansuetudine, quam Beza adeo extollit, ad crudelissimam mortem compulit, visusque est apud imperium Genevensem populum fidei defensor, fidei hostis immanissimus. Quo vero spiritu ducerentur sectarum auctores facile patuit in nonnullis a Cacodæmone fascinatis. Visus est Basileæ, visus est alter Parisiis, qui genio beati Petri se afflatos contenderent, alius quoque Basileæ se Mosis angelo insessum prædicavit, pluresque commovit, cum regem Galliæ ante mensem Junium Protestantium dogma professurum prædixit, sed cum exitus non consentirent dictis, fuga se subduxit; nec defuere impostores alii, qui vana effutirent, qui nunquam talia finxissent, nisi advertissent in commodanda facili fide insignem stoliditatem.

37. *In Germania bellum civile inter præcipuos Protestantium defensores.* — In Germania [1] gravissimum bellum exortum est inter præcipuos Lutheranæ hæreseos contra Tridentinum Concilium defensores Albertum Brandeburgicum, et Mauritium Saxoniæ ducem; Saxoniæ duci Ferdinandus rex, Henricus dux Brunsvicensis, episcopi Wirceburgensis et Bambergensis adhæsere; Albertus vero maximam Lutheranorum colluviem ad se traxit, atque in eos episcopos omnem furorem effudit, Bambergam et Suinfurtum expugnavit, nonnullaque Norimbergensium oppida, ex quo bello maxima damna pluribus episcopis et clero Catholico illata sunt, de quibus cum Melchior episcopus Herbipolensis apud Julium questus esset, illum Julius his litteris [2] ad constantiam in adversis hortatus est, pollicitusque acturum cum Cæsare, ut conatus impiorum sævitiamque contunderet.

« Melchiori episcopo Herbipolensi.

« Venerabilis frater, etc. Quæ ex istis partibus nuntiaverunt vellemus esse hilariora, neve tantum improborum atque impiorum temeritati et licentiæ tribueretur, ut ab illorum arrogantia atque ferocia piis ac quietis cupidis hominibus tantopere extimescendum non esset, quanquam, et in Dei auxilio primum scilicet et maxime, et in vestro etiam consilio atque virtute plurimum confidimus, impios illorum conatus irritos casuros, sensurosque eos aliquando non minorem in ista nobilissima natione ad publicam salutem defendendam proborum consensum esse, quam sceleratorum hominum ad eamdem oppugnandam audaciam, in quo nos quoque auctoritatem apud Cæsarem nostram, et pro istius causæ æquitate, simulque pro vestra salute et commodis libenter interponemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, die XXI Martii MDLIII, anno IV ».

Implicitus erat infelici Gallico bello Cæsar, Gallorumque percitus odio, civili bello, quo ardebat Germania, comprimendo non incubuit, non ægre ferens Albertum Mauritiumque hostes suos propriis armis confici, nec illum populorum gemitus commoverunt, ut ad pacem cum Gallo mentem flecteret : porro Albertus cum multas clades Franconiæ intulisset, vertit impetus in Saxoniam, Erphordiensem agrum rapinis fœdat, Halberstadiensem clerum ad pendendam magnam auri vim cogit, Henrici Brunsvicensis agrum incendiis vastat, atque ultra tigridum naturam efferatus, pueros et mulieres gravidas

[1] Jacobus Laingæus in Vit. Jo. Calvini c. 4.

[1] Sur. in Comm. hoc anno. — [2] Jul. III. lib. brev. VII. sign. num. 2886. p. 83.

atque ægros una cum oppidanis inclusos Altorffo et Lauffo oppidis in Norimbergensi agro incenderit. Nona Julii die inter Mauritium Albertumque in Saxonia cruentissimo prælio certatum est, in quo multa millia perierunt. Mauritius, in cujus castris Wirceburgensis et Bambergensis episcopi erant, una cum landtgravio et Henrico Brunsvicensi victor evasit, sed accepto læthali vulnere paulo post extinctus immanissimis doloribus ex spasmo contractis. Albertus castris exutus, cæsoque exercitu, fuga salutem obtinuit, multa vero oppida amisit, atque a senatu Cæsareo, ut publicæ quietis perturbator, proscriptus est.

38. *Nuntius Apostolicus ad Grisones in fide confirmandos missus.* — Irrepserat apud Rhœtos eadem pestis hæreticæ contagio, ac seditiones in Ecclesiasticos concitarant turbulenti impietatis buccinatores, dum simplicem gentem inanium sophismatum laqueis irretiebant, ad quorum dissolvendas artes discutiendamque caliginem a tenebrionibus offusam, Julius Paulum Odescalcum internuntium misit, qui nutantes in fide confirmaret, pervicacesque judiciorum ordine comprimeret, de quo episcopus Curiensis a Julio [1] certior factus est, jussusque cum eo omnem operam pro retinenda veteri incorrupta religione conjungere.

« Episcopo Curiensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Cum gravi dolore animum nostrum stimulat hoc temporum nostrorum inter Christianos populos, et in ista præcipue ampla Grisonum gente de religione dissidium : volentes huic malo ea, quæ temporum ipsorum qualitates patiuntur, remedia adhibere, mittimus in isthæc loca dilectum filium Paulum Odescalcum protonotarium, et Signaturæ nostræ referendarium, ad ipsam Grisonum nationem nuntium nostrum, qui recte de Catholica fide sentientes, nostro nomine confirmet atque collaudet, quos autem corruptos labantesque repererit, eos, vel cohortationibus, et rectæ doctrinæ commonstratione ad meliorem sensum revocet, vel si contumaces esse perstiterint, contra eos secundum Ecclesiasticas sanctiones diligenter inquirat, quod nostrum consilium, cum tua fraternitate per has nostras litteras communicare voluimus, eam hortantes, ut omne suum studium, opem, auctoritatem ad hoc tam pium salutareque negotium adjuvandum conferat, sicut tu quidem, et Deo ipsi, et muneri tuo ex episcopali, quæ in istis ipsis regionibus fidei tuæ commissa est cura, in primis es adstrictus, etc. Datum Romæ apud S. Marcum die XXII Julii MDLIII, anno VI ».

39. *Ottho Augustensis cardinalis doctrina, zelo et pietate conspicuus.* — Præluxit vero exemplo cæteris Germaniæ episcopis Ottho Augustensis cardinalis, qui accita sacerdotum societatis Jesu turma, eximie adversus Lutheranismi præcones doctrina ac pietate decertavit, multosque ab æterno exitio et Sathanæ tyrannide in libertatem filiorum Dei vindicavit, de cujus virtutibus ad Guillelmum Waltpurgensem toparcham, religionis laude et observantia in Sedem Apostolicam conspicuum, hæc Julius scripsit [1], atque ad constantiam defendendæ religionis incitavit.

« Dilecto filio nobili viro Guillelmo Truchses baroni Waltpurg, sacri Romani hæreditario dapifero.

« Redeunte ad te atque ad Ecclesiam suam dilecto filio nostro Otthone sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinale Augustensi tuo nato, cujus nobis præsentia, virtus, probitas, quamdiu in Urbe mansit, valde fuit grata, noluimus eum sine his nostris ad te litteris dimittere, per quas nobilitati tuæ significaremus, nos tuæ virtutis, rectissimæ fidei, et singularis in Christiana religione constantiæ, plurimorumque et magnorum in hanc S. Sedem, ejusque legatos et ministros officiorum memoriam diligenter atque amanter conservare ; non enim aut tua merita parum illustria sunt, quæ ignorari possint, aut nos ejusmodi, qui et ad habendam et ad commemorandam gratiam parum grati et liberales simus, omnino a fidelibus Dei, Sanctæque et immaculatæ ejus religionis cultoribus prima et præcipua suæ pietatis præmia ab eodem Deo justissimorum bonorum operum remuneratore in illa altera vita, ad quam omnes labores nostri, omniaque piorum desideria aspirant, expectanda sunt, sed tamen in hac etiam vita bonorum et gravium virorum justæ laudes, actionumque suarum approbatio ad ipsius Dei laudem præcipue relata, vere Christiano homini non potest esse non jucunda, cum videat cæteros, qui se impietate, scelere sacrilegioque commaculaverunt, passim proborum vocibus carpi, in infamia esse, atque omnium odiis maledictisque lacerari, sui autem memoriam atque nomen in summa bonorum omnium benevolentia et charitate, et in summa laude ac celebritate versari, quod nos tuæ nobilitati egregie contigisse et gaudemus et gratulamur, idque in tot ac tantis divinæ in te benignitatis muneribus, non minimum Dei erga te beneficium esse agnoscimus, cui quidem Deo, sicut te debitas grates agere et referre, ac quotidie magis pro tua pietate relaturam non dubitamus, ita ejus in divinæ gratiæ retributionem in dies abundantiorem futurum confidimus, nos certe, qui semper, et tuas et ipsius Otthonis cardinalis virtutes et merita non memoria solum retinebimus, sed paterna etiam benevolentia favoreque prosequemur, quæcumque a nobis erga vos, aut

[1] Jul. III. lib. brev. sig. num. 2888. p. 662.

[1] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 90.

ab hac Apostolica Sede, vel commoda, vel ornamenta, proficisci unquam poterunt, et ita prompte, ac libenter in vos conferemus, ut vestræ pietatis ac probitatis majorem in dies ex nostra etiam benignitate voluptatem sitis percepturi. Dat. Romæ apud S. Petrum, die XVIII Februarii MDLIII, anno III ».

Defecit a patrui pietate nepos, qui cum postea ad Coloniensem archiepiscopatum domesticarum virtutum commendatione evectus fuisset, in impietatem lapsus, claritatem inter impios adeptus est, ingentemque multitudinem in Sathanæ castra æternaque incendia traxit, de quibus inferius.

40. *Monet Julius Polonos ne facile credant Moschovitis, et ostendit novatores non minus civili statui infestos esse quam Ecclesiastico.* — Hoc tempore Moschorum princeps internuntiorum opera cum Julio Pontifice de schismate abjiciendo colloquia egit, pluraque ad augendam rem suam, dignitatem amplificandam postulavit, quæ cum in rei Polonicæ damnum vertenda opinarentur Poloniæ præsules, nec Moschum vera pietate incitari, sed suorum commodorum lenocinio allici, Julium monuere, ne illius dolis deludi se sineret, exploraretque num vere ac sincere pietatem amplecti vellet, nec facile postulata admitteret, quibus hæc a Julio[1] responsa data sunt :

« Venerabilibus fratribus Nicolao archiepiscopo Gnesnensi, et Andræ Cracoviensi, ac Joanni Wladislaviensi, et Andræe Posnaniensi, necnon Samueli Chelmensi episcopis.

« Venerabiles fratres, etc. Lectis litteris vestris ad nos XV Februarii datis, quibus nos de Moschorum principis negotio diligenter admonetis, quæ nos propter illa, quæ tractarentur hoc tempore, oportere scire arbitraremini, valde amavimus fidem ac prudentiam vestram, per quam tam studiose vestrum officium, tum patriæ vestræ, tum Christianæ reipublicæ, tum nobis etiam ipsis præstaretis, est illud omnino ita ut scribitis, nihil scilicet optabilius piis mentibus esse posse, quam si cunctæ nationes, quæ a vera Dei cognitione rectæque ejus fidei cultu alienæ sunt, sincere et ex animo ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ, et veræ fidei religionisque observantiam se adjungant, sed in his confusis perturbatisque temporibus maxime considerandum esse, qua fide quisque id agat, num ad id simulandi causa ad tempus, an vero et certo religionis studio adducatur, quod nos etsi idem antea nostra sponte sentiebamus, tamen posthac vestro etiam admonitu in hac ipsa causa diligentius cavebimus, quare vestra præstantissimique regis vestri auctoritate permoti, quibus Christianæ et Catholicæ religionis dignitatem, atque hujus Sanctæ Sedis auctoritatem adeo credimus esse cordi ipsius, Moscovitæ principis postulata rejecimus, nec quidquam ullo tempore de eo per nos statuetur, quin et cum isto præstantissimo rege, et vobiscum etiam prius communicemus ; nos enim ita præclarum de vestra virtute et prudentia, atque erga Deum sanctissimamque ejus religionem fide, et in hanc Apostolicam Sedem observantia judicium facimus, ut semper et vestro consilio tribuere et voluntati satisfacere, quantum cum Deo poterimus, simus parati. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XV Aprilis MDLIII, anno IV ».

41. Hortatus quoque est Pontifex[1] Poloniæ proceres ad tuendam religionem Catholicam, ostenditque novatores non tam ad ordinem Ecclesiasticum labefactandum anniti, quam ad omnem politicum statum inducta hæreseos profana libertate convellendum.

« Dilectis filiis nobilibus viris senatoribus regni Poloniæ.

« Nobilitates vestras de ea, quam in hac temporum agitatione Catholicæ fidei atque optimarum in Christiana religione partium adversus impios seditiososque homines suscipitis propugnatione in Domino plurimum commendamus, debitaque laude, quæ veræ virtutis comes est, prosequemur ; cum multa sint et amplissima erga istud nobilissimum regnum Dei munera atque dona, nullum omnino est, quod tam nobis illius stabilitatem diuturnitatemque polliceatur, quam ista tum istius optimi regis, tum optimatum principumque virorum qui sub illo præstantissimo capite reipublicæ gubernacula moderantur, in vero Dei cultu et Catholica religione conservanda unanimis atque concors consensio, hoc consilium cum erga Deum pium et ad ejus benignitatem vobis conciliandam maxime est idoneum, tum in ratione veræ sapientiæ in primis prudens est et salutare, cum istæ novarum sectarum opiniones, quasi improborum, seditiosorum machinæ (id quod tôt jam provinciarum exemplis perspicuum est) non tam ad Ecclesiasticarum rerum ordinem confundendum, quam ad lebefactandum omnes ordines, præfecturas et imperia, ut temeritati atque licentiæ omnia permittantur, sint intentatæ, quod vestras nobilitates pro sua prudentia, et dispicere, et providere, ita nobis gratum est, ut plus propterea in dies, et nostræ erga vos dilectioni indulgeamus, et vestræ tribuamus virtuti, id quod ex prædicto Marco Antonio (Maphæo) plenius poteritis cognoscere, cui nobilitates vestræ fidem habebunt. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, die XXVII Maii MDLIII, anno IV ».

42. *Assyrii ad unitatem redeunt, misso Romam patriarcha.* — Hoc anno Assyria ad obsequium et conjunctionem Romanæ Ecclesiæ rediit, quo argumento extant subjectæ Christia-

[1] Jul. III. lib. brev. VII. sig. num. 2886. p. 174.

[1] Julius III. l. VII. brev. sig. num. 2886. p. 217.

norum Assyriorum litteræ ad Julium III[1], quibus efflagitant, ut designatum a se patriarcham confirmet, Pontificemque Romanum Christi vicarium et beati Petri successorem communem omnium Ecclesiarum parentem ac principem profitentur.

« Patri patrum, et primo pastori nectenti coronas, et ungenti sacerdotes, atque accingenti zonas, Petro temporis nostri, ac Paulo dierum nostrorum, et cingulo comprehendenti universam Christianitatem. Tu es in loco Christi dominus noster, tu sedes in sede alta et sublimi capitis Apostolorum, tenens claves regni Cœlorum, cui ore salutari Dominus noster dixit : *Quidquid ligaveris in terra, erit ligatum et in Cœlis*, et super eum fundavit Ecclesiam suam, ut portæ inferi non prævaleant adversus eam in generationem et generationem. Et nunc tibi eam Sedem dedit Christus Dominus noster et salvator noster, sedesque super eam, tu item es fons, cujus aquæ non deficiunt, et quisquis sitiverit, ex te æquum est ut bibat aquas vivas ac sedet sitim suam, tu es lucerna, quæ non extinguitur, sed illustrat omnes creaturas, sicut candela in candelabrum, et sicut Joannes Baptista, qui posuit dexteram suam super caput Domini nostri, in te videt lumen tota Christiana respublica, quæ est proles Ecclesiæ sanctæ, tu es murus fortis civitatis et matris civitatum Romæ magnæ, quam piscatus est caput Apostolorum Petrus et architectus prudens Paulus, qui præbuerunt lumen omnibus hominibus vinctis, occupatis errore Sathanæ. Tu es caput omnium patrum, sicut erat Petrus omnium discipulorum, cui ut sedem altam et sublimem dedit Deus in terra, sic etiam in novissimo, altum excelsumque, et sicut ipsa Roma est magna et celeberrima. Sed quid extendimus verba coram tua sublimitate? parvum est os nostrum, et brevis lingua nostra, verum ipse Christus, qui te elegit, ad hoc suum munus exaltet et extollat te, faciatque te instrumentum electum, quod conveniat gloriæ suæ. Verumenimvero scito, Domine Pater noster electe, hoc est, quod papa, cujus vita custodita sit a Domino, quod nos servi tui humiles peccatores Nestoriani sumus pupilli, absque patre et absque gubernatore, neque superest apud nos fermentum patrum, aut ullus metropolita, sed dumtaxat duo aut tres episcopi ; habebamus quemdam patriarcham, unde ab annis centum, qui nullum constituebat metropolitam, nisi de familia et genere ac populo suo, atque ea familia hanc consuetudinem usurpavit a centum annis usque adhuc. Nunc vero unus solus superest episcopus ex ea familia, qui conatus impudenter ita agere, ut egerunt illi, qui ante ipsum fuere : verum nos non acceptamus neque proclamavimus ipsum, sed subito convenimus ex omnibus locis Orientalibus, et ex omnibus civitatibus, et pagis, qui sunt circa civitatem Muzal, hoc est, Asur, non procul a Ninive, ex Babylonia, ex Carcha, ex Arbela, ex Insula, quæ est in medio Tigris fluminis Paradisi, ex Tauris Persiæ, ex Nisibi, ex Mardino, ex Amed, ex Nasanchepla, et ex reliquis locis Orientalibus ad Mozal proceres sacerdotum ac monachorum, reliquorumque fidelium, pro consuetudine, ordine et canonibus olim observatis, atque interrogavimus, scrutatique sumus inter omnes. Verum non invenimus quemquam præter prudentem et doctum magistrum, ac purum et omnis mulieris expertem, eloquentemque ac bene expertum, et aptum nominis fratrem Saud, quem per vim e loco habitationis suæ deduximus in medium cœtus fidelium, visumque est feliciter omnibus hunc esse idoneum ad hanc viam ; postquam autem feliciter visum est, ita subito scripsimus litteras ad sublimitatem tuam quamquam indigni, misimusque ipsum ad pedes tuos sanctos, et una cum ipso viros tres primates inter fideles, Adamam, Thomam, et Caleph, comitatique sunt ipsum usque ad Hierusalem circiter septuaginta viri optimates selecti nostræ fidei, atque viatico comitatuque ipsum instruximus secundum veterem consuetudinem. Proinde supplices petimus a paternitate tua sublimi, ut simul atque pervenerint ad te, conficias negotia eorum, et non restet confusio et ignominia in populo, et inter eos, qui sunt religionis nostræ, ita ut non audeamus prodire in conspectum hominum. Obsecramus itaque te, et eum, qui tibi concessit hoc donum altissimum, et mox ubi ad te pervenerint, ordines eum nobis patriarcham Catholicum, ut non maneamus pupilli absque patre, et gubernatore, ac pastore, et confundatur ordo noster fermenti sacerdotalis, et relinquamur velut oves sine pastore. Nec abeat labor, quem sustinuimus ex Oriente in Occidentem in perditionem. Nam Dominus noster dixit in Evangelio discipulis suis : *Gratis accepistis, gratis date omnibus*, quibus opus est de fonte vitæ, et scribas ipsi litteras, et des ipsi viaticum benedictionis, et benedic locis Orientalibus, ut exultet cor nostrum, et ita discedent cum gaudio abs te, sicut gaudebant Magi Persæ in Bethelem in Nativitate Domini nostri, et sicut descenderunt pastores in speluncam, et sicut imbuerunt Angeli gaudio ipsas mulieres.

« Præterea hoc etiam scito, Pater noster sublimis, quod sacerdotium nostrum ex Roma sit, quæ est Sedes Petri capitis Apostolorum ex temporibus pristinis, verum ex quo confusus est ordo Christianorum a filiis Agar Ægyptiæ, interrupta est via nostra ad vos inde a spatio trecentorum annorum usque in hunc diem. Nunc porro quandoquidem miserimus hos ad pedes tuos sanctos, obtestamur ne remoreris ipsos, ne

[1] Ext. in Act. Consist. Ms. card. Spadæ sign. num. 134. p. 103.

nos maneamus in confusione, et relinquatur cor nostrum apud ipsos, et doleat anima, sed cito remitte eos, quia sitimus ad videndum eos, sicut terra, quæ sitit aquas, atque conficias cito, cito. Sed non convenit, ut prolongemus verba eorum cum sublimitate tua, non enim digni sumus. Tu ipse nosti, quod quando filii egent, patres ipsorum explent eorum indigentiam. Et Christus Dominus noster et Deus noster custodiat reges vestros, et benedicat locis vestris ad preces dominæ nostræ Mariæ, quæ peperit lucem et vitam, et domini Joannis Baptistæ : ita fiat. Amen ».

43. Extat in Actis Consistorialibus [1] narratio status Assyriæ Ecclesiæ, quæ in senatu cardinalium exposita fuit, quæ ob rerum, quas continet, dignitatem, Annalibus inserenda visa est, in qua animadvertendum est Nestorianorum Jacobitarumve nomina non sectis hæreseon, sed populis certis, qui fidem Christianam inter Mahometanos Assyriæ retinuere, indita fuisse.

« Sulalla, hoc est, *Accedens* Arabice, vulgo Saud dictus, annos jam natus circiter quadraginta in civitate Mozal, quæ et Assur vocatur, octodecim Christianorum Ecclesiis insignis, quorum quindecim sunt Nestorianorum, tres vero Jacobitarum sita in ripa citeriore Tigris fluminis, a qua ex altera parte ripæ abest Ninive illa, Jonæ prædicatione nobilis, bis mille passibus, quæ nunc dumtaxat circiter mille ædibus habitatur, parentibus inter suos cives optimatibus, admodum puer suo ipsius genio instigatus, monasticam vitam amplexus est, quam hactenus cum summa religione coluit in cœnobio nuncupato Rabban-Hormisd, quod situm est ultra Tigrim circiter octo millibus passuum a Ninive in Monte, ut omnia in illis regionibus monasteria, propter secessum scilicet; in eo monasterio Sulalla jam annos fere duodecim abbatem egit, habetque fratres supra quinquaginta. Abest autem ab hoc monasterio duobus dumtaxat milliaribus Altus Patria Nahum Prophetæ, ubi illi in hanc diem celeberrimum extat sepulchrum, ad quod Judæi longe lateque confluunt, et Christiani, qui soli eam civitatem circiter mille domibus incolunt, summa cum religione venerantur. Longe maxima pars Christianorum, qui per Assyriam, Persiam ac reliquas Orientales provincias habitant, appellantur Nestoriani, nam Maronitæ extra Libanum montem pauci sunt, Jacobitæ vero sparsi quidem habitant, sed non frequentes, ac Cophtæi, sive ut ipsi scribunt, Ægophei magis versus Ægyptum, a qua videntur mihi hoc nomen sumpsisse, vergunt, et provincias Præstogiam. Verum hi Nestoriani nomen potius Nestorii hæretici, quam errores, retinuisse videntur : nam nihil plane quod illam sectam referat, in his hominibus, qui hic adsunt comperio. Invidia vero, qua apud Maronitas, Jacobitas, Cophtæos, et reliquos earum regionum Christianos laborant, fortasse tum ex ipso nomine, tum ex eo quod reliquos earum regionum Christianos numero ac multitudine populi, Ecclesiarumque frequentia, et statu rerum aliquanto feliciore superant, nata videri possit, nam in Indiam usque suas Ecclesias frequentes numerant.

« Porro ab annis circiter trecentis, aut eo amplius, ex communi ejus gentis decreto, huc ad sacrosanctam Sedem Apostolicam missus quidam est, ut hac auctoritate in patriarcham crearetur, qui, Maraus nuncupatus, a Summo Pontifice in patriarcham creatus, atque ad suos remissus est; verisimile itaque est, eum multa illic de veteri religione in sinceriora dogmata et nostræ Ecclesiæ consentanea mutasse. Successu vero temporis evenit, ut ante annos abhinc circiter centum, quidam illic patriarcha, sacrosanctum hoc munus sibi suisque posteris hæreditarium facere sit conatus ; ita ut ex eo tempore nemo, nisi ex ea ipsius familia in archiepiscopum aut episcopum sit creatus, et deinde in patriarcham ; cum vero nunc tandem postremus simili ratione suum ex fratre nepotem, quem idcirco puerum octo annorum episcopum fecerat, sibi in patriarcham successorem facere cogitasset; verum antequam puerum in eam auctoritatem evehere potuisset, fatis functus esset. Universus populus tam laici, quam clerici datam sibi divinitus abrogandæ illius (corruptelæ) resurrectionis occasionem ratus, de vindicando veteri eligendi ritu cogitavit.

« Convenerunt igitur superiore anno, mox atque ille patriarcha esset defunctus, in civitatem Mozal episcopatus Arbele; ea est civitas, ad quam Alexander Darium superavit; item episcopus de Salvast, et episcopus de Adurbeigan, hæ ambæ sunt in Persia octo aut novem dierum itinere a Ninive in ditione Sophi, qui tres episcopi ei genti superfuere, et præter eos ex omnibus civitatibus late vicinis, non quidem populus universus, sed ex singulis viri primates Christiani tres aut quatuor, cum litteris cujuscumque populi nomen ac voluntatem testantibus, utpote ex Babylonia, quam modo Bagadat vocant, ex Carcha, ex insula Tigris, quæ in medio flumine circiter duodecim milliarium passus supra Mozal est, ex Tauris, quæ est Persiæ sedes Sophi, Ecbatana in Libro Judith appellata, et ex Nisibi, quam Migdoniæ Antiochiam veteres nominarant, ut Strabo testatur, sitam sub monte Masio ad amnem Hormiz, qui illic per agros passim derivatus, usque adeo fœcundat, ut saccus orizæ, quantum equus ferat, vix duobus tribusve Juliis veneat, et ex Mardino, quæ Mardæ Ptolomæo est, et ex Æmet, quæ Ammea eidem dicitur, et ex Hasan-Cepha, hoc est, Petra-Forti,

[1] Ext. in Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. 134. p. 106.

quæ supra prædictam insulam citeriori ripæ Tigris in rupe munitissima impendet, fortasse eadem, quæ Seleucia Nicanoris Straboni dicitur, ac denique ex omnibus reliquis vicinis locis convenere, inquam, legati populorum Christianorum ad civitatem Mozal ad eligendum patriarcham sibi, quo, cum omnes convenissent, facta re divina per unum ex eis episcopis, et postea proposito sacrorum Evangeliorum libro, ac sancta Cruce, ex ordine primum ipsi episcopi, ac deinde reliqui suæ quisque reipublicæ nomine sententias dixerunt, quæ sententiæ omnes in hunc Sulallam ob perspectam omnibus vitæ ejus probitatem latæ sunt, quæ nisi tertio missis nuntiis, et tum quidem per vim ex eo monasterio ad se pertrahere potuerunt. Celebrata itaque iterum re divina, invocatoque simul Spiritu sancto, ac deinde ipso in medium producto, ubi maximo omnium applausu, denuo sententiæ omnes in hunc comprobatæ essent, visum est eum pro confirmatione (mittere), scriptæque publico decreto litteræ illæ supplices, quas ipse huc ad sanctissimum dominum nostrum papam pertulit, et redacta est tota res in Acta publica, ut gesta erat, missique sunt cum eo viri, cum Ecclesiastici tum laici, ex primatibus Christianorum, usque ad Hierosolymam circiter septuaginta, quod etiam testantur litteræ guardiani montis Syon, et ex eo numero deinde, qui ipsum comitarentur, legati sunt tres quorum unus nomine Caleph, vir laicus, sed apud suos in ea, quam dixi insula Tigris primi nominis, hic adest, alter morbo periit in itinere, tertius vero æger relictus est.

« Obsecrat humillime, ut sanctissimus dominus noster papa in patriarcham illum velit confirmare, idque quam potest fieri citissime, quo possit cum primis navibus versus patriam proficisci, a qua jam plusquam sesquiannum abest, veretur enim ne populus mortem ejus suspicans, de novis rebus circa religionem cogitet.

« Præterea petiit sibi, ac populo, regionibusque Orientalibus sanctam benedictionem a sanctissimo domino nostro dari. Optaret præterea, ut una secum quispiam vir Ecclesiasticarum rerum peritus allegaretur, qui illos ritus hujus Orthodoxæ Ecclesiæ nostræ doceret; promittitque, mox si quis talis mitteretur, eum, aut in episcopum, aut ad aliam dignitatem promovendum, ac datum iri ipsi locum, et ædes, in quibus commodissime habitare posset. Addit etiam illic quatuor Concilia magna, magnis voluminibus haberi, atque ea, et etiam libros veterum doctorum, quibus hic caremus, quales sunt Ephrem... »

XV Februarii Simon Sulalla, delectus a clero et populo Assyriorum patriarcha, provolutus ad pedes Julii III pontificis, Catholicæ fidei professionem nuncupavit ex orthodoxa verborum formula ipsi proposita inferiusque afferenda, quæ gesta singula Maffæus cardinalis in senatu habito XX Februarii retulit, utque constaret illum jam ante a clero populoque Assyrio fuisse rite designatum patriarcham, de quibus extant subjecta publica documenta [1].

45. « Romæ die Lunæ XX Febr. MDLIII, referente reverendissimo Maffæo.

« Cum universus populus Assyriæ Orientalis, videlicet, tam Ecclesiastici quam laici pro eorum veteri more acclamassent in eorum patriarcham religiosum virum Simonem Sulalla, priorem domus Hormisd, Ordinis Sancti Basilii, Musal diœcesis, Ordinem ipsum expresse professum, in quadragesimo vel circa ætatis suæ anno constitutum, et eumdem Simonem ad Sanctitatem suam pro confirmatione hujusmodi obtinenda misissent, sanctitas sua idoneitate et meritis supradicti Sulalle et aliis præmissis diligenter examinatis, ejusdemque confessione visa, intellecta et ab eo approbata, horum intuitu Ecclesiæ patriarchali de Musal in Syria Orientali per obitum bonæ memoriæ Simonis Mamæ illius ultimi possessoris extra Romanam curiam defuncti vacantis, de persona ejusdem Simonis Sulalle providit, prout in cedula, cujus tenor est:

« Reverendissime Domine. Hodie sanctissimus in Christo pater et dominus noster dominus Julius divina providentia PP. III in suo Consistorio secreto, ut moris est, ad relationem meam Ecclesiæ patriarchali de Muzal in Syria Orientali, cui bonæ memoriæ Simon Mama patriarcha de Muzal et insulæ Tigris, ac cæterarum civitatum et terrarum Orientalium eidem patriarchæ subjectarum, necnon monasteriorum ejusdem nationis in Dii Marin ac Calicut, ac tota India existentium eidem patriarchæ subditorum, dum viveret, præsidebat, per obitum ejusdem Simonis, qui extra Romanam curiam diem clausit extremum, pastoris solatio destitutæ, de persona religiosi viri domini Simonis Sulalle de Danielis domo Bella fratris domus Hormisd Ordinis Sancti Basilii, Muzal diœcesis, Ordinem ipsum expresse professi, in quadragesimo vel circa suæ ætatis anno et præsbyteratus ordine constituti, ac de legitimo matrimonio procreati, de cujus integritate, doctrina, puritate, sinceritate, fidei constantia, religionis zelo, vitæ ac morum honestate, et denique in omni virtute summa perspicuitate, universus clerus et populus Catholici illius regionis per eorum litteras suæ sanctitati testimonium perhibuere, ejusdem Simonis Sulalle confessione, quam sanctitas sua de verbo ad verbum præsenti cedulæ et litteris desuper conficiendis inseri et adnotari voluit et mandavit, prius audita et in

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 98.

scriptis redacta ac diligenter examinata, et in eodem Consistorio perlecta, ac ea Catholica, et ipso Simone Sulalle per eam fidei capace, et vero, fideli ac idoneo repertis, horum intuitu de reverendissimorum meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio Apostolica auctoritate providit, ipsumque illi in patriarcham præfecit, et pastoralem curam, etc. committendo, absolvens eumdem dominum Sulalle a censuris ad effectum. In quorum fidem præsentem cedulam fieri, et nostri parvi sigilli impressione muniri jussimus et fecimus, eamque manu propria subscripsimus ».

Tenor vero dictæ Confessionis sequitur, et est talis :

« Ego frater Sulalle de domo Danielis Bella, ex civitate Muzal in Assyria Orientali orinudus, frater domus et conventus S. Basilii, Muzal diœcesis, Ordinem ipsum expresse professus.

« I. Credo ex corde et confiteor ore, quod unus solus est verus Deus Omnipotens, incommutabilis, qui est incomprehensibilis, ineffabilis et æternus, Pater, et Filius, et Spiritus sanctus, unus in essentia, trinus in personis, Pater ingenitus, Filius a solo Patre genitus, Spiritus sanctus a Patre et Filio procedens, non sicut a duobus principiis, sed ab utroque tanquam ab uno principio. Pater non est Filius, aut Spiritus sanctus, Filius non est Pater, aut Spiritus sanctus. Spiritus sanctus non est Pater aut Filius, sed Pater tantum Pater est, Filius tantum Filius est, et Spiritus sanctus tantum Spiritus sanctus est. Nullus alium, aut præcedit æternitate, aut excedit magnitudine, aut superat æternitate (immensitate). Absque initio semper est, aut sine fine. Pater est generans, Filius nascens, Spiritus sanctus procedens, consubstantiales, coæquales, et omnipotentes, et coæterni : hæ tres personæ sunt unus Deus, non tres Dii, una essentia, una substantia, una immensitas, unum principium, unus creator visibilium omnium et invisibilium, corporalium et spiritualium, qui quando voluit universas condidit creaturas sua bonitate, quas valde bonas voluit ; ideo reprobo et anathematizo omnes hæreses, et hæreticos sentientes et docentes contraria.

« II. Firmiter etiam credo et confiteor, quod unigenitus Dei Filius consubstantialis Patri, semper cum Patre et Spiritu sancto existens, in plenitudine temporis quam divinæ misericordiæ consilium disposuit, ut nos a peccato Adæ et cæterarum culparum nostrarum sordibus mundaret, et a morte et inferno liberaret, incarnatus est de Spiritu sancto, in immaculato utero beatæ Virginis Mariæ, veram et integram hominis naturam assumpsit, corpus, scilicet, et animam rationalem in unitate personæ divinæ, tanta unitate, ut unus et idem Christus sit Deus et homo, Dei filius et hominis filius, ita quod una natura non confunditur ab altera, neque una transit in alteram, neque una miscetur alteri, neque altera evanescit, sed in persona omnino una duæ sint naturæ perfectæ, scilicet et divina ac humana, salvis earumdem naturarum proprietatibus, duæ voluntates, duæ operationes, ita ut Christus sit tantum unus, et sicut formam servi Dei forma non adimit, ita formam Dei forma servi non minuit, qui enim verus Deus est, idem verus est homo, Deus per id quod in principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum, homo per id quod Verbum caro factum est, et habitavit in nobis ; Deus per id quod de quinque panibus quinque millia hominum saturavit, quod Samaritanæ aquam salientem in vitam æternam promisit, quod Lazarum quatriduanum a mortuis suscitavit ; homo per id quod esurivit, sitivit, fatigatus est, et in ligno clavis transfixus est ; unus et idem secundum divinitatem æqualis æterno Patri, immortalis, impassibilis ; secundum vero humanitatem minor Patre, mortalis et passibilis.

« III. Insuper firmiter credo et prædico eumdem Dei Filium incarnatum, natum esse ex Maria semper Virgine, et ideo ipsam Virginem fateor, veram Dei Matrem atque Genitricem. Item vere passum, mortuum et sepultum, vere cum anima descendisse ad inferos ad liberandum Patres, et ad ligandum insatiabilem homicidam, et subinde vere ex mortuis surrexisse, et per quadraginta dies Apostolos docuisse, moxque ad cœlos ascendisse, sedereque ad dexteram Patris, et venturum in fine sæculorum ad judicandum vivos et mortuos.

« IV. Credo et profiteor nullum unquam hominem ex semine Adæ conceptum et natum fuisse salvatum, aut fore salvandum, nisi per fidem mediatoris Dei et hominum Domini nostri Jesu Christi in sanguine et morte ipsius, qua nos reconciliavit æterno Patri, et delevit chirographum iniquitatum nostrarum, æterna redemptione inventa.

« V. Item firmiter credo, legalia omnia Veteris Testamenti, seu Mosaicæ Legis, quia Christum figurabant, licet divino cultui illa ætate congruerent, ipso adveniente cessasse, et jam promulgato Evangelio servari non posse sine interitu salutis æternæ. Omnes igitur post illud tempus circumcisionis, Sabbathi, ciborum eadem Lege prohibitorum, reliquorumque legalium observationes alienas a fide denuntio, et salutis æternæ non posse esse participes, nisi aliquando ab his erroribus resipiscant, ab his enim omnibus liberavit nos Christus, et septem novæ legis Sacramenta instituit, quæ veneror, credo et confiteor, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ordinem, et Matrimonium, et Extremam-Unctionem, quæ omnia nobis gratiam Dei conferunt, et virtute passionis Domini nostri Jesu Christi ea

sumentibus applicavit. Ista septem Sacramenta perficiuntur tribus, verbo, videlicet, et rebus, ministro ; rebus ut materia, verbis ut forma, ministro qui facere intendat quod facit Ecclesia. Recipio insuper quidquid de eisdem Sacramentis sancta et Catholica Ecclesia Romana docet et prædicat.

« VI. Credo, quod si vere pœnitentes in Dei charitate decesserunt, antequam dignis pœnitentiæ fructibus, et commissorum et omissorum pœnis Purgatorii post mortem purgari, utque a pœnis hujusmodi releventur prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes et eleemosynas, et alia pietatis officia, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt secundum Ecclesiæ instituta; illorum animas, qui post Baptisma susceptum nullam omnino peccati maculam habent, et ut dictum est, purgatæ sunt, mox in cœlum recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius, illorum vero animas, qui in actuali mortali peccato vel solo originali decedunt, mox in Infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas.

« VII. Firmiter etiam teneo et credo Symbolum fidei a trecentis decem et octo Patribus Concilii Nicæni acceptatum, et usque hæc tempora servatum in Ecclesia in hac forma : Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem cœli et terræ, visibilium omnium et invisibilium, et in unum Dominum Jesum Christum, etc.

« VIII. Confiteor, teneo et prædico unum eumdemque Deum Veteris et Novi Testamenti, hoc est, Legis et Prophetarum, atque Evangelii auctorem esse, quoniam eodem Spiritu sancto inspirante locuti sunt. Itaque suscipio omnes libros canonicos quos suscipit sacrosancta Romana Ecclesia Catholica, quorum tituli sunt, videlicet : quinque Libri Moysis, Liber Genesis, Exodi, Levitici, Numeri, Deuteronomii, Josue, Judicum, Ruth, quatuor Libri Regum, duo Paralipomenon, Esdræ, Nehemiæ, Tobiæ, Judith, Job, Psalmorum David, liber Proverbiorum, Ecclesiastes, et Cantici Canticorum, Sapientiæ, Ecclesiastici, Isaiæ, Hieremiæ, Baruch, Ezechielis, Danielis. Teneo etiam libros duodecim Prophetarum minorum, id est, Osee, Joelis, Amos, Abdiæ, Jonæ, Micheæ, Nahum, Abacuc, Sophoniæ, Haggæi, Zachariæ, Malachiæ et duos libros Machabæorum. Etiam teneo quatuor Libros Evangelistarum Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis. Accepto quatuordecim Epistolas Pauli, ad Romanos videlicet unam, ad Corinthios duas, ad Galatas unam, ad Ephesios unam, ad Philippenses unam, ad Colossenses unam, ad Thessalonicenses duas, ad Timotheum duas, ad Titum unam, ad Philemonem unam, ad Hebræos unam. Item suscipio Epistolam Jacobi unam, Petri duas, Joannis Apostoli tres, Judæ unam, Librum Actuum Apostolorum et Apocalypsim Joannis Apostoli.

« IX. Item amplector, suscipio et approbo sanctam Nicænam Synodum cccxviii Patrum, et profiteor et sequor quidquid illa decrevit, et reprobo et damno quidquid illa damnavit, et maxime impiam hæresim Arianorum cum suo auctore Ario.

« X. Item amplector, suscipio et approbo Sanctam Catholicam Chalcedonensem Synodum quartam in ordine generalium Synodorum, et credo ac sequor quidquid illa decrevit, et reprobo ac damno quidquid illa reprobavit, et maxime impiam hæresim Eutychetis et Dioscori, et reprobo secundam Ephesinam synodum.

« XI. Item amplector, suscipio et approbo Sanctam primam Ephesinam Synodum ducentorum Patrum, et credo quidquid illa decrevit, et reprobo quidquid illa reprobavit, maxime hæresim Nestorianam cum suo auctore Nestorio.

« XII. Item suscipio, approbo et amplector quæcumque alia Concilia, quæ recipit et approbat sancta et Catholica Ecclesia Romana, ac damno et reprobo omnes hæreses et auctores earumdem, quas et quos reprobat et damnat dicta sancta et Catholica Romana Ecclesia; necnon quidquid tenet et docet sancta Sedes Apostolica Romana ac Catholica Ecclesia cum omni devotione et reverentia suscipio et accepto, illos quoque doctores et Sanctos Patres, quos Ecclesia Romana approbat reverenter suscipio.

« XIII. Teneo et confiteor sanctam Sedem Apostolicam et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Romanum Pontificem successorem esse Petri Principis Apostolorum et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ suæ sanctæ esse caput, et omnium Christianorum patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi, et gubernandi, universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse, cujus Ecclesiæ unitatem et congregationem tam valere credo, ut nullos extra dictam Ecclesiam Catholicam existentes æternæ vitæ participes posse fieri confiteor.

« Insuper promitto me tanquam obedientiæ filium ordinationibus, præceptis, censuris ac jussionibus papæ Julii III moderni, et successorum suorum Romanorum Pontificum canonice intrantium, et Sedis Apostolicæ fideliter et semper obtemperaturum. Ita me Deus adjuvet, et sancta Dei Evangelia, et Deus testis est mihi, quod corde credo, confiteor ore hanc confessionem fidei meæ sinceram et veram, quam scribi feci, ac manu propria subscripsi, et humiliter Patri sanctissimo Julio III Pontifici Maximo ad pedes ejus prostratus obtuli die xv mensis Februarii MDLIII.

« Ego indignus frater Simon Sulalle feci scri-

bere hanc fidem, et manu propria subscripsi.

« Datum Romæ in palatio Apostolico anno a Nativitate ejusdem Domini MDLIII, die vero XX mensis Februarii, Pontificatus prælibati sanctissimi domini nostri anno III ».

Collectis cardinalium suffragiis Simon Sulalla a Pontifice Assyriorum patriarcha confirmatus est, ac postea lapso medio Aprili solemni ritu patriarchali pallio in Basilica Sancti-Petri insignitus, de quo hæc publica Acta [1] referunt :

« Die Lunæ XVII Aprilis Sanctitas Sua in Sede Pontificali consistorii sui secreti Romæ in palatio Apostolico apud Basilicam S. Petri sedens cum pluribus ex reverendissimis ac reverendis dominis archiepiscopis, episcopis ac aliis prælatis Ecclesiarum, necnon sanctitatis suæ familiaribus sibi assidentibus pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, de corpore ipsius B. Petri sumptum, R. P. D. Simoni Sulalle de Danielis de Domobella, patriarchæ de Mozal in Syria Orientali, coram eadem sanctitate sua personaliter constituto, et illud cum ea qua decuit reverentia postulanti, propriis manibus tradidit et assignavit, ut tam dictus Simon patriarcha, quam ejus in Ecclesia de Mozal successores patriarchæ de Mosal pro tempore existentes illo perpetuis futuris temporibus infra Ecclesiam suam de Mozal illis diebus dumtaxat uteretur, qui expressi sunt in jure, aut in ipsius Ecclesiæ de Mozal privilegiis continentur ».

46. *Ad præparanda decreta de reformatione multi Romam acciti præsules, et auctus cardinalium senatus.* — Eodem die actum est de redigenda in meliorem formam Christiana disciplina, cumque perlecta essent quæ cardinalium congregatio ad id constituta sanxisset, visum est a conclavi et electione Pontificis incipiendum, ut sanctior morum norma a capite ad extrema membra diffunderetur ; de quo hæc referunt Acta Consistorialia [2].

« Romæ die Lunæ XVII Aprilis, S. D. N. fecit verbum de reformatione per reverendissimos deputatos facta, et fuerunt lecta ea, quæ per eos acta extiterant, et visum fuit Sanctitati suæ sumendum esse a reformatione conclavis, videlicet de electione Pontificis, et fuit decretum quod Bulla antea desuper facta mitteretur per manus ad reverendissimos, nullo tamen exemplari sumpto seu relaxato, quia visa postmodum mitterentur etiam ea, quæ de dicta reformatione per prædictos deputatos ut prius acta fuerant, et deinde super omnibus concluderetur ».

Confluxit Romam ad sanctioris disciplinæ formam instituendam maximus episcoporum, qui jam ante vocati erant, numerus, utque res debito perageretur ordine, Julius Marcellum cardinalem tit. S. Crucis maximis virtutum ornamentis conspicuum, ac postea in Pontificatu successorem Romam excivit, visum enim erat futurum opportunius, ut in Romana aula, quam in Concilio ea norma instauratæ disciplinæ sanciretur.

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 114. — [2] Ib. p. 113.

47. Auctus est hoc anno cardinalium senatus, de quo hæc memorant Acta Consistorialia [1] :

« Romæ die Veneris XXII Decembris MDLIII, fuit Consistorium, in quo creavit et assumpsit in S. R. E. presbyterum et diaconos cardinales, videlicet Petrum de Aragonia archiepiscopum Panormitanum presbyterum, et Ludovicum de Lotharingia de Guisa, ac Robertum de Nobilibus de Monte-Politiano in decimo tertio anno, vel circa, ac Hieronymum de Simoncellis clericos Aretinæ et Urbevetanæ civitatis vel Diœcesis respective diaconos ».

48. Adducta est ea Ludovici Guisii cardinalis promotio in maximam invidiam, ita ut proximo ineunte anno Julius Pontifex ob graves causas constituerit, ut nullus posthac cardinalis adhuc superstitis frater in cardinalium senatum adscribi posset, ne ad pauciores familias is honos contraheretur, ut narrant Acta Consistorialia [2].

Quod autem Julius purpura ornaverit Robertum de Nobilibus suum ex sorore nepotem, respexit quidem non ad annos, sed ad mores seniles, ita ut vere asserere possimus, de eo locutum quoque fuisse Spiritum sanctum in Sapientia : *Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neque annorum numero computata : cani enim sunt sensus hominis, et ætas senectutis vita immaculata.* Iste namque ætate adolescens, sensu perfectus vir, decimo suæ vitæ anno ita Latinam et Græcam callebat linguam, ut coram Pontifice duobus istis idiomatibus oraverit, quibus addidit sacrarum Litterarum disciplinam ; sed majori multo existimatione digna ejus vitæ innocentia, qua cum nullis rebus, quas adeo mundus magnifacit, adhæreret, cardinalitiam dignitatem relinquere, et nomen dare Societati Jesu decreverat, a quo tamen consilio a proprio piaculario sacerdote ejusdem Societatis viro dimotus est, majorem proinde purpuræ conferens, quam ab ipsa accipiens splendorem. At homines tanta virtutum luce diu frui non meruerunt, quatuor namque post cardinalatum elapsis annis decimo octavo suæ ætatis anno, immaturus mundo, sed maturus cœlo ad Paradisi gloriam evocatus est.

[1] Acta Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 127. — [2] Acta Consist. sign. num. 134. p. 129. Andreas Victorellus in Ciacco. in adject. Jul. III. et card. de Nobilibus.

JULII III ANNUS 5. — CHRISTI 1554.

1. *Philippus II Hispaniarum rex uxorem accipit Mariam Angliæ reginam, quod Calvinistæ omni modo impedire conantur.* — Anno Christianæ salutis quinquagesimo quarto supra millesimum quingentesimum, ineunte Indictione duodecima, perlatus est Julio ab oratore Cæsareo nuntius de matrimonio inter Philippum Hispaniarum principem Caroli V filium, tot regnorum hæredem, ac Mariam Angliæ reginam conciliato, ex quo cum de Anglorum ad Romanæ Ecclesiæ obsequium et conjunctionem reditu certæ spes affulgerent, pio gaudio delibutus Pontifex imperatori[1] de tantæ rei felici successu gratulatus est :

« Imperatori.

« Hodie kalendarum Januariarum et novi anni redeuntis diem festum agentes cum a sacro altari discederemus, solemni Missæ Sacrificio Deo Optimo Maximo per nos persoluto, tuæque in primis majestatis (quod semper fecimus), devotis nostris precibus eidem Deo incolumitate saluteque commendata, præsto nobis fuit dilectus filius nobilis vir Joannes Manricus orator apud nos tuus, qui nobis optatum nuntium attulit de matrimonio inter dilectissimum filium nostrum Philippum Hispaniarum principem natum tuum, ac Christianissimam in Christo filiam nostram Mariam Angliæ reginam conciliato, quo sane nuntio vix quidquam nobis gratius potuit accidere, ita enim nobis ejusmodi summorum ac præstantissimorum principum inter se conjunctio tum apta et conveniens in Domino visa est esse, tum Christianæ reipublicæ incremento, atque hujus Sedis dignitati auctoritatique opportuna, ut quod antea de illius nobilissimi Angliæ regni ad rectam fidem, et prædictæ Apostolicæ Sedis venerationem reversione freti singulari virtute ac religione ipsius Mariæ reginæ sperabamus, id nunc tua tanta auctoritate, consilio, pietate ad eam causam adjuncta prorsus ita futurum certe, firmissimeque expectamus ; quare majestati tuæ optimo animo paternaque charitate gratulantes, omnipotentem Deum omnibus votis oramus, ut istud ipsum matrimonium, tum majestatis tuæ ejusque præclarissimæ familiæ amplitudini, auctoritati, dignitati faustum, felix fortunatumque perpetuo esse velit, tum vero etiam illos, quos speramus, ad ipsius Dei laudem adjuvandam, salutares ex sese effectus parere, ut tantæ lætitiæ causæ, quæ ab ipsius benignissimi Dei largitate originem habent, cum ejusdem Dei semper voluntate beneplacitoque consequatur. Dat. Romæ apud S. Petrum, die I Januarii MDLIV, anno IV ».

2. Pro conficiendo hoc augusto conjugio, excitus est serius in Angliam Reginaldus Polus ne tumultuum causam novandi cupidis præberet, cum regio stirpe satus, nec sacerdotio initiatus a nonnullis in regem expeteretur : porro Maria regina religionis Catholicæ pristino splendori restituendæ cupida Cramnerum Cantuariensem archiepiscopum et Hugonem Latimerum plurium scelerum reos in carcerem conjici jussit, comitem etiam Devoniæ ob prælatum sibi Philippum actum in iras, et Elizabetham ex Anna Bolena Henrico natam cum Wiato[1], ut senatui visum est, conjurationis conflatæ sociam vinculis addixit; usa tamen clementia dein comitem in Italiam relegavit, Elizabetham vero, quæ postea sævissimam persecutionem in Catholicos, rerum potita, exercuit, procerum precibus morti ereptam Wodstochium in custodiam misit.

Non conquievere tamen turbidi hæreticorum animi, sed aperta usi audacia ad occultas artes confugere, ut fascinatam dolis occultis plebem in conjuratione pellicerent, finxeruntque primum adulterina miracula quasi lapsæ cœlo Angelicæ mentes cœlestibus vocibus Lon-

[1] Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2887. p. 24.

[1] Sander. l. II.

dinenses cives admonerent, ne reginæ cum Hispaniarum principe conjugium celebrari permitterent, neve religionem veterem pristino restitui splendori tolerarent; quorum doli patefacti impietatem ac nequitiam auctorum in lucem collocarunt, nefariaque superstitio in risum versa est, versutiaque justis pœnis castigata, ut refert Sanderus [1] subjectis verbis :

3. « Motus in Anglia varii præcipuis conjuratoribus in potestatem reginæ redactis, et supplicio affectis utcumque conquieverunt. Sed hæretici, inquietum et turbulentum genus hominum, et quod vi et armis apertis contra nuptias cum Hispaniarum principe et regni reconciliationem non poterant, Diabolicis tentant efficere artibus : nam præter privatas insidias, quas ad tollendam reginam (pro quibus Guillelmus Thomasus regii senatus tempore Eduardi scriba merita morte mulctatus fuit) impie struxerunt, aliud ad commovendum Londinensem populum seditioni, tum et hæresi valde deditum, inauditum adinvenerunt stratagema; induxerunt quippe quamdam puellam, octodecim annos natam, hæresi simul et pretio corruptam, in eam improbam simulationem, ut se permitteret in abdito inter duos muros cujusdam domus angulo ad tempus concludi, et per fistulam ad id aptatam eas voces edere, quas istius strophæ artifices suggererent sibi : nomen puellæ Elizabetha Crosta erat, doli auctor erat Dracus quidam. Ita ergo illa instructa, et in loco ad fraudem accommodato collocata, mirabiles emittit continuo ex antro suo voces, easque tam sonoras, ut per omnes vicinos audiretur. Accurrunt undique cives, quid sit inquirunt, mirantur, voces non mortalis hominis, sed angeli esse clamabant, urbi ac reipublicæ iste spiritus comminatur miseriam, ærumnas, mala omnia, si nuptias cum Hispano aut communionem cum papa Romano admittant. Multa enim contra sanctum Sacrificium et reliquam fidem Catholicam quasi oracula fundebat; erant ex conspiratoribus, qui data opera se turbis adstantibus semper ingesserant, qui hujus spiritus propheticas et obscuriores sententias ad religionis eversionem et seditionem movendam interpretabantur. Magistratus autem ad multitudinem compescendam, et quid rei sit lustrandum accedit : fraus difficillime apparuit. Sed tandem inito consilio de defodiendo muro et vicinis parietibus unde voces reddi conjiciebat, misera puella prodiit, ac examinata, quorum suasu et consilio hoc fecerit, confessa est statim se a quibusdam seditiosis sectariis, et ab eo in primis, quem nominavimus, Draco, ad istam nequitiam inductam fuisse. Auctores fugiunt; puellæ publica pœnitentia castigatæ reliqua pœna condonata est, et ita res tota in risum et in majorem hæreseos detestationem, quæ tam Diabolicis sustentatur artibus, recidit ».

4. *Cardinalis Polus amplissimis facultatibus munitus tam pro confirmandis episcopis hæresim ejurantibus quam pro reditibus per nefas possessis a restitutione eximendis.* — At Maria regina pristinæ dignitati restituendæ religionis sollicita dejectis gradu Ecclesiastico hæreticis, pios delegit sacerdotes a Reginaldo Polo cardinale legato approbatos, quos Ecclesiis præfici a Pontifice veteri more atque instituto flagitavit, tum sacras pro ipsa, ut regnum pie ac tranquille administraret, apud Deum preces fundi postulavit; hujus pietatem ac flagrantissimum instaurandæ religionis impietatisque evertendæ studium Pontifex commendavit, dato cardinali Polo de his amplissimo mandato.

5. In senatu cardinalium Romæ habito VI Julii, creati fuerunt octo episcopi Angli, atque etiam Reginaldo Polo collata potestas, ut præsules intrusos per nefas, redeuntes ad officium ejuratis hæresi et schismate in eadem dignitate confirmaret, quemadmodum referunt [1] Acta Consistorialia :

« Romæ die Veneris VI Julii MDLIV, fuit Consistorium, in quo proponente Sanctissimo Domino nostro, cum reverendissimus dominus Reginaldus Sanctæ Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, Polus nuncupatus, Sedis Apostolicæ in regno Angliæ de latere legatus, cui ante idem Sanctissimus Dominus noster, ut quibusvis cathedralibus etiam metropolitanis ipsius regni Ecclesiis, quovis modo pro tempore vacantibus, de personis idoneis, pro quibus serenissima domina Maria Angliæ regina illustris juxta dicti regni consuetudinem sibi supplicasset Apostolica auctoritate providere, ipsasque personas eisdem Ecclesiis in episcopos et archiepiscopos præficere posse, plenam et liberam facultatem concesserat Lincolniensi de Joannis, et Roffensi de Mauritiis in Theologia baccalaureorum, ac Cicestrensi de Georgii, et Glocestrensi de Jacobi Magistrorum in Theologia, necnon Menevensi alias Sancti-Danielis de Henrici legum doctoris, ac Bathoniensi et Wellensi invicem unitis ejusdem regni Ecclesiis certo modo pastorum solatiis destitutis de Gisberti R. P. D. episcoporum de legitimo matrimonio procreatorum, et in presbyteratus ordine ac ætate legitima constitutorum, pro quibus dicta Maria regina juxta eamdem consuetudinem supplicaverat personis, dicta auctoritate providisset, ipsosque illis respective in episcopos præfecisset, et pastores curam respective committendo, ipsius episcopi provisionum et præfectionum prætensarum vigore ipsarum Ecclesiarum regiminis et administrationis possessionem, seu quasi respective assecuti fuissent, et munus consecrationis alias rite et recte

[1] Sand. l. II. p. 342.

[1] Acta Consist. sig. num. 134. p. 133.

impensum suscepissent, assereretur que singulas Ecclesias prædictas etiam tunc, ut præfertur, seu alias certo modo vacare. Idem sanctissimus Lincolniensi de Joannis, et Roffensi de Mauritiis, ac Cicestrensi de Georgii, ac Glocestrensi de Jacobi, necnon Menevensi alias Sancti-Danielis de Henrici, et unitis Ecclesiis hujusmodi quovis modo quem Sanctitas sua haberi voluit pro expresso, et ex cujuscumque persona vacarent de Gisberti episcoporum prædictorum personis, pro quibus prædicta Maria regina eidem Sanctitati suæ supplicaverat, providit, ipsosque illis respective committendo, et cum retentione omnium, etc. Pro Mauritio Roffensi, et Henrico Menevensi episcopis prædictis, et cum clausulis opportunis, etc.

6. « Cum idem reverendissimus Reginaldus cardinalis legatus, cui etiam Sanctitas Sua, ut de personis quorumcumque archiepiscoporum vel episcoporum, qui metropolitanas aut alias cathedrales dicti regni Ecclesias de manu laicorum etiam schismaticorum, et præsertim quondam Henrici regis et Eduardi ejus nati recepissent, earum fructus etiam longissimo tempore, etiam tanquam venerabiles archiepiscopi seu episcopi usurpando, postquam eos rehabilitandos esse censuisset, si sibi alias digni et idonei viderentur; eisdem metropolitanis et aliis cathedralibus Ecclesiis de novo, necnon de novo quibusvis aliis cathedralibus, etiam metropolitanis, dicti regni Ecclesiis, quovis modo vacantibus de personis idoneis, pro quibus serenissima domina Maria Angliæ regina illustris juxta ejusdem regni consuetudinem sibi supplicasset Apostolica auctoritate providere, ipsasque personas eisdem Ecclesiis in archiepiscopos et episcopos præficere, ac cum iis, qui Eccclesias cathedrales etiam metropolitanas de manu laicorum, etiam schismaticorum, ut præfertur, recepissent; quod eisdem, seu aliis ad quas eos alias rite transferri contingeret, cathedralibus etiam, metropolitanis Ecclesiis in archiepiscopos et episcopos præfici, ac pro se, ipsasque Ecclesias in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis sibi eatenus impenso uti libere et licite valerent, dispensare posset, plenam et liberam facultatem concesserat Reginaldus prædictus Robertum Herphordiensem, qui Ecclesiam Assanensem dicti regni tunc certo modo vacantem de manu dicti Henrici seu Eduardi receperat, et illius regimini temere et de facto se ingesserat, ac prætextu præmissorum munus consecrationis etiam de facto susceperat, mensæ episcopalis Assanensis fructus tanquam episcopus Assanensis realiter admiserat, et pro quo prædicta regina, juxta eamdem consuetudinem sibi super eo supplicaverat et de persona Ecclesiæ Herphordiensis, tunc certo modo Pastoris solatio destitutæ, dicta auctoritate providisset, eumque illi in episcopum præfecisset et pastorem, curam etc. committendo, ac secum, ut eidem Ecclesiæ Herphordiensi in episcopum præesset, illamque in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis per eum, ut præfertur, suscepto uti libere et licite valeret dispensando, ipseque Robertus episcopus provisionis et præfectionis hujusmodi vigore, possessionem, seu quasi regiminis, et administrationis ipsius Ecclesiæ Herphordiensis quovis modo, quem haberi voluit pro expresso vacaret de persona ipsius Roberti, pro quo prædicta regina Maria eidem Sanctitati Suæ supplicaverat, dicta auctoritate providit, ipsumque Robertum illi in episcopum præfecit ».

7. Porro reginæ litteræ de reflorescente in Anglia religione Catholica in senatu perlectæ fuere maximo omnium plausu, quibus Julius Pontifex [1] subjectis verbis respondit :

« Mariæ Angliæ reginæ.

« Litteras serenitatis tuæ VII Aprilis die ad nos datas incredibile pæne est qua nos animi lætitia et exultatione acceperimus, quantoque studio et gaudio ab universo venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium cœtu nobiscum una fuerint perlectæ, cum omnes certatim, et summi Dei in te benignitatem, propriamque et peculiarem tuarum rerum protectionem ac curam extolleremus, et tuam vicissim tantam acceptorum ab eo beneficiorum gratitudinem tantamque undique admirandi operis quod in te Deus a templo suo sancto operatus est, confirmationem debitis in Domino laudibus efferremus, tot enim probis, piisque et doctis sacerdotibus per serenitatem tuam ad istius regni Ecclesiarum regimen adscitis, nobisque atque huic Apostolicæ Sedi, ut eos juxta solemnem Catholicumque morem ipsius præficeremus, propositis, nil sane majus et appositius per te ad causam Dei erigendam planeque constituendam potuit effici, cum tibi tales viros curæ, studii laborisque tui cooperatores assumpseris, qui fide et pietate, et recta in Deum Religione in omni varietate temporum semper habiti sunt eximii, itaque et tunc statim provisionem de ipsis episcopis jam per dilectum filium nostrum Reginaldum legatum factam nos ad supplicationem tuæ Serenitatis juxta antiquum prædecessorum tuorum morem auctoritate nostra approbavimus, ratamque habuimus, et nunc eamdem tenore præsentium generatim approbamus et confirmamus, et cum prædictis venerabilibus fratribus episcopis videbitur, illis singulatim nostræ hujus confirmationis testimonium per solitas nostras sub plumbo datas litteras præbebimus; quod vero Majestas tua in postremis suis litteris nos orat, ut ad Deum preces fundere velimus, quibus per ejus clementiam

1 Jul. III. l. brev. VIII. sig. num. 2887. p. 182.

et bonitatem tui istius regni ad perfectam hujus sanctæ Sedis obedientiam reducendi consiliis secundos det eventus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum die x Julii MDLIV, anno V ».

8. Pro restituenda asserendaque facilius religione, pellicendisque ad obsequium Ecclesiæ Anglis proceribus, qui Ecclesiastica vectigalia invaserant, Julius cardinalem legatum auctoritate munivit, ut cum iniquis possessoribus mitiori ratione transigere, raptarum opum sacrarum restituendarum onere eos exsolvere posset, præferendas enim redemptas Christi sanguine animas temporariis censibus, qui in infelici præteritorum temporum perturbatione distracti fuerant vel pessumdati, censuit Pontifex, atque etiam ut contra fas occupata retineri permitteret, rescissis contrariis legibus, indulsit, de quo subjectæ ad cardinalem legatum [1] adhuc agentem in Belgio datæ litteræ :

« Cardinali Polo legato.

« Superioribus mensibus, oblata nobis spe per Dei misericordiam et charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Angliæ reginæ summam religionem et pietatem, nobilissimi illius Angliæ regni, quod jam diu quorumdam impietate a reliquo Catholicæ Ecclesiæ corpore avulsum fuit, ad ejusdem Catholicæ atque universalis Ecclesiæ unionem, extra quam nemini salus esse potest, reducendi, te ad prædictam Mariam reginam, atque universum illud regnum nostrum, et Sedis Apostolicæ legatum de latere, tamquam pacis et concordiæ angelum de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio atque unanimi assensu destinavimus, illisque facultatibus omnibus munivimus, quas ad tanti negotii confectionem necessarias putavimus esse, seu quomodolibet opportunas, atque inter alia circumspectioni tuæ,ut cum bonorum Ecclesiasticorum possessoribus, super fructibus male perceptis, et bonis mobilibus consumptis concordare, transigere, ac eos desuper liberare et quietare, ubi expedire videretur, posset, auctoritatem concessimus et facultatem, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur ; cum autem ex iis principiis, quæ ejusdem Mariæ reginæ sedulitate et diligentia, rectaque et constante in Deum mente, tuo etiam in ea re cooperante studio atque consilio prædictum reductionis opus in prædicto regno usque ad hanc diem habet, ejusdem præclari operis perfectio in dies magis speretur, eoque faciliores progressus habitura esse dignoscatur, quo magis nos majorem in Ecclesiasticorum bonorum possessionibus in illa superiori temporum confusione per illius provinciæ homines occupatis, Apostolicæ benignitatis et indulgentiæ spem ostenderimus, nos nolentes tantam dilectissimæ nobis in Christo nationis recuperationem, et tot animarum pretioso Jesu Christi Domini nostri sanguine redemptorum salutem, ullis terrenarum rerum respectibus impediri, more pii patris in nostrorum et sanctæ Catholicæ Ecclesiæ filiorum post longum periculosæ peregrinationis tempus ad nos respectantium et redeuntium peroptatum complexum occurrentes, tibi, de cujus præstanti virtute, singulari pietate, doctrina, sapientia, ac in rebus gerendis prudentia et dexteritate plenam in Domino fiduciam habemus, cum quibuscumque bonorum Ecclesiasticorum, tam mobilium quam immobilium in prædicto regno possessoribus, seu detentoribus, pro quibus ipsa serenissima regina Maria intercesserit, de bonis per eos occupatis ut prædicta bona sine ullo scrupulo imposterum retinere possint ; arbitrio nostro auctoritateque nostra tractandi, concordandi, transigendi, componendi, et cum eis dispensandi, omniaque et singula alia, quæ in his et circa ea quomodolibet necessaria, et opportuna fuerint, concludendi et faciendi, salvo tamen in his, in quibus propter rerum magnitudinem et gravitatem hæc sancta Sedes merito tibi videretur consulenda, nostro et prædictæ Sedis beneplacito et confirmatione plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium, et ex certa scientia concedimus facultatem, non obstantibus litteris felicis recordationis Pauli papæ II, prædecessoris nostri de non alienandis bonis Ecclesiasticis, nisi certa formà servata, et aliis quibusvis Apostolicis, ac in Provincialibus et Synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et ordinationibus, necnon quarumvis Ecclesiarum et monasteriorum, ac aliorum regularium et piorum locorum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis alia firmitate roboratis fundationibus, statutis et consuetudinibus illorum tenores pro sufficienter expressis habentes contrariis quibuscumque.

« Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXVIII Junii MDLIV, anno V ».

9. *Philippus II in Angliam appellit ad nuptias cum Maria ineundas, collatis sibi prius a Pontifice juribus regni Neapolitani.*— Instructa interim amplissima classe Philippus Hispaniarum princeps profectionem in Angliam pro copulanda sibi connubialibus sacris Maria regina adeundaque regni possessione adornabat, cum Pontifex de parta recenti felicitate gratulaturus ei litteras transmisit, rogavitque ut cardinali Polo aditum in Angliam hactenus obstructum patefaceret.

Pridie ejus diei, quo consignatæ sunt Pontificiæ litteræ, appulerat Philippus princeps Hispaniarum in Angliam, in quem Cæsar ad regiarum nuptiarum splendorem augendum Neapolitani regni jura transfudit, ut refert

[1] Ib. num. 2887. p. 156.

Surius, de quo etiam Acta Consistorialia [1] hæc referunt :

10. « Romæ die XXIII Octobris MDLIV, fuit consistorium ; Sanctissimus D. N. admisit renuntiationem, translationem et dimissionem regni Siciliæ citra Pharum a serenissimo D. Carolo Romanorum imperatore semper Augusto in favorem serenissimi Domini Philippi Angliæ regis illustris, ipsius Caroli imperatoris nati factam, necnon obedientiam a nobili viro Ferdinando Avalos de Aquino, Marchione Piscariæ, ejusdem Philippi regis procuratore, nomine dicti Philippi regis, Sanctitati Suæ ac Sedi Apostolicæ, et S. Romanæ Ecclesiæ præstitam, itemque homagium et juramentum fidelitatis ac regnum ipsum usque ad confinia terrarum ipsius Romanæ Ecclesiæ excepta civitate Beneventana cum ejus territorio, districtu et pertinentiis ac eorum incolis, quam sanctitas Sua sibi et eidem Romanæ Ecclesiæ retinuit, prædicto Philippo regi, pro se suisque hæredibus et successoribus Aragonum regibus, tam masculis quam fœminis ex eo recta linea descendentibus in feudum perpetuum pro solito annuo censu septem millium ducatorum auri de camera et unius paraphreni albi pro recognitione veri et directi dominii ipsius regni in festo sancti Petri persolvendo, et sub conditionibus, modis, formis, adjectionibus, promissionibus, clausulis, voluntatibus et ordinationibus in litteris Julii II et concessione Leonis X Romanorum Pontificum Sanctitatis suæ prædecessorum contentis, concessit et elargitus est, et regnum ipsum eidem Philippo regi modo et forma prædictis infeudavit, eumque de illo per ipsius Ferdinandi Marchionis, et procuratoris ad osculum pedum Sanctitatis Suæ admissionem investivit, volens et intendens, ut infra annum a data concessionis hujusmodi computandum idem Philippus rex privilegium suum aurea Bulla bullatum, in quo proprio juramento fateatur, et recognoscat expresse regnum Siciliæ hujusmodi, ac totam terram ejus, quæ est citra Pharum, usque ad confinia ipsius Romanæ Ecclesiæ, excepta Beneventana civitate, cum illius territorio, districtu et pertinentiis prædictis, quæ ipsi Ecclesiæ perpetuo remaneat, Philippo regi, suisque hæredibus et successoribus prædictis ex sola gratia et mera liberalitate Sedis Apostolicæ et Sanctitatis Suæ fuisse concessa, eosque recepisse et tenere regnum Siciliæ et terrarum hujusmodi a Sanctitate Sua, et dicta Romana Ecclesia, sub pœnis et modis et conditionibus supradictis eidem Sanctitatis Suæ, seu Romano Pontifici pro tempore existenti, dare et tradere teneatur. Non intendens per præmissa juri serenissimæ D. Joannæ Hispaniarum et utriusque Siciliæ reginæ illustris, vel alicujus alterius in aliquo præjudicare, et alias, prout in Bulla plenius continetur ».

11. De collato in Philippum II [1] beneficentia Apostolica Neapolitano regno, proximo die Julius illum certiorem fecit subjectis litteris : tum ipsi, tum reginæ Mariæ fausta omnia comprecatus est.

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Angliæ ac Siciliæ citra Pharum regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Hodie mane in Consistorio publico de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu, communique omnium plausu et lætitia, in Dei omnipotentis nomine, præsentibus dilectis filiis nobili viro Ferdinando marchione Piscariæ, et aliis tuis ac majestatis Cæsareæ apud nos agentibus, cum solitis cærimoniis et actibus opportunis, hilari ac libenti animo, eoque paterno affectu, quo serenitatem tuam, in primisque charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum patrem tuum prosequimur, et tibi semper in omnibus, quæ cum Deo possumus, cupimus satisfacere, regni Neapolitani, ac totius Siciliæ citra Pharum, quod idem Cæsar refutarat, tibique cesserat, investituram concessimus, quemadmodum ab ipso marchione, ut putamus, pluribus certior fies, et ex litteris Apostolicis sub plumbo ad id propediem expediendis plenius cognosces; Deum ipsum Optimum Maximum supplices precamur, ut hanc tuam regni hujus, regnorumque aliorum, et cujusvis principatus accessionem tibi, eidem Cæsari ac charissimæ filiæ nostræ Mariæ Angliæ reginæ illustri conjugi tuæ, regiæque familiæ vestræ universæ faustam felicemque et perpetuam servare, servatamque augere ad suæ divinæ Majestatis gloriam, Christique fidelium pacem sempiternam velit, quemadmodum pro summa ipsius clementia, tuisque in eum eximiæ pietatis et religionis meritis, quanto majore possumus desiderio certe et speramus in Domino et expectamus. Datum Romæ apud S. Petrum, die XXIII Octobris MDLIV, anno V ».

12. Extant eodem argumento exaratæ ad Carolum imperatorem litteræ [2], quibus Cæsareis votis obsecundasse tradito Philippo II eo fiduciario regno significavit.

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto.

« Charissime in Christo fili, etc. Hodie in Consistorio publico una cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus magno omnium plausu ac lætitia charissimum in Christo filium tuum et nostrum Philippum Angliæ regem illustrem, ut ex litteris

[1] Acta Consist. sig. num. 134, p. 145.

[1] Lib. brev. sig. num. 2391. — [2] Jul. III. l. VII. brev. sig. num. 2891. p. 1.

tuæ majestatis te maxime desiderare intelleximus, de regno Neapolitano, ac totius Siciliæ citra Pharum hilari ac libentissimo animo investivimus, quemadmodum majestatis tuæ hic agentes te certiorem facturos existimamus; Deum Omnipotentem in Domino deprecamur uti hæc investitura majestati tuæ filioque tuo serenissimo, ac regiæ vestræ familiæ universæ, Christianæque reipublicæ, et sanctæ huic Sedi felix faustaque sit ad ipsius Dei gloriam, ejusque fidelium salutem et pacem sempiternam. Datum Romæ apud S. Petrum, die xxiii Octobris MDLIV, Pontificatus nostri anno v ».

13. *Anglia ad fidem Catholicam redit pietate Philippi et Mariæ, sed præsertim opera cardinalis Poli ; unde maxima in Urbe signa lætitiæ, et gratiarum solemnes actiones.* — Potitus Anglico sceptro Philippus rex adversas hæreticorum factiones discussit, studiaque omnia ad Angliam ab hæresi et impietate vindicandam, revocandamque ad obsequium Romanæ Ecclesiæ cum Maria regina contulit [1], itaque Reginaldum Polum cardinalem legatum excivit in Angliam e Belgio, is vero Pontificem de suo in Angliam proximo ingressu certiorem fecit, de quo hæc referunt Acta [2] Consistorialia :

« Romæ die Veneris, ultima mensis Novembris MDLIV, fuerunt lectæ litteræ reverendissimi domini Poli, quibus significabat se infra biduum e Belgio in Angliam profecturum ». Magnis exceptum honoribus legatum narrat Sanderus his verbis :

« Hæreticorum frustratis conatibus, omniumque subditorum animis utcumque sedatis, Philippo etiam jam Angliam ingresso, ac nuptiis utrinque expetitis feliciter peractis, regis simul ac reginæ auctoritate regni reconciliatio summa sedulitate agebatur, atque ob eam causam ad diem duodecimum Novembris ordinum conventus indictus est, et Polus e Brabantia, quo ante aliquot dies appulerat, missis ad eum honoris causa duobus primariis viris regum consiliariis in Angliam vocatur, et vigesimo tertio ejusdem mensis in urbem honorificentissime deducitur, quintoque post die venit in concilium statuum, quod parlamentum ibi vocant, regibusque præsentibus legationis suæ causam exponit, hortaturque ut ad Ecclesiæ communionem redeant, sanctissimoque Pontifici principis Apostolorum successori, debitam auctoritatem restituant, qui summam velit ipsis impertire clementiam ac benignitatem : monet etiam, ut Deo gratias agant, qui talem ipsi regem dederit atque reginam. In hanc sententiam locutus egreditur.

« Ibi Wintoniensis episcopus cancellarius illius oratione repetita, multisque verbis ad unionem et concordiam eos hortatus, permagnas Deo gratias agendas esse dicit, qui pro sua immensa misericordia prophetam eis ex ipsorum semine suscitarit, amplissimum videlicet cardinalem, qui totus in ipsorum salutem incumbat. Postridie cum orationem et postulata legati probassent ordines, concepta fuit petitionis formula, qua regi supplicant atque reginæ, ut ad illum intercedant. Ejus hæc erat sententia. Pœnitere se vehementer schismatis, quod obedientiam Sedis Apostolicæ denegarint, et quod decretis factis adversus illam assenserint : in posterum vero se futuros in ipsius atque reginæ potestate, et facturos quidquid omnino possint, ut ejusmodi leges omnes atque decreta his comitiis abrogentur : majorem igitur in modum orare, ut interveniant et efficiant ut censuris absoluti, in quas juxta leges Ecclesiasticas per schisma inciderant, in Ecclesiæ Christi gremium rursus tanquam filii pœnitentes recipiantur, ut deinceps in Romanæ sedis et Pontificum obedientia servire Deo possint, ad ipsius nominis gloriam et suæ salutis incrementum.

14. « Altera die cum iterum adesset rex, regina et legatus, consurgit cancellarius, et quod super legati postulato decreverint ordines, clare pronuntiat, et deinde supplicem petitionem ordinum scripto comprehensam, obsignatam regi tradit atque reginæ, petens ut accipiant. Hi cum aperuissent, cancellario reddunt, ut pronuntietur. Tum ille rogat ab universo cœtu qui totum regnum repræsentat, num ratam habeant ? Illis affirmantibus, rex atque regina consurgunt, eamque legato tradunt. Is cum legisset, Diploma vicissim suæ etiam legationis illis exhibet : mox illud recitatur, ut ipsos absolvendi potestatem ei factam a Pontifice omnes intelligerent. Post orationem habet, et quam sit grata Deo pœnitentia, quantumque de peccatore pœnitente gaudeant Angeli, multis in medium adductis exemplis demonstrat : Deo gratias agit, qui mentem hanc emendationis cupidam ipsis inspiravit. Eo facto consurgit, idem rex et regina faciunt, et in genua subsidunt. Ibi tum ille Dei numen atque misericordiam implorans obtestatur, ut populum benigne respiciat, eique culpam ignoscat, seque legatum a Pontifice Christi vicario dicens, ut illos absolvat, de more benedicit toti multitudini simulque eam absolvit. Ad sacellum deinde ventum est : hic Deo actæ gratiæ symphonia cantorum, et festæ lætitiæ fuit editum signum, uti fieri consuevit.

« Secundo vero Decembris, rex et legatus cum omnibus pæne totius Angliæ proceribus veniunt ad templum Sancti-Pauli, post sacram hortationem edicit populo illius urbis, quanto studio omnes status totius regni nomine se submiserint Apostolicæ Sedis obedientiæ, quan-

[1] Sander. l. II. par. II. p. 344. — [2] Act. Cons. sign. num. 134. pag. 149.

taque vicissim pietate ab illustrissimo legato vice sanctissimi Domini nostri sint accepti, et a prioribus peccatis et censuris absoluti. Et ut pro tanta gratia Deo, papæ et regibus pientissimis gratias agant immortales monet, et non ita multo post regum et reipublicæ nomine missi sunt Romam legati, qui officium et obedientiam Sedi Apostolicæ pro toto regno sponderent et præstarent.

« Atque in Urbe propter lætissimæ rei nuntium supplicationes quoque publicæ factæ, et Deo grates Pontifice ipso sacra mysteria celebrante persolutæ sunt, et indulgentia ad modum Jubilæi per Christianum orbem in gratiarum actionem publicata est. Hæc reconciliatio regni post vigesimum annum, in quo infaustum illud ab Henrico cœptum esset schisma, incidit in profestum sancti Andreæ, unde Synodico postea decreto constituit illustrissimus legatus Polus, non ita multo post factus Cantuariensis archiepiscopus, ut ad tanti beneficii immortalem memoriam festum Sancti-Andreæ in perpetuum principalis duplicis officio (ut tum illi loquebantur) apud Anglos celebraretur, et ut totus clerus ac populus per universum regnum in sua quique Parochiali Ecclesia infra certum tempus, absolutionis ac reconciliationis gratiam in genua provoluti humiliter postularent, ac susciperent, quod et factum est a plebe avidissime ».

15. Perfecta reconciliationis Anglorum redintegratæque veteris cum Romana Ecclesia conjunctionis celebritate, Reginaldus cardinalis Polus legatus Julium Tertium Pontificem scriptis eadem die litteris de re tota certiorem fecit, ac Mariam reginam, quæ maximam gentem uno die Christo peperisset, virtutumque regiarum odorem latissime diffunderet[1], summis laudibus commendavit (1) :

« Sanctissimo domino nostro Julio III Pontifici.

« Quæ superioribus diebus ad sanctitatem vestram scripsi de illa spe, quam cœperam fore brevi, ut hoc regnum ad Ecclesiæ unitatem et Sedis Apostolicæ obedientiam rediret, et si non sine magna causa scripsi, non poteram tamen non in aliquo timore versari, non solum ob eam difficultatem, quam afferebat ejus nomine odium, sed multo magis, quod verebar, ne ingressus ipse in causam aliqua minus honesta pactione interposita turbaretur, quod quidem ne accideret vehementer egi cum serenissimis regibus. Sed nihil sane id necesse erat, vicit eorum pietas ac rei perficiendæ studium omnem expectationem meam, vel maxime hodie vesperi, quo die sancti Andreæ memoria recolebatur, qui primus Petrum fratrem ad Christum perduxit, divina providentia factum est, ut hoc regnum ad debitam Petri Sedi et Sanctitati Vestræ obedientiam revocaretur, quo per illam Christo capiti et ejus corpori, quæ est Ecclesia, conjungeretur. Acta vero et confecta res est in comitiis, præsentibus regibus, tanto studio, tantoque cum omnium applausu, ut cum ego perorassem post benedictionem, statim ab omnibus cum mirifica lætitiæ significatione acclamatum sæpius sit Amen. Ex quo plane perspectum est in his, sanctum illud semen, etsi jam diu oppressum, tamen non extinctum fuisse, quod vel maxime nobilitas declarat. Hæc reversus domum ad sanctitatem vestram scripseram, ut ei de tanta re tanquam feliciter divino consilio gesta subito gratularer, cogitans has litteras regio tabellario dare, qui paulo post discessurus dicebatur, postea vero mutata sententia, cum statuissem certum hominem ex meis mittere, hoc tantum his litteris addere volui ad gratulationis cumulum, ejusque lætitiæ gratulationem, quam cum maximam cepi ex ipsius rei eventu omnium maximæ, tam sanctæ, tam utilis Universæ Ecclesiæ, tam salubris huic patriæ, quæ me genuit, tam honorificæ ei, quæ me excepit, tum vero non minorem ex ipsis regibus, quorum virtute pietateque id profectum est atque confectum. Quam multa et quanta potest Ecclesia sponsa Christi, et mater nostra de his suis filiis polliceri sibi ! nam vere, ut dixit Propheta, *Isti sunt filii, cui benedixit Dominus, hæc plantatio Domini ad gloriandum.* Quam Sanctitas Vestra sancte omni studio et auctoritate huic matrimonio favit ! quod sane videtur præ se ferre magnam summi illius regis similitudinem, qui mundi hæres a regalibus sedibus a Patre dimissus est, ut esset Virginis sponsus et filius, et hac ratione universum genus humanum consolaretur. Sic enim rex ipse maximus omnium, qui in terris sunt, hæres Patris, relictis regnis, et illis quidem maximis, in hoc parvum regnum se contulit, hujus Virginis sponsus et filius factus est (nam se maritum et filium gerit) ut jam plane quod fecit, sequestrem se atque adjutorem ad reconciliandum Christo et ejus Corpori, quod est Ecclesia, hunc populum præberet. Quæ cum ita sint, quid tandem non ipsi Ecclesiæ Matri ab eo expectandum est qui id fecit, ut convertat corda

[1] Ext. apud Natal. Comit. hist. l. VIII. in fin.

(1) Ne quid præteriisse videamur eorum quæ ad res Anglicanas anni hujus spectant, commemoranda est Synodus provincialis Cantuariensis, cujus extat supplex libellus cardinali Polo A. S. L. porrectus, ut alienationes quas vocant Ecclesiasticorum prædiorum in gratiam publicæ quietis toleraret, qua de re facultas a Pontifice permissa fuerat, ut ex annalista hic num. 17 constat. Supplicem hunc synodi libellum inter chartas Parkeri nactus Burnetus in Historia Reformationis Anglicanæ vulgavit lib. II, et in Append. num. 173. Eædem litteræ cum aliis ad eam rem spectantibus extant in magna collectione Conciliorum Angliæ data ante hosce nonnullos annos a Wilkins tomo IV, pag. 101, etc. signanturque die X Aprilis MDLIV. MANSI.

patrum in filios, et incredulos ad prudentiam justorum ? atque hæc virtus sane elucet.

16. « Hæc vero regina, quæ, cum Sanctitas vestra me ad eam legavit, tanquam illa virgula fumi ex odoribus myrrhæ et thuris e deserto ascendebat, ipsa paulo ante ab omnibus derelicta, quam nunc splendet ! Qualem jam myrrhæ et thuris odorem suis effundit ! quæ, ut de Christi Matre ait Propheta, antequam parturiret, peperit, antequam veniret partus ejus, peperit masculum : quis unquam audivit tale ? quis vidit huic simile ? numquid parturiet terra die una, aut parietur gens simul ? hæc vero gentem totam nunc peperit, antequam eum partum ediderit, cujus in spe maxima sumus. Quanta nobis gratulandi causa datur, quanta gratias agendi divinæ misericordiæ, Sanctitati vestræ et Cæsareæ majestati, qui auctores tam felicis tamque pii conjugii fuistis, per quod nos Deo Patri et Christi Ecclesiæ reconciliati conjungimur. Hoc unum reliquum est, ut Sanctitatis vestræ gaudium et simul universæ Ecclesiæ cumulari precemur, quæ Deum pro suis filiis orare non desinit. Deus Optimus Maximus Sanctitatem vestram diu Ecclesiæ suæ conservet. Londini pridie kalendas Decembris MDLIV.

« Sanctitatis vestræ humillimus servus Reginaldus cardinalis Polus ».

De conciliatis Romanæ Ecclesiæ Anglis Philippus Neapolis et Angliæ rex ad Pontificem etiam scripsit, cujus litteras in cardinalium senatu medio fere Decembri lectas narrant Acta [1] Consistorialia :

« Romæ die Veneris XIV Decemb. MDLIV, fuerunt lectæ litteræ serenissimi regis Angliæ, unanimi consensu rediisse ad gremium Ecclesiæ, ac etiam ad obedientiam sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et hac de causa fuerunt decretæ supplicationes quatuor dierum, quibus elapsis sanctitas sua celebravit missam in Basilica Sancti-Petri, et habitis jejuniis trium dierum, concessit universis Christi fidelibus plenariam indulgentiam et remissionem omnium peccatorum suorum in forma Jubilei ».

17. Intercessisse in ea reconciliatione gravissimas difficultates, sed prudentia card. legati dissolutas vel abscissas refert Sanderus [2] : « In hac (inquit) restitutione religionis graves intervenerunt difficultates, de quibus nisi legatus seipsum aliosque cum magna prudentia et nonnulla etiam indulgentia expedivisset, non ita prompte in reconciliationem hanc et Pontificiæ auctoritatis agnitionem consensissent, nec in officio permansissent : timuerunt nimirum multi ac ii in primis qui ex spoliis Ecclesiarum ac monasteriorum ad summos in republica honores et divitias evecti fuerunt, ne Pontificis jussu hujusmodi possessiones ac bona repeterentur ». Præviderat has difficultates Julius Pontifex [1], easque jam ante eliserat edito Diplomate, quo legatum auctoritate muniverat, ut abalienata Ecclesiastica bona vel occupata iniquis possessoribus, ut contemptibilia permitteret, modo animas pretiosissimo sanguine Christi coemptas Deo compararet. Auxerat iniquorum possessorum terrorem reginæ pietas, quæ eximium quærendi consectandique ante omnia regni cœlestis exemplum Anglis præbuerat, de qua hæc subdit : « Hunc istorum metum vehementer auxit devotissimæ reginæ in rebus sacris, quas pater fraterque suus sibi arripuerant, retinendis tanta religio, ut omnium decimarum, primitiarum, beneficiorum ac similium proventus ærario regio ante applicatos in illustrissimi cardinalis manus ac dispositionem, resignaverit etc. ». Ut vero ad revocandam in pristinum splendorem religionem in Anglia, tum a regina, tum a legato plura sapientissime fuerint constituta, suis locis dissseretur. Nunc Germanicas res perstringamus.

18. *Ex Anglia exteri hæretici ejiciuntur.* — Narrat Surius [2] magnam hæreticorum colluviem ex Anglia profugam hoc anno in Germaniam confluxisse, in eaque suas sedes collocasse, regina enim Maria, ut Sanderus [3] memorat, expurgandæ Angliæ cupida senatusconsulto gravissimo edixerat, ut exteri omnes, qui neque publicam gerebant personam, nec in cives adscripti essent, Angliæ regno excederent, cujus decreti terrore perculsi hæretici variarum nationum sectarumque supra triginta millia solum verterunt, regnante enim Eduardo in Angliam veluti in asylum impiorum perfugerant. Horum antesignanus erat Petrus martyr maximus Sathanæ laqueus, de quo hæc Sanderus addit : « De Petro martyre aliquandiu deliberatum est in senatu, utrum expediret illum in insula flammis tradere, quod ille inter cæteros multum damni reipublicæ attulisset, sed itum est in illud, ut quia fide publica venerat, dimitteretur potius cum suis ; Buceri vero corpus paulo ante Cantabrigiæ sepultum jubebatur secundum leges cum Pauli Phagii cadavere exhumari et comburi : uxoris autem Petri martyris impura ossa e cœmeterio in sterquilinium Oxonii projici ». Cum ita Petrus martyr humani judicii severitatem gravius a divino puniendus evasisset, Argentoratum trepidus se contulit, ac deinde a Tigurinis vocatus, Zuinglianæ pestilentiæ primariam cathedram conscendit, ex qua postea in inferos præceps corruit. Porro in Germania hæretici non omnino secundis rebus usi sunt, quorum defensor Albertus Brandeburgicus extremo superiore anno kal. Decemb. ut publicæ

[1] Acta Cons. sig. num. 134. p. 149. — [2] Sander. de schism. Angl. l. II. in Maria.

[1] Jul. III. sup. l. VIII. brev. p. 156. — [2] Sur. in Comm. hoc anno. — [3] Sander. l. II. in Maria.

quietis et imperii hostis proscriptus [1], omni ditione sua depulsus est, ac Blasseburgum præcipua ejus arx in Ferdinandi regis potestatem concessit, Cæsareus etiam exercitus conjunctis Norimbergensium et episcoporum copiis, expugnato Suinfurto in fugam illum abegere, ejusque partium sequaces male mulctarunt.

19. *Confirmat Julius pacta cum Germanis a Nicolao IV sancita.* — Inter has Germaniæ civiles turbas Pontifex ad alendam tuendamque in clero Germanico pacem et concordiam litesque sopiendas, vetera Nicolai V pacta cum Germanis de conferendorum in Germania sacerdotiorum jure atque ordine instauravit, ut ex subjecto Diplomate [2] patet :

« Ad futuram rei memoriam.

« Decet Romanum Pontificem Domini nostri Jesu Christi, a quo pax, et concordia, ac reliqua bona procedunt, in terris vicarium concordiis inter Sedem Apostolicam et nationes Christianas initis firmiter adhærere, et ne eis contraveniatur, efficaciter providere. Sane nuper accepimus, quod licet in concordatis inter dictam Sedem ex una, et inclytam nationem Germanicam ex altera parte dudum initis, per felicis recordationis Nicolaum V primo, et deinde diversos alios Romanos Pontifices prædecessores nostros approbatis et innovatis, ac mutuo partium consensu firmatis, inter alia caveatur expresse, quod de beneficiis sæcularibus et regularibus dictæ nationis, et dispositioni Apostolicæ alias, quam ex causis inibi expressis, reservatis pro tempore vacantibus, jure ordinario provideatur, per eorum ordinarios collatores impediantur, quo minus de illis cum de Februarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris et Decembris mensibus vacent, libere disponatur per eos, ad quos illorum collatio, provisio, præsentatio, electio et quævis alia dispositio pertinet, et concordata hujusmodi civitatem et diœcesim Leodiensem comprehendant seu ad illas extensa sint. Nihilominus pro eo, quod postmodum piæ memoriæ Sixtus Papa IV, etiam prædecessor noster, dilectis filiis Universitati doctorum, magistrorum et scholarum Studii Lovaniensis dictæ diœcesis, seu forsan Facultati Artium in eodem Studio institutæ, aut pro tempore existenti rectori Universitatis hujusmodi, de quinque magistrorum ad hoc in solita congregatione Universitatis hujusmodi deputandorum consilio et assensu, nominandi singulis prælatis, capitulis, conventibus, collegiis et personis Ecclesiasticis, utriusque sexus sæcularibus, et regularibus etiam abbatissali, abbatiali, episcopali, archiepiscopali, aut cardinalatus fungantur dignitate et honore, ad quos, quas et quæ canonicatuum, præbendarum, ac administrationum, et officiorum, cæterorumque beneficiorum Ecclesiasticorum, cum cura et sine cura in terris temporalibus dominii tunc ducis Austriæ consistentium collatio, provisio, præsentatio, electio, seu quævis alia dispositio communiter vel divisim pertinet, et eorum cuilibet, etiamsi aliqui ipsorum extra terras easdem et residentiam haberent, unum clericum ex sæcularibus et graduatis Universitatis hujusmodi, certo tamen expresso modo qualificatum, facultatem perpetuo duraturam concedit, et concessio hujusmodi ad dictas civitatem et diœcesim extensa fuit, et a nonnullis forsan nimium scrupulosis asseritur in concessione, seu illius extensione hujusmodi concordatis prædictis derogatum fuisse, inter ordinarios collatores civitatis et diœcesis prædictarum, seu eos, quibus beneficia ipsa per eosdem ordinarios collatores pro tempore conferuntur ex una, ac pro tempore nominatos ad beneficia hujusmodi ex altera partibus, diversæ quæstiones, discordiæ, contentiones et lites sæpius oriuntur, ac quæ ex similibus provenire consueverunt, odia, jurgia et scandala subsequuntur majoraque in dies subsequi posse formidatur, in maximum ordinariorum collatorum, et aliorum, quibus beneficia hujusmodi pro tempore conferuntur, præjudicium , ac studentium per graduatorum prædictorum perturbationem non modicam ; Nos attendentes, concordata prædicta vim pacti inter partes habere, et quæ ex pacto constant, absque partium consensu abrogari non consuevisse neque debere, volentes litium fomenta de medio tollere, singularum litterarum Apostolicarum super præmissis confectarum tenores præsentibus pro expressis habentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine per præsentes statuimus, et ordinamus, atque decernimus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus iidem ordinarii collatores, quibusvis nominationibus in una concessione facultatis nominandi, et illius extensionis hujusmodi pro tempore factis non obstantibus, et de beneficiis ad eorum collationem seu quamvis aliam dispositionem quomodolibet pertinentibus, alia juxta ipsorum concordatorum continentiam et tenorem disponere libere et licite possint, quodque dispositiones per eos de ipsis beneficiis juxta tenorem concordatorum hujusmodi alias rite et recte pro tempore factæ validæ et efficaces existant, suosque plenarios effectus sortiantur, sicque et non alias in præmissis omnibus et singulis per quoscumque judices et commissarios, quavis auctoritate fulgentes, etiam causarum Palatii Apostolici auditores, in quavis causa et instantia sublatis, et eorum cuilibet, quamvis aliter judicandi et interpretandi auctoritate et facultate judicari et definiri debeat, et irritum et inane existat, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate,

[1] Sur. in Comm. hoc anno. Ferron. in Henr. II. — [2] Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2887. p. 257.

scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus præmissis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, necnon Universitatis et facultatis prædictorum, et juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, consuetudinibus, privilegiis quoque, et litteris Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, necnon irritantibus, et aliis decretis a motu simili et quomodolibet concessis, aut etiam iteratis vicibus approbatis etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XIV Septembris MDLIV, anno IV ».

20. *Bellum in Belgio et Italia ab Henrico Galliæ rege contra Cæsarem gestum.* — In Germania inferiore bellum grave ab Henrico Gallorum rege adversus Cæsarem gestum est; occupato enim Cæsare in conciliando Philippi filii cum Maria regina matrimonio, ut Anglos belli socios adversus ipsam haberet, Henricus rex [1] tripartito instructo exercitu, ad rem perturbandam in Belgium irrupit mense Junio, atque Atrebatensem agrum vastavit; Orcimontem arcem ad deditionem compulit, Mariamburgum a Maria regina Hungariæ munitum subegit, Dionantum oppidum validissimum expugnavit, decimo-septimo kalendas Augusti Dionanto profectus, ingressusque Hannoniam Bincium deditione recepit, Rentium tamen frustra tentavit, cum Cæsar valido exercitu collecto castra diligentius munivisset, commeatuum inopia pressus in Galliam XVIII kalendas Septembris rediit, cum intercipiendi proditione in primo expeditionis impetu Cameraci consilia patefacta atque oppressa fuissent.

Cum ita Gallorum res in Belgio prospera esset, in Italia attrita atque profligata est, quanquam initio effloresceret, magnumque terrorem inferret, nam in Gallia Subalpina Brissacus Hiporediam et Vercellas ceperat, sed arce propulsatus, adventante Ferdinando Gonzaga, se subduxerat.

In Hetruria, cum, uti dictum est, dux Florentiæ Cosmus anno præterito se ad Senense bellum comparasset, mense Januarii Senensium ditionem invasit, et mediæ noctis silentio marchio Marignani, qui exercitui ducis Florentiæ præerat, munitiunculam occupavit, quam Senenses juxta januam civitatis, quam Camulliam nuncupant, ad urbem custodiendam, extruxerant; bello inchoato, dux Pontifici et Italiæ principibus litteras dedit, quibus suscepti hujuscemodi belli consilium et causas aperiebat. Senenses quamvis inopinato petiti bello, cum pro eis Galli validissime pugnarent, non solum se defendere armis, sed etiam multa damna duci Florentiæ intulere, cum Petrus Strozzius ducis Florentiæ perduellis, et generalis ductor copiarum regis Galliæ et Senensium, multa oppida Florentinis abstulisset, sed tandem die secunda Augusti ipse Petrus cum marchione Marignani congressus pugna infeliciter commissa, et magna militum cæde fusus et profligatus est. At Marchio Pischariæ, qui ducis Florentiæ exercitui præerat cum imperio militari, victricibus copiis succinctus, ex quibus pauci milites desiderati erant, ad Senas obsidione cingendas provolavit, tandemque expugnavit, Gallosque dispulit, ut suo loco dicetur. Qua tanta victoria parta, dux Florentiæ in grati animi argumentum, militarem postea sub Pio IV religionem instituit, sub S. Stephani Pontificis et Martyris patrocinio, cum die ejus memoriæ sacro adeo præclaram victoriam obtinuisset, et prope Marcianum oppidum, in cujus agro de hoste triumphavit, templum eidem sancto Stephano, perpetuum victoriæ monumentum, erexit. Eodem ipso tempore [1] Genuenses totam fere Corsicam, missis exercitibus, a Gallis pridem subactam, recuperarunt, cum Gallis insulæ præsidiariis Gallica subsidia defuissent, et naves auxiliares ventorum vi dispersæ aut mersæ undis fuissent: ita in Italia res Gallicæ infeliciter afflictæ prostratæque. Quo etiam tempore Dragutus, classe Turcica in regnum Neapolitanum invectus plurima maritima oppida cædibus rapinisque fœdavit, magnamque Christianorum multitudinem in servitutem rapuit: « Tam impotens », inquit Belcarius [2], « erat duorum principum Cæsaris et regis Henrici iracundia ac pertinacia, ut Christianas provincias ab eo hoste compilari vastarique, quam æquas inter se pacis conditiones inire mallent, quem Christianorum omnium communem hostem, si nomen Christianum tueri volunt, omni belli clade persequi deberent ».

21. *Neapolitani tumultus componuntur.* — Porro in Neapolitano regno, cum antea ob institutam fidei censuram in impios, ne sensim in id regnum hæreseos pestis irreperet, varii exorti essent tumultus, nonnullis objicientibus alienarum fortunarum diripiendarum cupiditate insontes inique oppressum iri, ita demum composita res est, ne scilicet bona sontium fisco addicerentur, sed ad proximiores consanguineos transmitterentur, sontesque meritis pœnis afficerentur. Extant Julii litteræ [3] de ea re ad cardinalem Pacecum datæ :

« Cardinali Paceco.

« Et ex tuæ circumspectionis litteris, et ex sermone dilecti filii nobilis viri prudentissimique hominis Joannis Maurici Cæsareæ majestatis apud nos oratoris intelleximus, quod sicut universitas et homines istius nobilissimæ civi-

[1] Francisc. Belcar. l. XXVI. num. 45 et seqq. Ferron. in Henr. II. Sur. in Comment. hoc anno. Natalis Comes l. VIII. Adrian. l. X. anno 1654.

[1] Id. ib. Natalis Comes l. VIII. — [2] Lib. XXVI. num. 79. — [3] Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2888. p. 399.

tatis (nempe Neapolitanæ) pro suo perpetuo religionis zelo subditos istius regni hereticæ pravitatis reos cunctis Ecclesiasticis censuris et juris pœnis animadverti probant, ita a bonorum confiscatione pro pace et quieto ipsius regni regimine abstineri cupiunt, quare nos, qui in hujusmodi nefario crimine extirpando nihil aliud spectamus, aut nobis habemus propositum, nisi Dei honorem et sanctæ ejus religionis incrementum, atque ut per emendationes malorum boni piique ab hujusmodi pestis contagione illæsi conserventur, vestris precibus in hoc annuentes, et tum isti universitati, quam in visceribus charitatis gerimus, tum ipsi serenissimo Cæsari et tuæ quoque circumspectioni gratum facere volentes, si quæ in isto regno bonorum confiscationes ex prædicta causa adhuc factæ fuerint, eas gratiose abolemus, cassamus et annullamus etiam, et ne similes bonorum confiscationes aliquando fiant, quemadmodum optimis et integerrimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus huic salutari de hæretica pravitate judicio præfectis injunximus, nec dubitamus pro eorum gravitate prudentiaque illud esse observaturos, et nihilominus irritum et inane decernimus, si quid a quopiam in contrarium contigerit attentari. Dat. Romæ ».

22. *Ad sepulchrum Christi reparandum Julius III pecuniam colligit.* — In Syria temporum vetustate Christianorum templis collabentibus, atque etiam religioso cultu in sanctissimi sepulchri sacra Æde ob fidelium earum partium inopiam obsolescente, Pontifex in Urbe Sodalitium piorum virorum instituit, qui ex corrogata stipe, collectisque eleemosynis sanctissimi Sepulchri Ædis reficiendæ, divinique in ea cultus rite peragendi curam sustinerent, de quo Julius Cæsarem, aliosque reges Catholicos, necnon principes, præsulesque, atque Ecclesiasticos certiores fecit [1], ut tam pium opus liberaliter promoverent :

« Charissimis in Christo filiis nostris Carolo Romanorum imperatori semper Augusto, cæterisque Christianis regibus, principibus, ducibus, marchionibus, rebuspublicis, et quibusvis dominis temporalibus, necnon venerabilibus fratribus, et dilectis filiis nostris et Apostolicæ Sedis legatis, nuntiis, patriarchis, archiepiscopis et episcopis, ac aliis quibuscumque Ecclesiasticis personis, ad quorum manus hæ nostræ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Cum nos superioribus mensibus ad divini honoris augmentum, et populorum Christiani nominis animarum consolationem in alma Urbe nostra unam Archiconfraternitatem sanctissimi Sepulchri Dominici instituerimus, volentes litteras nostras super erectione ipsius Archiconfraternitatis editas in conspectibus vestris, et locis ditionis vestræ, ea qua decet solemnitate et auctoritate publicari et promulgari, venerabilem fratrem Albertum episcopum Vegliensem, cujus studio et diligentia ad hanc institutionem et publicationem hic in Urbe usi sumus, et sacrarum litterarum peritia, et verbi Dei prædicationis facundia præditum agnoscentes, eum ad tam sanctum propositum nostrum exequendum majestatibus ac nobilitatibus vestris destinamus, committentes eidem, ut ad illas accedens nostro nomine, tam easdem quam Christianos populos ad tam pium et tam religiosum opus hortetur et inducat, idcirco majestates et nobilitates vestras hortamur, et vestrum singulos in Domino et paterna charitate ex animo requirimus, ut pro vestris pietate, devotione atque in hujusmodi pia opera propensa voluntate eumdem Albertum episcopum benigne recipere et libenter audire velitis, necnon ea omnia, quæ ad tam sanctum et laudabile opus perficiendum necessaria fuerint, pie ac benevole præstetis, atque exhibeatis, quod cum Deo ipsi omnipotenti, ad cujus laudem et gloriam hæc fiunt, tum nobis quoque, qui eadem tota mente totisque viribus nostris promovere studemus, erit gratissimum. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XIX Octobris MDLIV, anno V ».

23. *Pontifex corruptelas quæ in cardinalium ordinem irrepserant purgat, et religiosorum quorumdam ambitionem reprimit.* — Expoliendæ, atque in meliorem formam redigendæ disciplinæ Ecclesiasticæ hoc anno a Julio navata est opera, ut referunt Acta Consistorialia [1] his verbis :

« Ultima Novembris fuerunt tradita per manus exempla reformationis factæ a S. D. N. reverendissimis, ut ipsi mature considerare possint, si quid eis occurrerit ». Inter alia de corruptelis abolendis, quæ in cardinalium ordinem irrepserant, actum est, ac Marcellus tit. sanctæ Crucis cardinalis, quem Julius ad componendas sanctiores leges adhibuerat [2], hæc virtutum officia atque ornamenta a cardinalibus exegit.

« Hæc scripta manu Marcelli II Pontificis.

« Cardinales assumpti cogitent, ad qualem dignitatem et munus vocati sint, et quod tanquam lucerna in Ecclesia omnibus bono exemplo esse debent, hospitales, pauperum amatores et defensores, summo Pontifici sint subjecti. Ut libera consilia sine aliquo respectu dent. Titulos et alias Ecclesias sibi commissas frequenter visitent, et si qua reparatione indigent, resarciant ac restaurent. Familiam modestam habere studeant domi. Beneficia benemeritis conferant, et præsertim curata. Nec ob id, quod car-

[1] Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2887. p. 267.

[1] Act. Cons. sig. num. 234. p. 149. — [2] To. VI. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3198. p. 374.

dinales sint, putent eis magis transgredi leges licere ».

Ad comprimendam etiam plurium religiosorum ambitionem, qui exquisitissimis artibus inhiabant ad occupandos episcopatus, hæc a Julio sancita narrant Acta [1] Consistorialia :

« Romæ die XIII Augusti MDLIV fuit Consistorium, in quo S. D. N. Julius divina Providentia papa III, attendens diversorum Ordinum religiosos ultra modum cathedralium Ecclesiarum cupidos esse, eorum ambitioni occurrere volens, de fratrum consilio statuit atque decrevit, ne de cætero quorumvis Ordinum religiosi ad cathedrales etiam metropolitanas Ecclesias minime promoveantur , nisi superioris et in Romana curia protectoris , ad id respective expressus accedat consensus. ».

24. *Spes reducendi Æthiopes ad unitatem Ecclesiæ affulget.*— Affulsere hoc anno [2] eximiæ spes restituendæ in Æthiopia Orthodoxæ religionis, amplissimasque gentes ad Romanæ Ecclesiæ conjunctionem et obsequium adducendi. Mersi erant Abyssini Dioscori et Eutychetis vetustis erroribus atque a Cophtorum Alexandrino patriarcha sacra petebant jura, ac Marco patriarchæ eadem hæresi infecto parebant ; Claudius vero imperator divina religione actus, nam et celebrabatur apud Æthiopas oraculum, mittendum eo tempore pastorem a Romana Ecclesia, qui Æthiopas divina lege erudiret, sive Lusitani commercii utilitate impulsus, nam et antea Lusitanorum subsidiis fultus adversus Gradememetem Zeilani tyrannum præpotentem imperium in adversis defenderat, ac Joannem regem Lusitaniæ ejus nominis Tertium fœderatum rogaverat, ut apud Romanorum Pontificem pro impetrando optimo pastore qui Æthiopas in veræ salutis viam traduceret, Romanæque Ecclesiæ fidei conjungeret, deprecatorem ageret. Egit itaque rex Lusitaniæ primum cum Paulo III, dein cum Julio III, necnon cum Ignatio Societatis Jesu præposito, cujus socios ob eximiam sanctitatis opinionem conceptam, et flagrantissimum amplificandæ religionis studium difficillimo muneri adhibendos decreverat. Itaque Claudii imperatoris explorata voluntatis constantia, atque ab Ignatio, quem insignis sanctimonia miraculis confirmata in sanctorum Ordinem evexit, duodecim sodales eruditionis et probitatis laude conspicuos pro Æthiopia a vetusta hæresi vindicanda flagitavit, atque ex iis patriarcham et duos successores futuros designaret. Paruit regiis postulatis Ignatius, atque Joannem Nunnium Barretum Lusitanum, qui in redimendis in Africa Christianis captivis Christianas virtutes explicuerat, Andream Oviedum Castellanum Neapolitani Collegii rectorem, ac Melchiorem Carnerium Lusitanum, ut amplissimis muneribus non impares commendavit, cujus judicium secutus Lusitaniæ rex Joannem Nunnium Barretum deligi ab Æthiopibus in patriarcham curavit delectumque significavit Pontifici, qui in ea dignitate ipsum confirmavit, ac pallio sumpto e beati Petri corpore ornavit : tum amplissimis mandatis instruxit, ut finitimas Æthiopiæ provincias ad Catholicam fidem Romanique Pontificis agnoscendam auctoritatem adjungere posset [1] :

25. « Dilecto filio Joanni electo Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Aznaf Saguad, Pretioso Joanni, ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum.

« Dilecte fili, salutem, etc. Cum nos nuper Ecclesiæ patriarchali Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Aznaf Saguad (Pretioso Joanni) ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum, pastoris solatio destitutæ de persona tua nobis et fratribus nostris ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de ipsorum fratrum consilio Apostolica auctoritate providerimus, præficiendo te illi in patriarcham et pastorem, et successive pallium, insigne videlicet plenitudinis Pontificalis officii, de corpore B. Petri sumptum, pro parte tua, a nobis cum ea, qua decuit instantia, postulatum, tibi certis tunc expressis modo et forma consignandum per certum nuntium tuum destinaverimus, ac tibi diversas facultates, quibus in provincia tua uti possis , dicta auctoritate concesserimus , prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur, nos, ut in præmissis eo majorem fructum afferre possis, quo latiori fueris facultate munitus, tibi, ut in quibusvis regionibus regni prædicti Aznaf (Pretiosi Joannis) imperatoris circumvicinis , quæ nullum cum hac sancta Sede Apostolica commercium habent, facultatibus prædictis uti et illas cum personis regnorum hujusmodi exercere libere et licite, in omnibus et per omnia perinde ac si etiam regiones prædictæ, sub eisdem tibi concessis facultatibus specialiter, et expresse, et nominatim comprehensæ fuissent, plenam et liberam eadem auctoritate tenore præsentium in Domino concedimus facultatem et potestatem, non obstantibus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum XV Februarii MDLV, anno V ». De titulo *Pretiosi*, unde fluxerit, consulat lector Nicolaum Godignum.

26. Adlegit Pontifex adjutores patriarchæ Andream Oviedum, quem Hierapolitanum episcopum creavit, et Melchiorem, quem Nicensi Ecclesiæ præfecit, utque liberius divinæ propagandæ gloriæ apud Æthiopas vacarent, ipsos, dum extra Europam residerent [2], adeundæ Sedis Apostolicæ labore exemit.

[1] Act. Cons. sig. num. 134. p. 129. — [2] Orland. hist. Soc. Jesu l. XIV. num. 112 et seqq. Osor. l. V. Nicol. Codignus l. II. Maffeius l. II.

[1] Jul. III. l. VIII. brev. sig. num. 2887. p. 330. — [2] Ib. p. 326.

« Dilectis filiis Joanni patriarchæ Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Pretioso Joanni ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum, et Andreæ Hierapolensi, et Melchiori Nicensi electo, et eorum cuilibet.

« JULIUS, etc.

« Dilecti filii, salutem, etc. Cum nos nuper patriarchali Æthiopiæ, et regnorum charissimo in Christo filio nostro Pretioso Joanni ipsius Æthiopiæ imperatori illustri subditorum, de tui, fili Joannes, et Ierapolensi de tui, fili Andrea, ac Nicensi Ecclesiis de tui, fili Melchior, personis nobis et fratribus nostris ob vestrorum exigentiam meritorum acceptis de ipsorum fratrum consilio Apostolica auctoritate providerimus, præficiendo te, fili Joannes, in patriarcham patriarchalis, et te, fili Andrea, Hierapolensi, et te, fili Melchior, Nicensi Ecclesiis episcopos et pastores, tibi, Joannes, quoad vixeris, et dictæ Ecclesiæ Patriarchali præfueris, in ejusdem Ecclesiæ regimine et administratione in spiritualibus et temporalibus, vos, filii Andrea et Melchior, in coadjutores cum plena, libera et omnimoda facultate, potestate et auctoritate omnia et singula, quæ ad hujusmodi coadjutoriæ officium de jure vel consuetudine pertinent faciendi, sub certis modo et forma tunc expressis, de simili consilio constituerimus et deputaverimus, ac dictæ Ecclesiæ patriarchali in certos et tunc expressos eventus de personis vestris ex certis tunc expressis modo et forma providerimus, confirmando etiam vos dictæ Ecclesiæ patriarchali in patriarchas et pastores, prout in diversis nostris inde confectis litteris plenius continetur, vosque in susceptione muneris consecrationis vobis dicta auctoritate impendendi, quod limina Beatorum Petri et Pauli Apostolorum singulis bienniis, seu certis aliis temporibus per vos, vel vestros nuntios visitabitis juraturi sitis : nos status vestri quieti consulere volentes, vobis et cuilibet vestrum, quod quoad vixeritis, et extra Europam resederitis, ut limina Apostolorum hujusmodi per vos vel alium visitare minime teneamini, nec ad id a quoquam inviti compelli possitis, dicta auctoritate per præsentes concedimus et indulgemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XXI Februarii MDLV, anno V ».

Conjunxere se iis præsulibus e societate Jesu delectis alii sodales sacerdotio et doctrina insignes, ut sacris concionibus et colloquiis veterem Dioscori atque Eutychetis impietatem confutarent eorumque tenebras doctrinæ luce discuterent. Ut vero ab his Evangelicis præconibus gravissimi labores, deficiente a suscepta pia mente Claudio Æthiopum imperatore, exantlati fuerint, dicetur inferius, nunc felices per Indos et Japonios Evangelii progressus conjungamus.

27. *Pro tuenda fide fortiter certant usque ad mortem Orientales Indi.* — In India Orientali plures neophyti ob susceptam Christi fidem summa constantia graviora passi ad mortem usque eam retinuerunt, de quibus in Commentariis [1] hæc referuntur :

« Circa Persicum sinum anno a Deipara Virgine MDLIV, Turcæ navem cepere, qua præter Lusitanos neophyti vehebantur, Malavares adolescentuli sex circiter, et triginta ab nono ætatis anno ad septimum usque decimum. Hos Mauri a Christo ad Mahometem traducere summa ope alternis blandiendo minandoque frustra conati, ad verbera denique et varios cruciatus descendunt. Adduntur ad cæteram immanitatem atque sævitiam stillæ adipis igne liquati, quæ cum tormenta multasque præterea injurias puerorum egregia virtus fidesque contemneret, vi denique arreptum unum ex iis circumcidunt invitum ac renitentem, quem deinde cum Mahometanum esse jam Turcæ dicerent, cavillantes atque tentantes, ille utique pernegare, corpus tantum violatum esse, non animum affirmare, proinde se non minus Christianum esse, quam antea ». Interjectis nonnullis de Amboinensibus pro Christo a Mauris gravissime vexatis hæc adduntur :

« Illud vero, quod in Amboino annis superioribus contigit, cum veterum utique martyrum illorum fide ac fortitudine comparandum videtur, non modo quod multi neophytorum vici pro veritate Evangelica sane direpti, omnes etiam incolæ alicubi ad unum crudeliter cæsi, verum etiam, quod plurimum a Barbaris genere feritatis inaudito consumpti sunt, præcisos quippe viventibus brachiorum toros, ac tibiarum articulos inspectantibus ipsis igne torrebant Barbari, vorabantque paulatim, cætera quoque corporum membra laniantes, quod neophyti lento cruciatu confecti animam Domino redderent, quorum aliquot ad extremum usque spiritum salutares illas voces, JESUS MARIA, exaudiebantur, iterantes identidem, ut interim illos omittam, qui in acerbam servitutem alio, atque alio abducti sunt : atque hæc propterea quod a Mauris obsessi Crucis signum, quod in singulis Christianorum vicis publice collocari consuevit, refixum, atque ad mœroris indicium atra veste involutum, ne in Maurorum contumeliosas manus veniret, humi defoderant ».

28. *Floret fides in insula Japoniæ ob miracula ibi ostensa.* — Apud Japonios, quibus sanctus Franciscus Xaverius Evangelicam lucem intulerat, Christiana fides effloruit, insignibus miraculis confirmata a Deo, qui Ecclesiæ suæ plures ab idolorum cultu revocatos adjunxit, de quibus Petrus Alcacer [2] ab iis edoctus sociis Europæis hæc scripsit :

[1] Comment. rerum a Soc. Jesu in Oriente gestar. p. 38. — [2] Petrus Alcacer in lit. quæ ext. in com. rer. Indic. p. 90.

« Dominus noster in hac terra pro rei necessitate divinam Baptismi vim miraculis multis illustrat. Non procul Bungo complures per Baptismum expiati cum essent, unus ex iis cœcus tredecim natus annos, simul ac baptizatus est, integrum oculorum lumen recepit, quæ res neophytorum animos magnopere confirmavit ». Et infra :

« Christianus quidam paralysi duorum triumve mensium laboraverat, is magicis artibus (de gentis more) dum a propinquis curatur, etiam mutus efficitur, cujus casum miseratus amicus item Christianus cœlestis aquæ lavacro, quam sumpserat domi nostræ, conspergit hominem, ille surrexit statim et locutus est, nostrosque convenit. Hisce atque aliis hujusmodi remediis Christianam rem in hac terra Dominus pro sua bonitate sustentat, cui gratiæ agendæ sunt eo magis, quo major est cum Japoniorum cœcitas omnium, tum præcipue Bonziorum, quorum aliqui in montem ad phanum quoddam idolorum ad piacula per inediam expianda se recipiunt; martyrum vero dæmonis summa iniri vix potest, simulacrum est excelsa admodum in arce positum, ex eo loco in honorem idoli semet Japonii præcipitantes intereunt : ii post mortem vulgo sancti existimantur, alii navis alveo de industria perforato merguntur, seque hoc mortis genere miseri certam consequi beatitudinem putant, persuasit enim huic genti diabolus, rem valde honorificam esse, mortem sibi ultro consciscere.

« Goa MDLIV ».

29. Insigne aliud miraculum [1] narrat Eduardus a Sylva editum a neophyto Japonio, qui concivem a malo spiritu occlusis faucibus pæne præfocatum liberavit, Christoque lucrifecit :

« Neophytus, inquit, Antonius nomine, reperit hominem, qui ab dæmone septem jam diebus ita præfocabatur, ut nihil, neque esculentum, neque poculentum per fauces posset demittere. Hunc miseratus Antonius, et simul recordatus latronis ejus, cui culpam suppliciter agnoscenti Dominus noster Jesus Christus ignoverat, aquam in vas infundit, expiatque manu sua per signum Crucis : deinde hortatur ægrotum, ut peccatorum suorum agat pœnitentiam, et credat in eum a quo conditus fuerat, ut salutem possit accipere. Annuit ægrotus, et continuo porrectum sibi poculum aquæ totum penitus hausit, appositumque orizæ pabulum sine labore comedit. Quæ res ægrotum ita permovit, ut cum primum per corporis vires liceret, ad nos conferre sese Christianæ religionis suscipiendæ causa decreverit : itaque fecit, omnem superstitionem abjecit, Christianos ritus ac precationes edidicit, paucisque post diebus mortuus est ».

[1] Ib. p. 104. Duartes a Sylva in lit.

30. *Pro fide amplificanda in America Julius III religiosos eligit.* — In India quoque Occidentali [1] apud Brasilios barbarie immanissimos propagata religio, miraculisque collustrata est. Piratimgani consilio Christianæ matronæ, quæ virum gentis more in bello comitata erat, cum frontem Crucis signo armassent, adversas Barbarorum, qui longe numero superiores erant, acies deleverunt vel ceperunt, vel in fugam averterunt nullis desideratis aut vulneratis, duobus exceptis, qui salutare consilium contempserant, quorum alter extinctus, alter spiculo transverberatus : quas vero ærumnas, quosque labores Evangelici viri Societatis Jesu pro Barbaris Christiana fide informandis tolerarent, ex Josephi Ancietæ de re Evangelica optime meriti litteris ad sanctum Ignatium Augusto mense hujus anni datis recognoscamus : « Ab Januario, inquit, usque in præsens nonnunquam plus viginti (simul enim pueri catechistæ degebant) in paupercula domo, luto et lignis contexta, paleis cooperta, quatuordecim passus longa, decem lata mansimus. Ibi schola, ibi valetudinarium, ibi dormitorium, cœnaculum item et coquina et penus simul sunt, nec tamen amplarum habitationum, quibus alibi fratres nostri utuntur, nos movet desiderium, siquidem Dominus noster Jesus Christus in arctiore loco positus est, cum in paupere præsepi inter duo bruta animalia voluit nasci, multo vero arctissimo, cum in Cruce pro nobis dignatus est mori. Porro domus angustiis », subdit Orlandinus, « cætera vita erat consentiens, frusta nauticorum velorum, quæ nautarum dabat benignitas, atro tincta, ipsimet sibi concinnabant in tunicas, potio erat aqua ex milio cocta, esca legumen ferme vel olera, vel aliquid mandiocæ (id est ligneæ illi farinæ vocabulum) nec semel exhausto funditus domestico penu, opportuno in tempore, et quidem unde minime sperabatur, pauperibus suis Pater cælestis dona sua submisit ».

Non multo feliciore opulentia et lautitia potiebantur sacerdotes, qui in aliis Americæ provinciis Carolo imperatori obnoxiis Evangelium inter Barbaros proferebant, vel Hispanis in eorum coloniis Sacramenta conferebant : quare sæculares sacerdotes, qui tanto ambitu optima sacerdotia in Europa consectantur, a gerendo in iis regionibus incultis sacerdotio vehementer refugiebant, ob quorum inopiam, cum Hispanæ novi orbis coloniæ gravissime apud Philippum Hispaniæ principem se destitutas sacerdotibus quererentur, Pontifex ab eo de re certior factus sanxit [2], ut Prædicatores, Minoritæ, et Augustiniani, invitis etiam præpositis, ad id munus accerserentur, qua de re hæc mandata tribus præsulibus Hispanis data fuere :

[1] Orlandin. hist. Soc. Jesu l. XIV. num. 113. — [2] Jul. III. l. brev. sig. num. 2887. p. 190.

« Venerabilibus fratribus archiepiscopo Hispalensi et Abulensi, ac Antonio de Fonseca olim Pampilonensi episcopis, ac eorum cuilibet.

« Venerabiles fratres, salutem. Cum sicut charissimus in Christo filius noster Philippus Angliæ rex illustris, qui etiam Hispaniarum princeps existit, et charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatore semper Augusto genitore suo, qui etiam Hispaniarum rex Catholicus existit, a regnis Hispaniarum absente, regna hujusmodi ad præsens administrat, nobis nuper exponi fecit, quod in insulis et terris Indiarum Maris Oceani, auspiciis ejusdem Caroli imperatoris hactenus repertis, seu certa earum parte magna sit penuria religiosarum et aliarum Ecclesiasticarum personarum, quæ populos illarum partium ad orthodoxam fidem et verum Dei cultum convertere, et conversos Baptismatis lavacro regenerare, ac in eadem fide instruere, et confirmare, eisque verbum Dei prædicare, et redemptoris nostri Domini Jesu Christi Evangelium annuntiare sciant et velint, et licet ipsi Carolus imperator et Philippus rex jamdudum procuraverint, quas plures potuerunt religiosas et alias Ecclesiasticas personas ad præmissa idoneas et habiles, ad eas insulas et terras seu partem hujusmodi transmittere, nihilominus ob numerositatem populorum eorumdem, qui hactenus illuc accesserunt, religiosæ et aliæ Ecclesiasticæ personæ ad præmissa non sufficiant, sed ad ea multo plures requirantur, et generales, et provinciales magistri et ministri, necnon priores, et guardiani fratrum Prædicatorum, et Minorum, ac Hæremitarum sancti Augustini Ordinum, tot quot opus est, Ordinum suorum professores ad insulas et terras, seu partem hujusmodi transmittendos consignare graventur, in animarum singularum personarum populorumque hujusmodi, qui sæpe, sine Baptismatis gratia, aut Pœnitentiæ, seu Eucharistiæ Sacramento decedunt, perniciem, idem Philippus rex nobis humiliter supplicari fecit, ut omnibus et singulis ordinum prædictorum professoribus ad præmissa idoneis et habilibus, qui ad insulas et terras seu partem hujusmodi pro præmissis exequendis se conferre voluerint, illuc etiam absque superiorum suorum licentia libere accedendi facultatem concedere, aliasque in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de præmissis certam notitiam non habentes, et populorum eorumdem conversionem, regenerationem, ac instructionem, et confirmationem sinceris desiderantes affectibus, hujusmodi supplicationibus inclinati, fraternitati vestræ per præsentes committimus et mandamus, quatenus vos, vel duo, aut unus vestrum, consideratis omnibus præmissis, ac eorum circumstantiis universis, tot quot vobis necessarii videbuntur, dictorum ordinum professoribus ad præmissa idoneis et habilibus, qui ad insulas et terras, seu partem hujusmodi pro præmissis exequendis se conferre voluerint, licentia superiorum suorum petita, et si absque rationabili causa eam denegari vobis visum fuerit, super quo conscientiam vestram oneramus, tunc absque dictorum superiorum licentia, libere accedendi facultatem et potestatem simul vel successive concedere », et infra : « auctoritate nostra curetis, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum etc. die xx Julii MDLV, anno V ».

31. *De morte filii consolatur Pontifex Joannem Lusitaniæ regem.* — Accepit hoc ineunte anno gravissimum vulnus Lusitania extincto Joanne Lusitaniæ principe in florentissima adolescentia. Hic Joannam Caroli Cæsaris filiam uxorem prægnantem reliquit, quæ Sebastianum regem, qui calamitatibus suis inclaruit, enixa est : « O quam multi », inquit Surius[1] « in rerum omnium summa affluentia tum auferuntur ex hac luce, cum eam primum incipiunt intueri, et tamen in tanta miseræ hujus vitæ incertitudine, quotus quisque est, qui non sibi Nestoreos propemodum polliceatur annos ». Confectum mœrore parentem Joannem III regem Pontifex subjectis litteris solari[2], atque pie erigere ad Christianam constantiam conatus est, misitque internuntium, qui verbis sacris illius dolorem demulceret.

« Regi Portugalliæ.

« Charissime, etc. Etsi libenter usurpare solemus omnia erga majestatem tuam amantissimi et benevolentissimi Pontificis officia, sicuti quidem et tuæ eximiæ pietati, et singularibus in Christianam rempublicam, atque in hanc Apostolicam Sedem meritis maxime convenit, tamen hoc officium, quo erga eamdem tuam majestatem fungi hoc tempore cogimur, cum nobis de gravissimis ejus incommodis ceu illi dolendum sit, non tam libenter facimus, quam necessario, tantum enim molestiæ ex clarissimi principis filii tui immatura morte cepimus, vel propter illius nobis ereptam virtutem, vel propter gravem tuæ majestatis, regiæque tuæ familiæ in eo factam jacturam, ut nequeamus in eo argumento sine magno dolore versari, et tamen noster summus erga majestatem tuam amor, qui nobis causam doloris præbuit, idem etiam adjumenta ad pium hoc officium ei persolvendum subministrabit, præsertim cum ad eum regem scribamus, quem propter excelsam animi virtutem atque prudentiam obedientia et spe in summum Deum subnixam, rationes ad istum sublevandum casum accommodatas non tam ab ali expectare, quam ipsummet tuo consilio

[1] Sur. in Comm. hoc anno. — [2] Jul. III. l. brev. VIII. sig. num. 2888. p. 163.

præripere ac præoccupare non dubitemus, et sane, nisi illa nobis tali tempore succurrat ex Deo et divinis præceptis promissionibusque ducta consolatio, quæ nos ab humanarum rerum cogitatione avellat, totosque ad cœlestium bonorum et futuræ beatioris vitæ meditationem transferat, difficile esset ex humanis rationibus humanis hisce incommodis idoneam solatii medicinam reperire, sed nos, qui in eum credimus, cujus in morte mors nostra ita absorpta est, ut eadem ad longe feliciorem pacatioremque vitam aditum nobis aperiat, et qui certo confidimus hujus mundi tribulationes et ærumnas Christianis hominibus probationem salutemque operari, facile sensus affectusque nostros ab humanarum rerum perturbationibus revocatos Dei Optimi Maximi voluntati et rectæ in eo rationi subjicimus, atque hæc omnium piorum, qui in Deo et Domino nostro Jesu Christo suas degendæ vitæ rationes, atque consilia fixa et locata habent, communis est consolatio. Tua vero majestas multas præterea proprias habet, ex suis etiam domesticis rebus, sui doloris leniendi causas, atque illam in primis, quod idem videlicet clemens ac misericors Dominus hoc ipso afflictionis tempore, ita cum ea benigniter egit, ut gravi illi inflicto vulneri ejusdem simul vulneris medicinam curationemque attulerit. Nepote enim tibi, vestroque præclaro generi in demortui filii locum (ut ad nos secundis nuntiis allatum est) paulo post reddito, non tam quidem ille majestatem tuam grata liberorum successione, aut familiam vestram præstantissimi generis sobole privare, quam illam in magis diuturnum tempus prorogare voluisse se ostendit : quæ quidem omnia tametsi majestatem tuam pro sua gravitate ac pietate diligenter secum cogitare, et in omnibus Deo gratias agere non dubitamus, tamen nostræ quoque partes videntur esse eam, ut ita faciat, etiam atque etiam in Domino hortari et rogare, quod ut cumulatius et magis, ut nostri animi affectio nos suaderet, efficeremus, non contenti hoc litterarum officio, misimus ad majestatem tuam dedita opera dilectum filium Joannem Franciscum Comendonum camerarium nostrum, hominem propter ejus fidem et probitatem valde nobis probatum et gratum, qui viva insuper voce nostram paternam erga majestatem tuam charitatem, conjunctamque cum ea suorum incommodorum mœstitiam pluribus verbis deferat, cujus nostri officii illum scilicet maximum et optatissimum fructum expectamus, si id, quo magis, et uti tuo tempore debitum, eo minus ad tuum sanandum dolorem, quod tua ætas hunc casum satis per se toleranter ferret, necessarium fuisse intellexerimus. Datum Romæ apud S. Petrum, die I Ap. MDLIV, anno V ».

32. *Conimbricæ perditissimus peccator a tyrannide Sathanæ vindicatus.* — Eluxit hoc anno Conimbricæ in Lusitania insigne divinæ misericordiæ exemplum in perditissimo homuncione, qui se devoverat Sathanæ, ab eoque juste tortus perfugit ad confessarium suum, a quo Sacramentorum beneficio a tyrannide Sathanæ vindicatus est : « Is », inquit Orlandinus, « peccatorum turpitudine quodammodo obrutus atque oppressus ferre se ipse non poterat, et ut sui ipsius judex et carnifex esset, sibimet exitium atque perniciem vitæ desperatione parabat, venenum hauserat, amplius Hebdomada certam potionem jejunus hausit obstinatus mori, cumque multis indagatis sui interimendi viis, nulla, Deo prohibente et miserante, procederet, ad extremum Sathanæ se dedidit, totumque se ei animo et corpore mancipavit. Mox ejus tyrannidem, cujus se mancipium fecerat, est expertus, tot tantisque ex eo die doloribus tortus, tot animi cruciatus angoribus, ut ad ejus inconditos clamores et miseros ululatus omnis vicinitas expavesceret. Ea re cognita, religiosi cœnobitæ quidam auctores fuere propinquis atque domesticis, ut deduceretur ad nostros, quem, ut Leo, rector nempe collegii Conimbricensis aspexit, et quem miser devenisset in locum, percunctando cognovit, ad divina se præsidia contulit, preces indixit suis, et ipse supplex humilisque Dei misericordiam elicuit, deinde aggressus hominem de spe dejectum erigit, et ad spem revocat, agit de animo componendo et saucio pectore persanando, reditum in gratiam cum offenso Deo, qui benignus et misericors esset, et præstabilis super malitia, pollicetur, modo per humilem confessionem, et anteactæ vitæ detestationem virus evomat peccatorum, quod ut pacatius faciat, liberationem etiam angorum atque dolorum, quibus conflictabatur, exorat diutius, impetrat, et spe bona completum excipit confitentem. Ab ea confessione omnia de cætero ei fuere tranquilla, convaluitque corpore pariter et animo, initoque vitæ melioris initio, perseverantiam magna spe salutis æternæ ad extremum usque retinuit ».

JULII III ANNUS 6. — CHRISTI 1555.

1. *Ingenti repletus gaudio Julius ob Angliæ reditum ad fidem Catholicam.* — Anno a partu Virginis quinquagesimo quinto supra millesimum quingentesimum, Indictione decima tertia, reflorescente in Anglia Catholica religione, cum Pontificatus sui fructus suavissimos decerperet Julius III, e vivis ereptus est, cui Marcellus II succedens, potius orbi Christiano ostensus quam datus est, quem Paulus IV excepit, de cujus gestis antequam agamus, quæ ad Julium III et Marcellum II spectant, prius delibabimus. Delibutus ingenti gaudio Julius III ob conciliatam Romanæ Ecclesiæ, ad ejusque obsequium Angliam extremo superiore anno revocatam, hoc ineunte anno felices extinctæ in eo regno hæreseos, assertæque orthodoxæ religionis successus Carolo imperatori significavit, ac etiam Philippi filii regis ac Mariæ reginæ pietatem in tam præclaro opere his litteris [1] commendavit :

« Carolo imperatori.

« Ea fuit clementissimi Dei misericordia in Angliæ regno, reipublicæ Christianæ, fideique orthodoxæ, et religioni Catholicæ restituendo, tantaque virtute ac pietate serenissimi ejus rex et regina id nobiscum procurarunt, ut de tanto beneficio gratias agendi eorum serenitatibus, gratulandi, ac privatim et publice quodvis genus lætitiæ plaususque effundendi, vix adhuc ullum finem invenire possimus, etc. Datum Romæ die XXVII Januarii MDLV, Pontificatus nostri anno V ».

« 2. Peractæ sunt in Urbe celeberrimo ritu solemnes supplicationes pro reddendis Numini gratiis, atque publicæ lætitiæ festiva signa celebrata, missus etiam ad Philippum regem Mariamque reginam Angliæ internuntius, qui ipsis de amplificata provectaque Numinis gloria Julii nomine gratularetur, datis ad eosdem hisce litteris [2] :

« Charissimis in Christo filiis nostris Philippo regi, et Mariæ reginæ Angliæ illustribus fidei defensoribus.

« Charissimi in Christo filii nostri, salutem et Apostolicam benedictionem. Ut primum e serenitatis vestræ litteris reconciliationis regni istius nobilissimi cum Domino nostro Jesu Christo, ac fidei et obedientiæ nobis et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, Sedique Apostolicæ restitutæ felicissimum nuntium accepimus, quas Omnipotenti Deo solemni Missa a nobis ipsis celebrata, decretis supplicationibus, Jubilæo indicto, gratias egerimus, qui tam necessario tempore isthic plebem suam visitarit, et ejus redemptionem fecerit, quibus in cœlum laudibus utrumque vestrum extulerimus, quantoque animi gaudio vobis gratulati simus, qui misericordiæ illius magnitudinem tanta nobiscum virtute ac pietate tantopere procurastis, quam e populo isto vestro universo eos perbeatos merito appellaverimus, qui tamdiu dispersi atque ab recta aberrantes in unum tandem congregati ambulant in via Domini, quotnam denique et qualia cordis nostri tanto Dei beneficio recreati, tamque exultantis, tum publice, tum privatim lætitiæ dederimus signa, quam hilaritatem, quos plausus per hanc almam Urbem universam totamque ditionem nostram excitaverimus, multorum undique et litteris, et internuntiis serenitates vestras non semel audivisse pro certo habemus, sed etsi cæteris omnibus ad verum cujusque solatium et jucunditatem nulla non ex parte putamus satisfecisse, in eo tamen nos nunquam conquievissemus, nisi vestris serenitatibus viva alicujus voce, et quæ vobiscum hucusque conticuimus, et quæ nunc his litteris scripsimus, pluribus atque expressius significaremus, etc. » Missus est ea de causa Antonius Augustinus Sacri Palatii Rotæ auditor. « Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XXVII Januarii MDLV, Pontificatus nostri anno V ».

3. *Cardinalis Moronus mittitur in Germa-*

[1] Jul. III. apud Paul. IV. lib. brev. sign. num. 2892. p. 22. — [2] Ext. apud Paul. IV. lib. brev. 2891. p. 23. et in alio sign. num. 1892. p. 23.

niam quæ hæresi Lutherana laborat. — Revocatæ ad Ecclesiæ gremium Angliæ successu exultans Julius studia omnia ad Germanos ad obsequium Sedis Apostolicæ traducendos convertit, atque Joannem cardinalem Moronum doctrina et pietate spectatissimum ad comitia Augustana legatum decrevit, ut in iis Dei gloriam ac tot aberrantium animarum salutem promoveret, de qua legatione fusius agunt Acta Consistorialia.

Extant Julii litteræ [1] de misso in Germaniam cardinale Morono ad Maximilianum Bohemiæ regem, quibus eum rogavit, ut legatum de Christi cultu provehendo acturum benigne et amanter audiret.

« Maximiliano Bohemiæ regi illustri.

4. « Cum charissimus in Christo filius noster, Romanorum rex, pater tuus, de præsenti vestro omnium in Augustano conventu nos non semel certiores reddidisset, dilectum filium Joannem tit. Sancti-Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem Moronum, nostrum et Apostolicæ Sedis de latere legatum in Germaniam mittendum esse censuimus, ut quamdiu conventus celebraretur, isthic præsto esset, ac si quo modo vel opera, vel consilio vobis adjumento esse posse videretur, id pro Domini nostri Jesu Christi honore, pro rerum vestrarum perpetuo ac felicissimo statu, proque nostra et Sedis ejusdem dignitate omni cura et diligentia præstaret; cum mandaverimus, ut tecum nostris verbis nonnulla loqueretur, minime dubitamus eam illi non minorem fidem, quam nobis præstituram esse, et visuram libentissime, etc. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XVI Februarii MDLV, Pontificatus nostri anno V ».

Proficisci eumdem legatum jussit Julius etiam ad Augustum ducem Saxoniæ, Fridericum comitem Palatinum Rheni electores, et Joachimum Marchionem Brandeburgensem, quibus eadem formula verborum conceptæ litteræ conscriptæ sunt, in quarum inscriptione dilectos filios vocat. ut paterni amoris signis ad mutuum amorem provocaret, promisitque illis, se iterum Concilium Œcumenicum coacturum, si ejus decretis stare sponderent, ut Pauli IV litteræ testantur.

In eam sententiam [2] etiam Ferdinandus Romanorum rex Augustæ nonis Februarii exposuerat, Concilium sæpius cœptum variis de causis dissolutum fuisse : nunc postremo agendum, ut de Concilio omnes imperii ordines et inter se et cum cæteris omnibus Christianis conveniant; aut si id fieri non potest, et in aliud tempus differendum est, aliquæ ineantur rationes, quibus interim Germania pace firma fruatur, et sacri ministri pia religione divinum numen rite colant, cæterique ordines mutua consensione conspirent ad Turcarum contundenda molimina, cum ex Christianorum dissensionibus tyrannidem suam latius propagarint. Convenerant perpauci principes, atque adeo actio in nonas Martias extracta est.

Interim Lutheranæ sectæ principes Augustus Saxo, Mauritii frater, Joachimus Brandeburgensis Septem-Viri, Landtgravius, atque alii Lutheranæ classis proceres Numburgum convenerunt, de suis rebus consulturi, maleque a Dæmone et suis concionatoribus fascinati, perstandum in suscepta Confessionis Augustanæ hæresi pari consilio consensuque decreverunt, ac ne adversus Cæsarem conspirasse viderentur, Carolum V Cæsarem de Actis Numburgi certiorem fecere, et se Passaviensis pactionis decreta amplexos perstare in fide Augustana, donec religionis controversiæ communi omnium Ordinum imperii decreto, assentiente Cæsare, componerentur; non enim Conciliorum Œcumenicorum sacrosanctis decretis, religioneque a Christo constituta obstringi, sed novas religiones fingi pro humana libidine volebant.

5. Nonis Martii cum Augustanus [1] conventus jam amplior esset principum ac legatorum civitatum concursu, disceptari cæptum est de religione, uti Ferdinandus rex hortatus fuerat, quamvis hæretici reniterentur, asperrimisque animis certatum est, Passaviensique decreto instaurato, Lutherani amplificandæ sectæ ac potentiæ suæ studio contendebant, ut quibusvis etiam sacris Catholicæ professionis ministris liceret ad eorum impietatem et castra deficere, et principatus Ecclesiasticos et vectigalia sacra retinere, ea namque ratione in spem efferebantur Catholicam religionem sensim extinctum iri in Germania : contra reluctati sunt Catholici principes acerrime, atque contenderunt, si quis episcopus, vel abbas, vel sacræ functionis præfectus ad Lutheranam hæresim descisceret, ea sacra dignitate pelleretur, atque in ejus locum subrogaretur alius, qui suscepti Ecclesiastici muneris bonis omnibus potiretur. Ea contentio adeo exarsit, ut in plures menses extracta sit, infeliciterque accidit, ut Joannes cardinalis Moronus legatus ob inopinatam Julii III mortem (de qua dicetur inferius) legationem suam abjiceret, atque una cum cardinale Truchsessio ad Romana comitia remearet. Tandem ut Augustani illius conventus Acta perstringamus, VII kal. Octobris insperata ac funesta sanctio promulgata est, qua impietatis fræna laxata sunt impiis : ne Cæsar aut Ferdinandus rex, aut alii principes Lutheranam hæresim profitentibus religionis causa ullam molestiam exhibeant, vel illos ab impiis ritibus, vel edictis, vel

[1] Ext. apud Paul IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 36. — Franc. Belcar. l. XXVI. num. 64.

[1] Idem ib. num. 65.

pœnis, vel aliis cautionibus abducere nitantur, eosdemque omnibus bonis suis uti ac frui permittant, qua quidem sanctione Carolus V partam de Lutheranis victoriam penitus prostravit, fructumque omnem corrupit : de quibus in Paulo IV iterum agetur.

Constabilita in Germania hæresis latius in vicina regna diffundi cœpit, ut suis locis lugendum erit, ac pia Julii III consilia immatura morte oppressa sunt, de qua antequam agamus, reliqua ad eum spectantia percurramus.

6. *Julius III in regno Neapolitano Philippum regem Hispanum confirmat et in insula Corsica libertatem Ecclesiasticam defendit.* — Contulit Julius in publico cardinalium senatu Philippo Angliæ regi fiduciarium jus regni Neapolitani, quod a Carolo imperatore jam ante in eum transfusum una cum Mediolanensi et Belgico principatibus vidimus. Quod vero illud regnum supremo Pontificis imperio esset obnoxium, propterea a Julio illius beneficiario jure indutus est, ut refert Panvinus [1] his verbis : « Ut Catholico principi par erat, legatum Romam ad Pontificem misit Piscariæ Marchionem, qui regum veterum more Neapolitani regni, quod Romanæ Ecclesiæ beneficiarium est, jurejurando dato legitimam possessionem obtineret, quæ ei a Pontifice in publico Consistorio benigne concessa fuit ».

Traditum est Philippo hac de re a Julio Diploma, in quo expressæ sunt leges singulæ, quibus veteri more accepti Pontificia beneficentia illius regni ergo obstringebatur, quas quidem leges admisit Philippus, sed ejus litteræ aurea Bulla consignatæ ad Paulum IV tantum pervenere [2], ut dicetur inferius.

7. Tuendi quoque Juris Ecclesiastici studio Julius, cum insulæ Corsicæ clerum graviore jugo premi a Gallis, qui ejus insulæ partem maximam Genuensibus eripuerant, accepisset, proregem Gallum monuit, ne Ecclesiasticos iniquis oneribus fatigaret, et si qui aliquo facinore se obstringerent, eorum causas ab Ecclesiastico judice agnosci sineret, in eamque rem præfectum juri dicundo Ecclesiasticis in Corsicæ insula decrevit [3] :

« Dilecto filio nobili viro Paulo de Thermes locumtenenti regis Christianissimi in insula Corsicæ.

« Etsi ex iis aliqui Genuenses sunt, atque idcirco, ut audivimus, imperitæ multitudini in hostium numero habendi esse videntur, illud tamen memoria repetendum est, sacerdotes Christos Domini, non tam terrenæ ullius civitatis, quam sanctorum esse cives et domesticos Dei, Deumque tandem ipsum istiusmodi eorum injuriarum ultorem esse severissimum, e quibus tamen sacerdotibus, si quid aliqui forte commeruerunt, solis nobis a Deo in eos animadvertendi cognitio et cura est demandata, quas ob res pro tua prudentia ac probitate minime dubitamus ea de his malis remedia nobilitatem tuam adhibituram, quæ has omnes querimonias compescant, etc. Datum Romæ apud S. Petrum die XXVI Januarii MDLV, anno V ».

8. *Ecclesia Abyssina ad conjunctionem cum Ecclesia Romana revocatur per patres Societatis Jesu.* — Extremo Julii Pontificatu promota est actio Abyssinæ gentis ad conjunctionem cum Romana Ecclesia revocandæ, interprete Joanne Lusitaniæ rege, qui Claudium Æthiopum imperatorem permovit, ut abjecto Alexandrini patriarchæ schismatici, a quo patriarcham accipere ac jura petere consueverat, jugo, a Pontifice Romano totius Ecclesiæ toto orbe diffusæ supremo antistite patriarcham et episcopos Latinos deposceret, qui Æthiopas depulsis veteribus erroribus, vero fidei Catholicæ lumine collustrarent, cumque Societas Jesu doctrinæ et sanctitatis fama late Orientem Occidentemque complevisset, flagitavit ut patriarcha ac duodecim sacerdotes ex eadem Societate delecti mitterentur a Romano Pontifice. Præerat tum Societati Jesu Ignatius Loyola, quem eximia sanctitas divinis in vita et post mortem miraculis confirmata in sanctorum ordinem evexit ; is a Lusitano rege sacerdotes probitate et eruditione sacra insignes ad eam Evangelicam expeditionem seligere jussus, re communicata cum Julio Pontifice, præclaræ amplificandæ gloriæ divinæ occasioni non defuit, ac litteris exaratis [1] ad Claudium imperatorem, ipsum hortatus est, ut Davidis imperatoris patris exemplo, qui misso oratore Pontifici Romano, ut Christi in terris vicario, ac Petri successori obsequium deferret, Romanam Ecclesiam coleret, cujus in cæteras omnes primatum supremamque auctoritatem pluribus argumentis illustravit :

« Domine mi in Domino nostro Jesu Christo, gratia tuæ celsitudini, et salus, et affluentia donorum spiritualium a Domino nostro Jesu Christo.

« Serenissimus Portugalliæ rex pro ea sollicitudine ac zelo, quem illi Deus Creator noster ac Dominus dedit, gloriæ sancti sui nominis, et salutis animarum, quæ Unigeniti ejus Filii pretioso sanguine et vita redemptæ sunt, non semel ostendit mihi per litteras, pergratum sibi fore, si e religiosis nostræ minimæ Societatis, quam vocant, Jesu, duodecim viros designarem, e quibus ille patriarcham unum, duos coauditores pariter et successores eligeret,

[1] Panvin. in Vita Julii. — [2] Paul. IV. in lit. XIX Octob. hujus anni datis. — [3] Ext. apud Paul. IV. l. VIII. brev. sig. num. 2891. p. 6.

[1] Ext. apud Joann. Petr. Maffeium l. XVI. et apud Orland. 324. hoc anno.

eisdemque a summo Christi Domini nostri vicario suppliciter peteret auctoritatem et jus, quo jure ad suas quisque partes rite obeundas ipsi cum sacerdotibus aliis in tuæ celsitudinis regna transmitti possent. Ego pro eximiis inter cæteros Christianos principes, ejusdem serenissimi regis Portugalliæ meritis erga Societatem nostram universam, nostraque vicissim omnium in illum observantia et pietate, feci quod jusserat, consultoque secutus numerum, qui Christi Domini nostri Apostolorum ejus Collegium referret, præter ipsum patriarcham sacerdotes duodecim, supplementi ac velut seminarii causa, a corpore nostro cunctos excerpsi, qui ad juvandas sublevandasque animas tuæ celsitudinis imperio ac ditioni subjectas sese et vitam suam in omnem laborem atque discrimen offerrent. Atque hoc libentius parui, quod præcipua quadam alacritate sentio me sociosque meos omnes ferri ad obsequium et cultum celsitudinis tuæ ; haud immerito , quippe quæ inter tot circumfusas undique nationes infidelium et hostium nominis Christiani, vestigiis majorum suorum insistens, ad conservandam ac promovendam Christi Domini ac Dei nostri religionem et gloriam diligenter incumbit, quam ipsam ob causam optandum fuerat, uti ad hæc tam recta tuæ celsitudinis studia conatusque, subsidium accederet spiritualium Patrum, quibus et legitima potestas ab hoc sanctæ Sedis Apostolicæ fastigio derivata, et fidei Christianæ pura et sincera doctrina suppeteret, quæ nimirum duæ sunt illæ claves regni Cœlorum, quas Christus Dominus noster sancto Petro et omnibus qui deinceps in ejus solio erant sessuri, promisit prius, dein ipsa re tradidit. Promisit tantummodo cum ad eum dixit, ut legimus apud divum Matthæum Evangelistam : *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et tibi dabo claves regni Cœlorum, et quidquid ligaveris super terram erit ligatum et in Cœlis, et quidquid solveris super terram, erit solutum et in Cœlis.* Tradidit, ac promissa patravit, cum post Resurrectionem, antequam in Cœlum ascenderet, sciscitatus ex eo ter (quemadmodum affirmat divus Joannes Evanglista) *Simon Bar Jona : Diligis me plus his ?* subjunxit in singula responsa : *Pasce oves meas :* committens illi non partem aliquam ovium suarum, sed totum prorsus gregem universa cum plenitudine potestatis, ad alendos vitali Christianæ religionis pabulo cunctos ubique fideles, eosdemque ad cœlestia sempiternæ beatitudinis pascua perducendos. Ac cæteris quidem Apostolis auctoritatem Christus Dominus noster impertiit delegatam, ac veluti extra ordinem ; at sancto Petro ejusque successoribus ordinariam dedit ac plenam, uti ab hoc summo Pastore , tanquam a fonte, reliqui animarum pastores peterent, eidemque acceptum ferrent, quidquid omnino juris ad suum quisque munus ac regimen obtinerent, quod olim adumbrasse per Esaiam videtur Dominus, cum de Eliachim loquens Pontifice Maximo : *Et dabo* (inquit) *clavem domus David super humerum ejus, et aperiet, et non erit qui claudat, claudet, et non erit qui aperiat,* quo videlicet typo figuratus est Petrus ejusque successores, quibus datam integram potestatem declarant claves, consuetum utique symbolum, et insigne pleni atque absoluti dominii. Quæ cum ita sint, celsitudo tua gratias debet ingentes Domino Deo nostro, quod ipsa regnante potissimum dignatus fuerit mittere veros animarum pastores, qui a summo pendeant pastore ac vicario, quem reliquit in terris Jesus Christus Dominus noster, et quantamcumque habent potestatem, quæ sane perampla est, hanc ab eodem illo vicario totam acceperint ; nec sine causa patri avoque tuæ celsitudinis displicebat sumi ab urbe Alexandria patriarcham, quippe sicuti divulsum a corpore membrum, neque motum, neque sensum, neque omnino vitam a corpore accipit suo, ita Ægyptius patriarcha, sive ille Alexandriæ, sive Memphi degat, cum schismaticus sit ac disjunctus ab hac sacrosancta Sede Apostolica, et ab Ecclesiæ totius capite, Pontifice summo videlicet, vitam gratiæ, et pastoralem auctoritatem , nec sibi recipit ipse, nec alteri cuipiam valet legitimam impertire. Ecclesia namque Catholica una tantum est in orbe terrarum, neque fieri potest ut alia Romano Pontifici, alia pareat Alexandrino ; uti sponsus ejus Christus unus est, sic sponsa illius unica, de qua Salomon ait in Canticis ex persona Christi Domini nostri : *Una est columba mea.* Et Oseas Propheta : *Congrebabuntur filii Israel, et filii Juda pariter, et ponent sibi caput unum.* Et in eamdem sententiam multo deinde post sanctus Joannes : *Fiet unum ovile, et unus Pastor.* Una erat, quemadmodum in Genesi legimus, arca Noe, extra quam nulla omnino salus, unum tabernaculum , quod fabricatus est Moyses, unum Hierosolymæ templum a Salomone conditum, quo in templo sacrificare et adorare oportebat. Una cujus staretur judicio, Synagoga. Hæc nimirum unicam Ecclesiam denotabant , quæ una est jure ; extra quam nihil boni, etenim qui cum ejus corpore conjunctus non fuerit, nempe nullum a Christo capite recipiet influxum gratiæ vivificantis animam, ac præparantis ad felicitatem æternam. Hujusce unitatis declarandæ causa, in Symbolo canitur : *Credo unam Sanctam, Catholicam, et Apostolicam Ecclesiam,* damnatusque a sacris Conciliis error est privatas Ecclesias, ceu Alexandrinam , Constantinopolitanam , aut similes dari , quæ communi omnium capiti subjunctæ non sint, Pontifici Romano, ex quo perpetua serie ab sancto usque Petro, qui Christi Domini jussu,

uti a divo Marcello martyre traditum est, Romanam elegit Sedem, eamque suo cruore sancivit, perducti Romani Pontifices vicarii Christi citra controversiam a tot ac tanta sanctitate doctoribus Latinis, Græcis, omniumque nationum habiti, ab sanctis anachoretis, episcopis, et aliis confessoribus adorati, tot signis atque miraculis, tot denique martyrum, qui in hac fide ac unione sanctæ Romanæ Ecclesiæ vitam profudere, testimonio comprobati sunt. Merito igitur consentienti episcoporum omnium voce, qui ad Chalcedonensem convenerant Synodum papæ Leoni pariter acclamatum, Sanctissimus, Apostolicus, Universalis, et in Constantiensi damnata est hæresis negantium, super omnes et singulas omnium terrarum Ecclesias primatum Romani Pontificis eminere. Ad quas tam disertas firmasque Patrum sanctiones atque decreta, Concilii quoque Florentini, quod sub Eugenio IV præter alias nationes, a Græcis etiam, Armeniis et Jacobitis tanto studio celebratum est, in hæc verba accessit auctoritas : Definimus sanctam Apostolicam Sedem, et Pontificem Romanum in universum orbem tenere primatum, ac successorem esse Petri, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum Patrem et doctorem existere, et ipsi in beato Petro, pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino Jesu Christo potestatem plenam esse traditam.

9. « Jure igitur serenissimus rex David, tuæ celsitudinis genitor, misso ad obsequium Romano Pontifici deferendum legato, Sanctam hanc Sedem omnium matrem ac principem agnovit, cumque alia multa et præclara ipsius pariter et tuæ celsitudinis acta numerentur, tum duo hæc ejusmodi sunt, ut eorum præstantiam nulla unquam obscuratura videatur oblivio, ac proinde ab omnibus, qui sub illo vivunt imperio, immortales auctori omnium bonorum Deo debentur gratiæ, pro tam singulari in eos beneficio vestra duorum opera, industria, virtute collato, cum alter omnium primus se in illius potestate, qui Christi vices gerit in terris, perpetuo fore professus est, alter item primus dictum ab eodem Christi vicario patriarcham verum, ac legitimum sacrosanctæ Sedis hujusce filium in sua regna perduxerit. Etenim si in magni cujusdam beneficii loco habendum est, ut profecto est, insitos esse corpori mystico Ecclesiæ Catholicæ, quod a Spiritu sancto vivificatur ac regitur, quam teste Evangelista, idem Spiritus docet omnem veritatem, si eximium est, lucem sanæ doctrinæ intueri, et Ecclesiæ fundamentis insistere, quam Apostolus Paulus ad Timotheum scribens, domum Dei, columnam et firmamentum veritatis appellat, cui se promisit in æternum affore Christus Dominus, inquiens : *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*, ut legimus apud Matthæum Evangelistam ; est sane cur sine fine gratulentur istæ nationes Deo Domino et Conditori nostro, cujus providentia per tuam parentumque tuorum celsitudinem tanto illos bono dignata est, præsertim cum jure sperandum sit, ex hac ipsa conciliatione consensuque fore, Christo Domino moderante, ut cum spiritualibus temporaria quoque incrementa non sine amplificatione imperii tui et hostium abjectione proveniant. Sacerdotes, qui mittuntur isthuc, omnes quidem, sed præcipue patriarcha coadjutoresque successoresque ejus duo, spectata admodum virtute sunt, et nostra in societate probati per omnia, ac propter illustrem charitatem, et exquisitam rectamque doctrinam ad hoc tanti momenti opus adsciti, neque vero illis animus in idipsum, aut alacritas deest, haud levi concepta fiducia labores suos, ad Christi Domini gloriam, tuæ celsitudinis rem, animarum auxilium pari cum operæ pretio collocandi. Humanæ quippe salutis amor illos, et Christi Domini aliqua saltem ex parte imitandi exstimulat studium, qui cruciatus ac necem subiit lubens ac volens, uti mortales ab æterna calamitate redimeret, aitque per Evangelistam, *Ego sum Pastor bonus : bonus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*. Hoc exemplo incitati patriarcha et cæteri parati veniunt non verbo duntaxat, consilioque et spiritualibus adjumentis, sed ipsa morte, si res ferat, periclitantibus animis opitulari. Tua Celsitudo, quo interiorem illos ad consuetudinem ac familiaritatem admiserit, eo majorem, ut spero, capiet in Domino voluptatem. Jam vero quod pertinet ad fidem, ac pondus eorum, quæ ab ipsis vel publice, vel privatim exponentur, non ignorat celsitudo tua, omnium (quatenus rite legati sunt) sed patriarchæ præcipue dictis, Apostolicæ fidei pondus et auctoritatem inesse, ac perinde illis et Ecclesiæ credi oportere, cujus ab ipsis interpretanda sunt verba et sententiæ. Et quoniam Christi fideles cunctos Ecclesiæ firmiter assentiri, ejusque decretis obtemperare, et, si quid existat ambiguum aut obscurum, eamdem consulere necesse est, non dubito quin tua excellens pietas probitasque publico edicto curatura sit in suis regnis, uti omnes omnium ordinum homines, tum patriarchæ ipsius, tum eorum, quos ille sibi substituet, dicta, præcepta, responsa citra ullam dubitationem sequantur. Constat ex Deuteronomio de controversiis omnibus ac nodis ad Synagogam Ecclesiæ prænuntiam referri solitum. Hinc illa quoque Christi Domini verba : *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ et Pharisæi :* idipsum in Proverbiis docet Sapientia Salomonis, cum ait : *Ne dimittas præcepta matris tuæ* (ea est Ecclesia). Et alibi : *Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt patres tui*, ii sunt iidem antistites. Denique

tantum Ecclesiæ suæ tribui ac deferri vult Christus Dominus, ut per Sanctum Evangelistam Lucam aperte denuntiet : *Qui vos audit, me audit ; qui vos spernit, me spernit;* et per Sanctum Matthæum : *Si Ecclesiam non audiverit, sit tibi tanquam Ethnicus et Publicanus,* ex quo apparet, ne aures quidem præbendas, iis qui alienum quippiam a sensu, et interpretatione Catholicæ Ecclesiæ attulerint, Sancto quoque Paulo in Epistola ad Galatas id ipsum præmonente, cum ait : *Si aliud vobis Angelus de cœlo evangelizaverit, præter id quod evangelizavimus vobis, anathema sit.* Ad summam hoc idem sancti Doctores, Conciliorum canones, fidelium omnium consensus, et consuetudo plane demonstrant, ac vicissim patriarchæ ac sociis pariter omnibus certum est, fixumque, tuam celsitudinem assiduo cultu, submissione, atque etiam quoad fas piumque ferat, indulgentia prosequi. Nos vero quotquot in hisce terris e minima nostra societate retinemur, tua celsitudo ad omne obsequium paratissimos habeat. Nostris quidem certe precibus et sacrificiis, ut jam instituimus, Deo supplicare pergemus, ut regiam celsitudinem tuam, regnumque istud amplissimum in sancto Christi famulatu conservet, detque illi ita transire per bona temporalia, ut non amittat æterna. Idem ipse Deus ac Dominus noster omnibus nobis ad sanctissimam ipsius voluntatem et clare cernendam, et rite exequendam perpetuum lumen, ac vires pro sua bonitate suppeditet. Romæ VII kalendas Martii MDLV ».

10. Ex delectis a sancto Ignatio religiosis viris Societatis Jesu creatus est Æthiopiæ patriarcha Joannes Nonnius : designati vero episcopi Andreas de Oviedo Hierapolitanus, Melchior autem Carnerus Nicænus, quos Julius ob insignes eorum virtutes iis dignitatibus ornavit, sanxitque in amplissimo cardinalium senatu, ut referunt Acta Consistorialia.

« Romæ die Veneris XXIII Januarii MDLV referente reverendissimo camerario S. D. N. providit Ecclesiæ patriarchali Æthiopiæ, tum certo modo vacanti, de personis domini Joannis Nonnii presbyteri Societatis Jesu, decretorum et Theologiæ professoris, ipsumque in patriarcham præfecit.

« Providit Ecclesiæ Hierapolensi in partibus infidelium consistenti, tunc certo modo vacanti, de persona domini Andreæ de Oviedo presbyteri ejusdem Societatis, magistri in Theologia, curam, etc. committendo, et cum indulto de non accedendo ad dictam Ecclesiam, ac facultate exercendi pontificalia in civitate et diœcesi. Et insuper volens felici successui dictæ patriarchalis Ecclesiæ consulere, eumdem Andream electum eidem Joanni electo coadjutorem in regimine et administratione dictæ patriarchalis Ecclesiæ, cum potestate et jurisdictione ex nunc, et postquam munus consecrationis susceperit, quæ ordinis pontificalis existunt faciendi, constituit et deputavit. Et nihilominus pro Joanne electo cedente vel decedente, de persona ipsius Andreæ prædictæ Ecclesiæ patriarchali providit, curam, etc. cum dispensatione si opus sit, ut episcopus Hierapolensis existens officium coadjutoris hujusmodi exercere, et illo uti, et eo cessante, possessionem dictæ patriarchalis Ecclesiæ assequi valeat : ita quod, officio coadjutoris hujusmodi cessante, dictus Andreas, cum primum possessionem dictæ Ecclesiæ patriarchalis assecutus fuerit, dicta Ecclesia Hierapolensis eo ipso vacet.

11. « Providit Ecclesiæ Nicænæ in partibus infidelium consistenti, tunc certo modo vacanti, de persona domini Melchioris Michaelis Carnero presbyteri dictæ Societatis, Decretorum et Theologiæ professoris, curam, etc. committendo, et sibi de non accedendo ad dictam Ecclesiam indulgendo. Et insuper, sua Sanctitas volens eidem patriarchali Ecclesiæ ulterius consulere, eumdem Melchiorem, electum supradicto Andreæ coadjutorem, Joanni patriarchæ, et coadjutoria supradicto Andreæ facta cessante, Andreæ electo prædictis in regimine et administratione dictæ patriarchalis Ecclesiæ, cum simili, etc. constituit et deputavit. Et nihilominus eidem Ecclesiæ patriarchali, Joanni patriarchæ, post obitum Andreæ, aut Andrea electo prædictis post obitum Joannis patriarchæ prædictorum cedente vel decedente, de persona ipsius Melchioris electi providit, ipsumque, etc. ita quod cum primum in vim posteriorum provisionis et præfectionis hujusmodi possessionem, seu quasi dictæ patriarchalis Ecclesiæ assecutus fuerit in Ecclesia ipsa Nicæna existens possit officium coauditoris hujusmodi exercere, et illo uti, ac eo cessante, possessionem dictæ patriarchalis Ecclesiæ assequi valeat ».

12. *Julii III obitus.* — Dum novi illi præsules et præcones Evangelici Æthiopico itineri se accingunt, Julius e vivis migravit, ac proinde profectionem in proximum annum extraxerunt, de qua inferius sermo recurret. Quod ad Julii obitum spectat, de extremo ejus morbo et obitu hæc narrant Acta Consistorialia :

« Romæ die Veneris XXII mensis Martii MDLV, fuit Congregatio generalis coram sanctissimo Domino nostro, quia jam erat de vita sua desperatus, in qua in iis, quæ ad regimen et administrationem omnium rerum Ecclesiæ spectabant mandavit sacro collegio, ut provideret, quo facto data benedictione, multi ex cardinalibus osculati sunt ejus manus (1).

« Die Sabbati XXIII mensis Martii MDLV, inter

(1) Julius III hoc anno ad superos evolavit ; vir in privata fortuna quam in summa dignitate laudabilior. Hujus enim, dum cardinali

horam xix et xx seu circa obiit Julius papa III in palatio Sancti-Petri ». Extinctus est gravioribus podagræ doloribus [1], cum Pontificatum tenuisset annis quinque, mense uno, diebus viginti, ætatis anno sexagesimo septimo, cui funebres honores novem diebus peracti fuere. Vocatus est in invidiam ob ingentes Villæ-Juliæ extra Portam Flaminiam sitæ substructiones et amœnos recessus, in quos colligendæ purioris auræ, et laxandi a curis animi causa se conferebat; sed quem tandem lateat in amœnis recessibus ingenia ad summa quæque pertractanda applicari posse, cum etiam viri sanctissimi amœnos recessus captent, ut liberius divinis mentem transfundant? nec Panvino [2] assentiendum est dicenti, illum Pontificatu comparato, votorum omnium jam compotem factum, abdicata rerum omnium cura, hilaritati et genio suo nimium indulsisse, ac præmii spe potius dum cardinalis esset, ad virtutem amplectendam accensum quam ipsamet virtutis pulchritudine delectatum, nec vitæ, quam privatus egerat, institutum laudatissimum parto Pontificatu tenuisse, at objecti ii nævi eximiis Julii factis diluuntur. Num enim inertis fuit Pontificis, Concilium Tridentinum restituisse, quod propter civilia bella, non ob illius socordiam dissolutum fuit! Num voluptatibus animi dediti fuit Angliam ad Romanæ Ecclesiæ obsequium revocare, Æthiopiam a schismate abducere, asserendæ in Germania religioni, extinguendisque erroribus assiduam operam navare, ac misso legato cardinale Lutheranis principibus Concilium Œcumenicum offerre, si ejus decretis assentiri vellent? minus quidem acceptus fuit Gallis ac Senensibus, quod Florentinorum duci in Senensi expeditione magno adjumento, ejusque exercitui ex Piceno, et Umbria, et Hetruriæ parte commeatus submiserit, ac pecunia etiam, ut tulit fama, sublevarit, sed non deerant justæ causæ, cur a Gallica factione aversus esset, cum Henricus rex, icto cum Lutheranis impio fœdere, Cæsarem, ne ipsos ad obsequium Ecclesiæ cogeret, impedivisset, Conciliumque Tridentinum disturbasset, metueretque, ne Galli fixis in Italia sedibus, illam gravissimis bellis miscerent, quæ rei Christianæ exitium essent allatura, quæ pericula prævertisse non voluptuarii, sed prudentissimi fuit Pontificis.

[1] Lit. princ. to. v. p. 160. — [2] Panvin. in Vita Jul. III.

MARCELLUS II.

13. *Marcellus II, potius ostensus quam creatus Pontifex, morte immatura præreptus.* — Quinta Aprilis [1] ingressi conclave cardinales numero triginta septem, perlecto Diplomate Julii II contra Simoniacos, nempe post aliquos dies V idus Aprilis ad Marcellum Cervinum card. Sanctæ-Crucis salutandum Pontificem, coitione facta concurrere, cumque illum in sacrosancto solio raptim essent collocaturi, cardinalis Medices Marcello fidissimus intercessit, monuitque, ut prius constituti jure Pontificio electionis ritus servarentur, ita ut omnium primus Joannes Petrus cardinalis episcopus Ostiensis Neapolitanus Collegii decanus illum alta voce delegerit, in quem etiam alii suffragia contulere, quibus in publica Acta ab eo, qui senatui a secretis erat, redactis, Marcellus Latina oratione Patribus gratias de electione Pontificia egit, seque tanto muneri gerendo imparem professus, addidit se illi integre administrando non defuturum, atque abscisso omni privatorum commodorum respectu, publicam rem omni studio et contentione promoturum. Subinde cardinalis Neapolitanus assurgens, dixit, ritus veteris servandi causa matutino sequenti scrutinium schedulis apertis, ut optimas omnium in eum voluntates Sanctitas sua cognosceret, confectum iri sine ullo præsentis electionis damno, quod omnium unanimi consensu confirmatum; voluere insuper, ut novus Pontifex etiam hæc verba proferret: Acceptamus, sine ullo præjudicio præsentis electionis. Illu-

[1] Lit. princ. to. iii. p. 161.

S. R. E. ageret, virtus fuit eximia, adeo ut magno bonorum omnium plausu Pontifex a cardinalibus renuntiari meruerit. Nec ad eam dignitatem evectus segnis omnino et iners intabuit; nam, ut optime notat annalista, plura sunt quæ in Ecclesiæ commodum et utilitatem gessit; longissime tamen abfuit ab ea implenda expectatione quam de se omnibus ingesserat. Ita de illo Segni hist. Flor. lib. xiii: « Ma lasciate ire l'azioni di questo Pontefice che per altre cagioni non furono degne di molta fama etc. » et lib. xv: « Mori papa Giulio d'un accidente subito che in ventiquattro ore lo spicciò nell'età di sessantotto anni essendo stato cinque anni e poco più d'un mese in Pontificato, senz'aver commesso alcuna cosa nè dà buon Pontefice, nè da savio uomo ». Sed hanc historici mordacis censuram violentiorem esse quam res ipsa mereatur ingenue fateor, is enim fuit Julius ut nullo peculiari crimine notari mereretur, si nimiam excipias segnitiem quamdam et quietis amorem; quibus inertiorem se præbuit quam ut Pontificia sollicitudo reposceret. Quod illi pariter crimini datum est a Panvinio; nec aliud exprobat idem Segnius ibidem.

Julio successor datus est optimus, quique aptissimus Ecclesiæ his periculosis temporibus regendæ, si vitam diutius prorogare licuisset, merito censebatur, Marcellus Cervinus Politianus. Cardinalium quinque et viginti suffragiis electum scribit Segnius, cum duodecim reliqui cardinalem Ferrariensem prætulissent, electores enim numero septem supra triginta idem Segni cum Spondano supputat; contra ac affirmat Ciacconius qui novem supra triginta, et Panvinus qui sex et triginta enumerant. Annum egisse tunc quinquagesimum sextum idem Segni scribit, ex quo forte corrigendus annalista qui annos quatuor supra quinquaginta eidem Pontifici assignat. Porro Marcellus obiit die et mense ab annalista definitis, dignus quem omnes ejus ætatis scriptores commendent; nam et ille, qui superiorum Pontificum facta carpit Segnius, hunc fere unicum summis laudibus celebrat lib. xv: « Entrò con gran speranza di buono e santo Pontefice, dette in nove giorni che stette sano gran testimonio di quella bontà ». Morbum quo assumptus fuit ita scriptor ille describit. Die ab adito Pontificatu decima, febri corripitur quæ in decem dies perseverans, tandem venæ sectione evanescere visa est, sed altera succedente die in improvisa gravedine intra breves horas suffocatur.

Successit cardinalis Caraffa quem octava ab adito conclavi die cardinales lxiii, ait Segnius lib. xv renuntiarunt Pontificem. Mansi.

cescente sequenti die decima Aprilis post sacra peracta electio repetita est ac confirmata, in qua Marcellus, ne seipsum deligeret, Neapolitanum, qui ipsi proximo mense in Pontificatu successit, designavit; Pontifex vero renuntiatus antiquum Marcelli nomen retinuit, quibus consentanea in Actis Consistorialibus [1] repetuntur et hæc addita :

« Undecimo Aprilis, qui in Feriam quintam majoris hebdomadæ incidit, duodecim pauperum pedes lavit, ac sacra thiara a cardinale Bellayo redimitus, Pontificiæ dignitatis insignia accepit, sine accuratiore pompa, ac sumptus, qui in festis ignibus accendendis in Arce Divi Angeli faciendi erant, in pauperes conferri jussit».

14. Quod ad primitias ejus, genusque, et patriam attinet, patrem habuit Richardum Valerii proquestorem, matrem Cassandram Benciam lectissimam fœminam; natusque est in oppido Piceni [2], cui Mons Fani nomen est, licet pater, Hetruscus genere, gente Cervina nobili, Politiano oppido ditionis Florentinæ oriundus esset. A prima ætate in liberalibus disciplinis Senis educatus, cum juventutem attigisset, sprevit delitias, nec a parentibus adduci potuit, ut uxorem duceret, cum se militiæ clericali adscribere decrevisset : tanta autem fuit ejus modestia et continentia, ut si quando inter amicos liberius forte aliquid per jocum ageretur, aut diceretur, adventu Marcelli omnes illico conticescerent. Litteris et probitate clarus, Alexandro Farnesio comes et laborum socius in Belgica legatione adjunctus, promeritus est, ut episcopatu Neocastrensi donaretur, tantaque fuit integritate, ut Pontificis consiliis adhibitus nunquam illi assentatus sit, imo illum a meditatis noxiis consiliis cœptisque interdum absterruerit. Cooptatus in cardinalium senatum, ac titulo Sanctæ-Crucis donatus, cum Joanne Maria e Monte, et Reginaldo Polo præses Concilii Tridentini renuntiatus est, in quo Pontificiæ Sedis decus dignitatemque adversus Cæsaris vim et potentiam asseruit tanta constantia, ut in Cæsarianorum odium incurrerit.

Creatus vero Pontifex ætatis anno quinquagesimo quarto [3] cum a Romani populi magistratibus salutaretur, rogareturque, ut vectigalia imminueret, respondit humanissime, se nulla nova impositurum, et gratificaturum iis, in quibus posset, seque ita amanter cum omnibus principibus gesturum, ut nullus ejus quietem perturbaturus esset. Imperatorem, Gallorumque regem ad pacem, exaratis litteris, cohortatus est, accitosque eorum oratores monuit, ut ipsos facerent, de quibus scripserat, certiores, ac ni paci consentirent, se quoque ad eos pro concilianda pace profecturum.

15. Tantus itaque Pontifex dignus quidem semper extitit omnium laudum commendatione, « ut qui omnibus dignitatibus summoque Pontificatui præferendam vitæ innocentiam, incorruptamque justitiam, in suffragiis præcipue ferendis, necessarium affirmaret». Refertur de eo beatam Virginem illi se videndam obtulisse, dum in æde Lauretana sacrum perageret, ab eaque summum in Ecclesia Dei Pontificem aliquando futurum accepisse : aiunt etiam Marcellum sæpe hanc sententiam Adriani IV repetisse : « Romano Pontifice nihil est miserabilius, conditione ejus nulla miserior, totius ejus vitæ felicitas amaritudo est. Cathedra Pontificis est sponsa undique confecta aculeis, pondus tantæ molis, ut robustissimos premat et confringat humeros ».

De Christiana ejus demissione et integritate hæc narrat Hieronymus Seripandus archiepiscopus Salernitanus in litteris ad episcopum Fesulanum datis : « Ego nunquam mihi persuadere potui cardinalem Sanctæ-Crucis ad Pontificatum pervenire potuisse, imo rem impossibilem existimabam, sicuti etiam, cum de ejusmodi rebus loquebamur, aperte asserebam. Ratio satis clara erat, omnesque ejus actiones, quibus ad Pontificatum solemne est pervenire, contrariæ mihi videbantur; quare sic in me ipso ratiocinari solebam, vel iste Pontificatum optat, vel non; si eum optat, ignorantior est, et judicio præ omnibus carens, eorum præcipue, qui in curia morantur Romana, cum non advertat cuncta omnino agi contra suum consilium; si non optat, certe homo non est, sed Angelus carne indutus, omnes, non solum hujus sæculi homines, sed etiam multos præteritorum sæculorum superans. Et quia familiarem ego cum illo jamdiu consuetudinem habens, nunquam ab aliis talem existimatum fuisse percepi, necessario concludebam; vel ipse Pontificatum non curat, vel ad eum pervenire non vult, nisi per suam propriam viam, adeoque constans erat in suis consiliis, et in augustissima et inflexibili semita justitiæ et bonitatis, in qua adeo firmum conspiciebam, ut de eo dicere solerem quod olim dictum de Catone. *O te felicem, Marce Porci, a quo rem improbam petere nemo audet*». Et post pauca : « Nunquam credidi fieri posse ut ad Pontificatum efferretur, mirum fuit triginta octo cardinales in eum qui trigesimi noni numerum complebat summa animorum consensione, nulloque æmulo invento, suffragia aperta contulisse ».

16. Creatus est nona die Aprilis Marcellus II, retento priori nomine, ac postridie sine consueta solemni pompa, quod festa Paschalia appeterent, Pontificia thyara redimitus. Fertur Marcellum, parto Pontificatu, suis præcepisse, ne Romam venirent, et duos, quos apud se alebat, nepotes nec videre voluisse, jussisseque,

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sign. num. 134. p. 160. Natalis Com. l. brev. IX. — [2] Panvin. in ejus Vita. — [3] Lib. III. lit. princ. c. 16.

ut eos nullus inviseret, nec ipsi alios institerent, et petenti cuidam, an pro ipsis cubiculum in Palatio adornare deberet, respondit : « Quid illis cum Palatio ? forte in eorum patrimonio esse censetis ». Insuper superfluos sumptus recusavit, nec in mensa aureo cocleari, sed argenteo uti voluit, nec foculum lectarium ex argento, sed ex ære fieri præcepit ; cogitabat Helvetiorum militum custodiam removere, dicens : Vicarium Christi, nec lanceis, nec clypeis ad se defendendum egere. Jacobus Augustus Thuanus, parum æquus erga Pontifices, Marcellum hac laude commendat : « Vir rara eruditione, prudentia, sanctitate vitæ antiquis comparandus, et sub quo certa spes emendandæ Ecclesiæ affulserat, refulgebat enim morum integritate, ita ut ipsius vita omnium censura haberi possit ».

17. Explicuerat ille insigne constantiæ exemplum in tuendo Pontificio et divino jure, contra Cæsaris et administrorum ejus nefaria molimina, « dum Apostolici legati munus gereret in Synodo Tridentina », inquit Panvinus [1], « et eximia in Pontificia potestate et auctoritate tuenda in eo libertas enituit. Nam cum Carolus imperator aliqua in sui gratiam sanciri voluisset, isque ab eo dissentiret, quod Cæsaris postulata ex Romanæ Sedis dignitate non esse duceret, sæpe a Cæsaris ministris interpellatus, nec minis, nec precibus a sententia dimoveri potuit : quare Cæsari invisus, cum in vitæ discrimine versari videretur, exclamasse dicitur, Cæsarem quidem in eum sævire posse, animum vero frangere non posse. Cæterum ejus facta summo Dei judicio reservari, qui unicuique juxta sua merita esset tributurus; unde haud longe post relicto Tridenti cardinale de Monte, a Paulo III revocatus Romam rediit ».

Acerbissimis etiam injuriis a Didaco Mendoza Cæsareo oratore in Concilio affectum diximus; sed quæ illi summam gloriam peperere.

18. « Pontifex factus », inquit Panvinus, « statim omnibus tribunalibus quædam, quæ inviolata rectam juris administrationem observarent, scripto mandavit, audiendis iis, qui negotiorum causa aderant, totus incubuit, sed et Rotæ auditores se salutatum de more venientes, in posterum domi se continere, et parum necessario salutandi officio omisso, muneri suo studiose vacare jussit, neminem propinquorum Romam venire voluit, ne fratrem quidem, quodque his, et temporibus, et moribus novum est, duos parvulos Alexandri fratris filios, quos ipse in Urbe educabat, a nemine salutari, raro etiam in publicum prodire, præterquam ad sacra passus est : multa et magna ad Apostolicæ Sedis decus pæne obscuratum instaurandum, meditatum fuisse ferebatur ab iis, qui cum adhuc cardinalis esset, mentem ejus exploratam habebant arcanorum omnium participes. Inter quæ illud præcipuum, quod fratri liberisque suis tantum elargiri, quantum singuli e nobilitate homines in redditibus haberent, decreverat, nec ultra privatorum civium conditionem se efferre passurus erat, non ad principatuum dignitates evehi, ne assem quidem de fructibus Ecclesiæ, nisi de libera omnium cardinalium sententia, eos auferre permissurus, omnem Ecclesiasticam jurisdictionem nullis sacris initiatis demandare cogitaverat. Illud subinde in ore habebat, sanctitati Ecclesiasticæ turpissimum esse, eos, qui sacerdotiis ad curam animarum spectantibus præfecti essent, a suis gregibus pascendis abesse, neque se eos Romæ, aut usquam versari, nisi sacerdotiis abdicatis, bonisque pastoribus commissis, permissurum. Decreverat item, ejectis ex aulico ministerio cunctis obscœnis et infamibus, se neminem in palatinis, nisi qui frugi et honestis moribus esset, cujusque opera foret et necessaria, esse passurum. Luxum enim omnium malorum causam esse, et ipsum pessimum esse dicebat. Quare etiam profusas superiorum Pontificum sportulas, in modicam quamdam pecuniarum summam, jam vix Pontificatum adeptus, contraxerat, collegium cardinalium supra omnia purgare constituerat, nec quemquam præterea in eorum numerum, lege veteri repetita, sine omnium consensu legere, quæsitis quoque in eorum electionibus summorum virorum testimoniis. Quanquam autem illud in ore habuerit, se vectigalia atque onera publica per superiores principes imposita vel aboliturum, vel ad modestam quamdam rationem redacturum, initio tamen Pontificatus ærario exhausto et magno ære alieno insuper contracto, coactus est, præter animi sui sententiam, propositum mutare, et subsidium illud triennale indicere, quo in maximis Ecclesiæ, ut dicebat, necessitatibus sublevari posset. Quare tum ob eam causam, tum ob alia quædam, tam in cardinalatu, quam initio Pontificatus circa sportulas facta, tot præsertim aliarum virtutum commendatione insignis, avaritiæ notam effugere potuit, quam parcimoniæ titulo antea obtexisset, cum alioqui valde parcus, et in donando non admodum liberalis esse videretur ». Et paulo post :

« Religionis Christianæ dissidiis et his, quæ nunc vigent, hæresibus valde angebatur, et procul dubio si vixisset, omnem operam suam et studium in eo collocasset, ut sublato schismate, omnes ad concordiam redigeret, vel generali Concilio, quod semper expetivit, vel alia quavis ratione. Sanctissimam hanc ejus mentem, ego, non aliis referentibus, sed ex familiaribus sermonibus inter nos habitis, dum cardinalis esset, optime novi : me enim multum dilexisse visus est, amicitias etenim, quas

[1] Panvin. in Marcel. II. Vit.

inde usque ab adolescentia coluit, constanter usque ad summum Pontificatum maxime retinuit, multis nihilominus cogitantibus ultra etiam accitis, doctos quoque et graves viros dilexit in primis, eorumque familiaritate jucundissime utebatur, quos consilio, opera et facultatibus aliquando sublevavit, cibi ac vini parcissimus fuit, eaque simplicitate, qua privatus cum esset, edebat, habebatque, sive publice, sive privatim convivaretur, anagnostem in mensa, qui sacros libros aut sanctorum Patrum scripta legeret ».

19. Sub primis illius Pontificatus auspiciis Senenses, qui gravissima obsidione premebantur a Cosmo duce Florentiæ, Cæsareo exercitu succincto, decrevere ad eum oratores ex Monte Alcino, in quod oppidum plures cives perfugerant, infimisque precibus flagitarunt, ut patriam in gravissimum discrimen adductam defendendam susciperet : at Marcellus a bellicis consiliis alienus respondit, necessitati parendum esse; consuluitque, ut propositas illis deditionis nuncupandæ pactiones admitterent, Cosmum vero Florentiæ ducem ad clementiam erga Senenses exercendam, continendumque militem, ne direptione, cædibus, stupris et incendio grassaretur, sollicitavit hisce litteris [1] :

« Dilecto filio nobili viro Cosimo Mediceo reipublicæ Florentinæ duci.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. In hac civitatis Senensium deditione, ex iis quæ audivimus, habita belli ratione, mansuetudinem animi tui, ac pietatem maxime agnovimus, teque in eo summopere in Domino laudamus, restat nunc ut in militibus ipsis, præsertim gregariis, idem videamus, qui cum sua sponte ac natura direptionis, ac rerum hujusmodi semper appetentes sint, longaque ac tantæ urbis obsidione, rebusque tot gestis, jure quodam id sibi deberi existiment, non tamen dubitandum videtur, ne in urbem ipsam facta irruptione, omnia cædibus, rapinis et incendiis compleant, quod etsi a tuæ nobilitatis voluntate prorsus alienum putamus, facileque propterea futurum speramus, ut jussu tuo duces ipsi, et alii, ad quos pertinet, milites in officio et fide continere, tantoque civitatem ipsam periculo liberare possint, pro ea tamen communis Patris charitate, quam omnibus debemus, et pro privato quodam animi affectu, quo permultos illic cives, ob veterem inter nos consuetudinem atque amicitiam paterne amplectimur, civitatem eamdem, nobilitati tuæ ita commendamus, ut studiosius et enixius non possimus, sed ex fide ac spe ut eorum salus, non tam in nostra aut illius commendatione, quam in te ipso sit posita, nam propter pietatis meritum, quo nullum apud Deum majus excogitari posse videtur, quantum in eo apud homines gloriæ atque amplitudinis nobilitas tua sibi paritura sit, pro sua prudentia debet considerare, multo enim majorem et pretiosiorem victoriam ex clementia et venia reportabit, quam ex vi et armis adhuc consecuta non est. Nos sane, non eam gratiam nobilitati tuæ referre poterimus, quæ tanto pro munere digna sit, ut saltem illam apud Deum omnipotentem procuremus, nullis unquam precibus sumus prætermissuri. Dat. Rom. apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XIX Aprilis MDLV, anno I ».

20. Lapso biduo ab exaratis hisce litteris, die nimirum vigesima prima Aprilis Gallicæ copiæ præsidiariæ, cum frustra expectata fuissent nova e Gallia auxilia, Senis egressæ sunt instructæ armis, vexillis explicatis, ac militari ordine structo, ac Cæsareus exercitus eadem urbe exceptus. Cincta ea fuerat obsidione superioris anni Augusto ineunte, perductaque in mensem Aprilem adultum hujus anni : conceptam deditionis formulam hisce legibus narrat Adrianus, nimirum, ut Cæsar in clientelam imperialem susciperet Senensem rempublicam, libertatem consuetam iis permitteret, jusque creandorum magistratuum, contractum læsæ majestatis crimen gesti hujus belli occasione oblivione deleret, restitueret bona, exceptis iis, quæ milites belli jure rapuerant, exciperent tamen Senenses militare præsidium Cæsareo stipendio sustentandum, quod Cæsar urbi imponeret. Pollicitus etiam est dux Florentiæ consensurum Cæsarem non extrui arcem sine ipsius reipublicæ Senensis assensu, omnesque munitiones circa urbem excitatas discedente exercitu eversum iri, atque alia Senensium privilegia confirmata fuere. Cæterum imperator, possessione Senarum accepta, illius urbis imperium in Philippum filium transtulit; ut vero postea Senæ in potestatem Cosmi ducis Florentiæ ceciderint, suo loco dicetur. Præfectus est a Cæsare Senensis urbis gubernaculis Franciscus Toletanus, ac Marcellus Pontifex metuens ne cives Senenses a victoribus militari licentia premerentur, cardinalem Tridentinum misit, ut cives a vi et injuria vindicaret. At de his satis : modo obitus Marcelli II Pontificis lugendus est, qui adeo præcipiti casu e vivis ereptus, ut potius orbi Christiano ostensus, quam datus fuerit. Flagrabat ille immenso sacro ardore tollendarum hæreseon, sed tot tamque immania gentium impiarum crimina non permiserunt, ut sanctissima consilia in opus provocaret. Cum non esset satis firmis viribus, in recolendis Dominicæ passionis mysteriis, divinisque officiis de more celebrandis defatigatus, duodecimo a suscepto Pontificatu die, gravioris pituitæ affluxu ac febre laborare cœpit; postridie elicito sanguine, licet febris remisisset, et per aliquot dies convalescere videretur, adeo ut

[1] Lib. brev. num. 2891. p. 43.

viros principes, et aliquos cardinales ad se venientes humanissime audiret; tamen pridie kal. Maii hora XII apoplexia oppressus sequentis diei hora VII, paulatim amissis sensibus, e vivis discessit [1], relicto maximo sui desiderio; ac in Vaticano templo ejus cadaver tumulo marmoreo conditum est. Vixit in Pontificatu viginti duobus diebus; ac totidem aliis fuit interregnum Pontificium.

PAULUS IV.

21. *Pauli IV electio; patria, parentes, mores et primordia.* — « Tenuerat Pontificatum diebus viginti duobus Marcellus, persolutisque de more exequiis, cum vacuum fuisset sacrosanctum solium, post gravissimas comitiorum contentiones, cardinalis Caraffa sacri senatus princeps [2], adnitente cardinali Farnesio, ac renitentibus Cæsareæ factioni addictis, XXIII Maii evectus est ad Pontificatum, quem jam olim sanctitatis fama venerabilis eremita, dum in matris utero conditus lateret, Victoriæ Camponesiæ, lectissimæ pietateque conspicuæ matronæ prædixerat, jusseratque ut fœtum diligentissime conservaret, quod Pontificios apices aliquando gesturus esset ».

Natus est in Hirpinis in oppido, cui Sancti-Angeli de la Scala nomen, septimo a Benevento lapide, Patrem habuit Joannem Antonium, inter proceres Neapolitanos insignem, matrem Victoriam Camponesiam, quæ familiæ comitatum Montorii intulit, sororem habuit sanctimonialem sanctitatis existimatione conspicuam, a teneris annis pietati se addixit, cumque Prædicatorum instituta professurus monasterium esset ingressus, ægre a parentibus imbecilliori ætati diffisis abduci inde vix potuit, inde ad studia converso animo sacrarum litterarum, ac linguarum Latinæ, Græcæ et Hebraicæ cognitioni diligentem operam navavit, summam vitæ integritatem coluit, Romæ in contubernio Olivieri Caraffæ cardinalis amplissimi propinqui sui fuit, cujus opera et commendatione a Julio II episcopus Theatinus creatus aliquot post annis internuntium in Anglia egit, quæstoremque vectigalis Sancti-Petri, ad aulam Ferdinandi Catholici se conferens, ad consilia est admissus, ab Hadriano VI ab Hispania excitus, inter eos Patres relatus est, quorum et consilio Pontifex usus est in Ecclesiastica morum censura ad solutiorem disciplinam restringendam, sanctioremque regendi Pontificatus rationem instituendam; sedente Clemente VII, cum Cæsar Carolus V Brundusino archiepiscopatu eum ornare voluisset, non modo eam dignitatem respuit, sed ultro sanctioris vitæ cupidus, Theatino episcopatu, impetrata Pontificis venia, abjecto instituto a sancto Cajetano Thyenæo sacerdotum sodalitio se adjunxit, a quo vehementer illustratus auctusque sacer ille Ordo Theatinorum nomen accepit: post urbis cladem, Veronam, dein Venetias se contulit, multaque virtutum exempla reliquit. Ex eo sodalitio a Paulo III ob summam integritatem, rerumque gerendarum peritiam in senatum cardinalium adlectus est, ac presbyteralem tit. Sancti-Clementis, prioremque episcopatum recepit: Romam vocatus sanctitatis fama apud omnes claruit, ad sacrarum litterarum peritiam præexcellentem morum integritatem conjunxit, in dicendaque sententia libertatem constantissime tenuit, et si quid a Pontificibus alienum a dignitate Apostolicæ Sedis referretur, vel a Concilio de industria aberat, vel si interesset, non assentiebat, subdit Panvinus: « Pontifice Paulo III, auctor in primis fuit, ut sanctæ Inquisitionis tribunal, præstantissimis Patrum ad id munus judicibus lectis, institueretur, qui inquirendis damnandisque hæreticis summa cum potestate præessent, latius jam per totam Italiam serpente Lutherana hæresi, cujus labes non profanos modo, sed et religiosorum hominum multos polluerat, qua ratione factum est, ut membris ægrotis, aut sanatis, aut si sanari non possent, amputatis, quæ contagio inficiebantur, periculoque propriora erant, paulatim, salutaribus remediis, pristinæ sanitati restituerentur ».

Ex presbytero cardinale tit. Sanctæ-Mariæ Transtyberim, episcopus primum Albanus, dein Sabinus creatus est, atque archiepiscopus Neapolitanus, sed Hispani possessionem illius archiepiscopatus inire non passi sunt, quod ejus gentiles in ultimo Neapolitano bello Clementi VII et Gallis adhæsissent, postea Julio III Pontifice Tusculanam, et novissime Ostiensem Ecclesiam est consecutus.

22. De illius creatione in Romanum Pontificem hæc referunt Acta [1] Consistorialia.

« Romæ XXIII Maii MDLV, quo celebratur festum Ascensionis Domini nostri Jesu Christi, hora XX aut circa, fuit publicatus Pontifex reverendissimus dominus Joannes Petrus episcopus Ostiensis, et nominatus Paulus IV, et delatus est in Sede Pontificali ad Sanctum-Petrum cum Cruce et cantoribus hymnos de more solito cantantibus præcedentibus, et apud Altare, ubi jacet sacrosancta Eucharistia, humi positus genibus flexis oravit, et deinde perlatus ad majus Altare Sancti-Petri, ubi iterum oravit, quo facto, fuit reportatus ad palatium, et solitas stationes ».

Proximo die Dominico, thyara Pontificia redimitum solemni ritu, addunt eadem Acta [2]:

« Romæ XXVI mensis Maii MDLV, fuit delatus ad Sanctum-Petrum cruce et cantoribus præcedentibus, S. D. N. Paulus PP. IV, et in cappella

[1] Panvin. in Marcel. II. Vit. — [2] Auctor Vitæ Pauli IV.

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 161. — [2] P. 162.

Sancti-Andreæ præstitit juramentum per Pontifices præstari solitum, et indutus fuit vestibus Pontificiis ad celebrandum, deinde perlatus ad cappellam Sancti-Petri, ubi Missam celebravit, qua finita, fuit delatus ad curritorium super scalas Sancti-Petri propterea præparatum, et ibidem coronatus more solito hora XVII aut circa, postmodum plures cardinales eum associarunt usque ad suam mansionem, et cum eo prandium sumpserunt ».

Suscepto Pontificatu Paulus mox primas curas disciplinæ Ecclesiasticæ instaurandæ, ac morum puritati in primævum sanctitatis splendorem revocandæ, necnon constituendæ inter Christianos principes concordiæ addixit ut Acta sacri senatus testantur :

« Romæ, die Mercurii XXIX ejusdem mensis Maii MDLV, fuit Consistorium, in quo S. D. N. Paulus IV habuit orationem, qua egit gratias reverendissimis, de ejus electione, et deputavit nonnullos reverendissimos, qui antea felicis recordationis Marcello II ad id deputati fuerant, super reformatione facienda, et successive fuit factum verbum de pace procuranda inter Christianos principes ».

Proximo die..... Ferrariæ dux Paulo clientelare officium detulit, atque in illius fide et potestate semper futurum spopondit, ut confirmant eadem Acta :

« Romæ die Jovis XXX mensis Maii MDLV, fuit Consistorium publicum, in quo illustrissimus dominus dux Ferrariensis, qui antea pro præstanda obedientia felicis recordationis Marcello II ad Urbem advenerat, eodem Marcello mortuo, hujusmodi obedientiam ei non præstitam, et Joanne Petro divina favente clementia episcopo Ostiensi ad summi Apostolatus apicem, cum denominatione Pauli PP. IV assumpto, habita prius per suum oratorem, seu secretarium, eleganti oratione, obedientiam devotam eidem Paulo præstitit, a quo benigne exceptus est ».

23. Proximis diebus ad corruptelas, quæ in Ecclesiastico ordine inoleverant, abolendas studia convertit, utque optimi rectores administrandis Ecclesiasticis præfecturis admoverentur, operam navavit, ut testantur Acta [1] Consistorialia :

« V mensis Junii MDLV, fuit Consistorium in quo sanctissimus dominus noster Paulus PP. IV de salute animarum sollicitus, ut personæ Ecclesiasticæ absque alicujus simoniæ aut ambitionis suspicione, ad Ecclesiarum et monasteriorum regimina promoveri, et personæ ipsæ illis puro corde et sincera conscientia præsidere valeant, de fratrum consensu et consilio, statuit, quod de cætero perpetuis futuris temporibus, patriarchalibus, metropolitanis, et cathedralibus Ecclesiis ac monasteriis pro tempore vacantibus, de quibus consistorialiter disponi contigerit, non ad personarum promovendarum hujusmodi requisitionem, supplicationem, aut instantiam, sed eis, quæ de jurepatronatus fuerint, aut ad quas seu quæ idonearum personarum præsentatio seu nominatio ad imperatorem, reges, aut alios principes pertinuerit, ad præsentationem seu nominationem imperatoris, regum, seu aliorum principum jurispatronatus, seu facultatem præsentandi aut nominandi hujusmodi habentium, et reverendissimi domini cardinales hujusmodi negotium proponerent, aliis vero Ecclesiis seu monasteriis ad solius cardinalis proponentis relationem duntaxat provideri debeat.

« XVII mensis Julii MDLV, S. D. N. indemnitati patriarchalium, metropolitanarum et cathedralium Ecclesiarum providere cupiens [1], de fratrum consilio statuit atque decrevit, ut de cætero perpetuis futuris temporibus, in provisione sui, seu alia dispensatione Ecclesiarum earumdem non dispensetur cum aliquibus super defectu ætatis, nisi juxta decreta Concilii Lateranensis novissime celebrati, et concordata Galliæ desuper cum Sede Apostolica unitæ, quæ super hoc inviolabiliter observari voluit, et expresse mandavit ».

Istis diebus reipublicæ Lucensis oratores ad præstandam novo Pontifici obedientiam Romam accesserunt, de quo sic Acta [2] Consistorialia loquuntur : « Romæ die XX mensis Julii MDLV, fuit consistorium publicum propter adventum oratorum Lucensium, qui, habita ab uno ex eis oratione latina, suæ Sanctitati et Sedi Apostolicæ nomine eorum communitatis obedientiam devotissimam præstiterunt, quam Sanctitas sua una cum reverendissimis benigne recepit ».

24. *Scribit imperatori et Romanorum regi ut res Germaniæ collapsas restaurent.* — Parto Pontificatu, tam præclara initia sui regiminis edidit Paulus IV ut omnes pios non solum ad mirificam spem pacis et tranquillitatis, sed etiam insignis felicitatis erexerit, cum ipsam sanctitatem spirare videretur, ac primas curas conciliandæ inter Hispanos Gallosque concordiæ, quæ ad redigendos ad officium Lutheranos omnino erat pernecessaria, consecravit, ac proximo die a suscepto Pontificatu Carolum V Cæsarem de Marcelli II obitu, ac sua creatione certiorem fecit, tum priora consilia redintegrandæ concordiæ, a Julio et Marcello cœpta, promovere decrevit, ursitque Cæsarem, ut susceptæ ab eo expetitæque pacis actioni insisteret, necessariamque omnem in ea re auctoritatem Reginaldo Polo cardinali Anglo concessam, se porrecturum spopondit [3] :

[1] Pag. 164.

[1] Pag. 169. — [2] Ms. card. Spadæ tom. CXXXIV. pag. 171. — [3] Paul. IV. l. I. brev. sig. num. 2892. p. 53.

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori semper Augusto.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Heri una omnium venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium sententia, qui nobiscum in conclavi erant congregati, in locum felicis memoriæ Marcelli II Pontificis Maximi demortui, suffecti fuimus, et quanquam non essemus ignari, quam grave onus debilibus humeris nostris imponeretur, cum tamen nihil ejusmodi sine Dei voluntate fieri sciremus, subire illud maluimus, quam debitæ illius majestati cujusvis servitutis jugum excutere, ad quod quidem perferendum ipsius Dei auxilium nullo nobis loco esse defuturum speramus, in iis rebus potissimum, quæ ad ejus gloriam Christique fidelium salutem pertinebunt, hoc est, ad religionis Christianæ amplificationem, communemque omnium pacem et tranquillitatem, cui a tua majestate eam nunc operam dari novis in dies nuntiis audivimus, ut cum nostra hac tanti muneris sollicitudine non mediocris conjuncta sit consolatio ; precamur divinam clementiam, ut hujus consolationis nostræ finem sentiamus, qui orbi Christiano universo adeo est necessarius, et quem de tua virtute ac pietate omnino nobis pollicemur : interim vero ad majestatem tuam hæc scribimus, tum ut eam de statu nostro certiorem faciamus, tum ut præter auctoritatem, quæ dilecto filio Reginaldo cardinali Polo, nostro de latere legato inter cætera ad pacem ipsam tractandam amplissime concessa est, si quid a nobis fuerit necessarium, id omne offeramus, quodque præterea ad tuæ majestatis tuorumque amplitudinem et splendorem attinet, ut certo illud scias omnia perpetuo tibi parata esse, quæ cum Deo in primis, sanctæque Matris Ecclesiæ, cujus te semper filium observantissimum novimus, Sedisque Apostolicæ dignitate, cumque aliorum concordia et quiete fieri a nobis posse cognituri sumus, ut venerabilis frater Hieronymus archiepiscopus Consanus pluribus exponet tuæ majestati, quam omnipotens Deus benedicat. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XXIV Maii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

Labente a datis hisce litteris tertio die, Ferdinandum Romanorum regem ad eadem concordiæ studia et restituendum collapsæ religionis in Germania splendorem excitavit, utque gratiam et auctoritatem, qua florebat apud fratrem Cæsarem, adhiberet, his litteris hortatus est :

« Ferdinando Romanorum ac Hungariæ et Bohemiæ regi illustri.

« Quarto abhinc die, uno omnium venerabilium fratrum nostrorum consensu, in felicis recordationis Marcelli II Pontificis Maximi vita paulo ante defuncti locum substituti fuimus, cui curæ atque oneri etsi hac ætate et his viribus adeo impares sumus, ne tamen divinæ voluntati, de qua dependent hæc omnia, reluctamur, jugo nos Apostolicæ servitutis debita obedientia subjecimus, Dei ejusdem freti benignitate, eaque præterea spe, ut vos, et reges, et principes Christianorum ad onus hoc perferendum nullo nobis loco sitis defuturi, inter quos quantum de tua serenitate nobis nos polliceri debeamus, ex perpetua erga Romanam Ecclesiam sanctamque hanc Sedem observantia et amore, atque in Christianam rempublicam voluntate, præclare possumus videre, in iis rebus præsertim, in quibus utrumque nostrum maxime decet convenire ; etenim cum serenitati tuæ, ut præclarissimis signis non semel declarasti, non minus, quam nostro cordi sit, ut religio ipsa speciem et dignitatem amissam tandem recuperet, ac principum ipsorum discordiæ penitus tollantur, has ad te litteras dedimus, non solum, ut in hoc nostro Pontificatus ingressu serenitatem tuam salutaremus, sed ut hoc in primis scires, nulla nos in præsenti majore sollicitudine urgeri, quam et pacis procurandæ, et religionis Christianæ in suam formam ac decus redigendæ. Ad hoc enim assequendum in vestra ista potissimum inclyta natione, quantum serenitatis tuæ regia virtus, ac pietas vere Christiana perpetuo possit, minime ignoramus. Ad illud vero, hoc est, pacem constituendam, te gratiam et auctoritatem, qua tantum potes non modo apud Serenissimum Cæsarem germanum tuum, sed apud omnes ubique interpositurum plane in Domino confidimus, donec ejus aliquando compotes fiamus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XXVI Maii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

25. *Anglicanæ Ecclesiæ providet et Philippo regi gratulatur.* — Proximo mense amplissimam Anglorum legationem Paulus excepit, pro confirmanda illius regni cum Romana Ecclesia veteri conjunctione. Decreti quidem fuerant oratores ad Julium III, quo e vivis sublato, Philippus et Maria Angliæ reges easdem litteras, mutato Pontificis nomine, renovarunt, quibus in cardinalium senatu perlectis, maximo omnium applausu Paulus indultam Anglis a legato cardinale defectionis præteritæ veniam ratam habuit, atque amantissimo sinu Anglorum gentem complexus est. De episcopis a Paulo IV variis Angliæ episcopatibus præfectis, hæc referunt Acta [1] Consistorialia :

« Romæ die XXI mensis Junii MDLV, fuit Consistorium, in quo præstita fuit obedientia per R. D. episcopum Eliensem, et dominum Eduardum oratores serenissimorum regis et

[1] Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 165.

reginæ Angliæ, qui oratione habita, Sanctitati suæ et Sedi Apostolicæ devotam præstiterunt obedientiam, quam Sanctitas sua una cum fratribus acceptavit, fuitque petita venia de erroribus in præteritum commissis, et eadem Sanctitas sua pepercit, et recepit in gremium Ecclesiæ.

26. « Referente reverendissimo Morono.

« Cum reverendissimus dominus Reginaldus Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconus cardinalis, Polus nuncupatus, Sanctitatis suæ et Sedis Apostolicæ in regno Angliæ legatus de latere, cui antea felicis recordationis Julius papa III Sanctitatis suæ prædecessor, ut de personis quorumcumque archiepiscoporum et episcoporum, qui metropolitanas aut alias cathedrales prædicti regni Ecclesias de manu laicorum etiam schismaticorum, et præsertim quondam Henrici regis et Eduardi ejus nati recepissent, eorumque fructus, etiam longissimo tempore, etiam tanquam veri archiepiscopi, seu episcopi usurpando, postquam eos rehabilitandos esse censuisset, si sibi alias digni et idonei viderentur, eisdem metropolitanis, ejusdem regni Ecclesiis, quovis modo pro tempore vacantibus, de personis idoneis, pro quibus serenissima domina Maria regina Angliæ, juxta ejusdem regni consuetudinem sibi supplicasset, Apostolica auctoritate providere, ipsasque personas eisdem Ecclesiis in episcopos et archiepiscopos præficere, et cum iis qui Ecclesias cathedrales etiam metropolitanas de manu laicorum et schismaticorum, ut præfertur, recepissent, quod eisdem, seu aliis, ad quas eos aliter rite transferri contingeret, cathedralibus etiam metropolitanis Ecclesiis in episcopos et archiepiscopos præfici et præesse, ipsasque Ecclesias, in spiritualibus et temporalibus regere et gubernare, ac munere consecrationis eis eatenus impenso, uti valerent, dispensare posset, plenam et liberam facultatem concesserat, R. P. D. episcopum Thomam episcopum Eliensem, qui antea Ecclesiam Westmonasteriensem dicti regni, tunc de manu Henrici regis, et postquam illius regimini et administrationi temere et de facto se ingesserat, et illius prætextu munus consecrationis etiam de facto susceperat, illa dimissa, Ecclesiam Norwicensem, tunc certo modo vacantem, de manu Eduardi prædicti receperat, et illius regimini etiam de facto se ingesserat, fructus mensæ episcopalis Norwicensis tanquam episcopus Norwicensis similiter de facto usurpando, ab excessibus hujusmodi dicta auctoritate absolvisset, qui postmodum dictam Ecclesiam realiter dimiserat seu remissurus erat, ut cuicumque Ecclesiæ cathedrali in episcopum et pastorem præfici et præesse, illaque in spiritualibus et temporalibus per eum, ut præfertur, suscepta uti valeret, eadem auctoritate dispensasset; ac successive de persona ipsius Thomæ episcopi, pro quo dicta Maria regina, juxta eamdem consuetudinem, sibi super eo supplicaverat, Ecclesiæ Eliensi, tunc certo modo pastoris solatio destitutæ, dicta auctoritate providisset, eumque illi in episcopum præfecisset et pastorem, curam committendo, ipseque Thomas episcopus provisionis et præfectionis hujusmodi vigore possessionem, seu quasi regiminis et administrationis ipsius Ecclesiæ Eliensis pacifice assecutus fuisset, assereretur que Ecclesiam Eliensem prædictam etiam tunc, ut præfertur, seu alias certo modo, quem Sanctitas sua haberi voluit pro expresso, vacare de persona ipsius Thomæ, pro qua dicta Maria regina, et serenissimus dominus Philippus Angliæ rex eidem Sanctitati suæ super hoc supplicaverant, dicta auctoritate providit, ipsumque dominum Thomam episcopum illi in episcopum præfecit et pastorem, curam committendo, etc.

« Providit similiter Ecclesiæ Norwicensi adhuc certo modo vacanti de persona domini Joannis episcopi Norwicensis Ordinis fratrum Prædicatorum, et theologiæ professoris, alias de eadem Ecclesia per supradictum reverendissimum dominum Reginaldum cardinalem legatum provisi, cum absolutione opportuna, et ad supplicationem prædictorum reginæ et regis.

« Providit Ecclesiæ Bristoliensi, quæ alias perniciosissimo schismate, quod modo Dei misericordia et serenissimi Philippi regis et serenissimæ dominæ Mariæ reginæ Angliæ pietate extinctum est in regno Angliæ, vigente per tunc supremum consilium, Parlamentum nuncupatum, regni, in provincia Cantuariensi erecta fuit, et cujus erectio postmodum per reverendissimum dominum meum Reginaldum Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem, Polum nuncupatum, Sanctitatis suæ et Sedis Apostolicæ in eodem loco legatum de latere, sufficienti ad id, ut asserebat, per litteras dictæ Sedis facultate suffultum primo, et deinde per Sanctitatem suam Apostolica auctoritate approbata fuit de persona R. D. Joannis episcopi Bristoliensis ». Et infra :

« Providit Ecclesiæ Eboracensi, tunc certo modo vacanti de persona domini Nicolai Hith clerici Eboracensis, seu alterius civitatis vel diœcesis, pro qua serenissimus dominus Philippus rex et serenissima domina Maria regina Angliæ Sanctitati suæ super hoc supplicaverant.

« Providit Ecclesiæ Assanensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Henrici olim episcopi Assanensis, de persona domini Jacobi Terbeville clerici Oxoniensis, et ad supplicationem dictorum serenissimorum regis et reginæ.

« Providit Ecclesiæ Baugoriensi, tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis olim episcopi Baugoriensis, de persona domini Guillelmi Baugoriensis, ad eamdem supplicationem.

« Providit Ecclesiæ Sadorensi, tunc per obitum bonæ memoriæ H... vacanti, de persona domini Thomæ Staulensis clerici, pro quo illustris dominus Edoardus comes Darbiæ, regio nomine supplicaverat.

« Providit Ecclesiæ Dublinensi, nunc ad sæcularitatem de facto reductæ, tunc per obitum bonæ memoriæ Joannis olim archiepiscopi Dublinensis, de persona venerabilis viri domini Ugonis Carensis presbyteri Dublinensis.

« Cum etiam cardinalis Polus legatus a Julio III decretus Conventrensi et Lichfeldensi Ecclesiis Rodulphum theologiæ doctorem episcopum præfecisset, etiam a Paulo IV ad preces regis ac reginæ in eadem dignitate confirmatus est.

27. « Paulo etiam antea Pontifex studio pacis, Hiberniæ provinciam, cujus dominos tantum se veteres Angliæ reges appellarant, regni nomine decoravit, sine ullo Romanæ Ecclesiæ vel alterius damno, cum antea Henricus VIII et Eduardus VI eam insulam regni fastigio et nuncupatione ornandam sanxissent : ut titulos, quos illi temere sibi arrogarant, Philippus ac Maria jure ac religiose sibi adscriberent.

« Romæ die VII mensis Junii MDLV, apud Sanctum-Marcum fuit consistorium, in quo, referente reverendissimo Puteo, erexit insulam Hiberniæ, cujus ab eo tempore, quo illius dominium per Sedem Apostolicam adepti sunt reges Angliæ, qui pro tempore fuerint, se dominos tantum nuncupare consueverant, et cujus regium titulum quondam Henricus VIII, postquam ab unitate Catholicæ Ecclesiæ et obedientia Romani Pontificis secessit, prætextu cujusdam legis per Parlamentum ejusdem insulæ, ut prætenditur, latæ primo, et deinde ejus natus Eduardus VI, eorum nominum, qui dum viverent, pro regibus Angliæ se gesserunt, de facto usurpaverant, in regnum, ad instar aliarum insularum regio titulo, dignitate et honore fulgentium, sine præjudicio jurium sanctæ Romanæ Ecclesiæ, et cujuscumque alterius in ea, vel ad illam jus habere prætendentis, ac attenta dignitate, honore, facultate, juribus, insignibus regiis, quibus alia Christi fidelium regna utuntur, insignivit et decoravit ».

28. Gratulatus vero est Paulus [1] amplissimis verbis Philippo regi, ac Mariæ reginæ de singulari in fide Catholica asserenda propagandaque constantia, atque in præficiendis optimis episcopis Ecclesiis Angliæ non parciturum operæ, amplitudinemque cardinalis Poli semper se provecturum respondit :

« Paulus papa IV, charissimis in Christo filiis nostris Philippo et Mariæ Angliæ regibus illustribus.

« Charissimi in Christo filii nostri, salutem et Apostolicam benedictionem. Quos tanto nos desiderio, et Romana Ecclesia universa, cunctusque almæ hujus Urbis populus expectabamus, dilectus filius nobilis vir Antonius de Montaguto, venerabilis frater Thomas Æliensium episcopus, et dilectus filius eques Eduardus Cherne, serenitatum vestrarum oratores, duce vestræ apud Deum cœlestis gratiæ lumine, nonis Junii incolumes ad nos pervenerunt; quinto autem post die in palatio Apostolico et aula regum publicum eis consistorium dedimus, in quo venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, principum Christianorum oratoribus, magno episcoporum et prælatorum numero, omnibusque nobilium Romanorum et aulicorum ordinibus præsentibus, simul atque a nobis ad paternum pacis et amplexum et osculum admissi fuerunt, primo regium vestrum amplissimumque mandatum, ad gratias de data præteriti schismatis venia per eos agendas, debitam nobis et Sedi Apostolicæ submissionem et obedientiam vestro ac vestri regni nomine præstandam, Ecclesiarum cathedralium tunc istic erectarum confirmationem petendam, audientibus omnibus, ab uno ex nostris secretariis perlectum est, postea ab ipso Æliensium episcopo habita oratione, eaque nondum finita, redditæ ab eis litteræ patentes, quæ omnem regni istius cum Romano Pontifice et sancta Sede Apostolica reconciliationis seriem, legumque contra eum latarum abrogationem continebant, eis eodem modo, quo mandatum recitatum fuerat, perlectis, ipse idem episcopus una cum collegis suis gratiis de data schismatis venia peractis, ipsaque obedientia vestro utriusque et ejusdem regni nomine præstita, peroravit. Nos vero una cum eisdem venerabilibus fratribus nostris cardinalibus obedientiam ipsam admittentes, eos et eorum personas utrumque vestrum, totumque ipsum regnum referentes, omni charitatis affectu iterum amplexi sumus et exosculati, atque in clementissimæ matris Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ gratiam et gremium recepimus, quod nemini ad eam redeunti unquam clausum est, cumque dilecti filii Reginaldi Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis Poli, nostri et Sedis Apostolicæ de latere legati, litteras quæ veniæ et absolutionis ipsius fidem faciebant, nobis demum porrigerent, non solum veniam et absolutionem ipsam approbavimus, sed quatenus opus esset, denuo dedimus. Verum ita hæc omnia peracta sunt sicut oravit episcopus vera eloquentia, et sana præditus doctrina, adeo vestrorum præteritos errores commemoravit, eoque animi affectu pœnitentiam præsentem ante omnium qui aderant oculos posuit, ut præ gaudio tanti a Deo accepti beneficii vix nonnulli sibi a lachrymis temperare potuerint, nam etsi primis ejus rei nuntiis felicis recordationis

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 77.

Julio III prædecessori nostro allatis, ea lætitiæ signa ubique apud nos data sint, de quibus ad vos perscriptum diligenter fuisse arbitramur, nihilque a nobis optari nec præclarius nec sanctius posse videbatur, non plane tamen omnes in eo conquievissent, nisi hac veluti extrema præstitæ obedientiæ manu serenitates vestræ opus ipsum perfecissent, quare consistorio dimisso, ejusque actis per Urbem pervulgatis, ipsimet oratores testes erunt cum privatæ, tum publicæ totius Ecclesiæ atque Urbis hilaritatis : nos cum ex nostra lætitia alienam metiremur, nullam aliam majorem excogitari posse multis de causis putabamus. Cum tamen non ita multo post XII kal. Julii ab eodem episcopo et Eduardo, nam paulo ante hinc discesserat Antonius, mandatum item vestrum, et patentes litteræ nobis fuerint redditæ eodem exemplo, quo eæ, quas in consistorio lectas dicebamus, nomine tantum Julii III, quo illæ fuerant inscriptæ, in nostrum Pauli IV immutato, usque adeo est aucta, ut nullum ejus testimonium adhiberi a nobis certius possit, quam illius, qui cordium scrutator est. Quantum tamen potuimus eam ad illius laudem omnibus ostendimus; postridie enim in consistorio secreto apud Sanctum-Marcum, aliquot eodem prælatis virisque insignibus præter morem convocatis, litteras prius, quibus seorsum vestræ serenitates de Pontificatu nostro nobis respondebant, postea mandatum et litteras patentes perlegi fecimus, et quamvis res ipsa per se adeo sit memorabilis, ut his monumentis egere non videatur, ea tamen in archivio et in secretioribus nostris hujusmodi scripturarum thesauris diligenter reponi et asservari mandavimus, obedientiam vestram incredibili ipsorum fratrum nostrorum plausu iterum accepimus, veniam et obedientiam datam comprobavimus, et cætera fere omnia egimus, quæ in consistorio publico egeramus, quo enim, et pluribus actibus ac testimoniis confirmata fuisse in præsenti et in posterum compertum fuerit, ideo majorem vestris serenitatibus pietatis gloriam, regno ipsi vestro fidei constantiam, sanctæ huic vero sedi auctoritatem videtur pariturum esse, quæ omnia, etsi ab ipsis oratoribus serenitates vestræ melius cognituræ sunt, quam tamen ipsi egregie ac pie, quantaque cum vestra utriusque dignitate hoc legationis munere benevolentiam vobis apud omnes comparaverint, quantaque Sedes Apostolica et nos serenitatibus vestris post Deum ipsum debeamus, voluimus his etiam litteris apud vos testatum esse : nam de Cantuariensi, aliisque Ecclesiis, et cæteris ejusdem generis negotiis ipsimet oratores, idemque dilectus filius noster cardinalis Polus legatus copiose vobiscum locuturi sunt, nos enim omnem operam navabimus, et his, et omnibus aliis vestris desideriis, quæ nonnisi honestissima fore confidimus, ut quantum cum Deo poterimus, satisfaciamus, quodque ad legatum ipsum cardinalem Polum attinet, nihil in ejus honorem, vel commodum, vel amplitudinem, neque isthic a vobis, neque a nobis hic excogitari conferrique poterit quod tantæ illius virtuti ac probitati, tantisque erga nos et Sanctam hanc Sedem, ergaque vos et regnum vestrum officiis, et meritis satis esse videatur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die XXX Junii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

29. *Cramnerus de sede Cantuariensi dejectus, et hæreticorum duces capitali sententia damnati.* — Actum est de restituendis Ecclesiarum bonis, sollicitante Pontifice, sed cum sacra vectigalia a proceribus occupata essent, gravioribus implicita difficultatibus res visa est, rejectaque in proxima comitia, quæ cum vergente anno coacta fuissent, nil impetrari potuit, ne proceres rebellarent; primos tamen fructus ac decumas sacerdotibus Ordines attribuerunt. Cum vero felici adeo Anglorum conversioni nonnulli impii, multorumque flagitiorum rei procaciter ac pertinaciter obstitissent, læsæ majestatis regiæ crimine accersiti sunt in jus, atque inter eos Cramnerus schismatis signifer pseudoarchiepiscopus Cantuariensis, qui iniquissime toties reginam læserat, in vincula conjectus ardens conscientiæ facibus, meritique supplicii terrore perculsus, schisma hæresimque ejuravit, imploravitque misericordiam; quare resipiscenti vita indulta est, retentus tamen in carcere, ne graviora flagitia moliretur, cujus carceris molestias adeo acerbe tulit, ut in desperationem efferatus, instar canis, reversus ad vomitum, priorem impietatem tueri non perhorruerit (1).

30. Porro ejus causam apud subsellia Apo-

(1) Thomæ Cramneri historiam longe aliam ex Anglicanis publicis Tabulis acceptam tradit Burnetus, ex quo etiam menda quædam chronologica annalistæ corrigere pronum est. Vir iste præcedenti anno MDLIV carcerem subiit, hoc vero præsenti MDLV, die XII Septembris juridice interrogatus de fide hæresim suam pervicaciter defendit, quem doctissimi plures Catholicorum theologi refutare ac redarguere conati frustra se niti intellexerunt. Hac confessione reum se capitalis supplicii statuit, carceremque duriorem ferre coactus est. Interim Maria regina accusationem in illum suam urgebat, ultionem prosequens de auctore injuriæ ab Henrico in Catharinam matrem suam illatæ; tantumque auctoritas accusantis valuit, ut in supremo Angliæ senatu capitalis in illum sententia die XXIV Februarii anni MDLVI signaretur. Aucto terrore Cramnerus tandem consilium sanius admittere visus est; nam hæresim hucusque propugnatam scriptis edita sanæ fidei confessione ejuravit. Syngrapha illa chronicis notis carens, cui potissimum tempori assignetur, dubios nos effecit et incertos. Verum Burnetus non inani conjectura persuasus collocandam censet in spatio illo temporis quod inter prolatam in senatu capitalem sententiam et ejus executionem intercessit. Cum enim post latam capitis sententiam supplicium ejus integro fere mense dilatum fuerit, insuetæ dilationis nulla aptior causa afferri posset, quam viri resipiscentia, quæ ambiguos judices reddidit num veniæ locus aliquis præstandus esset. Perseveratum est tamen in sententia ac die XXI Martii anno MDLVI, ad ignem deductus in ipso subeundi supplicii articulo hæresim pristinam retinere se declaravit; atque ita demum hæreticus occubuit. MANSI.

stolica, cum primas esset Angliæ, agitatam, damnatumque decretoria sententia, atque exauctoratum archiepiscopatu et omni gradu Ecclesiastico a Paulo IV ostendunt Acta [1] Consistorialia, subjectis concepta verbis :

« XXIX mensis Novembris fuit Consistorium, in quo reverendissimus Puteus multa proposuit contra archiepiscopum Cantuariensem in materia fidei, et fuerunt dilata ad aliud Consistorium voto reverendissimorum, cum ageretur de privatione ipsius archiepiscopi.

« Romæ die IV mensis Decembris MDLV fuit Consistorium, in quo fuit plene disputatum, an Thomas archiepiscopus Cantuariensis esset privandus et puniendus, cum multa crimina hæresis commisisset, et tandem fuit conclusum, et lata desuper sententia per Sanctitatem suam tenoris sequentis, videlicet :

« Nos Paulus, divina providentia PP. IV, Salvatoris et Domini nostri Jesu Christi, cujus vices licet immerito in terris gerimus, nomine invocato, in throno justitiæ pro tribunali sedens, solum Deum, qui justus est Dominus, et in justitia judicat orbem terrarum, præ oculis habens, per hanc nostram definitivam, quam de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio ferimus, in his scriptis in causa et causis, quæ coram dilecto filio nostro Jacobo tit. Sanctæ-Mariæ in Via presbytero cardinali, de Puteo nuncupato, nobis in Consistorio secreto, ut moris est, referenda, inter charissimos in Christo filios nostros Philippum regem et Mariam reginam Angliæ illustres, denuntiatores ex una, et quemdam Thomam Cramnerum olim archiepiscopum Cantuariensem reum et denuntiatum, de et super crimine hæresis, aliis excessibus, censurisque et pœnis propter crimen hujusmodi per dictum Thomam reum denuntiatum, et confessum, et convictum incursis, rebusque aliis in actis causæ et causarum hujusmodi latius deductis, ex altera parte, in prima instantia vigore specialis commissionis nostræ versæ fuerunt, et vertuntur, pronuntiamus et sententiamus, decernimus et declaramus dictum Thomam, tunc Cantuariensem archiepiscopum animæ suæ salutis immemorem contra regulas et dogmata Ecclesiæ, et sanctorum Patrum, necnon Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, et sacrorum Conciliorum Traditiones, Christianæque religionis hactenus in Ecclesia consuetos ritus, præsertim de Corporis et Sanguinis Domini Jesu Christi, et sacri Ordinis Sacramentis aliter, quam sancta mater Ecclesia prædicat et observat, sentiendo et docendo, ac sanctæ Sedis Apostolicæ, et Summi Pontificis primatum et auctoritatem negando, necnon contra processus, qui singulis annis per prædecessores nostro in die Cœnæ Domini more solito celebrati fuerunt, prout et nos dante Domino in futurum celebrare intendimus, in quibus processibus per Romanos Pontifices prædecessores prædictos ad retinendam puritatem religionis Christianæ, et ipsius unitatem, quæ in conjunctione membrorum ad unum caput, Christum videlicet, ejusque vicarium principaliter, et sanctam fidelium societatem ab offensione servandam consistit, inter alia Wicleffistæ et Lutherani, et omnes alii hæretici damnati et anathematizati fuerunt, abjuratam olim per Berengarium Andegavensis Ecclesiæ diaconum hæresim innovando, et tam illam, quam etiam per damnatæ memoriæ Wicleff et Martinum Lutherum hæresiarchas, alias proposita et damnata falsa et hæretica dogmata credendo et sequendo, ac etiam desuper libros scribendo, imprimi faciendo, impressosque publicando, in illisque scripta etiam in publicis disputationibus defendendo, ac etiam coram subdelegato nostro in responsionibus ad propositiones sibi factas, ac pertinaciter asseverando, ac in pertinacia et obstinatione hujusmodi permanendo, excommunicationis et anathematis, necnon privationis archiepiscopatus Cantuariensis prædicti, aliorumque beneficiorum et officiorum Ecclesiasticorum, si quæ obtinet, et annuarum pensionum, si quas super beneficiis Ecclesiasticis assignatas habet, juriumque, actionum et privilegiorum quorumcumque, bonorum quoque et feudorum Ecclesiasticorum, patrimonialium et sæcularium, necnon inhabilitatis ad quascumque dignitates et beneficia, et alias contra tales personas, tam jure communi quam per litteras processuum prædictorum statutas pœnas, non solum tanquam credentem hæreticis prædictis, et illorum sequacem, sed etiam tanquam hæresiarcham notorium damnabiliter incidisse et incurrisse, propterea que ipsum Thomam excommunicatum et anathematizatum, et dicto archiepiscopatu Cantuariensi aliisque prælaturis, dignitatibus, officiis et beneficiis, necnon pensionibus, juribus, privilegiis, bonis et feudis prædictis privatum, et ad alia quæcumque inhabilem, curiæ sæculari tradendum, bonaque ejus per eos, ad quos spectat, confiscanda fore et esse, prout etiam eum tradi, et ejus bona confiscari mandamus, omnes quoque et quascumque personas Thomæ prædicto ratione dicti archiepiscopatus Cantuariensis, et aliarum prælaturarum, si quas obtinuit, aut obtinet, olim subjectas, a quibuscumque fidelitatis et obedientiæ juramentis ei præstitis absolvendas et liberandas fore et esse, prout absolvimus et liberamus, ac juramenta hujusmodi relaxamus, necnon super omnibus et singulis prædictis eidem Thomæ perpetuum silentium imponimus, supplentes omnes et singulos tam juris et facti defectus, si qui forsan in processu

[1] Acta Cons. Ms. Eminentiss. Bernar. car. Spadæ sig. num. 134. p. 178. in Paulo IV. an. 1555.

causæ hujusmodi intervenerint. Ita pronuntiamus ».

Loco † sigilli sub annulo Piscatoris. « Joannes Barengus episcopus Larinensis, ejusdem Sanctissimi secretarius, dictæ sententiæ notarius rogatus ».

31. Addunt Acta [1], damnato Cramnero, administrationem Cantuariensis Ecclesiæ traditam fuisse Reginaldo Polo cardinali in Anglia legato.

« Romæ die XI mensis Decembris MDLV, fuit Consistorium, in quo proponente Sanctitate Sua, deputavit administratorem Ecclesiæ Cantuariensis, tunc per privationem Thomæ Cramneri olim archiepiscopi Cantuariensis nuper Apostolica auctoritate factam vacantis, reverendissimum dominum Reginaldum Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconum cardinalem, Polum nuncupatum, Sedis Apostolicæ in regno Angliæ de latere legatum ad ejus vitam, ita quod liceat sibi de fructibus, etc. Et cum retentione omnium, etc. Nuper creavit eumdem reverendissimum Reginaldum in presbyterum cardinalem, ita quod propterea Ecclesiæ Sanctæ-Mariæ, quæ denominatio sui cardinalatus erat, preesse non desinat, sed illius præsul et presbyter cardinalis existat ».

Cum ita Cramnerus ob hæreseos crimen a Pontifice omni honore Ecclesiastico dejectus esset, a Philippo et Maria regina constituto in hæreticos supplicio affici jussus est flammisque traditus a temporario incendio ad æterna incendia, ad quæ innumeras animas traxerat, transmigravit, quem hæretici inter martyres, sed Sathanæ, recensent.

32. Affectus etiam est merito supplicio Joannes Hopperus pseudo-episcopus Glocestrensis, damnati quoque capitali sententia Laurentius Sanderus, Rolandus Talerus, Joannes Rogertius, atque in eas urbes, quas impietate sua contaminarant, missi, Glocestriæ, Lancastrii, Conventrici, Hadelæ, vim divinæ in se justitiæ graviter, licet sero, persenserunt; Ridlæus quoque, et Hugo Latimerus senex, qui peccanti Henrico fædissime adulatus fuerat, Oxonii flammis ustulati sunt, ex quorum tristibus exemplis plures a flagitio submoti sunt, quos virtutis amor ad officium non pellexisset.

33. *De restituenda disciplina in Anglia agitur, et synodus convocatur.* — Extincto ita schimate, et compressa hæresi in Anglia, ad restituendam sacram disciplinam conversa sunt acriter studia, atque in singulis provinciis Synodi sunt habitæ ab episcopis, in quibus veteres corruptelæ sublatæ, atque morum sanctitas redintegrata, de quo Pontifex certior factus, Anglicanis episcopis hisce litteris [2] gratulatus est, stimulosque addidit; ut proposita felicis immortalitatis spe, strenue munere suo fungerentur.

« Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis regni Angliæ.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum non modo nulla Respublica, sed ne privati quidem cujusquam domus, in qua recta disciplina non vigeat, diutius stare possit, ut quotidiani rerum eventus docent, quantopere Ecclesiis ea sit necessaria, nemini dubium esse potest, itaque sapientissime, nec sine divino consilio institutum fuit, ut episcoporum conventus in provinciis habeantur, in quibus inter alia negotia, si quid quod ad Ecclesiasticam disciplinam pertineat, aut hominum culpa, aut temporum vitio corruptum ac depravatum fuerit, in primis corrigatur, quod institutum, si illis in locis, ubi nec schisma ullum, nec hæresis extitit, maximam tamen Ecclesiis utilitatem et fructum semper attulit, quanto majorem id allaturum sit, ubi Dominicus ager tamdiu incultus, et humani generis hostis vepribus et spinis obsitus fuerit, minime latere vos debet, quamobrem, cum Ecclesiæ vestræ propter luctuosissimam superiorum temporum calamitatem hoc maxime remedio indigeant, summa lætitia affecti sumus, posteaquam fraternitates vestras hujus rei causa convenisse audivimus, in quo ut dilecti filii Reginaldi Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diaconi cardinalis Poli, nostri et Apostolicæ Sedis de latere legati diligentiam, et charissimorum nobis in Christo filiorum regis et reginæ pietatem recognovimus, ita studium vestrum summopere laudamus, gratiasque Deo Omnipotenti agimus, qui per sanctum suum Spiritum vobis illisque tam præclaram mentem dederit; nihil enim aliud vobis, regnoque isti reliquum esse videbatur, extincto jam schismate, hæresibusque sublatis, quam ut Ecclesiastica quoque instauraretur disciplina, quæ unitatis et divini cultus firmissimum esset vinculum : quare, fratres dilectissimi, auxilio freti Dei et Domini nostri Jesu Christi, qui non solum ubi tot sacerdotes, verum ubi duo aut tres tantum in ipsius nomine fuerint congregati, se ut scitis, affuturum promisit, in opus ei tam gratum, tamque vobis necessarium et salutare toto corde, ut cœpistis, totoque animo incumbite, ipsamque disciplinam Ecclesiasticam ad sacrorum normam canonum, et omnia quæ curæ vestræ sunt credita ad divinæ majestatis mandata et præcepta in pristinum decus ac formam restituite, quæ vero restituta fuerint, ita et servate vos, et servanda ab aliis curate, ut et statui ipsarum Ecclesiarum, et animarum saluti, Deique honori et cultui non in præsenti solum, sed etiam futuris perpetuisque temporibus vos consultum voluisse apud omnes constet. Hujus autem operis,

[1] Acta Cons. p. 181. — [2] Paul. IV. lib. brev. sign. num. 2891. pag. 168

sicut optamus, perfecti quodnam præmium sitis expectaturi, facile ex iis intelligere potestis, quæ bonis et fidelibus servis suis Dominus in Cœlo proposuit ac paravit. De nobis ea volumus fraternitates vestras sibi polliceri, quæ salva hujus sanctæ Sedis auctoritate, a nobis proficisci poterunt. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XXIII Decembris MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

34. Gerebantur hæc Reginaldi Poli cardinalis legati studio et auctoritate, a quo omnes Angliæ episcopi ad Synodum totius Anglicæ nationis acciti sunt, ut communi consensu saluberrima consilia pro divina propaganda gloria, religione latius proferenda, sancienda disciplina Ecclesiastica, morumque integritate ad primævum decus revocanda expedirentur, ad quæ egregia cæpta persequenda Paulus cardinalem legatum his litteris [1] incitavit :

« Dilecto filio nostro Reginaldo Sanctæ-Mariæ in Cosmedin diacono cardinali, Polo nuncupato, nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Cognovimus ex tuis litteris, et ex dilecto filio nostro eodemque tui amantissimo fratre et collega Joanne cardinale Morono, te instituisse Synodum illius nationis episcoporum habere, ad ea quæ correctione indigent emendanda, et Ecclesiasticam disciplinam, quæ propter superiorum temporum calamitatem penitus collapsa iverat, restituendam, jamque aliquot episcopos convenire cœpisse, quod tam pium et salutare consilium summopere in Domino approbamus, et cum ipsis episcopis propter præclaram ipsorum voluntatem magnam laudem tribuimus, tum illius nobis in Christo charissimæ filiæ reginæ pietatem tot aliis in rebus spectatam, hac quoque in re ex testimonio litterarum tuarum libenter agnovimus, quamobrem tam necessarium et Deo gratum opus, quamprimum ad exitum perduci optantes, circumspectionem tuam in Domino hortamur, ut illud urgere ne desinas, quoad tandem ad sacrorum, quos servari volumus, canonum normam, ipsa Ecclesiastica isthic fuerit disciplina, Deo juvante, revocata, quam ad rem perficiendam in iis, quæ æqua fuerint, nostram et sanctæ hujus Sedis auctoritatem ad Dei et Domini nostri Jesu Christi honorem, tibi illisque, et nunc jam deferimus, et libentissime in posterum impertiemus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII Decembris MDLV, Pontificatus nostri anno I »,

35. *Per cardinalem Polum instaurata pax inter Cæsarem et Gallorum regem.* — Collatam eidem legato auctoritatem ac provinciam conciliandæ inter Cæsarem et Henricum Galliæ regem concordiæ Paulus confirmavit, qui cum nonnullas alias legationes Pontificio edicto revocasset, demandatum tamen Polo hujus legationis munus non revocatum, sed assertum illi, constabilitumque novo hoc Diplomate sanxit, utque tantæ rei ad felicem exitum perducendæ incumberet, omni studio et laboris contentione hortatus est [1] :

« Dilecto filio nostro Reginaldo SanctæMariæ in Cosmedin diacono cardinali Polo, nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Superioribus diebus justis quibusdam et gravibus causis adducti, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, legationibus quibusdam finem imponendum putavimus, quemadmodum ad te perlatum esse audivimus, etsi autem Anglicana legatio, qua tu fungeris, nominatim a nobis excepta fuit, tamen ne quis forte interpretetur exceptionem hanc ad Anglicum negotium dumtaxat, non etiam ad actionem de pace inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum, et Henricum Gallorum regem Christianissimum pertinere, eamque suspicionem his litteris adimendam et tollendam esse duximus ; tantum enim abest, ut ab hoc te legationis tuæ munere desistere voluerimus, ut si eo jam non fungereris, id tibi mandaturi fuerimus, nos vero te in hanc tam præclaram et Christianæ reipublicæ saluti tantopere necessariam de pace actionem incumbere volumus eodem jure ac potestate, eadem apud principes omnes, inter quos de concordia agendum est auctoritate, iisdem denique, ubicumque locorum fueris, facultatibus, quas a felicis memoriæ Julio prædecessore nostro accepisti, et quanquam ad pristinum tuum studium et diligentiam nihil addi posse arbitramur, tamen ut eo acrius urgeas instesque, quo major omnipotentis Dei benignitate spes compositionis et pacis excitata est, te in Domino etiam atque etiam hortamur, nihil est enim quod vehementius cupiamus, quam filios nostros charissimos, quorum ex concordia Christianæ reipublicæ pendeat salus, sanctissimo inter se fœdere et amicitia conjunctos videre, et ea arma, quæ per tot annos, peccatis nostris ita merentibus, tantum Christianæ reipublicæ nocuerunt, conversa ad impiorum Christiani nominis hostium excidium cernere : quamobrem perge, dilecte fili, isto legationis tuæ munere fungi, eadem fide, eodem studio ac diligentia, qua adhuc fecisti, et qua illo altero, Deo optimo juvante, feliciter es functus ; non diffidimus enim huic quoque labori tuo Deum Omnipotentem, misericordiæ suæ magis, quam peccatorum nostrorum memorem, optatum esse

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 168.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 197.

exitum concessurum. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII Decembris MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

36. Sanciendæ illius inter reges pacis optimæ spes affulgebant, cum Reginaldus Polus, qui apud Philippum Angliæ regem Cæsaremque eam provehebat, Pontificem certiorem fecisset, Philippum regem ad eam amplectendam inclinare, pariterque duo alii cardinales ejusdem pacis interpretes apud Gallum regem, affirmarent Gallum ad paciscendam concordiam optime comparatum, ex qua rerum conjunctione delibutus ingenti gaudio Paulus Philippo pios stimulos admovit, ut Christianam rempublicam variis dissensionum fluctibus jam diu concussam, in tranquillo felicis concordiæ portu collocaret.

Expetebatur [1] ea pax continentibus votis a Philippo et Hispanis, ut beneficio pacis populi longo fessi bello recreari possent, tum novi principis imperium confirmaretur, Gallorum pariter regis ærarium diuturnitate bellorum, tum in Hetruria, tum in Insubria, tum in Belgii limite exhaustum erat, ut demum, ineunte proximo anno, quinquennalis sequestra pax sancita fuerit.

37. *Philippus rex Angliæ Paulo IV obedientiam præstat pro regno Neapolitano fiduciario.* — Contulerat, ut ante vidimus, solemni ritu Julius III beneficiarium jus regni Neapolitani Philippo Angliæ regi, nonnullasque ei leges Pontificio Diplomate contentas dixerat, quas Philippus pie admisit, regnumque illud Pontificiæ liberalitati acceptum retulit, atque oratoris opera regia obsequia Paulo Pontifici devovit solemni ritu in sacro cardinalium senatu, ut Acta [2] Consistorialia his verbis tradunt :« Romæ die Veneris XXVII Augusti MDLV, orator serenissimi domini Philippi regis Angliæ illustris nomine ipsius regis, obedientiam devotam Sanctitati suæ et Sedi Apostolicæ præstitit, quam Sanctitas sua una cum reverendissimis benigne recepit ».

38. Misit deinde Philippus rex ad Paulum litteras de admissis legibus, pro collato regno fiduciario, sibi impositis aurea Bulla obsignatas, quas marchio Sarriæ orator Cæsareus Paulo detulit, quibus acceptis Paulus Philippum hortatus est, ut memoriam accepti beneficii pia mente recoleret, viresque suas ad tuendam Sedis Apostolicæ dignitatem exerceret.

39. *Henricus Galliæ rex a Pontifice monitus contra hæreticos in regno suo insurgit, sed a politicis ejus severitas reprimitur.* — Continuis piorum votis eo ardentius pax inter Catholicos reges ac principes expetebatur, quo Protestantes fœdere Henrici Gallorum regis suffulti audacius insolescebant in Catholicos, e quibus Albertus marchio Brandeburgensis Gallica ope fretus Trevirensem, Moguntinam, Bambergensem atque Herbipolensem diœceses evastavit, fœdavitque omni crudelitatis et rapinarum genere, maximeque belluinam immanitatem in Christi sacerdotes ac monachos exercuit ut Catholicum nomen ex Germania exscindere moliretur; tot vero malorum fama perculsus Pontifex Henricum regem rogavit, ut calamitatum tantarum misericordia tangeretur, nec suo Albertum Brandeburgensem patrocinio fulciret, qui eo indigne abuteretur, ac potius alia ratione Germanicæ nationis benevolentiam sibi conciliaret.

40. Studebat Henricus [1] Gallorum rex Alberto Brandeburgensi hæretico Cæsaris odio, ut illius vires civili bello Germanico elideret, cum cæteroqui hæreticos in suo regno ferro flammaque insectaretur, ne Galliam aliquando everterent; atque hoc anno ad Calvinianorum vel Atheorum, qui nullam certam religionem sequebantur, compescendam insaniam, gravissimum edictum in eos sanxit, ac judicibus suarum ditionum imperavit, ut sententias Pontificiorum judicum ac fidei censoris exequerentur, nullamque provocationum ad summos provinciarum senatus factarum rationem haberent. Hoc edicto præfocata fuisset in fomite Calviniana hæresis, nec Gallia toties suorum stragibus cruentata luxisset, si politici consiliarii huic ipsi non intercessissent : at senatus Parisiensis illud promulgare jussus, auctoritatem suam contrahi ratus, postridie nonas Octobris nonnullos senatores ad regem misit, qui docerent, quadriennio ante lapso regem judicia adversus hæreticos civilibus judicibus demandasse, iis dumtaxat exceptis, qui sacris ordinibus initiati essent, hoc recens edictum pugnare cum superiore, quod universos regni ordines Pontificiis judicibus, aut censoribus fidei subjiceret, regiamque auctoritatem ad alienos sive Pontificios transferret : temperari vero posse acerbitatem illius, si regii senatores de causis hujusmodi cognoscant, decernatque, si quid dubii occurrat, consulant Pontificios, ferendæque decretoriæ sententiæ jus conferant : impetrandum vero mandatum a Pontifice, quo judicia hæc adversus hæreticos civilibus magistratibus permittat, quibus etiam plura addidere ex aliarum nationum petita exemplis, consueto pietatis pallio propriam impietatem obvelantes, memorabant Christianam religionem suo initio non armis, aut gladiis, sed Pontificum prudentia, eruditione, sacris concionibus maxima incrementa accepisse, ea vero iisdem artibus, quibus creverint, atque effloruerint, conservanda : tum regem hortati sunt, curaret ut episcopi, atque

[1] Belcar. l. XXVI. num. 68. — [2] Act. Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 172.

[1] Franc. Belcar. l. XXVI. num. 68. Jacob. Aug. Thuan. l. XVI.

inferioris Ordinis sacri ministri munere suo ipsi fungerentur, non functiones suas vicariis demandarent, prælucerent virtutum exemplis atque eruditione sua, populum sacrorum cognitione atque optimis moribus informarent, quæ si omittantur, frustra adversus novarum sectarum reos suppliciis agi, frustra humanum sanguinem effundi : regis denique clementiam magis decere, commiseratione miseros allicere, quam ejusmodi carnificia obterere. His nonnihil commotus est Henricus rex, legumque severitatem in hæreticos remisit, sed quidem haud proficue, nam gliscente in dies impiorum numero, atque hæreseos cancro in regni membra serpente, biennio post superius edictum instaurare, atque Pontificiis judicibus hæreseos causam omnino demandare compulsus est, recenti hoc exemplo tot vetera tamque perspecta confirmans, nunquam profuisse clementiam principum in hæreticis coercendis : ea enim abusi semper illi evasere deteriores.

41. *Assertum jus Pontificium in Britannia et Provincia.* Interea Henricus ipse Francorum rex [1] privilegia a Leone X Francisco collata sibi asseri confirmarique postulavit, cui cum significatum esset, pacta tunc conventa ab administris regiis fuisse violata, Paulus ab eo exegit, ne ea posthac infringi sineret, si iis indultis potiri vellet, quod tum ab ipso, tum a regiis administris admissum est, ut ex subjectis Henrici regis litteris constat :

« Henricus Dei gratia Francorum rex, comes Provinciæ, Forcalquerii et terrarum adjacentium, universis præsentes inspecturis, salutem, etc.

« Plenaria potestate et auctoritate regia tenore præsentium duximus, et declaravimus, et declaramus, nostram præcipuam voluntatem et intentionem fuisse et esse, quod Sanctissimus Dominus noster, eademque sancta Sedes gaudeant et utantur in eisdem nostris dominiis Provinciæ et Britanniæ illismet juribus, et auctoritatibus et præeminentiis, quibus prædecessores sui Romani Pontifices retroactis temporibus ante attentata hujusmodi gavisi, atque usi, ac uti, et gaudere quomodolibet poterant, quarum quidem auctoritatum et præeminentiarum præcipuas, præsertim ad majorem elucidationem, duximus inferius inserendas. In primis, quod in dictis ducatu (scilicet Britanniæ et Provincia) reservationes mensium Apostolicorum, et omnes aliæ, tam generales vigore regularum, quam speciales, et cæteræ Constitutiones cancellariæ recipiantur.

« Quod provisiones Apostolicæ de beneficiis in dictis mensibus vacantibus admittantur, et prout de jure etiam cum Ordinariis concurrant in eorum mensibus.

« Quod regresus coadjutoriæ, mandata de providendo, expectativæ, et similes gratiæ etiam præventivæ recipiantur.

« Quod censuræ a Romana curia, tam vigore litterarum super assignatione pensionum hujusmodi expeditarum, quam sententiarum in dicta curia latarum, et executionum desuper decretarum admittantur et timeantur, similiter interdicta Apostolica teneantur.

« Quod devolutio causarum spiritualium ac beneficialium, præsertim in petitorio, ad dictam Romanam curiam nullo modo impediatur, nec propterea aliquis ex collitigantibus, aut notariis exequentibus citationes aut inhibitiones desuper a dicta curia emanatas, in partibus molestentur.

« Quod Consilium et Parlamentum Provinciæ ac Britanniæ, non se intromittant in cognitione causarum Ecclesiastici fori, nec etiam per viam appellationis, præsertim super litteris Apostolicis et sententiis in dicta curia latis.

« Quod non detur possessio beneficiorum in quovis loco vacantium in vim supplicationum, aut sumptorum, vel transumptorum, absque litteris Apostolicis sub plumbo expeditis, declarantes, quod vigore Concordatorum, nihil fiat in Ducatu Britanniæ, aut provincia Provinciæ, cum in Concordatis non comprehendatur, etsi dictus Ducatus unitus fuerit regiæ coronæ ; mandantes nostris dilectis et fidelibus nostrarum curiarum Parlamenti Provinciæ et Britanniæ, et eorum cuilibet respective, prout ad eum pertinet, quatenus ipsi nostras præsentes declarationem et voluntatem receptas et admissas manuteneant, custodiant et observent, et manuteneri, et custodiri, et observari, ac vocatis et adhibitis advocatis, et procuratoribus nostris fiscalibus in eorum authenticis et publicis libris et registris scribi et annotari faciant, eisque prædictum S. D. N. papam, Sanctamque Sedem Apostolicam, ac ejus officiarios, commissarios et deputatos plene et pacifice gaudere et uti permittant, absque eo, quod illis aliquam perturbationem, molestiam, aliudve impedimentum inferant, etc. Dat. apud Sanctum-Germanum die XXIX mensis Julii an. MDLV, regni nostri IV.

« Per regem et Comitem Provinciæ. Duthier. Visa, lecta et publicata in Camera tempore vacationum, ordinata, et registrata in registris Curiæ Parlamenti Provinciæ, petente, et requirente regio generali procuratore. Aquis die VI mensis Septembris MDLV ».

42. *Colonienses in fide stabiles : Sacramentarii exagitati a Lutheranis.* — Inter hæc, Alberto Brandeburgensi Marchione, de quo supra egimus, turbas undique ciente, ac promiscue cædibus et rapinis non in Catholicos tantum, sed etiam in Lutheranos sæviente, hæretici tempus opportunum rati libere undequaque virus evomere, Coloniensem ditionem inficere

[1] Ext. in Act. Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 378.

pertentarunt, jamque urbem ipsam Judocus Velsius Batavus, qui provinciam interpretandi sacra Biblia gerebat, novis ac deliris opinionibus dementare studebat, Ecclesiam invisibilem fingens, novasque Apocalypses et visiones meditatus, sed restitit insanis ipsius aliorumque conatibus sollicita pii magistratus diligentia, ac præcipua Adolphi ejus nominis III archiepiscopi vigilantia [1], qui Apostolica falce spuria exscindens germina, non est passus altas dare radices, et Judoco per magistratum in exilium pulso, cæterisque omnibus dispersis, factum est, ut Pontifex de præclara illorum fide certior factus, Coloniensium, ipsiusque in primis antistitis, pietatem publicis ad ipsos datis litteris commendaverit.

43. Præclaram Coloniensium [2] in fide Catholica tuenda constantiam, hostis humani generis Diabolus, qui semper Dei simiam agit, in suis quoque asseclis renovare visus est, Lutheranos adigens, ut in aliarum sectarum hæreticos, veluti seditionum turbines, insurgerent; tradit enim Surius ex Joachimo Westphalo Hamburgensium seductore Lutherano, regem Daniæ ac senatum Hamburgensem publico edicto vetuisse, ne quis civium Sacramentarios, Anabaptistas, aliarumque sectarum studiosos hospitio exciperet, pariterque alias urbes maritimas earum partium, constitutis gravissimis pœnis, Zuinglianos hospitio prohibuisse : Lutheranæ enim Ecclesiæ male sibi metuere cœperant a Sacramentariis, ne earum statum illi convellerent, quam politicam prudentiam utinam Catholici principes ac magistratus, cum primum Lutherana impietas erupit, intellexissent, immensas profecto calamitates a suis cervicibus depulissent, si novatores confestim e sua ditione ablegassent. Territus iis edictis Joannes a Lasko Sacramentarius vagus ac profugus, ex Embdensi civitate Francofordiam se contulit, ubi permissum illi est Ecclesiam peregrinorum constituere, ita enim suam Synagogam dixit. At quanto consultius fecisset, si ad Christi Ecclesiam se adjunxisset, in qua futurus esset civis sanctorum et domesticus Dei. At paulo post cognita intempestiva Sigismundi regis lenitate in Poloniam regressus est, e qua pulsus antea a Sigismundo patre fuerat, cumque multis sua venena afflasset, pietatem Catholicam in nonnullis ejus regni locis profligavit. Porro in Germania Sacramentarii multis in locis exagitati sunt, suisque sedibus ejecti, nec Augustani conventus decreto pacis beneficio potiri permissi, ut mox dicetur.

44. *In Augustanis conventibus Bavarus et rex Romanorum Ferdinandus rei Catholicæ propugnatores fortissimi.* — Coacti hoc anno Augustæ Ordines imperii, cum partim ex Catholicis proceribus, partim ex Lutheranis constarent, contrariis inter se admodum studiis dissensere adeo, ut ea comitia a mense Februario in Septembrem extracta fuerint. Agebatur vero de publica salute, et conferendis adversus Turcam communem hostem subsidiis, deque mutua concordia constituenda, quæ ad propulsandum externum hostem necessario requirebatur, cujus quidem ineundæ veram rationem Joannes cardinalis Moronus legatus Apostolicus a Julio III missus aperuerat, ut nimirum Concilii Œcumenici, quod Pontificio nomine offerebat, decretis parere, publica comitiorum lege statuerent; sed Lutherani Œcumenicum oblatum Concilium respuentes, omnes impias artes intenderunt, ut Catholicos proceres ad nefaria ipsorum decreta admittenda pellicerent, quorum improbos conatus, cum Paulus infringere studeret, Catholicos principes variis monitis sollicitavit, uti constanter tuerentur fidem, nec se ad aliquid ab eorum pietate et officio alienum adduci paterentur, quo argumento datæ sunt litteræ Alberto duci Bavariæ, cui simul Aloysium Lipomanum episcopum Veronensem de his etiam cum Ferdinando rege acturum significavit [1] :

« Dilecto filio, nobili viro Alberto, Bavariæ duci.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum certiores facti fuerimus eos, qui isti conventui intersunt, a Catholicæ Ecclesiæ unitate separati quædam obtinere conari, quæ ad confirmandum et augendum ipsorum schisma pertineant, pro pastorali nostro officio magna sane affecti fuimus sollicitudine; nihil enim omnino gravius nobis accidere potest, quam tot remedia, quibus prospici Catholicorum quieti in illa nobilissima natione oporteret, ad opprimendos eos, et disseminandas latius hæreses converti; itaque ne officio ac muneri nostro deessemus, et alios, qui isti conventui intersunt de religione optime sentientes, hortati sumus, ne tali tempore quidquam, quod ipsorum officio ac pietate alienum sit, approbent, sed omnia potius patiantur, quam aliquid, quod ipsis indignum sit, committant, et nobilitatem tuam ad hoc idem hortandam esse duximus, tametsi adeo exploratam habemus tuam in fide ac religione Catholica constantiam, ut non tu quidem hortandus sis, sed potius laudandus a nobis, quod te patris tui ac majorum tuorum clarissimorum principum virtute, gravitate, pietate simillimum præstas, quamobrem plurimum confidimus, tua te sponte, quantum in te fuerit, impia eorum consilia et conatus impediturum, et tali occasione oblata tuam erga Catholicam Ecclesiam pietatem declaraturum. Quo nihil sane, aut Deo gratius, aut tibi ipsi, tuisque populis salutarius facere poteris, qua de re cum nobilitate tua, nostro nomine, coram etiam aget

[1] Ægid. Gelenius l. I. adm. Col. — [2] Surius in Comm.

[1] Paulus IV. lib. brev. sig. 2891, p. 48.

venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis, cui in Poloniam nostro et Sedis Apostolicæ nuntio a nobis misso in mandatis dedimus, ut isthac iter faceret, ac serenissimo Romanorum regi, tibique, et aliis Catholicis principibus, qui isthic sunt, nostrum sensum exponeret, cui nobilitas tua fidem habebit. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die VI Julii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

45. Propugnabat acerrime in iis comitiis rem Catholicam Albertus Bavariæ dux, quod cum Pontifex multorum fama et litteris Augustani cardinalis accepisset, subjectis litteris [1] pietatem illius extulit gratesque egit :

« Dilecto filio, nobili viro, Alberto duci Bavariæ.

« Jucundissimum nobis fuit ex tuis litteris agnoscere studium illud, quod habes a claræ memoriæ parente tuo, atque majoribus piissimis, et Deo amabilibus principibus hæreditarium erga Catholicam religionem et sanctam hanc Sedem, de qua etiam, et aliis litteris tuis ad felicis recordationis prædecessores nostros missis, et ex gravissimis plurium testimoniis, atque adeo una omnium voce cognoscimus, præsertim dilecti filii nostri Othonis cardinalis Augustani, qui de nobilitate tua ea omnia non cessat prædicare, quæ ab optimo et vere Catholico principe possunt expectari, quo nomine, et maximas divinæ bonitati gratias agimus, quod in tua virtute, fide, pietate, auctoritate, tam firmum et stabile reliquis, qui in istis partibus sunt, Catholicis populis præsidium conservarit, et tibi ex toto corde gratulamur, cujus pietas inter tot finitimorum principum ac populorum a vera fide aberrantium tenebras elucet atque emicat, atque ut resipiscant, et ad sanctam Matrem Ecclesiam revertantur, ipsos admonet, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die XXVI Julii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

46. Defendendæ etiam religionis causæ incumbebat Ferdinandus rex Romanorum, sed tanta erat Lutheranorum insania, tantus furor, ut nulla æquitate flecti possent, sed ad confirmandam augendamque rem Catholicam pertinacissimis animis conjurarent, de quibus certior factus Pontifex Carolum imperatorem rogavit, ut auctoritatem suam adhiberet, ne iniqua religioni conciperentur decreta in eo conventu, atque etiam ad Ferdinandum regem daret litteras, de non permittenda Catholicæ rei depressione, significaretque, quantum ab impiis consiliis abhorreret, ut iis contra murmura impiorum sese tueri possit.

47. *Ex matris obitu Carolus V nimio mœrore confectus in filium transfert majorem sui principatus partem.* — In Hispania [2] obiit Joanna regina Castellæ mater Caroli V et Ferdinandi imperatorum, quæ, extincto Philippo I viro charissimo, adeo effuse ejus mortem luxerat, ut de potestate mentis fuerit deturbata; extremo vero affecta morbo, cum jam mentis impos ferme quinquaginta annis vixisset, precibus sancti Francisci Borgiæ, qui morienti affuit, restituta menti est, et cum a mentione rerum sacrarum antehac maxime abhorruisset, maxima omnium admiratione Symbolum fidei repetivit, ac Extrema-Unctione, adscito Petro Soto, recuperatæ ab ea mentis teste, delibuta est; Eucharistiam vero quominus exciperet, in causa fuere vomitus nauseæque, quibus laborabat, de cujus pia morte pii filii Cæsares maximas Deo grates egere eoque solatio dolorem temperarunt.

48. Carolus vero imperator [1] sæcularium et militarium occupationum pertæsus, mundo, ejusque negotiis nuntium remisit. Et qua animi magnitudine imperio et tantis se exuerit regnis, describunt fuse Caroli V imperatoris Vitæ scriptores.

49. Audito Joannæ reginæ Castellæ matris obitu, Carolus imperator gravem adeo inde dolorem traxit, ut oppressus mœrore sibi quoque proximo temporis flexu mortem impendere opinaretur, necnon vocem matris vocantis ad se filium audire animo fingeret, quod cum Vesalio archiatro valetudinis illius moderandæ munus exercenti aperuisset, ille animi ægritudinem in corporis vitium ac damnum refundendam interpretatus contraria medicorum assentatiunculis illudentium ægris libertate mortem inde portendi, nec in longiores annos vitam propagaturum significavit, eumque in suscepta opinione urgentis obitus confirmavit, induxitque, ut voluntaria rerum humanarum abdicatione mortem anteverteret : de ea lapsis jam ante aliquot annis sermones arcanos contulerat Carolus cum Francisco Borgia olim duce Gandiæ, quem conculcatus sæculi fastus, illustratæque miraculis eximiæ virtutes ad sanctorum numerum et sacros honores extulerunt. Itaque Carolus imperator [2] ingentibus sæculi curis fessus, et continuis tractandorum armorum molestiis attritus, cum nova semper ex gestis bellis bellorum semina orirentur, ad sacrum otium applicuit animum, seque imperii Romani ac tot regnorum administratione abdicare decrevit : tantæ itaque moli subducturus humeros, de bello, quod inter ipsum, et Henricum II Gallorum regem, quod cum paterna hæreditate veteres Francisci Primi simultates, quæ Europam exitialibus motibus concusserant, induerat, trahebatur, componendo egit. Conjunxit operam regiam in pertractanda ea concordiæ actione Maria Angliæ regina, quæ Philippo Hispaniarum principi nupserat, demumque hoc anno mille-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 98. — [2] Orland. in hist. Soc. Jesu l. v. num. 23.

[1] Famian. in hist. Belgic. sub ann. 1555. — [2] Sur. in Annal. hoc anno.

simo quingentesimo quinquagesimo quinto, Caleti Cæsarei regiique oratores amplissimis instructi mandatis de pace sancienda per multa colloquia inter se contulere, sed cum dissensissent animi nimium aversi, quinquennalium induciarum fœdera pepigere, inde pacis ineundæ spe concepta. Tunc Cæsar excito ex Anglia Philippo filio meditatam imperii abdicationem sensim provocare in opus constituit, indictoque solemni ordinum equitumque aurei velleris conventu Bruxellis octavo kal. Novembris in maxima aula regia circumsedere jussis, hinc Philippo Angliæ, Maximiliano, Bohemiæ regibus, atque Philiberto Sabaudiæ duce, inde Eleonora Galliæ, Maria Hungariæ viduis, alteraque Maria Hungariæ reginis, præfectum scrinii perorare ad Belgarum ordines, et quæ acceperat mandata exponere imperavit. Compendium orationis ejus hoc fuit, Cæsarem senio gravem debilitatum adversa valetudine, laboribus fractum, tantam rerum molem sustinere non posse memoremque mortalitatis suæ ad felicem immortalitatem comparandam se accingere, atque adeo Belgii et Burgundiæ principatus in Philippum filium ferendo oneri parem transfundere. Hæc perorantem Cæsar assurgens interrupit, ac repetitis magnifice vitæ suæ gestis Philippum filium pie admonuit, ut Catholicam religionem in iis principatibus tueretur, tum Belgii et Burgundiæ ordines hortatus est, ut Philippo filio fidem addicerent, constanterque illi obsequerentur.

Interjecto post duorum mensium intervallo, celebratis longe majore procerum frequentia ordinum comitiis, omnium regnorum, provinciarum, insularum ac principatuum tam in Europa quam in novo orbe, interfluo Oceano disjuncto jacentium, possessiones ac jura in Philippum filium hoc nomine II traduxit, hæc verba præfatus : « Reliqui se filiis vitam tradere gaudent, et regna tradituros pollicentur, cum illa amplius tenere non potuerint, ego postremum hoc donum præripere mortis necessitati volui, si te non magis viventem ex me, quam ex me regnantem aspicerem. Commendo tibi divini numinis timorem et amorem, Catholicæ Religionis defendendæ singulare studium, juris legumque tutelam tanquam regnorum firmissima fundamenta ac præsidia ».

Meditabatur etiam Carolus exuere se Romano imperio, ac in illius possessionem Philippum filium inducere, cum pro tuenda religione Catholica, ac comprimenda hæresi tot regnis auctus, ac nova regnorum Angliæ et Hiberniæ accessione fultus exercere armorum potentiam facile posse videretur, sed Ferdinandum fratrem regem Romanorum ad suam voluntatem flectere nunquam potuit, cum quo repugnante Lutherani principes sectæ suæ asserendæ addictissimi vires suas conjunxissent; quare tertio post labente anno Carolus vigesima quarta die Februarii concepta abdicandi se Romani imperii juribus firmissima voluntate, missa insigni legatione ad septemviros principes, qui Francofurti convenerant, Romanum imperium in fratrem Bohemiæ et Hungariæ regem jam ante etiam creatum regem Romanorum transtulit, imperiique insignia, adhibito Guillelmo Aurasiæ principe, illi transmisit. « Eo die », inquit Surius, « quo in lucem editus fuerat, et quo Bononiæ anno millesimo quingentesimo trigesimo excurrente a Clemente VII Pontifice imperiali corona fuerat redimitus ».

Commendarunt plures Christianam hanc demissionem in Carolo V maximis laudibus, mirati sponte cessisse imperio, qui imperare posset, inter quos Surius[1] hoc factum, ut gloriosum et multa laude et prædicatione dignissimum effert : « Non enim, inquit, debemus nos, qui Christiana religione initiati sumus, in hac re hominum ethnicorum, aut etiam nunc mundo nimis deditorum opinione duci, sed oculos habere defixos in Christum verum Deum ac Dominum nostrum, qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo, sed semetipsum etiam exinanivit formam servi accipiens ».

Non defuere alii, qui secessum Cæsaris improbarent; cum magis retento imperio, quam a se abdicato, divinæ gloriæ propagandæ, asserendæ religioni, delendæ hæresi incumbere potuisset, maxime cum Pontifex instaurandæ Synodi Œcumenicæ consilia agitaret, ac pravi omnino fuit exempli, inconsulto Romano Pontifice, cui sacramento fidem de administrando imperio, deque religione armis defendenda obstrinxerat, munus imperiale abjecisse. Scimus enim, quod cum consultus fuisset Eugenius IV a Pisaurensi principe de abjiciendo principatu, ut in cœnobio contemplationi rerum cœlestium vacaret, eum admonuit, perfectionis Christianæ culmen situm in charitate, quam magnificentius exercere posset in gerendo pie principatu. Cæterum Pontifex illius secessum damnavit, nec ab eo imperium jure in Ferdinandum fratrem transferri potuisse contendit ut dicitur inferius.

50. *Hæc Cæsaris cessio, sicut et decretum Dietæ Augustanæ hæreticos et Catholicos in æqualitate constituens; rei Christianæ exitialis.* — Ex infelici promulgato secessu Cæsareo Catholica res maximam cladem passa est in Germania, destitutis imperiali patrocinio ac præsidio Catholicis, qui in principum Lutheranorum terris gerebant, majorique audacia efferati Lutherani moliti sunt in Augustano conventu extorquere vi, ut in Catholicorum principum ditionibus profitendæ hæreseos ac disseminandæ libertas

[1] Sur. in Annal.

permitteretur; sed ea impiorum molimina refregit Ferdinandus rex, tum sacro tuendæ religionis ardore, tum etiam politicis causis impulsus, vereri enim jure poterat, populos superstitione Lutherana imbutos rebellionem moturos, nec in principis obsequio constantes fore, qui jugum Numinis excussissent. Idem pius rex ad informandos erudiendosque Christiana pietate Bohemos, Pragæ Collegium sacerdotum Societatis Jesu condidit, Pontificiamque apud sanctum Ignatium adhibuit auctoritatem, ut duos theologos eruditione florentissimos Pragam mitteret, cujus gesta et consilia Pontifex his litteris commendavit[1]:

« Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Romanorum, ac Hungariæ et Bohemiæ regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum nuper optatissimum fructum ex virtute, sapientia et pietate tua cepissemus, impeditis a serenitate tua impiis et perniciosis eorum consiliis, qui in conventu Augustæ id moliebantur, ut hæresis pestis in posterum ad eos quoque Germaniæ populos posset serpere, qui adhuc Dei beneficio integri in veræ et Catholicæ fidei cultu, atque Ecclesiæ unitate et obedientia permanent, ad eam lætitiam, quam tum incredibilem cæpimus, non parvum cumulum addiderunt litteræ tuæ, quas dilectus filius nobilis Didacus orator apud nos tuus nobis reddidit, quibus certiores nos pro tua perpetua in hanc sanctam Sedem reverentia fecisti, de consilio tuo instituendi in urbe regia Bohemiæ Praga collegii patrum ejus Societatis, quæ vocatur Jesu, propterea quod ea ratione speres, et Dei Omnipotentis gloriam augere, ac populorum illorum saluti consuli posse, rogasque et urges, ut duodecim Patres ex eo numero, in quibus duo Theologiæ doctores sint, ad te primo quoque tempore mittantur quibus jussu tuo domicilium jam et reditus ad victum necessarios paratos esse scribis; in quo eximiam et singularem ipsam pietatem tuam satis digne laudare nequaquam possumus, nihil enim nec nobis sperari posse his temporibus videtur, aut Dei Omnipotentis honori et gloriæ augendæ aptius, aut populis illis in errorum tenebris et umbra mortis jam diu sedentibus, si modo veritatis lucem agnoscere, et animarum suarum rationem habere voluerint, salutarius; ad quæ quanta nos in Domino lætitia exultemus, cum in te tanto rege præter reliquas præstantissimas virtutes, tam sacerdotalem animum inesse videmus, non ita facile a nobis exprimi potest. Plurima tu quidem et maxima ab Omnipotente Deo beneficia et munera accepisti; dedit enim ille tibi tot et tam lata regna, quæ obtines, teque ejus potestatis, quæ regum in terris omnium potestati antecellit, successorem designavit; ille immanissimos hostes a regnis tuis maxima tua cum gloria sæpe repulit, ille tam præclaram tibi sobolem totque alia dona largitus est, verum ea temporalia sunt, et simul cum hac vita relinquantur necesse est, at vero tam gratus in ipsum Deum animus, tantum religionis ejus et gloriæ studium, tanta in commissos tibi populos charitas, non solum temporalia ipsa tibi conservatura tamdiu est, quoad vixeris, et alia præterea a Dei benignitate impetratura, verum etiam aditum tibi ad ea, quæ cœlestia et immortalia sunt, ut ad illud æternum regnum jam paratum pervenias, patefactura. Itaque pro nostro in te paterno animo, hoc nomine serenitati tuæ gratulamur, et Deo Altissimo maximas agimus gratias. Huic autem tuo consilio, cum pro eo ac debemus, faveamus, teque ad eum, quem tantopere desideras effectum primo quoque tempore pervenire optemus, vocatum ad nos dilectum filium Ignatium ejus Societatis magistrum vehementer hortati sumus, ac mandavimus, ut quamprimum possit, studio tuo morem gerat, quod ille, ut debet, diligentissime faciet. Verum quia duo illi Theologiæ doctores, quos tua Serenitas poscit, qui maxime idonei sunt, ex longinquioribus locis accersendi sunt, et hyems jam subest, eorum missio in proximum mensem Februarium dilata est. Serenitatem tuam hortamur, ut hanc brevem moram æquo animo patiatur. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die VII Octobris MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

De condito a Ferdinando rege Pragensi collegio, apertaque anno proximo Academia agit Orlandinus[1], utque e prædicantibus hæreticorum celeberrimis duo a Patribus Societatis Jesu ad Catholicam pietatem fuerint traducti, utque etiam Christus in Eucharistia Adalberto e Bausech oranti in templo collegii videndum se præbuerit[2], narrat his verbis: « Adalberti e Bausech (inquit) insignis fuit vocatio, cui in collegii templo preces ad Deum fundenti, pueri venustissimi specie in sacrosancta hostia Jesus apparuit, rogantique, quid ab se vellet, volo (puer respondit), ut ibi sis, ubi es. Quæ Adalbertus de ingredienda societate interpretatus, receptusque, divinum visum non statim, sed paulo post, consolaturus prius propinquos qui ei negotium facessebant, aperuit ». Afferebat eadem Societas magnas utilitates Ecclesiæ in cunctis locis in quibus instituta erant collegia, ac sanctus Thomas e Villanova hoc anno e vivis migraturus in cœlum, cum nullam aliam arcam habere solitus esset, quam pauperum manus, Valentino collegio maximam pecuniæ partem, quam habebat in nominibus, reliquit, cum Pa-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 136.

[1] Nicol. Orland. hist. Soc. Jesu l. XVI. — [2] Id. l. XV.

tres Societatis, ut Dei cooperatores, amore singulari prosequeretur. At de his satis. Ad Augustani conventus historiam, unde digressi sumus, revertamur.

Flagitaverat Paulus Pontifex, ut Lutherani Œcumenico Concilio instituto celebrando religionis controversias permitterent, at illi in perfidia obfirmati, Concilium cui Pontifex præsideret repudiarunt, nullam, aut Apostolicæ Sedis auctoritatis, aut suæ salutis rationem habentes, quo animadverso Paulus omni studio [1], et opera, precibusque vehementissimis institerat apud Catholicos principes, ut illibata religionis causa, comitia Augustana dissolverentur; sed Pontificiam voluntatem elusit Protestantium pervicacia, ac demum conceptum est id decretum in eo conventu, ut exclusis cæteris sectis, ac pacis beneficio mulctatis, Catholici et Augustanæ confessionis cultores mutua concordia potirentur, ac liberis civitatibus fas esset, quam vellent religionem amplecti, facta principibus facultate obnoxios sibi populos ad religionem, quam ipsi profiterentur cogendi : ut episcopis et aliis inferioris ordinis ad Lutheranos deficere liceret, quo tamen casu dignitatis suæ loco moverentur, nec propterea infamiæ notam contraxisse censerentur; quo decreto multis nominibus impio Sathanas Germaniæ imperium ex æquo cum Christo divisit. Consensisse in illud Germanos proceres refert Sleidanus, cum nec Œcumenicum, nec nationale Concilium, in quo religionis controversiæ conciliarentur, posset haberi, at ille more suo mentitur impudentissime, cum Œcumenicum offerretur a Pontifice, ut vidimus, nationale autem haudquaquam decebat, ne scilicet controversiæ ad totum imperium Christianum spectantes ab una, eaque tum suspecta, natione dirimerentur. At Lutherani nunquam Œcumenicum, in quo totius Ecclesiæ princeps præsideret, sed impiorum conventiculum voluere, in quo hæretici, excluso Pontifice, dominarentur, quod Christianum dixere, cum dici Sathanicum debuisset, et hoc concordiæ genus omni bello funestius flagitarunt, quo Catholicæ oves a summo pastore deficerent. Œcumenicum noluisse toties patuit, quoties celebratum est Tridentinum, nec illud admittere voluerunt. Porro superius decretum ea parte plane impium extitit, qua Catholici, qui in hæreticorum ditione erant, imperiali patrocinio destituti sunt, de quo conquestus est Paulus [2] apud Ferdinandum hisce litteris, ac Zachariam Delfinum internuntium pro re Catholica promovenda transmisit :

51. « Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Romanorum ac Hungariæ et Bohemiæ regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Satis superque jam experti sumus, quam aut legati aut nuntii isthic nostri parum apud eos proficiant, quorum obduratum est cor, et qui non modo nostræ, atque hujus sanctæ Sedis auctoritatis, sed suæ ipsorum salutis nullam rationem habent, adeo ut nobis potius timendum sit, ne infelicissimi illi in reprobum sensum a divina ultione penitus tradantur, quam ut nulla nostra opera redigi ad sanitatem possint. Vidit serenitas tua quanta nos et nostri proximi prædecessores cura et sollicitudine, quibusque apud omnes officiis procuravimus, ut conventus Augustanus potius religionis rebus intactis dissolveretur, quam ad recessum veniretur tam perniciosum, sicuti, et nobis, et tuæ serenitati, et Catholicis omnibus invitis, tandem ventum est, aliusque interea indictus conventus, ut ne differatur diutius quin ipsi ac provincia ista nobilissima ad extremum exitium adducantur. Sed quanto ii suo ab officio longius discedunt, tanto nobis in nostro constantius permanendum est, et quo major est illorum potentia et vis, eo imbecillitati nostræ, dummodo fidei, spei, et charitati innitamur, ac divinæ in primis potestati, securius confidendum, quæ humilia sublevat et fortia quæque confundit : quare nos venerabilem fratrem Zachariam nostrum et Apostolicæ Sedis nuntium isthuc remittimus, ut quod quidem ad communem inclytæ istius nationis salutem, fideique Catholicæ causam attinet, imminentibus malis eis tecum remediis occurrat, quæ prudentiæ tuæ et eorum, qui nobiscum religionis ac Dei partes tuentur, opportuna videbuntur, quod vero ad res tuas et nostras privatim spectat, non minus tibi quam nobis operam suam te penes navare possit, quæ cum (ut etiam ex litteris tuis intelleximus) æque tibi ac nobis grata sit, publicis autem negotiis ob ejus tum fidem et virtutem maxime utilis, tum ob rerum istarum peritiam, valde necessarium tibi, tam libenter restituimus, quam abs te receptum iri non dubitamus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XVIII Decembris MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

52. Non deerat quidem Ferdinando animus tuendæ asserendæque religionis [1], sed minus pollebat viribus pro ea in principatibus hæreticorum defendenda, nam in sua ditione commode et opportune usus est superiori decreto pro hæresi exscindenda, quo ducentos et amplius Lutheranos ministros, ut vocant, veros, inquam, Sathanæ ministros, qui communionem Calicis præbebant laicis, Bohemia dispulit, atque ita Calixtinorum Pighardorumque reliquiæ e Bohemia excisæ penitus fuerunt : tum compositum a Petro Canisio, Societatis Jesu

[1] Dolgast. Francisc. Belcar. l. XXVI. num. 65. — [2] Paul. IV. lib. brev. sign. num. 2891. p. 160.

[1] Jacob. Aug. Thuan. l. XVI.

præstantissimo theologo, Catechismum, quo omnes Lutheranæ tenebræ discutiebantur, Catholicæ eruditionis puritate radiantem, per omnes ditiones hæreditarias, proscriptis cæteris, quorum plures ab hæreticis ficti erant, doceri præcepit. Cum vero eodem Augustano decreto indictus esset alius conventus Ratisbonæ, extimuit Pontifex, ne in illo Lutherani, quorum omnia studia ad evertendam religionem conspirabant, quippiam novi molirentur, quare exeunte anno Germaniæ episcopos monuit, ut conjunctissimis studiis interritisque animis adversus hæreticorum conatus sese opponerent, qui in Augustanis comitiis sacrilego contemptu fidei Catholicæ dignitatem labefactarant, quo argumento extant hæ ad episcopum Passaviensem litteræ [1] :

« Venerabili fratri Wolfgango episcopo Passaviensi.

53. « Inter ea, quæ nos gravissime premunt, illud est in primis, major isthic in dies fidei Catholicæ contemptus atque imminutio, nam quid alienius ab ea potuit deliberari, quam quæ in Augustæ proximi conventus recessu decretum fuisse accepimus, quidve tam turpi exemplo, tantaque impunitate, ac licentia in Ratisbonæ dieta jam indicta non a nobis formidari? Sed si nullam jam in multis, in iis tamen, in quorum numero tu es, spem maximam habemus, atque ante omnes Domino Deo nostro confidimus fore, ut hæc prava consilia ipsismet consultoribus, nisi ad se tandem redierint, futura sint infelicissima, si modo accuratius in posterum, præsertim ab Ecclesiasticis, constantiusque resistatur, quam nunc a nonnullis factum esse audimus, qui tam facile in sententias tam impias dilapsi sunt, sicuti pro certo habemus fraternitatem tuam pro suo boni pastoris officio præclare præstituram, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XVIII Decembris MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

Non immerito Ratisbonensis conventus suspectus erat Pontifici, nam in illo iterum Lutherani, specie concordiæ, Catholicos a Romani Pontificis obsequio divellere conati sunt, sed eorum fraudes divina ope disjectas visnri sumus. Qui vero petulantissime jactabant se concordiæ cupidissimos, a vera concordia abhorrebant, cum Lutheranorum non alia vera atque expressa esset concordia, quam ut ipsi, proscriptis suis figmentis, Concilii Œcumenici decreta amplecterentur, quæ cum fastu tumidi respuerent, novæ ac novæ hæreses apud eos emerserunt.

Inter has [2], ut scribit Roverus Pontanus, Judocus Velsius Batavus, qui, uti superius diximus, Coloniæ Ecclesiam invisibilem, et alia insulsa confinxit, conjectusque in carcerem divino se numine afflari jactavit, tum de genio familiari, seu verius Cacodæmone gloriatus est, propterea que in exilium pulsus fuit, cum Francfordiam se contulisset, ut Zuinglianus rejectus est. Petrus etiam Richerius ex Carmelita apostata, Calviniano infectus veneno, nova conflavit dogmata, Christum in carne adorandum negavit, atque Cænam Dominicam omnino sustulit, quod diceret carnem non prodesse quidquam, atque etiam cum Marcione resurrectionem mortuorum negare visus est. Plurimique alii alia, atque alia commenta excogitavere, quæ adumbrasse videtur liber Job de Leviathan loquens [1]: *Corpus illius* nempe hæresis *quasi sicuta fusilia, compactum squamis se prementibus.*

54. *Constitutionem edit Paulus IV ad hæreticos comprimendos.* — Ad compescendam tot nascentium variarum hæreseon infelici hoc sæculo licentiam, impiosque justis pœnis coercendos Paulus IV Pontifex subjectam constitutionem [2] edidit VII idus Augusti.

« Ad futuram rei memoriam.

« Cum quorumdam hominum pravitas atque iniquitas eo usque nostris temporibus processerit, ut ex eis, qui a Catholica fide aberrant et desciscunt, plurimi quidem non solum diverversas hæreses profiteri, sed etiam ipsius fidei fundamenta negare præsumant, et eorum exemplo multas in interitum animas deducant : nos cupientes pro nostro pastorali officio et charitate hujusmodi homines, quantum cum Deo possumus, a tam gravi et pestilenti errore avocare, ac cæteros, ne in talem impietatem labantur, paterna severitate admonere, omnes et singulos qui hactenus asseruerunt, dogmatizarunt, vel crediderunt Deum Omnipotentem non esse trinum in personis, et incomposita omninoque indivisa unitate substantiæ, et unum unamet simplici divinitatis essentia, aut Dominum nostrum Jesum Christum non esse verum Deum, ejusdem substantiæ per omnia cum Patre et Spiritu sancto, aut eumdem secundum carnem non esse conceptum in utero Beatissimæ semperque Virginis Mariæ de Spiritu sancto, sed sicut cæteros homines ex semine Joseph ; aut eumdem Dominum ac Deum nostrum Jesum Christum non subiisse arcerbissimam crucis mortem, ut nos a peccatis et ab æterna morte redimeret, et Patri ad vitam æternam reconciliaret : aut eamdem beatissimam Virginem Mariam non esse veram Dei Matrem, nec perstitisse semper in Virginitatis integritate, ante partum scilicet, in partu, et perpetuo post partum, ex parte Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus Sancti Apostolica auctoritate requirimus et monemus, quatenus infra spatium trium mensium a publicatione præsentium in Romana Curia, quoad residentes

[1] Paulus IV. brev. I. p. 166. — [2] Vid. Spondan. Rescius de sectis Evang. Gualt. Sæc. XVI. c. 63.

[1] Cap. 41. — [2] Bull. in Paul. IV. const. 5.

in ea, modo infrascripto, extra eam vero, quoad alios in illa non residentes modo et forma per diœcesanos statuendos, facienda, incipiendorum, quos pro primo, secundo et tertio ac peremptorio termino, ac monitione canonica eis, et eorum cuilibet assignamus, ab eorum assertione, dogmatibus et credulitate hujusmodi, ac quibuscumque aliis in fide prædicta erroribus, in quos hactenus lapsi sunt, resipuisse, et ad unitatem Ecclesiæ redeundo in manibus inquisitorum hæreticæ pravitatis civitatum et locorum, in quibus ad præsens degunt, realiter et cum effectu abjurasse, et infra alios tres menses, a die abjurationis hujusmodi inchoandos, de eadem abjuratione venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus dictæ hæreticæ pravitatis inquisitoribus plenam fidem fecisse debeant, etc. »

Resipiscentes, ejurata hæresi, venia donari jussit, dummodo delati, aut inquisiti, aut relapsi non forent, in pertinacia vero obfirmatos constitutis in relapsos pœnis affici. « Datum Romæ apud Sanctum-Marcum an. Incarnat. Dominicæ MDLV, VII idus Augusti, Pontificatus nostri anno I ».

55. *Irrepenti in Poloniam hœresi obsistit Paulus tum per nuntios, tum per litteras hortatorias ad regem, præsules et magnates Polonos.* — Grassari in Polonia hoc anno liberius hæresis cœpit, ac nonnullos proceres nonnullaque loca vehementer corrupit, quam ab emissariis Joannis Calvini, qui Caliphium Gebennensem agebat, illatam refert Guillelmus Rousseus [1] doctor Sorbonicus insignis, atque hanc novarum impietatum accessionem, omnium hæreseon fuisse deterrimam, narrat :

« Non aliter (inquit) quam omnes hæreses Christianæ fidei lethalia sint venena, eamque tandem extinguant, sed aliæ tardius, aliæ velocius, tum Calviniana est reliquis multo violentior, et non tantum si intra medullas et viscera admittatur, verum etiam si vel exterius corpori adhæreat et adjungatur, inevitabilem affert pestem et internecionem, cujus rei illustrissimum Poloniæ regnum nuper Christianis omnibus regibus et populis singulare præbuit exemplum ; ad illud enim a Catholica fide avertendum et Calviniana hæresi imbuendum, cum suos quosdam discipulos emisissent e Tiguro et Geneva Bullingerus, Calvinus et Beza, iique post promulgata vulgaria illa magistrorum placita contra papam, Missæ Sacrificium, bonorum operum necessitatem, preces pro defunctis, Purgatorium, etc. ad alia magis recondita progrederentur, non esse Trinitatem, Christum non esse Deum, sed merum hominem, non Redemptorem, sed philosophum, datum nobis in hunc dumtaxat finem esse, ut esset recte vivendi exemplum ad imitationem positum, Spiritum sanctum non esse Deum, nec habere hypostasim, etc. brevi spatio decem aut duodecim annorum in eum statum regnum illud olim Christianissimum redegerunt, ut multi Protestantes valde dubitarent ne excusso Christi nomine ac fide, apertam facerent Mahometis et Alcorani Turcici professionem ». Et infra :

« Et si quis Catechismos eorum publica auctoritate, non quidem regis et universi pópuli, sed particularium palatinorum, et Ecclesiarum Calvinisticarum emissos evolvat, in quibus Symbola Nicæni, et Constantinopolitani Concilii rejiciebant, Athanasium et illos omnes veterum comitiorum Patres, uti Sophistas contemnebant, illa omnia decreta de consubstantiali, essentia, hypostasi, uti sophistica et ab hominibus extra Scripturas inventa, repudiabant, et denique perspicue verbatimque profitebantur, is nunquam dubitabit, quin per paululum ab ipso Mahometis Alcorano suscipiendo, abfuerint ».

Et quinam hujus in Polonia Mahometismi principes et Apostoli fuerunt ? Bernardinus Ochinus, Valentinus Gentilis, Paulus Alciatus, Georgius Blandrata, et Petrus Statorius, quem Calvinus suum aliquando discipulum vocat, juvenem bono ingenio et non contemnenda doctrina præditum.

Horum alii erant Galli, alii Itali, omnes et singuli Calvinistæ, et in Calvini schola enutriti, et e Geneva Tiguroque in Poloniam profecti, et Calvinianæ doctrinæ ad unguem peritissimi.

56. Infectæ hæresi Poloniæ tristi fama percitus Paulus, ad restinguendas eas faces, ne gravius incendium concitarent, Aloysium Lipomanum episcopum Veronensem, pietate atque eruditione conspicuum, amplissimis instructum mandatis internuntium in Poloniam misit, ad quem extant subjectæ datæ litteræ [1] :

« Venerabili fratri Aloysio episcopo Veronensi,

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Fortasse fraternitas tua ob perpetuam suam pro religione Christiana fideque Catholica in rebus his vigilantiam non minus quam nos audivit, in Poloniæ regnum nobilissimum, nullaque antea macula infectum, pravitatis hæreticæ contagionem ita nonnullis in locis serpere cœpisse, ut nisi aliquod remedium, atque illud quidem præsens adhibeamus, vehementer timendum sit, ne natio illa universa corrumpatur, atque in id morbi genus facile incidat, quod, ut optime novit tua fraternitas, aut nunquam, aut raro sanari possit, quare cum videamus maxime necessarium esse, ut illinc aliquis mittatur, qui non solum nostro, et Sanctæ hujus Sedis nomine, sed sua etiam virtute, doctrina, pietate huic malo mederi, et possit, et

[1] Guill. Ross. in Comm.

[1] Paulus IV lib. brev. sig. num. 2891. p. 15.

sciat, nemo nobis adhuc in mentem venit, qui ad hanc curationem, te vel aptior vel promptior esse videatur vel in cujus erga nos atque ipsam Sedem studio, diligentia, fide conquiescere tutius possimus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XIII Junii MDLV, anno I ».

57. De misso in Poloniam internuntio certiorem fecit regem Poloniæ [1], significavitque, se non impare ac Julius III et Marcellus II fidei ac pietatis studio ardere, ac si eorum sacra studia hæreticorum improbitas hactenus elusisset, firmam se in Deo ac regia pietate spem collocasse, ut demum Polonia ab hæreticorum impietate et corruptione vindicanda sit : proposuitque ob oculos, quantum periculum Poloniæ regno conflaretur, quantas turbas et seditiones inducta nova superstitio paritura esset, ac si quando ea discrimina non formidaret, intelligeret tamen de divina agi gloria, deque æterna animarum salute, quas hæresis e sinu Ecclesiæ ereptas ad castra Sathanæ, et nunquam intermoritura supplicia traducebat, rogavitque ut internuntium pro Dei honore et regia dignitate, et Polonorum salute audiret.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto, regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Ex pluribus et gravissimis, quibus afficimur curis, hæc nos præcipue sollicitat, ut nobilissimum istud regnum tuum, quod pravorum hominum, et depravare alios ac corrumpere cupientium opera humani generis hostis, ut intelleximus, perturbare, et hæresum labe polluere ac contaminare cœpit, in Catholica religione, et fide, Ecclesiæque unitate contineamus, quando ei malo, nec Julius, nec Marcellus felicis memoriæ Pontifices, quibus, ut divinæ voluntati placitum est, nos successimus, morte præventi, ea, quæ cogitaverant remedia, adhibere potuerunt; itaque venerabilem fratrem, Aloysium episcopum Veronensem, virum integerrimum, et rerum usu doctrinaque præstantem, una cum aliquot maxime piis et doctis hominibus, nostrum et Apostolicæ Sedis nuntium illuc misimus, cupientes animarum saluti simul et regni tui, quod non minore in periculo versatur, paci et quieti, stabilitatique pro nostro pastorali officio, et pro paterno in serenitatem tuam amore consulere, nullum præterea officium remediumque omissuri, quod prodesse vobis posse cognoverimus. Etsi autem non sine maximo dolore nostro malum non parum auctum et corroboratum esse intelleximus, tamen nostram in primis spem et fiduciam in summa Dei misericordia ponimus, deinde tuæ, charissime fili noster, pietati prudentiæque confidimus : cum enim ex piissimis ortus parentibus in Catholicæ fidei et religionis cultu, et matris Ecclesiæ sinu educatus sis, non dubitamus, quin non modo in ea fide, in qua baptizatus es, quamque et a majoribus tuis accepisti, et adhuc retinuisti, sis mansurus, verum etiam omnem operam daturus sis, ut sparsa isthic ab inimico zizania extirpentur, religioque in pristinum statum restituatur, etiamsi ab hæresibus, et religionis ipsius perturbatione, nullum ad te et regnum tuum incommodum esset perventurum : cum vero ipso rerum usu et recentibus exemplis intellectum sit, quot calamitates, quot tumultus, quantam rerum omnium civilium confusionem principibus et nationibus afferat religionis et divini cultus perturbatio, ipsa quoque regni tui salutis, et publicæ pacis, ac tranquillitatis ratio cogit huic pesti, dum recens est, mederi, et adversariorum adeo perniciosos conatus, antequam plus roboris et firmitatis assumant, reprimere; omne enim malum in ortu ipso facile extinguitur, inveteratum vero et confirmatum difficillime tollitur : sed cum nec confirmatione nostra pietatem tuam egere arbitremur, nec hortatione prudentiam, nec desint tibi, qui fidelia et recta consilia dare possint, illud abs te petimus, ut ipsum nuntium nostrum, qui cum pro Dei honore, tum etiam pro tua laude, et regni tui salute, tam longum iter et tot labores suscipere minime recusavit, ita excipias et tractes, ut te pro tua et majorum tuorum erga sanctam hanc Sedem observantia, nostroque in te paterno animo facturum confidimus, eique ut viro optimo, et Serenitatis tuæ studiossimo, ut nobis ipsis, fidem habeas. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die XIV Augusti MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

58. Monita etiam est Bona [1] regis Sigismundi mater, ut filium ad defendendam religionem, regiaque constantia hæreticorum infringendam proterviam incitaret, atque ad id tum regni cœlestis comparandi pius ardor, tum terreni retinendi, atque ab intestinis bellis vindicandi amor permoveret.

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Bonæ, reginæ Poloniæ, viduæ illustri, etc.

« Magnam in primis spem in ipsius Dei misericordia repositam habemus, deinde in tua et serenissimi regis filii tui pietate et prudentia, minime dubitantes, quin serenitates vestræ, quod Catholicorum munus est principum, tali tempore fidem religionemque Catholicam forti et constanti animo defensuræ sint contra miserorum quorumdam hominum conatus, nec pluris regnum ipsum, quam Dei gloriam et animarum suarum salutem sint æstimaturæ : ad quam quidem adhibendam constantiam, si non cœlestis vos regni cupiditas incitaret,

[1] Paulus IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 106.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 107.

at ipsius temporalis regni amor hortari deberet ; nihil enim tam perniciosum regnis, neque tam pestiferum esse, quam hæreses et schismata, declarant Germaniæ, finitimæ vobis provinciæ, plurimæ et maximæ calamitates, in quas propter suam ab Ecclesia Catholica et hac Sancta Sede alienationem incidit, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die XIV Aug. MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

59. Sollicitati sunt præterea a Paulo IV [1] Poloniæ præsules, ut muneri suo in abigendis plectendisque hæreticis, incorruptaque fidei puritate, quam acceperant a majoribus, asserenda, non deessent, significatumque est illis, jam antea famam ingravescentis in Polonia hæreseos ad Julium III ac postea ad Marcellum II pervenisse, atque ab iis, antequam e vivis migrarent, mittendi internuntii suscepta fuisse consilia, quæ morte eorum immatura fuerint oppressa, sed divina jam ope a se instaurata : rogarique a se ipsos, ut ad aberrantes tot animas, inque æternum exitium præcipites ruituras in viam salutis revocandas studia omnia viresque conjungerent.

« Venerabilibus fratribus Nicolao archiepiscopo, Gnesnensi primati, et aliis archiepiscopis, episcopis et prælatis regni Poloniæ.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Non multo antea quam felicis memoriæ Julius III Pontifex maximus ex humanis excessit, audiveramus ab eo, quo tunc in metu rex vester serenissimus, et vos omnes essetis, ne regnum vestrum nobilissimum, et usque in illum diem immaculatum hæreticæ pravitatis labe inficeretur, seque propterea isthuc nuntium esse missurum, qui antequam morbus invalesceret, remedia necessaria posset adhibere. Postea cum ad novi Pontificis electionem conventuri essemus, non sine gravi nostrum omnium molestia ex litteris nonnullorum cognovimus, hæresim ipsam jam inter aliquos ex vestris ita irrepere, ac cæteros omnes sic perturbare cœpisse, ut nulla spes apud vos, præterquam in Deo ipso atque in hac sancta Sede relicta esse videretur. Quamobrem felicis item memoriæ Marcellus II in demortui locum suffectus, jam omnia procurari mandaverat, ut nuntius ipse mitteretur, sed morte illius subsecuta, nihil hunc usque in diem fieri potuit ; nunc cum divina voluntas, cujus nobis non datur nosse judicium, personam nostram potissimum reliquis fortasse multo infirmiorem ad hoc onus perferendum ei substituerit, inter alia Christianæ reipublicæ incommoda veræque religionis pericula, vestri nobis in primis in mentem venit, ac ne quid spei illius, quam merito in Romano Pontifice Sedeque Apostolica collocastis, quantum in nobis fuerit, fallatur, ad charissimum in Christo filium nostrum regem vestrum, et ad vos eum nuntium mittimus, videlicet venerabilem fratrem Aloysium episcopum Veronensem, vobis, ut putamus, non ignotum, eosque homines cum eo, qui ut in Domino confidimus, et doctrina, et pietate, et hujusmodi pro Christi certaminibus maximo vobis adjumento erunt. Ac si forte non ita profuerint hi, nihil intentatum præterea relinquemus, quo non minus regno vestro, et omnibus vobis consulatur, quam cæteris regnis atque orbi Christiano universo consuli optamus. Postquam enim est ea Dei voluntas, ut hæc a nobis cura suscepta sit, par est, et a nobis debitum, ut ei dies noctesque morem geramus, nihilque prius cogitemus, quam ut et religio, et pax, quas Dominus noster Jesus Christus, usque adeo nobis commendatas reliquit, tamdiu apud omnes procurentur, ut aliquando tandem utraque perfrui possimus. Interim fraternitates vestræ pro suo erga nos et Sedem hanc sanctam studio bonitatem divinam precabuntur, ut huic nostro desiderio, et adesse ipsa, et principum Christianorum, et bonorum omnium ea consilia et vires velit adjungere, quibus ad gloriam suæ majestatis, ac suorum fidelium salutem ei possit satisfieri : quodque ad res vestras attinet, ita nostram et quorumvis opem expectabunt, ut nec sui officii, nec suæ virtutis unquam obliviscantur, dum eos in rectam semitam reducunt, qui ab ea tam misere ac perdite aberrant. Nos vero vos eo semper paterni animi affectu, et in communi, et privatim amplexuri sumus, quem vestra religio, et virtus, perpetuaque in eamdem Sedem fides atque observantia merito exposcit. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die XIV Augusti MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

60. Hortatus etiam est Pontifex [1] Palatinos, arciumque præfectos, et regios senatores, ne hæresim in animarum perniciem grassari paterentur, tum privatis aliis litteris Nicolaum Gnesnensem, tum Leopoliensem, Andream Cracoviensem, Joannem Præmisliensem, Paulum Wilnensem, Valerianum Lavoriensem, Wenceslaum Mednicensem, Joannem Wladislaviensem, Stanislaum Warmiensem, Leonardum Cimeneensem, Jacobum Chelmensem, necnon Culmensem, Andrussoviensem, et Kioviensem episcopos ad vigilias pro Christi grege intendendas arcendosque hæreticos incitavit.

61. Æstuabant gravissimis curis Poloniæ præsules, cum hæreseos faces illi regno injectas viderent, quæ majora incendia minabantur, terrebantque vicinarum provinciarum ab hæresi

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891.

[1] Pag. 108. Ib. p. 109 et seqq. Pag. 116.

invectæ calamitates, dumque inter se pro restinguenda erumpente impietatis flamma varia agitant consilia, de celebranda totius regni Synodo, in qua motas controversias definirent, deliberarunt : at deinde ob rei gravitatem consulendam esse Apostolicam Sedem statuerunt, atque archidiaconum Casiliensem ad Pontificem mittendum decrevere, qui infelicem Poloniæ statum exponeret, atque opem et consilium exposceret. Quibus respondit Paulus : In nationis unius Synodo controversias fidei non esse dirimendas, sed in Concilio Œcumenico, cujus congregandi maximum a se conceptum desiderium significavit, atque ad id in opus perducendum omni studio et opera incumbere, ut inter Cæsarem regemque Francorum pristinam pacem redintegraret; interea ipsos hortatus est, ut in exercendo pastorali munere vim sui in Deum amoris explicarent, clementia uterentur erga eos, qui, ejurato errore, in gremium Ecclesiæ redirent, iis vero qui a recta fide alios divellere conabantur, acerrime et constantissime se opponerent, nec ullius discriminis metu a frangenda eorum pervicacia absisterent, suamque spem in Deo collocarent[1] :

« Venerabilibus fratribus Nicolao archiepiscopo Gnesnensi legato nato et primati, aliisque archiepiscopis, episcopis et prælatis regni Poloniæ.

« Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Isthuc, ut putamus, jam pervenire potuerat venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis, noster et Sedis Apostolicæ nuntius a nobis missus, quod ita, et fraternitates vestras desiderare, et rem ipsam postulare, cognoveramus, cum ad nos cum litteris et mandatis vestris venit dilectus filius Franciscus Ecclesiæ Casiliensis archidiaconus, qui diligenter admodum nobis exposuit quantopere malum isthic auctum sit, et quanto in discrimine versetur Ecclesiarum vestrarum salus; qua ex re, quanto dolore et sollicitudine affecti simus, non facile dixerimus. Quod fraternitates vestræ tali Ecclesiarum tempore ad Sedem Apostolicam sibi confugiendum putarunt, in ea re nos minime spem ipsarum fallemus, neque nostro officio deerimus. Verum enitamur, ut ipsarum Ecclesiarum et nobilissimi regni saluti, omnibus, quæ apta et opportuna visa fuerint, et quæ a nobis potuerint proficisci remediis, consulamus. Nam illud quidem, de quo actum fuerat, ut Concilium vestræ nationis episcoporum isthic haberetur, ad componendas de fide et religione controversias, nullo modo a nobis probari potuisset. Itaque fraternitates vestræ prudenter admodum, et pro sua erga Sanctam hanc Sedem reverentia fecerunt, quæ rem totam ad ipsam Sedem Apostolicam rejecerint, neque enim in Conciliis provinciæ aut nationis alicujus de fidei religionisque Catholicæ dogmatibus disceptari ac statui quidquam, vel majorum nostrorum instituta, vel juris ratio et sacrorum canonum decreta patiuntur, de his enim rebus in Œcumenicis generalibusque Conciliis agendum et decernendum est, ut quæ ad omnes pertinent, ab omnibus approbentur. Cum autem ejusmodi generale Concilium in urbe Tridentina haberi cœptum, bis jam propter objecta impedimenta intermissum fuerit, nos, ut congregari id denuo ac perfici, Deo juvante, possit, ut optamus, ad tollendas omnes eo remedio hæreses et schismata, in eam curam, quemadmodum necesse est, incumbimus, ut pacem inter charissimos in Christo filios nostros Carolum Romanorum imperatorem, et Henricum Gallorum regem conciliemus, neque desperamus actioni huic nostræ divinam misericordiam optatum esse exitum concessuram, et utrumque eorum principum non defatigatione solum, et diuturnitate belli, sed sui etiam officii recordatione, et quietis et salutis regnorum suorum causa, nostris paternis consiliis esse obsecuturos. Interea vero expectabimus vestras et nostri nuntii litteras, ex quibus quid actum isthic post ipsius adventum, quidque rebus inter illum et fraternitates vestras communicatis constitutum fuerit, cognoscamus, non dubitantes quin illius virtus et prudentia magno vobis solatio et usui sit futura : tunc autem nos quoque commodius statuere potuerimus, quid a nobis agendum sit. De quæstionibus autem a vobis exerceri cœptis adversus eos, qui ob crimen hæresis in judicium sunt vocati, hortamur fraternitates vestras, ut si illi errores suos agnoverint atque abjuraverint, vos Christianæ mansuetudinis et clementiæ memores, illos absolvatis, pertinacibus vero, et aliis, qui eos, qui integri sunt, corrumpere, et a recta fide, et matris Ecclesiæ obedientia abducere conantur, acriter resistendum; est hoc enim, est tempus quo gregis Dominici partes vobis commissæ, vestram pastoralem vigilantiam et sollicitudinem maxime implorant, et quo vos illos defendendo, et gratiam ab æterno pastore maximam initis, et vestræ ipsorum saluti simul consulitis, quamobrem nolite ullius periculi metu ab eorum defensione ac officio vestro deterreri, spem habentes in eo, qui Ecclesiam suam nunquam deserit, eamque non levioribus quam hoc tempore, tempestatibus alias agitatam concussamque servavit, qui vobis officio vestro acriter seduloque fungentibus, aderit, nec plus luporum sævitiam ad ovium suarum perniciem, quam pastorum charitatem ad earum salutem valere patietur; pro labore autem brevi æterna vobis præmia retribuet : a nobis vero omnia auxilia expectate, quæcumque ad sublevandos labores charissimorum fratrum nostrorum pro Dei

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 138.

honore et animarum salute laborantium, Deo ipso adjuvante, offerre poterimus. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die VIII Octobris MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

62. Irretiti fuerunt plures hæreseos laqueis, non tam improbitate, quam imprudentia, atque imperitia, vel etiam pietatis specie ab hypocritis nefandissimis, qui divina oracula fœdissime distorquebant subornati, sed deinde veritatis luce collustrati ad castra Ecclesiæ transvolare cupiebant, quorum infelicitate ad misericordiam flexus Pontifex [1], Gnesnensi archiepiscopo munus demandavit, ut eos tum laicos, tum Ecclesiasticos, ac prophana vel sacra dignitate auctos, censurarum religione solutos, Ecclesiæ conciliaret.

« Venerabili fratri archiepiscopo Gnesnensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Quoniam sicut nobis innotuit, in tua ac suffraganeorum tuorum civitatibus ac diœcesibus, quamplures utriusque sexus Christi fideles, humana fragilitate permittente, in damnatas et pestiferas Lutheranas et alias hæreses prolapsi, et illis infecti, ac diversis excessibus immersi, proprios excessus recognoscentes, posthabitis erroribus ad sanctæ Matris Ecclesiæ gremium redire desiderent, et veniam postulent; nos, qui Salvatori nostro Jesu Christo eos, quos a veritatis et justitiæ limitibus humani generis æmulus suis suggestionibus divertit, acceptabiles reddere toto nisu exquirimus, et salubri directioni ac saluti animarum singulorum Christi fidelium, quantum cum Deo possumus, favorabiliter consulimus, fraternitati tuæ, de cujus bonitate, fidei zelo et devotionis sinceritate specialem in Domino fiduciam habemus, quoscumque utriusque sexus Christi fideles, tam sæculares laicos quam Ecclesiasticos, et quorumvis Ordinum religiosos, cujuscumque Ecclesiasticæ et mundanæ dignitatis, status, gradus, ordinis vel conditionis fuerint, civitatum et diœcesum prædictarum, aut in illis commorantes, Lutheranis aut aliis nefariis hæresibus respersos, et ad veritatis lumen redire, ac hæreses hujusmodi abjurare volentes, si desuper ab aliis, ad quos spectat, inquisiti non fuerint, et id humiliter petierint, et alias relapsi non sint, receptis prius ab eis abjuratione hæresum hujusmodi publice vel secreto, prout tibi expedire videbitur, legitime facienda, ac juramento, quod talia et similia deinceps non committent, nec ea committendi, aut illis adhærendi auxilium, consilium vel favorem per se, vel alium seu alios præstabunt, per eos præstandis et restitutis bonis prius, si quæ ab Ecclesiis seu Ecclesiasticis bonis occupata detinent, ab hujusmodi hæresibus, necnon anathematis, majoris excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et pœnis Ecclesiasticis per eos propterea incursis, auctoritate Apostolica, alias in forma Ecclesiæ consueta, absolvendi ». Et infra : « Potestatem et facultatem concedimus. Datum Romæ apud S. Marcum die VIII Octobris MDLV, anno I ».

63. Hoc ipso tempore ad discutiendas hæreticorum argutias, qui Polonis impia sua deliramenta pro expresso Dei verbo venditabant, Stanislaus Hosius [1] Episcopus Warmiensis, postea cardinalis, pium atque eruditum Commentarium edidit de expresso Dei verbo, quem Poloniæ regi dicavit, his litteris ad eum datis operique præfixis, in quibus atque in opere solam Ecclesiam audiendam, Scripturarumque corruptelas spernendas demonstravit :

« Serenissimo principi et domino domino Sigismundo Augusto, Dei gratia regi Poloniæ, magno duci Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Massoviæ Samogitiæque domino et hæredi, domino suo clementissimo, Stanislaus Hosius episcopus Warmiensis orationes et obsequia sua vehementer commendat.

« De expresso Dei verbo, ut aliquid ad te scribere aggrederer, Sigismunde rex Auguste, fecit effrenata nostri temporis hæreticorum audacia, qui, quamvis ipsi mirabiliter inter se dissecti, sic illud nihilominus certatim ad se singulæ sectæ rapiunt, sic sibi solis usurpant, ut ejus possessione, cum alios omnes quotquot ab ipsis dissentiunt, tum Catholicos etiam et Orthodoxos excludere conentur. Tanta enim est istorum hominum arrogantia, tanta sui oblivio, ut alios omnes stupidos et bardos ac truncos esse, nec in Scripturis videre quidquam, se vero solos sapere, se solos esse persuasum habeant, qui sint veram earum intelligentiam assecuti. Estne autem verisimile, ubi tantus est animi tumor, tanta mentis inflatio, quod ibi possit esse spiritus ille, qui non requiescit, nisi super humilem, et mansuetum, et trementem sermones suos? » Et post multa :

« Quamvis celebris fuerit aliquis Ecclesiæ doctor, nisi fuerit in medio Ecclesiæ, nisi cum Ecclesiæ sensu consenserit, os ejus Deum non aperuisse certum est : De Deo autem loquitur, non quicumque Scripturas quomodolibet profert, sed qui Scripturas non suo proprio, sed omnium, hoc est, Ecclesiæ Catholicæ, sensu profert, atque hoc est, quod proprie dicitur Verbum Dei, quando Scripturæ verbis non proprius adstruitur sensus, verum is, qui omnium, qui Ecclesiæ Catholicæ est, quem eumdem esse Dei sensum, ambigendum non est. Sic annotata a Socrate legimus [2], quod imperator Constantinus omnium eorum qui convenerant in Concilio Nicæno sententiam, Dei vocat sententiam,

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2892. p. 189.

[1] Stanislaus Hosius ep. Warmien. p. 2. — [2] Lib. I. hist. Eccles. c. 9.

vox enim Ecclesiæ vox est Dei, per illam loquentis ».

64. *Antonium Navarræ regem laudat Paulus ob fidem Catholicam.* — Obiit hoc anno Pali in Benearnia Henricus Navarræ rex, a Ferdinando Catholico rege Hispaniarum maxima regni parte, ob fœdus, quo Ludovico XII Galliæ regi junctus erat, jamdiu orbatus, quo titulo Carolus V ejus regnum retinuit : ex concepto vero in Romanum Pontificem odio, aliquando in fide titubasse fertur Henricus, sed tamen in communione Ecclesiæ Catholicæ vitam clausit ; at Joannam filiam Antonio Borbonio nuptam, regni et aliorum principatuum hæredem reliquit, quæ latenter hæresim avidissime hausit, ac pro ea propaganda postea Galliam suosque principatus, cædibus sacerdotum, templorumque incendiis funestavit : jam vero potita regno, cum Henricum regem Galliæ religionis vindicem videret, seu nondum mentem impietate corruptam haberet, una cum viro suo rege Antonio consueta officia detulit et obsequia addixit, cui Paulus de hoc pietatis, quam præ se ferebat studio, subjectis litteris [1] gratulatus est :

« Charissimis in Christo filiis nostris Antonio regi, et Joannæ reginæ Navarræ illustribus.

« Charissimi in Christo filii nostri, salutem et Apostolicam benedictionem. Tametsi magnum vestræ pietatis argumentum nobis erat antea parentum vestrorum virtus ac spectata religio, cum bonæ arbores bonos fructus faciant, tamen ex vestrarum serenitatum litteris, quibus de hoc Pontificio munere nobis gratulamini, et ex dilecti filii nostri Georgii tit. SS. Joannis et Pauli presbyteri cardinalis Arminiaci verbis tantam et observantissimam vestram in nos, et in hanc Sanctam Sedem obsequii constantiam agnovimus, ut vere possimus judicare, vos majorum vestrorum, ut regni et provinciarum, ita et virtutum adiisse omnium hæreditatem, sed quod ad hanc nostram laborum et oneris accessionem spectat, non tam ea lætandum esse ducimus, quam nos regno isti de talibus regibus ex animo gratulamur, quorum vita et integritate, sicut in Domino speramus, vestra cura ac diligentia, populi vestri immutabuntur, sicut plerumque principum similes ditioni subjecti esse student, Christiana pax et charitas, quam semper summo studio coluistis, apud vos efflorescet quotidie magis et nihil eorum omittetur, quæ ad Christi gloriam, ac verum Dei cultum pertinebunt., etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo piscatoris die XXVI Julii MDLV, Pontificatus nostri anno I ».

65. *Mors Geraldi Ruffi pseudoepiscopi Olorensis.* — Extinctus est hoc anno Geraldus Ruffus Calvinista scelestissimus pseudoepiscopus Olorensis [1] in Benearnia, qui hæreseos peste reginam Joannam, totamque eam provinciam Benearnensem fraudibus suis infecerat, ovina ille pelle tectus erat, cum lupum ageret rapacissimum, utebatur hoc dolo ad sacrosanctum Missæ sacrificium abrogandum : jactabat ob tanti mysterii majestatem semel tantum in anno celebrandum, quo majori pietate illi populus interesset ; deterrimum vero erat illius consilium, ut desuesceret sensim illi interesse : submittebatque hæreticos, qui sacerdotali cultu induti hæresim prædicarent. Festa Sanctorum, charitatis specie, diminui tentabant ; adeoque latens ac tecta fuit ejus nequitia, ut sero fuerit cognita.

66. *Pia mors et canonizatio S. Thomæ de Villanova.* — Hoc eodem anno sanctus Thomas e Villanova archiepiscopus Valentinus undecimo sui episcopatus anno, ad cœlestem gloriam sexto idus Septembris evolavit, qui cum virtutibus vivens eluxisset, et post mortem, magnam gloriam, quam in cœlesti meruerit patria, miracula, quæ cum adhuc in terris degeret, Deus ejus intercessione patraverat, declarassent, Alexander Septimus die omnium Sanctorum memoriæ dicata anno MDCLVIII inter sanctos adscripsit. Congruum videtur, ut Annales Ecclesiastici pretiosis veluti margaritis, quibusdam ejus præclaris facinoribus exornentur, cum ipse sanctissimis suis gestis Ecclesiam militantem eximie decoraverit ; pauca tamen prælibabimus. Maxima in primis charitate et singulari quadam arte, ad cor viros, et maxime Ecclesiasticos, honori semper eorum consulens, revocabat : « Inter cujus generis exempla præ cæteris recensetur, quod blando sermone, quosdam præbendatos, ad abjicienda opera tenebrarum, et induenda arma lucis, pluries Thomas allexerit, verum illos lucem abhorrentes adhuc, et carnis curam facientes in desideriis suis, in cubiculum duxit, ibique clausis janius, nudatis sibi humeris, et ante Imaginem Crucifixi genuflexus, singulos his verbis allocutus est ; Frater, meis peccatis actum fuit, ne tu a via mala pedes tuos prohibueris, et mea tot monita despexeris, quare si culpa mea est, æquum ut ipse pœnam persolvam : et continuo se duris afficiebat flagellis. Tunc præbendati lacrymarum vim profundentes, Thomam exorarunt, ut desineret se verberibus cædere, promittentes anteactæ vitæ emendationem, quod ita illos implevisse asseritur, ut mox fideles Domino, in mortale crimen haud amplius inciderint. Alium sacerdotem acriter, sed frustra sæpius admonitum, diuturno carcere ab impudica consuetudine revo-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2891. p. 97.

[1] Florim. Raymun. Sammart. to. III. Gall. Ch.

care studuit, eum denique accersitum, hisce blandis verbis affatur: Amice, et frater, unde hoc mihi, ut ipse audeam judicare te fratrem meum, consacerdotem, emptum eomet pretio, quo est empta anima mea, non quidem ex corruptibilibus argento et auro, sed pretioso sanguine sacri Agni immaculati Jesu Christi ? fortasse tu melior me es ? et ego te judicabo, qui me ipsum ignoro ? Tu te judica, et cognosce dignitatem tuam. Quibus nedum permotus, sed perterritus sacerdos, religiosissimus evasit. Canonicum Cathedralis, etiam inhoneste viventem, ad se vocavit, eique jussit, ut rei familiari consuleret, et Romam quasi profecturus, noctu ad ipsum rediret ; Canonicus imperata fecit, quem Thomam semestri detentum in proprio cubiculo, die noctuque verbo et exemplo eum increpans, ad pœnitentiam flexit, mox emendatum dimisit, a domesticis et amicis, ut reducem ab Urbe verbis officiosis exceptum. A Michaele Viniente Actuario concubinam dimovit, eamque inter religiosas mulieres in hospitio collocavit ; noctu Michael per fenestram ex hospitio eam eduxit : cumque a ministris laici tribunalis perquireretur, is ad Cathedralem confugit ; suasum est Thomæ, ut Michaelem immunitatis Ecclesiasticæ beneficio indignum, ad carceres detrahi juberet ; at, inquit Thomas, nolo mortem peccatoris, sed magis ut convertatur et vivat, tantum desidero, ut Michael concubinam a se dimissam religioso hospitio restituat, et cupiat emendari : quod fecit. His ad Michaelem delatis, ingemuit, tam benignum læsisse parentem : deseruit impudicam, pœnituit, et vitæ reliquum religiose vixit ».

67. Porro, qui animarum necessitatibus sedula charitate providere adeo novit, non minus in egenis sublevandis enituit, quinimo usque eo excelluit, ut pater pauperum, et verus Sancti Jo. Eleemosynarii imitator extiterit, omnibus se, non solum deliciis, sed etiam rebus ad vitam necessariis exspolians[1],quo major sibi daretur facultas pauperibus subveniendi. « Quadam die pauperrima mulier ad Thomæ domicilium detulit lampredam, quam œconomus emere satagebat : videns hoc Thomas petiit quanti illam emere statuisset. Respondit œconomus : Domine, viginti quinque regalibus. Et Thomas subinde inquit : Ipse tantus non sum, ut comedam, quod poterit viginti quinque pauperibus satis esse ; jussitque lampredam aliis emendam dimitti, et mulieri egenæ eleemosynam impertiri. Lintea etiam e proprio cubili desumens, et indusiis seipsum exuens, ea in pauperes erogabat et cum mulier quædam nomine Daces, quæ assidue suens hujus generis suppellectilem Thomæ parabat, pluries ab eo expetita de indusiis et linteis, Thomam admonuisset, ne tam liberalis foret, sese necessariis hujusmodi prorsus destituendo, respondit Thomas : Daces filia, fer opem, non consilium, quæ enim pauperum sunt, pauperibus præter injuriam denegare non possum. Propriis etiam palliis, si alia indumenta deerant, pauperum nuditati consuluit, et ad instar divi Gregorii Magni, catalogum omnium pauperum Valentiæ degentium, ut singulis pro indigentia et conditione subveniret, penes se asservabat, ita ut alicui nobili egeno annuatim summam mille scutorum suppeditare consueverit ; et a nullo paupere faciem suam Thomas averterit, neminemque ab eo discessisse consenserit, cui delatæ sibi egestatis remedium non attulisset. Inter quæ plurima non obscurum sane obtinet locum, quod cum semel cum sutore Thomas super pretio manicarum altercaretur, noluit in illis sumptum facere viginti quinque regalium, sed manicas vilioris pretii ad se afferri jussit. Sutor a Thoma discessit, præsulis avaritiam dicaciter detestatus ; cumque elapsis aliquibus diebus, idem cum amico de ejus indigentia querimoniam faceret, ex quo potissimum dos nubili jam filiæ deesset, amicus sutori suasit, ut archiepiscopo id aperire festinaret ; subridens sutor, manicarum factum amico narrat, et ad Thomæ charitatem confugere recusat ; tandem a deputatis visitatoribus ad Thomam indigentia filiæ sutoris ultro allata est, et ipse de more subsidium dotis septuaginta scutorum ad puellam mittit. Sutor stupore attonitus, existimans se somnium videre, facto vix fidem præbebat, mox ad Thomam advolans, ei gratias agit, et de exaggerata ejus avaritia veniam postulavit. Thomas placide respondit : Fili, si pro manicis, quanti volebas,impendissem,illo minus pro dote tuæ filiæ superfuisset. Tace, et dato gratias Deo, qui ei de dote providit.

68. « Inter hæc assidua heroicarum virtutum exercitia sibi Dominus in Thoma bene complacuit, et sese mirabilem ostendere cœpit. Mirabantur etenim propemodum vicini degentes in ædibus episcopio contiguis, intuentes, quod longe major frumenti numerus ex horreo archiepiscopi extraheretur, quam in illud congregatum aspexissent, facti tamen veritatem haud inquirebant, sed tandem, Deo tantum operante, clariora hujus miraculi documenta edita sunt. Bonilla enim subcustos horrei archiepiscopalis, cum horreum multos ante dies tritico exhaustum mundasset, a conservis expetitus, ut menstruam frumenti portionem ipsis tribueret, cum Hernandez subœconomo conquestus fuerat de nimia præsulis liberalitate, quæ causam tandem præberet, ut propriæ familiæ necessaria deessent ; interim miserabilis fœmina, ut famelicæ proli consuleret, Thomam adiit, instititque plorans, ut sibi frumenti eleemosynam elargiri præciperet, Thomas illico Garziam œconomum,

[1] Act. ejus Canonizationis.

et Hernandez subœconomum ad se vocavit, eisque imperavit, ut egenæ pro munere subvenirent ; commotus Hernandez respondit, in horreo nec frumenti granum contineri. Urget mulier, perurget Thomæ charitas, qui Bonillam accersit, eique præcipit, ut ad horreum egenam ducat, et quicquid frumenti residui repererit, illi tradat ; Bonilla, se frustra imperata facturum, iterum ac tertio repetit : tunc Thomas ad illum ; Confide, Bonilla, et ad horreum perge, ne egena hæc sine subsidio discedat : Bonilla jussis obtemperat, et Thomas mulieri ait : Sequere Bonillam. Tunc Garzias, Hernandez et Bonilla cum muliere horreum petentes, ad eam cum risu conversi, inquiunt : Veni, bona mulier, et videbis horreum undique vacuum et scopis mundatum. Cumque horreum prope attigissent, e januæ rimis grana exuberantia inspiciunt, et admirati januam aperire student, quam magna vi frumenti compressam, vix totis adhibitis viribus impellentes, reserare possunt, et horreum frumento confertum inveniunt. Tunc rei novitate perculsi, validis vocibus inclamantes, miraculum ad archiepiscopum referunt, eique factum narrant ; Thomas ad horreum se recepit, et gravi silentio singulis imposito, mulieri dicit : Accipe frumentum, comede, et Deo gratias age, qui illud tibi paravit. Biennio ante obitum, cum Thomas acto prandio, ad fenestram respicientem atrium accessisset vidit quemdam pauperem Cæsaraugustanum quadraginta quinque annorum paralysis morbo contractum, fulcimentis insistentem : manu innuit, ut ascenderet ; cumque is ad aulam palatii pervenisset, Thomas illum interrogavit : Malles sanitati potius restitui, quam eleemosynæ subsidio levari ? Respondet Paralyticus : Domine, sanitatem magis desidero. Tunc Thomas producto super eo signo sanctissimæ Crucis, inquit : Confide, et da gratias Deo, qui dignatus est tibi salutem impartiri, abjice fulcimenta, et vade in pace ; et protinus consolidatæ sunt bases ejus et plantæ, erexitque se paralyticus undique validus rejectisque fulcimentis ad pedes Thomæ procubuit : cui Thomas, eleemosyna tradita, subdit : tace, esto Deo gratus, et pro me ora ».

69. Jamque senio confectus Thomas, cum ultimam diem appropinquare cognovisset, existimavit se mortem lætum aspicere non posse, nisi prius quicquid in terra possidebat, per manus pauperum in cælestem patriam transmisisset, quare omnia egenis distribui, antequam decederet, præcepit. Hæc sunt institutæ de illo inter sanctos referendo actionis sacræ deque extremo illius vitæ actu concepta verba : « Œconomus, cum nulla spes temporalis vitæ præsulis remaneret, quod hactenus singulari studio ei præsertim abdiderat, illico Thomæ significat, scilicet in sacrario Ecclesiæ ab aliquibus mensibus, se summam quinque millium aureorum asservasse, ut quotiescumque necessaria omnia ad familiæ sustentationem, reliquis in pauperes erogatis, deficere contigisset, exinde familiaribus mercedem præstare posset : statim Thomas œconomum, confessarium, et duas metropolitanæ dignitates rogat, ut pro Dei amore, pecuniam ipsam e sacrario eductam in pauperes partirentur. Iidem pecuniam in sportis acceptam, per civitatem divertentes, egenorum omnium desideria explent, reducesque Thomæ significant, singulis pauperibus abunde subventum esse, sed adhuc residuum mille et quingentorum scutorum remanere. Turbatus est Thomas, illisque dixit : Cur hic me detinetis adhuc, ne eam ad fruendum bonum, quod mihi paravit Dominus ? Puto enim protrahere præsentem vitam, usque dum sciam nihil domi superesse. Propterea igitur et opus absolvite, ne ipse diutius hic in labore remorer, sed in pace Christi quiescam. Interim jussit Thomas in suo cubiculo sacrum fieri, dictitans, se propemodum ante discessum cupere sub speciebus videre Deum Creatorem et Redemptorem suum, quem protinus facie ad faciem intueri posse sperabat. Paratur sacrificium, et recordatus Thomas, cuidam commentariensi patrifamilias in summa egestate posito, nihil in divisione supellectilis addixisse, jussit illum vocari, eique cubile, in quo jacebat, elargitus, veniam de sua oblivione rogavit, statimque innuit, ut ipso e cubili sublato, humi super storea prosterneretur, ut custos, quod suum erat, secum afferre posset. Abnuunt parere astantes, id quidem non sine periculo celerioris ejus exitus exequi posse, asserentes. Tunc Thomas virtuti charitatis virtutem humilitatis adjiciens, inaudito prorsus exemplo, custodem deprecatus est, ut sibi pro visceribus Jesu Christi usum cubilis ad mortem usque commodaret. Revertuntur tandem, qui pecuniæ residuum pauperibus erogaverant, eique nuntiant, nihil dispergendum restare. Thomas illis gratias agens, addidit : Nunc lætus ad agonem propero, nudus cum nudo, nihil habens unde tenear, contra malignos spiritus fortiter luctaturus : statimque petiit, ut Sacramento Extremæ-Unctionis muniretur, quod non minori pietate suscepit, ipsomet cum sacerdote Psalmos Davidicos recitans. Mox inchoatur missa, et jubet Thomas sibi interim legi Evangelium Passionis Domini secundum Joannem, quod audiens, ad singulas periodos lectori, ut subsisteret, jubebat ; et cum paululum meditatus esset, rursus, ut lectionem prosequeretur, indicabat. Augustissimum sacramentum, erga quod semper propensissimus extitit, dum a sacerdote elevabatur, mira humilitate adoravit, et præ gaudio in lacrymarum vim profusus, inchoavit Psalmum : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace*. Eoque

absoluto, subdidit : *In manus tuas, Domine, commendo spiritum meum,* et hæc dicens expiravit ».

70. *Electio Danielis archiepiscopi Moguntini mira Dei providentia.* — Pio sanctissimi archiepiscopi funeri jungamus modo spectabilis in Moguntina Ecclesia archiepiscopi electionem, quam hic ex Serario [1] juvat annectere, ut appareat Dei miserentis patrocinium in Catholicæ fidei defensionem benigne semper excubantis : « Defuncto Sebastiano ab Heusenstain archiepiscopo et electore Moguntino, archiepiscopo novo eligendo præstituta erat dies XVIII Aprilis. Erant in metropolitani collegii senatu multi, tum auctoritate magni viri, sed eminebat inter omnes nobilissimi stemmatis splendore, opum magnitudine, amicorum copia, palatini fratris vicinia, et summa, quam in eo ipso collegio gerebat, dignitate conspicuus dominus Richardus præpositus, princeps Zimmeranus. E contrario autem erat dominus Daniel (erat is e nobili Brendeliorum stirpe) ornamentis hisce omnibus impar, et vir juvenis, et inter Capitularium dominorum extremos. Tres enim post se tantum habebat. Ille igitur certa jam spe archiepiscopalem prehenderat dignitatem, adeo ut ne præsto quidem esse voluerit Moguntiæ comitiali die. Sed ex urbe cum excederet, fertur, suis vale familiaribus dixisse, quasi eam in domum eo modo rediturus amplius non esset. Quin vero se, ubi suffragia tulisset omnia, magno cum triumpho in urbem revocandum et inducendum putarit : et plerique archiepiscopum et electorem eum apertis jam vocibus dicerent, pictisque insignibus pronuntiarent. Sed ubi ad comitium a reverendis et nobilibus dominis canonicis ventum est, mutata sunt omnia : facti sunt novissimi primi : electus est Daniel, prætermissus Palatinus. Obstupuere omnes, et qui notæ melioris erant, ingenti exultavere gaudio dicentes, Dei digitum hic fuisse. Et vere fuit, uti quæ consecuta sunt monstravere quam manifestissime. Nam dignitatem istam maximam maximo cum Ecclesiæ provinciæque ac principatus Moguntini bono et ornamento gubernavit sapienter ac feliciter Daniel : Palatinus vero ille turpiter a sancto Martino Moguntinorum præside ad apostatam Martinum Lutherum, a Catholica fide ad hæresim defecit. Magnum vero fuit hoc divinæ bonitatis erga Moguntinam Ecclesiam beneficium, cui nullum hactenus præfici passus est, qui ab antiqua, et ea, quam sanctus Bonifacius docuit, suoque sanguine confirmavit, credendi forma desciverit ». Nunc ad ea, quæ Romæ gesta sunt, stylum convertamus.

71. *Cardinales creantur.* — Hoc anno auctum est cardinalium collegium a Paulo IV, a quo primum donatum Sacra purpura Carolum Caraffam nepotem tradunt Acta Consistorialia [1] his verbis : « Sanctitas sua de reverendissimorum dominorum meorum consilio et unanimi consensu creavit, et assumpsit in Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconum cardinalem dominum Carolum Caraffam Sanctitatis suæ nepotem. Addunt Acta XXIII Augusti collatam illi fuisse Ecclesiam SS. Viti et Modesti, exeunte vero anno, sex alios in cardinalium collegium cooptatos fuisse, quorum nomina ita recensentur :

« Romæ die Mercurii XVIII mensis Decembris MDLV, fuit Consistorium, in quo » et infra : « Sanctitas sua de reverendissimorum dominorum meorum consilio et unanimi consensu creavit, et assumpsit in S. R. E. cardinales presbyteros infrascriptos : R. D. Joannem Siliceum archiepiscopum Toletanum, R. D. Bernardinum Scottum archiep. Tranensem, R. D. Diomedem Caraffam episcopum Arianensem. R. D. Scipionem Rebiba episcopum Motulensem. R. D. Suavicum Romanum episcopum Mirapicensem, R. D. Joannem Gropperum decanum Ecclesiæ Coloniensis, et Joannem Antonium Capisuccum causarum palatii Apostolici auditorem ».

Ex his Gropperum dignitatem cardinalitiam non admisisse ex demissione Christiana et pia visuri sumus, alios vero proximo ineunte anno titulis suis ornatos referunt eadem Acta :

« XXIV Januarii XDLVI. Sanctissimus novos cardinales de more decoravit annulis pretiosis, cum illorum immissione digito annulari manus dexteræ. Ecclesiæ SS. Nerei et Achillei de Urbe præfecit in titulum reverendissimum Toletanum, Ecclesiæ Sancti-Matthei in Merulana reverendiss. domini Diomedis Caraffæ. Ecclesiæ Sanctæ-Potentianæ reverendissimum Romanum. Ecclesiæ S. Pancratii reverendissimum Capisuccum. Creatis istis cardinalibus, centum viros ex Romana nobilitate die octava Decembris elegit, ut ad suam assisterent custodiam, eisque in Palatio Pontificio domicilium attribuit ».

72. *Dux Montorii accendit inter Pontificem et Philippum II bellum, quod prius sopitum cardinalis nepos rursus inflammat.* — Accensæ sunt hoc anno faces infelicis belli, quod inter Paulum IV Pontificem, et Philippum II Hispaniarum regem exarsit, ex audaci et iniquo facinore Marii et Alexandri Sfortiarum, qui duas triremes Gallicas in portu Centum-Cellarum, proditione oppressis earum præsidiariis militibus, abducere Neapolim pertentarunt, cumque præfectus arcis flagitium impedivisset, cardinalis e S. Flora Hispanæ factioni addictus a duce Montorii patrui Pontificis, et Ecclesiastici honoris proditore litteras ad præfectum arcis obtinuit ne eas triremes e portu abduci Neapolim prohi-

[1] Nicol. Ser. hist. Mogunt. l. V. c. 5.

[1] Act. Cons p. 182.

beret: quibus Neapolim furto abductis, Galli Paulum Pontificem de violata publica fide gravissime conquesti sunt. At Paulus, qui justitiam æquo jure inter Galliæ et Hispaniæ reges administrare, nec communis parentis officio deesse decreverat, cardinali Sfortiæ e S. Flora graviores minas incussit, ni eas triremes Galliæ regi restituendas curaret; ille vero Christi vicarii dignitatisque Ecclesiasticæ contemptor patratum facinus novo cumulavit; nam proceres Romanos Hispanæ factionis noctu in suam domum una cum Philippi regis oratoribus, altero ordinario, altero extra ordinem pro devovendo Philippi regis nomine obsequio Paulo Pontifici misso, evocavit, premere tyrannide Pontificem meditatus. Vetus enim mos nefarius Romæ inolevit, ut magnates Romani nunc Cæsari, nunc Gallico, nunc Hispano nomini addictos se jactent, ac data occasione, Pontificis Romanorumque hostes ac proditores, non voce, sed re fore profiteantur, ut pluribus sæculis insignes eorum a Pontifice defectiones proditionesque, ac secutæ Urbis clades testantur. In eo ergo coacto a cardinale S. Floræ nocturno conventu, cui ad perturbandam Christi Ecclesiam Satan præesse visus est, improba verba adversus Pontificem temere laxata fuere ab iratis inique animis; quibus perlatis commotus Paulus in cardinalem e S. Flora, illum in carcerem arcis Adrianæ compegit, quo accepto Marius et Alexander illius fratres, qui triremes Gallicas rapuerant, fuga dilapsi sunt; Camillus Columna, qui Pontificiæ famæ magis in eo conventu detraxerat, traditus vinculis, Marcus etiam Antonius Columna, cum acta judiciaria sperneret, et fuga sibi consuluisset, damnatus reus læsæ majestatis, indictoque bello Palliani arce et aliis oppidis exutus : tunc fratres cardinalis e S. Flora territi ne capitalis pœna de eorum fratre sumeretur, Hispaniæ regis administros precibus flexere, ut illæ duæ triremes Gallis restituerentur, quibus redditis, cardinalis e S. Flora pristinæ libertati incolumis restitutus est.

73. Pacata jam ea tumultuum procella videbatur, cum atrocior tempestas vel arte cardinalis Caraffæ inania suæ familiæ incrementa meditantis concitata, sive Caroli imperatoris molientis exuere ditione Ecclesiastica Pontificem impio fastu, ut jactatum est, sed non creditum ; confecta tamen sunt judiciaria Acta in Carolum imperatorem, quasi abbatem Nannium veneficum, et Cæsarem Spinam Calabrum sicarium, de quibus sumptum est capitale supplicium, submisisset, qui veneno aut ferro cardinalem Caraffam, vel etiam Pontificem e medio tollerent : ob cujus criminis infamiam Carolo imperatori affictam eumdem cardinalem a Pio IV supplicio affectum visuri sumus. Erupit mox in bellum hæc dissensio, cum cardinalis Caraffa Ruccellajum in Galliam misisset ad Henricum regem , ut patrocinium Pontificis contra Hispanum potentiæ suæ magnitudine insolescentem corriperet, tot regum Galliæ proposito exemplo, qui Romanos Pontifices adversus Barbarorum vim, hostiumque Ecclesiæ tyrannidem defenderant. Detrectabat Galliæ rex tam difficili bello se implicare, demum victus honestissimis precibus Lotharingum et Turnonium cardinales Romam misit, lactatus inani spe Neapolitanum regnum Gallicis et Pontificiis armis comparandum secundo genito filio regio jure fiduciario collatum iri : confectæque referuntur fœderis leges, quibus de Hispanis tota Italia pellendis actum sit; sed illa inania consilia in ventos abiere, cum Pontificiæ et Gallicæ vires Hispanis, conjuncto Angliæ regno, impares essent [1], adeo ut Gallorum rex molem belli ab Anglis, Belgis, Batavis Germanisque illatam ægre sustinere posset, multo minus Neapolitanum regnum Gallicis armis comparare, nec Gallorum rex exercitum pro conficienda tanta expeditione justum submiserit, sed tantummodo decem millibus militum pro defendendo Pontifice ducem Guisium instruxerit.

[1] Pallavic. card. to. II. l. XIII. c. 13.

PAULI IV ANNUS 2. — CHRISTI 1556.

1. *Pius ardor Pauli in exscindendis hæresibus, moribus reformandis et pace restituenda deprimitur administri Hispani superbia et proditione.* — Anno Redemptoris millesimo quingentesimo quinquagesimo sexto, quarta decima Indictione, Paulus IV sanctissima et gloriosissima consilia disciplinæ Ecclesiasticæ restituendæ, corruptelarum delendarum, necnon Concilii Œcumenici pro hæreticis ad Ecclesiæ conjunctionem revocandis, suscepit; quanto vero studio disciplinam sacram instaurare aggressus sit, ostendunt Acta Consistorialia his verbis [1]:

« Romæ, die Veneris, decima mensis Januarii MDLVI fuit Consistorium, in quo sanctissimus longo sermone dixit, se velle procedere ad reformationem, quam multi Pontifices se facturos promiserunt, cum tamen nihil hactenus factum fuisset, et ad id deputare intendebat personas idoneas. Die Lunæ XX, MDLVI, fuit Consistorium propter reformationem, in quo Sanctitas sua magnas habuit propositiones super rebus Datariatus, et expeditionibus in eo factis; diligenter proinde studerent, et in proxima Congregatione vota sua redderent ». De collata strenue in eam rem Pontificia opera meminit Pauli Vitæ auctor, necnon inferius a nobis dicetur.

2. Conceperat Paulus IV Pontifex sacra consilia restituendæ clero veteris sanctitatis morum ac celebrandi in æde Lateranensi Œcumenici Concilii, cui præsens interesset, conjunctis prius mutuo fœdere Gallis Hispanisque, quibus una cum Anglis ad fidem Catholicam reversis, contundendæ Lutheranæ impietatis, quantumvis ringeret ac fremeret, spes eximia affulserat.

Ad provocanda in opus sacra ea consilia decreti fuere duo cardinales Carolus Caraffa ad Henricum Galliæ regem, ad Cæsarem vero Scipio Rebiba, de quibus hæc referunt Acta Consistorialia : « Die IX Aprilis fuit Consistorium, seu Congregatio generalis, in qua Sanctissimus deputavit legatos pro pace ad serenissimos principes, videlicet reverendissimos DD. Scipionem Rebibam, Motulanum nuncupatum, ad Carolum Romanorum principem et Philippum Hispanorum regem, necnon ad serenissimum regem Christianissimum dominum cardinalem Caraffam Sanctitatis Suæ nepotem, cum facultatibus et jurisdictionibus, ut in litteris expediendis ». In iis de sequestra pace confecta exaratis XXII Aprilis ad Cæsarem et Galliæ regem gratulabatur de induciis pactis, quæ lætissimas spes de pace firmissima subsecutura afferebant.

3. Discessere ex Urbe legati rerum bene gerendarum spe magna et gaudio delibuti, et Carolus Caraffa Pontificius nepos cardinalis celeri itinere ad Gallicam aulam pervenit, in qua magnifice exceptus summisque affectus est honoribus, quos Augustus Thuanus in Gallica historia describit, sed velut Ecclesiastici Ordinis inimicus, impiis scommatibus affictisque calumniis spargi ab hæreticis solitis, illum lacerat.

Dum ille in regia Gallica versaretur, Pontifex qui celebrandi Œcumenici Concilii Lateranensis pro extinguendis hæresibus sacro ardore æstuabat, mandata dedit duci Montorii nepoti, ad germanum fratrem scriptis litteris vehementissime Galliæ regem incitaret ad pacem, ut Lateranensis Synodus celebrari posset. Extant eæ litteræ Pontificio nomine [1] ac jussu scriptæ ad legatum quas ex Italico sermone Latinis verbis redditas Josephus Silos historiæ Clericorum Regularium scriptor inseruit :

« Ut nosse te probe scio, illustrissime et reverendissime domine, is est Pontificis animus ut vacuus ab omnibus iis curis, quæ perturbare privatim homines solent, videatur ei dumtaxat vacare negotio, qua scilicet ratione Ecclesiasticorum mores emendet, Ecclesiam pie regat atque ab iis asserat tempestatibus, quæ ejus latus acriter pulsant, suntque omnino duæ, hæreses nempe ac bella, quibus profligandis interdiu noctuque advigilat. Hinc ingens Sanctitatis suæ

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 168.

[1] Ext. in l. IX. hist. Cleric. Regular.

lætitia ab humanissima Christianissimi regis mente, quam tibi Concilii pacisque commodis procurandis aperuit, ut plane animadverterim non mediocriter spem atque in Deum fiduciam adauxisse, fore, ut egregias cogitationes suas ad exitum perducat, uniatque Ecclesiam quidem Œcumenica Synodo, Christianorum vero opes ac vires pace. Ac proinde bene precatus est Christianissimo regi, regiamque ut vere piam ejus pectoris indolem fuse dilaudavit, ac persuasum habuit, fore, ut cum ipsi, tum lectissimæ soboli temporalium æternorumque affusione, tantæ voluntatis vices maximum Numen rependat. Porro quod sæpius tibi voce, et postremo scripto commendavit, ea verborum gravitate ac vi, qua nosti, iterum significavit mihi jussitque, tanto dicendi studio cultuque, quanto neque ab eo unquam, neque a quoquam alio audivisse me memini, ut scriberem ad te suo nomine, ut Lateranense potissimum Concilium pacemque urgeas, quam iis quidem conditionibus complecti rex velit, quæ dari atque accipi pro tempore poterunt, partem interim sui juris ubi res poscere videbitur, Deo ac Sanctitati suæ, uti pollicitus tibi est, condonando, etc ». Addidit dux Montorii ex ea pace dignitatem amplitudinemque Caraffarum familiæ pendere.

4. Meditabatur Paulus maxime in æde Lateranensi in qua alias tot celebrata fuissent Concilia, Œcumenicam Synodum cogere, non vero in Germania, cum Lutherani principes non ob aliam causam Concilium in Germania postulassent, quam ut ex insidiis illud opprimerent. Sed prius Hispani et Galli ad mutuam amicitiam fœdusque sanctissimum erant revocandi : et quidem Henricus Gallorum rex ex animo Concilium Œcumenicum expectabat, cum extremo odio hæreticos persequeretur ; eaque tantum de causa cum Lutheranis conjurarat, nec ad Concilium Tridentinum Julio III Pontifice miserat Gallos præsules, quod Cæsar cum eo inire pacem additis etiam crudelibus minis de eo in privatum statum redigendo, detrectasset, ut antea dictum est; cujus potentiam extincta Lutherana hæresi pacataque Germania nimium augendam formidabat : postulatus vero de pace concilianda a Carolo Caraffa Pontificio nepote Apostolicæ Sedis legato, se Pontifici ad redintegrandam cum Cæsare et Philippo ejus filio rege concordiam, pro indicendo Lateranensi Concilio, redigendisque ad officium hæreticis eximie comparatum obtulit, ut ostendunt Acta Consistorialia : « Die Sabbati vigesima septima Junii MDLVI, fuit Congregatio generalis. Per D. Binium secretarium intra Consistorium introductum recitatæ fuerunt litteræ reverendissimi Caraffæ ad regem Christianissimum legati, directæ ad Palliani ducem fratrem suum, in quibus continebatur expositio legationis coram rege facta, videlicet pro futuro Concilio, quod Sanctitas sua decreverat in Urbe facere, et pro pace inter ipsum regem et imperatorem componenda, et responsio ab eodem Christianissimo data, prout in litteris, quas idem dominus Binius post lectionem secum reportavit ».

5. Discussit felices sanctissimorum consiliorum Pauli IV successus Hispanorum Philippi regis administrorum turgida fastu in summum Pontificem insolentia, necnon nimius forte erga nepotes suos Pauli IV amor, adhibitaque ab eo adversus Columnenses, adversus Joannem Franciscum de Balneo, adversus Ascanium Corneum Julii III Pontificis nepotes, tanquam in perduellionis reos, judiciorum acerbitas, quorum bonis fisco addictis nepotes male perituros cumulavit ; cum enim pacis et concordiæ redintegrata a cardinalibus actione, non semel magnifico et sanctissimo contemptu, acceptas a proceribus injurias Christi cruce proterere potuisset, novas iterum rixas cum Hispanis administris contraxit, necnon ad augenda hæc mala Scipionis Rebibæ cardinalis ad Cæsarem decreti legati insignis ignavia et pusillus animus contulere : cum enim ad Carolum V Cæsarem pro pace inter eum et Henricum Galliarum regem firmissima conficienda, pro indicendo Lateranensi ad hæreses exscindendas Concilio missus fuisset, jamque Trajectum in Belgio pervenisset, eamque urbem cardinalis legati cultu esset ingressus cum magno civium applausu, litteras a Joanne Caraffa Pontificio nepote missas accepit, quibus illi nuntiatum est Pontificem bello appetitum ab Hispanis, insidiasque etiam Pontificiæ vitæ comparatas : ex quo nuntio tanto terrore perfusus est, ut illico sanctissimam legationem pro Lateranensi Concilio adversus hæreticos celebrando, morumque sanctiorum nitore revocando, ac pace inter Cæsarem atque Henricum regem sancienda abjecerit, malo Commendoni usus consilio, ac sacerdotali ornatu cum militari sago commutato e Cæsarea ditione per Eburonum fines in Galliam præcipiti fuga se proripuerit, reque infecta tandem Romam inglorius reversus sit. Nondum tamen in apertum bellum discordia eruperat, nam in senatu cardinalium habito undecima Julii Paulus cardinalium precibus flexus actionem pacis iisdem interpretibus redintegrandam admisit : at confudit spes concordiæ ineundæ inopinus casus : nam Garcias Lassius Vega Philippi regis negotiorum actor Romæ eam perturbavit, cum obscurioribus notis litteras ad proregem Neapolitanum exaratas misit, quæ cum interceptæ atque explicatæ fuissent, convictus est Lapsius consuluisse proregi, ut ditionem Ecclesiasticam milite et armis non munitam invaderet, atque adeo ut proditionis reus in arcis carceres conjectus est. Cardinalis vero Caraffa in Gallia legatus pro Concilio Lateranensi ac pace inter Gallos Hispanosque confirmanda missus, spreta

ac prodita Christi et Ecclesiæ causa, Galliæ regem adversus Philippum Hispanum bello implicuit, ac Romæ vigesima septima Julii Silvester Aldobrandinus fisci advocatus in publico senatu in jus vocavit Philippum Austriacum reum violati sacramenti fidei, quam, accepto Neapolitano regno fiduciario jure, Julio III Pontifici addixerit; contenditque juribus fiduciariis excidisse, cum illius jussu prorex Neapolitanus plurima adversus Pontificem ditionemque Ecclesiasticam moliretur. At prorex licet instructum haberet exercitum ut in Pontificiam ditionem irrumperet, veritus tamen ne Garsias Lassius capitali supplicio afficeretur, misso Julio comite S. Valentini oratore, questus est regium administrum teneri in vinculis, ac proceres Cæsarianarum partium divexatos exutosque opibus, necnon marchio de Sarria Cæsaris ac Philippi regis orator, secunda Augusti discedendi ex Pontificia aula facultatem flagitavit, ut mandata Cæsaris ac Philippi conficeret : quæ res ingrata et acerba accidit Pontifici, cum inde redintegrandæ pacis difficultates excrescerent : septima vero Augusti die consultis cardinalibus querelas ducis Albæ proregis hoc responso refregit : Pontificem dum leges in suos subditos ob gravia et manifesta crimina distringeret, regios administros non offendisse, regios vero administros læsisse Pontificem, qui Pontificios subditos perduellionis reos ac proscriptos regio patrocinio texissent juvissentque armis : animadversum fuisse in Nannium et Bresengum abbates, ut in clericos Pontifici obnoxios, ac postulatos crimine læsæ majestatis : Garsiam Lassium jure traditum custodiæ, cum jus gentium læsisset; quo vetitum est, quibusve principis alicujus administris, ne dum in alterius principis aula resident, in principem conspirent : ac inique adversus Pontificium statum conjurasse convictum : Marchionem Sarriæ, Cæsaris et Philippi regis oratorem nulla affectum injuria, si, quandocumque illi libuit ut audiretur, non fuerit semper admissus, imo perhumanissime cum ipso actum, cum ob portam Urbis venationis oblectandique animi causa temere noctu perfractam, nulla fuerit violatus injuria, tolerataque sit ejus insolentia. Hæc responsa adeo justa visa sunt postea Cæsari ac Philippo regi, ut inique bellum a prorege susceptum senserint.

6. Reddito hoc responso proregi, novas ille querelas congessit, misso ad Paulum Pontificem Petro Loffredo equite Neapolitano, qui denuntiaret non debuisse admitti expostulationes advocati et procuratoris fisci in Consistorio, qui contenderant adversus Cæsarem et regem Catholicum propter bellicos apparatus, vel alia gesta adversus Pontificios, fiduciario regni Neapolitani jure mulctandos; inde enim bella accendi et graviora damna iis principibus inferri; ac non aliter quam filius obsequens in ipsum irruentem Patrem stricto gladio illum ex ejus manibus avellere conetur, ita Cæsarem et regem Catholicum Pontificia molimina propulsaturos, gladiumque, ne feriat, ex ejus manibus erepturos, rogarique Pontificem, ut deposita hostili persona, paternam indueret; quod si fecerit, Cæsarem regemque Catholicum acceptas injurias deleturos ex animo, omnibus amantissimorum filiorum officiis Paulum redintegrata pace complexuros : rogatusque est etiam Paulus, ut hæc cum senatu cardinalium permissa iis dicendi libertate conferret : extraxit Pontifex longiores moras in dando responso oratori, cui data fuerant imperia a prorege, ut lapso quatuor dierum flexu etiam non accepto responso Neapolim reverteretur : non enim Paulus ex animo flagitare pacem tunc videbatur, sed de ulciscendo acceptarum ab Hispanis injuriarum dolore pascebat animum, copiasque auxiliares e Gallis expectabat.

7. At prorex spretis verborum Pontificiorum diffugiis, comparato exercitu, eductoque Neapoli quinta Septembris, ditionem Ecclesiasticam invasit, Pontem-Curvum ac Frusinonem non sine cæde occupavit : ita perturbata sunt magnifica cogendæ Œcumenicæ Synodi Lateranensis consilia, quæ adeo provecta erant, ut vigesima octava Septembris lectæ fuerunt Henrici Gallorum regis litteræ, quibus se ad conficiendam firmissimam pacem cum Cæsare et Philippo rege exhibebat, atque ad eam Synodum Galliarum præsules se missurum pollicebatur. Cæsar etiam ad concordiam cum rege Galliæ paciscendam se paratum exhibuit, atque etiam ad restituendum Gallo ducatum Mediolanensem, qui tot bellorum causa extiterat, modo Gallus aliena, quæ occupaverat, restitueret. Sed tam præclaram profligandarum hæresum, restituendæ Ecclesiasticæ disciplinæ, pacisque inter principes Christianos confirmandæ actionem ira et ulciscendi cupido perverterunt. Interea prorex in Campaniam irruptione facta urbes et oppida occupabat, civesque non in Philippi regis, sed in futuri Pontificis et cardinalium verba adigebat. Ea res acerba admodum Pontifici accidit patefactaque cardinalibus, illi apud proregem questi sunt gravissimis verbis ipsos ab eo tanquam perduelles haberi. Ille vero respondit nolle Philippum sibi asserere ditionem Ecclesiasticam, et omnia capta pace inita restitutum iri, precesque addidit, ut Pauli Pontificis animum ad æquitatem et pacis consilia inflecterent : itaque de concordia ad preces cardinalium agi cœptum est, illius leges conditæ, ad quas confirmandas conventus aliquorum cardinalium cum prorege apud Criptamferratam indictus : sed mox discissus, cum nollet, ut cardinalis e S. Flora ad eum se conferret. Dein tradita cardinali Caraffæ summa

pangendæ cum prorege pacis auctoritate [1], Caraffa eam legem addidit, ut pro Palliano restituendo Antonio Columnæ, Senæ duci Montorii nepoti Pontificio traderentur; sed illam legem ut iniquam prorex respuit, atque bellum magis ursit : Tybur enim, Antium, arcemque Ostiæ, qua maritimi commeatus Urbi interclusi sunt, necnon alia oppida expugnavit : inde incussus Urbi terror ingens, ac licet aliquæ copiæ Gallorum subsidiariæ ex Hetruria et Corsica Monlucio duce accessissent, eæ tamen Hispanæ potentiæ erant impares : graviore itaque metu perfusus Paulus cardinalem Caraffam ad Venetos misit, ut eos in arma ad deprimendam Hispanam vim ac superbiam concitaret, at senatus implicare se difficili bello abnuit, pacisque consilia suggessit, quare vehementioribus precibus Galliæ regem ursit Pontifex, ut ducem Guisium cum exercitu in Italiam adversus proregem Neapolitanum transmitteret : ut vero divino miraculo ab extremo excidio ab Hispanis inferendo vindicata sit Roma, proximo anno dicetur : nunc exemplum insigne animi a rebus terrenis, et inani gloria et deliicis divulsi in cardinale Groppero viro integerrimo afferemus.

8. *Gropperus primum respuit, deinde jubente Pontifice, accipit cardinalatus insignia.*— Paulus Pontifex cum superiore anno Joannem Gropperum præpositum Bonnensem , Ecclesiastem præstantia doctrinæ celeberrimum, qui Coloniæ adversus Hermannum pseudoarchiepiscopum Coloniensem apostatam religionem Catholicam strenuissime defenderat , necnon piis libris Eucharisticum dogma adversus hæreticos propugnarat, pluresque ex hæreseos et flagitiorum cœno sacris colloquiis extraxerat, in cardinalium senatum adscivisset, hoc anno pileolum rubrum dignitatis cardinalitiæ insigne misso ad eum internuntio deferri jussit, de cujus promotione hæc refert Surius [2] : « Ejus viri pro tuenda apud Coloniam-Agrippinam, et totam Coloniensem diœcesim Catholica religione suscepti labores, usque adeo eum celebrem reddiderunt, ut Pontifex Paulus IV eum in cardinalium amplissimum collegium cooptarit. Fuit admirabili eloquentia , rara eruditione, animo imperterritus, nocte et die Scripturæ sacræ et sanctissimorum Patrum lectioni incubans, atque a fœdissimo concubinatu, quo se plerique ex clero turpiter dehonestant, usque adeo abhorrens, ut cum quodam die domum reversus famulam invenisset lectum ipsius sternentem, vehementissime commotus, famulam repente e cubiculo ejiceret, et lectum e fenestra cubiculi projiceret; hoc ipso sane egregium animi sui erga continentiam zelum et ardorem præclare declarans : quod idcirco commemorare volui, ut tanti viri exemplo permoveantur Ecclesiastici, et carnis petulantiam, victus parsimonia, sacræ lectionis et ferventium precum assiduitate, vigiliis opportunis, mulierum vitanda consuetudine, et id genus aliis pietatis studiis edoment, desinantque adversum se provocare iram præpotentis Dei, atque procacibus hæreticis veterem eamdemque Catholicam religionem lacerandi ac proscindendi præbere occasionem ». Hactenus Surius. Pontificiæ vero ad Gropperum litteræ [1] his verbis conceptæ erant :

9. « Dilecto filio nostro Joanni Groppero sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbytero cardinali.

« Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Summa et perpetua fidei ac pietatis constantia, sanaque et singularis doctrina, et tot præclaris litterarum monumentis jam omnibus nota, qua circumspectio tua fidei atque Ecclesiæ Catholicæ, sanctæque hujus Sedis partes scite ac fortiter tueri nunquam desistit, dignum te apud Deum reddiderunt, ut ipse quoque ad hoc onus curarum et laborum, quo in dies gravius premimur, nobiscum sustinendum, in sacrum venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium Collegium per nos cooptatus fueris, ea utique nostrum omnium spe, ut quamvis in vinea Domini uberrimos atque optimos adhuc pepereris fructus, ita tamen personæ dignitate et auctoritate ordinis amplissimi ad virtutem et probitatem, sanctissimasque disciplinas et artes tuas longe uberiores ac meliores in posterum additurus sis : quare primum istius muneris insigne, rubrum scilicet biretum per dilectum filium Theophilum Hernhema cubicularium nostrum nobis gratissimum ad tuam circumspectionem mittimus, quod tanquam coronam illius charitatis Deus tibi reservavit, quam tua tum facta, tum scripta præ se non mediocrem apud omnes ferunt. Eo igitur qua decet, reverentia, accepto, quanto citius fieri, tuo tamen commodo, poterit, te huc ad nos conferes, ut nos et fratres iidem nostri collegæ tui tuam circumspectionem maximo cum desiderio expectatam paterno pacis osculo et amplexu excipere possimus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XVIII Februarii MDLVI, Pontificatus nostri anno I ».

10. Non minus virtutibus quam doctrina efflorescebat Joannes Gropperus, Christiana demissione adeo excellens, ut cardinalitios honores a Pontifice sibi delatos non admiserit; respondit enim, a se non ut cardinale, sed ut privato pileolum rubrum recipi, donec idoneo tempore illum restitueret : quæ res admirationem, ac pæne stuporem attulit Pontifici, qui tantum ac tam sacrum munus ab aliis adeo exambitum, ab eo respuendum non senserat; quare interpretatus, illum magis quieti suæ, quam Eccle-

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 212. — [2] Sur. in Comm.

[1] Paul. IV. l. VIII. brev. sig. num. 2891. p. 182.

siæ utilitati in ea re consulere, dedit imperia Adolpho [1] archiepiscopo Coloniensi, ut subjectas litteras illi perlegeret, et abscissa omni excusatione, pro sacro imperio pileum rubrum et alia insignia cardinalitia suscipi ab illo imperaret :

11. « Venerabili fratri Adolpho archiepiscopo Coloniensi, sacri Romani imperii principi electori.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Dum expectabamus, et cum desiderio quidem non mediocri dilectum filium nostrum Joannem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem Gropperum, ad quem per dilectum item filium Theophilum Hernhemam, biretum rubrum, ut moris est, miseramus, cum eis mandatis et litteris, quarum tua etiam fraternitas particeps fuit, litteras ipsius Theophili accepimus , quibus præter omnem nostram expectationem certiores nos facit, nulla eum ratione adduci potuisse, ut vel nostrum de se judicium agnoscere, vel litteris aut mandatis ad id nostris assentiri voluerit, ac biretum se penes, non ut cardinalem, sed ut privatam personam retinuisse, donec illud aliquando possit restituere. Quod sane non modo, ut diximus, plane accidit nobis inexpectatum, verum etiam multos dubios reliquit, in quam id potissimum partem sit accipiendum. Nam etsi, quod ad nostram attinet opinionem, nos hæc omnia in partem meliorem accipimus, ac spiritus humilitati et animi moderationi attribuimus, nobisque persuasum est, nihil unquam ab eo fieri posse, quod a sanæ et sanctissimæ ipsius doctrinæ præceptis, præstantique virtute ac probitate alienum sit, si tamen, ut ita dicamus, rigidius is obduruerit, atque huic vocationi diutius, quam par est, restiterit, nihil reliquum est, quo eum apud alios satis tueri possimus. Etenim cum vocatio ipsa non tam nostra, ut tunc scripsimus, quam Dei sit existimanda, cujus honoris in primis, et nostræ pastoralis curæ, non autem ullius humani affectus causa hoc ei a nobis munus delatum fuit, cumque, ut optime novit fraternitas tua, mala bonis sint vicina, fieri vix posse videtur, quin alicujus incurrat suspicionem, ne scilicet cum cardinalium officium plenum sit laborum, curarum, sollicitudinum, suæ ipsius potius quieti consulat, quam publicæ Christi fidelium tranquillitati et saluti, quæ nobis primum, et sacrosanctæ huic Sedi, cujus capitis membra sunt, a Deo est commendata, idque eo magis sunt facturi, quo proprius exemplum nostrum ante oculos sibi propositum habent, nam nos quoque onus hoc longe omnium gravissimum nostris debilibus humeris impositum, tot jam annis afflicti, ac pæne confecti libenter excussissemus, nisi Dei voluntati omnino acquiescendum fuisset, et ejus imitandum Filium Dominum nostrum Jesum Christum, qui, ut usque ad mortem pro nobis factus est obediens, ita nos iidem pro eo debemus fieri, et dum ad ea nobiscum sustinenda, quæ ferre soli non possumus, adjutores idoneos interdum vocamus, qualem cardinalem Gropperum proculdubio futurum omnes affirmant, nullam esse arbitramur legitimam causam, quamobrem non illi nobis præsto esse debeant, nisi forte, ut maxime timendum est, communis noster adversarius sua solita suggestione, ac recti prætextu lumen eis obumbret veritatis.

12. « Has ob causas et alias permultas, quas tibi et illi relinquimus considerandas, ne iniquis interpretibus sermones demus, etsi eam sententiam, ut filium obedientissimum mutaturum speramus, nobisque et eidem Sedi assiduitatem, operam, consilium una cum cæteris fratribus et collegis suis eo modo quo debet, æquo et libenti animo præstiturum, tuam tamen fraternitatem his litteris hortari voluimus, prout omni studio in Domino hortamur, ut Groppero ipsi cardinali in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo mandes nostro nomine, ut his iisdem a te litteris sibi perlectis, statim sine ulla prorsus exceptione bireto ipso rubro se penes retento, cum debita reverentia et solitis cæremoniis, tanquam justitiæ corona et galea salutis caput indutus, sicuti ab aliis cardinalibus canonice, ut ipse, creatis et renuntiatis fieri consuevit, huc se ad nos conferat, quod tamen ejus valetudinis commodo fieri volumus. Sed quanquam eo hic præsente, quod attinet ad illius animi dotes ditissimas, quibus tuo tuorumque patrocinio adeo est illustratus, fraternitatis tuæ quamdam quasi imaginem intueri videbimur, dumque talem inter te et nos internuntium audiemus, velut te ipsum loquentem audituri sumus, utinam tamen te quoque hoc tempore vocare huc possemus ! Deus idem qui cordium scrutator est, novit, quanto desiderio libenter et diligenter facturi essemus. Verum tam perturbato rerum vestrarum statu, tot ac tantis isthic imminentibus periculis, tuæque fraternitatis virtute, auctoritate, pietate adeo egregie ac fortiter illis occurrente, ac denique spe religionis apud vos non modo, qua viget, conservandæ, sed qua deperdita est, recuperandæ, maxima ex parte in te uno a nobis collocata ; nollemus, membro hoc tam nobili avulso, caput quoque nobilissimum, hoc est, fraternitatem tuam tanti corporis cura antea sejungi, quam major postulet necessitas.

13. « Postulabit autem divina adjuvante clementia, cum primum sacrum Concilium huc in almam Urbem Romam, communem omnium patriam convocabimus, quo nihil est quod ardentius desideremus, et quo quidquam maturius facturi simus, ut experiamur aliquando, et

[1] Paul. IV. l. VIII. brev. sig. num. 2888. p. 47.

nos, qualesnam fructus Pontificis Maximi præsentia in eo paritura sit, cum quæ proxime fuerunt celebrata summis Pontificibus prædecessoribus nostris absentibus, quam nihil aut parum profecerint, nemo ignoret. Cui quidem Concilio quando nobis per ætatem alium in locum non licet proficisci, cuique te, atque omnes tui similes frequentes adfuturos speremus inter cæteros, videbit fraternitas tua, quanti apud nos, quantumque gratiam nostram, et vere paternam in te benevolentiam declarare, aliqua significatione tuis meritis digna cupiamus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die III Julii MDLVI, anno II ».

14. Accessit Romam Joannes Gropperus demissa obsequia præstiturus Pontifici, atque ad subeundos pro Ecclesia quoscumque labores paratissimus, sed brevi e vivis ereptus est : abstinuisse tamen a cardinalitia dignitate ex Pontificia indulgentia, indicat Epitaphium ipsius sepulchro Romæ in Ecclesia Germanorum inscriptum, in quo tituli cardinalitii ipsi non sunt attributi, præcipua tamen ejus gloriosissima gesta perstricta leguntur his verbis [1] :

D. O. M.

« D. Joanni Groppero religionis, fideique Catholicæ propugnatori acerrimo, post incredibiles labores summis cum periculis pro Ecclesiæ ac religionis conservatione magno semper et invicto animo exantlatos, multaque præclara litterarum monumenta edita, ob perpetuam fidei pietatisque constantiam, incomparabilem doctrinam summasque virtutes, absenti, nec quicquam minus cogitanti, in sacrum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium collegium cooptato, præmatura adhuc morte, et quando sui opera imprimis desiderabatur, ex humanis erepto, fratri piissimo atque optime merito Godefridus et Gaspar Gropperi fratres, et alumni mœstissimi posuere. Vixit annos LVII, dies XVIII. Obiit III idus Martii MDLVIII ».

In præstantissimum hunc virum Theodori Bezæ impudentissimi petulantia virus evomuit, ut hoc quoque ejus gloriæ adderetur, ut nimirum, quod olim de martyribus sub Nerone dictum est, usurpari possit [2] : « Tali dedicatore damnationis nostræ etiam gloriamur, qui enim scit illum, intelligere potest, nonnisi grande aliquid bonum a Nerone (a Beza) damnatum ».

15. *Hæretici inter se dissident.* — In Germania maxime recruduere contentiones inter Sacramentarios ac Lutheranos, atque ex Sacramentariis sive Zuinglianis, Henricus Bullingerus, Bernardinus Ochinus, necnon et Calvinus contra Westphalum Lutheranum scripsere, cujus errores ita male redarguerunt, ut longe gravioribus eos cumularent. Permisit vero horum dissidia divina providentia, ut pateret omnibus non divina oracula ab iis defendi, sed propria somnia, ac deliramenta, ut Surius ad hunc annum fusius narrat : « Ut viderent homines ab istis novi Evangelii præconibus non ipsum verbum Dei, quod tam impudenter jactitant, sed privatas quorumque opiniones pro Dei verbo imperitis obtrudi, permisit sapientissimo consilio etiam inter se atrocissime et pertinacissime digladiari miseros et omni lachrymarum fonte plangendos, ut qui necdum eorum laqueis implicati sunt, caveant ne quandoque irretiantur, qui autem irretiti sunt, ocissime sese explicare nitantur ». Expedivere se ex Lutheranæ hæreseos laqueis plures, atque ad Ecclesiæ Romanæ gremium se contulere, quos Sacramentarii calumniis appetierunt, quasi non veritatis luce collustrati se conjunxissent Catholicis, sed Zuinglianorum odio, ut eos facilius opprimerent. Cum vero Sacramentariorum hæresis inter Lutheranos serperet, Lutherani ad eam reprimendam varias pseudosynodos coegerunt.

16. Hic lector pedem figat, et Catholicæ fidei veritatem ex hoc uno solerter inspiciat, cumque sectarios viderit inter se tam acriter digladiantes, propheticum illud Esaiæ [1] mente revolvat : *Et concurrere faciam Ægyptios adversus Ægyptios, et pugnabit vir contra fratrem suum, et vir contra amicum suum, civitas adversus civitatem, regnum adversus regnum.* Dum enim quisque, quod sibi fingit, credit, in hæc portentosa dissidia labatur necesse est, ut exinde prudens quisque perspiciat, non esse Ecclesiam illorum inconsutilem Christi tunicam, quæ nequaquam divisionem admittit, sed pallium illud, quod tulit Jeroboam [2], *Qui peccavit, et peccare fecit Israel,* præcipuus scilicet idololatriæ restitutor, in totidem discissum scissuras, quot capita. Sed ut ad historiam revertamur.

17. *Paulus ad Maximilianum et Albertum Bavariæ ducem necnon ad episcopos Germaniæ scribit ut Catholicam fidem defendant.* — Habiti sunt devexo jam anno ordinum imperii conventus Ratisbonæ, in quibus cum Lutherani molirentur nova decreta Catholicæ religioni adversantia promulgare, Paulus Maximilianum regem admonuit, ut hæreticorum frænaret audaciam, atque exempla aliorum regum in Catholica religione asserenda imitaretur [3] :

« Maximiliano regi Bohemiæ.

« Charissime in Christo fili, etc. In variis, gravissimis et molestissimis curis, quæ nos in dies noctesque sollicitant in hoc tempore, illa vel maxime animum nostrum angit ex his, quæ ad nos afferuntur de consiliis eorum, qui Eccle-

[1] Attichi. Flor. Car. to. III. — [2] Tertul. in Apol. c. 5.

[1] Cap. XIX. — [2] III Reg. XI et XIV. — [3] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 1961. p. 11.

siæ Catholicæ in istis partibus infesti sunt. Facile perspicimus quantopere perpetuus Ecclesiæ hostis per ministros et satellites suos Catholicorum reliquias in illa nobilissima et olim maxime pia natione insectaturus sit, vereremurque profecto, ne victrix hæreticorum impietas orthodoxam fidem isthic prorsus obtereret, nisi Omnipotentis Dei maxime scilicet auxilio, secundo autem loco eorum, quos isthic misericordia adhuc reservavit, virtuti et gravitati confideremus. Magnam autem in primis spem in serenissimi regis parentis tui et tua, fili charissime, pietate reponimus, quos nimirum Omnipotens Deus in tam alto dignitatis gradu posuit, ut in auctoritate vestra maximum religioni suæ et piis omnibus, tam miseris calamitosisque temporibus præsidium esset constitutum.

« Et sane tu tanto Dei beneficio, aliisque præterea muneribus auctus atque ornatus, adhuc ita te gessisti, ut nos et Catholicos isthic omnes virtus et pietas tua non mediocriter consolata sit, et impii non parum te suis conatibus obstitisse doluerint, prorsusque apparuerit te vestigia tanti patris ingressum, ut decuit, eadem, qua ille semper pietate, virtute et constantia sanctam et orthodoxam fidem defendere, hujusque sanctæ Sedis auctoritatem tanti, quanti par est, facere. Verum istum tam egregium animum præclaramque voluntatem tanto apertius, et in nos, et in hanc sanctam Sedem devotionem, reverentiam et fidem his, quæ Ratisbonæ habentur comitiis declarare debes, quanto majore conatu novarum rerum cupidi, et pacis Ecclesiæ turbatores enituntur, ut ejusmodi decreta fiant, quibus futurum sit, ut ipsorum secta in dies augeatur, Catholicorum autem animi isthic debilitentur, et religio evertatur atque hujus Sedis auctoritas : quibus eorum consiliis acriter a piis quidem omnibus obsistendum est, sed tanto acrius a vobis ambobus erit, quanto magis auctoritate et reliquis anteceditis, ducesque aliorum et principes defendendæ religionis propter regium nomen et potestatem a Deo vobis datam esse debetis, memores ejus, quod scriptum est, corde credi ad justitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem, nec qui incœperit, sed qui perseveraverit salvum fore. Proponeremus tibi, charissime fili, aliorum regum exempla, qui ex propugnatione Catholicæ fidei maximam sibi laudem et gloriam pepererunt, sed neque cohortatione nostra Serenitatem tuam egere putamus; et si exempla proferenda essent, nullum his quidem temporibus haberemus clarius atque illustrius, quam ipsius serenissimi regis patris tui, cujus tu, ut reliquas virtutes maximo et præstantissimo rege dignas nobis retulisti, sic omnium virtutum principem et tanquam fundamentum, timorem Dei et pietatem cum egregie referas, non est quod te pluribus hortemur. Tantum illud te pro nostro paterno erga te animo tibi plane persuasum, et in mente tua infixum esse perpetuo cupimus, nullum stabilius regni munimentum, nullum firmius esse præsidium, nullam regibus magis munitam ad gloriam, et laudem, et regnum cœleste ac sempiternum, viam, quam si Deus timeatur atque ametur, ejusque sancta Sedes ac religio colatur, integra incorruptaque servetur, sanctæque huic Sedi, quam Christus Dominus noster caput Ecclesiæ suæ et fundamentum constituit, sua auctoritas, summaque ab omnibus debita reverentia conservetur, quæ quidem a nemine aut privato, aut principe spreta, quin aliqua calamitate notum illis fuerit. Quod sane a Serenitate tua factum iri, nec pravis eam cujusquam consiliis, vel sui ipsius, vel parentis tantopere pii principis dissimilem utique fore confidimus ac persuasum habemus.

« De rebus quæ isthic geruntur, malumus te ex venerabili fratre Zacharia episcopo Pharensi nuntio nostro, quam ex litteris nostris cognoscere, quibus a Serenitate tua diligenter cognitis, confidimus, ex tam gravibus et indignis injuriis beato Petro Apostolorum principi illatis, ejusque successoris tam gravi et detestabili insectatione, tantoque impetu in res sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ facto eam molestiam capturam esse, quam pietas, ac fides, et tanta rerum indignitas, tantaque atrocitas postulat. IV Decembris MDLVI, anno II ».

18. Demisisse in animum alte Pontificia monita Maximilianum, atque insolentiam eorum, qui Calicis usum deposcebant, et pietatis specie illusi ad impietatem vergebant, repressisse dicetur inferius. Explicuit etiam insigne religionis studium Ferdinandus archidux Austriæ, qui de eo a Pontifice[1] his litteris commendatus est :

« Dilecto filio nobili viro Ferdinando archiduci Austriæ.

« Jucundi rumores ad nos afferuntur de studio tuo insigni fidei religionisque Catholicæ, quod maxima tua cum laude multorum sermone testimonioque cognovimus. Præclare intelligis, fili, quid inclyto domus vestræ sanguine ortos deceat, quæ via non ad salutem modo et gloriam æternam ferat, sed in hoc etiam sæculo ad summam dignitatem amplitudinemque perducat. Præclare parentis et majorum tuorum pietati respondes. Tu vero majorum tuorum vestigiis insistens, quorum pietatem imitaris, eorum honores quoque et titulos te, Deo auctore, aliquando assecuturum confide. Retine, fili, retine perpetuo istum tam pium tamque egregium in fide et religione Catholica sensum, maximasque pro tanto munere gratias Deo age, quem quidem precamur, ut eum confirmare atque augere, et sua te gratia perpetuo tueri ac custo-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2961. p. 12.

dire dignetur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. ».

19. Fulciebat in Germania Catholicas partes Albertus dux Bavariæ, quem divinæ etiam gloriæ propagandæ studio Ingolstadiensem Academiam [1] accersitis etiam Societatis Jesu theologis hoc anno instaurasse tradunt eorum Annales, multumque apud illam nominis decus collegit Costerius, qui egregie de controversiis scripsit adversus Lutheranos, eorumque argutias nitidis ac firmissimis responsis dissolvit. Fuit hæc primum Academia designata a Ludovico, cognomento Divite, Bavariæ duce, circa annum Domini, ut testatur Middendorpius, MCDLIX, atque a Pio et Paulo III Summis Pontificibus præclaris ditata privilegiis, perducta vero ad effectum anno MCDLXXII, ut ex ejusdem ducis diplomate monstrat Gevuoldus, tantumque sub pio Principe Alberto refloruit, ut idem Middendorpius scripserit: « Optimus et Catholicus ille princeps Albertus pro singulari suo erga veram Catholicam religionem atque sapientiam studio sic eam promovit, ut hoc tempore inter celeberrimas Academias Catholicas Germaniæ numeretur. Qui non modo peculiare Collegium Theologicum magnis sumptibus erexit, verum etiam insigne Pædagogium [2] fundavit, in quo domini de Societate Jesu eloquentiam, Philosophiam, Artesque liberales, et linguarum præcepta traderent. Inter clarissimos viros Academiæ Ingolstadiensis meminit Joannis Eckii, et Friderici Staphili, de quo hæc scribit Mendo [3], quia uxoratus erat, nec hæc Academia, nec alia ulla Germaniæ gradum doctoratus in Jure Canonico et theologia voluit illi concedere, ita ut Pontifex doctoralem pileum transmiserit, ut archiepiscopus Salisburgensis eum ipsi imponeret, et doctorem auctoritate Pontificia constitueret » : de cujus vere aureis lucubrationibus consulat lector Possevinum.

20. Albertum igitur tot nominibus de Catholica religione optime meritum Pontifex majorum suorum propositis exemplis, velut calcaribus currenti additis, ad majora semper pietatis studia, datis hisce litteris [4], incitavit.

« Dilecto filio nobili viro Alberto duci Bavariæ.

« Dilecte fili, etc. Cum recordemur, quod nunquam sine maximo animi dolore facimus, qui fuerint comitiorum Augustæ exitus, non possumus non magnopere vereri, atque extimescere, ne quid simile aut deterius etiam Ratisbonensibus istis, quæ propediem futura audivimus, eveniat, quæ res tantam nobis animi molestiam affert, ut ex omnibus curis, quas tam gravi sanctæ Sedis tempore sustinemus, hæc nos vel maxime angat atque sollicitet. Etenim de reliquiis Ecclesiæ Catholicæ, quas in istis partibus divina clementia satis magnas incolumes conservavit, vehementer pro nostro pastorali officio laboramus, ne ipsas quoque Ecclesiæ hostes dispergant atque opprimant, quorum impiis consiliis atque conatibus ab omnibus quidem piis vere et Catholicis, qui isthic sunt, occurrendum et fortiter resistendum est, et pro sancta religione, et Christi Domini nostri honore sanguis etiam ipse, si ita necesse sit, profundendus, si satis grati in eum esse volunt, qui suum ipse in ligno Crucis pro omnium salute profudit. Sed tu, dilecte fili, tuam ipse hoc tempore pietatem et virtutem maxime declarare debes ; non enim licet tibi, qui tam piis parentibus natus es, et qui illorum exemplo atque imitatione tantum semper Catholicæ fidei studium præ te tulisti, non et majorum tuorum et tui ipsius similem esse : nec vero Omnipotentis Dei causam fortiter tuenti quidquam timendum est : non deerit ille causæ suæ, si modo tu ac reliqui principes, quos maximis extulit et honoribus et beneficiis, ob hanc nimirum causam, ut sanctæ Ecclesiæ defensores et propugnatores essetis, causæ ipsius minime defueritis, et vestrum illi, ut debetis, officium præstiteritis. Si qui autem secus fecerint, quod de te suspicari minime possumus, a quibus is desertus fuerit, eos ipse quoque haud dubie deseret, et ingrati in se animi pœnas ab eis vivis mortuisque gravissimas repetet. Quamobrem, dilecte fili, hoc maximo tempore te hostibus Ecclesiæ Catholicæ opponas, et causam religionis, causam Catholicorum, causam patriæ tuæ suscipias oportet, quæ cum defendes, et honori, et existimationi tuæ, et animæ saluti prospicies, et tuum statum, tuam dignitatem, tuas opes maxime hac ratione firmabis ac stabilies, quod ut facias, non quod de prudentia aut pietate tua dubitemus (neque enim fas est), sed et quod te paterno amore prosequimur, tuæque laudi, ut dilectissimi filii, favemus, et ut nostro quoque officio fungamur, te etiam atque etiam in Domino hortamur, et Omnipotentem Deum rogamus. Cætera, quæ nobilitati tuæ a nobis scribenda essent de rebus quæ hic geruntur, malumus exponi tibi a venerabili fratre nostro Zacharia episcopo Pharensi nuntio nostro, quæ ut sunt gravia, indigna, atrocia, sic nobilitati tuæ pro ipsius in hanc sanctam Sedem Apostolorum principis devotione visum iri minime dubitamus. Dat. etc. ».

Repetitis etiam litteris Paulus [1] novos optimo principi addere stimulos perrexit, ut si quæ pro asserenda religione subeunda pericula forent, ea intrepido atque interrito animo adiret, eo enim majora a Deo præmia promeriturum, majoremque apud homines gloriam collecturum :

[1] Orlandin. hist. Soc. Jesu l. XVI. Lib. III. Academiar. p. 528. Metropol. Salisburg. tom. — [2] Mendo de Jure Academico l. II. p. 1. Appar. to. I. — [4] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2961. p. 7.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2893. p. 527.

« Duci Bavariæ.

« Tuam nobilitatem nobis hortandam esse duximus, ut tam impiis perniciosisque eorum consiliis fortiter et constanter auctoritate, et omnibus viribus tuis obsistat, dignumque tali tempore, majoribus suis piis Catholicisque principibus animum, quem semper prætulit, rebus ipsis declaret, neque ullum pro fide Catholica certamen subterfugiat, aut periculum extimescat, cum scriptum sit corde credi ad justitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem, et major sit qui pro nobis est, quam qui adversus nos, cujus constantiæ suæ in tuenda Ecclesiæ et religionis Catholicæ causa præter maximam ab omnibus paratam laudem, a Deo Omnipotente tanto majus præmium consequetur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die IV Decemb. MDLVI, anno II ».

Urebat Paulum Pontificem ingens curarum æstus, ne inclyta Bavariæ principum familia Lutheranorum astu circumventa, dæmonis laqueis irretiretur, pravisque impiorum præsentia terrena commoda cœlesti spei præferentium consiliis in errorem a recto fidei tramite abduceretur : quare D. Petrum [1] Apostolorum principem imitatus illum commonere officii non destitit ; resque successit e voto. Nam præclara serenissimi principis vigilantia, et transfusa ad posteros hæreditaria pietate factum est, ut cardinalis Baronius [2] Guillelmo ejus filio, in Bavariæ Ducatu successori, ac patris in fovenda religione æmulo, jure scriberet ; « Ægypti noscuntur renovata prodigia, dum atra densaque obvolutis aliis ubique caligine, dumtaxat in nova Gessen, Bavaria ipsa tua, veri Israelitæ jucundissima luce perfruuntur, veritatis sole in meridie, radiis claritatis et charitatis fulgore jugiter affulgente ; ut impietatis frigus non sentiant, et glaciei perfidiæ sint expertes, atque uberrimo proventu spiritualium frugum potiantur Autumno ».

21. Admoniti quoque fuere archiepiscopi et episcopi Germaniæ, ut conjunctissimis animis fidei Catholicæ causam tuerentur, atque nefaria hæreticorum molimina retunderent, ipsos enim ad delendam omnino in Germania religionem Catholicam conjurasse, quo argumento extant hæ litteræ ad Magdeburgensem archiepiscopum exaratæ [3].

« Sigismundo electo Magdeburgensi.

« Tempus tibi oblatum est, quo egregium istum, quem præ te fers animum, ita possis declarare, ut tam eximia, quæ a Sede Apostolica adeptus es, ornamenta, merito in te collata fuisse appareat, nam cum in conventu, qui Ratisbonæ indictus est, multa valde, et nefaria, et impia moliri dicantur Ecclesiæ adversarii, debebis tam perniciosis eorum consiliis una cum cæteris Catholicis, ad quos etiam scribimus, obsistere ; nisi enim constanter et fortiter a vobis hoc tempore impiis illorum conatibus obviam itum fuerit, nemo est, qui non intelligat, fore, ut, Catholicis isthic quotidie magis oppressis, hæreses latius in dies serpant, ac brevi tempore Catholica religio, quod divina misericordia avertat, in ista olim tantopere pia natione penitus aboleatur ; quamobrem memor officii tui erga eos, quorum salus fidei tuæ commissa et commendata est, memor promissorum, atque ejus expectationis, quam de te concitasti, memor denique judicii divini, et tuæ ipsius salutis, enitere, fili, ut nihil adversus Catholicam fidem, nihil contra sanctissimas Ecclesiæ leges atque instituta in eo conventu decernatur. Noli pro Dei honore, pro animarum salute ullam contentionem subterfugere, ullum periculum extimescere. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die IV Decembris MDLVI, anno II ».

22. *Lutherani Evangelii obtentu decipiunt incautos et viam præbent incursionibus Turcarum.* — Paruit ille Pontificis monitis atque adeo strenue religionem Catholicam defendendam suscepit, ut Magdeburgi antiquatos ritus divini cultus instaurarit. Ferociebant vero propterea hæretici in Catholicos, quod Turcæ in Hungariæ Ferdinando obnoxiæ limites excurrissent, ac re ipsa demonstrarunt, eos non minus implacabiles esse Catholicorum hostes, quam Turcas, cujus grassationis Turcicæ occasione nonnulli Ferdinandi populi Austriaci ab impiis subornati, cum ab iis subsidia contra Turcam postulata essent, profitendæ hæreseos libertatem impudenter efflagitarunt, ut narrat Surius his verbis [1] : « Rex Ferdinandus necessaria contra Turcarum irruptiones præsidia comparare volens, petit a subditis suis eam in rem subsidia. Austriaci inferiores apud Viennam conveniunt, seque imperata facturos ultro recipiunt modo ipsis permittatur Evangelium ». Hoc specioso nomine Lutherani hæreseos suæ fœditatem obvelare consueverant, contra quam impiam fraudem Stanislaus Hosius episcopus Varmiensis ita declamabat : « Quæ mala isthæc est amentia, cum olim unum Deum colentes, uno et eodem nomine Christiani fuerimus appellati, quod nunc plerique tam præclarum hoc nomen fastidiunt, et Evangelici, quam Christiani vocari malint? scilicet extra Christum Evangelium esse potest? quid est Evangelium? læta annuntiatio. Potest extra Christum læta esse ulla annuntiatio? sempiternæ et æternæ mortis annuntiatio extra Christum esse potest? » Idem præsul, ac postea cardinalis, et præses Tridentini Concilii in libro superiori

[1] Pet. Ep. II. c. 1. — [2] Tom. V. An. Eccl. in Ep. nuncup. ad Sereniss. Guill. — [3] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2893. p. 515.

[1] Surius in Comm. hoc anno.

anno scripto de expresso Dei verbo demonstrat, Evangelium non in verbis, sed in sensu constare, eumque petendum a communi Patrum consensu, qui sanctitate et miraculis floruerunt, non ab apostata Luthero, qui se edoctum a Sathana gloriatur, atque ab impiis appellari Evangelium inepta deliramenta ipsis placentia, quorum Sathanas sit auctor : « Præclare », inquit Hosius [1], « scriptum legimus ab Hieronymo, non in Scripturarum verbis Evangelium est, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis ». Et post multa : « Proferunt examina Scripturarum in pravum sensum detortarum, ac mox hominum, vel diaboli potius per homines loquentis verbum pro Dei verbo, proque Christi Evangelio miseri mortales amplectuntur et adorant. Horrenda est hæc idololatria ».

23. Cæterum Austriacorum inferiorum postulata rejecta sunt a Ferdinando, tum avita pietate, tum quoniam exploratum habebat, populos Lutherano veneno imbutos in hostes demum commutandos. Subdit enim Surius [2] : « Nihil tum impetratum est, quod facile videret sapientissimus rex, nunquam adeo infestos Turcas Germanis, quam his annis, quibus Lutheri Evangelium miseri homines amplectuntur ». Cum vero Ecclesia quatuor tantum Evangelia ab Apostolorum temporibus venerata sit, multo plura a novatoribus invecta sunt, ut narrat idem auctor : « Ubi animadversum est Lutheri conatus, dum non initio reprimuntur, suos habere successus, mox alii super alios existunt homines importunis ingeniis, et ipsi quoque novam mundo lucem venditant, aiunt se vidisse quod necdum Lutherus viderit. Ita repente intra unam Germaniam multiplex nimium credulæ turbæ Evangelium obtruditur, et incredibili stultitia ab imperita concione arripitur Lutheranum, Carlostadianum, Anabaptisticum, Zuinglianum, Schuencfeldianum, Osiandrinum, etc. Nec vident cœci et miseri homines, dum ab una vera Catholica religione abduci se sinunt, se in tam varias et mirabiliter pugnantes sectas seduci, ut jam permulti sint, qui prorsus ignorent, quid potissimum sequi debeant in tanta novorum dogmatum varietate. Hoc vero jure meritoque patiuntur, quod stulte et pueriliter quibuslibet novatoribus primo aures, mox etiam fidem commodarunt, cum in ea debuerint religione constantissime perseverare, quam tot perpetuis sæculis universa Germania, et Catholica Christi Ecclesia coluisset, quam hodieque tot amplissima regna et provinciæ colant. Interim vero dum seductoribus obtemperant, qui non Christi, sed suam gloriam quærunt, et miserorum animas negotiantur, in multas discinduntur factiones, inde animorum dissidia existunt, et perniciosissimæ dissensiones, simultates, inimicitiæ, unde necesse est Germaniæ vires prorsus enervari, sensim collabescere, dum inter se Germani tam misere distrahuntur, atque ita Turcis, qui hæc non ignorant, crescit animus, crescunt vires, nec dubitare sanæ quisquam mentis potest quin illi in omnem occasionem sint intenti, et ubi eis commodum visum fuerit nos sint oppugnaturi ».

24. Visa Turcis fuerat commoda arrisisse occasio proferendæ tyrannidis, cum Carolus V gubernacula imperii abjiceret, atque in Transylvaniam hostilem exercitum effunderet; at Ferdinandus non contraxit animum, sed fortiter tumultuantes Austriacos compescuit, nec religionem mutari passus est, qua mutata, fingebant ii omnia e sententia successura, collectumque exercitum immisit in Turcas, quos etiam variis præliis fregit, multamque etiam ex eis prædam abegit.

25. *David Georgius Major hæresiarcha et impostor moritur.* — Hoc anno Basileæ in Germania extinctus est nequissimus hæresiarcha David Georgius Major, qui præstigiis suis multo ante Batavos fascinarat Sathanæ opera, ut instar Antichristi se verum Christum, ac regem promissum a Prophetis gloriaretur, adeo ut simplici populo ab eo illuso plures excitatæ fuerint turbæ, ad quas compescendas a magistratibus gladio animadversum est in ejus sectarios, atque adeo in ejusdem matrem : ipse vero cum amplissimas opes corrasisset ab iis qui in eum stulte crediderant, aufugerat Basileam ante annos duodecim, mutatoque nomine se Joannem Bruch appellarat, adscriptusque inter cives, tamquam Evangelii causa exilium passus, honestam et opulentam familiam alebat, at ejus felicitas parta flagitio, brevi evanuit, factumque est quod de impiis scribitur [1] : *Innitetur super domum suam, et non stabit,* nam domestici ipsi promissi regni expectatione longa illusi, ejus imposturas fastidire cœperunt, « quorum præcipuum increpuit », inquit Surius [2], « cur de re certissima dubitare voluerit, at non credat se verum esse illum Davidem a Deo missum, ut his extremis temporibus regnum Israeliticum restituat, Jacobique tabernaculum instauret ? At ille impudentiam impii tempsit, monuitque socios, ut ab ea secta discederent, et quia gaudium hypocritæ est instar puncti, deficientibus ab eo conjunctissimis, divinæ in eum indignationis signa apparuerunt, nam domus, quam in agro amœno extruxerat magnifice, cum tota supellectili pretiosa incendio conflagravit, ædes etiam, quam inhabitabat Basileæ, repente decidit; altera etiam illius domus de cœlo tacta est : tum viri gravis, qui ejus blasphemas et impias strophas noverat, adventu perturbatus adeo est,

[1] Stanisl. Hosius in confess. Cathol. fidei. — [2] Sur. in Comm.

[1] Job. VIII. — [2] Sur. in Comm.

ut contracto ex mœrore morbo e vivis demigrarit; obfirmatus tamen in flagitio persuasit suis, se triennii flexu resurrecturum, regnumque illud admirabile adeo celebratum a Prophetis initurum, ipsosque suæ felicitatis participes futuros. Constitit ex ejus scriptis execranda hæc figmenta docuisse, quæ refert Surius : « Ausus est scribere omnem doctrinam Moseos, Prophetarum, ipsius Christi, et Apostolorum, ac discipulorum esse imperfectam, et inutilem ad absolutam consequendam felicitatem, atque in eum tantum usum traditam, ut homines quasi pueros ad hoc usque tempus coerceret, suam vero doctrinam esse perfectam, et quæ hominem beare queat. Asseruit se verum esse Messiam, Patris charissimum Filium, non ex carne, sed Spiritu sancto natum, se restauraturum domum Israelis, verosque Levi filios, verumque Dei tabernaculum, idque non cruce, vel morte, aut rebus adversis, ut alter Christus, sed clementia, et Spiritu Christi, qui ipsi a Patre sit datus, amore et gratia. Se dixit habere potestatem solvendi peccata, et remittendi, et retinendi, seque in extrema die totum mundum judicaturum, se majorem esse Jesu Christo, quod hic ex muliere in carne natus sit, se vero e Spiritu sancto cœlestem Christum natum et unctum. Multa alia absurda nimis et impia scripsit homo perditus, et tamen hæc omnia conatus est adstruere sententiis Scripturæ divinæ. Ita nullus est tam scelestus et abominandus hæreticus, qui non jactitet Dei verbum. Cur igitur tandem non cavent sibi homines ab istis novi Evangelii in tot sectas distracti præconibus sub prætextu puræ doctrinæ, et verbi Dei, et sinceri Evangelii horrendos in orbem errores invehentibus, et innumeros in tartara abducentibus ? »

Dum fanatici impostoris resurrectionem expectant ejus sequaces, qui cadaver magna pompa sepulchro mandarant, delata est vertente triennio blasphema illius hæresis ad senatum Basileensem, a quo in eum credentes abrepti fuerunt in vincula, putidumque ejus cadaver sat integrum refossum, atque a carnifice una cum scriptis et imagine concrematum.

Subdit Surius : « Idem supplicium intentatum iis, qui quippiam contra hoc judicium dixissent aut fecissent. Nos quidem qui Catholici, Deo favente, sumus, satis novimus jure animadverti in hæreticos, attamen cum Pontifex et Catholici magistratus id faciunt, quam belle audiant apud sectarios, scripta eorum probant: scilicet cum Zuingliani vel Lutherani, aut alii id genus homines puniunt hæreticos, in virtute et laude ponendum est, cum Catholici, in vitio et vituperatione. In Anglia (ut mox dicam) cremata sunt cadavera Buceri et Fagii, id indignissime ferunt Foxus et ejus complices, sed rectius illi stomacharentur in Genevenses suos, apud quos traditur, ante annos non admodum multos cadaver cujusdam, qui ritu Catholico Sacramenta sibi ministrari petierat, in Crucem actum. Omnia licent prœconibus Evangelicis ; Pontifici et Catholicis nihil licet : una eademque res cum fiat a Luthero, Zuinglio et Calvino, purum putumque Evangelium est, et eximia virtus ; cum fit a Pontifice, aut a Catholicis, facinus est Antichristianum, impium, execrabile ». Qua tam injusta fraude profecto hæretici testificantur, quod operibus patrum suorum consentiant, ethnicorum scilicet et idololatrarum, de quibus lamentabatur Augustinus [1] Marcellino scribens, quod tam iniqui judices essent Christianorum operum, quæ si ab ethnicis facta fuissent, laudatione pariter et admiratione prosequerentur. « Hæc (inquit) cum in eorum leguntur auctoribus, exclamatur et plauditur : cum vero legitur præcipiente auctoritate divina, accusatur religio tanquam inimica reipublicæ ». Ejusmodi itaque principiis gloriari possunt novatores, nam ut scite Tertullianus [2] aiebat : « Omne genus ad originem suam censeatur necesse est ».

26. *Palatinus et Badensis dux religionem Catholicam e sua ditione evellere conantur.* — Diffudit latius Lutherana impietas in Germania infelices suas propagines, cum Otho Henricus Palatinus, et Carolus marchio Badensis in tantam insolentiam hoc anno prorupere, ut religionem Catholicam penitus e sua ditione evulserint, ac populos infelices in castra Sathanæ traduxerint, qui de flagitiorum licentia sibi abblanditi non intellexere, se tanquam victimas ad æternam carnificinam trahi : de quibus hæc Surius [3] :

« Per hoc tempus, aut circiter, Otho Henricus Palatinus elector, et Carolus marchio Badensis e suis ditionibus veterem religionem pellunt, et novam inducunt. Non est mirum, ut alias etiam dixi, populum libenter amplecti nova hæc dogmata, quia plausibilia sunt et suavia veteri homini. Permittunt direptiones rerum Ecclesiasticarum et cœnobiticarum. Jejunia, vigiliæ, preces, mortificationes carnis, mundi contemptus, studium continentiæ, sobrietatis, pudicitiæ, et id genus virtutum, papistarum sunt commenta. Sola fides justificat, confessio peccatorum et pœnitentia nugæ sunt, et carnificinæ papisticæ. Quis non hæc libenter audiat? Quis non cupide amplectatur? et tamen longe secus docet Scriptura omnis, et ipsa quoque, quantumvis dissimulemus, longe diversum nobis testatur conscientia. *Qui autem sunt Christi,* ait Apostolus [4], *carnem suam crucifixerunt cum vitiis, et concupiscentiis. Hoc fac* [5], *et vives.* Eant Evangelici cum isto suo blandissimo

[1] Serar. l. I. Con. Fr. Puc. Filidinum c. 9.

[1] Ep. v. — [2] Tert. Præsc. — [3] Sur. in Comm. — [4] Gal. v. — [5] Luc. x.

Evangelio, qui volent. Ubi ad Christi tribunal venerint, sentient se toto cœlo errasse ».

27. *Henricus Galliæ rex, non semper sibi constans, in hæreticos sui regni severitatem exercet.* — In Gallia exercebatur judiciorum [1] severitas adversus hæreticos, nam licet Henricus rex cum Protestantibus junxisset fœdera ad debilitandam Cæsaris potentiam; tamen eam pestem in suo regno pati non poterat, ne seditiones ac turbas concitaret, proindeque contentus Evangelio vetere, quod majores coluerant, oderat novum Evangelium inventum a Sathana, impiisque Zuinglii et Calvini deliramentis pollutum : constatque ex litteris Viterbiensis episcopi in Gallica aula internuntii, plures in Gallia religionis violatæ causa flammis traditos, suppliciumque intrepide pertulisse , cum mens eorum adeo a Sathana occupata esset; nec plebeios modo ea insania fascinatos fuisse, sed etiam sacrati ordinis aliquos ministros, atque ex iis Monspeliensem episcopum mense Februario proximi anni in carcerem conjectum. Cæterum, ut Guillelmi Pelliserii, hoc enim nomine Monspeliensis episcopus vocabatur, famæ atque honori consulamus, haud omittimus referre, apud Sammarthanos, qui de Galliæ episcopis scripserunt [2], haberi, insimulatum, quidem ipsum de hæresi fuisse, sed nequaquam infectum. Verum, quicumque demum fuerit, maximam profecto suo nomini infamiam comparavit, dum gliscentem in sua civitate hæresim ignavus pastor non repressit, oblitus forte aureæ illius Gregorii magni sententiæ [3] : « Qui emendare potest, et negligit, participem se procul dubio delicti constituit »; imo, quod deterius est, Guillelmo Rondeletio, medico cæteroqui præstante, a quo Monspeliensis medica Academia hæreseos veneno contaminata est, in tantum familiarissime est usus, ut a Pelliserio ipsum accepisse egregium, quod scripsit, de piscibus opus, testetur Thuanus. Ex qua quidem hæreticorum consuetudine, quantum Ecclesiasticis viris periculi et dedecoris accedat, facile patebit legentibus Epistolam sancti Bernardi abbatis ad Guidonem Pisanum cardinalem legatum, quæ reperitur notata numero 196. Sed qui in sui muneris partibus explendis tam segnis, et animabus sibi concreditis curandis tam deses fuit, tam impiæ omissionis in proprio corpore pœnas luit; nam vixit ad exactam ætatem [4], contabuitque miserabilis senex inter frequentes et acerbissimos cruciatus , erosis lento et insanabili ulcere præcordiis, incertum, errore an culpa pharmacopolæ certe pessimi, qui catapotia quædam ex male trita colochyntide sumenda ægrotanti obtulit, multum indignantibus medicis, quod quæ salubriter et caute præscripserant, ea tam infelici casu in amici præsulis perniciem verterentur. Justo Dei judicio id exigente, ut qui ovibus suis poculum mortis vel permiserit, vel propinaverit, mortem per poculi errorem infeliciter hauserit. Sed hoc nonnisi anno MDLXVIII.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sign. num. 137. p. 163. — [2] Samm. l. I. Eloq. 9. — [3] Et 64. l. q. Ind. 4. — [4] Lib. XXXIX. Hist.

Cum itaque novarum sectarum erumpentia germina tam strenue exscinderentur in Galliis, palam impietas efferre se non audebat, ac ministri Calvinistici captare latebras cogebantur, quod cum Calvinus acerbe ferret, Theodorus Beza, qui flagitiis suis magnam apud impios nominis claritatem sibi peperit, molitus est ab Othone Henrico Palatino Catholicæ religionis hoste mitti litteras ad regem Galliæ, ut ipsum ab insectandis Calvinistis deterreret, sed cum ille Lutheranus esset, Beza vero Sacramentarius, ea usus est fraude, ut se Lutheranum profiteretur; fingere enim, ac refingere religionem, ac veluti calceos mutare, licitum sibi esse voluit. Hujus Evangelici et Evangelicorum signiferi perfidiam ac nequitiam ita describit Surius [1] :

« Est in Calvini discipulis non postremus Theodorus Beza. Is quondam Juris licentiatus Parisiis, ex opulentis sacerdotiis ultra septingentos coronatos aureos percipiens, vitam vivebat spurcissimam, ac varia libidinum specie contaminatam : erat hæc quædam ad deteriora Parasceve , talesque mores nihil merebantur aliud, quam ut homo impurus prorsus a Deo rejectus in inexplicabiles perfidiæ et hæreseos labyrinthos detruderetur; quod et factum est; nam ad Calvinum defecit, venditis prius simoniaco sacrilegio sacerdotiis vel beneficiis Ecclesiasticis, sed quemadmodum in Calvino, aliisque hæresum architectis multa fraus et dolus, miraque inconstantia fuit, ita et in hoc Beza, quemadmodum vel unum præclarum facinus, quod subjicimus, declarabit.

« Anno hoc MDLVI, abiit ille ad electorem Palatinum Othonem Henricum, qui erat Lutheri placitis addictissimus, cum Farello homine pestilente, qui Genevam infecerat, et Calvinum , Servetum, Viretum, aliosque id genus habuit discipulos, atque ob metum seditionis a Basileensibus proscriptus, et in exilium abire jussus fuit. Obtulit autem Beza illi principi arte veteratoria, et multa cum simulatione confessionem quamdam, aitque, illi non modo Allobroges, sed etiam Helvetios subscribere. Fecit hoc ille bonus vir, ut principis benevolentiam sibi conciliaret, qua tum opus habebat, maxime quod rex Francorum severe in Calvinistas animadverteret, quem eo nomine apud principem accusabat tyrannidis, orans, ut regem a proposito precibus et minis deduceret. Porro hæc confessio ad verbum habebat verum, reale ac substantiale Corpus et Sanguinem Christi sub specie rerum

[1] Sur. in Comm.

visibilium repræsentari et exhiberi. Dixisses Calvinistas et Zuinglianos prorsus mutatos in Lutheranos : sed quid non fingit deplorata nequitia ? Princeps quidem, et qui aderant, ea confessione lætabantur, et quod putarent conversos esse Sacramentarios, communis gratulationis ergo miserunt eam duci Wittembergico ; is quoque tam insperatam metamorphosim miratur et laudat : spargitur mox rumor in Germania, agitur triumphus de Zuinglianis ante victoriam. At Tigurini ubi de re tota certiores fiunt, de tanta hominis impostura acriter dolent, et eam confessionem magna contentione oppugnant, Bezamque falsi reum peragunt ; nihil enim Zuingliani illi volebant minus, quam a Zuinglio ad Lutherum defecisse videri ; nam tametsi Lutheri placita in quibusdam non inviti sequuntur, at in re sacramentaria errasse Lutherum, plus Luthero vidisse Zuinglium contendunt. Quid vero interim Beza ? num se deserit ? minime. Audi artem tali artifice dignam. Vult persuadere Tigurinis dolum aliquando bonum esse, et aliud agere atque simulare, nec dubium est, quin totum hoc Evangelium his artibus sit instructissimum, iisque et ortum, et auctum, et propagatum sit, et id quidem mortales minime vident, ubi autem Deo propitio quandoque viderint, repente, ut fumus, illorum præstigiæ, quibus homines dementant, evanescent. At Tigurini tamen hoc paradoxo minime contenti non prius in gratiam recipiunt Bezam, quam suam ille culpam agnosceret. Redit inde vir optimus ad suos Helvetios et Allobroges, et ut priorem fraudem posteriore expiaret, atque re ipsa testatum efficeret se Germanis illusisse, in Westphalum et Heshusium stringit calamum, palamque profitetur, non aliam in Cœna Domini esse Corporis et Sanguinis præsentiam, quam in Baptismo, in concione, in lectione sacræ Scripturæ, atque in privata meditatione, quoties mens fidelis ad Christum assurgit. Et rursus tamen, ut a Germanis non penitus deficere videatur, fatetur in Cœna Domini substantialiter et realiter verum et naturale Christi Corpus esse et exhiberi, sed cœnam non vult esse id, quod inter homines ex Domini præscripto geritur, ejus vero præcipuam partem in Cœlis peragi, cui nos intersimus fide et spiritu. Ita isti infelices sibi in primis, deinde etiam aliis portentosis verborum strophis illudunt, atque in sanctissimis religionis negotiis haud aliter atque in scena versantur, in alias atque alias subinde transformati formas, ut cum iidem perpetuo loquantur, diversos loqui putes. Et tamen is idem Beza multas postea in Galliis turbas excitavit, opima e locis sacratis spolia abegit, et tantum apud homines misere fascinatos principatum et regnum obtinere visus est. Faxit clemens et bonus Deus, ut tandem nobis patescant oculi, et videamus quam splendide isti nobis imponant, quam omnia in summam et sempiternam animarum perniciem machinentur, quam nihil spectent minus, quam ut rebus salutique nostræ consulant ».

28. *In Anglia religio refloret.* — In Anglia reflorescebat Catholica religio piis laboribus Reginaldi Poli Apostolicæ Sedis legati, a quo celebrata est Synodus totius Provinciæ, atque in ea sanctissimæ leges veteres instauratæ, nonnullæque novæ constitutæ, quæ a Paulo Pontifice confirmatæ fuerunt, de quibus hæc Sanderus[1] : « Illustrissimus legatus juxta decreta illius Synodi, quam ante coegerat, religionis restituendæ ac reformandæ formulam a Summo Pontifice prius visam et approbatam publicavit, atque ab omnibus ordinibus servari jussit. Cæterum illud ad cohibendum clericorum in victu nimium luxum, de certo ad mensam ferculorum numero, multi ægre tulerunt, nec facile illis locis et temporibus observari potuit. Ambitio quoque, plurimaque beneficia congerendi infinitum studium (quod ab Ecclesia et clero paulo ante propter hæc et hujusmodi peccata, tam acriter castigatis, et tam recens in gratiam receptis, longius etiam quam a cæteris Ecclesiis abesse debuit) in multis vix potuit retardari vel extingui : unde jam tum homines aliquot vere pii, et secundum Deum prudentes, timuerunt ne iterum a Domino gravioribus quam ante flagellis vapularemus ».

Impositus vero est finis Synodo a cardinale Polo legato habitæ anni hujus principio, in qua decreta de instaurata disciplina Ecclesiastica promulgata, omniaque illius capita septem articulis distincta sunt, ut Viterbiensis episcopus in Gallica aula internuntius ad cardinalem Caraffam XXIX Februarii scripsit.

29. *Rex Poloniæ per oratorem obedientiam Pontifici præstat.* — Hoc anno Sigismundus rex Poloniæ misso oratore Sandomiriensis arcis præfecto obsequium Pontifici Paulo vetere more ac instituto detulit, de quo honorifice excepto, regiæque pietatis significatione data, hæc rescripsit Paulus[2], regemque hortatus est, ne se hæreticorum, qui in eo regno grassari cœperant, fraudibus irretiri aut pravis colloquiis infici pateretur.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quodvis serenitatis tuæ erga nos et sacrosanctam hanc Sedem officii genus semper quidem gratissimum nobis est, sed obedientia quam proxime dilectus filius Stanislaus Castellanus Sandomiriensis orator tuus, nomine tuo ad nos detulit, eo nobis gratior fuit, quo magis necessario regni tui tempore delata est ; nam etsi obsequium hujusmodi, ut

[1] Sander. de Schism. Angl. l. II. — [2] Paul. IV. lib. brev. sign. num. 2889. p. 38.

scis, a regibus, principibus, et populis omnibus Christianis, nobis ac eidem Sedi debetur, et a majoribus tuis summa fide, amore ac pietate perpetuo præstitum fuit, hac tamen tuæ istius constantis erga eam et nos observantiæ significatione ad eos commonendos, qui te ac regnum idem tuum ab obedientia ipsa abalienare, atque a vera religione seducere conantur, nihil in præsenti esse opportunius potuit. Verum non satis futuræ sunt hæ cæremoniæ, nisi tua eadem animi constantia et virtus a novarum rerum cupidis et perniciosa eorum consuetudine pravisque colloquiis sese immotam et invictam servaverit, quæ, quam bonos omnes mores corrumpere, et rectas mentes subvertere solita sint, minime te præterire arbitramur. Hoc ne serenitati tuæ ullo unquam tempore accidat, videmus quod abs te et nunc diligenter curatur, et curaturum iri in posterum plene confidimus, sed ob nostram in omnes Christi fideles pii et communis patris charitatem, bonique pastoris vigilantiam, ac privatam curam et benevolentiam, quæ te ac res tuas tuumque regnum nobilissimum, ut vides, amplectimur, facere non possumus, quin hæc ipsa, quæ si non forte iisdem verbis, at saltem eadem sententia non semel ad te scripta fuerunt, sæpius repetamus, ea utique spe, ut serenitas tua veri pastoris sui vocem agnitura sit, eique, ut facit, longe studiosius quam impiorum consiliis audiens futura : nam secus, qui eam neglexerit, non te ignorare arbitramur quamnam tandem rationem ante verendum justissimumque Dei tribunal reddituri sint, sicuti venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis nuntius noster tecum est acturus, ad quem, cum etiam de iis, quæ per ipsum oratorem tuum a nobis petiisti, diligenter scribendum curaverimus, ex eodem cognosces, quid et nos sentiamus, debeamusque, et a te quoque sentiri debere putemus. Cætera, quæ ad præstitam obedientiam pertinent, idem ipse orator testis erit, quanta cum nostra omnium approbatione tuæque serenitatis laude fuerit accepta, nam de ipso oratore si quid ad tuam de hoc ejus obeundo munere expectationem adjungi posse a nobis speraremus, multa de illius eloquentia, prudentia, pietate, et aliis egregiis virtutibus, quas his paucis diebus in eo cognovimus, scribenda essent, sed cum nihil ad te novi nos esse allaturos putemus, illud tantum restat, ut tales ac tam bene de tua serenitate deque patria sua meritos viros non minus tibi in Domino gratulemur, quam eorum vicem doleamus, qui in ejusdem tuæ serenitatis et patriæ, atque animarum suarum exitium ei adeo dissimiles fieri audimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXVII Maii MDLVI, Pontificatus nostri anno II ».

30. *Hæreticis in Polonia resistunt Andreas Cracoviensis et Hosius Warmiensis.* — Ut multi levitate ingenii abrepti, aut morum pravitate corrupti, aut captandæ novitatis cupidine illecti, impliciti sunt hæreseos laqueis in Polonia, ita non defuere viri graves flagrantissimo pietatis studio incensi, qui hæreticorum fraudibus et conatibus constantissime restiterunt; inter quos Andreas episcopus Cracoviensis [1] a Pontifice commendari meruit, atque ad decerpendas pro defensa religione ampliores coronas incitari :

« Venerabili fratri Andreæ episcopo Cracoviensi.

« Venerabilis frater. Noster apud vos et Sedis Apostolicæ nuntius venerabilis frater episcopus Veronensis in litteris suis, quibus religionis statum, qui isthic nunc est, perscripsit, ejusmodi testimonium cum aliis Ecclesiastici ordinis viris, atque etiam nobilibus laicis nonnullis tribuit, tum fraternitati tuæ dedit, ut in dolore quem capimus ex zizaniis, quæ per seditiosos homines ministros suos inimicus in regni istius nobilissimi perniciem sparsit, et quotidie latius spargere, et disseminare conatur, non parum nos præstans virtus et gravitas tua consolentur, sitque penitus nobis persuasum, perpetuum tuum et constans religionis ipsius et fidei Catholicæ defendendæ studium, tanquam firmum præsidium improborum audaciæ oppositum fore; quamobrem gratias agimus omnipotenti Deo, quod ad hoc tot tantosque isthic habeat, ac tam fideles operarios obstare paratos eorum impietati, quos ad vastandam vineam Dominicam apud vos perpetuus Ecclesiæ hostis excitavit atque impulit, in quo et tu et reliqui ejusdem ordinis præclare vos ostenditis nosse, quod officium vestrum, quod munus, quæ bonorum pastorum partes sint. Certe enim, ut mercenariorum est lupis adventantibus fugere, ovium salutem deserere, ita bonorum est pastorum eas ab illorum irruentium rabie defendere, atque etiam, si ita accidat, pro eis animam ponere, quo animo qui sunt, quique talem erga greges suos fidem et benevolentiam præstant, iis a Domino æternum, ut scis, paratum est præmium, cujus assequendi tu occasionem quando ipsius Dei impulsu beneficioque complexus es, cum scias nonnisi eos, qui legitime certaverint, coronari, eam tene, et quo majus certamen cum adversariis proponitur, hoc studiosius et fortius Dei omnipotentis auxilio fretus ipsius honorem et cultum una cum ovium tibi commissarum salute, et patriæ tuæ pace et quiete tuere atque defende, nefariique hominum turbulentorum conatibus, qui Ecclesiæ Dei vexatores sunt et perturbatores publicæ tranquillitatis, nec minus suæ ipsorum salutis, quam aliorum inimici, vim istam et animi, et ingenii tui, ut facis, oppone, ita ut exemplo tuo alii, quotquot bene sentiunt, confirmentur; quibus quantum profueris tantus ad tua merita

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 37.

cumulus accedet, quemadmodum te facturum esse minime dubitamus; nunc vero hoc quod attigimus tui magis inflammandi causa diximus, quem adeo incensum videmus, quam ut fraterno erga te officio fungeremur, nostramque in te benevolentiam vel hoc ipso ostenderemus indicio, parati eam tamen aliis quibuscumque rebus cum Domino poterimus fraternitati tuæ declarare. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XXI Maii MDLVI, Pontificatus nostri anno I ».

31. Inter alios præsules, qui in hæreticis confutandis discutiendisque eorum tenebris strenuam navarunt operam multis scriptis, inclaruit Stanislaus Hosius [1] Warmiensis, qui hæreticorum jactantium a se Evangelii lucem Poloniæ inferri, impiam impudentiam refregit, non aliud ab ipsis allatum Evangelium, quam mendaciis nefariis depravatum ostendens, cum ante sexcentos annos vero Evangelio fuerit collustrata, nec alias traditiones, aut Evangelii interpretationes admittendas, quam quæ ab Apostolis per manus SS. Patrum ad nos transfusæ sunt :

« Quanta fuerit, inquit, hæc mentis væcordia, si recipiamus ignotum Evangelium, rejiciamus vero quod a SS. Patribus nostris traditum habemus? quod si nomen Evangelii tribuunt iis libris, quos ab Evangelistis et Apostolis, quos etiam a Prophetis ante scriptos habemus, hoc vero jam inde a sexcentis annis prope recepit Polonia, nec est quisquam qui dubitet, quam sit in eis expressum Dei verbum. Quamobrem quod ad Scripturam attinet, non est aliud Evangelium, quod a nobis obtruditur ab hæreticis, ab eo quod nos profitemur. Quin ipsi Scripturam omnem canonicam a nobis habere se palam fatentur. Quod igitur est aliud illud, quod evangelizant? illud nimirum, cui (sicut scribit Calvinus) aliena commenta assunt, cujus alienum quemdam et hactenus inauditum in Ecclesia Dei sensum adferunt. Et hoc est, quod nos monet Paulus [2] : *Si quis vobis aliud evangelizaverit, præterquam quod accepistis, anathema sit,* hoc est, si venerit Lutherus, Calvinus, aut Philippus, et alio sensu vobis prædicaverit Evangelium, quam quem a sanctis Patribus accepistis, si quid ab eo diversum annuntiaverit, quod ab illis traditum habetis, anathema sit. An iis Pauli verbis non merito deterremur, quominus istorum commenta pro Dei verbo recipiamus ». Et infra : « An vere non sunt idola Lutherus, Calvinus, Philippus, Brentius? an quod est Sathanæ proprium, non adversantur, an non extolluntur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur, ita ut in templo Dei sedeant, ostendentes se tanquam sint Deus, et quidquid scribunt, quidquid dicunt, hoc tanquam expressum Dei verbum ab omnibus adorari contendunt? »

32. Proruperat eo novorum Evangelicorum impudentia, ut etiam Evangelio Christi commenta et scripta fallacia præferrent, quod Sacramentarii Lutheranis, vicissimque illis Lutherani objecerunt, atque expressa Dei verba in alienum sensum detorquerent, ut fierent Sathanæ verba, quæ non expresso vero, sed afficto sensu falso, a Christo expressa contenderent, quorum fraudes Hosius [1] in libello ad regem Poloniæ ita confutat :

« Erasmus Albertus de Lutheranis scribit, quod cum aliud nihil superest, ad Augustanam confessionem, tanquam ad sacram anchoram confugere consueverunt, et tanti, inquit, illam faciunt, ut non desint inter ipsos, et quidem non postremi, qui dicant, se malle de Pauli ipsius Apostoli, quam vel de Lutheri, vel de confessionis Augustanæ doctrina dubitare. Vides quemadmodum etiam ipsi ferre non possunt Sacramentarii, quod pro verbo Dei recipiatur (quod pluris etiam fiat quam Dei verbum) quod vel in Lutheri libris vel in Augustana confessione continetur? et feremus nos Christiani, quod ferre non possunt quilibet impuri Christiani? » Et infra :

« Satis demonstrasse videmur, quod nunc imperitæ multitudini, tanquam Dei verbum ab hæreticis venditatur, id non Dei, verum diaboli verbum esse, a quo mentes piorum omnium abhorrere oportet ». Et post multa : « Stultas hoc sibi mulierculas arrogare videmus, ut rejectis Patribus, contemptis pastoribus et doctoribus, totius Ecclesiæ sensu et consensu ne pili quidem facto suam interpretationem eorum interpretationibus anteponere non reformident? » Et inferius :

« Vis cognoscere, pientissime rex, quod expressum Dei, quod sit expressum diaboli verbum? ex una quidem eademque Scriptura, sicut copiose jam a nobis demonstratum est, utrumque produci potest. Verum interea discrimen paucis accipe, si quis ita Scripturam intelligat, ut charitatem intellectu suo ædificet, Dei verbum est. Si vero sic eam intelligat, ut intellectu suo, quod est charitati contrarium ædificet, diaboli verbum est ». Et multis interjectis : « Quis nunc sit regni tui status vides, dum non alia fere de re, quam de expresso Dei verbo disceptatur ab omnibus, dum sibi quisque cognitionem illius arrogat, dum sua quisque phantasmata, tanquam expressum Dei verbum vult adorari, neque raro fit, ut quo quisque est indoctior, hoc majore audacia de eo, quod non intelligit, expressum tamen Dei verbum videri vult, disserat ».

[1] Stanislaus Hosius ep. Warmien. de expresso Dei verbo. — [2] II Thess.

[1] Stanisl. Hosius de exp. Dei verbo. p. 85 et seq.

33. Edidit etiam Stanislaus Hosius [1] dialogum de communione utriusque speciei, cum hæretici illis ad salutem necessarium suaderent, quos a salutis via ad æternum exitium traducebant, atque infelicissime eripiebant iis Christum, quibus duplicem speciem pollicebantur; quam impiorum fraudem his verbis in luce collocat, ac disjicit :

« Quid iste somniat de effüso sanguine quasi denuo fundatur, cum ex calice bibitur? cum effusus ille sanguis non alibi sit, quam in illo corpore glorificato, in quo resurgens Christus non amplius moritur, nec sanguis ejus fundetur amplius, sed sicut in cœlo localiter, in verbo personaliter, sic sub vini speciebus est sacramentaliter, ut sive quis sub una, sive sub utraque specie sumat, totum Christum sumat cum Carne, Sanguine, anima et divinitate, cum hæc ab invicem separari nequeant. Sed sic plerumque solent, qui de speciebus sacramenti Eucharistiæ contendunt, nimirum altercando veritas amittitur; dixit ille : Dum contendunt de his, quæ videntur speciebus, amittunt eum, qui carnis oculis non videtur, vere sub illis latentem, qui vere salus nostra est, Dominum nostrum Jesum Christum ex utraque specie, quando seorsum Corpus, seorsum dari Sanguinem imaginantur, et imprudentes in errorem Nestorii prolabuntur ».

34. *Geminæ Pauli litteræ ad regem Poloniæ quem hortatur ut hæreticos e regno ejiciat.* — Serpente in dies latius hæreseon multiplici peste per Poloniam, ipsaque regia hæreticorum familiari licentia contaminata, Paulus [2] Sigismundum regem gravissimis hisce litteris admonuit, ut Joannem a Lascho hæresiarcham, ac Petrum Vergerium pestilentissimum hæreseos propagatorem, regno ejiceret, ac mature periclitanti regno consuleret :

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Perspicere ex proximis litteris nostris potuisti, quod gaudium nostrum, quæ lætitia fuerit iis de te auditis, quæ vehementer optabamus. Quid enim parens vel libentius audit, vel facilius credit de filio suo, quam quæ recta, quæ sancta, quæ salutaria sunt? Verum ea de re postea ad nos allata sunt certis non paucorum testimoniis, quæ lætitiam illam nostram in gravissimum mœrorem converterunt, nosque maxime de tua et de regni tui salute sollicitos jam et anxios esse cogunt; quæ quidem si taceremus, officio nostro deessemus, nostrique silentii in die judicii rationem reddere cogeremur, neque amari te a nobis neque salutem atque existimationem tuam nobis charam esse ostenderemus : itaque statuimus tecum ita agere, ut parentem cum charissimo filio oportet, et indicare tibi ea in quibus peccas, ut ea corrigere et cum saluti animæ, tum etiam existimationi, et regno tuo consulere possis. Audi igitur, charissime fili, ea, quæ ad te scribemus æquo animo, paternumque hoc officium nostrum in optimam, ut debes, partem accipe. Habetis in aulis vestris, vos reges, assentatores permultos, habetis, qui non saluti et dignitati vestræ, sed suis ipsorum commodis et cupiditatibus inserviant, qui honores ambiant, qui opes concupiscant; at quam paucissimos habetis, qui vere, qui sincere, qui fideliter moneant, quique vos ex animo diligant! Nos ex te nihil quærimus, nihil concupiscimus, nisi te ipsum, non opes tuas, non munera expetimus : nemo fidelius monet, quam qui sine ulla cupiditate monet : credimus, imo certo scimus ex ministris et purpuratis tuis aliquos et bonos, et tibi fidos esse, sed timidi sunt, neque libere monere te audent. Nostrum hoc est munus, nostræ partes, quos in hac summi sacerdotii specula Dominus collocavit, et gregi suo quanquam indignos immerentesque præposuit ut salutis iter omnibus demonstremus, ut errantes in viam reducamus, ut sine dissimulatione ulla ipsos reges et principes, si quibus in rebus Deum offendunt, arguamus, quod quidem officium si negligentia prætermitteremus, et si illi in peccatis suis morerentur, væ nobis, quorum de manu Deus, sicut per Ezechielem denuntiavit, sanguinem eorum requireret. Quæ igitur de te ad nos delata sunt, quæque te plane hæreticis non sine gravissimo omnium Catholicorum scandalo favere declarant, hæc sunt. Quod cum hæreticis, quibus ne Ave quidem dicendum esse Joannes Apostolus præcipit, qui ne iisdem quidem balneis, quibus Cerinthus hæreticus usus fuisset, uti voluit, ipse in orationibus, et in sermonibus, et in mensa convivioque communicas; quod et ad hæreticos litteras das, et ab eisdem accipis ; quod pestiferos ipsorum libros tibi inscribi, et legi passim, ac vendi pateris, quod alia omnia hæreticorum scripta, quibus Catholicam fidem oppugnant, omnibus ex partibus in Poloniam deferri, et pro foribus regiæ tuæ exponi, vendique, et ab omnibus legi sinis, nec in quemdam ejusmodi librorum venditorem, etiamsi id tibi notum sit, animadverti jubes; quod hæreticos minime prohibes occultos cœtus et conventicula celebrare in privatis domibus, nec pœna ulla, etiam publice contra Catholicam fidem concionantes, afficis. Quibus quidem de te, charissime fili, auditis, quo nos dolore affectos, quantopere viscera nostra commota esse censes? Quem enim regem optimum Ecclesiæ filium, quem perpetuum Catholicæ fidei defensorem, quem acerrimum hæreticorum hostem fore sperabamus, aperte hunc videmus hæreticorum esse fautorem, et Catholicam fidem, san-

[1] Stanisl. Hosius in Dialogo de utriusque speciei Communione. — [2] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2961. p. 1.

ctamque matrem Ecclesiam oppugnantibus non modo non resistere, verum eos potius adjuvare. Adeone oblitus es parentum, et majorum tuorum clarissimorum regum, tam Catholicorum, et ita de Ecclesia Dei meritorum principum, adeoque officii regii, adeo tuæ salutis es immemor, ut hæreticis tu favere sustineas; ut eos, qui perditi ipsi, et te, et commissos tuæ fidei populos perdere festinant, sustineas, quorum non congressum modo, et sermonem serpentem ut cancrum aspernari atque respuere, sed nomen ipsum horrere deberes, cum iis familiarissime vivas; quorum scripta tanquam pestem vitari abs te oportet, ea ad tuam et aliorum perniciem omnibus in locis regni tui, et in aula vendi, lectitari, divulgari impune patiaris? Hanc tantam nomini tuo maculam et notam inuri pateris? hos de te sermones apud Christianas omnes nationes dissipari? tantum regem, illo genere, illis majoribus ortum, illa disciplina institutum, adeo ab ineunte ætate Catholicum et pium, hæreticorum nunc esse fautorem? tam nobile regnum impune per hæreticos hæresibus imbui, tam piam olim, et Catholicam Polonorum nationem a Catholicæ Ecclesiæ gremio ejus temporibus te connivente segregari? Quid illa? quam clara, quam perspicua signa tui erga hæreticos studii, quod hæreticis Palatinatus, hæreticis Castellanias, hæreticis alios regni tui magistratus contra regni constitutiones, contra sacros canones, contra tuum jusjurandum, tam impense mandas? An non hoc est aperte hæreses alere, et propagare, hæreticos ornare, provehere, et quam maximam illis potestatem dare? Quantopere piorum omnium animos frangi ac debilitari censes, cum tantopere hæreticos abs te extolli et beneficiis tuis augeri vident? Nec vero satis habes sæcularibus honoribus homines hujusmodi ornare, quibus omnis ad honores aditus interclusus esse deberet, verum, ut audivimus, Ecclesiasticis etiam dignitatibus contra divina et humana jura manus admovere ausus es: siquidem Chelmensem episcopum maxima hæresis infamia laborantem, sine Apostolicæ Sedis auctoritate, imo contra ejus auctoritatem ad Wladislaviensem Ecclesiam promovisti, eumque et illius Ecclesiæ fructus redditusque percipere, et pontificalibus in ea muneribus atque officiis fungi pateris, adeoque pertinaciter nominationem illam tuam defendis, quanquam justissimis de causis ab Apostolica Sede rejectam, ut bis jam ad Ecclesiam Chelmensem ab eo desertam quosdam nominaris, quo illi succederent, perinde quasi Ecclesia Chelmensis propter tuam nominationem vacaverit. Quo quid gravius, pejoreve exemplo abs te fieri potuit? quave in re potuit vehementius nostra, et Apostolicæ Sedis auctoritas sperni atque contemni? Deerant scilicet in tanto regno digniores viri, qui nominari et præfici illi tam nobili Ecclesiæ possent? Wladislaviensem Ecclesiam, præteritis tot bonis et Catholicis viris, homini hæretico potissimum committendam putasti? Quid hoc aliud fuit, quam oves lupo, ut dicitur, committere? Quid illud? dissimularine a nobis potest, Palatinum Wilnensem non hæreticum modo, sed hæreticorum defensorem et ducem tantum apud te valere auctoritate et gratia? Nonne vides, quam talis hominis familiaritas et usus famæ tuæ labem aspergat? ille omnibus abs te augetur honoribus; ille Lithuaniæ Cancellarius, ille Palatinus, ille foris, ille in cubiculo intimus, ut prope regni socius, et alter Poloniæ rex numeretur. Itaque mirum non est, si minime veretur, te ipso vidente, ut audimus, plurimisque præsentibus, sanctissimum Eucharistiæ sacramentum contemnere, et domi profanum altare habere, et in provinciæ suæ locis hæreticorum ritu rem sacram fieri jubere. Non sine causa metuimus semper, ne hominis tantopere perditi tanta familiaritas tibi noceret, scriptum est enim: *Corrumpunt bonos mores colloquia mala.* Jam illud quantopere alienum officio regio fuit, quam indignum, quam minime ferendum, quam animabus multorum perniciosum, quod in publico regni conventu superioribus annis suspendi passus es episcoporum, quod ad puniendos hæreticos attinet, potestatem ac jurisdictioemn, neque jam adhuc illis restituendam curasti. Quo in conventu quasi parum imminuta episcoporum fuisset auctoritas, quasi parum aucta hæreticorum audacia, et propagandarum hæresum potestas, passus es in proximis superioribus comitiis decretum fieri, si illud decretum appellandum est, quo Catholica religio impune oppugnatur, evertitur, deletur, quo omnia Ecclesiæ et sanctorum Conciliorum decreta et canones abrogantur, quo animæ pretiosissimo Christi Sanguine redemptæ interficiuntur, ut unicuique impune liceat domi concionatorem hæreticum habere, et sacerdotem, qui quo is voluerit modo ac ritu rem divinam faciat. Heu! hoc tu tam nefarium decretum fieri passus es? non vel capitis periculo quominus fieret, obstitisti? istiusmodi sacrificia, vel sacrilegia potius approbare potuisti? quis deplorare satis pro rei indignitate facinus possit tam nefandum? Cui porro mirum videri debet permissu tuo reversum in Poloniam Joannem a Laska hæresiarcham, ac alios hæreticos, qui vivo patre tuo, piæ memoriæ rege, hæreticorum hoste, aufugerant, eosque impune, quidquid eis libeat, agere atque moliri; eaque impunitate proposita, Vergerium etiam Ecclesiæ hostem in regnum tuum venisse, sive eo sponte sua venerit, sive accersitu tuo. Jam illud, quod te quoque patiente, quam indignum, quam novum, quam divinis legibus humanisque contrarium, ut publice ubivis de fide liceat disputare, ut quibus de re-

bus, vel coram Apostolicæ Sedis antistite, vel in generali esset Concilio agendum et statuendum, de eis inter paucos homines, et eos profanos, et imperitos temere agatur et statuatur, et quæ a sanctis Patribus Spiritu sancto auctore fuerunt definita, in dubium vocentur? Quis non intelligat, quo in regno hæc, ipso tacente rege, agantur, in eo propediem religionem Catholicam extinctum iri, et populos ab Ecclesia Catholica recessuros, quemadmodum accidisse jam audivimus Gedani, Helbingiæ, et in aliis quibusdam regni tui civitatibus, quarum defectione ab Ecclesia nemo te commoveri, nemo, ne tantum facinus committerent, quidquam te pro regio munere, atque officio sensit esse conatum. Itaque dubium non est, quin patientia tua animos multis aliis civitatibus, ut idem faciant, auxerit. Hæc sunt, quæ de te ad nos allata sunt, quanquam alia non pauca, nec levia omisimus, quæ utinam falsa essent! quibus cognitis indicet tibi Deus, ut cohorruerimu, sut a lachrymis ægre temperaverimus, ut vicem istius nobilissimi regni, ut tot populorum, ut tuam, charissime fili, doluerimus. Actum enim de salute tua, actum de regno, actum de istius nationis salute videmus. Experrecta aliquando virtus et prudentia tua tantis malis medeatur, et impendenti jam universo occurrat exitio. Etenim quis non ruere regnum illud intelligat, ubi hæreses tantopere in dies augeantur? ubi hæreticis honores, præfecturæ, magistratus, sacerdotia, opes, tanquam hæresis præmia proponantur? ubi sacri canones evertantur? ubi Conciliorum et Sedis Apostolicæ auctoritas conculcetur ab hæreticis, nec solum in angulis et occultis conventiculis, sed publice, palam, in foris Catholicam fidem liceat oppugnare? Potes etiam nunc, potes, charissime fili, quæ sunt vel prave ac perperam abs te commissa, vel nimis lente tolerata, corrigere, potes saluti, potes existimationi tuæ regnoque consulere; quod ut facias, et ut regis officium postulat, ut tantam hæresum pestem ex regno tuo ejiciendam, totque hæresiarchas inde expellendos, atque exterminandos cures, pravisque tandem aliquando repudiatis suasoribus, Catholicorum consilio in posterum utaris, serenitatem tuam per viscera Christi Domini nostri hortamur, rogamus et monemus, in quo si paternis nostris consiliis et monitis, ut non diffidimus, acquieveris, lætabimur et tua, quem præcipuo semper diliximus amore, et nationis istius olim maxime Catholicæ et Apostolicæ Sedi devotæ, causa. Sin autem, quod Deus avertat, plus apud te hæreticorum, et Dei simul ac tuorum hostium consilia perniciosa valuerint, quam nostra, qui licet sine meritis nostris Christi in terris vicarii sumus, salutaria, testificamur, atque denuntiamus, neque nos passuros, ut hujus sanctæ Sedis nuntius in eo regno commoretur, ubi tot et tantorum facinorum et scandalorum testis et spectator sit, sed revocaturos eum, neque hac ejus revocatione contentos, aliis remediis adhibendis, quæ justa et opportuna visa fuerint, sicut divina majestas nobis suggesserit, ipsius Dei honori simul et nostræ religioni ac fidei consulturos. Hæc tibi legenti molesta fore non dubitamus, verum aperte scribere, et libere, quæ reprehendenda fuerunt, reprehendere coacti sumus, si enim nimis molliter auribus tuis parcentes egissemus, nec Deo nos, nec hominibus excusare possemus, nec illam per Ezechielem intentatam divinæ ultionis severitatem effugere. Detegere tibi animæ simul et famæ tuæ vulnera voluimus, quo et facilius sanari possint. Nulla quæ ægris porriguntur pocula, tam amara esse solent, quam quæ sunt salutaria : in quo nos quoque fideles medicos imitati, maluimus aures tuas offendere, quam non animæ tuæ periclicanti fidelis et liberæ admonitionis remedium adhibere, etc.

35. Quod ad Gedanenses, sive Dantiscanos, et Helbingenses attinet, ii hoc anno quarta Dominica Quadragesimæ una cum Thoruniensibus et Mariæburgensibus usurpata communione sub utraque specie a Romana Ecclesia defecerunt, ut impia hac conjuratione alios populos ad defectionem pellicerent. Præter vero Lutheranos et Sacramentarios plures aliæ sectæ, ut Suenckfeldiani, Anabaptistæ, Piccardi, Servetiani, Osiandritæ in Polonia confluxerant, cumque ordinum regni Polonici congregandorum tempus appeteret, veritus Pontifex [1], ne in eo conventu hæretici regem ad convellendam religionem impellerent, gravissimis illum litteris iterum admonuit, ne quid novari permitteret, ac incorruptam veteris fidei puritatem tueretur. Cumque nonnulli suasissent Sigismundo regi, ut Concilium Œcumenicum flagitaret, in quo omnes controversiæ dirimerentur, respondit Paulus, ut sanctissimas leges in aliis Conciliis latas contra hæreticos exerceret, rescinderet omnia acta contra episcopos, pristinaque jura illis restitueret, pelleret regno Poloniæ tot hæreseon pestes, nec se congregando Concilio opera defuturum; ne vereretur tumultus ac perduelliones, si in hæreticos consurgeret, nam majores longe seditiones orituras, si illis licentiæ fræna laxaverit, multisque aliis monitis ad imprimendum animo divinum timorem, capessendamque Ecclesiæ ac religionis causam in impios præmunivit :

« Regi Poloniæ.

« Charissime in Christo fili noster, etc. In hac pastorali specula a Domino constituti, si officium nostrum in tanto Ecclesiarum regni tui periculo prætermittamus, excusare nos ei, a quo huic officio præpositi sumus, minime pos-

[1] Paulus IV lib. brev. sig. num. 2961. p. 12.

semus, quare etsi per alias litteras nostras paterno erga te officio functi de iis te admonuimus, quæ et ad tuam quoque ipsius salutem et regni incolumitatem pertinent, tamen appropinquante jam die, quæ conventui celebrando constituta est, iisdem de rebus eo liberius commonefaciendum te esse duximus, quo majore sollicitudine, cura, angore animi afficimur, ne quid turbulente ac temere in eo conventu agatur ab hæreticorum fautoribus adversus Catholicæ fidei integritatem et Ecclesiasticam disciplinam. Etenim hujusmodi tempus illud futurum est, quo quis animus tuus in religionem, et in hanc sanctam Sedem sit, poteris declarare, quo quidem si is est, qui esse debet, quemque ipsi a te expectamus, non patieris profecto eorum longius progredi temeritatem, quorum impia nefariaque consilia intelligere potuisti ad alendas confirmandasque hæreses spectare, ad bona Ecclesiarum et sacerdotum occupanda, ad evertendam episcoporum auctoritatem, ad res denique, et divinas, et humanas confundendas, quorum perniciosis conatibus abs te, charissime fili, obviam eundum est, nec dissimulanter jam aut timide, sed et aperte et fortiter Christi Domini nostri causa suscipienda tibi et defendenda est, confessionis tuæ eam mercedem percepturo, quam Dominus iis, qui se confessi fuerint in Evangelio proponit. *Si quis* (inquit) *confessus me fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo qui in Cœlis est, qui vero negaverit me coram hominibus, negabo et ego eum coram Patre meo qui in Cœlis est.* Si ut debes et potes, sanctissimam ejus religionem tutatus fueris, tecum is manebit, honoremque, et regnum, et salutem tuam in hac vita ab omnibus periculis tutabitur; in illa vero altera eo majus tibi præmium tribuet, quo majorem hominum numerum, non eorum modo, qui sunt, sed etiam qui futuri sunt, qui, si tu a recto et Catholica fide aberrares, tecum simul ipsi quoque aberraturi essent, exemplo et auctoritate tua, si te in fidei integritate et unitate Ecclesiæ continueris, retinebis. Sin autem Dei causam, quod credere minime possumus, deserueris ac prodideris, ab eo ipse quoque desertus et relictus, sero admonitionum nostrarum recordaveris. Et sane, qui de Concilio generali tantopere instant, si Catholici revera sunt, et ex animo Ecclesiæ unitati student, leges pias observent optimas et sapientissimas adversus hæreticos a prædecessoribus tuis latas, sapientissimis religiosissimisque principibus: nec Serenitas tua suam ipsius legem decretumque tam laudabile negligi patiatur, sed quod præclare et pie nuper ad reprimendam hæreticorum sanxit pravitatem jubeat observari. Omnia quæ ad hoc tempus contra episcopos et Ecclesias acta sunt, rescindantur: sua episcopis jurisdictio et potestas priore anno suspensa, restituatur: Ecclesiæ quas hæretici potentium quorumdam hominum auxilio invaserant, Catholicis reddantur: pellantur tot hæreticorum factiones, Piccardi, Servetiani, Suenckfeldiani, Osiandritæ, Anabaptistæ, Lutherani, et reliquæ hujusmodi pestes, quæ per regnum tuum non sine ingenti animarum strage, non sine tui nominis macula impune pervagantur. Animo et rebus ipsis Catholicum oportet esse, non verbis. Inutile est nova expectare remedia, cum ea quæ in promptu sunt, liceat adhibere. Celebrabitur, Deo juvante, Concilium generale; id prope diem universis episcopis indicere statuimus, nostrumque ejus celebrandi consilium per legatos nostros multis notum fecimus, sed interim, qui vere Catholici sunt hæreticis debent obsistere, nec dissimulando et connivendo pati eam pestem longius in dies serpere et corroborari. Quid est autem, charissime fili, quod animum tuum ab ulciscendis et puniendis hæreticis retardet? num forte vereris, ne quem tumultum ea res in regno tuo excitet? At quanto timidius egeris, pro certo habeto, tanto illos insolentiores et audaciores futuros. Si fortiter et constanter, ut debes, in eos animadverteris, eorum animos franges audaciamque debilitabis; si segniter et molliter egeris, ac si eos timueris quibus terrori esse debes, animos illis auxeris, ut omnia sibi licere existiment, effeceris: si pro Dei Omnipotentis honore, si pro Catholicæ fidei defensione amittendum regnum, et anima præterea esset profundenda, non esset Catholico regi cunctandum, quin temporale regnum æterno brevem vitam immortalitate commutaret. Nunc si fortiter fidei et religionis Catholicæ causam defenderis, tum hæc ipsa e periculo eripueris, tum cœleste regnum et vitam tibi acquisieris sempiternam. Et dubitabis Omnipotentis Dei honori tanto proposito prœmio, vitæque simul ac regno tuo consulere? vel plus tu hæreticos, quam Deum vereberis? Decet-ne regem imperitorum civium pravis studiis obsequi? decet-ne eos sequi, qui ipsum sequi ducem debeant? Annon eos potius vel invitos, coactos in officio et fide contineri a rege convenit? Quid est aliud regiam auctoritatem et potestatem abjicere, quam non audere levium et imperitorum hominum amentiæ adversari? Angliæ regnum meminit serenitas tua, per quot annos ab Ecclesia Catholica Henrici regis perfidia segregatum fuerit. Meminit sublata penitus religione et fide Catholica hæreticos ibi diu impotenter dominatos fuisse. Non plebs modo, sed et nobiles viri, et principes omnes, quinetiam omnes qui se episcopos nominabant, hæretica pravitate jamdudum imbuti erant: cum hæc pestis in eo regno tantopere inveterasset, atque omnes corrupisset, unius tamen mulierculæ animus in Dei timore et Catholica fide constans tantum efficere Deo ipso adjuvante potuit, ut simul ac regnum ex poten-

tissimorum inimicorum manibus ereptum recuperavit, statim habito communi Anglorum concilio, quod illi Parlamentum appellant, coegerit episcopos, et cæteros principes Angliæ ac populos omnes ditionis suæ ad antiquæ et veræ religionis cultum, atque Ecclesiæ Catholicæ unitatem reverti. Tantumne illa animum gessit, tanta fortitudine populares tumultus contempsit? Tu qui vir es, et tantum regnum obtines, tantis opibus instructus, tot præsidiis munitus, cujus regni tanta procerum pars, tantus hominum nobilium numerus, tot populi adhuc Dei beneficio in fide Catholica permanent, cui præterea tot et tam præstantes integritate, prudentia, dignitate, opibus etiam episcopi atque alii prælati auxilio futuri sunt ad tuendam et defendendam religionem, vereberis, ne non possis aliquot hæreticorum improbitatem audaciamque comprimere? Non possumus suspicari in te tali genere orto, tanto rege, non regiam animi vim ac magnitudinem inesse; illud, ut vere dicamus, veremur potius, ne serenitatem tuam nonnulli, quibus nimium tribuis, pravis consiliis suis decipiant, et plus apud te illorum prava suadentium, quam bonorum, et prudentium, et honoris, atque existimationis tuæ vere studiosorum hominum valeat auctoritas; illos ne audias, neve pravis te eorum consiliis quoquam impelli sinas, te etiam atque etiam, charissime fili, monemus et rogamus; quod si immemor officii tui, immemor dignitatis, immemor etiam generis, spretis monitis nostris, res non ad tuum munus, sed ad nostrum Pontificale officium pertinentes tractare ausus fueris, veniat tibi in mentem illud divinæ in Oziam regem Juda animadversionis exemplum, cujus regis temeritas, quod super altare incensum adolere, ac sibi sacerdotale officium sumere ausus fuerat, a Domino adeo notata fuit, ut turpi lepræ morbo frons ejus continuo fuerit deformata. Memineris, qui reges Deo Omnipotenti honorem abstulerunt, Deum honorem ipsis suum et regnum, ac vitam plerumque etiam auferre solitum esse. Horribile est incidere in manus Dei viventis. Terribilis est et auferens spiritum principum. Quod vero nos ipsos, Christi scilicet indignos vicarios, credisne tantam in Deum et in Ecclesiam ejus injuriam laturos esse? Nullo eam pacto ferre aut dissimulare poterimus pro honore, pro munere, quod sustinemus. Quando monita non profuerint, ea necessario arripiemus arma, quibus Apostolica Sedes adversus contumaces et schismatum auctores non frustra uti solet. Ratio jam constabit officii nostri. Deus testis, testes vero etiam omnes homines erunt, nihil a nobis prætermissum fuisse, quod ab amantissimo tui Pontifice proficisci potuerit; quoniam nec per litteras, nec per nuntium nostrum quidquam monendo, hortando, rogando profecerimus, facere non poterimus, quin severius agamus. Nosti, quot quamque præclaris muneribus, privilegiis et beneficiis regnum istud ab Apostolica Sede ornatum, auctum ac munitum fuerit, iis jam indignus, universa jure ac merito amiseris. Verum exigua hæc eorum jactura fuerit præ iis quæ amittes, si ex Ecclesia recesseris. Nihil perniciosius, nihil horribilius, nihil miserius, quam ab ea separari: Christi ea sponsa, Christi ea corpus est, exrta eam nemo Dei gratiam obtinere, nemo Christi Domini et Redemptoris nostri beneficiis frui, nemo denique salvus esse potest: qui ab ea recedunt, ab iis recedente Domino, in diaboli recidunt potestatem. Non est, quod hujus Sanctæ Sedis auctoritatem contemnas, propterea quod Ecclesia Catholica a multis hoc tempore hæreticis oppugnatur. Hanc Sathanas per ministros suos oppugnare et vexare jam inde ab Apostolorum temporibus cœpit, sicut a Domino prædictum fuerat, neque unquam destitit; verum potentior est, qui illam custodit, quam qui oppugnat. Super Sedem hanc Dominus noster Jesus Christus suam fundavit Ecclesiam, adversus eam fore prædixit, ut nunquam inferorum portæ prævaleant, itaque nec prævaluerunt unquam, nec in posterum prævalebunt. Adest enim Ecclesiæ suæ, sponsæ, inquam, suæ Christus, cum ea usque ad finem et consummationem sæculi permansurus, sicut promisit, omnia hostium ejus consilia, omnes impetus et conatus irriti semper et inanes fuerunt, nec minus quidquid hujus temporis hæretici moliuntur, inane erit atque irritum. Quamobrem etiam atque etiam, charissime fili, considera, dum tibi integrum est, quid agas, cave, ne cujusquam impulsu quoquam temere progrediare. Potes etiam nunc malum extinguere, potes summa tua cum laude et gloria, regnum hæresibus liberare, si modo regia auctoritate et potestate ad Omnipotentis Dei, a quo illam accepisti, honorem uti volueris: quod si feceris, et tibi, et regno tuo optime consulueris, et innumerabilem animarum multitudinem conservabis, earum rationem, si quod absit, culpa tua perierint, ad tribunal æterni judicis tremendo illo judicii die redditurus. Hæc, nisi te, ut charissimum filium in Domino diligeremus, non tot verbis, nec paulo severius scripsissemus. Reliqua cognosces ex venerabili fratre episcopo Veronensi nuntio nostro, homine non solum spectatæ integritatis et religionis, verum etiam tui studiosissimo, quem serenitati tuæ commendatum esse vehementer cupimus ».

36. *Pauli deturpat litteras Vergerius qui refellitur ab Hosio.* — Hæ geminæ Pauli litteræ ad Sigismundum regem Poloniæ transmissæ in manus regiorum administrorum pervenere, qui cum essent hæresi infecti, eas Petro Paulo Vergerio nefandissimo hæretico, horrendaque rabie, ut superius meminimus, in Sedem Apostolicam efferato, communicarunt, is vero impro-

bissimo animo, ut invidiam crearet Pontifici, eas typis excusas nefariis scholiis obscuravit contaminavitque, atque sectariis suis persuadere conatus est, non aliam concordiæ ineundam rationem, quam si papatus omnis exscinderetur, sive hierarchia omnis Ecclesiastica convelleretur, cujus impias voces atque argutias Stanislaus Hosius [1] episcopus Varmiensis confutavit, regemque docuit, ab hæreticis non minus regno, quam papatui exitium conflari, omnesque eorum insidias patefecit :

« Petrus Paulus Vergerius, qui proximo superiore anno non aliam ob causam in regnum tuum venerat, quam ut in eo seditionem concitaret », et paulo post : « Pauli IV Pontificis litteras, et quidem binas typis excusas pervulgavit, quin et scholiis quibusdam suis obscuravit, ac mirabiliter deformavit, quæ pie sancteque scripta fuerunt, secus interpretando. Audi quid scribat in suis in priorem Epistolam scholiis? Dixerit, inquit, quispiam, si quidem possemus papam eo adigere, ut velit assentiri, ut ministri Ecclesiarum haberent uxores, lingua vernacula in administratione Sacramentorum uterentur, atque ut utramque speciem populo exhiberent; in reliquis vero articulis et doctrinis cum Romana Ecclesia censentiremus, quemadmodum hactenus consensimus, an non consultum putares, ut tunc acquiesceremus, atque ut hæc prius lucro apponeremus, deinde paulatim labente tempore ut etiam de reliquis articulis lucrifaciendis cogitaremus? Respondeo. Minime mihi consultum video, neque enim in eo res sita est, ut minister uxorem habeat, ut populari lingua in Ecclesia utatur, ut utramque speciem porrigat, sed ut habeat veram fidem, ut fiat membrum Christi Ecclesiæ, atque ut eam rectam doctrinam teneat, populoque annuntiet, quam Filius Dei Dominus Jesus Christus attulit e sinu Patris. Quæ esset isthæc contaminatio doctrinæ, quod monstrum, si consentiremus, ut esset pastor animarum nostrarum, missarius, sacrificulus, unctus et inauguratus ab aliquo aposcopo et Antichristi membro? etc. Per hunc vero satellitem suum apertius multo causam suam agit Sathanas, quam per illos, qui de Calice tantum, deque rebus aliis, quæ perinde magni momenti videri possunt, tantopere contendunt; quorum etiam detegit insidias, ac supervacaneum esse ducit longioribus ambagibus uti. Mox ipsum petit jugulum, ut citra moram aliquam Deus in ordinem cogatur, nec ullum, aut sacerdotium, aut sacrificium externum habeat, per quod esse Deus agnoscatur. Hoc est quod statim initio sibi Sathanas per Vergerium efficiendum esse putat ». Et multis interjectis :

« Certum est et indubitatum, Satanismum istum omnem, qui nunc, proh dolor! ita floret in Germania, qui pullulat etiam in regno tuo, pientissime rex, hinc potissimum esse natum, quod Ecclesiæ judicio contempto, sibi quisque licere vult, ut et Scripturas interpretetur, et ritus cæremoniasque mutet arbitratu suo ». Et mox : « Cæterum, quod scribit impurus ille Vergerius, non aliam ineudæ concordiæ rationem et spem esse, quam si papatus universus tollatur e medio, vide, per Deum immortalem, quæ sint istæ Sathanæ insidiæ, quorsum ille spectet, cum tanto studio papatum eversum cupit? » Et infra : « Expende tecum interea, rex optime, posteaquam e medio quidam sustulerunt papatum, an iidem illi de Cæsareatu quoque tollendo consilia postea non capiant, cum non minus apud eos probrum est Cæsaristam, quam papistam appellari ». Et mox : « Huc spectant istorum consilia, ut ordinem e medio tollant, ut principum auctoritatem in odium et contemptum adducant, ut anarchiam quamdam inducant, quorum fax quædam sit Vergerius, nec aliud spiret, quam seditiones, quandoquidem ipse profitetur, et quidem verissime, quod sit exul Jesu Christi, sic eum ex regno terrisque tuis extorrem esse jubeto ». Et post nonnulla : « Quantum e scriptis illius colligere licet, modo cum Zuinglianis, modo cum Lutheranis, modo cum Piccardis facere videtur. Augustanæ Confessionis eum esse nemo recte poterit judicare, quandoquidem Brentii confessionem, quem admiratur unice, reliquis omnibus eum anteferre constat ». Et infra : « Ut intelligere quivis possit, apertius per hunc voluntatem suam Sathanam explicasse, quam per illos, qui per cuniculos quosdam veritatem oppugnare conantur ».

37. *Eucharistia a Judæis confossa sanguine manat.* — Ferunt Sigismundum regem nimium patulas aures præbuisse hæreticis, atque inclinasse in opinionem permittendæ Communionis sub utraque specie, quam importunissime urgebant hæretici, ut ea pietatis larva reliquas omnes hæreses subornatas inducerent, ac veluti immisso in lignum cuneo conjunctionem Ecclesiarum discinderent. At Deus insigni miraculo Sigismundi regis mentem in avita pietate confirmavit, quo ostensum est verum Christi Sanguinem sumi a Catholicis unica specie utentibus, cum Eucharistia impio facinore a Judæis confossa sanguine manavit, ut narrat Surius his verbis [1] :

« Accidit hoc ipso anno in Poloniæ regno res memorabilis. Fœmina quædam vilis Dorothea Lazezka nomine, Christiana quidem professione, in oppidulo Sachazeto, non longe ab arce Lovit, cuidam Judæo annis aliquot serviebat. Interim vero Judæus ille sæpius eam sollicitat, ut sacrosanctum Christi Corpus more Christiano cum cæteris acceptum ipsi perferat. In ejus

[1] Stanisl. Hosius de exp. Dei verbo p. 49, 69.

[1] Sur. in Comm.

flagitii præmium promittit ei taleros tres, et vestem sericis fimbriis ornatam. Et quid non mortalia pectora cogit auri sacra fames? Fœmina scelerata conditionem accipit tantillo illecta munusculo; in ipso Paschatis pervigilio abiit ad pagum Corzo dictum, ibi cum cæteris accedit ad aram, et instar Judæ accipit Eucharistiam, et paulo post ex ore extractam in sudariolum reponit, et tertia Paschatis feria Judæo hero suo illam tradit, ad quem tres alii Judæi huic oppidulo vicini, puta, Michaletus, Sachæus et Josephus veniunt, fortassis ab illo invitati, sacrosanctam Eucharistiam in suam synagogam deferunt, pugionibus et cultris confodiunt. Et ecce repente ex illa hostia multus emanat cruor, quem perfidi Judæi cochleari in vitreum calicem transfundunt. Non diu latere potuit tam atrox facinus. Ante omnes mulier scelesta Sachazeti comprehenditur; inde Judæus ejus herus; hi confitentur rem gestam omnem. Per id tempus Sigismundus Poloniæ rex Vilnæ erat, quæ est Lituaniæ metropolis, et erant, tum in Polonia, qui Eucharistiæ utramque speciem necessario putarent porrigi oportere. Ubi rex quid esset actum cognovit, mandat oppiduli præfecto secundario, ut rem eam diligenter investiget, et si ita factum sit, ut narratur, in omnes ejus flagitii complices extremo supplicio animadvertat. Itaque Dorothea et Judæus prius habita quæstione feria sexta die Veneris post Christi Ascensionem flammis exuruntur. Reliqui Judæi sceleris socii, uno dempto, qui aufugerat, kal. Junii comburuntur. Voluit Omnipotens Deus hoc insigni miraculo, qualia sæpe alias circa sanctissimam Eucharistiam contigere, eorum castigare incredulitatem, qui perinde ac si non sit totus Christus sub utralibet specie, ita prorsus infideliter et insipienter Calicem efflagitant, qui si essent in iis, quæ sunt Christianæ religionis, bene instituti, scirent nunquam posse Christi corpus, postquam e sepulcro redivivum surrexit, ab anima, a sanguine et divinitate separari, sicque libentissime unius speciei perceptione contenti forent. Commodissime quidem istud eo tempore in Polonia accidit, quando multi Calicem expetebant, et Romanus Pontifex eo miserat Aloysium Lipomanum Veronensem episcopum, virum multa probitate et eruditione spectabilem, qui gentem Polonicam in Catholica religione confirmaret, et ipse sane Poloniæ rex fertur hoc miraculo non mediocriter in Catholicæ Ecclesiæ retinenda communione confirmatus, et propensius etiam Romani Pontificis legatum admisisse ».

38. *Præscribit Paulus ut Synodus congregetur ad comprimendas hæreticorum insidias.* — Extant ad hunc internuntium subjectæ litteræ Pontificis [1], quibus queritur de imminentibus Poloniæ periculis ob auctas ingravescentesque hæreses, jubetque ut celebrato ordinum regni conventu ad aulam Pontificiam redeat.

« Venerabili fratri Aloysio episcopo Veronensi apud Serenissimum Poloniæ regem nostro et Apostolicæ Sedis nuntio.

« Venerabilis Frater. Etsi malum istud, cui mederi ab ipso nostri Pontificatus initio omni animi studio non destitimus, nimis auctum, et ab his, qui hæreticorum audaciam et pravitatem in illo regno alunt, quam reprimere et coercere desiverant, corroboratum fuit; tamen spem ejus sanandi omnem in Dei primum misericordia, tum in conventus istius, qui propediem celebrandus est, auctoritate repositam habemus. Scribimus autem hoc tempore, tum ad serenissimum regem, tum ad nonnullos alios, officii sui eos etiam instantium regno ac patriæ suæ periculorum paterne admonentes, et ad resistendum perniciosis improborum hominum consiliis adhortantes, quas litteras una cum exemplis ad te mittimus. Deum optimum precamur, ut eam ipsis mentem det, ut et animabus suis et cæteris etiam rebus consulant atque prospiciant. Quoniam autem peracto conventu fraternitatis tuæ isthic præsentiam non videmus amplius necessariam fore, utcumque res processerit, tuaque hic nos opera et consilio vehementer indigemus ad eas res tractandas, quæ ad Dei honorem, nec ad partem Ecclesiæ, sed ad omnem Ecclesiam pertinebunt, idcirco fraternitati tuæ per has litteras mandamus, ut postquam dimissus fuerit conventus, salutato rege, eaque hortatione, quam rerum status eo tempore postulabit, adhibita, ad nos redeas; operam tuam, quam ad hoc tempus Poloniæ navasti, nobiscum una et cum reliquis fratribus, universo, ut diximus, Christiano populo pari pietate navaturus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die I Augusti MDLVI, anno II ».

39. Urebat Pontificem gravissima cura ne hæretici proceres aliquod vulnus religioni Catholicæ infligerent, et sigilli regii vice-præfectum [1] sollicitavit, ut causam Numinis constantissime tueretur, a quo divinis et immortalibus præmiis ornandus esset.

« Dilecto filio nobili viro Joanni vicecancellario regni Poloniæ, etc.

« Non egere devotionem tuam hortatione nostra persuasum habemus, cum sua ipsum in Deum et in patriam pietas assidue hortetur, atque ejus animum exacuat; sed tamen verentes, ne quid in conventu, qui isthic propediem est futurus, per hæreticorum fautores contra Ecclesiæ unitatem et sanctissimam ejus disciplinam tentetur, facere non potuimus, quin te admoneremus, hoc fore illud tempus, quo te

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 8891. p. 368.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2895. p. 369.

maxime pro fidei et religionis causa adversus hæreticos, eorumque fautores pugnare, eorumque impiis consiliis resistere oportebit. Id autem eo majore studio tu, et cæteri Catholici facere debetis, primum, quia minime dubitandum est, quin causam suam defendentibus, ac pro se certantibus Christus Dominus noster auxilio futurus sit, deinde quod iis, qui ipsum confessuri fuissent coram hominibus, confessurum et se eos promisit coram Patre suo, qui in Cœlis est ; quo confessionis et pii certaminis præmio proposito, qui tantus labor, quæ tanta contentio, quod tantum periculum est, quod non modo fugiendum sit, sed non modo ultro appetendum, atque alacri animo subeundum. Sed quoniam, ut diximus, hortatione tu minime nostra eges, teque aliorum ipsum hortatorem tali tempore fore confidimus, plura non dicemus. Illud, quod et hujus sanctæ Sedis institutum, et natura etiam nostra postulat, dicimus, et tibi persuasum esse volumus, nos, et tuæ tam insignis operæ studii constantiæ in defendenda fide Catholica, et tam egregiæ devotionis erga hanc beati Apostolorum principis Sedem adeo memores esse et fore, ut præter æternum ipsum, quod tibi in Cœlo propositum et paratum est præmium, si qua occasio a Deo oblata fuerit, nostram erga te paternam voluntatem, ac præcipuam benevolentiam re ipsa declarare summopere cupiamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die I Augusti MDLVI, anno II ».

40. Antequam celebrarentur ordinum Poloniæ comitia, præsules pro asserenda incorrupta religione Catholica, necnon insidiis hæreticorum comprimendis Lovitii Synodum coegere, in qua multas leges sanctissimas tulere, ac offusas ab impiis tenebras puriore doctrina discussere, ejusque Synodi Acta transmisere ad Pontificem , quibus acceptis , hæc Gnesnensi archiepiscopo scripsit, piosque stimulos ad cœpta egregie perducenda addidit Paulus [1] (1).

« Venerabilis frater, etc. Maxima in expectatione sumus, quid in isto conventu actum fuerit : nec possumus non magnopere esse solliciti, verentes, ne hæreticorum fautores (quod divina misericordia avertat) quippiam eorum, quæ adversus sanctissimæ Ecclesiæ instituta et episcoporum auctoritatem temere ac nefarie moliebantur, effecerint. Non parum tamen animum nostrum superioribus diebus habita Lovitii Synodus recreavit, in qua tu et reliqui fratres, quemadmodum ex nuntii nostri litteris et ex Actis Synodi, quæ ad nos una cum litteris tuis misisti, cognovimus, dignum sacerdotibus animum declarastis ; in primis vero virtus nos et constantia et pietas consolatur tua, cui jam eximium testimonium idem nuntius noster omnibus litteris suis tribuit, ut intelligamus fraternitatem tuam pro honore et dignitate, qua eminet, fratrum isthic ducem esse, et defendendæ religionis ac fidei Catholicæ auctorem, ut debet, et principem ; quæ, quod officiis suis nuntium ipsum nostrum tam amanter complexa est , quemadmodum is sæpe ad nos scripsit, in eo non nos tantum, qui nobis ea tribui censemus, sed beatissimum etiam Apostolorum principem sibi vehementer obstringit, cujus intercessione ac meritis tuæ istius erga Sedem Apostolicam observantiæ, et piorum pro fide et religione laborum præmium a Deo adepturam esse confidimus, et ut perseveret ita hæreticorum pravitati obviam ire, et fratres auctoritate sua confirmare, ut merita sua quotidie magis augeat, eam, tametsi hortatione non eget, in Domino hortamur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die II Decembris MDLVI, anno II ».

41. Encyclicis præterea litteris hortatus est Pontifex [1] singulos Poloniæ præsules, ut in futuro proximo conventu constantissime, animisque conjunctissimis religionem Catholicam contra hæreticos defenderent, uti pastorum principi Christo muneris rationem reddituri :

« Venerabili fratri N. episcopo.

« Venerabilis frater, etc. Quo plura eaque magis impia tentari isthic ab Ecclesiæ adversariis audimus, eo majorem et graviorem curam ac sollicitudinem sustinemus. Cum autem licet indigni successerimus ei, cui a Domino præ-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2893. p. 502.

[1] Paulus IV. lib. brev. sig. 2893. p. 518.

(1) Inter res Ecclesiasticas Polonicas anni hujus locum suum obtinere debet Concilium provinciale Polonicum Lovitii habitum, die XI Septembris anni hujus. Præfuit Aloysius Lippomanus episcopus Veronensis A. S. nuntius cum Gnesnensi archiepiscopo. Fidei Catholicæ formulam omnibus totius provinciæ Ecclesiis tradendam condidere Patres, in qua ea fidei dogmata sancita sunt, quæ rei præsenti necessaria censebantur. Formulam illam vulgarunt PP. Martene et Durand Veter. Monum. to. VIII, col. 1445. Succedunt apud eosdem Martene et Durand litteræ ejusdem Gnesnensis archiepiscopi ad Paulum signatæ hoc anno die XXI Septembris, quibus suum in Ecclesiam Catholicam adversus heterodoxos studium exponit. Secundum hæc legas Palatini Vilnensis litteras ad nuntium Apostolicum (Lippomanum) quibus ab impacta sibi ab æmulis hæresis calumnia se purgat. Denique consulti ab eodem nuntio Apostolico episcopi cæterique Ecclesiastici, Ecclesiarum majorum totius regni porrecto libello, ibidem legendo, ea suggerunt quæ ad rem præsentem Ecclesiæ Polonicæ aptissima fore judicant. Ita vero Palatinus iste se excusat, ut locum tamen suspicioni relinquat maximum. Accusatus enim de esu carnium diebus vetitis conjecturas tantummodo affert quibus falsa illum calumnia perstringi conjicere quis posset; nunquam tamen id a se præstitum diserte negat. Porro ad Lascum quod attinet, de quo annalista num. 34, quo tempore consultatio illa Ecclesiasticorum regni Poloniæ ad nuntium Apostolicum data est, nondum in regnum venisse illum oportet, cum rogandus ibi rex statuatur, ut prohibeat, « ne hæresiarchæ isti ex Germania in Poloniam veniant, utpote Laski, Calvinus, Melancton ». Cum vero scripta hæc isto vel superiori anno ante Concilium Lovetense non immerito reputarentur; hinc conjicias licet Paulum ficto nuntio deceptum fuisse, cum de pellendo Laski e regno litteras dedit.

Adjicienda hisce omnibus est historia Concilii in litteris Aloysii Lippomani expressa, quas litteras ego in meo Conciliorum supplemento to. V, pag. 697, ex Ms. Codice evulgavi. MANSI.

ceptum fuit, ut confirmaret fratres suos, his fraternitatem tuam litteris adhortandam, et coram ipso Domino et Redemptore nostro admonendam esse duximus, ut officii sui memor acriter adversus luporum rabiem et sævitiam oves Dominicas defendat, hoc enim tempus est prælationis tuæ, ac reliquorum fratrum, qui isthic sunt : hoc tempore maxime intelligetur, qui boni verique pastores, qui ovium suarum amantes sint, qui summum illum Pastorem Dominum et Deum nostrum vereantur et timeant. Væ illi, qui tam necessario tempore officio suo defuerit, qui aut ab hæreticis seductus, propter perfidiam oves suas prodiderit, aut propter metum et timiditatem nescio quam illas deseruerit ; de manu ejus tremendo illo judicii die Dominus ovium suarum sanguinem requiret. Sed ne nos quidem pro munere, pro loco, in quo nos Dominus constituit, tantam culpam ferre aut dissimulare poterimus. Nec vero timendum est quidquam si modo tu et reliqui fratres consentiatis inter vos, ut debetis, atque uno animo iis, qui vos, qui Ecclesias vestras, qui Catholicam religionem opprimere, ac funditus delere conantur, resistatis, neque exercituum Dominus honori suo simul et saluti animarum inservientes deseret. Quamobrem cœlesti auxilio fretus causam Dei, causam religionis, in qua tui ipsius salus continetur, constanter pro tua virili parte defende. Memineris corde credi ad justitiam, ore autem confessionem fieri ad salutem. Ita denique te geras, ut cum ad Christi tribunal veneris, boni Pastoris et servi fidelis mercedem accipere merearis.

« Datum Romæ, die IV Decembris MDLVI, anno II ».

Defensa fuit a præsulibus in eo conventu Polonico strenue fides Catholica, atque in eo rex contra hæreticorum molimina communionem Calicis usurpari vetuit, quam hæretici, ut defectionis, ac schismatis principium vehementissime urgebant, uti proximo anno visuri sumus ex litteris Pontificis.

42. *Joannes Lusitaniæ rex per oratorem obsequium præstat Pontifici.* — Hoc ineunte anno Joannes Lusitaniæ rex, decreto amplissimo oratore obsequia regia Paulo IV Pontifici solemni ritu detulit, ut Acta Consistorialia [1] narrant subjectis verbis :

« Die Lunæ XIII Januarii MDLVI, fuit consistorium publicum in aula regum ». Et mox : « Lectæ fuerunt litteræ regis Portugalliæ per D. Bindum secret. gratulatoriæ assumptionis Suæ Sanctitatis ad Pontificatum, quibus lectis ipse orator cum secretario suo stans in loco solito, per secretarium habuit orationem ad Pontificem, in qua obtulit obedientiam et omnia bona sui regis; postea admissus fuit ad ipsam obedientiam, et omnes servitores ejus osculati sunt pedes ejus Sanctitatis ».

43. *Commendat Paulus regi Abyssinorum patriarcham.* — XXII ejusdem mensis Florentiæ dux, trigesima Martii Helvetii, vigesima Maii Genuenses Paulo IV pium idem officium præstitere. Cæterum Lusitanus rex ad æternitatis regnum sanctissimis operibus anhelabat, atque flagrantissimo studio ad propagandam religionem Catholicam incumbebat, egeratque cum Claudio [1], sive Sandio Æthiopum imperatore, ut a Romano Pontifice patriarcham Latinum, atque aliquot antistites doctrina et pietate insignes postularet, cumque sub Julio III ad id munus amplissimum, æque laborum ac gloriæ plenum, fuissent aliquot sacerdotes Societatis Jesu a sancto Ignatio ejusdem præposito delecti, mox cum in Æthiopiam profecturi essent, Paulus Pontifex subjectas litteras ad Abyssinorum imperatorem exaravit, quibus illi patriarcham ac socios commendaret.

« Charissimo in Christo filio nostro Claudio Petrægiano, Æthiopiæ regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Dominus noster Jesus Christus, qui cum Patre et Spiritu sancto in cœlis vivit et regnat, et qui a nobis in terris suas geri vices voluit, quo magis atque illustrius super serenitatem tuam et populos regni tui vultum suum illuminat, eo nos et ejus fideles, quicumque nobiscum sunt, majore cordis lætitia et animi consolatione gaudentes, divinæ illius Majestati gratias agimus, tuæque eidem regiæ serenitati, et eisdem tuis populis, tantum et animarum vestrarum salutis et gloriæ cœlestis desiderium omni paterno affectu in eodem Domino nostro Jesu Christo gratulamur, votisque omnibus æternam beatitudinem optamus precamurque. Memores sumus, quanto serenitas tua veræ nostræ et sanctissimæ religionis zelo, quantaque mentis tuæ optimæ in Dei Omnipotentis honorem significatione, per charissimum in Christo filium nostrum Joannem Portugalliæ et Algarbiæ regem illustrem annis proximis a felicis recordationis beatissimo tunc papa nostro Julio III adhuc inter nos vivente petieris, ut aliquis tibi mitteretur, qui populos ipsos tuos in Catholicæ fidei ac divini cultus officio, morumque ac vitæ Christianæ instituto nobis a Deo et sanctis Patribus tradito contineret, et gratiam, quam apud Deum tot virtutibus ac meritis consecuti estis, et probitate vellet, et doctrina sciret, et auctoritate posset conservare. Quoniam vero tunc nos in minori officio constituti ex ordine episcoporum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium eramus, nobis quoque præsentibus et consulentibus una cum venerabilibus, tunc collegis, nunc fratribus nostris dilectissi-

[1] Acta Cons. Ms. car. Spadæ p. 186.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2892. p. 194.

mis in amplissimo et sacro consistorio coram eodem sanctissimo papa prædecessore nostro Julio in sancta Sede Apostolica sedente, maturo nostrum omnium consilio et deliberatione, in Dei Omnipotentis nomine, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate, ad laudem eorumdem et gloriam sempiternam, venerabilis nunc frater noster Joannes Nunnez de societate et consortio ejusdem Domini nostri Jesu Christi tanquam eo munere, cura et administratione multis rationibus dignus, provinciæ Æthiopiæ ac totius regni tui patriarcha electus et creatus fuit, qui aliorum patrum ubique apud vos existentium, cujuslibet Ordinis sacerdotum caput esset et princeps, et quæ Pontifex Romanus absens non posset, ipse præsens juxta tenorem facultatum sibi concessarum isthic faceret, ejusque in eo vices gereret. Cum autem ex hac mortali ad immortalem vitam aliquando transiturus sit, atque ob nimium locorum intervallum et longitudinem itineris non tam cito, nec tam facile quam necesse est, hinc homines ad sacra hæc ministeria idonei transmitti isthuc possint, neque ob regionum tuarum amplitudinem unius solius præsentia et opera satis sit, duo præterea ex eadem Jesu Christi Societate fuerunt adjuncti, videlicet venerabiles fratres Andreas de Oviedo episcopus Hieropolensis, et Melchior Carnero episcopus Nicænus, viri doctrina, prudentia et probitate insignes, qui et viventem adjuvarent et morienti succederent, quemadmodum ex Apostolicis litteris tunc ad id confectis expressius et copiosius declaratur. Verum, quia rebus ita constitutis, dum patriarcha ipsiusque coadjutores se ad iter pararent, ut ad serenitatem tuam venirent, eidem Omnipotenti Deo eumdem Julium III et paucis post diebus Marcellum II papam item et patrem tunc nostrum sanctissimum vocare ad se placuit, necesse illis fuit novam expectare Pontificis electionem, quæ quidem electio cum nostræ fuerit personæ, Deusque idem Omnipotens jugum Apostolicæ servitutis suo incomprehensibili judicio debilibus cervicibus nostris imposuerit, nihilque jam impediat, quominus serenitatis tuæ desiderio possit satisfieri, ipsius ejusdem patriarchæ, ejusque coadjutorum, cum aliis Christi fidelibus non paucis profectionem ad vos maturandam duximus, eidemque serenissimo regi Portugalliæ filio nostro charissimo scribendum curavimus, ut ad te illos dimitteret, eique has litteras nostras redderet, quibus eos cum Domino comitaremur, salutemque Apostolicam et benedictionem tibi et omnibus tuis, qui eumdem Dominum nostrum Jesum Christum colunt, ejusque mandata et præcepta juxta sanctum Evangelium observant, atque observare cupiunt, in ejusdem Omnipotentis Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti nomine impertiremus; quam quidem benedictionem, ipsumque patriarcham ac coadjutores pro certo habemus ea te reverentia accepturum, quæ pium et optimum, et vere Christianum principem ac regem decet, eosdemque non minore animi lætitia et charitate ubique ac semper tractaturum quam nos tractaremur, si ut illi, ad te venire possemus, quod libenter faceremus, ut et nostra in te paterna benevolentia, et tua in nos et sacrosanctam hanc Sedem Romanamque Ecclesiam observantia utrique nostrum clarius eluceret : sed quando id a nobis fieri non potest, omnia humanitatis, liberalitatis, honoris et pietatis officia, quæcumque in eumdem patriarcham, ipsosque coadjutores, et comites eorum contuleris, nos tanquam in nosmetipsos collata accepturi sumus, ex quibus quidem officiis illud potissimum optamus, et ab optima eadem in Dei omnipotentis laudem serenitatis tuæ voluntate in Domino requirimus, ut omnia, quæ ad sanam doctrinam, veramque et Catholicam fidem, ad divinum cultum et mores Christianis dignos pertinuerint, te ipsum ac tuos ubique per provincias et regna tua universa ab eis doceri atque instrui non modo, ut par est, sinas ac permittas, sed omni studio etiam procures ac jubeas. Quod si, ut plane in Domino confidimus, ac spe certa expectamus, diligenter feceris, quam dignissima præmia piis omnibus tui similibus parata, et in terris et in cœlo serenitati tuæ tribuet cumulate. Ut autem tui erga nos studii et amoris aliquod erga nos pignus habeamus, summopere cupimus, ut cum has nostras litteras ipsumque patriarcham et cæteros acceperis, de illorum adventu, quem incolumem et felicem futurum optamus, ac de omnibus rebus spiritualibus, ac de ipsius patriarchæ, et aliorum in eodem regno tuo sanctorum operum fructu, nos per litteras tuas, et per manus ipsius regis Portugalliæ diligentissime facias certiores; et si quid ad eamdem vestram animarum salutem, gratiamque apud Deum in dies majorem consequendam, tibi ac tuis opus fore unquam cognoveris, quod in nostra sit positum potestate, quoties id ad nos scribes, omnem operam navabimus, ut serenitatem tuam in Domino consolemur, quam idem Dominus noster Jesus Christus iterum et semper benedicat, atque in sui nominis gloriam conservet. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die x Martii MDLVI, Pontificatus nostri anno II (1) ».

Commisit se Joannes nuntius patriarcha Indicæ navigationi, atque prope Promontorium

(1) Pauli Pontificis litteræ, ad regem Æthiopiæ datæ, anno non suo ab annalista referuntur. Cum enim signentur « die x Martii MDLVI, Pontificatus anno II », vel mendosa est inscriptio, vel in sequentem annum rejiciendæ sunt; tunc enim die x Martii Pontificatus Pauli annus II agebatur. Nec est cur fucum faciat annus MDLVI, nam forte Paulus veterem stilum anni a Paschate exordiendi vel a

Bonæ Spei, cum procellis ferveret mare in vastissimo illo ventorum imperio, tempestatem furentem sedavit lustrata sacra prece aqua e mari hausta, atque in illud conjecta.

44. *S. Ignatius obit.* — Verum qui hanc expeditionem adornaverat Ignatius Loyola, eo ipso tempore, non tam ætate confectus, quam jejuniis, vigiliisque, et super omnia desiderio Christi decessit. Quod quemadmodum evenerit, ab egregio ejus Vitæ scriptore Joanne-Petro Maffeio [1] desumamus : « Societatis rebus utcumque compositis, Ignatius contemplandi studio secessit in villam, quam non longe ab æde Sanctæ-Balbinæ ad Thermas Antonianas, in usum præcipue Romani Collegii, amicorum benignitate nuper extruxerat. Ibi, vel tectorio novi operis male acceptus, vel urgente jam senio lethalem in febrem incidit, sic, ut cum ejus intima urerentur præcordia, nullus in facie pallor, nulla in toto corpore signa mortis existerent. Tantum insolita quædam lassitudo in membris ac motu apparebat. Itaque domum relatus, in lectulo collocatur. Accersiti confestim medici bono animo jubent nostros esse. At ille cum sibi ultimum diem instare sentiret, mirantibus cæteris, misit, qui a summo Pontifice sibi decedenti salutarem expiationem et indulgentiam ritu Catholico precaretur : deinde cum ad multam noctem de more vigilasset, quin etiam nonnulla cum domesticis in rem Collegii transegisset, sopori se dedit : itemque qui aderant, cubitum discessere nihil admodum periculi suspicantes. At ecce mane postridie duo e fratribus, ejus vitæ quotidianæ administri cubiculum visendi Patris causa introeunt ; ad lectulum sensim accedunt, ac præter omnium opinionem vitali spiritu pæne defectum offendunt. Accurritur illico ad socios. Alii ad medicum advolant. Alii interea ad refocillandas vires (ut assolet) jusculum porrigunt : quibus ille cum nihil jam opus dixisset, Jesum intermortuis vocibus identidem appellans, placidissime efflavit animam hora post solis ortum prima, feria sexta pridie kalend. Augusti anno post Christum natum MDLVI. Qui vero ad Pontificem pridie sub Vesperam fuerat destinatus, quod nihil tale metueret, re in proximam lucem dilata, cum quod volebat, statim impetrasset libente Pontifice, et verbis amicissimis Ignatium prosequente, graviter deinde semet incusans, tempori non occurrit. Defuncti corpus, tum inspiciendi, tum exenterandi causa dissectum, summam viri abstinentiam et sobrietatem liquido comprobavit. Siquidem et stomachus venterque prorsus inanis, et præ siccitate diuturna mire contractus apparuit, et jecur ea ipsa de causa ita obduratum aridumque, ut pene lapidesceret. Sane Realdus Columbus, egregius ea tempestate sector, qui aperiendo interfuit, in hepatis vena, quæ porta dicitur, lapides tres sese invenisse testatur in suo de Anatomia Libro ; ut pro miraculo non levi habitum sit, vitalibus adeo affectis, ac propemodum exustis hominem tamdiu vivere potuisse, præsertim hilari semper eodemque vultu exsequentem præpositi generalis officia et munera. Mortuus autem anno ætatis quinto et sexagesimo, suæ conversionis ferme trigesimo quinto, confirmatæ vero Societatis sextodecimo. Quam ille tam exiguo temporis intervallo tam longe lateque propagatam reliquit, ut jam tum ab ipso constitutæ numerarentur Provincæ duodecim, et in iis varia nostrorum domicilia fere centum. Vulgata ejus morte, ingens confestim hominum concursus visendi causa domum est factus, atque hi manus, hi pedes certatim exosculari : alii Rosaria, quæ vocantur, applicare corpori, multi etiam pilei vestiumve, quibus uti consueverat, frustulum aliquod enixe rogare ; quibus tamen modestiæ gratia nihil a nostris est datum. Corpus in eodem cubiculo, ubi expiraverat, biduo ferme servatum, Sabbatho sub vesperam inclusum arcæ, post exequias mira populi frequentia celebratas, in templo nostro ad dextrum latus aræ maximæ humatum est ». Quem postea sanctitate et miraculis clarum, et Catholicæ religionis ubique dilatandæ studiosissimum Gregorius Decimus quintus Pontifex Maximus die XII Martii anni MDCXXII, una cum BB. Isidoro, Francisco Xaverio, Theresia et Philippo in sanctorum numerum retulit.

[1] Maffeius Vitæ lib. II. c. 23.

die XXV Martii aliquoties secutus est. Quod si admiserimus, omnia in ea litterarum inscriptione salva et integra sunt. Eamdem annorum ineundorum a Martio rationem exhibent litteræ ejusdem Pauli ad internuntium Apostolicum Venetiis agentem, recitatæ in Annalibus infra ad A. MDLVII, num. 52.

MANSI.

PAULI IV ANNUS 3. — CHRISTI 1557.

1. *Paulus instituit Congregationem quæ terror officialium nuncupatur, festum Cathedræ S. Petri Romæ celebrari jubet et cardinales creat.* — Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo septimo, Indictione decima-quinta, Paulus Pontifex, ut initia hujus anni pietate ac justitia redderet illustria, Congregationem instituit [1], quæ terroris officialium Romanæ curiæ nomen sortita fuit, ac denuntiari publice pro suggestis a concionatoribus jussit, semel se quoque mense quorumvis querimoniis coram duobus cardinalibus, qui veluti judices assiderent, aures præbiturum. De qua quidem Congregatione hæc habent Acta Consistorialia : « Die Sabbathi vigesima tertia Januarii MDLVII, fuit Congregatio generalis, in qua Sanctissimus Dominus noster multis verbis proposuit et ordinavit, quod singulis mensibus daretur audientia in aula regia, in qua quilibet posset conqueri de injustitia sibi facta et injuria quorumcumque officialium, adstantibus sibi cardinalibus, prælatis et officialibus, de quibus in proclamatis, et hoc sive publice et palam, sive secreto porrigendo querelam et libellos supplices, promittendo singulis justitiæ complementum, prout potest videri in Sanctitatis suæ ordinatis, cujus tenor sequitur et est talis :

2. « Sanctissimus D. N. D. Paulus divina providentia papa Quartus cupiens quorumvis tam in alma Urbe, quam in statu Ecclesiastico, ac toto orbe terrarum gravatorum et oppressorum indemnitati consulere, decrevit, semel quolibet mense, incipiendo die Mercurii proxime futuro, hora decima nona, quibusvis utriusque sexus personis ad Sanctitatem suam recurrentium in aula regum, reverendissimis DD. cardinalibus et aliis assistentibus, publicam audientiam præbere, et quascumque querelas coram Sanctitate sua proponendas seu in scriptis porrigendas, audire, et summarie sola facti veritate inspecta decidere, vel juxta eorum qualitatem aliis audiendas committere ; et ut hujusmodi tam salubre opus ad honorem et gloriam omnipotentis Dei inchoari, et salubriter dirigi, ac prospere continuari possit, omnibus conventibus monasteriorum, et aliorum Regularium locorum, necnon capitulis Collegiatorum, et aliarum Ecclesiarum ipsius Urbis præcipit et mandat, ut die Dominica proxime futura post Missarum solemnia in eorum Ecclesiis humiles Altissimo supplicationes processionaliter faciant, et super his Dominum nostrum Jesum Christum puro corde precentur ; ac insuper vivæ vocis oraculo, visitantibus proxima die Conversionis Sancti Pauli Doctoris Gentium ejus Basilicam et Basilicam Sancti-Petri principis Apostolorum de Urbe, plenariam indulgentiam in forma Ecclesiæ consueta dat et concedit.

« Secundo loco sua Sanctitas jussit perpetuis futuris temporibus per universum orbem Christianum celebrari debere Cathedram Sancti-Petri, in die decima octava Januarii, qui etiam est dies sanctæ Priscæ, in qua prima sessio fuit beatissimi Petri in hac alma Urbe, et volebat in hoc festo omnes indulgentias et prærogativas concedere, non derogando per hoc alteri festo Cathedræ Antiochenæ quod est vigesima secunda Februarii, et hoc ad confusionem Lutheranorum, qui negant beatum Petrum Romam unquam venisse, et super hac re Bulla expeditur, quæ proximo tantum anno manavit in amplissima forma ». Restitutam hanc a Paulo celebritatem, quæ quamvis esset antiquissima, jam in aliquibus Ecclesiis exoleverat, docet cardinalis Baronius in Notat. ad Martyr. Rom. die 18 Januarii.

3. « Paulus etiam XV Martii ad sacram purpuram viros vere purpura dignos evexit; sic Acta [1]

[1] Saoch. p. 2. Hist. Soc. Jesu. Ms. card. Spadæ to. 1324. p. 80.

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 218.

Consistorialia : « Romæ die Lunæ decima quinta Martii MDLVII, sanctissimus Dominus noster certis suadentibus rationabilibus causis, nemine discrepante, creavit et assumpsit in sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteros cardinales infrascriptos, ordine, qui sequitur, videlicet :

« Reverendissimum Thaddæum archiepiscopum Cusentinum de Gaddis.

« Reverendissimum Antonium episcopum Tolonen. de Trivultiis absentem.

« Reverendisssimum Laurentium episcopum Biteren. de Strozzis, absentem.

« Reverendissimum Virgilium episcopum Iscalen. vicarium Urbis, Rosarium.

« Reverendissimum Joannem, olim electum Convenarum, sigillorum regis Christianissimi custodem, absentem, Bertrannum.

« Reverendissimum Michaelem episcopum Nepesinum, Alexandrinum ». Hic postea sub nomine Pii V ad Pontificatum evectus, et inter beatos a Clemente X Summo Pontifice anno MDCLXXII relatus fuit.

« Religiosum virum fratrem Clementem generalem Ordinis fratrum Minorum, et theologiæ professorem, Dolera nuncupatum.

Diaconos cardinales.

« Nobilem virum Alphonsum Caraffam pronepotem suæ Sanctitatis, Neapolitanum.

« Reverendissimum Vitellotium electum Civitatis-Castelli, Vitellium nuncupatum.

« Jo. Baptistam consiliarium Romanum.

« Ac aliorum reverendissimorum ejusdem sanctæ Ecclesiæ cardinalium cœtui, numero et consortio, cum dignitate, auctoritate, præeminentia, honoribus, privilegiis et emolumentis consuetis, favorabiliter aggregavit, cardinalesque fore et esse decrevit et pronuntiavit, ipsosque solita benedictione benedixit, et ex tunc in cardinales, et aliorum cardinalium præteritorum ordinem, eorumque collegium una cum eisdem cardinalibus de eorum consensu admisit, et admittendos fore decrevit ; necnon quod in tantæ dignitatis decus cardinalibus pro tempore assumptis exhiberi consuevit, birretum rubrum per Sanctitatem suam de more benedictum cardinalibus præsentibus tradidit et assignavit, absentibus vero per nuntium suum specialem transmisit, et presbyteros et diaconos cardinales respective publicavit, cum retentione pro eorum singulis omnium beneficiorum, et pensionum, ac jurium ad beneficia, et cum derogatione Constitutionis in Conclavi editæ, quod patruus et nepos simul cardinales esse non possint, ac aliis derogationibus.

4. « Die Sabbati vigesima mensis Martii MDLVII, fuit Consistorium publicum.

« Reverendissimos cardinales noviter creatos præsentes, videlicet reverendissimos de Gaddis, Rosarium, Alexandrinum, generalem Ordinis Minorum presbyteros, diaconos autem, reverendissimos Caraffam, Vitellium, Consiliarium, primo ad pedum, et deinde manus, successive illos allevans ad oris oscula, paterne excepit.

« Die Lunæ vigesima secunda Martii MDLVII, fuit Congregatio generalis, in qua Sanctissimus D. N. primo indixit silentium, deinde clausit os reverendissimis DD. cardinalibus noviter creatis præsentibus, cum inhibitione, ne quid loqui præsumant in Consistoriis, aut aliis Congregationibus, donec Sanctitas sua de Fratrum consilio duxerit os eis aperire ». Quibus postea titulos assignavit. Fueruntque secundum Acta [1] Consistorialia hujusmodi :

« Die Mercurii vigesima quarta Martii fuit Consistorium : Sanctissimus aperuit os reverendissimis DD. cardinalibus nuper creatis, illosque annulis pretiosis decoravit, cum illorum immissione digito annulari manus dexteræ, et eorum cuilibet pro titulo et denominatione respective sui cardinalatus concessit et assignavit infrascriptas Ecclesias. Reverendissimo de Gaddis Sancti-Silvestri : ipsumque illi in presbyterum cardinalem præfecit, cum retentione, et cum aliis consuetis etc. Erexit in titulum Ecclesiam Beatæ Mariæ super Minervam, et illam cardinali Alexandrino assignavit ; ipsumque, etc. cum retentione, etc.

« Reverendissimo Rosario concessit Ecclesiam Sancti-Simeonis, ipsumque etc.

« Reverendissimo Saraceno, quod titulo Sanctæ-Mariæ in Aracæli cesserat, Ecclesiam Sanctæ-Anastasiæ certo modo vacantem assignavit, ipsumque etc.

« Reverendissimo de Moniliana Ecclesiam Sanctæ-Mariæ in Aracæli assignavit, etc.

« Reverendissimo Alphonso Caraffa Ecclesiam Sancti-Nicolai inter Imagines, ipsumque, etc.

« Reverendissimo Vitellotio Ecclesiam Sanctorum Sergii et Bacchi, ipsumque, etc.

« Reverendissimo Consiliario Ecclesiam Sanctæ-Luciæ in Septisolio, etc.

5. *Hispanus Roma potiri tentat, sed cœlesti virtute Urbs liberatur.* — Amplificato ita cardinalium senatu, Paulus Neapolitani proregis armis lacessitus, cum Hispani administri graviora in dies contra jus auctoritatemque Ecclesiæ facinora patrarent, adversus Carolum V et Philippum citerioris Siciliæ et Angliæ regem, erecto novo tribunali, selectis ex omni ordinum genere viris doctissimis, legum severitatem distringere decrevit, Pontificiosque omnes administros, qui in Cæsaris et regis Philippi regnis agebant, revocavit : necnon feria quinta majoris hebdomadæ defixit anathemate invasores urbium ditionis Ecclesiasticæ, tum omnes, qui consilio,

[1] Pag. 221.

vel auxilio, studiisve iis adhærerent, sine ullo imperialis vel regiæ cardinalitiæ vel alterius Ecclesiasticæ dignitatis discrimine, nec sequenti feria sexta inter sacra precum formula pro imperatore perlecta est. Tum ad vim vi propulsandam non modo quascumque potuit copias collegit, verum etiam Italos principes, maximeque Venetos concitare adversus Hispanum nomen annisus est : gestisque a duce Montorii et Petro Strozzio secundis præliis Tybur, Vicovarium, arcemque Hostiæ occupata a duce Albæ prorege, qui ad opprimendum Pontificem cum exercitu florentissimo irruperat, recuperavit. Dux etiam Guisius ineunte hoc anno a Galliæ rege submissus, superatis Alpibus ingressus Italiam, decem millibus peditum, ac ferme duobus millibus equitum succinctus, expugnata vi direptaque Valentia, quod illius præfectus transitu illum arcere pertentasset, terrorem proregi incussit ; adeo ut is Joannam Caraffam Pontificis sororem matronam ornatissimam conciliandæ pacis interpretem miserit ; quæ, assentiente etiam Philippo rege, pollicebatur Senensem urbem tradendam Montorii duci, modo Pallianum Columnensibus restitueretur ; tota enim hujus belli moles et causa inde pendebat. At Paulus, qui de tradendo regno Neapolitano Henrici secundogenito fidem obstrinxerat, spe elatior quasi hostem certissime prostraturus esset, paci honestissimæ non assensit, Romamque in summum discrimen adduxit.

6. Excepit quidem venientem Guisium generum Hercules dux Ferrariæ, ac mille pedites et equites octingentos illi conjunxit; necnon supremum militare imperium detulit illi Paulus Pontifex [1] in fœderatorum Italico exercitu hisce litteris :

« Dilecto filio Herculi duci Ferrariæ, sancti fœderis duci generali.

« Dilecto filio, nobili viro, etc. A dilecto filio Carolo Caraffa sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali, nostro secundum carnem nepote, diligenter per litteras et nuntium certiores facti sumus, quanto animi studio, quantaque devotionis ac fidei erga nos et sanctam hanc Sedem significatione nobilitas tua professa fuerit, paratam se esse relictis rebus suis, pro sanctissimo inter nos juncto fœdere, venire in expeditionem hanc pro sancta Romana Ecclesia susceptam, et pro delata sibi imperii summa, nullum militiæ laborem, nullumque periculum recusare : quæ voluntas tua tam egregia eo nobis grata extitit, ut magnas Deo omnipotenti gratias egerimus, qui tali nostro et hujus Sedis tempore, tantum nobis et rebus nostris præsidium obtulerit. Nec vero alienum quidquam, aut virtute tua, aut nostro perpetuo de te judicio et expectatione facit; nos autem, quibus res tua non minoris curæ fuit quam nostra, quique cogitamus et intelligimus, tuam isthic præsentiam magnopere nobis non modo utilem, sed etiam necessariam fore ad tuendos fines nostros et tuos simul, et ad capienda pro re et tempore consilia, si quis in istis partibus motus existeret, expedire judicavimus, te minime moveri, sed nobilitatem tuam isthic nostris simul et tuis rebus præsidere; in his autem locis nobilem virum ducem Guisiæ Franciscum generum tuum, tanquam manum alteram, vice tua nobis et Apostolicæ Sedi operam navare; quamobrem de tua præstanti virtute et fide erga nos et principis Apostolorum Sedem tibi gratulantes, tuumque tam egregium animum omnipotenti Deo et sanctissimis Ecclesiæ Romanæ præsidentibus Apostolis offerentes, hortamur nobilitatem tuam, tibique præcipimus, ut ne isthic discedas, illudque tibi persuadeas volumus, tuum absentis officium non minus aut nobis gratum, aut rebus nostris opportunum fore, quam in his partibus futura esset opera. Dat. Romæ die XIX Februarii MDLVII ».

7. Habito militari consilio apud Regium Lepidi inter Guisium, Ferrariensem et cardinalem Caraffam, quo belli moles vertenda foret, orta est dissensio; nam Ferrariæ dux Parmam oppugnandam contendebat, cujus expugnatæ imperium sibi tradendum a Pontifice præfidebat; sed Guisius, cui data erant mandata regia, ut Pontifici ferret suppetias, necnon cardinalis Caraffa repugnarunt, adeo ut Ferrariensis reductis copiis suis iratus abscesserit. Dux vero Guisius per Flaminiam duxit exercitum, et bellum regno Neapolitano inferre meditatus; at se magnis cinctum periculis animadvertit; non enim Ecclesiasticus exercitus, quem legatus cardinalis conjungendum Gallis promiserat, comparebat, non etiam promissa nummaria subsidia pro conficienda Neapolitana expeditione illi præbebantur; imo Caraffæ Pontificii nepotes stipendia militi persolvenda in suos usus avertebant, indeque gravis rixa inter ducem Guisium et Caraffam Montis-Belli marchionem contracta est : cumque e Piceno ex mandato Pontificio irrumpere in regnum Neapolitanum pertentasset, atque Civitellam arcem XXIV Aprilis obsidione cinxisset milite et armis egregie communitam, expugnare vi eam non potuit; adeo ut cum prorex valido succinctus exercitu proxime immineret, decima quinta Maii solverit obsidionem; cum milites Itali e castris stipendiorum inopia diffluerent, ad quæ persolvenda maximis difficultatibus impeditus Pontifex tum grave vectigal subditis imposuit. De quo hæc habent Acta [1] Consistorialia :

8. « Die Martis, decima octava Maii, MDLVII, fuit Congregatio, in qua lecta fuit Bulla impo-

[1] Paul. IV. lib. brev. III. p. 7.

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 226.

sitionis novi subsidii per totum statum Ecclesiasticum, pro tuitione dicti status adversus sanctæ Sedis Apostolicæ hostes. Cardinales deinde cœperunt dare vota et omnes, nemine excepto, propter necessitatem ingruentem et Sedis paupertatem probabile dixerunt, et omnino necessarium, in quantitate, modo etiam dato per Bullam, ad quam habeatur relatio. Non fuit contradictio, nisi duorum aut trium, quibus magis placuisset (ut dicebant) aliud genus impositionis subsidii, et quod tolerabilius subditis videri posset, quam illud quod in Bulla præscribebatur; quibus tamen non obstantibus, reliqui omnes cardinales multis et adductis per singularia vota rationibus, et re ad longum disputata, pro executione Bullæ nihil immutandum, suam sententiam dixerunt ».

9. Exasperati imposito eo censu, qui ad quinquies centena aureorum millia ascendebat, Romani arcanas coitiones adversus Paulum agitare cœperunt, ac Marcus Antonius Columna lectissimis stipatus copiis in Campaniam varias excursiones egit, prorex etiam Neapolitanus ditionem Ecclesiasticam vexare non destitit. Interea Pallianum cinctum est obsidione a Columna, ad quam solvendam cum Julius Ursinus copias eduxisset, fusus, profligatusque est, quo successu armorum elatus, impetus suos in Signienses effudit, miseramque urbem, sine ætatis ac sexus discrimine, rapinis cædibusque ita fœdavit; nec ab Hispanis Germanisque militibus virginum sacrarum matronarumque pudori, aut religioni templorum parcitum est; ex quo maximum dolorem traxit Pontifex, quem etiam auxere gravissimæ Guisii ducis querelæ adversus Caraffas, qui promissis non stetissent, adeo ut in Hetruriam vel in Insubriam traducere exercitum decerneret : verum regio coactus imperio, ac Caraffæ et Turnonii, ac Petri Strozzii precibus flexus ad ferendam Pontifici opem e Piceno in Latium cum Gallico exercitu provolavit, conficiendæque Neapolitanæ expeditionis consilia instaurata sunt. Sed illa novo casu inopino eversa sunt [1] : nam cum Philippus rex contractum e Belgis Anglisque et Hispanis exercitum effudisset in Galliam, premereturque obsidione Fanum S. Quintini, insigne Veromanduorum oppidum, Henricus rex florentissimum exercitum ad solvendam obsidionem submisit, consertoque ingenti prælio deletus est maxima strage Gallicus exercitus, adeo ut ad tuendam Galliam ducem Guisium e ditione Ecclesiastica revocarit, itaque Pontifex Paulus et Caraffæ nepotes ad pacis consilia flexere animos, ac Placidus cardinalis Sanctæ-Floræ missus est Pontificio nomine pro concilianda æquis conditionibus pace ad ducem Albæ proregem Neapolitanum : is vero fastu turgidus cardinalem acerbis verbis excepit, qui eam legationem suscepisset, expugnandæque Romæ cupidine incensus, cum Romanos ob bellicas calamitates a Pontifice aversos, atque ad pugnam imparatos accepisset, scalis noctu admotis assilire in mœnia constituit; cumque ad Columnæ oppidum castra fixisset, Ascanium Corneum cum lectissima militum manu submisit, jussitque subsequi Franciscum Antonium Barardum, ut perfracta expansaque Nævia porta, quam majorem vocant, universus exercitus induceretur. At cum pro explorando Urbis statu vigilumque custodia proxime accessissent, collucentium facum multitudine visa et armorum strepitu ingenti audito, copiarumque frementium discursu, tanto terrore perfusi sunt, ut in effusam fugam se conjecerint.

10. Manuscripta referunt vetera editum a Numine prodigium, cum mœnia in ea Urbis parte, ut acceperant relatione hostes, defensore idoneo carerent. Certe constat religiosum illum sacerdotem qui ex divi Bernardi familia divino lumine collustratus jam antea sancto Philippo Nerio dixerat [1], nolle Deum, ut in Indias cum sociis proficisceretur, sed ut excolendæ pietate Urbi sacram operam daret, addidisse etiam vidisse aquas Salvias sanguine manare, sibique a sancto Joanne Evangelista cœlesti viso ostensum Urbem in extremi exitii discrimen adductam, ni divina vi ab eo discrimine vindicaretur. Divinæ itaque providentiæ benignitati atque principis Apostolorum patrocinio singulari vindicatæ ab infelici vastitate Romæ salus tribuenda est [2], non aliter quam Pelagio II et divo Gregorio magno Pontificibus Urbs olim defensa est; parique felicitate a porta majore hostis propulsatus, qua Flaminia porta ab irruptione barbarorum Justiniani imperatoris temporibus fuerat, ut scribit Procopius [3], liberata : licet enim dux Guisius Tybure pro tuenda Urbe excubaret, tamen prorex Neapolitanus, ut scribit Navagerius orator Venetus, postea creatus a Pio IV cardinalis, die nocteque tanta celeritate cum toto exercitu Romam provolarat, ut facile Romam capere potuisset : ac præfectis castrorum in quas partes Urbem ingressi copias adducere deberent, præfixerat; ut primum Liberianam Basilicam occuparent, ibique figerent castra, donec ipse cum toto exercitu pervenisset; inde acies in Suburranam regionem progrederentur, mox in campum Floræ se effunderent; tum Montem Jordanum, Ursinorumque Palatium expugnatum magnis molibus communirent [4], ut facto aggere tormenta bellica ad diverberandam Molem Adrianam in eo collocarent : ita enim Urbem a Pauli Pontificis terroribus liberandam jactabat, ac pro tessera militari

[1] Belcar. l. XXVII. Justin. hist. Ven. l. XIV.

[1] Silos hist. der. regul. l. IX. S. Philip. Vit. auctor. — [2] Baron. an. 585. num. 3. et an. 595. num. 18. — [3] Procop. de bello Gothor. l. I. Ms. Vallicel. biblioth. — [4] Adrian. l. XV.

libertatis nomen speculatoribus dederat nomine meditato facinori prorsus contrario, cum Urbem orbis dominam, Christique in terris vicarium in servitutem redigere decrevisset.

11. *Paci procurandæ inter omnes principes Christianos Paulus totis viribus incumbit.* — Delusus spe concepta potiundæ Urbis prorex, cum metueret, ne dux Guisius cum Gallico exercitu ac tribus Helvetiorum millibus subsidiariis Romanisque in eum incurreret, signa retro convertit; ac tum Veneti [1], ad quos Antonius Trivultius cardinalis missus fuerat, necnon Cosmus dux Florentiæ veriti, ne Hispani, oppresso Pontifice, totius Italiæ tyrannidem affectarent, ad sopiendum gliscens incendium, conciliandamque concordiam studia flagrantissima contulerunt. Movebatur Pontifex inspectis subditorum calamitatibus ad ineundam pacem, quæ continentibus proborum omnium votis expetebatur, quibus explorata erat et conspicua Ivonis sententia præclarissima, quod « res omnes non aliter bene administrantur, nisi cum regnum et sacerdotium in unum convenerint studium ». Conjunxit etiam operam suam pro concordia promovenda Joannes Lusitaniæ rex factus illius Joannis, et nominis et muneris successor, de quo apud Malachiam typice legitur. *Et convertet cor patrum ad filios, et cor filiorum ad patres eorum;* litteris enim ardenti pietate delibutis Paulum hortabatur, ut paci animum accommodaret, cui Paulus de amantissimo officio gratias retulit [2], dissensionis causas a se in Philippum avertit, rogavitque, ut apud illum piis monitis concordiæ interpretem ageret.

12. « Regi Portugalliæ.

« Charissime, etc. Reddidit nobis superioribus diebus majestatis tuæ litteras dilectus filius nobilis vir Alphonsus de Alencastro consanguineus et apud nos orator tuus, quas ipse prudenti et accurato sermone est subsecutus, nam multa ille quidem ex intimo animi tui sensu deprompta nobis diligenter explicavit, quæ ad pacem cum rege Philippo constituendam maxime pertinerent, ea nos cum libenter audivimus et probavimus, tum recenti hoc, et pro tuæ majestatis officio, eorum omnium, quæ antea per eumdem oratorem optima voluntate ac solerti cura, vere tanto, tam Catholico rege, qualis tu ipse es, digna in hac ipsa causa egeras, facile recordati sumus ; verum quod pacem nobis et concordiam suadeas, non est quod in eo valde labores, cum et natura ipsa nostra miti profecto et benigna quietis et otii certe semper studiosissimi cupidissimique fuerimus, et nunc potissimum Christi Dei nostri exemplo, cujus vicarium in terris agimus, pacem eam præsertim, quæ cum universæ Christianæ reipublicæ salute et hujus sanctæ Sedis dignitate conjuncta sit, sedulo quærere amplectique studeamus; quamobrem, fili charissime, tui in primis erit muneris pro tua singulari pietate ac prudentia apud eumdem Philippum regem sororis tuæ filium, litteris atque nuntiis ita curare, et efficere, ut is ad nostram et Dei Ecclesiæ auctoritatem et obedientiam, extra quam salvus nemo esse potest, se quamprimum conferat et revertatur, spretisque ac repudiatis improborum hominum consiliis, mentem suam ad pacis studia omnino traducere, quam bello iniquo ac impio rem transigere malit, sed hæc et pleraque alia ad hoc ipsum pacis negotium tendentia, quæ Alfonso oratori tuo respondimus plenius atque diffusius, ut ad Majestatem tuam scriberet, ei mandavimus. Datum Romæ apud S. Petrum die XV Julii MDLVII, anno III ».

Cardinalis etiam Polus [1] nullum finem faciebat hortandi, rogandi, monendi, tum apud reginam præsens, tum per litteras ac nuntios apud Philippum, qui tunc in Belgio aderat, si qua posset iniri pacis et concordiæ ratio. Misit Romam quoque ad ipsum Pontificem Henricum Piniagum Anglum, qui in Italia diu cum ipso versatus erat, et cujus opera plurimum utebatur, qui ei a se omnia officia ac studia deferret, et quid cum rege ipso egisset, ut arma ponerentur, exponeret ; simul, et quid in ea re cuperet fieri cognosceret.

13. Non abhorrebat a pace Philippus Angliæ et Neapolis rex, imo in eam erat pronior et in obsequium Pontificis, ac bellum a suis administris conflatum damnabat una cum Cæsare ; jure enim Paulum in suos subditos perduelles severitatem legum exercuisse agnoscebat, illudque excitatum acerbe ferebat, urgebatque Ferdinandum ducem Albæ proregem, ut pacem honestis legibus conficeret, subjectisque litteris [2] ad eam paciscendam necessaria auctoritate instruxerat :

« Philippus Dei gratia Hispaniarum, Angliæ et Franciæ, Neapolis et utriusque Siciliæ, Hierusalem, Hiberniæ, etc. rex, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Mediolani, Brabantiæ, comes Habspurgii, Flandriæ, Tyrolis, etc.

« Recognoscimus et notum facimus tenore præsentium universis, quod quamvis pro incredibili studio et amore ad componendam illam dissensionem, quæ inter summum D. Paulum divina providentia sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum, et nos diebus elapsis non sine magno animi nostri dolore coorta fuit, die XVII mensis Decembris anno Domini MDLVI illustri fideli nobis dilecto domino Ferdinando Alvarecio Toletano, duci Albæ, consiliario nostro status, prætorii præfecto, proregi regni nostri Neapolitani, gubernatori Mediolani, et exercitus nostri Neapolitani,

[1] Ms. card. Spadæ. to. CXXXIV. — [2] Paul. IV. l. VIII. brev. p. 349.

[1] Vita car. Poli p. 34. — [2] Ext. apud Natal. Comit. l. X.

et exercitus nostri in Italia summo duci plenam facultatem dederimus, cum ejus Sanctitate, aut quibuscumque personis ab ea potestatem habentibus, omnia tractandi, paciscendi, exequendi, quæ ad hanc compositionem et concordiam spectare videantur; quo tamen huic negotio necessario mora nulla aut dubitatio injiciatur, quin ad exitum optatum perducatur, et nostro huic desiderio plenius satisfiat, eamdem illam facultatem cum eisdem clausulis, prout jacent, ad verbum eisdem modis et formis gratificare, stabilire et confirmare decrevimus, prout tenore præsentium gratificamus, stabilimus et confirmamus, ratumque habemus et approbamus quidquid præfati mandati nostri virtute hucusque gestum, actum et transactum est ab ipso duce Albæ cum sanctissimo Domino nostro Paulo IV, aut ab eo potestatem habentibus, ac si a nobis id actum et conclusum foret, et ad uberiorem cautelam, quatenus opus est, eidem duci Albano confisi, et ejus integritati et prudentiæ multarum rerum, eamdem provinciam per præsentes demandamus, dantes denuo plenam, quatenus opus sit, facultatem, auctoritatem et potestatem, ut nostro nomine possit ac valeat cum sanctissimo Domino nostro Paulo IV Pontifice Maximo, seu cum admodum reverendo cardinali Caraffa, vel alio, seu aliis quibusvis a sua Beatitudine potestatem habentibus, conventiones, pacta et conventicula quævis inire, tractare, concludere, firmare, vel inita jam continuare, et ad finem perducere, necnon alias donationes, concessiones, cautiones, securitates et promissiones cujuscumque qualitatis aut existentiæ fuerint, prout ipsi bene visum sit, promittere, acceptare, et nostro nomine assecurare, etiamsi mandatum exigant præcipuum, quam præsentibus est expressum, omniaque alia singula facere, firmare, disponere, ordinare et pertractare, quæ nos ipsi facere, disponere et pertractare possemus, si ore præsentes essemus, et illa, si opus fuerit, juramento confirmare, unumque aut plures ad præmissa loca ejus substituere, cum simili seu limitata potestate, promittentes sub nostra fide et verbo regis nos gratum et ratum habituros, et omni dolo ac fraude semotis observaturos quidquid per eumdem ducem Albanum mandatarium nostrum, aut substituendum, aut substituendos actum, gestum, ordinatum, conventum, concordatum, promissum et conclusum fuerit circa præmissa, vel quodlibet præmissorum, et nullo unquam tempore revocaturos, neque ulla ex parte controversuros. Sub bonorum nostrorum omnium præsentium et futurorum obligatione, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri secreti impressione munitarum. Dat. Bruxellis ducatus nostri Brabantiæ die XXVI mensis Julii, anno Domini MDLVII ».

14. Inclinantibus itaque ad pacem omnium studiis, atque etiam assentiente Henrico rege Galliæ Pontificis fœderato, ac revocante etiam in Galliam ducem Guisiæ cum Gallico exercitu, quorum opera indigebat, Paulus Pontifex die octava Septembris Carolo Caraffæ nepoti, SS. Viti et Modesti in Macello Martyrum diacono cardinali, sanciendæ cum duce Albæ pacis potestatem contulit.

Convenere Carolus Caraffa cardinalis et Ferdinandus prorex in oppido, cui Cavi nomen est, atque pacis leges [1] honorificæ confectæ subscriptæque decimo octavo kal. Octobris : quarum præcipuæ hæ fuere, ut Ferdinandus prorex Philippi regis nomine accederet, ac obsequii et demissi animi officia præstaret Pontifici, gestorumque veniam postularet, ac Pontifex Philippum, ut obsequentissimum filium, paterna benevolentia complecteretur, illumque regiæ munificentiæ restitueret. Sancitum etiam, ut Pontifex a fœdere Gallico discederet, atque utrumque regem tanquam medius arbiter paribus studiis prosequeretur. Tertio decretum, ut Ecclesiasticæ ditionis oppida capta, dirutis munitionibus novis, restituerentur Pontifici, et utrinque capta tormenta bellica vicissim redderentur. Quarto, ut tum Pontifex, tum rex iis, qui in eo bello eorum majestatem læserant, ignoscerent, raptasque opes restituerent, Marco Antonio Columna, et Ascanio Corneo, et aliis Romanæ Sedis perduellibus exceptis, qui obnoxii manerent pœnis quibus erant obstricti, donec Pontificia clementia illis solverentur, de Palliano nonnullisque aliis arcanæ constitutæ sunt pacis leges.

15. Visus est Paulus Camerario de victoribus licet victus triumphasse, ac Vitæ auctor [2] Philippi II pietatem commendat, qui promereri ac ornare Catholici cognomen obsequio ac religione in Romanum Pontificem maluerit, quam armorum ferocia et contentione tot regnorum titulos regiamque majestatem tueri : tum Paulum IV hoc elogio exornat : « Pauli IV mentem nullus quidem in dubium revocaverit fuisse omnino egregiam, Romanæque Ecclesiæ dignitatis, quam a Cæsarianis administris opprimi ferre non poterat, asserendæ studiosissimam : at illius constantia clariore longe gloria effulsisset, si augendorum nepotum et Neapolitanæ expeditionis abjectis curis, tolerata Hispanorum administrorum insolenti impudentia, pro Christi gloria promovenda, ac Lateranensi Œcumenico Concilio, ut extingueret hæreses moresque Ecclesiasticos sanctitate perpoliret, celebrando, cœpta sacra studia, et magnifica consilia, curasque omnes ad pacem inter Hispanum et Gallum conciliandam omni contentione, missis jam ea de causa cardinalibus legatis, contulisset.

Singulari demum divini numinis ope ac providentia pacem illam inter Paulum Pontifi-

[1] Ext. apud Silos l. IX. — [2] Vit. Philipp. II. l. IX.

cem regemque Philippum sancitam insigni eventu constitit : etenim eadem die, qua pax confecta est, Joannes Marinonius pietate illustris sacerdos celebrato Missæ sacrosancto sacrificio, cum ad populum concionem haberet Neapoli in Sapientiæ monasterio, veluti divino afflatus spiritu, inclamare cœpit, Alleluia, tum in ea erupit verba : *Da pacem, Domine, in diebus nostris*, postremo constantissime, quasi oculis suis rem, quæ procul agebatur, cominus inspiceret, pacem inter Paulum IV et Philippum II initam asseruit.

16. Confirmata ea pace decimo tertio kalendas Octobris Franciscus dux Guisius ipso mane, cum exercitu in turmas diviso ex Urbe discessit, accepta a Pontifice discedendi venia, quem Paulus plurimis officiis est prosecutus, cum pro illo defendendo, hostique inferendo bello, donec pacem honestissimis conditionibus vidisset redintegratam, nullas periculorum tempestates defugisset; atque Henrico [1] Galliarum regi actis gratiis, Franciscum ducem optime de Romana Ecclesia meritum commendavit hisce litteris :

« Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, salutem, etc. Quemadmodum omnipotenti Deo placuit, cujus misericordia nunquam Ecclesiæ suæ defuit, res hujus sanctæ Sedis, quæ in eo discrimine versabantur, quod serenitati tuæ ignotum non fuit, compositæ fuerunt, eaque tempestas, qua beati Petri navicula jactabatur, ipsius meritis et intercessione sublata est. Sicut autem antea dilectus filius nobilis vir Franciscus dux Guisiæ auxiliorum tuorum præfectus, tum ut jussa et mandata tua exequeretur, tum etiam pro egregia sua totiusque familiæ perpetua in hanc sanctam Sedem devotione, erga nos ita se gesserat, ut serenitati tuæ, ipsique eo nomine non parum hæc Sedes debeat, itaque postquam rerum statu ita flagitante de compositione actum est, tametsi ad serenitatem tuam properans quamprimum discedere et isthuc advolare cupiebat, tamen ne deseruisse nos videri posset, atque ut æquioribus conditionibus compositio fieret, substitit nostri causa, quamdiu opus fuit, qua in re, quod meminerimus semper, plane ab eo nobis satisfactum fuit omnino, cum eum apud te locum is obtineat, ut commendatione nostra non egeat, sed tamen pro nostra erga benemeritos de nobis homines voluntate facere non possumus, quin serenitatem tuam rogemus, ut nostra quoque causa talem virum aliquando habere velit chariorem : de nobis vero, charissime fili noster, sic persuasum tibi habeas gratam tuorum in nos meritorum memoriam a nobis perpetuo conservatum iri, maximasque nos hoc nomine Deo gratias agere, quod ad consulendum rebus tuis vicissim, quæ nobis maximæ curæ sunt, nostrumque in te amorem declarandum aditum nobis patefactum jam esse speramus. Datum Romæ apud S. Petrum etc. die XV Septembris MDLVII, anno II ».

17. Quo die matutina hora discessit Guisius, ejusdem vespere prorex Romam pervenit, rectoque itinere ad Vaticanum Pontificem adiit multis stipatus proceribus, ad quem secunda noctis hora per cardinalem Caraffam deductus est. Operiebatur illum Pontifex in aula solitæ audientiæ, assidentibus aliquot patribus, ut postquam introgressus prorex suppliciter ac demisse Pontificis pedes exosculans, regis Catholici primum, deinde suo nomine de præteritis in bello erratis veniam petiit, ac regem ipsum, seque pariter, uti filios, erga Sanctitatem Suam Sedemque Apostolicam obsequentissimos obtulit. Audivit benigne Pontifex deprecantem proregem, paternoque affectu Apostolicam benedictionem, tum ipsi, tum regi Philippo impertivit : qua suscepta, ad ipsius se denuo pedes abjecit, acceptisque haud dubiis reconciliatæ gratiæ argumentis, a cæteris quoque cardinalibus tunc præsentibus, complexu exceptus est. Subinde ad Pontificis pedum osculum cuncti, qui cum prorege venerant viri nobiles admissi fuerunt, quos simul cunctos cardinalis Caraffa in suarum ædium parte, magnifica nitidaque una cum prorege ipso excepit cœna.

18. Altera die, vigesima nempe Septembris Paulus vocatis in curiam cardinalibus, reque ad eos relata, pacis leges coram ipsis denuo recitari mandavit, utque in sequentem diem, quo die beati Apostoli et Evangelistæ Matthæi memoria recolebatur ab Ecclesia, solemnia sacra pro gratiarum actionibus celebrarentur, decretum est [1]; quibus et ipse dux Albæ interfuit postremus inter diaconos cardinales superiori ducis Palliani loco; completisque Missarum solemniis, Pontifex cardinales omnes, ipsumque proregem e regione cardinalis decani accumbentem prandio adhibuit. Cumque jam tempus reditus instaret, Neapolim sequenti die, prout decreverat, repetiit. Illud tamen prætereundum non est, quod prorex conjugi suæ fœminæ lectissimæ multumque dilectæ nuntiavit, sibi inter milites hostiumque catervas pæne ab incunabulis versato, nunquam tanto pavore pio perfusum, ita ut animo et voce pæne deficeceret, quam cum ante Pontificis conspectum se constituit. Scilicet splendor ille, et majestas, quæ admirabili Dei dispensatione in Christi Vicario resplendet, oculos animosque intuentium ita perstringit, ut aliquid supra hominem in ipso, et venerari, et metuere compellantur. Discedentem ab Urbe proregem novo Pontifex

[1] Paul. IV. lib. brev. an. III. p. 283.

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 235.

cumulavit honore, nam Matthæum ab Aquaviva Apostolicum protonotarium de numero, ut vocant, participantium ad proregis uxorem legavit, qui Rosam auream [1], quæ ex antiqua Sedis Apostolicæ consuetudine, ut loquitur Innocentius III, Dominica quarta Quadragesimæ a Pontifice consecratur, illi deferret.

19. Magno itaque omnium gaudio in hunc modum confecta pax est, quæ vincenti, quam victo propiorem Pontificem reddidit, utque decretæ jam concordiæ pactiones executioni darentur, ac præcipue, ut hostiles omnes munitiones in oppidis a prorege occupatis æquarentur solo, Pontifex subjecta Epistola [2] eorum oppidorum incolas admonuerat, ac Hieronymum Brossium ad omnia quæ ad pacis conventiones pertinebant expedienda dimiserat,

« Dilectis filiis universis et singulis prioribus, antianis, consulibus et rectoribus quocumque nomine nuncupatis, ac communitatibus civitatum, necnon universitatibus terrarum, oppidorum, castrorum, locorum nostrorum Maritimæ et Campaniæ provinciarum, ac terræ nostræ Pontis-Corvi salutem, etc.

« Cum ex conditionibus pacis, nuper inter nos et charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum initæ, civitates, terræ, oppida, castra et loca per dilectum filium nobilem virum Ferdinandum de Toledo ducem Albæ, viceregem Neapolitanum, et generalem ipsius Philippi regis in Italia capitaneum et locumtenentem, hoc belli tempore occupata nobis relaxari, et tormenta hinc inde capta vicissim restitui, munitionesque et fortificationes per ipsum Ferdinandum ducem, seu ejus mandato in civitatibus, terris, oppidis, castris et locis prædictis, dicto tempore dirui debeant modis et formis in capitulis desuper confectis, late expressis, nos dilectum filium Hieronymum Brossium laicum Civitatis-Castellanæ diœcesis », et infra, « cum plena, libera et omnimoda facultate, etc. tormenta nobis erepta ab ipso Ferdinando duce, seu ejus ministris recuperandi, et ea, quæ nostri milites regiis militibus eripuerunt, eis restituendi, ac munitiones et fortificationes prædictas, juxta tenorem capitulorum prædictorum diruendi, necnon milites regios ex civitatibus, terris, oppidis, castris et locis eisdem deducendi », (et infra) « constituimus et deputamus, etc. Dat. Rom. apud S. Petrum die XVI Sept. MDLVIII, anno III ».

20. Emanavit interea per omnes Europæ provincias firmatæ pacis rumor ingentique bonorum omnium gratulatione est exceptus; jamque ex hac ipsa concordia, regum quoque universalem pacem conciliandam sperabant, pro qua promovenda in eodem ipso consistorio Paulus legatos decreverat, Antonium nempe cardinalem Trivultium ad Henricum Galliarum regem, et Carolum cardinalem Caraffam ad Philippum. De indicendis quoque indulgentiis ac supplicationibus ad divinum conciliandum numen, pacemque, quam mundus dare non potest, ab ipso exposcendam constitutum fuit. Vertente anno, cum Pontifex ab Emmanuele Philiberto Sabaudiæ duce [1] gratulatorias accepisset Epistolas, hac occasione usus, post relatas optimo principi summas grates, cum sciret ipsum apud Philippum auctoritate et gratia multum pollere, potissimum ob nuper expugnatum feliciter S. Quintini oppidum, pacis perficiendæ negotium eidem commendavit, eo maxime, quod tum ipse dux Bruxellis cum Philippo moraretur, atque a Carolo imperatore litteras manu sua e recessu cœnobitico conscriptas accepisset, quibus recentem insignemque victoriam gratulabatur, virtutem et rerum magnitudinem laudabat, illumque ad finem bellis imponendum, ac honestam stabilemque pacem conficiendam hortabatur, admonens, bella nonnisi cogente necessitate suscipienda, fortissime gerenda, ocyssime terminanda. Hæc itaque ad illum Paulus [2] conscripsit :

21. « Dilecto filio nobili viro Emmanueli Philiberto duci Sabaudiæ.

« Dilecte fili, nobilis vir, etc. Perspeximus ex litteris tuis quæ nobis gratæ admodum fuerunt, quanta lætitia affectus fueris ex pace, quæ inter nos et charissimum in Christo filium nostrum regem Catholicum Deo fuit auctore constituta, in qua quidem concilianda non dubitamus, quin nobilitatis tuæ studium insigne fuerit, et eo officio functus sis, quod tua et majorum tuorum in sanctam hanc Sedem, et perpetua devotione ac virtute dignum erat, idque pro eo ac debet, nobis gratum est, hortamur te in Domino, ut quemadmodum te facturum sane confidimus, majorum tuorum vestigiis in Apostolica Sede colenda insistere perseveres, minime dubitans, quin ea te semper ut pium filium suum complexura sit. Cum autem id nos agere scias hoc tempore, ut pacem inter ipsos quoque Christianos principes componamus, adjuva, dilecte fili, hanc quoque tam sanctam et salutarem actionem; hoc tibi persuadens, quanto studiosius inservieris quieti totius populi Christiani, tanto tibi in rebus tuis non humanum solum, sed divinum etiam auxilium affuturum. Dat. Romæ apud S. Petrum, etc. die XVIII Decembris MDLVII, anno III ».

22. Cum autem Ferdinandus Romanorum rex impenso semper studio pacem inter Ponticem et Philippum exquisiisset, Paulus, ut grati animi sensus erga ipsum declararet, datis litte-

[1] Ser. de Ros. Teop. Raynav. in Ros. Mediana c. 1. p. 411. 21. — [2] Paul. IV. lib. brev. III. p. 304.

[1] Tonsus l. I. V. Em. Phi. lib. p. 147. — [2] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 85.

ris de pace certiorem illum reddidit, ac quam honorifice Neapolitanum proregem ad se venientem admiserit, testatus est. Jacobum insuper Linterium, ut eadem ipsi significaret, certum nuntium misit. Cumque ex hac inita concordia gradum ad pacem inter reges speraret, Antonium Augustinum Aliphanum tunc episcopum, cujus laus in Jure Canonico summa est, demum direxit, quem tum ob spectatam probitatem, integritatem ac fidem, tum propter eximiam præstantemque doctrinam idoneum dicebat, qui Ferdinando ostenderet, quam Germaniæ rebus consultum esset, si pax inter reges firmaretur, armaque in Christianorum perniciem tam misere conversa, in Christiani imperii nominis hostes verterentur : incumbat proinde pro viribus rex una cum Pontifice, ut quæ summis precibus exposcebatur concordia, disjectis omnino difficultatibus, impetraretur. Sollicitabat etiam Paulus reliquos reges ac principes, ut omni ope pacis actionem promoverent, nihilque sibi charius devexa jam ætate, senioque confecto ex vitæ perendinatione commodi aut consolationis accedere affirmabat, quam si optatam pacem ad finem usque perducere contingeret.

23. Jam pro illa ardentiore studio deprecanda cardinalis Caraffa Bruxellas [1] ad Philippum se contulerat, quas cum applicuisset tertia decima die Decembris, rex magna cum obsequii significatione obviam de urbis porta venienti progreditur, et digniorem obtulit locum. Legatum Roma abeuntem Pontifex disertissima ad pacem admonitione, qua cum rege collocuturus uteretur, instruxerat, regemque ipsum Philippum [2] gravissimis per Epistolam adhortationibus ad concordiam urgebat, quibus se ipsum, si per ætatem aliasque gravissimas, quibus distinebatur, curas liceret, ad reges ipsos coram conveniendos paratum fatetur, quod et re ipsa, si expedire visum esset, omni posthabito respectu, se facturum alibi spopondit, suoque nomine cardinalis Caraffa jussus est coram proponere Paulum Niciam vel ad aliam civitatem accessurum ad conventum pro pace simul, quemadmodum Paulus III egerat, celebrandum.

24. « Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

«Charissime in Christo fili noster, etc. Gratias agimus maximas Deo, cujus misericordia factum est, ut impedimentis, quæ nobis antiqui hostis astutia objecerat, sublatis ac remotis, aditus ad pia nostra desideria et salutaria consilia exequenda fuerit patefactus, magnam enim in spem venimus fore, ut qui pacem nobis et sanctæ Ecclesiæ Romanæ largitus est, eamdem, nobis agentibus atque hortantibus, inter serenitatem tuam et Henricum Francorum regem Christianissimum cœlesti suo favore reconciliet, et populum Christianum a tam gravi et periculoso bello liberet. Utinam nobis liceret utrumque vestrum convenire, et coram agere de re tam necessaria, nihil libentius atque alacriore animo faceremus, quam ut ipsimet tam pia pro Christo legatione fungeremur. Sed quando id per ætatem nostram , et Romanæ Ecclesiæ, aliasque multas et gravissimas curas minime licet, habito venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio summa omnium voluntate legatos de latere nostro elegimus, ad ipsum quidem Francorum regem Antonium tit. SS. Joannis et Pauli presbyterum cardinalem Trivultium, ad serenitatem vero tuam dilectum filium secundum carnem nepotem nostrum Carolum SS. Viti et Modesti in Macello martyrum diaconum cardinalem Caraffam, quos et eximie diligimus, et propter spectatam ipsorum fidem, industriam, virtutem atque prudentiam ad hoc fungendum nostra vice munus maxime idoneos judicavimus. Nunc te, charissime fili, hortamur, et per viscera misericordiæ Christi Salvatoris nostri rogamus obtestamurque , ut pro tua prudentia etiam atque etiam cogites diligenterque consideres quantas et quam graves calamitates et detrimenta reipublicæ Christianæ bellum istud intestinum intulerit, quod inter patres vestros cœptum et diutissime gestum, inter vos postea renovatum vel continuatum est potius. Quid enim tantopere tot detestandas hæreses aluit, et tanta schismata corroboravit? Quid viribus nostris attritis impiorum hostium potentiam auxit, et populum Christianum in tantum jam discrimen adduxit, nisi belli hujus intestini occasio tam diuturni, et tam longe lateque propagati? Quis porro satis digne deplorare possit tantam effusionem sanguinis Christiani? Quid tot civitatum direptiones et excidia, tot ferro flammaque vastatas regiones, tot denique Ecclesiarum et sacrarum Ædium spoliationes ac ruinas? Quæ res impiorum ac barbarorum tyrannorum mentes commoveret, et ad pacis consilia flecteret, ea tuum Christiani principis et Catholici regis animum non movebit? pro tot, et tantis Dei erga te beneficiis hanc illam gratiam referre recusabis, ut ipsius populo parcas, et in impios potius hostes religionis nostræ arma convertas, ex quibus gloriosas victorias pulcherrimosque triumphos ipso favente consequi, et imperii tui fines multo facilius poteris propagare ; ea nunc tibi deponendorum armorum et conciliandæ pacis occasio oblata est, rebus a te superioribus diebus prospere gestis, si, ut debes usus fueris, omnes moderationem animi tui sapientiamque laudabunt, teque pulchrius et magnificentius victoria usum fuisse, quam vicisse, prædicabunt, etenim magna ex parte du-

[1] Ext. apud Silos in hist. Cler. Reg. l. IX. — [2] Paul. IV. lib. brev. II. p. 243.

cum illa et militum tuorum fuit victoria; at vero hæc moderationis laus tibi cum nemine communis, sed tua unius propria fuerit. Non te latet quam vario rerum eventu inter charissimum in Christo filium nostrum Carolum Romanorum imperatorem semper Augustum parentem tuum, et claræ memoriæ Franciscum Francorum regem bellum per tot annos gestum fuerit, quoties acciderit, ut cum alteruter eorum rem alicubi prospere gessisset, idem paulo post aliquod alia in parte incommodum ac detrimentum acciperet, cum tamen ad extremum pro tantis bellorum sumptibus, pro tanta et tam diuturna regnorum suorum vexatione, tot et tam gravibus suis laboribus ac periculis neuter ipsorum ullum satis dignum præmium adeptus sit, quæ res admonere utrumque vestrum debet, ut bellum tam difficile atque asperum, tam vestris populis atque universæ Christianæ reipublicæ calamitosum aliquando omittatis, pioque inter vos fœdere conciliemini, neque patiamini communes hostes vestris dissensionibus, vestris discordiis diutius lætari, sed hæc tecum pluribus verbis aget legatus noster, cui quidem omnibus de rebus de quibus tecum nostro nomine egerit, fidem æque ac nobis ipsis, ut habeas, rogamus. Dat. Romæ apud S. Petrum etc. die XVIII Octobris MDLVII, anno III ».

25. Ad promovenda quoque illius pacis consilia Pontifex Mariam [1] Angliæ et Hiberniæ reginam hortatus est, ut quietem salutemque totius populi Christiani studiis suis juvaret, procuraretque apud virum Philippum Hispaniarum regem, pace enim composita, hæreticorum furorem compressum iri.

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Angliæ et Hiberniæ reginæ illustri.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem, etc. Controversiis, quemadmodum serenitas tua semper optavit, compositis, nuper inter nos et charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum et Angliæ regem fidei defensorem conjugem tuum, non parum te lætatam esse persuasum habemus, novimus enim pietatem, novimus erga sanctam hanc Sedem reverentiam ac devotionem tuam, nobis quidem hæc res eo majorem affert voluptatem, quod jam aditum nobis, Dei voluntate, patefactum fuisse speramus ad agendum de pace inter vos, et charissimum in Christo filium nostrum Henricum Francorum regem Christianissimum, quam quidem ad rem cum pro nostro pastorali officio incumbere statuerimus, utriusque partis regno populoque Christiano universo consulere cupientes, legatos de latere nostro hujus rei causa misimus. Nosti, charissima filia, quot et quam graves intestinum hoc bellum calamitates innoxiis populis importaverit antea, intelligisque quanto graviores impendeant, nec vero ignoras, quam opportunæ quamque optatæ sint hæ dissensiones atque discordiæ, tum impiis hostibus ad lacerandam rempublicam Christianam, tum hæreticis ad impupugnandam fidem et religionem Catholicam, quorum utri magis perniciosi et detestabiles sint, non facile judicari potest. Memineris igitur præceptorum Domini qui et pax ipse nostra fuit et pacem bonæ voluntatis hominibus ab angelis in ortu ipsius nuntiatam discipulis suis tantopere commendavit, et tamquam hæreditatem reliquit. Adjuva pia et salutaria nostra consilia, actionesque dilecti filii nostri de latere legati, ac secundum carnem nepotis Caroli sanctorum Viri et Modesti in Macello martyrum diaconum cardinalem Caraffam, quod cum facies, honori ac cultui Omnipotentis Dei, a quo salutem ipsa toties et regnum tam mirabiliter accepisti, et regnorum tuorum quieti salutique simul totius populi Christiani inservies; sed hac de re tecum aget pluribus verbis ipse legatus noster quem et serenitati tuæ studiosissimum novimus, et testem ipsi habemus nostræ paternæ erga te charitatis, cui quidem, ut fidem habeas omnibus de rebus perinde ac nobis ipsis esses habitura, serenitatem tuam rogamus. Dat. Romæ apud S. Petrum die XVIII Octob. anno III, MDLVII ».

26. Ad Gallicam quoque legationem subeundam Antonius cardinalis Trivultius, serius tamen quam Caraffa, discessit, quibusdam nimirum detentus negotiis, eo quod paulo ante accessisset ad Urbem, cum per aliquod temporis spatium post adeptam cardinalitiam dignitatem Pontificis jussu Venetiis substitisset; e qua quidem civitate discedenti Paulus Manutius, insignis Grammaticus, Præfationem inscripsit ad Sallustii Historiam, quam in Antonii ejusque familiæ laudes excuderat, de bene ab ipso Venetiis administrata provincia, ostensisque virtutibus multa congessit. Antonium igitur, et suo, et majorum suorum nomine Henrico admodum charum pro concordia promovenda Paulus se conferre jussit in Gallias, eique proficiscenti Epistolam ad regem addidit [1], qua pronam ejus animi ad consilia pacis voluntatem sibi alias exhibitam in mentem revocans, ad ea in exitum perducenda summopere adhortatur :

« Charissimo in Christo filio nostro Henrico Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Cum officii nostri ratio postulat, ut te et Philippum Hispaniarum regem Catholicum filios nostros charissimos ad pacem et concordiam adhortemur, tum etiam Dominus recenti suo in nos et sanctam Ecclesiam Romanam, cui nos, licet indignos, præposuit beneficio, a nobis aperte

[1] Paul. IV. lib. brev. II. p. 269.

[1] Paul. IV. lib. brev. II. p. 258.

hoc requirit, hanc enim nimirum ob causam nobis et huic Ecclesiæ pacem reddidit, ut eam ipsi etiam inter vos duo firmissima Ecclesiæ suæ præsidia conciliare possemus, quam quidem ad rem eo majore studio nobis incumbendum esse duximus, quod nisi ea perfecta, minime possemus cæteras res, quas ad Dei honorem agere instituimus, ad optatum exitum adducere. Utinam ea ætate essemus, ut ad utrumque vestrum nos conferre, et tam pie ipsi pro Christo fungi legatione possemus, jucundissimi nobis labores essent, quos hac in re pro Dei et Domini nostri honore, et commissarum nobis ovium salute susciperemus. Sed quando nec virium infirmitas, nec aliæ gravissimæ occupationes nos ex hac statione discedere patiuntur, communicato cum venerabilibus fratribus nostris consilio, delegimus ad vos hujus rei agendæ causa eos de latere nostro legatos, quos propter spectatam ipsorum fidem, industriam, prudentiam, publicæque utilitatis studium maxime idoneos judicavimus. Hortamur igitur serenitatem tuam, charissime fili, rogamus, et per divinam misericordiam obtestamur, ut memor pii et Christianissimo rege digni responsi, quod alias nobis dedisti, cum itidem ut nunc te ad pacem hortati fuissemus, in eadem sententia maneas, considerансque tecum attentius plurima detrimenta, gravissimasque calamitates, quas hoc bellum invecturum esset non regnis modo vestris, sed cuncto populo Christiano, universæ reipublicæ Christianæ intestino hoc tam diuturno bello fessæ, et gravissime laboranti consulatur, neve committas ut pia nostra et salutaria Christiano populo consilia, de quibus ex ipso legato nostro audies, abs te impedita fuisse videri possint, quod certe a Christiani regis officio et pietate tua alienum esset, nosque tanto majori dolore afficeret, quanto gloriam et salutem tuam habemus chariorem, sed hac de re nostro nomine pluribus tecum aget dilectus filius noster Antonius tit. SS. Joannis et Pauli presbyter cardinalis Trivultius vocatus, quem quidem de latere nostro ad te legavimus, non dubitantes, quin propter tuam perpetuam Sedis Apostolicæ reverentiam, et suo etiam ac majorum nomine gratus is tibi acceptusque futurus sit, præter egregias enim virtutes, quibus eum ornavit Deus, ex ea familia ortus est, qua multi clari ac præstantes viri majores ejus Francorum regibus variis istius regni temporibus strenuam utilemque in primis operam summa cum fide et constantia navaverunt, eum, ut ita audias, eamdemque fidem habeas, ac si nos ipsos audires, serenitatem tuam rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum die IV Novembris MDLVII, anno III ».

27. Verum cum Pontifex probe nosset, ab illo præcipue pacem expectandam, qui est Deus pacis, cum jam appropinquaret celebritas, qua Christus Jesus, qui, quemadmodum loquitur Apostolus [1], *est pax nostra, et facit utraque unum, et medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne sua,* de Virgine nasci dignatus est, pacem hominibus bonæ voluntatis annuntians, opportunum ratus eo potissimum tempore ipsum deprecari, propositis amplissimis indulgentiis, Christi fideles ad expianda peccata et preces ardentiores fundendas invitavit, præscripta in hunc modum orationum formula [2], qua per sacrum Adventus tempus Natale Domini prævenirent.

« Ad futuram rei memoriam.

« Superioribus diebus cum nonnullos nostros et Apostolicæ Sedis legatos de latere, ad Christianissimos in Christo filios nostros Henricum Francorum Christianissimum, et Philippum Hispanum Catholicum reges pro pace inter eos et reliquos principes Christianos concilianda et componenda mitteremus, instaretque tempus Adventus, ac dies Natalis Redemptoris nostri, qua totus orbis terrarum exultat, et qua, sicut temporales domini munera clientibus suis dare consueverunt, ita ipsum Redemptorem, si ad eum corde contrito et spiritu humiliato recurramus, nobis hoc pretiosissimum pacis donum, quo nullum melius aut præclarius hoc sæculo esse potest, concessurum esse confidebamus, ex parte omnipotentis Dei, per viscera misericordiæ omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles in hac alma Urbe ejusque districtu existentes hortati sumus, et in Domino monuimus, atque requisivimus, ut inter cætera, a tunc proxima prima Dominica Adventus usque ad diem Natalem hujusmodi, Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam septies, ac Symbolum Apostolorum semel quolibet die recitarent, et ad eumdem Dominum ac Deum nostrum humili corde conversi, conscientiam suam diligenti studeant sæpius examinatione discutere, et orationibus, seu aliis piis operibus juxta eorum conscientiam, sive sacerdotum, quibus peccata sua confiterentur, salutare consilium vacarent, et ante diem Nativitatis hujusmodi, saltem semel peccata sua confiterentur, et Salvatori nostro supplicarent, precibusque ad ejus sacratissimos pedes prostrati poscerent et rogarent, ut animos ipsorum regum et principum reconciliare, universo populo Christiano, eam, quam per angelos suos sacratissima ipsius Natalis nocte orbi nuntiari voluit pacem, largiri velit, ipsa vero Natalis, aut alia infra ejus octavam per eos eligenda die, sacratissimæ Eucharistiæ Communionem, pie ac devote perciperent, ac quæ ad Dei cultum pertinebant, toto animi affectu exercerent ». Et infra ; « Eis vero, qui, ut præfertur, peccata sua confessi fuissent, et Eucharistiæ Communionem percepissent, ple-

[1] Eph. II. — [2] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2895. p. 10.

nissimam omnium peccatorum suorum, et eam, quæ Christi fidelibus Ecclesias almæ Urbis, et extra eam ad id deputatas anno Jubilei visitantibus concessa est, Indulgentiam largiti sumus ».

Licet autem peccatis populorum id exigentibus distulerit Deus preces exaudire, non est tamen passus benignissimus Dominus pium senem morti occumbere, donec conciliatam inter principes optatam pacem videret.

28. *Henricus rex Calvinistas perniciosa dogmata spargentes deterret.* — Dum Gallorum rex Henricus gravissimo implicitus bello ad repellendos externos hostes, qui victoria elatiores late ferrum flammasque ad Noviodunum usque circumtulere, distinetur, hæretici Calvinianam pestem per Galliam spargebant, ac funesta ingentium bellorum civilium, quæ postea universas Gallias cædibus, ferro, flammaque fœdarunt, semina serebant, quorum conventicula ineunte Septembri Parisiis patefacta refert Surius [1] :

« Ut est hæreticorum in omnem occasionem mirabiliter intenta versutia, dum bella fervent in Gallia, et rex aliis negotiis distenditur, ipsi sua agunt clam conventicula, et spargunt in illo Christianissimo regno pestilentissima Calvinianæ impietatis dogmata. Die quinta Septembris summo mane in cujusdam privati hominis ædibus, qui tunc procul aberat, Lutetiæ deprehenduntur permulti viri ac fœminæ, qui illuc ad concionem novorum dogmatum convenisse dicebantur, et fere omnes in vincula conjiciuntur, demptis illis, qui nocturnis freti tenebris, fuga dilapsi erant ». Capti sunt a forensi satellitio centum viginti utriusque sexus, in quos judiciorum severitas districta fuit.

29. *Paulus in Gallia constituit Inquisitionis tribunalia quæ ob censorum mollitiem nocent potius quam prosunt fidei.* — Susceperat hujus anni exordio Henricus rex piam mentem, consiliumque sanctissimum, constituendi per universam Galliam sacræ censuræ tribunalia adversus hæreticos, atque ad nefaria Calvinismi germina erumpentia evellenda, quod cum regius orator Pontifici exposuisset, Paulus flagrantissimum tanti principis in Catholica religione asserenda studium extulit, atque exercendæ judiciariæ in impios Calvinistas severitatis summum imperium ac munus cardinalibus qui in Galliis morabantur, subjecto Diplomate [2] demandavit :

« Dilecti filii nostri, salutem. Cum ad hoc nostra in primis aspiret intentio, ut fides Catholica ubique floreat et augeatur, ac omnis hæretica pravitas e mentibus personarum quarumlibet tollatur, nostræ diligentiæ studium libenter adhibemus, ut qui a caula Dominici gregis diabolica fraude in dies seducuntur, ad eam, aspirante Domino, reducamus, vel si in eorum damnato proposito obstinato animo perseverare contendant, taliter puniantur, quod eorum pœna aliis transeat in exemplum. Sane charissimus in Christo filius noster Henricus Francorum rex Christianissimus per suum apud nos oratorem nobis nuper exponi fecit, quod ipse pro zelo orthodoxæ fidei et Christianæ pietatis, cupit officium Inquisitionis hæreticæ pravitatis in regno Franciæ, et aliis dominiis, et locis sibi in temporalibus constitutis Apostolica auctoritate introduci, quare nobis humiliter supplicari fecit, ut aliquibus probis viris Deum timentibus, et illius honorem zelantibus negotium inquisitionis hujusmodi in regno, dominiis et locis prædictis auctoritate nostra introducendi facultatem et potestatem concedere, aliasque in præmissis opportune procedere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur hujusmodi sanctum et pium Henrici regis desiderium plurimum in Domino commendantes, et de insigni circumspectionum vestrarum pietate et eximia prudentia, ac præclara in rebus agendis dexteritate plene confidentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, vos conjunctim nostros et Apostolicæ Sedis in negotio Inquisitionis hujusmodi commissarios, et hæreticæ pravitatis in eodem regno et dominiis inquisitores dicta auctoritate tenore præsentium constituimus ac deputamus, ac vobis conjunctim quoscumque Lutheranæ ac cujusvis alterius damnatæ hæresis sectatores, seu sortilegia hæresim sapientia committentes, illorumque sequaces, fautores et defensores, ac eis auxilium, consilium vel favorem directe vel indirecte, publice vel occulte præstantes, cujuscumque status et gradus, ordinis vel conditionis, dignitatis et præeminentiæ fuerint, una cum locorum ordinariis in casibus, in quibus de jure intervenire debent seu possunt, si legitime requisiti intervenire voluerint, alias sine illis juxta canonicas sanctiones inquirendi, et contra eos juxta depositiones procedendi, necnon præcedentibus legitimis judiciis eos comprehendendi, ac capiendi, et capi, ac comprehensos, captos carceribus mancipari faciendi ; necnon, si sæpius juris fuerit, torqueri et rigoroso examini subjici faciendi, et demum præcedente diffinitiva sententia desuper ferenda, si innocentes fuerint, absolvendi, si vero culpabiles extiterint, juxta canonicas sanctiones prædictas, prout qualitas excessuum exegerit, debitis pœnis puniendi, ac procuratorem fiscalem, et notarios publicos, aliosque in his necessarios officiales, et clericos sæculares, seu Ordinum quorumcumque regulares deputandi, necnon eis, ut onus eis injunctum exequantur et peragant, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendi et mandandi, et si necesse fuerit aliquem clericum etiam in sacris, et presbyteratus Ordinibus

[1] Sur. in Comm. — [2] Paul. IV. lib. brev. III. p. 171.

constitutum pro parte præmissa degradari, ad ejus actualem degradationem per quemcumque Catholicum antistitem, quem ad id duxeritis deputandum, nisi ejus diœcesanus apud suam Ecclesiam, vel in ejus diœcesi personaliter resederit, et ad id requisitus degradationem hujusmodi per seipsum facere voluerit, et demum curiæ sæculari traditionem procedi faciendi, necnon contradictores quoscumque, et rebelles, ac vobis in præmissis non parentes, opportunis juris remediis compescendi, et in præmissis omnibus auxilium brachii sæcularis invocandi et implorandi, ac ad veritatis lumen redire, et hujusmodi hæreses et errores abjurare volentes, si alias relapsi non sint, recepta prius ab eis errorum et hæresum suarum abjuratione publice, vel vestro seu vestrorum substitutorum arbitrio privatim et secrete facienda, imposito per eos juramento, quod talia deinceps non committent, nec talia aut eis similia committentibus, seu illis adhærentibus auxilium, consilium vel favorem per se, vel alium, seu alios præstabunt, aliasque in forma Ecclesiæ consueta ab eisdem hæresibus, et erroribus, ac quibusvis sententiis, censuris, et pœnis Ecclesiasticis, et etiam temporalibus per eos præmissorum occasione incursis, injuncta eis pro modo culpæ publica pœnitentia, vel si vobis conjunctim videbitur, secreta et privata pœnitentia salutari, absolvendi, et reconciliandi, absolutionemque et reconciliationem hujusmodi cum solemnitatibus a jure requisitis faciendi, ipsosque sic absolutos et reconciliatos ad gremium Ecclesiæ, et unitatem fidelium restituendi, reponendi, ac ad nostram et dictæ Sedis gratiam et benedictionem recipiendi, omniaque et singula alia, quæ ad hujusmodi hæreses, et errores, et sortilegia reprimendum, et radicitus extirpandum juxta juris ordinem necessaria fore cognoveritis, et quæ ad officium inquisitionis hujusmodi pertinent, faciendi, gerendi, ordinandi, exercendi et exequendi, necnon ad præmissa omnia et singula alios episcopos, aut Ecclesiarum prælatos, seu personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, in Theologia magistros, aut in altero Jurium Doctores, vel Licentiatos, vel Baccalaureos in aliqua Universitate Studii generalis graduatos, et in trigesimo ad minus suæ ætatis anno constitutos, timoratæ conscientiæ et exemplaris vitæ existentes, necnon honorem Dei et Christianæ religionis zelantes una cum locorum Ordinariis in casibus, in quibus de jure intervenire debent, seu possunt, si legitime requisiti ibi intervenire voluerint, alias, ut præfertur, sine ipsis, quoties opus est, cognoveritis, cum simili aut limitata facultate, etiam quoad particularia, facultate per vos specificanda assumendi, deputandi, et subdelegandi, eosque simpliciter, vel pro parte ad libitum vestrum etiam in negotiis et causis per vos jam cœptis revocandi, et loco eorum alios, ut præfertur, qualificatos substituendi, plenam et omnimodam auctoritate et tenore præsentium concedimus facultatem et potestatem, vobis, et per vos pro tempore assumptis, et deputatis subdelegatis, et substitutis inquisitoribus in virtutæ sanctæ obedientiæ districte præcipiendo, mandantes, ut officium Inquisitionis hujusmodi juxta præsentium litterarum continentiam et tenorem, quoad non expressa in aliis secundum Juris communis dispositionem, fideliter et debite exercere studeatis et procuretis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii papæ VIII prædecessoris nostri, de una, et Concilii generalis de duabus dietis, ac quibusvis aliis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum XXV Apr. MDLVII, an. II ».

30. Non exercita est sacræ fidei censura eo incenso tuendæ religionis studio et constantia ad nascentem hæresim præfocandam, qua olim sanctus Ludovicus constituto Inquisitionis tribunali adultam Albigensem hæresim evulserat, nec plures episcopi veteribus illis episcopis, qui celebratis tot Synodis sanctissimas leges ad continendos in gremio Ecclesiæ populos sanxerant, pares religione et fidei ardore extiterunt ; ac licet in nonnullos flammis sævitum fuerit, tamen nobilibus parcitum est, dissimulataque Joannæ reginæ Navarræ nequitia, quæ sensim pietatis larva exuta Aquitaniæ partem Benearniam, et alias provincias finitimas infecerat, judices etiam brevi remisere severitatis aculeos cum nonnulli ex iis hæresi corrupti forent, atque ex senatu Parisiensi non pauci peste Calvinistica infecti fuere. Brevi quoque in Henrico rege maximus ille asserendæ religionis ardor deflagravit ; cum Helvetii ac Palatinus princeps, quorum subsidiariæ copiæ suppetias pro gerendo in Hispanos et Anglos bello ferebant, qui Calvini hæresiarchæ summopere frementis, quod suæ nequitiæ alumni flammis ustularentur, crebris litteris incitari, Henricum regem importune sollicitarunt, ne in ejus fidei, quam ipsi quoque profitebantur, assertores tam immanibus pœnis animadverteret. Nonnulli etiam Catholici mitioris ingenii mitius agendum cum hæreticis opinati sunt, cum illi impendentia pericula non præviderent, nec attenderent, quod jam experientia abunde monstravit, insanientium correctionem a vinculis inchoandam, virisque infrunitis, quod Spiritus Sanctus monet Ecclesiast. 31, torturam esse adhibendam.

31. *Dissolvitur colloquium Wormatiense cujus inanitas innotescit sicut et cæterorum conventuum.* — In Germania [1] ex decreto comitio-

[1] Paul. lib. brev. in lit. ad Ferd. Reg. Rom. et in aliis ad Episc. Lubecen. et ad Reg. Hisp. Fer. Imp. apud Goldast. to. III. Rovec. l. V. Sur. in Comm. Rescius in conventic. Evang. Sacchin. in hist. Soc. Jesu p. 3.

rum Ratisbonensium, quæ superiori exeunte anno cœpta in præsentem extracta sunt, pro tollendis gravissimis de religione dissidiis, quibus imperium magis in dies lacerabatur, ex quo abjecta veritate, et conjunctione Romanæ Ecclesiæ spreta, quisque tenebrio novum lumen Evangelii sibi affulsisse gloriari cœpit, indictum est colloquium Wormatiæ inter Catholicos et Lutheranos Augustanæ Confessionis, quæ sola Cæsareis edictis tolerabatur, præesse illi jussus est Ferdinandi regis Romanorum nomine Julius Pflugius episcopus Naumbergensis theologicis hisce certaminibus exercitus, cui assessores, tum Catholici, tum Lutherani constituti. Theologi vero Catholici, qui cum pseudotheologis adversariis collocuturi erant, duodeni delecti sunt, inter quos florebant eruditione Michael episcopus Mespurgensis, Delphinus suffraganeus Argentinensis, Canisius Societatis Jesu, ac Staphylus ; inter impios vero astu et flagitio eminebant Melancthon, Brentius et Pistorius.

Hujus colloquii fama cum ad Paulum IV Pontificem devenisset, ingrata maxime accidit, quod non in hujusmodi colloquiis, sed in Conciliis Œcumenicis causa religionis tractanda sit, et experientia jam satis docuisset, plura colloquia a Carolo V instituta successus felices nunquam sortita : nam licet hæretici convicti fuerint erroris, tamen victas dare manus pertinacissime detrectent, ne ab aliis hæreticis lapidibus obruantur; tum quia omni dolo ac fraude Catholicos pervertere annitantur, digressique e colloquio, in quo victi fuerint, sparsis libellis triumphasse de Catholicis mentiantur, ut hoc ipso accidit tempore cum a Wormatiensi colloquio recedentes in Saxonia pro suis tribunalibus aperte mentirentur Canisium [1] Wormatiæ post primum cum Melancthone congressum, cum ad concionandum conferre se voluisset, obmutuisse illico et expirasse ; tum quia nulla alia cum hæreticis concordia vera iniri possit, quam si illi ejuratis suis erroribus ad Catholicæ matris Ecclesiæ, a qua se ipsos divisere, sinum revertantur, nam cæteræ injunctæ concordiæ leges, quas politici dare consueverunt, ut partes adversæ de suo jure aliquantulum decedant, in religionis causa locum non habent, quia qui Christi totus non est, totus est Sathanæ, scilicet Ecclesia Dei non est cœtus ille Baal, qui claudicantes in duas partes admittat, vel dolosa illa mater, quæ divisionis sententiæ acquiescat, nam ut præclare inquiebat Hilarius [2] : « Imperfectum nobis est totum, si aliquid desit a toto ». At dum gravi curarum æstu angitur Pontifex, ut omissis colloquiis, controversiæ Concilio Œcumenico dirimendæ permittantur, relatum est mutuis dissidiis cœtum fuisse disturbatum : cum enim a colloquii præside ac moderatore sapientissime postulatum esset, ut Zuingliani, Osiandrini, Adiaphoristæ sive Indifferentes, et Synergistæ, aliæque hujusmodi pestes damnarentur, cum ii hæretici a Confessione Augustana sint alieni nec legibus imperii tolerentur, nec cum illis colloquia a Ratisbonensibus comitiis indicta fuerint, mox Lutherani, eo postulato, quasi fulmine perculsi obstupuere, atque inter se dissidere cœperunt, et quidem quinque ex illis Scepsius, Strigelius, Stosselius juniorum ducum Saxoniæ pseudotheologi, ac Morlinus, et Sarcerius, utpote Augustanæ Confessioni addictissimi, scriptis suis hujusmodi hæreticos a se damnari professi sunt, atque præsidi colloquii declarationem suam obtulerunt. At septem alii Lutherani odio et ira in hos inflammati, ipsos a suo cœtu ejecerunt, veluti anathemate defixos, ut qui omnium hæreseon auctores ac sequaces in suo cœtu contineri vellent, ac proinde Confessionem Augustanam pro sua libidine fingerent, et refingerent, cujus fraudis Melancthonem maximum fuisse auctorem Surius [1] describit, contendere ergo illi Sacramentarios et alios hæreticos a se damnari non posse, antequam auditi essent : quæ hæreticorum dissidia cum accepisset Pontifex, maxima levatus cura Ferdinandum regem Romanorum sollicitavit [2], ut regiam auctoritatem ad cœtum illum Wormatiensem dissolvendum revocandosque in salutis tramitem hæreticos adhiberet, sublataque tanta tot pestium hæresumque varietate Germaniam pacaret :

32. « Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando regi Romanorum, etc.

« Ut misericors Deus solet, quo tempore beneficia ipsius minus expectantur, benignitatis et clementiæ suæ lumen ostendere, nec modo spem nostram prævenire, verum etiam superare, cum maxima cura et sollicitudine afficeremur ex impiorum consiliis, quos Wormatiam confluxisse audiebamus, ad turbandum vehementius Ecclesiæ Catholicæ statum, suosque perniciosos errores latius disseminandos, nec facile eorum furori ullo remedio occurrere possemus, ipse misericordiarum Pater et Deus totius consolationis animum nostrum erexit, et hujusmodi inter eos, ut audivimus, dissidia excitavit, ut non acrius cum Catholicis quam inter se certare et dissidere, alii alia dogmata defendentes, cœperint, qua quidem tam idonea occasione allata, cum in manu tua, charissime fili, sit impia eorum consilia dissipare, nonne pro tua perpetua in Deum pietate et Catholicæ religionis studio eniteris, ut ea peste Germaniam liberes, præsertim cum in eo non solum Ecclesiæ paci, sed regnis tuis et Romano imperio consulturus sis? Noli, per Deum immorta-

[1] Sac. p. 2. hist. Soc. Jesu. III Reg. c. 18 et c. 3. — [2] Lib. II. de Trin.

[1] Sur. in Comm. — [2] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 72.

lem, tantæ apud hominees gloriæ, noli tanti apud Deum meriti tempus amittere. Cupimus quidem Ecclesiæ quieti et commissarum nobis animarum saluti consulere. Verum pro nostro paterno in te amore cupimus simul regnis tuis, cupimus laudi, cupimus saluti consulere. Cupimus beneficia, quæ tot et tanta a Deo accepisti, non modo salva tibi et firma permanere, verum etiam tuis crescentibus in religionem et Ecclesiam Catholicam meritis augeri ipsa quoque in dies et multiplicari : est hoc pietatis tuæ, est prudentiæ, illum detestabilem impiorum cœtum jam inter se divisum penitus dissolvere, et ut ne quid imperio, ne quid religioni Catholicæ nocere possit, omni tua auctoritate, omnique ope et consilio cavere, providere, quod ut facias, serenitatem tuam iterum atque iterum obtestamur. Misimus autem, dedita opera, ad te cum his litteris dilectum filium Jacobum Linterium notarium nostrum hominem nobis vehementer probatum, cui de his, quæ serenitati tuæ nostro nomine exponet, fidem ut habeas rogamus, missuri postea nuntium Apostolicum, qui hujus sanctæ Sedis instituto apud serenitatuam maneat. Dat., etc. die XIV Novemb. MDLVII, anno III. ».

33. Urbanum quoque Lubecensem episcopum, quid apud Ferdinandum gratia et consilio multum pollebat, hortatus est, ut enixe suaderet regi, isthæc in posterum colloquia omnino devitare, nimis quippe indignum, nimisque injustum censebat, eos ad libertatem disceptationis admitti, quos perfidos significat Spiritus sanctus per prophetam [1] dicens : *Filii alieni mentiti sunt mihi, filii alieni inveterati sunt.* Quapropter [2] hac eorum dissensionis occasione accepta, Wormatiensem conventum omnino dissiparet, neque lamentabilem Catholicæ fidei disceptationem ulterius protrahi pateretur :

« Venerabili fratri Urbano episcopo Lubecensi.

« Venerabilis frater, etc. Compositis inter nos controversiis, quas discordiarum sator atque auctor, malevolorum hominum opera usus, inter nos et charissimum filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum excitaverat, vehementer gaudebamus, sperantes, ex hoc præclaro pacis initio consecutura, Dei auxilio, nobis hortantibus, reliquarum quoque partium Christianæ reipublicæ pacem et tranquillitatem : verum divinæ clementiæ abundantia factum est, sicut audivimus, ut qui nefario quodam furore accensi bellum Christiano populo multo perniciosius moliebantur, quippe non corporum, sed animarum exitio, et Catholicæ fidei eversioni imminentes, impio Wormatiæ cœtu coacto, inter se, ut Deo placuit, dissentire cœperint : qua ex re gaudium nostrum duplicatum est, spesque erecta, non prætermissurum hanc tam idoneam occasionem, charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Hungariæ et Romanorum regem illustrem, tam impiis et perniciosis eorum consiliis occurrendi, cætusque nefarii penitus dissolvendi, quod quidem ut faciat, et ut in hac re, tum religioni et fidei, tum etiam sacro Romano imperio consulat, dedita opera misso ad eum cum his litteris dilecto filio Linterio notario nostro nomine, ac nobis admodum probato, diligenter hortamur, monemus et obtestamur. Est autem pietatis tuæ, qui sacro isto apud regem ministerio fungeris, ejusque personæ quam sustines, regium animum, quem optimum esse confidimus, tuis hortationibus, ut in hanc rem incumbat, quanto maxime potes studio incitare, quod cum facies, et magnam a Deo gratiam inibis nec solum regis animæ, verum etiam regno et gloriæ inservies, qua de re pluribus verbis tecum is, quem misimus aget, cui fraternitas tua fidem habebit. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die XIV Novemb. MDLVIII, anno III ».

34. Successum hujus colloquii Wormatiensis describit Surius [1], utque dissolutum fuerit, quod nollent septem illi Lutherani stare Confessioni Augustanæ, nec ab ea discrepantes Sacramentarios damnare, tum ut, dissoluto eo conventu, Lutherani alii in alios strinxerint calamos, ac mutuo in se declamarint, ex quorum conflictu pateat, an ipsorum sapientia desursum sit, quæ, ut scribit Jacobus Apostolus [2] : *Primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens,* etc.

« Hoc anno, inquit, colloquium indictum est Wormatiæ inter Catholicos et Lutheranos. Accidit ibi quoddam longe fœdissimum, quod operæ prætium sit ad posteritatis notitiam transmittere. Erant Evangelicarum (ita Sathanicas vocant) partium duodecim theologi. Ab his Catholici theologi petierunt, quandoquidem multi juges sectæ sub Augustana Confessione se comprehendi volunt, quæ tamen etiam in maximis rebus inter se dissideant, ut tandem declarare velint, quas ipsi sectas Augustanæ Confessioni consonas vel dissentaneas statuant. Nam decretum erat inter eos solos colloquium habendum, qui essent, vel religionis veteris, vel Augustanæ Confessionis, exclusis reliquis sectis omnibus. Ibi in diem usque decimum sextum certatum est inter Evangelicos theologos, nec tamen res componi potuit, quod alii ex iis, sectas quasdam tanquam a Confessione Augustana discrepantes excluderent et damnarent; alii retinendas, eisque parcendum censerent. Ea contentio et altercatio eo usque progressa est, ut ex duodecim quinque rejecti sint, nec eos deinceps collegarum et symmistarum loco habere voluerint re-

[1] Ps. XVII. — [2] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 66.

[1] Sur. in Com. — [2] Cap. III.

liqui omnes. Itaque quinque illi excommunicati, relicto colloquio, domum abierunt.

« Erat expectatio magna alicujus inter Catholicos et Evangelicos conciliandæ concordiæ: sed ea usque adeo iniri non potuit, ut ipsi Evangelici in duas propemodum æquales partes turpissime dissecti, Catholicis non immerito dubitationem attulerint, utra pars Confessionem Augustanam sequatur.

« Nec levibus de rebus isti Evangelici theologi inter se rixabantur, sed de præcipuis capitibus, puta de Libero Arbitrio, de Justificatione, de operibus, de Sacramentis, præsertim de Eucharistia ; et certe quinque illi theologi exclusi litteras sigillis suis munitas nostris theologis tradidere, quibus testantur omnivarias hactenus sectas et corruptelas irrepsisse, et earum auctores Confessioni Augustanæ se immiscuisse, et sub Augustanæ Confessionis prætextu, tanquam ejusmodi hæreses illi consentaneæ sint, eas defendere voluisse, etc. quando vero ipsi quinque eas a Confessione Augustana excludere, et specifice condemnare voluerint, suos reliquos septem collegas et socios ex eorum consortio extrusos esse, etc. Itaque istis ita inter se distractis, et quod a septem reliquis, qui Wormatiæ remanserant, nunquam impetrari potuit, ut multiplices sectas a Confessione Augustana separatim, specifice separarent, atque damnarent, ne frustra cum Evangelicis colloquii labor omnis insumeretur, necessario hac vice colloquium intermitti et suspendi oportuit.

« Prodierunt postea scripta acerbissima, præsertim Nicolai Amsdorffii et Nicolai Galli, quibus mirabiliter lacerant illos septem, qui alios quinque rejecerunt. Inter alia sic habet Amsdorffius in libello cui titulum fecit : *Publica confessio puræ doctrinæ Evangelii, et confutatio præsentium Suermerorum.* Brentius, inquit, et Adiaphoristæ, Philippum Melancthonem et socios intellige. Jam in colloquio Wormatiensi Zuinglium et Osiandrum ob linguarum et artium insignem peritiam condemnare noluerunt, nostros autem, qui in colloquium illud consentire noluerunt, nisi illi damnarentur, scommatibus et contumeliis laceratos e colloquio excluserunt, et abire compulerunt. Nos Zuinglianam et Osiandrinam hæreses tranquilla conscientia amplecti non possumus. Et quamvis theologi, qui in Wormatiensi colloquio post nostrorum discessum permansere, editis scriptis testati sint, se nolle ab Augustana confessione discedere, tamen ipsam diversam plane faciunt. Cum enim Zuinglianos et Osiandrinos execrari nolint, non possunt Augustanæ confessioni adhærere, etc. Postea nominatim sex damnat sectas, ac diris devovet, quæ tamen fere omnes ad Augustanam confessionem se referunt.

« Nicolaus Gallus, præco Ratisbonensis, in suis thesibus et hypotyposibus, inter cætera disertis verbis ita scribit : Non sunt leves inter nos Evangelicos concertationes, nec de rebus levibus, sed de sublimibus doctrinæ Christianæ articulis, de lege et Evangelio, de justificatione et bonis operibus, de Sacramentis et usu Cæremoniarum, nec ulla ratione componi et transigi possunt, etc. Sic nimirum isti scribunt, et verum eos hac in re scribere, cum alia multa, tum præsentis anni colloquium declarat. Quare vero permittit Deus istorum pudendos errores, et privatas, atque ab animi cœca arrogantia profectas opiniones, in ejusmodi fæda abire dissidia, et implacabiles animi dissensiones ac acerbitates, nisi ut vel manibus ac pedibus tandem palpare possimus, ab illis hominibus non verbi Dei veritatem, quæ semper una est et ubique sui similis, sed sub prætextu verbi Dei, mendacium, quod varium semper est, et inconstans, et multiplex, ut subinde in alias atque alias formas transferatur, miseris mortalibus obtrudi, et tam multos horrendos errores in orbem nostrum invehi? Qui isthæc non videt, plane cœcus est et excors : cui non dolet tot animarum, quæ his erroribus implicantur, sempiterna apud inferos damnatio, is dignus non est qui Christianus vocetur ».

35. Questus est publico edicto Ferdinandus Cæsar de tantis Lutheranorum novas in dies fingentium hæreses, et quietem imperii novis ementitis religionibus perturbantium discordiis, et colloquium Wormatiense dissolvi jussit, cum potius veritatis dogmatum controversiarumque illustratio a Concilio Œcumenico, quod nec falli, nec fallere possit, petenda sit. Adductus est ad id a Philippo Hispaniarum, Angliæ et utriusque Siciliæ rege, qui, misso ad eum eruditione ac prudentia spectatissimo theologo, edocuit, e colloquio ejusmodi nullam utilitatem posse decerpi, adversus enim sanctorum Patrum instituta pessimo exemplo illud pertentari, Sedisque Apostolicæ auctoritatem, quam omni contentione deberet asserere, contemni, cujus monita amantissima ad patruum plurimum valuere, proptereaque proximo ineunte anno regi Philippo, de flagrantissimo illius in tuenda religione studio gratiæ a Paulo [1] actæ fuere subjectis litteris.

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime fili noster. Pervenit ad aures nostras quanta abs te cura et diligentia nuper adhibita fuerit, nuntiis dedita opera hujus rei causa missis, ut cœtus quidam, qui novo ac pessimo exemplo contra sanctissimorum Patrum instituta, contempta hujus Sedis auctoritate, ad disceptandum de gravissimis fidei et religionis articulis temere et inconsulte, imo nefarie admodum, Wormatiæ haberi cæperat, et merito

[1] Paul. IV. lib. brev. divers. 2903. p. 12.

nefarius, dissolveretur, cum non periculosum solum, sed indignum serenitati tuæ videretur, de tantis rebus ad Christianum populum pertinentibus, de quibus in universalibus episcoporum Conciliis summa cum diligentia statuendum est, in privato paucorum, et eorum laicorum congressu, et colloquio cum hæreticis disceptare, quod factum tuum tanta cor nostrum lætitia et gaudio replevit, ut elatis in Cœlum manibus, manantibus lacrymis, omnipotenti Deo gratias continuo egerimus, qui eam tibi mentem dedit, qui tantum divini sui nominis amorem, tantum sanctæ fidei et religionis suæ studium tribuit. Non possumus, charissime fili, verbis consequi, quanta laude tam præclarum factum nobis dignum visum fuerit; nec vero mirandum est, dum tot, et tanta Deum in te ornamenta et munera contulisse, hodieque conferre videamus; non enim minorem tum religionis curam habes, quam alii principes habent rerum suarum, neque es minus de Catholicæ fidei integritate sollicitus, quam alii reges de suorum incolumitate regnorum : quippe ne in maximis quidem bellicis curis, curam sacrorum abjicis, ac jure merito in tam alto atque convenienti loco te clementia divina constituit, quandoquidem in te non solum regium, sed etiam sacerdotalem animum esse declaras : istud est regem esse, ista sunt facta Catholici regis, ista sunt fidei defensore dignissima. Hæc tu cognomina si non hæreditario jure accepisses, istis factis tuis meritus fuisses : quam ob rem benedicimus iterum et sæpius Dominum, qui tam turbulentis Ecclesiæ suæ temporibus piorum consiliorum nostrorum tantum regem nobis adjutorem dare dignatus est, cujus auxilio ea, quæ ad divini ipsius nominis laudem gloriamque molimur, perficere possumus. Intelligere poteris ex aliis nostris litteris, quantopere non putavimus, ad nostrum erga te amorem posse quidquam accedere, tantoque jam accessu, ut eum augeri potuisse miremur; prospexeramus modo ex illis litteris tuis tuam erga nos pietatem, agnoveramus insignem hujus sanctæ Sedis observantiam, accendens animum nostrum incredibili quadam tui charitate. Perspeximus nunc religionis curam, perspeximus in impediendis hæreticorum consiliis vigilantiam, perspeximus in aliis principibus officii sui admonendis veri regis officium : putas te ei, qui te genuit, charissimo in Christo filio nostro Carolo Romanorum imperatori chariorem jam te esse, quam sis nobis istis moribus, istis operibus tuis? Nos vero minime illi concedimus, ut te ardentius diligat, neque ut majori illi sit solatio, quam nobis aut majori te in gradu honoris collocatum accedere cupiat, quamvis tot et tantis regnis tibi cesserit, quam nos te constituere cupiamus. Efficit ille te maximum in terris regem; nos conamur et omni studio id agimus, ac molimur, ut hæc temporalia tibi stabiliamus, et post felicem et diuturnam eorum administrationem, Christianorum republica tua ope atque auxilio constituta, viam ad cælestia regna muniamus. Cum enim te ad deponenda arma, cum ad pacem, cum ad concordiam hortamur, cum ut Christiani populi quieti consulas, excitamus, fungimur hoc quidem officio Dominici gregis causa, quem fidei et juri nostro Deus commisit. Sed non minus tuam, charissime fili, gloriam, nec eam temporalem, sed perpetuam vitam æternamque speramus : itaque incredibili quadam hujus rei cupiditate incitati, hortamur te et rogamus ut isti tuo Catholicæ fidei studio maxime pacis amorem consentaneum esse pro tua prudentia intelligas. Neque enim dubium est, quin hæreses istæ et schismata intestinis principum discordiis et bellis corroborata atque aucta sint, ita sedatis bellis, ipsarum quoque sedandarum hæresum ratio futura sit; tantæ potiundæ gloriæ, tantamque de universo nomine Christiano benemerendi occasionem ne prætermittas, sed paternis nostris consiliis acquiescas et Apostolicis precibus cedas; quod si feceris, quemadmodum quidem virtute, prudentia, pietate tua serenitatem tuam facturam esse confidimus, sicut hostium Ecclesiæ domesticorum et externorum gaudium in dolorem convertes, ita sanctæ ipsius matris tuæ luctum in lætitiam commutabis, nec militantem modo, sed illam etiam in Cœlis triumphantem, cunctosque Angelorum choros incredibili gaudio afficies. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die VII Januarii MDLVIII, Pontificatus nostri anno III ».

Nullum posthac in Germania solemne habitum est de religione colloquium, sed Ferdinandus controversias Concilio Tridentino reservandas censuit : cum vero esset mitioris ingenii, in alios hæreticos, qui a confessione Augustana erant alieni, non animadvertit, sensimque virus excrescens imperii civitates adeo infecit, ut Ferdinandi successores, qui præ ipso potentia et operibus minus pollebant, coacti illis permitterent, ut quam vellent religionem sectarentur; atque ita præclara illa regio navis in morem, dum inundantibus aquis non illico exhauritur, misere pæne submergitur : nam pertinax et insidiosa hæreticorum contentio, si imperiali potestate fortiter frænata fuisset, illico conquievisset, dum blande mulcetur, crudeliter sæviit.

36. *Pontifex liberaliter consulit annonæ.* — Difficilis hoc tempore annona plura Europæ oppresserat loca, Urbsque ipsa proximo afflicta bello vehementissime laborabat, quam civitatis penuriam Pontifex, (ut scribit Panvinus) « magnæ pietatis exemplo levavit ; triticum enim octonis aureis pro rubio emptum, quinis plebi vendidit ; qua liberalitate quinquaginta millia aureorum absumpsit. Ac per idipsum tempus cum

Belgium, et quædam Germaniæ pars, ac Trevirensis potissimum ditio pateretur, non famem panis tantum, sed famem quoque audiendi verbi divini, utrique incommodo pro suo munere naviter occurrit Joannes hujus nominis VI, archiepiscopus et elector Trevirensis ; *fidelis* [1] revera *servus et prudens, quem constituerat Dominus super familiam suam, ut daret illis cibum in tempore ;* de quo hæc habent Trevirenses Annales [2] : « Cum anni steriles incidissent, atque intemperie tempestatis, aut pluviæ inopia, aut aquarum eruptione, difficilis esset annonæ proventus, atque adeo infinita hominum multitudo, propter famis atrocitatem, de vita periclitaretur, tantam calamitatem misertus Joannes, rei frumentariæ jacturam facere maluit, quam incredibilem miseriam vulgi sustinere. Itaque innumerabiles frumenti modios per suam provinciam distraxit, lautioribus quidem tolerabili pretio, tenuioribus vilissimo, miserrimis sine ullo. Ac nomina deinde prius appellari noluit, quam anni fertiliores penuriam abundantia compensassent. Sed qui ad corporum tuendorum causam tam benigne pastor accessit, hunc ne animorum simul procurandæ pascendæque saluti defuisse putares, per oppida vicosque sacræ doctrinæ magistros dimisit, qui cæremonias ritusque Catholicos et Hæreticorum fraudes, et improborum sacerdotum mores paulatim obsolescentes, concionum studiis revocarent, et ne hæresis venenum atque pernicies latius serperent, omni ratione prospicerent. Quo in negotio non minus vitæ integritate, quam adjumento doctrinæ præclaram ipsi, totique adeo diœcesi navavit operam Gregorius Vitneburgius ex Eckii disciplina, tum monasterii Meiafeldiæ canonicus », qui postea anno exeunte a Paulo Pontifice Azotensis episcopus, ipso deprecante archiepiscopo, renuntiatus est.

37. *Paulus evocat ad se præsules magni nominis pro Concilio disponendo.* — Præterea dum colloquio Wormatiensi dissipando incumberet Pontifex, de Œcumenico Concilio, quod ab ipso Pontificatus initio instaurandum decreverat, congregando agitabat, ut hostes e Christiano imperio evelleret, in eaque defixus cura, prius evocandos ad se censuit ex omnibus nationibus viros doctrina et pietate florentissimos, cum quibus de agendis in Concilio, deque moribus ad puritatem revocandis conferret ; inter quos e Polonia Stanislaum Hosium episcopum Warmiensem subjectis litteris [3] accersivit :

« Venerabili fratri Stanislao episcopo Warmiensi.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Ad hoc gravissimum sacerdotii munus, sine ullis meritis nostris a Domino vocati, propositum hoc nobis jam inde ab initio habuimus, ut ægre et graviter laboranti ipsius Ecclesiæ idonea ac maxime necessaria remedia adhiberemus, quamobrem, et filiorum Ecclesiæ mores corrigere, atque omnia, quæ pravis jampridem exemplis in consuetudinem adducta fuerunt, tollere, et hæreses tam longe lateque disseminatas extirpare, et harum rerum causa Concilium celebrare, Deo juvante, statuimus, quæ quidem consilia nostra exequendi cum jam maturum tempus sit, sublatis belli impedimentis, quæ nobis antiquus hostis objecerat, optimum esse duximus, priusquam Synodum congregemus, aliquot venerabilium fratrum nostrorum accersere, quorum et consilium et operam ad eadem exequenda in primis utilia nobis fore arbitramur. Inter cæteros autem, cum fraternitas tua nobis in mentem venerit, ac de te merito sentiamus, ut præsentiam tuam maximo ad has res usui nobis fore confidamus, et simul etiam decere intelligamus, aliquem ex isto regno episcopum in consilium tantarum rerum adhiberi, hortamur in Domino fraternitatem tuam, et quamvis necesse non esse putamus, tamen in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo mandamus, ut postquam has litteras nostras acceperis, compositis Ecclesiæ tuæ rebus, et iis quæ ad iter necessaria sunt comparatis, ad charissimum in Christo filium nostrum Sigismundum Augustum Poloniæ regem te conferas, et litteris, quas ad ipsum scribimus, quas ipsas et earum exemplum, cum his acceptis et redditis nostro nomine, ea quæ de consiliis nostris tuæque ad nos profectionis causa scripsimus, atque hoc officio ubi functus fueris, ipso salutato, iter ad nos quam primum ingrediaris. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XXII Octobris MDLVII ».

38. *Usus calicis in Polonia sub obtentu fictæ religionis fovet dissidia.* — Cum vero de Concilio tam studiose meditaretur Paulus, non intermittebat interea cuncta illa disponere, quæ ad morum reformationem restituendamque disciplinam conducere arbitrabatur ; cumque jam tres cardinales una cum Datario distributioni beneficiorum præfecisset, nempe Scottum, Rebibam, et Reomanum, ut omnia pure ac sancte tractarentur, duodecimam illam Constitutionem edidit [1], quæ incipit *Inter cætera*, contra eos, qui pro beneficiis impetrandis, seipsos pro aliis supponerent, vel annuas pensiones offerrent, aut beneficia pro aliis obtinerent, ut aliis postmodum cum pensione dimitterent. Nullusque fere, ut ipse ad eumdem episcopum Warmiensem denuo, adventum ejus præoptans, conscripsit, præteribat dies, quo ad corrigendos mores et restituendam Ecclesiasticam disciplinam aliquid non decerneret. Sigismundum interim

[1] Mat. XXIV. — [2] To. II. l. XXI. an. 1557. — [3] Paul. IV. lib. brev. III. p. 269.

[1] Bullar. c. 1.

Poloniæ regem, de eodem Varmiensi Romam excito certiorem fecit : cumque hæresis illo in regno late serperet adeo, ut licet Poloniæ rex in comitiis ordinum superioribus vetuisset, ne quid in Eucharistico usu novaretur, tamen hæretici adeo Polonos suis erroribus fascinarunt, ut in quatuor insignibus urbibus eodem die usum calicis induxerint, ut eodem calice alios fœdissimos errores propinarent, de quo Paulus[1] apud Sigismundum questus, eum monuit, eversa religionis base, regnum ruiturum, comprimeret itaque insolentiam hæreticorum, Ecclesiastica et regia decreta contemnentium, ac nimia facilitate ac lenitate abutentium, insisteret parentis vestigiis, imminentiumque malorum, modo cum posset principiis mederetur.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Sedatis Dei Omnipotentis beneficio eis tumultibus, quos antiquus hostis ad impedienda pia nostra consilia excitaverat, controversiisque inter nos atque charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum, ita compositis, cum nos pietatem ejus ac reverentiam erga sanctam hanc Sedem perspexerimus, et ipse paternum erga se amorem nostrum agnosceret, curam et cogitationem nostram liberiore jam animo contulimus ad exequenda ea, quæ ab ipso Pontificatus nostri initio ad Dei honorem et sanctæ ipsius Ecclesiæ utilitatem agere constituimus : itaque evocavimus ad nos venerabilem fratrem Stanislaum Warmiensem eam ob causam, quam serenitas tua ex ipso cognoscet, sed cætera per illum de hoc ipso agere cum serenitate tua voluimus. Allatum est nuper ad nos, quod non sine magno dolore animi audivimus, proximo anno Dominica quarta Quadragesimæ in his quatuor regni tui oppidis Dantisco, Torunio, Elbinga et Mariæburgo illius diei lætitiam spiritualem in luctum Ecclesiæ conversam fuisse, temeritatem enim illorum populorum eo progressam esse, ut veriti non fuerint uno eodemque die, tanquam ex composito, contra consuetudinem Ecclesiæ Catholicæ, sub duplici specie sacram Communionem sumere. Audivimus etiam, ipsum quoque quod pro nostro divini cultus zelo molestissime tulimus, sacrosancta altaris mysteria ibidem contra ejusdem Ecclesiæ institutum pervulgari, et patrio sermone celebrari cœpisse, quæ res non nobis solum, sed etiam Serenitati tuæ eo magis animadvertendæ sunt, quod contra tuum ipsius edictum in conventu proximo cum adesset venerabilis frater Aloysius episcopus Veronensis, noster et Sedis Apostolicæ nuntius, promulgatum, hæc facere ausi sunt : itaque non Sedi Apostolicæ solum, sed tibi quoque hanc tam gravem injuriam fecerunt, quamobrem hortamur te, charissime fili, monemus et rogamus, ut cum pro tua prudentia intelligas, hoc audax facinus spectare ad perturbandam prorsus, et evertendam in regno tuo religionem Catholicam, et sanctæ Matris Ecclesiæ ritus sanctissimos abrogandos, ejusque auctoritatem delendam, obviam eas tanto malo, antequam vehementius corroboretur, ac tam grave scandalum ex civitatibus illis et locis omnibus, in quibus eadem acta sint, ita tollendum cures, ut legem a te proxime latam de nulla re in religionis cultu novanda servari, tibi placere appareat, neque impune te a quoquam eam negligi violarique passurum, cum ad Dei honorem et animarum salutem pertinet, temeritati populorum obviam iri, atque hæreses reprimi tum etiam, ut alias nos serenitatem tuam per litteras monuisse meminimus, ad regni tui, nobis crede, quietem, pacem ac firmitatem ; nos serenitatem tuam monemus, ut charissimum filium nostrum, ut eum, quem in tuenda religione Catholica claræ memoriæ parentis tui optimi, prudentissimi et maxime Catholici regis vestigiis insistere optamus, cujusque saluti animæ simul et regni incolumitati consultum cupimus. Vide, ne qui malo etiamnum mederi possis, si modo velis, usque eo illud augeri pravis quorumdam consiliis sinas, ut cum illi postea mederi volueris, non possis, seroque te pœniteat monitis et consiliis nostris paternis minime paruisse. Nos de serenitate tua bene sperare volumus, et sicut ea, quæ acta sunt, te insciente acta esse credimus, ita confidimus, aptum illis abs te remedium abhibitum iri, quod ut facias, etiam atque etiam a serenitate tua petimus et vehementer rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum, etc. die XXII Octobris MDLVII, anno III ».

Conatos hæreticos omni astu ac contentione suis laqueis irretire Sigismundum regem, ac suadere annisos, ut Calicem porrigendum laicis decerneret, indicat Hosius episcopus Warmiensis[1], sed illum sapientissimo responso impia postulata elusisse, tum docet, quanto flagitio se obstrinxerint ii, qui affectato Calice, a conjunctione Romanæ Ecclesiæ discesserunt :

« Præclare scriptum est ab Augustino : Di- « lige, et fac quod vis, sive bibas ex Calice, sive « non bibas, modo in dilectione et unitate, vel « bibas, vel abstineas, juxta ordinationem sive « observantiam Ecclesiæ, proficit tibi ad salu- « tem. Contra vero sive bibas ex Calice, sive « non bibas in divisione, reus eris Corporis et « Sanguinis Domini, quandoquidem ibi quæris « divisionem, ubi Christus vel maxime com- « mendare nobis voluit unitatem ». Quæ cum

[1] Paul. IV. l. VI. sig. num. 2889. p. 81. Paul. IV. lib. ar. III. p. 261.

[1] Stanisl. Hosius de exp. Dei verbo p. 55, 171.

ita sint, quis est, Sigismunde rex Auguste, qui factum hoc tuum satis prædicare possit, quod cum tibi quoque dictum non semel fuisset, *Mitte te deorsum*, hoc est, e sublimis Ecclesiæ doctrina traditioneque te demitte, ac vel in solius Eucharistiæ communione, contrarium ei quod ab illa sancitum est, seorsum ab orbe Christiano fieri permittere, nunquam adduci potuisti, ut istis separationis consiliis loci dares aliquid ? Quin cum personæ tuæ non esse, de rebus ad religionem pertinentibus quidquam statuere, semel et iterum publice professus esses (quandoquidem etiam imperator filius est Ecclesiæ, et intra Ecclesiam, non super Ecclesiam, sanctissimamque matrem suam reverenter et obedienter audire, non autem illi præscribere tenetur) ad futurum Œcumenicum Concilium, aut ad sanctæ Sedis Apostolicæ judicium rem omnem rejiciendam esse judicasti? Fecisti rem tua majorumque tuorum pietate dignam. Quid enim est, quod minus regem deceat Christianum, Catholicum et orthodoxum, quam ea sibi velle, quæ propria sunt sacerdotum et episcoporum usurpare ? quod facinus, quoties a principibus est admissum, semper ab eis gravissimas pœnas Deum expetivisse. Legimus quidem, non iverim inficias, justis ex causis Calicis usum in Œcumenico Concilio permitti laicis recte posse. Cæterum, si quod regnum seorsum ab orbe reliquo Christiano sibi velit illum usurpare, quid aliud, quam nefario schismate, se velle videbitur contaminare ? et hoc est quo tendit Sathanas. Non Calicem ille, sed schisma vult, si Calix unanimi totius Ecclesiæ consensu permittatur, eum repudiandum esse judicabit. Adeo nihil aliud, quam divisionem quærit in eo Sacramento, quod Symbolum est unitatis ». Et post multa :

« Conatibus hisce Sathanæ omnes omni ope resistere oportet, nam ut nihil sit in ipsis rebus, quæ petuntur, mali, tamen in separatione tantum est mali, ut nihil fieri possit perniciosius, quam principium separationis, cum finem reperire multo sit difficilius. Deinde vero nullum est crimen, quod multis modis ab hoc crimine non superetur. Itaque res est non admiratione magis quam commiseratione digna, quod audire quosdam licet dicentes, religione quadam, vel ut magis trito verbo utamur, conscientia sua prohiberi, quominus a Calice sibi temperent, aut altera tantum specie contenti sint. Numquid non hæc perversa quædam est religio, sive conscientia ? Numquid non illi Judæorum simillimi, quibus religio fuit in prætorium non ingredi, ne contaminarentur, cæterum Christum illudendum, flagellandum, crucifigendum tradere nulla fuit religio ; ad eumdem modum isti quoque conscientia se premi dicunt, si a Calice abstineant, si vero Corpus Christi mysticum lanient, pro quo Corpus ille suum vivum et verum in mortem tradidit, si sanctam Ecclesiam Catholicam lacerent, quam Christus acquisivit Sanguine suo, si multas in partes eam dissecent, nulla religione tanguntur ? »

39. Scripsit idem Hosius episcopus [1] Warmiensis etiam Dialogum de Communione utriusque speciei, in qua demonstrat non recentem, sed antiquum usum fuisse unius speciei, veteresque Polonos, cum nomen Christo dedere, una specie contentos sanctitatem coluisse :

« Sexcenti jam propemodum anni dicuntur intercessisse, cum Christi fidem et Evangelium recepit Polonia ; nunquam aliter in universa provincia, subjectisque regno terris omnibus, quam sub una specie communicatum fuisse, vel ex eo perspicuum cuivis esse potest. Quod si fuisset apud majores nostros aliquando usus utriusque speciei, Annalium nostrorum scriptores, quos cætera, quæ ad religionem pertinent, diligenter persecutos esse constat, nunquam commisissent, quin quo tempore fuerit intermitti cœptus, litterarum monumentis consignatum reliquissent, quin et ante mille et amplius annos Ephesi Concilium Œcumenicum aiunt fuisse congregatum, in quo jussi fuerunt laici, panis tantum specie esse contenti ». Et infra : « Increbuerat usus alterius tantum speciei, ut ipsi quoque sacerdotes sacris operantes a Calice abstinerent, quamobrem, et populum Leo Pontifex, et sacerdotes Gelasius admonere necesse habuit, ut ad Calicis usum redirent ».

Sunt hæc diserta verba Lutheri : « Quamvis pulchrum quidem esset, utraque specie Eucharistiæ uti, et Christus hac in re nihil tanquam necessarium præcepit, præstaret pacem et unanimitatem, quam utique Christus præcepit, sectari, quam de speciebus Sacramenti contendere ». Scripsit etiam, et alium Libellum edidit, quem vocat, Eucharistiæ declarationem, in quo verbis istis utitur : « Non dixi, neque consului, neque est intentio mea, ut unus vel aliquot episcopi propria auctoritate alicui incipiant utramque speciem porrigere, nisi ita constitueretur et mandaretur in Concilio generali ». Nondum scilicet omnes illos cum Sathana salis modios consumpserat, quos postea se comedisse gloriatur, cum scripserit contra ex diametro, neque sibi, sicut in aliis rebus, ita et in hac unquam constitit. Collegit civis quidam Halensis homo laicus Gaspar Quethamer triginta sex loca inter se pugnantia, super uno dumtaxat hoc articulo, qui est de communione Eucharistiæ sub una, aut sub utraque specie.

40. Cum ad Calicis usum olim adactos fideles viderit lector, meminisse debet, tempore Sancti Leonis papæ, simulque Gelasii, Manichæos viguisse, qui dicerent, vinum esse fel

[1] Stanisl. Hosius in Dialogo de utriusque speciei comm. p. 104.

principis tenebrarum, et a diabolo creatum, eoque errore seducti, a communione sub specie vini, tamquam a re mala, abhorrebant, cum interim ad tegendam infidelitatem suam, Catholicorum auderent interresse mysteriis : Quos cum omnino exscindere sanctus Leo papa[1] curaret, publico ad populum sermone illos notari jussit, dicens : « Ore indigno Corpus Christi accipiunt, Sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinant. Quod ideo vestram volumus scire sanctitatem, ut vobis hujuscemodi homines, et his manifestentur indiciis, et quorum deprehensa fuerit sacrilega simulatio, notati, et prohibiti a sanctorum societate sacerdotali auctoritate pellantur ». Ut igitur sub Catholico nomine delitescentes hæretici proderentur, hoc sanctus Pontifex Leo remedio usus est, quod etiam adhibere Gelasius coactus fuit, cum et Manichæos et Priscillianistas denuo repullulantes insectabatur, qui a vino abhorrebant, et Christum non habuisse verum Sanguinem existimabant. Et quamvis apud plerosque invaluerit sententia, Gelasium solis sacerdotibus præcepisse, ut simul cum Christi Corpore sanguinem sumerent, eo quod Gratianus[2] ejus referens decretum ponat pro titulo : « Corpus Christi sine ejus Sanguine sacerdos non debet accipere » : tamen, etiamsi admittamus indistincte de omnibus Canonem loqui, quod fortasse verius est, legenti ipsum facile ejus condendi causa patebit, sic enim habet : « Comperimus, quod quidam, sumpta tantummodo Corporis sacri portione, a Calice sacri cruoris abstineant, qui procul dubio, quoniam nescio qua superstitione docentur obstringi, aut integra Sacramenta non percipiant, aut ab integris avertantur : quia divisio unius ejusdemque mysterii sine grandi sacrilegio non potest provenire ». Quare Gelasius, ut recte infert cardinalis Bellarminus[3], non damnat eos, qui justa de causa a Calice se abstineant, sed qui ex superstitione ; quod cum facerent hæretici, Gelasius, qui ipsos radicitus tollere conabatur, hoc signo detegere ac punire orsus est, refert enim de eo Anastasius[4] : « Istis temporibus inventi sunt Manichæi in Urbe Roma, quos exilio deportari præcepit. Quorum Codices ante fores Basilicæ Sanctæ-Mariæ incendio cremavit ». Ne ergo Catholici a Calice semper abstinentes, se de hæresi Manichæorum suspectos redderent, aut ipsi Manichæi tuto laterent, si idem facerent quod Catholici sub altera tantum specie communicantes, pro illa temporis opportunitate hoc remedio sancti illi Pontifices caverunt. Hæc occasione hujus auctoritatis ab Hosio adductæ, dixisse sufficiat.

41. Illudebantur Poloni impostorum eloquentia; qui cum pollicerentur Sanguinem Christi in suis conventiculis populo porrigi, tantum pauxillum, quale in popinis divenditur, pro Christi Sanguine præbebant, et frustulum panis, qualem canes rodunt, mentiebanturque Sanguinem non præberi fidelibus a Catholicis sacerdotibus, cum revera in Romana Ecclesia Sanguis præbeatur, cum Corpus Christi a Sanguine et anima et divinitate segregari non possit. Erant enim illi seductores Polonorum Sacramentarii, quorum signifer erat Joannes a Lasko, quem pellexisse plures in suæ impietatis laqueos, queritur Stanislaus episcopus Warmiensis his litteris[1], ejusque errores refellit :

« Domino Pelearski.

« Jam publice Lutheranismus receptus, Christianissimus rejectus est in majoribus Prussiæ civitatibus, isthinc manavit ad nos, posteaquam rumor increbuit, vocatum isthuc esse Joannem a Lasko, statim in eam opinionem venerunt homines, futurum, ut ibi Sacramentariorum hæresim reciperetis. Mirum est in conspectu regiæ majestatis primum edictum illius majestatis in Comitiis de summa senatorum voluntate promulgatum violari. Quod ad locum attinet, de quo sententiam meam requirit, ita me legere memini apud divum Thomam Aquinatem, et ita fides etiam habet nostra Catholica, quod Corpus Christi non est (extensive scilicet) nisi in uno loco tantum, scilicet in Cœlo, sed quia conversa est in Corpus Christi substantia panis, qui prius in hoc loco erat determinate mediantibus dimensionibus suis, quæ manent transubstantiatione facta, ideo manet locus non quidem immediate habens ordinem ad Corpus Christi secundum proprias dimensiones, sed sub speciebus panis remanentibus, sub quibus succedit Corpus Christi, etc. MDLVII ».

Idem impius Joannes Lasko hujus anni exordio scriptum edidit, quo contendebat Zuinglianum dogma ab Augustana Confessione non discrepare ; quod impudens mendacium ita discutit Surius[2] : « Philippus Melancthon eam Confessionem subinde mutavit, et tandem etiam Zuinglianis fenestram, qua in eam irreperent, aperuit, cum alioqui testatus esset de Cœna Domini magis sibi placere Zuinglii, quam Lutheri doctrinam, imo etiam conquestus est quandoque de Lutheri tyrannide, quam diu passus esset. At prima Confessionis Augustanæ editio, quam Cæsari Protestantes exhibuerunt anno MDXXX, nulla ratione admittit dogma Sacramentariorum ». E Lutheranis Joachimus Westphalus, Joannis e Lasko impudentiam, et Calvini convitia confutavit hoc anno, confessionesque Ecclesiarum Saxonicarum Lutheranarum collectas in libellum redegit. At Sacramentarii eas ludi-

[1] Lib. IV. de Quad. — [2] De consec. Dist. 2. Comperimus. — [3] Lib. IV. de Sacr. c. 26. — [4] De Vita Pont. Gelas.

[1] Stanisl. Hosius episcop. Warmien. Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3222. p. 16. — [2] Sur. in Comm.

brio Epistolas obscurorum virorum dixere, ita ut ii, qui antea gloriabantur apud se esse veram Evangelii lucem, velut obscuri a Zuinglianis riderentur. Quo animadverso exclamat Surius : « Justus es Domine, et rectum judicium tuum, qui Ecclesiam tuam, quæ nonnisi una est, et sola recte Catholica dicitur, sibi irridendam et lacerandam sumpserunt, inter se invicem irrident se et lacerant, et omnibus cordatis hominibus irridendos propinant ». Objiciebant illi mutuo sibi crimen hæreseos, e quibus Calvinus hæresiarcha tanquam draco minores serpentes devoraturus mense Augusto Librum evulgavit hac præfixa inscriptone : « Ultima admonitio ad Joachimum Westphalum, cui nisi obtemperet, eo loco posthac habendus erit, quo pertinaces hæreticos haberi jubet Paulus ». At e contra Paulus Fizenus Ecclesiæ Hamburgensis superintendens Lutheranus scribit defensionem doctrinæ Lutheranæ de Cœna, atque sugillans Zuinglianos et Calvinistas, eo consilio se scripsisse ait : « Ut contradicentibus veritati Dei, et multas simplices animas suis imposturis in perditionem seducentibus resistat ». Eadem vero ferme repetit, quæ Westphalus et Timannus contra eos objecerant, et tanquam impostores et seductores contemptu proterit. Sic vaniloqui impostores inter se dissident secundum Jeremiæ [1] prophetiam : « Jurgati sunt et commoti. Facies Domini divisit eos, non addet ut respiciat eos ».

42. *Pontifex legationem Anglicanam cardinali Polo abrogat, et Guillelmum sufficit, sed reclamante regina, res in statu quo prius remanent ad tempus.* — Quod ad res Anglicanas pertinet, cum Paulus, uti superius diximus, Reginaldum cardinalem Polum ab illa legatione removisset, incommodæ multum suspiciones in ipsum Pontificem excitatæ sunt, quod hominem tam egregie de fide Catholica meritum, tali tempore, ab illo regno revocasset ; utque sunt fere semper depravata hominum judicia, ac prona est in deterius persuasio, qua sermonibus, qua litteris plura terebantur, quæ apud sapientes rerum peritos, vel a veritate prorsus aliena, vel Christiano quoque, nedum religiosissimo Pontifice indigna, sunt habita. Qui mitius Pauli mentem sunt interpretati ipsum in Polum commotum dixerunt quidam , quod inducias inter Philippum et Henricum reges præterito ac inconsulto Pontifice olim firmasset ; alii, quod Mariam reginam ab inferendo Henrico bello nuper non abduxisset. Cum tamen Acta, quæ in illius causa fuere suscepta, et a cardinali Caraffa ad Philippum delata , Polum de rebus fidei delatorum malignitate traductum subindicent (1), hinc Pontificem, qui summa, ut par est, tuendæ fidei contentione æstuabat, adductum arbitramur, ut formidoloso illo tempore legationem Polo abrogaret, Romamque ad causam dicendam accerseret. Nam non defuisse, qui innocentissimum Reginaldi animum, per summam malignitatem, aliquando carperent, testatur ipsius Vitæ auctor, cum scribit : « Multi docti homines ad eum sæpe confluebant. In iis erant aliquando qui pietatis simulatione pravam doctrinam obtegerent, et optimi viri de se opinionem fallerent. Quæ res Polo apud nonnullos fraudi fuit, eos præsertim, qui natura ad accusationem sunt proniores ». Atque ita rectam fidem, quam gerebat, quamque tot præclaris facinoribus exhibuerat, dubiam aliorum consortio , quod summopere cavendum sanctus Gregorius [1] Eusebio Thessalonicensi archiepiscopo scribens admonuit , nulla tamen sua culpa reddiderat.

43. Pontificis consilium ubi sensit regina , mirum in modum indoluit, interceptisque litteris, quæ ad cardinalem Polum mittebantur, per Epistolam Pontificem enixe oravit, ne tam alieno tempore Polum ex Anglia abduceret, neve a vinea illa nondum vepribus tribulisque hæreseos purgata , tam strenuum auferret colonum. Idipsum plures episcopi , quibuscum secreto consilium communicaverat, deprecabantur Paulum suppliciter etiam atque etiam orantes et obsecrantes, ut legationis munus Polo protraheret, ipsumque in regno sineret permanere, ne duce ac magistro destitutum brevi in pristinos errores ingeniumque recideret. Hoc accepto Pontifex, hujusmodi excogitavit consilium, quo et reginæ gratificari et religioni consulere arbitrabatur, nempe, novum ex eadem gente creare cardinalem, illique legationis provinciam demandare, ut habent Acta [2] Consistorialia :

« Die Lunæ XIV mensis Junii, Sanctissimus », et paulo post « commemoravit revocationem legationum suarum, et quibus de causis id fecerit, indeque dixit commotam fuisse totam nationem Angliæ de revocatione legationis cardinalis Poli, ut ex litteris reginæ et litteris prælatorum acceperat, et qualiter iterum periculum immineat. Tandem Sanctissimus volens religiosæ reginæ devotissimæ ac Christianissimæ, illique regno nondum plene reducto, nec in fide sanctæ Romanæ Ecclesiæ adhuc bene confirmato, favere, et morem gerere, cogitavit dare legationem illi regno, per aliquot annos adhuc. Verum cum

[1] Thr. c. 4.

[1] Lib. VII. Ind. 11. p. 6. — [2] Act. Cons. p. 227.

(1) Num forte Pontificiæ simultatis in Polum causa referenda est in eam quæ Polo insedisse fertur opinio, de non cogendis scilicet metu pœnarum hæreticis ut ad fidem regrederentur. Tradit enim Burnetus lib. II ad A. MDLV, Polum alieno fuisse animo ab illa hæreticorum insectatione quæ tunc in Anglia furebat. Id vero displicuisse plurimum ferventi Pontifici non immerito censeri posset. MANSI.

non videretur convenire auctoritati suæ, neque sacri Consistorii, personam quam paulo ante privaverat legatione, animo revocandi pro arduis negotiis, cum aliis cardinalibus absentibus, de novo legatum creare ; censuerat apud se æquius fore et probabile magis , novum cardinalem creare in Anglia, residentem ibi, et accumulare dignitatem illius legatione, ut ita satisfieret reginæ, et nationi, et dignitati illius loci, ne videretur ita leviter variasse, nominavitque fratrem Guillelmum Poeto Ordinis sancti Francisci de Observantia, quem, ex notitia privata, et multorum relatione judicabat et promotione et legatione dignissimum, ventumque est ad suffragia, omniumque consensu dignus est habitus frater ille, qui crearetur et cardinalis presbyter, et legatus fuit factus Angliæ ad instar legationis cardinalis Poli, sic cum translatione omnium, et quarumcumque facultatum, quas in dicta legatione habebat Polus, et uti poterat in omnibus, et per omnia ».

44. De suffecto in Anglicana legatione Guillelmo, præmonuit illius regni episcopos Paulus [1], egregiasque illius virtutes dignis laudibus sequenti Epistola celebravit :

« Venerabilibus fratribus archiepiscopis et episcopis in Angliæ regno.

« Venerabiles fratres, salutem, etc. Lectis litteris ab aliquot vestrum ad nos missis, quibus suo et aliorum nomine declararunt, quantopere legati Sedis Apostolicæ auctoritas Angliæ Ecclesiis necessaria sit, ad evellenda penitus ex agro Domini hæresum zizania, fidemque Catholicam stabiliendam et confirmandam, suppliciter a nobis petentes, ut eam auctoritatem isti regno restituamus, libentissime vestrum agnovimus studium divini honoris et salutis animarum, idque, perinde ac meretur, in Domino laudamus ; persuasum autem esse cupimus fraternitatibus vestris de nostro paterno erga serenissimam et piissimam reginam filiam nostram amore, et cura salutis, et dignitatis Ecclesiarum omnium istius regni, nihil penitus detractum et imminutum esse. Sed cum consilium illud de revocandis Sedis Apostolicæ nuntiis et legatis, non sine gravissima causa et matura deliberatione cepissemus, inter cæteros dilectum quoque filium nostrum Reginaldum tit. Sanctæ Mariæ in Cosmedin presbyterum cardinalem revocandum, eamdem ob causam esse duxeramus, quam de eo sententiam si tam cito mutaremus, non solum alienum id foret a gravitate hujus Sanctæ Sedis, verum etiam consilium nostrum et decretum de eo ad nos vocando, una cum cæteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus absentibus, ut in tam gravi negotiorum onere, nos pro officio suo sublevent, nondum quidem missis, sed jam confectis, et propediem mittendis ad singulos eorum litteris, mutandum esset; sed tamen cum et voluntatis serenissimæ reginæ et illius regni salutis eam rationem habere omnino statuissemus, quam officii nostri ratio postulat, gravique eam ob causam sollicitudine angeremur, gratias Deo agimus, qui eam nobis viam ostendit, qua et gravitatem hujus Sanctæ Sedis tueri, et vestris studiis obsequi, atque Ecclesiarum Angliæ necessitati consulere possemus. Dilectus filius noster Guillelmus Poeto Fratrum Minorum professor, nemo vestrum, ut credimus, ignorat quanta vitæ integritate, quanta sacrarum litterarum scientia, quamque sana doctrina præditus sit, quantum Catholicæ fidei ac religionis studium turbulentissimis illis temporibus, quantum denique erga serenissimam reginam fidem ac devotionem declaravit ; cum ex illo tempore, quo hic eum cognovimus, adeo semper dileximus ; propter spectatam ipsius probitatem, et fidei zelum, cujus non in patria modo, sed Romæ etiam specimen dedit, ut ab ipso Pontificatus initio de eo in cardinalium ordinem cooptando, vestræque nationi hoc habendo honore cogitaverimus, reginæ quoque ipsi id gratum fore existimantes ; dilatus autem hic honos, et non sine divino consilio ad hoc tempus illi reservatus fuit, etenim cum de cardinali presbytero creando, et legato in locum ipsius Reginaldi substituendo, consilium nostrum cum venerabilibus fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus communicavimus, mirifico omnium consensu et studio utrumque factum est, itaque misimus ad eum hujus honoris insignia. Quamobrem, cum, Deo auctore, eum in Angliæ et Hiberniæ regnis legatum de latere nostrum et Sedis Apostolicæ constituerimus, vestrarum Ecclesiarum utilitati, ut confidimus, a nobis optime consultum sit, vestræ jam partes sunt, atque ita vobis per Apostolica scripta mandamus ac præcipimus, ut eum tanquam nos ipsos recipiatis et honoretis, quæque aut corrigenda inter vos, aut statuenda ad Dei honorem et Ecclesiarum utilitatem induxerit, ea ita servetis itaque illi pareatis, ut vestram, quemadmodum speramus, erga nos et Sedem Apostolicam devotionem et debitam obedientiam agnoscere, et in Domino collaudare possimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XX Junii MDLVII, anno III ».

45. Sed quod opportunum eminus videbatur remedium, tenue admodum atque infirmum cominus judicabatur, nam etsi erat Guillelmus, ut habet auctor Vitæ cardinalis Poli, « vir pius et Catholicæ religionis studiosus, multosque annos in Italia cum cardinale Polo versatus fuerat, tamen, qui jam extrema et pene decursa ætate, et popularis, non nobilis erat, minime idoneus videbatur ad tantum munus, in Anglia præsertim, ac tali tempore sustinendum, cum

[1] Paul. IV. lib. brev. Vat. III. 209.

restituta nuper Catholica religione, magnæ adhuc præteriti schismatis atque hæresum reliquiæ extarent, vetusque Ecclesiastici Ordinis, atque in primis cœnobitarum omnium et monachorum odium atque contentio in multorum animis residerent; quæ quidem incommoda cum in Guillelmo concurrerent omnia, in card. Polo inessent perpauca; hæc in altero nulla res prorsus levabat; in altero summa nobilitas, excellens doctrina, singularis probitas et sanctitas facile superabant, ut hæretici ac pravi homines, quem propter religionis ac vitæ institutum ab ipsis dissidens, fortasse oderant, eumdem tamen revereri ac suspicere cogerentur ». Hæc Vitæ cardinalis Poli auctor, cui Petramellarius in Elogio consensit. In Anglicana vero Historia, quæ apud religiosos Sancti-Isidori de Urbe manuscripta asservatur, fueratque olim eruditi viri Lucæ Waddingi, Guillelmum ex antiqua et nobili apud Anglos familia ortum, asseritur, summæque tum doctrinæ tum pietatis laude excelluisse, fuisseque reginæ Mariæ a Confessionibus. Hoc itaque quod Romæ gestum fuerat comperto, regina Pontificis consilium prævertendum existimavit, utque rei famam quam accuratissime tegeret, jubet, ne cui Roma venienti aditus in Angliam pateret, neve alicui alteri, quam sibi, litteræ indidem exscriptæ redderentur, certum vero hominem, qui ad Guillelmum cardinalem designatum fuerat expeditus, cum jam Caletum appulisset, trajectu ulteriori prohibuit, nullumque passa est cum eo de recenti adepta dignitate sermonem habere, aut notitiam ingerere. Interim per oratorem suum Romæ Pontificem intimis precibus obsecrabat, uti ab incepto desisteret, et imminens Catholicæ religionis periculum pro sua pastorali sollicitudine dignaretur propulsare : at Paulus, cum necessitatem ostenderet Polum accersendi, eo quod cum eo coram agere omnino deberet, animum quoque suum oratori non obscure indicavit, quod nimirum suspectum religionis nomine ipsum haberet, velletque de nonnullis, quæ ad fidem pertinebant, quid ille sentiret, exquirere. His auditis regina, cum Poli innocentiam summe perspectam haberet, satis se admirari respondit, nam jacta in Poli mores fidemque crimina, vel antiqua erant; (et quis crederet, istum ipsum virum, quem Pontifex in cardinalium Collegium cooptatum, elapsis annis dum Cantuariensis archiepiscopus fuit renuntiatus, tot laudum præconiis ad cœlos usque extulerat, tam incommoda suspicione laborasse?) quod si post demandatam illi provinciam suspicio suborta fuerit, jam sibi illius virtuti debitum testimonium laudesque tribuendi facultatem in promptu sat esse. Cæterum, ut rite cuncta cognoscerentur, Pontifex de omnibus illam certiorem faceret, ut in Poli dicta, vitamque omnem de more, atque ex Angliæ regni legibus ab Ordinis Ecclesiastici tribunali inquireretur.

46. Dum hæc agerentur, importune accidit, ut Joannes quoque Moronus præstantissimus cardinalis falsis criminationibus apud Pontificem delatus, ejus jussu in custodia ad dicendam causam detineretur : et quoniam summa inter Polum et Moronum animorum sententiarumque conjunctio intercedebat, majorem accersendi Poli voluntatem Pontifex conceperat, ut ejus dicta cum cardinalis Moroni dictis componeret; de quo Acta Consistorialia hæc referunt : « Die Martis, prima mensis Junii, fuit Congregatio, ubi Sanctissimus fecit multa verba super causa retentionis reverendissimi domini cardinalis Moroni, et dixit quod volebat facere deputatos super hujusmodi causa, et quod volebat æque et paterne procedere. Et similiter dixit, quod volebat vocare omnes cardinales ad curiam propter multas causas ». Verum antequam causæ dicendæ tempus appropinquaret, Paulus in cardinalis Moroni liberationem propendens misit, qui illi nuntiarent, Pontificem ex gratia ipsum educere statuisse; at Moronus causam rite suam cognosci constanter postulavit, seque ad causam usque cognitam in arce permanere constituisse testatus est, quod a viris fide dignis acceptum scribit Dionysius Athanasius archiepiscopus Urbinas. Cujus postea innocentia sub Pio IV Pauli successore, non ab ipso Paulo, ut male scribit Thuanus [1], districto examine detecta, omni non modo culpa, sed etiam culpæ suspicione verbis amplissimis liberatus est.

47. Totius rei fama, cum forte ad cardinalem Polum pervenisset, suspicatus id quod erat, interceptas nimirum a regina Pontificis ad se litteras, ut se Pontificis dicto prorsus audientem præberet, crucem argenteam, inquit Vitæ ejus auctor, « ante se gestari, quod legationis erat insigne, prohibuit, simul et ab omni legati muneris functione destitit. Tum vero, ut quid sibi Pontifex juberet, plene intelligeret, seque paratum imperata omnia facere ostenderet, Nicolaum Ormanetum (is est Ormanetus ille, qui postmodum sancti Caroli Borromæi in Mediolanensi Ecclesia strenuus cooperator fuit, ac demum præstantissimus Patavinæ civitatis episcopus, et ad Catholicum regem Apostolicus nuntius) Romam per dispositos equos mittit, eique mandat, ut Pontifici totius legationis in Anglia a se gestæ rationem reddat, et quo in statu sint quæ ad religionem pertinerent, exponat, simul, et quam sibi molesta et acerba objici audierit, et quæ ipse pro Sedis Apostolicæ dignitate, et Catholicæ fidei propugnatione gesserit, scripserit, perpessus sit, demonstret. Ormanetum ad se venientem Pontifex benigne excepit, atque ut ipse aiebat, omnem pravæ reli-

[1] Ep. princ. com. 3. L. xx. hist.

gionis suspicionem de Polo a se removit, ut diceret, hos esse malevolos iniquorum hominum sermones, quorum linguæ contineri nequaquam possent. Christo etiam Servatori nostro, quam multa, quam inique falsoque objecta fuisse, ut minime mirum videri deberet, si quis de nobis detraheret. Deinde vero post pacem cum Philippo rege initam, fratris sui filium cardinalem Caraffam se missurum respondit, qui et cum rege ipso, et cum Polo de omnibus rebus ageret. Hoc nuntio cardinalis Polus aliquantum recreatus est ». Nec desunt, qui Ormaneti [1] opera ipsum restitutum tradant. Utut autem res se habuerit, illud profecto constat, Polum ad mortem usque, quæ in sequenti contigit anno, etsi non legatum ageret, legati tamen existimationem ac providentiam, sive Pontificis conniventia, sive reginæ studio, illo in regno retinuisse.

48. *Varia circa collegium cardinalium Paulus disponit.* — Incubuit etiam Pontifex, ut ea, quæ ad sacri cardinalium collegii majestatem asserendam magis conducerent, instrueret ac firmaret, cumque jam sub annum sui Pontificatus primum statuisset, ut sacri Collegii princeps, quem decanum vocant, esset episcopus cardinalis antiquior in curia præsens, vel ex causa publica absens, et extra curiam per Romanum Pontificem destinatus, qui cæteros omnes cardinales etiam antiquiores præcederet, hoc præsenti anno, ut habent Acta Consistorialia [2] : « Decrevit non debere in futurum transire cardinales per saltum de ordine in ordinem, veluti de diaconali ad presbyteralem, vel etiam de presbyterali ad episcopalem, sine licentia Sanctitatis suæ, nec optare posse ad finem istius saltus, posse tantum in ordine suo optare, cum vacatio contigerit, sed neminem de ordine ad ordinem transire, etiam per rationem optionis, nisi de speciali consensu et gratia Sanctitatis suæ ». Inclinante vero ad exitum anno, cum experientia comperisset in publica, quam sub anni initio instituerat, audientia, non omnia, quæ deferebantur, expediri posse negotia, nec facultatem conveniendi, quamvis pateret omnibus, ita singulis patere, ut suam quisque acciperet sententiam : « Die Veneris tertia Decembris (asserunt Consistorii Acta) Sanctissimus dominus noster deputavit reverendissimos DD. Paceccum, Medices, Saracenum, Puteum, Reomanum, Capisuccum et vicarium ad audiendum eos, qui non potuerunt audiri in publica audientia.

49. *Mors luctuosa Joannis regis Lusitaniæ.* — « Hoc ipso anno [3], tertio idus Junii, die Sabbati jam illucescente, Joannes hoc nomine Tertius Lusitaniæ rex, post aliquot dierum febriles tentatiunculas, pridie quam moreretur, ita ægrotans leviter, ut e lecto surgeret, continuo gravissima febri correptus pæne ex improviso oppressus est. Sed æquissimus regum Rex spatium optime, uti vixerat, claudendi vitam, deesse pio regi noluit. Rite expiatis noxis, et sacrosancto instructus viatico, oleo etiam sancto delibutus, ad divinum migravit tribunal. Eo sublato, magnum res Christiana columen amisit, quippe propagandæ Catholicæ fidei zelo ardentissime æstuabat, ac quemadmodum scribit Maffeius [1], Joannem Lusitaniæ regem insigni virtute ac pietate virum nulla magis angebat cura, quam ut barbaras illas nationes (Brasilicam nempe oram [2], cæterasque Indiarum partes) a misera dæmonum servitute ad unius veri Dei notitiam cultumque traduceret : atque ob idipsum, quos in ea mitteret loca, præcones Evangelii, et moribus et eruditione præstantes, tota Europa impendio conquirebat ». Et alibi, de ejus disserens morte, hæc habet : « Neque sera, neque inexpectata Joannem abstulit mors, cum ætatis annum, viribus dudum affectis, ageret quintum et quinquagesimum : vir plane magnus et venerabilis, ac præter cæteras laudes æterno præconio celebrandus, quod imperii moderatione, cultuque bonarum artium, et studio religionis amplificandæ, formam speciemque benefici et mitis ac vere Christiani regis expresserit ». Quæ omnia hic exscribere non piguit, ut optimi principis, et de Ecclesia Dei, et fide Catholica optime meriti, memoria in Ecclesiasticis Annalibus celebraretur [3], cui idem semper fuit regnum ac religionem propagare, ratus Christiani regis nomine se dignum non esse, nisi populos in suam ditionem redactos in Christi redigeret ditionem. Ardentissimum vero illius pietatis studium pro fide Catholica in Abyssinorum imperium invehenda, irritum Claudii imperatoris simulata reddidit perfidia. Nam scribit Maffeius : « Joannes patriarcha, Andreas episcopus, et Joannes Mesquita, oratore Sosa inter navigandum extincto, Goam devehuntur incolumes. Ibi cognito Claudium contra opinionem et famam in veteribus erroribus et impia secessione perstare, digna consultatione res visa. At patriarcha quidem, quanquam asperis ac periculosis in rebus, tamen sese in omnem aleam Christi causa paratum ostendit. Cæteris nequaquam e Sedis Apostolicæ dignitate visum, eo loco fastigioque personam, tot tantisque Pontificis Romani decretis ac judiciis inclytam, sejunctæ a Catholico cœtu genti præbere ad ludibrium et contumeliam os. Verum, ne prædamnata et abjecta repente per metum vel ignaviam tantæ expectationis, apparatusque legatio, et si quid sanari experiendo posset, omissum ulla ex parte videretur, Andream episcopum duobus tribusve

[1] Attichis Flor. Car. to. III. Pall. hist. Conc. p. 2. c. 2. l. XIV. — [2] Bul. Rom. to. I. Bul. V. Paul. IV. Cum Venerabiles. Acta Consistor. p. 223. — [3] Sacchin. hist. Soc. p. 2.

[1] Vit. S. Ig. l. II. c. 10. — [2] Hist. Ind. l. XVI. — [3] Tursel. in Vit. S. Francisc. Xaver. c. 8. l. I. Hist. Ind. l. XVI.

cum sociis Abassiam adire, quæque Rhoterigius (fuerat is pariter sacerdos e Societate Jesu antea præmissus ad Claudium) incassum egerat, pari fide, majori auctoritate, rursus aggredi placuit: et prout res sese darent, per litteras patriarchæ Joanni suadere, vel dissuadere provinciam. Ille tam præclaram de Christo bene merendi et exercendæ patientiæ occasionem arripuit libens. Cum Emmanuele Fernando sacerdote, et paucis præterea comitibus in Abassiam profectus, nihilo quam Rhoterigius faciliorem, aut æquiorem expertus est regem. Major dein illis oblata omnis virtutis explicandæ materies. Paucis namque post eorum adventum diebus Claudio a perduellibus acie victo ac perempto, successit Adamus frater, olim desertor fidei Christianæ, vir immanis ac ferus, et Apostolicæ Sedis hostis acerrimus. Is vinctum Andream in castra bellumque raptavit; comites probris et contumeliis, Abassinos quotquot Catholicæ veritati faventes vario genere pœnarum affecit ». Sed hoc non post paucos dies, sed anni unius et amplius intervallo, quo Claudii dejectio [1] et cædes contigit, improbæ perfidiæ pœnas, justo Dei judicio, luentis, ut qui Romanum Pontificem supremum Ecclesiæ caput agnoscere et venerari desierat, impositam suo capiti coronam, vitamque ipsam infeliciter amiserit: « In hac tamen Andreæ expeditione, apparuit », inquit Sacchinus, « sapiens Dei clementia in eo, quod si paulo longius Andreæ profectio dilata esset, omni obsepto in Abassiam aditu, quæ supererant Catholicorum reliquiæ omni destitutæ cultu facile in barbariem atque perfidiam omnino degenerassent: nec rerum, quæ postea melius provenerunt, jaci semina potuissent ». Hæc occasione funeris Joannis III enarrasse libuit, præclarosque istos pro fide Catholica conatus triumphalium loco insignium sepulchro ejus appendere non abs re judicavimus.

50. *Indicæ res Christianæ efflorescunt.* — Cum autem sermo noster in rebus Orientalibus jam versetur, age, et quæ apud Indos hoc anno acta sint, inspiciamus. Magnum Christianis rebus incrementum asserebat Nonnii patriarchæ præsentia, tum virtutum exemplo, tum prædicationis, atque episcopalium munerum officio, ac in uno Goano collegio amplius mille et octoginta sacro fonte renatos referunt [2]: « In his multorum conversio notabilis fuit. Brachmanus quidam, cum ægrum filium nulla medicorum ope habentem melius, in Beatæ Virginis sacellum Divaris insulæ intulisset, eumque mater salutis illico valetudini reddidisset, filium pater primo ad Collegium detulit, eum puerum Christi esse prædicans, eidemque ab se reddi; paulo post semetipsum et familiam totam adjunxit ». Hæc, et alia hujusmodi quamplurima ad fidem confirmandam dignabatur Dominus edere signa, quibus nascentem illam Ecclesiam, seduli in morem agricolæ tenera arbusta aquis irriguis perfundentis, augebat. Quæ omnia, cum annis singulis distincta a Patribus Societatis Jesu Romam mitterentur, pietatis studium accenderunt.

Accidit hoc ipso anno, ut sanctum Philippum Nerium [1], qui tum in ædibus sancti Hieronymi, quas Charitatis vocant, schema quoddam Congregationis Oratorii, quam postea condidit, formabat, mira Indias peragrandi incesserit cupido, inibique inter barbaras illas atque efferas gentes Dei verbum disseminare, ac Martyrii palmam, quam flagrantissime exoptaret, obtinere: ut autem res quo se habuerit modo, manifestior appareat, reddemus hic Antonii Gallonii, ejus in spiritu dilectissimi filii verba, qui quæ viderat, quæ manus ejus contrectaverunt de Philippo, fideliter per annos singulos digessit. Sic igitur habet: « Eodem hujus sæculi anno quinquagesimo septimo, cum vesperi post fusas Deo preces epistolæ de rebus Indicis in ejus cubiculo legerentur, tanta cupiditate ardere cæpit infideles ad legem Evangelicam reducendi, ut statuerit ad Dei gloriam, difficultatibus omnibus periculisque spretis, quæ plurima maximaque sese ei offerebant, una cum Francisco Maria Taurusio, qui postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis evasit, Joanne Baptista Modio et Antonio Fuccio, aliisque e suis alumnis ad viginti in Indias proficisci. Verum, ut in hujusmodi deliberationibus fieri solet, cogitavit primum, ut rem Deo assiduis precibus commendaret: nihil enim ille aggrediebatur unquam, magni vel parvi momenti id esset, nisi consulto prius ac propitiato Domino; deinde, quo de divina voluntate certior fieret, ut pios viros consuleret; postremo, ut qui inter eos sacerdotii capaces essent, sacerdotio initiarentur: tum, ut petita a Pontifice Maximo benedictione atque licentia, longinquo ac periculoso itineri sese committerent. Is profecto omnium ardor erat, ut terrores, vitæ pericula, dæmonum tentamenta, ærumnas pro nihilo ducerent, gravia quæque nimirum ob Christi fidem disseminandam patiendi cupidissimi. Ergo Philippo eam in rem intento hanc mentem injecit Deus, ut religiosum quemdam e Sancti Bernardi familia sanctitate conspicuum adiret, ejus voluntatem illo interprete et deprecatore auditurus; quod et fecit. Præerat eo anno monachis Cisterciensibus apud cœnobium SS. Vincentii et Anastasii Martyrum ad aquas Salvias; cujus cum animum Augustinus Chettinus (id erat monacho nomen) cognovisset, inducias petit: oratione enim rem a Deo, respondit, quæri oportere. Supplicatione completa, Philippo narrat, Romam, non ad Indias evocari, Indiasque ejus

[1] Goding. de reb. Abyssin. l. III. c. 16. Hist. Soc. 3. p. 2. an. 1557. — [2] Sacchin. ibidem.

[1] In Vit. S. Philipp. an. 1537.

Romam esse, apparuisseque sibi sanctum Joannem Evangelistam, qui diceret Deum ita velle ut Romæ ad ipsius vineam excolendam maneat, ubi multos eidem filios aggregabit, et ejus et alumnorum opera ad plurimorum salutem uti decrevisse. Retulit is etiam vidisse se aquas, vulgo Trium-Fontium appellamus, in sanguineum colorem mutatas : quare apertissime significari dicebat, novam Urbi procellam impendere, quod etiam ab eodem Apostolo se accepisse narravit, totiusque visionis ordinem Philippo exposuit. Tum his ille auditis ad omnia sese pro Christi arbitrio paratum ostendens, sermoni servi Dei cessit, Romæ manere statuit, ubi quam strenue in animarum salute procuranda elaboravit, quantosve fructus ediderit, nullus est qui non norit ». Sic non permisit Spiritus Domini beato Philippo adire Indiam, sed propriis adaugendis talentis, nec minus magnis muneribus, in ipsa Ecclesiæ Catholicæ prima Sede, ipsimet Philippo viro plane Apostolico concreditis, reservavit; quæ feliciter multiplicavit, plantatus erat siquidem *sicut oliva fructifera in atriis domus Dei nostri.* Hæc concinne subdit eruditissimus Andreas Dusaussay episcopus et comes Tullensis, cujus animæ anno Jubileo nuper defuncti bene precamur, qui ad contrahendam in epitomem sancti Philippi Vitam [1], ejusque inter sanctos consecrationis Diploma, selectis Observationibus Notisque didacticis illustrandum, calamum illum apposuit, quem in celebrandis sancti Andreæ Apostoli, et Gallicanorum sanctorum, scriptorumve Mysticorum memoriis, aliisque Ecclesiasticis Monumentis, tam feliciter adhibuit, ut Beda Gallicanus meruerit appellari.

51. *Sebastianus, triennis puer, salutatur Lusitaniæ rex, et Catharina tutrix regni consilia salutaria accipit a Pontifice.* — In Lusitania vita functo, ut paulo ante diximus, Joanne III rege, ex filio Joanne nepos a populis rex salutatur [2]. Admota est pueritiæ principis regendæ Catharina Austriaca ejus avia Caroli V imperatoris soror, quam sanctus Franciscus Borgia absens prius per Epistolam, deinde præsens est consolatus, Pontifex quoque tum ad ipsam, tum ad Sebastianum regem has litteras [3] direxit :

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Avi tui claræ memoriæ Joannnis regis Portugalliæ obitus, de quo nos certiores fecisti, maximo nos dolore affecit. Amisit enim Christiana respublica regem et maxima virtute præditum, et de se ac sancta religione optime meritum : sed quia divinæ voluntati acquiescere debemus, nostræ et tuæ partes sunt, pro ipsius anima Deum orare, ut eam in loco pacis et gloriæ ad animas inclytæ memoriæ prædecessorum ejus optimorum, piissimorumque principum aggregare dignetur, quod illi quidem propter vitam tam pie actam contigisse sperare debemus. Quod polliceris non te solum in regno successurum avo tuo, verum etiam hæredem fore ipsius fidei, obsequii et pietatis erga sanctam hanc Sedem, a qua te omnia bona consecuturum esse speras, quæ alii Catholici reges consequi soleant, de tuo isto in hanc Sedem animo te magnopere laudamus hortamurque, ut præstes id, quod polliceris, maximam enim si ita feceris, laudem tibi et gloriam paries. Fac igitur, charissime fili, ut cum ætate simul pietas crescat, cum pietate erga Deum charitas subditorum, præsertim pauperum, et in sanctam hanc Sedem, eique præsidentem Christi in terris vicarium devotio augeatur ; charissimæ vero in Christo filiæ nostræ reginæ aviæ, et ejusdem matris tuæ, itemque dilecti filii nostri Henrici sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteri cardinalis infantis Portugalliæ patrui tui monitis et præceptis obtempera, neque ab ipsius avi tui vestigiis declina, sed eum virtute, justitia et pietate sua tibi prælucentem sequere. Quod ad spem attinet, quam in hac Sancta Sede repositam habes, jure ac merito omnia, quæ tibi ac regno tuo ab ea cum Deo tribui poterunt, beneficia et commoda semper tibi polliceri et expectare poteris. Reliqua, de quibus ad serenissimam reginam scribimus, ex nostris ad eam litteris cognosces. Incipe igitur, charissime fili, regnare cum paterna benedictione nostra, quam his tibi litteris impertimus, Deum precantes ut te incolumem custodiat, concedatque, ut et diu in terris, et feliciter regnes, et post diuturnam ac prosperam temporalis regni administrationem ad cœlorum regna pervenias. Dat. Romæ, etc. die XVII Decembris MDLVII, anno III ».

Catharinam etiam reginam Sebastiani aviam ac tutricem regni hortatus est Pontifex [1], ut imbellem Sebastiani ætatem tueretur, atque una cum Henrico cardinale principe in salutem regni excubaret.

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ Portugalliæ et Algarbiorum reginæ illustri, etc.

« Quod scribas, cum ab ipso conjuge tuo (nempe Joanne rege) regis pueri (scilicet Sebastiani nepotis) tutela, et regni simul administratio tibi commissa fuisset, utriusque officii socium a te assumptum esse dilectum filium nostrum Henricum sanctæ Romanæ Ecclesiæ tit. SS. Quatuor-Coronatorum presbyterum cardinalem infantem Portugalliæ, consilium tuum magnopere probamus et laudamus ; est enim egregia is virtute ac fide præditus, et rerum

[1] In Ep. Vit. S. Philip. p. 248. Apud Raynaudun. — [2] Caram. l. I. Philip. Prud. Vit. S. Franc. Borg. c. 16. — [3] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 83.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 86.

istius regni admodum peritus : hortamur autem serenitatem tuam in Domino, et rogamus, ut regnum illud, quod præcipuæ nobis curæ est, et in intimis visceribus charitatis a nobis geritur, ita administres et gubernes, quemadmodum sane confidimus, ut populi tam justum et clementem regem sibi ereptum fuisse non sentiant. In primis cultui divino consule, Ecclesias, monasteria, hospitalia, omnesque Ecclesiasticos religiososque homines tuere, ut post rectam et piam temporalis regni administrationem, immarcescibilem in regno Cœlorum coronam accipere merearis. Nec vero minorem abs te curam et diligentiam adhiberi a te cupimus in educando charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum rege illustri nepote tuo, ut tener ejus animus, cum aliis rege dignis moribus atque virtutibus, tum in primis pietate et timore Domini, quod est sapientiæ initium, atque hujus sanctæ Sedis cultu et observantia imbuatur, quæ quidem virtutes Christiano rege in primis dignæ, si in eo fuerint, cunctæ res ei prospere et ex sententia sua procedent, maximamque in terris gloriam sibi parient, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XVIII Decemb. MDLVII, an. III ».

52. *Mulierem publice prædicare vetat Paulus.* — Non prætermittendum hoc extremo loco est visum, prohibitam fuisse a Paulo mulierem, quæ per diversa loca conciones de rebus divinis habere consueverat, ne id sibi in posterum arrogaret, cum ex Apostolo id vetitum sit, ac ne quidem beata Virgo id munus unquam exercuerit, tum etiam ipsis laicis, licet eruditione ac pietate florentissimis sacri canones hoc non permittant, de quo ad internuntium apud Venetos extant hæ litteræ :

« Venerabilis frater. Expositum nobis fuit mulierem quamdam Hispanam, Isabellam nomine, per diversa loca vagantem solitam esse verbum Dei publice in concionibus docere, eamque Venetiis hoc tempore in xenodochio SS. Joannis et Pauli diversantem conciones de divinis eloquiis habituram fuisse, nisi a fraternitate tua hoc ei interdictum fuisset, quoad de voluntate nostra fieret certior, qua de re, quid nobis placeat fraternitati tuæ dubium esse non credimus, nam cum sacri, ut nosti, canones et Patrum decreta hoc officio, quo nullum est gravius in Ecclesia Dei, laicis hominibus interdicunt, tum ipse gentium doctor et vas electionis Paulus mulieres non modo vetat docere, sed ne discendi quidem causa permittit, ut in Ecclesiis loquantur. Quamobrem moneri eam mulierem a fraternitate tua volumus, eique auctoritate nostra præcipi, ut aliis in rebus sibi convenientibus, Deo cum fide et charitate deserviat, ab eo autem munere se abstineat in quovis, seu virorum seu mulierum conventu, quo ne gloriosissima quidem Virgo, quæ Mater Domini, quæ sacrarium Spiritus sancti fuit, nunquam functa fuisse traditur, quodque non fœminis modo, sed laicis etiam viris quantavis doctrina et sanctitate præditis interdictum est, ne quæ verbum Dei aliis prædicat adversus illud ipsa faciat; sciat autem si forte nimia cujusquam prædecessorum nostrorum facilitate hoc sibi permissum fuerit, litteris eorum quibuscumque non obstantibus, quas inanes et irritas et nullius roboris esse volumus, eam sibi a nobis ademptam esse licentiam. Dat. Rom. apud S. Petrum die XVII Februari MDLVII, an. III (1) ».

(1) Has Pontificis litteras ad sequentem annum referendas constat ex iis quæ A. MDLVI, 44 animadvertimus. Nec sane annus III Pontificatus cum Februario mense nisi cum an. MDLVIII, componi potest. Hunc profecto concionum a mulieribus habendarum morem non isto tantummodo, sed et superiori sæculo obtinuisse ex iis, quæ de S. Rosa Viterbiensi in ejus Vita leguntur, satis patere posse arbitror. MANSI.

FINIS TOMI TRIGESIMI TERTII.

Barri-Ducis. — Ex Typis CŒLESTINORUM. — BERTRAND.

CÆSARIS BARONII

ANNALES ECCLESIASTICI

TOMUS TRIGESIMUS QUARTUS

SUMMARIUM GENERALE

CÆSARIS S. R. E. CARD. BARONII

OD. RAYNALDI ET JAC. LADERCHII

CONGREGATIONIS ORATORII PRESBYTERORUM

ANNALES

ECCLESIASTICI

DENUO ET ACCURATE EXCUSI

TOMUS TRIGESIMUS QUARTUS

1557-1565

SUMMARIUM GENERALE



BARRI-DUCIS

EX TYPIS CŒLESTINORUM — BERTRAND

36, VIA DICTA BANQUE, 36

PARISIIS

APUD BLOUD ET BARRAL, BIBLIOPOLAS

18, VIA DICTA CASSETTE, 18

M DCCC LXXIX

SUMMARIUM

TOMI XXXIV

MDLVIII. 1-3. De Concilio cogendo scribit Paulus tum Philippo Hispano, tum Henrico Galliarum regi, tum cardinali Caraffæ legato. 4. Mors et præclara gesta cardinalis Poli. 5. Duo Pauli nepotes avaritiæ et ambitioni nimis indulgent; Pontifex ipse respondit Philippo regi super negotium pacis. 6. Inter Anglos et Francos varia in Belgio certamina. 7-9. Carolus V imperium Ferdinando fratri relinquit, et mox ipse moritur. 10. Mariæ Angliæ reginæ obitus. 11, 12. Elizabetha ad regnum Anglicum evehitur, et, licet hæretica, religionem Catholicam initio regni permittit. 13. Magdeburgi ritus Catholici restituti. 14. Paulus episcopos Germaniæ hortatur ut religionem Catholicam restaurent. 15. Melchior Zobel episcopus Herbipolensis trucidatur; Calvinistica pestis etiam proceres in Gallia inficit. 16-19. Providet Pontifex ut hæreticis obsistatur in Polonia. 20. Livonia a Moschis infestata; captivi e carceribus Turcicis liberati; Bergomensis episcopus flagitio hæresis convictus. 21. Potestatem legendi libros hæreticos rescindit Paulus. 22. Ecclesia Goana in metropolitanam erecta, suffraganeos habens episcopatus Malacensem et Cochinensem. 23. Collegio cardinalium varia munera oblata. 24. Ultio divina in Lauretani sacelli violatores.

MDLIX. 1-8. Elisabetha Angliæ regina, detracta larva, hæresim fovet, et se gubernatricem Anglicanæ Ecclesiæ a comitiis decerni jubet. 9, 10. Episcopi spoliantur, et sacræ imagines conteruntur. 11. Pax inter Henricum Galliæ regem et Philippum Hispanum firmata. 12, 13. Hæresim Calvinianam ad Senatum ipsum Parisiensem propagines extendentem exstirpare sibi proponit Henricus, qui, morte interceptus, habet filium Franciscum successorem. 14. Pauli contra hæreticos et schismaticos gravissima sanctio. 15. Libros hæreticorum legere et retinere vetitum. 16. Paulus assignat stipendia pro inquisitione in Hispania. 17. Edictum adversus confessores ad turpia sollicitantes. 18-20. In Hispania hæresis suspicio attingit quosdam proceres, imo quosdam præsules. 21. Sollicitatur a Pontifice Joanna regni Hispani moderatrix ut Catholicam fidem tueatur. 22. Hæreticorum tentamina in Italia ipsa. 23. Lutherani in multas sectas divisi, et in duram servitutem redacti. 24. Paulus non assentit duci Brunswicensi petenti ut frater tres simul episcopatus conjunctos gerat. 25, 26. Hosius demonstrat pericula emersura ex facilitate nimia in controversiis permittendis. 27-29. Regem Poloniæ monet Paulus ut a se removeat suspicionem nimiæ facilitatis erga hæreticos. 30-32. Paulus nepotes ejicit. 33-35. In Belgio et in India plures sedes episcopales institutæ, et data cardinalibus monita. 36, 37. Mortuo Pontifice, coorta Romæ seditio et pactiones in conclavi sancitæ a cardinalibus. 38. Creatio Pii IV qui promissa in conclavi firmat. 39-41. Pii IV patria, familia et virtutes. 42. Electio Ferdinandi I a Pontifice confirmatur.

MDLX. 1, 2. Pius IV thiara Pontificia redimitur et a Ferdinando imperatore litteras gratulatorias et obsequii plenas recipit. 3, 4. Principes Christiani Concilium petunt a Pio. 5-9. Pontificis monita ad regem et episcopos Poloniæ circa hæreticos. 10. Lutherani et inter se et ab aliis hæreticis dissident. 11, 12. Hortatur Pius Germaniæ episcopos, ut cleri mores a luxuria et avaritia deturbent. 13, 14. Pontificis ad Cæsarem amantissimæ litteræ quibus suorum consiliorum rationem aperit. 15-20. Maximiliano Bohemiæ regi in fide fluctuanti Pius IV Hosium mittit qui illum confirmet. 21. Bavariæ ducem hortatur Pius ad constantiam in fide. 22, 23. Archiepiscopus Toletanus hæresis suspicione notatus. 24. Responsum datum oratori reginæ Scotiæ de periculis præsentibus Ecclesiæ. 25. Renovantur indulta concessa Galliæ regibus a Pontificibus præcedentibus. 26-28. Calvinistæ conjurationem contra regem Galliæ conflant. 29, 30. De expugnanda Geneva, ex qua principium sumpsit conjuratio, cogitant Franciscus rex et Philibertus dux Sabaudiæ. 31, 32. Edictum Remorentinense quo censura sacræ fidei in Gallia

constituitur. 33-35. Quidam politici insipienter consulunt non durius agendum cum hæreticis. 36-38. Armeniacus cardinalis in Galliam mittitur ad confirmandum in fide regem et reginam Navarræ. 39-41. Calvinismus in Gallia proficit et vexat regnum. 42-45. Tentat Pontifex tum per litteras, tum per diversos principes Elizabetham ad veram fidem revocare. 46. Fracta in Scotia potentia Gallica. 47-54. Celebres ordinum conventus apud Fontem Bellæaquæ, in quibus edictum Remorentinense funditus evertitur. 55, 56. Difficultates objectæ circa modum et locum Concilii. 57-59. Ex testimonio oratoris Veneti aperte constat Pontificem sibi in animum induxisse non dissolvendum, sed prorogandum Concilium. 60. Hæretici student Concilio disturbando. 61-63. Cum principibus agit Pontifex de mox cogendo Concilio. 64-66. Sacramento obstringit Pius suscepturos posthac munus episcopale ad tenendum et profitendum quæ hucusque decreta fuerint contra hæreticos. 67-69. Rursum indicitur Concilium Tridentinum. 70-72. Scribit Pius ad imperatorem et Galliæ regem ut Concilio faveant. 73-76. Lutherani principes et magistratus invitantur ad Concilium. 77, 78. Omnem curam impendit Pontifex ut omnes principes Christiani, etiam Orientales, Concilium adeant. 79. Anabaptista flammis damnatus. 80-82. Patefacta conjuratio cujus caput et dux Condæus in vincula conjicitur. 83, 84. Condolet Pontifex de morte Francisci regis, ex qua magnum patitur damnum religio Catholica. 85, 86. Pius scribit regi Navarræ commendans ipsi Carolum puerum. 87-90. Post partam de Turcis victoriam, Christiani mox terra marique devicti apud Tripolim, et decumæ impositæ regnis Hispanis in auxilium contra Turcas. 91. Venetis archiepiscopatum Nicosiensem donat Pius IV. 92-96. S. Carolus Borromæus creatur cardinalis, eligitur archiepiscopus Mediolanensis, et constituitur protector Helvetiorum Catholicorum apud Sedem Apostolicam. 97. Proceditur contra cardinalem Caraffam et ejus fratrem ducem Palliani. 98, 99. Absolvitur cardinalis Moronus et ad majorem dignitatem provehitur. 100. Philippi Melancthonis obitus. 101. Heidelbergæ exurgit novus hæresiarcha. 102. Congensibus Evangelium prædicatur. 103. Erectio ducatus Brachiani et marchionatus Anguillaræ pro Paulo Jordano Ursino et successoribus. 104. Veritas præsentiæ Christi corporis in Sacramento miraculo comprobatur (1).

MDLXI. 1-4. Præsides Concilii designati a Pontifice, cardinales creati, et indulgentiæ concessæ orantibus pro felici rerum exitu. 5-9. Diversæ sanctiones quibus providet Pius libertati Concilii et successioni Pontificum, durante Concilio. 10. Preces indictæ in formam Jubilei. 11-13. Statuta circa jus sententiam ferendi, sedium ordinem, et diem inchoationis Concilii. 14-18. Pellicere ad Concilium studet Pontifex regem Portugalliæ, Germanos principes et etiam Moschorum ducem. 19-22. Commendonus et Delphinus cardinales legati Ferdinandum imperatorem adeunt, eique exponunt quo fine et quali modo cogere Concilium Pontifex statuerit. 23-29. Legatorum in conventu Nauburgensi orationes coram Lutheranis frementibus sed nil objicientibus. 30-41. Cum duce Saxoniæ et electore Brandeburgico Commendonus agit; electoribus Coloniensi et Trevirensi legationem suam exponit; Clivensem ducem, Bruxellas et Aquisgranum invisit. 42-46. In Academia Lovaniensi excitant turbas Baii et Hessel opiniones de quibus a Pontifice silentium indicitur. 47-50. Commendonus Lubecam petit et hujus civitatis statum deplorat; Daniam et Sueciam frustra tentat ingredi. 51, 52. Abbatem Martinengum ad Elizabetham Angliæ reginam Pius legat, sed regno arcetur. 53, 54. Commendonus Romam revocatur. 55. Canobius ad Cæsarem et in Poloniam mittitur. 56-59. Lutheranorum objectiones contra Concilium Tridentinum. 60. Sternbergerus novas hæreses contra Trinitatem promulgat. 61, 62. S. Theresia reformationem Ordinis Carmelitarum aggreditur. 63, 64. Æthiopes ad Concilium invitati. 65-67. Societatis Jesu religioses Pius IV commendat. 68. In Belgio divina vindicta contra Calvinianum contemptorem Eucharistiæ. 69. Pius IV sustollit lites ortas in Belgio circa fines incertos quarumdam diœceseon. 70. In America, Philippi Hispaniarum regis ope, multæ sedes episcopales eriguntur. 71, 72. Decimas eidem regi concedit Pius ob bellum contra Turcas. 73-75. Pontifex laudat regum Lusitanorum pro fide labores, patruum regis creat legatum a latere, et prohibet Catharinæ reginæ ingressum in monasterium, publicæ utilitatis causa. 76. Maria Scotiæ regina rosa aurea donatur. 77. Principis Transylvaniæ consanguineum, in ordine diaconatus constitutum nuptias inire permittit Pontifex. 78, 79. Saluberrimæ sanctiones a Pio IV editæ. 80, 81. Pauli IV nepotes neci traduntur, et Caroli V memoria vindicatur. 82, 83. Quisnam tunc fuerit status aulæ Gallicæ. 84-88. Cardinalis Ferrariensis in Galliam legatus mittitur a Pio qui infelicem statum religionis deplorat in illo regno. 89-100. Renitentibus licet doctoribus Sorbonicis, Calvinistæ colloquium cum Catholicis obtinent: quænam agitata fuerunt in colloquio Possiaco. 101, 102. De retinendo in vera fide Antonio Navarræ rege consilia versant Catholici proceres. 103. Parisiis tumultus ab Hugonottis concitati. 104, 105. Pestis hæretica irrepit in comitatum Venusinum, favente Aurasiæ principe. 106. Pius IV scribit duci Sabaudiæ ut religionis defensoribus auxilium præstet.

MDLXII. 1-4. Diu multumque disceptatur inter Patres utra istarum vocum *continuatio* an *nova indictio* adhibenda sit in Actis Concilii redigendis. 5-8. Prima sessio sub Pio IV celebrata, et decreta in ea lata. 9-11. Articuli adoptati tum de admittendis in Concilium hæreticis, tum de tollendis

(1) (In fine voluminis, ante Indicem generalem, unum reperies brevem, anno 1560 a Pio IV datum.)

dissensionibus inter oratores principum. 12-14. Oratoris regis Lusitani sermo et synodi responsio. 15-17. Articuli exhibiti ab oratoribus imperatoris et responsum legatorum. 18. Admonentur Patres ne divulgent quæ tractata fuerint in Concilio, antequam firmentur. 19-21. Secunda sessio. 22, 23. Agitur de salvo conductu hæreticis dando. 24-27. Principes et oratores Galli instanter petunt ut quæstiones quæ viderentur graviores ulterius tractentur. 28-31. Assyrii et Jacobitæ ad unitatem redeunt. 32. Capita reformationis proponuntur disceptationi Patrum. 33, 34. Philippus Hispanus oratorem ad Concilium mittit; responsio Concilii. 35-37. Orator ducis Florentini exhibet erga Concilium præclara propensionis signa, quæ lætanter excipiuntur. 38, 39. Helvetiorum Catholicorum oratores ad Concilium accedunt et perorant. 40. Responsio Concilii data oratoribus cleri Hungarici. 41. Proponitur discutiendus articulus de residentia. 42. Venetæ reipublicæ oratoribus respondetur a Patribus : contentiones inter Bavaros et Venetos de honorificentiori loco. 43. Orator Gallus postulat ut Sessio proxima differatur. 44-46. Sessio tertia sub Pio IV, in qua mandata et litteræ principum recipiuntur : oratio Galli legati et Synodi responsio. 47, 48. Sessio quarta sub Pio IV et ejus Acta. 49-51. De communione sub utraque specie disputatur, et articuli propositi discutiuntur. 52-54. Auditur orator ducis Bavariæ cujus pietas a Patribus commendatur. 55-58. Cæsar postulat ut tollantur jejunia, et sacerdotibus concedantur uxores : responsa ad quæstiones propositas. 59. Capita libelli imperatoris. 60, 61. Cur palam non fuerit lectus libellus Cæsareus exponunt legati : imperator suæ conscius imprudentiæ se excusat. 62-64. Responsio Patrum ad singulos articulos petitionis Cæsareæ benigne accipitur ab ipso imperatore. 65-69. Usus calicis instanter petitur ab oratoribus Cæsareis, Gallis et Hungaris. 70-72. Sessio quinta sub Pio IV, in qua statuitur de communione sub utraque specie, et de reformatione cleri. 73-85. Post multas disceptationes de usu calicis, hæc controversia relinquitur Pontifici dirimenda. 86-88. Articuli Gallorum de reformatione et legatorum responsio. 89-92. Discutiuntur articuli de Sacrificio missæ et de Ordinis sacramento. 93. De auctoritate Pontificis et episcoporum controversia oritur. 94. Nuntiatur adventus Gallorum præsulum. 95. Postulat imperator ut mentio Sacrificii missæ non fiat in Concilio, sed repulsam patitur. 96-100. Modus tractandi res Conciliares : exponuntur opiniones theologorum de sacrificio Missæ. 101, 102. Sessio sexta sub Pio IV : decreta et canones de sacrificio Missæ. 103-105. Examinatur quæstio an sint juris divini et residentia et episcoporum auctoritas. 106, 107. Orator regis Poloniæ a Concilio recipitur. 108. Proponitur decretum de residentia. 109-113. Cardinalis Lotharingus, præsulibus et oratoribus Gallis stipatus, Tridentum appellit. 114-116. Querelæ Lotharingi cardinalis in Synodo expositæ. 117-126. Successivæ prorogationes septimæ sessionis ob exortas controversias tum de residentia, tum de jurisdictione episcoporum. 127. Hortatur Pius electorem Brandeburgensem ut viros pios ad Concilium mittat. 128-133. Hugonottorum conjuratio : Hospitalis cancellarii edictum nefarium. 134-136. Cardinalis Ferrariensis, in aula Gallica nuntius, ab Hosio reprehenditur. 137, 138. Lucenses commendantur a Pontifice quod solliciti sint ne ipsorum mercatores in hæresim incidant. 139, 140. Hugonottorum Condæus protector et Guisii hostes infensissimi : tumultus Vassicenus. 141-143. Dum Calvinistis favet Joanna Alebretensis, ejus maritus Antonius Navarræ rex fœdus init cum aliis principibus Catholicis, et simul cum Catharina Galliæ regina Pontificis gratulationem meretur. 144. Montmorantii præclara de re Catholica merita. 145-148. Aurelia capta et expilata ab Hugonottis. 149-156. Perfidia sua et feritate totum Galliæ regnum conturbant Calvinistæ, contra quos offerunt auxilia principes Christiani. 157, 158. Hugonotti a Tolosanis magna strage profligati : Montlucii laudes. 159-162. Impia Calvinismi facinora. 163-167. Varia et irrita concordiæ tentamina cum Hugonottis. 168-170. Bellum instruitur contra hæreticos ; urbes ab ipsis captæ plerumque recuperantur ; rex Navarræ vulneratus pie et catholice moritur. 171-173. Regis Navarræ mors maximam cladem affert Franciæ et Navarræ ; cardinalis Borbonius tutor regni designatur. 174-179. Guisius præclaram de Hugonottis victoriam reportat prope oppidum Druidum. 180. Rex Galliæ Carolus præcipit ut Avenionensis ditio ab Hugonottis defendatur. 181. Dux Sabaudiæ hæreticorum fallaciis illusus. 182, 183. Maria Scotiæ regina religionem Catholicam erigere curat. 184. Crux miraculosa in India Orientali detegitur. 185. Ordo S. Stephani in Etruria confirmatur. 186. Decimas imponit Pius in favorem Philippi Hispani pro bello contra Turcas. 187. Maximilianus II Romanorum rex eligitur. 188. Multæ reformationes a Pio IV constitutæ. 189. Thermas Diocletiani in Ecclesiam conversas Pius IV tradit Carthusianis.

MDLXIII. 1. Solemnes gratiarum actiones pro parta de Hugonottis victoria. 2. Pontificis gratulatoriæ litteræ tum ad ducem Monspenserium, tum ad senatum Tolosanum. 3-11. Septima sessio iterum prorogatur, de auctoritate papæ magna orta controversia. 12. Querelæ cardinalis Lotharingi de creatione cardinalium, pendente Concilio. 13. De residentia oritur quæstio. 14, 15. Philiberti Sabaudiæ ducis recipitur orator, cui respondet sancta Synodus. 16. Legati Commendonum cum instructione ad imperatorem mittunt. 17, 18. Septima septimæ Sessionis prorogatio. 19-21. Articuli de sacramento Matrimonii a theologis minoris ordinis discutiuntur. 22. Hispani theologi queruntur quod sibi anteponantur in ordine dicendi Sorbonici doctores. 23-26. Litteræ Galli regis, oratoris ejus allocutio, et Synodi responsio. 27. Examen quorumdam abusuum circa sacramentum Ordinis aliquot Patribus committitur. 28, 29. Po-

stulata Gallorum ad Concilium referuntur. 30, 31. De congressu Cæsaris et Pontificis agitur. 32. Ferdinandi querimoniæ de lento gressu Concilii et responsio legatorum. 33-38. Inter imperatorem et Pontificem litteræ utrinque missæ circa ordinem Concilii. 39-42. Anxius Pontifex de quorumdam, præsertim Gallorum, erga se mentis affectu. 43, 44. Pius respondet postulatis Germanorum. 45, 46. De conjugio sacerdotum acerrime disputatur. 47-49. Cupiditatum lenociniis allecti in hæresim dilabuntur aliqui præsules, inter quos Castilionus. 50-53. Dux Guisius proditorie ab hæreticis occiditur. 54. Calvinistarum impietates et scelera, 55, 56. Pax cum Hugonottis firmatur in Gallia. 57. Pius IV episcopos a Concilio digressos revocat, absentes invitat. 58, 59. Duo ex Concilii præsidentibus, Mantuanus et Seripandus diem obeunt supremum. 60-64. Ut legati præsidentes mittuntur a Pontifice Tridentum cardinales Moronus et Navagerius qui in Concilio perhonorifice recipiuntur. 65. Discutitur an procuratores episcoporum absentium in Synodum sint admittendi. 66. Comes e Luna orator Hispanus petit ut verba : *proponentibus legatis*, e decretis Concilii tollantur. 67-70. Gravissimæ difficultates obstant congressui Pontificis et imperatoris, licet utrinque expetatur. 71. Petrus e Soto theologus apud omnes summæ existimationis, Tridenti moritur. 72. Prorogatio octava Sessionis septimæ. 73-81. Carolus IX Synodo denuntiat et simul excusat pactiones ictas cum Hugonottis. 82-84. Responsum magna Concilii maturitate digestum datur præcedentibus litteris. 85. Arma Gallorum conversa feliciter in Anglos. 86. Restaurata religio Lugduni et Rothomagi. 87-91. Dissensiones in Concilio præsertim circa verba : *proponentibus legatis*. 92. Nona prorogatio septimæ Sessionis. 93-98. Contentiones de præcedentia inter oratores Gallos et Hispanos. 99, 100. De auctoritate summi Pontificis disceptatur. 101, 102. Ferdinandus imperator et Albertus dux Bavariæ Pontificis dignitatem defendunt 103. Catechismorum editio a Patribus Concilii promota. 104. Prorogatio decima Sessionis septimæ. 105-110. Reviviscit ardentius controversia de præcedentia inter oratores Gallos et Hispanos. 111, 112. Leguntur et laudantur in Concilio litteræ reginæ Scotiæ. 113. Pius IV Scotis proceribus scribit, ut eos in fide confirmet. 114-116. Libratis utriusque partis sententiis, Synodus prudentius censet non percellendum Elisabetham Angliæ reginam edicto conciliari. 117. Imperator Elisabethæ scribit pro Catholicis. 118-121. Agitatur quæstio an sit papa supra Concilium. 122-124. Adducuntur in examen quædam reformationis capita, et sedatur controversia de jurisdictione episcoporum. 125-128. Sessio septima : decretum et canones de sacramento Ordinis. 129. Renovantur antiquæ Constitutiones de residentia. 130. Turcarum exercitum et classem delent Hispani. 131, 132. Angli e Gallia ejiciuntur ; Carolus IX favet hæreticis, unde justæ querelæ Parisiensis senatus. 133. Pius IV Joannam Navarræ reginam ut hæreticam condemnat. 134. Nonnulli episcopi Galli infecti Calvinismo. 135. Pius IV scribit admonitorias epistolas principi Auriacensi. 136. Offeruntur Concilio litteræ observantissimæ ducis Senarum et Margaritæ Austriacæ. 137. In Concilio expenditur duorum præsulum, Toletani videlicet et Aquilegiensis doctrina, in qua nihil a fide alienum reprehenditur. 138-140. Illusus a politicis Ferdinandus postulat usum calicis et abrogationem cœlibatus Ecclesiastici. 141, 142. Comes e Luna Concilium turbat. 143. Veneti oratores Græcos invitari poscunt. 144, 145. Approbantur a Patribus litteræ Margaritæ Austriacæ. 146. Non Hispano more, sed secundum jus commune tribunalia inquisitionis Mediolani constituuntur. 147-149. Orator equitum S. Joannis Hierosolymitani ad Concilium accedit, et de tardo adventu se excusat. 150-152. De Matrimonio clandestino maxima contestatio. 153, 154. Principes protrahunt suam reformationem. 155. Prorogatio sessionis octavæ. 156-160. Legati mittunt ad Pontificem internuntium qui certiorum illum faciat de progressu Concilii, dum cæteroquin monent Cæsarem simul et Hispanum regem ne amplius nectant moras circa absolutionem Concilii. 161-170. Agitur de reformatione principum. 171. Cardinalis Lotharingus perhonorifice Romæ exceptus. 172-179. Pius IV claudendo Concilio studet, quamvis principes obices ponant. 180, 181. Contra fidei desertores infracto se ostendit animo Pontifex. 182. Pii IV litteræ congratulatoriæ ad Nemurcensem ducem. 183, 184. Aliquot principes a Sede Apostolica deficere tentant. 185-187. Varia in Polonia de religione dissidia. 188-190. Nonnullis causis pendentibus providet Pontifex. 191, 192. Concilio finis manet imponendus, reluctante licet comite e Luna. 193, 194. Sessio octava : decreta, canones et monita de Sacramento Matrimonii. 195, 196. Decreta disciplinam Ecclesiasticam concernentia ; Hosius æger suam sententiam scriptam mittit. 197-199. Disceptatur qua via Concilium quamprimum absolvatur. 200-204. Omnes Patres conveniunt ut quam citissime Concilium absolvant, frustra renitente comite e Luna. 205. Occasione morbi Pontificis, comes e Luna a pertinacia se relaxat. 206, 208. Unanimi consensu decernitur claudendum esse Concilium. 209-214. Sessio ultima Concilii ; decreta de articulis prius examinatis, sed nondum definitis. 215. Revocantur et confirmantur decreta publicata sub Paulo III et Julio III. 216-218. Patrum acclamationes et subscriptiones. 219. Cardinalis Moronus certiorem facit imperatorem de fine Concilii. 220, 221. Oratores principum pro sua quisque natione Concilium recipiunt. 222-224. Pii IV summa lætitia et litteræ gratulatoriæ pro absolutione Concilii. 225. Dæmoniaca curata a sacerdotibus Catholicis, postquam Lutherani ministri nihil profecerint. 226, 227. Lusitanus fert opem Abyssinis contra Turcas. 228. Maximilianus rex Romanorum oratorem ad præstandum obedientiam Pio IV mittit. 229. Oranum recuperatum.

MDLXIV. 1-3. Pius IV decreta Concilii Tridentini a se confirmata promulgat, et prohibet ne quis supradictis decretis audeat glossas addere. 4. Carolus Borromæus sanctioris vitæ disciplinam in se suaque familia instituit. 5. Congregationis Oratorii primordia. 6. Pius studet ut omnes principes Concilium recipiant. 7. Pontifex tam suo quam principum nomine legationem instituit ad Gallum regem, ut eum edoceat quæ agenda sint. 8, 9. Carolus IX sui regni provincias lustrat. 10. Cardinalem Lotharingum occidere tentant Hugonotti. 11-13. Forma quædam reipublicæ Hugonottæ in Gallia constituitur a Colinio, et decreta Concilii oppugnantur. 14-23. Protestantium argutias adversus Concilium diluit Cardilius. 24, 25. Lutherani frustra tentant conciliare suas opiniones cum opinionibus Zuinglianorum et Calvinistarum. 26. Ex dissidiis novatorum reducitur junior theologus ad fidem Catholicam. 27. Electio Maximiliani in regem Romanorum a Pontifice validata. 28-32. Petitur et laicis conceditur usus calicis in Germania. 33. Legatio Germaniæ cardinali Morono demandata. 34. Antistites Germaniæ ad Concilium Tridentinum recipiendum exstimulantur. 35, 36. Calicis concessio videtur dare, saltem ad tempus, aliquam spem fidei redintegrandæ in Germania. 37. Pius Ferdinandi obitus : turbida initia imperii Maximiliani successoris. 38, 39. Maximilianus conjugium sacerdotum petit a Pontifice, sed patitur repulsam. 40-45. Concilium Tridentinum opera cardinalium Commendoni et Hosii in Polonia recipitur. 46. Epistola regis Poloniæ de Concilio admisso. 47, 48. Hæretici, et imprimis Bernardinus Ochinus Polonia ejiciuntur. 49, 50. Concilium in spe a Scotis, et reipsa ab Hispanis et Italis recipitur. 51, 52. Armeniorum patriarcha ad unitatem Ecclesiæ redit, nuntiumque Romam mittit. 53-55. Præfocandis hæreseon seminibus, exscindendis Simoniæ vepribus et erigendis seminariis Pontifex invigilat. 56. Philippus rex Hispaniarum Turcas in Africa devincit, et Genuenses Corsicam rebellantem subdunt. 57. Pontifex curis et angustiis quamplurimis implicitus. 58. In America novæ Ecclesiæ conditæ : canonizatio B. Didaci postulata ; Græcis Catholicis in Sicilia morantibus Græci episcopi dati. 59. Tumultus in Piceno. 60, 61. Calvinus impœnitens moritur.

MDLXV, 1-3. Pius IV ostendit cœlibatum sacerdotum semper in usu fuisse. 4. Gebennenses Pium IV proditorie occidere tentant. 5. Perfugia et aliqua privilegia rescindit Pontifex. 6. Cardinales creantur. 7. Hugo Boncompagnus in Hispaniam legatus dirigitur. 8-12. Melitensis insula a Solimanno impetitur, sed providente Pontifice, ab invasione Turcica liberatur. 13, 14. Maximilianus imperator auxilia petit contra Turcas Hungariam invasuros. 15. In Polonia hæresis grassatur. 16. Carolus IX Galliæ rex sacras ædes a Calvinistis eversas restituit. 17-19. In Belgio et in Scotia hæretici seditiones movent. 20. In Anglia oritur Puritanorum hæresis. 21-23. Pontifex et S. Carolus pro sua quisque parte laborant in exscindendis hæresibus et corruptelis. 24. S. Carolus summus pœnitentiarius eligitur. 25, 26. Gesta a S. Carolo in Mediolanensi Ecclesia. 27, 28. S. Carolus Romam redit, et Pontifici morienti assistit.

ANNALES ECCLESIASTICI.

PAULI IV ANNUS 4. — CHRISTI 1558.

1. *De Concilio cogendo scribit Paulus, tum Philippo Hispano, tum Henrico Galliarum regi, tum cardinali Caraffæ legato.* — Anno redempti orbis quinquagesimo octavo supra millesimum quingentesimum, Indictione prima, confirmata pax est inter Pontificem et Philippum Hispaniæ regem, quæ etiam gradum munivit sanciendæ alteri paci continentibus populi Christiani votis expetitæ inter Philippum Hispaniæ et Henricum Galliæ reges : scripserat vero Philippus rex manu regia litteras extremo superiori anno amantissimis verborum officiis refertas ad Pontificem, quibus conceptam animo pietatem atque observantiam erga summum totius Ecclesiæ in terris præsidem ac pastorem testabatur. His exceptis, maximam ex iis lætitiam Paulus suscepit, egitque Deo grates, qui tantum regem in pristino religionis studio, ac discussis improborum et communis hostis conatibus, in vetere Sedis Apostolicæ cultu et obsequio conservasset, tum significavit Philippo omnem præteritorum dissidiorum memoriam sibi ex animo evulsam, ac se paterno illum amore arctissime complexurum, seque jam bellicis curis liberum sacra versare consilia de Christiana disciplina restituenda, extinguendis hæresibus cogendoque ea de causa Œcumenico Concilio, ad quæ in opus perducenda sollicitavit regem, ut studia sua conjungeret, ex quibus majorem gloriam, quam ex ullis florentissimis victoriis expetitisque triumphis collecturus esset [1] :

[1] Paul. IV. lib. brev. sign. num. 2889. p. 93. et in lib. divers. brev. sig. 2903. p. 40.

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Acceptis serenitatis tuæ litteris, quas manu tua accuratissime scripsisti, et observantiæ, pietatis, obsequii plenas ad nos summa celeritate perferendas curasti, maxima in Domino lætitia exultavimus, et divinæ ipsius majestati gratias egimus, qui repressis fractisque hostis antiqui conatibus nobis tanta pietate et virtute filium, nolumus dicere restituit, sed id quod verius est, conservavit, neque a nobis alienari unquam passus est, idem etiam de te prorsus sentimus et persuasum habemus, quod vere tu quoque de nobis, et potes et debes persuasum habere; retinuisse te semper tuam erga nos pristinam devotionem, sicut nos quoque nobis conscii sumus, nihil ob ea, quæ contra utriusque nostram voluntatem acciderunt, de nostro in te paterno amore unquam esse detractum, sed et salutis et gloriæ tuæ nos semper, ut charissimi et optatissimi filii, cupidissimos fuisse; sed quæ non sine utriusque nostrum quidem dolore acta sunt, ex animis nostris penitus deleta esse, ut, tanquam caligine quadam discussa, nostræ mentis candorem et sinceram charitatem utrique nostrum gratius, jam ut fieri solet, et illustrius patefactam esse gaudeamus. Nos quantopere tua ista pietate lætemur, quantique talem filium faciamus, conabimur omnibus, quæ ab optimo et amantissimo patre proficisci poterunt, officiis declarare : illud modo a Deo, charissime fili, precamur, ut quæ molimur atque agimus de communi pace, de reprimendis ac tollendis

hæresibus, de moribus Christiani populi corrigendis, et generali Concilio harum rerum causa celebrando, ea tuo quoque, quemadmodum speramus, auxilio perficere possimus, idque non solum ex divini honoris et reipublicæ Christianæ causa optamus, verum etiam tua, quem majorem et solidiorem ex his rebus gloriam, quam ullis ex bellicis victoriis, et apud Deum et apud homines assecuturum esse cernimus, de quibus consiliis nostris, deque ea spe, quam in tua summa pietate, prudentia, moderatione animi repositam habemus, plura cognoscere poteris ex litteris venerabilis fratris nostri Petri episcopi Albanensis, Pacechi vocati; cumque sermonem cum ipso habuerimus longiorem de iis, quæ ad te scribimus, fidem ut ejus litteris habeas, serenitatem tuam rogamus. Excusationem accepimus de dilato tui ad nos oratoris adventu, qua eadem accuratius usi sunt dilectus filius Carolus SS. Viti et Modesti diaconus cardinalis Caraffa legatus, idemque secundum carnem nepos noster per litteras et coram ipse episcopus Albanensis. Dolemus autem eam moræ causam esse, quam scribis ipsius oratoris causa, nam nobis, quandocumque venerit, gratissimus ejus adventus erit, eoque illum, quo decet honore, et vultus animique hilaritate excipiemus. Nec vero serenitati tuæ verendum est, ne nimis diu ipsius ad nos mittendi tempus distulisse videaris, cum propter tam eximium animum tuum nobis perspectum nihil unquam existimaturi simus sero a te nobis tributum fuisse. De honore, quem serenitas tua maximum habuit, adveniente ad te ipso legato nostro, quemadmodum ex ipsius uberrimis scriptis et aliorum etiam litteris cognovimus, Deo gratias agimus, honorem sanctæ huic Sedi, et nobis, qui licet indigne ei præsidemus, habitum fuisse intelligimus, tuamque hanc Sedi reverentiam, et cultum Christo Domino nostro, ipsiusque Apostolorum principi beato Petro animo gratissimo offerentes Deum precamur, ut ipsius beati Petri meritis et intercessione te et tuos, tuaque omnia benedicere, ac sua gratia protegere tuerique dignetur. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die III Januarii MDLVIII, anno III ».

Non destitit Philippus novis in dies honoribus Pontificium legatum cumulare, nam præter regum Hispaniæ morem ipso Epiphaniorum die illum domi convenit, secumque ad regiam capellam adductum lautissimo una simul excepit prandio, ac perhonorificis verbis qualem animo concepisset lætitiam, cum cerneret apud se Pontificium legatum, ipsius Pontificis nepotem, testatus est.

2. Dum hæc cum Philippo gererentur, Antonius cardinalis Trivultius egregiam in Galliis navabat operam, ut pacis consilia promoveret, Henricumque ad eam amplectendam incitaret, qui, quam nuper Pontifici voluntatem ab ipsa non abhorrentem exhibuerat, denuo etiam confirmavit, in cujus quoque arbitrium se totius negotii molem committere professus est, incertum, sincerane animi voluntate, an fallendi temporis studio, Franciscum propterea Estensem hæc suo nomine renuntiare Pontifici jusserat. Quæ cum apud omnes comperta sint, miratus sum vehementer, ab auctore [1], non admodum quidem antiquo, induci cardinalem Lotharingium expostulantem : « Neminem, qui aversos animos conciliandi negotium susciperet, extitisse. Paulum Pontificem Maximum, cujus præsertim id munus esset, nullos unquam de concordia sermones injecisse, quid enim ultra Pontifex facere potuit ». Henrico igitur Paulus [2] gratias agens hæc scribit :

« Charissimo in Christo filio Henrico Francorum regi Christianissimo.

« Sicut dilectus filius nobilis vir Franciscus Estensis regii ordinis eques nobis exposuit, adeo de nostra in te voluntate confidis, ut non dubitaturus sis controversias, quæ tibi sunt cum charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege Catholico nobis componendas permittere, quo quidem tam optato nuntio de te ad nos perlato non facile verbis consequi possemus, quanta cor nostrum in Domino lætitia extulerit, cum dilectorum filiorum nostrorum discordiis eo dolore afficiamur, quem paternæ charitatis viscera postulant, et ex tantis Dominici gregis fidei nostræ commissi damnis et periculis die nocteque gravissime sollicitemur, quid nobis jucundius optatiusque accidere poterit, quam aliquid lucis nobis in tantis tenebris illucescere, et spem non parvam pacis Dei auxilio inter vos conciliandæ. Itaque gratias agimus Deo omnipotenti, eumque suppliciter oramus, ut istam propensionem, quam præ te fers ad pacem, non confirmet modo, sed etiam in dies augeat; serenitati vero tuæ persuasum plane esse volumus, jure ac merito eam in nobis spem ac fiduciam habere. Neque enim si felicis recordationis rex pater tuus revivisceret, plus de ipsius erga te voluntate, quam de nostra tibi posses polliceri ». Et infra : « In concordia quidem tractanda ita nos geremus, ut neutri vestrum sit spei et fiduciæ quam in nobis habuerit, pœnitendum, sed existimationem, honorem ac dignitatem suam uterque nobis, prout confisus fuerit, chara esse intellecturus sit. XXVII Januarii MDLVIII ».

3. Commissa fuerant cardinali Caraffæ plura tum publicæ rei, tum privatæ mandata. Primum erat de concilianda universali pace, pro qua sancienda Paulus gravioris senectutis incommodis contemptis, se offerebat, vel Niciæ, vel

[1] And. Mauroc. l. VIII. Hist. Ven. an. 1558. — [2] Paul. IV. lib. divers. brev. sig. 2903. p. 61.

in alio loco cum regibus conventurum. Secundum fuit, ut libertas Ecclesiastica in Hispaniis læsa in pristinam dignitatem revocaretur. Tertium, ne rex Philippus cardinalis Poli accessum ad Urbem impediret, adversus quem judiciaria Acta præcipua confecta cardinalis legatus detulerat, ut ea Philippo, ejusque administris ostenderet, probaretque, non ex temerario et turbido animi impetu, ut publica fama increbuerat, sed ex pio justitiæ ardore se in eum fuisse commotum. Quartum fuit, ut Poetus cardinalis designatus Romam accederet, ut Pontifici in rebus Concilii instaurandaque disciplina Ecclesiastica operam suam Pontifici commendaret. Quintum, ut omni industria regem adduceret ad conferendum libere ducatum Barii, et Montem Siricum, et principis Salernitani palatium, quæ ex obitu reginæ in regium jus devoluta erant, duci Montorii : caveret tamen diligenter, ne ea donatio pro Palliani, juxta arcanas pacis leges, compensatione facta appareret [1].

« Dilecto filio nostro Carolo SS. Viti et Modesti diacono cardinali Caraffæ.

« Dilecte fili noster, etc. Quæ acta fuerint abs te post tuum adventum ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum de mandatis nostris ad Dei honorem et reipublicæ Christianæ pacem et quietem pertinentibus, adeo diligenter et accurate nobis venerabilis frater episcopus Tarracinensis exposuit, ut neminem ad ea nobis exponenda aptiorem mitti abs te potuisse judicemus: satisfecisti plane spei de te acceptæ atque expectationi nostræ. Perspeximus enim, qua cura, qua fide, qua diligentia, quanta etiam dexteritate atque prudentia ea mandata nostra fueris executus, quo nomine Deo gratias agentes teque plurimum laudantes, divinæ clementiæ opem implorare non desistimus, ut piis nostris consiliis et istis laboribus tuis optatum exitum tribuere dignetur; te vero hortamur, dilecte fili, ut pacis actionem , tametsi nihil putamus addi posse ad studium et diligentiam tuam, tanto magis urgeas, quanto bellum vehementius ingravescere, quantoque majores Christiano populo calamitates intelligis imminere; reliqua coram tibi exponenda mandavimus eidem episcopo, quem officio sibi mandato diligentissime functum, nec ullum pro Dei honore et reipublicæ Christianæ quiete laborem recusantem, ad te remisimus. Permittimus autem tibi, cujus fidei prudentiæque summopere in Domino confidimus, ut omnia prout expedire duxeris, agas, rata quæcumque egeris habituri. Datum Romæ die XXIII Januarii MDLVIII, anno III ».

4. *Mors et præclara gesta cardinalis Poli.* — Quæ data erant de cardinale [2] Polo, et cardinale Guillelmo Poeto ad Urbem accersitis mandata, in opus provocari non potuerunt, cum mors utrumque prius extinxerit. Cæterum Reginaldo cardinali Polo, de cujus morte agetur inferius, invidiæ fax ob ejus inclytas virtutes adhæserat, ut inique judicio hæreseos postularetur : is enim gloriosissimus confessor fidei Catholicæ, pro tuenda fide Catholica spretis maximis vitæ periculis, eruditissimos libros contra hæresim et primatum Henrici VIII regis Angliæ ediderat, comparatasque sibi a sicariis hæreticis insidias ægerrime divina tectus ope evaserat, legati Apostolici munus in Concilio Tridentino cum dignitate sustinuerat, ab ambitione et humanarum rerum cupiditate adeo alienus, ut, cum in conclavi post Pauli III obitum cardinales, qui eum ad Pontificatum evehere consenserant, noctu illius cubiculum adiissent, responderi jusserit a magistro cubiculi velle se a Deo luminis, non in nocturno conventiculo ad Pontificatum promoveri : cum etiam ad solium Anglicum aspirare potuisset, in Belgio se continuit, donec Maria regina Philippo Hispaniarum hæredi desponsa fuit : adeo vero strenue in concilianda Catholicæ Ecclesiæ Anglia se gesserat, ut maxima hæreticorum odia in se concitarit, a quibus facile variis artibus, suspicio hæreseos illi aspergi potuit, in quam etiam maximi viri vocati improbe fuerunt : sed ad cœptum sermonem redeamus.

Maximis præter morem affectus honoribus a Philippo Angliæ rege cardinalis legatus Octavium Revertam episcopum Tarracinensem ad Pontificem misit, significavitque regem maximam lætitiam ex adventu suo, ac pace confirmanda traxisse, dedisseque imperia Antonio episcopo Atrebatensi et Roderico Gomesio, ut de pacis formulis cum legato agerent : de gravaminibus vero provinciarum cum regii sanctioris concilii senatoribus actum.

Accepto redintegrandæ pacis felici nuntio, Paulus ingenti gaudio delibutus de re bene gesta cardinali nepoti gratulatus, hortatus est ut pacem ad optatum exitum perduceret.

5. *Duo Pauli nepotes avaritiæ et ambitioni nimis indulgent : Pontifex ipse respondet Philippo regi super negotium pacis.* — Ex hac pace confecta meditabantur cardinalis legatus Caraffa ejusque frater dux Montorii decerpere magnos fructus ingentium opum et amplissimorum principatuum conferendorum sibi liberalitate Philippi regis, quos ab Henrico Galliæ rege ex bellico fœdere et strage populorum colligere non potuerant : atque adeo dux Montorii ursit litteris legatum fratrem, ne in ducatu Barii sibi conferendo fieret mentio sarciendæ jacturæ pro restituendo Ascanio Columnæ Palliani ducatu : cardinalis vero Caraffa, cum principatu Rossanensi et decem millium nummorum stipendio a rege Philippo oblato non contentus esset, ac suos adversarios Columnam

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2898. p. 101. — [2] Sur. in Com.

et Corneum, marchionem de Balneo, in regia aula florere gratia æquis oculis videre non posset, Bruxellis secessit in suburbanum cœnobium, ex quo secessu extimuit Philippus rex, ne qui apud Pontificem florentissima auctoritate pollebat, novas res tumultusque bellicos moliretur : ideoque ad aucupandam ejus amicitiam duodecim millium nummorum annuà pensione illum donavit, quo beneficio ornatus, ac lætus legatus per dispositos equos concitatissimo cursu Romam advolavit. Cum autem sit fallax et vitrea felicitas humana, ambos fratres Caraffas, extincto Paulo, postulatos judicio a Philippo rege apud Pium IV, procuratoque iis extremo supplicio in exemplum triste avaritiæ et ambitionis transiisse visuri sumus.

Interea cum superessent aliqua capita concordiæ tractanda, eorum conciliatio cardinali Ferrariensi Galliæ regis nomine, ex adversa vero parte Philippi regis senatoribus demandata est: his gestis, Philippus rex ingentibus curis solutus, gaudio magno ex inita pace delibutus litteras regii amoris et observantiæ notis erga Paulum Pontificem illustres transmisit, ut referunt Acta [1] senatus cardinalitii : « Die Martis, XV mensis Martii MDLVIII, fuit congregatio generalis, in qua primum lectæ fuerunt litteræ serenissimi regis Philippi ad Sanctitatem suam super tractatione pacis propositæ per medium domini Francisci Estensis pro parte regis Franciæ, quibus perlectis, reverendissimus Pacecchus earum lector, litteras Sanctitati suæ restituit ». Quibus respondit Paulus [2] conceptis hisce verbis :

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Lectis litteris tuis, quas manu tua scriptas venerabilis frater Octavianus episcopus Tarracinensis ad nos summa cum celeritate attulit, incredibili gaudio affecti fuimus, quod de populi Christiani salute mirum in modum solliciti, in spem ingressi sumus non defuturam ei in tanto periculo supernam misericordiam, quando istam tibi tam præclaram mentem, et propensum ad pacem nobis agentibus animum divina Majestas dedit ; itaque advocatis statim cunctis venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus eos tantæ lætitiæ et spei nostræ participes fecimus. Recitatæ in generali congregatione jussu nostro fuerunt litteræ tuæ ingenti omnium plausu, optatissimaque lætitia et gratulatione, nec facile dici potest quantæ ea res tibi laudi quantoque honori fuerit. Quamobrem, quoniam tantum auctoritati nostræ tribuis, quantum et de pietate tua nobis pollicebamur, et noster erga te paternus amor postulat, in hanc tam sanctam tamque Christiano populo salutarem actionem, eo quo debemus animi studio, incumbemus, neque committemus, ut aut boni pastoris officium a nobis requiri possit in depellendis, quantum in nobis erit, populi Christiani periculis, aut pii parentis cura desiderari in sedandis duorum charissimorum nobis filiorum discordiis, quorum pacem atque concordiam utinam quantulacumque nobis reliqua est vita, redimere possemus ; præclarissime nobiscum agi putaremus, si nobis contingeret, ut vitam ipsam in opus tam Deo gratum impenderemus. Quoniam autem melius statuere ac deliberare poterimus quid nobis agendum sit, cum ad nos legatus noster reversus fuerit, ejus adventum jam, ut speramus, appropinquantem avide expectamus, reliquis de rebus tum quoque, si quid agendum fuerit, acturi. Tua vero, charissime fili, pietas erga nos, et in consanguineos nostros humanitas, de qua ex mandatis, quæ idem legatus noster episcopo Tarracinensi dedit, accepimus, nobis, perinde ut debet, grata est : gratum id quoque, quod de valetudine tua nos certiores fecisti, cui ut diligenter inservias, magnopere te hortamur, Deum precantes, ut incolumem te feliciterque ad divini sui nominis gloriam regnantem conservet. Nos item ejusdem Dei beneficio bene valemus. Dat. Romæ, etc. die XVII Martii MDLVIII, anno III ».

6. *Inter Anglos et Francos varia in Belgio certamina.* — Desævierat jam atrox bellum in Belgii finibus, rigente licet asperrima Hyeme gestum, cum obfirmatus esset ardor Gallorum, acceptam superiori anno ad Fanum Sancti-Quintini ignominiam præclaro facinore, et clade nobili illata hosti delere cupientium, opportunoque casu contigit, ut Franciscus Guisius ex Italia revocatus unius hebdomadæ flexu Itium (vulgo Caletum), arcem munitissimam, quam Eduardus III Anglorum rex ante ducentos annos tot laboribus tantoque sanguine effuso ceperat, expugnarit, de quo Surius [1] hæc refert : « Guisius ita se comparat tanquam sit Sancti-Quintini oppidum oppugnaturus. Erat anni tempus longe alienissimum, atque ecce per exploratores certior factus Caletum non satis firmo Anglorum præsidio teneri, de repente converso itinere cum exercitu contendit, urbemque omnium opinione inexpugnabilem septimo obsidionis die, hoc est, nono Januarii, aut circiter, in regis Gallorum potestatem redigit, cum jam ducentis annis Angli eam obtinuissent. Fuit hoc facinus audax et prope incredibile, præsertim tam iniquo anni tempore, mox etiam Ghinam expugnat, castellum munitissimum, direptumque incendit. Hoc quoque Angli oppidum super ducentos annos Gallis ereptum possederant. Iis inopinatis

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p... — [2] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 108.

[1] Sur. in Comm.

victoriis Galli jam prope consternati animos recuperant. Horrendum in modum tormentis diverberatum fuit Caletum, nec præsidium militum arci et urbi impositum, eam quam debuit præstitit in defendendo constantiam, multumque amisso illo loco munitissimo Angliæ rebus decessit. Urbs deditione sub certis conditionibus venit in Gallorum manus. Eduardus III ejus nominis Anglorum rex anno Christi MCDXLVI Caletum undecim menses obsessum e Philippi VI Franciæ regis manibus extorserat, solebantque dicere Britanniæ reges, dum Caletum haberent, claves Galliæ se in cingulo circumferre ». Traduxit victricia castra [1] dux Guisius ad Theonvillam arcem situ et opera munitissimam, eamque expugnavit, sed non sine Gallorum cæde, inter quos Petrus Strozza Italus, dux strenuissimus, magnum sui desiderium reliquit; tentatum deinde Lucemburgum, sed irrito successu : conflato etiam alio exercitu Galli Gravellingam magnis molibus circumsident, cumque in medio æstu certaminis premerent hostem, nonnullæ Anglicæ naves eo delatæ Gallica castra adeo sæve tormentis diverberarunt, ut magna clade fusi sint Galli, ac plures nobiles in hostium ceciderint potestatem, necnon paulo post comes Egmundanus, Belgici exercitus dux, Dunkerkam vi expugnavit, et post longas concertationes pax inter istos reges, ut inferius videbimus, firmata fuit.

7. *Carolus V imperium Ferdinando fratri relinquit, et mox ipse moritur.* — Edidit hoc anno [2] Carolus V Cæsar postrema cessionis imperii Acta oratorum opera in principum comitiis Francofurti congregatis, elegitque ad id anniversarium diem natalitium, quem religione quadam in maximis rebus gerendis deligere consueverat, de quo hæc Surius : « Mensis Februarii die XXIV, quo die in hanc lucem editus fuit, et anno MDXXX, Bononiæ a Clemente VII incredibili splendore imperii insignia acceperat, missa insigni legatione ad principes electores, qui Francofurti convenerant, Carolus Cæsar imperium in fratrem suum regem Ferdinandum transfert, et ut septemviri id gratum et ratum habere velint, orat. Inde XIII Martii die principes electores Ferdinando maximi imperii dignitatem deferunt, et tandem imperator ipse, et principes domum repetunt ». Jam biennio ante Carolus per Guilielmum Nassovium Arausiæ principem, et inde per Mariam sororem Pannoniæ reginam, quid propositi ac voluntatis haberet, satis indicaverat. Electoribus tamen quatuor uno ferme temporum nexu morientibus, novisque, qui successerant, rebus privatim suis constituendis intentis, nullum interea loci tempus vacuum fuerat, sive rebus prospiciendis, sive cogendis in unum electoribus : Caroli autem

[1] Id. ib. Belc. — [2] Carol. V. Cons. apud Goldast. Sur. in Com.

abdicationem recensens Surius [1], hæc habet : « Ut in multis aliis, sic in hoc quoque facto Caroli V Cæsaris longe optimi summa apparuit modestia et humilitas, qui sua cum sponte se imperio abdicarit, cum interim non deessent, qui illi ambitionem et regnandi libidinem improperarent. Utinam digni essemus multos tales habere imperatores. Deinceps privatus in multa pace vixit aliquot menses optimus princeps, quod etsi miserum et inglorium videtur, plerisque huic mundo deditis (ut jam ante dixi) tamen sponte renuntiasse tanto imperio, et omnibus quæ sunt hujus mundi, in primis gloriosum, ac multa laude ac prædicatione dignissimum est. Non enim debemus nos, qui Christiana religione initiati sumus, id genus in rebus, hominum ethnicorum aut etiam huic mundo nimis deditorum opinione duci, sed oculos habere defixos in Christum verum Deum ac Dominum nostrum, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens ».

8. Ferdinando in septemviralibus comitiis dignitatem imperatoris adepto, ægre maxime tulit Pontifex, quod imperium (non lege renuntiatum) diceret, neque Carolum in alium Cæsareum decus transferendi potestatem habuisse. Itaque Martinum Gusmanum [2], quem Ferdinandus ad Pontificem legaverat, Romam intrare prohibuit, nisi prius de hac imperatoris electione cardinalium suffragium exciperet; ex quibus septem gravitate et doctrina præstantes ad negotium discutiendum adhibuit; cum Gusmanus interim Tibur diverterit, ibique ad causam usque cognitam substiterit. Quatuor ergo capita in consultationem veniebant. Primum, an Ferdinandi orator causas, ob quas Carolus imperio renuntiasset, edicere teneretur. Secundum, an ejusmodi abrenuntiatio absque Sedis Apostolicæ et Pontificis consensu valida esset censenda. Tertium, an Ferdinando ad imperium capessendum mala Maximiliani filii educatio impedimento esset, quod inter Lutheranos pæne enutritus, verendum maxime erat, ne simul cum lacte pronam in hæresim suxisset voluntatem. Quartum, quidnam de electoribus ab Ecclesia divulsis et in hæresim prolapsis sentiendum esset. Ergo privatis primum colloquiis et necessariis consultationibus adhibitis [3], omnes in unam convenere sententiam, Carolum, antequam se imperio abdicaret, Pontificem monere debuisse, cum plurimum Sedis Apostolicæ intersit, ne imperator deligatur aliquis, qui fidem Catholicam sanctamque Sedem tueri vel nequeat, vel negligat. Non præmissa igitur hujusmodi denuntiatione, irritam cassamque tum Caroli abdicationem, tum Ferdinandi electio-

[1] Sur. in Com. — [2] Maur. lib. hist. Ven. Pet. Nores l. IV. Vitæ Pauli IV. — [3] Thuan. l. XX. hist.

nem habendam dixerunt. Præterea in posterum longe prospicientes, hoc maximo fræno coercendos fore principes affirmabant, qui ad imperii fasces aspirarent, si remissam cum hæreticis manum, contractamque cum eis Maximiliani familiaritatem, Ferdinando patri, quominus ad imperium admitteretur, discerent obfuisse; satis jam exploratum, quantum sub Carolo attulerit incommodi, vulpes, quæ vineam Domini demoliebantur, incauta conniventia non cepisse, et discurrere sivisse, ut eo nocere plus possent. Denique electores, qui hæresi adhæsissent, absque ulla ambiguitate loco cecidisse sentiebant; cum enim constaret a Sede Apostolica, a Gregorio nempe V, in Germaniæ principes jus electionis translatum, quis ambigat ab Ecclesia iis tantum jus electionis conservandum, qui intra ejusdem Ecclesiæ castra continentur, non autem illis, qui desertores et apostatæ ab ipsis per summam perfidiam recesserant? Hæc et alia id genus, cum cardinales, cæterique theologi ac juris canonici doctores loquerentur, unus fuit Joannes Gropperus, qui per eos dies adhuc superstes Romæ morabatur, declinata non minus, quam promerita purpura conspicuus. Hic aliam iniri viam, et tempori et Christianæ politicæ congruam suadebat. Irritam Caroli renuntiationem, ipsumque sacramenti die inaugurationis exhibiti reum profecto fatebatur. Verum, cum nosset Apostolicum esse, scire abundare, scire et penuriam pati, prudentisque gubernatoris navi periclitante quædam exonerare, ut cætera salva permaneant, media incedendum via asserebat, nec sancte institutorum damnosam prævaricationem, sed laudabilem et saluberrimam dispensationem proponebat; itaque, cum jam Philippus Hispaniarum rex per Epistolas fateretur, Carolum patrem non fraude aliqua, sed consilio et suasionibus Ferdinandi imperio renuntiasse, atque humani aliquid in hoc facinore passum esse sincere testaretur, poscat, aiebat Gropperus, errati veniam Carolus; Pontifex vero, ut Philippo ipsi gratificetur, benigne indulgeat, mox Gusmanus orator, excusationes Ferdinandi et fratris ut admittantur, enixe deprecetur, quibus ex gratia acceptis, cum jam nihil prætermissum fuerit, quod non habuerit sapientem excusationem, ab ipso Pontifice Ferdinandus imperator declaretur, quo fiet, ut et Apostolicæ Sedi debitus servetur honor, et imminentia quæque præjudicia arceantur; nam quæ in Germania cierentur turbæ, si Ferdinandum ab adepta imperii possessione deturbare Pontifex niteretur? Qua animi armorumque contentione hæretici electionem tuerentur, hoc potissimum stimulo, quod Pontifici Romano minus placere cognoscerent? Quantum exinde Ferdinandus omnia hæreticis esset permissurus, si suam in imperio conservationem ipsis se debere intelligeret? Hæc cum dixisset Gropperus, Pontifex ab alia tamen sententia non recessit, nec ad mortem usque Ferdinandum veluti imperatorem admittere consensit. Interea, cum difficultates in longum protrahi cerneret Ferdinandus, ratus e dignitate imperatoris non esse, oratorem suum tamdiu obscure Tibure latitare, per expeditos tabellarios jubet, ut nisi intra triduum res perficiatur, confestim discedat. Gusmanus quamvis rem iniquo loco videret, ne quid tamen intentatum relinqueret, sive religionis studio atque amicorum consilio, sive propriæ fidens eloquentiæ, ad privatum colloquium cum Pontifice, non tamen ut Cæsaris orator, admitti petiit, facilique aditu in aula consuetæ audientiæ admissus, postquam quid sibi a Ferdinando mandatum narrasset, sensim ad expostulationes orationem flexit, quod tanta contentione recusaretur velut imperatoris orator admitti; at Pontifex [1], ut quid esset rei Gusmanus clarius cerneret, singillatim enumerare orsus cuncta, quæ discussa fuerant, impedimenta, eorumque causas, quam graves quantique ponderis censendas explicuit; se quoque usque ad illum diem in id potissimum incubuisse, ut ratio isthæc evadendi aperiretur, verum cum salvo Sedis Apostolicæ honore haudquaquam fieri posse comperisset, Ferdinandum pium Catholicumque principem æqui bonique consulturum sperabat, si quæ Sedis Apostolicæ dignitati congruebant, sacerdotali constantia tueretur. Ne tamen tristem ac mœrentem abs se Gusmanum dimitteret, propediem legatum Apostolicum ad Ferdinandum se missurum spopondit, qui sapienter ipsum doceret causas, quæ secus, quam optabat, Pontificem agere impellebant. Octavo igitur post oratoris discessum die in secreto consistorio vigesima Julii suum a latere legatum elegit Scipionem cardinalem Rebiba, ab Ecclesia Pisana, cui præerat, Pisanum nuncupatum. Is ad Ferdinandum primum pro imperii negotio, mox ad Sigismundum Polonorum regem, ad res religionis componendas, quæ maximo tum ibi in discrimine versabantur, adire jubebatur. Interea Catholicus rex ad leniendum Pontificis animum, acriterque pro Ferdinando urgendum Joannem Figueroa Mediolani gubernatorem destinavit, qui simul etiam obedientiam ab Albæ duce pridem præstitam juxta pacis leges confirmaret; quem Paulus omni ab se prohibuit accessu, quod sacris interdictum diceret, cum ejus Apostolicus cursor fuste cæsus fuisset, qui Roma Mediolanum ad quædam exequenda missus fuerat. Qua repulsa tam graviter ac vehementer indoluit, ut cum Cajetam se recepisset, paucos intra dies per summam animi ægritudinem expiraverit.

9. Hunc maxime in modum multis jam mensibus consumptis, cum Pontifex nullis a senten-

[1] Act. Consist. Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 251.

tia precibus dimoveri potuisset, excessit e vivis Carolus imperator : piam mortem describit Surius [1] his verbis :

« Die XXI Septembris cum jam aliquot dies acutissima febre tertiana laborasset, e vivis feliciter excessit piissimus et celeberrimus princeps Carolus V, Romanorum imperator potentissimus. Ante mortem in illa sua optata solitudine dies ac noctes precibus ad Deum fundendis consumebat, mundo se jam, imo et Deo, deinceps in vita hac inutilem dicebat; itaque cupiebat liberari mortali corpusculo, ut in æterna vita Deum perpetim laudare posset. Dum esset in precibus ardentior, sæpe et valde pie pro Ecclesiæ concordia Deum orabat inquiens : *In manus tuas, Domine, tradidi Ecclesiam tuam.* Sæpe lapsus suos publice ingemiscens lamentabatur, et toto vitæ suæ spatio nullum diem se dicebat Dei servitio digne, et, ut par erat, impendisse. Crucifixi Servatoris imagines per multos dies ulnis, oculis oreque complexus, septimo a translato imperio mense præsente archiepiscopo Toletano, omnibus sacramentis Ecclesiæ imbutus, maximam vim lacrymarum effundens expiravit ætatis suæ anno LIX. Ante mortem post sacram unctionem, licet jam ante Corpus Domini accepisset, iterum illud sibi dari petiit dicens : *In me mane, ego in te maneam.* Sic mortuus est piissimus et sempiterna memoria dignus princeps Carolus V. Non prætereunda visa sunt quæ refert Famianus Strada [2]. Exequiarum occasione quas matri anniversarias persolverat, nova incessit animum cupido (si liceret) et suas celebrandi, reque communicata cum Joanne Regula ex Hieronymiana familia, qui ejus conscientiam moderabatur, quum is insolitum quidem illud et inauditum, pium tamen ac salutare dixisset, apparari funus sibi quamprimum jussit. Ergo excitatur [3] in templo tumuli moles, funalibus illuminatur, atrati circumstant famuli, mortuale sacrum mœsto monachorum cantu peragitur. Ipse funeri superstes suo, spectabat in illo imaginario funere veras suorum lachrymas : audiebat exequiale carmen, placidam sibi requiem beatas inter sedes implorantium, eademque ipse sibi suffragia psallentibus immissus exposcebat, donec sacrificanti propior factus, eique tradens, quam gestabat, ascensam facem, sublatis in cœlum oculis : Ego te, inquit, vitæ ac mortis arbiter, oro quæsoque ut quemadmodum oblatum hunc a me cereum sacerdos capit, sic commendatam in manus tuas hanc animam tu, quandocumque libuerit tibi, in sinum complexusque tuos benigne suscipias. Tunc ut erat pulla fluxaque opertus veste, humi procubuit, renovatisque omnium, qui aderant, lachrymis, quasi depositus, suprema lamentatione comploratus est. Atque hoc videlicet rudimento Carolus vicinæ jam morti proludebat. Namque altero ab exequiis die febri correptus, eaque paulatim exedente consumptus, Toletano antistite (is erat Bartholomæus Miranda) procurante, quæ Christiano ritu luctanti animæ suppeditantur adjumenta, religiosisque qui frequentes e cœnobio circumstabant, abeunti hospiti expeditum iter in piorum cœtus comprecantibus, nocte ante festum Evangelistæ Matthæi annorum octo et quinquaginta (ex quibus duos ipse vixerat ingenti sane sensu pietatis ac religionis) excessit ».

Cum Romam nuntius de ejus obitu pervenisset, et imperii renuntiationem Paulus nullius valoris unquam existimasset, actum est in Consistorio, de solemnibus exequiis, ut moris erat, pro ejus anima celebrandis : « Die Lunæ (habent Acta [1]) duodecima Decem. MDLVIII, fuit Congregatio generalis ante celebrationem exequiarum claræ memoriæ Caroli V Romanorum imperatoris, in qua Sanctitas sua dixit, quod ex quo intendebat celebrari facere exequias, juxta solitum fieri a prædecessoribus suis, in refrigerium animæ dicti Caroli, per talem actum non intendebat præjudicare juribus Sanctitatis suæ et Sedis Apostolicæ, quoad jura imperii ». Petrus Nores in Vita Pauli Quarti verba magistri Cæremoniarum referens, hæc eadem scribit, videlicet : « Nec ob rumorem quemdam, aut vagam famam de quadam cessione imperii a Carolo facta, de qua tamen nihil Beatitudini Suæ constitit, hujusmodi religionis officium præteriri volens, decrevit, exequias more solito celebrandas, declarando tamen per eas Sanctitati Suæ et Sanctæ Sedi Apostolicæ, ejusque auctoritati ac jurisdictioni nullum omnino præjudicium afferri, neque alicui alteri jus aliquod acquiri debere, et ita expresse protestatur, decernit et mandat omni meliori modo, non obstantibus in contrarium quibuscumque ». Justa igitur solemni ritu in capella Pontificia soluta fuerunt, ubi solemne sacrum habuit cardinalis Paceccus, cui etiam Pontifex dixit : « Per obitum ipsius Caroli vacasse imperium, non autem per resignationem, cum ea non fuerit facta in manibus papæ, ut debebatur, sed electorum imperii ».

10. *Mariæ Angliæ reginæ obitus.* — Luxit acerbe parentis mortem Philippus Hispaniarum rex, ac paulo post cumulatis Mariæ reginæ Hungariæ materteræ, ac conjugis Mariæ reginæ Angliæ ac Hiberniæ funeribus, amissisque illis regnis, dolore obrutus est, quæ Mariæ mors eo acerbior extitit (1), quo præter spem expectationemque hydrope intabuit, cum ob tumentem

[1] Sur. in Com. Pag. 505. — [2] L. I. p. 9. — [3] 30 Aug. 1558.

[1] Ms. card. Spadæ sig. to. CXXXIV. p. 256.

(1) Mariæ Anglorum reginæ obitum describendum hic suscipit annalista. Nec sane fœminæ hujus, quæ Ecclesiæ et religionis nostræ

ventris molem fætum concepisse e Philippo crederetur, adeo, ut idonea morbo victus ratio præscripta non fuerit. Extincta est illa exeunte Novembri, piorum incredibili dolore, cum illius virtute religio Angliæ restituta fuisset, eaque extincta, religio pariter extincta sit.

Accessit ad summam illius regni infelicitatem, ut Reginaldus Polus cardinalis, summus instauratæ in Anglia religionis Catholicæ administer, interjectis a reginæ obitu sexdecim horis excesserit e vivis, quem in illo extremo vitæ actu plura singularis pietatis argumenta explicuisse refert Surius [1] his verbis : « Cum se vehementer morbo exhauriri animadverteret, testamentum scripsit, in quo præter cætera, etiam fidem et erga Romanum Pontificem et Sedem Apostolicam summam observantiam egregie expressit ». Porro, cum initio quæstionis inter Pontificem et ipsum quædam in sui defensionem apologetice conscripsisset, cum ipsa relegens calamum vehementius aliquantulum excurrisse cognosceret, nulla suæ existimationis habita ratione, constanter in proximum conjecit ignem, illud usurpans, *Verenda patris tui ne detegas*, propriam innocentiam eo ipse lumine magis illuminans, quo ipsam incendit.

« Ingravescente autem in dies morbo, Ecclesiæ Sacramentis se, ut pium et Catholicum virum decebat, præmunivit, et licet admodum fractis esset viribus, tamen quotidie, ut antea semper fecerat, missam audire voluit, et cum esset ventum ad eum locum, quo solet sancta Hostia elevari, ministrorum auxilio e lecto surgens, flexis humi genibus Christum in Eucharistia admodum humiliter et reverenter adorabat. Pridie ejus diei, quo e corpore migravit, ipse ultro a nemine admonitus Extremæ-Unctionis Sacramentum sibi ministrari voluit, sicque ad ultimum usque spiritum mentis plene compos, tandem ita leviter animam reddidit, ut non tam mori quam obdormire videretur : obiit annos natus LVIII et sex menses ». Cujus intemeratæ fidei Vita a Ludovico Beccatello conscripta, adductaque sanctissime decreta ab eo edita in Synodo Anglicana pro religione instauranda, disciplinaque Ecclesiastica restituenda, proscriptio pro fide tolerata, tot pericula etiam capitis, quinquaginta millibus aureorum ab Henrico VIII licitatis, spreta, scripta pro Ecclesiæ defensione ac primatu Pontificio typis excusa, Tridentini Concilii eo præside gesta, tot legationes sanctissime confectæ, conversa denique eo auctore magno Anglia, testimonium certissimum reddiderunt. De qua inimici quoque sunt judices, dum Camdenus ipse [1], pietate, doctrina, integritate, magis quam regia prosapia illustrem Polum asseruit.

11. *Elisabetha ad regnum Anglicum evehitur, et, licet hæretica, religionem Catholicam initio regni permittit.* — Extinctis cardinale Polo ac regina Maria Angliæ luminibus, dentissima posthac hæreseon caligo inhorrescere cœpit, cum in sceptrum Anglicum non vera regni hæres Maria Stuarta regina Scotiæ, quæ recenter hoc eodem anno Francisco Delphino Gallici sceptri hæredi nupserat, vocata fuisset, sed incensis procerum ac populorum animis externum principem cœco odio respuentium, illique gentilem suam, licet hæreticam præoptantium, Elisabetha præcipiti impetu, perturbatissimoque judicii ordine, licet spuria, atque ex regni et Ecclesiæ legibus sceptris indignissima, flagitio ad solium vocata est, de qua hæc Sanderus [2] refert :

« Sæpe quidem conata est Maria illam ab omni successionis sorte, vel propter hæresim, vel propter crimen læsæ majestatis (multa enim contra sororem et rempublicam commiserat) vel quod magis constabat, propter impurissimos natales excludere. Nam ex Clementis Septimi sententia juridica prætensum Henrici cum Anna matrimonium, et proles ex illo concepta expresse, ut supra commemoratum est, definiuntur esse illegitima, idque Henricus postea a perturbatione factus liberior in publicis regni comitiis decerni curavit, omnesque sibi subditos a juramento, quod Annæ Bolenæ vel ejus soboli prius præstiterant, absolvi jussit; porro contestatus in senatu suorum, Annam illam nec fuisse, nec esse potuisse uxorem suam propter certam causam, quam dixit se Cantuariensi episcopo secreto insinuasse. Et licet Henricus anno trigesimo quinto regni sui impetrata potestate ab ordinibus nominandi successores suos, voluerit etiam Elisabetham habere in ordine regnandi locum, quod et illorum comitiorum decreto approbari fecit, (ex quo solo par-

[1] In Comm. hoc anno.

[1] In Appar. hist. Elis. — [2] Sander. l. II. in fin.

res adeo promovit, omittendæ erant laudes ab ecclesiasticarum rerum scriptore. Nulla enim mulier pietatem sinceram adeo coluit et sanctissimis moribus expressit, nulla tanto studio religionem provexit; nec minori fidei ardore hæreses insectata est. Ipse pariter Burnetus quamvis alioquin in Mariam parum æquus, non potuit tamen non laudare fœminæ hujus principis vitæ rationem ad severas morum et religionis leges exactam, pietatem, et in sacros viros ac præsertim in Romanum Pontificem amorem et obsequium. Reprehendit ille quidem in ea nimiam puniendorum hæreticorum, quam vocat, sævitiam ; sed hoc ipsum pariter pietatis in illa exemplum est maximum, quamvis forte præposterum et inconsultum; rebus enim Ecclesiæ melius facile consuluisset, si regno suo nondum stabilito mitius egisset cum illis, qui turbare res adhuc non compositas valuissent. Obiit Maria die XVII Novembris, ætatis suæ anno XLIII, regni V, mensibus IV, diebus XI, quam evolantem ad superos post XVI horas secutus est Reginaldus Polus cardinalis, vir per omnia illustris; claris enim natalibus ortus, litteris pariter claruit, claruitque vero maxime tum pietate, cum pariter eximio fidei Catholicæ studio, cujus rei testem omni exceptione majorem Burnetum, scilicet infestum illum Catholicis Anglis scriptorem, exhibeo.

Vacuum Mariæ obitu solium occupavit Elisabetha quæ licet hoc anno die XVIII Novembris in supremo Angliæ senatu regina salutata est, regiam tamen coronam nonnisi Januario sequentis anni solemni ritu accepit. MANSI.

lamentario edicto, et nullo nativitatis jure, ista est postea adepta imperium, et ita in hunc diem tenet) tamen nec ab Henrico patre, nec a se ipsa ullo statuum decreto, aut matris cum patre conjunctio, aut natales ipsius fuerunt unquam postea approbati, aut facti legitimi, quin et ordines primo anno reginæ Mariæ lege perpetua approbarunt conjugium Henrici cum Catharina, et prolem ex ea genitam omni divino et humano jure legitimam fuisse declararunt, omnia contraria Acta, processus et sententias abrogantes, ut proinde alteræ cum Anna, Catharina adhuc superstite, veræ nuptiæ esse non potuerint, nec ex illis suscepta soboles legitima, aut Anglicani sceptri, secundum leges municipales, quæ spurios non admittunt, vel natura vel ulla prærogativa capax esse; quod tamen senatusconsultum nec ab ipsa Elisabetha rescissum est hactenus. Quæ licet jus regnandi vendicet, regnumque sibi deberi ab omnibus in primis regni sui comitiis agnosci voluerit, tamen nusquam jus suum naturæ, sed parlamento prædicto adscribit : hoc præterea variis postea decretis cavens, ne quisquam sub pœna capitis affirmet, non esse in potestate principis et statuum positum, ut quem velint regem designent. De natalibus autem suis probandis aut reformandis nullus sermo, sed altissimum ubique silentium. Sed ut eo, unde digressi sumus, redeamus, Maria, quæ probe cognoverat ex Henrici cum Anna Bolena plusquam adulterino conjugio prolem prorsus esse imperio indignam, nunquam isti senatusconsulto, ex quo Elisabetha regnandi jus, et locum proximum prætendebat, animo acquievit, sed cum id sola sine suorum optimatum populique suffragiis abrogare non potuisset, advertissetque eam fuisse multorum iniquissimam ac perniciosissimam opinionem, ut non tantum illegitimum, sed et hæreticum regem, modo civem ac domesticum, quam peregrinum et externum, quantumvis legitimum bonumque mallent, cujus præposteri judicii humani, et Anglia sæpe, et multæ florentissimæ provinciæ gravissimas Deo pœnas dederunt, quod in tali causa optimum factu restabat, prudentissime fecit, ut instante mortis suæ hora certos principes viros ad Elisabetham allegaret, qui tum alia quædam, tum in primis hæc duo ab ea peterent, alterum, ut mutuum, quod a subditis suis Maria sub fide regia reddendum sumpserat, inque publicam rem converterat, Elisabetha reddendum curaret, alterum, ut Catholicam religionem in Anglia jam constitutam et stabilitam, ne subverti aut labefactari permitteret. Elisabetha, quæ dum Maria regnabat, semper se Catholicam finxerat, ac ni vere ita esset, ut tellus ipsi dehisceret coram senatoribus aliquot aliquando optaverat, solita hypocrisi sua utrumque sanctissime promisit; neutrum revera præstitit ».

Obstiterat etiam Philippus rex, ne Maria Angliæ regina successuram designaret Mariam Stuartam reginam Scotiæ, quod illa Galliæ regis, cum quo bellum gerebat, filio nupsisset, ut supra indicatum est.

12. Potita sceptris Elisabetha finxit initio, ut omnium voluntates sibi conciliaret, nulli propter religionem vim illaturam, permissuramque, ut quisque suo arbitratu viveret, at mox conditam animo impietatem aperuit, nam Catholicos concionatores silere jussit, hæreticos ab exilio revocavit, episcopo coram se facturo sacrum imperare ausa est, ne consecratam hostiam in sublime attolleret, quare archiepiscopus Eboracensis, cui illius sacro balsamo inungendæ, reginalibusque insignibus exornandæ munus, defuncto Polo Cantuariensi primate, obvenerat, nec alii episcopi insigniores inunctionis regiæ sacra illi conferre annuerunt, vel ob hæresim, vel etiam quia jure id præstare, et tuta conscientia non poterant, ni Pontifex Clementis sententiam, qua successionis jure mulctata erat, revocaret : repertus est pæne omnium ultimus episcopus, qui censuras Ecclesiasticas sprevit, ac humana commoda ac politicam causæ divinæ prætulit, qui tamen Elisabetham sacramento tuendæ fidei Catholicæ adegit, ut Sanderus memorat, ac de Elisabetha hæc tradit : « Jusjurandum Christianis regibus lege et more majorum præscriptum de fidei Catholicæ defensione, privilegiorumque ac libertatum Ecclesiasticarum conservatione, ne forte de regno minus rite sibi adepto postea fieret quæstio, suorum suasu, qui regni causa quidvis simulandum, dissimulandum, jurandum, pejerandum senserant, in sua inauguratione solemniter præstitit : permisit se quoque oleo liniri, sed non sine irrisione et fastidio, nam sub papilione parumper pro more ad regales induendas vestes divertens, nobilioribus circumstantibus ancillis dixisse fertur : Abite, ne fœtor hujus olei vos offendat ».

Ut vero concepta ea sacramenta perjurio violarit, atque ob politicas causas Sathanæ potestati Angliam subdiderit, ac vicina regna ad impietatem cogere omni arte et vi contenderit, suis locis lugebitur.

13. *Magdeburgi ritus Catholici restituti.* — In Germania Magdeburgi, opera Sigismundi episcopi designati sacrorum usus ritusque veteres restituti sunt, de quo factus certior Pontifex [1], maximam voluptatem hausit, atque Sigismundum piis stimulis ursit, ut religioni propagandæque animarum saluti omni contentione incumberet :

« Dilecto filio Sigismundo electo Magdeburgensi.

« Dilecte fili, etc. Cum alia multa in Epis-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 120.

tola tua nos magnopere delectarunt, tum vero id quod scribis de ritibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ in divinis officiis celebrandis in ista civitate restitui cœptis, tanta animum nostrum lætitia gaudioque replevit, ut magnas Deo, cujus auxiliante ope et misericordia id actum est, continuo gratias egerimus, qua quidem in re tuam operam, curam et diligentiam magnopere laudamus, fecisti enim quod verum pastorem decet, nec solum officii tui memorem esse te ostendisti, verum etiam generis, atque majorum, itaque lætamur plurimum nostro de te judicio. Eos enim de te fructus capimus, quos speravimus, quos quidem in conspectu Domini offerentes ipsum precamur, ut quod isthic per te feliciter inchoatum est, ad sui nominis gloriam et animarum salutem perficere, et ad verum sui cultum, discussis tandem errorum tenebris, civitatem tam nobilem, illiusque exemplo atque auctoritate finitimos populos revocare dignetur. Perge, fili, tam egregiam commissis tuæ fidei ovibus operam navare : insta atque urge : noli in tam sancto, tam salutari, tam glorioso, tam te digno opere defatigari, percepturus a Domino, et in hac vita, et in altera ea præmia, quæ bonis et fidelibus servis proposuit ac paravit. Quidquid vero ipsi opis tibi ad hanc rem, quidquid auxilii ferre poterimus, id pro officii nostri munere promptum tibi et paratum fore confide. In tuis autem ipsius rebus non minus tibi de nostra, quam de dilecti filii nobilis viri parentis tui voluntate promitte. Datum Romæ etc. apud Sanctum-Petrum etc. die XI Augusti MDLVIII, anno IV ».

14. *Paulus episcopos Germaniæ hortatur ut religionem Catholicam restaurent.* — Pro divino cultu in Germania promovendo, ac disciplina Ecclesiastica instauranda, necnon elidendis hæreticorum consiliis et conatibus decretus est a Paulo internuntius Augustinus episcopus Alifanus ad Ferdinandum Romanorum regem; cui etiam plura decreta de morum puritate pristino nitori ac splendori restituenda ad Germaniæ præsules [1] perferenda tradidit, quos etiam corruptelis omnibus delendis a se strenuam operam dari admonuit.

« Venerabili fratri Danieli archiepiscopo Moguntino.

« Venerabilis frater, etc. Pastoralis sollicitudo, charitasque fraterna non patitur ullum a nobis officium prætermitti, quod quidem ad tuendam salutem ovium tibi, reliquisque fratribus et coepiscopis nostris Germanicæ nationis commissarum, vosque in vestris laboribus adjuvandos aptum esse judicemus ; itaque cum ad charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum regem illustrem mitteremus venerabilem fratrem Antonium Augustinum episcopum Alifanum ex collegio sacri nostri palatii judicum, virum non sacrorum modo canonum peritissimum, sed virtutis integritatisque spectatæ, non solum hoc dedimus pietati ipsius regis omni a nobis et hac sancta Sede honore dignissimi, verum etiam fraternitati tuæ reliquisque isthic pro fidei et religionis Catholicæ defensione laborantibus, ut haberetis Sedis Apostolicæ nuntium, cujus opera, consilium, auctoritas vobis omnibusque qui isthic reliqui sunt, Catholicis præsto esset, quique vice nostra partes vestras adversus hæreticos adjuvaret, ut denique per eum commode vestra ad nos desideria deferri, et quibuscumque de rebus opus esset, nos certiores facere possetis. Ex eo fraternitas tua de eis rebus cognoscet, quas, partim ad corrigendos mores, et disciplinam Ecclesiasticam restituendam agere cœpimus, et ex magna parte Deo juvante perfecimus, partim agere in animo habemus ad extirpandas hæreses, et tollenda schismata, quatenus divina clementia permiserit. Hortamur vero fraternitatem tuam, ut memor Apostolicæ sententiæ, *Oportet hæreses esse, ut probati manifesti fiant*, perseveret fideliter, debitum suum Deo sibique commissæ Ecclesiæ officium præstare, ne pertinacius Catholica religio, et ovium Dominicarum salus ab hæreticis oppugnetur, quam abs te, reliquisque Ecclesiarum præsulibus defendatur : piorum laborum vestrorum id a Deo præmium percepturis, quod servis suis bonis fidelibus præparavit. Datum Romæ IV Januarii MDLVIII ».

Eodem exemplo Trevirensi, Coloniensique, et Salisburgensi archiepiscopis, tum Othoni Augustano cardinali, necnon Bambergensi, Herbipolensi, Eychstetensi, Passaviensi, Pataviensique episcopis litteræ datæ fuere.

Cum vero inter principes Catholicos Germanos Albertus dux Bavariæ flagrantissimo religionis defendendæ, contundendæque hæreseos studio excelleret, illum etiam Pontifex ad constantiam virtutesque majorum imitandas incitavit :

« Petimus (inquit) ut in religionis et fidei Catholicæ causa tuenda et defendenda perseveres, quemadmodum confidimus, egregiamque voluntatem, quam semper præ te tulisti, dignumque te et majoribus tuis animum declarare, ut quanto fidelius et constantius Dei honori et animarum saluti per te inservitum et consultum fuerit, tanto benignius ipse Deus secundas tibi res in hoc sæculo concedat, et in futuro æternæ gloriæ præmium largiatur. IV Januarii MDLVIII ».

15. *Melchior Zobel episcopus Herbipolensis trucidatur ; Calvinistica pestis etiam proceres in Gallia inficit.* — Contrucidatus est medio Aprili nefandissimo latrocinio Melchior Zobel episcopus Herbipolensis, invictis virtutibus clarus

[1] Paulus IV lib. brev. sig. num. 2879. p. 90.

in ipsa urbe Herbipolensi, et Mœniponte, cum civium benevolentiam tutum esse sui corporis munimentum putaret : exactæ vero dein sunt justæ pœnæ a latrocinii auctoribus, licet eos Lutherani tuerentur. Porro hæretici in Germania se mutuo convincebant erroris, dum non minus inter se, qua cum Catholicis certabant, quippe singuli sua deliramenta divina esse oracula contendebant, atque ob fastum sibi mutuo cedere detrectabant, atque hujus anni initio Vestphalus adversus Calvinum scriptis Apologeticis calumnias Sacramentariorum fregit, confutationem etiam edidit aliquot immanium mendaciorum Joannis Calvini. His addit Surius [1] de Libris Joachimi Magdeburgensis : « Librum evulgavit de vetere et novo Christo, aitque veterem Christum prædicari a Lutheranis, novum a Berengario excogitatum annuntiari a Sacramentariis. Non possunt dicere Evangelici hæc esse Papistica commenta, sed sunt purumputum verbum Dei, ut quidem ab utraque parte isti miseri jactare solent. Cur igitur tandem alii aliis non cedunt, et hactenus se errasse confitentur? Sed hoc non sinit spiritus ille quo reguntur ».

In Gallia Calvinistica hæresis [2] latius grassabatur, patefactumque est, non modo cives opifices infecisse, sed etiam aliquos proceres, atque ipsam Joannam reginam Navarræ, ejusque virum Antonium regem afflasse ; nam cum Marottus, scurra nefarius, ac Theodorus Beza Psalmos Davidicos versibus Gallicis transtulissent, atque musicæ peritorum opera modulos suavissimos iis aptassent, plures cantus illecebris deliniti una hæresim improvide hausere, quare constitutis gravissimis pœnis eæ cantilenæ prohibitæ sunt, tum quia corrupta gravissimis erroribus erat versio, tum quia ab ea defectionis a Romana Ecclesia, quæ Psalmos Davidicos Latine canit, initium sumebatur. Districta est initio acerbitas legum in protervos hujusmodi cantillatores, sed deinde remissa, cum eos modulos etiam a rege et regina Navarræ concini animadversum esset.

16. *Providet Pontifex ut hæreticis obsistatur in Polonia.* — In Polonia nonnulli apostatæ impii, freti nonnullorum procerum, quos rerum novarum cupidos hæretico veneno imbuerant, viribus et auctoritate, varias superstitiones impias, maximeque Sacramentariorum hæresim disseminare annitebantur, ad quorum evertendos conatus Pontifex Poloniæ præsules monuit [3], ut conjunctissimis animis in Ordinum regni Comitiis fidem Catholicam assererent.

« Venerabilibus fratribus archiepiscopo Gnesnensi ac reliquis regni Poloniæ episcopis.

« Venerabiles fratres etc. Post adventum ad nos dilecti filii Francisci Crassinii Calisiensis archidiaconi, maxima cura et sollicitudine affecti fuimus, postquam cognovimus de conventu, qui isthic propediem est futurus, veriti, ne tali tempore hæreticorum factio hæreses suas confirmare, et Ecclesiarum vestrarum status vehementius perturbare conetur : itaque, ne pastorali officio deessemus, et ut fraternitas vestra excubare intelligeret apud nos debitam vestri et Ecclesiarum vestrarum curam, mittendum isthuc esse duximus, rei magnitudine ita postulante, Sedis Apostolicæ legatum dilectum filium nostrum Scipionem tit. Sanctæ-Potentianæ presbyterum cardinalem Pisanum appellatum, virum summa religione atque integritate præditum, nobisque eximie charum atque intimum, qui et charissimum in Christo filium nostrum regem vestrum, optime, ut confidimus, sentientem confirmaret, et vobis vice nostra adesset, nullumque erga vos, quod tale tempus postulet, officium prætermitteret. Verum cum is necessario plus temporis in itinere positurus sit, ne desiderio vestro mora longior afferretur, faciendum nobis esse visum est, ut prætermitteremus venerabilem fratrem episcopum Satraniensis et Campaniensis Eccclesiarum unitarum Apostolici nuntii munere functurum, propterea quod expeditius iter ipse facturus sit, subsecuto eum postea legato. Meminimus quam constanter et fortiter uno, ut quidem decebat, animo, superiore conventu, nefariis hæreticorum consiliis obstiteritis ; parem a vobis hoc tempore animum, parem virtutem, et inter vos consensum atque concordiam jure ac merito expectamus. Agitur (ut videtis) religio, fidesque Catholica, pro qua nemini vere Christiano mortem oppetere dubitandum, et agitur ovium Dominicarum salus, pro quibus Christus Dominus noster est mortuus, exemplumque cæteris pastoribus Pastor æternus ipse proposuit, quid ipsis quoque sit tali earum tempore faciendum. Jam nostis ipsi, quæ bonis et fidelibus servis suis præmia quam ineffabilia proposuerit, quas a malis infidisque pastoribus pœnas quam horribiles sit, cum in fine sæculi advenerit, expetiturus. Res est vobis cum Christi inimicis, cum Ecclesiæ et Ecclesiasticæ hostibus disciplinæ, cum apostatis, cum sacrilegis, cum apostatarum sacrilegorumque fautoribus. Verendumne est, ne vobis inter vos conspirantibus illa non minus inter se, quam a Catholicis dissentiens hæreticorum colluvio possit obsistere. Agite igitur, fratres dilectissimi, justitiæ loricam et galeam salutis induti, scutumque fidei et gladium spiritus sumentes, parati estote ad tam pium, gloriosum necessariumque certamen, ut Dei Altissimi sacerdotibus, ut Ecclesiarum pastoribus dignum est præstare Deo, præstate plebibus vestris eam, quam et debetis, et antea egregie præstitistis fidem. Nos cum precibus

[1] Surius in Comm. hoc anno. — [2] Florim. Raym. — [3] Paul. IV, lib. brev. sig. num. 2889. p. 125.

apud Deum Omnipotentem assiduis, tum apud ipsum filium nostrum regem quidquid poterimus opis, atque auxilii vobis et Ecclesiis vestris ferre non desistemus, parati ad omnia, quæ ad Catholicam fidem et animarum salutem isthic vobiscum una defendendam opportuna fore, aut per nos ipsos, aut vestro, legative aut nuntii nostri admonitu cognoverimus, absentes quidem a vobis corpore, sed spiritu et charitate præsentes. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XI Augusti MDLVIII, anno IV ».

17. Nitebantur hæretici in publicis regni conventibus evincere, ut Calix laicis permittendus decerneretur, non quod de Calice Domini curarent, ut demonstravit Hosius Warmiensis episcopus [1], sed quod Sathanæ et furoris Calicem, in quo miscerent omnes hæreses, populis propinare vellent, ea enim inani religionis specie religionem abjici eos quæsivisse probat his verbis :

« Sic per electum quoddam suum vas loquitur Sathanas. Si quo casu Concilium statueret, minime omnium nos vellemus specie utraque potiri, imo tum primum in despectum Concilii vellemus, aut una, aut neutra, et nequaquam utraque potiri : et plane eos anathema habere quicumque auctoritate talis Concilii potirentur utraque. Vides quorsum eat Sathanas, non Calicis usum ille laicis permissum, sed in despectum Ecclesiæ contraria cupit omnia ». Et infra :

« *Nos legem habemus*, inquiebant Judei, *et secundum legem debet mori quia Filium Dei se fecit.* Expresso Dei verbo sibi demonstrare videbantur, se jure Christum gentibus tradere morte condemnandum : ac usque eo nullo hac in re conscientiæ scrupulo premebantur, ut se grandi scelere obstrictos iri putarent, si secus fecissent ». Et post multa : « Hoc est, quod vult Sathanas, ut in hoc unitatis Sacramento divisio quæratur, quo sic denuo Christus crucifigatur ». Et post multa :

« Quo tempore primum ad regni gubernacula, pientissime rex, accessisti, memoria tenemus, cum itidem a te postularetur quoddam, quod ad separationem attineret, placide quidem pro eo, ut mansuetudo tua fert, sed negasse tamen te, quod ne faceres postulata, religione prohiberi te diceres : simul in celebri senatorum totiusque populi corona Christi vocem illam usurpasse, *Quid prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur ; aut quam dabit homo commutationem pro anima sua ?* Non tibi tanti fuerat regium diadema, non regni tam ampli tamque copiosi, non tot illi terrarum adjunctarum imperium, ut eorum amittendorum metu faceres aliquid, quod facere, te, salva fide religioneque tua, non posse putares. Quid autem impedit, quominus iisdem et nunc verbis utaris, nisi forte minus tibi gravis, quam illa videtur hæc separatio, cum ut a Christi Corpore sancta Catholica Ecclesia præcisionem fieri permittas, et abs te postulatur. Sed publicæ tranquillitati dandum est (aiunt) aliquid. An vero tum quoque publica regni tranquillitas non prætendebatur ? an summa rerum perturbatio, nisi postulata fecisses consecutura non esse denuntiabatur ? prospexit nihilominus regni tui tranquillitati Deus ». Et paulo post :

« Possem ego nominatim quosdam recensere, qui nihil aliud initio sibi præter calicem permitti postulabant, quem sibi paulo post etiam usurparunt, num autem in eo acquieverunt ? quin illi postea Confessionem Augustanam integram sunt amplexi : mox ea rejecta, Piccardicam, proxime vero Gebennensem, Genevensem dicere volui, nisi quod eadem est, et Genevensis et Gehennensis, quam publice profitetur apostata Lysmaninus a te, Sigismunde rex, proscriptus. Quid illis ad extremum futurum sit, nescio, fortassis ad Suenchfeldium tandem inclinabunt.

« Vellem autem mihi unam terram aliquam ostendi, ut privata libidine Calix usurpari cœptus est, in qua non e vestigio multæ sint aliæ, et quidem horribiles hæreses subsecutæ. Avorum nostrorum memoria primum in finitimo vobis Bohemiæ regno incidit ista de calice contentio quem sibi nonnullæ civitates, quo jure, qua injuria usurparunt ? quæ vero mox hæresum portenta subsecuta non sunt ? quam rara in Moravia et Bohemia oppida reperire licuit, ubi calicis usus receptus est, in quibus non simul sex aut septem sectas mirabiliter inter se dissectas videre liceret. In Germania vero Sathanismus hic omnis quem non sine magno dolore et stupore cernimus, unde, nisi a calice sumpsit exordium ? Videntur fraudes istæ, quæ per Sathanæ membra vere pietati struuntur esse cuneo simillimæ ». Et mox : « Ubi receptus est Calix, jam altera cunei pars est subsecuta crassior, Augustana Confessio, quæ nobis et sacerdotium et sacrificium abrogavit, mox ingressa est pars altera crassior adhuc Tigurina et Lauschana Confessio, quæ duo, quæ nobis reliqua tamen fecerat Augustana Confessio, Sacramenta sustulit, Eucharistiam et Baptismum : ut sicut illa suos absque sacerdotio et sacrificio, sic hæc esse suos quoque faceret absque sacramentis. Neque nos magis Christianos, quam Lutheranos idololatriæ condemnavit, quod utrique persuasum haberemus, quamvis diverso modo, verum Christi Corpus et Sanguinem, in Eucharistiæ sacramento contineri. Itaque cum ex illo quoddam idolum faceremus, tum ex Baptismi quoque sacramento, dum ei peccatorum remissio-

[1] Stanisl. Hosius de exp. Dei verbo ad Reg. Pol.

nem tribuimus, et per lavacrum regenerationis nos fieri salvos credimus. Sic quod nos Lutheranis, hoc Sacramentariis vicissim sunt Lutherani, nimirum idololatræ. Venit ad extremum Suenchfeldius, qui et Scripturas omnes, et extremum omne verbi ministerium sustulit, et æque Sacramentarios ut Lutheranos, et nos idololatriæ reos fecit, qui conversi ad egena elementa, hoc est, ad Scripturas Canonicas, ex illis salutem peteremus, et hæc fuit novissima cunei pars, cujus, prima parte, quamlibet illius acies tenuis erat recepta, quidquid erat reliquum Sathanismi paulatim irrepsisse cernimus : vides, pientissime rex, quorsum ad extremum res producta sit, postquam in despectum Ecclesiæ Calix initium fuit impactus, quanta ex hoc solo facta est ad Sathanismum inclinatio ? quis homo Christianus, qui pietate tamen aliqua præditus est, non facile potest animum inducere, ut a sensu et consensu totius Ecclesiæ discedat. Cæterum simul ut vel una aliqua in re discessionis initium fuerit, jam difficilius est multo finem illius, quam fuit initium invenire, ut non sine causa proverbio celebratum semper illud fuerit, principium est plusquam dimidium totius, quod etiam ad oculum videre licet in iis, qui solius in calicis usu se ab Ecclesiæ compage principio divulserunt, apud quos si minus aliæ sectæ statim omnes, certe Lutheranismus omnis simul est e vestigio receptus, an ejus rei periculum non esse factum scimus in Germania ? » Et infra : « An autem idem in regno tuo factum esse non vidimus, ubi Calix per summum sacrilegium usurpatur ? An similiter sacerdotium et sacrificium ibi non abrogatur ? An laici sibi sacerdotalia munera non arrogant ? An conficiendi Corporis Christi, quam nullam habent potestatem, sibi non usurpant ? et pro Christi Corpore dant communicantibus merum panem pistorium ? Nam quomodo conficient Christi Corpus, quibus potestas ejus conficiendi nulla data est ? » Cum ergo ii hæretici non consecrarent Calicem, constabat eos non Calicem Domini, qui in eo Calice non erat, sed Calicem Sathanæ, a quo inani ea specie Calicis deludebantur, et abducebantur ab Ecclesia, stulto populo porrexisse.

Pellexere ad impietatem alia illecebra simplicem populum hæretici, dum celebranda sacra et preces vernacula lingua, quæ ab omnibus intelligeretur, persuaserunt, quæ propositio specie æqua ac splendida invexit grave periculum, ne errores instillarentur simplici populo, mutato vetere ritu, quem pie observandum ostendit episcopus Warmiensis [1], edito de ea re libello.

« Non quantum intelligas, sed quantum credas, et quantum credendo ames, quærit Deus : fit non raro, ut qui intelligunt, contemnant, qui non intelligunt, amplius admirentur, et pie magis ad ea, quæ non intelligunt, afficiantur ». Et infra : « Caput est, ut verum divinarum Scripturarum sensum retineamus, quod ita multis et variis translationibus vix recte provideri poterit. Quis enim præstabit, si suo quæque gens dialecto sacras precationes et lectiones versas habuerit, nullus ut error in vertendo committatur, atqui nusquam erratur quam in hac parte periculosius ». Et post multa : « Clemens Alexandrinus inquit : Fides non sapientum secundum mundum, sed eorum qui secundum Deum sunt sapientes est possessio : ista autem etiam absque litteris discitur, ejus autem scriptum, quod et ad rudes ignarosque homines pertinet, et est divinum, vocatur Charitas, quæ est decretum spirituale. Ex eo discere licet, non in eo quantum intelligas, sed in eo, quantum credas, et credendo ames, permultum esse positum ».

18. Perstitit in religionis Catholicæ cultu Sigismundus Poloniæ rex, licet in castigandis hæreticis fuerit remissior, qui cum initio hujus anni pacem cum Magistro Equitum Theutonicorum honestissimis conditionibus sanxisset, Paulus illi de prosperis illius successibus gratulatus est [1], divini patrocinii singularis, dum religionem ab hæreticorum insultibus vindicaret, spem illi ostendit :

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Pacem inter te, et Magistrum militum Beatæ Mariæ Theutonicorum compositam fuisse fœdere, sicut audivimus, tibi admodum honesto lætati sumus, perinde ac pro nostro in te paterno amore debuimus, quo quidem recenti suo in te beneficio Deus serenitatem tuam admonuit, quid tibi in Catholica religione manenti (quemadmodum quidem mansurum perpetuo esse confidimus) de cæterarum rerum tuarum eventu sperandum sit, nempe omnia tibi prospere et feliciter successura, sicut ex contrario plurimis exemplis animadversum et intellectum est eorum principum res, qui famæ simul et salutis immemores Dei honorem neglexerint, divina eos gratia deserente, exitus habere quotidie tristiores, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die II Martii MDLVIII, anno III ».

19. At cum Sigismundus rex pravis senatorum, qui jura suis cupiditatibus metiebantur, consiliis subornatus jus Pontificium in sacrarum rerum administratione conferenda invasisset, a Paulo Pontifice [2] his litteris officii admonitus est.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniæ regi illustri, etc.

[1] Stanisl. Hosius in Dialogo de Sacro Vernaculo legendo.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 106. — [2] Id. ib. p. 134.

« Nos quidem quibuscumque rebus poterimus nostram erga te paternam benignitatem declarare studebimus, nihil unquam tibi, quod salvo Dei honore et nostro tribuere possimus, negaturi ; te vero, charissime fili, omnia, quæ a nobis aguntur, pro tua pietate candide interpretari decet, et judicio patris, sicut Christiano rege dignum est, acquiescere, neque enim prudentiam tuam latet distinctum esse Pontificium officium nostrum a regio, atque ut ad vos reges temporalium rerum administratio spectat, sic ad Pontifices spiritualium regimen pertinere, quæ quidem officiorum distinctio non ab hominibus, sed a Deo ipso, a quo omnis est potestas, facta est. Hoc autem quisquis diligenter secum considerarit, æquum ei profecto videbitur, si qui spiritualium rerum administrationi divina providentia præsunt, minime prohibent, quin reges temporales res suas arbitrio suo tractent, et suam animi magnitudinem, suam virtutem atque prudentiam, tum bello, tum pace declarent, ne ipsos quidem reges oportere earum rerum, quæ ad Pontificum munus pertinent, sibi gubernationem assumere, ac Dei sacerdotibus præscribere, quid quaque de re agere ac statuere debeant, hoc enim esset falcem, ut dici solet, in alienam messem mittere, nec parum offenderetur Deus, qui quantopere reges a spiritualium rerum tractatione abstinere velit, gravissima illa in Oziam regem animadversione declaravit. Hæc attigimus, potius ut ipse intelligas, quantopere te per omnia Deo placere studeamus, quam quod de modestia tua dubitemus, eaque ut in optimam partem accipias te rogamus. Dat. Rom. apud Sanctum-Petrum, etc. die VII Novembris MDLVIII, anno IV ».

20. *Livonia a Moschis infestata; captivi e carceribus Turcicis liberati; Bergomensis episcopus flagitio hæresis convictus.* — Hoc anno evastata est Livonia a Moschorum duce, qui exercitum trecentorum millium hominum, quorum pars Tartarorum erat, in eam effudit, ac cædibus et rapinis fœdavit, omnique immanitatis genere inde per Leidensem agrum in Theutonicorum Equitum Magistri ditionem irrupit hostis, ac ferrum flammasque circumtulit, prædisque onustus in Russiam rediit, pacemque auro redimere Livones coegit, qui cum temere inducias violassent, nova expeditio a Moscho educta est, in qua Nerviam Germanicam, Torpathumque expugnavit. Subdit Surius [1] :

« Longum esset enarrare quantam cladem Livoniæ amplissimæ provinciæ dederit Moschoviticus exercitus, sed omni recto Dei judicio, quia a prisca religione ad Lutheri commenta dilapsi, cum religione pariter pristinam virtutem et constantiam atque robur invictum perdiderant. Plerique Theutonici milites, olim, cum Catholici essent, religioni et pietati addicti, decem illorum millia, Moscovitarum octuaginta millia collatis signis in fugam vertere potuerunt; at postquam partim Lutheri, partim Zuinglii, partim Anabaptistarum Evangelium amplexi sunt, Moscovitis prædæ sunt. Et jure quidem ferunt Moscoviticum jugum, qui Pontificis Romani ferre noluerunt. Quam vero miserum est videre homines, dum sub Evangelii prætextu a Catholica Ecclesia se separant, mox in diversas et pugnantes sectas distrahi. Inde porro exarsere animorum dissensiones, quibus necesse sit tandem etiam amplissimas respublicas interire ».

Certior factus Pontifex plures fideles in Turcicis carceribus ingemiscere, qui superiorum annorum barbaricis excursionibus, in servitutem avecti fuerant ex regno Neapolitano, partes dedit Julio Vestano episcopo internuntio suo, ut clerum pro iis redimendis ad conferendas opes adigeret, ne impatientia laborum fidem ejurarent, quas a se levari iis malis non posse indoluit, cum ærarium Pontificium præterito bello exhaustum esset. Horum vero miserorum ingentem numerum fuisse ex his verbis Pontificiis [1] ostenditur :

« Ab eo tempore, quo immanissimus Turcarum tyrannus, hæc nostra littora infestare cœpit, infinitus Christi fidelium ex regno Siciliæ citra Pharum, præsertim ex Liparensi, Vestana, Reginensi, et Isclana civitatibus et diœcesibus oriundorum numerus in manus eorumdem Turcarum devenit, et apud eosdem Turcas in captivitate et misera servitute detinetur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die VI Februarii MDLVIII ».

Damnatus est hæreseos Bergomensis episcopus a Paulo Quarto, cum tanti flagitii convictus esset, ut referunt Acta [2] Consistorialia :

« Die Mercurii XX Aprilis MDLVIII, Sanctissimus dominus noster pronuntiavit et declaravit Ecclesiam Bergomensem vacare, et hactenus vacasse ex eo die, quo reverendissimus Bembus vel resignavit, vel obiit, attentis hæresibus per Victorem Superantium prætensum episcopum confessis, declarans omnia acta per eum, tanquam prætensum episcopum, esse nullius roboris vel momenti ».

21. *Potestatem legendi libros hæreticos rescindit Paulus.* — Exeunte anno Pontifex edita Constitutione [3], legendorum librorum hæreticorum potestatem concessam iis, qui se eorum errores confutaturos præfidebant, rescidit, cum experientia constaret, nonnullos, qui eam veniam extorserant, ita perlegendis iis se addixisse, ut sanctorum Patrum lectionem negligerent, verborumque fucis et eloquentia inescati,

[1] Sur. in Comm. p. 534.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2895. p. 156. — [2] Act. Consist. Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 251. — [3] Paul. IV. lib. brev. an. 1558. sig. num. 2893. p. 83.

ac doctrina parum instructi, iis errorum laqueis, quos se abrupturos jactabant, irretirentur :

« Ad futuram rei memoriam.

« Quia in futurorum eventibus adeo humani fallitur incertitudo judicii, ut quod verisimili conjectura utile videbatur, progressu temporis damnosum appareat, nonnunquam Romanus Pontifex, quod consulte statutum esse videbatur, consultius revocari pro temporum et personarum qualitate pensata, in Domino conspicit salubriter expedire. Innotuit siquidem nobis, quod diversi tam clerici sæculares et diversorum Ordinum regulares, quam laici, qui se Lutheranis et aliis hujus sæculi hæreticis resistere, et eorum errores ac falsas opiniones confutare posse præsumebant, et ad hoc ipsorum hæreticorum libros legendi facultatem sibi a Sede Apostolica concedi extorserant, se lectioni librorum hujusmodi ita dediderunt, ut propriæ innitentes prudentiæ, et a recta Domini via aberrantes, ipsorum hæreticorum fallacibus, et superstitiosis , ac falsis adinventionibus irretiti remanserint, et qui alios ab erroribus revocare temere arbitrabantur, ipsi in puteum interitus prolapsi sint. Nos, considerantes, quod Spiritus ubi vult spirat, et quod sine ejus numine nullum bonum provenit, et propterea satius esse, cum simplicitate cordis ad eum recurrere, et cum ejus adjutorio orthodoxam fidem in Catholicis, et a sancta Romana Ecclesia approbatis libris acquirere, quam falsitates hæreticorum per lectionem eorum librorum detegere velle ; volentes præmissis inconvenientibus, quantum cum Deo possumus, occurrere, et ne similia de cætero contingant, opportune providere, omnes et singulas licentias et facultates legendi libros hæreticos seu de hæresi suspectos, aut a nobis seu generalibus hæreticæ pravitatis in singulis provinciis aut regnis deputatis inquisitoribus damnatos et reprobatos, quibuscumque, tam clericis sæcularibus, vel, ut præfertur, regularibus, quantumvis cujuscumque status, gradus et præminentiæ existant , etiamsi abbatiali, archiepiscopali, patriarchali, aut alia majori Ecclesiastica dignitate, seu etiam cardinalatus honore, vel mundana, aut marchionali, ducali, regia vel imperiali auctoritate seu præcellentia præfulgeant (generalibus inquisitoribus prædictis dumtaxat exceptis) per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac nos etiam vivæ vocis oraculo, et Sedem prædictam, seu ejus Pœnitentiarium majorem, vel quoscumque ordinarios, aut diœcesanos, seu alios, etiam per litteras in forma Brevis, seu sub plumbo expeditas sub quibuscumque tenoribus, et formis », et infra : « tenore præsentium revocamus, cassamus, irritamus, et annullamus, etc ». Intentatum est anathema iis, qui legere, vendere vel tenere hujusmodi libros audeant, et censoribus fidei in eos inquirendi potestas demandata : jussi etiam episcopi in singulis diœcesibus Apostolicum imperium promulgare, ne quis ignorantiæ clypeo se tueretur. « Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXI Decemb. MDLVIII, anno IV ».

Ineunte proximo anno [1] data sunt mandata Ferdinando archiepiscopo Hispalensi, censuræ in hæreticos exercendæ summo præfecto in Hispania, ut imperia hæc Apostolica mandaret operi, atque legum severitatem in eos, qui hujusmodi libros legerent, aut tenerent, aut venderent, aut typis excuderent, distringeret. « Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum die IV Januarii MDLIX, anno IV ».

22. *Ecclesia Goana in metropolitanam erecta, suffraganeos habens episcopatus Malacensem et Cochinensem.* — Addimus, Paulum Indiæ ulterioribus populis consulturum, idoneos præsules Goanæ, Malacensi et Cochinensi Ecclesiis præfecisse, ut Christianos earum partium religionis pietate excolerent, Barbarosque a dœmonum cultu ad Christum traductos Ecclesiæ aggregarent, de quo Acta Consistorialia [2] hæc referunt :

« Feria sexta mensis Februarii MDLVIII, referente reverendissimo camerario, providit Ecclesiam cathedralem Goanam, quæ de jure patronatus serenissimi domini Sebastiani Portugalliæ et Algarbiorum regis illustris ex privilegio existit, tunc per obitum Joannis olim episcopi Goani defuncti vacantem, hactenus Ecclesiæ Ulyssiponensis suffraganeam , ac civitatem et diœcesim Goanam, earumque clerum et populum a provincia Ulyssiponensi, necnon Malacam et Cochinum dictæ diœcesis oppida, cum certis provinciis, insulis, et locis dictæ diœcesis Goanæ, illaque omnino omnia a primo tempore existentis archiepiscopi , et capituli Ecclesiæ Ulyssiponensis, necnon quoad legem diœcesanam Malacanum et Cochinense oppida prædicta, cum suis populo et clero ab archiepiscopi pro tempore existentis , ac capituli Ecclesiæ Goanæ superioritate, etc. exemit et liberavit, ac dictam Ecclesiam Goanam in metropolitanam cum pallii et crucis delatione, ac omnibus aliis insignibus, etc. dicto jurepatronatus eidem Sebastiano regi salvo remanente, necnon Malacanum et Cochinense oppida prædicta in civitates, ac Annuntiationis beatæ Mariæ Malacanæ, et Sanctæ-Crucis Cochinensis oppidorum prædictorum parochiales Ecclesias in cathedrales Ecclesias, cum sede et mensa episcopalibus, aliisque cathedralibus insignibus, et in utraque earum certum dignitatum et canonicatuum, et præbendarum numerum, nonnullis beneficiis in parochialibus Ecclesiis prædictis, suppressis et extinctis, erexit et instituit ». Et infra : « ac pro tempore existentis archiepiscopi Goani suffra-

[1] Ibid. p. 413. — [2] Acta Consist. p. 247.

ganeis concessit et assignavit ». Et post multa : « Necnon Goanam de D. Gasparis archidiaconi Ecclesiæ Elborensis verbi Dei prædicatoris in presbyteratus ordine constituti, Malachanæ vero de Georgii de Sancta Lucia, necnon Cochinensi Ecclesiis prædictis ab earum primæva erectione hujusmodi vacantibus, de Georgii Temudo Ordinis Prædicatorum ac theologiæ professorum et religiosorum virorum personis providit, ac Gasparem in archiepiscopum Goanum, Georgium de Sancta-Lucia in Malachanum, ac Georgium Temudo Cochinenssm episcopos et pastores præfecit.

23. Non sunt silentio prætereundæ Constitutiones, quas hoc anno Paulus edidit, quarum una honores Collegii cardinalium auxit, dum illi assignavit auditoratum cameræ, et Pontificis in Urbe vicariatum, quemadmodum referunt[1] Acta Consistorialia : « Die Lunæ vigesima nona Novembris MDLVIII fuit Consistorium. Sua Sanctitas proposuit, quod volebat assumere officium cameræ in Collegium cardinalium : et ad illud nominare cardinalem Neapolitanum (is erat filius Antonii Caraffæ Pontificis ex fratre nepos) et regentem deputare, cum hoc, quod deputet personas ipsas ad regendum auditoratum, prout reduxit de præsenti, et dominum cardinalem Neapolitanum in regentem nominavit, et quod possit ministrare per auditorem cameræ cum aliis personis necessariis ad id officium, et alia fecit prout in cedula. Statuit et ordinavit, ut officium vicariatus reduceretur in collegium cardinalium, et deputavit reverendissimum dominum Rosarium cum facultate reformandi quidquid necessarium fuisset in utroque officio, ut quod cardinales deputati sedeant juxta ordinem suum, id est, tempus ordinationis eorum ». Elegit etiam cardinalem Alexandrinum in supremum inquisitorem : « Die Martis decima quinta Decembris (habent Acta) MDLVIII, fuit Consistorium, in quo introductum fuit officium inquisitoris in Collegium cardinalium, et ad id inquisitorem majorem perpetuum deputavit reverendissimum dominum Alexandrinum cardinalem, ac erexit et constituit officium inquisitoris hujusmodi in dicto collegio cardinalium, et in summum inquisitorem eumdem cardinalem; postea deputavit salarium pro ipso cardinali et ministris, et quod vacante Sede officium non vacet, sicut officium Summi Pœnitentiarii. Et quod omnes inquisitores, tam delegati, quam ordinarii episcopi in causa fidei cognoscant ipsum cardinalem in superiorem ». Is ad summum Pontificatum sub nomine Pii Quinti evectus fuit, et postea anno MDCLXXII, ipsa prima die mensis Maii, quæ annum ab ejus obitu centesimum clausit, a Clemente Decimo Summo Pontifice solemni ritu tota gratulante Urbe in Ecclesia Sancti-Petri inter beatos adscriptus. Paulus vero, ut reprimeret ambientium Pontificatum inordinatam cupiditatem, aliam edidit Constitutionem, de qua Acta : « Die Veneris decima sexta Decembris MDLVIII fuit introductus Barenghus, qui legit Bullam contra ambientes papatum sub pœnis in ea contentis ». Extat in Bullario Romano inter Constitutiones numero decima sexta Pauli IV cujus est exordium : *Cum secundum Apostolum*.

24. *Ultio divina in Lauretani sacelli violatores.* — Hoc anno in sacrosancti Lauretani sacelli violatores evidentem Dei ultionem apparuisse testatur Tursellinus[1], cujus narrationem ad calcem præsentis anni apponere, abs re non esse duximus : « Vir quidam, ait, ex præcipua Italiæ civitate, nobilis in primis et copiosus (nomen et hominis et patriæ silentio supprimitur, quia ipse suppressum voluit) Lauretum venit, documentum haud inultam temeritatem talia audentium esse. Hic multis ante annis exiguum lapidem ex sanctissima Virginis cella subtractum domi suæ asservabat omni honore cultuque. Haud tamen ille cultus cœlestem lenivit iram. Sed Deo matris suæ injuriam vindicante, miser ille sacrilegam religionem orbitate filiorum et amissione fortunarum omnium luit. Ad hæc pertinaci magis quam pernicioso morbo urgeri vexarique cœpit. Itaque, ut erat vir cæteroqui prudens ac sapiens, aperuit aliquando oculos, et Deum profecto alicujus sui sceleris ultorem adesse sensit. Cæterum, etsi omnia sibi accidere videbat apte ad repræsentandam iram divini numinis, tamen quo tandem suo merito illo acciderent, non videbat. Ergo ab ægritudine simul corporis, animique anxius, omni ope placare nitebatur iratum Deum. Sed iræ materia apud eum quamvis ignarum residens, irrita omnia faciebat. Alia deinde spes, postquam hæc vana evaserat, ei affulsit. Lauretanæ Virginis, cui mire addictus erat, memor, ejus auxilium pariter et consilium implorat. Nec mora, B. Mariæ monitu discit, lapidem ex Lauretana domo sublatum causam esse cœlestis iræ, eamque nonnisi sacro lapide restituto posse placari. Tum ille obortis lacrymis, religiosæ, ut crediderat, audaciæ veniam a Deo Deiparaque exposcens, desideravit ipsemet referre Lauretum quod abstulerat. Nec in irritum preces cecidere : hoc quoque culpam agnoscenti suam Deipara indulsit. Extemplo igitur depulso morbo alacer pergit Lauretum, saxum restituit, vota persolvit. Aliud quoque per id tempus huic haud absimile accidit. Fœmina ex agro Piceno post diuturnum matrimonium, nullos genuerat liberos. Hæc ejus animum cura angebat maxime ; ut undique sterilitatis remedia quæreret. Ergo ait illi nescio quis mulieris gratiam initurus, nullum reme-

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIV, p. 552.

[1] Lib. III. c. 30.

dium præsentius ad abolendam sterilitatem, quam Lauretanæ domus reliquias pie religioseque custoditas : si quid inde abstulerit, brevi eam matrem fore pollicetur. Id non promissum magis stolide, quam creditum. Illa igitur manifesta Dei ultoris ira, ablatum inde lapidem cum febri domum retulit : et ægritudo corporis animum urgebat; adeo non vehementius febris æstu quam conscientiæ jactabatur. Nec prius ex jactatione illa conquievit, quam Laureto sacerdotem accivit, et lachrymas pœnitentiæ indices profundens ablatum reddidit lapidem. Pœnitentiam valetudo, non tantum venia est consecuta. Magno etiam Illyricis mercatoribus similis audacia stetit. Hi coempto ex Picentibus frumento, saxum ex Deiparæ cella surreptum, clam in onerarium abdiderant. Cæterum, ut fallerent homines, sacrilegii vindicem Deum non fefellerunt. Profectos ex portu atrox vis tempestatis subito adorta in ingentem adduxit metum : et trepidos vasorum merciumque jacturam facere subegit. Haud procul exitio res erat, cum Deum parentis suæ ultorem adesse senserunt: et flentes tendentesque in cœlum manus veniam pariter orare cœperunt. Placato precibus ac lachrymis Deo, mare quoque placatur. Illi periculo erepti retro iter flectunt, ad Lauretum appellunt, lapidem Virgini restituunt. Prospero inde cursu in Dalmatiam provehuntur. Peregrinorum quoque nonnullos, qui aliquid indidem seu lapidis seu calcis abraserant, abeuntes morbus, velut divinæ providentiæ lictor, corripuit, nec ante eos dimisit, quam regressi cum lachrymis et confessione temeritatis suæ ablata Deiparæ reddiderunt ».

PAULI IV ANNUS 5. — CHRISTI 1559.

1. *Elisabetha Angliæ regina, detracta larva, hæresim fovet, et se gubernatricem Anglicanæ Ecclesiæ a comitiis decerni jubet.* — Anno Christianæ salutis millesimo quingentesimo quinquagesimo nono, Indictione secunda, funestissimæ in Anglia rerum conversiones extiterunt, eversa religione Catholica impia tyrannide Elisabethæ, quæ cum nullo jure, quam infamium natalium privilegio ad corripiendum sceptrum niteretur, ut quæ ex Anna Bolena adultera, superstite adhuc priore Henrici uxore, nata, ac Pontificia sententia non idonea ad regnum capessendum declarata esset, inveterato in Romanos Pontifices odio, hæresique imbuta Anglos a conjunctione Romanæ Ecclesiæ divulsit, hæresimque etiam in Scotia et Hibernia, tum in Belgio et Gallia omni dolo et contentione propagavit, cum vero regnum Angliæ jure spectaret ad Mariam Stuartam reginam Scotiæ, quæ Francisco II postea Galliæ regi nupserat, Henricus Galliæ rex ad ea illi jura asserenda animum adjecit, ut refert Sanderus [1] : « Mortua (inquit) Maria, Henricus Galliarum rex, Elisabetham pro spuria Henrici VIII habens, nurum suam Scotorum reginam Angliæ quoque, et Hiberniæ reginam declarandam curavit, horumque regnorum insignia in ipsius vasis, tapetibus, ac reliquis utensilibus, simul intertexi ac insculpi jubet, sed rerum potita est Elisabetha Henrici VIII ex superinducta Anna Bolena, priore adhuc superstite sed repudiata uxore Catharina, altera filia ». Ne contracto exercitu Elisabetham iniqua possessione depelleret Henricus rex, obstitit difficillimum bellum quo jamdiu cum Philippo Hispaniæ rege implicitus erat, is partim Gallorum odio, partim Elisabethæ in uxorem ducendæ spe, solutis Pontificio privilegio Canonicis legibus, misso in Angliam Feriæ Comite, illi ad regnum occupandum favit, eaque re valiturum auctoritate, ut religionem Catholicam in Anglia tueri, atque asserere posset opinatus, Pontifici significavit, se pro ea tuenda curas collocasse, ac posthac collocaturum, cui Pontifex, qui jam, quantum ejus fulcimento Maria vivente incubuerit, probe noverat, eumdem confidens exitum, de tam prompta voluntate

[1] Sander. l. III. in Eli.

gratias egit, datisque litteris ipsum ad fidei Catholicæ defensionem, animarumque salutem promovendam incitavit [1].

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime in Christo fili noster. Redditæ nobis hodie fuerunt a dilecto filio nobili viro Ascanio Caracciolo serenitatis tuæ litteræ die XVIII Aprilis datæ, quas et ipsas diligenter legimus, et Ascanium tua nobis mandata diligenter et accurate exponentem benigne attenteque audivimus, ejus ex sermone, et ex litteris ipsis libentissime agnovimus eximium studium Serenitatis tuæ erga religionem Catholicam, curamque et diligentiam, quam et adhibuisti adhuc, et te adhibiturum esse ostendis, ut religio, fidesque Catholica in regno Angliæ, sicut vivente claræ memoriæ regina Maria uxore tua communi vestra amborum opera, Deo juvante, fuerat restituta, ita in posterum conservetur, quam præclaram voluntatem tuam magnis in Domino laudibus commendantes, hortamur serenitatem tuam, ut in tam sanctum, et Catholico rege tam dignum opus, quanto maximo potes studio ad Dei Omnipotentis laudem et gloriam incumbas, in quo nos, quibus maxime, ut debet, curæ est illius regni salus, quique te ex hac re quam maximam laudem assequi pro nostro in te paterno amore vehementer optamus, ita pium consilium tuum adjuvare studebimus, ut actionem istam tuam nobis esse gratissimam intellecturus sis, consiliorum etiam nostrorum, quantum Dei honor et officii nostri ratio patietur, particeps futurus, etc. Datum Romæ, etc. die IV Maii MDLIX, anno IV ».

2. Fefellit Philippum ipsius opinio, nam cum Elisabetha initio se in Catholica religione, quam regnante Maria sorore præ se tulerat, perstare simulasset, confirmata potentia ex mutuis Gallorum et Hispanorum bellis, detracta larva, liberas impietati habenas effudit, eoque petulantius, quod cum suam in regno successionem, seque ritu Catholico diademate redimitam Eduardi Carni, qui Mariæ reginæ legatione perfunctus Romæ agebat, opera significasset Paulo Pontifici, ille, ut erat Juris Pontificii assertor acerrimus, respondisset, regnum Angliæ beneficiarium esse Sedis Apostolicæ, nec ipsam ob impedimenta natalium jurisque controversiam, regni administrationem, Sede Apostolica inconsulta, jure corripere potuisse, eamque esset hortatus, quo rite omnia fierent, ut se Pontificio arbitrio permitteret, paternaque in eam animi nulla officia prætermissum iri, hæc Pontifex conservandæ in Anglia religionis studio, ne ab illa everteretur, cum ipsi ab Henrico Galliæ rege, qui jura et causam Mariæ Stuartæ promovebat, vere suggestum esset, illam esse hæreticam, religionemque in extremum discrimen ea regnante adductum iri, cujus impietatis non obscura, sed illustrissima signa eam dedisse, antequam sacra inunctione liniretur, narrat Sanderus [1] his verbis : « Licet sorore regnante se Catholicæ fidei in omnibus cultricem præbuerit, tamen ne (tunc enim illi metum injecerant subdoli quidam hæretici, quos in consilium asciverat,) de quo nata est matrimonio, Summi Pontificis, Ecclesiæque judicio antea damnato, de natalibus etiam suis, jureque regnandi ex sacris canonibus aliqua oriretur dubitatio, Ecclesiasticis legibus subesse detrectavit, et de mutanda religionis Ecclesiasticique regiminis forma primo quoque tempore judicavit. Animum in ea re suum statim patefecit, cum aliis multis modis, tum maxime, quod Catholicis concionatoribus mox silentium indixerit, hæreticos in regnum ex variis, ubi exulaverant, locis redire permiserit, episcopoque cuidam coram se facturo sacrum, jamque ad altare sacris vestibus induto præceperit, non elevare consecratam Hostiam. Unde factum est, ut archiepiscopus Eboracensis, cui tum ex officio (defuncto prius cardinale Polo Cantuariensi primate) munus ipsam in reginam inungendi et consecrandi obvenit, negarit operam suam : negarunt quoque cæteri episcopi, præter unum eumque pæne ultimum, omnes ».

3. Celebratam eam reginæ inunctionis pompam XV Januarii refert Surius [2]; subdit vero Sanderus, quibus viis usa sit Elisabetha, quave arte ad evertendam religionem Catholicam, ac novam ex Zuingliana et Lutherana conflatam constituendam, cujus ipsa supremum principatum teneret.

« Habebat antea in familia quosdam, vel novæ, vel nullius religionis, in iis erat Guillelmus Cæcilius Eduardo VI a secretis versatilis ingenii, Consilii conscientiæ vir, qui fidem Catholicam paulo ante tam artificiose simulaverat, ut et reginæ Mariæ et cardinali Polo operam suam ambitiosissime venditaverit, a quibus rejectus, ibat ad Elisabetham, cujus jam novi principatus occasione fore sperabat, ut ad summos in republica honores, præsertim si abrogata veteri religione, spretisque antiquæ nobilitatis, procerum ac præsulum consiliis, sibi suisque obtemperare vellet, eveheretur ; illa infelix morem gessit. Iste ascito in adjutorium sibi Nicolao Bacono jurisconsulto affine suo maximi pessimique consilii viro, et in supremum magistratum evecto, facile se, suumque sodalem infinitis opibus et possessionibus hoc modo auxit, regni rationes in hanc usque diem magis magisque implicitas, vel potius plane desperatas reddidit, seque ipsum, et dominam, patriamque suam ex hac cupiditate inseruit dolo-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 165.

[1] Sander. l. III. — [2] Sur. in Comm.

ribus multis, ut quo se vertant non habeant.

« Atque ii duo in consilio, rerumque omnium administratione primi erant, sed in aula et cubiculo, contra omnium expectationem, spreto Guilielmo Piccaringo equite aurato, qui ante in summis Elisabethæ deliciis erat, Robertus Dublæius ex Northumbriæ ducis filiis, quibus de perduellionis crimine a Maria parcitum esse diximus, unus ita dominabatur, ut in spem maximam reginæ etiam in matrimonio potiundæ venerit, ipsius uxore opportunissimo ad eam rem tempore, miserabili quidem et subito, sed Dublæio non inexpectato casu interempta.

« Paulo igitur post istorum maxime consisilio convocatis Ordinibus ad Parlamentum (ut vocant) cum fœmina sit, voluit communi decreto esse et vocari suprema Ecclesiæ regnorum suorum, etiam in causis spiritualibus gubernanatrix omnesque, exceptis proceribus laicis, id solemni juramento profiteri adiguntur. Caput enim Ecclesiæ, quia id Calvinus in Henrico patre suo non probavit, non videbatur appellanda. Forma execrabilis Sacramenti est ista :

« Ego A. B. prorsus testificor et declaro in conscientia mea reginam esse solam supremam gubernatricem, et istius regni Angliæ, et aliorum omnium suæ majestatis dominiorum et regionum, non minus in omnibus spiritualibus atque Ecclesiasticis rebus vel causis, quam temporalibus, et quod nemo externus princeps, persona, prælatus, status, vel potentatus, aut facto, aut jure, habet aliquam jurisdictionem, potestatem , superioritatem , præeminentiam , vel auctoritatem Ecclesiasticam aut spiritualem in hoc regno, ideoque plane renuntio et repudio omnes externas juridictiones, potestates, superioritates atque auctoritates.

« Secundum hanc formam præter cæteros tenentur nominatim omnes archiepiscopi, episcopi, prælati, totusque clerus jurare : qui facere recusat, prima vice beneficia et bona ejus omnia fisco cedent, perpetuosque carceres subibit; altera vice, qui recusaverit, pœnam capitis perduellium more sustinebit ».

4. Hoc impio edicto concitata est persecutio in Catholicos, nec ad excutiendum spuriæ hujus reginæ tyrannidis jugum in arma justa consurrexere Angli, ad sacra et Mariæ Stuartæ jura defendenda, quasi de assequenda æterna animarum salute, et promerendo Cœlo, vel de infernalibus suppliciis defugiendis ad eos non spectaret, religionemque veluti calceorum formam pro temporis ratione mutare liceret, imo plerique stulte impudentissimum et execrandum facinus moderatioris animi laude commendarunt, ut observat Sanderus : « In hac (inquit) jurisjurandi formula, cum secundum prius comitiale decretum supremi capitis appellationem indoctiores omissam viderent, pro simplicitate sua lætabantur non eousque progressum esse, ut id sexui fœmineo tribueretur, quod antea viris Henrico et Eduardo honestius concedi posse videbatur, ex eoque plurimi non modo Calvinistæ, sed aliquot etiam, utcumque Catholici, putabant magis excusabile, si hoc juramentum præstarent. Alii acutius fraudem an imperitiam legislatorum animadvertentes, caput an gubernatricem Ecclesiæ voces, nihil ad sensum prorsus interesse notarunt, cum idem utroque vocabulo omnino designetur, imo juramenti formulam hanc impietatem et usurpationem Ecclesiasticæ jurisdictionis supremæ longe explicatius continere, quam nudum capitis nomen, quod prioribus duobus regibus tribuebatur, cum hic reginam non minorem habere potestatem in res spirituales ac causas Ecclesiasticas, quam in sui regni res terrenas confiteri et jurare oporteat, adeo quidem, ut multi putarint, Elisabetham posse sibi ex hoc decreto omnem etiam in administrandis sacramentis sacerdotalem potestatem arrogare, quem scrupulum cum videret regina aliquos de non præstando juramento causari, jussit in prima cleri visitatione sua, publicari quamdam hujus jurisjurandi, seu expositionem, seu correctionem, nimirum se non aliud hic velle, aut vendicare, quam quod prius patri fratrique nomine capitis Ecclesiæ ab ordinibus concessum esset. Ita quod paulo ante turpe ac absurdum videbatur fœminæ ascribere, ut dicatur caput Ecclesiæ, nunc mitius ac moderatius visum est, quam hoc ipsum, quod illius appellationis loco substitutum erat. Sic homines politici, cum res divinas tractare præsumunt, ostendunt se nescire quid, aut de quibus loquantur.

« Sed in quibus rebus hæc spiritualis, seu Ecclesiastica potestas isti fœminæ, regibusque duobus prioribus concessa maxime consistat, ex ipsis legibus et decretis parlamentariis breviter commemorabimus, ut exteri, qui rerum nostrarum usum non habent, quis sit reipublicæ præsentis status facile cernant ». In primis habet lex :

« I. Omnia privilegia, præeminentiæ, prærogativæ, superioritates spirituales, quæ ab ulla potestate, vel humano, vel Ecclesiastico jure haberi aut exerceri possunt, quoad visitationem, correctionem, seu reformationem cleri totius, seu quarumcumque personarum Ecclesiasticarum, ad cognitionem etiam, et punitionem cleri totius, seu quarumcumque personarum Ecclesiasticarum, ad cognitionem etiam, et punitionem omnium errorum, hæresum, schismatum, abusuum, etc. volumus quod in posterum regio sceptro in perpetuum sint annexa.

« II. Decernimusque reginam, suosque hæredes, ac in regali dignitate successores habere,

habiturosque esse deinceps omnimodam potestatem nominandi et substituendi quoscumque voluerint, qui eorumdem vice ac auctoritate eamdem jurisdictionem Ecclesiasticam exerceant pro beneplacito suo, personas visitent, hæreses, schismata, errores et abusus castigent, aliudve quidvis juris vel potestatis exerceant, quod ab ullo unquam Ecclesiastico magistratu exerceri potuit aut oportuit.

« III. Decernitur item, ne clerus ad Synodum ullam, aliorum, quam regiis litteris et mandatis conveniant, neve ullum canonem, legem, constitutionem Synodalem, sive provincialem, vel faciat, vel exequatur, sine expresso majestatis suæ consensu et licentia hujusmodi canones faciendi, promulgandi vel exequendi, sub pœna carceris, et mulctæ pro reginæ arbitrio imponendæ.

« IV. Decernitur, ne quis exeat regnum ditionesque suæ majestatis ad ullam visitationem, Concilium, conventum, aut congregationem, quæ religionis causa uspiam fiet, sed ut talia omnia regia auctoritate intra regnum fiant.

« V. Item, ne episcopi, vel ullius nominatione, vel electione, vel ulla auctoritate alia, quam regia creentur, neve jurisdictionem potestatemque episcopalem teneant aut exerceant, nisi ad beneplacitum reginæ, nec aliter nisi per ipsam, et a regali majestate derivatam auctoritatem.

5. « Non solum autem episcopos suos aut personas Ecclesiasticas hac vicaria donat sub se de omnibus rebus, ac personis spiritualibus juris dicendi potestate, sed ex laicis, quos volet etiam constituit commissarios seu vicarios, quo omnimodam exerceant spiritualem jurisdictionem, ad quos sæpe ab ipsis episcopis provocatur, et quomodo quidem tam isti vicarii, quam ipsi etiam episcopi dependeant omnino quoad jurisdictionem, potestatemque omnem spiritualem ab auctoritate hujus fœminæ, ex litteris ad eos formatis, quarum exempla superiori libro in schismatis Eduardi historia interseruimus, videre licet.

« Quorum absurdissimorum decretorum jampridem etiam ipsos Protestantes puduit, ita ut rerum suarum turpitudinem apud rerum Anglicarum imperitos tegere sint conati, affirmantes his legibus nihil aliud contineri, quam regem aut reginam esse non minus Ecclesiasticarum quam laicarum personarum principem et dominum; sed istud malitiæ velamen ea, quæ recitavimus, facile tollunt, cum videamus his decretis non tantum reginæ dari, ut in rebus civilibus sit omnibus subditis suis cujuscumque ordinis superior, sed ut personis etiam Ecclesiasticis in iis, quæ sunt ad Deum, non minus præsit, quam civili magistratui in rebus ad pacem et politiam pertinentibus, quodque est magis absurdum, hanc facultatem spiritualem asserunt esse partem regalis potestatis, eamque non nunc primum his legibus dari, sed ut jus antiquum, coronæ Anglicanæ reddi et restitui, quasi vere principes ethnici, sine ista potestate spirituali veri reges non essent, aut Catholici reges, qui vel nunc sunt in aliis Christianis provinciis, vel in Anglia ante hoc schisma fuerunt, dimidiati tantum, et non integri absolutique principes essent, aut Christus non distinxisset ea quæ sunt Dei ab iis quæ sunt Cæsaris, vel nihil esset discriminis inter jura regalia et sacerdotalia, inter Ecclesiam, quæ est Corpus Christi mysticum, et civilem hominum multitudinem, vel tandem inter eos, quos Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, et humanam creaturam, quæ ad hujus vitæ commoditatem et tranquillitatem proprie est instituta ». Et paulo post :

6. « Elisabetha vero hac sibi hæredibusque suis arrepta potestate, simulque abrogata Sedis Apostolicæ auctoritate, sibi, ut in eis, quæ sunt ad Deum, summæ ministræ, applicat omnium spiritualium proventuum perpetuas decimas et primitias, id est, primi anni cujuscumque beneficii adepti integros fructus, omnesque religiosorum possessiones ante sacris usibus a sorore restitutas sibi repetit, vicarios et commissarios in spiritualibus constituit, sigillum ad causas Ecclesiasticas peculiare cudit, de puniendis hæreticis antiquas leges (quod ad rem valde pertinebat) abrogat, nullum vult pro hæretico haberi, nec aliquam sententiam, seu opinionem pro hæresi damnari, nisi secundum judicium quatuor primorum generalium Conciliorum, vel saltem alterius Synodi, quæ per Scripturas de tota causa recte judicaverit, vel (quod caput est) in conventu statuum, id est, in Parlamento, ita fuerit decretum. Postremo de fidei et religionis formula immutanda pro suo suorumque arbitratu, idque laicorum solum suffragiis decernit, omnibus ad unum episcopis, qui primi sententias in Anglicanis comitiis, ac jure dicunt, et certe soli in causis fidei dicere deberent, reclamantibus, ac toto præterea tum clero Londini in Synodum Cantuariensis provinciæ coacto non solum refragante, sed peculiari scripto reginæ ac Parlamento porrecto conscientiam suam communi omnium nomine attestante, et vehementer obtestante ne in illo Concilio sæculari de rebus religionis quidquam decerneretur.

« Tremendum missæ sacrificium, cum reliquo omni sanctissimo ritu precandi et Sacramenta administrandi abolet, et novas sacras cæremonias precesque in lingua vulgari ad normam maxime Lutheranorum (hoc solum excepto, quod imagines sacras non sustulerit) præscribit, licet fides Calvini magis, tum et deinceps, ab istis legislatoribus eorumque ministris et sectatoribus sit approbata.

« Sed quia istud peculiare fere hoc tempore

huic genti, ut non popularibus tumultibus, sicut in Francia, Scotia, Belgio, aliisque locis factum videmus, sed principum mandato, et legum prætextu hæreses ac sectæ perditionis introducantur, operæ pretium annotasse censeo, quomodo ordinum consensum ad eam rem Elisabetha procuraverit, nam sine ipsorum suffragiis non potuit quidquam in religione mutare.

7. « Sunt autem in istis comitiis Anglicanis duæ curiæ, una optimatum et patrociniorum, id est, episcoporum et procerum laicorum, et appellatur aula, sive consessus superior : altera partim hominum equestris ordinis, qui sunt provinciarum vicarii, partim decurionum, qui nomine civitatum ac oppidorum magis illustrium, coeunt plebisque personam sustinent, hæc vocatur domus inferior. Cum ergo adhibita esset opera, ut ex singulis civitatibus et provinciis ii maxime cooptarentur in istam secundam comitiorum curiam, qui novis rebus in fide et religione studerent, facile conventum est, ut quidquid regina proposuisset, in hac secunda curia comprobaretur.

« In prima autem curia, præter episcopos, omnes quidem doctissimos et constantissimos confessores, quorum gravissimis sententiis et suasionibus plurimi movebantur, confidebant principes multi ex priori Mariæ temporibus institutione adhuc Catholici, quos suppuduit post communem fidei et communionis professionem in illo ipso loco ante triennium tantum coram suæ Sanctitatis legato totius regni nomine factam, tam cito ad unius fœminæ vocem et voluntatem resilire. Aderant quoque ii ipsi, qui non ita multo ante, regni reconciliandi causa, legationem Romanam obierant, qui gravissima oratione collegas suos admonuerunt, ne a fide ac societate omnium gentium majorumque suorum secundo se abduci sinerent, neve unquam committerent, ut hujus inconstantiæ, ac in rebus ad salutem pertinentibus levitatis æterno dedecore notarentur. Itaque diu restitum est, et in hoc superiori senatu tam difficulter est impetratum, ut nisi Elisabetha tacitam nuptiarum suarum spem comiti Arundeliæ uni ex optimatibus suis faciens, duci Norfolciæ alteri in causa conjugii dispensationem, quam a papa tam expedite habere non poterat, offerens, aliis aliter blanditiis, promissis ac muneribus gratificans, tam eos, quam alios principes illis necessitudine conjunctos hoc modo in partes suas attraxisset, everti non potuisset Catholica religio. Nam ne sic quidem schismatica pars Catholicam plusquam trium suffragiorum numero excessit. Elisabetha voto suo potita procum illum neglexit et turpiter ludificavit, sicut alios postea plurimos, seque dixit Virginem permansuram, ac velle, ut marmore, sub quo sepulta jaceret, inscriberetur, ibi sitam esse Elisabetham, quæ et tot annis regina, et tota ætate sua virgo extitisset.

« Alium quoque summum principem (ducem videlicet Norfolciæ), quem in partem suam blanditiis allexerat, variis postea contumeliis continuo vexatum, tandem per calumniam accusatum vita etiam privavit.

« His consentanea refert [1] Guilielmus Rossæus in suis adversus novatores Commentariis, hos principes Catholicæ religionis proditores justo Dei judicio ab hæretica regina proditos fuisse, tum ab eadem cruentissimam lanienam in alios exercitam, qui impiis ejus voluntatibus assenserant, atque hæresim ab ea, ex Lutherana, Zuingliana et Calviniana compositam, ac plura monstra, ut suum idolum conflaret, conjunxisse.

8. « Elisabetha, quoniam a regni legitima successione ob plurima et particularia illius regni, et generalia totius Christiani orbis impedimenta, hæresim, adulterinos natales, Parlamentorum statuta, regis patris, et fratris sui eam ut spuriam repudiantium edicta, excludebatur, adeo ut non jure, sed gratia, non legibus reipublicæ Christianæ, sed populari favore ad regium locum sibi necessario fuerit aspirandum, duos e tota nobilitate, ipsis nobilibus populoque gratiosissimos, et suis quoque viribus potentissimos comitem Arundelium, ejusque generum ducem Norfolcium multis promissis eorumque alterum etiam objecta matrimonii spe in sui amorem pelliciebat, omnibus autem aliis maximam et fere certam præbuit fiduciam insignis lenitatis, clementissimi imperii, et in primis securæ conscientiarum libertatis Catholicis permittendæ ; quanquam regina ipsa publice Evangelium Luthero-Zuinglio-Calvinianum, varium nimirum et ex multorum hæreticorum inventis confictum pro suo nutu, quæ supremum Ecclesiæ Anglicanæ caput, ut prius pater, esse volebat, per illam Ecclesiam suam Anglicanam publice personare voluerit, unde et non ita pridem consiliarii ejus libello summa cum auctoritate vulgato asseruerunt, neminem ab ipso majestatis reginæ aditu in regnum ob causam religionis fuisse mortuum, neminem reum factum ob volumina, ob libellos, ob precum formulas, ob Romanæ Ecclesiæ cæremonias, ob Pontificiam Monarchiam, sed sive quis sit scholasticus, sive seminarius, sive sacerdos, sive Jesuita, sive Pontificius, hoc totum in Anglia nihil cuiquam obesse.

« Harum autem promissionum et blandimentorum effectus, si quis scire desiderat, contueatur, ut sub patris, sic sub filiæ regno hodierno, Pontem Londinensem : enumeret virorum bonorum illic affixorum capita : inquirat, quas ob causas illi ita cæsi et in partes concisi

[1] Guill. Rossæus p. 777.

fuerint : percontetur, annon hæc filia suum illum patrem laniena principum, et procerum, et sacerdotum ad vivum referat, et quod per multa superet, ediscat annon illa laniena nobilium et sacerdotum, quæ tum Londini, vel solum vel potissimum exercebatur, nunc per totum regnum sit diffusa, novis carceribus, quia veteres non sufficiebant, in unoquoque regni comitatu ad Catholicos includendos extructis, et patibulis novis ad eos laniandos erectis ? Reducat ad memoriam vim quamdam novarum legum ab ista filia positarum, per quas et gravissima mysteria, et levissimæ Christianæ religionis ceremoniæ Catholicis crudelissimam et exquisitam afferunt mortem, ubi Catholicum quemcumque genere et nobilitate esse Jesuitam, vel diaconum, vel sacerdotem, vel episcopum, hoc ipsum est, esse proditorem, esse perduellem, esse majestatis læsæ reum, justamque causam præbet, ut quis acerbissima tormenta perduellibus constituta sufferat.

« Neque magni illi heroes, qui Sirenum cantibus deliniti hæreticæ principi et simul hæresi ad regnum illud devastandum opem tulerunt, debita mercede ab ipsis hæreticis persoluta caruerunt. Primus enim et ætate, rerumque experientia aliis antecellens, et antiquissimæ apud Anglos nobilitatis, comes Arundelius, ubi perdiu spem callide oblatam regalis connubii conceperat, quam item de industria accendebant quidam veteratores aulici, qui novo hæresis regno confirmando, viri ejus gratiam videbant admodum necessariam, ad extremum, eam hæresis, quam cupiebant, potentiam, assecuta, plane negligi et contemni cœpit. Quapropter videns spes suas defervescere, aliosque in ea esse gratia, quam ipse aucupabatur, cum jam ab ipsis hæreticis, et tacite, et aperte rideretur, quasi ingravescente ætate vir dispari conjugio juvenculam deperiret, sero suæ insipientiæ pœnitens, ne oculis videret, vel etiam auditione acciperet ea, quæ ipsi erant molestissima, decessit ex aula, et mox insula ; temporisque fallendi gratia diu per Flandriam, Germaniam Italiamque peregrinatus, tandem reversus domum perpetuo quodam angore conscientiæ confectus, quod ita ab hæreticis circumventus causam Christi prodidisset, seque ipsum hæreticis objecisset illudendum, a Catholicis hæreticisque leviter existimatus, migravit e vita.

« Ducem vero Norfolcium, quamvis quoad fidem, cum tempore mutatus, vel omnino, vel certe majori ex parte hæreticus et haberetur et esset, tamen quod reginæ Scotorum injustissimæ vexationi indoleret, nec Mortono rebellibusque Scotis tam esset contra reginam benevolus, quam Calvinistæ Angli volebant, confectis impudenter criminibus, quasi papista esset, ac cum Pontifice Romano contra reginam conspiraret, perduellionis damnatum sustulerunt e vita ». Hæc Guillelmus Rossæus [1]. Advertit vero Nicolaus Sanderus, Elisabetham reginam insigni astu usam, ut proceres in hæresim impelleret, non exegisse ab iis jusjurandum, quo supremam illius in rebus Ecclesiasticis potestatem agnoscerent, nec eorum conscientiæ vim inferre voluisse, sed ut tantum permitterent, ut episcopi ac clerici nonnullique alii eo sacramento obstringerentur, qua cautione, cum illi magnates sibi prospectum præfiderent, episcopos ac pastores suo patrocinio destituerunt, et incaute hæreseos laqueis irretiti se passi sunt, tum subdit Sanderus [2] : « Ita fit quando res divinæ in humanis et prophanis tribunalibus tractantur, quibus Deus non promisit spiritum veritatis, judicii et justitiæ ». Simili laqueo antea captos fuisse præsules memorant ab Henrico VIII, cum in religiosos eorumque cætus grassari cœpisset, et eorum calamitatem a præsulibus contemptam fuisse, cum nondum carperentur a tyranno hæretico, in cujus prædam postea cesserunt.

9. *Episcopi spoliantur, et sacræ imagines conteruntur.* — Dum hæc in prophanis comitiis impia Elisabethæ arte decernuntur, præsules ad unum omnes iis repugnarunt, ostenderuntque Catholicis, qui omnium ordinum erant infiniti, de spiritualibus ad animarum salutem vel damnationem æternam pertinentibus transigi contra eorum voluntatem, quibus animarum cura et Ecclesiarum administratio a Christo demandata est : inde ab omnibus sapientibus ac piis, omniumque ordinum graves querelæ profusæ sunt conscientias eorum funeste illaqueari iis novis edictis ; at perditissimi assentatores ac Sathanæ administri compescere eas querelas novis artibus aggressi sunt, curaturam reginam, ut publicæ concertationes fierent inter doctores Protestantium atque episcopos, quo imperitis fieret satis, atque illustre et conspicuum, cur invitis papistis atque repugnante clero illa decernerentur: data vero sunt episcopis imperia, ut vel ipsi ad litterariam pugnam descenderent cum Protestantibus, vel alios e clero submitterent, cumque responderent epicopi æquum non esse, ut in controversiam adducerentur, quæ jam a multis sæculis tot Pontificum, Conciliorum ac Patrum judiciis definita essent, nec ut ea quæ in Academiis coram doctis agitantur, coram imperita multitudine clamorum potius contentionem, quam argumentorum vim metiente pertractentur, contempta sunt episcoporum responsa, selectique fuere ii articuli ab hæreticis, qui majorem probationis e Scripturis petitæ speciem haberent, veluti de communione sub utraque specie usurpanda, et de publicis precibus lingua vernacula conce-

[1] Guill. Rossæus p. 778. — [2] Sander. l. III. de Schism. Anglic.

ptis repetendis, ac dies tertius Aprilis ad eam disceptationem, cujus judex et moderator constitutus est Baconus homo laicus, atque hæresi infectus, adstante ad inanem speciem pro Catholicis archiepiscopo Eboracensi. Transacta res est multis declamatiunculis, atque hæretici, moderante omnia hæretico, obfirmati in impietate perstiterunt. Addit Sanderus de episcoporum constantia in hac asperrima hæreseos grassatione : « Hic certe episcopi tantam animi magnitudinem ostendebant, quantam in tam repentina hæresis irruptione optare quisque poterat. Sua enim privata pericula adeo neglexerunt, ut eorum plerique excommunicationis censuram adversus reginam aliosque nonnullos adhibendam censerent, qui duces illi auctoresque fuerunt tam periculosæ defectionis totique regno ignominiosæ, regno, inquam, illi, quod tam paucis ante annis fuerat Sedi Apostolicæ reconciliatum, quodque sacrosanctis omnium ordinum juramentis confirmaverat se deinceps perpetuo in ejus communione permansurum ». At vel defuit iis subeundi martyrii, vel concitandi pro tuenda pietate ac religione belli animus, vel ad defugienda gravissima incommoda rem committendam Romano Pontifici censuerunt. At dum torpent Catholicorum animi, eo hæresis furore auctior ac viribus, ardentissime meditatum flagitium confecit, atque impia decreta adversus sacerdotes, qui sacrum facerent, vel pios, qui illi interessent, ac reliquorum sacramentorum administrationem, promulgata fuerunt, ut deplorat Sanderus his verbis :

« Rebus ita ordinum auctoritate confectis, post certam diem, id est, festum S. J. Baptistæ an. MDLIX, Missam facientibus aut audientibus, aliudve quodcumque officium Ecclesiasticum ritu veteri procurantibus, sacramentumve aliquod Romano more administrantibus, gravis indicitur mulcta, nimirum ut qui in hanc legem prima vice committeret, vel ducentos aureos penderet, vel sex mensibus in vinculis ageret, secunda vice quadringentos aureos, aut unius anni vincula exsolveret, tertia demum vice perpetuis carceribus addiceretur, omnibusque bonis excideret. Quo factum est, ut ad præscriptum diem cessarent sacra publice fieri per totum regnum.

« Quia vero his impietatibus episcopi (ut dictum est) consentire noluerunt, nec jurejurando affirmare se in conscientia credere, solum reginam sub Christo esse Anglicanæ Ecclesiæ supremam gubernatricem, præter unum, omnes sunt paulo post de gradu et dignitate sua depositi, ac carceribus variisque custodiis commissi, unde omnes hodie longo miseriarum tædio extincti sunt, quorum gloriosissimorum confessorum nomina ad æternam rei memoriam apponam. In primis Nicolaus Eboracensis archiepiscopus, paulo ante Angliæ cancellarius; deinde Edmundus episcopus Londinensis, Tonstallus Dunelemensis, Joannes Wintoniensis, Thomas Lincolniensis, Turlbens Eliensis, Turbarvillus Exoniensis, Burnus Bathoniensis, Polus Petroburgensis, Baynus Linchfildensis, Cutbertus Cestrensis, Ogletorpus Carliolensis ; Thomas autem Goulduellus Assaphensis, plenus pietatis et dierum viginti sex postea annos Romæ vixit, et non ita pridem felicissime in Domino obiit.

Imitata est horum constantiam magna cleri pars, quæ sacerdotiis ac muneribus dejecta in exilium amandata est. Docti etiam viri ex Cantabrigiensi et Oxoniensi Academiis eo turbine abrepti in Belgium et Galliam transfugerunt,

10. Furente in Anglia impietate, dejectas in templis sacras imagines obtritasque, atque omni contumeliæ genere a sacrilegis Christi et sanctorum hostibus non aliter quam a Turcis affectas, deplorat Surius [1] : « Sævitum, inquit, est immaniter in Anglia in statuas et imagines, et e templis ita illæ exturbatæ sunt, ac si nihil ab ethnicorum simulacris distarent, nec tamen satis fuit impiis hominibus eas e templis exegisse, sed in campum raptatas, eas pro scopo collocarunt, ad quem sagittas et jacula contorquerent. Sed neque impietas sistere se potuit, nam in urbibus celebrioribus, non divorum modo, sed etiam Christi ipsius imagines in ignem conjecisse, ludus fuit. Alii eo amentiæ et furoris progressi sunt, ut Christi a Cruce pendentis imaginem ea potissimum parte sagittis e trunculo tereti et cavo magna vi spiritus afflatis conficiendam sibi proposuerint, qua non absque singulari mysterio, et omni suppliciorum genere vindicando flagitio inter se contenderint, quis primum sacratum illud latus trajiceret, aut telo cor transfigeret, idque in ipsis Londini suburbiis ita perpetratum vir quidam gravis et fide dignus annotavit. Magna est interim, Christe Deus, patientia tua; sed tarditatem supplicii quandoque gravitate compensabis, quanquam hoc ipsum omne ferme vincit supplicium, ut justo tuo judicio sinantur homines in tam horrendæ impietatis barathrum ire præcipites ».

Dum ita impii, dejecta atque oblita cruce, memoriam immensi amoris, quo Dei Filius infame Crucis tolerando supplicium nos redemit, abolere conantur, inusitatum in ea Angliæ parte quam Walliam modo dicunt, prodigium contigit ut in arbore, quæ ventorum turbine media discissa fuit, Crucis effigies conspecta sit, ad quam visendam maxima populorum multitudo concurrit; subdit Surius : « Voluit præpotens Deus illos Antichristi satellites hoc stupendo crucis in arbore existentis prodigio admonere, ut ab impietate sua mature animum revocarent

[1] Sur. in Comm. Nicolaus Harpsfeldius.

desinerentque persequi Crucem illius, quæ idcirco variis modis figuratur et exprimitur, ut apud homines perpes sit memoria ineffabilis illius charitatis, quæ Filium Dei compulit ob nostra expianda peccata ad tam immane et ignominiosum usque supplicium se dejicere et efferre ». Paulo post circa Pentecosten in Cantia, alia Angliæ provincia, in mulieris non ignobilis subucula Crucis effigies non colore aliquo ab homine efficta, neque acu vel filo intexta, sed e cœlesti quodam influxu impressa conspecta est, ut scirent omnes frustra Judæos, Mahometanos atque hæreticos ad abolendam Christi crucem conniti.

In hac publica piorum Anglorum consternatione Stephanus episcopus Wintoniensis pro tuenda asserendaque fidei Catholicæ veritate eruditum librum conscripsit, quo hæreticorum, quos Capernaini dixit, argutias et cavillationes dissolvit, adversus quem impius Petrus Martyr non Christi, sed Sathanæ, pestilentissimum scriptum edidit, quo veterator mira arte et vafricie sacras litteras, et antiquos Patres et Concilia ad confirmandam hæresim maligne detorsit : hæc ausus est impudenter, cum videret tot clara Patrum testimonia afferri a Wintoniensi contra Sacramentarios, ut multi in Anglia in pristina fide Catholica confirmarentur, et Sacramentarii ad veritatis radios hebescerent, confusique fluctuarent.

Oppressa in Anglia religione Catholica, posthac hæresis magis invaluit in Scotia, cum novatorum tumultuantium patrocinium Elisabetha adversus Mariam reginam corripuisset : decretus vero hoc anno est in Scotiam Nicolaus Ambianensis episcopus internuntius Apostolicus, amplissimisque auctus prærogativis, quæ legatis conferri solent, ut seditiosos novatores resipiscentes in gratiam cum Ecclesia restitueret, pervicaces qui invaserant sacerdotia depelleret, collapsos mores emendaret, ac divini cultus gloriam promoveret.

11. *Pax inter Henricum Galliæ regem, et Philippum Hispanum firmata.* — Dum Catholici omnes propter deperditam in regno Angliæ veram religionem in lachrymis versarentur, Deus illis aliqualem attulit consolationem, cum pacem inter Henricum Secundum Galliæ regem, et Philippum Hispaniarum firmatam vidissent, de qua actum fuit per multos menses, et tandem, Dei suavi benignitate disponente, die tertia Aprilis hujus anni firmiter, lætantibus omnibus, sancita fuit.

Hæc pax inter potentissimos reges sancita meliorum rerum spes Christiano orbi attulit, cum non modo cædibus modus positus sit, verum etiam de hæresi latius in Hispania et Gallia serpente extinguenda, consilia a Pontifice ac regibus Galliæ et Hispaniæ sumpta sint ; quam vero ea necessaria fuerit, indicat Surius : « Jam utriusve regis provinciæ tot annorum perpetuis bellis defessæ erant, nec sine gravissima Catholicæ religionis jactura protrahi potuissent, hæreticis interea suum virus clam spargentibus, et multos inficientibus. In hac mutua tantorum principum conciliatione, ut esset pax firma et stabilis, regi Philippo despondetur Elisabetha Henrici regis maxima natu filia, et soror ejus Margarita Emmanueli Philiberto Allobrogum clarissimo principi ». Ita affinitatibus firmata est concordia. Quod ad alias pacis leges attinet, ea in primis constituta est, ut ambo reges operam suam pro redintegrando Tridentino Concilio apud Pontificem ejus rei cupidissimum adhiberent : conventum etiam inter eos, ut quæ totius octennii flexu hinc inde capta fuerant restituerentur, maximo certe Henrici regis damno ac Philippi compendio, nam cum Gallus tres tantum urbes Sanquintinum, Hanum et Castelletum pacis beneficio reciperet, centum ac nonaginta sex urbes præsidio militari munitas restituit, ut deplorat Monlucius [1], Sabaudiæ duci, quas in Sabaudia et Pedemontio tenebat, Corsicam insulam Genuensibus, aliquot vero Hetruriæ urbes, quæ Senensis reipublicæ juris erant, Cosmo duci Florentiæ permisit, quod valde acerbum veteris libertatis cupidis visum est, qui cum in clientelam Pontificis conferre se vellent, is prudenter ab eorum patrocinio abstinuit, ne publicam pacem confunderet : ita Galli, qui tanto ardore de Italiæ imperio certaverant cum Hispanis, penitus Italicas spes projecerunt, quas certe videntur abjecisse, ut majores consectarentur ; nam cum Anglia jure ad Mariam Stuartam nurum regis spectaret, atque adeo flagitasset a Paulo Pontifice, ne Elisabethæ, quæ Angliæ regnum Anglorum principem externum respuentium studiis elata invaserat, regios honores deferret, assentienteque illi Pontifice, tam funesta rerum conversio in Anglia secuta esset ; pace cum Philippo composita [2], Henricus, restituendæ in Anglia religionis sacro studio arsisse, tantique regni in stirpem inferendi versasse consilia putandus est, maxime cum Paulus edita sanctione, de qua dicetur inferius, principes ac reges hæreseos convictos, principatu ac regia dignitate exauctoratos sanxisset.

12. *Hæresim Calvinianam ad senatum ipsum Parisiensem propagines extendentem extirpare sibi proponit Henricus, qui morte interceptus habet filium Franciscum successorem.* — Insigni vero pietatis ardore inflammatus Henricus, nascentem in Gallia hæresim, quæ etiam aliquas funestas propagines ad senatum Parisiensem extenderat, omni contentione præfocare annisus est. Eludebatur a nonnullis senatoribus regiorum edictorum adversus hæreticos severitas,

[1] Francisc. Belcar. Blasius Monlucius l. IV. — [2] Belleforest... Francisc. Belcar. l. XXVIII. num. 27 et seqq. Blasius Monluc. Florimund. Raymund.

qui pœna leviore mulctabantur, cumque mense Aprili Concilium Mercuriale, in quo de singulorum senatorum vita et moribus inquiri solet, decretum esset, in eo aliqui Calviniani subdolam rationem ad abrogandas pœnas in hæreticos regiis edictis latas, excogitarunt. « Regi », inquit Belcarius, « supplicandum esse intulerunt, ut ex Basiliensis Constantiensisque Concilii decretis Concilium universi Christianismi cogeretur, et de omnibus religionis controversiis fixa statutaque sententia ferretur, omnesque perversæ sectæ damnarentur, quemadmodum et altero constitutæ pacis capite continetur, interim donec certa illius Concilii decreta edantur, supplicia differrentur. Hoc erat liberam cuique suæ religionis professionem relinquere : quanta enim diligentia id Concilium Carolus Quintus imperator potentissimus procurasset, nec quidquam profecisset, omnes noverant ».

Cum hæc ad Henricum regem relata essent, ille accensus ea novitate, quod periculum grave immineret, ne si ea libertas illis concederetur, religio Catholica grave detrimentum acciperet, IV Junii accessit ad senatum, cardinalibus Lotharingio et Guisiano necnon Senonensi, ac proceribus Guisanis, Montpenserio, Mommorantio Equitum magistro, atque aliis stipatus, senatumque increpuit, cur quatuor homines impios novarum sectarum crimine convictos, atque pertinacissimos in flagitio, sine supplicio dimiserit, nec edictum nuper adversus hæreticos conscriptum promulgarit; postulatis deinde a Senonensi cardinale senatorum circa religionem sententiis cum Annæus Burgus et Ludovicus Faurus instarent, ut cogeretur Concilium, atque interim supplicia differrentur, in qua sententia etiam fuerat Arnaldus Ferrerius, rex addidit, se re ipsa percepisse, aliquos senatores ad impiam sectam a vera religione defecisse, atque in improbos animadversurum, probos regia humanitate complexurum. Totius senatus princeps et Antonius Minardus dixere, regium edictum omni ex parte observandum exemplo Philippi Augusti qui uno die sexcentos hæreticos ignibus tradiderat, et Francisci Primi, qui Waldenses in suis domibus suffocari jusserat : comprehensi tunc sunt raptique in carceres Annæus Burgus, et Ludovicus Faurus, Ferrerius vero, Valla et Viola, fuga præcipiti se subduxere. Ex captis Annæus Burgus sacris Ordinibus initiatus erat, quem Palatinus elector sibi condonandum poposcit, sed repulsam passus est; ob pertinaciam vero in hæresi, sententia judicum decretoria, ut vivus cremaretur, damnatus est XII kal. Januarii, ut tamen prius strangularetur, illi ob dignitatem condonatum : biduo vero ante Minardus, qui pro religione asserenda in hæreticos fulminandum suppliciis senserat, sclopeti globo cœsus est ab hæretico.

13. Eo fere tempore Jacobus Spifamius Nivernensis episcopus fascinatus a Sathana ad Genevenses se contulit, in quem ut prehenderetur, sancitum est. Eodem anno in suburbio D. Germani Synodus Calvinistarum V kal. Junii habita est, in qua decreta sunt nonnulla a suæ perfidiæ sequacibus observanda, atque missis internuntiis ad Germaniæ principes persuaserunt, ut mitterent legatos, qui Henricum regem rogarent, ut a Calvinianorum suppliciis sibi temperaret : is tamen in suscepto consilio præfocandæ in fomite ac primo germine hæreseos ne in omnes regni partes grassaretur, perstitit, haud dubie Galliam impendenti ea peste, nisi immaturam mortem inopino ac infelicissimo casu sibi accersivisset, erepturus. Celebrabat ille [1] lætitiæ pompam ob nuptias Isabellæ filiæ cum Philippo II rege Hispaniarum, ac Margaretæ sororis cum Em. Philiberto Allobrogum duce, ac duobus primis diebus ludicro equestri certamine se feliciter ac strenue gesserat, sed divino arcano judicio, inanis gloriæ equestris referendæ impetu elatior, dum equestrem gloriam leviter exambit, regiam prostravit, rogatus enim a regnis, atque a principibus, ut parceret labori, Gabrielem Mongomerium comitem Scotum præfectum Prætorianæ militiæ, qui postea hæretica infectus lue in cruentissimum Catholicorum carnificem descivit, provocavit ad certamen equestre, qui post aliquas excusationes congredi jussus, abscisso regiæ majestatis respectu, tanto impetu in regem incurrit, ut fracta in loricam lancea fragmentum in Henrici regis penetrarit oculum, cum integumentum capitis non apte colligatum esset, indeque cerebro concusso infelix rex insperato luctu lætitiæ universæ pompam confuderit, enatoque ex vulnere apostemate undecimo post die, nimirum VI idus Julii animam efflaverit.

Cum Henrico II Gallica felicitas concidit, ac sepulta est [2], Calvinianam namque hæresim mox sese extulisse sub impubere Francisco II rege, et civilia bella cruentissima emersisse, lugebit oratio.

Successit Henrico II in regno Franciscus filius natu maximus, atque Carolo cardinale Lotharingo Sacram Liturgiam obeunte, Rhemis regia inunctione perlitus, solemni ritu Gallicum sceptrum accepit.

14. *Pauli contra hæreticos et schismaticos gravissima sanctio.* — Hoc anno Paulus Pontifex flagrantissima asserendæ contra hæreticorum molimina Catholicæ religionis ardore incensus, gravissimam sanctionem edidit [3] qua constitutas olim in hæreticos vel schismaticos pœnas confirmavit, atque omnes, quacumque sacra, etiam cardinalitia, vel civili, etiam regia atque imperiali dignitate præditos, si hæreseos, vel

[1] Francisc. Belcar. l. XXVIII. num. 31. Natal. com. l. XII. Belleforest. — [2] Francisc. Belcar. l. XXVIII. num. 35. — [3] Bull. in Paul. IV. Const. 19.

schismatis crimine illaqueati convicti essent, sacris et civilibus dignitatibus excidisse pronuntiavit, ac principatibus, regnisque, vel imperio exuendos :

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Cum ex Apostolatus officio nobis, meritis licet imparibus, credito, cura Dominici gregis nobis immineat generalis, et exinde teneamur pro fideli illius custodia et salubri directione, more vigilis pastoris assidue vigilare, et attentius providere, ut qui hac ætate, peccatis exigentibus, propriæ prudentiæ innitentes, licentius et perniciosius solito contra orthodoxæ fidei disciplinam insurgunt, et superstitiosis ac fictitiis adinventionibus sacrarum Scripturarum intelligentiam pervertentes, Catholicæ Ecclesiæ unitatem et inconsutilem Domini tunicam scindere moliuntur, ab ovili Christi repellantur, ne magisterium erroris continuent, qui discipuli veritatis esse contemnunt. Nos considerantes rem hujusmodi adeo gravem et periculosam esse, ut Romanus Pontifex, qui Dei et Domini nostri Jesu Christi vices gerit in terris, et super gentes et regna plenitudinem obtinet potestatis, omnesque judicat, a nemine in hoc sæculo judicandus, possit, si deprehendatur a fide devius, redargui, et quod ubi majus intenditur periculum, ibi est plenius et diligentius consulendum, ne pseudoprophetæ, aut alii etiam sæcularem jurisdictionem habentes simplicium animas miserabiliter illaqueent, innumeralesque populos secum in perditionem et damnationis interitum trahant, nec aliquando contingat nos abominationem desolationis, quæ dicta est a Daniele propheta, in loco sancto videre, cupientes, quantum cum Deo possumus, pro nostro munere pastorali vulpes vineam Domini demoliri satagentes capere, et lupos ab ovilibus arcere, ne canes muti videamur nequeuntes latrare, et perdamur cum malis agricolis, et mercenario comparemur; habita super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et unanimi assensu omnes et singulas excommunicationis, suspensionis, et interdicti, ac privationis, et quasvis alias sententias, censuras et pœnas a quibusvis Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, aut pro talibus habitis, etiam per eorum litteras extravagantes, seu sacris Conciliis ab Ecclesia Dei receptis, vel sanctorum Patrum decretis et statutis, aut sacris canonibus ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis contra hæreticos aut schismaticos quomodolibet latas et promulgatas, Apostolica auctoritate approbamus, et innovamus, ac perpetuo observari, et in viridi observantia, si forsan in ea non sint, reponi et esse debere; necnon quoscumque, qui hactenus a fide Catholica deviasse, aut in aliquam hæresim incidisse, seu schisma incurrisse, aut excitasse, seu commisisse, comprehensi, aut confessi, vel convicti fuerint, seu (quod Deus pro sua clementia et in omnes bonitate avertere dignetur) in posterum deviabunt, seu in hæresim incident, aut schisma incurrent, vel excitabunt, seu committent, et deviasse, seu incidisse, aut incurrisse, vel excitasse seu commisisse deprehendentur, aut confitebuntur seu convincentur, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiæ existant, etiamsi episcopali, archiepiscopali, patriarchali, primatiali, aut alia majori dignitate Ecclesiastica, seu cardinalatus honore, et Apostolicæ ubivis locorum, tam perpetuæ quam temporalis legationis munere, vel mundana etiam comitali, baronali, marchionali, ducali, regia et imperiali auctoritate seu excellentia præfulgeat, et eorum quilibet sententias, censuras et pœnas prædictas incurrere volumus atque decernimus.

« Et nihilominus considerantes, dignum esse, ut qui virtutis amore a malis non abstinent, metu pœnarum ab illis deterreantur, et quod episcopi, archiepiscopi, patriarchæ, primates, cardinales, legati, comites, barones, marchiones, duces, reges et imperatores, qui alios docere, et illis bono exemplo, ut in fide Catholica contineantur, esse debent, prævaricando gravius cæteris peccant, cum non solum seipsos, verum etiam alios innumerabiles populos eorum curæ et regimini creditos, seu alias eis subditos secum in perditionem et puteum interitus trahant, de similibus consilio et assensu hac nostra in perpetuum valitura Constitutione in odium tanti criminis, quo nullum in Ecclesia Dei majus aut perniciosius esse potest, de Apostolicæ potestatis plenitudine, sancimus, statuimus, decernimus et definimus, quod sententiis, censuris et pœnis prædictis in suo robore et efficacia remanentibus, ac effectum suum sortientibus, omnes et singuli episcopi, archiepiscopi, patriarchæ, primates, cardinales, legati, comites, barones, marchiones, duces, reges et imperatores, qui hactenus, ut præfertur, deviasse, aut in hæresim incidisse, seu schisma incurrisse, excitasse vel commisisse deprehensi, aut confessi, vel convicti fuerint, et in posterum deviabunt, aut in hæresim incident, seu schisma incurrent, vel excitabunt, aut committent, et deviasse seu in hæresim incidisse, vel schisma incurrisse, aut excitasse, seu commisisse deprehendentur, aut confitebuntur, seu convincentur, cum in hoc inexcusabiliores cæteris reddantur, ultra sententias, censuras et pœnas prædictas, sint etiam eo ipso absque aliquo juris aut facti ministerio, suis ordinibus et cathedralibus, etiam metropolitanis, patriarchalibus et primatialibus Ecclesiis, ac cardinalatus honore, et cujusvis legationis munere, necnon voce activa et passiva, omnique auctoritate, ac monasteriis, et beneficiis,

et officiis Ecclesiasticis, cum cura et sine cura, facultatibus et quorumvis Ordinum regularibus, quæ ex quibusvis concessionibus et dispensationibus Apostolicis in titulum, commendam et administrationem aut alias quomolibet obtinuerint, et in quibus vel ad quæ jus aliquod habuerint, necnon quibusvis fructibus, redditibus et proventibus annuis super similibus fructibus, redditibus et proventibus eis reservatis et assignatis, comitatibus quoque, baroniis, marchionatibus, ducatibus, regnis, et imperio penitus et in totum perpetuo privari, et ad illa de cætero inhabiles et incapaces, habeanturque pro relapsis et subversis in omnibus, et per omnia, perinde ac si prius hæretici, hujusmodi in judicio publice abjurassent, nec ullo unquam tempore ad eorum primum statum, aut cathedrales, metropolitanas, patriarchales, primitiales Ecclesias, seu cardinalatus, vel alium honorem, aut quamvis aliam majorem vel minorem dignitatem, seu vocem activam vel passivam, aut auctoritatem, seu monasteria et beneficia, vel comitatus, baronias, marchionatus, ducatus, regna, et imperium restitui, reintegrari aut rehabilitari possint, quinimo sæcularis relinquantur arbitrio potestatis, animadversione debita puniendi, nisi apparentibus in eis veræ pœnitentiæ indiciis et condignæ pœnitentiæ fructibus ex ipsius Sedis benignitate et clementia in aliquo monasterio, aut alio regulari loco ad peragendam perpetuam in pane doloris et aqua mœstitiæ pœnitentiam retrudendi fuerint, etc.» Perculit etiam anathemate quoscumque, qui eos defenderent, vel exciperent, vel foverent, aut iis studerent, atque etiam infamia inustos pronuntiavit; addidit etiam, ut si quis episcopus, archiepiscopus, cardinalis, vel Pontifex Romanus aliquando hæresis vel schismatis crimen contraxisse deprehenderetur, omni dignitate ac jure exueretur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLIX, XV kalendas Martii, Pontificatus nostri anno IV ».

15. *Libros hæreticorum legere et retinere vetitum.* — Corripuerat etiam Hispaniam flamma hæreseos, ad quam restinguendam Paulus indultam quibusvis theologis, etiam episcopis, vel cardinalibus, legendorum librorum hæreticorum potestatem, rescidit [1], librosque hujusmodi a quoquam retineri vetuit :

« Ad futuram rei memoriam.

« Cum nihil æque optemus, quam ut fides Catholica non solum conservetur, verum etiam ubique locorum augeatur et floreat, ad ea cogitationes nostras liberaliter dirigimus, per quæ omnis ab ipsa fide apostatandi tollatur occasio. Cum itaque, quod non sine gravi animi nostri molestia referimus, in regnis Hispaniarum, humani generis hoste procurante, Lutherana et diversæ aliæ hujus sæculi hæreses pullulare, et fidelium animi novis in dies hæresibus pollui, omniaque hæresum dissidiis repleri dicantur, hocque potissimum ex copia librorum hæreticorum, et de hæresi suspectorum, qui in eadem regna clam comportantur, et fidelibus legendi distribuuntur, provenire verisimiliter credatur, nos, qui nuper venerabili fratri nostro Ferdinando archiepiscopo Hispalensi, qui etiam generalis hæreticæ pravitatis in dictis regnis Inquisitor existit, per alias nostras in forma Brevis litteras dedimus in mandatis, ut per se, vel alium, seu alios ad executionem certarum aliarum nostrarum super revocatione licentiarum et facultatum legendi libros hujusmodi in simili forma emanatarum litterarum procedens, non permittat aliquos tam clericos sæculares, vel quorumvis Ordinum regulares, quam laicos cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et præeminentiæ existant, etiamsi abbatiali, episcopali, archiepiscopali, patriarchali, primitiali, aut alia majori Ecclesiastica dignitate, etiam cardinalatus honore, vel mundana etiam marchionali, ducali, regia, vel imperiali auctoritate, vel excellentia præfulgeant, libros hujusmodi ex quavis causa vel prætextu publice vel occulte, quovis quæsito colore apud se tenere, aut legere, vel imprimere, seu venales habere, quinimo eos ad libros hujusmodi officio inquisitionis hæreticæ pravitatis in dictis regnis consignandum, et quod de eisdem libris aliquam notitiam habuerint, seu aliquos in præmissis culpabiles noverint, ad notitiam, quam habent, et ipsos culpabiles, officio prædicto revelandum, et notificandum cogat, contradictores quoslibet et rebelles, ac sibi in præmissis non parentes, per sententias, censuras et pœnas Ecclesiasticas, et etiam temporales in legentes libros hujusmodi eatenus latas et promulgatas, alias juxta facultates sibi in officio prædicto concessas, appellatione postposita compescendo, prout in primo dictis litteris plenius continetur. Volentes huic morbo, ne latius serpat, quantum cum Deo possumus, efficacius remedium adhibere, omnibus et singulis præsbyteris, et tam sæcularibus, quam quorumvis exemptorum Ordinum regularibus in dictis regnis existentibus, aut in eis auditioni confessionum Christi fidelium de jure vel consuetudine, aut ex privilegio Apostolico pro tempore vacantibus, in virtute sanctæ obedientiæ, et in remissionem peccatorum suorum, Apostolica auctoritate per præsentes injungimus, et sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, a qua nisi a nobis, aut pro tempore existente Romano Pontifice, seu generali hæreticæ pravitatis hujusmodi in eisdem regnis inquisitore, præterquam in mortis articulo constituti, absolvi non possint, districte præci-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2895. p. 474.

piendo mandamus, quod de cætero, donec aliud a nobis habuerint in mandatis, singulas utriusque sexus personas, quæ annos discretionis attingentes peccata sua eis pro tempore confitebuntur, in ipso actu confessionis diligenter interrogent, et ab eis sciscitentur, an libros hæreticorum, aut de hæresi suspectorum, seu alias per nos aut pro tempore existentem generalem inquisitorem hujusmodi damnatos aut reprobatos penes se habeant, seu apud alios, vel imprimant, seu imprimi faciant, aut venales teneant, vel de libris hujusmodi aliquam notitiam habeant, seu aliquos in præmissis culpabiles sciant; et si exinde aliquos in præmissis, aut eorum aliquo delinquere invenirent, eos nullatenus absolvant, nisi prius libros hujusmodi, quos habuerint, officio prædicto consignaverint, et quam de iisdem libris notitiam habuerint, eam dicto officio dederint, et quod, si aliquos in præmissis culpabiles noverint, eos præfato officio revelaverint, et notificaverint, aliasque juxta eorum culpæ qualitatem competentem satisfactionem exhibuerint, et condignam pœnitentiam peregerint: et nihilominus eidem Ferdinando archiepiscopo, et pro tempore existenti generali hæreticæ pravitatis hujusmodi in dictis regnis inquisitori, dicta auctoritate, tenore præsentium committimus, et mandamus, quatenus per se, vel alium, seu alios, præsentes nostras litteras, et in eis contenta quæcumque a cunctis presbyteris auditioni confessionum hujusmodi vacantibus inviolabiliter observari faciat : contradictores quoslibet et rebelles, ac sibi in præmissis non parentes, et in posterum qualificatos, et hujusmodi dignitate, seu honore, vel auctoritate aut excellentia præditos, per sententiam, censuras et pœnas Ecclesiasticas, et etiam pecuniarias ejus arbitrio moderandas et applicandas, privationis quoque beneficiorum et officiorum per eorum quemlibet quomodolibet obtentorum, et perpetuæ inhabilitatis ad illa in posterum obtinenda, aliaque opportuna juris remedia, etiam juxta facultates sibi in officio hujusmodi concessas, appellatione posposita, compescendo, et legitimis super his habendis servatis processibus, sententias, censuras, et pœnas prædictas etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis. Non obstantibus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die v Januarii MDLIX, anno IV ».

16. *Paulus assignat stipendia pro Inquisitione in Hispania.* — Exercita est acerba in hæreticos fidei censura a Ferdinando Hispalensi archiepiscopo, qui ei muneri præerat, ac licet ab eo, et aliis censoribus in hæreticos diligentissime inquisitum sit, tamen plures eorum diligentiam fuga præcipiti et aliis artibus eludebant. Cum itaque numero aucto hæreticorum, sumptus non sufficerent ad sustentandos pro iis comprehendis administros, Pontifex [1] vectigalia unius canonicatus, et unius præbendæ proxime vacanda in singulis principibus et collegiatis Ecclesiis regnorum Hispaniæ, inquisitionis sacræ præfecturæ attribuit :

« Ad perpetuam rei memoriam, etc.

« Nuper sane nobis non sine maximo dolore innotuit, quod Lutherana, et aliæ ex ea ortæ hujus sæculi hæreses, procurante humani generis hoste, non solum in regna Hispaniarum, quæ eatenus peste hujusmodi caruerant, violenter irrepserunt, verum etiam quorumdam potentium, et aliorum alias nobilium et illustrium hominum illarum partium animos adeo occuparunt, ut non contenti seipsos perdere, etiam populos sibi subditos ac clientes et amicos suos secum in perditionis interitum trahere satagant et anhelent. Et licet venerabilis frater Ferdinandus Hispalensis archiepiscopus, qui etiam generalis hæreticæ pravitatis in dictis regnis inquisitor existit, se hæreticis hujusmodi noviter detectis et eorum conatibus pro muro opposuerit, et quam potuit majorem diligentiam contra eos adhibuerit, etiam nonnullos ex eis comprehendi, et sub fida custodia retineri faciendo, aliosque inquisitores per ipsa regna longe lateque dispersos, super his quæ per eos, ne ipsi hæretici fugam arripere, aut alias se in loca tuta et secura recipere, aut alios in hæreses hujusmodi seducere possent, agenda erant, per proprios tabellarios, et mutatis ad voluntatem equis, admonendo, defectu tamen pecuniarum ad hoc necessariarum eam omnem, quæ in præmissis erat adhibenda, diligentiam adhibere, et ubique locorum providere nequiverit, nec de præsenti possit, et verisimiliter formidetur, ne gliscente continue morbo hujusmodi, major in dies pecuniæ summa ad reprimendos et compescendos eosdem hæreticos, ac plenariam officii inquisitionis hujusmodi executionem necessaria sit futura. Nos » Et infra « volentes sustentationi officii inquisitionis hujusmodi perpetuis futuris temporibus consulere, et ne plenaria illius executio defectu pecuniæ differatur, aut alias quomodolibet impediatur, opportune providere, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, in omnibus et singulis metropolitanis et aliis cathedralibus et collegiatis Ecclesiis Castellæ, Legionis, Granatæ, Navarræ, Aragonum et Valentiæ regnorum, necnon principatus Cataloniæ, comitatus Rossilionis et Ceritaniæ, ac Canariæ dominiorum et insularum, unum canonicatum et unam præbendam, quos primo per cessum vel decessum, seu quamvis aliam dimissionem, vel amissionem vacare contigerit » Et infra « officio inquisitio-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 4. p. 362.

nis hujusmodi in dictis regnis, auctoritate et tenore prædictis, etiam perpetuo applicamus et appropriamus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum VII Januarii MDLIX, anno IV ».

17. *Edictum adversus confessores ad turpia sollicitantes.* — Delatum tunc est Pontifici immane facinus in Granatensi regno a sacerdotibus, qui sacras exomologeses excipiebant interdum patratum, quo nonnnllæ mulieres veniæ petendæ et Sacramenti suscipiendi gratia accedentes, de impuro flagitio variis lenociniis et artibus fuerant pertentatæ, in quos censores fidei animadvertere jussi sunt :

« Nuper non sine animi nostri molestia accepimus, quod diversi sacerdotes in civitate et diœcesi Granatensi curam animarum habentes, seu eam pro aliis exercentes, aut alias audiendis confessionibus ad pœnitentiam deputati, in tantam proruperunt iniquitatem, ut sacramento Pœnitentiæ abutantur, nec illi, et qui illud instituit, Domino Deo et Salvatori nostro Jesu Christo, injuriam facere vereantur, mulieres pœnitentes ad actus inhonestos alliciendo et provocando, seu allicere et provocare tentando et provocando, loco earum per sacramentum hujusmodi Creatori nostro reconciliationis, graviori peccatorum mole onerando, et in manus diaboli tradendo, in divinæ majestatis offensam, et animarum perniciem, ac Christi fidelium scandalum, etc. Datum Romæ apud S. Petrum XVIII Februarii MDLIX, anno IV ».

18. *In Hispania hæresis suspicio attingit quosdam proceres, imo quosdam præsules.* — Adducta est in gravius eo discrimen Hispania, ne hæresi contaminaretur, quo plures nobilitate et opibus conspicui impietatis venena hauserant, atque illa in clientes sibi obnoxios transfundebant: observatum etiam est, nonnullos convictos hæreseos illam non ex animo ejurasse, sed astu et simulatione, cumque ex severitate judiciorum evolassent, hæresim pertinacissime in alios propagasse, ob quorum improbitatem sanxit Paulus [1], ut hæretici, etiamsi relapsi non essent, capitali supplicio afficerentur :

« Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Hispalensi.

« Venerabilis frater, salutem. Cum sicut non sine animi nostri mœrore nobis nuper innotuit, in regnis Hispaniarum humani generis hoste procurante, Lutherana et diversæ aliæ ex ea ortæ hujus sæculi hæreses serpere, et fidelium animi in dies magis infici et pollui cœperint, resque jam eo devenerit, ut diversæ alias nobiles et illustres personæ hæreses hujusmodi profiteantur, et subditos seu clientes et amicos suos, aliosque illis credentes secum trahere, et in hæreses hujusmodi seducere procurent in religionis Christianæ, quæ olim in dicto regno præ cæteris omnibus coli et in veneratione haberi consueverat, enervationem et animarum perniciem, ac fidelium confusionem; et nisi præmissis aliquod præsentaneum et efficax etiam extraordinarium remedium adhibeatur, verisimiliter formidatur, ne nobiles et illustres personæ hujusmodi earum potentia et favoribus magnam eorumdem regnorum partem secum in perditionem et puteum interitus trahant. Nos præmissis occurrere, et ne malum hujusmodi serpat, efficaciter providere volentes, tibique, qui etiam generalis hæreticæ pravitatis in dictis regnis inquisitor existis, et de cujus fide, pietate, virtute et doctrina plurimum in Domino confidimus, quod una cum dilectis filiis consiliariis supremi consilii inquisitionis hujusmodi omnes et singulos hæresiarchas et hæreses hujusmodi dogmatizantes, seu alias hæreticos, de quibus verisimilis sit conjectura, quod hæreses ipsas non ex animo, et pura ac sincera conscientia, sed ut a carceribus liberentur abjurare velint, et quod a carceribus liberati hæreses ipsas disseminare, et eas de novo dogmatizare, aut hæreticis, seu credentibus, faventibus, receptatoribus, defensoribus eorum favere, sicque officio inquisitionis hujusmodi et negotio fidei obesse possint, etiamsi relapsi non fuerint, sæcularis judicis arbitrio, pœna ultimi supplicii plectendos dimittere, seu tradere libere et licite valeas, plenam et amplam, ac omnimodam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus et impartimur potestatem et facultatem. Non obstantibus, etc. Dat. Romæ apud S. Petrum die IV Januarii MDLIX, anno IV ».

19. Nec modo nobiles ac proceres infecerat hæresis, sed etiam ad episcopos et archiepiscopos aliquot suspicio illius se diffuderat, in quos animadvertendi auctoritas supremo fidei censori a Pontifice [1] demandata est :

« Venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Hispalensi.

« Venerabilis frater, salutem. Cum sicut nuper non sine animi amaritudine accepimus, in regnis Hispaniarum, humani generis hoste procurante, Lutherana et aliæ ex ea ortæ hujus sæculi hæreses pullulare cœperint, et jam latius serpere videantur, ita ut etiam de aliquibus Ecclesiarum prælatis, et aliis potentibus et illustribus verisimiliter suspicari possit, nos volentes huic morbo, quantum cum Deo possumus, efficaciter mederi, et illum dante Domino sanare, tibi, qui etiam generalis hæreticæ pravitatis in dictis regnis inquisitor existis, et de cujus fide, et pietate, et doctrina plenam in Domino fiduciam obtinemus, quod usque ad biennium a die, quo præsentes litteras receperis computandum, de consilio dilectorum filiorum supremi consilii officii inquisitionis hujusmodi,

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2885. p. 352.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2895. p. 361.

contra quoscumque episcopos, archiepiscopos, patriarchas et primates, in eisdem regnis degentes, super hæresibus hujusmodi inquirere, et quoscumque processus formare, et si superinde legitima indicia ad capturam sufficientia comperta fuerint, et verisimiliter formidetur, ne ipsi sic inquisiti episcopi, archiepiscopi, patriarchæ et primates a regnis prædictis aufugiant, seu aliter se absentent, eosdem inquisitos episcopos, archiepiscopos, patriarchas et primates in aliquo tuto et securo loco sub aliqua fideli custodia arrestare et custodiri facere valeas ; ita tamen quod quam citius commode poteris, nos de his omnibus certiores reddas, ac ipsos arrestatos episcopos, archiepiscopos, patriarchas ac primates una cum indiciis contra eos militantibus, et toto denique processu contra eos habito in forma fidem faciente tuo sub sigillo ad nos transmittas, plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus facultatem et potestatem. Non obstantibus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die VII Januarii MDLIX, anno IV ».

20. Appetitus est inter alios suspicione hæreseos Bartholomæus Toletanus archiepiscopus, idemque Hispaniarum primas, maximo totius regni stupore, quem in Romano carcere extinctum visuri sumus : ad hæc vero sancienda Paulus [1] incitatus est precibus Philippi regis, qui Petri Pacecchi cardinalis opera, de statu rerum Hispaniarum Pontificem certiorem fecerat, a quo de insigni pietate commendatus est, utque Pontificia edicta conficienda curaret, censoresque regia fulciret auctoritate admonitus.

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime in Christo fili, etc. Quo magis clarum et nobile Ecclesiæ Catholicæ membrum Hispania est, eo majori nobis studio ac diligentia ducimus esse curandum, ut omnem ab eo hæresis Lutheranæ labem, quæ, ut multa jam loca fœdissime contaminavit, ita ea regna conatur invadere , quam longissime repellamus , quod ipsum facere, etsi nostra sponte ita eramus parati, ut nullius aut monita aut preces desideraremus, venerabilis tamen frater noster Petrus episcopus Albanensis cardinalis Pacecus, vir, et in majestatem tuam animo singulari, et nobis etiam ob hoc charissimus, nostram eam sententiam mirum in modum confirmavit atque auxit : quamobrem et multa constituimus, quibus ad religionem rite colendam, et ad omnes errores, vel propulsandos, vel auferendos tua illa regna uterentur, et plura etiam mandavimus decernenda venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Hispalensi generali hæreticæ pravitatis in illis regnis inquisitori ; quibus mandatis, licet non dubitemus, quin omnes tuo permissu, et, si opus esset, etiam jussu sint obtemperaturi, cum de sua ipsorum salute agatur, et tua in Deum non sit obscura pietas, neque illud ignores, non esse tuis rationibus accommodatum, novas in Hispania religionis nomine sectas exoriri, rei tamen adducti magnitudine majestatem tuam hortamur, et summopere rogamus, ut quæ pro Dei omnipotentis honore et cultu, et eorum populorum salute, et tua quoque securitate in tuis illis regnis decrevimus conficienda, aut etiam nostra decernentur auctoritate, tuo etiam jussu imperioque executioni mandentur ; quod cum feceris, quanquam nobis es tuo merito in Christo charissimus, multo tamen te reddet hæc pia causa chariorem. Datum Romæ apud S. Petrum die XI Januarii MDLIX, anno IV ».

21. *Sollicitatur a Pontifice Joanna regni moderatrix ut Catholicam fidem tueatur.* — De superioribus decretis editis facta certior est Joanna Lusitana [1], quæ, absente in Belgio Philippo, Hispaniarum regna moderabatur, ac sollicitata ut florentem in Hispania Catholicam religionem tueretur, nec illius splendorem sectarum caligine obscurari pateretur :

« Dilectæ in Christo filiæ nobili mulieri Joannæ principissæ Portugalliæ et Hispaniarum gubernatrici.

« Dilecta in Christo filia et nobilis mulier, salutem. Conante fœdissima hæresis Lutheranæ peste nobilissima ista regna (ut audivimus) coinquinare, et verum Dei cultum atque religionem, quæ servata isthic fuit adhuc constantissime, pervertere, nostro nos admoniti officio, et venerabilis fratris nostri Petri episcopi Albanensis cardinalis Pacecchi de suæ nationis salute maxime solliciti, et præcipua quadam cum in fidem Catholicam, tum in serenissimum regem fratrem tuum voluntate præditi, nobisque his causis magnopere chari, verbis adducti, nonnulla sancivimus in illis regnis custodienda, quæ ad divinos servandos ritus et ad hæreticorum conatus infringendos pertinerent, alia etiam mandavimus, ut venerabilis frater Ferdinandus archiepiscopus Hispalensis generalis hæreticæ pravitatis in istis regnis inquisitor decernat et curet, et ad regem scripsimus, ut nostra hæc jussa sua auctoritate executioni mandare faciat : scribere autem ad te etiam visum est, rei magnitudine suadente, teque hortari, ut facimus, atque rogare, ut nostris nostrorumque mandatis suffrageris et faveas, quod te facturam, et eo etiam studiosius arbitramur, quia profecto intelligis, non esse utile regi consentientem inter se religione provinciam novis hæresibus divelli : quare, quoniam tot regna summa cum tua laude gubernas, erit prudentiæ et instituti tui consulere tanta in re cum Christianæ reli-

[1] Paulus IV. lib. brev. sig. num. 2895. p. 368.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2895. p. 360.

gioni, quam integram semper inviolatamque coluisti, tum provinciæ securitati atque saluti. Nos quidem, et Dei, et eorum populorum, et tuæ quoque gloriæ causa id vehementer optamus, et fore plane confidimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XI Januarii MDLIX, anno IV ».

Districta est severitas legum ab Hispanis censoribus in hæreticos ejusque criminis suspectos, adeo ut etiam nobilitate et titulis dignitatum ornatissimi viri flammarum incendio traditi fuerint, atque ob exaggeratam Philippi regis sapientiam imminentes ab hæreseos grassatione calamitates aversæ ac propulsatæ fuerint.

22. *Hæreticorum tentamina in Italia ipsa.* — Nec labis hæreticæ immunis fuit Italia, nisi ea censorum diligentia perpurgata fuisset, ac etiam Romæ in ejus criminis suspectos inquisitum : captus vero est Rhegii quidam medicus novus hæresiarcha, quem Paulus [1] datis Ferrariæ duci litteris ad se perduci jussit.

« Dilecto filio nobili viro Herculi duci Ferrariæ.

« Dilecte fili, nobilis vir, etc. Comprehensus Rhegii nuper ob hæresis cujusdam novæ inauditæque dementiam Basilius quidam Allebrisius, professione quidem medicus corporum, sed corruptor animarum, in episcopalis domus carcere, sicut audivimus, custoditur : eum magnopere cupimus primo quoque tempore coram nobis et sacro inquisitionis hæreticæ pravitatis officio sisti. Itaque hortamur nobilitatem tuam et vehementer petimus, ut pro sua erga nos et Sanctam Sedem Apostolicam devotione, ac debita obedientia, fideique Catholicæ studio curet, cum primum has litteras acceperit, ut is firmo satellitum præsidio diligenter custoditus, sine ulla mora in urbem nostram Bononiam perducatur, et civitatis illius nostræ gubernatori tradatur, qui eum ad nos inde deducendum curabit, quod tuæ nobilitatis officium nobis magnopere gratum erit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die III Februarii MDLIX, anno IV ».

Irrepserant etiam inter Brixienses cives Lutherana et aliæ nefariæ sectæ, quibus illaqueati plures tenebantur, qui cum de mysteriis Christianæ fidei diligentius edocti, discussa errorum caligine conciliari Ecclesiæ flagitarent, explicandam in eos clementiam censuit Paulus [2], ac censurarum religione ab eorum episcopo designato exsolvi jussit :

« Dilecto filio Dominico Bolano electo Brixiensi.

« Dilecte fili, salutem, etc. Cum sicut accepimus quamplures Christi fideles in civitate et tua diœcesi Brixiensi, qui alias operante zizaniæ satore, etiam humana fragilitate in Lutheranam et diversas alias damnatas et pestiferas hæreses prolapsi, et illis infecti fuerint, proprios errores et excessus, omnipotente Deo inspirante, recognoscentes, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ redire desiderent, nos, quibus gregis Dominici cura et universale regimen desuper commissa sunt, oves hujusmodi gregis ab eorum præcipitiis eripere, et ipsi omnipotenti Deo acceptabiles reddere toto nisu exquirentes, tibi, qui Ecclesiæ Brixiensi præesse dignosceris, de cujus rectitudine, fidei zelo, devotionis sinceritate specialem fiduciam in Domino sumimus, quamdiu eidem Ecclesiæ præfueris, ac in civitate et diœcesi hujusmodi resederis dumtaxat, ut per te ipsum solum quoscumque utriusque sexus Christi fideles, tam sæculares et laicos quam Ecclesiasticos, etiam quorumvis Ordinum religiosos, cujuscumque Ecclesiasticæ et mundanæ dignitatis, status, gradus, ordinis, vel conditionis fuerint civitatum et diœcesum prædictarum, aut in illis pro majori parte temporis commorantium, Lutherana, aut hujusmodi aliis hæresibus respersos, et ad veritatis lumen et fidei Catholicæ unitatem redire, ac hujusmodi hæreses abjurare volentes », et infra : « Auctoritate Apostolica absolvendi », et infra, « potestatem et facultatem concedimus, etc. Datum... die XVI Junii MDLIX, anno V ».

23. *Lutherani in multas sectas divisi et in duram servitutem redacti.* — In Germaniæ provinciis, quæ primum a Catholica religione desciverant, tam densa errorum atque hæreseon caligo inhorruit, ut cum fingendarum novarum religionum nullus modus esset, cum singuli garrulitate præstantes ministri divina oracula in varios ac pugnantes sensus distorquerent, ut palam constaret Babylonem vere extructam a Luthero, hujus confusionis pertæsi Saxoniæ et Mansfeldii principes, qui tolerare non potuerant Lutheranam sectam a summo Ecclesiæ principe damnatam, ac Leonem damnarant audaciæ, ipsi undecim execrabiles sectas in Lutherana Babylonia grassantes publicis edictis damnarunt, de quibus ac nonnullis aliis pseudoevangelicorum dissidiis hæc refert Surius [1] : « Juniores Saxoniæ principes hoc anno Latina et Germanica lingua scriptum publicum ediderunt : itemque comites Mansfeldenses aliud scriptum, quibus undecim enumerantur sectæ, et ut execrabiles hæreses condemnantur. In iis sunt etiam Melanchtonici, Majoristæ, Adiaphoristæ et Sacramentarii. Porro in Heidelbergensi Academia periculosum ortum est certamen, inter Tilmannum Heshusium et Guillelmum Clebitium de Cœna Domini. Princeps Palatinus, cui paret Heidelberga, in hac Evangelicorum funesta altercatione a Melancthone quærit, quid ipse in hoc

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2879. p. 139. — [2] Ib. sig. num. 2895. p. 234.

[1] In Comm. hoc anno.

negotio sentiat? at Melancthon sic respondet, ut novum quoddam Sacramentariæ impietatis genus effinxisse videatur : sic isti miseri ex erroribus aliis in errores alios labuntur semper seipsis deteriores. Nicolaus Gallus præco Ratisbonensis Lutheranus, huic Melancthonis scripto egregie respondet ».

Hoc anno Fridericus II Danorum rex Thietmarsos populos, qui dum Bremensi archiepiscopo ac Romano Pontifici paruerant egregie libertatem suam tutati fuerant, jam Lutherana impietate infectos in servitutem durissimam redegit. Subdit Surius : « Hi sunt fructus novi Evangelii. Novum Evangelium docet libertati carnis studere gnaviter, et interim suos sectatores, vel Turcicæ, vel Moscoviticæ, vel aliæ molestissimæ servituti addicit. Justus es Domine, et rectum judicium tuum ».

24. *Paulus non assentit duci Brunsvicensi petenti ut frater tres simul episcopatus conjunctos gerat.* — Petiit a Paulo Pontifice hoc anno Henricus Brunsvicensis princeps egregie de re Catholica meritus, pro qua eum gravissimos labores pertulisse vidimus, ut ejus frater episcopalibus sacris initiatus, tres episcopatus conjunctos gereret, cui Paulus respondit [1], id malo exemplo versum iri, nimiumque ejus fratris animum tot animarum cura onerandum :

« Dilecto filio nobili viro Henrico duci Brunsvicensi.

« Dilecte fili, nobilis vir, etc. Non obliti sumus, quantos tu labores hauseris, quanta discrimina, explorante nimirum fidem tuam Domino, fortiter, constanter adieris, dum sicut prudentem, et gravem, et vere Catholicum principem decet, in Catholicæ fidei et orthodoxæ religionis cultu, sanctæque matris Ecclesiæ unitate et obedientia perseveras, nec in tot aliorum defectione abduci te ab hac firma petra et fundamento Ecclesiæ pateris : quæ tua tam insignis pietas atque devotio, sicut nobis in tantis malis et tot filiorum amissione jucunda, ita tibi et gloriosa et salutaris fuit. Verum cum hi, quos diximus, cardinales, ea qua decuit diligentia et cura, cognitis postulatis vestris mandato nostro, ea de re in consistorio nostro secreto, ut mos est, retulissent, etsi nemo erat, qui non nobilitati tuæ vestræque familiæ faveret, omnique vos ab hac Sede honore dignissimos judicaret, tamen omnibus ea res ejusmodi visa est, ut concedi a nobis minime posset, sine maximo scandalo et nostro omnium et Sedis Apostolicæ dedecore; nam et contra sacros canones fecissemus, si tres uni commisissemus Ecclesias, et sanctæ hujus Sedis hostibus locum obtrectandi dedissemus, et pessimum exemplum introduxissemus nos, qui Deo auctore aggressi sumus ea, quæ correctione egent, ad ipsius Dei omnipotentis laudem emendare atque corrigere plurimis jam, ut nobilitas tua fortasse audivit decretis factis atque editis ad hanc rem spectantibus; et tam necessario ac sancto opere prope jam absoluto atque perfecto, quid inimici nostri dicerent, si ea quæ ædificavissemus, destrueremus? Cum dignitatis et existimationis nostræ et hujus sacrosanctæ Sedis rationem habuimus, tum etiam honoris tui et tui fratris salutis, neque enim convenire nobilitati tuæ videbamus , quæ nomini tuo vestræque familiæ notam nimiæ Ecclesiasticorum bonorum cupiditatis inurerent, qua infamia hæretici laborant, neque fratris tui animæ expedire intelligebamus, tam grave onus suscipere, sub quo succumberet; qui etiam si consecrationis munus, jam ut debuit, suscepisset, tamen tanti oneris magnitudinem horrere debuisset, nedum qui tam diu id suscipere distulerit, sive impeditus, sive propter negligentiam, cuique uni Ecclesiæ bene præesse satis magnum onus videri debet, aliarum super alias Ecclesiarum onere fuerit gravandus. Decet nos, qui utrumque vestrum paterne diligimus, vestræ, et saluti, et famæ consulere, nec tam quid desideretis a nobis, quam quid vobis expediat cogitare, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum etc. die XXIV Aprilis MDLIX, anno IV ».

25. *Hosius demonstrat pericula emersura ex facilitate nimia in controversiis permittendis.* — In Polonia viribus auctior hæresis graves turbas concitavit, quas nonnulli politici ad hæreseos præcipitia proni, ita componendas sentiebant, ut laicis utraque species, sacerdotibus conjugia permitterentur, quorum errorem confutavit Stanislaus Hosius [1] episcopus Varmiensis, atque emersura inde mala in luce collocavit, tum omnes novandi causas defugiendas demonstravit :

« Errant vehementer meo quidem judicio, qui putant, hoc religionis dissidium, quod apud nos per Sathanæ ministros his superioribus annis excitatum est, hoc modo sedari posse, si laicis calix, presbyteris uxores permittantur. Alere hoc fuerit magis quam sedare dissidium. Quid enim est aliud, quod hi qui segregaverunt se a nobis, votis ardentibus expetant, quam ut vel una aliqua in re ab universa Ecclesia Catholica separare se licitum ipsis esse queat? hoc fundamento separationis jacto, quo non eos progressuros putas? Arguere erroris totam Ecclesiam, sibique potestatem esse datam interpretabuntur, ab ejus decretis cæteris etiam in rebus discedendi. Quid enim impediat, quominus æque in aliis, atque in uno hoc eis liceat? Mentiar, si hoc res ipsa non clamat, ubi facta est in hujus Sacramenti usu ab Ecclesia Catholica separatio. Quam non multi sunt alii errores consecuti! Non Lutherani modo, sed et Zuin-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 148.

[1] Stanisl. Hosius in Dial. de utriusque speciei communion. p. 339.

gliani, et Anabaptistæ, et quotquot alii sunt hæretici, unde, nisi ab utraque specie desciscendi ab Ecclesia sumpserunt initium? numquid autem in eo acquieverunt? numquid non simul, et sacrificium, et sacerdotium, et Deum ipsum postea ex hoc sacramento sustulerunt? numquid non et Picardi et Servetiani, hoc est, novi Ariani facti, et in diversas alias formas mutati sunt? quare nihil fuerit homini Christiano tutius, quam sicut et in aliis rebus omnibus, sic et in hac, Ecclesiæ sensum et consensum sequi, quod qui faciat, errare nulla ratione potest. Vociferetur aliquis ad ravim usque *Verbum Domini, Verbum Domini, Evangelium, Evangelium :* nihil ea re moveatur plus quilibet, ac orthodoxus, etiamsi multa Scripturarum examina produci videat, nam suo tempore pseudoprophetas minime defuisse scribit Hieremias, qui et ipsi vociferati sunt *Verbum Domini, os Domini locutum est, hæc dicit Dominus;* cum tamen nec misisse se eos, nec aliquid ejusmodi locutum illis esse per prophetam suum dicat Dominus, eosque fures verborum suorum appellat. Jam vero Pharisæi, numquid non e Scripturis Christum non esse prophetam, Christum esse morte dignum probare contendebant? Quorum enim hæ voces sunt : *Scrutare Scripturas, et vide, quia Propheta e Galilea non surgit,* et alio loco : *Nos legem habemus, et secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit.* Numquid non Scripturas contra Scripturarum auctorem Deum nostrum proferebant? Numquid non e Scripturis Christum non esse Deum, Deique filium, sed ne Prophetam quidem, quin potius morte turpissima dignum pronuntiabant? num autem statim fuit verum, quia Scripturas adducebant? Scripturæ quidem, quarum utebantur testimonio, veræ sunt, et a Spiritu sancto profectæ, sed sensus, quem ex illis proferebant, quam longissime a veritate fuit remotus. Quamobrem nihil pii moveantur, si cum Sathana Christum in deserto tentante dicat membrum ejus aliquod : Scriptum est enim : sed si quis nimium obtundat Scripturas, reverenter se accipere respondeat, ac ab eo procul abesse, ut ei vel in minimo contradicere velit : cæterum unde didicerint, hanc Scripturam esse canonicam, cujus apud omnes auctoritatem esse summam oporteat, inde quoque se didicisse hunc ei, non alium, sanum illius sensum esse a sancta Catholica Ecclesia. Quare cui fidem habuerint de Scriptura hac, quod Canonica sit, quodque a Spiritu sancto profecta testificanti, eidem se fidem habere, hunc et non alium esse Scripturæ ejus sensum asserenti. Ad hunc modum si se gesserint, facile Sathanæ laqueos effugerint : neque enim inter nos et eos, qui exierunt a nobis, ulla est de Scriptura controversia, sed de eo tantum agitur, utrum in ea interpretanda suam aliquam propriam, aut unius alicujus solitariam opinionem, an vero totius Ecclesiæ sensum et consensum sequi oporteat ».

26. Demonstravit idem auctor [1] in alio libro inscripto ad regem Poloniæ de expresso Dei verbo, non aliam conciliandæ cum hæreticis concordiæ ineundam rationem, quam ut illi abjecta hæresi, controversias omnes Ecclesiæ judicio permitterent, ejusque decreta sequerentur :

« Visus fuit hæreticis esse pertinax Basilius, itidem ut ante eum Athanasius atque Hilarius : sed quam hæretici pertinaciam, eam Catholici et orthodoxi constantiam esse judicabant. Quominus et ego moleste fero, si quibusdam pertinax esse videor, qui nego coire posse concordiam inter Catholicos et hæreticos, nisi qui discesserunt a nobis, redeant unde discesserunt, ad gremium sanctæ matris Ecclesiæ, illam credant, illi se totos permittant, illius judicio suum judicium subjiciant. Malo pertinax videri cum Athanasio, Hilario, Basilio, quam ut esse dicar arundo ventis agitata : et hæc quidem vetustiora.

« Nostro vero sæculo quoties inter Lutheranos et Zuinglianos actum fuit de concordia? Quomodo ea res feliciter cessit Lutheranis? qualis enim illa fuit inter Lutherum et Bucerum concordia? Fecit in gratiam Lutheri Bucerus, ut concederet Corpus et Sanguinem Christi substantialiter esse in sacra Eucharistia, modo vicissim in suam gratiam faceret Lutherus, ut concederet ibi non esse Christi Corpus et Sanguinem, nisi cum sumitur. Uter Martinorum hic alterum in suam pertraxit sententiam? Martinusne Lutherus Sacramentarius, aut Martinus Bucerus e Sacramentario factus est Lutheranus? Certe Joannes Calvinus non aliunde sumit efficacius argumentum ad probandum in Eucharistiæ sacramento non esse substantialiter Corpus Christi, quam ex hac Lutheri concessione : ex qua etiam colligit, quod secundum virtutem tantum et efficaciam, non autem secundum eorum substantialem præsentiam exhibentur nobis Corpus et Sanguis Domini, quo modo adsunt et exhibentur in Baptismo et Pœnitentia, imo quandocumque Christi mors aliquem in nobis effectum operatur. In quam suam sententiam pedibus ire Philippum quoque Melancthonem gloriatur. Egregia vero concordia, qua fit, ut qui sunt hæretici, magis etiam fiant hæretici, et sacrilega sua audacia invalescentes proficiant in pejus errantes et in errorem mittentes ».

27. *Regem Poloniæ monet Paulus ut a se removeat suspicionem nimiæ facilitatis erga hæreticos.* — Effuderat Sigismundus rex, importuna benignitate ac facilitate, licentiæ habenas improbitati hæreticorum, adeo ut in suspicionem

[1] Stanisl. Hosius de exp. Dei verbo p. 326. Pag. 436.

adductus sit apud Pontificem, ne a majorum vestigiis ac pietate deflecteret : sed cum de præclara illius mente ac religione ab internuntio esset factus certior, Paulus [1] illum de servata incorrupta ac illibata fidei puritate, cum universa regia familia commendavit, hortatusque est, ut in eà constanter perstaret, neque ullam gloriæ suæ maculam inureret, atque ex temporario regno ad æternum aspiraret, ac pravos senatores et hæretica lue infectos e suo latere divelleret, atque aula pelleret.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Magna nos lætitia affecerunt, multumque in Domino consolatæ sunt litteræ venerabilis fratris Camilli Satrianensis episcopi nuntii nostri, in quibus præter cæteras laudes, quas tuæ serenitati tribuit, in primis commemorat, quantam tu una cum charissimis in Christo filiabus nostris regina uxore tua et sororibus tuis, in Catholica fide constantiam, quantamque erga sanctam hanc Sedem devotionem et observantiam præ te feras, quo nomine ei, a quo omne datum optimum, et omne donum perfectum descendit, gratias agimus, qui tantam tibi gratiam infudit, nec patitur te a recto salutis itinere deflectere. Facis, charissime fili, quod sapientem et pium regem decet, memorem te esse ostendis generis tui, imitatoremque majorum tuorum inclytæ memoriæ regum, qui quidem omnes Catholici admodum orthodoxique principes extiterunt, et de Ecclesia Catholica optime meriti fuerunt. Præclare intelligis, quæ res maxime regna atque imperia firmet, stabiliat atque conservet. Multæ sunt quidem aliæ magnis regibus dignæ virtutes, sed nulla eos magis commendat, nulla majorem eis laudem et gloriam parit, quam in religione Catholica perseverantia, quæ cum omni tempore Deo grata est, tum his turbulentis Ecclesiæ temporibus multo est gratior ; regis enim exemplum in Catholica fide permanentis pios consolatur, dubitantes confirmat, hæreticos deterret et reprimit : itaque dici non potest, quanta illi, et quam gloriosa pro tantis meritis corona, et præmium in Cœlo paratum sit. Lætaremur magnopere, si hoc de quocumque Christiano principe audissemus, verum præcipua ex te lætitia afficimur, quem eximie et præcipue semper amavimus ; etsi autem cohortatione nostra minime te egere confidimus, de quo ea semper nobis polliciti sumus, quæ a tali probitate, atque virtute, et ex ea stirpe orto rege expectanda erant, tamen cogit nos paternus amor (nosti autem quantopere patres de filiis solliciti sint) hortari te etiam atque etiam, ut tu ipse parentum et majorum tuorum vestigiis insistere perseveres, et commissos fidei tuæ populos, quantum consilio, quantum opibus, quantum auctoritate et potestate regia efficere potes, in Catholica religione continere coneris, hæreticis fortiter resistas, pravos autem suasores, eorumque consuetudinem et pestiferam et perniciosam removeas abs te et asperneris, et diligentissime vites atque rejicias. Hæc, quo amore, qua charitate, quo salutis et gloriæ tuæ studio serenitatem tuam admoneamus, Deus scrutator cordium novit. Tuum est, charissime fili, hæc præcepta et monita nostra perpetuo meminisse, et in animo ac memoria penitus infixa retinere atque servare. Commendaremus tibi ipsum nuntium nostrum, nisi ex ipsius litteris tibi gratias agendas potius esse sciremus pro humanitate, qua ipsum excipere et complecti soles, in quo declaras tuam perpetuam observantiam erga beati Petri Sedem, pro qua Deus tibi, ipso Apostolorum principe intercedente retribuet et in hoc sæculo et in futuro. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, die XI Apr. MDLIX, anno IV ».

28. Proximo mense gravioribus litteris apud Sigismundum Paulus instituit [1], ut contractam suspicionem nimiæ in hæreticos indulgentiæ et gratiæ a se removeret, questusque de sacrilego Chelmensi episcopo, qui Wladislaviensem Ecclesiam invaserat, ut regiam pietatem in eo reprimendo explicaret, rogavit, cum hæreseos et schismatis reum se constituisset.

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto regi Poloniæ illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Etsi non pauca ad nos de tua serenitate delata sunt, quæ si vera essent, gravi nos mœrore afficerent, et vehementer de tua ac regni tui salute cogerent esse sollicitos, tamen non facile adduci possumus, ut quidquam de filio nostro charissimo, quod eo indignum sit, et alienum ab ejus pietate atque prudentia, suspicemur. Ea autem nunc tibi offertur occasio, in qua declarare omnibus rectam voluntatem tuam, et omnem abs te suspicionem removere, tuæque famæ et existimationi regiæ consulere possis. Allatum est enim ad omnes de nefario scelere, quod Jacobus Chelmensis dictus episcopus nuper admisit, qui Dei timore posthabito, nostra et Sedis Apostolicæ auctoritate contempta, furore quodam raptus, et cupiditate ac superbia obcœcatus, Wladislaviensem Ecclesiam temeritate ausus est occupare sacrilega, et quasi legitimus ac verus ejus episcopus, et non prædo esset, profana in ea Sacramenta conficere Feria quinta in Cœna Domini ac sacratissimam Dominicæ resurrectionis diem, fugatis ex Ecclesia canonicis, qui tantum sacrilegium approbare noluerant, impuro sacrificio polluere ac violare ausus est : cujus tam audax et tam nefandum facinus non modo debita a nobis est pro officii nostri mu-

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 146.

[1] Paul. IV. lib. brev. sig. num. 2889. p. 163.

nere severitate plectendum, verum non lenius abs te animadvertendum est; tuo enim favore nixus, tuaque gratia fretus in tantam præ se tulit, ut dicitur, prorupisse dementiam. Jamne vides, charissime fili, causas nos habuisse justissimas, cur nominationem istius hominis rejiceremus, et quanquam inviti, minime petitioni tuæ satisfaceremus? Nonne nostrum de se judicium ipse comprobavit? clariorene potuit indicio malam mentem suam, malumque animum aperire atque detegere? Discat igitur serenitas tua posthac patri suo facilius credere, cautiorque sit in posterum, nec se præ nimia bonitate sua ab hujusmodi hominibus decipi ac falli sinat: et quoniam iste sensum suum pessimum prodidit, nec Sedis Apostolicæ dignitatem gravius, quam tuam ipsius, qui illi favebas antea et tanto studio suffragabaris, læsit atque violavit, nobiscum una adversus hæreticum antea, nunc etiam schismaticum hominem pro Dei honore et Sedis Apostolicæ reverentia exsurge; quod quo acrius et severius feceris, eo magis existimationi et famæ tuæ consules. Apparebit enim te, non ut nonnullis in suspicionem venisti, hæreticorum esse fautorem, sed Christianum principem et pium Ecclesiæ filium esse, et in tuenda fide et religione Catholica constantem, ut nos quidem de te adhuc speramus et credimus, et ex hoc exploratius etiam judicaturos esse confidimus; sicut ex nuntii quoque nostri, qui hac de re mandato nostro tecum aget, sermone cognosces quem in exequendis super hac re nostris, ut ope et auxilio tuo omni cunctatione omissa juves, Serenitatem tuam vehementer rogamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die XVII Maii MDLIX, anno IV».

29. Dejectus quidem est Wladislaviensi Ecclesia Jacobus Chelmensis pseudo-episcopus, sed clerum Chelmensem malo exemplo corrupit, victique carnis illecebris sacerdotes effutiebant neminem ad continentiam obstringi ex oraculo Salvatoris: at contra objectionem hæreticorum petitam ex verbis, *Qui potest capere capiat*, respondet ita Hosius [1]: « His ipsis verbis nihil aliud significare Christus voluit, *qui vult capere capiat*, cum non sit inusitatum hoc dicendi genus in Scripturis, ut posse pro velle accipiatur. Chrysostomus hom. 5 in Jo. enarrans illum Scripturæ locum, propterea non potuerunt credere, quia dicit Esaias: *Non potuerunt, hoc est, noluerunt:* neque te admiratio capiat, nam nonnunquam potestate pro voluntate utitur, ut Joan. 7. *Non potest vos mundus odio habere, me autem odio habet.* Hoc et communi sermone usurpatum videmus: Non possum asperum hominem diligere, etc. » Mox: « Ante eum quoque consonat Gregorius Nazianzenus, et utroque vetustior Clemens presbyter Alexandrinus: Velis, inquit, et poteris». Et infra: « Hieronymus tract. 7 in Math.: Iis datum est, qui petierunt, qui voluerunt, qui ut acciperent, laboraverunt. *Omni [1] enim petenti dabitur, et qui quærit invenit, et pulsanti aperietur.* Nec diversum sensisse videtur Joannes Chrysostomus, cum ait: Non omnes capiunt, sed quibus datum est, ut singulare id esse certamen perdiscas, non ut forte datam necessitatem suspiceris, iis enim datur, qui sponte id eligunt; quod ideo dixit, ut ostenderet, superiore nobis auxilio esse opus, quod quidem omnibus paratum est, si volumus in hac luctatione superiores evadere, etc. Et post multa idem Chrysostomus sermon. de Martyr.: In tua pugna, inquit, Dominus congreditur, Dominus dimicat, Dominus præliatur, et victoria tibi adscribitur: certamen tuum, certamen Dei est, prælium tuum, Christi prælium est. Quid trepidas? quid formidas quasi tua virtute devincas? procede in bellum, fortiter dimica, ut dimicanti adsit ille, qui vinci non novit. Quem secutus Augustinus [2] quoque: Non habes, inquit, unde pugnes, Deus tuus in te est; spiritus bonus datus est tibi: Spiritus Dei est, qui pugnat in te adversus te contra illud, quod est in te contra te». Et multis interjectis: « Extat confessio fidei Catholicæ Christianæ de Patrum, qui fuerunt ante annos quatuor in Synodo Provinciali Petricoviensi congregati, consensu edita: ad eam te remitto, lege quæ ibi scripta sunt de impedimentis Matrimonii ».

30. Jam aliquot elapsi menses erant [3], quibus Paulus Pontifex in suspicionem inciderat, de non recta vivendi forma nepotum, ideoque non jam eos consueto prosequebatur amore, et illorum actus diligenter observabat, ut aliquid remedii porrigeret. Dux Guisiæ, ut existimabatur, primus in Pontificis animum suspicionis semina injecerat; nam cum ad ejus pervenisset aures Paulum de se et suo rege oblocutum fuisse, sibi persuasit, nepotes Pontificis animum in se et suum honorem offensum reddidisse. Ipse igitur quando a Pontifice veniam in Gallias rediturus petiit, in nepotes armorum infelicem exitum tanta efficacia rejecit, ut domum reversus Petro Strozzio dixerit: Adeat jam quicumque Pontificem: jam effeci, ut rem plane cerneret ac palparet; nimirum a fratris filiis proditam Sedem Apostolicam fuisse; adversus regem ingratius actum, me quoque læsum, quorum causa caput decusque periculis objectavi. Insuper Philippus rex Hispaniarum suis ministris Romæ commorantibus mandavit, operam studiose darent, ut Pontifex erga cardinalem Caraffam suum minueret amorem, eo quod cardinalis, ut rex ardenter optabat, illique Bruxellis discedenti maximopere commendave-

[1] His. Pol. Stanisl. Hosius de conjugio Sacer. p. 340.

[1] Luc. XI. — [2] Homil. 43. de verbo Domini. — [3] Pallavic. to. II. l. XIV. c. 7. Petrus Nores in Vita Paul. IV. l. IV. Apud Ms. card. Spadæ to. CXVI. Diarium Pauli IV apud eumdem. to. IX.

rat, non totis viribus studuerit, in gratiam Pontificis Marcum Antonium Columnam restituere. Accidit etiam, ut die quinta Januarii, cum quereretur Paulus apud cardinales sanctæ inquisitionis coram se coactos de quodam facinore detestabili ac offendiculo publico a cardinali de Monte patrato, quem etiam dignitate cardinalitia privare minitabatur, cardinalis Pacecchus suavibus verbis in cardinalis juventutem culpam rejiciens, factum excusare niteretur; quod Paulus audiens, et sacro ardore æstuans vocem extollens exclamavit: *Reformatio*, *Reformatio*. Ad quem cardinalis Pacecchus: recte quidem, sed reformatio a nobis ut exordium sumat, necessum est. Siluit Paulus, existimans, illud *nobis*, suorum nepotum personas exprimere, quasi majores excessus illo, qui in cardinale de Monte reprehendebatur, commisissent. Parietem jam ad labendum inclinatum ultima arietatatione projecit Bongianus Jansiliatius ducis Florentiæ orator, quando Pontifici retulit, quantas a cardinali Caraffa injurias pertulerit, cum inter alia clausis in faciem foribus ipsum ingressu prohibuerit, dum pro gravibus negotiis tractandis ad eum accederet[1]; quæ omnia simul congesta, et alia multa in causa fuere, ut Paulus tandem decreverit, nepotes a se removere, de quo sic Panvinus[2]:

31. *Paulus nepotes ejicit.* — « Laudem magnam omnium testimonio promeruit, cum, raro justitiæ et æquitatis exemplo, cognitis quæ fratris filii toti Ecclesiasticæ ditioni præpositi contra jus et fas ad eam diem graviter patrarant, frequenti Patrum senatu, cardinalem Caraffam a rerum cura et Bononiæ legatione submovit. Paliani ducem principis totius Ecclesiastici exercitus loci dignitate et triremium præfectura, Marchionem vero Montisbelli custodia Palatii Apostolici privavit: in eos adeo vehementi oratione frequenti senatu invectus, qua præposteros illorum mores detestatus severissime eosdem accusabat, ut cardinales quosdam animum ejus commotum sedare atque illos excusare conantes, atroci vultu aversatus, longe graviora, ni statim Urbe cederent, minaretur, et cardinalem quidem magna cum ignominia Urbe exactum apud Lavinium, reliquos vero in sua castella relegavit, omnibus demum iis, quibus ipsi aliquot magistratus mandarant, loco et dignitate pulsis, quibusdam etiam in carcerem conjectis, novos provinciarum præsides in eorum locum suffecit ».

32. Ejectis a Paulo nepotibus[3], apud quos totius Ecclesiastici status moderatio residebat, ne gubernatio detrimenta sentiret, Paulus Congregationem instituit, in qua de bono regimine ageretur. Congregationem componebant, cardinalis Scottus episcopus Tranensis, cardinalis Rosarius vicarius Pontificis in Urbe, cardinalis Consiliarius, et Camillus Ursinus, quibus omnimodam auctoritatem justitiæ et gratiæ super omnem Ecclesiasticam dominationem contulit. Quotidie, Pontificis jussu, Congregatio ista cogebatur, ejusque Epistolas cardinalis Tranensis, uti antiquior, subscribebat; et quia paucos post dies e vivis decesserunt cardinalis Rosarius, et Camillus Ursinus, huic Paulus substituit Jo. Ursinum e Gravina, et cardinali Rosario cardinalem Reomanum Gallum. Eo rerum ordine firmato, cui præerat cardinalis Neapolitanus nuncupatus, Pauli pronepos, juvenis, si anni considerentur, plusquam senex, si prudentia spectatur, gubernatio nulli detrimento subjacebat. Quomodo vero cardinalis quamvis juvenis se in gubernatione gereret, ex notula in qua ordo gubernationis describitur, apparet, quæ cum docere possit, qui ad hujusmodi gubernationem evehuntur, eam hic, ut Petrus Nores adnotatam reliquit, referemus:

« Reverendo præsuli de Casa omnia negotia status in genere.

« Episcopo Avenionensi status Ecclesiastici negotia.

« Silvestro Aldobrandino omnia fiscalia et alia criminalia, tam in Urbe quam extra.

« Causarum civilium judicibus ad id electis cognitionem reliquit, criminalia cum omni severitate tractabat; et cum de gratiis super his agebatur, ad solum Pontificem recurrendum erat. Nunquam compositionem, nisi post sententiam et spontaneam partis cessionem, admisit. Quotidie matutinis horis, quando per audientiam oratorum licebat, omnes officiales vocabat, ut sibi rationem redderent de iis, quæ hesterna die de novo audissent. Semper ob rem pecuniariam thesaurarius aderat. Si eo tempore epistolæ reddebantur, omnis tractatio suspendebatur, usque dum illæ lectæ fuissent, ut statim necessitate exigente, super iis consuleretur.

« Ministros et officiales defendebat, usquedum de eorum delicto certus esset, at de veritate oppositi delicti certus factus, non solum ab officio removebat, sed pœnis datis puniebat.

« Bis in hebdomada, vel saltem semel, res abundantiæ et munitionis audiebat, quarum cura commissa erat præsuli Vitellozzio: promptas omnibus aures præbebat, sed tali auscultabat gravitate ut omnes non honesta petentes terreret.

« Summa vigilantia epistolas recipiebat, ac scire volebat, quis eas detulisset, et unde, ne calumniis et epistolis absque nomine scribentis fidem daret.

« Ministris pro expeditionibus pecuniam recipere prohibuit. Prius serio cogitabat, quid

[1] Vid. Diar. Franc. Firmani. — [2] Panvin. in Paulo IV. — [3] Palla. to. II. l. XIV. c. 7. Petrus Nores in Vita Pauli IV, l. IV. Diarium Pauli IV, to. IX. Ms. card. Spadæ p. 20.

in Congregationibus agendum esset, ut absque inutilibus sermonibus quid esset stabiliendum, decerneretur.

« Timorem Dei, et Pontificis, et subditorum satisfactionem semper ante oculos habuit. Hæc de talibus rebus Petrus Nores.

« Tradita gubernationis supradicta forma, primum expeditæ fuere petitiones Ecclesiæ subditorum, qui, ubi primum ad eorum aures gubernationis immutatio pervenisset, per suos procuratores a gravaminibus exonerari petierunt. Pontifex ipse supplices accepit libellos, et prius petitionibus et rationibus consideratis, omnibus publice respondere voluit, quare XVIII Februarii in aula Constantini a cardinalibus multis, ac Camillo Ursino, et conservatoribus Urbis sociatus accessit. Cunctos suorum nepotum actus execratus aperte dixit, se ab illis deceptum fuisse, et gravamina, de quibus subditi querebantur, affirmavit, non solum se non consentiente, sed neque sciente imposita fuisse. Aliquibus aliqualem adhibuit moderationem, executionem aliorum suspendit, et multa abolevit. Paulus vero de Tario unus ex conservatoribus nomine agentium, Pontifici gratias egit, qui postea in templum divi Petri descendit, ab omnibus illis, qui audientiæ intererant, comitatus, feruntque ante corpora sanctorum Petri et Pauli eadem, quæ in aula locutus fuerat, repetiisse multis cum lachrymis, se deceptum fuisse ingeminans. Romani ab aliis segregati suam nuntiare causam optantes operam dederunt, ut ad privatam audientiam admitterentur. Itaque Paulum de Tario, Hieronymum de Bubalo, Hieronymum Papparonum conservatores, et Joannem Philippum Serlupium priorem, et præter istos Jacubum Matthæum, Joannem Baptistam Cecchinum, Joannem Augustinum, Marcellinum Horatium Narum, et Paulum Pichium Pontifex in cubili jacens recepit, coram cardinali Tranensi, cardinali Vicario et Camillo Ursino petierunt, ut deleret impositionem viginti pro quolibet centenario super monetas. Paulus benignas aures illis porrigens hæc verba respondit, quæ conservatores attente perceperunt, et in publicum postea ediderunt : Filii, nihil de hoc ego scio, et ne miremini, quia scelesti nepotes mei in uno nos clauserunt cubiculo, ubi solummodo ad nostras aures perveniebat, quod illis placebat ; plurima impedimenta apponentes illis publicis audientiis, quas pro pauperum sublevatione per singulos menses decreveram, et mundum, Sedem Apostolicam et Romanam everterunt. Speramus Deum et successorem nostrum eos mulctaturum, qui non solum ipsos non restituet, sed in longiores terras extorres ejiciet. Cardinalis Spoletinus Pontificiis verbis addidit, orans conservatores, ut ad se accedere vellent, quo maturius eorum petitione examinata, juxta sanctam Pontificis mentem satisfactionem in omnibus consequerentur ».

33. *In Belgio et in India plures sedes episcopales institutæ, et data cardinalibus monita.* — Cum vero Paulus labores amplius sufferre non posset annorum plenus, tres post expulsionem nepotum menses, id est, prima Maii, correptus est gravissimo morbo, quem anasarca, sive intercutem medici vocant : ac licet graviore eo morbo, ætate ad modum affecta implicitus teneretur, non tamen pastorales curas abjecit, etenim vegetus animo, licet infirmo corpore, et sacro pietatis incensus ardore, duodecima morbi læthalis die et ad confirmandam in Belgio fidem, populosque Catholicæ doctrinæ puriore et ampliore luce collustrandos, plures sedes episcopales in variis urbibus, frementibus hæreticis, atque aliis etiam improbis invidia ringentibus, condidit, de quibus hæc in Actis Consistorialibus [1] referuntur :

« Romæ die Veneris, XII mensis Maii MDLIX, fuit Consistorium. Sanctissimus Dominus noster cum mentis suæ aciem pro pastorali officio suo, et omnium Ecclesiarum sollicitudine convertisset in eam inferioris Germaniæ partem, quæ serenissimi domini Philippi Hispaniarum regis Catholici devotioni hæreditario jure subjecta est, sciens messem quidem ibi multam, operarios autem paucos, propterea quod cum ea regio antiquitus erectionis cathedralium Ecclesiarum suarum tempore sparsim etiam infrequenter admodum habitaretur, a tot jam tantisque populis et gentibus incolitur, ut pro oppidorum celeberrimorum, quibus ubique referta est, frequentia, et castellorum pagorumque multitudine, paucæ ibi sint admodum Ecclesiæ cathedrales, quo fit, ut tam pauci episcopi non ea, qua opus esset diligentia, tantam animarum multitudinem regere possint ; quod quibusdam eorum hoc etiam difficilius, quod ipsorum diœcesani linguæ idiomate institutisque differunt, et quidam eorum etiam hujusmodi privilegia habent, ut ipsos ad Sedem Apostolicam non liceat evocare, ita nec fidei, doctrinæ et pie vivendi præceptis commode instrui, nec si quid deliquerint, facile corrigi ab episcopis suis possint. Ad ipsos vero episcopos visitandos, admonendos et in officio continendos, ne una quidem in tota illa tam celebri et tam longe lateque patente regione Ecclesia est metropolitana, sed illi, quibus subjecti sunt, extra fines ipsius Philippi regis sunt, earumque archiepiscopi propter multa et varia impedimenta nulli a suffraganeis suis jam pridem visi fuerunt. Ad quæ tanta incommoda cum hoc quoque accedat, quod cum ea regio omni fere ex parte cincta et obsessa sit a populis hæreticis et schismaticis, propter assiduas

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 264.

hæreticorum insidias, dolos et fraudes, pestiferasque doctrinas, Catholica illic fides et animarum salus in maximo discrimine ac periculo versantur. His causis aliisque, quæ animum Pontificis impulerunt, adductus, precibus etiam annuere volens, tamque pio desiderio satisfacere ipsius Philippi regis, qui pro sua pietate et Catholicæ fidei studio hac de re cum sua Sanctitate, et sæpe et perquam diligenter per litteras et nuntios egit, habita, sicut rei magnitudo postulabat, cum reverendissimis DD. meis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus deliberatione matura, tam graviter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ, et animarum saluti aptissimum esse remedium duxit, si veterum Ecclesiarum in illa regione positarum diœceses commodioris regiminis causa divideret, novisque erectis cathedralibus Ecclesiis hujusmodi præficerentur episcopi, qui tum exemplo, tum verbo commissas sibi oves pascant, et proborum eorumque doctorum virorum copia muniti, idoneorumque opera ministrorum illas adversus invadentium luporum rabiem tueantur, atque defendant et custodiant, et metropolitanæ aliquot Ecclesiæ opportunis ejus regionis locis erigantur, ad quos commode adiri possit, quibus qui præfuturi sunt, suffraganeos suos in officio contineant. Ex certa igitur sua scientia de reverendissimorum dominorum meorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, et Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis honorem et sanctæ ipsius Ecclesiæ utilitatem, Cameracensem, Trajectensem, Atrebatensem et Tornacensem Ecclesias, civitates atque diœceses, a Rhemensi Coloniensique provinciis, quibus erant metropolitico jure subjectæ, ac Mechliniense, Antuerpiense, Harlemense, Daventriense, Lenuardiense, Grunningense, Migdelburgense, Buscoducense, Ruremundense, Namurcense, Audomarense, Yprense, Gandavense et Brugense, celeberrima Cameracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis et Tornacensis diœcesum oppida, sua quoque eorum diœcesi et provincia. Præterea ab Ecclesia Cameracensi, quam nuper ab omni potestate et jurisdictione Remensis archiepiscopi, cujus suffraganea erat, liberavit, eam ipsius diœcesis Cameracensis partem, quæ erat in Namurcensi et Hermensi comitatibus, ac Brabantiæ et Gueldriæ ducatibus, ditionibus ipsius Philippi regis, itemque ab Ecclesia et diœcesi Tornacensi eam partem ipsius Tornacensis diœcesis, quæ a Boesbeliæ pago et Audenardo oppido ad Oceanum vergit, ipsis pago et oppido inclusis: itemque ab Ecclesia et diœcesi Trajectensi eam partem, quæ ipsius diœcesis Trajectensis, quæ in Flandriæ comitatu erat, et insulas Zelandiæ, et totam Hollandiam aquaticam, et partem illam Hollandiæ, quæ firmior appellatur, usque ad oppidum Leydense exclusive, et Amstelodamense inclusive, et insulas Uhelant, et Texel, ac Wiringens, et totam regionem Transiselananam, ac Gruningiam, Frisiam cum magna parte ducatus Gueldriæ, quæ inferior appellatur, usque ad Narderuvicum, Shemblergensi oppido inclusive et usque ad Arnhem, et Vagemigense oppida ipsis tamen exclusis, necnon partes, quas habet ultra Walayam flumen ad ipsum Gueldriæ ducatum pertinentes, et magnam aquam Dordracensem versus Brabantiam. A dilectis autem filiis capitulo ipsius Ecclesiæ Trajectensis, seu illius mensa capitulari omnem jurisdictionem, omniaque jura episcopalia ipsius capituli, quæ habebat in regione Westfrisiæ, ab Osnaburgensi vero ac Monasteriensi provincia eas partes Osnaburgensis ac Monasteriensis ac Coloniensis et Paderbornensis diœcesum, quæ intra fines regis Philippi erant, cum omnibus et singulis earum terminis, et territoriis, ac clericis, et populis, et personis, monasteriis, ac Ecclesiis, et piis locis, ac beneficiis Ecclesiasticis cum cura et sine cura, sæcularibus, et ordinum quorumcumque regularibus; ab ipsa autem Ecclesia Morinensi ab hinc circiter septennium, mortui pastoris solatio destituta, cum partem ipsius diœcesis Morinensis, velut infra Morinensem, quæ in Artesiæ erat et Flandriæ comitatibus ditionis ipsius Philippi regis, cum ipsius terminis, territorio, castellis, pagis et locis, ac beneficiis Ecclesiasticis, cum cura et sine cura, sæcularibus, et ordinum quorumcumque regularibus, fructus, redditus, proventus, decimas, jura, emolumenta, quæ episcopus Morinensis; jura quoque, quæ archiepiscopus Rhemensis in parte diœcesis Morinensis, ac termino, territorio, castellis, pagis, et locis prædictis, seu ratione visitationis, aut quovis alio jure, et causa percipere consueverant, a mensa archiepiscopali Rhemensi, et episcopali Morinensi in perpetuum exemit, et segregavit ab omni jurisdictione Rhemensis et Coloniensis archiepiscoporum, et Cameracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis, Tornacensis, Osnaburgensis, Monasteriensis, Paderbornensis Ecclesiarum, atque a solutione decimarum et quorumvis aliorum jurium eisdem ratione jurisdictionis debitorum; ita ut posthac episcopus Morinensis jurisdictionem aliquam in partem a diœcesi separatam, et illius territorium, castella, pagos et loca, ac clerum exercere, et beneficia super hac separatione et divisione comprehensa quæcumque, quotcumque, et qualiacumque essent, quæ ad ejus collationem antea pertinebant, conferre, seu fructus, redditus ab eo in parte et diœcesi separata, terris, territorio, subventionis causa, et aut ulla qualibet ratione percipi solita, et episcopus Morinensis atque archiepiscopus Rhemensis prædicti in parte diœcesis ipsius adempta, ac terris, territorio, etc. etiam ra-

tione visitationis pertinebant, omnino liberavit.

34. « Cameracensem vero et collegiatam Sancti-Rumoldi oppidi Mechliniensis, et Trajectensem Ecclesias in metropolitanas, et Cameracensem et Trajectensem sedes in archiepiscopales, easque et ipsam Ecclesiam Sancti-Rumoldi in metropolitanorum præsidum sedes, ac provinciarum capita de eadem scientia, consilio et potestatis Apostolicæ plenitudine erexit et instituit. Ex quibus archiepiscopis nuncupandis, Cameracensis quidem pro sua diœcesi habeat viginti octo oppida cum castellis, pagis et monasteriis interjacentibus, inter spatium septuaginta duorum millium passuum Italicorum in longitudinem, septuaginta vero in latitudinem, per nuntium suum propediem a Sanctitate sua illuc mittendum limitanda; Trajectensis autem pro sua diœcesi habeat territorium Trajectense, et majoris partis Hollandiæ, magnæque partis Gueldriæ, cum dominiis de Buren, de Culemburch, de Vianen, Ermeyden, Iselstein triginta oppidorum, præter pagos in longitudinem nonaginta, in latitudinem quadraginta millium passuum similium terminanda, ut dictum est. Iisdem autem duobus, et tertio Mechliniensi nuncupandis archiepiscopis pallium et crucem, sicut mos, deferendi, reliquisque omnibus insignibus, honoribus, etc. Mechliniense autem, Antuerpiense, Harlemense, Davenense, Namurcense, Audomarense, Iprense, Gandavense, Migdelburgense, et Brugense oppida in civitates erexit : et in eis sic erectis Ecclesias Sancti-Albani Namurcensem, Sancti-Audomari ejusdem civitatis Sancti-Audomari, beatæ Mariæ Virginis Antuerpiensem, Sancti-Joannis Gandavensem, Sancti-Donatiani Brugensem, Sancti-Lebuini Daventriensem, Sancti-Joannis Evangelistæ Buscoducensem, Sancti-Spiritus Ruremundensem collegiatas, ac Sancti-Bavonis Harlemensem, Sancti-Viti Leuvardiensem, Sancti-Martini Gruningensem, parochiales, ac monasterii beatæ Mariæ Præmonstratensis ordinis Migdelburgensem, monasterii Sancti-Martini ordinis Sancti-Augustini canonicorum regularium, Iprensem sub eisdem invocationibus in cathedrales de eadem scientia et potestate erexit ». Et paulo post :

« Ecclesiis vero supra commemoratis, sic erectis de eadem scientia, etc. in perpetum concessit et assignavit pro suis diœcesibus, Namurcensi comitatum Namurcensem, et Gallicæ Brabantiæ longitudinis quadraginta, latitudinis triginta millium Italicorum passuum similium. Mechliniensi districtum septemdecim oppidorum, cum pagis interjacentibus longitudinis sexaginta novem, latitudinis triginta millium passuum similium. Antuerpiensi territorium septem oppidorum, cum pagis interjacentibus longitudinis quinquaginta sex millium, latitudinis triginta millium passuum similium. Gandavensi territorium quatuor oppidorum, cum pagis interjacentibus longitudinis quadraginta sex millium, latitudinis viginti quatuor millium passuum similium. Brugensi territorium novem oppidorum cum pagis interjacentibus, longitudinis 54 mill. latitudinis 25 mill. passuum. Iprensi territorium decem oppidorum, cum interjacentibus pagis longitudinis 42 mil. latitudinis 30 mil. passuum similium. Buscoducensi territorium decem oppidorum cum interjacentibus pagis longitudinis 50 mil. latitudinis 30 mil. passuum similium, comitatu Hornensi in ejus comprehenso. Harlemensi territorium duodecim oppidorum præter pagos interjacentes longitudinis 90 mil. latitudinis 30 mil. passuum similium. Daventriensi territorium viginti quinque oppidorum præter pagos interjacentes longitudinis 62 mil. latitudinis 46 mil. passuum similium. Leuvardiensi territorium decem oppidorum, præter pagos interjacentes longitudinis 72 mil. latitudinis 42 mil. passuum similium. Gruningensi territorium patriæ Gruningensis, et Drentiæ, insularum Bollugæ et Borchum. Migdelburgensi territorium decem oppidorum præter pagos adjacentes longitudinis 56 mil. latitudinis 33 mil. passuum similium pro sua cujusque eorum episcoporum diœcesi, sicut dictum est, assignanda, personas vero Ecclesiasticas pro clericis et laicos inhabitantes pro populis eorumdem attribuit.

35. « Præterea de eadem scientia, consilio et potestate attribuit Cameracensi metropolitanæ Ecclesiæ Atrebatensem, Tornacensem, Audomarensem et Namurcensem ; Mechliniensi vero Antuerpiensem, Gandavensem, Brugensem, Iprensem, Buscoducensem et Ruremundensem : Trajectensi autem Harlemensem, Daventriensem, Levardiensem et Migdelburgensem civitates diœcesesque prædictas, pro cujuscumque ipsarum metropolitanis provinciis esse statuit, ipsasque sic erectas cathedrales Ecclesias, eosque, qui pro tempore fuerint Cameraci, Mechliniæ et Trajecti archiepiscopi, qui suffraganei, ut membra capiti, sic eisdem archiepiscopis metropolico jure subjecti sint, et Cameracensis, Mechliniensis et Trajectensis Provincialibus, quorum singulorum causæ ad usum cujusque eorum archiepiscoporum secundum sacros canones deferant, de consilio, scientia et potestate eadem perpetuo concessit et assignavit, et quod ad archiepiscopalia, metropolitica, et provincialia jura pertinet, civitates, diœceses, cleros, et populos sæpius commemoratos eisdem præsulibus, qui pro tempore fuerint, subjecti, sicut easdem civitates, diœceses, cleros, et populos, quoad ordinariam episcopalem jurisdictionem et potestatem attinet, suis quoque ipsorum, qui pro tempore fuerint, episcopis subjectos esse decrevit ». Interjectis nonnullis : « Ecclesiasticis vectigalibus constitutis, et jure

quod nominationis vocant, Philippo regi attributo, sanxit, ut in singulis illis Ecclesiis novem essent Canonicatus, et totidem præbendæ doctorales, ut fides Catholica ab iis eruditis sacerdotibus adversus hæreticos assereretur, quibus stipendia partim ex decimis, partim ex opulentorum monasteriorum vectigalibus constituit. Ac si quæ in his controversiæ orirentur, earum dirimendarum jus Sedi Apostolicæ reservatum esset. Extat de his in tabulario Vaticano amplissimum Pauli IV Diploma ».

Ad propagandum etiam in India [1] Evangelium plures a Paulo IV episcopatus conditi fuere. Cum igitur se longiore morbo, sed læthali, languere animadverteret, palatii et Urbis custodiam Camillo Ursino commendavit; cui extincto Joannem Antonium Ursinum sublegit, utque justitia rite administraretur, tum quorumdam cardinalium, tum minorum ordinum, qui tanto muneri exercendo illi pares videbantur, Collegium instituit, qui pro se morbi incommodis afflicto, totius Ecclesiasticæ ditionis causas discuterent ac dirimerent. Ad tollendas omnes corruptelas maxime incubuerat, adeo ut etiam Lutheranorum adversus Romanam Ecclesiam latrantium ora obstrueret. Cum jam fractus morbi laboribus mortem sibi instare persentiret, cardinales ad se accersivit, rogavitque ut veniam darent, si in cogendo senatu tardior ac remissior fuisset, id affectæ valetudini ac senio adulto tribuerent, sanctissimum inquisitionis officium, quo maxime religio asseritur opprimunturque hæreticorum impii conatus ac insidiæ, enixe commendavit; hortatus etiam est, ut in creando optimo Pontifice mutua animorum consensione conspirarent, deficienteque jam voce purpuratos Patres a se dimisit, de cujus obitu hæc referunt Acta [1] Consistorialia : « Romæ die Veneris XVIII Augusti MDLIX, felicis recordationis Paulus PP. IV quadam ægritudine detentus, sicut Domino placuit, rebus fuit humanis exemptus hora XXI vel circa ». His consentit Panvinus [2] his verbis : « Decessit Paulus XV kalendas Septembris hora XXI, anno MDLIX, Pontificatus anno IV, supra mensem secundum et diem XXVII. Cadaver canonicis Sancti-Petri feretrum sustollentibus in Basilicam Vaticanam tenui pompa delatum est, et lateritio tumulo sepultum. Vacavit tunc Sedes menses quatuor et dies septem ».

36. *Mortuo Pontifice, coorta Romæ seditio, et pactiones in conclavi sancitæ a cardinalibus.* — Dum extremis (1) adhuc viribus colluctaretur Paulus cum morte, erupit popularis furor, qui plurimorum animis conceptus diu pressus metu fuerat, quod censuram fidei acerbissimam exercuisset ob funestissimam eorum temporum sortem et nonnullos insontes iniquis suspicionibus oppressisset, dum nimium patulas aures delatoribus præberet, de qua seditione hæc Firmanus [3] narrat : « XVIII Augusti agente in extremis Paulo IV coorta seditio, fracti carceres, inquisitionis domus expoliata facto impetu, partimque combusta, concursumque ad conventum Sanctæ-Mariæ super Minervam, atque ad delendum flammis cœnobium paratæ faces, sed auctoritate Juliani Cæsarini populi signiferi compressi seditiosi ». Irrupere etiam seditiosi in Capitolium, ac statuam Pauli e Pario marmore eximio artis lenocinio sculptam violarunt, præciso impie capite, quod omni contumeliarum genere dehonestarunt, perque Urbem raptarunt, demumque in Tyberim projecerunt, publico etiam edicto omnia Caraffarum insignia deleta, lace-

[1] Panvin. in Vit. Paul. IV.

[1] Act. Consist. Ms. Vatic. — [2] Panvin. ibid. — [3] Ms. Tat. to. II.

(1) Paulus Papa IV hoc anno brevem Pontificatus sui cursum confecit, die XV kal. Septembris. Hujus viri indoles ad severitatem et pietatem maxime composita hominem reddidit, in privata quidem fortuna omnium opinione sanctum, in principatu vero quorumdam judicio difficilem, inquietum, suspiciosum, temerarium, audacem, dignum tandem Pontificatu antequam obtinuisset, postquam obtinuit, indignum. Sed optimus Pontifex laude cur fraudetur nihil est; cum multa sint et magna quæ dedit sanctimoniæ specimina; liberalis ad stuporem, castus ad exemplum, temperans ad miraculum. Ejus fides et religio omnium tunc, et modo etiam posterorum oculos ad se convertunt. Quantum enim pro fidei Catholicæ puritate asserenda egerit, fusissime exponit Silos in histor. Cleric. regular. Theat. lib. X. Primus hæreticis et perniciosis libris e fidelium manibus excutiendis non Constitutione tantummodo quam Julius III ejus suasu ante ediderat, sed et Indice ejusmodi librorum vulgato providit. Dein eo primum auctore, dum cardinalis ageret, Inquisitionis tribunal Romæ constitutum est; mox Pontifex renuntiatus fidei propugnaculum istud, ut alibi pariter constitueretur adnisus est. Pro fide asserenda in Anglia, Scotia, Germania, Italia, Hispania, quam multas litteras, Constitutiones, leges, labores tulerit, ediderit, sanciverit, ex Annalibus discere licet. Apud magnos principes cum de rebus fidei, religionis et juribus Apostolicæ Sedis ageretur, semper pro imperio egit; nihil eorum auctoritatem, nihil minas veritus. Publica fidei professio, quam nunc usque concipiunt episcopi, ab eo primum auctore instituta est, quin ut in eam jurarent verbi Dei præcones, et qui sacras exomologeses excipiunt, edita Constitutione sanciendum statuerat, quod ejus consilium dein S. Pius V executioni mandavit. Qui vero tantum studii fidei adstruendæ impendit, non minori pietatis ardore Dei cultui promovendo incubuit. Nam templorum nitore et cultu delectatus est maxime; cujus rei exempla suppeditat Silos in Hist. Cleric. Regular. lib. X. Canonicas preces clericis quotidiano pensu indictas reformandas instituit, sed non absolvit. Verbi Dei præconem, qui in sacello Apostolico sacras conciones, Pontifice interdum clam auscultante, haberet, primus destinavit. Ritus in sacris Pontificiis servandos plerosque reformavit. Pontificalia indumenta veterem in formam restituit. Reliqua apud eumdem Silos fusius exposita legas.

Sacras litteras coluisse Paulum testis est scripta ab eo lucubratio de Justificatione adversus hæreticos, quam in Ms. Codice servari affirmat idem Silos lib. I. Alia ejus scripta extant in bibliotheca Pontificia Ludovici Jacob. Facundia præsertim valuit singulari, quam Stanislaus Hosius, vir sine controversia doctissimus, hoc singulari elogio mactavit : *Audivimus Christianum Ciceronem*.

Cum Sedes Pontificia mensibus quatuor, diebus septem vacasset, inter varias cardinalium concertationes, tandem, opera potissimum Alfonsi et Caroli Caraffæ cardinalium, in Joannem Angelum Medicæum Mediolanensem conventum est. Novus Pontifex qua die renuntiatus fuerit, quave Pontificia corona decoratus ex Annalibus discere licet. In annis Pontificatus supputandis a die acceptæ Pontificiæ coronæ epocham incepit, ut constat ex litteris ejusdem Pontificis recitatis ab annalista anno MDLXI, num. 21, in quibus diem ultimam Decembris cum anno secundo Pontificatus illigat; quod aliter constare non posset, nisi annos Pontificatus a die VI Januarii anni MDLX, quo Pontificiam coronam accepit, exordiretur.

MANSI.

rata atque excisa. Non hæc dedecori versa sunt a piis, sed gloriæ, cum flagrantissimo religionis asserendæ studio severitatem exercuisset.

Cum deflagrasset ille popularis furor, qui a prudentibus civibus et a cardinalibus castigandus videbatur, admissi criminis ardente conscientia Romanus populus sibi timere cœpit, ac vehementer angi, utque suæ consuleret saluti, die vigesima tertia Augusti coacto Capitolino senatu Urbis barones, qui antea diffugerant, revocavit, ut de fœdere inter se sanciendo agerent. Inter eos Marcus Antonius Columna respondit, fœderi circa jam patrata indigna facinora se nolle consensum præstare, cum ipso inscio acta fuissent, se tamen populo in iis, quæ in posterum accidere possent, defendendo non defuturum.

37. Pacata Urbe, comitia pro creando novo Pontifice habituri cardinales judicarunt cardinalem Moronum ex Arcis Adrianæ custodia, in qua ob affictam hæreseos suspicionem innocens detinebatur Pauli imperio, ut pro futuri Pontificis electione suffragium conferret, cum decretoria sententia damnatus nunquam fuisset, educendum : itaque inclusi conclavi cardinales, pro Christiana re constituenda firmandaque, nonnullas inter se pactiones [1] sanxere, quarum hæc fuere præcipua capita, ad quæ cardinales, vacuo sacrosancto solio, sacramento nuncupato se obstrinxere :

« Polliciti in primis singuli, si Pontificatum adipiscerentur, conjunctionem pacemque inter principes Christianos se promoturos, Concilii Œcumenici opera, atque aliis rationibus licitis hæreses et alias corruptelas ex imperio Christiano excisuros. Daturos operam, ut in Ecclesia universali et in curia Romana disciplina morum instauretur : curiam extra Romam non translatum iri, nec de loco in locum, nec e provincia in provinciam : non creatum iri cardinales, nisi ætatem Ordinibus exercendis idoneam ex sacris canonibus fuerint adepti, ac vitæ probitate, morumque puritate, ac fama, et eruditione fulgeant : ne duo fratres simul cardinalatum gerant, promovendique octiduo ante denuntientur in cardinalium senatu, nec ullos cardinales in arcano mentis creandos sibi reservent.

« Testari possint cardinales de sacerdotiorum vectigalibus. Qui sex millia aureorum annua non habent, ducentos aureos in singulos menses ex ærario Pontificio percipiant, donec sacerdotia idonea sint nacti. Decimarum, et cujusvis tributi ac census immunitate gaudeant cardinales.

« Ne judicio postulentur, nisi in crimine hæresis, vel schismatis, vel læsæ majestatis, ac tunc in secreto consistorio per cardinales deputatos cognoscatur causa.

« Ne urbes, oppida, bona ac jura Ecclesiæ Romanæ, vel permutationis, aut præmii, vel compensationis, vel præfecturæ titulo, vel utilitatis, aut necessitatis specie alienentur, aut fiduciario jure tradantur, licet alias tradita forent, nec in longum tempus locentur, ultra vitam Pontificis, et sine consensu omnium cardinalium, exceptis fiduciariis bonis consuetis, quæ nullam habent juris dicendi annexam potestatem ; ac penitus res sit irrita, si pertentetur, et si quis cardinalium assenserit, infamiæ nota inustus habeatur, creatusque Pontifex labente a suscepta tiara octiduo, Diploma de his confectum promulget.

« Ut crimina vacuo solio, vel Romæ, vel alibi admissa acerbius castigentur, nec ad veniam Pontifex se flecti patiatur, eaque de re Constitutio edatur.

« Ne Pontifex Christianorum principum bellis se implicet, vel armorum fœdera cum aliquo adversus alium coeat, sed se communem omnibus parentem exhibeat, ni urgens causa a majori cardinalium parte comprobata id exigeret.

« Det operam, ut Basilica Sancti-Petri ad coronidem perducatur.

PIUS IV.

38. *Creatio Pii IV, qui promissa in conclavi firmat.* — His ab omnibus sacramento confirmatis, postquam Sedes vacasset supra quatuor menses, cardinales, collatis suffragiis ac summo consensu Pontificem crearunt Jo. Angelum Medices cardinalem maximis virtutibus conspicuum, de quo Acta Consistorialia [1] numeratis a Nativitate annis hæc referunt :

« Romæ apud S. Petrum, etc. Conclavi hoc de more confecto die Lunæ xxv mensis Decembris MDLIX, a Nativitate Domini, hora septima noctis vel circa, fuit a reverendissimis DD. sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus electus et assumptus in summum Pontificem reverendissimus Joannes Angelus tit. Sanctæ Priscæ presbyter cardinalis de Mediceis nuncupatus, qui nuncupari voluit Pius IV, et die Martis sequentis, cum decantationibus solitis fuit deductus ad Basilicam Sancti-Petri, et deinde solitis cæremoniis et solemnitatibus ibidem peractis, reductus ad cameras Pontificales, parte reverendissimorum cardinalium illum comitante, aliis vero habita licentia a Sanctitate sua in porticu dictæ Basilicæ, ad domos suas revertentibus.

« Die vero Epiphaniæ Domini Nostri Jesu Christi debitis præcedentibus cæremoniis, solemnitatibus, et paramentis ad quoddam theatrum super scalas Basilicæ Sancti-Petri para-

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXVII. p. 33.

[1] Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 273.

tum adductus, ibidem fuit triplici diademate coronatus ».

Post electionem continuo [1] cardinalis Caraffa genibus flexis novum Pontificem oravit, ut injurias contra suam domum et inquisitionis Tribunal patratas condonare vellet. Pontifex initio tenuit, sed cum Sancti-Angeli cardinalis et alii suppliciter eadem peterent, dixit ad preces cardinalis Caraffæ se ad parcendum reis esse paratum, dummodo detrimenta, quoad possent, carceribus et personis illata compensarent. Proximo vero ineunte anno pactiones in conclavi initas subjecto firmavit Diplomate [2] :

« Ad futuram rei memoriam.

« Decet Romanum Pontificem Domini nostri Jesu Christi in terris vicarium ea, quæ et antequam ad summi Apostolatus apicem assumptus esset, inter ipsum et alios Sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales pro bono pacis et felici regimine ipsius Romanæ Ecclesiæ et status Ecclesiastici maturo consilio ordinata et promissa existunt, semper rata habere, et illis, quo firmius subsistant, Apostolici muniminis robur adjicere. Cum itaque nos tunc in minoribus constituti, et Sanctæ-Priscæ tituli presbyter cardinalis, de Medices nuncupatus, Sede Apostolica vacante, in conclavi, in quo, divina favente clementia, ad sublimis Apostolatus apicem assumpti fuimus, una cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus in conclavi pro electione futuri Romani Pontificis celebranda interessentibus, certa capitula inter nos et ipsos fratres maturo consilio facta subscripserimus, et postmodum ad hujusmodi Apostolatus apicem, meritis licet imparibus, per eosdem fratres electi, capitula ipsa, prout illa in minoribus constituti promiseramus subscribendo, pure, et simpliciter, ac bona fide ad litteram observare et adimplere solemni voto promiserimus et juraverimus, et ita illa omnia ad unguem observare intendamus. Idcirco in primis promittimus et juramus, quod omnibus viribus nostris conabimur et curabimus inter principes Christianos conservare unitatem et pacem, et procurabimus omni studio et diligentia, ut tam per generale Concilium, quam aliis viis omnibus licitis imo etiam hoc nostro tempore necessariis extirpentur hæreses et alii abusus, qui jamdiu in Ecclesiam et rempublicam Christianam irrepserunt, ac curabimus et cum effectu faciemus, quod universalis Ecclesia et Romana curia reformentur, incipiendo ob clamorem universalem a tribunalibus Urbis, ipsamque curiam non transferemus extra almam Urbem nostram, nec de loco ad locum, nec de provincia ad provinciam. Non etiam assumemus cardinales, nisi constitutos in ætate sacrorum ordinum juxta dispositionem sacrorum canonum, ac viros bonæ vitæ, conversationis et famæ, ac litterarum scientia et bonis moribus præditos, servabimusque omnino decretum piæ memoriæ Julii papæ III et prædecessoris nostri in sacro consistorio editum de duobus fratribus germanis ad cardinalatus honorem non assumendis, ita ut eodem tempore nullo modo in eodem collegio esse possint : et insuper juxta antiquam et laudabilem consuetudinem, promotionem faciendam saltem per octo dies ante eisdem cardinalibus in consistorio, tunc præsentibus denuntiare, et cardinales creandos in ipsa creatione publicare, nec quemcumque eorum in pectore reservare, aut aliquo alio exquisito modo secretum, etiam ad breve tempus, tenere debeamus ». Nonnullis interjectis, quæ ad cardinalitiæ dignitatis commodum amplificationemque spopondit, hæc adduntur : « Et ad coercendam scelestorum hominum audaciam, quæ occasione Sedis Apostolicæ vacantis ad perpetranda homicidia et alia facinora in alma Urbe ac aliis civitatibus et terris eidem Romanæ Ecclesiæ immediate subjectis sub spe facilioris veniæ abuti non verentur, curabimus et cum effectu faciemus, quod excessus hujusmodi Sede vacante commissi, et forsan, quod absit, committendi, longe acrius et severius etiam ad instar criminis assassinii et læsæ majestatis puniantur, nosque in illis remittendis inexorabiles et omnino implacabiles reddemus, ut aliquando tantis abusibus finis imponatur ». Et mox : « quodque nullo pacto bellum geremus adversus principes Christianos, aut cum aliquo ipsorum contra alium fœdus inibimus, aut ligam faciemus, sed nos communem patrem et æqualem omnibus exhibebimus, nisi ex juxta et urgenti causa, quæ a majori parte eorumdem cardinalium in consistorio secreto, et per modum secretum probata fuerit.

« Necnon contra personas eorumdem cardilium quacumque de causa, nisi in casibus hæresis, schismatis, aut læsæ majestatis in primo capite , et tunc nonnisi præcedente legitima causæ cognitione, ac processu coram eisdem cardinalibus ad idem de duarum partium aliorum cardinalium præsentium consensu per modum secretum præstito, deputandis non procedi faciemus, quoscumque processus contra formam similis capituli in præcedenti conclavi editi, et Bullæ illius confirmatione factos, nullos et irritos declarando.

« Præterea civitates, terras et loca aut bona vel jura ejusdem Romanæ Ecclesiæ, etiam ex causa permutationis, et cum recompensa, aut pro evidenti utilitate, vel necessitate, etsi alienari vel infeudari consueverint, non alienabimus vel infeudabimus, aut ad longum tempus locabimus, vel pignori trademus, seu in gubernium aut alio titulo ultra vitam nostram conce-

[1] Pallav. to. II. l. IV. c. 10. num. 8. — [2] Paul. IV. lib. divers. brev. sig. 2903. p. 93.

demus, etiam omnibus cardinalibus præfatis consentientibus, nisi possessiones et fundos jurisdictionem non habentes, qui a longissimo, hoc est triginta vel quadraginta annorum tempore citra alienari vel infeudari consueverint, et illa, quæ de cætero ob lineam finitam, aut alias legitime devolventur : et si aliter factum fuerit, id sit nullius roboris vel momenti, et quandocumque retractari possit et debeat. Et si quis eorumdem cardinalium, quod absit, ad id consenserit, non solum perjurus, sed infamis infamia juris et facti perpetuo existat, teneanturque dicti cardinales promovendi ante receptionem pilei jurare, præmissis consensum non adhibere, et post coronationem nostram infra decem dies Bullam seu constitutionem edere, et publicari facere, ac quod nullo modo impediemus optiones titulorum et sex episcopatuum ad ipsos cardinales spectantium, sed antiquam et laudabilem consuetudinem optandi juxta prioritatem eorumdem cardinalium præsentium servabimus et servari faciemus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLIX, pridie idus Januarii, Pontificatus nostri anno I ».

39. *Pii IV patria, familia et virtutes.* — Quoad primitias Pii IV attinet, fuit patria Mediolanensis, nam Medicea familia, quæ opibus et dignitate florentissima principatum Florentiæ gerit, civilibus turbis profuga Mediolanum ex parte concesserat, atque in ea urbe in nobilissimum hoc germen effloruerat, quod datum orbi ad gerendas res maximas prodigio ostensum est : « Vagienti », inquit Panvinus [1], « adhuc in cunis prodigiosa res accidit, summi alicujus principatus haud dubie prænuntia. Flamma repente cubiculum, in quo cubabat, de nocte illustrans, errabunda diu per omnes cubiculi partes circumvagata, ipsam ad postremum extinctam jamdudum lucernam, mirante metuenteque nutrice sponte accendit », quod non modo ob Pontificatum illi divinitus destinatum, sed etiam ob Concilium Tridentinum ab eo absolutum, discussasque hæreseon tenebras, promotumque sanctum Carolum Borromæum nepotem, qui magnum Ecclesiæ lumen futurus erat, contigisse putandum est. De suscepto vero ab eo Pontificatu hæc narrat Panvinus : « Paulo IV vita functo post diuturnam, quatuor videlicet mensium, discordibus comitiis, Pontificatus vacationem, tandem ex presbytero cardinale tit. Sanctæ-Priscæ ipse omnium potissime electus est Romanus Pontifex, qui sua humanitate et clementia superiorum annorum acerbitatem leniret, afflictamque non modo Urbem Romam, sed pæne universam Italiam recrearet, quam spem confirmare omnino et augere visus est Pii nomine sibi indito. Pontifex autem Maximus creatus est die, quæ natalitium Servatoris nostri Jesu Christi insecuta est anno MDLIX ».

40. Delatum illi Pontificatum ob eximia ornamenta virtutum censet Panvinus, qui fuse illius primitias prosequitur, ac gesta munera ab eo recenset, atque inter ea gestam quæsturam (quam commissariatum vocant) bis in Pontificio exercitu in Hungaria contra Turcas, semel in Germania contra Lutheranos in subsidium Caroli Quinti Cæsaris, utque in cardinalatu doctorum virorum consuetudine delectaretur, ut ejus mensa quoddam gymnasium esse videretur : tum de ejus pia in pauperes liberalitate ac morum suavitate hæc addit : « Miti ac prono ad misericordiam ingenio, tum ex consuetudine ac sermone, tum ex rebus quas gessit, semper habitus est, nam præter occultas largitiones, publice etiam quotidie omnibus inopia laborantibus, et ostiatim victum quærentibus tantum ad sublevandas eorum miserias distribuebat, quantum pro diurno victu satis esse posset, ex quo Pater pauperum vulgo vocari cœpit; sed tum præcipue, cum Urbe Tyberis inundatione sub Paulo IV fame vexata quidquid in horreis ad familiæ suæ in annuum usum condiderat, liberaliter ad egenæ plebis sustentationem primis mensibus deprompsit. Cum fraternam hæreditatem adiisset, veritus ne fratris causa, qui variis præfuerat bellis, aliqui jacturam bonorum suorum fecissent, reditum annuum aureorum mille, et ex fraterno censu magnæ Mediolanensium domui pauperum hospitali assignavit, ut inde prius sarcirentur damna his, quorum revera direpta esse bona constaret, deinde pauperes infirmi alerentur, qui etiam propria et opulentiora sacerdotia trium plus minus aureorum millium reditus eidem hospitali assignavit. In amicos liberalis, omnibus comis et perhumanus, justitiæ cultor, et nefariorum hominum hostis acerrimus, in ea civitate, quæ mores hominum diligenter examinare solet, omnium consensu existimatus est, quarum haud dubie virtutum opinione gradum sibi ad maximum sacerdotium fecit ».

41. Primis ab accepta Pontificia dignitate diebus Pius reges de re tota certiores fecit, utque ob funestam conditionem temporum, quibus tot hæreses inhorruerant, tot principes ac populi ab obsequio Sedis Apostolicæ defecerant, impar viribus munus subire formidarit, divini tamen subsidii spe ac fide confirmatus ad quosvis ferendos labores pro divina gloria propaganda, promovendaque animarum salute se compararit. Extant ejus litteræ ad Philippum Hispaniarum regem conscriptæ, quibus se maximam in flagrantissimo illius pro asserenda religione studio spem collocasse profitetur.

Necnon aliæ ad Priulum ducem Venetorum, quibus significat se optimas spes de re Catholica concepisse, cum inter reges Catholi-

[1] Bernard. Corius. Panvin. in ejus Vita.

cos maxima concordia efflorescat, compositisque bellis illos adversus hæreticos conjungi posse, tum singularem fiduciam in senatus Veneti pietate et virtute a se positam significavit.

42. *Electio Ferdinandi I a Pontifice confirmatur.* — Eodem die coactus est solemnis cardinalium senatus, in quo actum est de electione Ferdinandi regis pro moderando Romanorum imperio confirmanda, cumque, sublato e vivis Carolo V, sublatæ quoque essent difficultates, quas Paulus IV objecerat, non potuisse illum jure abdicare se imperio, rescisso sacramento Pontifici nuncupato cum imperiali corona fuerat redimitus, Pius IV, consultis prius cardinalibus, re magna consilii maturitate discussa, Ferdinandum legibus creatum imperatorem pronuntiavit, cum pro Germaniæ componendis rebus, pro fide Catholica adversus hæreticorum impetus propugnanda, pro Turcarum propulsanda tyrannide nullus aptior princeps evehi ad imperium potuisset : moxque concitatissimo equorum per intervalla dispositorum cursu, rei fama ad Ferdinandum delata est.

PII IV ANNUS 1. — CHRISTI 1560.

1. *Pius IV thiara Pontificia redimitur, et a Ferdinando imperatore litteras gratulatorias et obsequii plenas recipit.* — Anno Virginei partus millesimo quingentesimo supra sexagesimum, Indictione tertia, Pius IV Epiphaniæ die festo, Pontificia thiara solemni ritu redimitus est, de quo hæc Onuphrius Panvinus [1] : « Meruit unus, quod non temere alii uni evenisse constat, ut tribus celebrioribus anni totius, Paschatis festivitatibus, nasceretur, et Pontifex crearetur, ac supremæ demum caperet insignia dignitatis ».

In primo cardinalium senatu ab eo indicto concepta pia consilia de fidei puritate incorrupta servanda, de morum sanctitate restituenda, de pace alenda, de justitia integre administranda, levandaque annona explicavit, ut referunt Acta Consistorialia.

2. Ferdinandus allato sibi nuntio, Pium IV novum Pontificem exeunte superiore anno ipsius electionem in imperatorem post Caroli V renuntiationem approbasse, statim Epistolas plenas actionis gratiarum Pontifici scripsit, quæ in Consistorio lectæ fuerunt, ut Acta Consistorialia [2] referunt. « Romæ die Mercurii, ultima mensis Januarii MDLX, lectæ fuerunt litteræ serenissimi domini Ferdinandi imperatoris electi, gratulatur suæ Sanctitati de illius electione in Pontificem, et offerebat se obsequentissimum huic Sedi.

« Beatissimo in Christo patri et domino Pio Quarto, divina providentia sacrosanctæ universalis Ecclesiæ summo Pontifici, domino reverendissimo.

« Beatissime in Christo pater et domine, domine reverendissime. Post humilem commendationem fidelis observantiæ nostræ et continuum incrementum. Si unquam alias, his certe proximis diebus gratissimum nobis nuntium allatum est, quando nimirum (quod felix ac faustum sit toti Christianæ reipublicæ) intelleximus, Sanctitatem vestram, reverendissimorum dominorum cardinalium unanimi consensu, Spiritus sancti gratia cooperante, ad fastigium summi Pontificatus, et supremam sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ curam atque administrationem electam et susceptam esse. Nam præterquam quod hæc lætitia sit et esse debeat publica, et communis omnibus Christianis, et præsertim iis, qui afflictæ religionis et omnium rerumpublicarum statui consultum cupiunt, eo quod divina benignitate talis pastor Ecclesiæ Dei obtigerit, qui præditus sit tot virtutibus, ut spes sit, ejus eximiam prudentiam, sapientiam, summamque pietatem, et præclarissimum in rem Christianam studium,

[1] Onuphrius Panvin. in ejus Vita. — [2] Ms. card. Spadæ to. 134. p. 283. Apud Bzovium to. XX. an. 1560. num. 2.

eidem reipublicæ Christianæ nonnisi maximo ornamento et commodo futurum; nobis tamen specialis causa est lætandi, propter veterem notitiam et familiaritatem, nobis a pluribus jam annis cum Sanctitate vestra intercedentem. Cui quidem tuendæ et conservandæ Sanctitas vestra nullis unquam officiis defuit. Eam vero nostram lætitiam, cum ita commota esset primo illo nuntio, ut ejus incremento vix videretur reliquus esse locus aliquis, auxerunt tamen, supra quam dici queat, litteræ consiliarii et oratoris nostri, nobilis fidelis nobis dilecti Francisci, liberi Baronis de Turri, necnon ea quæ nobis nobilis fidelis nobis dilectus Gregorius a Madrucio liber Baro coram nobis retulit, summam illam paternam benevolentiam concernentia, quam Sanctitas vestra non modo in his sermonibus, quos cum eo sæpius post auspicatissimam suam electionem conferre dignata est, verum etiam in publica sacri illius collegii reverendissimorum dominorum cardinalium congregatione erga nos palam declaravit, ubi scilicet tam amanter, tam paterne tamque sapienter negotio, et difficultati illi, quam nobis olim Sanctitatis vestræ prædecessor Paulus Quartus moverat, justum et optatum finem imponere voluit; in qua quidem re pluribus explicanda, non est quod has nostras litteras absumamus, præsertim cum id apud Sanctitatem vestram, quæ ejus est summa æquitas, supervacaneum censeamus, ut quæ causæ nostræ rationes non omnino habeat incognitas; sed tamen si Sanctitas vestra uberiorem adhuc et exactam istius negotii notitiam teneret, clarius adhuc cognosceret, quam præter omnem rationem et æquitatem, et absque omni culpa nostra diversis cavillationibus onerati et traducti fuerimus, quibus jam tandem impositum esse justum finem merito Sanctitatis vestræ, cum optimæ et paternæ erga nos voluntati, tum eximiæ integritati ac justitiæ acceptum ferimus. Porro licet hoc triduo vel quatriduo hinc profecturus sit solemnis noster orator, cui munus Sanctitati vestræ nomine nostro, qua par est submissione, congratulandi, debitumque solitum reverentiæ ac devotionis officium, more dominorum prædecessorum nostrorum, electorum Romanorum imperatorum præstandi imposuimus, tamen cum is non possit illuc pervenire tam brevi quam nos vellemus, equidem teneri non potuimus, quin hasce litteras nostras præmitteremus, quin saltem possit quadamtenus satisfieri ardentissimo nostro desiderio Sanctitati vestræ animi candorem quamprimum contestandi. Quamobrem non modo Sanctitati vestræ ex animo et obsequenter congratulamur, sed etiam pro ista mirificæ in nos paternæ et piæ voluntatis suæ demonstratione, quas possumus, maximas agimus et habemus gratias, eidem Sanctitati vestræ ingenue pollicentes, nos summo studio operam daturos, ut nunquam Sanctitas vestra ullum vel grati animi vel filialis observantiæ Sanctitati vestræ et isti Sanctæ Sedi debitæ officium in nobis requirere possit. Deum optimum Maximum summis precibus orantes, ut pia Sanctitatis vestræ consilia et instituta, ad laudem suæ divinæ majestatis, ac beneficium totius orbis convertere, eamque diu salvam et incolumem tueri ac conservare, ac prosperis rerum successibus, omnique demum felicitatis genere fortunare dignetur. De qua quidem nostra studiosissima intentione, ac filiali erga Sanctitatem vestram et sanctam Apostolicam Sedem observantia et devotione, supradictus noster orator Franciscus liber Baro de Turre Sanctitati vestræ plenius significare poterit, cui dignabitur Sanctitas vestra de his et aliis rebus cum eo humaniter tractare : interim, dum alter orator noster subsequatur, benignas aures præbere, et nos quoque loco et tempore paterne ac benevole commendatos habere. Dat. in civitate nostra Viennæ die XVI mensis Januarii anno Domini MDLX.

« Sanctitatis vestræ humilis et obsequens filius.

« FERDINANDUS ».

3. *Principes Christiani Concilium petunt a Pio.* — Ornavit verba operibus imperator; comitem Arcus ad solitam obedientiam præstandam Pontifici misit [1], qui cum huic muneri jam satisfecisset, nomine ipsius imperatoris petiit a Pontifice, ut Concilium, unicum tantarum infirmitatum remedium, congregare vellet, et non multum ad persuadendum laboris insumpsit, cum jam Pius de eo indicendo cogitaret; quapropter cum episcopum Tarracinensem, ut suum ordinarium nuntium ad Catholicum regem misisset, illi mandavit, ut inter alia negotia, de restituendo Concilio Tridentino ageret, et ut Caraffas in gratiam cum eo adduceret, de restituendo Palliano firmandaque concordia sermonem inferret. Prima Aprilis die nuntius admissus fuit ad præsentiam regis, cui ostendit, quantum sua Sanctitas in ejus auxiliis, quod Christianorum potentissimus esset princeps, fideret, ea maxime tempestate, qua tota Christi Ecclesia circumfusa ab infensissimis hostibus cernebatur, in illo propterea firmissimam spem collocaret; sed quamvis Pius cognosceret regis Catholici erga Deum et sanctam Sedem pietatem, tamen quod lapsis pluribus mensibus non modo nulla legatio, sed ne litteræ quidem ad eum pervenissent, quibus novum ipsi principatum gratularetur, jussit nuntium regi significare, ut animadverteret, ne ex hoc novatores existimarent, regem Catholicum Apostolicam Sedem contemnere. Adderet, cardinalium con-

[1] Bzovius ibid. num. 3. Palav. to. II. l. XIV. c. 2. num. 3. idem c. 13. num. 1.

gregationem Pontificem instituisse, quæ coram eo frequenter cogebatur, ad reformationem Ecclesiasticorum ante Concilium firmandam; ideoque suam majestatem orare, ut auxilia et consilia ad tam arduam rem perficiendam præstaret; et quia cameræ Apostolicæ propter hoc multi sumptus instarent, et ærarium vacuum ob præterita bella esset, regiam deprecabatur majestatem, ut omni favore muniret Pontificios quæstores. Hoc suam Sanctitatem eo liberius exigere, quo libentius et amantius Cruciatæ Bullam non requisitus suæ majestati miserat, et Ferdinandum patruum in imperatorem recognoverat.

Hispaniæ rex multis officiorum verbis dilationem debitæ reverentiæ excusavit, jam duos menses elapsos ab electione in oratorem comitis de Tendilia ad suam Sanctitatem, ut ei debitam regio nomine deferret obedientiam, executionem vero dilatam fuisse, ob oratoris infirmam valetudinem: et certiorem reddidit nuntium, nunquam se majori gaudio perfusum fuisse, quam cum audivit, eum in Pontificem electum, quod, et Epistola manu propria conscripta, et postea sui oratoris opera testatum voluit; Sanctitatis suæ pedes reverenter osculari ob beneficium Bullæ Cruciatæ contra infideles promulgatæ. Quod ad Concilium spectabat jam rex Christianissimus ipsum requisierat, ut simul cum eo apud suam Sanctitatem instaret pro celebratione Concilii; et jam multos viros doctos convocaverat Philippus, ut eorum consilium in re tam ardua audiret; post paucos autem dies nuntio respondit, se Concilii celebrationem approbare.

4. Interim novus Pontifex Pius vigilanter reformationi, aliisque gravissimis negotiis religionis, et gubernationi Pontificatus incumbebat, ut ex Actis Consistorialibus [1]. Hortatus est etiam reges atque principes, ut suam opem auctoritatemque cum eo pro asserenda religione conjungerent, quo argumento Sigismundum Poloniæ regem sollicitavit, ut præsules adversus hæreticorum vim atque insidias tueretur.

5. *Pontificis monita ad regem et episcopos Poloniæ circa hæreticos.* — Decreverat jam ad Sedem Apostolicam Sigismundus rex oratorem suum, qui hæreseos in regno suo grassationes exponeret, atque ad eas comprimendas consilium Pontificium ac opem deposceret: cum itaque regius orator Pontifici regium obsequium detulisset, atque etiam de revocanda in pristinum splendorem Ecclesiastica disciplina et cogenda Synodo verba fecisset; responsum illi est, operam restituendæ sanctitati morum adhibitum iri pro debellanda hæresi, et disciplinæ ad pristinum nitorem revocandæ, et Concilio etiam Œcumenico, si opus fuerit, celebrando se incubiturum, verum necesse fore, ut insolentia hæreticorum regia vi comprimatur.

6. Extulit quoque meritis laudibus regiam pietatem, ac de obsequio regio nomine sibi delato Sigismundum certiorem fecit; tum illi suscepta consilia de congreganda Synodo Œcumenica aperuit, significavitque internuntium Apostolicum qui Pontificia regiaque fultus auctoritate hæreticorum sectas coerceat, transmittendum; tum monuit [1], ut antequam impiorum vires confirmatæ essent, eos coerceret, ac si qui in regia familia lue hæretica essent infecti, ipsos aula pelleret:

« Charissimo in Christo filio nostro Sigismundo Augusto Poloniæ regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Dilectus filius magister Joannes Conraski notarius noster et idem orator tuus, in consistorio publico, ut mos est, tuo nomine ac mandato, nobis ac Sedi Apostolicæ obedientiam ac reverentiam debitam diligenter admodum præstitit. Fecisti, charissime fili, quod Catholicum regem, quod devotum Ecclesiæ filium decuit. Quam gratum nobis istud officium fuerit, in responso, quod tum ei publice dedimus, declaratum quidem a nobis fuit, sed tamen re ipsa id sumus libentius declaraturi. Audientes enim non sine maximo dolore, quantopere regnum tuum perturbatum sit propter crescentes quotidie hæreticorum sectas, statuimus jam eo propediem mittere nostrum et Sedis Apostolicæ nuntium, quo auctoritate nostra et tua simul, malo isti, antequam vehementius ingravescat, obvietur: universæ Ecclesiæ paci ac tranquillitati, postea Œcumenico Concilio, quod, Deo juvante, indicere ac celebrare in animo habemus, consulturi ». Et infra: « Tu quoque, charissime, parentum, et majorum tuorum, et regii officii memor, salutaribusque monitis nostris obtemperans, quantum potes (persuasum autem habemus posse te plurimum) hæreticæ pravitatis pestem in regno tuo, dum potes, reprime: hæreticis hæreticorumque fautoribus omnem aditum ad familiaritatem et ad obsequia tua interclude, imo eos e regno expelle et ejice: si quos familiares tuos semel iterumve correptos sanare non potes, illos quamvis grati tibi, quamvis accepti sint, præcepti Domini nostri memor, qui non pedi, non oculo, non manui, si nos scandalizaverint, parci vult, sed ea abscindi ac projici, eos ipse quoque, si gravius in illos statuere non sustines, saltem repelle abs te ac remove, ut vel sic confusi et debilitati animo resipiscant. Deus novit quam paterno animo hæc a nobis dicantur, et quantopere existimationem, honorem ac dignitatem tuam charam habeamus, regnique tui incolumitati ac

[1] Ubi supra p. 283.

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CXLI.

stabilitati consulere cupiamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XXII Februarii MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

7. Moniti sunt ab eodem Pontifice [1] Joannes archiepiscopus Gnesnensis, et alii Poloniæ præsules, ut in fide Catholica asserenda studia conjungerent, Sedem Apostolicam de his quæ forent necessaria, monerent :

« Religionis causa (inquiebat) tantopere regnum Poloniæ perturbatum audientes, eamque ob causam maxima sollicitudine affecti, vehementer cupimus pro nostri muneris officio opportuna adhibere remedia, quibus ingravescens in dies malum, quantum divina misericordia facultatis dederit, reprimatur : nec vero ullum, quod a nobis proficisci possit officium, abs te et reliquis fratribus requiri patiemur etc. III Martii MDLX ».

8. Ex crebris de fide disceptatis controversiis in Polonia in eam impietatem plerique nobiles sunt prolapsi, ut cuique liceret de fidei sacræ mysteriis credere, quod luberet; adversus quam impietatem necnon de hæreticorum horrendis dissidiis, atque de tueuda colendaque sanctissima religione Catholica hæc Hosius [2] episcopus Warmiensis ad Palatinum Posnaniensem scripsit :

« Martino Sboroneschi Palatino Posnaniensi.

« Postquam hanc nonnulli sunt opinionem secuti, ut putarent licere sibi credere, quidquid appareat in earum conscientia, quorsum res redacta sit, vidimus : nam et nostris temporibus eadem dicere licet, quæ suo sæculo dixit Hilarius : « Periculosum admodum atque misera-
« bile est, tot nunc fides existere, quot volunta-
« tes : et tot nobis doctrinas esse, quot mores :
« et tot causas blasphemiarum pullulare, quot
« vitia sunt : dum aut ita fides scribuntur ut
« volumus, aut ita, ut volumus, intelliguntur,
« et cum secundum unum Deum, et unum
« Dominum, et unum Baptisma, etiam fides una
« sit, excidimus ab ea fide, qua sola est : et
« dum plures fiunt, ad id ceperunt esse, ut
« nulla sit ». Dominatio vestra non procul abest a Pinczovia, ubi ante annos jam prope decem, istud Cacangelium potius, quam Evangelium cepit originem, nonne ipsi ejusdem illius scholæ magistri se mutuo vocant hæreticos? certe Stancarum parum abfuit quin flammis traderent, qui tam non major est hæreticus, quam ii qui diversum ab eo Pinczoviæ sentiunt ». Et infra : « Sic fieri necesse esse vult, non quod Ecclesia Catholica vult et docet, sed quod sibi apparet in sua conscientia credere. Apparet uni in sua conscientia, quod non debeat esse neque sacerdotium, neque sacrificium, qua ratione Deus ipse quodammodo in ordinem cogi videtur. Apparet alii falsum esse, quod Christus dixit, *Hoc est corpus meum;* sed significari tantum Corpus esse figuram vel virtutem corporis. Apparet tertio, quandoquidem dixit Christus : *Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit,* propterea parvulorum baptismum nihil valere, et eos dixit esse rebaptizandos. Apparet quarto, quandoquidem a Propheta scriptum est : *Audiam quid loquatur in me Deus;* et rursus : *Beatus vir, quem tu erudieris, Domine;* quin et ipse Christus docuerit : *Nolite plures fieri magistri, quoniam unus est magister vester in Cœlis;* non esse fidendum Scripturis, multo minus autem ferendum esse externum verbi seu prædicationis ministerium, sed de Cœlo revelationes expectandas, ut ille nos doceat, qui solus est verus magister. Sed quorsum attinet enumerare singula? Si liberum erit unicuique credere, quod apparet in illius conscientia, tot erunt fides quot voluntates; nec ulla est certior et celerior ad interitum via, quam ut quod vult, cuique credere, quod vult, facere cuique liberum sit; ibi enim nullus jam videtur esse magistratus, nulla legitima potestas, etc. Datum Viennæ, MDLX ».

9. In Hungaria nobiles aliqui viri impio tumidi fastu in id scelus prorupere, ut sacerdotes ad utramque speciem sibi porrigendam adigerent, cumque ex impuris sacerdotum moribus offendiculum grave populus pateretur, ad hæc mala tollenda incumbentem Strigoniensem archiepiscopum hortatus est Pontifex, ut constantiam in cœptis egregiis explicaret.

In Moravia exorta est secta quæ, ut retulit hoc anno Warmiensis episcopus ad cardinalem Moronum « Christum Deum esse negat, Baptismum dæmonum esse præstigias, Trinitatis vero nomen inane, re prorsus vacuum esse docet : habetque applausus multos non modo ex vulgo, verum et ex equestri ordine ».

10. *Lutherani et inter se, et ab aliis hæreticis dissident.* — In Germania Lutherani in varias factiones dissecti generalem Synodum omnium Augustanam confessionem profitentium cogere meditati sunt, ac Ienenses pseudotheologi supplicem libellum principibus porrexere, ut ad id opem auctoritatemque conferrent, in qua soli Lutherani congregati Sacramentarios et alios adversantes damnare possint; in quo advertenda est horum insania, qui cum Concilia Œcumenica respuant, in conciliabulis suis decreta edere audeant, quibus plebeculam ipsorum deliramentis fascinatam constrictam velint. Discussit vero divina providentia horum tenebrionum malesana consilia, ut nunquam novatores expetitam ab iis eam Synodum cogere potuerint, imo mutuis dissidiis confusi se contrariis anathematismis defixerint : in ducatu enim Wit-

[1] Pius IV. Ep. CVIII. Joanni archiep. Gnesn. — [2] Stanisl. Hosius ep. Warmien. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. 3222, p. 27.

tembergensi Brentius superintendens adversus Sacramentarios edictum promulgavit, at in Palatinatu Brentius et cum eo Lutherus ab Heidelbergensibus damnati fuere, ut refert Surius[1] his verbis : « Non ita pridem superintendentes Heidelbergenses hujusmodi decretum promulgarunt : Lutheri et Brentii Catechismi extra Ecclesiam ejiciantur et eorum scripta nullam habeant auctoritatem. Ecce ut ille Pontificiæ auctoritatis impotentissimus exagitator et eversor, jam a suis plane rejicitur et profligatur : idem eveniet omnibus aliis Turris Babylonicæ structoribus ».

Certarunt etiam contrariis libris : nam Tilmannus Heshusius, Ienæ contra Sacramentarios librum typis excudit, in quo queritur, Zuinglii et Calvini errorem late diffusum, ac dogma Lutheranum et Scripturis et Patribus adstruere conatus est, at contra Zuingliani suum ex iisdem probare moliuntur, Basileæ enim prodiit Joannis e Lashe nomine liber præfixa hac inscriptione : « Responsio ad virulentam ac mendaciis confarcinatam Joachimi Westphali Epistolam quamdam qua purgationem Ecclesiarum peregrinarum Francofurti convellere conatur, etc. » Perspicue ex iis antilogiis patet, ad veram Ecclesiam Catholicam, quæ ex Apostolo columna est et firmamentum veritatis, confugiendum.

11. *Hortatur Pius Germaniæ episcopos ut cleri mores a luxuria et avaritia deturbent.* — Ad hos et alios novatores aberrantes a veritatis via, ruentesque in æternæ mortis præcipitia, ad veritatis et Ecclesiæ castra revocandos Pontifex suscepta consilia celebrandæ Œcumenicæ Synodi promovit, de quibus Moguntinum archiepiscopum certiorem fecit, monuitque ut cleri suæ provinciæ mores Ecclesiastica disciplina castigaret, daretque operam, ut Sacramenta, qua par erat diligentia, puritate ac religione administrarentur.

12. Conceptæ sunt iisdem sententiis[2] aliæ litteræ ad Joannem Gebhardum designatum archiepiscopum Coloniensem, ac Joannem archipræsulem Treverensem, necnon ad Theodoricum Wormatiensem electum Mindensem, Julium Nunburgensem episcopos, quos expoliendis cleri moribus, atque ad sanctioris vitæ formam revocandis dare operam jussit. Ut vero Germaniæ clerus impudicitiæ cœno inquinatior erat, ita Corsicæ clerus avaritiæ sordibus perlitus erat, quas abstergi ab Aleriensi, Adjacensi, Sagonensi, Acciensi, Marianensi episcopis imperavit adeo diligenter, ut posthac ea fœditatis nota ac suspicione non laboraret, paribusque monitis aliarum provinciarum præsules instructi fuisse videntur. Propterea Joannem Osnaburgensem episcopum, atque Sigismundum electum Magdeburgensem archiepiscopum ad reliquias gregis ab insidiis hæreticorum vindicandas incitavit, tum etiam Coloniensium in fidei puritate retinenda constantiam meritis laudibus ornavit, qui cum hæreticis cincti essent, flagrantissimo tamen sacro ardore religionis causam propugnabant.

[1] Sur. in Comm. — [2] Ibid. cap. 206 et 207. Ep. CCV, CCXXXVI.

13. *Pontificis ad Cæsarem amantissimæ litteræ, quibus suorum consiliorum rationem aperit.* — Explicuit in alios Germaniæ populos paternum studium Pius ; tum ad constituendas imperii res, Ferdinandi electionem, quam Paulus IV confirmare abnuerat, ratam ac firmam habuit, ut inferius ex Actis Consistorialibus visuri sumus, ostenduntque ad electum imperatorem subjectæ amantissimæ litteræ[1] quibus Pontificiorum consiliorum omnem rationem exposuit :

« Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Hungariæ et Bohemiæ regi illustri, electo Romanorum imperatori.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Advenientem ad nos dilectum filium nobilem virum Scipionem Comitem, Archi-Oratorem tuum, benigne, eoque quo decuit honore excepimus. Grato vero accepimus animo, cum celsitudinis tuæ litteras, quas nobis in publico Consistorio reddidit, tum officium debitum, quod ipse per eum nobis more regum et Catholicorum imperatorum omnium prædecessorum tuorum præstitisti, quod quidem, sicut pium principem et Catholicum defensorem decet, non dubitamus, te reipsa esse præstiturum omnibus in rebus, quæ, vel ad Dei obsequium sanctæque ejus fidei defensionem, vel ad nostram et S. R. E. dignitatem pertinebunt, quod sicuti de tua nobis pietate pollicemur, ita hoc de nobis serenitati tuæ persuasum esse volumus, et paterno nos animo semper dignitati, amplitudini et gloriæ tuæ consulturos, et daturos omnem operam, enixurosque ut tuæ de nobis spei et expectationi respondeamus, sicut officii nostri ratio postulat, tum in tuenda atque augenda pace atque concordia inter principes Christianos, tum in tollendis hæresibus atque dissidiis, et pristina tranquillitate ac decore Ecclesiæ Dei restituendo, tum in hortandis excitandisque regibus ac principibus Christianis, ut in impios hostes religionis nostræ arma convertant : quæ quidem omnia tanto studio curabimus ut maximum omnium, quæ a Deo accepimus, beneficiorum existimaturi sumus, si pro his rebus nobis daretur sanguinem et vitam ipsam profundere, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

14. Significavit etiam aliis litteris[2] Cæsari quantam spem in ejus virtute collocasset, illumque ad pietatem Christianam provehendam incitavit :

[1] Pius IV. to. I. brev. sign. 2897. Epr LXXXVI. — [2] Ibid. sign. 2896. Ep. LXXXVII.

« Ferdinando Hungariæ et Bohemiæ regi illustri, electo Romanorum imperatori, etc.

« Plane persuasum habemus, imo vero scimus, te sicut claræ memoriæ fratri tuo Carolo imperatori, et majoribus tuis piissimis principibus in imperio ac regnis successisti, ita tum eorum pietatis et studii in religionem Catholicam imitator semper extiteris, futurum omni tempore religionis, fideique Catholicæ, tam turbulentissimis temporibus constantissimum advocatum et defensorem, nostrorumque piorum consiliorum cum reliquis reipublicæ Christianæ partibus, tum in primis isti nobilissimæ nationi salutarium adjutorem; neque ullo loco, vel honori nostro, vel Sedis Apostolicæ dignitati, vel sanctæ matris Ecclesiæ obsequiis defuturum; qua quidem de te, charissime fili, spe explorata, certaque fiducia adducti, simul ac in hoc loco fuimus constituti, ea tibi paterni amoris nostri signa dedimus, quæ abs te in litteris ipsis animo commemorata gratissimo, jucunda tibi fuisse gaudemus, etc. III Febr. MDLX ».

15. *Maximiliano Bohemiæ regi in fide fluctuanti Pius IV Hosium mittit qui illum confirmet.* — Paribus paterni amoris officiis complexus est Pius Maximilianum regem Bohemiæ Ferdinandi filium natu maximum, qui illi de parto Pontificatu gratulatus fuerat, ac de concepto animi decreto de collocanda omni opera pro hæreticis ad salutem revocandis, abolendisque vitiis et corruptelis omnibus [1] certiorem fecit.

« Maximiliano regi Bohemiæ.

« Charissime, etc. Jucundum nobis et gratum fuit officium, quod tua nobis serenitas per litteras præstitit, ex quibus in spem venimus fore, ut de quo munere nobis gratulata est, ad idem sustinendum et recte fungendum pro tua parte nos etiam adjuves, ut principem illo patre illisque majoribus ortum decet ». Et infra : « Quod ad nos attinet, daturi omnem operam sumus pro credito nobis dispensationis officio, quantum quidem divina opitulante misericordia efficere poterimus, ut Ecclesiam Dei jam pridem diabolicis artibus turbatam, in commodiorem statum redigamus, iisque a recto itinere aberrantibus in salutis viam paterna charitate et sollicitudine reducendis, cæterisque omnibus rebus, quæ emendatione indigent, corrigendis; id nobis propositum habentes, ut Dei honori, et cum reliquarum nationum, tum in primis nobilissimæ nobisque charissimæ Germanorum gentis quieti, concordiæ salutique consulamus, etc. Dat. etc. ».

Fluctuare videbatur in fide Maximilianus rex Bohemiæ, ex quo nefaria ducis Saxoniæ persuasione impios hæreticorum libros perlegerat, quorum argutiis illusus, cum doctrina parum valeret, pæne Lutherana fraude irretitus tenebatur, ad quem in fide Catholica instruendum confirmandumque Pontifex Stanislaum Hosium Varmiensem in Polonia episcopum, Theologica eruditione controversiarumque, quæ cum hæreticis vertuntur, peritia florentissimum, misit internuntium in aula Cæsarea, qui pluribus colloquiis cum rege habitis offusas regiæ menti tenebras Catholicæ veritatis luce discussit, suorumque colloquiorum rationem Carolo Borromeo cardinali exposuit [1]. In primis explicuit ancipitem et variam, totiesque mutatam circa Eucharistiam Lutheranorum fidem, ut penitus exciderint a fide, ac suspensi, quid crederent, fluctuarint, ex quo fidem Catholicam abjecerunt, atque ex erroribus in graviores prolapsi errores, Christi divinitatem negare cœperint, Confessionemque Augustanam in pluribus articulis violarint.

16. « Borromeo cardinali.

« Cum ad regem venissem V kal. Februarii, obtuleram ei brevem quemdam Catechismum, in quo de Cœna Domini hæc illi verba legi : Cœna Domini est Sacramentum, seu divinum signaculum, quo Christus vere præsens offert ac donat pane et vino Corpus et Sanguinem suum. Hæc dixi : Vidit serenitas vestra, quod qui scripsit catechismum hunc, cum toties variare videret Confessionem Augustanam, quæ principio quidem sub speciebus panis et vini, deinde, quod *in* et *sub* pane, postremo, quæ Calvini quoque sententia est, quod *cum* pane nobis exhibetur Corpus et Sanguis Christi, nescierit in hac varietate, quam sententiam amplecteretur. Itaque omisit præpositiones omnes, ut quam lector vellet, eam adderet, sed hoc in Germanico peræque facere non potuit, ubi necessarium erat addere præpositionem, itaque scripsit his verbis : « Hoc est Cœna Domini, et « Sacramentum, et divinum signaculum, in quo « Christus vere præsens veraciter nobis Corpus « et Sanguinem suum exhibet ». Hic, dixi, cum absque præpositione rem exprimere non posset, maluit signaculum illud omittere, nimirum, ut nos Catholici dicimus, speciem panis et vini, ut aiunt Lutherani panem et vinum, et simpliciter dicit, quod exhibet nobis Corpus et Sanguinem suum, silentio præterito signo, in quo exhibet. Miratus est rex, cum hoc audivit ex me. Tum ego, audire me dixi, velle quosdam in isto conventu Numburgensi principibus omnibus Protestantibus hoc persuadere, ut quæ prima fuit confessio oblata Carolo imperatori ante triginta annos, ei subscribant omnes, nec ab ea se unquam discessuros promittant. Atqui, dixi, jam omnes isti fere principes, cum in aliis nonnullis, tum in dogmate de venerabili Sacramento Eucharistiæ, a prima illa Confessione Augustana quam longissime discesserunt, nam in

[1] Pius IV. lib. brev. sig. 2961. p. 43.

[1] Stanisl. Hosius. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3222. p. 67.

illa, dogma de Eucharistia plane fuit Catholicum, senserunt enim sub speciebus panis et vini, non autem in, sub, et cum pane et vino realiter nobis exhiberi Corpus et Sanguinem Christi ; itaque nunquam fuit verum de Eucharistia dogma a Catholicis impugnatum. Ex quo factum est, quod etiam in apologia sua Philippus articulum hunc defendendum non suscepit, cum eum refellisset nemo. Rex vero : Habeo, inquit, Confessionem Augustanam primam illam : mox adferam, et videbo quibus verbis articulus hic sit conscriptus : itaque protulit librum, et ita reperit esse scriptum, sicut a me fuerat dictum. Tum ego : Bonam spem, inquam, concipio ; non qui pacis et dilectionis, sed qui dissensionis Deus est, eum colunt, quod futura est vel hac in re magna inter eos dissensio, et non minus ipsi inter se quam nobiscum pugnabunt. Nam quod ad Eucharistiæ dogma attinet, si volunt illud amplecti juxta veram illam et germanam confessionem Augustanam, quam imperatori Carolo protulerunt, necesse est, quod cum Catholicis de eo consentiant et Lutheri sententiam rejiciant, qui dixit in pane, sub pane simul ; Calvini quoque, qui dixit cum pane Christi Corpus nobis exhiberi, quodque Catholicum est doceant, sub speciebus panis et vini id fieri, in quam sententiam, ut omnes conveniant, non credo. Nec ego credo, inquit rex, nam ex maxima parte facti sunt jam Calviniani. Hic videt, inquam, Serenitas vestra, quando semel in uno deficitur ab Ecclesia Catholica, quam postea variæ multæque discessiones consequantur. Visum est rectum, ut amplecterentur nescio quam confessionem Augustanam, nunc eo progressi sunt, ut negent esse verum quod dixit Christus : Hoc est Corpus meum. Videbit Serenitas vestra, quod non quiescent, donec huc etiam usque progrediantur, ut dicant falsum esse quod dixit Evangelista, Verbum Caro factum est, quod et in Moravia et in Hungaria prædicari non ignorat Serenitas vestra. Et certe si fas est arguere mendacii Veritatem ipsam, Christum Deum dicentem : *Hoc est Corpus meum,* non video quomodo prohiberi possit, quominus liceat etiam arguere mendacii discipulum Christi Joannem Evangelistam dicentem : *Verbum caro factum est.* Cum autem inspiceret rex confessionem Augustanam, incidit in illud quoque, in quo negant se tollere confessionem auricularem, quam esse necessariam dicunt privatam absolutionem, nisi quod nolunt homines adigi ad anxiam illam peccatorum omnium enumerationem, quam recordari non possunt, cum scriptum sit : *Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me.* Tum ego : Nec Ecclesia, inquam, adigit quemquam ut ea recenseat, quorum non potest meminisse ; verum et iste articulus apud illos jam non observatur, ut in eo quoque discessum sit a Confessione Augustana. Reperiet autem et hoc (inquam) Serenitas vestra, quod ipsi negant se Missam abolevisse, sed magna cum reverentia retinere : quæsivit locum et reperit, ac ita se rem habere cognovit. Dicunt enim se Missam non abrogasse, quin ritus illius omnes, et cerimonias retinere, nisi quod pleraque Germanica lingua dicantur ; nundinationes autem missarum prohibuisse. Et certe, inquit rex, non potest negari, quin magni fuerint abusus præsertim in illis nundinationibus. Tum ego : Quod negant se missam abrogasse, ritusque illius et ceremonias, id falsum esse multis in locis res ipsa clamat, ut verbis confutari necesse non sit : itaque et in hoc discessum est ab Augustana Confessione. Soli propemodum sunt in Germania Norimbergenses ex iis, qui discesserunt a nobis, qui ritus et ceremonias Ecclesiasticas, etiam in missa, quam celebrare putant, retinere videntur, reliqui fere omnes abrogarunt, nisi quod Marchio quoque Brandeburgensis elector adhuc retinere dicitur ; quod autem ad nundinationes attinet, utinam negari possit fuisse aliquando, sed paucorum crimen non debet Ecclesiæ præjudicii quidquam adferre, nec propter abusum bonus usus est abrogandus ». Et paulo post : « Nunc hoc, nunc illud mutandum esse putaverunt, ad extremum et sacerdotium et sacrificium abrogarunt, et ipsam etiam veritatem corporis Christi in Eucharistia negarunt : demum eo res pervenit, ut audeat insipiens in corde suo dicere, et in tectis palam prædicare ; Christus non est Deus, sancta Trinitas non est Deus, sancta Trinitas non est adoranda. Periculosa est, dixi, omnis, quacumque in re, quæ præsertim ad religionem pertinet, mutatio, quamvis ea parva videri possit, nihil autem tutius, quam credere sanctam Catholicam Ecclesiam, illi se totum subjicere et in illius traditionibus acquiescere. Visus est huic sermoni meo rex assentiri. Datum Viennæ XXIX Januar. anno MDLV.

« STANISLAUS HOSIUS,
episcopus Warmiensis ».

17. Habuit idem episcopus Warmiensis cum Maximiliano Bohemiæ rege plura alia colloquia de fidei Catholicæ controversiis, de quibus Borromeum cardinalem certiorem fecit, ac inter alia mense Septembris, cum eo de bonis operibus, quæ negant Lutherani ad salutem esse necessaria, disseruit, nefandissimamque eorum impietatem ac superbiam in regiis oculis defixit, horrenda etiam eorumdem novatorum mendacia, quibus falsa doctoribus Catholicis affingunt, confutavit, Philippique Melanctonis ad Sacramentarios inclinantis imposturas detexit [1], de quibus hæc ad Joannem Moronum cardinalem scripsit :

[1] St. episc. Warmien. Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3222. p. 435.

« Reverendissimo in Christo patri illustrissimo D. D. Joanni Morono S. R. E. cardinali, et episcopo Albanensi, D. observantissimo.

« Quid vel cum regia serenitate, vel cum regia majestate superioribus iis diebus egerim, ex iis quæ scripsi reverendissimo DD. Borromeo, cognoscet dominatio vestra. Video quod magis in Augustanam, quam in Wittembergensem Confessionem rex propendet. Itaque omnia facio, ut ei persuadere possim, quo minoris faciat etiam Confessionem Augustanam, et ei præferat Christianam. Hoc animadvertere mihi sum visus, quod incipit fluctuare, neque mediocriter commovetur istis ipsorum inter se dissidiis. Multus mihi fuit cum illo sermo de bonis operibus, quæ dixi negare Lutherum, quod sint necessaria. Respondit ille, quod neque Lutherus, neque sectatores ejus hoc negent. Ego vero : Scio, inquam ; præcise necessaria esse non negant, sed ad salutem necessaria esse negant. Ita, inquit, res est : negant ad salutem esse necessaria : Quam ergo, inquam, ad rem sunt necessaria ? Num ad condemnationem ? Si hæc est bonorum operum ratio, præstat illis esse vacuum, et omni scelerum ac flagitiorum genere coopertum. Fides, inquit ille, non potest esse absque operibus. Tum ego : Nonne fidem habent dæmones, et contremiscunt ? Qui dæmonia ejiciebant in nomine Domini, qui prophetabant, qui multas virtutes faciebant, nonne fidem habebant ? quos tamen a se discedere jubet Dominus, quod eos operarios iniquitatis esse dicat. Nonne dicit Paulus : *Si fidem habuero, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil prodest?* Qui vel unus locus perspicue satis docet, posse esse fidem sine operibus. Judicium illud extremum certum est de fidelibus futurum, non de infidelibus, nam qui non credit jam judicatus est, fidelium igitur opera discutientur in extremo judicio, num paverint esurientes, num dederint potum sitientibus, etc. quæ prosequitur Evangelista. Tum rex : Fides, inquit, vera non potest esse operibus destituta ? Ego vero : Illa fides, inquam, de qua Paulus loquitur, quod per charitatem operatur, certum est quod otiosa non est, sed est operibus exornata, et hanc ad salutem esse necessariam docet Ecclesia, quæ cum operatur per charitatem, non est sola, sicut isti docent, sed sunt illi opera conjuncta, et vocant scholastici fidem hanc formatam, de quibus et ipsis pleraque sum locutus, ac judicavi scholasticos illos, qui nunc in contemptum adducuntur, sermone quidem imperitos fuisse, non autem scientia, nam ornatum quidem et splendorem orationis non habuere, sed inter ea plus esse in uno Thoma Aquinate doctrinæ, quam in omnibus istis nostri sæculi doctoribus, qui postquam ab Ecclesia Dei discesserunt, inflati sensu carnis suæ, se solos sapere, reliquos autem omnes desipere persuasum habent.

« Legisse memini, quæ false scholasticis affingit Philippus Melancton, qui vult illis ignotum Christum fuisse, quod nihil docuerunt de fide intuente, non nostram dignitatem, sed mediatorem. » Et mox : « Nihil profert Philippus præter mera mendacia : nam cum non haberet, quod in Ecclesiæ doctrina merito posset reprehendere, finxit ipse sibi monstra, quæ impugnaret, quo magis miror, quod hujus hominis scriptis, quæ non aliunde quam ex mendaciis conflata sunt, tantum tribuatur. Nolle autem me, ut rex mihi credat, nisi contraria omnia in ipsis scholasticis doctoribus ostendero, quod suo tempore me facturum esse recepi. Hæc ego propterea contra Philippum pluribus disserui, quod mihi sum animadvertere visus, pluris a rege Philippum fieri, quam cæteros : quem ego præ cæteris insector, quoties cum rege [1] mihi sermo est, et multis argumentis, quod Sacramentarius fuerit, demonstrare conor. Dixit autem mihi rex, quod habeat librum ab Augusto Saxoniæ duce missum, in quo Philippus disertis verbis suam de Sacramento Eucharistiæ sententiam explicat, seque idem sentire quod Lutherum declarat. Ego vero dixi, mihi suspectum esse librum hunc, quod non prodierit in lucem vivo Philippo, quod multorum convitiis jam ab annis aliquot nunquam adduci potuit, ut suam de hoc Sacramento sententiam explicaret, seque ab ea suspicione, in quam venerat, quod cum Sacramentariis faceret, purgaret ; nunc demum eo mortuo proferri nescio quod scriptum sub ejus nomine, quod ego illius esse non credo. Nam etiam in colloquio Wormatiensi nullis rationibus perficere potuisse Philippi collegas, ut inter hæreticos, qui fuerant æque Lutheranorum atque Christianorum judicio damnati, Sacramentarios numeraret. Hic fere fuit cum rege sermo meus, etc. Datum Viennæ in Austria die XXV Septembris anno Domini MDLX.

« Ejusdem illustrissimæ et reverendissimæ dominationis vestræ servitor addictissimus.

« STANISLAUS, *episcopus Warmiensis* ».

18. In alio colloquio cum eodem rege inito mense Octobri Stanislaus Hosius, ostensis Lutheranorum libris, demonstravit eorumdem impiam væsaniam, qui Lutheri verba cum verbis Christi conferre auderent : demonstravit etiam cathedram Lutheri cum Petri Cathedra non comparandam, cum Petro Christus promiserit fidem ejus non defuturam, non Luthero : cumque Lutherum loco Christi habeant Lutherani, ab ejus tamen decretis discedere, nec ullam in eorum fide certitudinem reperiri, et quemque sua somnia pro divina Scriptura obtrudere ; ac si Romanum Pontificem errare posse ganniant,

[1] Maximilianus II.

multo magis de Luthero id sentiendum ; cumque novatores occinant magis Deo obediendum quam hominibus, convinci varios ab iis Deos coli, cum quisque suam opinionem, ut divinam colat : eosdem pari impudentia in Cæsarem insurrexisse ac in Pontificem, cum Carolum V ab eo proscripti proscripsere, proscriptumque a numine divulgarunt, nec minus sprevisse decretorias Cæsarei senatus sententias, quam Conciliorum, atque a Gallo Lutherano Wittembergensibus objectum, eos ab Augustana confessione defecisse, ac Philippum Melanctonem in litteris ad Palatinum se Calvinistam professum in Eucharistiæ articulo, in aliis ad Saxonem datis atque ad Maximilianum regem transmissis, Lutheranum se profiteri, ex quibus constat, perfidiam pro fide eos sectari, quæ omnia idem episcopus [1] Carolo Borromeo cardinali recensuit his verbis :

« Borromeo cardinali.

« Cum venissem ad regem, produxi libellum Nicolai Galli, quo graviter insectabatur præceptores suos Wittembergenses, et post allata ejus delira verba, quibus Lutherum commendabat tanquam novum Heliam a Deo excitatum, regi dixi, me non posse satis mirari istorum hominum audaciam et impudentiam, qui Lutheri sui doctrinam non alio loco, quam quo Christi doctrinam haberi volunt, et ejus verbum, Dei verbum vocari non dubitent : Quæ est, inquam, si non est hæc ipsissima idololatria? quoniam præceptores illorum, in nonnullis a Luthero discesserunt, magnum eos et indignum facinus patrasse queritantur, et cum ipsi in multo pluribus discesserint a Christi, et ejus corporis Ecclesiæ doctrina, non modo nihil se peccasse agnoscunt, verum etiam tanquam de præclaro aliquo facto gloriantur. Quæ vero comparatio cathedræ Lutheri cum Cathedra Petri, cum huic promiserit Deus nunquam esse defuturam fidem ejus, de illa nullum tale promissum extet? Quam præclare autem fecit Deus, ut qui discesserunt a Petri Cathedra, ac diversum ab ea sibi doceri permiserunt, ii nunc accusentur, quod et ipsi discesserint a Cathedra Lutheri, quem isti Stoici Lutherani non alio, quam quo Petrum, atque adeo Christum ipsum loco haberi volunt, et adorari. Quid autem faciat hominibus iis, qui nec Ecclesiam nec præceptores suos audire volunt? quid aliud ex eo consequi necesse est, nisi ut tot sint sectæ, quot sunt homines, dum unicuique Scripturam interpretari juxta sui cordis visionem licebit, et quod ipse senserit, id tanquam Dei verbum haberi. Inde adeo natæ sunt hæreses istæ omnes, quod a Petri Cathedra discessum est. Nil jam dicam de Zuinglianis, Anabaptistis et cæteris portentis. Etiam ipsi Lutheri discipuli, qui videntur in ejus Cathedram successisse, jam arguuntur quod non successerint in doctrinam Lutheri. Volunt errare posse papam, volunt errare posse præceptores suos, cur non autem concedere debeant, errare potuisse Lutherum quoque, cujus dogma cum tanta pertinacia defendunt? jam non ille fuit homo æque errori obnoxius ut alii » ? Et mox : « Quamobrem in hac istorum contentione nihil tutius videtur, quam Ecclesiam ducem sequi, Petrique Cathedræ conjunctum esse. Cum hoc audisset a me serenitas illius visa est non mediocriter commoveri ». Et post nonnulla :

« Iterum dixi serenitati illius, quod nulla sit hæreticis magis usitata cantilena, quam quod obedire magis oportere Deo dicunt quam hominibus. Quasi vero Lutherus Deus sit, cui necesse sit obedire. Putant se obedire Deo Adiaphoristæ, putant idem et qui insectantur eos rigidi Lutherani, neque diversum sentiunt, et Sacramentarii, et Anabaptistæ, et reliqua fæx hæreticorum. Interea tamen quisque non Deo, sed suo, aut alicujus, cujus opinionem amplectitur, capiti obedire se non obscure declarat, cum nemo Deo obediat, nisi qui Ecclesiæ, per quam Deus loquitur obedit.

« Quæsivi autem ex illius majestate num intelligeret, quod ibi scribit Gallus de lato proscriptionis decreto sub Dei titulo contra supremam potestatem ; cum non satis assequi se responderet ; memoria tenere proculdubio Serenitatem ejus dixi, quo tempore contra seditiosos quosdam principes bellum susceperat Carolus imperator, quod contra eos proscriptionis decretum tulerat : illi vero tantidem fecerunt proscriptionem Cæsaris, quanti Pontificis et episcoporum excommunicationem. Itaque scripserunt libellum quemdam, ac typis mandarunt, qui passim terebatur manibus omnium, in quo fingebant Christum pro tribunali sedentem, et sententiam proscriptionis contra Carolum imperatorem ferentem ; quem jam non imperatorem, sed Carolum a Gandavo vocabant. Sic videt, inquam, serenitas vestra, quod qui sunt novum hoc Evangelium amplexi, non magis de Pontificis, quam de Cæsaris auctoritate labefactanda vel evertenda potius consilia capiunt ; quod idem quoque in Gallia nunc fieri, ubi dicuntur ex subditis nonnulli contra regem suum arma cœpisse. Sed et in Germania quidam principes, cum sit a judicio Cameræ lata contra eos sententia, dicuntur judicatum facere nolle, quod eos judices male pronuntiasse affirmant. Nec video, si licitum est Conciliorum decreta pro nihilo habere, cur non idem liceat de judicum cameræ imperialis decretis facere, quos etsi viros graves esse et doctos libenter concedam, graviores tamen multo sunt et doctiores ac plures etiam, qui ex toto orbe Christiano ad Œcumenicum Concilium conveniunt. Ita jam,

[1] Stanisl. Hosius. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3222. p. 50.

proh dolor! eo ventum est, ut quisque sibi judicium de Scripturis, de judicum Cameræ imperialis deque Conciliorum decretis arroget, et quod suo capiti videtur, id sibi sequendum esse putet. Legi postea locum quemdem ex eodem libro, ubi Wittembergensibus crimini dat Gallus, quod Confessionem Augustanam abnegaverint, quodque diaconos suos prohibuerint, ne mentionem ejus in concione facerent : ostendi simul quibus in rebus Wittembergenses ab Augustana Confessione, sive a Lutheri doctrina discessisse dicantur ». Et infra : « Hæc et alia cum dicerem, ac declararem tum illius serenitati, audivit me patienter, neque visus est illi sermo meus ingratus accidere, etc. » Subdit Melancthonem in controversia Cænæ Domini ad Fridericum comitem Palatinum Rheni se aperte Calvini partium sequacem declarasse : in alia vero, quam Augustus Saxoniæ dux ad regem miserat, professum esse, se idem plane, quod Lutherus de Eucharistia, sensisse, perfidiamque hominis dato regi Melancthonis judicio in controversia apud Palatinum agitata ostendisse. « Datum XXXI Octobris MDLX ».

19. Disceptavit idem Episcopus cum eodem rege de justitia hæreticorum imputata, sed nulla, qua gloriantur illi, quibus a Catholico poeta argute objectum fuerat eos imputata quoque gloria contentos, veris suppliciis discruciandos esse, cum vere injusti esse velint, in quam sententiam has litteras [1] ad Cardinalem e Puteo mense Novembri adulto exaravit :

« Puteo cardinali.

« XV kalendas Decembris misit ad me rex, ut ad se venirem hora IV ; feci quod jussit, ac ostendi illi versiculos quosdam, nescio quo auctore conscriptos, de imputata Lutheranorum justitia :

Ponis justitiam tibi imputatam
Non quæ ponitur orthodoxe inhærens :
Cur hoc? es male conscius tibi ipsi,
Cui ut justitiæ nihil, sed ingens
Contra injustitiæ lues inhæret.
Hinc spes omnis abest tuæ salutis
Ni quis justitiam det imputatam
Esto justitiæ imputator absens,
Ut respondeat ergo condecenter
Jus causis meritoque retributum ;
Sic ut justitia est tibi imputata,
Sic mercede fruaris imputata,
Proque injustitia quæ tibi inhæret
Est et pœna tibi futura inhærens.

Lepidum hoc et festivum carmen hoc mihi videri dixi, neque potuisse quidquam scribi verius, nam qui nolunt habere nisi imputatam jutitiam, æquum est, ut iidem non habeant nisi imputatam gloriam, ut sicut abest ab illis omnis justitia, sic absit etiam omnis merces æternæ gloriæ, et sola sint utriusque imputatione contenti : contra, sicut præsentem inhærere fatentur injustitiam, et sic futuram etiam inhærentem sibi pœnam sentiant sempiternam : cumque multa dixissem contra imputatam istam injustitiam, laudavit ipse quoque rex versus hos tanquam festive scriptos, etc. Datum Viennæ XXV Novembris MDLX ».

20. Mense Decembri accersitus a Maximiliano rege Stanislaus Hosius Warmiensis episcopus Novatorum circa fidem manifesta ostendit dissidia, utque Philippus Melancthon mutata quinquies Confessione Augustana Zuinglianismum et Calvinismum admisisset, eumdemque vi veritatis adactum confessum esse, immutata vetere fide, quibuslibet fingendi quælibet monstra indultam licentiam ; ex quo illustre et conspicuum sit, non esse tutum a vetere fide Catholica discedere, ac Lutherum palam scriptis suis professum esse, non malam esse transubstantiationis fidem, sed jurgii excitandi causa eam puro Pontificis odio pernegasse, quæ cum rex perpendisset, professus est se tantam væsaniam execrari, de quibus omnibus Carolus Borromæus cardinalis certior ab Hosio [1] redditus est hisce litteris :

« Borromæo cardinali.

« Quinto idus mensis hujus, cum nihil minus expectarem, significavit mihi serenissimus rex ut ad se venirem. Tuli mecum libros, inter quos erant duo, quorum uterque fuit inscriptus: *Corpus doctrinæ Christianæ*. Unius auctor erat Philippus Melancthon, mollis Lutheranus ; alterius Vigandus, ex durioribus Lutheranis. Exhibui regi, simulque indicavi, quod istorum uterque vocaret doctrinam suam doctrinam Christi, a qua tamen abesset uterque longissime, quod corpora hæc duo inter se pugnarent ». Et infra : « Dixi quod quæ Confessio primum imperatori Carolo fuit oblata, scripta fuit iis verbis, quod sub speciebus panis et vini vere exhibeatur Corpus et Sanguis Christi : deinde mutata fuit in hunc modum, quod in et sub pane et vino vere exhibeatur. Itaque subinde variat Philippus in sua ista magnifica Confessione, quam in plerisque locis quinquies mutasse dicitur ». Et paulo post : « Hanc recens editam Confessionem Augustanam Calvinus amplectitur una cum Lasko, et eam secum facere gloriatur. Sic Philippus in sua Confessione fenestram aperuit Zuinglianismo, sive Calvinismo. Legi postea in præfatione Philippi verba illa : « Non dissimulari potest motis rebus magnam varietatem opinionum exortam esse ; et « concedit anarchia licentiam malis ingeniis « fingendi monstruosa dogmata ». Hic videt serenitas vestra, quomodo fatetur Philippus motis rebus magnam varietatem opinionum exortam esse ; quis autem est qui movit res ?

[1] Hosius cardin. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3222. p. 55.

[1] Stanisl. Hosius. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3222. p. 41.

An non Lutherus primo, deinde sectator hic ejus Philippus ? Voluit sibi licere Lutherus, ut nova quædam dogmata proferret, quæ hactenus Ecclesia Dei ignoravit : utque suum singulorum intellectum produceret, judiciumque suum privatum publico totius Ecclesiæ judicio præferret, quid ex eo postea fuit consecutum ? Exorti sunt Zuinglius, Muncerus, Pacimontanus, Suvenckfeldius, Servetus, et alia id genus hominum portenta, cum viderent rem Luthero succedere, et illius verbum tanquam Dei verbum ab imperitis adorari finxerunt, et ipsi monstruosa dogmata , et eorum nonnulli plures discipulos et sectarios nacti sunt, quam Lutherus ; sic plenus est nunc mundus monstruosis dogmatibus : adeo non est tutum ab eo discedere, quod est Catholicum, et suum, vel unius alicujus singularem intellectum sequi. Vocamus Fidem Catholicam et Ecclesiam Catholicam. Illius nobis doctrina amplectenda est, nec sit ullum de ea privatum judicium interponendum, ut pluris id, quam illius judicium faciamus. Non est unius alicujus hominis movere, quod est ab Ecclesia constitutum, quod simul ut in aliqua re factum est, fieri non potest quin et aliæ multæ moveantur, et magna rerum perturbatio consequatur. In Conciliis determinandum est, si de qua re dubitatur, neque permittendum est, ut aliquis doctrinam suam verbi Dei titulo venditet ». Et post multa in hanc sententiam subdit : « Scimus quod omnia, quæ dixit, scripsit Lutherus, non in alium finem retulit, quam ut papatum everteret, et hoc nunc vocatur Dei verbum, non agnoscere papam. Etiam apertam veritatem in odium papæ oppugnavit, et produxi ei quemdam libellum, quem scripsit Lutherus de adoratione Eucharistiæ, ubi inter cætera scribit, non multum referre, etiamsi quis credat transubstantiationem, modo simul credat ibi esse Corpus et Sanguinem Christi ; sed quoniam, inquit, papistæ vehementer urgent transubstantiationem istam absque Scriptura, nos non ob aliud, quam ut adversemur illis, et in despectum illorum volumus hanc opinionem tueri, quod ibi maneat verus panis et vinum cum Corpore et Sanguine Christi. Hoc dixi : vocatur nunc Dei verbum, novas opiniones fingere, et ab Ecclesiæ consensu discedere in odium et despectum papæ : atqui Dei verbum non est nisi charitas, a qua quantum isti remoti sunt, videt serenitas vestra, qui nihil aliud spirant quam odium et contemptum erga eum, cujus ministerio fit, ut conservetur charitas et unitas. Tum rex, cum locum hunc inspiceret : Certe, inquit, ego non probo ista. Atqui talia sunt, inquam, fere dogmata Lutheri, nihil aliud quam odium, quam contumeliam quamdam spirantia , quo magis ab illius doctrina cavere cordati debent. Obtuli illi postea Confessionem Christianam nostram in Germanicam linguam translatam , quod sibi munus gratum esse ostendit, etc. Datum XIV Decembris MDLX ».

21. *Bavariæ ducem hortatur Pius ad constantiam in fide.* — Edoctus fidei Catholicæ doctrinam ab Hosio Maximilianus rex obstruxit aures susurris Lutheranorum, et constantissime fidem Catholicam propugnavit, quamvis concitatas de se pravas suspiciones non omnino sedaverit. Florebat vero in Germania defensæ flagrantissimo studio Catholicæ fidei fama Albertus Bavariæ dux, ad quem incitandum in eo pietatis et gloriæ cursu Pontifex [1] proposuit illi imitanda majorum exempla, quibus et felicem æternitatem sibi comparaturus et apud homines summum decus collecturus esset, si egregiis cœptis insisteret.

« Alberto duci Bavariæ.

« In maximis curis et sollicitudinibus, quas ex suscepto tanto munere sustinemus, non mediocriter nos consolatur talis filii erga nos et sanctam matrem Ecclesiam tanta pietas atque devotio, qua quidem in re lætandum quoque est nobilitati tuæ, dilecte fili, et divinum beneficium agnoscendum, quod bonæ memoriæ parentum et majorum tuorum vestigiis insistis, qui usque eo pii et orthodoxi principes fuerunt, ut vel sanguinem ipsum pro Catholicæ fidei et sanctæ Matris Ecclesiæ defensione profundere parati fuerint , maximamque , quoad vixerunt , eo nomine laudem adepti sunt, et ad meliorem vitam translati, pietatis et constantiæ suæ præmium nunc percipiunt, quos cum tam egregie imiteris, fidei tuæ constantiam et præclaram voluntatem erga Sedem Apostolicam, ac sanctam matrem Ecclesiam meritis in Domino laudibus prosequimur, etc. XX Februarii MDLX ».

Addidit quoque pios stimulos Henrico Brunsvicensi duci juniori Pius, ut in colenda fide Catholica constanter perstaret, nec se hæreticorum dolis illaqueari pateretur, illique paterna omnia officia detulit. Quanto etiam amore complecteretur Hungaros , atque ad eos adversus Turcicam tyrannidem tuendos paratus esset, significavit Nicolao archiepiscopo.

« Tuæ fraternitati, reliquisque qui istis in partibus superestis, tanto majore studio adfuturi, et quidquid poterimus auxilii laturi sumus, quanto longius a nobis remoti estis, et propter impiorum hostium propinquitatem majore in periculo cum commissis vobis ovibus versamini ».

22. *Archepiscopus Toletanus hæresis suspicione notatus.* — Sparsæ tum erant per Hispaniam hæreseos Lutheranæ faces, ad quas restinguendas Philippus rex, ut erat exaggerata sapientia ornatissimus, ac probe norat, convulsa religione, regum solia ruere viresque reipublicæ mille dissidiis infringi, omnem diligentiam

[1] Pius IV. to. I. sig. 2896. Ep. CII.

atque operam defixit, fideique sacræ censores ad severitatem in reos impietatis exercendam armavit, adeo ut Bartholomæus e Miranda Ordinis Prædicatorum archiepiscopus Toletanus, ejus criminis suspicione notatus, in vincula conjectus sit, cumque de judicio legitimo variæ controversiæ obortæ essent, quod ille Hispaniarum primas diceretur, Pius [1] in Philippi regis pietate tantam præsidii et justitiæ fiduciam reposuit, ut illi auctoritatem contulerit ad constituendos judices, qui eam causam decretoria sententia definirent :

« Ad futuram rei memoriam.

« Alias postquam felicis recordationis Paulus papa IV prædecessor noster, per eum accepto, quod in regnis Hispaniarum Lutherana et aliæ exortæ hæreses pullulare cœperunt, et latius serpere videbantur, ita ut de aliquibus etiam Ecclesiarum prælatis verisimiler suspicari posset, huic morbo efficaciter mederi volens venerabili fratri Ferdinando archiepiscopo Hispalensi principali hæreticæ pravitatis in dictis regnis inquisitori, quod usque ad biennium de consilio dilectorum filiorum supremi consilii inquisitionis hujusmodi contra quoscumque episcopos, archiepiscopos, patriarchas et primates in eisdem regnis degentes, super hæresibus hujusmodi inquirere, et quoscumque processus formare, et superinde legitima indicia ad capturam sufficientia comperta forent, ac verisimiliter formidaretur, ne ipsi sic inquisiti episcopi, archiepiscopi, patriarchæ et primates a regnis prædictis aufugerent, seu alias se absentarent, aut alias eidem Ferdinando archiepiscopo videretur expedire, eosdem inquisitos episcopos, archiepiscopos, patriarchas et primates in aliquo tuto loco et securo aliqua fideli custodia arrestare et custodiri facere valeret, ita tamen quod tanto citius ipse Ferdinandus archiepiscopus posset eumdem prædecessorem de his omnibus certiorem reddere, ac ipsos arrestatos archiepiscopos, patriarchas et primates una cum indiciis contra eos militantibus, et cum toto processu contra eos habito in forma fidem faciente suo sub sigillo ad ipsum prædecessorem transmitteret, plenam et liberam per ejus in forma brevis litteras facultatem concesserat et auctoritatem ; earumdem litterarum vigore dictus Ferdinandus archiepiscopus inquisitor venerabilem fratrem archiepiscopum Toletanum de Lutherana et alia forsan hæresi suspectum et accusatum capi et carcerari, aut arrestari mandavit, prout ipse Bartholomæus archiepiscopus carceratus et arrestatus detinetur de præsenti. Nos postmodum nefandis hæresum erroribus omni, quo poterimus, salubri remedio pro salute gregis Dominici obviare cupientes, charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum rege Catholico nobis desuper humiliter supplicante, facultatem et potestatem per litteras dicti prædecessoris prædictas eidem Ferdinando et inquisitori, ut præfertur, concessas, et cum omnibus ac singulis in eis contentis, alias desuper confectas litteras hujusmodi auctoritate Apostolica per alias nostras in simili forma brevis litteras confirmaremus, approbavimus et innovavimus, easque plenæ firmitatis robur obtinere, ac eidem Ferdinando archiepiscopo, et pro tempore existenti generali inquisitori præfato, tam dicto biennio elapso, quam etiam alio illud immediate sequente biennio dumtaxat suffragari, ipsumque Ferdinandum archiepiscopum, et pro tempore generalem inquisitorem ad illam executionem alias in forma servata procedere libere et licite posse et debere decrevimus : addita porro ea lex fuit, ne adversus episcopos, archiepiscopos, patriarchas et primates decretoria a censoribus fidei pronuntiaretur sententia, sed ad Pontificem judiciaria acta rite confecta transmitterentur, ut judiciariam sententiam ferret. Cum vero his mandatis instructus Ferdinandus Hispalensis archiepiscopus Toletani causam Palentino et Placentino episcopis cognoscendam demandasset, Toletanus archiepiscopus eumdem Ferdinandum et Abulensem episcopum, et Andræam Peresium fidei censuræ præfectos sibi suspectos judices esse contendit, gravesque inde contentiones exarserunt, quæ cum Pontifici relata essent, ut litium anfractus abscinderet, hæc sanxit : Ne, inquit, ob altercationes et differentias, quæ super judicio suspicionum prætensarum hujusmodi ortæ sunt, et in futurum verisimiliter oriri possunt, causa dicti Bartholomæi archiepiscopi in infinitum protrahatur, sed ea quanto citius fieri possit, debite finiatur et terminetur, pro nostri pastoralis officii debito opportune providere volentes, ac de præclara integritate, probitate, ac prudentia dicti Philippi regis plurimum in Domino confisi, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione nostra, et de Apostolicæ potestatis plenitudine eidem Philippo regi ut unum, duos, aut tres, vel plures, et tot quot sibi expedire videbitur episcopos, aut alios probos justos et peritos viros Ecclesiasticos judices, non tamen suspectos in causa hæresis hujusmodi, contra dictum Bartholomæum archiepiscopum nominare qui causam prædictam audire, cognoscere et fine debito terminare possint libere et licite valeat, plenam, liberam, et omnimodam auctoritatem et facultatem auctoritate Apostolica præfata tenore præsentium concedimus pariter et impartimur, etc. Datum Romæ apud S. Petrum die V Maii MDLIX ».

De hujusmodi auctoritate Philippo regi tributa extant Apostolicæ ad ipsummet eadem die datæ litteræ.

23. Visum est nonnullis vi hujus decreti, et

[1] Pio IV. lib. brev. p. 111.

conceptis verbis auctoritatem attributam, ut judices Ecclesiastici a Philippo rege designati ferendæ in archiepiscopum decretoriæ sententiæ potestate ac jure pollerent, sed cum hoc repugnaret archiepiscopali auctoritati jurique Pontificio, consultus de his Pontifex obscura et involuta verba nitidius expressit, sanxitque ut judices illi a rege constituti, actionis judiciariæ instruendæ conficiendæque in archiepiscopum jure atque auctoritate valerent, a ferenda tamen decretoria sententia sibi temperarent, cujus ferendæ jus sibi Pontifex [1] reservavit :

« Ad futuram rei memoriam.

« Nuper emanarant a nobis litteræ in forma brevis tenoris subsequentis, videlicet, etc. Cum autem intentionis, et mentis et voluntatis nostræ semper fuerit et sit, ut prædicti judices per ipsum Philippum regem nominandi in causa hæresis contra dictum Bartholomæum archiepiscopum, processum solummodo facere et formare et usque ad sententiam definitivam exclusive dumtaxat procedere possint, eapropter motu, scientia et deliberatione, ac potestatis plenitudine similibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium attestamur, decernimus, atque declaramus, intentionis, ac mentis, et voluntatis nostræ fuisse et esse, quod judices præfati processum in causa prædicta conficere ac formare usque ad sententiam definitivam exclusive duntaxat procedere valeant, volentes processum sic per eosdem judices, ut præfertur, formatum in authentica et valida forma redigi, sicque redactum et clausum eorum sigillis munitum ad nos transmitti, ut illo diligenter viso et mature considerato, quod secundum Deum et justitiam fuerit in causa ipsa, quæ nobis et Sedi Apostolicæ specialiter reservata existit, in consistorio nostro secreto de fratrum nostrorum consilio deliberare, terminare atque judicare possimus; decernentes nihilominus irritum et inane quidquid secus forsan est hactenus attentatum, vel in posterum super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die III Julii MDLX, an. I ».

Extracta est hæc causa archiepiscopi Toletani ad Pii V et Gregorii XIII tempora : expensa autem re a Romana inquisitione nihil solidi repertum fuit, ut archiepiscopus manifestæ noxæ damnaretur, sed solum, ut obstringeretur ad ejurandum hæreseos crimen ob vehementem suspicionem, quam excitarat de suæ fidei pravitate. Verum idem carcere liber Romæ obiit, exhibitis non solum incontaminatæ fidei, sed singularis pietatis indiciis.

24. *Responsum datum oratori reginæ Scotiæ de periculis præsentibus Ecclesiæ.* — In Gallia et Scotia [2] vehementius perturbatæ ac labefactatæ erant religionis Catholicæ res, ad quas confirmandas Pius cum Francisci II Galliæ et Scotiæ regis, ac Mariæ reginæ oratorem, qui vetere more obsequia Pontifici regio nomine devoverat, excepisset, constituendæ, pristinæque dignitati ac splendori restituendæ religionis sacrum ardorem aperuit, ac se jam ad depravatos mores ad pietatis veteris normam revocandos multa gessisse, atque Concilii Œcumenici celebrandi ad omnia religionis dissidia extinguenda fixam voluntatem animo concepisse significavit :

« Responsum datum oratori Francorum regis et reginæ Scotiæ post obedientiam tributam sanctissimo domino nostro Pio papæ IV de mense Maii MDLX.

« Illustrissime domine orator. Etsi sanctissimus dominus noster hunc summi sacerdotii honorem sola Dei benignitate ad se delatum fuisse intelligat, jucunda tamen ipsi est charissimorum in Christo filiorum suorum Francisci et Mariæ Francorum, et Scotiæ regum gratulatio pietatis index, qua sanctissimum dominum nostrum prosequuntur; obedientia vero quam iidem sanctissimo domino nostro per te oratorem suum præstant, gratissimo animo a sanctissimo domino nostro accipitur. Qui quidem pro tali pietate et obsequio ambobus regnorum suorum incolumitatem et quietem, secundosque rerum omnium eventus, ac divinæ gratiæ incrementum precatur, eisque et matri regis religiosissimæ, sapientissimæ reginæ gentili suæ officia omnia pollicetur et defert, quæ ab amantissimo et benignissimo patre expectari debent, summo eo studio, quotiescumque occasio dabitur, præstiturus. Quod ad Ecclesiæ statum attinet Sathanæ artibus tantopere perturbatum, sanctissimus dominus noster memor officii sui, simulatque Ecclesiæ gubernacula suscepit, ad eam constituendam, et ad pristinum ei decorem et tranquillitatem reddendam, cœpit incumbere, itaque et ea corrigere continuo aggressus est, quæ in moribus et disciplina sacerdotum emendatione egere visa sunt, et ad hæreses et schismata tollenda Œcumenicum et generale Concilium, sicut rex Christianissimus optat, indicere prope diem et celebrare Deo juvante constituit, cupiens, si fieri possit, tantam ovium multitudinem errantium ac dispersarum ad ovile Domini suis ipsius quanquam senilibus humeris reportare, quarum salutem sanguine et vita sua libenter redemerit. Ad hoc autem pium et salutem consilium exequendum, cum cæterorum Christianorum principum auxilio se usurum ejus confidit, neque enim dubitat, quin is majorum suorum præstantissimorum regum gloriæ cum cæteris virtutibus tum optime de Ecclesia Dei, et de hac sancta Sede merendo præclare responsurus sit.

« ANTONIUS LAVELLINUS ».

25. *Renovantur indulta concessa Galliæ re-*

[1] Pius IV. lib. I. p. 176. — [2] Pal. l. XIV. num. 21.

gibus a Pontificibus præcedentibus. — De Calvinianæ hæreseos in Gallia grassationibus, ad quas compescendas a Francisco rege Concilium expetebatur, mox dicetur. Hic vero ordinem temporum secuti non prætermittemus Franciscum Secundum regem oratoris opera flagitasse a Pontifice, ut indulta Pontificia Francisco I et Henrico II regibus concessa de proponendis ad gerendos episcopatus, vel capessenda alia opulenta sacerdotia viris, sibi Francisco II confirmarentur, cui cum significatum esset eorum indultorum, sive privilegiorum, ac pactorum inter Leonem X et Franciscum I initorum leges fuisse sæpius a regiis administris violatas magno juris Ecclesiastici damno, conventum est ea novo regi a novo Pontifice collatum iri, modo exemplo Henrici II regiis litteris eadem formula conceptis polliceretur vetera conventa sanctissime servatum iri, ac si quæ a regio senatu his contraria pertentarentur, ea rescissum iri, de quibus cum in cardinalium senatu actum esset, hæc Consistorialibus [1] Monumentis a vicecancellario cardinale consignata sunt :

« XIX Januarii MDLX. Cum serenissimus dominus Franciscus II Francorum rex Christianissimus, defuncto claræ memoriæ Henrico eorumdem Francorum rege genitore suo, cui nonnulla nominandi ad Ecclesias cathedrales etiam metropolitanas, et monasteria, ac prioratus conventuales, et vere electivos in regno Franciæ, ac Delphinatu, et comitatu Valentinensi, ac etiamnum ad cathedrales, et metropolitanas Ecclesias, ac monasteria in ducatu Britanniæ, et provincia Provinciæ consistentia extra Romanam curiam pro tempore vacantia, antea similis memoriæ Francisco similiter Francorum regi ejusdem Henrici regis genitori per felicis recordationis Leonem X et Clementem VII, seu alios Romanos Pontifices ad ejus vitam certis modo et forma in eis expressis concessa privilegia, et indulta eisdem modis et formis, quibus dicto Francisco regi genitori suo concessa erant apud Sanctitatem suam pro similibus privilegiis et indultis, et ut illa prout Domino Henrico regi genitori suo concessa erant ejus vita durante concederentur instaret.

« Lecto per me vicecancellarium tenore certarum litterarum ejusdem Henrici regis olim felicis recordationis Julio papæ III Sanctitatis suæ prædecessori transmissarum, quibus inter alia declarabat, intentionem suam fuisse et esse non transgredi nec terminos nec sensum concordatorum inter dictum Leonem et Sedem Apostolicam, et prædictum Franciscum regem ejus genitorem initorum, nec illis uti, seu illa locum habere in Britannia, neque provincia Provinciæ, sed illa, et in eis, ac alia in dictis patentibus litteris, quorum tenorem hic inseri voluit contenta, observare et observari facere promittebat.

« Sanctitas sua precibus dicti Francisci regis in ea parte annuens, privilegia et indulta prædicta eisdem modis et formis, quibus per dictum dominum Julium prædecessorem prædicto regi Henrico concessa fuerunt, eidem Francisco regi, sic tamen, quod dictus Franciscus rex hujusmodi concordata et alia per dictum Henricum regem promissa, et in concordatis ac patentibus litteris prædictis contenta, et in omnibus, et per omnia juxta illorum tenorem observare, et observari facere, ac infra sex menses ab ipsa die computandos suas patentes litteras ratificationis et acceptationis omnium, tam in concordatis, quam litteris prædictis contentorum prædictorum, et infra alios sex menses ex tunc immediate sequentes alias patentes litteras significantes, quod hujusmodi concordata et alia præmissa, ac in concordatis et litteris præmissis contenta prædicta in regno, et Delphinatu, ac comitatu, necnon ducatu, et provincia prædictis observantur, ac in viridi observantia existunt, plenam fidem de hujusmodi observatione per eas faciendo, ad Sanctitatem suam et Sedem Apostolicam transmittere omnino teneatur. Alioquin primo et ultimo dictis sex mensibus, et deinde toties quoties illa, eorum aliqua non observari, aut in viridi usu non esse, et ex eis aliquid detrahi contigerit, omnia et singula privilegia, et indulta prædicta, ac inde secuta quæcumque, resoluta, revocata, cassa et extincta, et annullata, necnon irrita et inania, nulliusque efficaciæ, roboris vel momenti sint, et esse censeantur, prout Sanctitas sua illa in hujusmodi eventum ex nunc prout ex tunc, et e contra revocavit, cassavit, ac irritum decrevit, quamdiu idem Franciscus rex vitam duxerit in hunanis, duntaxat concessit ».

26. *Calvinistæ conjurationem contra regem Galliæ conflant.* — Adjectæ sunt in Actis Consistorialibus Henrici II ad Julium III duæ litteræ, quæ suis locis insertæ fuerunt [1], quibus juris Pontificii dignitatem libertatemque a suis administris labefactari non passurum spondebat, ex quarum formula et exemplo conceptas litteras Franciscum II ad Pium IV transmisisse non dubium est, cum Pontificiæ majestatis cultor atque religionis vindex acerrimus esset, a Guisanorum enim principum in asserenda religionis dignitate optime de Ecclesia meritorum consiliis regebatur, quare in Hugonottos acerbissimis suppliciis animadvertit. Infaustum [2] hujus sectæ nomen hoc anno usurpari cæpit, sive a Gnosticis, quorum sordes in suis conventiculis clandestinis imitari dicerentur, sive ab

[1] Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 274.

[1] An. 1550 et 1555. — [2] Franciic. Belcar. l. XXVIII. Flor. Rem. de Antonio c. 3. num. 4. Lidanus Dial. 2. dub.

Hugone quodam magistello Parisiensi, qui non secus Gallos infecerat, quam Bohemos Petrus Dresdensis, sive ab Turnonensi porta, quæ Hugonis dicitur, circa quam cœtus suos cogebant, vel quod Lemurum instar, quos Turonenses ad puerorum terriculamentum Hugones vocabant, noctu convenirent, sive quod ab Helvetiis *Ens guenaus,* id est, homines seditiosi vocitati sint, vel etiam, quod Nannetis convenientes hæretici, tesseram ad se internoscendum adhiberent verbis latinis conceptam, *huc nos,* ideo a cardinale Lotharingo, eorum machinationibus detectis, publice vocati *Huguenots.* Calvinistarum interea, sive Hugonottorum factio, quæ maximam populi multitudinem corruperat, pluriumque non modo nobilium, sed etiam principum, ipsiusque reginæ, regisque Navarræ, et Ludovici Condæi ejus fratris patrocinio superbiebat, dolore et rabie efferata, specie evertendæ Guisanorum potentiæ, quos in publicum odium adducere omni arte nitebatur, illi procerum factioni, quæ Guisanum nomen oderat, conjuncta, ad regnum evertendum perditissima consilia instruxit, adeo ut Galli impiis Calvini deliramentis fascinati, exuta religione simul omnem erga suum regem amorem et observantiam exuerint, atque in nefandissimos perduelles, patriæ hostes, regisque proditores desciverint, adeo verum est, ut qui Deo et Ecclesiæ fidem violant, regi servare nesciant, ut docto Commentario contra Hugonottos probat Guillelmus Rossæus, eos, nec Christianos, nec politice esse Gallos, quorum perfidiam turbasque ab iis hoc anno excitatas subjectis verbis describit.

A primo Calvinismi in Gallia [1] jacto lapide omnia acta Calvinistarum quid aliud fuerunt, quam violationes et contemptiones legum, quas suprema in Galliis auctoritas regia, et Parlamenta sanciverant? quam multa statuerat Franciscus I contra hanc hæresim suis temporibus in Gallia serpere incipientem? quam multa paternis sanctionibus [2] addidit Henricus II? quid ejus filius Franciscus II? « Quoniam, inquit, contra edicta Francisci et Henrici II nocturna in civitate Parisiensi et alibi audimus fieri conventicula, in quibus Sacramenta contra ritus Ecclesiæ Catholicæ ministrantur, prohibemus ea in posterum, præcipimusque domus eas, in quibus deinceps tales cœtus et coitiones fient, penitus destrui, et in vastitate perpetua jacere, ut nunquam postea exædificentur ».

27. Huic regis edicto si fuisset obtemperatum, quomodo potuisset Atheismus iste in Gallia radices agere? tantum vero abest, ut huic sanctioni regiæ Calvinistæ paruerint, ut postea multo magis quam antea temporibus nocturnis sua tenebrarum opera peregerint concionando, et contra Ecclesiam Catholicam, Pontificem et episcopos, et totam Ecclesiasticam hierarchiam baccando, quod est ordinarium Calvinianæ disputationis subjectum. Deinceps vero media luce eadem patrare audebant, et præterea in concionibus suis contra regem cœperunt nominatim invehi, et libros famosos passim spargere non contra regem modo, sed contra Deum primo, tum contra regem, principesque, et qui regi erant a consiliis, vel in regis aula vivebant, quibus modis necesse erat malum ingravescere. Et multa quidem multis in locis proditorie contra regem, seditiose contra rempublicam, impie contra Deum gerebantur [1], sed tamen propter reorum maximam multitudinem consilio regis visum est cum illis indulgenter agere, et meliora ab iisdem sperare in posterum. Ergo venia omnium præteritorum scelerum Calvinistis omnibus facta est, exceptis tamen ab hac indulgentia concionatoribus, ministris, et qui sub velo religionis conjuraverant contra regem, reginam matrem, uxorem, fratres regis, principes consiliarios, aut contra statum reipublicæ; sed hoc decretum camino oleum addidit, et incendium multo vehementius auxit : ministri enim veri incendiarii, et flabella seditionum, tum demum multo pluribus mendaciis, rithmis, famosis libellis contra regem, principesque regios emissis, et regem, et principes toti populo, maxime Calvinianis, quam odiosissimos reddere satagebant, et denique de rege, principibusque uno impetu interficiendis consilia dira machinabantur. Secuta est mox conjuratio Ambosiana.

28. Conflari ea cœpta superiori anno [2] Genuæ auctore Joanne Calvino hæresiarcha, qui tamen indolens eam contrario exitu disjectam, ejus invidiam a se depellere conatus est scriptis ad Henricum Bullingerum et Ambrosium Blaureum apostatam litteris; imitatus in eo impietatis magistrum Lutherum, qui cum rusticanos Germanos ad seditionem contra Ecclesiasticum et politicum statum inflammasset, in eos cæsos ac prostratos tanquam in seditiosos ac reos, nec jam Evangelicos acerrime invectus erat. Nactus is erat Godefredum Barrium Renandium nobilem Petrocorium manu impigrum, ac ingenio et eloquentia præditum, qui ob falsi crimen in exilium relegatus Lausanam, deinde Genevam se contulerat, audacissimisque consiliis instructus in Galliam reversus, abjecto priori nomine, se Forestum dixit, variisque circumcursationibus ministrorum Calvinianorum ope fretus, comitibusque a classis Gallicæ præfecto quem Amyralium vocant, acceptis, lustrata Gallia Calvinianos nobiles, maxime in conventu apud Nannetes habito, ad convellendum Gallicum

[1] Guill. Rossæus in lib. Hugunotas, nec Christianos, nec politice esse Gallos p. 372. — [2] Hist. Pigl. l. I. c. 20. Belleforest. l. VI. c. 88.

[1] Edict. V id. Martii. c. 12. Belleforest. ubi sup. — [2] Pius IV. to. I. brev. sign. 2896. p. 238. Sur. in Comm. Belcar. l. XXVIII. Calvin. Ep. CCXCIII et CCXCVI.

statum, regemque hæreticum, sicut in Dania, Suecia et Anglia constituendum, accendit, de quo Surius [1] ex scriptis tunc divulgatis in Gallia hæc memorat : « Extat scriptum Galli cujusdam, in quo inter refertur, nefandissimum Genevæ initum fuisse consilium de hoc ipso Francisco rege, regina uxore, regina matre Francisci, et ejus liberis, proceribus bonis, magistratibus ad certum diem commodo loco per insidias trucidandis, atque ejus crudelissimæ, et post homines natos atrocissimæ conspiratiotionis Bezam principem, Calvinum auctorem, Ottomanum subsignatorem, Spifamium suasorem, omnes Galliæ prædones et lanistas conscios fuisse. Si quam plura nosse juvat, legat religionis et regis, adversus exitiosas Calvini, et Bezæ, et Ottomanni conjuratorum factiones defensionem primam ». Consciam fuisse hujus conjurationis Elisabetham reginam, Mariæ Stuartæ æmulæ, quæ Anglicanos titulos Scotis adjunxerat, odio, refert Belcarius [2]. Tentarunt conjurati Antonium Navarræ regem ad hoc flagitium pellicere, eumque conspirationis principem constituere, cum Guisanis infensus esset, a quibus a regni Gallici procuratione submotus erat, sed is nefariis iis consiliis se admiscere detrectavit; quare Ludovicum Condeum ambitionis facibus ardentem, invadendæque tyrannidis cupidissimum, sibi ducem summum suadente Castilione Amyralio delegerunt. Is cum metueret, ne vires ad evertendam regis et Guisanorum potentiam deficerent, palam nomen profiteri non est ausus, ut scelus, si non succederet e sententia, inficiari posset, atque adeo Capitis Muti nomen conjurationis principi inditum fuit, cujus legatum se Gotofredus Barrius vulgo Renaldus se gessit, licet nullo hactenus militari aut civili claro munere functus esset, sed litibus multos annos transegisset, sacerdotiique opulenti spe vel jure controverso deturbatus, ex desperatione ad Calvinum ac Bezam confugerat : mirum est tot nobiles egenti homini parere voluisse, sed cum legationis suæ instrumentum protulisset, specie religionis tuendæ ac spe ingentium prædarum eos ad arma impulit. Divulgarunt Calvinistæ non aliud ab iis susceptum consilium, quam ut Guisanos fratres sibi exosos, quos viam sibi ad solium regium munire sparsis variis libellis criminati erant, comprehenderent, atque ad suæ administrationis reddendam rationem coram judicibus, aut in sanctiore Concilio habendam cogerent. « At si », inquit Belcarius, « viribus superiores fuissent, haud dubium, quin utrumque immaniter trucidassent, quibus Franciscum regem, Stuardamque reginam addidissent, aut saltem hanc ad Elisabetham Angliæ reginam æmulam, et hujus conjurationis consciam misissent, qui enim illis se reconciliaturos cæsis avunculis sperassent ? Tyrannus sævissimus metus est, qui ubi hominem corripuit, si de vita agitur, et facultas datur, nemini unquam parcit ». Dies ad sextum idus Martias præscriptus, quo ex omnibus provinciis Galliæ Hugonottæ copiæ Blesias confluerent, ibi enim regem se reperturos arbitrabantur, sed discussit divina providentia perduellium Calvinianorum consilia. Præmonitus est Guisius dux plurium litteris, ac Avenelli causidici Calviniani relatione amplissima de conjuratione in eum ac regem conflata. Is regem Blesiis Ambasiam, munitam arcem, quam præsidio minore tueri poterat, firmatam deduxit, variisque locis copias disposuit ad venientes conjuratos intercipiendos, qui cum non parum ob mutationem loci perturbati fuissent, in flagitio tamen obfirmati, dum pergerent, paratis laqueis se induerunt, cæsi enim sunt qui ad patrandam cædem adventabant, atque inter eos totius conjurationis legatus interpres in flagitio flagranti, dum copias suas jungeret, confossus a Pardiliani, quem occiderat, famulo, cujus cadaver in furcam actum Ambasiæ in ponte cum hac inscriptione aliquot dies spectatum est, *Renaldus, qui se Forestanum dici voluit, rebellium dux*. Comprehensus est Bigna, qui illi a secretis erat, atque ex arbitrariis notis, quas habebat, ipso eas spe veniæ interpretante, tota conjurationis patefacta series, quæ regio Diplomate pridie idus Aprilis transmisso ad provinciæ cujusque senatum descripta ac promulgata est. Ludovicus Condeus princeps se rebellium ducem inficiatus est, quem regina Catharina tutata est; persuasit enim filio regi, ne illum in suspicionem vocaret, ne conjuratorum numerum augeret, ac ne forte Navarrum regem illis adjungeret; protexit pariter Castilionem Amyralium, quem in Normanniam misit, ut tumultuum initia, si qui orirentur, compesceret, quos e contra ille maxime auxit : atque his duobus instrumentis ad miscendam Galliam, sive ut putabat, ad asserendam suam auctoritatem contra Guisiorum potentiam, re autem vera ad fovendam hæresim usa est, ut sæpius lugebit oratio.

29. *De expugnanda Geneva, ex qua principium sumpsit conjuratio, cogitant Franciscus rex et Philibertus dux Sabaudiæ.* — Cum Genevæ conflatam esse hanc conjurationem a Calvino et Theodoro Beza Hugonottorum Caliphis constaret, sumpta sunt Genevæ expugnandæ expurgandæque illius Hugonotticæ hæreseos sentinæ consilia, ac Franciscus rex Philiberto duci Sabaudiæ opem pollicitus est, ut rebellem urbem suæ ditioni restitueret, de quo sacro fœdere sancito Pontifex Francisco regi his litteris [1] gratulatus, utque rem perficeret hortatus est :

[1] Sur. in Comm. — [2] Belcar. l. XXVIII.

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCXXXVIII.

« Charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum regi Christianissimo.

« Audivimus majestatem tuam pollicitam esse dilecto filio nobili viro Emmanueli Philiberto Sabaudiæ duci, amitæ tuæ marito, opem atque auxilium tuum ad recipiendum oppidum Genevam ditionis suæ, qua in re adeo consilium tuum laudamus, ut nihil a te sapientius, nec majore laude dignius fieri posse judicemus. Est enim ea urbs, ut omnes sciunt, fuitque semper hæreticorum omnium Galliæ et Italiæ asylum ; is est fons unde perditissima haud dubie consilia superioribus diebus manarunt ad tumultus et seditiones in regno tuo excitandas. Nunquam dum ea urbs in hæreticorum potestate erit, fidei Catholicæ hostibus, Ecclesiæ inimicis, rebellibus tuis receptaculum deerit. Itaque hortamur quanto animi studio possumus, atque adeo rogamus majestatem tuam, ut ipsi Sabaudiæ duci, quanta maxima potest ad id oppidum recuperandum, equitum, peditum atque omnis generis auxilia subministret, quod cum faciet, et Deo gratissimum faciet, et regni sui paci ac quieti consulet ; adempto enim hæreticis regni sui illo quod paratum habent receptaculo, eorum, qui in eodem regno male cogitant, animos et audaciam franget, etc. Datum Romæ die XIV Junii MDLX ».

Pellicere in eamdem armorum societatem conatus est Pontifex [1] Helvetios Catholicos, atque episcopo Comensi, Pontificio apud eos internuntio, dedit imperia, ut Helvetios Catholicos ad fœdus instaurandum cum duce Sabaudiæ incitaret :

« Joanni Antonio episcopo Comensi, nostro et Sedis Apostolicæ apud Helvetios nuntio.

Venerabilis frater, etc. Dilectum filium Emmanuelem Philibertum Sabaudiæ ducem id agere certiores facti sumus, ut dilecti filii Helvetii Catholici fœdus secum et amicitiam renovent, quam rem cum utrisque magnopere utilem fore intelligamus, fraternitatem tuam monemus, tibique mandamus, ut nostro nomine ipsos Helvetios pro data tibi a Deo prudentia ad ipsum fœdus et amicitiam renovandam vehementer horteris, ostendasque, nihil eos nobis gratius atque optatius facere posse, cum res illius principis æque nobis curæ sint, ac si nostræ ipsorum propriæ, cui nulla in re deesse volumus, sicut nec ipsis unquam pro paterno, quo eos prosequimur amore, sumus defuturi : hanc rem, ut ex sententia conficiatur, tanto studio et diligentia curari abs te cupimus, ut nullius gratius nobis officium præstare possis, sicut ex litteris quoque dilecti filii nostri Caroli cardinalis Borromæi, nostri secundum carnem nepotis, intelliges. etc. XIII Junii MDLX ».

30. Promoveri sacra ea consilia evertendæ pestilentiæ cathedræ, quam Calvinus fixerat Gebennæ, ut Gehennæ infernali tradendis infelicissimis Calvinistis serviret, non potuere ob immaturam Francisci II regis mortem ac secuta Gallorum dissidia. Apparuit in hoc consilio triste divinæ justitiæ exemplum in impios politicos, ut cum Franciscus I rex, Sabaudiæ ducis odio, Gebennam hæreticam in impietate et perduellione, spreta Dei et religionis causa, submissis præsidiariis copiis anno hujus sæculi trigesimo sexto confirmasset, in ea urbe veluti in Sathanæ fornace conflata sint omnia fulmina, quæ in Gallorum regum capita a rebellibus expedita fuerunt. In ea omnes conjurationum, seditionum, fraudum ac proditionum series contextæ, in ea libri, qui miseros lectores impietate hæretica contaminarunt, excusi, in ea ministri impietate blasphemiisque armati, quas per Galliæ urbes disseminarunt, in ea civilium bellorum sata atque perducta consilia, quæ demum post innumeras strages Francisci I stirpem florentissimam maximis calamitatibus obruerunt atque extinxerunt. Sed ne luctum ac funera accersamus ante tempus, ad id unde digressa est, orationem revocemus.

31. *Edictum Remorentinense quo censura sacræ fidei in Gallia constituitur.* — Remorentinense edictum mense Maio promulgatum est, quo sacræ fidei censura in sanctiore concilio, et in senatu Parisiensi, Guisiis auctoribus constituta est, cumque superioris conjurationis ex hæreticorum conventiculis, permissaque profitendæ impietatis libertate, fama Pontifici delata esset, ille pro dignitate Pontificii muneris ad exscindendas hæreses, quæ Galliam infecerant, excubias pastorales intendendas, judiciariamque severitatem distringendam ratus, Franciscum Turnonium cardinalem exercendæ fidei censuræ in tota Gallia præfecit [1] amplissimisque hisce mandatis instruxit.

Venerabili fratri Francisco episcopo Ostiensi, salutem, etc.

« Cum ad nihil magis nostra aspiret intentio, quam ut fides Catholica nostris potissimum temporibus ubique floreat et augeatur, ac omnis hæretica pravitas a Christi fidelibus, nostra diligentia, procul pellatur, et ipsorum fidelium animas Deo lucrifaciamus, libenter operam vigilem inpendimus, ut diabolica fraude decepti ad caulam Dominicam revertantur, ac cunctis erroribus extirpatis ejusdem fidei zelus et observantia in ipsorum corda fidelium fortius imprimantur ; et si qui animorum perversitate ducti in eorum damnato proposito perseverare voluerint, taliter in illos animadvertatur, quod illorum pœna aliis sit in exemplum. Cum itaque sicut plurimorum fide dignorum relatione nobis

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCXLVII.

[1] Pius IV. num. vet. 38. num. recent. 952. p. 221.

nuper non sine animi nostri displicentia innotuit, in regno Franciæ, et diversis civitatibus, terris et locis charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum regi Christianissimo subjectis, diversæ utriusque sexus personæ Lutheranam et plerasque alias damnatas hæreses et errores sequi, humani generis inimico suadente, non vereantur in earum animarum perniciem et gravem divinæ Majestatis offensam, ac orthodoxæ fidei scandalum ac irreparabile detrimentum: nos, ne hujusmodi pestes in perniciem aliorum sua venena latius diffundant, opportunis remediis, prout nostro incumbit officio, providere volentes, ac de fidei zelo, prudentia, rectitudine, in arduis longa experientia, doctrina, auctoritate et potentia, quibus illarum largitor Altissimus personam tuam multipliciter insignivit, et quibus propterea in partem Apostolicæ sollicitudinis merito assumptus continuo refulges, specialem in Domino fiduciam sumentes, et indubie sperantes, quod tu pro tuis innatis nobilitate, dexteritate, magnanimitate, et in omnibus providentia circumspecta, hæreses et errores hujusmodi exstirpare, et errantes corrigere, necnon deviantes ad rectum tramitem reducere, et ipsius orthodoxæ fidei fructuosos palmites plantare toto nixu exquires, motu proprio, non ad tuam, vel alterius pro re nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et ex certa nostra scientia, citra tamen dilectorum filiorum nostrorum Caroli Sanctæ-Cæciliæ de Lotharingia, et Caroli Sancti-Sixti de Vendosme presbyterorum, ac Odetti Sancti-Adriani diaconi de Castillion nuncupatorum cardinalium, hæreticæ pravitatis inquisitorum, in partibus illis auctoritate Apostolica deputatorum, et in iis propterea nullatenus præjudicare intendimus, revocationem, te in nostrum et Apostolicæ Sedis commissarium, ac hæreticæ pravitatis hujusmodi inquisitorem generalem in regno, civitatibus, terris et locis præfatis Apostolica auctoritate præfata, tenore præsentium ad nostrum et Sedis Apostolicæ beneplacitum constituimus et deputamus, ac tibi ut tu solus sine episcopo, etiam simpliciter, et de plano, ac absque advocatorum et judiciorum strepitu et figura, in negotio inquisitionis hæreticæ pravitatis hujusmodi procedere, et quoscumque utriusque sexus hæreticos, vel de fide suspectos, tam Ecclesiasticos quam Laicos, cujusque status, gradus, ordinis et conditionis ac qualitatis fuerint, citare, arrestare seu capere, ac tutæ custodiæ mancipare, ponendo etiam illos in compedibus vel in manicis ferreis, si tibi visum fuerit faciendum; necnon contra illos, de quibus pro hujusmodi negotio secundum Deum et justitiam videbis expedire, inquirere, atque etiam absque eodem episcopo illos duro carceri, sive arctius, per te aut a te deputatos, in quocumque loco, qui tibi aut deputatis hujusmodi videbitur eligendus, qui magis ad pœnam quam ad custodiam videatur, vel tormentis exponere, et ad sententiam etiam definitivam seu finalem contra eosdem prout tibi visum fuerit procedere, ac si necesse fuerit aliquem clericum, et in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, propter præmissa degradari et curiæ sæculari tradi, ad ejus degradationem actualem per loci ordinarium, qui id onus subire debeat, etiam nullo alio prælato secum interveniente, seu, eo absente, aut recusante, vel non valente, aut alias, Catholicum antistitem, quem ad id duxeris eligendum, et deputandum, etiam nulla distinctione locorum habita, ac etiam non communicato processu causæ, si tibi vel dictis deputatis videbitur, sed ostensa illi dumtaxat sententia super degradatione hujusmodi lata, accitis ac sibi in hoc assistentibus uno alio antistite, seu duobus aut tribus abbatibus, vel aliis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, ac deinde ad dictæ curiæ sæculari traditionem procedere, seu procedi facere, necnon contradictores quoscumque ac rebelles, ac tibi vel a te deputatis in præmissis non parentes, opportuni juris remediis compescere, et in præmissis omnibus auxilium brachii sæcularis invocare et implorare, necnon officiales desuper necessarios, etiam clericos sæculares, seu Ordinum quorumcumque regulares deputare ». Et infra : « Omniaque alia et singula in præmissis et circa ea necessaria, seu quomodolibet opportuna facere, et exequi possis et valeas, plenam et liberam, amplam et omnimodam potestatem et facultatem auctoritate, scientia et tenore prædictis concedimus et indulgemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX, idibus Junii, Pontificatus nostri anno I ».

32. Fulciebat Franciscus rex auctoritate regia Ecclesiasticos judices [1], nam provinciarum magistratibus ac præfectis pridie idus Aprilis edixerat, ut quoniam ex hæreticorum conventibus emerserat perduellio, caverent ne ulla in urbibus et oppidis eorum foro obnoxiis conventicula hominum, neve concursus fieri paterentur, et qui in iis deprehenderentur, non aliter ac rei majestatis læsæ supplicio afficerentur; addiderat etiam, ut antiqua morum disciplina instauraretur, Synodum omnium Galliæ episcoporum intra sextum mensem indictum iri. Restituendæ hujus disciplinæ morum necessitas significata est Pontifici; ob perditos enim plurium clericorum mores, ac præsulum negligentiam vel impietatem, hæresim late in Galliis propagatam, quare Pontifex eumdem Franciscum Turnonium, et Carolum Lotharingum cardinales Apostolicæ Sedis legatos in Gallia

[1] Belcair. l. XXVIII.

decrevit, ut mores perditos justa censura percellerent, veteres Conciliorum leges et sanctorum Patrum instituta instaurarent, aberrantes a fide ad pristinam Ecclesiæ conjunctionem traducerent[1] :

«Venerabili fratri Francisco episcopo Ostiensi de Turnone, ac dilecto filio Carolo tit. S. Apollinaris presbytero de Lotharingia nuncupatis cardinalibus in regno Franciæ, necnon universis provinciis, civitatibus et terris charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum regi Christianissimo subjectis, nostris et Apostolicæ Sedis legatis, salutem, etc.

« Cum sicut non sine magna animi nostri molestia nobis nuper innotuit, in regno Franciæ, ac certis civitatibus, terris et locis, charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum regi Christianissimo subjectis, diversi armorum tumultus, seditiones et conspirationes potissimum fermento hæreticæ pravitatis, ex partibus convicinis peste Lutherana laborantibus contractæ, et propter bella, quæ superioribus annis viguerunt, et incuriam, et negligentiam prælatorum, et aliorum superiorum dicti regni, ac tam prælatorum eorumdem, quam reliquarum Ecclesiasticarum personarum sæcularium et regularium corruptos mores, et collapsam Ecclesiasticam disciplinam conniventibus oculis dissimulatæ, et sensim auctoritate provenientes insurrexerunt, et brevi tempore adeo in immensum creverint, ut illis vix ac non sine magno belli apparatu resisti posse videatur ; et licet certo sciamus, præfatum Franciscum regem pro ejus pietate et religione ad imitationem præclaræ memoriæ inclytorum Franciæ regum prædecessorum suorum, causæ Dei et suæ hujusmodi omnibus suis viribus, ut cœpit, minime defuturum, volentes tamen cum Dei adjutorio in eodem negotio, prout ex nostro pastorali officio præcipue tenemur, partes nostras omni studio et diligentia implere. Vos », et infra, « in dicto regno Franciæ, necnon universis provinciis, civitatibus et terris eidem Francisco regi subjectis, nostros et Sedis Apostolicæ de latere legatos ad nostrum et dictæ Sedis beneplacitum auctoritate Apostolica, tenore præsentium ad infrascripta dumtaxat constituimus et deputamus et mandamus, ut tanto oneri vos quamprimum accingentes, ac pro commissionis et mandati hujusmodi implemento et executione conjunctim procedentes, vocatis etiam, si vobis videbitur, ac vobiscum adhibitis prælatis, ac in sacra Theologia magistris, seu jurisperitis, aut aliis personis litterarum scientia præditis, viris Catholicis in primis et minime suspectis, sed Deum timentibus, et religionem ac unitatem Ecclesiasticam zelantibus, arbitrio vestro eligendis, præmissa omnia mature perpendentes, et aliter considerantes, ac ad provisiones et remedia morbo hujusmodi necessaria et opportuna attentius prospicientes, Evangelicæ semper et Apostolicæ doctrinæ, ac sanctorum Patrum traditionibus et institutis, necnon sacrorum generalium Conciliorum decretis inhærendo, quæcumque statuta, ordinationes et decreta quæ vobis pro religionis et fidei Catholicæ conservatione et augmento, ac hæresis et damnatorum errorum exstirpatione, Catholicorum et piorum Christi fidelium quiete, et errantium in fide ad sanctam et Catholicam doctrinam et veritatis viam reductione ; pertinacium autem, et in hæresi ac erroribus hujusmodi induratorum juxta canonicas sanctiones punitione et eradicatione, ac insuper prælatorum et aliorum quorumcumque Ecclesiæ ministrorum ab Ecclesiastica disciplina et a recto viæ vitæ tramite deviantium correctione et reformatione, Apostolicæ auctoritatis, et in Romanos Pontifices et Sedem Apostolicam devotionis conservatione et manutentione, ac denique pro totius regni illius pace et tranquillitate, et ejus incolarum utilitate ac animarum salute necessaria, seu quomodolibet opportuna videbuntur , faciatis et constituatis, et deinde omnia et singula per vos facta et constituta sub excommunicationis, suspensionis et interdicti, ac aliis Ecclesiasticis sententiis, censuris et pœnis, etiam privationis ac depositionis ab officiis et beneficiis, necnon inhabilitatis ad illa et alia in posterum obtinenda, ac pecuniariis, et aliis vestro arbitrio imponendis, et applicandis pœnis in prædicto regno, provinciis, ac terris, ab omnibus utriusque sexus fidelibus inviolabiliter observari mandetis ac faciatis cum effectu. Nos enim vobis, ut in præmissis omnibus et singulis, in casibus videlicet hæresis et schismatis contra quoscumque, etiam episcopos, archiepiscopos, et primates, ac alios quavis Ecclesiastica vel mundana dignitate , præeminentia vel excellentia fulgentes, juxta aliarum litterarum nostrarum vobis desuper specialiter concessarum tenorem , quem præsentibus haberi volumus pro expressis, in aliis vero vitæ et morum reformationis ac disciplinæ Ecclesiasticæ constitutionem concernentibus, ut similiter contra quoscumque episcopos et alios prælatos hujusmodi, et capitula, universitates, et collegia, et alias singulares personas Ecclesiasticas, sæculares, vel cujusvis Ordinis regulares in præmissis, quomodolibet culpabiles, summarie, simpliciter et de plano, ac sine strepitu et figura judicii, sola facti veritate inspecta, ac manu regia sub præmissis et aliis vestri arbitrii pœnis procedere, definire, pronuntiare, reformare, corrigere et emendare, et per vos ferendas sententias, definitiones, emendationes, correctiones ac punitiones quascumque appellatione postposita exequi libere et licite valeatis invocato etiam ad

[1] Pius IV. reg. sig. num. 18. recent. 1592. p. 91.

hoc si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis, plenam et liberam auctoritate et tenore prædictis ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, licentiam et facultatem concedimus. Non obstantibus, etc. Insuper, et per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi obtestamur præfatum Franciscum regem, qui nomen Christianissimi ob suorum prædecessorum pro Catholica fide et Sedis Apostolicæ conservatione præclara gesta merito retinet, ut pro ejus innata Christiana pietate, ac in nos et Sedem eamdem reverentia, nobis in vestri Apostolatus hujusmodi ministerii executione assistere, ac auxilium et favorem, suumque, si opus fuerit, brachium sæculare præstare velit, in quo rem sua majestate dignam faciet, sibique proinde a Deo optimo maximo cœleste præmium ac sua et ejus regni prosperitas et augmentum ac a nobis condigna gratiarum actio proveniet, etc. Dat. Rom. apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX, XVI kal. Jul., Pontificatus nostri anno I ».

33. *Quidam politici insipienter consulunt non durius agendum cum hæreticis.* — Non deerant qui non rigide agendum censebant cum hæreticis, sed iis ex parte consentiendum ad alendam mutuam concordiam, inter quos molliores Catholicos Claudius Espenceus [1] se collocat in Epistola ad Michaelem Hospitalium, verumtamen standum Concilio et traditionibus antiquis contendebat : « Ecquis nostrum, quod Gentiles quondam illi ad Philippum Apostolum, non hodie ad pastorem suum quisque clamat : Domine, volumus Jesum videre? et quis nobis respondeat : Hæc est via, ambulate in ea ? Hæc ergo non minus nunc, quam olim dicit Dominus : State super vias et videte, interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea et invenietis refrigerium animis vestris : hoc est apud mentes religiosas atque simplices compendium, tum erroris deponendi, tum veritatis inveniendæ ac eruendæ ; nam si ad divinæ traditionis originem revertamur, cessat error humanus, et sacramentorum cœlestium ratione perspecta, quidquid sub caligine ac nube tenebrarum obscurum latebat, luce veritatis aperitur, ut Pompeio scribit martyr invictus et disertus rhetor D. Cyprianus. Si canalis aquæ copiose prius et largiter fluens subito deficit, nonne ad fontem pergitur, ut illic defectionis ratio noscatur ? » Et mox : « Quod et nunc facere oportet Dei sacerdotes præcepta divina servantes, ut in quibus nutat ac vacillat veritas, ad originem Dominicam et Evangelicam , et Apostolicam traditionem revertamur, et inde surgat actus nostri ratio, unde et ordo et origo surrexit, quæ dum antiqua veritas et vera antiquitas, non adeo omnibus allucet, equidem pro mea mediocritate non video, quid aliud præmolliendo ita vehementi nostratium dissidiorum paroxysmo, vel optare vel consulere possim, quam moderatam aliquam syncatabasim, id est, condescendentiam, qua utraque pars se nonnihil accommodet, et hactenus tamen obsecundet, ut immobilia et publica, et universali superiorum ab ineunte jam Ecclesia auctoritate inducta, nisi per eamdem, hoc est, etiam publicam immota sint; privata certe cujusque affectione, ne dicam, libidine ne moveantur. Sine hac, inquam, condescensione, nulla neque restat neque constat concordia, sed periculi e contrario permultum est, ne dum nos invicem supportare, dum alter alterius onera portare, dum de jure nostro vel tantillum decidere adeo præfracte recusamus, totius jacturam faciamus. Ad hanc concordiæ viam utroque semper oculo collimavimus, eodem hactenus spectaverunt conciones, consilia , semperque vita comite, et Domino dante, spectabunt scripta nostra ».

34. Qui acutius rem cernebant, non aliam ineundæ concordiæ cum Calvinistis rationem esse censebant, quam ut Calvinistæ ejurata impietate Catholicam religionem profiterentur, nec se Ecclesiæ fictæ nuper instar fungorum enatæ, sed veteri ab Apostolis ad hanc ætatem universum per orbem propagatæ adjungerent, nec concordiæ specie rem Catholicam prodi ferre poterant, de quo Claudius Espencæus, qui ad Adiaphoristas inclinabat, in litteris ad Odettum Castilloneum, quem hæresim alere ignorabat, ita querebatur: « Tale nobis tempus pepererunt, tum sectæ, tum hypocritæ, ut jam quod nuper Luthero Erasmus impegit, de Deo nec bene loqui liceat, nec male, nec ulli pejus utrinque audiunt aut inhumanius accipiuntur, quam qui de partibus invicem conciliandis tractant aut cogitant, qui quæ ad pacem sunt Hierusalem propter fratres et proximos suos rogant, aut loquuntur, quique eis qui adhuc longe sunt legatione missa de pacis conditionibus agunt. Mirum ab Evangelicis, quam parum Evangelice, ab Ecclesiasticis, quam nihilo magis Ecclesiastice tractantur ; atqui talium criticorum alii de sua non tamen præsenti apud Deum in Christo gratia et justitia, sed etiam de vita cum Christo in Deo abscondita, de æterna sui ad salutem destinatione et præscientia, de sui quisque nominis certissima, et indelebili in cœlis et in libro vitæ inscriptione securi perinde pronuntiant [1], ac si ab æternis Deo consiliis aut secretis, et quodam quasi modo coæterni fuissent. Alii Ecclesiam, ut vere est, veritatis columnam et firmamentum, nec unquam in fide defecturam, nec inferi portas adversus eam prævalituras sic confidant et defendant, ut in ejus se castris esse merere ac militare non contenti,

[1] Claudius Espencæus in Ep. ad Michael. Hospitalium Canc. 628.

[1] Aug. de bapt. l. II. c. 5.

eam quoque illam ipsam viventis Dei domum, sese esse præfracte contendant, ac proinde se in fide, ac in bonis moribus judicandis indefectibiles esse, indeviabiles, inobliquabiles. In tanta, inquam, partium contentione, quis quid commodius utrisque, quam cum Augustino dicat; homines sumus, et aliter quam res habet sapere, humana tentatio est : sententiam autem suam nimis amando, ad præcidendam usque communionem pervenire, diabolica præsumptio : at in nullo falli aut desipere, angelica perfectio ; cum ergo homines re simus, spe Angeli, eis resurrectione æquales futuri, quamdiu Angeli perfectionem non habemus, diaboli præsumptionem non habeamus; tentatio nos non apprehendat nisi humana ».

35. Allidi se sinit iis verbis ad impietatis Adiaphoristarum sive indifferentium scopulos Claudius Espencæus in Scola Sorbonica clarus, dum concordiam bello funestiorem sectatur; impie enim nolebat hæreticos damnari anathemate, atque ab Ecclesiæ communione segregari, a qua tamen jam se ipsos per prava dogmata secreverant, de quibus dicit Apostolus Judas : *Hi sunt qui segregant semetipsos, animales, spiritum non habentes.* Ac tantum abest, ut nimiæ severitatis Romanus Pontifex accusandus fuerit, ut potius de nimia illius indulgentia conquerendum esset , ni patris indulgentia fuisset. Damnavit Pius hoc anno Nannetensem episcopum hæreticum decretoria anathematis sententia, ut habent Acta [1] Consistorialia : « Die Veneris XVI Aprilis MDLX. Ad relationem reverendissimi D. Saraceni fuit condemnatus episcopus Nannetensis, et pronuntiata sententia, prout in cedula sanctissimi Domini nostri ». Sacris etiam interdictus erat episcopus Nivernensis qui propter patrui impietatem suspicione perstrictus fuerat, sed cognita ejus innocentia in Consistorio eodem XVI Aprilis habito absolutus est, liberaque illi sacrorum administratio permissa.

36. *Armeniacus cardinalis in Galliam mittitur ad confirmandum in fide regem et reginam Navarræ.* — Ad convellendam etiam gliscentem in Benearnia hæresim, asserendamque Catholicam religionem, Pontifex Georgium Armeniacum cardinalem misit, jussitque ut Antonium Navarræ regem ad præcipitia hæreseos declinantem, ut ferebat fama, officii præmoneret, de quo hæc ad Franciscum regem scripsit [2] :

« Charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Inviti quidem fecimus, ut dilectum filium nostrum Georgium tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem de Armeniaco vocatum, a nobis dimitteremus; etenim consilium et fides ejus nobis et Sedi Apostolicæ valde opportuna erant : sed tamen cupientem Ecclesiam sibi commendatam revisere, eo facilius discedere passi sumus, quod non ignoramus in illis partibus hæreticæ pravitatis pestem late admodum serpere, corroborarique cœpisse, cui malo reprimendo, populisque in fide Catholica continendis præsentiam viri tanta virtute , solertia atque industria præditi peropportunam fore existimavimus. Dedimus autem ei inter cætera hoc quoque in mandatis, ut postquam majestatem tuam, et nostro et suo ipsius nomine salutaverit, ad charissimum in Christo filium nostrum Antonium Navarræ regem se conferat, de quo, quia rumores duriores sunt, mandavimus, ut eum nostro nomine diligenter officii sui admoneat, quæque in regno illo ac dominio Benearniæ correctione egere cognoverit, auctoritate nostra emendet. Non egere ipsum cardinalem commendatione nostra persuasum habemus, cum majestati tuæ nota esse sciamus, et perpetuum ejus erga te studium, et observantiam, et insignem fidem, ac merita erga claræ memoriæ patrem et avum tuum reges Christianissimos; sed tamen, quod hanc ipsam quoque ob causam præter eximiam virtutem suam, et vitæ ac morum honestatem nobis charus admodum et probatus est, hortamur majestatem tuam, ut erga talem virum, ita de regno Gallico meritum, pristinam benevolentiam suam non conservet modo, sed etiam augeat sicut facturam eam esse confidimus. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub Annulo Piscatoris die XIII Julii MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

37. Quod ad duriores de Antonio Navarræ rege rumores attinet [1], Ambasianæ conjurationis fuisse illum conscium refert Belcarius, atque etiam Theodorum Bezam perditissimum hæresiarcham, aliosque Calvinianos ministros Gebenna Neracum accersivisse, eorumque nefariis concionibus interfuisse. At Bouchartus Navarrei regis scrinio præfectus , litteris ad Galliæ regem, necnon ad cardinalem Lotharingum datis, monuit Antonium regem non assensisse, licet a fratre Condeo a Gebennensibus ministris persuaso ad perturbandam regni pacem incitaretur. Quod vero ad auditas ab Antonio rege pestiferas ministrorum Calvinianorum conciones attinet, de his monitus Pontifex [2], illum amantissimis litteris monuit, ut in admittendis concionatoribus cautior esset, ne se in hæreticorum errores impelli sineret, sed in avita religione , in qua tot reges pietate inclaruerant, constanter hæreret, filiosque in orthodoxa fide educandos curaret.

« Charissimo in Christo filio nostro Antonio Navarræ regi illustri.

[1] Ms. card. Spadæ sig. num. 34. — [2] Pius IV. to. I. brev. sign. num. 2896. Ep. CCLIV.

[1] Belcar. l. XXVIII et XXIX. l. XXIX. num. 3. — [2] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCLVIII.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Quia serenitatis tuæ existimatio et salus nobis chara est perinde ac debet, idcirco non potuimus non commoveri, cum ad aures nostras rumores quidam de te indigni pervenerunt. Mirum nobis admodum et propemodum incredibile visum est, te Christianissimis ortum majoribus potuisse, tam cito, tam levibus hæreticorum argumentis in errorem impelli, et ab ea fide temere deductum, quam parentes ac majores omnes tui perpetuo tenuerunt, quamque et ipse in Baptismo professus esses, et per tot annos tenuisses, in perniciosissimam et tantopere damnatam hæresim præcipitem actum fuisse. Tandem vero accersitum ad nos dilectum filium nostrum Georgium tit. S. Laurentii in Lucina presbyterum cardinalem de Armeniaco appellatum, his de rebus diligenter percontati cum essemus, fecit perspecta ejus et probata admodum nobis fides, ut plus uni de te, quam cæteris omnibus credendum esse putaverimus ; officii autem nostri memores, cupientesque hos de te rumores celeriter extingui, tuumque nomen in debito esse apud omnes honore et gloria, hortandam in Domino serenitatem tuam esse a nobis duximus, et paterne monendam, ut in concionatoribus admittendis admodum cautus sis, ne nimis facile quosvis divini verbi prædicatores admittas, multi enim in vestimentis ovium veniunt, qui intus lupi rapaces sunt, et Christum assidue in ore habent, quem corde et factis negant, veritatisque Evangelicæ magistros et doctores se esse profitentur, cum eam tamen maxime oppugnant. Hujusmodi impostorum sermo serpens ut cancer diligentissime vitandus est, et providendum ne subjectos regno tuo populos perniciosa doctrina sua imbuere possint. In ea autem fide tibi, charissime fili, reliquisque vivendum est, quam a matre tua Ecclesia didicisti, quæ perpetuo tot sæculorum consensu reeepta fuit, quam parentes et majores tui, quorum vestigiis insistere debes tenuerunt, quam omnes omnium nationum et ætatum sancti Patres secuti sunt. Illud etiam serenitati tuæ attendendum est, oportere te isto loco positum, non crimine solum hæresis, sed quavis etiam levissima suspicione ejusmodi criminis carere ; quo enim altiore in gradu dignitatis locatus es, et plus talis de te suspicio cæteris obesse posset. Curandum vero est, ut liberos tuos ab iis erudiendos et instituendos cures, quorum tum institutione doctrinaque Catholica, tum moribus etiam et exemplis meliores fieri possint, quibus de rebus ipsi cardinali, quem existimationis et dignitatis tuæ studiosissimum novimus, ut nostro nomine coram ipse quoque tecum diligenter agat, mandavimus, hortantes te, ut tum quæ nos scripsimus, tum quæ is dicet, in eam partem accipias, ut a paterna erga te charitate, et cum famæ, tum salutis tuæ studio proficisci persuasum tibi habeas. Dedimus ei præterea in mandatis, iis, quibus opus fuit, facultatibus impertitis animarum saluti simul, et regno isti, et dominio tuo Benearniæ consulere cupientes, ut in illo regno, et aliis ditionis tuæ locis, ea quæ emendatione indigere perspexerit, corrigat, detque operam opportunis remediis adhibendis, ut mala quæ sananda fuerint sanet, provideatque ne quid admittatur, quod boni cujusquam animum offendere, aut honorem et dignitatem tuam regiam lædere ac violare possit, quæ quidem illumque pro sua egregia et præstanti fide, prudentia, dexteritate sedulo curaturum esse confidimus. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die III Junii MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

38. Nec Benearnia modo hæresi admodum infecta erat, sed etiam aliæ urbes, et oppida, quibus Antonius rex et Joanna regina dominabantur, dira Calvinismi peste latius ingravescente polluebantur, de quo apud Joannam reginam gravissime Pius questus est [1], eamque monuit, ut opinionem optimam de ipsa ac viro a Georgio cardinale Armeniaco confirmatam tueretur, ne abjiceret fidem, quam in baptismalibus sacris erat professa, quæ omnium sæculorum consensu erat recepta, tot doctorum testimoniis, tot sanctorum miraculis, tot Martyrum sanguine constabilita.

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Joannæ Navarræ reginæ illustri.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem. Serpere adeo et corroborari in regno isto, locisque aliis serenissimi regis conjugis tui hæreticam audimus pravitatem, ut non possimus non magnopere iis, qui de vobis disseminati sunt, rumoribus commoveri ; cujus nostræ de vobis sollicitudinis testem habemus dilectum filium nostrum Georgium cardinalem de Armeniaco vocatum, qui quidem consolari nos et ut quam optime de vobis speremus adducere conatus est ; itaque tam idoneum hominem existimationisque et dignitatis vestræ tantopere studiosum nacti, præterire noluimus, quin his te litteris hortaremur et moneremus, ut generis et salutis tuæ memor ab omni non modo hujusmodi crimine, sed ejus etiam suspicione integram te conservare velis, neque hæreticorum fraudibus abduci te ab ea fide patiaris, quam majores tui constantissime tenuerunt, et in his ille claræ memoriæ Franciscus Francorum rex patruus tuus uon cognomine modo, sed re ipsa Christianissimus, et mater tua piissima, et sanctæ Ecclesiæ præceptorum observantissima regina, quam fidem ipsa in Baptismo professa es, quæ denique omnium sæculorum consensu recepta,

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCLVI.

et tot sanctorum, non auctoritate modo, sed etiam sanguine comprobata fuit, nec ab Ecclesia Catholica, quæ una est, extra quam salvus esse nemo potest, corpore segregeris, sed ipsa in religione Catholica maneas, et eadem filios tuos, ut debes, imbuendos cures, omnibus denique et dictis et factis te vere Catholicam reginam et Christianissimorum regum progeniem ostendas; quibus de rebus ipsi cardinali in mandatis dedimus ut ipse quoque tecum et cum serenissimo rege conjuge tuo verbis nostris agat. Proinde, ut hæc, quæ ipsi scripsimus, et quæ is tecum loquetur, in optimam partem accipias, et a paterno erga te amore nostro profecta esse existimes, sicut scrutator cordium novit Deus, serenitatem tuam rogamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die III Julii MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

39. *Calvinismus in Gallia proficit et vexat regnum.* — Damnavit quidem Antonius rex Calvinisticam hæresim, atque majorum religioni constanter insistendum sibi decrevit : verum Joanna hæsit in flagitio, licet illud impia hypocrisi tegere conata sit, atque in fallacem speciem obsequium addixerit Pontifici, ut paulo inferius dicemus. Licet vero, conjuratione Ambosiana oppressa, hæresis pariter oppressa videretur, tamen illa in nonnullis provinciis signa sui furoris edidit, atque ex illa conjuratione, velut ex sopito male incendio, novæ conjurationes in Gallia exarserunt. In Phocensi provincia Antonius ac Paulus Movani fratres nobilitatem avitam cum fœdassent Calvinismo, omnem late regionem fœdaverant, ac licet Antonius Pragvignani sub Henrico rege a populo cæsus fuisset [1], Paulus tamen in hæresi obfirmatus, militarique præsidio septus sexaginta pseudo-ecclesias sive Calvinistica conventicula constituerat, coactisque bis mille equitibus ac magno peditum numero, Aquensem civitatem, inita cum aliquot civibus perfidiæ sociis intercipere meditatus est, sed virtute civium, qui Tendanum comitem excivere, repulsus est, ac licet pactione militari cum Tendano obtinuisset, ut domi suæ consistere, et hæreseos sacra, vel impuras execrationes colere posset, tamen ob templorum expilationes et alia flagitia sibi metuens Gebennam perfugit. Irrepserat eadem lues in comitatum Avenionensem, atque Alexander Huiotinus jurisperitus, cum a Pontificiis magistratibus in crimen susceptæ impietatis Calvinistæ adduceretur, a sociis violatæ religionis reis accepto procuratorio instrumento ad Mombrunum ab avita nobilitate degenerem, atque audacissimum ad omne scelus, perfugit, fugamque meditantem, quod a senatu Gratianopolitano in crimen rebellionis in regem ac regios magistratus propugnatæque hæreseos vocaretur, cum suis ad invadendum comitatum Avenionensem pellexit, cumque icto fœdere impio, simul Vezonum et Malossenum eodem die occupare statuissent, Huiotinus adversa valetudine implicitus consilio abstitit, at Mombrunus Malossenum intercepit, vires in Vezonianos conversurus, at Jacobus Maria Salla Vivariensis episcopus prolegatus Avenionensis copias ex finitimis provinciis ad comprimendos ferocientes Calvinistas contraxit, ac Pontifex de his tumultibus certior factus Franciscum Turnonium cardinalem in Galliam revertentem, cum Francisco rege agere jussit, ut auxilia Avenionensi prolegato submitteret, tum Georgio cardinali Armeniaco dedit mandata [1], ut absente Alexandro Farnesio cardinale Avenionensi legato Avenionem peteret, civesque adversus novatorum molitiones in Romanæ Ecclesiæ fide et obsequio contineret.

« Dilecto filio nostro Georgio tituli Sancti-Laurentii in Lucina presbytero cardinali, de Armeniaco appellato.

« Cum allatum ad nos fuerit a Mombruno quodam iniquitatis filio hæreticorum duce oppidum Malosenam comitatus nostri Venaysini ditionis Sanctæ Romanæ Ecclesiæ nuper occupatum fuisse, hortati sumus per litteras venerabilem fratrem nostrum Franciscum episcopum Ostiensem, quem pervenisse jam ad aulam Christianissimi regis putamus, ut hoc negotium virtute et pietate sua dignum suscipiens, Christianissimum regem, cujus animum ipso et claræ memoriæ patre et avo suo Christianissimis regibus, aliisque majoribus suis dignum esse minime dubitamus, excitet ad opem et auxilium sanctæ Romanæ Ecclesiæ fovendum, et nefariorum hominum reprimendam et ulciscendam audaciam sacrilegosque conatus : sed quia necessarium esse intelligimus absente legato, quempiam magnæ auctoritatis virum, et illis populis gratum esse, qui præsentia, virtute et prudentia sua eorum populorum nostrorum, quos paterna charitate diligimus, quieti et incolumitati consulat, quique oppidum illud ex hæreticorum manibus ereptum Sedi Apostolicæ recuperet, consiliis iis, quæ tempus postulare cognoverit capiendis, ad circumspectionem tuam, quam Catholicæ fidei et dignitatis hujus Sanctæ Sedis studiosissimam esse novimus conversis mentis nostræ oculis, eam ad obeundum munus aptissimam esse judicavimus, laborem hunc libenter divini obsequii et sanctæ hujus Sedis causa suscepturum esse confisi, etc. » Dat imperia, ut Avinionem se conferat, civesque adversus novatores confirmet. « Datum XXI Augusti MDLX ».

40. Acceptis porro Pontificiis litteris cardinalis Turnonius [2], qui tum adverso Rhodano Lugdunum petebat ad Mombrunum affinem

[1] Belcair. Comm. rer. Gall. l. XXVIII.

[1] Pius IV. lib. brev. sign. 2896. Ep. CCXCVIII. — [2] Belcair. l. XXVIII. num. 60.

neptis suæ virum scripsit, ut arma poneret, sed nihil apud pertinacissimum hominem perfecit, regem vero permovit, ut ad eum perdomandum auxilia decerneret, adeo ut a Delphinatium nobilitate has leges accipere coactus sit, ut dissolutis copiis ipse, et qui eum erant secuti, domum bini redirent, Romanæ Ecclesiæ ritus [1] et sacra retinerent, si id recusarent, et regno et Venusino comitatu exirent, Mombruno vero permissum, ut cum iis, quos vellet comitibus, mensis flexu domum rediret : at ille præsenti subductus periculo pactis non stetit.

41. Oborta quoque seditio Valentiæ in Delphinatu [2], quam Joannes Monlucius episcopalis ordinis proditor venenatis concionibus infecerat; licet enim diu hypocrisi flagitia subornarit, demum a Pontifice damnatum anathemate ob crimen hæreseos visuri sumus ; in ea ergo urbe Calvinistæ, inter quos Mirabellus et Quintellus principem locum obtinebant, publice hæresim profiteri proterve ausi sunt, ac primum gymnasium, in quo juris civilis interpretatio docebatur , dein Franciscanorum templum occuparunt, quorum funestum exemplum Sanromanenses et Montelimardenses secuti sunt, sed dux Guisius Delphinatium prætor misso Malgerone viro militari eum furorem compescuit.

Nec minus in Normannia [3] Calvinistarum projecta audacia sese extulit. Miserat Catharina regina in eam provinciam Gasparem Colinium Castillionem classis Gallicæ præfectum, horum temporum facem ac turbinem, ut exorientes tumultus reprimeret, at ille eos magis concitavit, cujus persuasione Dieppenses , Cadomenses, ac Fani-Loii cives Calvinisticæ impietatis ritus publice exercuerunt , idemque Rothomagi accidisset, nisi senatus sua prudentia impiorum impetum cohibuisset; in ea urbe ludi litterarii magister Anabaptista trium linguarum Latinæ, Græcæ et Hebraicæ egregie peritus novum et insanum dogma invexit : jactavit se novum Dei prophetam divinis afflatibus collustrari, stultamque populi multitudinem ad suas conciones pellexit , in quibus facundia usus in campis, nam excludebatur urbe , suadebat auditoribus Antichristum vi armorum brevi periturum, atque hoc nomine designabat regem, quo Calviniani Pontificem depingebant, non successisse Ambosianam conjurationem, quod ipse non præfuisset, se exercitus ducem a Deo selectum, ut omnes impios everteret atque terris exturbaret, nec principibus, nec magistratibus parceret, se non ante moriturum, quam mundum ab omni labe peccati purum, atque omnis peccati exortem statueret : moliebatur instar Joannis, sartoris Leydensis, novum imperium condere, atque alia fanaticorum Anabaptistarum deliramenta venditabat. At brevi periit suis fraudibus impostor, a Borbonio enim cardinale Rothomagensi antistite, et prolegato provinciæ ac senatu comprehensus, quæstione habita, flammis traditus est, omnisque ejus jactantia in fumos abiit, cujus cognati duo fraudibus adeo erant fascinati, ut nunquam eum crediderint moriturum, donec redactum in cineres videre, quibus gula fracta est. Ita ea factio dissipata est.

42. *Tentat Pontifex tum per litteras, tum per diversos principes Elizabetham ad veram fidem revocare.* — Tot Galliarum turbæ Scoticum bellum traxere, de quo antequam agamus, de Elisabetha Angliæ regina, quæ illud movit, nonnulla præmittenda sunt. Potiebatur illa Angliæ et Hiberniæ sceptris, sed iniquo jure, cum adulterio suscepta esset , suspectaque etiam esset ejus natalium origo, num ex Henrico eam traxisset, cum ejus mater Anna Bolena ob admissos plures amatores capitali supplicio esset affecta, adeo ut ob minorem longe suspicionem Mariam Alphonsi regis Castellæ filiam ab Hispanis sceptrorum jure deturbatam viderimus : spectabat vero jure sceptrum Anglicum ad Mariam Stuartam Henrici VIII ex sorore proneptem, atque adeo illa, extincta Maria regina, mox Anglici regni insignia assumpserat, consulente Lotharingo cardinale, eamque reginam optabant Angli [1] qui ab avita religione non defecerant, tum ut tota insula in duo regna divisa in unum redintegrata coalesceret, nec deerant spes e Scotia educendæ, conjunctis Gallorum viribus, expeditionis, maxime si Philippus Hispaniæ rex odio hæreseos, quam Elisabetha profitebatur, se Gallis adjungeret, ut antea inter Henricum, cum Italicis rebus cessit, ac Philippum transactum videbatur. His curis anxiam Elisabetham adhortatus est Pontifex amantissima legatione ac paternis litteris, ut orthodoxam religionem abjecta impia hæresi amplecteretur, monuitque ut caveret a pravis suasoribus, qui suis tantum commodis inescati, regiæ illius dignitati asserendæ ac saluti non studerent, paratissimumque se ad illam in gremium Ecclesiæ recipiendam exhibuit, tum de Concilio Œcumenico celebrando certiorem fecit, provocavitque ad immortalem gloriam ex tam egregio facto colligendam; legatione functus est Vincentius Parpalia abbas Elisabethæ cognitus; litteræ vero subjectis verbis conceptæ fuere [2] :

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Elisabethæ Angliæ reginæ illustri.

« PIUS PAPA IV.

« Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem. Quantopere cupiamus, nostro ita pastorali officio postu-

[1] Belcair. l. XXVIII. num. 61. — [2] Ib. num. 56. — [3] Ib. n. 57.

[1] Belcair. l. XXVIII. num. 51. — [2] Pius IV. tom. I. brev. sign. num. 2896. Ep. CCXIV.

lante, saluti tuæ consulere, et honori tuo simul regnique stabilitati prospicere, et scrutator cordium novit Deus, et ipsa intelligere poteris ex mandatis, quæ dilecto huic filio Vincentio Parpaliæ abbati Sancti-Salvatoris, homini tibi noto nobisque probatissimo, ad te dedimus. Proinde hortamur et monemus celsitudinem tuam etiam atque etiam, charissima filia, ut repudiatis malis suasoribus, qui non te, sed ipsos se amant, suisque ipsorum cupiditatibus inserviunt, Dei timorem in consilium adhibens, tempusque tuæ visitationis agnoscens, paternis nostris monitis salutaribusque consiliis obtemperes, omniaque de nobis polliceare, quæ non modo ad animæ tuæ salutem conservandam, sed etiam ad dignitatem tuam regiam stabiliendam et confirmandam, pro auctoritate, pro loco, ac munere, quod nobis a Deo commissum fuit; a nobis desideraris, qui te, sicut optamus et speramus, si in Ecclesiæ gremium redieris, eodem quo Evangelicus ille Pater reversum ad se filium amore sumus, et honore ac lætitia recepturi, quanquam eo major lætitia nostra futura est, quod is unius filii salute gavisus est, tu tecum una universos Angliæ populos trahens, non solum ex tua, sed ex totius nationis salute nos et universitatem fratrum nostrorum, quos propediem, Deo juvante, ad tollendas hæreses in Œcumenico generalique Concilio congregatos audies, universamque Ecclesiam lætitia complebis, quin etiam cœlum ipsum exhilarabis, ex tam memorabili facto admirabilem nomini tuo gloriam, et multo splendidiorem ea quam geris coronam adeptura ; sed hac de re pluribus verbis idem Vincentius tecum aget, ac nostrum tibi paternum animum declarabit, quem, ut benigne excipias diligenterque audias, eamdemque, ut ejus orationi fidem habeas sicut nobis ipsis, serenitatem tuam rogamus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die v Maii MDLX, Pontifi. nostri anno I ».

43. Plurimum auctoritate pollere apud Elisabetham credebatur Philippus Hispaniæ rex, ut qui conjurationis in Mariam reginam conflatæ ream, jam ante vitæ reservasset, ac sine cujus præsidio ægre adversus Mariæ Stuartæ Scotiæ et Galliæ reginæ potentiam se tueri posset. Philippum ergo regem Pontifex hortatus est, ut omnem regiam operam pro Elisabetha et Anglia ad fidei Catholicæ conjunctionem revocandis collocaret, tum etiam significavit; Anglis hæresim profitentibus, Belgii provincias in maximum discrimen adductum iri, necnon immortale decus, Anglis ad veram religionem conversis vindicatisque ab æterno exitio, sibi comparaturum [1] :

« Charissimo in Christo filio nostro Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Cupientes pro muneris a Deo nobis commissi officio damnum illud sarcire, tam grave et tam deplorandum, quod obitu piæ memoriæ Mariæ Anglorum reginæ uxoris olim tuæ fecit Ecclesia, regnumque illud iterum ipsius Ecclesiæ unitati, Deo juvante, restituere, misimus illuc hominem idoneum cum litteris et mandatis, sicut majestas tua certior fiet a dilecto filio nobili viro Francisco Varga oratore apud nos tuo. Hunc cum pro tua pietate Catholicæ religionis studio desiderium hoc nobis tecum sciamus esse commune, confidimus majestatem tuam, ubi hoc consilium nostrum cognoverit, hortationi nostræ locum minime relicturam, sed omni cura, studio, diligentia et auctoritate sua enixuram, ut regina, quæ hodie illud regnum tenet, monitis nostris et consiliis salutaribus obtemperet, quod eo studiosius majestatem tuam facturam esse speramus, quod cum superioribus annis regnum illud Ecclesiæ reconciliatum fuit, secundum Deum magna ex parte id opus tuæ pietatis fuisse, teque summam in ea re laudem ab omnibus consecutum esse meminimus : intelligis autem pro tua pietate datam tibi idcirco a Deo summam pacem summamque tranquillitatem fuisse, nimirum, ut ad tollendas undique hæreses, bellumque hoc intestinum Ecclesiæ sedandum, omnem curam et diligentiam tuam converteres. Nosti quoque pro tua sapientia quantopere tuis Angliæ finitimis ditionibus expediat regnum illud ab hæretica pravitate purgari, sed cum te tua sponte paratum esse persuasum habeamus ad hanc rem perficiendam, nos adhortando longiores non erimus : tantum, charissime fili, petimus, ut si quid rogatu et precibus nostris paternis addi ad tuum hujus rei studium potest, addere velis, et pro fœcundissimis rerum tuarum eventibus gratum tuum erga Deum animum in hoc opere, quo nullum est sanctius, nec Catholico rege dignius declarare. Rogamus præterea, ut nuntio nostro hac re nomine nostro tecum agenti parem fidem habeas, atque haberes nobis ipsis. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die v Maii MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

44. Habebat Philippus rex in Elisabethæ aula oratorem episcopum Aquilanum pietate et doctrina spectabilem, qui in Catholicis Anglis in vera religione confirmandis, ac promovendis religionis rebus sedulam operam navabat, quem Pontifex de piis ejus studiis gratulatus, hortatus est, ut idonea opportunitate usus, Elisabethæ reginæ sana consilia æterni regni assequendi orthodoxæque pietatis restituendæ suggereret [1] :

« Venerabili fratri Alvaro de Quadra epi-

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCXVII.

[1] Pius IV. to. I. sig. num. 2896. Ep. CCLIX.

scopo Aquilano regis Catholici in Anglia oratori.

« Venerabilis frater. Cum ex litteris tuis scriptis dilecto filio nobili viro Francisco Vargæ charissimi in Christo filii nostri Philippi Hispaniarum regis Catholici apud nos oratori, tum ex ejusdem oratoris largo et accurato sermone libenter cognovimus, quam pio animo, quantoque Catholicæ fidei et Sedis Apostolicæ studio isthic et in religione Catholica manentes confirmare coneris, et cæteros, quos a recto itinere humanæ salutis hostis abduxit, in salutis viam tuis hortationibus reducere. Ista sunt officia digna regis oratore Catholici, ista ordinem et personam tuam decent; laudamus vehementer hac in re diligentiam et pium studium tuum. Placeat Omnipotenti Deo pro sua misericordia ejus animum, cujus in potestate est hoc tempore regnum Angliæ, impellere, ut salutaribus monitis et consiliis tuis acquiescat. Tu vero defatigari noli, dum isto apud eam munere fungeris, opportuno atque apto tempore ea suadere illi, quæ ad æternam salutem animæ ipsius et tot populorum pertinent, atque ut sibi et regno consulat atque prospiciat hortari : quam ad rem quidquid tibi illique a nobis auxilii afferri potest, omni animi studio deferimus. Deus Servator omnium novit, quam paterna sollicitudine ejus saluti simul et honori, ac nobilissimi quondam regni incolumitati consulere cupiamus, quæ quidem si fieri posset, nostro ipso cum sanguine redimeremus. Istius tu quidem piæ sedulitatis mercedem a Deo bonorum omnium remuneratore assequeris, sed ne nos quidem talium officiorum immemores erimus, etc. Decima Martii MDLX ».

45. Præter Philippum regem Hispaniæ adhibuit Pontifex interpretem concordiæ cum Romana Ecclesia instaurandæ, publicæque Anglorum salutis promotorem apud reginam Elisabetham Ferdinandum Cæsarem, cui conceptas spes Anglorum gentis ab impietate ad veræ religionis cultum revocandæ significavit, utque Cæsaream operam pro legatione Pontificia provehenda conjungeret, reginamque Elisabetham, et litteris, et nuntiis ad pristinam Ecclesiæ conjunctionem redintegrandam impelleret [1], postulavit :

« Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando Hungariæ et Bohemiæ regis illustri in Romanorum imperatorem electo, etc.

« Pastoralis nos officii ratio impulit, ut tentemus, si tantum damnum, quod Ecclesia fecit post obitum piæ memoriæ Mariæ reginæ defectione illius regni, Deo juvante, sarcire possimus, regina, quæ illi successit, una cum populis Angliæ ad unitatem Ecclesiæ Catholicæ iterum revocata, cujus rei nonnullam in spem venimus; itaque misimus ad eam cum litteris et mandatis dilectum filium Parpaliam Sancti-Salvatoris abbatem, hominem nobis probatissimum, et propter notitiam, quam habet, hominum et rerum illarum, valde ad hoc negotium tractandum idoneum. Nunc majestatem tuam, cum idem quod nos cupere pro suo in Catholicam fidem studio sciamus, hortamur et rogamus, ut ad hanc tam piam actionem nostram adjuvandam omni cura, diligentia et auctoritate sua velit incumbere, et cum per litteras, tum etiam per nuntios reginam hortari, ut nostris salutaribus consiliis acquiescens ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem redeat, salutique suæ et regno simul hac occasione oblata consulat, impetratura a nobis quidquid ad stabiliendum regnum suum esse duxerit postulandum, quod quidem secundum Deum a nobis concedi possit, etc. V Maii MDLX ».

46. *Fracta in Scotia potentia Gallica.* — Cecidere irriti piissimi conatus Pii Pontificis, fracta Gallica potentia, illaque cujus terrore Elisabetha ad officium redigenda sperabatur [1], Hispano et Cæsareo fœdere fulta se adversus jura Mariæ Stuartæ Scotiæ, et Galliæ reginæ, quibus titulis Anglicum adjunxerat, tueretur, Calvinianorumque rebellio in regem Galliæ concitata fuerit. Certior illa facta fuit, ut antea indicatum est, a Gaspare Colinio Castilionæo, Calvinianæ impietatis ac factionis signifero, de conjuratione, cujus ipse erat architectus, in Franciscum regem et Guisios conflata, societatemque cum eo coivit, quam in maximam Galliæ perniciem tot annis aluit : erectaque animis ob tumultus Gallicos, perduellium Scotorum hæreticorum patrocinium arripuit, atque a Colinio Gallicæ classis præfecturam gerente incitata, cum Guisii reginæ Stuartæ avunculi Jacobum Brossianum rei militaris peritissimum legatum regio nomine cum copiis in Scotiam misissent, curassentque a Pontifice Romano Nicolaum Pelleucum Ambianensem episcopum legatum mitti, ut regina vidua soror, quæ regnum Scotiæ administrabat, uteretur ejus opera ad eos Scotos, qui ad Calvinum defecerant, ad Romanæ religionis pristina instituta amplectenda reducendos cogendosque ; scriptum vigesima quarta Martii in vulgus edidit, quo de Anglici regni insignibus a Maria Scotiæ et Galliæ regina correptis, deque missis in Scotiam Gallicis copiis vehementer questa est, conceptasque suspiciones belli e Scotia ad Angliam invadendam a Gallo rege gerendi divulgavit, regemque Franciscum ac Mariam reginam excusans, in Guisios, qui ardentes ambitione, rejectis regiæ stirpis principibus, in tenera regis ætate regis procurationem sibi arrogassent, invidiam omnem detorsit : ne vero inopino impetu Anglos

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. num. 2896. Ep. 211.

[1] Belcar. l. XXVIII. num. 50.

opprimant, se terra marique copias contrahere; atque hostium conatus occupare decrevisse; itaque duos validos exercitus terra marique in Scotiam immisit, urgente illam proditore Colinio, seditionesque in Gallia[1] accendente: ac licet Franciscus rex misso ad Elisabetham Joanne Monlucio Valentinensi pseudoepiscopo oratore eas suspiciones amovere conatus sit, ac pacis studium declararit, illa Lethæ portum mille passibus Edimburgo regia Scotiæ civitate distantem ab hæreticis incitata, terra marique ineunte Aprili obsedit, cui Scoti rebelles Calvinistæ ad duodecim millia se conjunxere, adeo ut Elisabetha in Scotiæ potiundæ spem veniret, nam Galli imprudenti consilio usi, non modo fundos eorum, qui hæresim sectati erant, proscripserant, sed etiam indicto vectigali novo populum ad defectionem irritaverant, dum putarent cum solis Scotis sibi rem fore. At eæ Elisabethæ spes dissolutæ sunt, licet enim Galliæ rex civilibus implicitus dissensionibus novas in Scotiam copias contra Anglos summittere non potuerit, tamen Jacobus Brossianus regius legatus fortissime Anglorum impetus excepit, crebrisque eruptionibus attrivit, at demum cum vires Scotorum Calvinistica factio distraxisset enervassetque, nec Galliæ rex novas subsidiarias copias submittere posset, tandem X kalendas Augusti iniquissimis his conditionibus, quibus res Catholica in Scotia pessumdata est, pax inter Anglos et Scotos redintegrata: Ut hæretici, qui defecere ab avita religione sumpsereque arma, ea pro patriæ libertate et immunitatibus conservandis a Francisco et Maria Stuarta jure sumpsisse declarentur, ut Edimburgensibus liberum sit, quam velint religionem profiteri, reliqui sectarii sua instituta et ritus a rege, et regina uxore, ac regina vidua regni administratrice exercere permittantur, Lethana arx diruatur, Galli milites in Galliam redire cogantur, insulæ Equariæ propugnaculo, ac Dombarræ arci rex et regina sexaginta tantum præsidiarios cuique imponere, nec plures possint; munera honoraria ac dignitates Scotis tantum, non Gallis conferantur, rex et regina Galliæ titulos atque insignia Angliæ in posterum abjiciant, leges, statuta atque consuetudines Scotiæ, exceptis his, quæ ad religionem pertinent, retineantur. Ita Elisabetha hæresim Calvinisticam in Scotia asseruit, ac Scotos hæreticos suis partibus adversus reginam Scotiæ adjunxit, et sacra illa consilia Angliæ per Scotiam subjiciendæ veteri religioni penitus evanuerunt. Philippus vero Hispaniæ rex, qui exosam habebat Gallorum potentiam, non advertit, confirmata hæresi in Anglia et Scotia, etiam in Belgii provincias illam propagatum iri, ac perduellibus ipsius aliquando auxilia subministranda, quamvis a Pio Pontifice præmonitus esset. Cæterum ejus pacis beneficio Edimburgum reginæ administratrici exeuntibus hæreticis, qui ejus urbis cives non erant, ac Palatium Cœnobii Sanctæ-Crucis restitutum; regina vero Angliæ exercitus suos e Scotia revocavit, atque in posterum negotia administrationemque Scotorum non curaturam pollicita est, sed promissa infregit, nec pacis fœdera cum Galliæ rege coluit, sed astu, et tacitis artibus, ac vi conjuratos juvit, ut inferius dicetur.

[1] Belcar. l. XXVIII. num. 52, 53, 54, 55.

47. *Celebres ordinum conventus apud Fontem-Bellæaquæ, in quibus edictum Remorentinense funditus evertitur.* — Fracta ita atque elisa in Scotia Gallica potentia, Calvinistarum Gallorum ferocia licet antea castigata esset, magis exasperata est. Promovit[1] imprudenter cardinalis Lotharingius defuncto Olivario ad regii scrinii præfecturam Michaelem Hospitalem, virum quidem doctum, sed nullius religionis, ac vere atheum, qui patrem medicum Renatæ sororis, avum vero Avenionensis Synagogæ Judæum habuerat. Is Ecclesiasticorum bonorum invadendorum avidus Castilioni Calvinianorum duci se totum addixit, ac nascentibus seditionibus magnum momentum addidit. Is Remoretinense edictum temperavit (1), atque exercendæ censuræ fidei potestatem ab Ecclesiasticis judicibus ad laicos transtulit, cum illi multo minus strenue eo munere difficili perfuncturi essent: « Edixit tamen, ne qua conventicula, ne qua seditio, ne quavis publica fierent: si qui fecisse arguerentur, præsidiales judices, intra quorum jurisdictionem id accidisset, decem numero de his sine provocatione cognoscerent, si tot judices non reperirentur, ex antiquioribus causidicis numerus impleretur: convicti perinde ac læsæ majestatis rei punirentur, easdem pœnas socii, consentientes, celantes subirent: easdem concionatores, qui

[1] Belcar. l. XXVIII. num. 57.

(1) Edictum Remoretinense (Romorantin) a Michaele Hospitali procuratum, longe aliter habuisse sese ex Chronico Joannis du Tillet intelligimus. Narrat enim ille hoc anno, Maio mense, edictum prodiisse Remoretii, quo unis et solis episcopis cognitio de crimine hæresis reservabatur, sublata supremo Parisiensi senatui cæterisque laicis judicibus facultate, ne quid in causis illis, nisi forte a clericis requisiti, molirentur. Cæterum haud ita multa post, die scilicet VI Augusti, alio edicto ad Fontem belli (Fontainebleau) promulgato declaratum fuit priori illa Constitutione nihil quidquam demi auctoritatis supremo Parisiensi senatui de crimine hæresis cognoscendi.

Idem quoque scriptor inferius addit, die X Septembris apud S. Germanum regias litteras prodiisse, quibus injunctum est præsulibus, ut ad diem XX Januarii sive Lutetiam, sive ad alium, quo forte indicerentur, convenirent locum, ut de religione cæterisque ad cultum Dei pertinentibus tractarent. Male ergo scribit annalista num. 38 condictum fuisse episcopis certum locum, ut ibi de cogendo Œcumenico Concilio agerent, atque inde ad Concilium illud pergerent. Indictum est enim episcopis ut venirent ad Concilium, non quidem Œcumenicum a Pontifice decretum, sed nationale ab ipsis celebrandum, et indictum a rege. MANSI.

sine episcoporum suorum, aut aliorum idem jus habentium permissione concionem haberent, famosorum libellorum auctores, quique eos, vel distribuunt, vel typis mandant : delatoribus quingenti nummi Francici ex eorum bonis darentur : ac calumniatores pœnam, quam talionis vocant, penderent. Additum est et aliud edictum, quo episcopi in sua provincia, cæteri sacri ministri in suis cœnobiis residere jubebantur.

48. X kalendas Septembris MDLX [1], cum solemnes procerum conventus haberentur apud Fontem-Bellæ aquæ, Gaspar Colinius Castilionus Calvinista nequissimus, omniumque in regem ac regnum seditionum signifer, atque reginæ Angliæ fœderatus, Calvinistarum nomine duos libellos regi obtulit, quibus se de Ambasiana conjuratione et cæteris seditionibus purgare conabantur, poscebantque, ut supplicia, religionis asserendæ causa, impiis proposita, usque ad Œcumenicum Concilium remitteret, quasi ab Œcumenicis Conciliis præteritis Calvini hæreses non essent damnatæ; utque templa, in quibus blasphemas suas conciones et sacra execranda peragerent, ipsis attribuerentur : tanta fuit perditissimi hominis impudentia, ut hæc coram rege Christianissimo tueri ausus sit. Ejus libelli Albaspinæo scribæ traditi, quos ut ab omnibus audirentur, alta voce legit, ac tum Joannes Monlucius pseudo-episcopus Valentinus, Calviniana hæresi contaminatissimus, ob quam demum Pontificio anathemate damnatus est, inter alia in episcoporum, curionum cæterorumque virorum sacratorum impuros mores, negligentiam et ignorantiam acerrime invectus est, nulla proborum virorum habita ratione, cum ipse inter improbos esset improbissimus, velletque universos perpetuo concubinatu fœdari, evertere altaria, ac sacra omnia convellere; nam mox impia oratione Catholico clero opposuit ministros Calvini vel Sathanæ, quos modestiæ, diligentiæ atque eruditionis laude frequentius immerito ornavit, qui concionibus plures in suam sententiam vel errorem pellexissent, tum regias matronas ac puellas aulicas scelerate hortatus est, ut Psalmorum Davidicorum versionem a Marotto Morione et Theodoro Beza hæresiarcha corruptam, ad instillandam ignaris hæresim, et veteres sacrosanctæ Ecclesiæ ritus deserendos, in templis et extra templa cantillarent, Arii impudentissimi æmulator egregius [2], qui sacrarum litterarum abutens verbis effœminatis, ridiculisque numeris, ad similitudinem Ægyptii Sotadæ hæresim Thalia conscripta promulgavit. Ad hæc expetiit simulanter, ut episcoporum et curionum mores emendarentur, quibus tamen profligandis ipse operam omnem dedit : addidit, ut totius Christiani imperii Concilium celebrandum promoveretur, quod si impetrari non posset, totius Galliæ episcopi suum celebrarent, ad quod etiam hæretici Calviniani eruditiores admitterentur, ut periculum fieret, num una cum cæteris consentire possent; nec objectionem eorum recipiendam contendit, qui dicerent ea dogmata, quæ nunc vocantur in controversiam, ab antiquis Conciliis damnata fuisse; non esse contra novatores pugnandum armis vel suppliciis, sed solo Dei verbo, sumpto a veteribus exemplo, conclusit : quæ venena nefandissimus ille hypocrita inspersit multis eloquentiæ flosculis, mendaciorumque fucis ac pigmentis coloravit, ut Herodiadis filiæ saltatricis in morem, simplices quosque mulcendo deciperet, ac lasciviendo jugularet.

« Post hunc Mortierus [1] indoctus sententiam dixit, tertioque loco Carolus Mariliacus archiepiscopus Viennensis multis legationibus functus, ac Borboniis principibus addictissimus. Is prolixa usus oratione, contendit vanas esse Concilii Œcumenici spes, non esse situm in Gallorum potestate, ut Pontifex Maximus, imperator, Christiani reges, Germana late patens natio de tempore, loco Concilii, forma sive ratione statim consentiant, cum enim id alii promovere student, alii interrumpere conantur; itaque ad totius nationis Concilium accurrendum, quod jam rex promulgarit; postulatum a Carolo V Clementem VII ut Concilium congregaret ad instaurandam sacrorum ministrorum disciplinam, invectasque nuper de religione controversias componendas, respondisse novæ illius doctrinæ placita a veteribus Conciliis confutata, bonis etiam moribus sacrorum ministrorum, ac cæterorum Christianorum æque consultum, si antiqua decreta observentur ; tum ordinum trium conventus , ut pernecessarios suasisse.

« Nono kalendas Septembris Castilio Amiralius mira impudentia questus est, quod rex firmissimo satellitio latus cingeret adversus conjuratorum insidias ; hoc malum esse exemplum, quod rex timere suum populum assuesceret ; eos qui libellos dedissent ad quinquaginta millia, ut se subscriberent, si opus esset, accessuros : tum institit, ut novæ militum custodiæ regi attributæ auferrentur, atque trium ordinum conventus indicatur, ac sacrorum ministrorum disciplina instauretur. Quorsum hæc diceret, docuere secuti eventus, et quænam disciplina ab eo expeteretur, trucidati ac inauditis suppliciis excarnificati sacerdotes, incensa templa, eversa altaria, prophanata sacra ostenderunt.

« Refutatæ sunt illius proditoriæ voces a

[1] Franc. Belcar. Episc. l. XXVIII. num. 63. — [2] S. Athan. de senten. Dyon. Godes. Herman. Vit. S. Ath. l. I. c. 13.

[1] Idem ibid. num. 65 et 66.

Guisio duce; auctas jure regias custodias post Ambasianam conjurationem, ubi multi in eum arma sumpserunt, nec valere eorum excusationem, qui divulgant, non adversus regem, sed adversus ejus ministros arma sumpta; neminem enim, nec a se, nec a cardinale privatim offensum; si qui ergo offendantur, propter regni administrationem offendi, et qui hoc modo arma capiunt adversus regem capere ». Tum responsum cardinal. Lotharingii subdit Belcarius [1]: « Libellos ab Amyralio oblatos refutavit et mendacii arguit: se regi obtemperaturos dicunt, at sub conditione, si illorum persuasionem sequatur, aut saltem approbet: hunc autem celebrem conventum attestari, antiquamne, et tot sæculis, tot Conciliis confirmatam religionem, an potius homuncionum istorum novam persuasionem sequi rex debeat; si eis templa ad conciones et Sacramenta administranda condonabit, eorum persuasionem comprobabit, augustum illud atque hæreditarium Christianissimi cognomen amittet, et certam æternæ felicitatis jacturam faciet. Quod quinquaginta hominum millia supra commemoratos libellos subscriptura dicunt, his decies, aut potius vicies centena millia rex opponet, qui a sua, hoc est, ab antiqua religione non discesserunt: qua autem pietate isti persuasionem suam promoveant, cognoscere operæ pretium est ex famosis libellis scilicet, quos ubique locis publicis affixerunt, ex quibus duos et viginti adversum se scriptos proferre potest, quos diligenter conservat, idque sibi magnæ gloriæ fore ducit, quod tam sceleratorum hominum probris conscissus sit; seditiosos graviter puniendos censuit, cæteros, qui nec seditiones cient, nec conventicula faciunt, verum persuasionem suam privatim exercent, suo judicio relinquendos, nec suppliciis afficiendos putat, quæ hactenus non multum profuerunt.

« De Concilio Œcumenico addidit cardinalis non quidem illud in regia situm potestate, quod nec in Cæsarea fuisset. De nationis Concilio addidit in eo duntaxat de sacrorum ministrorum populique moribus decernendum, non aliquid novi moliendum: renovari in eo posse vetera Universalium Conciliorum aut Provincialium sancita, nihil tamen addendum, atque episcopos in suas diœceses abituros, de iis quæ ad disciplinam ac mores pertinent inquisituros; conventum autem trium ordinum laudavit, ut cognoscant omnes, quam juste ac prudenter regnum administraretur.

« VIII kalendas Septembris regiæ societatis equites in cardinalis Lotharingi sententiam concurrerunt, ac VII kal. trium ordinum conventus indictus est in IV idus Decembris, ac jussæ singulæ provinciæ suos cœtus cogere, ut quid in conventu proponendum esset, expenderent, et quos missuri essent, designarent: et quia Pontifex, atque imperator, et cæteri reges principesque prope convenerant de cogendo Œcumenico Concilio, episcopi Galli ad IV idus Januarii ad aulicum comitatum vocati sunt, inde ad Concilium profecturi.

« Expetiti fuerunt illi Gallorum episcoporum conventus, tum ab hæreticis, tum a Catholicis, sed discrepante longe consilio, ac jure formidatum est, ne in iis aliquid novi ab impiis pertentaretur.

49. « Porro, quæ ex nationali Concilio exoriri possent mala [1], episcopus Viterbiensis in Gallia nuntius litteris die decima quinta Septembris car. Turnonio directis significavit, ubi sic habet: Existimatio bonitatis et prudentiæ, quæ summa de illustrissima dominatione vestra apud me est, ut crederem, persuaserunt, ad istam aulam non tam celeriter, ut alii optabant, accessisse ob decreta præteritæ Assembleæ. Quod si re vera ita est, ut cogito, non modo excusationem, verum etiam laudem meretur; vellem et ipse, quantum in me est, idem agere, considerans etenim partim, quæ exequuntur, partim, quæ diriguntur, cum nullum his remedium afferre possim, omni alio loco quam hic esse vellem. Jam illustrissimam dominationem vestram scripturam vidisse credo, qua omnes præsules ad Congregationem, ne dicam ad nationale Concilium, convocantur, et certus sum attente considerasse, per illam liberam omnibus audiendi et loquendi concessam facultatem esse; ut autem insuper innotescat dominationi vestræ, quæ mihi palam relata fuerunt per quemdam illius Assembleæ præsulem, sciat familiari meo renuntiatum fuisse, dari ab aliquibus operam, ut omnes regis subditi Genevæ commorantes, ad congregationem vocentur, spe allecti illos ad unitatem Ecclesiæ rationibus adducendi. Quod tam longe a mea sententia est, tamque pravi exempli et pejoris consequentiæ judico, ut causam potius religionis confundendam verear. Quod si non aliud exinde malum sit futurum, istud certe aderit, quod hæreticis audaciam augebit, et venena ubique diffundendi occasionem præbebit; nunquam equidem viam periculis adeo plenam indignamque inituros opinabar, quæ cum, præter religionis detrimentum, auctoritatem quoque ipsius regis et utilitatem labefactet, quid aliud credere possum, nisi de proximo maximam conspiciendam confusionem, ne dicam totius regni jacturam; quare si initio Epistolæ dixi vestram illustrissimam dominationem prudenter agere his temporibus ab his regionibus se elongare, modo mutato consilio, plurimum expedire judico, ut quantocius veniat, malisque imminentibus aliquod remedium afferat; quod si forte postea

[1] Idem ibid.

[1] Ms. card. Spadæ to. XXXI. p. 365.

illa avertere non esse in sua potestate cognoverit, tunc post protestationem discedat, ne talis adsit indignæ tragediæ spectator. Falli certe illustrissimum cardinalem Lotharingum vereor, dum alios ex semetipso metiens credit, in his seditionibus, majorem partem religionis magis respectui, quam desiderio furandi, et confusioni hujus monarchiæ, vel ejus gubernationis immutationi adhæsuram, et hic finem impono. Postquam hæc scripseram, litteras ultima Augusti die a nuntio Hispaniarum accepi, quibus a rege Catholico ad Gallicam aulam Antonium Toletanum mitti, ut celebrationem Concilii nationalis dissuadeat, testatur, a quo aliquem fructum præstolamur, cum a principe tantæ auctoritatis, et per ministrum inter primos præcipuum executioni mandetur, additis tuæ illustrissimæ dominationis persuasionibus.

50. « Antonio itaque Toletano [1] Galliam petenti rex Catholicus in mandatis dederat, ut nationale Concilium pro viribus deturbaret, jubebaturque hac præsertim ex causa ostendere, non esse Concilium nationale celebrandum, ex quo manifeste præjudicium Concilio Generali, quod propediem coadunandum erat, inferebatur, quod Concilium profecto verum et certum remedium morborum et divisionum Christianitatis erat futurum. Quemadmodum ergo rex Philippus voluntati suæ Sanctitatis, et ejus determinationi se submisit, cujus est hæc præcipue curare, et ad quem hæc peculiariter attinent, et sicuti instante rege Christianissimo per suum oratorem ad hanc rem amplectendam animum applicuit, ita etiam rex Galliarum idem agat, ut sicuti per totum orbem fama percrebuit, quod imperator, rex Christianissimus et Catholicus voluntatem cum Pontifice conjunctam gerant, curantes omnes simul ut Concilium Generale celebretur, ita convenit, ut nullum signum ostendatur, quo favor iis contraria sentientibus præstetur, qui cum ipsis in celebratione Concilii Generalis non conveniunt; illis enim superbiæ et perturbationis causa esset, maximo cum præjudicio sanctæ Ecclesiæ. Atque ut hoc melius regi suaderet, inferre jubebatur, quod quamvis Philippus nosset vires illi non deesse adversus quoscumque principes, et ad suorum subditorum audacem insolentiam reprimendam, eosque mulctandos et cogendos, ut sub religionis obedientia debita vivant, tamen ne coactus contra propriam auctoritatem et dignitatem aliquid agat, omnes quas expedire judicaverit sui regni vires, in manu arbitrii ejus relinquendas offerebat, ne adactus aliquid præter dignitatem ageret, quod in isto sui regni exordio suam minueret auctoritatem. Jubebatur insuper Antonius ipse, ut si quando res iniquo adeo loco positas cerneret, ut de Concilio disturbando nulla affulgeret spes, id saltem obtenderet, ut ejus celebratio ad anni exitum differretur. Quæ cum Antonius facunde exposuisset, rex simul ac regina responderunt, nunquam ipsorum fuisse mentem nationale Concilium convocare, præcipue cum adsit Concilii Generalis spes, sed cum sui regni turbationes adeo creverint, compulsos aliquid remedii ad tanta mala evitanda adinvenire ; ob hanc causam ultimum celebratum. Provinciarum præsides ad decimam Decembris diem vocatos, episcopis et Ecclesiarum præsulibus datam mense Januario diem decimam. Non definiendorum fidei articulorum causa, sed instaurandæ disciplinæ, ex qua collapsa pravaque administratione, dissidia, quæ hodie Christianum perturbant imperium manarint, et hæc a majori parte, tam præsulum, quam procerum, qui vocati erant, decreta fuisse; et quia pars magna eorum novis hæresibus contaminata est, ac posset contingere, ut in utroque cœtu indicto, aliquid præter mentem regis Christianissimi, qui aperte promulgavit se velle in lege ac religione prædecessorum suorum vivere ac mori, atque in ea suos subditos continere, decerni posset; cujus rei gratia Antonius Comes ostendit mandata offerendæ Gallo regi Hispanarum virium potentiæ, se grates maximas Catholico regi de optima voluntate agere, perpenso tamen rerum præsentium statu, tuendæ regiæ amplitudinis, declinandorumque periculorum causa indictos, tum Ordinum regni, tum præsulum totius regni cœtus, in quibus non de fide, sed de moribus ad puritatem redigendis, et de præsulum ad Concilium Œcumenicum profectione decernendum sit, revocari non posse. Cum vero eorum cœtuum necessitas oriatur ex nimia Concilii Œcumenici dilatione, verum remedium futurum, si, dimissa Concilii Tridentini prosecutione, cui nunquam Protestantes sunt assensuri, ac sine quibus religionis res in maxima ea natione suis commodis addictissima constitui possint, et ut indicti cœtus, quos aliqui Concilium nationale vocant, discuti possint, novum Concilium sine mora aperiatur, nec de loco litem moveri, cum ille quo Cæsar et rex Catholicus convenerint admittatur, demum de disturbandis episcoporum Gallorum conventibus quidquam decerni non posse, nisi prius indicti in Decembrem ordinum cœtus habiti fuerint.

51. « De his factus certior ab oratore suo Catholicus rex [1] Pontificem ursit ad dissolvendum nationale Gallorum Concilium, ex quo gravissima incommoda, ac damna certissima, atque irreparabilia, abjecto Concilio Œcumenico sint consecutura, et quia mutata sententia Franciscus rex de loco controversiam moverat,

[1] Ms. card. Spadæ to. XXXI. p. 41.

[1] Ext. reg. Cath. responsum ib. p. 368.

ac cum Vercellas et Bisuntum proposuisset, significarat se Bisuntum præoptare ac præferre Vercellis, respondit Toleti XXX Octob. MDLX Gallo oratori Catholicus rex, se nullius loci singularis optionem percupere, sed tantummodo damnis universis et privatis totius Christiani imperii occurrendi studio duci, seque acturum cum Cæsare, ut gratum acceptumque locum habeat, de quo Pontifex ac rex Christianissimus inter se convenerint. Significarat vero Ferrariensis cardinalis Lotharingo cardinali scriptis Aureliæ X Octobris MDLX litteris, Pontificem, aut Vercellis, aut Casali, Concilium brevi aperire constituisse, cui ultima Octobris rescripsit Lotharingus [1], Franciscum regem ex eo maximam lætitiam cœpisse, rogavitque ut rem ocius urgeret, in celeritate enim omnem vim remedii sitam, nec alio modo melius posse indictum nationis Gallicanæ Concilium everti, quam si Œcumenicum celebretur; quo etiam argumento Franciscus rex [2] rescripsit Ferrariensi cardinali, deque optima mente Pontificis lætatus institit, ut ex mandatis ab Engolismensi episcopo proponendis indictio Concilii celerrime promulgaretur, aliter enim religionis dissidiis in Gallia consuli non posse, atque ita Gallorum præsulum cœtus disturbandos, cum non fuerint indicti, nisi in casu quo Œcumenicum Concilium non celebraretur, et ita subditis nationalem Synodum postulantibus ea fuerit promissa, si ab Œcumenica non impediretur, de quibus Engolismensis episcopus orator regius cum ipso esset colloquium habiturus. Cum vero Franciscus rex oratorem veteri more ad deferendum novo Pontifici obsequium, atque efflagitandum Concilium ad tollenda religionis dissidia decrevisset, hoc illi responsum inter alia redditum est:

« Quod ad Ecclesiæ statum attinet, Sathanæ artibus tantopere perturbatum, Sanctissimus Dominus noster [3] memor officii sui, simul atque Ecclesiæ gubernacula suscepit, ad eam constituendam et ad pristinum ei decorem ac tranquillitatem reddendam incumbere cœpit: itaque et ea corrigere continuo aggressus est, quæ in moribus reipublicæ, ac disciplinæ sacerdotum emendatione egere visa sunt, et ad errores ac schismata tollenda Œcumenicum Concilium, sicut rex Christianissimus optat, indicere prope diem ac celebrare Deo juvante constituit, cupiens, si fieri possit, tantam ovium multitudinem errantium ac dispersarum ad ovile Domini suis humeris reportare, quarum salutem sanguine et vita sua libenter redemerit.

52. « Certior factus Franciscus II Galliæ rex [4] de optima Pontificis pro celebrando Concilio mente, ac fixa sententia, maximo gaudio delibutus, misit ad Pontificem abbatem Mannam senatorem, ac elemosynarum regiarum administrum, qui deprecaretur, non tantum ut perstaret in eo sacrosancto mentis decreto, verum rem ad exitum quantocius perduceret ad Christianum imperium tot sectis hæresibusque laniatum ad pristinam conjunctionem redintegrationemque revocandum, quin etiam jussus exponere, plures opinatos Pontifices antecessores non sincero animo, sed ficto rem aggressos, suscepti quidem Pontificatus principio eximiam voluntatem congregandæ Synodi explicuisse, sed verba operibus non ornasse, externaque specie promissa elusisse, congregatam enim Synodum cœptam levibus de causis dissolutam fuisse, atque ex interrupta Synodo graviora longe damna, quam utilitatem religionis Catholicæ allata, ex non continuato enim Concilio certissime fluxisse causam maximæ partis hæresum atque sectarum, quæ hodie orbem pervagantur; Pontificia vero Sanctitas hæc regis monita ardentiori pietatis studio, ac tenero erga Beatitudinem Pontificiam amori adscribat.

« Flagitavit idem abbas nomine regio ne Pontifex suspensionem Tridentini decreto abrogaret, sed novum Concilium indiceret in loco tuto, ad quem imperator principesque imperii, tum Catholici, tum Protestantes convenire possent; Tridentum enim, ut acceperat, admodum ob angustias loci atque inopiam, incommodum videbatur, ubi, cum a Julio III Concilium iterum fuisset redintegratum, a magna principum Christianorum parte non fuisset admissum; vigere modo easdem causas, eodem morbo implicitos teneri, qui antea ægri erant, ac nisi modo consulatur eorum valetudini, veniantque illi ad Concilium, ad pristinum statum recasuros: non enim Germanos, non Anglos, non alios Protestantes Tridentum accessuros, atque ita celebrationem Concilii ludibrio versum iri atque irritam futuram, cum aberrantes ac divulsi ab Ecclesiæ conjunctione eam sint excusationem obtensuri, jam in eo loco maximam controversiarum partem decisam esse, nec ulterius ipsos audiendos, quanquam regia majestas nullo modo eorum causam defendendam suscipere velit, sed tantummodo admoneat, nihil hoc præsertim initio agendum, quod valeat iis excusationis causam afferre, ut non compareant, nec se submittant Concilio. Proinde videri ab imperatore sciscitandum, an Catholici omnes ac Protestantes in aliquo designando loco consentiant, qui si æque commodus ac Tridentum extiterit, a sua Beatitudine admittendum, ac mox indictionem Concilii promulgandam, illudque celebrandum citissime, ad quod præsules Gallos sit regia majestas missura, seque obstrictura ad omnia illius decreta integerrime observanda. Regem vero Catholicum electionem loci

[1] Extat. card. Lot. lit. ad Ferrar. card. ibid. p. 372. — [2] Extat ib. Franc. reg. lit. p. 373. etc. — [3] Pius IV. lib. brev. divers. sig. 2919. p. 48. — [4] Abbati Manna data instructio. Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 137. p. 185.

ad Cæsarem atque ordines imperii retulisse, atque ad delectum locum Hispanos præsules missurum; religionis nostræ vulnera sanari non posse, si Germania adeo sauciata, totque affecta damnis, Concilii opera ac beneficio non convalescat, quod in loco ejus regionis hominibus accepto celebrandum sit, ita enim sponte ad id accessuros : factam vero inter alia loca mentionem Spiræ, Haguenoæ, Wormatiæ, Træverorum, ac plurium aliarum, commeatuum affluentia opportunissimarum urbium, inter quas Constantia a Germanis maxime expetatur, ad quam se lubentissime accessuros profiteantur, hanc vero non longo intervallo Mediolano dissitam, ad quam Pontificia Sanctitas se conferre possit, pro cujus loci securitate imperator, ordinesque imperii, atque Galliæ et Hispaniæ reges præsidia idonea sint constituturi, et quidem videri tutelam loci spectare ad imperatorem, qui ob insigne erga religionem studium interesse Concilio possit, cui se interfuturum Gallicæ majestati spoponderat, ac ni aliqua difficultate fuerit implicitus, Gallorum regem, ad quem, ut Ecclesiæ primogenitum id munus spectat, illi non defuturum.

« Jussus quoque est abbas Manna exponere regiam majestatem accepisse ingratam accidisse Pontificiæ Sanctitati indictionem Concilii præsulum Gallorum, at nil novi in ea re pertentatum, episcopos enim esse regios senatores, atque ad consilium ab iis rogandum congregari posse; at in causa morum, doctrinæ ac fidei sine expressa Pontificis auctoritate novare quidquam vel immutare nunquam meditatam, ac si Œcumenica Synodus cito celebretur, omnes alios episcoporum conventus sublatum iri; si vero Pontificia Beatitudo in sententia congregandi Concilii non perstiterit, æqui accipiat, ut Gallicana Synodus populo jam promissa atque vehementer expetita celebretur.

53. « Respondit ad hæc Pius Pontifex [1], nolle jam suscipere partes texendæ apologiæ prædecessorum Pontificum, vel piam eorum mentem adversus objecta vindicare, id tantummodo nitide ac sincere ad divinam gloriam, religionis sanctæque Sedis Apostolicæ decus spectari, ut Concilium Œcumenicum tutum ac liberum celebretur celerrime ad tot ruinas et calamitates reparandas, nec locum commodiorem Tridentino occurrere ad moras omnes et controversias abscindendas, suspensionemque sive intermissionem illius uno verbo tolli posse, ac jam omnes Christianos principes, ipsosque etiam Protestantes in eum locum consensisse, ut in alio ad imperatorem electum responso demonstratur, cujus exemplum abbati Mannæ tradendum sit. Meminisse probe eum locum a rege Francisco approbatum, atque ad eum præsules et oratores decrevisse, quanquam Henricus II, ob contracta cum Julio III ac Cæsare bella, instaurato Concilio Tridentino interesse noluerit. Porro ubi congregatum fuerit Tridentinum, si opportuna visa fuerit loci mutatio pro communi reipublicæ Christianæ bono, Pontificiam Sanctitatem non dissensuram, modo tutus sit locus, nec suspectus hæreseos, uti consentaneum est. Placere admodum regi Catholico suspensionis abrogationem, ut res citius conficiatur, ita opinatur Sanctitas Pontificia placituram regi Christianissimo, qui prompto erga Deum obsequio, religionisque cura nemini cedat, maxime cum regni Gallici status hodiernus præsentissimum Concilium efflagitet : verumtamen expressum ejus in ea re consensum expectatum iri, atque interea temporis rem cum imperatore electo pertractandam, cum Gallica majestas ad Cæsaream referat suam sententiam : internuntium vero rem, tum cum Cæsare, tum etiam cum Gallico oratore in aula Cæsarea collaturum, ut omnes ad eumdem finem ac Christiani imperii publicum bonum consensu unanimi conspirent, inque certam spem Pontificem efferri, imperatorem, animadverso eo potentissimorum duorum regum studio, Tridenti designationi assensurum, Pontificiaque opera a Catholica majestate de ea re rogandum, expetique, ut idem officium a Christianissima majestate apud Cæsarem præstetur, ut celerrime tantis malis occurratur, retardatamque se adversa valetudine fuisse. Quod ad Concilium nationale attinet, Pontificiam Beatitudinem præfidere, regiam majestatem illud congregari non passuram, cum flagrantissimum Pontificis studium pro cogendo Œcumenico animadvertat. De loci custodia cogitatum iri, cum is designatus fuerit, nec de conferendis pro eo firmando stipendiis illata erat mentio, sed de cogendis ad officium, ac persequendis iis, qui parere Concilio detrectaverint, adversum quos firmissimum armorum fœdus sanciendum sit, ut cardinalis Lotharingus admonuit, ad quod Sua Sanctitas paratissima est, sumptuumque ratam portionem collatura.

54. « XIV Octobris MDLX, Franciscus II Gallorum rex Christianissimus [1] mandata dedit Philiberto episcopo Engolismensi regio oratori, ut significaret, se ex relatis ab abb. Cœnomanensi, Pontificium erga se studium insigne, ac puram sinceramque mentem congregandi Œcumenici Concilii liberi ac tuti, ut periclitanti labantique reipublicæ Christianæ succurratur, dignovisse; hoc augustissimum omnium esse facinus, quod Pontificatum suum ornare possit, in quo perducendo Christianissimus tanquam Ecclesiæ primogenitus omni contentione ipsi sit obsecundaturus, ad quod Pontificiam Sanctitatem ab ipso Pontificatus exordio repetitis

[1] Ext. ibid. p. 191.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 369. ex Ital.

legationibus cohortatus sit, atque maximas spes ex benignis ac promptissimis responsis Pontificis ad id propensissimi conceptas fovere. Jam vero cum eadem repetere supervacaneum foret, ardentissimis votis insistere, ut quantocius res adeo necessaria ac salutaris operi commendetur, indictioque optimi, Œcumenici ac liberi Concilii promulgetur, nulla edita mentione instaurandi vel continuandi Tridentini ob amplissimas causas ab abbate Cœnomanensi expositas Pontificiæ Sanctitati.

« Quod spectat ad ea, quæ sua Sanctitas proposuit in data abbati Cœnomanensi instructione, regem Catholicum gratam et acceptam habere Tridentini Concilii prosecutionem, rescissamque ejus suspensionem, optimeque rei consultum fore, si Christianissimus rex in eamdem concurreret sententiam, regia majestas Pontificiam Sanctitatem rogat, ut perpendat, quod licet ambo reges ad eumdem finem collimeut, tamen ob varietatem subditorum, et discrepantiam circumstantiarum, in eligendis mediis ac remediis dissentire jure posse, atque adeo propositum regis Catholici exemplum non valere; cæterum regiam majestatem in ea fixam sententiam, Œcumenicum tutum ac liberum Concilium, cujus judicium nemo refellere possit, omnino necessarium, atque utilissimum ad sedanda reipublicæ Christianæ dissidia, pacemque restituendam, nec ullum occurrere dubium quin rex Catholicus, ut frater optimus, ac sapientia et virtutibus ornatissimus, huic rei sese accommodet, cum jam mentem suam optimam patefecerit, pariterque non dissentiat circa locum celebrandi Concilii, de quo Christianissimus nullam moturus est controversiam, imo, ne retardandi sanctissimi operis detur occasio, regia majestas in eum locum designandum assentitur, quem imperator et rex Catholicus elegerint, ut antea declaratum est.

« Cum vero dixerit Pontificia Sanctitas, ne regia majestas ulterius progredi sinat indictionem Concilii nationalis, cum Pontificia Sanctitas ad celebrandum Concilium Œcumenicum sit paratissima, regia majestas certissime spondet, si Œcumenicum, ac purum, et liberum Concilium aperiatur, omnes alios provinciarum cœtus supprimendos, eorumque memoriam extinctum iri, sin vero non cogatur Concilium vel ejus celebritas differatur, tunc se necessitate adactum iri ad totius regni episcoporum cœtus congregandos, in quibus tamen non putet Pontificia Sanctitas aliquid contra veterem doctrinam ac religionem pertentatum iri, vel adversus obsequium debitum Sedi Apostolicæ, imo ineundam rationem, qua occurratur, ne religio atque observantia erga Sedem Apostolicam labefactentur evertanturque, ac propterea illud consilium suggestum fuit regiæ majestati a spectatissimis suis regni viris, veluti extremum atque unicum malorum impendentium remedium; magno enim numero congregati sapientissimi viri exquirent modos, quibus malum in dies ingravescens tolli possit, quod quidem fluxisse constat ex novis opinionibus et religione nova, quibus pars subditorum regiæ majestatis adeo imbuta et infecta est, ut pro ea tuenda, spretis bonorum jactura ac morte, extrema quæque pericula sibi adeunda putaverint, unde gravissimi tumultus emerserunt, quorum suprema medela in optima Synodo Œcumenica consistit; at quia tenuissimæ illius cogendæ atque perficiendæ spes erant, ut superioribus temporibus animadversum est, regia majestas ad motus concitatos compescendos, utque ostenderet se nolle inani spe subditos lactare, decrevit eo casu, quo non congregaretur Concilium, ut cœtus episcoporum regni cogerentur, in quibus audiri possent, ut assidue magnis clamoribus efflagitant, atque adeo Pontificia Sanctitas æqui bonique consulat, si, Œcumenico Concilio non celebrato, ad nationis Gallicanæ Synodum congregandam descendatur, maxime, cum facile solventur hi conventus aperto Œcumenico Concilio tuto, libere ac recentissime indicto, ut omnis prætextus pervicaciæ adimatur iis, qui se Concilio subjicere jactitant, proptereaque ea Synodus Gallicana tantum indicta est in diem vigesimum Januarii anni proximi, qui incidit in mensem decimum tertium hujus Pontificatus.

« Præterea jussus est episcopus Engolismensis proponere ob oculos Sanctitatis suæ regiam majestatem adversa conditione temporum ac necessitate oppressam esse; habita proinde ejus rei ratione, dignetur adscribere regiæ majestatis erga subditos amori, et impatientiæ, ac dolori concepto ex abjecta a suis Ecclesiæ observantia, si libere suæ Sanctitati exponat, quæ possint juvare ac promovere hæc sacrosancta Pontificiæ Sanctitatis consilia, cui regia majestas a Deo precatur longiorem vitam viresque, ac virtutem provocandi in opus pii illius desiderii, quo flagrare Pontificiam Sanctitatem certissime tenet, ad perficienda ea quæ utilitatem universo Christiano imperio, ac beatitudini suæ laudem et gloriam immortalem allatura sunt: quæ omnia a Philiberto Naldio Engolismensi episcopo Pontifici exposita fuere. Romæ v Novembris MDLX ».

55. *Difficultates objectæ circa modum et locum Concilii.* — Cum ad cogendam Synodum Œcumenicam omni diligentia ac industria viriumque contentione Pius IV incumberet, maximæ emersere difficultates, quæ invicta constantia a Pontifice perdomitæ ac discussæ fuerunt; ut de eo Evangelicum illud vere usurpare liceat [1], *Justificata est sapientia a filiis suis*, et

[1] Luc. VII.

illud Davidicum possit occini [1], *Filii Ephrem intendentes, et mittentes arcum conversi sunt in die belli.* Etenim Ferdinandus imperator, ad quem spectabat præcipuam operam conferre, ut solemnes episcoporum cœtus congregarentur, in quibus reliquæ hæreseon pestes exscinderentur, errorumque tenebræ discuterentur, Pio Pontifici multa opposuit, quæ universalis Synodi celebritatem vel retardarent, vel omnino impedirent : pacem in primis in toto Christiano imperio pernecessariam, cumque nuper Gallos inter et Anglos bellum exarsisset, prius illud extinguendum, componendasque discordias, ne in percurando universæ Ecclesiæ corpore laborante maxima impedimenta ex Anglia conflarentur, objecit ; ex Concilio Tridenti congregando vel nullas vel exiguas bene gerendarum rerum spes allucescere , celebrato enim primum a Paulo III, deinde a Julio III iterum instaurato Concilio Tridentino, vel parvam vel nullam decerptam utilitatem, cum reges ac principes illi non interfuerint, nec oratores, qui eorum personam sustinerent paucis exceptis submiserint : dandam proinde a Pontifice summam operam, ut omnes Christiani reges ac respublicæ suos transmitterent oratores, quod se et Hispaniæ regem Catholicum, necnon Germaniæ principes Catholicos tum Ecclesiasticos tum laicos amplissime facturos pollicebatur : at vero principes, qui Augustanam confessionem profitentur, non accessuros, nec oratores transmissuros : nec se florere ea armorum potentia, ut ipsos ad id arduum opus adigere posset, nec ulla ratione publicæ utilitati conducere, adversus eos pro ea causa bellum suscipere, ex quo universa Germania cædibus et flammis fœdanda evertendaque foret, cum probe nosset eos arctissimo fœdere pro tuenda hæresi inter se conjunctos, atque ad resistendum comparatos, verum se non defuturum Cæsareo muneri, ut omnibus amantissimis officiis ac omni humanitatis genere eos ad Concilium pelliceret.

Præterea suadere nisus est Pontifici, ut priscorum Pontificum exempla imitatus ad solemne Concilium se conferret, ut majorem illius decretis auctoritatem conciliaret : de loco vero Concilii, subdidit Tridentum non esse idoneum, cum præsules in ea urbe jam ante non semel graviora incommoda perpessi essent, proptereaque non in Italiæ limite, sed in Germania aliam ampliorem urbem , vel Coloniam, vel Ratisbonam, vel Constantiam designandam videri, ad quas Pontifex facili itinere accedere possit.

« His adjecit, licet probe norit non esse Cæsarei muneris , formam pertractandarum rerum ad religionem spectantium Concilio præscribere, sed obsequentem se Catholicæ Ecclesiæ filium præstare, ut ad felices tamen exitus Concilium perduci possit, quod flagrantissimis votis studiisque efflagitat, ex pia fiducia monere Pontificem, Protestantes nimiæ severitatis atque acerbitatis perstringere partem Catholicam, quod in celebranda præteritis annis Synodo Tridentina, nec fidei publicæ ac tuti commeatus syngrapham ea forma tradiderit, quam Basileense Concilium Bohemis tradidisset, nec facili aditu ad colloquia habenda fuissent admissi, quinimo cum suæ confessionis Symbolum exhiberent, ut vel a Patribus falsitatis argueretur, vel ipsis refellendorum Concilii decretorum facultas permitteretur, deposcerent, nullum ex iis eblandiri et consequi potuisse ; ut ne vero quid simile in posterum contingeret, Protestantibusque cumulate satisfieret, Ferdinandus Cæsar deprecatus est. Mirum est, hæc scripta fuisse a Cæsare, cum constiterit teterrimas calumnias a Protestantibus impactas Catholicæ Ecclesiæ, cumque Synodus ad eas refellendas, discutiendosque impios Protestantium errores se accingeret, Saxonem ad Synodum opprimendam armis , intercipiendumque Carolum V Cæsarem cum validissimo exercitu provolasse.

« Movit etiam Ferdinandus Cæsar nonnullas difficultates circa progressum exitumque Concilii, an Pontifex præteriti Concilii decreta tueri ac confirmare meditaretur, illudque redintegrare atque ad exitum definitis reliquis controversiis perducere, non quod Cæsar editas in eo sanctiones rescindi vellet, vel earum vim ac robur infringere auderet, sed quod Protestantes eas refellerent, atque adduci in controversiam et audiri vellent : tum quod nonnulli principes Catholici, quo verbo Henricum II Galliæ regem notabat, qui adversus Concilium conjurarat, Tridentina Acta non admitterent, adeo ut non sint defuturi, qui contendant Catholicorum præsulum solemnes Tridentinos conventus, sed numero exiguos, innumeræ adversantium multitudini non præcellere.

« Objectum præterea est a Cæsare intermissionem sive suspensionem Concilii biennii excurrentis flexu fuisse definitam, jam vero ab ea octo ferme annos excurrisse, neque de ea intermissione proroganda quidquam sancitum, Tridentino itaque sopito nec redintegrato, novum Concilium a Pontifice cogendum videri, indeque amplioris honoris cumulum illius gloriæ addendum, cum tam magnificum opus non alienis laboribus, sed Sanctitatis suæ apicibus et industriæ tribueretur.

« Auxere eas difficultates celebrandi Concilii nonnulli Ecclesiastici et laici, qui metuebant, ne obsoleti eorum mores Concilii decretis percellerentur, in quo argumento hæretici invidiæ suæ malignum virus effundebant, jactabantque Ecclesiasticorum virorum mores esse

[1] Ps. LXXVII.

perditissimos ; ac licet multa pro restituendo morum nitore præclarissime fuissent sancita, non tamen Ecclesiasticæ disciplinæ sanctitatem restitutam : dogmatum itaque varietate non adeo aspere damnata, in eam curam incumbendum a Pontifice, ut in clero sanctioris vitæ splendor revocetur ; cum aliud clerici esse velint, aliud videri, nempe habitu milites, quæstu clerici , actu neutrum exhibere : sentiebant etiam politici humanæ imbecillitati compatiendum, et sacrorum canonum deliniendam acerbitatem, quorum argutiis ac susurris illusus Ferdinandus Cæsar suggessit Pontifici, ut cum sacerdotes conjugia, laici sub utraque specie communionem continentibus votis efflictim deposcerent, eorum postulatis assentiretur : ita enim sacerdotes ad honestum vitæ genus revocandos, ac Lutheranos in Ecclesiæ castra traducendos. Descendebat in eam Cæsaris sententiam etiam cardinalis Augustanus, ac plures etiam pietate præstantes viri, pio Lutheranorum ab hæresi abducendorum ardore ac spe incitati sensere permitti hæc duo capita concordiæ posse, tum in proximo principum conventu in Germania habendo sollicitandos principes Lutheranos ut ad Concilium mitterent oratores, et tum principes Catholicos inter se arctissimo fœdere conjungendos ».

56. His acceptis monitis, Pontifex [1] summa benignitate ac prudentia Cæsari in hunc modum responderi jussit :

«Scriptum, quod a sacratissimo imperatore missum est, quo Sanctissimo Domino nostro respondet ad ea, quæ cum ejus majestate super negotio Concilii per episcopum Warmiensem nuntium Apostolicum verbo agitata atque tractata sunt, id a Sanctitate sua diligenter lectum atque examinatum est, quæ et vehementer commendat pietatem imperatoris, promptumque animum, quo celebrationem Concilii amplectitur, et ei quantum potest gratias agit. Vidit sane et consideravit Sanctitas sua causas, quæ majestati ejus difficultatem huic negotio facere videntur, simulque rationem reformandæ Ecclesiasticæ disciplinæ, quam ipsa proponit, singularemque modestiam, qua utitur in iis rebus insinuandis, quas ad voluntatem populorum appositas, eorumque reductionem et quietem utiles arbitratur, sed illam ut vere ab amantissimo filio profectam, vereque Christianam reverentiam in primis probavit Sanctitas sua, qua majestas ejus omnem sententiam suam subjicit judicio, et Apostolicæ Sedis, et Sanctitatis suæ, quæ imperatoris sinceritate invicem freta, bonaque existimatione, quam eum de se habere confidit, in magnam spem venit, hunc de Concilii celebratione tractatum ad optatum exitum perventurum, Deo ac Domino nostro Jesu Christo, qui ei bonam hanc mentem dedit, cor ejus inclinante ad amplectenda atque exequenda paterna monita Sanctitatis suæ, quæ in hac re certe nihil aliud quam bonum publicum spectat, nihil quam ut paterna charitate malas omnium opiniones sine cujusquam injuria, aut dedecore possit extinguere, hoc, inquam, solum agit, in hoc incumbit, hoc respicit.

« Habet quidem et imperator in hac re partes suas, ut scilicet ipse bono publico consulat, et controversias et dissidia componat, sed præter id etiam hoc proprium, ut conservationi regnorum suorum ditionumque provideat, ut dignitati imperatoris consulat, quæ cum semper ex religionis perturbationibus fuerit imminuta, timendum est, ne idem ei nunc quoque eveniat, cum non modo a Turcis exteris hostibus est afflicta, sed etiam ipsiusmet Germaniæ armis viribusque dejecta, quas contra par fuit omnes ad tuendum, amplificandumque imperium consentire. Cum ergo Sanctissimus Dominus noster omnem curam suam ad bonum publicum dirigat, videatque ex celebratione Concilii non opem modo lapsis religionis rebus afferri, sed et ipsi etiam imperatori ad ejus regnorum ditionumque tutelam non parum utilitatis ostendi, non deerit officio suo, quin eorum, quæ sibi recta videantur, etiam atque etiam commonefaciat majestatem suam, non modo ut hominem in tanto fastigio constitutum, sed ut amicum peculiarem suum. Atque hoc eum primum considerare vult, quandocumque de rebus religionis tractatur, omni cum sinceritate et simplicitate debere procedi, tanquam de re ad Deum plane pertinente, qui cordium occulta rimatur, et viam nobis veritatis charitatisque præscribit, operæ pretium est ea reminisci, quæ in Germania acciderint ex quo ibi controversiæ de religione cæperunt. Etenim videre licet sæpe quidem de concordia esse tractatum, sed quia ea concordia non ad religionem, ad quam debebat, sed ad alia humana commoda atque rationes referebatur, idcirco ibi semper in dies magis magisque labefactatam esse religionem atque subversam, cum magno sane omnium Germaniæ partium detrimento. Contrarium huic exemplum extat Angliæ regni, quod post diuturnum schisma in potestatem reginæ Mariæ reductum, paucis mensibus, ne bello quidem Gallico obstante, universum ad unitatem Catholicæ Ecclesiæ rediit, quia nimirum nullus ibi alius habitus est scopus, quam ipsa religio, neque aliud sibi proposuerant, qui ei rei præfuerunt, quam negotium Dei, quæ duo schismata Germaniæ atque Angliæ alterum alteri contrarium liquido ostendunt in hujusmodi negotiis dari a Deo vires sinceritati, quæ ipsum solum intuetur, adimi humanæ astutiæ, quæ utilitates suas religione prætexit, ut neque has, quibus solis inhiat, consequi possit, neque in ea,

[1] Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 306.

cui non bona fide laborat, religione proficiat.

« Idcirco videtur Sanctissimo Domino nostro, cum propter tot de religione discordias sectasque multiplices tota jam nutet Christiana respublica, debere sine timore, sine dubitatione aliqua, plane ob hoc solum, ut lapsæ religionis res in pristinum statum reducantur, ad celebrationem Concilii Tridentini deveniri, sperarique felicem a Deo et Domino nostro Jesu Christo omnium bonorum datore successum, et ut ad ea tractanda veniatur, quæ proprie pertinent ad Cæsaream majestatem. Quoad objectam ab ea difficultatem belli inter Anglos et Gallos, hoc respondetur, eam difficultatem multis de causis, quæ adduci possent, parvi fuisse momenti, et nunc consecuta jam pace omnino cessare.

« Quod desiderari videtur Sanctissimum Dominum nostrum ipsummet adesse Concilio, hoc ut fiat ab ipsius Sanctissimi voluntate dependet, qui jam non modo præsentiam suam, sed et vitam ipsam et sanguinem publicæ utilitati constituit exponere. Itaque Sanctitas Sua, quod opportunum esse judicabit, et expedire religioni atque huic sanctæ Sedi, nullo unquam tempore erit prætermissura.

« Quod ad fidem publicam Protestantibus dandam, quodque ad id pertinet, quod audiri petunt, ne id quidem habebit ullam difficultatem, nam et Pontifex, quoad ipsum attinet, fidem publicam dabit, et ea forma, quæ vel unquam est data vel dari possit amplissima, et idem Pontifex universumque Concilium libenter eos audient; quamobrem non arbitratur Sanctitas sua queri eos posse de Concilio Tridentino, cujus rei penes eos qui adfuerunt sit tantum fides.

« Restat ex difficultatibus a Cæsarea majestate in scripto per eam misso propositis unum caput, quod tanquam majoris momenti plenius tractatum est, atque in plura capita diffusum, id est, de loco Concilii. Atque in hac re desideratur majestatem suam bene considerare rationes, quæ ei adducuntur ab iis, qui eam abstrahere conantur ob continuationem Concilii Tridentini, etenim inveniet eas parvi esse momenti, nam quod dicitur Concilium per duos tantum annos fuisse suspensum, cumque jam lapsi octo alii fuerint, per quos nulla nova sit facta suspensio, continuari id Concilium non posse, sed novum institui debere, ea res non ita se habet; suspensio enim a Concilio facta est ad biennium, a Julio vero III facta fuit ad suum et Sedis Apostolicæ beneplacitum ; in hoc tamen Pontifex et Concilium convenerunt, ut expectari deberet finis bellorum atque opportunius tempus, quod cum nunc advenerit, consecuta ubique jam pace, certe Concilium Tridentinum pristinas vires suumque vigorem, si id Pontifici videatur, resumere potest.

« Quoad penuriam annonæ habitandique augustiam, quæ objiciuntur ei loco, contrarium manifeste liquet, nam et regio per se ferax est, abundansque omnis generis commeatuum, ejusque necessitatibus ex Germania Italiaque commode subveniri potest, et urbs si alias judicata fuit capax, multo nunc magis judicari debet, cum ædificiis quam tunc amplioribus exornata est, et certe ea capere posset omnes aulas principum Christianorum : quod si maxime Tridentum capax non esset, ea res magis incommodare posset Pontifici aliisque principibus quam imperatori, qui solus est dominus comitatus Tyrolis, domique suæ erit, cum Tridenti erit, ubi alii omnes peregrini atque hospites erunt.

« Præterea considerare debet imperator , nullo alio in loco ex iis qui in Germania proponuntur, neque Pontificem, neque ipsum adeo imperatorem esse posse securum ; nam cum Germania aperta sit et patens, et propter præterita bella referta militibus, iisdemque propter præsentem pacem otiosis, erit in audacissimi cujusque principis potestate manum cogere, tumultum concitare, Concilium opprimere, quod evenire Tridenti non potest, degentis in potestate majestatis suæ sitique intra illas montium fauces, quæ ipsum ab improvisa violentia reddunt tutum, et si qua vis ingruat, spatium dant sese ex periculo recipiendi.

« Debet item considerare majestas sua, non convenire, neque par esse, postquam omnes alii principes in hunc locum consenserunt, sine re eam sibi persuaderi, ut controversiam inducat super loco Tridenti, etenim integra majestati suæ non est hæc deliberatio, jam enim constituta res est, jam locus a Christianis omnibus, atque ab ipsamet Germania in publicis conventibus, atque ab ipsa adeo majestate sua electus est, non modo tanquam vices gerente imperatoris, sed etiam ut rege Ungariæ atque Bohemiæ, magnoque principe aliquot aliarum Germaniæ regionum, atque hi qui majestati suæ has dubitationes suggerunt, nihil aliud agunt quam ut eam ab observatione eorum, quæ ab ipsa jam promissa sunt, abstrahant, Conciliique progressum novis periculosisque ejus celebrandi rationibus proponendis disturbent et impediant; etenim ab omni æquitate alienum est, postquam Tridentinum Concilium continuare vult Pontifex, idque fieri imperatoris committere, alios nunc conari, ut id ulterius trahant, subjiciantque temeritati cujusque principis, quem suarum rerum pœniteat.

« Postquam autem a principe tam religioso et pio, cujusmodi imperator est, nihil noxii neque damnosi expectari potest, hortatur eum Sanctissimus Dominus noster atque enixe rogat, velit horum temporum conditionem, quæ nullam moram patiuntur, expendere, motusque regni Franciæ considerare, quibus nisi subita

convocatione Concilii obviam iri non potest, neve patiatur hanc controversiam progredi, sed tanquam rem indubitatam et jam constitutam definiat, habita præsertim ratione sinceri et vere Christiani animi Sanctitatis suæ, paratæ una cum Concilio providere quibuscumque opus fuerit, sine ulla prorsus fictione aut destinatione propriæ utilitatis suæ, sed ob Dei tantum honorem, et salutem commoditatemque populorum, cujus rei tam certa indicia se daturam profitetur, ut omnes nosse possint paternum amorem atque animum Sanctitatis suæ erga illam nobilem Germanicam nationem, quodque honestis in rebus et justis non modo pater ejus et pastor, sed etiam studiosus et fautor existet, idque cum certa spe et fiducia fore, ut rebus cum charitate atque in spiritu lenitatis agitandis, Deus ac Dominus noster Jesus Christus, pro sua misericordia serenas tranquillasque reddat partium mentes ; quemadmodum e contrario, si progressus impediat Concilii Tridentini, et offensiones animorum manebunt, et pervicaces de religione discordiæ, quæ sicut in præteritum pestilentes magnæ parti reipublicæ Christianæ fuerunt, ita in posterum totius ejus ruinam et cladem minantur.

« Quod ad reformationem attinet, quamvis ad eam jam aliqua ex parte devenerit Sanctissimus Dominus noster, iis, quæ hic occurrunt, varie providendo, ad illa tamen capita quæ majestas sua ex aliorum suggestione commemorat, id est, de Communione sub utraque specie, et connubio Sacerdotum, etc. sic respondit sanctitas sua debere majestatem suam ad hoc ipsum ut de his rebus tractetur, et super his divino instinctu definiatur, quod ad unitatem sit Ecclesiæ, omnibus impedimentis loci, temporis personarumque præcisis, quantum quidem ad eam spectat, huic Tridentino Concilio consentire , neque enim nullum securius neque præsentius remedium afflictis Germaniæ rebus inveniri potest. Quo Concilio congregato, si deinde videbitur expedire locum mutari , spondet hoc Sanctissimus Dominus noster, se semper iis quæ justa et convenientia fuerint, bonumque publicum respexerint, consensurum modo locus ille securus sit, neque de hæresi suspectus, ut par est ».

Ita exclusæ sunt omnes eæ urbes hæretica peste contaminatæ Augusta, Spira, Hagenoa, Vormatia, Constantia, quas Gallorum rex a Protestantibus, qui Concilium suæ potestati obnoxium habere affectabant, illusus proposuerat. Quam vero inanes forent argutiæ objectæ adversus Tridentinum locum, quem tot incommodis horrere fingebant, demonstrat Gaspar Cardillus in egregio Commentario [1] adversus Protestantium nugas edito.

[1] Pag. 51.

« Illud, inquit, minime silere volo, usque adeo placuisse hunc imperatori, ut cum a Gallis sollicitaretur, peteretur et curaretur, ut Concilium in aliam quampiam Germaniæ civitatem transferretur, prudentissime et Christiane admodum responderit, non posse in Germania reperiri, aut tutiorem, aut commodiorem ullum locum tenendæ Synodo, quam is sit, et qui de translatione cogitaret, nihil aliud agere, quam ut Synodus dissolvatur magno cum dedecore reipublicæ Christianæ, ipsosque hæreticos nullum omnino locum tutum, aut satis commodum huic negotio conficiendo reperturos ». Multisque interjectis addit Cardillus :

« Tam salubri aura et benigno cœlo Tridentum fruitur, ut, cum duobus his proximis annis, nusquam in plerisque Germaniæ locis pestis esse desierit, quæ ingentem hominum copiam abstulit atque absumpsit, certe Tridentum nullo morbo, non dico populari, sed qui aliqua ratione timeri posset, perturbatum est, usque adeo, ut ex quadringentis fere episcopis et presbyteris doctis hominibus, qui magna ex parte annis graves, ætate confecti, affectaque valetudine ex studiis atque negotiis Tridenti adsunt, vix unus aut alter interierit, nisi hoc summo Dei beneficio hæretici adscribant, qui eos servare vult, qui in unum convenerunt, ut Ecclesiæ suæ causam agant, et hostibus fidei et religionis gladio spiritus resistant, quod est verbum Dei ».

57. *Ex testimonio oratoris Veneti aperte constat Pontificem sibi in animum induxisse non dissolvendum, sed prorogandum Concilium.* — Pontifex igitur, ut Concilii celebrationem prudentia ac consilio quantocyus promovere mutaret, frequenter oratores principum ad colloquium adhibebat, ac præcipue Marcum Antonium Amulium [1] Venetæ reipublicæ oratorem , quem postea ob compertam pietatem ac prudentiam in sacrum cardinalium collegium cooptavit. Cum hoc itaque, ut ex ejus Epistolis ad senatum Venetum habetur, contulit primo quod ad dissolvendum nationale Gallorum Concilium, Generale quantocius celebrare intendebat ; quodque in sequenti die Mercurii post cardinales ad Consistorium evocatos, oratores quoque principum accersitus erat, ut firmam suam mentem de hoc declararet, eorumque ad opus in exitum perducendum auxilium exposceret, tum subdidit : « Suspensionem auferemus, et Concilium Tridentinum nunquam revocatum continuabimus, et volumus ut quæ reformatione indigent reformentur, et novus ordo personæ et rebus nostris imponatur. Res tamen fidei illibatas volumus servari , sanctamque istam Sedem , quæ imperii Christiani caput esse debet, et fuit, et necesse est ut sit; in reliquis aliorum judicio nos submittemus, et si de jure aliquid resti-

[1] Epist. M. An. Amul. 27 Maii. in Ms. card. Spadæ p. 146.

tuere tenebimur, restituemus ». Addidit ac hæc ut orator suo nomine reipublicæ sententiam circa Concilium efflagitaret, ac, si quando opus esset ut aliquam Venetæ ditionis urbem [1] pro Concilio destinaret, an Senatus ultro libensque eam concederet? cumque alias cum Amulio Pontifex de his disseruisset, obortasque imperatoris difficultates retulisset, tandem, ut dilatio omnis Concilii celebrandi submoveretur, die secunda Julii, convocatis ad se principum oratoribus, nempe imperatoris, Hispaniarum, Lusitano, Veneto ac Florentino, Gallus vero vocatus tunc non fuit, cum inter ipsum et Hispanum de loco digniori concertaretur, ac primum Pontifex de hoc ipso egit, dicens : « Finis huic rei ponendus est, et aliquando terminum ponemus, ut oratores pro rebus publicis tractandis simul convenire queant, cum modo ob honoris apiculum simul coram Pontifice adstare ad consulendum non possitis. Quid exinde principum vestrorum potentiæ deperiet? quam satius esset rem componere, et quiete vivere ». Tum eisdem ex fide retulit, quam sincere Concilii celebrationem optaret, cum propter ingruentes loci difficultates, absque ulla sui nominis jactura ad plures annos extrahere posset; ostenditque eis, quam aptum eidem celebrando foret Tridentum, imminentia insuper mala, si ulterius differretur; oratores denique ipsos est adhortatus, ut animi sui sensus, quos jam per litteras cunctis principibus exposuerat, suis quoque datis ad ipsos Epistolis confirmarent, quos etiam admonerent, ut si quid novi vellent suggerere, suis ad ipsos responsionibus declararent; ipsorum enim consilio magis uti, quam sua, ad quam spectabat, auctoritate Concilium cogere velle. Spem etiam ingentem se habere dixit, quod Germaniæ principes ultro convenirent, ideoque omnem abrumpendam moram, nihilque aliud superesse, quam ut a suis principibus oratores responsa referrent, quibus acceptis Concilium aperire, et legatos illico destinare Pontifex testabatur. Hæc cum exposuisset Pontifex, Cæsaris orator de pia sui principis mente brevi oratione certiorem Pontificem reddidit, papæ dicto in omnibus obaudientem futurum promisit, de loco Concilii difficultates aliquot timere se dixit, ac demum piam Sanctitatis suæ mentem commendavit. Pluribus locutus est Vargas Hispaniarum regis orator, cum comes Tendiliæ extra ordinem legatus propter ægritudinem abesset, re altius repetita orationem suam de causis Conciliorum, ac de præteritis Conciliis est orsus, multusque fuit in invehendo contra nationale Concilium, quod Galli cogere meditabantur, quod neutiquam omnino ferendum admodum diffuse disceptavit. Idem breviter confirmavit Castellano idiomate Lusitanus orator, laudataque Pontificis sententia, sui regis obedientiam obtulit, atque ut executioni quamprimum mandaretur, enixe postulavit. Post tres eos oratores annuente Pontifice, Amulius Venetus in hanc sententiam effatus : ad sanandas hæresum infirmitates nullum magis præsens remedium elapsis temporibus adinventum, quam Concilii celebrationem, ideoque agendas cœlesti numini gratias, quod suo in terris vicario piam hanc et sanctam mentem infudisset, ut ad universorum salutem respiciens, altero oculo, quæ ad religionis confirmationem, altero, quæ ad principum beneficium conducerent, perlustraret, quos suis in ditionibus pacem alere non posse, ni religioni tuendæ incubuissent, aperte recentium turbarum lachrymabiles causæ demonstrabant. Cæterum cum sciret, qua avita erga Sanctam Sedem reverentia sua semper respublica creverit, non ambigebat, quin et quæ Pontifex decerneret, approbatura esset, et quæ ipsa posset, ad ipsius decreta in exitum pervehenda, ultro libensque collatura. Pari quoque modo Florentinus orator Pontificis mente approbata, sui principis obsequium et opem exhibuit. Cumque cœtum dimitteret Pontifex [1], ut gesta scriberent principibus suis hortatus est :

58. « Interjecto itaque tempore, cum regum et principum responsa ad Pontificem allata fuissent, cum Amulio de more colloquens, significavit ipsi, quod Hispaniarum rex Concilium, et pro loco Concilii Tridentum approbans, regni præsules se missurum fuisset pollicitus, quodque in calce Epistolæ subdidisset, non esse absque voluntate imperatoris et regis Galliæ congregandum. Rex vero Galliæ, quamvis Concilium approbaret, locum improbabat, suosque adesse non posse testabatur, ni Constantiæ, Treveris, Spiræ, Vormatiæ, vel in civitate Agaunensi congregaretur, insuper etiam edita jam Tridentina decreta revocari postulabat. De imperatoris etiam mente cum Amulio locutus, de submisso illius scripto, quod antea recitavimus, magnisque quas obtendebat difficultatibus disseruit, illud addens, nihil sua referre, hunc magis, quam alterum locum præeligere, nec sibi invisas Germaniæ civitates; ad quas tamen, subdidit, opus esset ut episcopi accedentes et recedentes tutum iter haberent, ne illud Friderici cognomento Barbarossæ canendum esset.

Centum legati veniant hucusque rogati,
Papæ prælati maneant hucusque ligati.

« Quæsivit præterea ex Amulio Pontifex quid sibi videretur de postulatis imperii, nempe de sacerdotum conjugio, et laicali communione sub utraque specie; in quibus, quamvis ipse pro sua auctoritate dispensare posset, liberam

[1] Ep. xxxi Maii p. 149. Ep. iii Julii p. 154.

[1] Ext. Mar. An. Amul. ap. Ms. card. Spadæ l. ii. p. 265.

tamen Concilio facultatem hæc discutiendi relinquere volebat, cui Amulius primum pauca demisse præfatus in commendationem tot insignium virorum, quos Pontifex apud se habebat, eosque in consilium advocare poterat, respondit, Concilia leges esse, et Aristotelem docuisse, leges quantumvis minus bonas non esse leviter immutandas, ne homines ad earum inobservantiam sensim deflecterent. Pontifex Amulii dicta confirmans, subjecit, velle se cum præcipuis ex omni regione viris cuncta in consultationem referre, atque a principibus singulis duos exquirere viros auctoritate et doctrina insignes, qui, si quæ in illorum regionibus paterentur gravamina, ipsum edocerent, ne quid penitus vel lateret, vel indiscussum præteriretur, atque ab ipsamet Venetorum republica consilium præsertim expectare. Cui cum Amulius debitas retulisset grates, Pontificis animum de Germania ad pristinum fidei nitorem revocanda eo potissimum tempore in spem meliorem erexit, quo ingruentibus quotidie novis ac novis opinionibus experientia jam nosse inceperat, defectionem a Sede Apostolica nihil emolumenti attulisse, quin Turcarum immanitati ac formidini, divisis intrinsecus animis, exposuisse. Pontifex autem, collaudato prudentissimi oratoris sermone, pro fide Catholica confirmanda acerrime se pugnaturum promisit.

59. « Hic enimvero detegenda simul ac rejicienda occurrit mendacissima Soavii impostura, qua suadere nititur, Pium non tam de cogendo, quam de dissolvendo Concilio cogitasse; atque ideo relatis ejusdem prolixis de Concilio celebrando sermonibus hæc subinfert : Omnibus excogitatis decrevit (scilicet Pius Pontifex) in omnem eventum, bonum esse consilium, promptum, imo cupidum se ostendere, et aliorum desideria prævenire, ut magis impedimenta tegerentur, et majorem sibi conciliaret fidem, dum oppositas ab aliis difficultates repræsentaret : superioribus causis deliberationes illas referens, quas humanum judicium assequi non posset. Hæc Soavius, scrutator scilicet egregius arcanorum cordis, qui cum diligentiam ac vota Pii inficiari non posset, pro libito suo omnia simulate fecisse autumat. Sed facile iniquitas oppilabit os suum, si lector Amulii Epistolas attente perspexerit, ex quibus, quam facile Pius, vel protrahere, vel dissolvere Concilium potuisset, si principibus difficultates objicientibus cessisset, luce clarius animadvertet, exitusque ipse rei iniquissimam diluit detergitque calumniam. Quibus omnibus alia insuper Aurelii Porcellaghæ Epistola Vincentio Gonzagæ scripta mirifice attestatur, cum locutus de statu Romanæ curiæ et de Concilio hæc habet : Postremo, qua diligentia, quibus viribus Pontifex totus sit ad bene dirigendum istud sanctum Concilium, nec ego pro veritate dicere, nec tu ipse cogitare poteris. Huc omnia illius consilia spectant, in hoc cogitatus omnes noctu diuque consumit, nec modo cum voluntate, cum scientia ac potestate, sed insuper, si opus sit, cum gravi damno, cum sanguinis effusione, ipsiusque vitæ discrimine laboribus se exponere alacer promptusque est, ut omni industria istud sanctum Concilium bonum auspicetur initium, meliorem prosecutionem, exitumque optimum sortiatur; ad Dei omnipotentis gloriam, sanctæ hujusce Sedis exaltationem, ac totius Christianæ reipublicæ, imo universi orbis beneficium, atque hoc nomine supplicationes et preces ad numen placandum in omnibus piorum hominum locis offeruntur ». Hæc Aurelius, qui unus ad obstruendum os loquentis iniqua satis superque sit.

60. *Hæretici student Concilio disturbando.* — Cum igitur Pius in Concilio celebrando tam obfirmatus esset, malorum omnium satores hæretici e contrario ad disturbandum hoc Concilium vires omnes suas conferebant, tantumque aberat, ut subjicere se vellent legibus Concilii, ut potius exambirent impie, ut eorum placitis subjiceretur Concilium, in quo everteretur Ecclesiastica hierarchia, nonnullasque nefarias conditiones, quibus celebraretur, proponere ausi sunt, quas Gerardus Rambaldus [1] episcopus Civitatensis confutavit edito Commentario, quem Joanni cardinali Morono inscripsit :

« Prima conditionum, quas proferunt qui Christi Ecclesiam impugnant, hæc est, quod liberum Christianum Concilium in Romano imperio Germanicæ nationis celebretur ». Et infra :

« Quare Concilium in Germanica natione celebrandum exoptant? an ad ægras animas spirituales medicos vocant ? Sed quid hoc ? quando unquam ægri medicis præscripserunt locum medendi ? errant igitur adversarii, quando his conditionibus, spiritualibus medicis præscribunt locum modumque, quibus in sanandis eorum ægritudinibus utantur : etsi his conditionibus hoc illos voluisse minime credo, cum nihil apud me antiquius, quam hos, dum Concilium a Cæsare petunt, omnibus viribus contendere, ne Ecclesiæ Concilium congregetur. Quis enim sanus homo lectis his conditionibus de hoc potest ambigere? Nec mirum, quod ii, qui pessimam causam tuentur, Concilii judicium, quoquo modo possunt, optant defugere. Sed has tandem præclaras conditiones perspicuis rationibus arguamus.

« Altera vero est Lutheranorum conditio, quod Concilium a papa non judicetur. Tertiam addunt, quod papa illius non sit præses, sed subditus sit Concilio; cujus novæ Ecclesiæ membra sint, Christianæ an malignantium, satis

[1] Gerard. Rambaldus Ep. Civitaten. l. I. Confutationis conditionum recentium hæreticorum l. I. ad Jo. car. Moronum. Ext. in Ms. arch. Vat sig. num. 3200. p. 376.

perspicue ostendunt adversarii, cum his conditionibus conentur infringere Apostolicæ Sedis auctoritatem, quam non modo a Conciliis universalibus impartitam, et ab antiquis Patribus vere orthodoxis receptam, prædicatam atque protectam, sed a Christo etiam traditam fuisse cognovimus. Nec præter rationem, primæ Sedis auctoritatem impugnare contendunt, nam Romani Pontificis sententia, quotquot fuerunt, omnes hæreticos impugnatos atque damnatos esse cognoscunt : quare, et ipsius Summi Pontificis judicium sententiamque pertimescentes, quod fugere non possunt, ejus auctoritatem quamvis temere et impudenter conantur infringere. Dicant enim : quoniam scribunt, Concilium a papa non judicetur, a quo judicabitur ? Si enim alicujus judicio non egeret, ut ratum firmumque sit, vanum esset scribere, a papa non judicetur : Sed si negabunt adversarii, ut hanc perspicuam rationem effugiant, a quoquam Concilia judicari facile arguuntur : nam (si quæ sunt hæreticorum Concilia) ab hæreticis congregata, atque perfecta nonnulla Concilia sint, patet ; siquidem in tripartita Ecclesiastica historia scribit Theodoretus Arianos decem Concilia habuisse. Asserant, qua ratione Christiani populi percipiunt Ariminense Concilium hæreticorum esse, Nicænum vero orthodoxum ? si hoc dicent legitime congregatum, illud minime, caveant ne tertiam conditionem oppugnent et penitus tollant ; si vero asserant Nicæni Concilii Patres fuisse orthodoxos, Ariminensis vero hæreticos, aut saltem, qui recte sentiebant, ab hæreticis fuisse seductos, qua ratione id comprobabunt, cum horum Conciliorum Patres pariter Scripturæ divinæ testimoniis utantur ? Dicent forte Arianos in pravum sensum divina testimonia arripuisse, sed quo judice, si nullum est Apostolicæ Sedis judicium, id comprobabunt, cum hæc Concilia hanc sententiam, illa illam tueantur ? Opus est igitur Concilia ab aliquo judicari, ut quæ eorum Catholica atque orthodoxa quæque hæretica sint, perspiciamus ; nulla enim alia ratione id consequi possumus ; sed si ab aliquo sunt judicanda Concilia, certe ab illo sunt judicanda, quem Christus universæ Ecclesiæ pastorem elegit, cui uni totius gregis Dominici curam demandavit. Is quidem Romanus Pontifex est : scribit enim Matthæus V : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam etc.* Scribit quoque Joannes uni Petro dixisse Christum : *Pasce agnos meos : pasce oves meas ;* id est, laicos et laicorum pastores, ut unum sit Christiani gregis ovile, veluti per Oseam futurum esse Spiritus sanctus annuntiat : *Congregabuntur filii Juda et filii Israel pariter, et ponent sibimet caput unum ; et rursùs fiet unum ovile et unus pastor, etc.* » Confirmat hanc Pontificis in Ecclesiam universam et Concilia auctoritatem ex sanctis Patribus, Cypriano, Augustino, Hieronymo, Chrysostomo, Conciliis Nicæno et Chalcedonensi, et ex usu Ecclesiæ ac traditione. « Non senserunt, inquit, cum adversariis Patres in Chalcedonensi Concilio congregati, quandoquidem Apostolicæ Sedis legatos, veluti papæ litteris erant admoniti, Concilii præsides susceperunt ». Et infra : « Non possumus confirmare quænam sint Canonicæ Scripturæ, si vetustissimos hos Ecclesiæ usus, quos recentes hæretici non suscipiunt, quinimo damnant, comprobare non possumus. Est perspicuum Lutheranorum theologos has præclaras conditiones conscripsisse, ut a causa maxime justa Ecclesia Christi caderet.

« Quarta conditio, quod archiepiscopi, et episcopi liberentur a juramentis, et quod libera habeant vota, subdola est : » nam quod libera habeant vota, id maxime procurat Pontifex, quod vero solvantur religione sacramenti, quo adstricti sunt Pontifici, iniquum ; non enim propterea ordinum imperii in comitiis vota desinunt esse libera, quia sacramento Cæsari sunt obstricti ; quo utique liberari se nunquam Lutherani poposcerunt.

« Fallax quoque est conditio quinta : Quod Prophetica et Apostolica Scriptura sit judex in controversiis ». Refellit pluribus auctor hæreticorum fraudes ac tenebras, quibus obsiti sunt ; non enim de Scriptura controversia est, sed de sensu, quem falsum omnes hæretici illi affinxerunt, Sathanæ ipsa Scriptura abutentis exemplo ; eumque tantum verum, quem Catholica teneat Ecclesia, quæ ex Apostolo firmamentum et columna est veritatis : de quo plura Hosius episcopus Warmiensis in libello de expresso Dei verbo.

« Conditio sexta iniquissima est : Quod theologi Lutheranorum non solum audiantur, sed etiam voces decisivas habeant ». Non enim unquam hæretici ad Concilia sunt admissi, nisi ut doceantur : qui enim novatæ doctrinæ rei sunt, admitti non debent in judices.

« Septima : Quod theologi Lutheranorum sint in protectione Cæsaris ». Ad hæc Rambaldus : « Ut theologi Lutheranorum sint in protectione Cæsaris, opus est, ut hujus Christi Ecclesiæ viva sint membra, quod hanc solam, quam Christus super petram ædificavit, Ecclesiam ipse protegat, hujusque solius protector sit ». Quod vero addidere : Et habeant salvum conductum : tanta fuit Ecclesiæ in Protestantes benignitas, ut publicæ fidei syngrapham iis, quibus voluere verbis, conceptam tradiderit, ut in fide orthodoxa instrui possent. At ii tanquam aspides surdæ aures suas pertinacissime obturarunt.

« Octava conditio est : Quod non secundum multitudinem votorum, sed secundum Scripturam definiantur omnia ». His verbis perfidiæ suæ asylum condunt : nam quidquid contra eo-

rum hæreses fuerit definitum, mox contendent, non esse secundum Scripturam ab iis depravatam definitum.

61. *Cum principibus agit Pontifex de mox cogendo Concilio.* — Ut vero hæretici ferre non poterant quod Pontifex præesset Concilio, ita e contra Ferdinandus Cæsar maximis instabat precibus, ut Pontifex præsens Concilio interesset, illique præsideret, cum omnia felicius perductum iri censeret, si præsens Concilii gubernacula moderaretur, quo argumento extant subjectæ litteræ ad Pium datæ :

« Cum Sanctitas sua, non obstantibus illis, quæ a majestate sua bono et sincero zelo Sanctitati ejus proposita fuere perpendenda et consideranda, existimet, cessante nunc difficultate belli, quod inter Gallos et Anglos superioribus mensibus gestum est (quam majestas sua Cæsarea inter alias difficultates in discursu suo allegaverat) consecuta nimirum pace, opportunum tempus oblatum esse celebrandi Concilii, majestas Cæsarea ipsa quoque Sanctitatis suæ benignæ voluntati ac sapientissimo judicio obsequenter plane subscribit.

« Quod autem Cæsarea majestas Sanctitatem ejus vehementer desideret in Concilio præsentem esse, id quoque non aliter, quam bona et pia intentione a majestate sua Cæsarea propositum fuit ; præsertim cum majestas sua Cæsarea intellexerit, id non modo a felicis recordationis prædecessoribus Sanctitatis suæ pro magna parte observatum, verum in quibusdam Conciliis diserte constitutum fuisse, præsentiam Summi Pontificis, Romanorumque S. R. E. cardinalium in ipso Concilio esse accommodam et multimode fructuosam ; etsi omnino confidit Cæsarea sua majestas Sanctitatem ejus pro spectata sua pietate et eximio in rem Christianam studio sua sponte ad id propensam fore, freta tamen ipsius sanctissimi Domini nostri summa erga majestatem suam benevolentia et charitate, voluit Sanctitatem ejus nunc iterum confidenter hortari, prout vehementer etiam atque etiam hortatur, ut Sanctitas ejus sua præsentia, periculo et jacturæ tot millium animarum occurrere, totique Christiano gregi juxta officium suum pastorale salubriter mederi velit. Etenim si Sanctitas ejus sæpe dicto Concilio præsens aderit, ipsa quoque Cæsarea majestas prompta parataque est ad illud in propria persona venire, et Deo bene juvante in illo omnia ea sedulo facere et præstare, quæ ad officium pii et Catholici imperatoris spectant.

« Porro quod Sanctissimus Dominus noster ordinibus ac statibus Augustanæ Confessionis fidem publicam daturus sit, in ea forma, quæ vel unquam data sit vel dari possit amplissima, et quod Sanctitas sua curatura sit, ut illi quoque audiantur, majestas Cæsarea arbitratur hoc Sanctitatis suæ pium consilium rebus omnibus maxime profuturum , et majestas sua, quoad ipsam pertinet, itidem huic curæ, ut ordines illi Augustanæ confessionis amplissimo salvo conductu muniantur, pro sui Cæsarei muneris ratione non deerit, quo amplior enim et securior illis dabitur fides publica, eo magis sperandum erit illos ad comparendum et submittendum se Concilio moveri atque induci posse ». Et infra :

« Postremo majestas Cæsarea arbitratur, ad promovendum progressum Concilii et consequendum optatum ejus exitum, non parum momenti allaturum, si Sanctissimus Dominus noster, quemadmodum majestas sua Cæsarea Sanctitatem ejus sincero et candido corde reverenter admonuit, ante vel post publicam indictionem, eos reges, principes ac potentatus Christianitatis specialiter requisierit, qui in proximo Concilio Tridentino non adfuerunt, videlicet, regem Christianissimum, ac serenissimos Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Suetiæ et Poloniæ reges, ac illustrissimum dominium Venetum, et populos Helvetios, atque alios, ut et ipsi a communi et publica actione sese non sejungere, sed haud gravatim in eodem Concilio adesse velint » : Et mox :

« Accidit præterea majestati suæ Cæsareæ auditu jucundissimum, quod Sanctitas ejus jam aliqua ex parte devenerit ad instituendan reformationem, iis, quæ isthic in alma Urbe occurrunt, pervarie providendo : rogatque majestas sua Cæsarea Sanctitatem ejus summo , quo potest, studio, ut dignetur, postpositis et præcisis quibuscumque locorum, temporum et personarum impedimentis, tam pio, salutari et necessario instituto prosequendo perficiendoque sedulo ac jugiter insistere, in primis benigne curare, operamque dare, ut istiusmodi reformatio non solum Romæ, sed etiam et præcipue in illis locis instituatur, in quibus religionis discordiæ vigent. Ita namque judicat Cæsarea ejus majestas, ut quemadmodum Deus (quod pie credendum est) populum suum Christianum propter ejus peccata tum aliis multis ac diversis calamitatibus involutum affligi, tum etiam hoc perniciosissimo schismate, ac religionis dissidio, innumerisque et horrendis opinionibus dilacerari justo suo judicio permittit ; sic etiam non posse facilius, quam emendatione vitæ et pia atque Catholica reformatione iram ejus averti, placari, aut vicissim divinam ejus misericordiam et clementiam impetrari ». Paulo post :

« Et quia Sanctissimus Dominus noster videtur rejicere ad Concilium ea, quæ Cæsarea ejus majestas Sanctitati suæ in prædicto suo discursu de calice laicis, et conjugio presbyteris sæcularibus indulgendo, bona et candida mente perpendenda proposuit, eo modo, quo tunc majestati suæ a viris piis, Catholicis et orthodoxis,

ac Sanctitatis suæ, ipsiusque sanctæ Sedis Apostolicæ observantissimis, ac publicæ pacis et tranquillitatis studiosissimis, bono zelo relata fuerant, non quod majestas duorum illorum articulorum concessionem seu permissionem pro se ipsa requireret, sed eam dumtaxat ob causam, quod judicio et sententia illorum, et aliorum quoque Catholicorum, qui voluntates et studia Germanorum melius quam alii fortassis perspexerunt, magna spes ostendatur hac ratione non exiguum animarum lucrum fieri posse, majestas sua Cæsareo non potest sane diffiteri, quam de iis rebus nusquam rectius tractari possit aut debeat, quam in Concilio generali. Quia tamen in convocatione ejus tot occurrunt difficultates » : Et mox : « Sanctitas sua dignabitur deliberare, et statuere, quod oppressis rebus religionis ac reipublicæ Christianæ maxime appositum et utile fore judicaverit, etc. ».

62. Urgebant cæteri quoque reges Pontificem, ut Concilium Œcumenicum tanquam optatissimum vulnerum Ecclesiæ remedium indiceret, inter quos etiam Sebastianus Lusitaniæ rex suas preces porrexerat, cui a Pio responsum est [1], illud omnino Tridenti celebrare constituisse :

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Litteræ tuæ XXIX die Julii datæ, quibus voluntatem nostram celebrandi Œcumenici generalisque Concilii ab ipso Pontificatus nostri initio declaratam summopere laudas, et ad id peragendum nos vehementer hortaris, nobis jucundissimæ fuerunt. Animum enim tuum ista ætate tanta jam erga sanctam Matrem Ecclesiam pietate imbutum, tanto Catholicæ fidei studio præditum esse declarant, ut cum ætate processeris, illos piæ memoriæ reges avum et proavum tuum optime de Ecclesia et religione Catholica meritos auguremur Ecclesiæ ipsi in te redditos et restitutos fore, nam te cum generis tui vi, ac naturæ impulsu, tum charissimæ in Christo filiæ nostræ reginæ aviæ tuæ, et dilecti filii nostri cardinalis patrui institutione disciplinaque sanctissima illorum regum vestigiis præclare insistere videmus. Divinum porro favorem adeo tibi adesse ex recentibus victoriis intelleximus, ut rerum a majoribus tuis gestarum magnitudinem et gloriam felici isto regni tui initio jam sis propemodum assecutus. Quo nomine non solum piæ isti fortique nationi, sed universæ Ecclesiæ gratulamur, cujus recentes clades et damna, quæ aliis in locis accepit, tuis sunt victoriis compensata ; sed quod adeo cupis Œcumenici Concilii remedium tot et tam gravibus Ecclesiæ vulneribus adhiberi, ut nos etiam ad hoc hortandos duxeris, quodque nullum abs te officii genus, nec Synodo ipsi, nec nobis defuturum esse polliceris, piæ isti cupiditati tuæ summam laudem tribuentes, pro tua erga nos præclara voluntate debitas etiam gratias agimus. Scire autem serenitatem tuam volumus, constituisse nos Concilium ipsum in urbe Tridentina, ubi superioribus annis cœptum, et propter objecta impedimenta fuerat intermissum, eo animo instaurare, ut si quis postea ad id peragendum commodior locus delectus fuerit, eo transferatur ; nihil enim in præsentia commodius esse duximus ad obviam eundum malis, quæ impendere gravia admodum videbamus. Qua in re pium animum nostrum, et te, et cæteros reges ac nationes omnes in dies magis perspecturos esse confidimus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die I Octobris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

63. Sollicitatus etiam fuerat a Sebastiani regis patruo Henrico cardinale, ut ad componendos cleri mores studia converteret, atque ad decreta antea Tridenti ea de re edita in opus perducenda incumberet, cujus pia vota sibi acceptissima, eamque curam sibi antiquissimam futuram Pius [1] significavit :

« Henrico tit. SS. IV Coronatorum presbytero cardinali, etc.

« Quod multis verbis nos pie admodum cohortatus es, ut Tridentini Concilii decreta ad correctionem morum pertinentia auctoritate Apostolica comprobantes servanda curemus, cohortationis tuæ, quam grato sane accepimus animo, memores, id de ipsis decretis consilii capiemus, quod, re diligenter perpensa, ratio suaserit, confisi fore, ut ea in re et in cæteris circumspectio tua, et reliqui omnes in dies magis perspiciant nobis curæ esse, ut iis, quæ correctione indigent, quæque maximam sacerdotibus invidiam conflarunt correctis, Ecclesiam in statum quam commodissimum poterimus superno ipsius Dei auxilio, iisque, qui sollicitudinis nostræ participes sunt, adjuvantibus redigamus, etc. Die I Sept. MDLX ».

64. *Sacramento obstringit Pius suscepturos posthac munus episcopale ad tenendum et profitendum quæ hucusque decreta fuerint contra hæreticos.* — Cum perpendisset Pontifex collapsam sacerdotalem disciplinam, morumque nitorem obsolevisse episcoporum culpa, qui abjecta Ecclesiarum suarum administratione, vel in aula Pontificia vel in regum ac principum comitatu versabantur, sacro proposito edicto ad suas Ecclesias ut se reciperent, imperavit, ac sacris prærogativis eas, qui parerent mandatis, ornavit, tum episcopale munus posthac suscepturos sanctissimis constrinxit legibus, ac subjectam Sacramenti formulam, qua damnantur recentiores

[1] Pius IV. to. I. lib. sig. 2896. Ep. CCCLVI.

[1] Pius V. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCCLV.

hæreses, nuncupare jussit, de quo Acta Consistorialia[1] ferunt:

« Romæ IV Septembris MDLX, apud Sanctum-Marcum fuit consistorium, in quo Sanctitas sua monuit omnes archiepiscopos, episcopos, etc. præsentes, ut debeant accedere ad residentiam in suis Ecclesiis, et per secretarium fuit lecta bulla, et præcepti, et privilegiorum residentibus concessorum.

« Publicavit decreta et articulos fidei jurandos per episcopos et alios prælatos in susceptione muneris consecrationis, et mandavit in expeditione litterarum addi, in solita forma juramenti, ac registrari in quinterno Cancellariæ tenoris hujus.

65. « Symbolum Apostolorum, et alia, quæ ab Ecclesia sunt recepta, universas traditiones, quæ a sancta Sede Apostolica et Romana Ecclesia divinæ censentur, et quæ ab ipsis Apostolis quasi per manus ad nos usque pervenerunt, atque Œcumenica Concilia in iis, quæ de fide decernunt, veluti sacram Scripturam credimus, et amplectimur, et veneramur.

« Sacræ Scripturæ juxta sanctæ matris Ecclesiæ sensum, Patrumque consensum interpretandæ sunt.

« Sancta Apostolica Sedes et Romanus Pontifex in universum orbem tenet primatum, ipseque Pontifex Romanus successor est Petri principis Apostolorum, et verus Christi vicarius, totiusque Ecclesiæ caput, et omnium Christianorum pater et doctor existit, et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plena potestas tradita est.

« Novæ Legis septem sunt Sacramenta a Christo instituta, ut Baptismus etc. quæ non solum significant gratiam, sed etiam continent, ac digne suscipientibus conferunt.

« Baptismus ad salutem omnibus mortalibus est necessarius, etiam infantibus ; delet vero omnem culpam, et originalem, et actualem, simul pœnam omnem pro culpa debitam remittit, filios Dei efficit adoptivos, aperit regnum Cœlorum, et iterari non potest.

« In Confirmatione datur gratia Spiritus sancti ad robur, ut Christianus audacter Christi nomen confiteatur. Ordinarius vero Confirmationis minister est episcopus.

« Verum Christi Corpus in sacramento Altaris, totusque Christus sub specie tam panis quam vini realiter continetur, transsubstantiatis pane in Corpus Christi, vino in sanguinem, virtute divina.

« Eucharistia non solum sacramentum est, et cibus animæ spiritualis, sed etiam novæ legis sacrificium, quod in memoriam passionis Christi pro vivis et defunctis offertur.

« Est autem in hoc sacramento Christus cultu latriæ, qui vero Deo debetur, adorandus.

« Laici sub sola panis specie integrum Christi Corpus et Sanguinem, totum Christum veraciter sumunt, divinoque præcepto satisfaciunt.

« Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum est ad salutem necessarium. Hujus vero tres sunt partes, cordis contritio, oris sacerdoti jurisdictionem habenti integra peccatorum confessio, et ad arbitrium ejusdem sacerdotis satisfactio.

« Si vero pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de peccatis commissis et omissis satisfecerint, eorum animæ pœnis Purgatorii purgantur, et ut a pœnis hujusmodi releventur, prosunt eis vivorum fidelium suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, et eleemosynæ, et alia pietatis opera, et officia, et indulgentiæ secundum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ et Apostolicæ instituta.

« Sacramento Extremæ - Unctionis ægroti mens sanatur, corpus etiam, in quantum expedit.

« In Sacramento Ordinis, hujusmodi traditur spiritualis potestas, quam nemo habet, nisi is, cui hoc Sacramentum ab episcopo, juxta sanctæ Romanæ Ecclesiæ ritum, quoad essentialia, collatum est.

« Quæ ad Ordinis spectant potestatem, æque mali ac boni sacerdotes administrant, atque vim, quæ ad jurisdictionem attinet, quamdiu illis non fuerit abrogata.

» Matrimonii vinculum, si legitime contractum fuerit et consummatum, nullis de causis dirimi potest.

« Votum castitatis sacris ordinibus conjunctum, atque vota, quæ in probatis religionibus emittuntur, et alia quæcumque rite suscepta, fideliter sunt observanda.

« Peccata non accidunt, volente vel efficiente Deo, sed permittente, id est, non impediente quominus fiant, quare peccati culpa libero hominis arbitrio attribuenda est, quod primi parentis inobedientia non extinctum, sed viribus attenuatum et inclinatum est. Dei autem gratia prævenitur, a peccatis liberatur, sanatur, et ut mandata servare possimus, adjuvatur : itaque sanato libero arbitrio per gratiam Dei et merita Christi, opera vitæ æternæ meritoria homo justificatus operatur.

« Ad impii justificationem requiritur Dei præveniens gratia, et liberi arbitrii motus in Deum per actum fidei, et spei, et dilectionis Dei inchoationem, et detestationem peccati, ac propositum suscipiendi Baptismum, et pie vivendi. Ad infantium vero justificationem sola Baptismi legitima susceptio sufficit.

« Ad lapsorum autem post Baptismum jus-

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 131. p. 309.

tificationem necesse est, ut excitante Deo procuret peccator amissam gratiam per Pœnitentiæ Sacramentum recuperare. Cæterum, qui justificantur, non modo reputantur, sed vere nominantur justi, et sunt, justitiam in se unusquisque suam recipientes, dum per Spiritum sanctum in cordibus eorum charitas Christi diffunditur, atque ipsi inhæret.

« Virgo Dei Genitrix, Angeli et sancti religiose coli debent et invocari ut eorum meritis et precibus juvemur.

« Crux Christi et imagines, ac quæcumque attigerunt, adoranda sunt, juxta Ecclesiæ Catholicæ doctrinam et fidem.

« Deiparæ Virginis Mariæ, Angelorum, et sanctorum sunt imagines adorandæ [1], tum corpora et reliquiæ quævis.

« Sanctorum memoriæ præterea, et vigiliæ, et dies festi Christo, Virgini Matri, et Angelis et Sanctis dedicati religiose colendi sunt.

« Jejunium Quadragesimæ, alia jejunia, et aliæ abstinentiæ a cibis, quæ Ecclesia observare præcepit, reverenter sunt observanda.

« Cæremoniæ, ritus et mores omnes ab Ecclesia recepti et probati, qui vel ad divina officia, vel alia quævis munia Ecclesiastica adhibentur, observari debent.

« Constitutiones Ecclesiæ, canones, sanctiones, pœnæ, decreta, sive ad Ecclesiasticam pietatem et morum compositionem attineant, sive ad disciplinam, et morum emendationem, malorumque depulsionem, quæ vel a summo Pontifice, vel a Conciliis, vel a quavis legitima auctoritate proficiscuntur, et suscipi reverenter et fideliter servari debent.

« Postremo, quod attinet ad hujus ætatis, atque omnium temporum, ab hæreticis ortas vel suscitatas in dogmatibus divinis atque Ecclesiasticis controversias, et perversas doctrinas, illud tenemus, credimus, et confitemur, quod sancta Romana Ecclesia tenet, credit et confitetur.

« Anathema omnibus omnium temporum hæreticis, atque hæresibus, nominatim vero, anathema hujus ætatis hæresiarchis Luthero, Œcolampadio, Zuinglio, Rothmanno, Calvino, eorumque sequacibus, aliisque omnibus hæreticis, quascumque in sectas dissecti sint, vel quovis nomine censeantur, universis et eorum hæresibus anathema.

Forma juramenti præstandi per promovendos ad prælaturas.

« Ego N..... toto corde atque ore confiteor, firmiterque teneo omnia et singula in supradictis articulis seu canonibus contenta, eaque proponam et proponi curabo, credenda, confitenda, ac tenenda ab omnibus, qui curæ, administrationi ac jurisdictioni nostræ commissi et subditi, neque unquam aliquid, quod illis, vel illorum alicui ex toto, vel ex parte sit contrarium, aut dissonum, doceri, prædicari, quod in me erit, permittam, atque ita coram vobis, etc. et in manibus vestris affirmo, promitto et voveo ».

66. Dederat antea episcopis imperia Pius, ut strenuam emendandis sacerdotum moribus operam navarent; iisque Pontificiam mentem de celebrando Œcumenico Concilio patefecerat, paratosque ad id esse jusserat, quo argumento extant Encyclicæ litteræ [1] ad præsules Hungariæ datæ, cum Stanislaum Warmiensem episcopum ad Ferdinandum Cæsarem de eodem Concilio cum eo acturum misisset.

« Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Strigoniensi.

« Venerabilis frater, etc. Etsi venerabilis frater Stanislaus episcopus Warmiensis nuper ad charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanorum imperatorem electum a nobis missus, noster et Sedis Apostolicæ nuntius, tibi et reliquis istarum partium episcopis testis esse potest nostræ optimæ mentis ac fraternæ erga vos charitatis, tamen faciendum quoque nobis duximus, ut litteris nostris fraternitatem tuam salutantes, indicaremus paratos esse nos pro officii nostri munere, et Catholicæ religioni, et reliquis fratribus quidquid possumus opis atque auxilii afferre, cujus rei causa, scito constituisse nos propediem Deo juvante Œcumenicum et generale Concilium celebrare, cum aut hoc remedio, aut nullo alio Ecclesiæ pacem et tranquillitatem et decorem pristinum restitui posse existimemus. Quod consilium nostrum principibus omnibus, quorum apud nos oratores sunt, jam notum fecimus. Quapropter, dilectissime frater, iis, quæ in cleri tui moribus sunt emendanda, quam commodissime fieri poterit, correctis, interea te ad præstandum tuum Deo et Ecclesiæ Catholicæ officium, cum opus fuerit, para, sicut de tua præclara voluntate nobis persuasum habentes paratum te fore confidimus. Si quam vero ad rem, quæ ad te pertinet, eosve, qui adhuc tuo regimine gubernantur, pertineat, nostra tibi et Apostolicæ Sedis auctoritate opus est, desideriis tuis, quantum quidem cum Domino poterimus, benigne et libenter admodum satisfacere parati sumus, etc. Dat. die VII Junii MDLX ».

67. *Rursum indicitur Concilium Tridentinum.* — Re diu cum regibus ac principibus agitata, iisque ad celebrandum Concilium mutua animorum conspiratione consentientibus, Pontifex medio Novembri in cardinalium senatu fixam animo Pontificio sententiam princi-

[1] Id est in honore habendæ.

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. num. 2896. Ep. CCXL.

pumque consensionem aperuit, ut tradunt Acta [1] Consistorialia :

« Romæ, die Veneris xv Novembris MDLX, fuit Consistorium, in quo Sanctissimus Dominus noster retulit principes convenisse, ut Concilium Tridentinum celebraretur, et hac de causa decrevit fieri supplicationes et jejunia celebrando Missam in Ecclesia Beatæ Mariæ supra Minervam, necnon injunxit reverendissimis dominis, Saraceno, Puteo, et sancti Clementis, et aliis theologis, ut conficerent Bullam, quæ confecta legeretur in Consistorio, ut alias fuit factum ».

68. Promulgata est paucis post diebus [2] indictio Concilii continuandi Tridenti, ac fideles moniti piis precibus divinam clementiam exorare, ut illud Concilium ad exscindendas hæreses, pristinumque Christianæ pietatis splendorem restituendum promoveret, eaque de causa decretæ solemnes supplicationes, et gratuita reliqui noxarum reatus venia proposita iis, qui rite Sacramentis conscientiam expiassent :

« Pius papa IV ad futuram rei memoriam etc.

« Ingemiscimus semper, et ex intimo corde dolemus, cum tantum piarum animarum numerum, quas Christus Dominus noster pretiosissimo sanguine suo redemit, propter falsas et perversas hæreticorum doctrinas de ipsius sanctæ matris Ecclesiæ sinu et obedientia abstractum fuisse , quotidieque religionis contemptum crescere, atque per omnes pæne provincias Christiani orbis cum incredibili earum animarum jactura sparsas esse atque disseminatas cernimus. Quæ cum ita sint, assidue optavimus, non solum errantes filios ad rectam viam revocare, verum ipsorum hæreticorum mentes, si qua ratione possemus, sanare; id enim nobis in primis tentandum conandumque videtur, quod profecto Dei Optimi Maximi ineffabili bonitate, et clementia favente, si tot ac tantis turbinibus tandem aliquando sedandis occurrerit, Concilii celebrationem alias per Romanos Pontifices prædecessores nostros in civitate Tridentina factam indiximus continuandam, qua certe nullum salutarius præsentiusve hisce malis remedium reperiri posse semper existimavimus : sic enim vulnera, cum a sævissimis infidelibus, tum improbis hæreticis Catholicæ Ecclesiæ inflicta, sananda esse censuimus. Hac igitur ratione adducti ad sacratissimam universalem Synodum in eadem civitate Tridentina de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu propediem indicere, et continuare studuimus, atque decrevimus, eamque Spiritu sancto adjuvante optimo fine conclusum iri, et optatam universæ Christianitati salutem allaturam confidimus. Itaque cum omne donum optimum superne ad nos descendat a Patre luminum, hæresumque prædictarum extirpatio , orthodoxæque fidei restitutio, quam cupimus et speramus, quamque, hoc præsertim pacis inter Christianos principes tempore, cunctæ Christianæ reipublicæ plurimum fructuosam et utilem fore sperandum est, Dei manu ad nos ventura sit, et litteris edocti, Patres nostros jejuniis sæpe et lachrymis, orationibusque et eleemosynis integra fide et sincero affectu factis et effusis divinam iram placavisse, extinctisque dissensionibus concordiam et unitatem Ecclesiæ impetravisse. Siquidem fere non fit, ut Deus multorum preces non exaudiat, quodque singulis oratoribus forte fuerat negaturus, id plurium precantium unanimitati tribuere non raro consuevit, quaque sancta impulsi ratione nos solemus indicere supplicationes, et eisdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus totius Romanæ curiæ prælatis comitati die Dominico, quæ erit XXIV præsentis mensis Novembris, e Basilica S. Petri usque ad Ecclesiam beatæ Mariæ super Minervam processionaliter pedibus concedente Domino incedere decrevimus, ibique solemni Missa per aliquem ex dictis cardinalibus celebrata omnes ad Dominum pias preces effundemus, ut laudabilia et salutaria nostra consilia adjuvando prosequi velit. Quare ut multiplicatis intercessionibus facilius ea, quæ cupimus, ab ipso Deo consequamur, omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles, tam in alma Urbe nostra, quam quibuscumque regnis, dominiis, civitatibus, oppidis, terris et locis per universum mundum constitutis hortamur in Domino, et enixe requirimus, ac paterne admonemus, ut postquam præsentes ad eorum notitiam pervenerint, ad Dominum nostrum Jesum Christum Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis humili corde conversi, conscientiam suam studeant diligenter examinare, discutere, et ad humilem suorum peccatorum confessionem devenire, ac quarta et sexta feriis, necnon die Sabbati ejusdem vel alterius immediate sequentis Hebdomadæ jejunent, atque orationibus, et eleemosynarum largitionibus, seu aliis piis operibus juxta eorum conscientiam, sive sacerdotum, quibus peccata sua confitebuntur, salutare consilium vacent, ac die Dominico dictum diem Sabbathi proxime subsequente sanctissimam corporis ejusdem Domini nostri Jesu Christi Eucharistiam reverenter et devote suscipiant, intimoque corde Deum attentius orent, ut tandem populi sui, pro cujus salute Crucis aram subire non dubitavit, misertus a præsentibus eum calamitatibus liberare, hæreses extirpare, dicti Œcumenici Concilii celebrationem feliciter promovere, pacemque inter ipsos Christianos principes confovere et conservare dignetur, quo omnes ejus fideles per ipsius sanctæ Synodi pro-

[1] Act. Consist. Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 320. — [2] Ext. in Act. Conc. Trid. per Alph. Servatium. Ms. Franc. card. Bar. signa. num. 1109. p. 170.

secutionem, et optatam perfectionem atque finem, impiis extirpatis hæresibus, omnibusque sublatis dissidiis, etiam perfidissimorum infidelium Christianæ religionis hostium metu vacui ac soluti, divinæque ejus majestati cultum debitum et pium famulatum quietius et securius exhibere possint, etc. » Instructi sunt piaculares sacerdotes amplissima potestate ad solvendos omnes criminum nexus, precesque sacras fundentibus, et rite Sacramentis exomologeseos atque Eucharistiæ procuratis gratuita noxarum condonatio proposita. « Datum Romæ, etc., die xx Novembris, Pontificatus nostri anno I ».

69. Indicta est dies Concilii celebrandi in proximam resurgentis Domini celebritatem, ut referunt Acta [1] Consistorialia : « Romæ die Veneris, XXIX mensis Novembris MDLX, fuit Consistorium, lecta fuit Bulla indictionis Concilii Tridentini ad diem Paschatis proxime futuri per Sanctitatis Suæ secretarium ». Conceptum erat illud Diploma [2] subjectis verbis :

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

« Ad futuram rei memoriam.

« Ad Ecclesiæ regimen, licet tanto oneri impares, sola Dei dignatione vocati, statim circumferentes mentis oculos per omnes reipub. Christianæ partes, cernentesque non sine magno horrore, quam longe lateque pestis hæresum et schismatis pervasisset, et quanta Christiani populi mores correctione indigerent, in eam curam et cogitationem pro suscepti muneris officio incumbere cæpimus, quemadmodum ipsas hæreses extirpare, tantumque et tam perniciosum schisma tollere, moresque adeo corruptos et depravatos emendare possemus. Cum autem intelligeremus, ad hæc sedanda mala aptissimum esse remedium, quod Sancta hæc Sedes adhibere consuevisset, Œcumenici generalisque Concilii ejus congregandi, et Deo juvante celebrandi consilium cœpimus. Indictum illud quidem antea fuit a felicis recordationis Paulo III et ejus successore Julio prædecessoribus nostris, sed variis de causis sæpius impeditum et interpellatum perfici non potuit. Siquidem Paulus cum id primum in urbem Mantuam, deinde Vicentiam indixisset, quasdam ob causas in litteris ejus expressas id primo suspendit, postea Tridentum transtulit : deinde cum quibusdam de causis ibi quoque ejus celebrandi tempus dilatum fuisset, tandem suspensione sublata in eadem civitate Tridentina inchoatum fuit ; verum Sessionibus aliquot habitis, nonnullis decretis factis, ipsum se postea Concilium aliquibus de causis, accedente etiam Sedis Apostolicæ auctoritate, Bononiam transtulit.

« Julius autem, qui ei successit, in eamdem civitatem Tridentinam id revocavit, quo quidem tempore facta alia quædam decreta sunt. Sed cum in propinquis Germaniæ locis tumultus excitati fuissent, et bellum in Italia et Gallia gravissimum exarsisset, rursus Concilium suspensum et dilatum fuit, adnitente nimirum humani generis hoste, aliasque ex aliis difficultates et impedimenta objiciente, ut tantum Ecclesiæ commodum, quod prorsus auferre non poterat, saltem quam diutissime retardaret. Quantopere vero interea auctæ fuerunt, et multiplicatæ et propagatæ hæreses , quantopere schisma creverit, sine maximo animi dolore nec meminisse possumus, nec referre : sed cum tandem pius et misericors Dominus, qui nunquam ita irascitur ut misericordiæ obliviscatur, regibus et principibus Christianis pacem et unitatem donare dignatus est, qua nos occasione oblata maximam in spem venimus ipsius misericordia freti fore, ut his tantis quoque Ecclesiæ malis eadem Concilii via finis imponatur. Nos itaque ad schisma hæresesque tollendas, ad corrigendos et reformandos mores, ad pacem inter Christianos principes conservandam, celebrationem ejus non esse duximus diutius differendam. Habita igitur cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus deliberatione matura, factis etiam consilii nostri certioribus charissimis in Christo filiis nostris Ferdinando Romanorum imperatore electo, et aliis regibus atque principibus, quos quidem, sicut de eorum summa pietate et sapientia nobis pollicebamur, paratissimos ad ipsius Concilii celebrationem adjuvandam invenimus, ad Dei Omnipotentis laudem, honorem et gloriam, atque universalis Ecclesiæ utilitatem, de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu sacrum Œcumenicum et generale Concilium et auctoritate ejusdem Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum, qua nos quoque in terris fungimur, freti et subnixi, in civitate Tridentina ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicæ proxime futurum indicimus, et ibi celebrandum, sublata suspensione quacumque, statuimus atque decrevimus. Quocirca venerabiles fratres nostros omnibus ex locis patriarchas, archiepiscopos, episcopos, et dilectos filios abbates cæterosque quibus in Conciliis generalibus sedere, et sententiam dicere, jure communi, vel ex privilegio, vel ex antiqua consuetudine licet, vehementer in Domino hortamur et monemus, atque etiam districte præcipiendo mandamus in virtute sanctæ obedientiæ, in vim quoque juramenti, quod præstiterunt, et sub pœnis, quas in eos, qui ad Concilia generalia convenire neglexerint, sacris sciunt esse canonibus constitutas, ut ad Concilium ibi celebrandum conveniant intra eam diem, nisi forte impedimento fuerint legitimo præpediti, quod ta-

[1] Ms. card. Spadæ sup. pag. 320. — [2] Ext. in Act. Conc. Trie. ante sess. 17.

men impedimentum per legitimos procuratores Synodo probare debebunt.

« Monemus præterea omnes et singulos, quorum interest vel interesse poterit, ut in Concilio adesse non negligant; charissimos vero in Christo filios nostros Romanorum imperatorem electum, cæterosque reges et principes, quos optandum sane esset Concilio interesse posse, hortamur et rogamus, ut si ipsi interesse Concilio non potuerint, at oratores suos prudentes, graves et pios viros utique mittant, qui ipsorum nomine intersint, curentque diligenter pro sua pietate, ut ex eorum regnis atque dominiis prælati sine recusatione ac mora, tam necessario tempore, Deo et Ecclesiæ officium suum præstent : eosdem etiam curaturos esse minime dubitamus, ut per ipsorum regna et dominia tutum et liberum iter prælatis eorumque familiaribus, comitibus et aliis omnibus ad Concilium euntibus, et ab illo redeuntibus pateat, benigneque ac comiter, et omnibus in locis recipiantur atque tractentur, sicut quod ad nos attinet ipsi quoque curabimus, qui nihil omnino prætermittere decrevimus, quod ad tam pium et salutare opus perficiendum a nobis in hoc loco constitutis præstari possit; nihil, ut Deus scit, quærentes aliud, nihil propositum habentes in hoc Concilio celebrando, nisi honorem ipsius Dei, dispersarum ovium reductionem ac salutem, et perpetuam Christianæ reipublicæ tranquillitatem et quietem, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ, II kalendas Decembris, Pontificatus nostri anno I ».

70. *Scribit Pius ad imperatorem et Galliæ regem ut Concilio faveant.* — Proximo ab his litteris promulgatis die, Pontifex Ferdinandum Cæsarem hortatus est [1], ut pietatem suam in provehenda Tridentini Concilii celebratione explicaret, atque præclaro eo facinore gratum se erga Deum, a quo tot beneficiis ornatus esset, præstaret :

« Ferdinando Romanorum imperatori electo.

« Afflictæ et jam diu gravissime laboranti Ecclesiæ Dei, cujus regimini, licet indigni, præsumus, pro muneris nostri officio subvenire primo quoque tempore cupientes, hesterno die ad Dei Omnipotentis laudem de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu Œcumenicum et generale Concilium in civitate Tridentina indiximus, cujus indictionis litterarum, quas edidimus, exemplum majestas tua una cum his litteris accipiet. Majestatis tuæ pietas erga matrem Ecclesiam, et studium erga religionem Catholicam adeo omnibus perspectum est, ut hortationem nostram supervacaneam esse intelligamus, sed tamen, quod tua sponte facturus es, charissime fili, paterna hortatione incitatus facies aliquanto etiam studiosius, ut memor imperatorii muneris, ac majorum tuorum, qui maxime Catholici principes optime de Ecclesia Dei meriti fuerunt, coneris studio et auctoritate tua ipsius Concilii celebrationem populo Christiano tantopere salutarem ac necessariam, quam maxime adjuvare, oratoresque viros graves et prudentes et pios mittas, qui nomine tuo Concilio intersint, curesque ut ex regionibus istis prælati omnes omni excusatione omissa in urbem Tridentum ad præstitutam diem conveniant, ut ipsorum, et aliorum, qui cæteris ex partibus venient, frequentia, et cum aliorum principum, tum tuo in primis studio Concilium ad Dei honorem et gloriam feliciter celebrari, et ad optatum finem divina opitulante gratia perduci. Nulla enim, ut vides, pietati tuæ de Dei religione, et de ejus Ecclesia optime merendi magis idonea offerri potest occasio, nullum tempus opportunius, quo pro maximis a Deo affectus beneficiis gratum animum declarare, et perpetuum protectionis ejus auxilium, et gratiæ incrementum tibi tuisque liberis et imperio promovere possis, etc. »

71. Datis eodem argumento litteris [1] pridie kalendas Decembris Franciscum Francorum regem, qui ardentissimis studiis, et operoso ambitu Concilium flagitarat, certiorem fecit Pontifex de indicto Concilio Tridentino, precesque addidit, ut partæ a majoribus, qui optime de Ecclesia erant meriti, gloriæ memor, Concilii celebrationem promoveret, oratores regia auctoritate instructos mitteret, tum præsules regni sui die constituta illi interesse curaret :

« Charissimo in Christo filio nostro Francisco Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Vexatæ et tamdiu laboranti Ecclesiæ Dei gravissime, cujus regimini licet indigni præsumus, pro nostri muneris officio subvenire primo quoque tempore cupientes, hesterno die ad Dei Omnipotentis laudem de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu Œcumenicum et generale Concilium in civitate Tridentina celebrandum indiximus, cujus indictionis litterarum exemplum majestas tua una cum his litteris accipiet. Eam majestati tuæ pietatem erga matrem Ecclesiam, tantumque erga religionem Catholicam studium novimus, ut hortatione nostra minime opus esse intelligamus, præsertim, cum recordemur quam diligenter ad ipsum convocandum Concilium nos hortatus sis. Id tamen, quod tua sponte facturus es, charissime fili, ut paterna hortatione etiam invitatus facias studiosius, hortandam in Domino duximus et rogandam majestatem tuam, ut memor officii regii, præ-

[1] Pius IV. divers. lit. sig. 2919. p. 217.

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCCLXV.

clarissimique cognominis; memor etiam claræ memoriæ patris, et avi, majorumque tuorum, qui Christianissimi reges et optime de Ecclesia meriti fuerunt, des operam, et enitaris, ut studio et auctoritate tua ipsius Concilii celebrationem populo Christiano tantopere salutarem, quam maxime adjuves, oratoresque, viros graves, prudentes ac pios mittas, qui nomine tuo Concilio intersint, curesque, ut regni tui prælati omnes omni excusatione omissa in urbem Tridentum ad præstitutam diem conveniant, ut ipsorum, et aliorum, qui cæteris ex partibus venient, frequentia communique studio Concilium ad Dei honorem feliciter celebretur, et ad optatum finem divina opitulante gratia perducatur, studii, quod in Dei causam contuleris, maximum et æternum ab ipso Deo præmium percepturus, præter quam quod regno tuo optime consulas. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Pisc. die XXX Novembris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

72. Pollebat in Gallica aula maxima auctoritate Franciscus Turnonius cardinalis, quam tamen impii infringere nitebantur, piorum enim optimorumque consiliorum auctor erat, cui propterea Pontifex significavit non modo impendentia mala Concilii indicti opera averti posse, sed etiam affulgere spem, ut vetera Ecclesiæ vulnera ad sanitatem perducantur, ac proinde industria sua apud regem perficeret, ne quod novum offendiculum posthac in Gallia excitaretur, sed potius ii, quos muneris religio ad adjuvandos sacros episcoporum conventus obstringeret, Tridentum se conferrent[1].

« Venerabili fratri nostro Francisco episcopo Ostiensi, cardinali Turnonio vocato, in regno Franciæ nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

« Libentissime ad Dei honorem et universalis Ecclesiæ utilitatem præstitimus, quod ab ipso Pontificatus initio scis nos pollicitos ac professos fuisse. Hesterno enim die venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio Concilium Œcumenicum et generale in civitate Tridentina celebrandum indiximus, sicut ex litterarum exemplo super ejus indictione editarum cognosces. Confidimus in Domino fore, ut hoc remedio non modo occurratur scandalis, quæ timebantur, sed vetera etiam Ecclesiæ vulnera divina auxiliante gratia sanentur. Nunc hortamur universos istius regni archiepiscopos et episcopos, ac cæteros, qui ad Concilia generalia ire debent, communibus ad eos datis litteris, ut omni excusatione omissa, officio ac religioni suæ consulant. Id ut ita fiat fraternitas tua diligenter cum charissimo in Christo filio nostro rege Christianissimo agat, provideatque pro sua singulari virtute, prudentia, pietate ; ac ne quid isthic admittatur, quod scandalum aliquod excitare possit; quanquam fraternitatem tuam etiam sine hortatione nostra ipsam omnibus, sicut solet, optimi cardinalis officiis functuram esse minime dubitamus. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die ultima Novembris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

73. *Lutherani principes et magistratus invitantur ad Concilium.* — Attulit XVII Decembris ad Gallicam aulam Nichettus abbas Diploma Pontificium[1] indictionis Concilii Tridentini, ex quo regina atque omnes proceres maxima conceptæ lætitiæ signa ostenderunt, at deinde ad cujuspiam suggestionem, ea verba in malam partem accepta sunt, *sublata suspensione Concilii Tridentini*, ne Protestantibus illius non admittendi occasionem præstarent; et quia expetita a nonnullis fuerat declaratio, ut Concilium edita antea decreta Tridentina rescindere ac retractare posset, quos haud dubie hæreticos extitisse constat, quanquam et Catholici aliquot ignari ac inani pietatis specie illusi, concordiam omni bello funestiorem flagitarent, cum non adverterent sanctos Patres pro litterula adversus Arianos, pro accentu adversus Nestorianos ad sanguinem usque decertasse, et quod iota unum, aut unus apex ex Evangelico præscripto præteriri non debet a lege, res ita composita est a Pio Pontifice, ut superiorum decretorum Tridentinorum dignitatem illibatam conservarit, reges vero ac principes Lutheranos humanissimis litteris[2] provocarit, ut oratores suos ad Concilium Tridentinum mitterent, quo argumento hæ ad Sueciæ et Norvegiæ regem transmissæ sunt, et Zacharias Delphinus Pharensis episcopus idemque internuntius ad eum destinatus est :

74. « Charissimo in Christo filio nostro Sueciæ et Norwegiæ regi illustri.

« PIUS PAPA IV.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Ejusmodi munus licet infirmis admodum viribus sustinemus, ut si diligenter et fideliter commisso nobis officio functi fuerimus, intelligamus, et Deo nos propitio usuros, et aliorum simul et nostræ ipsorum saluti esse consulturos ; quapropter ne a quoquam partes desiderari possint, ad tollendas fidei et religionis controversias atque dissidia, et ad corrigendos mores, pristinamque unitatem atque concordiam Christiano nomini restituendam divinæ misericordiæ auxilio confisi, quod pie implorare non desistimus, Œcumenicum et generale Concilium in civitate Tridentina celebrandum indiximus, editis hac de re litteris, quarum exemplum cum his conjunctum ad

[1] Pius IV. to. VII. brev. sig. 2896. Ep. CCCLXIII.

[1] Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 377. Ep. Viterb. lit. ad intern. Germ. — [2] Pius IV. to. VII. brev. sig. 2896. Ep. CCCLXIII.

serenitatem tuam afferri jussimus. Quamobrem paterno animo majestatem tuam hortandam duximus et vehementer rogandam, ut officii regii memor, velis ad Concilium oratores mittere cum mandatis, ut mos est, tuo illi nomine interfuturos ut tuæ serenitatis ac cæterorum regum et principum studio, tam pium et tam Christiano populo salutare opus commodius perfici possit, ut sedatis istis de religione dissensionibus, cæterisque, quæ correctione indigere visa fuerint, sacræ Synodi judicio emendatis, sua Ecclesiæ quies et tranquillitas, suusque decor restituatur, cujus rei studium nostrum, et mentem rectam et sinceram, ut manifestius perspicere possis, adire ad serenitatem tuam voluimus venerabilem fratrem Zachariam episcopum Pharensem nuntium nostrum pluribus verbis ea tibi declaraturum, quem ut benigne et diligenter audias, et ejus orationi fidem plenam habeas, serenitatem tuam vehementer in Domino rogamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die v Dec. MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

Successerat [1] recenter Henricus Gustavo parenti, qui anno regni trigesimo quinto e vivis abierat, mutatæ religionis rationem æterno judici redditurus. Is universam pæne nobilitatem deleverat, dum metueret, ne recens occupatum sceptrum sibi extorqueretur. Rogatus quoque est Daniæ rex a Pontifice [2], ut ad Concilium Tridentinum oratores mitteret.

75. Augustus etiam Saxoniæ dux elector imperii, amanter a Pontifice sollicitatus [3] est de eadem re, misso ad eum Jo. Francisco Commendono episcopo Zacynthiorum. Idipsum præstitum cum Joachimo marchione Brandeburgensi, cæterisque Germaniæ principibus, ad quos omnes invitandos Commendonus expediebatur. Meminit hujusce [4] provinciæ Commendono attributæ Latinus Latinius in Epistola ad Andream Masium conscripta XII kal. Januarii : « Commendonus legationem ad Germaniæ principes omnes Synodi Tridentum revocandæ causa suscepit. Quid sit futurum, expectatur. Is autem ante dies octo profectus est recta prius ad Cæsarem ».

76. Nec principes modo Lutherani, sed etiam liberarum Germaniæ civitatum magistratus ad Concilium Tridentinum vocati, ut subjectæ ad Argentinenses litteræ [5] ostendunt :

« Dilectis filiis consulibus et senatui civitatis Argentinæ.

« PIUS PAPA IV.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Commisso nobis officio impellimur, ut omni cura, studio et sollicitudine incumbamus ad reconciliandum populi Christiani nimis diu scissam unitatem, diruptamque concordiam, quam ad rem agendam opportunum nobis tempus obtulit divina clementia, sedatis inter principes Christianos bellis et pace composita : itaque tot et tantas de religione dissensiones, et tam perniciosa schismata tolli, atque, et quæ correctione indigere constiterit, emendari et corrigi cupientes, Deo auctore nuper indiximus Œcumenicum et generale Concilium, sicut cognoscetis ex Bullæ exemplo, quam edidimus, et ex nuntio hoc nostro, spectatæ fidei viro, qui quidem nostram piam et sinceram mentem, et salutis omnium studio incensam Deo teste voluntatem vobis mandato nostro pluribus declarabit. Proinde paterna vos charitate hortamur, ut fidem ejus orationi habentes, ad reparandam Christiani nominis unitatem, Dei honoris, et vestræ salutis causa vestrum studium cum nostro conjungere velitis, sicut vos facturos esse confidimus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XIII Decembris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

Conceptæ iisdem verbis litteræ [1] fuere transmissæ ad aliarum civitatum Lutheranarum magistratus, ad senatum Halæ, Goslariæ, Lubeci, Brunsvici, Magderburgi, necnon eodem ferme exemplo [2] ad senatum Augustæ, Spiræ, Wormatiæ, Francfordiæ, Ulmæ; omnes enim hæretici amantissime ad redintegrandam pristinam cum Ecclesia conjunctionem, repetendamque salutis æternæ viam a qua aberrabant, invitati sunt.

77. *Omnem curam impendit Pontifex ut omnes principes Christiani, etiam Orientales, Concilium adeant.* — Pellicere quoque Orientales ad Concilium Tridentinum annisus est Pius, atque ad Cophtorum patriarcham Alexandrinum, Christophorum Rodericum sacerdotem Societatis Jesu misit, qui illum hortaretur ad unum vel plures præsules Ægyptios idoneis fultos mandatis, qui Concilio interessent, transmittendos. Legationis hujusce mittendæ occasionem dederat homo Syrus, qui Romæ sub Paulo IV apparuerat, qui se legatum ferebat Alexandrini patriarchæ, cui Cophti parent, litterasque Arabice scriptas suæ legationis et obedientiæ, quam patriarcha Romano Pontifici exhibebat, indices detulerat, cumque nullus tunc forte Romæ adesset, qui linguam illam nosset, sub Pio IV cardinalis Alexandrinus rem attentius explorare jussus, veritatem illarum, novasque insuper lætiores litteras accepit, quibus virum aliquem, cum quo de Cophtorum Ecclesia cum Romana conjungenda agitaret, ad se mitti postulabat. Christophorum igitur Rodericum [3] e Germania reducem pluribus instructum monitis Pontifex ad illum legat, simul-

[1] Natalis com. hist. l. XIII. — [2] Pius ubi sup. q. 405. — [3] Ibid. p. 412. et Ep. CCCLXII. — [4] Lat. Lucub. par. II. p. 52. — [5] Pius IV. o. I. brev. sig. 2896. Ep. CCCLXXV.

[1] Ib. post eamd. Ep. — [2] Ep. CCCLXXIV. — [3] Sacch. p. 2. l. V. Hist. Soc. I.

que Bullam indictionis Concilii, ut ad illud patriarcham invitaret, submittit, qui una cum Jo. Baptista Eliano, qui Christianus ex Judæo factus linguarum et nationum peritiam præclarissima charitate sociabat, iter aggressus, nonnisi sequenti anno legationis suæ mandata complevit, cum tamen ex hoc apposito Brevi [1] appareat, hoc anno ejusmodi provinciam illi a Pontifice commissam.

« Dilecto filio Christophoro Rodriguez Societatis Jesu professori, nostro A. S. in Ægypti partibus nuntio.

« Dilecte fili, etc. Difficultatibus quibusdam, quæ celebrationi sacri Œcumenici et generalis Concilii moram aliquot mensium attulerunt, post tuum discessum Dei benignitate sublatis, compertum habemus, conventuros esse propediem Tridentum omnium, quæ Sedi Apostolicæ obediunt, nationum episcopos, nostris et regum litteris admonitos. Itaque opportunum nunc demum tempus esse duximus, venerabilem quoque fratrem nostrum patriarcham Alexandrinum nationis Cophtorum, ad quem te nuntium nostrum misimus, de indicto Concilio certiorem facere, et hortari, ut mittat unum pluresve, prout ei placuerit, ipsius nomine Concilio interfuturos. Scribimus autem ad eum litteras, quarum ad te exemplum misimus, et cum eis una mittimus bullam de indictione Concilii. Exemplum illi abs te tradi nolumus, cum Deo juvante ad eum perveneris, sed tum demum, cum semel iterumque allocutus, sensum et voluntatem ejus plane perspexeris, hortandus abs te erit, ut cum aptis mandatis unum pluresve primo quoque tempore ipsius nomine Concilio interfuturos mittat. Cum primum autem eo perveneris, nos de adventu tuo, et de eo quod egeris quodque speres, nos diligenter facies certiores. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

Non misit quidem patriarcha Cophtorum ad Concilium procuratorem ; quin consueto gentis more semper, ut aiebat ille, alia cogitantis, alia simulantis Romanæ Ecclesiæ non se conjunxit.

78. De hac Pontificis diligentia in vocandis omnibus ad indictum Concilium, qui Christianum nomen profitebantur, hæc refert Gabriel Palæottus, qui Concilii Acta [2] diligenter conscripsit, ac postea cardinalitios apices adeptus est.

« Editis litteris summus Pontifex nihil omnino prætermittere sibi in animum inducit, ut Concilium hoc ejus auctoritate celebrandum, magnos et præclaros, quantum in eo erit, progressus faciat. In primis quamplures nuntios, eosdemque præstantes vario ex ordine viros, in varias provincias ac regna distribuit, qui Synodum hanc in civitate Tridentina cogendam denuntient, diplomata in Lusitaniam, Hispaniam, Galliam, Angliam, Germaniam superiorem et inferiorem, Helvetios, Boemiam, Hungariam, Poloniam, Prussiam, Moscoviam, Dalmatiam, Illyrium, Armeniam, Græciam per eos mittit, nullumque Europæ aliarumve regionum angulum jubet præteriri, ubi Christiani nominis vestigium aliquod supersit, cui non hæc Œcumenica Synodus celebranda significetur ».

Sed jam ad res Gallicas, quas occasione indicti Concilii, enarrare distulimus, gravissimis seditionum ab hæreticis concitatarum turbinibus concussas, orationem revocemus.

79. *Anabaptista flammis damnatus.* — Non Calviniana tantum, aut Lutherana hæresis nobilissimum illud regnum infecerat, sed horrenda hæresum colluvies, cum singuli hæretici pro væsani capitis libidine sacras Scripturas explanarent, seque divinorum arcanorum participes jactarent, ex quibus Nortmannus ludimagister illusus a dæmone, Anabaptisticos Joannis Leydensis furores imitatus, Gallorum piorum cædes spirabat affectabatque tyrannidem, cujus enthusiasmos ac furores flammis compressos narrat Belcarius [1] :

« Accidit, ut quidam puerorum institutor, quos tres linguas Latinam, Græcam, Hebraicam simul accurate docebat, et natura eloquens magnam populi multitudinem ad suas conciones invitabat, sibi Dei spiritum inspirare diceret, Antichristum brevi periturum, se exercitus ducem a Deo selectum, ut omnes impios everteret et de terra summoveret, nec principibus aut magistratibus parceret, se non ante moriturum, quam mundum purum omnis peccati culpæque exortem statuat, et multa alia hujusce notæ addebat, quæ fanatici Anabaptistæ somniarunt; tanta autem eloquentia pollebat, ut permulti ad illum confluerent, et quod ab urbe excludebatur, in apertis campis concionabatur, quapropter senatus cardinalem Borbonium Rothomagensem archiepiscopum, ac Villabonem Bullionii reguli Normanniæ prætoris legatum accersivit, qui fanaticum hominem comprehendi, et quæstione habita temeritatis pœnas igne luere jusserunt ». Duo ex præcipuis ejus sequacibus adeo promissis ejus erant fascinati, ut non prius falsa eum dixisse crediderint, quam redactum in cineres conspexerint, quibus mitiore supplicio gula fracta est.

80. *Patefacta conjuratio cujus caput et dux Condæus in vincula conjicitur.* — Extremo Augusto patefacta est atrocissima conjuratio cujus auctor Condæus princeps extitit, pellectique in illius societatem feruntur nonnulli Catholici, quibus invisa erat florentissima Guisiorum auc-

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCCLII. — [2] Ms. car. Barb. Acta Conc. Trid. per Gal. Paleol. p. 86.

[1] Franc. Belcar. l. XXVIII. num. 57.

toritas, inter quos Montmorantius Magister equitum in crimen vocatus. At divina providentia tantum periculum discussit, cum hæretici nocendi studio fidissimos regis clientes ad scelus pellicere tentassent; atque nefaria arcana temere aperuissent, de quibus Franciscus II rex has ad ducem Sabaudiæ litteras [1] dedit :

« Coacto apud Fontembellæaquæ sanctiore senatu regio ad expedienda optima in rebus asperis consilia, sedandaque religionis dissidia, ac motus præteritis mensibus concitatos compescendos, persuasus sum ab eo pro tollendis de religione dissensionibus unicum remedium fore Œcumenicum Concilium, illudque a me omni conatu promovendum, quod si in longius tempus extraheretur, tenuesque illius congregandi spes essent, cogendam omnium totius regni Ecclesiarum Synodum, quam prædecessorum exemplo in decimum Decembris diem indixi, ut meorum subditorum querimonias audiam, eorumque malis medear, levemque eorum onera. Interea volente numine, dum regni proceres ducesque, ordinumque regni primarii meo hærerent lateri, erupit in lucem maxima conjuratio, ipsa Ambosiana atrocior; nonnulli enim militarium ordinum ductores militesque mihi subditi ac fidissimi aperuerunt se fuisse ad ineundam ejus conjurationis societatem, ad præstandum fidem, stipendium recipiendum, ac sponsionem dandam de corripiendis armis labente Septembri mense, adversus regiam majestatem, regnique exitium alia consilia perducenda pellectos; et quia conjuratio ea jam diu trahebatur, innumeri centuriones militesque subornati erant nomine Condæi principis ducis, adduntque nonnulli regem Navarræ ejus conjurationis participem esse, ac reginam Angliæ stipendiorum partem subministrare ad rem conficiendam; quo audito, meo jussu captus est vicedominus Carnutensis, qui ejus flagitii consors convictus est, dedique mandata regi Navarræ, ut fidei suæ experimentum daret, capto Condæo fratre atque ad me perducto, ut in conspectu ejusdem regis ab objectis se purget apud me, quod si id recusaverit, decrevi regiorum armorum potentiam in eum exercere. Et quia perpensa horum perfidorum audacia projecta, incertum est an velint in meo regno experiri armis, propterea cohortes idoneis locis instructas disposui, ut antequam copias jungere possint, opprimantur, ac si externa arma vocare opus fuerit, rogavi regem Hispaniæ sororium meum, ut cum jam ante me officiis verborum amantissimis ac liberali virium sponsione prosecutus fuerit, copias subsidiarias submittat ad fidem Catholicam in meo regno asserendam, ac subditos meos in officio continendos : et quia me proxima attingis propinquitate, atque in numero amicorum versaris, propterea moneo te ac rogo, ut mihi consilio, viribus tuis idoneis, loco et tempore non desis, cum enim sis mihi amore conjunctissimus, ita in tuo auxilio maxime præfido. Proficisci jussi præfectum castrorum Santandreanum in Lugdunensem præfecturam suam, teque de mearum rerum statu facere certiorem, sicuti aliosque etiam provinciarum præfectos in sua loca pariter dimisi, ut peditatu et equitatu sint instructi atque ad imperia regia comparati, speroque me perfidos compressurum, subditosque populos in officii religione contenturum. Deum interea precor, ut te salvum et incolumem servet. Datum apud Fontemaquæbellæ ultima Augusti MDLX ».

81. Non defuit Francisco II Galliæ regi Philibertus dux Sabaudiæ, et Cathaphractorum equitum manum submisit, ac sex millia peditum subsidiaria accincta esse jussit, datisque mense Septembri litteris [1] significavit se etiam cum aliis copiis ad ferendam regi opem provolaturum. Pontificius vero internuntius, qui in aula Sabauda agebat, significavit Pontifici, ex litteris reginæ matris, ac Lotharingi cardinalis, et ducis Guisii, et aliorum plurium constare conjuratorum principem esse Condæum, qui affectatæ tyrannidi religionem prætexat, de intercipiendis rege ac regina, trucidandis Guisiis sumpta fuisse consilia, ac diem nonum ad patrandum flagitium constitutum, eodemque tempore in Normandia et in Aquitania tumultus concitandos.

82. Detectis hæreticorum insidiis, de Condæo intercipiendo sumpta sunt consilia, indictorumque Aureliæ trium ordinum regni conventuum occasio opportuna visa est. Ad eos Franciscus rex XV kal. Novembris se contulit, fideique Catholicæ asserendæ atque hæreseos opprimendæ præclarissimum specimen edidit, ut refert Belcarius [2] :

« In sanctiore (inquit) consilio decretum fuit, ut omnes suæ fidei professionem facerent uti a Sorbonicis theologis anno hujus sæculi quadragesimo secundo dictata fuerat, pœna recusantibus proscriptionis indicta, quæ non solum in possessiones, verum etiam in reorum corpus redundaret. In eo consilio cum Guisanis fratribus cardinalis Turnonius, Brissacus, ac Sanctandreanus mareschalli primas ferebant, Mommorencius equitum magister, ac tres ejus nepotes, cardinalis, amiralius, Andelotus Castiliones aberant.

« III kal. Novembris Navarrus ac Condæus Aureliam appulerunt rege salutato, Condæum Chavignius ac Brezeus prætorianorum hippotoxotarum præfecti prehenderunt ». Territi illius calamitate Andelotus, Castillio et alii Aurelia

[1] Belcar. l. XXIX. num. 9. Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 363.

[1] Ext. ejus lit. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. pag. 364. —
[2] Belcar. l. XXIX. num. 8.

diffugerunt, qui postea furorem in Catholicos effuderunt. Tum subdit auctor [1], ut judices dati sint Condæo, qui variis diffugiis eorum judicium eludere conatus sit :

« Postremo (inquit) ut capite lueret pronuntiatum fuit, quod decretum omnes propemodum consilii sanctioris consiliarii subscripserunt, cancellario et Mortiero exceptis, qui propter regis valetudinem differebant : subscripserunt et plerique Galliæ proceres, ac decem et octo regiæ societatis equites nuper creati, et multi alii, qui tum in regis comitatu erant, necnon et supplicum libellorum magistri et senatores Lutetia accersiti : comes Sancerrius subscribere recusavit, quamvis ut subscriberet, semel atque iterum rex injunxisset. Postridie idus Octobris crassus humor e cerebro in regis aurem sinistram defluxerat, qui in apostema conversus, ita languentem debilitavit, ut nonis Decembris animam efflarit. Venenum ab Ambrosio chirurgo Calviniano, et Mommorenciano in regis aurem inditum ferunt ».

83. *Condolet Pontifex de morte Francisci regis, ex qua magnum patitur damnum religio Catholica.* — Passa est Christi Ecclesia gravissimam in Francisci II Galliæ et Scotiæ regis obitu jacturam ; ad Calvinismum enim e Gallia excindendum auhelabat, nec modo tueri religionem Catholicam in Scotia poterat, verum etiam Angliæ restituere : at Deo visum est illum, ut pie creditur, e terreno ad cœleste regnum evocare. Ob secutas in aula perturbationes caruit regiis sepulchralibus honoribus, « at eam (inquit Belcarius) piis mentibus sui memoriam reliquit, ut illius interitum multis cum lachrymis etiam nunc deplorent, qui titulus non solum omnes sepulturæ honores contemnit, verum etiam superbas quasque aliorum regum victorias longe superat ». Successit illi in regno Gallico proximus natu frater impubes Carolus IX cui de fratris obitu condoluit Pontifex, utque religionis Catholicæ patrocinium susciperet, suasit hisce litteris [2], ac Laurentium episcopum Firmanum ad eum misit. ut de paternis in eum studiis faceret certiorem :

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi Christianissimo.

« Charissime in Christo fili, etc. Obitu immaturo claræ memoriæ Francisci regis fratris tui tantum doluimus, quantum pro paterno amore, quo illum dileximus, dolebamus : sed animo ad te cogitationeque conversa, qui in regno illi successisti, gratias egimus misericordiarum Patri et totius consolationis Deo, qui ut prope est semper iis qui tribulato sunt corde, nostrum dolorem continuo lenire dignatus est, cum id, quod ejus morte Sedes Apostolica atque adeo universa Dei Ecclesia tali tempore amisisse videbatur, tua statim fuerit felici successione restitutum ; amisimus ipsi sane optimum filium, amisit Ecclesia religionis Catholicæ piissimum defensorem, sed nec ipsi minus de tua erga nos et hanc Sedem pietate spondemus, nec minus Ecclesia sibi de tuo in Catholicam religionem animo pollicetur ; eodem enim sanguine, eodem genere ortus, eadem disciplina institutus, non potes non illius et majorum tuorum omni pietatis et virtutis laude existere simillimus, præsertim si, ut debes, sapientissimæ tuæ matris monitis atque consiliis obtemperaris. Eo autem tempore regni istius gubernacula divina ad te providentia detulit, ut tuæ erga Deum et ipsius Ecclesiam pietatis declarandæ maximam facultatem habiturus sis, ad quam declarandam, ut omni animi studio incumbas, te, charissime fili, hortamur et monemus. Nulla potes firmiora tui regni fundamenta jacere, nulla re certius divinæ tibi protectionis auxilium parare, quam si quam optime de Ecclesia Dei et sancta religione ac fide Catholica mereri studueris. Omnium hoc quidem Christianorum regum officium est, sed ab eo maxime postulandum, qui præclarum istud Christianissimi cognomen adeptus est. De nobis majestas tua ea sibi omnia studia omnesque eos honores polliceri, et potest et debet, quæ a benignissimo et amantissimo patre filius expectare debet, adeo nos tuæ gloriæ cupidos, adeo rerum tuarum studiosos esse experieris, ut inter cæteros reges eximie te nobis charum esse intellecturus sis, sicut ipsi quoque ea de tua erga nos et hanc Sedem pietate nobis pollicemur, quæ ab illis parentibus orto, et a Christianissimo rege expectanda sunt. Sed hæc commodius tibi exponet venerabilis frater Laurentius episcopus Firmanus, quem tali tempore paterni nostri erga te animi declarandi causa ad te misimus, cujus orationi fidem ut habeas, majestatem tuam rogamus. Omnipotentem Deum precamur, charissime fili, ut te benedicat et perpetuo tueatur et custodiat. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XIV Decembris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

Mœrentem etiam Mariam reginam Scotiæ et Galliæ consolatus est Pius [1], utque Christiana constantia viri obitum ferret, ac divinæ voluntati se accommodaret, hortatus est :

« Mariæ reginæ Francorum Cristianissimæ.

« Hortamur serenitatem tuam, ut divinæ providentiæ judiciis, sicut piam reginam decet, patienter acquiescas, et in eo spem tuam reponas, qui prope est iis, qui tribulato sunt corde, quique misericordiarum est Pater et Deus totius consolationis, etc. XXIII Decembris MDLX »,

[1] Franc. Belcar. l. XXIX. num. 7. — [2] Pius IV. to. I. brev. sig. 2896. Ep. CCCLXXIII.

[1] Pius IV. l. I. brev. sig. 2896. Ep. CCCXCIX. de morte Fran. II. Reg.

84. Orbatam viro Francisco Galliæ rege Mariam Scotiæ reginam passam esse maximas calamitates [1], ac demum ab Elisabetha æmula Angliæ regina capitali supplicio affectam suo loco lugebit oratio. Quantum vero vulnus ex Francisci II regis obitu Catholica religio in Gallia acceperit, mox apparuit, nam cum hæretici a Francisco rege bonorum vitæque proscriptione damnati fuissent, ut vidimus, mox contrario edicto sublata est ea proscriptio, et qui religionis causa in custodiam dati, donati libertate, parique honoris gradu Calviniani atque Catholici affecti. Condæus [2] princeps circiter duodecim dies a Francisci II regis morte e custodia, in qua Aureliæ fuerat emissus, Hanum Navarri arcem, mox Feram profectus, ibi in libera custodia fuit, donec in aulam revocaretur. Hinc impia Calvinianorum factio furore et numero mirifice aucta ad evertendum Gallicum regnum, quorum malorum causam in ambitionem Catharinæ reginæ refundit Belcarius : « Factionem (inquit) Pontificiorum et Calvinianorum ita alebat, ut Pontificios, id est, Romanæ religionis assertores et propugnatores, quibus magis fidebat, viribus superiores esse mallet, Calvinianos autem non male calere, ne prorsus animum desponderent ». Subdit auctor, qua arte sit usa, ut Antonium Navarræ regem ad permittendam illi Gallici regni administrationem adegerit. « De ejus (inquit) ac Condæi fratris in regem conspiratione certis argumentis intellexisse declaravit, ut non solum ad regni administrationem adspirare non debeat, verum si læsæ regiæ majestatis crimen illi, fratrique remittatur, præclare secum actum putet, nam nisi regis filii indignationi obstitisset, de illis jam supplicium sumptum fuisset, se vero semper ita regiam stirpem dilexisse, ut ne filius in eam sæviret, omnibus modis sibi obstandum judicarit. Se nunc primam regni administrationem non ambire : Blancam Ludovici Pii matrem eadem ante magna cum laude et populi gratulatione defunctam; videret itaque, ut eadem sibi cederet, ne quid gravius in illum moliri cogeretur. Navarrus natura facilis, conspirationis conscius, inter medias Guisanorum copias constitutus, et Monpenserianæ uxoris admonitione perterrefactus, Catharinæ regni administrationem cessit, cessionemque scripto mandatam subscripsit ». Ob hanc cessionem postea Condæus princeps condonatæ sibi vitæ beneficii immemor postea contendit Gallici regni procurationem ad se spectare, accensoque civili bello religionem Catholicam delere in Gallia conatus est, ut suo loco dicetur.

85. *Pius scribit regi Navarræ commendans ipsi Carolum puerum.* — Sub exitum præsentis anni Antonius Navarræ rex, ac Joanna regina, quæ quamvis Calvinianam summopere hæresim latenter foveret, tamen ad illam usque diem publice profiteri, vel religione erubuerat, vel regii nominis conservandi respectu formidaverat, ad Pium Pontificem legationem mittunt, simulque Epistolas Joannæ manu subscriptas, quibus se, et Catholicam esse profitebatur, et nunquam S. R. E. obedientia descituram pollicebatur. Obivit legationem istam Petrus Albretius, Joannis Navarræ regis filius naturalis, olim Benedictinæ familiæ secundum Yepes alumnus, qui postea Convenarum episcopus fuit; hic postridie idus Decembris a Pontifice ad colloquium publice est admissus, quo tempore ejus nomine orationem ad Pontificem habuit vir clarissimus Marcus Antonius Muretus [1], ubi inter alia, quæ de Pontifice est locutus, de Concilii ab ipso indictione facta hæc subdit : « Erexisti animos omnium, indicto, quod tantopere optabatur, universali Concilio. Injecisti spem fore, ut hæresum peste sublata, sacrosanctum Jesu Christi nomen, eodem animo, eadem voce, iisdem ritibus ab omnibus invocetur ». Et infra : « Omnia speramus a te excitatum iri, quæ jacere sentis, tantis tamque diuturnis dissensionibus perculsa atque prostrata. Videre jam videmur illud tempus, cum per te constituatur Ecclesiastici ordinis auctoritas, confirmentur veteres ritus, pravæ opiniones aboleantur, concordia, ne unquam postea dissolvi possit, severis legibus vinciatur. Multa perdidit Ecclesiasticus ordo, et ornamenta dignitatis, et præsidia stabilitatis suæ : qui nisi per te recipiat, a nemine sibi restitui posse censet ». Obsequio hujusmodi per Petrum exhibito Pius [2] hisce verbis per Pontificium scribam respondere mandavit :

« Gratulatio serenissimorum Navarræ regum Antonii et Joannæ sanctissimo Domino nostro probata, et perinde ac debet accepta est et grata. Obedientiam vero, quam per te Sanctitati suæ et Sedi Apostolicæ modo præstiterunt, et perpetuo præstituros se professi sunt, libenter is et grato animo accipit una cum venerabilibus fratribus suis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, magnamque eis laudem tribuit, quod communis stirpis suæ memores quid ipsos illis majoribus ortos deceat, qua pietate, qua fide hanc Sanctam Sedem colere debeant, præclare se intelligere ostendunt; itaque non dubitat, quin ut aliorum regum, sic pio eorum studio atque ope usurus sit ad Concilium, quod nuper indixit celebrandum, et quietem ac pacem universali Ecclesiæ restituendam ».

De excepto debitis honoribus ejus oratore Pontifex Navarræ regem certiorem fecit, utque Carolum regem in sustinendo Gallico sceptro

[1] Belcar. l. XXIX. — [2] Gramond. in Hist. Protest. Rebellion. c. 1.

[1] Arnal. Oibenato in notit. utriusque Vasc. M. Ant. M. Or. 4. — [2] Pius IV. lib. brev. div. sig. 2919. p. 79.

consiliis suis et opera juvaret, hortatus est, tum ut Pontificium internuntium in Galliam missum benigne audiret.

Cum vero Pontificiæ litteræ sub hoc eodem anno sint signatæ, manifesti erroris arguuntur Arnaldus [1] et Sammartani, qui ad insequentem annum legationem istam rejecerunt :

« Charissimo in Christo filio nostro Antonio Navarræ regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectus filius nobilis vir Petrus Albertus orator tuus commisso sibi a te et a charissima in Christo filia nostra regina uxore tua officio diligenter et pie admodum functus est. Nos vero et ipsum ea qua debuimus benignitate excepimus, nullo honoris genere quod aliorum regum oratoribus simili de causa huc venientibus haberi consueverit, prætermisso, et tuæ ac ipsius reginæ erga nos et hanc Sanctam Sedem pietatis et fidei indicia gratissimo animo accepimus. Cujus pietatis vestræ magnum vos a Domino præmium accepturos esse minime dubitamus. Nos quidem habebitis ad ea semper paratos, in quibus, vel honori vel commodis vestris, cum Deo consulere poterimus. Dolorem quem obitu claræ memoriæ Francisci Francorum regis Christianissimi ceperamus, lenivit nobis continuo felix charissimi in Christo filii nostri Caroli fratris sui successio, de quo quidem et quod illo genere ortus est, et quod in administratione regni tuæ in primis serenitatis consilium et amorem illi affuturum esse speramus, præclara nobis pollicemur et expectamus. Venerabili fratri Laurentio episcopo Firmano, cui has litteras dedimus, nonnulla quoque mandata ad serenitatem tuam dedimus, ejus igitur orationi fidem ut habeas rogamus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XVIII Decemb. MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

86. Extant eodem argumento ad Georgium Armeniacum cardinalem Pontificiæ litteræ [2], quibus etiam eumdem rogavit, ut se ad regem Navarræ conferret, illique in ea Gallicarum rerum mutatione consilio adesset, remque Catholicam tueretur.

« Dilecto filio nostro Georgio cardinali de Armeniaco vocato.

« Grato animo admodum, ut debuimus, accepimus charissimorum in Christo filiorum nostrorum regis et reginæ Navarræ litteras pie admodum scriptas, et obedientiam, ac cultum, quæ aliorum Christianorum regum more nobis et Sedi Apostolicæ præstiterunt. Nos quoque, quod tibi gaudio fore scimus, oratori ipsorum eosdem quos cæterorum regum oratoribus haberi mos est, honores habuimus, eorumque liberis peramanter rescripsimus, nostrum erga eos paternum amorem, quibuscumque in rebus cum Domino poterimus, declaraturos nos esse professi. Quam opportunus tuus ad eos adventus fuerit, intelleximus, itaque magnum cepimus fructum consilii nostri. Nunc etsi admodum gravi de causa istuc profectum audivimus, tamen cum post discessum tuum charissimus et optimus filius noster Franciscus rex Christianissimus decesserit, delato ad ejus fratrem filium item nostrum charissimum Carolum regno, magno interesse putamus te tali tempore ipsi Navarræ regi adesse, sicut te quoque pro tua prudentia intelligere minime dubitamus. Proinde ut cæteris relictis rebus illuc, quam celerrime, sine valetudinis tuæ incommodo poteris, revertaris, circumspectionem tuam hortamur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris XX Decembris MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

87. *Post partam de Turcis victoriam Christiani mox terra marique devicti apud Tripolim, et decumæ impositæ regnis Hispanis in auxilium contra Turcas.* — Suscepta est hoc anno expeditio a Philippo II rege Hispaniæ in Africam hortatu Joannis Valettæ Parisotti Melitensium equitum principis, duce Joanne Lacerda prorege Siciliæ, qui primos impetus non adversus Tripolim a Draguto obsessam, sed adversus Gerbam, sive Meningem insulam convertit, eamque subegit, cui Pontifex [1] de parta victoria ab eodem certior factus his litteris gratulatus est :

« Dilecto filio nobili viro Joanni de Lacerda duci Medinæ-Cœli proregi Siciliæ, et pro serenissimo rege Hispaniarum Catholico Christiani exercitus capitaneo generali.

« Dilecte fili, nobilis vir, etc. Litteris tuis de re prospere gesta, et insula Tripolitano bello maxime opportuna in potestatem tuam redacta certiores facti, manantibus propter gaudii magnitudinem lachrymis, debitas omnipotenti Deo gratias egimus, qui tam felix istius sanctæ expeditionis initium nobilitati tuæ concesserit, tuæque virtuti et animi magnitudini majorem in modum gratulamur; cum autem non parvum hoc divinæ clementiæ pignus habeamus, sperandumque sit bellum istud tuo ductu feliciter et ex sententia confectum iri, eo adjuvante, in cujus manu sunt bellorum exitus et victoriæ; nos, quod officii nostri ratio postulat, exemplum Moysis in bello contra Amalecitas imitantes, preces ad omnipotentem Deum pro nostrorum victoria fundere, tibique et exercitui isti benedicere non desistimus, et ut a piis omnibus eidem supplicetur, curabimus, etc. »

Decrevit Lacerda prorex dux Christiani exercitus ad confirmandum ejus insulæ imperium adactis in Philippi regis fidem barbaris, arcem

[1] Arn. Not. utriusque Vasc. Sam. to. II. Gall. chr. in ep. conu. Pius IV in l. I. brev. sig. 2896. Ep. CCCLXVII. — [2] Pius IV. l. brev. sig. 2896. Ep. CCCXCIV.

[1] Pius IV. to. I. brev. sig. 1796. Ep. CLXI.

quam hostibus eripuerat, magnis operibus munire, ut firmissimo imposito præsidio Turcarum impetus propulsare posset, in qua munienda dum occupatur, coacto militari consilio illi consultum est, ut ad classem reficiendam una cum illa vela faceret in Siciliam, ut si Turcica classis in eas oras incurreret, refecta classe, collectisque viribus novis auctus Turcicam classem invaderet, vel ad expugnandam Tripolim novem ante annis amissam impetus extremos imprimeret, quod salutare consilium militare non secutus est Lacerda Hispanæ classis imperator, sed imprudenter tantas in arce firmanda moras extraxit, ut classis Turcica duce Piali-Bassa octoginta quatuor triremibus majoris longitudinis, et aliis quatuor brevioris conflata in Christianam classem imparatam, dum miles eam conscenderet, irruerit, tantoque terrore compleverit, ut cum ancipiti certamine de victoria possent contendere Christiani, spem inanem collocarint in fuga, perturbato omni ordine, cladique certissimæ se objecerint, quorum nulla pugna, sed cæsi in fuga adeo, ut Petrus Machiavellus [1], qui illi cladi interfuit, e Prepanitano portu, in quem perfugerat, ad ducem Florentiæ scripserit, ex classe Christiana, quæ triremibus quinquaginta majoribus, minoribus quatuor, navibus onerariis viginti, et aliis pluribus minoribus constabat, septemdecim tantum triremes hostium cruentas manus evasisse, alias viginti octo triremes captas, onerarias quatuordecim; cæsa Christianorum octodecim millia referunt. Contigit ea funestissima clades die duodecima Maii, ut narrat Machiavellus, quam cum Hispanus orator significasset Pontifici, ita tamen, ut ejus magnitudinem extenuarit, Pontifex Hispani clientes imperii, propositis sacrarum Indulgentiarum præmiis hortatus est [2], ut ad novam instruendam classem pro Christi nominis gloria stipem subsidiariam conferrent.

88. « Ad futuram rei memoriam.

« Cum charissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex Catholicus, sicut nobis significari fecit, progenitorum suorum, qui Christianam ditionem, devictis et debellatis Christi nominis hostibus, non parum propagarunt, in hoc vestigia imitari volens, et attente conspiciens, quod nefandissimus archipirata Dragut nuncupatus, fidei Catholicæ perpetuus hostis, arcem Tripolis, quam ipse archipirata tanquam locum ad regnum Siciliæ, et Italiam, et etiam Hispaniam infestandam opportunam occupaverat, et innumeris piratis, qui omnia eorum incursionibus perturbabant, repleverat, munire, et in populos ac loca ipsi Philippo regi subjecta sua inexplebili rabie sævire, ac continuis invasionibus, incursionibus et cladibus non una tantum ex parte, sed undequaque infestare cœpit, seque ad id parare magnis apparatibus proposuit, tantæ imminenti ruinæ non solum pro suorum locorum, sed etiam universæ reipublicæ Christianæ defensione, se totis viribus opponere, et a republica ipsa..... expellere, ac hujus expeditionis ducem generalem dilectum filium nobilem virum de Lacerda ducem de Medina-Cœli ipsius Siciliæ proregem deputavit; verum quia provincia hæc, consideratis, tum ipsius archipiratæ, tum etiam immanissimi Turcarum tyranni, cujus auxilio fretus ipse archipirata præmissa tentare audet, conatibus ardua est et difficillima, eam dictus Philippus rex suis facultatibus assumere nullo modo confidit, cum illius facultates plurimum exhaustæ sint propter gravissimas expensas, quas sæpius sustinuit. Nos itaque tantis malis occurrere, eidemque Philippo regi in tam necessaria expeditione aliquo subsidio adesse cupientes, universos et singulos Christi fideles cujuscumque dignitatis, status, gradus vel conditionis existentes auctoritate Omnipotentis Dei requirimus, ac monemus et hortamur, ut Philippo regi et Joanni duci præfatis in præmissa expeditione cum bonis vel personis suis constanter assistant; quod ut promptius et alacrius facere studeant, eis ac illis singulis de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate, ac de verbo ejus, qui est veritas et vita, ac nobis in persona ejusdem B. Petri dixit, *Quodcumque ligaveris super terram erit ligatum et in Cœlis,* ac etiam de Apostolicæ potestatis plenitudine nobis cœlitus tradita plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem in subsidium Terræ-Sanctæ, et contra perfidissimos Turcas proficiscentibus ac in anno Jubileo concedi solita, motu proprio et ex certa nostra scientia, per præsentes misericorditer in Domino relaxamus », et infra : « Cum autem, sicut idem Philippus rex nobis nuper per oratorem apud nos suum exprimi curavit, ipse superioribus mensibus validam et instructam classem cum lecta plurimarum copiarum manu summa diligentia, sollicitudine incredibilique impensa ad expugnandum ipsam Tripolim miserit, jamque ejusdem ducis Medinæ-Cœli virtute, ac militum suorum animi magnitudine ac robore, Alzarim, vulgo Gelvas nuncupatum, firmissimum sævissimorum hostium propugnaculum, constantissime oppugnando tandem divina adjutus virtute expugnaverit, demum ex improviso, militibusque ipsius Philippi regis, nihil tale cogitantibus, nec metuentibus, cum munitissima et potentissima sævissimi Turcarum hostis maritima classe superveniente, una pars ejusdem Philippi regis classis ab ipsis hostibus capta, et ad illorum potestatem redacta existat, ut hujusmodi Turcarum immanissimo furori dictus Philippus obsistere, terrasque maritimas

[1] Petr. Machiavel. in lit. ad Duc. Flor. XV Maii ext. l. III. lit. princ. p. 201. Foglieta Hadrianus Busbequius in Epist. Sp. num. 28. — [2] Pius IV. l. I. sig. 2898. p. 107.

religionis Christianæ tueri et defendere possit et valeat, novam maritimam classem novosque milites præparare indigeat, ad quod faciendum et belli molem sustinendam cum suas ipse Philippus rex facultates pro eximia et maxima illustri ejus pietate, et erga Christianam religionem propensissima voluntate ultro ac libenter conferre videamus, magnosque in posterum in iis rebus impensas facturum, tum vero nos ex injuncto nobis pastoralis et universalis curæ officio thesaurum Dominicum nobis divinitus erogandum esse censuimus, etc. amplissimam noxarum veniam omnibus Philippi regis clientibus Hispanis, Italis, Siculis, Sardis, Belgis, Burgundis, Indisque impertimur, qui procurati rite sacramentis indictam stipem a Joanne episcopo Lucensi ei rei præfecto contulerint pro classe adversus Turcas instruenda comparandaque. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum XXI Maii MDLX, anno I ».

89. Partam navalem victoriam [1] de Christianis terrestri alia cumulare aggressus est Pialis Bassa, atque arcem recenter in Gerba insula extructam obsidione cinxit, cui Mauri violata, quam dederant Hispanis fide, se conjunxerunt. Dragutus etiam tredecim triremes egregie instructas ad Pialim adduxit, Tunetanus rex, qui nostris subsidiarias copias ad pellendos Africa Turcas spoponderat, inclinavit ad victorem; Christiani post plura prælia fortissime gesta aquæ et commeatuum inopia laborare cœperunt, ac VII idus Julii facta eruptione intra aggeres hostem invasere tanto impetu, ut terrore ac cædibus hostilia castra compleverint, atque ad fugam spectare coegerint, sed cum spreto Alvari ducis imperio ad diripienda impedimenta se convertissent, hostis ex fuga se collegit, atque in diripientes tanto impetu incurrit, ut victoriam illis extorserit, pauloque ante victores in fugam fossasque impulerit, inde omnia acerbiora nostris fuere, ac Sebastiani Siculi opera arte stillatitia ex aqua salsa dulcis effecta, sed quæ tanto numero non sufficeret adeo ut multi Hispani in impiam rabiem efferati ad Turcas defecerint, quorum exemplum ex cæteris nationibus mille et quadraginta secuti sunt.

Non tamen alii fregere animos, sed Turcas tot attrivere incommodis, ut nisi defuisset iis constantia Turcæ, magnis difficultatibus pressi obsidionem ultra mensem Augustum extrahere non possent, milites itaque adversus Alvarum ducem constantiæ admirabilis virum, cum subsidiorum spe omni essent destituti, seditione mota, deditionis verba nuncuparunt, pactioneque militari constituta, qua libertas iis promissa tera fidei Turcicæ infeliciter se commiserunt; at cum munitionis portas aperuissent, ignari Turcicæ immanitatis ac perfidiæ, omnes quotquot intra munitionem reperti sunt a perfidis Christianum sanguinem sitientibus misere atque crudeliter contrucidati fuerunt, reliqui cum classe capta adducti sunt Constantinopolim, atque in triumphali pompa traducti coram Solimanno, qui in moneta recenti Turcicis characteribus ea verba imprimi jussit; *Non quæro religionem armis, sed imperium.* Alvarus dux tentatus est minis ac promissis, ut a Christo deficeret ad Mahometem, sed ille, et carcerem, et alia adversa, vel opes, ac militarem præfecturam contra Persas promissam pro Christo sprevit.

90. Cum his victoriis insolescerent Turcæ, ac majora adversus Christianum nomen molirentur, Pontifex Philippo regi ad novam classem instruendam ex opibus et vectigalibus Ecclesiasticis sitis in ejus ditione hæc subsidia decrevit, datis Joanni episcopo Bononiensi internuntio in Hispania hisce litteris [1], quarum præcipuam partem decerpimus :

« Animadvertentes, quod impiissimus Turcarum tyrannus pluribus elatus victoriis superiori tempore innumerabilibus calamitatum generibus Christianum orbem affecerat, et pæne contriverat, huic tanto tamque gravi malo et imminenti periculo occurrere cupientes, cum id ob facultatum nostrarum et Sedis Apostolicæ tenuitatem præstare minus valeremus, considerantes, quod Christianissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum rex Catholicus, majorum vestigia imitatus ditionis Christianæ provincias et loca non solum ab infidelium invasionibus tueri , sed etiam ipsis infidelibus bellum inferre intenderet, verum quia incredibili immensaque impensarum mole , quam multos jam per annos, sicut omnibus notum est, facere coactus fuit, adeo erat, et etiam nunc est pecuniis exhaustus, ut ejus opes regnorumque et dominiorum suorum ordinarii proventus nequaquam sufficerent, nos cogitantes causam hujusmodi, tam piam tamque necessariam, omnium Christi fidelium, tam clericorum, quam laicorum communem existere, et propterea illos in ea communiter contribuere debere, ut ingruentibus hujusmodi periculis occurreremus » ; et infra : « De motu proprio, et de Apostolicæ potestatis plenitudine eidem Philippo regi, ut per se, vel alium, seu alios ad id toties quoties et quandocumque sibi visum fuisset deputandum, seu deputandos tot oppida, arces, fortalitia, terras, villas et loca, quorum annui redditus summam viginti quinque millium ducatorum auri largorum secundum communem extimationem valorem annuum non excederent (scilicet ex bonis Ecclesiarum et monasteriorum quorumque) ac eidem Philippo regi, ita quod de illis omnibus tanquam in suis propriis libere et licite disponere, et facere, et illis frui, et gau-

[1] Natalis com. lib. XIII.

[1] Pius IV. l. VII. p. 244.

dere posset », et infra : « Decrevimus et declaramus, etc. Dat. Romæ apud S. Petrum XXI Novembris MDLX, anno I ».

91. *Venetis archiepiscopatum Nicosiensem donat Pius IV.* — In Oriente Veneti Turcicam potentiam sua classe continebant, ne liberius se in Christianum imperium effunderet, quos Pontifex ob eximia in rempublicam Christianam merita, utque facilius Cypri regnum tuerentur, designandi ex patritiis Venetis archiepiscopi Nicosiensis prærogativa donavit subjecto Diplomate [1] :

« Dilectis filiis nobilibus viris duci et dominio Venetiarum, etc.

« Cum inter anxias Apostolatus nostri sollicitudines considerantes hinc videlicet, quantam ipsa respublica jacturam, et supra modum, quod dolenter referimus, in Græcia aliisque provinciis Orientalibus, partim obstinatis illorum populorum desideriis, partim principum cæterorumque Christianorum luctuosis atque importunis factionibus, aliisque peccatis nostris id exigentibus passa sit, quantasque non solum amœnas insulas, urbes florentissimas et munitissimas arces, verum etiam amplissima integra regna perniciosus ille Christiani nominis hostis, imo Dei nobis irati flagellum Turca, ferro, flamma, ruina devastarit, absumpserit et tyrannidi suæ subjugaverit : præterea quam exiguæ vires humanæ, quam conquassati obices, infirmaque seu potius male compacta adversus illum pestis humanæ torrentem propugnacula nobis supersint, ita quod nisi immensa Domini nostri Jesu Christi pietas hoc suum peculium tanto pretio sibi paratum ineffabilis misericordiæ oculis respexisset, ipsoque cooperante invicta militiæ vestræ vexilla firmius in partibus illis terra marique fixissetis, nullum inibi Dominicæ Crucis vestigium in aperto superesset ; inde vero cum hilariori mente revolvimus, quam feliciter et strenue insulam Cyprum cum suo regno ab hoc orbe nostro Christiano, tam longo maris terræque spatio remotam Syriæque et Ægypto fere conterminam, Turcarum armis undique circumseptam , et cæterorum Barbarorum insidiis obnoxiam, non solum perpetuo militari peditum equitumque, ac omni instructissimæ classis præsidio in hodiernum usque diem retinuistis, verum etiam operosis portuum insignium munimentis roborastis, præclaris civitatibus et populosis oppidis decorastis, hominum Christicolarum frequentia, omnigenum mercatorum concursu , larga opum multiplicum exuberantia, fertiliumque agrorum cultura, antiquæ illi amplitudini suæ propemodum restituistis, adeo ut ipsa Christiana respublica nullo alio firmiori, magisque vel ad propulsandas hostium injurias vel ad bellum illis ultro mari inferendum, aut etiam ad peregrinos Sepulchri Dominici excipiendos tuteque transfretandos, apposito propugnaculo fulcita esse dignoscatur , ac propterea facile judicantes, quanta cura, sollicitudine et diligentia regnum istud custodire, quam non facile cæteros etiam privatos ad illius intima, ac præsertim ignotos ad publica ejus, vel sacra, vel sæcularia munia admittere, quamque vehementer optare soleatis, ut non solum inibi portuum navalium arciumque custodia Venetis fidisque militibus credatur , sed etiam ut regni cathedrales , et potissimum , quæ metropolis existit, Nicosiensis Ecclesia prælatis vestratibus, committatur. Idcirco nos instar prudentis naufragæ classis præfecti, qui laceratarum navium remigumque superstitum reliquias colligens, nonnunquam validam unius anchoram alteri antesignanæ, et ad primum quemque casum destinatæ triremi coaptare solitus est, ad gratam aliquam insignium vestrorum de Sede et republica præfatis meritorum, ac per vos illarum gratia indefesse susceptorum laborum et periculorum, gravissimorumque, quos ne dum in dictis peregrinis liberaliter annuatim vehendis et revehendis, verum etiam in classe, maritimoque apparatu ad frequentes Turcarum motus mira celeritate expediendos tanquam magnanimi Christifidelium excubitores impigre perfertis sumptuum recognitionem et recompensam, licet exiguam, futuris, quæ in exteris, nec satis vobis fidis præsulibus dictæ metropoli præficiendis aliquando succedere possent periculis obviare, vosque ab hac suspicione metuque liberare, et pro rebus a vobis præclare gestis hac speciali gratia veluti debita hujus vestri Senatus magnificentiæ laureola donare volentes ». Et infra : « Juspatronatus, et præstandi nobis, et Romano Pontifici pro tempore existenti personam idoneam ad ipsam Ecclesiam Nicosiensem ». Et paulo post : « infra sex menses a die vacationis hujusmodi concedimus, etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX, XIV kalendas Januarii, Pontificatus nostri an. I ».

Pontificis beneficentiam Veneti læto animo excepere [1], inque eorum gratiam Philippus clarissima Mocenicorum familia archiepiscopus electus est; qui in provinciam discedens cum idoneis aliquot ad agrum Dominicum excolendum operariis, silvescentem adeo tribulis ac vepribus vineam invenit, ut in eadem familia, intraque eosdem parietes, vir, uxor, liberi, alii alios profiterentur ritus, paucique unumquempiam integre et constanter : sed quæ cui in quoque blandirentur, ea notarant et consectabantur ; adeo ut unus idemque cum cæteris diebus

[1] Pius IV. reg. sig. num. 18. et alio recent. 1952. p. 53.

[1] Petr. Just. hist. Ven. l. XIV. Sacchin. hist. Soc. Jesu. to. II. lib. IV.

Græcum se profiteretur, feria tamen quarta, qua interdictus Græcis est usus carnium, more viveret Latinorum ; et qui de cætero Latinos sequebatur, die Sabbati, quo Græcis carnibus vesci fas est, græcaretur : denique Latinorum quoque sacerdotum non nemo ritu Græcorum uxores habebat. Plurima hujusmodi monstrorum farrago succrevisse turba dicebatur per absentiam pastorum, quos longo jam tempore, annis, ut aiebant, septuaginta, sedes primaria nullos vidisset; quæ cum exscindere moliretur Philippus, inolita præpeditus consuetudine, ac paulo post ad Conc. Tridentinum vocatus, non eo, quo cupiebat, potuit ardore perficere ; factumque est [1], ut tot rituum divisiones sensim florentissimam illam urbem, totumque ipsum regnum eo perduxerint, ut paucos post annos, peccatis eorum id exigentibus, Turcarum immanitati ac funestissimæ direptioni patuerint; sicque feracissima illa regio, quæ ut Prophetæ verbis utar, [2] *juxta ubertatem terræ suæ exuberavit simulacris,* quod mox minatur accepit : *divisum est cor eorum, nunc interibunt.*

92. *S. Carolus Borromæus creatur cardinalis, eligitur archiepiscopus Mediolanensis, et constituitur protector Helvetiorum Catholicorum apud Sedem Apostolicam.* — Hoc anno auctus et sacer cardinalium senatus, in quem adlectus est inter alios Pontificis nepos Carolus Borromæus, ut antea insinuatum est, futurus æternum illius senatus decus atque ornamentum ob eximiam sanctitatem, quam Deus eo nascente præmonstrarat, anno salutis MDXXXVIII, demisso cœlitus insolito lumine in cubiculum maternum, in quo nascebatur, a pluribus conspecto, ut narrat Paulus V in Diplomate, quo illum in Sanctorum numerum retulit : de memorata vero cardinalium creatione hæc referunt Acta [3] Consistorialia.

« Romæ, die Mercurii, ultima mensis Januarii MDLX, Sanctissimus dominus noster creavit et assumpsit in sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales Joannem de Medicis illustrissimi domini ducis Florentiæ natum, et Carolum Borromæum, et Joannem Antonium Sorbellonium ex episcopo Fulginatensi presbyterum cardinalem.

« Septima Februarii deputavit administratorem Ecclesiæ Mediolanensis, tunc per cessionem reverendissimi D. card. Ferrariensis vacantem, reverendissimum dominum Carolum Borromæum in XXI suæ ætatis anno constitutum : XXVI Aprilis creavit legatum Bononiæ et Romandiolæ.

« Concessit et assignavit reverendissimo Borromæo Ecclesiam SS. Viti et Modesti (cardinalis enim Caraffa tit. S. Nicolai in Carcere-Tulliano optaverat) ipsumque illi in diaconum cardinalem præfecit, qui IV Septembris transfertur ad Ecclesiam Sancti-Martini in Montibus per obitum cardinalis Ariani vacantem. Assignavit reverendissimo Sorbellonio Ecclesiam Sancti-Georgii ad Velum Aureum : XXVI Aprilis reverendissimo de Medicis assignavit tit. Sanctæ-Mariæ in Dominica ».

Consentiunt his litteræ [1] ad præfectum ducatus Mediolani commendatitiæ, ut Carolo cardinali ad ineundam archiepiscopatus possessionem opera non deesset.

« Nobili viro Ferdinando duci Suessæ regis Catholici in statu Mediolanensi locumtenenti.

« De venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio atque consensu nuper in Consistorio secreto, perpetuum Ecclesiæ Mediolanensis, pastoris solatio destitutæ, administratorem constituimus et fecimus dilectum filium Carolum Borromæum sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconum cardinalem nostrum ex sorore nepotem, nobis adeo probatum, ut confidamus Ecclesiæ illi a nobis bene consultum fuisse ; eumdem autem charissimi in Christo filii nostri regis Catholici tantopere studiosum, atque observantem, ut neque in sacrum cardinalium collegium asciscere, neque Ecclesiæ illi præficere quemquam potuerimus, qui omnibus studiis atque obsequiis regiæ ejus majestati inservire paratior sit ». Preces additæ, ut administros illius ad possessionem ineundam juvet. « X Februarii MDLX ».

93. Non amplissimi illius sacerdotii opes recepit Carolus, ut luxu et magnificentia lasciviret, sed ut eas ad divini cultus gloriam verteret. Quanta porro integritate Borromæus Mediolanensis archiepiscopatus administrationem gesserit, describit Carolus a Basilica Petri Novariensis [2] episcopus : « Mediolani, si qua de causa in rebus Ecclesiæ constituendis, gregeque ad rectam viam reducendo, sumptu opus esse viderat, de suo liberaliter jussit suppeditari, ut nihil penitus ex ipsius Ecclesiæ fructibus ipse Romæ tunc existimetur percepisse ». Aronæ quoque multa distribuit, dum litteris operam daret humanioribus, atque abbatiam Aronensem gereret, inquit idem auctor : « Sacerdotii fructus sacros esse reputans, quorum sibi utpote abbati, Deo reddenda ratio esset, patrem, cujus alioqui voluntati obsequi diligenter studebat, modeste monuit, qui una cum cæteris facultatibus suis adhuc abbatiæ res dispensabat, minime id sibi justum neutriusque saluti consentaneum videri, qui fructus sibi superessent eos in rem familiarem converti, ac non potius dari pauperibus ; quod pius Pater tantum abest, ut moleste acceperit, ut filii religione

[1] Anton. Maria Gratian. l. II. de bello Cyprio. — [2] Osee X. — [3] Ext. in Bull. et in Append. Vit. S. Caroli. Acta Cons. Ms. card. Spadæ sig. p. 283.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2896. Ep. LXXXIX. — [2] Carol. Novar. episc. in Vit. S. Caroli. l. I.

præclaraque indole lætus, ac præ gaudio lachrymans, administrationem ei sine mora reliquerit, quod si patri aliquid ex iis necessarii sumptus causa opus erat, mutuum dabat filius, quod ei postea, vel egenis restitueretur ». Ut vero adolescens abbas senio provectos abbates in monachis ad religiosæ vitæ instituta cogendis virtute vicerit, narrat memoratus auctor : « Disciplinæ, inquit, sacræ studium non mediocre ostendit in veteribus monachis quibusdam Ecclesiæ suæ Aronensis corrigendis, qui quidem a beato Benedicti instituto tam longe aberant, ut vix ipsius monastici vestitus vestigium retinerent. Quorum licentiam cum sibi minime ferendam adolescens abbas judicaret, alios victus asperitate, alios arcta custodia punivit et in officio continuit, quanquam nullo ejus generis proposito exemplo, quod sequeretur ». Coluerat vero adeo in adolescentia pietatem honestatemque, ut eluxerit semper in eo animus excelsus, ac mens ab humanis cupiditatibus ambitioneque aliena, nec ullo unquam casu, aut famulorum ignavia commoveri visus, ut loqueretur aliquid, quod contumeliam aut liberiorem indignationem præ se ferret, ut admirabundi ejus socii testati sunt.

94. « Agebat tantummodo », inquit auctor, « vigesimum secundum annum cum illi archiepiscopatus Mediolanensis delatus est a Pontifice, qui præterea Romanæ ditionis administrationem, illi mandavit, de qua viris gravibus in consilium adhibitis assidue consultaret, supplices libellos, ac mandata omnia quæcumque essent subnotari jussit. Auctoritatis Pontificiæ per se munera gravissima negotiaque quotidie detulit, et omnium curarum suarum consiliorumque participem fecit, ac administrum ». Ostendunt id litteræ [1] Pontificiæ ad internuntium in regno Neapolitano agentem datæ :

« Venerabili fratri Julio archiepiscopo Surrentino in regno Neapolis, nostro et Apostolicæ Sedis nuntio.

« Venerabilis frater, etc. Cum nos dilectum filium nostrum Carolum SS. Viti et Modesti diaconum cardinalem Borromæum vocatum, nostrum secundum carnem nepotem, participem curarum et negotiorum nobis assidue incumbentium fecerimus, eique inter multa alia sibi a nobis demandata, onus etiam ad te scribendi, quoties occasio sese tulerit, injunxerimus, idcirco volumus, et tibi mandamus, ut ejus litteris plenam et indubiam fidem semper habeas, perinde ac si illæ tibi a nobis ipsis scriptæ fuissent. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, etc. die xv Martii MDLX, anno I ».

Perfunctum illum strenue demandato munere narrat Vitæ ejus scriptor, rerumque ab eo gestarum oculatus testis : « Ipse miram in publica negotia, gravissimasque res gerendas ostendit ab initio propensionem. Eo factum est, ut nullus fere apud cognatum Pontificem cardinalis majore auctoritate atque administratione unquam fuisse videretur ». Et paulo post : « Præstitit in mandatis muneribus summam fidem, incredibilemque diligentiam, tum mentem prorsus incorruptam, quæ neque cupiditate, neque ullius gratia unquam moveretur, sed in omni re consultanda et dijudicanda, quod justissimum esset, id spectaret, et exequeretur semper pristinam item patientiam, ut nullius errato, vel molestia commotus quidquam faceret, aut diceret in quemquam contumeliosum. Cum autem plerique amplitudinis divitiarumque splendore commodoque capti delicatiores fiant, laboresque dignitati conjunctos fugiant; contra hic adolescens sese patientissimum præstabat, multum scribendi dictandique laborem suscipiebat, diuturnam iis, qui alloqui vellent operam dabat ».

95. Expetitus est ab Helvetiis Catholicis, qui ad salutandum Pontificem oratorem miserant, in protectorem apud Sedem Apostolicam, quod munus illi a Pio his litteris [1] demandatum est :

« Dilecto filio Carolo SS. Viti et Modesti diacono cardinali Borromæo vocato.

« Cum dilecti filii Helvetii, Lucernæ, Vraniæ, Transilvaniæ et Subsilvaniæ, Suitii, Thurigii, Friburgii et Salodori septem pagorum seu cantonum Catholicorum per oratorem suum ad nos nuper destinatum a nobis petierint, ut te sibi in protectorem apud nos et Sedem Apostolicam dare et concedere dignaremur; nos honesto huic eorum desiderio pro nostra paterna in eos benevolentia satisfacere cupientes, te, quoad egeris in humanis, eorumdem septem cantonum Helvetiorum Catholicorum apud nos et eamdem Apostolicam Sedem protectorem, ita quod eorum res et negotia, quæ in dies occurrent, tam apud nos, quam alios Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam, agere, tractare, procurare, promovereque libere possis et valeas, auctoritate Apostolica tenore præsentium creamus, constituimus et deputamus, etc. Dat. Rom. apud S. Petrum die XII Martii MDLX, anno I ».

96. Complexus est Carolus cardinalis singulari benevolentia Helvetios divinamque gloriam apud eos maxime promovit, ut dicetur inferius, necnon plurimam juventutem ex ea gente pietate et litteris erudiendam curavit, ut sacra apud eam digne administraret. De suscepto vero ab eo plurium gentium patrocinio hæc memorat [2] Novariensis episcopus : « Lusitaniæ regnum et Helveticæ gentis septem pagi Catholici in ejus erant clientela, quibus non multo

[1] Pius IV. l. I. p. 26.

[1] Pius IV. lib. brev. p. 102. — [2] Car. Nov. Ep. in Vit. S. Caroli.

post Germania inferior addita est. Universus Ordo Franciscanorum, Carmelitarum, Humiliatorum, et item canonicorum regularium S. Crucis Conimbricensis, præterea sacri milites tum Hierosolymitani, tum Jesu Christi Lusitaniæ ejus tutelæ fuerunt commendati ».

In florentissimo hoc rerum statu Carolus Borromæus non splendore purpuræ, non opum affluentia, non honorum gloria, non aulici apparatus fastu illusus est, sed humanis omnibus celsior ad divina ardentius aspiravit [1] : « Magna (inquit) repentinaque dignitatis amplificatio, si præsertim exempla et instigationes accedunt, sæpe mores ac naturam ipsam perturbat. At tantis copiarum blandimentis delinitus ad perfectiorem tamen vitæ disciplinam oculos retorquebat, et ad humana omnia contemnenda se ipse frequenter excitabat. Cumque multos post annos Dei beneficia secum reputaret, commemorare solitus fuit, inusitata se ratione ad sanctiora pietatis officia, religiosioremque vitam fuisse perductum : neque enim angustas asperasve res, ut plerumque fit, Deum adhibuisse, sed prosperas, maximeque florentes, ut in iis rerum humanarum levitatem inanitatemque divino lumine perspiciens, ad ea, quæ solida, gravia æternaque sunt, animum adjiceret. Interim non solum aliquid amplius ut humanum est, ex opibus Ecclesiæ quotidie sibi addi non postulabat, sed etiam ultro a Pontifice tradita propemodum accipiebat invitus, quod ex cognatis nonnulli et alii qui ex eo pendebant, valde querebantur, et quod virtutis erat, ut humana perversitas est, angusto parvoque animo tribuebant. Virginalem modestiam, quæ semper in ejus moribus eluxerat, exquisite retinuit, et in eo genere non modo quidquam male appetere unquam ulli visus est, sed insidias quoque non semel paratas sancte admodum vitavit ».

97. *Proceditur contra cardinalem Carolum Caraffam, et ejus fratrem ducem Palliani.* — Longe abfuerat in pari dignitatis gradu ab his virtutum exemplis Carolus cardinalis Caraffa Pauli IV Pontificis nepos, qui humanarum rerum amore irretitus, patruum Pontificem proniorem ad iras, ad bella civilia inter reges accendenda alendaque, ob Hispanorum administrorum insolentiam, incitasse, ut sibi vel suis novos principatus in ea Christiani imperii perturbatione compararet, gravioraque scelera admisisse accusatus est apud Pontificem, qui justitiæ studio adductus, ad deterrendos Pontificum nepotes, ne patruorum facilitate ad iniquas exercendas artes ac tyrannidem abuterentur, illum hoc anno una cum fratre et Alphonso card. in Hadrianæ molis carceres compegit, de quo hæc Acta Consistorialia [2] narrant : « Romæ die Mercurii XIX mensis Junii deputati fuerunt octo cardinales, videlicet de Cesis, della Cueva, Saracenus, (Alexandrinus), Puteus, Sancti-Clementis, Senonensis, Urbinatensis et Cornelius, qui deputati fuerunt super examine cardinalium, qui detinentur in arce Sancti-Angeli ». Extant vero litteræ Pii [1], quibus Paulo Odescalco in regno Neapolitano internuntio mandata dedit, ut testes audiret de homicidiis et aliis flagitiis in regno Neapolitano patratis, de quibus Carolus cardinalis Caraffa in crimen vocabatur, actaque judiciario ordine rite confecta transmitteret. Incurrerat Carolus Caraffa cardin. in gravissima odia Philippi regis Hispaniarum non modo ob tentatum Gallicis armis regnum Neapolitanum, sed maxime ob aspersum Carolo V parenti structarum Pauli IV Pontificis vitæ insidiarum ignominiosum crimen, tandemque illum in judicio diu extracto succubuisse visuri sumus.

98. *Absolvitur cardinalis Moronus, et ad majorem dignitatem provehitur.* — Absolutus e contra fuerat a Pio Pontifice Joannes cardinalis Moronus, qui ab iniquis delatoribus crimine hæreseos appetitus fuerat apud Paulum IV, cum tamen divina providentia illum ad damnandas hæreses Concilii Tridentini præsidem destinasset, de cujus illustrata innocentia, quæ in dignitatis, atque etiam vitæ discrimen venerat, hæc referunt Acta [2] Consistorialia :

« Romæ diæ XIII Martii MDLX, fuit Consistorium ». Et paulo post : « Lecta fuit per secretarium Ptolemæum sententia, in qua continebatur absolutio reverendissimi domini cardinalis Moroni, cum antea tempore Pauli IV fuerit accusatus de hæresi, et fuit absolutus, cum subscriptione reverendissimorum Putei et Alexandrini ». Concepta fuit subjectis verbis lata a Pontifice sententia :

« In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

« PIUS PAPA IV.

« Inter cæteras pastoralis curæ sollicitudines nobis jugiter imminentes, illa est præcipua, ut ad Dei gloriam et augmentum ejus fidei, negotium sanctæ inquisitionis, cum omni ea, ut decet, justitia et puritate peragatur, ut scilicet contra tanti criminis reos id agatur, quod contagiosa ipsius enormitas agendum requirit, et e contra is discretionis ordo in præcedentibus servetur, ne bonorum innocentia insidiis pateat malignantium, et sub pietatis specie graventur innoxii, et ne quod per circumspectam Sedis Apostolicæ vigilantiam ad exterminationem hæreticæ pravitatis salubriter est provisum, per malitiosam calumniantium iniquitatem cedat in fidelium detrimentum et scandalum universorum. Sane dudum tempore Pontificatus Pauli

[1] Nov. Ep. in ejus Vit. — [2] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 31.

[1] Pius lib. brev. sig. num. 1898. p. 198. — [2] Act. Cons. p. 288.

papæ IV prædecessoris nostri sanctæ memoriæ, causa licet nulliter et injuste mota inter procuratorem nostrum, tunc suum fiscalem, et officium sanctæ Inquisitionis actores ex una, et dilectum filium nostrum Joannem tit. Sanctæ Mariæ Transtyberim ejusdem S. R. E. presbyterum cardinalem, Moronum vulgariter nuncupatum, ex altera parte, de et super eo, quod prætendebatur, eumdem Joannem cardinalem in nonnullis articulis pro parte fisci et officii prædicti productis, male et aliter quam sancta Romana et Catholica Ecclesia teneat, sensisse, rebusque aliis latius in actis causæ et causarum hujusmodi deductis ; Nos post nostram ad summi Apostolatus apicem divina favente clementia assumptionem, causa prædicta adhuc indecisa pendente reassumpta, cum dilectis filiis Jacobo tit. Sanctæ-Mariæ in Via Puteo, et Michaele tit. Sanctæ Mariæ supra Minervam Alexandrino, summo inquisitore, sacræ Theologiæ magistro, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteris cardinalibus ambobus in officio sanctæ Inquisitionis, et a prædecessore nostro inter alios judicibus, et in hac causa a nobis specialiter deputatis, quoad ejus merita cognoscendam et nobis referendam commisimus. Qui visis et mature discussis omnibus pro parte fisci seu officii prædicti deductis, et ex adverso exceptionibus quoque et juribus pro parte Joannis cardinalis productis et probatis, nobis statum totius causæ retulerunt conformem innocentiæ prædicti Joannis cardinalis. Nos igitur hac causa inter procuratorem, seu officium prædictum ex una, et dilectum filium Joannem prædictum parte ex altera coram nobis, et de mandato nostro coram prædictis cardinalibus sic pendente, habita prius relatione prædicta, et de meritis totius causæ etiam aliter ad plenum informati, Domini nostri Jesu Christi nomine invocato, per hanc nostram diffinitivam sententiam, quam in supremo justitiæ throno pro tribunali sedentes, et solum Deum præ oculis habentes de illorum et aliorum sacræ paginæ, et jurisperitorum consilio ferimus in his scriptis, pronuntiamus, sententiamus et definimus, capturam et carcerationem dicti Joannis cardinalis alias tempore Pontificatus Pauli prædicti, et forsan de illius mandato, nullis penitus ad id legitimis indiciis præcedentibus factam, necnon inquisitionem contra eum formatam, et totum processum contra ipsum Joannem, cardinalem factum, præsertim ex defectu formæ in capitulis conclavis ejusdem Pauli contra hujusmodi cardinalem necessariæ non servatæ, nulliter et de facto processisse, annullamus et irritamus, nulliusque momenti fuisse decernimus ; et nihilominus dicimus, et judicamus etiam ex tali processu ipsum cardinalem Joannem nequaquam fuisse aut esse de hæresi, aut quibusvis delictis et criminibus hæresum, et hæreticam pravitatem, seu ejus suspicionem quomodolibet concernentibus culpabilem convictum, aut confessum, vel apprehensum, aut aliquo modo suspectum, aut etiam legitime diffamatum, sed in omnibus iis, quæ contra eum pro parte fisci et officii prædicti, ut præfertur, prætendebantur, innocentissimum, et nedum culpa, sed omni prorsus suspicione carentem : quinimo ex deductis pro parte ipsius Joannis cardinalis constare dicimus, et judicamus, ipsum, tam in articulis illis, quam in omnibus aliis sanctam Christi fidem, et Christianam religionem concernentibus bene, sancte, Catholice, et juxta S. R. E. et sanctorum Patrum Traditiones omni tempore sensisse et tenuisse, et ita non solum verbis, sed etiam operibus ubique semper testatum esse, et pro tali ab omnibus probis et Catholicis viris semper habitum et reputatum fuisse ubique locorum. Idcirco illum ab omnibus et singulis contra eum, ut præfertur, pro parte fisci seu officii sanctæ Inquisitionis prætensis imputationibus, et a quibuslibet in processu fisci ubique contentis, allegatis et positis tanquam innocentem et innocentissimum, omnique prætensæ hæresis culpæ macula et suspicione carentem absolvendum et liberandum fore, et esse, prout absolvimus et liberamus, proque absoluto et liberato haberi volumus et mandamus ; carcerationem quoque, inquisitionem et processum prædictum, aliasque vexationes præmissorum occasione ipsi Joanni cardinali factas, illatas et præstitas, fuisse et esse temerarias, iniquas, et illicitas, ac injustas, et de facto et perperam factas, et præsumptas, et nullam propter præmissa æstimationis notam etiam minimam ullo modo incurrisse decernimus, ac de et super illis omnibus et singulis præmissis procuratori fiscali et officiis prædictis perpetuum silentium imponendum esse et imponimus, et ita dicimus, absolvimus, liberamus, et declaramus, ac sententiamus omni meliori modo. Ita pronuntiamus.

« Ita videtur pronuntiandum Serv. etc. Jacobus Puteus. In eadem sententia cum sanctissimo et cum reverendissimo domino Puteo convenio. Frater Michael G. cardinalis Alexandrinus humill. etc. Sanctitatis vestræ, etc. »

99. Provectus est in eodem consistorio cardinalis Moronus ad majorem dignitatem, atque ex presbytero Sanctæ-Mariæ Transtyberim, creatus Albanensis episcopus, cum Pacecchus cardinalis e vivis abiisset ; in eodem etiam Consistorio cardinalis Turnonius e Sabinensi episcopatu ad Ostiensem, extincto cardinali Bellayo, Robertus vero Lenoncurtus ad Sabinensem translati fuere. Porro certiorem fecit Pontifex Ferdinandum electum imperatorem, non modo cardinalem Moronum omni crimine caruisse, sed etiam omni criminis suspicione.

« Charissimo in Christo filio nostro Ferdi-

nando Hungariæ, Bohemiæ regi illustri electo Romanorum imperatori.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Majestatem tuam non ignorare credimus, prædecessori nostro felicis recordationis Paulo IV dilectum filium nostrum Joannem Sanctæ-Mariæ Transtyberim presbyterum cardinalem Moronum appellatum in suspicionem nonnullam venisse, minus eum recte de aliquibus fidei Catholicæ sentire dogmatibus, eamque ob causam in custodia diu habitum fuisse. Cujus causæ cognitionem propter ipsius magnitudinem, nos simul ac vocati ad Apostolicæ Sedis regimen fuimus, statim delegavimus aliquot ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus integerrimis viris, et juris utriusque ac Theologiæ peritissimis, mandantes eis, ut Dei tantum timore ante oculos habito, diligenter et subtiliter inquisita veritate, ad nos, quid super ea re compertum fuisset, referrent; qui quidem, cum summa cura, fide et diligentia mandatum nostrum executos se esse retulissent, ac sibi cognitum et compertum esse testati fuissent, nihil contra ipsum cardinalem jure actum, nihil probatum fuisse, contraque et ex plurimorum, eorumque gravissimorum testium dictis, et ex aliis probationibus certissimis constare sibi, ac patere, innocentem eum, nec crimine solum, sed omni prorsus suspicione criminis carere. Nos omnibus quæ acta fuerant diligenter auditis et consideratis, et ejus viri innocentia plane perspecta, eum, sicut justitia postulabat, ab omni crimine et ab omni suspicione ejus absolvimus, sicut intelligere poteris ex sententia, quæ in Consistorio nostro secreto lecta et publicata fuit cum ingenti omnium fratrum nostrorum approbatione atque lætitia, cujus exemplum cum his litteris conjunctim ad te misimus : qua de re serenitatem tuam certiorem faciendam esse duximus, cum hoc æquum ac justum esse, et præstantissimis virtutibus, multisque ac magnis hujus cardinalis erga Sedem Apostolicam meritis deberi a nobis intelligeremus, ut famæ atque existimationi ejus, quæ hujusmodi suspicione fortasse nonnihil violata fuisset, consuleremus, quod discussa omni falsæ suspicionis nebula, fidei candor ejus omnibus notus sit atque perspicuus ; lætum optatumque nuntium pro tua erga Sedem Apostolicam devotione allaturos nos esse majestati tuæ minime dubitantes. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XVIII Maii MDLX, Pontificatus nostri anno I ».

100. *Philippi Melancthonis obitus.* — Obiit hoc anno Philippus Melancthon, ac in terram tenebrarum, quam nomine præferebat, abiit, *Terram*, inquam, *tenebrarum, et umbra mortis, ubi sempiternus horror inhabitat.* Hic fuit Lutheri interpres [1], sine quo, inquit Joannes Cochlæus, parum Lutherus nocuisset Ecclesiæ ; ille perpolivit ejus scripta, et hæresum monstra, quæ pluribus erant horrori, in venustiorem formam redegit ; hic Confessionem Augustanam composuit, ac sæpius immutavit, utpote humanum commentum, suaque hypocrisi, et blanda morum et orationis suavitate , atque eloquentia Germaniæ principes fascinavit, quos Lutheri furor et insolens insania offendebat : novarum hæresum fuit auctor, quas Joannes Cochlæus in suis Philippicis ad Carolum Quintum Cæsarem confutavit, atque inter alias Mahometis balnea inducere apud suos visus est, dum Baptismum pro peccatis abluendis repetendum voluit, hoc enim facilius et blandius remedium, quam difficilis et acerbæ exhomologeseos Sacramentum opinabatur : hi enim hæresiarchæ non modo se æquare Christo, sed præferre voluere, dum institutorum ab eo Sacramentorum partem delere, vel immutare, aut alia substituere, ac fingere voluerunt ; cum dubius in fide semper fluctuasset, in extremo vitæ actu maxime ostendit, nam adjuratus a matre anu adhuc superstite, quæ religio foret sequenda, respondit, Lutheranam jucundiorem esse, Catholicam securiorem. Afficitur hoc elogio a Surio [1] : « Lutheranismi egregius propagator, licet in Eucharistiæ negotio Zuinglianismi, quam Lutherismi esset studiosior. Multum is vir nocuit Ecclesiæ, vel hoc solo nomine, quod modestia quadam usus multorum sibi incautos animos conciliavit, cum Lutherus sane importunus et vehemens invisum se nonnullis hoc ipso redderet. Fertur autem Melancthon aliquot Lutheri scripta limasse et castigasse, quæ alioqui in lucem sic emissa, ut Lutherus impotenti quodam animi impetu et insolentia ea confecerat , plurimum Lutheri dogmati detractura fuisse putantur. Fuit Melancthon admodum familiaris Sacramentariis, quippe a quorum dogmate non valde abhorreret. Joannem Crispinum ad edenda denuo Œcolampadii scripta hortatus est, Bullingero et Calvino de rebus suis sæpe scripsit familiariter, multis studiosis auctor fuit, ut Tigurum et Genevam ob cognoscendam liquido de Eucharistia sententiam se conferrent. Et quia illum non puduit a patris sui Lutheri dogmate Eucharistico dissentire , ipsius quoque discipuli et alumni, et vivum, et mortuum multis conviciis, ut quidam scribit Sacramentarius, lacerarunt. Et quidni illum lacerent sui, quando ille toties laceravit matrem Ecclesiam Catholicam ? »

101. *Heidelbergæ exurgit novus hæresiarcha.* — Prodiit Heidelbergæ novus hæresiarcha Boquinus apostata; hic voluit Christum non esse pro omnibus mortuum, nec ab omnibus in Eucharistia accipi; quam priorem hæresim denuo in Gallis repullulantem, nostra ætate

[1] Sur. in Comm. hoc anno. Joan. Cochl. in Phil.

[1] Sur. in Comm.

Innocentius Decimus et Alexander Septimus Apostolicis sanctionibus jugularunt.

102. *Congensibus Evangelium prædicatur.* — Illatum est hoc ipso anno Evangelium in regno Congitano a Gonsalvo Sylveria Lusitano Societatis Jesu sacerdote, de cujus præclaro studio hæc scribit Nicolaus Godignus [1] : « Gonzalus de via fessus, nec satis consistens, regem, nimirum Congitanum, adit, datas ipsas a Constantino prorege Indiarum litteras offert, adventus sui causam exponit. Hisce rebus majorem in modum lætus rex, ita in primis litteras accepit, ut se a prorege singulariter honoratum palam testificaretur. Mox reginam, principes filios, cæteramque domus suæ nobilitatem ad audiendum Gonzalum acciri jubet. Adsunt, et alii Cafres notæ inferioris nobilibus permixti. Tum attentis omnibus ac stupentibus, de Christi fide dicere Gonzalus aggreditur, primaque ponit Christianæ doctrinæ fundamenta. Pauca eo die inculcata; reliqua in sequentes omissa, et pedetentim exposita; donec apte omnes Christianis præceptionibus instructi, et cœlesti lavacro idonei judicati. Tum vero celeritate, ut locus ferebat, maxima, splendidoque rerum variarum apparatu, lustrali aqua simul aspersi rex, regina, regii liberi, propinqui nobiles permulti, et quotquot fere in aula erant. Constantini nomen impositum regi, in memoriam, et magni Constantini imperatoris, sub quo florere Christiana religio olim cœpit, et Constantini Brigantis tunc Indiæ proregis, de ipso Congensi rege, deque ejus ad Christi conversionem optime meriti. Regina Catharinæ, reginæ soror Isabellæ nomen accepit. Illa a Catharina Joannis Tertii Lusitanorum regis conjuge, et Caroli V imperatoris sorore, hæc ab Isabella Odoardi principis uxore, Jamii Brigantinorum ducis filia, atque ejusdem proregis Constantini sorore. Regis filii et alii viri principes aliis quoque Lusitanorum principum nominibus honorati sunt. Septem hic hebdomadas commoratus Gonzalus est; quo tempore tantum Christo adscripsit Æthiopum numerum, quantum studiosissimus quisque posset optare ». Sacram præterea ædem assumptæ in cœlum Deiparæ titulo ibi extrui cœptam, narrat Sacchinus. Cæterum, ut Evangelici missi ab animarum lucris exquirendis nullis, vel periculis vel laboribus absterreantur, sciantque se potentes tunc esse, cum infirmantur, juvat hic ejusdem Gonzali Sylveriæ ad Patres, qui erant in India Epistolam describere, in qua sic habet : « Duplici de causa, charissimi fratres, hæc ad vos scribo : prima, ut illud meminerim, quod nemo vestrum ignorat, neque ignorare potest, si Deo ejusque obsequio juxta sacrosanctæ obedientiæ præscriptum totos nos ac penitus tradiderimus, fore ut ille nobis vita et salus sit, omniaque ad vitam necessaria abundantissime suppeditet : altera est, ut intelligatis, cum morbo aliquo vel alio vitæ incommodo Dei causa præpedimur, tunc ipsum per se nostra gerere negotia, et otiosam atque inanem esse hominis operam, quando sine illa aliquid sibi divina bonitas agendum assumit : quare sive ullam sanitatis passi jacturam, sive aliis involuti malis a proposito retardemur, ferenda nobis æquo animo omnis rerum vicissitudo est, ac tota nostri nostrorumque negotiorum cura in Deum jactanda, ipsique infinitæ semper agendæ gratiæ, quod efficere solus velit, quæ nos ob animi nostri elationem et pravitatem corrumperemus potius, quam efficeremus. In nobis ipsis observate, charissimi fratres, quod dico. Cum enim gravissimo omnes teneremur morbo, essemusque ad omnia plane inepti, multo plus divina præstitit bonitas, quam viribus integris sperare, aut etiam cogitare nos ipsi poteramus. Nihil igitur nostra ægritudo nobis, aut Cafrum conversioni incommodavit, quin potius magnum attulit adjumentum, ut et virium nostrarum infirmitatem et immensam Dei clementiam melius agnosceremus. Quod ad me attinet, in Monotapæ regnum, duce numine, propediem proficiscar, etc. » Hæc Gonzalus, qui, cum etiam Monotapæ regem ejusque matrem lustralibus aquis abluisset, ac perfidus rex, Mahumetanis impellentibus, ad ingenium rediisset, anno insequenti postridie idus Martias ipso jubente, mercedem linguæ fidelis optatam mortem recepit Sylveria.

103. *Erectio ducatus Brachiani et Marchionatus Anguillaræ pro Paulo Jordano Ursino, et successoribus.* — Antequam ad anni exitum perveniamus, Pii papæ Diploma [1] referemus, quo præclarissimam Ursinorum familiam, erecto in ducatum Bracchiano, nobili eorum ditionis oppido decoravit, eo præcipue nomine, quod Apostolicæ Sedi semper devota extiterit; quo glorioso titulo magis, quam tot avitis insignium virorum monumentis inclarescit.

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Cum domus et nobilis familia Ursina inter antiquas almæ Urbis nostræ domos et familias admodum illustris existat, Sedi et Romanæ Ecclesiæ prædictæ semper devota fuerit, ex eaque non solum felicis recordationis Nicolaus papa III multique ejusdem Romanæ Ecclesiæ card. sed multi quoque domicelli priscæ illius virtutis Romanæ alumni in egregios armorum duces evaserint, fortemque et memorabilem dictæ Sedi operam, tam in bellicis, quam in domesticis, aliisque rebus strenue navaverint, ac propterea, et ex certis aliis animum nostrum moventibus causis domum prædictam, ac di-

[1] Nic. Codignus in Vita Gonsal. Sylvar. l. II. c. 5. Sacch. to. II. Hist. Soc. an. 1560.

[1] Pius IV. reg. sig. num. 18. recent. 1952. p. 417.

lectum filium nobilem virum Paulum Jordanum Ursinum Romanum primarium ejusdem domus et familiæ Ursinæ virum, ejusque posteritatem specialis gratiæ favore prosequi volentes, ex motu proprio, etc. Brachianum » et mox « in perpetuum et nobilem ducatum, cum jurisdictione, imperio et gladii potestate, et privilegiis, prærogativis, signis et insigniis ad perpetuum et nobilem ducatum pertinentibus Apostolica auctoritate ex certa scientia, tenore præsentium erigimus et instituimus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLX, VII idus Octobris, Pontificatus nostri anno I ».

104. *Veritas præsentiæ Christi Corporis in Sacramento miraculo comprobatur.* — Illustrata est hoc anno in Piceno veritas præsentiæ Christi in Eucharistiæ Sacramento prodigio insigni, cum incenso templo, inter cinerum cumulos Eucharistia liquefacto etiam tabernaculo argenteo, in linteamine, quod corporale vocant, integra reperta est : sed hæc a Pontifice [1] audiamus :

« Venerabili fratri Ludovico episcopo Britinoriensi.

« Venerabilis frater, etc. Allatum nuper ad nos fuit, quod certe mirabile dictu est, et omnia in virtute Potentissimi fieri credere debemus, die Martis post Pascha Resurrectionis Dominicæ proximæ præteritæ in Ecclesia monasterii fratrum ordinis sancti Francisci de observantia in territorio oppidi Morri Vallium provinciæ nostræ marchiæ Anconitanæ consistentis, casu quodam incendium adeo magnum fuisse, ut ex eo Ecclesia ipsa tota conflagraverit : paucisque post diebus, dum altare majus ejusdem Ecclesiæ in locum coopertum reduceretur, cineresque quo id facilius fieret, removerentur, inter cineres hujusmodi et fragmenta prægrandis marmorei lapidis altari superstare soliti, fervoreque ignis in centum et amplius partes disjecti, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, quod in Tabernaculo argenteo deaurato, a flammarum impetu consumpto, et penitus liquefacto reconditum antea manebat, super ipso corporali, ubi locatum fuerat, salvum, integrum, illæsumque repertum esse ad Dei Domini nostri Jesu Christi laudem et gloriam sempiternam. Nos igitur tali tantoque nuntio audito, statim rei magnitudine ac gravitate permoti, aliquem virum religione, integritate, prudentia, atque doctrina præditum nobis deligendum duximus, quem pro hujus miraculi certa et indubitata veritate habenda, ad locum, in quo virtus Altissimi ita aperte se manifestavit, mitteremus; itaque fraternitati tuæ per præsentes mandamus, ut quamprimum ad terram Morri Vallium prædictam ac monasterium te personaliter conferas, ibique omnia, quæ in tali casu inquirenda et consideranda fuerint, majori quo poteris studio ac sollicitudine alte et mature perpendas, inspicias et consideres, necnon quascumque personas, quæ admirabili ac vere divino huic facto intervenerunt, et quosvis alios, successus conscios, aut participes, quos ad perhibendum testimonium idoneos et opportunos esse cognoveris, pro indaganda et habenda veritate, ad te evocare studeas, et eos quemadmodum res gesta fuerit, idque quo pacto viderint, aut sciant, diligenter scruteris, interroges et examines, illorumque dicta ipsis formaliter examinatis in scriptis redigas, cætera quoque ad hoc necessaria exequaris; denique super his omnibus processum in forma valida et probante formes et facias, illudque sic per te confectum et manu notarii publici subscriptum ad nos quantocyus referre procures, ut eo inspecto, et facti veritate cognita et comperta, pro eximia nostra pietate, et propensa in Redemptorem nostrum devotione, et celeriter deliberare et prosequi valeamus, quæ pro tantæ tamque memorabilis rei pondere agenda, providenda explicandaque nobis esse videbuntur; super præmissis enim omnibus et singulis tibi plenam et amplam facultatem et auctoritatem concedimus per easdem præsentes : in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die VII Maii MDLX, anno I ».

[1] Pius IV. lib. sig. num. 2898. p. 138.

PII IV ANNUS 2. — CHRISTI 1561.

1. *Præsides Concilii designati a Pontifice, cardinales creati, et indulgentiæ concessæ orantibus pro felici rerum exitu.* — Anno post Christum natum millesimo quingentesimo sexagesimo primo, Indictione quarta, Pius Pontifex flagrantissimo asserendæ religionis studio ad suscepta sacra consilia de celebranda Synodo Œcumenica promovenda, atque in opus perducenda incubuit, cum ob abruptas, intermissasque, vel suspensas a superioribus Pontificibus Synodos hæreses longe efferatiores increvissent, atque insolescentibus impiis, Catholici animis debilitati mœrerent : piorum itaque omnium expectationem spemque non æquavit modo, sed etiam diligentia vicit.

Itaque quarta decima die mensis Februarii [1], ut habent Acta Consistorialia, coacto senatu, deputati fuerunt legati de latere ad sacrum Œcumenicum Concilium Tridentinum reverendissimi DD. Puteus et Mantuanus cum facultatibus etc. Meminit ejusmodi designationis Latinus Latinius, cardinalis Putei a secretis, in Epistola ad Andream Masium [2]. « Nunc patronus meus valet, quanquam debilitate pedum ingredi nondum potest, domi certe adhuc se continet, neque in publicum prodit. Is XVI kal. Martii designatus est frequenti senatu legatus ad Synodum Tridentinam cum reverendissimo Mantuano ». Pergit etiam enarrare, quemadmodum, novis a Pontifice cardinalibus creatis, tres alii additi sint Concilio legati : « Deinde, inquit, cooptatis in cardinalium collegium duodeviginti viris illustribus, additi sunt tres legati, Warmiensis, Salernitanus et Pisauriensis cardinales, quorum aliqui ante Paschalia festa Tridenti erunt ». Quinam autem fuerint duodeviginti isti cardinales, exhibent Acta Consistorialia per hæc verba :

« Romæ die vigesima sexta mensis Februarii fuit Consistorium. S. D. N. creavit et assumpsit in sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteros et diaconos cardinales infrascripto ordine qui sequitur, videlicet : R. Dom. Hieronymum archiepiscopum Salernitanum Seripandum, R. D. Bernardum episcopum Sancti-Pauli, de Salviatis, R. P. D. Stanislaum episcopum Varmien., R. P. D. Petrum Franciscum Ferrerium episcopum Vercellen., R. P. D. Ludovicum episcopum Pisauren., R. P. D. Antonium episcopum Atrebaten., de Granvela, R. P. D. Philibertum Naldum episcopum Engolismensem de la Bordisiera. Diaconos vero, dominum Ludovicum Estensem, dominum Ludovicum electum Tridentinum, D. Marcum Siticum electum Cassanensem, dominum Franciscum Gonzagam, D. Franciscum de Avalos, D. Alphonsum Cesualdum, D. Franciscum Pacecchum, D. Joannem Franciscum abbatem de Gambara, D. Marcum Antonium Amulium oratorem Venetum, D. Bernardum Navagerium, D. Hieronymum de Corregio, ac aliorum reverendissimorum ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium cætui, etc. aggregavit, cardinalesque fore, et esse, ac pro cardinalibus haberi debere, et plenum jus cardinalatus in re quæsitum eis esse decrevit et pronuntiavit etc. admisit etc. præsentibus vero de more biretum rubrum benedictum per Sanctitatem suam tradidit, absentibus autem per nuntium suum specialem transmisit, ac presbyteros et diaconos cardinales respective publicavit, cum retentione pro eorum singulis omnium beneficiorum, et pensionum, et jurium ad beneficia. Die vero x Martii MDLXI, Romæ fuit Consistorium, in quo S. D. N. præter reverendissimos legatos jam deputatos ad Concilium Tridentinum, videlicet Puteum et Mantuanum, deputavit, seu creavit tres alios, videlicet, Salernitanum, Varmien. et Simonettam; ita quod interim reverendiss. D. Varmiensis remaneret legatus de latere apud serenissimum

[1] Ms. card. Spadæ to. CXXXIV. p. 226. — [2] To. II. Lucub. p. 87.

imperatorem ». Quæ ad Hosium ipsum cum Jacobus cardinalis Puteus scriberet [1], hæc habet : « Tu, quod magno desiderio tenebamus, cum Siripando et Simonetta reverendissimis cardinalibus adjunctus nobis collega es in legatione ad Synodum. Faxit Deus optimus Maximus, ut in gravissimo negotio perficiendo, omnes omnium ordinum et nationum voluntates ita coeant, ut unum omnes velimus et sentiamus, etc. » Qui, et in alia ad eumdem [2] post commendatum Pontificis singulare judicium in illis designandis : « Quos, inquit, optare poteram collegas sapientiores, meique amantiores mihi dari, quam qui dati sunt? Quare in spem certam veni fore, ut ex sententia succedant omnia, quando initia tam prospera ceciderunt. Magna et quidem merito apud omnes est collegarum meorum probitatis eruditionisque opinio, spectata sæpius est eorum in rebus arduis agendis industria, itaque bono animo sum, speroque Deum Ecclesiæ suæ calamitates miseraturum, tandem aliquando ejus tranquillitatem nobis redditurum ».

Addunt Acta in eodem Consistorio concessum fuisse pallium a Pontifice archiepiscopo Maxcamanan in Armenia, ex quo constat [3] Armenos obsequio et fidei confessione conjunctos esse cum Ecclesia Romana : « Placuit etiam, ut aiunt Acta Consistorialia, in Consistorio decima septima ejusdem mensis MDLXI, ut aliquibus cardinalibus nuper creatis mitterentur pilei : et in eodem Consistorio fuit data crux reverendissimo Salernitano legato ad Concilium, comitato a reverendissimis cardinalibus extra portam Sancti-Petri de more ».

2. In eo Patrum senatu conscriptum ac promulgatum est Diploma [4] de quinque iis legatis Concilii Tridentini præsidibus designatis, quod subjectis verbis conceptum est, eodemque die consignatum :

« Pius episcopus, etc. Dilectis filiis Jacobo Sanctæ-Mariæ in Via, Puteo, et Herculi S. Mariæ-Novæ, de Mantua, ac Hieronymo Sanctæ-Susannæ, Seripando, et Stanislao Warmiensi, necnon Ludovico S. Cyriaci in Thermis, Simonetæ, titulorum presbyteris cardinalibus nuncupatis, nostris et Apostolicæ Sedis de latere legatis, salutem, etc.

« Regimini et curæ universalis gregis Dominici, meritis licet imparibus, disponente Domino, præsidentes, sic utiliter ac sollicite, quemadmodum ad boni et prudentis patris familias spectat officium, injunctum nobis pastoralis muneris debitum exercere pro virili nostra studemus, ut ea quæ rationabilibus et legitimis obsistentibus causis per nos ipsos præstare non possumus, præsertim quando talia sunt, quæ moram non patiuntur, per alios viros virtute et auctoritate præstantes efficere diligenter curemus. Cum itaque nos nuper ad schismata et hæreses, quæ per omnes reipublicæ Christianæ partes pervaserunt, tollendas, necnon ad corrigendos et reformandos mores Christiani populi, pacemque inter Christianos principes conservandam, de venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio et assensu sacrum Œcumenicum Concilium in civitate Tridentina ad sacratissimum diem resurrectionis Dominicæ proxime futurum, per alias nostras sub plumbo confectas litteras celebrandum decreverimus, prout in eisdem litteris plenius continetur : Nos nolentes, tam sanctum celebrandi ipsius Concilii initium ullo pacto impediri, quod forte contingeret, si nobis variis in dies corporis infirmitatibus, ac alias multipliciter impeditis et propterea ad eamdem civitatem Tridentinam ad præsens accedere, et ipsi Concilio juxta animi nostri desiderium interesse nequeuntibus, nullus nostro illuc nomine mitteretur ; vos fide, prudentia, probitate, doctrina et rerum experientia admodum claros, insignes atque etiam probatos, cum plena, libera ac omnimoda legatorum de latere potestate, specialique et expresso mandato, necnon ratihabitionis, et aliis clausulis in similibus apponi solitis, de simili eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu nostros et Apostolicæ Sedis legatos de latere auctoritate Apostolica tenore præsentium constituimus et deputamus, vosque ad dictam civitatem Tridentinam pro Concilio hujusmodi celebrando, tanquam pacis angelos destinamus, ac vobis, seu uno aut duobus, vel tribus, seu pluribus ex vobis legitimo impedimento detentis, vel absentibus, uni, si unus tantum in dicta civitate affuerit, seu duobus, aut tribus, vel iis ex vobis, qui in eadem civitate Tridentina præsentes fuerint, ad celebrationem ipsius Concilii, favente Domino, procedendi, ac nomine et auctoritate nostra illi præsidendi, necnon quæcumque in eodem Concilio pro tempore decisa et ordinata, ac per majorem partem vestrum in dicta civitate Tridentina præsentium comprobata observari mandavit, in illo, pro vestra pietate et sapientia ea omnia quæ in præmissis et circa ea necessaria, et alias quomodolibet opportuna esse, aliasque ad laudem et honorem Dei pertinere noveritis, etiamsi magis speciale mandatum exigant, faciendi, gerendi et exercendi plenam et liberam auctoritate et tenore prædictis concedimus potestatem et auctoritatem. Quocirca circumspectioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus injunctum vobis munus hujusmodi ita impellere studeatis, ut sperati fructus inde proveniant, vosque a nobis commendationem, et a Deo bonorum operum retributore felicitatis æternæ gloriam consequi valeatis. Datum Romæ apud

[1] To. I. Lucub. Lat. p. 193. — [2] Pag. 193. — [3] Ib. p. 331. — [4] Pius IV. lib. Bull. sig. num. 1954. p. 100.

Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI, VI idus Martii, Pontificatus nostri anno II ».

3. De hisce legatis decretis, deque instaurato Concilio hæc Angelus Massarellus[1] scribit:

« De sacro Œcumenico Concilio Tridentino sub S. D. N. Pio IV Pontifice Maximo.

« Sacrosanctum Œcumenicum et generale Concilium Tridentinum suspensum fuerat ad biennium sub Julio III Pontifice Maximo anno Domini MDLII, die XXVIII mensis Aprilis, ob vigentia tunc bella in diversis orbis partibus, ac præsertim in Germania : ea tamen lege suspensio ipsa facta fuit, ut si ante ipsum biennium res pacata fuisset, statim suspensio sublata censeretur, si vero ultra biennium impedimenta, quæ tunc Concilii celebrationem impediebant, perdurassent, Concilii item suspensio perduraret. Obiit interea Julius Papa III die XXIII Martii MDLV, creaturque Pontifex Maximus Marcellus II die X Aprilis dicti anni, et post eum (qui XXIII tantum diebus vixit) Paulus IV die XXIV Maii subsequentis, sub cujus Pontificatu obiit Carolus V imperator die XXI Septembris MDLVIII, vigente eo tempore maximo bello inter Philippum ipsius Caroli filium, Hispaniarum regem Catholicum, et Henricum II Gallorum regem Christianissimum, inter quos tandem Dei benignitate pax constituta est mense Aprilis MDLIX, mortuo vero Paulo IV die XVIII Aug. ipsius anni MDLIX, creatur Pontifex Maximus S. D. N. Pius IV die XXVI Decembris ejusdem anni, qui quidem Pontifex statim initio sui Pontificatus, cum animadverteret sanctam Dei Ecclesiam maximis incommodis atque calamitatibus ex tam variis in Catholica religione subortis hæresibus, erroribus atque dissidiis afflictam ac misere laceram, ut eam aliquando de his malis liberam in pristinum candorem ac puritatem restitueret, exemplo prædecessorum suorum sacrum Œcumenicum et universale Concilium, utpote unicum et salubre remedium, celebrandum decrevit : idque eo ardentiore animo fecit, cum impedimenta, quæ antea Concilii celebrationem, ut superius demonstratum est, remorabantur, essent amota, pace scilicet inter Christianos principes constituta, quare publicato prius die XIX Novembris MDLX, per universum orbem solemni ac plenissimo Jubileo orantibus pro felici successu ipsius Concilii, die Dominica II mensis Decembris dicti anni ad Dei laudem et gloriam, ad exaltationem et incrementum fidei Catholicæ, ad exstirpationem hæresum, morumque reformationem, ad Ecclesiæ unionem et pacem, ad depressionem hostis Christiani nominis, indictionem seu prosecutionem ipsius Concilii in civitate Tridentina ad festum Paschalis Resurrectionis Domini nostri Jesu Christi, qui erat dies VI Aprilis MDLXI, publicavit edita Bulla, quæ incipit, *Ad Ecclesiæ regimen* etc. sub data Romæ apud Sanctum-Petrum III kalend. Decembris MDLX, Pontificatus sui anno I, nec multo post, nempe die X Martii MDLXI, creavit quinque ipsius sacri Concilii præsidentes et legatos, videlicet illustrissimos DD. Jacobum tit. Sanctæ-Mariæ in Via, Puteum, Herculem tit. Sanctæ-Mariæ Novæ, de Mantua, Hieronymum tit. Sanctæ-Susannæ, Seripandum, Stanislaum, tit. Sancti-Pancratii, Varmiensem, et Ludovicum tit. Sancti-Cyriaci in Thermis, Simonetam nuncupatos, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteros cardinales ».

4. Ad pelliciendos ad Concilium præsules, ac fideles ad sacras preces pro divina ope concilianda fundendas incitandos, gratuitam noxarum veniam iis proposuit[1], qui rite sacramentis muniti legatorum ingressum sua præsentia cohonestarent, ac pro felici successu Concilii orarent :

« Universis et singulis Christi fidelibus præsentes litteras inspecturis, salutem, etc.

«Cum nos superioribus mensibus, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, sacrum Œcumenicum et universale Concilium in civitate Tridentina ad sacratissimum diem Resurrectionis Dominicæ proxime futurum ad Dei Omnipotentis laudem, et Christianæ reipublicæ tranquillitatem celebrandum decreverimus, et nuper dilectos filios nostros Jacobum Sanctæ-Mariæ in Via, Puteum, et Herculem Sanctæ-Mariæ Novæ, de Mantua, et Hieronymum Sanctæ-Susannæ, Seripandum, et Stanislaum Warmiensem, necnon Ludovicum Sancti-Cyriaci in Thermis, Simonetam nuncupatos, titulorum presbyteros cardinales ad nostro nomine eidem Concilio præsidendum legatos nostros deputaverimus; nos cupientes pro pastorali nostro officio, et erga Christi fideles charitate, tam sanctum opus spiritualibus gratiis decorare, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere pœnitentibus et confessis, seu statutis a jure temporibus firmum confitendi propositum habentibus, qui ingressui eorumdem cardinalium legatorum vel alicujus eorum in civitatem ipsam Tridentinam interfuerint, et pro celebratione ejusdem Concilii pias ad Deum preces effuderint, eam indulgentiam et peccatorum remissionem etiam plenariam concedimus quam ipsi cardinales legati, vel aliquis eorum declaraverit, super quo plenissimam eis et eorum cuilibet tribuimus potestatem ; contrariis non obstantibus, etc. Datum Romæ apud S. Petrum die XXI Martii MDLX, anno II ».

5. *Diversæ sanctiones quibus providet Pius*

[1] Aug. Massarellus ante actis Concil. Trid. sub Pio IV. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 147.

[1] Pius IV. l. I. sig. num. 2898. p. 418.

libertati Concilii et successioni Pontificum, durante Concilio. — Pervenere Tridentum [1] decima sexta Aprilis cardinales legati, solemnique pompa urbem ingressi sunt hora vigesima secunda, quibus cardinalis Madrutius magno nobilium comitatu, novemque episcopis stipatus occurrerat tertio extra urbem milliari, magnoque ac læto populi concursu excepti fuere, de quo eorumdem legatorum ad cardinalem Borromæum extant litteræ.

Instructi sunt iidem cardinales auctoritate a Pontifice, ut hæreticos, non ejuratis publice erroribus, conciliarent Ecclesiæ [2], ne pudor plures a via salutis adeunda absterreret, de quo legati Carolo cardinali Borromæo gratias egerunt XIX Maii. Cum vero in Lovaniensi Academia Michael Baius et Joannes Hessels disseminatis novis opinionibus turbas excitassent, ac pars ad Parisienses theologos confugisset, a quibus Baius et Hessels damnati fuerant, hinc inde controversiarum libri magno fidelium offendiculo plures evulgati fuere, quapropter cardinales legati Carolo cardinali Borromæo suaserunt, ut sedandis earum Academiarum turbis daretur opera; cumque Pontifex Wilielmum Lindanum theologum Romam accersivisset [3], optimum fore judicatum est, si Pontifex Lovaniensibus theologis daret imperia, ut omissis iis controversiis ad defendendam fidem Catholicam adversus hæreticos conjungerent studia, atque ex suis aliquos ad Concilium Tridentinum mitterent; ac si quis e factionis auctoribus vellet Tridentum accedere, illum humanissime habitum iri significaret. De horum theologorum opinionibus, et de via, qua tutius cum istis esset agendum, plura infra videbimus ex litteris cardinalis Commendoni, qui valde utilia consilia dedit, ut turbæ ab istis theologis excitatæ sedarentur.

6. Contigit [4], ut nonnulli ex Lutheranis, in quibus fuere Zanchius et Sturmius eruditionis fama celebres, Concilium Tridenti indictum laudarent, sed mutandam Concilii formam obtenderent, abreptique impia væsania poscerent, ut episcopi religione sacramenti Pontifici præstiti solverentur; significarunt vero Carolo Borromæo cardinales legati datis Tridenti VI Julii litteris, posse eos ad Concilium accedere si velint, humanissimeque auditum iri [5], inanem vero penitus atque a veritate abhorrentem esse eorum opinionem, qui putent episcopos obstrictos esse, ut adversus conscientiam suam in Concilio sententias promant; si quid ex injustis petitis indultum fuerit Protestantibus antequam ad Concilium venerint, in pervicacia futuros obfirmatiores, quasi causam vicerint; cæterum spondendam illis liberi commercii syngrapham, ut summa clementia se admittendos, inque reditu dimittendos norint. Omnium vero hæreticorum impudentissimus Bullingerus in Concilium librum scripsit, ac scripserat jam ante ipsum Petrus Paulus Vergerius nequissimus hæreticus, qui fallaci argutia utebatur, nunquam pristinam Ecclesiarum redintegrationem instauratum iri, nisi in aliquo consenserint, eoque fuco contendebat veterem Conciliorum morem convellendum, ad quæ alludere Zanchium in iis, quæ proposuerat, Borromæo cardinali legati VI Julii [1] responderunt. Consueto, ut alibi diximus, hæreticorum commento, cum apud Catholicos alte fixum sit, quod nihil tam cogat in mortem, quam sub obtentu fidei integritatem ejusdem fidei violare, exploratumque sit, quemadmodum Nazianzenus aiebat [2], « Parvo lapide submoto, flumen totum in pronum trahi ».

7. Ut vero legati ad incertos rerum eventus amplissima potestate suffulti essent, ac comparati ad imminentia pericula avertenda, defugiendasque hostium insidias, Pontifex [3] eosdem legatos amplissima auctoritate instruxit, ut Concilium Tridento in aliam civitatem, si res posceret, transferre possent, cœtusque Tridentinos dissolvere, utque mandata sua pœnarum adjectione armarent, jus contulit.

« Dilectis filiis Jacobo, etc.

« Cum nos superioribus mensibus, ex causis tunc expressis, sacrum Œcumenicum et generale Concilium in civitate Tridentina indixerimus, et quoniam ipsi legitime impediti ad dictum Concilium personaliter accedere, illique interesse non possemus, vos nostros et Apostolicæ Sedis legatos de latere in eodem Concilio de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio, constituerimus et deputaverimus, vosque ad eamdem civitatem, tanquam pacis angelos, ad præsidendum dicto Concilio nomine et auctoritate nostra et Sedis destinaverimus, prout in diversis nostris desuper confectis litteris plenius continetur; nos ne tam sanctum celebrationis Concilii hujusmodi opus ex incommoditate loci, aut alias quovis modo impediatur, aut plus debito differatur, opportune providere volentes, motu proprio, et ex certa nostra scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, de simili consilio, vobis in simul, aut tribus, vel duobus ex vobis reliquis legitimo impedimento detentis, seu forsan inde absentibus, quandocumque vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem civitate Tridentina ad quamcumque aliam commodiorem, et opportuniorem, seu tutiorem civitatem vobis visam transferendi et immutandi, et illud in ipsa civitate Tridentina supprimendi et dissolvendi, necnon prælatis et aliis personis Concilii

[1] Ext. in Ms. Fran. card. Barber. sign. num. 1344. Ep. I. — [2] Ib. Ep. IX. — [3] Ib. Ep. XV et XVI. — [4] Ib. Ep. XVII. — [5] Ib. Ep. XIX.

[1] Ext. in Ms. Fran. card. Barber. sign. num. 1344. Ep. XIX. — [2] Or. 1. — [3] Pius IV. lib. Bull. sig. num. 1654. p. 104.

hujusmodi, ne in eo ad ulteriora in eadem civitate Tridentina procedant, etiam sub censuris et pœnis Ecclesiasticis inhibendi, ac idem Concilium in alia civitate hujusmodi, ad quam illud transferri et mutari contigerit, continuandi, tenendi et celebrandi, et ad illud prælatos et alias personas ipsius Concilii Tridentini etiam sub perjurii, et aliis in litteris indictionis Concilii hujusmodi expressis pœnis evocandi, eidemque sic translato et mutato Concilio nomine et auctoritate prædicta præsidendi, et in eo procedendi, cæteraque in præmissis et circa ea necessaria et opportuna alias juxta priorum vobis directarum litterarum nostrarum continentiam et tenorem faciendi, statuendi, ordinandi et exequendi plenariam et liberam Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus potestatem et facultatem, etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI, X kal. Octobris, Pontificatus nostri anno I ».

8. Ad propulsanda etiam schismatum discrimina, asserendamque Apostolicæ Sedis auctoritatem adversum eos, qui in Concilio novis turbis Ecclesiam miscere molirentur, deligendique Pontificis jus ad Concilium devolutum affectarent, si Concilii celebrandi tempore excurrente Pontificem e vivis migrare contigerit, sanxit Pius jus illud, tunc non ad Concilium, sed ad cardinalium senatum spectare, ac si ipse extra Urbem in alio loco e vita discederet, pronuntiata sententia distinxit, qua ratione, quove in loco pro subrogando novo Pontifice conventuri essent, ut ex subjecta Constitutione [1] patebit :

« Ad futuram rei memoriam.

« Prudentis patrisfamilias spectat cuncta quæ in ejus domo sunt provide disponere, quod illa debito ordine procedant, nec unum aliud impediat, aut aliqua eorum insimul confusionem inducant. Hinc est, quod nos, qui a summo Patre-familias in illius domo, meritis licet imparibus, dispensatores effecti sumus, et ex causis tunc expressis sacrum Œcumenicum et generale Concilium in civitate Tridentina indiximus, ne, si forte eveniat nos Concilio hujusmodi durante pro divina voluntate decedere, super electione Romani Pontificis confusio oriatur, et exinde perturbandæ unitatis Ecclesiæ præstetur occasio, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus matura deliberatione et diligenti examine, de ipsorum fratrum consilio et unanimi consensu, ex certa nostra scientia ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, statuimus, decernimus et ordinamus, quod si contingat nos, Concilio hujusmodi durante, etiamsi ejusdem Concilii causa vel occasione, aut alias quomodolibet etiam pro sola voluntate nostra, etiam cum curia Romana, et causarum ac litterarum Apostolicarum audientia ab Urbe recesserimus, vel in ipsa Urbe, seu nobis ab ea quovis modo absentibus ante nostrum ad illam reditum, alibi ubicumque ita Domino volente decedere, in quibuscumque statu et terminis Concilium ipsum fuerit, et quantacumque civitas, seu locus, in quo seu qua nos etiam inibi forsan cum curia et audientia prædictis decedemus, ab eadem Urbe distet, et civitati Tridentinæ, aut alteri, ubi Concilium etiam fuerit, vicina seu vicinus existat, electio Romani Pontificis in alma Urbe præfata, nisi Urbs ipsa interdicto Ecclesiastico per nos apposito tunc subjaceat, vel inibi de oppressione dubitaretur, super quo majori parti cardinalium, tunc in civitate seu loco decessus nostri existentium stari debeat, et tali casu in civitate Castellana, seu Urbevetana, vel Perusina civitatibus, servato scripturæ hujusmodi ordine, dummodo illæ, ut præfertur, interdictæ aut rebelles tunc non sint, et non in ea, in qua, seu cujus diœcesi nos decedere continget, aut Tridentina, seu alia, ad quam Concilium hujusmodi translatum fuerit civitate, et solum per ipsos S. R. E. cardinales, et non per Concilium hujusmodi, aut etiam cum eisdem cardinalibus aliquos dicti Concilii, servatis alias Alexandri IV, quæ *Licet de evitanda*, et Gregorii X in Lugdunensi, quæ *Ubi periculum*, et quæ *Ne Romani* incipiunt Clementis V, Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum in Viennensi Conciliis circa electionem tandem editis Constitutionibus, et aliis extravagantibus, ac omnibus in eis contentis, quibus per hoc alias non intendimus præjudicare, fieri debeat, decernentes ex nunc cardinales præfatos etiam per Concilium hujusmodi dispensari nullatenus posse, ac quamcumque electionem Romani Pontificis contra præsentium tenorem, Concilio hujusmodi durante, attentatam, nullam, irritam et inanem, nulliusque roboris vel momenti fore, et ea non obstante per eosdem cardinales ad illam electionem Romani Pontificis, servata earumdem præsentium forma, procedi debere, ac similiter ex tunc irritum et inane, quicquid secus super his a quoquam quavis etiam Concilii ejusmodi auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Nulli ergo, etc. Datum Romæ anno Incarnat. Dominicæ MDLXI, X kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno II ».

9. Confirmavit eamdem sanctionem Pius in Consistoriis proximo mense habitis, in quibus etiam sanxit Romanum Pontificem non posse eligere sibi successorem, vel sibi coadjutorem conjuncta successionis spe vel jure adsciscere, quæ ex ejusdem Actis [1] repeter elubet : « X Novembris S. D. N. fecit verbum de reformatione universali, et præsertim de iis, quæ

[1] Pius IV. lib. Bull. sig. 1954. an. II. Ep. LXXXVIII.

[1] Act. Consist. sig. num. 134. p. 345.

spectant ad electionem futuri Pontificis » et rursus :

« Romæ apud Sanctum-Petrum XIX Novembris MDLXI, fuit Consistorium, in quo Sanctitas sua decrevit et declaravit, quod occurrente obitu suo (quod Deus avertat) pendente Concilio Tridentino, electio successoris fiat per cardinales, non autem per Concilium, cum decreto irritanti, ac aliis clausulis necessariis et opportunis.

« Declaravit etiam et decrevit, quod Romanus Pontifex non possit sibi eligere successorem, nec assumere coadjutorem cum futura successione, etiam de consensu omnium et singulorum cardinalium, sed electio spectet ad cardinales libere, cum decreto irritanti ».

Occasionem hujus sanctionis restituendæ potius quam instituendæ, cum jam olim in Concilio Romano sub Bonifacio II [1] emanaverit, videtur ex parte innuere Victorellus [2] in Additionibus ad Vitam Pii IV, quam Diana par. 10. tractat. 5. de potestate Pontif. eligendi sibi successorem retulit, quem lector sciendi cupidus consulere potest, invenietque agitatam inter canonistas questionem, sitne hoc jure, ut vocant, divino, an canonico, vel naturali interdictum ; quam etiam controversiam doctissime more suo expendit Prosper Fagnanus V. S. Referendarius *in 2 parte primi Decretal. cap. Accepimus num.* 16.

10. *Preces indictæ in formam Jubilei.* — Dum hæc Pius decerneret, divinam clementiam precibus publicis implorandam censuit, sanxitque, ut populi jejuniis castigarent corpora, mentes Sacramentis reficerent, precibus placarent Numen, sacrasque obirent supplicationes, de quibus indicendis actum in Consistorio referunt Acta [3] : « X Novembris MDLXI, fuit Consistorium, in quo fuerunt decretæ supplicationes, Missæ, et jejunia pro die Dominico cum Indulgentiis » : Extat de his Diploma [4] postridie datum :

« Ad futuram rei memoriam.

« Cupientes ex nostri pastoralis officii nobis divinitus injuncti munere, ut sacrum Œcumenicum generale Concilium Tridentinum prosperum et felicem a Deo bonorum omnium auctore successum obtineat, ac Salvatoris D. N. Jesu Christi, cujus vices, meritis licet imparibus, in terris gerimus, præcepta sequentes, qui nobis per suum sanctissimum os veritatis dicit, *Petite, et accipietis, pulsate, et aperietur vobis,* et rursus per Prophetam, *Clama, ne cesses, et quasi tuba exalta vocem tuam,* quod superiori anno fecimus, ita et nunc auctoritate Apostolica ex parte Omnipotentis Dei, et per viscera illius misericordiæ omnes et singulos utriusque sexus Christi fideles cujusvis Ordinis regulares etiam sub clausura viventes, tam in alma Urbe nostra, quam in quibuscumque regnis, dominiis et provinciis, civitatibus, oppidis, terris et locis per universum terrarum orbem existentes, etiam atque etiam hortamur in Domino, paterne monemus, ac intimo sincerissimoque mentis affectu enixe requirimus ; in Urbe videlicet degentes, ut in quarta et sexta feriis ac die Sabbathi proxime futuri, vel alterius immediate sequentis Hebdomadæ ; alii vero extra dictam Urbem quomodolibet constituti, postquam præsentes ad eorum notitiam pervenerint, in similibus quarta ac sexta feriis, ac die Sabbathi alterius duarum hebdomadarum, tunc, ut præfertur, sequentium, jejuniis, atque orationibus, et elemosynarum erogationibus, seu aliis piis operibus juxta eorum conscientiam, seu sacerdotum quibus peccata sua confitebuntur, salutare consilium vacent, et die Dominico dictum diem Sabbathi tunc proxime subsequente sacratissimam ejusdem Domini nostri Jesu Christi Eucharistiam reverenter ac devote suscipiant, ipsumque Redemptorem nostrum pro felici successu ejusdem Concilii pie ac suppliciter orent, rogareque non cessent, quod ut facilius Deo propitio consequi valeamus, nos ipsi solemnes indicere supplicationes, et una cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, omnibusque prælatis, et Romanæ Ecclesiæ magistratibus die Dominico, qui erit vigesimus tertius præsentis mensis Novembris, e Basilica Sancti-Petri usque ad Ecclesiam beatæ Mariæ Virginis de Populo, concedente Domino, incedere decrevimus, ibique solemni missa celebrata, omnes ad Dominum pias ac devotas preces pro tam salutari opere feliciter dirigendo effundemus, etc ». Gratuitam criminum, quæ sacra exomologesi rite expiata fuerint, veniam impartitur iis, qui, servatis præscriptis jejuniis et eleemosynis erogatis, vel si fuerint inopes quinquies Pater et Ave repetierint, seque Eucharistiæ sacramento communierint. Datum Romæ apud S. Petrum MDLXI, XVII kal. Decembris, Pontificatus anno II ».

11. *Statuta circa jus sententiam ferendi, sedium ordinem, et diem inchoationis Concilii.* — Addunt Acta Consistorialia plura alia gravissima decreta pro temperando optimo Concilii statu atque ordine constituendo. In primis, cum episcoporum regnum sit Concilium, atque eorum sit muneris in controversiis fidei sententiam ferre, sancitum est eorum procuratores suffragii ferendi jure atque auctoritate non pollere : « Die V Decembris », inquiunt Acta, « fuit decretum, quod non possent habere votum, nisi præsentes in sacro Œcumenico Concilio ». Compositum itaque de ea re edictum Pontificium [1], ac subjectis verbis promulgatum :

[1] Bar. to. VII. an. 531. — [2] Ep. Ciacc. Bar. de Jur. Ecc. to. I. Passerin. de Elect. Can. — [3] Pag. 564. — [4] Pius IV. reg. sig. num. 1953. p. 370.

[1] Pius IV. l. I. brev. sig. 1954. Ep. CX.

« Ad futuram rei memoriam.

« Dudum non sine animi nostri mœrore prospicientes, quam longe lateque hæreses et schismata in toto fere terrarum orbe vagarentur et quotidie crescerent, quam etiam mores Christiani populi deformati forent, ut quantum cum Domino possemus, pro nostri pastoralis officii debito tot et tantis calamitatibus opportune provideremus, unicum et præsens remedium hujusce morbi aptissimum Œcumenici generalisque Concilii celebrationem fore existimavimus ; itaque vestigiis etiam nonnullorum prædecessorum nostrorum inhærentes, dudum Concilium ipsum in civitate Tridentina celebrandum indiximus, ac venerabiles fratres nostros patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, et alios, quibus in Concilio generali sententias dicendi est data potestas, hortati fuimus et monuimus, atque illos in virtute sanctæ obedientiæ et juramenti per eos præstiti, et sub pœnis contra eos qui ad Concilia generalia venire neglexerint, a sacris canonibus constitutis præcepimus et mandavimus, ut in dicta civitate Concilii celebrandi causa convenire deberent, nisi legitimo impedimento detenti forent, quod tamen per eorum procuratores Synodo probare tenerentur, prout in nostris desuper confectis litteris plenius continetur. Cum autem licet magnus prælatorum numerus una cum legatis nostris eo destinatis in dicta civitate jam convenerit, multi tamen alii prælati et alii ad præsens vocati desiderentur, quorum aliqui, sicut accepimus, proprii officii et jurisjurandi immemores, sub diversorum impedimentorum prætextu personaliter ad dictam civitatem accedere minime curent, sed procuratores ad se excusandum a comparitione hujusmodi, et insuper ad sententias vice ipsorum in Concilio dicendas constituerint : nos considerantes gravitatem negotiorum ibidem tractandorum talem ac tantam esse, ut de summa religionis Christianæ hoc tempore agatur, et propterea valde expediens ac necessarium esse, ut ipsa negotia, præsentia, consilio, et judicio ipsorummet prælatorum, et aliorum quorum industria electa fuit, et nullatenus per substitutos tractentur, et fine debito compleantur, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et assensu, felicis recordationis Pauli papæ Tertii prædecessoris nostri, qui Concilio simili in dicta civitate Tridentina indicto hoc idem statuit, vestigia sequentes, Apostolica auctoritate, et ex certa scientia decernimus et declaramus, prælatos, et alios jus dicendi sententias in Concilio, ut præfertur, habentes, nisi legitimo impedimento detineantur, per se ipsos, et non per procuratores, nisi ad docendum de impedimento hujusmodi, in dicto Concilio comparere, et illius cebrationi interesse teneri et obligatos esse, ac ipsos personaliter comparentes ad sententias in eodem Concilio dicendas, admitti ; procuratores vero, etsi prælati sint, et jure proprio vocem in Concilio habeant, ad allegandas et probandas excusationes impeditorum dumtaxat audiri debere : hortantes nihilominus denuo et requirentes patriarchas, archiepiscopos, episcopos, abbates, et alios prædictos, eisque non solum sub perjurii, et aliis prædictis pœnis per eos, nisi præsentibus cum effectu paruerint, incurrendis, ut mandatis procurationis per eos forsan factis, quoad sententias dicendas, minime attentis, sed illis potius revocatis et revocatione procuratoribus intimata, ipsimet personaliter, et non per procuratorem, præterquam ad docendum de legitimis eorum impedimentis, quibus tamen cessantibus, de comparitione personali nullatenus liberentur, ad dictam civitatem quantocitius personaliter conferre, et ipsius Concilii plenariæ celebrationi interesse debeant. Decernentes mandata per eos facta, et forsan facienda quoad facultatem dicendi sententias, nulla et invalida, et nullius roboris vel momenti fore, et esse, et minime admitti debere, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrun anno Incarnationis Dominicæ MDLXI, pridie kal. Januarii anno II ».

12. Ne qua etiam de sedium ordine proedria, sive honorificentioris loci dignitate affectanda oriretur inter Patres contentio, sed summo ordine ac tranquillitate peragerentur omnia, sedium ordo distinctus est a Pontifice, ut Synodus tanquam castrorum acies ordinata consisteret. Referunt etiam Acta Consistorialia [1] additum legatum aliis prioribus, nimirum cardinalem Constantiensem, quod ex subjecto Diplomate confirmatur, quod legatis inscriptum est :

« Dilectis filiis Jacobo Sanctæ-Mariæ in Via, Puteo, et Herculi Sanctæ-Mariæ Novæ, de Mantua, ac Hieronymo Sanctæ-Susannæ, Seripando, et Stanislao S. Laurentii in Panis et perna, Warmiensi, ac Ludovico Sancti-Cyriaci in Thermis, Simonetæ, titulorum presbyteris, necnon Marco Basilicæ XII Apostolorum diacono de Altaemps nuncupatis, cardinalibus nostris, et Apostolicæ Sedis de latere legatis, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Sicut ea, quæ pacem et concordiam nutriunt, pura mente semper inquirimus, ita ex debito nostræ pastoralis sollicitudinis tenemur illa submovere, quæ discordiam suscitare et scandalum introducere posse videntur. Itaque ad tollendam omnem controversiæ materiam, quæ inter prælatos ad celebrationem sacri Œcumenici et generalis Concil. in civitate Trid. pro tempore congregatos super eorum præcedentia forte jam sint exortæ et in dies

[1] Act. Consist. sig. num. 134. Ms. Fran. card. Barb. sig. 1109. Act. Conc. Trid. per Astulph. Servantius. Script. Ep. Telesi. Secr.

oriri possunt, volumus ac vobis per præsentes mandamus, ut omnes et singulos prælatos prædictos, videlicet venerabiles patriarchas primo, secundo archiepiscopos, tertio autem loco episcopos in quibusvis actibus secundum gradum et ordinem suarum ad eorum Ecclesias promotionum, ita quod, qui promotus prior ad eas fuerit, in suo quisque ordine, prior existat incedere, sedere, et locum habere, nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primatiales, sive veræ, sive prætensæ illæ fuerint, auctoritate nostra faciatis, studioseque et diligenter procuretis, sicque pro vestra prudentia et pietate geratis, ut cuncta istic concordibus animis in virtute Spiritus sancti cum Dei Omnipotentis honore atque timore, quiete ac feliciter procedere valeant, non obstantibus præmissis, et quibusvis Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris, die ultima Decembris MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

13. Designatus est Epiphaniæ dies insequentis anni pro inchoando Concilio, tum de emendandis corruptelis, quæ vitio temporum in Romanam aulam irrepserant, necnon de integritate in conferendis sacerdotiis, detergendaque avaritia in cardinalium senatu agitatum, narrant Acta [1] his verbis :

« IX Decembris MDLXI, fuit Congregatio, in qua fuit factum verbum de reformatione curiæ, et circa datariatum deputavit omnes theologos et canonistas et capita Ordinum. Et super officio camerariatus eosdem theologos et canonistas ac reverendissimum D. vicarium.

« Item die XVII Decembris MDLXI fuit Consistorium, in quo Sanctitas sua fecit verbum de non creandis cardinalibus his temporibus, cum Collegium sit satis frequens, et aptum his præsentibus occasionibus ad consulendum, et reliqua faciendum, quæ oportuerit. Fuit deputatus terminus ad aperiendum Concilium pro die Epiphaniæ ».

14. *Pellicere ad Concilium studet Pontifex regem Portugalliæ, Germanos principes et etiam Moschorum ducem.* — Dum hæc pro dirigendo Concilio statueret Pius, non destitit reges ac principes incitare, ut oratores suarumque ditionum episcopos ad indictum Concilium mitterent, qua in re cum Sebastianus rex Lusitaniæ ardentius pietatis studium explicaret, Pontifex [2] subjectis litteris illi est gratulatus :

« Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum regi.

« Oratorem tuum jam abs te ad sacrum Concilium destinatum fuisse, et episcopos aliquot ex regno tuo, ut iter jam ingrederentur, admonitos esse, aliis postea secuturis, libenter cognovimus; quod ad nostra de Concilio adjuvanda consilia tanto studio incumbis, ut aliis regibus et principibus Christianis præclarum quod imitentur exemplum præbeas, summis te in Domino laudibus extollimus. Retribuat tibi Dominus pro tam pia voluntate, et in hoc sæculo, et in altero ea præmia quæ mereris. Nos, sicut ex ipsius oratoris tui litteris intellexisti, non desistimus tam salutare opus et tam necessarium, quanta possumus diligentia, pro nostri muneris officio promovere, tametsi non intermittat humanæ salutis hostis id, quantum potest, impedire, sed speramus fore ut Dei misericordia, quæ Ecclesiæ suæ nunquam deest, omnes ad extremum difficultates et impedimenta removeat ac repellat, etc. XXVI Aprilis MDLXI ».

15. Pellicere etiam ad Concilium studuit Pontifex missis internuntiis ac litteris Germanos principes; quo argumento Albertum Marchionem Brandeburgensem in Prussia ducem humanissime rogavit [1], ut oratores suos ad indictum Concilium transmitteret.

« Dilecto filio nobili viro Alberto Marchioni Brandeburgensi duci in Prussia.

« PIUS PAPA IV.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Pro commissi nobis officii munere ad sedandas tot et tantas de religione controversias, et tollenda tam diuturna tamque perniciosa schismata, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu indiximus Œcumenicum et generale Concilium Tridenti Deo favente celebrandum, de qua re edidimus Bullam, cujus exemplum ad te per præsentem nuntium misimus ; sicut reliquos autem principes hortati sumus, ita nobilitatem tuam hortandam in Domino duximus, ut suis ipsa quoque oratoribus mittendis ejus nomine Concilio interfuturis, sicut pio Christiani principis studio dignum est, pro sua virili, tam sanctum et salutare opus adjuvet. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XX Augusti MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

16. Prussiæ finitima Livonia Lutherana hæresi etiam maxime contaminata erat, ob quod flagitium, permittente Deo, a Moscovitis evastata gravissimisque calamitatibus attrita fuerat, ex quibus Pontifex maximum dolorem se traxisse equestris Ord. S. Mariæ Theutonicorum magistro significavit, rogavitque [2], ut Catholicorum reliquias a vi et insolentia hæreticorum vindicaret, suumque nuntium ad Concilium transmitteret.

« Dilecto filio Ordinis Fratrum Sanctæ-Mariæ Theutonicorum in Livonia magistro.

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam bene-

[1] Act. Cons. — [2] Ep. XLVIII.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. p. 114 — [2] Ib. Ep. XXIII.

dictionem. Auditis damnis et calamitatibus, quas finitimi hostes nationi isti graves admodum intulisse dicuntur, pro eo ac debuimus, sane doluimus, nec possumus non angi et vehementer esse solliciti, metuentes ne peccata nostra et animos et vires hostium augeant, qui dum Deum placare negligimus, ejus in nos iracundiam vehementer irritamus. Scimus quantopere Catholica fides in ista natione viguerit ex eo tempore, quo vestri Ordinis egregia virtute, industria, pietate fuit insita et propagata; nunc autem isthic auctas et multiplicatas fuisse hæreses audimus, humani generis hoste longe lateque disseminante zizania, et adeo a paterna fide et religione orthodoxa recessum esse, ut, quod sine gemitu dici non potest, non ita multi supersint, qui veram illam et antiquam religionem retineant : itaque cujus religio et fides conculcatur, quis iram et ultionem ejus dubitet provocari ? His nos tantis istius et aliarum provinciarum malis mederi, pro injuncto nobis Apostolicæ servitutis officio, et cupimus et jam cœpimus, sed tanti oneris magnitudinem soli sustinere non possumus; itaque venerabilium fratrum nostrorum auxilium nobis esse duximus adjungendum convocato Œcumenico generalique Concilio, sicut devotionem tuam audivisse jam credimus, in civitatem Tridentinam. Sed aliorum præterea auxilio et ope indigemus, qua salutaria nostra consilia facilius ad optatum exitum adducere possimus, atque alii quidem alibi, tu autem isthic operam tuam nobis, imo Deo ipsi navare, et potes et debes : quod ut facias, utque officii et salutis tuæ memor, quantum consilio et auctoritate potes, hæreses isthic reprimas, Ecclesias, quas adhuc incolumes esse audimus, tueare, clerum et cæteros Catholicam fidem adhuc tenentes ab hæreticorum insidiis defendas, ipsosque hæreticos ad Ecclesiam Catholicam revocare coneris, ut denique oratorem et nuntium tuum ad Concilium, Deo annuente, propediem aperiendum mittas, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum, sub annulo Piscat. die I Februar. MDLXI, Pontificatus nostri anno II »

17. De Moscovitis, qui Livoniæ partem a Romano divulsam imperio suæ ditioni adjunxerant, ad Concilium vocandis egit quoque Pius [1], atque in ea re Ferdinandi electi imperatoris, Maximiliani regis Bohemiæ, Sigismundi Augusti regis Poloniæ auctoritatem adhibuit, et ad Joannem Basilium, magnum Moschorum ducem, Zachariam Pharensem episcopum internuntium decrevit, atque schismatico principi rationem indicti Concilii amanter exposuit [2], et ad veterem cum Romana Ecclesia conjunctionem redintegrandam provocavit :

« Charissimo in Christo filio nostro Joanni Basilio, magno Moscoviæ duci.

« PIUS PAPA IV.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad regendam beatissimi Apostolorum principis Petri Sedem, licet sine meritis nostris, sola Dei miseratione vocati, statim pro suscepti muneris officio et Dominici gregis amore, in eam curam et cogitationem incumbere cepimus, quomodo tot et tantas hæreses alias ex aliis exortas extinguere, et tam perniciosa schismata tollere, atque ita populos ab antiqua et orthodoxa religione et fide miserabiliter abductos ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem reducere possimus; cujus rei causa prædecessorum nostrorum laudabilem et salubrem consuetudinem sequentes, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, Œcumenicum et generale Concilium in urbe Tridento, in Germaniæ Italiæque confinio posita, post maturam deliberationem celebrandum duximus, sicut celsitudo tua intelliget ex litterarum exemplo, per quas illud indiximus. Mos autem hic fuit eorumdem prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, ut quotiescumque hujusmodi Concilia congregarent, toto ex orbe terrarum principes Christianos per litteras et nuntios invitarent, ut communis fidei et religionis causa, si ipsi ad ea accedere non possent, saltem oratores mitterent, qui ipsis Conciliis eorum nomine interessent atque assisterent. Quapropter nos quoque, sicut cæteros reges et principes Christianos ad fungendum officium tam pium et necessarium hortati sumus, ita celsitudinem tuam, quam licet maximo terrarum intervallo a nobis remotam, propter Christianæ fidei cultum, insignemque ipsius virtutem, paterna charitate complectimur, cuique negotium hoc ad Dei honorem et animarum salutem pertinens, ut Christiano principi, curæ perinde ac debet, fore confidimus, hortandam in Domino et rogandam duximus, ut ipsa quoque mittere primo quoque tempore oratores suos velit cum mandatis, viros prudentes et Deum timentes, qui ipsi Concilio una cum cæterorum principum Christianorum oratoribus assistant, quorum erit adventus et præsentia sacræ ipsi Synodo gratissima. Tu vero, charissime fili, pro isto studio in Deum et Ecclesiam collato, a nobis quidem et universis Christianis laudem maximam consequeris, a Deo autem omnium bonorum operum remuneratore, et in hoc et in altero sæculo præmium accipies. Misimus autem hujus rei agendæ causa ad serenitatem tuam cum his litteris et ipsius Bullæ exemplo venerabilem fratrem Zachariam episcopum Pharensem, prælatum generis nobilitate et ob egregias virtutes suas nobis valde acceptum et probatum, cujus in aliis nostris et Sedis Apostolicæ negotiis fidei

[1] To. II. brev. sig. 2899. Ep. XLIX. Ibid. Ep. L. Ib. Ep. XLVII. Ib. Ep. LVII et LVIII. — [2] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. XL.

sinceritatem, et Catholicæ religionis zelum experti sumus, quem ut pro Sedis Apostolicæ reverentia benigne excipias atque audias, fidemque plenam habeas, et ut quam celerrime expeditum ad nos remittas, a celsitudine tua petimus et rogamus. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII Aprilis MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

18. Caruit felici exitu ea legatio, cum Joannes Basilius secundis insolescens rebus in vetere perfidia obduruisset. Hæsere quoque obfirmati in impietate Lutherani principes, quos a Pontifice sollicitatos, ut generali totius Ecclesiæ conventui se conjungerent, refert Surius : « Anno, inquit, MDLXI, conventus fuit principum Augustanæ confessionis Numburgi in Thuringia; quidam Zuinglianus scribit, in hoc conventu acerrime actum esse, ut ferebatur, de Zuinglianis solemniter et quam apertissime condemnandis. Misit ad eum conventum Pius IV Pontifex nuntium suum longe doctissimum, nobili apud Venetos stirpe editum, cui Cæsar Ferdinandus suum quoque legatum adjunxerat, sed quod principes Augustanæ confessionis suorum concionatorum verbis plus æquo tribuerent, illa Pontificis legatio parum effecit.

19. *Commendonus et Delphinus cardinales legati Ferdinandum imperatorem adeunt, eique exponunt quo fine et quali modo cogere Concilium Pontifex statuerit.* — Ut autem totius Commendoni legationis, quem hic Surius intelligit[1], quæ non ad unum Nauburgi conventum contracta, sed ad omnes pæne Germaniæ principes una cum Delphino extensa fuit, innotescat ordo, jucundum lectori arbitrati sumus, rem totam ab ipso sui exordio auspicari. Jussus fuit ante omnes Ferdinandum Cæsarem adire Commendonus, perlataque ad eum Pontificis voluntate, ejus ad reliqua consilio maxime uti : « Circiter itaque kal. Januarii anno MDLXI », inquit Gratianus, « Viennam venit. Erant apud Cæsarem Pontificis nuntii duo, Stanislaus Hosius episcopus Warmiensis, Polonus, et Zacharias Delphinus episcopus Pharensis, Venetus, paulo ante de Hungaricis rebus ad Ferdinandum missus. Atque is proficisci ad civitates regulosque, qui Rhenum accolunt, eosque ad Concilium invitare est jussus, dum Commendonus trans Visurgim Albimque interiora Germaniæ peragratur. Cum his communicatis rebus una ad Cæsarem postera die deducuntur, habitique colloquii seriem ad cardinalem Borromæum his litteris perscribunt ».

Nuntius Commendonus [2] tertia die hujus mensis ad hanc aulam appulit, et cum per reverendissimos Warmiensem et Delphinum de statu rerum hujus aulæ edoctus fuisset, aperuit illis plenas justitiæ et religionis causas, propter quas Pontifex Concilium aperire, simulque Indictionis Bullam ejusmodi conceptam verbis exarare, ac reverendissimum Delphinum, et me ipsum (Commendonus ipse suo, et aliorum nomine scribebat) ad Germaniæ principes mittere decreverat. Tum etiam reverendissimis, quæ nobis mandata fuerant, et cum Germaniæ principibus ageremus, exposui. Quare [1], cum omnium in unum sententiæ congruissent, die Dominico quinta mensis ad imperatoris alloquium, prout postulaveramus, admissi comiter, benigneque Commendonum excepit, qui Pontificia primum benedictione Cæsarem donans, litteras subinde ei Pontificis manu scriptas reddidit, quibus a Cæsare perlectis, orationem suam Commendonus est orsus : « Pontificem maximum occurrendum tot hæresibus, magna in dies incrementa capientibus ratum, postquam et Dei, et cœlestium opem veniamque implorasset, et regum cæterorum, et ipsius in primis Cæsaris sententias perrogasset, Christianæ reipublicæ Concilium de integro cogere Tridentum decrevisse, ut discussis, quibus Christiana res in sectas ac dissidia abit, erroribus, antiquus decor, speciesque, et pax Ecclesiæ redderetur, aut si qui adamatas semel opiniones pertinacius amplecti voluissent, illi a cæteris manifesta animi labe distinguerentur. Quanquam autem omnes universe per edictum evocarit, tamen dedisse hoc Pontificem dignitati Germanicæ, suoque in gentem illam summo ac singulari animo, ut duos episcopos, se, et Pharensem obire omne Germanicum nomen, et singulos principes, liberasque civitates ad id Concilium celebrandum, ac de communibus rebus in medium consulendum adhortari jusserit. Quod quo promptius, ac sine ullo metu a multis fieret, velle jubereque Pontificem omnibus tuto veniendi publica sub fide potestatem esse, jusque libere atque audacter apud Patres disserendi, qua quisque de re, seu conqueri, seu disceptare, seu rogare Patres voluerit. Petere ergo a Cæsare, ut qui reliquos reges dignitate præstaret, exemplo quoque anteeat, et Tridentum primo quoque tempore legatos suos mittat, qui non peragendis modo, sed inchoandis quoque rebus adsint, salutaremque hunc Pontificis conatum, opibus, auctoritate, consilio juvet ». Hæc, et alia hujusmodi elocutus Commendonus, plura ad sinceram Pontificis charitatem ostendendam adjunxit, qua omnes homines salvos fieri, et ad veritatis agnitionem venire non optabat modo, sed pastorali insuper sollicitudine promovebat. Hinc nimirum, postquam summo Dei beneficio, pax inter principes Christianos coaluisset, peropportunum Concilii celebrandi tempus adesse; immortales proinde

[1] Sur. in Com. Vitæ car. Comm. l. II. c. 1. — [2] Ms. card. Barber. in Reg. Ep. card. Commendoni.

[1] Gratian. ibid.

numini gratias reddendas, quod talem Pontifici injecisset mentem, taleque Cæsari religionis studium ac sollicitudinem fuisset elargitus. Cæsar Pontifici primum pro impertita benedictione demisse gratias agens, summaque erga ipsum exhibita observantia, pium cogendi Concilii, quod tantopere expetierat, institutum collaudat, seque in auctoritate ejus futurum semper, neque passurum ulla re desiderari abs se officium suum pollicitus : « Monuit [1] nuntios, Germaniæ principes illos, qui a Catholica religionis fide desciverant, postquam de Pontificis Maximi voluntate habendi Concilium certiores facti sunt », missis inter se nuntiis, locum diemque statuisse, quo et ipsi de suis rebus convenirent, nimirum, an debeant in Concilio apparere, et si debeant, quomodo debeant? Diem ad IX kal. Februarii, locum Nauburgium Misniæ urbem ad Salam fluvium sitam delegisse. Verum instare diem, nec Germanos credi diu Nauburgii moraturos, ut si in tempore adesse velint, ne differendus discessus sit, et iter maturandum. Denique, cum arduum negotium diceret, multaque indigere consultatione, necesse est, inquit, ut scripto mihi significetis, quid Pontifex optet, ut principibus istis renuntiemus, et cum ipsis transigamus, ut quid postea respondendum sit, accurate cogitemus. Sub hæc audita nuntius Delphinus imperatorem monuit, satis jam abunde Pontificem, et in Bulla Concilii, et in Epistola sua manu exarata animum suum aperuisse, datoque mandato cavisse, ne nuntii scripturas multiplicarent. Verum, cum Cæsar mire in sua sententia esset obfirmatus, nos opportunum neutiquam rati in ipso tractationis limine illum abalienatum animo a nobis reddere, incommodisque suspicionibus illius mentem pulsare, angustiis præsertim temporis exclusi, scripturam ipsi non omnino denegare decrevimus. Non tamen omisit reverendissimus Delphinus, quin denuo assereret, totum id, quod scripto proferri quiverat, jam in Pontificis Diplomate et litteris exhiberi; nec aliud scripto addi posse, quam quod ipsi essent modo elocuti. Tum Cæsar, saltem, inquit, quæ Commendonus disseruit, in scriptum redigite, ne quando memoria mea præterfluant, maturiusque discuti possint; idque, quam citissime fiat, cum Nauburgi conventus maxime instet. Atque hic velut obiter insinuare visus est, tempus celebrationi universalis Concilii præscriptum, arctum nimis esse, quod ideo contractum opinabatur Cæsar, ut Gallicis rebus consuleretur. Hæc cum dixisset imperator, reverendissimus Commendonus respondit : Pontificem afflictis Christianis rebus mederi satagentem, nihil remedii duxisse majoris, quam ut ocius Concilium convocaret, quod si majestati suæ, cæterisque principibus Concilium videretur in aliquod ulterius tempus prorogandum, requisitum Pontificem assensurum constanter sperabat. Profecti igitur a Cæsare, cum in domum reverendissimi Warmiensis nos recepissemus, Commendono negotium datum, ut, quæ disseruerat, in summam redacta, Cæsari exhibenda disponeret, ne aliqua ad omne distrahendum negotium interponeretur offensio, si scriptura negaretur. Ergo accurata præmissa consultatione, cum nostrum omnium in unum congruissent sententiæ, placuit sequenti Epiphaniorum die scripturam Cæsari offerre, quam una cum illius responsis ad calcem Epistolæ referemus. « Et paulo post : » Hesterna die quæ dies octava mensis fuit, imperator accersitis nobis scriptum responsionis suæ tradidit, subdiditque, quando commodius universos Germaniæ principes coactos in unum ipsi allocuturi videantur, sibi quidem videri, ut eo una uterque nuntius proficiscatur, profecturus inde ad destinatum postea quisque iter. Cumque plura pro sua sententia attulisset, postremo subdidit : Cum conventus iste magnus multusque sit, alter alteri adjumento erit, si illuc una convenerint. Nos vero, postquam a Cæsare facultatem accepissemus, ut videlicet liceret nobis ante alia responsionem suam legere, iterum apud reverendissimum Warmiensem convenimus, ac de tota re sciscitantes, quamvis secus initio sentiret reverendissimus Delphinus, quod constitutum a Pontifice ordinem haudquaquam immutandum censeret, ut tamen Cæsari, aliisque duobus nuntiis morem gereret, in eamdem ipse quoque descendit sententiam. Quare tertio abhinc die Nauburgium pergemus, etc. « Vienna V idus Januarii MDLXI ».

20. Epistolæ junctum erat scriptum, quod imperatori protulerant, simulque quod ab ipso acceperant responsum, in hunc modum :

« Scriptum Cæsareæ majestati traditum die V Januarii.

« Cum sacra Cæsarea majestas vestra nobis mandaverit, ut ea, quæ de legatione ad Germaniæ principes secum agebamus, traderemus, respondimus, Sanctissimum Dominum nostrum, tum vestræ Cæsareæ majestatis consilio, tum singulari sua charitate adductum, nuntios legasse, qui singulis Germaniæ principibus Sanctitatis suæ litteras reddant, Bullam Conc. deferant, et illis ea plane polliceantur, quæ de Concilio in autographis Sanctitatis suæ litteris ad Cæsaream majestatem vestram reperiuntur expressa : quas cum jam majestas vestra receperit, nihil reliqui superesse videbatur, nisi ut quando Cæsar ita jubeat, afferamus etiam ipsi exempla litterarum ad Germaniæ principes ; cum imperatum nobis sit, scriptis ne agamus, litteras tantum Sanctitatis suæ, et Concilii Bullam tradamus, reliqua sermone et allocutione conficia-

[1] Gratian. ibid.

mus. Ad hæc cum majestas vestra Cæsarea benignissime respondens, præciperet tamen, ut ea quæ dixeramus, omnino scriberemus, ut suæ tantum memoriæ consuleret, parendum nobis esse duximus. Ea vero summatim hæc sunt : Sanctissimum dominum nostrum pro instantia sua quotidiana et sollicitudine omnium Ecclesiarum cuncta experiri, quæ salva fide et pietate possit, ut quod infirmum est consolidetur, quod ægrotum sanetur, quod confractum alligetur, quod obductum reducatur, neque solum revertentibus filiis, ut in Evangelio habetur, occurrere, sed in longinqua adhuc regione commorantes invitare, hortarique in spiritu lenitatis et charitatis, ut ad Concilium veniant, quod quidem illos pie et paterne audiet, si qua de re dicere aut conqueri voluerint, et si justa petent, etiam exaudire. De publica autem fide, nihil opus est quicquam repetere ; Sanctitatem suam jam Cæsareæ majestati vestræ scripsisse, se libentissime concessuram, forma, quæ unquam concessa sit, aut dari possit, amplissima ; nihil summo Pontifice mitius, nihil clementius, nihil quod unquam opportunius acciderit ad restituendam Ecclesiæ unitatem, ad componenda dissidia ; sectas in infinitum discindi abunde patere, atque hinc divina et humana omnia labefactari, nec Ecclesiam dumtaxat perturbari, sed regnorum omnium fundamenta evelli, et ad universam Christiani nominis perniciem Turcis aditum patefieri ; præsenti remedio opus esse, nullum vero adhiberi posse, præter Œcumenicum Concilium ; Sanctissimumque D. N. ut celerius haberi possit, non unum solum modo, sed duos misisse nuntios ad Germaniæ principes, alterum, qui Bavariam, Sueciam, Slæsiam et Franconiam obiret, alterum, qui Saxoniam, Septemtrionales regiones, et inferiorem Germaniam. Statuisse Sanctitatem suam, ut Pharensis episcopus in superiorem, Zacynthius in inferiorem proficiscantur, tamen mandasse ut hæc omnia referamus ad Cæsaream majestatem vestram, ut ejus auctoritate, et consilio gerantur, simulque etiam gratias agamus, quod Sanctitatis suæ nuntiis idoneos et ipsam legationis socios addituram sit pollicita. Pontificis ipsius denique nomine, majestatem vestram Cæsaream rogamus, suos ut deligat oratores, qui cum principibus agant, ut religionis causam, et paternum consilium, et singulare studium, ac benevolentiam suæ Sanctitatis erga inclytam nationem Germaniæ advenit. Deus et Dominus noster Jesus Christus sacram Cæsaream majestatem vestram diu incolumem tueatur, ad incolumitatem Ecclesiæ recuperandam et conservandam : suæ enim pietati et religioni nunc Catholica Ecclesia maxime nititur ».

Cæsar, ubi hæc a nuntiis accepit, suam quoque responsionem per hæc verba subjecit :

« Scriptum a Cæsarea majestate traditum.

« Sacra Cæsarea majestas D. noster clementissimus, ea, quæ par est, filiali reverentia, intellexit quæcumque sibi Sanctissimus D. N. per reverendissimum D. episcopum Zacynthium nuntium suum in negotio sacro Œcumenici Concilii, quod in civitate Tridentina ad proxime futurum Resurrectionis Dominicæ diem celebrandum indixit, paterne scribere et nuntiare voluit. Vidit insuper majestas sua Cæsarea formam litterarum fidei conciliatricum Sanctitatis suæ ad quosdam reges, atque etiam electores et principes imperii Augustanam confessionem profitentes. Et licet ex iis, quas Pontifex ad majestatem suam Cæsaream dedit, majestas sua conjecisset, præfatum reverendissimum D. episcopum Zacynthium solum accepisse hanc provinciam proficiscendi ad dictos electores et principes imperii, tamen gratissimum accidit majestati suæ Cæsareæ, postea tum ex prædictis litteris, tum ex verbis dicti reverendissimi D. nuntii episcopi Zacynthii cognovisse, id negotii a Sanctitate ejus simul quoque esse reverendissimo D. episcopo Pharensi, ac dicto reverendissimo D. Zacynthiensi commissum, ita nimirum, ut hic in inferiore, ille vero in superiore Germania Sanctitatis suæ mandata exequeretur. In quo quidem Concilii negotio, cum Sanctissimus D. noster majestatem suam paterne cohortetur, ut ipsos reverendissimos D. D. nuntios tum consiliis suis instrueret, tum favore opportuno prosequi velit, Cæsar prætermittere non potest, quin eis mentem et sententiam suam hoc scripto latius aperiat. Et primum quod ad ordines imperii Catholicos attinet, nec multa deliberatione, neque etiam apud eos multis majestatis suæ monitis et persuasionibus opus fore existimat, quandoquidem omnino persuasum habet, reverendissimos nuntios in illis, et maxime in Ecclesiasticis, qui alias Pontifici et Sanctæ Sedi Apostolicæ obstricti sunt (cum secularium sit numerus valde exiguus), omnem promptitudinem et obedientiam reperturos esse.

« Sed quod attinet ad ordines Augustanæ confessionis, majestas Cæsarea reverendissimis D. D. nuntiis celare non potest, quod pro certo compertum habeat, omnes illos electores et principes, aut plerosque saltem personaliter ad diem vigesimum præsentis mensis in civitate Naumburgensi congregatum iri. Itaque licet majestas sua Cæsarea non cogitet ipsis reverendissimis D. D. nuntiis modum alium a mandatis Pontificis præscribere, censet tamen, ad expediendam hanc rem, plurimum momenti allaturum, si reverendissimi D. D. Pharensis et Zacynthius ambo via recta ad conventum illum se conferant ; ita namque non solum poterunt evitari majores labores atque molestiæ, quæ forent suscipiendæ, si omnes illi electores principes et status essent singillatim adeundi, sed id etiam perutile dignoscetur, quod hac ratione reveren-

dissimi D. D. nuntii longe facilius citiusque sint certum et determinatum responsum consecuturi, quam si circumeuntes, convenerint singulos in sua provincia; nunc, quando omnes una simul sunt congregati, non est verendum, ne ab alio ad alium, tempus pro responsione terendo, remittantur, quod si quidam ex ipsis non adfuerint, tunc quisque ex præscripto ipsum singillatim poterit convenire. In litteris etiam fidei effectricibus, quas Pontifex ad eosdem confessionis Augustanæ ordines dedit, lætanter cognovit, quod tam paterno et benigno erga illos affectu agat, et tametsi majestas sua Cæsarea non diffidat, quin etiam ipsi reverendissimi nuntii, pro spectata ipsorum prudentia, modestia, et in rebus agendis industria atque dexteritate sint idem facturi, moremque optime Sanctissimi D. N. voluntati gessuri, tamen idipsum quoque consulere et commendare non desinit, certus, quod leniter agendo, mulcendoque animos plus quam castigando apud alienatos et contumaces sint profecturi.

« Quanquam præterea majestas sua Cæsarea haud facili conjectura assequi valeat quid responsi ipsi reverendissimi D. D. nuntii a dictis electoribus, atque principibus Augustanæ confessionis simul, vel seorsim sint accepturi, quia tamen antea quoque Sanctissimus D. N. de præscripto quodam, cujus exemplar rursum Cæsar ipsis reverendissimis D. D. nuntiis pro abundanti cautela communicandum statuit, filiali quadam fiducia certiorem fecit, quod iniquæ multum conditiones exprimebantur, queis iidem Augustanæ confessionis ordines sese Concilium acceptaturos esse, et non aliter coram majestate sua Cæsarea in proximo præterito imperiali conventu professi fuerant, ideo majestas sua Cæsarea duxit, eas ipsis D. D. nuntiis nunc in memoriam revocare, ne improvisos et imparatos easdem reposcentes adoriantur, possintque accurate perpendere, an et quid nomine et loco Sanctitatis suæ fuerit dicendum. Postremo Cæsar ex prædictis litterarum exemplis, illud quoque, non absque singulari voluptate percepit, quod sæpe dicti reverendissimi D. D. nuntii Apostolicum mandatum quoque acceperint agendi cum serenissimo rege Daniæ, qui quidem Serenissimus rex et ipse de facili in prædicta electorum et principum Augustanæ Confessionis congregatione Nauburgii intererit: quod maxime opportunum secum agendi tempus rebatur Cæsar, nuntiisque proponebat. Cæterum quando reverendissimi nuntii hoc consilium proficiscendi ad dictum Nauburgensem conventum probaverint, id etiam summa et inviolabilis necessitas postulat, ut iter, omni mora et cunctatione postposita, aggrediantur, adeoque nec diem quidem, nec horam unam negligant, tum propter loci distantiam, cum propter indicti temporis angustias; nam istiusmodi particulares conventus, ad quos electores et principes imperii ipsimet invicem sese convocant, non extrahuntur, sicuti publici et generales totius imperii conventus, in longum tempus, sed plerumque paucissimorum dierum spatio absolvuntur, ita ut tanta opportunitas judicio majestatis suæ minime prætereunda esse videatur. Parata autem est Cæsarea majestas juxta hanc Sanctitatis suæ paternam requisitionem, prout etiam ipsamet jam ante in animo habuit, idoneos ex suis eodem allegare, ut ordines illos Augustanæ Confessionis ad comparendum in Concilio, omni benigno atque paterno studio, requirat; ac semper studiose, ut locus dabitur, hoc ipsum salutare institutum juvare et promovere non desinet; quin et ab ipsis reverendissimis D. D. nuntiis Apostolicis nullam in se ejus rei perficiendæ voluntatem, curam, diligentiam aut studium desiderari patietur.

« Postremo Cæsar ipsis reverendissimis D. D. nuntiis haud gravatim aliquos idoneos et probatos homines adjunget, qui commodis eorum in hoc itinere jugiter assistant, omnemque bonam operam præstent. Tradet quoque eis necessariam et opportunam publicam fidem, ac summo et paterno studio commendabit carissimo filio suo serenissimo principi domino Ferdinando archiduci Austriæ, ut Nauburgium per commodius Bohemiæ iter properantibus omnem benevolentiam præstet, quo facilius expeditiusque susceptum iter perficere possint. Erit autem non modo majestati suæ Cæsareæ admodum gratum, sed etiam ad promovendum hoc pium Concilii opus perutile ut quæ quivis rex vel princeps diceret, cognoscerent et ad se referrent; his etenim cognitis, poterit majestas sua facilius commodiusque prosequi quæcumque ad optatum totius negotii exitum conducere existimaverit ».

21. Præter hæc, quæ scripto Cæsar nuntiis significaverat, alia etiam, cum iterum Delfinum et Commendonum audiret, expressit, quæ communi Epistola cardinali Borromæo nuntiarunt, hæc scribentes :

« Denique imperator nobis tria dixit; quorum primum fuit, principes indictionem istius Concilii continuationem existimantes suspicionibus esse repletos, suisque Epistolis hæc suæ Cæsareæ majestati annuntiasse, bonum proinde consilium existimare, ut nos hujus continuationis scrupulum ab eorum animis tollamus. Secundum ; quod nos cum ipsis modesta gravitate agamus, offeramusque amplissimam fidem publicam. Tertium ; quod scripto, sicut mos est Germaniæ, nobiscum agere volunt, de quo nobis statuendum erat. Reverendissimus Commendonus respondit primum : Quod ad fidem publicam attinet, jam Cæsari Pontificis mentem innotescere, nosque quemadmodum in mandatis accepimus, promptissime et omni securitate

plenam illam offerre. Quoad continuationem : jam Bullam indictionis a Cæsare visam, sciri-que qualiter Pontifex voluerit exarari ; nec nostrum esse de hac re cum aliquo disceptare, sed solummodo ad Concilium adhortari et invitare, ubi libere quisque poterit de quacumque re loqui , et benigne audietur. Quod autem scripto negotium istud agitemus , meminerit Cæsar, ut alias innuimus, hoc nobis a Pontifice vetitum, nec alia quidem ex causa, nisi ad cavillationes litesque inutiles submovendas ; quid enim opus est scripto, quando tanta sinceritate agitur, totaque Pontificis intentio summatim declaratur in autographis litteris ad Cæsaream majestatem vestram datis, quibus jus libere atque audaciter disserendi ac conquerendi omnibus dandum testatur? Quoad ultimum vero, scilicet, ut cum principibus modesta gravitate tractemus, dabimus ultro libenterque hoc non solum Pontificis et Cæsaris jussionibus, sed propriæ quoque electioni.

« Hæc omnia cum reverendissimus Delphinus suo quoque calculo approbasset : nec ultra Cæsar loqueretur, facta abeundi potestate discessimus ».

Quoniam vero Cæsar consilium Pontifici dederat, ut e variis nationibus episcopos Romam accitos, reformationi stabiliendæ præponeret, Commendonus occasionem nactus, hæc quoque cum imperatore agitandi, Carolo cardinali Borromæo, quæ cum illo gesserat, per litteras nuntiavit, dicens, quod cum Cæsar de cogenda prælatorum congregatione ad reformandos mores Pontifici scripsisset, Pontifex summopere approbaverit , mentemque Cæsareæ majestatis condignis extulerit laudibus, cum nihil magis in votis habeat, quam suo muneri, Deoque satisfacere, ac collapsam disciplinam pro viribus restituere, cujus gratia Concilium jam indixerat, ejusque progressum et exitum ferventissime optabat ; cui etiam, ne quod impedimenti afferri existimaretur, ab evocando Romam episcopos abstinuisse ; si quando autem secus Cæsar ac principes consulerent, etiam in hoc sui muneris partes Pontifex implebit. Cæsar, probata Pontificis sententia, respondit ; quod, cum Pontifex his omnibus occurrere per Concilium decreverit, illud omnino promovendum censebat, suamque omnem pollicebatur operam, ut ad exitum perduceretur. Si quæ vero impedimenta nascerentur, tunc ad istud aliud remedium confugiendum ; subdiditque, Pontificis cogitatum summopere pium ac prudentia plenum fuisse, utpote quod præclaram mentis sinceritatem, animique sui promptitudinem ad celebrandum Concilium in hoc etiam demonstraverint. Tunc ego ; Haudquaquam ambigendum, respondi, divinam clementiam oculis misericordiæ suæ respexisse super sanctuarium suum, cum Pontifici paternam adeo mentem erga ipsos vel filios alienos indiderit, talemque Cæsari promptitudinem ad opem omnem pro Concilio subinferendam tribuerit, ut sub tantis principibus, geminisque hisce fulgentibus Ecclesiæ luminaribus offusas reipublicæ Christianæ tenebras dispergeret et illustraret. Hæc cum jucunde accepisse ostenderet Cæsar, promptam denuo suam voluntatem operamque ad pia Pontificis consilia promovenda exhibuit, necessumque dixit ad istum accedere conventum, quem omnino cogendum iteratis jam nuntiis acceperat, ac propediem illuc oratorem suum dirigere spopondit ; jamque ad Germaniæ principes exemplar litterarum Pontificis submiserat, caveratque ne ipsa autographa mitteret, sed ipsarum tantum summam, veritus, ne verba illa, *etiam cum sanguinis effusione,* quæ in eis legebantur, longe secus interpretarentur, quasi arma contra ipsos movere disponeret. Denique ad modestiam et gravitatem adhortatus, ut impigre pro Dei obsequio laboraremus, adjunxit.

22. Cum vero hoc ipso tempore in Christianæ reipublicæ perniciem multa et maxima Turcæ molirentur, de fœdere inter Pontificem cæterosque principes contra illos ineundo cogitatum est, impositæque fuerant Commendono partes, ut hoc quoque cum Cæsare transigeret. Ille rei gestæ rationem Borromæo cardinali per Epistolam annuntians, Cæsarem ita erga opus hujusmodi affectum reperisse dicit, ut tamen conjiceret ægre ad hæc tractanda descendere, quod mirum in modum cuperet apud Germaniæ principes suspicionem vitare, ne specie inferendi Turcis belli , militiam ad ipsos opprimendos contraheret. De Concilio vero, cum Commendonus cum rege quoque Bohemiæ in colloquium venisset, hæc ab ipso accepisse, cardinali Borromæo datis litteris, in hunc modum testatur. Heri cum serenissimo Romanorum rege ad longum sermones protraxi ; multum ille de Concilio, de principum conventu, de mittendis ad ipsos Pontificis litteris ac nuntiis, deque appellatione, qua ipsos dilectos filios nuncupat, locutus est. Pontificis benignitatem summopere laudavit, quod super cæteros omnes Pontifices egisset, suamque optimam mentem demonstrasset. Multa quoque de principum Germanorum ingenio, de ipsorum commodis ac dissidiis subintulit, quos in unam nullatenus posse convenire confessionem, arbitrabatur. Maxima insuper se affectum lætitia dixit, quod sibi relatum fuerat, Nauburgii conventum hoc etiam præcipue nomine imperatum, ut accurata consultatione articulus iste perpendatur : *Et si eundum est ad Concilium, quomodo eundum?* Licet obfirmata hæreticorum pervicacia parum utique spei possit tribuere. Tum regem enixis precibus obsecravi, uti piissimum istud opus pro viribus adjuvaret, quod et se facturum ultro libensque est pollicitus. Nuntiavit Commendonus aliis litteris

eidem cardinali Borromæo, qualiter Cæsar denuo de conditionibus a Protestantibus petitis, ut Concilio assentiantur, disseruerit, quodque cognoverat, quod si ipsi in sua obdurati pervicacia constiterint, Catholici Germaniæ principes, ac præcipue episcopi e suis ditionibus non recederent, propter multos quos relinquerent sibi subjectos hæretica labe inquinatos. Intellexerat quoque, Cæsareos oratores ad conventum destinatos post ipsos nuntios illuc adfuturos, idque composito decretum, ut nimirum secundas ipsi nanciscerentur aures, ne forte negotium cum Cæsareis oratoribus jam transactum, itidemque transigendum prætexentes principes, inauditos nuntios dimitterent. Nihil tamen magis negotii ac difficultatis interim putabat fore, quam antiquum gentis illius morem prætermittere, scripto scilicet omnia transigendi, ad quam incommodam suspicionem avertendam, præter sollicitam nuntiorum curam, plurimum sperabat conducere, quod Cæsarei oratores, qui Pontificis litteris instructi adventuri erant, sinceram ipsius mentem, plenamque fidem, quod essent admittendi, testatam facient.

23. *Legatorum in conventu Nauburgensi orationes coram Lutheranis frementibus, sed nihil objicientibus.* — Cum vero jam Nauburgici conventus instaret dies, timerentque nuntii, ne antequam illuc accederent, dissolveretur, Antonium Cachium opportunis hisce præceptionibus ac monitis præmittere decreverunt :

« Cum conventus Nauburgii institutus ante nostrum adventum dissolvi facile queat, tu, omni abrupta mora, illuc propera. Quod si principes ibidem ad nostrum usque accessum permansuros cognoveris, illud tantum cura, ut nobis parentur hospitia; sin autem celerem conventus dimissionem vereberis, singulos principes invises, nostroque nomine nuntiabis, summum Pontificem duos legasse nuntios, alterum, qui superiorem Germaniam, alterum, qui inferiorem obiret. Hos, cum Viennæ comperissent indictum Nauburgii conventum, magnis itineribus Pragam ad diem vigesimam Januarii appulisse, profectionem in crastinum hucusque parantes. Rogant proinde celsitudines suas, ne graventur triduo adhuc pro Christianæ reipublicæ utilitate subsistere, donec et ipsi vigesima octava mensis die accedant. Quod si forte Nauburgensis episcopus adesset, ab ipso, quæ exequenda sunt, poteris cognoscere, ipsumque apud principes dilationis interpretem adhibere ».

24. Vienna discedentes nuntii Pragam septima die, atque inde Hyeme sæva, atque adeo frigida, ut ferri vix posset, viaque per Bohemiæ saltus maxime nivibus impedita, die decima quinta Nauburgium venerunt. Pragæ cum Ferdinandum archiducem Austriæ regni moderatorem convenissent, litterasque tum Pontificis, tum cardinalis Borromæi ad ipsum datas obtulissent, tanta ipsum erga Apostolicam Sedem demissione et obsequio præditum repererunt, ut Commendonus ad cardinalem Borromæum scribens asseruerit, nullum inter principes adinveniri, qui eum in reverentia erga Pontificem, sanctamque Sedem antecedat : « Advenientibus Nauburgium nuntiis », scribit Gratianus [1], « nec obviam missum, nec ullum honoris aut amicitiæ officium, nec omnino hospitale quidquam tributum. Biduo cognoscendis rebus dato, tertia die constituunt, ut singulos suæ quisque provinciæ privatim conveniat. Delphinus ad Palatinum Rheni, Commendonus ad ducem Saxoniæ (ii, quia e septem viris erant, qui jus creandi Romani imperatoris habent, cæteris eminebant) mittunt, qui adeundi tempus postulent. Ab utroque idem responsum, in communi conventu, nihil nisi de communi sententia agi posse, relaturos ad socios, et voluntatem omnium significaturos Romanis. Decernitur inde in eorum consilio privatis colloquiis in republica opus non esse : et verba legatorum ab adversariis venientium omnibus coram esse audienda. Ab hoc decreto mittunt cum militum cohorte, quam Saxo ad custodiam corporis habere circa se consuevit, primos amicorum, qui nuntios in Curiam deducunt ». Hos in Epistola sua recensens Commendonus [2], Palatini nomine scribit fuisse Marescallum quemdam, et doctorem Nemium primarium principis a secretis; ducis vero Saxoniæ nomine consiliarium Wolphangum Kollet, qui Concilio Tridentino olim interfuerat, et Franciscum Cram itidem ducis a consiliis : « Nuntii, quanquam id quidem minime voluissent, tamen recusare non ausi, ne si ab his exclusi forent, ab nullis deinde Germanorum satis benigne acciperentur, ire porro et alloqui universos statuunt. Curru vectos Germani, qui ad deducendum eos venerant, pedibus, quod honoris est, antecesserunt, et principes ingredientibus ad se omnes assurrexere; non tamen illis dextras ex more gentis porrexerunt, qui mos apud Germanos, sicuti servatus amicitiæ pignus habet, ita prætermissus, non dubium est alieni atque aversi animi argumentum ». Quinam autem singillatim fuerint principes, qui tunc ibi aderant, enarrat Commendonus his verbis : « Hic erat sessionis eorum ordo. In primo subsellio duo electores, Saxo nempe et Palatinus, considebant. E regione ipsorum scabello considebat comes Hastaim Brandeburgensis electoris orator, pone illum Wolphangus dux Namburgensis, mox dux Vittembergensis, post hunc Carolus marchio Badensis, huic proximus lantgravii filius, ac demum Jo. Georgius Palatinus ». Nun-

[1] Lib. II. c. 2. Vit. Jo. Fr. card. Commendoni. — [2] Ep. ad card. Borom.

tii litteras Pontificis edictique exempla singulis reddiderunt, qui acceptis codicillis, ut erant stantes, innuerunt nuntiis, ut præparato subsellio villoso strato holoserico considerent, qui cum ipsos primum principes ad sedendum invitassent, dicentes : ut sedeant celsitudines vestræ, una simul omnes, cunctis tacentibus, consederunt. Ubi consedere, prior Delphinus orationem suam in hunc modum est orsus.

25. « Propositio episcopi Delphini in Naumburgico principum Protestantium conventu.

« Cum primum Summus Pontifex ad Ecclesiæ regimen divino munere est evocatus, pro suscepti muneris officio pastorali in eam statim curam et cogitationem incumbere cœpit, quonam potissimum modo corrupti emendarentur mores, dissensiones removerentur, essetque terra tandem labii unius, et idipsum dicerent, sentirent saperentque nationes omnes. Et quoniam ad ejusmodi, tam mala sananda, quam bona consequenda nullum hactenus aptius remedium Romana Ecclesia novisse reperitur, quam Œcumenici Concilii celebrationem, Pontifex habita prius super hac re matura cum amplissimo reverendissimorum cardinalium collegio consideratione, factisque ejus consilii consortibus serenissimo Ferdinando electo Romanorum imperatore, cæterisque regibus ac principibus, sacrum tandem generale Concilium ad proximum Resurrectionis Dominicæ festum Tridenti celebrari, auctoritate sibi divinitus elargita statuit atque decrevit. Cum vero id ad notitiam principum omnium eam etiam ob causam pervenire cuperet Summus Pontifex, ut iidem suum studium cum Sedis Apostolicæ studio conjungerent, ac pietatis, religionis et fidei unitatis causam protegendam susciperent; quia inclytam Germanorum nationem semper in visceribus habuit, ejusque tranquillitatis ac pacis summopere cupidus fuit, ambos nos nuntios legavit, qui suo et Apostolicæ Sedis nomine singulos sacri Romani imperii principes conveniremus, eosque hortaremur, postularemus, obsecraremusque, ut pro viribus, quoniam in eodem Concilio pacis, mansuetudinis et charitatis plena futura sint omnia, quando idem Concilium quacumque de re non modo auditurum, sed justa etiam postulata est exauditurum, cum nihil tandem aliud agendum sit, nisi, ut probatis probandis, damnatisque damnandis, diu nimium scissa unitas divisaque concordia reparetur, eniti velint, ut faustum principium lætumque progressum Dei munere sortiatur ; præsertim cum Summus Pontifex publicam dare fidem amplissimis, quam unquam alias concessa vel concedenda fuerit, exaratam formis, sit paratus. Oratores proinde suos, ut ad Concilium opportunis instructos mandatis immittant, celsitudines vestras paterne hortatur et rogat, utque sedatis dissidiis, cum jam (proh dolor!) tot sint de religione hominum opiniones, quot voluntates, tot Evangelia, quot doctores, una sit fides mentium, et actionum pietas, suusque Ecclesiæ antiquus decor restituatur ».

26. Cum dicendo finem Delphinus imposuisset, Commendonus ejus excipiens orationem subjecit :

« Oratio episcopi Zacynthien. in conventu ad principes Protestantes.

« Cum tandem utrique nostrum Summus Pontifex mandata dederit, cujus una et eadem est erga universam istam inclytam nationem charitas, repetenda mihi non esse arbitror, quæ reverendissimus dominus Pharen. episcopus ad superiores Germaniæ principes nuntius modo exposuit. Sed neque reipublicæ Christianæ calamitates pluribus explicabo, quas nedum celsitudines vestræ illustrissimæ pro summa earum prudentia, sed nemo fere est, quin intelligat, quo res deducta sit, imo quo prolabatur in dies. Aliud ex alio malum oritur, et nostris dissensionibus Christi hostibus aditum patefacimus, ad Christiani nominis perniciem, cui tandem obviam iri res ipsa postulat. In præsentiarum vero propositis ob oculos periculis occurrendum suadet temporis opportunitas, tum pacata a bellis Christiana republica, tum divinitus Pio Pontifice nobis dato, cujus præter cæteras virtutes incredibilis est benignitas et studium in celsitudines vestras illustrissimas singulare, ut nulla unquam amplior et commodior olim data, aut in posterum dari posse videatur occasio pacis et tranquillitatis Ecclesiæ revocandæ. Sane quidem illud omnes in primis cogitare debent, agi de fide et de animarum salute, neque religionis fundamenta evelli posse, quin regna et imperia eodem modo labefactata concidant; aut nullum prorsus, aut unum id, de quo agitur, universale Concilium superesse in tanta opinionum varietate, et divinarum humanarumque rerum perturbatione, perfugium, ad quod Christiani homines ex sinceritate, sicut ex Deo, et coram Deo in Christo solliciti de unitate spiritus, in vinculo pacis suas contentiones et controversias referant, ut, quemadmodum de Christo Jesu dictum est, interfecisse illum omnes inimicitias in semetipso, ita per Œcumenicum Concilium, sublatis de religione dissidiis, moribusque purgatis, suus decor Ecclesiæ restituatur, ac fidei veritas, depulsis errorum tenebris, Christiano orbi affulgeat, simusque universi unum corpus in Domino, idipsum sapiamus, pacem diligamus, et Deus pacis et dilectionis sit nobiscum ».

Nuntiis orantibus, decem circiter ex iis, qui in Concilio ex more aderant, singula verba excipientes, utriusque orationem perscripserunt, et ipse Wittembergensis dux plura identidem adnotabat. Tum duo electores, cum quædam inter se essent collocuti, ac Wolphango Neumburgensi duci, simulque duci Wittembergensi

communicari jussissent, per Masquitium electoris Palatini cancellarium omnium nomine hoc responsum dederunt :

« Illustrissimi principes audierunt ea, quæ Romani Pontificis nomine exposuistis. Et quia arduum est negotium, decernere modo nolunt. Convenient inter se ad responsum dandum. Interim cupiunt, ut quæ vos, Pontificis legati, dixistis, ea scripta deferatis ». Tum nuntii : « Satis aperte (responderunt) Pontifex mentem suam in Concilii Bulla declaravit, satisque Cæsari per litteras cuncta significavit. Nos, ne scripturas multiplicemus, in mandatis accepimus ». Masquitius sub hæc audita cunctos principes colloquendo conveniens, demum hæc respondit : « Illustrissimi Principes intellexerunt vestram responsionem ; nec super hoc ulterius vos urgent ». Itaque discedentes nuntii, iisdem comitantibus Germanis, a quibus antea deducti fuerant, redierunt. Vix quadrantis unius spatium intercesserat [1], cum missi a principibus tres viri eorum, quos ipsi, quia publicarum rerum participes ac ministros habent, consiliarios vocant, advenere, introductique litteras, quas nuntii a Pontifice Maximo singulis principibus reddiderant, ad eos retulerunt, his totidem ferme verbis usi : « Principes, cum has litteras eis redderetis, appellatos se filios a Romano Pontifice non adverterunt, quem quia ipsi parentis loco non habent, ne litteras quidem tali cum appellatione accipere ab eo voluerunt. Attamen ad ea, quæ vos ipsis dixistis, respondebunt ». Responsum a Commendono est, non aliter appellatos a Pontifice Maximo Germanos principes, quam quomodo Cæsar ipse cæterique Christiani reges et principes nuncupari ab eo consueverunt. Illi positis litteris abiere, Bullam tamen Concilii sibi reservaverant. Triduo post expectantibus nuntiis [2] ut ad accipiendum responsum in conventum vocarentur, decem ad eos consiliarii, primarii homines magna comitum frequentia, missu principum venere ; inter quos dignitate præstabant Masquitius, et Gregorius Dracovius, amicorum intimi, ille Palatini, hic Saxoniæ ducis. Omnes a nuntiis summa cum comitate atque benignitate appellati atque accepti cum essent, Dracovius vir [3] multarum linguarum peritus, nec ignarus dicendi, ita Latine, appellatis primum nuntiis *Reverendis Dominis*, incœpit :

27. « Magnopere mirantur Germaniæ principes, qua tandem de se opinione, aut spe fretus Romanus Pontifex eorum tentare constantiam, et se compellare legationibus sit ausus : cum incredibile sit, ignorare eum, quæ jura sacrorum sancta Germanis, quam de divinis rebus infixam animis fidem habeant ab eo tempore, quo eam scriptam, firmatamque, et comprobatam illustribus sacrarum Litterarum testimoniis Carolo V Cæsari triginta abhinc annis Augustæ tradidere. Sed neque tum temere, aut levibus de causis fecere, ut a Pontificum ditione ac potestate, cui parere antea assueverant, desciscerent, quando non Jesu Christi nomen aut gloriam propagari curarive ab iis, sed propriæ potentiæ atque amplitudini studere didicerant. Neque nunc sibi statuunt Pio IV ad Concilium vocanti obtemperandum, penes quem ne esse quidem ullum ejus rei arbitrium sciunt. Etenim auditu etiam indignum est, eum disceptatorem aliorum controversiæ ac discriminum statui, qui ipse discordiarum ac dissensionum omnium fons et origo sit, et in judicis sedere locum eum, quem maxime sisti ad judicium, inter reosque haberi convenit, et a quo uno veritas ipsa tam diu, tam immaniter oppugnatur. Cui enim obscura sunt Pontificum Romanorum studia committendi assidue armis inter se nationes, dissidiaque serendi, quo ex aliena pernicie, suas ipsi opes et potentiam augeant? Cui non nota insectatio ac sævitia adversus eos, qui a cultu ipsorum atque inanium idolorum ad veram pietatem animum traduxerunt? Quis vero nescit, quantum contaminatæ superstitionis et falsarum opinionum dispersum per gentes sit a Romanis Pontificibus , quantum tenebrarum Evangelii luci offusum, et nunc maxime offundatur? Ut tetriores ac fœdiores errores ferat foveatque vester iste Pontificatus, quam olim ante cognitum Christum gentes habuere : et quod detestabilius est, res impias et execrabiles honestis nominibus tegitis, et morum et sacrorum corruptores, uni sacrarum legum auctores et custodes haberi vultis. Nos vero cum ipsi cupimus, tum in omnibus esse populis non dubitamus, probos et reipublicæ amantes viros, qui vanas istas fraudes et impuras corruptelas, quibus deformatam Ecclesiam cernimus, aboleri auferrique cupiant, et veram, et cum cœlestibus jussis consentientem disciplinam restitui. Quod sane in primis curæ esse debuisset Romanis Pontificibus , qui sibi tot sæculis superbum in Christiana republica titulum, summumque sacrorum jus arrogarunt. Sed nimirum constat eos, id quidem minime velle, qui una dominandi libidine occupati, cumulandis superstitionibus, quam divinis rebus ordinandis magis intendunt. Falso præterea et inique Germani levitatis vobis insimulantur, et sibi non constare, pluresque in sectas divisi contrariis et repugnantibus opinionibus jactari dicuntur, cum una nostrorum omnium voluntas et consensio sit in eam doctrinæ formulam, quam scripto comprehensam Augustæ ex auctoritate Cæsaris edidimus : ab ea nostri principes, neque se discessuros unquam profitentur, et minime vero leges imponi sibi a Romano Pontifice pas-

[1] Grat. Vit. card. Comm. l. II. c. 2. — [2] Ibid. c. 3. — [3] Ep. Com. die VIII Febr. apud card. Barbar. ubi sup. Antonius Maria Grat. in Vit. Comm. c. 3. Pallav. to. II. l. XV. c. 5.

suros. Nullus enim mortalium, nisi Cæsaris imperio, Germani continentur, quippe hic arbiter, ac princeps, et caput rerum est in Christiana republica; huic, non Pontificibus vestris, justa et legitima Concilia cogere atque habere, jus est. A quo cum legati ad conventum hunc venerint, iis suam de convocando hoc tempore Concilio rationem, ac sententiam principes exponent: cum Romano Pontifice omni rerum communicatione in perpetuum sibi abstinendum esse, statuunt. Vos vero iidem principes, quia claris Venetorum familiis ortos, et egregiis virtutis ac sapientiæ laudibus excellentes esse viros acceperunt, omni quoque honore et observantia dignos judicant, præstitissentque ea vobis, si privati huc, non Pontificis Romani jussu, ad eos venissetis ».

28. Jam vides, lector, qualis sit Novatorum doctrina, repleta nimirum non spiritu sapientiæ, sed, ut aiebat Augustinus [1]: « Impatientiæ, quo solent hæreticorum fervere præcordia, et pacem perturbare sanctorum ». Sed quomodo nuntii, secundum quod scriptum est [2]: *Responde stulto juxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur,* ingesta convitia rejecerint, videamus :

« His acceptis, nuntii pauca inter se collocuti, non taciti ea esse ferenda statuunt. Tum Commendonus : Fecere, inquit, prudenter vestri principes, qui quando talia responsuri erant, absentibus ipsis, ea, quam coram dici a vobis maluerunt. Quo enim acerbitas ista ac licentia verborum adversus eos, qui ad suum testandum studium reipublicæ vestrumque, in ultimam usque Germaniam venire nos jusserunt? Scilicet hunc quoque morem a doctoribus, ac magistris vestris didicistis incessendi contumeliis, invidiaque onerandi eos, quorum redargui rationibus ac veritate revinci vos sentitis, cujus tamen ea vis est, ut maledictis illustretur, non obruatur. Cæterum ego dicta criminose a vobis in Pontifices Maximos refellam, non imitabor, ut vos modestia quoque et temperamento linguæ, non solum causa, vinci a nobis intelligatis. Quo animo, et quo consilio Pius Pontifex Maximus vocatum Germanos ad Concilium miserit, dictum abunde a collega meque est nuper apud istos principes, optimo scilicet et cum publico, tum in primis Germaniæ salutis cupido, licet id vobis, ut cætera, suspiciose criminoseque libeat interpretari. In sanandis ergo Ecclesiæ morbis, nec justius aliud, nec, usu compertum est, salubrius ullum remedium majores nostri adhibuerunt, quam auctoritatem publici Concilii, cujus tanta majestas sanctitasque apud omnes Christianos omnibus temporibus fuit, ut ejus jussis haud secus quam cœlestibus monitis paruerint homines, ii etiam, qui aut proprio mentis errore, aut alterius impulsu lapsi, ab aliis discreparent. Quoties enim accidit, ut ægra, ac gravi ac pestilenti hæresi laborantes provinciæ, Concilii auctoritate accepta, ad sanitatem officiumque redierint? Et quis adeo projecti pudoris est, qui plus sapientiæ, plus consilii vindicet uni sibi, quam tribuat universis? Et adversari consensui eorum accedat, quos Deus nobis interpretes religionum et sacrorum magistros dedit, et quibus ipse præsentiam sui in perpetuum est pollicitus, et sæpe manifesto numine declaravit? At vos etiam de exemplo ac de jure Concilia convocandi, habendique dubitare et cavillari vultis? Unde vero vobis venit in mentem hanc potestatem a Pontificibus Maximis, penes quos ab Ecclesiæ ortu, Dei hominumque concessu fuit perpetuaque mansit ad, Cæsares transferre, qui nec usurparunt unquam ut suam, et Ferdinandus ipse, ad quem scilicet eam defertis, non recipit? Quippe discrimina sui et Pontificis muneris, et novit ille, et qui vir est antiquæ sanctitatis, etiam servat: ea autem, quæ sint, non est hujus loci disserere, neque omnino res ullum sermonem desiderat, cum obscurum nemini sit, qua fide, et observantia, et optimus quisque Cæsarum Pontifices Maximos coluerint, et Ferdinandus colat, et quam ipse paterno animo atque amore a Pio Pontifice habeatur. At ne illud quidem est ignotum, quam propensa Pontificum Maximorum studia in Germanos semper fuerint, quantaque ornamenta in hanc gentem contulerint. Unde enim vobis Cæsares? Unde imperii hoc decus et jus imperatoris eligendi, quo cæteris nationibus præfulgetis? An igitur Pius IV Pontificum aliorum vestigia secutus, et officii ac personæ memor, quæ illi divinitus est imposita, parentis et rectoris humani generis, si errantis Germaniæ curam habet, si monitum vos, si patria charitate revocatum a pravissimis erroribus, invitatumque ad Concilium nos misit quorum tamen dignitati tribuere vos aliquid videmini, id ei audaciæ vertetis? Mirari vos dicitis? Videre vel hinc licet, quam a recto vestrorum majorum more ac veritate desciveritis; illi dubiis aut incommodis eorum rebus nusquam alio fidentius, quam ad Pontifices Maximos refugerunt. Vos Pontificem ultro admoventem vulneribus vestris manus, iniqua cum exprobratione repellitis. Revocandi autem veterem disciplinam, ad eamque corruptos hominum mores emendandi curam ad Pontificem Maximum pertinere, quod objicitis, et nos fatemur. Atque id quidem Pius IV, statim ac est Pontifex renuntiatus, enixe ac studiose facere est aggressus, et nunc impensius in idem opus incumbit; et quia magni negotii res est, quo absolutius perfectiusque conficiatur, omniaque quæ ubique sunt, incommoda comprehendat, universeque ad omnes permanet, de Concilii ipsius sententia, et ex consulto Patrum sanciri constitui-

[1] S. Aug. de Civ. Dei l. XII. c. 2. — [2] Prov. XXVI.

que voluit, idque vobis ignotum esse non debuit, cum, et edicto contineatur, quod legistis, et quæ Romæ aguntur, perferri ad vos quoque potuerunt, nisi capere cuncta in deterius, et honesta rectaque nescire, et tantum secus facta reprehendere , atque insectari liberet. Et quid ego nunc illam orationis vestræ partem refellam qua nobis superstitionis crimen, si Deo placet, et obscurati Evangelii invidiam maculamque infligere, odio veri et libidine maledicendi obcæcati, non estis veriti? Quibus gloriari liceret, nulla re æque Romanam Ecclesiam cæteris Christianis populis, quam Evangelii propagatione custodiaque perstitisse, nisi a consuetudine nostra abhorreret, aliter quam in eo gloriari, cujus cœlesti Numine hæc orbi terrarum salutis et beatitudinis lux effulsit. Sed profecto constat omnibus antiquitatis monumentis veteres illos Patres qui maxime sanctitatis et doctrinæ laude floruerunt, Christianamque pietatem pariter moribus atque ingeniis illustrarunt, ab usque Apostolorum memoria, ut quæque res dubia aut difficilis explicatu incidisset, Romanam Ecclesiam consulere, ejusque responsis haud secus quam divinis oraculis stare consuevisse. Possem ergo, ad quamcumque terræ partem me verterem, percensere reges ultimarum quoque gentium, nationesque, quæ sacrorum jura petitum Romam miserunt. Possem et innumerabiles hominum multitudines, Pontificum Romanorum cura atque illius Ecclesiæ studio ab impiis falsarum religionum ludibriis, quibus captas mentes habebant, ad Christi veri Dei cultum traductas commemorare, cum nulla Christiana provincia sit, quæ, aut acceptæ aut conservatæ Catholicæ religionis gratiam Romanæ Ecclesiæ non debeat, sed ut alios mittam (neque enim mihi apud vos agenti aliena exempla conquirenda sunt) quæro a vobis, unde Christianæ religionis fideique primum nomen Germani audiveritis? Unde magistri pietatis, unde Evangelii ipsius lumen disciplinaque ad vos pervenerit? An inficias ire potestis, quod si Christiani sitis, quod barbaras superstitiones exueritis, id secundum Deum beneficium esse Romanæ Ecclesiæ? Ab hac prima Christianæ pietatis semina jacta in vobis sunt, ab hac sacrorum jus, et Dei rite colendi ac de divinis rebus vere recteque sentiendi tradita ratio est, a qua summo isto imperii et majestatis honore præ cæteris gentibus aucti atque decorati estis. Ab hac vos Ecclesia, quæ beneficiis meruit, ut parentis majestatem apud vos obtineret, postquam gratiæ obliti descivitis ab hac veritate ac fidei regula, ad quam omnes, quæ rite Christum Deum venerantur, gentes, suas de divinis rebus rationes direxerunt, postquam declinastis, et quod unum rectum est ad Cœlum iter reliquistis, in quos, Deus bone, et quam devios anfractus deflexistis? quibus vos erroribus implicastis? quibus mentes vestras tenebris mersistis? At etiam iniquo animo ferri a principibus vestris nuper dicebatis, quod nos varia, ac multiplici religione agitari, impellique Germanos vobis objecimus, idque inficias ire, verecundia non fuit. An potest clarius, an evidentius esse quidquam vestris inter vos de tota cælestium rerum ac divinarum cæremoniarum ratione dissidiis et concertationibus? Una est vestrum omnium consensio et conspiratio adversus nos Ecclesiamque, a qua defecistis, cætera nihil dissimilius, nihil disjunctius, nihil discrepantius, an vero id non testatum omnibus? An non omnis referta libris Germania est, contraria et pugnantia docentibus? An adeo hebetes nos, ac rudes Germanicarum rerum esse putatis, ista ut ignoremus? At Lutherus quidem ipse, Paulus alter, ut vos vultis, qui præceps se ex Ecclesiæ navi in mare dejecit, a quo jactata a vobis Augustana formula conflata est, quando sibi, aut in quo satis constitit? An istam ipsam formulam non quotannis, quandiu vixit, commutatam, diversasque in sententias contortam edidit? An qui postea ipsum secuti sunt, non æque licenter trahendo eam, quo cujusque libido rapuit, totam aliam fecerunt? Sed quot jam rixæ inter vos de dictis sententiisque Lutheri? Et quotus quisque est, qui quæ placita illi sunt probet? Quot Melancthon? Quot Œcolampadius? Quot Zwinglius? Quot denique Calvinus trahit? Quot alii sexcenti, qui omnes de summis rebus a Luthero atque inter se dissentiunt? Non modo civitas, aut municipium, sed ne domus quidem in Germania est ulla horum certaminum expers. Cum viro uxor, cum parentibus liberi de fide sacrorum, de divinarum litterarum intelligentia altercantur. Fœminæ, pueri in circulis, in cauponis, inter pocula ludosque, quod miserandum est, de religione constituunt. A vobis denique ipsis, hoc ipso in conventu, quantum laboratum est opere, ut aliquam uniusmodi mentis speciem præferre possetis? Quod assequi tamen nequivistis: scilicet, ut discrepare inter se vera, ita conjungi et convenire falsa non possunt. Et quanto quis ab Ecclesiæ portu magis recedit, quanto longius a vera stabilique fide, in errorum veluti pelagus provehitur, tanto cœcioribus fluctibus jactatur, fallacioribusque opinionibus involvitur. Quin vos ipsa varietas inconstantiaque vestrorum doctorum revocet aliquando ad cognitionem veritatis, quæ simplex neque plus una est. Quin imitamini Pauli Apostoli exemplum, ad nostram eruditionem memoriæ proditum? Qui cum nihil, nisi divino spiritu afflatus ageret, divinitusque traditam sapientiam haberet, ut labi atque errare nullo modo posset, tamen divinitus item admonitus de re, quæ justam dubitandi causam habere aliis videri poterat, ad Apostolorum Concilium retulit, ne forte, ut Lucas inquit, in vanum curreret aut cucurrisset.

Sed hæc vos videritis. Pontifex quidem Maximus pio piique parentis officio adversus vos functus, omnique nixus studio, ut deviis quoque et contumacibus filiis salutem redderet, jure vobis ac omni Germaniæ exprobarit illud Evangelii *: Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, et noluisti?* Quæ autem postremo honorifice de nobis ipsis dixistis, pro privato principum erga nos studio, privatas quoque gratias iis a nobis referre vos jubemus. Cæterum ea nos non alia re deberi nobis, quam ejus, a quo missi sumus nomine, profitemur ». Hæc a Commendono habita oratione, Germani nullo dato responso discesserunt, varie pro cujusque ingenio dicta nuntii accipientes; pars veritate perculsi taciti ingemiscere, fremere alii, ac indignari ea dicere tam celebri loco ausus nemo.

29. Asperæ hujusce sententiæ, quam Germani principes in suscipienda Pontificis legatione amplexi sunt, quantum ex eorum consiliariis nuntii acceperunt, præcipuus auctor fuerat Christophorus Wittembergensium dux, qui præter insitam Germanorum ingeniis ferociam, magnas possidebat opes ademptas templis, unde justos dominos exturbarat, ac supra centum millium aureorum vectigal sibi ex illa rapina confecerat; eo Ecclesiæ infensior, quo plura Ecclesiæ eripuerat ut propemodum illud Apostoli ad Timotheum [1] scribentis videatur impletum : *Radix omnium malorum est cupiditas, quam quidam appetentes erraverunt a fide.* Mitius, ut ipsemet Commendonus in communi Epistola [2] cardinali Borromæo significavit, præ se tulit ingenium Augustus Saxoniæ dux temporalis ac spiritualis, apprime pacis studiosus, qui et ipsos nuntios per certos homines verbis obsequii plenis inviserat, et antequam per consiliarios contumeliosa illa responsio redderetur, occasiōnem captans Nauburgio discesserat, quamvis omnium postremus, utpote proximior, esset profecturus. Cum itaque principes Nauburgii congregati jam plane Concilium celebrandum existimarent, ne populi suarum ex diversitate sententiarum facile in suspicionem venire possent, quænam denique fides apud eos, apud quos nulla nec verba, nec scripta, ut cum Athanasio [3] loquar, robur habebant, sed omnia pro tempore mutabantur et transformabantur, in unam omnes coire fidei formulam studuerunt. Sed cum jam a veritate, quæ nonnisi una est, quam Petri Cathedra tenet, excidissent, inter se quoque haud compaginari, quemadmodum neque parietes subtracto angulari lapide, potuerunt. Nam ut scribit idem Commendonus, Jo. Fridericus Vemariensium dux puram illam dumtaxat confessionem a Luthero compositam, et Carolo V anno MDXXX exhibitam retineri postulabat. Principes confessionem quidem illam admittebant, sed cum Melancthonis simul Apologia, hoc præcipue consilio, quod cum Melancthon in Zwinglium inclinasset, multaque ejusdem hæresiarchæ insaniæ semina in suis sparsisset scriptis, a condemnandis principibus illis, qui secta erant Sacramentarii, abstinuissent, quales manifeste dicebantur, elector Palatinus, dux Wittembergensis ac marchio Badensis. Verum Jo. Fridericus nequaquam consilio acquievit, quin indignatione commotus, quasi per contumeliam, principes illos Sacramentarios et Zwinglianos appellavit, multasque turbas et contentiones excitavit, nullo habito cognationis et sanguinis respectu, quo arctissime cum Palatino jungebatur : elata namque prima uxore, quæ Lantgravii fuerat filia, ex qua nullos susceperat liberos, Jo. Fridericus ipse, et Jo. Guillelmus ejus frater duas electoris Palatini filias matrimonio sibi copulaverant : ex quo corporum nexu nequaquam tamen, ut multi sperabant, nexus quoque secutus est dogmatum et animarum ; divina misericorditer providentia id præstante, ut hac ipsa intercedente divisione exstimulati hæretici revertantur ad Dominum in Hierusalem, quæ est Romana Ecclesia, cum cognoscant, quod [1] *Non est solium filiæ Chaldæorum.* Cum autem per hos dies nuntii sæpe cum principum consiliariis agerent, ac sæpe etiam illos ad prandium adhibuissent, plane acceperunt nullam erga Concilium animi propensionem existere, principesque existimare, Bullam indictionis expressam esse Concilii continuationem, ex illis forte verbis, *Omni suspensione sublata*, suspicantes, asserebantque nullum ex Germaniæ episcopis Tridentum accessurum ; et antequam conventus ipse dissolveretur, constitutum est inter ipsos, ut neque ipsi mitterent ad Concilium, et metum injicerent Germaniæ episcopis, ne a custodia rerum suarum abcederent. Cum etiam ulterius de rebus Turcarum ac Moscovitarum sermo haberetur, præsertim cum de connubio ducis Moscoviæ cum regis Poloniæ sorore rumor esset, percunctati sunt a nuntiis, num Pontifex cum Moscovitis ageret, cum fama apud ipsos percrebuisset, a Pontifice Moscoviæ ducem foveri. Ad hæc responderunt nuntii, aliis quidem temporibus oratores a Moscovita Romam submissos, qui a Pontifice titulum regium deprecantes, obedientiam ipsi Sedique Apostolicæ observantiam pollicerentur, Græcorum ritus ac schisma penitus condemnaturi : nunc autem nullum hujusmodi negotium cum Pontifice agitari, cujus animus ad benefaciendum nobilissimæ Germanorum nationi totus modo incumbebat. Et magnum profecto (subdunt nuntii) istos Germaniæ principes incessit timor, ne gliscens, hujus-

[1] I. ad Tim. c. VI. — [2] Ep. VIII. Feb. — [3] S. Athan. de Synodo.

[1] Isa. XLVII.

modi nuptiarum occasione, Poloniæ regis potentia, in eorum damnum augeretur, quod regio ipsorum parum a Polonia abesset, planitiesque maxima, et in ea nullæ arces, nec vires ad se defendendum suppeterent.

30. *Cum duce Saxoniæ et electore Brandeburgico Commendonus agit; electoribus Coloniensi et Trevirensi legationem suam exponit; Clivensem ducem, Bruxellas et Aquisgranum invisit.* — Abrupta itaque actione illa, atque omni consultatione, cum Jo. Fridericus protinus se conventu proripiens in suam ditionem abierit, nuntii nona Februarii Nauburgio profecti ad reliqua obeunda digrediuntur; anxii quidem de rerum eventu, metuentes, ne urbes cæterique principes Lutherana hæresi infecti Pontificis Brevia essent accepturæ, cum hi, qui in conventu aderant, neutiquam recepissent. Et Delphinus, Franconia, Suevia ac Bavaria peragrata, plurima ubique locorum eruditionis ac benignitatis argumenta reliquit; Commendonus vero, cui operosior demandata fuerat provincia, altera, quam a Naumburgio profectus est die, Lipsiam venit. Sed antequam ipsum abeuntem prosequamur, operæ pretium duximus ea, quæ acciderint, prout ipse card. Borromæo [1] significavit, enarrare. Sic igitur habet : « Paulo ante nostrum discessum ex urbe Nauburgensi, primus inter consiliarios Saxoniæ ducis me invisit, ac post multa humanissima verba dixit, se suo principi retulisse ea, de quibus multoties simul egeramus, summumque præ se tulit dolorem, quod in hujusmodi conventu, et non in propria ditione suum principem reperissem, quod non immiti vir ingenio, ut ipsemet animadvertere quiveram, tempori magis quam propriæ sententiæ inservire conatus tunc fuerit, etc. Nocte eadem, cum jam dux discessisset, Nauburgium suum secretarium remisit, qui patentibus litteris signo ac manu electoris consignatis singulos suæ ditionis subditos proposita indignationis pœna jubebat, non solum itineris ductoribus et equis me prætereuntem instruerent, sed omni etiam honore exciperent; quod commode plurimum accidit, cum per totam Misniam, partemque Saxoniæ ab electore possessam transeundum fuerit. Altera die una cum Delphino profectus, episcopum Naumburgensem in loco, qui dicitur Sait, commorantem convenimus, qui cum Pontificium Diploma et Concilii Bullam summa reverentia excepisset, se, quamvis senio et podagra laborantem, promptum atque paratum ad Tridentinam civitatem conferendi exhibuit. Cumque mutuis dissereremus colloquiis, dixit mihi, Amnsdorffum et alios eum sectantes in Thuringia publicis in concionibus docere, *Bona opera perniciosa esse ad salutem:* et quod non ipse solus, sed omnes hæretici concionatores a die, qua Concilium indictum fuit, populis persuadere nituntur, non expedire ad Concilium accedere, eo quod homines ibi nanciscerentur versutos, qui veritatis lumen dumtaxat extinguere conantur, quod solis ipsis solummodo a Deo infusum existimare debent, etc. ». Quæ autem Commendono Lipsiæ acciderint, et quomodo dein Halam perrexerit ex ipsomet audiamus : « Lipsiam urbem, studiis insignem, ubi appuli, statim ducis consiliarii, qui Nauburgii me agnoverant, inviserunt, plures postea illius Universitatis doctores nomine ipsius Universitatis visitatum venere, qui juxta nationis morem Latina habita oratione demissionis et reverentiæ plena, vini quoque munera obtulerunt; alia insuper munera paulo post ab ipsis urbis prætoribus submissa. Quatuor in ista Universitate, diviti mercede conducti, præcipui Canonum doctores habentur. Prior Decretum explicat, alter Decretalium libros, tertius Sextum, quartus Clementinas, idemque institutum Vittembergæ observari, quamvis hæresis initio hujusmodi volumina inibi flammis sint data, restituta postliminio eorum lectione, accepi, etc. ».

31. In alia autem, quam per arbitrarias notas conscripsit Epistola ad eumdem cardinalem Borromæum hæc habet : « Audivi, ducem Saxoniæ, Brandeburgii marchionem, aliosque principes novum celebraturos conventum; quoniam in Nauburgensi cum comite Palatino, Lantgravio, Vittembergensi duce aliisque convenire non potuerunt, quod in Calvini et Sacramentariorum hæresim inclinarent. Illud etiam accepi, quod in eodem Nauburgico conventu sedulo curaverint modum aliquem invenire, quo effusam illam libros typis edendi licentiam frænarent, quibus novæ quotidie proferebantur opiniones, verum, quominus hujusmodi tollerentur, obstitisse tot inter se divisas principum de religione sententias. Illud etiam accepi, quod antequam Nauburgium perveniremus, palam a principibus reginæ Angliæ oratores admissi fuerint, quos, cum legationem de more exponerent, Lantgravius, qui connubium reginæ cum uno ex filiis suis frustra diuque tentaverat, interrogavit, Quandonam eorum regina paritura esset ? Quo dicendi modo oratores maxime offensi summa animi indignatione discesserant. Hacque potissimum de causa Calviniana pars incrementum, addita reginæ auctoritate, sumpserat, spargebanturque de Lantgravio querelæ, quod, cum eadem sentiret, privatas tamen ob causas neglexerit ».

Lipsia discedens Commendonus [1] Halam venit, ut ibi, inquit Gratianus, peregrinationis ejusdem comes et testis oculatus, archiepiscopum Magdeburgensem conveniret : « Is erat

[1] Ep. XVII Februarii.

[1] Cap. 4. l. XII.

Joachimi Brandeburgii Septemviri creando Cæsari, quos Germani a munere electores appellant, filius : sed eo non invento Berlinum ad Joachimi ipsius regiam perrexit, Albi flumine ad Vitembergam trajecto. Oppidum Lutheri furore et Caroli V victoria, et Friderici Saxonis et Lantgravii clade nobilitatum. Joachimus Alberti patris cura in fide Romanæ Ecclesiæ diu retentus, post mortem inde patris temporum illorum procella abreptus se hæreticis adjunxerat. Sed tamen ex ingenio suo multa retinuerat de pristinis Sacrorum ritibus, multa item ex disciplina Lutheri respuerat. Advenientem Commendonum perhonorifice hospitio accepit, coluitque omnibus humanitatis officiis, plura, ut ne a Catholico quidem præstari potuerint ». Quæ singillatim recensita præstat audire ab ipsomet Commendono in Epistola, quam decima nona Februarii ad cardinalem Borromæum conscripsit; « Continuo, inquit, ubi Berlinum appuli, elector per suum marescallum, et a consiliis primum, insequenti luce me ad prandium invitavit, ad quod serius, quam potui, accessi, veritus ne juxta Nauburgense decretum, ubi ejus consiliarii adfuerant, Pontificis Epistolam non reciperet; ideo inter epulas optabam colloquia miscere, ac mandata postea exponere. Itaque cum elector una cum suis consiliariis ad me audiendum esset paratus, statim mensam jussit apponi, cumque inter recumbendum plura conferremus, sensim sermones flectere curavi de eo, quod Nauburgii inter principes evenerat, ac de summa Pontificis benignitate, paternaque ac sincera erga omnes voluntate : multaque in hanc sententiam fuerunt dicta. A prandio, cum mihi quietem imperasset, nec nisi altera die conveniendi sui potestatem fecisset, tunc, cum per duas horas ante mensam, totidemque post illam, de Concilio pluribusque aliis rebus quæstiones mihi proposuisset, semper tamen mandata mea exponendi occasionem mihi surripiebat, quod cum animadvertissem, serioque apud primum consiliarium instarem, ut me audiret, ille principem semper ad me audiendum paratum dixit, optare tamen, ut quindecim vel viginti dies ibi subsisterem. Quod cum fallendi temporis gratia postulari cognoscerem, ne bonum otium contererem, amplius consiliarium urgebam, qui cum electore se tandem acturum est pollicitus. Insequenti luce, cum diluculo de facili ad principem aditu cognovissem, quod jam cum suis consiliariis me opperiretur, obviam illi factus, ipso annuente, coram theologis et consiliariis suis Pontificis mandata exposui, Bullam Concilii et Breve simul exhibui. Ille singula accipiens, Breve aperuit, Bullam perlegit, responsionem ad aliam diem distulit, quam prolixam valde vigesima quarta mensis reddidit; cujus hæc summa erat : Pontificis salutationem se ea, qua par erat, reverentia, excepisse, multasque ei gratias habere : exploratam sibi jam olim, cum in Pannonia moraretur, optimam ejus mentem summamque probitatem ; se quoque paci semper incubuisse, neque me in hoc de se ipso existimando fuisse deceptum, cum omne studium omnemque operam pro asserenda concordia perpetuo insumpserit, ignarus equidem, an his immorans, pacem inter omnes et gratiam ineat. Parum tamen sibi curæ ac mœroris esse, quid tandem alii sentirent, conscientiæ suæ paci et verbo Dei freto, quo impellente, non aliqua vero levitate, Augustanam Confessionem admiserat, summoque desiderio mortalibus cunctis, ac præcipue Summo Pontifici veram agnitionem filii Dei expetebat. De indictione autem Concilii respondit : Non sui ipsius, nec Naumburgensis tantum conventus, sed multorum aliorum principum et statuum esse negotium ; nil proinde aliud responderi posse, nisi quod communiter statuissent ; compositionis tamen et pacis studium sibi semper cordi futurum, quamvis, quod jam experientia magistra didicerat, nec principum voluntates, nec res ipsa difficultatibus plena multum sibi de illa promitterent, etc. ».

32. Hæc cum audisset Commendonus [1], ac simul comperisset electoris animum ingenua quadam sinceritate ornatum, gratamque summopere habuisse, quam ipsemet pariter exhibuerat sinceritatem, eo fidentius insinuare cœpit, conscientiæ pacem, et filii Dei agnitionem non alibi melius ac tutius, quam in universali Concilio exquirendam : hanc sibi modo offerri, et deprecari ab illo, qui successor et hæres illius existit, cui a Domino præceptum fuerat, *Ut aliquando conversus confirmaret fratres suos,* addito privilegio certissimo, *Ut non deficeret fides sua,* quod Dominus Jesus Christus ad hunc finem suo in terris vicario impetravit. Ergo ad hunc a Deo constitutum judicem humiliter accedat, lumenque illud sequatur, quod in continua Sedis Apostolicæ successione et in perpetua atque constanti Patrum doctrina reperitur. Plurima in hanc sententiam, cum Commendonus esset elocutus, « cupientem deinde discedere », scribit Gratianus, « aliquod apud se dies precibus et comitate retinuit, quotidie plures cum eo horas consumens, ut nunquam nisi ægre a colloquio ac sermone ejus avelli videretur, viri ingenio atque eruditione, ut ipse ferebat, delectatus. Itaque non difficile ei fuisset Joachimum ab illo errore, in quem credulitate lapsus erat, ad Ecclesiæ fidem reducere, fatentem jam ignota sibi fuisse multa, quæ Commendonum disputantem audierat, nisi suorum auctoritas eum continuisset. Nam Germaniæ principes omnes ipsi doctrinæ, omnium exterarum rerum morumque expertes, mirum quam se plerumque iis cre-

[1] Lib. II. c. 4. Vit. card. Comm.

dunt, quos sibi in Concilium asciverunt, scientia juris, aut industriæ opinione commendatos». Sed quænam major animum ipsius obversaretur circa fidem Catholicam et Concilium difficultas, Commendonus ipse suis litteris exponit : « In multis cum se elector facilem demonstrasset, unum illud asperum nimis, nec suadibile existimabat, quod eorum theologi a ferendis in Concilio suffragiis arceantur ; quæ cum sæpius repeteret, multisque suam sententiam conaretur firmare rationibus, rogavi tandem ipsum, quidnam respondendum esset aliarum sectarum hominibus, qui hæc eadem postularent, si quando Confessionistis concederetur? Omnibus aliis neganda dixit, quia *Non habent, ut Confessionistæ, Dei Verbum.* Atqui omnes sectæ (subjunxi) Dei verbum habere se credunt. Necessum proinde fuit, a Deo certum in terris constitui judicem, quem videmus in antiqua et perpetua gubernationis Ecclesiæ forma Romanum Pontificem fuisse ». Cum vero insequenti luce ad prandium ab electore adhibitus fuisset, simulque adesset doctor e suis ; cum denuo in eamdem sententiam loquerentur, ac nullam sectarum de jure in Concilio suffragium expetere posse elector affirmaret, nam præter id, quod falsæ sint, non etiam immediate Romanæ Ecclesiæ adversantur, quemadmodum Augustana confessio, quæ abusus præcipue tollit, et revocare Evangelii puritatem conatur, futiles hasce rationes strenue Commendonus disjecit, in tantum, ut cum abeundi facultatem a Joachimo [1] exposceret, hæc illum sibi dicentem audiverit : « Reverendissime Domine, profecto injecistis mihi multas et magnas cogitationes ». Magdeburgensis autem archiepiscopus ejus filius, cum verbis obsequentissimis Breve et indictionis Bullam excepisset, responsionem distulit, donec cum patre consilium communicaret, quem Commendonus bonum et fidelem consiliarium respondens secum habere, onus nimirum episcopale, quod gerebat, rogavit, ut pro suo munere, qui non solum archiepiscopus, sed etiam primas erat, suffraganeos episcopos, antequam denuo reverteretur, ad Concilium pelliceret, exemploque suo, cum ætate et valetudine vigeret, animaret : cui Magdeburgensis pronam maxime voluntatem non Tridentum dumtaxat, sed et Romam ipsam accedendi demonstravit.

33. Mox cœptum iter prosecutus Commendonus Brescam ad Jo. Franciscum marchionem electoris Brandeburgensis fratrem divertit, a quo perhumaniter cum fuisset exceptus, acceptis Pontificiis litteris spatium duarum horarum dari petiit, donec se ad consiliarios reciperet, ut quid Brevi ac Bullæ Pontificiæ respondendum esset, cognosceret. Re deliberata, una cum Adriano quodam doctore ad ipsum revertitur. Is per summam petulantiam responsum a marchione differendum, donec alios quoque principes propediem alloqueretur, exponit, quod haud ambigendum, veritati innixum, atque ad omnes potissimum cavillationes disjiciendas apprime opportunum futurum, præcipue super requisito ad Concilium accessu ; quod nil aliud equidem esset, *ac si lepores ad concionandum inter leones progrederentur.* Atque in Concilium ipsumque Pontificem, cujus benignitatem Commendonus extulerat, convicia ac maledicta contorquens, Pium insimulabat, quod eo auctore in Italia cæterisque provinciis hominum piorum carnificinæ (hac voce usus est) exercerentur, non aliam ob causam, quam quod puram Evangelicam doctrinam ament, erroresque ac idololatrias, quæ in tyrannide Pontificia sunt, nec possunt nec volunt admittere. Commendonus, quamvis sub hæc audita multa intra se indignatione fuisset commotus quod sciret decere, Pontifici, qui tanta cum dilectione scripserat, eamdem vicissim dilectionem, non autem contentionem et contumeliam referre, tamen, qua erat animi celsitudine ac prudentia, vultu placido ad Jo. Franciscum conversus, manifeste ostendit, Adrianum non ad ea, quæ proposita fuerant respondisse, ac longe secus, quam mens Pontificis esset, Concilii Bullam fuisse interpretatum ; nec colloquendi, sed accusandi causam suscepisse, quibus omnibus manifeste nullum ab iis expectandum responsum, indicabat, in quibus rixandi potius quam charitatis affectus eminebat ; non esse hoc legati officium, nec sui moris ita agere : principibus ipsis solemne esse ab hujusmodi verbis abstinere, præcipue non lacessitis, sed in honore habitis, ac propriis in domibus. Hoc se eo gravius ferre, quo minus merito sui vel Pontificis accidisset. His dictis brevi responsione diluit cuncta illa, quæ Adrianus edixerat, ac Jo. Francisco in memoriam redegit, Pontificis mentem in hoc positam, ut publica fides ad Concilium accedentibus detur ; utque omnes benigne illic audiantur, nec tanquam lepores, ut insulse aiebat Adrianus, inter leones, sed tanquam oves inter pastores. Demum, ut ipsemet marchio prudentis responsionis apud alios principes auctor esset, interpresque pacis, tum temporalis, tum spiritualis, quod unum Pontifex in votis habebat, enixe rogavit : assurgensque jam discessum parabat, cum marchio et ipse assurgens, ut secum pranderet efflagitavit : tum, quæ consecuta sint ex ipsis litterarum Commendoni verbis [1] videamus : « Cum me Jo. Franciscus prandio accepisset, aperto semper capite, cæterisque omnibus reverentiæ et obsequii signis discubuit ; advenienti atque abeunti dexteram præbuit ; discedentem humanissimis verbis magnisque pol-

[1] Ex. Ep. sub die xxv Febr. ad card. Borrom.

[1] Ep. ad card. Bor. iv Mar.

licitationibus est prosecutus suosque omnes consiliarios, qui me usque ad hospitium deducerent, submisit, ipsum etiam doctorem Adriannm, qui quæ dixerat, ne amaro acciperem animo, exoravit. Respondi, me nullo majori ad illa refellenda impulsum respectu, quam salutis ipsorum desiderio; cum si de mea tantum ageretur causa, gaudendum potius mihi esset, quod cum ipsi dissensionibus modum imponere nollent, hujusmodi uterentur responsis, quæ perspectam nostræ causæ justitiam reddunt, perpetuamque benignitatis et charitatis Pontificis commendationem important. Tum ille, cum hoc solum questus dixisset : *Monachi fuerunt in causa harum rerum omnium,* profectus est ».

34. Discedens Commendonus Bresca[1], Berlinum iterum ad electorem rediit. Catholicam habebat uxorem elector, Poloniæ regis sororem, ad quam quotannis semel a Polonia, qui mysteria divina præberet, sacerdos Catholicus accedebat : plures cum hac Commendonus sermones habuit, simulque cum filio Magdeburgensi archiepiscopo, qui per eos dies adhuc ibi morabatur. Is, ubi nuntii reditum cognovit, postridie ejus diei ad eum invisendum perrexit, pollicitamque Pontificio Brevi responsionem per suum consiliarium in hunc modum reddidit : « Innumeras Pontifici gratias habere, quod benedictionem sibi impertierit, talemque erga se voluntatem exhibuerit; immortales Deo, quod Pontificem tam benigno erga Germaniam studio suscitaverit, cum pro ejus potissimum salute Tridentinum Concilium indixerit. Illuc se indubitanter accessurum, doctrina a pluribus quidem episcopis, fidelitate tamen erga Pontificem a nemine superandum. Majori in posterum cum fiducia Pontificem suis in necessitatibus, ut qua ope, quo consilio cœnobiorum conservationi, rerumque ad Ecclesiam spectantium firmitati incumbat, aditurum, quando ipsius Pontificis tam paterno Brevi fuerat decoratus, cui hanc propria exaratam manu responsionem dabat ». Commendonus mirifice talem erga Pontificem observantiam laudans, illum ad ea, quæ episcopalis muneris erant, cognoscenda et obeunda prudenter et strenue incitavit : summopere indolens tam præclaræ indolis et mentis juvenem, erat enim annorum viginti duorum, hæreticis undique famulis adeo obseptum conspicere, ut ne unum quidem Catholicum dignoverit. Interea, cum electoris conjux, quæ diutius laboraverat febre, convaluisset, summa et ea, quæ Catholicam decebat fœminam, reverentia Pontificis Breve suscipiens, magna, pro missa sibi a Pontifice benedictione, voluptate perfusa, Commendonum rogavit, ut ejus nomine Apostolici pedes oscularetur, affirmans velle sub suæ Beatitudinis benedictione in Catholicæ Ecclesiæ fide usque ad exitum permanere, pro cujus vita et felicitate juges ad Deum preces fundebat. Multum per hos dies elector consultandi causa cum Commendono colloquebatur, necessitatem tot dissidiis finem imponendi satis jam perspectam, viam tamen ad illa tollenda hucusque ignotam. Quærebatque instanter, num Pontifex suffragium theologis suæ partis unquam esset concessurus, cum in Bulla indictionis, inquiebat, constet, quod vocat eos tantum, qui *De jure, et consuetudine.* Quæ cum Commendonus nullo negotio refelleret; ad alias elector expostulationes orationem flexit, quod jam olim Tridenti tot decreta Protestantibus absentibus essent sancita, ex quibus tot difficultates modo emersissent. Has tamen omnes querelas a Pontificiis in Protestantes ipsos Commendonus sapienter avertit, cum toties vocati ac tam multo tempore expectati nunquam tamen accedere voluerint. Electorem demum rogavit, compositioni atque oratorum ad Concilium missioni operam daret, utque ad provinciam hujusmodi subeundam probatos viros pacisque studiosos deligeret. Cui Elector : « Profecto, respondens, Theologi non quærunt pacem, sed semper contendunt », suam tamen pollicitus est operam. Discedendi veniam deprecantem ad biduum adhuc subsistere impetravit elector, volens sacras, quas in sua Ecclesia habebat reliquias, simul ac ritus, quibus illi inserviebatur, ostendere. Renuit Commendonus præsentiam suam missæ hominum non initiatorum exhibere : a prandio tamen veneratus est sanctissimas, quæ ibi custodiebantur, reliquias, quas summo nitore asservari inspexit, multis ad illas recludendas statuis argenteis, vasisque, et crucibus aureis prisca Caroli Magni, ut ipse levi memoriæ lapsu opinabatur, vel, ut fortasse verius Pallavicinus arbitratur, Othonis I pietate et munificentia conflatis. Visebatur etiam ibi aurea Rosa Pontificis benedictione consecrata, quam Nicolaus Quintus Pontifex Maximus avo suo transmiserat. Cum autem inclinata esset dies, ægre admodum ab electore facultatem in crastinum proficiscendi extorsit, cum a Commendoni alloquio divelli vix posset. Altera luce elector ipse Commendonum invisit, petiitque instanter, ut sibi a Pontifice particulam ligni sanctissimæ Crucis Christi impetraret, aureæ simul et christallinæ Cruci affabre jam antea excitatæ, includendam. Hæc cum lector audierit, quo pacto divinæ providentiæ non obtupescet consilium, dum ad Hagiomachos ipsos confundendos, qui sanctorum reliquias ut dæmones detestantur, effecit, ut de cultu, ac veneratione ipsis habenda[1], *Inimici nostri essent judices,* illasque tam sedulo exquireret ac studiose custodiret Ger-

[1] Sac. hist. Soc. Jesu l. v. an. 1561.

[1] Deut. c. 32.

maniæ præcipuus princeps, quamvis a fide Catholica alienus, dum alii intra ipsius Germaniæ fines tam rabida vesania, more Gentilium ac Manichæorum, in ipsas desævirent. Sed jam historiam prosequamur. Elector, postquam sacratissimas Crucis reliquias a Commendono poposcisset, denuo ad consueta religionis atque unitatis sarciendæ colloquia revertitur, quam facili aditu consequendam dicebat, si probati ex omni natione viri controversiarum omnium judices deligerentur. Verum Commendonus, cum manifeste ostendisset, nullibi resarciri posse fidei damna, nisi ubi non possit fides sentire defectum, ideoque nec alios exquirendos judices, quam Concilium legitime congregatum, cui certitudinem infallibilem conciliat infallibilis Spiritus sancti assistentia, dilatam per hujusmodi collocutiones post meridiem suam profectionem adornavit, cui discedenti elector litteras ad Pontificem tribuit, fuitque hic unus, ut notat Sacchinus [1], omnium Lutheranorum principum, qui honorificentissime et Pontificis tractavit legatum, et ad Pontificem scripsit, ac de Pontifice et Romana Ecclesia mentionem nunquam sine honore usurpavit. Abeuntem legatum [2] multis et pretiosis muneribus studuit comitari, quæ omnia cum Commendonus respuisset, duo electorem, ne sibi denegaret, postulavit; nimirum, ut librum, quem conjugi suæ Warmiensis episcopi nomine obtulerat, dignaretur legere; continebat liber iste fidei Catholicæ confessionem, atque Augustanæ Confessionis fallacias aperiebat. Alterum ut monachis Chartusianis, qui apud Francfordiam ad Oderam adhuc remanserant, loca quædam sublata restituerentur. Quibus auditis, liberaliter pollicitus, approbare quoque visus est, quod cætera, quæ obtulerat, Commendonus respuisset.

35. Ab eo profectus Brunsvicensibus [3], Lunemburgensibus, cæterisque regionis ejus regulis episcopisque conventis, ad Rhenum per Vestphalos iter vertit, visis circa Paderbornam campis saltibusque Variana olim clade et Arminii victoria claris; quæ loca post tot sæculorum spatium a Germanis cum gloria et ostentatione majorum suorum virtutis monstrantur; et hac nostra ipsa ætate a celsissimo principe Ferdinando de Furstenberg episcopo Paderbornensi et coadjutore Monasteriensi præclaris ingenii sui monumentis fuere illustrata. Præerat tum Paderbornensi Ecclesiæ Joannes Comes ab Hoja, quem insigni virtutum ornatu cultissimum, tradunt scriptores. Is quamvis devexa esset ætate, ad Concilium tamen se venturum Commendono promisit, ac plenas obsequii litteras Pontifici reddidit.

[1] Hist. Soc. Jesu an. 1561. — [2] Gra. Vit. Com. l. II. c. 4. — [3] Grat. c. 4. l. II. In libro inscripto Monum. Paderbor. et in Poemat. Ferdin. de Furstenber. Bucelin. in Germ. Topog.

36. In Ubiis apud Agrippinensem Coloniam urbis ejus archiepiscopum S. R. I. quem vocant, Electorem conveniens, in loco, qui dicitur Brall, ubi tunc non longe ab urbe morabatur, legationem suam exposuit: « Elector, responsione primum cum consiliariis communicata, gratias se Pontifici agere dixit pro Apostolica collata benedictione et litteris transmissis; ac sanctissimam ejus mentem commendavit, quod tot occurrentibus malis Germaniæ potissimum impendentibus remedium afferre paraverit. Se quidem devotum semper, et Sedis Apostolicæ dicto obsequentem futurum, ultroque ad Concilium conventurum, quod tamen, non communicato prius cum Cæsarea majestate consilio, polliceri nequibat ».

37. Inde bidui itinere adverso progressus ad confluentem Mosellæ Rhenique, Trevirorum item archiepiscopum adiit. Erat tum Trevirensium archiepiscopus, idemque Sacri Romani imperii elector Joannes a Petra ejus nominis VI, qui cum paucis Germaniæ principibus, religionis avitæ tutelam defensionemque serio receperat, cujus virtuti suffragium ferens Commendonus [1] ipse in Epistola ad cardinalem Borromæum hæc habet: « Quoad archiepiscopum Treverensem, non est hominem invenire majoris humanitatis, nec ferventioris zeli pro divino famulatu, aut obsequentioris reverentiæ erga Sedem Apostolicam Summumque Pontificem ». Quæ autem cum ipso egerit, propriis ad eumdem cardinalem litteris explicuit his verbis: « Idibus Aprilis Confluentiam appuli et archiepiscopum conveni, qui obsequium omne erga Pontificem ostendens, sincere mihi retulit, Cæsarem ad electores Ecclesiasticos omnes litteras dedisse, ut cogitarent, quænam aptior judicaretur via ad Concilium promovendum, an imperialis dieta, vel certus quisque alius modus; dietamque a tribus ipsis electoribus, consententibus sententiis, improbatam, quod Protestantes in ipsa semper iniquas atque insolentes conditiones circa Concilium obfirmato animo exposcant, cum quibus satius ac fructuosius erat singillatim agere, quod et me ipsum experientia edoctum non ambigebat, cum prius in conventu Nauburgico, ac postea cum electore Brandeburgensi egeram. Respondi, me profecto hoc satis compertum habere; verumtamen a dieta peculiaria hæc officia non excludi, quæ antequam principes congregarentur, Cæsar cum unoquoque ipsorum auctoritate sua interposita seorsim obiret, nec cum Protestantibus solum, sed cum ipsis etiam Ecclesiasticis principibus. Res religionis in Germania eo jam adactas, ut præsens remedium exposcant, quod si diutius ultra differatur, difficilius ac periculosius evadet in dies. Auctiores quotidie hæreticos fieri,

[1] Ep. XXI. Ap.

nec principes tantum aliquot in eorum jam sententiam adductos, sed plurimas quoque Catholicorum principum provincias hæreseos viru infectas ac contaminatas, e quibus nec consueta accipere vectigalia, nec debitam exigere obedientiam amplius valebant. Instare tempus tot calamitatibus imponendi modum, vel saltem occurrendi, ne progrediantur ulterius. Facilem esse rem, si modo Catholici viribus longe majores unum sentiant ac approbent. Hoc uno nomine hæreticorum potentiam metuendam, quod conjuncta sit, quæ tamen conjunctio animorum summe inter se dissidentium, quos in unum dumtaxat conjunxit Catholicæ religionis odium, et bonorum Ecclesiasticorum, quibus inhiant, rapina? omnem se salutem in Catholicorum consensione respicere, ex qua vel felicem dietæ exitum, vel absque ipsa dieta facilem ad Concilium promovendum aperiendam viam : jam quantum existimationis atque animi multis principibus Franconicum fœdus attulerit, experientia ipsa innotescere. Hæc de sententia mea tantum, non jussum, nec velut Apostolicum nuntium detulisse, ob studium invadendæ Germanicæ nationis, quam sæpius lustraveram, et ob exploratum, quod in ipso electore cognoveram, pro Catholica religione ardens studium. Elector post multa humanitatis et prudentiæ verba, pronuntiavit, quod, cum ipse hæc allocutus fuerim, fiducialiter narrare volebat, se anno jam elapso cum Cæsare agitasse, ut fœdus inter electores Ecclesiasticos, Belgicas provincias Catholico regi subjectas, Clivensium ducem, et Monasteriensem episcopum, aliosque finitimos principes percuteretur, quod Franconio fœderi responderet, his conditionibus, ut unum in superiori Germania, et aliud in inferiori, status spirituales ac temporales Catholicorum tueretur, essetque unum alteri juxta necessitatis exigentiam adjumento et subsidio. Hoc cum Cæsari consilium placuisset, enixe postulasse, ut cum duce Clivensium ejus genero cæterisque aliis rem transigeret, verumtamen hucusque de fœdere nil transactum. Tum sciscitatus sum ab electore, an Catholici regis voluntas super hoc fuerit explorata? responditque, magnam a rege exhibitam promptitudinem. Ergo, adjeci, quis hujusmodi consilio obversatur? cumque ignorare se fateretur, illud sum veritus, ne ipsa regis Catholici promptitudo suspicionem injecerit, quasi protector electorum Ecclesiasticorum cæterorumque principum agnosci voluerit; verum nisi adinveniatur via, qua Catholici simul in unum conjuncti, de metu ac servitute, qua premuntur, evadant, desperata prorsus videtur in his regionibus religionis causa, etc. Confluentiæ XIV Aprilis ». Et rursus in aliis litteris, cum cardinali Borromæo per certum hominem Epistolas, quas a Catholicis principibus, et ab electore Brandeburgensi hæretico pro responsione ad Pontificem acceperat, misisset, quid sibi quoque Trevirensis elector de suo ad Concilium accessu responderit, exponit. Elector nil magis optare se dixit, quam ad Concilium venire, Pontificem tamen, ut patrem ac Dominum suppliciter orat, animadvertere dignetur, qui tumultus olim fuerint exorti, cum electores ad Concilium accessissent, quanta in eorum ditionibus pericula, quomodo e Concilio, necessitate cogente, fuerit abeundum; quot in ipso reditu discrimina pertulerint. Nec memoria excidisse, quæ seditiones ante annos decem in ipsa Trevirensi civitate excitatæ fuerint, cum ad Augustanum conventum elector se contulisset. Dei proinde obsequio, si res eo, quo nunc sunt, loco constiterint, conducibilius, oratores suos ad Concilium submittere, quam ipsum coram adesse. Non intermissurum se tamen, quin omni studio una cum cæteris electoribus Concilii celebratio promoveatur, et certa aliqua suscipiatur via, qua gliscentibus in dies Germaniæ malis ulterior prohibeatur excursio.

38. Cum vero non ita pridem ab eodem electore in ipsa Trevirensi civitate nobilis Academia instituta fuisset, atque a patribus Societatis Jesu magno Catholicæ religionis emolumento administraretur, placuit Commendono ipsam invisere, atque, ut habent Trevirenses Annales [1], « est, Treviris ille certe magna et incredibili certe principis benevolentia, et omnium ordinum gratulatione acceptus. Præclare quidem illud cecidit, quod cum præterito jam anno ad docendum publice bonas artes Societatis homines accessissent, Commendonus in Academico cœtu eximie de juventutis erudiendæ partibus, et ratione docendi in Christianis scholis, tum denique de professorum cujusque facultatis officio dissereret : ostenderetque universas doctrinæ copias, vel ad vitiorum et scelerum expugnanda monstra, vel ad cœcos errorum ab Ecclesia propulsandos impetus, transferendas. Inde perlustratis antiquis et augustis sanctorum Basilicis, et in æde maxima Pontificio ritu sacris peractis, undevigesimo Januarii Treviris discessit ». Sed hoc anno insequenti contigisse arbitramur, cum denuo Commendonus Treviros invisisset.

39. Sed antequam ipsum abeuntem prosequamur, quæ prava in Agrippinensi Colonia hæreticæ pravitatis semina repererit, ac simul excindere molitus sit, inspiciamus : « Incommode multum acciderat, per illos ipsos dies, quibus Commendonus Vestphaliam peragrabat, prior cœnobii prædicatorum, ad quem inquisitionis munus spectabat, moreretur, nec aliis vigilia eadem demandata adhuc fuerat. Alius vero inquisitor, qui archiepiscopi nomine al-

[1] Brover. et Massenius. to. II. an. 1561. num. 134.

teri adhærere consueverat, cum pæne jam exacta esset ætate, nihil penitus agere, imbecillo corpore, valebat. Jamque tribunal illud in causis fidei pernecessarium ab omni pæne officio tam alieno tempore abstinebat. Idipsum Moguntina et Trevirensis provincia, quæ ab ipso Coloniensi inquisitore ministros in causa fidei accipere consueverat, patiebatur. Ergo cum nullus esset excubitor, qui lupos ex officio averteret, paulatim ad Christi gregem mactandum rapaces intrabant lupi. Et quamvis urbs ipsa esset Catholica, ac magistratus qui eam moderabantur Catholici simul extarent, tamen, qui contagione hæretica jam erant infecti, sin minus alia possent, saltem executiones contra hæreticos impediebant. Ii vero istorum freti auctoritate et auxilio, ex omnibus undique locis, et ex plurium sectarum colluvione Coloniam properabant, Lutherani, Zuingliani, Sacramentarii, ac cætera omnis a fide aberrantium fex. Detrimentosum quoque illud erat, quod Patres Societatis Jesu recipere, certumque eis domicilium ac templum tribuere cunctarentur; sed tanquam doctores potius, non veluti religiosi homines agere in trium Coronarum pedagogio (Bursam ibi vocant) permittebantur. Denique ad summam Catholicæ religionis perniciem accedebat, quod plures majoris auctoritatis cives filios litterarum disciplinis imbuendos non longe ab urbe ad magistros eruditos quidem, sed hæretica pravitate infectos mittebant, ac præcipue ad locum, qui dicitur Danssaldorf, ubi publice per eos dies Monemius quidam docebat, qui cum efferato esset animo erga religionem Catholicam, nihil habebat antiquius, quam adolescentulos rabido in Ecclesiam odio scientiisque hæresi pollutis imbuere; qui demum patriam repetentes, atque ad jus dicendum et præturas exercendas admovendi, verendum maxime erat, ne omnia immutantes Catholicam religionem everterent. His anxius curis Commendonus, cum Coloniæ ad se venientes civitatis consules, exconsules et candidatos una cum aliis exciperet, ac Pontificia mandata de Concilio exponeret, cæpit simul constantiam eorum in fide laudare, sanctasque, quibus regebantur leges; ex quibus summæ prudentiæ ac pietatis fuerat, cavere ne quis in civitate domicilium, qui non probe sit cognitus, possit contrahere, multæque aliæ huic similes, quibus non modo obtemperare religiosum erat, sed periculoso hoc tempore, similes de novo condere, perutile. Delinitos laudibus rogavit, ut patriis consulentes legibus, hæreticos nullo prohibente undequaque confluentes arcerent, atque ipsorum libros imprimi aut venundari inhiberent. Senatus omne studium pro Catholica religione tuenda exhibens, et antiquas servari leges, et novas ad sartam tectamque fidem reddendam condi pollicitus, magnam quoque præ se tulit erga Pontificem benevolentiam, quod ad mittendos oratores ad Concilium velut libera respublica fuisset invitata. Post hæc theologiæ facultates aliosque doctores Commendonus accersens, egregie Apostolici legati partes cum ipsis explevit, evellens nimirum et destruens ea, quæ male succrescebant corruptelarum germina, et ædificans et plantans, quæ ad Ecclesiasticæ disciplinæ normam et ædificationem requirebantur. Institit etiam per Epistolas apud cardinalem Alexandrinum supremum tunc inquisitorem, ut celerius defuncto successorem in munere inquisitionis decerneret.

40. « Tum navigio exceptus secundo flumine ad Oceanum usque provehitur, tantum ex itinere ad Clivensem regulum digressus, qui Pontificiam benedictionem et paternam ejus ad majorem suorum conservandam fidem adhortationem obsequentissime admittens, a Catholica fide se nunquam defecturum professus, Concilii indictionem summopere laudavit, et oratores suos, ac omnia simul, quæ Catholicum principem decebant, spopondit, opportunum autem, aiebat, ut ex Concilio fructus, qui sperabatur, accederet, omnium Germaniæ principum consensum curare; seque ad illum extorquendum, interpretem ac sequestrem offerebat. Ac Commendonus, cum probe obfirmatam hæreticorum principum pertinaciam cognovisset, gratiis relatis duci, quanta jampridem Pontifex sollicitudine hoc tentaverit, ipsum edocuit; quamve astute principes ii semper spes omnes elevarent atque eluderent; non esse proinde tam salubre remedium paucorum obstinatione abjiciendum, nec bonis obesse malos debere, aut Ecclesiasticam relinquendam disciplinam, quia pauci, temerarii et improbi, cœlestes et salutares vias Domini derelinquunt, ut majora esse furentium scelera, quam sacerdotum judicia censeatur. Institit etiam cum duce miscere colloquia, et pravas quasdam ex ejus animo opiniones evellere, qui ingenio licet subfervido, multa tamen humanitate erat præditus, plurimumque Commendono tribuere visus est. De communione primum sub utraque specie sermo est habitus; quæ quoniam sua in ditione inoleverat, ab illa populos avertere impossibile pæne ducebat; ejusque utilitatem inde etiam probare nitebatur, quod plures hæretici, hac satisfactione accepta, hæresim aversantur, multique in hæreticas opiniones admodum proni ob hujusmodi concessam formam ab iis dimoveantur. Hanc in suis provinciis nec novam, nec suo exortam tempore affirmabat, cum jam sub ipso patris sui gubernio inolevisset. De sacerdotum quoque connubio multa disseruit, paucorum, qui suo in ducatu honeste viverent, raritatem exponens; utque huic, cæterisque, qui in Ecclesia abusus irrepserant, obviam iretur, cavere se

dixit. Commendonus, ubi mentem ducis accepit, studium in primis Pontificis ostendit, quo ut abusus de medio tollantur, nihil intentatum relinquere, omnemque subinferre curam atque operam satagebat, ad disciplinam Ecclesiasticam recte instituendam restituendamque, quod abunde ipsa Concilii indictio demonstrabat. De communione vero sub utraque specie ac sacerdotum connubio, cum multa dicerentur, id potissimum, nec frustra, curavit, ut hæc ipsa dux Concilio decernenda relinqueret, qui et suam de communione sub altera tantum specie sententiam exponens, bonam illam esse ac sufficientem est professus, atque integrum Christi Corpus cum Sanguine continere. Sed homini suopte ingenio ad pietatem ac fidem Catholicam propenso, valde a pravis suasoribus metuebat, ac præcipue a concionatore quodam domestico, quem perniciosorum dogmatum sectatorem fama ferebat, eumdemque illum fuisse, qui primus (incertum tamen, an ducis jussu) in Ecclesia Sancti-Francisci communionem sub utraque specie administraverat, quid veneni lateret, quidve vitiosum in eo homine esset, ut ducem a concepta de ipsius doctrina, quam sanam putabat, opinione amoveret, prudenter ac leniter exposuit; consuetas hæreticorum versutias aperiens, qui per ambages perniciosa identidem spargentes dogmata, iniquorum more amicos suos lactant, et ducunt eos per vias non bonas. Multam quoque impendit curam, ut magistrum in suæ ditionis oppido magna discipulorum frequentia pravas atque in hæresim prolabentes opiniones docentem de suis finibus ejiceret ac deturbaret. Quem et alias increpitum professus dux, et provide in posterum in officio continendum promisit. His acceptis promissionibus, nuntius meliora in dies de duce sperare, quod præsertim ipsum cerneret ab Ecclesiarum spoliis invadendis, easque oneribus aggravandis abstinuisse, et si quæ apud ipsum in fide Catholica irrepserat nebula, aliorum magis consiliis, quam pravæ ipsius voluntati dandum erat, cum ad Augustanam confessionem profitendam sæpius tentatus, semper constantissime recusaverit, ac summum Pontificem ea fuerit veneratione prosecutus, ut quando de ipso sermo fuerat, illum compellare consueverit[1] : *Sanctissimum Dominum nostrum Pium, sanctæ Romanæ et universalis Ecclesiæ Pontificem Maximum, dominum nostrum clementissimum.* Quam etiam in discessu Commendoni auctiorem ostendit, cum ipsum bis postulaverit, ut suo nomine Pontifici obsequium ac reverentiam præstaret, et se ipsum resque suas illi commendaret. Quin et abeuntem e palatio, domum deducere, ac novo unius horæ colloquio secum voluerat immorari. Hæc omnia, cum plurimo fidei Catholicæ compendio esse intelligeret, quod princeps multorum statuum, magnarumque agnationum esset ac regionibus illis dominaretur, quæ vicinas undique provincias, Landgraviatu Hassiæ excepto, Catholicas quidem, sed in fide admodum hæsitantes haberent, cardinali Borromæo significavit, ut omni humanitate ipsum allicere, ac intra septa Romanæ Ecclesiæ detinere studeret, cum periculosum valde esset, ne ipso ab illa deficiente, conterminæ quoque provinciæ deficerent.

41. « Bruxellas iter suum peragens Commendonus applicuit, ac Margaritam Philippi regis sororem, quæ cum imperio iis gentibus præsidebat, simulque cardinalem Granvellanum convenit, qui litteris et mandatis Pontificis demisso animi obsequio acceptis, præclarum pro fide Catholica ardorem exhibuere. Mox in Eburones ad Leodiensem[1] episcopum transiit. Erat is Robertus a Bergh litteratorum præcipuus patronus, ac ut ipse Commendonus cardin. Mantuano scripsit, præsul omni honore dignus[2], præclaris dotibus, generis nobilitate, litteris, vitæ integritate, atque in suo explendo munere diligentia spectabilis, verum corpore infirmus, qui illis ipsis diebus cum periculo vitæ epilepsiæ morbo laboraverat. Hic sub diem Pentecostes[3] a Commendono conventus, Pontificiis monitis obsequentissimum se offerens, paucos intra dies Leodium petere, ac suæ civitatis capitulo Pontificia jussa exponere decrevit, eaque tum stabilire quæ pro ejus ad Concilium absentia disponere pro temporali ac spirituali ditionis gubernatione opus erat. Inde Aquisgranum divertit, de cujus adventu in historica Aquisgrani narratione hæc habet Petrus a Beeck[4] : Anno MDLXI, duo legati alter a Summo Pontifice Pio IV, alter a Romanorum rege Ferdinando Aquas appulere, quorum commissio, ut denuntiarent Concilium Generale et Œcumenicum reassumendum esse circa enatas fidei controversias, ac simul indicerent, ut felicem successum, ac finem rei adeo salutaris ac necessariæ supplicationibus, eleemosynis et expiationibus delictorum fideles jugiter promoverent. Eodem anno de mandato synodalis judicii in singulis parœciis proclamatum, ut omnes indigenæ juxta ritus Catholicæ Romanæque Ecclesiæ vitam et actiones componant; secus, si quisquam supremum vitæ spiritus editurus ex contemptu Sacramentorum, inde defluentium gratiarum viatico salutari Eucharistico pane refici neglexerit, sepultura asini sepeliendum, et qui in vivis communionem cum Catholicis detrectarit, in morte itidem ab iisdem separandum ».

Aliam insuper Catholica urbe dignissimam

[1] Ep. v Maii.

[1] Sam. Gall. Christiana to. II. — [2] Bucel. German. Topog. — [3] Comm. in Ep. I. Jun. — [4] C. 13. p. 267.

Constitutionem Commendonus adinvenit, qua cuncti a magistratibus arcebantur, qui ante eos initos, et Catholicos se esse, et Catholicam religionem conservaturos non jurarent. Ab his igitur, cum decreta Pontificis mandataque exposuisset, altera luce plenam reverentiæ ac fidei responsionem accepit, cum primum innumeras Pontifici gratias redderent pro Apostolica impertita benedictione, ac insimul pro litteris submissis ; dein profiterentur in obedientia sanctæ Ecclesiæ inconcussam usque ad mortem perseverantiam. Quoad Concilium vero, quando doctos et aptos ad hanc provinciam reperirent viros, confestim in oratores eligendos, atque ad Concilium legandos ; decretis postmodum illius absque ulla vel modica transgressione obtemperaturos. Hoc audito Commendonus rem ipsam probavit ; addidit tamen, non eam in oratoribus, quorum munus assentiri tantum est, non disceptare, requiri doctrinam, ut proinde ab iis destinandis abstineant, si doctiores non adsint ; percupere Pontificem, ut et ipsi sua legatione in Œcumenico Concilio pietatem illam ostenderent, quam in propriæ urbis gubernatione demonstrant, et coram universis nationibus honor iste tam religiosæ urbi tribuatur. Quæ omnia ad senatum referenda multa cum gratiarum actione, prona in Pontificis jussa voluntate sunt accepta.

42. *In Academia Lovaniensi excitant turbas Baii et Hessel opiniones, de quibus a Pontifice silentium indicitur.* — Sed jam, quæ per ipsum in Brabantia acta sint [1], inspiciamus. Lovanium est ampla ac nobilis ejus gentis urbs, in quam studiorum ac litterarum causa magnus e toto Belgio circumjectisque provinciis adolescentium numerus convenire solet. Ac tum doctissimis hominibus divinarum rerum et sacrarum litterarum interpretibus florebat. Illius Academiæ celebritatem atque frequentiam ne circumserpentes undique hæreses ullo penitus modo inficerent, prudenti cautione sancitum fuerat, ut qui nomen illi dare cupiebat, Sacramento se obstringeret, *Perpetuo in Ecclesia Catholica permanendi, cujus caput Romanus Pontifex existit.* Quod, cum varios ab illa Academia auditores averteret, quidam, quibus major lucri quam pietatis cura erat, de medio tollere satagebant. Verum Commendonus [2] exhibitis civitati, atque Academiæ Pontificiis litteris, adjuvantibus præterea Margherita Belgii moderatrice, et cardinali Granvellano, ita prudentia et auctoritate sua adversariorum conatus discussit, ut nulla amplius novitatis hujusce inferendæ succreverit opinio ; cum præsertim aperte demonstraret, severiores Universitatibus suis ab hæreticis indictas et tamen custoditas leges, nominisque celebritatem non a discipulorum numero, sed ab eorum probitate Academiis comparari :

43. « Verum inter hujus Universitatis magistros, quæstio ac dissensio (ut scribit Gratianus) magnis orta de rebus distraxerat civitatis studia, vehementerque accenderat juvenum animos, ut non modo in scholis palam pro sua quisque sententia contenderent, sed scriptis quoque, librisque placita tueri parabant. Quæ res alienissimo tempore novum datura incendium, aditumque hæreticis ad perturbandas Belgarum res factura videbatur. Eo accersitus Commendonus vocatis ad se, qui utriusque factionis capita erant, qua comiter appellando, qua leviter castigando, et de rebus ipsis, quæ in disceptationem venerant, ex usu disserendo, erumpentem illam flammam repressit, neque destitit, donec auctores quoque dissidii in gratiam concordiamque reduxit. Quæ res non parvam illi famam atque existimationem adjunxit ; quippe quos non magistratus auctoritas, non imperium præsidis revocare a pertinaci contentione potuerat, unius viri prudentia, aptusque mulcendis tractandisque eorum animis sermo ad pravam æmulationem detrahendam protraxerit ». Sed ut quæ, dum his immorabatur curis, Commendonus cardinali Mantuano per litteras significaverit singillatim agnoscamus, reddemus hic ipsiusmet litterarum verba [1], quæ hoc modo se habent :

44. « Quidam Michael Baio vir satis doctus opiniones quasdam cæpit sectari circa liberum arbitrium, opera et alios articulos ; cui adhæsit postea Jo. Hessel vir pariter admodum doctus et vitæ exemplaris. Hi continuo post susceptam doctoralis magisterii lauream, publice illas cum per multos annos docuissent, ab illis destitere ; jamque res silentio salubriter involuta jacebat, quando postremis hisce diebus Fratres Ordinis Minorum eorumque discipuli super his controversias cœperunt agitare, quæ eo usque incrementum habuere, ut ab aliis antiquæ opinionis religiosis curatum fuerit, ut Sorbonica facultas doctrinam illam in decem et octo articulos divisam condemnaret. Verum alii ab hac censura ad Lovanienses ipsos magistros provocantes emortuam pæne doctrinam denuo extraxerunt in lucem, Parisiensis Academiæ censuram novis proscindentes scriptis, quæ vicissim, illis auctoribus, redarguentes Sorbonici certamen adeo forte suscepere, ut rumor jam sit, plures jam prælo disposuisse libros, ac rei hujusce fama quotidie percrebrescit. Ambo isti, Michael nempe et Joannes, ad Concilium accedere præoptant ; jamque aliorum relatu didici, a Lovaniensium schola ad id destinatos. Nec ambigendum, quin se illic exhibere velint,

[1] Grat. Vit. Com. c. 4. l. II. — [2] Ep. card. Com. XI Maii.

[1] Ms. card. Barb. eodem loco quo superiores, et inferiores, quæ dantur Comm. Epistolæ.

et si quando eis loquendi facultas concedatur, multas præcipue in Germania turbas conflabunt, quod Protestantium principum summo ad propriam occulendam contumaciam emolumento vertet; et quanquam a Concilio ipso blande retrahantur, sua tamen scripta palam evulgabunt, quorum jam doctrina absque typis ac scriptis apud complures disseminata est. Si quid autem contra ipsos gravius statuatur, nihil tam extimescendum, quam ne ab Ecclesia ad hæreticorum castra se conferant, atque in apostasiam ruant, incredibili harum regionum exitio, apud quas illorum existimatio summa, et fidei Catholicæ veritas multis ex partibus jam nutat; essetque hæreticis in lætitiam et gaudium, qui quamvis scholasticos nostros parvi pendere videantur, attamen si quidam e nobis ad ipsos deficit, plurimi eum faciunt, ipsiusque opera multum utuntur, cum jam inter ipsos, qui vere sint docti, non sit invenire, Lutheri dumtaxat, Philippi atque hujusmodi fæcis hominum scriptis incumbentes, ac scholasticum laborem fugientes, in tantum, ut in tota Saxonia unum dumtaxat doctorem Alvarum et apostatam repererim. Hæc tamen non ita dixerim, ut asseram doctores istos, de quibus nunc sermo, in hæc prolapsuros; verum epidemia grassante, morbi omnes in epidemiam facile resolvuntur; imo quibusdam enuntiantibus didici, Ruardum dicere solitum, nil aliud ab ipsis, quam schisma expectandum, ad aliquod ideo tempus a doctorali laurea suscipienda prohibitis. Magnam sibi ob doctrinam apud omnes existimationem conciliarunt, ac probi quidem, et modesti sunt viri; attamen *Uniuscujusque superbia in eo, quod agit, sita est. Cæteris in rebus libenter omnia suffert.* Alienissimo profecto tempore emerserunt circa hos articulos contentiones ab hominibus doctrina præstantibus, ac multorum stipatis discipulorum numero, quos pars quoque magna Laureatorum, et Baccalaureorum, ac fere dimidia doctorum sequitur pars. Quinimo cum ad recens erectas episcopales sedes tres hujus Universitatis homines, qui aliam tuebantur sententiam, assumpti fuerint, apud hos universæ theologicæ facultatis dispositio pæne remansisse videtur; nec satis mihi adhuc constat, an forte illorum electio istis indignationis extiterit causa. Baius multam erga Sanctam Sedem reverentiam præ se fert, sed in ejus dictis quædam sunt, quæ suspicionem aliquam ingerunt. Hesselius ejusdem Universitatis modo est decanus. Hic me Lovanio altera vice transeuntem cum alio doctore, Tiletano nuncupato, invisit, cumque mutuo colloqueremur, ac sensim curarem, ut de novis hisce opinionibus sermo caderet, maxima humanitate ac dexteritate cum ipsis de novitatibus circa religionem, ac quæ ipsas consequerentur, tum scandala, tum hoc potissimum tempore pericula, disserui, ostendens quanta sollicitudine incumbendum esset, *Ut essemus cor unum et anima una : nihil per contentionem aut inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, quæ et alia hujuscemodi verba probare, atque adeo benigne admittere visi sunt. Nec multo post eorum discessum Tiletanus syngrapham misit, qua et se purgabat, et officium a me exhibitum commendabat. Interjecto deinde sex aut septem dierum spatio, Hesselius quoque Epistolam scripsit, cujus exemplum, ut quid mihi scriptum sit, illustrissimam dominationem vestram non lateat, submitto, in qua conspiciet, quam summo desiderio flagret de suis articulis in disceptationem venire, morasque omnes impatienter ferat. Hæ cum ad me perlatæ fuissent litteræ, nihil responsionis reddere melius arbitratus, cum parum religioni conducere judicarem meis Epistolis quemquam, vel irritare, vel commendare, scripturasque multiplicari, cum jam profectionis meæ Leodium versus tempus instaret, tabellarium remittens, jussi doctorem meo nomine perhumaniter salutaret, cum per temporis angustias respondere discessurus non possem, meque promptum paratumque, si qua in re opus ei fuerit, testaretur, atque ita cumulate satisfactum abs me dimisi. Interea, cum pergerem in itinere, et ad res componendas Lovanium iterum redire pæne decrevissem, obvium habui Patrem Everardum Societatis Jesu præpositum provincialem, qui Lovanii residere consueverat (is erat Everardus Mercurianus, qui post Sanctum Franciscum Borgiam ejusdem Societatis Præpositus Generalis postea fuit renuntiatus,) quem pro veteri cum Joanne Hesselio amicitia, hominem denuo convenire, meoque nomine invisere jussi, ac simul ostendere, quanto cum animi angore iniquis hisce temporibus audiverim, in Universitate fidei Catholicæ propugnatrice scissuras esse, quibus, qui oderant nos, gloriarentur, et in suæ pravitatis commodum pertraherent. Hoc fuisse meum, nec ambigebam, quin et suum, et cujusque probi Catholici, cum secum collocutus eram, propositum, ne æmulationes, detractiones, inflationes sint inter nos, sed omnis doctrina ad ædificationem, et ab omni prorsus offendiculo aliena. Insuper illius doctrinam probatosque mores, qui per ora hominum ferebantur, commendavi : quo factum est, ut heri Antuerpiam certum hominem ad me mitteret, qui multas mihi redderet gratias, suamque operam Catholicæ religionis auxilio exhiberet. Attamen vehementer extimesco, ne quandoque parvus hic ignis incendium vehementer exsuscitet, ac nisi præsens remedium adhibeatur, paucos etiam intra dies, occasione accepta a provinciali Capitulo, quod Patres Ordinis Minorum sunt celebraturi, ubi et ipsorum Generalis Minister expectatur, tunc enim, cum

duo ad munus Provincialis, alter ex una, alter ex alia sententia concurrant, haud dubium, quin addita etiam doctrinæ æmulatione, magnas concitaturi sint turbas. Jamque, qui antiquas opiniones tueri profitentur novisque adversantur, Romam se causam dicturos, aliorumque sententias ut hæreticas delaturos minantur, quod authentica plurium Universitatum censura, qua articuli illorum condemnantur, sint muniti. Ego itaque ea, qua par est animi demissione, dominationi vestræ illustrissimæ dicam : bonum forsan esset consilium, erumpentes ab his regionibus flammas avertere, et antequam quidquam novi moliantur fratres, silentium a Pontifice omnino indici, et causam ad se advocare ; arreptaque præsentis Concilii occasione doctores aliquot e Germaniæ Universitatibus, ac præsertim Coloniæ et Lovanii accersere Tridentum , rem ita disponendo, ut ambo isti Lovanienses ad hanc provinciam eligantur; certus, quod apud dominationem vestram illustrissimam, in qua summa est prudentia, auctoritas et dexteritas, fax hæc majoris, quam forte existimetur, periculi atque incendii consopita extinguetur. Novæ istæ opiniones, ut ipsa optime novit, febri hæreticæ omnino sunt similes, cui si præsens adhibeatur remedium, facile evanescit ; sin autem contemnitur, nulloque præcavetur pharmaco, sera incassum medicina paratur. Hæc tamen cuncta, prudentissimo dominationis vestræ illustrissimæ judicio committo , unum addens, quod si mea hæc sententia probetur, nihil est cunctandum, ne res efferatur, nam hoc cognito consilio, frustra remedium opponeretur ». Hucusque Commendonus, qui pro exaggerata sua prudentia probe noverat, quantum omnis sententiarum novitas fuerit semper in Ecclesia suspecta, et quantum in antiquitate usuque veteri semper reperiatur fundata firma securitas, dicente Domino per Prophetam [1] : *State super vias, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.*

45. His acceptis cardinalis Mantuanus [2] una cum Seripando, qui jam Tridentum pervenerant, plura super hoc excogitaverunt consilia, quæ pariter Commendono communicaverant, ut ejus quoque sententia probarentur. Ille alterum ex his duobus eligendum dijudicabat ; vel quod Pontifex Breve conscriberet, quo suppressis Michaelis Baii et Jo. Hesselii nominibus indiceret iis Fratribus Ordinis Minorum, qui una cum ipsis sentiebant, cæterisque omnibus de his articulis silentium ; quo fiet, ut Brevi hujusmodi adversariorum sermonibus celebrato, Michael ac Joannes ignorantiam cum obtendere non possint, hoc veluti fræno deterreantur, et tamen eorum nominum famæ consulatur : vel certe, ut honoris specie ambo ad Concilium, velut papæ theologi, una cum duobus aliis, Lindano nempe ac Tiletano vocarentur ; idque quam primum magni interesse arbitrabatur, ut bonum nacti otium, antequam Concilium aperiretur, qua suasionibus, qua disputationibus, illorum hominum animos demulcerent, pravasque, si quæ insedissent opiniones, refellerent. Nec absonum existimabat, ut ex una hac Universitate tot nomine Pontificis vocarentur doctores, namque, inquiebat, non video ex qua alia Germaniæ Universitate accedere possint. Coloniensis vix credo, quod præter unum possit offerre, cum ibi totum Theologiæ studium a solo Collegio Societatis Jesu habeatur ; et Patres isti talem juvenibus utilitatem afferunt, litteris bonisque moribus eos imbuendo, urbique toti concionibus, confessionibus, ac vitæ exemplo, ut quemquam ex ipsis vocare, majori ducerem detrimento, quam utilitati. Equidem in Germania nulla alia in re majus aut validius reperi Catholicæ religionis præsidium, quam in horum Collegiis, quæ optandum esset, ut multa forent. Vienna, si opus erit, imperator mittet, Ingolstadio Bavariæ dux, Staphilium, ut arbitror, destinabit. Reliquæ Universitates, vel tenues admodum sunt, vel hæreticæ. Attamen Germaniæ theologi, quamvis forte aliis doctrina non præcellant, maximo erunt usui cum hæreticorum ingenium magis compertum, eorumque dissidia, ac enascentes quotidie novitates sub oculos habeant, possintque commodius editos ab ipsis libros evolvere, qui plerumque modo Germanico idiomate conscribuntur.

46. Placuit Pontifici silentium indicere, demandataque fuit provincia cardinali Granvellano [1], qui leniter ac prudenter rem totam consopire visus fuerat, ni illam denuo recrudescere fecisset importunus superioris cujusdam Franciscanorum ardor, qui in subjectos sibi viros, quod easdem tuerentur sententias , alieniori tempore animadvertens , sententias ipsas ut hæreticas palam arguendo, Romamque ad Pontificem pro hujusmodi censura deferendas, minitando, doctorum simul ac discipulorum animos vulneraverat. Suspensa est itaque illorum ad Concilium vocatio [2], donec procedente tempore, cum incommoda omnis de ipsis suspicio amota fuisset, Belgarum gubernatrix eosdem honorifico regiorum theologorum titulo Tridentum direxit, ubi cum nec tempus, nec occasio afforet de illorum opinionibus publice disserendi, ipsis ultro silentibus compressa potius quam extincta flamma illa est. Sed quoniam « Cito », quemadmodum Cyprianus [3] aiebat , « rursus in incendium flamma revocatur, nisi to-

[1] Hierem. VI. — [2] Ep. Com. II. Jul.

[1] Pallav. l. XV. c. 7. num. 11, 12. — [2] Possev. in Appar. Sac. Myr. in Cat. Script. Belg. — [3] Ep. XXVIII.

« tius ignis etiam usque ad extremam scintillam « materia restinguatur », paulatim denuo sive quod jam per multos illorum opiniones vulgatæ essent codices [1], vel quod multorum jactarentur sermonibus, in tantum succrevit, ut necesse fuerit, quod alibi videbimus, beatum Pium Quintum, ejusque successorem Greg. XIII, depopulanti flammæ Apostolicas Constitutiones pro aggere opponere; quæ iterum compressa, iterumque erumpens novissimis hisce diebus Innocentium Decimum et Alexandrum VII Pont. Max. coegit, ut mala germina ex infecta illa radice pullulantia Apostolica falce succiderent. Sed jam ad historiam [2] redeamus.

47. *Commendonus Lubecam petit, et hujus civitatis statum deplorat; Daniam et Sueciam frustra tentat ingredi.* — « Cum itaque Commendonus Pontificis Maximi mandato ad Daniæ ac Sueciæ reges, ultimas Germaniæ ac Septentrionis oras incolentes, proficisci, atque eos invitare ad Concilium juberetur, properavit difficillimum iter, antequam exiret Æstas, conficere, ne Hyeme in frigidissimis regionibus prehenderetur . In Hollandiam cum transisset, conscensa apud Amstelrodamum navi, Oceani sinum, cui incolæ Zuderseæ nomen dedere, sæva vexatus procella trajecit, atque inde per Frisios et Saxoniam ad Lubecam, nobile ad Balticum oppidum venit ». Ingentique dolore animi conspexit civitatem illam a fide Catholica adeo defecisse, ut vix in ea fidei vestigium esset reperire; minoremque apud illos humanitatem, quam apud cæteras Lutheranas urbes est expertus. In rebus autem civilibus populum multum, sed pauperem adinvenit, quem concionatores adeo pro arbitratu moderabantur, ut vel ipsi senatores eos metuerent; nam si quando ab istis aliquid fuisset statutum, quod concionatoribus esset ingratum [3], palam et ex superiori loco suis ipsi concionibus coarguebant; qua dicendi libertate, cum nec ab iis aperte nominandis abstinerent, magnam sibi apud populum paraverunt auctoritatem, multamque apud nobiles formidinem. Hi omnes fere apostatæ erant, qui a religione ac pudicitia ad hæreticorum lustra popinasque confugientes, susceptis uxoribus ac liberis, opibusque satis instructi, omni simul hebdomada ad obtrectationes ac discordias serendas, conspirationesque conflandas conveniebant. Constansque erat opinio, quod si ipsi Commendoni adventum odorati fuissent, omni illum aditu prohibere pro viribus tentassent. Nuntiatum hic etiam Commendono fuit, Lubecam una cum septem aliis Vandalicis urbibus conventum Lucemburgi destinasse, accitosque una cum theologis illarum urbium, ac insuper civitatis Bremæ oratores, jussisseque, ut cum ipsis pariter singulæ peritum jurisconsultum submittant, ut communi consilio articulos duos cognoscerent atque investigarent; videlicet: quo pacto respondere, seseque Concilii indictioni opponere valerent, ac quamnam Confessionem Augustanam, cum multoties immutata fuerit, sequi debeant, ac præcipue, an Sacramentarii sint condemnandi. Infelices propemodum populi, qui ex uno in aliud malum præcipitantes [1] : *Nunquam tamen dederunt cogitationes suas, ut reverterentur ad Deum suum*, sincereque illam, quam maligne deseruerant, Catholicam reassumerent fidem; sed obfirmato potius animo de malo in malum volvi elegerunt; facti de numero illorum, de quibus Judas Apostolus [2] in sua Catholica Epistola scribit : *Væ illis, qui in via Cain abierunt*, profugi nimirum semper ac inconstantes [3], *Et errore Balaam mercede effusi sunt*, illius videlicet, qui *Cadens apertos oculos habebat*, ut omni ignorantiæ excusatione sublata thesaurizent [4] sibi iram in die iræ, eo quod veritatem Dei tot licet hæreseon fallaciis detectis in injustitia detinere, quam profiteri maluerunt.

48. Sed ut miseræ Lubecensis civitatis in diversa distractæ studia statum perspiciamus, Commendonum ipsum, qui post Pontificia exposita mandata adhuc ibi operiebatur responsum, cardinali Borromæo per litteras scribentem consulamus : « Audivi multa de mea hac legatione colloquia misceri. Alii quamvis Lutherani, cogitantes statum in quem post religionis mutationem inciderant, mœrorem suum exprimebant, benignamque reputabant Pontificis mentem, quod optaret unumquemque de beneficio absolutionis gaudere. Alii e contra plenum fraudibus negotium aiebant, nec charitatis aut pacis studio, sed diaboli arte ad abusus et mendacia confirmanda contra verbum Dei, Pontificem molitum; instructam proinde fraudem ulciscerentur, meque omni colloquio ac responsione summoverent; vel si forte aliqua daretur, ejusmodi esset, qualem decebat puritatis Evangelicæ sectatores. Has partes concionatores fovebant, queis studium omne erat, Pontificem palam in suis concionibus insigni onerare mendacio, falsisque obtrectationibus illius famam atque existimationem evertere. Quæ quamvis probe nossem, quantum a veritate abhorreant, molestius tamen ac gravius accidit mihi, quod et cuilibet Christiano ac præcipue Pontificis servo accideret, apostatam duarum spatio horarum vilium plebeiorumque hominum multitudine circumfusum adeo impudenter atque procaciter Apostolicam Sedem, Christique vicarium, supremum omnium principem, cujus pedes imperatores ac reges osculantur, arguere, probris ac contumeliis afficere, et impune aspernari. Cui rei prudenter obvertendum curavi;

[1] Cellot. in App. Hist. Gothes. — [2] Grat. l. II. c. 4. — [3] Ep. ad card. Mant. et Bor.

[1] Osee XI. — [2] Jud. Ep. Cat. — [3] Num. XXIV. — [4] Rom. I.

nam accersito Gaspare a Schenich, quem Cæsar itineris mihi comitem, suumque commissarium decreverat, multisque ex canonicis, qui una mecum sæpius pergunt, promptum me esse dixi leniter audire quodcumque mihi dederint responsum ; an autem ipsi eadem sint suscepturi lenitate, quæ dixerim, ignorare, quamvis obtrectationes atque convicia longe a meis dictis sint futura, cum semper ob oculos habere velim, quid proferre Christianum hominem ac Pontificis famulum oporteat, quæve consentanea sint oratoris muneri, in quem tam impudenter insurrexerant : cum non tam dolor apud nos debeat quam pudor loqui. Deferbuit post hæc obortus ille plebis rumor ; non tamen quievere, nec adhuc concionatores quiescunt, quin legationem istam ex suggestu oppugnantes mirentur, cur in suis terris nuntium Pontificium versari patiantur ; venisse Dæmonem ad conscientias turbandas et superseminanda zizania ; senatum in Christi obsequio ignaviter torpentem ; plures jam seductos ; et sexcenta hujusmodi mendacia atque calumnias. Efferebant ex adverso summis laudibus palamque indigitabant cives aliquot, quod viriliter puritatem, ut aiebant, Evangelii tutarentur, nihilque omittebant, quod ad ciendas turbas aptum judicarent. Hisce per aliquot dies conturbato turbis illud non parum consolationis attulit, quod audierim, majori civium parti, quamvis Lutherani sint, hæc displicuisse, et usque adeo displicere. De quibus tamen ipse nunquam sum conquestus, neque me hanc rem odoratum fuisse indicavi ; dolorem tantummodo identidem ostendebam, quod a veritate tamdiu aberrarent, ac Pontificis benignitatem frequentius collaudabam. Denique duo primarii urbis consules, qui majores possidebant opes, nosocomiis et cœnobiis ademptas, commissionem meam in consilium non esse referendam decreverunt, neque aliud in curia proponendum, quam non decere ipsos solos in causa fœderatis aliis civitatibus communi, deliberare ; ac rem totam politicis rationibus transigentes, necessariam dicebant omnium consensionem, alterumque alteri auxilium invicem præbere, neque a principibus se elongandum, a quibus multa expectari possent incommoda, si quid de his suspicarentur, atque hinc expeditio oratorum ad Lucemburgensem conventum ortum habuit, in quo in illam tandem inclinavere sententiam, nolle consensum præstare Concilio a Pontifice indicto, quem nec Ecclesiæ caput, nec sibi principem ulla ex parte habere volunt. Nunc autem, ut aiunt, totius disputationis cardo inter ipsos in hoc vertitur, num hujusmodi consilium nuntiare mihi debeant, an non? In eodem conventu de Confessione Augustana et Sacramentariis cum agitari cæptum fuisset, illico silentium imperatum. Eligunt ipsi potius sub conficto hoc unitatis Confessionis nomine vivere, modo veritati Catholicæ se opponant, quam suas peculiares hæreses defendere, quamvis aperte sciant, quemadmodum et verum est, inter se adeo dissentire ; quo plane ostendunt, magis apud ipsos valere odium erga nos, quam fidem et zelum illarum opinionum, quas tamen eorum quilibet ad sasalutem necessarias prædicat, quamvis pro comperto habeant, pseudotheologos et concionatores suos ad hæc impelli, quod nimirum sua commoda et perfugia amittere pertimescant, cum principes et civitates politicis ex causis hanc doctrinæ consensionem, sive veram, sive falsam, conservari ac nominari jubeant. Et quanquam summa pluribus in locis sit Prædicantium auctoritas, cum tamen ad hos conventus accedunt, velint, nolint, hanc unionis doctrinæ vocem usurpare et ostentare coguntur, e quibus recedentes inter se ipsos impudentissime digladiantur. Nam, ut præclare Nazianzenus [1] aiebat : « Quod vi ac necessitate exprimitur, prætér« quam quod tyrannicum est, minimeque lau« dandum, ne firmum quidem ac stabile est ». Solet enim id, cui vis adhibita est, non secus ac planta per vim manibus inflexa, simul ut dimissa fuerit. ad se versam redire » ; ut videas, quænam sit istorum fides, quæ non divinis oraculis, sed effræni principum licentiæ deservit.

49. Certum Lubeca hominem ad Daniæ regis explorandam voluntatem, præmittere consilium fuit, ac præter litteras, quas Commendonus ipse ad regem dederat, Gaspar quoque Schenich, qui imperatoris jussu nuntium commissarii titulo associabat, suas addidit, quibus multa abs se cum ipso, Cæsaris mandato, tractanda dicebat, nec a Commendono, cui ab ipso imperatore comes additus fuerat, poterat sejungi : petere itaque regem, ut ambos simul ad se venire permittat : « At Danus, juvenis, ut scribit Gratanus, aspero ac feroci ingenio, et usque adeo vino atque intemperantiæ deditus, ut raro sobrius inveniretur, interque ipsa pocula efferri insolenter ac jactari solitus, superbe ac rustice respondit, non esse, cur se Romanus episcopus legationibus sollicitaret ». Gaspari vero, qui pariter admissionem in regnum postulaverat, hæc rescripsit :

« Exemplar litterarum regis Daniæ.

« Fridericus II Dei gratia Daniæ, et Norvegiæ, et Vandalorum, et Gothorum rex ; dux Slesvici, Holsatiæ, Stormariæ, et Dithmarsiæ comes in Oldemburg, Dolmenhorst, etc.

« Præmissa gratissimi animi promptitudine, strenue, honorande, dilecte, singularis. Ad litteras vestras, quas ex Lubeca XVI mensis hujus ad nos misistis, vicissim gratissime non reticebimus, vestram præsentiam, ut legati Romanæ Cæsareæ majestatis, amici charique domini no-

[1] Orat. 1.

stri avunculi in regnis et ducatibus nostris prorsus gratam acceptamque fore; et si per vos tantum modo nos invisere statuistis, vestrum adventum quam primum in civitate nostra Copenagen expectabimus; Pontificio vero nuntio, qui una vobiscum suas litteras scripsit, cum a temporibus domini ac patris nostri insignis ac Christianæ memoriæ, nunquam in usu fuerit, nos insuper una cum nostris sumus informati, merito deliberandum esse, an posthac ulla Pontificia tractatione nos amplius oneraremus; propterea hac vice nulla ratione judicavimus, assentiri petitioni, de admissione in regna nostra, et dominia, et de audientia. Respondemus, et gratiose postulantes, ut ipsum de hac significatione voluntatis nostræ informetis, et ut ex parte vestra, hanc resolutionem nostram boni consulatis, nam alias supradictæ Romanæ Cæsareæ majestatis amici, charique domini nostri avunculi, ad omnia amica officia grata et desiderata semper parati sumus, et vobis etiam ad gratiam omnem præstandam bene admodum affecti sumus. Datæ in arce nostra Coldingen XXII mensis Julii MDLXI ».

A tergo :

« Strenuo honorando nostro singulariter charo Gaspari a Schenich Romanæ Cæsareæ majestatis oratori ».

50. Non ea animi insolentia Henricus Suecorum rex missum a Commendono nuntium suscepit, sed quamvis irrita ea quoque fuerit destinatio, benignius tamen atque humanius agere rex ipse visus est : « Nam », ut scribit Gratianus [1], « Suecum, qui missus est comparata classe in Britanniam parantem trajicere, ab Elisabetha regina inani spe conjugii illectum invenit. Hic quanquam in Lutheranorum erroribus institutus erat, et tum etiam, ut sibi Elisabethæ animum, cujus magnopere affectabat nuptias, conciliaret, Calvini scilicet sententiam amplexabatur; tamen magnificum existimans se in ultimis positum terris, tam longinquis legationibus adiri, benigne Commendono rescripsit, sive in regnum suum, sive in Britanniam, quo propediem transmissurus erat, ad se venisset, verba ejus libenter auditurum, neque ei ullum apud se jus hospitii abfuturum ». Misit insuper publicæ fidei litteras, ut omni ad se veniendi securitate esset instructus, præsentique responsionis Epistola certum hominem dimisit :

« Henricus II Suecorum, Gothorum, Vandalorumque rex reverendissimo patri nostro Romani Pontificis legato, salutem et omnia læta precatur.

« Quia de nostra ad serenissimam Angliæ reginam profectione hactenus incerti fuimus, factum est quominus ante hoc tempus certum locum nostri congressus vobis designare potuimus. Jam vero; postquam animum induximus et certo decrevimus, primo secundo vento spirante, in Angliam vela facere, noluimus vobis hoc ipsum celare. Nam, modo vobis placeat nos in Angliam sequi, vestram audire legationem, quam primum de vestra præsentia apud nos in Angliam certi facti fuerimus, minime gravabimur. Quod ad fidem publicam attinet, quamvis absque eo, tuto vos accedere, et immunitate legatorum frui et gaudere potueritis, tamen quia vobis litteras publicæ fidei, ac securitatem præstari postulatis, ne videamur vobis in aliquo velle deesse, eas per præsentem tabellarium ad vos mittimus, et vos favore et benevolentia complectimur. Valete. Elsburgi ex castro nostro ».

51. *Abbatem Martinengum ad Elizabetham Angliæ reginam Pius legat, sed regno arcetur.* — Sub hæc ipsa tempora Pius IV, qui communem omnium expectabat salutem, Hyeronimum abbatem Martinengum in Angliam legaverat, ut Elisabetham ejusque populos ad Concilium invitaret, atque ut inter alienos tuto pergeret, jussus fuerat præstolari in Belgio oratoris Catholici Londini manentis litteras, quæ fidem publicam præberent; qua recepta, illico in Angliam migraret solusque ad reginæ audientiam accederet, nec Catholici oratoris domum aliorumve subiret, ut omnis incommoda tolleretur suspicio quasi religionis prætextu aliquid politicum et civile acturus ivisset. Abstinere quoque mandatum illi fuerat a deposcenda captivorum episcoporum liberatione, aliisque transigendis negotiis, quæ plurimum difficultatis haberent, antequam assensum ad Concilium impetraret. Sed quid ab Elisabetha acceperit ex Sandero [1] audiamus, qui Pii charitatem in deperdita illa ove exquirenda enarrans, hæc habet : « Cum hoc modo Britannia tota periret, laboraret Gallia, ac nationes Septentrionales omnes periclitarentur, Pius Quartus Pontifex Maximus tanto malo consuetum Ecclesiæ remedium allaturus, magno studio sæpe antea impeditum Œcumenicum Concilium Tridentinum, omnium pæne Christianorum principum consensu, iterum cogi curavit. Atque nuntium interim suum, qui per inferiorem Germaniam, Angliam versus progrederetur, mox misit, ut Elisabetham erroris admoneret, et ne propter odium Pontificis se regnumque nobilissimum perderet, suaderet; ac si quidquam esset, de quo sibi propter incertos natales ab Ecclesia vel Pontifice, quoad jus regnandi metueret, Sedis Apostolicæ benignitate, facile transigi posse diceret. Sed nuntium nec audire voluit, nec in insulam trajectionem ullo modo permisit. Alterum paulo post Pontifex, ne quid intentatum relinqueret, legavit, qui reginam, ut suos saltem aliquos ad

[1] C. IV. l. II.

[1] Lib. III. de Schism. Anglic. p. 413.

Concilium mitteret, qui cum Catholicis conferrent, omni illis et securitate et disputandi libertate promissa, hortaretur, sed et ipsum superbe rejecit, et pseudoepiscopi conscii imbecillitatis et ignorantiæ suæ diligentissime apud reginam, ne ad Synodum suorum quisquam amandaretur, egerunt ». Porro Apostolici legati [1] exclusionem tribus potissimum Elisabetha excusabat causis. Prima; quod ipsi non fuerit, quemadmodum cæteris principibus, Concilii indictio communicata. Secundo, quod Concilium non esset liberum, pium et Christianum, quod si quando hujusmodi foret, doctos et ipsa ac probatos viros Anglicanæ Ecclesiæ nomine submitteret. Tertio, quod hac arte Pontifex quærat Catholicos illius regni sibi subjicere seditionesque excitare, atque hoc idem in Hibernia præstitum expostulabat, affirmans missum ab Urbe Hibernum quemdam ad turbas in ditione illa commovendas; addebatque non esse novum in illo regno Pontificios nuntios non recipere: paucos ante annos Mariam sororem suam omni aditu prohibuisse Pauli IV nuntium, qui cardinalatus insignia F. Guillelmo Poeto deferebat; utque magis hoc facinus purgaret, Catholici regis oratori, qui de his secum egerat, scripturam exhibuit, quam tamen ille recusavit. Sed ad res etiam magis evertendas, illa quoque res accidit, ut prope Londinum pauper sacerdos detentus fuerit, quod Breviarium secum deferret, qui propositis cruciatibus perterritus multum in illo regno Catholicorum numerum prodiderat, magna reginæ ipsius tum admiratione, tum indignatione.

52. Idem quoque verendum erat, ne Commendono accideret, ut scilicet illius regni ingressu, quamvis pro eo deprecator accessisset Suecorum rex [2], aversa reginæ mente, arceretur. Cumque in Belgio rei præstolaretur exitum, certis accepit nuntiis, Sueciæ regem ter conatum, ter quoque adverso repente vento rejectum, profectionem suam itinere terrestri ad aliud tempus cogitare; cum interim Elisabeth assueta dolis, et quæ, vel lepide Bernardinus Mendoza aiebat: *Singulis annis sponsa, nunquam vero nupta erat*, postquam vanis connubii spebus Henricum detinuisset, se modo de nuptiis non cogitare, alio forsan tempore cogitaturam, professa est.

53. *Commendonus Romam revocatur.* — Commendonus ergo, cum Bruxellis Pontificis litteras accepisset, quibus, ut scribit Gratianus, « comprobato consilio ejus, ut omissa ad regem Suetiæ profectione, in Italiam reverteretur, et ex itinere civitates regulosque, qui Rhenum circa colunt, adiret iterum, eosque, et maxime episcopos ad Concilium exciret jubebatur. Per Rhemos Lotharingiam petit, et regionis ejus regulo appellato, in Treviros, atque ab his navigio per Mosellam vectus ad Rhenum descendit, ac Moguntiam, atque inde Assemburgum ad Moguntinorum archiepiscopum se contulit. Paulum inde a Rheno discedens ad Herbipolensem et Bambergensem episcopos divertit. Ab his Norimbergiam prævalidam Franconiæ urbem, atque inde viso Æstadii episcopo ad Albertum Bavariæ ducem venit, atque ab eo discedens decimo tandem ac septimo mense, postquam profectus ex Italia fuerat, Tridentum pervenit, quo jam frequentes Patres ab Italia, Hispania Galliaque ad celebrandum Concilium convenerant ». Ibi septima die mensis Martii anni insequentis dum congregatio haberetur, ea, quæ in itinere confecerat [1], necdum per litteras significaverat, renuntiavit:

54. « Tridento Romam vocatus a Pontifice perrexit, Germania, quanta a Belgarum ultimis finibus, Britannicoque Oceano ad Odeam flumen, atque ab Dania, Cymbricaque, et Baltico mari ad Rhetias Alpes patet, omni peragrata, omnibus latissimæ gentis populis principibusque aditis, pari industriæ atque innocentiæ opinione apud omnes relicta. Mirabantur plerique, quod cum tot feroces et Romano nomini infestas nationes obivisset, omnes, non solum intactus ab injuria, sed ne risu quidem aut ludibrio ullo violatus, evasisset, sive hæc in ipso cautio fuerit, seu spectatæ virtutis atque integritatis fama venerationem ejus etiam apud barbaros fecerat. Nam Germanorum ingenia aspera indomitaque, quemadmodum vera Dei religio cultusque molliverat, ac frenum ferocibus animis injecerat, ad humanitatemque traduxerat, ita solutis nunc, abjectisque Christianæ legis ac disciplinæ vinculis, quibus antea continebantur, efferari iterum, atque in antiquam truculentiam, barbariemque videntur, hæ maxime gentes, quæ longius ab exterorum commercio remotæ, interiora Germaniæ colunt. Romæ Commendonus in renuntianda apud Pontificem legatione multa de Germaniæ vulneribus commemoravit, nihil ibi intactum a pravis religionibus, nihil non pollutum, nihil non inquinatum. Priscæ sanctitatis instituta omnia, aut vi sublata abolitaque ab hæreticis, aut novorum rituum contaminata et corrupta. Ecclesiasticum ordinem, amissa majorum disciplina, licentiam omnium rerum amplexum, ac plerosque non tam officio ac studio religionis, quam utilitate ac spe retineri. Episcopos præposteris animis posthabere divinarum rerum curam, et ut suæ sibi fortunæ, opesque et princeps ille splendoris ac dignitatis locus, quo inter cæteros eminent, salvus inviolatusque permaneat, id enixe laborare. Hinc regulis et potentibus

[1] Ex. Ep. Comm. ad card. Mant. — [2] Jo. Loccenius l. v. Hist. Suec. C. 4. l. II. Vit. card. Comm.

[1] Antonius Maria Gratianus in Vit. Comm. c. 4.

hominibus, quos ante in sua auctoritate habere consueverant, adulari, tantoque deditos atque obnoxios magis esse, quanto illos avidius, aut occupandis Ecclesiasticis bonis inhiare, aut occupatis incubare sentirent : scilicet, quorum cupiditati conatibusque obviam ire, insolentiamque coercere, et deberent, et si se nossent, conjunctaque et concordia habere consilia vellent, etiam possent, eos ipsi ultra metuunt, suspectosque gratia atque officiis lenire et conciliare student. Quin episcoporum quosdam a fide Romanæ Ecclesiæ discessisse atque in principum hæreticorum clientelam se tradidisse, eorumque tectos ope ex sua libidine vivere. Ad Concilium arbitrari se eorum venturum neminem, paucos missuros, siquidem sibi, qui aut valetudine aut senio invalidi inhabilesque ad labores iterque essent, prolixe pollicitos se Pontificis Maximi dicto audientes futuros, ac Tridentum primo quoque tempore venturos, cæteros manendi veniam omnes orare, negareque sine evidenti periculo posse ab se Ecclesias resque suas relinqui, patentes adversariorum injuriis, et absentia sua opportuniores excubantibus in omnes occasiones hæreticis futuros. Adversus hæc tota incommoda, quæ apta atque utilia remedia, quibus Catholici Ecclesiasticis præsidiis adjumentisque fulciendi confirmandique esse viderentur, quibus inter se fœderibus jungendi, obligandique, quo ab inimicorum fraude, atque vi tuti libertatem suam, munusque vindicarent, ac neminem magnopere formidare necesse haberent, exposuit. Quæ omnia magna, et locorum, et hominum, et rerum illarum notitia, memoriaque disserentem attente audivit Pontifex, et collaudatum amantissimis verbis redire Tridentum, atque eadem præsidentes Concilii edocere, iisque publicam rem tantam agentibus consilio atque opera adesse jussit ».

55. *Canobius ad Cæsarem et in Poloniam mittitur.* — Hæc ipsa, quæ Commendonus arbitrabatur de Germaniæ episcopis, quos ad Concilium posse accedere desperabat, Ferdinandus Cæsar Joanni Canobio confirmavit. Fuerat is a Pontifice in Poloniam directus, jussusque in itinere ad Cæsarem divertere, illumque adhortari, ut Germaniæ episcopis Tridentum adire suaderet. Verum imperator impossibile respondit factu, ut quando Protestantes non accederent ad Concilium, ipsi convenire possent; esset namque Protestantium arbitrio res religionis permittere, cum nullus adesset, qui ipsorum violentiis ac fraudibus occurreret, quod probe ambo Pontificis nuntii, Delphinus nempe et Commendonus, qui utramque Germaniæ regionem lustraverant, animadverterant. Re itaque infecta, Canobius ad Sigismundum Poloniæ regem profectus, Pontificis mandata et Concilii indictionem exhibuit. Ille, commendata Pontificis voluntate, Concilium se approbare reverenter exposuit. Cum autem Canobius ipse in mandatis accepisset, ut ad magnum quoque Moscoviæ ducem procederet, demisso animi obsequio negavit rex, obnitentibus maxime Lithuanis fidem illi publicam dari posse, quod patriis legibus vetarentur, cum bellum inter utrosque arderet, cuilibet, quantumvis magni principis oratori, in illas regiones transitum permittere; nuntium quoque ab instituta legatione revocavit, quod compertum sibi maxime esset, nullum ex ea fructum, cognita gentis illius nequitia, multum dumtaxat periculi in barbaris illis ac deviis regionibus expectandum; ut tamen ad ducem Prussiæ commigraret, benignissime litteras dedit. Renuit tamen iste oblatam Pontificis nomine Concilii indictionem, ac cum antea Confessioni Augustanæ se addixisset, Pontificem, ut Ecclesiæ caput cognoscere, eique obedire recusavit. Hoc idem a pluribus Germaniæ superioris civitatibus responsum fuerat Zachariæ Delphino Apostolico per eas regiones nuntio, quales fuerant Norimberga, Argentoratum, Francofurtum et Augusta, quæ Summo Pontifici auctoritatem Concilii congregandi una cum novatoribus denegabant, remque omnium sæculorum testimonio comprobatam refellere atque eludere non pudebat, quam licet pluribus cardinalis Baronius, et nos ipsi in Annalibus manifeste ostenderimus, nunc ad illustrandam magis veritatem, Gasparis quoque Cardilii sententiam Lutheranorum objecta elidentis referemus.

56. *Lutheranorum objectiones contra Concilium Tridentinum.* — « Asserunt Synodum Tridentinam non debere legitimam putari, neque posse, quoniam cum facultas Synodum indicendi imperatori jure insit, hanc ipsam Tridentinam non imperator, sed potius Pontifex Maximus Pius Quartus indixit.

« Nos vero sic statuimus : Vis et facultas cogendi et celebrandi Œcumenicam Synodum jure non ad imperatorem, sed ad Pontificem Maximum spectat » : mox pluribus id probat, tum maxime subjectis verbis : « Is facultatem habet Synodum convocandi, qui jurisdictione spirituali præditus est, princeps vero sæcularis nulla simili facultate instructus est, sed ejus vis universa externis rebus impenditur atque desudat, corpori videlicet, facultatibus et vitæ, ergo non suppetit huic Synodum indicendi et cogendi facultas. Pontifex vero Maximus, quia princeps Ecclesiæ est, haud dubie potestatem spiritualem accepit a Christo, atque ex consequenti jurisdictionem, cum sit jurisdictio, vis atque facultas dicendi jus. Hanc accepit beatus Petrus, atque in eo cæteri omnes Summi Pontifices a Christo Jesu illis verbis, *Pasce oves meas, Pasce agnos meos* (non autem hæc dicta sunt Tiberio Cæsari) quare ad eum maxime spectat

sacros istos Ecclesiæ conventus indicere, atque convocare. Confirmatur ratio : Inferior non potest usurpare, quæ sunt superioris propria peculiariaque juxta communem omnium jurisprudentium sententiam; cogere autem atque indicere Synodum, Pontificis Maximi peculiare est, cui Christus dixit : *Pasces oves meas ;* una siquidem et præcipua pastus animi pars sacrosanctis Conciliis continetur, ergo princeps sæcularis, quicumque is sit, facultate vacat Synodum convocandi, qua unus Pontifex Maximus præditus est. Rex etenim atque imperator longe inferiores dignitate sunt Pontifice Romano, tam longe quidem, quam ovis a pastore superatur, ab anima corpus, externa pax ab æterna vita temporaria ». Et post multa.

57. Cum is error olim in quorumdam animis inesset, eumdem octava sancta Synodus generalis radicitus evellendum curavit, quod fecit his verbis : « Tanquam perosum quiddam ab auribus nostris repulimus, quod a quibusdam imperitis dicitur, non posse Synodum absque principum præsentia celebrari ». Subjungit : « Cum nusquam sacri canones convenire principes sæculares in Conciliis sanxerint, sed solos antistites; quod si nulla Ecclesiæ lege (nam divina proculdubio de ea re nulla est) si nulla evidenti necessitate principes sæculares Conciliis interesse debent, quis est, obsecro, tam stultus, aut mentis inops, qui defendere, aut affirmare non vereatur eis esse tributum Synodum vocare ? et mox : « Concilium, quod Apostoli tenuerunt, verum atque legitimum habitum est etiam hæreticorum testimonio, ad cujus normam cætera omnia exigenda esse censent. At in eo, neque imperator adfuit, neque rex aut princeps ullus sæcularis ».

58. Confirmat id auctor non modo scriptis veterum Pontificum, sed etiam imperatorum Valentiniani et Martiani, et Pulcheriæ Augustæ, tum decretis Conciliorum, inter quæ extat insigne illud Septimæ Synodi : « Statutum est, ut qui princeps episcopos ad Concilium venire prohibuerit communione privetur ». Et paulo post : « Isidorus Hispalensis, vir pietate et bonarum artium studiis pro ea præsertim ætate admodum clarus, de Conciliis agens ita inquit : Synodorum congregandarum auctoritas Apostolicæ Sedi commissa est; neque ullam Synodum Generalem ratam esse credimus aut legimus, quæ ejus non fuerit auctoritate congregata vel fulcita ». Subjungit : « Hoc auctoritas testatur canonica, hoc historia Ecclesiastica comprobat, hoc sancti Patres confirmant. Augustinus prætere a id asserit (quod testantur adversarii) cum ait : Summus Pontifex, quando Patriarchis et aliis Ecclesiæ prælatis denuntiaret voluntatem suam de congregando Concilio universali, semper explicabat necessitatem, etc ». Cumulantur in eam sententiam plurium SS. Patrum auctoritates et exempla. Dein refellit argutias hæreticorum ea tantum de causa exigi consensum imperatoris, ac regum, et principum, ut patrocinium et opem ferant ad celebrandum Concilium, confirmatque exemplis generalium Synodorum, tum subdit : « Illud tamen dissimulare nolo, neque subscripsisse unquam Synodo imperatorem, ut partem Concilii aliquam, quæ suffragium ferret de rebus fidei, neque absoluta peractaque Synodo ejus Acta confirmasse, quin potius, aut ille subscripsit nunquam, aut subscripsit, quasi Acta probaret, ut inferius monstrabo, et sunt omnia Œcumenica Concilia Summi Pontificis auctoritate corroborata ; atqui cum leges civiles in conventibus regni solemnibus feruntur, eas princeps confirmare consuevit, uti earum lator legum, ex quibus plane constat, facultatem convocandi atque tenendi Synodum, neque jure, neque antiqua consuetudine ad imperatorem pertinere, quod adversus Protestantes efficere cupiebamus ».

59. Denique vere objectum novatoribus ab internuntiis, eos nullam certam habere doctrinam perspicue demonstratur ex maxima sectarum colluvione inter eos enata, adeo ut publico Saxonis edicto quadraginta septem sectas Saxoniam infestantes damnatas viderimus, et confessio eorum Augustana, qua adeo gloriantur, sæpius immutata fuerit, ut ipsi queruntur Lutherani; quo pateat, illam humanum commentum fuisse, cum illa, quæ vera sunt, excerpta fuerint ex Ecclesia Catholica, sed adjectis multis mendaciis adulterata. Hoc vero ipso anno multæ novatorum elucubrationes prodiere in lucem [1], quæ inter se pugnant, Calvini et Theodori Bezæ contra Heshusium, Petri martyris contra Bullingerum, necnon Guillelmi Clebitii, qui libro suo hunc titulum inscripsit, *victoria veritatis, et ruina papatus Saxonici*, Joannes etiam Sturmius in Lutheranos scripsit, atque inter alia dixit : « Eos, quos velint et quæ velint, probare; rursum quæ velint et quos velint, improbare, vexare, condemnare, proscribere, palis prope et cruci affigere, in ipsas prope æstiones et rogos compellere »; e contra Martinus Kemnitius, ac Brentius adversus Zuinglianos Commentarios suos edidere.

60. *Sternbergerus novas hæreses contra Trinitatem promulgat.* — Emersit etiam inter eosdem hoc anno perditissimus novus hæresiarcha Sternbergerus, qui adversus Trinitatem personarum atque alia mysteria plura blasphema evomuit : e contra alii in Polonia polytheiam, sive tres Deos induxere, qui singuli deliria sua fidem Evangelicam esse contenderunt, ut narrat Surius [2] subjectis verbis :

« Hoc anno quidam impius blasphemus, et ter execrabilis furcifer Lucas Sternbergerus no-

[1] Sur. in Comm. — [2] Ibid.

mine in sacrosanctam Trinitatem, et in Christi Jesu divinitatem, in ipsum quoque Spiritum sanctum, in sanctissimam Dei genitricem Mariam, de Sabbatho potius quam Dominico colendo, de Eucharistiæ Sacramento, de Baptismo denique, quem Sathanicam vocant institutionem, tam horrenda et abominanda palam dixit et asseruit, ut nullæ piæ aures sine horrore ferre queant. Idem ipse cum aliquando pauciores opinione sua cœnam Domini percepturos haberet, alios omnes his verbis accersivit, *venite huc, non enim possum solus illum devorare.* Et ille quidem se fassus est in Eucharistia Melancthonem sequi, in reliquis Lutherum. Docuit inter alia non esse Trinitatem, sed unum Deum, non Christum, non Spiritum sanctum.

« Huic tam impiæ opinioni quædam alia plane contraria emersit in Polonia, dicentibus quibusdam pseudo-prophetis non unum, sed tres esse Deos, at Filium tamen aliquanto minorem esse Patre et Spiritu sancto : porro Athanasii symbolum jure Sathanasianum appellandum. Sciscitantibus quibusdam Poloniæ proceribus, unde hoc dogma accepissent ? illi responderunt purumputum esse Evangelium, et eam doctrinam se accepisse a suis præceptoribus Calvino, Bullingero, Petro martyre, et Wolfango Musculo, hunc vero tantum thesaurum nunc demum voluisse Deum per suos fideles servos revelare ».

61. *S. Theresia reformationem Ordinis Carmelitarum aggreditur.* — Dum hæretici [1] tam obfirmato animo a Pontificis imperio, et Catholicæ fidei obsequio diabolicis fraudibus averterentur, non repulit benignissimus Dominus plebem suam, et hæreditatem suam non dereliquit; sed quemadmodum scriptum legitur [2], *pro saliunca ascendet abies, et pro urtica crescet myrtus,* deficientibus ipsis, ac bellum acre Ecclesiæ indicentibus ad ejus defensionem [3], *nova bella elegit Dominus, et portas hostium ipse subvertit;* suscitans alteram Debboram, seraphicam nempe virginem Theresiam a Jesu [4], quæ sacrarum virginum agmen ducens phalanges everteret Chananæorum. Hæc Romam, Christo ipso edocente, pro instauranda antiqua carmelitarum Ordinis observantia, ad Pontificem misit, ut Pontificia auctoritate cogitatum opus absolveret. Cum enim per annos plures inter moniales Carmelitanas egisset [5], nec illud mite vivendi genus sitim divini amoris, quo flagrabat, explesset : grandi ausu arctiorem vitæ disciplinam adeo meditata postmodum feliciter condidit, ut non virgines plurimas tantum, sed eximios quoque viros ad imitationem allexerit; claustro egressa multas urbes obierit, monasteria multa construxerit, eodemque tempore Patres illos, qui eam æmulari cæperunt, ad cænobia plura condenda permoverit. Videlicet [1] *parvus fons*, monasterium scilicet Abulæ, cujus initia hoc anno auspicamur, quanquam insequenti tantum Pontificium Breve pro ejus confirmatione sit datum, *crevit in fluvium, et in lucem solemque conversus est, et in aquas plurimas redundavit* », propagato non in Occidente tantum, sed in ipsis Orientis partibus Ordine, præter innumera sacrarum virginum examina, quæ ad defensionem Hyerusalem excubantes die ac nocte non tacent laudare nomen Domini. Sed ut consilium sanctæ virginis in rigidiori observantia revocanda innotescat, ipsam in aureo illo, quem composuit, libro *iter perfectionis*, inscripto, disserentem audiamus [2] :

62. « Principio, cum monasterii hujus primordia jacerentur, nondum animo statueram, ut tantus in exterioribus observaretur rigor, nec ut sine redditibus fundaretur, quin potius optabam adesse media, quibus rerum necessarium inopia tolleretur. Ea tempestate delata ad me fuerunt damna Galliarum, et quantam Ecclesiæ Dei cladem Lutherani intulerant. Magna extemplo me cœpit animi molestia, et tanquam non nihil valerem, plorabam ad Dominum, et supplex tanto malo remedium postulabam. Videbar mihi mille datura vitas, ut uni saltem ex tot pereuntibus animabus, suppetias ferre possem. Sed me mulierem inutilem esse considerans, neque voluntatis desiderio vires suppetere ad præstandum obsequia Domino proficua (angebarque animo et adhuc angor, ut quando tam grandis adversariorum numerus sit contra Dominum, tamque exiguus eorum, qui ipsi adhærent, ii saltem probati atque electi forent) decrevi modicum hoc, quod mearum erat partium, nimirum consilia Evangelica, qua possem perfectione, sectari, et sorores has paucas ut idem præstent inducere ». Et paulo infra [3] : « Cum agnovissem tam grandia exorta mala, ut humanæ vires non suppetant hæreticorum istorum igni qui tam late depascit ac progreditur extinguendo, necessarium mihi est visum, quod, veluti dum hostes totam vastaverunt regionem Dominus illius in arcto se positum cernens, civitatem aliquam subit, eamdemque valida munitione corroborat, nec raro accidit, ut inde erumpentes milites adversariorum vires plerumque elidant, etc. tales igitur, et nos curemus inveniri, ut ad ferendum regi nostram opem, sin minus alia suppetunt arma, munda saltem oratio robur impetret militantibus ». Hæc aliaque plurima seraphica virgo, probe noscens [4], *quod arma militiæ nostræ non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei.*

[1] Cap. 3. — [2] Isai. LV. — [3] Jud. V. — [4] F. Franciscus de S. Maria l. I. c. 41. — [5] V. P. Jo. a Jesu Maria in recapitulatione.

[1] Esth. X. — [2] Cap. 1. — [3] Cap. 3. — [4] II Cor. X.

63. *Æthiopes ad Concilium invitati.* — Dum opportunis hisce suppetiis Ecclesiæ suæ consulebat Dominus, atque hæreticis in omnem carnis libertatem effusis, choros virginum atque virorum opponeret, qui tesseram illam ab eorum moribus discrepantem ostenderent, qua Apostolus dignosci eos, qui ad Christum pertinent, profitebatur cum diceret [1] : *Qui sunt Christi carnem suam crucifixerunt cum vitiis ac concupiscentiis,* providebat quoque Pontifex, ut populos ab Ecclesia sejunctos ad ejus notitiam cultumque traduceret. Ob id ipsum Andreæ episcopo Jerapolitano, Societatis Jesu, quem alias vidimus in Æthiopiam directum, in mandatis dedit, ut cum Antonio Pinto, Sebastiani Lusitaniæ regis oratore, Mennam illius gentis imperatorem conveniret, indictoque Tridentino Concilio hortaretur, ut legatos ipse suos ad tam præclarum opus submitteret. Litterarum autem, queis hæc Andreæ mandaverat, hic tenor fuit [2] :

64. « Venerabili fratri Andreæ episcopo Jerapolitano.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Audimus te in Æthiopia esse apud charissimum in Christo filium nostrum Mennam Æthiopiæ imperatorem illustrem; id, si ita est, magnopere lætamur, et gratias agimus Domino, qui isthuc perduxerit, speramus enim præsentiam tuam divina adjuvante gratia, pro datis tibi a Domino donis aliquid ad divinæ majestatis suæ laudem acturam esse, vel potius egisse. Per dilectum hunc filium Antonium Pintum, qui has tibi litteras reddet, scribendum ad filium istum nostrum charissimum duximus, quarum litterarum exemplum cum his tibi misimus : mandavimus autem ipsi Pinto, ut cum ad aulam istam, Deo juvante, pervenerit, primum ad te, quam ad alium per interpretem adeat, ut omnia, quæ in mandatis accepit, tecum communicet. Deinde tecum una ad serenissimum imperatorem adeat, easque litteras nuntiata majestati suæ verbis nostris diligenter salute et benedictione nostra reddat, quarum sententiam ubi majestas sua ex interpretatione cognoverit, volumus ut eas oratione illis consentanea subsequaris, paternamque erga illum voluntatem nostram accurate commemores ; hortamini etiam, cum primum facultas erit, mittere oratorem unum, seu plures, sicut ei scribimus, ad Concilium Œcumenicum et generale quod sicut ex Bullæ nostræ exemplo intelliges, Tridenti indiximus, et Deo dante celebraturi sumus, conventuris illuc prope Italiæ, Hispaniæ, Franciæ, Germaniæ, Poloniæ, et aliarum nationum episcopis. Charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliæ et Algarbiorum rex illustris illuc jam oratores et episcopos suos misit. Patriarcha quoque Constantinopolitanus eo mittere dicitur archiepiscopum Galatiæ, qui suo nomine illi intersit. Idem facturum speramus patriarcham Copthorum, qui nuper obedientiam nobis et huic sanctæ Sedi per litteras et oratorem suum præstitit, hujus Sanctæ Sedis unionem admodum expetens. Speramus hoc Concilium maximos esse Ecclesiæ Dei fructus allaturum. Nos certe operam dabimus et enitemur, ut omnes gentes pium animum nostrum perspicere possint. Cupimus mirum in modum de statu tuo et rebus istis abs te fieri certiores. Non egere autem rem tuam nostra hortatione certo scimus, ut talenta tibi a Domino concessa istic diligenter et sedulo exerceas. Considerare vero te volumus præter supernum favorem, nullum, quod tibi a nobis afferri potuerit auxilium, defuturum. Omnipotens Deus te a peccatis omnibus absolvat, et ad suæ sanctæ Ecclesiæ utilitatem incolumem custodiat. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XX Augusti MDLXI, anno II ».

65. *Societatis Jesu religiosos Pius IV commendat.* — Dum adeo strenue divinam gloriam sacerdotes Societatis Jesu [1] proferrent inter barbaras nationes dæmonum laqueis irretitas, atque in Occidente pietatem augerent inter Catholicos, adversus hæreticos vero scuto fidei et gladio spiritus constanter ac generose decertarent, eorumque tenebras doctrinæ splendore discuterent, Pius Pontifex eos Ferdinando imperatori his litteris [2] commendavit.

« Ferdinando Hungariæ et Bohemiæ regi illustri in Romanorum imperatorem electo.

« Societatis Jesu meritorum erga Dei Ecclesiam et religionem Catholicam magnitudo, quæ nos ut eum Ordinem commendemus majestati tuæ movet, eadem, ut illam nec testimonio nec commendatione nostra egere putemus facit; æque enim nota ejus merita sunt majestati tuæ ac nobis. Nec vero ulla fere orbis terrarum est pars, quo ea Societas non operarios strenuos ac fideles miserit jam et quotidie mittat ad religionem Catholicam vel adversus hæreticos defendendam, vel apud nationes idolorum cultui deditas Dei auxilio inserendam et propagandam. Quod cum ita sit, apud tam pium principem commendatione non indiget. Itaque satis est ejus Societatis desiderium indicari majestati tuæ, etc. » et infra : « Nobis vero tributum putabimus quidquid ipsis a majestate tua tributum fuerit. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die VIII Augusti MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

Quam pie Ferdinandus imperator Pontificis obtemperaverit jussis, quantumque emolumenti Catholica religio acceperit erectis per diversas

[1] Epist. ad Galat. V. — [2] Pius IV. lib. brev. divers. sign. 2922. Ep. XV.

[1] Sacchinus hist. Soc. Jesu hoc anno. — [2] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CXXII.

Romani imperii provincias huic sacræ familiæ seminariis atque collegiis docent passim ipsius Societatis Historiæ [1], ac recenset novissime eruditus Pragensis Ecclesiæ decanus Thomas Joannes Pessina, ut proinde illud læti usurpare possimus [2] : *Castra Dei sunt hæc.*

66. Ornata est eadem Societas a Pontifice apud Philippum regem Hispaniæ amplissimis laudibus, quibus eximiæ res gestæ a religiosa ea familia in luce collocantur [3]. Rogatus vero est idem rex, ut Alexandro episcopo Cariatensi internuntio Pontificio pro eadem verba facturo fidem adhiberet :

« Charissimo in Christo filio nostro Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Et officio nostro convenit, religiosam vitam degentes patrocinio nostro diligenter tueri ac fovere, et regibus maxime expedit de servis ejus, per quem ipsi regnant, optime mereri. Dominus enim in servis suis recipitur et honoratur, sicut ipse in Evangelio dixit, *qui recipit vos, me recipit.* Sed inter religiosorum Ordines singulari ab Apostolica Sede studio, merito complectendus is Ordo est, qui non ita pridem institutus, et ab hac Sancta Sede confirmatus, Jesu Societas appellatur. Hi enim operarii licet novissimi tanquam nona diei hora in vineam Dominicam ab ipso Domino inducti sint, adeo strenuam tamen et utilem operam navare cœperunt, ut non modo spinas ex ea et vepres evellere aggressi sint, sed ipsam etiam alibi auxerint et propagarint. Incredibite fere est, quantum tam brevi tempore hic Ordo profecerit, quantum Ecclesiæ Dei utilitatis attulerit, quam multa ejus Ordinis collegia, divina favente gratia, alia aliis in provinciis instituta fuerint, non sine maximo earum nationum fructu et commodo, quorum diligentia alibi fides Catholica confirmatur, alibi hæreticæ pravitatis pestis reprimitur, alibi gentiles et idololatræ, relicto idolorum cultu, ad Christi Dei cultum convertuntur, ex quo cuivis perspicuum est, excitatum hunc a Domino Ordinem fuisse his tam turbulentis et calamitosis Ecclesiæ temporibus, ut adversus Sathanæ ministros et operarios oppositum, ut cum illi Ecclesiam Catholicam vehementer oppugnent, eam hi non minus acriter defendant; cum illi simplicibus hominibus errorum tenebras offundant, hi lucem veritatis ostendant, ut quantum denique illi pravis exemplis et disciplina pestifera destruunt, tam hi vitæ ac morum sanctitate, et salutari doctrina ædificent. Hujus Ordinis maximum in hac alma Urbe collegium habemus, quod tanquam seminarium quoddam aliorum est, quæ per Italiam, et extra ipsam Italiam, in Germania et Gallia propagantur. Ex hoc uberrimo seminario Apost. Sedes instituit delectos idoneos ministros, tanquam generosas et frugiferas plantas alias alio, prout usus venerit conserendas mittere, qui quidem instituendis pie et diligenter pueris, tum prædicando Evangelio, tum ministrandis Sacramentis fructus eos Domino cooperante ferunt, quibus hoc tempore Ecclesia Dei maxime indiget. Nullum unquam hi laborem pro Dei honore, et hujus Sanctæ Sedis obsequio recusant, eunt et navigant ad omnes nationes et loca quocumque mittantur, etiam ad hæreticos, ad infideles, et ad remotissimas Indiæ partes, sine ullo omnino metu ejus nimirum auxilio freti, cui deserviunt. Itaque multum debemus huic collegio, ita de Catholica religione merito et assidue merenti, adeo ad Christi Domini nostri et hujus Sanctæ Sedis obsequia parato, etc. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XXIV Novembris MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

67. In Belgio cum ingravesceret hæresis, adversus novatores opponendos esse censuit Pius Pontifex eosdem sacerdotes Societatis Jesu [1], qui tenebras errorum ab impiis offusas doctrinæ luce disjicerent, quique Catholicos pietate excolerent, atque in fide confirmarent, quos cardinali Granvellano [2] commendavit :

« Dilecto filio nostro sanctæ Romanæ Ecclesiæ card. Antonio de Granvela vocato.

« Omnipotens et misericors Deus, qui Ecclesiam suam nova semper prole fœcundat et pro patribus in ea filios exoriri facit, ad laudem nominis sui et ad Ecclesiæ suæ sanctæ utilitatem, non ita pridem novum, ut scis, religiosorum Ordinem excitare dignatus est, qui quidem ab eo ipso, cui se sanctissime devoverunt, Jesu Societas appellati, jure id sibi indictum nomen ostendunt. Quandoquidem toto animo totaque mente, et omnibus viribus suis ei fideliter et strenue inserviunt, animarum salutem, quas ille sanctissimo suo sanguine redemit, sitientes, et quanta maxima possunt diligentia procurantes. Qui quidem Ordo et a Sede Apostolica approbatus et confirmatus tanquam vitis abundans palmites suos non modo per Italiam, Hispaniam, Lusitaniam, sed etiam superiorem Germaniam, constitutis ubique multis societatis suæ collegiis extendit, quin etiam eos usque ad fines terræ et Indorum regna admirabili fœcunditate propagavit et protulit. Quanta ab hoc Ordine utilitas ad Ecclesiam Catholicam perveniat, nos ipsi prope quotidie non audimus modo, sed etiam experimur, modo eos in has, modo in illas provincias mittendo, in quibus tam promptos animos ad hujus Sanctæ Sedis obsequia, tantum studium ad tuendam et propagandam fidem Catholicam invenimus, ut nul-

[1] Sacchin. p. 2. hist. Soc. Pessina in Phosphoro Septicorni p. 329. — [2] Gen. XXXII. — [3] Pius IV. to. II. brev. sign. 2897. Ep. CXLII.

[1] Sacchin. hist. Soc. Jesu. — [2] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CXL.

lius unquam, quamvis longi itineris navigationisque labores recusent, nulla pericula divino nimirum auxilio freti, pertimescant, sed a nobis, quocumque usus venerit, missi summa mentis alacritate mandata nostra conficiant. Sed meliores hi Dei servos et Ecclesiæ se ministros præbent, quo tam turbulentis hisce Ecclesiæ temporibus eorum utilior est opera et industria opportunior. Hoc fovendus magis hic Ordo a nobis est, et Apostolicæ Sedis, de qua ita assidue merentur, præsidio defendendus, atque ut ubique crescat et multiplicetur, optandum est. Sane quanto in discrimine in ista nobilissima Flandriæ provincia, et aliis finitimis dominiis charissimi in Christo filii nostri Hispaniarum regis Catholici Catholica religio versetur, quantopere hæreticorum sectæ ibidem augeantur, circumspectio tua melius, quam nos novit, quod enim nos audimus, ipse oculis tuis cernis: itaque cum pro pastorali nostro officio et regis ipsius causa, mentis nostræ oculos ad populorum istorum salutem conversos tenentes, intelligamus, hujus Societatis Jesu Ordinem prodesse plurimum posse ad hæreticam pravitatem ibi reprimendam, et Catholicam fidem conservandam, faciendum esse duximus, ut ipsius Ordinis protectionem circumspectioni tuæ potissimum committamus. Novimus enim quanto domus Dei zelo ardeas, quantam curam sollicitudinemque sustineas, ut istos populos in fidei Catholicæ cultu, et in regnis ipsius obsequio contineas », et infra : « Quæcumque illi opera charitatis efficient, tum prædicando, ut solent, verbo Dei, tum juventute erudienda et ad pietatem informanda, tum ministrandis Ecclesiæ Sacramentis, horum tot et tam piorum operum particeps ipse futurus es, etc. XXX Octobris MDLXI, anno II ».

68. *In Belgio divina vindicta in Calvinianum contemptorem Eucharistiæ.* — Statuit hoc anno in Belgio divina justitia insigne vindictæ exemplum in blasphemum hæreticum, qui furore Calviniano sacrosanctam Eucharistiam deriserat: rem ex teste oculato exceptam narrat Tilmannus Bredembachius [1] subjectis verbis :

« Anno Christi MDLXI, Neomagii accidit Feria secunda Paschæ circa horam diei nonam, ut sermone in Ecclesia parochiali simul et Collegiali absoluto, alter parochorum, nomine Antonius Vorstius una cum ædituo accerseretur ad ægrotantem mulierculam, quæ in solemni die Resurrectionis ob corporis imbecillitatem in templo non communicaverat. Decumbebat autem mulier in platea Regularium. Porro in altiore vici parte prope vallum oppidi taberna erat meritoria, in qua parum honeste tunc temporis diversabantur viri duo juvenes; uni Noviomagum patria erat, alteri Trajectum superius ad Mosam, utroque ibidem tunc ovum Paschale, quod vocant, solito more elixum, manibus ostentante, certamen initur inter eos, idque periculo hauriendi poculi cerevisiarii, uter suum prius ovum glutire queat. Interim adventat pastor prædictus cum venerabili Sacramento oviculam suam infirmam in vicinia commorantem refecturus. Audita per plateam nola, quæ præferebatur Eucharistiæ, alter ille, qui Trajectensis erat, in contemptum tremendi mysterii, audacter dixit ad sodalem suum : « Ego ovum « illud, quod manu teneo, citius diglutivero, « quam ægrotans muliercula Deastrum illum ». Dixit, et protinus hians ovum in os immisit, volens trajicere illud per gulam. Sed ecce præsentissimam Dei vindictam, qua præpeditus nullo modo ovum transmittere potuit. Hærente autem illo in faucibus, cum miser homo se statim suffocatum iri, nec spem vitæ reliquam videret, oculis horribiliter contortis conspicit candelam sebaceam ex clavo pendentem. Arripit celerrime sebaceam, et absque mora injicit ori, cupiens conansque candela tali protrudere ovum, sed frustra; nihil enim aliud effecit, quam quod sebo candelæ in gutture ad ovum relicto ellychnium, seu fila nuda retraxerit. Hac spe frustratus humi procubuit instar bovis mactati, memoria loquendique facultate omnino privatus, et supinus jacens fuliginosum et velut Æthiopicum vultum induit, et gutture divina ultione confracto tristissimam efflat animam, parocho memorato cum sacrosancto illo pane astante. Is enim, simul atque infirmam communionis participem fecisset, ex illa domo rediens audit miserabiles voces ex taberna vicina resonantes : horrore perculsus introcurrit; cum venerabili Sacramento, rogat, quid illic sit negotii? audit ex ore præsentium rei gestæ seriem, hominem divinitus percussum videt, humi palpitantem et cum morte certantem, et paulo post expirantis guttur fractum, ovo nunc instar tuberis intercutanei in altero colli latere, et non in faucibus residente. Hæc ego ad verbum scribo ex ore ejus parochi domini Antonii Worstensis, qui apud Neomagenses curam gessit animarum annis XXVI et amplius magna cum laude usque ad extremos furores Geusiorum, parochus pariter et canonicus ibidem : in præsens autem ob verbi Divini gratiam, et bonitatem suam Catholico Resensium gregi gratissimus pastor ».

69. *Pius IV sustollit lites ortas in Belgio circa fines incertos quarumdam diœceseon.* — Decreverat jam ante Paulus IV in Belgio condendos plures novos episcopatus, ut aucta populorum multitudine, pastorum quoque numerus augeretur, ac plures præsules in salutem animarum, quas impii suis erroribus illaqueare nitebantur, excubarent, sed cum in circumscribendis singulorum episcopatuum limitibus dif-

[1] Tilmann. Bredenbach. collat. Sacr. l. VII. c. 60. et ex eo Jod. Coccius to. II. l. VI. de Euch.

ficultates obortæ essent, eas Pius hoc Diplomate [1] sustulit :

« Considerantes eamdem regionem populis hæreticis atque schismaticis omni fere ex parte cinctam adeo pestiferis seductorum hæresiarcharumque doctrinis infestam esse, ut Catholica illic fides et animarum salus in maximo discrimine periculoque versentur ; his de causis, aliisque quæ animum nostrum impulerunt, adducti, precibus etiam annuere volentes, pioque desiderio satisfacere ipsius Philippi regis, qui pro sua pietate et Catholicæ fidei studio hac de re nobiscum, et sæpe, et perquam diligenter per litteras et nuntios egit, habita, sicut magnitudo rei postulabat, cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, tam graviter periclitanti in illis partibus fidei orthodoxæ, et animarum saluti aptissimum esse remedium duximus, si veterum Ecclesiarum in illa regione positarum diœceses commodioris regiminis causa divideremus, novisque erectis cathedralibus Ecclesiis ejusmodi præficerentur episcopi, qui tum exemplo, tum verbo commissas sibi oves pascant, diligenterque illas adversus insidiantium luporum rabiem tueantur atque custodiant, et metropolitanæ aliquot Ecclesiæ opportunis ejus regionis locis erigantur, ad quas commode adiri possit, quibusque præfuturi suffraganeos suos in officio contineant. Ex certa igitur nostra scientia, de eorumdem fratrum nostrorum consilio, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Dei omnipotentis honorem, et sanctæ ipsius Ecclesiæ utilitatem, Cameracensem Trajectensem, Atrebatensem et Tornacensem Ecclesias, civitates atque diœceses a Rhemensi Coloniensique provinciis, quibus erant metropolitico jure subjectæ, exemimus, ac Mechliniense, Antuerpiense, Harlemense, Daventriense, Lenuardiense, Groningense, Micdelburgense, Buscoducense, Ruremundense , Namurcense , Audomarense , Yprense, Gandavense et Brugense, celeberrima Cameracensis, Trajectensis, Leodiensis, Morinensis et Tornacensis diœcesum oppida a sua quodque eorum diœcesi et provincia separavimus ; ab Ecclesia Cameracensi, quam nuper ab omni potestate et jurisdictione Rhemensis archiepiscopi, cujus suffraganea erat, liberavimus, eam ipsius diœcesis Cameracensis partem, quæ in Brabantiæ ducatu et Flandriæ comitatu erat, itemque ab Ecclesia diœcesique Leodiensi ipsius partem, etc. »

Qui vero Belgicis iis episcopatibus recenter institutis præfecti fuerint docent Acta Consistorialia [2], inter quos Guillelmus Lindanus, qui scriptis luculentissimis hæreticorum errores confutavit, recensetur.

[1] Lib. divers. Bull. sig. 2319. p. 219. — [2] Act. Cons. sig. num. 134. p. 328.

« X Martii MDLXI, Belgicis Ecclesiis restitutis præfecti sunt episcopi : ad Mechliniensem in archiepiscopalem erectam Antonius card. de Granvela translatus ab Atrebatensi, cui suffectus Franciscus episcopus Nicopolitanus; Trajectensi in metropolitanam constitutæ Frideric. Schench ex Baronibus de Lentemberg impositus ; Ecclesiæ Brugensi Petrus Curtius presbyter Tornacensis; Antuerpiensi Philippus Niger archidiaconus Morinensis; Migdelburgensi Nicolaus de Castro canonicus Ecclesiæ Sanctæ-Mariæ Trajectensis ; Buscoducensi Franciscus Somnius presbyter; Harlemensi Nicolaus ab Ebroicensi translatus; Daventriensi Joannes Mahusius Ordinis Fratrum Minorum præficitur; Levardiensi Remigius Drutius presbyter Morinensis diœcesis; Gruningensi Joannes Bussius Ordinis Sancti Francisci de Observantia ; Ruremundensi Guillelmus Lindanus presbyter Leodiensis diœcesis ».

70. *In America Philippi Hispaniarum regis ope multæ sedes episcopales eriguntur.* — Propagata latius in America religione Catholica plures episcopatus etiam conditi sunt in variis illius provinciis, quos Philippus Hispaniarum rex regia liberalitate congruis vectigalibus donavit, ac singuli præsules in singulis a Pio creati, ut narrant Acta [1] Consistorialia :

« Romæ die Veneris XVII, fuit Consistorium, in quo referente reverendissimo camerario Sanctissimus dominus noster erexit oppidum Sancti Jacobi del Nuovo extremo in provincia de Chilla in insulis Indiarum Maris Oceani in civitatem, et in ea unam Cathedralem Ecclesiam sub invocatione beatæ Mariæ pro uno episcopo Sancti-Jacobi del Novo extremo, et illam subjecit archiepiscopo civitatis Regum cum dote ducentorum ducatorum per serenissimum dominum Catholicum regem assignandorum, et providit de persona Roderici Gonzales presbyteri Hispalensis diœcesis.

« Eodem referente erexit oppidum Veræ-Pacis in provincia Veræ-Pacis in insulis maris Oceani Indiarum in civitatem, ac inibi unam cathedralem Ecclesiam pro uno episcopo Veræ-Pacis nuncupando, et illam subjecit archiepiscopo Mexicano cum dote ducentorum ducatorum per serenissimum dominum Philippum regem Catholicum assignanda, necnon provisione Petri de Augulo Ordinis Fratrum Prædicatorum ».

Vacabant tum plures episcopatus in eisdem Indiis Occidentalibus, quibus episcopos præfecit in eodem Consistorio, nimirum Venezuelensi Petrum de Agreda Ordinis Prædicatorum, Antequerensi in provincia de Guaxaca Joannem Vaca Ordinis Sancti Benedicti, Cubensi Bernardinum Vilalpandum Ordinis Sancti Augustini Canoni-

[1] Act. Consist. sig. num. 134. p. 337.

cum Regularem, Ecclesiæ de la Pata (Plata) Ferdinandum Gonsalvum clericum, Tascalensi Ferdinandum de Villago presbyterum, Cartazanæ Aloysium de Campenia clericum Rossanensem.

Constituit etiam xix Novembris in oppido Jucatano in Provincia Jucatana episcopatum, cui Cucumelensem Ecclesiam adjunxit, illique Franciscum de Toral Ordinis Minorum præfecit, rex vero Catholicus ducentos ducatos aureos pro annuo vectigali attribuit. Referunt eadem Acta [1] decima die Novembris in Monte Politiano Hetruriæ oppido episcopatum institutum sanctæ Romanæ Sedi immediate subjectum, quem ipso die administrandum Joanni cardinali Riccio Politiano Pontifex tradidit, ut ex Pii IV Diplomate [2] ab autographo ejusdem Ecclesiæ accepto demonstrat eruditus amicus noster Ferdinandus Ughellus abbas Cisterciensis in sua *Italia Sacra,* quam multo labore ac studio elucubravit.

71. *Decimas eidem regi concedit Pius ob bellum contra Turcas.* — In Africa res Christiana superiore anno inclinata ob acceptam in Menynge insula cladem magis depressa est, nam victor Turca Christianorum urbes arcesque variis excursionibus maritimis vexavit, prædasque varias abegit. Ad comparandam itaque novam classem Pontifex Philippo regi gravissimo bello fidei tuendæ causa implicito, subsidia nummaria ex vectigalibus Ecclesiasticis illi decrevit, ut subjectum Diploma [3] ostendit :

« Charissimo in Christo filio Philippo Hispaniarum regi Catholico.

« Charissime in Christo fili noster, salutem etc. Superioribus mensibus unum subsidium annuum trecentorum millium ducatorum auri largorum usque ad quinquennium a kal. Januarii proxime præteriti computandum super quibusvis fructibus, redditibus et proventibus Ecclesiasticis in quibuscumque civitatibus, diœcesibus, et locis regnorum Hispaniarum majestati tuæ subjectis consistentibus ab omnibus et singulis personis Ecclesiasticis, seu aliis fructus Ecclesiasticos, vel annuas pensiones super illis percipientibus pro rata veri annui valoris quolibet anno dicti quinquennii persolvendum sub modis et formis tunc expressis per nostras sub plumbo confectas litteras imposuimus, ac ex pecuniis subsidii hujusmodi unam quinquaginta triremium classem contra infideles parari debere voluimus, et alia fecimus, mandavimus et ordinavimus prout in dictis litteris continetur. Cum autem triremes hujusmodi ob ingruentis temporis brevitatem parari, remigibusque et aliis rebus ita instrui nequeant, ut hac æstate tibi usui esse possint, tuaque majestas gravissimas impensas pro tuendis regnis suis adversus Turcas et alios infideles ex partibus Africæ cuncta fere ditionis tuæ loca præsertim maritima acerrime infestantes, misereque deprædantes in præsentia subire cogatur; nos pro singulari nostra ac plane paterna erga serenitatem tuam dilectione atque charitate, urgentibus ejus necessitatibus, quantum cum Deo possumus, opportune consulere cupientes, eidem tuæ majestati trecenta millia ducatorum, quæ de præsenti anno ad præfatam classem instruendam exponenda dictæ impositionis vigore exigere potuisses, non solum per nuntium isthic nostrum, sed etiam per alias quascumque Ecclesiasticas personas per eum ad tui libitum deputandas libere exigendi, et eamdem summam sic exactam non modo ad instruendam classem prædictam, verum in aliam quoque defensionem præcipue locorum tuorum contra eosdem Turcas et infideles arbitrio tuo convertendi » et infra : « Concedimus facultatem et potestatem, etc. xxii Maii mdlxi, anno ii ».

72. Nec modo Africana ora Hispanis obnoxia infestata est a Turcis, verum etiam Dragutus archipirata in Siciliæ littora prædas acturus incurrit hac Æstate, atque septem triremes Siculas impetu rapuit, ac magnam utriusque sexus multitudinem in funestam servitutem abegit, ut deplorat Pontifex [1] post defletam superioris anni cladem, qua maxima pars classis Hispaniæ capta fuerat :

« Ad futuram rei memoriam.

« Proxime exacta Æstate, cum perfidissimus archipirata Dragutus septem præsidiarias regni Siciliæ triremes de improviso adortas, illas compluribus nostris interfectis in pugnando ceperit, et tam in ipsa classe, quam in dictis septem triremibus sic captis, quam alibi pro custodia ejusdem regni plurimæ utriusque sexus Christiani nominis personæ captæ, et in miseram servitutem abstractæ fuerint, quare Philippus rex nobis humiliter supplicare curavit, ut cum ad redimendos dictos captivos suæ facultates non suppetant, ipsi de aliquo idoneo subsidio in primis subvenire atque succurrere paterna pietate dignaremur, etc ». Proponitur indulgentia per modum Jubilæi collaturis stipem decernendam pro captivis redimendis. « Datum Rom. apud Sanctum-Petrum v Novembris mdlxi, anno ii ».

73. *Pontifex laudat regum Lusitanorum pro fide labores, patruum regis creat legatum a latere et prohibet Catharinæ reginæ ingressum in monasterium publicæ utilitatis causa.* — Distinebatur etiam barbarico bello Sebastianus Lusitaniæ rex, qui Septam, ac Tingim, et Mazaganum munitissimas urbes in Africa obtinebat, ac sibi pro fidei causa pugnanti ab Ecclesiasticis subsidia pro classis sumptibus sustinendis conferri fla-

[1] Act. Consist. sig. num. 134. p. 345. — [2] Ital. Sac. tom. i. — [3] Pius IV. l. i. p. 451.

[1] Pius IV. l. i. p. 581. ut in alia p. 107.

gitavit, quæ ipsi a Pio decreta memorant Acta [1] Consistorialia.

« Romæ die Veneris, v mensis Septembris MDLXI, Sanctitas sua concessit regi Portugalliæ subsidium quinquaginta millium ducatorum annuorum a kal. Januarii proxime venturi incipiendo ad quinquennium, et deinde ad aliud quinquennium arbitrio suæ Sanctitatis, si sibi expedire videbitur, prorogandum super fructibus Ecclesiarum, et beneficiorum Ecclesiasticorum illius regni pro stipendio tot triremium vel navium instruendarum de novo ultra classem ordinariam dicti regni adversus infideles, hæreticos, vel schismaticos, ac etiam pro subsidio Sedis Apostolicæ juxta formam litterarum desuper expediendarum ».

Conceptæ sunt eæ subjectis verbis, quibus recensentur præclara regum Lusitanorum facinora, qui pulsis Mauris e Lusitania eos in Africa invasere, Tingitanamque provinciam subegere, ac circumacta classibus Africa penetrarunt ad Indos, pluribus bellis gestis cum Arabibus, Turcis, Persis atque Indis, latissime Christi fidem circumtulerunt, innumeramque populorum multitudinem Ecclesiæ adjunxerunt, quorum vestigia Sebastianus rex consectatus flagrantissimo pietatis studio, continua pro Christo bella gerat [2] :

« Ad futuram rei memoriam.

« Charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugalliæ, et Algarbiorum rex illustris per dilectum filium nobilem virum Laurentium Peres de Zamora consiliarium, ac ad nos et Sedem Apostolicam oratorem suum, nobis exponi fecit, quod Portugalliæ olim reges claræ memoriæ progenitores sui non absque gravibus dispendiis et sanguinis effusione, non solum ejectis e suo regno Mauris, qui, non pauca Lusitaniæ parte occupata, in partibus illis coaluerant, zelo fidei accensi, armis in Africam translatis, urbem Septensem in faucibus Oceani in arcto positam Christiano nomini tunc infestissimam, quæque ex ipso Oceano in Mediterraneum ultro citroque commercia impediebat, occasionemque Mauris præfatis Hispaniam invadendi, eamque crebris incursionibus diripiendi cum non modica jactura fidelium animarum præbebat, aliasque munitissimas urbes et oppida in ipsis Africæ partibus viriliter pugnando cœperunt, sed etiam pro Catholicæ fidei dilatatione et exaltatione circumactis a tergo ipsius Africæ per Athlanticum littus classibus Æthiopiam, Arabiam, Persidem et Indiæ partes ingressi, cum immanissimi Turcarum tyranni classibus, aliisque regibus, qui illis provinciis et regnis præerant dimicando, contusis hostium viribus, plerasque civitates, terras et littora ditioni suæ subjecerant, et exinde innumeram Indorum multitudinem ad Jesu Christi nominis agnitionem ejusque Catholicæ fidei cultum abjectis cœcitatis erroribus, divina cooperante clementia, induci procuraverant, ipseque Sebastianus rex etiam nunc cum gravissima impensa diuturnum bellum sustinendo, tam Septensem prædictam, quam Tingensem antiquissimas et nobilissimas civitates, quam Magazeni oppidum in partibus Africæ tenebat, cogebaturque tam pro prædictorum quam aliorum maritimorum locorum a barbarorum incursu defensione, unam classem sumptibus propriis sustentare, ac in dominio Indiæ, Persidis, et Arabiæ partibus continuo bella gerere, sperabatque præclaræ memoriæ progenitorum suorum Catholicorum regum vestigiis insistendo Christi fidem in partibus illis opera sua longe lateque propagari, nisi facultates tanto operi assiduoque bello necessariæ, quas non suppetentibus sui regni opibus deficere videbat, sibi omnino deessent. Quare nobis humiliter supplicari fecit, sicut pro eadem fidei causa nos et Romani Pontifices prædecessores nostri pluribus Christiani orbis principibus, præsertim charissimo in Christo filio nostro Philippo Castellæ, Legionis, ac Aragonum regi Catholico indulsimus, pro tanti belli, quod contra Mauros, Arabes, Turcas, Persas et Indos, ad fidei exaltationem prosequi intendebat, onere supportando auxilia et subventiones præbere, atque opportune providere dignaremur. Nos », et infra : « Revolventes ipsius Sebastiani regis progenitorumque suorum pietatem in ipsum Deum, singularem constantiam et devotionem, et in hanc Apostolicam Sedem reverentiam et merita, aliasque eximias ipsius Sebastiani regis dotes, quæ succedentibus sibi feliciter annis ipsum in magnanimum ac invictissimum imperatorem, Christianæque religionis propagatorem acerrimum more majorum suorum perducere debeant, ut speramus, considerantesque difficillimum esse ejus regni opes propter immensas in bellis prædictis gerendis expensas alieno ære, prout nobis innotuit, nimium gravatas, tantam molem bellorum, quæ in pluribus ac diversis locis contra Christiani nominis validissimos potentissimosque hostes geruntur, vix sufficere posse ». Et infra : « Sperantesque ipsius Sebastiani regis suorumque opem, ad reprimendos imminentes Turcarum impetus, nobis et Apostolicæ Sedi Christianæque reipublicæ magnopere profuturam, particularium Ecclesiarum opes atque redditus pro necessaria illarum, suorumque filiorum, et Christiani nominis, tam clericorum quam laicorum salutis causæ, atque salutis defensione, et ipsius religionis Catholicæ augmento larga manu suppeditari debere dignum et justum reputantes, habita prius super

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 34. — [2] Pius lib. reg. sig. num. 19. et num. recentiore 1953. p. 586.

hoc cum venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus in Consistorio nostro secreto, deliberatione matura, de unanimi illorum consilio et assensu, unum quinquaginta millium ducatorum cruciatorum nuncupatorum subsidium annuum usque ad quinquennium proximum a kal. Januarii proxime futuri computandis duraturum pro manutentione unius classis Ecclesiasticæ nuncupandæ triremium, seu navium, aut caravellarum, quæ intra kal. prædictas ultra triremes, naves seu caravellas per dictum Sebastianum regem instrui et teneri solitas, decenter instrui, ordinari et armari debeat, tam ad tuitionem et custodiam oppidorum et locorum, quæ in dictis Africæ partibus ipsius Sebastiani progenitores Christianæ reipublicæ sua virtute et industria adjecerunt, et in futurum ipse non minore fidei ardore divina favente clementia adjicere intendit, quam contra infideles et hæreticos vel schismaticos, sive ad offensionem, sive ad defensionem, et contra quoscumque in nostrum et Sedis Apostolicæ subsidium et defensionem dumtaxat servire, et cum nostris et Apostolicæ Sedis ex una, et ipsius Sebastiani regis ex altera partium insigniis educi debeat, super omnium Ecclesiarum et monasteriorum proventus Portugalliæ, et Algarbiorum regnorum », et infra : « Erogandum , Apostolica auctoritate tenore præsentium imponimus, etc. Romæ apud S. Petrum MDLXI, XIII kal. Octobris ».

EGO PIUS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

Adjectum est sigillum hac sententia insignitum : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*

« Ego R. card. de Carpo ep. Portuen.
« †............
« Ego Fed. car. Cæsius ep. Prænest.
« Ego Joannes card. Moronus ep. Sabin.
« Ego Otho de Valdburg card. Augustanus.
« †...........
« Ego Jo. Mi. card. Saracenus.
« Ego Jo. card. S. Vitalis.
« Ego Jac. card. Puteus.
« Ego Jo. B. Cicada card. S. Clementis.
« Ego G. Asc. Sfortia card. Camerarius.
« Ego Vitellotius card. Vitellius.
« Ego Carolus card. Borromæus.
« Ego I. card. de Aragonia.
« Ego Alf. card. Jesualdus.
« Ego Jo. Franc. card. de Gambara.
« Ego B. card. Tranensis.
« Ego Jo. card. Reomanus.
« Ego Jo. A. card. Capisuccus.
« Ego Clemen. Monil. card. Aræcæli.
« Ego Jo. Ant. card. S. Georgii.
« †............
« Ego Phi. card. a Burd.
« Ego L. card. Simoneta.
« Ego Ma. Ant. card. Amulius.
« Ego Hieronymus card. Correggius.
« Ego B. card. Navagerius.
« †............

74. Flagitante eodem Lusitaniæ rege, Pontifex, habito cardinalium senatu, Henricum Sebastiani regis patruum cardinalem legatum a latere in Lusitania creavit, amplissimisque mandatis instruxit, ut Ecclesiasticam eam classem adversus infideles conficiendam curaret, quæ subjectum Diploma [1] confirmat :

« Henrico tit. SS. IV. Coronatorum presbytero cardinali, Portugalliæ Infanti, nostro et Sedis Apostolicæ de latere legato.

« Intelleximus magnopere gratum nos facturos charissimis in Christo filiis nostris regi et reginæ, si tibi legationis munus in isto regno committeremus, sicut a felicis recordationis Julio prædecessore nostro olim tibi delatum fuit ; id nos etc ». Et infra : « Opportuno jam tempore eo etiam libentius accedente venerabilium fratrum nostrorum consilio fecimus, quod illis gratum admodum fore perspeximus, et cum hac in re ea, qua decuit benignitate, eorum desiderio satisfecimus, tum etiam de subsidio Ecclesiastico postulato precibus utriusque illorum et tuis libenter annuimus. Videmus enim illud pecuniæ subsidium impensum iri in classes, quibus continue bellum cum impiis fidei nostræ inimicis tuendæ et propagandæ religionis studio, tam feliciter quam pie geritur. Qua in re gaudemus eum majorum suorum vestigiis insistere, quorum præclara et gloriosa in Christianam religionem merita nulla obscurabit vetustas, nulla non prædicabit posteritas, quorum ad pia et fortia facta imitanda simul, et ad Apostolicam Sedem omnium fidelium matrem pari, atque illi fecerunt, devotione colendam minime dubitamus, quin tu, et serenissima regina illum assidue vestris præceptis et hortationibus dirigatis, etc. VI Octobris MDLXI, anno II ».

75. Gesserat hactenus una cum Henrico cardinale Lusitani regni procurationem Catharina regina Sebastiani regis avia, pietate ac reliquis virtutibus ornatissima, quæ tranquillioris vitæ studio, ut ad divinas res liberius animum applicaret, abjiciendæ regni administrationis, seque in monasticum secessum ad excolendam cum sanctimonialibus religiosam vitam conferendi consilium iniit, at de eo consultus Pontifex ipsam regni administratione abire prohibuit [2], cum non modo suæ, sed etiam aliarum animarum innumerarum saluti consulere deberet : asserendæ enim religioni et hæreticorum insidiis propulsandis strenuam operam dederat, atque

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CXXIX. — [2] Ib. sig. 2597. Ep. LIX.

a charitate alienum esset, nepotem pupillum in primo flore adolescentiæ deserere, ad quem regiis virtutibus erudiendum, et augendam, confirmandamque in eo regno religionis dignitatem incumbere jussit.

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catharinæ Portugalliæ et Algarbiorum reginæ illustri viduæ.

« Certiores facti sumus, te religiosæ studio quietis incensam statuisse, relicta regni istius procuratione, in monasterium aliquod secedere eo consilio, ut reliquam ibi ætatem exigas; quod propositum tuum non possemus non probare, si tuæ tantum salutis ratio tibi habenda esset, et si tibi uni viveres, sed cum in ista deliberatione serenissimum regem nepotem tuum et populos qui sub ejus regno sunt, respicere debeas, hortandam duximus serenitatem tuam et rogandam, atque etiam in virtute sanctæ obedientiæ monendam, ne regni procurationem relinquas, neve charissimum filium regem nepotem tuum, fidei et tutelæ tuæ commendatum, in illa pupillari ætate deseras ac destituas; alienum id profecto esset a charitate materna, alienum ab ea spe, quam in te piæ memoriæ rex conjux tuus habuit : si antequam is patre et avo suo orbatus fuisset, in monasterio ipsa inclusa vivere instituisses, maternæ charitatis viscera ad ejus teneram ætatem regendam, et ad consulendum tot ejus regno subjectis populis te inde extrahere debuissent, nedum eum illa ætate nunc relinquere, et ab ejus te abdicare tutela debeas. Credis ne, charissima filia, gratius Deo fore illud institutum ? ipsi vero divinæ majestati nihil est gratius charitate, quæ quanto plures sollicitudine sua beneficiisque complectitur, tanto est Deo gratior, et majora ab ea beneficia promeretur : nullas personas magis commendatas haberi, nullas majore studio protegi ac defendi Dominus in sacris Scripturis præcipit, quam pupillos : quod si omnes in illa orbitate tuendi sunt, quanto reges studiosius, et diligentius ? nempe quanto per eos plurimorum saluti inservitur, et ipsius Dei honori religionique magis consulitur. Habet quidem rex dilectum filium nostrum cardinalem patruum suum eximia virtute, summa fide, præstanti religione præditum, cujus tu fiducia videlicet tutelæ onus, et procurationis regni subterfugere statuisti : sed is sicut cura et diligentia sua laborem tuum magna ex parte est levaturus, ita ad id onus sustinendum teipsam sibi potissimum sociam et adjutricem requirit et desiderat. Vides quæ sint tempora, vides quantis procellis et turbinibus, latius in dies hæreticæ pravitatis peste serpente, Ecclesia Dei, et religio Catholica concutiatur et agitetur; tunc in tantis regnorum periculis ab istius regni defensione et regimine te subduces ? et ut tibi ipsi consulas, omne pondus in ipsum cardinalem tot aliis oneribus et curis laborantem rejicies ? Vide, quæsumus, ne parum pie facias deserendo pupillum, et pupillum regem, neve quæ omni cura et studio hæreticam pravitatem reprimere, ac populos istos in religione Catholica continere debes, quantum in te est, in discrimen adducas ipsorum populorum salutem simul et fidem in isto regno Catholicam. Hæc te amantissime monemus et hortamur, tantumque abest ut salutis æternæ viam tibi impeditiorem reddere velimus, ut tua apud Deum merita majora fore minime dubitemus. Semper Portugalliæ reges pro sua pietate hujus sanctæ Sedis auctoritatem plurimi fecerunt, semper piis ejus monitis paruerunt; ipsa vero omnibus in rebus Sedis Apostolicæ maximam cultricem te esse omni tempore declarasti : fac igitur, ut tuam nunc quoque pietatem, sicut confidimus, agnoscere, et obsequium laudare possimus, cum scriptum sit meliorem obedientiam esse quam victimas. Quod ut facias, tuæque unius quieti totius regni commodum, et tot populorum tanta ac tam pia studia ac desideria anteponas, nos, et pro ea auctoritate, quam a Deo in hoc loco positi habemus, iterum te monemus, et in remissionem peccatorum tuorum etiam suademus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XXX Martii MDLXI, Pontificatus nostri anno I ».

76. *Maria Scotiæ regina rosa aurea donatur.* — In Scotia religio Catholica adeo defloruit improbissimis Elisabethæ Angliæ reginæ studiis, ut pæne toto regno extincta visa sit, ac tantummodo in regia divina mysteria peragerentur, adeo ut Maria regina in tanta hæreticorum licentia atque impietate, rosa inter spinas videretur, ad quam Pontifex [1] rosam auream sacra prece lustratam vetere instituto, hoc anno congrue transmisit :

« Reginæ Scotiæ, etc.

« Benedictam solemni ritu nuper a nobis antiquo prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum more rosam auream in quarta Dominica Quadragesimæ, qua canitur in Ecclesia *Lætare, Hierusalem,* mittendam Serenitati tuæ potissimum esse duximus, ad nostrum erga te paternam benevolentiam declarandam, quæ tanquam rosa pulcherrima inter spinas suavissimum fidei et bonorum operum tuorum odorem longe lateque diffundis. Refert autem hic flos Dominum et Redemptorem nostrum Jesum Christum, qui de radice Jesse ortus, flos est campi, liliumque convallium, Ecclesiæ vero gaudium lætitiamque, ut tibi merito mittendus fuerit, quæ et ipsum Christum Dominum nostrum pura admodum atque integra fide, nec minore vitæ ac morum honestate colis, et universalem Ecclesiam tot filiorum amissione mœ-

[1] Pius IV, lib. brev. divers. sig. 2919. p. 211.

rentem tuæ fidei pietatisque constantia consolaris. Hoc tu igitur, charissima filia, munus non tam ex materia, quam ex mysterio, et nostro erga te animi testimonio æstimandum, pie admodum devoteque suscipe ». Et mox : « Sed ut sacrum munus sacra etiam cum cæremonia, sicut decet, accipias, post Missam ab aliquo, quem elegeris, episcopo, et in qua volueris Ecclesia, rite celebratam, ipsam rosam tradi volumus : illius aurei floris recordatione incitata ita in timore Domini et in mandatorum ipsius observatione persevera ac profice, ut ad illius cœlestis Hyerusalem gaudia sempiterna, ipso perducente Domino, pervenire merearis, etc. Die XXIII Martii MDLXI, anno I ».

77. *Principis Transylvaniæ consanguineum in ordine diaconatus constitutum nuptias inire permitit Pontifex.* — Hoc anno Pontifex consanguineum principis Transylvaniæ in diaconatus ordine constitutum nuptias gravi urgente causa inire cupientem, a nuncupati voti religione ad preces ejusdem Transylvaniæ principis de religione Catholica bene meriti exsolvit, de quo cardinalis Sancti-Sixti ad eumdem Transylvanum extant litteræ [1] :

« Waivodæ Transylvaniæ.

« Illustrissime princeps. Cum multorum nuntiis et fama ipsa mihi nota esset egregia dominationis tuæ illustrissimæ virtus, et insignis erga fidem ac religionem Catholicam, Sanctamque hanc Sedem Apostolicam devotio, eamdem ex tuis litteris, atque ex sermone egregii viri Georgii nuntii tui plenius cognovisse magnæ mihi fuit voluptati ; Summo Pontifici autem reverentiæ atque obedientiæ officium, quo per ipsum nuntium tuum functus es, gratum valde ac jucundum fuit, atque eximia te inter præcipuos sanctæ hujus Sedis filios charitate complexus est, quod in negotio consanguinei tui facile prospicere poteris ; cum Sua Sanctitas precibus ac supplicationibus tuis commota id ei concesserit a Subdiaconatus Diaconatusque vinculis absolvendo, quod arduum sane ac insolitum gratiæ genus est, etc. XXIII Martii MDLXI ».

78. *Saluberrimæ sanctiones a Pio IV editæ.* — Editæ sunt hoc ipso anno saluberrimæ plures Constitutiones, quibus magnifice nominis sui dignitatem ornavit Pontifex, aliisque operibus insignem pietatem explicuit. In primis cum advertisset nimia in homicidas indulgentia, flagitia impunitatis spe crescere, omnem veniæ spem iis sustulit, licet repetendæ ob acceptas injurias ultionis causa patrata dicerentur [2] :

« Considerantes (inquit) quod licet Deus, qui ex præcipui amoris sui dulcedine hominem ad imaginem suam creavit, in lege veteri populo illi rudi et infirmo mandaverit, proximum diligi, inimicum vero odio haberi permiserit ; tamen secundum Evangelicam doctrinam, quæ lege veteri excellentior et perfectior est, præcepit etiam inimicum diligi, et transgressorem hujus legis ultionem expectare debere innuit, cum dixit, qui gladio ferit, etc. VIII idus Januarii anno II ».

79. Eosdem etiam [1], ac sicarios et rebelles, et eos qui facinorosos ac rebelles exciperent, gravibus aliis pœnis coercendos sanxit. Sacerdotes impios abutentes sacræ exomologeseos Sacramento [2], ac mulieres ad flagitia et inhonestos actus incitantes sacerdotali dignitate exui ac supplicio affici jussit. Censorum fidei auctoritatem amplificavit [3] ; ad augendum divinum cultum sacerdotes, qui divinis officiis non interessent, quotidiano censu mulctavit ; cardinales graviter monuit, ne coitiones [4], vel arcanas pactiones pro creando successore Pontifice inirent.

Pauperum quoque, et egenorum curam suscipiens, ut certis continerentur ac sustentarentur locis, ne per Urbem vagarentur provide mandavit, ut Acta [5] Consistorialia declarant :

« Romæ die Veneris XXVII Junii MDLXI, fuit Consistorium, in quo Sanctissimus dominus noster deputavit reverendissimos dominos Moronum, Cæsium, Sabellum Urbis Vicarium, necnon camerarium ad providendum pauperibus mendicantibus, ne vagentur per Urbem, sed contineantur in certis locis, et illis de alimentis provideatur, vocatis etiam ad hoc deputatis a populo Romano ».

Fuit hoc sæpius Summorum Pontificum studium, ut ad pauperum levandam inopiam, certa quædam excitarentur loca, ubi alimentis corporalibus simul ac spiritualibus refecti, corpore quamvis ægro, non tamen inerti otio diffluerent ac torperent, quod imperialibus quoque legibus cavetur. Erant olim apud Ethnicos loca quædam [6] extra civitates pauperibus decreta, quod nimirum infelicitatis quoddam genus pauperiem existimarent, ideo timorem, pallorem, paupertatem ac senectam, tamquam noxia Numina a civitatibus arcuere : ac Romæ, ut innuit Plautus, extra portam Trigeminam, seu Tergeminam, quæ eadem est Ostiensis ac S. Pauli, stabant, aut sedebant tenues et egentes homines, ibique stipem petebant saccum manu tenentes. Horum Sedes in Vaticanum postea fuit translata, ut ibi esset pauperum statio, ubi Sanctorum Apostolorum sacrata conduntur corpora, qui Christum relictis omnibus sequentes peculiarem adeo pauperum curam suscepere,

[1] Card. Sancti-Sixti apud Pium IV. lib. brev. divers. sign. 2919. p. 213. — [2] Lib. brev. p. 60.

[1] Bull. Const. 7. — [2] Ib. 31. — [3] Ib. 36 et 40. — [4] Ib. 41. — [5] Act. Consist. sig. num. 134. p. 336. — [6] Cod. Just. l. XI. tit. 25. Alex. ab Al. dier. Gen. l. II. c. 4. Capt. Dram. Ammian. Marcell. l. XXVII.

ut sollicita ipsorum diligentia factum fuerit, quod ex tam magna multitudine, quemadmodum inquit Lucas [1], *Neque quisquam egens erat inter illos*. Procedente exinde tempore, distributis per Urbis regiones diaconis, demandata illis fuit cura pauperum, ac demum aliis pro temporum varietate remediis adhibitis in hoc descenderat Pontifex, quod et ab Aquisgranensi Concilio sub Stephano IV probatum reperimus; Can. namque 141 sic præcipit [2] : « Oportet, ut prælati Ecclesiæ præcedentium Patrum exempla sectantes, aliquod præparent receptaculum, ubi pauperes colligantur, et de rebus Ecclesiæ tantum ibidem deputent, unde sumptus necessarios juxta possibilitatem rerum habere valeant, exceptis decimis, quæ de Ecclesiæ villis ibidem conferuntur ». Sed cum Roma theatrum sit orbis, ac jure comparari possit sagenæ missæ in mare ex omni genere piscium congreganti, cum nova gens semper, quotidiano concursu frequenti cœtu ex omni parte sese infundat in Urbem, ut quæ mundaveris hodie, cras aspersa sordibus necesse sit reperire, quamvis multa excitata sint receptacula, occurri tamen de novo advenientium pauperum multitudini vagæ omnino non potuit, in quam tamen curam modo denuo sollicite incumbere SS. D. N. Clementem papam Decimum novimus et lætamur. Sed jam reliqua, quæ idem Pius in eodem Consistorio agitaverit, inspiciamus :

« Deputavit etiam reverendissimos DD. Moronum, et de la Cueva, Saracenum, Sancti-Clementis, Camerarium, Navagerium, et Sabellum pro reparatione, et restauratione Ecclesiarum, maxime titularium Urbis, qui debeant vocare cardinales titulares de quorum Ecclesiis pro tempore agetur pro reparatione hujusmodi facienda.

« Deputavit similiter reverendissimos S. Angeli, Sancti-Vitalis, Sabellum, Amulium et Camerarium pro provisione et reparatione facienda adversus inundationem Tyberis, et pro institutione novi alvei, et alias, prout expediens fuerit.

80. *Pauli IV nepotes neci traduntur, et Caroli V memoria vindicatur.* — Statutum hoc anno est a Pio inauditum justitiæ exemplum adversus Pauli IV Pontificis nepotes et propinquos, qui illius gratia et auctoritate ad sua flagitia abusi erant, et capitales inimicitias cum Carolo V Cæsare, et Philippo Hispaniarum rege, Gallica freti potentia, exercere ausi, senis capularis longiorem vitam esse non posse, et longas regum manus, instabilemque humanam felicitatem, non cogitarant. Caroli cardinalis Caraffæ causa cognita est a Pio Pontifice, atque ab eo judiciaria sententia pronuntiata, ut referunt Acta [3] Consistorialia :

« Romæ die III Martii MDLXI. Lectus fuit processus contra illustrissimum dominum cardinalem Caraffam, et lata sententia prout in cedula ». Excidit illius schedulæ exemplum. Tertio post die exercita est ejus sententiæ acerbitas, ut refert Joannes Franciscus Firmanus [1] sacrorum Rituum magister, his verbis : « Nocte sequenti post quintam diem Martii reverendissimus cardinalis Caraffa fuit in Arce S. Angeli strangulatus, corpus fuit delatum ad Ecclesiam B. Mariæ Transpontinæ : eadem nocte fuit decapitatus in carceribus Turris-Nonæ dux Palliani frater prædicti cardinalis, qui fuerat Confalonerius Ecclesiæ, comes Montorii et miles Ordinis S. Michaelis Franciæ; paulo ante mortem piis litteris filium hortatus est, ne ullorum principatuum spe, divini amoris et timoris cultum abjiceret, delitias temneret, pravorumque consuetudinem fugeret ». Porro de pio illius exitu extat singularis Epistola Bonsignorii Cacciaguerræ, quæ una cum aliis ejusdem piissimi viri editis litteris circumfertur.

Præcipuæ causæ illius capitalis in Caraffas judicii referuntur a Panvino in Vita Pii IV.

De Alphonso vero cardinale Caraffa libere dimisso, extant Pii Pontificis litteræ [2] ad Nuceræ, Andriæ et Mathalonæ duces, et marchionem Sancti-Lucidi consanguineos Alphonsi cardinalis, quibus significat se in eo liberando nativæ clementiæ suæ morem gessisse, ac doluisse, non reperisse Carolum Caraffam minus nocentem, ut in eum mitius ageret.

« Dilectis filiis nobilibus viris Nuceriæ, Andriæ et Matalonæ ducibus, et Sancti-Lucidi marchioni.

« Deus novit de cardinali Caraffa molestissime nos tulisse, nimia atrocitate criminum ejus coactos et compulsos nos esse id agere, quod egimus; id quod ex gestis quoque ejus causæ facile intelligi potest. Neque aliter sane agere potuimus, nisi Dei honorem, et hujus Sanctæ Sedis existimationem ac nostram negligere voluissemus; sed ut in eum miserum, cogente justitia, severi fuerimus, ita de dilecto filio nostro Alphonso cardinali Neapolitano, cujus longe alia causa erat, libenter mansuetudini et clementiæ nostræ obsecuti sumus, eo incolumi, et sibi, et vobis, ac cæteris propinquis suis restituto, de quo precibus nos vestris et nobilis familiæ vestræ cedere potuisse, cum ipsius, tum vestra etiam omnium causa lætamur, piumque quo erga illum functi estis, officium, valde in Domino laudamus. XIII Aprilis MDLXI ».

81. Appetierat inter alia flagitia Carolus Caraffa gravissimis calumniis Carolum V imperatorem et Philippum regem Hispaniæ, quod insidias vitæ Pauli IV Pontificis struxissent, ac

[1] Act. IV. — [2] Apud Labbe. tom. VII. Conc. — [3] Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 327.

[1] Jo. Franc. Firman. Diar. tom. XII. Ms. arch. Vat. p. 373. — [2] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. LIII.

nonnullos innocentes judiciis iniquis circumventos extremo supplicio affici jusserat, tanquam insidiarum conscios convictosque : quos Pius Pontifex innocentes pronuntiavit, atque Carolum imperatorem ac Philippum Hispaniarum regem ab omni calumniarum suspicione ac labe vindicavit subjecto Diplomate [1] :

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Ad Romani Pontificis, tanquam veritatis et innocentiæ liciti defensoris attinet officium, innocentium famam a calumniis et falsis criminationibus præservare, idque tanto studiosius, quanto innocentes ipsi, quorum illustre et clarum nomen calumniatorum audacia et nimis effrænata temeritas apud Sedem Apostolicam gravissimorum criminum labe polluere ac maculare tentaverit, in altiore honoris et dignitatis gradu constituti sunt. Hinc est, quod nos, qui dum in minoribus essemus, tempore felicis recordationis Pauli papæ IV, perspicuis cognoveramus argumentis, prout etiam omnium recti judicii virorum opinio erat, quondam iniquitatis et perditionis filium Carolum Caraffam, tunc Sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconum cardinalem, licet immeritum, tam ut honori et famæ claræ memoriæ Caroli V Romanorum imperatoris tunc in humanis agentis, ejusque ac nostri in Christo charissimi filii Philippi Hispaniarum regis Catholici detraheret, quam ut præfatum Paulum prædecessorem ad indignationem contra illos, bellumque gerendum induceret, quosdam processus super conficta violentia duarum triremium a portu nostræ, tunc ipsius prædecessoris, Civitatis-Vetulæ abductione, et circa quasdam litteras quondam ducis Palliani, tunc comitis Montorii ejusdem prædecessoris nepotis non minus conficta deceptione inique fabricari, et dilectum filium Joannem Franciscum Lottinum ex ea causa carceratum super eo, et etiam an apud eosdem imperatorem, et regem, ac nobilem virum ducem Florentiæ, aliosque principes et dominos contra dictum prædecessorem nostrum, ejusque personam, ac statum et Sedem Apostolicam, deque futuri Pontificis, eodem Paulo vivente, electione, ac de modo circa electionem hujusmodi tenendo tractasset, electionemque ejusdem Pauli ad Summi Pontificatus apicem tanquam illegitime factam, cum eisdem improbasset, nonnullosque venerabiles fratres nostros, tunc dicti Pauli ejusdem S. R. E. cardinales contra præfati Pauli personam et statum, ac Sedem Apostolicam machinatos fuisse scivisset, nullis prorsus præcedentibus indiciis, ne minima quidem suspicione interrogari et rigorose examinari, et quondam nobiles viros ducem Amalphitanum, et Don Bernardinum de Mendoza, tunc proregem Neapolitanum, et dilectos filios Garziam Lasso et Brisegnum abbatem nuncupatum, aliosque dictorum imperatoris et regis ministros, quod præfatum Paulum veneno necare, ac aliquos ejusdem S. R. E. cardinales ferro et tormentulis igneis per sicarios pretio et præmio conductos ad id transmissos interficere, etiam eorumdem prædecessoris et cardinalium familiaribus corruptis, ac uno Theutonico ad venenum in puteos Palatii Apostolici injiciendum misso tentavissent, falso imputari, et per tunc almæ Urbis gubernatorem, et Cameræ Apostolicæ auditorem, ac alios judices commissarios contra prædictos eorumdem imperatoris et regis ministros inquiri, et eos ex falsis et corruptis testibus, ac confessionibus nonnullorum, qui tanquam rei criminum prædictorum carcerati, et absque legitimis indiciis nullo juris ordine servato etiam contra seipsos, crimina, quæ non commiserant, tam per tormenta injuste illata fateri exacti, quam etiam per impunitatis pollicitationem subornati et inducti, demumque ne veritatem quandoque pandere possent, ultimo supplicio traditi fuere, processus institui procurasse et fecisse, et in vim eorumdem processuum, sicut præmittitur, confectorum, præfatos imperatorem et regem per eumdem Paulum prædecessorem nostrum, tanquam de scitu et mandato ipsorum dicta conficta crimina attentata et commissa fuissent, nulla etiam præcedente citatione, non minus inique inquisitos et processatos extitisse. Assumpti postmodum ad Summi Apostolatus apicem, divina favente clementia, statim in ipso Pontificatus initio dictos processus ad nos afferri jussimus, illisque diligenter inspectis eam, quam antea putaveramus, veritatem esse comperimus, utque illa in lucem prodiret, ac honori et famæ Caroli imperatoris et Philippi regis, aliorumque supradictorum consuleremus, dictum Carolum cardinalem ac nonnullos alios carcerari, et per venerabilem fratrem nostrum Hieronymum episcopum Sagonensem, almæ Urbis nostræ modernum gubernatorem, veritatem super præmissis, ac compluribus aliis gravissimis et atrocissimis criminibus per eumdem Carolum cardinalem commissis inquiri mandavimus ; et cum per inquisitionem et processum per ipsum gubernatorem desuper sic de mandato nostro factum, tam ex aliquorum confessionibus, quam ex aliis etiam probationibus, et urgentissimis præsumptionibus in eo deductis, prout ipsi, perlecto processu hujusmodi, deprehendimus, veritas omnium adversus præfatos confictorum criminum supradictorum apertius dilucidata extiterit, etsi de tam optimis principibus eorumque ministris, quid tale unquam suspicari, neque debuerit neque potuerit, minusque debeat nec possit, ut nihilominus, sicut par et æquum erat, ac nostro incumbebat officio, Caroli Quinti imperatoris claram memoriam, et Philippi Hispaniarum regis Catholici

[1] Pius IV. reg. sign. 1953. p. 373.

nomen gloriosum a tam indignis calumniis, quantum in nobis est, vindicaremus, et ministrorum prædictorum, qui falso insimulati fuerunt, famæ et existimationi prospiceremus, nostra definitiva sententia in Consistorio nostro secreto coram venerabilibus fratribus nostris ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus in throno justitiæ sedentes lata, pronuntiavimus et declaravimus omnia et singula crimina in processibus prædictis contra præfatos imperatorem et regem eorumque ministros contenta, falso et contra veritatem ex composito per dolosam machinationem conficta, processusque prædictos super illis, tam contra Lottinum, quam contra Theutonicum supradictos, et quemdam Cæsarem Spinam et abbatem Nannium ultimo supplicio traditos, quantum ad dictos imperatorem et regem eorumque ministros attinebat, inique et dolose, ac alias, sicut præmittitur, formatos et institutos fuisse, et propterea ipsos, omniaque in eis deducta respectu præmissorum cassari, aboleri et annullari debere, ac Carolum V imperatorem, et Philippum regem, omnesque alios supradictos ab omnibus et singulis, de quibus in processibus supradictis, innocentissimos fuisse et esse, ac nos etiam processus, et in eis deducta et cætera prædicta cassavimus, et abolevimus, et annullavimus, cassarique et aboleri, eisque in posterum nullam fidem adhiberi mandavimus; ac ne ullo unquam tempore tam iniquis calumniis et falsitatibus referti, ac super illis fabricati et detestandi processus contra præfatos imperatorem et regem, ut præmittitur, formati apparere et videri queant, quod quidem candore, quo semper Sedes Apostolica præfulsit, valde indignum esset, illos igni tradi et comburi mandavimus, ac perpetuum desuper quibuscumque calumniatoribus deceptoribusque silentium imposuimus, prout etiam per præsentes litteras nostras motu proprio, et ex certa nostra scientia declaramus, cassamus, abolemus, mandamus, atque imponimus, ac irritum et inane, si quid secus a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, decernimus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, cassationis, absolutionis, mandati et impositionis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI, VII idus Maii, Pontificatus nostri anno II.

« Fed. cardinalis Cæsius.

« F. de Lyon ».

82. *Quisnam tunc fuerit status aulæ Gallicæ.* — Sed quia luctus luctum excitat [1], modo ad plangenda, quæ in Galliis evenerunt funera, stilum convertamus. Ineunte anno coactis tribus Gallici regni Ordinibus Joannes Quintinus, juris Pontificii professor, Lutetiæ orationem habuit prolixam, sed eruditione pietateque florentissimam, ad Carolum IX regem, ex qua hæc visa sunt delibanda : « Hoc a te auxilium petimus, Carole rex, hujus nominis None, quod a primo majores nostri sacræ Ecclesiæ ministri impetrarunt; quod in Francisco II fratre tuo rege innocentissimo, et vita longiore dignissimo, quoad breve ejus regnum permisit, experti sumus; quod ab illo Clodoveo huc usque majores tui Galliæ reges nobis cumulate præstiterunt : petimus, inquam, ut in fidei capitibus, in Sacramentis, eorumque usu, in Traditionibus Ecclesiasticis, antiquorum Patrum Constitutionibus, cæremoniisque in Ecclesia Romana et universa, quam Catholicam vocant, ab illorum temporibus huc usque usitatis, nihil innovetur, a quibus discedere nobis nefas esse ducimus. Petimus, ut si quis novarum religionum, aut potius veterum, et jam diu sepultarum, antiquisque Conciliis damnatarum persuasionum velut ex inferis excitator libellum offerat, ut hujusmodi pestibus templa ad exercendam suam impietatem condonentur, quemadmodum in privatis quarumdam provinciarum conventibus libellos oblatos audivimus, ut (inquam) qui hujusmodi libellos circumferet aut offeret, tanquam hæreticus, id est, falsæ religionis convictus, puniatur. Hic est vetus hæresiarcharum mos, ut Ecclesiam adversus Ecclesiam, altare adversus altare, templum adversus templum erigere, et Deo aliquem velut socium addere conentur; quæ malignitas, Apostolorum canone trigesimo primo satis redarguitur. Circiter annum a Christo CCCXC, Ambrosius Arianis templa Mediolani condonare recusavit, quanquam, ut condonaret, Valentinianus II imperator vehementer instaret. Clamabat hinc imperator cum exercitu : Trade Basilicam, namque mei sunt omnia juris. Respondebat Ambrosius : Nec mihi fas est tradere, nec tibi, o imperator, expedit accipere. Quæ divina sunt, imperatoris majestati nec potestati subjecta sunt. Circiter annum Christi CDX aut CDXII Gainas, natione Scytha, Romani exercitus, tam equitum quam peditum dux, imperii invadendi avidus templum sibi suisque Arianis, qui Dei omnipotentiam, Christi divinitatem negabant, in urbe Constantinopoli dari ab Arcadio imperatore postulavit. Id Arcadius, Gainæ audaciam veritus, annuit; accersitus, ut traderet, Joannes Chrysostomus episcopus, ita Gainam allocutus est : Aut eamdem cum imperatore religionem sequeris, aut alienam : si eamdem, templa nostra, ut ores, tibi patent; si alienam, nulla tibi templa in hac urbe tradenda sunt, ut conventicula tua facias, verum ut proditor ex imperio exturbandus es : et is quidem proditio-

[1] Francisc. Belcar. l. XXIX. num. 19.

nem statim declaravit, et ab imperatoris exercitu cæsus est : et hæc quidem de templis, sive Basilicis hæreticis tradendis dicta sint. Proximum est, ut majestatem tuam obsecremus, uti Justiniani imperatoris, et qui tibi magis imitandus est, Caroli magni decretum renoves, et tua auctoritate confirmes : id ita habet : Omnes secundum canones et Patrum regulas vivere cogam. Ne patiaris, rex Christianissime, hanc injuriam antiquis illis Patribus fieri, quibus Christianismum debemus, ut deliri, et eorum Concilia deliramenta appellentur. Hæc Montani impia sententia est, qui circa annum Christi CLXXV sanctissimos prophetas Isaiam, Hieremiam, Ezechielem et cæteros sua deliramenta (prophetias illorum intelligebat) extra se positos insano animi impetu, non divina inspiratione, effutiisque dicebat. Hæc Macedonii impietas est, qui circa annum Christi CCCXLV, Spiritum sanctum atque ejus effectus negabant. Montaniani sunt, et qui ab octingentesimo anno huc usque Christi Evangelium pie probeque intellectum negant, quasi Dei Spiritus Ecclesiam Christi sponsam tot annis contra ejus promissum pro derelicta habuerit. Sic Montanus Dei spiritum nulli, antequam sibi, ne Apostolis quidem datum gloriabatur, quasi Dei veritas, ne omnino periret, istos in auxilium expectavit, ut inquit Tertullianus. Hoc hæreticorum, ut vulgari verbo utar, proprium est, ut se omnibus, qui sunt et qui fuerunt, doctiores esse jactent, unde et a Græcis Gnostici per ironiam appellati sunt, quasi omnium scientissimi. In corrupti hujus sæculi moribus, quis Evangelium, hoc est, vitæ integritatem, animæ salutem, pia et salutaria opera, observantiam erga Magistratus, erga Deum et proximum charitatem magis intelligit, quam pii illi Patres, qui Conciliis, sub Carolo Magno celebratis, Moguntino, Rhemensi, Turonensi, Cabilonensi, Arelatensi interfuerunt? quam qui in Aquisgranensi Gallicorum celeberrimo sub Ludovico Pio Caroli Magni filio pia decreta sanxerunt? Cujus Concilii tres libri ab episcopis qui interfuerunt scripti, et Pipino Aquitaniæ regi ejusdem Ludovici filio dicati extant, quorum lectione quantam sanctissimi illi viri sacrarum litterarum scientiam consecuti essent, quivis intelligere potest. Si Dei Spiritus in sanctis illis viris fuit, qui intra octingentos superiores annos floruerunt, quem successione continua ab Apostolis acceperunt, et ad nos transmiserunt, certe in novatoribus istis, et novarum sectarum auctoribus aut professoribus esse non potest; sin in illis non fuit, omnes Christiani ab octingentis annis, et qui hodie Romanam religionem profitentur, extra Christi Ecclesiam sunt, extra quam nulla est salus, ut vulgo dicitur, et in numero impiorum habendi sunt, quod nemo nisi insanus confiteri audebit. Ne igitur, rex Christianissime, Christianos cum non Christianis commisce, hæretici enim Christiani non sunt, et Theodosii junioris ac Valentiniani III decretis circa annum Christi CDXXXVII editis, Christianorum nomen sibi vendicare prohibentur, auctorum suorum nomina sibi attribuere jubentur : ut Ariani, Macedoniani, Nestoriani, et sic ab aliis appellentur qui sacram Scripturam ex privatis suis affectibus huc illuc trahunt atque pervertunt. At nos, qui Romanæ religionis fidem profitemur, cæterarum non Lesbiam, sed veram et exactam regulam, ad quam dirigi debent, ex veterum Conciliorum decretis, ex antiquorum Patrum, et Ecclesiæ doctorum auctoritate, ex Apostolicis Traditionibus eamdem interpretamur. Cum igitur novatores isti extra Ecclesiam sint, a qua se excluserunt, et sacris Christianis interdicantur, id est, ut vulgo loquimur, excommunicati sint, obsecramus majestatem tuam, rex Christianissime, ut nullum illis permittas nobiscum in posterum commercium, vel consuetudinis, vel mercium, vel alterius cujuslibet rei, quarum specie perversam suam doctrinam propagare solent. Id si in bellis inter finitimos observatur, quibus de corporum vita et fortunis certamen est, quanto magis, cum de animorum internecione agitur, observandum est? Anno Christi CDXXX, iidem imperatores Theodosius junior et Valentinianus III Constantini Magni, ac trium ejus liberorum, aliorumque aliquot Romanorum imperatorum decreta renovarunt, hæreticos proscripserunt, et a toto Romano imperio excluserunt, eorumque fortunas publicæ hastæ subjecerunt, illos ipsos intestabiles declararunt, quæ pœna ad extremum supplicium proxime accedit, cui eosdem Martianus addixit, etc. »

83. Non audita sunt a Catharina regina veracia hæc monita et saluberrima consilia, politicas enim secuta opiniones ad acceptam regni administrationem sibi asserendam, curas omnes convertit, ad quam retinendam, cum sibi Calvinianos adhæsuros, si iis studeret, opinaretur, illorum factioni aliquatenus favebat. Decretum itaque in iis Comitiis, ut rescissis Francisci II et aliorum regum adversus hæreticos legibus [1], « Qui religionis ergo in custodiam dati fuissent, emitterentur, et ne quis in eos, aut in eorum possessiones ageret, ne quis alteri religionem exprobraret ». (1) Hæc fuerunt infelicis regni Caroli IX, quo tantum sanguinis Gal-

[1] Belcar. l. XXIX. num. 22, 25.

(1) Edicta Gallicana in causa religionis paulo diligentius explicanda sunt, duce du Tillet in Chronico. Die XXVIII Januarii publico edicto cautum est, ne judices quidquam moverent in heterodoxos illos quos de mota seditione habebant suspectos, additumque, ut quos tenebant arctiori carcere inclusos latiori permitterent. Die mensis ejusdem XXX, disputationes omnes in causa religionis silere jussæ;

lici fusum est, auspicia, cum Hospitalis politici consiliis se regendam Catharina regina dedisset. Aurelia translati sunt Pontisarum, ac rex ad Fontem-Bellæ-Aquæ secessit nonis Februarii, quo Condæus Calvinisticæ factionis princeps excitus, ac III idus Martii in sanctiore consilio absolutus est, a quo innocentium Catholicorum fuso sanguine Gallia funestanda erat. Mox Calvinistica impietas augeri admodum cœpit, Hugonottis ministris apud Condæum et Colinium impias conciones habentibus; nam licet Navarræ rex extremo superiore anno obsequium cum regina Joanna Pontifici detulisset, tamen in fide fluctuabat, et Joannes Monlucius pseudoepiscopus Valentinus Calvinisticæ, impietatis professor, in majore aula concionabatur, ac late Calvinisticam impietatem diffundebat. Quadragesimalibus jejuniis Parisiis publice caro vænalis proposita est. Tunc tamen Mommorantius magister equitum, licet filio Francisco natu maximo Calviniano importune renitente, et frementibus nepotibus Castilionibus hæreticis, Guisii, Monpenserius et Sanctandreanus regiorum castrorum præfectus, die resurgenti Christo sacro, sumpta Christiano more Eucharistia, sacrum fœdus pro defendenda atque asserenda religione Catholica pepigerunt, quod Galliæ salutem attulit. Ut vero aula regia in duas religiones, ita in duas factiones discissa est, idemque malum in urbibus ingravescebat, ut res ad civile bellum, ac mutuam Gallorum internecionem spectaret, et hæretici in Catholicæ pietatis contemptum impudenter Papistas appellare Catholicos ausi, contra Catholici Calvinistas Hugonottorum nomine perstrinxere, atque ab iratis vocibus, ad gladios, et cædes, ac seditiones ventum est; cui malo, ut mederetur regius senatus edicto vetuit, ne qui sibi hæc nova seditionum vocabula Papistarum atque Hugonottorum, aut alia hujusce notæ exprobarent. Rejectum est sapienter senatu Parisiensi hoc regium Diploma, quod viderentur eo variæ religiones induci: « Cum a Clodovæo primo », inquiebant illi, « rege Christiano in hunc usque diem una et sola Romana religio, quam Catholicam et Universam vocant, in hoc regno culta sit, cæteræ religionis sectæ, si quæ forte intervenerunt, repente rejectæ sint, hinc reges nostros Christianissimos vocari ». Subrogatum mense Julio illius loco aliud edictum, quo religioni Catholicæ cautum est, visuri sumus.

84. *Cardinalis Ferrariensis in Galliam legatus mittitur a Pio, qui infelicem statum religionis deplorat in illo regno.* — Catholicæ religionis pericula, atque impietatis Calvinisticæ late per Galliam diffusæ progressus infelices audiens Pontifex, ut tantis malis mederetur, Hippolytum card. Ferrariensem legatum Apostolicum in Galliam decrevit, illumque amplissimis mandatis ad coercendos hæreticos, atque asserendam Catholicam religionem instruxit, habito ea de re cardinalium senatu secunda die Junii, ut referunt Acta [1] Consistorialia: « Deputavit legatum ad Christianissimum regem reverendissimum dominum cardinalem Ferrariensem, cum facultatibus ». Hortatus vero est Carolum regem subjectis litteris [2] ut ad dissidia religionis compescenda, ac sedandas seditiones saluberrima legati consilia sequeretur:

« Charissimo in Christo filio nostro Carolo Francorum regi Christianissimo.

« PIUS PAPA IV.

« Charissime in Christo fili noster, etc. In plurimis atque gravissimis curis, quas in hoc loco a Domino constituti, tam turbulento, tam misero ac luctuoso Ecclesiæ tempore sustinemus, illa, ut novit Deus, præcipue cor nostrum angit sollicitudo, ille animum nostrum excruciat dolor, quod inclytum regnum istud, quod reipublicæ Christianæ robur, Ecclesiæ Catholicæ præcipuum ac nobilissimum vinculum semper est habitum, quod concordiæ bono antea præter cætera regna frui, nec minus puræ et orthodoxæ religionis cultu ac pietatis laude florere, quam rerum gestarum gloria consuevit, hoc tempore disseminatis a Sathana zizaniis deformatum atque turbatum est. Quibus nos malis pro officii nostri munere, et pro eximia charitate, quam Francorum regibus ita de se benemeritis Apostolica Sedes semper impendit, adhibueramus remedia, quibus res istas in commodiorem statum redigi posse speramus, sed quoniam adhuc minus spe et opinione nostra profecimus, necessarium esse existimavimus, legatum isthuc mittere ad res istas Dei auxilio componendas, ampliore ei potestate concessa, quam alii quibus vices nostras isthic delegavimus, obtinent. Utinam autem ipsi potius venire potuissemus, omnem laborem libentissimo animo suscepissemus, sed quoniam ab hac specula divinitus tradita recedere, nos pastoralis

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. Jo. Franc. Firmanus Diar. to. XI. Ms. arch. Vat. — [2] Pius IV. to. II. brev. sign. 2897. Ep. CLIV.

dissidentesque partes amice inter se, ut viverent mandatum est; quod iterum Februario mense edicto ad Fontem bellæ aquæ lato confirmatur. Nec diu post rex Navarræus rectoribus imperii adjectus est, non quidem rectoris, sed locum-tenentis nomine et potestate. Secundum hæc Maio mense Carolus IX rex insignia regalia suscepit, et Condæus princeps judiciali sententia ab omni impacto crimine immunis declaratur. Tantam hæreticorum tranquillitatem subita coorta procella turbavit; cum Julio mense publico edicto denuntiatus fuerit ministris e regno secessus, nec deinceps religio alia præter Catholicam permitteretur. Injunctum insuper, ut Ecclesiastici de hæresi, regii vero ministri de violatione legum cognoscerent. Septembri mense Poissiaci (Poyssi) colloquium inter hæreticos et Catholicos theologos institutum, sed irrito conatu. Anni sequentis Januario mense prodiit Constitutio, quæ edictum Januarii appellata est; copiam faciens heterodoxis conciones more suo habendi in suburbiis, quæ dum fierent, regiis ministris imperatum est, ut adsisterent, ne quid interim contra jus et fas tentaretur.

MANSI.

officii ratio minime passa est in hoc tempore, de venerabilium fratrum nostrorum consilio ac assensu elegimus dilectum filium nostrum Hyppolitum Sanctæ-Mariæ in Aquiro diaconum cardinalem, de Ferraria vocatum, quo nec fideliorem quemquam, nec honoris et gloriæ tuæ, et Gallici nominis amantiorem mittere potuimus, qui etiam affinitatis vinculo tibi conjunctus, maxima ætatis suæ parte isthic ita versatus est in intima familiaritate claræ memoriæ patris et avi tui Christianissimorum et prudentissimorum regum, et utrique eorum probatissimus et acceptissimus fuit, nec pro eorum dignitate et gloria ullum unquam laborem ullumve periculum recusavit. Et quoniam prudentia quoque ac dexteritas in rebus agendis quærenda fuit, præter cæteras ejus egregias virtutes, his quoque bonis ita eum ornavit altissimus, eaque ipse ita auxit usu et tractatione rerum maximarum, ut nihil tam arduum atque difficile sit, quod non ei rectissime committi posse confidimus. Ei igitur in Dei nomine commisso plenæ legationis officio de latere nostro, tanquam pacis angelum ad majestatem tuam misimus piis votis et precibus prosecuti, ejusmodi mandatis et obtestatione, ut omnia studia, omnes curas et cogitationes suas defigat in majestatis tuæ gloria, in regni tui quiete, tranquillitate et concordia restituenda, nullumque officium prætermittat, quod pertineat ad declarandum paternum erga te animum nostrum, cujus ipse testis est optimus, et de cæteris consiliis nostris ad gregis Dominici salutem spectantibus te diligenter edoceat; quod ille munus quanquam valetudine tenui et imbecilla, tam alacri suscepit animo, non itineris longitudine deterritus, non viarum asperitate commotus, non anni tempore ad faciendum iter propter ingentes calores incommodissimo retardatus, ut incredibile quoddam studium exequendi pia mandata nostra declaraverit. Majestatem tuam hortaremur in Domino, sicut mos est, ut pro Sedis Apostolicæ reverentia benigne et honorifice eum exciperes, sicut majores tui Christianissimi reges et Sedis Apostolicæ observantissimi, quorum vestigiis insistere debes, legatos ab hac Sede missos excipere consueverunt, sed adventus eum suus, et summum ac singulare studium erga res tuas satis commendabunt. Ut vero amantissimis ejus fidelissimisque monitis, imo nostris ore illius proferendis, aures benignas præbeas, piisque salutaribus consiliis acquiescas parem illi fidem habens, atque nobis ipsis esses habiturus, de nobis denique ea omnia tibi pollicearis, quæ ab amantissimo Pontifice, quæ ab optimo Patre pius filius, et Christianissimus Francorum rex expectare debet, majestatem tuam rogamus et obtestamur, omnipotentem Deum precantes, charissime fili, ut te incolumem custodiat. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo piscatoris die XXVIII Junii MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

85. Rogavit quoque Pontifex Antonium Navarræ regem [1], quem regina Catharina in regni administrationis societatem asciverat, verita ne omnino eo munere submoveretur, ut regia studia ad componendos Galliæ tumultus adhiberet, ac legatum, cujus omnia consilia ad publicam salutem et Dei gloriam spectarent, sua auctoritate fulciret :

« Quantum, inquit, spei et fiduciæ istarum rerum componendarum in tuæ serenitatis prudentia, virtute et auctoritate repositam habeamus, ex eo audies, cujus orationi super his, quæ tibi post salutem et benedictionem nostris verbis impertitam nostro nomine exponet, fidem ut habeas, ejusque actiones directas ad Dei honorem et animarum salutem, ac regni pacem, quietem atque concordiam consilio et auctoritate tua, sicut confidimus, ut adjuves, serenitatem tuam in Domino hortamur et omni animi studio requirimus. XXVIII Junii MDLXI ».

Monuit præterea Pontifex amanter Ludovicum Navarri regis fratrem Condæi principem [2], ut generis sui memor legatum pro publica regni concordia promovenda missum, officiis suis juvaret :

« Dilecto filio, nobili viro, principi Condæo.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Dilectus filius noster Hippolytus cardinalis de Ferraria isthuc a nobis missus fuit Apostolicæ Sedis legatus ad consulendum istius inclyti regni quieti, tranquillitati atque concordiæ. Is nobilitatem tuam nostris verbis salutabit, et quantopere pias et salutares ipsius actiones tuo studio adjutum iri speremus, exponet. Quam nostram de te spem, ut piis officiis tuis comprobes, sicut genere tuo dignum est, nobilitatem tuam in Domino valde hortamur. Dat. Romæ apud S. Petrum die XXVII Junii MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

86. Fascinatus adeo erat princeps Condæus ministrorum Sathanæ fraudibus, ut nullum pietatis sensum ac sanioris mentis consilium admitteret, sed ad proferendum Calvinismum omnia studia viresque converteret, adeo ut inde graves motus Ambiani, Bellovaci, Pontisaræ atque Lutetiæ exorti sint, tanquam funesta impendentium malorum præludia; ac Bellovaci quidem Odettus Castilio cardinalis, ejus urbis episcopus, Judæ proditoris exempla secutus, apostatam se fidei professus est, dum in festo Paschali sacris in principe Ecclesia peragendis interesse noluit, sed in privato palatii colloquio, cum domesticis et aliquot civibus impietate corruptis non cœnam Domini, sed Calvini vel Sathanæ, cui se devorandum dedit, sub utraque

[1] Pii IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CLVI. — [2] Ib. Ep. CLXXI.

specie peregit, inde populus sacro fidei studio ardens in eum tumultum excitavit, ac sacerdotem proditorem, qui pueros sibi commissos preculas Calvinisticas docebat, interfecit. Lugduni [1] horrendum pariter crimen ab audacissimo Calvinista patratum est, nam cum more solito, die festo Corporis Christi Eucharistia circumlata esset in publica supplicatione agmine instructo religioso celebrata, eamque sacerdos esset in altari repositurus, ferox hæreticus insiliit, eamque ex ejus manibus rapuit eam pedibus conculcaturus, sed sacræ species ereptæ ab impio conatu, ac nequissimus ille furcifer eodem die vivus exustus est, urgente causam flagrantissimo fidei studio in impium Antonio de Albone archiepiscopo, qui cibo abstinuit, donec judiciario ordine lata sententia pœnæ de impio repetitæ essent; et hæc fuere Calvinistici furoris initia, qui postea adeo effuse in Gallia debacchatus est, ut ex permissa a regina Catharina hæreseos libertate, adauctæ sint in immensum Gallici regni, olim, dum religio in eo floruit, florentissimi, calamitates, ut queritur Pontifex in litteris [2] cardinali Ferrariensi de legatione illi decreta ad instaurandam religionem, delendamque hæresim datis :

« Dilecto filio Hyppolito Sanctæ-Mariæ in Aquiro diacono cardinali, Ferrariensi nuncupato, ad charissimum in Christo filium nostrum Carolum Francorum regem Christianissimum, et totum regnum Franciæ nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato, salutem, etc.

87. « Cum nos hodie te ad charissimum in Christo filium Carolum Francorum regem Christianissimum, et totum regnum Franciæ, ac universas provincias, civitates et terras eidem Carolo regi subjectas, et quæcumque alia loca, ad quæ te declinare contigerit, pro reipublicæ et religionis Christianæ negotiis, nostrum et Apost. Sedis de latere legatum ad Dei laudem, et Ecclesiæ Catholicæ exaltationem, hæresumque extirpationem de fratrum nostrorum consilio duxerimus destinandum, nos, qui quantum regni ipsius, nuper pietate et fide clarissimi, nunc hæresum tenebris oppressi calamitates jam in immensum adauctas, et ni divina providentia resistat, inevitabilem ruinam minitantes, quamque ex animo dolemus, tantum etiam in sedandis illis curarum atque operæ sedulo impendimus, plurimum spei secundum Deum in tuis virtutibus, quibus ab illo maximis insignitus es, ponentes, ut tibi ad eximiam voluntatem tuam, quæ nobis probatissima est, potestatem applicandi negotium tibi commissum concedat, ita quod tandem levi aura cœlestis spiritus depulsis errorum nebulis, redivivo solis æterni lumine fotum, tuaque diligentia probe excultum, ac sentibus et spinis omnibus purgatum, suaves atque uberes Domino fructus ferat, motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de potestatis Apostolicæ plenitudine citra tamen facultatum, quas nos pridem super his venerabili fratri Francisco episcopo Ostiensi, de Turnone, et dilecto filio nostro Carolo tit. Sanctæ-Apollinaris presbytero, de Lotharingia, nuncupatis cardinalibus hæreticæ pravitatis inquisitoribus in illis partibus a nobis deputatis per diversas nostras litteras concessimus, necnon quorumcumque inquisitorum ejusdem pravitatis Apostolica auctoritate deputatorum revocationem, circumspectioni tuæ intra limites tuæ legationis hujusmodi una cum dictis Francisco episcopo et Carolo cardinalibus, vel altero eorum, qui tunc præsens fuerit, aut interesse potuerit, seu voluerit, utroque vero absente, aut nolente, vel impedito solus contra quoscumque utriusque sexus, tam laicos quam Ecclesiasticos, sæculares et quorumvis etiam mendicantium ordinum, ac Congregationum et militiarum regulares etiam in sacris et presbyteratus Ordinibus constitutos, ac quæcumque, quotiescumque et qualiacumque beneficia obtinentes, etiam exemptos et dictæ Sedi immediate subjectos, ac quocumque privilegio suffultos, Lutheranæ aut quarumcumque aliarum hæresum vel opinionum a dicta fide alienarum sectatores illasque tenentes, sive sortilegia hæresim sapientia committentes, seu de his diffamatos vel suspectos, aut schismaticos illorumque fautores, et illis auxilium vel consilium directe vel indirecte, publice vel occulte præstantes, cujuscumque status, gradus, ordinis, conditionis et qualitatis fuerint, et quacumque Ecclesiastica, seu etiam ducali, vel potiori mundana dignitate vel excellentia præfulgeant ». Et infra : « Procedendi liberam et omnimodam facultatem, absolutamque potestatem, te in regno ac locis præscriptis nostrum et Apostolicæ Sedis commissarium et hæreticæ pravitatis inquisitorem generalem constituendo et deputando, tenore præsentium concedimus et indulgemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI, V kalendas Julii, Pontificatus nostri anno II ».

88. Adduxit secum legatus in Gallias viros pietate et eruditione theologica florentissimos, inter quos fuit Laynes socius S. Ignatii, ejusque in supremo Societatis Jesu magistratu successor, a quo saluberrimis monitis Catharinam reginam iniquis studiis partes hæreticas efferentem correptam visuri sumus. Porro religio Catholica efferri mox a decreta hac legatione visa est, regiis enim edictis mense Julio compressa est hæreticorum licentia, vetitis conventiculis, ac prohibita Sacramentorum ritu Calvinistico administratione, ut narrat Belcarius his verbis : « Mense Julio, rex in senatu Pari-

[1] Severt. in Chronol. Lugd. — [2] Pius IV. reg. 19. sign. num. 1958. p. 429.

siensi sedens, Navarro cæterisque regiæ stirpis, aliisque principibus Franciæ patritiis et sanctioris consilii proceribus comitatus, cuncto senatu comprobante edictum edi jussit, quo interdictum est ne quis cuiquam religionis specie, aut alia de causa injuriam faceret, contumeliamve imponeret; ne quemquam verbo, aut re ipsa publice aut privatim lacesseret, neve seditioni occasionem ullam præberet, pœna capitis indicta : ne quis scripto quod ad factionem aut seditonem vergat nomen det; ne qui ad populum docendum concionantur eumdem ad seditiones incitent, sed in puræ religionis sinceritate et tranquillitate contineant. Seditionum causas judices regii, quos præsidiales vocant, singuli in suis præfecturis sine ulla provocatione cognoscent, sententias tamen vel mortis, vel quæstionum, vel alterius supplicii, aut absolutorias, nisi denarium numerum impleant, non ferent. Si quis de aliquibus querendi occasionem habebit, ad eosdem judices recurret; privatim nihil molietur. Omnia conventicula publica cum armis, aut sine armis, privata quoque, ubi de religione conciones habebuntur, aut sacramenta administrabuntur, aliter quam haberi aut administrari in Romana Ecclesia solent, bonorum et corporum proscriptione damnabuntur ».

Carolo rege sacris regiis initiato ritu solemni Carolus cardinalis Lotharingius Rhemis postulavit, ut certa lex de religione statueretur ad seditiones, quarum alioqui nullus modus futurus esset, comprimendas, atque ex edicto Remorentinensi superiore anno a Francisco II edito hæreseos criminum cognoscendorum provincia Ecclesiasticis demandata, si tamen illorum consensu ad judices regios pervenerit, gravior exilio pœna imponi vetita, donec vel universi Concilii, vel Gallicæ nationis decreto aliter statuatur : sed fixæ leges paulo post refixæ, atque Castilio amiralius importunis apud Navarrum precibus conquestus novatores edicto severiore percelli, suasit, ut accersitis Petro Martyre et Theodoro Beza hæresiarchis, qui eloquentia sua ad impietatem propagandam abutebantur, colloquia fierent cum Gallis episcopis et theologis Sorbonicis, cumque legibus in amiralium hæreticum atque propagatorem hæreseos agendum fuisset, exceptæ sunt a Catharina regina et rege Navarræ, et aulicis curiosis impiæ fraudes; probi tamen ac docti viri illud colloquium improbarunt, cum imbecilles animæ ab hæreticis versutissimis hæreseos laqueis essent irretiendæ, atque auctoritas impiæ superstitioni consuleret; ad id autem disturbandum Academiæ Sorbonicæ theologi hunc supplicem libellum regi porrexerunt [1], ne qui adversus Ecclesiæ veterem doctrinam novarum religionum superstitiones inducere conantur, ulla ratione audiantur, eorumque fautores repellantur :

89. *Renitentibus licet doctoribus Sorbonicis Calvinistæ colloquium cum Catholicis obtinent : quænam agitata fuerint in colloquio Possiaco.* — « Decanus doctoresque facultatis theologiæ Parisiensis, regiæ Christianissimæque vestræ majestatis servi humiles, atque obedientissimi oratores suppliciter orant.

« Cum, rex Christianissime, regnum vestrum semper cum maxima prosperitate floruerit, tam in bonis temporalibus quam spiritualibus, ac semper reformidatum, honoratum, laudatum, exaltatum ab omnibus nationibus, quamdiu unius fidei leges in eo viguerunt, præsertim autem inter alia quamdiu augustissimum ac sanctissimum Missæ Sacrificium et Sacramentum, cum aliis sex a Christo Domino nostro institutis honorifice et reverenter conservatum fuit, quamdiu etiam sanctæ cæremoniæ, institutiones et traditiones Ecclesiasticæ fuerunt in eo diligenter observatæ, et quamdiu populus vestræ majestati subditus agnovit a tempore beati Petri successive ad hæc usque tempora caput verum et unum esse Ecclesiæ, et supremam potestatem in omnes Christianos obtinere, tanquam Domini nostri Jesu Christi in terris vicarium. Cumque e contrario, ex quo errores ac hæreses contra fidem ac religionem Ecclesiæ pullulare cœperunt, regnum vestrum ita statim cæperit a sua pristina majestate et excellentia multum imminui, cumque hac tempestate omne sectarum condemnatarum ac perniciosarum genus in dies crescat, ac magis contra Dei honorem et ejus potentiam, sapientiam, bonitatem, atque adeo majestatem infinitam, augmentum accipere nitantur : unde magna schismata, variæque perturbationes ac divisiones obortæ sunt, eaque de causa maxime metuendum est, ne Deus Optimus Maximus, adeo provocatus vineam suam, quam ante multos annos in Gallia plantavit, eradicet, ut in aliis provincis ac regnis eam transplantet, quemadmodum simili ratione aliis regnis contigisse videmus, ut satis est tam Veteris quam Novi Testamenti indiciis et argumentis manifestum, malignos interea et ingratos agricolas puniendo, vineamque suam aliis locando, qui fructum tempore suo ac loco redderent, ac ne etiam permittat majores adhuc commotiones populique seditiones insurgere, quæ consequenter possent totius regni vestri ruinam et subversionem secrete afferre, quod quidem hactenus in fide solidum atque integrum extitit, de quo hac occasione sic testatur beatissimus Hieronymus, sic inquiens : Galliam inter cæteras regiones solam monstris caruisse, hoc est, hæresibus, quæ quidem Corpus Christi mysticum (Ecclesiam nempe) Christi Domini monstruosam efficiunt. His igitur diligenter

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 375.

consideratis, domine rex, quodque ante annos mille quingentos, eoque plures ea fides et religio, quam beatus Dionysius beati Pauli Apostoli discipulus, Galliæque Apostolus sua prædicatione, proprioque sanguine plantavit, usque ad regnum vestrum inviolabiliter fuit observata, nihil contra illam adversariorum aut tyrannorum, aut falsorum fratrum, et pseudo-prophetarum insultibus atque impugnationibus efficientibus, atque adeo sanctus ipse Ludovicus in ea per Sedem Apostolicam fuit canonizatus, quod quidem indicium est evidentissimum, eam a Christo Domino fuisse fundatam et institutam, atque ab Apostolis ejusque discipulis fuisse prædicatam et promulgatam, atque adeo ab eorum successoribus continuo conservatam, præsertim cum errores et hæreses, quæ per suggestionem et semen hostis infestissimi hominis (hoc est, Diaboli) in ea obortæ sunt, quas hodie adversarii totis viribus renovare contendunt, majori ex parte per sacra Conciliorum decreta reprobatæ ac condemnatæ fuerint. Placeat vestræ majestati tamquam Ecclesiæ protectori et propugnatori, qui a sancta Sede Apostolica primogenitus, ac rex Christianissimus nuncupatur, conservare, propugnare ac tueri populum vestrum in ea simplicitate ac devotione, quam accepit, didicit ac exercitate observavit a suis fratribus et majoribus, atque etiam ut Ecclesia Gallicana in sua forma ac disciplina antiqua religionis permaneat, absque ulla ejus innovatione, neque pati candorem ac puritatem Lilii Gallicani ullo modo maculari ac contaminari erroris atque hæresis tenebris, sed expresse decernere, atque cum maxima securitate præcipere, ut omnes seductores, hæresiarchæ, atque omnes adversarii, qui etiam præter Ecclesiæ Romanæ doctrinam introducere conantur, atque etiam hi, qui quoquo modo favent illis, nulla ratione audiantur præterquam a prælatis et Ecclesiæ superioribus, qui eos, vel ab Ecclesia excommunicare, vel eidem reconciliare possunt. Nos vero interea pro vestra majestate Deum Optimum Maximum deprecabimur, ut dignetur vestræ majestati eam elargiri gratiam sic in regno vestro temporali regnandi, ut post exactam longissimam et felicissimam vitam regnare in perpetuum valeat in Christi Domini regno, quod paratum est a Patre electis ante mundi constitutionem ».

90. Non audita sunt sapientissima hæc theologorum Sorbonicorum monita, pluribus enim aulicis proceribus incesserat cupiditas audiendarum controversiarum fidei non aliter, quam pasci et oblectari solebant fabulis comœdorum.

Cœptum est colloquium Possiacum V nonas Septembris [1], cui impius Hospitalis regii scrinii magister prælusit, utque nullius erat religionis, ita regem nullius esse voluit, statuit enim illud axioma, « Regem nec veteris religionis nec novæ persuasionis sectatoribus sese adjungere debere, hoc est (quod diserte addere ausus non est) omnibus, quam velint religionis persuasionem sequi permittere debere ». Inhiasse illum una cum amiralio invadendis Ecclesiasticis bonis refert Belcarius, tum addit postremo egisse : « De antiquando recenti Parisiensi edicto, quo publici privatique conventus, in quibus aliter quam Romano more sacramenta administrantur, vetabantur ». Dictitans inepte, leges tanquam calceum ad pedes accommodandas pro temporum varietate, nec ille Achitophel vidit, permissa hæreseos profitendæ libertate, civilibus bellis Galliam arsuram. Cum vero cardinalis Turnonius, qui princeps episcoporum erat, assurrexisset, questus longe alia proponi, quam quæ ante colloquium proposita fuerant, eaque scripto tradi postularet, ut de iis cum præsulibus deliberaret, ille abnuit, ne qua sibi inde molestia exhiberetur, ac regina Catharina hæreticæ factioni studens jussit, ut Beza diceret, hoc est, blasphemiarum suarum pompam explicaret. At ille non segniter impietatis suæ totum virus effundere impudentissime cœpit in sacrosanctam Eucharistiam [1], effutiendo Corpus Christi tanto ab ea dissitum intervallo, quanto Cœlum distet a terra : ad quæ verba pii infremuere, et cardinalis Turnonius conversus ad regem rogavit, ne dictis fidem haberet, episcopos enim mendaciorum illorum tenebras veritatis splendore discussuros. Se quidem et alios præsules suis conscientiis vim attulisse, cum ad conventum accessissent, cum præviderent, blasphema ab impiis in Deum evomenda, ac ni regia majestas eos contineret, consessum abrupturos ; superiorem vero blasphemam vocem non modo Catholici, sed Lutherani etiam multis Commentariis confutarunt.

Tenuit plures actiones illud colloquium, atque XVI kal. Octobris cardinalis Lotharingus eruditam habuit orationem, atque ut ait Belcarius [2] :

« Colloquium illud summa animorum non consensione sed dissensione dissolutum ». Cum vero victoriam hæretici in eo sibi vindicarent, Claudius Espencæus [3] Eusthatio Bellaio episcopo Parisiensi gestorum rationem reddit hisce litteris proximo ineunte anno exaratis :

91. « Cum una atque altera disputatione semiaperta nihil promptum viderent, tentarunt alteram viam, procul ab omni, tum tumultu, tum etiam ostentatione, jussis ex nostratibus episcopis atque theologis, et ex recentioribus ministris, si quo id usui esse posset, modo binis,

[1] Belcar. comm. rer. Gall. l. XXIX. num. 30. Ib. num. 28. Sup. num. 30.

[1] Sclusselberg. Cat. hær. l. III. in præfat. — [2] Belcar. l. XXIX. num. 27. — [3] Claudius Espencæus in Ep. ad Eustachium Bellaium epis.

modo quinis convenire ». Et mox : « Ecce autem pauculis tantum nos dieculis, sed horulis vix una contuleramus, cum nescio quis male feriatus foras effert, collationis vix cœptæ conciliationis ne vix quidem umbram semipictam : Ministris, si qua fronti modo fides, non magis volentibus, quam nobis invitis. Vehementer enim contendebant, ut ejus quidquid pariter conferremus, singula modo exemplaria utrinque extarent, quod nos facturos recipere non potuimus, ac multo minus præstare, quod ea, quæ a ministris obtineremus, episcopis nostris facere communia, ut par erat, oporteret. Absit enim, reverende mi, ut nos a senatu vestro secessionem facere, et alterum quasi quemdam senatulum cogere, vel per somnium cogitaverimus ». Et paulo post : « Inscriptio erat : Consensio de articulo cœnæ conciliatæ in Concilio nationali Possiaci per deputatos a rege, tam Protestantes, quam Sorbonicos. Et interim nescit hic nugivendulus ministros adeo se non inscribere Protestantes, ut non magis cum Protestantibus, quam nobiscum in re sacramentaria eis conveniat. Et ex quinque nostratibus, duos facit Sorbonæ theologos, qui nullam forte unquam Sorbonam viderunt, theologi certe Parisienses minime sunt, et brevi ac eleganti scilicet rhytmo, utrosque delectos comprehendit. Nec ita multo post, prodiit libellus, Acta Possiaca titulo pollicens, sed adeo non servata locorum, temporum et personarum circumstantia, ut in eo plura sint falsa quam folia : quod prælatorum consensu cum ministris collatum sit : quod ministri diu antequam in rem præsentem veniretur, articulos præcipue controversos ad eosdem prælatos miserint : quod rege præsente, duodeni utrinque contulerint : quod hæc de cœna Domini Confessio communi aliquot ex sacerdotali grege (sic enim loquitur homo sacer), et ministrorum consensu sit Possiaci obtenta : et (ut mendaces sui fere minus sunt memores) quod post abruptum colloquium, hoc est, ut ipse dicit, post XXX diem Septembris, Ministri ejus mensis XXIV secundi orarunt, cum quidquid inter nos fuit colloquii, post eam demum orationem enatum sit, idemque reginæ tantum jussu, non etiam episcoporum assensu. Sed omissis publicis actis, quæ alius et otio et litteris quam ego magis abundans persequatur, quoniam privati cum ministris colloquii, quod materiam adeo publicam nescio quis fecit, pars aliquantula fui, ita ut res habet, bona fide tradam. Postridie quam ministri secundo, et pridie quam iidem cum duabus ministris miscendo subsistere in crastinum jussi, ibi formulam de cæna Domini concepimus, conceptam nostris utique hominibus communicandam recipimus. Eam, quia neutrobi recepta est, premo, non tamdiu indubie ab istis premendam, qui nihil non quod in rem modo suam utcumque sit produnt, nisi ea foret non paulo clarior, ac etiam tolerabilior. De hac ergo, cum non magis inter ministros, quam inter nostrates convenirent, ecce mensis penultima multo mane reginæ matris litteris rursus ego, et alii duo theologi Possiaco Sangermanum evocamur, ubi duobus episcopis adesse et assidere jussis, primum de futuro cum quinque ministris colloquio tantum contulimus nisi quod confessionem a binis utriusque partis delectis quatriduo ante confectam, ministrorum unus privato breviculo negavit se probare posse. Ultima mensis ministri formulam nobis proposuerunt, secundo postea loco promulgatam, quam plus satis eis prædiximus, a nostris minus receptum iri. Prima Octobris post aliquam multam utrinque collationem, formulam aliam ab eis obtinuimus priore postea loco evulgatam, adeo chartæ et actorum libelli auctor (si modo idem) neque tempus neque locum observavit : habitum enim totum est Sangermani, quidquid fuit inter quinos colloquii : Possiaci, ejus nihil, cujus hic est exortus et exitus. Secunda enim Octobris renuntiati non convenimus ; tertia vero nobis accitis visum est, ut antequam colloqueremur, supplices reginæ regique Navarræ commonstraremus quam nullo profectu, neque tamen periculo nullo plus temporis in eum congressum collaturi essemus, nulla præsertim episcoporum quibuscum ad synodum, non ad comitatum veneramus, missione, vel auctoritate : sentire igitur nos, et obnixe precari, ut priusquam congredi pergeremus, quantillum a ministris obtentum erat, ad patres Possiaci collectos referretur. Postrema igitur formula postridie ejus diei in comitiis episcoporum proposita, et aliquot diebus excussa nona mensis rejecta est, decima quoque tertia theologis honesta missione, et gratiarum actione synodi nomine valere jussis, colloquium quinorum sic amputatum est, ut nihil magis utrique, vel cogitaremus, vel in votis haberemus quam ut se ad se quisque referret, quod et non ita post cum collega meo, quocum illuc profectus eram, haud gravate feci. Hæc est colloquii summa simplex, atque nuda, qualis esse debet veritatis oratio ». Et infra : « Et primum quidem sic esse, quando omnino ita est, ponas oportet, eis non semel privatim, publiceque fuisse promissum, et nobis eorum collocutoribus præscriptum, ut hanc conciliationis viam inituri, de Euchatistiæ primum usu tantum conferremus, neque pedem causa efferemus. Proinde quod in formula legitur, Corpus et Sanguinem Domini proprium Spiritus Sancti opificio vere nobis, et in substantia in cæna offerri, dari, et exhiberi, vere item, et re ipsa spiritualiter, sacramentaliter, et fide a nobis recipi, utrinque nobis, et omnibus (opinor) convenit. An vero aliter, quam vel fide, vel spiritu, quod idem pii, adorent, quid indi-

gni, vel vorent, vel edant, et de hujus Sacramenti extra usum negotio, de his nullum colloquentes verbum fecimus, ne quidem ex composito superiore poteramus : proin quid super his rebus ministri sentiant, ex colloquio nescimus, ac nec quæsivimus quidem. Attamen, ut ex particularibus (quas vocant) universales negativas, aut exclusivas inferre non didicimus ; ita si qui in tam paucis verbis velut herbis, aut angues latitant, aut scorpiones cubitant, non probamus. Quod autem in medio formulæ positum est, fidem, ut ministri maluerunt, ut nos volebamus, verbum Dei, repræsentare, seu præsentia facere, quæ promittit, mirum si cui unquam in cor ascenderit, adeo parum, ne dicam nihil, cordis utrisque nostrum fuisse, ut hoc axioma generaliter acceptum vellemus. Non est magna, aut decennali theologia opus, ut noverimus fidem rerum esse et præteritarum, et præsentium, et futurarum. (Et paulo post) : « Hic vero non vertitur controversiæ cardo de vera veri Corporis et Sanguinis Dominici in his mysteriis præsentia controvertebamur, et ut adhuc controvertimur, et nisi nos Deus respexerit, perpetuo controvertemur, de qua etiam agunt, quæ in formula hoc axioma circumstant, et sive præcedunt, sive sequuntur non orationes modo singulæ, sed et omnes propemodum dictiones, syllabæ, litteræ ejus. Ego quidquid et quantum est in hoc sacramento Christi carnis et sanguinis præsentiæ rationem, qua poteram urgebam, et malebam, ut hodieque malo, Dei verbo, quod ut reliqua ejus opera perfectum est, quod omnipotens est, et promissioni, quia fidele, permanet, et seipsum negare non potest, quam hominis sive accipientis fidei, quæ quamdiu hic peregrinamur, et corporis (quod corrumpitur, et animam gravat, ac deprimit) infirmitate circumdamur, manca est, mutila, infirma, et imperfecta, ut paucis dicam, Dei, quam hominis fidei attribuere.

« Et si enim sacramentorum fructus, et profectus adeo fidei apprehendentis est, et sine hac illa non modo nihil prosint, sed etiam vehementer obsint ; eorum tamen didici veritatem, rationem, substantiam, quam etiam ideo formam, et quasi animam theologicæ scholæ non male appellant, in divino verbo promisso et instituto sitam esse, et illinc pendere, adeo ut si hoc desit, et hoc illa si destituantur, mortua, nudaque remaneant elementa, et hoc quoque nobis reliquum est, ut probemus.

« Neque vero minus Eucharistia, quam baptismus Evangelicis verbis consecratur : aut hujus magis, quam illius, elementum, seu materiam verbum viventem, loquentemque facit, aut de illa, quam de hoc minus vere dici possunt, illa divi Augustini proloquia : Accedit verbum ad elementum, et fit Sacramentum, etiam ipsum tanquam visibile verbum. Detrahe, inquit, verbum, quid est aqua, nisi aqua. Ita hic detrahe verbum, quid est panis, nisi panis ? Vinum, nisi vinum? aqua, nisi aqua? Accedunt verba ad elementa, et fiunt sancta Corporis Sanguinisque Dominici Sacramenta, et non interest, cum de Sacramenti sanctitate et integritate tractatur, quid credat, et quali fide imbutus sit, qui Sacramenta accipit : interest quidem plurimum ad salutis viam, ad Sacramenti quæstionem nihil interest : fieri enim potest, ut homo integrum habeat Sacramentum, et perversam fidem. Et hic quidem, ut et prius Augustinum de baptismate tractare agnosco, sed quod et in Eucharistiam quadrare possit, qui sequitur ejus sermo, probat. Cum de Sacramentis tractarem, dixi vobis, quod ante verba Christi, quod offertur, panis dicatur : ubi Christi verba deprompta fuerint, Christi corpus appellatur. Augustini quoque Catechista Ambrosius : Quid dicimus, (inquit) de divina consecratione, ubi Salvatoris verba operantur ? nam et Sacramentum, quod accipis, Christi sermone conficitur, consecratio enim quibus verbis, et cujus sermonibus est? Jesu Christi. Nam per reliqua omnia, quæ dicuntur, laus Deo defertur, oratione pro populo, pro regibus et pro cæteris petitur. Ubi venitur ut conficiatur venerabile sacramentum, sermonibus jam non suis sacerdos, sed Christi utitur. Christi ergo sermo hoc Sacramentum conficit : sed quis Christi sermo ? nempe is quo facta sunt omnia : jussit Dominus, et factum est cœlum : jussit et facta est terra : jussit et facta sunt maria : jussit et omnis generata est creatura. Vides quam sit operatorius Christi sermo, in cujus sermone, si tanta vis est ut inciperent esse quæ non erant, quanto plus est operatorius, ut quæ erant, in aliud commutentur. Si operatus est cælestis sermo in terrenis rebus, non operabitur in Sacramentis cælestibus ? Ergo didicisti, quod verbi cœlestis consecratione ex pane Christi corpus, ex vino et aqua in calicem missis sanguis fiat, quodque accipis, Christi corpus esse. Vis autem scire, quid a verbis cœlestibus consecratur? accipe verba. Tum canonis (ne forte canonem adeo nuperum putes) recitata ea parte, quæ incipit : Qui pridie etc. quæ verba, sunt Evangelistarum, usque ad *accipite,* sive Corpus, sive Sanguinem, quæ et inde Christi verba sunt, *comedite, hoc est Corpus meum, et bibite, hic est Sanguis meus.* Antequam (ait) consecretur, panis est, ubi Christi accesserunt verba Corpus Christi est : et ante Christi verba, Calix est vini et aquæ plenus, ubi Christi verba fuerint operata, ibi Sanguis efficitur, qui plebem redemit. Testificatur ergo nobis Dominus, quod corpus ejus accipiamus et Sanguinem, ne de ejus fide et testimonio dubitaremus. Et de benedictione patriarchæ Aser : Hunc (ait) panem Dominus dedit Apostolis, ut dividerent populo credentium, hodieque nobis eumdem dat, quem

quotidie sacerdos consecrat suis verbis. Nec aliter divus Cyprianus de prima Sacramenti hujus institutione concionatur. Ante, inquiens, verba illa (Christi indubie) cibus communis nutriendo tantum corpori commodus, vitæ corporalis subsidium ministrabat; sed ex quo a Domino dictum est, *hoc facite*, quæque sequuntur : *Quotiescumque,* his verbis et hac fide actum est, panis ille substantialis, et calix benedictione solemni sacratus, ad totius hominis vitam salutemque proficit ». Et paulo post : « Panis quem Dominus discipulis porrigebat, non effigie, sed natura mutatus, omnipotentia verbi factus est caro, ita Sacramento visibili divina se infudit essentia, etc. in quo Cypriani testimonio singulariter observandum, quod cum verbo fidem junxit, quoties ait, his verbis, hac fide agitur. Et vere nos ea non disjungimus, imo fidem requirimus, non ut alioqui sit Sacramentum, sed ne non credenti obsit. Et hic quoque cum Latinis Græci consentiunt. Irenæus noster [1], hoc est, Lugdunensis episcopus (Græce autem, an Latine scripserit, nunc minus curo) : Quando, inquit, et mistus calix, et fractus panis percipit verbum Dei, fit Eucharistia Sanguinis et Corporis Christi. In Justini quoque altera pro Christianis Apologia [2] ita legimus : Quemadmodum per Verbum Dei caro factus Jesus Christus carnem, et sanguinem pro salute nostra habuit, sic etiam per verbum precationis, et gratiarum actionis, sacratam ab ipso alimoniam ejusdem incarnati Jesu carnem et sanguinem esse didicimus. Sic enim Apostoli in Evangeliis sibi Jesum mandasse tradiderunt, sumpto pane et poculo dixisse, *hoc facite*, etc. sibique solis dedisse. Et iisdem argumentis, ac totidem propemodum cum Ambrosio verbis ratiocinatur Damascenus, Dei verbo vero, vivo, efficaci et omnipotenti , ut omnia quæcumque voluit esse perfecta, omnem et cœlorum et elementorum ornatum, Deum etiam ipsum Verbum hominem esse factum : sic eodem, inquam, verbo, et panem ejus corpus, et vinum et aquam ejus sanguinem effici. Dixit in principio, *producat terra herbam virentem*, et usque nunc plurima facta producit germina divino coadjuta et vigorata præcepto. Dixit item Deus : *Hoc facite*, etc. atque omnipotenti ejus præcepto, donec veniat efficitur. Et hoc sive prior, sive posterior (nunc non magis quam quæ hujusmodi prius occurrerunt, disputo) Chrysostomus [3]. Quæ tunc in cæna fecit Dominus, eadem nunc quoque facit, operatur et perficit. Ministrorum quidem nos ordinem et locum tenemus, qui vero hæc sanctificat, ipse est : nec enim homo est, qui proposita in consecratione mensæ Domini Corpus Christi facit et Sanguinem, sed ille ipse, qui crucifixus est pro nobis Christus. Sacerdotis ore verba

[1] Lib. V. c. 2. — [2] Lib. IV. c. 14. — [3] Serm. de prod. Jud.

proferuntur, at Dei virtute consecrantur et gratia. *Hoc est* (ait) *Corpus meum,* hoc verbo proposita consecrantur. Et sicut illa vox [1], quæ dixit, *crescite, multiplicamini, replete terram*, semel quidem dicta omni tempore sentit effectum ad generationem operante natura, ita, et vox illa Christi semel ita dicta, per omnes Ecclesiæ mensas in hodiernum diem, et ad ejus usque adventum sacrificio firmitatem præstat. In eumdem sensum non producerem primos illos Romæ Pontifices viros, haud dubie sanctissimos, quod eas, quæ illorum titulo circumferuntur Epistolas hodie video esse controversas , nisi eæ superioribus (nisi vehementer fallor) satis superque probatis consentirent. Sic autem argumentatur in hanc rem Alexander I : Si tactu fimbriæ vestimenti Salvatoris salvatos infirmos esse non dubitamus [2], quanto magis virtute sacrorum ejus verborum divinitus sacrantur elementa, quibus et corporis et animæ sanitatem humana percipit fragilitas? Hujus in Pontificio et martyrio successor Antherus, et utroque aliquanto posterior Felix II eodem sensu scripserunt, Ecclesiarum ministros sacro et proprio ore Christi Corpus conficere, quorum si quis Epistolas fastidit, ut apocryphas et subreptitias, latine (opinor) noverat Hieronymus, qui eam locutionem in eodem versans argumento suam non semel facit ad Heliodorum , Evagrium , Fabiolam scribens , episcopos, presbyteros Apostolico gradui succedentes, Christi Corpus carnes agni ore sacro conficere ». Et paulo post : « Sed jam talium locorum plus satis, ex quibus liquido constat, quam non heri aut nudius tertius natum sit, quod tamdiu in sententiis theologicis et decretis Ecclesiasticis collectum legitur Augustini nomine de Corpore Domini, qui liber [3] nunc ubi extet non bene memini, Corporis atque Sanguinis Dominici mysteria non in merito consecrantis (nec vero magis ex fide, vel dignitate sumentis) sed verbo perfici creatoris, et credendum esse Christi verbis Sacramenta confici, et cujus prius imperio creantur (elementa) ejus utique verbo in melius recreantur, et horum quidem locorum, quæ tum mihi occurrere, fragmenta indicavi. Quod etiam in primo, unde hanc telam exorsus sum, Augustini testimonio sequitur ita : « Unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, et cor abluat? » etiamsi de baptismi magis effectu et profectu, quam de veritate et substantia sonet, diligenter utrinque a nobis excussum est. Sic enim conflictum fuit : unde tanta mystico cibo poculoque virtus, ut os intret et cor sanctificet, nisi faciente verbo? Responsum est [4], nullo medio, non quia dicitur, sed quia creditur. Replicatum ibidem subjeci,

[1] Gen. III — [2] Matth. XIV. — [3] Lib. IV. dist. 13. 2. cap. intra Catholicum. — [4] Claud. Espenc.

aliud est in verbo sonus transiens, aliud virtus manens. Regestum est, Augustinum tandem concludere : Hoc est verbum fidei, quod prædicamus, etc. His et similibus sanctorum Patrum testimoniis, quibus etiam plura liceret adjicere, nisi jam nos Epistolæ moles deterreret, olim jam partim persuasus, partim eorum etiam aliquot tunc memor, sic in formula ex collocutorum consilio ministris proposueram : quia verbum Dei, et promissio, cui fides nostra nititur, præsentia reddidit, quæ promittit etc. Responderunt inter cætera ministri, pro ea, quæ est inter verbum et fidem analogia et vicinia, Scripturam non insolenter alteri attribuere, quod alterius est. Itaque non admodum referre verbi-ne vocula, an fidei priore loco ponatur? Sed quoniam verbum sine fide esse potest, non enim omnium est fides [1], nec omnes credunt Evangelio : non vero sine verbo fides esse potest, quia fides ex auditu, auditus autem per verbum Dei, malle se ita scripto inferre : quia fides verbo Dei nitens res facit præsentes, quæ promittuntur , etc. Verum præterquam quod fides magis proprie dicitur accipere, et apprehendere, quam vel polliceri vel præstare : si non ita multum refert, utra vox alteri in formula antecedat, cur non (inquiebam) verbum fidei hic anteponimus, et sic convenimus, et porro pergimus. Suæ sunt, et constant illis rationes, cur secus maluerint : quas minus rescivi proinde, nec excutio. Certe si quod tandem testimonium ex sacris Scripturis, aut scriptoribus id, de quo controvertitur fidei vendicaret, cum tam multa id verba vendicent, idque vel mihi tum in mentem venisset, facile cessissem concordiæ causa, vel Bibliotheca me mea sibi redditum aliter edocuisset, ne hodie quidem celarem. In ea igitur sententia hodieque persevero, ut corporis sanguinisque Dominici veram in hoc Sacramento præsentiam, hoc est, ipsissimarum rerum, quas in cœna novissima Ecclesiæ suæ Dominus postridie pro eadem mortem subiturus testamento dictavit atque legavit, repræsentationem, sive exhibitionem, verbo, non fidei, hoc est, Deo, cujus dicere, facere est, pollicenti, non homini credenti adscribere malim. Et quidquid tamen, aut quantum est, quod a ministris obtinuimus, aliud quippiam propius eam, quam ab eis exigebamus Christi Domini in hac sua mensa præsentiam, non facile in tam multis eorum hac de re scriptis invenias. Faciat, qui volet periculum ita forte nobis æquior futurus. Quod si quis eos putet persuasu, et ut Galli loquuntur, calciatu faciliores, ut solidis, vel scripturis, vel veterum scriptis, aut rationibus utrolibet ductis, plus ab eis extorquere se posse confidat, per nos licet tentet, et conferat, pugnet et expugnet, etiam nobis, qui hujus adeo invidiosi negotii rudimenta posuimus, et difficillimam ejus portionem exhausimus, exclusis ». Et paucis interjectis :

« Habes, pater reverendissime, de externi, creati, temporariique verbi Dei, quod et quatenus est interni, increati, æternique verbi, ac filii Dei organum, instrumentum, ac ceu vehiculum ea secum, quæ præsentia promittit, afferens in sacris altaris mysteriis efficacia , potentia, adeoque quadam quasi omnipotentia : et quod in eis vere nobis adest, vereque præsens est Corpore et Sanguine suo vero, verus, verax, ac veritas Christus propter verbum, quod in supremæ nocte cœnæ cum fratribus recumbens locutus est, quod hodieque in Ecclesia loquitur, et perpetuo, donec redeat, loquetur, quantumlibet huic verbo multi non credant, præsentia, inquam, verbum facit, quæ in præsentiarum promittit, sua autem cuique fides utilia ea et salutaria reddit. Pollicetur illud, et efficit, proponit, offert, exhibet, hæc proposita accipit, hæc oblata apprehendit, hæc promissis et præsentibus fruitur. Prodest, inquit Hieronymus, signum, si justitia (fidei utique) cujus est signaculum adsit, cæterum sine illa superfluum est : addo etiam noxium, neque tamen nullum. Aliud enim Sacramenti virtus, aliud veritas ». Et mox : « Oportuit oviculam si non qua vellet, at certe, qua posset de articulo, secus multo quam res habet, passim ventilato, fidem suam suo Pastori liberare, qui de animulæ hujus salute (ne forte homuncionem fastidias) rationem vicissim sis redditurus, etc. Lutetiæ [1] ex ædibus Rhemæsis feriis Epiphaniæ MDLXI, scilicet ab Incarnato Verbo ».

92. Extracta sunt colloquia illa et Comitia in proximi anni Februarium, quorum exitus significatus est ab Hyppolito cardinale Ferrariæ Carolo cardinali Borromæo Pontificio nepoti, factionem Hugonottam præter omnium opinionem suis votis illusam fuisse, licet omni virium contentione ad obtinenda templa incubuerit, rogatos quidem senatores, utpote erga Ecclesiasticos pravis affectibus imbutos, ad sinistram partem inclinasse, sed concilii sanctioris senatores acerrime repugnasse, ac rem Catholicam defendisse, demonstrasseque, gemina religione in regnum inducta, omnem ordinem eversum iri, decretumque fuisse non concedenda Hugonottis templa, prohibitumque ne nova extruere possint, utque invasa templa ac bona Ecclesiastica restituant; tolerati tamen ut extra urbes et oppida conciones suas habeant, absque ullo tumultu et absque ulla vi, donec decreta Concilii Œcumenici promulgata sint, quibus si non paruerint, solum vertere cogantur. Ex hoc contrario suc-

[1] II Thess. III. Rom. XX.

[1] Illustriss. et Reverendiss. D. meo observantis. cardin. Borrom. Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 5. Illustriss. et Reverendiss. D. observantissime. Ex Ital.

cessu cum feliciora sperarent, Hugonottos rabie efferatos pallore vultus dolorem præferre : cumulatissimam vero lætitiam ex eo a se conceptam, quod rex Navarræ, qui penultimus sententiam dixit, apertissime declararit, se parti Catholicæ studere, atque modo superius dicto pronuntiasse. Post eum vero reginam repetitis aliorum sententiis maxima contentione explicuisse pium animum erga sacrosanctam Ecclesiam, præcipueque docuisse, licet hujusmodi conventus habeantur, non alio a se consilio conceptos, quam ut media exquirat, quibus seditiones ac tumultus enascentes inter populos extinguat; ac nunquam ipsam vel filium exemplo prædecessorum regum ab obsequio et conjunctione Ecclesiæ discessuros. Hæc esse capita decretorum, quæ modo scriptis mandantur, ut promulgentur, sententias regis Navarræ ac reginæ matris pietate illustres suis conceptas verbis, cum haberi poterunt, transmittendas iri. Æquum autem esse, ut Pontifex regi Navarræ ob constantiam in tuenda re Catholica explicatam grates agat, optimamque mentem pro rebus ejus promovendis ostendat, utque expressis magis verbis Hispana illa promissa illustrentur. Hæc decreta sibi a regina matre communicata fuisse dissoluto conventu, addidisse tamen se ut iis faceret satis, qui præferunt conscientiam suam doctrinæ Catholicæ accommodare, non posse, nisi melius instructi suos errores ponant, percupere, ut colloquium doctorum ex utraque parte fiat, cui ipsa una cum sanctiore senatu intersit, summaque contentione rogatum, ut illi interesse vellet, verum sanctissime contestatam nihil in iis controversiis decernere, sed ut controversa mittantur ad Pontificem, a quo cuncta dirimantur, vel ea ad Concilium definienda transmittat; sufficere enim reginæ, ut istis Hugonottis id concedatur auditos fuisse, utque responsa, atque declarationes ad singulas eorum propositiones aptentur, ut tandem importuna eorum ora obstruantur. Verum licet Ferrariensis nihil prætermiserit in adducendis rationibus, ob quas regia majestas non deberet illud colloquium permittere, nec se ad illud adstringere, etsi non adeo prompte, atque expedite, ita volente Deo, cogi possit Concilium, ad quod omnes istæ controversiæ referantur, nunquam tamen potuisse reginam a suscepta opinione dimoveri, quam non aliter legatus amplexabitur, nisi ita sentiente reverendissimo cardinale Turnonio, cum quo sperat se errare non posse, maxime cum viderit quantam reprehensionem incurrerit in re a se in simili argumento contra illius sententiam, adjecta ea lege totius rei ad suam Sanctitatem referendæ, qua ratione nullum damnum rei Catholicæ inferendum videbatur. Maxime quoque conducere, ut fiat satis optimæ reginæ, cum plurimum intersit illius benevolentiam devinctam tenere, pro explorato vero habeat reverendissima dominatio sua, vitio Ferrariensis auctoritatem Ecclesiæ minime labefactum iri, seque præfidere Hugonottos in eo colloquio res suas non magis provecturos, quam in aliis provexerint. Addidit cardinalis Ferrariensis asperiora verba jactata fuisse inter magistrum equitum tum amiralium, pariterque inter illustrissimum cardinalem Borbonium, ac principem Condæum fratrem, eas tamen altercationes nil gravius parituras, sollicitatum fuisse Momorantium seniorem, ut filius castrorum præfectus ad Concilium mitteretur, sed eas spes evanescere, itaque ducem Candalæ a regina ad id designatum, sed obtentas ab eo graves excusationes ob lites, quibus detinetur, itaque reginam de alio inferioris gradus deligendo cogitasse, atque præsules, ut profectionem ornent ad Concilium incitatum iri, etc. « Datum apud Sanctum-Germanum XVII Jan. MDLXIII ».

Adjecit ad litterarum jam claudendarum calcem, mandata legationis suæ post varios circuitus a senatu Parisiensi fuisse admissa, ac licet alias id levioris foret momenti, hoc tamen tempore videri gravissimi. Porro reginam constituisse mittere ad Pontificem D. e Lansaco regiæ societatis equitem, atque ex eo perspicue constare, nec regem Christianissimum, nec regnum ab obsequio Sedis Apostolicæ defectionem moliri, sed in omnibus officiis præstandis, quæ a majoribus exhibita fuerint, constantissime perstare.

93. « Illustris. et reverendiss. dominationis vestræ servus humillimus.

« Hippolitus cardinalis Ferrariæ ».

At Pontifici idem cardinalis significavit, se colloquio cum Hugonottis cœpto ex consilio cardinalis Turnonii interfuisse, ut impendentibus gravissimis malis occurreret; regem Navarræ conjunctionem cum Catholicis præferre conjunctioni hæreticorum ; ut magna gerat pro re Catholica, magna quoque pro eo gerenda, nec sufficere eximia verba. Anteferendam esse animæ salutem cæteris bonis, in his enim locis principes salutem animæ utilitate ac voluptate facile metiuntur.

De colloquio Possiacensi, hæc Monumentis suis tradidit Jacobus Laingeus [1] Doctor Sorbonicus : « Carolus rex Galliæ, hoc nomine Nonus, jussit omnes doctos viros convenire anno Domini MDLXI, mense Decembri, in urbem Poysiacam, ubi libertas data erat ad disputandum de quibusdam fidei articulis, sed quam temere, inconsiderate et inconsulte, citra consensum et voluntatem Summi Pontificis factum sit, judicent pii viri, et illud in controversiam revocare, et pro incerto habere, quod clarissimum, et certissimum, et etiam a pluribus Con-

[1] Jacobus Laingæus in Vita card. Jostad. p. 29.

ciliis jam erat conclusum. Proh dolor! quam sancte, pie ac vere solet dici : *Væ regno cujus rex puer est!* Sic Anglia periit, sic Scotia fidem fere amisit, sic Gallia magna ex parte turbata fuit, dum nullus aut rex esset, aut tantum puer regno præesset.

94. « Quod ad agitatas controversias in eo colloquio significavit Carolo cardinali, multum tempus consumptum ex utraque parte in sermonibus de imaginibus, ac reginam cujusque opinionem auscultare velle, ac multos doctissimos viros partes Catholicas strenue propugnasse, tum adversus eos, qui variis argutiis eas abolendas contendunt, tum adversus alios, qui arcanis artibus eas oppugnant, ac retinendas aiunt in Ecclesia, sed earum abusus emendandos, ita ut timidæ conscientiæ earum adoratione non offendantur, exempli gratia, ut ab aris amoverentur, ac circa templa ad excitandam piam memoriam, vel ornatus causa collocarentur, repetentes illud Exod. xx : *Non facies tibi sculptile*, et similia ; adduntque omnia sisimulacra a Deo prohibita, neque expressum Dei mandatum jure violari posse, hærentque litteræ cortici, nec ejus expositionem aliam admittendam dicunt.

« Ulterius contendunt primis quatuor sæculis nullum imaginum usum fuisse in Christianorum Ecclesia, nec aliqua veneratione, sive honore affectas.

« Addunt præterea damnatas fuisse in Concilio Illiberitano et Francfordiensi, at septimam Synodum, quæ est Nicæna secunda, quia in ea approbantur, penitus rejiciunt, veluti non legitimam ex libello Caroli Magni recenter typis excuso Parisiis, in quo eadem Synodus impugnatur.

« Afferunt etiam pro se plures antiquos Patres ut Cyprianum, Arnobium, Lactantium, Origenem, Epiphanium in Epistola ad Joannem Hierosolymitanum traducta ab Hieronymo, in qua ait, a se discissum velum in quo Jesu Christi imago depicta erat, dixisse contra auctoritatem Scripturarum esse talium imaginum usum; opponunt etiam Epistolam S. Gregorii ad Serenum, qua permittuntur imagines, ad excitandam memoriam tantum, ac prohibetur expresse earum adoratio ; afferuntur etiam ab iis corruptelæ et absurdæ picturæ, quæ contra rei veritatem visuntur in Ecclesiis, veluti Trinitatis in tribus personis ; pingi Deum, qui incomprehensibilis est nullaque arte potest exprimi, et alia similia.

« Responsum est a parte contraria, atque opposita auctoritas universalis Ecclesiæ, cui promissum est perpetuum Spiritus sancti præsidium, in eaque usum imaginum usque ad hæc tempora perpetuum fuisse propagatum : veterem esse hæreticorum morem ad suas confirmandas hæreses captare occasionem ex aliquo Scripturæ textu, abjecto sensu Catholico et universali, atque inhærendo sensui privato, proprio et contrario.

« Allati ab iisdem fuere plures Scripturæ textus, quibus constat præceptum fuisse a Deo confici quasdam imagines, seque ipsum patriarchis et prophetis in variis figuris et imaginibus ostendisse, in quibus fuerit adoratus.

« Demonstratum præterea in testibus adductis ab hæreticis non prohiberi confici imagines, sed ne adorentur cultu latriæ, atque idola a gentibus adorata pro diis, et quibus inesse aliquam divinitatem putabant, prohiberi ; ab his Christianorum imagines maxime differre, non enim statuas vel picturas adorari, vel aliquam iis divinitatem affingi, atque honorem, venerationemque omnem ad sanctos quorum memoriam excitant, referri.

« Allatas ab adversariis auctoritates adversus idola dictas esse, ac si de Christi et sanctorum imaginibus loquantur, corruptelæ alicujus causa, quæ in aliquo loco vel tempore irrepserit, fuisse pronuntiatas, vel ante Concilium Œcumenicum, ac decretum Sedis Apostolicæ, cui sua dicta et opiniones submittebant, locutas fuisse , atque adeo dicta, vel facta singularia adversus definitiones Ecclesiæ non valere.

« Ita Epiphanium disrupisse velum pio ardore, sed non secundum scientiam, ut ait D. Gregorius in Epistola ad Serenum episcopum Massiliensem, quem arguit ob diffractas in suo episcopatu imagines, tanto minus approbasset factum Epiphanii, qui velum in aliena diœcesi disruperat, mittendo falcem in messem alienam, atque adeo deceptus fuit existimans usum imaginum esse contra Scripturam sacram : Gregorium prohibere ne adorentur cultu latriæ, de se tamen profiteri, prosternere se solitum ante imaginem Salvatoris non eam adorando, sed Christum in ea repræsentatum ».

95. Quod ad Epiphanii dicta attinet, demonstrat Baronius [1] illa ab Iconoclastis corrupta fuisse, eamque Appendicem adjectam ab hæretico. Secundo non dici discissam ab eo Christi imaginem, sed quasi Christi vel sancti cujusdam; non enim subdit, satis memini, cujus imago fuerit : potuit etiam esse profani hominis ibi depicti, uti non raro aulæa in Ecclesiis, in quibus Adonis et Venus picti sunt, prætenduntur ministrorum stultitia, quæ pie lacerari possent. Sed ad legati litteras redeamus :

« Argumentum illud quo disceptant adversarii, quadringentis primis annis nullum fuisse usum imaginum in Christianorum Ecclesia multis productis doctoribus confutatum est, qui vel primis quadringentis annis, vel paulo post floruere, nempe Martiale, Tertulliano, Lactantio, Eusebio Cæsariensi, D. Athanasio,

[1] De Epiph. Baron. Ann. to. IV. an. 1392.

SS. Basilio, Gregorio Nazianzeno et Nisseno, Paulino, Prudentio, Damasceno, Gregorio Magno, Nicephoro, et aliis, qui antiquitatem usus imaginum in Ecclesiis demonstrant, tum ut iis Christiani instruantur, tum ut ipsas veneratione afficiant; præterea Sanctam Crucem omnibus temporibus in summa veneratione habitam fuisse. Atque ita novatores jactantes non fuisse usum imaginum primis quadringentis annis convicti sunt falsitatis. Tum adversus eos additum est, licet in primitiva Ecclesia non fuisset imaginum usus, sive quia tyranni extrui Ecclesias vetabant, sive quod ab ethnicismo conversis earum usus non conveniret, postea tamen confirmata fide, ac deleta idololatria, novos ritus tempori ac locis aptiores induci potuisse, quod variis exemplis ostensum est.

« Nec majus facessebant negotium duo objecta Concilia [1], Eliberitanum nempe et Francofordiense, cum eorum pariter nutaret fides ac auctoritas, exploratumque esset, quam sincere Carolus Magnus ab Hadriano Pontifice edoctus, sub quo Francofordiensis fuerat Synodus coacta, sanctarum imaginum cultum asseruerit.

« Defensæ quoque sunt imagines sanctissimæ Trinitatis; quoad formam quidem Patris, ex Daniele, ubi dicitur antiquus dierum : filium forma hominis pingi posse, cum hominem induerit ; Spiritum sanctum specie columbæ in Evangelio expressum. Quod si alicubi corruptelæ irrepserint in imaginum usu ex imperitia, eas emendendas, ac populos de vero venerationis modo informandos. Cæterum inquirendum in Vaticana Bibliotheca libellum Caroli Magni, an discrepet ab isto, quem ostentant hæretici, qui ab ipsis depravatus esse potest.

« Denique lecta fuit Epistola D. Gregorii ad Secundinum, ubi ait, quod se prosterneret ante imaginem Salvatoris, et quod tamen eam non adoraret ut Deum. Ac tunc a nobis maxima contentione postulatum est, ut illa pro definitione ac regula hujus controversiæ admitteretur, hoc enim modo tum assereretur consuetudo inclinandi corporis ad sacras imagines, ac pariter divinum præceptum prohibens idololatriam; præterea congrueret aliud dictum Gregorii : Imagines fieri ut instruant, non ut adorentur (scilicet cultu latriæ). Hoc postulatum nostrum non poterant neutrales honeste rejicere, sed ministri nunquam consentire postulatis voluere, sed pertinacissime institere, eas e templis ejiciendas, contendentes, non alia ratione prohiberi posse, ne adorentur.

« Demum regina sanxit, ut ab utraque parte in scripta redigerentur, qui modus tenendus esset ad docendum populum, ut ex usu imaginum in nullum superstitionis vitium traheretur. Queis scriptis componendis opera datur ».

96. Extat in Ms. Archivii Vaticani sententia Sorbonicæ Academiæ [1], qua sacrarum imaginum veneratio commendata est adversus Huguenottorum nefandas calumnias, ac consilium optimum suggestum est regi, ut dubia circa fidem exorta, vel ad Pontificem, vel ad Concilium Œcumenicum referret :

« Theologorum a Parisiensi theologiæ schola deputatorum sententia dicta et approbata in conventu, qui fuit in regis Franciæ palatio ad D. Germani XI Februarii MDLXI.

« Jesu Christi sanctorumque, et facere et habere imagines, easque ponere in templis et oratoriis, minime pugnat cum Dei præcepto.

« Ita venerari et honorare imagines, ut qui eis habetur honor, referatur ad id quod ipsæ repræsentant, ex traditione et usu Ecclesiæ, non est superstitio, nec idololatria, nec repugnat sacræ Scripturæ, quæ solum prohibet idololatriam. Prosterni ante Jesu Christi imaginem in eo adorando, qui per ipsam repræsentatur, ut ait S. Gregorius, et ante sanctorum imagines inclinari, et geniculari, et ejusmodi alia agere, quæ sunt externa signa decentis reverentiæ, sunt actiones pii et religiosi animi, non autem idola colentis aut superstitiosi. Thure item suffire, cereos et candelas accendere, Deo vovere, et aliquid offerre ante Domini nostri Jesu Christi et sanctorum imagines, quæ sunt collocatæ in Ecclesiis, hymnos et cantica in honorem Dei canere, sanctorumque laudabilem facere commemorationem, dum honorantur et orantur, sunt in Ecclesia Catholica semper fieri solita et sanctorum Patrum sententiis approbata. In processionibus et supplicationibus crucem ferre, sanctorumque reliquias et memorias, ut fiebat tempore sanctorum Chrysostomi et Augustini, res est pia et laudabilis.

« Quod autem ad sanctæ Trinitatis imaginem attinet, et quatenus Deus in tribus personis sit spiritus, qui comprehendi non potest nec effingi ; non debet tamen videri alienum et reprehendendum, si pingantur, aut aliqua alia ratione repræsententur signa et figuræ, in quibus sacra declaret Scriptura eum apparuisse, et sic manifestasse hominibus, ut contineatur et exerceatur populus in fide articuli sanctæ Trinitatis, qui est præcipuum fundamentum Christianæ religionis, quomodo per picturas, effigies, imagines, aut historias mysteriorum nostræ redemptionis instituitur, et confirmatur in cæteris articulis nostræ fidei, nempe Nativitatis, Passionis, Resurrectionis et Ascensionis : quo fit, ut sit perspicuum bonum esse, ac retinere imagines propter fructum et utilitatem, quæ ex eis capitur,

[1] Vide Bar. to. I. ar. 57. num. 119. et to. IX. ar. 794. num. 33. Ferd. de Mendoz. de Conf. Conc. Illib. l. III. p. 41. Labbè to. VII. Conc. Gen.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 283.

tum ut admoneatur populus beneficiorum, et illorum quæ a Christo accepimus, tum ut ejus sanctorum dona et salutaria exempla nobis repræsententur, ut pro iis Deum laudemus, et eorum etiam virtutem imitemur, et eadem ratione excitemur ad Deum diligendum, vitamque corrigendam, exercendamque pietatem, eosque honoremus, et eorum auxilium invocemus, ut pro nobis apud Deum intercedant.

« Neque tamen 'nficiamur, quin in eis acciderint aut possint accidere nonnulli abusus adversus Ecclesiæ doctrinam et mentem; ejusmodi esset abusus plane intolerabilis, si in imaginibus æstimaretur esse aliqua divinitas, aut virtus, propter quam essent venerandæ aut honorandæ. Et quamvis sit laudabile pietatis et religionis instinctu ire ad ædes sacras, easque visere in memoriam Sanctorum, propterea quod Deus sua inscrutabili voluntate ac providentia nobis aliquando suam magis ostendat operationem, et virtutem in uno loco quam in alio, et aliqua magis ratione una quam alia, magis tamen ad unam quam ad aliam currere imaginem, eamque pluris facere et magis revereri, quod sit ex ditiori et pretiosiori materia, aut sit ejus forma speciosior, ac recentior, aut antiquior, aut ornatior, et elegantius et concinnius expressa, est plane abusus et superstitio.

« Est etiam abusus, si quispiam in imaginibus suam collocet fiduciam, ut olim gentes in suis idolis. Non parvus quoque est abusus, si pingantur aut effingantur imagines forma impudica et lasciva, et quæ non conveniat castitati et integritati sanctorum et sanctarum, quos repræsentant. Est etiam abusus minime tolerandus sicubi falsa et commentitia excogitentur miracula et ejusmodi imposturæ.

« Ut his autem et similibus occurratur abusibus, nobis videtur expedire, ut frequentibus prædicationibus et exhortationibus de his erudiatur populus. Qui est etiam docendus, alium honorem deberi Christo Domino nostro, alium vero sanctis, quos honoramus videntes eorum imagines : ex quo sequitur, ut alio etiam modo sint orandi. Ad Christum quidem dirigendæ sunt preces nostræ, tanquam ad eum qui est auctor totius nostri boni, estque solus Redemptor et Servator : ad sanctos autem tamquam ad intercessores nostros, ut id, quod nobis opus est, a Deo impetremus per charissimum suum Filium Jesum Christum, ut mos est solemnis Ecclesiæ ad Deum suas preces dirigere cum Sanctorum commemoratione, et per Jesum Christum eas terminare. Est etiam erudiendus populus ne, cum orat, mentem et cogitationem suam defigat in imagine, sed in eo quod ipsa repræsentat, et totum ad Deum referat. Providendum est etiam ne cui privato liceat ullam erigere aut erigendam curare imaginem, absque auctoritate episcopi, neque ulla admittantur miracula, nisi quorum legitime facta fuerit fides, et quæ fuerint approbata ab episcopo. Prohibeatur etiam auferre et frangere imagines, propterea quod id valde adversetur honori Dei et ejus sanctorum, et religioni Christianæ magnum afferat detrimentum.

« Definiendæ autem et decidendæ hujus controversiæ, et aliarum quæ ad fidem pertinent, et totius reformandæ Ecclesiæ, non est alia melior et commodior ratio, quam si ad Œcumenicum referatur Concilium, aut ad Sanctam Sedem Apostolicam.

97. « Certiorem fecit Hippolytus cardinalis Ferrariæ Pium IV [1] non potuisse adversus sectam Huguenottam omnia necessaria remedia adhiberi, multum tamen in aliis promotum, perpensis impendentibus periculis; ac quantum sagaci conjectura colligeret, duo ad malum hoc elidendum necessaria remedia, alterum, quod jam a Sanctitate sua summa prudentia adhibitum est, cujus sacra consilia nullo utinam casu abrumpantur, alterum esse temporis beneficium, in quo major locanda sit spes, quam in alterius remedii vehementia; sincere se posse asserere, majora adjumenta causæ Ecclesiasticæ temperatis a se officiis allata, quam acri aliorum acerbitate. Hæc ipsum ex Nichetto, qui a secretis est, intellecturum. Omnia denique data imperia strenue a se confectum iri; cum Sanctitas sua multo melius agnoscat, quæ magis publico beneficio atque Apostolicæ Sedis decori vertant, etc. Dat. apud Sanctum-Germanum IV Novembr. MDLXI »

His addidit Ferrariensis cardinalis [2] legatus in litteris ad cardinalem Borromeum, se omne studium in eo collocare, ut agnoscat regina, dissensionis pertinaciam stare a parte sectariorum, quibus nulla cura insit pacandorum horum tumultuum ac dissidiorum regni, sed id tantum consectantur, ut suas opiniones tueantur, quod jam in sermone disceptandi causa illato patuit; ostentarunt enim maximum fœdus et consensionem Gallorum Huguenottorum cum Anglis hæreticis, Scotis, Danis, Suecis, ac Poloniæ et Germaniæ parte. « Ego vero, subdit, imprimere reginæ animo non prætermisi, quandiu hi conjuncti extiterint cum his, qui se hostes Sedis Apostolicæ profitentur, non sperandum esse, ut conjungantur huic regno, quod ipsa in conjunctione et obsequio Sedis Apostolicæ perstare optat: atque hoc argumento eos segregare meditatus sum a conjunctione ac fœdere aliarum provinciarum, aut cum constet eos magis conjunctos esse velle exteris nationibus, quam cæteris Gallis, regia majestas eo magis eorum perfidiam atque exitialia consilia agnoscat : nec posse ipsos in his rebus fidele consilium sugge-

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 1. — [2] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 27.

rere, cum nullo publici boni amore afficiantur, atque adeo potius habendos horrori, atque regno depellendos; quæ quidem monita in animum regiæ majestatis alte descendisse mihi visum est».

Edictum quod confectum est, cum dissolveretur postremus conventus, non est promulgatum a senatu Parisiensi, licet enim gratum sit habitum in ea parte, qua favet Catholicis, in alia tamen repugnatum, qua nimium Hugonottis studet, ac pœnæ abrogantur contra eos in alio mense Julio superioris anni constitutæ, viderique iis facultatem profitendæ suæ hæreseos regio consensu indulgeri. Arbitrabatur regina illo edicto optime consultum Catholicis pro acerbitate temporum, sicque Huguenottos ad parendum juri revocari, atque ad Ecclesias et alia bona erepta Catholicis ab iis restituenda, fluxu temporis meliora expectanda.

98. Prædicto colloquio finis impositus est, postquam primum lecta fuere ministrorum Huguenottorum scripta, dein Catholicorum in quibus nulla animadvertebatur consensio, adeo ut regina et rex Navarræ, accersitis Turnonio et Borbonio cardinalibus ac regii scrinii magistro, collatisque inter se sententiis imperarit scrinii magistro, ut regiam mentem cœtui panderet, qui hæc ferme concepta verba retulit :

« Reginam quietis et concordiæ istius regni percupidam perpensis controversiis, ac dissidiis religionis in hoc regno concitatis, optasse fieri coram se colloquium aliquorum utriusque partis doctorum, ut modum exquireret, quo ipsos inter se conciliaret, atque has controversias componeret, tamen perspexisse in hoc primo articulo de imaginibus proposito multis diebus doctissime disceptato, quanta sit opinionum discrepantia, ac non modo partes inter se propius non accessisse, sed longius a concordia discessisse; at si in hoc articulo omnium facillimo consentire inter se non potuerint, regiam majestatem perspicere, multo minus sperandum, ut in aliis articulis gravioris momenti inter se consentiant, atque adeo ne disceptationes, ex quibus nullus speratur fructus, imo majores contentiones atque odia augentur, repetantur, visum esse dimittenda hæc colloquia, atque hortari se doctores Sorbonicos, ut Lutetiam se recipiant, ubi conjunctim opiniones suas circa articulos subsequentes scriptis commendent; idemque agant Huguenotti, pariterque theologi illustrissimi legati, ac si aliqui e regno doctores velint suas opiniones scriptis tradere, tradant, quæ omnia regi tradita, vel ad Pontificem, vel ad Concilium transmittantur, prout regiæ majestati opportunius visum fuerit. Ita congressus ille dissolutus summa Catholicorum decretoriam eam sententiam laudantium voluptate. Quatuor ex iis, qui vocantur neutrales, suas opiniones in scripta redactas circa imagines obtulere, sed eæ magno eorum dolore ac pudore admissæ non sunt. Horum exemplaria et Catholicorum scripta vestræ dominationi illustrissimæ transmitto. De his vero omnibus regina ocyus certiorem me reddidit, atque etiam una cum rege Navarræ invisere dignata est, ac prolixis verbis successum colloquii, ac alia optima sua consilia exposuit. Certe vidua regina et Navarræ rex optimum ac firmissimum erga fidem Catholicam studium ostenderunt, necnon regina conceptam lætitiam ostendens ex optima regis Navarræ in partes Catholicorum propensione, eo præsente, hæc verba repetiit, nolle posthac in religionis rebus, si non optime succedant, excusari, cum regem Navarræ pro tuenda religione sibi conjunctissimum habeat : quod conspicuum indicium est difficultatum in conficiendis rebus objectarum, dum opinionibus dissentirent. Propterea sæpius repetii hunc principem officiis devinciendum, cum in eo summa rerum consistat. Exulto de hoc rerum successu, cum nulla sit jactura facta, sed potius promotum, cum vero infirmitas hæc ad vigorem ascenderit, extrema remedia non patitur quæ initio adhiberi potuissent; oppugnata vero veritas magis effulsit, etc. Datum apud Sanctum-Germanum XI Febr. MDLXII ».

99. Hæc licet ex parte proximo ineunte anno gesta, præsenti annectenda visa sunt, ne eadem repeterentur.

Inflicta tamen est maxima plaga Catholicæ religionis ex illo colloquio non aliter, quam ex Lipsiensi disputatione Lutheranismo; ex illo namque ingenia ad novorum dogmatum cognitionem excitata. Quamvis enim hæreticorum argutiæ confutatæ sint validissimis argumentis, tamen quia illæ feriunt imperitorum sensus, responsa vero sublimiora sunt, quam ut a carnalibus hominibus, maxime a fœminis capi possint, non enim humana fides habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum, hæsere hæreticorum sophismata imbecillibus animis, tanquam jacula : cumque antea ministri Calvinistici in angulis tantum atque locis abditis sua venena diffunderent, ex ea disputatione, in qua hæresiarchæ comparati fuerant cum episcopis, excitati atque insolescentes passim per omnes provincias provocare sacerdotes ac præsules ad disputandum ausi sunt, fastuque et furore armati, quasdam Ecclesias invaserunt. « Cum in colloquio Pissiaco, episcopi ac theologi Parisienses », inquit Belcarius [1] « cum ministris Calvinianis haud convenire potuissent, Calviniani sibi victoriam vendicantes, templa quædam occuparunt, quibus se nemo opposuit », propendente nimirum regina Catharina regni administratrice, quam administrationem ut sibi assereret adversus eos, qui ad eam regni procurationem spectare negaverant,

[1] Belc. l. XXIX. num. 33.

Gasparem Castillionem Amiralium enixe rogavit, ne sibi adversaretur, quem auctoritate apud Navarrum regem plurimum posse noverat. « Ille », inquit Belcarius [1], « quidvis se perfecturum pollicitus est modo suæ sectæ, id est, Calvinianæ, libere et publice obeundæ potestas daretur, illa datum iri repromisit ». Quamvis vero tertio nonas Novembris edictum manasset, ut Calviniani templa veteribus possessoribus erepta restituerent, tamen illi, qui se legibus solutos opinabantur, non paruere, imo amiralius tot templa, quot hæreticorum erant cœtus, scilicet bis mille centum quinquaginta postulavit. Et quia increbrescebat fama, Pontificem regemque Hispaniæ cum Catholicis Gallis arma conjuncturos ad hæreticos eo regno depellendos, Calvinianos, si bellum instaret, regi suo sumptu militaturos spopondit. At Guisii, Mommorantius equitum magister, Mompenserius, Brissacus ac Sanctandreanus, Catharinam reginam officii monuere, atque ex negligentia regiorum magistratuum, qui edictum Julianum non observabant, seditiones et bella concitatum iri; itaque extremo Novembri ex aulico comitatu discesserunt. Exinde ab horum discessu Calvinismus magis ingravescere, cum Gaspar Colinius in aula dominaretur, atque Navarræ regem et principem Condæum suis consiliis duceret, necnon Hospitalis, quem Beza hæresiarcha favisse hæresi testatur, senatores Parisienses ad se pelliceret, ac tum præter Calvinismum grassata est neutra religio, proximique Galliarum excidii terror pios invasit, quæ mala ob nimias in celebrando Concilio moras crevisse, memorat Claudius Espencæus [2], eoque prolapsos jam plures, ut non Concilium Œcumenicum audiendum, sed privata conventicula disceptarent. Sic igitur scribit :

100. « Nec hodie desunt, qui plausibili Evangelii titulo non tantum interreligionem, sed et interregnum et anarchiam meditentur, in qua fiat, quod scriptum est : *In diebus illis non erat rex in Israel, sed unusquisque, quod rectum erat, vel oculis potius suis videbatur, faciebat.* Quo loci Spiritus sanctus magistratuum reprehendit ignaviam, ut depravatæ disciplinæ corruptique cultus divini causam, cum illi non magnopere curant, qualis populis doctrina proponatur, sic quasi nullo apud nos regnante, suo quisque vivat arbitratu ». Et paulo post : « Quanta iis non multis annis facta sit a sancta Sede Apostolica discessio, videmus atque palpamus; metuendum ne major fiat nisi mature adhibeatur remedium. Et talium tamen motuum defectionumque vix alia causa est, quam quia totos jam annos plus quadraginta Concilium ab omnibus piis frustra expetitur, nec obtinetur. Dum autem fictum magis hactenus est, quam serio indictum, hoc est, loco ejus toties mutato coactum, motum, prorogatum, suspensum, interruptum, translatum, dissolutum, factum tandem est, ut quo Pontifice superstite coiturum esse Concilium aliqua spes erat, vix sint, qui adire velint; sint etiam, qui de rebus, quæ proprie sunt Concilii, in comitiis quique suis, quam in Concilio statui malint, ut sint scilicet tot fides, quot provinciæ, tot religiones, quot nationes : adeoque quas, vel omnium maxime præsto esse, et secessionis a reliquis suæ in legitima Synodo rationem reddere oportebat, nec ad Synodum quidem sese venturas publico publicatoque typis responso Pontificiis legatis, nuper non dissimulaverunt, non contemnendi sane principes, et bona Germaniæ, hoc est, amplissimæ propemodum nationis pars. Et ut in nos descendamus, et ad Galliam nostratem veniamus, quam solam errorum et hæresum monstra non habuisse, in Vigilantium sacer olim jam scribebat Hieronymus, nec ita post sub Justiniano Agathias Scholasticus, Francos omnes esse Christianos, et rectissimæ inter cæteros persuasionis : mirum quos religionis ergo ubique pæne tumultus ciet. Videmus quo res deducta sit, quo sit relapsura, viderit Dominus, cujus ingenti quidem beneficio foris pugnæ desunt, sed intus, si unquam alias, et timores et terrores. Pax vobis Dei gratia cum rege Catholico Christianissimi regis sororio; pax cum imperio et Cæsare; pax a reliquis vicinis, sed non pax a domesticis, adeoque nec a nobis ipsis; neque vero dubitamus, et Christianissimam reginam nostram, et serenissimum Navarræ regem generalem Franciæ præfectum, et tam regii sanguinis principes, quam regni ordines, pro suo quemque, tum in Deum et Dominum nostrum Jesum Christum, et amore et honore, tum in Christianissimi regis nostri ætatulam affectu, de componendis his tumultibus et rebus ita perverse constitutis in ordinem ac statum decorum, aliquando restituendis, esse (prout atque debent) anxios et sollicitos. Testes sunt præter alia, tam solemnes, et quotidianæ in curiam Parisiensem coitiones, alternantes sententiæ, et gravissima consulta, et necesse quidem habent consulere, qui enim in re adeo momentosa solemni clausula abstinerent? nam templorum, quæ periclitantur, excidia, locorum, nisi obviam eatur, indubie publicorum, familiarumque secutura est extinctio : etenim, si quis omnium retro temporum descriptiones observet, et regnorum, et imperiorum mala, et Ecclesiarum molestias, una et ex æquo accidere reperiet, seque sic rempublicam et religionem redamare, ac invicem honorare, ut altera vel turbata, vel pacata, altera quadam quasi vel commiseratione turbetur, vel gratulatione conquiescat ». Et infra :

[1] Belc. l. XXIX. num. 28. — [2] Claud. Espencæus in Ep. ad Mich. Hospit. Fr. Canc. Jud. XVII. p. 626.

« Quocumque vertas oculos [1], multa est querelarum et quidem justissimarum materia, et ea est rerum humanarum, etiam Ecclesiasticarum natura, maris in morem multa secum deferre, quæ absorbet. Ecclesia, et hic quidem sancta, sine nævis tamen ullis, sine rugis [2] et maculis, non prius futura, quam Christo suo, cum apparuerit in cœlestibus, tota gloriosa exhibita et repræsentata. Quod considerantes gloriosi sane viri, laudatissimique principes Romani, Constantini, Theodosii, Justiniani, etc. nostrates quoque constitutiones, non dubium, quin de pastorum consilio institutione ac consensu ediderunt. Etenim Christiani principes pro æterna vita Pontificibus, et Pontifices vicissim pro temporalium rerum cursu principibus opus habent [3], ut agnovit ad Michaelem imperatorem Nicolaus PP. I. Meminerint tamen se boni principes Ecclesiæ filios, non dominos, intra Ecclesiam esse, non supra, quod non solum nulla eorum offensione, sed et cum gratia, et ea, qua nihil honorificentius dici potest, honorificentia dixit, et posteritati dicendum reliquit in Auxentium hæreticum Catholicus pastor Ambrosius [4]. Idem quoque hic Valentiniano. Libertatis et sanctimoniæ paris coepiscopus Gregorius Nazianzenus Valenti imperatori in faciem ausus est [5] ita dicere : « Christi lex vos « meæ potestati meoque subjecit tribunali, im« peramus et ipsi, addo imperio majori et « perfectiori, ut oportet potius carni Spiritum « et terrestribus præesse cælestia : suscipe igi« tur vocem liberiorem. Scio te ovem esse « gregis mei, et pastoris magni agnum, Christi « gratia regnas, Christi gratia imperas, etc. ». Sic autem sunt reges Ecclesiæ filii, ut et nutritii. *Erunt*, inquit per Prophetam [6] ad Ecclesiam Dominus : *Erunt*, inquam, *reges nutritii ac proinde patroni, defensores, advocati tui. Reges*, ait idem, *ministrabunt tibi* [7], *et mamilla regum lactaberis,* ac proinde defenderis ac propugnaberis, etc. ». Hæc Espencæus.

Ut vero proximo anno ineunte concessa sit hæreseos promulgandæ libera facultas regio edicto, ex quo malorum omnium, quæ Galliam postea merserunt, fons erupit, suo loco dicetur.

101. *De retinendo in vera fide Antonio Navarræ rege consilia versant Catholici proceres.* — Pronis ita in exitium Gallicis rebus [8], cum gravis terror delendæ ab impiis religionis Catholicæ in florentissimo eo regno immineret, Ferrariensis legatus, et Turnonius cardinales, cum Sanctandreano et proceribus Catholicis atque regis Hispaniæ legato versarunt consilia de retinendo in fide Catholica Antonio Navarræ rege, atque ad capessendam Catholicæ religionis defensionem obstringendo, reque communicata cum Pontifice ac rege Hispaniæ, promissa est a Philippo II rege Hispaniæ extremo hoc anno regi Navarræ Sardiniæ regnum, si in vetere orthodoxa religione perstaret, atque Henricum filium in eadem educaret, quod quidem commentum merum fuisse tradunt vulgo historici, sed rem serio et puro animo agitatam inferius visuri sumus, cum etiam Pontifex Philippo regi ad compensandum id damnum, quod ex Sardiniæ largitione contraheret, se devinxerit, ut dicetur inferius, quod non latuit Belcarium [1] dum ait : « Se quasi prædem constituebat Pius Pontifex ».

102. Extant eo argumento proximo ineunte anno litteræ [2] Hippolyti cardinalis Ferrariæ ad cardinalem Borromeum datæ, quibus certiorem fecit, reversum ex Hispana aula oratorem a regina missum, optima verba a rege Catholico erga regem Navarræ retulisse de conferenda illi æqua compensatione, quamvis ea speciatim expressa non fuerit, modo Navarræ rex ad res Catholicæ religionis strenue confirmandas in hoc regno se comparet, atque ad compescendos tumultus, pro quibus comprimendis majestas Catholica ad Catholicorum partes capessendas, se paratissimam exhibeat, tamque ingentem ruinam Christiani imperii avertendam, regem Navarræ ad hoc negotium veluti maximi momenti faciles aditus dare, atque a se sollicitari ne egregiæ occasioni desit, dum hic cœtus publici habentur, ac multi inclinant, ut serviatur tempori, atque adversariis sectam suam constabilire permittatur. Urgeri a se eum regem, ne quid in gratiam sectæ Hugonottæ, tum publici, tum privati boni causa decerni patiatur, quod idem rex sibi persuasum, optimumque consilium ostendit, ac summæ ejus spes locatæ sunt in optimis strenuisque officiis, quibus Pontifex eum prosequitur. Idem rex Navarræ, ac regina mater in dies fieri certiores expetunt a Nichetto de optima Pontificis mente in hoc negotio. Foveri a se maximas spes, non permissurum eumdem regem quid constitui in conventibus ordinum adversus rem Catholicam, ne sibi officiat, spesque sibi propositas dissolvat; in iis vero majorem partem pronam esse, ut faveat Huguenottæ sectæ, maximumque damnum rei Catholicæ illatum ex modo, quo Hospitalis regii scrinii præfectus rem proposuit in comitiis, in Hugonotticam partem propendendo, tramitemque indicando, quem in sententiis suis secuturi essent; cæterum mirum id non videri, cum sint iidem Parisienses senatores, qui in cœtibus Æstate præterita habitis Catholicæ religionis dignitati adversati sunt : verum plures superesse, et dicendi gravitate, stabilitateque judicii magis conspi-

[1] Claud. Espencæus in Ep. ad Mich. Hospit. 627. — [2] Eph. v. — [3] Dist. XCVI. — [4] Lib. v. — [5] Orat. XVIII. — [6] Ep. XLIX. — [7] Ep. LX. — [8] Belcar. l. XXVIII. num. 26.

[1] Id. ibid. August. Thuan. — [2] Ext. in Ms. card. Spadæ sign. num. 31. p. 2.

cuos, qui sunt e sanctiori regio consilio, qui sententiam dicturi sint adeo ut speret causam fidei ab illis strenue defendendam, nec opiniones numero, sed pondere libratum iri. Auctorem se fuisse reginæ, ut horum opiniones accipiat, non veluti decretorias sententias, sed suggesta monita, utque sibi jus atque imperium decernendi cum sanctiore regio consilio reservaret; nonnullos tamen adversatos, atque scrinii præfectum impulisse, ut de his eam interpellaret. Summis opus esse viribus atque interrito animo ad molimina adversariorum dissolvenda; magno quidem se arsisse desiderio his cœtibus interesse, cum regii senatoris locum teneat, idque sibi a rege Navarræ suaderi, suamque præsentiam causæ religionis in iis conventibus perutilem fore, cum sit opus viris, qui summa libertate eloquantur, suoque exemplo alios ad id concitent, sed deterritum se ob pravam eam censuram, qua ob concionem infeliciter auditam perstrictus est, nec se ultra calumniantium telis velle exponere, cum gesta non in bonam partem, qua fiunt, accipiantur.

Percrebuisse famam, de recenti excitatos in Aquitania motus, atque ab impudentissimis Hugonottis nonnulla templa evastata, direptaque oppida, visumque comitiis Ordinum fuisse eo mittendum principem Condæum, facileque inclinasse Hugonottæ factionis studiosos, tum ut seditiosis faveret, tum, ut data ea occasione ex his conventibus subduceretur, sed sectæ Hugonottæ fautores mutasse sententiam, ne eo absente ipsorum res in pejus labantur, atque adeo discessum extrahi, donec dimissi sint conventus. Allatam Parisiis famam in crastinum diem apparari Calvinisticam cœnam, in quam maxima hominum multitudo concursura foret, cum insignis alicujus periculi offendiculo publicæque expilationis terrore, ac mox reginam proficisci eo jussisse regiorum castrorum præfectum Memorantium, ut eam rem disturbaret, ministrisque Calvinisticis vetuisse, ne quid novarent, accersitosque præsentibus Navarræ rege ac principe Condæo objurgasse, atque monuisse, ne præsidio eorum perfiderent, quos etiam ultores persensuri essent, idque ab iisdem rege et principe confirmatum.

Regem Navarræ, ut optimum erga religionem animum sibi panderet, nuper aperuisse consilium dimittendi domum reginam Navarræ, eo fuco ac specie, ut propriis rebus consuleret, eamque boni et æqui rem accepisse, sibique a regina matre atque a rege promissum, ea abeunte posthac non permissuros, ut conciones hæreticæ in aula habeantur, ex quo quanta lætitia exultarit, judicio illustrissimæ dominationis relinqui, verum ob adversa tempora et insalubrem valetudinem, profectionem reginæ in Vere primum extractam, etc. Decima Januarii millesimo quingentesimo sexagesimo secundo».

103. *Parisiis tumultus ab Hugonottis concitati.* — Exeunte anno mota est Lutetiæ ab hæreticis seditio die SS. Innocentium memoriæ sacro, nam cum plebe Catholica exarmata Calvinistæ armis instructi sua prophana conventicula in æde propinqua Ecclesiæ Sancti-Medardi agerent, efferati in iras, quod fragore campanarum turbaretur eorum concionator, in Ecclesiam hostili impetu irruperunt, eamque cædibus et horrendis sacrilegiis funestarunt, ut Guillelmus Rossæus [1] de barbara eorum impietate queritur :

« Adeo projecta ad malitiam et sacrilegium erant, ut in tenera Evangelismi sui infantia, cum ille vixdum in crepundiis vagiret, vixdum primos dentes emitteret, in ipsa metropoli, et tum propter potentiam, tum propter Catholicæ fidei zelum præcipua Galliarum urbe Parisiensi, usque eo se efferebant, ut prædicante suo ministro Servetano, qui Trinitatem, et simul Ariano, qui Christum Deum negaret, instigavit, ipsa Christi nati celeberrima festivitate in Ecclesia Sancti-Medardi populum Catholicum invaderent, viros fœminasque sauciarent et occiderent, Christi et sanctorum imagines confringerent, calices, vestes et ornamenta Ecclesiastica compilarent, pedibus suis sanctissimum Christi Corpus conculcarent, in Ecclesiam equos suos stabulatum inducerent, presbyteros alios equorum incursu prosternerent, alios saucios et vulneratos in vincula conjicerent. Hæc, qui in infantia tali tempore, tali loco, in civitate Parisiensi, in primo justitiæ foro admittere sunt ausi, ii grandiusculi facti in Normandia, in Delphinatu, in Guienna et Guasconia, ubi nullam justitiam cogitabant, ubi nec Deum nec hominem verebantur, ubi ipsi supremi erant omnium principes, ubi eis in Christum et Ecclesiam ejus jure Evangelico quidquid illis libuit, illis licuit, hic demum quid non erant isti fideles acturi » ?

Concitati ejus tumultus Parisiis [2] ab Hugonottis meminit cardinalis Ferrariensis in litteris ad Carolum Borromæum datis apud Sanctum-Germanum XXVII Febr. MDLXII, paucos asserens interfectos esse, ac periculum ipso damno longe majus extitisse. Catholicos ad regiam aulam accessisse, conquestosque de insolentia Hugonottorum, ac pro æquitate suæ causæ exposuisse, ipsos armis exutos fuisse, ut parerent regio imperio, at Hugonottos noluisse arma ponere, atque adeo enixe poscere, ut ipsis restituantur arma, quibus se adversus vim Hugonottorum tueantur, quos in suspicionem vocant, ne ex illis conventibus, quos armati habent, ad diripiendas Catholicorum opes involent. Venisse quoque Hugonottos, et plura in sui excusationem dixisse, se retinere arma, ne inermes a Catholicis numero pluribus opprimerentur. At

[1] Guillelm. Rossæus p. 361. In Pig. l. VI. c. 7. — [2] Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 26.

reginam regemque Navarræ bonis verbis permulsisse Catholicos, a se quieti et libertati Parisiensium egregie consulturos, Hugonottos vero ab iisdem regina et rege asperis castigatos verbis, ni ab hujusmodi insultibus sibi temperarint, in eos legibus et armis animadversum iri, ac præsente regina, regem Navarræ dixisse se valere animis, quando ipsa assenserit, ad horum insolentiam contundendam, ac perspicue dignosci regias majestates, ac universos Catholicos maxime offensos, quod Andelotus Castilio equitum magno succinctus numero Theodorum Bezam per compita Parisiorum stipet. Quia vero conculcatum fuerat impie ab Hugonottis in Ecclesia Sancti-Medardi sanctissimum Eucharistiæ sacramentum, præter alia nefanda sacrilegia, nec tamen in sacrilegos suppliciis, sed inanibus verbis fulminatum erat, propterea Hugonotti ad graviora prorupere, verum senatus Parisiensis proximo anno mense Junio ad eam injuriam contrario pietatis facinore sarciendam insigni pompa ducto agmine religioso supplicationem solemnem ad eam Ecclesiam circumlata per urbem ingenti apparatu Eucharistia celebravit.

104. *Pestis hæretica irrepit in comitatum Venusinum, favente Aurasiæ principe.* — Frementе ita in Gallia Huguenotta hæresi, ea quoque pestis in comitatum Avenionensem irrepsit; ac licet censores fidei expurgando malo præessent, deerant tamen delatores ac testes, qui eo flagitio implicitos accusare auderent, quare ad provinciam illam in fide continendam Pius [1] testium nomina supprimi in judicio jussit :

« Ad futuram rei memoriam.

« Cum sicut non sine magna animi nostri molestia accepimus, humani generis hoste instigante, adeo schismaticorum et aliorum hæreticorum numerus in provincia, statu et diœcesi civitatis nostræ Avenionensis prævaluerit, ut propter eorum, seu alicujus ipsorum potentiam et malitiam nullus contra eos deponere, seu eorum crimina revelare et accusare audeat, quo fit, ut ipsi hæretici et schismatici remaneant impuniti, in non modicam divinæ majestatis offensam, et grave personarum Catholicarum scandalum. Nos ne in futurum aliquis metu ipsorum hæreticorum ac schismaticorum, eorum crimina revelare formidet, et nihilominus in præmissis opportune providere volentes, motu proprio et ex certa scientia nostris dilecto filio fratri Bernardo moderno inquisitori Avenionensi, vel pro tempore existenti in dicta provincia hæreticæ pravitatis inquisitori, ut personas, quæ schismaticos seu hæreticos hujusmodi revelaverint, seu contra eos deposuerint et testificaverint, publicare seu revelare minime teneantur; et si ab eodem inquisitore aliqua ipsorum testium dicta publicari contigerit, ita truncata et secreta publicentur, ut cognitio nominum et cognominum ipsorum testium ad aliquem devenire non possit, quodque ipse inquisitor a quoquam sindicari nequeat, et nemini, nisi nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici, et almæ Urbis nostræ supremis inquisitoribus de processibus per eum contra dictos hæreticos et schismaticos formatis rationem reddere teneatur, auctoritate Apostolica tenore præsentium concedimus pariter et indulgemus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die I Novembris MDLXI, Pontificatus nostri anno II ».

Infecta erat propinqua Avenioni Aurasia Calvinistica hæresi, in qua impietas libere propagabatur ; cum vero Guillelmus illius princeps hæresim nondum esset professus, Pontifex [1] rem administrorum ipsius, vel socordiæ, vel improbitati adscripsit, atque ipsum hisce litteris ursit, ut Aurasiæ Catholicæ religionis decus tueretur, atque aberrantes a fide ad castra Ecclesiæ redire laboraret.

« Dilecto filio nobili viro Guillelmo de Nassau principi Aurasiacensi.

« Dilecte fili nobilis, salutem, etc. Quanto Christianæ reipublicæ luctu et incommodo, quantaque orthodoxæ fidei perturbatione factum sit, quod Christiani nominis principes pullulantibus et paulatim obrepentibus hæreticorum zizaniis ac venenis initio sollicite et diligenter non occurrerint, nemo est fere qui nesciat; quamobrem cum nuper ad nos magna quidem cum animi nostri molestia allatum sit, homines tuæ civitatis Auraycensis juxta fines nostri comitatus Venaysini positæ, impiorum quorumdam audacia et falsis persuasionibus seductos, quod tuorum quoque ministorum inibi indiligentia fieri credibile est, a debita Catholicæ Ecclesiæ obedientia palam jam recessisse, damnatumque hæreticorum in vivendo morem passim sectari, nobilitatem tuam his nostris litteris paterne monendam et in Domino requirendam duximus, ut quoniam ipse longe ab eadem tua civitate abes, pro boni et Catholici principis officio statim, nulla interposita mora, ad hoc malum levandum atque sanandum ea remedia mittere afferreque cures, quæ tibi maxime ad id opportuna et necessaria esse videbuntur, petimusque te vehementer, et ex animo, ut ita provideas et efficias, quo tui Aurasyacenses subditi, tum pro Dei optimi maximi honore, cujus causa in primis agitur, tum vero pro animarum suarum salute ad sacrosanctæ orthodoxæque Ecclesiæ gremium quamprimum revertantur, et deinceps Catholice viventes tibi Catholico principi, sicuti debent, serviant et obediant. Quo celerius et diligentius ab eadem nobilitate tua pro sua eximia pietate factum fuerit, ita

[1] Pius IV. l. I. p. 582.

[1] Pius IV. l. I. p. 520.

majus et uberius divinæ gratiæ et retributionis æternæ præmium te consecuturum confidimus. Nos vero tibi maximas eo nomine gratias habituros, et occasionibus quoque relaturos esse pollicemur. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum XXII Augusti MDLXI, anno II ».

105. Simulata est aliquandiu pietas a Guillelmo Nassovio Aurasiæ principe, proximo enim anno certiorem fecit cardinalis legatus [1] Borromæum cardinalem, missum fuisse a principe Aurasiæ, quem rex Catholicus monuerat officii, virum auctoritate præditum pro restituenda Aurasiæ in pristinum splendorem religione Catholica, atque imploranda contra adversarios Pontificiorum regiorumque administrorum ope; nec meliorem animum ostendi potuisse ab eo principe, nec meliora dari imperia, atque adeo a se res illius Fabritio Avenionensi præfecto fuisse commendatas, cum maximi intersit pro rebus Avenionensibus confirmandis religionem Aurasiæ reflorescere, atque eum principem hoc facto purgasse se ab adversa suspicione, quam ob nuptias cum germana hæretica initas contraxerat, æquumque esse, ut Pontifex Aurasio significet, quantam gratiam existimationemque eximio eo facto collegerit, paribusque etiam officiis Sanctitas sua oratorem regis Catholici prosequatur. Quomodo autem Aurasiam postea hæreticorum arcem constituerit, ex qua hæretici in principatum Pontificium ad eum occupandum sæpius excurrere, inferius legemus.

106. *Pius IV scribit duci Sabaudiæ ut religionis defensoribus auxilium præstet.* — In Sabaudia [2] Vallis-Agronia, et Vallis-Martini, et aliæ, quæ ad Lucernatum fines pertinent, tum vetere Waldensi hæresi, tum nova Calviniana pollutæ fuere, quarum incolas Sabaudiæ dux immissis copiis redigere ad pristinum officium pertentavit, sed perfidi, correptis armis, aliquot prælia tumultuaria cum Catholicis confecerunt, adeo ut Sabaudus, cum pertinaciam eorum frangere armis ægre posset, pactionibus initis profitendæ hæreseos divino immutato cultu certis conditionibus impositis facultatem permiserit. Hæc vero mala ex eo oriebantur, quod magistratus, censores fidei ad extinguenda nascentis hæreseos semina, sua auctoritate non fulcirent; quare Pontifex [1] Emanuelem Philibertum admonuit, ut censoribus fidei implorantibus principis opem sine mora et cunctatione opitularetur, alioquin hæreticos contumacia armatum iri, atque excusso Ecclesiastico jugo, etiam seditiones tumultusque civiles concitaturos.

« Sabaudiæ duci.

« Hortamur ut quoniam parum prodesset in civitatibus ditionis tuæ inquisitores esse hæreticæ pravitatis a Sede Apostolica constitutos, nisi cum accidit, ut opus sit auxilium illis tuum et magistratuum tuorum, paratum esset brachium illis sæculare, quotiescumque id imploraverint, sine mora præstes, et præstari a tuis imperes. Id ut facias maxime quidem te, tanquam pium et Catholicum principem qualem omni tempore præstitisti sanctæ et orthodoxæ fidei zelus, et hujus sanctæ Sedis, quam semper majorum tuorum vestigiis insistens pie admodum coluisti, reverentia movere debet, sed ut pro tua prudentia intelligis, tua quam plurimum refert in populis ditionis tuæ Catholicam religionem vigere et extirpare hæreticam pravitatem, ex qua, ut nimis multis et gravibus exemplis ætate hac perspectum fuit, homines insolescere, nec magis adversus sanctam matrem Ecclesiam, quam adversus principes suos contumaces fieri, et ad res novas, ad tumultus, ad seditiones et scandala incitari solent. Tu ergo, dilecte fili, memor quibus majoribus ortus sis, tam a paterno quam a materno genere, quam piis orthodoxisque principibus, eos, sicut semper fecisti, imitari persevera, et optimum quod tibi peperisti nomen, diligenter conservare et augere stude. Denique sic habeto; quantæ tibi curæ Dei honos, et sancta sua religio fuerit, tantum tibi favoris et gratiæ divinæ in rebus tuis esse semper affuturum, etc. V Augusti MDLXI, anno II ».

[1] Hyppolit. car. in lit. ad Carolum Borromæum Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 38. — [2] Belcar. l. XXIX. num. 27.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. num. 2897. Ep. CXX.

PII IV ANNUS 3. — CHRISTI 1562.

1. *Diu multumque disceptatur inter Patres utra istarum vocum* continuatio *an* nova indictio *adhibenda sit in Actis Concilii redigendis.* — Anno a partu Virginis millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Indictione quinta, celebrati sunt solemnes episcoporum conventus ad exscindendas hæreses, discutiendas impiorum argutias purissimo doctrinæ Evangelicæ splendore, collapsam disciplinam primævæ restituendam dignitati, delendas corruptelas moresque excolendos. Pellicere humanissime ad hos cœtus conatus est Pontifex Protestantium principes, ut in sinum matris Ecclesiæ revertentes, offusam oculis caliginem depelli amantissime sinerent; at ii ab impostoribus fascinati, Pontificis et Ferdinandi imperatoris piis suasionibus contemptis, ponentes, ut ait Isaias, *Tenebras lucem, et lucem tenebras*, Conciliabulum Sathanicum, in quo Pontifex et episcopi reos, et laici hæretici præsides agerent a se expeti significarunt. Cum itaque ii perire magis quam parere Ecclesiæ mallent, eorumque deplorata videretur salus, ad continendos in officio populos, qui maxime in Gallia contrario impietatis Calvinianæ turbine agitati fluctuabant, dirimendis controversiis, constabiliendis dogmatibus, damnandis erroribus, sedula opera navata est a præsulibus, qui magno concursu ex omnibus Catholicis regnis Tridentum confluxere, ut eorum numerus ad ducentos quinquaginta quinque ascenderit (si tamen totum Concilii tempus spectetur) præter maximam theologorum primariorum multitudinem, qui in varias classes distincti dogmata promulganda ventilabant. Antequam vero Sessiones haberentur, plures præmittebantur Congregationes, in quibus doctrina et canones acerbissimo examine excutiebantur, rogabanturque singulorum Patrum sententiæ, ut cum publici fierent consessus, unanimi, in ea quæ jam sancienda deliberaverant atque excusserant, consensione conspirarent. Habita vero est prima Congregatio xv Januarii [1], de qua cum Gabriel Palæottus Rotæ Romanæ auditor, qui pro eodem Concilio doctoris legum munus exercebat, in sacrum postea cardinalium collegium cooptatus in Actis Tridentini Concilii ab ipso summa fide ac diligentia conscriptis multa referat, quæ ad illustrandam illius actionis notitiam conferunt, mox dicemus. Nunc objecta aliquot, quæ ipsam præcesserunt, in medium adducamus.

2. Commiserat Pontifex magna sagacitate prudentiæ Concilii, ut definiret, an Concilii prosecutio vel nova indictio dicenda esset, ut neque hæreticos ab adeundo Tridentino Concilio abalienaret, neque Catholicos offenderet; nonnulli tamen, nempe Hispani [2], quos flagrantissimus tuendæ fidei, superiorisque Concilii propugnandi urebat ardor, ægre admodum accepere, promulgatam non fuisse prosecutionem Concilii. Itaque archiepiscopus Granatensis cardinalem Simonettam legatum convenit significans, in ea Hispanos esse sententia, ut prosecutio declaretur. Responsum est illi a Simonetta, Pontificem id maxime percupere; sed ne Lutherani absterreantur, quos summo studio pellicere ad Concilium enititur, de industria distulisse eam declarationem, quæ ab ipso Concilio decernenda sit, flagitante ita Cæsare, nec regem Catholicum a patruo Cæsare dissensurum, de quibus quatuor legati cardinales xii Januarii certiorem fecere Carolum Borromæum. Verum Hispanorum animi eo responso [3] haudquaquam sedati adjecere, proximis diebus se ad prosequendum Concilium venisse, velleque, ut proxime ea prosecutio declaretur; quibus [4] cum iterum nuntiatum fuisset a cardinale Seripando ac Simonetta, rata ac firma superioris Concilii decreta futura, obsecundatum autem fuisse Cæsaris

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in Actis primæ Congregationis generalis ante primam Sess. Gabriel. Palæott. — [2] Ext. in Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1344. Ep. LIII. — [3] Ib. Ep. LIV. dat. XV Ja. — [4] Ib. Ep. LXIX. dat. XVI Feb.

votis, regemque Catholicum pari animorum consensione cum Cæsare conspirare, placatos hisce auditis Hispanos[1] legati xv Januarii cardinali Borromæo significarunt, addideruntque Congregationi centum ac duos præsules interfuisse præter cardinales. Repetitæ paulo post eædem sunt querelæ a Varga, qui regi Catholico a secretis erat, in litteris ad Granatensem archiepiscopum asserente Catholicos offendi, ni prosecutio Concilii promulgetur, cui tamen responsum, non passuros offendiculum, si res ordine peragatur; interim novatores provocari, ut ad Concilium accedant. Mense autem Maio institit Hispanus orator regio nomine, ut continuatio Concilii promulgetur, cum Pontifex regi Catholico eam pollicitus esset ; at Cæsarei oratores intercessere, ut saltem Cæsar prius admoneretur. Hispani præsules[2] dixere se æqui accipere ne continuationis mentio fiat, dummodo promittatur in fine Concilii decretum de ea promulgatum iri. Porro Galliæ rex significavit[3], curæ sibi non esse, an prosecutio Concilii, an nova indictio diceretur ; ex quo cum pateret, illum non esse conjunctum fœdere Protestantibus atque aliis hæreticis, ut fama percrebuerat, cardinales legati magno se inde gaudio delibutos fuisse cardinali Borromæo scripsere, maxime cum idem rex in litteris regiis professus sit, se controversias religionis, quæ nimium in Gallia commoventur, Concilio dirimendas permittere. Demum Ferdinandus Cæsar[4], qui tamdiu obstiterat, ne Concilium continuari promulgaretur, quod nimirum metueret Lutheranos principes, quorum hæreses in superiori Tridentino damnatæ magna ex parte fuerant, a Concilii accessu, hac captata occasione, abalienandos, assensit tandem[5], ut vox *Continuavit* Concilii decreto insereretur, sed re prius a Concilio diligenter excussa ; deinde flagitavit, ut re ipsa continuatio fieret, sed verbo non exprimeretur. Perpensis denique omnibus conventum est, ut ad confirmanda decreta Concilii Tridentini, tam sub Paulo III quam sub Julio III celebrati, quæ novatores rescindi impie deposcebant, in ultima sessione perlegerentur corroborarenturque, Spiritu sancto nimirum Patrum mentes mirabiliter dirigente, ne Apostolicum illud unquam exprobraretur[6] : *Si quæ destruxi, iterum ædifico, prævaricatorem me constituo.* Quo vero ordine Congregatio habita sit, ab eodem Palæotto[7] desumamus :

3. « Cum dies xv Januarii Patrum Congregationibus initium dederit, non abs re videtur, illum ordinem paulo fusius recensere. Hæ ut plurimum secretæ erant, ac universales Patrum omnium : aliæ universales et publicæ, aliæ particulares et privatæ. Nunc dicendum de universalibus secretis, quæ frequentiores erant, quod ex iis facile et reliquæ dignoscentur. Ubi aliquid in Synodo de sententia Patrum erat deliberandum, sive ad dogmata, sive ad mores pertineret, seu ad indicendam, seu ad prorogandam diem Sessioni, seu de excipiendis oratoribus principum ageretur, legendisve litteris ad Synodum scriptis, aut alia de re, quæ toti Synodo esset significanda, universalis tunc congregatio Patrum hoc ordine convocabatur. Primum enim indicebatur a cursore singulis prælatis tempus certum, quo Congregatio esset inchoanda. Hæc principio quidem paucis adhuc Tridenti Patribus, in ædibus Mantuani cogebantur, postea in Sanctæ-Mariæ-Majoris templo eam haberi mos fuit. Erant hic disposita subsellia in theatri speciem, quæ ducentos quinquaginta viros plus minus caperent, spatiis etiam pluribus ab utroque cornu relictis ad excipiendam in publicis Congregationibus frequentiorem turbam.

« Legatis in consessum prodeuntibus crux argentea præibat, quæ in theatri cubiculo ut omnibus conspicua esset, defigebatur ; ipsi in fronte sericeis sellis ex editiore ornatioreque loco aulæis circumstratis, subjectisque tapetis considebant. Medius inter eos Mantuanus, cæteri legati utrinque, et Madrutius, ac si qui alii cardinales, eodem consessu. Ad illorum dexteram, humilioribus tamen sedilibus, oratoribus Ecclesiasticis locus dabatur, ad sinistram laicis. Hi nondum quidem hoc tempore omnes aderant, sed subinde, non multis interjectis mensibus, advenerunt. Ex his etiam nonnulli ob dignioris loci contentionem, ab his conventibus se abstinebant. Cæteri deinde, si qui ab Ecclesiasticis præsulibus sæculari jurisdictione fungentibus, aut a clericorum alicujus provinciæ ordine huc missi erant. Prælati quidem inter reliquos nulla hujus muneris ratione habita considebant, alii extremo post omnes gradu admittebantur. Porro prælatorum honorificentior locus in imis subselliis erat. Primo patriarchæ, inde archiepiscopi, post episcopi (singuli antiquiori adeptæ dignitatis titulo) collocabantur. Hinc abbates mithra aliisque insignibus Pontificalibus utentes. Postea generales Religionum ex Ordinum eorum prærogativa, inter quos Jacobus Lainez Jesuitarum Generalis doctrina et pietate insignis, cum de loco inter Regulares, aut alios ei adscribendo dubitaretur, maluit modeste et prudenter seorsum ab aliis extra ordinem novissimus collocari, quam in ullam loci sui publice vel privatim contentionem venire. Proximi Generalibus, Auditor Rotæ, Advocatus Consistorialis, Promotor Concilii, et præterea si quis alius privilegio papæ, ut tunc temporis Georgius a Tayde Lusitanus, idemque Abbas litteris regis sui, ob illius virtutem et probitatem maxime commendatus, Congregationibus assis-

[1] Ib. Ep. CIII. — [2] Ib. Ep. CXI. — [3] Ext. ib. Ep. LXXXIV. — [4] Ib. Ep. CXXXVII. — [5] Ib. Ep. CLXX. — [6] Galat. II. — [7] Acta Conc. Trid. per Gabr. Palæott. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 24. . 136.

tendi jus habebat. Hinc novissimo loco præsulum, aut ordinis Ecclesiastici nuntii, de quibus supra. Reliquis postmodum ex concione exclusis, cardinalis Mantuanus Sancti Spiritus invocationem præmittebat ea Oratione, quæ in Libro Pontificali legitur. Videlicet[1] :

4. « Adsumus, Domine, Sancte Spiritus, adsumus quidem peccati immanitate detenti, sed in nomine tuo specialiter aggregati. Veni ad nos, et esto nobiscum : dignare illabi in cordibus nostris, doce nos quid agamus, quo gradiamur, et ostende quid efficere debeamus, ut te auxiliante tibi in omnibus placere valeamus. Esto salus, et suggestor, et effector judiciorum nostrorum, qui solus cum Deo Patre et Filio nomen possides gloriosum. Non nos patiaris perturbatores esse justitiæ, qui summam diligis æquitatem, non in sinistrum nos ignorantia trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat, sed urge (junge) tibi nos efficaciter solius tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus a vero, quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut et hic a te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia sempiterna. Per Christum Dominum nostrum.

℟. Amen.

« Inde si alicujus forte rei prælati præmonendi erant, antequam sententias dicerent, ipsemet Mantuanus, aut secretarius ejus nomine ex scripto significabat : illo absente, legatus ei gradu proximior hoc munere fungebantur. Cæteri legati, ubi opus erat, etiam inter ipsas prælatorum sententias pro concione loquebantur ; hinc Patrum suffragia pari ordine sequebantur.

« Primo cardinales non legati, post patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, abbates, et generales Ordinum, adjunctis etiam Ecclesiasticis oratoribus, qui tamen inter reliquos prælatos extraordinariæ suæ dignitatis loco respondebant. Singulorum sententiæ nunc breve tempus, nunc longum, et quandoque duos dies occupabant, ex rerum gravitate, ac dicentium prolixitate, nemini certo ad loquendum spatio præfinito, seu memoriter, seu ex scripto mallent; eas, qua poterat celeritate, secretarius notis excipiebat, atque in acta redigebat,idem et aliis cujusque arbitratu licebat, sed Auditor Rotæ præsertim singula calamo ex plumbario lapide diligenter atque in commentariolum referre solebat. Post generales nemini suffragii ferendi jus erat. Solus Auditor Rotæ, si quando a legatis sententiam rogabatur, consultivum, ut aiunt, votum proferebat.Hæc de generalibus Congregationibus, quæ urgentibus negotiis sæpe eodem die geminabantur.

[1] Act. Conc. Trid. per. Gab. Palæolt. Aud. Rot. postea card. Ms. Fr. Barb. sig. num. 24.

« Publicæ eodem ordine habebantur, sed ad eas cunctis omnium ordinum viris liber patebat accessus ; neque in illis Patres sententias rogabantur, verum audiendis theologis minoribus, qui ex suggesto de articulis ad dogmata spectantibus, antequam Patres de illis sententiam dicerent, disserebant, aut excipiendis oratoribus principum occupabantur. Privatæ in ædibus legatorum, aut eorumdem jussu apud certos Patres pro temporum negotiorumque conditione, nunc multis, nunc paucis accersitis cogebantur.

« Verum ut clarius adhuc omnibus liqueat, quis ordo in proponendis examinandisque rebus in Sessione postea sanciendis adhiberetur, illud adjiciendum est : in congregationibus, quæ veluti erant Sessionum præludia, duo potissimum diligenter tractari consuevisse, quorum alterum ad dogmata, alterum ad reformationem pertinebat, sicuti in qualibet Sessione decreta partim fidei, partim morum edebantur.

« Inchoabatur autem ut plurimum a rebus fidei, in quibus erat certum fere argumentum, de quo disserendum erat, cum ab exordio Concilii ad hæc usque tempora constans semper Patrum mos fuisset, ut septem Ecclesiæ Sacramenta sigillatim prosequerentur. Quæ igitur materia fidei tunc occurrebat, a legatis, adhibito peritorum aliquot consilio, in articulos quosdam, seu problemata dividebatur, eaque primum theologis minoribus excutienda tradebantur. Missi enim huc ab imperatore, a singulisque regibus complures theologi virtutibus eximii fuerant, tum alii quoque in prælatorum contubernio ex variis nationibus summa eruditione præditi huc confluxerant, quibus ad disserendum publice ex suggestu de articulis propositis locus dabatur, eorum responsa deinde, tum secretarius, tum Patres aliquot delecti observabant, et quod pluribus placuisset, in canonis seu decreti formam redigebant, quod Patribus in generali Congregatione maturiore postea consilio decernendum exhibebant. In decretis vero de moribus nulla theologorum minorum adhibebatur consultatio, sed legati ipsi initio partim, quod eis ex usu Christianæ reipublicæ videbatur, re cum nonnullis prudentioribus ante communicata, Patribus proponebant, ut de quibus optassent Synodum consuli, ea sibi ipsis antea inspicienda exhiberent, idque eo tacite consilio, ut graviora ad Sanctissimi Domini nostri aures prius perferrent, quibus per litteras is, quod ex re esse censuisset, significari mandabat, indeque ipsi reformationum decreta per auditorem contexebant, quæ Synodo deliberanda, dissimulata tamen Pontificis mente, proponebant, eaque postea a Patribus, aut recipiebantur, aut refellebantur, seu variis modis, ut res ferebat, immutabantur. Ideoque nihil illud, aut Concilii libertati, aut Patrum

auctoritati detrahebat, penes quos erat arbitrium cuncta a legatis proposita probandi aut improbandi, sed et progrediente Concilio, ab hoc etiam instituto discessum fuit, cum legatorum prudentiæ et consilio omnia moderanda Sanctissimus ipse libere permisisset. Porro decreta ipsa, sive de fide, sive de moribus proposita essent, toties a Patribus examinabantur et evolvebantur, quoad a majori illorum parte recepta essent, cum unicuique loco suo ea refellendi, arguendi, corrigendi, probandive libertas summa relinqueretur. Tum deligebantur a legatis Patres aliquot, qui censuras annotationesque omnes in unum colligerent: si quid tamen præclarum, licet a paucis tantum, vel ab uno animadversum offendissent, quod dignum iis inferendi, aut dirimendi decretis judicassent, illud ad Patrum conventum, ut eorum quoque judicium explorarent, referre solebant. Dum his emendandis opera dabatur, aliarum rerum disputationem Patres prosequebantur, donec elaborata omnia et expolita frequentioribus consessus suffragiis censerentur. Quæ tamen nisi peracta Sessione, sancta rataque habebantur, cum unicuique etiam in Sessione ipsa consilium mutare, probataque improbare, prout Spiritus sanctus suggereret, liceret, adeo ut cujuscumque generis argumentum in Congregationibus tantum pertractatum, in Sessione demum definitum diceretur ».

Nunc ut ad rem redeam, et acta in prima generali Patrum Congregatione recenseam, Mantuanus gravi oratione exorsus, lætari se tandem ait, advenisse illud tempus diu optatum a Sanctissimo domino nostro, quo possit labenti Christianæ reipublicæ præsidium afferre; nihil illi jam pridem fuisse antiquius, quam Concilium Œcumenicum cogere, quo impia hæreticorum dogmata evelli, depravati fidelium mores emendari, et suus Catholicæ Ecclesiæ nitor restitui posset, hac de causa novem se abhinc menses legatum huc ab eo missum fuisse, ut quam celerrime Patres negotium hoc religionis aggrederentur, postea causas exponit alias a nobis relatas, quapropter ad hunc usque diem Sacrosancti Concilii initium fuerit dilatum.

Describuntur eæ accuratissime subjectis verbis ab Angelo Massarello [1], qui Concilio a secretis fuit:

« Illustrissimus et reverendissimus dominus cardinalis Mantuanus exposuit causas, propter quas celebratio Concilii usque ad hoc tempus dilata fuerit, cum prælibatus Sanctissimus in Christo pater et dominus noster Dominus Pius papa IV, Concilium hujusmodi in hac civitate Tridentina in die festo Resurrectionis Dominicæ anni MDLXI, proxime præteriti celebrandum indixisset, prout in ejus litteris latius apparet, scilicet eo quia ea die pauci admodum prælati ad hanc civitatem Tridentinam convenerant, ideo ejus celebrationem, usque dum frequentes Patres adessent differri necesse fuit, verum cum Sanctitas sua postmodum decrevisset illud celebrari, statim postquam præfatus illustrissimus et reverendissimus D. cardinalis Simonetta Tridentum applicuisset, medio ejus tempore reverendus dominus Zacharias Delphinus episcopus Pharensis apud Cæsaream Majestatem nuntius Apostolicus per suas litteras ipsis illustrissimis et reverendissimis dominis sacri Concilii præsidentibus et legatis significavit, oratores ejusdem Cæsareæ majestatis affuturos hic ad Concilium ad diem XV præsentis mensis Januarii, ex quo ut hoc sanctissimum opus majori cum existimatione fieret, ipsis illustrissimis præsidentibus visum tunc fuit, ipsos oratores expectandos esse, qui cum non venerint, illius celebrationem ulterius differendam non esse arbitrati sunt, et propterea illius celebrationem in diem Dominicam proximam, quæ erit XVIII præsentis mensis Cathedræ Romanæ B. Petri Apostolorum principis consecrata, faciendam decreverunt, in quo die ea quæ in publicis sessionibus peragi consueverunt, peragentur, conceptis jam verbis, quæ pro decreto ipsius sessionis in ipsa die publicari debuissent, per reverendissimum D. Angelum Massarellum episcopum Thelesinum ipsius sacri Concilii secretarium, an eis placerent recitandis (1) ».

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. in Actis Congreg. 1. ante 1. Sess.

(1) Ut racemos post vindemiam colligamus, nonnulla hic addenda suppetunt, non ex historico utcumque recentiori, sed ex priscis auctorum ejus Concilii scriptoribus decerpta. PP. Martene et Durando Veter. Monum. to. VIII evulgarunt Diarium Actorum Concilii sub Pio IV, auctore Torello Phola de Poggio Fesulano, qui cum Simone Pasqua Lunensi Sarzanensi episcopo ad Tridentum se conferens ibidem ad exitum usque Concilii substitit. Narrat ille primæ generali congregationi adfuisse patriarchas binos, archiepiscopos sex, episcopos nonaginta. Die XVI Januarii pervenisse Tridentum Guillelmum Mantuæ ducem; die vero XVIII ejusdem Joannem Trevisanum patriarcham Venetum, eademque pariter die, qua et prima Concilii sessio est habita, Georgius Drascovitius episcopus Quinquecclesiensis a Ferdinando Cæsare, ut orator regis Hungariæ, missus. His ergo episcopis nec majori numero primam Concilii sessionem coaluisse censeo.

In historia rerum, post primam congregationem habitam statim post sessionem primam omisit annalista adventum cardinalis Altaemps Germani et quem Pius quatuor cardinalibus Concilio præsidentibus quintum adjecit. Hunc Tridentum pervenisse die XXX Januarii idem Phola testatur.

Eodem quoque Phola auctore, Pragensis episcopus legatus missus est ad Concilium a Ferdinando, non quidem ut Cæsare, sed ut rege Bohemiæ et archiduce « ut Pragensis nomine et ut procurator pro invictissimo Cæsare regni Bohemiæ et archiducatus Austriæ ». Legatorum vero orationem recitat Phola eamdem, quam apud Labbeum in collectione sua extare annalista hic animadvertit. At illa qua ego utor Labbei editio Veneta, anni MDCCXXXIII, tomo XX, col. 413 eam tantummodo exhibet orationem, quam in altera sua ad patres Concilii admissione die XXIV Februarii unus ex legatis, episcopus Quinquecclesiensis, habuit. Nihil vero hic lego de oratione, quam legati pro Concilio recitarunt, cum primum ad patres introducti sunt, die VI Februarii. Ingenue tamen fatendum est orationem, quæ primo habita est a legatis die VI Februarii, eamdem pæne fuisse cum illa quam iterum in conspectu patrum venientes die XXIV Februarii produxerunt, teste

5. *Prima sessio sub Pio IV celebrata, et decreta in ea lata.* — Rogati Patres an vellent primam sessionem præscripto die sacro Cathedræ Sancti-Petri celebrari, atque in ea promulgari Concilium ad Numinis gloriam Christianæque rei amplificationem Tridenti rite esse congregatum ; collectis omnium sententiis consenserunt. Confluxerat Tridentum magna præsulum multitudo, maximæque inde spes provehendæ rei Catholicæ conceptæ, flexu vero temporis Patrum numerus vehementer auctus est, ut de eo Astulphus Servantius[1] Actorum Concilii scriba, hæc referat :

« Hic convenere (scilicet Tridenti) quinque primum cardinales, præsidentes et legati Concilii pro sanctissimo domino nostro papa Pio IV Pontifice optimo, duo similiter cardinales Lotharingius et Madrutius, patriarchæ tres, archiepiscopi viginti quinque, episcopi centum sexaginta, abbates septem, generales septem, cum theologis centum et ultra sæcularibus et regularibus, et cum Ferdinandi Cæsaris, regis Galliæ, Hispaniarum, Portugalliæ, Hungariæ, Bohemiæ, Poloniæ, Venetiarum, septem Cantonum, Helvetiorum, Bavariæ, Florentiæ, Sabaudiæ et aliorum principum Ecclesiasticorum oratoribus ».

Cum affulsisset felix dies sacer Cathedræ S. Petri, ad primam Sessionem celebrandam instructo agmine, cujus ordinem describit Paleottus[2], ad princeps templum itum est :

« Advenit dies XVIII Januarii primæ sessioni præfinita, cujus ordinem ritumque diligentius referendum existimavi, quando hinc cæteris etiam tum sessionibus (actiones olim vocabantur) tum publicis supplicationibus quæ postea secutæ sunt, satisfiet.

« Convenerant summo mane cardinales et prælati in templo D. Petri, ibique sumptis pluvialibus et Mithra cœptum fuit iter ad cathedralem Ecclesiam S. Vigilii. Præibant canonici Ecclesiæ, inde abbates, episcopi, archiepiscopi, patriarchæ, oratores Ecclesiastici, quando his solemnibus aderant.

« Post hos dux Mantuæ incedebat, qui biduo ante Tridentum venerat : deinceps cardinales, inter quos Madrucius sericam albam mithram, reliqui legati mithram textili auro gerebant. Hinc laicorum oratorum locus erat.

« Post sequebantur generales religionum, auditor Rotæ, advocatus, promotor, magistratus civitatis, et permixti, deinde quamplures nobiles. Hicque incedendi mos in aliis deinde solemnibus supplicationibus quæ variis occasionibus habitæ fuerunt servatus est.

« Ubi perventum fuit ad Ecclesiam, cardinales insigniori loco altari ipsi proximo purpureo stragulo magnifice ornato, adjecto post eos duce Mantuæ, collocantur; oratores Ecclesiastici ad sinistram, inferioribus tamen sellis, laici contra. Prælati cæteri disposita æquali loco subsellia, eodem ordine, qui in Congregationibus servatur, arripiunt. Mantuanus ipse missam solemni pompa, quod primum fuit sacrum ab eo publice peractum , reliquis deinde sessionibus alii prælati, queis mandatum, de more, celebrarunt. Hinc sacra concio, quæ legatorum arbitrio, ut res ferebat, distribuebatur». Eo die a Gaspare e Fosso Ordinis Minimorum archiepiscopo Reginensi, satis pie fuit oratio habita[1], quam ex collectione Lovaniensi acceptam Philippus Labbe Soc. Jesu XIV Conciliorum a se nuper editorum tomo inseruit, e qua delibanda a nobis visa est præcipua ejus particula qua inconcussam incorruptamque fidei Romanæ Ecclesiæ puritatem, hæreticorumque calumniis ipsam lacerantium impietatem demonstrat.

« Hæc sancta et Apostolica omnium Ecclesiarum Christi mater Ecclesia, quæ per Dei gratiam a tramite Apostolicæ traditionis nunquam recessit, nec hæreticis pravitatibus aliquando succubuit, sed ut in exordio fidei Christianæ normam accepit, ab auctoribus suis Apostolorum principibus, eam illibatam semper servavit juxta ipsius Domini pollicitationem, qui ejus discipulorum principi ait : *Petre, ecce Sathanas expetivit te, ut cribraret sicut triticum. Ego vero rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Sola hæc Ecclesia nunquam fuit erroribus depravata, nec ad eam, ut Cyprianus ait, accessum potuit

[1] Ms. card. Pii Auctore Astulpho Servan. ser. tern. 1. — [2] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 186. fin. Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. in Actis sess. 1. sub Pio IV.

Phola in suo Diario, « habitis aliquibus verbis fere ejusdem tenoris, prout supra habuerunt orationem ». Cæterum errat Labbeus asserens orationem a se productam recitatam fuisse ab episcopo Quinquecclesiensi, ut Cæsaris pro regno Hungariæ oratore. Phola etenim in Diario scribit die illa Februarii episcopum Quinquecclesiensem exhibuisse « mandatum imperatoris, quo constituit eum procuratorem nomine imperii pro rebus Hungariæ ». Venit igitur nomine imperii ut Hungariæ rebus provideret.

Quæ vero scribit annalista hic num. 21, de ordine, quo in sessione Concilii secunda sub Pio IV recitata sunt mandata legatorum imperatoris et regis Lusitaniæ, ambagibus quibusdam intricata sunt. Cum enim primo ad patres venissent legati imperatoris, ut regis Bohemiæ et archiducis Austriæ, quo nomine, coram patribus sese statuerunt die VI Februarii, dein vero die IX ejusdem auditus pro Concilio legatus regis Lusitaniæ, demum, die XXIV ejusdem mensis, apparuerit legatus imperii pro regno Hungariæ ; eo pariter ordine producenda videbantur in sessione Concilii eorumdem legatorum mandata. Id sane iniquum visum est legato regis Lusitaniæ, qui proferre litteras suas diu recusavit, teste Phola ; sed ea demum lis ita composita est, ut ita tunc in sessione legerentur singulorum oratorum litteræ patentes, ac si tunc primum audirentur a patribus, priori lectione in congregationibus habita, vel neglecta, vel dissimulata ; atque ita factum, ut Lusitan litteræ post trium legatorum Cæsareorum litteras exhiberentur. Hæc Phola. MANSI.

habere perfidia. Defecit Hierosolyma, ubi Jacobus, Asia ubi Joannes, Achaia ubi Andreas, India ubi Thomas, Æthiopia ubi Matthæus, Persia ubi Judas, Phrygia ubi Philippus. Defecerunt et aliæ, quibus Christi et Apostolorum discipuli præfuere. Sola hæc Apostolico culmine insignis a fide et veritate nunquam declinavit, ut a Domino promissum est, quod portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Si portæ inferi, quæ sunt hæreses, et falsæ doctrinæ non sunt contra eam prævaliturae, cur hi impudenti ore tamdiu in erroribus illam fuisse proclamant? nemo dicat Deum se habere Patrem nisi hanc Ecclesiam Matrem agnoverit, etc. »

His subdit Gabriel Paleottus : « Inde precationibus multis summa cum ceremonia adhibitis, atque Litaniis sacrisque canticis ad Spiritus sancti gratiam implorandam pie fusis, cæterisque omnibus antiquo ritu ex Pontificalis libri lege confectis, legati omnes ad altaris suggestum, ubi usque ad sessionis extremum e regione prælatorum assidere solebant, se transtulerunt. Tum episcopus Telesinus secretarius ex superiori loco Bullam [1] sanctissimi domini nostri Pii IV recitavit de Concilii hujus celebratione editam III kalend. Decemb. MDLX, simulque ejusdem Diplomata in cardinales legatos ad sanctam Synodum ». Quorum primo VI idus Martii exarato legatio ipsis committebatur. Secundo xx Martii superioris anni consignato instructi sunt auctoritate ad facultatem perlegendorum librorum hæreticorum præsulibus, theologis virisque eruditis, qui Tridentum convenerant, conferendam. Tertio aucti sunt potestate ad conciliandos clam Ecclesiæ eos, qui se hæreseos laqueis irretiissent. Quarto [2] vero ad succidendas de loci honorificentioris dignitate contentiones, sedium servandarum ordo ita describebatur :

« Ad tollendam omnem controversiarum materiam, quæ inter prælatos ad celebrationem sacri Œcumenici et generalis Concilii in civitate Tridentina pro tempore congregatos super eorum præcedentia forte jam sunt exortæ, et in dies oriri possunt, volumus, ac vobis per præsentes mandamus, ut omnes et singulos prælalatos prædictos, videlicet venerabiles fratres patriarchas primo, secundo archiepiscopos, tertio autem loco episcopos, in quibusvis actibus publicis, secundum gradum et ordinem suarum ad eorum Ecclesias promotionum, ita quod qui prius promotus ad eas fuerit, in suo quisque ordine prior existat, incedere, sedere, ac locum habere, nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primitiales (sive veræ, sivæ prætensæ illæ fuerint) auctoritate nostra faciatis, studioseque et diligenter curetis, atque pro vestra prudentia ac pietate geratis, ut cuncta istic concordibus animis in virtute Spiritus sancti, cum Dei omnipotentis honore atque timore, quiete feliciterque procedant, non obstantibus, etc. ult. Dec. MDLXI, Pont. nostri an. II ».

6. Non propterea sedatæ controversiæ, nam inter alios Bracharensis archiepiscopus gravissime postea questus est suæ Ecclesiæ dignitati detrahi, dum inferiore loco sedere cogeretur, quam subditi sibi archiepiscopi sederent, quam sederet Rossanensis archiepiscopus, qui nullos sibi obnoxios habebat episcopos, quam Antibabarensis et alii archiepiscopi, quorum Ecclesiæ Turcica erant servitute pressæ, quare promulgavere [1], nullum exinde primatibus præjudicium damnumve allatum iri, eosque dimisso Concilio pristinæ dignitatis splendorem retenturos :

« Declaramus, inquiunt, quod mens sanctissimi domini nostri et nostra est, quod per hoc decretum nulli jus de novo acquiratur, nullique præjudicium generetur, nulliusque jus in proprietate, seu possessione lædatur, atque demum in omnibus, et per omnia, unumquemque primatem verum vel prætensum in eodem statu post hoc Concilium remanere, in quo antea permanebat ».

7. Hoc decretum paulo post Pius IV subjecto Diplomate [2] confirmavit :

« Dilectis filiis Jacobo Sanctæ-Mariæ in Via, Puteo, et Herculi Sanctæ-Mariæ Novæ, de Mantua, ac Hieronymo Sanctæ-Susannæ, Seripando, et Stanislao Sancti-Laurentii, ac Ludovico Sancti-Cyriaci in Thermis, Simonettæ, titulorum presbyteris, necnon Marco Basilicæ XII Apostolorum Diacono de Altemps nuncupatis, cardinalibus nostris, et Apostolicæ Sedis de latere legatis, Pius PP. IV.

« Dilectis filiis nostris, salutem et Apostolicam benedictionem.

« Nuper ad tollendam controversiarum materiam, quæ inter prælatos ad celebrationem sacri Concilii in civitate Tridentina pro tempore congregatos, super eorum præcedentia jam forte tunc exorta fuerat, et in dies oriri poterat, per nostras in forma Brevis litteras, vobis mandavimus, ut omnes et singulos prælatos prædictos secundum ordinem suarum ad eorum Ecclesias promotionum, in quibusvis actis publicis incedere, sedere et locum habere, nulla habita ratione ad ipsorum dignitates primatiales, sive veræ, sive illæ prætensæ fuerint, auctoritate nostra faceretis, prout in eisdem litteris plenius continetur. Cum autem, sicut accepimus, vos, ne dubitari possit, an ex litteris nostris præjudicium aliquod hujusmodi generaretur primatibus supradictis in proprietate

[1] Ext. apud Astul. Servantium Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1109. p. 172. — [2] Ext. in Bull. const. 24. et in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in act. congr. 1. ante sess. 1.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. — [2] Act. per Astulph. Secr. Ext. in Actis Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1586. Ult. decembr. 1651. an. 2. Vid. bul.

seu possessione primatiarum, seu verarum, seu prætensarum, per quoddam nostrum rescriptum, sive documentum declaraveritis, quod ea mens nostra fuerit, prout etiam est, ut per easdem litteras nostras nullum jus de novo acquiratur, nullumque præjudicium generetur, nulliusque jus in proprietate vel possessione lædatur, atque demum in omnibus, et per omnia, unumquemque primatem verum vel prætensum in eodem statu post ipsum Concilium remanere, in quo antea permanebat, sicut declarationem hanc a vobis, ut præfertur, factam, et æquam, et rationi consonam esse censemus, ita juxta animi mentisque nostræ voluntatem processisse attestamur, illam, et in eo rescripto seu documento ipsam concernentia contenta quæcumque, auctoritate Apostolica tenore præsentium confirmamus et approbamus, illisque nostræ perpetuæ firmitatis robur addimus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XIV Februarii MDLXII, Pontificatus nostri anno III ».

8. At de his satis : nunc ad Acta a Gabriele Palæotto conscripta revocetur oratio. Post quæ (scilicet lecta in sessione Pontificia Diplomata) prælatus ille qui sacrum operatus erat (hoc autem die archiepiscopus Reginensis præter ordinem id munus fecit) procumbens ad legatorum genua pugillare a manibus eorum excipiebat, ubi decreta pridem a Patribus examinata et firmata, et in eadem sessione publicanda continebantur. Inde ex suggestu clara voce primum decretum recitabat.

Conceptum porro erat subjecta verborum forma illud decretum :

« Placet-ne vobis ad laudem et gloriam sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus sancti, ad incrementum et exaltationem fidei et religionis Christianæ, sacrum Œcumenicum et generale Concilium Tridentinum in Spiritu sancto legitime congregatum ab hodierno die, qui est decimus octavus mensis Januarii an. a Nativitate Domini MDLXII, cathedræ Romanæ B. Petri Apostolorum principis consecrato, sublata quacumque suspensione juxta formam et tenorem litterarum sanctissimi domini nostri Pii IV. Pontificis maximi celebrari, et in eo ea debito servato ordine tractari, quæ proponentibus legatis ac præsidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de Religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram atque Christianam pacem conciliandam, apta et idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur? Responderunt : Placet ».

Hæc omnia referunt etiam Acta typis cusa; verum Manuscripta [1] Gabrielis Palæotti auditoris Rotæ de archiepiscopo Reginensi loquentia subjiciunt : Decreto recitato subdebat in fine hæc verba :

« Illustrissimi et reverendissimi domini ac amplissimi Patres, placent-ne hæc omnia vobis? ad quæ statim ipsi legati respondebant : Placet, aut si quid aliud eis occurrebat. Subinde secretarius Concilii singulorum Patrum vota coram notariis sacræ Synodi ordine scrutabatur, qui singula, prout a Patribus, seu voce, seu scripto tradebantur, in Acta redigebat. Latis suffragiis omnia a secretario et notariis, ipsis legatis renuntiabantur. Et si decretum ipsum ab omnibus æque receptum fuisset, tunc primus legatus sacræ Synodo palam claraque voce contestabatur : Decretum approbatum est ab omnibus, nemine discrepante, gratiæ agendæ sunt Deo. Quod si discors aliquorum sententia fuisset, id quoque ab ipso legato ita proferebatur : Decretum approbatum est ab omnibus, exceptis aliquibus, qui cuperent in eo nonnulla tolli, sive apponi, seu mutari, aut quid hujusmodi, statimque dissentientium suffragia, prout excepta fuerant a secretario palam legebantur, ita ut quilibet sententiam suam non obscure posset recognoscere. His et inferiorum sententiæ quas per syngrapham ferebant, dum tamen decretis examinandis interfuissent, adjungebantur. Post quæ secundum decretum eodem ordine rogatis Patrum sententiis promulgabatur, mox tertium, et deinceps reliqua, singillatim suo loco sanciebantur, ita tamen ut uno decreto, seu rogatione omnia, quæ ejusdem argumenti erant, sive ad dogmata, sive ad mores pertinerent, multis dissecta capitibus continerentur ».

Tradunt vero Acta [1] in hac prima sessione, sive primo Patrum consessu promulgatum hoc secundum decretum fuisse :

« Placet-ne vobis proximam futuram sessionem habendam et celebrandam esse feria quinta post Secundam Dominicam Quadragesimæ, quæ erit dies XXVI mensis Februarii ? Responderunt : Placet.

« Quibus absolutis, promotor Concilii absentium prælatorum contumaciam accusabat, inde omnes protonotarios et notarios ibidem præsentes rogabat, ut omnia in ea sessione gesta in publica redigerent documenta. Extremum illud sessionis erat, Hymnum *Te Deum laudamus* summa cum exultatione canere, post quem cum benedictione Patres omnes dimittebantur. Hæc in omnibus sessionibus eodem fere modo observabantur, excepta procedendi pompa quæ hac die ad felicioris et augustioris initii significationem adhibita fuit, in aliis post omissa, cum satis esset die sessioni præstituto, prælatos in Cathedrali ipsa Ecclesia convenire, ubi sacro missæ confecto tunc demum pluvialia mithrasque desumebant ».

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 20.

[1] Acta Conc. Trid. sess. 17. quæ prima sub Pio IV.

Hactenus Gabriel Palæottus [1], qui nomina eorum, qui interfuere huic primæ sessioni recenset, cui consentit Astulphus Servantius Septempedanus, Angeli Massarelli episcopi Thelesini, qui Concilio a secretis erat, scriptor, qui Acta Italice quidem, sed accuratissime scripsit, ac insignia Monumenta Latinis verbis concepta in Concilii Diaria retulit, ac de prima congregatione generali post memoratam sessionem coacta, deque illius gestis hæc narrat [2] :

9. *Articuli adoptati tum de admittendis in Concilium hæreticis, tum de tollendis dissensionibus inter oratores principum.* — « Congregatio prima generalis, post primam sessionem habita est XXVII Januarii in ædibus cardinalis Mantuani, in qua propositi fuere subjecti articuli.

« In prima præterita sessione declaratum est, et communi omnium voto approbatum, pertractandum esse de iis, quæ necessaria videbantur ad Catholicam fidem stabiliendam, atque morum integritatem restituendam. Ut autem hoc Deo duce aggrediamur, visum est magnopere referre ad doctrinam de fide in suam puritatem restituenda, ut libri a variis auctoribus post exortas hæreses scripti, atque etiam librorum censuræ in diversis locis a Catholicis editæ examinentur, de quibus quidquid sancta Synodus statuerit, tanquam sacrosanctum decretum suo tempore publicabitur, ut ab omnibus absque ulla tergiversatione custodiatur; super qua re, quicumque pro ejus faciliori explicatione aliquid afferre voluerint, libenter audientur.

« Ad hæc rite dijudicanda, ut vocentur omnes, ex decreto Sanctæ Synodi consentaneum fore existimavimus, ad quos istarum rerum aliqua pertinere quoquo modo possunt, ne deinceps inauditos se esse condemnatos excusari possint.

« Non abs re quoque putavimus esse, omnes, qui in hæreses quascumque lapsi sunt, et adhuc irretiti sunt, ad pœnitentiam invitare; tum salvi conductus ampla concessione de promissione magnæ, et singularis clementiæ, et benignitatis, modo redeant ad cor, et sanctæ Catholicæ Ecclesiæ divinam potestatem agnoscant, securos reddere.

« Tam super modo facilioris expeditionis, examinis librorum et censurarum, quam super aliis quæ sequuntur, Patres, postquam hujus scripti exemplum acceperint et consideraverint, dicent suas sententias in congregatione ».

Proposuit cardinalis Mantuanus [3], an proposito edicto hæreticorum signiferi, ut Joannes Calvinus, Brentius, ac Jocabus Andreas evocandi essent ad Concilium, ut eorum impietas palam revinceretur, ne posthac quererentur, se inauditos damnari; verum plures dissensere, ne impietatis virus, vel arcanis, vel publicis colloquiis, vel concionibus simplicibus afflarent : ac licet subjiceret cardinalis legatus, tantam iis Tridenti licentiam non permissum iri, sensere tamen præsules, pervicacissimos hæresiarchas, licet firmissimis argumentis revincerentur, eorumque næniæ dissolverentur, tamen eos impudentissimis mendaciis victoriam ac triumphum sibi arrogaturos, itaque ne latius venena spargant, singulari nomine non accersendos. Ut vero publica syngrapha liberi commeatus, tum Protestantibus, tum aliis hæreticis, ut accederent ad Concilium si vellent, data sit, dicetur inferius. Nunc quæ medio tempore gesta sint prosequamur.

10. Quo die prima sessio celebrata fuit, Tridentum accessit Georgius Drascovitius episcopus Quinquecclesiensis doctrina maxime conspicuus a Ferdinando Cæsare Hungariæ regni nomine orator missus, ultima vero Januarii Antonius Muglitius Moravus archiepiscopus Pragensis ejusdem Ferdinandi, ut Cæsaris, orator, quem paulo post decima nempe Februarii secutus est Sigismundus a Thuun, sive Tun, quæ eadem est ac Romæ nobilis familia Capisucchia, ut ostendit Armannus [1], qui una cum Muglitio imperatoris nomine apud Tridentinos Patres orator fuerat declaratus; Muglitius itaque ac Drascovizius, sublatis prudenter a Patribus difficultatibus, quæ de digniori loco obortæ fuerant, die sexta Februarii excepti fuere, ubi post exhibitas Ferdinandi litteras, egregiam, ut scribit Pallavicinus, Drascovizius habuit orationem, quam vel aliam ab ea, quam ex collectione Lovaniensi edidit novissime Philippus Labbe Societatis Jesu tom. XIV Conciliorum, asseritque sub die XXVI Februarii confectam, dicendum, vel aliqua tunc prætermissa, nempe quæ de Sigismundo a Thuun oratore, veluti præsente loquitur, cum nec Tridentum adhuc pervenisse compertum sit, quæ postea die XXVI Februarii addiderit, cum in sessione secunda omnes pariter iterum fuerunt admissi, ex qua tamen oratione quædam hic delibare visum fuit, lectorem ad ipsum Labbe remittendo, si eamdem integram ac simul epistolas inspicere optabit. Est autem hujusmodi :

« Si vobis, illustrissimi legati, præclaræ domus, quæ est Ecclesia Dei, optimi fortissimique cardines huic sacrosanctæ generali Synodo divinitus dati ac donati præsidentes, vosque Patres ac pastores amplissimi, atque vigilantissimi; si vobis, inquam, Ferdinandi Cæsaris Augustissimi fides, pietas, vita propemodum angelica, ac in retinenda defendendaque Christiana Catholica religione perpetuæ vigiliæ, labores plurimi, indefessumque omni tempore

[1] Ib. p. 21. — [2] Act. Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sig. 1109. 22. per Astulph. Serv. — [3] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal.

[1] Vinc. Arm. de Fam. C.

studium, jam antea perspectissima non essent, crederem quidem me, si hæc sciens tacerem, non modo accusandum merito, verum etiam tanquam omnes impietatis limites dolose transgressum, jure optimo damnandum esse. Verum quia optimi Catholicique Cæsaris raræ et inauditæ virtutes vobis notiores sunt, quam ut a me in medium proferri debeant, hæc tanta, tamque præclara, et plane cœlestia dona in hoc nobilissimo omnium Christianorum principum capite, stellarum instar micantia, maxima admiratione veneranda rectius, quam oratione splendidissima etiam celebranda esse merito existimaverim. Ac nisi hunc talem tantumque nobis imperatorem Deus pro sua benignitate dedisset, infelix profecto infinitis prope malis afflicta, hæc nostra tempestas, et esset, et haberetur. Gratias itaque Deo æterno supplex agere debebit, quod illi præter ullum meritum hic alter Constantinus Catholicus obtigerit. Nam per Deum immortalem, nonne vere Constantinum aut eo etiam majorem dixeris, qui ante aliquot sæcula hæresis vel schismatis injuria collapsas Ecclesias, imo vero penitus deletas, hisce calamitosissimis temporibus nova liberalique fundatione restaurat, collegia et cœnobia eversa soloque æquata reparat, et nova etiam magna impensa exædificat, clerum denique ipsum cum orthodoxa religione in plerisque locis extinctum non sine maximis et incredibilibus sumptibus pristino splendori restituere omnibus viribus annititur? Sed ne curiose magis explicare, quam strictim quædam attingere voluisse videar, illud unum hoc loco dicam, et vere quidem laudatissimi hujus imperatoris cura atque opera perfectum esse, ut multorum scelere deformata religionis nostræ facies suum decus, suum nitorem recuperare posse videatur. Jam vero quantum illud est, quod ut Christianos e Turcarum faucibus eripere, eosque a sævissima illorum tyrannide in libertatem asserere possit, nihil eorum quæ ad hanc rem recte ac laudabiliter gerendam adhiberi debeat, omittit, sed continuis bellis, magno studio, incredibili cura, ita se impio illorum conatui opponit, ut quod Germani, quod Itali, quod Galli, quod Poloni, quod aliæ prope omnes gentes securius vivant, id ipsi uni secundum Deum acceptum referre debeant. Quis enim est in orbe Christiano locus, quem non Turcarum rabies jam olim pervagata esset, nisi hic talis tamque pius imperator, se suosque Christianos liberos huic pesti objecisset, ejusque impetum solus ex omnibus Christianis principibus sustinuisset? Sed hæc ejusmodi sunt, ut nullis verbis, nulla ratione satis explicari posse videantur. Atque hunc quidem imperatorem omnium virtutum heroicarum cumulatissimum thesaurum, si vobis, Patres laudatissimi, hic coram intueri liceret, verbis exprimi non potest, quanto gaudio perfunderemini: vicissimque ne cogitatione quidem complecti possum, quali quamque inexplicabili lætitia sua Cæsarea majestas afficeretur, sin in hoc augustissimo loco eum, in quo olim paracletus ille Spiritus sanctus sub ignitarum linguarum forma visibilis apparuerat repræsentante, tot doctissimorum ac religiosissimorum, imo vere Apostolicorum locum tenentium Patrum venerandas facies præsens inspiceret, sibi certe temperare non posset, quin in omnium vestrum sancta oscula rueret; imo quo est in rem Christianam studio ipsamet majestas sua huc libenter venisset, si propter plurimas, easdemque gravissimas, sacri Romani imperii regnorumque et dominiorum suorum occupationes in præsentiarum suæ majestati id facere licuisset. Ne tamen interim quidquam, quod in hac parte muneri Cæsareo incumbit, omitteret, voluit sua majestas oratores et commissarios suos ad hoc sacrosanctum Œcumenicum Concilium tempestive et ante omnes alios Christianos principes mittere, qui et personam suam referrent, et cum plena auctoritate et mandato, nomineque et loco majestatis suæ celebrationi hujus sacræ Œcumenicæ Synodi interessent, quemadmodum hæc et alia multa præclara, quæ in mandatis habebant R. D. archiepiscopus Pragensis, et magister D. Sigismundus a Thun majestatis suæ oratores hic præsentes illustrissimis dominis legatis privatim luculenta oratione exposuerunt. Ex his itaque, quæ jam dicta sunt, antistites amplissimi, manifeste apparet, quo studio quamque propensa voluntate sit ejus majestas in hanc sacram Synodum, præsertim vero, cum non solum ab eo, qui modo universam illustrat Ecclesiam Pontifex maximus, vere Pio IV, verum etiam ab aliquot suæ Sanctitatis prædecessoribus Pontificibus maximis piæ memoriæ, magna contentione petiverit, ut jam tandem majorum suorum exempla secuti, convocato veteri de more generali Concilio, extirpatisque hæresibus, Christi fidelium saluti prospicerent. Quamvis sanctissimus quoque dominus noster, pientissimus pastor, statim in ipso Pontificatus sui felici initio ante alias omnes gravissimas urgentissimasque curas hanc data opportunitate in primis de congregando universali Concilio, spinisque ex agro Dominico resecandis pro sibi innata pietate et sapientia ultro susceperat; id quod jam sanctitatem suam laudatissime, omniumque Christi fidelium mirifico applausu re ipsa præstare cernimus. Pater cœlestis, serva hæc orbis lumina, quæ ad conservandam tuendamque rempublicam Christianam, imo vero pretioso Filii tui Domini nostri Jesu Christi sanguine acquisitam Ecclesiam, virtutibus pietatisque studiis cumulata, ita conjuncta esse voluisti, ut alterum in altero cernere liceat.

« Quod Sanctitatis suæ præclarum summo-

que Pontifice ac pastore dignum, universoque orbi Christiano salutare studium, cum non sine magna animi voluptate Christianissimus imperator videret, sua quoque majestas Cæsarea, tanquam primogenitus Ecclesiæ Catholicæ Sedisque Apostolicæ addictissimus filius, hoc sacrosanctum Œcumenicum Concilium, quod in Spiritu sancto rite ac legitime congregatum agnoscit, pro Cæsareo suo munere, quotiescumque res postulaverit, ab omnibus injuriis tueri, manutenere, atque defendere sese promptam ac paratam benigne offert. Quo autem hanc suam voluntatem ejus majestas magis testatam faceret, non solum, ut imperator Romanorum, ac Bohemiæ rex, et archidux Austriæ hos graves et præstantes, munerique huic obeundo maxime idoneos viros, quos coram cernitis, oratores suos huc mittere dignata est, sed etiam quatenus est rex inclytæ Hungariæ, antiquissimi illius et nobilissimi Christiani orbis propugnaculi, me, licet immeritum, huic sanctissimæ Synodo nomine suo regio, cum plena auctoritate et mandato interesse voluit ». Et paucis interjectis : « Postremo ut ex officio meo, et illustrissimarum ac reverendissimarum amplitudinum vestrarum expectationi satisfaciam, litteras plenæ auctoritatis et mandati regis mei reverenter exhibeo, orans, ut et illas in hoc ornatissimo consessu, pro recepta jam consuetudine, publice perlegi facere, et me cœpta hac sua singulari benignitate complecti dignentur ».

Dimissis e cœtu oratoribus, de responso iis dando actum est, quod postquam lectum ac probatum fuit, revocatis iisdem in Concilium a Thelesino episcopo sacri Concilii secretario in hunc modum recitatum est :

« Reverendissimi domini, adventus dominationum vestrarum magnam huic sanctæ Synodo lætitiam attulit, tum propter maximam benevolentiam, qua Synodus ipsa sacram Cæsaream majestatem prosequitur, tum propter eum honorem, qui ei ex hac nobilissima potentissimi atque religiosissimi principis legatione accessit. Quare sancta ipsa Synodus dominationes vestras, quas præstanti virtute ac pietate præditas esse non ignorat, lætis amplectitur atque recipit animis, mandatumque et litteras suæ Cæsareæ et regiæ majestatis in hoc loco lectas et recitatas, quantum de jure debet, admittit ». Hoc quidem repetitum fuit a Patribus in secunda sessione die XXVI Februarii.

11. Octava Februarii die habita est Patrum congregatio, in qua legati cardinales, iidemque Concilii præsides, ut rixarum occasiones atque offendicula submoverent, quæ inter regum et principum oratores de poedria sive honorificentiore loco oboriri possent, certas leges æquitati consentaneas, distinctas subjectis capitibus, Patribus proposuerunt.

Capita ad tollendas dissensiones inter oratores principum.

« Illustrissimi domini sacri Concilii præsidentes et legati ad obviandum difficultatibus et dissensionibus, quæ oriri possent inter oratores, circa eorum præcedentiam decreverunt, ut sequitur :

« Quod in aula Congregationum oratores Ecclesiastici sedeant parte dextera illustrissimorum legatorum, sicut in præcedenti congregatione sederunt.

« Oratores vero laici imperatoris, sive alterius cujusque regis sedeant parte sinistra ipsorum illustrissimorum legatorum.

« Dum ex ædibus illustrissimi cardinalis Mantuani itur in Ecclesiam, oratores laici præcedant illustrissimos legatos et Crucem immediate ; oratores autem Ecclesiastici subsequentur immediate post illustrissimos legatos ante omnes prælatos, et hoc ordine ingrediantur Ecclesiam.

« In celebratione Missarum solemnium in Ecclesia cathedrali, et in sessionibus, oratores Ecclesiastici sedeant, ubi erat Tabernaculum Corporis Christi prope Altare majus ; oratores vero laici sedeant e regione illustrissimorum legatorum.

« Pax et incensum detur prius oratoribus Ecclesiasticis, deinde oratoribus laicis, deinde prælatis.

« Dum imponitur cinis, quia prælati omnes sunt cum mithris et pluvialibus, primo accedant oratores Ecclesiastici, deinde cæteri prælati, et post prælatos mithratos accedant oratores laici.

« Oratores Ecclesiastici, si dicere volunt eorum sententias in congregationibus et sessionibus, quia tunc loquuntur ut episcopi, non uti oratores, loqui debeant juxta ordinem suarum promotionum ».

12. *Oratoris regis Lusitani sermo et responsio.* — Nona Februarii die, eademque feria secunda habita est congregatio generalis [1], in qua Ferdinandus Martinus Mazcarenius, Sebastiani regis Lusitaniæ orator, qui nudius tertius Tridentum accesserat, exceptus est, productis ab eo regiis litteris quibus Sebastianus ad tuendam amplificandamque religionem flagrantissima studia explicabat. Habita est oratoris nomine perelegans de eximiis regum Lusitaniæ gestis, propagatoque ab iis Christiano imperio, commendata Pontificis in cogendo Concilio pietate, oratio, cujus potiorem partem suis conceptam verbis subjicimus [2] :

13. « Sanctissimi domini nostri Pii IV Pontificis, et Apostolicæ dignitatis fastigio, et animi

[1] Act. Conc. Trid. per Astulph. Ser. p. 24. Vide ea cap. Lab. to. XIV. Conc. p. 1143. — [2] Ap. Labb. to. XIV. Conc.

ornamentis vere maximi, laudibus nulla sane par ullo unquam tempore oratio poterit reperiri, qui ut excellens in Christianam rempublicam suæ unius curæ sollicitudinique divinitus traditam studium testaretur, cum primum fuit Pontifex maximus declaratus, ut quod salutari auspicatoque plane nomine pollicebatur, adhibita inveteratis Ecclesiæ malis medicina præstaret in Concilii celebrandi ratione, quo uno remedio omnium mentes ad sanitatem reduci posse videbantur, omnes suas curas cogitationesque ab ipso summi Pontificatus exordio collocavit; cujus cum pios conatus et paternæ pietatis viscera prospicerent hi, quos ille, et nuntiis, et amantissimis litteris ad hanc urbem ad Œcumenicum Concilium celebrandum adhortabatur, convenerunt frequentes, ut videmus, et ut speramus, non modo illius auctoritate, sed hujus etiam sanctissimi conventus exemplo celebritateque incitati, frequentiores in dies convenient, et hujus sacrosanctæ Synodi dignitatem sua pietate magis illustrabunt. Quod si Œcumenicorum Conciliorum auctoritas sacrarum litterarum monumentis non tam diserte esset comprehensa, quis tamen sobriæ sanæque mentis crederet, pio tot integerrimorum sanctissimorumque præsulum conventui sanctum Dei Spiritum defuturum, qui in medio duorum triumve de pietate agentium se promisit futurum. Cum vero tanta sit sacrorum Conciliorum dignitas et religio, ut quæ in illis decernuntur, pro divinis oraculis excipiantur ab omnibus, quis sibi non facile persuadeat in omnibus de Christiana religione controversiis eam fore verissimam sententiam, quam tot Patres matura ætate, spectata virtute, exactaque eruditione ornatissimi comprobaverint, et reverendissimi illustrissimique legati divina quadam sorte ad hoc munus electi, qui Pontificio nomine sacro Concilio præsident, sua auctoritate confirmaverint; tametsi vero facile adducimur, ut credamus in eadem sententia cæteros pro sua pietate et sapientia futuros, de nobis tamen possumus id constantius apertiusque profiteri, qui ornatissimo vestro conspectu in tantam Christianæ reipublicæ sapientissimis vestris decretis constituendæ expectationem sumus erecti, ut non modo vestra pietate existimemus fore, ut omnes de religione controversiæ dirimantur, sed vestra etiam censoria severitate omnium ordinum, sacerdotumque præsertim, qui cæteris scientia et vitæ integritate prælucere debent, mores ad Evangelicæ sinceritatis normam dirigantur; quæ qui sibi ex sacro Concilio non pollicentur, aut quam vim habeant, non perspiciunt, aut cujus auctoritate nitantur, non intelligunt. Hos quidem fructus, aut uberiores, etiam postulat a vobis Christiana respublica : hos expectat serenissimus princeps Sebastianus Portugalliæ Algarbiorumque rex hujus nominis primus, qui licet suum in Christianam rempublicam studium satis vobis crederet perspectum et cognitum, ut tamen suam erga sacrosanctum Concilium observantiam illustriore testimonio declararet, ornatissimum virum, quem videtis D. Ferdinandum Martinez Mazcarenium ad hoc sacrum Concilium destinavit non oratorem solum, sed pignus obsidemque perpetuæ suæ erga sacrosanctum Concilium observantiæ et pietatis. Quantæ vero curæ optimo religiosissimoque principi fuerit Œcumenici hujus Concilii celebritas et amplitudo, testari apud vos poterunt non solum antistites Bracharensis, Conimbricensis, Leriensisque sacrum litterarum scientia, spectata pietate et vitæ integritate insignes, qui se explicare celerius et maturius in hanc urbem venire potuerunt, sed et qui constitutis Ecclesiarum suarum rationibus aderunt ex illius regnis et dominiis, quos omnes Christianæ pietatis studiosissimus princeps accurate est per litteras hortatus, ut quam diligentissime possent, se ad maturam profectionem componerent, ne vel jubenti volentique Summo Pontifici segnius parere, vel laboranti Ecclesiæ serius, quam cum eorum pietas, tum periculi magnitudo postulabat, adesse viderentur; quæ omnia a serenissimo rege studiosissime sunt curata, partim, ut suæ erga sacrum Concilium observantiæ satisfaceret, partim etiam, ut clarissimorum Portugalliæ Algarbiorumque regum majorum suorum religioni pietatique responderet, quorum res fortiter et feliciter gestæ ita semper fuerunt cum publica Christianæ religionis utilitate et dignitate conjunctæ, ut tot de fusis profligatisque barbaris regibus victoriis, tot direptis expugnatisque hostium oppidis, tot arcibus in adverso Numidiæ Getuliæque littore ad comprimendam Barbarorum audaciam erectis, non tam sui imperii fines proferre, quam Christianæ religionis gloriam propagare voluisse videantur. Incitabantur illi quidem regii animi excellenti magnitudine, sed ad nativam insitamque eorum propensionem accedebat aculeus ille, quem Alfonsus Primus Portugalliæ regni conditor et auctor posterorum regum animis impressum reliquit. Quod si apud clarissimos Portugalliæ reges tantum valuit exemplum perpetua quadam serie, velut per manus traditum, quid vos, amplissimi Patres, expectare par est a serenissimi regis Sebastiani animo, quem non solum superiorum regum illustria exempla, sed recens spiransque adhuc Emanuelis proavi Joannisque Tertii avi memoria ad provehendæ religionis studium vehementius accendit? quomodo enim potest, vel Emanuelis regis pronepos non iisdem vestigiis insistere, vel Joannis optimi maximique quondam regis nepos cognita ab omnibus propemodum, qui hic adestis, illius pietatis exempla minime consectari? quorum ille subjectis Sedis Apostolicæ imperio tot in

Oriente regnis, provinciis, barbarisque nationibus ejus gloriam longe lateque illustravit, hic vero non modo subactos ab Emanuele felicissimæ recordationis rege patre suo populos in officio fideque continuit, sed etiam studio diligentiaque perfecit, ut repudiato nefario inanium simulacrorum cultu, Christianæ religionis sacra moresque libenter sequerentur, a quo propagandæ nostræ religionis cursu, cum partim finitimorum Africæ regum infestis excursionibus, partim magnis a Solymanno ad evertendum nostrum in Oriente imperium missis classibus subinde interpellaretur, illorum quidem audaciam temeritatemque gravissimis illatis damnis repressit, hujus vero navales copias in ipso Dii florentissimæ totius Cambajæ regni urbis conspectu ita oppressit, ut Solymannus purpuratorum satraparum apud barbarum et immanem tyrannum gratia et auctoritate longe maximus, qui classi summo cum imperio præerat, multis depressis triremibus, laceris truncatisque navigiis ægre sit fuga salutem consecutus. Quæ ideo breviter cursimque a nobis sunt commemorata, Patres amplissimi, non modo ut intelligeretis, quanto suorum periculo et sumptu suo clarissimi proferendæque latius Christianæ religionis studiosissimi Portugalliæ reges, non in oppositæ nobis Africæ solum proximis, sed in Asiæ etiam remotissimis disjunctissimisque provinciis gravissima periculosissimaque bella susceperint, quaque ea vel animi magnitudine gesserint, vel constantia felicitateque confecerint, sed etiam ut cognosceretis, eumdem erga sanctam Sedem animum, idem ad Christianam religionem amplificandam propagandamque studium, eamdem erga hoc sacrum Concilium observantiam, eamdem denique pietatem expectandam a serenissimo rege Sebastiano, et regia præstantissimæ indolis significatione ad excellentes omnes virtutes propenso, et domesticis imaginibus, clarissimorumque regum illustribus exemplis incitato, qui quod sanctissimo Pontifici suis litteris est pollicitus, hodie cumulate præstat, suumque ad illustrandam hujus sacrosancti Concilii celebritatem studium vobis, amplissimi Patres, hodierna die per D. Ferdinandum Martinez Mazcarenium, suum oratorem, virum non solum antiqua generis nobilitate et familia multis Asiæ Africæque triumphis insigni, sed fide, integritate, cæterisque ornamentis longe præstantem, effuse pollicetur : sperat autem fore, ut quoties cum de publicis Christianæ religionis, atque disciplinæ, tum de privatis negotiis nostrarum Ecclesiarum, quæ singulari Dei optimi maximi beneficio, nec ab Ecclesiæ Romanæ cæterarum parentis et magistræ observantia deflexerunt, nec a veteri receptoque semel cultu recesserunt, apud vos illius orator agere volet (quod pro sua prudentia nonnisi necessariis, aut gravibus certe causis impulsus faciet,) vos cognitis serenissimi regis mandatis eum pro vestra humanitate benigne excipiatis.

14. « Responsum sanctæ Synodi illustrissimo oratori serenissimi regis Portugalliæ in ejus comparitione.

« Illustrissime domine orator. Mandatum ac litteræ serenissimi Portugalliæ regis, quæ modo a dominatione vestra exhibitæ in hoc sacro loco recitatæ fuerunt, necnon ea, quæ ornatissima oratione exposita sunt, huic sanctæ Synodo jucundissimum nuntium attulerunt, cum declararent eximiam et perpetuam quamdam clarissimorum Portugalliæ regum, ac præcipue serenissimi Sebastiani regis in Deum pietatem, insigne in rempublicam Christianam studium, ac summam erga hoc Œcumenicum et Generale Concilium observantiam, licet nihil novi huic sanctæ Synodo allatum fuerit. Nemo enim est, cui compertissima non sint præclara regum Portugalliæ facinora in Christiana religione, veraque Christi fide in Orientis partibus propaganda. Non minor tamen majestati suæ majoribusque suis piissimis et clarissimis regibus laus et gloria hac tempestate debetur, quod in his calamitosis temporibus, tot dissidiis totque in Ecclesia exortis hæresibus, regna et ditionem suam in orthodoxa fide, Ecclesiæque Catholicæ unitate semper (uti vere Christianos principes decet) conservarint, quam in barbaris et idolorum cultui deditis nationibus ad veram relinem traducendis. Quamobrem hæc sancta Synodus Deo et Patri Domini nostri Jesu Christi meritas de iis omnibus gratias agit, dominationemque vestram, tum ipsius regis causa, tum ob singularem ejus prudentiam et sanguinis splendorem grato et benevolo animo recipit regium vero mandatum, quantum de jure debet, admittit ».

15. *Articuli exhibiti ab oratoribus imperatoris et responsum legatorum.* — Venerant cum Lusitano oratore eximii theologi, qui multum virtutis et doctrinæ specimen in asserenda fide orthodoxa, refellendisque novatorum erroribus explicuere. Proximis diebus magna contentione opera navata in disquirendis rationibus, quibus Protestantes ad Concilium Tridentinum pellici possent [1], ut depositis erroribus fidem orthodoxam amplecterentur, ac reliquo fidelium cœtui aggregarentur; id vero opus maxime erat arduum, cum in pertinacia maxime obfirmati effutirent Conciliorum a Paulo III et Julio III habitorum decreta impia esse, atque adeo a Ferdinando Cæsare concordiæ cupidissimo missi sunt subjecti articuli, quos illius oratores legatis cardinalibus decima octava Februarii exhibuere, ut si quo modo præfracta eorum pervicacia deliniretur, tum amplissima liberi com-

[1] Act. per Astulp. Serv. p. 26.

meatus syngrapha ad eos mitteretur, necnon abscinderentur omnes occasiones, quas ad declinandum Concilium toties inani ac fallaci specie expetitum prætexere affectabant. Monuere etiam arcana Concilii, scriptionesque imperfectas, necdum discussas, temere non evulgari [1]:

« Articuli illustrissimis et reverendissimis legatis sacri Concilii præsidentibus, per oratores Cæsareæ majestatis die XIII Februarii exhibiti.

« Primum omnium, cum ipsi omnes videant instare prædictæ Sessionis præfixum terminum XXII diem præsentis mensis Februarii, arbitrati sunt suas illustrissimas et reverendissimas dominationes paucis de ipsa Sessione, et aliis quibusdam Sacræ Cæsareæ majestatis commonefacere.

« Non ignorant suæ illustrissimæ dominationes Protestantes, seu eos qui ab obedientia Sedis Apostolicæ discesserunt, omnibus viribus conari, ut qualemcumque tandem prætextum inveniant, quo muniti hoc Sacrum Œcumenicum Concilium in Spiritu sancto congregatum subterfugere possint. Et quoniam subterfugii ipsius primam et præcipuam occasionem hinc Protestantes accepturos esse oratores ipsi arbitrantur, si statim ab exordio Concilii in hac prima Sessione, ante decennium intermissorum articulorum continuatio facta fuerit, ideoque contendent, ut omnibus modis hujusmodi occasio præcaveretur, in præsentiarum videretur hac de causa etiam in proxima Sessione continuationis faciendæ nullum argumentum exhibendum esse, quo cum omnium fere regum et principum Christianorum oratores a Sessione abfuturi credantur, ne ex hac quoque occasione Protestantes ipsi exclamare possint, fere solos Pontificios episcopos et Cæsareos oratores rei bene et prospere gerendi spem ademisse, et eripuisse Concilii celebrationi.

« Quare illustrissimi legati cum reverendissimorum Patrum ad hoc sacrum Œcumenicum Concilium congregatorum consensu non inchoationem quampiam, sed continuationem prosequendam censuerint; videri tamen oratoribus ipsis in hac prima Sessione omnino continuationis faciendæ significationem præcavendam esse, imo existimarent oratores Sessionem hanc, si ulla ratione fieri posset, in aliud aliquod tempus competens rejici debere, ut et Protestantes interim expectarentur, et alii oratores, qui expectantur, interesse possint. Quod si vere id illustrissimis suis dominationibus facere integrum non esset, saltem illud efficere velint, quo generalia quædam, et non magni momenti negotia, cujus generis sunt illa, quomodo, et quibus verbis conficiendæ litteræ quibus Protestantes et alii lapsi ad gremium Catholicæ Ecclesiæ invitari et revocari deberent; item de formula salvi conductus conficienda, vel alia quæpiam hujusmodi, quæ illustrissimi et reverendissimi domini legati pro sua rara prudentia facile invenire poterunt, pertractarentur. Secunda vero Sessio omnino diutius et in aliud tempus proroganda videtur propter allegatas causas, et quod huic inveterato malo cum aliqua acceleratione vix obviari poterit.

« Præterea cum in præsentiarum tractetur de reprobandis libris hæreticis in Indice Romano comprehensis, inter quos non postremum locum obtinet Augustana Confessio, videtur ipsis oratoribus ita ab initio ipsam Confessionem non esse damnandam. Nam præter id, quod Protestantes vocati venire recusarent, etiam extrema quæque pericula pro defensione ipsius confessionis adire non dubitarent, imo (quod omen Deus avertat) nocentissimæ conspirationes essent expectandæ, et ex hac re etiam occasionem quamdam ipsi Protestantes arriperent, communicatis consiliis et auxiliis cum iis principibus et novatoribus, qui jam ab obedientia Sanctissimi Domini nostri et sanctæ Romanæ Ecclesiæ discesserunt, et signanter stantibus hisce Gallicis tumultibus funesta bella suscitarent, ac etiam cœptum Concilium in tristem cruentamque tragædiam deducere studerent; ideoque hæreticos et lapsos ipsos in spiritu lenitatis potius in viam revocare, quam in foveam perditionis propellere, studendum esset. Nam et superiorem imperatorum suæ Cæsareæ majestatis augustissimorum prædecessorum temporibus in hujusmodi errantibus reducendis plus valuisse benevolentiam, quam severitatem, plus profecisse cohortationem quam comminationem, plus denique egisse charitatem, quam potestatem, omnibus palam esse existimant.

« De fide publica [1] ipsis Protestantibus danda quam amplissima, et qualem ipsimet desiderant, cum omnes fere Patres in id consentire videantur, ipsis quoque omnibus valde necessarium videtur.

« Item quoniam sua Cæsarea majestas oratoribus suis in mandatis dedit, ut quotiescumque ab illustrissimis et reverendisssimis DD. legatis vocati fuerint, ad quamlibet ipsorum requisitionem comparere, et loco ac nomine suæ Cæsareæ majestatis quæcumque agenda, et pro more, et consuetudine, ac ratione Concilii rite habendi, consultandi fuerint, in iis diligentem operam, consensum, studiaque sua adhibere debeant, quotiescumque ab illustrissimis et reverendissimis dominis legatis vocati et requisiti fuerint.

16. « Præterea hoc quoque prædicti oratores illustrissimis et reverendissimis dominatio-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 81. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1109. p. 26. Act. Conc. Trid. per Astulph. Servantium Septempedanum Scriptorem Episcopi Telesini Secretarii.

[1] Salvocondu[illegible].

nibus suggerere voluerunt, quod licet ipsis consultationibus, quæ in publicis Congregationibus fiunt, nulli extranei intersint, omnia tamen, et singula, quæ illic tractantur et dicuntur, etiam plebeiis hominibus notissima esse videntur, unde facile colligunt id non aliunde procedere, nisi quod aliqui ex illis, qui ejusmodi Conciliis intersunt, secreta, sive ex industria, sive per negligentiam palam faciant, idcirco illustrissimæ et reverendissimæ dominationes suæ provideant, ne, priusquam sacrum Concilium aliquid deliberet et concludat, omnino in publicum prodeant, atque in Germaniam perferantur.

« Postremo ad hæc omnia et singula ab illustrissimis et reverendissimis dominis legatis prædicti oratores benigne responsum expectant ».

17. Responsum est ad singula hæc capita summa consilii maturitate excussa ac perpensa subjectis verbis [1] :

« Responsum illustrissimorum DD. legatorum ad supradictas oratorum Cæsareorum petitiones.

« Illustrissimi et reverendissimi DD. oratores. Quod petunt dominationes vestræ, ne qua fiat in prima Sessione continuationis mentio, non gravatim illis concedetur, neque in ea quidquam tractabitur, quod ad continuationem pertinere videri possit, aut ullam significationem illius habeat.

« Quod vero præterea rejici cupiunt Sessionem hanc in aliud longiús tempus, id facere nobis integrum non est, quandoquidem conficiendi decreti de Indice corrigendo nonnullis ex Patribus mandatum esse non ignorant, quod in prædicta Sessione publicari oportebit. Hoc autem in Cæsareæ majestatis gratiam libenter faciemus, ut laxius aliquod spatium demus proximæ futuræ Sessioni; interjecto vero tempore, quibus de rebus tractandum sit, et qui dies illi præfigendus, una cum Patribus deliberabitur.

« De damnanda vero statim ab initio Confessione Augustana, ne cogitatum quidem est a nobis unquam, quandoquidem de librorum prohibitorum indice, nisi sub fine Concilii, nihil decernetur; quamobrem et in hoc libenter dominationibus vestris gratificabimur.

« Itidem et de salvoconductu, quem dabimus, quemadmodum alias a Protestantibus petitus, et illis concessus fuit in amplissima forma : quod idem facturam quoque majestatem Cæsaream confidimus.

« Quod vero meminerunt præterea sibi mandatum etiam ab imperatoria majestate, ut quoties a nobis vocati fuerint, præsto adsint, suaque nobiscum consilia communicent, agnoscimus in eo singularem illius majestatis pietatem et religionem, neque vulgare studium afflictis Ecclesiæ rebus succurrendi, quo nomine magnam illi gratiam habemus, ac vicissim nostra cum dominationibus vestris consilia libenter communicabimus, deque rebus per nos proponendis eas tempore suo certiores reddemus.

« Quod autem admonent, ut ratio ineatur, qua provideri possit, ut quæ tractantur in Congregationibus, non promulgentur, dabitur a nobis opera, ut quoad fieri poterit, provideatur ».

18. *Admonentur Patres ne divulgent quæ tractata fuerint in Concilio antequam firmentur.* — Provocata mox in opus ea sponsio, nam præsides legati gravissima oratione Patres admonuere [1], ut posthac credita ipsis arcana alto pectore premerent, cum novatores in omnes calumniandi occasiones intenti inde fierent præfractiores.

« Admonitio ad Patres ne vulgentur decreta et alia quæ examinanda proponuntur, antequam firmentur.

« Reverendissimi Patres. Sciant dominationes vestræ, quam indignum sit, ut decreta et alia, quæ Patribus examinanda proponuntur, antequam firmentur, et in publica sessione legantur, evulgentur, et extra hanc civitatem ad extraneos mittantur, quo fit, ut alias sæpe vidimus, ut decreta ipsa sub ea, qua dixi, forma primum concepta, et, ut ita dicam, informia pro decretis firmis, et a sancta Synodo ratis disseminentur; quare illustrissimi DD. legati et præsidentes admonent, atque etiam hortantur dominationes vestras, ut pro honore atque existimatione hujus sancti Concilii, et ad obviandum scandalis, quæ oriri possunt, tam decretum, quod modo a me lectum fuit, quam cætera alia quæcumque, quæ in futurum examinanda nobis proponentur, non evulgent, neque eorum exemplum extra gremium Concilii alicui exhibeant, neve extra civitatem ad aliquos transmittant, idque a suis familiaribus fieri severissime prohibeant. Quod ut commodius fiat, dominationes vestræ, cum miserint ad me pro exemplo præsentis decreti, simul mihi per cedulam eorum manu subscriptam nomen ejus, cui voluerint, quod tam hoc exemplum, quam alia, quæ suo tempore proponentur, exhibeantur, mittant : hæc pro nunc visa sunt expedire. Si quæ alia commodior via alicui ex Patribus occurrerit, ut ea, quæ proponuntur, secreta retineantur, de ea poterit illustrissimos dominos legatos privatim admonere.

19. *Secunda sessio.* — Quod ad sessionis secundæ, quæ XXVI Februarii die celebrata est, Acta attinet : peractis solemni ritu sacris mysteriis ab Antonio Helio patriarcha Hierosolymi-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3196. p. 63. Ext. etiam in Ms. Fran. card. Barb. sig. num. 1109. p. 28. Act. Trid. per Astulp. Servant.

[1] To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 140.

tano, habita est oratio ab Antonio Cauco archiepiscopo Patracensi, Corcyrensi designato, in qua hæreticorum impia molimina sic descripsit, ut ad ea frangenda ita Patres excitaret[1] : « In ea, proh dolor! miserrima incidimus tempora, ut, quod sine lachrymis enarrare non possum, immensa flagitia et sacrilega ex nefanda recentiori hac Lutherana hæresi, cujus quidem extirpandæ causa huc convenimus, in Dei Ecclesia orta esse videamus, nempe Ecclesiarum bona direpta, templa solo æquata, monasteria non solum proventibus suis et incolis destituta, verum etiam funditus eversa, sanctissimum Christi vicarium, verumque Petri successorem Pontificem optimum Maximum, episcopos reliquosque Dei sacerdotes neglectos, honoribus debitis privatos, maximis affectos contumeliis, injuriisque lacessitos, Deo dicatas virgines stupratas earumque bona ablata, venerandas sanctorum imagines rejectas et eorum cineres contemptos, Sacramenta Ecclesiæ explosa atque conculcata, sacros denique Ecclesiasticos canones ac constitutiones igni traditas, ritusque omnes divinos penitus sublatos. Verumenimvero antiquas hæreses extinctas jam, Manichæi, Joviniani, Vigilantii, Pelagii, Euthychetis, Felicis, Albigensium, Waldensium, Berengarii, Marsilii Patavini, Joannis Wicleff, Joannis Hus, Hieronymi de Praga, et cæterorum a sanctis Patribus nostris in Conciliis sæpius confutatas, et toties rejectas sustinere voluerunt infelicissimi homines isti, et divina Christianaque dogmata a Christo servatore nostro instituta, ac ab eisdem sanctis Patribus nobis per manus tradita, divinitusque a Conciliis sancita, et a Pontificibus sanctissimis confirmata evertere, vanaque esse ac inutilia nobis effutire non dubitarunt, latamque viam, quæ ad inferna ducit, Christi doctrinæ immemores, et Epicureorum mores secuti, sibi construxerunt, de quibus sensisse mihi videtur Petrus Apostolus inquiens : *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores juxta proprias concupiscentias ambulantes.* Hinc tam longe lateque pervagatum est incendium, etc. »

20. Perlectum est decretum de librorum delectu, deque Protestantibus et aliis hæreticis ad Concilium, data iis tuti commeatus et incolumitatis fide publica, humanissime vocandis, et ut a Patribus de fide orthodoxa amanter edocti errores exuerent, inque Ecclesiæ gremium revocarentur, id vero decretum in Congregationibus quæ præcesserant, diligenter fuerat excussum, subjectisque verbis conceptum fuit :

« Sacrosancta et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea Apostolicæ Sedis legatis, non humanis quidem viribus confidens, sed Domini nostri Jesu Christi, qui os et sapientiam Ecclesiæ suæ daturum se promisit, ope et auxilio freta illud præcipue cogitat, ut Catholicæ fidei doctrinam, multorum inter se dissidentium opinionibus pluribus locis inquinatam et obscuratam, in suam puritatem et splendorem aliquando restituat, et mores, qui a veteri instituto deflexerunt, ad meliorem vitæ rationem revocet, corque patrum ad filios et cor filiorum ad patres convertat. Cum itaque omnium primum animadvertat hoc tempore suspectorum et perniciosorum librorum, quibus impura doctrina continetur, et longe lateque diffunditur, numerum nimis excrevisse, quod quidem in causa fuit, ut multæ censuræ in provinciis, et præsertim in alma urbe Roma pio quodam zelo editæ fuerint, neque tamen huic tam magno ac pernicioso morbo salutarem ullam profuisse medicinam, censuit, ut delecti ad hanc disquisitionem Patres de censuris librisque quid facto opus esset, diligenter considerarent, atque etiam ad eamdem sanctam Synodum suo tempore referrent, quo facilius ipsa possit varias et peregrinas doctrinas, tanquam zizania a Christianæ veritatis tritico separare, deque his commodius deliberare et statuere, quæ ad scrupulum ex omnium animis eximendum, et tollendas multas querelarum causas, magis opportuna videbuntur. Hæc autem omnia ad notitiam quorumcumque deducta esse vult, prout etiam in præsenti decreto deducit; ut si quis ad se pertinere aliquo modo putaverit, quæ vel de hoc librorum et censurarum negotio, vel de aliis, quæ in hoc generali Concilio tractanda prædixit, non dubitet a sancta Synodo se benigne auditum iri. Quoniam vero eadem sancta Synodus ex corde optat, Deumque enixe rogat quæ ad pacem sunt Ecclesiæ; ut universi communem matrem in terris agnoscentes, quæ quos peperit, oblivisci non potest, unanimes uno ore glorificemus Deum et Patrem Domini nostri Jesu Christi, per viscera misericordiæ ejusdem Dei et Domini nostri omnes, qui nobiscum communionem non habent, ad concordiam et reconciliationem, et ut ad hanc sanctam Synodum veniant, invitat atque hortatur, utque charitatem, quod est vinculum perfectionis amplectantur, pacemque Christi exultantem in cordibus suis præ se ferant, in quam vocati sunt in uno corpore. Hanc ergo non humanam, sed Spiritus sancti vocem audientes, ne obdurent corda sua, sed in suo sensu non ambulantes, neque sibi placentes, ad tam piam et salutarem matris suæ admonitionem excitentur et convertantur; omnibus enim charitatis officiis sancta Synodus, eos ut invitat, ita complectetur.

« Insuper eadem sancta Synodus decrevit fidem publicam in generali Congregatione con-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 324. in actis sess. 2. sub Pio IV.

cedi posse, et eamdem vim habituram, ejusdemque roboris et momenti futuram, ac si in publica sessione data et decreta fuisset ».

21. Altero decreto indicta est proxima sessio ad XIV Maii.

Reliqua ejusdem sessionis Acta descripta sunt ab Angelo Massarello [1] subjectis verbis :

« Quæ in eadem II Sessione præter decretorum publicationem decreta fuerint.

« In hac eadem Sessione II, sub Pio IV Pontifice Maximo, præter publicationem decretorum, fuerunt exhibita et publice lecta mandata oratorum invictissimi domini Ferdinandi Romanorum imperatoris electi, primum tanquam Cæsaris regis Bohemiæ et archiducis Austriæ, sub data Pragæ die I Januarii MDLXII.

« Secundum uti regis Hungariæ sub eadem data, lectumque fuit responsum sanctæ Synodi in admissione dictorum oratorum.

« Deinde exhibitum et lectum fuit mandatum oratoris serenissimi domini Sebastiani regis Portugalliæ, sub data Olyssipone die XXVIII Septemb. MDLXI, et similiter responsum sanctæ Synodi. Quæ mandata lecta et exhibita fuerunt hoc ordine, quia eodem ordine, ut moris est, in Congregationibus generalibus exhibita prius fuerunt.

« Postea lectum fuit Breve sanctissimi domini nostri Pii IV, super modo et ordine sedendi in Concilio, nulla habita ratione dignitatis primatialis, sive veræ, sive prætensæ. Sub data Romæ die ultima Decembris MDLXI ab Incarnatione.

« Deinde lecta fuit declaratio illustrissimorum dominorum præsidentium super ipso Brevi.

« Et postremo lectum fuit aliud Breve suæ Sanctitatis confirmans sæpedictam declarationem, sub data die XIV Februarii ejusdem anni ».

22. *Agitur de salvo conductu hæreticis dando.* — Quarta Martii habita est Congregatio generalis, in qua conventum est de formula publicæ fidei et liberi commeatus syngrapha amplissima Protestantibus danda, ut ad Concilium de fidei controversiis disceptaturi venirent : concepta ea subjectis verbis [2] :

« Sacrosancta et œcumenica generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea Apostolicæ Sedis legatis, universis fidem facit, quod omnibus et singulis sacerdotibus, electoribus, principibus, ducibus, marchionibus, comitibus, baronibus, nobilibus, militaribus, popularibus et aliis quibuscumque viris cujuscumque status et conditionis aut qualitatis existant, Germanicæ provinciæ et nationis, civitatibus et omnibus aliis locis ejusdem, et omnibus aliis Ecclesiasticis et sæcularibus, præsertim Augustanæ Confessionis personis, qui, aut quæ una cum ipsis ad hoc generale Tridentinum Concilium venient, aut mittentur, aut profecturi sunt, aut hucusque venerunt, quocumque nomine censeantur, aut valeant nuncupari, tenore præsentium publicam fidem, et plenissimam verissimamque securitatem, quam salvum conductum appellant, libere ad hanc Tridentinam civitatem veniendi, ibidemque manendi, standi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipsa Synodo de quibuscumque negotiis tractandi, examinandi, discutiendi, et omnia quæcumque ipsis libuerit, ac articulos quoslibet, tam scripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eosque Scripturis sacris et beatorum Patrum verbis, sententiis et rationibus declarandi, astruendi et persuadendi, et si opus fuerit, etiam ad objecta Concilii generalis respondendi, et cum iis, qui a Concilio delecti fuerint, disputandi Christiane ac charitative, absque omni impedimento conferendi, opprobriis, conviliis ac contumeliis penitus semotis, et signanter, quod causæ controversiæ secundum Scripturam et Apostolorum Traditiones, probata Concilia, Catholicæ Ecclesiæ consensum, et sanctorum Patrum auctoritates in prædicto Concilio Tridentino tractentur, illo etiam addito, ut religionis prætextu, aut delictorum circa eam commissorum, aut committendorum minime puniantur, impartit, ac omnino concedit, sic etiam ut propter illorum præsentiam, neque in itinere, aut quocumque locorum eundo, manendo, aut redeundo, nec in ipsa civitate Tridentina a divinis officiis quovis modo cessetur, etc. ». Plura alia adjecta ad omnimodam publicæ incolumitatis et firmissimæ securitatis fidem asserendam, atque pro hac vice omni legum privilegio, Conciliorumque Constantiensis, et Senensis contrariis decretis, vel canonibus vetustis vis adempta.

Alio etiam decreto superioris decreti beneficium ab alia regna, provincias, civitates et loca exporrectum, in quibus libere ac impune fides contraria fidei Romanæ Ecclesiæ prædicaretur.

23. His addunt Acta [1] ab Astulpho Servantio conscripta :

« Perfecto fidei publicæ decreto, legati, quam maxima possunt diligentia, curant illud diversis in civitatibus et provinciis evulgari, mandant illud valvis cathedralis Ecclesiæ affigi, atque confestim typis excudi, ut quam celerrime ad multos perferatur; mittunt etiam diversa ejus exempla ad sanctissimi domini nostri nuntios variis in regnis, præsertimque ad cardinalem Ferrariensem legatum papæ in Galliis, ad quem et duplices litteras perscribunt, alteras

[1] Angel. Massarellus Secret. in Actis Conc. Trid. sub Pio IV. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 153. — [2] Ext. in Act. p. 125.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Ms. Franc. card. Barb. sign. num. 24. p. 57.

quidem ita compositas, ut eas palam in senatu regio possit ostendere, in quibus eidem scribunt consilium sanctæ Synodi illud esse, ut hoc decretum, quod ei authenticum mittunt, in omnibus Christiani nominis provinciis edatur, quapropter agat ipse cum senatu regio, ut sibi libere liceat illud in omnibus ejus provinciæ Ecclesiis in publicum proponere : alteras deinde privatas litteras eidem cardinali scribunt, quibus eum admonent cupere maxime sanctam Synodum eos, qui in istis locis perversis corrupti sunt opinionibus, huc se transferre, ut tandem summi Dei clementia ex horum Patrum congressu resipiscant, noluisse tamen eos nominatim in hoc decreto Gallicanam provinciam appellare, ne forte cives illi ægre ferrent, se inter eos aperte censeri, qui publice et impune alienas a Romana Ecclesia opiniones profitentur. Cæterum eos vere in hoc numero haberi, cum palam illorum nefarie dicta actaque nullis vindicata magistratibus satis cunctis eorum impietatem testentur. Scribunt igitur, ut si intelligeret aliquos in dubitationem venire an hæc fides publica cives illius regni complectatur, illos aperte tunc certiores faciat ad eos etiam illam omnino pertinere, rogantque, ut nihil industriæ prætermittat, ut eos ad hanc sanctæ Synodi benignitatem amplectendam hortetur, excitet atque impellat. Significant præterea, qua ratione uti debeat, quo decretum hoc toti illi provinciæ innotescat, quid etiam ei curandum sit, si fortasse senatus regii auctoritate illud vulgo denuntiare prohibeatur ».

24. *Principes et oratores Galli instanter petunt ut quæstiones quæ viderentur graviores ulterius tractentur.* — Dum hæc tam salubriter Tridentini Patres pro dispersione gentium in Catholicæ fidei confessione adunanda meditarentur, visa est in Galliis spes quædam affulgere de reversione quoque Elisabeth Angliæ reginæ[1]; atque Hyppolitus cardinalis Estensis, qui Apostolicum legatum inibi agebat, quæ a Catharina Galliæ regina acceperat, cardinali Borromæo significans, per litteras aperuit : accersitum se ab ipsa VIII Martii, audivisse, præsentibus rege Navarræ et duce Guisiæ ac Monmorantio equitum magistro, rogatam fuisse ab oratore reginæ Angliæ nomine regio, ut apud Summum Pontificem suis precibus ageret, quo indictus dies primæ Sessionis Concilii extraheretur, eo quod ipsa ad plures Germaniæ principes necessitudine sibi conjunctos litteras dederit, adhortans ut et ipsi missis oratoribus eidem Concilio interessent, quod si quando illi decernant, quemadmodum nec inaniter sperabat, se quoque per oratores suos et Angliæ præsules eidem Concilio interfuturam, addidisseque se ad id litteris legati cardinalis Ferrariensis permotam fuisse; hanc exigui temporis dilationem quamvis incommodam, comparatione tanti quod sperabatur compendii, omnino posthabendam. His acceptis a Catharina cardinalis legatus respondit, haud ægre Elisabeth petitionibus assensum iri, si libere exhiberet se Concilio missis oratoribus interesse velle; quamvis tot prorogationes factæ sint, ac Patres nimiæ moræ longa tædia patiantur, se Pontificiam Beatitudinem nosse tam utilis atque optimi Concilii desiderio flagrantem, quod eo melius esset, quo amplius evaderet, ut non ambigeret reginæ Angliæ in nova quoque prorogatione morem gesturum. Verum cum hæc propositio ambigua tantum esset, incertaque boni spes, detrimentum vero ex dilatione manifestum impenderet, ignorabat profecto, quonam potissimum pacto tantam rem Pontifex, nisi certiore spe fultus, aggrederetur. Ad hæc Catharina se maxime in votis habere dixit, ut ad pristinam Ecclesiæ conjunctionem Angliæ regina reverteretur, cui et responderi posse existimabat, Galliæ regem uti Ecclesiæ primogenitum Concilium a Pontifice efflagitasse, nec oratoribus et præsulibus mittendis deesse posse, si honoris sui haberi rationem vellet; inspiceret interea Angliæ regina, quibus officiis agere vellet, tum apud Pontificem, tum apud ejus legatum; oratores ipsos ac præsules Gallos ad Concilium proficiscentes, quod cardinalis legatus monuerat, tanto majoribus officiis reginam Angliæ prosecuturos, seque oratori Anglo omnem operam promissuram, ut omnia honesta apud Pontificem pro regina Angliæ obtineret, quorum ipsa compos fieri velit. Hæc reginæ sententia adeo omnibus grata accidit, ut instar decreti habita sit. Reginæ autem Angliæ postulata, subdit legatus,« licet ad differendum Concilium tendant, ostendunt tamen eam non adeo ut ante ab eo abhorrere, nec mea monita ab ipsa fuisse contempta adeo, ut si res hujus regni prospere successerint, ipsa quoque ejus exemplo permovenda videatur, etc. Datum Parisiis VIII Martii MDLXII ».

25. Significavit aliis litteris[1] medio Aprili exaratis cardinalis legatus Borromæo cardinali responsum fuisse a Catharina regina oratori Anglo ex designata superiori formula, illum tamen repetitis precibus institisse, ne regulus e Lansaco et præsules ad Concilium mitterentur, ardente maxime civilibus bellis Gallia, reginam vero in suscepta sententia perstitisse, atque oratori Anglo respondisse, optimum illud opus ob civiles eas seditiones non retardandum, ac multo melius iis missis pia desideria reginæ Angliæ promoturam, seque acturam cum Ferrariensi cardinale legato, ut apud Summum Pontificem deprecatorem, atque interpretem agat, ut quidquid honestum ac decorum fuerit,

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 422.

[1] Ext. in eod. Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 55. ad car. Bor.

reginæ Angliæ precibus concedatur; optime proinde consultum existimabat, ut ipse cardinalis Borromæus quam humanissimas mittat litteras, quæ a legato reginæ Catharinæ atque ab Elisabeth referri possint. Subdidit quoque legatus, oratorem Anglum a se interpretis opera pertentatum, ut si aliquem articulum in Concilio pertractandum differri optaret Elisabeth, id honestius a Pontifice postulari posse, quem, licet erga ipsam amantissimis studiis propendeat, eidemque gratificari summopere cupiat, distineri tamen ne Patres Tridentinos jam multis prorogationibus fessos, novarum morarum tædio ac damno afficiat, certo sciebat. Hæsisse in priore sententia oratorem scribit legatus, quod expressa a regina acceperit mandata postulandæ in genere prorogationis Concilii, donec ipsa a Germaniæ principibus responsum retulisset.

26. Addidit legatus litteris [1] XXIV Aprilis scriptis, eo die cardinalem Lotharingum verba fecisse cum regina Catharina de prorogatione Concilii ab oratore Anglo reginæ nomine expetita, viderique modici temporis prorogationem concedendam, cum maxime expediret potius temporis, quam rei jacturam subire. Causas etiam querelarum subducendas [2], tum reginæ, tum cæteris principibus, quod nimirum, nec modicam, quod postulabant, temporis dilationem impetrare valuissent. Et quamvis legatus jam diu indictum monstraret Concilium, reginamque Angliæ Pontificio Diplomate humaniter provocatam, ut ad illud mitteret, longoque jam tempore expectatam, tum antequam inchoaretur Concilium, tum eo inchoato sinedriis sive consessibus longiore intervallo celebratis, graviora etiam Patrum incommoda, sumptusque, et damna Ecclesiarum celerem eorum reditum expetentium difficillimis his temporibus; insuper certam spem ab Angliæ regina, nec a Germanis principibus sui accessus afferri, tamen reginæ Catharinæ stetit sententia [3], prorogationem viginti quinque dierum vel triginta, petitionis memoratæ respectu habito concedendam, nec incommodum moræ illius conferri posse utilitati, quæ ex mora quiret oboriri, præsertim, ut omnis reginæ Angliæ expostulandi ansa præcideretur; se quoque ab eadem regina dixit rogatum, ut Pontificiam Sanctitatem de ea re enixis precibus postularet, addidisseque cardinalem Lotharingum, moram illam Gallis præsulibus fore accommodam, retardatis hucusque, tum incommodis colloquii Possiacensis, tum inclementia Hyemis, tum etiam terrore discriminum eorum diœcesibus impendentium; itaque videri prorogationem hanc brevi dierum flexu circumscriptam elargiendam, ac si proxima Sessio ita promota sit ut differri nequeat, ne quis in ea articulus his, qui a nobis disjuncti sunt, adversus promulgetur, ne iis accedendi ad Concilium animus eripiatur, quasi in eo prius damnati fuerint, quam suæ causæ argumenta adducere possent, proxima vero Sessio ad temporis expetiti metam extraheretur atque evulgaretur, regiis precibus id datum fuisse; quæ omnia Hippolytus legatus ad judicium Sanctitatis suæ, ac Tridentinorum legatorum, ad quos ea de re scripsit, retulisse se professus est, etc. « XXVII Aprilis MDLXII ».

27. Hæc eadem Tridentinis legatis Ludovicus dominus a Lansach Galliarum orator conscripserat, ac postquam etiam Tridentum decima septima Maii accessisset, denuo efflagitavit; quæ cardinales legati Carolo cardinali Borromæo significarunt, ut ad Pontificem referret. Postulaverat etenim Lansachus, ne quid gravioris momenti tractaretur captata dilatione, cum maximi referret, ut Concilium fieret Œcumenicum, utque foret Œcumenicum, variis gentibus, ut veniant, temporis moram indulgendam, maxime ob Gallicos tumultus nondum compositos. Affulgere spem, Elisabetham Angliæ reginam præsules regni sui missuram ad Concilium, quos jam vinculis liberarit; cum ea Daniæ et Sueciæ reges idem consilium suscepturos, Saxoniæ quoque electorem ducemque Vittembergensem spem dare, ut oratores mittant. Addidere etiam Gallicum oratorem suadere, ut Patres Concilii sollicitent litteris Angliæ reginam, ut præsules Tridentum mittat, illam enim significasse Catharinæ, se ad eos mittendos animo inclinare; spondendum vero ipsi Angliæ reginæ, Concilium futurum omnino liberum ad diversas Christiani imperii partes conglutinandas, collapsamque disciplinam Ecclesiasticam restituendam; ejusque oratores præsulesque Anglicos tantis honoribus exceptum iri, quantis unquam vetustis temporibus affecti fuissent : has vero Patrum Concilii litteras ad Hippolytum Ferrariensem card. in Gallia legatum dirigendas : subdidisse insuper Gallicum oratorem, non hæc exponi a se ex mandato regio, sed ex aliquorum præsulum salubri consilio; itaque legati Tridentini orarunt card. Borromæum, ut mentem Pontificis in ea re ipsis aperiret, quæ litteræ XXI Maii Tridenti sunt exaratæ, quibus Hercules Mantuanus, Hieronymus Seripandus, Stanislaus Warmiensis, Ludovicus Simonetta, et Marcus Altaemps nomina adscripsere. Evanuere conceptæ spes de regina Angliæ ad Ecclesiæ gremium revocanda, cum illa ad hæresim in Gallia diffundendam constabiliendamque, dolos et arma converterit, atque contra omnium Conciliorum Œcumenicorum morem in ea impia sententia cum Protestantibus, et aliis hæreticis obduruerit de respuendo Concilio, in quo Romanus Pontifex præesset.

Quod si quis paulo accuratius apud semet-

[1] Pag. 64. — [2] Pag. 65. — [3] Pag. 66.

ipsum mente perpendat, inveniet profecto, qualis istorum sit fides, ac quales astus, nempe quales habuere antiquitus Ariani et Eusebiani, famosissima illa hæresum monstra, de quibus, quod Concilium a S. Julio papa indictum refugerent, Athanasius ad Solitarios scribens dicebat [1] : « Cæterum Eusebiani, ubi semel audissent Ecclesiasticum consessum fore, ubi nec comes affuturus esset, neque satellites præ foribus excubarent, nec ex Cæsaris præscripto omnia fierent, quibus rationibus, et non aliis episcopos vicerant, imo, qui sine hoc præsidio ne loqui auderent quidem, ita inhorruerunt ac metu contracti sunt, ut presbyteros detinerent etc. » Refugit namque semper calumnia veritatem, ac secundum Evangelicum dictum : *Qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*

28. *Assyrii et Jacobitæ ad unitatem redeunt.* — Verum dum hi magis tenebras dilexerunt quam lucem, divina afflante clementia [2], *Populus, qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnam, habitantibus in regione umbræ mortis,* ut cecinit Isaias, *lux orta est eis ;* atque hoc eodem tempore, quo hæretici a Romana se subducebant Ecclesia, longinquæ ad eam veniebant nationes, ut adorarent in ipsa Dominum, et terram illam in sanctificationem haberent. Fecit hoc præter cæteros Assyriæ Orientalis patriarcha, qui populos partim sub Turcarum tyrannide, partim sub Lusitanorum imperio in India constitutos ad obsequium Catholicæ Ecclesiæ traduxit, de quo hæc Panvinus in Pio Quarto : « Per id tempus Abd-Isu, id est, servus Jesu Christianorum Orientalium trans Euphratem maximus patriarcha, vir doctus, Chaldaicis, Arabicis et Assyriis litteris ornatus, cujus jurisdictio interiores usque ad Indos penetrat, Romam ad Apostolorum limina et Pontificem salutaturus cum aliquot sociis longissimo itinere pervenit, ut ab eo confirmatus pallium de corpore Sancti Petri susciperet. Pontifici oblatus ei perpetuam obedientiam promisit, et per interpretem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem professus est », quæ subjectis fuerat concepta verbis [3] :

« Professio fidei reverendissimi domini Abd-Isu patriarchæ Assyriorum Orientalium, etc. Facta sub sanctissimo domino nostro Pio papa IV.

« Confessus sum puro corde et fide non ficta, coram reverendissimis et illustrissimis dominis Michaele tit. S. Sabinæ, Alexandrino, et Marco Antonio tit. Sancti Marcelli Amulio S. R. E. presbyteris cardinalibus, in hanc formam, videlicet :

« Ego Abd-Isu filius Joannis de Domo Martia ex civitate Geziræ in Tigri flumine, olim monachus Ordinis Sancti Antonii Monasterii SS. Rahæ et Joannis fratrum, electus primas sive patriarcha civitatis Muzal in Assyria Orientali juro, quod ita corde credo et ore confiteor, sanctæque Romanæ Ecclesiæ fidem, approbatis omnibus et singulis illis, quæ ipsa approbat, et damnatis similiter omnibus, quæ ipsa damnat, amplector, et perpetuo me amplexurum et retenturum esse profiteor et promitto, et omnes fratres meos metropolitas, sive episcopos, ac diœcesanos quovis modo meæ jurisdictioni subjectos, ita credendum et tenendum esse docebo et modis omnibus, quibus potero, persuadere conabor. Ita me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia, in quorum omnium fidem hanc meæ fidei professionem et attestationem manu mea scripsi, et subscripsi coram reverendissimis dominis Domino Michaele tit. Sanctæ-Sabinæ Alexandrino, et D. Marco Antonio tit. S. Marcelli Amulio vulgariter nuncupatis, S. R. E. presbyteris cardinalibus. Romæ VII Martii MDLXII ».

Professus etiam est idem Assyriorum Orientalium patriarcha se omnia Concilia Œcumenica, quæ veneratur Romana Ecclesia, pariter admittere et colere, et omnia decreta Tridentini Concilii edita amplecti, edendaque amplexurum, maximeque gerere in votis Tridentino Concilio una cum cæteris Patribus interesse, sed ob summam repetendæ patriæ, solandique gregis ab infidelibus undique oppressi necessitatem, a pio desiderio invitum deduci, de quo publica hæc documenta confecta sunt :

« Anno Domini MDLXII, die XXIII Julii Romæ coram illustrissimo et reverendissimo cardinali Amulio constitutus reverendissimus D. Abd-Isu patriarcha de Muzal in Assyria, confessus est hoc scriptum inclusum lingua et charactere Chaldaico sive Syriaco exaratum, manu sua propria esse conscriptum, cujus rei fidem fecit Dominus Joannes Baptista Abiscinus Indus interpres, et præsentibus etiam testibus infrascriptis confessus est, se velle observare totum id, quod in scripto huic inserto continetur, et de ipsius voluntate in præsentia testium infrascriptorum, et de mandato illustrissimi domini mei, ut supra, propria manu fidem facio, ut possint hæc scripta authentica mitti ad sacrum Concilium, et inde confici publica documenta si opus fuerit, et idem etiam lingua Latina versum adjunxi.

« Ita est. Marcus Antonius cardinalis Amulius.

« Ego Bartholomæus Eustachius Sancto-Severinas affirmo, ut supra.

« Ego Antonius Joannotius affirmo, ut supra.

« Ego Christophorus Anichinus affirmo, ut supra.

« Ego Aurelius Savignanus de mandato ».

Sacramenti porro a patriarcha Assyrio nuncupati formula his verbis concepta fuit :

« Ego Abd-Isu filius Joannis de Domo Martia ex civitate Geziræ in Tigri flumine, olim mona-

[1] S. Athan. ad solit. Jo. III. — [2] Isa. IX. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3249. in actis Sess. 6. XVII Septemb. lecta, et in Ms. alio arch. Vat. sig. num. 3252. p. 131.

chus Sancti Antonii, Monasterii SS. Rabæ et Joannis fratrum, nunc Dei et Apostolicæ Sedis gratia primas sive patriarcha civitatis Muzal in Assyria Orientali, sub cujus jurisdictione multi metropolitæ et diœcesani continentur, videlicet Arbel metropolis, Sirava, Hancava episcopatus; Cheptiam metropolis, Caramleys, Achusc episcopatus, Nassybin metropolis, Macchazzin, Tallescani, Mardin episcopatus: Sceert metropolis, Azzeu episcopatus: Elchessen metropolis, Zuch et Mesciara episcopatus: Gurgel metropolis, Esci episcopatus: Amed metropolis, Chiaruchiæ, Hayn, Tannur episcopatus, quæ omnes simul regiones subsunt Turcarum imperio. Ormi superior metropolis, Ulcismi, et Cuchia episcopatus: Ormi inferior metropolis, Durasoldos, Escinuch episcopatus: Espurgan metropolis, Nare, Giennum episcopatus; Salmas metropolis, Baumar, Sciabathan, Vasthan episcopatus, omnes Persarum regi, vulgo Sophi nuncupato, subjecti. In India vero Lusitanis subjecta, Cuschin metropolis, Cananor metropolis, Goa metropolis, Calicuth episcopatus, cui subest Caronongol civitas, quæ adhuc ab idololatris et ethnicis hominibus possidetur. Juro et polliceor, cum mihi non liceat ad sanctam Tridentinam Synodum accedere, sed necesse sit, ut ad patriarchatum meum me transferam, qui meo eget auxilio, et sine custode, me absente, permanet: munus enim Ecclesiarum præsulis est, animas sibi subjectas quotidie in sancta Christiana fide instruere, et moribus vitæque integritate eas in fide confirmare, ne grex sibi commissus Pastoris regimine destitutus, in varios incidat morbos, quod eo facilius gregi meo accidere posset, qui cum sit sub infidelium tyrannide, adhuc multos in Christiana fide imbecilles tenet, et quotidie, etiam mea diligentia, Dei gratia cooperante ampliari potest. Cumque difficile fratres mei metropolitæ, episcopi et diœcesani, qui tam longe absunt, possint in hanc sacram Tridentinam Synodum convocari,

« Ea de re ita meo, quam eorum nomine, quos omnes ex corde S. R. E. partes tenere non dubito, inhærendo juramento fidelitatis alias per me confecto sive per me præstito.

« Juro, inquam, et polliceor omnia nos tenere et credere, quæ in sanctis Œcumenicis Conciliis hucusque sunt acta, et secundum eorum decreta promitto omnes filios nostros instituere, et præcipue in iis, quæ in sancta sacra Œcumenica Tridentina Synodo terminabuntur. De cujus legitima Congregatione nihil penitus dubito, sed ei et meo, et eorum nomine reverenter et humiliter me subjicio, vocatusque ad hanc, seu aliam sanctam Synodum, cum dictis fratribus meis libenter accedam. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Evangelia ».

29. De felici hac Assyriorum Christianorum cum Romana Ecclesia conjunctione Amulius cardinalis, qui rei gestæ testis interfuerat, certiores postea fecit cardinales præsides Tridentini Concilii subjectis litteris [1]:

« Illustrissimis et reverendissimis dominis colendissimis dominis cardinalibus legatis sacri Concilii Tridentini.

« Reverendissimi et illustrissimi domini colendissimi. Reverend. dominus Abd-Isu Assyriorum Orientalium patriarcha electus a clero, et eorum populorum consensu, qui finitima Tigri fluvio loca incolunt, Turcarum et Persarum imperio subjecti, anno superiore, ut confirmaretur a Pontifice Maximo, ad Urbem se contulit, cumque litteris ac testibus fide dignis cognita ejus electio et probitas esset, ac permultos non solum dies, verum etiam menses, absolutam nostrorum rituum cognitionem, quibus antea in nonnullis non quidem gravibus dissenserat, a Catholicis et eruditis hominibus accepisset, tandem [proponente me] a sanctissimo domino nostro frequenti consistorio patriarcha et pastor illorum populorum declaratus est, cum prius se nunquam a sanctissimis Sedis Apostolicæ decretis esse dissensurum aut discessurum solemniter de more, confessione et jurejurando pollicitus est. Quorum rerum memoria diligenter litteris consignata in Archivio custoditur. Quod nisi jam senio confectus redire ad suos, impetrata primum a sanctissimo domino nostro licentia, properasset, ut eos Ecclesiastica doctrina plenius instrueret, ad sacrum Concilium profectus esset, ut istic fidem Catholicam, suumque erga Sedem Apostolicam singulare studium et obedientiam profiteretur, abeuntem Summus Pontifex ipsum, suosque presbyteros et diaconum vestimentis et rebus omnibus ad ejus sacerdotium pertinentibus, et viatico est prosecutus. Hujus viri eximiam in Deum pietatem, optimumque de vera fide sensum, cum in multis aliis, tum in eo perspeximus, quod cum discederet, petiit studiosissime, ut istius sacri Concilii canones et decreta perferenda ad eum curaremus, se enim quidquid in Concilio statutum erit, omnino servaturum promisit, daturumque operam ut omnes sui servent, chirographo suo Chaldaica lingua confecto, quod Latine explanatum cum his litteris mittimus, confirmavit. Nos autem libenter fecimus, ut ejus probitatis, prudentiæ, eruditionis ac nobilitatis testimonium his litteris daremus. Nam ex celeberrima ortum familia, opibus etiam pro loci ratione abundantem, jam sexagenarium, nec aliam ob causam, tam longum, tamque difficile ac periculosum iter suscepisse, nisi ut visitaret Apostolorum limina, et Pontificis Maximi pedibus osculum ferret, optimamque erga hanc Sedem voluntatem ostenderet, perspicue cogno-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. in actis Sess. 6. sub Pio IV. XVII Septemb. MDLXII. et in alio Ms. arch. Vat. sig, num. 3252. p. 129. Excusæ etiam Typis Ripa.

vimus. In itinere semel a Drudis populis, bis a Turcis male acceptum ac fustibus percussum esse satis constat. Hic sæpe de sacris litteris interrogatus graviter admodum et copiose respondit magna omnium admiratione, qui sententiam ejus verborum ab interprete audiebant. Nominabat eos, quos se habere dixit, libros omnes Veteris et Novi Testamenti, etiam quos Hebræi aut hæretici non probant, antiquos doctores Græcos et Latinos, eosdem fere quibus nos utimur, Caldaice, Syriace, aut Arabice versos diligenter legisse, nonnullos etiam, quorum nomina a nobis ignorantur. Addebat hoc, in Caræmiet Turcarum civitate libros esse ab ipsa fere Apostolorum ætate conscriptos, qui nunc in quadam Bibliotheca custodiuntur. Summam profecto Dei beneficentiam licet agnoscere, quod in tam longinquis regionibus, quæ nobis vix fama notæ sunt, veræ fidei cultus adhuc vigeat, et Christiana religio non minore fortasse, quam apud nos pietate excolatur, conservata doctrina, quam per ea loca beatorum Apostolorum Thomæ et Thadæi piis sermonibus disseminatam, et Marii eorum discipuli prædicationibus confirmatam hic patriarcha ita asseverabat, ut etiam id se scriptis probaturum promitteret. Sacramentis, aiebat, uti se ac illos populos iisdem fere, quibus nos, confessione auriculari, precatione pro salute mortuorum, canone iisdem fere verbis in celebranda Missa, consecratione prorsus eadem. Imagines quoque sanctorum piis precibus venerantur, fideles autem patriarchatui subjectos dicunt esse usque ad ducenta millia ; quo argumento etiam præter sexcenta alia, inania improborum hæreticorum commenta refelluntur, cum per annos mille quingentos Ecclesiæ dignitas et doctrina salutaris apud gentes a nobis tot terrarum intervallo disjunctas in tanta rerum, regum, et regnorum mutatione, religionis varietate, sub infidelium gravi jugo, ac jugi per injurias et contumelias vexatione in medio barbariæ, eadem tamen ad hanc diem permanserit, quæ nunc a gentibus nobis propinquis oppugnatur. Sed hæc quanti sint, et quantum sint dominationes vestræ illustrissimæ ponderabunt. Ego vero de Sanctissimi domini nostri mandato confessionem ipsius Patriarchæ de obedientia sacro Concilio præstanda, cum his litteris mitto, eisque me humillime commendo. Romæ die XXIX Augusti MDLXII.

« Dominationum vestrarum illustrissimarum et reverendissimarum,

« *Humillimus servus.*

« MARCUS ANTONIUS, cardinalis Amulius ».

Lectæ sunt eæ patriarchæ Assyriorum litteræ [1], postea in sessione sexta e sacro suggestu ab archiepiscopo Hydruntino coram Concilii Patribus, in quibus, cum patriarcha multas Indiarum urbes, tanquam sibi jure Ecclesiastico obnoxias commemorasset, quæ tamen a Lusitanis præsulibus regebantur, propterea Lusitanus orator hac protestationis formula Lusitanum jus asseruit :

« Protestatio oratoris regis Portugalliæ contra ea, quæ in professione patriarchæ continentur.

« Cum in supradicta professione fidei, et obedientiæ prædicti patriarchæ Assyriorum ipse patriarcha asserat se habere sub se infrascriptas Ecclesias, videlicet Cuschin, Cananor, Goa, Calecut et Carongel, quæ sunt sub dominio et ditione serenissimi Portugalliæ regis, illustrissimus D. orator dicti serenissimi regis eas ipsas Ecclesias hic nominatas dicit, et protestatur, nullum patriarcham in superiorem recognoscere, sed tantum subesse reverendissimo D. archiepiscopo Goensi, qui totius Indiæ est primas, ne ex his dicto archiepiscopo Goensi, aut episcopis in dictis partibus constitutis aut constituendis, aliquod præjudicium generari unquam possit. Hanc vero protestationem in Actis hujus sessionis redigi postulat ».

30. Nec modo Assyrius patriarcha Romano Pontifici se subjecit, verum sensere majoris Armeniæ plures populi cum Romana Ecclesia, ut conspicuum atque illustre est, ex Pontificis litteris ad archiepiscopum Nauchisivanensem in majori Armenia datis, quibus ipsum monuit in summis votis gerere universos Nestorianos ad fidem orthodoxam revocare, Assyriæ etiam patriarcham, ejuratis Nestorii erroribus, Chalcedonense Concilium Ephesinum primum amplexum esse, rogavitque, ut si quos Chaldaicæ linguæ, ac simul sacrarum rerum peritos haberet, ad eumdem patriarcham mitteret :

« Venerabili fratri [1] Nicolao Frydo archiepiscopo Nachisivanensi Majoris Armeniæ.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Dominus et Deus noster Jesus Christus gregem suum, summus æternusque pastor, nunquam deserens, pro quo pretiosissimum suum sanguinem in ara crucis effudit, pro sua ineffabili charitate non desinit oves Dominicas dispersas atque errantes ad suum ovile reducere, sicut nuper ex provincia Assyriæ ad Apostolicam Sedem, ipso inspirante, venit venerabilis frater noster Abd-Isu olim archiepiscopus Geziræ civitatis in insula Tigris positæ, vir religiosus et doctus, qui tam longum et difficile et tam periculosum iter in senectute suscipere minime dubitavit, quo debitam Apostolicæ Sedi reverentiam obedientiamque præstaret; cujus adventu egimus gratias debitas omnipotenti Deo, qui nobis salutem omnium pro nostri loci ac muneris officio sitientibus tantam januam patefecerit ad

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. in Actis sess. 6. sub Pio IV. Astulph. Serv. in Actis sess. 6. habitæ XVII Sept. MDLXII.

[1] Pius IV. lib. brev. sig. 2905. Ep. CXLI.

sectam illam Nestorianorum Ecclesiæ Catholicæ reconciliandam. Itaque ipsum Abd-Isu benigne et fraterna cum charitate excepimus, et cum fidei suæ libellum nobis porrexisset, eumque in damnando Nestorio cum sancta Romana Ecclesia consentire, et sanctum Concilium Chalcedonense et Ephesinum Primum suscipere, et in cæteris sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem atque doctrinam firmiter tenere, et perpetuo sequi, ac sibi subjectis tradere velle comperissemus, de venerabilium fratrum nostrorum consilio, eum civitatis Muzal in Assyria, jam ante a felicis recordationis Julio Tertio prædecessore nostro primatiæ dignitate decoratæ, patriarcham sive primatem constituimus, palliumque, insigne plenitudinis pontificalis officii, de more tradidimus, multisque honestatum gratiis in Assyriam remisimus. Nunc te, dilectissime frater, hortamur, ipsum patriarcham ad restituendam, et stabiliendam, ac confirmandam in illis sibi subjectis populis fidei Catholicæ integritatem, ac verum sacramentorum usum, sacrosque ritus ab Ecclesia approbatos, adjuves quam maxime potes. Utilissimum autem fore judicamus, ut quoniam habiturus es tu facile, qui ab illa provincia minus longe abes, homines linguæ Chaldaicæ peritos, aliquem, qui linguam illam calleat, et tam vitæ ac morum honestate, quam sacrarum litterarum et rituum Ecclesiasticorum scientia atque usu idoneus sit, ad eum mittas, qui, quoad opus fuerit, in illis locis commoretur, ipsique patriarchæ assistens, eum et subjectos ei homines consilio, doctrina et prædicatione sua juvet, moneat atque instruat, hoc enim non minus gratum optatumque patriarchæ, quam utile et opportunum fore intelleximus. Neque vero dubitamus, quin eum, quem miseris, et in honore habiturus sit, et omnia ei subministraturus, quæ ad victum necessaria fuerint. Qua in re fraternitas tua desiderio nostro ita satisfacere studeat, ut, quod non satis commode hoc tempore exequi ipsi possumus, tu perficias. Sedulitatis ac studii, quod in hominum illorum salutem contuleris, non laudem solum a nobis, sed ab ipso Domino etiam mercedem magnam et copiosam adepturus. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum die XXIII Julii MDLXII, an. III ».

31. Redintegrandæ etiam cum Jacobitis veteris Ecclesiarum conjunctionis, quæ ab Eugenio IV in Concilio Florentino sancita fuerat, cupidus Pontifex Neemam patriarcham Jacobitarum, ad tam pium opus subjectis litteris [1] amantissime provocavit.

« Venerabili Fratri Neemæ patriarchæ sive primati Jacobitarum.

« Venerabilis frater, salutem, etc. Dilectus hic frater Joannes Arabim Cassa dictus episcopus Hattadi pie admodum Apostolorum limina visitavit, mensesque aliquot hic mansit, quem nos, et ipsius devotionis causa, et quia ex natione Jacobitarum eum esse audivimus, libenter videmus. Et sane visus est nobis vir religiosus et Deum timens; de tuæ vero fraternitatis bonis ea prædicavit, quæ nobis relata nos impulerunt, ut eo istuc cum benedictione nostra revertente, nostris te litteris salutandum esse duxerimus, quod eo propensius facimus, quia, commisso nobis, licet indignis, Apostolicæ Sedis regimine, admonemur, ut universos Ecclesiarum præsules fraterna charitate complectamur in sollicitudinis nostræ partem vocatos, et ad Dominici gregis salutem curandam, unumquemque eorum studium nobiscum jungere cupiamus. Nec vero fraternitas tua ignorat, universarum Christi ovium curam Petro et successoribus ejus Romanis Pontificibus ab ipso Christo fuisse commissam, eidemque Petro atque ita ejus quoque successoribus, ut fratres suos confirmaret, esse præceptum. Optaremus admodum nationem istam Jacobitarum in ea unione mansisse cum sancta Romana Ecclesia, quæ conciliata fuit, ut scire te credimus, sacrosanctæ Synodi Florentinæ tempore, quæ a felicis recordationis Eugenio papa IV prædecessore nostro congregata fuit, sed quia propter magnam mutationem rerum et temporum varietatem interrupta fuit, fraternitatem tuam in Domino hortamur et monemus, ut eam excolere postea studeas, cum scias unam esse fidem, unam Christi sponsam Ecclesiam Catholicam, cujus ipsa Romana Ecclesia caput et fundamentum est, cujus fidei integritas singulari quodam et nunquam defecturo privilegio in Sede Apostolica omni tempore conservata est; itaque recte admodum feceris, et tuæ ac nationis tuæ saluti consulueris, si una cum his, qui tibi subjecti sunt, sanctæ hujus Sedis primatum a Domino ipso ei tributum te reverenter agnoscere, sicut non diffidimus, declararis, et si fidem quam sancta Romana Ecclesia tenet et docet, in omnibus et per omnia suscipere te ac tenere professus fueris, probans quidquid ipsa probat, et quidquid eadem damnat, damnans atque rejiciens; neque enim schismata inter nos esse debent, sed idipsum omnes monente Apostolo dicere, et sentire oportet; nec cæteras Ecclesias decet a Matris suæ Ecclesiæ Romanæ disciplina recedere aut discrepare, qua in re, si fraterno et salutari nostro consilio usus fueris, te et cæteros Apostolicæ Sedis communionem expetentes fraterna charitate excipere parati erimus, atque omni studio, et tuo ipsius honori, et tuorum saluti, quibuscumque in rebus poterimus, consulere atque prospicere, sicut ex ipsius, quoque Joannis Abraim relatione cognosces. Datum Romæ apud S. Marcum die XXIII Julii MDLXII, anno III ».

[1] Pius IV. lib. brev. sig. num. 2961. p. 175.

Ex superius dictis refelluntur delira mendacia novatorum, qui cum perspicuis argumentis revicti fuerint, eos a vera Ecclesia Catholica extorres esse, cum eorum sectæ recentioris temporis, et angustorum locorum terminis sint circumscriptæ contractæque, impudenter mentiuntur Orientales Christianos eorum dogma profiteri. At his omissis intermissam Concilii narrationem repetamus.

32. *Capita reformationis proponuntur disceptationi Patrum.* — Referunt Acta [1] ab Astulpho Servantio accuratissime conscripta, legatos cardinales promulgata ac data amplissima novatoribus liberi commeatus incolumitatisque syngrapha ad emendationem morum disciplinæque Ecclesiasticæ splendorem restituendum lætis animis studia applicuisse : subdit enim : « Undecima Martii, feria IV, congregatio generalis coacta est, in qua de solutiore disciplina astringenda hi articuli propositi :

« Capitula XII reformationis proposita consideranda Patribus.

« I. Considerent Patres, quæ ratio iniri possit, ut patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, et cæteri omnes animarum curam habentes in suis Ecclesiis resideant, et ab iis nonnisi justis, honestis, necessariis et Ecclesiæ Catholicæ utilibus de causis absint.

« II. An expediat, ut nemo ordinetur ad sacramentum Ordinis nisi ad certum aliquem beneficii titulum ; compertum est enim multas committi fallacias ex eo, quod plerique ad titulum patrimonii ordinantur.

« III. Et quod ordinantes, nihil omnino percipiant pro collatione quorumcumque Ordinum, neque etiam eorum ministri aut notarii.

« IV. An eisdem concedendum sit, ut de præbendis non servientium possent distributiones quotidianas constituere in illis Ecclesiis in quibus nullæ sint distributiones, aut ita tenues, ut negligantur.

« V. An parochiæ omnes, quæ ob suam amplitudinem plures requirunt sacerdotes, plures etiam habere debeant titulos ab Ordinariis instituendos.

« VI. An beneficia quoque curata, quæ idonea provisione victus sacerdotalis carent, sint reformanda, ita ut ex pluribus titulis unus tantum ab Ordinario constituatur.

« VII. Cum rectores parochialium multi sint parum idonei, qui vel ob imperitiam, aut vitæ turpitudinem destruant potius quam ædificent subjectum sibi gregem, et deteriores habeant aliquando vicarios, videndum est quomodo huic malo medendum foret, num expediret dare eis coadjutorem, sive vicarium idoneum, cum assignatione fructuum arbitrio ordinarii ?

[1] Act. Conc. Trid. per Astulp. Servantium. Ms. Franc. card. sig. num. 1109. p. 34.

« VIII. An ordinariis sit concedendum, ut beneficia et cappellas vetustate collapsas, quæ ob paupertatem restaurari nequeunt, in matrices Ecclesias transferre possint.

« IX. An decernendum sit beneficia commendata, etiam regularia, visitari ab ordinariis, et corrigi.

« X. Matrimonia clandestina, an in futurum debeant declarari irrita esse et nulla.

« XI. Quæ conditiones sint declarandæ ad hoc, ut matrimonium non dicatur clandestinum, sed in facie Ecclesiæ contractum.

« XII. Denique magnopere considerandum esset, quid constituendum sit circa quæstorum non parvos abusus ».

Quæ porro circa hæc post collata a Patribus longo temporis fluxu, summa animi maturitate ac diligentia, consilia constituta fuerint, suis locis referetur, vel Acta publica docebunt.

33. *Philippus Hispanus oratorem ad Concilium mittit; responsio Concilii.* — Ad promovenda quoque Concilii studia Philippus Hispaniarum rex oratorem suum amplissimis fultum mandatis Franciscum Ferdinandum Davalos Piscariæ marchionem decreverat, qui cum Insubriam ejus nomine tunc moderaretur, Tridentum jussus fuerat de proximo accedere, ut exordientis Concilii celebritatem augeret, explicitaque intra modicum tempus legatione ad suam redire provinciam ; cui quidem adeunti hæc in mandatis submiserat. Comitem postea a Luna eidem brevi in legatione suffectum videbimus :

« Philippus Dei gratia rex Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, archidux Austriæ, dux Burgundiæ, Brabantiæ et Mediolani etc. Comes Hauspurgi, Flandriæ, etc.

« Recognoscimus et notum facimus tenore præsentium universis. Cum beatissimus in Christo pater et dominus, dominus noster papa Pius IV divina providentia sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Pontifex maximus, ut his malis et dissensionibus quibus Christiana respublica jamdiu vexatur, et religio vera tot ac tam diversis opinionibus impetitur, eo remedio, quo sancta et universalis Ecclesia, ut solet, medeatur, et ad veram in fide unionem Christi fideles inducantur, uti optimus et vigilantissimus pastor Œcumenicum Concilium Tridenti, sublata suspensione quacumque, continuandum indixerit, et aperuerit, atque ad diem Resurrectionis Dominicæ præcedentis præfixerit, nosque tum per litteras, tum per nuntios exhortatus fuerit, ut quoniam præsentes celebrationi ejusdem interesse non poteramus, nostros ad illud oratores idoneos, qui ibi assisterent, mandare vellemus, nos qui ipsius Concilii celebrationem, ut Catholicum principem decet, tamquam verum et unicum malorum remedium ardentissime desiderabamus, libenti animo obtulerimus, nos id

facturos, omnemque operam daturos, ut prædictum Concilium, quantum in nobis esset, non solum promoveretur, sed etiam Deo ductore ad optatum finem perduceretur; nolentes igitur hac in re nos officio deesse, quin potius ea omnia, quæ ad nostrum munus spectant abunde præstare et exhibere, ut nostro nomine in prædicto Concilio compareat, nostrasque partes agat, illustrem, fidelem nobis dilectum Don Ferdinandum Franciscum Davalos de Guinnones consiliarium, collateralem, locumtenentem, et capitaneum generalem nostrum in ducatu et dominio nostro Mediolani, cujus fidei, probitati, religioni, ac rerum longæ experientiæ quamplurimum confidimus, oratorem, nuntium et procuratorem nostrum facimus, constituimus et deputamus, dantes ei plenam facultatem et potestatem una cum amplo libero mandato, citra tamen aliorum nostrorum procuratorum et mandatariorum constitutorum et constituendorum revocationem vel præjudicium, ut in dicta civitate Tridentina, et loco in eadem celebrationi Concilii deputato, coram reverendissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, ac beatissimi Pontificis legatis nominatis et destinatis, aliisque Patribus ibidem congregatis nostro nomine comparere, prædictæque Concilii celebrationi intervenire atque adesse et interesse, locumque et vices nostras in omnibus sessionibus, consultationibus, deliberationibus et actibus obtinere, atque omnia alia agere, dicere, gerere, tractare, procurare, et promovere possit et valeat, quæ ex usu reipublicæ Christianæ fore videbuntur, quæque nos ipsi facere, dicere, gerere et tractare possemus, si coram præsentes essemus, etiamsi talia essent, quæ mandatum exigerent magis speciale quam hic expressum est, habituri proinde ratum, quidquid per prædictum oratorem, procuratorem et mandatarium nostrum præmisso modo actum, dictum, gestum, factum et procuratum fuerit, dolo et fraude remotis, harum testimonio litterarum manu nostra subscriptarum, et sigilli nostri impressione munitarum. Dat. Matriti die XXVIII mensis Januarii, anno Domini MDLXII, regnorum nostrorum... ».

XIV Martii solemni pompa Tridentum ingressus, die XVI in generali Congregatione Philippi regis litteras, quibus ille summo ac flagrantissimo pietatis studio se suaque omnia pro tuendo Concilio fideque orthodoxa asserenda devovebat, legatis Apostolicis porrexit, oratoris vero nomine Galeatius Brugoras Mediolanensis, regii fisci causarum patronus orationem ad Patres habuit, cujus præcipua pars delibanda visa est:

« Cum (inquit) multis justisque de causis adesse ipse non potuerit (de Philippo rege Catholico loquitur) ex multis heroibus, quorum magnam copiam habet, Franciscum Ferdinandum Davalum marchionem Piscarium elegit, dignumque judicavit, cui munus hoc legationis obeundæ ultro deferret, qui etsi in nullo otio, at in summo negotio provinciam Mediolani cum imperio administrat, tamen ab ipso rege, qui cum antea semper, tum hoc vel maxime tempore os, oculos, mentem denique ipsam in unam rempublicam Christianam convertit, jussus est ea omnia quæ ad sanctissimam religionem pertinent rebus humanis omnibus anteferre, et huc se quam primum recipere. Adest igitur Franciscus Ferdinandus a Catholico rege missus et eo nomine, ut et regis personam hoc ipso in loco sustineat, et omnia ejus officia, operam, laborem, copias denique omnes ad amplitudinem vestram conferat, denique vobis præsto adsit, foveat, prosit quibuscumque rebus rex ipse possit. Et si enim respublica Christiana majoribus præsidiis tegitur, ac Dei optimi maximi numine ad omnibus insidiis adversariorum defenditur, tamen humanis etiam opibus aliquando adversus vim et scelus visa est eguisse. Etenim idcirco potissimum reges sancti appellantur, et terris a Deo dati sunt, ut ad rerum temperationem sedeant, et reipublicæ Christianæ, non modo excubias et custodias, sed etiam laterum suorum oppositus et corporum polliceantur. Primum igitur cum Pontifex maximus vigilet, adsit reipublicæ Deus denique ipse immortalis ac præpotens, huic suo populo Christiano, huic clarissimo imperio, huic pulcherrimæ reipublicæ auxilium continenter ferat, non est desperandum fore ut vos, Patres amplissimi, non modo labenti Christianæ reipublicæ subveniatis, verum etiam in veterem libertatem et dignitatem vindicetis. Ipsa certe, quæ nuper crescentibus malis, quæ ipsam interimunt, capiti salutique suæ prope desperare videbatur, et miseris temporibus ac perditis moribus afflicta et oppressa jacebat, nunc tandem aliquando bene sperare, freta præsertim medicina consiliorum vestrorum, salutaribusque auxiliis cœpit. Confidit enim se veteris morbi gravitatem vobis curatoribus depulsuram, confidit a novis tentationibus vestra diligentia liberam futuram, confidit denique antiquum robur ac corporis firmitatem brevi recuperaturam. An vero cum sciat vos non tanquam aliquos ex Urbe Roma missos, sed de cœlo lapsos intuetur in loco tam excelso pulcherrime sedere, et ad defensionem suam stare, non se excitet, non sese erigat, non caput extollat? Quæ cum ita se habeant, facile omnes in eam spem ingrediuntur, fore ut omnes qui fortasse aliquo modo aberrarunt redeant in viam, et veritas multis incommodis debilitata, tandem opera et æquitate vestra recreetur, et locum in quo consistat reperire possit. Postularet fortasse hoc loco magnitudo rei, expectatio vestri, ut Franciscus Ferdinandus commoneret vos, Patres amplissimi, ut in hac turbulentissima tempestate reipublicæ, in tam gravibus cogitationibus

vestris omnia diligentissime dispiceretis. Sed cum ipse consideret incredibilem sapientiam vestram, ac prope divinam, nullamque rem tantam esse, ac tam difficilem, quam vos non, et consilio regere, et integritate tueri, et virtute conficere possitis nihil, sibi temere faciendum esse putat, nihil vos cujusquam monitis egere arbitratur ». Et infra :

« Unum illud restare putat, ut in proprio suo officio permanens, Philippi maximi et potentissimi regis nomine, studium, officium, operam, gratiam, auctoritatem, copias denique omnes vobis, Patres amplissimi, sine ulla exceptione, aut laboris, aut temporis polliceatur ac deferat ».

34. Excepta est a Patribus maxima lætitiæ significatione et gratulatione hæc ardentissimi studii pollicitatio, atque a Synodo oratori regio hoc responsum [1] redditum est :

« Responsum S. Synodi in admissione oratoris Philippi Hispaniarum regis Catholici.

« Et si, Francisce Ferdinande, Marchio Exc., pium studium invictissimæ Austriæ domus, atque animi propensio erga rempublicam Christianam veramque Christi religionem, Romanis Pontificibus Sanctæque Sedi spectata atque probata semper fuit; hoc tamen potissimum tempore Catholici potentissimique Philippi regis, cujus personam merito legatus sustines, promptus paratusque animus in vera religione, quæ ad paucos redacta est, conservanda et a tot impietatibus revocanda, ac in veteri dignitate et sinceritate tuenda, adeo exoptatus, adeo jucundus sacræ huic generali Synodo extitit, et omnium animos erexit, ut spem certam attulerit Christianæ reipublicæ, graviter quidem ægrotanti salutare remedium, magnaque ex parte convulsæ atque collapsæ verum firmumque subsidium afferri posse, præsertim Pio IV Pontifice maximo, pastoreque vigilantissimo duce et auctore, qui e Romana sacra illa et non violabili specula salutare et expectatum Concilii signum erexit, Tridentumque remisit, qui Christi oves a feris apris dispersas, et immanium luporum faucibus crudeliter absorptas, ad Christi tandem gregem nostris humeris, nostris, inquam, humeris patienter mansueteque portaremus : Ferdinando Cæsare optimo Romanæ Ecclesiæ primogenito, regibus Christianis denique principibus, quorum hic frequentes insignesque legatos adesse cernimus, fautoribus beneque juvantibus , e quorum numero facile princeps Philippus rex, Caroli V Cæsaris invictissimi, cujus memoria in benedictione est, et omnibus virtutum numeris cumulatissimi, ut aliarum heroicarum virtutum, ita etiam veræ religionis verissimus hæres et imitator, omnem operam, studium, industriam, facultates, omnem denique corporis sui laborem benignissime polliceatur, et si opus fuerit, fidelissime præstabit, quem ita pium, ita sanctum, vereque regium animum atque studium generalis hæc sancta Synodus, ita libenter tota mente amplectitur, ita merito laudat et extollit, ita jure lætatur et in eo conquiescit, ut magnas quidem gratias potentissimo regi, Christianique nominis firmissimo propugnaculo atque vindici, per me omnium Patrum nomine agi voluerit, tibique etiam, Davale princeps clarissime, vel multis tuis nominibus, vel honorificæ hujus legationis nomine plurimum debere fateatur, atque omnia quæ ad ipsius justissimi potentissimique regis honorem, auctoritatem, dignitatem pertinent, quantum licuerit, libentissime pro suis meritis sancta Synodus præstabit, Deumque optimum maximum obsecrat, ut talium tantorumque regum, ita pios animos, ita pro Christi fide veraque religione accensos atque inflammatos perpetuo conservare ac tueri libeat. Mandatum vero regium, quantum de jure debet, admittit ».

35. *Orator ducis Florentini exhibet erga Concilium præclaræ propensionis signa quæ lætanter excipiuntur.* — Cosmas quoque Florentiæ et Senarum dux Joannem Strozzium oratorem suum ad Concilium direxit, qui in Congregatione generali XVIII Martii exceptus, post exhibitas consueto more litteras, et mandata, quæ cum omnia publici juris novissime post alios fecerit Philippus Labbe [1] Societatis Jesu, hic repetere, ne nimia lectorem prolixitate fatigemus, supervacaneum duximus, luculentam habuit orationem, qua Pii Pontificis studium in Concilio ad opus perducendo, ad constabilienda fidei Catholicæ dogmata contra obortas hæreses, atque sanctissimis Patrum decretis omnem erroris vel ambiguitatis offusam caliginem discutiendam illustravit, necnon Florentiæ ducem ad Concilii Pontificisque tuendam auctoritatem paratissimum significavit his verbis :

36. « Si in cognitione veritatis vis omnis ac notio nostræ ipsius intelligentiæ potissimum consistit, profecto ejusmodi veritatis cultores in hac vita aliorum omnium beatissimi et felicissimi habendi sunt, contraque prorsus miseri et infelices illius expertes, qui nihil loci rationi et consilio relinquentes, pravas multis de rebus animo opiniones imbuunt, atque in illis acquiescentes de sanitate mentis magis deturbantur, quam qui misero diuturnoque morbo interdum affliguntur : iis igitur si magnæ pietatis esset medicinam adhibere, et corporis incolumitati consulere, multo majoris etiam foret illorum animis salutem afferre, et ad integritatem innocentiamque adducere, quod opus tanto majus plane habetur, quanto est anima præstantior

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. in Actis sess. 3. Act. Conc. Trid. Ms. card. Barb. sig. num. 1109. p. 36. Astulph. Serv.

[1] Tom. XIV Conc.

corpore, quantum denique æternitas mortalitatem superat. Hujus rei causa Pius ille pater sanctissimus et verus animarum nostrarum pastor et custos, non immemor quam eximio, quam singulari studio ac voluntate eas sibi Christus commendaverit, cum dixit Petro primo suo vicario, et deinceps omnibus iis, quibus sanctarum clavium munus divino numine traderetur, *si me amas, pasce oves meas*, cum ille Christianæ religionis conservator intelligat, quanta ingluvie lupus insatiabilis palam quotidie magis irrumpat in Christianum gregem, neque sibi sit quidquam deliberatius, quam illum, quacumque ratione possit, funditus dissipare, quandoquidem post semen illud bonum quod antea Christus sparserat, quod Apostoli ipsius imitatores, quod etiam alii integerrimi homines, in quibus quasi lumen quoddam sanctitas admirabilis continenter eluxit, summa diligentia auctum in Christiana republica conservare studuerunt, venit inimicus homo, et superjecit zizania, quæ, cum in dies singulos accrescant, jactum ab initio semen bonum suffocare plane videntur; quamobrem, inquam, Pius IV Pontifex maximus, ut hanc nefariam pestem ac perniciem a nobis depellat, Concilium hoc peragere suum induxit animum, ubi vos, et vitæ innocentia, et eruditionis magnitudine viri admodum insignes, de vera sinceraque Christi doctrina commonefaciatis, atque illa etiam Evangelii dogmata plenissime explicetis, et quæ tandem præcepta a Christi fidelibus tenenda sint, declarare non prætermittatis. Hæc non quæ consiliis vestris atque suffragiis, sed Spiritu sancto impulsore et autore confirmata, certa et rata esse præcipue decreveritis, ut fideliter, ut religiose, ut sapienter facta auctoritate atque judicio maximi Pontificis comprobentur; non ut alia veritas, ab illa quam viri Catholici omnes coluerunt, renovetur, sed ut rursus indicetur iis, qui sese ab eadem temere nimis removentes, variisque turbati erroribus, suaque in sententia, obstinatione quadam incredibili constantes, latum unguem de illa decedere tergiversantur. Hujus tanti ac præclari muneris functioni Deus omnium rerum sapientissimus distributor vos amplissimos et religiosissimos antistites præposuit. Pius autem, uti fidelis administer, et verus Christi vicarius, hoc unum assidue cogitat, hoc unum, seduloque hoc unum potissime studet, dissipatum videlicet Domini sui gregem congregare, et oves grandi profecto macie jam confectas læta in pascua reducere, et omni prorsus calamitate liberatas summo cunctarum rerum conditori, vestra tamen ope adjutus tandem restituere. Qua de re pluribus disserere consulto jam omittam, quo negotia, quæ gravia satis in hoc celeberrimo conventu habituri estis, minus impediam; illud tamen attingam, quod Cosmus princeps et dux meus ad vos, Patres optimi, adlegavit me, ut ejus nomine deferrem se Pio Pontifici maximo esse conjunctissimum, seque in ea sacri Concilii hujus bene et feliciter peragendi voluntate perpetuo secum, atque etiam vobiscum esse mansurum. Ut igitur in tanto negotio explicando curam omnem cogitationemque ponatis pro illa summa observantia, qua unumquemque vestrum studiosissime colit, vos etiam cohortatur, etc. »

37. Excepta est secundo plausu hæc oratio, ac Synodi nomine amplissimæ gratiæ Florentino et Senensi principi actæ de optima illius in Pontificem et Synodum voluntatis propensione, nec Synodum fultam Pontificis, Cæsaris regumque ac principum præsidiis ad tollenda omnia de religione dissidia muneri suo defuturam responsum [1] :

« Quam optatus et jucundus sanctæ Synodo adventus sit iste tuus, præstantissime orator, ex maxima hilaritate atque lætitia, qua in te accipiendo sese affectam esse declaravit, plenissime animadvertere potuisti, quippe quæ perspectum habet studium illustrissimi amplissimique ducis, qui te huc legatum misit, de Catholica Ecclesia ac de sanctissima Sede Apostolica benemerendi : neque enim de hujus principis propensa in dignitatem tranquillitatemque reipublicæ Christianæ voluntate dubitandum est, cum ex ea familia Cosmus Medices prudentissimus princeps, omnibusque animi ingeniique ornamentis cumulatissimus originem ducat, quæ duos quidem antehac Pontifices maximos, eosque sapientissimos, Leonem X et Clementem VII Ecclesiæ dederit, nunc autem Pium IV, qui noctes et dies nihil aliud cogitat, quam tranquillitatem pacemque Ecclesiæ universæ, salutem omnium Christianorum, impietatis eversionem, pietatis incrementum. Quas ob res Concilium Œcumenicum in hunc locum omni industria, omni diligentia, omni denique opera convocandum curavit. Hæreditaria itaque Florentini Senensisque principis hæc laus est, sed illa certe propria, quæ nunquam satis commendari potest, quod hac temporum infelicitate, hac rerum omnium perturbatione majorum suorum pietatem non modo servat, verum etiam auget. Quod autem Synodum hortatur ad veritatis lucem explicandam, quam Apostoli et post eos sanctissimi Patres docuerunt, facit pie ille quidem, atque ut decet principem Christianum. Verum hoc voluit sancta Synodus sibi ille persuadeat, se in eam causam toto pectore incumbere, eam operam enixe dare, in id omnes suas curas cogitationesque conferre, neque labori parcere, neque incommodi quidquam devitare, ut sanctissimo Pontifice auctore ac duce, optimo imperatore favente, potentissimis regibus prin-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in Act. ses. 3. sub Pio IV.

cipibusque adjuvantibus, necnon sapientissimo duce, cujus personam hoc loco geris, clarissime legate, opem afferente, ignorantiæ tenebris depulsis, verique perspicientia patefacta omnis dissensio discordiaque tollatur : quodque ad id dux ipse suas opes, facultates, copias denique omnes pollicetur, studium illud suum erga religionem Christiano principe dignum, de quo dixi non esse dubitandum, plane declarat. Quas ob res ipsa Synodus pro singulari ejus prudentissimi principis erga summum Pontificem voluntate, pro summa erga Ecclesiam pietate, pro incredibili erga se animi propensione maximas ei gratias agit et habet, rogatque etiam atque etiam, ut secum rempublicam Christianam, quemadmodum pollicetur, toto animo complectatur. Te vero huc accessisse, orator præstantissime, mirifice lætatur, cum de tua virtute ea sibi promittit, quæ congruunt tam pii sapientisque principis legato, atque illi ipsi mirum in modum gratulatur, quod viro, tam solerti, tam navo, tam industrio, tam denique litteris erudito legationem earum rerum causa detulerit. Sperat enim divino Spiritu afflante, ea mente eoque consilio te fore, ut secum sensurus sis, quæ illa eodem Spiritu afflata constituenda esse censuerit, atque libentissimo animo complexurus. Mandatum vero quod ille tibi ad se dedit, ita accipit, ut juris est ».

38. *Helvetiorum Catholicorum oratores ad Concilium accedunt, et perorant.* — Vigesima Martii die Helvetiorum Catholicorum oratores generali Patrum congregationi affuere, quorum nomine Diamantes sacerdos Ordinis Heremitarum Sancti-Augustini peroravit, atque Helveticam gentem ob gesta asperrima bella pro tuenda Pontificum dignitate, attritosque florentissimis victoriis Zuinglianos, qui religionem Catholicam delere moliebantur, cæsumque in acie ipsum Zuinglium, exustumque ejus cadaver commendavit, religiosissimeque sanctæ Synodi decreta a Catholicis Helvetiis cultum iri spopondit:

« Pæne cuncti Christiani principes, hoc tam pium negotium non magis ad Ecclesiæ pastores, quam ad se pertinere rati suos huc oratores miserunt, cum ut gerendis in sacro Concilio suo nomine interessent, tum ut rem tam necessariam omnibus viribus adjuvarent. Sunt enim et ipsi membra Ecclesiæ, et tanquam stellæ in firmamento positæ, quorum est post solem, id est, summum Pontificem, in subjectos populos secundum datam de cælo potestatem, virtutem influere. Itaque consules septem pagorum, seu cantonum, ut vocant, laudatissimorum Helvetiorum Superioris Germaniæ, quales sunt Lucernenses, Uranienses, Suithienses, Sylvanienses supra, et Subsylvani, Tugienses, Friburgenses, et Solodorienses, qui erga Sedem Apostolicam et vestrum hunc sanctissimum ordinem bene semper fuerunt affecti, noluerunt et ipsi in re tam necessaria, et in publica quasi totius orbis causa, suos oratores desiderari. Ea præsertim de causa, quod cum audierint his sacrosanctis comitiis jacta esse tam religiose auspicata fundamenta, in eam spem venerunt, ut brevi se visuros sperent, quæ nunc in Ecclesia, nequitia Sathanæ, qui superseminavit zizania, sunt dispersa et dejecta, nedum congregata, sed omnia unum, uti prius erant, esse effecta. Quod ut ad Dei laudem et Christianorum salutem quam celerrime fiat, in suis orationibus, et privatim, et publice comprecantur. Quamobrem iidem Helvetiorum consules communi consensu dominum hunc Melchiorem Lusi Amannum Subsylvanensium subtus Sylvam-Nobilem, et strenuum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ militem deauratum, virum omni probitate et virtute ornatum, uti inter suos præcipuum, huc ad vos delegarunt, ut omnibus, quæ in hoc sacro Concilio gererentur, interesset, et in omnibus decernendis fidem et obedientiam eorum nomine publice sponderet. Cupiunt enim maxime et vehementer exoptant hoc vobis testatum relinquere, se quidem quod ad fidem, religionem, et obedientiam attinet, itemque alacritatem et studium juvandi Romanam Sedem, nullis populis, qui Christiani censentur, cedere, nullaque re se inferiores putare. Gratias enim Deo agunt, quod ejus munere sibi datum est, quod iis viribus, quibus invicti fere semper extiterunt, in hujus Sedis beneficium semper usi sunt. Et ne commemorem, qualem operam Ecclesiæ ante Julii Secundi tempora, ipsi Julio Secundo, Leoni X Pontificibus maximis præstiterunt, ut prætercam tot contra infestissimos Ecclesiæ hostes partas victorias, satis erit hoc tantum argumento eorum fidem comprobasse, quod cum sint ipsis fidei hostibus nedum finitimi, sed etiam conjunctissimi, nunquam adduci potuerunt, ut in eorum perversa dogmata aliquando concederent, aut transirent, licet ab eis omnibus pæne quotidie machinis oppugnentur, quin potius eis semper constantissime restiterunt, et tanquam legitimi Israelitæ, nunquam cum execratis Moabitis jungere prophana connubia voluerunt. Et hoc apertissime declararunt, quando inito cum illis ipsis religionis causa bello, immanissimum ac nefandissimum Ecclesiæ hostem Zuinglium hæresiarcham peremerunt, extractumque e cadaveribus combusserunt, quo testarentur sibi cum illis, quamdiu extra Ecclesiam manere vellent, perpetuum, et vere *aspondon*, id est, irreconciliabile bellum fore. Nec sine causa, arbitror, in ipsis Italiæ limitibus et finibus constituti sunt, ut scilicet tanquam validum propugnaculum obstarent, ne grave malum, quod ab Aquilone juxta prophetæ vaticinium quoditie panditur, in ipsam Italiam tam facile irrumpat et penetret.

« Hæc autem, atque ejusmodi multa, quæ

Helvetiorum virtutem testantur, etsi vobis, amplissimi Patres, perspectissima et notissima esse arbitror, testari tamen placuit, non quidem jactationis, aut ullius gratiæ promerendæ studio, sed ut quique exploratissimum et persuasissimum habeant, Helvetios erga Romanam Sedem tales semper fore, quales omnibus prope sæculis fuerunt, atque eumdem semper animum in ejusdem beneficium, et sua sponte, et rogatos allaturos ».

39. Responsum est Synodi nomine ab Angelo Massarello episcopo Telesino, qui a Secretis Concilii erat, præcipuis his verbis[1] : « Quamvis cætera pietatis vestræ officia magna sane et illustria sint, tamen haud facile dixerim, an ullum magis opportunum officii et obsequii genus, vel Christianæ reipublicæ magis salutare ab Helvetiis profectum fuerit, quam quod ad sanctam hanc Œcumenicam Synodum honestissima legatione missa, se tanquam optimos Ecclesiæ filios omni ratione communis matris causam et dignitatem defensuros esse apertissime declararint. Testatum illud quidem antea sæpius fecerunt invicta quadam animi fortitudine, et constantia, cum ferro et armis pro vera religione dimicandum fuit. Attamen eo nunc commendatior apud omnes, et Pio IV Pontifici maximo gratior esse debet vestra hæc, quam sedulo præstatis, opera, industria ac sancta sollicitudo, quia non ad unam aliquam Christianæ reipublicæ partem juvandam, sed ad universam pæne ab impiorum scelere una cum aliis, quibus Ecclesiæ salus curæ est, vindicandam prompto et alacri animo accurristis. Quod igitur sancta Synodus ad officium suum pertinere existimavit, primum quidem vos, oratores præstantissimi, salvos et incolumes advenisse tam vehementer lætatur, ut de eo etiam maximas gratias Deo optimo et immortali nullum, neque agendi, neque habendi finem faciat. Quippe cum præter optimi et Christianissimi Cæsaris Ferdinandi, in cujus fide et clientela potissimum conquiescit, regumque et principum egregiam erga se voluntatem, et propensionem, magnum etiam præsidium in vestræ laudatissimæ nationis studio ad ea perficienda, jam pridem collocarit, quæ Pius IV, divino quodam beneficio turbulentis hisce temporibus Ecclesiæ datus, rite et legitime convocato generali Concilio, instituit. Hoc autem sancta Synodus de optimo Helvetiorum animo antea semper cognito ac perspecto, eo magis nunc sibi pollicetur, cum vos ad tantæ legationis munus delectos esse animadvertat, etc. ».

Exhibuere illi iterum in Sessione IV litteras ad Concilii Patres, ac mandata a præsulibus et clero Rappersuillæ XXVII Januarii, necnon a proceribus et magistratibus Helvetiis XX Februarii consignata.

40. *Responsio Concilii data oratoribus cleri Hungarici.* — Sexta Aprilis Jo. Colosaurinus Ordinis Prædicatorum Canadiensis episcopus, et Andreas Duilitius Sbardellatus episcopus Tiniensis, pro Hungariæ clero oratores apparuere, qui procurationis suæ mandata Patribus exposuere; Duilitius quoque eleganti ac prolixa oratione Hungariæ Ecclesiasticas clades recensuit, ac spem omnem in Concilii celebratione locatam ostendit. Atque utinam, quæ tam sancte modo protulit, ea quoque semper sensisset; nam infelix orator post aliquot annos, a seipso et ab Ecclesia factus extorris, viam veritatis, quam tam dilucide cognoverat, impie atque ingrate deseruit; iis autem a Patribus in hunc modum est responsum [1] :

« Reverendi Patres, persuasum est sanctæ Synodo eam lætitiam, quæ communis fuit omnibus Christiani populi nationibus pro generalis hujus sacrosancti Concilii celebratione, ad prælatos quoque Ecclesiæ vestræ Hungaricæ pervenisse, cujus singulare semper extitit studium in tuenda et conservanda vera Christi religione. Nunc rogandus est Deus immortalis, ut quæ tanto bonorum omnium consensu inchoata sunt, ad optatos etiam exitus pro sua benignitate perducat. Optabilius quidem sanctæ Synodo fuisset, ut regni Hungariæ prælati ad hoc sacrum Concilium personaliter accessissent, sed quoniam justis et legitimis de causis, cum gravissimo testimonio illustrissimi et reverendissimi D. Hosii cardinalis Warmiensis conjuncto, coguntur abesse, libenter illorum excusationem sancta Synodus accipit, cum præsertim confidat, fore ut non multo minorem utilitatem Christiana religio perceptura sit ex opera, quam ipsi suis Ecclesiis his turbulentis temporibus pie et diligenter præstare poterunt, atque eo magis, quod res et negotia sua vobis optimis et religiosissimis Patribus committenda existimarunt. Quod reliquum est, vos et mandata vestra, prout juris fuerit, læto animo complectitur atque admittit ».

41. *Proponitur discutiendus articulus de residentia.* — Vigesima Aprilis coacta est congregatio in templo Sanctæ Mariæ Majoris, in qua episcopus Telesinus, qui a secretis Concilii erat [2], hanc schedulam perlegit : « Quia multi Patres dixerunt declarandum esse, residentiam esse de jure divino, alii de ea re nullum verbum fecerunt, alii vero non esse faciendam censuerunt; ut Patres qui delecti fuerunt ad conficienda decreta, possint ea tutius conficere, dicant dominationes vestræ paucissimis, scilicet per verbum *placet,* vel *non placet,* velint, necne,

[1] Ext. resp. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in Actis sess. 4. et in to. XII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3199. p. 31.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. in Actis sess. 4. sub Pio IV. Act. Conc. Trid. per Astulph. Ser. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1109. p. 40. — [2] Astulph. Servant.

declarari residentiam esse juris divini, ut in majori numero votorum et sententiarum possint decreta conscribi, quemadmodum in hac sancta Synodo semper fieri consuevit, qui quidem numerus ex varietate sententiarum nunc constare non videtur. Dicent autem ita clare et distincte, ut eorum vota adnotari possint ».

Triginta octo præsules dixere *non placet nisi consulto Domino nostro papa,* et alii Triginta tres dixere : *non placet,* alii sexaginta sex dixere : *placet.* Itaque decretum illud sæpius in examen revocatum visuri sumus, quod cum diu multumque Patres Concilii in diversa distenderet, multaque alia in Concilio oborirentur dissensionum semina, Pontifex, ut pleniorem de omnibus referret notitiam, nec aliquo partium studio veritas ullo modo celaretur, certum hominem Tridentum submittere decrevit, ut quæ inibi agerentur, coram aspiceret, Pontificemque moneret. Ad id igitur muneris Carolum Vicecomitem, quem proximo anno ex Mediolanensi senatore, præcipuis pro patria legationibus ad Philippum regem perfuncto, prothonotarium Apostolicum, atque Albintimiliensem episcopum creaverat, submittere decrevit. Is proximo mense Junio Tridentum se conferens naviter ac solerter tum apud legatos, tum apud Patres se gessit, ut dissidiorum omnium evellerentur fibræ, nullaque amaritudinis radix, fugata omni suspicionum nebula, germinaret; cardinalique Borromæo fideliter omnia, quæ ibi acceperat, per litteras communicavit.

Ne autem hinc aliquis oblatrandi desumat materiam, quasi Pontifex privato animi affectu nodosam hanc quæstionem agitari, ingratum haberet, operæ pretium duximus sententiam cardinalis Hosii, cujus doctrinam ac pietatem omnes suspiciunt, in medium adducere, ut exinde prudens quisque cognoscat, Pontificem magno sane consilio ab hujusmodi definitione tunc abstineri cupiisse. Sic igitur ad Seldium imperatoris secretarium scribit Hosius :

« Mecum quoque fuit actum, ut vellem disputare, quo jure pastores in Ecclesiis residere teneantur. Quæsivi ex nonnullis, quem finem sibi propositum haberent in hac disputatione. Producebant illud ex Evangelio : *Forte verebuntur filium meum.* Quid autem inquam ? An in eodem Evangelio non legistis, malos illos, quos Deus male perdidit, dixisse, cum viderent filium : *Hic est hæres, venite, occidamus eum ?* Videte itaque, quod qui trucidarunt servos, idem etiam de filio fecerunt, ac vel inde cognoscere potestis, quod, qui non audit Deum per ministros suos, per Ecclesiam suam præcipientem, non audiet eum etiam per filium mandantem. Fingamus autem nunquam præcepisse Deum, ut residerent in Ecclesiis suis episcopi, sed Ecclesiæ tantum præceptum esse, num ideo non parebunt pastores, quoniam Ecclesiæ præceptum sit ? Ego vero Dei vocem hanc lego : *Si quis non audierit Ecclesiam, sit tibi tanquam ethnicus et publicanus.* Itaque teneri pastores ad residentiam persuasum habeo, etiamsi nihil in Scripturis reperiatur, sed Ecclesiæ tantum præceptum sit, quam qui non audierit, eum tanquam ethnicum et publicanum haberi Christus voluit. Indubitati juris divini esse : *Dilige, non concupisces, diligite inimicos vestros,* nemo dubitat, num ideo præstantur hæc ab omnibus, quia divini juris esse sciuntur ? Utinam vel a paucis hæc præstarentur ! Quamobrem non scire, sed facere jus divinum prodest ad salutem, scienti vero bonum et non facienti, peccatum est illi ; sciebat Eva divinum esse præceptum, non esse comedendum de ligno vetito, num propterea quia scivit, statim fecit ? præstiterat eam nescire. Verum illi aliam postea causam proferebant, quamobrem disputari de residentia cuperent, quod si decretum esset eam esse juris divini, præclusam esse viam dispensationibus dicebant. Ego vero, ut maxime verum sit, inquam, residentiam esse juris divini, quod negavi nunquam, tamen perpetuam residentiam esse juris divini, verum non est, cum dicat ipsa veritas ; *Si vos persecuti fuerint in una civitate, fugite in aliam.* Ex quibus verbis colligere licet, casum dari, quo liceat non residere. Nec solum esse hunc casum, verum et alios multos; sicut hoc ipso tempore multi pastores absunt ab Ecclesiis suis, qui non solum non peccant, quod absunt ab illis et in Concilio præsentes adsunt, verum etiam sine magno peccato, vocati ad Concilium, in Ecclesiis suis residere non possent. Itaque posse, et in hoc, et in multis aliis casibus Pontificem, vel dispensare, vel interpretari, ut abesse aliquando ab Ecclesia sua liceat, nec eos finem istum, quem optant, esse consecuturos, cum præsertim audierim Patres dicentes, esse quoddam jus divinum dependens, esse aliud independens, esse absolutum, esse positivum, esse quod versetur circa essentiam rei, esse quod versetur circa materiam contingentem, esse jus divinum mediatum, esse et immediatum. Certum autem est, quod residentia sit juris divini mediati, dependentis, positivi, et quod versetur circa materiam contingentem, qualia jura dispensari posse illi ipsi Patres affirmarunt, qui de residentia, num sit de jure divino disputari cupiebant. Et in alia Epistola cardinali Borromæo scripsit. Dixerat hic quidem, variis in Conciliis multos fuisse canones sancitos contra usurarios, nec profectum tamen quemquam fuisse. Postea decretum fuisse in quodam Concilio, jure divino usuras prohiberi, et statim homines cognovisse, quod esset mortale peccatum usuram percipere ; si hoc, inquam, intulisset, quod statim usurarii esse desierunt, ad rem aliquid dixisse videretur ; sed sicut posteaquam jure divino usuras prohi-

beri declaratum est, non propterea desierunt esse usurarii, ac forte plures nunc sunt, quam fuerunt antea, eadem ratione induci potest, postquam declaratum fuerit, esse juris divini residentiam, non propterea facturos episcopos ut resideant; Deus ipse præcepit Evæ, ne comederet de ligno boni et mali, num propterea non gustavit? Imo vero magis accensa videtur illius cupiditas hoc interdicto, quam refrænata. Quamobrem, qui non audiunt Deum per Ecclesiam residere jubentem, habere me persuasum, quod iidem illi, non sint audituri eumdem etiam ipsum per se loquentem ». Hæc Hosius. Ex quo nunc, quæ interim in Concilio gesta sint, videamus.

42. *Venetæ reipublicæ oratoribus respondetur a Patribus; contentiones inter Bavaros et Venetos de honorificentiori loco.* — Cum vigesima quinta Aprilis advenisset dies, qua die divi Marci Evangelistæ Venetiarum patroni anniversaria solemnitate gratulatur Ecclesia, Nicolaus a Ponte, et Matthæus Dandalus Venetæ reipublicæ oratores honorificentissime a Patribus in templo maximo sunt excepti. Eximiam habuit orationem Nicolaus, qua flagrantissimum senatus erga Concilium studium, insitamque civium animis erga tam præclarum opus pietatem mirifice extulit. Renuit tamen singulari modestia orationis suæ exemplum describendum aliis dare, quod diceret, senis illam fœtum fuisse, qui necessitatis tantum usui, non ostentationis pompæ adhibendus erat. Vixit tamen ad exactam usque ætatem Nicolaus, ac longo post tempore ad supremam reipublicæ Venetæ dignitatem est evectus.

Quid autem Patrum nomine fuerit ipsis responsum, habent subjecta Concilii Acta[1] quod a Mutio Callino Jaderensi archiepiscopo in hanc formam concinnatum, ut testatur Musottus:

« XXV Aprilis die sancti Marci admissi sunt oratores Venetorum in Congregatione generali, expositoque ab iis mandati libello atque oratione habita ad Synodum, subjectum responsum ab eadem Synodo illis redditum est:

« Non potest sancta Synodus non incredibilem lætitiam et voluptatem capere, maximasque Deo immortali gratias habere, cum tot nobilissimis legationibus hunc sacrum et legitimum conventum augeri et honestari videat. Nam cum a Pio IV Pontifice Maximo, cujus sapientia et vera in Deum pietas nunquam satis laudari poterit, sacrosanctum hoc generale Concilium ad Catholicæ Ecclesiæ pacem, et dignitatem, vel constituendam, vel recuperandam convocatum fuerit, non ignorat, quantum præsidii ad divina ejus mentis cogitata perficienda, omnium Christiani orbis gentium, et populorum consensus et conspiratio afferre possit. Verum ita vobis, oratores amplissimi, sancta Synodus persuasum esse vehementer velit, illud sibi in optatis semper maxime fuisse, ut quam antea Veneta respublica in tuenda Dei Ecclesia alacritatem ostendisset, quamque in ea mentem et voluntatem esse hoc difficillimo reipublicæ Christianæ tempore dubitare non poterat, eamdem etiam missa hac legatione omnibus declararet, quam statim in d. Concilio Senatus vestri auctoritate decretam fuisse in ore omnium atque sermone positum erat. Ac profecto in eo Concilio, in quo de componendis Ecclesiæ discordiis, ac morum disciplina restituenda ageretur, Veneti nominis in orbe terrarum clarissimi auctoritas et amplitudo deesse non potuit. Nam præter alias innumeras virtutes, quas in reipublicæ administratione vestri prudentissimi cives melius expresserunt, quam ulli sapientes homines ratione et præceptis tradiderunt, nihil unquam diligentius quam veram pietatem et religionem coluistis, atque ad pacem et concordiam conservandam et cum dignitate retinendam omnes curas et cogitationes contulistis. Neque vero alia vobis studia sanctiora et antiquiora ulla esse debent, ut qui a præclaris iis majoribus orti et procreati estis, qui cum in misera illa totius Italiæ vastitate miranda urbis vestræ fundamenta jacerent, non tam illi quidem sibi ipsis videntur otii et securitatis profugium quæsivisse, quam pacis et tranquillitatis publicæ sedem stabilem et domicilium certum collocasse. Nam quod ad religionem attinet, hæc vestræ beatissimæ reipublicæ, hæc, inquam, vera summa et propria laus est, quod fidem Christi ita accepit, ut in ea nata et pie educata eam deinceps per tot sæculorum ætates, puram atque integram sancte et religiose conservarit, ita ut quam late Venetiarum imperium et ditio pateat, nusquam ullum peregrinæ doctrinæ vestigium, nusquam interruptus orthodoxæ fidei cultus appareat; ubique sanctitas, ubique religio, et Catholicæ Ecclesiæ disciplina atque instituta plurimum vigent, quin potius, quod in extremis Orientis partibus adhuc lumen aliquod veteris et sinceræ Religionis eluceat, id totum Christi Ecclesia in primis Dei clementiæ, deinde Venetorum virtuti et pietati acceptum refert. Hæc autem, oratores amplissimi, eo dicta sint, non quod sancta Synodus vestræ reipublicæ laudes, quæ ne longa quidem oratione comprehendi possent, hoc loco prosequendas existimet, verum ut intelligatis quantam sibi hilaritatem et lætitiam, quantum spei præter illam, quam antea adjuvante Domino rei bene gerendæ haberet, adventus hic vester optatissimus attulerit. Accedit ad majorem harum rerum cumulum, quod hujus legationis munus vobis præcipue optimis et ornatissimis viris delatum est. Etenim si generis splendor, si rerum

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. in Actis sess. 3. sub Pio IV. Act. Conc. Trid. per Astulph. Servantium. Ms. Franc. card. Barb. sig. 1109. p. 44. Musottus in Diario.

usus et prudentia, cujus egregia exempla in Romana legatione semel atque iterum vobis pro patria suscepta intueri omnibus licet, si optimarum artium cognitio, si pietas requiratur, hæc ipsa ornamenta omnia tam clara atque illustria in vobis sunt, ut aliquem fortasse vobis comparandum esse, ut magnam habet vestra respublica præstantium virorum ac civium copiam, neminem certe anteponendum sancta Synodus judicarit.

« Quod reliquum est igitur, primum quidem mandatum vestrum, prout juris est, libenter admittit, deinde vos oratores clarissimos, tum vestro merito, tum optimæ et sanctissimæ reipublicæ vestræ nomine, benigne et lætanti animo excipit. Et quoniam divina providentia factum videri potest, ut in hunc divi Marci solemnem diem, quem Venetæ civitatis patronum et custodem summa religione colitis, adventus vester incurrerit, quemadmodum certe eo deprecatore futurum sperat, ita a Domino petere et obsecrare nunquam desistet, ut hæc ipsa legatio consiliaque vestra omnia vobis et Catholicæ Ecclesiæ prospere et feliciter eveniant. Postremo, quod Veneti imperii amplitudinem, opes fortunasque omnes, tam prolixe et liberaliter ad communem sanctæ matris Ecclesiæ causam juvandam detulistis, de hoc vobis sancta Synodus eadem se plurimum debere agnoscit. Hanc autem voluntatis vestræ præclaram significationem eo libentius accipit, quod cum in hanc Tridentinam urbem Pontificis Maximi jussu et omnium principum approbatione convenerit, quamvis ex altera parte invictissimi Cæsaris potentia, et auctoritas non solum ab omni injuria defendant, sed ab omni etiam periculi metu liberent, ex altera tamen, quod vestræ etiam ditionis tutela et præsidio tecta et munita sit, permagni faciendum esse merito atque optimo jure existimat ».

Cum autem oratoribus Venetis [1] Alberti Bavariæ ducis orator, qui prima Maii ad Concilium supervenit, cedere de sui principis mandato recusasset, dilata est ejus exceptio, donec tandem post diversas tractationes mense Junio, Alberto ipso jubente, honorificentiorem locum Venetis cessisset; sed quoniam solemni obnuntiatione, quam etiam in Actis describi petiit, id se agere declaravit, ne Concilio impedimentum afferret, utque antiqua suo principi cum Veneta Republica amicitia servaretur, non quo post hac suo principi cæterisque Germani imperatoris electoribus ac ducibus fraudi vel præjudicio esset, Nicolaus a Ponte, qui tum solus aderat, Veneti senatus nomine [2] alta voce hæc coram legatis cæterisque Patribus protulit, annotarique curavit : « Posteaquam magnificus orator illustrissimi domini ducis Bavariæ petiit, suam protestationem adnotari, dico, quod illustrissimus dominus Bavariæ, prout nunc cedit, ita ubique et semper plurimis justissimisque causis cedere debet serenissimo Venetiarum dominio, et hoc ego quoque adnotari peto ». Fueruntque amborum protestationes in Actis descriptæ.

43. *Orator Gallus postulat ut Sessio proxima differatur.* — Missus est ad Rhœtos exeunte Aprili eques Ruginellus, ut eos ad mittendos ad Concilium oratores sollicitaret, at ii abnuere, dato frigido responso, eam nationem existimare se contemptam a Sede Apost. cum tamen non aliter ac Cæsar et reges ad Concilium vocati sint; quo enim ampliore honoris privilegio ornari potuere?

Cum interim Galliarum regis oratores jam iter ad Concilium arripuissent, Ludovicus e Lansaco, qui legationis ejusdem princeps erat, subjectis litteris [1] Synodum rogavit, ut indictam ad XIV Maii Sessionem per aliquot dies prorogaret.

« Placuit regi domino nostro me ad sanctum Concilium suum oratorem mittere una cum duobus viris præstantissimis D. de Ferrier præsidente in Curia Parlamenti Parisiis, et domino Fabri majestatis suæ cancellario magni consilii. Hodie pervenimus ad hunc locum, et operam damus, quam diligentissime possumus, ut isthic duodecima vel decima tertia die mensis futuri adesse, possimus. Quare rogamus vos, si quo casu serius, quam speramus, ad vos perveniremus, ut vobis placeat differre triduum, aut quatriduum Sessionem, quæ ad XIV diem indicta est, ut ante tempus ipsius admittamur a sancta Synodo, et nostra illi mandata exponere possimus, quæ, ut spero, vobis gratissima futura sunt. Ex Milly XV Aprilis MDLXII. Lansac ». Eadem postulasse regem datis ad Mantuanum cardinalem litteris narrat Gabriel Palæottus.

44. *Sessio tertia sub Pio IV in qua mandata et litteræ principum recipiuntur; oratio Galli legati et Synodi responsio.* — Hujusmodi postulata cum a Patribus variis in Congregationibus discuterentur, in illam tandem sententiam itum est, ut Sessio quidem indicta die teneretur, in ea tamen mandata duntaxat ac litteræ oratorum principum susciperentur. Cum itaque XIV Maii illuxisset dies, Patribus in Sessione congregatis, decretum prorogationis hoc modo est exaratum :

« Sacrosancta Œcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, decreta ea, quæ hodie in præsenti Sessione statuenda ac sancienda erant,

[1] Justin. hist. Ven. l. XIV. Mauroc. hist. Ven. l. VIII. — [2] Lit. legat. card. ad card. Borrom. Ext. in Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1344. Ep. CVI. Ib. Ep. CLVIII.

[1] Ext. in Act. Conc. Trid. Astulphi Servantii Ms. Fr. car. Barb. sig. 1109. p. 44. Act. per Gabr. Palæot. p. 83.

justis nonnullis ac honestis causis in feriam quintam post proximam solemnitatem Corporis Christi, quæ erit pridie nonas Junii, proroganda esse censuit, ac prorogat, dictaque die Sessionem habendam esse ac celebrandam omnibus indicit. Interea rogandus est Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, auctor pacis, ut sanctificet corda omnium, quo adjuvante, sancta Synodus, et nunc et semper meditari, atque peragere valeat, quæ ad ejus laudem et gloriam pertineant ».

Reliqua ejusdem Sessionis Acta, qualiter nempe excepta fuerint principum mandata, Angelus Massarellus [1] Telesinus episcopus his perstringit verbis :

« Peracta in eadem Sessione Tridentina III sub Pio PP. IV ultra decreti publicationem.

« In eadem Sessione III sub Pio papa IV illustrissimus dominus Franciscus Ferdinandus Davalos marchio Pischariæ orator Philippi Hispaniarum regis Catholici exhibuit ejus mandata sub data Madriti die XXVIII; quod publice lectum fuit, et etiam responsum sanctæ Synodi.

« Deinde M. D. Joannes Strozzius orator illustrissimi D. Cosimi Medices Florentiæ et Senarum ducis exhibuit etiam ejus mandatum. Dat. Pisis nonis Aprilis MDLXII, quod similiter una cum responso sanctæ Synodi lectum fuit.

« Necnon episcopi Canadiensis et Tininiensis procuratores prælatorum et cleri regni Hungariæ exhibuerunt eorum mandatum datum Tirnaviæ die XIV Januarii MDLXII, ac etiam mandatum archiepiscopi Strigoniensis, quæ simul cum responso sanctæ Synodi lecta fuerunt.

« Postremo clarissimi DD. Matthæus Dandolus et Nicolaus de Ponte oratores Reipublicæ Venetiarum exhibuerunt etiam eorum mandatum et litteras ducales sub data XI Aprilis MDLXII, quod similiter una cum responso S. Synodi lectum fuit ».

45. Ingressi sunt Tridentum XVIII Maii Galliarum regis oratores [2] quorum primarius erat regulus e Lansaco, et cum eo duo jurisconsulti insignes Renoldus Ferrerius in senatu Parisiensi præses, et Guido Faber judex Tolosæ primarius, qui etiam regii scrinii magister fuit. Cum vero in Patrum consessum inducti essent, habita est a Guidone Fabro oratio, in qua male olentia quædam verba, pravarumque opinionum de Pontifice et Ecclesia deque Conciliis fuliginem, cum alloqueretur, allivit, quæ cum illius exemplum proponeret, magna ex parte detraxit. Quædam tamen pro consuetudine nostra ex illius etiam oratione desumenda duximus, reliqua alibi legenda, ejusque maculas apud Pallavicinum detectas ac detersas omittendo. Sic igitur dicebat [3] :

« Ab eo sumus legati, qui paternæ avitæque laudis non æmulus modo atque imitator, sed etiam hæres et successor, nulla in re magis unquam putavit sibi esse elaborandum, nihilque vehementius contendit, quam ut opportuno loco et libero, neque conventuris infido, justa quædam Synodus cogeretur, sacrosanctum Concilium convocaretur, quam ut Dei optimi maximi auspicio publici Christianorum omnium conventus jure legitimeque peragerentur, quam denique eæ opiniones, quæ in Christiana republica controversæ factæ sunt, unum in sensum et decretum ex auctoritate Œcumenici cujusdam Concilii aliquando reducerentur. Is fuit profecto regis animus jam inde a primo aditu et ingressu principatus sui. Quos autem hujus studii ac judicii, perpetuæque in rempublicam Christianam voluntatis citare testes verissimos Carolus rex poterat, eosdem hodie voluit hic sibi ad Concilium legatos adesse. Adest enim Ludovicus Sangelasius Gallici Ordinis eques illustrissimus, et in secretius principis consilium ob singularem virtutem cooptatus, qui variis antea legationibus functus honorifice, nuper ad Pium IV Pontificem Maximum propterea missus est, ut ipsum Pontificem currentem quidem sponte sua ad Concilii procurationem acrius incitaret, ejusque animum religionis studio incensum vehementius (si fieri posset) inflammaret; Galliæ autem nostræ recentia vulnera, quæ sine summo dolore tractari nequeunt, ita nudaret, ita detegeret Pontifici, ceu parenti bono, ut tamen ea ipsa, ne obduci quidem alia ratione, nisi libero Concilio, nedum curari penitus aut sanari posse contenderet. Adest quoque Arnaldus Ferrerius in senatu Parisiensi præses, qui altero fere die post Francisci mortem a Carolo fratre ad eumdem Pontificem allegatus, nihil potius in mandatis habuit, quam ut Concilium, id est, conventum Christiani nominis universi indici postularet, ejusque occasiones omnes quoquo modo urgeret; admoneret etiam, verendum esse ne ex nostris hominibus quamplurimi, quos dudum Concilii futuri spes ægre in officio retinebat, diuturna expectatione fatigati deficerent a nobis, et ad eas partes traducerentur, quas nomini et persuasioni Romanæ maxime adversarias esse scimus, tantumque decederet de grege Domini, magno non solum Galliæ et totius Christianitatis incommodo, verum etiam eorum ad quos maxime ea res pertinebat, qui occurrere malis, dum poterant, noluerunt dedecore atque infamia. Hæc apud Pontificem non semel acta, ut cernitis, si aliud profecto nihil, Christianissimi tamen regis de publica pace constituenda

[1] Ang. Mass. Sec. in Actis sess. 3. Conc. Trid. sub Pio IV. Ms. arch. Vat. sig. n. 3212. p. 156. — [2] Diar. Ast. Ser. p. 47. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3195. p. 173. Excusa est etiam 1613. in lib. Instructions et missives des Roys tres Chrestiens au Concile p. 102.

curam, de sarcienda inter omnes ordines concordia sollicitudinem, de sanandis Ecclesiæ vulneribus sententiam atque judicium cuivis facile probatura sunt, grata quidem, ni fallor, hominum recordatione, cum laude ad omnem posteritatis memoriam pervenient. Neque vero solus Pontifex de Concilio a nobis sæpe interpellatus est, sed etiam Ferdinandus invictissimus et augustissimus imperator, Philippus quoque Hispaniarum rex maximus, atque adeo omnes Europæ Christiani principes et respublicæ omnes, omnes, inquam, reges, ut ad rem præstantissimam et utilissimam, tam necessario tempore animum adjicerent, ad constituendam scilicet unanimem de religione consensionem et restinguenda Ecclesiæ incendia, continuis legationibus, quotidianis precibus, quanta fieri potuit maxima obtestatione, sæpe sumus cohortati. Hic ego vos appello, quicumque adestis illustrissimi atque amplissimi regum et rerumpublicarum legati etc ». Nonnullis interjectis, conversus ad Patres addidit :

« Præclarum est et pæne divinum, quod a vobis expectant homines, sic enim existimant eos, qui non vestris quidem, id est, humanis viribus, sed afflati spiritu divino per Jesum Christum religionem nostram tot in eam invectis opinionibus sauciam reficere et recreare, qui Ecclesiam Dei per hosce quinquaginta annos contrariarum opinionum, quasi ventorum tempestate jactatam in portu collocare, qui denique in his pugnantium inter se doctrinarum fluctibus statuere optime possitis, quid dignitas Ecclesiæ, et quid ipsa temporum ratio postulet. Equidem humana imbecillitate fortasse, et aliqua præfectorum Ecclesiæ incuria, vel etiam, ne quid gravius dicam, præpostera pietate irrepsisse in Ecclesiam res nonnullas antiquatione, abrogatione, vel moderatione dignas fateamur necesse est, sed quemadmodum ii homines comprimendi mihi semper visi sunt, qui arbitratu suo, vel potius libidine, sine auctoritate, sine ullo decreto cæremoniarum omnium penitus rationem, quæ ipsa comes est et administra religionis, convellentes, atque ob id in pacata republica tumultuantes, impium quemdam cultum ritusque novos induxerunt, sic contra a nobis peccari fortasse potest, dum omnia, quæ sæculis muniuntur, et longa vetustate, mordicus retinenda esse putamus, neque satis spectamus, quid inclinatio rerum, quid momenta temporum, vel publica quies postulet, etc. »,

46. Cum de responso dando inter Patres agitatum esset, primum concepta est formula, qua Guidonis Fabri verba aculeata et maledica, vel impietatem olentia gravi et severa oratione castigabantur, verum ne Gallorum animi abalienarentur, visum est molliore interpretatione eorum asperitatem leniendam. Responsum itaque multa officiorum suavitate ac mansuetudine temperatum per hæc conceptum est verba [1] :

« Responsum sanctæ Synodi in admissione oratorum regis Galliæ.

« Expectatus jucundusque adventus vester, illustrissime domine Lansac, vosque, clarissimi legati, sacrosanctæ huic Synodo non modo summam animorum lœtitiam, sed certissimam quoque spem attulit, ut quæ, vel temporum vitio et infelicitate, vel potius perfidorum hominum scelere et pertinacia a prisca illa vera religionis puritate multis regnis jam quidem in varios diversosque hæresum errores defluxerant atque deciderant, ut volumus atque cupimus, in pristinum dignitatis ac sinceritatis gradum revocaremus. Nam cum perditi homines suis consiliis atque pertinacia multos jam annos non modo Pontificum atque regum humana jura, sed etiam divina ab Apostolorum jam temporibus Christo ipso magistro et auctore, partim monumentis, partim viva voce per manus, velut hæreditaria nobis ad bene beateque vivendum tradita fuerunt, novis quibusdam licentiæ, sacrilegii, impietatis, omnium denique scelerum ritibus superinductis, ut ad unicum, salutareque sacri Œcumenici Concilii remedium a Pontifice Maximo Pio, solertissimoque pastore, tam libenter quam necessario confugiendum fuerit, quod Spiritu sancto prælucente tanta optimorum regum, Christianorumque principum non modo animorum consensione, sed etiam concordissimis omnium Christianæ reipublicæ bene juvandæ studiis susceptum est et ornatum, ut brevi Dei Ecclesia multo purior sanctiorque futura sit ; merito itaque Christianissimum Galliarum regem Carolum (in quo celerior est regiarum virtutum atque religionis cursus, quam ætatis) et laudamus et admiramur, qui etiam Henrici patris et Francisci avi Christianissimorum regum nominibus et erga Sedem Apostolicam exemplis excitatus atque inflammatus, cum per ætatem nondum confirmatam, et impios suorum tam in se, quam in Christi religionem tumultus, huic saluberrimo sanctissimoque generali Concilio adesse non possit, vos præstantissimos viros summa prudentia, fide et religione præditos legatos misit, qui illius nomine omnem operam, opes, studium denique et parendi obsequium (ut decet) sacrosanctæ Synodo liberaliter promitteretis, et reipsa fidelissime præstaretis. Quam apud bonos piosque nulla aliorum Conciliorum, quæ nec legitima, nec libera fuisse, qui Conciliis male afficiuntur, parum vera objiciunt, invidia laborare, qui recte senserit, facile æstimabit : cum clarum sit, sacra generaliaque Concilia rite Christi spiritu ab eo, qui potestatem habeat, congregata, et legitima semper fuisse habita et libera, et ad

[1] Ms. arch. Vat. sign. num. 3195. p. 178. Claudius Espencæus Ms. Fr. card. Barb. sig. 1109. p. 46. per Astulph. Serv.

hominum salutem, quantum per eos qui Spiritui sancto non restiterunt licuerit, spectasse, ac salutaria fuisse, nec adversus sacrum illud Tridentinum Concilium Sathanæ insidiæ ac fraudes per vos copiose subtiliterque enumeratæ, quamvis variæ atque ingentes, Christi spiritu præsidente, prævalebunt, qui illius omnes conatus sua virtute et potentia, in quo solo omnes nostras spes ac cogitatus collocavimus, franget, sub pedibus nostris substernet, nosque ab Ecclesiæ suæ sinceritate ac veritate, nec aberrare, nec decipi, aut a quoquo cogi permittet. Itaque sedulam vestram et liberam admonitionem, viri clarissimi, ne videlicet in consultationibus ac sententiis nostris ferendis, aut popularem auram captemus, aut principibus nostris obsequamur, ita enim mavult sancta Synodus sensum vestrum interpretari, ne quid præter mansuetum piumque propositum atque institutum suum respondere cogatur, etsi non necessariam fortasse, et superfluam existimat, tamen ut a vobis bonis viris bona mente atque animo profectam, ita in bonam quoque partem accipit, et ut vos isto vano metu aliosque omnes liberet, suique propositi ac veritatis certiores faciat, aperte prædicat, se cujusvis voluntatem, potentiam aut cupiditatem sacrosanctæ Synodi dignitati et auctoritati posthabituram, quod ipsum vobis aliisque, qui huic sacro Concilio adsunt, res ipsa clarissime comprobabit. Itaque ut tandem redeamus, sacrum hoc generale Concilium vos ita libenter accipit et amplectitur, ut saluberrimi sanctissimique hujus celebrandi Concilii operis socios et participes habeat, Christianissimo vero regi vestro Carolo, ita regię atque sancte educato, fidelissimisque et religionis amantissimis senatoribus et consiliariis nunc ornato ac munito, tantum se debere fatetur, ut quæcumque ad ipsius honorem, dignitatem, regni statum ac religionem tuendam et conservandam pertinent, libentissime se præstaturum pollicetur, quæ salva fide et religionis puritate præstari poterunt, tantoque libentius ac jucundius præstabit, quanto certius firmiusque existimat, nihil a vobis præstantissimis viris religionisque amantissimis regis vestri Christianissimi nomine postulatum iri, nisi quod honeste, juste, religiose per tales viros postulari, et a sacrosancto Œcumenico Concilio pro religionis Christianæ dignitate et sinceritate sancte præstari possit et debeat, et mandata vestra libenter et prout juris est, accipit et admittit ».

47. *Sessio quarta sub Pio IV et ejus Acta.* — Quarta Junii die habita est Sessio quarta Concilii sub Pio IV Pontifice [1], in qua decretum est simul de dogmatibus, deque restituenda disciplina agendum esse, graves enim controversiæ obortæ erant, de quo tandem prius agendum foret; Lutherani enim in Germania, et in Gallia Calvinistæ obganniebant non agendum de dogmatibus, quod Nicenæ Synodi Symbolum sufficeret; nec mirum erat adeo eos perstrepere, cum nefarias eorum opiniones explodendas damnandasque constaret. De morum vero emendatione multa oblaterabant, ut odium clero conflarent, quamvis ipsi moribus profligatissimis uterentur. Cæsar vero et alii Germani Catholici, cum pellicere ad Concilium Protestantes eniterentur, obstabant ne adeo mature de dogmatibus ageretur, ne se damnatos quererentur, indeque in desperationem efferarentur, atque adeo prius de instauranda disciplina delendisque corruptelis, actionem instituendam urgebant. E contra Hispani, cum fidei dignitatem maxime asserendam contra hæreticos censerent, dogmata accuratissimo examine ante omnia discutienda contendebant : denique Patres ob justas causas extrahendam de dogmatibus decretoriam sententiam in opportunius tempus rati, hanc Synodalem sanctionem tulere [1] :

« Sacrosancta Œcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea ejusdem Apostolicæ Sedis legatis, propter varias difficultates ex diversis causis exortas, atque etiam, ut congruentius majorique cum deliberatione omnia procedant, nempe ut dogmata cum iis, quæ ad reformationem spectant, simul tractentur, et sanciantur ea quæ statuenda videbuntur, tam de reformatione quam de dogmatibus in proxima Sessione, quam omnibus indicit in diem sextam decimam subsequentis mensis Julii, definienda esse decrevit. Hoc tamen adjecto, quod dictum terminum ipsa sancta Synodus pro ejus arbitrio et voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in generali Congregatione restringere et prorogare libere possit et valeat ».

Collectis sententiis referuntur [2] omnes assensisse, exceptis triginta sex, quorum alii poscebant, ut declararetur continuari Concilium, alii, ut de residentia prælatorum ageretur, ac tum Seripandus hæc alta voce fatus est : « Benedicamus Patrem et Filium cum sancto spiritu, Patres reverendissimi, laudemus et superexaltemus eum in sæcula. Decretum paulo ante lectum ab omnibus fere probatum est, tanquam necessarium, et præsentium temporum difficultatibus, quæ non satis explicari potuerunt, valde accommodatum. Sex tantum et triginta, ut ex notariis, qui diligenter singulorum vota scrutati sunt et coram nobis enumerarunt, accepimus dissensisse, quorum tamen

[1] Ms. Act. per Astulph. Servantium p. 52.

[1] Acta Concil. Trid. sess. 4. sub Pio IV. — [2] Astulph. Servan. in Actis sess. 4.

rationes diversæ fuerunt, et inter se parum congruentes, aliis aliud poscentibus atque desiderantibus, quorum et suo tempore ratio habenda est; speramus enim istos quoque paucos admodum in aliorum, qui sunt multis partibus plures, sententiam ituros, consiliaque melius relaturos ope et auxilio Dei, qui ut est in Sanctis Litteris, concordiam facit in sublimibus, cui jam tempus est, ut canticum laudis et confessionis persolvamus ».

Nonnulla alia gesta in eadem Sessione recenset Angelus Massarellus [1], per hæc verba :

« Quæ in eadem Sessione IV acta sunt præter decreti publicationem.

« In eadem Sessione IV Tridentina sub Pio IV Pontifice Maximo. M. et RR. DD. Melchior Lussi orator septem cantonum Helvetiorum Catholicorum, et Jacobus Unicorn abbas Sanctæ-Mariæ loci Heremitarum, procurator prælatorum et cleri eorumdem septem Cantonum Catholicorum exhibuerunt eorum mandata, primum datum die xx Februarii MDLXII, secundum datum Rupesvilla die XXIV Januarii MDLXII, qui cantones sunt Luceria, Wania, Svitia, Sylvania supra, et infra Sylvam, Jugium una cum territorio extra sito, Friburgum et Solodorum, quæ mandata una cum responso sanctæ Synodi publice lecta fuerunt », habenturque apud jam sæpius citatum Labbè [2] qui præclaris suis laboribus non tantum de litteris, sed de tota Christiana republica est optime meritus.

« Deinde R. D. Martinus Hercules episcopus Lavantinensis, et Felicianus a Martinio Ordinis Prædicatorum procuratores R. D. Jo. Jacobi archiepiscopi Salzburgensis.

48. « Postea illustrissimi et excellentissimi DD. Ludovicus a Lansaco, Raynaldus Ferrerius, et Guido Faber oratores Christianissimi Gallorum regis Caroli IX, sub data Parisiis XII Aprilis MDLXII ; quæ mandata simul cum responsis sanctæ Synodi fuerunt similiter lecta et registrata, etc. »

Conceptæ porro erant regiæ litteræ subjectis verbis [3].

« Mandatum Caroli Christianissimi Galliarum regis exhibitum in eadem IV Sessione sub Pio IV.

« Carolus Dei gratia Francorum rex sanctissimis et reverendissimis Patribus Concilii Tridentini, salutem.

« Existimamus vos omnes satis intellexisse, quanto studio et diligentia rex Christianissimus frater et D. N. de Conc. generali egerit et Œcumenico convocando apud sanctissimum nostrum papam, dilectos fratres et consobrinos imperatorem, regem Hispaniarum Catholicum, ac alios principes. Nostis etiam, qua diligentia, et eo, quem decet principem Christianissimum in Deum et ejus sanctam Ecclesiam zelo, nos, posteaquam regiam coronam sumus adepti, rem a defuncto fratre et domino nostro adeo egregie et magna cum laude cœptam fuerimus subsecuti, magno et gravi dolore affecti, quod propter motus et divisiones, quæ sunt propter religionem in regno nostro, non potuerimus ejus prælatos, nostrosque oratores, quos se itineri accingere primo quoque tempore optabamus, maturius mittere, cujus cessationis causam vos pro prudentia vestra magis imputabitis temporum calamitati (neque enim adhuc sedati sunt tumultus) quam nostræ voluntati , quæ, etsi adhuc ætate minores simus, erit tamen tanquam Ecclesiæ filii primogeniti in religionem semper propensa, et eam in Ecclesiam Christianam bene affectam re ipsa omnes intelligent. Misimus interea aliquot regni nostri episcopos, delegimusque oratorem summi Ordinis nostri equitem, et unum ex his, qui ad latus nostrum assidue esse solent, Dom. de Lansaco, et cum illo dilectos et fideles consiliarios nostros magistros Renaldum Ferrerium præsidem in Parlamento Parisiensi, et Guidonem Fabrum judicem majorem Tholosæ, quibus dedimus potestatem in Concilio pro nobis sistendi, eumdemque in eo gradum et ordinem tenendi, quem huc usque regum Christianissimorum majorum nostrorum oratores tenuerunt, ac conjunctim vel separatim in Concilio requirendi, nostro populique nostri nomine, quascumque reformationes, constitutiones et decreta secundum puram doctrinam, et quæ non solum pertineant ad Ecclesiæ Gallicanæ, sed etiam Ecclesiæ universalis utilitatem, sectarum et controversiarum, quæ sunt hodie de religione, conciliationem, exaltationem et propagationem nominis Dei, et in universum salutem et reipublicæ Christianæ munus et officium oratorum, secundum mandata quæ illis dedimus. Et quoniam illorum fidem et industriam perspectam et cognitam habemus, rogamus, sanctissimi Patres, æquo animo eos admittere, attenteque, quod illi vobis nostro nomine exponent, audire, eamdemque illis quam nobis, si isthic essemus, fidem dare. Deus vos, sanctissimi Patres, pro sua gratia et præsidio tueatur. Datæ Parisiis XII Aprilis MDLXII.

« CHARLES.

« BOURDIN ».

Regiis litteris responsum a Patribus honorificentissimis verbis est redditum, ut memorat Angelus Massarellus, cujus vices, cum hoc ipso die ægrotaret, Bartholomæus Serigus Castellanetæ episcopus implebat, ut narrat Pallavicinus tom. II Hist. Conc. Trid.

49. *De communione sub utraque specie disputatur et articuli propositi discutiuntur.* — Septima Junii gravissima controversia de commu-

[1] Angel. Massarell. in Act. sess. 4. Trid. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 161. — [2] To. XIV. Con. p. 118. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in Actis 4 sess.

nione sub utraque specie discuti cœpta est, quæ trium mensium flexu Patres in multis Congregationibus exercuit; ac primum a cardinalibus legatis quinque articuli propositi fuere theologis, de quibus illi disceptarent, quos quidem fuisse septuaginta eruditione clarissimos, narrat Gabriel Palæottus, quem numerum postea longe auctiorem fuisse docent Acta. Articuli vero subjectis verbis concepti fuere [1] :

« Articuli propositi de usu Eucharistiæ Sacramenti VII Junii MDLXII.

« I. An ex Dei præcepto ad salutem necessarium, ut omnes et singuli Christi fideles utramque speciem suscipere teneantur sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti.

« II. An rationes, quibus sancta Ecclesia Catholica adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam sacerdotes non celebrantes sub una tantum specie panis, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus sit cuiquam permittendus.

« III. An si honestis et Christiana charitate consentaneis rationibus alicui vel nationi, vel regno calicis usus concedendus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quænam sint illæ.

« IV. An minus aliquid sumat, qui sub una tantum specie hoc Sacramento utitur, quam qui sub utraque.

« V. An divino jure necessarium sit parvulis, antequam ad annos discretionis perveniant, altissimum hoc porrigere Sacramentum.

« Dicant theologi, quæ tanquam vera sive Catholica recipienda : quæ tanquam falsa sive hæretica rejicienda ».

30. X Junii MDLXII [2], in Ecclesia S. Mariæ majoris Tridentini theologi quinque articulos de Sacramento Eucharistiæ in examen adduxere, inter quos Alphonsus Salmeron Societatis Jesu divino implorato præsidio disputationem orsus in votis se habere dixit, ut præsentes adessent Lutherani, qui veritatem convicti agnoscerent, se tamen ipsis licet absentibus eorum argumenta allaturum, confutaturumque addidit.

Quoad primum articulum præmisit regulam Innocentii III in Epist. ad Joann. patriarcham Constantinopolitanum, non esse videlicet certum pro incerto relinquendum, 2 tom. Epist. Sicut in hoc art. aliqua certa, aliqua non ita certa. Certissimum est Ecclesiam Catholicam non posse in iis quæ spectant ad fidem errare, aliter non esset columna et firmamentum veritatis, et quia Christus promisit affuturum ei omni tempore, et qui hoc negat non est audiendus.

« Secundum certum est, quod Ecclesia recipit communionem sub altera specie ante multos annos, ita ut id habeamus ex traditione, et hac communione ad laicos sub altera specie usa est Ecclesia, et docent Concilia Constantiense, Basileense et doctores omnes scholastici ante trecentos annos. Ecclesia igitur, quæ errare non potest, usa est hac communione sub altera. Ergo non fecit contra præceptum divinum, aliter Catholica Ecclesia errasset in fide, quod quidem dici non potest.

« Item Ecclesia Catholica repræsentata in Conciliis errare non potest, sed Ecclesia Catholica repræsentata in Concilio Constantiensi definivit, communionem laicam non esse contra jus divinum. Præterea cum Ecclesia utebatur communione sub utraque, utebatur et tunc cum aliquibus sub una, nam agnus Paschalis et manna repræsentabant hoc Sacramentum, et non tamen fit mentio de bibitione, ergo non est necessaria.

« Item Joannes c. VI, multoties meminit de pane, et raro de calice, quod cum mysterio factum est, et similiter aliquando sub una, aliquando sub utraque. Et Luc. XXIV. *Et cognoverunt eum in fractione panis.* Nam Dominus accepit panem, benedixit, fregit et porrexit. Aug. Ser. de temp. 144, et tract. 2, in Canonic. Joan. Beda in Luc. et Petrus Diac. in Lib. de divinis officiis intelligunt illum locum de Eucharistia. Theophil. Chrysost. similiter quod Christus tunc confecerit. Item ad benedictionem Christi super panem semper secutum est aliquod miraculum, ergo et ibi, videlicet consecrationis, neque ibi de calice fit mentio, cum dicatur, quod post fractionem panis evanuerit, et illis aperti sint oculi post acceptionem Corporis Christi. Can. 12 VI Synodi docet, quomodo debeat accipi Sacramentum panis manibus propriis, non vasculis, et Can. 54, statuitur, in Quadragesima Græcos certis diebus tantum conficere, et reliquis diebus uti consecrato pane. Concil. Matiscon. præcipit asservari corpus, de vini specie nullum verbum. Clem. ep. 2 ad Jac. de corpore ita mentionem facit, et Canon 2 ejusdem Conc. Matisc. S. Leo serm. 4, in Quadragesima præcipit, ut laici communicent sub utraque specie, cum Manichæi id negarent, alias sub una omnes poterant communicare. Tertullian. lib. 2 ad uxorem. Cyprian. serm. 5 de lapsis, de puella, quæ servabat Corpus Christi in arca. Basil. in Epist. ad Cæsarium patritium, deferebantur particulæ domum, non autem Sanguis : usus igitur sub una tantum specie semper viguit in Ecclesia, etiam quod vigeret sub utraque.

« Rationes etiam suffragantur, nam homines semper tenaces fuerunt suæ retinendæ religionis, si igitur communio sub utraque fuisset apud omnes aliquando, esset historia de aliquo tumultu in hac mutatione in unam spe-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 128. Act. Conc. Trid. per Astulph. Ser. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 124. p. 106. To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 128. Diar. Conc. Trid. sub Pio IV. per Astulph. Servan. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1109. p. 53. — [2] Act. Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 1109. p. 54. per Astulph. Servan.

ciem, et tamen nunquam fit mentio a quoquam de hac mutatione, et cum non sit initium hujus consuetudinis, dicendum est devenisse ab Apostolis juxta Regulam Augustini: superest solvere argumenta adversariorum.

« Primus locus ab exemplo Christi instituentis, quod sub utraque specie instituerit patet. Et porrexit. Respondeo acta Christi non obligare, nisi ad ea quæ voluit : multa enim fecit, in quibus noluit cogere nos ad imitationem, alias communicandum post cœnam Feria quinta in azymo, in loco strato, eodem modo ut communicamus laicos. Præterea, et Christus communicavit discipulos sub una in Emaus, ergo imitamur Christum communicando sub una.

« 2. Ecclesia primitiva usa est utraque : respondeo : etiam tum sub una communicabat, neque ligavit hanc Ecclesiam, ut non posset communicare sub una. Et illa communicavit post cœnam Ecclesia primitiva, nostra ante cœnam, neque sequitur hoc : fecit Ecclesia primitiva, ergo est de jure divino, ut delectus ciborum, qui olim erat communis toti Ecclesiæ, nec tamen est de jure divino.

« 3. Corinth. Paulus refert illos communicare sub utraque : respondeo Paulum agere historiographum referentem, quod Christus gessit, neque Ecclesia particularis ligat universalem.

« 4. Matth. xvi. *Bibite ex illo omnes ;* respondeo hoc verbum dictum tantum Apostolis præsentibus, nam et Marcus ait, et *biberunt ex eo omnes*, neque dixit : manducate omnes de pane, quia Christus fractum illum tradidit. Et de calice dixit : *Bibite vos ex eo omnes,* et non ut unus totum illum biberet.

« Item dictum est Apostolis, et Sacerdotibus conficientibus. Aliter et facile competit omnibus etiam laicis. Nam et idem dixit *bibite*, et *manducate,* et *facite omnes,* propterea verba illa dicta sunt conficientibus sacerdotibus.

« 5. Ad c. 6 Jo. ubi de utraque specie fit mentio *nisi manducaveritis, nisi biberitis,* etc. respondeo, quatuor esse modos manducandi, primus ferinus, de hoc non intelligitur, ut intelligebant Capharnaitæ, caro enim non prodest. Secundus manducandi modus pure Sacramentalis, id est citra fructum, ut fecit Judas, et faciunt peccatores, de quo non loquitur Christus, cum ipse non det vitam, de qua loquebatur Christus, et sumendo unam speciem dicuntur aliqui sumere utramque. Innoc. cap. 21 libr. 4 de offic. Miss. 3. Spiritualis, abstrahens a Sacramento de quo aliqui dicunt Christum loqui Joan. 6. quod falsum est, quia ibi Christus loquitur de Euchar. ut Origenes, Basil. Aug. Greg. et alii omnes intelligunt. Item Ruff. assertione 16. Item Conc. Ephes. ad Nestorium, Cyrill. anathemat. 22. in Theodor. Ecclesia etiam Catholica utitur in festo Corporis Christi, usurpat enim illud Evangelium in hoc sensu de Euchar. Christus item cum tractat aliqua magna, præmunit Apostolos prius, quod fecit Joann. vi. facturus Eucharistiam in cœna. Item nullibi tractantur fructus Eucharistiæ, nisi in hoc capite, et cuperetur a Synodo declarari hoc caput loqui de Eucharistia. Quartus modus est manducare spiritualiter in Sacramento quemadmodum explicavit, et de hoc loquitur Christus, et hic modus dat vitam, et Christus Joann. vi dicit, nisi manducaveritis carnem et biberitis Sanguinem, quod sub utraque specie spiritualiter fit per fidem vivam, alias dixisset, *nisi manducaveritis panem, et nisi biberitis calicem ;* neque violatur hoc præceptum, si in voto quis suscipit hoc Sacramentum, quod votum in aliis sacramentis in casu necessitatis sufficit.

« Ad quartum articulum an sub una specie tantum contineatur, quantum sub utraque : Respondeo tantum contineri, quantum sub utraque, scilicet integrum Christum, Conc. Const. sess. 13. et Basil. sess. 30. et Florentin. in decreto Armenorum, idem affirmant. Idem habetur ex usu Ecclesiæ, quæ solum speciem panis adorat et adorandam proponit, et si est Corpus Christi, est integrum, vivum, cum anima et deitate, ut est in Cœlo. An autem tantum fructus accipiatur sub una ac sub utraque ; hoc non pendet ex præsentia Christi, qui est in utraque æqualiter, alias idem esset accipere una die, ac si decem diebus continuis susciperetur, quia tam præsens est Christus sub una specie hodie sumpta, quam sub hostiis viginti diebus sumptis, quod falsum est quoad fructum, neque enim pendet ex majori significatione, sed a parte rei et ex opere operato, et credit tantum gratiæ sub una, ac sub utraque, cum Joan. vi. omnes fructus tribuantur, tam manducationi panis, quam manducationi et potationi, *Si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum.* Et ita tota illa doctrina absolvitur in manducatione panis, quod ante bibitioni et manducationi tribuerat, et in Emaus communicantibus sub una tantum, non est verisimile quod non totum fructum dederit, et Corinth. *qui manducat, vel bibit indigne* inimicus est Christo, ergo, qui digne, vel corpus vel Sanguinem sumit, gratus toti Christo, ac per hoc omnem gratiam sumit. Neque Patres antiqui de hoc faciunt mentionem, quia de hoc non dubitarunt, et Concil. Florentin. dum loquitur de fructu Eucharistiæ non distinguit de specie, quia idem credebat sub qualibet. Præterea variatio Sacramenti non variat fructum, et Concilia non bene fecissent, si eum fructum sustulissent a laicis, quibus unam speciem subtraxit, si plus gratiæ acciperetur sub utraque, quod dicendum non est, idque multis rationibus comprobavit.

51. « Ad 2 et 3 Articul. Primum certum dixi

esse, Ecclesiam concedere posse communionem sub utraque, cui voluerit; an expediat autem, dixi quod, si ex concessione convenientia præponderant inconvenientibus, est concedenda, si majora sunt incommoda, non est concedenda, et ipse credo majora esse inconvenientia quam commoda, primum quia redibunt omnia incommoda et pericula ob quæ Ecclesia illa in Occidentali prohibuit, et quia facile vinum corrumpi potest, et multi illud non acciperent, et in provinciis ubi non invenitur vinum, communio sub una reputaretur imperfecta, et minus contineri sub una quam sub utraque.

« Secundum inconveniens est, quod qui petunt sunt hæretici, vel suspecti de hæresi (exceptis principibus, qui pii sunt, qui pro illis petunt) qui non credunt sub una esse integrum Christum, et credunt Ecclesiam aliter facientem errare.

« Tertium quia petent deinde et alia, ut conjugium Sacerdotum, et similia.

« Quartum inconveniens est, quia hoc modo divideretur Ecclesia, et sectæ fierent, et Catholici cogitarent hæreticos bene sensisse. Hoc autem est sacramentum unitatis.

« Quintum, quia hæc concessio malos eventus parturiit hactenus, quod timendum etiam nunc esset.

« Sextum quia divina providentia impedivit hanc concessionem in Concilio Basileensi cum sex illis conditionibus, quam etiam concessionem revocavit Paulus II.

« Fructus autem et commoda ex concessione sunt. 1, quia cogitant hac ratione pacem oriri, quod tamen non credit esse verum. 2, quia mitescerent eorum animi erga Catholicos, quod etiam non credit verum. 3, quia minus peccarent, hoc verum esset, si non essent in errore, quod communio sub utraque esset de præcepto divino. 4, consuleretur eorum conscientiæ, qui id cupiunt, quam conscientiam deponere debent. 5. Cedent nobis in aliis, respondeo non esse scindendam tunicam Christi propter eos. 6. Charitas quærit, non quæ sua sunt, sed medium pacis, respondeo id non esse faciendum propter hæreticos. 7. quia principes petunt ad retinendos suos subditos in fide, respondeo non sunt facienda mala, ut eveniant bona ».

Post Salmeronem peroravit Antonius Solesius Pontificius alter theologus, et Congregatio dimissa est hora XXIII, cui interfuere quatuor legati cardinales, oratores Cæsarei, Galli et Veneti, ac centum et quadraginta sex episcopi, ac centum theologi, consertaque nobilium et plebeiorum multitudo, quia eæ Congregationes januis apertis celebrantur.

52. *Auditur orator ducis Bavariæ cujus pietas a Patribus commendatur.* — Vigesima quarta Junii conditi sunt canones de usu Sacramenti Eucharistiæ, qui in pluribus consessibus in examen adducti fuere, emendati vero, omniumque præsulum sententiis comprobati inferius afferentur.

Vigesima septima ejusdem mensis Augustinus Paungatner orator Alberti ducis Bavariæ in publica congregatione honorifice exceptus prolixam orationem habuit, qua communionem utriusque speciei Bavaris laicis studio pacis permittendam a Patribus contendit pluribus argumentis, cujus orationis [1] potior pars delibanda visa est :

« Superioribus (inquit) annis habita est totius provinciæ, tam in clero quam in populo de fide Catholica et de honestate morum visitatio. In fide autem, et in religione nostra, quot repertæ sunt et quantæ hæreses nimis longum foret, si omnes deberent recenseri. Crassiores igitur generatim perstringi possunt, cum universe explicari non queant. Reperti sunt enim inter parochos cæterosque ministros Ecclesiarum, quorum alii sunt Zuingliani, alii Lutherani, alii Flaviani, alii Anabaptistæ, alii, qui Manichæorum dogmata renovant, alii qui Eunomianorum, alii qui Jovinianorum, alii qui aliorum deliramenta et errores sectantur atque propàgant. Hæc Catholicæ fidei nostræ zizania, quoniam prælati pullulantia palam in ipsis herbis non extinxerunt, et jam mox adulta extirpare non potuerunt, eo nunc res devenit, ut si quis nunc hæc zizania eradicare conetur, metuendum sit ne bonum triticum conculcet zizania, tamen non evellat penitus ». Et infra : Ut cætera cleri vitia, quæ cum populo communia habet, taceantur ; at certe libido illa in clero nimis libera atque notoria, propter quam is nunc potissime infamis est, a plebe irritatoque populo alienissima est. Siquidem politici magistratus nullum in civili societate civem ferunt, qui palam scortetur, domique suæ quasi in publico lupanari scorta fovere studeat. In proxima visitatione per Bavariam facta tam frequens concubinatus repertus fuit, ut nec inter centum, tres vel quatuor inventi sint, qui aut manifesti concubinarii non fuerint, aut clandestine matrimonia non contraxerint, aut uxores palam non duxerint. Quæ morum turpitudo in clero vehementer offendit imperiti populi animos tantopere, ut sacerdotium una cum sacerdotibus, doctrinam una cum doctoribus execretur, ita ut sit confestim paratus ad quamvis sectam exire potius, quam redire velit ad Ecclesiam.

« Præterea nec pauci homines a nobis deficiunt ad sectarios, ob utriusque speciei prohibitionem, cum arbitrentur de communione utriusque speciei expressum Dei verbum extare, de una specie nullum reperiri. Huc accedit,

[1] Excusa Typis Ripæ 1562.

quod utriusque speciei usus non modo in primitiva Ecclesia, sed etiam nunc in omnibus Orientalibus Ecclesiis frequens est, et quidem celeberrimus : quia nec Romana Ecclesia ab eodem usu abhorruit, quemadmodum ex variis diversisque historiarum monumentis edoceri potest, nec sane id parum movet homines in Bavaria, quod Paulus III edita Bulla sua concessit Germaniæ episcopis potestatem communicandi populum sub utraque specie, quod quidem Summi Pontificis decretum urgent summi et infimi, illustrissimumque meum principem eam ob causam vehementer culpant, quasi (quod abest) plane divinam institutionem contra expressum Dei verbum invideat subditis suis ».

53. Pluribus interjectis de astringenda solutiore disciplina, non tamen ita acer, ne turba sacerdotum ad hostes transfugiat, hæc addit :

« Existimant plerique viri rerum Germanicarum periti, tale nunc esse in Germania sæculum quasi quamdam occultam naturæ vim, quæ non modo omnes libidinosos, sed etiam moderatos, vereque Catholicos eo perduxit, ut plerique omnes castum matrimonium contaminato cœlibatui præferendum arbitrentur. Quam ob rem animadvertitur passim, præclara ingenia doctissimosque homines ducere uxores malle, ut careant Ecclesiasticis beneficiis, quam Ecclesiastica beneficia acceptare et carere uxoribus.

« Videlicet cum videant reliquam cleri multitudinem gulæ libidinumque flagitiis coopertam magno detrimento esse, ac dedecori Catholicæ religioni, ne ipsi in hoc contaminationis grege versari cogantur, eorumque videri consimillimos. Hinc enim doctorum hominum in clero penuria extitit, hinc cleri detestanda inscitia traxit originem, hinc hæretici sumpserunt vires, Ecclesia vero debilitata est. Periti igitur qui pressius hæc negotia accuratiusque existimant, quod ad sublevandam penuriam docti idoneique cleri, vix alia ratione præsertim hac ætate nostra in Germania clerus instaurari, ac saltem ad obeunda necessaria Ecclesiæ munera, satis frequens haberi queat, nisi more primævæ Ecclesiæ docti mariti, et ad docendum instructi admittantur ad sacros ordines, præsertim vero ad prædicandum et amplificandum populo verbum Dei. Legis enim divinæ cum non sit, ut oporteat hominem sacerdotem esse cœlibem, siquidem constet ex veterum monumentis, atque historiis, maritos sacris ordinibus initiatos esse, et non modo ad sacerdotii dignitatem, sed etiam ad sublimitatem episcopi, quapropter hanc rem videri hujusmodi esse, cum qua jus divinum non sit, ut sanctissimi domini nostri, sacrique Concilii auctoritas possit, ex instinctu divino id statuere pro statu laborantis Ecclesiæ, quo status cleri instaurari queat, ac vires sectariorum infirmari. Verum hoc non aliter proponi jussit illustrissimus princeps meus, nisi ut reverendissimi Patres Germaniæ morbos tanto diligentius inspicere queant, et quid remedii salubriter adhibendum judicent, opportuno loco et tempore constituere.

« Postremo vero quia fuit hoc consilium statim ab initio hujus exortæ dissensionis piorum doctissimorumque hominum, ne tantopere ob unius alteriusve speciei usum tanta certamina instituerentur, ipso rei eventu animadversum est, quod pleræque provinciæ in Germania in obedientia Sedis Apostolicæ retineri potuissent ab omni reliqua sectariorum labe immunes, si moderatio quædam in re natura sua indifferente admissa fuisset. At vero cum populus utriusque speciei usum, quasi ex divina institutione, sibi deberi arbitraretur, cumque vicissim is usus a prælatis constanter denegaretur, surreptitii sectarum duces eam occasionem nacti, sub prætextu divinæ institutionis, et concepto odio irati populi non solum hoc sanctæ Eucharistiæ sacramentum penitus prophanarunt, sed etiam sub eodem prætextu diversa hæresum semina longe lateque efficaciter disperserunt, ut nunc occasione utriusque speciei non modo populi Germaniæ, sed et reliquæ nationes instar torrentis ab Ecclesia Catholica defluere videantur. Ut autem ista tam frequens defectio, tamque fervens decursus saltem inhiberi aliquo modo possit; prudentium virorum judicium est, si S. D. N. ex plena potestate Sedis Apostolicæ, et ex judicio sacri Tridentini Concilii laicis utriusque speciei communionem benigne largitur, fore, ut qui hactenus Sedi Apostolicæ obedientes remanserint, in posterum quoque obedientes permansuri, ac si qui leviter deflexerint, ad obedientiam reversuri existimentur, quemadmodum in nonnullis cognitum est, qui cum ex indulgentia Pauli III compotes devotionis suæ facti essent, reversi sunt ad Ecclesiam ». Et infra :

« Non vult illustrissimus princeps meus hanc suam sententiam sic accipi quasi illis concessis putet hæreticos posse ad Ecclesiam reduci, sed eam esse multorum piorum hominum opinionem quod isto modo Catholici populi reliquiæ in Germania confirmari atque retineri aliquo modo possint, cum hoc tempore non tam necessarium videatur, ut refutentur adversarii, quam ut queant fulciri domesticæ ruinæ nostræ, quæ nunc non minus domi graves sunt quam foris adversariorum machinationes, etc. ».

54. De concessione calicis, non respondit tunc Synodus oratori, quod ea res prolixiore ac maturiore consilio egeret, Alberti vero ducis Bavariæ pietatem commendavit his verbis :

« Excellentis. doctor, et magnifice domine orator. In magna expectatione sancta Synodus usque ad hanc diem fuit, ut aliquis ex nobilis-

simis Germaniæ principibus ad sacrum Concilium accederet, et sua præsentia eam pietatem declararet, quæ in primis a principibus vestris expectari debet, vel si ipsi gravioribus negotiis impediti adesse non possent, oratores suos mitterent, qui optimam illorum voluntatem profiterentur.

« Inter cæteros autem Germaniæ principes, a quibus omnia pietatis officia sancta Synodus expectanda semper esse existimavit, excellentissimus et illustrissimus D. Albertus Bavariæ dux extitit, qui veram et Catholicam religionem a clarissimis et nobilissimis majoribus suis traditam tanta fide et constantia conservavit, ut hisce miseris temporibus in tota Germania firmissimum Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ propugnaculum jure merito habendus sit. Cum igitur graves rationes prohibuerint, quominus ipse huc accederet, suumque egregium animum sanctæ Synodo coram declararet, quod quidem eum præstiturum esse, si per alias occupationes sibi licuisset, dubitare non potest, summa lætitia affecta est, cum virum optimis artibus præditum suæ voluntatis testem, ac velut obsidem huc allegavit. Sperat enim fore, ut ejus auctoritas nunquam defuisse videatur, ad ea peragenda, quæ sanctam Dei Ecclesiam quacumque ratione juvare poterunt. Quod igitur reliquum est, te, magnifice orator, sancta Synodus benigne accipit, mandatumque tuum, prout juris est, libenter accipit, daturaque est operam, quod quidem hactenus diligenter et sedulo curavit, ut ea omnia pie et religiose constituantur, quibus Dei cultus magis amplificari, et fidelium saluti, ac tranquillitati commodius consuli posse afflante Spiritu sancto, qui optimorum consiliorum auctor est, judicarit ».

55. *Cæsar postulat ut tollantur jejunia et sacerdotibus concedantur uxores : responsa ad quæstiones propositas.* — Dum instaurandæ disciplinæ Ecclesiasticæ opera Tridenti datur, nonnulli Cæsaris consultores prudentiæ humanæ fucis illusi suggessere Ferdinando imperatori, ut Concilium moderandum susciperet, questique sunt [1], Concilium nutu Pontificio regi, cum legati cardinales Pontificem de omnibus rebus gerendis proponendisque consulant, viderique opportunum, ut Cæsarei legati proponendi in Concilio auctoritate ac libertate in iis, quæ ipsis visa essent, uterentur. Addidere etiam, controversias cum Lutheranis facile compositum iri, si jejunia Ecclesiastica antiquarentur, atque conjugia sacerdotibus permitterentur. Consultus de his Staphilus reginæ Bohemiæ piacularius sacerdos eruditione ac pietate conspicuus, respondit, fovendum omni ratione a Cæsare Concilium, ut vel ad revocandos ad Ecclesiam novatores, vel saltem ad vindicandos ab hæreseos grassatione Catholicos præsidia idonea afferantur : consuli jure Pontificem a legatis cardinalibus maxime in rebus fidei ambiguis : legatos etiam cardinales non laturos, ut alii proponant in Concilio, quam Concilii præsides Apostolici, cum id munus ad eos jure spectet. Quod spectat ad jejunia, illa quidem a vetustis hæreticis iisdem argutiis repudiata, quibus a Lutheranis respuantur; verum cum illa auctoritate humana sint inducta, et eorum observatio varia apud varios extiterit, illorum acerbitatem mitigandam videri, ut plebs in officio et gremio Ecclesiæ contineri possit. De conjugiis sacerdotum respondit, morem Romanæ Ecclesiæ sanctiorem quidem esse quam Græcæ, ut conjugati sacerdotio initiari non possint, ob impurissimam tamen sacerdotum vitam et alia gravissima mala, tamquam minus bonum posse permitti, ut conjugati ad sacerdotium promoveantur, ne plures Ecclesiæ pastoribus orbatæ maneant.

56. « Responsa ad quæstiones propositas a Cæsarea majestate.

« Ad primam et secundam. Interponat sacratissimus imperator suas partes cum debita charitate et reverentia erga Summum Pontificem, ut fiat Concilii prosecutio, et non abrumpatur, aut suspendatur, sed continuetur, donec de remediis provideat bonis et appositis ad sanandum vel saltem ad præservandum ; hoc enim videtur supremo Ecclesiæ advocato ex officio incumbere.

« Ad tertiam. Non video, qua ratione obtineri possit a reverendissimis dominis legatis, ut non deferant omnia ad suam Sanctitatem ; tamen possent illorum dominationes adhortari, ne hoc facerent in singulis quodammodo minutiis, nam in rebus majoribus, quæ veniunt in dubium, aliter fieri non potest, prout ex Conciliorum gestis, sacris canonibus et imperatorum exemplis probari potest ; majores enim causæ et fidei dubia ad Sedem Apostolicam aperto et non aperto Concilio sunt referenda, et D. Ireneus ante mille trecentos annos dixit, Romanam Ecclesiam ideo esse principalem constitutam, ut cæteræ Ecclesiæ ad illam confugiant : hoc autem nunquam honestius fieri potest ab Ecclesiarum episcopis, quam cum de fide aut de religione, necnon ad religionem spectantibus dubium oritur, idque singulos decet facere, tam in Concilio congregatos, quam in Ecclesiis residentes.

« Ad quartam. Postquam ex scriptis mihi datis reverendissimos dominos legatos ejus esse sententiæ, ut citra ipsos nemini liceat proponere, sperandum non est illos aliter esse dicturos, neque ut alii proponant permissuros, maxime, quod hoc est tantummodo præsidentium in Concilio, nempe Sanctæ Sedis vices gerentium. Quare expediet meo judicio, urgere pro

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 22.

eo tantum, ut res quæ proponendæ videbuntur, ab ipsis reverendissimis dominis legatis omnino proponantur ; si secus fiat, jure prætendent dominationes illorum læsam esse majestatem, quam repræsentant, et inde necessario tumultus et abruptio Concilii, quæ timetur, posset oriri.

« De esu carnium et jejuniis non secus olim Ætiani adversus Ecclesiam atque nunc Lutherani debacchantur, dixit enim Ætius : jejunium non est præceptum, sed est Judaicum quiddam et jugum servitutis, justo enim non est lex posita, sed parricidis et matricidis, atque similibus ; si autem volo jejunare, inquit, quamcumque diem arbitrio meo delegero, jejuno per libertatem : plane nunc sectarii eodem modo, eisdemque pæne verbis utuntur.

« At vero dubium non est, quin divina lex sit, ut jejunent Christiani, tametsi, quonam tempore et quonam modo id faciendum, juris positivi esse videtur, quoniam in primitiva Ecclesia, neque idem modus observatus sit, neque idem tempus ubique. Quidam ante Pascha septem hebdomadas, quidam tres jejunabant, quidam ad horam nonam, quidam ad occasum solis cibi sumptionem differebant. Fuerunt, qui non a carnibus solum, sed ab ovis etiam abstinerent, solis baccis contenti aut piscibus. Reperti fuerunt quoque qui ab elixis abstinerent, quod jejunium xerophagiam appellarent, qui quidem diversus jejunandi mos non obscure præ se fert, quod neque tempus jejunii, nec ipse modus sit divini juris, sed humani ; quapropter, cum hoc Epicureum sæculum salutares illas de certo tempore et modo jejunandi taxationes pervicaci quodam contemptu jam pridem usque adeo violare cœperit, ut etiam Catholicorum plerique, ex conversatione eorum qui eas leges aspernantur, non usque stricte observent antiquos jejuniorem canones, possit eam ob causam Tridentina Synodus aliquid de pristino rigore relaxare, ut mitioribus etiam præceptis plebs incitata in cæteris retineretur obedientior. Sed hoc sicuti reliqua pro sua prudentia non negligent Reverendissimi, cum ea de re incidet deliberatio ». Et infra, de petito sacerdotum conjugio :

57. « Tametsi dubium non est quin multo sanctius fecerit Romana Ecclesia quam Græca, quia illa castitatis votum spopondit, atque ultro obtulit, hæc matrimonii consuetudinem concessit clero ; verumtamen, cum hæc ætas ex istis duobus bonis non velit eligere quod melius est, concedendum sane, sicuti quibusdam piis videtur, ut eligat quod dumtaxat bonum ; præsertim cum maritum fieri sacerdotem nullo jure divino prohibitum existimetur, sed positivo juri subjectum esse fatentur », nonnullis in eam sententiam interjectis : « Eamdem ob causam integrum esse Romano Pontifici et Concilio eam cœlibatus legem, quam antea certis de causis tulisset, eamdemque contrariis de causis dissolvere, et hoc sponte sua cum bona gratia largiri, quod alias nulla vi prohibere queat. Nam adeo invaluit etiam in clero Catholico, qui adhuc reliquus est in Germania et passim fervens, illa contrahendi matrimonii cupido, ut in parochiis vix inter centum reperias unum, qui non sit, aut clam, aut palam maritus. Meminimus quod nuper accidit in quadam visitatione Ecclesiarum in Hungaria ; reperti sunt multi sacerdotes de cætero Catholici, nisi quod calicem populo administrarant, et ipsi duxerant uxores. Deliberatum fuit diu, pellendine fuerint, an tolerandi potius : si tolerandi, schismatis malum metuebatur : si pellendi, tria ingentia mala secutura videbantur. Primum quia alii Catholici sacerdotes cœlibes haberi non poterant, et parochiæ vastæ orbatæ sine parochis relinquendæ erant. Secundum quia miseri sacerdotes conjugati, qui aliunde sustentationem habere non potuissent, ad sectarios oportuisset eos transire, conjunctisque viribus deinceps Catholicos una oppugnare. Tertium quia cum parochis Catholici prælati, necessariisque ministris destituerentur, necesse fuisset tandem episcopos suam jurisdictionem, ipsum denique Dominicum gregem penitus deserere, etc. ».

58. Actum etiam tunc fuit de communione calicis indulgenda laicis, quæ multo facilius indulgenda videbatur, cum antiquitus etiam in Ecclesia Latina justis de causis, ut ex divi Leonis Pontificis decretis, is mos viguerit. Porro hæc tria capita de communione calicis danda laicis, de jejuniis abrogandis, de conjugiis sacerdotum fuerant tria Lutherana retia, quibus Sathanas magnam populorum multitudinem illaqueatam in hæresim atque impietatem traxerat, fueratque persuasum antea Carolo V, si hæc tria permitterentur, progressum hæreseos abrumpendum, atque ipsos Lutheranos in gremium Ecclesiæ redituros, atque adeo multa ea de re colloquia in conventibus ordinum imperii habita fuerant ; auctorem vero hujusmodi concordiæ cum Lutheranis ineundæ, fuisse Georgium Vicelium questus est Joann. Eckius in litteris [1] anno MDLXI datis ad Gasparem Contarenum cardinalem legatum a Paulo III in Germaniam decretum, atque acerbissime in eum velut hæreticum invectus est, licet enim egregie adversus Lutheranos pro necessitate bonorum operum scripsisset, tamen illum aliis erroribus infectum esse, nec tribus illis capitibus concessis Lutheranos ad Ecclesiam reversuros, prædixerat fortissimus ille Catholicæ fidei propugnator, sed in aliis erroribus obfir-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. tabularii. Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3229.

matiores futuros; cum porro Carolus V inanibus argutiis fascinatus, maxime exambiret Lutheranos sibi quacumque ratione ob commoda politica conciliare, illa vehementer in comitiis ordinum imperii provehere annisus est, quæ iterum a Ferdinando Cæsare proposita sunt cardinalibus legatis Concilii Tridentini præsidibus. Quid vero ab iis sit responsum mox audiemus.

« Ex formula reformationis proposita statibus a Carolo V hæc repetita.

« Considerandum sacro Concilio an res ipsa efflagitet aliqua juris positivi relaxari, et circa communionem sub utraque specie consuli desiderio exterarum nationum. De usu carnium, et jejuniis, aliquid de pristino rigore remittendum. Conjugium item clericorum aliquibus nationibus concedendum, et ita conciliatum iri populorum animos.

« Ad hæc ita a præsidibus [1] Concilii responsum est. Petuntur tria eodem ordine, videlicet communio sub utraque specie, conjugium sacerdotum, et esus carnium. De primo agetur in hac sessione; ab aliis videtur omnino abstinendum, quoniam ex sola propositione in Synodo excitaretur magnum scandalum in toto Christano orbe, apud omnes pios et Catholicos ». Postulatum vero de erigendis scholis pro seminario Catholici cleri commendatum est.

59. *Capita libelli imperatoris.* — Hoc præsidum Concilii responso non est Ferdinandi Cæsaris animus sedatus [2], sed ut duo quoque illa capita de abolendis jejuniis et permittendis Sacerdotum conjugiis in Concilio proponerentur, oratorum opera institit, atque in consilio Cæsareo pro redigenda in puriorem sanctioremque normam disciplina Christiana oblata illa inserta, necnon alia, quæ Pontificio primatui atque supremo imperio adversabantur.

Porro capita illius consilii sive libelli Cæsarei, de quibus iterum iterumque recurret mentio, ad Pontificem missa sunt, in compendium redacta, conceptaque subjectis verbis :

« Summarium voluminis Cæsareæ majestatis cum annotationibus Sanctiss. Domino nostro. In tertia pagina proemii, tractandum in primis de morum reformatione, deinde de dogmatibus.

« I. Orandum in primis summum Pontificem, ut seipsum et Romanam curiam reformari benigne patiatur.

« II. Ut numerus cardinalium reducatur, si non ad duodecimum, saltem ad duplicatum, cum duobus supernumerariis nempe XXVI.

« III. Providendum ne fiant amplius dispensationes scandalosæ.

« IV. Revocandas omnes exemptiones contra jura communia passim concessas, monasteriaque omnia sub ejus episcopi potestate constituenda, sub cujus sunt diæcesi.

« V. Tollendam prorsus pluralitatem beneficiorum, et statuendum, quod singula collegia singulas erigant scholas, et quod Ecclesiæ non dentur conductitiis presbyteris.

« VI. Episcopos omnino ad residentiam cogendos, nisi in extrema Ecclesiæ necessitate, ut officia sua per se ipsos, non per vicarios impleant. Quod si ipsi non sint idonei, vel potentes, non uni vicario totius diœcesis curam mandandam, sed pluribus personis, theologis theologica, canonistis canonica negotia : insuper visitationes diœcesanasque Synodos quotannis habendas.

« VII. In Ecclesiis omnia Dei ministeria gratis præstanda, et eas, quæ sunt adeo tenuis redditus, ut ministeria Ecclesiæ absque quotidianis emolumentis nequeant sustinere, incorporandas cum aliis non curatis beneficiis pinguioribus.

« VIII. Revocandos veteres canones contra simoniacam pravitatem.

« IX. Fortassis expedire humanarum sanctionum multitudinem nonnihil contrahere, superfluis resectis, et prælatos suas constitutiones non æquare obligationi juris divini.

« X. Excommunicatione non utendum extra casum peccati mortalis et notoriæ incorrigibilitatis.

« XI. Providendum, ut diligenter et devote in divinis officiis preces effundantur, quæ aliquando ita præcipitate a celebrantibus proferuntur, ut nec se ipsi intelligant, nec ab aliis intelligantur.

« XII. Breviaria et Missalia purganda, resecando omnia, quæ non ex divinis sunt desumpta litteris, et tædiosam prolixitatem Psalmorum et orationum habito delectu contrahendam.

« XIII. Fortasse permittendum, ut liceat alicubi Latinis canticis vernaculos fideliter versus intermittere.

« XIV. Cogitandum, qua ratione clerus ad vitam puriorem reducatur.

« XV. Quo pacto monasticus ordo ad primitivam institutionem redintegretur, ne tantæ monasteriorum divitiæ tam flagitiose dissipentur, et hoc de morum abusuumque reformatione.

« XVI. Quod autem ad dogmata attinet ; considerandum sacro Concilio, annon res ipsa efflagitet aliqua juris positivi relaxare, et circa communionem sub utraque specie consuli desiderio exterarum nationum.

« XVII. De esu carnium et jejuniis aliquid de pristino rigore remittendum : super quo tamen prudenter considerandum.

[1] Ibid. p. 6. — [2] Ext. to. XX. Concil. Ms. arch. Vat. sig. num. 3207. p. 293. Ext. etiam apud Nat. Comit. l. XIV. histor.

« XVIII. Conjugium item clericorum aliquibus nationibus concedendum.

« XIX. Et ita conciliatis populorum animis tollendas deinde multiplices evangeliorum postillas, et novam per peritos theologos faciendam, et similiter novam agendam : quas si qui parochorum noluerint recipere, tunc pœnas eis graves injungendas.

« XX. Verum quia hoc modo passim mali parochi citius poterunt expelli, quam substitui meliores, ideo quædam ad hanc difficultatem amovendam necessaria recensentur.

« Art. I. Unum Catholicum parochum præficiendum interim pluribus Ecclesiis.

« Art. II. Videatur diligenter, an aliqui ex iis sectariis possent ad Catholicam fidem reduci, et ideo eos, qui sanioris mentis videbuntur, in proximam Catholicam academiam mittendos et recte erudiendos.

« Art. III. Injungendum episcopis academiam non habentibus, ut in vicina academia collegium erigant pro adolescentibus theologiæ studiosis alendis et instituendis.

« Art. IV. Limitatum auctorum catalogum edendum, qui legi debeant in scholis, nec alios admittendos.

« Art. V. Plures episcopatus in latioribus provinciis erigendos, et opulenta cœnobia posse in hunc usum converti.

« Art. VI. Quod autem spectat ad bona Ecclesiastica in usus profanos conversa et distracta ; præstaret forte hoc tempore, ut eæ dissimulentur injuriæ.

« Ultimo reverendissimos Patres Concilio præsidentes dare operam debere, ne quæstiones, quæ offendiculosas possint parere contentiones, ut fuit hæc : An residentia sit de jure divino, necne, aut similes proponantur ; aut quando id vitari non possit, non patiantur saltem effundi in bilem, nec efferri in fabulam adversariorum ».

60. *Cur palam non fuerit lectus libellus Cæsareus exponunt legati : imperator suæ conscius imprudentiæ se excusat.* — Cum hic libellus nonnulla capita contineret, quæ grave offendiculum piis auribus præsulum afferre, ac turbare Concilium possent, nimirum ea quæ de conjugiis sacerdotum, jejuniisque antiquandis sive temperandis, legibusque Romano Pontifici (ut innuere videbantur apposita verba) præfigendis, non permisere cardinales legati, ut ille libellus perlegeretur in Concilio, dedereque imperia Zachariæ Delphino in aula Cæsarea internuntio Apostolico, ut Cæsari justas causas exponeret, ob quas illius consilium publice non esset perlectum : itaque internuntius ad placandum Cæsarem libellum hunc supplicem illi porrexit [1], rogavitque ut Pontificiæ dignitatis apices more veterum imperatorum defenderet, nec Apostolicam auctoritatem ulla ratione labefactari in Concilio pateretur :

« Invictissime Cæsar.

« Illustrissimi et reverendissimi domini sanctæ Apostolicæ Sedis legati in sacrosancto Œcumenico et generali Concilio Tridentino præsidentes consilium Majestatis vestræ Cæsareæ super negotio reformationis nuper oblatum acceperunt ». Mox paulo post, commendato redintegrandæ disciplinæ Cæsareo flagrantissimo studio addunt : « Latere tamen nolunt majestatem vestram, quandoquidem planum est, si qua in eodem scripto pia salubriaque reperientur, illa ipsa fortasse Patres ultro, ut mos est, inter sese esse collaturos, et super eis ad normam primi in hoc Concilio decreti nuper editi, suo loco esse deliberaturos. Cumque legantur aliqua in eo, quæ legitimum diuque optatum ejusdem Concilii progressum, quod quidem ante omnia expetendum est, non admodum promotura videntur, alia item reperiantur, quorum cognitio ad Concilium minime spectat, visum illis est ea omnia ad Cathedræ Petri judicium auctoritatemque referre : maxime quod hoc ipsum sacrum Concilium, Sanctiss. D. N. Pium IV eamdem cathedram superna Dei dispositione tenentem, verum atque unicum ejus in terris caput ab eodem Deo constitutum, quemadmodum cætera omnia probata atque in Ecclesia recepta Concilia Œcumenica fecerunt, recognoscit et veneratur.

« Et quoniam propositum quoque fuisse videtur, ut idem scriptum in publica sessione exhiberetur, orant majestatem vestram sæpe nominati reverendissimi DD. ne id omissum esse ægre ferat : obstiterunt enim gravissimæ et sanctissimæ atque ad æstimationem gloriosi nominis majestatis vestræ retinendam, seditiosorumque hominum voluntates atque conatus comprimendos, maxime consentaneæ causæ, quibus impulsæ amplitudines eorum reverendiss. minime id faciendum esse arbitratæ sunt.

« Scire autem exoptant majestatem vestram eumdem S. D. N. reformationi Romanæ curiæ, usque adeo incumbere, suaque omnia studia atque actiones eo tam diligenter serioque conferre, ut majestas vestra omnesque homines censuri sint, Sanctitatem suam pro reformatione ipsa integre constituenda constantissimeque retinenda, nemini, quinimo nec sibi ipsi parciturum.

« Porro cum illud certissimum sit cupere majestatem vestram Cæsaream, fidem Catholicam ubique illæsam, atque ab hostibus veritatis tutam conservari, nec placere ei quidquam posse, quod vel sanctis Ecclesiasticis consuetudinibus repugnare, vel Sanctissimi domini nostri papæ auctoritati adversari, vel cum præ-

[1] To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 368.

decessorum suorum Catholicorum imperatorum, regum et principum institutis pugnare videantur, confidunt iidem illustrissimi atque reverendissimi Patres, majestatem vestram Cæsaream rationem consilii illorum æqui bonique, ut par est, esse consulturam; quod sane ut faciat in visceribus Jesu Christi orant atque obtestantur. Deus optimus maximus majestatem vestram cum serenissimis liberis diu felicem et incolumem tueatur. Datum Pragæ die XIX Junii MDLXII. Zacharias Delphinus episcopus Pharensis nuntius Apostolicus ».

61. Acceptis hisce litteris Ferdinandus Cæsar, necnon auditis iis, quæ Pragensis archiepiscopus retulit, cardinales legatos nitide respondisse Cæsareis oratoribus, qui imperialem libellum obtulerant, non permittendam principibus proponendi in Concilio, quæ vellent, potestatem, nec licere episcopis dare leges Summo Pontifici non ambiguo, dignitatisque etiam Cæsareæ habitam rationem, ne ea postulata proponerentur imperiali nomine, quæ necessariam repulsam passura essent, necnon declinatum discrimen, ne Concilium dissolvatur, rogari vero Cæsarem, ut æquo animo ferat Romanæ curiæ corruptelas aboleri ab ipso Pontifice, qui nullius vitio, vel proprio parcere nesciat. Accepto eo responso Ferdinandus imperator, scriptis ad cardinales Concilii legatos litteris modeste gesta sua excusavit; nolle se auctoritatem regendi Concilii sibi arrogare, vel præsidis partes invadere, existimasse vero, salva præsidum Concilii auctoritate, aliqua pro reipublicæ Christianæ salute proponere, cum etiam a Galliæ et Hispaniæ regibus suggesta proponere licuerit, ac Protestantibus, quæ velint, proponendi facultas amplissima concedatur; tum addidit longissime se abesse ab ea audacia, ut Pontificem amantissimum, quem maxime colat, carpere velit, nec venisse in mentem, ut alia ratione corruptelæ Romanæ aulæ, quam ab ipso Pontifice castigarentur rescinderenturque: quæ litteræ subjecta verborum formula sunt conceptæ [1]:

« Ferdinandus electus Romanorum imperator, etc.

« Pro nostro in rem Christianam studio existimavimus operæ pretium fore, ut ejusmodi scriptum oratoribus nostris ad Concilium ablegatis communicaremus, ut ipsi paternitatibus vestris reverendissimis ac reliquis Patribus offerrent, utpote quod nos judicaremus a Catholica et orthodoxa nostra religione non esse alienum, sed in se continere vias ac rationes quasdam appositas et idoneas, non solum ad conservandas exiguas, quæ supersunt in sacro Romano imperio, regnisque et provinciis nostris hæreditariis Catholici gregis reliquias, verum etiam ad recuperandam Dei ope, si non omnem multitudinem, at certe non contemnendam partem eorum, qui a gremio sanctæ matris Ecclesiæ aberrant: ubi oratoribus id in primis etiam mandatis dedimus, ut eam rem diligenter ac sedulo promoverent.

« Expectantibus autem nobis, quidnam iidem oratores nostri in hac parte egissent, accurrit huc magnis itineribus reverendus, devotus et fidelis nobis dilectus Antonius archiepiscopus Pragensis noster consiliarius, et ad ipsum sacrum Concilium orator. Qui cum nos de statu ejusdem sacri Concilii obsequenter informasset, redditis prius paternitatum vestrarum reverendissimarum litteris, inter alia etiam nobis humiliter retulit, quid responsi ipse et collegæ sui acceperint, cum scriptum illud paternitatibus vestris reverendissimis id pro more petentibus, priusquam publice offerretur, inspiciendum exhibuissent, videlicet, quod paternitates vestræ reverendissimæ ipsis oratoribus nostris aperte dixerint, quod non possit concedi, ut singulis principibus proponendi in Concilio libera potestas sit; deinde quod nec illud fieri queat, ut episcopi suum Pontificem et caput universale reforment. Tertio cum sciant paternitates vestræ reverendissimæ nos in multis illius scriptis articulis passuros esse repulsam, se non posse committere, ut id proponatur, quod nobis concedi non possit, quia nolint ea occasione auctoritati nostræ quidquam decedere. Ad hæc, si oratores nostri videre velint Concilium dissolutum, licere eis proponere Patribus illud scriptum, non quidem pace reverendissimarum paternitatum vestrarum, sed nostra auctoritate; itaque cupere paternitates vestras reverendissimas, ut de hac sua sententia prius certiores redderemur, quam scriptum Patribus offerretur.

« His vero alia plura adjunxit argumenta paternitatum vestrarum reverendissimarum nomine reverendus, devotus, sincere nobis dilectus Zacharias episcopus Pharensis Sanctissimi D. N. ad nos destinatus nuntius. Primum scilicet quod, si qua in scripto illo reperientur pia salubriaque, illa ipsa fortassis Patres ultro, ut mos est, inter se collaturos, ac super eis ad normam primi in hoc ipso Concilio decreti nuper editi suo loco deliberaturos esse. Secundo cum in eodem scripto legantur nonnulla, quæ legitimum diuque optatum Concilii progressum non admodum promotura videantur, alia vero, quorum cognitio ad Concilium minime spectet, visum fuisse paternitatibus vestris reverendissimis omnia ad Cathedræ Petri judicium auctoritatemque referre; optare autem paternitates vestras reverendissimas, ne ægre feramus idem scriptum in publica sessione non fuisse exhibitum, sed ferre velimus sanctissimum dominum nostrum reformationi Romanæ

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 73.

curiæ summo studio incumbere, ita ut Sanctitas sua in ea nemini, atque adeo nec sibi ipsi parcitura sit.

« Quibus quidem intellectis, cum non obscuris indiciis colligeremus, scriptum illud non invenisse locum apud paternitates vestras reverendissimas, quem nos maxime optabamus, et inventurum sperabamus, nostræ erga S. D. N. et sanctam Sedem Apostolicam filiali observantiæ, erga paternitates vestras reverendissimas sinceræ benevolentiæ, consentaneum fore existimavimus, ut animi nostri sensum de tota hac re ipsimet per litteras paternitatibus vestris amice breviterque significaremus ». Et infra : « Intelligimus quidem nunc aliquas causas, e quibus hoc nostrum institutum reprehendi posse videatur. Et primo quod forte negetur nobis, seu cuivis alteri principi Christiano id officii vel potestatis competere, ut aliquid in Concilio proponere queant : id quod nobis nonnihil mirum accidit ; quia si ita aliquid proponere vellemus, ut quodam modo præsidis partes nobis arriperemus, conaremurque esse absolutus director negotiorum, aut etiam judicis, seu diffinitoris personam induere, aut si paternitates vestras reverendissimas quotidie inanibus quibusdam et frivolis næniis vellemus obtundere, aliosque paternitatum vestrarum sanctissimos labores interpellare, possent hæc fortassis aliquem habere colorem ». Nonnullis interjectis, ut Hispaniæ et Galliæ reges a piis suggesta proposuerint, atque etiam Protestantibus proponere, quæ voluere, licuerit, addit :

« Cuperemus autem paternitates vestras reverendissimas hoc loco magis in specie, quænam sint illius nostri scripti capita, quæ ipsas tantopere offenderunt, ut dissolvendo ac abrumpendo Concilio ansam datura videantur, exponerent ; nam quod ad Sanctiss. Dom. nostrum attinet, nobis animum nunquam fuit Sanctitatem ejus accusare aut perstringere ; quinimo de Sanctitatis suæ summa pietate, integritate, ac vitæ morumque candore, necnon in rempublicam Christianam studio, ita sentimus, ut et frequenter et palam apud multos testari consueverimus (quod pace defunctorum dictum sit) nos longa annorum serie meliorem, ac publicæ tranquillitatis et quietis studiosiorem Pontificem non habuisse, ut interim silentio prætereamus insignem et plane paternam benevolentiam, qua Sanctitas ejus nos semper complexa fuit, et quam Sanctitas sua multis magnisque in rebus cumulatissime comprobavit, ita ut merito deberemus censeri mortalium omnium ingratissimi, si usque adeo præter omnem rationem conaremur Sanctitatem Suam aliqua nigredine aspergere.

« Tactum quidem nonnihil fuit in prænarrato scripto, quod reformationem curiæ Romanæ respicit ; sed non aliter tactum est, quam sub conditione, et ita breviter atque modeste, ut cœlum potius ruiturum crediderimus, quam quemvis hominum ea re offensum iri. His accedit, quod nos articulum reformationem curiæ Romanæ concernentem non in alium sensum acceperimus, quam in quem ipsæmet paternitates vestræ reverendissimæ tum acceperunt, id est, ut Sanctitas Summi Pontificis, si et quantum opus fuerit, reformationis illius officium in sese suscipiat, etc. Dat. in arce nostra regni Pragæ ultima mensis Junii, anno Domini MDLXII ».

62. *Responsio Patrum ad singulos articulos petitionis Cæsareæ benigne accipitur ab ipso imperatore.* — Affecere hæ Cæsaris litteræ ingenti lætitia cardinalium legatorum animos, cum in iis purissimam Cæsaris mentem integritatemque perspexissent, commendataque tanti principis religione significavere, ideo non permittendam principibus proponendi in Concilio libertatem, ne inde summa rerum perturbatio et Concilii confusio oriatur ; cumque flagitasset Ferdinandus Cæsar, ut cardinales legati ea capita libelli sui, quæ pios animos offenderant, designarent, afferrentque causas, propter quas non essent in Concilio proponenda, illi Cæsareæ voluntati morem gessere dato subjecto responso [1] :

« Responsio ad nonnulla petita a consiliariis Majestatis Cæsareæ, quæ non videntur jure aut ex dignitate proponi posse in sancta Synodo, quoniam aut sunt supervacanea, aut repugnant rationi, potiusque obessent quam prodessent.

« Prima petitio est p. 13. Ut prius tractetur de morum reformatione, inde de dogmatibus.

« Respondetur ex antiquis Conciliis potius debere præcedere, quæ ad fidem spectant, ut conclusum fuit in Synodo Seleuc. quod refert Nicephorus lib. IX. cap. IX. Sed hæc disputatio in hoc Concilio jam fuit sublata ; satisque provisum est ut conjunctim materia dogmatum atque reformationis tractetur, idque hactenus fuit hic servatum.

« II. p. 16. Ut ea emendentur, quæ ad Sanctitatem suam, ejusque statum, ac curiam pertinent.

« Respondetur : hoc quotidie Sanctitas sua agit Romæ, et multæ jam ab eo editæ sunt Bullæ reformationum, notumque est eum in hanc rem omni studio incumbere.

« III. p. 17. Ut reducatur numerus cardinalium ad XII vel XXIV.

« Respondetur : hoc non potest fieri nec debet ; et nunc plures, nunc pauciores creandi sunt, prout Sanctitas sua expedire arbitrabitur. Imo si ipsemet juramento se adstringeret, ne

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 7.

certum numerum excederet, adhuc vinculo juramenti non teneretur, si aliud utilitas Ecclesiæ posceret. Hinc videmus antiquitus etiam varium fuisse eorum numerum, cum sedente Pontiano papa dicantur fuisse ducenti triginta sex.

« 4 pet. pag. 17 ut provideatur tot dispensationibus, quæ mittuntur extra curiam, quæ pariunt magna scandala.

« Respondetur, dispensationes esse necessarias, etiam in politicis gubernationibus, ac omnes admittunt; cum maxime expediat aliquos quandoque legis verbis solvi, ut communi bono, quod est finis legis, plenius satisfiat; siquidem lex quamvis generalis esse debeat, non tamen prorsus generaliter est servanda, quando aliquibus casibus perniciosa esset. Quod igitur hæc facultas legem moderandi tollatur, durum nimis et imprudenter actum esset. Quod si procedi parcius desideratur (licet ejus Sanctitati lex non sit præscribenda), scimus tamen hactenus jam totum Pœnitentiariæ officium, unde plurimæ dispensationes manabant, nonnullaque alia officia hujusmodi ab ejus Beatitudine sponte fuisse accommodata. De multis aliis dispensationibus in præsenti Sessione edito decreto agetur.

« Petitio 5. pag. 18. Ut exemptiones contra jura communia tollantur, et Basilicæ ac monasteria omnia revocentur sub potestate sui ordinarii.

« Respondetur : hoc iniquum esset ; nam hæ exemptiones concessæ fuerunt multis de causis, et insertæ in Corpus juris, quas refert Gregor. IX et Clem. V in cap. nimis de excess. præl. et Clem. I eod. tit. Deinde multiplicia possunt esse hæc privilegia, et alia eis concessa ex causa onerosa, alia ex institutione ejus, qui fundavit et dotavit Ecclesiam, alia aliis de causis. Quo loco prius audiendi essent omnes ii, de quorum jure ac privilegiis tollendis agitur, quod esset infinitum. Poterit his alia ratione provideri, si quid opus erit.

« Petitio 6. pag. 19. Ut singula beneficia, seu dignitates singulis tantum personis dentur.

« Respondetur : alias fuit provisum in hoc eodem Concilio sub Paulo III, sess. 7, quod mandabitur executioni.

« Ad 7. Cum omnes dicant inter Suam Sanctitatem et suam majestatem Cæsaream semper optime convenisse ; cumque totus mundus videatur et merito de hoc Summo Pontifice bene contentus, nam in tota vita sua fuit exemplaris, et est mentis veræ piæ atque sanctæ, non video, ad quid tangenda sit persona Suæ Sanctitatis ; præsertim cum Summus Pontifex sit dominus absolutus, et superiorem in terris non recognoscat et ab aliquo citra Deum judicari non possit, ut doctrinis canonistarum , et theologorum , innumerabilibusque exemplis clare patet ». Et paulo post :

« De numero cardinalium coarctando, credo frustra tractari propter casus, qui ex improviso possunt emergere : videtur enim non posse nec expediens esse ligari in hoc casu manus Pontificis, neque meo judicio talia poterunt in Concilio tractari, absque periculo dissolutionis et magni dissidii, quoniam Summus Pontifex nunquam patietur , nec pati debet auctoritatem suam minui vel arctari, etc. ».

Multis interjectis circa sacerdotia additur :

« Petitio 9. pag. 27. Ut Constitutiones juris positivi non irrogent pœnam mortalis peccati, sicut illæ, quæ juris divini sunt; aut saltem restringantur.

« Respondetur, imo Adrianus papa ait, ut anathema sit, qui Romanorum Pontificum decreta violat cap. Generali 25 qu. 7 et Damasus, quod blasphemat contra Spiritum sanctum, qui decreta papæ non servat, cujus Spiritus sancti gratia et nutu sacri canones editi sunt; et sanctus Gregorius, excommunicatos esse qui non obediunt sacris canonibus, ut in cap. Hæc consona, et cap. Violatores 25 q. 1, quodque lex humana recte possit transgressores obligare peccato mortali, late probat Alphonsus de Castro. lib. 1 de pot. leg. pœn. c. 4 dicens, contrariam opinionem, aut hereticam esse, aut valde suspectam. Quod si dicatur restringendum esse saltem numerum istarum Constitutionum, tunc ostendatur, quæ sint supervacaneæ, et providebitur ». Et infra :

« Petitio 13. pag. 30. Ut vernacula lingua, aliqua etiam in divinis officiis misceantur fideliter versa.

« Respondetur, non debet commutari mos antiquissimus, quoniam vilescerent ista recitata in lingua populari, sed parochi ipsi poterunt explicare populo ea, quæ expedient, propter celebranda divina officia, aut fiat homiliarium aliquod ».

63. Addidere apta responsa cardinales legati ad singula alia capita libelli Cæsarei [1], validissimeque confutarunt propositiones de abrogandis jejuniis et permittendis sacerdotum conjugiis.

De his articulis libelli Cæsarei cardinales præsides Concilii Tridentini scripsere Carolo cardinali Borromæo [2], eos ordine solutos, alios vero, qui sine damno dignitatis Sedis Apostolicæ concedi possint, una cum iis, qui ad solutiorem disciplinam adstringendam spectant, in Concilio mature discussum iri , Cæsareæque majestati morem gestum iri in quibus decore mos geri possit. At non his contenti Cæsarei oratores institere mense Septembri adulto, ut vel legati cardinales proponerent articulos omnes Cæsarei libelli, vel sinerent eos ab ipsis

[1] Ext. etiam in Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1344. p. 145. — [2] Ib. Ep. CLXXIV.

oratoribus proponi, quibus responsum est a legatis præsidibus Concilii, nec se propposituros quædam capita in eo libello scripta atque expetita, nec permissuros, ut proponantur a Cæsareis oratoribus, veluti de conjugio sacerdotum, de redigendis cardinalibus ad numerum viginti sex, de bonis Ecclesiarum permittendis illis, qui ea inique invasere, de Sacramentis ab hæreticis administrandis in iis locis, in quibus Catholici sacerdotes deficiunt, vel desunt muneri suo, cum talia nec petituri sine pudore ipsi essent Lutherani; maximumque inde dedecus Cæsareæ majestati allineretur, illique totius Concilii, atque orbis Christiani odium conflaretur; nec tamen his monitis flexi sunt oratores Cæsarei, atque Drascovitius episcopus Quinquecclesiensis pro regno Hungarico Cæsareus orator perstitit in cœpta sententia, flagitavitque, ut ii articuli proponerentur in Concilio, licet repudiandi forent, quorum postulatis importunis permoti cardinales legati scripsere Carolo cardinali Borromeo, ut cum Cæsarei placari non possint, nisi aliqua ex libello Cæsareo capita proponantur, nec pariter Galli sedandi, nisi aliqui ex colloquio Possiacensi decerpti articuli excutiantur, æqui et boni accipiat Pontifex, ut ex eo libello Cæsareo, atque ex actis Possiacensibus delibet ea capita, quæ salvo Dei et Sedis Apostolicæ honore concedi possint, eaque ad legatos transmittat, ut obstruantur eorum ora, qui aiunt de levioribus tantum agi pro instituenda disciplina. Tum addidere se prius mortem oppetituros, quam assensuros unquam, ut articuli memorati de conjugio sacerdotum, et convellenda Pontificia auctoritate, vel alia a Christiana pietate abhorrentia in Concilio proponantur.

Consultus de his Caroli Borromæi cardinalis opera Pius IV Pontifex legatorum cardinalium responsa comprobavit, subjecto responso [1], et quæ capita libelli Cæsarei in Concilio discutienda essent, distinxit :

« Responsio ad prædicta capita.

« Ad Proemium. Dum in eo dicitur tractandum prius de reformatione, quam de dogmatibus, bene responsum fuit per reverendissimos dominos legatos in ea scriptura, quam paucis diebus post volumen Cæsareum ad nos miserunt, super contentis in eodem volumine.

« Ad primum caput reformationis. Dum dicitur de reformatione Pontificis, satis demonstratum per eosdem reverendissimos legatos in litteris suis de mense Julii proxime præteriti, ad Cæsaream majestatem transmissis, quot rationibus de eo non sit in Concilio agendum. Quanto autem studio in id S. D. N. hic incumbat, satis constat : ideo ab eo capite abstinendum.

« Ad II, III, IV, V, IX, XII, XIII, XVI, XVIII et XXI non potest melius responderi, quam per reverendissimos legatos sit factum in eadem scriptura, de qua supra, huc transmissa; ideo Sanctitas sua, cum in iis capitibus maxime cum ipsis legatis sentiat, conquiescit in eodem responso per ipsos facto, ad quod se remittit.

« Idem facit in primo art. cap. XX de uno parocho pluribus Ecclesiis præficiendo.

« Caput vero VI, VII, VIII, X, XI, XIV, XV, XIX, XX et XXII cum cæteris omnibus in dicto volumine contentis Sanctitas sua remittit liberrime tractanda, et decernenda juxta reverendissimorum legatorum, et totius Concilii placitum et sententiam, quibus omnino se remittit ».

De conjugio sacerdotum permittendo controversia sopita est aliquo tempore, deinde vero refricata; cumque Ferdinandus Cæsar in litteris ad Pium IV argumentorum pro eo permittendo aciem explicuisset, Pius singula ea argumenta piissime confutavit in litteris ad Ferdinandum imperatorem redditis, quas suo loco afferemus.

64. Porro cardinales cum sua responsa reddita ad singula capita libelli Cæsarei explicuissent, Cæsaris votis et expectationi fecere satis, pollicitique sunt se plura illius libelli capita opportune in Concilio proposituros, rogaruntque, ut Cæsaream gratiam auctoritatemque pro Lutheranis principibus adducendis, ut controversias fidei subjiciant Concilio illique se conjungant, adhiberet; quæ admodum grata et jucunda accidere Ferdinando Cæsari, qui subjectis litteris mense Augusto exaratis, pia cardinalium legatorum studia commendavit, significavitque nolle ordinem Concilii ulla ratione confundi importunis propositionibus, nec Concilii præsidumve libertatem infringi, sed tantummodo imperii regnorumque suorum necessitates patefecisse, laudareque susceptam mentem de permittenda Protestantibus, ut sua dubia omni proponant libertate, si audiri ac doceri velint, certumque atque exploratum habere, si accesserint ad Concilium, summa benignitate complectendos afficiendosque debitis honoribus. Se quidem, ut eos ad id flecteret, omnem industriam contulisse, atque in posterum collaturum lubentissime, quamvis exigua spes successus affulgeat. Quod ad capita instaurandæ disciplinæ pertineret, nunquam de affectanda in Pontificem auctoritate cogitasse, licet aliqua in curia Romana emendanda indicarit, sed debitis ordine et modo rem intellexisse; sensisse agendum prius de morum norma pie constituenda [1], quam de dogmatibus, ne hæretici, audita opinionum suarum proscriptione, a Concilio adeundo deterreantur :

« Ferdinandus, etc. reverendissimis, etc.

« In his, quæ hactenus durante maxime isto

[1] Ms. arch. Vat. to. xx. de Con. sig. num. 3207. p. 274.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3230. p. 384.

sacro Concilio egimus, non aliud quam divinæ majestatis gloriam et Ecclesiæ unitatem quæsivisse adeo, quod libellum illum de morum emendatione conscriptum superioribus mensibus, non alio animo, quam singulari quodam zelo in juvandæ Ecclesiæ studio, isthuc misisse, copiose demonstravimus in litteris, quas postea ad paternitates vestras reverendissimas ea de re, et nonnisi optima intentione scripsimus, et a paternitatibus vestris reverendissimis in meliorem partem acceptas fuisse, valde libenter intelleximus ». Et paulo post : « Eis benevole asseveramus, nos non modo in malam partem non rapuisse, quod paternitates vestræ reverendissimæ libellum illum Patribus non proposuerint, priusquam ipsarum sententiam cognoscerent, verum nunquam etiam voluisse, ut aliquid in Concilio proponeretur vel tractaretur perturbate vel confuse, atque adeo præter modum et ordinem, quem paternitates vestræ reverendissimæ, summa prudentia a majoribus traditum, summa quoque religione conservandum esse ostendunt. Ideo mens nostra fuit, ut libellus prius paternitatibus vestris reverendissimis exhiberetur, et postea tandem sacræ Synodo proponeretur. Absit enim, quod velimus, inconsultis paternitatibus vestris reverendissimis, de quorum æquanimitate, pietate et integritate nobis pollicemur, quæcumque posthac sacram Synodum cognoscere. Nostra et sacri imperii, regnorumque et dominiorum nostrorum intererit, modo ab æquitate et honestate non sint aliena, illa paternitatibus vestris reverendissimis deferre, ad eamdem sacram Synodum haud gravatim relaturis, aut saltem non futuris impedimento, nec iniquis animis accepturis, ut saltem per oratores nostros, cum paternitatibus vestris reverendissimis re prius communicata, Patribus libere exponantur ; ita ut nobis, et cuique Christiani orbis regi, principi aut potentatui solita et antiqua libertas atque potestas, nostras ac sacri imperii, uniuscujusque nostrorum regnorum et provinciarum necessitates ingenue et sincere Synodo explicandi re ipsa constet, sicuti futurum paternitates vestræ reverendissimæ in litteris spem nobis fecere ; præsertim cum etiam adversariis ipsis quidlibet proponendi facultas concessa sit : quod factum esse magnopere laudamus, nihil plane ambigentes quin illi, ut scribunt paternitates vestræ reverendissimæ, si in animum inducerent suum, ut ad Concilium venirent, re ipsa experirentur, quanta eos benignitate sancta Synodus complecteretur, et quanta patientia, si qua de re doceri cuperent, a Patribus audirentur. Nobis certe optatissimum foret, quod id sibi persuaderi paterentur : sed quominus id hactenus ab eis obtineri potuerit, per operam, diligentiam et sollicitudinem nostram non stetit. Sed causæ ita notæ sunt omnibus, ut eas hoc loco enumerare supervacaneum sit. Quod si in posterum quoque aliquid in hac re præstare poterimus, id minime omittemus.

« Verum quod ad reformationis negotium attinet, quod tanto studio promovendum et urgendum suscepimus ; paternitatibus vestris reverendissimis iterum atque iterum affirmamus, nos in id non agere, ut in eo negotio ita rerum ordo invertatur ac commutetur, ut oves pastori præesse, vel membra capiti imperare debeant, ita ut ex ea occasione sacrum Concilium ante tempus re infecta dissolvatur, vel etiam, quod vitam, mores vel actiones sanctissimi Domini nostri in judicium vocari velimus, de cujus scilicet pietate et incorruptis moribus ita sentimus, ut Deo omnipotenti gratias agamus, talem Pontificem hisce temporibus turbulentis, et dum nos divina benignitate sacri Romani imperii gubernacula tenemus, cum regnis dominiisque nostris obtigisse, pro ejus salute et incolumitate jugiter preces ad Deum fundamus. Nemo profecto hominum aliter de nobis suspicari debet, qui nihil minus, quam sanctitatem suam uspiam reprehendere, nedum in invidiam, aut odium hominum adducere cogitamus, cujus tot et tam præclara in nos extant paterni amoris argumenta, quæ certe jure suo exposcunt, si ingrati animi notam effugere volumus, ut Sanctitatem ejus omni loco et tempore mutuis filialis observantiæ officiis demereri, ejusque dignitatem et auctoritatem summo conatu tueri et amplificare studeamus ; tametsi vero in libello de emendatione curiæ Romanæ tantum et debita cum modestia aliquid tactum est, nos tantum in universo hoc reformationis negotio in effectu, ac potissimum ad optatam Ecclesiæ concordiam, et quietem, ac publicam Christiani orbis salutem, atque extremam necessitatem respeximus, quam optimus quisque pro deplorata habere videtur, nisi hæc salutaris ac præsentanea medicina emendandi mores, et tollendi abusus adhibeatur, in quem quidem finem nunc respicimus ». Et mox : « Insistendo tamen priori nostræ declarationi, quod scilicet per id intelligi non debeat, quod velimus sacro Concilio leges præscribere, aut id, quod rectum est, aliter quam rite et ordine fieri ; id quod ab instituto nostro alienissimum est.

« Gratissimum quidem nobis accidit, quod paternitates vestræ reverendissimæ in litteris suis respondent atque promittunt, sese libenter facturas, quod antea oratoribus nostris pollicitæ fuerant, ut quotiescumque sese occasio obtulerit, aliquam libelli nostri partem sacrosanctæ Synodo proponant. In primis, quod dabunt operam, ut de reformandis ac constituendis inclytæ nostræ Germaniæ, cæterorumque regnorum Ecclesiis, quæ ad nos jure hæreditario pertinent, diligentissime agatur : tum ut fidei puritas, quæ adhuc reliqua est in illis provinciis,

conservetur, ac volente Deo, latius propagetur. Sed animum nostrum vehementius angit, quod res, ut nos quidem sentimus, diutius protrahatur, quam evidens et extrema necessitas Christianæ reipublicæ, maxime sacri imperii, et regnorum, et provinciarum nostrarum exigit ». Nonnullisque interjectis, et ardenti pietatis studio, quo Patres de dogmatibus constituendis ac modo de Missæ sacrificio agunt explicato, addidit : Sentire potius se agendum de morum revocanda puritate, intermissa dogmatum tractatione, hac de causa, quod ii, qui discessere ab Ecclesia, deterrendi sint, ne accedant ad Concilium, a quo se condemnatos noverint, atque gravius exacerbatum iri : at ex articulis in libello comprehensis majoris utilitatis capiendæ spes affulgere, tum subjicit : « Sentiunt nobiscum procul dubio præclarissimi et præstantissimi quique Christiani orbis reges, qui nunc oratores et prælatos suos in Concilio habent, existimantes, sua regna suasque provincias non minus quam illas, quæ nostræ curæ divinitus concreditæ sunt, in hac parte laborare, qui cum ex seipsis paternitatibus vestris reverendissimis suas difficultates et necessitates instantius expondituri sint, paternitates vestras reverendissimas benevole ac diligenter hortamur, ut ipsorum quoque, perinde ac nostri ac sacri imperii regnorum et dominiorum nostrorum, a sacrosancta Synodo rationem haberi curent, quo ipsis quoque, ut par est, consulatur, etc. Datum Pragæ XII Augusti MDLXII ».

65. *Usus calicis instanter petitur ab oratoribus Cæsareis, Gallis et Hungaris.* — Ex articulis propositis in libello Cæsareo is erat gravissimus atque honestissimus specie, continentibus votis a pluribus populis expetitus, de calicis usu laicis permittendo, in quo excutiendo plures menses consumpti sunt. Jam quidem antea oratores Cæsarei in Congregatione XXVII Junii habita porrexerant Tridenti cardinalibus legatis libellum supplicem, quo summis precibus contenderant, ut communio calicis Bohemis, Hungaris, Austriacis, Carniolis, Carinthiis, Moravis, Silesiis Bavarisque indulgeretur. Conceptus vero is erat subjectis verbis [1] :

« Scriptum exhibitum ab oratoribus Cæsaris super petitione communionis sub utraque specie pro Bohemis, Moravis, Austriacis, etc. lectum in generali Congregatione die XXVII Junii MDLXII.

« Illustrissimi, reverendissimi domini legati, ac reverendissimi Patres.

« Domini oratores sacræ Cæsareæ majestatis domini nostri clementissimi, officii sui ratione, ac singulari quadam S. R. E. auctoritatis et potestatis propagandæ studio adducti faciendum sibi existimaverunt, ut dominationes vestras reverendissimas nonnullis de rebus admonerent, antequam ad dicendas sententias veniretur, quæ quidem res ejusmodi plane sunt, ut iis veluti fundamentis quibusdam præsentis consultationis vestræ summa niti videatur.

« Ac primum quidem, ut inde initium sumatur, auditi sunt per hosce dies omnium Ordinum theologi, propositis per illustrissimos legatos articulis. Præclare illi quidem et copiose, sed ad regnorum et provinciarum exterarum statum et rationem non satis accommodate disserentes », et post nonnulla : « Illud dicendum est tamen ab eo usque tempore, nimirum Jacobelli et Hussi, eam in Bohemia retentam esse consuetudinem, quam nulla consilia, nullæ rationes, nulla unquam vis, neque ipsa arma et bella eripere potuerunt, ut populo etiam calix in communione a sacerdotibus præberetur : a quo quidem calice ea populi pars, quæ hujus partis esset, Calixtinorum, sive sub utraque, nomen accepit. Atque hæc quidem factio latissime in eo regno patet, ut primarios etiam viros et magistratus quosdam complectatur.

« Antea quidem huic parti benignissima Mater Ecclesia pro ea potestate, quam a Deo habet, pro rerum ac temporum ratione leges et constituendi et abrogandi, certis quibusdam conditionibus permiserat ut calice uti possent. Postea cum, ut fieri assolet, non satis religiose, neque vero diligenter conditiones et pacta illa servarentur, permissio illa cœpta est a Pio II Pontifice Maximo revocari. Sed cum Sedes Apostolica aberrantem hanc ovem ad cæteras aggregare cuperet, primum Paulus III, deinde etiam Julius III, felicium recordationum summi Pontifices, nuntiis quibusdam suis negotium dederunt, ut Bohemis in Ecclesiæ gremium receptis calicis usum permitterent, res tum etiam inchoata, sed propter graves quasdam difficultates impedita, perfici non potuit.

« Ad extremum Cæsarea majestas dominus noster clementissimus hoc tempore post centum et quadraginta fere annos, cum pro singulari sua pietate, ac Christianæ et Catholicæ religionis nostræ conservandæ et propagandæ studio, Germanicum in illo regno Pragensem archiepiscopatum veluti a mortuis excitaverit, et magnis curis, laboribus, sumptibus et impensis fundaverit ac constituerit, et visum est sacræ ejus majestati Cæsareæ, si unquam antea, nunc commodissimam iniri posse rationem, ut inclyta illa natio tota, ad sanctæ Romanæ Ecclesiæ matris nostræ obedientiam, jam tandem veluti postliminio reverteretur, præsertim vero cum ipsi Calixtini, qui et *sub utraque* vocantur, in proximis Bohemis comitiis publice sac. Cæsareæ majestati supplicaverint, dignaretur suas apud S. D. N. partes interponere, ut eorum sacerdotes non ab alio quoquam, sed a novo archiepiscopo ordinarentur ; promiserunt autem, hoc si impe-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3198. p. 216.

trarent, daturos operam ut ipsi eorum presbyteri dominum archiepiscopum pro legitimo suo prælato agnoscant, et obedientiam illi præstent. Itaque per reverendissimum episcopum Pharensem, qui nunc apud sacram ejus majestatem sanctissimi domini nostri nuntium agit, ac per magnificum dominum Prosperum Comitem ab Arco, sacræ ejus majestatis Romæ oratorem a sanctissimo Domino nostro postulavit, ne tantam tamque optatam Ecclesiæ restituendi ac conservandi illius regni occasionem de manibus sibi elabi pateretur. Sanctissimus autem Dominus noster totam hanc rem ad vestram, illustrissimi domini legati, et Patres amplissimi, disceptationem et vestrum judicium rejiciendam putavit.

« Vestræ igitur pietatis fuerit nobile illud regnum Ecclesiæ Catholicæ conservare, quod tum demum fiet, si necessariis de causis calicis usum illis permittendum esse putaveritis. In reliquis illis rebus, aut omnibus, cum S. R. E. matris nostræ institutis consentiunt, aut in paucis quibusdam a recta illa via deflexerunt. Sacerdotibus illi non aliis unquam uti voluerunt, quam qui cælibem vitam agerent, et quos a Catholico, et communionem Sedis Apostolicæ habente episcopo legitime ordinatos esse constaret. Solent illi inter alias suas preces, etiam Summi Pontificis, sacri cardinalium collegii, episcoporum, atque universi Ecclesiastici status et ordinis meminisse, ac pro eorum incolumitate et felici rerum successu in publicis supplicationibus et litteris exorare, populum ad id faciendum in concionibus frequenter cohortari : quod ipsum satis indicat, quomodo erga Sedem Apostolicam affecti sint. Si quid autem est omnino in reliquis rebus, in quibus a recta S. R. E. doctrina discessum est, id nullo prope negotio emendari ac corrigi poterit, modo calicem, quem tantopere expetunt, vestra benignitate consequantur. Neque vero mirum est si rudis et imperita multitudo in eum errorem induci potuit, ut sine magno conscientiæ scrupulo a calice abstinere se non posse persuasum habeat, cum etiam peritissimos et maxime pios ac Catholicos viros eam sententiam multis rationibus tueri videamus, ut sub utraque, quam sub alterutra tantum specie communicantes, majorem consequi gratiam arbitrentur. Vestra isti misericordia digni sunt, Patres sanctissimi ; quare diligenter et benigne providete, ne per nimiam vestram severitatem in eam desperationem adducantur, et cum nullum apud vos misericordiæ locum sibi relictum esse sentiant, ad impios sectarios transeant, a quibus quidem magno studio, magna diligentia, omnibus artibus, omnibus illecebris perpetuo ad defectionem sollicitantur.

« Sunt in aliis, etiam clarissimis ac nobilissimis regnis ac provinciis, pii quidem et Catholici viri, ut in Hungaria, in Austria, in Moravia, in Silesia, in Carinthia, in Carniola, in Stiria, in Bavaria et Suevia, ac permultis Germaniæ partibus, qui magno quodam zelo calicem sibi dari expetunt.

« Non fuit hoc ignotum Paulo III, felicis recordationis Pontifici Maximo, qui omnibus per Germaniam episcopis facultatem concessit sub utraque specie communicandi eos, qui devotionis causa sub utraque mallent, quam sub una communicare : sed ne hæc quidem propter gravissima quædam impedimenta ad effectum perduci potuerunt.

« Eadem fere est ratio, idem quoque de aliis nationibus, quas paulo ante nominavimus, periculum est, ne si calix eis adimatur, ad Lutheranos atque alios sectarios transfugiant.

« Neque vero existimare debet quisquam, quod hisce diebus a theologis publice dubitatum est, eos, qui calicem petunt, prorsus hæreticos esse. Quis ignorat, nullam nobis cum hæreticis communionem esse debere ? Non hæc hæreticis, sed iis procurantur, qui aliis in rebus et Catholici sunt, et obedientes se sanctæ Romanæ Ecclesiæ filios præbent.

« Quod si hæc ipsi a vestra benignitate consequantur, magna spes est plurimos etiam hæreticos, qui hanc unam ob rem a nobis desciverunt, ad nos iterum reversuros esse.

« Audiuntur a nobis non pauci passim in mediis sectariorum gregibus versantes, qui palam profitentur, si sub utraque specie Eucharistiam sumere liceat, cupidissime sese ad nos transire velle.

« Certe, præterquam quod æquiores deinceps se nobis præberent hæretici, dictis etiam nostris facilius ac libentius aures accommodarent, et libentius in vestram se disciplinam traderent. Sic etiam confideremus fore, ut sacrosanctum Missæ Sacrificium longe in majori veneratione esse inciperet.

« Plurimos jam tot novitatum tædet, qui hoc uno remoto impedimento, libentissime ad nos se reciperent. Quod si quo casu hæc illis utriusque speciei communio non permittatur, contraria omnia sunt pertimescenda.

« Jam si quis est, qui quærendum existimet, quod etiam hisce diebus auditum est, quis ille tandem sit, qui hæc petat ? Ea sacra Cæsarea majestas a S. D. N. petit, ut domino archiepiscopo Pragensi Calixtinos sacerdotes ordinare liceat, id autem fieri nullo modo potest, nisi illi prius in Ecclesiæ gremium recipiantur, recipi autem non poterunt, si ritu schismatico propria auctoritate calicis sibi usum usurpent ac mordicus retineant.

« Adsunt etiam Canadiensis et Tinniniensis ex Hungaria domini archiepiscopi, et episcoporum Hungariæ nuntii, qui humiliter suppli-

cant, ut aliqua ratione illius regni Ecclesiis ab hoc sacrosancto Œcumenico Concilio provideatur; non enim alia ulla ratione plebs atque adeo jam ipsa nobilitas in officio contineri potest. Ac nisi hæc illi spes in hunc usque diem facta fuisset, futurum, ut in hoc sacrosancto Œcumenico Concilio calicis usus a vestra bonitate ac suavitate, amplissimi Patres, ipsis impetraretur, exiguas jam Catholicæ religionis, ac in sanctam Romanam Ecclesiam, et Sedem Apostolicam obedientiæ illis in partibus reliquias haberemus.

« De Hungaria quidem hoc certo affirmare possumus, eo jam ventum esse, ut sacerdotes per vim etiam ad calicis porrectionem adigantur, quod ni faciant, bonis Ecclesiasticis direptis magnum infortunium atque adeo vitæ periculum non evitant.

« Fuerunt ex illius regni episcopis nonnulli pii viri, atque Ecclesiasticæ consuetudinis observantissimi, in primis autem reverendissimus D. Strigoniensis archiepiscopus, qui hos tales sacerdotes exilio atque aliis pœnis ob hanc causam mulctaverint. Factum jam est, ut tum illis, tum aliis, et Catholicis presbyteris prorsus careant : ita fit, quod vix sine lachrymis dici potest, ut infantes sine baptismo, et intereant, et adolescant, viri et fœminæ omnium ordinum, omnis ætatis, belluarum more in summa Dei ignoratione, et vivere et mori cogantur. Ita nihil propius est, quam ut ad paganismum redeatur. Sunt enim loca non pauca, in quibus a multis jam annis nullus sacerdos est visus, qui rudem et imperitam plebem ad Christianæ pietatis normam instituere atque erudire queat, hoc quoque ad summas ac innumerabiles illius regni miserias accedit.

« Cujus vos, Patres amplissimi, misereseite, et qua ratione hos tantos totque populos in sanctæ Romanæ Ecclesiæ fide conservare, et alios quamplurimos hac de causa a nobis profugos, ad nos iterum retrahere possitis, aliquam jam tandem cogitationem suscipite.

« Hæc sunt, quæ dicenda videbantur, quæ ut dominationes vestræ reverendissimæ in optimam partem interpretentur, et totum hoc negotium diligenter perpendere velint, iidem domini oratores etiam atque etiam vehementer rogant. Quæ tamen omnia sanctissimo et prudentissimo judicio vestro subjecta esse volunt ».

66. Sub idem tempus oratores Gallici legatos adeunt, illisque Cæsaris petitionem, ut justam, sanctam, Christianamque commendare non desinunt. Aiunt quidem, nullam in mandatis suis ea de re singularem mentionem contineri, verum cum sibi ea omnia incumbere intelligant, quæ ad Christianæ reipublicæ commodum pertinent, arbitrari se calamitosis hisce temporibus ad conciliandas Christianorum voluntates id valde profuturum, atque hoc animi sui judicium scripto legatis testatum relinquunt.

Legati ad Synodum omnia statim referunt, ut de his mature seorsum a singulis deliberetur, antequam in concione sententiæ palam proferantur; res enim tota eo majore consilio indigere cunctis visa fuit, quo se nunc Gallorum studia ad Cæsareos accessisse ostendebant. Quamvis enim pro Gallica natione calicis usus tunc peti nominatim non videretur, rationes tamen ab oratoribus adductæ, et præsertim, quod nihil magis hoc tempore pertineret ad pacandos de religione tumultus, quam si eorum postulationi satisfieret, facile horum consilium indicabant, qui Cæsaris causam nunc urgerent, quo sibi et aliis subinde provinciis certior ad idem obtinendum postea aditus patefieret.

Agit de hac Gallorum petitione Astulphus Servantius, scripturamque ab ipsis exhibitam his verbis enuntiat.

« Sabbato quarta Julii hora XIX, habita est Congregatio generalis, in qua primum Concilii præses Patribus retulit, oblatam fuisse schedulam ab oratoribus regis Galliarum; quam suis conceptam verbis repetendam in Patrum cœtu optabant, quæ a Concilii secretario perlecta est [1] :

« Scriptura exhibita ab illustrissimis oratoribus Caroli Christianissimi regis super petitione oratorum Cæsaris circa communionem sub utraque specie.

« Quatuor canones, de quibus sententiam dixistis, Patres sanctissimi, et si adeo perspicue et aperte compositi sunt, ut nullus videatur locus relictus dubitationi, tamen si in illis quædam mutentur, quemadmodum nonnullis visum est, postulamus id fieri absque eo quod præjudicium ullum fiat auctoritati et prærogativæ regis Christianissimi, et quorumdam in Gallia monasteriorum vetustissimæ consuetudini. Retinuerunt enim Gallici reges, et jam post mille et amplius annos quasi per manus acceperunt, ut quo die regiis insignibus ornantur et consecrantur, sanctissimi Eucharistiæ sacramenti communionem sub utraque specie accipiant; monachi vero etiam non conficientes, statutis quibusdam anni diebus.

« Quod autem pertinet ad communionem sub utraque specie petitam a clarissimis Cæsareæ majestatis et Bavariæ ducis oratoribus, quanquam de ea re, ut sæpe testati sumus, nulla in mandatis nostris singularis mentio fiat, duo tamen legationis nostræ capita præcipua sunt, quæ nos, salva muneris nostri ratione, non possumus prætermittere. Primum ut vos, Patres

[1] To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 140. Act. Conc. Trid. Ms. Fr. Barb. sig. num. 1109. p. 63. per Astulp. Serv. To. x. de Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 127. et in alio Ms. sig. num. 3229. p. 277. Et in lib. cuso 1613. inscripto : Instructions et Missives, p. 110.

sanctissimi, quam vehementer fieri poterit, oremus et hortemur his turbulentis et calamitosis temporibus ad multa connivere, nonnulla dissimulare, et quædam de summo jure ita remittere, ut cum semper juris divini, Ecclesiæ Catholicæ, et Sedis Apostolicæ dignitas et auctoritas sarta et tecta maneat, nonnihil tamen hominum imbecillitati et infirmitati, ut D. Paulus aliquando fecit, condonetis.

« Alterum vero caput est, ut omnes nostras actiones et cogitationes, studia denique omnia ad reipublicæ Christianæ utilitatem non solum convertamus, sed etiam accommodemus, cum ad omnium Christianorum regum et principum, tum optimi et religiosissimi imperatoris nutum ac voluntatem. Itaque nolumus hac in re officio nostro deesse, sed potius amplecti adeo justam, sanctam, Christianamque petitionem, eamque, quoad fieri a nobis poterit, vel eo maxime juvare, quod nihil propterea decedere videamus auctoritati et dignitati Ecclesiæ Catholicæ, quæ, quemadmodum vos dixistis, pro locorum, temporum et hominum ratione non eadem semper constituit et observavit. Hoc possumus vobis bona fide polliceri, atque omni asseveratione affirmare, nihil magis hoc tempore pertinere ad conciliandas Christianorum voluntates, pacandos de religione tumultus, homines nostros retinendos, et eos, qui jam a nobis desciverunt, revocandos, quam si justæ et Christianæ eorum petitioni a nobis satisfiat ».

Cum autem de his Patrum sententiæ exquirerentur, ac Veglensis episcopus postularetur, ut quid de iis sentiret, exponeret, hæc respondisse narrat Gabriel Palæottus [1].

67. « Veglensis, inquit, Patres admonuit sub Venetorum ditione in Creta, Cypro aliisque Orientalibus regionibus ex diversis nationibus quamplures numero fere quingenta aut sexcenta hominum millia esse, qui utramque speciem in communione sumunt, hos in reliquis rebus nobiscum Catholice et sentire et vivere cum iis; hos jura omnia, sepulchra et reliqua sacra habere communia : cavendum nunc esse, ne inter eos, qui utramque usurpant, quos Synodus anathemate damnandos statuit, hi etiam comprehendantur, quoniam hinc eorum a nobis alienatio, ingensque in iis locis perturbatio sequeretur. Hæc Veglensis ratio in universum quidem non fuit probata, eo quod anathema sanctæ Synodi in eos tantum conjicitur, qui asserunt jure divino utriusque speciei usum præceptum fuisse, quo numero, nec Cistercienses in Gallia, nec rex Gallorum, quando corona regia insignitur, nec Græci ipsi, aut alii similes continentur, qui calicis usum, non ut rem jure divino necessariam, sed aut privilegio, aut ritu quodam antiquissimo longe ante Concilium Constantiense instituto retinent, quem sancta Synodus, nunc eis exemplo Innocentii III in decretali ultima de Baptismo, non interdicit. Attamen placebat Ilerdensi et Famagustano, ut hoc ipsum in doctrina clarius explicaretur, neque superesset dubitatio, neve simpliciores verbis generalibus sanctæ Synodi implicarentur. Adjecit Ilerdensis se exemplum Pontificii privilegii vidisse, quo Græci hoc jus sub utraque specie sumendi, itemque ministrandi communionem parvulis conceditur. Ad hæc se librum in Sacrario sancti Petri Vaticani legisse, cujus auctor fuit Deusdedit cardinalis post Gregorium VII, anno MXC, ubi lib. 2 contra schismaticos et simoniacos consuetudinem hanc Ecclesiæ iis temporibus fuisse attestatur, ut infantibus post Baptismum statim Eucharistia cum vino infunderetur.

« Brixiensis in IV canone ubi de parvulorum communione agitur, satis esse non putabat, Synodum declarare, sacramentum Eucharistiæ eis necessarium non esse, sed expresse illud eis prohibendum dicebat, cum rationes illæ ex quibus usus calicis populo fuit ademptus, longe efficacius suadeant ab hoc Sacramento parvulos esse omnio arcendos; quoniam tamen ex SS. Dionysio et Cypriano, et aliis auctoribus usus hic parvulos communicandi in Ecclesia diu observatus fuisse colligitur, non placuit hoc anathemate damnare, sed errorem tantum illum refellere, si quis hoc Sacramentum eis necessarium existimaret.

68. « Circa postulatum a Cæsare calicis usum, in Congregatione [1] dixit peritissime Bracharensis quatuor hominum genera reperiri in Germania, alios esse vere Catholicos, alios pertinaces hæreticos, alios hæresim in corde gerere, externaque specie, ut suis servirent commodis, Catholicos agere; alios esse in fide infirmos. Priores petitioni calicis adversari; dictos secundo loco recensitos indignos, repellendosque; tertio loco distinctos hæresim obvelare calicis usu facilius velle, atque adeo ne in errore foverentur, rejiciendos; eos demum, qui in fide infirmi erant, male sentire de potestate Ecclesiastica, deque Summo Pontifice, pravisque opinionibus imbutos necessarium esse usum calicis atque adeo ardentissima illa calicis siti uri; non enim existimandum hoc ex pietatis studio flagitare, quod de pia aliqua anima suspicari quis posset, quæ nimirum carnis macerationi et spiritualibus exercitiis addicta esset, at non ita eos populos erga divina affectos, sed carnis voluptatibus immersos esse, qui cum ab Ecclesia jubentur in anno semel ad sacramenta Pœnitentiæ et Eucharistiæ accedere, adeo aver-

[1] Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 113. per Gabr. Palæot. de communione utr. speciei.

[1] Lit. Vicecom. Ep. missi a Pio IV. ad Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sig. 1345. p. 13. Lit. ad card. Bor.

sis accedant animis, ut nonnulli ad patibulum rapi sibi videantur; non itaque ex fervore spritus eam calicis cupiditatem, sed ex novitatis appetitu inardescere: quia tamen fratrum salus cordi esse debeat, et Cæsareæ majestatis id deposcentis habenda sit ratio, deligendos quatuor concionatores, qui a Concilio missi iis, qui Ecclesiæ conciliari velint, vel qui jam in eo ritu sint educati, calicis usum elargiantur. Quæ omnia Vintimiliensis episcopus in litteris ad Carolum Borromæum cardinalem datis retulit ».

69. Ursit tunc Hungarus orator ardentissimis precibus Concilii Patres, ut Ferdinandi Cæsaris gratiæ concederent, ut usus calicis pro continendis in Cæsareo obsequio populis permitteretur.

« Postea », inquiunt Acta [1], « R. D. episcopus Quinquecclesiensis orator Cæsareæ majestatis pro regno Hungariæ allocutus est Patres in hanc sententiam. Recordari eos, exhibitum fuisse superioribus diebus scriptum quoddam a nobis oratoribus Cæsareis, et illud hic publice lectum a domino secretario, in quo rationes, quare hic calix a Cæsarea majestate petitur, continebantur, quas propterea superfluum est recensere. Audiverunt postea Patres quid illustrissimi domini legati super hac re sentiant per ea, quæ luculenter explicavit illustrissimus dominus primus præsidens. Et profecto ita est, quod magna est habenda ratio Cæsareæ majestatis, tum propter ejus pietatem et in Christianam religionem merita; tum quia ex ea domo est, quæ in toto orbe terrarum ita clara et illustris est, ut neminem latere possit, quantum de Christiana religione optime merita sit. Id autem Cæsarea majestas ideo petit, ut populos sibi subditos in fide et obedientia Sedis Apostolicæ retineat, atque ad illud unquam laboravit, suasque actiones direxit, etiam vivente fratre suo gloriosissimo imperatore, non solum cum fortunarum suarum jactura, sed etiam propriorum filiorum amissione; succedit ad id, ut pax et tranquillitas etiam post mortem suam in religione et in regnis suis relinquatur. Ad quod assequendum Cæsarea majestas sua judicat aliquid a sancta Synodo remitti debere, quod mere juris positivi est; recordarique debent Patres, Concilium a conciliando dici, ut scilicet Christianorum animos conciliet ».

Repugnarunt Cæsareis oratoribus nonnulli Germani episcopi, in controversiis cum Lutheranis agitandis exercitatissimi, necnon alii pietate et eruditione florentissimi præsules, qui sensere, concesso calice Lutheranos non redituros ad fidem Catholicam, sed in perfidia confirmandos, et plures Catholicos in errorem facile prolapsuros, ut inferius illustrabitur.

[1] To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 2197. p. 139.

70. *Sessio quinta sub Pio IV, in qua statuitur de communione sub utraque specie, et reformatione cleri.* — Celebrata est XVI Julii Pio Quarto Pontifice quinta Sessio, cujus Historiam Astulphus Servantius [1] his verbis describit:

« In Dei nomine Amen. Anno salutis MDLXII, Indictione quinta, die vero Jovis XVI mensis Julii, Pontificatus sanctissimi in Christo patris et domini nostri Domini Pii, divina providentia sacrosanctæ Romanæ et venerabilis Ecclesiæ Pontificis Maximi anno tertio, Tridenti in Ecclesia cathedrali, quæ est sub invocatione B. Vigilii, et in loco eminentiori ipsius Ecclesiæ ad Sessiones habendas deputato, celebrata est quinta Sessio Sacrosancti Œcumenici, et generalis Concilii Tridentini, præsidentibus in eo nomine ejusdem sanctissimi D. N. papæ illustrissimis et reverendissimis in Christo patribus et dominis doctoribus Hercule Gonzaga tit. Sanctæ-Mariæ Novæ, de Mantua, Hieronymo tit. Sanctæ-Susannæ, Seripando, Stanislao tit. S. Laurentii in Pane et Perna, Warmiensi, et Ludovico tit. S. Cyriaci in Thermis, Simoneta, presbyteris, ac Marco Basilicæ duodecim Apostolorum de Altemps diacono S. R. E. cardinalibus, et Apostolicæ Sedis de latere legatis. Qui quidem illustrissimi et reverendissimi domini legati et præsidentes una cum illustrissimis et reverendissimis dominis oratoribus, patriarchis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, generalibus, et aliis infrascriptis convenientes mane hora X in dicta Ecclesia cathedrali, in primis reverendissimus dominus Marcus Cornelius Venetus, electus archiepiscopus Spalatrensis, celebravit Missam solemnem de Spiritu-Sancto, qua absoluta, et publicata de more et auctoritate Apostolica indulgentia plenaria, R. D. Andreas Ruditius Sbardelatus Hungarus Tininiensis episcopus habuit orationem ».

Præcipua ejus pars delibanda a nobis visa est [2] cum piissimis de Eucharistiæ Sacramento sententiis referta sit.

« Quod sumus, ipsi, qui ex nihilo nos procreavit, id acceptum ferre debemus, ut immortale hoc suum beneficium cumulatius quodammodo redderet humanam nostram naturam, divinitatis suæ temperamentum perfecit, atque absolvit, et conjunctam atque in unum jam concretam admirabili quodam nexu humanitatem cum ipsa divinitate nobis in sacrosancto hoc Sacramento utendam, fruendam reliquit. O admirabile, o sacrum, o salutiferum, et omni suavitate refertum convivium, in quo Christus Deus et homo perfectus nobis proponitur ». Multis interjectis declaravit, cur usus calicis intermissus fuerit a laicis:

[1] Ang. Massarel. in Actis Conc. Trid. sub Pio IV. Ms. Vat. sign. num. 3212. p. 168. Astulph. Serv. in Act. Conc. Trid. Diario. — [2] Sess. V. ex or. ep. Tinien. ep. de Euch. Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in Actis sess. V.

« Sapientissima mater nostra Christi sponsa quæ a vera et recta Sponsi sui sententia ac voluntate nusquam aberrat, cum animadverteret, multa infanda per quorumdam socordiam ac negligentiam evenire, quæ ad tam pretiosi Sanguinis injuriam pertinerent, primo quidem illa Calicem filiis suis non statim prorsus interdixit, sed prudenti aliqua ratione ostendit magnum vitari nefas et sacrilegium posse, si ab ejus usu abstinerent; itaque jam tum ab initio, cum hæc plurimum consuetudo vigeret, ut populares quoque sub vini specie Christi Sanguinem sumerent, ex eis illi, qui in eo statu essent, ut nonnisi magno negotio ac summa cum difficultate cavere possent, ne aliqua per imprudentiam Sanguinem potantibus guttula efflueret, atque ex ore dilaberetur, ipsi se sua sponte profanationis ac sacrilegii metu, ac fuga ab hoc usu removerunt, in quo præclarum et memorabile suæ pietatis ad omnem posteritatem argumentum transmiserunt, ac sapienter illi quidem. Nam ut summa pericula hoc suo facto devitarent, neque tamen propterea non omnem eam utilitatem, ac totum illud, quod utriusque speciei communicatione percipi solet ad se non traduxerunt, etc. ».

His addunt Acta per Astulphum Servantium concinnata :

« Deinde tam prædicti illustrissimi et reverendissimi DD. præsidentes ac cardinalis Madrutius, quam cæteri Patres omnes, ac etiam orator Ecclesiasticus acceperunt pluvialia, mitras, aliaque paramenta consueta, decantantibus eo tempore cantoribus Psalm. 83. *Quam dilecta*, etc.

« Paramentis acceptis, quisque resedit in loco suo juxta tempus suæ ad Ecclesiam promotionis. Oratores autem, tam Ecclesiastici quam sæculares sederunt in loco consueto, quibus omnibus suis in locis sedentibus, cum nonnulli Patres censuissent addendum in cap. I doctrinæ, quæ publicanda erat de communione sub utraque specie et parvulorum, videlicet ubi dicitur : *Nam si Christus*, post verbum *Traditio*, adderentur hæc verba videlicet : *Sed ad eos* (1) *tantum*, *quibus dictum est* : *Hoc facite in meam commemorationem,* hoc est, quibus conficiendi, et offerendi Corporis et Sanguinis sui potestatem tradidit ». Quæ verba ipsis Patribus per schedulas distributas consideranda proposita fuerant. Rogatæ sunt per reverendissimum dominum Angelum Massarellum episcopum Thelesinum de Sancto-Severino agri Piceni ipsius sacri Concilii secretarium una cum Marco Antonio Peregrino Comensi et Cynthio Pamphilo de S. Severino ejusdem Concilii notariis Patrum sententiæ, an dicta verba in dicto primo cap. doctrinæ addenda essent, et longe majori parti Patrum non placuit, ut adderentur, quare mandantibus illustrissimis DD. legatis per dictum reverendissimum secretarium pronuntiata sunt alta voce hæc verba, videlicet : Longe majori parti Patrum non placet, quod verba ista addantur, propterea doctrina publicabitur absque aliqua additione, sicuti in generali Congregatione comprobata fuit. Deinde illustrissimus Mantuanus primus præsidens et legatus prædictus recedens a loco, ubi sacrum audierat, ivit ad Altare majus, ibique orationes legit, decantatis a cantoribus Litaniis et per diaconum Evangelio Jo. 16. *Caro mea vere est cibus, et Sanguis meus vere est potus,* accedentibus cæteris legatis et præsidentibus ad dictum Altare majus, invocatoque auxilio Sancti Spiritus per Hymnum, *Veni, Creator Spiritus*, ac omnibus aliis in publicis sessionibus peragi consuetis de more peractis, illustrissimi et reverendissimi domini præsidentes et legati resederunt in faldistoriis ante Altare majus versa facie ad sanctam Synodum, omnibusque suis in locis, ut dictum est, resedentibus, magnificus dominus Augustinus Paungartner orator illustrissimi domini Alberti ducis Bavariæ assurgens loco, in quo sedebat, accessit ad prædictos illustrissimos et reverendissimos DD. præsidentes, quibus exhibuit mandatum et litteras ipsius illustrissimi ducis, quæ per prædictum dominum secretarium in ambone existentem alta et intelligibili voce lectæ fuerunt.

« Quibus perlectis [1], responsoque a sancta Synodo reddito, reverendissimus archiepiscopus Spalatrensis supradictus, accedens ad Altare majus accepit e manibus illustrissimorum dominorum legatorum decreta, quæ publicanda erant de communione sub utraque specie, et parvulis , ac reformatione , accedensque ad

[1] Astulph. Serv. un in Actis sess. V.

(1) « Post verbum TRADITIO adderentur hæc verba : Sed ad eos etc. » Mendum hic aliquod in acta irrepsit ; non enim additio ista orationi congruit. Quod ut melius agnoscant lectores, decreto Concilii prout conceptum fuit additamentum hoc connectam. Ita ergo Concilii decretum : « Nam etsi Christus Dominus in ultima cœnâ venerabile hoc Sacramentum... tradidit ; non tamen illa institutio et traditio ; « sed ad eos tantum quibus dictum est etc. » Profecto posteriora hæc non congruunt superioribus ; ut deesse aliquid in Actis annalistæ liquido constet. Ex Actis Pholæ omissio commode suppletur ; cum in illis post verbum TRADITIO additio ista proponatur : *Ita ad omnes Christi fideles extenditur*. Hæc una erat ex Additionibus quæ inserenda decreto proponebatur ; alterum vero subjungendum additamentum censebant patres quidam post illud verbum ejusdem decreti : *Astringatur ;* quod ipsum est additamentum in Actis apud annalistam indicatum.

Quæ proxime secuta est sessio Concilii V sub Pio IV constitit patriarchis tribus, archiepiscopis XIX, episcopis CLVIII, abbatibus III, supremis religiosorum Ordinum præsulibus VI, jurisperitis III, theologis sæcularibus XXIII, regularibus LXXI.

Succedit sessio sub Pio sexta, cui præter legatos interfuere cardinalis unicus, patriarchæ III, archiepiscopi XX, episcopi CXLIII, abbas I, generales Ordinum VII. MANSI.

ambonem illa alta et intelligibili voce legit ».

Definitum in iis est contra novatores [1], nec laicos, nec etiam sacerdotes, quando non operantur sacris, sive non conficiunt, jure divino adstringi ad communionem sub utraque specie; posse etiam Ecclesiam in administrandis Sacramentis salva eorum substantia ritus ad majorem suscipientium utilitatem immutare; totum etiam atque integrum Christum, ac verum sacramentum sub qualibet specie contineri; non denique parvulis necessariam esse Eucharistiæ communionem : quæ decreta in Ms. Vaticani Archivii [2] his verbis concepta sunt :

71. « Sacrosancta Œcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, cum de tremendo et sanctissimo Eucharistiæ sacramento varia diversis in locis errorum monstra nequissimi dæmonis artibus circumferantur, ob quæ in nonnullis provinciis a Catholicæ Ecclesiæ fide atque obedientia videantur plures discessisse, censuit, ea quæ ad communionem sub utraque specie et parvulorum pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit, ne posthac de iis aliter vel credere, vel docere, vel prædicare audeant, quam est his decretis explicatum atque definitum.

Laicos et clericos non conficientes non abstringi jure divino ad communionem sub utraque specie.

CAPUT I.

« Itaque sancta ipsa Synodus a Spiritu S. qui Spiritus est sapientiæ et intellectus, Spiritus consilii et pietatis, edocta, atque ipsius Ecclesiæ judicium et consuetudinem secuta, declarat ac docet nullo divino præcepto laicos non conficientes obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto salva fide dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat; nam etsi Christus Dominus in ultima cœna venerabile hoc Sacramentum in panis et vini speciebus instituit, et Apostolis tradidit : non tamen illa institutio et traditio eo tendunt, ut omnes Christi fideles statuto Domini ad utramque speciem accipiendam astringantur, sed neque ex sermone illo apud Joannem sexto recte colligitur utriusque speciei communionem a Domino præceptam esse, utcumque juxta varias sanctorum Patrum et Doctorum interpretationes intelligatur. Namque, qui dixit, *Nisi manducaveritis Carnem filii hominis, et biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis;* dixit quoque, *si quis manducaverit ex hoc Pane, vivet in æternum,* et qui dixit, *qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, habet vitam æternam;* dixit etiam, *Panis, quem ego dabo, Caro mea est pro mundi vita.* Et denique qui dixit, *Qui manducat meam Carnem et bibit meum Sanguinem, in me manet, et ego in illo,* dixit nihilominus : *Qui manducat hunc Panem vivet in æternum.*

Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.

CAPUT II.

« Præterea declarat hanc potestatem perpetuo in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, salva illorum substantia, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, sive ipsorum venerationi pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicaret; id autem Apostolus non obscure visus est innuisse, cum ait : *Sic nos existimet homo, ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei,* atque ipsum quidem hac potestate usum esse satis constat, cum in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento : cum ordinatis nonnullis circa ejus usum : *Cætera,* inquit, *cum venero disponam.* Quare agnoscens S. Mater Ecclesia hanc suam in administratione Sacramentorum auctoritatem, licet ab initio Christianæ religionis non infrequens utriusque speciei usus fuisset : tamen progressu temporis latissime jam mutata illa consuetudine gravibus et justis causis adducta hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, et pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ auctoritate pro libito mutare non licet.

Totum et integrum Christum, ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi.

CAPUT III.

« Insuper declarat, quamvis Redemptor noster, ut antea dictum est, in suprema illa cœna hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, et Apostolis tradiderit, tamen fatendum esse, etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi, ac propterea, quoad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

Parvulos non obligari ad Communionem Sacramentalem.

CAPUT IV.

« Denique eadem S. Synodus docet, parvulos usu rationis carentes nulla obligari necessitate ad sacramentalem Eucharistiæ communionem : siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, et

[1] Acta Conc. Trid. sess. XXV. sub Pio IV. — [2] Ms. Vat. arch. sig. num. 3212. p. 164.

Christo incorporati, adeptam jam filiorum Dei gratiam illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit : ut enim sanctissimi illi Patres sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione habuerunt, ita certe eos nulla salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

De Communione sub utraque specie, et parvulorum.

CANON I.

« Si quis dixerit, ex Dei præcepto vel necessitate salutis, omnes et singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, sanctissimam Ecclesiam Catholicam non justis causis et rationibus adductam fuisse, ut laicos atque clericos non conficientes sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse ; anathema sit.

CANON III.

« Si quis negaverit totum et integrum Christum omnium gratiarum fontem et auctorem sub una panis specie sumi, quia, ut quidam falso asserunt, non secundum ipsius Christi constitutionem sub utraque specie sumatur ; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem ; anathema sit.

« Duos vero articulos alias propositos, nondum tamen excussos, videlicet : An rationes, quibus S. Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una tantum specie panis, ita sint retinendæ, ut nulla ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus, et an si honestis et Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui vel nationi, vel regno Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quænam sint illæ ; eadem S. Synodus in aliud tempus, oblata sibi quamprimum occasione, examinandos atque definiendos reservat ».

72. Promulgatum mox fuit aliud decretum de instauranda disciplina Ecclesiastica, atque ad avaritiæ sordes omnes detergendas, sacri Ordines sine ullo stipendio vel lucri illecebra conferri jussi ; ad sacerdotalem etiam tuendam dignitatem prohibitum, ne quis sacris initietur, nisi annuum vectigal, aut Ecclesiasticum censum ad vitam honeste sustentandam obtineat ; pro divino etiam cultu asserendo lata lex, ut qui non resident vel non ministrant in divinis officiis, vel nihil, vel minus tertia parte percipiant ex Ecclesiastico censu ; ut in parochialibus templis numerus sacerdotum idoneus ad Sacramenta administranda sustentetur, propterea episcopus instructus auctoritate, ut possit aliarum Ecclesiarum vectigalia iis attribuere ; ignaris aut profligatæ vitæ rectoribus Ecclesiarum coadjutores aut vicarios adjungere ; si qua collapsa fuerit Ecclesia, ejus vectigalia ad aliam transferre ; obstringere regulares, ut constitutam vitæ rationem pie colant ; quæstorum Ecclesiarum vel monasteriorum vel xenodochiorum munus ob gravissimas corruptelas abrogatum, indulgentiæque non ad captandum quæstum, sed ad promovendam pietatem conferri jussæ. Denique proxima Sessio ad decimam septimam Septembris diem indicta.

73. *Post multas disceptationes de usu calicis, hæc controversia relinquitur Pontifici dirimenda.* — Ineunte Augusto Galli oratores habita oratione flagitarunt a Synodo nomine Caroli IX Gallorum regis, ne controversiæ graviores de dogmatibus fidei haberentur, antequam præsules Galli ad Concilium venissent, medio vero flexu temporis duos articulos de Calicis concessione discuti et ponderari posse. Quare admissæ sunt Gallicorum oratorum preces [1], atque de Calice acriter actum est.

« Articuli duo, super quibus Patres dicent sententias, propositi in Congregatione generali die XXII Augusti MDLXII.

« An communio sub utraque specie petita nomine Cæsareæ majestatis pro sacro Romano imperio totaque Germania, pro regnis Hungariæ et Bohemiæ, archiducatu Austriæ, et aliis omnibus majestatis sacræ Cæsareæ provinciis et dominiis ad eamdem pertinentibus, sit a Sancta Synodo concedenda sub infrascriptis conditionibus.

« Primo, ut sub utraque specie communicare volentes, in reliquis omnibus, tam quoad sacramentum hoc, quam cætera sacramenta, item in quacumque materia, quæ ad fidem, doctrinam ritumque pertinet, conveniant corde et oris confessione, cum iis omnibus, quæ a sancta Romana Ecclesia sunt recepta, necnon decreta omnia hujus sanctæ Synodi, tam promulgata quam promulganda religiose admittant et observent. Secundo, ut pastores dictarum nationum et concionatores credant et doceant consuetudinem ab Ecclesia probatam, et dein observatam, videlicet communicandi sub altera tantum specie, non esse alienam a divino jure ; imo laudabilem, et tanquam legem observandam, nisi aliter ab Ecclesia statuatur, quodque aliter pertinaciter sentientes hæretici sint cen-

[1] Tom. XI. de Conc. Ext. etiam in actis per Astulph. Serv. Ms. sig. num. 1199. p. 77. Acta per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb sig. num. 24. p. 157.

sendi, nec aliis dent hanc communionem sub utraque specie, nisi qui crediderint hanc veritatem, et eam confessi fuerint. Tertio, quod Sanctissimo Domino nostro papæ, ut legitimo universalis Ecclesiæ episcopo et pastori, debeant fideli animo et sincero, ut reverentes filii, omnem obedientiam et reverentiam exhibere. Quarto, quod archiepiscopis, episcopis, et aliis prælatis suis similiter debitam obedientiam et reverentiam præstent. Quinto, ut hic usus calicis eis tantum permittatur, qui contriti et confessi fuerint juxta Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem. Item ut ordinarii quam diligentissime omnibus cautionibus provideant, ne in administratione Sanguinis, aliquod sacrilegium aut profanatio admittatur : super quibus omnibus prædictis eorum conscientia oneratur.

« Secundus articulus, an sit danda hæc facultas archiepiscopis et episcopis dictorum locorum, ut unusquisque eorum tanquam delegatus Sedis Apostolicæ, possit committere curatis Ecclesiarum existentium intra diœcesim suam, ut communicent petentes sub utraque specie in dictis Ecclesiis tantum, sub conditionibus tamen suprascriptis.

« Latior visus est primus articulus, agenteque oratore Cæsareo ita contractus est : ut quatenus de sacri Romani imperii locis fit mentio, id ad Germaniam tantum pertinere dignoscatur ». His subdit Gabriel Palæottus in Actis :

74. « Pridie quam sententiæ in consessu rogari cœptæ essent, die XXVIII Augusti MDLXII, Quinquecclesiensis, Cæsareus orator, extra ordinem dicendi venia postulata [1], sic ad Patres locutus est :

« Commodius, autumo, Patres amplissimi, atque facilius de tota hac re, de qua nunc nobis sententia dicenda est, deliberaretis, si quæ ad eam faciunt, æque vobis ac mihi nota essent. Prudentia quidem vestra singulari ac rerum omnium usu prospicere plurimum potestis, sed mallem, ut quæ auribus accepistis, illud et mente cogitetis, et oculis conspexissetis ; profecto illud primum inter vos omnes constaret, imperatore vestro nihil sanctius, nihil religiosius, ab eo quoque tam insigni pietate prædito nihil postulari, quod sibi prius ipse non persuaserit fidei Catholicæ rationibus expedire, ac nolle eum, cum in anteacta sua vita id semper egerit, ut vel proprio exemplo, vel publicis actionibus de communi religione optime mereretur, in senectute nunc positum, et ad Christi tribunal pæne positum, de eadem nunc male mereri, neque vero decipi eum aut errare tanta in re posse dubitaretis, si quanta et prudentia et assiduitate imperii res administret, penitus cognosceretis. Equidem, tametsi sensus hominum et voluntates percipere non facile quis mortalium potest, videor mihi tamen id posse verissime affirmare, effecisse Cæsarem summo quo excellit ingenio, et diuturna rerum maximarum experientia, ut suorum populorum mentem atque animum optime intelligat. Is igitur videt nunc ac testatur, Calicis divini communio, si a quibus petitur, non conceditur, nihil esse proprius, quam ut magna suorum populorum pars a Christiana omnino religione, atque etiam a suo imperio deficiant, quos ille adhuc in officio ea tantum ratione continuit, quod spem dedit fore brevi, ut eorum votis Ecclesia satisfaceret, si vero permittitur, omnia ex sententia successura pro certo pollicetur atque confirmat. Quis ergo tam pio et prudenti imperatori non credat? Quis tanto viro de suis rebus affirmanti audeat refragari? Neque vero suam apud vos auctoritatem tantum habere ponderis postulat, ut quod non possitis, quod non fas sit, quod non liceat, propterea faciatis. Non est is Cæsar, qui cum juris vestri ac potestatis tuendæ partes sustineat, et sustinere morte ipsa paratus sit, contra jus et potestatem vestram aliquid aut requirat aut meditetur. Res cujusmodi sit, præclare ipse intelligit, novit morem Ecclesiæ semper fuisse, ut quæ ad ejus arbitrium pertinerent, id est, quæ salva fide possent inverti, pro temporum ratione commutaret, ita et in multis rebus, et in hac ipsa Calicis communione ; nam cum nihil antea de hac re sancitum esset, in Concilio primum Constantiensi lex lata fuit, quæ multis in hoc genere et incommodis et hæresibus occurreret. Quam legem in alio paulo post Concilio aliqua ex parte publica utilitas abrogavit. Eam non longo post intervallo Pius Secundus Pontifex Maximus restituit, cujus demum irritandæ potestatem Paulus III et Julius Summi Pontifices, tametsi res non successerit, concesserunt.

« Quid Græcos commemorem, qui ne ab Ecclesiæ gremio detraherentur, falsis multis eorum opinionibus, quibus tamen nihil de Catholica fide detraheretur, et in hoc ipso Calicis usu, aut annuere, aut connivere Ecclesia consuevit? Et quidem præclare. Etenim si Moyses populo ad duritiam cordis ejus nonnulla permiserat, cur idem nobis non servandum est ? cur ritus et consuetudines chariores quam animarum salutem habebimus ? cur ex Apostoli præcepto insipientes, cum simus ipsi sapientes, non sustinuerimus ? cur ægrotantes fratres nostros eo, quo videntur indigere, medicinæ genere non curabimus ? Fatetur Cæsar et dolet, morbum esse hunc provinciarum suarum, ut Calicis usum exoptent, mallet, ut sicut ipse in Ecclesiæ Romanæ consuetudine semper acquievit, in qua etiam mori deliberavit, idem et cæteri facerent,

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Aud. Rotæ. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 160.

ut omnes, quemadmodum eodem nomine, ita iisdem quoque moribus et ritibus uterentur. Sed consolatur ipse se, quando intelligit morbum hunc non esse hujusmodi, qui sine ulla fidei offensione facili et usitato medicamento curari non possit. Non enim hæresis illa est, siquidem nulla se id necessitatis opinione postulare homines illi testantur, et fateri, quotiescumque opus fuerit, pollicentur; alteram tantum speciem non ignorant totum id continere, quod ad salutem acquirendam satis sit, sed tum superstitione quadam, quam ipsi religionem, ac piam sententiam appellant, cum Christi Domini institutionem servare integram expetunt, tum ea potissimum ratione ad id et cupiendum et postulandum impelluntur, quod, sicut viri nonnulli et doctrina et pietate præstantes hoc in loco asseruerunt, augeri divinam gratiam utraque specie credunt, eo in primis argumento, quod vident Christianos homines, cum utraque specie uterentur, id est, in primis nascentis Ecclesiæ temporibus, longe quam nunc sunt meliores fuisse, et ad Christi fidem defendendam et propagandam alacriores, quorum etiam quidam [ut legitur] consecrato Sanguine in tormentis recreati sunt, ut martyrium fortius sustinerent. Hæc sententia et persuasio ipsis eripi nullo modo potest; cæteris in rebus Romanam Ecclesiam matrem et magistram agnoscunt et venerantur, pro qua etiam et pro omnibus sacris ordinibus Deum precari, et alios ut idem faciant, hortari consueverunt, nec sacerdotem ullum unquam admiserunt, qui et vitam cælibem non gereret, et rite ordinatus non esset omnino, cum in medio hæresum igne et sordibus jam diu hi homines versentur, incolumes tamen adhuc et immaculati permanserunt, quamobrem, ut filiis parentes parvis quibusdam in rebus obsequuntur, ut in majoribus et gravioribus subjectos eos atque obedientes habeant, ita horum hominum, qui filii vestri sunt, ut in Ecclesiæ gremio contineantur, postulatis his, quibus nec fides Catholica violatur, et multorum exemplo, et magna ratione, conditionibus præsertim quas produximus licet assentiri, satisfaciendum nobis est, ut regna maxima, clarissimasque provincias in Romanæ Ecclesiæ obedientia, et Christiani imperatoris ditione atque imperio conservetis. Quod quidem eo studiosius atque libentius facere, Patres amplissimi, debetis, quod magna spes est fore, ut multi et nobiles in primis viri, qui a germana Ecclesiæ doctrina, cum in aliis rebus, tum in eo præsertim deflexerunt, quod calicis ejus usum nulla aut Conciliorum aut Pontificum auctoritas, aut arma denique ipsa potuerunt adhuc extorquere, si hanc consuetudinem servare jure se posse cognoverint, in matris Ecclesiæ complexum, quemadmodum dictitabant se esse facturos, omnibus abjectis et detestatis hæresibus, revertantur. Quod si fieret, felix inter cætera regna Bohemia, felix Hungaria, ubi, ut innumerabilia alia incommoda omittam, nulli fere jam presbyteri, qui sacra conficiant, reperiuntur; inde fere omnes aufugerunt, ne utramque speciem communionis cogantur administrare. Sed pro his nihil petitur, qui vestram potestatem non agnoscunt atque suffugiunt, illud tantum postulatur, ut si a falsis ac perniciosis suis sensibus ad veram religionem se conferant, ea indulgentia atque conditione possint in Ecclesiæ gremium admitti, quod negare quis jure potest? quis non proprio sanguine vere Catholicus, nedum honesta, atque usitata permissione, errantes in tenebris atque in umbra mortis animas ad veritatis et vitæ lucem revocaret? Hac de causa homo Deus factus est, mortem in ligno Crucis oppetiit, nos ritus quosdam immutare recusabimus? Etenim horum regnorum ac provinciarum oratores (quemadmodum in Concilio Basileensi factum est) non adsunt, qui hæc postulent, sed illud scitote, Patres sanctissimi, non esse regna aut integra, aut propter tot hæresum fluctus in eo statu, ut inde publicæ legationes expectandæ sint. Intercedit, ut olim Moyses pro toto populo, ita nunc pro suis hominibus imperator. Quod nationes illæ universæ, si possent, uno ore nobiscum agerent, agit unus earum optimus et prudentissimus princeps, et vestrarum partium studiosissimus. Quærent fortasse alii, cur id a Pontifice Maximo non postulatur? quibus respondemus Summum ipsum Pontificem, a quo superiore anno id petitum fuit, rei hujus deliberationem ad Concilium rejecisse, tum quia rem communi Patrum sententia decretam, gratiorem illis nationibus putavit futuram, tum ut quando per Concilium Constantiense prohibitum id primum fuit, per generale aliud Concilium nunc demum permitteretur; simul et illud prudentissime spectavit, ut tot conciliatis per vos animis Concilium vere haberi omnes intelligerent. Unum est, quod petitioni huic maxime videtur adversari: sanguinis consecrati timetur effusio, et quidem recte; sed ne quid hujusmodi accidat, curabunt episcopi et parochi diligentissime. In duobus autem malis, cum fugiendum majus est, minus est eligendum. Hinc certa multarum provinciarum quies, salus, tranquillitas, magna fidei Catholicæ propagandæ spes; alienatio atque defectio, magna rerum Germanarum confusio ac perturbatio; hinc aliquod sacrilegii periculum, quod licet vitæ ipsi merito anteponendum sit, tamen, quando Christus Dominus et Deus noster tot labores et cruciatus sustinere, et suum pretiosum sanguinem effundere voluit, pro certo habendum est, cum animarum salus curatur, nihil quod humana imbecillitate committitur, ei magnopere displicere. Quæ cum

ita sint, Patres, tantam de Ecclesia Dei bene merendi occasionem agnoscite, et amplectimini rei bene gerendæ tempus: si hoc amittitur, nullum præterea reperietur. Agitur nunc, ut ritum quemdam, et consuetudine, et natura, et ratione mutabilem mordicus tenentes, regna maxima, nobilissimasque provincias statim amittatis, aut illum paululum inflectentes pacata omnia atque tranquilla summa cum fidei Catholicæ et Romanæ Ecclesiæ amplitudine reddatis. Hæc omnia a me non tam ut oratoris, quam ut episcopi et Romano Pontifici jurejurando devincti personam gerente, atque ex conscientia dicta esse velim existimetis ».

75. Cardinalis etiam Mantuanus[1] in Congregatione habita XXII Augusti peroravit, imperatorem maximis precibus contendere in litteris suis, ut in Hungaria, Bohemia ac aliis provinciis sibi subditis communio Calicis permittatur, in spem enim magnam se adduci, maximam aberrantium partem a fide Catholica ad Ecclesiæ gremium ea ratione redituram, ejusdemque Cæsaris fidem, religionem ac prudentiam commendavit, sine cujus auxilio hæc Sancta Synodus congregari non potuisset, Patresque admonuit, ut hæc summa consilii maturitate perpenderent, ut Synodus felices exitus sortiretur.

Gravissimæ utrinque rationes distrahebant animos, quas Gabriel Palæottus[2] in Actis suis commemorat :

« *Rationes ex quibus petitio Germanorum et aliorum, ut eis concedatur communio sub utraque specie, æqua ac decens videtur.*

« I. Quod Ecclesia diutissimo spatio plus mille et ducentorum annorum hunc morem admisit, ut indifferenter omnes communicarent sub utraque specie, quibus temporibus fuerunt Apostoli, Martyres, et tot alii sancti ac religiosi, et tot Concilia sanctissima, quæ nunquam improbarunt hoc statutum.

« II. Quod hic est purus ritus, quem Ecclesia potest, prout ei videtur, mutare, idque Concilium Constantiense admittit. Quod si aliquo tempore id permitti posse debet, certe nunc maxime expedire videtur, tot urgentibus causis, quæ notæ sunt, alias nunquam in posterum erit hoc concedendum, et frustra Concilium permisisset aliquando posse mutari, si nunc non conceditur.

« III. Quod Paulus III id certis conditionibus in Germania concessit, nec nova hæc est permissio, imo hodie in Gallia monachi aliquot non celebrantes Missam et rex ipse certis temporibus utramque speciem sumunt, et tota Græcia observat, et alia etiam loca absque ullo scandalo seu periculo.

« IV. Magna efflagitatio majestatis Cæsareæ, cui hæc dignitas committitur ab Ecclesia, hac præcipue de causa, ut Catholicam religionem tueatur et augeat; cumque ejus auctoritas hac in parte fide publica nitatur, ei diffidere nefas videtur, iisque assidue urget et protestatur, hanc rem utilem maxime sanctæ Ecclesiæ futuram si concedatur, et damnosam si negetur, itaque illi potius credendum esse, qui ita affirmat, quam aliis, qui tantum dicunt se vereri.

« V. Apponuntur tot conditiones in ejus usu ut major inducenda sit religio in his nationibus, si concedatur, quam si negetur.

« VI. Exemplum Græcorum, qui habent usum calicis, et tamen ab Ecclesia non sunt separati, diciturque eis etiam concessum privilegium a Paulo III, nec apud eos auditur ullum periculum effusionis, prout attestantur prælati qui hic adsunt, et habent Ecclesias suas in iis locis.

« VII. Certa pernicies est tot nationum, et concitatio eorum adversus Catholicos, si eis prohibeatur, et magna spes incolumitatis, si concedatur, ut omnes ii affirmant, qui notitiam eorum habent, non tantum prælati nationales et imperator ipse, sed etiam alii cujuscumque Ordinis, velut cardinalis Mantuanus. Item nuntius papæ ad imperatorem, theologus Canisius, et alii, imo papa ipse, qui olim in iis locis versatus fuit, creditur huic concessioni satis acquiescere.

« VIII. Magnum periculum perturbandi et interrumpendi Concilii ex proximis comitiis Germaniæ, si eis denegetur, et omnia armis et seditionibus vexandi, cum præsertim hoc jam a multis annis assidue petierint, nec conditiones ullas ad declarandam piam eorum mentem recusaverint.

« IX. Quod si abutantur hoc usu calicis, aut progressu temporis cognoscatur detrimentum hinc accidere Catholicæ religioni, statim poterit revocari, hoc enim inter alias conditiones comprehenditur.

« X. Exempla varia similium rituum, quæ aliquando concessa aut dissimulata sunt, modo nationes ad unitatem fidei, in his quæ præcipua sunt, reducantur. Sic in Concilio Florentino Græci ad gremium Ecclesiæ redacti sunt, et usus calicis non ideo eis interdictus.

« XI. Quidquid accidet, magna erit Catholicorum consolatio, se nihil prætermisisse ut illi nobiscum pure et sancte conjungerentur; magna etiam hinc ratio ad redarguendos adversarios, atque eorum malitiam patefaciendam coram rudibus eorum populis, ut hinc agnoscere incipiant se ab illis occulte decipi.

« XII. Controversum adhuc est apud theologos, an plus gratiæ acquiratur ex sumptione

1 Astulph. Servantius in Actis Cong. habitæ XXII Aug. MDLXII. — 2 Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Aud. Rot. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 24. p. 171.

utriusque speciei, quam unius tantum, ideo qui petit utramque, eligit tutiorem partem, et injuria ei fit, si prohibeatur ».

76. *Rationes quod non videatur concedenda Germanis et aliis communio sub utraque specie.*

« I. Ingens scandalum, quod orietur apud alias nationes Catholicas, quæ institutæ in hac laudabili Ecclesiæ consuetudine, abhorrent maxime ab usu calicis. Imo inter ipsosmet Germanos permulti sunt, qui hoc damnant, unde excitabitur facile perturbatio inter eos, et in tota Ecclesia.

« II. Hoc exemplo cæteræ nationes, quæ non prorsus constantes sunt in fide Romanæ Ecclesiæ, statim idem petent, nec recte eis poterit denegari, paulatimque videbimus pravum hunc morem apud omnes irrepere, qui postea cohiberi non poterit.

« III. Alias sub temporibus Concilii Constantiensis, et novissime temporibus Pauli III, cum hoc idem sub quibusdam conditionibus esset eis concessum, illi tamen nunquam eas observarunt, ita ut cum sæpius periculum factum sit hac in re de eorum verbis, statu, et fide, et promissione, nunc stultum videtur id amplius tentare.

« IV. Hoc eis concesso, æque et conjugium sacerdotum, et esus carnium (nempe Quadragesimæ tempore) ab eis postulabitur, imo jam aliqui ex iis incipiunt nunc petere, cum dicant hæc tria eadem ratione niti. Hæc autem quam valde piorum aures offendant, et ab Ecclesia Dei repellenda sint, nemo non videt.

« V. Rationes, quibus olim adducta fuit Ecclesia ut sub una tantum specie communicaret, videbuntur quodammodo injustæ fuisse, et non necessariæ, cum potuerit tunc æque concedi hic usus calicis sub iisdem conditionibus, quibus hodie dari petitur, et tamen antea indistincte fuit consuetudo unius speciei recepta, et a Constantiensi Synodo probata.

« VI. Constat inter omnes eos petere, quia vulgo ipsimet aiunt, dari sibi detruncatam cœnam Dominicam, et quia plus divini auxilii sperant se consequi ex usu utriusque speciei. Nunc igitur quamvis ex conditionibus adjectis teneantur aliter confiteri, erit tamen hæc protestatio inepta et ridicula, cum animus eorum satis certus et exploratus sit, et potius dabitur eis occasio perjurii et sacrilegii.

« VII. Hi qui petunt, si in aliis etiam hæretici sunt, non licet hoc eis concedere, nisi prius re ipsa alias hæreses deponant, et testimonium evidens factis, non verbis solis dent, se ab aliis erroribus discessisse; quod si Catholici effecti sunt, impossibile videtur, eos tangi adeo ardenter hoc desiderio, nisi ex perversa aliqua ratione, quoniam qui Catholicus est, tuto acquiescit traditionibus majorum, nec amplius est sollicitus, imo qui adeo pertinaciter certat super re, quæ nihil expedit ad salutem, is eo magis suspectus redditur, et ab eo vehementer cavendum.

« VIII. Ratio illa Ecclesiæ ob periculum effusionis ac sacrilegii adhuc vigebit; nunquam enim adhibitis etiam omnibus cautionibus huic rei poterit provideri, præsertim in magna multitudine diebus Paschatis, ubi cadus vini vix sufficiet, qui nec poterit, nec decebit consecrari, nec senibus, nec paraliticis, absque magno periculo ministrari.

« IX. Si quando Ecclesia permisit usum calicis, id fecit dissimulatione quadam, et sensim admissum, non statim generaliter ullo in loco introductum, propter scandalum et alia incommoda; nunc vero generali illud Synodi decreto constituere nimis novum est, ab antiquissimis Patribus nunquam probatum.

« X. Mirum est tot alias vere Catholicas nationes, quæ nunquam in fide vacillarunt, ac zelo Dei et scientia præstant, eas tamen non solum hoc non appetere, sed potius detestari. Quomodo igitur existimabimus hos, qui quotidie improbum aliquid adversus Ecclesiam machinantur, sola nunc pietate, ac Dei cultu, et non potius malitia hæc efflagitare ?

« XI. Si quid concedendum esset, id a Summo Pontifice fieri oportet, qui per ejus legatos, nuntios et ministros recte instructus esse potest de moribus, ingenio et fide istorum qui petunt. At Patres, qui sunt in Synodo, nullam fere harum nationum notitiam habent, nec tuta conscientia videntur id posse indulgere, cum nesciant, qui sint, quantum eis fidendum, quid de eis sperandum.

« XII. Nullo unquam tempore tot hæreses circa hoc Sacramentum extiterunt, quod hodie vigent. Ubi aliquid nos immutamus, statim aliqua hæresis ex iis majores sumit vires, faciliusque imperito populo hinc persuadetur, sic et cætera hujus Sacramenti immutari posse, aut non omnino esse firmum, quod a nobis hactenus defensum est. Hæretici nihil magis quærunt, quam unitatem hanc Ecclesiæ scindere. Porro novitates omnes fugiendæ sunt, et antiquis traditionibus, tanquam tutiori regulæ hærendum ».

Conditiones apponendæ, si quando concedatur sub utraque specie.

« I. Quod in omnibus, tam circa hoc Sanctissimum sacramentum et omnia alia sacramenta, quam circa quæcumque alia pertinentia ad fidem et ad ritus, conforment se cum sancta Romana Ecclesia, et confiteantur in primis, ut acceptent decreta, et alia ab hoc sancto Concilio terminata et terminanda.

« II. Credant et doceant consuetudinem ab Ecclesia probatam, et diu observatam, videlicet communicandi sub altera tantum specie esse nedum consentaneam divino juri, sed laudabilem et pro lege observandam, nisi ab Ecclesia aliter statuatur, et quod aliter pertinaciter sentientes hæretici sunt censendi.

« III. Quod Sanctissimo D. N. tanquam universali Ecclesiæ episcopo et pastori, fideli et sincero animo tanquam obedientes filii omnem obedientiam exhibeant.

« IV. Quod archiepiscopis, episcopis et aliis prælatis suis similiter obedientiam et reverentiam præstent.

« V. Quod usu ipso et experimento per aliquod tempus comprobetur, illos in reliquis rebus religionis nobiscum convenire, et deinde id ex gratia petant, non tanquam debitum, nec necessarium ad salutem, sed ex mera et speciali gratia.

« VI. Si concedendus erit Calix, concedatur unicuique in provincia sua, non in aliis locis.

« VII. Non compellant aliquos, ut isto modo communicent ».

77. *Responsio ad rationes eorum, qui dicunt non esse concedendam communionem sub utraque.*

« I. Dicitur adhiberi posse Calicem ministerialem confectum in hunc usum, prout cernitur in Ecclesia Brixinonensi, et aliis multis Ecclesiis, et prout olim fieri solebat.

« II. Quod hodie in tota Græcia, ubi est frequentissimus populus, nunquam tamen accidit hujusmodi effusio, quod episcopus Calaminensis inter cæteros attestatus est.

« III. Si ratio hæc vera esset, frustra Concilium Constantiense reservasset sibi hanc facultatem concedendi usum Calicis.

« IV. Idem fere periculum in fractione hostiæ accidere potest, ut in regula sancti Dominici expresse cavetur, nec in purificatione, qua utimur in die Paschatis, hoc unquam accidit.

« V. Olim tota Ecclesia spatio plus mille et ducentorum annorum semper calicem omnibus concessit, nec unquam sola suspicio hujus periculi tam pium usum immutavit.

« VI. Hodie, qui apud nos utramque speciem petunt, iidem propria auctoritate inter se utramque sumunt, et nihil de effusione metuunt, nec ex hoc solo ab ea abstinent.

« VII. Spes recuperandæ eorum salutis potior esse debet quacumque suspicione, atque omnes has difficultates indubie superare.

« Hæc diffuse exposita a Drascovitio Quinquecclesiensi episcopo narrat Carolus Vicecomes in litteris ad Carolum cardinalem Borromæum III Septembris datis ».

78. Coactos [1] a Quinquecclesiensi episcopos Galliæ, Lusitaniæ, Helvetiorumque oratores in ædibus archiepiscopi Pragensis mense Septembri refert Carolus Vicecomes episcopus Vintimiliensis, postea cardinalis, in litteris ad Carolum Borromæum cardinalem, ursisseque ipsos, ut conjungerent studia pro calice impetrando, et de Concilio inique conquestum, sed Lusitaniæ et Helvetiorum oratores prudenter illius petita repulisse, Gallos, quamvis petitis studerent, non tamen regia de his mandata accepisse : porro Hispanos et Vargam oratorem fortiter restitisse Cæsareis, monuisseque populos non staturos promissis, vertique eam concessionem in damnum regni Hispaniarum. Refert etiam incaluisse adeo in ea controversia animos, ut diceret Bavarus orator, ni concederetur calix, populos illum usurpaturos; adderet Quinquecclesiensis, eo non concesso, præstare ut nunquam Concilium coactum fuisset; plures enim populos, quos impetrandi illius spes continuerat in officio, ab Ecclesia defecturos : cardinalis Mantuanus affirmaret, Synodum, nisi Calicis usum Cæsareis permitteret, felices progressus non habituram ; e contra alii adversus Calicis usum ardentissime declamarunt adeo, ut abbas Canonicorum Regularium dicendi impotentia elatus pronuntiarit, petitionem Calicis sapere hæresim, et peccatum lethale, qui tamen mox increpitus ab Hercule cardinale Mantuano, ac silere jussus veniam erroris petiit, acceptaque copia fandi distinxit petendi illius a multis ardorem accensum ex occasione hæreticorum, qui Calicem necessarium ad salutem existimarunt, quod illustre et conspicuum erat, atque a pluribus præsulibus repetitum est, ut patet ex Ms. Vaticano [2], in quo imminentia pericula describuntur, si populis illis petitus Calix concederetur.

79. « Certum est, quod is error (nempe de necessitate calicis) ab Wicleff et Joanne Huss ad invidiam Ecclesiastici ordinis excitatus fuit; dixerunt enim sacerdotes communionem calicis solos usurpasse in missa, et eamdem laicis ad salutem necessariam invidisse. Quod si laicis communio calicis permittatur, proculdubio dicent laici, Joannem Huss circa hunc articulum veritatem docuisse ; similiter et Lutheri doctrinam, quæ cum Hussitica consonat, injuste reprehendi atque condemnari. Valde timendum est, ne si communio calicis regum et principum Catholicorum subditis concedatur, etiamsi in Catholica religione se permansuros promittunt, tamen non solum in ea non perduraturos, sed etiam vel in Zuinglianam vel in Calvinianam hæreses esse lapsuros : nam experientia hactenus docuit, eos, qui sub regno Lutheri sub pane et vino in sacramento Eucharistiæ veritatem Cor-

[1] Ext. in Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1345. et in alio card. Pii sig. num. 201. — [2] Tom. XI. de Conc. sig. num. 3198. p. 10.

poris et Sanguinis Christi esse crediderunt, tamen majorem partem eorum, vel ad Zuinglianos vel ad Calvinianos defecisse : nec hoc sane mirum, quia laxatis habenis unius hæresis, qui facile eadem infecti sunt, in alias prolabuntur. Atque ex his facile intelligitur, inutilem esse persuasionem eorum, qui putant, permissa Calicis communione laicis, eos in Catholica religione permansuros et retineri posse.

« Collatis igitur inter se periculis, quæ utrinque et ex permissione, et ex denegatione communionis Calicis provenire possunt, graviora visa sunt, quæ ex permissione, quam quæ ex denegatione communionis Calicis accidere possunt ».

Philadelphiensis episcopus Germanus Eistensis episcopi suffraganeus atque procurator professus se homini Deum præferre [1], licet ejus sententia Cæsari futura esset ingrata, exposuit, usum Calicis sine manifesto effusionis periculo usurpari non posse, cum noctu per nives et glacies perque abrupta itinera sanguis deferendus esset ad infirmos, quo non propinato, illi sacramentis muniri detrectaturi essent; interea hæreticos insolentissime se elaturos, atque in perfidia pertinacissime hæsuros, et coram populo jactaturos, tandem a papistis agnitam veritatem ; imbutos enim eo errore, Calicis usum ex præcepto Domini necessarium ; idque lecto Catechismo Lutherano confirmavit; tum addidit maximam imperitorum multitudinem in summum discrimen adducendam, ne ad hæreticos deficeret, cum enim auditura esset a Concilio permissum Calicis usum, non perpensis conditionibus appositis, suspicaturam hactenus ab hæreticis prædicatam fidei veritatem, atque ad eorum ritus dilapsuram, ex eo vero ritu in Germaniam inducendo alias quoque provincias, maximeque Gallias ad novitatem spectaturas, conari vero hæreticos hac ratione, veluti cuneo immisso dogmata Catholicorum infringere ; tum addidit : cum calicis usus pro tota Germania peteretur, proximæ dietæ finem expectandum, ut Germaniæ episcopi de ea re consulerentur, atque provinciarum archiepiscopi rem cum suffraganeis expenderent ; ac demum conclusit, eos, qui tanto ardore expetebant Calicem, hæreseos radice infectos esse. « Tridenti ultima Augusti MDLXII ».

80. Dixerat Mutinensis episcopus [2], permitti posse calicem Germanis potiori jure, quam permiserant Apostoli neophytis cæremonias legis, licet jam abolitæ essent. At Jo. Baptista Hosius Reatinus episcopus objecit, eas quidem permissas, dum mortuæ essent, at non mortiferæ, at cum mortiferæ esse cœpissent ob Ebionis hæresim, eas sustulisse : porro nullam spem convertendorum hæreticorum ex Calicis concessione affulgere, ac saluberrimis monitis informandum Cæsarem, ne ea petat, quæ nec subditorum populorum saluti, nec Dei Ecclesiæ, cujus se acerrimum defensorem gerit, conducunt.

[1] Vicecomes Episcopus Vintimiliens. in lit. ad card. Borrom. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1345. p. 13. — [2] Ib. p. 41.

Promoventibus [1] postulata de calice laicis porrigendo Pragensi archiepiscopo, et episcopo Quinquecclesiensi Cæsareis oratoribus mense Augusto, ut gratia a populis illud exoptantibus iniretur sub Maximiliani II novi regis auspiciis, nec votis eorum consentiente Concilio, sed ad Pontificem rem referente, Quinquecclesiensis episcopus contracto ex ea re jurgio mense Octobri ineunte terrorem injicere Patribus ausus est, ne Germani Concilium turbarent, et conflarent schisma, expectatione sua illusi, exeunteque eodem Octobri mense acerbiora in Congregatione laxavit verba : satius fuisse, ut nunquam coactum fuisset Concilium, jam enim populis Germaniæ abscissam spem Calicis impetrandi, illiusque cupidine in hæresim præcipites ruituros [2]; affulgere enim spem exiguam, ut id beneficium a Pontifice conferretur, cui cardinales a Paulo IV creati adversati essent. Porro Ferdinandus Cæsar votorum impos inique accepit, Calicis usum clientibus suis negatum, nec enim perpendebat, ut perpenderant Patres, Germanos, Bohemosque et Hungaros non pietatis sensu delibutos, sed quadam Lutheranæ hæreseos contagione perlitos, et stulta væsania incitatos calicem flagrantissimo eo ardore postulasse, cumque illius a Pontifice obtinendi spe excideret, perturbato animo, Cæsareæ aulæ præsulibus adstantibus dixit, ut curarent strenue quæ ad ipsos spectarent, se posthac ad Calixtinos ad fidem Catholicam impellendos, consuetos labores non suscepturum. Quibus auditis, Vicecomes Carolo Borromæo cardinali auctor fuit, ut ad pericula graviora avertenda, cœpta de calice actio intermitteretur, et conciliandi Cæsaris ratio iniretur.

81. Feria IV, in prima Congregatione [3] die XVI Septembris, Justinopolitanus episcopus de communione calicis hanc protulit sententiam adversus eos, qui Cæsarea gratia et auctoritate eam extorquere affectabant :

« Tempus nunc est dicendi ; de facili a justitia deviat, qui plus homines quam Deum formidat. Magna ergo, sanctissimi Patres, arbitror vos affectos fuisse injuria, cum quidam ex oratoribus dixerit, ut audistis, quod serenissimus et invictissimus imperator nihil potuit obtinere a nobis et quod etiam habitus est contemptui, et nullius fere existimationis. Nonne Patres omnes, cum suas ferrent sententias, hoc in loco extulerunt nomen serenissimi Cæsaris usque ad

[1] Carol. Vicecom. in lit. ad card. Bor. Ms. card. Jo. Bapt. Sp. XIV et XX Aug., et III Sep., et V Octob. et XXIX Octob. — [2] Ib. p. 1199. Novembr. — [3] Tom. XI. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3198. p. 79.

astra, ipsumque, et piissimum Dei et Ecclesiæ cultorem et defensorem prædicarunt? Ego nunc, beatissimi Patres, proferam sententiam meam super proposito nobis articulo voluntati serenissimi Cæsaris prorsus conformem.

« Audivimus elapsis diebus, reverendissimum quemdam Patrem fuisse testatum, se ab ore ipsius serenissimi imperatoris accepisse, quod summopere majestas sua id tantummodo ab unoquoque nostrum optabat, ut non pro suæ majestatis voluntate, sed tantum pro conscientia et pro Dei gloria unusquisque votum suum diceret. Nos igitur, sanctissimi Patres, cum pro gloria divini nominis, et pro reverentia et dignitate pretiosissimi sanguinis sui dixerimus sententias nostras, satis per omnia fecisse piæ voluntati serenissimi Cæsaris credendum est. Quamobrem eodem nunc ego incedens, iterum dico, totum integrumque calicis negotium sanctissimo domino nostro esse remittendum, nec ullum conficiendum super hoc aut promulgandum esse decretum. Et hæc est mea sententia ».

82. Patrum omnium sententiæ [1] adeo in universum incertæ et designatæ visæ sunt, ut nemini exploratum esset, quid a pluribus probaretur; septem enim præcipue opiniones probatæ colligebantur.

« Prima, eorum, qui dixerunt, negotium hoc in aliam Sessionem differendum, et cum sit gravissimum, maturius cogitandum. Interim vero supplicationes, jejunia, eleemosynas orationesque Deo habendas, ut quidquid agendum sit, omnibus inspiret; interim etiam ad omnes archiepiscopos et episcopos Germaniæ, aliosque etiam insigniores in Europa episcopos litteras conscribendas, ut eorum judicium intelligatur.

« Secunda prorsus negans calicem permittendum.

« Tertia huic prorsus contraria, affirmans eum concedendum.

« Quarta, eorum, qui totum negotium ad papam rejecerunt, ita tamen, ut in actis Synodi nullum de ea re decretum conscribatur.

« Quinta, eorum, qui primum articulum probarunt, in secundo autem executionem dixerunt papæ esse relinquendam, qui illuc nuntios et legatos suos mittat, illique in re præsenti, pro eorum prudentia quod salubrius dixerint, decernant.

« Sexta, eorum, qui visi sunt articulos admisisse, tot tamen conditiones iis adjecerunt, et tam longum tempus requirentes ut potius petitioni repugnare videantur, aut saltem media sit hæc sententia incerta et perplexa.

« Septima, eorum, qui de Bohemis et Hungaris pure responderunt; de aliis autem, vel omnino negarunt, vel se ad papam rejecerunt ».

Vota autem in præsenti fuerunt infrascripta, quamvis deinde in Sessione nonnulli ex iis sententiam mutarent :

« Qui rem differendam maturius, quatuordecim.

« Qui negarunt simpliciter, triginta octo.

« Qui affirmarunt simpliciter, triginta.

« Qui retulerunt se ad arbitrium papæ, viginti quatuor.

« Qui primum articulum probarunt, sed executionem papæ reliquerunt, triginta supra unum.

« Qui dubie, et cum variis conditionibus responderunt, undecim.

« Qui affirmative tantum pro Bohemis et Hungaris, octodecim.

« Omnes fuerunt numero centum sexaginta sex.

83. « Quinquecclesiensis, ubi intelligit incertas adeo Patrum esse sententias, ut certum nullum, sicuti ipse optabat, decretum conflari possit, magnam præ se fert animi perturbationem, non cessat tamen aliam rationem inire, qua Cæsaris desiderio aliqua ex parte satisfiat, cum legatis diligenter agit, ut decretum de usu calicis in hunc sensum componatur, nempe ut Synodus negotium quidem ad papam rejiciat, prout crebrior Patrum sententia visa fuerat, eadem tamen Synodus papæ suadeat, ut eum petentibus juxta conditiones in articulo comprehensas benigne concedat ». Nonnullis interjectis addunt Acta : « Proposito hoc in consessu decreto plurima pars Patrum repugnavit, nullum enim hac de re consilium papæ dandum esse sentiebant, ne calicis concessionem Synodus ipsa unquam probasse videretur; parum quoque prudenter fieri aiebant, si Synodus consilio suo prudentiam papæ vellet antevertere. Non enim decere consilium non petenti impertiri et præsertim beatissimo Romano Pontifici, quo longe inferior tota Synodus censetur.

84. « Hæc cum Mantuanus animadvertit difficillimumque esse a Patribus quidquam amplius obtineri, quam ut negotium ad Sanctissimum pure rejiciatur, aliud statim decretum verbis brevissimis conscribi jubet, de quo ad Synodum [1] statim instante jam sessionis die referatur ; ejus erant hæc verba :

« Insuper cum eadem sancta Synodus [2] superiori sessione duos articulos alias propositos, et tum nondum discussos, videlicet, an rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus, et an, si honestis et Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Aud. Rotæ Ms. Franc. car. Barb. sig. num. 24. p. 175.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Ms. Franc. card. Barb. sign. num. 24. p. 177. — [2] Act. Conc. Trid. 157. fin.

alicui, vel nationi, vel regno, calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quænam illæ sint, in aliud tempus oblata sibi occasione examinandos atque definiendos reservaverit; nunc eorum, pro quibus petitur, saluti optime consultum volens decrevit, integrum negotium ad Sanctissimum dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert, qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile reipublicæ Christianæ et salutare petentibus usum calicis fore judicaverit ». His consentiunt legatorum cardinalium litteræ [1] ad Carolum cardinalem Borromæum datæ, quibus exposuere triginta septem præsules in Congregatione habita xv Septembris negasse concedendum laicis calicis usum, quatuordecim nec concessisse, nec negasse, nonnullos conquestos rem extorqueri, nonaginta septem sensisse concessionem calicis ad Pontificium arbitrium referendam ; itaque Pontificem posse Cæsari, concesso ejus subditis calice, gratificari; quibus consentanea repetuntur a Gabriele Palæotto [2] in Actis Concilii Tridentini :

« Tandem Deo adjuvante reperti sunt XCVIII, qui decretum approbarunt, et XXXVIII, qui decretum impugnarunt, sicque negotium, quod tantopere perplexum et controversum fuit, tandem hunc exitum habuit, ut ad Sanctissimi nostri arbitrium referatur ».

De quo editum est decretum [3], quod in sessione VI celebrata decima septima Septembris promulgatum est :

Decretum super petitione concessionis calicis.

« Insuper cum eadem sacrosancta Synodus superiori sessione duos articulos alias propositos, et tunc nondum discussos, videlicet, an rationes, quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos atque etiam non celebrantes sacerdotes sub una panis specie, ita sint retinendæ, ut nulla ratione calicis usus cuiquam sit permittendus, et an si honestis et Christianæ charitati consentaneis rationibus concedendus alicui nationi, vel regno calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus concedendus sit, et quænam illæ sint, in aliud tempus oblata sibi occasione examinandos atque definiendos reservaverit, nunc eorum, pro quibus petitur, salutis optime consultum volens decrevit integrum negotium ad Sanctissimum dominum nostrum esse referendum, prout præsenti decreto refert, qui pro sua singulari providentia id efficiat, quod utile reipublicæ Christianæ et salutare petentibus usum calicis fore judicaverit ».

[1] Ext. in Ms. Franc. card. Barb. sign. num. 1444. Ep. CXXXV. XVI Sept. MDLXII. — [2] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 179. — [3] Act. sess. XXII quæ est sub Pio sexta.

85. Permissum a Pio IV Ferdinandi Cæsaris clientibus laicis certis legibus calicis usum visuri sumus, ac licet initio non exiguus fructus, multis Lutheranis ad Ecclesiæ castra revocatis, decerptus videretur, progressu tamen temporis observatum est, plura incommoda atque offendicula ex ea concessione consecuta, necnon Lutheranos in sua pertinacia magis obdurasse, adeo ut propter graviora mala inde oborta, concessio calicis rescissa sit a Pio V et aliis Pontificibus, non enim ex puritate et ardore fidei, sed ex ambiguitate et fluctuatione fidei cupido illa calicis dimanarat, ut præsules prudentissimi senserant.

Hæc ad communionem sub utraque specie spectantia, licet variis discreta temporibus, conjungenda visa sunt, ne orationis series variis interrupta argumentis confunderetur.

Porro in memorata sessione quinta [1] præter decretum de communione sub utraque specie, decretum aliud de arctiore constituta disciplina, sive de reformatione, ut vocant, novem distinctum capitulis promulgatum est ; tum Sessio proxima in decimam septimam Septembris indicta.

86. *Articuli Gallorum de reformatione*, *et legatorum responsio.* — Ut vero Cæsarei oratores plura capita disciplinæ Ecclesiasticæ ad normam temporum calamitati congruentem redigendæ adduxerant, ita Gallici oratores triginta quatuor articulos in regio sanctiore senatu digestos pro sancienda puriore morum forma corruptelisque abolendis attulere, quos discutiendos, atque, an conducerent Christianæ reipublicæ, ponderandos, pie et modeste Concilii arbitrio permisere, cur vero tardius hosce exposuerint, in præludio articulorum explicuere his verbis [2] :

« Constitutum nobis oratoribus erat jampridem ex officii nostri ratione et Christianissimi regis mandato ad sanctam Synodum ea referre, quæ hoc scripto continentur, sed cum Cæsarea majestas per reverendissimos et charissimos viros oratores suos eadem fere vobis proponenda curasset, nostraque omnis petitio cum eorum postulatis mirifice conveniat, sustinuimus aliquantulum expectantes, dum aliquid a vobis decerneretur ; quid enim multis postulatis minime inter se pugnantibus, vix etiam diversis, molestos esse vobis necesse fuit? præsertim cum ea, quæ adjicienda forte videbantur, vel tacite inessent, vel necessariam ex superioribus consequentiam haberent. Itaque restitimus atque distulimus certo judicio. Nunc autem principis nostri litteris victi, et quia Cæsareum illud negotium longius protrahebatur quam spes fuerat, differendum amplius minime rati, quanta potuimus simplicitate et brevitate ver-

[1] Act. Conc. Trid. sess. XXI. quæ est V sub Pio IV. p. 134. — [2] Evt. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 140. in lib. excuso an. MDCXIII. p. 248. Ext. etiam apud Nat. comit. l. XIV. hist.

borum, quæ nobis ad constituendam rempublicam Christianam necessaria videntur et opportuna scripto complexi sumus. Hoc autem volumus vos existimare, nil nobis a cæterorum Christianorum salute præcipuum esse, nihilque singulare; Carolum vero regem nostrum cupere quidem, ut petitionum suarum omnium ratio habeatur, sic tamen a Christiana disciplina edoctum et institutum esse, ut vobis omnia tribuat, rerumque omnium istarum rationem, cognitionem et judicium ad vos omnino sciat pertinere.

« Cum Sacerdotes in primis castos esse oporteat, etc. » Subjicitur articulorum formula, quæ suis concepta verbis inferius affertur, additis responsis legatorum præsidum Concilii, necnon cardinalium senatus, qui a Pontifice de his consultus fuit: circa præludium autem articulorum hæc animadversa sunt [1] :

87. « Quia in præfatione triginta quatuor postulatorum exhibitorum a Gallis oratoribus cognitio ac judicium omne referebatur ad Concilium, nulla mentione Pontificis, flagitatum est ut Galli sententiam suam nitidius explicarent, atque additum : Nam nemini dubium est, quod Concilium generale robur et auctoritatem accipit a Romano Pontifice, ac in ejus statutis semper intelligitur excepta auctoritas ipsius, prout est text. in cap. Significasti in fin. extra de elect. quia potestas ejus ex Deo est, nec per homines restringi potest, cum inferior non habeat jus in superiorem, ac suprema Ecclesia una ædificata est, sicut est una fides. Et licet parem habeat potestatem papa cum episcopis quantum ad ordinem et rationem consecrationis, tamen in jurisdictione et administratione ipsa est major, episcopi enim in partem sollicitudinis in suis diæcesibus assumpti sunt, et divino præcepto constituti ad regendum sibi oves commissas : et sicut rami arboris multi sunt, sed robur unum radice tenaci fundatum; ita una est Ecclesia, et unum caput extendens ramos suos ubertatis copia per universum orbem : et si videatur diffusa, tamen unitas integra servatur in origine, ut de his est tex. in cap. in. novo dist. XXI et cap. Loquitur XXIV, quæst. I et ad illum solum pertinet Concilium congregare, c. I et III, dist. XIX et ideo II, q. 6 et c. I regula 55. Porro dist. III. Nec ratum ullum esse potest, nisi sit auctoritate Pontificis, vel legati ab eo ad hoc specialiter destinati fulcitum, ut c. regula d. dist. XIX. Quinimo si aliqua dubitatio emergat in ipso Concilio, ad Sedem Apostolicam pro recipienda ratione semper recurrendum est, ut c. Non licuit sup. ead. di. quare cum ab Ecclesia Romana omnis potestas nascatur, quæ quidem non ab Apostolis, sed ab ipso Christo Salvatore nostro primatum accepit cap. Sacrosancta dist. XXII qui jus aliquod dictæ Ecclesiæ detrahere audet, proculdubio in hæresim labitur et hæreticus est, ut est text. in c. Omnes sub. ead. dist. Quia est mater fidei, prout ibi. Non est ergo credendum hos velle aliquid detrahere Sedi Apostolicæ, ac per hoc hæreticos appellari [1].

Articulus I.

88. « Cum sacerdotes in primis castos esse oporteat; ex sacerdotum autem incontinentia in Dei Ecclesia magnæ nascuntur offensiones, provideat sancta Synodus, ut non alii in posterum ordinentur sacerdotes quam seniores, et qui a populo bonum habeant testimonium, ut ex anteacta vita, quales postea sint futuri, non levis sit conjectura, et sacerdotum libidines et flagitia acerrimis canonum pœnis coerceantur.

Responsio legatorum.

« Quoad primam partem dicimus, primæ petitioni satis provisum esse ex decreto a nobis composito sub num. IX quod edetur in hac Sessione, aut sequenti, in quo agitur et de populi testimonio adhibendo, et de ætate sacerdotum, quæ videtur sufficere in vigesimo quinto anno, prout ex canone Lateranensi sub Alexandro III, qui permittit, constitutum in tali ætate parochialem Ecclesiam posse detinere, et in Concilio Viennensi sub Clemente V. Dum etiam requirit petitio, statui de vita et incontinentia Sacerdotum, id jam a nobis in alio canone separatim actum est contra concubinarios sub num. XI. Idem etiam constitutum in præcedenti Sess. V., ubi agitur de vita et moribus clericorum.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio per reverendissimos legatos transmissa, ut sit aliqua differentia inter episcopos et presbyteros.

Articulus II.

« Cavendum est, ne eodem die aut tempore omnes sacri ordines uni conferantur, cum oporteat secundum antiquos canones, promovendum ad majores ordines, prius in minoribus digne et aliquo tempore versatum.

Responsio legatorum.

« Provisum eidem fuit in canone jam formato sub num. VIII, qui etsi loquatur tantum

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 140. Ext. in lib. excus. an. 1613. Gallice p. 243. Latine p. 248.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. nem. 3239. p. 168.

de minoribus ordinibus, tamen non fuit visum necesse idem statuere de sacris Ordinibus, cum in his regulariter soleat observari jus commune : et si opus fuerit, in his innovabuntur canones.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Videtur servandum jus commune, et placet responsio per reverendissimos legatos transmissa.

Articulus III.

« Nullus ordinetur presbyter, cui non continuo secundum Concilium Chalcedonense detur una cum ordine beneficium, aut ministerium aliquod Ecclesiasticum ; sic enim fiebant ordinationes a priscis illis Patribus, qui titulos patrimoniales multo post tempore inventos non agnoverunt.

Responsio legatorum.

« Provisum est in quinta sessione sub Pio IV, canon. II, quo tempore fuerunt a Patribus considerata ea omnia, quæ proponuntur in petitione.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio, ut supra.

Articulus IV.

« Diaconis et aliis sacris Ordinibus restituatur debita et antiqua functio, ne amplius nuda et in cæremoniis tantum posita nomina dicantur.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Oportet formare decretum, in quo admoneantur episcopi, ut curent, si fieri potest, ut antiquæ functiones restituantur, nec enim concedi posse videtur decretum generale præcipiens, ut in singulis minoribus ordinibus, de quibus principaliter petitionem sentire credimus, hæc observentur, cum multæ sint Ecclesiæ, quæ non habent, nec titulos beneficiorum, nec redditus, qui sufficere possint pro instituendis his muneribus ; unde decretum non posset generalem habere executionem.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio, ut supra.

Articulus V.

« Presbyteri, sacrisque initiati, et cujusvis Ecclesiæ ministerio addicti, in ea vocatione, in qua a Domino vocati sunt, permaneant, neque in alio munere et officio, quam quod Dei ministrum deceat, versentur.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Viderentur innovandi canones prohibentes clericos, ne sæcularia negotia cupiditatis causa tractent, quoniam simpliciter hoc eis prohibere, esset adversus juris dispositionem, quod permittit episcopos interesse consiliis principum sæcularium, et etiam esset contra multarum Ecclesiarum utilitatem.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio, ut supra.

Articulus VI.

« Nullus eligatur episcopus, qui non ætatis sit legitimæ, iisque moribus et doctrina præditus, ut et populum docere et ei vitæ exemplar esse possit.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Satisfactum fuit in sessione præcedenti sub Pio IV, can. II, ubi latius explicantur qualitates requisitæ, quam hic in petitione.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio, ita tamen, ut serventur concordata Galliæ circa qualitates requisitas in episcopo.

Articulus VII.

« Is quoque creetur plebanus, qui et probatæ sit vitæ et qui populum in lege Dei possit instruere, et illorum usum et effectum illos, quibus ea administrat, recte docere.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Idem jam constitutum sub Paulo III, sess. 7, et poterit etiam addi in curatis vacantibus per obitum, ut fiant provisiones per oppositiones, quas vocant, quod petitur a compluribus.

Responsio reverendissimorum cardinalium.

« Placet quod provisiones parochialium a

Sede Apostolica fiant in forma digna, sive per obitum sive per resignationem.

Articulus VIII.

« Ad abbatiam autem et prioratum conventualem non promoveatur quisquam, nisi prius in aliquo celebri gymnasio sacras litteras publice professus fuerit, et magisterium aut alium gradum adeptus.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Cum petatur, ut nemo admittatur ad abbatiam, aut prioratum conventualem, nisi prius in celebri gymnasio sacras litteras fuerit professus, et magisterium aut alium gradum sit adeptus, dicimus quod in his debent sufficere qualitates, de quibus in cap. Si quis Abbas, 18, q. 5, cap. Nullus, de elect. 6 et cap. Cum ad Monasterium § Prior de statu Monach. In his vero, de quorum provisione forte non proceditur per electionem ex speciali aliqua ratione aut privilegio, posset fieri canon conformis petitioni, quamvis hoc non prorsus satisfaciat, quoniam in abbatiis servanda esset earum natura, ut sint electivæ, et dentur actu regularibus ; ideo nihil in hoc statui forte rectius esset.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio, quod in abbate concurrant qualitates de jure communi, et mirum videtur, quod Galli requirant majus magisterium vel gradum in abbatibus quam in episcopis, etiam contra formam concordatorum. Et idem videtur servandum, quoad abbatias non electivas, ex quo in posterum dentur in titulum.

Articulus IX.

« Episcopus per se, aut per eos, quos ad prædicationis munus assumet, qui tot erunt, quot pro diœcesis magnitudine videbit opus esse, in civitate, aut in quacumque parte diœcesis censebit expedire, omnibus Dominicis et diebus festis, tempore autem Quadragesimæ, jejuniorumque, et Adventus Domini quotidie verbum Dei annuntiet, et quotiescumque id opportune fieri posse judicaverit.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Provisum est sub Paulo III, sess. V, et poterit expressius aliquid statui de tempore, si videbitur.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio, cum etiam sit provisum in Concilio generali.

Articulus X.

« Idem quoque faciet plebanus, si non desint apud quos concionetur.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« In eadem Sessione provisum est.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio legatorum.

Articulus XI.

« Abbas vero et prior conventualis interpretentur libros Veteris et Novi Testamenti, xenodochia instituant, et ita monasteriis antiquæ scholæ et hospitalitates restituentur.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« In prima parte, in eadem sessione provisum est quoad lectionem sacræ Scripturæ, quantum sufficere videtur; in secunda parte fieri posset canon, ut xenodochia serventur ab abbatiis et alia munera impleantur, ad quæ tenentur ex fundatione, sive ex tenore provisionis de illis factæ, aut prout alias de jure tenentur.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet ut abbatiæ teneantur ad munera sibi incumbentia de jure vel ex fundatione, aut in provisione litterarum.

Articulus XII.

« Qui hodie sunt episcopi, plebani, abbates aut alii Ecclesiastici, si suum officium præstare non possunt, accipiant coadjutores, per quos illud præstent, aut omnino beneficia dimittant.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Potest innovari quoad episcopos cap. I, de cler. æg. in 6. deinde extendi canon editus in præcedenti sessione ad eos, qui habent perpetuum impedimentum, tam rectores, quam plebanos, abbates et alios.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio reverendissimorum legatorum.

Articulus XIII.

« De Catechesi et summa Catholicæ doctrinæ conscribenda, deque postillis, et agendis, ea decernantur, quæ Cæsareæ Majestati visum est ad hoc sanctum referre Concilium.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Datum est jam hoc munus nonnullis prælatis, ut componant Catechismum, atque in eo complectantur omnia, quæ necessaria sunt: qui prælati jam opus inchoarunt, et brevi ad perfectionem eum redigent.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio ut supra.

Articulus XIV.

« Unum tantum beneficium uni conferatur, sublata quod attinet ad pluralitatem personarum compatibilium et incompatibilium beneficiorum differentia, quæ distinctio, ut est nova et antiquis decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholicæ magnam calamitatem attulit : dentur autem regularia regularibus, sæcularia sæcularibus.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Nonnulla jam provisa sub Paulo Tertio sess. 8, can. 4, et a nobis in canone formato sub numer. 3, reliqua, quæ sunt necessaria addentur, etc.

Articulus XV.

« Petitum ut qui duo vel plura sacerdotia obtinent, uno contenti, reliquis se abdicare cogantur ; responsumque est si illud suffecerit ad victum, nec casus necessitatis, vel utilitatis Ecclesiarum aliud exegerit.

Articulus XVI.

« Postulatum, ut omnes avaritiæ sordes abstergantur ab Ecclesiasticis, responsumque jam provisum in sess. V, sub Pio Quarto.

Articulus XVII.

« In missis parachialibus Evangelium aperte, et pro populi captu copiose in suggesto exponatur, quo in loco, quæ, præeunte plebano, a populo fiunt preces, lingua fiànt vernacula. Peracto autem sacrificio Latine et mysticis præcibus, lingua etiam vernacula publicæ fiant ad Deum orationes. Eo autem tempore, aut aliis statis horis cantari poterunt pia et spiritualia cantica, aut Psalmi Davidici prius diligenter ab episcopo examinati et probati, si id e re suæ Ecclesiæ esse censebit episcopus.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Quod dicitur in prima parte, videtur satis provisum sub Paulo Tertio sess. 5, ut supra ad decimum. Dum petitur, ut in Missa et aliis divinis officiis fiant preces lingua vernacula, respondemus, hoc abhorrere nimis a consuetudine Catholicæ Ecclesiæ , et satis provisum videri ex iis, quæ dicta sunt, ut plebanus lingua vernacula prædicet populo , exponat Evangelia, et usum sacramentorum explicet in eorum exhibitione.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio reverendissimorum legatorum.

Articulus XVIII.

« Antiquum illud Leonis et Gelasii decretum de communione sub utraque specie renovetur.

Responsio reverendissimorum cardinalium.

« Jam satisfactum est sub Pio IV, sess. 5, videat Concilium.

Articulus XIX.

« Ac ut omnes præcipue litterarum imperiti usum et efficaciam sacramentorum intelligant, præcedat semper lingua vernacula brevis et dilucida expositio, quæ sacramenti quod administratur rationem contineat.

Responsio legatorum.

« Fiet canon, ut in exhibitione Sacramentorum semper præcedat explicatio lingua vernacula ejus sacramenti, quod interim, administrandum est.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio legatorum ; ita tamen,vel quod Concilium, aut quilibet ordinarius faciat

formulam expressionis virtutis cujuslibet sacramenti, quæ ubique sit uniformis, saltem in eadem Diœcesi.

« Articulus XX collationem sacerdotiorum parochialium, XXI commendarum, quas vocant, XXII resignationum jura, XXIII prioratuum attingunt. Vigesimo quarto petitum est, ut quæ vocantur simplicia sacerdotia sine onere concionandi, vel administrandorum sacramentorum, deleantur, responsumque, non abolenda, cum sint ita primum instituta, atque legibus approbata c. fin. de rebus c. XXIV, petitum est, ut pensiones abrogentur et in alimenta pauperum transferantur : responsumque, sancitum iri, ut dentur indigentibus benemeritis de Ecclesia, nec ultra tertiam partem imperentur.

Articulus XXV.

« Restituantur episcopis intra omnem Diœcesim Ecclesiasticæ jurisdictiones, et tollantur omnes exemptiones, exceptis capitibus Ordinum, iisque quæ illis subsunt monasteriis, et quæ capitula faciunt generalia, et iis monasteriis, quibus a multis jam retro sæculis evidentibus scriptorum monumentis constat datam esse exemptionem : quæ tamen, ne a correctione omnino se eximant, aliqua ratione provideatur.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« De tollendis exemptionibus circa capitula Cathedralium jam provisum est sub Paulo Tertio sess. 4, in can. 4, contra singulares vero personas sæculares sub Julio III, sess. 4, can. 4. De exemptione collegiatarum Ecclesiarum poterit aliquid constitui : de exemptionibus etiam regularium tollendis, quamvis id sit contra Concilium Lateranense sub Greg. I, et Viennense sub Clem. V, et Clem. I, de exc. præl. et alia, tamen de hoc poterit agi loco suo in materia de regularibus.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Placet responsio legatorum, dummodo habeatur ratio exemptionum, quæ sunt a fundatione, vel ab immemorabili tempore citra.

Articulus XXVII.

« Cumque episcopus ea jurisdictione uti non debeat secundum antiqua decreta, nisi consulto capitulo, quemadmodum nec alia suæ diœcesis gravia negotia tractare, danda est diligens opera, ut canonici Cathedralium Ecclesiarum sint assidui in Ecclesia Cathedrali, bonis moribus et scientia præditi, quique saltem vigesimum quintum annum attingant, nam ante illam ætatem cum non possint per leges humanas rebus suis prospicere, quomodo episcopo consulere poterunt ?

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Jam formatus est canon a nobis sub num. X, requirens a canonicis ætatem annorum octodecim, quæ videtur sufficere, cum de jure minor etiam ætas sit satis.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Bene responsum est per reverendissimos legatos, et videretur etiam statuendum, quod in qualibet Ecclesia instituerentur præbendæ subdiaconales, diaconales et presbyterales, et servaretur ætas cujuslibet ordinis, et hoc modo inter canonicos semper essent aliqui ætatis maturæ.

Articulus XXVIII.

« Retineantur antiqui, aut novi constituantur consaguinitatis, affinitatis vel cognationis spiritualis gradus, intra quos non liceat obtentu cujusvis dispensationis matrimonium contrahere, exceptis solis regibus et principibus propter publicum bonum.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« De eo agetur in materia Matrimonii : sed iniquum videtur, ut tollatur facultas dispensandi, quæ tamen gratis esset concedenda.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Quoad gradus, non videtur recedendum a jure communi : quoad dispensationes, non videntur concedendæ sine aliqua justa causa. Et de contrahendo, omnino gratis ; de contracto vero non videtur inconveniens, quod mulctetur de excessu, et mulcta applicetur usibus piis, prout hodie laudabiliter servatur.

Articulus XXIX.

« Cum nostris temporibus exorti sint iconomachi, qui imagines evertendas esse censent, et maximæ perturbationes plurimis in locis ex eo sint excitatæ, provideat sancta Synodus, ut doceatur populus, quid de cultu imaginum sit sentiendum, curetque ut, si quæ in iis colendis irrepserunt superstitiones et abusus, tollantur. Quod ipsum quoque provideat in peregrinationibus, et reliquiis sanctorum, indulgentiis, et iis sodalitatibus, quas vocant fraternitates.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« Id comprehendetur in Catechismo.

Responsio dominorum cardinalium Romæ.

« Bene responsum per reverendissimos legatos.

Articulus XXX.

« Quoniam sæpe ob unius enorme delictum affligitur totus populus, quem de proximi peccatis sollicitum et anxium esse oportet, restituantur Ecclesiæ Catholicæ non solum antiqua illa propter graves et publicas offensas publica pœnitentia, sed ed etiam ad iram Dei placandam jejunia et luctus publici.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« De pœnitentia publica fiet canon, ubi hoc relinquetur arbitrio episcoporum, ne fortasse hac occasione retrahantur aliqui a confessione auriculari.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Hic punctus fuit examinatus sub Julio III in sacramento Pœnitentiæ, et tamquam impertinens rejectus : tamen faciat Concilium, prout sibi videbitur.

Articulus XXXI.

« Cum excommunicatio sit Ecclesiæ supremus gladius, non est passim pro quovis delicto, aut contumacia decernenda, sed pro gravissimo tantum peccato, cumque in eo post unam et alteram, et nonnunquam tertiam admonitionem reus perseverat.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« De excommunicatione omnino videtur statuendus aliquis modus, ne ita passim feratur; sed tamen materia indiget diligenti consideratione, nec censuræ, quæ sunt nervus Ecclesiasticus, aut tollantur, aut labefactentur.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« Concilium provideat, prout sibi videbitur, habita ratione casuum, in quibus non potest fieri executio personalis : cum Ecclesia non habeat alia arma præter censuras hujusmodi, præsertim contra absentes et potentes ».

Articulus XXXII et XXXIII pertinent ad lites, quæ circa sacerdotia moveri consuevere; ad quos articulos ita responsum est :

Responsio reverendissimorum legatorum.

« In his optimum esset excogitare aliquam rationem, qua lites minuantur. Verum ista, quæ proponuntur, hoc minime videntur præstare, continentque multa absurda. Primo quia tollunt differentiam petitorii et possessorii, quod est adversus omnia jura, et darent occasionem spoliandi multos suis beneficiis, et alios injuste intrudendi, et potentioribus favori, debilioribus autem damno esset. Secundo quia adimunt appellationem, quæ auferri non potest. Tertio quia excludunt tacite provisiones papæ, etc.

« Respondit etiam cardinalium Senatus his verbis :

« In Gallia Parlamenta cognoscunt causas beneficiales in possessorio : et petitio Gallorum tendit ad hoc, ut tota jurisdictio devolvatur ad laicos, etc.

Articulus XXXIV.

« Decernat sancta Synodus, ut non solum Synodi episcopales quotannis semel, ut minimum, sed etiam tertio quoque anno provinciales congregentur; in quibus de his, quæ ad statum Ecclesiasticum pertinent, diligenter tractetur, de ministrorum Ecclesiæ delictis mature cognoscatur, et in eos, qui deliquerunt, severe animadvertatur; et ut Concilia generalia, nisi aliquod obsistat impedimentum, decimo quoque anno celebrentur.

Responsio reverendissimorum legatorum.

« In prima parte jam formatus est canon de Conciliis synodalibus et provincialibus ; de Conciliis generalibus considerandum, an expediat facere canonem, ut habeantur præfixo tempore; nam aliquibus videtur formandus canon juxta petitionem, aliquibus videtur maturius deliberandum.

Responsio reverendissimorum cardinalium Romæ.

« De Concilio generali relinquendum est arbitrio Pontificis, ad quem solum spectat Concilium indicere. In reliquis placet, si tamen Concilio videbitur, statuere aliquem terminum, velut viginti aut viginti quinque annorum, faciant prout sibi videbitur, et considerent, quod Concilium istud Tridentinum a tempore, quo incœptum est, duravit per XXVII annos, vel circa. Itaque brevi spatio non possunt Concilia tam longa sæpius reiterari ».

Quid porro his acceptis constitutum sit a Concilio, patet in illius de instaurata disci-

plina, sive, ut aiunt, de reformatione decretis : at de his hactenus. Nunc Acta Concilii prosequamur.

89. *Discutiuntur articuli de Sacrificio Missæ, et de Ordinis Sacramento.* — XIX Julii propositi sunt in Congregatione articuli, qui discutiendi erant de sacrosancto Missæ sacrificio, quod Calvinistæ in Gallia blasphemis argutiis impie oppugnabant. Qui vero fuerint ii, referuntur in Actis ab Astulpho Servantio descriptis [1].

« Post V sessionem propositi fuere tredecim articuli de sacrificio missæ, ut a theologis minoribus discuterentur, subjectis concepti verbis :

« I. An Missa sit sola commemoratio sacrificii in cruce peracti, non autem verum sacrificium.

« II. An sacrificio in cruce peracto deroget sacrificium Missæ.

« III. An illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, ordinaverit Christus, ut Apostoli offerrent corpus suum et sanguinem in Missa.

« IV. An sacrificium, quod in Missa fit, prosit solum sumenti, non possit autem offerri pro aliis, tam vivis quam defunctis, nec pro ipsorum peccatorum satisfactionibus et aliis necessitatibus.

« V. An Missæ privatæ, in quibus similiter solus sacerdos, et non alii, communicat, illicitæ sint et abrogandæ.

« VI. An canon in Missa errores contineat, sitque abrogandus.

« VII. An quod in Missa aqua vino misceatur, cum Christi institutione pugnet.

« VIII. An Ecclesiæ Romanæ ritus, quo secrete et submissa voce verba consecrationis dicuntur, damnandus sit.

« IX. An abusus sit, certas Missas certis sanctis attribuere.

« X. An cæremoniæ, vestes et signa externa quibus Ecclesia in celebratione Missarum utitur, sint tollendæ.

« XI. An Christum pro nobis mystice immolare, idem sit quod nobis ad manducandum dare.

« XII. An Missa nonnisi in lingua vulgari, quam omnes intelligant, celebrari debeat.

« XIII. An Missa sit tantum sacrificium laudis et gratiarum actionis, an etiam sacrificium tam pro vivis quam pro defunctis ».

Proposita discussione novorum dogmatum de sacrosancto Missæ sacrificio, cæptum est de sacramento Ordinis contra novatorum sophismata et argutias disputari. Itaque consueto more primo theologorum ordini XIX Septembris propositi sunt hi articuli (Lutherana scilicet impietate infecti) ut eorum impietas ex sacris oraculis, et veteri Traditione, et Sanctorum Patrum scriptis argueretur.

« Articuli [1] de sacramento Ordinis per theologos examinandi, an hæretici sint, aut erronei, vel schismatici, vel scandalosi et a Synodo damnandi.

« I. Ordinem non esse Sacramentum, sed ritum quemdam eligendi et constituendi ministros verbi et sacramenti.

« II. Ordinem non solum esse sacramentum, sed potius figmentum humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis.

« III. Ordinem non esse unum sacramentum, nec infimos et medios ordines, velut gradus quosdam tendere in sacerdotii ordinem.

« IV. Nullam esse Ecclesiasticam hierarchiam, sed omnes Christianos ex æquo esse sacerdotes, et ad usum et executionem opus esse vocatione magistratus, et consensu populi, et qui sacerdos semel fit, cum laicum, si opus sit, posse fieri.

« V. Non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, neque potestatem aliquam spiritualem, sive ad consecrandum Corpus et Sanguinem Domini, sive ad offerendum, sive ad absolvendum coram Deo a peccatis, sed officium tantum et ministerium prædicandi Evangelium, et eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes.

« VI. Unctionem non solum non reperiri in ordinum traditione, sed esse perniciosam et contemnendam. Similiter, et omnes alias ceremonias. Et per ordinationem non conferri Spiritum sanctum, proinde impertinenter episcopum, cum ordinat, dicere, *Accipite Spiritum sanctum.*

« VII. Episcopos non esse presbyteris superiores, neque habere jus ordinandi, vel si habent, id illis esse commune cum presbyteris, ordinationesque ab ipsis factas sine plebis consensu, irritas esse.

« Scripsere Carolo Borromæo [2] cardinales legati XVI Septembris nonnullos episcopos, atque inter eos archiepiscopum Granatensem intercessisse tertio canoni de ordine, contendentes non institutos sacerdotes per ea verba *Hoc facite,* sed a Synodo rejectos fuisse ».

90. Feria quarta mane XXIII Septembris MDLXII, minorum theologorum Congregatio coacta est [3], qui articulos de sacramento Ordinis discutere cœpere, quorum primus Alphonsus Salmeron Societatis Jesu sententiam suam ita protulit :

[1] Act. Conc. Trid. scripta per Astulphum Servantium Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1109. p. 69.

[1] Ext. in Act. Conc. Trid. Ms. Franc. card. Barb. sig. 1109. p. 84. — [2] Carol. Vicecom. Ib. Ep. CLXXIV. — [3] Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Ms. Franc. card. Barb. sign. num. 1109. p. 84. per Astulph. Serv. Italice.

« Sacerdotium et Sacrificium ita inter se conjuncta sunt, ut unum absque alio permanere non possit; uno enim statuto, aliud statuitur. Martinus autem Lutherus, ut Ecclesiam everteret, sacerdotium negavit esse sacramentum. Ordo igitur sacramentum est Novæ legis a Christo institutum, et gratiam confert. Diversimode accipitur, ut Augustinus 19, de Civit. Dei, ut sit dispositio rerum, alio modo, ut est gradus eminens in Ecclesia Dei, et sacerdotium a diaconali, et presbyteratus ab episcopali distinguitur. Item pro cæremonia quadam accipitur, per quam potestas traditur in Ecclesia, ut definit Magister sententiarum.

« Quod autem Ordo sit sacramentum, ut est sacerdotium, Luc. 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, Christus sacerdotes instituit, ut Patres tradunt, et hoc a sacro Concilio Tridentino in proxima Sessione declaratum fuit, qui Christus etiam cæremonias quasdam in eis constituendis fecit.

« Aliam Christus potestatem dedit Apostolis, ut sacerdotibus Jo. 20. Alio etiam charactere, qui et cæremonia usus est, cum insufflavit in eos, ut Augustinus, per quam insufflationem potestas eis data fuit, et hæc est potestas Christi in corpus mysticum, Lucæ autem 22 in corpus suum. Verum iterum Marci ultimo duxit eos foras, et benedixit eis, tunc enim eos episcopos instituit, ut Augustinus tradit, et Clemens lib. 8. Apost. const. docet, quod verum esse apparet, quia cum Dominus Christus miserit eos ad prædicandum, videtur aliquam aliam auctoritatem dedisse, scilicet episcopatus, nam cum creantur hodie episcopi dicitur, *Ite, prædicate.* Præterea quoties Christus benedixit, aliquam gratiam contulit, addita etiam elevatione manus.

« Quod etiam Ordo sit sacramentum probatur Act. 6. *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei*, etc. quo in loco constat cæremonia quædam, ut impositio manus, qua gratiam dedit, ut testantur Acta : *Et erat plenus Spiritu sancto, et prædicabat, etc.* ut Stephanus, et etiam Philippus Evangelista, qui et prædicabat. Item et Paulus ad Timot. VI et Tit. I, cum diaconos instituit. Non fuerunt igitur instituti diaconi ad prophanæ mensæ ministrationem, sed cælestis, nam ad ministrandum mensis prophanis, non erat opus, ut antequam illi constituerentur, imponerent manus, et essent pleni Spiritu sancto; fuerunt igitur electi ad Eucharistiam ministrandam diaconi illi, ut etiam declarat Clem. lib. 8. Apost. Const. Ignatius ep. II ad Diaconum, et Epist. 5 ad Clarianum, Cyprianus lib. 3 Epist. 9. Hieronymus in 14 Ezech. Concil. Neocæsariense cap. 14 et Evaristus papa. Beda in 6 cap. Act. Apost. licet in canone 6 Synodi Trullanæ dicatur, eos fuisse institutos ad mensam viduarum, sed illi canones recepti non sunt. Idem probatur Act. 13. *Elegerunt Barnabam, et Paulum, quibus jejunantes imposuerunt manus,* quæ potestas non fuit Apostolatus, cum Marci 3 electi fuerint, et presbyteri in cæna, hic autem ordinati sunt episcopi, cum dictum eis fuerit, *Ite, prædicate,* ut fuit in ordinatione episcoporum. Præterea dicitur, quod constituebant per civitates presbyteros, quod est proprium episcoporum, ut præmittat jejunium, et sacrificium, quæ ab ipso loco Act. Apostolorum Ecclesia didicit, ut est etiam elevatio manus.

« Item Ordinem sacramentum esse Paulus Timoth. II, c. 4 docet : *Noli negligere gratiam, quæ est in te et data est tibi per prophetiam cum impositione manuum presbyterii,* et cap. V. *Manus cito nemini imposueris,* et ad Tit. I : *Hac de causa reliqui te Cretæ, ut constituas per civitates presbyteros.* Quoad traditiones Conc. IV. Carthag. a I cap. usque ad IX et Concil. Flor. et hoc Trident. sub Paulo III. Item Clemens lib. III, recogn. et Ep. I. ad Jacobum fratrem Domini, et lib. VIII const. Apost. Innoc. I. Ep. I. Ep. 22, cap. 4. Leo ep. 79 et 87. Greg. in epist. ad Jo. Innoc. III, in tit. de Presbyt. non baptiz. Dionysius cap. 5. Eccl. Hierarch. August. in lib. de bono conjugii. Hieronym. in. Ep. ad Rusticum episcopum Narbonensem.

« Præterea similiter est unctio, ceremonia, et alia per quæ gratia confertur; et aliter Ecclesia misere fuisset decepta, et suos decepisset, si crederet Ordinem esse sacramentum, et non esset, Christusque Ecclesiam reliquisset absque sacerdotio. Nam quis baptizasset, quis dimisisset peccata, ut Christus instituit, si non essent sacerdotes?

« Imprimit etiam characterem. Nam Paulus ait : *Gratiam, quæ est in te*, ad Titum, et Timotheum, quod characterem significat, dicit enim charisma : et Corinth. cap. V. Ep. II. *Dedit nobis pignus, unxit, signavit,* et Levit. ult. *quidquid sacratur Deo, semper sanctum est.* Idem habetur ex traditione et traditur in Concil. Florentino, et hoc Trident. sub Paulo Tertio. Tertull. lib. de orig. hær. Et quod non possint institui, neque deligi presbyteri a magistratu, ut aiunt hæretici, nam Apostolus instituebat presbyteros et diaconos; et cum hæc sit potestas supernaturalis et cælestis, non potest laicis dari. Neque electio spectat ad laicos, sed ad Pontificem, cum soli Petro dictum sit *Pasce oves meas*, qui vocat alios in partem sollicitudinis. Et Petrus multos presbyteros elegit ut testatur Clemens lib. Apost. Const., alias non fuisset a Conciliis id prohibitum, ut factum fuit in Concil. Lateranensi, Florent. et VIII Synodo, et si aliquando populus elegit, id fecit auctoritate Apostolica, ut patet Act. 6. *Eligite ex vobis et alibi, ut habeant bonum testimonium.* Populus itaque præsens est electioni, ut ferat testimonium eligendi, et ut libentius populus ei obediat, jus autem

confirmandi ad solum Pontificem spectat ».

Perorarunt postea de eodem argumento Ferdinandus Vellosilus clericus sæcularis Hispanus, missus a rege Catholico, Didacus de Paqua clericus sæcularis missus a rege Lusitano. Interfuere celebritati quinque legati cardinales, Cæsarei, et Galliæ Lusitaniæque regum, necnon Venetorum Helvetiorumque oratores, patriarchæ tres, archiepiscopi octodecim, episcopi centum quadraginta duo, abbates viginti duo, Generales Ordinum quinque, theologi triginta quatuor, doctorumque et nobilium conferta multitudo. Soluta est Congregatio hora decimanona.

91. XXV Septembris habita est Congregatio pro excutiendis articulis de Sacramento Ordinis, in qua a Petro Soto primo theologorum secundæ classis, ita peroratum, refert Actorum scriptor[1]:

« Petrus Sotus Ordinis Prædicatorum, Hispanus, missus a Sanctissimo domino nostro, hierarchiam Ecclesiasticam in Ecclesia esse confirmavit; comprobavit videlicet potestatem et superioritatem gubernandi. Nam Paulus ait: *Obedite præpositis vestris,* et Act. 20. *Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Sp. S. posuit episcopos regere Ecclesiam Dei,* et Paul. I. Cor. 12: *Alios quidem posuit Apostolos,* etc., quam Dionysius declarat, eaque est sacer principatus, quæ ad instar cælestis constituta est, in tres gradus uti Angelica distinguitur, episcopos, presbyteros, et ministros, ut idem Dionysius cap. 5 ostendit, qui plures gradus enumerat 3 cap., ut omnes etiam inferiores ad sacramentum hoc pertineant, sed in tres gradus distinguuntur, ut dictum est, ut infimus, in quo sunt diaconi et alii ministri, medius, in quo sunt presbyteri, primus in quo sunt episcopi, unde Paulus ait, in consummationem sanctorum et opus ministerii quosdam dedit Apostolos.

« Responditque ad argumenta adversariorum, quod nulla sit hierarchia, sed omnes ex æquo esse sacerdotes juxta ea, quæ dicit Petrus I c. 2: *Vos gens sancta, regale sacerdotium,* et præterea, omnes in baptismo uncti sumus in sacerdotes juxta illud, *vos autem sacerdotes Domini vocabimini.* Respondit Baptismum esse Sacramentum renascentiæ, non potestatis, et cum ordo perfectionem notet, repugnat naturæ, ut cum quis nascitur perfectus fiat, et illa verba Petri intelligi de spiritualibus sacerdotibus. Quod autem in Ecclesia habeatur sacerdotium, pluribus auctoritatibus comprobavit. Ambr. in cap. 4, ad Eph. et Timoth. 4, id declarat; Concil. Nicen. ac etiam Ephes. Cyprian. ep. 4, nam licet Christiani omnes possent facere omnia, quæ ministri Ecclesiæ faciunt, id tamen non legitime facerent, nam quo legitime fiant, opus est potestate supernaturali etiam infimis ministris, quæ potestas ab habente principatum Ecclesiæ datur. Quare etsi infimi ordinis hodie pertractentur a mere laicis, id tamen non recte fit, neque id legitime facient, sed ut cuique etiam minimo tribui deberet suum ministerium, ut in primitiva Ecclesia fiebat, unde Caius statuit, ut nemo episcopus ordinaretur, nisi qui prius per omnes gradus ascenderent, et ea etiam de causa Siricius etiam tempora ordinavit, et distinxit. Deinde ad officium episcopi proprie pertinere, prædicare verbum Dei ostendit Paulus: *Non misit me Christus baptizare, sed evangelizare,* et Christusmet testabatur, se ad id missum esse, cum inquiebat: *Oportet evangelizare civitatibus; ad hoc enim missus sum etc.* unde Concil. Carthag. 4 statuit, ut episcopi abstinerent a re familiari, ut ad prædicationem incumberent, et si actu quis non prædicaret, quia actu virtutem verbi non haberet, non propterea desineret esse episcopus, ut fuit Valerius Hipon. Quæ potestas non a magistratu dari potest, cum sit supernaturalis et Christi, et nonnisi ab iis, qui ad id in Ecclesia ordinati sunt, dari possit. Populi autem electio in ministros necessaria est, idque in primitiva Ecclesia fuit, ut Cypr. lib. I, ep. 4 et ex traditione Apostolica devenisse, neque de testimonio tantum, sed suffragiis, intelligendum est. Additur etiam clerus, ut ita totus populus Christianus contineretur. Unde Apostoli dicebant, *Eligite ex vobis septem viros.* Pontifex autem Maximus potest supplere, cum viderit expedire, et ita eam electionem mutare, prout viderit expedire, potest. Nam etsi Traditione Apostolica electio populi erat, tamen Traditio Apostolica, quæ pertinet ad regimen, mutari potest. Quæ autem ad Sacramentum pertinet, mutari non potest. Quare electiones Pontifex pro locorum et temporum qualitate variare potest, ut eas capitulis vel principibus tradat.

« Deinde peroravit eodem argumento Franciscus Forerius Ordinis Sancti Dominici, ac dimissa est congregatio hora decima octava.

92. In congregatione habita XXIX Septembris tertiæ theologorum classis princeps de Sacramento Ordinis peroravit, ut referunt Acta[1]. « Melchior Cornelius [inquiunt] sæcularis clericus missus a rege Sebastiano Portugalliæ accepit examinandum, an per ordinationem conferatur gratia, et an presbyteris episcopi sint superiores. Primum fuisse errorem Joannis Wicleff, et ante eum per ducentos annos, ut D. Bernard. homil. 66 super Cantica refert, adduxitque argumenta adversariorum, et ea solvit.

« Quod autem conferatur gratia per Sacramentum Ordinis, Leo papa, et Grat. dist. 21 et

[1] Acta Conc. Trid. per Astulph. Servan. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 1109. p. 87.

[1] Astulph. Servant. in Actis.

Conc. Chalcedon. act. 15, c. I, 5, Ambr. lib. de dignit. sacerd. Conc. Bracar. 2, c. 3. Conc. Tol. II, c. 8, et c. I, de temporibus ordinand. et c. de Sacram. Non iter, et Synodus 7 ejecit lectorem, qui illud munus exercebat absque manuum impositione. Idem definitur in Concil. Flor. quare omnes Ordines etiam minores sunt sacramentum, quia in eis gratia confertur, qui Ordines constituti sunt ab Apostolis ex institutione Christi, nam Christus constituit, ut in Ecclesia isti Ordines essent. Prima autem tonsura non est Ordo, cum nulla potestas in ea detur. De unctione autem meminit Fabianus Pontifex, Dionys. et Innocent. cap. I, §. Quia vero de Sacrament. unct. ».

« Probavitque episcopum esse presbyteris superiorem, et ad Hieronym. qui videtur aliter dicere quod non sit differentia inter eos, sed ex consuetudine superioritatem illam inductam, similiter cum eodem Hieron. in Es. cap. 3 et 19 contrarium dicit, et in eadem ep. ad Evagrium, et ad Nepotianum, ostenditque Hieron. agere de jurisdictione quadam exteriori, quæ constituta est a lege politica, ut idem Hieron. in ep. ad Titum scribit, etc. Ecce ego 95 dist. ad Rusticum episc. Narbon. scribens, dixitque episcopatum esse Ordinem ea maxime ratione, quam Cajetan. adducit, cum solus confirmet et ordinet pontifex, non sacerdos ; propterea vicariis non potest committi, neque electio sacerdotum, vel episcoporum est populi, ut Cypr. lib. I, ep. 4 declarat, sed testimonium tantum ».

93. *De auctoritate Pontificis et episcoporum controversia oritur.* — Post varias atque eruditas theologorum concertationes nono Octobris doctrina et canones de Sacramento Ordinis a legatis fuere propositi [1], qua occasione recruduit gravis controversia de auctoritate Pontificis et episcoporum, de qua multa prolixe refert Gabriel Palæottus, e quo modo hæc pauca decerpsimus : « Laynez Generalis Jesuitarum, qui ultimus omnium de more sententiam suam dixit, solus totam Synodum occupavit prolixo quidem sermone, sed valde erudito, distincto, et rei accommodato. Nam cum multi prælati eam partem acerrime tutati essent, ut episcopatum dicerent juris divini esse, tum quoad ordinem, tum quoad jurisdictionem, idque dilucide a sancta Synodo explicari contenderent, ipse aliorum etiam multorum, qui ante eum dixerant, exemplo, contrarium variis rationibus auctoritatibusque asseruit, idque adeo copiose et constanter, ut non defuerint aliqui, qui hæc ab eo idcirco ita affirmari suspicarentur, quod cum ejus religio, cujus ipse caput erat, pendeat tota a papa, ut quotidie latius propagetur, putaverit ipse, si ejus sententia obtineret, facile futurum, ut ejus Religio majores hinc vires sumeret, quoniam aliarum etiam Ecclesiarum administratio, repugnantibus licet episcopis, ei concedi posset, cum ambo jurisdictionem æque a papa agnoscant. Verum hæc proculdubio vana fuerunt, cum vir esset summæ probitatis et religionis, et cui fideles omnes multum pro magnis, quos in Catholica Ecclesia fructus fecit, omnino debeant, egoque sane illum ex animi conscientia ita locutum fuisse, mihi persuasum habeo ». Pluribus interjectis addit auctor :

« Venit in mentem Seripando pridem a fratre Petro Soto nomine Hispanorum legatis fuisse significatum [1], eos non quærere, ut novi quidquam de jurisdictione episcoporum discutiatur, dummodo de jure veteri nihil detrahatur, ideoque canonem aliquem in hanc sententiam probaturos, videlicet :

« Si quis dixerit a Christo Domino non esse institutos episcopos, secundum quod antiqua universalis Ecclesiæ Patrumque traditio docet, ac perinde presbyteris non esse superiores, anathema sit ».

Quare accito Soto, cum eo agitur, ut Hispanorum mentem diligentius scrutaretur, quo certior suscipi posset deliberatio.

Interea autem cum prælatos ex Gallia male in Summum Pontificem animatos huc accedere percrebuisset fama, prævenerat Hispanos episcopos Marchio Piscarius orator regis Philippi, qui litteris suis ad Paganum suo nomine Tridenti agentem Mediolano significaverat, ut Hispanos moneret, causam Sanctitatis suæ et Philippi regis conjunctam esse, nec quidquam adversus dignitatem et commodum Pontificis accidere posse, quod non illi æque molestum sit futurum.

Distinuit hæc controversia Patres extremis hujus anni mensibus, graviorque exarsit contentio post Gallorum præsulum adventum, atque adeo postquam de eo egerimus, illam repetemus.

94. *Nuntiatur adventus Gallorum præsulum.* — Retardati fuerant Galli præsules ab accessu ad Concilium ob civilia bella Hugonottorum, qui cum se reformatam religionem tueri jactarent, Galliam horrendis cædibus, incendiis, flagitiorumque omni genere deformarant, cumque in multis provinciis compressa esset eorum rebellio , multæque urbes ab iis proditione interceptæ recuperatæ essent, data fuit theologis ac præsulibus Gallis, necnon et Carolo cardinali Lotharingio, qui religionem orthodoxam fortissime contra Theodori Bezæ argutias defenderat, occasio, ut ad Concilium Tridentinum ardentissimis expetitum votis accederent, qui cum itineri se committerent, Pontifex a Lotharingio factus certior ipsi rescripsit.

[1] Acta Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 124. p. 206.

[1] Acta Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Audit. Rot. Ms. Franc. car. Barb. sig. num. 24. p. 218.

95. *Postulat imperator ut mentio Sacrificii Missæ non fiat in Concilio, sed repulsam patitur.* — Dum controversia de Missæ Sacrificio discuteretur a Patribus maximo pietatis ardore, Ferdinandus Cæsar veritus, ne principes Lutherani ex eo exacerbarentur, privato nimium commodo et honori indulgens, poposcit a legatis cardinalibus [1], ne mentio Missæ Sacrificii fieret in Concilio, donec in Francfordiensibus comitiis res suas cum Protestantibus transegisset, sed postulatis ejus expositis in eam sententiam omnes concurrere, ut humano omni abscisso respectu strenua sacro dogmati illustrando, divinæque asserendæ gloriæ daretur opera; de quo decreto [2] legati cardinales Carolum Borromæum fecere certiorem. Meditabatur Ferdinandus filii Maximiliani Bohemiæ regis electionem in regem Romanorum promovere, metuebatque ne Protestantes exasperati Cæsaris studiis erga Concilium, a quo damnabantur ipsorum hæreses, electionem Maximiliani disturbarent : at Cæsar repulsam passus in his vel aliis, quæ inique erant postulata, pro singulari sua in Deum pietate ac religione privatis compendiis divinam prætulit gloriam [3], significavitque legatis cardinalibus, se quicquid a legatis in Concilio decernebatur, æqui bonique accipere. Quam quidem dignam piissimo imperatore mentem cardinales legati Carolo Borromæo imperialium Epistolarum autographo transmisso significarunt. Nunc institutam historiam prosequamur.

96. *Modus tractandi res conciliares : exponuntur opiniones theologorum de sacrificio Missæ.* — Die Lunæ xx Julii habita est generalis Congregatio [4] in loco consueto scilicet in Templo S. Mariæ Majoris, in qua primus Concilii præses legatus exposuit, ob calamitatem temporum, ac perturbationes quæ in tractandis rebus possent contingere, decernendum ut theologi breviori oratione dicta sua circumscriberent; ex fusa enim et ampliore oratione strepitum tumultuarium oboriri posse, atque adeo hic ordo constitutus est :

« Modus qui posthac servandus erit in materiis, quæ examinabuntur a theologis minoribus.

« I. Inter omnes theologos, quos huc misit S. D. N. ut Concilio intersint, hoc erit perpetuum, ut in singulis materiis proponendis dicant qualibet vice quatuor tantum, vel duo sæculares, et duo regulares, quos eligent illustrissimi et reverendissimi DD. legati, et ita successive, cum aliæ materiæ erunt tractandæ, alii quatuor ex eodem numero dicent, donec unusquisque impleat partes suas.

« II. Ex omnibus theologis sæcularibus missis a principibus ad Concilium, eliget quisque orator principum ternos tantum ex iis, qui a suo principe missi fuerunt, quibus dabitur locus dicendi in materia proposita. Hi deinde in aliis materiis examinandis variabuntur arbitrio oratorum ; dummodo terni tantum pro quolibet principe in eadem materia respondeant.

« III. Singuli illustrissimorum legatorum eligent unum tantum ex theologis sæcularibus, quos in eorum aula habent, qui loquentur eadem ratione, qua reliqui.

« IV. Nomina omnia describentur cæterorum theologorum sæcularium, qui commorantur in domibus prælatorum, suntque eorum familiares. Ex toto hoc numero assumentur in singulis materiis non plures quam quatuor, qui ea vice loquentur super articulis propositis. Rursus, cum aliæ res erunt tractandæ, tunc alii quatuor deligentur, donec omnium numerus perficiatur. Ordo autem prius loquendi inter eos erit secundum antiquiorem eorum promotionem, videlicet, ut qui prius susceperit gradum, sive doctoratus, sive licentiatus, sive baccalaureatus, ille etiam anterior dicendus sit, et deinceps alii.

« V. Ex omni numero regularium, sive missi sint a principibus, sive commorentur apud legatos aut prælatos, sive maneant in eorum monasteriis, sive quocumque alio modo hic adsint, dummodo non missi a Sanctissimo, singuli Generales Religionum eligent ex eorum Ordine ternos, qui ipsis videbuntur aptiores, qui dicent super præsenti tunc materia. In aliis vero materiis, quæ post occurrent, poterunt illos variare et mutare arbitratu suo.

« VI. Nullus sive sæcularis sive regularis excedet in dicendo spatium dimidiæ horæ ad summum; qui longior esse voluerit, statim a Magistro cæremoniarum interrumpatur : laudabilior erit, qui nec etiam ad id spatium pervenerit.

« VII. Theologi, sive sæculares, sive regulares, quibus tunc dicendi locus non obtigerit, poterunt in scriptis deferre ad deputatos ea, quæ sibi necessaria videbuntur circa materias propositas.

« Rogatis sententiis ferme universi hunc ordinem observari jusserunt; deinde decretus est certus archiepiscoporum et episcoporum numerus, ut de abusibus ac doctrina consultis, quos vellent, theologis, circa Missæ sacrificium referrent.

« 97. Agitarunt Patres diu et graviter eam quæstionem : An Christus in cœna ultima se Deo Patri in eo sacrificio incruento obtulerit, qua fuse pertractata, inquit Gabriel Palæotus [1],

[1] Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1344. Ep. CLVI. — [2] Ib. Ep. CLXII. — [3] Ib. Ep. CLXXX. — [4] Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1109. p. 696.

[1] Act. Conc. Trid. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 124. p. 143. Gab. Palæot. Aud. Rotæ.

quadruplex opinio ex eorum sententiis collecta fuit, quas singillatim subjiciam adjectis præcipuis rationibus, quibus unaquæque nitebatur.

« Prima illorum fuit, qui aiebant Christum se in cæna obtulisse. Hujus rei auctoritates plurimas sanctorum Patrum, tum Græcorum, tum Latinorum, variasque simul rationes Salmeronus Jesuita, cum antea inter minores theologos dissereret, congesserat, quas litteris mandatas multis legendas exhibuerat, antequam de his rogari Patrum sententiæ cœptæ essent, quæ opinio quamplurimos nacta est assertores. Nam post Madrucium Hydruntinus eam ita amplexatus est, ut assereret auctores nullos, nec Græcorum, nec Latinorum ei repugnare, Rossanensis, imo et Germanos ipsos in libro, qui dicitur *Interim*, hoc idem affirmare ; Cavensis hoc etiam sacræ Scripturæ verbis et Patrum auctoritatibus, et usu Ecclesiæ in canone Missæ liquere aiebat, sed præcipue ex illis verbis Evangelii : *Hoc facite in meam commemorationem*, cum illud verbum, *Hoc*, nequaquam ad consecrationem neque ad sumptionem , sed tantum ad oblationem sit referendum. Literensis aiebat, ex auctoritate D. Thomæ, iisdem verbis, quibus fit consecratio, effici et Sacrificium, atque offerri, omniaque perfici in extrema illa verborum prolatione, *Hoc est corpus meum*, quibus cum Christus consecraverit, etiam et seipsum tunc obtulisse. Parisiensis dicebat Spiritum sanctum infudisse in animos Patrum, ut hanc quæstionem de oblatione tractarent, quæ fundamentum est religionis nostræ et Sacrificii Christi ; hoc enim Sacrificium initiatorium illis extitisse , quod deinde in Cruce peractum est, utrumque enim eodem genere claudi, cum alterum sit principium, alterum sit finis et consummatio, adeoque acriter hanc rem urgebat, ut se hæreticum haberi posse dubitaret, si aliter omnino sentiret.

« Leriensis biduo hanc rem prosecutus unicam fuisse oblationem, quatenus de re ipsa oblata, videlicet Christo Domino nostro agitur, aiebat, veros offerendi modos plures variosque extitisse, nam ex D. Thoma in 3 par. q. 83, art. 5, vers. ad 3, recensebat passionem Salvatoris nostri, licet una tantum fuerit, quibusdam tamen quasi gradibus peractam. Primo cum proditus a Juda ; 2, cum venditus ; 3, in ministerio cœnæ; 4, in Cruce acceptis quinque plagis; 5, in effusione sanguinis, et sic deinceps usque ad resurrectionem. Ideoque cænam recte passionis participem fuisse. Ad hæc aiebat, sicut merita Christi præcedentia non tolluntur ex Crucis patibulo, sed potius augentur, ita etiam potuisse Christum Dominum in cœna se offerre, et postea in cruce sacrificium consummare, nam sicut in aliis merendo vivebat, ita in hoc merendo mortuus est.

« Idem Lucerinus ex auctoritate Cypriani in cap. Scriptura de consecr. dist. 2, aiebat. Campaniensis addidit : Cum olim sacrificia Veteris Legis culpam tantum et pœnam quæ positiva, non eam quæ damni dicitur, expiarent, hinc sequi, sacrificium hoc nostrum ad vetera illud addidisse, ut utroque nos modo liberaret; cujus generis Christi Domini nostri opera extitisse cujus integra vita quamvis vere variis actionibus fuerit distincta, tamen ut unicum ejus opus ad redemptionem nostram elaboratum a nobis celebrari, ac veluti extremæ guttæ lapidem cavanti, non reliquis antea distillantibus effectum adscribamus, sic ad perficienda sacramenta conjunctim multa requiri extrema, tamen velut potissima censeri. Segobiensis aiebat, nihil veteres de propitiatorio, aut præparatorio sacrificio tradidisse, sed tantum de cruento et incruento sacrificio, et utrumque ejusdem virtutis censuisse, cum incruentum adimpleverit omnia cruenta sacrificia.* Auriensis sacrificium id vere expiatorium , ejusdemque rationis ac illud, quo hodie utimur, extitisse respondebat, totamque vitam Christi a conceptionis origine unicum actum censeri, qui semper profuit, semper meruit, semper redemit.

« Ostunensis idem variis argumentis. Aliphanus, habere nos certam in hac re Traditionem Patrum ac vetustissima plurimum testimonia, quæ satis esse non dubitandum sit. Generalis Franciscanorum, quos Observantes vocant, Sacramenta omnia ex sanguine lateris Christi vim suam sumpsisse aiebat, tuncque Christum in statu merendi non fuisse, sed omnia ex præcedenti ejus voluntate, qua passioni se subjecerat, profluxisse.

« Laynez Generalis Jesuitarum copiose idem affirmavit, nam cum quæstio facti sit, cui nemo interfuit , necessario ad testes recurrendum esse, unde probatio sumatur. Cum vero auctores multi Apostolorum temporibus propinqui, tum vero alii sancti Catholicique viri idem attestentur, plane videri eorum auctoritatibus standum esse, quod præterea multis aliis rationibus corroboravit, ostendens actiones Christi semper profuisse, tametsi omnia, ut plurimum, cruci ipsi tamquam extremo actui, et in quo majorem omnino charitatem patefecit, soleant assignari.

98. « Secunda opinio præcedenti contraria a Granatensi primum proposita fuit, quem alii nonnulli sunt secuti. Nam Bracharensis Sacrificium in cœna non expiatorium, sed Eucharisticum tantum fuisse aiebat, cum alias sequeretur, Christum nos ante crucem redemisse, hocque sensu auctoritates omnes interpretabatur, loquentes Christum in cœna sacrificasse, ut de sacrificio laudis et de gratiarum actione accipiantur.

« Idem Lancianensis ac Vegliensis , qui

duplicem Christi oblationem fuisse aiebant, alteram generalem in omnibus ejus actionibus, quas nascens, docens, peregrinans, jejunansque Patri offerebat: alteram spiritualem, qua peccata nostra expiabat, quod ante Crucem ab eo præstitum non fuisse, ut nec canone Missæ hujus expiationis in cœna mentionem ullam fieri, nec Ecclesiam unquam id tradidisse asserebat, quinimo S. Thomam satis id sentire in 3 part. q. 46, art. 9, et q. 73, art. 5, sed clarius Æcumenium auctorem Græcum, quem cardinalis Warmiensis in lib. confessionis suæ cap. 53, citat.

99. « Mutinensis idem affirmavit, sacrificium in cœna fuisse Eucharisticum, quod nobilius et præstantius multo cæteris sacrificiis censebatur, cum totum ad Deum adorandum et glorificandum, sicuti holocaustum, dirigeretur; ad hæc rationem illam adduxit, divinam justitiam statuisse, ut mors mortem redimeret, quapropter licet unica sanguinis gutta mundum servare potuisset, quoniam tamen id divinæ justitiæ non respondisset, idcirco non tam oblationem, quam oblationis modum necessarium fuisse, qui sufficeret, videlicet ut mors ipsa et sanguinis effusio sequeretur. In qua sententia existimare se non Æcumenium tantum, sed Augustinum etiam fuisse, idque jurejurando etiam posse pæne affirmare.

« Nicosiensis, non dubitari, an Sacrificium id fuerit propitiatorium; cum omnia Christi opera ejusmodi fuerint, sed id potius, an ex oblatione in cœna expiata fuerint omnia peccata nostra, qua in re necessario respondendum esse, hoc soli cruci atque ejus morti tribuendum, cum nihil aliud sonet totum Testamentum Vetus et Novum, nisi a Cruce Domini salutem nostram pendere, ante quam nondum erat victoria parta, licet multa oppida jam expugnata. Quid enim si Apostolus aliquis ante mortem Christi obiisset? utique non ille in cœlum statim ascendisset, cum nondum Christus ad inferos descendisset. Colimbriensi et Sarzanensi idem videbatur, cum Paulus ad Hebræos dicat sine effusione sanguinis non fieri remissionem peccatorum ».

100. Ex his igitur duabus contrariis inter se opinionibus tertia conflata est eorum, qui respondebant in doctrina [1], Christum se obtulisse simpliciter, sed non propitiatorie, cum enim ex certo nullo Scripturæ loco hoc colligatur, non posse canonem cum anathemate condi, nisi saltem prius inter theologos minores res diligenter excutiatur, indeque quod verius visum fuerit, sanciatur. Quod sane Patres multi tanquam tutius crediderunt, quibus et aliqui ex iis, qui priores sententias defenderant, veluti Lancianensis, Clodiensis, Mutinensis, Quinquecclesiensis, Segobiensis, Theanensis, Senogalliensis, Tropiensis, Auriensis, Almeriensis, Colimbriensis facile adhærebant.

Porro alia etiam aliquorum fuit sententia, qui variis distinctionibus opiniones conciliare, et quo sensu singula accipienda essent, exponere conati sunt, etc. Conclusum demum est, Christum se obtulisse in cœna, ut in decreto videbimus. Subdit Gabriel Palœottus :

« Quod ad Missam prohibendam, ne lingua vulgari sermone habeatur, Jaderensis dixit, sibi minime improbandum videri morem in Dalmatia, ut post Latinum Evangelium vulgare etiam subjiciatur, quo nationes illæ magis instruantur. Omnes tamen Patres canonem, quo Missa lingua vulgari prohibetur, valde commendarunt ».

Ineunte Septembri Lansacus Gallicus orator productis Caroli regis et Catharinæ reginæ litteris [1] significavit plures Galliarum præsules ac doctores Sorbonicos ad Concilium regio jussu venturos, rogavitque, ut Sessio, in qua decretum de Sacrificio Missæ incruento promulgandum erat, differretur, donec ii accessissent. At cum nimium cunctarentur Galli, non retardanda ultra medium Septembrem Sessio visa est.

Post graves itaque concertationum æstus, confecti sunt canones, doctrinaque de Sacrificio Missæ illustrata, quæ decreta in pluribus Congregationibus a die vigesima secunda Augusti ad decimam Septembris discussa summa consilii maturitate fuerunt.

101. *Sexta sessio sub Pio IV : decreta et canones de sacrificio Missæ.* — Decima septima Septembris celebrata est sexta Sessio, in qua sacrosanctis mysteriis solemni ritu peractis Carolus Vicecomes Vintimiliensis episcopus orationem habuit, qua summa beneficia, quæ a Deo in universam rempublicam Christianam per Concilia Œcumenica conferuntur, ita demonstravit [2] :

« Permagna est Conciliorum virtus, nam in sacrosanctis et legitimis ac universalibus Conciliis, quæ sint canonicæ Scripturæ, sanciendo definitur, hæretici convincuntur, hereses condemnantur, mores emendantur cum populorum tum sacerdotum, dissidentes nationes reconciliantur, rebelles Ecclesiasticæ potestati principes puniuntur, anathemate feriuntur, regnis et imperiis quandoque privantur. Conciliis schismata sedantur, Summorum Pontificum gloria et auctoritas, cui semper ab impiis detrahitur, Conciliorum celebratione fit clarior semper et illustrior. Proinde, Patres optimi, conjunctis animis, copulatis voluntatibus com-

[1] Act. Conc. Trid. per Gab. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 24. p. 145.

[1] Ext. in Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1344. Ep. CLXII. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. circa med.

munem causam suscipite, ut facitis, et curate omnibus animi ingeniique viribus vacillantes confirmare; subjectis parcite, lapsis ignoscite, inobedientes et pertinaces debitis pœnis afficite, universos, in quantum in vobis est, ad Romanæ Ecclesiæ Matris omnium obedientiam perducite ».

102. Postmodum decreta e suggestu perlecta fuere, rogatisque Patrum sententiis, confirmata, quæ in Ms. Vaticani archivii ex subjecta verborum formula referuntur [1] :

DOCTRINA DE SACRIFICIO MISSÆ.

« Sacrosancta, Œcumenica et generalis Tridentina Synodus in Spiritu sancto legitime congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ Sedis legatis, ut vetus, absoluta, atque omni ex parte perfecta de magno Eucharistiæ mysterio in sancta Catholica Ecclesia fides atque doctrina retineatur, et in sua puritate propulsatis erroribus atque hæresibus conservetur, de ea, quatenus verum et singulare sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, hæc, quæ sequuntur, docet, declarat, et fidelibus populis prædicanda decernit.

Missam esse verum sacrificium a Christo Domino institutum.

Caput I.

« Quoniam sub priori testamento, teste Apostolo Paulo, propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat, oportuit, Deo Patre misericordiarum ita ordinante, sacerdotem alium secundum ordinem Melchisedech surgere, D. N. Jesum Christum, qui posset omnes, quotquot sanctificandi essent, consummare et ad perfectum adducere. Is igitur Deus et Dominus noster, etsi semel seipsum in ara Crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur : quia tamen per mortem sacerdotium ejus extinguendum non erat, in cœna novissima, qua nocte tradebatur, ut dilectæ sponsæ suæ Ecclesiæ visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium, quo cruentum illud semel in Cruce a Christo Domino institutum peragendum repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque sæculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ a nobis quotidie committuntur, peccatorum applicaretur, sacerdotem secundum ordinem Melchisedech se in æternum constitutum declarans, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit, ac sub earumdem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent tradidit : et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit per hæc verba : *Hoc facite in meam commemorationem*, uti semper Catholica Ecclesia intellexit et docuit. Nam celebrato veteri Paschate, quod in memoriam exitus de Ægypto multitudo filiorum Israel immolabat, novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per sacerdotes sub signis visibilibus immolandum in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem, quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, eripuitque de potestate tenebrarum, et in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nulla indignitate aut malitia offerentium inquinari potest; quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in Gentibus, in omni loco mundam offerendam prædixit, quam non obscure innuit Apostolus Paulus Corinthiis scribens, cum dicit : *Non posse eos, qui participatione mensæ dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri*, per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum, naturæ et legis tempore, similitudines figurabatur; utpote, quæ bona omnia per illa significata, velut illorum omnium consummatio et perfectio complectitur.

Missæ Sacrificium esse propitiatorium pro peccatis et pœnis, et prodesse vivis atque defunctis.

Caput II.

« Et quoniam in divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur et incruente immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruente obtulit; docet sancta Synodus, sacrificium istud vere propitiatorium esse, per ipsumque fieri, ut si cum vero corde, et recta fide, cum metu et reverentia contriti ac pœnitentes ad Deum accedamus, misericordiam consequamur, et gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam et donum pœnitentiæ concedens crimina et peccata etiam ingentia dimittit : una enim eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in Cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa. Cujus quidem oblationis cruentæ, inquam, fructus, per hanc incruentam uberrime percipiuntur : tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solum pro fidelium vivorum peccatis et pœnis, sed pro defunctis in Christo nondum ad plenum purgatis, rite juxta Apostolorum traditionem offertur.

Deo soli offerri Sacrificium Missæ.

Caput III.

« Et quamvis in honorem et memoriam

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3622. p. 171.

sanctorum nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit, non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illas coronavit : unde nec sacerdos dicere solet, offero tibi sacrificium, Petre, vel Paule; sed Deo de illorum victoriis gratias agens eorum patrocinia implorat; ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Canonem Missæ ab omni errore purum sanctumque et pium esse.

Caput IV.

« Et cum sancta sancte administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium, Ecclesia Catholica, ut digne reverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis ante sæculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nil in eo contineatur, quod non maxime sanctitatem ac pietatem quamdam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat : is enim constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

Ritus et cæremoniæ, quæ in Missa adhibentur, retinendæ sunt.

Caput V.

« Cumque natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli, propterea pia Mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissa voce, alia vero elatiore in missa pronuntiarentur, instituit. Cæremonias item adhibuit, et mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa ex Apostolica disciplina et traditione, quo et majestas tanti sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per hæc visibilia religionis et pietatis signa ad rerum altissimarum, quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Missas privatas licitas esse, nulloque modo damnandas.

Caput VI.

« Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos sanctissimi sacrificii fructus uberior proveniret : nec tamen si id non semper fiat, propterea Missas illas in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, ut privatas et illicitas damnat, sed probat atque adeo commendat : siquidem illæ quoque Missæ vere communes censeri debent; partim, quod in eis populus spiritualiter communicet, partim vero, quod a publico Ecclesiæ ministro non pro se tantum, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

Aquam vino miscendam in Calice in Missa offerendo.

Caput VII.

« Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent : tum quod Christum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod sacramentum hac mixtione recolitur, et cum aquæ in Apocalypsi B. Joan. populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repræsentatur.

Missam non celebrandam lingua vulgari, sed cujusque Ecclesiæ ritum observandum.

Caput VIII.

« Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari passim lingua celebraretur. Quamobrem retento ubique cujusque Ecclesiæ antiquo et a S. R. E. omnium Ecclesiarum matre et magistra probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis, mandat sancta Synodus pastoribus et singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquid declarent diebus præsertim Dominicis et festis.

Caput IX.

« Quia vero adversus veterem hanc in sacrosancto Evangelio, Apostolorum traditionibus, sanctorumque Patrum doctrina fundatam fidem, hoc tempore multi disseminati sunt errores, multaque a multis docentur atque disputantur; sacrosancta Synodus post multos gravesque his de rebus mature habitos tractatus, unanimi Patrum omnium consensu, quæ huic purissimæ fidei, sacræque doctrinæ adversantur, damnare, et a sancta Ecclesia eliminare per subjectos hos Canones constituit.

DE SACRIFICIO MISSÆ [1].

CANON I.

« Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum et proprium Sacrificium; aut quod offerri non sit aliud, quam nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 172.

CANON II.

« Si quis dixerit illis verbis : *Hoc facite in meam commemorationem,* Christum non instituisse Apostolos sacerdotes, aut non ordinasse, ut ipsi aliique sacerdotes offerrent Corpus et Sanguinem suum ; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, Missæ Sacrificium tantum esse laudis et gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium, vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis et defunctis pro peccatis, pœnis, satisfactionibus et aliis necessitatibus offerri debere ; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio in Cruce peracto per Missæ sacrificium, aut illi per hoc derogari ; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, imposturam esse Missas celebrare in honorem sanctorum, et pro illorum intercessione apud Deum obtinenda, sicut Ecclesia intendit ; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum esse ; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit cæremonias, vestes et externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse, magis quam officia pietatis ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, Missas, in quibus solus sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, adeoque abrogandas ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissa voce pars Canonis et verba consecrationis proferuntur, damnandum esse : aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere : aut aquam non miscendam esse vino in Calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem ; anathema sit ».

Adjuncta his est admonitio de pietatis cultu in celebrando Missæ sacrificio adhibendo, cum in sacris litteris percellantur minis, qui opus Dei negligenter faciunt.

103. *Examinatur quæstio an sint juris divini et residentia et episcoporum auctoritas.* — Exarsit in Concilio gravis de residentia controversia [1], an juris esset divini an Pontificii ; subterfugientibusque initio legatis agere, an juris esset divini, Præsules Hispani acerrime instabant, ut ea controversia ventilaretur, e quibus Granatensis et Segobiensis conquesti sunt in litteris ad marchionem Piscariæ, adversari Pontificem, ne decretoria de ea re ferretur sententia, et in eo premi Concilii libertatem, tuendæ enim libertatis Concilii præter modum cupidissimi fuere Tridentini præsules, adeo ut cum Pontifex nonnullorum episcoporum egestatem sua liberalitate levasset, exclamarent nonnulli [2], Concilii libertatem ex eo læsam, sed quam immerito, evidenter dignosci potest ex eo, quod Pallavicinus recenset. Porro Lansacus Gallicus orator sentiebat cum nonnullis non discutiendum, an residentia foret juris divini, sed curandum maxime, ut præsules ad residendum adstringerentur. Itaque tunc de residentia agendum decretum est, cum de Ordinis sacramento ageretur.

104. Sed quoniam, ut scriptum est, cortina cortinam trahit, dum agitur de residentia, actum quoque est de episcoporum jurisdictione, ac xx Octobris episcopus Segobiensis multis argumentis probavit, episcopatum jure divino esse institutum, episcoporumque auctoritate labefactata, Pontificum labefactandam auctoritatem, atque ab eo hæc verba repetita Carolus Vicecomes [3] cardinali Borromæo retulit : « Quod potestates jurisdictionales traduntur episcopis a Deo, sed exercitium jurisdictionis traditur a Pontifice, cum applicatio personæ et divisio materiæ ad eum pertineat, episcopatus autem non est proprie episcopatus sine potestate jurisdictionali ; probaturque ex Anacleto, dari potestatem, cum episcopi consecrantur, et quod potestas supernaturalis traditur episcopis a Deo, quæ auferri non potest, quamvis degradentur, et cum illa potestas per manuum impositionem, per unctionem consecrationis et signa externa tradatur episcopis, sequitur, quod episcopatus sit ordo, et quod sit de jure divino, quemadmodum etiam presbyteratus, ita quod si concedatur hierarchiam esse, necessario sequitur, episcopatum Ordinem esse, cum hierarchia ex duobus tantum membris constare non possit, Ordines autem sacri non sunt, nisi diaconatus et presbyteratus, ergo necessario episcopatus erit addendus : et quod omnes Pontifices usque ad Sylvestrum observaverunt, quod episcopatus est Ordo a Deo immediate, et dixerunt hoc in Epistolis suis, vel ex professo, vel incidenter ».

Monuit Vicecomes [4] eumdem Borromæum xxii Octob. nonnullos præsules inferre, quando

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3622. p. 173. pag. 2. Lit. Leg. card. Ext. in Ms. Fr. card. Barb. sig. 1344. — [2] Ib. Ep. LXXXVII. — [3] Carol. Vicecom. in lit. ad card. Borrom. Ext. in Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 79. — [4] Ib. p. 93. Ib. p. 91. Ib. Ep. CIII.

episcopi jure divino sint instituti, claves non tantum Petro, sed etiam episcopis collatas, necnon XIX Novembris scripsit, plures contendere, a Pontifice non conferri potestatem jurisdictionis, sed locum in quo exerceatur, Laynem [1] vero supremum Societatis Jesu Præpositum in Congregatione generali disseruisse pro auctoritate Sedis Apostolicæ, illustrasseque datam immediate Pontifici potestatem jurisdictionis, et contraria argumenta diluisse: « Quo audito », narrat Sacchinus, « multi postea conati sunt quæ dixerant explicare, et ad sensum commodiorem trahere: multi aiebant, si quæ tum audiverant, audiissent prius, fuisse aliter sensuros, nec pauci ingenue et candide sententiam retractarunt. Legati Pontificii testati sunt, non vulgare eo die unius hominis meritum in Sedem Apostolicam extitisse ».

Exorta est etiam inter præsules disceptatio [2], an Pontificis auctoritas augustior esset Concilii auctoritate, vel e contra, Gallosque ad contrahendam Pontificiam auctoritatem incumbere scripsit Vicecomes ad eumdem Borromæum, jactataque ab Hispanis et Gallis nonnullis hæc verba, ut fieret reformatio in capite et in membris. Porro Pontifex instaurari omnium Ordinum disciplinam gerebat maxime in votis, Apostolicæ tamen auctoritati detrahi ferre non poterat. Cum vero ex his controversiis augeri in dies dissidia possent, proximo anno Ferdinandus Cæsar Zachariæ Delphino, Pontificio in aula Cæsarea internuntio, consuluit, ut rogaret Pontificem, ne controversiam hujusmodi in Concilio declarandam urgeret, nisi Patres universi consentirent, neve administri Pontificii res non necessarias in medium adducerent deliberandas, de quibus Delphinus [3] legatos Tridentinos XX Junii certiores fecit, optimumque visum est Cæsareum consilium, quo omnes occasiones serendi sermonis de auctoritate Pontificia declinatæ sunt.

Dum vero nonnulli principes de emendandis curiæ Romanæ corruptelis agerent, etiam de iniqua regum et principum in Ecclesiasticum Ordinem usurpatione coercenda, læsaque immunitate sacerdotali tuenda actum est, ac tum quidem in Galliis gravissime labefactari jus Ecclesiasticum ab administris regiis significabatur. In primis senatum regium de causis appellationum circa Ecclesiastica sacerdotia cognoscere; secundo Rescriptorum Pontificiorum executionem impediri; tertio judicare de possessorio jure sacerdotiorum; quarto regem propria auctoritate decumas imperare clero, atque ab eo exigere; quæ proximo anno usque adeo excrevere, ut regii administri in eam proruperint licentiam, quod suaserint regi, jure ab eo invadi bona Ecclesiastica atque distrahi posse. Insuper etiam Ferrerius præses acerbissime adversus conditas a Patribus leges pro temperanda principum licentia, defendendoque jure Ecclesiastico declamavit; quæ germinantia in dies dissidia sopiturus Cæsar [1] oratoribus suis in mandatis dederat, ut legatos cardinales ad prætermittendum reformationis caput ad principes laicos pertinens hortarentur.

105. Manavit interea fama [2], Pontificem graviore morbo implicitum decumbere, quapropter nonnulli, inter quos Lansacus Gallorum regis orator, sermones de creando in Concilio Pontifice, vacuo sacrosancto solio, disseminarunt; cum vero ex ea re graviora conflari pericula potuissent, atque etiam nonnulli subjiciendi Concilio Pontificis inania consilia essent meditati, quod antea decreverat Pius, e morbo recreatus edita Constitutione firmavit, ut si Concilio Tridentino non perfecto solium sacrosanctum vacuum fieret, Romæ a cardinalibus, non vero Tridenti a Concilio novi Pontificis electio celebraretur, ad schismatis rerumque novandarum discrimina avertenda, ita ut absentes cardinales, quamvis legati e latere Apostolici absentiæ suæ causa electionem celebratam oppugnare, vel infringere non possent.

106. *Orator regis Poloniæ a Concilio recipitur.* — Ab his ad ea, quæ in Concilio acta sunt [3], revertamur, in quo XXIII Octobris MDLXII, hora XXI, habetur Congregatio generalis, in qua comparuit primum Rev. Dom. Valentinus Herburtus episcopus Præmisliensis orator Sigismundi Augusti Poloniæ regis, qui litteras regias exhibuit his verbis conceptas:

« Sigismundus Augustus, Dei gratia rex Poloniæ, magnus dux Lithuaniæ, Russiæ, Prussiæ, Moscoviæ, Samogitiæque etc. dominus et hæres, reverendissimis in Christo Patribus dominis sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus, ac sacrosancti concilii Tridentini legatis cæterisque reverendis et venerabilibus dominis episcopis, abbatibus, Ordinum generalibus, et aliis omnibus Universale Œcumenicum Concilium Tridentinum repræsentantibus, amicis nostris charissimis, salutem et benevolentiæ nostræ commendationem.

« Reverendissimi in Christo Patres, et reverendi et venerabiles domini amici nostri charissimi. Fecimus pro officio nostro regio, ut ad hunc celeberrimum, et sacrosanctum dominationum vestrarum conventum ablegaremus nostro nomine reverendum in Christo patrem Valentinum Herburthum episcopum Præmisliensem oratorem nostrum, cui quoniam nostro nomine quædam ad dominationes vestras re-

[1] Par. 2. Hist. Soc. 3. — [2] Carol. Vicecom. in lit. ad car. Bor. — [3] Ext. lit. Delphini in Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. Ep. CXII. Car. Vic. in lit. ad car. Bor. p. 115 et 118.

[1] Ext. lit. Delphini in Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. XXIII. — [2] Joan. Vicecom. in lit. ad car. Borrom. in Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 112. — [3] To. X. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 4197. pag. 155.

nuntianda commisimus, ab iis petimus, ut eum disserentem benigne audiant, ipsiusque verbis non multo minus quam nostris fidem adhibeant : quas optime valere cupimus. Datum Wilnæ die VI mensis Septembris anno Domini MDLXII, regni vero nostri anno XXVIII ».

His litteris altiori voce perlectis, Polonus orator orationem habuit, in qua hæc præcipue est locutus :

« Quod in tanta oppugnatione, ac magnis procellis Ecclesiæ sacrosanctum hoc Concilium, velut præsens auxilium, ac gratissimus sol illuxit, id primum Dei benignitati, deinde beatissimo ac maximo Pontifici Pio IV merito acceptum ferre debemus. Quas enim ille Pontifex impensas, quos labores, quas curas non suscepit ac pertulit, priusquam hunc vestrum sanctissimum gravissimumque cœtum coegit? Quæ igitur illi pro tam ingenti divinoque beneficio prœmia, quæ honoris insignia, quæ laudum monimenta ab Ecclesia non debentur » ? Et paulo post : « Tum vero illud non importune Dei benignitate accidit, quod ad Ecclesiæ salutem defendendam tuendamque pius et invictissimus imperator, et alii Catholici reges, principes resquepublicæ magno studio, ut ex hac oratorum clarissima magnaque frequentia cognosci potest, consentiant; quodque serenissimus ac clementissimus Dominus meus rex non dissentit in hac tam pia causa a reliquis Catholicis regibus. Is vero cum illis mente, voluntate, studio ac virtute ad conservandum veterem illum Catholicæ religionis statum vehementer consentit, ac in eo studio se cum regiis facultatibus suis huic sacro sancto Concilio non defuturum offert atque pollicetur. Nam cum is serenissimus rex meus sapientia, justitia, fortitudine, temperantia, omnique illo pulcherimo choro virtutum stipatus ac in primis ornatus sit, tum pietatis tanto, quantus esse maxime potest, lucet splendore. Quot enim is templa delubraque, honoris et cultus Dei Optimi Maximi gratia, magnifice extruxit, ac copiose amplissimeque ditavit: quantum extat ejus studium in vera religione augenda, dilatanda, ac etiam ad barbaras gentes regno suo vicinas proferenda ! Jam vero quanto studio contendat et elaboret, ut hæc lues tetra, quæ nostro sæculo plerasque Europæ provincias pervagata est, sin minus funditus evelli, saltem reprimi et sopiri queat, nos qui regni illius incolæ sumus, testes locupletes esse possumus. Sed quid omnia serenissimi mei regis pietatis certissima signa persequi necesse est, cum non mediocre ejus rei documentum sit, quod cum ipse regni ac belli negotiis gravissimis impeditus, ad hoc sacrosanctum Concilium venire non posset, me licet indignum suum oratorem misit? Noluit enim pius rex in hoc totius Christiani orbis de componendis dissidiis religionis ardore a beatissimi maximique Pontificis, ac ab omnium Catholicorum regum studio, studium quoque suum abesse etc. ».

107. Attulit deinde orator tardioris adventus causas, nimirum in veteri more et instituto regni Polonici esse, ut in regni comitiis legationes decernantur; cum vero rex aliquot annis a regno suo in remotioribus regionibus belli negotiis vehementer impeditus abesset, nec regni ordines cogere posset, diutius pro sua pietate se non continere potuit, quin oratorem ad Concilium, non expectato comitiali decreto, allegaret, ut præmaturus potius quam tardior adventus æstimari possit: demum Patres cohortatus est, ut pestiferum hæreseos virus extinguant, cui hisce verbis responsum est [1] :

« Responsum datum oratori regis Poloniæ a sacrosancta Tridentina synodo, in publica Congregatione, die XXIII mensis Octobris MDLXII.

« Reverendissime et illustrissime domine orator, Sigismundi Augusti optimi ac potentissimi regis vestri singularis pietas et excellens juvandæ Catholicæ Ecclesiæ studium adeo perspectum sanctæ Synodo semper fuit, ut quemadmodum summa cum lætitia et voluptate ejus legatum advenientem excepit, ita certe nullam moram, et tarditatis excusationem ab ejus majestate expectandam esse unquam existimavit. Cum enim serenissimus Poloniæ rex is sit, qui acceptam a clarissimis regibus majoribus suis Catholicæ fidei veritatem non solum ipse constanter retinuerit, verum etiam optimis legibus et continentibus prope bellis, a nefariorum hominum scelere atque impetu defendendam summa cum laude susceperit, satis per se sancta Synodus intelligebat, eum celeberrimo huic atque legitimo totius orbis Concilio animo interesse, eamdemque pietatem omni tempore sanctæ Dei Ecclesiæ reipsa præstiturum esse, quam invictissimus Cæsar, cæterique Christiani orbis reges, ac populi missis legationibus professi essent. Accedebat autem Hosii cardinalis amplissimi aspectus præsentiaque ad declarandam regiam mentem et voluntatem, veluti magnum aliquod atque illustre testamentum : neque enim dubitari poterat, Sigismundum Augustum regem omnia, quæ ad sacræ hujus Synodi decus et ornamentum pertinerent, summo studio curaturum esse : in qua ditionis suæ hominem Apostolicæ Sedis legationem obire perbenigne pateretur. Hæc igitur sunt, præclarissime orator, quæ hactenus fecerunt, ne ab hoc Generali Concilio regis vestri pietas et auctoritas abesse videretur. Verum quando per legatum summæ religionis, et prudentiæ, et integritatis laude præditum adesse voluit, hoc quidem sanctæ Synodo eo jucundius accidit, quod intellexit, ejus majestatem non expec-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 1397. p. 156 et 366.

tatis regni comitiis de hac re deliberasse; ne scilicet cum ea longius differrentur, aliquod pietatis officium ab optimo et religiosissimo rege defuisse illis videri posset, qui minus sincere atque invidiose Catholicorum principum facta interpretari solent. Quare sancta Synodus regiam majestatem de honorificentissima legatione, deque ejus in Catholicam et Apostolicam Ecclesiam egregia voluntate maximas gratias agit. Deinde vero te, reverendissime domine, non solum quia illius regis, cui nihil antiquius vera religione unquam fuit, personam geris, sed quia Hosii cardinalis et legati amplissima laudatione ornatus, non potest hoc munere non dignissimum judicare, libentissime excipit, mandatumque tuum, prout juris est, admittit. Quod autem sanctam Synodum hortaris, ut Dei causam, quam suscepit, ita tueatur, ut aliquando sancta Ecclesia pristinam dignitatem recuperare queat, illa quidem sua sponte incitata in hanc curam omni cogitatione incumbit, lætaturque Dei misericordia, tam præclara divini hujus operis fundamenta jacta esse, ut divina ope et auxilio freta speret fore, ne cum sibi a Pio IV Pontifice Maximo, cujus virtutem immortalitati consecratam omnes ætates admirabuntur, summa constituendæ Ecclesiæ adjumenta suppeditata fuerint, ipsa suo muneri et officio defuisse existimari possit ».

108. *Proponitur decretum de residentia.* — Dum Tridentum Gallicani Patres properant, sexta Novembris celebrata est Congregatio generalis hora XVI, in qua decretum de residentia perlectum est præfante illi cardinale Mantuano subjectis verbis [1] :

« Debitores illi, qui solvendo sunt, cum tempus venit, creditoribus suis debitum persolvunt, nulla diei prolatione petita. Nos in eorum debitorum numero sumus, qui solvendo sunt, propterea ad diem, quod vobis debemus, dissolvere volumus. Vos memoria tenetis, cum his mensibus orta inter vos esset contentio, an residentia esset juris divini, necne, qua ad gravissimas verborum contumelias pæne descensum est, me dixisse, ut altercatio sedaretur : non esse cur de residentia contenderent, cum de ea agendum esset, cum de sacramento Ordinis pertractaretur. Quare cum Dei benignitate de sacramento illo jam tractatum sit a theologis et a vobis, et doctrina et canones confecti sint, quamvis non omni ex parte emendati, nunc de residentia cogitare poteritis, sed antequam de residentia suo tempore dicere sententias incipiatis, duo a nobis exponenda vobis sunt. Unum, de quo admonitos vos esse volumus; alterum quod ab humanitate vestra magnopere cupimus. De quo a nobis admonendi estis, illud est. Cum in illa generali Congregatione, quæ habita est decima die Martii hujus anni, in qua multos articulos reformationis proposuimus, quorum caput illud fuit, considerent Patres qua ratione fieri possit, ut patriarchæ, archiepiscopi, episcopi, præterea omnes curati in suis Ecclesiis residerent, non fuisse propositi nostri, ut alia ratione de residentia tractaretur, quam in superiorum temporum Conciliis tractatum fuisset, nemper per præmia et per pænas. Cum enim videremus multa incommoda invecta esse ex episcoporum absentia a suis Ecclesiis, et speraremus ea omnia tolli posse ex præsentia, proposuimus vobis canonem illum residentiæ, ut vos novas excogitaretis pænas et præmia, quibus tanquam vinculis arctioribus episcopi abstringerentur ad residentiam, sed nescio quomodo oratio vestra a propositione nostra deflexit ad quærendum, an residentia esset juris divini, necne, quæ res magnas excitavit contentiones et turbas, et majores excitatura esset, si de ea re iterum disputaretur. Quare pacis et concordiæ causa deliberavimus vobis proponere decretum, in quod conjecta sunt præmia et pœnæ fere omnes, quæ excogitari possunt, quibus episcopi cogerentur obsequium præstare Domino nostro in Ecclesiis suis residendo. Hæc ratio pœnarum et præmiorum placet Cæsareæ majestati, et serenissimo Hispaniarum regi, et speramus placituram Christianissimo regi, ac illustrissimo cardinali Lotharingiæ, et Gallicanæ Ecclesiæ, quam secum adducit. Nam cum his diebus illustrissimus orator de Lansaco nobiscum esset, et in sermonem residentiæ incidisset, dixit, se non magnopere laborare, quo jure episcopi residerent, sed ut omnino residerent; quod ministro placuit tanti judicii, placiturum speramus regi suo. Sed nostrum fuit decretum proponere, vestrum vero de illo judicare, quod, ubi ego dixero, secretario perlegetur. Illud vero quod a vobis impetrare cupimus, est, ut cum de decreto et de tota re disseretis, de ea disserere velitis ut decet sanctos, qui hoc tempore non sub modio, sed super candelabrum positi sunt, ut omnes videant, qui in domo Dei sunt : ut decet graves, doctos et prudentes viros, qui non continentibus jurgiis contumeliisque agere debent, sed rationibus desumptis a sacra Scriptura, a sacris canonibus et ab auctoritatibus probatissimorum Ecclesiæ Dei doctorum ; ut denique decet eos, qui ut memoriam præteritarum contentionum abolere velint, modeste, graviter sedateque loqui debent. Hæc si feceritis, ut speramus et confidimus, nobis rem gratissimam facietis, ipsi vero maximam laudem consecuturi estis non a nobis, sed ab eo, in quo gloriari oportet, si unquam gloriari expedit, cui laus et gloria sit nunc et in æterna sæcula ».

109. *Cardinalis Lotharingus, præsulibus et oratoribus Gallis stipatus, Tridentum appellit.* — XIV Novembris Carolus cardinalis tit. Sanctæ-

[1] Act. Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sig. 1119. p. 93.

Cæciliæ e Lotharingia Tridentum ingressus est multis præsulibus Gallis ac theologis Sorbonicis stipatus, ac deinde vigesima tertia ejusdem mensis, cum in consessum solemnem Patrum admissus esset, regii oratores litteras [1] Caroli IX Galliarum regis Christianissimi ad Patres Concilii datas præsidibus legatis porrexere, quæ in Latinam linguam conversæ perlectæ sunt subjectis verbis conceptæ :

« Carolus Dei gratia Francorum rex, sanctissimis et reverendissimis Patribus in sacro Tridentino Concilio congregatis, salutem. Etsi ea fuit Dei Optimi Maximi voluntas, ut jam inde ab ineunte ætate, nos ad tanti hujus regni imperium vocarit, ejusque altæ et infinitæ judiciorum prudentiæ placuit nobis committere hujus principatus initia adeo tumultuum et civilium bellorum plena, ut nulla illius vel minima provincia inveniri possit quæ hisce calamitatibus careat : oculos tamen pueritiæ nostræ hæc ipsa divina bonitas ita aperuit, ut tantorum malorum causam facile judicaverimus non aliunde, quam ex varia et multiplici de religione opinione, qua populus noster imbutus est, processisse : cognoscamus et jam hujus gravissimi morbi remedium non ab hominum prudentia esse petendum, sed a Deo vivo et inexhausto misericordiarum fonte, qui requirentibus eum ex animo, suique nominis gloriam et honorem spectantibus nunquam defatigatur beneficia et gratias conferre. Itaque eodem sancto Spiritu ducti, cum primum regia corona sumus insigniti, nihil nobis magis fuit in votis, quam cum majorum nostrorum exemplo ad sacros conventus velut ad ejus ægritudinis unicum et præsens medicamentum confugere, tum in bonæ memoriæ Francisci regis, domini et fratris nostri amantissimi vestigiis permanere, et quanto potuimus studio et diligentia, hanc ipsam, in quam nunc ex variis orbis terrarum partibus convenistis, celeberrimam Synodum expetere. Ac illud quidem gravissime tulimus nos, qui hujus instituti adeo pii et optati auctores fuimus, non tamen efficere potuisse, ut prælati nostri in hoc generale Concilium primi convenerint, sed hujusmodi dilationis causam, et alii omnes, et vos ipsi necessariam judicastis. Cumque amantissimum et dilectissimum consobrinum nostrum cardinalem Lotharingum archiepiscopum ducem Rhemensem primum Franciæ parem, inque illius comitatu aliquot regni nostri episcopos et abbates advenire videatis, nihil quidem a nobis cum simulatione aut exquisitis diffugiis, sed omnia serio, piaque et sancta voluntate gesta esse facile existimabitis. Causa autem, sanctissimi Patres, propter quam consobrinum nostrum ad vos misimus duplex est. Altera quod ille muneris sui non oblitus, quique optime novit, quid Ecclesiastica professio, horumque temporum calamitas ab eo suique ordinis hominibus requirat, sæpius et vehementer isthuc eundi facultatem a nobis petiit et optavit. Altera, quod ille a teneris annis ad secretiora nostra consilia evocatus, et in regni nostri negotiorum administratione educatus, optime novit fontes et origines tumultuum nostrorum, quibus rebus egeamus, ut ii sedari possint : eique in mandatis dedimus, ea vobis exponere, et quæ a prudentia vestra et amore paterno remedia vitæ expectari possunt, non solum propter regni nostri tranquillitatem, sed etiam totius reipublicæ Christianæ salutem, a vobis impetrare : cum enim præ oculis, quis sit verus et purior Dei cultus, semel habuerimus, poterimus tandem ad laudatam illam et adeo expetitam rerum commendationem, quæ episcoporum incuria et hominum malitia perierat funditus, pervenire, ac in honorem et exaltationem Dei nominis unitatemque Ecclesiæ antiqua illa Catholicæ Ecclesiæ majestas et integritas splendebit. Quam rem veluti munere vestro dignam universus orbis jure suo a vobis requirit, eamque si feceritis, accedet vobis inenarrabilis remuneratio a manu illius liberali, qui se harum rerum liberalissimum remuneratorem profitetur; reges item, respublicæ, principesque omnes vobis se merito devinctos existimabunt, vestramque pietatem magna cum vestra laude posteritati commendabunt. Et quia eo est ingenio consobrinus noster, ut ea plane noverit, quæ vos speciatim scire cupimus, obsecramus vos, sanctissimi Patres, illum ut æquo et lubenti animo audiatis, eamque illi fidem, quam nobis, si isthic essemus, adhibeatis. Petentes invicem a Deo Optimo Maximo, ut vos suo præsidio, totique orbi Christiano diutius conservare dignetur ».

110. Lectis regiis litteris Carolus cardinalis Lotharingius subjecit, eas reginæ matris, et Antonii regis Navarræ, ac procerum regni consensu fuisse exaratas, prolixaque et lugubri hac oratione immanissimas calamitates, quas hæresis in Galliam invexerat, prosecutus est, deque remediis grassanti malo adhibendis peroravit, quæ a Gabriele Palæotto [1] in Actis Ms. accurate referuntur :

« Inde, inquit, cardinalis Lotharingius incæpit.

« Illustrissimi domini, reverendissimi episcopi. Christianissimus rex Carolus reginæ matris Christianissimæ auctoritate, ac præcipuo regis Navarræ assensu, procerumque omnium conscriptorum consilio has litteras quæ modo perlectæ sunt, decrevit, mihique ad vos perfe-

[1] Excusæ Brixiæ 1562. Lit. Car. IX. ad Conc. Trid.

[1] Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 218. Inter Act. Conc. Trid. Gabr. Pal. Ext. typis excusa Brixiæ ad instantiam Jo. Bapt. Bozolæ an. 1562.

rendas dedit, quarum præcipue ea capita, quæ majorem a me explicationem desiderant, pro ea, quæ mihi credita est, fide, explicabo quam brevissime potero. Hæc, ut meministis, statim in initio rerum regni illius nostri nobilissimi, amplissimi et florentissimi quondam, summæque erga regem fidei et observantiæ statum et conditionem testantur. Dicam uno verbo non sine incredibili animi dolore, fuimus Galli, fuit ingens gloria Francorum. Hæ rerum omnium sunt vicissitudines; manus Domini tetigit nos, clarissimi viri patres et fratres. Hæc nobis justum Dei in ira sua judicium provocaverunt, corrupti omnium Ordinum mores, et Ecclesiastica omnis collapsa disciplina. Has turbas excitarunt hæreses non suppressæ, et a Domino Deo nostro instituta remedia tamdiu neglecta. Hinc illæ lachrymæ, et per totum regnum dissidia, rapinæ, bella intestina et plusquam civilia. Luctus ubique, ubique dolor, et plurima mortis imago. Nec sacrosanctis Dei templis parcitur, presbyteri et religiosi viri ad aras, quas amplexantur morientes, trucidantur, visibilia Sacramentorum signa pedibus conculcantur et comburuntur, passim erecti apparent rogi ex omni genere Ecclesiasticorum ornamentorum, accensæ ex imaginibus dejectis pyræ, additis omnium non solum Ecclesiarum, sed antiquissimarum Bibliothecarum libris, nec quidquam ex chartis publicis et Instrumentis, quæ ad dotationem pertinent, reservatur, sanctorum reliquiæ ruptis altaribus in cineres rediguntur, sunt post hæc in profluentem projecti. Horresco referens, nec a summorum Pontificum, imperatorum, principum, episcoporum, et sine discrimine passim aliorum omnium sepulchris abstinetur, eorum maxime, qui de Ecclesia Dei benemeriti per monumenta reperiuntur. Nomen Domini ubique blasphematur, spiritus mendacii in ore omnium est, qui falso verbi Dei ministerium usurparunt, atque ita expulsis pastoribus, alienus ovis custos, fur et latro, ascendit. Postremo [quod longe omnium est gravissimum] juge et sacrosanctum sacrificium apud eos cessat, quod intermissum, quantam ruinam secum afferat et quantam regibus jacturam, et meministis, viri doctissimi, ex Prophetarum oraculis, et experientia jam in magnis imperiis, florentissimis regnis, amplissimis provinciis didicistis, atque in Gallia nunc aspicitis ; regis enim majestas contemnitur, imperia detrectantur, non modo vectigalia, sed proventus etiam negantur, jura omnia et leges silent. Quilibet vindictam, quam exercet, ex privato odio metitur, ad defectionem populus incitatur, et excusso monarchiæ, quod aiunt, jugo, anarchia in concionibus publice proponitur. Hæc omnia apud vos cogitate, clarissimi oratores, ne quod in Gallia nunc videre otiosis licet, sera nimis pœnitentia experiamini, si mole sua Gallia ex vicinia vos in ruinam trahat. Sed quid vos, sanctissimi episcopi, detineo, aut diutius affligo. Supersunt toti huic nostro malo remedia. Habemus enim magnæ spei pupillum regem, non tam regni ex legitima successione monarcham, quam religionis et virtutum omnium avitarum hæredem, quem pater Henricus, avus Franciscus excitant, et in quo jam Francisci fratris demortui omnis generis virtutum igniculi relucent. Nec desunt Catharinæ reginæ viduæ et Navarræ regis optima consilia, et infractæ procerum vires. Nullis opibus parcitur, undique auxiliares copiæ comparantur, fitque via vi, sed in nostra viscera, quantumcumque victrix dextera sit, ferrum convertitur, eruuntur opes, et fit lamentabile regnum : jamque nulla ad sedandos tantos tumultus aptior via, nullum præsentius est remedium, quam quod ab hac sacrosancta Universalis Ecclesiæ legitime in Spiritu sancto congregata Synodo expetitur. Huc vos majorum exempla trahunt : hoc Dei verbum docet, ac ut speramus, in promissis suis, quæ nunquam fecit irrita, imperat, atque ita demum ex hoc loco pax Dei, quæ exsuperat omnem sensum, expectatur. Templum enim Dei sanctum est, quod sumus nos, viri Patres, et tametsi divisiones gratiarum sint, omnes tamen nos in uno spiritu, qui in nomine Domini Jesu Christi congregati sumus, quos et dicere necesse est, prout Spiritus Sanctus dabit eloqui. Quæ omnia, ut magis scire potestis, ad bene beateque decernendum ex divino præcepto sunt necessaria. Hæc omnia Christianissimus rex cum sibi satis persuadeat, nec quidquam alienum ab his a nobis expectet, duo tamen præcipua sunt ea, de quibus nos admonet, pro sua in hanc Synodum observantia, et pro ea, quam sentit ex his in religione dissidiis, summa molestia. Primum itaque a nobis postulat, ut quantum fieri poterit, nova dissidia vitemus, novas, inquam, et infructuosas relinquamus quæstiones, ac demum, quantum nobis licet, enitamur ut principes et provinciæ omnes ab armis abstineant : ab hoc desiderio excitandorum bellorum prorsus nos alienos esse oportet, ne qui ex nobis discesserunt, et se ab Ecclesia Dei præsciderunt, existiment, magis hoc conventu principes ad arma excitari, et societates et fœdera iniri ad bellum quantumcumque sacrum, quam de universali omnium animorum reconciliatione decerni, solliciti ante omnia servare unitatem pacis. Si quid in ea sententia peccatum est, parcite, quæso, Patres amplissimi ; Henricus pater auctor fuit pacis, quæ in Christiano orbe hactenus tam feliciter servatur, eam quasi testamentum paulo post moriens filio Francisco regi commendavit ; hanc Franciscus frater, si nobis tam cito ereptus non fuisset, magna prudentia retinere conabatur. Pupillo et viduæ iniquissimas semper turbas, et

bella intestina rex et regina mater valde pertimuerunt, et pacatos subditorum omnium animos, ne quies publica interturbaretur, summa prudentia, ac ut ætatem et sexum decet, perpetuo exoptaverunt. Quod etiamsi [ut negari non potest] infeliciter successit, infeliciores tamen belli eventus sunt pertimescendi, ne si omnes in eodem periculo versentur, eadem et tempestate actos, nemo periclitantes adjuvet, ac sic unum idemque omnes naufragium faciemus. Summam propterea rationem haberi desiderat eorum, qui lapsi sunt, ut et illis, quantum ex Deo poterimus, condonemus, quibus et nos amicos esse liceat, sed usque ad aras. Alterum legationis meæ caput est, quod jam a principio regi meo Christianissimo cum serenissimo imperatore, et reliquis regibus, et principibus, viris, quorum hic clarissimos viros oratores habetis, fuit commune, nempe ut de reformatione et morum et Ecclesiæ disciplinæ omnino decernatur. De hac iterum iterumque vos admonet, ad eam serio complectendam, qua potest observantia hortatur, et per Dominum Jesum Christum, qui judicaturus est vivos et mortuos, obtestatur, si Ecclesiæ auctoritatem integram esse vultis, si ejus dignitatem conservare, si jam inclinatum nobilissimæ Galliæ regnum retineri posse judicatis, nec vos ex vestris commodis nostra incommoda metiri æquum est. Si enim universa hæc Italia, si Hispania omnis sedem et clavum tenet, gratulamur vobis, felicissimi Patres ; nos quippe excidimus, et vix supremo digito gubernacula retinemus. Hic nobis liceat jure vestro causas a nobis tantæ tempestatis exquirere. Quem accusabimus, coepiscopi fratres ? quem tanti mali auctorem constituemus ? Memini quid velitis, nec memoria excidit vestrum de ea re commune omnium judicium : hoc non sine innato pudore, et magna anteactæ vitæ pœnitentia dicere me oportet. Propter nos tempestas hæc orta est, viri fratres, propterea mittite nos in mare. Quid addam amplius ? habetis confitentes reos, in eos, ut libet, animadvertite. Nunc judicium incipiat a domo Dei, et mundentur qui ferunt vasa Domini. Attendamus nobis et universo gregi. Quiescamus perverse agere et discamus bene agere. Imo potius tu, misericors et bone Deus, per viscera misericordiæ tuæ attende, placare et fac, adauge nobis fidem, ut sine timore de manu inimicorum liberati serviamus tibi. Nunc viribus opus est, Patres, nunc pectore firmo. Sed vereor, illustrissimi domini et reverendissimi episcopi, ne nimis importune agam, non est enim sponte currentibus addendum calcar. Finem igitur faciam, est enim mea hæc a rege expedita legatio. Si quid scire vos amplius oportebit, hæc omnia clarissimi regis oratores curabunt. Ego vero, et mecum una, qui ex Galliis advenerunt reverendissimi coepiscopi, in hac universalis Ecclesiæ sacrosancta Synodo testamur, beatissimo domino Pio Pontifici Maximo post Deum in perpetuum subditos esse velle, ejus enim nos in terris primatum super omnes Ecclesias agnoscimus, cujus nunquam imperia detrectabimus, Ecclesiæ autem Catholicæ et sacræ generalis Synodi decreta veneramur. Vobis illustrissimis et reverendissimis legatis fasces submittimus, sanctissimis episcopis dexteras societatis offerimus, et clarissimos oratores testes sententiarum nostrarum hic adesse vehementer gratulamur, ut Spiritu sancto duce in omnibus, per omnia, et semper honorificetur Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi ».

111. Cum finem dicendi fecisset cardinalis Lotharingius, mox primus Concilii præses, is erat Hercules cardinalis Mantuanus, in hæc verba respondit :

« Responsum legati [1] ad orationem cardinalis Lotharingi.

« Eo die, quos nos dominatio vestra illustrissima perhumaniter convenit, dixit se mandata Christianissimi regis sui coram sancta Synodo primo quoque tempore expondituram, quamobrem elegimus archiepiscopum Jaderensem virum doctum et prudentem, qui sanctæ Synodi nomine illustrissimæ dominationis vestræ orationi eleganti, et copiosæ, et eruditæ, qualem excellens doctrina nobis pollicebatur, atque eventus ipse comprobavit, responderet, atque explicaret quam gratus nobis omnibus accidisset labor quem suscepit, accedendi ad Concilium una cum bona parte episcoporum, abbatum ac theologorum Ecclesiæ Gallicanæ. Speramus enim ex hac doctissimorum prælatorum accessione magnum incrementum capturam causam Catholicæ religionis, mirosque progressus facturam de virtute in virtutem, et correctionem lapsuum et morum, qui hactenus in Ecclesia Dei fuerunt, etc. »

112. Addunt Acta [2] Mutium Calinum Jaderensem archiepiscopum conceptum hisce verbis responsum prolixius subjecisse :

« Illustrissime et reverendissime domine. Inter cæteras Christianæ reipublicæ miserias et calamitates, quarum memoriam sacrosancta Synodus, neque deponere, neque sine lachrymis repetere unquam potest, nulla ejus animum cura magis anxium et sollicitum semper habuit, quam seditiones et bellici tumultus, qui religionis causa in florentissimo Galliarum regno commoti et concitati dicerentur, nam cum omni tempore regnum illud firmissimum Catholicæ veritatis præsidium et columen jure optimo habitum fuerit, cogebatur sancta Synodus incredibili dolore affici, cum intelligeret ejusmodi factam esse rerum commutationem, ut non in

[1] Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 1109. Act. Trid. per Astulph. Serv. — [2] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 222.

una, aut in altera, sed in pluribus ejus provinciis omnia fere impietas, cædes, vastitas occupasse videretur. Accedebat præterea ad augendam doloris acerbitatem, quod nuntiabatur nobilissimos gentis vestræ proceres, quod scilicet alii orthodoxam fidem labefactatam et eversam, alii defensam et conservatam maxime cuperent, tanto animorum ardore ad arma concurrisse, quanto olim Christianissimi reges vestri totius Gallici nominis consensu pro Christiana religione propaganda, ejusque dignitate recuperanda difficillima sæpe bella suscepissent et confecissent. Verum antea cum hæc mala sancta Synodus multorum fama et auditione accepisset, graviter sane dolebat, et præsentem inclyti regni statum maxime deplorabat, ita tamen ut facile crederet multo sibi miserabiliorem ejus fortunam videri posse, si quæ aurium sensu perceperat, cernere etiam oculis et propius omnia ejus vulnera intueri, ac penitus pernoscere licuisset. Quod quidem illi nunc insperato quodammodo contigit. Etenim illustrissima et reverendissima amplitudo vestra Christianissimi regis litteras, quæ nuper recitatæ sunt, oratione sua subsecuta, et verborum copia, gravitate, prudentia, Gallicarum rerum statum et conditionem exposuit, ut eas non commemorasse, sed earum veluti expressam imaginem omnium oculis subjecisse videatur. Quare constanter sancta Synodus affirmat se nullas ei proprias ac præcipuas doloris partes concedere, verum eo acerbius hanc calamitatem ferre, quod amplitudo vestra matri sanctæ Synodo charissimæ et dulcissimæ filiæ ærumnas et incommoda defleat ac conqueratur. Sed tamen in tantis malis animum erigit et confirmat, siquidem brevi futurum confidit, ut Deus reddat puero regi pristinam majorum suorum, et præsertim avi, parentis ac fratris clarissimorum regum virtutem ac fortitudinem, qua non solum nefarios hostium conatus reprimere, et audaciam ulcisci queat, sed in tenera etiam ætate singulare aliquod pietatis exemplum ad pulcherrimi facti imitationem posteritati tradere. Deinde vero cum divina clementia atque misericordia, et sanctissimi domini nostri Pii Pontificis Maximi opera et auctoritate hoc sanctum et generale Concilium coactum sit, si unquam antea, nunc certe maxime sperandum est fore, ut verus Dei cultus, discussa errorum caligine, ab omnibus agnoscatur, mores emendentur, pax et tranquillitas Ecclesiæ restituatur; qua in re quemadmodum adhuc sancta Synodus omnem diligentiam adhibuit, ut quæ sui muneris et officii esse intelligebat, Deo adjuvante, perficeret; ita in posterum nihil se de ea cura remissuram, verum si fieri possit, aliquid potius ad eam studii et industriæ addituram esse pollicetur ac spondet. Neque vero, illustrissime domine, te impulsore solum atque hortatore, sed multo magis, quod summæ felicitatis loco habendum existimat, adjutore et consiliario id faciet. Novit enim quanta tua sit optimarum artium et præcipue sacrarum litterarum scientia, maximarum rerum usus atque tractatio, apud regem potentissimum summosque principes existimatio et auctoritas, et quod caput est, pietas in Deum, vitæ integritas et innocentia, ac cura et Catholicæ religionis sincerum studium. Quæ quidem tot et tanta sunt, ut quid potissimum in te homines laudare debeant maximarum-ne virtutum cumulum, an in quoque genere absolutam et perfectam earum formam merito dubitari possit. Illud autem exploratissimum sancta Synodus habet, tam multa ab illustrissima amplitudine vestra ad communis causæ utilitatem adjumenta illatum iri, ut sibi nunquam minus jucundam ejus adventus memoriam futuram confidat, quam ille ipse dies, quo venientem excepit, lætissimus ac jucundissimus omnibus illuxisse visus. Itaque, illustrissime domine, omnes hi sanctissimi Patres, quod tam longo, difficili ac periculoso itinere suscepto ad tuendam matris Ecclesiæ dignitatem tanta animi alacritate accurreris, quod salvus et incolumis cum tot gravissimorum Patrum comitatu adveneris, quod tua præsentia, auctoritate, splendore frui liceat, primum Deo immortali maximas gratias agunt, deinde tibi ex animo gratulantur, faustaque omnia ac felicia a Domino precantur. Cæterum quæ vel de communibus Catholicæ Ecclesiæ rebus, vel de privatis Gallicarum Ecclesiarum commodis proponenda erunt, ea sancta Synodus, quotiescumque regiis oratoribus viris præstantissimis, vel illustrissimæ amplitudini vestræ de his dicendi locus et potestas dabitur, libentissime audiet. Neque enim dubitat, quin ejus regis nomine, qui pueritiæ commendationem a pietatis acerrima defensione duxerit, cujusque in omni vita præcipuum ornandæ atque amplificandæ religionis studium esse debeat, illa proponantur, quæ in primis cum vera Dei gloria, perpetuaque sanctæ ejus Ecclesiæ utilitate et summa Apostolicæ Sedis dignitate et amplitudine conjuncta esse videantur ».

113. Ea absoluta oratione Renaldus Ferrerius in senatu Parisiensi præses, unusque ex regis Christianissimi oratoribus, conspicuis operibus illustratam regiam pietatem, flagrantissimumque Gallorum pro retinenda veteri religione studium commendavit. Pro tuenda Pontificis auctoritate bellum asperrimum geri, qua deserta, brevi omnes seditiones componi possent, Patresque rogavit, ut summa integritate Dei gloriam promovere, religionis incorruptam puritatem asserere, divinamque opem, sine qua reliqua auxilia Gallis [irrita forent, promereri niterentur.

« Orationibus, inquit, quas nunc audistis,

illustrissimi domini, sanctissimi Patres, nihil est quod a nobis quidquam addi aut detrahi debeat, tantum unum dicemus bona venia paternitatum vestrarum pro muneris nostri ratione. Christianissimi regis pius, religiosus et in Catholicam Ecclesiam propensissimus animus antea quidem erat omnibus satis perspectus et cognitus, nunc autem adventu et oratione illustrissimi principis et reverendissimi cardinalis adeo est illustratus, ut ne ullius quidem dubitationi locum relinquat. Nam quo minus antea tanti viri adventus ab omnibus prudentibus et peritis rerum humanarum sperabatur, eo magis cum venerit, nemo est, vel mediocri ingenio præditus, qui non videat quantum Galli Ecclesiæ Catholicæ consultum velimus, quique non intelligat plures, easque gravissimas esse causas, quibus adductus rex Christianissimus illum ad vos miserit, cujus singulari consilio in rebus magnis agendis cum antea semper usus est, tum maxime his miserrimis et calamitosissimis Galliæ temporibus. Qui autem existimant privato magis commodo quam reipublicæ Christianæ causa hæc a nobis fieri, vehementer falluntur. Potest, si modo velit rex Christianissimus, vel triduo seditiones omnes et motus suorum componere, inque officio et obsequio Gallis innato subditorum omnium animos retinere, sed non tam quæ sua sunt quærit, quam quæ sunt Catholicæ Ecclesiæ, et Pontificis Maximi, cujus dignitatem et auctoritatem, ut sartam tectam in Gallia retineat, non dubitat tanti regni imperium, vitam et fortunas magnorum principum, procerum et nobiliorum in periculum adducere. Hic est Galliæ nostræ status, hæc fundi nostri calamitas, quod si quis nos roget, quid tandem illud est, quos vos Ecclesiaque vestra Gallicana tantopere a Concilii Tridentini Patribus expetit ? Non sumus, Patres sapientissimi, in petitionibus nostris admodum morosi et difficiles ; nihil aliud petimus, quam quod totus orbis Christianus efflagitat, quod a Concilii Nicæni Patribus petiit magnus ille Constantinus, hoc ipsum a vobis requirit rex Christianissimus : omnia illius postulata continentur, aut sacris Bibliorum litteris, aut vetustis Ecclesiæ Catholicæ consiliis, aut antiquis Pontificum et Patrum constitutionibus, decretis et canonibus. Hæc sunt, hæc, inquam, sunt, quorum nomine rex Christianissimus, Ecclesiæ Catholicæ primogenitus filius, Ecclesiæ, inquam, Catholicæ petit restitutionem in integrum apud vos, quos Dominus noster Jesus Christus prætores legitimos creavit, neque hoc ipsum petitur ex clausula, ut dicitur, generali, sed ex verbis expressis edicti illius divini, et perpetuo, quod adversus nunquam fuit et nunquam erit usucapioni aut præscriptioni locus. Redeant saltem quasi postliminio in sanctam Dei civitatem, et in lucem hominum tandem prodeant, quæ antiquus hostis Sathan vi eripuit, et longo tempore suppressit. Sic Darius Persarum rex motus in Judæa propter religionem excitatos sedavit. Non enim ad arma continuo, verum ut majorum suorum leges et antiqua edicta inquirerentur, jussit, inventumque regis Cyri edictum de reditu Judæorum in Judæam et Templi instauratione a majoribus suis neglectum, mandavit executioni et ita pacati sunt tumultus. Josias rex laudatissimus, et sincerissimus Ecclesiasticæ disciplinæ exactor librum legis ab Helcia magno sacerdote repertum, posteaquam hominum malitia longo tempore suppressus fuerat, primum legit diligentissime, deinde lectum recitavit populo, tum ex illius præscripto ritus et præcepta divina Judæis restituit. Strenui illi Nehemiæ milites, quos tantopere commendat Chrysostomus, altera quidem manu telum tenebant, altera muros ædificabant, hoc est, Ecclesiam ex antiquis Patrum legibus restituebant. Nisi hæc fiant, Patres sanctissimi, frustra a vobis rogabimur, num etiam pacata est Gallia? nos enim respondebimus, quod Jehu regi Joram roganti, num pax? et quomodo, inquit ille, pax, cum hostes adhuc supersint et vigeant? nostis cætera. Nisi his rebus diligens detur opera, nos frustra confugiemus ad potentissimi illius et maximi regis Catholici affinitatem, singularem amicitiam, incredibilem liberalitatem. Frustra fidem et auxilium implorabimus Pontificis Maximi, serenissimi Venetorum dominii, Lotharingiæ, Allobrogum et Hetruriæ principum auxiliares copias. Fallax enim (mihi credite) erit equus ad salutem, nisi hæc a vobis fiant. Turbabitur brevi nimia quorumdam securitas, et quod caput est, qui interea peribunt, tametsi id illis sua propria iniquitate et peccato eveniet, vobis tamen peribunt : hoc est, sanguis illorum de manu vestra requiretur. Sed potius quam nos ad ea veniamus, quæ suo loco et tempore sumus dicturi, secundumque mandatorum nostrorum formulam agemus, petimus a vobis, sapientissimi Patres, a vobis, inquam, quos vestra sponte scimus esse satis incitatos, quorumque pietatis et religionis, et in omnes homines charitatis sumus non solum auriti, sed etiam oculati testes, ut ea, de quibus jam diu cœpistis deliberare, quam brevissime fieri poterit, absolvatis, quo citius possitis de multo gravioribus, et magis hoc tempore necessariis sententiam vestram dicere, et his conventibus Ecclesiasticis finem imponere ad laudem, et honorem Dei Patris Omnipotentis, ejusque Filii Domini nostri Jesu Christi ».

Ad hæc Jaderensis addidit, Patres commodius ad ea, quæ opus fuerit, responsuros, et muneri suo non defuturos.

114. *Querelæ Lotharingi cardinalis in Synodo expositæ.* — De adventu etiam cardinalis

Lotharingi certiorem fecere legati [1] Concilii Carolum cardinalem Borromæum, utque exposuerit Galliam in tantas adductam calamitates, ut omnium principum Catholicorum adversus hæreticos cogendum sit auxilium, quod futurum Protestantes suspicati varia inter se ad affligendam proterendamque rem Catholicam consilia agitarint; cui responsum a legatis, congregatum Tridenti Concilium non ad movenda bella, sed ad pacem redintegrandam, divulsarum Ecclesiarum conjunctionem conciliandam, orthodoxam fidem confirmandam, damnandos errores, discutiendas hæreses, pristinoque sanctitatis splendori Ecclesiasticam disciplinam restituendam, gravioremque dolorem se traxisse, sparsam eam per Germaniam fabulam de fœdere armorum Tridenti adversus hæreticos sive Protestantes, sanciendo, cæterum speranda meliora de Gallicis rebus Rothomago jam expugnato. Addidere, nullo modo suscepta a Gallis consilia oppugnandæ vel deprimendæ auctoritatis Sedis Apostolicæ, sed instaurandæ collapsæ disciplinæ Christianæ, maximique referre pro salute Gallorum ac cæterorum populorum, ut publici mores ad sanctiorem normam redigantur, ac vitia exscindantur; corruptionem enim morum ordinis Ecclesiastici, inobedientiæ et contemptus causam ac seditionum parentem extitisse, ac nisi in Concilio castigentur vitia novis legibus, disciplinaque vetus fuerit restituta, majora bella adversus Ecclesiasticos viros excitanda, quam modo gerantur contra Hugonottos, ut enim Gallia optat ardore summo atque constantissime fidem orthodoxam incorruptam tueri, ita cleri fœtida vitia tolerari non posse, indignationem alte fixam hærere omnium animis, parochialia sacerdotia conferri imperitis, ac nullis virtutibus ornatis, non ab iis verbum Dei prædicari, non administrari Sacramenta, sed tantum vitiorum exempla diffundi, in Diplomatibus Pontificiis falsa testimonia de eorum probitate, qui Romæ parochi instituuntur, afferri.

115. Significarunt etiam legati cardinales Carolo Borromæo Lotharingum cardinalem ac regios oratores graves querelas fudisse adversus Pium IV Pontificem de subsidiis idoneis adversus Hugonottorum perduellionem non subministratis; commendatos ab iis quidem Philippum regem Catholicum, Venetos, Sabaudiæ et Florentiæ duces, qui subsidiarium aurum transmiserint, at Pontificem expectationi promissisque de ferenda ope non respondisse, totque acerbas leges apposuisse, ut Gallorum rex oblato beneficio uti non possit, ex eaque re magistrum equitum Memorantium, ducem Guisium, et Santandreanum castrorum præfectum offensionem contraxisse, Pontificio enim Diplomate jussos arma pro Ecclesia Catholica, ut veros Christi equites pugilesque capere, etiam adversus Catharinam reginam, si eam a vera religione desciscere animadverterint, nec subsidia nummaria iis in militum stipendia unquam defutura pollicitum, deinde in prima stipendiorum solutione tot acerbioribus conditionibus illaqueatos, ut tenui tantum eorum parte potiti sint, proptereaque illos confugere ad Concilium, ut his consulat. Hæc cum urgeret vehementius Ferrerius præses, responsum est a legatis, non esse ista in Concilio tractanda, sed cum Pontifice, cum ad disciplinæ normam instaurandam non spectent. Quibus subjecere oratores, hæc prius cum legatis, atque etiam cum Pontifice conferenda, quam ea in Congregatione generali proponantur. Significarunt iidem legati [1] paucis post diebus, nimirum XIX Novembris oratores Gallicos postulaturos optimam Ecclesiastici ordinis emendationem.

116. Dum in Concilio ageretur de corruptelis delendis, ac disciplinæ sanctioris restituendæ splendore, nonnulli præsules Hispani et Galli quadam invidia in Romanæ curiæ magistratus perciti multa ad deprimendam eorum dignitatem et commoda demenda moliti sunt. Cardinales vero legati Carolo Borromæo significarunt [2] se nihil adversus curiæ Romanæ dignitatem ex ea occasione tentaturos, nisi acceptis de ea re mandatis Pontificiis, nihil etiam decretum iri in iis, quæ ad Pontificem spectant: si quæ tamen occurrant querelæ, ad ipsum eas transmittendas, ut de iis, quæ in ipso desiderentur, ipse decernat, se strenuam operam daturos, ne quid proponatur in Concilio, quo Pontifici leges imponi videantur, cum enim Concilium inferioris sit dignitatis et auctoritatis Pontificia, non æquum esse, ut supremam auctoritatem spectantem ad Pontificem tamquam Ecclesiæ visibile caput invadant.

117. *Successivæ prorogationes septimæ sessionis ob exortas controversias tum de residentia, tum de jurisdictione episcoporum.* — Recurrente nona Novembris die, cum intermissæ fuissent Congregationes ob dissidia inter Patres de residentia exorta, necnon quod Cæsar nonnulla Catholicæ sanctitati indecora ad prolactandos Lutheranos proponi in Concilio flagitaret; quæ, si proponerentur, etiam Galli nonnulla Possiacensis colloquii capita minus honesta proponi affectarent; quæ omnia antiquissimis institutis cum repugnarent, de proroganda Sessione actum est [3], ut narrat Angelus Massarellus:

[1] Legati Trid. in lit. ad card. Borrom. Ext. in Ms. Franc. card. sig. num. 1344.

[1] Ib. p. 643. — [2] Lit. Legati card. Trid. ad car. Bor. Ext. in Ms. Franc. car. Bar. sig. num. 1344. Ep. CXV. — [3] Car. Vicecom. in lit. ad car. Bor. Ang. Massarel. post Acta sess. VI. sub Pio IV. Ms. arch. Vat. sig. 3212. p. 179.

Prorogatio prima Sessionis VII *Trid. sub Pio IV ad* XXVI *Novembris* MDLXII.

IX Novembris MDLXII, hora XXI, habetur Congregatio generalis in Ecclesia Beatæ Mariæ-Majoris, in qua recitata oratione Sancti-Spiritus consueta, illustrissimus D. Hercules cardin. Mantuanus primus præsidens et legatus allocutus est Patres in hanc sententiam : « Multæ Congregationes intermissæ sunt his diebus ob causas omnibus notas, neque absque dolore a nobis recenseri possent, cum a spiritu carnis profectæ fuerint. Ex quo factum est, ut materiæ non sint paratæ, ut edantur in Sessione, quare videtur nobis ut ad XV dies sessio prorogetur.

« Rogatis sententiis conclusum est, ut sessio prorogetur ad XXVI Novembris ».

Non potuere tamen eo temporis intervallo omnia in statum consentaneum pro celebranda sessione redigi, quare illa iterum extracta est [1], ut refert idem Angelus Massarellus :

Prorogatio secunda Sessionis VII.

XXV Novembris MDLXII, celebrata est generalis Congregatio, in qua præsules doctrinam et canones de Sacramento Ordinis in examen adduxere, quo absoluto examine, Seripandus secundus Concilii legatus, ita ad Patres fatus est :

« Cras juxta decretum vestrum, sanctissimi Patres, habenda esset sessio, quæ quare non habeatur, multi ex vobis nos legatos accusant; nos autem, ut hanc maculam eluamus, nihil habemus, nisi, ut culpam omnem in vos rejiciamus, nam sententiarum vestrarum, vel potius lectionum prolixitas fecit, ut non solum non potuerimus hucusque habere sessionem, sed nesciamus, qua die eam habere possimus, de quibus sententiis moderandis alias agetur, quod in lectionibus prolixitas vituperatur, in sententiisque brevitas summopere laudatur, nobis autem in hoc omni studio elaborandum esset, ut toti orbi Christiano ostenderemus non secundum carnem, sed secundem spiritum ambulare, nam, ut inquit Paulus : *Si lites et contentiones sunt inter vos, nonne secundum hominem ambulatis?* parvam quidem spem concipere possumus de abusibus a populo Christiano tollendis, si in hoc uno abusu tam fœde labimur, ut tempus, quod est omnium rerum pretiosissimum, teramus, in rebus tam levibus et inutilibus. De tempore igitur Sessionis propter has et alias causas dum deliberaremus, nihil certe statuere potuimus, propterea totum hoc onus in vos rejicimus. Cogitavimus tamen si ita vobis placeret, hanc prorogationem fieri posse ad libitum sanctæ Synodi, quæ si voluerit, brevi se expedire poterit, quod nos maxime optamus, si autem non, nos excusati erimus. Hoc unum certum est, si Patres, ut hactenus fecerunt, ea prolixitate in sententiis dicendis usi fuerint, nihil profecto certe de die futuræ Sessionis statui poterit. Dicent igitur Patres quid faciendum videatur ».

Flagitantibus porro multis, ut certa dies pro celebranda sessione designaretur, cardinalis Seripandus subjecit : « Statui nunc posset, ut Sessio prorogetur; hac tamen lege, ut infra octo dies Sessionis determinetur. Quæ sententia ab omnibus laudata est ».

118. XXVIII Novemb. cardinalis Lotharingus [1] post exhibitas regias litteras de Gallici regni calamitate, deque Ecclesiastici Ordinis instauranda disciplina oratione habita, addidit, Gallos præsules ob nullum adversum casum ab obsequio Sedis Apostolicæ discessuros, ac singulari cultu et observantia legatos Apostolicos complexuros. Laudavit card. Mantuanus susceptos ab iis ob Dei causam labores, regiam in tuenda religione constantiam commendavit. Habita etiam postea est oratio a præside Ferrerio de regia pietate in tuenda religione Catholica, ob quam gravissimis bellis exerceretur, cum alia ratione rebellantes populos sibi conciliare posset, regnumque percupere, ut Conciliorum et Pontificum decreta serventur [2].

Prorogatio tertia Sessionis VII.

Secunda Decembris MDLXII, habita est Congregatio, in qua cardinalis Mantuanus his verbis præfatus est :

« His superioribus diebus illustrissimus dominus cardin. Seripandus dixit, potuisse sumi terminum octo dierum ad constituendam diem futuræ Sessionis, quo tamen tempore nihil actum est, nunc autem dies ipsa statui debet, et ut commodius dominationes vestræ deliberare possint, aperiemus vobis mentem nostram. Nobis igitur videretur, ut sessio ipsa prorogetur ad diem XVII hujus mensis his conditionibus. Prima ut bis in die Congregatio habeatur, altera ut in proxima sessione ea statuantur, quæ decreta erunt. Cætera vero in alia subsequenti sessione publicentur. Supersunt enim peragenda doctrina et canones de Ordine, decretum de residentia, et canones de reformatione, ex quibus, ut dictum est, decernentur, quæ præparata erunt. Verum antea Patres vacare debent brevitati sententiarum, si eas, quas dixi, maturius paratas habere volumus; et licet

[1] Angel Massarel. in Actis Conc. Trid. sub Pio IV. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 179. Act. Conc. Trid. script. per Astulph. Serv. Ms. Franc. car. Bar. sig. num. 1109. p. 67.

[1] Card. Vicecom. ad card. Borro. XXVIII Novembr. ib. p. 133. — [2] Ang. Massarel. in Actis sess. VII. Trid. Conc. sub Pio IV. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 186. Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1109. p. 99.

nos sæpe de hac re admonuerimus dominationes vestras, nihil tamen profuit admonitio nostra, non cessabimus tamen iterum vos admonere verbis Ecclesiastici : *In multitudine presbyterorum noli esse loquax,* quod profecto fiet, si extra rem Patres non loquantur, et ea quæ ab aliis dicta sunt, non repetant. Sciant propterea dominationes vestræ, quod nos legati et præsidentes Apostolici nullo modo ferre volumus, ut aliquid vel fiat, vel dicatur, sicuti hactenus magna nostra molestia factum vidimus et dictum audivimus, quod non sit ex dignitate hujus sacri loci et majestate, in qua præest Spiritus Sanctus. Adsumus nos legati et præsidentes S. D. N. et S. Sedis Apostolicæ. Sunt præsentes duo amplissimi cardinales, tot gravissimi et ornatissimi oratores, tot sanctissimi Patres, alias nos protestamur, si id evenerit, nos statim discessuros. Rogamus igitur dominationes vestras, ut in eorum dictis et factis ea prudentia et molestia uti velint, quæ decet sanctos et religiosos viros in tam celeberrimo loco sedentes, eaque facere et dicere velint, quæ corammet Sua Sanctitate, cujus personam nos hic sustinemus, fieri et dici deberent».

Rogatis sententiis Sessio ad decimum septimum ejusdem mensis Decemb. extracta est, ac in pluribus Congregationibus habitis doctrinam et canones de Sacramento Ordinis diligentissime excusserunt.

119. VI Decembris in Congregatione generali habita [1] contendit Lotharingus in consecratione conferri episcopis a Deo jurisdictionem, Conciliorumque auctoritatem a Deo acceptam ex eo textu, *Ubi duo vel tres,* etc. ita tamen, ut in Concilio comprehendi intelligatur caput Ecclesiæ, nec pro constituenda conjunctione Ecclesiæ quidquam esse majoris momenti, quam Pontificis Summi auctoritatem constabilire.

Medio Decembri ob sententiarum dissidia quarto prorogata est Sessio [2], de quo Acta :

Prorogatio quarta Sessionis VII.

Decima sexta Decembris habita est Congregatio generalis, in qua sessio septima quarto prorogata est, cardinale Seripando ita de ea disserente.

« Illustrissimi et reverendissimi Domini, clarissimi oratores, et reverendissimi Patres. Orandum est etiam atque etiam, ut in hac die, qui est dies jejunii nostri, non inveniatur voluntas nostra, non inveniatur, inquam, ut quisquam admittat eam, et ne eum derelinquamus spiritum, quem paulo ante invocavimus. Memini me diebus præteritis egisse de tot prorogationibus sessionis hujus, meminique a me et ab iis dictum esse, has prorogationes arguere lites et dissensiones, et minuere immobilitatem. Per has enim prorogationes, quæsiverunt amici nostri quod laudarent, et non invenerunt ; inimici quæsiverunt quod vituperarent et invenerunt. Memini et me dixisse tunc ad tollenda hæc scandala, et de nobis non bona judicia, an videretur diem non certum statuere, sed decernere, ut is statueretur, qui sanctæ Synodo post discussionem materiarum, quæ in sessione promulgandæ sunt, commodus videretur. Non placuit hoc paternitatibus vestris, quibus nos morem gessimus, ut semper facere soliti sumus. Nescio quo die postea ab illustrissimo domino meo Mantuano dies certus propositus est, tuncque post varias sententias dies crastina pro sessione celebranda statuta est. Insanirem autem si disceptarem, an die ipsa crastina sessio haberi possit. Quid ergo agendum ? dicam ego quæ mihi illustrissimi domini mei legati mandarunt, eaque, quæ ab ipsis accepi, proponam. Vellem tamen vos in hac re esse præsidentes et legatos, ut unusquisque proponeret, quod ei videretur, responderetque, si interrogaretur cur die crastina sessio non habeatur ? Nos accusamus et accusamur, ego autem non possum aliud dicere, quam quod alias dixi. Accusamur enim, quod non reprimamus longitudinem sententiarum, nec inhibeamus, ne ea dicantur quæ extra rem proposita sunt, sicuti maxima cum humilitate et patientia toleravimus. Sed dicam profecto : quid opus erat tam longa oratione ab aliquibus residentiam necessariam ostendi ? Quis enim id ignorat ? quis id negat ? quis non millies id hic dictum audivit. Venit mihi in mentem carmen nescio cujus, Pastorem, Tityre, pingues pascere oves oportet. Dum cum ovibus vestris eritis, ea docete. Non est opus, ut vos coepiscopos vestros doceatis, neminem enim ignorare credendum est, quæ sui muneris sunt, ea autem dicere in sententiis vestris tantum debetis, quæ circa rem propositam spiritus suggesserit vobis. Nonne sciebatis cras habendam sessionem ? quare ita dilatastis sententias vestras ? Miseremini, Patres, et vestrum et nostrum. Cogitabamus proponere, quod alias proposuimus, scilicet ut nullus dies certus statueretur. Verum quidam jurisperitus admonuit non posse fieri, cum dies sessionis sit dies sententiæ, et ex consequenti certus statui debet, ut quorum interest, adesse possint. Si tamen placeret hominibus gratiæ sunt agendæ Deo, sin autem, posset decerni, ut sessio crastina prorogetur, et infra quindecim dierum spatium, nempe totum hunc mensem, statueretur dies, quo sessio ipsa celebrari debeat. In his tamen sexdecim diebus sententiæ omnium Patrum super hoc decretum dicentur, videbimusque quæ eo tempore præparata erunt, et quis dies pro

[1] Car. Vicecom. p. 145. VI Decemb. — [2] Angel. Massarel. in Act. post sess. VI. Conc. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 180. Et ex eo Astulph. Serv. Ms. car. Bar. sig. num. 1109. p. 102.

sessione habenda statui possit. Dicant igitur Patres quid sentiant».

Consentientibus demum omnium sententiis decretum est, ut quemadmodum legatus exposuerat, sessio ad dies quindecim extraheretur. Deinde sententiæ circa decretum de residentia rogatæ in hac et pluribus aliis Congregationibus, ita ut in singulis, vel sex, vel septem aliquando decem vel duodecim episcopi perorarent.

Prorogatio quinta sessionis VII.

XXX Decembris habetur Congregatio generalis [1], in qua illustrissimus dominus Hieronymus cardinalis Seripandus, secundus præsidens, absente primo, recitata solita sancti Spiritus oratione, allocutus est Patres in hanc sententiam :

« Putabamus quindecim dies satis vobis esse ad dicendum, nobisque ad audiendum super hoc decreto de residentia, verum longe aliter res se habuit. Nam multi Patres dicturi supersunt. Nec quidem divinare possumus, quot diebus examinatio ipsa absolvi possit, propterea visum est illustrissimis dominis meis [scilicet collegatis] ut eadem, qua hactenus usi sumus, progrediamur via, scilicet ut nunc nihil certi statuatur, sed deputentur adhuc quindecim dies futuri mensis Januarii, intra quas dies sessionis declaretur; hoc enim tempore, et Patres omnes loquentur, et decretum ipsum de residentia juxta dictas Patrum sententias reformabitur, necnon doctrinæ de Ordine extrema imponetur manus ».

Rogatis sententiis decreta est memorata prorogatio sessionis ad quindecim dies Januarii MDLXIII.

120. Tot prorogationum causa manabat ex gravi dissidio moto inter episcopos, an residentia esset juris divini, extantque duæ orationes insignes apud Gabrielem Palæottum, in quibus contraria hinc inde argumenta conferuntur, eaque etiam de causa cardinalis Mantuanus in Congreg. habita die sexta Novembr. decretum proposuerat, in quo prætermissa ea controversia, more veterum præmia et pœnas descripserat idonea ad episcopos ad residentiam adigendos.

Lecto eo decreto perstitit major præsulum pars in sententia, ut residentia juris divini promulgaretur.

121. Distinebat etiam maximis curis Patres alia longe major controversia de jurisdictione episcoporum, an juris esset divini, an a Pontificia auctoritate manaret, quæ non modo partem hujus anni, sed etiam in sequenti occupavit, atque etiam nonnulla dissidia ob ancipites variarum opinionum æstus excitavit. Collegit Gabriel Palæottus [1], qui aderat, tunc Rotæ auditor, ac postea cardinalis, singulorum ferme Patrum sententias in ea controversia, ex quo præcipuas delibare non injucundum fore visum est.

Senogalliensis dixit; de jurisdictione episcoporum duas esse opiniones, unam quod substantia jurisdictionis est a Deo, et exercitium est a papa (ita Henricus de Gandavo in quodlibetis et Jo. Gerson de statu Ecclesiæ); alteram, quod immediate sit a papa, et hoc a multis recipi in 4 sent. dist. 18 et 19 et Cajetan. de auctorit. papæ et Concilii cap. 19 affirmare, S. Thomam idem sequi, iisque adhærere Archiep. Florent. tit. 22, art. 4 de Eccles. dogm. et lib. I de Christiana libertate cap. 4, etc.

Auriensis, verba illa *in partem sollicitudinis* posse intelligi dupliciter, vel quod episcopi sint vocati non ad universalem curam, sed ad particularem, vel quod sint vocati ab ipso papa, ita ut non sint vocati a Christo ex sententia Turrecrematæ, et hunc esse cardinem disputationis inter nos etc.

Theanensis, quod tota jurisdictio, et integra est in papa collata a Christo, et ea derivatur in alios episcopos ab ipso papa, et licet Apostoli eam immediate a Christo receperint, tamen personalis in eis fuit, et cum eis extincta.

Danesius dixit episcopos non tantum esse institutos jure divino, sed etiam esse pastores, papam esse pastorem universalem aliarum Ecclesiarum, protectorem et speculatorem, dum tenetur invigilare an cæteri officio suo fungantur. Hincque sanctum Gregorium vetuisse se vocari universalem papam, ne detraheret episcopis particularibus. Dixit etiam ea verba *in partem sollicitudinis* fuisse usurpata primum a Leone, et deinde ab aliis, sed semper referri ad primates aut archiepiscopos, ita ut ii dicantur habere partem sollicitudinis, quatenus curam gerunt episcoporum.

Quinqueecclesiensis, quod disputatio de episcoporum institutione non est hujus loci, nec temporis, quodque hæc subtilitas est relinquenda scholis, nec his occupanda Synodus; postea ex auctoritate sancti Hieronymi in epist. I ad Gal. distinxit quatuor genera Apostolorum seu episcoporum, subdiditque episcopos nostros esse in secundo genere, videlicet missos a Deo, sed per hominemi, id est, papam, qui eos constituit, et cui obedire debent. Disputare autem de primatu et de jurisdictione [2], nihil aliud esse, quam negare prima principia Theologiæ, potius agendum quam bene exerceantur hæc munera procul ab avaritia, ab invidia, a fastu

[1] Angel. Mass. in Actis Conc. ante sess. VII. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 181.

[1] Acta Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Aud. Rot. postea card. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 24. p. 234. — [2] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 24. p. 240.

et luxu. Nam quærere de auctoritate superiorum, non abesse id a superbia : « Et video, inquit, multos teneri magna sollicitudine, ut defendant auctoritatem episcoporum adversus Lutheranos, sed cur non etiam capitis sui curam gerunt ? nam hæretici magis invehuntur contra papam, quam contra episcopos ».

Orator Poloniæ dixit : « His calamitosis temporibus certe non est dignitatis nostræ in genealogiis interminatis tempus consumere, nam cum Catholici omnes existiment ab hoc Concilio pendere salutem totius Ecclesiæ, potius agendum esset de ratione administrandi illius muneris.

122. « Gadicensis ait : De episcopis vocatis in partem sollicitudinis præsupponitur, eos, qui non sunt vocati a papa, non esse veros episcopos, quod est falsum, nam qui creatus est episcopus secundum primum et quartum canonem Apostolorum, et secundum canonem quartum Concilii Nicæni, et secundum Concilium Cabillonense, et secundum statuta Ecclesiarum, illi utique sunt veri episcopi, et tamen non sunt vocati a papa, et archiepiscopus Salisburgensis confirmat episcopos electos a Capitulo, et veri sunt episcopi, et ita accidit in aliis multis ».

Tunc multi prælati hoc audientes strepitum magnum excitaverunt clamantes : *extra, non audiatur,* verum cardinalis Simoneta subjunxit, quod Salisburgensis consecratur et confirmatur auctoritate papæ, interea alii prælati ingeminabant clamantes : *exeat,* et alii *anathema sit,* ad quos Granatensis conversus respondit, *anathema vos estis.* Gadicensis vero sermonem nunquam intermisit, prosequens inter clamores quod incæperat, et declarans teneri quidem omnes agnoscere papam, ut summum vicarium Dei, in quo est plenitudo potestatis, et cui omnes sunt subjecti, et teneri omnes episcopos hoc fateri, prout ipse fatetur, verumtamem usum quem papa dat episcopis, ut materiam jurisdictionis, eum non posse illis adimi, nisi ex justa causa, et quæ cum ratione consentiat[1]. Et conclusit clare exprimendum esse, episcopos presbyteris superiores de jure divino, inde conquestus est se fuisse immerito interpellatum, cum nondum suam sententiam absolvisset, quemadmodum si quis legat in sacris litteris hæc verba, *Non est Deus,* utique dicat statim hæreticum hoc esse, at si legat præcedentia verba *Dixit insipiens,* tunc aliter sentit. Idem et Patribus multis ibi præsentibus, inquit, accidisse, qui si patienter omnia ad extremum audivissent, non erat cur perturbarentur, cum jam tribus Conciliis interfuerit, aut doctor, aut episcopus, sub Paulo III, Julio III, et Pio IV, qua de re commotus cardinalis Mantuanus acrius in eos oratione invectus fuit, qui ita Gadicensem et totam Synodum perturbassent, denuntiavitque eis, si quid posthac hujusmodi audierit, se inde statim recessurum, cum nec eorum munus, nec persona, quam sustinent Summi Pontificis, tantam indignitatem ferre possit. Ad hæc Lotharingus se quoque inde molestia affectum fuisse, quod et legatorum auctoritas negligi, et dicendi libertas adimi, et nimis anxia Patrum studia fieri videantur, sed eos præsertim, qui anathema dixerant, durius perstrinxit, quod diceret, si scirent ipsi, quo pudore et difficultate Patres antiqui hoc verbo in alios uti solerent, non certe ita leves in proferendo futuros. Et paulo post : Parisiensis subjecit promulgandum canonem contra perturbatores Concilii, quod et a quibusdam aliis fuit petitum. Verum Cavensis junior respondit occurrendum esse causæ, ne effectus sequatur. Prohibendum enim esse ne blasphemetur nomen Sanctissimi, et ne doctrina monstruosa proferatur, tuncque attentionem magnam in consessu extituram, cui et Castellanensis subscripsit, inde reliqui ordine res propositas sunt prosecuti.

« Tropiensis. Quod omnis jurisdictio a papa descendit.

« Nucerin. Questio excitata videtur non tantum officere primatui Sanctis. D. nostri, sed etiam unitati totius Ecclesiæ. Ubi enim ponitur, jurisdictionem episcoporum immediate pendere a Deo, proculdubio scinditur unitas hæc, quæ non potest tot capita sustinere ».

Acadensis Ibernus. Ostendit tribus rationibus non posse subsistere, quod aiunt, jurisdictionem immediate esse a Deo. « Primo, quia in hierarchia essent multa capita, potiusque redderetur anarchia, ac totum everteretur. Secundo, quia ex eo magis confirmaretur opinio hæreticorum. Nam et in Anglia rex vocat se caput Ecclesiæ Anglicæ, et creat episcopos, qui consecrantur a tribus episcopis aiuntque se veros episcopos, quia sunt a Deo, nos vero id negamus, quia non sunt a Pontifice Romano adsciti, et recte dicimus, hacque tantum ratione illos convincimus, non alia, nam et ipsi ostendunt se fuisse vocatos, electos, et consecratos, missos, igitur si in canone dicatur tantum a Christo institutos, hinc inferrent electionem fieri tanquam ex nudo instrumento, quod æquale sit in omnibus, tam regi, quam papæ. Tertio, quia si jurisdictio esset tota a Deo, papa non posset illam tollere, nec transferre in alium, sicut non potest prohibere consecratum, quin ordinet et conficiat Eucharistiam ». Quæ sententia omnibus placere maxime visa fuit.

123. Lotharingus, qui in inchoata hac disputatione Tridentum advenerat, dixit : « In 3 cap. cuperem fieri mentionem impositionis manuum, cujus in Testamento Veteri, et crebrius

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 24. p. 242, 243.

in Novo fit mentio, vellemque dici ex legitima successione, videlicet, ut semper sciretur, cum quis imponit manum, a quo fuerit illi manus imposita, et ita gradatim perveniremus usque ad primum, qui fons fuit ordinationis. Accidit mihi cum agerem contra hæreticos in conventu Poissiaco, et quærerem ab illis quis eos ordinavit, aut dedit illis potestatem alios ordinandi ; illi respondebant se esse ministros extraordinarios institutos a Deo negligentia nostra, idcirco si addamus ex successione, tollitur hic error. In quinto capite doctrinæ profiteor id verbum, jure divino, me non probare, quoniam hoc verbum magnas dissidii et contentionis causas in Ecclesia dedit. Dicam tamen pro conscientia et fide mea, quid de hac materia sentiam ; non dubito ego potestatem ordinis esse a Deo immediate, primo quia ita Scriptura loquitur, *Accipite Spiritum sanctum,* etc. Sed addo etiam potestatem jurisdictionis Ecclesiæ esse a Deo, quia non potest tota Ecclesia facere, quin sit papa et sint episcopi, nec potest redigi ad Aristocratiam, aut Democratiam, cum debeat esse tantum Monarchia, et hoc est omnino a Deo. Et si quis objiciat æquasne ergo omnes sacerdotes papæ ? Minime, nihil enim adeo firmiter est retinendum, quam hæc unitas et primatus Sedis Apostolicæ. Nam his temporibus conjuratæ sunt omnium hostium acies adversus hanc arcem, et licet sint diversæ eorum sectæ Lutherani, Calvinistæ, Zuingliani, Anabaptistæ, et aliæ factiones, in hoc tamen conveniunt, ut funditus evertant hoc fastigium. Idque significatur in Evangelio, *Cum fortis armatus,* etc. nihil ergo diminuitur de auctoritate Sanctissimi, ut ait cardinalis Polus in libro suo, nam licet potestas jurisdictionis sita sit in tota Ecclesia a Deo, tamen papa solus potest hoc jus in unumquemque exercere. Quodnam igitur est vocare, assumere, deponere, et mittere ? ita, ut quisque assumatur et mittatur a Deo per Pontificem, quod explicat cardinalis Polus in dicto libro pulchris exemplis, et cum audimus aliquos in provinciis remotis assumi in episcopos, et consecrari a metropolitano, semper intelligo id fieri, aut ex statuto Apostolorum, aut ex legitimi Concilii auctoritate, aut ex privilegio Apostolico, ita ut in omnibus semper adsit explicite aut implicite auctoritas Sanctissimi, quoniam aliter se res habere nequit, et caput destrueretur. Jurisdictio igitur est a Deo, dum tamen exerceatur in materiam, quam dat papa, qui potest eam tollere, minuere, eximere, et similia. Quod vero hæc non pendeat ab Ordine, patet primo, quia, sede vacante, Capitulum exercet jurisdictionem et excommunicat. 2, quia si esset juncta cum Ordine, episcopus non posset eam transferre in vicarium. 3, quia non posset appellari ab episcopo ad archiepiscopum, cum archiepiscopi sint instituti jure positivo. Itaque hæc ministratur a papa, qui potest pro arbitrio suo eam moderari, dum tamen in ædificationem, non in destructionem.

124. Generalis Lainez dixit [1] : « Nostrum esse hæreses refellere, et lapsos mores corrigere, opiniones autem, quæ huc non spectant, doctoribus in scholis disputandas relinquere. Nolle autem se prætermittere, cum alii id egerint, quin quod sentit de jurisdictione, et de jure divino breviter non attingat, nempe potestatem jurisdictionis quæ nihil aliud est, quam prælatio quædam super plebem ad dirigendam illam in vitam æternam, secundum præcepta Ecclesiæ, totam a papa tanquam a fonte promanare, et ita in decreto Innoc. IV et Lucii III et Clem. III contineri, quod a se in Sicilia inventum coram Patribus publice recitavit, idque confirmatum dixit a multis Patribus in Concilio Basileensi in epistola ad Eugenium IV. Papam autem, cum dat oves, tribuere etiam prælationem in illas, alioquin si daret tantum materiam, sequeretur eos habere sponte aut aliunde potestatem, cum materiam tantum illius exercendæ a papa assequerentur, quod falsum est, cum jurisdictio ante consecrationem possit obtineri, ut in Extravag. ult. Clem. V, sequeretur etiam æque in omnibus episcopis competere, quoniam sunt omnes æque consecrati, et in hanc sententiam adduxit doct. in 4 senten. dist. 24, Sanctum Bonaventuram q. 3. S. Thomam 2, 2 q., 29, et in 4 sentent. dist. 24 et S. Leon. in caput ita Dominus 19 dist. Porro jus divinum multipliciter accipi dixit, nec enim id solum, quod ore Dei traditum in sacris litteris continetur ad illud referri, sed etiam alia multa in sacris litteris non expressa, veluti sunt formæ Sacramentorum, sicuti contra, non omnia in iis expressa statim censeri juris divini, quemadmodum orare non velato capite, abstinere a sanguine et suffocato, Bigamia, et alia hujusmodi : esse etiam quædam, quibus concurrunt causæ secundæ, et tamen attribuuntur Deo, qui dat illis potestatem, ut in Psal. *dat pullis escam corvorum.* Quædam, quæ non attribuuntur nisi large, alia, quæ nullatenus ei adscribuntur. Ideo hæc omnia accurate circumspicienda esse. Posse autem regulam quamdam constitui, ut omnia, quæ Deus voluit esse perpetua et immutabilia, ea per se ipsum fecerit, alia quæ varietati subjecta sunt, per alios, et media quædam instituerit. Potestatem igitur Ordinis a Deo pendere prout consecrationem, et hanc esse immutabilem. In alia, quæ jurisdictionis est, concurrere etiam potestatem hominis, ideoque variari sæpius, et auferri posse ab eodem homine non materiam solum, sed etiam potestatem. Et quamvis jurisdictionis omnis in universum au-

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Aud. Rot. postea card. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 24. p. 247.

ctor sit Deus, tamen illam in summo Pontifice tanquam in fonte collocasse, a quo alii omnes eam hauriant, sicuti dominari animantibus et terræ a Deo est, huic vero, vel illi loco præesse, aliunde hoc dominium pendere, aliisque causis adscribi.

« Hic dicendis sententiis finis [1], quæ cum omnium ferre aures, tum prolixitate, tum acri disceptatione defatigatas reliquissent, varie subinde hæc dijudicandi, ac temere alia atque alia suspicandi compluribus occasionem præbuerunt. In primis enim Hispanos Patres multi mirabantur, adeo hac in re unanimes atque ardentes se ostendisse, ut jurisdictio eis divinitus tributa esse declararetur, nec eam, quam præ se ferebant auctoritatis Summi Pontificis rationem habuissent. Aiebant quidam inveterata adversus archiepiscopum Hispalensem, summum Hispaniarum inquisitorem, simulate hæc ab eis urgeri, ut eo facilius, si eis licuisset, ab ejus potestate se eximerent, alii nihil aliud eos, quam rem suam quærere, hæcque juris divini, quæ adeo sparguntur semina a superioribus de residentia controversiis propagata ad amplificandam eorum auctoritatem, diminuendamque Summi Pontificis in eis potestatem tendere. Alii bono eos zelo et stimulis conscientiæ impulsos, quod ita Christianæ reipublicæ consultum judicaverint, hæc arripuisse, et præsertim, quod auctore Francisco de Victoria, ex cujus gymnasio multi, qui huc convenire Patres exilierunt. Hæc opinio quidem ab Hispaniarum academiis, quod fuerit apprehensa sane probabilius videtur, cum et alii aliquot non Hispani Patres, ita sanctæ Ecclesiæ expedire persuasi, eamdem sententiam pari studio fuerint amplexi. In Galliis illud observatum, quod cum cardinalis Lotharingius, et publice, et privatim eos reprehendere visus esset, qui hanc quæstionem inutilem sermone protraherent, sive de potestate papæ ac Concilii disceptare auderent, prælati tamen ejus fere omnes, prout res tulerat, in hoc, vel illud argumentum digressi fuerant, etc.

125. Cæterum de rebus propositis mirum illud fuit Patres fere omnes, ita se totos in ea quæstione de jurisdictione discutienda effudisse, quæ proposita non erat, nec necessaria, nec his temporibus congruens, et reliqua, quæ in doctrina continebantur, a paucis tantum Patribus observata, leviterque perstricta fuisse. Sed et hinc multa alia in dubium vocata fuisse constabat, quæ cum hæreticis non sunt pugnantia, sed tantum inter theologos et canonistas controversa, a quibus abstinendum potius erat, quod hæc seditiones et sectas tantum inter Patres fovere, nec fructum afferre posse viderentur.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Aud. Rot. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 248.

« Porro in tractanda quæstione de jurisdictione [1], cum multi in eam sententiam venissent, ut dicerent potestatem jurisdictionis a Christo episcopis tribui, illius vero exercendæ materiam atque usum a papa ministrari, ideoque reliquis persuadere conarentur [2], ut potestatem hanc a Christo proficisci faterentur, quod perinde esset ac si a papa jurisdictio ipsa hauriretur, postquam illius mutandæ, seu adimendæ auctoritatem retineret, animadversum tamen fuit hæc longe inter se differre multaque hinc absurdissima pendere : siquidem si concedebatur originem jurisdictionis a Christo derivari, tunc quamvis papa distribuendæ materiæ minister esset, elicere tamen inde voluissent, eam amplius mutare, aut minuere, nisi ex causa, papæ non licere, ut apud Abb. et Dec. in cap. fin. de confirm. util. et Abb. in quæst. incipiente episcopus, etc. Quod si tota potestas a papa oriretur, tunc in ejus facultate, tanquam quod juris positivi diceretur, relinquebatur eam in hunc, vel illum nulla addita ratione transferre. Tametsi autem papa nemini jus suum adimere, cunctaque ordine administrare debeat, id tamen incommodi sequebatur, quod si papa beneficium aliquod reservare, si ordinarii collocationem prævenire, si ab ejus jurisdictione aliquem eximere, seu eum ad alteram cathedralem transferre, aut alia hujusmodi attentasset, semper disputationibus prius involvendus erat, an justa tunc causa subesset, quod nihil aliud erat, quam eum, cui summa in alios potestas divinitus fuit tradita, inferiorum sensibus censuræque subjicere. Idcirco semper canonistæ omnes, aliique multi contenderunt, si quidquam in hac materia erat definiendum, id semper maneret, potestatem quidem Ordinis totam derivari a Deo, papamque in eo ut nudum ministrum censeri, verum potestatem jurisdictionis a papa, non ut instrumento, sed tanquam fonte et causa efficienti proficisci, hæcque omnia ita Dei ordinatione pro Ecclesiæ suæ utilitate constituta.

« Fuit quoque animadversum hanc quæstionem de episcopis et presbyteris fuisse olim ab Aerio excitatam, atque a Catholicis damnatam, ut ex S. August. de hæres. et Epiphanio constat, quæ deinde a Marsilio Patavino ducentis abhinc circiter annis renovata, novissimeque a Luthero ejusque sectatoribus fuit repetita, quorum etiam argumenta nonnulla audita fuerunt, quod in ea re magis Patres movebat, ut in re tanta omnia circumspicerentur.

« De auctoritate S. Hieronymi in c. *olim* et cap. *legimus* varie Patres cum locuti fuissent, non defuerunt, qui ejus sententiam non receptam esse responderent, de qua Albertus Pighius libr. 2. cap. 10, Alphons. de Castro lib. de hæ-

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Ms. Fr. card. sig. n. 24. p. 249.

res. in verbo *episcopus* Dominicus Soto de justitia et jure libr. 10.

« De sancto Thoma etiam variæ fuerunt sententiæ, quid in hac quæstione de jurisdictione senserit, et utraque pars eum in rem suam interdum afferre conabatur.

« De Turrecremata, cujus auctoritas sæpius prolata fuit, memini quemdam, cujus nomini et memoriæ parco, cum ejus opinionem a theologis explosam esse diceret, eum simul Turremcrematam invidiose appellare.

« Cum igitur hæc, et alia multa magnis implicita difficultatibus a Patribus fuissent audita, sollicitus eo magis legatorum animus reddebatur, quod nihil tam longius disputationibus, nedum perfectum, sed minoribus omnia dissidiis aucta conspiciebant. Statuunt igitur cum Lotharingo agere, ut tollendis tot controversiis operam suam interponat, quod quidem eorum consilium, quem tandem exitum cum tota hac disputatione fuerit adeptum existimavi continuata lectionis serie recensendum, ut tam arduæ rei tractatio, multorum dehinc mensium spatio usque in diem sessionis assiduo agitata, planius omnibus innotescat; mox ad alia, quæ hoc tempore subsecuta fuerunt revertemur ». Hactenus Gabriel Palæottus, at de his iterum proximo anno recurret mentio.

126. Orta fuerat in Concilio controversia [1], an procuratores episcoporum Germaniæ dicendæ decretoriæ sententiæ jure pollerent; tuebantur illi causam suam Diplomate Pauli III, quo ante septemdecim annos ob tumultus Germaniæ, et pericula imminentia si præsules e provincia discederent, cum Lutherani perpetuas iis struerent insidias, ea prærogativa fuerant affecti; de quibus consultus Pius, abrogata Pauli prærogativa, sanxit, ut procuratores præsulum ad offerendas tantum absentiæ excusationes admitterentur.

« Pius, etc. Ad futuram rei memoriam.

« Alias a felicis recordationis Paulo III prædecessore nostro emanarunt litteræ in forma brevis tenoris subsequentis.

« Venerabili fratri Joanni Mariæ episcopo Prænestino, etc. Dat. IV Decembris MDXLV. Pontificatus nostri anno XII ».

Concessa erat iis facultas præsulibus Germanis ob hæreticorum insidias ac molimina, ut procuratorum opera in Concilio comparerent : subdit Pius :

« Cum autem nos postmodum ex compluribus rationabilibus causis ad id animum nostrum commoventibus per nostras sub plumbo pridie kal. Januarii, Pontificatus nostri an. II, confectas litteras decreverimus et declaraverimus prælatos et alios jus dicendi sententias in consistorio per nos in civitate Tridentina indicto habentes, in quo per Dei Optimi Maximi opem et auxilium jam aliquot sessiones factæ fuerunt, nisi legitimo impedimento detinerentur, per seipsos, et non per procuratores, nisi ad dicendum de impedimento hujusmodi in dicto consistorio comparere, et illius celebrationi interesse teneri et obligatos esse, et ipsos solos personaliter comparentes ad sententias in eodem Concilio dicendas admitti; procuratores vero, etiamsi prælati forent, et jure propriam vocem in Concilio haberent, ad allegandum et probandum excusationes impedimenti dumtaxat audiri debere, prout in eisdem nostris sub plumbo litteris plenius continetur, contingere facile posset, ut nonnulli ex prælatis, et aliis in ipso Concilio vocem habentibus prædictis propterea quod præinsertæ litteræ in forma Brevis Pauli prædecessoris nostri hujusmodi in eisdem nostris sub plumbo litteris specialiter revocatæ non fuerint, illis se tueri, et juvare posse forsan prætendere dubitarent. Idcirco volentes easdem nostras litteras sub plumbo suum debitum ac totalem effectum, sicut par est, omnino sortiri, et omnem cuicumque talis prætensionis materiam de medio tollere, motu proprio, et ex certa scientia, et matura deliberatione nostra, et de Apostolicæ potestatis plenitudine, litteras in forma Brevis Pauli prædecessoris nostri hujusmodi, et in eis contenta quæcumque, auctoritate Apostolica revocamus, cassamus, irritamus ac totaliter annullamus, revocataque, cassata, irritata ac penitus annullata fore et esse, nemini ullatenus suffragari, nec quemquam illis se quoquo modo tueri, aut juvare, neque harum ipsarum, seu per nos revocatarum prætextu sententias in dicto Concilio per procuratores nullo pacto dicere, neque ad id quovis quæsito colore admitti posse vel debere, sed easdem nostras sub plumbo litteras ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observandas esse, sicque per quoscumque judices et commissarios quavis auctoritate fulgentes, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, ac de latere legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate , et auctoritate, judicari, definiri et interpretari debere. Irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus non obstantibus, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Marcum sub annulo Piscatoris die XVI Augusti MDLXII, Pontificatus nostri anno III ».

127. *Hortatur Pius electorem Brandeburgensem ut viros pios ad Concilium mittat.* — Non prætermittendum hic visum est Joachimum marchionem Brandeburgensem principem electorem, cum ad salutandum Pontificem oratorem misisset, sollicitatum fuisse a Pio [1],

[1] Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1109. p. 166.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897.

ut viros probos et graves, pacisque cupidos ad Concilium Tridentinum mitteret :

« Dilecto filio nobili viro Joachimo marchioni Brandeburgensi, sacri Romani imperii principi electori.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Oratorem tuum ea benignitate, qua decuit, excepimus, libenterque et litteras tuas ab eo nobis redditas legimus, et quæ is tuo nomine exposuit nobis audivimus, quibus in litteris jucunda nobis admodum fuit commemoratio illius temporis, quo nobilitatem tuam in illa expeditione Hungarica cognovimus, declaratio benevolentiæ, quam tum erga nos suscepisti, quam abs te conservatam fuisse vehementer gaudemus. Nos quoque, qui te illo tempore ob eximiam virtutem, singularem quamdam humanitatem tuam una cum bonæ memoriæ Joanne Jacobo fratre nostro marchione, et amare et plurimi facere cœpimus, amorem illum erga te constantissime, ut nostra natura conservavimus, ac post injunctum nobis Apostolicæ servitutis onus etiam auximus, quique te antea ut amicum dileximus, postea ut charissimum filium amare instituimus, neque unquam de te perhonorifice loqui destitimus. Persuasum enim nobis habuimus devotionem illam et pietatem erga Sedem Apostolicam, quæ in majoribus tuis clarissimis optimisque principibus tantopere præter cæteras eorum virtutes enituit, in te, sicut reliquas eorum virtutes, ita derivatam fuisse, ut non facile aboleri potuerit, præsertim cum, ut scis, hæc Sancta Sedes te et tuos singulari semper charitate et benignitate fuerit complexa : quod cum ita de te sentiamus, expectamus a nobilitate tua, ut ad Concilium auctoritate nostra Tridenti congregatum oratores tuos mittas, teque illi, ut Catholicum principem decet, subjicias, sicut prædecessorum nostrorum tempore fecisti, quod enim cum officio adductus fecisti, speramus tua erga nos vetere benevolentia commotum aliquando facturum esse propensius, quod ut facias neve minoris abs te fieri quam ipsos prædecessores nostros ostendas, nobilitatem tuam in Domino hortamur et paterne monemus. Quæ autem offerri tibi potest magis idonea occasio declarandæ istius tuæ eximiæ probitatis, et rectæ ac piæ voluntatis, et de ista nobilissima natione optime merendi, quam hoc ipsum Concilii generalis tempus, in quo de Dei Omnipotentis honore, ac religione, de salute animarum, de correctione morum, de universalis Ecclesiæ pace, quiete et tranquillitate, et totius Christiani populi unitate et concordia agitur, summa omnibus proposita libertate tuto veniendi, et cum ipsis libuerit recedendi, ac dum ibi manserint dicendi et monendi, quæ monenda esse duxerint, et monenda sacra Synodo omnes patienter, et benigne, et summa cum lenitate et mansuetudine auditura, et studiose operam datura (quoad quidem salva fide, ac religione poterit) ut omnibus satisfaciat. Noli, quæsumus, tam pium, tam sanctum, tam te dignum officium prætermittere. Has tam ncessarias actiones Concilii, hæc tam salutaria consilia nostra adjuva, quantum potes, quod cum facies, consules saluti, consules etiam gloriæ et dignitati tuæ, et cum Deo gratissimum facies, tum de nobis ea omnia, quæ a nobis hoc in loco constitutis in te proficisci poterunt, quantum cum Deo poterit, tibi poteris polliceri. Illud te non monendum esse scimus, ut si huic paternæ hortationi nostræ, sicut speramus, parere studueris, de mittendis ad Concilium oratoribus, deligas ad tam grave munus viros graves et probos, qui munus sibi commissum pie ac fideliter obire studeant, nec quidquam aliud quam honorem Dei et communem utilitatem sibi propositam habeant. Pro tua enim præstanti prudentia talibus te viris potissimum hoc officium commissurum esse persuasum habemus. Oratorem tuum cum ad te remitteremus, munuscula ei quædam dedimus, qualia piis hominibus grata et optata esse solent, deferenda ad te et dilectam in Christo filiam nobilem mulierem conjugem tuam, ad nostræ paternæ erga te charitatis indicium, reliqua autem, quæ scribere omittimus, ipse referet. Omnipotentem Deum, a quo omnia bona procedunt, oramus, ut vos custodiat et protegat, et ita mandata sua servare concedat, ut post hujus mortalis vitæ cursum pie feliciterque peractum ad æternæ vitæ gaudia vos perducat. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die x Septembris MDLXII, Pontific. nostri anno III ».

Non morem gessit Pontificiis votis Marchio Brandeburgensis, nec oratores ad Concilium misit.

128. *Hugonottorum conjuratio : Hospitalis cancellarii edictum nefarium.* — In Galiis [1] erupit hoc anno atrocissima Hugonottorum sive Calvinistarum conjuratio in regem et Catholicos, quæ tanto furore grassata est, ut Gallica gens, quæ inter cæteras humanitate excultissima morumque suavitate expolitissima est, hausta hæresi, in tantam immanitatem efferata sit, ut non modo Tartaros et Turcas crudelitate, quam in quoscumque Catholicos, sed maxime in sacerdotes et monachos exercuit, superaret, sed etiam, ut luxit Gallicus orator, in tigridum naturam refusa videretur, cujus ferociæ causam exprimit Surius his verbis :

« Est in hoc novo Evangelio spiritus quidam vehemens, qui miseros homines agit præcipites ad audenda ea, quæ sani homines nunquam auderent ; cum enim male persuasi sint ab

[1] Blasius Monlucius. Belcarius l. XXIX. Florim. Raymun. Surius in Comm. hoc anno p. 512. Jac. Aug. Thuan. l. XXXIII.

impostoribus pseudo-prophetis, ipsos hactenus ambulasse in tenebris, tum demum veram apprehendisse lucem, non sobrietatis, sed amentiæ musto ebrii ruunt in facinora: et cum multa agant, non verbis, sed flammis vindicanda, tamen se putant recte et religiose agere; quæ persuasio falsa addit vires temeritati, ut tanto res nefarias ausint liberius, quanto eas arbitrantur magis Deo gratas; et hæc quidem de imperita multitudine dici possent, nam multi etiam non errore, sed malitia peccant». Improbitate quidem insigni peccarunt duces Hugonottorum præcipui, nam Ludovicus Condæus princeps, quantumvis jactaret se mandato arcano reginæ cepisse arma, ac regis causam tueri, ad tyrannidem asserendæ sectæ Huguenotticæ studio prætenso annitebatur, eaque spe a ministris vere ministris Sathanæ, qui se pastores appellitabant, cum essent lupi rapaces animarum, lactabatur, ut Annas Momorantius magister Equitum capto Rothomago in os objecit Marlorato ministro ad suspendium damnato. Gaspari Colinio Normandiæ, Andeloto Britanniæ minoris ducatus spondebantur, aliis proceribus provinciarum præfecturæ, aliis opes e templorum expilationibus et Catholicorum bonis redigendæ ostentabantur. At post innumera patrata mala confusa impiorum consilia visuri sumus, de quibus scripturi ordinem temporum sequemur.

129. Decimo septimo Januarii [1] Hospitalis summi juris dicundi præfectus, quam dignitatem Cancellarium vocant, cum nunquam hactenus regia auctoritate publici sectariorum conventus permissi essent, coactis apud Fanum Sancti-Germani ex variis provinciis nonnullis senatoribus, quos ab hæresi non abhorrere norat, edictum nomine regio, id enim Colinio pollicita regina erat, pro asserenda sibi, hæreticorum ope, regni procuratione promulgavit, nefarium ac multa arte politica delibutum, ut illius impietatem variis figmentis obvelaret; nam multa imperabat pro tuenda sacerdotum causa, templorumque majestate, quæ nunquam hæretici erant præstituri; hæreticis vero publicorum conventuum in suburbiis libere habendorum auctoritatem conferebat. Dabat id edictum magistratibus imperia, ut eos tuerentur, et (quod absurdissimum erat) jubebat a ministris fidem obstringi, ipsos verbum Dei pure et sincere populum edocturos, cum eos verbi divini corruptores esse, errorumque magistros constaret: nihil adversi contra Nicæni Concilii Symbolum, aut libros Veteris et Novi Testamenti dicturos, cum articulum *in unam Sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam* pernegarent, Evangeliumque perverterent; in Oratione etiam, qua ferendo edicto prolusit, in

[1] Belcarius l. xxix. num. 35.

hæresim turpiter lapsus est, dum veluti certum atque exploratum statuit pervulgatum Lutheranorum aliorumque Hæreticorum dogma [1], scilicet anno MDXVIII, ac antequam Lutherus doctrinam novam afferret, nil recti quoad doctrinam, nihil sani quoad mores in Romana Ecclesia fuisse: quæ si dixerit, haud dubie pessimi hæretici certissimum argumentum dedit; quanquam suspicio non absit, Augustum Thuanum, qui passim Historiam suam hæretico veneno contaminat, quamque partim ex Theodoro Beza hæresiarcha, partim ex aliis hæreticis decerptam profitetur, hæc illi verba impia affinxisse.

130. Nefandi hujus edicti, ex quo innumera mala emersere, auctori Hospitalio infamia gravis hæreseos adhæsit, quæ per vicina regna deinde sparsa est, quam labem ignominiæ ut detergeret apud Pontificem hisce litteris [2] purgare se nisus est:

« Sanctissimo domino nostro Pio IV Pontifici Maximo.

« Beatissime pater. Cum Antissiodorensis episcopus Romam proficisceretur, arripui occasionem ad te scribendi, quam tandiu quærebam, id quod mihi visus sum commodissime facere posse per hunc, qui quia mihi intimus est, longitudinem epistolæ meæ sermone suo relevabit. Scio falsos quosdam de me rumores, vel ab obtrectatoribus, vel a malevolis, vel inimicis meis Romæ, atque adeo totam Italiam Hispaniamque disseminatos, quibus rumoribus aures principum aliorum, atque etiam tuæ patuerunt. Non essem commotus ea re, si audisses tantum, non etiam credidisses. Sed cum accepissem mandasse te tuis, ut regis matrem commonerent, ne quid illa mihi crederet, ut a me tanquam a pestifero aliquo homine caveret, non putavi longius esse differendum purgandi mei tempus: quod sane commodius facerem, si tenerem crimina mihi objecta, ad quæ responderem, nunc velut in umbra pugnans, quod ab eis suspicor dictum quoquo modo, diluam. Quicumque a vero Dei cultu atque a vera pietate abhorrent, qui sacerdotii munus obire nolunt, pecuniam et fructum capiunt, qui vitam suam corrigi moresve emendari nolunt, cum iis mihi perpetuum bellum est. Pugnavi cum illis, fateor, legibus, edictis, sed nihil præter odium et inimicitias reportavi. Si quid a me factum acerbius, si quid vehementius, Deus ac Dei vicarius judex esto. Gessi et feci omnia hic in aula, velut maximo Galliæ nostræ theatro. Dedi operam, quoad potui, ut nova repudiarem, vetera corrigerem; sed neque illi me, neque illos ferre possum. Facio fortassis imperite, qui non serviam temporibus, ut multi prudentes in

[1] Belcarius num. 28. — [2] Ext. in fine lib. excusi an. 1613. infrascripti: Instructions et Missives des Roys très-Chrestiens concernant le Concile de Trente.

sua quique republica fecerunt. Sed is meus est mos, ea natura, mea ætas etiam ingravescens morosiorem me facit. Habes veluti caput excusationis nostræ ». Et mox : « Deus Optimus Maximus principatum Ecclesiæ tuum in multos annos proroget ad Christi Flii sui gloriam, et populorum omnium salutem. Ex aula nostra III kalendas Augusti MDLXII ».

Huic Pontifex prudentissime [1], ut secundum Jacobi Apostoli [2] præscriptum, ex operibus fidem suam ostenderet, amantissimis verbis respondit:

« Dilecto filio Michaeli Hospitali magno Franciæ cancellario.

« Moleste te ferre significas, disseminatos de te quosdam rumores fuisse, et rectam ac sinceram mentem tuam piumque propositum nobis probare conaris. Tantum te hortamur in Domino, ut ita te in posterum gerere studeas, ut ea, quæ tibi objecta fuisse suspicaris, factis ipsis refelli abs te intelligamus. Quod si feceris, ut optamus et ut de tua prudentia sperare possumus, nos te, ut pium ac devotum sanctæ Matris Ecclesiæ filium amplectentes, quibuscumque in rebus poterimus, paternum erga te animum declarare studebimus. XXVIII Septembris anno II » Hæc ad Hospitalem Pontifex, sed ad memoratum edictum redeamus.

131. Eodem edicto data fuit Huguenottis potestas, ut synodos et consistoria et colloquia haberent, modo magistratus præsentes, more scilicet Lutherano, essent.

Promulgato eo edicto triumpharunt ministri Huguenottici, jam liberas sibi propagandæ hæreseos effusas habenas ; at pii Catholici, maximeque sacerdotes luctu oppressi sunt, nam permissa hac licentia prævisum est haud dubie sectam impiam amplificatum iri, auctoque numero hæreticos vectigalia Ecclesiastica invasuros, expilaturos templa, mucronesve in eorum pectora districturos, quare in pluribus provinciis senatus illud edictum non admisit, quod a mense Januario, in quo promulgatum est, Januarii nomen accepit, atque tumultuum causam invexit, non sedavit. Hæretici enim cum funestissimam conjurationem conflassent, prætexebant cepisse arma contra Januarii edicti violatores, cum ipsi in pluribus capitibus illud petulantissime cæsis sacerdotibus, profanatis sacris, templisque direptis violarent. Intercessit eidem edicto constanter curia Parisiensis per Christophorum Thuanum præsidem et Jacobum Violam consiliarium postea episcopum Parisiensem, itaque ad levandam improbi edicti invidiam adjuncta est ea lex, valiturum id edictum, donec aliter, vel ab Œcumenico Concilio, vel a rege decretum esset.

132. Hoc edictum tradit Belcarius [3], omnium malorum fontem atque originem extitisse, adversus quod, ut scripsit Carolo Borromæo cardinalis legatus [1], Senatus Parisiensis institit, edictum superioris anni, quo cœtus hæreticorum prohibiti, observandum ; proposuit pericula, in quæ Catharina regina tum ejus filii adducerentur, prava esse penitus atque exitialia hujus novæ religionis consilia, atque adeo mature et sedulo comprimenda ; at regina sedatis his tumultibus, ita vires eorum se elisuram spopondit, ut ab iis nil sit formidandum, quæ litteræ XIII Februarii consignatæ. Datis aliis XIV Februarii significavit, senatus Parisiensis oratores in sanctiore consilio exposuisse gravissima damna ex edicto, quo duplex religio permittitur, adduxisseque ingentia mala hinc emersura, tum pessimorum successuum in aliis provinciis exempla, quibus a regina responsum est, nunquam regiæ mentis fuisse duas religiones approbare, sed tantummodo eo edicto novatores ad parendum judiciis revocari, ac in posterum habita temporum ratione ad officium flectendos melioribus legibus. Non fore regiæ mentis duas religiones approbare, vel fovere in Galliæ regno, sed eam tantummodo, quam pater, et avus, aliique prædecessores coluerunt, cumque antea permissum esset Huguenottis suos cœtus vel synodos cogere sine magistratus ordinarii loci venia, modo sine provinciæ præfecti facultate prohibitos, præterea prohibitos magistratus eorum concionibus interesse, omnesque regios administros religionem sui principis profiteri jussos, ac licet mulcta officiorum adjecta non sit, non tamen parum promotum videri. In aliis vero XXIII Februarii exaratis constanter senatum Parisiensem intercedere illi edicto, duas religiones eo edicto induci atque tolerari, sive approbari, nec flecti reginam, cum in senatum venisset, potuisse ; jussum a regina, ut modum compescendarum seditionum afferret, contendisse senatum ejiciendos e regno hæreticos concionatores ; at regina objecit hoc facile mandari operi non posse, atque plures consurrecturos in arma ; itaque iterum jussisse rem excuti, spondereque parti Catholicorum confirmandæ se conjuncturam. Iterum cardinalis legatus aliis datis tertia die Martii significavit Carolo Borromæo senatum Parisiensem flagrantissimo pietatis studio perstare in sententia, omnes hæreticos concionatores regno pellendos, tum Huguenottos adigendos ad arma ponenda, omnes episcopos, senatores, regiosque administros ad nuncupandum fidei suæ sacramentum compellendos, vagos quosque, quorum pars maxima Huguenotta est, Lutetia ejiciendos ; proposuisse etiam optime actum iri cum illis ministris Gallicis, si mittantur ad Concilium, quæ omnia tempore Francisci II etiam proposita fuisse re-

[1] Ep. CCXCV. — [2] Cap. 2. — [3] Belcar. l. XXIX. num. 28.

[1] Ms. card. Spadæ sig. num. 31. P. 33. ad carc. Borr. Ib. p. 34. XXIII Febr. MDLXII. Ib. p. 29.

gina asseruit, seque hærere in suscepta opinione, concionatores hæreticos regno pelli non posse, nisi graves tumultus concitentur, cui etiam opinioni regii scrinii magister (is erat Hospitalis) præ omnibus aliis firmissime adhærescat.

133. Decretum demum fuit in sanctiore consilio, ut princeps Rupis-Suryonis ad senatum Parisiensem missus illum pelliciat [1] ad edictum primum adjectis declarationibus temperatum promulgandum; quod si senatus obstiterit, ipse apertis cameræ foribus regio imperio ac nomine illud promulget, quæ res cum sit insolita, atque exasperare Catholicos possit, regina ad eos demulcendos pollicetur brevi se Huguenottorum publicas conciones, tam in urbe, quam extra prohibituram, ac permissuram tantum privatas, et clausis januis. In sanctiore porro regio senatu discrepantes erant sententiæ, nec levia dissidia. Etiam scriptis XIII Martii aliis litteris [2] significavit reginam infensam esse Marescallo Sancti-Andreæ, quod ille magis Catholicorum procerum parti, quam ipsi reginæ adhæresceret, illamque proceribus Huguenottis studere, ut eorum benevolentia fulciatur, non quod eorum hæresim promovere velit; atque hanc esse radicem omnium difficultatum, quibus implicatissima sint Gallica negotia, consecutione enim quadam favere Huguenottæ sectæ, dum fautoribus illius proceribus non omnino adversatur. Denique datis VIII Martii litteris [3] significavit senatum Parisiensem regio actum imperio edictum memoratum promulgasse, non tamen illud approbasse, reginam vero meliorum rerum spes concepisse, ac brevi se arma ex Huguenottorum manibus excussuram sperare. Ut vero illam suæ spes fefellerint, dicetur inferius.

134. *Cardinalis Ferrariensis, in aula Gallica nuntius, ab Hosio reprehenditur.* — Ut nefarii ejus edicti fama pervasit aulam Pontificiam, planxere plures impendentes Galliæ calamitates, metuque inhorruere, ne omnino religio Catholica in eo regno everteretur, adeo ut questus sit cardinalis Ferrariensis apud Carolum Borromæum, nonnullos alieno spiritu ductos insusurrare Sanctitati Pontificiæ, rem Catholicam penitus in Gallia profligatam, omnemque circa eam operam perdi; verum licet in eo regno corruptissimi sint nonnulli humores, a quibus opprimatur, tamen illud validis viribus ad evincendam vim mali non destitui, nec de ejus salute desperandum, cæterum vocare in invidiam eos, qui illi sanando dant operam, pessimi esse exempli, et ægrum ad mortem præcipitem abjicere: non propterea de Galliæ salute conclamatum, si aliquod oppidum ab hæreticis, vel aliqua Ecclesia evertatur, aut aliquod monasterium incendatur: non damnandam reginæ mentem si ad capessenda arma in Huguenottos non consenserit, non enim id pravo animo tribuendum, sed infirmitati sexus, aut expeditionis difficultati, ob quas causas subsidiarias copias ipsi oblatas non admittat; quod vero aliqui Catholici sint offendiculum passi ex sua lenitate, non mirum videri, si naturæ suæ impetus sequendos illi censeant: verum plures re altius perpensa mutasse sententiam. Constare ex rerum successu, maximi referre regi Navarræ fieri satis, atque alia remedia inde facilius successura; feliciter a se collocatam operam ad eum in rectum tramitem revocandum, atque ex demonstrata ab eo perspicue mente optima optimos effectus consecutos, atque in dies ab eo insignibus factis eam mentem illustratum iri, si provehendis expetitæ compensationis votis strenue incumbatur etc. « Datum apud S. Germanum XXVII Januarii MDLXII ».

Significavit aliis litteris XXXI Januarii consignatis Pontifici legatus, maximi referre Pontificiis officiis regem Navarræ devincire: ex eo enim summam rerum pendere; inde Concilium promotum iri felicique exitu claudendum, universum regnum ab execranda Huguenotta peste vindicandum, ad concilianda factionis hujus capita nulli rei parcendum: agnovisse Sanctitatem Suam ex reginæ litteris propria manu exaratis, quanta illius principis bonitas, utque illi fiat satis, quantum operetur; etiam rem Catholicam ex eo capite magis confirmatam, quod posthac hæreticæ conciones in aula non sint permittendæ. « Dat. apud S. Germ. XXXI Jan. MDLXII ».

135. Querenti vero Carolo Borromæo, oratorem regis Christianissimi nomine totius Ecclesiæ Gallicanæ Communionem sub utraque specie expetiisse, respondit cardinal. Ferrariensis [1] in Gallia legatus, præsules in colloquio Possaceno nunquam decrevisse, ut communio sub utraque specie peteretur, sed card. Lotharingum, dum una cum aliis prælatis reginæ matri conclusa ac decreta Possiaci referret, preces addidisse, ut ipsa ab Apostolica Sede eam flagitaret, futuram enim solatio innumeris mentis optimæ fidelibus in hoc regno, atque etiam multorum æstuantes conscientias placatum iri, et utrumque pro universa Ecclesia Gallicana ipsam fuisse interpretatam.

De rebus Avenionensibus addidit, Aurasiam perduellium esse asylum ac hæreseos sentinam, rogandumque regem Philippum, ut Auraicum principem ad restituendam rem Catholicam in ea urbe permoveret: Parpaliam professum esse Huguenottam impietatem, nec mulcendum officiis: cœptum jam fuisse illud colloquium, de quo XVII Jan. scripserat: seque illi interfuisse, ita sibi reverendiss. card. Turnonio,

[1] Ext. ibid. p. 31. — [2] Ext. ibid. p. 49. — [3] Extant ejus litteræ in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 11.

[1] Ext. ibid. p. 17.

et aliis proceribus Catholicis consulentibus : se pariter interprete Morettæ regulo, reginæ Angliæ in aula Gallica oratore, pro ea ad Ecclesiam pellicienda usum, atque ex relatis dignosci eam reginam exempla Gallorum procerum sectæ Huguenottæ secuturam. « Dat. apud S. Germ. XXX Januarii MDLXII ».

136. Significavit memoratus cardinalis Ferrariensis [1] Stanislao Hosio episcopo Warmiensi cardinali, Apostolico in Tridentino Concilio præsidi, Catharinam reginam gerere in votis, ut aliud colloquium inter Catholicos et Huguenottos iniretur præsente ipsa regina, cui ipse Hippolytus legatus Apostolicus interesset. At cardinalis Warmiensis Ferrariensem card. ut infame hujusmodi colloquium defugeret ac disturbaret, est hortatus, reginam maximum dedecus eo flagitio contracturam, sat auditas horrendas blasphemias Theodori Bezæ, quas Lutherani ipsi ferre non possint; Calvinum nunquam impetrare potuisse ullum colloquium cum Lutheranis, qui ab eo tanquam a peste deterrima abhorreant. Halberstadii superiore anno proscriptos Sacramentarios, atque igni et aqua interdictos. Suadeat reginæ, ne in aures blasphema impiorum verba admittat. Brunsvici superiori anno Sacramentarium negasse a divino Verbo susceptam humanam carnem : Petrum Martyrem negare Evangelium affirmans, Christum clausis januis non ingressum ad discipulos; non funestandas regias aures repetendis his blasphemis vocibus : abrumpendum itaque omne colloquii genus cum impiis, atque Huguenottos ad Tridentinum Concilium amandandos, ut de veritate fidei doceantur; eam hæresim primum a Berengario inductam, ac paulo post extinctam, ante quadraginta annos a Carolostadio, mox a Zuinglio ab inferis excitatam. Quod porro metuit gravia pericula imminere, si regia vi comprimantur Huguenotti, norit certissime, longe graviora discrimina illi regno impendere, si furibundæ hæresi fræna laxentur; sed ipsius Hosii Epistolam [2] in medium afferamus.

« Hippolyto cardinali Ferrariensi legato in Galliis.

« Valde nos perturbavit, quod in litteris adscriptum est ab illustrissima dominatione vestra, cupere Christianissimam reginam, ut illa præsente et audiente, denuo disputationes ineantur cum hæreticis, quibus etiam vel intersit, vel præsit illustrissima dominatio vestra. Equidem obstupui, cum hæc legi audirem, nec satis mirari potui, quomodo venerit in mentem ei reginæ, cujus tanta pietas et religio prædicatur, talia postulare. An non satis erat semel Theodori Bezæ blasphemias audivisse, cum ille non minus longo intervallo disjunctum esse Christi corpus ab Eucharistiæ Sacramento, quam cœlum a terra distare diceret? Adeone ferre potuerunt aures Christianissimæ reginæ tam blasphemas voces, ut eas etiam iterari velit? quas certe, nec ipsi Lutherani, quamlibet sint ab Ecclesia Catholica alieni, sustinere possent, quorum de Calvino deque sectatoribus ejus hæc est sententia : sceptro magistratus eos coercendos, non stylo vel disputatione esse refutandos. Legi quemdam Calvini libellum, in quo graviter queritur contra Joachimum Westphalum, scribitque, cum sæpe colloquia fuerint habita inter Catholicos et Lutheranos, quod semper ab illis exclusus fuerit, nec unquam data sit ei potestas cum Lutheranis colloquendi.

« Proximo Septembris mense fuit Halberstadii, si recte memini, conventus quidam principum et statuum Saxoniæ, in quo qui Calvini doctrinam amplexi sunt, his omnibus aqua et igni interdictum est non sine gravi quadam interminatione, si quis in Saxoniæ civitatibus receptum eis dedisset; et quos ad colloquium suum non admittunt, quibus aqua et igni interdicunt ipsi etiam Lutherani, eorum blasphemias iterum atque iterum audire sustinebit ea regina, quæ non Christiana, sed Christianissima vocatur? » Et paulo post : « Auctor sit Christianissimæ reginæ quam charum est illi nomen hoc, quod multis jam sæculis magna cum gloria sua retinent Galliarum reges potentissimi : quam chara est illi, et fortunarum, et filiorum et animæ suæ salus, diligenter caveat, ne deinceps impuris horum hominum blasphemiis aures suas accommodet, ne de præsentia Christi Corporis et Sanguinis, quam sole clarioribus verbis in Evangelio confirmatam habemus, iterum disputari permittat. Cum fuissem in aula Cæsaris, vidi scriptum quoddam de disputatione, quæ habita fuit Brunsvici ante menses plus minus octo. In eo quidem Albertus Ardenghus, cum contra præsentiam Christi Corporis in Eucharistia multa diceret, ad confirmandam opinionem suam, hæc verba scribitur protulisse : « Quomodo potest in Eucharistia præsens adesse « Christi caro et sanguis, cum Christus ex Maria « Virgine nullam carnem assumpserit, sed haud « aliter atque sol per aquas nullo ex iis humore « contracto, sic ille per Virginis uterum transi- « verit»? Huc tandem ventum erat disputationibus istis; posteaque negavit verum esse, quod dixit Christus accepto pane : *Hoc est corpus meum,* ut simul negaret verum esse, quod dixit Christi discipulus : *Verbum caro factum est.* Et certe non video cur major discipulo, quam ipsi magistro fides haberi debeat. Et si licet contra sensum et consensum Ecclesiæ totius verba magistri interpretari, cur non idem facere liceat de verbis discipuli? Quod etiam factum a priscis hæreticis esse scimus : itaque Calvinismus hic brevi nobis pariet Atheismum. Proximis his

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3222. p. 117. — [2] Stanisl. Hosius card. Warm. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3222. p. 127.

superioribus diebus legi Petri Martyris libellum, quem scripsit de duabus naturis in Christo contra ubiquitatem Brentii ante duos aut tres menses Tiguri editum. In eo, dum nihilo plus tribui vult Christi corpori, quam cuivis alii corpori glorificato, negat Christum per clausum Virginis uterum transivisse, negat clauso monumento surrexisse, negat, quod verbis disertissimis in Evangelio scriptum est, clausis januis ad discipulos intrasse. Et ejusmodi blasphemias audiet regina Christianissima? audiet negari, quod ita manifestis verbis in Evangelio scriptum legimus? audiet sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ Virginitatem in dubium vocari? audiet veritatem ipsam mendacii insimulari? Equidem non video, quomodo, non dicam Christianissimi, sed Christiani nomen tueri possit, cujus aures ab his tam impiis vocibus non abhorrent.

« Quamobrem quibuscumque potest rationibus, reginæ persuadere conetur, ne quid eorum consiliis loci det, qui sunt illi auctores, ut non modo fieri permittat de præsentia Christi Corporis in Eucharistia disputationes, verum etiam ipsa illis intersit aut præsit, quod Paulus Apostolus ferre nunquam potuisset, cujus quæ sit ea de re sententia, illustrissima dominatio vestra non ignorat. Huc illos remittat ad sacrosanctum Concilium hoc Œcumenicum, qui cupiunt aliqua de re doceri, non autem seorsum ab orbe Christiano ea in dubium vocare patiatur; de quibus qui dubitavit aliquando Berengarius, semel et iterum errorem hunc suum revocavit, et pridem hæresis ejus est extincta, nisi quod his annis prope quadraginta rursus est primo per Carolostadium, deinde per Zuinglium et alios quosdam in lucem revocata.

« Scribit illustrissima dominatio vestra, propterea non exterminari manifestos hæreticos ex Galliis, quod periculum est, si tentatum id sit, ne regnum illud in extremum discrimen adducatur. At ego vehementer metuo, ut non alia res magis acceleret regni istius nobilissimi interitum, quam quod in Christi causa principes ita connivent, quod hostes illius palam in eo grassari, quod veritatem oppugnari, quod nomen ipsius impune blasphemari permittant. Non patietur hoc inultum Deus; ac nisi fuerint functi principes officio suo, statuet ipse de principibus quod erit justitiæ consentaneum, nec justi judicis officium in se requiri patietur. Non fovendo, sed extinguendo hæreses regna servantur. Tantum esse populi zelum audio, ut statim sit eos ex omnibus civitatibus profligaturus, dummodo per edicta principum non prohibeatur. Tridenti x Februarii MDLXII ».

Vera nimium extitere Warmiensis cardinalis oracula, nam cum perditissimi aliqui proceres, qui se magno supercilio et fastu politicos humanæ prudentiæ gradu augustiores jactabant, effutirent Hugonottam hæresim regiis edictis, sine graviore regni periculo comprimi non posse, diffundendæ latius hæreseos permissa est impune licentia, atque ita impiis concionibus impiorum numerus auctus est, a quo quanta discrimina capiti et dignitati regum Gallorum conflata sint, suis locis lugendum erit.

In memorato vero colloquio, cum a cardinale Lotharingo Calviniani ministri convicti essent manifestæ imposturæ, quod ostendere non possent, a quo ad novam religionem condendam missi essent, jactarunt illi impudentissime se extra ordinem missos a Deo, arcteque adacti, ut divinam missionem probarent, divino miraculo cum non possent, hoc demum anno prodigia vera Sathanæ, mota in regem rebellione, cæsis sacerdotibus, eversis altaribus, exercitaque inhumana carnificina ediderunt, ut constiterit ipsos a Sathana ad perdendam Galliam, nec modo ad animarum, sed etiam ad corporum internecionem missos.

137. *Lucenses commendantur a Pontifice quod solliciti sint ne ipsorum mercatores in hæresim incidant.* — Sathanica illa missione freti in omnibus urbibus conventus suos armis instructi agebant, ad omne nefas, si quis ipsis obstreperet, paratissimi, ac Lugduni væcordes magistratus imminentium, quas sibi accersebant, cladium ignari, permiserant, ut Jacobus Ruffus Calvinisticæ impietatis buccinator cathedram pestilentiæ trans Rhodanum collocaret, ad quem novarum rerum cupidi confluebant, quæ fama, cum ad Lucenses magistratus in Italia manasset, illi concives suos mercatores, qui Lugduni agebant, gravissimis litteris, Catholicæ pietatis asserendæ studio patriæque ab ea peste vindicandæ cura incitati, monuere, ut conciones, colloquia et congressus hæreticorum declinarent, ac religionis Catholicæ assertores constanter se profiterentur; quo accepto Pontifex [1] Lucensis prætoris ac senatus flagrantissimam pietatem his litteris commendavit :

138. « Dilectis filiis antianis et vexillifero populi Communis Lucensis.

« Legimus pia laudabiliaque decreta, quæ civitatis generale consilium nuper fecit ad civitatem ipsam ab omni hæresis labe integram conservandam; exempla etiam legimus litterarum, per quas ejusdem consilii mandato cives vestri, qui Lugduni negotiantur, diligenter et severe admodum, ut decuit, admoniti fuerunt, ut hæreticorum omnium congressus, colloquia et conciones vitent, omnibusque dictis et factis suis declarent se, juxta Romanæ Ecclesiæ ritus, præcepta et instituta observare, neque ulla in re a recta fide et Catholica religione deflexisse; pro nostro pastorali officio, et perpetuo erga rempublicam vestram studio gavisi admodum sumus, tam pie et sapienter hæc apud vos acta

[1] Pius IV. to. II. br. sig. num. 2897. Ep. CLXXX.

et constituta fuisse, magnasque eo nomine gratias agimus Omnipotenti Deo, a quo omne datum optimum descendit, et donum omne perfectum ». Et infra : « Nec vero quidquam fieri potuisse judicamus, vel ad tuendum Dei honorem sanctius, vel ad conservandam vestræ patriæ salutem prudentius. Præclarum cæteris civitatibus civitas vestra documentum dedit, quanta diligentia occurrendum sit hæreticæ pravitatis morbo ; nihil enim tam civitatibus pestiferum, nihil non animabus modo, sed etiam quieti, paci et concordiæ populorum tam adversum est. Eorum decretorum salubribus remediis obviam itum fuisse periculis, quæ vestræ patriæ imminebant, vehementer lætamur, et nos, quia parum prodesset pia illa decreta facta fuisse, nisi cura et diligentia magistratuum servarentur, hortamur vos et cæteros, qui in isto munere vobis successuri sunt, ut diligenter ea servanda et exequenda cunctis decreta proponant, cum illa, dum servabuntur, firmi erunt reipublicæ vestræ muri, et libertatis vestræ solida munimenta. Custodiet haud dubie civitatem istam Dominus, quoad ibi pura et sincera ipsius religio et cultus custodietur etc. XX Januar. MDLXII, Pontific. nostri anno III ».

Præerat tunc Lugdunensis urbis administrationi Franciscus Augustinus Nemorosii Comitis legatus, vir miti vel ignavo potius ingenio, qui Huguenotticam pestem in ea urbe grassari permiserat, promulgatoque Januarii edicto, Hugonottos, ut liberius suos agerent conventus, texit, ex cujus ignavia latius hæresis diffusa, subdente facem Jacobo Ruffo seditionum auctore, in maximum exarsit incendium, ut pulso brevi eodem prætore infelix urbs in Huguenotticam ceciderit servitutem.

139. *Hugonottorum Condæus protector, et Guisii hostes infensissimi : tumultus Vassicenus.* — Impetrato Januarii edicto Ludovicus Condæus princeps a novandis rebus non conquievit, sed majore studio diffundendæ hæreseos exarsit. Jactabat se divinam gloriam et puriorem religionem promovere, ut constat ex ejus litteris ad Fridericum Palatinum, ad Christophorum Wittembergensem, ad Philippum Hassiæ principes datis, quibus ab iis auxiliares copias ad inferendum regi Galliæ et Catholicis bellum elicere nitebatur ; nec latebant Catholicos prava ejus consilia, ad quæ disturbanda Guisius ejusque frater Ludovicus cardinalis contulere se in Germaniam, colloquium in Tabernarum oppido ditionis Argentinensis episcopi habituri cum aliquot Lutheranis principibus. Eo accessit XV kal. Martii dux Wittembergensis adductis secum Joanne Brentio et Jacobo Andræa Lutheranismi signiferis ; ostensumque est a Guisiis principibus Huguenottismum longe a Lutheranismo differre, rogatique Lutherani, ut si res ad arma cum Huguenottis spectaret, Catholicis potius quam Huguenottis, potius regi, quam Condæo principi studerent, ac forent æquiores, consultumque est a Brentio et Jacobo Andræa, ut Genevensis confessionis , sive Huguenottismi promulgatio impediretur, cum ea graviora bella paritura esset. « Ita ab eo colloquio (inquit Belcarius [1], qui aderat) discessum est, ut Augustani a Pontificiis potius quam a Calvinianis stare debere persuaderentur, et concordiæ spes non exigua relinqueretur. Multa enim concedebat cardinalis Lotharingius, quæ alioqui non concessisset, ut Germanos a Gallia invadenda avocaret. Hic hujus colloquii, cui nos interfuimus, scopus fuit ». Ob illud colloquium Condæus princeps falsum rumorem sparsit, cardinalem Guisium ad Lutheranos defecisse ; de Guisio vero duce finxit illum asserendæ Catholicæ religionis specie tyrannidem affectare, deque ea re suspicionem reginæ injecit, regiæque auctoritatis flagrantissimum vindicem se jactavit. Et quidem regina hæreticorum factioni non parum favere visa est, cum eorum armis ad tuendam auctoritatem suam fulciri vellet, verita ne auctoritatem suam, Guisiis Antonio Borbonio Navarræ regi pupilli Galliarum regis tutori adjunctis, amitteret.

140. Dum vero ex colloquio Germanico redirent Guisii [2], atque kal. Martii Vassium oppidum appulissent, in quo Calvinianus minister in Guisianam familiam veluti tyrannorum atque hostium Evangelii (scilicet Calvinistici) procreatricem declamabat, infeliciter contracta rixa inter hæreticos et Guisianos, appetiti saxis Guisiani famuli insciis principibus injuriam ferro repulerunt, paucis cæsis, aliquot utrinque vulneratis, receptoque Brossiano adolescente, quem sauciatum retinebant hæretici captivum, sedata est seditio, et tamen Calviniani cœsorum numero falso aucto, rem non modo per Galliam, sed etiam per Germaniam et exteras nationes quasi carnificinam cruentam in Evangelicos exercitam divulgarunt, atque ad ultionem animos obfirmarunt. Missus est ab iis Beza ad reginam, ut de ea cæde quereretur, cui Navarræ rex objecit, contra recens edictum ab iis arma gestari in conventibus, respondit Beza sophistice arma in virorum prudentium manibus pacem secum gerere, objecta etiam illis est a legato seditio ad ædem Sancti-Medardi Lutetiæ excitata, et dicta hæresiarchæ contrariis factis refracta.

De Vassiaceno tumultu [3] meminit cardinalis Ferrariensis asserens, dum regina in agro amœnissimo, cui Monacelli nomen est ageret, venisse Theodorum Bezam magno Huguenottorum numero stipatum , querelasque graves attulisse adversus ducem Guisiæ et suos, ac justitiam

[1] Belcar. l. XXIX. num. 37. Jac. Aug. Thuan. l. XXIX. — [2] Belcar. l. XXIX. num. 37. — [3] Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 35.

sibi administrari poposcisse, responsum vero ipsi fuisse a regina Catharina atque a rege Navarræ, omnem illum tumultum adscribendum insolentiæ Huguenottæ, quæ nimium aucta erat, non vero Guisio duci, cujus modestia ac prudentia illustris, atque ipsis explorata esset, si qua itaque in re eos læserit, eorum temeritate lacessitum fuisse : pudore itaque repletos abscessisse, at vero ducem Guisiæ, cum suspectæ illi forent hostium insidiæ, ac Parisios tenderet, armis se egregie instruxisse ; ac pariter Huguenottos prætexentes formidinem, multas copias tuendæ suæ salutis causa contraxisse, quamvis ardens vindictæ cupidine eorum animus in Guisium ducem fremeret, cui laturus opem magister equitum Memorantius una cum Marescallo Sancti-Andreæ obviam profectus se conjunxit, Parisiosque deduxit, ex quo suborta rerum perturbatio, ad quam sedandam rex Navarræ ab utraque parte arma poni, seque illi sistere nomine regio jussit, cui proceres plures paruere, non tamen princeps Condæus, qui se coram fratre rege sistere detrectavit, et quingentis equitibus Huguenottis succinctus Parisiis discessit ; ex his vero motibus alios graviores reformidari. Addidit legatus cardinalis in aliis litteris [1] ad Borromæum cardinalem datis VIII Martii missum fuisse a regina episcopum Valentinum, ut principem Condæum ab aliorum perduellium Huguenottorum societate divellat, atque ad colloquium pelliciat, sed illum nimio fastu regia benignitate abuti.

141. *Dum Calvinistis favet Joanna Alebretensis, ejus maritus Antonius Navarræ rex fœdus init cum aliis principibus Catholicis et simul cum Catharina Galliæ regina Pontificis gratulationes meretur.* — Pronis ita in civile bellum rebus, Catholici principes Antonius rex Navarræ, Guisiani principes , Anna Memorantius magister equitum, Santandreanus regiorum castrorum præfectus pium fœdus pro asserenda Catholica religione regiaque majestate tuenda coiverunt, de quo ineunte Martio monitus Pontifex [2] Antonio Borbonio regi hisce litteris de suscepta Catholicæ fidei contra Huguenottos defensione gratulatus est.

« Charissimo in Christo filio nostro Antonio Navarræ regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, etc. Ex litteris tuis die quinta Martii datis, et ex iis, quæ ad nos venerabilis frater noster Franciscus episcopus Ostiensis cardinalis Turnonius, et dilectus filius Hippolytus cardinalis de Ferraria legati nostri diligenter de præclaro animo tuo scripserant, in spem maximam veneramus fore, ut tuæ serenitatis virtute et auctoritate religio Catholica istic in commodiorem statum Deo juvante propediem redigeretur, magnasque eo nomine gratias ageremus ; tam læti autem nuntii de rebus istic gestis ad nos paucis ante diebus allati sunt, ut spes nostra ex tam præclaro initio confirmata atque aucta sit. Benedictus sit igitur Dominus et Deus noster, cujus auxilium causæ suæ non defuit, qui religionem suam istic labantem tua præcipue virtute et auctoritate sustentare et stabilire cæpit. Non possumus satis digne collaudare, charissime fili, præclaram istam voluntatem tuam, nec quantas mereris, tibi gratias agere. Non dici potest quantam laudem et gloriam assecutus sis, quanta lætitia nos et fratres nostros, atque omnes Catholicos affeceris. Confide non defuturum pietati tuæ præmium ab eo, cujus religionem et cultum aperte et fortiter defendere aggressus es, nos quoque, quos pro loco ac munere quod sustinemus, tuis præcipue istis factis obligasti, enitemur, ut tam præclaræ tuæ in religionem Catholicam voluntatis, et devotionis erga nos et Sedem Apostolicam nunquam pœnitendum sit, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII Aprilis MDLXII , Pontificatus nostri anno III ».

142. Indignata pium et avita stirpe dignum viri facinus Joanna Antonii regis Navarræ conjux, a viro secessit, seque Neracum Alebretensis principatus urbem principem contulit, ac velut altera Jezabel Calvinistici idoli cultrix Franciscanos et alios monachos ac sacerdotes dispulit. Infremuere etiam ira in Navarrum hæretici, quorum antesignanus Theodorus Beza [1] illum Juliani nomine, veluti apostatam, perstringere non perhorruit, cum ipse sodomita gloriosus felicitatem suam inter Candidam suam et Audibertum suum spurcissimam describere phaleucis versibus, ac tradere posteritati non erubuerit : dignus certe, qui ad Caliphatum Huguenotticum eo execrabili vitæ genere conscenderet. Cæterum Navarræ regi Catholicæ religionis vindici, ac cæteris proceribus se conjunxit Catharina regina, regemque pupillum et alios liberos eorum fidei commendavit de qua concordia Pontifex [2] gratias summas persolvit numini, ac reginam hisce litteris ad fidem orthodoxam defendendam incitavit :

« Catharinæ Francorum reginæ Christianissimæ.

« Cognitis iis quæ nuper isthic gesta sunt, incredibili gaudio elati, sublatis in cœlum manibus magnas Omnipotenti Deo gratias egimus, qui misericordes oculos suos ad regnum istud convertere, ac labentem in eo et periclitantem religionem suam potenti sua dextera fulcire et confirmare dignatus est, tuæque pietati serenissimi Navarræ regis auctoritatem et virtutem, et

[1] Ext. ibid. p. 43. — [2] Pius IV. to. II. brev. sign. num. 2897. Ep. CCXXXIII.

[1] Ext. inter Juveniles Lusus Theodor. Bez. excus. Genevæ. — [2] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCXXXIV.

tot regni procerum studia admirabilemque concordiam adjunxit. Non possumus plane verbis consequi, quantam animi lætitiam una cum fratribus nostris ceperimus. Nihil plane audire poteramus, quod nobis esset jucundius atque optatius ; ex tam præclaro initio confidimus religionem Catholicam propediem in regno isto constitutum iri : qui enim hoc opus cœpit in vobis, idem, ut sperandum est, id perficiet. Gratulamur igitur majestati tuæ, gratulamur charissimo in Christo filio nostro regi nato tuo, cernentes fundamenta, quæ jacta sunt, quietis et tranquillitatis ipsius regni, et pristinum Catholicæ religionis cultum propediem in Deo restitutum iri confidentes. Enitere, charissima in Christo filia, ut opus tam præclarum, tam salutare, ad optatum exitum adducas, nec divina tibi ope, nec humano auxilio defuturo. Paternum animum nostrum, etsi plane tibi perspectum esse non dubitamus, tamen quibuscumque licebit officiis declarare adeo parati et sumus et semper erimus, ut regni istius salutem et quietem, si fieri posset, nostro ipsorum sanguine libenter simus redempturi, etc. XXIII Aprilis MDLXII, anno III ».

143. Ex his manifeste arguas historicorum hæreticorum mendacia [1], qui ipsam una cum filio rege invitam pertractam Parisios ferunt, illique admotas custodias, ne noctu una cum filio ad Condæum elaberetur, asperioribus etiam verbis acceptam a Santandræano. Non defuere quidem pravi consiliarii, qui illi suaderent, ut ad Condæum se applicaret ; inter quos Hospitalem cancellarium fuisse, refert Thuanus, publicisque etiam scriptis divulgavit Condæus, illam a Catholicis in servitutem redactam fuisse, cujus se libertatem tueri velle fingebat, arcanoque ejus mandato sumpsisse arma ; veritam enim, ne Navarrus, Guisius ac Memorantius regiam auctoritatem ad se contraherent, se et liberos ipsius fidei commendasse, ne regni administratione submoveretur. Verum qui Catholicos proceres vocabat in invidiam, contractis copiis Huguenottorum, omni astu ac vi reginam intercipere ac regem conatus est, sed ejus conatus divina elusit providentia. Quæ vero consilia versaret in pectore, perspicue explicuit, cum Germanos Lutheranos et Anglos adversus regem concitavit, præcipuas invasit urbes, provinciarum præfecturas Huguenottis distribuit, regnum cædibus fœdavit, sacras opes expilavit, quæ tamen omnia pro regis tuenda causa fieri promulgabat. Sancitum illud fœdus inter Catholicos principes fuit Ferrariensis cardinalis, Apostolicæ sedis legati, opera, in quem propterea Condæus gravissima concepit odia, ut inter alias concordiæ postea agitatæ leges e Gallia pellendum postulaverit.

[1] Belcar. l. XXIX. num. 54.

144. *Mommorantii præclara de re Catholica merita.* — A Ferrariensi vero cardinale legato factus certior de eximio Annæ Mommorantii in religionem Catholicam studio Pius Pontifex [1] illum ad cœpta egregia fortiter promovenda hortatus est :

« Dilecto filio nobili viro Annæ duci de Montmoranzi, comestabili regni Franciæ.

« Benedictus Dominus Deus noster, cujus misericordia ineffabili effectum est, ut in regno isto omnium nobilissimo et nobis charissimo post tantas tenebras, tanta et tam præclara oriri lux cœperit. Quis hanc mutationem dexteræ Excelsi fuisse non videat ? Quis divinæ clementiæ beneficium erga regnum istud non agnoscat? Ex dilectorum filiorum nostrorum legati et nuntii litteris nuper cognovimus ea, quæ post tuæ nobilitatis litteras ad nos de mense Martio datas istic gesta sunt, ex quibus una cum fratribus nostris tantam lætitiam cepimus, quantam verbis explicare non possumus. Luculentum testimonium, quod tua nobilitas charissimo in Christo filio nostro Navarræ regi paucis ante diebus litteris illis suis dederat, intelleximus re ipsa, sicut sperabamus, comprobatum fuisse, tuam vero virtutem, prudentiam, fortitudinem et animum in Catholicam religionem eximium ex eis, quæ acta et gesta sunt, recognovimus. Benedictus sit igitur iterum et semper Dominus, qui regis ejus animum ad generis sui memoriam et majorum suorum imitationem excitavit, qui tot regni procerum animos ad defendendam religionis causam accendit, cujus ope et auxilio, tam præclaro initio felicique eventu Christiana isthic fides, quæ in summo discrimine versabatur, stabiliri et confirmari cœpit. Cujus cum perfecta sint opera, minime dubitandum est, quin, quod cœpit etiam perfecturus sit. Agnosce, dilecte fili, Dei beneficium et gratiam, qui ista ætate tantam tibi occasionem obtulit, non de toto modo Francorum regno, sed de omnibus ei finitimis nationibus, et universa sancta sua Ecclesia bene merendi. Hoc superiora nimirum ejus erga te beneficia longe superat. Hoc opus omnium, quæ unquam in manibus habuisti, longe maximum atque pulcherrimum, et tuum clarissimum nomen multo in terris effecturum esse clarius, et aditum tibi ad ipsam æternam vitam et cœlestem gloriam patefacturum. Sed singularis virtus ac pietas tua tantum abest, ut hortatione nostra excitanda sit, ut ne satis quidem collaudari a nobis possit, etc. XXIII Aprilis MDLXII, an. III ».

Quod ad præclara Annæ Monmorantii gesta, et eximia de re Catholica merita attinet, illius ac fœderatorum Catholicorum procerum auctoritate abrogatum est Januarium edictum, quo promulgato, libera hæreseos permissa fuerat

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCXXXV.

Huguenottis licentia, ut subreptitium, cui ferendo, nec ipse, nec Guisiani principes interfuerant; damnatum etiam ut exitiale, quia eo perduellium numerus augebatur; ut fallax, quia jubebantur ministri Huguenottici pure verbum Dei prædicare, quod ab ipsis expectare insanum erat, cum sacra omnia impie conculcanda docerent. Mox idem Anna Mommorantius Catholicæ religionis flagrantissimo studio ardens, Parisiis duo conventicula Huguenottorum, quorum alterum extra portam Sancti Jacobi, alterum extra portam Sancti Antonii celebrabatur, discussit; sedilia omnia in pyram congesta, et pestilentiæ cathedras, in quibus ministri blasphema in Ecclesiam convitia vomebant, exussit, ab Huguenottorum tamen sanguine Catholica clementia temperavit, in urbemque reversus maximo civium applausu triumphanti similis exceptus est, quod facinus Catholico principe dignissimum Jacobus Thuanus[1] venenatis scommatibus carpit, velut gestorum illius splendore indignum. Sed quidquid obganniat Thuanus, certum est ipsum eo facto magnificum sibi in cœlo triumphum promeruisse. Restituit etiam arma Parisiensibus civibus Catholicis, quæ in prætorium urbis comportata fuerant, omniaque principis Condæi molimina pro rege ac regina matre intercipiendis, necnon Lutetia proditione occupanda discussa fuerunt. Magno vero errore lapsi sunt principes Catholici, quod non ex condicto Huguenottos pelli a Catholicis multo potentioribus ex urbibus jusserint, nam quotquot hæreseos virus suxerant, in Gallici nominis proditores regiæque majestatis hostes versi erant, quorum astu et fraudibus plures nobilissimas urbes interceptas mox dicturi sumus.

Prima omnium Aurelia[2] calamitatum exemplum, prædaque hæretici furoris fuit, nam Condæus princeps validis succinctus copiis, furens ira, quod regem pupillum reginamque Catharinam redigere in suam potestatem non potuisset, Aureliam præmisit Andelotum. Is ab Hugonottis in patriæ exitium conjuratis qui portam Sancti Joannis occuparant, in urbem admissus est, ac mox Condæus eo advolavit, in eaque urbe arcem perfidiæ Huguenotticæ constituit, perduellionisque signa extulit.

145. *Aurelia capta et expilata ab Huguenottis.* — Agebatur annus vigesimus sextus[3], ex quo Franciscus Gebennenses, qui, pulsis episcopo et clero, conculcarant sacra, profanarant templa, everterant et altaria, submissis auxiliaribus copiis in rebellione et hæresi confirmarat astu politico, ut de Philiberto duce Sabaudiæ ultionem repeteret. Nonus vero annus labebatur ex quo Henricus II Tridentinum Concilium disturbarat fraude politica, Lutheranorumque patrocinium corripuerat, ne a Carolo V ad obsequium Ecclesiæ cogerentur, viresque Cæsareæ ex sectarum varietate debilitarentur. Sed cum divina justitia non raro per ea puniat, per quæ peccarunt homines, illudque Davidicum fere semper contingat[1]: *Convertetur dolor ejus in caput ejus, et in verticem ipsius iniquitas ejus descendet*, ex ipso Gebennensis perditionis puteo erupit hæresis et Galliæ proceres populosque late adeo infecit, ut hæretici numero et viribus aucti, Lutheranorumque fulti subsidiis Galliam inauditis cladibus funestarint. Tantum incendium paucorum sanguine restingui initio potuerat, sed cum reorum sanguini ignave et crudeliter parcitum esset, universa Gallia suorum fuso cruore restagnavit. « Ut scribunt viri graves (inquit Surius)[2] si in Galliæ Christianissimo regno, imo etiam apud alias nationes pauci quidam novandorum rerum cupidi, a locorum præsidibus initio mox oppressi fuissent, et ex juris præscripto in eos esset animadversum, non tot millia postea periissent; habet enim hoc hæresis omnis et falsa doctrina innatum sibi, ut nisi in ipsis suis initiis radicitus extirpetur, paulatim crescat in immensum, et longe lateque omnia horrendum in modum depascat et depopuletur. Vidimus, proh dolor! ejus rei in diebus nostris exempla multa nimis, quæ abunde quod dicimus testari queant, etiam si vetera multa non suppeterent » :

Quæ paucis verbis perstrinxit Belcarius patrata a Calvinistis flagitia Aureliæ, Surius[3] ex Monumentis tunc conscriptis fide dignissimis excepta narrat.

« Admissi (scilicet Hugonotti) intra urbem Aureliensem in dies magis ac magis templa vastanda et expilanda susceperunt, idque plane contra edictum, cujus se volebant videri patronos et conservatores, et primum quidem libuit illis impetum facere in abbatiam cujus templum vastaverunt, imagines confregerunt, sepulchra et fenestras vitreas dissiparunt, sedilia et quidquid ex ligno fabrefactum erat, in ignem conjecerunt, libros sacros in abbatia repertos, multis interim usi petulantissimis sermonibus, deinde suos eo equos introduxerunt stabulatum, tantaque barbarie in illud monasterium sævierunt, ut nullum ejus murum integrum reliquerint. Quosdam etiam ex monachis, qui illic remanserant, ceperunt, conjectosque in carcerem vi eo adigere voluerunt, ut ipsis indicarent sacras reliquias, quas abscunderant. Erant in iis juvenes quidam, qui magnis pollicitationibus inescati sacra ossa prodiderunt, quæ illi scelerati et nefarii homines flammis exusserunt, ut quantum in illis erat, beatissimos martyres semel pro Christo cæsos ad carnificinam revocarent.

146. « Erant in monasterio illo duo jam

[1] Thuan. l. XXIX. — [2] Id. ib. — [3] Annal. to. XIX. an. 1536.

[1] Psalm. VII. — [2] Sur. in Annal. hoc anno p. 580. — [3] Sur. in Com. hoc an. p. 577.

affecta ætate senes, non fere minores octogenariis. Ex his alter in quodam pestilentis domus solario sedebat inclusus ad menses quatuor : clam illi victum suppeditante quodam ejus amico. Orabat vero diu noctuque Dominum, illud mortis expectans genus, quod Dominus ipsi vellet immittere. Alter pastoris functus officio in illa parœcia, per id tempus itidem a monasterio clam recesserat latitaturus in exiguo quodam loco, ad quem tamen non diu post isti sacrilegi Aurelia profecti cum agrotum et miserum hunc senem, qui jam Eucharistiam ceu brevi moriturus acceperat, invenissent, percontati ex eo sunt essetne monachus et sacerdos, illo id minime negante, restim in collum et subter brachia ejus injecerunt, sicque nudum deorsum pertraxerunt. Ut autem viderunt jam fere illum extremum ducere spiritum, cruentissimi carnifices læthifero ictu caput ejus pulsarunt, atque ita animam exhalavit. Nec hoc contenti homines omnis humanitatis et pudoris expertes ad arborem cadaver alligarunt, et pro animi voluptate sclopetis illud trajecerunt. Postquam vero jam dictum monasterium vastaverunt, ad alias Ecclesias progressi sunt, sed multa cum simulatione, ut est solemne apud hæreticos. Proclamatum fuit Aureliæ nulli posthac templo quidquam detrimenti allatum iri, sed hoc eum habuit eventum, quod reliquis Ecclesiis non aliter accidit, atque illi, de qua jam diximus, sanctissimi Aniani ejus urbis antiqui episcopi sacra ossa immanissime tractarunt atque exusserunt. Conculcabant homines impiissimi consceleratis pedibus sacrosanctam Eucharistiam, vel etiam sclopetorum globulis trajiciebant.

« Fabricæ et reliquiarum curatores rationem harum reddere cogebantur, quod si non satis exacte quivissent, in custodiam ducebantur, et interdum gravissime torquebantur, nisi pecunia se redemissent. Summam Sanctæ-Crucis ædem incendere cum cœpissent, populus ex ea re permotus clamabat: Quid istud rei est, Domine Deus. Jam enim periisse sibi videbantur cernentes ardere templum suum. Res pretiosas templorum ex auro et argento fabrefactas sive clenodia sub eo prætextu auferebant, quod dicerent se ea velle servare regi, cum postea nummos cuderint nulla reddita regi ratione. Vestes sacræ omnes prædæ cesserunt, quibus ad magnum ludibrium abutebantur, non temperantes interim sibi ab immanibus blasphemiis in Deum et cultum illius. Interdum sese oblectandi causa, unum aliquem e suo grege sacerdotalibus induebant vestimentis, tanquam jam iturum ad sacrificandum; eumque cum ingenti triumpho per totam urbem circumducentes, ludibrii causa cantabant *Te Deum laudamus*, vel *Requiem æternam*, et ea multaque fœda et abominanda designabant. In templis et sacerdotum domibus nihil relinquebant integrum : libros et imagines omnes dilacerabant et exurebant, demptis profanis imaginibus, quibus ea hominum fæx paulo plus delectatur, quam Christi crucifixi aut sanctorum ejus. Monumenta omnia elevatiora perfregerunt, et in plerisque ossa recondita combusserunt. Ipsum quoque cadaver regis Francisci II, qui frater fuit Christianissimus æque Christianissimi regis Caroli, jam in Gallia regnantis, in æde Sanctæ-Crucis conditum combusserunt, animi crudelitatem in extinctum declarantes, quam in vivum non poterant. Is enim pius adolescens Aureliæ decesserat cum illic ageret consultandi causa, quibus rationibus regni sui calamitatibus posset mederi. Campanas et candelabra templorum bellissimi Calvinistæ in bombardas transformare instituerunt, valvas destruxerunt, libros exusserunt, atque templa deformarunt, ut speciem templorum amisisse viderentur, baptisteria cloacarum loco habuere, quasdam Ecclesias in cellaria mutarunt et armamentaria ». Et infra :

« Parochum S. Paterni, virum grandævum, puta septuagenarium, nolentem deserere oviculas suas, sed eas quotidianis sermonibus confirmantem, et de Dei benignitate ac misericordia bene sperare jubentem, cum post menses quatuor eis tandem proditus fuisset, captus et cuidam præsidi traditus est ». Paulo post : « Cum sic venerandum hunc parochum Calviniani captum tenerent, haud secus eum tractabant atque olim Christum satellites Herodis, illudentes et mendaciis studio effictis virum bonum onerantes ; inter alia etiam hoc illi affingentes, quod voluerit regem Christianissimum prodere, tum etiam quod adulterinos nummos cudisset. Hoc illis bonis viris sic visum tum fuit illi pio sacerdoti imponere, quod ipsi essent id temporis occupatissimi multifariis cudendis numismatibus ex illa præclara immanium sacrilegorum præda. Ad extremum liberam se illi abscedendi potestatem facturos dictabant, si abjurata religione Catholica ipsorum deterrimis paradoxis assentiret, atque ejus gratia crebro ad illum mittebant suos ministros, qui cum illo disputarent et eum everterent. Sed ille vir pius in Christo bene firmatus, quo plus ab illis molestiæ pertulit, eo factus est robustior et in Catholica fide constantior. Tandem multo etiam acrius eum infestare cœperunt, ut a fide deficeret, cumque interrogatus ab illis, velletne ab animi sui proposito discedere, prorsus pernegaret, optatiusque sibi esse diceret vitam perdere, quam vel suos parochianos deserere, vel tam nefarium illis de se exemplum præbere, suspendio eum adjudicarunt. Itaque ad illud supplicium proficiscens, inter eundum loquebatur de Christi Passione, orabat pro oviculis suis et pro urbe illa. Cum vero jam scalam ascendisset, multas fecit adhortationes ad dominos, ad illorum ministros, seu concionatores, et ad popu-

lum, ostenditque illis ipsorum adversus Deum, religionem et regem Christianissimum pessimi exempli rebellionem, simul Deum laudans pro hac ipsi collata gratia, quod posset pro fide occumbere, populumque admonens, ne cujuscumque periculi causa ab avita religione se abduci pateretur. Hac vero ejus dicendi libertate et constantia excanduerunt, tum domini quidam, tum concionatores Calviniani. Porro e plebe plerique ingemiscentes lachrymabantur, quod ille tam affecta ætate senex, ea animi fortitudine mortem exciperet religionis ergo. Ut autem Calviniani causæ suæ patrocinarentur, rursus per concionatorem quemdam eum compellarunt, si quidem a sua religione discedere vellet, licere ipsi incolumem abire. Verum illo talia impiorum hominum promissa fortiter contemnente, ab illis peremptus est.

147. « Postquam autem intra Aureliam nihil reliqui sibi fecerant Calvinistæ, in quod suam tyrannidem exercerent, præter cives Catholicos, quibus non parum infesti fuere, magno numero profecti sunt in pagos, ubi suo more templa egregie expilarunt. Quod si in illorum manus incidisset sacerdos aliquis illum ad equos suos alligatum cogebant post ipsos aliquandiu cursitare ; ea voluptate exsatiata ei oculos eruerunt, vel nares, et aures, et interdum etiam virilia præciderunt, ac postremo ad arborem alligatum bombardarum globulis confecerunt, quorumdam secarunt capita, aliis e facie cutem detraxerunt, et primores digitos amputarunt.

« Est vero et aliud quiddam ab eis designatum, plane tragicum et omnem vincens modum immanissimæ crudelitatis. Grandævus monachus ab illis interceptus est : huic primum virilia amputarunt, mox illa cocta illum edere compulerunt, inde vero mirifice eum excruciarunt, et adhuc spiranti ventriculum, seu stomachum e corpore evulserunt, perscrutaturi homines mortalium omnium perditissimi, ubinam illud edulium hæreret. Quid hac fœdissima barbarie, vel ab ipsis feris belluis, vel ab immanissimis Scytharum populis possit, atrocius, flagitiosius et ab omni humanitate remotius fieri? Hæc nimirum disciplina hauritur e scholis quinti Evangelii, cujus auctor Lutherus, insignis vero præter alios promotor Calvinus fuit.

« Vicina Aureliæ oppida Baugencium, Magdunum, Clerium, occuparunt : hoc autem, quod ibi Mariæ Virginis simulachrum magna religione undique invisebatur, penitus vastarunt : templum magnificentissimum, a Ludovico Galliæ rege hujus nominis XI sumptibus ingentibus exædificatum diruerunt, quemadmodum et ejusdem regis et Longavillanorum, ac multorum aliorum procerum sepulchra : sacrorum Romanæ religionis ministrorum domos a fundamentis everterunt, quæ suscepti a Calvinianis belli primitiæ fuerunt ». Et paulo post : « Templum, campanas, ut novis rebus nova nomina imponantur, et quæ sacris usibus dicata erant, ut populum ad antiquæ religionis ritus obeundos convocarent, ad eamdem evertendam et Christianorum cædes faciendas converterunt ».

148. Horum tumultuum seriem Hippolytus Ferrariensis cardinalis legatus Carolo Borromæo cardinali exposuit scribens [1] : Condæum principem Meldis profectum una cum copiis ad Parisiorum conspectum castra promovisse, ejusque terrore cives percitos in arma consurrexisse, illum vero ad pontem S. Clodoaldi pernoctasse, et ursisse iter versus Aureliam tanta celeritate, ut Streum a regina ac rege Navarræ proficisci jussum, ut eam urbem in regio obsequio confirmaret, anteverterit, Aureliam vero fuisse interceptam ab Andeloto (is erat Gallorum peditum tribunus) qui clam una cum servo peregrinantis instar irrepserat inita cum aliquot civibus conjuratione, adeo ut inductis in urbem sparsim militibus, portam, quæ ob has suspiciones clausa fuerat nec ullo præsidio munita erat, diffractis seris, aperuerit, per quam Condæus cum suis in urbem irruperit. Ingressum IV kalen. Aprilis Aureliam refert Belcarius, ac Streum memoratum Calvinistam proditione usum ; data enim sibi regia mandata Condæo aperuisse, ac lentius incessisse, ut redacta jam in rebellium potestatem urbe pervenerit. Porro ex pactione cum conjuratis civibus ab urbis direptione temperatum, furorem vero in Ecclesias et Ecclesiasticos impie effusum, Amiralium vero et alios proceres Huguenottos certatim Aureliam confluxisse.

Addit cardinalis legatus, occupata Aurelia [2], regiam Gallicam admodum fuisse perturbatam, cum Huguenotti regias litteras jussaque regia spreverint, jactarintque regem ac reginam alienæ servituti mancipatos, ad quos in libertatem vindicandas arma corripuerint. Reginam ac regem Navarræ pertentare Condæum ab aliorum rebellium fœdere divellere, vehementissimeque commotos esse in Castilioneos, qui harum omnium turbarum seditionumque auctores extiterint. Porro reginam, regem Navarræ ac principes Catholicos animis esse conjunctissimos ad regnum a vi et tyrannide horum seditiosorum vindicandum, ac si in meliorem statum res fuerint restitutæ, ministros impietatis, vel cogendos ut ad Concilium se conferant, vel e regno depellendos. Reginam civiles cædes vereri, ærarioque esse exhaustam. Missum heri Parisios magistrum equitum Montmorantium seniorem, cognita Condæi rebellione, atque ab eo multa gesta pro Catholica religione confirmanda. Conciones hæreticorum ab eo interdi-

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 44. — [2] Belc. Com. rer. Gall. l. XXIX. num. 39.

ctas, ministros Huguenottos pulsos, atque etiam ædes extra urbem, in quibus habitæ fuerant hæreticæ conciones, solo æquatas, cum maximo applausu, concursuque Parisiensium. Patronum et quæstorem Huguenottorum ab eo vinculis mancipatos. Quæ litteræ IV Aprilis MDLXII consignatæ. Interjectis quatuor diebus significatum, reginam misso episcopo Valentino niti perduelles revocare ad obsequium, sed eos adeo fastu turgidos, ut nullum adhuc responsum dederint. Parari in eos regia arma, atque reginæ animum mirifice angi, ne regnum summa rerum perturbatione confundatur, indeque oriri graviora incommoda, illustrarique ejus sententiæ veritatem : *Væ populo, cujus rex puer est.*

149. *Perfidia sua et feritate totum Galliæ regnum conturbant Calvinistæ, contra quos offerunt auxilia principes Christiani.* — Addidit legatus [1] in aliis medio Aprili ad Carolum Borromæum datis, postulatos de concordia perduelles Aurelianenses hæc capita concordiæ proposuisse, ut dux Guisius, magister equitum Monmorantius, ac regiorum castrorum præfectus S. Andræas a regia aula discedant, ut rex postremum edictum mense Januario confectum confirmet, utque ipsorum securitati caveatur, ne abjectis armis ab adversa parte Catholica lædantur, quibus responsum sit alienum esse a regia dignitate, ut benemeritos proceres a se repellat. Ad secundum, ad eos demulcendos reponsum, non esse regiæ mentis prius edictum retractare, verum noluisse se astringere, quin aliquando contraria edicta condere possit. Ad tertium respondisse eos venia donatum iri, ac ambas partes regio patrocinio tectas fore. Adjici etiam voluit eam legem regina, ut conciones Huguenottæ, nec in Parisiensi urbe, nec extra eam haberi possent, quia vero rebellioni eum fucum prætexuerant, regem ac reginam non esse compotes suæ libertatis, propterea regem ad confutandum mendacium insigni edicto contrarium promulgasse. At hæsisse in perfidia rebelles dicetur inferius.

Addit legatus, dum Galli imbuti Huguenotta hæresi in regem ac patriam perfidiæ et immanitatis tot exempla ederent, imperatorem Turcarum ac regem Algerii missis oratoribus muneribusque regiam amicitiam prensasse, ac Turcam inter alia humanitatis signa obtulisse cujusvis nationis captivos, quorum nomina rex dedisset, in libertatem vindicatum iri.

At Huguenotla factio [2] Turcica et barbarica immanitate efferatior, ut rite flagitia sua patrare, perfidiamque in regem, proditionem in cives, impietatem in res sacras jactitaret, nomine principis Condæi programma amplissimum promulgavit, quod Belcarius [3] tradit

[1] Belc. l. XXIX. p. 57. — [2] Ib. num. 50. — [3] Ib. p. 61.

XII kal. Maii consignatum, quo regia imperia jure sperni correptaque arma contendit, seditionumque invidiam in Guisium et Monmorantium avertit, cujus programmatis nefarii exemplar legatus ad cardinalem Borromæum transmisit, addiditque internuntium Pontificium a magistro equitum heri excitum fuisse, postulatumque nomine regio, ut Pontificia auxilia contra Huguenottos procuraret.

150. Subdit legatus cardinalis, dum hæc scriberentur, famam procrebuisse, Huguenottos novis conjurationibus in variis provinciis conflatis insignes urbes proditione [1] cepisse XXII kal. Maii, Rothomagum Normanniæ, Biturigasque Metropoles, Trecas in Campania, ac nonnulla alia oppida, ac ne Lugdunum interciperetur, formidatum, quanquam meliora ferantur, hisque nuntiis magis exasperatos Catholicorum principum animos, spemque concordiæ deletam ; valere impetu hostes, at cum regiæ copiæ collectæ fuerint oppressum iri, ni a regina Angliæ adjuti fuerint. Inter alias vero urbes captas a proditoribus recenset Belcarius [2] Andegavum, nonis Aprilis occupatum a Mesbretino, et arcem Pontis-Cei, sed a Monpenserio, civibus invitantibus, receptum Andegavum, atque a Pontis-Cei et Rupis-Fortis arcibus impios exturbatos. At in Delphinatu Huguenottos Valentiæ VII kal. Maii furori suo habenas effudisse, cæso Mottagondrino Guisii ducis legato, in quem summa perfidia exercitam sævitiam summam narrat Guillelmus Rossæus [3] :

« Mottegondrinus in Delphinatu præfectus generalis, quam barbare a Calvinistis occisus est, et ignominiose per totam Valentiam tractus, et deinceps ad fenestram domus suæ suspensus, postquam evangelica, hoc est, Sathanica fide omnem ei benignitatem fuissent polliciti, si se inermem eorum fidei vellet committere » ? Addit Hippolytus cardinalis in superioribus litteris, a Calvinianis Turnonium oppidum occupatum, arcem obsidione cinctam.

151. Inter tot adversa Philibertus dux Sabaudiæ præclarissimis officiis Galliæ regem complexus est. Refert enim cardinalis legatus memorato cardinali Borromæo, illum suas vires contra Huguenottos obtulisse, ac decem millia Italorum peditum et sexcentos equites adducturum, quorum tertiam partem tribus mensibus suis stipendiis sustentaret, atque etiam castrenses ultro labores pro salute regia ac dignitate toleraturum, seque religionis propugnandæ amore, tum affinitatis arctiore nexu studiisque permoveri, eaque officia regi principibusque Catholicis gratissima accidisse. Quæ litteræ prolixiores XIII cœptæ XXVIII Aprilis clausæ fuere.

[1] Belc. l. XXIX. p. 62. — [2] Ib. num. 44, 45. — [3] Guil. Rossæus p. 388. M. Pig. l. VI. c. 10.

Monuit idem legatus aliis [1] litteris XXVII Aprilis datis ad Pium Pontificem, reginam Catharinam sibi significasse, Rothomago et aliis urbibus occupatis ab hæreticis omnem concordiæ actionem abruptam, ac nisi eorum vis comprimatur, multas alias urbes arcesque in potestatem suam redacturos, necessariumque esse, ut ad tantum extinguendum incendium, cum de religione agatur, omnes principes Catholici vires conjungant, nam si validiora hæreticorum arma fuerint, alia regna ac provincias eodem incendio correptum iri, rogatumque ut Pontificiam sanctitatem ad conferenda auxilia interpellaret. Exposuit [2] causam numinis ac religionis agi; par esse, ut Pontifex cæteris principibus in tanta re præluceret exemplo, Sedemque Apostolicam misso pro defendendo Galliæ regno opportuno subsidio immortalem laudem collecturam, cum ipsa toties Gallorum armis a tyrannide hostium eam opprimentium fuerit vindicata.

Significatum internuntio a magistro equitum expeti intra tres menses trecenta millia nummum, ut stipendia expeditissimis copiis solverentur, citissimeque obruerentur hostes, antequam externos ad se pellicerent, honestiorem causam nunquam fuisse, nam si olim cruciatæ expeditiones maximis sumptibus pro comparandis novis regnis promotæ fuerint, non minoris esse gloriæ pares sumptus effundere pro partis retinendis; eos, qui opinabantur hæresim sanari armis non posse, jam mutare sententiam, postquam causæ religionis perduellionis causa conjuncta est, seque opinari, cum antea nisi extrema necessitate cogente stringenda arma non viderentur, nunc in iis optimum ac tutum remedium situm, si prompte ac fortiter (uti par est) expediantur; eo præsidio obstrictum iri regnum Gallicum Sedi Apostolicæ, tollendaque edicta, quæ imminuunt ejus auctoritatem, populosque in Pontificio obsequio confirmandos, etc. « XXVII Aprilis MDLXII ».

Egisse Pontificem in cardinalium senatu de conferendis Galliæ regno subsidiis adversus Calvinianos ostendunt Acta Consistorialia [3] his verbis :

152. « Die Lunæ XVIII Maii MDLXII, fuit Congregatio generalis, in qua Sanctitas Sua habuit verbum cum reverendissimis dominis cardinalibus de ferendis suppetiis regi Christianissimo Galliæ, et Catholicis illius regni, et fuit conclusum, ut mitteret aliquam summam pecuniarum solvendam quolibet mense ». Et mox :

« Die Mercurii XVII Maii MDLXII, Sanctissimus dominus noster fecit verbum super rebus Concilii Tridentini, quia oratores principum, præsertim Ferdinandi imperatoris electi, et Caroli Galliæ regis instabant, ut fieret aliqua prorogatio, et fuerunt deputati aliqui cardinales, et Capita Ordinum super modo ferendi suppetias Catholicis et regi Galliæ ».

Assensit legati precibus Pontifex, ac centum millia nummum dono regi contulit, alia centum millia mutui nomine dedit in militum stipendia distribuenda, longe plura daturus, nisi exhaustum a Paulo IV ærarium reperisset, sumptibusque pro sustentando Concilio Tridentino gravaretur; at pactionibus nonnullis difficillimis subsidia hæc implicuit, poposcit enim, ut Hospitalis regii scrinii magister, qui studuerat in condendo edicto Januarii Huguenottis, tanquam suspectæ fidei, munere removeretur, ut nonnullæ etiam matronæ hæresi infectæ e comitatu reginæ pellerentur, tum hæretici ex pactione concordiæ ad obsequium Ecclesiæ redire cogerentur, maximeque in Ecclesiasticos hæretica lue aspersos legibus ageretur : itaque cardinalis legatus [1] Pium Pontificem certiorem fecit, Hospitalem munere suo exauctorari non posse, nisi ob gravissimum crimen, maxime cum Catholicum se profiteretur et Sacramenta ritu Catholico exciperet; Castilionæos ex aula ita dimissos fuisse ex pactione a rege Catholico cum rege Navarræ confecta, ut eorum secessio non publice imperata, sed voluntaria visa sit : non posse omnes suspectos ex aula removeri, cum hæresis tam multos afflarit, ut pauci sint ejus labis omnino immunes, ac licet senatores Parisienses nuncupato sacramento fidem Catholicam omnes sint professi, non deesse tamen inter eos, qui ea suspicione laborarent; additam legem de non admittendis ad pactionem concordiæ hæreticis, nisi ab obsequium Romanæ Ecclesiæ revertantur; sat futurum, si conciones et sacramenta hæreticorum prohibeantur, vel adjici posse, ne pacisci de concordia possint, ni proceres Catholici in eumdem consensum iverint : hos vero his diebus perpenso regni statu in eam concurrisse sententiam, ut ministri Calviniani pellerentur e regno, et conciones eorum et ritus sacramentorum discrepantes a Romanæ Ecclesiæ ritu prohiberentur; Aurelianenses vero perduelles respuere concordiam omnem, nisi edictum Januarii instauretur, nec labefactetur, donec rex pubertatem attigerit, proceres vero Catholicos in ea sententia defixos, ne conciones vel sacramenta hæreticorum amplius tolerentur, atque ita concordiæ colloquium abruptum, regemque Navarræ in castra venisse. Quod ad cautiones de gerendo in hæreticos bello petitas attinet, ampliores dari non posse, quam quod rex Navarræ ad fundendum sanguinem paratus, instructusque armis in castris versetur.

153. Ineunte Maio redintegrata colloquia de

[1] Hippolyt. card. in lit. ad card. Borr. Ext. in Ms. sup. p. 67. — [2] Hippolyt. card. ad card. Borr. Ms. card. Spadæ sign. num. 31. p. 66. — [3] Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 354.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 97 et 124.

pace significavit cardinalis legatus Borromæo cardinali [1], ac principem Condæum obsignato sua manu scripto leges majoribus implicitas difficultatibus proposuisse, ut Guisius dux et Momorantius equitum magister discedant ex aula, ad quam redire non possint, nisi rex ad pubertatem pervenerit, ut edictum Januarii instauretur, nec revocari possit, nisi a rege pubere, vel decreto optimi Concilii, quæ omnes fraude et dolo conceptæ, cum earum interpretationem sibi reservent, indignæ prorsus visæ sunt. Verumtamen proceres Catholicos professos se ad repetendam domum paratissimos, quando urbes arcesque occupatæ in priorem statum restitutæ, atque ad regium obsequium fuerint revocatæ. De Januarii edicto instaurando difficultatem eam occurrere, quod regina conciones hæreticas, nec Parisiis, nec foris permitti velit; cum vero antea decretum esset judiciariam severitatem in perduelles Huguenottos distringendam, temperatum fuisse judiciorum ordini spe pacis. Interea improbam famam affluxisse Motam Gondrinum Guisii ducis in Delphinatu præfecti legatum trucidatum ab Huguenottis, qui Valentia et aliis oppidis potiti sint, atque etiam paulo post impetu et proditione Lugdunum interceptum prætoris inertia ac nimia in Huguenottos [2], quibus blandiebatur, indulgentia, tum Rothomagi sacras imagines contritas deletasque, eversa altaria, sacra ornamenta incensa, cum maximo religionis Catholicæ ludibrio, ad comprimendos vero impios Aumaliæ ducem in Normanniam missum, in Delphinatum vero Mongironum ejus provinciæ legatum a Guisio pronuntiatum, ac Tendæ comitis filium una cum provincialium copiis se illis conjungere jussum, necnon tria millia peditum, et quadringentos equites e Sabaudia exciri.

154. Addit legatus cardinalis tertia Maii, novum oratorem ab Angliæ regina submissum de exortis tumultibus reginæ Catharinæ condoluisse, seque interpretem pro redintegrandis concordiæ pactionibus obtulisse, eamdem vero pactionum formulam obtulisse quæ ab Aurelianensibus perduellibus transmissæ fuerant, ut perspicue pateat ipsam fœdere iis conjunctam, humanioribus tamen verbis profiteri, nolle eos tueri in eo casu, quo regiæ auctoritatis jugum excutiunt: Palatinum etiam comitem et lantgravium Hassiæ paribus verborum officiis reginam prosecutos, licet enim in causa religionis deesse Huguenottis non possint, ipsis tamen eorum perduellionem exosam esse. Ut vero ii ac Elisabetha Angliæ regina inania officiorum verba contrariis operibus dehonestarint, dicetur inferius. Subjungit cardinalis legatus Philippum regem Catholicum amplissima officia digna altitudine regiæ mentis reginæ detulisse, pollicitumque pro expeditione in Huguenottos conficienda triginta millia peditum equitumque sex millia Hispano sumptu sustentanda, aut nummaria subsidia pro eo militum numero explendo [1], aut partim copias partimque stipendia subministraturum Gallo regi pro asserenda religione, ac si Catholici proceres debitis præsidiis non fuerint adjuti, se omnes vires suas pro ferendis illis collocaturum, eoque nuntio reginam et Catholicos maxime recreatos. At eximia verba operibus non fuisse exæquata, suo loco dicetur. Porro superiores litteræ VIII Maii consignatæ sunt.

Medio Maio agitata sunt acriter colloquia pacis cum principe Condæo [2] atque Aurelianensibus, nam regina perturbationes regni, ac strages, urbiumque defectiones verita, decernere armis formidabat, tum quia ærario imparata erat, et Catholici ægre suas opes in id conferebant, atque in honestas pactiones Condæum pellicere omni arte nitebatur, hortabaturque ut sui honoris, et gradus, et sanguinis aviti, et amoris patriæ, utque ad eum cura conservandi regni proxime spectaret, meminisset; Condæi [3] vero sociis, ni redirent domum, judiciorum severitatem intentabat: ii vero polliciti sunt si Guisius et Monmorantius ex aula discesserint, reginam votorum futuram compotem, atque occupata loca brevi ad illius obsequium reditura. Inter hæc Hippolytus legatus die prima Junii reginam adiit, monuitque ut in sancienda concordia primum religionis causam constabiliret, tum regii decoris causa, tum quia inter subditos pax firma nunquam coitura foret, si Calvinistica superstitio in regno permitteretur: cum etiam tot principes regi vires suas obtulerint pro delendis adversariis, quorum auxiliorum fama perterriti ad concordiæ pactiones descenderant; regiam majestatem reputare animo debere, religionis res non ita compositum iri, ut in posterum tumultus omnes comprimendi sint, si voluntates atque præsidia principum aliquo alio occurrente casu a se abalienarit atque removerit; has vero rationes a regia majestate alte in animum demissas, significat cardinali Borromæo, atque ante omnia religionem confirmatam velle, utque prohibeantur conciones hæreticæ, neque sacramenta administrentur, nisi ritu Romanæ Ecclesiæ, utque ministri Huguenotti mittantur ad Concilium, aut saltem ad sex menses eorum conciones tollantur, quibus lapsis, in longius tempus abrogentur, maxime, cum nova præsidia ex Concilii progressu elici possint, et ut summatim dicatur, ostendere reginam ad illud colloquium se conferre optimis instructam consiliis, eoque pro-

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sign. num. 31. p. 74. — [2] Ib. p. 76.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 78. — [2] Ib. p. 82 et seqq. — [3] Ib. p. 88 et 90.

gressam, ut dixerit, ita negotium pertractaturam, ut si antea de ipsa sinistra aliqua suspicio fuerit concitata, eam omnem remotura sit, ac bonos omnes in hac concordiæ actione gaudio cumulatura. Addit legatus [1] se quoque collocutum cum regulo Carsii, qui ad castra a rege Navarræ missus est, ut eumdem regem hortetur, ut religionis res confirmatæ pacatæque maneant: hoc facinore eximio benevolentiam et gratiam Pontificis et regis Catholici piorumque Gallorum maxime ab eo collectum iri, atque hanc firmissimam esse basim, qua illius amplitudo fulcienda sit.

155. Insinuavit quoque legatus Borromæo cardinali, se quidem semper opinatum nulla ratione felicius exscindi posse radices hæreseos, quam armis, si valida ac prompta auxilia submitterentur; nam cum ex pactionibus concordiæ summum armorum imperium futurum sit penes regem Navarræ, sine difficultate leges ac mandata pro pacando hoc regno, atque asserenda religione Catholica expeditum iri : se quoque incubuisse in id, ut ex edicto Januarii arma e manibus Huguenottorum excutiantur, utque omnes officiales regii, senatores, ac judices, tum alii administri familiæ regiæ adscripti vel stipendiarii religionem, quam rex colit, profiteantur, quorum hominum numerus latissime vagatur, ita ut plures, ne præmiis atque honoribus aulicis mulctentur, pravas suas opiniones sint abjecturi, maxime cum rex Navarræ in cultu et flagrantissimo studio religionis Catholicæ constanter perstet, atque subditi insita propensione exemplum sui principis imitentur. Præterea episcopos, qui maximis damnis ob muneris sui incuriam affecti sunt, posthac majori studio ad informandos Catholica religione populos incubituros, deque divina gratia, quæ optima instituta sint promotura, bene sentiendum, ut hæc mala sine armorum vi et sanguinis effusione, a quibus regina maxime abhorret, sopienda putentur. Si vero hæc pacis actio constituatur, se muneri suo non defuturum addidit legatus, ut, cum venia universis qui arma adversus regem cepere, proponetur, ii qui Ecclesias evertere, sacras diffregere imagines atque immanissima alia sacrilegia patrarunt non includantur, in quos animadvertendi sententiam sibi stare significavit regina, nec opinari Condæum et proceres Huguenottos pro iis deprecaturos, imo illos judicum manibus tradituros, cum semper professi sint se ab iis sacrilegiis alienos; verum se non ita sentire, cum, si eos plecti legibus sineret, nimium eorum factio imminueretur. Se Pontificium Diploma [2] reginæ tradidisse, Pii in eam regnumque paternum studium verbis illustrasse, pariterque regi Navarræ aliud consignasse, atque significasse, quam alte Pontificiæ menti infixa sit cura ejus amplitudinis promovendæ.

« Catharinæ Francorum reginæ Christianissimæ viduæ.

156. « Cum in ea voluntate constantissime maneamus, quam semper professi sumus, subveniendi regno isti et periclitanti in eo religioni, sicut et officium postulat, et paternus erga te et regem natum tuum amor requirit, ad animum nostrum majestati tuæ commodius tali tempore declarandum certum hominem isthuc mittendum duximus. Itaque misimus dilectum hunc filium Vincentium abbatem Sancti Salvatoris intimum familiarem nostrum, cujus orationi super omnibus, quæ tibi nostro nomine referet, fidem sine ulla dubitatione majestas tua habere poterit, et ut habeat, rogamus. XII Junii MDLXII ».

Eodem argumento datæ fuere [1] litteræ Marco Antonio domino Sancti Andreæ regiorum castrorum in Gallia præfecto : « Quia, inquit, optime novimus, quam sis ipse inter alios fideles et devotos Ecclesiæ filios constans et acer regiæ majestatis defensor, et religionis Catholicæ propugnator ». Jussus etiam est internuntius adire regulum de Cars regii equestris Ordinis militem [2], ac facere eum certiorem, non defuturum Pontificem auxilio in tam acerbo tempore, ac simul declarare, quam grata esset Pio eximia ejusdem viri nobilis devotio. Extant eodem argumento ad Carolum Galliæ et Antonium Navarræ reges litteræ [3], quos certiores reddidit, se ad regni Gallici salutem et religionis in eo conservationem omni animi studio et cura incumbere. Extant insuper Pii Pontificis litteræ [4] tum datæ ad Franciscum ducem Guisium, quibus illum de eximio ac flagrantissimo asserendæ Catholicæ religionis studio commendat, hortaturque ad cæpta prosequenda, spemque in Deo collocandam :

« Nobili viro Francisco duci Guisiæ.

« Nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. In maxima et gravissima sollicitudine sumus, cognitis iis, quæ isthic per hos dies gesta sunt. Sed ut ea mœrorem nobis attulerunt, sic præstans virtus et singulare studium tuum erga Catholicam religionem non parum nos consolatur; in tali enim istius regni statu tantaque ipsius et Catholicæ fidei discrimine, fecisti quod pium Ecclesiæ filium, quod fidelem regi suo ducem, quod tali genere ortum decuit. Itaque laudamus admodum, quæ abs te acta sunt, tuisque piis consiliis et actionibus supremum auxilium affuturum esse minime dubitamus, etc ». Reliqua a Vincentio internuntio accepturum addit. « IX Junii MDLXII ».

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sign. num. 31. p. 91. — [2] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCLXXVI.

[1] Pius IV. to. II. brev. sign. 2897. Ep. CCLXXIV. — [2] Ibid. Ep. CCLXXV. — [3] Ib. Ep. CCLXXVII, CCLXXVIII. — [4] Ib. Ep. CCLXXX.

Commendatus quoque est a Pontifice ducis Monmorantii pius ardor ab eo ostensus pro sustinenda religionis causa adversus Calvinistas, ut subjectæ litteræ [1] demonstrant :

« Dilecto filio nobili viro Annæ duci de Memoransi regni Franciæ comestabili.

« Quam valde probaverimus ea, quæ a te suscepta atque acta sunt istius regni salutis et Catholicæ religionis causa, de quibus utrisque mos tuus semper fuit optime mereri, ex aliis litteris nostris intelligere potuisti : etsi autem ea quæ isthic postea secuta sunt, gravi animum nostrum mœrore conturbarunt, tamen gratias agimus Omnipotenti Deo, quod regno isti, præcipuo Ecclesiæ Catholicæ membro, et sanctæ fidei suæ tantum in tua singulari virtute, consilio, prudentia, magnitudine animi præsidium præparavit ; minime dubitantes quin ut piorum consiliorum et actionum tuarum auctor fuit, ita etiam adjutor futurus sit : hoc te ex litteris nostris cognoscere voluimus , etc. IX Junii MDLXIII ».

157. *Hugonotti a Tolosanis magna strage profligati : Montlucii laudes.* — Affluxerat interea Tolosa felix de Huguenottis proditoribus relatæ victoriæ fama [2], qui cum urbem in suam potestatem redigere niterentur, magna strage profligati nonnullorum finitimorum equitum regii ordinis opera atque auxilio fuere. Eluxit inter eos virtus militaris Blasii Monlucii, qui non procul ab urbe consedit, ut Huguenottorum accurrentium auxilia dissiparet. Tanti vero mali causa non levis fuit [3], quod juvenes, qui jurisprudentiæ operam dabant, ab impiis magistris hæresi polluti fuissent adeo, ut conflatæ ex iis quatuor cohortes prætorium occuparint, dimicarintque acerrime. Plures dies prælium tenuit, suorumque civium sanguine Tolosa adeo fœdata est ut quatuor millia cadaverum constrata sint, pluresque ædes exustæ, demum XVI kalen. Junii , quo festum Pentecostes celebrabatur, pactione militari, cum succumberent Huguenotti, sub noctem in voluntarium exilium concesserunt ; liberata civitas [4] nullum posthac hæreticum civem patitur ; Monlucius vero XV kal. Junii Huguenottorum templum magno Catholicorum triumpho evertit, uti Monmorantius Parisiis demolitus erat.

Ad tanti viri ornandam memoriam subjicimus Pontificis litteras [5], quibus flagrantissimum illius pietatis studium commendavit.

« Dilecto filio nobili viro domino de Monluc regii equestris Ordinis.

158. « Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum ex aliorum, tum in primis dilecti filii nostri Georgii tit. S. Laurentii in Lucina presbyteri cardinalis de Armeniaco litteris nuper cognovimus , quanto et quam acri studio religionis Catholicæ causam in ista, cui præes, religione defendas, quanta cura et diligentia hæreticæ pravitatis labem reprimere , et pristinum Christianæ fidei cultum ibi restituere coneris. Ista sunt vere Catholico viro digna opera, ista haud dubie divina sunt beneficia. Agimus Omnipotenti Deo gratias, qui tam præclaram tibi mentem dedit, et tuæ virtuti pietatique toto animo gratulamur, quod qui antea maximis et clarissimis regibus magna cum laude militasti, nunc ipsi Regi regum majore cum gloria militas, et Domini prælia præliaris, cujus supernum favorem tibi semper affuturum esse confide, quando ejus tu causam tam acriter fortiterque defendis. Scimus te non esse hortandum a nobis, ut perseveres facere quod cœpisti, quippe qui hortationem nostram non expectaris, sed tua sponte zelo divini honoris accensus sis. Nec vero magis incitare te ulla nostra posset oratio, quam facta recentia tam præclara debent accendere, tum charissimi in Christo filii nostri regis Navarræ, tum tot præstantissimorum regni Franciæ procerum. Omissa igitur hortatione, qua non eges, illud potius faciemus, ut pium istum et egregium animum tuum debitis in Domino laudibus prosequentes, significemus tibi, etsi semper te dilexerimus, tamen his tuis in religionem Catholicam meritis permultum accessisse ad pristinam erga te voluntatem benevolentiamque nostram, idque pluribus in rebus, cum in Domino poterimus, re ipsa declarare nos paratos fore. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XVIII Aprilis MDLXII, Pontif. nostri anno III ».

Prosequitur idem Monlucius in Commentariis suis res suas in hæreticos gestas, quas curiosus lector ex ipso cognoscet. Intermissum nos sermonem de aliis hæreticorum flagitiis repetamus.

159. *Impia Calvinismi facinora.* — Inter omnia summæ impietatis facinora id vel maxime deplorandum videtur, quod sacrosanctam Eucharistiam indignissime tractarunt [1], pedibus eam conculcantes , canibus projicientes, ignibus concremantes, et sclopetorum ictibus trajicientes. Quid autem hæc portendant, quave tandem ratione præpotens Deus has suas injurias, quas non ibi tantum, sed aliis etiam in Europæ locis perpessus est, ulturus sit, ipse novit, quem utinam mature agenda modis omnibus pœnitentia ita nobis reddamus propitium, ut avertatur ab ira furoris sui. Insani mortales non perpendunt illos æternæ gehennæ ignes, quibus in omnem æternitatem pro tantis sceleribus atrocissime cruciabuntur, ut interim sileamus præsentis vitæ ultiones acerbissimas.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCLXXXI. — [2] Ib. p. 96. — [3] Belcar. l. XXIX. num. 47, 48 et 49. — [4] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. — [5] Pius IV. tom. II. brev. sign. 2897. Ep. CCXXXII.

[1] Guil. Rossæus p. 351. Aurelian. de descr. Sur. in Com. p. 584.

Et quæ historia, vel Gallicana, vel Latina, sive a Catholicis, sive ab ipsis Calvinistis scripta non narrat eos hoc genere sacrilegii in omnes sanctos, [1] in omnes primos Gallicanæ Ecclesiæ episcopos et apostolos, nunc gloriose in cœlis triumphantes sæviisse? quorum corpora tantopere, ut prius explicavimus, a primis Christianis honorata, tam multorum bonorum nobis instrumenta, tantis a Deo miraculis illustrata non minus diligenter, quam vivos sacerdotes exquisierunt, et reperientes secunda morte, quantum in ipsis erat, una cum sacerdotibus eorum successoribus trucidarunt.

Notum est quod Lugduni fecerunt contra S. Ireneum veteres olim pagani; primum ejus episcopum Photinum virum Apostolicum occiderunt, et deinceps ejus aliorumque martyrum corpora combusta in Rhodanum fluvium sparserunt. Isti pagani Calvinistæ Photini successorem Irenæum exhumarunt et publice concremarunt, cineresque in præterfluentem Rhodanum projecerunt.

160. Quale erat suis temporibus Galliæ lumen et decus D. Hilarius episcopus Pictaviensis, qui etiamsi Arianos suos haberet hostes infestissimos, quos libris doctissime scriptis fortiter refutabat, tamen acerrimus Arianorum patronus Constantius imperator propter singularem sanctimoniam, propter mirabilem doctrinam, propter insignem gravitatem et mores episcopo Christiano dignissimos, ita eum revebatur, ut ab exilio revocaret, et suæ in Gallia Ecclesiæ Pictaviensi restitueret. At Ariani isti Calvinistæ ad [2] suum tribunal eum citantes, primum libros sua manu contra Arium exaratos, et cum iis alios quosdam vetustissimos, quos tanquam egregium et æternitate dignum monumentum huc usque Ecclesia Pictaviensis asservabat, flammis pronuntiant dignos, et incendio devovent, tum ipsum sancti corpus pari supplicio plectunt.

Jacebat eodem in loco Radegundis regina, quæ postquam cum Clotario filio magni Clodovæi primi Gallorum Christiani regis juxta veteres historias (etsi isti Epicuri suo Gaspari vel Condæo hunc honoris titulum tribuunt) sex annos in matrimonio vixerat, castissimam ex voto deinceps vitam egit, ædificataque ad honorem Christi et beatæ Virginis magnifica Basilica (quæ tamen populari sermone sanctæ Radegundis nomen obtinuit) in ea moriens conquievit. Cæterum istorum canum furorem non potuit evadere, qui vel odio castitatis quam professa est, vel amore loculi in quo condita est, et quod erat alicujus pretii, corpus evectum eodem cum reliquis judicio damnarunt, ut ignibus conflagraret, omniaque quæ in illa Ecclesia jacuerunt sanctorum corpora eodem cum sancto Hilario et hac castissima regina judicio perierunt. Sed inepte facio, qui unam vel alteram Ecclesiam, vel sancti Hilarii, vel sanctæ Radegundis ab istis impiis direptam et vastatam dico, quando omnes generaliter Pictavii Ecclesiæ eadem vastitate deformatæ sunt. Stulte sancti Hilarii libros incensos queror, quando in plurimis Galliæ provinciis magnas et optime instructas bibliothecas ab istis incendiariis, et juratis antiquitatis et primitivæ Ecclesiæ hostibus incensas fuisse constat.

Et quis miretur eos clarissimis illis et primis Ecclesiæ Gallicanæ doctoribus, tam fuisse infestos, qui nec ipsis Apostolis Domini, si uspiam in eorum, vel minutissimas partes incidebant, magis fuerunt propitii. *Et mox :* In oppido [1], quod sancti Joannis Angelici nomine vocatur, pars quædam capitis asservatur inclyti Præcursoris D. Joannis Baptistæ, quo nemo inter natos mulierum surrexit major, et quem ipse Salvator noster supra conditionem patriarcharum et prophetarum extollens, ipsis Angelis coæquaverat, a quo, et nomen huic urbi videtur impositum, et quem locum ad honorem Baptistæ sui multo pluribus miraculis illustraverat, quam quibus recens inventa Gervasii et Protasii martyrum corpora nobilitata fuisse narrat divus Ambrosius. Quid vero isti novatores [2], perinde nimirum ut decuit veros Calvinistas, hoc est, veros diabolos, quia martyres, et apostolos, et apostolis superiores, ipsumque Christum pari loco habent, post omnia hujus urbis templa spoliata et eversa, ut nec unum integrum relinqueretur, ablatum diligenter aurum, quo caput divi Joannis operiebatur, caput ipsum, vel partem potius (erat enim pars posterior, cujus anterior Ambiani debito cum honore servatur) postquam multis opprobriis et contumeliis, cum Herode et Herodiade affecissent, magna cæremonia medio foro pyram ingentem struentes, incenderunt; unico facto Herode et Herodiade, Judæis infestissimis divi Joannis hostibus et ipsis quoque Ethnicis truculentiores? Porro de capite S. Jo. consulat lector Rom. Martyrologium IV kal. Septembris.

161. Aurasiæ [3] in Provincia post ordinaria illa Calviniani Evangelismi facinora, disturbatas Ecclesias, eversa SS. monumenta, exusta corpora, et inter alia patronum et primum Apostolum suum sanctum Eutropium, et hujusmodi cætera, ad extremum scite formatam Christi crucifixi imaginem templo educunt, funibus alligatam imponunt asino, et per omnes plateas et compita perpetuis eam maledictis, et una continuis flagellis et verberibus afficientes circumducunt, et deinde non quidem in crucem

[1] Guil. Rossæus p. 352. — [2] Thenet. in Cosmog. l. XIV. c. 6. Pigl. l. VI. c. 11.

[1] Thenet. l. XIV. Cosmog. c. 4. — [2] Guill. Rossæus. — [3] Pigl. l. VI. c. 23.

egerunt, sed quod ejusdem erat immanitatis, projecerunt in ignem, quale quid contra Christum a Turcis capta Constantinopoli gestum fuisse, Christianorum historiæ prodiderunt.

Cæterum iidem impii in diœcesi Carnotensi [1] longe ultra hanc Aurasiæ, vel Aurangiorum, vel Turcarum immanitatem progressi sunt, qui in Ecclesiam quamdam ubi sacerdos divinum illud Christianorum sacrificium peragebat irrumpentes, proculcata suis pedibus sacra hostia, et effuso sanguine, calice loco matulæ abutentes , et sacerdotem ad urinam ebibendam compellentes, mox eumdem cum crucifixi Christi imagine arcte colligarunt, et Christum cum sacerdote plurimorum sclopetorum glandibus transfixerunt, quod facinus plusquam diabolicum a multis Evangelicis, aliis plerisque in locis factitatum. Utinam meminissent impii, quid ex sacrarum reliquiarum religiosa conservatione ad Christianos redeat utilitatis ! Quod eleganter explicat contra Gentiles divus Chrysostomus [2] : « Poterat », inquit ille, « Deus corpora sanctorum cum animabus in Cœlum transferre , at ille , qua est in humanum genus benignitate, inter alias, quas infinitas nobis salutis nostræ occasiones dedit, et hanc viam nobis a se munitam esse voluit, relictis apud nos sanctorum reliquiis, nam post sermonis facultatem ipsa sanctorum sepulchra proximum locum obtinent, ad animos hominum in sanctos intuentium ad virtutem earumdem æmulationem excitandos.

« Extant nunc, inquit ille, cum Babylæ cineribus compedes illius, Ecclesiarum præfectos omnes commonefacientes , quod vinciri, quod jugulari, quod quævis pati oporteat prompto atque alacri animo, ut concreditæ nobis libertatis, ne levissimam quidem partem prodamus, aut contaminemus ».

Neque vero hoc sancto pietatis Christianæ officio vitam [3], moresque tantum formari, sed fidem etiam vehementius accendi, pereleganter ostendit divus Ambrosius, dum paganis hanc Sanctorum venerationem astruit :

162. « Est notissimum, quam immani strage et incredibili carnificina perpetuo Calvinistæ non tam jugulaverint, quam laniaverint et discerpserint Catholicos, sed in primis, et maxime clerum in plerisque Galliæ civitatibus, ac plane in omnibus, quas suo dominatu occupabant, Aureliis, Vindocinii, Blæsis, Turonibus, Andegavis, Cœnomanis, Pictavii, Biturigibus, Engolismæ, Rothomagi, Lugduni, Catalauni juxta Ararim, Matisconæ, in majori parte Delphinatus ». Addit paucis interjectis :

« In primo tumultu si qui pastores docti pii et constantes Catholicæ fidei contra Calvinismum defensores in eorum manus incidebant, illi statim absque mora tanquam religionis Evangelicæ hostes occidebantur; si vero pastor aliquis lenitatis et moderationis nomine erat commendatus, qui contra Calvinismum nullum fortasse zelum et vehementiam ostenderat , manifeste tamen ad ejus approbationem adduci non poterat, et ille quoque non minus quam priores crudeliter jugulabatur, exclamantibus perpetuo ministris, quemadmodum a suo apostolo Farello dedicerant : Ho ! iste talis est diabolus candidus non minus quam reliqui e mundo tollendus ; atque ita, sive illis amice blandiamini, sive, ut par est, fortiter adversemini, nisi plane Christum cum illis abnegare velitis, capita vestra morti sunt devota.

« Traditur etiam fratres Calvinianos veros Gothos et Wandalos nulla tum injuria lacessitos commisisse strages horribiles, et volutasse se in sanguine miserorum sacerdotum, quos enecabant omnibus suppliciorum exquisitissimis generibus, quæ ab homine poterant excogitari, tum publice omnibus in locis protestatos, se bellum gerere cum monachis et sacerdotibus æternum et irreconciliabile ».

At non minus nobilitati ac juris dicundi administris, quam clero fuisse Calvinistas infensissimos, ministrosque in eorum ordinum eversorum ruinis suam potentiam excitare, tyrannidemque constabilire meditatos Guillelmus Rossæus declamavit :

« In primis, inquit, tumultibus, et ministri in Synodo Cabillonensi definierunt, et popularis factio, Beza etiam approbante, clamavit exterminandos esse e republica Christiana tres illas orbis terrarum pestes et quisquilias, Pontificiam Ecclesiam , nobilitatem et jurisprudentiam. Esse siquidem alienissimum a pura religione, ut in republica ista dignitatum gradus, et personarum ordines atque discrimina ponantur , cum Deus cunctos homines , uno rege dempto, pares esse voluerit; hacque illi persuasione ebrii, non minus tota Gallia nobilium procerum, ducum, principum insignia, quam Catholicæ Ecclesiæ sacramenta sanctorumque et Christi Servatoris imagines et memorias ubique destruebant ».

163. *Varia et irrita concordiæ tentamina cum Hugonottis.* — Subdit cardinalis legatus datis litteris ad Carolum Borromæum : Parisiis religionem Catholicam in dies constabiliri, promulgatoque edicto Huguenottos urbe pulsos adeo ut regia civitas ab hac peste omnino vindicata futura sit; at in aliis provinciis magnos esse belli civilis fragores : plura oppida urbesque invadi ab Huguenottis rabie efferatissimis, totque immanitatis exempla ab iis edi in Ecclesias, in imagines, in sepulchra, ut talia nunquam scripta vel audita fuerint, quæ calamitates maxime deplorandæ id tamen boni parere, ut plures tanta

[1] Launæus in replica Christiana l. II. c. 26. in Oppido Houdain. Guil. Rossæus p. 336. — [2] Chrysost. in lib. contra Gentiles. — [3] Bellefor. l. VI. c. 96. Guil. Rossæus p. 794.

atrocitate commoti Huguenottam sectam execrentur. Hoc meminisse alias a Pio Pontifice dictum, regnum Galliæ ob admissam novam hæresim gravissima passurum.

Lapsis aliquot diebus significavit Carolo cardinali Borromæo Ferrariensis legatus, principem Condæum, licet verbis ostenderit, nullo se majore desiderio affici, quam ut regiis mandatis pareat, tamen, ut demonstravit rex Navarræ, liberum non esse, nec posse agere quam quæ etiam capitibus rerum Huguenottorum, qui Aureliæ versantur, grata sint, atque adeo reginam pacem alia ratione tentare, ut Condæus secum Castilioneos, ipsa vero Catholicos proceres ad colloquium adducant.

Inter hæc, cum Parisiis maxima inquisitio fieret ad pellendos urbe Huguenottos, allatæ sunt ad senatum schedulæ quibus sollicitabantur, ut ordinem suum repurgarent, in quo viginti et amplius ea labe contaminati designabantur, præbendumque ab ipsis incorruptæ fidei exemplum. Latum est senatus-consultum [1], quo edictum Francisci I Meloduni editum instauratum est, ut magistratus regii tenerent articulos fidei tum propositos, qui modo vocantur in controversiam, ac secundum sensum Romanæ Ecclesiæ declarantur. Vocati fuere suspecti, ac moniti, ut si in eo ordine perstare vellent, sacramento se ad illud edictum servandum obstringerent, ac ita universi senatores sacramentum nuncuparunt. Eodem pariter sacramento solemni adacti omnes causarum patroni, procuratores atque justitiæ administri, absentes vero nisi idem sacramentum nuncuparint, suis muneribus mulctandi. In proxima vero Dominica senatus omnis solemni supplicationi, quæ instructo magnifice agmine religioso ducta est, interfuit, atque in Ecclesia S. Medardi, quæ præterita Hyeme ab Huguenottis impie prophanata fuerat, collocatum sanctissimum Eucharistiæ sacramentum summa religiosi cultus pompa, ut injuria, qua tunc conculcatum fuerat ab impiis, eo pietatis officio expiaretur; quæ omnia Hippolytus cardinalis legatus in litteris XIV Junii consignatis narrat, aitque rem gravissimi esse momenti, cum Parisii peste ita repurgentur, idque exemplum aliarum provinciarum senatus sequi possint. Addidit vero Catalaunum a Tavanio recuperatum, ac simul ab eo castra ad Matisconem mota, atque ita Huguenottos toto Burgundiæ ducatu brevi depulsum iri.

164. Porro memoratum [2] colloquium Condæi cum regina, iterum abruptum XV Junii significavit legatus cardinali Borromæo, quod diceret Condæus reginæ, maxime promotam tractationem societatis cum Protestantibus Confessionis Augustanæ, seque ad eam ministros adacturum: nec latebat legatum, Condæum opinatum, si Huguenotti se Confessioni Augustanæ adjunxissent, majorem ad se multitudinem pellecturos, quam suscepto Calvinismo, verum si jam fieret religionis permutatio, famæ potius detracturos, quam eam aucturos, ostensurosque non religionis causa id agi, vel in eorum secta nullam veritatem aut spem æternæ salutis inesse.

Scriptis aliis XXVI Junii significat, proceres Catholicos in castris bellum strenue urgere, nec tolerare velle ministros, vel conciones hæreticas, vel sacramenta ritu hæretico conferri, exercitumque eximie instructum esse, sed ad pendenda stipendia exinanito ærario, cum Huguenotti regia vectigalia ad se avertant, Pontificiam liberalitatem implorare.

Porro iterum propositas a Condæo concordiæ pactiones, Aurelianensis episcopi, et Albæspinæ, qui a secretis erat interpretum, a regina et rege Navarræ missorum opera, in primis, ut edictum Januarii instauretur, ut dissolutis exercitibus principes proceresque domum petant, rex Navarræ retineat exercitum, occupatæ urbes arcesque restituantur, Ecclesiastici suas Ecclesias et bona recuperent, atque arma utrique parti auferantur. Ad quæ proceres Catholici respondere, nunquam se reginæ ac regi consulturos, ut duas religiones permitterent; permissis concionibus hæreticis et sacramentis ab iis administratis continuos tumultus concitatum iri, ac si id ipsis concederetur, se quoque conjunctissimum fœdus Catholicorum confecturos, quod quanto damno verteretur Huguenottis, eos non latere.

Tentatis novis iterum colloquiis hæ pactiones a regina et rege Navarræ, ac sanctiore regio consilio consignatæ ostensæ sunt Aurelianensibus; edictum Januarii observatum iri omnino per singula capita, nec cuiquam religionis causa, sive quoad bona, sive quoad corpora molestiam exhibitum iri, tamen animadversum iri in interfectores Motæ-Gondrini: proceres Catholicos, Guisium, Monmorantium ac S. Andræanum ultro discessuros ex aula, si Aurelianenses fœderati abjiciant arma, et urbes occupatæ restituantur, ut edicta confecta conficiendaque mandentur operi, rex Navarræ, cum regis personam referat, tot tantasque copias contractas habeat atque expeditas quantas velit; quas pactiones si respuant Aurelianenses, omnia colloquia abrumpenda, culpamque omnem in eos refundendam regina asseruit, seque in Catholicorum principum castra translaturam, cum antea iis se non crederet, ut inter adversas partes Catholicas et Huguenottas interpretem ageret.

165. Post varios anfractus negotiorum [1] demum Aurelianenses regiæ potentiæ se impares rati, hanc concordiæ rationem iniere, ut prin-

[1] Ibid. p. 104. — [2] Ibid. p. 107.

[1] Pag. 114.

ceps Condæus procerum Huguenottorum nomine libellum supplicem regi ac reginæ offerret, quibus peteretur, ut rex illos libera frui conscientia sineret, nec eorum fortunas, aut personas vexaret, pollicitique sunt, mox atque Guisius, dux Monmorantius senior, magister equitum, atque S. Andreæ castrorum præfectus ex castris discesserint, regia omnia imperia se excepturos, rogaruntque Condæum principem, ut pro iis vadem obsidemque apud reginam regemque Navarræ se constitueret, nulla jam mentione edita retinendorum armorum, nec veniæ pro seditiosis petendæ, nec Edicti Januarii instaurandi, omnibus arbitrio reginæ ac regis Navarræ permissis, ut pro sua potestate omnia gerant. Quæ cum regina, rex Navarræ, ac Guisius, magister equitum, castrorum præfectus S. Andreanus, cum Albaspina qui a secretis erat, perpendissent, sanxere eas pactiones admittendas, atque ita conventum, ut princeps Condæus ad reginam se conferret, tresque memorati proceres castris atque aula se subducerent, datæque regiæ litteræ Aurelianensibus, et aliis, qui urbes arcesve occuparunt, ut sine mora domum sparsim se submoverent, nec plures ultra viginti simul incederent. Ita conceptæ egregiæ spes Huguenottorum exercitum dissipatum iri, castris regiis integris manentibus, occupatas arces receptum iri, Ecclesias ereptas restitutum iri, ac brevi dierum fluxu viribus Huguenottorum dissociatis, edictum optimum pro re Catholica instauranda promulgandum, atque in opus, stante regio exercitu sub imperio regis Navarræ, provocandum, maxime divulso a sociis Condæo principe, et in regis potestate constituto ; ac si proceres Huguenotti pacta servare detrectarint, proceres Catholicos redituros in castra, ac in eos leges exercituros, et occupatas arces in regis potestatem redacturos. Regina spe concordiæ lætissima Baugentium ad castra Catholicorum se contulit, ac Triumviri dignitati, regis et auctoritati, religionis causæ, et suo honori fecisse satis opinati ad explenda, quæ ipsi consuluerant, se compararunt, maxime cum nossent regem Navarræ [1] a rege Catholico regno Sardiniæ recentissime donatum Catholicæ religionis tuendæ studio ardere. Subdit legatus reginam, cum hujus pacis seriem regi significasset, rogasse, ut ipse legatus regem sociaret, et pactionibus confirmandis assisteret. « Ex Nemore Vicennarum XXVI Junii MDLXII ».

166. Non defuit Hyppolytus cardinalis muneri suo, reginamque hortatus est [2], ut religionis causam cæteris omnibus anteferret : quæ respondit, eam altissime regio cordi infixam hærere. Cæterum universus ille concordiæ apparatus perfidia Huguenottorum dissolutus est. Tres principes Catholici Guisius, Monmoratius senior et Santandreanus stato die pararunt discessionem e castris [1], ut Castellodonum octo leucis dissitum se reciperent, inde tamen non discessuri donec Aurelianenses conventa explessent, laudatique sunt a regina, quod generose pro regia dignitate, et regni statu, pacisque redintegratione non jussi, non rogati, sed sponte suo cessissent jure, pro divino honore, et religionis dignitate, et regni commodis, regioque obsequio cum Aurelianenses nullam concordiæ rationem voluissent admittere, nisi illi abiissent. Regem non minus ob voluntariam eam discessionem, quam ob alia maxima officia ab ipsis præstita devinctum [2], rogari tamen ipsos ne ita longius abscederent, ut pro rerum necessitate promptius revocari possent, ipsosque demonstrasse publica commoda privatis abs se anteferri. A discessuris etiam petierat rex Navarræ, an grata et accepta ipsis foret sponsio, qua se illis devinxerat arctissimo fœdere, pro tuendo divino honore, fide Catholica asserenda, propugnanda Romana Ecclesia, regis dignitate, libertateque regni vindicandis, ac illi responderunt, gratissimam eam sponsionem sibi accidisse, ac de honore sibi in ea re collato a rege Navarræ maxime obstrictos teneri. Itaque eodem die, scilicet XXVII Junii, discessisse castris scribit legatus cardinali Borromæo. At non eamdem parendi celeritatem fuisse in Condæo principe, non eadem hora, ut conventum erat, nec eodem ipso die accessisse ad reginam, sed die XXVIII Junii Baugentium, ubi regia castra consederant accessisse ; vigesima vero nona die Junii Castilionæos, Rupifulcaldium, et alios proceres Huguenottæ factionis venisse ad designatum locum, cui Tolosium nomen est, ut pacta ad exitum perducerent atque regia imperia de abjiciendis armis exciperent, qui pactionum leges mutatas volentes, postulavere a regina [3], ut conciones hæreticas atque sacramentorum administrationem ritu hæretico illis permitteret, nec alia ratione pacari eorum conscientias posse ; quæ cum regina præcise denegaret nec ab ea sententia dimoveri posset, preces eo convertere, ut data tuti et liberi commeatus syngrapha ac aliis necessariis muniti instructoque exercitu suo e regno exire possent, et qui redire vellent, suis fortunis fruerentur, donec rex pubertatem attigisset, ac tunc, si rex permiserit ut suo ritu vivant, redituros in Galliam, si vero permittere nolit, ut prædia sua possint divendere, ut perpetuo exteras regiones incolant, seque ad id permoveri jactabant, ut tumultuum occasiones abscindantur ; occupatas urbes ac regii ærarii interceptas opes restitutum iri. Hæc vero ficto et adverso animo dicebantur, ut reginæ crearent invidiam quasi ipsa regno ejectos vellet, abrumpendæque pacis occasio-

[1] Pag. 115. — [2] Pag. 127.

[1] Pag. 131. — [2] Pag. 132. — [3] Pag. 133.

nem aucuparentur, non enim, ut conventum fuerat, principem Condæum fidejussorem atque obsidem relinquere apud reginam voluerunt, objecta calumnia, fuisse agitata consilia de eo sequenti nocte trucidando vel mancipando vinculis, quantumvis regina illum secum reducere percuperet, regiamque fidem ac regium honorem de illo ipsorum manibus salvo et incolumi restituendo obligaret. Cæterum multis [1] visum non id ipsos opinatos, sed pertimuisse, ne Condæus reductus a regina et rege Navarræ persuaderi se sineret, ut damnata eorum societate Catholicis se conjungeret, quem factionis suæ ducem præoptabant. At regina illos diu hortata ut domi manerent, nec regno exirent, tandem consensit, ut pro tumultibus pacandis e regno discederent.

Admonuit mox reginam Navarræ rex, nulla ratione credendum ipsos regno velle discedere, nec eorum armatum agmen ab ulla provincia admissum iri; maximeque indoluit, principem Condæum obsidem reductum non fuisse mox atque ipsa Talsium pervenisset: mox adversus hostiles fraudes revocavit in castra Guisium, Monmorantium, ac Santandreanum, atque Helvetiorum et Germanorum auxiliares copias accersivit; patuit vero malus procerum Huguenottorum animus, cum Baugentium, ut erant polliciti, noluissent accedere, totque locis disposuissent insidias, ut Condæum, etiamsi cum regina redire voluisset, secum vi abducturi fuissent; ille vero datæ fidei servandæ admonitus fictis blandissimis verbis reginæ preces elusisse, se e regno exire constituisse asserens, ne tumultuum causæ illi posthac adscribantur, atque ita a Gaspare Colinio Aureliam revocatus, cum inani illa specie officii fidem exsolvisse putaret.

167. Damnatam posthac ab Huguenottis [2] proceribus omnis concordiæ mentionem, addit legatus, cum prætexerent illum fucum contumaciæ suæ, reginam nimirum moleste illos e regno depellere voluisse, suaque importuna petita interpretari rigida fuisse reginæ imperia, cum in eo colloquio nullum aliud imperium iis datum esset, quam ut vi supplicis libelli a Condæo principe eorum nomine porrecti arma deponerent, atque minutis agminibus omnes domos suas repeterent; at eos forte nunquam credidisse [3] Guisium, Monmorantium ac Santandreanum honoris sui ita futuros prodigos, ut regii obsequii gratia e castris essent discessuri, deceptosque sua opinione discindendæ concordiæ alios colores conquisivisse, ac jam perdendi regni et cædium patrandarum respectum omnem sibi abscidisse, obligatam reginæ fidem violasse, quæ se ab iis læsam reputet, ac modo perspicue agnoscat, eorum consilia alio quam ad religionem vel conscientiam spectare. Rebus Deo ac proceribus Catholicis commendatis Melodunum reversa est, ac declaravit eos veros fidosque regis clientes, qui arma pro illius dignitate gerant, se vero gravi errore lapsam, quæ Condæum obsidem non retinuerit, ipsosque conventa religiosius servasse qui Castelloduni expectarint, ut Aurelianensium exercitus dissolveretur, quam ipsa, quæ principem Condæum retinere debuisset, seque ex omnibus iis pacis colloquiis id tantummodo retulisse, quod Deo conscientiæque suæ fecisset satis, demonstrassetque universis, quanto subditorum filii regis servandorum, atque ab exitio imminenti, quod Deus avertat, vindicandorum studio arserit.

Reversis porro in castra regia Guisio, Monmorantio et Santandreano, summa lætitia non modo in reginæ vultu, verum in toto exercitu emicuit, adeo ut Catholici a morte ad vitam excitati viderentur quasi non duces, sed eorum conservatores ac parentes rediissent.

168. *Bellum instruitur contra hæreticos; urbes ab ipsis captæ plerumque recuperantur; rex Navarræ vulneratus pie et Catholice moritur.* — Secunda Julii Condæus princeps Huguenottum exercitum eduxit [1], ut regium Catholicum adoriretur, cumque tormentis et equitatu esset inferior, potius nocte quam die impetum facere moliebatur; rex tamen Navarræ cum auxiliares Germanos et Helvetios expectaret, contrahere pugnam noluit, sed Blæsas, ut commeatus illis intercluderet, obsedit, monuitque cardinalem Borromæum legatus, Catholicos victoria potituros si stipendia militi non defuerint, subsidiaque nummaria a Pontifice efflagitari. Deletos [2] exeunte Junio Arausicanos hæreticos, loca ab iis in comitatu Avenionensi capta recuperata, Parpaliamque perduellium signiferum captum, scripsit litteris Meloduni v Julii consignatis. Certiorem etiam fecit ex eodem loco viii Julii Pontificem, perfidia hæreticornm pacis spem sublatam; majore quam antea bello Galliæ regnum ardere. In aliis vero ad cardinalem Borromæum, eodem die viii Julii, viginti quinque millia nummorum in militares sumptus persoluta, atque a rege clientelam Avenionensis Comitatus et Sabaudiæ, si ab hæreticis infestetur, arreptum iri; nec rigide singulas leges a Pontifice dictas exigendas, cum omnes in religionis Catholicæ defensæ capita contineantur, cæterum Blæsas receptas [3], atque ex parte direptas, quantumvis victores principes Catholici servare victos niterentur, tamen ob rabida partium odia in nonnullos sævitum; mille equites instructos e Belgio venire subsidio, alios mille in Germania comparari, peditumque quatuor millia, præter Hispanos atque Italos, easque copias a rege

[1] Pag. 134. — [2] Pag. 135. — [3] Pag. 136.

[1] Pag. 137. — [2] Hag. 140. — [3] Pag. 148.

Catholico parere jussas, non tantum reginæ, sed etiam imperiis a rege Navarræ, Guisio, Monmorantio et Santandreano conjunctim datis, interea Condæi exercitum dilabentibus pluribus nobilibus Huguenottis minui, seque Aureliam subduxisse; fucatis mendaciis vocari ab iis reginam in odium, eamque publico programmate eorum perfidiam in luce collocare, ac redituris domum fortunas tutas, ac libertatem conscientiæ sine concionibus hæreticis sacramentorumque administratione permittere : tum et hostes insolescere, jactareque sibi auxiliares exercitus ex Anglia Germaniaque submitti, ad eos vero avertendos mitti oratorem in Germaniam, ut Protestantes a perduellibus juvandis deterreat, rogarique regem Catholicum, ut oratoris opera reginæ Angliæ denuntiet, se gravissima injuria violatum existimaturum, si auxilia Huguenottis perduellibus submiserit. Andelotum in Germaniam ad contrahendas copias ab hæreticis profectum, Subizam Lugdunum profectum ad eam urbem in perduellione confirmandam, Turonum urbem et alia oppida finitima a Catholicis recuperata, missas etiam copias ad Cœnomanum, Biturigas Pictaviumque recipienda, Duracii regulum Burdigalæ conjurationem conflasse ad eam intercipiendam, sed Catholicorum civium virtute disjectum, coactumque re infecta abscedere : Vasconiam sine dubio atrocius quam antea vexatum iri, cum regina Navarræ in eam provinciam se contulerit, quam fertur, pollicitam perduellibus Aurelianensibus quatuor millia peditum suo sumptu conducta sustentaturam. Condæum conqueri, reginam denegasse sibi beneficium edicti Januarii, quo concesso, omnes tumultus extincti fuissent, cumque illi insinuatum fuisset, non potuisse illud permittere, ne a se abalienaret tot Catholicos proceres, qui pro ipsa corripuerant arma, nec si concessisset observari potuisse, subjecisse, concessionem solam tunc optasse, deque observatione parum curasse : externa auxilia ab eo expectari, ac licet pestis serperet Aureliæ, malorum tamen patientia in hæresi magis obdurescere, jactareque se pro Dei causa et gloria arma tractare, nonnullosque ex Germanis stipendiariis, quos Roccandulphus duxit, atque ex Sabaudis subornasse, Germanosque monitos, Aurelianenses non pro Evangelio, uti gloriantur purgare, sed pro perduellione, longeque a Confessione Augustana abhorrere : Metenses, qui jam diu infecti erant hæresi, adjunctos ab iis, qui Parisiis pulsi in eam urbem se receperant, regium jugum excussisse, correptisque armis imagines et altaria Ecclesiarum diffregisse, ac maxima religionis Catholicæ offensione impietatis exempla edidisse, redegisse eam urbem in suam potestatem, pestemque latius in dies grassari, ac de industria in pluribus locis seditiones ad vires regias distrahendas concitari, solaque necessitate inhiberi duces Catholicos, ne omnia agenda conficiantur, ita ducem Aumaliæ Rothomagi oppugnatione ob virium inopiam abscessisse, edictum vero regium promulgandum, quo denuntietur eos, qui ex Aurelianensium castris non discesserint, perduellionis damnandos bonisque proscribendos, visum tamen postea a senatu Parisiensi edendum, atque in eo excipiendum principem Condæum quasi libertate non potiatur. « Ex Nemore Vicenarum XV Julii MDLXII ».

169. Interjectis quatuor diebus certiorem fecit legatus cardinalem Borromæum de obsidenda Aurelia, quamvis munitissima. Sumpta consilia Santandreanum mittendum ad recuperandum Lugdunum, cui Pedemontanæ copiæ duce Bordilione, et Germanicæ, et Hispanæ conjungendæ sint. Montispenserii ducem, non minus ardenti tuendæ religionis studio, quam regio sanguine clarum in Aquitaniam legari, concepta spe bonos ejus provinciæ residuos adhæsuros, atque in Huguenottos alacrius, quam duce Buria qui nimium iis indulgebat, consurrecturos. Vires ampliores duci Aumaliæ, ut Normaniæ res componat subministratum iri. Cardinalem Borbonium in Piccardiam amandari, ut eam provinciam in officio contineat, pariterque cardinalem Armeniacum Tolosam proficisci jussum, ut amplissimam eam urbem in regio obsequio et pio asserendæ religionis ardore foveat : ad Metenses vero ad obsequium regium revocandos prævolare jussum Monlucii reguli fratrem cum copiis pedestribus, in urbem quidem admissum regiam tueri auctoritatem, non tamen liberum omnino imperium exercere, et Cœnomanum receptum, atque Huguenottorum e captis locis diffugientium, tendentiumque Pictavium multitudinem cæsam a comite Villarso, ejusque urbis brevi recuperandæ spem affulgere; at a cardinale Granvella significatum in Germania magnas equestres pedestresque copias contrahi præsidio Huguenottorum accessuras : provinciæ cujusque senatum, majorem, quam par sit, sibi arrogare auctoritatem, quæ a rege pubere temperanda sit, cum quæ sunt juris regii, non senatorii, invadant. Senatum Parisiensem optimo quidem consilio ductum dedisse populis imperia, ut correptis armis Huguenottos invaderent, quæ a proceribus Catholicis non laudantur, cum grave periculum ea res trahat, ne privatas inimicitias fuco tuendi contra sacrilegos honoris ulciscantur, cum ipse rex [1], dum talia permittit, id semper addat, ut populi in ea re pareant ducibus a regina majestate ad id præfectis etc. « Ex nemore Vicenarum XIX Julii MDLXII ».

XXVIII Julii legatus certiorem reddidit cardinalem Borromæum, reginam Angliæ, quæ

[1] Pag. 101.

antea blandis verborum officiis pollicita erat, se pacem cum rege Galliæ religiose culturam, jam duodecim millia peditum latura Huguenottis subsidium instruere, regnique calamitates vehementer auctum iri, nam si Catholici ad comprimendos Huguenottos adeo ante desudarunt, quanto magis externorum adventu bellum ingravescet. Ad quæ pericula avertenda regina Catharina misso oratore reginam Elisabetham demulcere studeat, ut pacem promissam servet, urgeat vero regem Catholicum, ut promissa auxilia maturet, atque a Pontifice subsidia nummaria promissa efflagitet. At proceres[1] Catholicos expeditionem ad Pictavium expugnandum vi meditari, ni prius voluntaria deditione in arbitrium regium ditionemque venerit. Biturigum pariter expugnationem moliri, ut Aurelia auxiliorum spe nudetur : Helveticas Germanasque copias egregie instructas auxilio regio venisse, regem in castra adductum iri, ut suo comitatu ea magis confirmet perduellesque terreat, ne in eum gerant arma, seque regio lateri adhæsurum, ac Pontificium erga illud regnum studium paternum optimis officiis expliciturum. Mitti oratores, qui auxilia a duce Florentiæ et a Venetis in militum stipendia expetant. Tantam esse ærarii inopiam, ut omnis suppellex argentea regis, ac reginæ, et legati, procerumque Catholicorum ad cudendos nummos conflata ac percussa sit. Duracium prope Burdegalam quinque millia Huguenottorum trahentem, quorum pars maxima a Joanna regina Navarræ Aurelianensibus submittebatur, a Monlucio fuisse profligatum, circiter octingentis vel mille cæsis; reginam Catharinam ab Angliæ regina sollicitari, ut ad pacem Huguenottos admittat, operamque suam in ea re deferre, ejusque preces non respui, ne magis exasperetur, non tamen ferendam videri, ut interpretem atque arbitram dissidiorum inter regem Galliæ ejusque subditos perduelles se constituat. etc. « Ex Nemore Vicenarum XXVIII Julii MDLXII ».

Vindicatus est Burgundiæ ducatus ab hæreticorum impietate et grassationibus, Tavanii præfecti virtute, qui flagrantissimo pietatis studio religionem in ea provincia asseruit, cui subjectis litteris[2] actæ a Pontifice gratiæ :

« Dilecto filio nobili viro de Tavanes, præfecto regio ducatus Burgundiæ.

« In maxima sollicitudine, diurnisque et nocturnis curis, quibus afficimur ex istius regni, præstantissimi Ecclesiæ membri, gravissimis calamitatibus et nefariis hæreticorum conatibus, non parum consolatur et recreat nos cum aliorum multorum nobilium virorum Catholicæ religionis defensorum, et regi suo fidelium præstans constansque devotio, tum eximia pietas et insignis fides nobilitatis tuæ ; multorum enim litteris certiores facti sumus, egregiam isthic abs te operam navari adversus regni istius et Christianæ simul religionis hostes, quo nomine magnam et a nobis et a bonis omnibus laudem mereris ; uno enim eodemque tempore, et de rege tuo optime mereris, dum tam nobilem regni partem defendis et tueris, et de orthodoxa fide et sanctis Dei Ecclesiis, et sacerdotibus, dum hæreticis tam fortiter obsistis veneno suarum pestiferarum hæresum provinciam istam corrumpere, Ecclesias et monasteria diripere, et sacerdotes spoliare atque exterminare conantibus. Facis quod Catholicum et pium virum, quod regi suo fidum ac devotum decet : habebis pro pietate et meritis istis Deum ipsum semper propitium, a quo maximam scilicet piorum laborum tuorum mercedem accipies. Sed sperare et confidere debes nec a rege quidem tam fideli et bene de se merito ministro debitum esse suo tempore honorem et præmium defuturum. Ejus nunc teneram ætatem seditiosi homines et hæretici contemnunt, sed Christianissimis Francorum regibus supernum semper auxilium adfuit, sicut multis exemplis gravissimis aliis illius regni temporibus perspectum est. Adolescet, Deo favente, rex, et dignis præmiis atque honoribus eos, quorum fidem et devotionem expertus fuerit, remunerabitur. Nos quidem, qui paterno ipsum regem amore complexi sumus, nec minus de salute regni ejus, quam de nostris et sanctæ Romanæ Ecclesiæ rebus laboramus, ob tua ista officia et merita non parum tibi obstrictos esse sentimus. IV Augusti MDLXII, anno III ».

170. Expulit dux egregius[1] Ponsenacum Montiscono, et Monbrunum Cabillone, quas urbes hæretici interceperant, et castra ad Lugdunum, ut diximus, a proditoribus occupatum defixit; jamque de potiunda urbe multis civibus ad se pertractis spem certam conceperat, cum veniente Nemorensi regulo, invidiæ furiis exagitatus, ne captæ urbis gloria æmulo adscriberetur, improbe e castris discessit, remque Catholicam sua ope destitutam affixit : ita Lugduni recipiendi occasio tunc amissa. Valentia tamen, Romanum, et alia oppida a Nemorensi regulo opera Adresii Calviniani, qui ad regias partes rediit, in regis potestatem redacta fuerunt. Kal. Septembris[2] dum ad obsidendam Aureliam bellicus instruitur apparatus, Castilio amiralius ac alii proceres perduellionis socii a senatu Parisiensi judiciario decreto proscripti sunt; non tamen ad Aureliam, sed ad Biturigum urbem versa est belli moles sub finem Augusti, qua paulo post deditione recepta, inde ad Rothomagum, omissa Aurelia, mota castra, ne

[1] Pag. 166. — [2] Pius IV. tom. II. brev. sign. num. 2897. Ep. CCLXXXVI.

[1] Belcar. l. XXIX. num. 46. — [2] Ib. num. 52, 53.

Angli, quos Calviniani Gallici nominis proditores exciverant, atque in portus Gratiæ Dieppæ maritimarum aliquot urbium possessionem flagitio induxerant, provinciæ etiam metropoli potirentur, tamque valida impressione Rothomagi urbs ab Antonio rege Navarræ est oppugnata, ut Calviniani inde migrare, aut se dedere compulsi sint; at dum in fossa per tormenta bellica rem urget Navarrus, ac negligentius sibi prospicit, glande plumbea in sinistro humero transfixus est quo saucius ictu, cum urbem expugnatam in lecto composito instar quadrigæ victor intrasset, per triumphum, ut lepide scribit Dondinus [1], prolusit funeri : quo pariter fructus tot laborum, possessa simul et sperata regna sublata sunt, maximo quidem Catholicarum partium incommodo. Urbem ubi intravit, Augustinus Marloratus Calvinianus minister ac nonnulli perduellionis signiferi supplicium capite luerunt, Mongomerius vero magnas Catholicorum facturus strages fuga evasit. Exasperato vero regis Navarræ vulnere, ex eo pius rex XV kal. Octob. trigesimo quinto a vulnere die, dum ad Fanum-Mauri adverso Sequanæ flumine navigat, Andelii quadragesimo secundo ætatis anno expiravit; « cum paulo ante », inquit Belcarius, « Romano ritu Eucharistiam recepisset ».

171. *Regis Navarræ mors maximam cladem affert Franciæ et Navarræ; cardinalis Borbonius tutor regni designatur.* — Consecutæ illius mortem maxime in Gallia et Navarra clades fuerunt, quæ nunquam satis a piis hominibus comploratæ Pontifici Maximo gravem intulerunt mœrorem, quem datis ad reginam Galliarum subjectis litteris [2] exprompsit :

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Catherinæ Francorum reginæ Christianissimæ viduæ.

« Obitus claræ memoriæ Antonii regis Navarræ animum nostrum dolore non parvo conturbavit, nam et sincera eum charitate dileximus, et incommodo charissimi in Christo filii nostri regis Christianissimi nati tui doluimus, quod consanguineum regem et tutorem tali tempore amiserit, cum auctoritate maxime præditum, tum de se et regno ipso optime merentem ; dilecto autem filio nostro Carolo Borbonio fratre ejus continuo, sicut decuit, in ipsius locum tutore, sicut accepimus, assumpto, gratias egimus omnipotenti Deo, quod damnum, quod illius morte factum est, hujus successione sartum fuit; etenim præter summam hominis ejus nobilitatem et dignitatem, ea illum pietate, fide, probitate præditum novimus, ut Christianissimo eum regi, non fidem solum tutoris et diligentiam, sed patris etiam charitatem ac sollicitudinem præstiturum esse, certum habeamus; quod cum ita factum esse summopere gavisi sumus, charissimi filii nostri causa in quo maximam curarum nostrarum partem fixam habemus, declarare hac de re lætitiam animi nostri majestati tuæ, pro paterno erga te et natum tuum regem amore, voluimus, omnipotentem Deum toto ex corde precantes, ut qui regnum istud respicere cœpit, secundiores in dies res vobis accedere, et gaudia nostra augere, ipsumque regem, quem majorum suorum pietati ac virtuti responsurum esse confidimus, gratia et protectione sua tueri et custodire dignetur. VII Decembris MDLXII, anno III ».

172. Tanti regis gloriam obscurare nititur deterrima calumnia Jacobus Augustus Thuanus[1] Calvinianorum mendaciis quod medico Calviniano moriturus dixerit, se, si convalesceret, Confessionem Augustanam palam amplexurum, in eaque victurum ac moriturum, cum tamen a religioso viro Ord. Prædicatorum, atque a cardinali de Borbonio fratre ad piam mortem fuerit comparatus.

Diluuntur insuper calumniæ hæreticorum aspersæ ejusdem regis Navarræ pietati insignibus Hippolyti cardinalis Ferrariensis legati testimoniis in litteris datis ad Carolum Borromæum cardinalem III Martii MDLXII ; refert enim, cum in sanctiore consilio ageretur de episcopis, senatoribus regiisque administris ad profitendam fidem Catholicam nuncupato rite sacramento adigendis, id laudatum fuisse tanquam admodum utile, ac regem Navarræ adjecisse, si in Gallia sacra fidei censura exercita fuisset accurate, ut in aliquibus aliis locis exerceretur, nunquam Huguenottam hæresim ad tantum incrementum provehendam fuisse : at cardinalem Castilionæum opposuisse illi, qui consuleret sacræ Inquisitionis tribunalia constitui in Gallia, charam non futuram salutem istius regni : tum vero Navarræ regem subiratum acerbioribus et aculeatis verbis subjecisse, longe sibi quam illi istius regni salutem dignitatemque chariorem ob locum, quem in eo teneret, ac tum cardinalem Castilionæum obmutuisse, regem vero ardentibus verbis contemptuque plenis eumdem repupugisse. Ex quibus perspicue efflorescit regem Navarræ animo sincero fidem Catholicam defendisse, pro qua vitam fudit : Castilionæum vero cardinalem nequissimi apostatæ Judæ fuisse socium : de quo etiam scripsit idem legatus, illum maximo Catholicorum offendiculo ad castra hæreticorum se contulisse.

Testatur insuper aliis litteris [2] eo die regem Navarræ Parisiis maxima procerum Catholico-

[1] Id. l. XXX. num. 2. Gul. Dond. l. I. de rebus in Gallia gestis ab Alex. Farnesio. Eod. num. 2. — [2] Pius IV. to. II. brev. sign. 2897. Ep. CCCVIII.

[1] Jac. Aug. Thuan. l. XXXIII. Lit. car. Ferr. ad Carol. Borrom. Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 30. — [2] Ext. ib. p. 41.

rum multitudine circumfusum, se ad Ecclesiam, ut sacro interesset, contulisse, atque omnium Catholicorum animos gaudio complevisse, quod palam ac publice Catholicum se profiteretur, rebellante Condæo fratre se Catholicis pro asserenda religione orthodoxa conjunxisse. Cumque regina Navarræ e regia Gallica discessura esset, hortataque esset Henricum filium Navarræ principem [1], ne Missæ sacrificio interesset, eoque esset progressa, ut ni maternis jussis obtemperaret, se ipsum filii loco non habituram, ac regni hæreditate ejecturam minaretur, regem Navarræ eumdem principem penes se retinuisse, atque doctrina Catholica imbuendum tradidisse, in ea sententia defixum, ut una cum rege Galliæ in fide Catholica educeretur. Testatur pariter in aliis [2] ad eumdem Carolum Borromæum datis, secunda Junii hujus anni, Navarræ regem una cum regina Catharina Meldis die Festo Corporis Domini solemnem supplicationem, quæ instructo agmine religioso celebrata est ritu Catholico, sua præsentia cohonestasse, ringentibus hæreticis, quibus ea civitas jam diu infecta est, ac summa lætitia perfusis Catholicis. Datis etiam tertia Junii litteris [3] cardinali Borromæo significavit, Navarræ regem flagrantissimo ardere studio religionis Catholicæ, ac si Condæus et proceres Huguenotti pactiones concordiæ admiserint, ab eo religionem deleta hæresi in regno Galliæ redintegratum iri. In litteris [4] etiam ad Pium IV datis regem Navarræ, nec conciones, nec Sacramenta hæreticorum tolerari velle, atque ad mortem pro causa religionis oppetendam paratum; itemque in aliis [5] ad Carolum Borromæum exaratis, aiebat illum bellicos labores abscisso omni sanguinis fraterni respectu pro divino cultu, regis obsequio, suoque honore, pio ardore suscepisse. Die etiam XXVII Junii [6] fœdus initum pro tuendo divino honore, asserenda fide Catholica, propugnandaque Romana Ecclesia, regisque Caroli dignitate vindicanda, cum Guisio, Monmorantio et Santandræano instauratum.

Deridetur is rex a Jacobo Augusto Thuano [7], quod citeriorum malorum Sardiniæ spe illudi se ab Hispanis siverit, quæ ludibria ex hæreticorum in eum furentium satyris hausit, et inique repetivit. Constat [8] autem illusum non fuisse regem Navarræ, sed revera Pontificiarum precum vi apud Catholicum regem, de quo Hippolyti cardinalis legati extant plures litteræ, post multas tractationes arcanas Sardiniæ regno donatum, donec aliud regnum æquæ amplitudinis et parium opum recepisset, tantumque usum portuum ejus insulæ sibi necessitatis tempore reservasse Hispanos, donatum vero ac potitum regno, non compensationis gratia, sed ut illi ob eximia de re Catholica merita gratificaretur, concepta certa spe ab eo Galliæ regnum a peste hæreticorum vindicatum iri [1], ingentique lætitia regem Navarræ ex felici nuntio fuisse perfusum, quæ omnia cardinalis legatus Carolo Borromæo nepoti Pontificio XXVI Junii MDLXII significavit. At si morte inopina interceptus regno Sardiniæ caruit, terrenum regnum cum cœlesti defensæ fidei causa extinctus commutavit. Eo extincto, cum mox tutela Gallorum regis Carolo cardinali Borbonio delata fuisset, quam princeps Condæus inique exambiebat, Pontifex illum ad id munus strenue administrandum his litteris [2] hortatus est :

« Dilecto filio Carolo Tit. S. Chrysogoni presbytero cardinali de Borbonio vocato.

173. « Magnum admodum hujus jacturæ solatium habemus, quod tu, qui tam nobile S.R.E. membrum es, in locum fratris tui tutor ejusdem Christianissimi regis, sicut accepimus, successisti : etenim præclarum tuum in fidem Catholicam et hanc sanctam Sedem zelum perspectum habemus et plane cognitum, teque non modo tutoris fidem, sed etiam parentis sollicitudinem et charitatem eidem regi præstiturum esse scimus; tua denique auctoritate, tuisque prudentissimis consiliis res istius regni, et sanctæ in eo religionis commodiore in dies loco futuras esse, Deo adjuvante confidimus. En occasionem præclaram habes, dilecte fili, præstantis animi et singularis virtutis, atque probitatis tuæ declarandæ, et cum de fide ac religione, tum etiam de regno isto omnium nobilissimo atque amplissimo optime summa tua cum laude gloriaque merendi, etc. X Decembris MDLXII, anno III ».

Ex morte regis Navarræ Lotharingus cardinalis [3] gravissimum dolorem hausit. Porro legati cardinales ad eum solandum convenere, ac de relicti ejus filii Henrici circiter octennis educatione significarunt, gravissime ipsos angi, quod a matre hæretica et magistro conformandorum morum Hugonotta hæresi imbueretur; rogaruntque quo remedio Pontifex huic malo providere posset, quibus a Lotharingo responsum est, pertractandam rem cum Catharina regina Galliæ, apud quam is princeps versatur, et cum Carolo Borbonio cardinale ejusdem patruo, ut religionis Catholicæ ritibus piisque moribus informetur.

174. *Guisius præclaram de Hugonottis victoriam reportat prope oppidum Druidum.* — Extincto, ut diximus, Navarræ rege [4] bellum majore armorum fragore ardoreque animorum gestum est, Calvinianorumque odium et sævitia

[1] Ib. p. 47. — [2] Ib. p. 88. — [3] Ib. p. 92. — [4] Ib. p. 99. — [5] Ib. p. 105. — [6] Ib. p. 132. — [7] Jac. Aug. Thuan. — [8] Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 113.

[1] Pag. 116. — [2] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCXI. — [3] Lit. card. leg. ad card. Borrom. Ext. in card. Barb. sign. num. 1344. ibid. Ep. DCXCII. VII Decemb. ibid. num. 3. — [4] Belcar. l. XXX. num. 2.

in Catholicos tanta fuit, ut Gallicorum morum suavitatem inducta hæresi in tigridum naturam mutasse viderentur.

Hinc Condæus Baptistam Supinum Parisiensem senatorem, ac Joannem Trecensem abbatem Gastinensem, regios oratores in Hispaniam proficiscentes, in via interceptos IV nonas Novembris Aureliæ strangulari jussit, concessi sibi a rege vitæ beneficii immemor; hinc apud Fanum-Angeli Jarnacum, qui in Ecclesiæ gremium exuto Calvinismo se receperat, personati trucidarunt, qua injuria cujus frater Rupellæ præfectus exasperatus commode, licet Calvinianus, urbem in regia fide continuit contra Rupifocaldii insidias, nec multo post Monpenserius eam urbem firmavit præsidio, aque imperavit, ut nulla alia ibi religio præter Catholicam coleretur, cum antea tertia civium pars ad Calvinismum defecisset. At Rupifucaldius Rupella propulsatus in pontem Santonicum signa reflexit, quod kal. Octobris cepit impressione hostili, dein se convertit ad Fanunm Angeli, paulo ante receptum a Catholicis, Richeliique virtute repulsus, cum Duracii copias a Monlucio fusas intellexisset, relicta Sanctonum provincia Aureliam se contulit, adeo ut Calviniani tota provincia aufugerint, ac Nogaretus, qui Talleburgum obsederat, primariam Santonum urbem, nemine resistente ingressus, Calvinianos male mulctavit. In Pictonibus etiam Calviniani fusi a Catholicis centies mille argenti pondo, quod ex Ecclesiarum direptione redegerant, amiserunt. Pictavium vero a Santandreano Marescallo, quod Calviniani post Vassianum tumultum occuparant, et sacras ædes expilarant, recepto Grandimontano, recuperatum est, cum inductis in arcem militibus Calvinianos tanto terrore complevisset, ut noctu relicta urbe profugerint, qua pacata provincia, Lutetiam mox revertit, ut Germanorum Protestantium exercitui in Condæi et Calvinianorum auxilium venienti se opponeret.

Elicuerat Condæus [1] hunc auxiliarem exercitum a Lutheranis insigni fraude, cum misso oratore Jacobo Spifamio, olim episcopo Nivernensi, atque infami apostata fidei ac regni Gallici proditore, finxisset se Caroli regis et Catharinæ reginæ jussu arma cepisse ad eos e Guisii ducis potestate [2] ac servitute vindicandos, quo argumento nefarius ille impostor consutam mendaciis orationem apud Germanos principes Francofurti habuit [3], atque inter alia effutivit, articulum de cœna Domini leviorem esse, quam multi existiment, sed quorumdam ambitione [4] et moribus in immensum exaggerari, constare enim utramque partem, idem religionis fundamentum, ac Sacramenti cœnæ fructum, finem et effectus eosdem constituere: tanta fuit perditissimi hominis impietas atque impudentia. Pari impudentia hæc addidit: « Extant litteræ ipsius reginæ manu scriptæ, quæ de principis Condæi erga regem et ipsam meritis testimonia ferant, quibusque se ei et liberos commendat, polliceturque regem officiorum ejus memorem fore: aliis litteris jubet, ne prius arma deponat, quam ab adversariis posita videat. Præcepit enim amiralio Subizæ, aliisque regii ordinis equitibus, ut una cum Condæo regem juvarent, quo facilius Guisanam conjurationem opprimere posset ». Detortæ nimirum erant in alienum sensum eæ litteræ [1], quas regina ad Condæum et alios conjuratos mulcendos, dum de pace ageretur, scripserat. Has vero imposturas Condæo plurimum profuisse ad auxiliarem exercitum proliciendum e Germania, narrat Belcarius, quem VI idus Octobris ad Bacaram in Germania ab Andeloto recensitum ait, ac VI idus Novembris Calvinianum exercitum Aurelia egressum se illi conjunxisse. Vertere illi primos impetus in Pluvierum, quo deditione accepto, dimisere milites ea lege, ne unquam ferrent arma in Calvinianos, at sacerdotes omnes trucidarunt. IV kal. Decem. Condæus ad vicos Lutetiæ vicinos castra defixit, dein XVII kal. Januarii Galardonem oppidum vi cepit, ac pro eo, quo in Christum furebat odio, omnes Christi ministros contrucidavit, cum non paucos e suis amisisset. At regius exercitus XV kal. Januarii Druidum urbem perveniens, sine strepitu tubarum ac tympanorum fluvium trajecit duobus equitum millibus, peditum octodecim constans, atque castra hostilibus castris contulit. Superior erat equitatu Condæus, ut qui sex millia equitum haberet, ac peditatu inferior. Commissa pugna, fusi Monmorantiani equites a Calvinianis, fugatique falsum Calvinianæ victoriæ nuntium Parisiis intulerunt, ac Monmorantius ipse a Castilione nepote ingratissimo captus sauciatusque Aureliam abducitur. At Guisanus cum cætero equitatu in hostes ad spolia properantes invectus, eos delevit: Germanos mille quingentos in deditionem recepit, inde in Condæum irruit, qui vulnerato equo, dum alium conscendere nititur, a Danvilla captus est, cæteri Germani Gallique in fugam hostili impetu irruentes se conjecerunt. Dum victoriam persequitur Sanctandreanus, Marescallus paucioribus stipatus capitur, cumque deduceretur, Castilionis amiralii jussu perfide in caput ictus, quam perfidiam Calvinianorum atque immanitatem Jacobus Augustus Thuanus [2] longioris orationis ambagibus extenuare nititur. Non ita dux Guisius [3] in Condæum se gessit, quem omnibus humanitatis officiis complexus est, licet Anglis Germanisque in auxilium accersitis conjurasset

[1] Belcar. l. XXIX. num. 5. — [2] Ext. ib. num. 54 et seqq. — [3] Ib. num. 56. — [4] Ib. num. 59.

[1] Belcar. l. XXX. num. 4. — [2] Jac. Aug. Thuan. — [3] Num. 9.

in regem, regios oratores strangulasset, tot sacerdotes contrucidasset, tyrannidemque tot captis urbibus, Galliaque cædibus et incendiis fœdata affectasset. Hisce Galliæ tumultibus auditis Tridentini Patres solemni ritu preces Deo fundendas decrevere, ut victoriam de impiis conferret; cum autem juxta Prophetam *Præparationem cordis eorum audivit auris tua,* eodem die XXVIII Decembris, qui solemni supplicatione addictus fuerat, relatæ victoriæ fama Patres ad solvendas Deo grates incitavit, ut narrat Astulphus Servantius [1] in Actis Concilii Tridentini :

175. « XXVIII Decembris, die Innocentium, sacrum solemne et supplicatio pro Catholicis Galliæ ut confundantur Hugonotti : acerrima enim inter eos bella aucta circa intellectum sacræ Scripturæ, Hugonottis duce Sathana coortis in arma, et non modo insurgentibus in Ecclesiam, verum etiam specie reformandæ Ecclesiæ in regem suum conjurantibus, tantaque rerum oborta perturbatio est, ut filius in patrem, in fratrem frater stringant arma, seque capitali odio insectentur, et veluti canes trucident. Propterea XXVIII Decembris die, SS. Innocentium sacro, solemne sacrum ab episcopo Nivernensi celebratum, ac supplicatio instructa legatorum, præsulum, sacerdotumque religioso agmine peracta, ut Deus victoriam Catholicis de Hugonottis largiatur ».

« Hisce precibus vix Deo porrectis, nuntius accessit a duce Sabaudiæ missus, qui litteris regiis XXII Decembris exaratis certior factus est ducem Guisium et Comitemstabilem conseruisse exercitum cum Hugonottis, quibus cum imperio præerant princeps Condæus frater regis Navarræ, et Gallici Maris præfectus, cæsosque Hugonottos ad quindecim millia, et captum Condæum ; e Catholicis vero captos ab hostibus Comitemstabilem, et Præfectum Castrorum, cui e Andræa nomen est, partamque multo piorum cruore victoriam, quo nuntio permoti legati laudes et grates Deo, decantato solemni ritu hymno *Te Deum laudamus,* peregerunt ».

De his mense Januario [2] certior factus est cardinalis Borromæus a legatis cardinalibus, decretam celebratamque solemnem supplicationem Tridenti instructo agmine religioso, precesque habitas pro Gallia ab hæreticorum tyrannide vindicanda, eodemque die post meridiem nuntium de parta victoria et capto principe Condæo advenisse, et mox actas solemni ritu in principe templo Numini gratias.

De profligatis cruenta illa pugna Hugonottis extant Prosperi Sanctacrucii Chisamensis tunc episcopi in aula Gallica Apostolici internuntii litteræ [3], qui postea inter Romanæ Ecclesiæ cardinales, et generis nobilitate, et prudentia conspicuus illuxit, IV Januarii anni MDLXIII exaratæ, quibus etiam addidit Anglos Germanosque hæreticos iis laturos auxilia ; ac IX Januarii significavit Gasparem Colinium conjurationem ad Henricum ducem Andegavensem, sororemque illius Ambasiæ intercipiendos rapiendosque conflasse, sed eam feliciter discussam.

His consentiunt, quæ a Palæotto [1] adnotata fuere, qui addit pro Catholicis in eo cruento prælio occisis sacrum solemne peractum fuisse, atque ab episcopo Metensi peroratum :

« Cum publica supplicatio omnium legatorum et prælatorum a cathedrali Ecclesia ad ædem divi Petri ad felicem rerum Galliæ successum impetrandum eo die habita esset, quia in honorem SS. Innocentium, et B. Simonis, cujus corpus in eadem Ecclesia Sancti-Petri, solemnis erat, ecce eadem die peracta jam supplicatione nuntius ex Gallia inexpectatus et felix refert, commissum fuisse prælium inter Catholicos et Hugonottos, in quo princeps eorum de Conde captus fuisset, et eorum exercitus partim fusus, partim trucidatus. Tum omnibus incredibili lætitia effusis legati statim cum prælatis ad Cathedralem pergunt, ibique hymnum *Te Deum laudamus,* etc. ab omnibus gratias agentibus summa cum jubilatione psallitur, inde solemne sacrum cardinalis Lotharingus pro felici victoria, postridie alterum episcopus Meldensis pro Gallis defunctis celebrarunt; oravit vero episcopus Metensis graviter et luculenter ». Erat is Franciscus Belcarius [2] Peguilio doctrina et pietate clarissimus, Gallicæ historiæ auctor, cujus oratio IV idus Januarii anno proximo habita extat, ex qua præcipuam partem historicis Monumentis florentem delibamus.

176. « Quanta non ita pridem Gallia nostra floruerit, vel belli gloria, vel rerum copia, vel in omni litterarum genere præstantia, omnes meministis : quantis autem nunc populationibus vexata, quanta desolatione vastata, quam multis cladibus fœdata sit, plerique (mea quidem sententia) cognoscitis. Totis sane quatuordecim superioribus annis, quibus bella nobis cum finitimis continua fuerunt, non tot ex nostris, quot postremis hisce mensibus septem amisimus. Ac parum abfuit quin hisce diebus uno momento rebus copiisque attritis pii omnes, vel de solo vertendo cogitarent, vel perpetuo exilio sibi consulendum putarent, quot ut facilius intelligatur, rem ipsam paulo altius repetita narratione explicabo.

« Pace cum præstantissimo principe planeque Catholico Philippo Hispaniarum rege, atque etiam affinitate inita, cum sibi bene consultum nostri homines existimarent, ecce inopinata regis Henrici morte versa statim rerum

[1] Astulph. Serv. in Actis Conc. Trid. p. 104. — [2] Ext. in Ms. card. Pii sig. num. 201. p. 156. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3217. Ep. XI et XIV.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Pal. Aud. Rot. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 124. p. 275. — [2] Brixiæ excusa an. 1563. Ext. etiam post hist. Belcar.

tota facies : mutati animi novas belli rationes quærere cœperunt, qui pacem modo tanta contentione postularant, tantaque alacritate susceperant. Ii mutuis primum dissidiis clam se lacessere, seditiosi vero occulta consilia inire, conventus nocturnos facere, mox palam erumpentes aperta conspiratione Franciscum regem hujus nominis II atque ejus domesticos, præsertim qui illi a consiliis erant, invadere tentarunt. Conatu irrito, et Francisci morte sopiti tumultus aliquantulum conquieverunt, dum illi, quæ ad factionem suam promovendam pertinebant, modis omnibus adornarent, et impiis suis cogitationibus causam religionis prætexentes majore etiam quam antea jam animo agitarunt.

« Vere primo nuper detecta consilia, regem Carolum impuberem dolo excipere conati, ubi nihil profecerunt, suos ad arma vocare, civitates occupare, Catholicos antevertere, omnia quæ ad comparandum bellum opportuna erant procurare, Anglos etiam, antiquos Gallici nominis hostes, sollicitare, in Germania equitatum peditatumque conscribere cœperunt. Cum de pace interim ageretur, dissimulare, differre, nunc assentiri, nunc novas causas prætexere, omnes æquas, imo vero et nostris valde iniquas pacis conditiones rejicere, totam denique Æstatem magnis ubique miscendis cædibus traducere, donec viribus in unum collectis, de rerum summa uno prælio decernere decreverunt.

« At vero Antonius Borbonius rex Navarræ, necnon Franciscus Lotharingus Guisiæ dux, unaque equitum magister Annas Monmorantius quanquam causa meliore freti, quod antiquæ religionis ac reipublicæ partes tuendas susceperant, haud tamen in his, quæ ad tantum, tam grave, ac domesticum bellum pertinebant comparandis atque procurandis segnes, urbes, quæ in hostium potestate erant, alias deditione, alias vi irrumpentes recipere, quæ in fide permanserant, confirmare atque auxiliis juvare, diversis regni regionibus diversas peditum cohortes equitumque turmas, ut quæque magis laborabant, collocare; ipsi cum delecto exercitu, quo tanti belli ratio vocabat adesse, cum Rothomago expugnato Germanus exercitus duce Andeloto adventare, et ut sese cum Aurelianis conjungerent festinare nuntiatur.

« Igitur Guisianus atque Monmorantius (nam in ea expugnatione Navarræ rex plumbeo globulo ictus res nostras mirandum in modum intempestiva morte turbaverat) cum illis, quas tum haud magnas habebant, copiis, Lutetiam proficiscuntur, quod ea sit regni totius metropolis, et velut quoddam ærarium, atque egregiam in hoc bello operam navarat, quam simul ac regionem finitimam hostes primum invasuros haud frustra sibi persuadebant; dispersas præterea toto regno copias, quanta maxima fieri potuit celeritate cogere; præsertim vero Hispanos veteranos ac Vascones quoque pedites, qui in Aquitania magnum utrique suæ virtutis specimen nuper ediderant, equitatum etiam undique accersere properant, ut justo exercitu, si res ita postularet, dimicarent, et causam Dei arbitrio, qui arcanis judiciis, quibus vult, victorias destinare solet, permitterent: nec tamen ullam interim, quo res tota non bello committatur, sed æqua pace componatur, occasionem amittunt. Videbant enim (utrovis inclinaret victoria) nonnisi magna totius regni clade sibi confligendum.

« Huc vero illos regina regis mater, rara probitate singularique prudentia fœmina, sedulo impellebat, quæ hosce tumultus tumultuumque graves causas longe ante præviderat, et ab initio componere summo studio laborarat; ac quod religionis causa prætexeretur, Pissiacum eo nomine totius Galliæ episcopos convocandos curaverat. Cum ne sic quidem obstinatos utriusque factionis animos placare potuisset, omnia nihilominus tentabat, omnem, ut aiunt, lapidem movebat, inter medias etiam acies plerumque non muliebri, sed plane virili animo versabatur, ut utrosque invicem conciliaret et publicæ quieti provideret, nec unquam destitit, huc illuc mittendo, colloquendo, monendo, ut antiquæ religionis, patriæ, communis salutis, regis denique impuberis rationem haberent, nec quidquam antequam ille adolesceret, sibi innovandum putarent, donec Aurelianis Lutetia castra moventibus et in Normanniam festinantibus, conclamata omnia ac deplorata prorsus esse prospexit. Tum publicam salutem, regisque filii teneram ætatem Deo Optimo Maximo commendans, Guisano ac Monmorantio rerum summam permisit, et ne quid respublica detrimenti caperet, ut viderent, impetravit. Nullas cum pacis æquas conditiones Aureliani reciperent, illi quod reliquum fuit providerunt, et extrema omnia tentare decreverunt. O admiranda Dei judicia, quam homini imperscrutabilia! quam nostros excellunt sua sublimitate sensus! Aureliani, quidquid nostri monerent, quidquid proponerent, quanquam etiam multum de suo jure decederent, haudquaquam tamen flectuntur, sed solita pervicacia inexorabiles perseverant. Diceres cor Pharaonis obfirmatum, vecordes, et sua contumacia jamjam mergendos Ægyptios cerneres. Non Dei timor, non patriæ pietas, non cognatus exercitus adamantina aut plusquam ferrea pectora commoverunt.

« Consederant utræque acies non longe a Druydibus, antiquo Druydum, ut fama est, in Carnutum finibus oppido, Aureliani Uram propinquumque fluvium, qui paucis tum locis vado trajici poterat, superare properabant, ut liber aditus in Normanniam pateret, et Anglis juncti, quos in Normanniam accersiverunt,

incertam belli aleam communi periculo tentarent. Sed nostri horum consiliorum haud ignari noctu sine tumultu fluvium trajiciunt, ac postridie (qui dies XIV kal. Januarii fuit) dum sub ortum solis castrametantur, ecce Aureliani instructa acie adventare nuntiantur. Nostri igitur (quod in planissimis campis constiterant) primo agmine, cui Guisanus, ac secundo, cui Monmorantius præerat, non multum a se distantibus, et æquato gradu ingredientibus obviam illis procedunt. Illi primum agmen declinantes, in secundum totis viribus convertuntur, infestis advolant signis, primusque Germanus eques in nostros obliquus impetum facit, nec minore animorum alacritate nostri, quamvis hostes in latus accipientes, bombardarumque usu, quæ in fronte collocatæ erant frustrati, et religionis, et patriæ, et antiquæ virtutis memores invadentes excipiunt. Fit via vi, et regni amplissimi totis in lethum viribus itur.

« O quantas duæ illæ conjunctæ acies potuerunt comparare victorias ? quantos Christiani nominis facere progressus, lateque Gallicam propagare ditionem ! Sane vel totam impii Turcæ tyrannidem evertere, captiva illa nostræ religionis primordia, (Hierosolymam dico, atque omnem eam regionem, quam sanctam appellant) recipere, amissum denique nostra inertia ac seditionibus Orientis imperium recuperare potuerunt. Sed Deo aliter visum, qui utrasque concurrere permisit, lustrandæque hoc tam horrendo piaculo Galliæ nostræ eosdem destinavit.

« Primo igitur conflictu superiores Aureliani nostros de statione propellunt, cædunt multos et vicissim cæduntur ; tandem, laxata paulatim acie, equitum magistrum Annam Monmorantium equo perfosso humi prostratum, vivum tamen intercipiunt : Aumalium quoque ducem Guisani fratrem tertio agmine laborantibus nostris subvenientem equo deturbant, ipsumque adeo agmen retrocedere compellunt, et jam victoriam animo devorantes juveniliter exultare cœperant, peditesque Helvetios acerrime resistentes perturbatis ter ordinibus eodemque momento renovatis, summa vi penetrabant, cum superveniens Guisanus toto equitatu, et Gallico peditatu, atque auxiliaribus Hispanis in medias hostium acies, ceu horrendum quoddam ac rapidum fulmen irrumpit. Hic vero, et prælium instauratur atrocius, et major ubique editur strages, atque omnia equitum peditumque robora committuntur. Una cum duce res commutatur, vincuntur victores ac passim trucidantur : Ludovicus quoque Borbonius princeps Condæus vulgo dictus, cui hostium exercitus sacramento se obstrinxerat, vulneratus capitur. Nostri etiam, qui primo prælio cesserant, Guisanis juncti communibus viribus in Aurelianos feruntur : illi undique circumventi strage procumbunt, ac prope universi, præsertim pedites internecione cæduntur. Excessere mature prælio circiter octingenti Germani, mixtique aliquot Galli equites Anna Monmorantio captivo abducto.

« Te vero, Guisane dux invictissime, absentem coram celeberrima ista tot amplissimorum Patrum frequentia compellabo : tuum enim illi nomen summa animorum alacritate audient, et memoriæ consecrabunt sempiternæ. Tu unus hoc nostro sæculo (ut egregia adolescentiæ tuæ rudimenta prætereant, quibus non solum acris ducis, sed boni etiam militis officium sæpius implevisti) tu, inquam, Romam cum exercitu profectus, integram atque illibatam Summi Pontificis auctoritatem conservasti, tu reditu tuo non cunctando, sed properando, acerrimeque confligendo Caletum nobis restituisti : tu Theonisvillam oppugnasti : tu primus religionis causam Francisco II in Galliis rerum potiente suscepisti : tu semper propugnasti : tu bellum religionis ergo cum aliis quidem inchoasti, sed solus confecisti. Atque hunc egregiæ tuæ pietatis fructum, illustrem istam de impiis hostibus insignemque victoriam tibi uni Deus optimus reservavit. Vive ergo tibi et reipublicæ Christianæ, princeps invictissime, Deoque ac hominibus pariter gratissime, et æternum tua ista pietate, et pietate digna felicitate fruere, ac sempiternum coram gravissimo hoc Patrum consessu gloriæ monumentum suscipe. Te autem solum intueor, non genus illustre, non ingentia proavorum facinora, non Hierosolymitanos Siciliæque reges, unde originem ducis, accersam ; laudentur hæc in illis, qui ex suo quod laudetur non habent.

177. « Lugemus (pergit) acerbam nostrorum hominum cladem, vicimus enim, sed non incruenta victoria : paucos illos quidem, sed egregios hoc prælio amisimus. Cecidit in primis Jacobus Brossianus alæ equestris ductor, et regiæ illius societatis (quam vulgo D. Michaelis appellant) eques, homo sicut provectæ jam ætatis, ita et antiquæ virtutis, et cui rei militaris scientia paucos nostra ætate comparare possemus. Hujus cum multis in bellis periculum fecerat, tum recens copiis regiis in Scotia præfectus magnam, quam de illo jam conceperant, opinionem vehementer auxerat. Nec longe ab illo Annibas ac Giurius cataphractorum quoque equitum præfecti, et ejusdem equites societatis. His accessit Mombro spectatæ indolis adolescens, Annæ Monmorantio patri forma simillimus, et paternæ jam virtutis certus æmulator, qui sane me admonet, ut te quoque constantissime, ac tot et tantis honoribus perfuncte senex, te, inquam, Anna Monmoranti, hoc loco appellem, quem ut extrema senectute captivum, filiique charissimi suavitate privatum doleo, sic tuorum, hoc est, soro-

ris liberorum opera, ne dicam scelere, in hasce indignor incidisse calamitates. Quid enim illi potuerunt, quod tu non præstiteris ? Pupillos educasti ; adolescentes primum Francisco regi, mox Henrico insinuasti, atque inter ejus familiares adscripsisti : Castilioni maris, Andeloto peditum præfecturam impetrasti ; majorem etiam natu, vixdum puberem cardinalitia dignitate ornandum procuraveras, et tot sacerdotiis auctum in summo apud suos gradu collocaras, ad quos ingratus honorumque fastigia, opulentas insuper ac nobiles, quas inierunt, affinitates, nisi tua cogitatione et indulgentia freti, vix aspicere nedum aspirare, poterant. Hæccine tantæ erga illos benevolentiæ præmia referes ?

« Hoc vero venerandam istam solare senectutem, quod patriam tuis semper consiliis auxisti, religionem acerrime propugnasti, et pro utraque conservanda vergentem ætatem animi vigore superans, ac juvenili quodam ardore rem manu fortiter gerens te veluti mactandum obtulisti, omniaque et summi imperatoris, et egregii militis officia implevisti. Captus est quoque, nec ita multo post crudeliter ac præter omne belli jus cæsus, et animi vir maximi, et bonarum semper partium Mareschallus a Sancto-Andræa, qui sicut Henrico regi fuerat acceptissimus, ita et in ejus liberis ab impiorum hostium immanitate conservandis diligentissimus, et in propugnanda religione, patriaque tuenda bellator fortissimus ad extremum usque spiritum perseveravit. Ea scilicet istorum est religio, is Dei timor, ea suorum, id est, Christianorum charitas, quam nonnulli etiam ipsorum concionatores, tanta est scriptorum impudentia atque improbitas, vel libris editis commendare solent, ut quotquot egregios, aut aliquo titulo illustres viros interceperint, universos plusquam barbara feritate contrucidarint ».

178. Confirmat hanc Calvinianorum perfidiam et immanitatem Guillelmus Rossæus [1] in suis declamationibus :

« Mareschallus (inquit) Sanctandræanus inter principes Gallicani regni debellatores numeratus, et a scriptoribus externis plurimum propter insignes victorias commendatus, quemadmodum est in bello Dreusio interfectus ? num in ipso prælii ardore pugnans ? nequaquam : sed postquam fide data et accepta se capiendum præbuisset, quo modo, si egissent cum Condæo Catholici, nunquam is alteram rebellionem contra regem excitasset ». Et mox [2] :

« Terridas regii in Navarra exercitus dux primarius, Sancolumbus, Basillon, aliique permulti partim equites ordinis, partim clarissimi militum præfecti, cum post certas compositionis leges se Mongommerio dedissent, contra leges et fidem datam obtruncati sunt, et ignominiosissime per compita raptati.

« Castellopræus præfectus S. Michaelis in ora Pictaviensi capto cœnobio ab Hugonottis, postquam de redemptione cum illis transegisset, cæsus est cum aliis quadringentis, ad quorum devoranda cadavera in monasterii claustris acervatim jacentia porci et canes immissi sunt, cœnobiumque a fundamentis dirutum, quod unicum erat illius oræ antiquitus contra Hispanorum et Anglorum maritimas incursiones propugnaculum. Nec dissimili perfidia cum aliis præsidiariis in cœnobio S. Florentii prope Saumurium in ripa Ligeris actum est, quod cum Admiralii frater Andelotius aliquot diebus oppugnasset, et illi honestis conditionibus se dederent, Dandolirius Hugonottus Hugonottica fide eos excipiens fortissimum præfectum Hajum cum ducentis militibus in frusta concidit ».

179. Subdit Belcarius : « Multa enim insignia, et dictu horrenda crudelitatis exempla insana hæc factio edidit, quæ tam a Christiana humanitate aliena sunt, quam Turcicam superant immanitatem, ut tantam in hominibus, qui Christiano nomine glorianlur, vecordiam fuisse omnis posteritas, vel admiratura sit, vel non creditura. At tu Deum illis ultorem tibi propitium spera : neque enim illorum perfidiæ, neque tuæ pietatis oblivisci unquam potest. Quid Borduim, Santeranum, Bellanum alæ equestris Guisanæ signiferum fortissimos juvenes, ac cæteros ejusdem animi, alacritatis, virtutis enumerem ? ut nos etiam florem Gallicæ nobilitatis (quanquam non multi cæsi fuerunt) hoc prælio amissum dicere jure possimus. Hos tali virtute, constantia, pietate nobis ereptos merito lugere debemus, illis parentare, Deum propitium deprecari, illorum memoriam sempiternis consecrare monumentis.

« Cæterum,ut impios pœnas dedisse non ægre ferimus, ita pios victoriam retulisse lætamur, id enim, et divinæ, et humanæ justitiæ ratio exigere videtur : qui vero lugere istos patriæ parricidas possumus ? Patriam impii spoliarunt, tot tantasque suorum patrarunt cædes, tot pagos, tot insignia palatia incenderunt, tot sanctissima templa demoliti sunt, urbes etiam nonnullas hostibus prodiderunt, peregrinos immiserunt exercitus, sed nec sacris templis nec majorum sepulchris pepercerunt. Tandem scelerum suorum furiis agitati, se in apertam mortem, quadam desperatione conjecerunt, et nisi Guisani illius ducis incredibilis ac pæne divina virtus impiorum furori opportune se opposuisset, universi profecto perieramus, et de Gallia nostra prorsus actum erat, etc. ».

Pluribus interjectis de causis auctæ adeo et grassantis hæreseos hæc addit Belcarius : « Si

[1] Guil. Rossæus. — [2] Guil. Rossæus p. 888. Pig. l. VII. c. 28.

hujus quod nos pro nostra mediocritate recitavimus belli memorabilis, et multorum, quæ nostra tempestate gesta sunt, causas penitus introspiciemus : si vere confiteri velimus, causas nimirum ipsas magna ex parte in nos regeremus. Cum nos dico, totum ordinem Ecclesiasticum intelligo : quæ enim a religionis adversariis causa primum suæ discessionis objecta est, nisi quod nos pastores suis officiis deesse, suos greges verbo Dei nunquam pascere, proventus Ecclesiasticos dilapidare, totum vero ordinem malo impuræ vitæ exemplo, simplicem plebem a vera pietate divellere, piis autem et cordatis hominibus etiam scrupulum movere jactarunt? Huc illorum omnes conciones, huc privata colloquia tendebant. His illi argumentis imperitæ plebi, ut ad se primum deficeret persuaserunt, et seditionibus, bellisque intestinis, quæ mox experti sumus, sementem sparserunt ; radicem itaque succidamus, pristinam Ecclesiæ instauremus integritatem ».

180. *Rex Galliæ Carolus IX præcipit, ut Avenionensis ditio ab Hugonottis defendatur.* — Inhiabant ineunte hoc eodem anno hæretici finitimi ditioni Avenionensi invadendæ summo astu et contentione, Pontificiam vero rem tuendam suscepit Carolus IX Gallorum rex, ac Delphinatus Provinciæque præfectis dedit imperia ut Avenionensibus, Comitatusque Venusini magistratibus ad reprimendam hæreticorum audaciam, populosque ditionis Ecclesiasticæ in fide et officio continendos auxilia ferrent, de quo grates illi egit Pius [1] : « Ex eo singularem quamdam animi lætitiam cepimus, agnoscentes majestatis tuæ devotionem erga sanctam hanc Sedem. Fecisti quod a tua pietate expectabamus, quodque majorum tuorum Christianissimorum regum fuit semper proprium, ut S. R. E. res non minore, quam suas ipsorum cura et studio tuendas sibi, et defendendas putarent, quo nomine maximas tibi gratias et agimus et habemus. Tui sane ministri benigne admodum auxilium summa nobis polliciti sunt facilitate, ut apparuerit quam diligenter ad eos scripseris. Memores perpetuo erimus tui istius officii, etc. Die VII Febr. MDLXII ». Consignatæ sunt eodem die aliæ [2] ad Provinciæ præfectum, et Mottam Gondrinum legatum in Delphinatu, ut promissa auxilia contra hæreticorum insidias submittant. Explicuere Avenionenses singularem in tuenda fide adversus hæreticorum insidias constantiam, quam etiam piis ad Pontificem litteris expressere, quibus hæc a Pio responsa sunt : « Ex litteris vestris die vigesima prima Januarii datis libenter admodum recognovimus vestræ devotionis sinceritatem, et ideo constantiam, quæ cum omnibus temporibus magna laude digna esset, tum in his tam luctuosis et turbulentis, satis digne laudari non posse videtur, etc. XXVII Februarii ». Tum aliis litteris ipsos est adhortatus, ut urbem illam adversus hæreticos strenue tuerentur. Inconcussa Avenio in Pontificio obsequio contra hæreticorum molitiones ob magistratuum in extinguendis primis hæreseos scintillis diligentiam, cum tamen Gallia, ob disparem curam maximo incendio conflagrarit, disseminandæ hæreseos et colloquiorum de fidei controversiis habendorum indulta impune licentia.

181. *Dux Sabaudiæ hæreticorum fallaciis illusus.* — In Pedemontio cum Quirasium, et alia loca, ac præcipue Salutiarum Marchionatus, Hugonottica adeo hæresi infecta fuissent ut a nobilibus sacerdotes pluribus in locis per summam ignominiam ejicerentur, dux Sabaudiæ [1] proposito in hæreticos edicto, ni octidui flexu ad Ecclesiam revertantur, proscriptos atque eliminatos decreverat, verum a suis senatoribus persuasum, ut cœptis absisteret, damnati a fidei censoribus vinculis laxari jussi sunt.

Quo etiam tempore [2] restituta a Gallorum rege duci Sabaudiæ fuere Cherium, Villanova atque Asta ; quo minus vero alia loca, ac maxime Serræ restituerentur, Condæus princeps intercessit. Qui non modo tyrannidem conflato civili bello affectavit, sed etiam ad dissolvendum Concilium Tridentinum auctoritate sua abusus, oratorem misit ad jungendum fœdus cum Protestantibus ad conventum Francfordiensem, ac inter alia questus est Pontificem pollicitum esse novam Concilii indictionem Philiberto Toparchæ de Bourdesieres regio oratori postea cardinali, ac non prosecutionem Tridentini Concilii. At misere ministrorum Hugonottorum susurris fallacibus illusus erat is princeps, quem etiam adversus Galliæ regem auxilia a Protestantibus postulasse scripsit [3] Carolus vicecomes Carolo Borromæo, ejusque postulata ipsis grata accidisse, utque causam prætexerent, spopondisse de Condæo regi conciliando se acturos.

182. *Maria Scotiæ regina religionem Catholicam erigere curat.* — In Scotia Anglico bello et Gallorum discessu Catholica res vehementer afflicta ac prostrata fuerat, quam Maria regina superioris anni Æstate in regnum reversa erigere conata est, atque Scotos in Romanæ Ecclesiæ conjunctione continere ; nec ullis difficultatibus aut terroribus a veræ pietatis studio abduci se passa est, quam Pontifex in veræ religionis cultu et avita laude hoc ineunte anno subjectis litteris [4] confirmavit, utque oratorem, ac præsules Scotos ad Tridentinum Synodum mitteret

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCXVI. — [2] Ib. Ep. CCXV. post eamd. Ep. Ib. Ep. CCXX.

[1] Car. Vicecom. in lit. ad card. Borr. p. 42. — [2] Car. Vicecom. in lit. ad card. Borr. Ms. card. Jo. Bap. Spadæ p. 148. — [3] Car. Vicecom. in lit. ad card. Borr. Ext. in Ms. Jo. Bap. Spadæ p. 123. — [4] Pius IV. to. II. brev. sig. num. 2897. Ep. CLXXVIII.

hortatus est, ad quam etiam jam ante Nicolaum Gaudanum Societatis Jesu sacerdotem promovendæ divinæ gloriæ ardore flagrantem internuntium miserat.

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Scotiæ reginæ illustri.

« PIUS PAPA IV.

« Charissima in Christo filia notra, salutem et Apostolicam benedictionem. Etsi nuper cum litteris et mandatis nostris, istuc visitandi tui causa misimus dilectum filium Nicolaum Gaudanum, presbyterum nobis probatissimum Ordinis Societatis Jesu , tamen impulsi recentibus et optatissimis de te nuntiis, iterandum per litteras idem officium esse duximus. Fuit enim ad nos allatum, te simul atque in regnum redieris, continuo dare operam cepisse, ut collapsam istic religionem et fidem Catholicam erigeres, populosque tibi subjectos in Ecclesiæ Catholicæ unitate et sanctæ hujus Sedis obedientia contineres. Quod pium studium et religiosa sollicitudo tua laudari satis digne nequaquam potest. Præclare ostendis memorem esse te paterni maternique generis, optime intelligis, qua in re regnorum stabilitas incolumitasque consistat; nempe in ejus timore et cultu, per quem reges regnant, et cujus in manu est regna dare atque transferre. Gratulamur tibi merito, charissima filia , de tanto Dei munere. Quis singulare hoc divinæ benignitatis donum esse dubitet ? Cum tibi gratulamur, tum Deo quoque gratias agimus, quod in maximis curis et animi nostri angoribus, quibus ex tam perturbato Ecclesiæ statu afficimur, non parvam levationem nobis affert eximia ista pietas tua. Noli defatigari in tam pio et salutari opere : enitere quam maxime potes, ut regnum tuum ab hæresibus perpurges. Nullæ te difficultates, nulla impedimenta deterreant. Divinum tibi auxilium adesse cœpit, id tibi in dies magis affuturum esse confide ; Dei enim causa est quam agis. Si is sperantes in se nunquam deserit, quanto minus pro sancta fide et religione sua laborantes destituet ? Quis splendidior triumphus esse potest, quam perpetuo humani generis hosti, Ecclesiæ Catholicæ vexatori, hæresum et schismatum auctori ire constanter obviam, et Dei causam adversus eum tueri atque defendere, et quas ille per ministros suos disseminavit hæreses extirpare ac tollere? Si is porro, qui vel unum quempiam errantem in viam salutis reduxerit, tantam a Domino mercedem accepturus est, quæ tibi tandem in cælo parata præmia esse censes, quæ tot populorum saluti studio et diligentia tua consulis? Consuevit autem Domini immensa et inexhausta benignitas pia servorum suorum facta non solum in altera vita, sed in hoc etiam sæculo largissime remunerari, et præmia remunerationis æternæ harum etiam temporalium rerum prosperitatibus cumulare. Sed cum reliqua facta tua laudamus, tum consilium tuum vehementer probamus, quod sicut accepimus, constituisti regni tui episcopos una cum oratore tuo ad Concilium mittere, qui si nondum profecti sunt, eos, ut primo quoque tempore mittas, hortamur serenitatem tuam et rogamus. Jam enim Tridentum tanta episcoporum multitudo convenit, totque alii in itinere sunt propediem illuc dante Deo perventuri, ut jam maturum sit sanctas illas et salutares actiones, quarum causa Concilium congregatum est, ad Dei laudem et gloriam sine mora aggredi. Reliquum est, ut serenitas tua de nostra erga se voluntate tantum polliceatur, quantum ab benignissimo patre pia expectare debet filia. Amavimus autem te semper et laudi tuæ favimus, sed cognitis iis, quæ post reditum tuum in regnum tam laudabiliter egisti, tantum ad pristinam erga te benevolentiam nostram accessit, tantopere studium nostrum erga res tuas crevit, ut ad hæc nihil posthac accedere posse videatur. Omnipotens et misericors Deus, charissima in Christo filia, qui tibi istam tuam piam mentem donavit, eam conservare et augere dignetur, et post temporale ac terrenum regnum diu ac feliciter administratum te ad æterni et cælestis regni gloriam et beatitudinem fruendam pervenire concedat. Dat. Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XII Januar. MDLXII, Pontificatus nostri anno III ».

183. Utebatur Pius sacerdotum Societatis Jesu opera, quos ad subeundos pro Christo labores impigros, atque in discutiendis doctrinæ luce hæreticorum tenebris, revincendaque perfidia constantes noverat, atque ad eamdem reginam Scotiæ Everardum Mercurianum ejusdem Societatis, in Belgio pietatis fama et eruditione spectatissimum, ut pro restituenda apud Scotos religione operam suam reginæ commendaret, proficisci jussit, eidemque Mariæ reginæ de sedatis seditiosorum turbis gratulatus est[1] :

« Charissimæ in Christo filiæ nostræ Mariæ Scotiæ reginæ illustri.

« Mandavimus dilecto filio Everardo Mercuriano sacræ theologiæ magistro ejusdem Societatis in Flandria præposito provinciali , quem propter gravissima testimonia de vitæ ac morum ejus honestate, religione atque doctrina aptum huic officio duximus, ut isthuc se conferat, et te tanquam præcipuam filiam nostram nostro nomine visitet, tibique gratuletur, quod in regnum tuum reversa piis consiliis, divina favente et aspirante gratia, in tranquilliorem statum, sicut summa cum lætitia accepimus, ipsum regnum redegeris, religionem ibi Catholicam sicuti pietate tua ac majorum tuorum di-

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCLXXXIV.

gnum fuit, confirmare ac stabilire aggressa, tam sanctum et populis tuis salutare, ac tibi ipsi gloriosum opus ad exitum adducere non desistas ». Et infra : « Omnipotens Deus Serenitatem tuam ab omnibus adversis tueri, et gratia ac protectione tua perpetuo custodire dignetur. III Junii MDLXII ».

Extant eodem argumento ad eumdem Everardum Mercurianum litteræ [1], quibus etiam illum Pontifex ad propagandam pietatem amplissimis privilegiis instruxit.

184. *Crux miraculosa in India Orientali detegitur.* — Dum in Occidente Calviniani impietatem suam propagarent, ac bellum immane Cruci Christi indicerent, quam ubique evertebant, omnique sacrilegii genere dehonestabant, mentientes impudentissime, idololatriæ genus esse ultimis sæculis inventæ, divina providentia in extremo Oriente insigni prodigio Crucem Christi nobilitavit, atque ex vetustissimis monumentis ipsorum Gymnosophistarum Indorum testimonio comprobatum est, Crucis usum cultumque ab Apostolis inductum, atque apud Indos ab ipso Apostolo Thoma discipulis commendatum, de quibus Cochimensis episcopus Henricum cardinalem, Sebastiani regis Lusitaniæ patruum, certiorem fecit, ut narrat Osorius [2] subjectis verbis :

« Anno a Christo nato MDLXII, pontifex Cochimensis misit ad Henricum cardinalem testimonium publicis litteris consignatum, quod historiam commemoratione dignam continebat. In ea civitate, quam diximus appellari Melioporem et nunc postquam Lusitanis frequentari cœpit, Sancti-Thomæ civitas appellatur, erat in colle sacellum ædificatum, eo quod affirmarent incolæ, in eo loco Thomam fuisse a religionis hostibus interfectum. Erat autem hoc solemniter institutum, ut eo sacello octo diebus ante diem Natalem Christi res divina fieret, et omnes Christiani eo convenirent : fuerat quoque ante quatuordecim annos in illo colle inventa crux in lapide incisa, in cujus fastigio imago columbæ insidebat, basis vero erat in specie quadam herbarum, quæ diffundi latissime videbantur, collocata, et tam fastigium quam basis et brachia in liliorum formam desinebant, arcus eam ex eodem lapide factus undique muniebat, in arcu erant incisæ litteræ, quas nemo legere poterat. Totum hoc opus integrum, quod erat satis magnum, fuit super altare ejusdem sacelli multorum operis statutum, in Cruce eminebant notæ sanguinis insignes. Accidit autem die, quo Christiani conveniebant, ut in eo Fano salutationem ab Angelo factam sanctissimæ Virgini octo dies, antequam dies Christi natalis adveniret, celebrarent, cum sacerdos, qui rem divinam faciebat, Evangelium inchoaret, ut Crux in nigrum colorem verteretur, et liquor ex illa incredibili copia dimanaret, deinde color cæruleus pro nigro subiret, in locis autem ubi notæ sanguinis extabant, rosei coloris splendor eluxit ; sequentibus deinde annis eodem idem semper eveniebat, nec enim alio die (quod magnam admirationem commovebat) id in nulla Cruce cernebatur. Fuit tamen aliquo tempore ejus rei, quæ admirabilis omnibus videbatur, intermissio : anno autem MDLXI, cum Christiani in eumdem locum, cum eadem pompa et celebritate convenirent, eo die, quo crux, dum sacrificium fieret, stillare solebat, et sacerdos Evangelium inchoaret (id enim etiam admirandum videbatur, quod nunquam prius quam Evangelium legi cœpisset, ea crucis mutatio fieret) crux repente nigris maculis, splendidis tamen inficeretur, donec tantum aliis atque aliis subeuntibus tota nigresceret, ita vero splendebat atque si fuisset oleo delibuta, tum instar roris guttæ defluere cœperunt, quæ paulatim grandiores effectæ totam crucem humore largissimo compleverunt. Peregit sacerdos cum multis lachrymis et crebro singultu Sacrificium, deinde ascendit in Altare, et linteis, quibus in rebus sacris de more procurandis uti solebat, crucem extersit, lintea maculis sanguineis tincta repente sunt. Civitatis præfectus et reliqua multitudo quæ convenerat, manus in cœlum tendere, Christi numen implorare, flagitiorum veniam postulare, et ad studium ardentius religionis excitari : Crux autem postquam multo liquore fluxit clarius splendere cœpit, et color sanguineus evidentius eluxit. Hoc signum commovit, et præfectum urbis, et primarium sacerdotem, ut diligenter inquireret ecquis esset, qui litteras illas interpretari posset : aiunt incolæ in Narsingæ regno esse Brachmanam inter omnes Brachmanas litteris et eruditione præstantem, qui varias linguas tenebat : hominem continuo accersunt et interrogant, an illas litteras nosset. Respondet litteras esse priscas, quibus antiqui sapientes utebantur, negligentia vero hominum factum esse, ut earum cognitio interiret, quin etiam linguam, qua erant descriptæ, a paucis admodum teneri; admonenti Brachmanam, ut in altare ascendat, restitit ille, et nefarium facinus esse dixit altare, in quo res divina fieret, humanis pedibus conculcari : invitus tamen subiit et litteras perlegit quarum vim eam esse dixit, ut una nota decem, et quindecim, et viginti litterarum officio fungeretur, sententia vero litterarum in summa, hæc erat : Thomam virum divinum fuisse a Dei Filio, cujus erat discipulus, in eas oras Sagami regis tempore missum, ut Dei summi notitia gentes illas erudiret, ibique templum extruxisse et res admirabiles effecisse, atque tandem, cum genibus flexis ad crucem illam affixus orationem ad Deum funderet, a quodam Brachmana fuisse hasta trans-

[1] Pius IV. to. II. brev. sign. 2897. Ep. CCLXXXIII. Sacchin. in Annal. Soc. Jesu. — [2] Osor. l. III.

fixum, crucem vero ejusdem viri sanctissimo cruore tinctam ad memoriam virtutis illius sempiternam relictam fuisse. Hæc erat sententia, quæ litteris continebatur; fecit autem majorem fidem alius ejusdem sectæ vir aliunde accersitus, grandis admodum natu et sapientiæ opinione præstans, qui litteras in eamdem sententiam interpretatus est. Hujus autem crucis exemplum in eodem ligno, ex quo templum ædificatum perhibent, insculptum, cum litteris publicis multorum virorum testimonio consignatis retineo, cujus fides tantis tunc argumentis explorata fuit, ut nemo possit de tam claris atque testatis viri divini miraculis ambigere. Hæc quidem inserenda putavi [1], ut rectius percipi possit, quam clara sint apud Indos Christianos Thomæ viri divini monimenta ».

185. *Ordo S. Stephani in Etruria confirmatur.* — Hoc anno confirmatus est a Pio equester Ordo S. Stephani a Cosmo Hetruriæ duce institutus [2], pro inhibendis maritimis Turcarum et Afrorum excursionibus, defendendoque Christiano nomine, utque Medicæi nominis gloria augeretur, Pontifex militaris hujus Ordinis principem Cosmum ipsum constituit, cui in eo etiam munere Hetruriæ duces futuros succedere jussit. Porro præclaræ hujus militiæ gesta, quæ subinde, sub eodem Cosmo, ac cæteris serenissimis magnis Hetruriæ ducibus pro Italiæ defensione contra infideles patrata fuere, Sixtus V [3] ac Paulus V [4] Pontifices Maximi suis Diplomatibus testata voluerunt, dum amplioribus privilegiis militiam istam de fide Catholica optime in dies magis merentem locupletarunt, quæ lector in Romano Bullario, simulque in libro Statutorum illius Ordinis edita poterit videre.

186. *Decimas imponit Pius in favorem Philippi Hispani pro bello contra Turcas.* — Cum validissima classe opus esset ad comprimendos Turcas præteritis insolescentes victoriis, Pontifex indictas clero decimas in Philippi regis Hispaniarum regnis commoranti auxit ad alia quadringenta viginti millia aureorum quinquennii fluxu solvenda, ut sexaginta triremes Ecclesiasticæ conficerentur, quæ aliis quadraginta regiis conjunctæ centum longarum navium classem conflarent, de quo subjectum Diploma [5] editum :

« Ad futuram rei memoriam, etc.

« Certiores effecti classem ipsius Philippi regis, quam octoginta triremium esse nobis per errorem suggestum fuerat, minime longo etiam intervallo ad numerum prædictum ascendere, et nunquam ascendisse, quinimo propter maximas ab iisdem infidelibus successive nobis illatas clades maxime imminutam fuisse et esse, difficillimumque ac pæne impossibile ipsi regi fore hoc tempore ejus admodum propter superiora bella exhausto ærario tantam classem parare et instruere, propterea considerantes pro re Christiana servanda, et continuis injuriis, quæ a dictis infidelibus nobis inferuntur propulsandis majori præsidio opus fore, classem Ecclesiasticam quinquaginta triremium ad alias decem triremes, et subsidium trecentorum millium ducatorum auri largorum hujusmodi ad alia sexaginta millia ducatorum similium pro aliis decem triremibus armandis et instruendis, ita ut in totum numerum sexaginta triremium ultra classem ordinariam per dictum Philippum regem teneri solitam explerent, jam auxerimus et ampliaverimus, cupientes, ut tam pium, et salutare, ac necessarium opus votivum tandem sortiatur effectum, et ad omnia et singula, quæ illius executionem impedire aut retardare, vel difficiliorem reddere, quoquo modo possent, nostra consideratione respicientes, re iterum cum eisdem fratribus nostris S. R. E. cardinalibus in consistorio nostro secreto, ut moris est, communicata et mature discussa, et cum dilecto filio comite Brocardo Persico, milite Hierosolymitano, oratore speciali super hujusmodi et aliis arduis negotiis a dicto Philippo rege ad nos destinato, diutius pertractata, inter cætera animadvertimus, adhuc aliquod dubium super interpretationem ordinariæ classis per dictum Philippum regem teneri solitæ oriri posse tempore procedente, idcirco super hoc et nonnullis aliis infra dicendis, quantum in nobis est, providere omnemque desuper hæsitandi materiam submovere volentes, securius et utilius æstimavimus qualitatem et quantitatem dictæ ordinariæ classis præsentibus nostris taxare et specificare. Quapropter de eorumdem fratrum consilio et unanimi consensu, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus decernimus et declaramus, ordinariam classem per eumdem regem tenendam, quadraginta saltem triremium strenue et valide instructarum, et nullatenus minoris numeri esse et censeri debere, ipsumque regem quadraginta ad minus triremes hujusmodi pro ordinaria sua classe ejus propriis impensis jugiter omnino habere, et tenere adstrictum et obligatum fore et esse, ita quod computatis sexaginta classis Ecclesiasticæ triremibus, numerus centum fortissimarum triremium omnino compleatur et præsto sit; hortantes nihilominus eumdem Catholicum regem, et enixe rogantes, quod ejus majestatem et sine hortatu nostro pro sua egregia pietate, et in rempublicam Christianam eximia voluntate facturam confidimus, ut ultra dictas quadraginta triremes instructas paratasque habere velit, prout in dies juxta vires suas præstare posse cognoverit. Præterea cum experientia ipsa, quæ rerum omnium est optime magistra, docente, compertum sit simulque a compluribus gravibus fide-

[1] Maffeius hist. Indic. — [2] Pius IV. Ms. arch. Vat. sig. n. 1956. p. 64. Bull. in Pio Const. 60. — [3] Sixt. V. Bull. 75. — [4] Paul. V. Bull. 46. — [5] Pius IV. regest. sig. num. 1956. p. 259.

que dignis viris rerum maritimarum peritis, atque ab his, maxime etiam principibus et aliis, qui triremes instructas habent habereque solent, certa nobis fides facta fuerit propter sumptuum in singulis rebus excrescentiam sex millia ducatorum in singulas triremes congrue alendas et manutenendas singulis annis nullo pacto his temporibus satis esse posse, quinimo ad id plene præstandum et faciendum aptum vel octo millia ducatorum necessaria esse, et propterea considerantes summam annuam trecentorum et sexaginta millium ducatorum hujusmodi ad ipsas sexaginta triremes, sicut temporis et rei necessitas mirum in modum efflagitare videtur, valide et perfecte sustentandas, et rebus omnibus necessariis optime parandas, et instruendas nequaquam sufficere, et nihilominus easdem personas Ecclesiasticas pro nostro in eas paterno affectu minori, quo possumus, onere gravare cupientes, trecenta et sexaginta millia ad alia solum sexaginta millia ducatorum similium ita ut in totum sint quadraginta viginti millia ducatorum auctoritate et tenore prædictis augere et ampliare contra mentem et intentionem nostram necessario cogimur, prout vigore præsentium augemus et ampliamus, etc.

« Decernentes nihilominus, et declarantes classem sexaginta triremium hujusmodi, cum insigniis arbitrio ipsius regis imponendis, educendam ipsi regi contra infideles hæreticos, vel schismaticos, et ad regnorum suorum defensionem, et non in alios usus servire debere, ipsum tamen serenissimum regem classem eamdem omnibus rebus instructam quotiescumque illam a nobis et successoribus nostris, tam ad nostrum et Sedis Apostolicæ, ac terrarum et locorum ipsi Sedi subjectorum subsidium et defensionem contra quoscumque, quam ad expeditionem contra eosdem hæreticos vel schismaticos faciendam requiri contigerit, libere absque aliquo stipendio et solutione mittere, et quandiu opus fuerit, manutenere omnino teneri et obligatum esse ». Infra : « Ipsum autem charissimum in Christo filium nostrum Philippum regem Catholicum, præcipuum fidei nostræ propugnaculum enixe rogamus, et per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi toto cordis affectu obtestamur, ut postquam muneris nostri partibus, et piis majestatis suæ votis, quantum cum Deo potuimus, satisfacere studuimus, nostræ de ejus summa virtute conceptæ spei, sicuti omnino confidimus, præclare respondens, tam pio et glorioso operi sese totis viribus, et ad Dei laudem et gloriam, ipsiusque Catholicæ fidei exaltationem, barbarorum repressionem et contritionem, ac hæreticorum conversionem, classem ipsam universam centum fortissimarum triremium, quanto celerius fieri potuerit, juxta præmissa omni studio et diligentia parare, et instruere velit, ut nos optatos exinde fructus diebus nostris videre possimus, ipseque Philippus rex nostram et Sedis Apostolicæ benedictionem et gratiam, cum singulari nominis sui laude uberius promoveri valeat, et postmodum in cœlis æternam retributionem consequi mereatur, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXI, VI nonas Martii, Pontificatus nostri anno III ».

In sigillo : *Si mei non fuerint dominati, tunc immaculatus ero.*

EGO PIUS CATHOLICÆ ECCLESIÆ EPISCOPUS.

« Ego R. card. de Carpo, episcopus Portuensis.

« † ....

« † ....

« Ego Fridericus card. Cæsius, episcopus Prænestinus.

« Ego Jo. card. Moronus, episc. Sabinen.

« Ego Christophorus cardinalis Madruccius, episcopus Albanen.

« Ego Otho Trucheses de Waldburg cardinalis Augustan.

« Ego B. de la Cueva cardinalis S. Crucis.

« Ego R. Card. Sancti-Angeli, major pænitentiarius.

« Ego Tib. card. Crispus.

« Ego Ful. card. Perusin.

« Ego Jo. Mi. card. Saracenus.

« Ego Jo. card. S. Vitalis.

« Ego Ja. card. Puteus.

« Ego Jo. Bap. Cicada card. S. Clem.

« Ego B. card. Tranen.

« Ego Scipio card. Piscarum.

« Ego Jo. card. Reomanus.

« Ego Jo. Antonius card. Capisucchus.

« Ego F. M. card. Alexandrin.

« Ego Clemens Monilianus cardin. Aræcœli.

« Ego I. card. Sabellus.

« Ego Jo. Antonius Serbellonus cardinalis Sancti-Georgii.

« Ego B. card. Salviatus.

« Ego Ph. card. a Burdefiera.

« Ego P. F. card. Ferrerius.

« Ego M. Anton. card. Amulius.

« Ego Hieronym. card. Corrigiensis.

« Ego B. cardinalis Navagerius.

« Ego Jo. Franc. card. de Gambara.

« Ego Al. cardin. Farnesius, vicecancellarius.

« Ego G. As. Sfor. card. Camerarius.

« Ego N. card. de Sermoneta.

« Ego Julius card. Urbinaten.

« Ego Alf. card. Neapol.

« Ego Vitellotius card. Vitellius.

« Ego Carolus cardinalis Borromæus.

« Ego Franciscus card. de Gonzaga.

« Ego Innicus Davalus cardin. Aragonius.

« Ego Alf. cardinalis Gesualdus ».

Comparata etiam fuit classis a Venetis ad Barbarorum maritimas grassationes coercendas, quibus propterea clerum subsidia duarum decumarum conferre jussum referunt Acta Consistorialia [1] XVII Julii conscripta. Conjunctis porro mutuo fœdere Pontifice Philippo rege, Venetis atque Hetruriæ duce, florentissimam Turcarum classem, quæ Italiam invasura erat, deletam fuisse visuri sumus.

187. *Maximilianus II Romanorum rex eligitur.* — Indicto Francfordiæ conventu in XXV Octobris delectus est post graves Palatini contentiones Maximilianus II Romanorum rex [2], ac XXX Novembris solemni ritu corona redimitus (1), actæque in Concilio Tridentino Deo gratiæ ineunte Decembri operante sacris archiepiscopo Pragensi. Suaserat Carolus Vicecomes Carolo Borromæo cardinali, ut cum Cæsare ageret ad Protestantes flectendos, ut Concilii Tridentini decretis parerent, sed omnem industriam elusit hæretica pertinacia, quæ etiam adversus Concilium varias calumnias impie evomere ausa est, atque in ipso conventu Francfordiensi Protestantes principes post multa adversus Concilium contumeliose effusa moliti sunt, ut Ferdinandum ad illud abrumpendum impellant. Non defuit vero divina providentia tuendo Catholici nominis splendori [3], ac Ferdinandi Cæsaris amplitudinem provexit, ut licet Lutheranorum errores in Concilio defigerentur anathematismo, Maximiliani tamen regis Bohemiæ electioni consenserint, cujus famam ad se allatam scripsere legati III Decembris ad cardinalem Borromæum [4] commendaruntque novi regis Romanorum constantiam [5], qua aliquorum Septemvirum absona postulata refregerat. Creatum illum regem non sine magnis electorum contentionibus et controversiis refert Natalis Comes [6], addiditque sancitas fuisse inter Ferdinandum imperatorem ac Solymannum Turcam octennes inducias, quo pacatiora essent illius regni exordia.

Delibutum sacro balsamo Francfordiæ solemni ritu Maximilianum, soluta veteri lege, ut is ritus Aquisgrani peragatur, ex Ms. Vaticano [7] constat, in quo refertur illum sacramento fidei a Moguntino archiepiscopo Pontifici obstrictum fuisse inter regiæ consecrationis mysticas cæremonias his verbis :

« Interrogatur rex Romanorum electus per archiepiscopum Moguntinum illum consecrantem :

« Vis sanctam fidem Catholicis viris traditam tenere, et operibus justis servare ?

« Vis sanctis Ecclesiis Ecclesiarumque ministris fidelis esse defensor ?

« Vis sanctissimo in Christo Patri et domimino, domino Romano Pontifici et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ subjectionem debitam, et fidem reverenter exhibere ?

Responsio.

« Volo, et in quantum, divino fultus fuero adjutorio, et precibus fidelium Christianorum adjutus, valuero, omnia præmissa fideliter adimplebo. Sic me Deus adjuvet, et hæc sancta Dei Evangelia ».

188. *Multæ reformationes a Pio IV constitutæ.* — Hoc anno kal. Januarii Pontifex [1] almæ Urbis disciplinam, ac justitiæ administrandæ formam puriorem restituit, atque judicum et forensium officialium stipendia definivit ; ne lites etiam in prætorio, cui Rotæ nomen est, protraherentur constitutionem tulit, quibus addunt Acta Consistorialia :

« Die Lunæ IV Maii MDLXII, factum fuit verbum per sanctissimum dominum nostrum super reformatione curiæ, et fecit Bullam super reformatione sacræ Pœnitentiariæ, et eadem Sanctitas sua dixit, se etiam reformasse notarios Cameræ.

Item : « S. D. N. volens animarum periculis Christi fidelium quorumcumque obviare, ac pariter libertati et indemnitati Ecclesiarum, monasteriorum, et beneficiorum Ecclesiasticorum quorumlibet consulere, inhibuit reverendissimis DD. cardinalibus, ne ipsi de cætero aliquas Ecclesias cathedrales, vel monasteria aut beneficia in hujusmodi confidentiam, seu custodiam pro aliis recipiant, et præcepit eis, ut si quis eorum tales Ecclesias, aut monasteria in hujusmodi confidentiam, seu custodiam haberet, teneretur illa sub pœna excommunicationis infra duos menses proximos realiter et cum effectu in manibus Sanctitatis suæ dimittere, vel ei notificare. Alioquin eadem Sanctitas sua dictis duobus mensibus elapsis illa

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. — [2] Jo. Bapt. Adrian. l. XVII. Ex lit. in Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 87. — [3] Card. Vicecom. p. 127. — [4] Ext. in Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 1344. — [5] Ib. Ep. 204. — [6] Natal. Comes l. XIV. — [7] Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 117.

[1] Pius IV. Ms. arch. Vat. sign. num. 1596. p. 1. ib. p. 17. Act. Conc. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 349.

(1) Uno eodemque anno Maximilianus rex Romanorum, et rex itidem Bohemiæ renuntiatur. Dies qua regis Romanorum insignia recepit ab annalista accurate definitur. Ipsa enim S. Andreæ Apostoli solemni die Francofurti a tribus archiepiscopis electoribus regis diademate redimitus est. Mos quidem obtinuerat ut Romanorum reges Aquisgrani coronarentur ; sed cum pestis urbem illam affligeret, visum est Francofurtum substituere. Bohemicam vero coronam accepit die XX Septembris ab Antonio Maglutio archiepiscopo Pragensi in principe templo urbis illius ; quæ omnia ex fide Gassari in Annalibus Augustensibus constant. MANSI.

omnia eo ipso vacare, et de illis disponere velle decrevit.

« V Junii MDLXII [1], fuit factum verbum a Sanctissimo domino nostro super rebus Concilii et super residentia episcoporum in suis Ecclesiis, et fuit dictum, quod decretum residentiæ mitteretur per manus reverendissimis dominis.

« IX Octobris MDLXII, Sanctissimus dominus noster fecit legere reformationem conclavis noviter editam per Sanctitatem suam, et cum fuisset omnium consensu approbata, dixit, ut mitteretur per manus, ut posset deinde in Bullam redigi et publicari ».

Promulgata est ea Constitutio VII idus Octobris [2], atque corruptelæ in observatione sanctionum de conclavi exortæ sublatæ sunt.

Referunt præterea memorata Consistorialia Acta Maximilianum II, Ferdinandi imperatoris filium, regem Bohemiæ, creatum fuisse regem Romanorum, ac Pontificem in senatu habito XV Decembris MDLXII, cardinales de ea re certiores fecisse, rem vero gestam in Francfordiensibus comitiis memorant scriptores. Tradunt etiam Acta, Pium explicuisse clementiam in Marcum Antonium Columnam, qui a Paulo Quarto gravissimis actis judiciariis ac censuris defixus fuerat :

« Romæ die Veneris XVII Julii MDLXII, fuit Consistorium [3], in quo fuit de voto omnium cardinalium restitutus plenissime a Sanctitate sua illustrissimus dominus Marcus Antonius Columna, et ad omnia, status, honores et alia reintegratus, et in eum repositus statum, in quo erat ante privationem factam per Paulum IV, et de omnibus post privationem ab ipso commissis absolutus, licet venerit cum exercitu tanquam hostis contra Sedem Apostolicam, quia justo dolore motus, quia omnibus bonis injuste privatus fuerat, et quoniam fuit pro recuperandis bonis suis, et cum non haberet quo confugeret. Accedunt boni mores illius, quæ omnia eum remissione et gratia reddiderunt dignum, et in gratiam baronum, ut fideliores fiant posthac. Quæ omnia sanctissimus dominus noster amplissime est prosecutus summa cum omnium cardinalium approbatione, laude et applausu, et post vota data ad restitutionem, venit idem Marcus Antonius, et publice janua aperta fuit absolutus, ac genibus flexis juravit in manibus Sanctitatis suæ fidelitatem sanctæ Sedi Apostolicæ ».

189. *Thermas Diocletiani in Ecclesiam conversas Pius IV tradit Carthusianis.* — Præclarissimis aliis Pii IV gestis addimus Thermas Diocletiani imperatoris sævissimi olim Ecclesiæ persecutoris multo sudore ac sanguine martyrum ad gentilium voluptatem extructas, a Pio in Ecclesiam conversas, accitis e Sessoriana Basilica, quam tum incolebant, religiosissimis Carthusiæ alumnis, qui locum illum tot martyrum sudoribus irriguum, cœlesti, quod profitentur, vitæ genere ac jugi divinarum laudum celebratione excolerent ; cum peculiari Dei beneficio cardinalis Baronius [1] factum putet, ut quæ Diocletiani fuerunt Thermæ, quod illæ sanctorum martyrum labore fuerunt extructæ, potissima pars earum in usum Ecclesiæ, memoriamque Dei genitricis Mariæ et angelorum fuerit commutata. Hoc itaque anno datis ad generalem Carthusiæ priorem litteris [2] de propensa sui erga ordinem voluntate ac proposito hæc scribit Pontifex :

« Dilecto priori generali monasterii Carthusiæ diœcesis Gratianopolitanæ.

« Jam ex litteris, quas ad te superiori anno scripsisse meminimus, cognovisti nos in honorem beatæ Mariæ Virginis et Angelorum omnium statuisse non sine inspiratione divina, ut credendum est, ædificari in urbe, nostris et Sedis Apostolicæ sumptibus, Ecclesiam in Thermis Diocletiani vocatis, et Thermas ipsas, quas impius ille tyrannus et sævissimus Ecclesiæ hostis plurimo Christianorum sudore et sanguine ad gentilium voluptatem et commodum extruxerat, ad omnipotentis Dei cultum et Christi fidelium devotionem convertere. Ex iisdem litteris quoque intelligere potuisti, quantum Ordini Carthusiensi honorem habuerimus, quippe qui cum nullus in Urbe esset religiosorum conventus, qui non in maximi muneris et singularis beneficii loco, locum illum tam amœnum et salubrem a nobis accepturus fuerit, tuo tamen Ordini potissimum illum concesserimus, qua in re non solum fratribus tuis honos a nobis habitus, sed eorum valetudini etiam valde consultum fuit, quippe cum monasterium ipsorum, quod Ecclesiæ sanctæ Crucis in Hierusalem adjunctum est, loco insalubri admodum situm sit, ubi quotannis æstate præsertim plerique eorum morbis gravibus implicari, et aliqui etiam mori consueverunt. Ac nos quidem ut quod pie instituimus, Deo favente, ad effectum perducamus, Ecclesiam, sicut fratribus tuis polliciti fuimus, ædificare perpurgato et consecrato jam loco illo cœpimus multis structoribus conductis, et cæteris rebus ad hoc opus necessariis non parvo sumptu comparatis, etc. X Martii MDLXII ».

[1] Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 354. — [2] Pii IV. an. 3. Ms. Vat. sign. num. 1956. p. 418. Aull. tom. II. in Pio IV. Const. 63. Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. — [3] Act. Cons. sig. num. 134. p. 357.

[1] Tom. II. an. 298. — [2] Pius IV. to. brev. sig. 2897. Ep. CCXXIV.

PII IV ANNUS 4. — CHRISTI 1563.

1. *Solemnes gratiarum actiones pro parta de Hugonottis victoria.* — Adveniente anno Domini millesimo quingentesimo sexagesimo tertio, Indictione sexta, a Patribus Tridentinis solemni ritu gratiæ Numini de profligatis extremo superiori anno in Gallia Hugonottis actæ fuerunt. Itaque « Decima Januarii », inquit Astulphus Servantius[1], « die Dominico cardinalis e Lotharingia sacrum de Spiritu Sancto celebravit, pro referendis Deo de parta victoria contra Hugonottos gratiis. Stetit in Gallia ejus victoriæ beneficio res Catholica, ac nisi conserta pugna atque Hugonotti debellati fuissent, concordiæ leges ab insolentissimis hæreticis opprobrio plenæ subeundæ fuissent. Pontifex etiam Romæ solemni indicta supplicatione publicas Deo gratias egit, ut Joannes Franciscus Firmanus[2] sacrorum rituum Magister in suo Diario tradit his verbis :

« Die, inquit, Dominica, tertia Januarii, reverendissimus cardinalis de Aracœli celebravit Missam de Spiritu-Sancto in Ecclesia S. Spiritus, præsentibus cardinalibus, pro agendis gratiis Deo de victoria, quam Christianissimus rex Franciæ habuerat contra infideles, dictos vulgariter, *li Ugonotti*, et dicta die omnes religiones et clerus dictæ Urbis iverunt processionaliter ad Basilicam S. Petri ».

2. *Pontificis gratulatoriæ litteræ tum ad ducem Monspenserium, tum ad senatum Tolosanum.* — Hortatus etiam est Pius IV Galliæ proceres Catholicos, ut parta victoria ad delendam penitusque exscindendam Hugonottam hæresim uterentur, quo argumento extant XIII Januarii ad ducem Montispenserii datæ litteræ[3]. quibus de propugnata re Catholica gratulatus est :

[1] Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1334. Ms. card. Pii sig. n. 201. Astulph. Servant. in Act. Trid. Conc. Ms. Franc. card. Barb. sign. num. 1109. — [2] Ms. card. Pii sig. num. 201. p. 4. Jo. Fr. Firman. Diar. to. XI. — [3] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCXV.

« Dilecto filio nobili viro duci de Montpensier.

« Dilecti filii nostri Georgius titul. S. Nicolai in Carcere presbyter cardinalis de Armeniaco, et dominus de Monluc in litteris, quas ab eis proxime accepimus, Nobilitatis tuæ perhonorificam faciunt mentionem, magnopere laudantes eximium pietatis tuæ studium, ac præstantia merita erga fidem et religionem Catholicam : quod talium virorum tam præclarum de te testimonium, cum jucundissimum nobis fuerit, et ei opinioni, quam de te semper habuimus, plane consentaneum, prætermittere noluimus, quin his litteris tibi significaremus animi lætitiam singularem, quam pro paterno erga te amore nostro percepimus, in primis ex istis piis officiis tuis, pro quibus paratam tibi esse, confide, dilecte fili, copiosam mercedem ab eo, qui diligentes se diligit et se honorantes dignis tollit honoribus, cujus supernum auxilium modo summa cum lætitia charissimo in Christo filio nostro regi adeo aperte affuisse cognovimus, ut si rex ea victoria, quam Dei munere adeptus est, recte usus fuerit, ac reliquis bonis prudentibus et piis viris hortantibus et manentibus, speramus propediem pristinum suum in isto regno Dei cultum, et debitam regi obedientiam restitutum iri, quod ut ita fiat nobilitatem tuam minime dubitamus pro data sibi a Deo prudentia ac pietate, quantum monendo et hortando facere potuerit, enixurum. Die XIII Januarii MDLXIII anno IV ».

Scriptis eodem die litteris[1] Pontifex pietatem senatus Tolosani commendavit, qui præterito edoctus discrimine ad asserendam religionem Catholicam studia converterat :

» Dilectis filiis præsidibus, et consiliariis regiis Parlamenti Tholosani, etc.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCXVI.

« Multorum litteris, imprimisque ex testimonio dilecti filii nostri Georgii tit. S. Nicolai in Carcere presbyteri cardinalis, de Armeniaco vocati, cognitum habemus eximium vestrum studium erga fidem et religionem Catholicam, curamque et vigilantiam, quæ a vobis adhibetur in ea isthic tuenda et conservanda, quo nomine gratias illi agimus a quo bona cuncta procedunt, qui tam pium animum vobis dedit, quique vos excitavit et impulit, ut cum hæreticæ pravitatis pestis in istis partibus latius in dies manaret, ad eam reprimendam, eo quo decuit studio et diligentia incumberetis. Laudamus vos majorem in modum, quod, ut filii benedictionis æterni Patris et Dei nostri cultum honoremque diligitis, ejusque sanctam et orthodoxam religionem et fidem in ista nobili civitate atque provincia, incolumem conservare studetis. Facitis quod bonos et pios Ecclesiæ filios, quod fideles et prudentes Christianissimi regis ministros decet; id autem eo alacriore animo facere debetis, quo manifestius Deus ipse causam suam defendentibus adesse et opem ferre perspicitur. De dilecto filio Bellaguardiæ domino gavisi sumus luculento testimonio, quod ei dedistis in vestris litteris, quod illi etiam ab aliis apud nos impertitum fuit, etc. Die XIII Januarii MDLXIII, anno IV ».

3. *Septima sessio iterum prorogatur : de auctoritate papæ magna orta controversia.* — Cum Tridenti nondum discussa penitus essent omnia, quæ super residentia ferebantur, dubia, iterum sessionem differre coacti sunt Patres, et die XV Januarii Hercules cardinalis Mantuanus in hunc modum sanctam Synodum est allocutus :

« Prorogatio sexta sessionis VII Tridentinæ sub Pio IV, ad IV Februarii MDLXIII.

« VI mensis Januarii MDLXIII habita fuit Congregatio Generalis [1] in qua illustrissimus D. Hercules cardin. Mantuanus primus præsidens et legatus, recitata oratione Spiritus sancti, allocutus est Patres in hanc sententiam : Tam multa audiverunt dominationes vestræ his diebus, et tam diu, ut si ego vellem etiam nunc multa dicere, obtunderem aures vestras, quare omisso multiloquio dicam quæ dicenda occurrunt, quæ duo sunt. Primum, ut dominationes vestræ juxta consuetudinem S. Synodi eligant Patres aliquos ad reformandum decretum de residentia juxta censuras in eo factas. Secundo, ut statuatur dies certus pro futura sessione : nobisque videtur, ut ad quartam mensis futuri statui debeat, pudet enim nos, a XVII Septembris usque ad hanc diem nullam habitam fuisse sessionem. Dicant igitur Patres, quid sentiunt, sed separatim, et primo super deputatione facienda.

« Dictis sententiis, omnes remiserunt electionem et nominationem deputandorum in illustrissimos DD. legatos, qui dixerunt se crastina die nominaturos : deinde rogatis sententiis super die sessionis, omnes probaverunt diem propositum ab illustrissimo D. præsidente, et ita conclusum et decretum fuit, ut sessio ipsa die quarta futuri mensis Februarii celebretur.

« Distinuere etiam Patres multorum mensium flexu gravissimæ controversiæ de episcoporum institutione, ac Pontificis auctoritate declaranda [1], atque adversus eam præses Ferrerius, qui Gallorum regis oratori adjunctus erat, contendit in Congregatione apud Gallos invaluisse opinionem ex decretis Concilii Constantiensis, Concilium esse superius Pontifice, nec toleraturos, ut in decretis quidquam insereretur : cui Mantuanus cardinalis legatus graviter subjecit, velle se tueri veritatem, scilicet papam Concilio esse superiorem, nec unquam id in controversiam adductum iri, cum prius legati mortem essent oppetituri, quam id permissuri. Addidit cardinalis Seripandus, casum præsentem diversum modo ac discrepantem esse ab eo qui Constantiæ fuit, quia tunc schismate discissa erat Ecclesia, et plures Pontificatum gerebant, nec absolute Constantiense Concilium declarare voluisse Concilium, nullo vigente schismate, esse superius Pontifice, sed spectare ad Concilium declarare quisnam esset Pontifex, ac schisma tollere, ambiguosque Pontifices illi subjici, idque decretum latum pro casu urgente tunc temporis; jam vero Pontificem verum esse, atque indubitatum, nec ab ullo, qui sibi Pontificatum arroget, controversiam moveri, ut vero Galli illi adversarii nolunt verbum decreto inseri, quod officiat ipsorum opinioni, ita velle legatos inseri decreto ea verba, quæ supremæ auctoritatis Pontificiæ veritatem illustrent.

4. « Cæterum Galli illi [2], qui Basileensium schismaticorum, de quibus suis locis actum est, opinionem exsuxere, parum acute in ea controversia videbant, qui nesciebant distinguere inter hominem pictum, et vivum ac spirantem : inter id quod consecratum non ambigitur, et id quod consecratum ambigitur : atque inter Pontificem dubium et controversum, et non controversum, ut perspicua sit fallacia, si ab uno ad aliud prædicta transferantur. Eo vero progressam aliquorum Gallorum theologorum temeritatem, refert Gabriel Palæottus, ut etiam de Concilio Florentino male obloqui non perhorruerint, quorum inscitia in Annalibus perspicue confutata est. Porro Galli prudentia magis exaggerata, quam præses Ferrerius, qui apud aliquos hæreseos suspicione laborabat, de Pontificia auctoritate rectius sentiebant, atque inter eos cardinalis

[1] Angelus Massarel. Sac. Con. in actis Congr. ante sess. VII. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 181.

[1] Card. leg. lit. ad card. Borr. XXIV Januarii. Extant in Ms. Fr. card. sig. num. 1344. et in Ms. card. Pii sig. num. 201. — [2] Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 124. p. 258.

Lotharingus dixit [1] videri necessarium his temporibus acerbis turbidisque contra Sedem Apostolicam, ut tam in doctrina quam in canonibus stabiliretur auctoritas Pontificia, ac deinde ageretur de auctoritate episcoporum quorum potestas ex Pontificia oriatur, viderique optimum Pontificiam auctoritatem fortiori modo constituere, quam in Concilio Florentino constituta sit, propterea quod a quadraginta annis atrocissime ab hæreticis oppugnata sit, necnon a Gallis theologis, sed longe diversa ratione, qui se in Sorbonica schola ad tuenda decreta Basileensia sacramento abstringant. De his omnibus cardinalis Borromæus certior est factus a cardinalibus legatis Tridentinis.

5. « Retulere etiam cardinales legati, ex formula decreti de Gallorum consensu et concordia cum iis inita concepti, atque in sessione ad IV Februarii indicta promulgandi, Pontificiam auctoritatem, magis quam in Florentino Concilio constabiliri, quæ auctoritas longe atrocius a quadraginta annis quam unquam antea oppugnata fuit. Præterea maximi referre, ut Galli, qui de tuendo Concilio Basileensi in Sorbonica Academia fidem obstringere soliti sunt, cum doctorali gradu insigniuntur, recipiant canonem in Florentino Concilio sancitum, quod divinæ potentiæ opus videtur, ac ni illa admittatur concordia, ut nitide professus est cardinalis Lotharingus, Concilium non promotum iri, maximoque offendiculo sessionem nunquam peragendam, ac in populis pervulgandum, Catholicos in statuenda Pontificis auctoritate et primatu non consentire, inde etiam protestationes edendas ad liberius Concilium, ut aperte fari non verentur ; dissolvi etiam exinde Concilium posse, et discordiarum graviorum semina pullulatura.

Monuere etiam cardinalem Borromæum, Gallos, Cæsareosque, et Hispanos inter se conjunctos, quod ex eo pateat, quod Hispani in controversia de residentia in Gallorum sententiam concesserint, Gallosque oratores mandata regia accepisse, ut cum Cæsareis consentiant, etc. Tridenti XV Januarii MDLXIII ».

6. Cum vero aliquæ Gallorum petitiones implicitæ essent cum controversia, an Pontificia auctoritas suprema in Concilium porrigatur, eam litem concordiæ alendæ studio defugiendam legati sensere in litteris ad Borromæum card. IX Januarii datis, ac XVI Januarii aliis litteris significarunt agi de concordia inter præsules, ut sessio adeo expetita celebretur, eorumque dissidia magnum offendiculum populo Christiano attulisse, cum adversus hæreticos mutua voluntatum consensione conjunctissimi esse debuissent, ac si dirimendum sit Concilium, providendum esse, ut Pontificis imperio dirimatur.

7. His consentiunt, quæ a Gabriele Palæotto [1] referuntur, traditurque ab eo subjecti canonis formulam compositam, non tamen ob motas controversias promulgatam :

CANON VIII.

« Si quis dixerit beatum Petrum ex Christi institutione primum inter Apostolos, ejusque vicarium in terris non fuisse, aut in Ecclesia non oportere esse unum Pontificem Petri successorem, et cum eo regiminis auctoritate parem, et in Romana Sede legitimos ejus successores ad hæc usque tempora jus primatus in Ecclesia non habuisse, omnium Christianorum patrem, pastorem ac doctorem non extitisse, plenamque potestatem pascendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo in beato Petro eisdem traditam non fuisse ; anathema sit.

« Hinc Seripandus incipit, magnam spem offerri concordiæ et tranquillitatis, si occasionem agnoscant, certum autem periculum longarum dissensionum, si eam amittant. Inde in quo statu res sint prosequitur, et quid sibi cum Lotharingo convenerit. Prælati nonnulli primum respondent vereri ne deinde occasio disputandi de auctoritate Sanctissimi nostri aliquibus præbeatur, quod omnino fugiendum est. Legati omnes replicant, imo se ita cum Lotharingio convenisse, ne ullum hac de re verbum fiat, affirmasseque paratos illos esse non verbis tantum auctoritatem Sanctitatis suæ tueri, sed pro ea etiam sanguinem, si opus sit, effundere. Addunt alii : Hæc quæ in doctrina et VIII canone adjecta sunt, nec magni admodum facienda, cum ad primatum Petri spectent, qui satis per se, et auctoritate Concilii Florentini roboratus est. Legati replicant, verba hæc nuper adjecta multo ampliora esse, et quod cum post Concilium Florentinum tot hæreses contra primatum sint exortæ, opportunum maxime erat illas evellere. Et præterea, cum hic bona pars prælatorum Galliæ intersit, qui Basileense Concilium adversus Florentinum semper extollant, atque Concilium Summo Pontifici solent præponere, hinc nunc opinionem illam maxime labefactandam, et occasionem tam præclaram nullatenus amittendam. Instabant adhuc alii S. D. N. qui est in possessione per tot sæcula sui primatus, non esse nostris disputationibus agitandum, et hæc omnino effugienda. Verum replicatum fuit hæc nunc disputanda, atque maxime æquum videri, ut cum de dignitate episcoporum sit dicendum, Sedi etiam Apostolicæ suus honor tribuatur.

[1] Card. leg. lit. ad card. Borr. XIV Januar. Ext. in Ms. card. Pii sign. num. 201. — [2] Ext. in Ms. card. Pii sig. num. 201. Ibid. p. 329. Ext. in Ms. card. Pii sig. num. 201. p. 139.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 24. p. 255.

« His sublatis de VII can. triplicique ejus formula, plerique ei assentiebantur. Alii potius verebantur ne Hispani et Galli eos rejicerent. Sed adhuc, et ex nostris nonnulli varia eis, et adeo scrupulose objiciebant, ut Seripandus magna vehementia nonnulla replicaverit, inquiens, omnia munda mundis esse, et Spiritum sanctum hanc prærogativam noluisse, quin ejus verba possent prave detorqueri, cum hæretici etiam sacram Scripturam proscindant; non ita igitur strictim et anguste hæc indaganda. Idem et alii legati præsertim, quod ex fine doctrinæ apparebat canones, tanquam doctrinæ appendices ad eam prorsus referri, ideoque secundum illius sensum accipiendos. Legati deinde per auditorem hæc perferri ad Lotharingum jubent ». Et infra :

8. « Galli oratores [1] maxime commoventur, quasi dedita opera inserantur illa verba *Universalem Ecclesiam*, ut papa supra Concilium esse ostendatur, quod se nunquam laturos aiunt, miranturque legatos hæc verba excitasse. Legati per auditorem illis renuntiant a se ista non proficisci, sed cardinalem Lotharingum, qui in conciliandis Patrum animis operam suam interponebat, has ad eos difficultates a quibusdam Patribus inventas attulisse, quibus ipsi responsum breviter dari curant, omniaque cum illis aperte communicanda duxerunt, non ut quidquam his verbis moliantur. Oratores respondent, se habere in mandatis a rege, ut nullo pacto hanc fieri injuriam Gallicanæ Ecclesiæ patiantur, quæ non admittit papam esse supra Concilium. Cæterum in reliquis omnibus se auctoritati supremæ papæ, ut quivis alius, tribuere. Auditor nonnulla ex tempore replicavit de summa Romani Pontificis in omnes potestate, sed quoniam longius spatium ea res requirebat, addidit, multos patres et peritissimos affirmare, ea verba nullum præjudicium afferre eorum opinioni, quoniam intelligi possunt de universali Ecclesia distributive, quatenus ad singulares Ecclesias refertur, non autem collective, prout in Synodo reperitur, hac enim ratione dixerat ei Lotharingus se convicisse prælatos suos Gallos, ut iis verbis assentirentur. Verum oratores in eo acriter persistere, ut omnino tollantur ea verba, alioquin vereri se lapidibus obruendos, si in Galliam hac opinione recepta revertantur.

« Paulo post legati Senogalliensem et auditorem rursus ad Lotharingum mittunt, ut eo auctore Galli a pristino consilio avertantur. Is repetit, oratoribus constitutum, nulla prorsus ratione pati, ut dicatur papa rector universalis Ecclesiæ, alioquin paratos esse palam protestari, cum se nominatim mandatum non solum a rege, sed etiam a centum viginti prælatis Gallicis habere dicant, ne verbis hujusmodi, quæ receptæ in Galliis opinioni et scholæ Sorbonicæ de auctoritate Concilii supra papam refragantur, ullatenus assentiantur : se autem nunquam existimasse, illis adeo explicite hoc auctoritate regia injunctum fuisse. Ait præterea repugnare eos quoque, ne dicatur episcopos vocatos a papa in partem sollicitudinis, nisi res prius a theologis disputetur, hac tamen de re eos ad protestationem non descensuros, sed disputationem tantummodo aperte non petituros.

9. « Hæc ubi ad Patrum multorum, et præcipue Lusitanorum aures perferuntur, qui se Pontificiæ auctoritatis studiosissimos in Synodo semper ostenderunt, eligit statim eorum orator duos, quos secum regio nomine deduxerat sacrarum litterarum ac juris Pontificii doctrina insignes viros Didacum de Payva, et doctorem Cornelium, qui coram oratore Gallo Lansaco cum eorum theologis Gallicis congrediantur, ac Summum Pontificem [1] rectorem universalis Ecclesiæ jure appellandum, disputando tueantur. Id ipsi egregie aggressi, cum multorum aliorum concursu facto, accensisque utrinque contentiosissime studiis, in vanos clamores exiret disputatio, soluto congressu eadem postea litteris mandarunt, quæ omnibus Patribus innotuerunt. Extant de his litteræ [2] Caroli Vicecomitis ad Borromæum cardinalem, cui et aliis litteris addidit Lotharingum cardinalem opposuisse, nunquam Gallos consensuros, ut verba *Universalem Ecclesiam* in doctrinæ serie insererentur. Illusi nempe erant Galli falsa interpretatione decreti Concilii Constantiensis, in quo de Pontifice ambiguo actum erat, quem subesse Concilio exploratum est : obtrudebant etiam conciliabulum Basileense, quod post translationem a schismaticis perfidis habitum fuerat, eaque verba, quibus Pontificia auctoritas in universalem Ecclesiam illustrabatur, pro bono pacis et concordiæ tollenda contenderunt : nolebant enim præjudicium afferri opinioni illi, qua Concilii auctoritatem Pontificiæ anteponunt. Scripsit etiam fassum esse Parisiensem episcopum [3], Pontificem universalis Ecclesiæ moderatorem ac rectorem, cui Ebroicensis subjecit, intelligere Sorbonicos doctores disjunctive, non collective; at eo prudentior præses Ferrerius in Congregatione habita XI Februarii, post lectas regias litteras [4], quæ XVIII Januarii scriptæ fuerant, de Pontifice hæc verba protulit : *In Universalem Ecclesiam plenam habens potestatem.*

« Retulit decima nona Februarii cardinali Borromæo idem Vicecomes [5] profiteri omnes Pontificis auctoritatem protendi supra Eccle-

[1] Act. Conc. Trid. Gabr. Palæot. Ms. card. Barb. sign. num. 24. p. 257.

[1] Ext. in Ms. Vallic. p. 164. — [2] Car. Vicecom. in lit. ad card. Borrom. — [3] Ib. p. 345. — [4] Ib. p. 172. — [5] Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 177.

siam universalem, at Gallos contendere Ecclesiam congregatam auctoritate in ipsum Pontificem pollere : addidit in aliis litteris [1] xxv Februarii datis multas de ea re Congregationes habitas, ac doctorem Cornelium illustrasse Pontificis auctoritatem multis argumentis, atque ostendisse, antiqua Concilia stetisse auctoritati Pontificis, inter quæ Concilium Chalcedonense secutum esse auctoritatem papæ Leonis, eumque nuncupasse OEcumenicum, sive pastorem Ecclesiæ universalis. Cum autem theologi Galli affectarent Ecclesiæ potestatem amplificare, Pontificiamque imminuere, nec assentirentur in decreto verba *Universalem Ecclesiam* inseri, Lotharingus cardinalis in Congregatione dixit, nolle Gallorum regem, nolle Cæsarem Pontificiam auctoritatem oppugnari, sed disciplinam Ecclesiam gravissime constitui, ut a Vicecomite II Martii Barromæo cardinali relatum est. Conquestus vero est Pontifex apud Ferdinandum Cæsarem Gallos non assensisse, ut verba *Universalem Ecclesiam* in decreto ponerentur, ac multorum Conciliorum auctoritates ordine digestas rem confirmantes recensuit, quas a Cæsare cardinali Lotharingo propositas, et a cardinale ostensas Gallis theologis, ut expendant an vero sensui consentiant, ac quinque Congregationes modo ea de causa habitas, retulit Vicecomes in litteris medio Martio ad Carolum Borromæum cardinalem datis. Addidit etiam episcopum Quinquecclesiensem ex mandato Cæsaris perorasse in verba Concilii Pontificiam asserentis potestatem, ac multas in scriptis sententias pro Pontificis et Conciliorum auctoritate ostendisse, illique Granatensem subjecisse, de his non agendum cum Hispanis, qui Concilium Florentinum sanctissime colant, sed cum Gallis iis, qui illud non admittunt.

10. « Percussos sane horrenda cœcitate constat eos, qui Florentinum Concilium non admittunt, [in quo Pontifex cum tot Latinis et Græcis præsulibus, ac præsente Græcorum imperatore interfuit, conjunctionemque veterem cum Græcis, cum Armeniis, cum Jacobitis, cum Æthiopibus redintegravit], atque Basileense Conciliabulum amplectuntur, quod ab uno tantum pseudocardinali, et ex episcopis circiter decem ad discindendam nefario schismate Ecclesiam conflabatur, ut suis locis illustratum est. Quam vero male ii Galli doctores meriti sint de regibus Galliæ, patet ex funestis eorum operibus, nam cum Alphonsus rex Aragonum odio Eugenii IV qui Gallicas partes tuebatur in Neapolitano regno, seditionem in Basileensi Concilio concitaret, Turonensis archiepiscopus Gallici nominis proditor factioni adversus Eugenium adhæsit, ex qua discordia Galli Neapolitano regno depulsi sunt. Deinde Basileensis conciliabuli decretorum tuendorum specie incitatus est a perfidis nonnullis, verissimis Gallicæ gloriæ hostibus, Ludovicus XII adversus Julium II eaque de causa Galli Insubriæ et Liguriæ principatibus, regnoque Navarræ exciderunt ; ex quibus constat eos de Gallico nomine pessime meritos, qui Basileense conciliabulum tueantur, cum illud etiam Carolum VII et Ludovicum XI insectatos, suis locis demonstratum sit. Porro Sorbonica Academia vetus Pontificum auctoritatem ardentissime tutata est usque ad schisma adversus Urbanum VI, in quo schismate, ut se expedirent ab anathematismis antipapæ Petri e Luna Pontificiam auctoritatem oppugnarunt, ut ex Juvenale Ursino constat : quorum argumenta adversus ambiguum, non vero adversus non ambiguum Pontificem valuerunt, ut alias ostensum est. Quod si Verdunensis episcopus [1] interrogatus cur a Gallis Florentinum Concilium pro OEcumenico non haberetur, respondit, Quod in eo tantum Itali præsules cum Orientalibus antea schismaticis interfuissent, ex hoc sane responso patet, multo minus habendum pro OEcumenico Basileense conciliabulum, cui post translationem multo pauciores interfuerint, ac falsissime jactatum ab iis universalem repræsentatam Ecclesiam atque impie et imperite in nonnullis editionibus inter alia Concilia OEcumenica ea Acta inserta fuisse ac circumferri, quibus indocti illuduntur ».

11. At Gallis theologis opinionem suam pertinacius propugnantibus, legatos cardinales ad eos in concordiam redigendos studia convertisse, narrat Gabriel Palæottus [2] : « Legati autem, cum hæc quotidie increbrescere magisque implicari animadvertunt, accersunt patriarcham Hierosolymitanum, Hydruntinum, Rossanensem, Tarentinum, Rheginensem, Lancianensem, Mutinensem, Albiganensem, Senogalliensem, Vestanum, Neocastrensem, Parmensem, Vintimiliensem, auditorem, advocatum, promotorem, narratoque statu rerum mandant eis, ut quod opportunius duxerint, accurate cogitent, ad eosque referant. Interim litteræ [3] ex Urbe nuntiarunt, ut si aliter res sedari nequeat, loco verborum illorum *Universalem Ecclesiam* dicatur *Universas Ecclesias*, aut *Christifideles*, aut *Ecclesiam* : cæterum verba etiam aliquot alia mutarunt, ne desumpta ex Concilio Florentino videantur ; etenim si ex forma verborum illius Concilii hic canon componeretur, prout antea factum erat, tunc absurdum videbatur hæc sola verba *Universalem Ecclesiam* invertere. Igitur evitandi hujus incommodi causa placebat, ut sensus idem aliis tamen verbis retineretur ;

[1] Ib. p. 177. Ib. p. 187 et 175. Ib. p. 191. Ib. p. 207.

[1] Ib. p. 262. — [2] Gabr. Palæot. in Actis Ms. Conc. Trid. Ext. in Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 24. p. 258. — [3] Act. Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 258.

reliqua prudentiæ legatorum committebantur».

Verum Galli adhuc in eo vehementer persistebant, ut nihil hac de re prius statueretur, quam disputatio publice proponeretur, alioquin graviter se læsos iri ostendebant, cumque eis objiceretur, jam id in Concilio Florentino definitum, ipsi non verebantur Concilium id schismaticum appellare. Obcœcatos hac crassissima ignorantia ex illius Concilii historia a nobis suo loco demonstratum est. Et cum replicaretur imo in Concilio Lateranensi sub Leone X omnes status Galliarum approbasse Concilium Florentinum, dicebant ipsi Universitatem Parisiensem semper restitisse. (Quasi vero Concilia illa OEcumenica desinant esse OEcumenica ac fiant irrita, nisi Academia Parisiensis iis assenserit, ac non potius Academia Parisiensis rea schismatis tunc fuerit, si resistere ausa sit, vel Galliarum præsules Academiæ illi sint obnoxii) ideoque non præeunte disputatione hæc nequaquam ab ipsis recipienda. Quocirca ut hæc majori adhuc maturitate indigere viderentur, respondent legatis prælati illi, quibus consultandi munus datum fuerat, commodius videri ut Sessio in ulteriorem diem protrahatur, interimque sedandis his controversiis opera omnis adhibeatur, ac tantisper de abusibus Ordinum ac sacramento Matrimonii, si placebit, agatur. Quod quidem, tum legatis, tum Lotharingo, ac Madrutio mire probatum fuit, præsertim, quod cum Lotharingus vere omnia conatus fuisse diceretur, ut Gallos flecteret, quamvis oratoribus ipsis, et episcopis, et theologis minoribus Gallicis refragantibus nihil effecisset, spes tamen nostros non deserebat, illos ab eodem Lotharingo commodius mitigari posse; sed et ille, cum nova quotidie discordiarum semina spargerentur, suspicatus, ne eo nomine ab aliquibus apud Sanctissimum in culpam vocaretur, litteris suis [1] ad eumdem rei totius progressum prosequitur, rogans etiam illius Sanctitatem, ut verba illa de *Universali Ecclesia* omitti prætermitteret, quibus Gallica natio vehementer perturbatur, nec afflictionem addi afflicto, benigne patiatur. Opinatus est quoque Cæsarei sigilli præfectus expungenda e decreto verba *Universalem Ecclesiam*, ne lis de potestate Pontificis suprema in Concilium agitaretur.

12. *Querelæ cardinalis Lotharingi de creatione cardinalium, pendente Concilio.* — XVIII Januarii habita est Congregatio, in qua cardinalis Lotharingus questus est, multa Romæ fieri contra Conciliorum decreta, atque etiam adversus Tridentini auctoritatem, cum Pontifex duos cardinales jure suo renuntiasset, hanc enim fuisse querelarum causam illustrat Gabriel Palæottus [2] :

« Litteræ ex Urbe satis improviso nuntiant duos cardinales die festo Epiphaniæ a papa creatos fuisse Fridericum Gonzagam nepotem Mantuani, et D. Hernandum filium ducis Florentiæ. Hæc res valde omnium animos perturbavit, nam pendente Concilio, in quo de ordinanda Ecclesia quotidie tanta severitate agitur, nemo existimasset, nulla necessitate urgente, duos cardinales, quorum alter ætate annorum octodecim, alter undecim esset, eligi debere. Qui papam tuebantur, aiebant eum non solum exemplo Pauli III et Julii III voluisse pendente Concilio cardinales promovere [1], ne Pontificia potestas Concilio subjecta videretur, verum etiam, ut ducem Florentinum mœrore sublevaret, cui nuper filii duo, alterque ex iis cardinalis, et simul uxor ejus ducissa obiissent. Hac occasione, et Gonzagam additum in gratiam cardinalis Mantuani, qui cum veteribus calumniis circumventus abdicandi se ab hoc legationis munere interdum sibi facultatem dari postularet, voluisse nunc papam, etsi nonnihil alias de eo suspicari visus fuerat, nunc tum re certius comperta, hac dignitate, dudum ab eo nepoti suo expetita, illius animum adversus inanes voculas vulgaresque rumores munire ».

Addit Astulphus Servantius [2] a decima octava Januarii, usque ad ultimum diem nullam fuisse coactam Congregationem ob gravissima præsulum dissidia, quorum pars contendebat agendum de jurisdictione episcoporum, disceptandumque de Pontificis auctoritate, at partem aliam longe ampliorem acerrime adversatam quod iniquum diceret, revocare in dubium auctoritatem vicarii Christi, adeo certam firmamque, atque a tot Conciliis et sanctis Patribus comprobatam, nullaque ratione assensisse, ut de ea lis moveretur.

13. *De residentia oritur quæstio.* — Obortam etiam dicit aliam gravem controversiam inter deputatos præsules, quibus præerant Lotharingus et Madrutius cardinales, de reformando residentiæ decreto, flagitante eorum parte, ut declararetur, quo jure ad residendum obstricti essent episcopi, an divino, an positivo a Pontifice sancito, eaque de causa Granatensem atque Hydruntinum acerbis inter se verbis certasse; quæ vero ea fuerint, retulere cardinales legati [3] cardinali Borromæo, dixisse in Congregatione Granatensem, eum qui diceret non esse præcepti divini, ut episcopi pascant gregem et munera episcopalia exerceant, hæresim asserere : cum vero Hydruntinum his verbis innueret, addidisse, quempiam dicere posse hæresim, non tamen hæreticum esse.

[1] Carol. Vicecom. in lit. ad card. Borr. Ext. in Ms. card. Joan. Bapt. Spadæ p. 200. — [2] Ms. Fr. card. Barb. Auctore Gabr. Pal. p. 308. Astulph. Servant. in Actis card. leg. card. Pii Gabr. Palæ. to. II. initio ex Bibl. card. Pii. Act. Cons. VI Jan. Ms. car. Spadæ sig. num. 134.

[1] Gabr. Pal. in Act. Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. et Ms. card. Pii tom. II. — [2] Act. Tric. per Astulph. Servant. XVIII Febr. — [3] Card. leg. Ep. CCXXXIV. XXIV Jan. MDLXIII.

Plura eo argumento docte et pie disceptata fuere, ex quibus hæc a Gabriele Palæotto delibanda videntur :

« Quinquecclesiensis dixit : Triplex est residentia. Prima superstitiosa, ut quidam scrupulosi aiunt, ita ut nec majori charitate urgente, nec ex causa obedientiæ, aut necessitate Ecclesiastica velint abesse, ut etiam Segobiensis et cardinalis Lotharingiæ adverterunt, dico igitur hanc esse juris superstitiosi. Secunda est hypocritica, ubi quis residet, ut gregem tantum tondeat, mulgeat et omnia expilet, et ista est juris diabolici. Tertia nascitur ex re ipsa, quod est vere et fideliter pascere, et exclusis legitimis causis, ut exemplo, prædicationibus, Sacramentis erudiat populum, et hanc, si dicerem non esse ex jure divino, viderer mihi parum fidelis esse ; atque hoc vocabulum residentiæ licet non reperiatur in sacris Litteris, res tamen ipsa satis invenitur, prout Purgatorium, Confessio auricularis, Trinitas, Consubstantialis, Missa, et similia. Sicuti igitur de auriculari Confessione in eodem modo Concilio cautum est, esse de jure divino ex necessaria consequentia, non video, cur non idem et in residentia sit dicendum, nam et praxis Ecclesiæ, ad quam semper confugiendum est, id docet, quæ recens consecratis episcopis præcipit, *Vade, et prædica populo.* Igitur nisi legitime impeditus sit, utique jure divino tenetur.

« Secunda propositio, an hodie expediat declarari, dubium facit primo, quia tot annis mille quingentis sexagintis duobus nihil unquam tale statutum. Secundo, quia aditus aperitur hæreticis ad oppugnanda decreta Ecclesiæ. Tertio quia diminuit jus papæ, ne possit dispensare super residentia ; hanc rationem episcopus, qui concionatus est, ne declararetur residentia juris divini afferens, hæc addidit : Quid crebrius nobis hæretici objiciunt, quam Pontificis nostri Maximi sanctiones, tanquam humanas non æstimandas, divinas vero voces solum amplectendas? Parumne est, ut hæ hæreticorum in Ecclesia Catholica calumniæ Concilii Œcumenici auctoritate videantur comprobari etc? Quarto non tenetur Concilium declarare omnes veritates, sed tantum, quæ controversæ sunt inter hæreticos. Quinto quia jus divinum æque in omnibus est retinendum, sed variæ sunt Ecclesiæ, in quibus non possunt pastores permanere ob injurias sæcularium, et quia necessarii sunt episcopi in consiliis principum pro utilitate Ecclesiæ et alias ob multas causas.

« Verum et in contrarium, quod imo expediat illud. Primo, quia est necessaria reformatio maxime hoc tempore, et in hac re. Secundo, quia in deploratissimis rebus confugiunt medici ad extrema remedia, sic hoc tempore ad jus divinum recurrendum, cum alia non possint. Tertio, quia principes ita cessabunt ab injuriis, cum videant jure divino hoc statutum. Quarto quia non potest id amplius omitti absque maximo scandalo, et populi expectant, an simus justi judices in causa nostra, etc ».

Addidere etiam nonnulli inductam fuisse nimiam licentiam [1], ut præsules in regum et principum aula versentur, ut ambitioni aut voluptati suæ lenocinentur, eamque ut multorum malorum causam exscindendam.

« Hactenus, inquiebant, qui aulas Pontificum et regum ambitionis aut voluptatis causa sunt secuti, id forte sibi licere existimabant, quod inde non expellebantur, nec errare, quod non plectebantur. Ita factum est, ut dum quisque sibi quod alteri licere putat, omnes pariter de via decesserint, quodque exemplo faciebant, id jure etiam se facere arbitrarentur, nunc cælesti hac lege promulgata, omnes errorum tenebræ disjiciuntur, nullusque colludendi, connivendi, titubandive angulus relinquitur, nam si homicidas, si fures, si raptores magistratus de medio tollunt, quod divina lex, cujus ministri sunt, in eos jubeat animadverti, nec principibus quidem licebit sustinere, ut vagi circumforaneique episcopi sibi ante oculos versentur, sed eos statim ad supremum Ecclesiæ antistitem deferent, quandoquidem hoc juri divino intelligunt repugnare. In aliis legibus dubitare quisquis potest, ne aut calliditate aliquando eludantur, aut desuetudine tollantur, aut temporis injuria aboleantur. At divinum jus quacumque fraude perverti, aut temporis cursu imminui, aut exquisitis ullis artibus non poterit violari ». Institisse Hispanos præsules acerrime, ut residentia juris divini promulgaretur, referunt cardinalium legatorum litteræ [2] prima Februarii ad Carolum Borromæum cardinalem datæ.

14. *Philiberti Sabaudiæ ducis recipitur orator, cui respondet sancta Synodus.* — Ultima Januarii Marcus Antonius Bobba Augustæ Prætoriæ episcopus, orator Emanuelis Philiberti ducis Sabaudiæ, in generali Congregatione exceptus est, atque ab eo subjectæ litteræ [3] ducales exhibitæ fuerunt :

« Sacrosanctæ Œcumenicæ Synodo Tridenti in Spiritu sancto congregatæ.

« Illustrissimi et reverendissimi Patres. In tanta rerum omnium perturbatione, in qua totus Christianus orbis periclitatur, illud nobis, ut certissimum, ita unicum remedium, quod ab istius sacrosancti Concilii diu desiderata definitione dependet, relictum esse videtur. Reliquæ enim omnes, quæ huic morbo adhibentur, medelæ, vulnus potius exacerbare quam obducere dignoscuntur. Quare et Pontifici summo,

[1] Ex Conc. de residentia. — [2] Ext. in Ms. card. Pii sig. n. 201. — [3] Astulph. Serv. in Diar. Conc. Trid. Ms. Franc. car. Bar. sig. num. 1109. p. 107. Ext. in Act. VII. Sess. Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 195.

qui hoc tam salubre medicamentum adhiberi voluerit, et vobis omnibus, qui vestra opera, diligentia, virtute in hanc rem prorsus incumbere, et pro religione tot labores sustinere non recusatis, maxime sunt agendæ gratiæ; Christianis vero omnibus summopere gaudendum, quod religione suo pristino candori prorsus restituta, et omnibus erroribus dispulsis viam quam sequantur, veritatis, minime sint ignoraturi. Mihi quidem nulla res gratior, nec desiderabilior obvenire poterat, tum totius reipublicæ Christianæ causa, tum etiam populorum meorum, ut quos a bellorum anfractibus divino munere liberatos mea magna lætitia conspicio, eos etiam animarum pace fruentes majore cum lætitia intelligam. Quod si serius ad vos oratorem et procuratorem meum, qui mos omnibus Catholicis principibus est antiquus, destinavi, id facile mihi a vobis condonatum iri existimo, si varia, atque eadem gravia negotia, quæ me hactenus totum occupaverunt, considerare non dedignabimini. Nunc, cum primum licuit, reverendum episcopum Augustensem istuc mittendum curavi, qui et oratoris et procuratoris mei munere apud istam sacrosanctam Synodum fungatur : ab eo intelligetis, et quanto in periculo constituti simus, et quo teneamur desiderio conventum hunc vestrum unanimi consensu ad totius orbis Christiani quietem, et ad Catholicæ religionis augmentum perfici, qua denique afficiamur voluntate, vestra decreta vestrasque definitiones, quantum in nobis fuerit, omnibus favoribus prosequi, et adjuvare, ut quod a vobis Spiritu sancto cooperante determinatum fuerit, id a nobis pro virili nostro sincere executioni demandetur. Valete. Taurini kalendis Januarii MDLXIII.

« Illustrissimarum et reverendissimarum vestrarum dominationum obsequentissimus filius dux Sabaudiæ.

« EMANUEL PHILIBERT ».

15. Lecta deinde est formula mandati ab eodem duce eidem Marco Antonio Bobbæ episcopo Augustensi oratori dati Ripolis prima Januarii ejusdem anni, qua perlecta memoratus episcopus insigni oratione, quam apud Labbè invenies, ducis Sabaudiæ constantissimam in defendenda religione pietatem, studiumque flagrantissimum, necnon quantis periculis cinctus esset ab hostibus fidei, exposuit, cui nomine Synodi hoc responsum redditum est :

« Responsum sanctæ Synodi in admissione oratoris illustrissimi domini ducis Sabaudiæ.

« Reverendissime domine, ac illustris orator. Multæ sunt et quidem graves rationes, quæ sanctæ hujus Œcumenicæ Synodi animum et voluntatem excitare debent ad ea omni diligentia persequenda, et juvante Domino perficienda, quæ summa bonorum omnium approbatione instituit; hoc enim Christianæ reipublicæ afflicta sane et misera conditio postulat, fidelis populus non solum expectat, sed etiam flagitat, charitas suadet, et Sanctissimi domini nostri Pii IV Pontificis Maximi summa auctoritas suo jure expetere videtur. Verumtamen spes illa, quæ in dies major bene gerendæ rei ostenditur, ita ejus studium commovit, ut sua sponte satis incitata nullius cohortatione indigeat; nam ut omittamus, ejus benignitate, in cujus manu corda sunt regum, factum est, ut præter omnium opinionem pax inter Christianos principes constitueretur, sine qua aut Generale Concilium cogi, aut de eo convocando ne cogitari quidem ullo modo poterat; cum sancta Synodus animo repetit, quæ deinde consecuta sunt, in maximam spem adducitur fore, ut Deus sanctæ Ecclesiæ calamitates miseratus laborum suorum exitum afferat, quem omnes optant. Ac primum quidem illud mirum videri debet tantum brevi temporis spatio ex remotis et disjunctissimis locis Patrum concursum factum esse, deinde posteaquam de gravissimis rebus agi cæptum est, quamvis in deliberando nonnullæ interdum et variæ disputationes orirentur, quod alia ratione veritas satis elucere non posset, tamen in decernendo summa inter omnes et vere Christiana consensio nunquam defuit. Præterea in quo omnia fere esse posita videntur, tanta Catholicorum principum alacritas, tam propensa in orthodoxam fidem omnium voluntas, tanta animorum conspiratio, tot honestissimis legationibus declarata est, ut hoc veluti certissimum constituendæ Ecclesiæ pignus a Deo immortali sacrosancta Synodus habeat. At vero inter cæteros maximi nominis principes, cujus se vel dignitate ornari, vel pietate et opibus plurimum juvari posse sibi persuadet, quanti facere debeat Emanuelis Philiberti optimi et fortissimi Sabaudiæ ducis clarissimum nomen atque auctoritatem, multo notius est, quam ut pluribus verbis demonstrari oporteat. Ut autem multa paucis comprehendantur, satis illud argumento esse poterit, quod dux vester nobilissimi generis splendorem, ditionis amplitudinem, summam bellicæ artis et cæterarum virtutum gloriam ita cum veræ pietatis et religionis studio conjunxit, ut simul regnandi et Catholicæ fidei defendendæ initium fecerit. Itaque, reverendissime domine, vel quod ejus principis personam geris, in quo sancta Synodus multum præsidii positum esse jure optimo existimat, vel quod te iis virtutibus ornatum esse intelligit, quæ tam gravi personæ et causæ maxime conveniunt, et summa lætitia venientem excepit, et ea modo loquentem, quæ a prudenti viro et pietatis studiosissimo expectanda erant, libenter audivit, atque in posterum omnia benevolentiæ et humanitatis officia, quæ nunc tibi prolixe pollicetur, re ipsa multo libentius præs-

tabit: mandatum vero tuum, prout juris est, benigno animo admittit ».

16. *Legati Commendonum cum instructione ad imperatorem mittunt.* — Ineunte Februario, Ferdinandus Cæsar acto Germaniæ conventu, in quo Maximilianum filium successorem sibi in imperio designaverat, ut ex propinquo Tridentinis actionibus Patribusque adesset, Œnipontem accesserat, oppidum ditionis suæ haud ferme plus centum millibus passibus a Tridento distans. Ad eum conveniendum ex omnibus maxime idoneus visus est Jo. Franciscus Commendonus, quem legati Venetiis evocatum hisce instructum mandatis, quæ postea Romam transmissa fuere, proficisci extemplo jubent.

Præfari in primis jussus est amantissima officiorum verba, ac dein exponere validissime imperatoriæ majestati [1], ut si velit Concilium optimum progressum finemque sortiri, quem quidem ipsam expetere tanquam primogenitum et advocatum Ecclesiæ, haud ambigendum, ea quæ spectant ad auctoritatem Pontificis prætermittat, cum Pontifex sui muneris haud ignarus, nil eorum quæ gerenda sunt prætermissurus unquam sit, quod et jam magna ex parte provocavit in opus, ac in dies plura perficere meditatur. Verum si quando visum esset prudenti judicio imperatoriæ majestatis, ut aliqua ex iis, quæ Pontificiam auctoritatem spectant, emendationi subjicerentur, suaderet Commendonus imperatori, ut ipsemet cum Pontifice, remota alterius opera, hæc transigeret, neque ad Tridentinum Concilium, ubi ejusmodi agitare, neque utile neque conveniens, illa deferret. Non defuturum Pontificem suo muneri, si cum illo agat, cujus optimam mentem jam sibi cæterisque satis superque exploratam sciebant. Legatos ipsos, ubi eorum opera Cæsar in hac re uti velit, paratissimos sese exhibere, quibus perspectissimum jam erat Pontificem, tum suapte prudentia, tum religionis studio nihil eorum, quæ peragere consentaneum fuerit, prætermissurum. Commendonus igitur ad Cæsarem veniens ab omni illum cogitatione, si qua injecta illi fuerat, novandi aliquid, aut fovendi alterius cujusquam consilia, quibus arbitria Patrum labefactari, aut scindi consensus voluntasque eorum posset, abduxit, et si quid incommodæ opinionis animo ejus inculcatum a suis hæserat, feliciter evulsit. Quod quanto progressus Concilii commodo acciderit, illud documento est, quod cum Cæsar in articulis agitandis, iis se implicare vellet, quæ ad imperatorem non spectabant, cardinalis Seripandus [2] censuerit a Pontifice edendum Diploma, quo corruptelas omnes ac vitia exscindi velle testaretur, allato Pauli III exemplo, qui Carolum Quintum nonnulla adversus Sedis Apostolicæ auctoritatem in conventu Ordinum imperii anno millesimo quingentesimo quadragesimo quarto coacto decernentem gravissimo Diplomate corripuit.

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 131. Extr. ex Ital. — [2] Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 175.

17. *Septima septimæ sessionis prorogatio.* — Interea, Tridenti, cum rerum discutiendarum moles excresceret, nec discrepantes inter se multorum sententiæ in unam coire valuissent, solemnem Patrum consessum prorogare iterum visum est. Die itaque tertia Februarii cardinalis Mantuanus, coacta generali Congregatione, hoc qui sequitur modo [1] disseruit:

Prorogatio septima Sessionis VII *Tridentinæ sub Pio IV Pont. Max. ad* XXII *Aprilis* MDLXIII.

« Verba illustrissimi cardinalis Mantuani.

« Pervenimus ad diem Sessionis, sed non pervenimus ad concordiam, quæ sessionem antecedere debeat. Nam cum magnus ille peccatorum nostrorum cumulus sublatus non esset, qui inter misericordiarum Patrem et nos intercedit, illius ad nos misericordia descendere non potuit, qua contentio, quæ effusa est super principes Ecclesiæ, disperderetur. Quare coacti fuimus cogitare de proroganda Sessione, idque faciendum erat vel ad breve tempus, vel ad longum; si ad breve, considerabamus nos incurrere posse in voculas et reprehensionem hominum iniqua loquentium, quasi nihil aliud agere sciremus quam differre Sessiones; si ad longum, timebamus ne dominationibus vestris grave videretur, cum tamdiu cessando hic detineantur. Elegimus itaque tempus, quod nobis visum est non supervacaneum, sed esse medium inter multum et parvum, breve et longum, in quo omnia, quæ mox subjiciam, tractarentur: illud vero fuit ab hac die ad feriam post octavam Resurrectionis Domini, quæ erit XXII Aprilis. Interea cuperemus ut tractarentur hæc: Primum ut colligerentur abusus, qui irrepseruut in sacramentum Ordinis, et a Patribus mitterentur ad secretarium, ut proponi possint, deinde ut theologi disputarent de his articulis, qui pertinent ad sacramentum Matrimonii, ut a nobis præstaretur quod a nobis promulgatum fuit in superiori Sessione, ut simile de Sacramento Ordinis et Matrimonii simul decerneretur. Quod si Dei benignitas nos interea ex alto ita respiceret, ut omnia quæ dixi acta et transacta essent, Patresque inter se convenissent, tempus quod sumptum esset contrahere possemus, et Sessionem maturius habere. Hoc temporis spatium nimis laxum alicui videri non potest, qui sciat quot dies ponant theologi in disputationibus suis, et quot Patres in dicendis sententiis. Deli-

[1] Angel. Mass. Secr. Conc. in Actis Congreg. ante sess. VII. sub Pio IV. Ms. car. Vat. sig. num. 3212. et ex eo Astulph. Servan. in Act. Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sig. 1109. p. 108. Act. Conc. Trid. per Astulph. Servan.

berent igitur dominationes vestræ, ut si tempus probabitur, dari possint die crastina articuli theologis, qui die Lunæ dicere incipiant. Servabitur vero hic ordo. Mane dicent theologi, et a prandio Patres proponent abusus de Sacramento Ordinis; ita ut ne punctum quidem temporis frustra conteratur ».

Rogatæ dein Patrum sententiæ, an condicta dies pro celebranda Sessione grata haberetur; a majore parte fuit admissa.

18. Extrahendi autem Concilii inter alias illa sæpe inerat causa [1], quod episcopi ad alia, quam ad proposita responderent, nec interrumpi possent, ne exosa protestatione libertatem dicendi sibi adimi quererentur, cum putarent episcopi, ut card. Lotharingus dixit, se in regno suo modo versari, sæpe namque effrænata superbia libertas appetit apparere ac vitia virtutum specie inchoant, sed aspera contrarietate perturbant. Cumque appetitæ ostensionis vis ad effrænationem locutionis impellit, quasi sub studio consulendi libido erumpit apparendi.

Lotharingus quoque cardinalis expostulabat, quod graves in Romana curia corruptelæ inolescerent, ac Romæ sacerdotia traderentur curialibus, qui non curent Ecclesias, sed earum curam inopibus atque imperitis sacerdotibus committant; unde plurima Ecclesiarum excidia. Hæc tolerari ultra non posse. Duos jam fratres se pro Ecclesia Catholica pugnantes amisisse. Commotum Lotharingi animum Carolus Vintimiliensis episcopus lenire orsus, plures jam respondit corruptelas a Pontifice sublatas; ad reliquas etiam succindendas comparatum inesse animo; cæterum ne gravaretur recolere, quod olim Turrecremata in Concilio Basileensi dixerat, *Tollendum esse abusum, non usum*, si ulterius promota non fuerit Ecclesiasticæ disciplinæ instauratio, non id pie mentis defectui, sed quod agendorum ordo ita exigeret, adscribendum erat.

19. *Articuli de Sacramento Matrimonii a theologis minoris ordinis discutiuntur.* — Feria V, IV Februarii MDLXIII, propositi sunt articuli de Sacramento Matrimonii, ut a theologis minoris ordinis excuterentur.

« I. Matrimonium non esse Sacramentum a Deo institutum, sed ab hominibus in Ecclesiam invectum, nec habere promissionem gratiæ.

II. Parentes posse irritare matrimonia clandestina, nec esse vere matrimonia, quæ sic contrahuntur, expedireque ut in Ecclesia hujusmodi in futurum irritentur.

2 *Classis Theologorum.*

« III. Licere post repudiatam uxorem causa fornicationis iterum contrahere vivente priore uxore, erroremque esse extra illam causam fornicationis divortium facere.

« IV. Licere Christianis habere plures uxores, prohibitionesque conjugiorum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab ethnicorum superstitione profectam.

3 *Classis Theologorum.*

« V. Matrimonium non postponendum, sed anteferendum castitati, ac Deum dare conjugibus majorem gratiam quam aliis.

« VI. Licite contrahere posse matrimonium sacerdotes Occidentales, non obstante voto vel lege Ecclesiastica, et oppositum nihil aliud esse, quam damnare matrimonia, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se habere donum castitatis.

4 *Classis.*

« VII. Gradus consanguinitatis et affinitatis descriptos Levit. cap. 18 præcipue servari debere, non plures, neque pauciores.

« VIII. Solam impotentiam coeundi, et ignorantiam contractus dirimere matrimonium, causasque matrimonii spectare ad principes sæculares.

20. « Nona Februarii, feria tertia, excuti cæpti sunt ii articuli a theologis, atque Alphonsus Salmeron Hispanus primæ classis theologus, idemque Societatis Jesu, a Summo Pontifice missus, circa primum articulum ita peroravit :

« Præmisit aliud esse cæremoniam sensibilem in Sacramento Ordinis, aliud potestatem, quæ confertur, ita in Sacramento Matrimonii quod est conjunctio maris et fœminæ inter legitimas personas, quæ non est conjunctio corporis sed animorum, alias inter Joseph et beatam Virginem non fuisset legitimum matrimonium, unde dicitur una caro, et unus homo, et una persona fictione juris positivi, non ratione conjunctionis carnis, sed animorum, qui debent perpetuo simul permanere ; per consensum enim traditur potestas alterius in alterum, quod est contractus matrimonii, qui contractus ita habetur ad copulam, ut causa ad effectum.

« Item considerandum, quod matrimonium dicitur Sacramentum, cum sit apud omnes gentes : est autem Sacramentum ea ratione, qua conveniunt signa sensibilia a Deo ordinata ad conferendam gratiam. Primus igitur articulus hæreticus est, nam matrimonium Sacramentum est, benedixit enim Deus Adam et Evæ, quod tamen non dilucide probat, cum benedixerit etiam Deus pisces et cuncta animalia, id est, ut multiplicarentur, et quod legitur etiam de verbis Angeli ad Tobiam, quæ loca non probant,

[1] Lit. leg. card. Trid. ad card. Borr. sig. num. 1344. Ep. CCLI. Ms. Jo. Bapt. car. Spa. p. 233. Ast. Serv. in Act. Conc. Trid. p. 108.

cum alias esset Sacramentum veteris legis, non autem novæ; neque facit, quod Paulus dicit : *Mulier, quæ permanserit in fide, salvabitur per filiorum generationem*, cum aliæ mulieres si permanserint in fide, salvabuntur. Neque quod idem Paulus ad Thessalonicenses cap. 5. *Ut unusquisque sciat vas suum possidere in sanctificationem*, neque id habetur ex eo *honorabile connubium, thorus immaculatus*, quia contraponitur a Paulo matrimonium fornicationi, et alias in lege naturæ matrimonium fuisset Sacramentum.

« Probatur autem matrimonium esse Sacramentum ad Ephes. cap. 5. *Diligite uxores vestras. Sacramentum hoc magnum est.* Item Paulus exhortatur dilectionem conjugis tribus modis, nam per pronomen HOC Paulus matrimonium intelligit, licet aliqui, ut Methodius discipulus Augustini, male intelligant de Sacramento Eucharistiæ, qui sensus ab Ecclesia ignoratur. Aliqui dicunt intelligi de iis, quæ ibi sequuntur, ut sit mysterium magnum, ut Lutherus intelligit, qui intellectus reprobandus, cum rei non conveniat. Sancti vero Patres de Sacramento matrimonii intellexerunt, ut Ambrosius 5, ad Ephes. et Theophilactus in eodem loco. Aug. lib. I cap. 21, de Nupt. et concupisc. Innoc. III in Epist. ad epic. Atrebaten. et Concil. Florent. Item est ita intelligendum, cum matrimonium sit via ad intelligendam conjunctionem Christi cum Ecclesia, est enim magnum Sacramentum, ut vir relinquat patrem et matrem propter suam uxorem, nam in Novo Testamento matrimonium est quid divinum, quod non erat in veteri.

« Responditque ad argumenta, quæ contra adducuntur. Verba Moysi : *Propter hoc relinquet, etc.* Verba illa significare matrimonia omnia in genere. In Novo autem Testamento matrimonium est Sacramentum, quia significat unionem Christi cum Ecclesia, et hac ratione gratiam confert.

« Et cum dicunt Paulum dixisse mysterium, etc. Respondeo idem significare apud Latinos, quod Sacramentum. Et cum dicant matrimonium esse quid publicum, ego respondeo omnia Sacramenta esse publica et visibilia, sed continere secreta mysteria, quæ non apparent. Neque repugnat, quod aliqui Patres aliter locum illum intellexerint, cum unus locus Scripturæ plures possit habere sensus, ut facit de verbis illis : *Filius meus es tu, ego hodie genui te.*

«Quod ad Traditiones : Concil. Carthagin. 4, cap. 12, Constan. sess. 15. Flor. et hoc Trident. Item Leo. Ep. 76. ad Rustic. Innoc. I. Ep. 9. Innocent. III. ad Episc. Atreb. Lucius III, cap. 9. ad abolendam de hæret. Martin. V. in Bull. Conc. Constantien. Tertull. lib. 2. ad uxorem. Augustin. lib. I d Nuptiis et Concupisc. et lib. adv. hæreses, hæresi 90. in lib. Alterc. Synag. Bernard. serm. 60 et in Vit. Malachiæ episc. Hibern. Responditque ad argumenta contrariorum.

« Primum cum dicunt matrimonium non habere materiam et formam, respondit id esse falsum ; est enim ratione generica Sacramentum, licet specie differat ab aliis : conveniunt autem in una ratione univoca, Thomas enim inquit materiam esse dationem dexteræ et annuli, et formam verba, vel si nutus interveniat loco verborum.

« Cum dicunt non adesse ministrum ; respondit quoad sacramentalia esse sacerdotem, quoad essentialia ipsosmet inter se consentientes.

« Idem cum dicunt quod alias non esset matrimonium, quod contrahitur per procuratorem. Respondeo quod etiam in eo est vera ratio Sacramenti, nam licet ordinarie contrahatur per consentientes, in casu tamen fit per procuratorem.

« Item, quod dicitur intervenit pecunia [1], ergo non est Sacramentum. Pecunia non datur Sacramento, sed pro sustinendis oneribus matrimonii, ut cum venditur calix consecratus, vel sacerdos locat operam suam. Et quod Dionysius non meminerit hujus Sacramenti in Ecclesiastica Hierarchia, respondeo, Dionysium intendere ibi texere Hierarchiam Ecclesiasticam, ad quam non spectat hoc Sacramentum.

« Quoad articulum secundum de clandestino matrimonio, Lutherus ea matrimonia non rata esse asserit, clandestina autem dicuntur, quæ fiunt absque testibus, ut Alex. papa. Item quæ privantur solemnitatibus Ecclesiæ, ut Evaristus cap. aliter 30 q. I. Item quæ fiunt absque publicis proclamationibus, ut habetur in c. Cum inhib. de cland. desp. An autem sint legitima ? Respondeo, si respiciamus leges quæ matrimonium præscribunt, sunt illegitima, quia contra eas contrahuntur. Si autem respiciamus essentialia matrimonii, ea rata et firma sunt, ut Gen. 2. *Propter hoc relinquet*, etc. ubi non relinquitur, nisi consensus, etc. et Tobias contraxit, inscio parente. Nicol. I. cap. Sufficiat, 27. quæst. 2. Chrysost. super Matth. Isidor. in cap. Tuæ Fraternitati de sponsal., in quibus requiritur tantum consensus. Alex. c. Licet de sponsa. duo, ac etiam Innoc. 3. et Alex. cap. Quod nobis, Eucharist. in cap. Aliter in fin. Ambros. Ep. ad Sisinium et lib. I. de Virginibus, et ab Ecclesia Romana uti rata et firma recipiuntur.

« Præterea est ibi materia et forma, neque accidentia essentiam rei variant, neque omissione accidentalium Sacramenta minus constituuntur, et licet leges aliquando sic contrahentes puniant, non tamen matrimonia invalidant, sed debent contrahi ab iis, qui pervenerunt ad annos pubertatis, qui licet filii familias sint,

[1] Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv.

liberi tamen sunt, neque a parentibus cogi possunt, nisi quatenus ratione compelluntur, nam consensus parentum nullus est, nisi consensus filiorum accedat, ut Hormisd. decret. Epist. declaratur, de qua in cap. Nullus 30, quæst. 5. Et sicut servus contrahere potest, repugnante domino cap. I, de conjug. ser., multo magis filii, cum major sit potestas dominorum in servos, quam parentum in filios. Responditque ad argumenta adversariorum, ubi Scripturæ testimoniis probatur, parentes dedisse uxores filiis, ut Isaac Jacob. Item respondeo Rebecchæ etiam consensum requisitum fuisse, *Vis ire,* etc. et tunc expedivisse, ut uxores alienigenæ non caperentur. Ecclesia autem potest hujusmodi matrimonia irritare, ut invalida, sicut invalidare potest alios contractus et prohibere, gradus dilatare et restringere, quia materiam inhabilem reddit. An autem expediat id fieri, proposuit scandala, quæ ex irritatione et quæ ex invaliditate oriuntur, eaque attendenda sunt, quæ majora sunt, multaque ex utraque parte retulit, sed judicium reliquit arbitrio Synodi ».

21. In proximis Congregationibus alii theologi disseruere, utque spectantia ad hoc argumentum conjungamus, licet ordine temporis posteriora fuerint :

Decima-septima Februarii Congregatio habita est, in qua Petrus Sotus Ordinis Sancti Dominici Hispanus hæc verba [1] fecit :

« Ad tertium articulum, si licet dimissa uxore per fornicationem aliam ducere vivente priore uxore, respondeo hæreticum esse, licet quæstio hæc dubia aliquantulum in Ecclesia fuerit, unde Aug. cap. 8, de fide et operibus dicit, in ea aliquem posse venialiter falli, Origenes super Matthæum refert plures episcopos permisisse alterius conjugium.

« Nunc autem hæc quæstio in Ecclesia explicata est, ut nullo modo liceat alteram uxorem ducere, quod auctoritatibus sacræ Scripturæ comprobatum est. Paul. ad Rom. 7, ait *Mulier, vivente viro, alligata est, si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est a lege.* Vivente igitur viro, non licet aliam ducere, ut I Cor. 7. *Mulier alligata est legi quanto tempore vir ejus vivit, quod si dormierit vir ejus, liberata est; cui vult nubat.* Non igitur unquam licet, vivente altero conjuge, alii nubere. Quæ verba clara esse Augustinus ad Pallentium docet, nam probatur Marc. 10. *Quicumque dimiserit uxorem, et aliam duxerit, mœchatur,* neque intelligendum dimissionem nisi causa fornicationis, cum Matth. 19 cap. juxta Marcum et Lucam intelligendus sit.

« Probatur idem a Paulo eod. 7 cap. I Cor. cum inquit; *Non ego præcipio, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quod si discesserit, remanere innuptam,* quod Paulus intelligit etiam quod causa fornicationis discesserit, præsupponit enim cum causa discessisse, scilicet ob fornicationem, cum alias id non liceat uxori ad libitum sine causa discedere, quod etiam Paulus dixerat : *Nolite fraudare ad invicem*, Et *Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir;* præsupponit igitur mulierem cum causa discedere, quod non licet, nisi ob fornicationem; ergo cum dicit, quod si discesserit, intelligit, ob fornicationem; dimissa uxore, non habet aliam ducere priore vivente : et cum Math. 19 Christus dixit : *Excepta causa fornicationis*, loquebatur Pharisæis, qui usi erant libello repudii, non sic autem locutus est cum Apostolis, ut referunt Marcus et Lucas. Præterea cum matrimonium sit Sacramentum, et vinculum supernaturale, non ex natura, neque de libero arbitrio pendens, sed indissolubile, nulla ex causa dissolvi potest. *Quod enim Deus conjunxit, homo non separet.* Sacramenta enim obligationes quædam sunt, Dei gratia et sigillo regio obsignatæ, quod nulli hominum dissolvere licet, ut Aug. lib. 19, cap. 10 contra Faustum declarat, qua ratione Baptismus non reiteratur. Matrimonium igitur sigillo Dei obligatum nulla hominum auctoritate, nullaque causa dissolvi potest, ut refert Aug. lib. 19, cap. 10, de Bapt. et Conjugio, cum ait : « Hujus Sacramenti res « est, ut conjuges inseparabiliter vivant », et lib. 2, cap. 5, de adulterinis conjugibus, cum dicit : « Excommunicatum autem perseverantem in ea excommunicatione non amittere « Baptismum, sic nec conjuges per fornicationem amittere vinculum matrimonii », ut idem Hieron. in 19. Math. et in Epitaphio Fabiolæ : et B. Thomas super his verbis *Excepta causa fornicationis,* dicit, ea verba referenda ad primam clausulam, ut excipiat a priori sententia, non a secunda, ut scilicet liceat dimittere uxorem ob fornicationem, sed non aliam ducere. Idem dicit Concilium Milevitanum cap. 16, quod ab Innoc. III. Ep. 37 confirmatur. Etiam Innoc. III de divortio in pluribus capitibus, et id tota Ecclesia post Aug. tenet et sentit.

« Respondit ad hoc quod Cajetanus contra hanc veritatem dicit, negaremus decreta Pontificum, quod nullo modo fieri debuisset, nam Romanorum Pontificum definitiones rejici non possunt, cum præsertim accedit universalis Ecclesiæ assensus, ut in casu nostro.

« Quod igitur de polygamia aiunt, et hæreticum est, et contra consensum Ecclesiæ, decreta Pontificum, et verba Christi, *Erunt duo in carne una,* non autem plures, etc. ».

22. *Hispani theologi queruntur quod sibi anteponantur in ordine dicendi Sorbonici doctores.* — Dum de his dissertarent theologi [1], absur-

[1] Astolph. Serv. p. 114.

[1] Leg. car. in lit. ad car. Borr. Ep. CCXLVIII. Ib. Ep. CCXXXIII.

dum quid contigit, ut theologi Hispani graves iras conciperent, quod post Pontificios theologos datus esset locus Sorbonicis, septimaque Februarii inique interminati sint ministri regni, regem Hispaniæ eam injuriam etiam armis ulturum, ac a Sede Apostolica defecturum, vel eam in Hispaniam translaturum, quibus responsum est: indigna hæc esse Catholici regis dignitate ac pietate, qui ne quidem a Pontifice discesserit, qui bellum cum eo gesserat. De quibus cardinales legati ad Borromæum card. scripsere; cui etiam antea significarant, regem Catholicum scripsisse, nolle se de puncto honoris pugnas inire, ubi de bono universali agitur; verumtamem Lunæ comitem proedriam ante Gallorum regis oratorem affectare, ex quo honoris et dignioris sedis ambitu adeo crevit contentio, ut in maximum dissolvendi Concilii evertendæque Christianæ reipublicæ discrimen venerit, ut suo loco dicetur.

23. *Litteræ Galli regis, oratoris ejus allocutio et Synodi responsio.* — Celebrata est undecima Februarii Congregatio Generalis, in qua litteræ Caroli IX regis Galliarum ad Concilium perlectæ sunt, quibus Tridentinos Patres certiores reddebat, qualiter cruento prælio fracti essent hæretici, qui religionis nomine religionem evertebant, sollicitabatque Patres, ut disciplinam Christianam instaurandam curarent, quæ litteræ [1] a Carolo Lotharingo cardinale Patribus exhibitæ subjectis verbis conceptæ fuere:

« Carolus Dei gratia Francorum rex.

« Sanctissimis et in Deo reverendissimis Patribus, apud Tridentum celebrandæ Sanctæ Synodi gratia congregatis, salutem.

« Non dubitamus, sanctissimi Patres, quin nobis charissimus nosterque amantissimus consobrinus cardinalis a Lotharingia vos ejus nuntii participes fecerit, quem nos ad eum nuper scripsimus de felici et divinitus nobis collata victoria adversus conatus nostrorum hominum, qui falsæ religionis prætextu ex ipsa sacrarum rerum prophanatione alienissimos se et in sacros Ecclesiæ ministros crudelibus exemplis, nihil se aliud conari aut quærere declararunt, quam ut Catholicæ nostræ religionis et Christianæ pietatis statum omnem everterent, et armorum vi atque injuria reliquos omnes populos nostros in errorem suum inducerent, quorum audaciæ, sicut omnes norunt, tanto nos animi ardore obstitimus et obstamus quotidie, ut nulla nos aut rerum difficultas, aut periculorum discrimen ab hoc instituto avertere aut remorari potuerit, quo sceleratis eorum consiliis ac inceptis, vel ipsam vitam nostram opponeremus, cum non ignoremus in hoc toto negotio præcipue de Omnipotentis Dei honore agi, quo nihil nobis potest in hac vita esse charius, quam pro eo, et Catholicæ ejus Ecclesiæ statu et salute decertare, cujus ut primogenitus, et majorum nostrorum hæreditario titulo, protectorque præcipuus toti orbi Christiano agnosci haberique studiose percupio et exopto. Cum igitur certum nobis persuadeamus vos in hoc, tam felici, tamque salutari instituti nostri successu, Optimo Maximo exercituum ac victoriarum Deo gratias ex animo esse acturos, fructumque hujus beneficii ad vos præ cæteris facile intelligamus proventurum, lubenter vobiscum hoc gaudium pariter gaudere constituimus, planeque ac palam testificari hanc tam insignem tamque admirabilem victoriam nos uni Christo summo regum regi, ac bonorum omnium victori referre acceptam. Unde cum nos omni studio totaque mente laudamus, et immortali gratiarum actione prosequimur, majestatem ejus obsecrantes, ut in perficiendo quod feliciter ipsius gratia inchoatum est negotium, tanta virtutis suæ præsentia adesse atque assistere dignetur, ut ad laudem ejus et Ecclesiæ pacem pro nostro desiderio cuncta sedata et tranquilla, et in antiquum studium splendoremque restituta propediem possimus intueri.

« Cæterum cum probe noverimus, sanctissimi Patres, optima et saluberrima eorum malorum, quæ nos hodie hic affligunt, et pæne omnibus Christiani nominis provinciis impendere videntur, remedia a sanctissimis Catholicæ Ecclesiæ pastorum comitiis, pluribusque Synodis quondam petita esse atque habita, cum illi reverendissimi Patres pio injuncti sibi muneris officio de universalis Ecclesiæ salute solliciti, tam mature quam vigilanter obviam irent, et accurate enascentibus erroribus adeo eis resistere perseverarent, ut nunquam nisi extinctis illis et e medio sublatis sibi parcendum esse arbitrarentur; oramus vos, sanctissimi Patres, et in Dei atque unici Filii ejus Jesu Christi nomine obsecramus, ut pro ea expectatione, quam de pietate ac paterno in se animo vestro omnes conceperunt, tam sanctam, tamque seriam rerum, quæ cum bellorum injuria, tum temporum iniquitate in populum Dei vitiatæ corruptæque sunt, emendationem ac reformationem instituere atque inire velitis, ut qui ex animi levitate temere se ab Ecclesia separarunt, ex ea quam instauratam probe ac perfecte restitutam ipsis spectandam exhibebitis Catholicæ Ecclesiæ antiquam faciem, puritate atque integritate, in salutis viam facillime reducantur, atque nos, quidquid opum ac virium nobis est divinæ gratiæ munere concessum, ad Christianæ religionis tuendam dignitatem cupide impendimus, et nobiscum non pauci præstantes viri, et militiæ nostræ duces et præfecti nobis charissimi in eadem ista causa sibi ipsis non pepercerunt, ac vitam et sanguinem suum in hoc recenti prælio

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 219. Ms. Fr. car. Barb. sig. num. 1109. p. 165. Per Astulph. Serv. scriptorem Ep. Telesin. Secret. in Ms. card. Pii tern. 22. in fin.

Domino Deo consecrarunt, sic vos pro vestri muneris ratione eo animi candore et conscientiæ sinceritate in hoc ipsum, cujus gratia convenistis, ita incumbatis, ut ex sanctissimo labore vestro, verum sincerumque Dei cultum, tanquam præcipuum operæ vestræ fructum passim renasci atque instaurari videamus, atque adeo eam in Ecclesia morum emendationem ac disciplinam vigere, quæ non modo placandis regni nostri procellis, sed etiam conciliandæ, et in eadem religione per omnes Christianæ Ecclesiæ populos constituendæ paci sufficere possit. Datum in civitate Carnutensi die XVIII Jan. MDLXII (nimirum ab incarnato Verbo).

« CAROLUS BAURDIN ».

Corruptum fuisse illius victoriæ fructum nimia in perduelles hæreticos indulgentia, affectataque cum iis pace, qui ex pacis beneficio graviora bella paraturi erant, dicetur inferius :

24. Subdunt vero Acta [1] : « Quibus litteris lectis dominus Raynaldus Ferrerius secundus orator habuit orationem infrascriptam :

« Quoniam ex litteris regis Christianissimi, quæ nunc recitatæ sunt, et orationibus non ita pridem habitis, tum eloquentissimi principis cardinalis a Lotharingia, tum eruditissimi viri episcopi Metensis, intellexistis Galliarum vastitatem, et regis Christianissimi aliquot egregias victorias, nolo esse vobis, Patres sanctissimi, in illis rursus recensendis vel eo maxime molestus. Quod si vobis calamitates nostras, quales sunt, exponerem, nemo certe vestrum est, qui rem non potius fictam quam factam existimaret. De postrema autem victoria, tametsi magna et gloriosa quam Deus sua immensa providentia de manu victoris hostis eripuit, quid ego plura dicam, cum adhuc in mediis Galliæ visceribus vivat, et grassetur victus inimicus? » Paulo post : « Non desunt regi Christianissimo copiæ, et propriæ, et auxiliares, illarumque imperator prudens et magnanimus princeps Guisiæ dux ; nihil non molitur Christianissima et prudentissima regina, piissima regis mater, quod vel ad reconciliandos vel propulsandos hostes pertineat ». Et infra : « Non eadem est hodie ætas, non mens omnibus Christianis hominibus atque erat ante quinquaginta annos ; laboramus fere Catholici omnes eodem morbo ». Et post multa :

« Scrutatur, mihi credite, sapientissimi Patres, bona pars Christianorum hominum sacras Scripturas, relictis aliarum disciplinarum libris. Hoc ipsum perspiciens rex Christianissimus curavit diligenter ne quid mandatis nostris contineretur, quod ad illam petram non proxime accederet, quodque a Catholicis omnibus vehementer non expeteretur, et ab adversariis nullo jure repudiari aut repelli posset. Ea autem illustrissimis dominis legatis dedimus, ii propediem, uti polliciti sunt, vobis, Patres sanctissimi, examinanda et judicanda proponent, ad vos potissimum enim mittuntur, vestrumque de illis judicium expectat rex Christianissimus et tota Gallia ». Et infra : « Ridebunt adversarii, et dicent, Patres quidem Tridentinos scire, sed facere nolle ; optimas quidem leges statuisse, eas tamen ne digito quidem attigisse, posteris tantum et successoribus observandas reliquisse ». Et mox : « Qui autem nos impietatis insimulant quique se olfacere dicunt in postulatis nostris nonnulla, quæ cum adversariorum libris faciunt, nos quidem illos responsione indignos existimamus ». Et multis interjectis :

« Quid profuerunt decreta Tridentina post duodeviginti annos ? Quot interea omnium hominum ordines, quot provinciæ, quot regna, quot nationes ab Ecclesia Romana defecerunt? Non est, Patres sanctissimi, hæc Galliarum causa tantum. Valeant Galli cum suis tumultibus, res suas sibi habeant : vos Itali, vos Hispani Patres, appello : periculum ex aliis facite vobis, quod ex usu fiat, cujus magis intersit hanc veram et seriam disciplinæ Ecclesiasticæ emendationem fieri, cum Romani episcopi, Pontificis Maximi, summi Christi vicarii, Petri successoris in Ecclesia Dei summam potestatem habeatis, etc. »

25. Suspectus erat hic orator de heretica lue, ut patuit ex gravissimis argumentis : liberiora tamen ejus verba studio asserendæ pacis in æquiorem partem accepta fuere. Habitam ab eo orationem [1] specioso pietatis studio, sed aculeatam, nec intra limites modestiæ Ferrerium se continuisse, scripsit Borromæo cardinali Carolus Vicecomes. His addit Angelus Massarellus [2] episcopus Telesinus :

« Oratione absoluta, oratoribusque locum Congregationis exeuntibus, fuerunt a me secretario lecta verba, quæ concepta fuerunt pro responso eis dando, interrogatique sunt Patres, an placeret?

« Tum illustriss. D. card. a Lotharingia : Quoniam, inquit, ortus nostri partem parentes, partem amici, partem patria vendicat, non possum non addere aliqua iis quæ domini oratores dixerunt, præsertim cum mea familia adeo conjuncta sit cum regia, ut communis sit omnium fortuna. Memini me, Tertio Regum legisse, post mortem Salomonis ad Roboam regnum devenisse, cum populi, si remittere voluisset aliquid de jugo gravissimo quod ab ejus patre eis impositum fuerat, promittebant se perpetuo obedituros. Accepit ille tertium diem ad deliberandum, sui consulti senes responderunt, concedendas esse petitiones populi : consulti vero postea juvenes, denegandas judicaverunt ; ex

[1] Arch. Vat. sig. num. 3195. p. 85 et 92.

[1] Ext. in Ms. Vall. p. 361. et in Ms. card. Barb. — [2] Angel. Mass. in Actis Ms. Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 219.

quo multæ calamitates in populo illo ortæ sunt. Quare, Patres, remittite et vos aliquid de jure vestro, ut non solum regnum nostrum, sed cunctæ gentes vobis obediant : et cum jam triduo immorati estis, jam tempus est ut concedantur nostra postulata. Primus enim dies fuit, cum oratores primo de hac re vobiscum locuti sunt. Secundus, cum ego idem dixi. Tertius hodiernus. Tempus est igitur, ut aliquid a vobis præstetur. Non dico, obedite regi Christianissimo nostro ; absit hoc, ipse enim rogat vos atque obsecrat : sed lenite justum ejus dolorem, et aliqua via in meliorem spem revocemus turbatos quorumdam animos. Non verba modo petimus, facto opus est. Quare responsum placet ; sed jam facta cupimus atque expectamus. Promissis dives quilibet esse potest. Multi principes et respublicæ, præsertim Philippus rex Catholicus et Sanctissimus dominus noster Pius IV suppetias nobis tulerunt : sed præcipuum auxilium a vobis rex et regnum nostrum expectat ». Modeste illum perorasse pro disciplina Ecclesiæ constituenda scripsit[1] Borromæo cardinali Carolus Vicecomes. Laudavit consilium Lotharingi cardinalis Madrutius, cui maxima pars præsulum assensit. Addit vero patriarcha Aquilegiensis : « Magnam causam habet Synodus lætandi ob victoriam Christianissimo regi præstitam, cum illud regnum e faucibus adversariorum ereptum sit, et quæ petunt domini oratores, justissima sunt, et placet responsum, rogatque ut exequatur quod petunt ».

26. Plures Hispani præsules dixere, placere regia postulata, modo ab eo promissa compleantur, episcopus Britenoriensis adjecit, sanctam Synodum non esse constitutam in mora, donec petita regia proponantur per legatos : denique universi consensere, ut vitæ morumque disciplina decretis Synodalibus sanciretur.

Subdit Angelus Massarellus[2] Telesinus episcopus : « Approbato igitur responso, revocatisque in Congregationem oratoribus fuit a me Secretario dictum responsum alta voce recitatum, cujus tenor hic :

« Illustrissimi oratores. Quantam lætitiam sacra Synodus cœperit ex ea victoria quam proxime Christianissimus rex vester Dei præsidio munitus ab hostibus reportavit, singularis pietatis significatione ab ea declaratum est ; tanquam enim commune Catholicæ religionis periculum propulsatum est, et ita communibus omnium votis gratulationes habendas, et gratias Deo immortales agendas esse judicavit ; at vero optima et egregia Christianissimæ ejus majestatis voluntas, quæ ex omnibus partibus in his litteris, quæ modo lectæ sunt, et in vestra oratione se ostendit, adeo S. Synodi lætitiam et voluntatem auxit, ut nihil illi jucundius, nihil gratius accidere potuerit, nam cum innumeræ calamitates Catholicam Ecclesiam pæne oppresserint, quis non inenarrabiliter lætetur cum divino consilio factum esse consideret, ut potentissimi regis puerilis ætas ita ad veram pietatem conformaretur, ut in eo laudis genere nihil a se unquam majoribus suis clarissimis regibus concessum esse præ se ferat. Atque hoc quidem Dei optimi maximi beneficium, quo amplius existimandum est, eo ardentiori studio precari, atque optare S. Synodus cogitur, ut afflictæ Christianæ reipublicæ, tanto et tam præclaro bono frui nunquam non liceat. Deinde vero summæ spei regem hortatur, et per Dei misericordiam obsecrat, ut quod hactenus fecit, ejus nominis memor, quod majorum suorum fide et religione partum, ipse hæreditarium accepit, omnia sua studia et cogitationes ad Dei gloriam amplificandam convertat, sanctam Sedem Apostolicam defensam atque omnibus ornamentis auctam velit, veterem fidem conservet, illorum consiliis benignas aures præbeat, qui regni firmitatem et robur non in fortitudine equi aut viri, sed in Dei potentia et virtute collocatam esse existiment. Contra vero cum fortasse non sint defuturi, qui omnia utilitate metienda esse contendant, ac tranquillitatem et pacem, quæ non est pax, suadeant, ne patiatur optimam illam mentem, et Christiano rege dignam, quam sibi Dominus dedit, pestilentissimis velut incantantium et veneficorum vocibus infici ac depravari. Sed hæc quidem optimus rex tum Dei ope adjutus, tum propter excellentis cujusdam naturæ bonitatem sponte sua impulsus, tum reginæ matris, et nobilissimorum procerum sanctissimis monitis incitatus cumulatius perficiet. Interim vero cum ille omnia pietatis officia Catholicæ Ecclesiæ benigne polliceatur et fortiter præstet, sacrosancta Synodus in eam curam toto animo incumbet, ut cum ea, quæ ad universæ Ecclesiæ emendationem pertinent, definiantur, tum vero de iis agatur, quæ privatim Gallicarum Ecclesiarum commodis et rationi maxime convenire arbitrabitur, neque unquam committet, ut ipsius diligentia et industria jure in eo requiri posse videatur, quod sui muneris esse, cujusque rei causa S. D. N. Pii IV auctoritate se in hunc sanctum et legimum cœtum convocatam esse oblivisci non potest ».

27. *Examen quorumdam abusuum circa sacramentum Ordinis aliquot Patribus committitur.* — Dilatum ad aliud tempus hujusmodi responsum hic nobis connectendum visum fuit, ne eadem importune repeteremus. Post superiores vero litteras regias in Patrum consensu prolatas inquiunt Acta conscripta[1] ab Angelo Massarello :

[1] Ext. ejus lit. sup. p. 364. Angel. Mass. ubi sup. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 219. Ms. Fr. card. Barb. sig. 1109. p. 112. Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 219.

« Deinde illustrissimus primus præsidens dixit, eligendos esse aliquot Patres pro colligendis abusibus circa sacramentum Ordinis, ut exequamur quod a nobis nuper promissum fuit : intereaque, dum redibit illustrissimus D. card. a Lotharingia, poterunt præparari, ut deinde sanctæ Synodo proponantur. Hoc erit principium reformationis, quam domini oratores regis expetere dixerunt, poteruntque hoc eodem tempore theologi prosequi cœptam examinationem, dicereque mane et a prandio, ut eo citius examinatio ipsa expediatur ; hoc enim modo, etsi nunc simus in diebus carnis privii, non tamen secundum carnem ambulabimus ».

28. *Postulata Gallorum ad Concilium referuntur.* — Tradit idem Gabriel Palæottus oratores Gallos vehementer ursisse, ut eorum postulata ad Synodum referrentur. Quænam vero ea fuerint, jam antea a nobis fuere recensita, de quibus cardinales legati ad Borromæum cardinalem scripserant [1], dixisse cardinalem Lotharingum, se pro ea auctoritate, qua præ regiis oratoribus atque administris Gallis pollebat, duriora capita detraxisse ex iis postulatis, ut de Annatis atque aliis ad religionem non spectantibus ; quæ vero postulata erant proposita, a toto senatu sanctiore regio fuisse confecta, propterea vero a Gallis oratoribus urgeri preces, quod Galli non retardari Concilium, sed finem accelerari velint. Dum vero legati de iis referre ad Synodum cunctarentur, institere, ut quando nollent legati ea proponere, sibi proponere liceret : quibus responsum est nolle pati legatos, ut observata in Conciliis vetus forma mutetur, quæ tenet, ut præsides Concilii proponant, atque adeo ipsos legatos propositures omnia, quæ, vel a Gallorum regis, vel aliorum principum oratoribus, vel a quovis præsule exponerentur, modo honesta essent ac rationi consentanea ; quibus subintulere oratores, se a Carolo rege Galliæ mandata habere, ut postulata omnino proponerentur, quare vel ea proponerent legati ipsi, vel proponi sinerent. Ad hæc legati extraxere de industria responsum, ut illud a Pontifice exciperent, rogatusque est cardinalis Lotharingus, ut oratorum animos demulceret, donec episcopus Viterbiensis e Pontificia aula rediisset. Monuit vero ex arcano ejusdem episcopi Viterbiensis opera cardinalis Lotharingus Pontificem [2], ne unquam aures daret consiliis Cæsaris vel regis Gallorum circa intermissionem suspensionemve Concilii ; illa namque admissa, in singulis regnis et provinciis concilia nationalia coactum iri, lacerandamque graviori schismate Ecclesiam, Concilium vero Tridentinum cum maxima laude Pontificiæ sanctitatis levique sumptu absolvi posse. Protestantes vero vehementer contendisse ab imperatore, ut Concilium dissolvendum curaret, certus rumor increbuit.

29. Suggesta opportune fuisse hæc monita a cardinale Lotharingo, atque ab eodem sinistras suspiciones de Gallis menti Pontificiæ offusas, discussas fuisse ac detersas, scribit Gabriel Palæottus, extantque Pontificis ad cardinalem Lotharingum litteræ [1] exaratæ, quibus se illi ob præclarissima merita vehementer obstrictum professus, Galliæ regno se nunquam opera et auxilio defuisse, nec defuturum adjunxit. Insuper cardinalem est hortatus ut se ad Cæsarem conferret, illumque de Pontificia erga reformationem mente, privato omni abrupto respectu, faceret certionem.

« Dilecto filio Carolo de Lotharingia tit. S. Apollinaris presbytero cardinali, etc.

« Dilectissime fili, salutem, etc. Ex litteris tuis die XXVIII Januarii et I Februarii datis, et simul ex his quæ secretarius tuus nobis exposuit, intelleximus id quod jam antea perspectum habebamus, egregiam fidem tuam, studium, devotionem erga nos et hanc sanctam Sedem, qua de re habemus tibi gratias, ut debemus, relaturi cumulatissime, quandocumque nobis dabitur occasio tibi morem gerendi, aut quacumque in re tibi ac tuis omnibus gratum et commodum faciendi : nam quod ad ea quæ tibi indulsimus ac præstitimus attinet, nihil est præ iis quæ cogitamus et cupimus, tua et tuorum omnium causa facere. Pete, fili, si quid tibi ac tuis opus est, quod possimus, non frustra petes, et nobis supra modum jucundum erit talem ac tantum virum omnibus gratiis, honoribus et favoribus nostris prosequi et cumulare. Quod ad regnum Galliæ attinet, nos, et dedimus ipsi auxilium, et dabimus modo, ne ipsi sibi desint, et eam religionis rationem habeant, quam habere debent. De his et aliis planius ex episcopo Viterbiensi cognosces, quem ad te propediem remittemus.

« Profectio tua ad serenissimum imperatorem nobis valde probatur ; nobis erit gratum, si de rebus Concilii, etiam nomine nostro, cum sua majestate agas, ut tandem debitum finem sortiatur, pollicerique poteris majestati suæ, omnes bonas reformationes, spreto omni commodo, emolumento, seu, quod aiunt, interesse nostro, et cætera quæcumque a bono Pontifice, bono Christiano expectanda et optanda sunt. Vale, et te Dominus felicem et incolumem conservet. Datum Romæ die XII Februarii ».

30. *De congressu Cæsaris et Pontificis agitur.* — Sollicitatus est hoc tempore Ferdinandus imperator, ut descenderet in Italiam, congressumque Bononiæ haberet cum Pontifice, ex-

[1] Leg. cardinales in lit. ad card. Borr. Iidem Ep. CCXLV. ad car. Bor. — [2] Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 344.

[1] Ext. in Ms. Vat. sig. num. 3297. p. 66.

pressæque sunt subjectæ causæ in Pontificiis litteris [1] ad eumdem cardinalem Lotharingum :

« Multa sunt, quæ Cæsarem ad conveniendum hoc tempore Summum Pontificem in civitate Bononiæ movere debent. I, ut sacra corona caput suum decorari obtineat. II, ut res sacri Concilii insimul componant. III, ut quæ pro religione Christiana sibi regnisque suis petenda sunt, consequi facilius queat. IV, ut ipsius Concilii decreta, utriusque auctoritate libentius ab omnibus recipiantur. V, ut suos in Italia feudatarios, qui nobilissimi sunt duces, præsens agnoscat, et quæ jura ab illis debentur, recipiat. VI, ut cum Pontifice de omnibus ad rem Christianam pacandam convenire facilius possit. Ultimo, ut quæ, et sibi et regi Romanorum maximo sunt, tam in sacri imperii, quam reliquis ipsorum regnis munimenta et ornamenta recipere valeat ».

31. Jam pridem Pontifici consultum fuerat, ut Bononiam veniret, ut major inde ultro citroque mittendi nuntios commoditas subesset [2], ac si quando opus foret Tridento Bononiam Concilium transferre, opportunior ac brevior pateret aditus; verum, nec Ferdinando translationis consilium arriserat, nec suis rebus Germania excedere tam alieno tempore tutum videbatur, cum et domestici intus ab hæreticis incussi terrores, et imminentes Hungarico regno foris a Turcis pugnæ intra sui imperii fines contineri suaderent. Hoc dumtaxat Pontifici significavit, se ad Tridentinum Concilium accessurum, si Pontifex quoque ad illud se conferret, ut sublatis tot cunctationum impedimentis, progressus Concilii promoveretur, ut narrat Gabriel Palæottus [3] : « Rediit, inquit, interea episcopus Quinquecclesiensis a Cæsare, narrans male Synodum ab illius aula audire, quod nihil præclari ab eo agatur, disputationibus omnia turbentur, et quisque affectibus propriis magis quam publico commodo studeat. Aiebat majestatem suam litteris ad Sanctissimum dominum nostrum hanc Patrum cunctationem mire damnare, eique resarciendæ id consilii proposuisse, ut simul Tridenti congrediantur, atque in rem præsentem veniant : id si Sanctitati suæ placuerit, eum quoque quam primum hic adfuturum : sed et litteris huc perlatis significabatur omnem Synodi expectationem prorsus concidisse, postquam nihil non plenum contentionibus, indignationibus atque prorogationibus hinc quotidie ad eos deferebatur ».

32. *Ferdinandi querimoniæ de lento gressu Concilii et responsio legatorum.* — Tradidit idem Quinquecclesiensis episcopus Cæsarearum litterarum ad Pontificem scriptarum exemplum, tum etiam alias ad ipsos legatos Apostolicos, quibus graviter querebatur de interrupto Concilii progressu, et obortis contentionibus, cui Apostolici legati responsum [1] istud subintulere :

« Ferdinando Bohemiæ et Hungariæ regi in imperatorem electo.

« Reddidit nobis dominus Quinquecclesiensis litteras majestatis vestræ, simul et earum exemplum, quas ad Sanctissimum nostrum dedit, atque eadem illa suo sermone prosecutus est, quæ suis in litteris a nobis majestas vestra postulavit. Nos vero, qui nihil magis cupimus, quam in omnibus desiderio majestatis vestræ satisfacere, nostrumque studium et observantiam illi probare, acceptis ea, qua par est, reverentia, et perlectis majestatis vestræ litteris, legimus diligenter earum quoque exemplum, quas ad S. D. N. dedit; ex quibus cognovimus, quam ardenti zelo cupiat affectæ reipublicæ Christianæ pro eo, ut supremum Ecclesiæ advocatum et protectorem facere decet, succurri. Qui zelus illius et pietas singularis, etsi pridem nobis satis perspecta sunt, tamen ex earum quoque litterarum exemplo pergratum nobis fuit, magis etiam ea cognovisse. Facit re vera majestas vestra, quod a Christiano Catholico et orthodoxo imperatore et primogenito Ecclesiæ filio factum oportet. Habet etiam justissimam causam dolendi, quod in eum statum adductæ sint res hujus sacri Concilii, magnum ut scandalum et offensionem universo orbi Christiano præbitam esse videamus.

« Sed quidquid est illud scandali et offendiculi non aliunde natum est, quam ex eo, quod ii ad quos minime pertinebat hic proponendi, quibus de rebus tractari vellent, sibi potestatem arrogabant. Quod si legatorum auctoritas valuisset, nec eorum sibi munus ex Patribus nonnulli arrogassent, longe nunc alius esset Concilii status, nec in eas hominum voculas incidissemus, nec ea fuissent scandala et offendicula secuta : quin etiam, aut fuisset jam ad optatum exitum sacrum Concilium hoc perductum, aut saltem ex majori parte absolutum. Ea etiam, quæ vel majestas vestra, vel cæteri principes de reformatione proponi cupiebant, jam omnia fere proposita et pertractata fuissent. Sed ubi debitus ordo non servatur, ibi talia necesse est evenire, qualia proximis superioribus mensibus non sine magno dolore nostro evenerunt; neque enim concedimus majestati vestræ, majorem ut ipsa cruciatum ex contentionibus istis et dissidiis accceperit, quam quanto nos affecti sumus, qui propterea sumus a S. D. N. in hoc loco constituti, ut, quoad ejus fieri a nobis queat, ita res prosequi curemus, ne minime necessariæ lites et contentiones aliquando excitentur : quod quidem pro fide atque officio nostro diligenter a nobis fuit curatum.

[1] To. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3197. p. 266. — [2] Ms. arch Vat. sign. 3218. p. 54. — [3] Act. Conc. Trid. script. a Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 327.

[1] Ext. in Ms. Vat. sig. num. 3218. Ep. XCIII.

« Itaque quoties de dogmatibus fuit actum, de quibus inter Catholicos, et eos qui segregaverunt seipsos, controvertitur, quandoquidem ipsi ad hoc sacrum Concilium venire detrectaverunt, fecimus nihilominus, ut quidquid ad examinandas controversias illas pertineret, diligenter excuteretur, omnia adversariorum argumenta fideliter producta refellerentur, et dogmatum veritas rebus bene discussis explicaretur.

« Ubi vero vel de reformatione tractabatur, vel de his de quibus nulla esset cum his qui discesserunt a nobis, controversia, visum est nobis supervacaneum, ut aliquæ disputationes fierent, sed ut præstarentur potius, quam vel disputarentur, vel declararentur ea, quæ ex officio præstari oportebat.

« Ut igitur ab his, quæ dederunt initium contentionis, rem ordiamur, propositum fuit a nobis, ut suas de eo sententias patres dicerent, quibus rebus provideri posset, ut in Ecclesiis suis episcopi residerent. Nihil minus cogitabamus, quam ut quo jure ad residentiam episcopi sive pastores animarum tenerentur, disputari vellemus; verum interea, cum Patrum sententiæ rogarentur, visum est uni ex illis, ut disputaretur quo jure residendum esset, nam si persuasum esset pastoribus residentiam esse juris divini, facilius adductos iri ut residerent; cujus sententiam non pauci secuti sunt. Inde contentiones natæ.

« Ut autem vestra majestas, quæ fuerit æquitas et facilitas hac in re nostra cognoscat, quamvis nihil tale fuit a nobis propositum, quia tamen id a multis peti videbamus, obtemperandum illis esse duximus. Et quoniam disputatio sine magno scandalo fieri non poterat, visum est satis, ut absque disputatione residentiam esse juris divini declararetur.

« In ea deliberatione dum versaremur, admoniti sumus majorem partem Patrum declarationem hanc, aut aperte renuisse, aut saltem non petivisse, neque licere nobis juxta minoris partis sententiam decretum scribere. Itaque referendum ad Patres duximus, vellent declarari necne, residentiam esse juris divini. Hic Patrum sententiæ divisæ fuerunt; nam alii declarari, alii non pauci nihil ea de re statui cupiebant, nisi prius S. D. N. esset relatum. Cum igitur videremus esse multo plures, qui non declarari vellent, vel ad S. D. N. prius referri cuperent, faciendum putavimus, ut ad S. D. N. referremus; cujus Sanctitati visum est, residentiam deberi potius præstari quam vel disputari vel declarari. Res ita pependit aliquandiu, quod existimabatur quosdam esse magis obfirmatos in sua sententia, quam ut facile de ea deduci possent.

« Interea ventum est ad tractationem de Ordine. Fuerunt a nobis themata proposita, de quibus inter nos, et eos qui discesserunt a nobis, ambigitur; de quibus autem, qui segregarunt semetipsos, nullas movent controversias, eas potius silentio tegendas esse duximus, quam ut de rebus non controversis inaniter disceptare vellemus. Verum hic iterum non satisfiebat quibusdam, nullius rei magis quam contentionis cupidis; at postulabant a nobis ut hoc quoque disceptandum proponeremus, num jure divino sint episcopi instituti, et eodem jure sint presbyteris superiores? Quibus nos respondimus, quandoquidem ipsi etiam adversarii nostri concedunt episcopos esse jure divino institutos, nec ulla nobis ea de re cum illis est disceptatio, contentos eos esse debere, si superiores presbyteris episcopi esse dicerentur, etiamsi quo jure vel instituti vel superiores essent taceretur: si tamen possent ostendere, quod qui discesserunt a nobis negarent episcopos divino jure institutos, amplius nos super ea re deliberaturos. Collegerunt illi loca aliquot ex Luthero, et aliis qui segregaverunt se, descripta: verum in quibus nihil aliud præter convitia quædam et maledicta continebatur; nam etiam in Confessione Augustana manifeste declarant, qui sunt illius confessionis, quæ potestas divino jure competat episcopis, et quod illis oves divino jure parere teneantur. Visum est nihilominus cuidam e Patribus, ut diceret se suo jure proponere, declarandum quo jure sint episcopi instituti, et presbyteris superiores: cujus alii sententiam non ita pauci sequebantur; quamvis multo plures diversum sentiebant. Nos nihilominus, quamvis pauciores essent, qui tanto studio divinum istud jus urgerent, concedendum tamen duximus, ut idem essent in Congregatione publica propositurі. Quin et illud a nobis observatur, quandocumque tractatur de abusibus, ut admoneantur omnes Patres, ut quod cuique in mentem venerit, scriptum offerat ad eam rem deputatis in publica Congregatione proponendum et excutiendum: qua tamen in re fatemur delectum a deputatis adhiberi, neque statim ineptias cujusque in medium proferri. Quamobrem nihil habent Patres, quod querantur, cum semper illis proponere coram legatis, vel simul omnibus in uno loco congregatis, vel seorsum singulis liceat, et habeatur eorum ratio, quæ cum judicio ab illis proposita fuerunt.

« Quod autem ad oratores attinet, eorum cæteris major etiam a nobis habetur ratio, et is semper mos observatur priusquam Patribus proponantur ea, de quibus sententiæ rogantur, quod uno, vel altero die ante, vestræ majestatis, cæterorumque regum, et principum oratoribus exhibentur, ut illi prius expendant, ac si quid in formulis his mutandum illis aut corrigendum videtur, de eo legatos admoneant: qui non raro admoniti mutant et corrigunt, si quid recte ab

illis animadversum esse cognoscant, atque ita demum Patribus proponunt. Et hoc sibi certe persuadeat majestas vestra, nisi contentio hæc de jure divino, quam neque consiliarii vestræ majestatis in libello suo probare visi sunt, nobis impedimento fuisset, quod multo maximam libelli majestatis vestræ partem, imo fere totum Patribus Concilii proposuissemus ; itidem ea quæ Christianissimi regis nomine nobis oblata sunt; ac si minus extrema Concilio manus imposita fuisset, non procul ea tamen jam abesset.

« Hoc etiam scire cupimus majestatem vestram, præterquam quod hic naturæ ipsius ordo postulat, ut propositiones fiant ejus nomine, qui principem in aliqua Congregatione locum tenet, sicut etiam in imperii majestatis vestræ, et aliorum regnorum comitiis fieri consuevit, decreto hujus sacri Concilii, quo die primum fuit apertum, potestatem hanc proponendi legatis esse concessam, quidquid enim facimus, ex decreto Concilii facimus, cui nemo contradixit præter unum, aut alterum, per quos factum est hactenus, ut ordine turbato progredi nobis in hoc sacro Concilio, et ad constitutum diem sessionem habere non licuit. Hæc nos ideo majestati vestræ paulo fusius exponenda duximus, ut cognoscere posset, quod si res tardius progrediantur, non id nostra culpa fieri, sed eorum potius, qui volunt de rebus a nobis non propositis disputare, nec ullam fere moveri quæstionem patiuntur, in qua non statim divini juris mentionem fieri velint.

« Agitur nunc de cœlibatu ; hunc quoque plerique theologi divini juris contendunt, nec desunt, qui prohibitionem in gradibus consanguinitatis ad ultimum usque gradum divini juris esse censent. Habet jam eorum, quæ gesta sunt quod ad istas contentiones attinet, quibus merito majestas vestra offenditur a nobis, rationem, quam satis iri probatam majestati vestræ confidimus. Si quid vero vestræ majestati renuntiatur, quasi parum liberum sit Concilium, hoc sibi persuadeat, tam esse liberum, ut si celebraretur in media Saxonia, liberius non posset ». Interjectis nonnullis, quæ desunt : « Et cum de episcoporum jurisdictione ageretur, sic illam a Christo sibi concessam nonnulli affirmabant, ut vicarium illius non agnoscere fere viderentur. Audivimus voces illas : « Christus « instituit, ergo Petrus non instituit : a Deo vo« cati sumus in partem sollicitudinis, non a « Pontifice » ; « nec id ab uno. Si quis Patrum esset admonitus, ut de rebus propositis loqueretur, neque digrederetur ad ea, quæ nihil ad rem facerent, clamabatur statim violari Concilii libertatem, itaque res in magnas contentiones erupit. Etsi autem fuere multo plures, qui negarunt juris divini faciendam esse mentionem ullam, vel cum de institutione, vel cum de superioritate episcoporum ageretur ; nos tamen ut satisfaceremus his, qui tam sunt istius juris divini studiosi, et has duas voculas sibi mordicus esse tuendas existimant non recusavimus, quin scriberetur in canone episcopos, vel divino jure, vel a Christo esse institutos, modo declaretur qui episcopi, hoc est, eos episcopos, qui vocantur in partem sollicitudinis a Pontifice Romano, esse de jure divino vel a Christo institutos.

« Et quoniam tantopere de sua dignitate auctoritateque episcopi laborabant, ad officium nostrum pertinere judicavimus, ut provideremus, quo Summi quoque Pontificis, qui Pater est patrum, auctoritas et dignitas salva permaneret; cum præsertim non heri (quod aiunt) et nudius tertius, sed ante mille fere et trecentos annos scriptum sit, salutem Ecclesiæ a Summi Sacerdotis dignitate pendere, cui si non exors quædam et omnibus eminens datur potestas, tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes. Ita factum est, ut adderentur quædam de Summo Pontifice, ut pastor et rector universalis Ecclesiæ esse diceretur. Hic iterum novæ difficultates exortæ sunt, quod hæc verba sibi nonnulli minime ferenda esse putarent. Sic factum est, ut nobis ulterius progredi non liceret : atque hoc modo contentio de jure divino, quominus ad constitutum, ac toties prorogatum diem habere Sessionem liceret, impedimento nobis fuit : quæ quidem exorta nunquam fuisset, si nonnulli Patres ad ea, quæ per legatos proposita sunt, respondere potius, quam ipsi proponere voluissent. Sed vere scriptum est ab illo, quod pax est ordinis tranquillitas : ubi vero non servatur ordo, pax et tranquillitas retineri non potest : quo majore studio petimus a majestate vestra, ne sibi persuadere patiatur ab his, qui cupiunt hunc ordinem perturbatum, et Babilonem hic quamdam ædificari volunt, in qua confusio quædam sit linguarum, unicuique legatorum Apostolicorum officio fungi, sibique proponendi partes arrogare liceat. Quod si provisum per majestatem vestram fuerit, habebimus per Dei gratiam celeriorem et feliciorem sacri Concilii hujus exitum opinione multorum; si vero (quod absit !) unicuique licuerit arbitratu suo proponere, nullus erit unquam istius Concilii finis, nam si volet Hispanus proponere, volet itidem Gallus, volet Italus, volet Germanus, et si qui sunt alii : et non videmus cur non huic potius, quam illi, aut alii id facere liceat. Quo magis autem rem intelligat majestas vestra, non semel a nobis Patribus dictum est, si quid proponi vellent, coram legatis id facerent : qui, si judicarent expedire, quæ per Concilium determinanda sunt, aliorsum extra Concilium ne recurratur, nam putamus hanc illius esse mentem, ut velit nos, qui legati sumus et ministri Sanctissimi domini nostri, si qua causa difficilior

existat, de qua parum etiam inter ipsos Patres conveniat, ad Sanctam Sedem Apostolicam de ea referre, cum semper hoc in Ecclesia Dei fuerit observatum, idque ex ipsius, sicut traditum accepimus, Christi institutione. Fit hoc a vestræ quoque majestatis et aliorum regum et principum oratoribus proculdubio, si qua res nova emergat, ut sui quoque regis, aut imperatoris de ea sententiam exquirat. Tantam habent etiam hi, qui segregaverunt seipsos ab Ecclesia Dei, suis ducibus et antesignanis reverentiam, ut quoties ministri conveniunt de doctrina religionis tractaturi, non fere quidquam statuant, nisi prius eorum consilium exquirant. Hoc Vitembergæ ante paucos annos, hoc Augustæ, cum primum Confessio, quæ dicitur Augustana, scriberetur, hoc ante sesquiannum in Galliis, cum de componendis religionis dissidiis deliberaturi convenissent, factitatum esse scimus. Neque tamen simile quid actum est, nobis præsidentibus in hoc sacro Concilio, præcipue quoties de causa fidei agebatur. Ubi vero Pontificis ipsius auctoritas et dignitas in dubium vocari videbatur, fecisse nos confitemur, ut non prius aliquid ea de re statui vellemus, quam ad Sanctam Sedem Apostolicam retulissemus, et ejus sententiam cognovissemus. Qua in re non modo nihil a nobis peccatum esse confidimus, verum etiam, si quid secus actum fuisset, contra fidem et officium nostrum fecisse nos existimari potuisset. Fuit hoc aliquando, quod legati sententiam Pontificis in OEcumenico Concilio de controversia fidei, quæ tum tractabatur, proponebant, cui statim omnes episcopi subscribebant: sic in Concilio Chalcedonensi quod unum fuit ex his quatuor, quæ velut quatuor Evangelia recipit Gregorius Pontifex, lecta fuit Leonis Pontificis Epistola, cui statim acclamatum est: Omnes ita credemus: Papa Leo sic credit. Papa Leo interpretatus est. Anathema ei, qui partit, qui dividit. Hæc fides Leonis archiepiscopi. Petrus per Leonem ita locutus est. Omnes ita credimus; sicut Leo, ita credimus. Item factum est in sexta Censtantinopolitana Synodo, cum Agathonis Epistola legeretur, cui statim subscripserunt omnes, et fuit hæc vox Patrum audita de illa Epistola, « Charta et atramentum « videbatur, et per Agathonem Petrus loqueba« tur ». Hic olim fuit mos in Conciliis observatus; nec in multos annos proferebantur Concilia, sed audita sententia Romani Pontificis, quam sequebantur omnes, intra paucos dies absolvebantur. Quod si nunc idem fieret, quis non vociferaretur violari Concilii libertatem, quod audita Pontificis sententia fas non esset ab ea discedere? Cæterum, qui tum rerum potiebantur pii et orthodoxi imperatores, in quorum locum et pietatem successit majestas vestra, non solum nihil detrahi Conciliorum libertati, si Romani Pontificis sententiæ omnes statim subscripsissent, interpretabantur, verum etiam edicto sanxerunt, ut cuncti populi sibi subjecti, quam Damasus, quam Agatho, quamque cæteri Pontifices Romani religionem tenerent, eam sequerentur. Nunc in Concilio nihil a Pontifice præscribitur, sed adversariorum tantum opiniones per legatos proponuntur, de quibus per theologos diligens fit inquisitio, neque quidquam indiscussum relinquitur: deinde Patres libere suas dicunt sententias, ex quibus quod Spiritui sancto visum est, id tandem decernitur. Hæc nos brevibus hac quoque de re informandi causa majestati vestræ perscribenda duximus. Quod autem, vel ad dissolutionem vel ad suspensionem Concilii attinet; ne tenui quidem auditione ea de re quidquam accepimus, nec animum inducere possumus, ut credamus, tale quid Sanctissimum dominum nostrum unquam cogitasse, cum præsertim Sanctitatis ejus litteras habeamus, quibus se in diversa esse sententia declarat; a vestra quoque majestate petimus, ne facile credat si quid ad illam tale perfertur. De nobis vero sibi persuadeat, quod nihil magis cupimus, quam in omnibus voluntati majestatis vestræ morem gerere, quam nihil tale postulaturam a nobis esse, certo persuasum habemus, quod non salva fide et religione facere nobis liceat: itaque dabitur a nobis opera, ut quæ postulat majestas vestra, simul, ut quæ de Sacramento Ordinis et de residentia tractari cœpta sunt, fuerint absoluta, per nos proponantur, nec quidquam eorum a nobis prætermittatur, quæ ad officium nostrum pertinere videbuntur. Hanc autem fiduciam in Dei misericordia collocatam habemus, quod nobis eam gratiam impartiat, ut munus, quo licet indigni fungimur, sic geramus, ut omnium factorum nostrorum in primis Deo, deinde Sanctissimo domino nostro, tum etiam vestræ majestati atque universo orbi justam rationem reddere possimus ».

33. *Inter imperatorem et Pontificem litteræ utrinque missæ circa ordinem Concilii.* — Ex his refelluntur susurri impiorum commurmurantium Concilium Tridentinum contentionibus confusum fuisse, de quibus enim controversum sit, illustre et conspicuum est ex superioribus. Dum vero ille inepte ludit, Christo etiam et ejus in terris vicario illudere voluit, quasi ad eum dirigendi Concilii munus non spectaret, cui gerendo dabat tanto ardore operam Pius, ut etiam Tridentum pro regendo Concilio esset petiturus, nisi referendæ inferius gravissimæ causæ ab ea mente illum dimovissent.

34. De retardato vero Concilii progressu præsulumque dissidiis imperator ad eum graves has litteras [1] transmisit:

« Beatissime in Christo pater, et Domine

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. LXXXVI.

domine reverendissime, post humilem commendationem filialis observantiæ nostræ, continuum incrementum.

« Cum proxime præteritis diebus, divina benignitate feliciter confectis gravissimis illis negotiis, quæ partim cum electoribus et principibus sacri Romani imperii, partim vero in provinciis nostris Austriacis ad Rhenum sitis tractanda habuimus, in hunc nostrum conventum Tirolensem pervenissemus, quo nos non modo res notræ privatæ vocarunt, verum etiam propinquitas loci, in quo hoc tempore sacrum generale Concilium celebratur, invitavit, ut pro ea cura, quæ nobis ut imperatori Romanorum, et supremo Ecclesiæ advocato et protectori incumbit, salutem et utilitatem ipsius promovendi, de ejus statu exacte edocti, et quacumque in re opus foret, favore, patrocinio et auxilio nostro præsto essemus, magno profecto cum animi nostri dolore intelleximus, res sacræ illius Synodi non eo modo et ordine procedere, quo nos una cum omnibus piis vellemus, et afflictus reipublicæ Christianæ, et præsertim oppressæ et deficientis in dies magis ac magis Catholicæ nostræ religionis status exposceret; ita ut verendum sit, nisi propere salubria adhibeantur remedia, is futurus sit Concilii exitus, qui et universo Christiano orbi scandalum et offensionem præbeat, et iis, qui ab obedientia sanctitatis vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ recesserunt, ridendi materiam, et illas, quas amplexi sunt, alienas et discrepantes ab orthodoxa fide nostra opiniones majore studio defendendi incitamentum exhibeat.

« Ut enim multa alia taceamus, certe valde inconveniens videtur rem in eum locum jam esse deductam, quod jam aliquot mensium spatio nulla fuerit celebrata Sessio, et (quod gravius est) cum nos, et alii Christiani orbis reges et principes Catholici, gaudentes antiqua Catholicorum unitate et concordia, sperabamus et Dei beneficio aliquando futurum, ut Catholicæ religionis nostræ, adversariis inter se opinionibus et hæresibus distinctis, et invicem altercantibus et pugnantibus, orthodoxa fides nostra refloreat, sicuti certe manifestum est eorum discordias ad restaurandam religionem Catholicam plurimum afferre momenti, proh dolor! ipsi quoque Patres et doctores in Concilio existentes ad contentiones et dissidia cum maxima jactura, et dictorum adversariorum jubilatione prorumpere incipiunt. Quæ quidem incommoda, sicuti Sanctitatem Vestram nequaquam latere arbitramur, ita quoque persuasum habemus Sanctitatem estram, cujus est eximia pietas, et optima in rem Christianam voluntas, ut communem parentem, lubenter eas vias ac rationes inituram, per quam exortæ difficultates explicari, et negotia illa ad gloriam ac laudem divini nominis, et ad beneficium universæ Christianitatis dirigi queant, ut tandem, superatis præsentium dissidiorum et motuum procellis, optatum quietis portum attingamus.

« Circumferuntur quidam rumores, et sermones quorumdam non admodum commodi neque nobis grati, videlicet Sanctitatem Vestram cogitare de dissolutione vel saltem de suspensione ipsius Concilii : quibus tamen rumoribus nescimus quatenus sit tribuenda fides, et existimamus Sanctitatem Vestram, si quid ejusmodi habet in animo, hoc potissimum perplexo et intricato rerum statu, qui videtur esse in Concilio, ad id fuisse inductam. Nos vero (ut Sanctitati Vestræ pro ejus æquanimitate, et paterna in nos voluntate, mutuoque nostro in Sanctitatem Vestram filiali studio, quod sentimus, ingenue patefaciamus) longe secus judicamus; etenim nostro judicio præstaret nunquam cœptum fuisse Concilium, quam imperfectum relinqui et suspendi, nedum præter nostram, aliorumque regum et principum Catholicorum expectationem et consensum prorsus abrumpi atque dissolvi, in qua sententia confirmamur non levibus, ut nobis videtur, rationibus. Timendum namque foret ne ex ista dissolutione, aut suspensione, ultra scandalum, quo totus offenderetur orbis Christianus, ac præter Sanctitatis Vestræ et totius Ordinis Ecclesiastici contemptum et vilipendium, ac præjudicium quod et huic et futuris Œcumenicis Conciliis inferretur, alia quoque irreparabilia mala mox consequerentur; major videlicet a Catholica religione defectio et jactura, interitusque illarum etiam exiguarum reliquiarum populi Catholici, quæ adhuc supersunt cum in sacri Romani imperii ditionibus et regnis et dominiis nostris hæreditariis, tum et in aliis regnis atque provinciis; siquidem frustrata ea, quam in hoc Concilio posuerant, fiducia, ipsæ quoque seductoribus aures facilius essent præbituræ.

« Neque defuturos crediderimus etiam ex Catholicis, qui interpretarentur ejusmodi dissolutionem vel suspensionem fieri studio impediendæ reformationis, quam a tot annis expetimus et requirimus, tamque necessariam judicamus, ut sine ea frustra esse videatur meliorem Ecclesiæ statum sperare. Ad hæc Sanctitas vestra procul dubio recordatur, haud ita pridem mentionem esse factam instituendorum Conciliorum nationalium. Ea vero, quia Sanctitas vestra semper judicavit, sine summo discrimine, et miseranda animorum distractione celebrari non posse, omnibus modis illa sibi impedienda esse duxit, neque commodiorem aut efficaciorem rationem evitandi hujus periculi invenit, quam generalis et Œcumenici Concilii celebrationem. Itaque nunc Sanctitati vestræ sapienter expendendum et considerandum relinquimus, an non pleræque Christianæ reipublicæ nationes dissoluto aut suspenso generali et Œcumenico

Concilio, arrepturæ essent occasionem refricandi et renovandi factam a quibusdam antehac mentionem nationalium Synodorum, utcumque adhuc sopitam, adeoque ad rem ipsam omni ulteriori cunctatione remota deventuræ, quod illarum institutum si omnino decreverint executioni committere, in eum eventum nos non videmus, quæ tandem hujusmodi conatibus sese opponendi, aut eosdem remorandi facultas sit superfutura. Quocirca existimamus unum esse remedium, quo tot ac tam insignes difficultates atque incommoda præcavebuntur, si Sanctitas Vestra non patietur Concilium hoc generale dissolvi, neque suspendi, sed operam datura est, ut id per vias debitas et competentes ad felicem et optatum exitum perducatur : quod et ipsum non aliter fiet, nisi fiat serio tamdiu expetita reformatio, ipsique Concilio salva et integra sit antiqua et solita sua libertas, ita ut quemadmodum informati sumus a piis et eruditis viris, in priscis plerisque Conciliis, et præsertim iis, quæ pro præcipuis habentur et sancta vocantur, observatum fuisse, liceat nunc quoque non solum Sanctitatis vestræ legatis, verum etiam Patribus, ac insuper nostris et aliorum regum et principum oratoribus proponere, quæ quisque universaliter ad conservandam et restaurandam religionem Catholicam, ac obedientiam Sanctitati vestræ et Sanctæ Sedi Apostolicæ debitam pertinere, vel particulariter cujusque regni aut provinciæ necessitatem et utilitatem postulare cognoverit, Patribus vero libere, et sine metu, aut respectu dicere et decernere, quæ cuilibet Spiritus sanctus et conscientia suggerit, servato utrinque bono ordine, per quem facile evitabitur, si quæ timetur, in hac parte confusio ; ita ut non opus sit de iis rebus, quæ per Concilium sunt determinandæ, aliorsum extra Concilium recurrere. Et plane confidimus Sanctitatem vestram nunquam eo consilia sua conversuram, aut permissuram, ut hoc tempore exulceratissimo, ac turbato rerum statu, in celebratione Concilii contra exempla majorum novi quidquam introducatur, quo libertas ipsius Concilii quodammodo impediri seu violari videatur ; sed eam sartam tectamque conservaturam, ac simul etiam apud legatos et Patres Concilii curaturam, ut negotium reformationis, considerata inevitabili ejus necessitate, omni quo poterit studio promoveatur : quo nomine Sanctitatem vestram impensissime oramus et obsecramus.

« Neque vero Sanctitas Vestra hoc loco suspicari velit (quod magnis a Sanctitate Vestra precibus petimus) nos id agere, ut Sanctitati Vestræ legem præscribamus, aut eam, quomodo officio suo pastorali fungi debeat, instruamus, cujus sapientiam, pietatem et in regenda Ecclesia felicitatem magni facimus ; aut etiam ut eam superioritatem et dignitatem vel auctoritatem, quæ eidem Sanctitati Vestræ jure ac merito competit, labefactemus, vel in dubium vocemus, cujus tuendæ et conservandæ hactenus semper fuimus erimusque posthac quoquo tempore studiosissimi, non recusaturi eam ob causam ullos unquam labores, curas ac molestias, adeoque fortunarum et salutis discrimen, si necessitas postulet, subire ; sed posteaquam varia ad nos de præsenti statu Concilii allata essent, quibus homines tam a Sanctitate Vestra et Sede Apostolica, quam a Concilio magis magisque alienari viderentur, et quæ gravioribus incommodis ansam facilem præbere possent, existimavimus nostras partes esse tanquam primogeniti et obedientissimi Ecclesiæ filii, ejusdemque advocati, ut Sanctitatem Vestram de iisdem certiorem redderemus, et ut ipsa prudentia sua divino invocato auxilio ab Ecclesia tanta mala propulsaret, officiose rogaremus et cohortaremur : id quod Sanctitatem Vestram speramus pro animi sui moderatione, et paterno in nos amore, benigno et æquo animo laturam, et his, quæ commemorata sunt, incommodis aptum et conveniens remedium adhibituram esse, qua in re pollicemur nos Sanctitati Vestræ filiali nostro auxilio affuturos, omniaque ea præstituros esse, quæ ad nos pro ratione muneris nostri Cæsarei pertinere dignoscentur.

« Et quoniam testantur historiæ præsentiam Summorum Pontificum et imperatorum in Conciliis Ecclesiæ, et Christianæ reipublicæ maximam sæpe attulisse utilitatem, nos ut hanc quoque operam Christiano orbi in hac summa necessitate præstemus, volente Deo, ipsimet lubentissimo animo, et sepositis omnibus aliis gravissimis nostris difficultatibus, ad Concilium veniemus, et progressum ejus præsentia nostra, quoad ejus unquam fieri poterit, promovere studebimus ; Sanctitatem tamen Vestram hoc loco iterum atque iterum rogamus, ut et ipsa id laboris suscipere, et afflictæ Ecclesiæ sua in Concilio præsentia tanquam fidelis pastor et pius pater benigne consulere non gravetur. Ita namque sperandum erit exortas difficultates parvo negotio explicari et extingui, et quæ absente Sanctitate Vestra incommoditates in posterum facillime cum ingenti Concilii perturbatione et impedimento, necnon Sanctitatis Vestræ insigni molestia excitari poterunt, præcaveri et reprimi posse, ita ut tandem divina benignitate omnia suo debito ac legitimo ordine ad optatum et lætum finem perveniant, atque ad laudem et gloriam Dei demum Ecclesiæ pristina pax, unitas et concordia restituantur ; ad quem scopum dumtaxat omnia nostra consilia omnesque cogitationes et actiones nostræ respiciunt, nec dubitamus Sanctitatem Vestram ad eumdem una nobiscum finem tendere, a qua ad hæc nostra officiosa et puro corde et Christiano zelo profecta scripta primo quoque tempore benignum et paternum responsum expectabimus : quam

Deus misericors Ecclesiæ suæ, quam diutissime salvam et incolumem conservet. Dat. in oppido nostro Œniponti etc. »

35. His acceptis Pontifex litteris, ad singula, quæ Cæsar proposuerat, prudenter respondens, hanc ad eumdem Epistolam [1] transmisit :

« PIUS PAPA IV.

« Ferdinando imperatori Romanorum electo.

« I. Charissime in Christo fili, salutem et Apostolicam benedictionem. A nobili viro oratore tuo accepimus litteras majestatis tuæ accurate admodum scriptas de rebus ad sacrum Concilium pertinentibus, quibus diligenter perlectis, tuam in eis erga nos pietatem et perpetuam devotionem erga Sedem Apostolicam, in rempublicam vero Christianam præclaram admodum et Christianissimo imperatore dignam voluntatem recognovimus ; et ut sæpe alias fecimus, Deo misericordiarum Patri gratias egimus, qui talem Ecclesiæ suæ advocatum, protectorem, et nobis piorum consiliorum nostrorum adjutorem concesserit, qualem tam turbulenta et misera ipsius Ecclesiæ tempora flagitabant, quæ profecto non requirebant principem minore pietate, religione et sapientia præditum ; ordine autem respondebimus ipsis litteris tuis.

« II. Moleste admodum te ferre significas tam tardum esse Concilii progressum. Id tuæ optimæ voluntatis indicio est, qui remedium tantopere afflictis Ecclesiæ rebus necessarium tam diu differri doles. Nos quoque vehementer optaremus ipsum Concilium non diutius tractum, nec tot dilationes et moras interpositas fuisse, sed eæ interpositæ fuerunt oratoribus tuis et tua, et aliorum principum causa ita postulantibus et enixe rogantibus.

« III. Majestatem vero tuam offensam esse altercationibus et contentionibus , quæ nonnunquam inter prælatos extiterant, minime mirati sumus, deceret enim cuncta ab illis agi atque tractari summa animorum æquitate atque concordia. Itaque fatemur non parum nos ea quoque re offensos fuisse, qui cuperemus servari in Concilio debitum ordinem, summam moderationem adhiberi, omnesque uno animo summaque concordia Dei honori et Concilii dignitati existimationique servire, ac diligenter caveri, ne qua daretur adversariis ansa apud imperitam multitudinem sacræ Synodo obtrectandi.

« IV. Illud autem maximam admirationem movit, et animum nostrum non mediocriter perculit, quod majestas tua circumferri rumores quosdam scribit nimis nobis indignos, nempe quod id agamus et moliamur, ut Concilium dissolvatur, aut saltem suspendatur. Absit a nobis, charissime fili, ut quidquam hujusmodi cogitemus. Nos vero id agimus, id studemus, id enitimur, ut ipsum Concilium annis ab hinc octo et viginti inchoatum, prosequamur, et divina opitulante gratia, nulla prorogatione, aut suspensione amplius facta, quæ sine summa omnium offensione, et ut majestas tua sapientissime scribit, sine magnis Ecclesiæ damnis fieri non posset, et Catholicorum omnium animos prorsus frangeret, tandem finem illi debitum imponamus. Huc omnes curas nostras et cogitationes intendimus, hoc optamus, hoc conamur, cujus rei testem Deum ipsum habemus. Non adeo pastoralis officii nostri obliti sumus, non tam immemores salutis nostræ, nec existimationem quidem nostram ac famam adeo negligimus, ut quidquam ejusmodi in mentem nobis venerit.

« V. Illud fatemur, non defuisse maximos principes, qui nos ad dissolvendum Concilium hortarentur : sed id persuaderi nobis minime passi sumus, nec vere unquam patiemur. Quamobrem majestas tua quæ non temere his rumoribus fidem habendam putavit , sincerum nostrum animum plane sibi cognitum esse ostendit, eamque ut hujusmodi de nobis sermonibus posthac aures suas penitus occludat, hortamur. Nos enim sicut pro nostri pastoralis officii munere, summo Concilium studio ac diligentia congregandum curavimus, ita divinæ gratiæ auxilio, ac regum et principum Catholicorum, tuaque in primis ope freti statuimus et deliberavimus id prosequi, atque ita prosequi, ut quod ad nos attinet, Concilium ipsum plane sit liberum, ac nulli prælatorum facultas eripiatur, quin de rebus, quæ propositæ fuerint, dicat sine ullo respectu quid sentiat, suæque conscientiæ plene satisfaciat. Sed majestas tua pro sua sapientia intelligit, ubi tam multi congregati sint, maxime adhibendum et servandum esse ordinem : quo sublato, futurum sit ut maxima inter eos existat perturbatio, nec satis commode ullius rei exitus expediri possit. Proinde Concilium ipsum, hoc sapienter attendens, justissima de causa decrevit, uno tantum, aut altero ex tanta prælatorum frequentia dissentiente, ut ad Apostolicæ Sedis legatos, qui vice nostra Concilio præsident, spectaret jus referendi de rebus, quæ agendæ et decernendæ essent. Qua tamen eos potestate hortati sumus ita uti, ut omnibus de rebus, de quibus constiterit operæ pretium esse referri, referant ; eaque in re admoneri se libere patiantur, studeantque non prælatorum solum, sed etiam oratorum, qui a principibus missi fuerunt, tuorumque in primis desideriis et postulatis satisfacere. Quod si illi facere recusarent de rebus gravioribus, præsertim ad reformationis negotium pertinentibus, justam tunc prælatos et oratores causam querendi habituros esse intelligimus, et æquum fore, ut opportunum remedium adhiberetur : qua in re nos omnem spem nostram et auxilium

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. LXXXVII.

pollicemur, quanquam sciamus quantæ turbæ, contentiones et discordiæ excitatæ fuerint, cum prælati ipsi, legatis Apostolicæ Sedis invitis, proposuerunt quæstiones et articulos, de quibus nunc controversia est, et quantopere ea res impedierit progressum Concilii, atque etiam impediat, dum super articulis Catholicis Catholici ipsi inter se certant, qui debebant cum hæreticis decertare : ex quo non mediocre scandalum ortum fuit, et data hæreticis occasio deridendi nos, dum vident nostros inter se dividi ac dissentire, sicut majestas tua prudentissime in fine voluminis suarum petitionum admonuit.

« Quod vero ad tollendos abusus, et ea, quæ correctione indigeant, corrigenda, majestas tua hortatur; digno pietate sua officio fungitur, idque nobis gratum est. Auditum autem tibi esse credimus, quid jam egerimus, qua cura, qua diligentia ea, quæ in hac curia correctione egere visa sunt, quibusvis nostris nostrorumque commodis contemptis, correxerimus. Ex quo quivis intelligere potest, serio nos et ex animo cupere cætera emendari, cum ipsius correctionis initium a nobis et a curia nostra fecerimus, sicut ex litterarum multarum exemplis, quas edidimus, et ad perpetuam memoriam imprimi ac divulgari jussimus, majestas tua intelligere poterit.

36. « Invitat nos majestas tua, et hortatur in extremis litteris suis, ut Tridentum eamus, quo se quoque paratam fore ostendit accedere : sperat enim, si ita factum sit, facilius et commodius finem optatum Concilio imponi posse. De hoc majestati tuæ respondemus nullum nos unquam laborem recusaturos esse divini obsequii et communis Ecclesiæ utilitatis causa : itaque paratos nos fore interesse Concilio, cum tamen res in eo statu esse cognoverimus, ut præsentia nostra aliquid perfici posse sperandum sit; sed quæ nobis veniunt in mentem de hac re nobiscum cogitantibus, majestati tuæ exponemus. Primum si hinc discedendum sit, cogitamus Tridentum parvum oppidum esse, nec sine magno incommodo tantum prælatorum numerum ibi manere. Quid si nos eo cum ipso cardinalium collegio, ac reliquo comitatu nostro eamus, quo pacto sufficere urbs tam exigua poterit ad nos, et cardinales, et tot alios hospitiis excipiendos? Quid cum majestas tua eodem cum imperatorio suo comitatu venerit, qui poterit ea urbs præter prælatos, quibus ipsis vix domicilium præbet, curias nostras excipere? Illud præterea cogitamus, si ad Concilium eamus, non defuturos, qui illum adventum nostrum in malam partem accipiant, interpretantes scilicet, ea mente nos illuc venisse, ut suam Concilio libertatem eriperemus. Sed prætermittamus incommodum nostrum, fingamus eam urbem satis amplam esse ad excipiendas curias nostras, contemnamus etiam sermones malevolorum, quos contempturi essemus. Consideremus ecquid tuto illuc convenire possimus. At ea urbs in medio hæreticorum sita est. Hinc Grysones finitimos habet, inde Helvetios hæreticos, ex alia parte Protestantes. Quis præstabit nobis, ut tuto ibi cum curia nostra esse possimus? De tua quidem fide non dubitamus, ne simus nostri dissimiles. Sed hoc erit periculum commune, timendum erit ne vis afferatur utrique nostrum, et ne vis major afferatur, quam cui majestas tua possit resistere. An non meminimus, quid gloriosæ memoriæ Carolo imperatori fratri tuo evenerit? Quanto in periculo Concilium ibi sæpius fuerit? Huc accedit, quod Æstate proxima pro certo habetur, venturam esse classem Turcarum maximam, eamque una cum pyratis et prædonibus omnibus infestum hoc mare esse habituram. In tanti periculi metu nobis cum curia ex Urbe discedentibus, haud dubie tota Urbs tumultu implebitur; si vero acciderit, ut classis hostium hac prætervehatur, ut alias accidisse meminimus, cunctus hic populus, qui meliore ex parte est ex hominibus peregrinis, trepidabit, et Urbem ipsam præ metu deseret. Sed tamen adeo cupimus et desideramus inservire Deo, et religioni, et simul majestati tuæ morem gerere, ut diligentius de re cogitare velimus. Si tamen majestati tuæ placeret Bononiam venire quo antea in animo habuimus nos conferre, multaque jam ad iter necessaria parari jusseramus, quando ægritudo postea nos impedivit, ex qua nondum plane convaluimus, majestas tua in ea urbe imperialem coronam acciperet, sicut ibidem eam accepit olim gloriosæ memoriæ Carolus imperator frater tuus, ibique, et tuto, et commode omnes esse possemus. Credimus etiam, quod prælati Concilii, utroque nostrum hortante, eodem venire minime gravarentur, maxime propter hospitiorum commodum, et urbis illius securitatem. Essent autem illic omnia in manu majestatis tuæ, cujus ea in urbe majorem potestatem nos vellemus esse, quam nostram. Ita uno tempore, et ea quæ ad dignitatem atque honorem majestatis tuæ pertinent, perficeremus, et optatum Concilii progressum ac finem assequeremur, sublatis abusibus omnibus, et reformatione facta magna ex parte majestatis tuæ arbitrio, quam scimus nihil desideraturam esse nec postulaturam, nisi quod rectum et æquum esset, et majestas tua, cujus nos honorem ac dignitatem magni facimus propter insignem ejus devotionem erga Sedem Apostolicam, et egregiam erga nos voluntatem, publicis privatisque rebus ex sententia confectis discederet. Exposuimus majestati tuæ has cogitationes et considerationes nostras, eam autem hortamur et rogamus, ut de hac re secum diligentius cogitare velit, quemadmodum et ipsi quoque cogitabimus. Veniet autem ad te venerabilis frater noster Joannes episcopus Præne-

stinus cardinalis Moronus appellatus, quem legatum nostrum de latere ad Concilium, et ad majestatem tuam missuri sumus, etc. Dat. Romæ apud S. Petrum, etc. Die XVIII Martii MDLXIII, anno IV ».

37. Dederat ad Pontificem Ferdinandus imperator alias arcanas litteras, quibus reconditiores animi sensus de provehendo feliciori Concilii progressu, restituendaque emendatiore, atque expolitiorum morum norma patefecerat, atque hac Epistola[1] significaverat.

« Beatissime in Christo pater, Domine reverendissime, post humilem commendationem filialis nostræ observantiæ continuum incrementum.

« Etsi Sanctitatem vestram a multis annis, dum adhuc in minoribus ageret, summo semper amore prosecuti fuimus, et postquam divina providentia ad sanctam istam Cathedram Petri evecta est, tanquam amantissimum patrem singulari observantia coluimus, atque etiam nunc colimus, ab eaque vicissim tam insignia paterni amoris officia accepimus, ut merito illius dignitatem et auctoritatem nobis quoque loco et tempore pro viribus tuendam ac defendendam esse intelligamus, atque ad id propensissimum animum habeamus, quemadmodum sane hoc nobis tanquam supremo advocato et protectori Ecclesiæ pro ratione Cæsarei nostri muneris incumbere agnoscimus, ideoque nihil acerbius, aut a mente nostra magis alienum posset nobis accidere, quam scribere, dicere, aut facere aliquid, quo piæ Sanctitatis vestræ aures et benignus animus vel lævissime offendi possent, tamen viceversa existimamus ad integritatem nostram, et ad officium optimi et obedientis filii Ecclesiæ maximopere spectare, si quid occurrat, quod vel Sanctitati vestræ, vel Ecclesiæ Christi, cujus ipsa Sanctitas vestra in terris vicarium gerit, officere queat, nisi mox emendetur, ut de eo Sanctitatem vestram tanquam patrem optime meritum, et nobis confidentissimum, remotis, quod aiunt, arbitris sincere et reverenter admoneamus, ipsamque veritatem, etiamsi soleat odium parere, nequaquam dissimulemus; ad quam rem animum addit nobis non solum Cæsarei officii nostri debitum, secundum quod tenemur sedulo procurare, quæ ad gloriam Dei, quæ ad Ecclesiæ unitatem et tranquillitatem, quæ denique ad universæ Christianæ reipublicæ salutem et incolumitatem spectant, ac impendentia mala et incommoda ab eo pro viribus propulsare, verum etiam mirifica Sanctitatis vestræ pietas, benignitas, mansuetudo, et immensa multisque beneficiis erga nos comprobata voluntas ea nobis plane pollicetur, quæcumque in his nostris secretioribus et officiosissimis litteris bono zelo sumus, vel admonituri ultra illa, quæ in aliis nostris continetur, vel alias latius explicaturi et declaraturi, Sanctitatem vestram non modo non laturam graviter, aut moleste, sed potius paterno et benigno animo accepturam esse, præsertim cum non aliorsum, quam ad laudem divini nominis, ad quietem Ecclesiæ, ac beneficium reipublicæ Christianæ, et maxime ad conservationem auctoritatis Sanctitatis vestræ, et Sanctæ Sedi Apostolicæ debitæ, perpetuamque ejusdem sanctitatis vestræ laudem tendant ac denique etiam nepotibus et propinquis Sanctitatis vestræ olim usui et præsidio fore videantur, quo nomine Sanctitatem vestram summo studio etiam atque etiam rogamus.

« II. Priusquam autem aggrediamur rem ipsam, non absurdum fortassis erit paucis præfari de conditione, qua Sanctitas vestra supremum Ecclesiæ in terris caput, qua nos ipsi, quibus divinitus datum est (licet præter omne nostrum meritum) alterum esse supremum et sæculare in orbe Christiano caput, qua cæteri reges ac principes, qua denique homines nati sumus, scilicet, ut moriamur, cujus conditionis memoriam expedit in animis mortalium nunquam extingui, præcipue senum qui morti sunt vicini; quia possunt quidem juvenes cite mori, sed secundum naturæ cursum senes destituti sunt ea spe vitam in multos annos extrahendi, quæ fovet juvenes, licet utcumque et ipsi illa frequentissime frustrentur. Quocirca eo magis cogitanda sunt Sanctitati vestræ et nobis (sumus enim coætanei ferme) illa, quæ ad consequendum beatum hujus transitoriæ vitæ finem, id est, æternam felicitatem et gloriam pertinent, ut dum tempus est, operemur bonum, et talentum nobis concreditum ita administremus, ut possimus postea Deo altissimo muneris nobis commissi rationem reddere, atque a divina ejus benignitate promissam bonorum operum nostrorum mercedem recipere, juxta quam vilescit et putet omnis, quantumvis maxima hujus sæculi gloria. Ubi sane considerandum est quod peccantes pastores et rectores populi non modo sibi ipsis accersunt malum, sed multa millia animarum in salutis periculum conjiciunt, pro quibus postea ipsi in judicio Dei respondere coguntur. Quod tamen non in eum finem Sanctitas vestra a nobis dictum existimet, quod nos Sanctitatem vestram, filius patrem, ovis pastorem, quomodo vitam suam instituere debeat, velimus erudire : neque enim dubitamus Sanctitatem vestram, hæc et alia indesinenter secum animo volvere.

« III. Quæ cum ita se habeant, et nunc flagitante extrema collapsæ religionis nostræ Catholicæ et Ecclesiæ necessitate, celebretur Tridenti sacrum Œcumenicum Concilium a Sanctitate vestra convocatum, a quo totus orbis Christianus, miserandum in modum laceratus et conscissus, expectat remedium salutare et

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. 3218. Ep. LXXXVII.

aptum sanandis, quibus se invicem confecit vulneribus, existimamus profecto nunc summam rerum in eo versari, ut populus Christianus expectatione sua non frustretur, adeoque Concilium opera et auctoritate Sanctitatis vestræ legitima et debita via progrediatur, denique per eamdem ad optatum et felicem exitum perducatur.

« IV. Porro huic convocationi et Congregationi Generalis Concilii occasionem et causam dedere, ut novit Sanctitas vestra, plurimæ atque pestilentissimæ hæreses, quæ hoc postremo sæculo propter peccata nostra exortæ, tam late se diffuderunt, ut nullam ferme orbis partem intactam reliquerint, atque adeo plerasque reipublicæ Christianæ nationes et regna occupaverint. Item abusus et depravati mores, quibus hoc tempore clerus juxta ac populus laboravit, ac hæreses ipsæ foventur, accenduntur et augentur : qui sane in utroque ordine Ecclesiastico pariter et sæculari usque adeo invaluerunt, ut nisi mature prospiciatur in præsenti Concilio, verendum sit ne longe graviora et irreparabilia incommoda aliquando consequantur.

« V. Itaque cum non videatur ejuscemodi malis commodius posse adhiberi remedium, quam si canonica instituatur reformatio, et Concilium debita et legitima via libere progrediatur, non dubitavimus Sanctitati vestræ, quæ in aliis litteris nostris ob respectum, quem merito habemus Sanctitatis vestræ, vel leviter attigimus, vel silentio prætermisimus, quod illas ad multorum hominum manus perventuras esse sciamus, summa fiducia, saltem in præsentibus latius explicare, ita ut de iis, quæ Catholici et omnes boni cupiunt emendari, vel alioquin a Sanctitate vestra præstari, vel etiam quæ ab ipso Concilio expectantur, informata eo melius pro pastorali suo officio laboranti Ecclesiæ subveniat.

« VI. Publica et maxima nunc est querela de reformationis retardatione : neque sane absque causa, videtur enim esse usque adeo necessaria, ut sine ea non liceat meliorem in Ecclesia statum sperare, quæ si instituenda erit, prout posthaberi, seu procrastinari, sine graviore religionis detrimento, et totius Christiani orbis gemitu ac majore exasperatione non potest, in primis videtur res a capite et fonte incipienda esse ; nam ubi caput est bene dispositum, reliqua etiam membra melius habent, et e fonte puro puri manant rivuli.

« VII. Nec taxamus hic personam Sanctitatis Vestræ, in qua neque pietatem, neque religionem, neque sanctimoniam vitæ, nec quidquam eorum desideramus, quæ in sancto et incorrupto Pastore requiri possunt ; quia ea, quæ dicturi sumus de Summo Pontifice, cum divina providentia Sanctitas vestra Pontificatum teneat, et magna sua cum laude gubernet, ad Sanctitatis vestræ personam nihil pertineat, sed hoc agimus atque optamus, ut S. V. hoc optimum pietatis opus secum ferat in conspectum Altissimi, quando ipsi ex hac vita ad cœlestia regna migrandum erit, et in terris quoque nomen suum in omnem posteritatem hac laude conservatum relinquat, quod scilicet S. V. hoc novissimo sæculo id præstiterit, ut in futurum ipsius diligentia habeamus vere sanctos Pontifices, cardinales, episcopos, presbyteros, et animarum rectores, qui verbo et exemplo populum sibi commissum ad eadem studia pietatis revocent, ut denique omnes serviamus Deo in justitia et veritate.

« VIII. Ad quod requiritur inprimis, ut talis instituatur modus eligendi Pontificem , per quem iis, qui ad tantam dignitatem et functionem apti non sunt, posthac omnis ad eam aspirandi via præcludatur.

« Hoc pridem, ut diximus, præstiterat Pontifex egregia illa edita constitutione, quæ incipit, *In eligendis*, quæ integra habetur in Romano Bullario, et in cæremoniali electionis Romani Pontificis ». Addit insuper imperator de cardinalium cæterorumque antistitum exquisita electione, ut hoc firmiter posito fundamento nobilis in Ecclesia Dei virtutum structura consurgeret, hæc habens :

« IX. Deinde necessarium est, quod eligentes, id est, reverendissimi cardinales tales sint, ut velint ac possint eligere Pontificem , cui Ecclesia Christi recte tuto possit committi : nam (quod pace Sanctitatis vestræ et reverendissimorum cardinalium dictum sit) hoc tempore gravissimæ audiuntur querelæ, quod nonnunquam creantur cardinales partim per ætatem omni adhuc judicio destituti, partim vero illitterati et indocti, qui ut nihil possunt in iis, quæ ad regendam Ecclesiam spectant, consulere, sic in eligendo Pontifice privatas passiones sequuntur, ac bonorum et doctorum pia suffragia impediunt, unde postea necesse est multa in Ecclesia sequi incommoda.

« X. Non multo minor profecto sollicitudo præstanda est, ut sint etiam archiepiscopi et episcopi digni atque idonei,qui gregem Domini cum puritate et sanitate doctrinæ, tum etiam honestæ et probatæ vitæ exemplo pascant : qui cum creantur partim per electionem capitulorum, partim vero per provisionem et collationem Sanctitatis vestræ, ac summorum Pontificum pro tempore existentium, et pro parte, denique per nostrum, et aliorum regum et principum juspatronatus habentium nominationem et præsentationem, non abs re futurum advertere, quod sicuti diversis modis ac viis ad istiusmodi Ecclesiasticas functiones et dignitates perveniunt, sic etiam plurimum inter se differunt. Nam is, qui ad munus episcopale per ipsammet Sanctitatem vestram, aut per nos, vel alios

reges ac principes promoventur, sæpenumero sunt digniores, magisque idonei illis, qui jure electionis ad eum gradum evehuntur. Si namque talis ratio et modus instituetur eligendi et creandi archiepiscopos et episcopos, per quem dignioribus dumtaxat, et magis idoneis pateat ad ejusmodi dignitates et munera aditus, Deo dante, brevi futurum est, ut habeamus doctum, pium et numerosum clerum, ac doctos prædicatores, qui populum in lege Domini erudiant; cessabit tunc pluralitas beneficiorum, et alii multi abusus e medio tollentur, ac denique hæreses sensim extirpabuntur et eradicabuntur. Quod si quis error, aut abusus irrepsisset in nominationibus et præsentationibus prælatorum et parochorum, vel aliarum personarum Ecclesiasticarum, per nos, aut alios reges ac principes sæculares factis, sicuti antehac accidisse, et deinceps similiter accidere posse, nequaquam volumus negare, in eo etiam Sanctitas vestra poterit adhibere commoda remedia, ut tales abusus in istiusmodi nominationibus et præsentationibus tollantur et corrigantur; quemadmodum profecto nos pro parte nostra non cogitamus defendere tales errores seu abusus, sed eosdem emendari, et tolli patiemur obsequenter, pariturі iis, quæ nobis Sanctitas vestra et sacrum Concilium imposuerit, prout nos jamdudum facturos recepimus, etc.

« XI. Breviter sufficiant dicta de iis, quæ Sanctitati vestræ circa reformationem conclavis, et curam aliorum ordinum Ecclesiasticorum hoc afflicto religionis statu agenda videntur; nunc transeamus ad statum Concilii. Ubi sane gravissima nunc disputatur quæstio cum magna contentione de residentia episcoporum, utrum sit juris divini, necne; in qua, cum verendum sit, ne multi dicant, quod Sanctitati vestræ maxime placere putaverint, pro ea, qua ad scribendas has litteras inducti sumus, fiducia, illud quoque silentio præterire non possumus, quod cum in præsenti Concilio reperiantur tres classes episcoporum, una eorum qui aspirant ad cardinalatum, altera pauperum qui desiderant Sanctitatis vestræ liberalitate et munificentia locupletari, tertia illorum qui per se habent luculentos episcopatus et proventus, unde se commode possunt sustinere, nec galerum ambiunt, nos nihil diffidere, quin hic posterior ordo in hac disputatione votum et sententiam libere dicat, sed de reliquis duobus valde dubitamus, ne residentiam ipsorum episcoporum privati commodi causa oppugnent, non attento, quod sive ea sit divini juris, sive non, tamen hoc rerum et temporum statu non modo sit utilissimum, verum etiam maxime necessarium, quod episcopi in suis Ecclesiis resideant, suumque officium faciant. Quocirca Sanctitatem vestram rogamus per Deum immortalem, ut huic determinationi, si in conscientia sua cognoverit eam esse Dei voluntati consentaneam, non repugnet, ne quis possit Sanctitati vestræ objicere, quod Christus dixit ad hypocritas: *Vos transgredimini Dei mandata propter traditiones vestras;* et quod Sanctitas vestra conetur mandatum Dei mutare in traditionem humanam; quinimo curet, tanquam supremus pastor, ut quisque episcopus suam Ecclesiam summa fide, cura atque sollicitudine præsens gubernet, modusque statuatur dispensationibus, quæ hoc casu solitæ fuerunt concedi: nam utcumque non inficias imus Sanctitati vestræ facultatem esse liberam dispensandi, tamen Sanctitas vestra pro sua pietate nolit uti hac sua facultate et auctoritate in hoc negotio residentiæ, quandoquidem inde plus detrimenti quam commodi ad Ecclesias illas mercenariornm rapinis expositas redire dignoscitur.

« XII. Præterea illud quoque pro filiali nostra in eamdem Sanctitatem vestram observantia nequaquam celandum esse duximus, cum magno fieri scandalo, quod pleraque negotia, quæ sunt determinanda per Patres in Concilio, ad Sanctitatis vestræ determinationem Romam transmitti dicuntur, ita quod Patribus non sit libera decernendi facultas, quemadmodum reverendissimi legati Sanctitatis vestræ, neque nostris, neque aliorum regum et principum oratoribus liberum esse volunt Concilio ea quæ sunt necessaria proponere. Qua in re tollitur et diminuitur libertas Concilii, et infringitur salvusconductus, qui eam libertatem ipsis quoque sectariis non abstulit. Ideoque nobis et reliquis regibus atque principibus, qui hujusmodi libertatem et facultatem in antiquis etiam Conciliis habuimus, non parum infertur præjudicii, et nisi ea relinquantur Concilio integra et illæsa, multa consequentur inconvenientia; nam plurimi id in deteriorem partem rapient, et suspicabuntur, quod Sanctitas vestra reformidet, et suspectam habeat Concilii sententiam, dum non velit fieri a Patribus decreta, nisi ea prius Sanctitas vestra de consilio suorum cardinalium discusserit et approbaverit: sectarii vero, qui alioqui nihil omittunt, quod non sit in sacra Scriptura expressum, et pleraque Conciliorum decreta rejiciunt, haud dubie cavillabuntur, quod ipsis de hoc et aliis Conciliis sentiendum sit, quandoquidem hoc ne summo quidem Pontifici satisfaciat.

« XIII. Ultra hoc videtur hic modus procedendi, quod scilicet negotia Concilii per Sanctitatem vestram Romæ quoque cum reverendissimis cardinalibus consultantur et tractantur, propemodum schismatis cujusdam speciem præ se ferre, quasi essent duo Concilia, quorum unum Romæ, alterum Tridenti celebretur.

« XIV. Similiter existimatur valde esse inconveniens negotia Concilii, quod debet repræsentare Ecclesiam Universalem, submitti exa-

mini reverendissimorum cardinalium quorumdam Romæ existentium, qui non sine probabili causa suspecti habentur in negotio, tam reformandi conclavis, quam statuendæ residentiæ episcopalis, et libertatis sacro Concilio relinquendæ, siquidem in articulis valde adversari videntur.

« XV. Itaque existimamus Sanctitati vestræ, et tutius, et laudabilius fore, quod de præmemoratis omnibus articulis et difficultatibus explicandis, ut puta, de reformatione Conclavis, de electione cardinalium ac prælatorum, et residentia episcoporum, potius exquirat et sequatur consilium et sententiam ducentorum aut tot Patrum Concilii, quam quindecim vel plurium cardinalium, dum Concilium apertum est, et versatur in opere : quid enim obstat ? aut quomodo potest labefactari auctoritas Sanctitatis vestræ, si de Bullis, quas voluerit publicare super reformatione conclavis, prius sententiam et consilium Concilii exquisierit? Cogitet, quæsumus, Sanctitas vestra, an non certius ac satius sit aliquid statuere et decernere sacro approbante Concilio, quam approbante collegio cardinalium : nam quod decernitur cum Concilio, firmum est ac durabile, quoniam Concilium habet promissam gratiam Spiritus sancti ; quod vero extra Concilium cum consilio cardinalium statuitur, experientia docet non esse ita stabile et firmum, quin multoties per subsequentes Pontifices levissima de causa rescindatur ac irritum reddatur. Quapropter non permittat Sanctitas vestra libertatem Concilii violari, quia alias, ut nos judicamus, periculum subesset, ne simul etiam aliorum præteritorum Conciliorum auctoritas elevaretur.

« XVI. Neque vero Sanctitati vestræ verendum censemus, ne quidquam decedat auctoritati et superioritati, quæ competit et debetur Sanctitati vestræ, per id quod proponunt interdum in Concilio, quæ necessitas postulat, nostri et aliorum regum ac principum oratores. Dicant et decernant libere Patres. Nos certe animum inducere non possumus, ut hoc Sanctitatis vestræ auctoritati præjudicare credamus. Multo minus Sanctitas vestra suspicari debet, quod nos consulto occasionem aut prætextum aliquem quæramus dignitatem et auctoritatem Sanctitatis vestræ, quam plurimi facimus, oppugnandi, vel in dubium et controversiam revocandi. Hoc profecto a proposito, mente et voluntate nostra alienissimum est : neque etiam arbitramur ullum esse regem, principem, aut privatum quoque hominem Catholicum, qui non una nobiscum sentiat, credat et profiteatur, Sanctitatem vestram post Christum Salvatorem nostrum caput esse Ecclesiæ in terris.

« XVII. Non improbamus præterea, quod Sanctitas vestra omni studio et conatu sustineat, tueatur et conservet suam et successorum suorum Summorum Pontificum auctoritatem et dignitatem ipsis spectantem, tam ex mandato Dei et sacra Scriptura, quam per sacros canones, necnon plura approbata superiorum temporum Concilia, quia id justum et æquum est, et pro pastorali suo officio Sanctitas vestra secus facere non potest; attamen operæ pretium est, quod Sanctitas vestra eam conservandæ auctoritatis suæ Apostolicæ rationem ineat, qua testatum reddatur, Sanctitatem vestram non aliud quærere, quam honorem divinæ majestatis, et augmentum fidei atque Ecclesiæ, necnon populi Christiani ædificationem, ne quisquam recte et jure possit objicere, Sanctitatem vestram non Christi, sed suam gloriam captare, aut postposita utilitate et necessitate Ecclesiæ, sibi et successoribus suis novo exemplo aliquid vendicare, quod ad Summos Pontifices nullo jure pertineat, neque probari posset, vel sacris Litteris, vel sanctorum Patrum monumentis, vel sacrorum canonum et Conciliorum decretis ad ipsos pertinere. Et quoniam tradita Sanctitati vestræ a Deo Omnipotente potestas et auctoritas facile subsistet contra quosvis adversariorum impetus, si Sanctitas vestra ea recte utatur, magnopere profecto expediet Sanctitati vestræ et Ecclesiæ, diligenter prospicere, ne ulli tam insigni potestate et auctoritate, ad destructionem potius quam ædificationem Ecclesiæ, et ad labefactandam vim et auctoritatem sacrorum canonum et Conciliorum contra præscriptum Dei abuti videantur : id quod a Sanctitate vestra non expectamus, sed plane confidimus ipsam in exercitio suæ potestatis et pastoralis sui muneris id semper habituram præ oculis, ut sua vigilantia, cura et opera Christo multa millia animarum lucrifaciat. Ita quidem Sanctitas vestra habitura est nos acerrimum auctoritatis et potestatis suæ Apostolicæ defensorem, qui tanquam supremum in orbe Christiano caput sæculare, dextrumque Sanctitatis vestræ brachium, nunquam patiemur Sanctitati vestræ consilium et auxilium nostrum in iis, quæ nostro imperiali officio incumbunt, pro tenuitate ingenii nostri, et pro virili nostra parte, ullo loco et tempore deesse : quandoquidem nos hoc pacto ad defendendam et manutenendam auctoritatem et potestatem Apostolicam Sanctitati vestræ, et ejus successoribus, ipsique Sanctæ Sedi Apostolicæ teneri lubenter agnoscimus et ingenue profitemur.

« XVIII. Quod si omnino hic scrupulus auctoritatis et potestatis suæ in Concilio retinendæ Sanctitatem vestram tantopere urit, Sanctitas vestra eum facile tollet, si ipsamet Concilio præsens adsit et præsit, nam per præsentiam Sanctitatis vestræ præcidetur magna ex parte omnis ansa et materia de auctoritate et superioritate ejus disceptandi.

« XIX. Et quoniam hoc loco incidimus in

mentionem præsentiæ Sanctitatis vestræ in Concilio, teneri non possumus, quin Sanctitatem vestram rursus, qua decet modestia et filiali reverentia, et enixe rogemus et obtestemur, ut quemadmodum vices Christi gerit, qui propter salutem nostram e Cœlis in terram, et ad inferos descendit, et pro nobis homo nasci, pati et mori voluit, sic etiam exemplum ejus sequatur, nec sibi grave esse patiatur ex Urbe Tridentum usque proficisci, ac ibi in medio tot archiepiscoporum, episcoporum et prælatorum Ecclesiæ ad convocationem Sanctitatis vestræ in Spiritu sancto congregatorum, ac de his quæ ad conservandam et restaurandam religionem spectant disputantium, tanquam pius pater et supremus in terris pastor versari, rebusque tractandis adesse et præesse, ac Deo et Ecclesiæ operam quam debet præstare, ac saluti tot millium animarum, quas Christus Jesus suo pretiosissimo sanguine redemit, clementer consulere ; præsertim cum Sanctitas vestra sine graviore suo incommodo eo venire, ac secure, et absque omni periculo ibidem commorari, ac si opus sit, citra molestiam aut discrimen personæ et curiæ suæ in locum tutum inde se recipere valeat : quandoquidem Sanctitati vestræ nos præsentes affuturi, eamque una cum Patribus Concilii contra omnem vim ac injuriam, si quæ ingrueret, Deo propitio, facile defensuri, nec Sanctitatem vestram ullo modo derelicturi simus, etiamsi nobis gravissima quæque salutis pericula adeunda forent, in quam tamen difficultatem speramus rem nunquam deductum iri.

« XX. Quocirca Sanctitatem vestram nunc iterum atque iterum officiosissime rogamus et obsecramus per viscera Domini nostri Jesu Christi, ut pro salute Ecclesiæ, quæ Sanctitatis vestræ curæ ita demandata est, ut ea nihil debeat habere charius, cum pro salute ipsius, quando opus sit, vitam quoque profundere teneatur, ut horum omnium quæ per nos commemorata sunt, dignetur benignam rationem ducere, et afflictæ reipublicæ Christianæ omnibus modis subvenire, omnemque operam dare, ut sublatis et emendatis iis, quæ correctionem in Ecclesia requirunt, tandem in optatum tranquillitatis et unitatis portum perveniamus. Ita namque Sanctitas vestra maximam apud Deum et homines gratiam inibit, ac suis propinquis, tam in Ecclesiastico quam in sæculari ordine constitutis firmissimum præsidium contra omnes obtrectatorum et æmulorum insultus et fraudes constituet, atque nos ipsos Sanctitati vestræ deditissimos magis devinciet. Atque hic rursus Sanctitatem vestram obnixe rogamus, ne hanc nostram integerrimam admonitionem , in sinistram partem interpretari velit, sed potius æqua et benigna mente admittere dignetur.

« XXI. Hæc vero omnia non diffitemur talia esse, quæ debuissemus ipsimet soli cum Sanctitate vestra contulisse. Sed quoniam incertum adhuc est, quando cum Sanctitate vestra convenire poterimus, hujus autem rei magnitudo et extrema reipublicæ necessitas omnem videntur excludere dilationem, eo quod subsit periculum, ne interim aliquid secus ac nos obsequenter monemus, cum detrimento reipublicæ Christianæ decernatur et statuatur, voluimus ea Sanctitati vestræ, omni mora postposita, reverenter significare per præsentes litteras nostras manu illius nostri ministri scriptas , cujus opera antehac in conscribendis exemplis quarumdam secretiorum litterarum nostrarum ad Sanctitatem vestram datarum usi fuimus, idque cum propter dictionem ipsam, tum propter characterem, ut Sanctitas vestra eo facilius et clarius rem omnem intelligat. Erunt autem omnia hic apud nos occultissima , quemadmodum etiam apud Sanctitatem vestram, cui soli scribimus, secreta haberi cupimus, ut quoniam scimus ipsam ea esse in Deum pietate, ac in rem Christianam studio et paterna voluntate, necnon doctrina, prudentia, industria, ac rerum usu præditam, ut in his ipsamet per se, nemine alio monente, facile sit perspectura quid his perturbatissimis temporibus pro commodo Ecclesiæ et Christianæ reipublicæ factu opus sit, non gravetur Sanctitas vestra sola litteras hasce legere, et rem omnem excellentissimo suo judicio examinare, discutere et perpendere, priusquam de ea cum quoquo alio contulerit. Postea vero si omnino duxerit hujusmodi negotium cum uno atque altero ex iis, de quorum fide et integritate ipsa magis confidit, communicandum, id Sanctitatis vestræ arbitrio permittimus ; sperantes Sanctitatem vestram nobis ad hæc nostra officiosissima scripta alicujus intimi et fidelissimi ministri manu, quamprimum ex animi nostri sententia benigne ac paterne responsuram esse, quod quidem responsum avidissime expectabimus : ac interim Deum Optimum Maximum precabimur, ut Sanctitatem vestram quam diutissime salvam et incolumem pro beneficio et commodo suæ Ecclesiæ conservàre dignetur. Datum in oppido nostro Œniponti etc.

« Beatissime pater, Sanctitatem vestram quam obnixe et reverenter iterum atque iterum peto, ut ex causis desuper allegatis, quæ supra continentur, in bonam partem accipiat, et non gravetur personaliter ad Concilium venire, et omnino spero, quod per suam præsentiam multa inconvenientia cessabunt, et ad bonum et optatum statum omnia redigentur : et ut supra continetur, promitto Sanctitati vestræ in verbo imperatoris, regis ac boni Christiani, quod Sanctitas vestra tuto venire, manere atque recedere poterit, etc. » Hæc modo delibasse sufficiat.

38. Acceptis imperatoris litteris, Pontifex ingenuam animi benevolentiam ratam proba-

tamque habens, arcanas alias litteras [1] eidem rependit, quibus gestorum omnium rationem dabat, optimique patris ac magistri partes explendo ex ordine cuncta docebat.

« Imperatori.

« Charissime in Christo fili noster, salutem. Respondimus litteris majestatis tuæ super rebus ad sacrum Concilium pertinentibus : nunc respondebimus illis, quas ipsa secretiores esse voluit, de rebus ad reformationem spectantibus uberius et apertius scriptas, in quibus summopere amavimus pietatem ejus erga nos singularem, et optimam voluntatem erga Ecclesiam et rempublicam Christianam. Accurate autem perpendimus omnia quæ quidem non minus pie quam sapienter visa nobis sunt scripta fuisse. Itaque non modo accepimus ea in optimam partem, sed gratias maximas et habemus et agimus majestati tuæ, quod tam diligenter, tam sincere, tam pie de multis nos admonuit, quæ ad commissum nobis officium pertinent. Certe gratior hæc adhortatio nobis fuit, quam aliorum principum silentium : perspeximus enim charam illi esse existimationem nostram, charam animæ nostræ salutem, Dei vero gloriam, et Christiani populi utilitatem longe charissimam. Itaque gratias iterum agimus majestati tuæ pro officio tam pio : lætamur autem, quod sensus tui sensibus nostris congruunt, et cum votis vota consentiunt.

« Ac primum, quod admonet majestas tua de conditione humana, nos scimus et videmus quam hæc vita sit fluxa, quam caduca ; itaque quotidie meminimus nos esse morituros, et actionum nostrarum rationem Deo reddituros ; quæ cogitatio nos admonet, ut quoniam imperfectum nostrum agnoscimus, hunc tanquam extremum actum quam rectissime conficere curemus, ut cum Domino placuerit nos vocare ad se, cum spe divinæ ipsius misericordiæ ad ejus tribunal accedere possimus ; nec vero ullum gratius opus, nec quod magis valiturum sit ad impetrandam ab eo peccatorum nostrorum veniam offerri a nobis posse divinæ ejus Majestati scimus, quam reformationis effectum Christiano populo tantopere necessarium ac salutarem.

« Itaque cum ad tollendas extirpandasque hæreses, quæ tam longe lateque manarunt, tum ipsius reformationis causa Concilium Generale indictum a nobis, et summo nostro studio ac diligentia congregatum fuit, cui liberum judicium relinquimus de iis, quæ correctione indigere visa fuerint, corrigendis ; ipsius autem Concilii progressus quod lentior sit, non nostra id culpa accidit, sed tribuendum est multis et variis dilationibus, quæ interpositæ fuerunt, postulantibus oratoribus tuis, tuaque et aliorum causa id enixe rogantibus. Accesserunt etiam aliæ moræ atque impedimenta, quibus factum est, ut Concilium tractum sit diutius spe atque expectatione multorum, et contra etiam nostram voluntatem et commodum.

« Sed quod ad reformationem attinet. Desiderat primum majestas tua, ut ineatur a nobis aliqua ratio, per quam successorum nostrorum electio canonice semper fiat, sine ulla simoniacæ pravitatis labe ac suspicione. Etenim pro sua sapientia intelligit, si caput sanum sit, membra quoque sese melius habitura : nos autem idem quod Majestas tua cupientes atque spectantes, huic rei diligenter provideri curavimus ; quanquam enim extent complures Constitutiones super hac re in Conciliis, et a prædecessoribus etiam nostris editæ, quibus nihil potest esse melius, apertius, diligentius, tamen ad tollendos abusus edidimus nos quoque Bullam, cujus exemplum ad te mittimus, per quam satis huic rei a nobis provisum fuisse speramus, nec gravaremur eam ad Concilium mittere ab illo approbandam, nisi vereremur, ne ipsa Bulla excitatura esset dissensiones , contentiones atque discordias, aliis aliud in ea desideraturis ; atque ita id, quod optima mente, consilioque et deliberatione matura a nobis actum est, impediretur.

« Quod vero ad cardinales attinet ; nos, si quos in eum ordinem cooptaturi essemus, ejusmodi personas eligere studeremus, quales majestas tua cuperet semper eligi, nempe, quæ et vitæ ac morum honestate commendarentur, et cum doctrina, tum usu rerum, atque prudentia ad participandas Sedis Apostolicæ curas essent idoneæ, sed de creandis novis cardinalibus nihil cogitamus. De hac re autem, ne longiores simus, venerabilis frater noster Joannes episcopus Prænestinus cardinalis Moronus, qui noster et Apostolicæ Sedis legatus ad Concilium ibit, et ad te quoque perveniet, commodius majestatem tuam edocebit.

« De archiepiscopis et episcopis præclare majestas tua intelligit, quantopere expediret, tales eos esse, ut commissas sibi oves et verbo et exemplo pascere possent : sed huic rei jam provisum fuit sacri Concilii decreto, quod servabitur. Dabimus enim operam, ut et nos idoneas personas Ecclesiis præficiamus, et ut in eorum vitam ac mores, qui confirmandi fuerint, diligenter prius inquiratur, et eorum electio, an legitima et canonica fuerit, exploretur ; de quibus rebus haberi quidem processus solent, sed ut posthac ejusmodi processus severius habeantur, et ut quæ emendanda fuerint, corrigantur, curabimus.

« De episcoporum residentia nos, ut sacra Synodus statueret, optavimus, in animo habentes quidquid ipsa de hac re statuisset, id nos approbare, et ad effectum diligenter perducere : sed agitata ea res non sine magnis contentioni-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. post Ep. LXXXVII.

bus fuit, necdum tamen definita est, dum alii aliter sentiunt. Nos autem in animo habemus, sive juris eam humani esse decretum fuerit, sive divini, omnes omnino compellere ad residendum in Ecclesiis suis, ne illis quidem cardinalibus exceptis, quibus Ecclesiarum administratio commissa est. Videmus enim eam utique esse necessariam, et eo magis hoc tempore, quo hæreticæ pravitatis peste per omnes fere Christiani nominis provincias pervagante, Dominicæ oves pastorum suorum præsentiam et excubias desiderant atque efflagitant : quare hac quoque in re pio majestatis tuæ desiderio, Deo juvante, satisfiet.

« Venimus nunc ad id Epistolæ tuæ caput, in quo Tua Majestas agit de libertate sua Concilio conservanda. Nos Concilium ipsum liberum semper esse voluimus, neque operam dedimus unquam, ut referretur ad nos de illis rebus, de quibus Concilium ipsum statuere ac decernere debet. Accidit tamen aliquando, ut legati Concilii de gravioribus aliquibus rebus nos consulendos putaverint : quibus nos quin consilium nostrum impertiremus, præterire non potuimus, nec debuimus ; non tamen ob eam causam libertatem Concilii imminuimus. Nec vero novum neque alienum a dignitate Concilii videri deberet, si ipsum etiam Concilium Apostolicam Sedem, Ecclesiæ caput et veritatis magistram consulendam putaret, nec duo esse Concilia posset videri, si Concilium cum capite suo conjunctum sit. Nec illud quidem improbari potest, quod nos de rebus hujusmodi gravioribus, cum delectis aliquot cardinalibus spectatæ religionis ac fidei communicemus, eorumque sententias exquiramus, præsertim cum nunquam præjudicare velimus Concilii libertati, nec impedire quominus id quod sibi visum fuerit, exequatur, decernat et statuat.

« Sed quod majestas tua tutius et commodius fore censet, si de illis quæ ad reformationem pertinent, velut de reformatione conclavis, consilio potius utamur Concilii Generalis, quam paucorum cardinalium, et quæ de hujusmodi rebus statuenda duxerimus, ipso approbante Concilio statuamus, controversia ipsa de residentia prælatorum satis nos admonuit, commodius esse et expeditius in hujusmodi rebus, quæ ad Sedem et curiam nostram proprie pertinent, non expectare consensum tantæ multitudinis, cum ipsi mature, quod opus est facto, efficere possimus. De Bulla quidem conclavis, quam multas, et quam varias putat majestas tua futuras fuisse prælatorum tot qui in Concilio sunt sententias, propter varia hominum studia ac voluntates ? Nos vero satis hoc scimus, Bullam nostram nonnullos minime approbaturos fuisse. Eam tamen jam editam, si Synodus auctoritate sua approbandam duxerit, gaudebimus satisfactum desiderio Majestatis tuæ.

« Atque hoc loco, quod majestas tua non improbat, ut nostram et successorum nostrorum dignitatem auctoritatemque tueamur, more suo pie admodum loquitur : sed quod hortatur, ut ita auctoritatem nostram tueri et conservare studeamus, ut appareat nihil aliud nobis esse propositum, quam honorem et gloriam Dei, quam incrementum fidei, atque Ecclesiæ, et Christiani populi utilitatem, nos nihil aliud curamus, neque quærimus, quam hæc ipsa quæ majestas tua commemorat : non enim quærimus, quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi, cui in hoc officio deservimus.

« Hujus autem auctoritatis ac potestatis nostræ, quod te acerrimum defensorem fore polliceris, agimus majestati tuæ maximas gratias, et hanc de tua singulari pietate fiduciam habemus, vicissim nos quoque majestati tuæ pollicentes omni hac auctoritate nobis a Domino concessa paratos fore semper uti ad defendendam et augendam imperatoriam dignitatem tuam, neque ullo ei loco defuturos.

« Quod majestas tua nos hortatur, ut Tridentum nos conferamus, quo se quoque venturum esse pollicetur, nostramque amborum præsentiam utilem fore censet ad finem optatum Concilio imponendum ; nos, ut in alteris litteris nostris scripsimus, non recusamus hunc laborem, atque adeo paratissimi essemus ire in remotissimas orbis terrarum partes, dummodo præsentia nostra ad divinæ Majestatis honorem fructum esset aliquem Christiano populo allatura : sed, ut omittamus quam infirma adhuc valetudine simus, ut taceamus quam exigua urbs Tridentum sit ad comitatus utriusque nostrum excipiendos, majestas tua considerare secum valet, ecquid tuto in eam urbem conventuros nos putet, quæ omni fere ex parte ab hæreticis populis, Grysonibus, Helvetiis et Protestantibus cingitur. Recordetur quid olim acciderit gloriosæ memoriæ Carolo imperatori fratri tuo, quanto in periculo sæpius Concilium fuerit, ipso fratre tuo imperatore victore ac prope præsente. Tua quidem fide nihil gravius nec exploratius esse nobis potest, sed verendum est, ne ea vis afferretur, cui ne tua quidem majestas posset obsistere. Si tamen majestati tuæ placeret Bononiam se conferre, quo nos quoque fortasse jam profecti essemus, nisi nos ægritudo nostra impedisset, quanquam videamus, quantum detrimenti discessus noster huic urbi invecturus esset, tamen eo nos quoque conferremus. Ibi coronam imperii majestas tua accipere posset, sicut fecit olim gloriosæ memoriæ Carolus frater tuus, et ut speramus, utroque nostrum hortante, ne prælati quidem Concilii eo venire gravarentur, et Concilio finis optatus imponi posset, etc. Dat. Romæ, etc. XVIII Martii MDLXIII, anno IV ».

39. *Anxius Pontifex de quorumdam, præ-*

sertim Gallorum, erga se mentis affectu. — Ita Cæsareis postulatis factum est satis a Pontifice. Obortæ vero fuerant in Concilio contentiones importuna aliquorum temeritate, qui sanciendæ disciplinæ Ecclesiasticæ specie, Pontificiam auctoritatem infringere, atque ordinem Concilii, invaso proponendi jure, pervertere moliti erant, cumque nonnulli Hispani et Galli præsules præfractiores se ostendissent, de iis conquestus Pontifex apud Cæsarem episcopi Pharensis opera eum hortatus est, ut Sedis Apostolicæ dignitatem in Concilio asserendam susciperet, ad quæ a Ferdinando Cæsare nona die Martii ita responsum est [1] :

« Sacra Cæsarea majestas dominus noster clementissimus benigne intellexit ea, quæ R. D. episcopus Pharensis S. D. N. ad majestatem suam nuntius proximis diebus a majestate sua Cæsarea ejusdem S. D. N. nomine postulavit, nempe, ex quo sint plures in Concilio prælati Hispani et Galli, quibus in dubium vocetur debita Sanctitati suæ potestas atque auctoritas regendi et pascendi universalem Ecclesiam, ut tanquam advocatus, et defensor, et procurator auctoritatis et jurium Apostolicæ Sedis, partes suas ita interponere velit, ut impetus illorum omnium propulsetur, Sanctæque Sedi, quod suum fuit semper et est, integre conservetur; ea de re non solum datis ad majestatis suæ Cæsareæ oratores litteris, sed Galliarum quoque et Hispaniarum episcopis admonitis.

40. « Ad hæc sacra Cæsarea majestas benigne respondet, majestati suæ Cæsareæ, quæ in istiusmodi disputationibus theologicis non est ita, ut ipsi theologi, versata, hactenus nullum in hac re dubium occurrisse : siquidem in suismet litteris hoc ipsum prædicatum Sanctissimo domino nostro hucusque semper tribuit, et Sanctitatem ejus sanctæ Romanæ ac universalis Ecclesiæ Summum Pontificem appellare nunquam dubitavit. Neque profecto S. D. N. ambigere debet, quin majestas ejus Cæsarea memor Cæsarei officii sui, lubenter omni loco et tempore pro viribus tuebitur, defendet ac manutenebit auctoritatem et potestatem Sanctitati suæ debitam et competentem, sicut decet Sanctitatis suæ et sanctæ Sedis Apostolicæ advocatum, defensorem et protectorem, prout etiam oratoribus et commissariis suis in Concilio existentibus jam mandatum dedit, ut hac de re nomine ac loco majestatis suæ Cæsareæ, cum prælatis Hispanis et Gallis agant, eosque ab omnibus non necessariis disputationibus dehortentur. Verumtamen majestas sua Cæsarea pro sua in Sanctitatem ejus filiali observantia et integerrimo studio facere non potest, quin Sanctitatem ejus reverenter et officiose admoneat, si Sanctitas ejus auctoritatem et potestatem suam extendere conaretur, et per eam labefactare et diminuere intenderet auctoritatem sacri Œcumenici Concilii, aut vellet hac occasione tacite illud omnes confiteri, quod a multis palam negatur, haud dubie Sanctitati ejus difficillimam et gravissimam disputationem et controversiam subeundam fore, quam longe præstaret hoc turbato rerum et temporum statu evitare. Itaque majestas sua Cæsarea Sanctissimum dominum nostrum impensissime rogat, ut quemadmodum Sanctitas ejus majestati suæ Cæsareæ auctoritatem et potestatem suam commendat, quæ alias majestati suæ Cæsareæ curæ et cordi est, et posthac semper erit, sic etiam vicissim Sanctitas ejus auctoritatem sacro Œcumenico Concilio debitam et competentem commendatam habere dignetur, nec eamdem ulla in parte diminutam aut labefactatam velit : id quod Majestas sua Cæsarea sibi de summa Sanctitatis suæ pietate, integritate, ac in rem Christianam studio plane pollicetur. Quod reliquum est majestas Cæsarea R. D. nuntio omnem favorem, ac benevolentiæ Cæsareæ studium benigne defert ».

« Decretum per sacram Cæsaream majestatem die IX mensis Martii anno Domini MDLXIII ».

41. Percrebuerat jam apud multos, quod Pontifex, ut exortas in Concilio contentiones sedaret, ad longum aliud tempus illud esset suspensurus, quod tamen, cum alienum a Pontificis mente Carolus cardinalis Borromæus legatis Apostolis significasset [1], vehementer gavisi miris laudibus Pontificiam mentem extulerunt, quod probe conspicerent, magna inde offendicula atque irreparabilia incommoda Ecclesiæ Catholicæ emersura. Placuit etiam legatis, quod Pius profectionem Bononiensem, quam destinaverat, nonnisi summa Ecclesiæ utilitate exigente, ad opus perducere meditaretur.

42. Suspectos fuisse Gallos Pontifici [2], ac propterea Bononiensem profectionem meditatum, ne longius abesset a Concilio, imminentiaque pericula discuteret, refert Gabriel Palæottus; verum Gallos optimam erga Pontificem gessisse voluntatem, eamque amantissimis officiorum verbis ostendisse, verbaque operibus ornasse visuri sumus :

« Cum post Gallorum (inquit) adventum magna hic apud nonnullos, sed major etiam Romæ suspicio exorta esset, ne quid hæc natio, cum qua prælati alii multi se conjunxisse dicebantur, adversus Sedem Apostolicam moliretur, idcirco Sanctissimus dominus noster, ut propius Concilio sisteret, ac oborientibus periculis

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. p. 48.

[1] Ext. in Ms. card. Barb. sign. num. 1344. Ep. CCLI. — [2] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Aud. Rot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 24. p. 174.

occurreret, Camillo Palæotto uni ex quadraginta viris Bononiensibus apud eum tunc oratori, et fratri auditoris significandum magistratibus Bononiensibus injunxisset, statuisse se Bononiam quamprimum transferre, jamque de annona ac cæteris rebus quæ ad excipiendam ea in civitate Pontificiam curiam usui forent, late cum eo disseruisset, propterea legati episcopum Vintimiliensem cardinalis Borromæi consanguineum, et papæ perquam gratum ad Urbem mittendum decernunt, qui Sanctitati suæ rerum summam, Patrumque studia, et legatorum consilium, copiosa ab auditore actorum omnium instructione accepta, diligenter referat. Cum eo, antequam discederet, Lotharingius vehementer egit, ut Summum Pontificem omni, si quam adversus Gallos contraxisset, suspicione liberet, cum se et eos omnes ad publicam utilitatem, Sanctæque Sedis incolumitatem adeo concurrisse profiteantur, ut Sanctitati suæ ac cæteris omnibus, ubi opus sit, testatum plane sint relicturi, nihil ab iis cogitari quod non huc vere pertineat. Sed et orator Lansaccus addidit, nihil se quidem de pia Sanctitatis suæ mente dubitare, optare tamen ut a nonnullis, quibus nimium fidit, pravi ingenii viris, et qui privatis tantum commodis student, caveat diligenter, vereri enim ne malis istorum artibus dolosoque consilio res Ecclesiæ deterius in dies cedant. Oportere, ut Sanctitas sua statuat aliquid animo his temporibus de suo jure remittendum esse, ut reliqua sarta tectaque retineantur, alioquin et suis et Galliæ rebus male consultum iri. His verbis voluisse eum tacite cardinalem Sancti-Clementis significare dictum fuit, quem hoc nomine Galli et Hispani suspectum maxime habebant, quod suis in Urbe suasionibus pristinam impediret Ecclesiæ disciplinam revocari. Eum tamen ferebant alii hoc adversus se odium conflasse, quod omnem in Urbe daret operam, ne quid de antiqua Sedis Apostolicæ in res Ecclesiasticas auctoritate ac libertate recentibus episcoporum decretis detraheretur ».

At Pontifex cum ita suam auctoritatem assertam vellet, ut tamen disciplinam Christianam instauratam maxime percuperet, omnia, quæ ad eam spectarent, necnon Gallorum postulata ad Concilium, ut de his statueret, remisit, ut narrat memoratus Palæottus [1] : « Cum eodem tempore episcopus Viterbiensis ex Urbe reversus summum Sanctissimi domini nostri degeneres mores emendandi, neglectamque disciplinam revocandi studium exposuisset, quod Patrum fidei et religioni statuendum relinquebat, de postulatis etiam Gallorum omnia, tum ad legatorum, tum ad Patrum arbitrium rejecisset, idcirco legati ingeminant industriam, corroborant spe patientiam, omnemque lapidem volvunt, ut dignum aliquid tandem ex consessu exeat. Cum Lotharingo, ad quem Sanctissimus dominus noster humanissimas dedit litteras, officiose de Gallorum petitionibus agunt, atque ex illis quid proponi, quid recipi, quid mutari, quid recusari possit ex variis in eas adnotationibus peritorum aliquot consilio consultant ».

[1] Ibid. p. 327.

Porrexerant etiam oratores Cæsarei libellum postulatorum, quæ a postulatis Gallorum non dissentiebant. Hæc tamen Concilio a legatis proposita non fuerant [1], cum aliqua Cæsareo apice indigna continerent, ac jam in calicis petitione plures episcopi offendiculum passi essent. Absurdum quoque erat quod ad ea quæ spectarent ad Pontificis auctoritatem, caput regeretur a membris legesve acciperet. Ageret de his potius Cæsarea majestas cum Pontifice, a quo honesta cuncta relaturus esset, ut ex decretis disciplinæ ab eo restitutæ conspicuum erat. Æqui bonique accepit Cæsar libelli sui articulos non fuisse propositos, quod non ipse eos teneret, sed a populis sibi subjectis fuerant expetiti. Quod vero legati non sinerent a regiis oratoribus sua postulata proponi Concilio [2], objecit cardinalis Lotharingus jure Cæsarem et Catholicum regem queri, Concilium non futurum liberum, ac frustra a Cæsare et regibus mitti oratores, cum nec definitivo nec consultivo suffragio polleant ; cui Seripandus cardinalis [3] respondit : Non propterea tolli libertatem si legati proponant, supremique Ecclesiæ capitis auctoritas illibata servetur, quo abjecto ordine, summa oriretur perturbatio ingensque confusio. In eam quoque cardinalis Lotharingus descenderat sententiam, ut censeret calicis usum permittendum, quo Germania et Gallia in Catholica religione continerentur, additque a Pontifice non obtinendum, quod ab ea concessione cardinales abhorrerent, a Concilio tamen obtineri posse. Verum aliter alii sensere, nec hæreticos ab inolita pertinacia hujusmodi concessione reducendos, quin magis obfirmandos asserebant. Propterea missus est a legatis Nicolaus Ormanettus ad ducem Bavariæ, ut eum a communione calicis permittenda averteret, de cujus in fide Catholica constantia, cum recens ac nobile testimonium Pontifici Ormanettus detulisset, Pius egregiam ducis pietatem his litteris [4] commendatam confirmavit :

« Dilecto filio nobili viro Alberto duci Bavariæ.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum ex litteris nobilitatis tuæ, tum ex diligenti et uberrima relatione dilecti filii Ormanetti, recognovimus illam insi-

[1] Card. leg. in lit. ad card. Borr. datis I Mart. MDLXIII. — [2] Gab. Palæot. p. 336. — [3] Ms. Vat. p. 173. — [4] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 77.

gnem ac singularem pietatem et devotionem, illud constantissimum fidei Catholicæ studium, quod omnibus in litteris et factis tuis omni tempore declarasti, et a majoribus tuis acceptum tibi perpetuo tuendum et conservandum esse statuisti. Itaque tanta lætitia affecti sumus, quanta amantissimum patrem ex charissimi filii tanta pietate et gloria affici necesse est; cum summam tibi laudem, dilectissime fili, tribuimus, quod paterna monita nostra animo tam pio, sicuti quidem te facturum minime dubitabamus, acceperis, tum agimus Omnipotenti Deo maximas gratias, quod assiduas et ingentes curas, ac sollicitudines nostras, per te talem filium non parum levat. Divinam autem ejus majestatem toto corde precamur, ut gratia et protectione sua te una cum omnibus tuis perpetuo tueatur atque custodiat, beneficiaque erga te sua non conservet modo, sed in dies augeat atque multiplicet. Datum Romæ apud S. Marcum die VIII Julii MDLXIV, anno IV ».

43. *Pius respondet postulatis Germanorum.* — Cum vero card. Lotharingus [1] imperatorem Œniponti adiisset, sciscitatus est imperator ab abbate Claravallensi, et Sanctesio theologo, quid sentirent de concessione calicis, qui cum haudquaquam concedendum respondissent, conversus imperator ad Maximilianum filium Romanorum regem hæc verba in Lutheranos, qui calicis controversiam moverant, detorsit: « Quadraginta annis proximus fui generationi huic, et dixi semper, hi errant corde ». Quemadmodum autem laicis calicis usus denegatus, ita pariter denegatum sacerdotibus conjugium, adeo ut licet Gallorum rex et regina Catharina litteris suis a Concilio flagitarint, ut cardinali Borbonio sacris sacerdotalibus initiato, ad quem Gallici regni jura devolvenda erant, potestas daretur ducendæ uxoris, a qua liberos pro regni salute susciperet, impetrare non potuerint.

44. Nunc, quæ Pontifex Germanis responderit [2], videamus :

« Ad ea, quæ consiliarii electorum et principum imperii reformanda censuerunt in Summo Pontificatu et Sede Apostolica.

« Respondet Sua Sanctitas, nihil sibi magis cordi esse, quam ut universa Christi Ecclesia, extinctis hæresibus et erroribus universis, in orthodoxæ fidei sinceritate et unitate Domino serviat, et quæ ab Apostolica illa antiquaque Sanctorum Patrum institutione deflexerunt, ad pristinam normam reformentur. Qua in re ut omnes orthodoxos coadjutores sibi fieri exoptat, ita et se et sua privata omnia commoda illi uni posthabituram : sed ex his articulis sibi videri, paucis admodum hoc deploratissimo Ecclesiæ statu ipsius salutem curæ esse, imo sub occasione harum, quæ nuper exortæ sunt perturbationum, omnes quæ sua sunt quærere, non quæ Jesu Christi : omnes conari se ultra suum modum efferre; omnes appetere indebita, omnes contendere esse summos.

Quare cum nihil sit Ecclesiæ Christi magis adversum, nihil ejus unitati magis contrarium, oratos cupit omnes, ut communi potius totius Ecclesiæ utilitati, quam propriæ studeant. Deinde suam Sanctitatem desiderare in consiliariis illis electorum et principum majorem aliquando modestiam. Quis enim, vel parum Christianus, ferat (ut reliqua prætereantur) ipsum titulum? ita enim statim incipiunt : Quæ consiliarii electorum et principum imperii censuerunt reformanda in Summo Pontifice et Sede Apostolica, perinde ac si in ipsis nihil esset, quod reformationem desideraret: atque utinam suo satisfacerent officio! Utinam per Germaniam Ecclesiæ principes, quos facile intelligit hujus esse auctores tragediæ, sua vita plusquam sæculari non magis scandalizarent Christi Ecclesiam, quam universa, quæ censuerunt ipsi reformanda in Summo Pontifice : non quod ægre ferat sua Sanctitas, imo non gratissimum habeat se admoneri, vel a quocumque, si quo suo facto scandalizet Christi Ecclesiam; neque enim se hominem esse ignorat, neque sanctiorem Petro, quem et ipsum Christus graviter labi passus est, sed in illorum admonitione desideraret Christianam modestiam : nam si quis et reliqua universa percurrat, qualiter veluti in Cœlo empyreo positi super ipsum Petrum et universam Ecclesiam sibi usurpata auctoritate illi consiliarii, quæ sibi visa sunt, statuant, destituant, approbent, irritent, etiamsi quæ hujus Sedis auctoritate adversus ea tentata fuerint, vix risu temperabit. Tertio priusquam petitis eorum particulatim respondeat, hanc ab illis legem exigit, quam ipsi contra omnem legem suæ Sanctitati et huic Sedi præscribunt, hoc est, ut sicut volunt sibi integram servari auctoritatem dignitatemque suam, ita hujus Sedis auctoritati, quam ab initio ex Christi auctoritate et Apostolorum institutione super universam Ecclesiam obtinuit, nihil derogent, sed juxta beatissimi Leonis præceptum, sic ut sciunt se quibusdam præpositos, ita non moleste ferant aliquem sibi esse prælatum, sed obedientiam, quam ipsi a subditis exigunt, etiam superiori dependant. Jam ad articulos ipsos descendendo.

« Ad primum, in quo petunt, ut in prophanis causis nemo unquam, in Ecclesiasticis vero nonnisi in tertia instantia ad Urbem pertrahi valeat, respondet hujus Sedis indubitati juris esse et fuisse a principio, ab ipsis Apostolorum temporibus, ut universæ Ecclesiæ majores causæ ex toto terrarum orbe ad hujus Sedis referentur judicium, ejusque auctoritate terminarentur : itaque ante annos mille ducentos in illo

[1] Vicecomes post p. 188. Ib. p. 179. — [2] Tom. XV. de Concilio Ms. arch. Vat. sig. 3202. p. 109.

flore juventutis Christianæ evocatos ex medio Oriente etiam primarum sedium episcopos ad hujus Sedis judicium personaliter comparuisse, et totum semper orbem in talium causarum decisione suspensum fuisse ab hujus Sedis judicio; fuisse præterea liberum unicuique, qui in quacumque causa ab ordinario suo episcopo aut metropolitano se prægravari putaret, hujus Sedis appellare judicium, eique appellationi semper ab omnibus fuisse reverentissime delatum : itaque in hac re nihil nunc noviter usurpatum, si præcedentium temporum repetere velint memoriam, sed quæ a tempore immemorabili etiam in Germania ita observata fuere certo inventuros; ex qua observatione sola, cum jam diu jus natum esset, etiam ubi alias nullum fuisset, inique illos facere, qui sibi jus servari volunt integrum, et Apostolicæ Sedis juri, auctoritati, ac privilegio nituntur detrahere. Quod vero videri volunt in eo nimis gravari Germaniam, ita suæ Sanctitati videri non esse Germaniam, quæ hac de re queratur, sed Ecclesiasticorum consiliarios, cancellarios et officiales, qui ex ampliata episcoporum jurisdictione suum essent facturi negotium, tamen suam Sanctitatem ubi hoc Christi Ecclesiæ, ejusque tranquillitati, meliorique gubernationi necessarium, aut magnopere utile sibi demonstratum erit, non gravate de suo jure concessuram quamplurima, et hoc daturam Germanorum votis, ut minoris momenti Ecclesiæ causæ nonnisi in tertia instantia ad hanc curiam devolvi possint, hoc tamen ante omnia proviso, ut illic bona expeditaque justitia administretur, præscripto etiam ordinariis et delegatis judicibus termino, intra quem causam expedire teneantur, quo elapso, si causa expedita non erit, et altera partium id voluerit, jam devoluta causa censeatur absque ullo cujusquam impedimento aut contradictione, cum hoc negari non possit in Romana curia absque ullius personæ respectu optimam expeditissimamque justitiam administrari, quæ coram ordinariis præsertim in Germania multum claudicat, aut finem nullum invenit. Ut vero nulli liceat prætermisso ordinario coram delegatis ab Apostolica Sede judicibus in ipsa Germania suas causas peragere, cum nulla hoc Germaniæ exposcat utilitas, et hujus Sedis auctoritati deroget plurimum, non putat sua Sanctitas concedi debere, nam et in magnum esset Germanorum, qui causas et negotia habent, præjudicium, si adempta ipsis erit libertas coram aliquo prælato viro docto et integro, et a quo sperant se expeditam et bonam justitiam consequi, causas suas prosequendi. Quod si querantur Ordinarii suam per hoc jurisdictionem minui, cogitare debebunt non a decem, aut viginti, aut triginta annis introductum, sed a tempore, de cujus initio non est memoria, ita observatum, ut liceret unicuique non solum coram delegatis judicibus in Germania suas causas peragere, sed etiam ad Romanam curiam suos adversarios libere evocare. Itaque queri eos non posse sibi ab Apostolica Sede non concedi, quod nullo ipsis jure debetur, et quod Germanorum, qui causas et negotia habent, libertati est adversum, et hujus Sedis auctoritati derogativum. Ubi tamen in ea beneficia se quisnam intrusit, quæ jure indubitato ad solius Apostolicæ Sedis dispositionem spectare dignoscuntur, liberum vult manere ab eadem Sede provisis etiam in prima instantia huc evocandi suos adversarios, ne spe impunitatis ad injustitiam proniores reddantur, quos nulla jam continet religio. Quod ad causas vero profanas, dicit Sua Sanctitas se contentam, ut coram suis judicibus agitentur : esse tamen quasdam personas, quarum secundum leges et canones Ecclesia patrocinium gerere debeat, earum causas, ut Ecclesiasticarum, coram ordinariis aut delegatis in Germania judicibus agi posse vult, si illæ Ecclesiasticum judicem expetent, idque modo et forma præscriptis, et in tertia instantia, si illis placebit, ad Romanam curiam deferri posse : sed ubi aut nimis differretur, aut ipsis negaretur, justitia Sedis, cui jus totius Ecclesiæ et Christianorum omnium, et præsertim personarum talium cura commendata est, non posse illis non adesse, ut justitiam consequantur.

« Ad secundum et tertium articulum de jure patronatus, cui derogari queruntur, respondet sua Sanctitas, se existimare juri patronatus laicorum haud temere se derogari solere, nisi forte in beneficiis apud eamdem Sedem vacantibus, quæ ab antiquo, etiam de jure communi, semper fuerunt solius Romani Pontificis dispositioni reservata : quod cum non frequenter accidat, sed raro admodum, non habere patronos justam causam, quod inde querantur; præsertim si cogitent nihil sibi auctoritatis in Ecclesiasticis rebus posse competere, nisi quod hujus Sedis auctoritate ipsis indultum est. Tamen etiam in hoc de suo jure concedere parata est sua Sanctitas, si magnopere hinc moretur Ecclesiæ reformatio, aut si quæ utilitas hinc speratur proventura Ecclesiæ. Ecclesiasticis vero patronis, quod ægre ferant alternis cum ipsis mensibus concurrere Pontificem, nulla prorsus causa est, cum et ipsi, et ei quorum causa jus patronatus ipsis competit, jure subjecti sint huic Sedi et Romano Pontifici; quæ subjectio, ut diligenter observetur et ab eis recognoscatur, universalis Ecclesiæ saluti in primis expedit, quam ut in ejus concordia unitateque consistere certum est præcipue, ita eam nisi unius suprema potestate et auctoritate, quæ ab omnibus religiosissime observetur, contineri conservarique non posse. Itaque si sua Sanctitas pro bono pacis et concordiæ Christia-

næ Ecclesiæ multa de suo jure cedere contenta est, merito suo jure contenti esse debent Ecclesiastici patroni, nec quidquam ambire aut appetere, quod auctoritati hujus Sedis per quam conservatur Ecclesiasticæ hierarchiæ vigor et unitas, esset contrarium.

« Ad quartum articulum, in quo cuperent prælaturas, dignitates et officia in Cathedralibus Ecclesiis in utroque mense electivas fieri, darique facultatem capitulis eligendi personas idoneas et eruditas, a quibus tamen dignitates de jure patronatus, tam Ecclesiasticorum, quam laicorum exceptas volunt, ut qui patronos utriusque generis in nullo mense in suorum beneficiorum collatione præpediri exigunt, respondet sua Sanctitas cupere se et optare, ut pro publico totius Ecclesiæ bono ejusque utilitate, omnes contenti sint de jure suo aliquid cedere, seu patroni, seu ordinarii, præsertim cum ipsa, penes quam dignoscitur supremum jus rerum Ecclesiasticarum omnium, parata sit non pauca, sed plurima cedere eorum, quæ indubitatissimo jure sibi dignoscuntur competere. Itaque non solum in cathedralibus, sed etiam collegiatis Ecclesiis dignitates, quæ præesse habent capitulis, et ob id personalem requirunt obedientiam, quæ in Germania decanatus, ut plurimum nominantur, contenta est in omnibus mensibus electivas esse a capitulis, utque tales dignitates obtinentes in capitulis suis personaliter præsidere teneantur et cogantur. Alioqui nisi pro Ecclesiæ utilitate et negotiis se absentaverint ultra certos menses, eo ipso dignitatibus privati existant, possintque capitula ad aliorum electionem procedere, sed ut sua Sanctitas pro bono universalis Ecclesiæ hæc contenta est de suo jure concedere, ita pariformiter fieri vult, tam ab ordinariis quam a patronis, seu sæcularibus, seu Ecclesiasticis omnibus, quod ad tales dignitates attinet, ita ut nullo prorsus prætextu electionis libertas quoad tales impediatur. Sunt et aliæ quædam dignitates, tam in cathedralibus, quam in collegiatis Ecclesiis, quæ talem residentiam non requirunt nec capitulis interesse prohibentur, quales sunt fere per Germaniam præpositur, aliæque dignitates, et officia, quæ per substitutos exerceri possunt. Quoad hæc vult sua Sanctitas antiqua concordata observari inviolabiliter, nam ita exigit universalis Ecclesiæ utilitas, ut se possit præbere liberalem erga viros doctos, eosque, qui de hac Sede et universali Ecclesia sunt bene meriti.

« Quoad quintum de Parochialibus Ecclesiis hæc satis intelligit Sua Sanctitas, ita præcipue Ecclesiæ Christi utilitatem requirere, ut in eis committendis viris doctis et idoneis summa diligentia adhibeatur. Cum fere parochianorum vita et religio a suis pastoribus dependeat, et plus ex hoc scandali patiantur infirmi, si una ejusmodi Ecclesia male collocetur, quam inde ædificantur, si viginti alia sacerdotia cum districtissimo judicio conferantur. Et quamvis id sibi præcipue cordi et sit et semper fuerit, tamen in tanta petentium multitudine et importunitate sibi plerumque subripi : itaque per salutem Ecclesiæ oratos cupit, tam sæculares quam Ecclesiasticos omnes, ut in hoc uno tam necessario pro universalis Ecclesiæ reformatione omnes secum pio studio concurrant et adjuvent, ut intelligatur illos non sua, sed quæ Jesu Christi sunt quæsivisse, secumque modum excogitent, per quem eædem Ecclesiæ, in quibuscumque mensibus vacantes districtissimo judicio viris doctis et idoneis conferantur, nam ut illarum collationem, etiam in sex mensibus Suæ Sanctitati reservatis ordinariis locorum concederet, neutiquam futurum putat ex re et utilitate universalis Ecclesiæ, atque satis informata existit, ab illis non magnum respectum virtutis et doctrinæ nec utilitatis Ecclesiæ in beneficiorum collatione haberi, sed conferri ab eis, vel cognatis, vel ministris, aut his, quibus favent eorum secretarii aut consiliarii. Imo cupit et vult sua Sanctitas, ut sicut ipsa suum jus collationis earum in sibi reservatis mensibus parata est condonare, et concedere utilitati totius Ecclesiæ, ita et ipsi in suis mensibus faciant æqua lege statuta ac ordinata de omnibus. Quo autem modo de illis utilissime ordinatissimeque possit constitui, diligentiorem forte cogitationem tractatumque requireret, ad quem cuperet sua Sanctitas adhiberi doctorum virorum per singulas Germaniæ universitates consilium eorumque sententiam ad suum referri judicium, ut collectis omnibus, quod utilissimum inventum fuerit, eligatur.

« Ad sextum articulum, in quo, et ab annatarum solutione se liberari, et electionum episcopalium confirmationes non ab hac Sede, sed in Germania ab archiepiscopis aut primate peti fierique postulant, ut pleraque, quæ nimis immodeste ac insolenter, imo apertam rebellionem spirantia, in eo scripta sunt, prætereat, respondet sua Sanctitas, et primo de confirmatione electionum episcopalium ne ab hujus Sedis auctoritate petantur, mirari se dicit, qua fronte audeant petere, aut enim hac in re omnis antiqui ritus Ecclesiastici ignaros essse, aut nimis improbam esse eorum petitionem oportet; nam quam non nuper, neque ab aliquot annorum centenariis introductum, sed ab initio ita in Catholica Ecclesia observatum fuerit, ut ex toto terrarum orbe, etiam a distantissimis Ecclesiis confirmationes electionum episcopalium hinc peterentur, quæ nec rebus, aut firmitatem ullam obtinebant, antequam hujus Sedis auctoritate essent confirmatæ, de quo si dubitaret, parata est rationem illis reddere clarissimam, et interim ex beatissimi illius Leonis lon-

ge ante mille annos ad Anastasium Thessalonicensem episcopum suum et Apostolicæ Sedis in partibus Orientis vicarium de Attico veteris Epiri archiepisc. scripta Epistola clarissime intelligere potuerunt, qua tandem fronte Germanica Ecclesia, quæ hujus Sedis velut germen est, ejus manu plantata, nunc demum sibi grave putabit, quod illæ tam longe in extremo Oriente positæ Ecclesiæ sibi grave non putaverunt, non aliunde petendas esse electorum episcoporum suorum confirmationes, quam unde octingentis annis petitæ sunt. Proinde admonitos rogatosque cupit illos, ut Ecclesiasticæ hierarchiæ unitati studeant, quam hujus Sedis in ea principali auctoritate certum est contineri, utque ab hujusmodi studiis, quæ dissensiones ac schismata pariunt, omnemque Ecclesiæ dignitatem et auctoritatem evertunt, abstineant, quæ quantopere displiceant Deo, horribilis illa novaque divina ultio adversus Chore, Dathan et Abiron, complicesque satis clare demonstrat, nam ut dissensiones, schismataque omni humanæ societati certum afferunt exitium, ita maxime Ecclesiæ Christianæ, quæ quanto diffunditur latius, tanto arctius unitatis quodam vinculo debet contineri, ne seipsam in sese tumultuata evertat ac prosternat.

« De annatarum vero solutione, in quibus gravari se queruntur, respondet sua Sanctitas, quod si non solius propriæ, sed communis Ecclesiæ utilitatis respectum haberent, merito non deberet ipsis tam grave videri. Debet enim Romanus Pontifex totius Ecclesiæ pondus ferre, debet universam ejus tueri dignitatem, si enim hic infirmatur, ut Prophetæ verbis utamur, ad cujus confugietis auxilium ? At destituta rerum externarum subsidio et adminiculo, hoc præsertim deploratissimo tempore, languida contemptaque erit ejus auctoritas, quare ut in veteri illo tabernaculo, quod nostræ figuram gessit Ecclesiæ, ex Dei institutione a levitis et sacerdotibus dabantur summo Sacerdoti primitiæ ex decimis omnibus, hoc est, decimas decimarum omnium, ita plane æquissimum justissimumque est, etiam in nostra lege Summos Pontifices Ecclesiasticarum rerum portionem ab inferioris gradus episcopis sacerdotibus accipere, quo possit tueri omnium dignitatem, et universalis Ecclesiæ onera supportare, quæ qui non requirere arbitratur impensam maximam, humanarum omnium rerum ignarus est. In horum itaque locum si introductum est, ut a confirmatis per Apostolicam Sedem episcopis præstetur pecuniaria aliqua contributio, ut annatæ, hoc est, medii unius anni fructus, qui tamen numquam ad integrum valorem æstimantur ab aliis quam qui ab Apostolica Sede accipiunt Ecclesiasticos redditus, cuilibet, qui ad proprium commodum non nimis respicit, constare posse confidit id esse, et naturali, et divino juri maxime consentaneum.

« Quod vero dicunt annatas ea intentione a Germanis Ecclesiis longo tempore persolutas, ut ex eis subsidium ferrent Romano Pontifici laboranti adversus Turcas pro Christianis, putat sua Sanctitas, nec se, nec prædecessores suos illis defuisse, sed potius per Germaniæ dissensiones ac discordias hosti proditos, imo in tam notoria hujus Sedis calamitate, paupertate ac necessitatibus, plus fortasse pecuniarii subsidii se misisse laborantibus adversus Turcas Hungarorum regibus, quam ex universis Germaniæ annatis acceperit. Sed non sola illa debuit esse persolutionis eorum intentio, sed ut Ecclesiæ universalis supportare posset onera, quæ certum est varia incurrere, ejusque dignitatem tueretur, neque enim tum prorsus earum solutio introducta est, cum earum sic quantitas per universam Ecclesiam determinaretur, ut annatarum nomen acciperent, constat enim ante nongentos annos, imo mille annos, ita observatum ab Ecclesia, ut confirmati ab hac Sede episcopi et metropolitani eidem cum obedientiæ obligatione pecuniariam etiam nonnullam præstationem solverent, de quo si quis dubitat, certior fieri poterit ex ea, quæ hac de causa inter Constantinum hujus Sedis Pontificem, et Felicem Ravennatem archiepiscopum exorta est tragædia, nam cum hic in superbiam rebellionemque elatus, antiquam prædecessorum suorum formulam, tam in subjectionis obligatione quam in pecuniaria præstatione sequi contemneret, nec Constantini monitis ut prædecessorum suorum exemplum sequeretur induci posset, Justinianus imperator intellecta illius erga hanc Sedem inobedientia et contumacia, Theodorum Patritium ex Sicilia cum classe in Ravennates misit, quibus archiepiscopi sui rebellioni faventibus bello victis, Felix Constantinopolim relegatus pœnas suæ contumaciæ dedit. Hæc autem ante annos fere nongentos acta adscribenda censuit sua Sanctitas, ut ex eis intelligerent non esse recentem annatarum introductionem, quamvis recens est earum nomen, proinde iniqua eos petere, qui has nollet persolvi amplius.

« Ad septimum articulum, nullas deinceps commendas, nullas uniones seu incorporationes prælaturarum, aut Ecclesiarum, beneficiorum fieri. Respondet sua Sanctitas, adeo aliquando Ecclesiarum utilitatem requirere, incorporationes unionesque fieri, ut etiam jus commune locorum ordinariis eas facere permiserit. Ut vero non temere, nec absque evidenti utilitate Ecclesiarum deinceps fiant, suæ Sanctitati curæ fore.

« Quoad commendas vero prælatorum per Germaniam, quæ personalem residentiam requirunt, aut beneficiorum curatorum, libenter illis condescendet sua Sanctitas. De aliis vero quod querantur, merito illos non habere.

« Ad octavum de reservationibus beneficiorum quas nunquam benefacientibus facit sua Sanctitas, non est, quod merito conqueri debeant ordinarii, quando illis servet concordata Germanicæ nationis integra. Expedit autem universali Ecclesiæ, ut se possit erga bene de ea merentes nonnunquam exhibere liberalem, quod cum facit de suo, absque alterius injuria, nulla causa est quod illi querantur. Quod vero dicunt divinum cultum per eas minui, si illius tantam quantam videri volunt, curam habeant, sperat per ea, quæ in quarto et quinto articulo dicta sunt, illis satis provisum iri.

« Ad nonum. De beneficiis Germanicis solis Germanis, et qui personaliter residere voluerint, conferendis, in quarto, et quinto articulo satis responsum putat.

« Ad decimum. Quoad collegia et capitula nobilium et graduatorum, contenta est Sua Sanctitas illis obsequi, et ita providere, ne nisi qualificatis conferantur.

« Circa undecimum articulum de dispensationibus et absolutionibus a casibus reservatis, partim putat Sua Sanctitas ipsos non intelligere, quid velint aut cupiant, partim injustissima petere, nam ubi archiepiscopi aut episcopi potestatem habeant dispensandi in his, quæ in hujus Sedis auctoritate constituta sunt, hoc est, inferiores et subditi in lege superiorum suorum, nisi ubi eis hoc expresse permittitur, omni juri omnique rationi contrarium esse indubitatum esse. In absolutionibus autem reservatorum casuum, quod juri communi et sacris Conciliis stari cupiant, hoc vult jus commune, hoc sacra Concilia, ut in casibus Apostolicæ Sedi reservatis se intromittat nemo, nisi ejusdem Sedis auctoritate.

« Ad duodecimum articulum in primis satis responsum est. Quod tamen de triennali possessione beneficii in nullo casu molestanda exigunt, videri Suæ Sanctitati regulam Cancellariæ supra hoc editam esse æquissimam, nec eum, qui evidenter ac notorie, absque ullo canonico titulo in beneficium Ecclesiasticum se intruserit, beneficio possessionis triennalis gaudere debere.

« Ad decimum tertium. Indulgentiis abusos esse plerosque ægerrime fert Sua Sanctitas; sed cum nil tam sit bonum, tam utile hominibus, quo non abutantur plerique, ob quorumdam abusum non putat esse prorsus rejiciendas, cum certum sit Christi fidelibus esse utilissimas, tam ad excitandum devotionem multorum, quam ut miseris oneratis satisfactione peccatorum misericorditer succurratur. Itaque si exposcat Ecclesiæ necessitas, non existimat Christi fideles per eas ad subventionem non esse invitandos.

« Ad decimum quartum. De domibus Theutonicorum Apuliæ, Siciliæ et Venetiarum, quis responderi debeat haud satis informatus sum. Hic tamen vicissim ab illis petit sua Sanctitas, ut curent restitui in statum pristinum Ordinem dominorum Prutenicorum, quorum bona Casimirus Brandeburgensis illius Ordinis magister, sui voti oblitus, accepta uxore, in prophanos usus convertere conatus est, veluti hæreditaria sibi suisque prolibus usurpare.

« Ad decimum quintum. De exemptionibus nonnullorum prælatorum a jurisdictione ordinaria quos ob id vitam dissolutam illi agere causantur, dicit sua Sanctitas, exemptiones hujusmodi a longo tempore introductas fuisse, propterea quod ordinarii suum non facerent officium, quorum si vita ita esset reformata, ut sibi subjectis essent recte vivendi regula, percupere se illis morem gerere, sed cum contra existat potius, queri eos merito non debere, si qui ab eorum jurisdictione exempti sint, ut liberius Deo serviant. Quod vero queruntur nonnullis electis administratoribus, abbatibus et prælatis indulta concedi de se non consecrari faciendo, dolet talia pleraque multorum importunitate a se extorqueri, se vero ejusmodi indulta omnia libenter revocaturum, nec cuiquam similia concessurum amplius.

« De eo vero quod conqueruntur, hic ordinari nonnullos super Ecclesiarum titulis ad quorum possessionem nunquam perventuri sunt; ut id sit necesse fieri, fecit episcoporum Germaniæ præsertim vita plus quam sæcularis, qui dum sibi indignum putant, quæ vere episcopi munera et officia sunt, obire, necesse fuit, ut super titulis talium Ecclesiarum ordinarentur suffraganei; sed cupit et percupit sua Sanctitas, ne eo opus sit amplius, sed ipsi per seipsos exequantur episcopalia officia.

« Postremo, quod de promotis apud sedem pauperibus plerisque et indoctis, ipsis displicet, cum non minima pars reformationis Ecclesiæ hinc pendeat, ut tantum digni doctique ad sacerdotium promoveantur, cupit sua Sanctitas circa ordinationes sacerdotum districtissimam aliquam disciplinam constitui et observari non solum apud hanc Sedem, sed etiam ab ordinariis omnibus, et circa hoc non solum rigorem canonum conservari diligenter, imo et illis, quæ convenientia videbuntur, adjici, ut qui nunc in vigesimo quinto anno ordinari permittuntur, nonnisi in vigesimo septimo, aut vigesimo octavo deinceps admittantur. Sed quo pacto huic rei convenientissime efficacissimeque provideri possit, se cupere intelligere etiam doctorum virorum per Universitates sententiam, ut collatis omnibus, quod Ecclesiæ utilissimum videbitur, constituatur.

« Quod vero memorant inter abusus cœlibatum, etc.». Refellit eum errorem acerrime Pius, at quia Ferdinandus imperator proximo anno easdem preces repetivit, ut sacerdotibus conju-

ges permitterentur a Pontifice, ne in libidinum cœno volutarentur, propterea hanc partem in sequentem annum rejecimus, in quo omnes argutiæ contrariæ gravissimis responsis, atque auctoritatibus diluuntur et confutantur ».

45. *De conjugio sacerdotum acerrime disputatur.* — Disceptatum vero acerrime in Concilio Tridentino de cœlibatu sacerdotum tradit Astulphus Servantius [1] :

« Feria V, die IV Martii MDLXIII, habita est theologorum congregatio, in qua Joannes Peltarius clericus sæcularis Gallus ita peroravit.

« Quoad primum articulum tertiæ classis de cœlibatu sacerdotum, posuit tres conclusiones.

« Prima. Sacerdotes Occidentales ex statuto Ecclesiæ Romanæ tenentur continentiam servare, non loquendo de Orientalibus et Græcis, quibus magis permissum quam concessum est Matrimonium. Nam Paulus ait : « Diversa sunt « dona Dei, ut aliis continentia, aliis Matrimo« nium concedatur, omnes tamen unum corpus « sumus. Vir autem cogitat quomodo placeat « uxori, sacerdotes autem quomodo placeant « Deo ». Sacerdotum tres sunt actus principales, prædicare, orare, administrare Sacramenta, quæ omnia repugnant Matrimonio, nam propter orationem Paulus jubet conjugibus abstinere, multo magis sacerdotes, qui semper orare debent, ut Hier. lib. I adv. Jovinian. declarat. Origenes hom. 25, in lib. Num. et Epiph. lib. 2, contr. hæreses hær. 49, idem confirmat.

« Præterea sacerdotes levitici generis, dum sua vice ministrabant in Templo, a conjugibus abstinebant, multo magis sacerdotes Christiani, qui perpetuo debent quotidie ministrare, vel baptizando, vel prædicando, vel orando, vel sacrificium offerendo. Et si filii Israel accepturi legem a conjugibus abstinebant, multo magis sacerdotes, qui legem docent. Et sicut etiam comesturi panem propositionis necesse erat, ut abstinuissent ab uxoribus, multo magis comesturi Corpus Christi, ut Hieronymus argumentatur. Licet tamen conjugi eo die, quo reddit debitum uxori, accipere Eucharistiam non repugnat, ergo sumptio Eucharistiæ cum conjugio, nisi statutum Ecclesiæ obstaret, nam etiam tempore orationis vir tenetur reddere debitum uxori ; solum enim peccatum excludit gratiam, et conjuges non peccant reddendo debitum, ergo non excluduntur a gratia. Et Zachariæ prædicitur se habiturum filium, quod non sit absque debiti redditione, et tamen ipse processerat cum uxore in diebus suis, ergo redditio debiti non excludit gratiam ; unde Augustinus dicit, conjuges peccare in usu venialiter (intellige : si solius voluptatis gratia se conjunxerint) nam a Clemente VI est definitum, conjugalem actum, cum fit ut fieri debet, actum esse meritorium vitæ æternæ ; non repugnant ergo Matrimonium et Sacerdotium, sola igitur institutio Romanæ Ecclesiæ reddit sacerdotes inhabiles ad Matrimonium, et sicut Ecclesia illegitimavit consanguineos certis gradibus, ita et sacerdotes, et majori etiam cum ratione, cum minor sit ratio inter consanguineos, quam sacerdotes Occidentales, qui tenentur ex voto servare continentiam et castitatem, nam Augustinus asserit parvulos teneri ad votum factum in Baptismo, licet ipsi actu non noverint, sed in fide parentum, multo magis sacerdotes, qui provectæ sunt ætatis, et propria et deliberata voluntate se obligarunt. Votum enim proprium servari debet I Corinth. VII : *Qui statuit in corde suo*, etc. Et si is, qui vovit servare virginitatem, tenetur ad votum, multo magis ipsimet virgines debent servare votum, ut Matth. XIX : *Aliqui castraverunt se propter regnum cælorum*, I Timoth. V et Luc. II. Augustinus libr. I de Virginitate exponens verba illa : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* de voto intelligit, potest enim homo firmare eam promissionem voto, quam servare potest, sed firmitas voti est a rectitudine divina, non autem a nostra voluntate, et sic certitudo voti quoad nos est certa et infallibilis. Ait enim Scriptura : *Vovete, et reddite Domino Deo vestro,* votum igitur solemne dirimit Matrimonium, non autem votum simplex. Dispensatum est in rege Aragonum, et Paulus III et Julius III dispensassent, si Lutherani sacerdotes se convertissent ad fidem Catholicam, re antea in Concilio Bononiensi diligenter discussa.

« Tertia conclusio. Sacerdotes Occidentales ex voto tenentur ita servare continentiam, ut per papam dispensari non possint. Castitas enim est adeo monacho annexa, ut non possit ab homine separari, ita et multo magis castitas, quæ annexa est sacerdotio, ut beatus Thomas declarat ex decretali Innocentii III, cui rationem ipse divus Thomas addidit ; quod enim semel dedicatum est Deo et consecratum, non potest ab aliquo immutari, ergo continentia semel Deo dicata non potest per Summum Pontificem tolli, nec super ea dispensari, licet contrarium dicat Cajetanus, quod ea sit opinio, non sententia D. Thomæ, quod falsum est, nam D. Thomas in fine concludit, non posse per Ecclesiam dispensari. Est enim eadem ratio voti monachi et sacerdotis. Ergo sicut super eo dispensari non potest, ita et super hoc, quod per singula comprobavit ea similiter vota non differre. Castitas igitur ita est annexa monacho, et sacerdoti, ut super eam dispensari non possit, uterque enim mancipat corpus suum Deo, et hoc Ecclesia consentiente, ergo liberari non possunt ». Et mox :

« Ergo sicut vinculum conjugum est indissolubile , ita et conjugium cum Christo , et

[1] Astulph. Servant. in Act. Conc. Trid. Ms. Franc. car. Barb. sig. num. 1109. Pag. 117. per Astulph. Serv.

sicut matrimonium contractum per verba de præsenti est indissolubile, ita et qui despondit se Deo, contrahit vinculum indissolubile, adduxitque argumenta contrarium tenentium. Neque solemnitas ista ab Ecclesia removeri potest, ut relinquantur sacerdotes in eorum arbitrio, si nubere voluerint, cum ea devenerit a Traditione Apostolica juxta ea quæ dicit Urbanus in cap. *Quidem* 25, qu. I. Considerandumque est, quod dicitur in can. VII Apostolorum ab iis, qui id negant. Hier. ad Pammachium eamdem continentiam sacerdotum comprobat, et Matth. XIX : *Sunt eunuchi, qui se castraverunt propter regnum Dei,* ut Basil. et Hilar. confirmant. Et licet aliquando Pontifex dispensaverit cum monacho, nunquam tamen cum sacerdote, cum sacerdotium sit jure divino, non autem monachatus, et sacerdotium ad hierarchiam Ecclesiasticam, non autem monachatus pertineat. Et cum opponunt hæretici, *Crescite, et multiplicamini;* respondeo, præceptum obligasse in vetere primitiva Ecclesia, non autem nunc : et ut respondet Augustinus supra de Virgin. libr. I non omnes conjugati, uti et sacerdotes, et e contra, ad Pauli verba : *Unusquisque habeat uxorem propter fornicationem,* respondeo ex Hieron. loqui de jam conjugatis, quare dixit uxorem habeat, non ducat, id est, debitum reddat, et cum dicitur, *Qui non potest continere, nubat,* intelligit de iis, qui non voverunt ».

46. Alii insuper theologi multis in medium allatis argumentis super hoc articulo disceptavere, quæ per ordinem disposita hujusmodi erant :

De cœlibatu Clericorum.

« Videndum est primo, utrum laici conjugati possint promoveri ad sacros Ordines, et deservire altaris ministerio, simulque uti matrimonio jam contracto.

« Utrum clerici in sacris Ordinibus constituti possint contrahere matrimonium.

« Circa primum non videtur dubium, quod alias conjugati promoveri poterant ad Ordines sacros, et uti matrimonio contracto, ut habetur in Concil. Gangr. 28, dist. cap. *Si quis discernit,* et in can. Apostol. c. *Si quis docuerit* dist. 28 et in 6. Synodo, 31 dist. cap. *Quoniam,* et cap. *Aliter.* et de jure civili in l. *Eum qui* Cod. de Ep. et cl. et in Const. de Sanc. Ep. l. v, § *Clericos* Auth. collat. 9.

« Postea de anno 325 in Concilio Nicæno tractatum fuit, ut sacerdotes continerent ab uxoribus, sed contradicente Paphnutio, relictum est in libera voluntate cujusque cap. *Nicæna* 31 dist.

« Demum Syricius de anno 381 statuit, ne sacerdotes, diaconi et subdiaconi adhærerent uxoribus 82 dist. cap. *Proposuisti,* cap. *Plurimos,* cap. *Quia.*

« Item Pelagius II de anno 579 constituit generaliter, ut sacerdotes, diaconi et subdiaconi abstinerent a Matrimonio contracto, ut habetur in cap. *Ante triennium* 31 dist., cap. *Multorum* 32 dist.

« Id quoque statuit Greg. I de anno 590, ut habetur in cap. *Nullum* 28 dist. d. cap. *Ante triennium* 31. dist. cap. *Multorum* 32. dist. 27. q. 2. c. *Multorum.*

« Idem et alii Pontifices statuerunt, ut Innoc. I. 31. dist. cap. *Tenere :* et 82. dist. cap. *Proposuisti.*

« Leo IX in cap. *Lex continentiæ* 31. dist. et in cap. *Omnino;* in quibus locis dicitur, quod possunt quidem retinere uxores, sed non uti eis ad officium carnis.

« Hodie autem secundum canones conjugati non possunt promoveri ad sacros Ordines, nisi uxores eorum voveant pariter continentiam, ut patet in tit. *de convers. conjug.* et in titulo *Qui cl. vel voven.*

« Circa secundum ; licet continentia clericorum non sit de substantia Ordinis, neque de jure divino, tamen nunquam reperitur, quod a tempore Apostolorum hactenus licuerit constitutis in sacris Ordinibus contrahere Matrimonium, et uti simul sacerdotio et matrimonio, ut dicit Joannes de Turrecrem. in d. cap. *Nicæna,* et in cap. *Aliter* 31. di. gl. in cap. *Si quis eorum* 32. dist. cap. *Cum in præterito* 84. dist. et habetur in canone Ap. 25. Imo contrahentes olim privabantur sacerdotio, ut habetur in cap. *Cum de quorumdam* 85. dist. cap. *Diaconi* 28. dist. cap. *Presbiter* ead.

« Sed hodie secundum canones non tenet matrimonium, ut dicitur in cap. *Erubescant* 32 dist. et cap. *Si quis eorum* et cap. eos qui ead. cap. 1. *de cleric. conjug.*

« Utrum autem Pontifex Romanus possit permittere, ut etiam constituti in sacris Ordinibus contrahant nuptias et fungantur saderdotio, doctores videntur inclinare, ut possit, et in primis gl. in cap. *Quæ ad perpet.* 25. quæst. 1. et gl. in cap. *de illo* 32. dist. Innoc. in cap. *Placet* de convers. conjug. ubi dicit, quod istud prohibetur ex sola constitutione Ecclesiæ, contra quam papa potest dispensare ; et ea sublata, possent utique contrahere, et ita tenet Jo. And. ibi : pro hoc facit glo. in d. c. *Aliter* 31. dist. quæ dicit aliquos tenere, quod ita sit servatum in Ecclesia Orientali, et videtur etiam sentire Azo in Sum. Cod. de Ep. et cl. n. 31. Alex. in Const. 2. n. 8. in primo vol.

« Utrum autem expediens sit permittere conjugia clericis, Abb. videtur indistincte et generaliter fateri, quod sic, in cap. *Cum olim de Cler. conjug.* ubi dicit, quod Ecclesia non solum potest permittere conjugia clericis, sed etiam deberet, attento quod ex lege continentiæ contrarius sequitur effectus, et loquitur etiam de

promotis, qui non (jam) voverunt continentiam. Et Spec. in tract. de mod. gen. conc. in 2. part. tit. 46. Præpos. in rubr. Qui cl. vel vov. quæ tamen sententia tutius procedit in matrimonio ante ordines susceptos.

« Item quando dispensatio fieret ex magna aliqua causa, puta pro reductione unius regni, ut dicit Joann. de Turrecrem. in d. cap. *De illo* num. 3. Innoc. in cap. *Cum ad monasterium* de stat. regul. n. 4 ».

47. *Cupiditatum lenociniis allecti in hæresim dilabuntur aliqui præsules, inter quos cardinalis Castilionæus.* — Ruebat hoc tempore magna sacerdotum multitudo in præcipitia hæreseos cupiditatum lenociniis illecta, conjugiique nomine incestas scortationes obvelabat, quo flagitio etiam devinxere se nonnulli præsules, qui prælucere exemplo sanctimoniæ aliis debuerant, vel hæreticorum partibus se adjunxere; cumque judiciaria severitas distringi non posset in eorum provinciis, sanxit Pontifex [1], ut fidei censores, qui Romæ erant, eos vocarent in jus, ac judiciaria in eos acta conficerent, reservata Pontifici decretoria sententia.

« Ad perpetuam rei memoriam, etc.

« Sicut nuper non sine gravi cordis dolore et animi amaritudine accepimus, nonnulli prælati, et dignitate Ecclesiastica, ac episcopali ordine constituti, ad quos veluti in partem sollicitudinis nostræ vocatos magis spectaret cæteros, præsertim eorum curæ creditos, ab erroribus revocare, et in eisdem erroribus pertinaciter insistentes insequi, nedum in similes errores hæreticos graviter prolapsi fuere, sed etiam cæterorum hæreticorum fautores et auxiliatores existunt, et eamdem fidem Catholicam, cujus defensores esse deberent, in dies oppugnare non verentur.

« Volentes igitur huic tam pernicioso morbo, prout nostro incumbit officio, occurrere, ac ne ulterius progrediatur, quantum in nobis est, providere, motu proprio per Apostolica scripta venerabilibus fratribus nostris, et dilectis filiis nostris inquisitoribus contra hæreticam pravitatem generalibus in alma Urbe nostra pro tempore residentibus, quibus ut contra quoscumque etiam cardinalatus præditos dignitate procedere possint per alias nostras indulsimus, tenore præsentium committimus et mandamus, ut omnes et singulos hæreticos et hæreticorum fautores, receptatores et auxiliatores prædictos de hujusmodi criminibus diffamatos, in provinciis et locis in quibus Lutherana secta invaluit, commorantes, ad quos ob ipsorum hæreticorum frequentiam notorium est tutum, seu saltem liberum non patere accessum, etiamsi episcopali, archiepiscopali, patriarchali, et alia quacumque etiam cardinalatus dignitate præfulgeant, nullis aliis desuper habitis super non tuto, vel non libero accessu hujusmodi informationibus (receptis tamen summarie extrajudicialiter, quantum ipsis inquisitoribus sufficere videbitur prius judiciis) etiam per edictum in valvis palatii officii sanctæ inquisitionis, et Basilicæ principis Apostolorum de Urbe, ac in cancellaria nostra Apostolica, et in acie Campi Floræ tantum per unum ex nostris cursoribus, vel etiam in locis finitimis terrarum in Italia consistentium, nobis et eidem sanctæ Romanæ Ecclesiæ immediate subjectis, prout ipsis inquisitoribus visum fuerit, affigendum et publicandum, citent, moneant et requirant, et intra certum et competentem terminum eis ipsorum inquisitorum arbitrio præfigendum, sub excommunicationis latæ sententiæ, suspensionis a divinis et privationis etiam a Cathedralibus Ecclesiis, quibuscumque dignitatibus et beneficiis Ecclesiasticis », et paulo post : « necnon confessionis criminum hæresis eis objectorum », et mox : « coram ipsis personaliter, et non per procuratorem, defensorem, vel excusatorem aliquem compareant, et se a criminibus prædictis expurgent » ; et post nonnulla : « ac demum processum omnem nobis, ut ad sententiæ, quæ justa visa fuerit, prolationem devenire possimus, in Consistorio nostro secreto referant, etc. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnation. Dominicæ MDLXIII, VII idus Aprilis, Pontificatus nostri anno IV ».

48. Damnatos ex his nonnullos Galliæ episcopos Huguenottismo contaminatos dicetur inferius, ac etiam ex ipso cardinalium cœtu traxit ad se Sathanas Odettum Castillionem diaconum cardinalem, ac instar alterius Judæ impiorum Huguenottorum ducem ad evertendam religionem Catholicam constituit, de quo ineunte anno apud cardinalem Armeniacum Pontifex questus est his litteris [1].

Dilecto filio Georgio tit. S. Nicolai in Carcere presbytero cardinali, de Armeniaco vocato.

« Cum Odettus cardinalis, de Castillon vocatus, hæreticæ pravitatis infamia jamdiu laborans adeo resipiscere neglexerit, ut abjecto Dei timore, generis, ordinis, dignitatis et salutis immemor, ad hæreticos, suadente Diabolo, sese contulisse dicatur, ejus causam cognoscendam nos mandasse scias venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus sanctæ inquisitionis officio præpositis, reservata nobis sententia, quam Deo auctore feremus, prout sacrorum canonum sententia postulabit, etc. ob tantum porro flagitium sacerdotiorum omnium vectigalibus mulctatus pronuntiatur, XIII Januarii MDLXIII, Pontificatus an. IV ».

49. Pseudo-cardinalis Castillionæi impietas

[1] Reg. Pii IV. sig. num. 1957. Ep. CCXX. Bull. in Pio IV. constitut. 97.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCXVIII.

imperita et impia imperitia eo prorupit, ut hactenus errasse Romanam Ecclesiam effutiret, quem Pontifex [1], qui jamdiu ejus flagitia resipiscentiæ spe toleràrat, perculit anathemate, omnique munere Ecclesiastico submovit :

« Ad perpetuam rei memoriam, etc.

« Cum nuper magno cum animi nostro mœrore plurimorum fide dignorum relatione, et fama publica, non quidem a malevolis et suspectis, sed gravibus et honestis, ac veridicis personis exorta, etiam per modum notorii facti permanentis ad aures nostras pervenit, iniquitatis filium Odettum e Castillione sanctæ Romanæ Ecclesiæ Belvacensis perpetuum administratorem alias per Sedem Apostolicam deputatum, ad quem velut ipsius universalis et Romanæ Ecclesiæ cardinalem, et honorabile membrum pertinebat pro fidei Catholicæ defensione, Apostolicæque Sedis conservatione proprium sanguinem, ubi opus fuisset, effundere, vitamque exponere, ac hæreticos undique, et præcipue ab Ecclesia Belvacensi prædicta, illiusque civitate et diœcesi, quarum curam gerebat, potissimum expellere, illosque totis viribus ac omni conatu persequi, suorum muneris, status, decoris, honoris ac propriæ salutis, necnon beneficiorum, quibus illum Sedes Apostolica tot tantisque dignitatibus decoraverat, receptorum et fidelitatis juramenti eidem Sedi per eum præstiti, nobilitatisque suæ originis prorsus immemorem, Deique timore postposito contra Sedem eamdem se temere erigentem adeo in profundum malorum prolapsum fuisse, ut in pessimam illam, quæ his calamitosis et deplorandis temporibus, in inclyto regno Franciæ, proh dolor! maxime invaluit, Hugonottorum nuncupatam hæresim manifestam nedum inciderit, sed ipsos Hugonottos hæreticos, quos præsertim in civitate et diœcesi prædictis corrigere et punire, vel saltem ab eis profligare debebat, defendere, fovere, protegere aut tueri curaverit, et quamplures hujusmodi pestiferæ sectæ viros pseudotheologos in rectores et concionatores, quibus alios seducere ac inficere posset, familiariter retinuerit, arma sumpserit, ac alia gravissima hæresim manifestam denotantia pertinaciter contra fidem Catholicam, sanctamque Romanam Ecclesiam commiserit et perpetraverit in gravem divinæ Majestatis offensam, ac omnium Christi fidelium scandalum.

« Nos igitur, quorum est pro nostro pastoralis officii ministerio præmissis debito providere, non valentes citra immensæ illius divinæ Majestatis offensam, necnon Christi fidelium scandalum modo aliquo præmissa, utpote tam impia et enormia, conniventibus oculis pertransire, ut tamen videremus clamorem, qui ad nos pervenerat, idem Odettus opere complevisset, venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalibus hæreticæ pravitatis inquisitoribus generalibus in Romana curia deputatis, ut de præmissis omnibus et singulis se diligenter informarent, veritatemque desuper inquirerent, ac deinde nobis in Consistorio nostro secreto referrent, commisimus et mandavimus. Cumque cardinales inquisitores præfati mandatis nostris hujusmodi parentes, super his diligenter inquisivissent, ac dictum Odettum nedum superius expressa, sed etiam longe deteriora commisisse et perpetrasse, nempe inter alia dixisse et pertinaciter tenuisse, Ecclesiam usque ad ista tempora hæreticorum Hugonottorum errasse, necnon palam et publice partes dictorum Hugonottorum hæreticorum, et sectas fuisse secutum, ac tutatum fuisse et laudasse, abjectisque cardinalatus habitu et insigniis, quibus se indignum reddiderat, ad Hugonottos hæreticos ipsos declinasse, eorumque sectam expresse professum fuisse, seque illorum exercitus ductorem fecisse, et existere, aliaque in sanctam fidem et Catholicam religionem commisisse comperiissent, et nobis in Consistorio retulissent », nonnullisque interjectis de servato in ea causa ordine judiciario, « ipsum Odettum hæreticum, excommunicatum, Hugonottum, schismaticum et blasphemum, ac a fide Catholica et sanctæ Romanæ Ecclesiæ apostatam et transfugam, fidei fractorem et perjurum pronuntiamus et judicamus ac declaramus, et propterea eum ab omni cardinalatus commodo et honore, ac privilegio etiam clericali a die commissorum criminum hujusmodi ipso jure depositum, dictæque Ecclesiæ Belvacensis administratione, ac omnibus beneficiis et officiis, honoribus, dignitatibus ac prælaturis privatum ». Et infra : « Ac velut talem hæreticum, schismaticum et blasphemum, et infructuosum palmitem ab Ecclesia præcisum ulterius legitime puniendum fore decernimus, ejusque personam a Christi fidelibus capiendam et detinendam, et ad justitiæ et ministrorum manus, ut pœnis debitis affici possit, tradendam, omni meliori modo et forma quibus possumus et debemus, exponimus, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum anno Incarnationis Dominicæ MDLXIII, pridie kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno III, (IV) ».

50. *Dux Guisius proditorie ab hæreticis occiditur.* — Obduruit magis in perfidia Odettus, utque præsules ad Eccclesiasticas dignitates convertendas in profanas suo exemplo pelliceret, se comitem Belvacensem dixit, cum Belvacensis Ecclesiæ administratione mulctatus esset; utque magis amentiam suam proderet, qui errasse hactenus Romanam Ecclesiam asserebat, ac jam una cum Huguenottismo sapientiam se induisse ganniebat, cardinalitio cultu quem abjecerat resumpto, Isabellam Altavillam domi-

[1] Bull. in Pio IV. constitut. 66.

nam de Lore concubinam duxit, ut Huguenottæ perfectionis culmen attigisse demonstraret. Cum vero sibi male metueret, ne justo tandem supplicio conficeretur, quinto post anno cum sua pellice in Angliam fugit. Increbuisse Tridenti famam, fuisse illum auctorem ac suasorem procuratæ cædis Francisci ducis, qui flagrantissimo pietatis ardore Huguenottam perfidiam debellabat, refert Astulphus Servantius [1], at Joannes Poltrotius flagitii reus non illum, sed ejus fratrem Gasparem Colinium Castilionem, ac Bezam suscipiendi facinoris consultores accusavit. Fuerat vero a Castilione instructus auro, ut pernicem equum sibi compararet, fictaque susceptæ hæreseos resipiscentia in familiaritatem Guisii ducis se insinuaret, ut proditione eum trucidaret, non enim stare posse Huguenottam impietatem vivo ac spirante Francisco Guisio duce religionis Catholicæ accerrimo vindice, ac fidissimo regis administro, amiralius ac Beza sentiebant, maxime, cum capto Condæo, Aureliam, quam Andelotus Castilio ægre propugnabat, obsidione premeret, atque hostilibus impressionibus Andelotum jam in discrimen adduxisset, ut Huguenottorum oculis ac menti extremus exitii terror Francisco offunderetur; impius itaque proditor ab Huguenottismi signiferis ac principibus subornatus redeuntem e castris Guisium a tergo, tribus glandibus e manuario tormento breviore emissis, sauciavit sub noctem XII kal. Martii, ex quo vulnere sexto post die Sacramentis rite procuratis a Lancelloto Carlesio episcopo Regensi, multis Christianæ pietatis flagrantissimæ signis, et cum magna cælestis immortalitatis spe animam Deo reddidit, quod ex publica fama in Romana curia tunc xii Martii sparsa testatur Joannes Firmanus [2] his verbis : « Obiit prout semper vixerat Christianissime, sumptis maxima cum devotione omnibus sanctissimis sacramentis.

51. « IX Martii certior nuntius allatus est de obitu ducis Ghisani fratris cardinalis Lotharingii, nam cum sparsus hic rumor falsus crederetur, nunc veris nuntiis fuit confirmatus, dicebaturque is a privato milite ex viginti septem conjuratis in gratiam amiralii æneo sclopi globulo fuisse interemptum, suadente id præcipue Theodoro Beza hæresiarcha, qui complices hac ratione cœlestem gloriam conseculuros prædicabat. Observatum fuit in Lotharingio invictum animi robur, magnaque in adversis rebus fortitudo ac prudentia, nam sublato duce præstantissimo, quo Galliæ præsidium adversus hæreticos maxime nitebatur, cum ipse, qui et frater erat, et in quo magna spes privatarum rerum suarum sita erat, et hoc vulnere graviter percussus existimaretur, ipse tamen adeo patienter moderateque hunc casum tulit, ut post unum et alterum diem vix quodquam mœroris in eo vestigium dignosceretur, imo triduo post Missam in Templo S. Bernardini, ut videbatur, odio atque animi acerbitate deposita, celebravit ».

Præclarissimo religionis Catholicæ vindici solemni pompa Trident. Patres justa persolvere, quare die Lunæ x mensis Martii, ut habet Massarellus : « Celebrata est in Ecclesia cathedrali Missa pro ejus anima; peregitque sacra R. D. archiepiscopus Ebredunensis, quibus interfuerunt illustrissimi DD. legati, cæterique conciliares omnes ».

Nec Ghisium dumtaxat ab Hugonottis perduellibus perquisitum ad mortem, sed alios etiam præstantes Catholicæ religionis defensores, ut proditione mactarentur, destinatos fuisse, aperuit parricida ille Joannes Poltrotius, cum extremo supplicio immanissimo excarnificandus esset, in cujus supplicii acerbitate execrari amiralium et Bezam flagitii consultores auditus est.

52. Hic lubet addere, quæ de immanissima Calvinistarum perfidia Guillelmus Rossæus [1] scripsit: « Calvinistæ, modo principes et nobiles viros occidere possint, de jure vel injuria, utrum cum fraude et perjuriis, aut quovis atrocissimo scelere ea cædes fuisset copulata, omnem curam et cogitationem projecerunt. Quis fuit aliquando princeps, defensa contra imperatorem Carolum Meti, expulso ad Rentium eodem imperatore, et recuperato ab Anglis Caleto, totaque illa ora maritima reipublicæ Gallicanæ Francisco duce Guiso utilior, aut ob Gallici nominis splendorem apud exteras nationes diffusum illustrior? Aut quis fuit propter singulares virtutes, non solum veris Gallis, sed etiam infensis hostibus Hispanis, Germanis atque Italis eodem principe amabilior? Id quod funeris ejus mœrore indicatum est. Et tamen quis ignorat quemadmodum ille humanissimus princeps ab homine Calvinista, cui tamen antea, et eo fere ipso momento temporis maxime fuit beneficus, sceleratissime et perfidiosissime occisus est, persuasione Gasparis Coligni et Theodori Bezæ, etiam tum, cum de pace tolerabili hæreticis concedenda operam suam maxime impendebat». Actum erat de Calvinismo; reliquias enim belli persecutus, capita infidelitatis Hugonotticæ Aureliis obsederat, atque ita in arctum eorum coegerat copias, ut nisi aliqua ratione per fas aut nefas dux Guisius e medio tolleretur, Calvinistæ putarint, non tam de paucis rebellibus et ducibus Calvinianis, quam de ipso Calvinismo in Gallia conclamatum esse.

[1] Astulph. Servant. in Actis Conc. Trid. ad x Mar. Ms. Fr. car. Bar. sig. 1109. et aliud Ms. card. Pii. Francisc. Belcarius l. xxx. num. 14 et 15. — [2] Joan. Fr. Ms. arch. Vat. Diar. tom. xi. Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. card. Barb. sig. 24. p. 307.

[1] Guil. Rossæus Ms. Pig. l. vi.

Audita clarissimi religionis Catholicæ defensoris cæde, Pontifex maximum dolorem traxit, ejus tamen fratrem Carolum cardinalem piis hisce litteris [1] solatus est :

« Dilecto filio nostro Carolo tit. S. Apollinaris presbytero cardinali a Lotharingia.

« Quanto nos dolore perculerit, et quantopere animum nostrum concusserit ac turbaverit obitus bonæ memoriæ ducis Guisiæ fratris tui, non facile verbis assequi possumus, sed mœrorem nostrum ex jacturæ et damni magnitudine, quod regnum Galliæ et religio Catholica fecit, facilius est cuivis metiri. Is quidem obiit, dum Dei Omnipotentis honorem, dum Catholicam fidem ac religionem fortissimus Christi et Ecclesiæ pugil defenderet, et Christianissimo regi operam cum summa fide ac pietate navaret, cui parta insigni divinitus paulo ante victoria regnum conservarat. Nos autem, et pios et Catholicos omnes deplorare oportet talis viri mortem, tam turbulento regni illius et Christianæ reipublicæ tempore : augetur etiam non parum mœror noster ex mœrore tuo et tuorum, pro paterna nostra erga domum vestram benevolentia. Sed quæ nos consolandi tui causa proponere possumus, ea idcirco commemorare omittimus, quod scimus te, ut prudentia tua et constantia dignum est, hoc incommodum forti animo laturum, et illa in primis consolatione esse usurum, qua nulla major et gravior adhiberi potest, quod frater ipse tuus, ut omittamus gloriam, quam sibi apud homines rerum suarum gestarum magnitudine pepererat, pro suis in Catholicam fidem ac religionem meritis ad veriorem vitam et solidiorem gloriam fruendam a Christo ipso, in cujus causa sanguinem suum tam pie profudit, assumptus est, sicut de divina bonitate confidere debemus, etc. XVIII Martii MDLXIII, Pontificat. anno IV ».

53. Hunc quoque cardinalem religionis causam flagrantissimo studio defendisse alibi pluribus in locis videbimus. Ita ut in maxima multorum principum a Catholica religione defectione, Guisiæ familiæ singulare decus extiterit Catholicæ religionis ad extremam sanguinis effusionem defensio, ut refert memoratus Guillelmus Rossæus [2] :

« Ad Guisiorum memoriam magnificum est, quod nostra memoria de eorum avo Claudio iidem historici non minus fideliter commemorant. Cum iste Evangelismus jam in herba esset, contractoque hæreticorum vasto exercitu e Germania in Galliam irrumpere niteretur, et in regni finibus ab usitatis sacrilegiis confringendi imagines, demoliendi altaria, evertendi Ecclesias, occidendi presbyteros inciperet, tum ducem Guisium, Campaniæ et Burgundiæ gubernatorem, conjunctis provinciarum illarum præsidiis, cum fratre Antonio duce Lotharingiæ hæreticos illos, quanquam Catholicis sextuplo plures, viriliter invasisse, et eorum plusquam decem millia trucidasse paucissimis e Catholicorum militum numero desideratis, atque ita in eo primo tempore hæresim a Gallia ingredienda repulisse, eamque ita stirpitus excidisse, ut nec in confiniis radices agere permitteret : quo facto, inquiunt historici, domus Guisia videtur jecisse fundamenta defendendi Ecclesiam Catholicam contra furorem hæreticorum, in quo constanter ad hunc usque diem perseveravit ».

54. *Calvinistarum impietates et scelera.* — Prostrato Francisco Ghisio duce prostrata visa est Catholicæ religionis causa, Aureliæ enim oppugnatio refrigescente militari ardore remissa est, hostes vero auctiores animis, atque ad hæresim proferendam obfirmatiores triumpharunt, potitique in Normannia ex deditionis legibus Bajocensi urbe, eam « statim », inquit Belcarius [1], « ingressi expilarunt, sacros Romanæ Ecclesiæ ministros suo more, sed et multos ex civibus trucidarunt, nec mitiores in suos quam Turcæ aut barbaræ nationes fuerunt : ea est Calviniana ad Evangelicæ puritatis formam redacta religio, qua se reformatos, hoc est, ut illi interpretantur, in meliorem vitæ formam transmutatos, aut potius, ut pii omnes interpretari debent, omni scelerum colluvie deformatos gloriantur. Nam in omnibus fere urbibus, quas ceperunt, non minus crudeliter se gesserunt ». Ita cum Mongomerius IV idus Martii in Fanum Loii, admotis scalis, noctu insiliisset, oppido potitus, omni immanitatis genere in sacerdotes, monachos ac cæteros ministros sacros Ecclesiæ sæviit, pariterque in cives, matronas, puellas, tenebris licentiam militarem provocantibus, crudeliter ac impudice grassatus est : atque in his flagitiis reformata a Sathana religio constituebatur, nam Beza de cruentissimo Drocensi prælio scribens ad Elisabetham Angliæ reginam stulte et impie gloriatus est, eo prælio novi Evangelii fundamenta in Gallia jacta fuisse. Porro Gaspar Colinius Castillio, dictus amiralius, Cadomo pridie idus Martii discedens Aureliam cum exercitu rediturus, XV kal. April. cum Bernaium appulisset, omnes Catholicæ religionis sacerdotes, ac bonam civium partem contrucidavit, Christi et Deiparæ simulacra ac sanctorum imagines diffregit, et sacras aras evertit, eademque scelera eadem die Druidensis comes Aquilæ in Normanniæ finibus patravit, necnon Argentanum et Mortagnum ab aliis Huguenottis ducibus sacrorum ministrorum, et civium Catholicorum cædibus funestata fuere, cum tamen jam tum recentissime pax cum Hugonottis maximo religionis Catholicæ damno

[1] Pius IV. to. II. brev. sign. 2897. Ep. CCCXLVIII. — [2] Guill. Rossæus n. 758. Bellefor. l. VI. c. 37.

[1] Belcarius l. XXX. num. 17.

confecta fuisset, ut exclamet Franciscus Belcarius [1] : « Vide, quam sancte pacem jam factam Calviniani colant, et qua immanitate in populum innocentem sæviant ».

55. *Pax cum Hugonottis firmatur in Gallia.* — Conceptæ concordiæ pactiones IX idus Martii, dictante Michaele Hospitalio regii scrinii magistro, Catholici nominis proditore et Calvinisticæ factioni addictissimo, fuere, quarum etiam vigore Ludovicus Condæus princeps libertati restitutus est, ut novis præliis Galliam misceret, ac tyrannidem iterum eversa religione affectaret. Refert infelicis hujus pacis conditiones Belcarius [2] his verbis :

« Decima quarta kal. Aprilis, die a Guisani morte tertio et vigesimo, promulgatum palamque editum fœdus est, quod ante IV id. Martias conceptum ac pactum erat, si fœdus dici debet, inaudita, et ut vere dicam, clementis regis erga domesticos hostes regio sibi jure subjectos et tamen rebelles indulgentia, qua nemine exauctorato, aut a magistratibus publicis militaribusque muneribus, quibus antea functus erat, remoto, incredibili illos liberalitate Carolus provocavit, condonata recentis conjurationis, scelerumque omnium impunitate, remissa quoque innumerabili, quam plerisque locis interverterant, et in privatos usus converterant, aut in militum suorum stipendium impenderant, publica fisci, aut sacra, hoc est, sacris ædibus addicta pecunia, sive ea numerata fuisset, sive non numerata, et in sacra vasa et sacra donaria conflata, oblata denique, ut ex suæ persuasionis legibus præscriptoque viverent, permissione, nisi aliud ipsi natu majori videretur, aut aliter coacto universi Christianismi totiusve Galliæ Concilio decerneretur. Id autem edictum in hanc sententiam conceptum est :

« I. Ut in omnibus civitatibus atque oppidis, quæ tum in Calvinianorum potestate erant (erant autem plurimæ) uno aut duobus commodis locis, non tamen in sacris ædibus qui sacris Romanæ Ecclesiæ ministris eodem edicto restitui jubebantur, libere conjurati, quæ ad suæ persuasionis observationem pertinent, procurarent, et vel audiendis concionibus, vel sacramentis administrandis (Sic enim initiationes Christianas, nostræque religionis veluti elementa nominare consuevimus) vel cogendis conventibus, sive Conciliis, aliisque id genus obeundis suo arbitratu operam darent.

« II. In omnibus præterea hujus regni regionibus, a quibus ad majores Senatus dumtaxat, quæ Parlamenta appellamus, provocatio est (Balliagia et Seneschallatus vocant) urbs aliqua deligeretur, in cujus suburbiis eamdem suæ persuasionis formam observarent.

« III. Ut homines nobiles, qui in suis feudis (ut novis rebus nova nomina indantur) sive fundis summam jurisdictionem habentes, iisdem privilegiis eadem suæ persuasionis obeundæ libertate fruerentur; ea tamen conditione, ut solas suas familias, atque eos, qui suæ jurisdictioni subessent, nullos præterea admitterent. Sin in fundis suis nullam jurisdictionem haberent, et regiæ subessent, domi eadem libertate privatim cum familia sua uterentur, si vero alterius jurisdictioni parent, id sine ejus auctoritate non possent.

« IV. Hac lege solutus est ager Parisiensis, quam præfecturam Parisiensem vocant, in qua novi Calvinianæ persuasionis ritus publice exerceri hoc ipso edicto inhibentur, sed privatim, ut conquisitio fiat, interdicitur, ut cuivis suo arbitratu vivere plane esset liberum.

« V. Cautum præterea est, ut captivi, utrinque liberi dimittantur et externi milites e Gallia exeant.

« Sed quod maximum fuit, et in primis admiratione dignum, quæ Condæus Castilioque, quique illis se sacramento obstrinxerant, eo bello patrarant, et occupandis evertendisque urbibus, aut publica fisci, sacraque pecunia avertenda, vel cudenda moneta procurarant, regis nomine procurata, eosdemque atque universos, qui illis ducibus militaverant, bona fide arma sumpsisse, fidamque operam sibi navasse rex Carolus confessus est. Si quid est, quod addi possit, addant ipsi : quid enim aliud, si fœdus ipsi dictassent, addere potuissent? Hoc ab illis dumtaxat exegit Carolus, ne ulla templa domosve sacrorum Romanæ Ecclesiæ ministrorum aut possessiones retinerent, quibus usumfructum integrum relinquerent, ea tamen lege, ne illi pro templis domibusve dirutis quidquam repetere possent. Deinde summa cautione interdixit, ne societatem cum exteris nationibus coire, neve pecuniam in bellum cogere, aut milites in posterum conscribere auderent, quæ ea religione observarunt, ut discreta magis postea fœdera conceperint, majorem pecuniam suis imperarint, milites semper usque ad Castilionis cædem paratos habuerint ».

56. Hanc pacem, licet Catholicis iniquissimam, Gaspar Castilio, ut erat arrogantissimus, in sanctiore consilio improbavit, quod se inconsulto facta esset; leges vero sibi adversas ita sprevere Hugonotti, ut grassari in Catholicos immanitater non destiterint, atque in media Lutetiæ urbe Charrium flagrantiore Catholicæ pietatis studio conspicuum, immissis sicariis mactaverint, ut deplorat Guillelmus Rossæus [1].

« Charius Chiliarcha veteranus Gallorum, qui in Italia contra Hispanos militaverant, quod esset Hugonottis infensus, et Catholicæ religionis studiosus, quemadmodum occubuit, media

[1] Eod. num. in fine. — [2] Num. 16, 20.

[1] Guill. Rossæus l. VI. c. 20.

luce, media fere civitate Parisiensi, et a Briquemaltio cum armata Hugonottorum cohorte derepente invaditur, et multis vulneribus perimitur, fremente non sine causa tota civitate Parisiensi, et clamante, ruituram necessario rempublicam Gallorum si ita nequissimis rebellibus fas esset fortissimos regis et regni præfectos militares occidere, ipsis autem interdictum esset sumptis armis tam luculentas injurias vindicare ; eo enim tempore jussu regis arma Parisiensibus fuerant adempta ».

Ut vero Carolus rex Tridentini Concilii Patres de hac confecta pace certiores fecerit, quæve postea secuta sint, dicetur inferius. Nunc quæ in Tridentino Concilio interjecto tempore gesta sint percurramus.

57. *Pius episcopos a Concilio digressos revocat, absentes invitat.* — Cum accepisset Pontifex nonnullos episcopos laborum tædio affectos Tridento discessisse, gravem, quem ex eo susceperat dolorem, significavit legatis [1], cum maxima præsulum frequentia Concilium celebrari percuperet, deditque imperia, ut eos Tridentum revocarent.

« Dilectis nostris Hieronymo S. Susannæ, Stanislao S. Pancratii, Ludovico S. Cyriaci in Thermis titulorum presbyteris cardinalibus, nostris et Sedis Apostolicæ in Tridentino Concilio de latere legatis.

« Audivimus non parvum episcoporum numerum, qui Concilio intererant, prout cuique eorum libitum fuit, ex civitate Tridentina discessisse, quæ res mali exempli, et cum ab eorum officio, tum ipsius dignitate Concilii valde aliena nobis visa est, nec potuit nobis non magnopere displicere, qui tantam diligentiam adhibuimus, et adhibere non desistimus, ut Concilium quam maxima episcoporum frequentia celebretur. Quapropter cupientes eos, qui jam discesserunt, ad Concilium primo quoque tempore reverti, et providere volentes, ne alii posthac illorum exemplo discedant, circumspectioni vestræ harum auctoritate mandamus, ut omnes et singulos eorum, qui redire neglexerint, sub pœnis arbitrio vestro infligendis, etiam excommunicationis, si vobis visum fuerit, ut ad Concilium intra diem competentem vestro arbitrio præfigendam omni mora atque excusatione omissa revertantur ; alios vero, si qui forte recedere voluerint, eisdem propositis pœnis, ut ne isthinc abeant, diligenter nostro nomine moneatis. Dat. Romæ apud S. Petrum die VIII Martii MDLXIII, anno IV ».

Pari quoque studio alios excitari episcopos, ut ad Concilium se conferrent enisus est, extatque sequens, quam ad Cameracensem archiepiscopum dedit, Epistola [2], qua illum debiti sui in præsenti Ecclesiæ necessitate admonefaciens, longe plane diversam illi, ac Germaniæ episcopis veniendi inesse rationem ostendit :

« Venerabili fratri archiepiscopo Cameracensi.

Maturum esse duximus hortari in Domino fraternitatem tuam, et diligenter admonere, ut officii sui memor ad Concilium ire ne diutius differat, fideique in eo, et religioni, et conscientiæ suæ plane satisfacere studeat, cum videat se nullo magis necessario tempore suam universali Ecclesiæ operam navare posse. Nec dubitamus, quin cæteri quoque prælati, quorum civitates imperiales sunt, functuri eodem officio fuerint, sicut alias functi sunt, nisi eos domi manere coegisset periculum, quod post eorum profectionem a Protestantium principibus impendisset ; sed alia causa est eorum, alia tua. Quoniam vero alii ire minime potuerunt, tu qui sine Ecclesiæ tuæ periculo potes, quo quidem etiam opportunior erit et Concilio gratior adventus tuus, etc. » Et infra : « Ecclesiæ necessitas et miserabilis status omnium prælatorum fidem et auxilium in hoc tempore vehementer implorat et flagitat, majusque ipsi et cæteris, qui collapsam religionem Catholicam erigere atque excitare conati fuerint, promissum ab æterno illo Ecclesiæ fundatore, atque pastore paratum erit. XXX Mar. MDLXIII, anno IV ».

58. *Duo ex Concilii præsidentibus, Mantuanus et Seripandus diem obeunt supremum.* — Geminis Apostolicæ Sedis legatis, iisdemque præclarissimis S. R. E. cardinalibus orbatum fuit mense Martio Tridentinum Concilium, ac primum, sexto nonas ejusdem mensis, non IV nonas Maias, ut levi typographi incuria legitur apud Sacchinum [1] aliosque, Hercules cardinalis Gonzaga Mantuanus primus Concilii præses excessit e vita. Admiratus fuerat in ipso Jacobus card. Sadoletus [2] conjunctam summæ nobilitati summam virtutem, atque in Epistola ad ipsum data hæc præ cæteris scribit : « In tanta raritate et penuria eorum, qui nobilitatem cum virtute habeant conjunctam, tu unus excellis, qui utrumque ita adeptus sis, ut in tuis plurimis maximisque ornamentis, major tamen multo virtuti tuæ, quam fortunæ gratia habenda sit ». Sed illud in primis Christianæ charitatis præclarum exemplum [3], quod gliscente in Gallia Cisalpina dira fame, ad sublevandam pauperum inopiam quinquaginta aureorum millia disperserit, dederitque pauperibus, plurimaque alia ad ipsos alendos beneficia contulerit, quorum manibus in æterna tabernacula se recipiendum sperabat. Sacrosanctum Viaticum, ac supremam Unctionem adhiberi sibi a Lainio Soc. Jesu præp. generali voluit, ac demum, ut scribit Gabriel Palæottus :

[1] Pius IV. t. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCXLVI. — [2] Ib. Ep. CCCXL.

[1] To. II. l. VII. hist. Soc. Jesu. Victorell. in Ciac. Addit. — [2] Sadol. l. II. Ep. — [3] Ughel. in add. Ciac.

« Secunda Martii, hora fere quarta noctis, a Domino in cælum vocatus est ». Et paulo post : « Pridie quam eum morbus invaderet, Missam celebraverat, antequam tamen excederet, Sacramenta etiam omnia Ecclesiæ necessaria pie sumpsit ». Et mox : « cumque erga clericos Societatis Jesuitarum valde affectus esset, dictus est Collegium illorum in civitate Mantuana erigendum honestis ei proventibus relictis mandasse, erga alia etiam pietatis opera et religiosorum Ordines, maturiore præsertim vitæ suæ accessu, se studiosum semper declaraverat ».

59. Vix jam exaruerant lacrymæ, quibus Patres extinctum card. Mantuanum defleverant, cum illico brevi quindecim dierum spatio iterum revocantur ad funera. Alter namque Concilii præses, Hieronymus nempe cardinalis Seripandus ex Ordine Sancti Augustini assumptus, « Ingravescente » ut scribit idem Palæottus [1] « morbo nuper contracto, die XVII Martii, hora fere XXIV, vitæ suæ munus Deo persolvit. Ex ejus interitu mire sunt prostrati, non solum, quod amissus vir esset singulari eruditione, consilio et religione, atque his temporibus maxime necessarius, sed etiam, quod intra XV dierum spatium, jam duo legati præstantissimi a nobis adempti essent. Is quatriduo antequam discederet, cum sacramentum Eucharistiæ esset sumpturus, multa de sacramentis, de fide Catholica, de anteacta sua vita coram nonnullis prælatis, et aliis familiaribus suis tam pie prudenterque disseruit, ut nemo non in lachrymas, ex his, qui aderant, solveretur. Inter cætera professus est fidem suam Catholicam, cum Romana Ecclesia semper consensisse, neque unquam ab ea recessisse, minimeque etiam nunc recedere, sed prout in ea semper vixit, ita etiam nunc omnino mori constituisse. De sanctissima Eucharistia non solum nunquam dubitasse, quin ibi verum Corpus Christi contineatur, sed nec etiam unquam hanc veritatem deserere tentatum. Voluit deinde e lecto surgere, et genibus flexis communionem sumere, cumque familiares hoc ei dissuaderent ob imbecillitatem suam, respondit, extremum hunc actum esse, nec ei denegandum, atque ita genuflexus summa devotione Eucharistiam sumpsit, etc. Nihil ardentius loqui videbatur, quam cum de cœlesti gloria illi sermo erat, ad quam se ex immensa Dei benignitate jam vocari præsentiebat, idque palam affirmabat, aliisque ad eam adipiscendam animum addebat. Dicebat etiam, se spatio septuaginta annorum, quos in hac vita egerat, ac bonis litteris operam dederat, parum didicisse videri posse, nisi sciat, qua ratione extremus hic actus sit peragendus ; adeoque placato animo hæc proferre videbatur, ut subderet quandoque hæc verba : Medicorum sollicitudo est reprehensibilis, alunt morbum, prorogantque humanis medicamentis mortalem vitam ad paucos dies, nam vera vita Christus est, quam ipsi retardant. Libros Hæreticorum, quos apud se, permittente Summo Pontifice, Concilii causa habebat, mandavit omnes statim comburi, etc. (1) ». His aliisque compluribus editis Christianæ pietatis documentis obdormivit in Domino, ac XIX Martii funebres illi exhibitos honores refert Astulphus Servantius.

60. *Ut legati præsidentes mittuntur a Pontifice Tridentum cardinales Moronus et Navagerius qui in Concilio perhonorifice recipiuntur.* — Quo die Tridenti extinctus est Seripandus, Romæ Pontifex legatos ad Concilium jam ante septima Martii decretos Joannem, videlicet Moronum episcopum Prænestinum, ac Bernardum Navagerium tit. Sancti Nicolai inter Imagines presbyterum, cardinales, tradita iis Cruce, proficisci jussit, ut summa cum auctoritate sacrosanctæ Synodo præessent, qua de re extant

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 24. p. 328.

(1) De cardinalis Seripandi virtutibus, ac dignis Christiano atque Ecclesiastico principe exemplis ab eo superstite in ipso exitus sui limine præstitis plus aliquid posteritatis memoriæ commendavit Phola in suo Diario Actorum Concilii Tridentini, quem auctorem sæpius in his nostris adnotationibus exscripsimus, et nunc præterire rem injuriosam memoriæ tanti cardinalis duceremus. Ita ergo ille : « Die XVII mensis Martii mortuus est illustrissimus cardinalis Seripandus (quem jam inde ab octavo ejusdem mensis die morbo correptum fuisse paulo superius scripserat) patria Neapolitanus, Ordinis S. Augustini, cujus fratrum quondam fuerat generalis, nominatus archiepiscopus Salernitanus a Carolo V imperatore augusto, deinde ascitus in numero cardinalium a Pio IV, Pontifice maximo, et nunc primus præsidens Concilii Tridentini, ætatis annorum LXX, vir senex, religiosus, magnæ doctrinæ, prudens, integer vitæ, optimis moribus, ab omnibus amatus, et de Concilio bene meritus, pius in pauperes et suam familiam, ut patet ex suo testamento per quod legavit illi maximam partem facultatum, quas possidebat. Idemque legavit, ut corpori suo simplex sepultura daretur in hac civitate in Ecclesia S. Marci Ordinis S. Augustini, condendo eum humi, superjecta super eum solummodo terra, et lateribus superadditis, etc. »

Porro ut ex eodem Diario aliqua excerpamus, quæ ad illustrandam supplendamque historiam Concilii Tridentini conducunt, animadvertendum ducimus illa quidem die quam annalista signat, Moronum cardinalem Tridentum pervenisse, sed legatum alterum qui cum illo designatus fuerat, nonnisi serius eo se contulisse ex eodem Diario discimus, in quo adnotatur pervenisse Tridentum die XXVIII Aprilis, eamque urbem privatum absque ullo apparatu et pompa ingressum esse. Qua die exceptus sit a patribus in Concilio nec scriptor indicat, nec ab alio quoquam memoriæ proditum legimus.

Ex auctoritate pariter ejusdem Diarii constat vera esse quæ annalista ex conjectura tantummodo assecutus est, num. 80. Biragum nempe oratorem Gallicum ad Concilium prius venisse, quam ad imperatorem pergeret. Ita enim auctor ejusdem Diarii scribit : « Affirmat eumdem de Birago ut primum apud sanctam synodum sui regis mandata executus fuerit, profecturum esse Spruch ad Cæsarem, indeque huc reversurum ».

Postremo tandem animadvertisse juvat Gallorum legatum Renaldum Ferrerium die XXII Septembris in cœtu Patrum exposuisse pro concione Ecclesiæ Gallicanæ disciplinam, dein ad ea declinasse quæ eadem Gallicana Ecclesia nec in suo clero passura fuisset, et in alieno reformatione digna judicaret, quæ si reformanda patres non censuissent, professi sunt oratores illi se statim discessuros a Concilio, et ad propria remeaturos. Cum responsum ad hæc daturum se Concilii præses significaret, nolle se quidquam expectare responsi dixit, tum paucis ultra diebus remorati oratores Galli « discesserunt Tridento, quo nunquam amplius sunt reversi ». Hæc Diarii scriptor. MANSI.

Pontificia Diplomata [1] die xx Martii consignata, quibus Morono locus et auctoritas Herculis card. Mantuani dabatur : ac Pontifex ipse postea de collata Morono dignitate Ferdinandum Cæsarem his litteris [2] certiorem fecit :

« Charissimo in Christo filio Ferdinando in imperatorem electo.

« Charissime fili, salutem, etc. Mittimus ad Majestatem vestram cardinalem Moronum nostrum de latere legatum, quem scimus illi acceptum et gratum fore ob egregias ipsius animi dotes et raras virtutes. Is respondebit ad omnia capita litterarum majestatis vestræ, et credimus, quod illi satisfaciet, propterea quod nihil magis cupimus, quam reformationem, et tollere abusus in Ecclesia Dei, et nihil minus cogitamus, quam de dissolutione Concilii, aut suspensione, sed prosequi intendimus et ad finem debitum perducere, confirmare, et exequi, sublatis abusibus, et factis reformationibus, quantasvis quilibet bonus Pontifex possit facere, et quilibet bonus Christianus possit desiderare, ut latius majestas vestra ab ipso cardinale intelliget : quam Dominus diutius incolumem nobis conservet, et omnia illius desideria compleat. Datum xxv Martii MDLXIII ».

61. Antequam has litteras exciperet Cæsar, cum accepisset Tridentinam legationem fuisse decretam cardinali Morono, gratias egit Pontifici [3] de summo studio, qua Concilium provehere, disciplinamque Christianam instaurare nitebatur, nec se ad promovendum opus sanctissimum muneri Cæsareo defuturum, est pollicitus :

« Beatissime in Christo pater et Domine, Domine reverendissime, post humilem commendationem filialis observantiæ, continuum incrementum.

« Accidit nobis jucundissimum, quod Sanctitas vestra hanc legationem reverendissimo in Christo patri Joanni sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopo Prænestino cardinali Morono præ cæteris demandaverit; neque enim potuisset Sanctitas vestra mittere virum nobis magis gratum magisque probatum: quem non solum novimus familiariter a multis annis, sed propter ejus in nos præclarissimum studium, et præstantissimas virtutes summa quoque benevolentia complectimur, cujus operam et præsentiam in Concilio confidimus, adeoque plane credimus ad res bene gerendas, ac consequendum felicem et optatum finem plurimum momenti allaturam esse, ita ut propterea hanc Sanctitatis vestræ sapientissimam electionem merito magnis laudibus extollamus, per quam videtur Sanctitas vestra cum summa animi nostri consolatione id re ipsa abunde contestari, et comprobare, quod in litteris suis ostendit, se omni studio cupere et conari hoc sacrum Concilium tanta sua diligentia congregatum prosequi, et supernæ gratiæ auxilio, nostraque, et cæterorum Christianorum principum ope ad eum exitum, qui a nobis et piis omnibus optatur, adducere, sublatis abusibus, et iis, quæ emendanda fuerint, emendatis. Pro qua Sanctitatis vestræ insigni pietate eidem iterum atque iterum ingentes gratias agimus, atque promittimus, quod nos quoque pro tuenda et propugnanda gloria divinæ majestatis, et restaurandis erigendisque lapsis Ecclesiæ rebus nullum, quod a Catholico imperatore expectari possit, officium prætermissuri sumus : id quod Sanctitati vestræ in præsens reverenter voluimus despondere, quam Deus misericors pro commodo et beneficio Ecclesiæ suæ quam longissime salvam incolumemque conservare dignetur. Datum in oppido nostro Insprugg XXVIII mensis Martii MDLXIII, regnorum vero XXXVII.

« Humilis et obsequens filius,

« FERDINANDUS ».

62. Excepta fuit communi principum plausu legatio cardinali Morono demandata, qui simul Epistolas lætitiæ indices ad ipsum dedere, studiaque cuncti sua pro Concilio promovendo spoponderunt. Tum in provinciam una cum Navagerio proficiscens Tridentum summa Patrum gratulatione, ut Gabriel Palæottus [1] conscripsit, accessit :

« Litteris (inquit) ex Urbe fuit nuntiatum, legatos novos in demortuorum locum non solum jam a Summo Pontifice fuisse declaratos, sed eos propediem hic adfuturos. Illi erant Joannes Moronus Mediolanensis cardinalis et episcopus, magni vir consilii, prudentiæ et auctoritatis, alter Bernardus Navagerius Venetus, qui pridem ab eodem Pio IV ex senatorio ordine, quem in republica sua magna cum laude gerebat, in cardinalium collegium ob ejus virtutes fuerat cooptatus. In horum vero fide, et probitate, et magno rerum usu adeo acquiescere Sanctitas sua dicebatur, ut eos abeuntes, et præcipue Moronum summa cum potestate, in his quæ ad Concilium pertinent, dimisisset, cui et mandaverat, ut se quamprimum in Œnipontum ad Cæsarem conferret, ac coram multa, quæ ei secrete injunxerat, renuntiaret. Quapropter x Aprilis, pridie ante diem sacratissimum Paschæ hora XXIII cardinalis Moronus summa omnium expectatione, solemnique pompa more Apostolicorum legatorum, deducentibus eum Warmiensi, Simoneta, Madrucio, principum oratoribus, prælatisque aliis Tridenti fuit exceptus ». Centum et septemdecim præsules illi occurrisse; atque ingens equitum

[1] Ext. de iis Diplomata in Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 192. in Actis sess. VII. — [2] Ms. arch. Vat. sign. num. 3216. p. 70. — [3] Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. XXXV.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. sign. num. 24. p. 330. Ms. Fr. card. Barb.

agmen, in quo Cæsaris, Galliæ et Lusitaniæ regum, ducumque Sabaudiæ et Florentiæ oratores fuere, refert Astulphus Servantius.

63. Subdit Palæottus XIII Aprilis, tertio Paschalis, Jo. cardinalem Moronum fuisse publice in Synodum admissum, ac post Orationem de Spiritu Sancto repetitam, perlectum fuisse a scriba Concilii Pontificium Diploma, quod subjectis verbis conceptum Actis suis inseruit Astulphus Servantius [1].

« Venerabili fratri nostro Joanni episcopo Prænestino S. R. E. card. Morono appellato, nostro et Apostolicæ Sedis de latere legato.

« Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum missis alias quibusdam S. R. E. cardinalibus, quibus variæ facultates concessæ fuerunt, prout in compluribus litteris nostris partim sub plumbo, partim in forma brevis confectis plenius continetur, ex illis nuper, sicut Domino placuit, mortuus sit bonæ memoriæ Hercules cardinalis de Mantua, nosque personam maxime idoneam in ejus locum subrogare volentes, ob eximiam vitæ tuæ et morum honestatem, fidei integritatem, industriam et prudentiam in aliis multis legationibus tibi ab hac sancta Sede concessis spectatam, in te nostræ mentis oculos convertentes, te de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu, nostrum et hujus sanctæ Sedis de latere legatum una cum aliis legatis constituerimus et deputaverimus, sicut etiam per præsentes constituimus et deputamus, jamque in Dei nomine ab Urbe discessurus sis, volumus atque auctoritate Apostolica præsentium tenore decernimus, ut fraternitas tua omnibus et singulis facultatibus, indultis, et mandatis et concessionibus iisdem cardinalibus legatis ad hoc tempus a nobis quomodocumque datis et concessis, ac posthac dandis et concedendis, una cum illis, et prout ipsi possent, uti libere et licite possis et valeas in omnibus et per omnia, perinde ac si tu insimul cum eis pro Concilio ipso celebrando specialiter, ac nominatim a principio per nos deputatus fuisses : in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XX Martii MDLXIII ».

Perlecto Diplomate cardinalis Moronus summa, qua par erat, gravitate, orationem suam incipiens, in hunc maxime modum est locutus :

64. « Verba prolata ab illustrissimo D. Joanne cardinale Morono primo præsidente, et legato Concilii Tridentini in ejus prima comparitione in generali congregatione, die Martis, XIII Aprilis MDLXIII [2] :

« Quo in statu sit respublica Christiana, Patres reverendissimi, omnibus perspicuum est, nullus enim ignorat, quanta sit religionis perturbatio, quam neglecta, imo prorsus contempta sit omnis Ecclesiastica disciplina, quæ bella, quæ seditiones populorum fuerint, atque etiam nunc sint, quas clades a potentissimo ac perpetuo Christiani nominis hoste Turca superioribus annis terra marique acceperimus, quam ingens denique periculum nobis ab ejus potentia dissidiis nostris semper immineat. Has ob causas omnibus, ut dixi, manifestas, Pius IV Pontifex Maximus bono consilio atque optima voluntate Concilium Œcumenicum in hanc civitatem convocavit, ut si fieri possit, Deo in primis opem ferente, remedium aliquod tot malis inveniretur; nam cum propter indignationem Dei ea procul dubio nobis eveniant, si Catholicæ fidei et veteris innocentiæ puritas revocabitur, placato Deo, et bella et seditiones cessabunt, et imminentia cervicibus nostris pericula facilius repellentur. Congregatum est igitur hoc Concilium frequentius et celeberrimum, in quo tot sunt viri præstantissimi, adsunt duo principes cardinales, et nobilitate, et omnibus virtutibus insignes, adsunt illustrissimi oratores, et Cæsareæ majestatis, et tot maximorum regum, liberarum civitatum, principumque, et nationum ; adsunt etiam tot præsules egregia doctrina, spectata vitæ probitate et sapientia quadam præditi ; nec desunt complures excellentissimi Theologiæ doctores, peritissimi omnes viri omni laude digni. Congregato autem fere Concilio, cum ea tractarentur, quæ ad susceptum negotium pertinere videbantur : ecce in ipso cursu erepti sunt nobis duo prudentissimi vereque illustrissimi cardinales Mantuanus et Seripandus, quorum mortem non sine magno animi dolore ad memoriam revoco. Nam, etsi eos felices beatosque futuros existimem, quia scriptum est : *Beati mortui qui in Domino moriuntur*, doleo tamen, et reipublicæ causa, quæ eorum opera his temporibus maxime indigebat, et mea ; nam utrique eorum magna familiaritate ac necessitudine conjunctus eram. Accepto nuntio tam acerbo mortis illustrissimi Mantuani, Summus Pontifex cum sacro cardinalium cœtu me et virtute et cæteris omnium rebus longe inferiorem illi suffecit, adjunxitque ad hanc legationem conciliarem reverendissimum cardinalem Navagerium virum multa eruditione et prudentia præclarum. Vere dicam, Patres, quantum licuit, quantum potui, hoc onus recusavi, ejus gravitatem et virium mearum imbecillitatem reformidans. Sed quid ? hunc timorem vicit obedientiæ necessitas ; parendum fuit vicario Christi, qui Petro et ejus successoribus oves pascendas regendasque commendavit. Huc igitur jussus veni, ad Cæsaream quidem majestatem nunc profecturus, sed

[1] Ext. in Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Ms. car. Barb. sig. 1109. p. 170. — [2] Gabr. Palæot. ubi sup. Ext. ea Oratio ap. Ast. Serv. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1109. p. 122. Act. Conc. Trid. et apud Gabr. Palæot. ubi sup.

mox Deo dante, inde reversurus, ut cum illustrissimis collegis et dominis meis legatis, ea quæ ad salutem populorum, ad Ecclesiæ splendorem, ad Christi gloriam illustrandam pertinent, una nobiscum agam. Ac ut cætera desint, duo certe præcipue mecum affero. Alterum, optimam voluntatem Summi Pontificis certam et exploratam, qui nihil magis optat, nihil æque curat, quam ut doctrina fidei ab hæresibus repurgetur, mores corrupti emendentur, abusus tollantur, commodis ac necessitatibus provinciarum, quæ olim maxima pietate floruerunt, consulatur, pax denique et unio etiam cum adversariis omnibus, quantum fieri poterit, salva pietate atque Apostolicæ Sedis dignitate, constituatur. Alterum quod affero, est huic non dissimile, propensam voluntatem meam ad ea peragenda (Deo adjuvante) quæ Sanctitas sua verbo præcipit. In hoc enim omne ingenium meum, quamvis perexiguum, omnem operam et industriam collocabo ; quæ res quantum fructum sint allaturæ, Patres sapientissimi, in manu vestra situm est ; nam prudentia vestra, doctrina vestra, auctoritate etiam vestra hoc Concilium ad bonum optatum finem perduci poterit. Quamobrem vos, Patres, omni honore digni, hortor, et per Deum immortalem obtestor, ut remotis contentionibus atque discordiis, quæ magnum orbi Christiano offendiculum præbent, remotis questionibus inutilibus, quæ non ad ædificationem fidei, sed potius ad subversionem audientium, ad tempus frustra conterendum faciunt, ea serio ac sedulo agatis,quæ maxime necessaria sunt, illud diligenter attendentes, ne scientiæ vento, cum inter vos sint tot doctissimi viri, ab humilitatis portu ejiciamini. In hoc enim negotio Dei multa opus est prece, maxima humilitate, quia Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam. Quod si humiles, unanimes ac concordes fueritis (duce spiritu Sancto) omnia bene et recte perficietis, fructum uberrimum Ecclesia Dei ex tot periculis, longis itineribus, laboribus et impensis vestris percipiet, et vos lumen quoddam magnum et clarissimum scientiæ et doctrinæ accendetis, atque in alto collocabitis, ad quod non solum ii, qui nunc vivunt, sed etiam posteri cursum vitæ suæ dirigentes, tutissimum salutis portum facillime tenebunt. Deus autem propter vos maxime laudabitur et glorificabitur, et vos ejusdem laudis participes eritis in hac vita, et post hanc vitam gloriam immortalitatis immarcescibilem percipietis ».

65. *Discutitur an procuratores episcoporum absentium in Synodum sint admittendi.* — Post Moroni adventum oratores Cæsarei, Gallici, Hispani, Lusitani, legatos conveniunt [3], ab eisque magno studio petunt, ut absentium justa ex causa episcoporum procuratores in Synodum a Patribus cum definitivæ sententiæ potestate admittantur ; legati eis, quod jure aut voluntate Patrum liceat, libenter permissuros pollicentur, ac juris aliquot peritis negotium hoc consultandum imponunt. Hi rem mature excutiunt, ac clarioris investigationis gratia causam in quatuor articulos partiuntur. Primo an procuratores absentium, ita admittendi sint, ut solum intersint generalibus Patrum Congregationibus. Secundo, an etiam illis jus suffragii, quod consultivum dicitur, sit permittendum. Tertio, an jus quoque suffragii definitivi. Quarto, an idem de episcopis, qui procuratores constituuntur, sit sentiendum.

Comperiunt autem in prioribus tribus articulis jure quidem satis probari posse, procuratoribus locum dandum non esse, nam cum de rebus fidei decernendis agatur, quæ ab episcopis, abbatibus, generalibusque Ordinum, tanquam Spiritu sancto ob munus, quod gerunt, afflatis, deliberantur, non possunt hæc in alios transferri, quibus personæ industria adjuncta est. Quoniam tamen veterum aliquot exempla Conciliorum secus suadere videbantur, et in quarto etiam articulo rationes utrinque multæ non deerant, idcirco triplex legatis consilium hujus rei terminandæ proponi posse vident, quorum tamen extremum, ut tutius, probandum censent.

Primo ut legati Bullam Pauli III et Pii IV proferant, quibus procuratores admitti prohibentur ; hic tamen verentur, ne oratores dicant Concilii libertatem lædi, jusque episcopis concessum adimi.

Secundo quoniam sciunt Patres huic oratorum voto maxime repugnare, aiunt, ut causa hæc tota ad Synodum referatur, ac Patres ipsi, quod statuendum sit respondeant. Verum et hinc pertrahendam ac nova ista contentione diu occupandam.

Tertio censent ex æquo et bono cum oratoribus conveniendum, ut insigniores aliquot ac graviores quisque eorum procuratores nominet, quorum præsentia tantum in Synodo admittatur, nec expedire id passim omnibus concedi, quod nimis novum esset, ac turbas alias excitare posset.

Hoc ab ipsis præcipue commendatum, atque a legatis probatum, oratoribus etiam ita in eorum gratiam fieri haud ægre persuasum fuit, atque ita deinceps observatum.

Scripserunt autem hoc argumento multi, sed præsertim Scipio Lancellottus consistorialis aulæ tunc advocatus, ac postea sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis ; et Michael Thomasius, quorum responsa adhuc extant.

66. *Comes e Luna orator Hispanus petit ut verba :* proponentibus legatis *e decretis Concilii*

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Franc. card. Bar. sign. num. 24. p. 335.

tollantur. — Decimo quarto Aprilis die [1], comes de Luna regis Hispaniæ orator Tridentum pervenit, ac legatis regias litteras xx Octobris superioris anni consignatas obtulit, in quibus Philippus II pietatis ardorem atque effusa erga Sedem Apostolicam et Concilium studia explicabat. Privatim vero rogatus, quid ipsi, qui diu egerat in aula Germanica, videretur agendum pro iis populis ad conjunctionem Romanæ Ecclesiæ revocandis; is maximo Catholicæ religionis emolumento futurum respondit, si præstantissimi quique concionatores mitterentur, ac simul Societatis Jesu sacerdotes undequaque disseminarentur, quos nimirum Evangelii præcones, et moribus et eruditione præstantes agnoverat. Quod pium æque ac salutare consilium cardinali Borromæo suggessere legati [2], cui ad fidem Catholicam amplificandam sua sponte incitato nulla penitus incitamenta fuerunt adhibenda. Novum aliud consilium altera die legatis privato pariter colloquio significavit orator, quod et se in mandatis a rege Catholico habere profitebatur, ut omni opera et contentione tollenda curaret e decretis Concilii verba *Proponentibus legatis,* ex quibus periculum imminere videbatur, ne Concilium non esse liberum putaretur. Ad ea cardinalis Moronus respondit, falsam omnino hujusmodi esse opinionem, cum nemini iis verbis eriperetur libertas, sed tantummodo significarent ordinem in publicis Concilii actionibus apprime necessarium, ubi maximus hominum cœtus cogatur. Cum vero comes ea verba ab aliis Conciliis non usurpata, ac veluti Catholicis omnibus principibus ingrata, emendanda vel demenda contenderet, Moronus subjecit, ut perpenderet ipse maturiore consilio, qua ratione ea verba tolli possint, cum in solemni sessione admissa sint a Patribus ac publico fidei decreto inserta; quam nutans Conciliorum fieret auctoritas, quamve liber pateret in posterum aditus, ut et alia gravioris momenti retractari, et quæ Tridenti sunt confecta, abrogari sensim postularetur; perpenderet secum ipse, quanta hinc esset rerum perturbatio oritura, si cuique liberum fuerit pro libito, quæ velit, proponere; animadverteret præterea regem Catholicum, si incumberet in id, ut tollerentur ea verba, a promissis de fulcienda Sedis Apostolicæ auctoritate discessurum, cum nomen simul et auctoritas Sedis Apostolicæ summum ex ea re detrimentum esset perceptura. Orator, quamvis se rationibus nimium urgeri fateretur, ab instituta tamen actione neutiquam desistere posse dicebat, quod nimirum regiis adstringeretur mandatis. Ad quæ cum respondisset Moronus, se eadem die ad Cæsarem Œniponti agentem profecturum, atque optime sperare, illum ab ea opinione, perpensa rei æquitate, recessurum, dilata in illud tempus petitio est.

67. *Gravissimæ difficultates obstant congressui Pontificis et imperatoris, licet utrinque expetatur.* — Igitur eadem decima sexta Aprilis die ad Cæsarem cardinalis Moronus contendit, ut cum eo de rebus Concilii plurima transigeret, atque ut variæ, quæ subortæ fuerant contentiones, rescinderentur, ac simul alternæ animorum ostensiones inter Cæsareos oratores et legatos, si quæ forent, submoverentur. Id ipsum Pontifex a Ferdinando subjectis litteris [1] postulaverat:

« Charissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Hungariæ et Bohemiæ regi illustri, in Romanorum imperatorem electo.

« Majestatem tuam perspexisse credimus quam prompto animo et quam sincera mente adhuc omnia præstiterimus, quæ a nobis in hoc loco positis proficisci potuerunt, quo sacrum Concilium ad eum facilius exitum perveniat, quem tam turbulenta et misera Ecclesiæ Dei tempora postulant. Certe nobis conscii sumus nihil a nobis prætermissum fuisse, quod ad nostrum pastorale officium pertineret; verum dolemus, adeo infestos esse nonnullos huic Sanctæ Sedi, quam ut suam et omnium fidelium matrem agnoscere, et revereri, venerarique deberent, ut ejus auctoritatem et jus nimis profecto impudenter ac temere, ne dicamus, impie minuere tentent. Quæ res cum ipsius Concilii progressum non parum impeditura sit, et ad confirmandas potius augendasque hæreses valeat quam ad tollendas; cum hæreticis hujus Sanctæ Sedis hostibus nihil optatius esse possit, quam dignitatem et potestatem ejus oppugnari, quam sciunt sibi, et reliquis omnium sæculorum hæreticis, tanquam firmam et immobilem Catholicæ fidei petram omni tempore obstitisse, Majestati tuæ de cujus pietate ac sapientia maxime confidimus, hunc animi nostri dolorem indicare voluimus, eamque in Domino hortandam duximus et rogandam, ut pro sui imperialis muneris officio, et pro perpetua et constanti erga beati Petri Sedem devotione ac reverentia, ipsius Sedis causam defensionemque suscipiat, cæterosque principes Catholicos ad tuendam secum simul ejusdem Sedis dignitatem litteris suis excitet; suis vero oratoribus, qui Concilio intersunt, diligenter mandet, ac severius præcipiat, ut cum Sedis Apostolicæ legatis consentiant, omnibus denique piam suam voluntatem notam ac perspicuam facere curet, aperte testificans atque denuntians, quantopere cupiat integram inviolatamque manere sacrosanctæ hujus Sedis dignitatem, et ut nunquam assensura sit, nec probatura, ut quidquam de ejus potestate

[1] Astulph. Servant. in Actis. Legati ad card. Borr. Ep. CCXCIV. — [2] Ib. Ep. CCXCVIII.

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. Ep. CCCXXXVIII.

ac privilegiis a Deo concessis ac tributis diminuatur. Hoc si a te potissimum, charissime fili, officium requirimus atque expectamus, nemini mirum videri debet. Tuum enim hoc munus, hæ tuæ partes sunt, Apostolicæ Sedis honorem, sicut Catholici omnes imperatores fecerunt, omni tuo studio atque auctoritate tueri atque defendere. Nos porro, qui omnino tibi tuæque inclytæ domui paterna charitate officia tam libenter ac benigne præstitimus, qui tanto studio tuæ et tuorum dignitati atque amplitudini favimus, non immerito de te tuisque nobis pollicemur, quæ a tam piis filiis Catholicisque principibus expectari debent. Illud Majestati tuæ confirmamus non æquos modo, sed ipsos etiam iniquos facile intellecturos, nos recta, integra et sincera voluntate, atque ardenti animi studio cupere pravas consuetudines abrogari, mores emendari, et omnia, quæ correctione indigent, severissime reformari, tuoque hac in re, et bonorum omnium pio laudabilique desiderio et officio nostro plane nos esse satisfacturos. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris, die sexta Martii MDLXIII, Pontificatus nostri anno IV ».

68. Querebantur nonnulli infringi ex eo libertatem Concilii, quod a legatis Pontifex de omnibus, quæ agitabantur in Concilio, consuleretur, quibus ad Ferdinandum imperatorem relatis, ille consultis eruditis ac piis viris hæcPontifici significari jussit, a quo ita responsum est:

« Animadvertit majestas sua plures quoque querimonias ex eo enatas, quod dicitur potestatem determinandi ea, quæ in Concilio proponuntur, Concilio non liberam relinqui, vel eo rem deduci, ut reverendissimi DD. legati pro resolutione omnium, seu illorum, semper ad Sanctiss. D. N. recurrant.

« In hac quæstione majestas sua viros doctos et Catholicos ita disserentes audit ; ut minime quidem negent definitionem hujusmodi rerum in Concilio propositarum etiam in his, quæ religionem et reformationem morum spectant, principaliter in Summo Pontifice tanquam in capite considere, sed tamen ab eodem in Patres Concilii tanquam membra derivari, idque etiam corroborari exemplis Veteris Testamenti, in quo quamvis difficiles et ambiguæ causæ primum quidem ad summum sacerdotem relatæ, tamen per eumdem de consilio prudentium deinde definitæ fuerint.

« Huc etiam pertinere, quod subscriptiones episcoporum, quæ in omnibus Conciliis usitatæ sunt, nequaquam censeri debeant superfluæ.

« Imo et eam olim consuetudinem extitisse, quod Summi Pontifices etiam ea, quæ in Synodis Romæ celebratis decreta fuerint, nihilominus deinceps ad Concilia universalia retulerint, ut eorum judicio approbarentur.

« Quæ tamen omnia rursus Majestas sua non profert animo, ut super iis temere aliquid hoc tempore definire, vel ut in proverbio est, os in cœlum ponere, conetur.

« Si tamen Sanctitas sua pro ipsius paterna benevolentia concedit, ut majestas sua in hac parte breviter dicat id quod sentit ; videtur quidem majestati suæ si aliquid in hoc Concilio de novo incideret, de quo antea non fuisset cogitatum, præcipue in iis rebus, de quibus Bulla indictionis Concilii nullam mentionem facit, æquo certe ferendum esse animo, quod ipsi reverendissimi DD. legati absque Sanctitatis suæ scitu, jussu, atque auctoritate manum nequaquam apponant.

« Alias vero, et extra hunc casum, cum satis constet Sanctitatem Suam ad hanc gravem et magnam provinciam loco ipsius viros omnium longe probatissimos destinasse, cumque illi jam Sanctitatis suæ personam in Concilio repræsentent, et procul dubio de omnibus iis, quæ nunc præ manibus sunt, satis superque a sua Sanctitate sint instructi, Majestas sua nullam omnino causam excogitare potest cur Sanctitas sua, vel de probitate illorum, vel de prudentia, vel etiam de sedulitate diffidere debeat, quominus ipsi pro ea persona, quam gerunt, una cum tot excellentissimis Patribus rem totam tam pro Sanctitatis suæ dignitate, quam pro totius Ecclesiæ Catholicæ salute expedire et absolvere possint.

« Cogitare enim Sanctitas sua e converso debet, nisi id ita fiat, quantus circuitus, quanta jactura temporis in toties subito recursu esset subeunda, quod ii, qui alias Sanctitati suæ non sunt bene affecti clamitaturi essent, Concilium hoc non Tridenti, sed Romæ celebrari, neque per Patres Concilii, qui tot nunc cum laboribus, molestiis et sumptibus Tridenti commorantur, sed pro majori parte per nuntios veredarios expediri. »

69. Cum vero a cardinale Morono imperator arcano illo colloquio accepisset, in illam Pontificem inclinare sententiam, ut Concilium Bononiam transferretur, ubi Pontifex una simul ac imperator convenirent, fieretque solemnis ejusdem imperatoris in ea civitate coronatio, submisit Cæsar rationes, quibus ab illo consilio recedere utile putabat ; hæc scribens [1] :

« Sunt aliæ non leves rationes, quæ repugnant huic Sanctissimi domini nostri instituto consilio sanctam istam Synodum Bononiam transferendi, nimirum ingens incommoditas movendi tam numerosum Patrum conventum in alium locum ex eo, in quo consensu tum Sanctissimi domini nostri, tum etiam Cæsareæ Majestatis, et aliorum regum et principum jamdudum congregati sunt. Præterea quod cum reliquorum regum ac principum scitu et consensu

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. LIV.

semel constitutum et firmatum esse dignoscitur, id ut mutetur, non integrum est Majestati suæ Cæsareæ soli, absque illorum scitu et consensu concedere.

« Quæ cum ita se habeant, Majestas sua Cæsarea Sanctissimum dominum nostrum impensissime rogat, ut Majestatem suam Cæsaream benigne ac paterne excusatam habeat, quod huic Sanctitatis suæ paterno consilio et petitioni de transferendo Bononiam et profectione illuc suscipienda satisfacere nequeat.

« Pollicetur tamen majestas sua Cæsarea, quoad coronationem suam imperialem, sicut Sanctitas sua petit, ejus rei curam suscipere, quamprimum commodius ad eam rem tempus nacta fuerit, atque ita fieri poterit, ut huic negotio res conciliares non commisceantur, tunc enim sperandum est, pleraque suprascripta incommoda cessatura esse.

« Et quia majestas sua animadvertit Sanctissimo domino nostro tam incommodum esse Tridentum venire, majestas sua Cæsarea non cogitat Sanctitatem suam ea de re posthac importunius apertiusve urgere. Attamen majestas sua etiam nunc censet, quod Sanctitatis suæ adventus reipublicæ Christianæ futurus esset maxime salutaris, adveniente Sanctitate sua, ipsa quoque Cæsarea majestas se, Deo concedente, adfuturam promittit; sed si omnino Sanctitas ejus venire nequit, hoc saltem Cæsarea majestas maximis precibus a Sanctitate sua contendit, ut Sanctitas sua absens quoque provideat, quo omnia negotia in Concilio, recto et debito modo et ordine procedant, tandem Dei beneficio optatum, ac Christianæ reipublicæ salutarem finem sortiatur. Ad quæ conficienda Cæsarea majestas Sanctitati suæ a Deo Optimo Maximo omnem felicitatem ac prosperos successus precatur.

« Et hæc quidem sunt, quæ sacra Cæsarea majestas super iis, quæ antehac de his rebus Sanctissimo domino nostro scripsit, et quæ cum ipso reverendissimo domino legato nuper coram benevole contulit, et dominationi suæ reverendissimæ candide et sincere significare voluit ».

70. Obstitere difficultates gravissimæ, ne Pontifex in Germaniam, vel imperator in Italiam se conferrent, ut memorat Gabriel Palæottus [1], et quæ a cardinale Morono cum imperatore gesta sint, percenset:

« Cardinalis Moronus ex aula Cæsaris Tridentum est reversus, postquam honorifice a Cæsare, cui etiam ad primum lapidem occurrerat exceptus fuisse dicebatur, variaque cum eo egisse, inter quæ hæc præcipue narrabantur. Nam cum Summus Pontifex Cæsaream majestatem, post ejus OEnipontum adventum, ad imperialem coronam Bononiæ suscipiendam, quo loco et Carolus V ejus frater ea insignitus fuerat, amanter invitasset, quod et illis ea res opportunitatem multa simul de rebus Concilii agendi esset allatura, vicissim autem sua Majestas dudum per litteras se Sanctitatis suæ congressum in Tridentina civitate vehementer exoptare ostendisset, nunc collatis utrinque rationibus, varisque mutuo impedimentis allatis, neutrum commode obiri posse compertum fuit. Cum etiam non deessent insanæ mentis et audaciæ viri, qui Cæsarem ad multa in Synodo magni in Christiana republica periculi tentanda promovendaque callide impellerent, ipse natura æquior, ubi ab eodem Morono optimæ S. D. N. erga publicas res voluntatis, totiusque Concilii status certior plane factus fuit, facile aliis cogitationibus depositis, suam Summo Pontifici in omnibus auctoritatem, Patribusque de rebus Christianæ religionis deliberandi munus relinquendum judicavit. Legit et exemplar Bullæ Apostolicæ illi ab eodem Morono allatæ, qua Conclavis Pontificii reformatio continebatur. Legit et alia multa, tum a S. D. N. in Urbe constituta, tum a Patribus hic pridem sancita, aliaque, ut propediem edantur, præparata, quibus eo vehementius, ut in illis conquiesceret, confirmatus fuit. Probavit id quoque, quam maxime, ut libera cuique dicendi facultas promitteretur; quæstiones tamen supervacaneæ prorsus omitterentur, ac de postulatis illius, cum primum liceret, Synodus consuleretur. Multa et alia hoc genere inter eos acta dicebantur, quibus Cæsar, qui ad pietatem religionemque propensus erat, accedente Moroni apud eum gratia et auctoritate, non leviter flexus, rebusque nostris conciliatus videbatur. Illorum compendium vulgo circumferebatur, quod adhuc diminutum aiebant. »

71. *Petrus e Soto, theologus apud omnes summæ existimationis, Tridenti moritur.* — Sed inter hæc nova accepta clades [1], quasi rescissa gravissimi vulneris citatrice, coegit Tridentinos Patres, non tam novum suscipere, quam pristinum e duorum præsidentium morte conceptum continuare dolorem, cum geminis illis facibus extinctis, tertium quoque fulgentissimum lumen, dignitate quidem longe, eruditione tamen ac pietate non inferius ereptum viderent. Fuit is Petrus Sotus e Prædicatorum familia a Pont. ad Concilium directus, summæ eruditionis et apud omnes existimationis theologus. Is cum jam mortem sibi imminere conspiceret, pridie quam obdormiret in Domino, litteras ad Sanctissimum dictasse ferebatur, quas fideliter exceptas Generalis Dominicanus affirmabat, qui-

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 24. p. 334.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 14. p. 333.

bus Pontificem hortabatur, ut a Synodo hæc præcipue definire curaret :

Episcopos esse a Christo institutos, subjectos tamen Summo Pontifici.

Papam esse supra Concilium.

Neminem initiandum, nisi a suo episcopo sit approbatus.

In beneficiorum collatione, Ecclesiarum potius quam ministrorum commodo serviendum.

Extant memoratæ litteræ [1] in Ms. Archivii Vaticani, subjecta verborum formula conceptæ :

« Beatissime pater, post beatorum pedum oscula.

« Nuper scripsi quædam ad reverendissimum cardinalem Amulium, quæ mihi visa sunt maxime pertinere ad honorem et gloriam Dei, atque etiam ad levandam et exonerandam conscientiam meam, ut ea videlicet meo nomine familiariter proponeret Sanctitati tuæ, tanquam supremo Christi in terris vicario, ac de me semper optime merito. Nunc autem vi morbi magis ac magis ingravescente, et appropinquante morte, magis etiam urgebar in conscientia, nec fuit mihi pigrum lingua tam balbutiente eadem dictare, atque scribere ad Sanctitatem vestram. Hæc igitur sunt, quæ proponenda atque inculcanda Sanctitati vestræ in extrema vitæ meæ hora existimavi maxime ante omnia, ut Sanctitas tua residentiam episcoporum, et aliorum Ecclesiæ ministrorum, non solum dilucide et aperte in Concilio, quo jure sit, definiri curet, sed etiam efficaciter a se et ab omnibus observari, et ut aperte dicam, cardinalibus aliunde providere, et non ex episcopatibus ; quod si fecerit, non solum nihil deperibit auctoritate et commodis Sanctissimæ Sedis et Sanctitatis tuæ, sed etiam quamplurimum augebitur. Si vero non fecerit, non dubito, multum Sedem Apostolicam amissuram, et Sanctitatem vestram ultimam damnationem in judicio Dei incursuram.

« Episcoporum munus autem et officium a Christo Domino esse, ipsosque episcopos ab eodem Christo immediate datos Ecclesiæ, sed sub uno ipsius Christi Summo vicario, successore Petri, Sanctitas tua curet disertissime declarari, quod semper antiqua docuit Ecclesia, nec permittat inter se et Episcopos ullam divisionem ; est enim revera episcopatus Sanctitatis tuæ et omnium aliorum episcoporum unus et idem, in quo tamen episcopatus Sanctitatis tuæ primatum tenet. Nullo modo decet, ut Apostolicæ Sedis dignitas alios dejiciat, quos agnoscere debet positos esse ab ipso Christo regere Ecclesiam Dei, quam proprio sanguine acquisivit,

« Ego igitur vivens et moriens testor Sanctitatem tuam superiorem esse omnibus Conciliis, nec posse ab eis ullo modo judicari, idque ut aperte definiatur in Ecclesia, credo plurimum expedire, quia contrarium manifeste vergit ad seditionem, bella atque schismata in Ecclesia.

« Ultimo denique Sanctitas tua curet, ut nullus ordinetur aut ministret, nisi probatus a proprio episcopo ; nam facultas suscipiendi ordines a quocumque, parum lucri affert curiæ Romanæ, et sufficiens est ad detrudendos in infernum id concedentes. Denique Sanctitas tua ex beneficiis, quæ ad provisionem suam pertinent, curet, non utilitatem suam, vel suorum ministrorum, sed salutem animarum, et bonum illarum Ecclesiarum, in quibus sunt prædicta beneficia. Hæc Apostolicis Sanctitatis tuæ pedibus prostratus ex infirmitatis meæ lectulo dixisse sincerissimo affectu mihi sit satis. Pro quibus et cæteris omnibus, quæ stulte dixi, humillime veniam peto, testatus me semper juxta conscientiam, Dei gloriam, Sedis Apostolicæ utilitatem, Sanctitatis tuæ bonum desiderasse, et quæsivisse pro mea tenuitate. Dat. Tridenti XVII April. anno MDLXIII.

« Beatiss. Sanctitatis tuæ humilli. servus

« Frater Petrus Soto ».

Hortatum insuper fuisse Pontificem scribunt, ut residentiam episcoporum esse juris divini declararet ; ac vigesima Aprilis die obiisse, ingenti sui relicto desiderio, cum eximiam doctrinam spectabili sanctitatis opinione cumularet, dignitatesque omnes ac divitias, cum Carolo V a confessionibus fuerat, mira humilitate et constantia rejecisset. Defuncti corpus Tridenti in Ecclesia S. Laurentii post exequias viginti octo præsulum, ac Cæsaris, et regis Galliarum oratorum frequentia celebratas [1], humatum est.

72. *Prorogatio octava Sessionis septimæ.* — Altera ab ejus obitu die nempe XXI Aprilis ob incumbentium rerum, ac difficultatum molem sessionis septimæ prorogatio octava indicta est, ut refert Angelus Massarellus [2] his verbis :

« Prorogatio octava Sessionis VII Tridentinæ, sub Pio IV, ad diem infra XX Maii declarandam.

« XXI mensis April. MDLXIII, illustrissimus D. Stanislaus Hosius Tit. S. Pancratii S. R. E. presbyter card. Warmiensis, sacri Concilii primus ad præsens legatus et præsidens, allocutus est Patres in hanc sententiam. Dies crastina statuta erat ad habendam sessionem, quæ quoniam haberi non poterit, dominationes vestræ recte norunt : multa enim in causa fuere, sed inter cætera, quia hoc tempore orbati fuimus duobus præstantissimis viris, hujus sacri Concilii legatis, quorum pietas, doctrina, religio,

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. post Ep. CXVI.

[1] Ms. Vallic. p. 226. Astulph. Serv. in Act. Conc. — [2] Angelus Massarell. Sac. Con. in Actis Congr. gener. ante sess. VII. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3212.

prudentia, non solum vobis, sed toti orbi Christiano perspecta est, quare coacti sumus cogitare de die prorogandæ sessionis. Nos autem cogitabamus neque breve neque longum tempus statuere, commodumque videbatur Feria quinta post festum Pentecostes, faxit Deus, ut hoc tempore nos simus divina pietate concordes. Dicant igitur Patres, quid sentiunt. Illustrissimus D. card. a Lotharingia inquit : Cum eisdem scopulis hæreamus quibus per tot menses hæsimus, neque videamus, quid spei concipere possimus, quid profecto de die certa statui possit, videre etiam non possumus ». Et paulo post: «Longe melius consultum videretur, ut expectarentur illustrissimi domini Moronus et Navagerius, qui prope diem hic affuturi sunt ». Et mox : « Hoc vero interim detur Patribus exemplum eorum, quæ a dominis deputatis acta sunt, ut super eis cogitare possimus, antequam sententias dicamus ».

Collectis sententiis a majori parte decretum est, ut sessio prorogaretur ad diem declarandum infra vigesimum diem Maii. Dum hæc gerebantur, vigesima octava ejusdem mensis Bernardus card. Navagerius quartus Concilii legatus, qui Venetias patriam suam in itinere diverterat, Tridentum ad suæ legationis munus obeundum opportune se contulit.

73. *Carolus IX Synodo denuntiat et simul excusat pactiones ictas cum Hugonottis.* — Sed funestum maxime ac triste sub hæc ipsa tempora auditum est, quod in Galliis pax cum Hugonottis firmata fuerit : cujus rei nuntius ubi primum Tridentum pervenit, mire Patrum omnium animos prostravit, quod sperassent, illis perdomitis, pristinam religionem restituendam, atque in posterum longe inferius prospicientes, jam tum, quam parum illorum paci esset fidendum, ominabantur, qui velamen habentes malitiæ libertatem in omnem crudelitatis ac flagitiorum colluviem essent processuri, Elisabeth Angliæ reginæ præsertim potentia et auxiliis suffulti, quæ per summam improbitatem, et implacabile in Catholicam religionem odium copias submittere spoponderat, et sui regni episcopos nefarie vexabat, ut tormentis adstricti ad amplectendam hæresim cogerentur. Porro horrenda crudelitatis exempla a Calvinistis in Catholicos sacerdotes edita deplorat Guillelmus Rossæus [1] his verbis :

« Nullum reperiam orationis exitum , si voluero horum facinora, non quidem omnia, sed insigniora, non semel aut iterum in obscuro pago , sed sæpenumero in clarissimis civitatibus et per totas provincias perpetrata, vel breviter perstringere. Alibi sacerdotibus extraxerunt viscera, eaque objecerunt canibus et porcis, et deinde referserunt ventres fœno, aut avena, et iis tanquam præsepibus usi sunt, e quibus equi pascerentur. Alibi abscissa sacerdotibus genitalia coxerunt, et eosdem, ut comederent, vi coegerunt, et mox pugionibus aperuerunt ventres, ut inspicerent, quemadmodum talem cibum digererent; multos gregatim in puteos præcipitare, sepelire alios vivos, serra alios secare medios ludus jocusque istis primitivis Christianis fuit ». Apud Santonas nonnulli infodere vivos sacerdotes extantibus e terra capitibus, ad quæ veluti ad scopos ferali ludi genere plana ac rotundata saxa alliserunt : alii in Vasconia conspecti, qui baltheos militares infixis sacerdotum auriculis deshonestatos gestarent, eaque laniena stulte superbirent. Crudeli hac et impia mania laborasse Andelotum Castillioneum Calvinistarum ducem maximum referunt, ut qui pro equestri torque ex consutis sacerdotum cæsorum auriculis conflatum torquem in collo gestarit. Cum his monstris verius quam hominibus jam victis, icta pax diu non tenuit.

Sub hæc quoque tempora [1] in ipsa Parisiensi civitate immanes ab Hugonottis excitati fuerant tumultus , ac quotidianis probris, et conviciis, blasphemisque verbis Catholica fides, assentiente Condæo , proscindebatur ; verum administris consceleratæ calumniæ supplicio mulctatis , brevi procella illa consiluit. Quo tempore Theodorus Beza diabolicis actus furiis ac suppliciorum metu perculsus mature sibi fuga consuluit, ac ubi Genevam se contulit, palam fidei et religioni bellum indicens, pestilentiæ cathedram pari scelere atque impudentia conscendit. Eas quoque partes inexpiabili scelere Hugonotti desumpserunt, ut Nemorosi duci letale toxicum præberent, verum remediorum præstantia ac medicorum diligentia factum est, ut princeps e periculoso, quo decumbebat morbo, levaretur. Quæ omnia, si quis attento revolvat animo, quomodo non Hieremiæ [2] recordabitur clamantis : *Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes, pax, pax, et non erat pax,* illudque Ezechielis [3], non proferret : *Eo quod deceperint populum meum, dicentes pax, pax, et non est pax.* Nam quamvis pax sancita esset, non tamen ejus leges ab Hugonottis servatæ [4] : etenim Colinius, qui inter impios corripuerat imperium, arma non posuit, retentis secum mille circiter equitibus, novos tumultus, cum se daret occasio, excitaturus, quem regina Angliæ promissis subsidiis in perduellione confirmabat. Mille etiam, ac sexcenti equites Germani hæretici, qui Condæi principis partes erant secuti, cum regrederentur in Germaniam, traxere

[1] Guill. Ross. p. 258. M. Pig. l. VI. c. 10.

[1] Ant. Car. Granv. Ms. arch. Vat. sign. num. 3217. Ep. LXVI. XXV Apr. MDLXIII. — [2] Hier. VI. — [3] Ezech. XIII. — [4] Ib. ead. Ep. LXIX. XXVIII Apr. Jo. Bapt. Adrian. l. XVII. Granv. card. sup. Ep. LXXII.

secum ducentos currus præda Gallica onustos, et quacumque iter habuere, vastarunt Ecclesias, ac bona Ecclesiastica expilarunt. Cadomi etiam et apud Bajocasses, et in aliis locis hæretici ingentia mala Catholicis intulerunt; quæ Prosper episc. Santacrucius internuntius suis litteris deplorat, ac Lugduni pro componendo urbis illius statu Vieleville admissum scribit, cum hæretici, qui inibi tyrannidem corripuerant, pacis leges ac religionis Catholicæ usum admittere detrectassent; et quamvis Subizius et Cordesius proceres haudquaquam averso censerentur animo, tamen Odettum Castilionem excardinalem et Cursolium nunquam consensuros, invaluerat opinio. Nec modicus irrepserat timor, ne bellicus Hugonottorum turbo in Avinionensem ditionem irrumperet. Sed ad res Catholicas propemodum evertendas illud maxime omnium deplorabile accedebat, quod Catharina regina politicis illusa artibus, Hugonottorum perduellionem fovere videbatur, quam a Margharita Belgii gubernatrice increpitam scribit cardin. Gravellanus, atque admonitam, ne confideret super hæreticos [1], *Super baculum* (videlicet) *arundineum confractum, cui si innixus fuerit homo intrabit in manum ejus, et perforabit eam*, ut experientia ipsa postmodum docuit. Sed cum hæc in viridi fierenl, in arido quid factum esse, credendum ? Si talia patiebantur indiscriminatim omnes Gallici ordines [2], quid perpessos Ecclesiasticos viros putandum est, in quos major hæreticorum sævities efferebatur? Lugubre prorsus erat aspicere, quod non solum hæretici fortunis, membris ac vita illos spoliassent, sed quod regii ipsi administri, quo jure hæretici regias arces Gallici nominis hostibus vendiderant, invadere posse bona Ecclesiastica censuerant, quorum partem jure pro regiis necessitatibus distrahendam contenderunt, ex quo Gallicanæ Ecclesiæ eversionem metuendam Antonius card. Granvellanus Tridentinis legatis per Epistolam graviter asseruit, memor fortasse aureæ illius Petri Blesensis [3] sententiæ : « Nunquam Ecclesiæ spolia prosperum habuere eventus auspicium ».

74. Confectæ pacis [4], ex qua apud Catholicos omnes amaritudo erat amarissima, illud Gallici oratores pro excusatione afferebant, quod iniquis illis temporibus iniquas illas pariter conditiones rex simul ac regina subire coacti fuerint, cum ingentes jam in Germania contractæ essent hæreticorum copiæ, ut Condæo principi suppetias afferrent, quæ simul ac pacis nuntium accepere dissolutæ erant. Pacis etiam beneficio [5] adscribendum erat, quod Aurelia fuisset recepta Catholicis in eam reversis civibus, in qua quatuor hominum millia sacris mysteriis in Templo S. Crucis interfuerant, quod unicum hæreticorum rabiem in cunctas Ecclesias debacchantium, divina prorsus providentia effugerat. Fiebat quoque nova quotidie Hugonottorum ad fidem Catholicam in ea civitate accessio, ac multis in locis Hugonottorum nomen, veluti latronum quietis perturbatorum ac seditiosorum hominum, invisum infestumque habebatur in tantum, ut in Burgundiæ ducatu, nec tolerari ipsi, nec eorum conciones quanquam in locis designatis, haberi permitterentur.

Quibus autem conditionibus pax illa fuerit firmata, licet antea ex Belcario retulerimus, placet hic ex Astulphi Servantii Actis [1] repetere.

75. Mense Aprili allatæ sunt ad Concilium litteræ Caroli IX regis Galliarum de pace inita cum hæreticis Hugonottis, qui religionem reformatam, sed vere deformatam se colere profitentur, cujus hæc capita sunt :

« I. Ut omnes proceres principesque fiduciarii Gallicæ coronæ domi suæ ritu suo prout libuerit, vivere possint, atque una cum ipsorum subditis, sine metu ullo cæremonias suas exercere.

« II. Ut in singulis provinciis oppidum, vel pagus designetur, in quo religionem suam colant.

« III. Ut in omnibus locis, in quibus a die septima Martii inductus est Hugonottismus, cœtus suos celebrare possint.

« IV. Ut in urbe Parisiorum, totoque episcopatu et agro hæc falsa religio non colatur.

« V. Ut omnes milites externi quantocius e regno dimittantur.

« VI. Ut omnibus provinciis oppidisque pristina restituatur libertas.

« VII. Ut omnes, vel nobiles, vel ignobiles, qui pro religione prætensa tractarunt arma, pristinis juribus, muneribus honoribusque asserantur.

« VIII. Ut princeps Condæus signifer defensæ religionis prætensæ, atque omnes qui sub ipso adversus regem et religionem Catholicam stipendia meruerunt, flagitia in expilandis Ecclesiis vel alio quocumque modo admissa, impune ferant atque absolvantur.

« IX. Ut omnes in bello capti, ex utraque parte liberi dimittantur.

« X. Ut pro pace et quiete regni tuenda nullus belli præteriti mentionem facere audeat, nec dissidii de religione, nec patratarum cædium, nec alterius rei, quæ perturbationem vel offendiculum afferre possit; intentata prævaricaturis capitali pœna sine ullius judiciariæ actionis confecto instrumento ».

[1] Es. XXXVI. — [2] Ant. card. Granv. Ep. CXXX. — [3] Ep. LXXII. l. III. — [4] Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. Ep. CXII. lib. Ep. LXXII, LXIX et LXXI. — [5] Ms. arch. Vat. And. card. Granv. Ep. LXXXVIII. Leg. Trid.

[1] Apud Astulph. Serv. in Actis Conc. Trid. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1109. p. 124.

76. Regiæ porro litteræ [1], de quibus auctor meminit, subjectis verbis erant conceptæ :

« Carolus Dei gratia Francorum rex sanctissimis ac reverendissimis Patribus Tridenti sanctæ Synodi gratia congregatis, salutem.

« Satis omnibus cognitum est, sanctissimi ac reverendissimi Patres, quantum turbarum et bellorum civilium ad hunc usque diem nobis excitarit ea de religione opinionum dissensio, qua se plerique nostrorum subditorum imbui ac distrahi passi sunt, quamque ut tot et tantis malis mederemur, nihil prætermiserimus, quod divina bonitate, aut in nobis ipsis positum fuerit, aut ab optimis et potentissimis principibus vicinis atque amicis nostris impetrare potuerimus ; factum est tamen, ita permittente abscondito et incomprehensibili providentiæ Dei judicio, ut ea, quam sequebamur, armorum, virium bellicarum cura, nihil fere aliud profectum sit, quam, ut ingens quidam malorum Oceanus in regno nostro magis ac magis quotidie excresceret, ut omnes ejus provincias inundaret. Inde enim præter innumerabiles vulgarium hominum atrocissimas cædes, præter furta, peculatus, latrocinia, sacrilegia pæne infinita, præter villarum incendia, præter agrorum vastationes et depopulationes arcium urbiumque nostrarum invasiones, ac sacrorum denique templorum direptiones et ruinas secuti sint cruentissimi conflictus non pauci, qui, quod non potest omnibus non gravissimum videri, nobis merito charissimos ac strenuissimos viros quamplurimos, tum sanguinis nostri principes, tum ordinis nostri equites, tum militari laude præstantissimos duces abstulerunt, ut has silentio prætercam calamitates, ruinasque cæteras, quibus affectæ atque afflictæ sunt res Gallicæ, ac prope omnes provinciæ nostræ, ut facile judicari possit, non esse in armis gladiisque positam eam medicinam, quæ sanandis animarum morbis queat sufficere, qui se nonnisi rationibus et persuasionibus vinci patiuntur ; quæ nos ratio, aliæque non paucæ, et justissimæ, et gravissimæ, et super quam dici potest, necessariæ, coegerunt, ut de charissimæ matris nostræ sententia, deque principum nobis consanguineorum, et consiliariorum nostrorum communi consilio ad sedandas et componendas tot intestinorum bellorum tempestates, ea concesserimus, quæ in codicillis nostris continentur, quos ea de re confici, publicari atque expediri curavimus. Non quod ea sit nostra fueritque, aut unquam futura sit voluntas, ut stabiliri in ulla regni nostri parte novam religionem permittamus, sed hac saltem ratione, ut positis armis, extinctis quoad fieri potest animorum dissidiis, et cessantibus tot calamitatibus, faciliori tandem negotio plenissimam, atque unanimem omnium nostrorum subditorum in eadem fide, et sanctæ Catholicæ Ecclesiæ religione consensum et unionem consequi et obtinere possimus, quod nos beneficium cœleste quidem ipsum et immensum, tam secundum Deum, bonæ voluntatis in hominum cordibus auctorem et inspiratorem, ab ea, quam orbi Christiano sinceritas, et sanctæ nostræ repromittit Ecclesiæ, repurgatione et reformatione, nobis ipsis volumus polliceri. Et quoniam nobis in hac parte supersunt, quæ a paternitatibus vestris declaranda cupimus, et quod fas erit, a vobis impetrata desideramus, virum nobis merito charissimum ac consilii nostri secretioris fidelissimum consiliarium magistrum Renatum de Birago supremum Transalpini nostri senatus præsidentem ad sanctissimum istum consessum destinavimus, ut nostro nomine ea omnia vobis viva voce aperiat et declaret : ob idque vos obnixe rogamus, ut eum benigne admittere atque audire velitis, ac verbis ejus eam fidem adhibere, quam nobis ipsis si isthic præsentes essemus, adhiberetis. Datum Ambacii die XV Aprilis MDLXIII.

« CAROLUS.

« Atque hoc loco, sanctissimi Patres, Dominum præcabimur, ut vos omnes divinæ gratiæ præsidio semper tueatur atque conservet. Valete ».

77. Detulit eas litteras [1] Renatus Biragus Transalpini senatus præses missus a rege, ut Synodum de concordia in Gallia sancita, deque rerum Gallicarum statu faceret certiorem, regemque atque administros regios, quos gravis premebat invidia confectæ exitialis pacis et desertæ rei Catholicæ, excusaret, tum contestaretur, ut si Tridentinum Concilium, nec cito, nec recte in controversis articulis decerneret, necessario in Gallia nationale Concilium congregandum, quæ omnia cardinalis Lotharingus retulit ad legatos, addiditque alium oratorem a rege missum ad Pontificem, eumque questum de præsulibus, tum Hispanis, tum Gallis, tum Italis, quod biennio excurrente pauciora decreta expedivissent.

78. Fuerat is regulus Alegrius, qui etiam oratione habita Pontifici exposuit, pacem necessario confectam, ne in Galliam exercitus externorum hostium infunderetur per eos portus urbesque quibus potiebantur hæretici, cujus beneficio eæ urbes portusque rex recuperarat. Exposuit etiam de loco Concilii permutando, ut Dani, Sueci et Angli, atque alii hæretici ad illud allicerentur, qua fraude Tridentinum dissolvere Concilium hæretici moliebantur. Alegrii porro oratio [2] ex Italico reddita verbis hisce concepta erat :

[1] Ms. arch. Vat. sig. 3192. p. 192. Ms. Franc. card. Barb. sign. num. 1109. p. 174. Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Septempe. Scriptor. Ep. Tilesin. secr. Conc. Angel. Massarel.

[1] Card. leg. in lit. ad card. Borr. III Maii. — [2] Ms. arch. Vat. sign. num. 3215. p. 11. et aliud sig. to. I. addita cruce. Inter lit. card. Borr. ad card. legatos p. 44.

« Beatissime Pater.

« Vestra Sanctitas persuasum habeat, Christianissimum regem coactum fuisse, ut subditorum quieti consuleret, constabilita in regno pace. Non recensebo damna, jacturas, cædes procerum et exercituum, præfectorum strages, templorum direptiones, oppidorum vastitates, ferrum Gallicum in nostra conversum viscera, rabiem animis subditorum insculptam, ut nec pater pepercerit filio, nec frater fratri, nec cliens et subditus, conculcata fide, cæteros in regnum evocare, iisque tradere regni arces, perhorruerit. Hæc omnia jam a Sanctitate sua audita mala; sed multo illa graviora, quæ imminebant, ob innumeram exterorum multitudinem infusam Cadomo, Portui-Gratiæ ac Dieppæ; adeo ut universa Normannia amissa, redactaque in hostium potestatem videretur : ex variis locis Christianissima majestas certior reddita majores exterorum exercitus comparari, ut in regnum, appetente Æstate irrumperent, adeo ut depelli facile non possent, regnumque sine remedii spe ulla in prædam illis cessurum esset. Novit Sanctitas sua, in quanto angustiarum æstu simus versati ad repellendum exercitum Germanicum Metis imminentem. Quibus omnibus perpensis a rege ac regina matre, principibusque regii sanguinis, ab equitum magistro, atque aliis regiæ coronæ amplitudini addictissimis, decretum est, serviendum tempori, atque concedenda nonnulla capita religionis novatoribus; quæ sint tantummodo remedia medendis incommodis urgentibus apta, ut facilius concludi possit, atque exitus Concilii expectari possit; idque opportunius visum, quam ut anceps et exitiale bellum susciperetur, cujus concordiæ studio dux Guisius flagrantissimo ad asserendam religionem incensus ardore, ut neminem latet, in maximam articulorum, qui concessi sunt, partem consenserat, qui concedendi visi erant, ad defugienda majora incommoda. Neque vero ob hujusmodi concessionem vestra Sanctitas in dubium revocet optimam regis voluntatem tuendæ fidei Catholicæ; ad eum enim aspirat finem, ut positis armis, sedatisque tumultibus revocare ad officium possit eos, qui longo antea temporis intervallo se a nobis divulsere, quod in opus provocari non potest, nisi implorata ope Sanctitatis vestræ; hanc enim ægritudinem sanari non posse, nisi ope Spiritus sancti, ut recurratur ad liberum et sacrum Concilium, ut discussis temporum depravatissimorum tenebris integritatis Catholicæ splendor affulgeat, universaque Christiana respublica ad pristinam conjunctionem revertatur, jam constat.

« Porro ex præteritorum temporum historia edocemur, Conciliorum opera profligatas hæreses : ita prostratam Arii hæresim, Marcionis, Manichæorum, Pelagianorum, Apollinaris. Adhibeat ergo Beatitudo vestra hoc remedium erga regem ac subditos, qui supplices illud poposcerunt, in quo disciplina Christiana ad pristinam puritatem revocetur.

« Porro merita Gallicæ nationis erga Sedem Apostolicam esse conspicua, adeo ut nonnulli cardinales dixerint, tantam intercedere inter Sedem Apostolicam regnumque Galliæ conjunctionem, ut unius eversio alterius exitium interminetur. Perpendere optime regem religionis dissidium regno suo exitiale, atque adeo percupere, ut in pristinam religionis formam revocentur, nec consensionem eam posse adduci, nisi sublatis dissidiis, vel Œcumenici, vel nationalis Concilii beneficio.

« Licet vero Œcumenicum præferendum sit nationali, requiri tamen ut sit liberum, tutique accessus, nec sperandum, ut tot regna ac provinciæ, quæ se a Catholica religione segregarunt, Concilio illi intersint, nisi de loco conventum sit, alioquin eos illi detracturos, atque Œcumenicum esse pernegaturos.

« Ac licet optima Sanctitatis vestræ voluntas pateat universis, ac syngrapha tuti et liberi commeatus amplissima tradita sit, tamen adduci non potuisse eos, qui a religione Catholica discessere, ut ministros suos mitterent ad Concilium; prætexere enim illos locum in quo modo celebratur, ipsis suspectum, nec tutos accessus videri, ac semper Tridentum Protestantibus Germanis suspectum esse visum, adeo ut nec quispiam Germanus Protestantium sectæ, nec regni Angliæ, nec Scotiæ, nec Daniæ, nec Suetiæ, nec alii comparere voluerint. At vero si damnentur horum opiniones religionisque exercitium, iis mandatis non pelliciendos, sed maxime abalienandos; periclitari vero rempublicam, si ea membra ab ea detruncata manserint; flexu enim temporis alios ad suas partes pertractura, ut docet experientia eam factionem semper crevisse, nec videri eos unquam parituros decretis editis, absentibus ipsis et inauditis, ac certo eos adversus decreta Concilii scripta edituros, ac detracturos ejus auctoritati, cum neque in eo comparuerint, nec auditi sint.

« Videri itaque de loco cum iis transigendum, licet sub eorum petitis virus conditum sit, ac Sanctitas quidem vestra regiæ Majestati significavit condescensuram se, si id Reipublicæ Christianæ necessitas flagitaret. Nec quid novi peti, cum Carolus V id a Paulo III expetierit in Germania Germanici belli principio, pollicitus se biennio Lutheranam sectam, si petitis annueret, penitus deleturum. Ad revocandos itaque aberrantes in sinum Ecclesiæ, Concilium exposcere congregandum; vel Lugduni, vel Rhemis, vel Anicii, aut in aliis urbibus, in quibus celebrata Concilia fuere, et efflagitat etiam, ut pro confirmanda parte Catholica, potestas fiat cardinali Borbonio ducendæ uxoris, atque ob

sumptus bellicos centum millia nummorum census annui Ecclesiastici abalienari possint ».

79. Incidere ea tempora, quibus cardinali Borbonio Gallica corona delata, tuendæ fidei Catholicæ conduxisse videbatur, ut ducendæ uxoris potestas illi facta esset, sed divina providentia Ecclesiæ suæ consuluit, ut negata sacerdoti ducendæ uxoris potestate, nullum gravius damnum sequeretur, quanquam facilius Ludovicus princeps Condæus ejus fratrer minor natu frænari potuisset, ne tanto ardore ad tyrannidem aspiraret. Non assensit etiam Pontifex postulatis de transferendo in alium locum Concilio, in quo majores turbæ oboriri possent, cum deberent potius hæretici Concilii Tridentini decreta amplecti, ac libere, si vellent, ad illud accedere, nimirum sensit Pontifex nefarias hæreticorum artes, qui in locum iniquiorem pellicere eo astu episcoporum solemnes cœtus molirentur, extimuitque ne in magnas difficultates adduceretur, si reges splendidis promissis illusi, postulatis consenserint, de quibus cum cardinalis Borromæus [1] Joannem cardinalem Moronum monuisset, Moronus Zachariæ Delphino in aula Cæsarea Apostolico Internuntio partes dedit, ut iniquitatem subdoli illius consilii Ferdinando imperatori aperiret, præsules quoque ostenderet ex ea translatione molestia gravi afficiendos, ac discrimen maximum impendere, ne decreta Synodi cum loco mutentur; eas enim urbes infectas hæresi, atque in præpotentium hæreticorum faucibus hærere, securitatem a Galliæ regina promissam fallacem omnino esse, præsulesque adigendos ad ferenda decreta pro adversariorum libidine, nec abfore periculum, ne Hugonotti ac Protestantes conjunctis armis ad opprimendos Patres in ea loca irruant, atque impune crimen ferant, successuque insolescentes, atque elatiores animis invadant imperatorem. Propterea in spem se adduci, Ferdinandum Cæsarem fraudulenta hæc postulata repulsurum. Si enim, quando actum fuit de colloquio inter Pontificem atque imperatorem ineundo, transferendoque ea de causa Concilio, translationem repulit, quamvis nullum in ea periculum subesset, ac præsules maxima ex parte eum locum expeterent, principesque Catholici illi essent assensuri, haud verendum, quin multo magis modo fuerit dissensurus, cum postulatæ a Galliæ regina translationi, nec Concilii præsules, nec Pontifex unquam consensuri sint, atque ea translatio graviora mala secum trahat, extremumque rei Christianæ exitium intentet. Miserat eamdem ob causam Catharina ad Philippum regem Hispaniæ Oisellum oratorem, ut illum ad Concilii translationem moliendam pertentaret, verum Catholicus rex technas illas ac machinationes prudenter contempsit. Idem apud Cæsarem Renatus Biragus orator Galliæ regis nomine obtenderat [1], ut auctoritatem adhiberet pro transferendo Spiram, Wormatiam, Constantiam aut Basileam Concilio, quo Protestantes et Hugnotti accessuri essent pro religionis dissidiis componendis, ad quem Cæsar aberrantes a fide, respondit, si audiri velint, amplissimam liberi commeatus syngrapham accepisse, ut Tridentum accedant, æquissimo ibi animo audiendos, dissolvendasque Patribus quascumque eorum argutias, nec ex ea urbe Concilium transferri oportere; se nunquam translationi assensurum; Italos quoque et Hispanos ad propositas urbes, uti suspectas, non accessuros, nec in iis locis eam, quæ Tridenti præstatur, securitatem posse præstari. Ita irriti cecidere hæreticorum doli, qui subornata Catharina Galliæ regina Concilium ad locum iniquum allicere moliebantur, ut novas turbas fallaci concordiæ specie concitarent.

80. Antequam vero ad Ferdinandum accederet Biragus, legationem illum obiisse constat apud Tridentini Concilii præsules; commemorant enim Angelus Massarellus atque Astulphus Servantius, Tridenti Renatum Biragum Galliæ regis oratorem auditum fuisse secunda Junii, allatasque ab eo litteras regias publice lectas fuisse. Erant eæ XV Aprilis Chenoncelli consignatæ, quibus significabat, se consilio reginæ matris, ac principum, et procerum ad pacanda civilia bella, et mala, quibus populi opprimebantur avertenda, ad pacem restituendam regno adactum fuisse, quas ex Actis alias exhibitis hic ex libro excuso [2] reddemus:

« Carolus Dei gratia rex Franciæ sanctissimis et reverendissimis Patribus in Christo Tridenti pro celebrando Concilio congregatis, salutem.

81. « Vidit orbis hactenus, quot tumultus, quot intestina et civilia bella in hoc regnum invexit discrepantia opinionum circa religionem, quibus subditi nobis populi imbui se passi sunt, quotque conscientiarum æstus inde sint concitati, utque his consulturi malis nulla remedia in nostra potestate sita, vel ex principum Christianorum amicitia, et propinquitate locorum nobis conjunctorum auxilio collecta prætermiserimus, divino tamen judicio incomprehensibili mortalibus, vi armorum, et potentiæ nullus felix exitus successerit, sed infinitæ strages, innumera immanitatis exempla, rapinæ, stupra, urbium nostrarum vastationes, templorum et Ecclesiarum excidia, conserta cruentissima prælia, tot principum, procerum, et equitum nostri ordinis, clarissimorum bellica gloria ducum, militumque ac subditorum

[1] Ext. ibid. ejus lit.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. Ep. CXII. — [2] Ext. in lib. excuso an. 1613, inscripto : Instructiones liter. spectantes ad Trid. Conc.

nostrorum cædes, tot aliæ calamitates, vastitates, incredibilesque ærumnæ successerint, ut facile cognosci ac judicari possit, vim armorum non idoneum esse remedium, quod exquiri debeat ad persanandum morbum animorum, qui rationum atque persuasionum vi tantum expugnari possint. Hoc experimento coacti, necnon aliis validissimis et necessariis argumentis ad pacem fleximus voluntatem, ad pacanda dicta civilia et intestina bella, cujus sancitæ pacis capita ex consilio reginæ charissimæ nostræ, et colendissimæ dominæ ac matris, necnon principum sanguine nobis conjunctissimorum, ac sanctioris senatus nostri senatorum assensu promulgata fuere, non quod nostræ mentis ac voluntatis sit permittere ac tolerare, ut nova religio in regno nostro constituatur, sed ut compositis bellicis motibus, sublataque animorum offensione, quæ inde pendet, sopitisque vel extinctis publicis calamitatibus, cum minore repugnantia ac difficultate subditos nobis populos in pristinam conjunctionem animorum, ac in unam, sanctam, et Catholicam religionem revocare possimus, quod beneficium ab infinita bonitate et misericordia Dei Spiritu suo moventis humana corda expectamus, necnon ab optima et efficace disciplinæ Christianæ instauratione, quam nobis vestra congregatio ac cœtus pollicetur, quamque universus status Christiani imperii a vobis exposcit. At quia plura a nobis exponenda vobis petendaque sunt, decrevimus mittendum ad vos amicum nostrum, ac fidelem in nostro sanctiore senatu consiliarium magistrum Renatum Biragum præsidem supremi senatus Transalpini, ut ea nomine nostro vobis viva voce significet, quem a vobis benigne excipi, audirique, dictisque ejus, quæ nomine nostro exposuerit, eamdem fidem adhiberi rogamus, ac si nos ipsos vobiscum colloquentes audiretis. Interea, sanctissimi et reverendissimi Patres, vobis divinum patrocinium ac tutelam comprecamur. Datum Chenoncelli XV Aprilis MDLXIII ».

82. *Responsum magna consilii maturitate digestum datur præcedentibus litteris.* — Lectis iis litteris habita est a Birago præside oratio, qua regem reginamque matrem de pace cum perduellibus Hugonottis icta purgavit, quam non ad damnum et dedecus Ecclesiæ, sed potius pro ejus dignitate, pro qua tuenda Carolus rex sanguinem suum fundere paratus esset, confectam, vimque a subditis in ea constituenda regi allatam, asseruit. Quæ omnia ex Angelo Massarello [1] hic descripta reddemus :

« Die Mercurii, secunda dicti mensis Junii, habetur hora XI congregatio generalis, in qua comparuit illustriss. D. M. Renatus Biraga nuntius Christianissimi regis Gallorum, qui exhibuit illustriss. D. præsidenti litteras tenoris qui supra ».

« Deinde ipse D. Biraga habuit luculentam orationem, qua excusavit regem Christianissimum, quod pacem cum ejus hostibus civilibus, hæreticis scilicet sui regni, quos Hugonottos vocant, inierit, nempe, ut vastitati et extremæ sui regni calamitati et ruinæ, quæ jamjam ex continuis bellis per tot menses in ipso regno inter eos gestis imminebat, parceret; præsertim, cum aliqui magni principes ejus vicini etiam bellum contra eum se moturos minarentur, et denique, ut quietem, tranquillitatem et pacem suo regno restitueret : rogavitque sanctam Synodum, ut dictam pacem et quæ a sua Majestate circa eam gesta erant boni consuleret, cum ea omnia necessitate coactus fecerit. Qua oratione absoluta, ipse Dominus nuntius dictam congregationem exivit. Deinde cum res de qua agebatur gravis esset, visum est sanctæ Synodo, ut responsum in aliud commodius tempus differretur : quare eo iterum in congregationem vocato, dicta sunt ei a me Secretario infrascripta verba :

« Sacrosancta Synodus audivit ea, quæ in litteris Christianissimi regis continentur, et a dominatione vestra recitata sunt, et quoniam majori deliberatione indigent, ad ea suo tempore respondebit ».

83. In consilium itaque ventum est, quodnam reddi potissimum deberet tam tristi nuntio responsum, ex quo tristitia magna et continuus dolor cordi tum Pontificis, tum Patrum erat. Alii increpandum regem, alii confirmandum censent, ac multas inter sententias una audita, quæ in cardinales legatos una cum Madrucio et Lotharingio respondendi munus avertit, ut Gabriel Palæottus his verbis enarrat :

« Cum etiam nuper ex Gallia nuntiatum esset conventionem quamdam inter regem et Hugonottos initam fuisse, qua boni omnes mire offendebantur, paulo post Renatus Biragus supremus Transalpini senatus regis præses, cum litteris Christianissimi regis ad sanctam Synodum missus huc pervenit; quibus in Congregatione publica lectis, ille mandata regis plenius exposuit, quorum summa erat, regem ad pacem cum adversariis sanciendam propter ingentes illius regni tumultus ac calamitates ex varia de religione opinione exortas impulsum fuisse, nam cum ipse quantum opibus suis, principumque aliorum subsidio valuit, accensas faces extinguere diu frustra tentasset, agnovisse tandem hunc animorum morbum, non gladiis, aut bellicis viribus, sed rationibus potius ac persuasionibus posse superare. Quare nunc positis armis, ad sacrosanctæ Synodi auxilium auctoritatemque confugisse, cupiens Patres, qua debent vigilantia ac celeritate, Galliæ rebus

[1] Angel. Mass. in Actis Congreg. Gen. Ms. arch. Vat. sign. num. 3192, p. 292.

in pejus labentibus, sanctissimis suis decretis disciplinæque Ecclesiasticæ emendatione quamprimum prospicere.

« Responsum a Synodo tunc fuit, gravissima ea esse, quæ in litteris regiis continerentur, seque ad illa commodiori tempore responsuram. Quæ responsio ita concepta fuit, ne Synodus conventionem illam iniquis conditionibus adversus religionem orthodoxam contractam ullatenus probare videretur, quam Romæ Sanctissimus dominus noster, ut indignissimam, abhorruisse ferebatur. Postea, cum de verbis, quibus respondendum esset consultaretur, variisque responsionum formulis prolatis, in eo convenire Patres viderentur, ut diceret Synodus, se ex fœdere hoc inito dolorem accepisse, tum Lotharingius indignatione accensus, non mereri hanc a Synodo responsionem regem suum, respondit, qui regni viribus exhaustis, omnium auxilio destitutus, ipso necessitatis laqueo pertractus, multa etiam spe allectus, hac ratione reluctantem populi furorem facilius coercendum atque ad officium revocandum, in hoc fœdus descendisset, vix eum tam longo spatio aureis centum millibus a S. D. N., totidem a Venetis, a rege autem Catholico longe quidem pluribus adjutum fuisse, sed sero admodum omnia accessisse ; Gallos vero tamdiu ab hac sancta Synodo seriam reformationem exoptasse, nihil adhuc ab ea præstitum fuisse.

« Ad hæc cum alii Patres alia respondissent, et inter cæteros Ossunensis mitius in hac re agendum esse dixisset, exemplo Romanorum, quo tempore Terentius Varro exercitum in Cannensi prælio amisit, non enim eum verbis affligendum, sed potius consolatione levandum censuerunt; quidam vero, imo regem acriter admonendum, nec rem adeo Christianæ reipublicæ perniciosam a Synodo dissimulandam esse contenderent, resque ideo prope perduceretur in disceptationem, tum orator Sabaudiensis, non esse his amplius conventum Patrum exercendum dixit, sed potius legatorum una cum Lotharingio et Madrutio partes futuras, qui congruentem huic Œcumenico Concilio responsionem pro prudentia sua excogitent ; quod et a cæteris statim fuit probatum, neque multo post hi responsionem concordes protulere, quæ cum litteris et oratione præsidis extat ».

His circa pacem Gallicam agitatis magna demum consilii maturitate digestum responsum vigesima prima Junii redditum est, subjetis verbis conceptum :

84. « Cum superioribus mensibus hæc sancta Synodus de victoria, quam adversus veræ religionis hostes Carolus Gallorum rex Christianissimus reportavit, audivisset, incredibilem lætitiam sensit, et pro tam magno in rempublicam Christianam collato beneficio Deo Optimo Maximo publice gratias egit. Verum cum ante paucos dies aliunde primum, mox ab illustrissimo præside et consiliario Birago ejusdem regis Christianissimi nomine causas, quibus adductus est, ut arma jure contra religionis et illius regni perturbatores suscepta deponeret, eadem sancta Synodus accepisset, magno dolore affecta est. Cum enim de omnibus, Christo jubente, et de nobilissimi in primis illius regni salute sollicita sit, dolet varietate opinionum, et variis hæresibus, potentissimi regni pacem et tranquillitatem perturbari, et adhuc relicta in eo esse semina discordiarum et seditionum, regis tamen Christianissimi, quem avitum et paternum studium veræ pietatis imitaturum sperat, legatione accepta, illud in primis libenter audivit, in Parisiorum nobilissima civitate maximam adhibitam fuisse constantiam maximumque studium , vel potius ardorem veræ retinendæ et defendendæ religionis, qui ardor, ut ea in urbe conservetur et augeatur, et universa Gallia disjectis hæreticorum tenebris ad pristinam veræ religionis lucem redeat, vehementer optat, et quantum poterit, curabit. Hortatur autem, et in visceribus Jesu Christi rogat serenissimam reginam, ut quemadmodum pollicetur, filio, veræ religioni per se dedito, pia et Christiana consilia suggerat, ut ejus consiliis, Spiritu sancto adjuvante, penitus omnis hæresis morbus exitialis animorum expellatur, quod cum majestas sua fecerit, non solum beatam et æternam vitam, quæ veræ pietatis est præmium, sed etiam apud homines laudem et gloriam immortalem consequetur ».

85. *Arma Gallorum conversa feliciter in Anglos.* — Confectæ hujus pacis beneficio, civili sublato vel sopito bello, arma in Anglos, qui Portum-Gratiæ ab Hugonottis proditoribus nominis Gallici divenditum per summum nefas insederant, versa sunt mense Julio, tantaque virtute militari ac felicitate, duce Brisaco regiorum castrorum præfecto, res gesta est, ut antequam auxilia ex Anglia submitterentur ab Elisabetha regina, pactione militari XXVIII Julii arx recepta sit : sublata enim peste fuerat pars maxima præsidiariorum Anglorum, adeo ut singulis diebus centum vel amplius extinguerentur, acciditque trium horarum fluxu ab ea recuperata a Gallis, ut Anglorum subsidiaria classis appulerit, quæ decem millia militum evexerat. Postulata fuerat Elisabetha, ut eam arcem restitueret, sed illa Caletium sibi dedi poposcerat, ut Antonius de Granvella [1] cardinalis legatis Tridentinis retulit, responsum vero a Gallo rege fuerat, Anglos omni jure ob illata arma excidisse. Eo portu munitissimo in Gallorum regis potestatem redacto, erepta est Hugonottis facilis

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. p. 124 et 134. Adrian. l. XVII. Anton. Granvel. card. in litt. ad legatos Trid. Ep. CXXV. in Ms. sign. 3217. Ep. CXXV. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. pag. 88.

occasio Anglorum ad Galliam evastandam evocandorum, quo felici nuntio Romam perlato, actæ sunt Numini ritu solemni gratiæ a Pontifice, ut refert Joannes Franciscus Firmanus[1] his verbis : « XXIX Augusti, Missa in Ecclesia S. Marci, pro gratiis Deo agendis, de expugnatione Havræ-Graciæ loci maximi momenti reginæ Angliæ, quem rex Franciæ tunc acquisierat, et in eo maximam quantitatem artellariæ et munitionum repererat ». Ea Gallicæ felicitatis fama Colinius, Hugonottorum signifer, maxime perturbatus est, ut qui Catharinæ reginæ persuadere litteris annisus erat, ut eam expeditionem dissolveret, ex qua nullam utilitatem esset decerptura, consumptis frustra Gallicis viribus, tum quia Elisabethæ Angliæ reginæ, quæ Galliam a Guisiorum tyrannide liberarat, gratioris animi argumenta explicare deberet. Ita perfidissimus Colinius Guisio religionis defensori invidiam conflare his verbis nitebatur, ac crimen procuratæ ab eo cædis in Elisabetham veluti Huguenottissimi vindicem avertere.

86. *Restaurata religio Lugduni et Rothomagi.* — Exercebant Huguenotti[2] in Catholicos Lugduni sævissimam tyrannidem, quibus religionis usum permittere, licet pax parta esset, pertinacissime recusaverant, cæterum, cum Vieuxvillius ad componendum ejus urbis statum missus, ac Lugdunum postea a regina, una cum Carolo IX in eam urbem se conferente receptus fuisset, Catholica demum religio est instaurata ac ne tumultus novi facile recrudescerent ob Gebennates et Helvetios finitimos, munitissima arx in ea excitata est.

Refloruit etiam Rothomagi, quæ urbs Huguenotismi regia extiterat, Catholica religio, adeo ut magistratus intercesserint, ne una cum rege ulli hæretici ingrederentur; at studio pacis condictum, ut inermes ingrederentur. Plures vero ejuratis Huguenottissimi erroribus ad Ecclesiæ Catholicæ gremium transvolavere.

Quæ licet variis discreta temporibus, hic conjunximus, ne de eodem sæpius molesta mentio recurreret. Nunc ad Tridentini Concilii controversias orationem convertamus.

87. *Dissensiones in Concilio præsertim circa verba :* proponentibus legatis. — Prolixior interea controversia recruduit, de verbis hisce *proponentibus legatis* decreto insertis, nam Vargas Hispanus in litteris[3] ad archiep. Granatensem e regis Catholici aula transmissis questus est his verbis excludi præsules, ne quid proponant in Concilio; responsumque est a legatis cardinalibus, apposita ea verba ad confusionem tollendam, tamen propositum iri a legatis, quæ a præsulibus opportune forent exposita, ut proponerentur: si porro legati apostolici præsideant Concilio, in eo veterem morem ac formam Conciliorum servari. Aucta deinde magis fuit contentio[1], cum oratores Cæsarei viginti quatuor capita constituendæ, ut aiebant, disciplinæ proponere in Concilio meditati essent, quibus legati cardinales acerrime obstiterant, quod nonnulla in iis continerentur Lutherana placita, quibus disciplina Christiana dissolvebatur. Nec satis fuerat, quod olim Ferdinando Cæsari a præsidibus Concilii demonstratum esset, quam ingens enasceretur confusio, si alii quam præsides agenda in Concilio proponerent, nam controversia ad tempus sopita iterum emersit. Querelæ insuper graves jactatæ sunt, quod Concilio jus libertatis imminuebatur, si nec imperatori, nec regibus, nec præsulibus, quidquam in Concilio proponere liceat, cum tamen hæreticis proponendi suas hæreses libertas amplissima concessa, ut eorum errores veritatis luce discuti atque evinci possint; nec validis ac conspicuis, quæ in contrarium a legatis adducebantur, rationibus, quidquam de studio fovendæ hujusmodi partis remittebatur; quin Cæsaris placito, Caroli quoque Galliarum, et Philippi Hispanorum regis voluntas accedebat, qui licet nefas ducerent præsidum Concilii munus invadere, tamen jus proponendi aliqua pro disciplinaChristiana in suis regnis constituenda, vel pro publica subditorum salute sibi detrahi, ulla verborum specie ferre non poterant. Quæ cum Pontifici delata fuissent, ut erat asserendæ Concilii libertatis, calumniarumque amovendarum cupidissimus, cardinalibus legatis scripto jussit[2], ut liberum omnino relinquerent Patribus verba illa ex re et ex tempore moderari.

« Venerabili fratri Joanni, et dilectis filiis nostris Stanislao, Ludovico, et Bernardo S. R. E. cardinalibus Concilii legatis.

PIUS PAPA IV.

« Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem. Cum hi principes tanta contentione urgeant, ut salva sit libertas Concilii, atque ipsis visum sit hæc verba, *Proponentibus legatis*, quæ inserta fuere, inconsultis nobis, libertati detrahere, proponite Patribus, aut in Congregatione Generali, aut in Concilio, non fuisse unquam mentis vestræ ea re libertatem Concilii infringere, sed tantummodo confusionem tollere. Propterea denuntiate universo Concilio omnem illi libertatem permitti, ac si visum sit Synodo ea verba declarare, vel ea omnino expungere, id a vobis æqui bonique consuli, ac certissime sciri, nobis futurum gratissimum atque acceptissimum, quidquid in ea re Patres ege-

[1] Joan. Fr. Firman. Ms. arch. Vat. Diarior. tom. XI. Ext. de eo Episc. Santacruc. lit. ad legatos Trid. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. Ep. CXXXIV. dat. XXIX Jul. MDLXIII. — [2] Ib. Ep. LXXXVIII. Ib. Ep. CXVIII. Franc. Belcar. lib... Jo. Bapt. Adrian. l. XVIII. Natal. Comes l. VIII. — [3] Card. leg. in lit. ad card. Bor. Extat in Ms. card. Barb. sign. num. 1344. Ep. LXIX.

[1] Car. Vicecomes in lit. ad Carol. Borr. Ms. card. Spadæ p. 188. — [2] Lit. Pii IV. Italice ad legatos. Ms. Vat. sig. num. 3216. p. 2.

rint, ut agnoscant omnes principes ac populi, nos omni studio et virium contentione in id incumbere, ut finem fructumque optimi Concilii maxime purioris at strictioris disciplinæ restitutæ beneficio consequamur. Datum Romæ die IV Maii MDLXIII ».

Legati omnia ad præscriptum Pontificis agentes, conquisierunt, an ea verba *proponentibus legatis* essent declaranda vel tollenda ; rex Catholicus ne tollerentur oratoris opera instabat, qui sive Pontificis reverentia, sive rationibus commotus, jam æquissime acceperat Pontificias litteras [1] mense Maio datas circa verba *proponentibus legatis.* Consultus vero de his Cæsar, legatorum quidem Concilii præsidum auctoritatem in proponendo temerari ac violari vetuit, sibi tamen non tanquam Concilii moderatori, sed tanquam imperatori Christianæ reipublicæ amplificationis percupido proponendi aliqua jus congruere hoc responso opinatus est [2], utque ea verba nitidius explicarentur, assensit atque hæc exposuit :

88. « Quia clausula illa, *proponentibus legatis* variis contentionibus in hoc sacro Concilio, hinc jactitata est, una parte eam in hunc sensum trahente, ut soli legati Pontificis, et non alii proponendi potestatem habere debeant, altera vero in illum, ut quamvis ipsis dominis legatis, tanquam vicem Apostolicæ Sedis gerentibus, ac ipsi Concilio præsidentibus proponendi munus principaliter et primario jure incumbat, ab eo tamen reliqua membra Concilii, ut puta, prælati majores, et post illos principes sæculares eorumque legati saltem secundario non debeant excludi.

« Quod ad hunc articulum attinet, majestas sua informata est, propositionem partem esse præsidentiæ in Concilio, unde qui auctoritatem præsidendi in Concilio habet, ut Romanus Pontifex, vel ejus legati, eamdem et proponendi potestatem ordinario jure habere.

« Interim tamen negari proculdubio non potest, quin et imperatoris Romanorum, quantumvis principis sæcularis et laici, in rebus conciliaribus, præsertim si Romanus Pontifex, vel etiam Collegium cardinalium (quod abest) negligentes essent, non contemnenda sit auctoritas.

« Imo etiam extra causas hujusmodi negligentiæ, majestatis suæ refert non solum ipsi, verum etiam aliis Christiani orbis regibus, atque principibus, quorum utique omnium maxime interest, ut in regnis et provinciis suis una et eadem Catholica religio et fides ac Dei cultus custodiatur, liberum esse ea proponere, quæ ipsis, pro conservanda hujusmodi vera et Catholica religione in iisdem locis, videntur esse necessaria. Præterea multi arbitrantur, et inferioris gradus hominibus id non esse denegandum, utpote qui omnes vocem, si non decisivam, saltem deliberativam in Concilio habeant, idque tam inveterata Ecclesiæ consuetudine, quam plurimis gravissimorum auctorum testimoniis comprobari posse autumant.

« Hæc omnia majestas sua rursus subtilius disceptare, nequaquam intendit. Verum quod ad totum hunc articulum pertinet, in ea est sententia, ut quoniam in primo hujus sacri Concilii decreto verba illa, *proponentibus legatis*, continentur, illa ipsa, pro reverentia ipsius sacri Concilii, decet inconcussa manere.

« Pari modo majestas sua Cæsarea, quod ad ipsam attinet, si quid habuerit, quod sacro Concilio ex parte sua proponendum censeat, non repugnat, quo minus id salvo majestatis suæ jure per reverendissimos dominos legatos, ad requisitionem majestatis suæ vel oratorum suorum proponatur, ea potissimum ratione, ut si reverendissimæ ipsorum dominationes, antequam illa proponant, quippiam in iisdem admonere, suadere vel dissuadere voluerint, id eis integrum sit, nam prudens ac fidele earum consilium majestas sua nunquam refugere, necdum spernere vellet.

89. « Ita tamen, ut ipsis reverendissimis legatis ea proponere detrectantibus, nihilominus penes majestatem suam Cæsaream, si omnino in sententia persisteret, proponendi omnia, quæ ad religionem in imperio, regnis et dominiis suis, et universalem quoque statum Ecclesiæ conservari oporteret, quemadmodum ad ipsam suam majestatem, tanquam supremum ejusdem Ecclesiæ advocatum pertinent, libera facultas permaneat ; et id ipsum arbitratur Cæsarea sua majestas, cum aliis quoque regibus et principibus Christiani orbis observandum esse.

« Et quoniam hoc ipsum Sanctissimo quoque domino nostro non displicere intelligitur, majestas sua id gratissimo animo suscipit, confidens Sanctitatem ejus curaturam, ut hoc ita in Concilio, quatenus necessitas expostulat, disertis verbis declaretur, etc. ».

Hæc pro sua sententia imperator, in qua (si quid minus accommodatum lector offenderit) Prophetici illius memor sit, ut nimirum [1] *Sciat reprobare malum, et eligere bonum.* Habita itaque undecima Novembris Sessione subjecto decreto verba illa *proponentibus legatis* illustrata sunt.

« Cupiens sancta Synodus, ut ex decretis ab ea editis nulla unquam futuris temporibus dubitandi occasio oriatur, verba illa posita in decreto publicato in Sessione prima sub beatissimo domino nostro Pio IV, videlicet quæ

[1] Jo. Moron. ad card. Borr. Ext. in Ms. sig. num. 3215. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. XCVI.

[1] Is. VII.

proponentibus legatis, et præsidentibus ad horum temporum levandas calamitates, sedandas de religione controversias, coercendas linguas dolosas, depravatorum morum abusus corrigendos, Ecclesiæ veram et Christianam pacem conciliandam apta et idonea ipsi sanctæ Synodo videbuntur, explicando declarat, mentis suæ non fuisse, ut ex prædictis verbis solita ratio tractandi negotia in generalibus Conciliis ulla ex parte immutaretur, neque novi quidquam præter id quod a sacris canonibus, vel a generalium Synodorum forma hactenus statutum est, cuiquam adderetur vel detraheretur ».

90. Hactenus de ea controversia circa verba *proponentibus legatis*, quibus Concilium in servitutem redactum aliqui declamitabant. Nunc aliam Cæsaris petititionem expendamus, qua legatos deposcebat, ut in Concilio distincti nationum cœtus fierent, in quibus ea, quæ agenda essent, tractarentur. Hoc Cæsaris placitum, quam alienum ab instituto Conciliorum esset, suis litteris [1] aperuit Jo. cardinalis Moronus hæc scribens :

91. « De deputatione per nationes illud nequeo silentio præterire, quod æquum videri non potest, quod unus aut duo tantum Angliæ aut Hiberniæ episcopi eamdem habeant in Concilio auctoritatem, quam triginta Hispani aut Galli, ut de Italis taceam ». Et infra : « Id vere esset Concilio vim inferre, et novum morem introducere, qualis nunquam fuit, præterquam in Constantiensi Concilio, quod erat sine capite, et in Basileensi, quod non fuit receptum. Quod hæc, ut alia quæcumque hujusmodi innovatio, non brevitatem Concilii, quam majestas vestra quærit, sed novas dilationes et nova afferret impedimenta, quibus discutiendis majus fortasse tempus contereretur, quam in omnibus hactenus propositis materiis. Nec satis est, quod majestas vestra dicat, se ea proponere, quæ sibi videntur ; ita tamen ut eadem Summo Pontifici, et legatorum, et nonnullorum ex Concilio submittat judicio, quia sola hæc hominum opinio, quod hujusmodi quæstiones a majestate vestra proponantur, maximas rursus controversias excitabit, cum pleraque ingenia sint, quæ facile quascumque accipiant rerum turbandarum occasiones ».

Et quoniam adhuc Cæsar instabat, ut de Bulla conclavis, et Pontificis electione in Concilio sanciretur, idem cardinalis hæc subdit :

« De Bulla conclavis in Concilio proponenda, dixi, non decere sane, quod ipsum pertinet ad Pontificem, et ab ipsius sanctitate maturo consilio, et gravissimis ejusque rei peritissimis Patribus in consilium adhibitis statutum est, id eorum judicio et censuræ submittere, quorum nulla aut exigua pars iisdem in rebus versata. Præsertim cum de Pontificis electione nunquam in Concilio tractatum sit, nisi præsentibus Pontificibus, qui ea statuerunt, quæ nunc sua Sanctitas renovavit, nec mos hic inusitatus in Ecclesias introduci potest sine maximo Sedis Apostolicæ præjudicio, quæ auctoritatem sibi a Deo concessam nemini dare potest, etc. XII Maii MDLXIII ».

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. XC.

92. *Nona prorogatio sessionis septimæ.* — His et aliis controversiis, maximeque expectatione oratorum Lutheranorum principum districti ac suspensi Patres sessionem, nona jam vice, in longius tempus extraxerunt, de qua hæc tradit Angelus Massarellus [1] :

« Prorogatio nona septimæ sessionis.

« XIX Maii habetur Congregatio generalis, in qua illustrissimus dominus Hosius cardinalis Warmiensis præsidens et legatus allocutus est Patres in hanc sententiam. Cras erit vigesima dies, in qua communi consensu dominationum vestrarum decretum fuit, ut Sessio indiceretur, sed quoniam materiæ adhuc paratæ non sunt, judicent Patres, an ad XV diem mensis Junii debeat iterum differri dies ad indicendam ipsam sessionem ».

Ita communi Patrum consensu sancitum ; sed altero die, priusquam hæc agerentur, novus fortuito tumultus legatorum animos distraxit, nam, ut ipsorum monumentis apparet, in congregatione XVII Maii habita [2], Lancianensis episcopus libera oratione accusavit absentiam archiepiscoporum electorum imperii, qui spreto jurejurando, quo obstricti sunt, ad Concilium non accederent, nec mitterent procuratores, quasi pro munere obeundo sufficeret ipsis frænis et stapedibus aureis uti magnaque aulicorum turba stipatos pompas ducere. Cui respondit episcopus Quinquecclesiensis orator Cæsareus justa impeditos fuisse causa, quominus venirent, ne Lutherani eorum ditiones, quibus maxime inhiant, invaderent, non missos etiam ab iis procuratores, ne postremi ordine ac muti consideant : olim sedente Paulo III rem non ita transactam. His addidit cardinalis Lotharingus, plures optimos præsules pietate et eruditione insignes hæsisse in Gallia, ne eorum Ecclesiæ ab Hugonottis occuparentur, doctos vero doctores misisse procuratores, qui ad loquendum non admitterentur : ad quæ legati silentio pressere ora, ne qua lis moveretur : at mense proximo flagitarunt a Carolo Borromæo cardinale, ageret cum Pontifice, ut aliquorum Germanorum episcoporum, maxime Septemvirum procuratores ad ferendam sententiam admitterentur, ut facilius in Germania Concilii decreta exciperentur, quibus Borromæus cardinalis, consulto Pontifice, respondit [3], decisivam

[1] Angel. Mass. in Actis ante sess. VII. sub Pio IV. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 182. — [2] Ext. in Ms. card. Bar. sig. n. 1344. Ep. CCCXV. — [3] Ib. Ep. CCCXLII. XVII Junii. Ib. Ep. CCCLVIII.

sententiam nulli procuratori concedendam; at legati iterum xxv Junii significarunt eidem Borromæo, Cæsarem gerere in votis, ut electorum, et Salisburgensis archiepiscoporum procuratoribus ferendæ decretoriæ sententiæ jus permitteretur.

93. *Contentiones de præcedentia inter oratores Gallos et Hispanos.* — His intermissis jam de contentionibus inter Galliæ et Hispaniæ regum oratores de proedria sive honorificentioris loci dignitate subortis, quæ Tridentinum Concilium perturbarunt, agendum est. Decreverat antea Philippus rex pie et generose [1], ubi de totius Ecclesiæ salute Christique gloria ageretur, spernendas esse de honoris apiculis lites, verum ejus administri augendi regii honoris cupidi dissensere, nam Claudius Ferdinandus Vigil Quignonius comes Lunensis Philippi orator, cum Tridentum venisset, de proedria cum oratore regis Galliæ, quod Gallicæ res vehementer afflictæ essent, Hispanæ vero florerent, disceptare cœpit: at legati, ut offendiculum tollerent, locum illi extra ordinem ab aliis oratoribus discrepantem attribuerunt, ut solus ante legatos ad sinistram crucis staret. At ille protestationem de affectata sede edidit, vicissimque contrariam Galli oratores ediderunt, ac diserte promulgarunt, Gallorum regis oratores, tum in aliis Conciliis, tum in postremis Constantiensi ac Lateranensi proxime post Cæsareos ante aliorum regum oratores assedisse, quam contentionem adeo exarsisse memorat Gabriel Palæottus, ut pæne Galli ad defectionem spectarint:

« Cum de comite (inquit) [2] Lunensi Catholici regis oratore in Synodum recipiendo actum fuit: qua in re cum Galli suspicantes ne quid de proedria adversus antiquissimam eorum possessionem decerneretur, satis fremere cœpissent, eo usque prolapsi, ut si quid secus fieret, ad futurum papam, qui æquior sit, atque ad liberius Concilium se appellaturos edicerent, magnopere interdum dubitatum fuit, ne vehementiores ea res tumultus accenderet. Tandem divina bonitate legatorumque prudentia factum est, ut res inter eos hoc pacto fuerit composita. Nam cum primum orator coram Patribus mandata sui regis exhibuit (consignata erant ea xx Octob. anni MDLXII, regnorum citerioris Siciliæ anno IX, Hispaniarum vero et aliorum VII,) jussit quoque, ut ejus nomine protestatio quædam recitaretur; ea lecta locus illi extra ordinem a latere crucis argenteæ, quæ e regione legatorum in consessus centro defigitur, fuit assignatus. Tum orator Gallus aliam protestationem habuit.

[1] Astulph. Servantius. — [2] Act. Concil. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Franc. card. Barb. sig. num. 24. p. 336. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 199.

94. Extant memoratæ protestationes in Actis Concilii subjectis conceptæ verbis:

« XXI Maii, absoluta solita S. Spiritus oratione, magnificus D. licentiatus Antonius Covarruvios auditor regiæ cancellariæ civitatis Granaten. in medium assistens, nomine, et ad instantiam, ac ex ordine præfati illustrissimi domini comitis, ut oratoris præfati sic semper erecti stantis, licet reliqui omnes, tam Patres quam oratores ad sua loca resedissent, infrascriptam, alta et clara voce, omnibus audientibus, perlegit protestationem [1], quæ est tenoris subsequentis videlicet:

« Dominus Claudius Fernandez Vigil de Quignones comes Lunæ, etc. Philippi Hispaniarum, utriusque Siciliæ, Hierusalem, etc. regis Catholici, archiducis Austriæ, ducis Burgundiæ et Mediolani, etc. comitis Habspurgi, Flandriæ et Tyrolis, etc. ad hoc sacrum Œcumenicum Tridentinum Concilium orator, etc. Etsi mihi, ut tali oratori, is, et alias et in hoc consessu locus debetur, qui primus post imperatoris Romani oratorum sedem est, quod ante omnia testificor et protestor, verum, cum hic locus, et ea causa, de qua agitur, tempusque etiam ipsum reipublicæ sit ejusmodi, ut humanis ullis contentionibus sanctissimus hic divinarum rerum et salutis publicæ petendæ cursus impediri minime debeat, cumque sit maxime consentaneum, ut qui ad juvandum, suscipiendum, præstandum hoc communis causæ consilium adsint, ii primum ipsi diligentissime curent, dentque operam, ne quam a se afferant contentionis, discordiæ, secessionis ullis hominibus vel minimam causam, cum hæc ita sint, quo ad locum sedemque attinet, accipio quod datur, eoque in præsentia, et quoad erit commodum, utar, ita tamen, ut omnes intelligant velle me, id quod sedulo prædico ac protestor, ne quod hæc mea moderatio, et salutarium hujus sacri Œcumenici conventus deliberationum a me habita ratio præjudicium ullum ulla ratione dignitati, majestati, juri principis mei Philippi regis Catholici, posterisve ejus afferat, neve attulisse videatur quominus, ut hoc et alio quovis tempore, ac alia quavis de causa jus id suum integrum eis salvumque sit, quas ob res jus id domini mei Philippi regis Catholici posterorumque ejus nomine, justissimamque verissimamque intentionem, omnibus ut regibus loco et honore omni præferantur, et ad has et alias omnes causas, omnia loca et tempora reservatum esse volo ac reservo, ut semper ea jura, eamque intentionem, et persequi et tueri perinde possint, ac si hoc tempore, et hoc loco debitus mihi, ut tali oratori, locus, quem dixi, datus fuerit, iis omnibus quæ a quovis hominum objecta huic meæ asseverationi et protestationi

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. et In alio sin. num. 3252. p. 321.

adversari videri poterunt, minime obstantibus, omninoque abnegatis, quam meam protestationem hoc libello comprehensam a vobis peto, reverendissimi Patres, ut Actis hujus sanctissimæ Synodi inferri adscribique faciatis, neque sine ejus integro exemplo hodiernæ actionis hujus monimenta circumferri, edive cuiquam patiamini, mihique in primis hujusce rei exemplum, testationemque publicis tabulis obsignatam a reverendissimo secretario scribisque vestris jubeatis dari, Patres reverendissimi. Qua protestatione per dictum dominum magnificum D. licentiatum perfecta, cum ipse illustrissimus D. comes a Luna orator præfatus locum sibi post imperatoris Romani oratores immediate dari prætenderet, ut in præfata protestatione asseruit, in quadam sede vellutea, juxta præfatam Crucem in loco suo expresso, ut supra, existentem posita, loco sibi a reverendo D. Cæremoniarum magistro, de ordine tamen et commissione præfatorum illlustrissimorum et reverendissimorum legatorum dato et assignato, assedit.

95. « Qua protestatione per illustrissimos oratores dicti Christianissimi Francorum regis audita, illustris et magnificus D. Reginaldus Ferrerius præsidens Parlamenti Parisiensis, unus ex ipsis oratoribus, nonnulla verba respondit, quæ sunt tenoris subsequentis videlicet : Si nos hodie in hoc sancta Synodo alio loco sederemus , quam semper majores nostri et novissime in Concilio Constantiensi et ultimo Lateranensi ; qui primi post imperatoris, et ante omnes regum oratores sederunt : si etiam novus hic locus, in quo nunc extra ordinem oratorum sedere incipit clarissimus Catholicæ Majestatis orator illustris comes a Luna posset nobis aut aliis oratoribus esse damno , vos certe, Patres sanctissimi, qui Ecclesiam universalem repræsentatis , nobili nostro officio et majorum exemplo nos omnes ad antiquum ordinem revocaretis , aut saltem denuntiatione Evangelica nobiscum ageretis. Cum autem taceatis, neque etiam huic novitati intercedant clarissimi Cæsareæ majestatis oratores, quibuscum causa nostra non potest non esse communis, nos qui hodie in ordine oratorum, et proximi Cæsareæ majestatis oratori pristinam possessionem regi nostro conservamus, fretique amicitia et affinitate maximi et potentissimi Philippi regis Catholici in Carolum fratrem pupillum regem Christianissimum, postulamus tantum a vobis, ut hodiernum dictum et factum illustris comitis a Luna ita interpretemini, ne quod inde præjudicium fieri possit antiquissimæ prærogativæ, perpetuæ possessioni regis Christianissimi , idque in Acta vestra referre jubeatis. Quibus absolutis, maximus et eximius ac reverendus juris utriusque doctor Joannes Baptista Castellius canonicus Bononiensis sacri Concilii promotor petiit per nos ipsius sacri Concilii notarios unum vel plura, publicum seu publica confici Instrumentum et Instrumenta ».

Hæc mutuo oratorum consensu legatorumque opera composita refert Gabriel Palæottus, quæ confirmant legatorum litteræ [1] eodem die XXI Maii ad Carolum Borromæum cardinalem exaratæ , quibus gestorum series repetitur , adduntque lecto regio mandato habitam Hispani oratoris nomine orationem a Petro Fontidonio Segobiensi theologo, qua magnifice celebravit Philippi II regis in promovendo Concilio studium , incensam pietatem in hæreseos in Hispania pullulantis seminibus præfocandis, et elidendis hæreticorum conatibus, asserenda religionis dignitate, proferenda apud Indos Occidentales fide, Anglia ad obsequium conjunctionemque Romanæ Ecclesiæ jam ante revocata, Belgio, Insubria et utraque Sicilia a pestifera impietate vindicatis, auxiliis Galliarum regi contra Hugonottos perduelles subministratis, classe adversus Turcarum maritimas excursiones instructa, cujus orationis præcipua pars a nobis delibanda visa est :

96. « Cum decreta vestra sanctissima, quæ suspensis omnium bonorum animis expectantur, in omnes Christianorum provincias diffundi jam atque dilatari debeant, quæ magnopere regum præsidium auctoritatemque requirant, in tantis præsertim hujus sæculi infelicissimi perturbationibus, quibus sic æstuat orbis Christianus, ut neque Conciliorum auctoritates spectentur, neque leges audiantur, sed vis, furor, audacia gladiique dominentur ; cum denique instet jam tempus illud, in quo reges et principes Christianos, quos hactenus hic per legatos rerum, quæ a vobis gerebantur, testes et spectatores habuistis, nunc patronos et defensores sitis habituri ; nunc, inquam, nunc voluit Catholica majestas vobis per hunc ornatissimum virum renuntiare , se paratum jam esse ad agendas illas partes, quas Martianus imperator, qui Concilio interfuit Chalcedonensi, imperatoribus et regibus dixit esse sustinendas, ut veritatem per sacrum Concilium inventam, sic illi tuerentur, ut exorientibus illius causa tumultibus obviam irent, et exortos severa animadversione coercerent; voluit significare, se libenter omne suum imperium, quod sibi in primis ad Ecclesiæ salutem, ad conservandam religionem, ad tuendas vestras sanctissimas leges divinitus sensit esse tributum, ad protegendum hoc sacrosanctum Concilium, et illius decreta esse collaturum. Voluit demum significare se cupere vehementer, hanc sanctam Synodum, quam Carolus V imperator clarissimus ejus pater pri-

[1] Ext. in Ms. Fr. card. Barb. num. 344. p. 318. et in alio Ms. card. Pii sig. num. 201.

mo nascentem fovit, aluit, provexit, et ut adolesceret, summo studio elaboravit, cujus causa bella difficillima et periculosissima suscepit, et quam nunc etiam religiosissimus et invictissimus Ferdinandus imperator ejus patruus, summa pietate et studio resarciendæ religionis inflammatus, consilio et opera sustentat, ipse etiam simul eam ad felicem exitum frugemque perducere ; nam ab illo die, quo Christianam religionem, simulque cum amplissimo regno a paternis humeris in suos devolutam, inclinantemque prospexit, omnia sua consilia, studia, cogitationes ad eam instaurandam et reficiendam conferendas putavit; et cum duo sint officiorum genera, quæ a principibus Christianis hisce potissimum temporibus Ecclesia Christi suo jure possit exigere, alterum, ut cogendo celebrandoque Concilio, (quod unicum semper fuit afflictis et calamitosis illis rebus remedium) adessent atque faverent, alterum ut provincias sibi subditas in antiqua religione et obedientia Sedis Apostolicæ conservarent, sic in utroque præstando se gessit, ut si gloriosam illam Catholici regis compellationem a majoribus hæreditario jure non accepisset, illam nunc jure optimo fuisset omnium judicio amplissimam consecutus, acceptam vero posteris longe sit illustriorem traditurus. Etenim cum Pium IV sanctissimum et piissimum Pontificem maximum, et persona quam sustinet, et pietas incredibilis, et miserabilis Ecclesiæ ruina, et Christi gloria ad cogendum et terminandum jam hoc tantum Concilium impulisset, nullum ille officium, quod a vere Catholico principe sperari posset, prætermisit. Pastores Hispanos, ipsum, inquam, Hispaniæ florem, quos hic præsentes intuemini, e suis illic sedibus excitavit, et Tridentum misit, quorum studium in tuenda religione, in instauranda veteri disciplina gravitatem, sapientiam in dicenda sententia, in tuenda constantiam, in optanda Ecclesiæ salute pietatem, in quærenda diligentiam, fidem et industriam, nobis tacentibus, vel hæc ipsa amplissima vestra subsellia testantur ». Et infra :

« Quanta vero sollicitudine provincias, regna, nationes suo imperio subjectas in officio continuerit et conservaverit, ne ab Ecclesiæ unitate et Romani Pontificis obedientia abducerentur, vel illud abunde magno est argumento, quod in illis potissimum sinceram religionem et Apostolicæ Sedis observantiam florere videamus. Testis est in primis Hispania, in qua cum tot haberet Philippus domestica exempla clarissimorum regum, qui acerrimi religionis assertores extiterunt, a quibus degenerare turpissimum, virtutem imitari gloriosum duceret, cum in mentem revocaret veterem illam religionem et antiquum jusjurandum, quod decretis Toletani Concilii ab Hispaniæ regibus exigebatur, ne aliquem non Catholicum in ea provincia versari paterentur : Cum avi Philippi, cum atavi Ferdinandi, cum Caroli V imperatoris maximi parentis sui viva recensque memoria immortalitate dignissima ante illius oculos obversaretur, memor antiquæ religionis, memor Hispanicæ gloriæ, memor patriæ avitæque virtutis, veritus, ne Hispania in has tantas hæreticorum insidias incideret, ne communi hoc totius orbis naufragio religiosissima provincia mergeretur veritus, denique, ne aliqua sua culpa aut negligentia Hispania dehonestata, et majorum suorum gloria obscurata videretur, tam sollicitam curam, tam vigilans studium adhibuit, ut ejus beneficio inter saucias et furentes vicinas provincias Hispaniam incolumem et sanam habeamus ». Et mox : « Quoties, obsecro, ille hæresim per utrasque Pyrænæorum montium fauces ex vicinis provinciis in Hispaniam irruere conantem propulsavit ? Quoties illam se tacite insinuantem, et obscure serpentem e tenebris in lucem, e latebris in hominum conspectum extraxit, et sublatis nefariæ conjurationis ducibus, extinxit ? Quoties illam ad extremos Indos navigare cupientem repressit ? Nulla unquam hæresis, sanctissimi Patres, tanto exarsit studio se propagandi, sicuti hæc, quæ misere nunc affligit Ecclesiam ; quæ non contenta in Europæ regionibus, quas omnes ferme crudeliter vulneravit, neque in terra flammas, neque in mari naufragia, non hominum gladios, neque divinam iram perhorrescens, emenso vastissimo pelago in Occidentalem Indiam commigrare cupiebat, ut illic in ipsis Indorum animis primo nascentis et pullulantis religionis ipsas radices inficeret, et in illam latissimam regionem, in quam rex Catholicus Ferdinandus Hispanorum signa Christi, nomen illis gentibus inauditum, et purissimam castissimamque religionem Christianam primus invexit, ipsa Furias et Erynnes asportaret ad illius pacem tranquillitatemque turbandam ; et nisi illius nefariæ cupiditati, interceptis sæpe libris, et sceleratis Sathanæ ministris comprehensis, obviam isset Philippus, nisi ab illo cursu, quo in Indiæ perniciem properabat, ab illa improba spe conatuque depulsa fuisset, haud dubie jam in Indiam, cum ingenti illius orbis periculo et acerbissimo Ecclesiæ dolore penetrasset.

« Cum magnum præterea Hispaniæ periculum ab hæreticorum libris, aut sceleratis ministris patere potuisset, quod si contingeret, aliquando, vel est insidiosa hæresis, ut latebram aliquam, qua sese insinuasset, invenisset, omnibus in locis, et in omnibus oppidis industrios et oculatos homines collocavit, qui omnia odorarentur et subolfacerent, omnia curiosis oculis rimarentur, ut obsessa in firmissimis præsidiis hæresis contra religionem se commo-

vere non posset, quin quamprimum emersisset, comprimeretur. Sic ergo Dei in primis optimi maximi clementia, et hujus clarissimi et vere Catholici principis industria viget in Hispania religio, fides, et doctrinæ puritas, sic floret antiqua disciplina, sic sancta illa, et minime curiosa, sed vere Christiana prudensque simplicitas in Hispanorum animis conservatur. Ut mihi quidem, quoties afflicta mater Ecclesia reliquas provincias erroribus æstuantes, a quibus se pulsam lamentatur, ægro et consternato animo lustrat, cum deinde luctu mæroreque confecta oculos lacrymis manantes in Hispaniam convertit, quam sibi jactatæ portum dulcissimum et sacram anchoram, quam afflictæ solatium, quam miseræ perfugium, quam denique exuli et calamitosæ unicam aram, ad quam confugiat, intuetur, suas omnes miserias suavissimo illius conspectu consolari videatur. Utinam! utinam! sanctissimi Patres, hanc Catholici regis severitatem in coercendis iis hominibus novarum rerum cupidis, principes omnes et respublicæ Christianæ fuissent imitatæ? Vos utique hac celebrandi Concilii sollicitudine, et Ecclesiam iis tantis ærumnis et calamitatibus liberassent.

« Neque vero hoc ardens instaurandæ religionis Catholicæ majestatis studium Indiæ solum Hispaniæque regionibus terminatum est, sed in aliis etiam Christianis provinciis emicuit. Testis est Anglia celeberrima insula, quæ cum hac hæresum peste non infectam modo, sed perditam prope atque desperatam doleret, Mariam Angliæ reginam lectissimam et religiosissimam fœminam non alio nomine duxit uxorem, quam ut si fieri potuisset, collapsam ibi religionem erigeret, et tantum illud in Ecclesiæ fortunas ab Henrico rege excitatum incendium extingueret: quod tanto animi ardore, tanta contentione, tam certa spe aggressus est, ut brevi tempore universam insulam ad Ecclesiæ sinum, unde abstracta fuerat, adduxerit, et ut publice Julio III Pontifici Maximo obedientiam restitueret, ut in Sathanæ ministros animadverteret, et ut Ecclesiæ Romanæ leges et instituta sequeretur, impetraverit: et nisi immatura mors, regina sublata, hanc tantam Angliæ felicitatem invidisset, aut nisi potius divina bonitas illorum hominum crudelitate et sceleribus offensa, ut de illis supplicium acerbissimum sumeret, fœminam sanctissimam et religiosissimam, unicum ejus gentis remedium, illis eripuisset, haud dubie eam insulam, si non prorsus sanam, non tamen ita vulneratam et sauciam haberetis. Testis est Flandria, quæ cum nonnihil sordium istarum gentium commercio et consuetudine contraxisset, nisi illius saluti opportune fuisset diligenterque consultum, eodem fuisset cum reliquis provinciis funere sublata. Testis est Mediolanum, Neapolis, Sicilia, cæteræque insulæ, regna, provinciæ, nationes quotquot latissimo ejus continentur imperio, quibus antiqua religio summo Catholicæ majestatis studio, consilio et industria conservatur. Testis est demum nunc etiam vicina Gallia, in qua cum videret hæreses in apertum furorem prorupisse, arma contra regem Christianissimum et contra religionem arripuisse, nonnullos Angliæ et aliquarum provinciarum Germaniæ principes ad illa infelicia et sacrilega arma sollicitasse, omnia jam turbasse, omnia commovisse, incendiis omnia et cædibus funestasse, miserorum Gallorum sanguine ipsa templa cruentasse, flumina infecisse, odium suum, crudelitatem et rabiem saturasse, ea denique immanitatis exempla in amicos, in fratres, in parentes, in patriam, et in Ecclesiam edidisse, quæ silicem dolore frangere, quæ ab ipsi rupibus et saxis commiserationem et lachrymas extorquere potuissent, ne ruenti in Gallia religioni, ne Christianissimo et amicissimo regi, ne clarissimo regno deesse in tanto discrimine videretur, contra tantam vim sceleris, audaciæ et proditionis eorum hominum, qui prætextu religionis regi suo, et infanti, et pupillo nefarium bellum intulerunt, suas omnes vires, potentiam, opes, se denique ipsum cum magno exercitu ad propulsandum illam insignem injuriam obtulit Christianissimo et sibi charissmo regi; ille vero qui jam exercitum numerosum contra cives contumaces et perfidos proditores comparaverat, et ad id bellum clarissimis Galliæ ducibus utebatur, exiguis Hispanorum et Germanornm auxiliaribus copiis contentus, Deo auspice, ita feliciter cum adversariis pugnavit, ut clarissima parta victoria, quam acerrimis illis religionis propugnatoribus præstantissimisque ducibus Catholici adepti sunt fractis hostium conatibus, et afflictis Gallorum rebus signum quoddam salutis elatum videretur. Etenim si penes adversarios extitisset illa victoria, nullus erat, qui non de Catholica religione et de Catholicis omnibus actum in Gallia esse judicaret ». Et infra :

« Neque vero illud prætermittendum existimo, quod ad summam ejus laudem, et totius Christiani orbis utilitatem arbitror pertinere, quod cum graviter et iniquo animo ferret religionem non terra modo, sed mari etiam ab hostibus infestari, quod infinitis sit prædonibus refertum, a quibus non solum oræ maritimæ omnes misere crudeliterque vexentur, sed quod est omnium longe miserrimum, Christiani innumerabiles captivi abducantur, qui (quod sine lacrymis et dolore commemorari non potest) partim blanditiis allecti, partim misera et longa servitute fracti, partim metu vique tormentorum coacti ad deserendam (proh dolor!) Christianam religionem impellantur; cum nullæ præterea maritimæ civitates, nulli portus, nullæ oræ, nulli abditi et sepositi sinus tuti satis atque

securi sint, cum nulla navis, nulla triremis oram per hosce annos solvat, quæ non interitum aut servitutem pertimescat, ut aut Hyeme cum fluctibus, aut Vere cum piratis sit prædonibusque pugnandum, classem parat numerosam, qua clausa vobis maria patefaciat, qua piratis expurget, qua securam reddat navigationem, qua denique Christianam religionem terra marique tueatur. Et tamen cum in hoc tam vasto curarum oceano, cum spem omnem Ecclesiæ sitam in vobis nunc et collocatam, e vestris sanctissimis decretis potissimum pendere videat, nunquam ab hoc sacro Concilio removet oculos, sed ut regem vigilantem et religiosum decet, omnia circumspicit consilia atque conatus hostium diligenter observat, ne ullis technis aut pravis hæreticorum consiliis dissipetur.

Demum orator Patres pie hortatus est, ne iis aures præberent, qui multa hæreticis concedenda concordiæ studio sentiebant, cum tanta esset eorum pertinacia, ut non ad Ecclesiam reverti vellent, sed ejus membra divellere, eamque sibi subjicere molirentur, atque etiam concessa a Concilio, eo ipso nomine quo forent concessa, non admissuros profiterentur, nec flecti ulla ratione, seu frangi possent.

« Illud in primis summis votis exoptem, Ecclesiæ majestatem vobis, (ut par est) sanctissimi Patres, esse charissimam, et illorum piam fortasse magis quam circumspectam sententiam diligenter a vobis examinandam et expendendam arbitratur, qui multa nunc Christianæ religionis hostibus a vobis putat esse permittenda, ut indulgentia victi ad Ecclesiæ sinum revertantur. Qui vos ad id præstandum, et ad hanc quam putant misericordiam, vel ea ratione conantur impellere, quod parentes sitis, qui filiorum pereuntium saluti indulgentia paterna prospicere, pastores qui abactas oves summo studio et charitate conquisitas ad Ecclesiæ aulas revocare, pientissimi medici, qui non acerbam aliquam (neque enim illam tempora patiuntur), sed blandam et exulceratis animis aptam medelam adhibere debeatis; fuisse jam dicunt quondam sæcula quædam, quæ virgas ferreas et secures pati potuissent, nunc vero in tanta temporum et animorum acerbitate nonnulla esse hominum, si non improbitati, imbecillitati saltem a nobis condonanda, ita ut in curandis his morbis, temporum potius quam rerum rationem habendam, pietatem quam severitatem, summam charitatem quam summum jus, atque hanc unicam esse viam conciliandæ pacis arbitrantur. Pia sane, et a sincero Christianoque pectore profecta, neque a vobis, Sanctissimi Patres, repudianda sententia, si hac ratione concordiæ et unitatis conciliandæ certa spes eluceret. Sed quæ, obsecro, spes pacis cum illis esse potest, qui infinitis aliis erroribus, ita pertinaciter adhæserunt, ut facilius a vita, quam ab illis depellantur? Quæ pacis certa conditio cum illis, in quibus incredibilis crudelitas, et nulla jam fides reperiatur? Cum iis, qui non ipsi ad Ecclesiam venire, sed Ecclesiam ad se adducere, et suis cupiditatibus subjicere conantur? cum iis, qui illis rebus, quas vehementer expetunt, vel hoc uno nomine, quod a Concilio concedantur, se minime usuros esse profitentur, si non conceduntur, nihil curent? Quæ ista erit humanitas, pietas aut clementia? Non est vobis certamen, sanctissimi Patres, cum iis hominibus, quos ullum beneficium, ulla pietas, quos ulla jam possit flectere misericordia. Utinam sic illi vestram auctoritatem agnoscerent, utinam sic essent in sacrum istud Concilium animati, ut si quid a vobis nunc in illorum gratiam decerneretur, optime secum et clementer actum esse putarent. Sed quis sibi persuadere potest eos vestram clementiam requirere, a quibus auctoritas vestra negligatur? Crudelis sane hæc esset misericordia, quæ in nullum eorum emolumentum, et in maximum fortasse Ecclesiæ dedecus redundaret. Quæ ea semper usa est gravitate atque constantia, ut multa suis hostibus, quæ honeste concedi potuissent, ad infringendam illorum pertinaciam sæpissime denegaverit: non est necesse exempla referre; vos ipsi recordamini. Vestrum igitur erit, sanctissimi Patres, sic illorum saluti, Ecclesiæque majestati consulere, ut omnia ex hujus potius dignitate, quam ex illorum libidine geri videantur ».

97. Excepta est magno applausu ab iis, quos nulla tangebat æmulatio, hæc præclarissimorum Philippi II Hispaniarum regis facinorum ac flagrantissimæ pietatis commemoratio, gratesque actæ a Patribus de oblata contra impios pro defendenda religione armorum potentia, commendataqua pia ejus adhortatio ad puritatem disciplinæ Christianæ instaurandam, ad quam restituendam se omni studio incumbere professi sunt, ut ex subjecto responso Famagustani episcopi ore reddito patebit:

« Magno in dolore, illustris orator, quem in communibus miseriis capimus, non mediocrem nobis consolationem attulit tua ista eximiæ serenissimi ac potentissimi Philippi regis Catholici, in Christianam religionem, atque in hanc sanctam Synodum pietatis ac studii commemoratio, non eam quidem ob causam, quod ignotus nobis antea fuerit, tam pii, tamque de Christiana republica benemeriti principis animus: sed quod ea, quæ sigillatim superioribus temporibus animadverteramus, copiosissime nunc explicata, atque ante oculos posita uno aspectu conspeximus; atque illud in primis gratum nobis atque jucundum accidit, et maximam nostris animis alacritatem addidit, quod sua rex studia omnia, suas vires, quæ quantæ sint, non

ignoramus, ad ea, quæ sanxerimus, tuenda atque defendenda se collaturum tanto animi ardore pollicetur. Quod idem pientissimum atque invictissimum Cæsarem, aliosque Christiani nominis reges ac principes facturos, cum exploratum nobis sit, quibusdam quasi stimulis incitamur, ut accurate operam demus, uti actiones nostræ tot ac tantorum principum studiis cumulate respondeant. Atque id nos quidem, et sponte nostra, et Sanctissimi domini nostri cohortatione jamdiu facimus, nihil enim aliud, ex quo die huc accessimus, meditamur, neque in alia cura atque cogitatione versamur, quam ut et in morum atque Ecclesiasticæ disciplinæ emendatione, et in doctrinæ Catholicæ explicatione nostras partes diligenter exequamur, sicque omnibus in rebus tueamur cum pietatis moderamine justitiam, ut publicæ utilitati maxime consulatur, atque ad optatum tandem exitum hanc sanctam Synodum perducamus; id quod a Deo immortali petere quotidie summis precibus non desistimus, et cum a bonis omnibus, tum a Pontifice ipso Maximo summopere desiderari intelligimus. Quamobrem cum prior orationis tuæ pars, quæ Catholicæ majestatis egregia facta, propensamque in Dei Ecclesiam voluntatem, atque ingentia merita complectebatur, nos mirum in modum delectarit, posterior etiam, quæ de labente ac prope cadente Christiana republica fulcienda, atque in pristinam, quoad ejus fieri possit, dignitatem revocanda præclara multa continebat, ea, ut mirifice cum nostris sensibus atque consiliis conveniebat, ita grata admodum nobis fuit. Nunc (quod hujus temporis est) quantas maximas possumus regi ipsi gratias et agimus, et habemus, tum pro singulari ejus ac perpetuo in Catholicam fidem studio, a qua gloriosum illum titulum sibi a majoribus suis relictum præclare tuetur, tum pro recenti ac tam piæ in S. Synodum voluntatis professione, tum vero etiam, quod te potissimum, ill. orator, ex magno clarissimorum atque ornatissimorum virorum numero delegarit, quem post illustrem marchionem Piscariæ ad nos huc mitteret, cujus præsentia non mediocre communi huic causæ, et adjumentum, et ornamentum afferret. Neque enim ignoramus, quanta prudentia, moderatione animi, probitate, religione et maximarum rerum tractatione excellas. Quare sancta hæc Synodus lætissimis te oculis atque libentissimis animis intuetur et excipit, ac mandatum tuum, prout juris est, admittit».

98. Excepto pacate oratore Hispano, cum ipsa sopita videretur de proedria contentio inter Galliæ et Hispaniæ oratores, proximo mense extremo vehementer exarsit, sed antequam ipsam denuo narrare cogamur, graves alias contentiones, quæ non pro loco, sed pro ordine exortæ fuerant, describamus.

99. *De auctoritate Summi Pontificis disceptatur.* — Mense Junio gravissimæ controversiæ exarsere circa doctrinam et canones de Ordine, ac legati cardinales formulas varias ad cardinalem Borromæum transmisere, ac in ea, quæ littera E designata erat, pro verbis, *Universalis Ecclesiæ rectoris* substituerunt verba *Catholicæ Ecclesiæ pastoris*, et pro verbis, *Romani Pontificis auctoritate*, verba hæc subrogarunt *Sedis auctoritate Apostolicæ*, quæ, licet synonyma multis theologis videantur, tamen ea Gallos diverse admodum interpretari: veluti, auctoritatem Pontificis cum ejus vita desinere, at non Sedis Apostolicæ, atque plures episcopos creatos Sedis Apostolicæ auctoritate, non Pontificis, ut Titum ac Timotheum a Paulo, Polycarpum a Joanne: pariter verba *Catholicæ Ecclesiæ pastoris*, cum discuterentur, reperta ambigua, nam, et pro universalis Ecclesiæ pastore posse accipi, et pro quolibet episcopo, non hæretico, nec schismatico, propterea Gallos nolle admittere vocem *Universalis*, ne Concilio Basileensi præjudicent; formidare enim, ne si quid adversus illud egerint, in Gallia saxis appetantur; censere porro plurimos formulam doctrinæ non promulgandam, nisi nitide ea verba *Universalis Ecclesiæ* exprimantur, licet enim verba *Catholicæ* et *Universalis* idem sonent, tamen a Latinis habito Concilio Latinam vocem usurpandam, tollendamque ambiguitatem his verbis: *Universalis Ecclesiæ rectoris*. Addidere etiam S. Cyprianum, cum aliquos hæreticos in gratiam Ecclesiæ admitteret, voluisse, ut profiterentur Cornelium Pontificem esse pastorem Ecclesiæ Catholicæ, cum ea additione, id est, *Universalis*, ac plura Concilia, maxime Lugdunense a Basileensi citatum, uti verbo *Universalis*, atque adeo Tridentinum debere uti ea voce, eo maxime, quod Galli eam vocem oppugnent, ut veritas in sua luce collocetur, atque ambiguitatum umbræ depellantur, ita Nicenum usum voce *Omousion* ad hæresim Arii confundendam; cumque dicant Galli vocem *Catholica* idem sonare, quod *Universalis*, cur refragantur, ne vox *Universalis* inseratur? tum pervulgata controversia existimatum iri Pontificem uti non posse voce *Universalis*, atqua ita auctoritatem Florentini imminuendam Concilii, augendamque Basileensis.

Subdidere præterea, non ita tutum dicere *Sedis Apostolicæ auctoritate*, ac si diceretur *Romani Pontificis auctoritate*, eo quod nonnullis Ecclesiis, ut Ephesinæ et Antiochenæ, Sedis Apostolicæ nomen inditum fuerit, in quibus tamen Ecclesiis, qui successit in episcopatu, non in Apostolatu successerit, in quo Romanus Pontifex succedit. Præterea Gallos opinari auctoritatem Sedis Apostolicæ Concilio inhærere, atque adeo si promulgetur in Concilio episcopos auctoritate Sedis Apostolicæ assumi, interpretaturos, non a Pontifice, sed a Concilio, quod eo altius perpendendum. Significarunt, demum

vocem *Catholicæ* pro *Universalis* voce tolerari posse, modo addatur *totius Ecclesiæ Catholicæ Pastoris*, et verbis *Sedis Apostolicæ auctoritate* addantur hæc, *quæ residet in Romano Pontifice*, etc. « XII Junii MDLXIII. »

100. Pro illustranda Romani Pontificis in universam Ecclesiam auctoritate plures sanctorum Patrum sententiæ, necnon aliæ decerptæ ex Conciliis Œcumenicis subjectis verbis[1] conceptæ ad Ferdinandum Cæsarem transmissæ sunt:

« Romano Pontifici plenariam in beato Petro regendi et pascendi universalem Ecclesiam potestatem a Christo esse concessam, ex sequentibus constat:

« I. Audivit Petrus Matth. 16. a Christo: *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam;* Ecclesia vero Christi una est atque universalis, sequitur ergo universalem Ecclesiam super Petrum in Christo fundatam esse.

« II. Christus Joann. ult. dicit: *Pasce agnos, pasce oves meas*; ovile vero Christi est universalis Ecclesia, sequitur ergo universalis Ecclesiæ pascendæ potestatem Petro fuisse concessam.

« III. B. Chrysostomus Matth. 16. super illis verbis: *Tu es Petrus*, etc. « Et sic, inquit, Filius quod Patris est, et ipsius Filii potestatem « Petro universaliter concessit, ubique terrarum, « et homini mortali omnium quæ in Cœlo sunt « dedit auctoritatem, dando ei claves ad hoc, ut « Ecclesiam ubique amplificet ». Idemque con« firmat tract. super illis verbis, *Sequere me.*

« IV. Damascenus super illud Luc. VII. Cum Petrus dixit: *Faciamus hic tria tabernacula.* « Non te Dominus, inquit, tabernaculorum, « sed universalis Ecclesiæ constructorem cons« tituit ».

« V. D. Bernard. in lib. II de Consid. « Ja« cobus, qui videbatur Ecclesiæ columna esse, « una contentus est Hierosolyma, Petro univer« salem cedens ».

« VI. Possent hic innumerabiles omnium SS. Patrum auctoritates plenariam potestatem B. Petro in universali Ecclesia concessam implicite expliciteque probantes adduci.

« VII. Romanos Pontifices veros esse Petri successores, orthodoxus nemo dubitare potest. Hoc enim satis aperte ipsa probavit antiquitas, ut habetur ex Irenæo lib. III, cap. 3 qui cum recenseret nomina successorum Petri, posuit post illum omnes Romanos Pontifices usque ad Eleutherium, qui suo tempore cathedram tenuit; quod ipsum quoque fecit usque ad Anastasium divus Augustinus, ut habetur Ep. CLXV. His igitur suppositis, ab exemplis et auctoritate Conciliorum exordiemur.

« VIII. In Concilio Chalcedonensi Act. 16 ad finem, Romanus Pontifex appellatur a Concilio « Vir Apostolicus et universalis Ecclesiæ « papa ».

« IX. In eadem Synodo Act. 4 ita subscribit legatus Romani Pontificis: « Paschasius epis« copus, vice domini mei beatissimi atque Apos« tolici viri, universalis Ecclesiæ papæ urbis « Romæ, Leonis Synodi præsidens statui, con« sensi et subscripsi ».

« X. In Conc. Chalcedon. « Romanus univer« salis Ecclesiæ Pontifex ». Qui locus habetur *In nomine Domini* 23 dist.

« XI. In Concilio generali Lugdunensi: « Vicarii Jesu Christi, successoris Petri, rectoris « universalis Ecclesiæ, gregis Dominici directo« ris », quod habet, *Ubi periculum* §. *Cæterum dilectio.*

« XII. Julius I Ep. ad Orientales I vol. Conc., fol. 311 refert in Concilio Nicæno haberi hæc verba: « Universalis Ecclesiæ papam ».

« XIII. Greg. II, an. 724 Synodo Lateranensi subscripsit hoc pacto: « Gregorius episcopus « sanctæ Catholicæ atque Apostolicæ Romanæ « Ecclesiæ ».

« XIV. In Concilio gen. Lugdunen. Innoc. IV: « Gregis pretio sanguinis redempti « curam Jesus Christus beato Petro Apostolo « commisit ».

« XV. In Synodo Alexandrina Athanasius et alii episcopi scribunt ad Jul. I: « Vos univer« salis Ecclesiæ, et maxime episcoporum, qui « oculi vocantur Domini, curam gerere ».

« XVI. Idem cum eisdem scribit Marco papæ, ut habetur in decretis ejusdem Marci I vol. f. 399: « Marcum papam universalis Ec« clesiæ ».

« XVII. Idem cum eisdem ad Liberium papam: « Universalem a Christo commissam ei « Ecclesiam ». Eisdem similiter Liberius papa scribit. Eisdem similiter Felix.

« XVIII. In Concilio Constantiensi art. 41, inter damnatos contra Jo. Wicleff error est: « Si « per Romanam Ecclesiam intelligatur univer« salis Ecclesia »; quare intellexit Concilium, Romanam Ecclesiam universalem esse.

« XIX. In eodem Concil. sess. 40, in tit. de forma eligendi papam, sic dicitur: « Vicarius « Jesu Christi, beati Petri successor, rector universalis Ecclesiæ, gregis Dominici director », quæ sunt verba Concilii Lugdunensis.

« XX. In Concilio, licet reprobato, Basileensi, in principio sub rubrica *initium, et approbatio:* « Martinus sanctæ Romanæ et univer« salis Ecclesiæ præsidens ». Sunt verba Concilii.

« XXI. In eadem Sess. XII, sub decreto de elect.: « Pro omnibus, quæ ipsum pro restitu« tione universalis Ecclesiæ subire oportet », agitur vero de papa.

« XXII. In eod. Conc. fol. 141, in resp. Synodali de auctoritate Conc. gener ... « Tradi-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 191.

« tam esse in B. Petro Summo Pontifici soli plenitudinem potestatis, et eum esse caput et « primatem Ecclesiæ ».

« XXIII. Idemmet Conc. in eo loco fol. 149 : « Veram illam propositionem, Summum Pontificem pastorem esse universalis Ecclesiæ ».

« XXIV. In Conc. Florentin. : « Et ipsi in beato Petro pascendi, regendi et gubernandi « universalem Ecclesiam, a Domino nostro Jesu « Christo plenam potestatem traditam esse ».

« XXV. In Conc. Lateranen. ult. sess. 6. « Leo papa sanctæ suæ (sive) universalis Ecclesiæ præsidens ».

« XXVI. In eo Conc. sub Julio II, in 5 sess. in Bulla contra Simoniacos : « Debet habere « curam, et regimen universalis Ecclesiæ ».

« XXVII. Cyprianus episcopus Martyr. lib. v, Ep. II ad Corn. scribit, se non prius quosdam intra Ecclesiam suam admisisse, quam ita profiterentur : « Nos Cornelium episcopum sanctissimæ Catholicæ, hoc est, universalis Ecclesiæ « electum a Deo Omnipotente et Christo Domino « nostro scimus ».

« XXVIII. D. Ambr. super I Ep. ad Tim. c. I : « Damasum papam universalis Ecclesiæ rectorem appellat ».

« XXIX. S. Anselmus Cantuar. archiep. scribens ad Urb. II ita præfatur : « Domino et « patri universæ Ecclesiæ in terra peregrinationis summo Pontifici Urbano II ».

« XXX. Bernard. in lib. II ad Eugen. cap. 6 : « Itaque, inquit, cum quibusque cæterorum sibi « una est commissa, facta ex omnibus ipsa universalis Ecclesia toto orbe diffusa ».

« XXXI. D. Thomas in Tract. contra errores Græcorum c. 62 : « Similis est, inquit, error « dicentium Christi vicarium Romanæ Ecclesiæ « Pontificem non habere universalis Ecclesiæ « primatum, errori dicentium Spiritum sanctum a Filio non procedere. Ipse enim Christus « Dei Filius Ecclesiam suam conservat, et sibi « consignat Spiritu sancto, quasi suo charactere et sigillo. Et similiter Christi vicarius suo « primatu et providentia universalem Ecclesiam, tanquam fidelis minister Christo subjectam servat »

« XXXII. Idem lib. IV contra Gentiles c. 76, postquam multipliciter probavit unum episcopum prælatum a Christo toti Ecclesiæ, subdit : « Per hoc autem excluditur quorumdam perniciosus error, qui se subducere nituntur ab « obedientia et subjectione Petri, successorem « ejus Romanum Pontificem universalis Ecclesiæ « pastorem non cognoscentes ».

« XXXIII. Objiciet aliquis Greg. Magnum in Ep. ad Eulog. Patriarch. Alexand. renuisse nomen *universalis papæ*, sed ita responderi poterit, Gregorium fuisse ejus sententiæ, ut Joannis Constantinopolitani superbiam reprimeret, ille enim se universalem episcopum appellabat : quod ipse Greg. ut ad Mauritium Augustum scripsit, ferre minime poterat. Quamvis autem nollet quemquam se universalem episcopum appellare, tamen non dixit, Romanæ Sedis episcopum plenariam in universali Ecclesia auctoritatem minime obtinere, nec homines id fateri, aut dicere vetuit : quin immo in Epist. ad Eulogium subdit : « Honor universalis Ecclesiæ « honor meus est » ; actuque plenariam in universali Ecclesia potestatem illum exercuisse plane constat.

« XXXIV. Quia vero his non obstantibus, conantur nunc aliqui in Concilio Tridentino efficere, ne dicatur, Summum Pontificem plenariam potestatem a Christo in beato Petro regendi et pascendi universalem Ecclesiam obtinuisse, vehementer etiam atque etiam petit sancta Synodus, enixe rogat paterneque hortatur Cæsaream majestatem, velit, ut advocatus, defensor ac procurator auctoritatis et jurium Apostolicæ Sedis, partes legitime suas interponere, ut eorumdem impetus omnino propulsetur sanctæque Sedi, quod suum fuit semper et est, integre conservetur. Id autem præstabit facile majestas sua, si non modo ea de re oratores admoneat suos, sed Galliarum et Hispaniarum episcopos ejus nomine mandet commonefieri ». Hæc ad Cæsarem tunc conscripta placuit referre ; Cæterum, qui plura de hoc nomine *Universalis* scire cupit, Baronium consulat anno 587, num. 17 ; 595, num. 52 ; et 785, num. 30.

101. *Ferdinandus imperator et dux Bavariæ Albertus Pontificis dignitatem defendunt.* — Conjunctissimus animis erat Pontifici ac præsidibus Concilii Ferdinandus Cæsar pro tuenda Pontificia dignitate, provehendaque re Christiana, cujus conjunctionis notis illustribus refertæ sunt subjectæ litteræ [1] ipsius ad cardinales legatos redditæ.

« Ferdinandus, divina favente clementia, electus Romanorum imperator, etc., reverendissimo in Christo patri domino Joanni S. R. E. episcopo Prænestino cardinali Morono, et Santiss. D. N. ad sac. Concilium legato.

« Intelleximus Sanctissimum dominum nostrum ea omnia, quæ inter nos et paternitatem vestram reverendissimam tractata et conclusa fuerunt, in optimam partem accepisse, eoque nomine Sanctitati ejus immortales gratias agimus, quam sicuti hactenus filiali observantia semper prosecuti fuimus, ita in posterum, et hunc sincerum et devotum animum nostrum Sanctitati ejus omni officii genere comprobare studebimus, et Sanctitati ejus, prout paternitas vestra reverendissima illam a nobis expectare scribit, non aliter, quam hucusque in omnibus rebus, quæ ad juvandum turbatum Ecclesiæ sta-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 26.

tum, pertinent, opere ac consilio præsto affuturi sumus.

« Quod vero attinet ad negotium confirmationis serenissimi et charissimi filii nostri Romanorum regis, omnia, quæ paternitas vestra reverendissima in iisdem litteris suis benevole exposuit, in bonam partem grato atque benevolo animo accipimus ». Et infra : « Nihil nunc possumus de illis rebus statuere, sed posteaquam, Deo propitio, Viennam pervenerimus, communicatis consiliis cum dicto serenissimo et charissimo filio nostro rege Romanorum, omnem adhibebimus diligentiam, ut negotium ad eum finem deducatur, qui cum ratione et æquitate congruat, ac nostro dictique charissimi filii nostri sincero et filiali studio respondeat, etc. Datum in Oppido nostro Insprugg. XXIII mensis Junii, anno Domini MDLXIII, regnorum nostrorum Romani XXXIII, aliorum vero XXXVII ».

102. Non dispare pietatis sensu delibutus erat Albertus Bavariæ dux, strenuissimus religionis Catholicæ in Germania propugnator, ad quem Ormanettus internuntius ex Concilio Tridentino missus erat, ut eum in Catholica religione confirmaret, ne a Bavaris calicem propria auctoritate usurpari pateretur. Has ergo litteras humanissimas ad præsides Concilii medio Junio transmisit :

« Reverendissimis in Christo patribus et illustrissimis dominis sanctissimi domini nostri ad sanctum Concilium Tridentinum legatis, dominis amicis nostris honoratissimis.

« Reverendissimi in Christo patres, illustrissimi domini, amici honorandissimi, salutem, et benemerendi gratificandique sincerum studium. Litteras reverendissimarum et illustrissimarum vestrarum dominationum Ormanettus reddidit, animique vestri, et perpetuæ erga Sedem Apostolicam veramque Catholicam religionem devotionis testimonia præsens accepit ; qui proculdubio referet, qua est fide et integritate. A reverendissimis autem et illustrissimis vestris dominationibus, quod optima quæque si a nobis pollicentur, libenter intelleximus : nec deerit occasioni promptissima nostra voluntas, si quando, vel communibus Catholicæ religionis rebus, vel privatim etiam reverendissimis et illustrissimis vestris dominationibus inservire poterimus ulla ratione. Sacri Concilii, imo communia totius Christiani orbis negotia, ut pluribus commendemus, non est opus : ponderabunt pro sua prudentia et bonitate reverendissimæ et illustrissimæ vestræ dominationes rerum, quarum motu inquietior jam est totius fere Europæ status, gravitatem, et non negligent tot misere periclitantium hominum salutem , quibus conatibus dextera Excelsi haud dubie propitia aderit, suamque Ecclesiam meliore aliquando tutioreque sæculo eriget.

« Bellissime valeant reverendissimæ et illustrissimæ vestræ dominationes, quibus nos nostraque studia offerimus amicissime.

« Ex civitate nostra Monachio XV Junii anno MDLXIII.

« Albertus dux Bavariæ manu propria ».

Consignatæ sunt eodem die aliæ ejusdem principis litteræ [1] ad Pium IV Pontificem, quibus flagrantissimum suum religionis studium, singularemque erga Sedem Apostolicam observantiæ ardorem explicat :

« Beatissime in Christo Pater, domine clementissime , humillimam commendationem , et pedum beatissimorum oscula devotissima.

« Paternam Sanctitatis vestræ admonitionem, tam ex brevi Apost. quam ex Ormanetto nuntio devote et reverenter intellexi, merito summas ago et humillimas gratias Sanctitati vestræ pro ista sua tam paterna plenaque pietatis cura in filium obedientissimum ; et sentiet profecto Sanctitas vestra minime defuisse locum in me salutaribus monitis, nam quod ipsa tantopere a me requirit, quodque idem ego non per frequentes solummodo litteras, sed etiam oratores meos aliquoties sincere contestatus sum , id quod vires vitaque durabunt , constanti infractoque animo semper integrum tuebor atque præstabo. Vestram igitur Sanctitatem humiliter et reverenter oro, ut quod jam diu de me, deque ea, quam a piissimis Catholicæ religionis cultoribus progenitoribus meis, quasi hæreditate acquisivi erga Apostolicam Sedem devotione mea, persuasum habet, perpetuo certissimum sibi polliceatur : non fallam, Deo propitio, pientissimi Patris affectum, semperque respondebo devota pietate tanto tamque ardenti in me amori. Cætera, quæ singulare meum, tam erga sanctam istam Sedem, quam religionem Catholicam studium declarare, et præsentium temporum rationem explicare uberius possunt, Ormanettus ipse referet : me vero, meaque omnia Sanctitati vestræ humillime commendo et offero. Monachii XV die Junii anno MDLXIII ».

« Sanctitatis vestræ obsequentissimus filius Albertus dux Bavariæ ».

103. *Catechismorum editio a Patribus Concilii promota.* — Conquestus fuerat apud Concilium Albertus tanta imperitia obsitos esse sacerdotes sui principatus, ut sacras conciones ad informandum Christiana lege populum habere non possent ; flagitabat propterea, ut laici eruditione sacra conspicui, ubi deerant muneri sacerdotes, prædicare possent. Patres vero, quos probata Ecclesiæ consuetudo non latebat, ut nimirum a prædicatione verbi Dei repellerentur laici, quod a sancto Leone [2] Pontifice Maximo episcopo Antiocheno imperatum recolebant Epi-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. Ep. CVIII. — [2] S. Leo Ep. LXII. ad Max. Ant.

stola LXII, cum ait : « Etsi optandum est, ut omnes Ecclesiæ filii, quæ recta et sana sunt, sapiant : non tamen permittendum est, ut quisquam extra sacerdotalem ordinem constitutus, gradum sibi prædicatoris assumat; cum in Ecclesia Dei omnia ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore , excellentiora membra suum officium impleant, et inferiora superioribus non resultent » ; salubrius cogitaverunt consilium, quo et præsenti non deessent necessitati, et Ecclesiasticæ disciplinæ vigorem non interverterent, monuerunt propterea ut Catechismi a spectatissimis sacerdotibus theologiæ facultatibus præstantibus compositi typis mandarentur, jubereturque sacerdotibus eos legere, ac populis distribuere, ut hac solertia, excussis de manibus obliteratisque hæreticorum libellis, salubris per omnes ordines ætatesque Catholicæ fidei doctrina propagaretur.

104. *Prorogatio decima sessionis septimæ.* — Quod autem pertinet ad Concilii celebrationem, cum controversiarum moles in immensum excrevisset, nec cunctis ex ordine perscrutandis sufficiens tempus adesset, XV Junii habita Congregatio est, in qua prorogatio Sessionis in mensem alium decreta a Massarello [1] refertur.

« Prorogatio decima Sessionis VII Tridentina sub Pio papa IV ad diem XV Julii.

« XV mensis Junii MDLXIII, habetur Congregatio generalis hora X, in qua illustrissimus dominus Joannes episcopus Prænestinus, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis Moronus, sacri Concilii primus præsidens et Apostolicus legatus, recitata oratione Sancti Spiritus consueta, allocutus est Patres in hanc sententiam :

« Adest hodie dies, in qua statuendus est terminus futuræ sessionis. Optamus ut omnia parata sint, quod speramus nobis concessurum Deum. Causæ autem præfigendi terminum Sessionis sunt multæ. Prima, quoniam sunt novem menses elapsi, quibus nulla Sessio celebrata fuit non sine maximo dolore et scandalo omnium Christianorum. Secunda, quia tot Patres absunt a suis Ecclesiis non sine magna animarum jactura. Tertia, quia principes conqueruntur de tam longa nostra prolongatione et mora. Quinta propter gaudium adversariorum nostrorum, quod ex eadem nostra cunctatione accipiunt. Cupimus ergo statui sessionem ad XIV diem mensis Julii, qui est dies sancti Bonaventuræ, eritque propterea dies faustus et felix. Si dies ista placuerit Patribus, curabimus, ut eo tempore possit celebrari ; poteruntque hoc interim Patres rogare Deum, ut res ipsæ conciliares habeant progressum prosperum atque felicem ».

Rogatis sententiis omnes, quinque exceptis, in XV diem Julii consensere, quo demum celebratam Sessionem septimam videbimus. Deinde data est opera revocandis ad examen abusibus circa Sacrmentum Ordinis.

105. *Reviviscit ardentius controversia de præcedentia inter oratores Gallos et Hispanos.* — Interim XXI Junii habita est Congregatio, in qua responsum Gallorum regis oratori, quod alibi inseruimus, redditum fuit, ac simul designati præsules, qui formulam decreti de Sacramento Matrimonii concinnarent, die vero XXXVIII Junii ita a Morono præside Concilii peroratum [1] de honoribus debitis exhibendis oratori Philippi regis Catholici.

« Cum fuerit proximis superioribus diebus de mandato Sanctiss. D. N. per nos assignatus locus illustrissimo domino comiti de Luna oratori regis Hispaniarum in generali Congregatione, ac tum in Synodo, idemque illustrissimus dominus comes de Luna nunc etiam petat, ut sibi itidem in capella et sessionibus locus detur, necnon thurificatio, et pacis osculum sibi detur, prout etiam nobis a S. D. N. mandatum extat : nos cum maxime cupiamus, ut omnes Catholici principes, seu eorum oratores omnibus et singulis actibus hujus sanctæ Synodi intersint, ita tamen ne ex aliquorum præsentia, sive loco eis constituto, sibi aut aliis præjudicium aliquod inferatur, ideo inhærendo commissioni et litteris S. D. N. quarum tenor sequitur, et est talis : Pius IV etc. Declaramus ex assignatione loci, necnon thurificatione, pacis osculo, et aliis omnibus actibus, quæ tam in præsenti quam in futurum, etiam in sessionibus in dicta capella fient, nullum fieri inde præjudicium sibi, aut cuicumque alteri regi, principi, seu eorum oratoribus, prout ex præsentibus nostris aperte protestamur, declarantes juxta prædictam mentem S. D. N. velle nos omnia eorum jura, tam quoad præcedentiam, quam quoad alios quoscumque actus esse integra et salva, tam in petitorio quam in possessorio, perinde ac si præsens assignatio loci, et omnes actus inde secuti, et qui in futurum fient, facti non fuissent. Præsentibus episcopis Isclano , et Vestano, et Gabriele Palæotto Rotæ auditore ».

Non hæc suffecere ad pacanda inter Galliæ et Hispaniæ oratores dissidia [2] : ineunte quidem anno negaverat comes e Luna Hispanus orator venturum se ad Concilium, ni honorificentiorem Gallico oratore locum in consessu teneret, vel post Pragensem inter Ecclesiasticos sederet ; at Lotharingius cardinalis intercesserat postulato, neque enim hæc fieri posse sine dissidio manifeste concitato, ac orator Gallicus contenderat [3], ut post ipsum sederet, si enim proedriæ a Gallis obtentæ possessio in litem vertatur, contestatus erat se e Concilio discessurum, ex

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 183.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 365. — [2] Card. Vicecom. in lit. ad card. Borr. XXIII Jan. Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 340. — [3] Ib. p. 350.

quo impendere periculum, ne solveretur Synodus, atque bellum inter Galliæ et Hispaniæ reges accenderetur, Carolus Vicecomes cardinali Borromæo significarat. Submissus etiam a cardinale Lotharingio Aurelianensis episcopus ineunte Februario legatos sollicitarat, ut pupilli regis jura tuerentur; merita veterum regum Gallorum erga Ecclesiam commemorat[1], in aliis Conciliis Hispanos oratores post Gallicum sedisse exponit, grave ex eo damnum Gallicæ dignitati inferri, turbari pacem inter reges, cumque Carolus rex ob defensam religionem tot labores bellicos in regno perferat, eo majori honore in Concilio afficiendum: attulit quoque exemplum Venetorum, qui judicarant oratores in jure possessorio asserendos. E contra Hispani præsentis felicitatis aura elati magnifica regum suorum gesta celebrabant; inter quæ contraria utriusque nationis studia legati, cum Hispano oratori locum extra ordinem perhonorificum attribuissent et statuissent, ut ex æquo adolendi thuris honos utrique oratori exhiberetur, tanta exarsit dissensio, ut periculum gravissimum dissolvendi Concilii invexerit, ut Gabriel Palæottus[2] postea cardinalis in Actis Ms. describit:

106. « Nulla (inquit) res post inchoatum Concilium, Christianæ reipublicæ statum in majus discrimen adduxit, quam hæc actio, quam modo sumus memoraturi, nam ingentibus dudum exortis de loci dignitate variis in locis inter oratores regum Galliæ et Hispaniæ dissidiis, res quidem Tridenti quiete satis nuper composita inter utrumque videbatur, postquam locus extra ordinem in congregatione generali comiti Lunensi tacito omnium assensu fuerat decretus, ex quo utriusque rationibus non incommode in considendo prospectum fuisse censebatur. Verum cum alii publici congressus in templis, in supplicationibus aliisque actionibus essent secuturi, in quibus si uterque orator conveniret, nihil ea cautio proderat, cum in iis alterum alteri evidenter præire dignoscendum esset; propterea hæc prospiciens Vargas, qui itidem orator regis apud Summum Pontificem erat, et quo auctore multis jam ab annis dicebantur excitata, acceptisque a comite Lunen. litteris, occultis studiis apud Summum Pontificem egerat, ut Tridenti locus Hispano non inferior Gallo decerneretur, alioquin eum quamprimum Tridento excessurum jactabat. Papa ipse, cujus intererat magnorum principum oratoribus Synodum non destitui, vel parum erga Gallos fortasse propensus ob tumultus de religione ibi exortos, vel etiam, ut Hispano gratificaretur, quem præsidium Christianæ reipublicæ aiebat, per litteras legatis scribit, ut si æqualem nequeunt prorsus locum Hispano dare, saltem extra ordinem alium ei constituant, qui Hispani voto respondeat. Legati rem periculo plenam, nec Gallos id passuros respondent, potiusque hinc discessuros. Replicat papa, nihil hic de eorum jure statuendum, hæc tempora ita ferre, Synodi etiam existimationem ita postulare, ut se omnibus interea æquabilem præbeat. Respondent rursus legati, prope certum hinc dissolutionis Concilii periculum, aliaque multa incommoda etiam cum suæ Sanctitatis offensione imminere, quandoquidem Galli in mandatis habeant, si quid hic attentetur, quod eorum juri ac antiquissimæ possessioni præjudicium afferat, ut statim Synodo illatas sibi injurias denuntient, Tridentum deserant, ad aliud liberius Concilium appellent, simulque ab auctoritate ac imperio Pii IV, donec ille Pontificalem Sedem regat, se abducant, alia etiam adversus ejus electionem, Pontificatusque administrationem iniquiora opponant. Ideo cum tot mala hinc profectura videant, existimasse sibi ab ejus mandatis exequendis supersedendum, donec Diplomate certo manus suæ Sanctitatis subscripto id eis præcipiatur, nec enim tantam culpam adeo facile in se suscepturos. Papa tertio rescribit, certum sibi esse, ut id omnino perficiant, quisquis tandem hinc exitus sequatur, non enim in hac morula temporis, donec Concilium peragatur, Hispanum excludendum, cum hoc veterem cum Gallis causam nihil lædat, quæ integra in statu pristino est relinquenda, perinde ac si Tridenti nunquam convenissent. Addit cum sacris solemnibus in templo erit oratoribus adsistendum, tunc Hispano locum seorsum adversus aram constituendum, duplicique thuribulo, et tabella pacis, utrique eodem tempore ministrandum; quapropter Breve ad eos manu sua mittit obsignatum, eodemque tempore aliis litteris Borromæus nomine Sanctissimi eos ad mandata explenda impellit, utque rem, quam secretissime, conscio tantum comite Lunensi peragant: commodumque videri perscribit, ut in vigilia Principis Apostolorum Petri, aut in ejus die festo, cum sacrum celebrabitur, id perficiant. Legati maxima sollicitudine affecti, incertique quid agant, cum hinc dissidii periculum ac schismatis, illinc spretæ Sanctissimi auctoritatis crimen vereantur, post diligentem consultationem, tandem rem aggredi ita statuunt, suadente id præcipue Morono, cui notior etiam ac exploratior mens Sanctissimi videbatur, quam ideo non amplecti toties litteris repetitam, nefas judicabant. Non desistunt tamen ante oratorem Hispanum ingentis exitii, quod hinc impendet, admonere, eumque quacumque possunt industria ac conatu ab hoc consilio avertere, ut eo assentiente turbæ hæ vitentur, ipsique penes Summum Pontificem ab omni culpa immunes inveniantur. Orator nihil minus quam ab hoc se proposito patitur dimoveri; ait, certum ad se tabella-

[1] Ib. p. 258. — [2] Act. Conc. Trid. per. Gabr. Palaot. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 24. p. 338.

rium hac de re ex Urbe missum fuisse; rem tanti non esse, ut ideo Galli majores velint conflictus excitare: subdit tamen se commodius cum legatis ante eum diem locuturum. Interim legati delato N. tabellioni publico jurejurando, ne negotium, quod cum illo acturi essent, priusquam perfectum esset, cuiquam patefaceret, coram eo publico testantur documento, se mandato Sanctissimi adactos locum illum comiti Lunensi decrevisse, ita tamen, ne præjudicium ullum cuicumque alteri regi, principique commune oratoribus illatam esse, tam in possessorio quam in petitorio judicio intelligatur.

« Die constituto, qui erat XXVII Junii, cum orator Hispanus legatos non convenisset, sperant illi eum sententiam mutasse, verum die XXIX, ipso die festo S. Petri, paulo antequam in ædem sacram prodeant, illis significat, constitutum sibi esse eo mane cum illis sacris interesse, cupereque, ut conventa sibi officia impendantur. Incredibilis animi cura tum legatos occupat; quoniam tamen progrediendum erat, spem capiunt ex taciturnitate, ut minori tumultu res possit succedere, quæ omnibus occulta erat. Missa inchoatur. Advenit orator Hispanus, cui locus datur ex latere legatorum subsellio præparato ante sedes patriarcharum fere e regione aliorum oratorum laicorum. Mirantur omnes eo adveniente, existimant tamen rem ex composito cum Gallis geri. Galli nihil ejus loci assignatione læduntur, cum extra ordinem esset, ipsique suum antiquum juxta oratores Cæsareos retinerent. Tum cardinalis Lotharingius sciscitari incipit a legatis proximis, quid tandem agendum sit in thuribulo et pace offerenda? Illi mussitant, atque ad Moronum rem rejiciunt; Moronus servandum morem Germaniæ, ut duo thuribula adhibeantur. Lotharingius acriter renuit, resque ad oratores Gallicos perfertur, illi indignantur, fremunt, multaque minari incipiunt. Legati ubi rem quiete transigi non posse vident, varia consilia incipiunt proponere, ne sacrum perturbetur, videlicet, ut neutri ex oratoribus thuribulum ministretur, vel solum legatis, omissis aliis duobus cardinalibus, vel æque omnibus offeratur. Nec Galli nec Hispani assentiuntur. Imo Hispanus in eo persistit, ut legati jussa Pontificia exequantur. Quare legati, et alii duo cardinales in sacristiam interiorem ad rem tractandam secedunt, cum iis oratores Cæsarei, et Galli, et orator Polonus, et nonnulli prælati, Granatensis, Senonensis et Aurelianensis. Interim in Ecclesia sacra concio [1] habebatur. Lotharingius et Galli oratores mandata regia legatis ostendunt, ut si quid hujusmodi innovetur, hinc statim discedant, atque ab obedientia Pii IV toto ejus Pontificatu deficiant, addunt alia verba acerbis querimoniis plena. Interponunt se oratores Cæsarei et reliqui, sed frustra. Granatensis Hispanum admonet, vereri se, ne quid hinc calamitosum publice prodeat quod ipsemet Catholicus rex sit detestaturus. Hispanus respondit, nihil sibi a rege suo mandatum, quod possit tumultum parere. Verum id præceptum papæ esse, cui legati debent obtemperare. Polonus, deficiente Gallia, ait de regno suo prope actum dici posse. Madrucius velle se inquit ante Concilii auxilium implorare, et singulorum Patrum sedes obire, eorumque consilium, quid tandem de hac re judicent exquirere. Re ita perturbata, Deus auctor pacis consilium suggerit, ut eo die, nec thuribulum, nec pax cuiquam, nec legatis ipsis offeratur. Acquiescunt Galli et Hispani. Legati itidem amplius exigunt, id ab Hispano efflagitari, ut in illius gratiam id factum fuisse penes Sanctissimum quandocumque constare possit. Missa peracta, magnaque omnes animi suspensione liberati.

« Revertitur eodem die Hispanus ad legatos, conqueritur regem suum sic traduci, petit ut primo quoque die festo, cum Missa celebrabitur, sibi thuribulum ex præscripto Sanctissimi ministretur; nihil se furores Gallicos aut minas vereri, potius illis a rege suo metuendum esse Legati cum eo, omnibus frustra tentatis, ubi nullum aut rationibus aut excusationibus locum esse viderunt, statuunt negotium quoquo modo perficere; quoniam tamen manifeste hinc vident dissidium præparari, et Gallos nihil, quod gravissimum sit, omissuros, advocat Simoneta auditorem prius et Vestanum, ut responsionem componant, qua se adversus protestationes Gallorum, si forte Sanctissimum D. N. indecoro aliquo nomine, prout jactabant, sint appellaturi et ab eo omnino defecturi, tueantur. Auditor rei magnitudine ac periculo territus, petit, quid legatos compellat, ut in hunc conflictum descendant? Respondit Simoneta ita Sanctissimum jubere, et Hispanum assiduo urgere. Auditor qui jam præsenserat, Gallos vehementissime conqueri, regem illorum pupillum indefensum, non citatum, causaque non cognita ex antiquissima ejus possessione dejici, nec licere papæ hæc in Synodo attentare, cum ita se superiorem Concilio gereret, quod ipsi secus constanter sibi persuadebant, et alia indigniora minari atque inter se moliri, idcirco tot pericula veritus, replicat, hæc in Urbe prospici haud potuisse, quæ præsentes ipsi deprehendunt; legatos non debere rem adeo perniciosam exequi, cum hinc schisma sit exiturum. Simoneta ait non licere eis Sanctissimi imperium detrectare, seque auxilium nunc petere, non consilium. Auditor subdit, auxilium a se in ea re non expectandum, quam maxime detestatur, scire se Deo supremo omnium principi schis-

[1] Acta Concil. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Barb. sign. num. 24. p. 341.

mata in Ecclesia sua maxime displicere, illisque a fidelibus omnibus occurrendum esse. Aderat etiam Vestanus, qui recusavit æque consilium impartiri, imo suasit, ut omnino ab his legati abstinerent, quæ scandalis et periculis aditum aperirent. Auditor id coram Navagerio apertis verbis est testatus perperam ab eis fieri, si hæc attententur, nec Sanctissimum nostrum tantam ruinam cogitare potuisse, qui Navagerius satis in hanc sententiam erat propensus. Spargitur interim rumor inter omnes prælatos gravissimum periculum et exitium rebus nostris impendere, nemo non dolet, atque excruciatur, ita temere res præcipitari, tanto omnium offendiculo, tanta calamitate, quisque quibus potest officiis, tum apud legatos, tum apud Hispanum et Gallos tentat tantam cladem avertere, atque res componere. Tandem divinæ placuit clementiæ, ut hæc Sanctissimo regique Catholico significentur donec ab eis litteræ proferantur. Si oratores contingat in templo solemnibus interesse, tunc thuribulum, paxque legatis ministrari ipso etiam sessionis die intermittatur. Ita res periculosissima brevi sedata est. Plurimum in eo etiam prælatis aliquot Hispanis, atque in primis Granatensi et Segobiensi suffragantibus, qui cum oratorem suum maxime ab hoc conatu dissuadere curassent, ne occasio schismatis præberetur, magnum probitatis ac religionis documentum cæteris ediderunt ».

107. Porro adversus Gallicorum oratorum protestationem armatam calumniis contra Pontificium honorem atque observantia erga Patres Concilii indignam, gravissimis hisce verbis [1] effusos ab iis irarum æstus compescuit :

« Scimus, illustres oratores, olim a vobis nomine Christianissimi regis vestri mandatum huic sanctæ Synodo exhibitum, publiceque coram Patribus lectum et admissum fuisse, in quo, cum vobis facultas daretur debitam obedientiam præstandi erga sanctam Synodum, non reclamandi, aut aliquid dicendi contra Sanctitatem suam, non possumus non mirari, vos in præsenti tantam potestatem ac licentiam regis vestri nomine sponte vobis assumpsisse, quod nos omnino ab illius mente alienum esse existimamus; præsertim cum nihil a sancta Synodo in hoc negotio gestum fuerit, quod regi vestro præjudicium aliquod, aut offensionem intulisse dici possit : siquidem ex antiquo hujus sanctæ Synodi instituto omnes semper absque præjudicio aliquo admissi esse censentur. Quare cum nec vobis ad id nominatim facultas competat, nec de hoc sanctæ Synodi actu jure conqueri possitis, ad protestationem vestram, seu qualiacumque verba, ut a privatis personis hac auctoritate carentibus prolata, ab omnique ratione aliena; quin potius schisma redolentia, et sanctæ Ecclesiæ unitatem dirimere tentantia, et penitus impia ac detestanda, responsionem nullam dandam censemus.

« Monemus potius vos, ut sicuti sancta Synodus communi tranquillitati prospiciens eam quam debuit in hoc vestro negotio, justam atque honestam rationem iniit, sic vos ejus exemplo ab istis reclamationibus et querelis abstineatis, nec ipsi plus dolere velitis, quam regem vestrum, si hic interesset, facturum esse deceret, qui pro sua pietate, et Christianissimo nomine, quod gerit, non dubitamus, quin hoc, quod a sancta Synodo gestum est, in bonam partem non esset accepturus. Quapropter, cum nulla vobis Œcumenico huic et libero Concilio diffidendi occasio præbeatur, uti tot sanctissimi Patres, etiam nationis vestræ intersunt, et præcipue illustrissimus et reverendissimus cardinalis a Lotharingia; nec de Sanctissimo etiam nostro quidquam suspicari, nedum inique loqui juste debeatis, qui regi utrique communis atque amantissimus Pater est, vestri esset officii ea omnia impedimenta declinare, quæ communem unionem, Catholicæ religionis commodum, et hujus sancti Concilii progressum possint perturbare ».

108. Scripsere [1] cardinales legati ad cardinalem Borromæum eadem die XXIX Junii opinatum esse oratorem Hispanum, ex improviso, peracta re, Gallos pressuros eam silentio, nec commotum iri, at illusum opinione sua; significasse enim Lotharingum cardinalem data regia mandata de edenda contestatione adversus Pontificem, accusandaque ejus electione, ut simoniaca, ac licet justis suffragiis renuntiatus esset, contestari tamen jussos apud Synodum adversus eum, ut Pontificem injustum ac tyrannum, qui exauctorandus esset, cum regem Galliæ pupillum et innocentem antiqua juris possessione, inaudita causa deturbaret, Gallosque ab obsequio Pontificis discessuros usque ad alterius Pontificis tempora, qui violatum jus pristinum redintegaret, omnesque Gallos Tridento pro Concilio nationali cogendo abituros : hæc ira perciti Galli falso et immerito contra Pontificem effutiebant. Addidere legati in medio ejus discordiæ æstu respondisse Hispanum oratorem, se mandata accepisse a rege, ne rem ad discordiam cum Gallis, dissolutionemne Concilii urgeret, Gallis vero a legatis denuntiatum, nolle Pontificem detrahere juri regis Galliæ, at neque etiam posse cogere Hispanum oratorem, ut ipsis cederet, demumque Comitem e Luna assensisse, ut thurificationis et symboli pacis offerendi ritus intermitteretur.

109. Ultima Julii questus est gravissimis litteris [2] Lotharingus cardinalis apud Pontifi-

[1] Angel. Mass. Ms. arch. Vat. sig. num. 3188. p. 137.

[1] Card. leg. Ep. 379. ad car. Bor. Ext. in Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1344. et in Ms. card. Pii. — [2] Ext. inter lit. Vicecom. Ep. Vintimil. Ext. in Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1345. p. 73.

cem, ab eo pupillum regem non audita 'causa inique opprimi, imminentiaque schismatis et Gallorum ab eo defectionis discrimina, si incœptis perstaret, nitide exposuit, studio asserendæ Pontificiæ dignitatis, avertendorumque ingentium malorum, quæ improvide accerseret :

« Beatissime Pater.

« Conceptum hesterna die dolorem nullis verbis possum expprimere, cum vidi DD. reverendissimos legatos nulla re mecum communicata, assensisse, ut comes e Luna ad sacra accederet, intellectumque est a me, locum illi in sacello designasse, decrevisseque, ut thurificatio et pacis symbolum illi eodem temporis momento offerrentur, quo oratoribus Galliarum regis exhibenda erant, novando immutandoque veterem ritum, moremque semper in Ecclesia observatum, cum regis nostri dignitatis damno ac præjudicio. Non possum, sanctissime Pater, in re adeo gravis momenti silere, utque membrum Sedis Apostolicæ, tuæque Beatitudinis servus continere me non possum, quin dicam summa cum demissione atque observantia, mirari me satis non posse, quomodo in eam cogitationem mentemve adduci potuerit, ut daret mandata de ea re, quæ maximos Christiani imperii principes concitare in mutua arma, regnum Galliæ ab ipsius obsequio abalienare posset, ac omnium deterrimam funestissimamque fabulam ludere, quæ nunquam peracta fuisset.

« Demisse obsecro Sanctitatem tuam, ut mihi permittere velit, ut cum summa demissione et observantiæ infimo cultu libere expromam, quid in hoc casu sentiam, quod tamen dictum velim, ut censuræ Beatitudinis tuæ subjiciatur. Obsecro igitur, ut perpendere velit ætatem regis pupilli, collataque ab illius prædecessoribus in hanc Sanctam Sedem beneficia, atque ex his consideret, quam gravem illi injuriam inferat, si ab ipsius Beatitudine, quæ omnium communis pater, pupillorum omnium protector esse debet, ea honoris privilegia illi eripiantur, quibus illius majores pacifice ac sine ulla controversia semper potiti fuerunt, idque non audita illius causa vel intellecto jure. Certe res maxima est, quod Sanctitas vestra, quodammodo præscribere Concilio voluerit, inque ejus conspectu talem ferre sententiam, parte inaudita, quasi vellet cum tanti Patrum consessus consensu regi Galliæ pupillo jus eripere. Relinquo judicio vestræ Beatitudinis, quam præclare geratur ea res, ac dico, quod nisi multa prudentia et pietas comitis e Luna, et nostrorum Gallorum patientia affuissent, non stetisse per ipsius legatos, quin dies festus S. Petri omnium funestissimus et infelicissimus dies, quem unquam Christiana respublica passa sit, evaderet. At de his fari intermitto, et cum omni modestia observantiaque conqueror, quod cum Sanctitas vestra mihi significasset, Musotti, qui mihi a secretis est, suorumque legatorum opera, tantam in me locasse fiduciam, ut vellet me omnium Concilii rerum participem fieri, tamen hactenus nullum ejus rei signum, imo omnia contraria viderim, verum ex eo nulla me cepere fastidia, imo omnes cogitationes ad obsequia tuæ Beatitudinis confero, et quicumque sequatur casus, Sanctitati vestræ sanctissime polliceor me illi constantissime adhæsurum : verum summam molestiam traxi, quod sub pœna inobedientiæ legatis jusserit, ne de re ad me spectante mecum conferrent, quæ si mecum communicata fuisset, meliorem exitum sine ullius injuria erat habitura, quæ fieri non potuit, cum ex improviso fuerim appetitus; verumtamen ea calamitas non contigit, quæ successisset, nisi optimum præsulem Hispanum interpretem adhibuissem, qui comiti e Luna persuasit, ut æqui bonique acciperet, ne eo matutino thurificatio vel pacis sympolum cuiquam, nec ipsis legatis offerrentur, qui quidem nullis meis verbis flecti poterant, quin mandata a vestra Sanctitate accepta conficerent, quam monitam esse velim, quia gradus, quem in Ecclesia Dei teneo, et procurandæ illius quietis cupiditas, ad id me obstringunt, si mandata data in opus provocentur, oratores Gallos palam professuros, quod cum Sanctitas vestra officium patris abjecerit partesque adversarii assumpserit, non audita causa regem decretoria sententia damnaverit maximo illius majestatis præjudicio, atque ex superiore gradu ad parem redegerit, ab ea is sententia provocare, omnibusque modis causam suam defensuros, omni Concilii vel alterius respectu abscisso, prout tuendam promovendamque causam visum fuerit. Novit Sanctitas vestra, quemlibet acceptas injurias graviter tolerare, omnium vero gravissime principes, easque omni ratione obtrito omni respectu ulcisci, quare administri, qui mandatis parere coguntur, ad ea aliquando compelli, a quibus maxime abhorreant. Gravitas rei me perpulit, ut hæc vestræ Sanctitati significem, addamque nullum Tridenti versari, sive Italum, sive Hispanum, qui re intellecta, adversus Sanctitatem vestram non vociferetur. Ipsa modo per viscera Jesu Christi obsecro, ne tot malorum auctor et causa esse velit ; deponat eas cogitationes, et Concilium ad finem suum perduci sinat, quod tantos habeat progressus, ut brevi absolvendum speraretur, cujus celerem exitum etiam vestra Sanctitas expetit. Significo etiam, quod si in suscepta mente perstiterit, et Galliarum regi præjudicarit, reges ad mutua bella non descensuros, non defutura enim ad sopiendum bellum remedia, sed Beatitudinem suam sine ullo remedii genere immensos sibi labores toto vitæ fluxu, licet centum annis vixerit, accersituram. Si quid in his litteris Sanctitatem vestram læserit, supplicibus precibus ab ea deposco, ut id pio

ardori benemerendi de universa Christiana republica, ac desiderio quietis suæ tuendæ, famæque asserendæ desiderio tribuat, dimissioneque infima Sanctissimis pedibus oscula libo. Tridenti ultima Junii MDLXIII ».

Subjecta sunt hæc Latine concepta verba: « Existimavi, Pater Beatissime, Musottum hunc meum ad Sanctitatem vestram mittere, illi ut fidem det rogo et obsecro, cui iterum pedes osculor.

« Humil. servus,

« Carolus, cardinalis a Lotharingia. »

110. Non præviderat hæc incommoda graviora Pontifex, prioraque mandata impendentium malorum ignarus urgebat, cum postridie cardinales legati Pontificium nepotem Borromæum certiorem fecere [1], ex lite mota ab Hispano oratore et dato Pontificio mandato excidium eversionemque Ecclesiæ impendere, Gallos cum Anglis, Germanis et aliis hæreticorum regnis se conjuncturos, majorem Concilii partem hanc novitatem execrari, principum oratores Gallorum regis justam causam arbitrari, Sedis Apostolicæ dignitatem omnino labefactatum iri, præsules atque theologos opinari, injuriam fieri pupillo non citato, nec audita illius causa, maxime cum in ipsa aula Cæsaris patrui ipsius regis Catholici, vel etiam in Urbe Roma ea injuria irrogata Gallo non sit, inde gravissimam invidiam et infamiæ labem adhærescere Pontifici, quasi ea ratione dissolvere Concilium, restituendæque purioris disciplinæ Christianæ curas et sanctiorem morum normam defugere meditetur; æqui igitur accipiat, si istis intercedant legati; ex scripta enim protestationis formula a Gallis pronuntianda Pontificis famam labefactari, præteritos labores irritos fieri sumptusque cassos reddi: consulendum potius animarum saluti Conciliique perfectionem promovendam, cardinalem Lotharingum et Gallos propensissimis studiis incumbere ad dogmata expedienda, disciplinamque Christianam et perfectionem excisis vitiis et corruptelis sanciendam; æquum non esse pro inani thuris ritu pacisque symbolo pacem orbis confundere. Significarunt etiam Gallos in concepta protestationis formula [2] se Apostolicæ Sedis et Concilii studiosos ostendere, commendare legatos, regemque Catholicum et comitem e Luna laudare, omne autem irarum virus in Pium Pontificem effundere, simoniaco vitio (ut ipsi falso asserebant) creatum objicere, exercitæque simoniacæ perfidiæ accersere, viduas et pupillos contra Evangelicam legem opprimere. His litteris [3] prima Julii die consignatis consentanea scripsit Carolus Vicecomes, « Gallos oratores meditari provocationem ab hoc Pontifice, tanquam ab eo, qui causam schismati præbeat, ad verum et legitimum futurum Pontificem ». Aliis etiam litteris eodem die exaratis significarunt legati, propterea Gallos in Pontificem iracundia magis efferatos, quod dicant, comitem e Luna non a rege Catholico, sed a Pontifice ad hæc novanda moveri: at falso id a Gallis jactabatur, ad dissolvendam enim calumniam, qua perstringebatur Pius eam litem movisse, Hispanus orator demonstravit, sæpe Pontificem a Philippo Catholico rege de ea re postulatum. Quanquam vero urgeret comes e Luna, ut proximo die Dominico fieret, quod die S. Petro sacro promissum a legatis fuerat, tamen res posthac tentata non est, ac demum sublata est schismatis occasio, eaque concordia conciliata, ut die sessionis, nec thurificatio inter sacra fieret, nec pacis symbolum offerretur, quod Borromæo cardinali die IV Julii cardinales legati significarunt, gratesque et laudes Deo retulerunt. Questi tamen sunt Galli, quod ii ritus omitterentur, verti ipsorum damno ac veteri possessioni detrahi, maximamque præsulum partem ea novitate injuriam Gallis irrogatam censuisse, scripsit Carolus Vicecomes in litteris [1] ad cardin. Borromæum. Extracta est ea lis de præcedentia in proximum annum, quo decretoria Pontificis sententia jus primævum Gallo regi assertum visuri sumus. At de his hactenus. Hinc ad intermissa, ne cœptam orationem abrumpamus, recurrat oratio.

111. *Leguntur ac laudantur in Concilio litteræ reginæ Scotiæ.* — Tradunt Angelus Massarellus et Astulphus Servantius [2] x Maii habitam esse Congregationem, in qua Carolus cardinalis Lotharingus, Mariæ reginæ Scotiæ neptis suæ litteras pietatis Christianæ notis insignibus illustres ad patres Tridentini Concilii missas obtulit, ut refert Gabriel Palæottus his verbis:

« Litteras reginæ Scotiæ cardinalis Lotharingius sanctæ Synodo reddidit, quibus illa, ut fidelis Catholicæ Ecclesiæ filia, ob temporum injurias, aliaque impedimenta se purgabat, quod ei oratorem nomine illius regni huc mittendi facultas nunquam fuisset, proprium autem suum studium ac erga Sanctam Sedem observantiam card. Lotharingio ejus avunculo, Patribus exponendum mandaverat, quarum litterarum exemplum cum Synodi responsione, aliisque ejusdem reginæ litteris ad Summum Pontificem et cardinalem Lotharingium alibi extat ». Afferentur eæ litteræ [3] ab Astulpho Servantio, quibus significabat regina hæresim in suo regno adeo invaluisse, tantamque esse hostium fidei potentiam, ac temporum iniquitatem, ut nec orato-

[1] Legati car. Ep. CCCLXII. Ext. in Ms. Fr. card. Barb. et Ms. car. Pii. — [2] Carol. Vicecom. Ep. Vintimil. in lit. ad card. Borr. Ext. in Ms. Val. p. 269. — [3] Card. leg. Ep. CCCLXIII, CCCLXIV.

[1] Card. Vicecom. in lit. ad card. Borr. p. 269. Ibid. p. 173. — [2] Apud Astulph. Serv. in Actis Concil. Trid. per Gabr. Palæot. sig. num. 24. p. 324. Ms. card. Barb. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3252. p. 197. Ms. Fr. card. Barb. sign. 1109. sub fin. Act. per Astulph. Serv.

rem, nec præsules ad Concilium mittere posset, in religionis tamen Catholicæ cultu et obsequio Sedis Apostolicæ constantissime se perstare :

« Maria Dei gratia Scotorum regina, Franciæ doaria, sacrosanctæ Synodo Tridentinæ, salutem.

« Illustrissimi Patres. Ab indictione istius sacri Concilii nihil nobis magis assidue in animo fuit, quam illuc nonnullos mittere nostri regni prælatos, cum pro nostro officio, prout devotissima Catholicæ Romanæ Ecclesiæ filia, tum pro fructu, quem inde omnibus nostris subditis ad illam Sanctam Sedem Apostolicam digne recognoscendam relaturos existimaremus ; tamen hujus temporis tanta fuit injuria, ut non modo nostri regni antistites isthuc proficisci non sinit, sed etiam quod sine magna molestia ferre non possumus, nostros ipsos mittendi legatos vires facultatemque adimit. His igitur de causis ab illustrissimo et reverendissimo Lotharingio cardinale avunculo nostro charissimo, cui rerum nostrarum status satis est notus per litteras nostras vobis impedimenta [1] quæque sibi de nostra perpetua mente, ac voluntate in ejusdem Sedis observantia et submissione pluribus scripsimus, deferat latiusque explicet, super quibus easdem vestras paternitates fidem adhibere rogamus. Datum apud Sanctum-Andream die mensis Martii x, anno a Nativitate Domini MDLXIII. »

His subdunt Congregationum generalium Acta [2] : « Quibus litteris lectis, illustrissimus dominus cardinalis Lotharingus longa oratione progeniem statumque ipsius reginæ (nimirum Mariæ Scotiæ) recensuit, declaravitque ejus pietatem, et in religione Catholica conservanda propagandaque studium , necnon erga sanctam Apostolicam Sedem et hoc sacrum Concilium observantiam, causasque retulit, quare hactenus prælatos et oratores sui regni Tridentum non destinaverit, scilicet ob præsentium temporum injuriam, prout in ejusdem litteris ipsamet testabatur ».

Eadem scribit Palæottus[3] : « Lotharingus multa de origine natalibusque Mariæ reginæ adjecit, quodque Clemens VII et Paulus III illam non solum ea dignitate quæ Anglicis regibus alias delata fuit, ornandam decreverunt, sed etiam Ecclesiæ defensorem mirifica illius cum laude appellaverunt. Tum alia de rerum statu illius regni, optimaque reginæ erga Catholicam religionem ac Sanctam Synodum voluntate subjunxit ». Commendatam ab eodem reginæ pietatem, ingentesque Scotiæ calamitates expositas tradit etiam Astulphus Servantius, quibus consentiunt trium cardinalium litteræ[4] eadem die x Maii ad cardinalem Borromæum exaratæ, quibus referunt cardinalem Lotharingum exposuisse regiam quidem mentem pro tuenda Catholica religione paratissimam, sed regnum in extrema pericula adductum, rogasseque excusandam reginam, si nec oratorem, nec episcopos mitteret ad Concilium, se tamen omnino Sedi Apostolicæ ac decretis Concilii subjicere, addidisseque ipsam jussisse præsulibus Scotis in Gallia exulantibus, ut ad Concilium accederent, monitumque fuisse Lotharingum, mitti ab hæreticis sicarium, qui ipsum ex insidiis contrucidaret.

112. Porro Lotharingo cardinali, qui pro regina Scotiæ nepte peroraverat, Synodi nomine subjectis verbis [1] conceptum responsum redditum est, quo Mariæ reginæ constans religio illustrata est :

« Illustrissime et reverendissime domine. Si minus antea exploratum sanctæ Synodo fuisset Mariæ serenissimæ Scotiæ reginæ in Catholicam religionem studium, summaque ejus in Apostolicam Sedem pietas et observantia, nunc certe ex gravi et copiosa oratione illustrissimæ amplitudinis vestræ id facile perspici potuisset ; tam multa enim ad declarandam illius optimam voluntatem, perpetuamque in orthodoxa fide constantiam pie et sapienter collegit, ut neque ab ejus Majestate quidquam desiderari, neque ejus virtuti par laus reperiri posse videatur. Verumtamen non solum quod nobilissimæ reginæ facta dictaque omnia veluti excelso illustrique loco posita neminem latere possunt, sed multo magis quod ea pro Christi nomine fortiter gessit, quæ omnium ore atque sermone merito celebrantur , ita ejus pietatem invictamque animi fortitudinem sancta Synodus semper est admirata, ut Deo immortali, qui ejus majestati tam piam et religiosam mentem dedisset , maximas agendas esse gratias existimaret. Ac profecto cum singularis beneficii loco ponendum sit, quod plurimas adhuc nationes et populos Deus sibi reliquerit, quibus in tantis errorum tenebris virtutis splendor luceat, et qui puram solidamque Patrum nostrorum doctrinam liberalissimis animis amplectantur, tum vero eximiam illam Christi Domini nostri in sanctam Ecclesiam, pro qua seipsum tradidit, charitatem, ex eo maxime licet intueri, quod hisce difficillimis temporibus principes aliquos et reges ea virtute ex alto indutos excitavit, ut omnes suas opes, fortunas, vitam ipsam pro vera religione profundere parati sint, ac non tam regnare, quam se communis omnium matris Ecclesiæ obsequentissimos filios, ejusque acerrimos propugnatores omnibus probare pulchrum et gloriosum putent. Inter quos certe Mariæ Scotiæ reginæ clarissimum nomen memoriæ hominum sempiternæ commendabitur. Quamobrem, illustrissime et reverendissi-

[1] Aliquid deest. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. p. 269. — [3] Act. Conc. per Gabr. Palæot. ubi supra. — [3] Ext. in Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1344. Ep. CCCIX. et in Ms. car. Pii.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3192. et in alio Ms. sig. num. 3252. p. 197. Ext. in Ms. Fr. card. sig. num. 1109. p. 125. in Act. Conc. Trid. scriptis per Astulph. Serv.

me Domine, cum ejus majestatis vera in Deum pietas, atque egregia, quam Apostolicæ Sedi perpetuo præstitit, obedientia omnibus cognita et perspectissima sit, grata quidem et jucunda ejus rei commemoratio sacrosanctæ Synodo accidit, testificationem vero illius optimæ mentis minime necessariam existimat, tametsi propterea, quod gravissima amplitudinis vestræ auctoritas esse debet in ea, libentissime accipit. Illud vero moleste admodum tulit, quod intellexit, ejus majestatem tantis undique difficultatibus premi, ut vel de oratore, vel de regni sui episcopis ad hoc sacrum Œcumenicum Concilium mittendis deliberare non potuerit. Neque enim ignorat sancta Synodus, quantum ornamenti præter Ferdinandi invictissimi Cæsaris, aliorumque regum, principum et rerumpublicarum legatos sacro huic loco ex Scotiæ legatione accessisset, neque dubitat, si ejus nationis prælati, viri scilicet doctrina, integritate et religione ornatissimi, una cum aliis, qui frequentes convenerunt, adessent, quin multa ad communis causæ et privatam Ecclesiarum suarum utilitatem potuissent; sed tamen, quoniam illi apud suos in grege Domini custodiendo tantopere laborant, quem ut a lupis et latronibus queant defendere, summa illis et industria et vigilantia opus est, ut non solum eos tam necessario muneri adesse facile patiatur, verum ne abesse quidem jure optimo existimat. Quod vero ad oratorem pertinet, nihil est præterea, quod illius præsentia a sancta Synodo minime requiratur, cum illustrissimam amplitudinem vestram, vel Mariæ reginæ nomine mandata summa cum gravitate et prudentia exponentem audire liceat, vel ejus locupletissimum testem ac veluti obsidem habitura sit. Interea sancta Synodus litteras sanctissimæ reginæ, et ea quæ a dominatione vestra illustrissima ejus nomine dicta sunt, libenter admittit, deinde vero Deum ex animo precatur, et obsecrare nunquam desinet, ut qui reginam non humana ope et consilio, sed cœlesti virtute ac præsidio fidentem ex tot et tantis periculis eripuit, eam diutissime incolumem servet, atque vires addat, quibus instructa facile possit una cum regni finibus Catholicæ religionis nomen latissime propagare ».

113. *Pius IV Scotis proceribus scribit, ut eos in fide confirmet.* — Misit postea eadem regina ad Pium Pontificem oratorem episcopum Dumblanensem, ut illi obsequium deferret, deque rerum Scoticarum statu pro redintegranda in eo regno Catholica religione faceret certiorem, quo audito Pius Catholicos proceres, qui in religionis Catholicæ cultu et fide erga Mariam reginam perstabant, his litteris [1] ad pietatem erga Deum, et obsequii erga reginam constantiam cohortatus est :

« Dilecto filio nobili viro Malcolino comiti de Lenox.

« Jucunda admodum nobis fuit venerabilis fratris episcopi Dumblanensis, cum ad nos charissimæ in Christo filiæ nostræ venisset orator, in sermonibus, quos nobiscum de rebus istius regni habuit, perhonorifica de te mentio ; etenim collaudavit apud nos tuæ nobilitatis studium erga religionem Catholicam, devotionis erga Sedem Apostolicam constantiam, fidem præterea insignem erga serenissimam reginam commemoravit, præterea magnos labores, quos harum rerum causa pertulisti. Magnopere gavisi sumus pro paterna istius regni cura in tanta ejus perturbatione te et quosdam alios nobiles viros, tam constanter et Deo, et reginæ vestræ officium vestrum præstitisse, et in hujus sanctæ Sedis piæ omnium Christi fidelium matris devotionem mansisse. Itaque nobilitati tuæ eo nomine gratulamur ; non parvam enim et a Deo gratiam iniisti, et ab hominibus laudem adeptus es. Hortamur autem ut quanto major spes jam Dei beneficio affulsit, futuras istius regni res commodiore in posterum in dies statu, tanto magis præterita tua merita in sequenti superare coneris, etc. XXVII Septembris MDLXIII, Pontificatus nostri anno IV ».

Eodem exemplo repetitæ litteræ [1] ad Joannem de Atholl, Jacobum de Nuntle, Guillelmum de Montrois, Davidem de Eglinem, Jacobum de Eglinem, Jacobum de Cassillis, Joannem de Cuenes, Guillelmum de Errold, Joannem de Maronatus. Pariter est eximiis ornatus laudibus Joannes regulus de Hume ob constantiam in asserenda fide Catholica, egregiumque in reginam studium, ac de nobilitate Scotica hoc elogium protulit Pontifex : « Talis in religionem animus, et tam sincera erga eos, qui regnant, fides, ab omnibus quidem requirenda sunt, sed multo magis elucent in iis, qui nobilitate generis antecellunt. XXV Septembris MDLXII ».

114. *Libratis utriusque partis sententiis, Synodus prudentius censet non percellandam Elizabetham Angliæ reginam edicto Conciliari.* — Implicabat gravibus turbis Scotiæ regnum Elisabetha Angliæ regina, ac suo patrocinio hæreticos Scotos ad opprimendam rem Catholicam armabat : ardebat enim invidia in Mariam reginam, ad quam Anglici regni jura spectare noverat. Cum vero illa Catholicos gravissimo tyrannidis jugo obtereret, nonnulli ex iis ad illud e suis cervicibus excutiendum consurgere in arma meditati sunt, Catholicorumque externorum arma implorarunt, ac piorum interpretum opera flagitarunt, ut Elisabetha regina Concilii Tridentini sententia percelleretur. At dissensere ab iis consiliis cardinales legati [2], graviora veriti discrimina, ac vigesima octava

[1] Pius IV. to. XI. brev. sig. 2897. Ep. CDXVI.

[1] Ib. Ep. CDXVII. — [2] Card. legat. Ep. CCCLVIII.

Junii ad cardinalem Borromæum Pontificium nepotem scripsere non tentandum videri quidquam in reginam Angliæ, ne religio Catholica omnino deleretur in Anglia, atque episcopis Anglis, qui ob pietatis cultum in vinculis detinebantur, mors accerseretur, ne etiam Germani Lutherani cum regina Angliæ conjuncti graviora molirentur. Responsum vero a se fuisse ejus causæ auctoribus, rem significatum iri Pontifici, qui de his cum Cæsare et Gallo rege acturus sit. Urgentibus eadem consilia Belgis theologis, nil ab iis promoveri potuisse refert Gabriel Palæottus [1] :

« Proxime his accessit alia consultatio, nam theologi Lovanienses a legatis summopere contendebant, ut regina Angliæ tanquam schismatica et hæretica a Synodo declararetur, quod ita per litteras ab episcopis Anglis Catholicis admoniti essent, quorum etiam multi captivi detinebantur, existimantes ii, valde hoc regni illius rationibus profuturum, cum ita Catholicorum principum studia sperarent ad pestem illam ex iis locis propulsandam acrius posse inflammari. Res ita fuit maturo accurate consilio evolvenda, priusquam Sanctissimo domino nostro ac Cæsareæ majestati communicanda, etenim suspicio erat, ne declaratione hac adversus reginam promulgata, illa acerbius multo usque in necem Catholicorum sæviret ». Stetit in eo cardinalium legatorum sententia [2], ut nihil in ea re pertentaretur, nisi Pontifex ex consilio Cæsaris et regis Catholici illud decrevisset.

115. Dum agitur in Tridentino Concilio de percellenda judiciaria sententia Elisabetha Angliæ regina, quod impie se diceret caput Ecclesiæ Anglicanæ, atque episcopos Catholicos, tantæ adversantes væsaniæ, in carcere teneret, Delphinus in aula Cæsarea internuntius Apostolicus legatos cardinales admonuit [3], Cæsarem opinari, ex conciliari edicto gravius discrimen rei Catholicæ conflari, cum omnes principes, qui ab Ecclesia desciverunt, licet titulum capitis Ecclesiæ in eorum principatibus constitutæ non arripuerint, in ea tamen hæreant sententia, ut se singularum earum capita existiment, Pontificiumque munus revera sibi arrogent; processura inde bella, formidaturos enim, ne pari exemplo decretoria sententia damnentur a Concilio, junctoque fœdere arma correpturos, Catholicæque religionis reliquias in eorum provinciis residuas deleturos ; ob eos vero tumultus dissolutum iri Concilium, atque hæreticos terribili gannitu insultaturos, ut præsules sanctioris disciplinæ instaurationem defugerent, civilia bella edictis suis invexisse.

[1] Ext. in Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 1345. Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. card. Bar. sig. num. 24. p. 338. — [2] Card. leg. Ep. CCCLXVII. Ms. card. Fr. Bar. sig. num. 1444. et Ms. card. Pii. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. Ep. CIX.

In eamdem Ferdinandi Cæsaris sententiam inclinabat Philippus rex Catholicus [1], cum Galli e contra petendam reginam Angliæ bello censerent, ne Galliarum hæreticos fulciret auxiliaribus armis, atque etiam Angli Catholici extorres assererent, bonos omnes Anglos in eam consurrecturos, si bellum decerneretur, transmiserantque ea de re litteras Lovanio, ob quas in Congregatione habita Tridenti XI Junii sermo de ferenda in eam sententia injectus fuerat.

Quo accepto, Antonius de Granvella cardinalis certiores fecit cardinales legatos, Philippum regem Catholicum significasse Pontifici, ne Gallis vel aliis instigantibus in Elisabetham, Catholico rege inconsulto, judiciarium ordinem institueret, assidue enim se in id incumbere, ut revocandi ad Ecclesiæ obsequium Anglici regni rationes omnes conquirat, eamque actionem judiciariam posse aliqua ejus consilia abrumpere, propterea que consuluit Granvella cardinalis legatis, ne quid decernerent, antequam cum majestate Catholica rem pertractassent; nec innitendum eorum consiliis, quos pius quidem ardor inflammat, sed rerum gerendarum peritia non satis instruit; posse enim eorum consilia contrarios exitus sortiri, ut Elisabetha regina in majorem pertinaciam obdurescat, atque episcoporum, quos tenet in carcere, sanguinem fundat; cæterum Elisabetham omnium tam hæreticorum quam Catholicorum odia contraxisse, Mariamque Scotiæ reginam potiora jura in Angliæ regnum obtinere, atque Catholicos principes opportuno tempore illam ad officium ordinemque redacturos, at modo imparatis rebus id aggredi, a gravi periculo non abesse, ne ob sententiam in se latam efferata longe in Catholicos pejora moliatur; itaque prius cum rege Catholico rem conferendam pertractandamque. Quæ litteræ hac temporis nota consignatæ. « Datum Bruxellis XXVII Junii MDLXIII ».

116. Sentiebant e contra alii [2], de exauctoranda evertendaque solio Anglico regina Elisabetha agendum ; nulla enim graviora mala inde formidanda, imo ejus consilia nefaria disturbari posse, cum Ecclesia Catholica ab ea sævissime affligeretur, confirmataque potentia ab ea atrocius affligenda foret.

Collatis inter se contrariis sententiis, magnaque maturitate consilii libratis, Pius IV Pontifex censuit, consilium a Ferdinando imperatore datum prudentius esse, ne in eam judiciario ordine ageretur, atque per Carolum Borromæum cardinalem [3] legatis Tridentinis jussit, ut imperatori significarent Cæsaream sententiam innumeris aliis atque adeo ipsis Anglis opinantibus

[1] Ib. Ep. CXV. XXIX Jun. MDLXIII. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. XIII. — [3] Carol. Borrom. card. lit. ad cardd. legatos Ext. in Ms. arch. Vat. sig. ... Ep. LXIX.

reginam intentato illi ordine judiciario ad æquitatem flectendam, præferri a Pontifice.

117. *Imperator Elisabethæ scribit pro Catholicis.* — Porro Ferdinandus Cæsar ad Elisabetham Angliæ reginam demulcendam, ut mitius ageret cum episcopis Anglis, quos tenebat in vinculis, necnon cum religionis Catholicæ cultoribus, quos edictis crudelibus insectabatur, ab ea gravibus litteris flagitavit, ne episcopos Catholicos, et alios fideles in Ecclesiæ Romanæ obsequio constantes divexaret, quibus Elisabetha respondit, Cæsaris ipsius preces magnum apud se pondus habituras, ac tum Cæsar de benigno responso grates illi egit subjectis litteris [1], utque in subditos Catholicæ religionis cultores clementia uteretur, commendavit:

« Reginæ Angliæ.

« Ferdinandus, etc. serenissimæ, etc. Jucundissimum nobis accidit, quod intelleximus, magnum pondus habuisse apud serenitatem vestram litteras nostras superioribus mensibus ad serenitatem vestram datas, quibus scilicet serenitatem vestram benevole adhortati fuimus, ne quid inclementius statueret in episcopos incarceratos, et alios istius regni subditos Catholicam religionem nostram profitentes, si nollent, aut non possent salva conscientia acceptare, vel profiteri, quod serenitas vestra una cum ordinibus ac statibus inclyti istius regni, lege quadam noviter promulgata, constituissent. Etenim perspeximus inde, non modo præclaram serenitatis vestræ erga nos voluntatem et gratificandi studium, verum etiam eximiam ejus modestiam, mansuetudinem et clementiam, virtutes regina et principe vere dignas. Qua quidem re intellecta non potuimus neque debuimus intermittere, quin serenitati vestræ hoc nomine magnas gratias ageremus, eique liberius etiam, ut imperator et princeps Catholicus, salutem et incolumitatem illorum, qui religionem nobiscum communem habent, iterum atque iterum commendaremus, prout summo studio commendamus, existimantes magis futurum ex dignitate et usu serenitatis vestræ, si subditos suos Catholicos, etiamsi ipsa serenitas vestra diversam religionem sequatur, reginali sua benignitate fovendos potius et tuendos, quam persequendos, exagitandos, exterminandos et opprimendos duxerit.

« Ideoque serenitatem vestram benevole rogamus, ut malit animos illorum clementia et benignitate sibi conciliare, quam persecutionibus et afflictionibus alieniores a se reddere, adeoque non gravetur serenitas vestra illis in singulis civitatibus unum saltem templum concedere, ubi libere, tuto, ac sine molestia vel impedimento ex veteri sanctissimorum Patrum, ac Catholicæ Ecclesiæ instituto Deum colere et officia divina celebrare, et sacramentis salutaribus animarum medicinis recreari possint. Qua quidem ratione serenitas vestra, nom tam subditorum quam aliorum regum et principum Catholicorum studia sibi plurimum devinciet, magnamque clementiæ et mansuetudinis laudem sibi comparabit: nobis vero factura est rem adeo gratam, ut omnem simus daturi operam, quo possimus eam rem serenitati vestræ mutuis benevolentiæ ac fraterni animi studiis cumulatissime compensare. Cui diuturnam valetudinem omni felicitati conjunctam ex animo optamus. Datum Posonii XXIV Septembris MDLXIII ».

Induxit in animum Cæsar nil adversus Elisabetham tentandum, cum unum e filiis illi matrimonio conjungere speraret, atque Angliæ sceptrum in suam familiam inferre; sed ab Elisabetha illusus est, ac religio Catholica in dies magis ab ea eversa, atque hæresis in vicina regna latius diffusa.

118. *Agitatur quæstio an sit papa supra Concilium.* — Quod ad gesta in tot congregationibus præsulum ac theologorum plurium mensium flexu attinet, constat ex litteris [1] legatorum cardinalium ad cardinalem Borromæum actum fuisse de Romani Pontificis auctoritate in decreto fidei explicanda, eaque de causa variis formulis conceptum illud fuisse, cumque oborirentur variæ difficultates, X Junii significarunt [2], defugiendam omnibus modis esse controversiæ tractationem, *An papa sit supra Concilium.* Cumque conciliari in ea controversia sententiæ non possent, iidem legati suasere, ut controversia de jurisdictione Episcoporum, *An sit immediate a Deo, an a Romano Pontifice,* in medium adducta dirimeretur, ex qua gradus certissime in aliam de potestate Papæ supra Concilium, aut viceversa erat processurus, hoc saltem reportato commodo, ut iis controversiis finis imponatur. Hispanos et Gallos in contraria hærere opinione, legatos rem, uti se habet, proponere, consiliumque Pontificis, qui magis Spiritus sancti afflatus sacros excipiat, præstolari; sentire tamen, Ecclesiam Dei nec pacatam fore, nec a schismate immunem, donec hæ lites diremptæ sint, quæ ob sui gravitatem dirimi in Concilio debeant, ut omnes decretoriam illius sententiam amplectantur. Jam controversiam circa Pontificiam auctoritatem in plures menses extractam.

119. Consulto Pio Pontifice rescripsit cardinalis Borromæus [3], circa quintum caput doctrinæ de ordine, in quo Pontificis auctoritas illustrabatur, ut si minus concordia haberi posset, caput illud prætermitteretur. Gallos vero dissensisse memorat Vicecomes in litteris [4] ad cardinalem Borromæum, atque Ferdinandum

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 317. post Ep. CXLVIII.

[1] Legati card. Ep. CCCXXXVI. ad car. Bor. ibid. Ep. CCCXXXIII. — [2] Ib. Ep. CCCXLVI. — [3] Ib. Ep. CCCLVIII. — [4] Carol. Vicomes in lit. ad card. Borr. Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 233. Ib. p. 135. Ib. p. 250.

imperatorem misisse ad cardinalem Lotharingum textus petitos e Conciliis comprobantes auctoritatem Pontificiam circa verba, *Universalem Ecclesiam*, quos Pontifex ipse sibi transmiserat; cardinalem vero Lotharingum responsa a Gallis theologis reddita, eidem imperatori communicasse. Etiam ipsemet Lotharingus cardinalis decreti formulam edidit, a quo præsules Gallos non dissensuros, cum similis in Concilio Aurelianensi esset proposita, spopondit. In Congregatione vero postea habita circa quartum caput doctrinæ de Ordine dixit, hanc Gallis insitam sententiam, ut asserant Concilii auctoritatem Pontificiæ antecellere,sive Concilium esse supra papam, eamque tueri decretis Conciliorum Constantiensis et Basileensis, cum quibus si velint pacem habere, nihil in ea doctrina inseratur, quod ipsorum opinioni adversetur: at Hidruntinus archiepiscopus, cum de suffragio ferendo rogatus esset, amplissimis verbis Lotharingi sententiam confutavit, objecta etiam criminis nota iis qui pertinaciter opinioni illi adhærerent; cui Lotharingus se in Gallia natum respondit, in qua cum ea vigeret opinio, nec ipse, nec alii Galli possent ab ea discedere; nihilominus ob eam assertam abjuratione canonica opus non esse. Quæ falsa opinio cui fundamento innixa sit, alibi in Annalibus discussimus.

Hydruntino archiepiscopo Pontificis non ambigui auctoritatem Concilii auctoritati præferenti maxima Tridentinorum præsulum pars adhærebat [1]. At episcopus Quinquecclesiensis orator Cæsareus intercessit, ne ea lis moveretur, contestatus, se, ni premeretur silentio, quemadmodum mandatum sibi a Cæsare datum erat, e cœtu abiturum; idipsum pariter est interminatus, cum Tolosanus archiepiscopus ac Dertusensis episcopus denuo opinionem eamdem refricarent.

120. Censuerat prudentissime Ferdinandus Cæsar, omittendas esse omnino eas controversias quæ Catholicos a mutua conjunctione dissociare possent, eas vero tantum pertractandas, quæ rem Catholicam adversus hæreticos confirmarent, atque adeo cardinales legati XXVIII Junii scripsere cardinali Borromæo [2], Cæsarem oratorum opera significasse, defugiendam esse occasionem agendi de Pontificis auctoritate, *An sit papa supra Concilium, an Concilium supra papam.* Quod magis etiam confirmatur ex responso [3] a Ferdinando Cæsare legatis cardinalibus dato, subjectisque concepto verbis:

« Majestas sua edocta est, verbum hoc reformationis in capite et membris, in sacris canonibus et eorum interpretibus esse usitatissimum. Neque majestas sua vel expresse vel tacite lubenter ea reprobare vellet, quæ ab ipsa veneranda antiquitate toties et tam diserte sunt comprobata. Præcipue, cum majestas sua non videat nos per id difficilem illam disputationem de superioritate papæ ad Concilium, et e diverso ingressuros, neque enim ex eo quod Romana curia, quatenus capiti, id est, Romano Pontifici conjuncta reformari debeat, sequeretur, Concilium esse supra papam, siquidem in Concilio includitur papa, nec reformatio eo casu a Concilio a papa distincto, sed a papa de Patrum consilio facta esse intelligeretur. Adde, quod major pars argumentorum majestatis suæ eo tendit, ut esse papa superior monstretur Concilio, de quo nunc non est disputandi locus, tamen Sanctitas sua ex urbanitate hujusmodi reformationem ipsi Concilio posset permittere, idque Sanctitati suæ exemplo majorum suorum valde laudabile esset futurum ».

Non prætermittendum hic videtur, quod scripsit Carolus Vicecomes XVI Junii, Laynem Societatis Jesu præpositum generalem, eumque theologum Pontificium Gallorum opinionem gravissime confutasse, solutoque cœtu se excusasse apud Lotharingum, quod non adversus ipsum et Gallos præsules, sed adversus Sorbonicos theologos disseruerit, illos nempe intelligebat, qui in eadem Academia pseudoconcilio Basileensi nimium addicti erant; addiditque illum tanta gratia apud omnes ob doctrinæ splendorem floruisse, ut legati Apostolici magno illum honore, studiisque propensioribus prosequantur; nam cum aliorum Ordinum supremi magistri stantes ferant sententiam, illum in medium consessum vocari, atque considere, sæpe etiam in Congregationum fine proloqui, ac pro libito perorare.

121. Cæterum in memorata [1] de Pontificis auctoritate, quam Galli contrahebant subjiciebantque Concilio, controversia, Virodunensis episcopus sensit, si definiretur, magnam utilitatem allaturam pro continendis principibus in obsequio Pontificis, ac suam opinionem his conceptam verbis cardinali Morono tradidit: « Quando convocatum est Concilium a papa, et ibi præsunt legati, tenetur papa servare decreta Concilii, quæ statuta sunt sub anathemate in his, quæ sunt fidei, in quibus Concilium non potest errare statuendo cum assistentia Spiritus sancti ». Addidit idem episcopus, hanc opinionem illi consentaneam esse, quam teneret schola Sorbonica, ac talia decreta in rebus ad fidem spectantibus, licet non confirmarentur a Pontifice, in Gallia et Hispania absque alia confirmatione servari. Cæterum posse Pontificem decreta Concilii abrogare, decernendo Concilium non recte processisse. Subjecit etiam Concilium

[1] Carol. Vicecom. in lit. ad card. Borr. p. 253. — [2] Leg. card. Ep. CCCLVIII. Ext. in Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 1344. et in Ms. card. Pii. — [3] Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. CI.

[1] Car. Vicecom. in litt. ad card. Borr. adulto Junio datis. Ms. car. Jo. Bapt. Spadæ p. 262.

in decretis ad moralia pertinentibus errare posse, atque necessarium esse, ut ea decreta a Pontifice confirmentur, qui etiam propter utilitatem Ecclesiæ in nonnullorum gratiam ea solvere possit. At de his hactenus. Nunc alia, quæ in Congregationibus ante sessionem vii, Pio IV Pontifice habitam, acta sunt, perstringamus.

122. *Adducuntur in examen quædam reformationis capita et sedatur controversia de jurisdictione episcoporum.* — Actum est de instauranda Christiana disciplina, de qua Laynem Societatis Jesu præpositum generalem verba fecisse narrat Carolus Vicecomes [1], Patresque inclinasse ad sanciendas leges de forma disciplinæ ad cardinales spectantis, de facultatibus, moribus, ætate, doctrina, numero, et aliis dotibus scripsere cardinales legati ad cardinalem Borromæum xiv Junii aliisque litteris xix Junii exaratis significarunt, Cæsarem, necnon Galliæ, Hispaniæ et Lusitaniæ reges deposcere, ut cardinalitii senatus reformatio a Concilio fieret, suggessereque id consilium, ut ea a Pontifice Romæ decerneretur, quo Tridentinis Patribus fieret satis ; triduoque elapso iterum monuere, optare reges, ut ea non a Pontifice, sed a Concilio perficeretur. Ut vero Pius IV [2] ad obstruenda impudentissima ora hæreticorum negantium Pontificem et cardinales velle puriorem morum disciplinam restitui, generosa pietate, se et cardinales reformationis legibus a Concilio ferendis subjecerit, dicetur inferius.

Excussi etiam sunt diligenti examine hi duo articuli : *An expediat conjugatos promoveri ad sacros Ordines,* et *an clandestina matrimonia expediat irritari.*

123. Instituti quoque theologorum cætus excussere controversias [3] de invocatione sanctorum, de sacris Imaginibus, de Purgatorio, de Indulgentiis, opinionesque hæreticorum confutarunt, ut ea deinde in congregatione generali proponerentur ; ac disceptationes quidem de Purgatorio et Indulgentiis contrahendas nonnulli sensere, ne extraheretur Concilium, propterea que circa earum usum quæstio in controversiam non est redacta : tamen Hispanus orator, qui prorogari Concilium affectabat, poposcit, ut theologi disceptaturi de indulgentiis audirentur, qui plura super illas conscripserunt. Sed omnia deinde studia conversa sunt circa controversias sacramentorum Ordinis et Matrimonii, et sanctiorem disciplinam circa ea sacramenta constituendam.

124. Actum etiam est de residentia [4], ac Veneti oratores questi sunt, in Vicentina diœcesi repertos, qui annos quadraginta sine sacramentorum usu transegerint, idque ab uno ex iis in extremo vitæ suæ articulo ad Deum converso patefactum ; hos vero funestos esse fructus concessorum cardinalibus episcopatuum, quos illi nec per se, nec aliorum adhibita opera lustrare consueverint. De institutione quoque episcoporum illustranda, scripsit Carolus Vicecomes ad Borromæum cardinalem, dixisse cardinalem Moronum, declarata potestate Pontificis secundum formam decreti Concilii Florentini, declarandum esse institutionem episcoporum, contrariasque hæreticorum opiniones damnandas : disceptatum vero est acriter multo tempore de auctoritate episcoporum atque institutione sedatamque demum eam controversiam sexta Julii die refert Gabriel Palæottus [1] his verbis :

« Ecce Dei summi benignitate factum est, ut post congregationem hora fere xxii omnibus Hispanis apud comitem de Luna oratorem regis Philippi coactis sapientius rem metientibus per eumdem oratorem, ac episcopum Almeriensem et Civitatensem totius nationis nomine legatis significaverint nolle se a reliquis in sessione dissentire, dum a legatis duo præstentur.

« Primum est, ut polliceantur illis, cum in calce Concilii damnandæ erunt opiniones hæreticorum, tunc et illos includendos, qui negant episcopos fuisse a Christo institutos, itemque eos, qui primatum Summi Pontificis ac supremam ejus auctoritatem non confitentur.

« Legati responderunt, se non id prætermissuros, quantum in eis est, dummodo, si agatur de institutione episcoporum, declaretur et auctoritas Sanctissimi in eos, aliave, prout Patribus videbuntur : nec enim Italos negare episcopos esse a Christo institutos, sed addere, hoc egere declaratione, quod videlicet sunt a Christo non immediate, sed mediante summo Pontifice instituti ; itemque quod sunt a Christo quoad Ordinem, non quoad jurisdictionem instituti.

« Secundo petunt, ut in vi canone...... forte illis legati facile concesserunt, quoniam et alii id petierant, et commodum videbatur : ex his igitur optatus tandem finis longissimæ huic disputationi Lotharingio ac Gallis valde adjuvantibus, ac Deo in primis auctore fuit impositus, doctrinaque, et canones eo quo hodie extant modo a Patribus recepti ».

Confirmata est ea Patrum concordia in generali congregatione subsecuta die decima Julii, dissidiaque omnia circa decretum residentiæ conciliata divino afflatu, remque adscriptam miraculo, cum antea grave schismatis periculum impenderet, refert Astulphus Servantius [2]. Itaque die decima quarta Julii in congregatione

[1] Carol. Vicecom. in lit. sup. legati card. in lit. ad card. Bor. Ep. CCCXLVIII et CCCL. Ext. in Ms. card. Barb. et in alio card. Pii. — [2] Carol. Vicecom. in lit. ad card. Borr. Ms. card. Jo. Bapt. Spadæ p. 283 et 289. — [3] Id. ib. p. 283. Ib. p. 26. Ib. p. 285. Ib. p. 289. Ib. p. 285. — [4] Legati card. in lit. ad card. Borr. ult. Junii datis Ep. CCCLXI.

[1] Acta Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Aud. Rot. postea card. Bar. sig. num. 24. p. 274. — [2] Astulph. Serv. in Actis Conc. Trid. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1109. et aliud Ms. card. Pii.

perlecta fuerunt decreta, quæ promulganda erant die sequenti, quo die Sessio VII sub Pio IV Pontifice, vigesima autem tertia numero a principio Concilii Tridentini repetito celebrata est, in qua doctrina orthodoxa de sacerdotio, sacramento, et vera potestate consecrandi atque offerendi Corpus et Sanguinem Christi Domini, deque variis sacerdotii gradibus, et ordinibus, deque gratia divina in eo conferri solita, deque charactere in eo Sacramento imprimi divinitus consueto, de episcopali insuper dignitate, qua presbyteralem antecellit, illustrata est, quo vero ordine omnia gesta sint ex autographis Vaticanis [1] delibanda visa sunt :

125. *Sessio septima: decretum et canones de sacramento Ordinis.* — « Anno Christianæ salutis MDLXIII, Indictione VI, feria V, XV Julii celebrata est VII publica Sessio sub Pio IV Pontifice, præsidentibus in ea nomine Sanctissimi D. N. papæ et Sanctæ Sedis Apostolicæ illustrissimis ac reverendissimis in Christo patribus et dominis Joanne episcopo Prænestino Morono, Stanislao tit. Sancti Pancratii Warmiensi, et Ludovico tit. Sancti-Cyriaci in Thermis Simoneta, ac Bernardo tit. Sancti-Nicolai inter Imagines, Navagerio, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyteris cardinalibus, et Apostolicis de latere legatis ». Et mox : « Reverendus dominus Eustachius Bellayus episcopus Parisiensis celebravit Missam solemnem de Spiritu sancto, qua absoluta, et publicata de more auctoritate Apostolica indulgentia plenaria, reverendus D. Jacobus Gibertus de Nogueras episcopus Aliphanus habuit orationem.

« Deinde tam illustrissimi et reverendissimi domini præsidentes et legati, quam cæteri prælati omnes, acceperunt pluvialia et mitras, decantantibus eo tempore cantoribus Psalm. 83: *Quam dilecta tabernacula tua, Domine.* Postea illustrissimus et reverendissimus primus præsidens et legatus præfatus accedens ad Altare majus solitas orationes legit, et consuetas cæremonias de more peregit, invocato auxilio sancti Spiritus per Hymnum *Veni, Creator Spiritus*, ac decantatis a cantoribus Litaniis, et per diaconum Evangelio Joannis 21 : *Dixit Jesus Simoni Petro : Simon Joannis, diligis me plus his, etc.* omnibusque aliis in publicis Sessionibus peragi solitis, R. D. Bartholomæus Syrigo episc. Castellanetensis legit clara voce litteras Apostolicas sanctissimi domini nostri Pii IV super legationibus illustrissimorum et reverendissimorum cardinalium Moroni et Navagerii ». Consignata erant ea duo Diplomata XX Martii MDLXIII, Pontificatus anno IV : quibus lectis, subdunt Acta :

« Deinde rev. dom. Valentinus Herburtus episcopus Primisliensis orator serenissimi domini Sigismundi regis Poloniæ accedens ad Altare majus exhibuit illustrissimo domino primo præsidenti et legato litteras, et mandatum regium, quod una cum ipsis litteris lectum fuit per præfatum R. D. Castellanetensem, cui responsum fuit a sancta Synodo, ut in Actis refertur [1].

« Quo responso lecto, rever. quoque Dominus Marcus Antonius Bobba episcopus Augustæ Prætoriæ orator illustrissimi domini Emanuelis Philiberti ducis Sabaudiæ exhibuit præfato illustrissimo domino primo præsidenti litteras, et mandatum ipsius ducis; lectum quoque responsum antea redditum Marco Antonio Bobbæ episcopo Augustensi ejus oratori ultima Januarii, subinde lectæ litteræ Mariæ reginæ Scotiæ, quas cardinalis Lotharingus ejus avunculus obtulerat, tum responsum Synodi antea in generali congregatione datum repetitum est ». Subdunt Acta [2] :

« Quo responso lecto, illustrissimus dominus Claudius Fernandez Vigil de Quinnones comes e Luna, orator serenissimi domini Philippi Hispaniarum et regis Catholici, qui orator sedit solus e regione aliorum oratorum principum sæcularium post ultimum cardinalem immediate supra patriarchas in sede ad hoc ibi præparata, exhibuit prædicto illustrissimo domino primo præsidenti et legato mandatum regium, quod similiter ab ipso R. D. Castellanetensi lectum fuit ». Exhibitum jam ante fuerat illud in Congregatione generali habita XXI Maii, responsumque tunc a Synodo datum etiam ab eodem episcopo repetitum est.

« Quibus litteris », inquiunt Acta, « mandatis et responsis sic lectis, reverendus dominus episcopus Parisiensis suprascriptus accedens ad Altare majus accepit e manibus prædicti illustrissimi reverendissimi domini primi præsidentis et legati decreta, quæ in hac Sessione publicanda erant, ascendensque ambonem primum clara voce doctrinam [3] et canones de sacramento Ordinis promulgavit », qua doctrina omnes errores, qui tunc multos populos infecerant, damnati sunt ac densissimæ tenebræ discussæ.

CAPUT I.

126. « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege extiterit. Cum igitur in novo Testamento S. Eucharisticum sacrificium visibile, ex Domini institutione, Catholica Ecclesia acceperit, fateri etiam oportet in ea novum esse visibile et externum sacerdotium, in quod vetus translatum est. Hoc autem ab eodem Domino

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 192. Acta sess. VII. et Ms. sig. 3212. p. 199.

[1] Pag. 195. Ib. p. 196. — [2] Ib. p. 199. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 183.

Salvatore nostro institutum esse; atque Apostolis eorumque successoribus in sacerdotio potestatem traditam consecrandi, offerendi et ministrandi Corpus et Sanguinem ejus, necnon et peccata dimittendi et retinendi, sacræ Litteræ ostendunt, et Catholicæ Ecclesiæ traditio semper docuit.

CAPUT II.

« Cum autem divina res sit tam sancti Sacerdotii ministerium, et consentaneum fuit, quo dignius et majori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesiæ ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent : ita distributi, ut qui jam clericali tonsura insigniti essent, minores ad majores accenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacræ Litteræ apertam mentionem faciunt, et quæ maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent, et ab ipso Ecclesiæ initio sequentium Ordinum nomina, atque uniuscujusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistæ, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu : nam subdiaconatus ad majores Ordines a Patribus et sacris Conciliis refertur, in quibus et de aliis inferioribus frequentissime legimus.

CAPUT III.

« Cum Scripturæ testimonio, Apostolica traditione, et Patrum unanimi consensu perspicuum sit, per sacram ordinationem, quæ verbis et signis exterioribus perficitur, gratiam conferri : et dubitare nemo debet Ordinem esse vere et proprie unum ex septem sanctæ Ecclesiæ sacramentis, inquit enim Apostolus: *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum; non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis, et dilectionis, et sobrietatis.*

CAPUT IV.

« Quoniam vero in sacramento Ordinis, sicut et in Baptismo et Confirmatione, character imprimitur, qui nec deleri nec auferri potest, merito sancta Synodus damnat eorum sententiam, qui asserunt Novi Testamenti sacerdotes temporariam tantummodo potestatem habere, et semel rite ordinatos item laicos effici posse, si Dei ministerium non exerceant. Quod si quis omnes Christianos prosmiscue Novi Testamenti sacerdotes esse, aut omnes pari inter se potestate spirituali præditos affirmet, nihil aliud facere videtur, quam Ecclesiasticam hierarchiam, quæ est castrorum acies ordinata, confundere : perinde ac si contra B. Pauli doctrinam, omnes Apostoli, omnes Prophetæ, omnes Evangelistæ, omnes Pastores, omnes sint Doctores. Proinde sacrosancta Synodus declarat præter cæteros Ecclesiasticos gradus episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem præcipue pertinere, et positos, sicut idem Apostolus ait, a Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque presbyteris superiores esse; ac sacramentum Confirmationis conferre, ministros Ecclesiæ ordinare, atque alia pleraque peragere ipsos posse, quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Docet insuper sacrosancta Synodus in ordinatione episcoporum, sacerdotum, et cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis potestatis, et magistratus consensum, sive vocationem, sive auctoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio : quin potius decernit eos, qui tantum a populo, aut sæculari potestate, ac magistratu vocati, et instituti ad hæc ministeria exercenda ascendunt, et qui ea propria temeritate sibi sumunt, omnes non Ecclesiæ ministros, sed fures et latrones per ostium non ingressos habendos esse. Hæc sunt, quæ generatim sacræ Synodo visum est Christi fideles de sacramento Ordinis docere. His autem contraria certis et propriis canonibus in hunc, qui sequitur, modum damnare constituit, ut omnes, adjuvante Christo, fidei regula utentes in tot errorum tenebris Catholicam veritatem facilius agnoscere et tenere posint.

DE SACRAMENTO ORDINIS.

CANON I.

127. « Si quis dixerit, non esse in Novo Testamento sacerdotium visibile et externum, vel non potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum Corpus et Sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum, et nudum ministerium prædicandi Evangelium, vel eos, qui non prædicant, prorsus non esse sacerdotes; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, præter sacerdotium non esse in Ecclesia Catholica alios Ordines, et majores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, Ordinem, sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum excogitatum a viris rerum Ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum quemdam ritum eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, per sacrum Ordinem non

dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere, *Accipite Spiritum Sanctum*, aut per eum non imprimi characterem, vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse, anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, sacram unctionem, qua Ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias Ordinis cæremonias; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, in Ecclesia Catholica non esse Hierarchiam divina ordinatione institutam, quæ constat ex episcopis, presbyteris et ministris; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores, vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, vel Ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis sæcularis consensu aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab Ecclesiastica et Canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit ».

Lecta etiam et promulgata fuere alia sanctissima decreta [1], quibus jussi sunt ii, qui animarum curam gerunt, in suis Ecclesiis residere, pro populo divinum Sacrificium Numini offere, divinum verbum prædicare, sacramenta administrare, virtutum exemplo præfulgere, pauperum miserorumque paternam curam gerere, atque munus pastorale accurata diligentia exercere : instaurata etiam est sanctio Pauli III adversus omnes episcopos, archiepiscopos et cardinales, qui ab Ecclesiis transacto trium mensium flexu abessent, nisi ob publicæ rei utilitatem a Summo Pontifice veniam obtinerent; qui etiam promoti ad Ecclesias cathedrales non consecrarentur labente trimestri tempore [2], mulctati episcopali proventu, et si transacto alio trimestri, non essent consecrati, exauctorati ac depulsi eo munere pronuntiati sunt : conferre etiam jussi episcopi Ordines per seipsos [3], nisi ægritudine impliciti teneantur, tum plura alia addita spectantia ad minores Ordines hæc sancita [4] : « Nullus in posterum ad

[1] Ib. c. 1. — [2] Ib. c. 2. — [3] Ib. c. 3. usque ad 11. — [4] Ib. c. 12.

Subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis suæ annum promoveatur ». Tum adjecta plura alia decreta, pro sacerdotali munere pie et honeste administrando, et Ecclesiarum, xenodochiorum, sacerdotalium bonorum gerenda cura, quarum legum observantiæ a Spiritu sancto promittitur auxilium [1]: *Custoditio legum consummatio incorruptionis, incorruptio facit esse proximum Deo.*

Interfuere illi Sessioni [2] quatuor legati cardinales, necnon alii duo, tum oratores imperatoris, regumque Galliæ, Hispaniæ, Lusitaniæ, Poloniæ, Hungariæ, Venetorum, ducisque Sabaudiæ, patriarchæ tres, archiepiscopi viginti sex, episcopi centum nonaginta duo, abbates mitrati sex, generales Ordinum septem, maximaque theologorum multitudo, quorum omnium nomina in autographo Vaticano descripta sunt.

Post acta Sessionis septimæ Angelus Massarellus [3] Patrum, qui hoc tempore obierant, Catalogum texit :

« Illustrissimus et reverendissimus Dominus Hercules Gonzaga tit. Sanctæ-Mariæ-Novæ presbyter cardinalis, Mantuanus, sacri Concilii primus præsidens et legatus Mantuanus.

« Illustrissimus et reverendissimus dominus Hieronymus tit. Sanctæ-Susannæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, Seripandus, sacri Concilii secundus legatus et præsidens, Neapolitanus.

« R. D. Cæsar Cybo archiepiscopus Taurinensis, Genuensis.

« R. D. Joannes Baptista Hosius, episcopus Reatinus, Romanus.

« R. D. Ludovicus Vanninus de Theodulis episcopus Britenoriensis, Foroliviensis.

« R. D. Joannes Antonius Phautusa episcopus Litterensis.

« R. D. Hieronymus Trivisanus episcopus Veronensis, Ordinis Prædicatorum, Venetus.

« R. D. Simon Aleottus episcopus Foroliviensis, Foroliviensis.

« R. D. Joannes Colosuarius Ord. Prædic. episcopus Canadiensis.

« R. P. Ricardus Vercellensis abbas, canon. Reg. Vercellensis ».

Prælati igitur, qui usque in hanc diem XV Julii MDLXIII sunt præsentes, vel fuerunt in hoc Concilio Tridentino sub Pio IV, sunt numero CCLXXX.

128. Summam ac piam voluptatem cepit ex ejus sessionis decretis, atque ex redintegrata inter præsules concordia Pontifex, ut constat ex litteris ad Derthonensem episcopum, quem ro-

[1] Sap. VI. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 211. usque ad p. 220 inclusive. — [3] Angel. Massarel. in Actis Concil. Trid. post sess. VII. Ms. arch. Vat. sig. num. 3212. p. 195.

gavit, ut præsules Hispanos ad promovendum Concilii progressum incitaret.

Conceptam ex ejusdem sessionis felici exitu lætitiam in card. quoque Senatu paulo ante explicuerat, in quo etiam significarat, ex Lotharingi cardinalis litteris præsules Gallos in publicum rei Catholicæ bonum conspirare, et quia principes et populi disciplinæ Ecclesiasticæ normam restitutam optabant, se in primis in ea re Concilio subjici velle, ut cardinalibus ac principibus exemplo præluceret, de quo hæc habent Acta.

129. *Renovantur antiquæ Constitutiones de residentia.* — Cum ingratum accidisset nonnullis cardinalibus decretum de residentia, in quo ipsi iisdem cum aliis pœnis obstricti fuerunt, Pontifex in eodem senatu ipsis significavit, perbelle cum ipsis actum, cum ad retinendos episcopatus idonei renuntiati essent; æquitati vero consentire, ut qui eos retinent, in iis resideant.

« Dixit Pontifex », subdunt Acta, « æquum esse illum, qui vult esse episcopus, et in sua Ecclesia residere, et consecrationem accipere, ut Pontificalia exercere possit ». Licet ea lex sanctissima, urgentibus etiam Gallis, lata esset, non a Gallis præsulibus, quos nimius amor sui ad terrena depresserat, servatam questus est Claudius Espencæus in litteris ad Lotharingum cardinalem.

Sexcentis olim canonibus Synodicis et Pontificiis sancita innovavit aliquot sessionibus novissima Tridenti Synodus statuens [1] atque decernens, omnes episcopos, archiepiscopos, primates, et alios Ecclesiarum prælatos teneri per seipsos ad prædicandum sanctum Jesu Christi Evangelium, a patriarchali, primatiali, metropolitana, aut cathedrali Ecclesia, quocumque eis titulo, causa, nomine vel jure commissa, quacumque ii dignitate, gradu, præeminentia fulgeant, sex continuis mensibus extra suam diœcesim morantes, et absentes quartæ partis fructuum pœnas incursuros, etc. Sed dum legitima impedimenta, et justas ac rationabiles causas excipiunt, pro more factum est, ut quæ melius suppressa, supplenda nihilominus reliqui bene potuissent, expressa, nec explicata nemo non excuset, et ad se trahat.

130. *Turcorum exercitum et classem delent Hispani.* — Dum ita feliciter procederent actiones Synodi, res quoque Christianæ in ora Africana lætos habuere successus, nam in eodem Consistorio, quo Pontifex de Concilii gestis elocutus fuerat, addunt Acta, certiores quoque fecisse purpuratos Patres de re Christiana egregie defensa contra Barbaros in Africa :

« Fecit verbum de subsidio, narrans maximum damnum Christianitatis fuisse evitatum : et dixit Sanctitatis Suæ triremes in tempore affuisse, cum aliæ Januensium, ducum Sabaudiæ, et Florentiæ non affuerint, expeditionemque de pecuniis Ecclesiæ factam, cum Sanctitas Sua concesserit de subsidio pro triremibus clero Hispaniæ imposito, in hac expeditione impendi posse ».

Reportatæ ejus victoriæ de Numidis, ac Mauritanis ab Hispana classe sacerdotali auro comparata seriem illustrat Natalis Comes [1], nimirum regem Juliæ Cæsareæ, quam vulgo Alger vocant, Buissam coloniam in Mauritania Cæsariensi inter Arsenariam coloniam, et magnum Portum, ab Hispanis insessam terrestri ac maritimo exercitu cinxisse, validaque impressione hostili facta novam munitionem, quæ in sublimi loco extruebatur, apud novum oppidum, quod Mazalchivir vocant, cepisse, eaque illecebra delinitos ad arcem aliam munitissimam invadendam impetus vertisse. Præfectus fuerat cum summo imperio barbarico exercitui Serissus vir bellicis artibus clarus, a quo post crebras per tormenta murorum diverberationes, per ruinas assilire in urbem jussus exercitus, magna obsessorum virtute propulsatus, insignem sæpe pro victoria cladem retulit, licet vires Maurorum collectæ in castris essent, expugnandæque arci tota fere Numidia incumberet. Interea triginta quatuor triremes e Cartejæ Portu solventes auxilium laturæ contra barbaros ad Buizam coloniam applicuere, tantumque terrorem hosti intulere, ut continuo soluta obsidione spectarint ad fugam, quam rex ipse tanta celeritate præcipitavit, ut quo expeditior esset, tormenta reliquerit. Ità dissipato terrestri exercitu classis Maurica non ita maturare fugam potuit quin ab insequentibus Hispanis commisso atroci et cruento prælio viginti quinque navigia amiserit, præter ea quæ in portu a victore oppressa sunt: ita ejus victoriæ gloria acceptam antea, ut vidimus, ad Gerbas ignominiosam cladem Hispani eluerunt.

131. *Angli e Gallia ejiciuntur; Carolus IX favet hæreticis unde justæ querelæ Parisiensis senatus.* — Cumulata est ea Maurica victoria alia recenti, recuperato a Gallis portu, cui Elva nomen est, quem Angli occuparant, cujus rei felix nuntius ad Lotharingum cardinalem allatus [2], mira Tridentinos Patres lætitia affecit. Portus illius nomen ab Italo scriptore corruptum fuit, quod ex Gallica historia restituimus. Is erat Portus-Gratiæ in Sequanæ ostio situs, quem Hugonotti proditores inveteratis Francorum hostibus Anglis vendiderant, a Francisco firmissimis propugnaculis munitus, in quem Angli, audita Gallica pace, relictis cæteris urbibus se receperant, duce Warvici comite; sed indicto a

[1] Claudius Espencæus in Ep. ad card. Lotharingum.

[1] Natalis Comes l. XIV. — [2] Carol. Vicecom. in lit. ad car. Bor. Ms. car. Jo. Bapt. Spadæ p. 300. Belcar. l. XXX. num. 20.

rege Carolo pridie nonas Julii Anglis bello, immissoque cum exercitu Brissaco, adeo strenue ab eo duce locorum peritissimo res gesta est, ut aquæ dulcis interrupto ductu, cisternisque brevi exhaustis, cum salsa tantum suppeteret, tria Anglorum millia brevi peste absumpta sint, dispositaque adeo perite tormenta fuere, ut Anglica classis portum ingredi tuto non posset, itaque Warvicus rerum meliorum desperatione actus V kal. Augusti deditionis verba nuncupavit et Gallia bello Anglico liberata est.

132. Recepto Gratiæ-Portu restitutæ quoque Lugduni, quod a Calvinianis occupatum recuperatumque fuerat, nundinæ, et Carolus rex Rothomagum reversus, cum decimum quartum ætatis annum attigisset, suadente regina matre, quæ verebatur, ne Ludovicus Condæus princeps regni administrationem Antonii fratris regis Navarræ exemplo affectaret, se majorem natu atque idoneum administrando regno promulgavit : concordiam cum Hugonottis pactam nonis Martii confirmavit, ponique ab omnibus arma regio edicto jussit XVII kal. Septemb. Parisiensis senatus [1], missis tribus legatis, questus est res gravissimi momenti in alio senatu quam Parisiensi sancitas, eoque edicto duas religiones in Galliam inductas videri, novam enim Hugonottam sectam , ut maximos jam tumultus concitasset, ita alios posthac gravissimos conflaturam. Quod de Concilio universali, aut Gallicæ nationis additum erat, penitus inane esse, cum ab Hugonottis Concilium Œcumenicum, quod Tridenti nunc celebratur, rejiciatur; quanto magis illi Gallicæ nationis Concilium, nisi quod illi dictabunt , sanciat , rejicient ? « Nullum (inquiebant) unquam illi, quod pertinaciæ suæ non cedat, Concilium admittent ; quod additur, nisi aliud tua majestas statuat, magis ad rem pertinet, ne duæ religiones introduci videantur : sed dum Concilium universum Tridenti celebratur, et quod ibi decidetur, incertum est, novas religiones quasi approbare aut pati novi exempli est, et a Christianissimi regis nomine alienum ». Justissimas has et sanctissimas querelas Parisiensis senatus Catholicæ fidei assertoris iterum repetitas rex adolescens malorum, quæ sibi accersebat ex permissa Hugonotta secta, ignarus, ab Hospitali regii scrinii præfecto hæreticorum fautore illusus acerbo responso elusit, ne in posterum de regiis edictis disceptarent, nec quæ supra gradum suum sunt, invadere auderent.

133. *Pius IV Joannam Navarræ reginam ut hæreticam condemnat.* — Subdit Franciscus Belcarius [2] : « Septembri mense Pius IV Pontifex Maximus Diploma Romæ promulgavit, quo Joannam Alebretam reginam Navarræ tanquam de religione male sentientem et hæreticam, ut vulgo loquuntur, damnavit, et reliquias regni sui, quas adhuc possidebat, primum occupanti adjudicavit ». Et paulo post : « Huic Pontificio decreto sese opposuit rex Carolus, et hoc nomine legatos ad Pium Pontificem misit, qui nihil præter ea, nisi quod eidem reginæ sacris Christianis interdixit, molitus est ».

Non modo contaminata jam diu hæresi regina Joanna aulam suam eadem impietate infecerat [1], quantumvis missis oratoribus obsequium Romano Pontifici externa specie addixisset, sed jam a superiore anno, detracta religionis larva , immaniter Catholicam rem in regni sui terris et fiduciariis Galliæ principatibus afflixerat, pulsis monachis ac sacerdotibus cæsis vel trucidatis, eversis altaribus, hæreticis concionatoribus invito populo inductis, propositis pœnis iis, qui rei divinæ interessent, instar Jezabelis inito cum morte et inferno fœdere prophetas Domini persequebatur, atque Henricum Navarræ principem, quem rex Antonius pater in Catholicis institutis educari jusserat, reluctante Joanna atque adversante, sacrosanctis incruenti sacrificii mysteriis interesse non patiebatur, ex quo maxima rei Catholicæ noxa inferebatur, cum ad eum jura Gallici sceptri aliquando devolvenda essent, atque ob susceptam ab eo Joannæ imperiis hæreticam impietatem gravissima bella exarsura essent. Itaque Pontifex horum pertæsus malorum, reique Catholicæ dignitati ac publicæ saluti consulturus XXII Octobris habito cardinalium senatu eam hæreticæ impietatis judicio accersendam sanxit [2], constituto semestri spatio, quo elapso, sententiam decretoriam exceptura esset; ita, ut triplex bimestre triplici termino præfixum esse intelligeretur, quæ cum a cardinale Borromæo legatis Tridentinis significata essent, censuere illi graviores bellicos tumultus inde commoveri posse, cum regina Angliæ principesque Protestantes eadem causa involverentur, atque in commodius tempus judiciariam eam severitatem extrahendam, donec pro decretis Concilii mandandis operi Cæsar, Galliæque et Hispaniæ reges, ac cæteri principes Catholici mutuo fœdere vires conjunxissent, at Pontifex XXII Novembris rescripsit legatis, jam facta fieri non posse, ut non facta sint, ac si regina Joanna Henricum principem Catholicæ religionis ritus colere permitteret, mitius cum ipsa acturum, sin vero in hæresi obduresceret, ex divino nutu rei consultum iri. Obstitit justæ Pontificis severitati adversus Joannam immanem Catholicæ fidei persecutricem Carolus Galliæ rex politicis illusus argutiis, qui maxime Pontifici in eam conjunctissimus esse debuerat, cum Joanna ad

[1] Fr. Belcair. l. XXX. num. 23. Henr. Cathar. Davila l. III. Hist. Franc. — [2] Eod. num. 23.

[1] Florim. Raymun. — [2] Ms. card. Pii l. VIII. Card. Borr. in l. scriptis XXIII Oct. Palan. l. XXIII. c. 6. num. 8. Card. legati Ep. CCCXCV.

perdendam Galliam sævissima conjuratorum consilia semper promoveret, denuntiavit enim Pontifici [1], se ad Joannam reginam Navarræ, ut viduam et sanguine conjunctam defendendam obstrictum esse, causamque politicam Christi causæ prætulit, cum vereretur, ne Hispaniæ rex ea occasione ad proferendos regni sui limites uteretur, neve Hugonotti incendii flamma revivisceret. Quanta vero mala in rem Catholicam et Gallicam ex ea in Joannam reginam indulgentia redundarint, suis locis lugebitur, cum ex infectis hæresi principatibus Gallici regni fiduciariis vires ad Gallos Catholicos obterendos effunderet.

134. *Nonnulli episcopi infecti Calvinismo.* — Serviebant impiis Joannæ reginæ cupiditatibus Claudius Reginus Olorensis, et Ludovicus Alebretius Lascurensis episcopi contaminati Calvinistica hæresi, atque Judæ proditoris socii, quos una cum Sauromano archiepiscopo Aquensi perditissimo, qui ad inficiendam provinciam omnia studia intendebat, Carolo Gillario Carnotensi episcopo, atque aliis tribus, referente Alexandrino cardinale summo censuræ fidei præfecto, in memorato Consistorio vigesima secunda Octobris habito, hæreseos et contumaciæ crimina damnavit Pontifex, ut ex Actis [2] constat :

« Die XXII Octobris MDLXIII, fuit Consistorium, in quo referente reverendissimo Alexandrino S. D. N. pronuntiavit, prout in cedula, contra Antonium Caracciolum olim episcopum Trecensem, Joannem Monluch episcopum Valentiniensem, episcopum Uticensem, episcopum Carnotensem, episcopum Lascurensem, episcopum Olorensem, archiepiscopum Aquensem citatos super incursu hæresis et contumaces ». Addunt Spondanus [3], et Sammarthani Joannem Barbansonum Appamiensem episcopum ; an vero aliqui, vel resipuerint, vel calumniose delati fuerint, quod aliqui contendunt, hucusque nobis non innotuit.

135. *Pius IV scribit admonitorias Epistolas principi Auriacensi.* — Monuit etiam exeunte anno Guillelmum Aurasiæ principem de malis ingentibus, quæ Aurasiæ ab Hugonottis adversus rem Catholicam patrabantur, episcopum et clerum ex ea urbe depulsos, eversa altaria, Ecclesiasticas opes occupatas, magistratus illius urbis hæresi infectos, in eam veluti in alteram Genevam confluere desertores fidei, atque ex ea latronum excursiones fieri ; ac ni tantis malis mederetur ipse, justitiam a se adversus impios latrones districtum iri, et quæcumque posset, bellica auxilia in eos conflaturum [4] :

« Dilecto filio nobili viro Guillelmo principi Auriacensi.

[1] Ms. card. Pii l. VIII. Belc. l. XXX. num. 23. — [2] Act. Consist. Ms. card. Spad. sig. n. 134. p. 36. — [3] Ann. Eccl. an. 1563. t. I. Gui Chr. in Ar. Aquen. — [4] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. 413.

« Nondum responsum a te acceperamus ad eas litteras, quas ad te de mense Octobri misimus, per quas te paterno amore hortabamur et monebamus, ut quoniam Santalbanum quemdam præfectum urbi tuæ ditionis Auraicæ a te impositum constabat hæreticum esse, et hæreticorum ducem atque fautorem, hæreticisque undecumque eo confluentibus urbem illam tuam, tanquam asylum quoddam hostium Ecclesiæ, et velut alteram Genevam patefecisse, non sine gravissima Catholicorum omnium offensione et scandalo, maxima nominis tui labe, et salutis æternæ periculo, hominem tam impium ab ejus urbis regimine sine mora removeres, aliosque hæreticos externos, qui tum magnam partem comitatus nostri Venaysini Auraicæ finitimi occupatam tenebant, et gravissimis calamitatibus populos ditionis Ecclesiæ afficere non desistebant, nobiscum una expellendos curares. Nondum scimus, idque non parum miramur, et quid te paterna illa hortatio nostra tantum, quantum confidebamus, moverit, et quid cogitares, ut consuleres famæ atque existimationi tuæ.

« Etsi autem nos, favente Deo, postea recepimus oppida et loca omnia comitatus nostri Venaysini, expulsa inde illa hæreticorum et facinorosorum hominum manu, tamen, quoad præfectus ille Auraicæ, et id receptaculum hæreticis patebit, nihil tantis sumptibus et laboribus profectum esse intelligimus, nec civitatem nostram Avenionensem, tam Auraicæ propinquam, et comitatum Venaysinum tuta fore, et a contagione illius pestis, et a latrociniis hominum egentium ac perditorum. Quocirca iterum nobilitatem tuam hortandam, monendam et rogandam duximus, ut quæ adhuc ibi acta sunt indigna pristina existimatione tua, et aliena ab officio Catholici viri, qualis nobis et ab omnibus aliis semper es habitus, sine mora et cunctatione ulla corrigas et emendes. Cogita, quæsumus, fili, et diligenter tecum ipse considera et attende, quam indignum sit dominari in urbe illa tua tam manifestum hæreticum, et tam acrem Catholicæ religionis atque Ecclesiæ hostem, consilium totum, ejusque advocatum, et procuratorem, et omnes fere alios officiales ac magistratus ejus urbis hæreticos esse, non jam justitiæ ministros, sed hæreticæ pravitatis magistros et personarum simplicium corruptores, et recipi ibi, quotquot ex comitatu Venaysino et aliis ex locis eo confluant, hæreticos ; fugatum esse inde, aut certe metu abesse episcopum, et alios Ecclesiasticos, ac religiosos atque omnes fere Catholicos, sublata esse divina in Ecclesiis officia, occlusum atque interdictum Catholicis concionatoribus aditum, hæreticorum ministros, ut vocantur, in urbe, et castellis, ac locis ei civitati subjectis publice perniciosa pestifera sua dogmata profiteri ac

prædicare, monasteriorum et Ecclesiarum redditus hæreticorum arbitratu, et quidem sicut accepimus, id quod dolenter referimus, permissu tuo dividi ac dispensari, nempe in Dei et sanctæ religionis hostium subsidia et alimenta converti. Hæc, dilecte fili, quam hæc Deo invisa ! Quam calamitosa illi civitati tuæ, quam acerba Catholicis omnibus sunt ! Quam turpem notam nomini tuo inurunt ! Heu ! quam gravem in te Dei iram excitatura sunt, nisi ea festinaveris corrigere, sicut te et genere tuo dignum est ! Noli, quæsumus, abuti diutius patientia et longanimitate Dei : cave ipsius iram tibi thezaurizes : terribilis est et auferens spiritum principum : noli præbere aures malis pravisque suasoribus, audi nos, qui non tua, sed te diligimus, qui existimationi, qui saluti tuæ consultum cupimus ». Et infra : « Sin autem tu tuo officio, quod absit, fungi neglexeris, ac nos fungemur nostro, et ea consilia inibimus, quibus tantam pestem, antequam vehementius corroboretur, inde ejiciamus, et imminens oppidis atque hominibus ditionis Ecclesiasticæ periculum depellamus, ad quod si vires nostræ et sanctæ Romanæ Ecclesiæ non sufficient, ad omnia auxilia et remedia descendemus, quod si evenerint ea, quæ fortasse non putas, non nobis id, sed tibi, qui paterna nostra monita neglexeris, tribuere et imputare debebis, etc. XXX Decembris MDLXII, anno IV ».

Non gessit morem paternis monitis Guillelmus princeps, sed omnes opes suas ad eam arcem firmissimis propugnaculis muniendam prodegit, quæ post varia bella ex ea urbe in Venaysino comitatu gesta, vertente sæculo ob præsidiariorum procaciam a cardinale Julio Mazarino Gallicis succincto copiis improviso impetu capta atque eversa est, atque hæretici, qui in ea diu imperitarant, sub jugum missi. Sed longius aberrantem orationem ad Tridentini Concilii historiam revocemus.

136. *Offeruntur Concilio litteræ observantissimæ ducis Senarum et Margaritæ Austriacæ.* — Narrat Astulphus Servantius vigesima prima Julii Tridentum ingressum esse Hieronymum Gaddum episcopum Cortonensem Cosmi ducis Florentiæ ac Senarum oratorem, cum Strozzius Marchio fuisset a duce revocatus, illumque in Congregatione generali vigesima quarta Julii habita comparuisse, nullaque habita oratione litteras ducis legatis obtulisse ; quæ vero in ea Congregatione gesta sint, his verbis describit, queis consentientia habet Angelus Massarellus [1] : « Die Sabbathi », subdunt Acta, « XXIV mensis Julii dicti anni MDLXIII, hora X, habita est prima congregatio generalis post Sessionem septimam sacri Concilii Tridentini sub Pio IV Pontifice Maximo : in qua primum R. D. Hieronymus Gaddius episcopus Cortonensis orator illustrissimi domini Cosmi Medices Florentiæ et Senarum ducis, exhibuit illustrissimis DD. præsidentibus et legatis mandatum ipsius ducis ; quod alta voce lectum fuit. Ipse orator orationem non habuit, neque responsum ullum ei datum fuit ; sed tantum admittitur, cum subintret in eadem legatione primi oratoris D. Joannis Strozzii, qui ab ipso duce revocatus fuerat.

« Deinde Patres cœperunt dicere sententias super canonibus de sacramento Matrimonii, in qua etiam congregatione illustrissimi domini oratores Christianissimi regis exhibuerunt sanctæ Synodo petitionem quamdam circa matrimonia clandestina.

« Cedula exhibita ab oratoribus regis Christianissimi, lecta in congregatione XXIV Julii MDLXIII.

« Hoc etiam petit rex Christianissimus, ut antiquissima nuptiarum solemnia hoc tempore restituantur, palamque et publice in Ecclesia matrimonia celebrentur ; quæ si aliquando propter magnam causam fieri posse videantur, non prius tamen legitima esse censeantur, quam si huic sacro mysterio præfuerit parochus, vel presbyter, tresque aut plures testes præsentes. Filiorum autem et filiarum-familias matrimonia sine parentum consensu nullo modo justa et legitima sint, nisi placeat sanctissimæ Synodo quorumdam Patrum morositati et nimiæ in collocandis liberis negligentiæ occurrendo tempus aliquod præscribere, quo tantum transacto, liberum sit filiis et filiabus sine patris consensu matrimonium contrahere ».

Primum postulatum Synodus admisit ac sancivit lege, posterius ob alia graviora incommoda rejecit. Exhibitæ quoque fuerunt litteræ [1] Margaritæ Austriæ Parmæ et Placentiæ ducissæ, quæ pro Philippo rege Belgium moderabatur, magnam præ se ferentes erga Apostolicam Sedem et Sanctam ipsam Synodum observantiam, quæ lectæ pariter fuerunt.

137. *In Concilio expenditur duorum præsulum, Toletani videlicet et Aquilegiensis doctrina, in qua nihil a fide alienum reprehenditur.* — Per idem tempus duorum clarissimarum Ecclesiarum præsulum in Concilio a Patribus agitata fuerat causa, Joannis videlicet Grimani patritii Veneti, Aquilegiensis Ecclesiæ patriarchæ, ac Bartholomæi Caranzæ archiepiscopi Toletani. Hic ob quasdam opiniones et catechismum suspectæ doctrinæ Hispano idiomate impressum ad sacrum inquisitorem delatus in vinculis jam diu tenebatur. Consultabant itaque [2], an hujus Catechismus in Indice librorum prohibitorum configendus esset ? Traditur propterea exami-

[1] Angel. Mass. in Actis congreg. gener. Ms. arch. Vat. sig. num. 3112. p. 353.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3194. p. 10. et in alio sig. num. 3192. p. 402. Angel. Mass. Ms. arch. Vat. sig. 3192. p. 301. — [2] Ext. Ep. card. leg. Borr. XXIX Julii. In Act. Conc. Trid.

nandus archiepiscopo Pragensi, ac simul aliquot theologiæ doctoribus, qui accurate illum perlegentes, nihil a recta fide alienum continere asseruerunt. Recitata sententia, vehementer excanduit Hispaniarum regis orator, atque Ilerdensis episcopus in eos, qui temere illum approbaverant XXIX Julii acerbe declamavit. Qua ipsa die delegatum quoque negotium in causa patriarchæ Aquileiensis scribit Astulphus Servantius. Jam olim sub annum MDXLVII, incommoda quædam super doctrina ipsius percrebuerat suspicio, quam etiam canonica, ut aiunt, purgatione diluerat. Sed suppressa diu, atque purgata suspicio extulit denuo sese, cum Venetiis Romam ad quæsitores fidei litteræ deferuntur, quibus patriarcham incusant, quod concionatorem identidem non sana super prædestinatione dogmata spargentem e pulpito, ideoque a patriarchali vicario prohibitum in civitate Utini, quæ patriarcharum modo, excisa Aquileia, sedes est, ac Fori-Julii metropolis, concionari, consueto prædicationis officio restitui mandasset. Re diu Romæ agitata, cum a Patribus Concilii patriarcha audiri postulasset, nec Pontifex, senatu Veneto enixe deprecante, abnuisset [1], decreti sunt pro causa investiganda tres supra viginti præsules ex omnibus pæne nationibus, qui Concilio aderant, theologiæ scientia imbuti, ac postea duo etiam cardinales, Lotharingus nempe ac Madrutius, qui in patriarchæ scripta ac doctrinam inquirentes die XIII Augusti, quæ dies ex legatorum placito, posthabita consueta congregatione, huic consultationi data est, dictis ferme sine variatione sententiis pronuntiarunt, nihil a recta fide alienum in patriarchæ scriptis aut in ejus litteris inveniri, quin eadem in scriptis SS. Augustini, Prosperi, Bernardi, Thomæ, aliorumque doctorum lectitari; tantum ne litteræ ipsæ et apologia, quam in sui defensionem texuerat, publicarentur, quod quædam in ipsis essent intellectu difficilia, et ad illaqueandas simplicium animas; quæ parum doctrinæ habent, apposita, cum minus quam par esset exacte tractarentur. Itaque die tertia Septembris, coacto cœtu, sententia recitatur, qua patriarcham innoxium, ejusque litteras ab omni hæretica labe intactas, hoc, qui sequitur, Diplomate [2] pronuntiarunt :

« Visis litteris prædictis supradicti reverendissimi domini Joannis Grimani patriarchæ Aquileiensis scriptis die anni MDXLVII vicario suo Utini tunc commoranti, in quibus nonnulla continentur de prædestinatione, et præscientia, ac libero arbitrio, quæ ab aliquibus hæretica, vel de hæresi suspecta, vel scandalosa asserta fuerunt : visa etiam Apologia, sive declaratione prædicti reverendissimi patriarchæ ad dictas litteras facta, habito per nos et quemlibet nostrum super prædictis privato colloquio cum pluribus theologis nostrarum et aliarum nationum, collatis et servatis ad hoc sacris Scripturis et dictis sanctorum Patrum : facta etiam inter nos Congregatione, in qua mutuo super prædictis collocuti sumus », et infra : « Pronuntiamus litteras præfatas præfati reverendissimi domini Joannis Grimani patriarchæ Aquileiensis cum Apologia junctas, non esse hæreticas, seu de hæresi suspectas, neque sic declaratas esse scandalosas ; non tamen divulgandas propter nonnulla difficilia minus exacte in eis tractata et explicata, etc. » Nunc alia, quæ in Concilio acta sunt percurramus.

138. *Illusus a politicis Ferdinandus postulat usum calicis et abrogationem cœlibatus Ecclesiastici.* — Exeunte Julio Ferdinandus electus imperator cum dudum in postulando calicis usu pro regnorum suorum ac principatuum clientibus, necnon de solvenda cœlibatus lege in suscipiendo sacerdotio, Hispanos in Concilio sibi acerrime restitisse advertisset [1] eosque Concilii prorogationem exambire, Pontificem e contra Italis et Gallis deprecantibus Concilio finem imponi, cardinali Joanni Morono primo Concilii præsidi significavit, se conjicere prorsus nequire quam potissimum ob causam Philippus rex extrahi Concilium affectaret, obsisteretque ne ea quæ juris erant positivi laxarentur, se quidem agnoscere ex diuturna Concilii prorogatione Pontificem gravari sumptibus, et Ecclesias ob diuturnam præsulum absentiam damno affici, ac propterea censere, media incedendum via, nec præcipiti celeritate claudendum Concilium, non diremptis controversiis, ob quas fuerat coactum, ne gravius inde offendiculum emergeret : circa vero ea quæ de administratione Ecclesiastica in meliorem formam redigenda constituta fuerant, ut ea, quæ ad omnes provincias pertinebant, decernerentur, alia vero, quæ ad singularem quampiam provinciam spectarent, Pontifici statuenda relinquerentur, se optime sperare Pontificem muneri suo non defuturum, legatosque rogavit, ut quæ pro imperio Cæsareisque provinciis conducerent, promoverent : nec propterea sui esse animi aliqua in re, vel Hispaniarum, vel aliis regnis damnum ullum afferre, dum suorum provehit utilitatem, viderique sibi pro imperii et regnorum suorum pace conservanda opportunum, ut calicis usus permitteretur, et juris positivi, id est, sacerdotalis continentiæ, et quadragesimalium jejuniorum acerbitas leniretur, atque in optimam spem adduci, tum Concilii Patres, tum Pontificem pro fovendis Catholicorum in Germania reliquiis necessitati infelicissimorum temporum clementer indulturos [2] :

[1] Ms. Vallic. lit. H. Pall. l. XXII. c. 3 et 23. c. 1. — [2] To. XII. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3199. p. 55.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 27. — [2] Id. ib.

139. « Ferdinandus, divina favente clementia, electus Romanorum imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, etc. rex.

« Reverendissimo in Christo patri domino Joanni sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopo Prænestino cardinali Morono, et ad sacrum Concilium legato.

« Nos, si serenissimus nepos noster rex Catholicus hoc est animo, ut Concilium in longum protrahat, ut dicitur, non possumus conjectura assequi, quibus rationibus inducatur, quod velit Concilium tamdiu extrahi, neque tamen quidquam in iis, quæ sunt juris positivi, remitti. Nobis quidem tanta mora et cunctatio minime probatur, qua nimirum animadvertimus, universum Christianum orbem maximopere offendi. Ideoque in ea semper perstitimus sententia, atque adhuc persistimus, quod non solum fuisset commodum, tam Sanctissimo domino nostro propter magnitudinem sumptuum, quos Sanctitas ejus impendit gravissimos, quam Patribus et episcopis, qui et ipsi cum magno suo incommodo istic tamdiu hærere coguntur, verum etiam Ecclesiis eorum, quæ diutius quam fortasse necessitas requirit, debito pastorum gubernio et solatio destituantur, si negotia ista Concilii rite quidem et ordine suo, attamen expedite pertractata fuissent.

« Sed quod ex altera parte Sanctissimus dominus noster, cum Italis et Gallis episcopis id vult, ut Concilium quam citissime absolvatur, nobis id sane non displicet, dummodo non præcipitanter, sed debito modo et ordine ad finem deducatur, ne scilicet quidquam eorum in dubio relinquatur, aut prorsus postponatur, quod sit ad discutiendum, explicandum et definiendum ; adeoque nisi rebus omnibus, propter quas Synodus congregata est confectis, finiatur aut dimittatur; quia si ex abrupto, nec omnibus negotiis expeditis dissolveretur, magnum certe scandalum ea res toti orbi Christiano exhibitura, majorique defectioni ansam et materiam subministratura esset, satiusque foret Concilium ipsum nunquam cæptum fuisse; præsertim cum non appareat aliqua præcipitationis necessitas.

« Quod autem paucis interjectis diebus a proxime celebrata Sessione instituenda sit reformatio, sed tamen talis, ut ea tantum complectatur, quæ generatim sine ullo discrimine ad omnes provincias pertinent, in hac re, quoniam nuper ex sermonibus cum paternitate vestra reverendissima Œniponti habitis, firmam spem concepimus, quidquid hactenus ad hoc reformationis negotium, vel in hoc ipso vel in proximo præcedenti Concilio Tridentino determinatum non fuerit, id a Sanctissimo domino nostro eo directum iri, ut quam citissime determinetur, nunc equidem plane confidimus Sanctitatem suam in hoc ipsum invigilaturam quam diligentissime. Et sunt profecto ea, quæ hactenus pro parte nostra desiderata fuerunt, ejus omnino generis, ut non tam sacrum imperium, regnaque et provincias nostras hæreditarias, quam potius majorem orbis Christiani partem concernere videantur. Quapropter postquam viderimus, quid Sanctissimus dominus noster ulterius in reformationis negotio proponi voluerit, ac deinceps nobiscum ipsi perpenderimus, an et quid, necessitate nostra ita exigente, addendum sit, non dubitamus, quin tunc paternitatis vestræ reverendissimæ et collegarum suorum opera et auctoritate futurum sit, ut reliqua etiam absolvantur, idque ut paternitas vestra reverendissima curæ habere velit, benevole ac majorem in modum petimus ; ita namque reverendissima paternitas vestra cum iisdem reverendissimis suis collegis præparatura est longe faciliorem viam ad consequendum optatum hujus Concilii exitum, quem tanto studio expetere videntur ». Et infra : « Per ea, quæ postulamus pro sacro Romano imperio, ac regnis et dominiis nostris, non intendimus, vel Hispaniæ, vel aliis regnis præjudicare ; ita etiam par est prælatos Hispanos nihil impedimenti injicere iis rationibus, quibus videtur aliis regnis consuli posse. Decet enim Concilium generale non ad unam dumtaxat nationem respicere, sed omnibus in commune et cuique in specie opitulari ». Nonnullisque interjectis : « Paternitatem vestram reverendissimam latere nolumus, quod jam versemur in deliberatione et consultatione eorum, quæ nobis deinceps pro utilitate et necessitate sacri Romani imperii, ac regnorum et provinciarum nostrarum, ratione calicis et aliorum omnium quæ juris sunt positivi, agenda fore videbuntur ». Et mox :

« Quod si quid nobis posthac in Concilio, vel a summo Pontifice petendum erit, omnino persuasum habemus, cum nihil quæramus eorum aliter, quam pio et optimo zelo, non nostri privati commodi causa, sed propter salutem fidelium nostrorum, et sacri imperii subditorum, quos Deus nobis curæ esse voluit, quod vel Pontifex Maximus, vel paternitas vestra reverendissima, et collegæ sui reverendissimi, ac reverendi et venerabiles Patres Concilii postulatorum nostrorum, condignam rationem sint habituri. Id autem judicabit tempus ipsum. Quod si tunc obtinebimus commodum et aptum hisce calamitosissimis temporibus, et ad conservandas saltem hasce reliquias religionis Catholicæ utile responsum, id grato animo accipiemus, scientes id futurum hisce provinciis valde salutare : sin minus, aliud facere non poterimus, quin Deo rem committamus; attamen verendum est, ne in illum eventum populus, ubi animadverteret, talia sibi negari, quæ facile ac sine ullo scrupulo putat sibi concedi posse,

ultro et sine licentia, vel summi Pontificis, vel Concilii illa sibi vendicet : quod an futurum sit ex usu sanctæ Romanæ Ecclesiæ et reipublicæ Christianæ, id nos paternitati vestræ reverendissimæ expendendum relinquimus, etc. Dat. in civitate nostra Vienna, die ultima Julii, anno Domini MDLXIII, regnorum nostrorum Romani XXXIII, aliorum vero XXXVIII ».

140. Illusus erat Ferdinandus Cæsar politicorum quorumdam præstigiis, quæ etiam antea Carolo V offusæ fuerant, fingentium ac suadentium Catholicæ religionis reliquias in Germania conservandas, si calicis usus permitteretur laicis, et cælibatus ac jejunii Quadragesimalis acerbitas tolleretur, cum tot populi jejuniorum odio et cupidine calicis, tanta sacerdotum et monachorum turba conjugalium delitiarum furiali amore percita ad Lutheranam hæresim defecissent; at pietas Christiana, injecto, non laxato cupiditatibus fræno, continetur, nullaque re citius extinguenda erat Catholica religio, quam petitis iis permissis, cum indigna cogitatio populos subitura foret, Lutheranos veritatem ac sapientiæ apicem attigisse, constaretque eos, qui calicis cupidine stulta defecerant a fide Catholica, Eucharistia se privasse, dum vel ab iis, qui sacerdotio non erant initiati, eam acceptare, vel Christi in ea præsentiam negarent : nec leges ab Ecclesia Christi sponsa, ejusque spiritu et instinctu tot sæculis observatæ sanctissime ob inanium hominum umbratilem opinionem convellendæ erant; quare Ferdinandi preces circa cœlibatum et jejunia non auditæ, circa calicis vero usum a Pio IV admissas visuri sumus, a Pio vero V indulgentiam illam, ut exitialem, experientia ipsa comprobatam, rescissam, suo loco dicetur.

141. *Comes e Luna Concilium turbat.* — Quod porro in Cæsareis litteris scriptum est esse a Philippo Hispaniæ rege dilationem Concilio quæsitam, dederat suspicandi occasionem Claudius comes e Luna Hispanus orator [1], qui Concilii turbas non parum auxit, cum muneris limites egressus plura ad eum non spectantia moliretur; nam cum ipso Concilii exordio data esset Protestantibus summa libertas publica syngrapha communita, ut accederent ad Concilium, iique in pervicacia obduruissent, nec accedere ad Concilium dignati essent, quod in eo dominari non possent, comes e Luna litem movit de iis accersendis ad Concilium, et colloquiis cum iis agitandis, quæ Concilium in longiora tempora absque aliqua utilitatis spe erant prorogatura : quo audito Ludovicus Avila Philippi regis Hispaniarum apud Pontificem orator eum monuit, ne fructum, qui e Concilio decerpendus sperabatur, corrumperet, nec proponeret aliqua, quæ prolixas dilationes et moras traherent, inde enim tot horrentes spinas progerminaturas, quæ flavescentem jam segetem essent præfocaturæ. Hæc esse regis Catholici sanctissima mandata atque imperia, ne ejus oratores ullis actionibus atque congressibus cum hæreticis se implicent : jam satis superque exploratum, nullum cum hæreticis mille dolis instructis pertinacissimisque colloquium e sententia successurum, ne ergo nectere Concilio moras affectet, regem enim Hispaniarum, ut nolit Concilii actiones præcipiti impetu confici, ita nec differri. Ad infringenda hæc comitis molimina Pontifex Alexandro Cribellio Apost. in aula Philippi regis internuntio mandavit, ut apud eum querelas de Claudio deferret [1], qui sine mandato regio instabat Tridenti, ut iterum Protestantes ad Conc. vocarentur, ex quo res Concilii in longos flexus temporumque intervalla protraherentur, quod cum Alexander internuntius præstitisset, respondit Philippus nulla hæc abs se de Protestantibus urgendis data jussa; potius nitide dixisse [2]; hæc ad se non spectare, sed ad Ferdinandum Cæsarem. Querenti etiam, quod idem comes congregationes nationales moliretur, subjecit rex, nolle se quidquam innovari. Insuper cum expositum esset regi, adduci a comite e Luna propositiones de electione Pontificum a communi ordine ac more abhorrentes, necnon motam ab eo controversiam, quo jure a Pontifice sacerdotia conferantur, subdidit rex, se nunquam talia cogitasse, de quibus singulis extant Cribellii internuntii ad Pontificem litteræ; quæ etiam firmiores redditæ sunt testimonio Pauli Odescalchi extraordinarii Apostolicæ Sedis internuntii ab ipso Pontifice in Hispaniam directi; Pontifex ergo, ut comitem ad officium revocaret, subjectam Epistolam [3] transmisit :

142. « Dilecto filio nobili viro Claudio comiti e Luna.

« Dilecte fili, nobilis vir, salutem, etc.

« Nemini omnino concedimus, ut is majore studio, quam nos, aut cupierit, aut operam dederit, ut Concilium ea via progrediatur, qua ad propositum et optatum finem perveniat, nempe divini honoris et communis utilitatis Ecclesiæ : quæ quidem in eo posita sunt, si et Catholicorum dogmatum veritas, confutatis hæresibus, stabiliatur, et ea quæ in moribus corrigenda sunt recte et ut convenit emendentur. Ad has autem res perficiendas, cum maxime esse necessarium constet, consensionem atque concordiam sacræ Synodi, dolendum est factum esse paucorum culpa, ut tamdiu prælati inter se dissenserint tanto Ecclesiæ detrimento, et tam gravi offensione bonorum omnium. Hanc autem piam

[1] Ext. ejus lit. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. post Ep. XXXV. XXVIII Julii MDLXIII.

[1] Ext. ibid. Ep. XVI. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. n. 3217. Ep. CL. — [3] Pius IV. lit. Ms. arch. Vat. to. I. Ep. XC.

mentem et voluntatem nostram, quod ad reformationem morum attinet, omnibus adeo notam esse scimus, ut quisquis eam parum sibi perspectam esse ostendat, is non graviorem nobis, quam sibi et judicio suo injuriam faciat; quapropter non est, quod nos ad ipsam reformationem faciendam adhorteris, cujus summo studio et cupiditate tenemur. In eo potius nos adjuvare debes, ut reperiatur ratio, qua ipsa reformatio quamprimum perfici possit, cum tanta sint et tam manifesta pericula, in quibus, ut ipse quoque scribis, Christiana respublica versatur, ut non remedio solum, sed etiam celeritate opus sit.

« Quid autem aliud est novas quotidie res proponere, quibus Concilium protrahatur, quam effectum ipsius reformationis impedire ? Qui hoc agit, certe is nobis videtur reformationem fieri nolle. Non solum autem non consulitur communi utilitati, sed ne serenissimi quidem regis tui cujus aliam mentem esse scimus.

« Itaque facere non possumus, quin doleamus cogitationem istam tibi pravo quorumdam consilio injectam esse : qua quidem ut desistas, et cum sacræ Synodi prælatis de eo consentias, quod populo Christiano magis expedire putatur, te in Domino adhortamur : quod nisi feceris, id quod absit, malorum omnium, quæ tam necessarii remedii tarditas Christianæ Reipublicæ invectura est (ea autem pæne innumerabilia sunt) in te merito poterit culpa conferri. Cum Galliæ episcopi Concilium quam celerrime peragi cupiant, quippe quorum domestica mala hoc potissimum remedio indigent, et quorum causa ipsum Concilium maxime congregatum fuit; cum charissimus in Christo filius Romanorum imperator electus et cæteri Christiani principes idem optent, propterea quod intelligant, quantopere necessarium sit curare, ne perniciosa hæresum semina, per omnes fere Christiani nominis provincias diffusa, altius radices agant, vide ne maximam infamiam subeas, si existimatum hoc de te fuerit, displicere tibi eas Christianæ reipublicæ partes, quæ hoc morbo laborant sanari; cum præsertim Galli testificati fuerint, actum esse de populis suis, nisi remedium celeriter adhibeatur. De invitandis ad Concilium de integro principibus et civitatibus imperii, quod nos hortaris, non videmus id fructum aliquem afferre posse; cum nos frustra eos jam per litteras et nuntios invitaverimus; et quidem contra voluntatem regis Catholici. Quo officio non contenti postea etiam per nuntium nostrum et postremo per venerabilem fratrem nostrum Joannem episcopum Prænestinum cardinalem Moronum legatum de ea re cum ipso imperatore egimus, sicut expedire censuimus etc. Datum Romæ die IV Aug. MDLXIII, anno IV ».

143. *Veneti oratores Græcos invitari poscunt.* — Eodem Augusti mense Veneti oratores, porrecto libello supplici, postulaverunt ut et ipsi Græci ad Concilium evocarentur, sed nec cum ipsis officium hoc Christianæ charitatis prætermissum, archiepiscopus Pragensis ostendit, exhibitæque sunt a Patribus litteræ, quibus Orientales pæne omnes ad Synodum vocabantur : nec cardinalem Warmiensem latebat, ipsum Moscoviæ ducem fuisse invitatum, idemque pariter de patriarchis Constantinopolitano et Alexandrino, de Armenis et Æthiopibus palam apud omnes factum esse liquebat.

144. *Approbantur a Patribus litteræ Margaritæ Austriacæ.* — Jamque frustra cunctis hisce ad Concilium vocatis, antequam idem dilaberetur mensis, accessere ad synodum Belgæ ternis missis spectabilibus episcopis, totidemque theologis doctrinæ fama florentissimis. Fuere inter præsules Franciscus Riccardottus Atrebatensis, Antonius Havezzus ex Ord. Prædicatorum Namurcensis , et Martinus Rythonius Yprensis antistites. Ex theologis autem fuere Michael Baius, de quo jam satis alibi superius diximus, Joannes Hassel, et Cornelius Jansenius, cujus laus, multis sacræ Scripturæ libris explanandis, ac præsertim in Evangelicis Commentariis summa est, qui Gandavensis postea fuit episcopus. Hos omnes Philippus Hispaniarum rex ad Concilium immiserat, suisque litteris ad Patres in Synodo congregatos directis Margharita Austriaca, quæ per id tempus Belgium fratris nomine moderabatur, illos abeuntes est prosecuta :

« Illustris. ac reverendiss. dominis S. R. E. cardinalibus S. D. N. Pii papæ IV legatis sacrosanctæ Œcumenicæ Tridentinæ synodo præsidentibus, cæterisque Patribus in eadem congregatis dominis nostris gloriosis.

« Illustrissimi ac reverendissimi legati , præsides, ac Patres plurimum observandi. Cum intellexerimus ad sacrum Concilium Œcumenicum a sanctissimo Pontifice Pio IV domino nostro observandissimo Tridenti indictum, undique Ecclesiarum ac variarum provinciarum præsules jam pridem convenisse, qui hoc tempore, tam perturbato, fluctuanti labentique religioni Christianæ ac Catholicæ fidei suis consiliis opem ferant, nostro quoque muneri in excitando episcoporum hujus inferioris Germaniæ nostro regimini a Catholico Hispaniarum rege commisso officio deesse tamdiu noluissemus, libenterque mature providissemus, ut ex hac regione ii, qui ibidem comparere tenentur, tempestive adfuissent, nisi quosdam ex iis ætas ac valetudo adversa excusasset, nonnullis vero aliunde impedimenta fuissent objecta partim ob periculum, quod gregi suo ab sectariis imminere conspiciebant; cum enim vicina his ditionibus regna gravissimos motus ob religionem sustinerent, eorumque auctores omnes secum in eamdem ruinam trahere molirentur,

non parum quoque nos ipsæ sollicitæ fuimus, quomodo, vel hoc periculum illis ab Ecclesiis suis longius recedentibus divitari, vel rursus, si debita obedientia Œcumenicæ Synodo hac ex parte non exhiberetur, vestræ expectationi satisfieri possit. Visum tamen tandem nobis fuit, aliquos hujus provinciæ episcopos ad id cum primis idoneos deligere, qui istuc se conferrent, suoque et aliorum hujus provinciæ præsulum nomine sacrosancto Concilio assisterent. Et cum inter cæteras præclaras animi dotes cum primis excellentes sac. theologiæ doctores existant, eis adjungere duximus tres alios ejusdem sacræ paginæ professores ex Universitate Lovaniensi, quo, quod episcoporum numero deesset, theologorum opera, si quis eorum usus paternitatibus vestris forsitan in discutiendis controversis dogmatibus incideret, suppleri posset. Sunt autem Franciscus episcopus Atrebatensis, Martinus episcopus Yprensis, Antonius episcopus Namurcensis, Cornelius Jansenius decanus Ecclesiæ Collegiatæ S. Jacobi Lovaniensis, Michael le Bay, et Joannes Hassel a Lovanio, viri non minus ob vitæ integritatem quam doctrinam venerandi, quos illustrissimæ ac reverendissimæ paternitates vestræ dignabuntur, tam ob eorum meritum, quam in regiæ Catholicæ majestatis ac nostram gratiam benigne suscipere, et vestro favore complecti, orantes Omnipotentem Deum, ut illis gratiam suam largiatur, quo vestræ expectationi satisfaciant, eaque in communi consulant, quæ nominis sui honorem augere, sacrosanctam fidem constabilire, et populum Christianum ac Ecclesiam Catholicam ab intestinis dissidiis ad concordiam reducere queant, ad quod uti non dubitamus omnium vota tendere, ita idem Deus propitius ea favore suo prosequi atque adjuvare, vestrasque illustrissimas ac reverendissimas paternitates incolumes conservare, et sanctæ huic Synodo gloriosum finem imponere dignetur, suppliciter ejus clementiam ac misericordiam deprecamur. Datum Bruxellæ XII Maii anni Dom. MDLXIII.

« Eisdem illustrissimis ac reverendissimis Patribus deditissima Margharita Dei gratia Parmæ et Placentiæ ducissa, pro Catholica Majestate inferioris Germaniæ regens et gubernatrix generalis ».

145. His a Patribus acceptis paratum est responsum, ac XXIII Augusti habita est generalis congregatio, in qua approbata est formula litterarum ad Margharitam Austriacam, Belgii moderatricem, redditarum subjectis concepta verbis [1] :

« Illustrissimæ et excellentissimæ dominæ Margaritæ, pro Catholica majestate inferiorem Germaniam regenti et gubernatrici generali.

[1] Tom. X. de Conc. Ms. arch. Vat. sign. num. 3197. p. 49. Ext. in Act. Conc. Trid. scriptis per Astulph. Serv. Ms. Fr. card. Barb. sig. num. 1109. p. 139.

« Illustrissima et excellentissima domina. Perquam grata nobis et huic sanctæ Synodo pietatis et veræ religionis excellentiæ vestræ illa testificatio fuit, quam in litteris ejus mense Maio ad nos datis animadvertimus. Gratus etiam trium episcoporum, totidemque Lovaniensium theologorum ad nos adventus, eoque gratior, quod gravi ipsius de omnium vitæ integritate atque doctrina testimonio, aliisque præterea nominibus commendati illi venerunt, quamobrem eos libenter vidimus, libentius etiam propter cognitam jam nobis insignem eruditionem ac pietatem eorum consilio in communi causa et utimur, et utemur. Cæterum quam attulit excusationem, cur et hos tamdiu mittere distulerit, et alios simul e provincia ista non movendos censuerit, eam ut justam admittimus et probamus, præsertim ex eo, quod nobis quoque ignotum non sit quanta gregibus Christi, absentibus pastoribus, hodie ubique pericula immineant, a quibus quidem tutiores esse in posterum valeant, dum nos hic juvante Domino sedulo laboramus. Interim est, ut in visceribus Christi excellentiam vestram hortemur, ut a solito suo more institutoque non discedens, hæreticam labem a regionum istarum finibus assidue arcere non intermittat. Hoc nihil neque Deo acceptius, neque regiæ Catholicæ majestati sibique gloriosius, neque denique provinciæ isti salutarius, ac nobis universæque Synodo gratius facere poterit. Dat. Tridenti XXIII Augusti MDLXIII ».

146. *Non Hispano more, sed secundum jus commune tribunalia inquisitionis Mediolani constituuntur.* — Actum hoc tempore [1] de Hispanæ inquisitionis Tribunali Mediolani constituendo ; verum licet præsules Itali elidi omnem hæreseos conatum percuperent, vim tamen Hispanam suspectam habuere, ac quamvis administri Hispani dicerent, ea tribunalia Pontificio tribunali obnoxia fore, tamen communis fuit sententia Hispanam inquisitionem Pontificiis imperiis parum obsequi, cardinalesque legati de his a cardinale Borromæo responsum accepere, censuram fidei constituendam Mediolani secundum jus commune, ne damno ordinarii antistitis vertatur, nec ab Hispanæ, sed Pontificiæ inquisitionis tribunali ; ex quo præsules Itali magno mœrore soluti preces addidere, ne Hispani administri illi immiscerentur, adeo illi severitatem Hispanam suæque auctoritatis eversionem verebantur : de quibus legati nona Septembris scripsere ; qua etiam die significarunt, auctoritatem Pontificio Diplomate collatam de absolvendis ac reconciliandis Ecclesiæ hæreticis Polonis atque aliis Septentrionalibus, terminis angustioribus circumscriptam esse,

[1] Carol. Vicecom. in lit. ad card. Borr. card. leg. Ep. CDXV. ad card. Borr. IX Sept. MDLXIII.

cum nonnulli ex Valle-Tellina atque Italia Tridentum accederent, ut contractis hæreseos vinculis solverentur.

147. *Orator Equitum S. Joannis Hierosolymitani ad Concilium accedit, et de tardo adventu se excusat.* — Exceptus est septima Septembris in congregatione generali orator Joannis Valletæ principis Rhodiæ militiæ, cujus litteræ [1] subjectis conceptæ verbis perlectæ sunt :

« Reverendissimis ac illustrissimis dominis Patribusque amplissimis legatis et præsidentibus, cardinalibus, et dominis archiepiscopis, episcopis, cæterisque in sacrosanta synodo Tridentina congregatis.

« Quod nostræ reipublicæ maxime necessarium, ac Ordini cœtuique nostro semper optatissimum fuit, ut hisce temporibus adeo turbulentis et calamitosis opportunum aliquod inveniretur remedium, quo tam frequens, dirum et lethale malum, cui tot passim animæ obnoxiæ existunt, sedari penitus ac tolli possit, id quoque, postquam vobis, amplissimi Patres, ob eam causam nuper Tridenti congregatis cum incredibili omnium nostrum lætitia accidisse rescivimus, supplicationibus statim decretis Deo Optimo Maximo ingentes egimus gratias. Universi etenim, cum sacrum ac generale Concilium, nonnisi ex optimis, doctissimis piissimisque viris, iisque longe solertissimis conficitur, idque divini Spiritus virtute, non humano aliquo judicio gubernatur, certa fuimus persuasione imbuti, vos quemadmodum solus ille Deus ad causam suam agendam hoc tempore advocavit, ita spem et expectationem tam præclare ornaturos, ut quidquid a vobis constitutum emanarit, id non ipsi solum Deo gratissimum, sed reipublicæ Christianæ utilissimum, vobis vero ac dignitati vestræ per omnem annorum memoriam gloriosissimum fore. Itaque, illustrissimi ac reverendissimi Patres, etsi cum de vestro frequenti commeatu multorum litteris ad nos allatum esset in re bellica administranda, cui die noctuque incumbimus, occupatissimi essemus, nullius tamen rei curam potiorem habuimus hac instituta legatione, quamprimum significandi, et de hac celeberrima Synodo quantopere lætemur, et quam prompta pietate ac singulari studio rei Christianæ opitulandæ, cum manu, tum etiam consilio parati simus. Quamobrem nostros oratores et legatos publico omnium decreto ad vos misimus, huic maximo celeberrimoque Concilio interventuros, quos ut in hac parte vobis non inutiles fore speramus, ita vos illis vicissim, cum de sanctissimis nostri Ordinis negotiis ad vos retulerint, benignos atque propitios esse futuros confidimus ; nam si quando alias, nunc certe, sacrosancti proceres, ope ac patrocinio vestro indigemus, qui ad Europam contra Barbaros defendendam, dum nostra ad ipsum usque sanguinem universa effundimus, debitis justisque subsidiis per summam vim atque injuriam assidue spoliamur. Verum quoniam de hisce rebus oratoribus ipsis, ut coram tractarent, negotium dedimus, quibus in omnibus fidem adhibere dignabimini, his litteris finem imponimus, Deum Optimum maximum prius obtestantes, ut quæcumque per vos agenda erunt, ea vobis et Christianæ Reipublicæ prospere eveniant. Datum Melitæ XVIII kal. Decemb. MDLXIII.

« Magister hospitalis Jerusalem, et concilium. Frater Mego locumtenens vicecancellarii ».

148. Subditur in eodem Ms. mandatum principis Melitensium equitum, quod ab his verbis ducit exordium : « Frater Joannes Valleta Dei gratia sacræ domus Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani magister humilis, pauperumque Jesu Christi custos, et nos conventus ejusdem. Universis, etc. » Decretus vero est iis litteris orator, Fr. Martinus Royas de Porta-Bruna vicecancellarius, ut Concilio Tridentino interesset, ejusque sanctiones ad fidei Christianæque reipublicæ utilitatem promoveret. Consignatæ vero sunt eæ litteræ hac temporis nota : « Dat. Melitæ in conventu nostro die XXI mensis Julii MDLXIII ».

149. Porrectis iis litteris orator gravi oratione tarditatem adventus ad Synodum excusavit, atque equestris ejus Ordinis indefessos labores pro tuenda re Christiana commendavit, cui nona Septembris hoc responsum [1] a Synodo redditum est :

« Illustris ac reverende orator. Quod illustrissimus et reverendissimus magnus vestri Ordinis magister ad hoc sacrum generale Concilium, ut optabat, ipse non venerit, tuque munus istud tuum non citius obieris, sancta Synodus excusationem quam attulisti ut justam accipit ; nam cum non ignoret eximium vestrum erga sanctam Apostolicam Ecclesiam studium, cujus in magnis Christianæ reipublicæ periculis contra immanissimos nostri nominis hostes testimonia extant quamplurima, non dubitat, nisi piratæ iter impedivissent, quin multo antea sacer strenuusque ille vester Ordo fuisset declaraturus, quantum hunc sacrosanctum conventum probet, atque ejus progressus ex animo, ut Christianos decet, exoptet. Nunc te nobilissimi Ordinis oratorem et Ecclesiæ dilectum filium, quando militum Christi et acerrimorum veræ religionis propugnatorum piam et Christianam voluntatem testaris, hæc sancta Synodus excipit, atque de luculenta illa, quæ modo

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 225. Acta Conc. script. per Astolph. Serv. Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 1109. p. 176. Ext. lib. p. 146.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3252. p. 228.

a te habita est, oratione totius illius Ordinis pietatem erga Deum universamque Christianam rempublicam agnoscit vehementerque diligit. Quæ vero de commendis et privilegiis vestris conservandis diligenter petiisti, in his sancta Synodus habebit, quatenus licebit propter charitatem, qua magnum magistrum sacræ istius religionis atque illum Ordinem amplectitur, rationem dignitatis et commodorum vestrorum ».

150. *De Matrimonio clandestino maxima concertatio.* — Hoc dato responso institutum est tertium examen canonum spectantium ad sacramentum Matrimonii, de quibus suam sententiam deprompsere duo cardinales, tres patriarchæ et tres archiepiscopi. Exercuit diu Patres controversia de clandestino Matrimonio [1], quod pars major rescindi volebat; pars altera usque ad sexaginta negabat jure rescindi posse, utrique autem scripsere gravissimis hinc inde allatis argumentis.

Pontifex vero a legatis consultus xv Octobris in hæc verba respondit [2] : « Controversiam de clandestinis cum inquisitoribus et theologis excussimus, et conclusum est, quod possimus et debeamus ea rescindere, maxime respectu habito minoris ætatis, quæ nondum xxv annum excessit, quodque decretum in aliqua parte temperari possit ». Agerent itaque legati cum Madrutio cardinale et aliis, ut pacato sint animo in ea controversia, vel eam ad Sedem Apostolicam referant, satius tamen futurum, ut ipsi eam dirimant.

151. Inter alia Patrum decreta de asserenda sacramenti Matrimonii dignitate, illud contra novatores omnia prophanantes sanxerant, disgregato ob adulterium conjugio, innocentem ad alias nuptias transvolare non posse, cui decreto Venetii oratores intercessere porrecto xi Augusti subjecto libello supplici [3], quod in Græcorum insulis, quarum ipsi tenebant imperium, contrarius mos inolevisset, eorumdemque Græcorum habendam rationem flagitarunt :

« Petitio oratorum serenissimi dominii Venetiarum, etc. Lecta in generali congregatione die xi Augusti MDLXIII ».

« Neminem dubitare posse arbitramur, illustrissimi præsidentes, et Patres sanctissimi, serenissimam rempublicam nostram semper addictissimam fuisse sacrosanctæ Apostolicæ Sedis, et illius auctoritate congregatis Œcumenicis Synodis : quin, et toto pectore amplexatam esse, ac omni devotione prosecutam, quæ inde emanarunt decreta, canones et sanctiones, utque semper promoveant Dei gloriam, animarum salutem, ac Christiani populi tranquillitatem et pacem. Verum cum aliqua sint in septimo canone de Matrimonio, qui circumfertur, quæ nisi aliquo moderentur pacto, possent non modicum scandalum in Ecclesia Orientali, et præcipue nostris in regnis, et insulis Cretæ, Cypri, Corcyræ, Zacinthi, Cephaloniæ et aliarum plurium excitare, non solum in præjudicium tranquillitatis publicæ, sed et Catholicæ Ecclesiæ, visum est nobis paucis attingere, nostrumque justissimum desiderium explicare.

« Notum est Græcorum Ecclesiam, etsi aliqua ex parte a Romana dissentiat, non tamen adeo deploratam esse, ut non possimus de illa nobis melius polliceri, præsertim, cum in locis prædictis, aliisque ditioni nostræ subjectis, licet suo ritu vivant, obediunt tamen præsulibus Ecclesiasticis a Sede Apostolica assumptis : quare non patitur ratio, nec foret nostri muneris, si pateremur illos tali anathemate gravari et inde occasionem accipere, ut tumultuari possent, ac penitus ab ipsa Sede Apostolica desciscere. Exploratum quidem est, consuevisse Græcos fornicariam uxorem dimittere, et aliam ducere, sequendo, ut dicunt, antiquissimum ritum suorum Patrum, nec in aliquo Œcumenico Concilio fuerunt ob hoc condemnati, aut aliquo anathemate perculsi, quamvis ritus ipse fuisset Romanæ et Catholicæ Ecclesiæ semper notissimus. Quare nostrarum partium esse cognoscimus petere, et instare omni et meliori modo quo possumus, a vobis, Sanctissimi Patres, ut verba illius canonis ita moderentur, ut Græcis præsertim sub anathemate non fiat præjudicium, quod et fieri posse non dubitamus, non solum sine jactura Catholicæ Ecclesiæ, sed et forsan cum plurimum doctorum veneratione. Posset itaque nostro judicio fieri, ut sancta Synodus haberet intentum, et serenissimo domino nostro esset satisfactum, reformando canonem in hunc, qui sequitur, modum.

« Si quis dixerit sacrosanctam Romanam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam, quæ est aliorum omnium magistra, errasse vel errare, quando propter adulterium alterius conjugum docuit et docet Matrimonium non posse dissolvi, et utrumque conjugum, vel saltem innocentem, qui causam adulterio non dederit, non debere altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere, et mœchari eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero alteri nupserit, anathema sit.

« Quamobrem rogamus vos, sanctissimi Patres, ut dignentur amplissimæ dominationes vestræ, vel eo modo, quo diximus, vel meliori, prout videbitur, prudentissimo judicio suo hac in re morem gerere serenissimæ reipublicæ nostræ, quæ semper obsequentissima extitit, et in posterum existet sacrosanctæ Apostolicæ Sedi ».

152. Non admissa sunt Venetorum postu-

[1] Card. legati Ep. CDXI ad card. Bor. et CDXX. XV Sept. MDLXIII. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3216. Ep. VI. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. 3197. p. 173.

lata (1), nec enim doctrina Christi fucis obscuranda erat; atque ob salutem animarum perspicuis verbis promulgatum est in canone juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, innocentem conjugem ob alterius adulterium non posse novas nuptias contrahere, atque anathema contrarium dicturo intentatum, ut in sess. XXIV visuri sumus.

153. *Principes protrahunt suam reformationem.* — XI Septembris coacta est generalis Synodus, in qua discussa sunt viginti supra unum capita de reformatione [1], de quibus cardinalis Moronus præses Concilii, ita præfatus est : « Cum jam expedita sit materia Sacramentorum, agendum est nunc de reformatione, quæ etsi quamplurimis displiceat, cum ea universalis sit et omnes tangat, tamen quacumque ratione non obstante de ea omnino tractandum est, nihil enim, quod magis a Christianis omnibus expectetur, et summis votis desideretur, nihilque magis præsentes Ecclesiæ calamitates expostulant, quare potissimum hac de causa Patres ex tam longinquis partibus in hunc locum evocati sunt : excusavitque, quare non proposita fuerit ea reformatio, quæ tangit impedimenta, quæ proveniunt a principibus secularibus, cum eisdem impedimentis episcoporum residentia perturbatur. Non posse simul omnia uno et eodem tempore fieri, verum tam ipse, quam ejus cæteri ejus collegæ promittunt eam infra triduum Patribus exhibere, ut una cum aliis in sequenti sessione decernatur. Nec Patres vereri debent, ut aliqui vereri videntur, suspensionem Concilii, admonuitque eos, ut ad proposita tantum respondere vellent, et statim dixerunt Lotharingius et Madrutius cardinales ».

154. In hac sancienda disciplinæ Christianæ emendationis norma [2] caput omnium difficillimum tangebat principes, quod cum antea ad Cæsarem transmissum esset, atque ab aliis articulis segregatum, præfixo Cæsari decem dierum termino, quo labente sententiam suam depromeret, ea res ingrata adeo accidit præsulibus, ut centum ex ipsis atque amplius seorsim congregati inter se convenerint, suffragia circa reformationem non laturi, nisi capitulum

[1] Ext. in Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 1109. p. 142. — [2] Legati card. in lit. ad card. Borrom. XII Sept. Ep. CDXIX.

ad principes spectans pristino loco restitueretur, de quibus cardinalis Borromæus XII Septembris [1] a cardinalibus legatis certior redditus est. Interea Cæsar questus est angustius temporis spatium sibi constitutum, ut caput reformationis principum consideraret; rem essse gravissimi momenti, quæ reges ac principes tangeret, decem tantum dies connumeratis iis, qui a cursoribus eundo redeundoque consumpti erant præstitutos, poposcitque, ut laxius ad rem perpendendam tempus sibi daretur, cum nollet promittere, quæ præstare non posset, neve inde mala nascerentur, unde bona sperabantur, nec deesse pro occupandis Patribus gravem aliam rerum molem : ad quæ legati se excusarunt, rem sibi integram non esse, jam enim præsulibus triginta sex reformationis capita, ut excuterentur tradita esse, nec id sponte, sed coacte egisse, cum præsules fixum et ratum haberent, suffragia non ferre circa reformationem, nisi caput de reformatione sæcularium contineretur, posse vero legi litteras Cæsaris coram Patribus,ut ipsi decernant quid agendum sit. At oratores Cæsarei objecere confecta ea capitula, quæ principes perstringerent, inconsultis principibus, et ita eos non auditos damnari. Quæ omnia XV Septembris ad cardinalem Borromæum perscripta. Ut vero hæ lites circa reformationem principum magis exasperatæ sint a Gallis oratoribus infra dicetur.

155. *Prorogatio sessionis octavæ.* — Decima quinta die Septembr. habita est congregatio generalis, in qua implorato de more Spiritus sancti præsidio cardinalis Moronus primus legatus sessionis extrahendæ causas exposuit his verbis [2] :

« Nos legati, quantum in nobis est, optamus sessionem fieri die crastina, sicuti statutum est, verum necessitas urget, ut omnino differatur ob multas rationes.

« Primo quia Patres super canonibus sacramenti Matrimonii adhuc concordare non potuerunt, sed valde inter se discordant, prout etiam discordes sunt circa canones reformationis abusuum super ipso matrimonio.

« Secundo polliciti eramus tractare in hac

[1] Ep. CDXXII. — [2] Angel. Mass. in Act. Conc. Trid. post sess. VII. Ms. arch. Vat. sign. num. 3212. p. 195. et tom. X. de Conc. Ms. arch. Vat, sig. num. 3196. p. 53. Astulph. Serv. in Act. Conc. Trid.

(1) Fallitur profecto annalista scribens Venetorum postulata a Patribus neglecta, nec penitus admissa fuisse. Scriptores enim historiæ Concilii Tridentini Pallavicinus et Soavius affirmant Patres illos decretum de divortio ita primum dictasse, ut anathemate damnarent illos qui per divortium matrimonii vinculum solvi docerent. Reclamantibus ad hæc Venetis, obsequendum Patres rati, ita reformandum decretum illud censuerunt, ut anathema iis tantummodo diceretur, qui erroris insimularent Ecclesiam docentem « Matrimonii vinculum non posse dissolvi... et innocentem qui causam adulterio non dedit, non posse altero conjuge vivente aliud matrimonium contrahere etc. » Hæc canonis reformatio argumento esse posset Tridentinos Patres nihil ea de re ut fide certum definiendum sibi assumpsisse : quanquam et id pariter demonstrarunt se quidem, totamque Ecclesiam in sententiam Græcis oppositam inclinare. Hinc non ignobiles theologi, quanquam in ea sunt sententia, ut manere conjugii vinculum etiam post divortium teneant, ambigere se tamen profitentur utrum Tridentini Patres tanquam fidei dogma id definire voluerint. Vide Tournely in tract. de Sacram. Matrim. Hanc etiam sententiam nostram confirmat solemnis protestatio archiepiscopi Nicosiensis, qui, cum septimus canon in solemni Concilii sessione legeretur, hæc palam exposcit : *Peto* etc. quæ verba in Annalibus hic num. 194 descripta sunt. MANSI.

eadem sessione de reformatione generali, quod quidem, ut apparet, in præsentiarum præstari non potest, quare necessarium visum est, imo coacti sumus apponere vobis dilationem sessionis usque post festum D. Martini, quæ dies nobis opportuna visa est, cum præter ea quæ diximus, multa adhuc præstanda supersunt ad dogmata pertinentia videlicet de Purgatorio, de Imaginibus, de Votis Monasticis, de Indulgentiis, et nonnullis aliis, quæ in eadem sessione expediri poterunt.

« Dicant igitur Patres sententias suas, quas nos libenter sequemur.

« Illustrissimus D. cardinalis Lotharingius dixit : Spero ex hac prorogatione maximum commodum futurum, quanto enim magis res reformationis differuntur, eo diligentius stabiliuntur, ipsaque reformatio integra fieri poterit, videlicet de omnibus Statibus Ecclesiasticis, excepto Summo Pontifice, tractabiturque si quid ad sæculares attinet ».

Collectis suffragiis maxima ex parte itum est in eam sententiam ut consessus in diem D. Martino sacrum differretur.

Habitæ sunt postea plures pro his discutiendis congregationes, quas Astulphus Servantius suis diebus distincta recenset.

156. *Legati mittunt ad Pontificem internuntium qui certiorem illum faciat de progressu Concilii, dum cæteroquin monent Cæsarem simul et Hispanum regem ne amplius nectant moras circa absolutionem Concilii.* — XIX Septembris MDLXIII [1], a Joanne cardinale Morono, et aliis Pontificiis legatis missus est Vicecomes episcopus Vintimiliensis ad Pium IV, ut eum de progressu Concilii certiorem redderent, atque de eo claudendo, definitis omnibus dogmatum controversiis, consilium exposcerent, hisque mandatis internuntius instructus est. Exponeret longiores in protrahendo Concilio moras, tum publicæ rei, tum Pontificiæ damnum afferre ; publicæ quidem rei ob Ecclesiarum suis episcopis destitutarum damna, tum ob graves sumptus a Pontifice profundendos, episcopos etiam crescere audacia, atque in Ecclesiasticæ rei administratione plus quam par sit, sibi arrogare, necnon in beneficiis novis efflagitandis a Pontifice importunos se præstare ; producto etiam Concilio controversias novas atque implicitas exoriri posse, tum maximorum principum occurrente obitu posse dissolvi Synodum sine ullo operis fructu, vel cum schismate, tum quia principibus Concilium videatur esse instar fræni, quo pro eorum voluntate hac vel illac vertatur Pontifex. Propterea cum longior continuatio trahat periculum, significarunt legati, se cum rege Catholico acturos, ut intelligat, nolle Pontificem præcipiti exitu claudere Synodum, sed sinere, ut suo ordinario cursu decurrat, utque controversiæ necessariæ congruo modo pertractentur, idque tantum quæri, ut regii ejus administri æquo sint contenti, nec affectent invadere alienum munus, suumque prætergredi, ut hactenus moliti sunt in rebus gravissimis, veluti in impediendis, vel differendis Patrum consessibus et præsulibus in suas partes pelliciendis, in discessione etiam nationis Hispanæ nuper pertentata, in deputatione per nationes præter consuetum morem promovenda, in congregationibus privatis in ædibus legatorum disturbandis, in cogendis e contra domi suæ conventiculis, in pellendo collegiorum canonicorum Hispaniæ procuratore, læsaque ea re libertate Concilii, in minacibus dictis jactatis adversus prælatos regis Hispaniæ obnoxios, qui ausi fuerint fari de capitulo principum, in responsis expectandis a regia aula de omnibus quæ Tridenti tractantur, ac denique regium oratorem se in omnibus consultis, sive ad disciplinam restituendam, sive dogmata definienda, veluti episcopum intrudere, quod penitus ab oratoris munere alienum est, cujus est tuendo ac defendendo Concilio assistere, ejusque parere decretis, non illud velle regere ac moderari, ac si Pontificis Romani legatum ageret ; quæ eo minus decent, quo Pontificii legati nihil, quod ipsorum munus excedat, sibi arrogent, et sincero animo ad asserendam Concilii libertatem, instaurandæ disciplinæ provehenda capita tendant ut omnes alii oratores, cardinales ac præsules nitide testari possunt, atque opera ipsa loquuntur.

Idem comes e Luna orator continuum cum imperatore ac rege Romanorum litterarum commercium habet, atque apud eum magna pollet auctoritate, arcana esse ejus negotia, neque hactenus mentem suam circa capitulum principum aperuisse, nec circa Concilii protractionem, sive contractionem ; id tantum fari, cum imperatore ac rege Hispaniæ cupere finem illi imponi, non præcipiti celeritate extingui : quæ verba ambiguum sensum patiuntur ; diligentissimum esse in congregationibus, ac prælatis moras innectere : in ultima sessione visum dissidere propter verba *proponentibus legatis*, et deputatione per nationes importune efflagitata, ac videri alicujus Hispani præsulis parum æqui erga curiam Romanam sententiæ adhærescere.

Addidere legati posse Pontificem significare Catholico regi, ut si ex animo disciplinam sacrorum ministrorum in suum splendorem restitutam cupiat, impedimenta progressus Concilii removeat, alioqui si debitus honos Pontificiæ auctoritati non deferatur, posse legatos Tridento revocari Conciliumque dissolvi, idque forte pro juvando progressu utile futurum ; quod si dissolvendum foret Concilium, prius disciplinam instauratam esse oportere, ut constaret populo

[1] Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 345.

Christiano non ad eam defugiendam emendationem dissolvi Concilium, sed propter injurias illatas a principibus, qui Pontificis et Concilii tuendæ auctoritati desint, idque tum demum agendum, modo non sint conjuncti inter se omnes principes, dissolvendique illius occasio perspicua et ingens urgeret.

157. De fine Concilio imponendo significarunt legati, expetendum illum, tum ob divinam gloriam, publicæque rei ac Pontificiæ utilitatem : at quia secum invehit hæreticorum condemnationem, decretorumque in opus provocationem, propterea existimari posse, finem non esse acceptum imperatori, quia Cæsarei muneris foret hæc conficere, tum quia pessimi res esset exempli toti imperio Christiano, absoluto Concilio, decretorum ejus observationem non mandari operi, et quia ex adverso ad ea exequenda desint vires, et ægre adversus vim Protestantium tueri se possit Cæsar, si Protestantes metu belli ab eo inferendi perciti in eum consurgerent, tum etiam existimatur, voluntatem et consilia regis Romanorum ad hæc non tendere. Præterea regi Galliæ non acceptus Concilii finis videtur tum ob easdem causas, tum quia impubes est, ejusque senatores hæresi contaminati, regnumque ejus dissidiis lacerum, atque ab hæreticis, Helvetiis, Germanis et Anglis circumfusum, a quibus illi terror imminet, maxime ob præterita exempla, et exigua auxilia, quæ sibi a principibus Catholicis suppeditata queritur.

158. At regi Hispaniæ licet Synodi conclusio utilis videatur, quia tum in Hispania, tum in Italia ejus subditi parent Ecclesiæ, tamen noxam potest accipere ex fœderibus armorum ineundis ab hæreticis, tum ob discrimina Belgio ab iis impendentia, tum ne varia ejus consilia contrahendarum affinitatum aliorumque compendiorum disturbentur, tum quia a bellis abhorret et quietis appetens est, exhaustoque ærario multum æs alienum contraxit, cujus rei signa plura extant, quæ ab internuntiis Crivello in Hispania, Delphino in Germania confirmantur, quorum postremus significat comitem e Luna urgere summa contentione apud imperatorem, ut Concilium extrahatur; atque constare ex aliis, imperatorem et Catholicum regem convenisse in ipso Concilii exordio, ut protrahendum curarent : itaque videri agendum cum rege Catholico, ut memor honoris ac salutis animæ progressum Concilii non retardet; ac forte, quia propriis commodis in hac re ducitur, pertentari posset, si velit, appetente Vere per Italiam in Belgium se conferre, simulque cum ipsius Beatitudine inire colloquium, atque augendi religionis splendoris ergo Concilio claudendo interesse, aut si velit extrahi alicujus sui negotii perducendi causa, veluti matrimonii cum regina Scotiæ, eaque de causa Concilii præsidio atque auctoritate opus habeat adversus reginam Angliæ, posset sua Sanctitas in ea re ipsi obsecundare, modo Concilium eo tempore clauderetur, ac rex Catholicus sponderet, se alios principes ad eam sententiam adducturum.

159. Quod ad suspensionem Concilii attinet, videntur ea ratione multa incommoda ac pericula declinari, quæ continuatio vel dissolutio afferre possunt, nec secum invehit decretorum executionem, ac bellorum pericula, quæ finis intentat, ac videtur felicius ea successura, verum conclusionem Concilii piorum votis magis anteferri, ac si suspensio provehenda sit, eam efflagitari a Galliæ rege, qui ad eam regem Catholicum et imperatorem permovere possit. Videtur enim nobis imperator illi facile assensurus, cum in medio Turcarum ac Protestantium exiguis viribus suffultus versetur, eique expediat, ne ad majorem hæreticorum damnationem procedatur, possetque boni consulere, disciplinam Ecclesiasticam fuisse instauratam, pariterque idem acceptum foret aliis principibus, qui non alia præcipua de causa Concilium enixe postularunt, quam ut morum pristinus nitor restitueretur; atque arbitrabuntur, tum bonis Ecclesiasticorum exemplis tum doctrina dogmatum constituta, tum decretis latis pro optimis episcopis in munere suo obeundo strenuissimis obtinendis, plures principes ac populos, qui adeo in varias sectas discissi sunt, sine armorum fragore, sine vi adhibita, sine bello ad fidem nostram revocari posse. At perpendendum est imperatorem annis et adversa veletudine gravari, atque publicæ rei administrationem filio regi permittere, qui regi Catholico sit conjunctissimus, ac sine ejus consensu nihil moliturus ; itaque ipsius Beatitudo suspensionem Concilii præferat, non tamen absistat apud regem Catholicum urgere Concilii conclusionem, reformatione morum absoluta, ac reliquis dogmatum controversiis definitis, quæ definiendæ supersunt. Hos principes Hispanum Germanumque esse conjunctissimos, cumque auctoritatem Ecclesiasticam, quantum contrahere possunt, enitantur, cuncta a se usurpata, corruptione temporum, retinere velle. Perduci hæc facilius poterunt si Patres resciverint Sanctitatem suam velle, ut in rebus non dogmaticis majori parti Patrum mos geratur.

Quod spectat ad capitulum principum cognita jam Pontificia voluntate, ratione quadam rem temperatum iri, ut oratores principum æqui eam accipiant, ac præsulibus fiat satis.

Galli oratores efflagitant, ut ipsorum præsules in Galliam revertantur, modo absoluta sit reformatio, atque cæteri oratores se in ea re eximie affectos demonstrant, quia comes e Luna urget, ut circa reformationem fiat deputatio per nationes, cui etiam Cæsarei sunt adhæsuri. Ipsius Beatitudo poterit dare operam, ut ab ea sententia dimoveantur.

160. Instabat interea Pontifex, ne a promovendo Concilii exitu deducerentur legati, quapropter repetitis litteris ipsos urgebat, ut supremam Concilio manum maturarent imponere, nihilque de omni adhibenda sedulitate remitterent, sed sine ulla dubitatione, quamvis secus aliqui principes suaderent, in incepto persisterent. Porro cardinalis Moronus, sessione peracta, Ferdinandum imperatorem, qui una cum Philippo rege Catholico moras, oratorum opera, Concilii terminationi nectere videbatur, per litteras alloquendum ratus, quæ ex Concilii dilatione Christianæ reipublicæ pavenda essent discrimina, ita disseruit [1] :

« Sacra Cæsarea Majestas.

« Cum nos serio et sincere agamus,non sine magno animi dolore percepimus, consilia serenissimi regis Catholici eo tendere,ut Concilium in longum protrahatur, quod sane reipublicæ Christianæ valde perniciosum esset, si post doctrinam fidei declaratam et confirmatam, si post reformationem factam, et disciplinam Ecclesiasticam restitutam, quod brevi commode fieri poterit, Concilio debita libertas non permittatur. Tot episcopi, non sine magno Ecclesiarum detrimento, hic detinebuntur, nec video, quid nisi perniciosum reipublicæ Christianæ expectari possit, si relictis ovibus pastores in his montibus quodammodo inclusi detinebuntur.

« Serpit in dies morbus hæreticorum, et jam non solum Galliam, ut novit majestas vestra, et reliquas partes Septentrionales, verum etiam Italiam pervadit, et dum hic frustra tempus teritur, hæreses ubique grassantur. Omitto pericula , quæ nobis imminent , si Summus Pontifex, si majestas vestra (quod Deus avertat) nobis eriperentur : emitto graves impensas et varia incomoda, quæ hic sustinemus : certe nihil magis noxium, quam omnium piorum animos tamdiu suspensos tenere, quam infirmorum in fide mentes non confirmare edictis his, quæ tam sancte in hoc Concilio statuta sunt.

« Huc accedit quod, si quid remedii afferendum erit omnibus provinciis majestatis vestræ, et Germaniæ, et Galliæ super his, quæ aliquo modo concedi poterunt ad retinendos in Ecclesia eos, qui facile labuntur, id vix adhiberi poterit, nisi in conclusione hujus sancti Concilii. Quibus de rebus, quoniam fusius per R. D. Chanadiensem, cum majestate vestra nomine meo agendum curavi, nihil est, ut nunc scribam.

« Reliquum vero est, ut majestatem vestram per Deum immortalem rogem et obtester, ut non dicam cœptis nostris, sed jam magnis progressibus velit pie et clementer favere, quo tandem expeditis his, quæ maxime ad fidem et ad reformationem pertinent, cum pace ad nostra redire valeamus. Quod si longior mora nobis obtendatur, vix dici poterit, quantum dedecus in hac vita,quantam a Deo ultionem sint subituri omnes, qui opus Dei impediunt, qui religione ad suas privatas rationes impie abutuntur. Quod cum longe absit a pietate majestatis vestræ, eam etiam atque etiam rogo, ut serenissimum regem Catholicum ab ea sententia dimoveat,ne ratio publicæ utilitatis, et libertas Concilii cum maxima jactura ovium Christi impediatur. Deus majestatem vestram diu incolumem et felicem conservet. Dat. Tridenti die xx Julii MDLXIII «.

161. *Agitur de reformatione principum.* — Abstitit quidem a cœptis Philippus Hispaniarum rex, tamen ejus orator comes e Luna regia excedens mandata progressum Concilii acerrime interdum oppugnavit ; cum ex adverso Galli, ut ad optatum exitum perduceretur, vehementius studerent ; quare Pontifex cardinales legatos admonuit [1], oratores Florentinum, Venetumque et Gallos, et cardinalem Lotharingum strenuam operam cum ipsis ad urgendum Concilii finem conjuncturos. Lotharingus vero cardinalis ad sustinendam Pontificis dignitatem in Concilio, atque ad abrumpendas impias nonnullorum procerum Galliam a Sedis Apostolicæ obsequio divellere annitentium coitiones, asserendamque in eo regno Catholicam religionem toto pectore incubuit, quo nomine illi devinctus Pius IV legatis Tridentinis dedit imperia [2], ut omni illum honore prosequerentur, se illi ex animo maxime obstrictum, æternaque memoria ejus eximia officia culturum, pollicitus ; quem etiam videndi quamvis summo desiderio teneatur, tamen pro expediendis rebus Concilii Tridenti ab iis detinendum videri. Non minore afficiebatur cardinalis Lotharingus cupiditate salutandi Pontificis, qui ab eo certior factus, amantissimis illum litteris [3] ad mutuum congressum, postquam interposita sessio confecta esset, provocavit.

« Dilectissime fili, salutem, etc. Ad litteras tuas, quas VII kalend. Septembris dederas, nostra manu non rescripsimus, cum in tuum adventum atque in præsentem sermonem integra fere omnia reservamus, quæ tibi respondenda essent hoc tempore ; quibuscumque autem rebus possumus, nostram in te propensam voluntatem paternamque benevolentiam declarabimus, ut et dignitatem et amplitudinem tuam nobis esse charissimam præclare intelligas. De studio ac diligentia, quam adhibes, ut interposita Sessio quamprimum fiat, optimumque exitum, et uberrimos religionis fructus consequatur, valde te amamus et officium tuum libenter amplectimur. Te vero ita avide expectamus, ut nobis nihil propemodum longius videatur,

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3215. Ep. CXXXIV.

[1] Ext. de eo. lit. in Ms. arch. Vat. Ep. III. VII Aug. — [2] Ibid. Ep. IV. XIV Aug. — [3] Ms. arch. Vat. sig. num. 3297. p. 74.

quam ut conspectus et sermonis tui suavitate perfruamur, summam enim delectationem habitura est nostra congressio, cujus in spe quodammodo acquiescimus. Da igitur operam, ut sessione, et celeriter et commode confecta, te istis negotiis expedias et Romam properes : erit adventus tuus nobis eo gratior, quo fuerit maturior. Quod patriarchæ Aquileiensis causa prospere quidem processerit, iste eventus nobis fuit quam gratissimus. Qua de re quid nostri legati pro sua æquitate sapientiaque statuerint ac dijudicaverint, æquissimo animo accipiemus. Reliqua in nostrum conspectum reservantur. Vale. Datum Romæ XXVIII Augusti MDLXIII ».

162. Interea cum Lotharingus acceptis Pontificiis litteris profectionem suam Romam adornaret, cardinales legati in opus Concilii incumbentes, non desistebant ea meditari, quæ ad frænandam principum in res Ecclesiasticas licentiam conducerent, ac dum synodale decretum condebatur, rogati fuere principum oratores, ut monita ad illud spectantia suggererent, quo mitior censura ac castigatio fieret. Gallicus orator nunquam adduci potuerat, ut circa id aliquid depromeret, comes vero e Luna Hispanus promiserat se huic rei non defuturum, Lusitanus aliqua scripta de ea re porrexit, porrexere etiam oratores Cæsarei ; exposuere tamen cardinalibus legatis, ut in capite de reformatione principum maxima Concilii maturitas adhiberetur, reique perpendendæ longius tempus Cæsari, cujus mentem optimam norant, permitteretur : eo enim collimare Cæsaris consilia, ut Synodi decreta ab omnibus amanter exciperentur. Tum addidere singula illa capita de reformatione sæcularium hisce temporibus vim non habitura videri, atque adeo rogarunt, ut asserendæ dignitatis Concilii congruæ rationes inirentur.

163. Inter alia, quæ pro tuenda libertate Ecclesiastica adversus principum eorumque administrorum vim consulta sunt, hæc fuere [1]. Primo, ut quilibet in jus vocatus Romam se sistere teneatur, contrariæque leges alicubi constitutæ, objectis gravissimis pœnis abrogentur. II, ut anathematismi Pontificii in provinciis sine principum venia promulgentur. III, tollendam corruptelam, ne principes sacerdotia per modum mercedis conferant. IV, privilegia principibus concessa, quibus abutuntur, rescindenda. Plura quoque capita hujusce reformationis refert Spondanus, nimirum I, ut judices fori sæcularis de personis Ecclesiasticis nullo quocumque prætextu judicare possent, nisi præcedente ordinarii declaratione. II. In causis spiritualibus, matrimonialibus, hæreseos, decimarum, jurispatronatus, beneficialibus, civilibus, criminalibus et mixtis, quocumque modo ad forum Ecclesiasticum pertinentibus, nec super personis, nec super bonis, etc., judices temporales se immiscerent, nec in petitorio, nec in possessorio. III. Ne sæculares, etiam auctoritate Apostolica, aut consuetudine immemorabili, judices in causis Ecclesiasticis constituere possent: et clerici, qui ejusmodi officia a laicis acciperent, ab Ordinibus suspenderentur, beneficiis atque officiis privarentur. IV. Sæcularis judici Ecclesiastico præcipere non posset, ne excommunicaret sine licentia, nec prohibere a citando et condemnando. V. Ne imperator, rex, aut quivis princeps, edicta aut statuta sancire posset, ad causas aut personas Ecclesiasticas quovis modo pertinentia, neque se eorum causis, personis, etc. immiscere, sed brachium sæculare judicibus Ecclesiasticis præstare tenerentur. VI. Ne temporalis jurisdictio Ecclesiasticorum aliquo modo turbaretur ; neque eorum subditi in causis temporalibus ad sæcularia tribunalia traherentur. VII. Ne quis princeps aut magistratus promitteret scripto, aut spem faceret obtinendi aliquod beneficium : et qui ea ratione aliquod obtineret, privaretur et inhabilis fieret. VIII. Ne manus injicere possent in fructus beneficiorum vacantium quocumque prætextu, neque in iis œconomos aut vicarios constituere : et qui ejusmodi officia et custodias acciperent, excommunicarentur ; clerici suspenderentur et beneficiis privarentur. IX. Ne Ecclesiasticos adstringerent ad solvendos census, vectigalia, decimas, subsidia, etiam appellatione doni aut commodati, sive de bonis Ecclesiæ, sive de patrimonialibus, exceptis iis provinciis, ubi ex antiquissima consuetudine Ecclesiastici in publicis comitiis interveniunt ad subsidia, tam laicis quam Ecclesiasticis imponenda, contra infideles, aut ob alias urgentissimas necessitates. X. Ne manum injicere possent in bona Ecclesiastica mobilia aut soli vassallos, decimas aut alia jura, neque in bona communitatum aut privatorum, in quæ Ecclesia aliquod jus haberet ; neque pascua aut gramen in terris et possessionibus Ecclesiæ elocare. XI. Ut litteræ, sententiæ et citationes judicum Ecclesiasticorum , præcipue vero curiæ Romanæ, simulatque exhibitæ forent, executioni mandarentur, absque cujuscumque alterius licentia. XI. Ne principes et magistratus diversari sinerent officiales suos, vel famulos, milites, equos, canes in ædibus aut monasteriis Ecclesiasticorum, neque quicquam ab iis pro victu aut transitu extorquere. XII. Quod si aliquod regnum, provincia, aut locus prætenderet se ad quicquam supradictorum non teneri virtute privilegiorum a Sede Apostolica ; privilegia illa exhiberentur Pontifici infra annum post finem Concilii ; quæ ab illo secundum merita regnorum aut provinciarum confirmarentur : et anno elapso, nisi exhibita essent, nullius vigo-

[1] Ms. card. Pii sig. num. 201. p. 104.

ris intelligerentur. Epilogi vero loco admonebantur principes, ut ea, quæ essent juris Ecclesiastici, haberent in veneratione, nec ab aliis lædi sinerent, omnesque Constitutiones Summorum Pontificum et sacrorum canonum in favorem immunitatis Ecclesiasticæ renovabantur: et sub pœna anathematis prohibebatur, ne vel directe vel indirecte sub quovis prætextu aliquid statueretur, aut executioni mandaretur contra personas et bona Ecclesiastica, non obstantibus quibuscumque privilegiis et executionibus, etiam tempore immemorabili, cœptis.

Quæ omnia, cum Ludovici Avilæ et Vargæ oratorum opera accepisset Philippus Hispaniarum rex, apud Pium IV conquestus est [1], in eo decreto gravamen regiæ majestati inferri. Pontifex oratoribus respondit nil a legatis et Patribus constituendum, quod minus justum et honestum foret, Conciliumque liberum esse ea libertate quam ipsi procurarant, nec propterea leges se illi dare posse, verum res Catholicæ majestatis a se legatis cardinalibus commendanda, ut in justis honestisque regi Catholico gratificentur, promissaque opere complens effecit, ut tranquille Philippi regis querelæ componerentur.

Verum instaurandæ disciplinæ, in qua principes continendi erant, ne potestate tradita abusi ad illicita se effunderent, atque Ecclesiasticos a suis consiliariis illusi opprimerent, caput mitigatum fuisse ob infelicem temporum, in quibus refrixerat charitas, Ecclesiæque auctoritas apud plures obsolescebat, calamitatem Quinquecclesiensis episcopus confirmat in litteris [2] ad Vegliensem episcopum datis:

164. « Reverendissime domine, ac frater observandissime.

« Caput de principibus dilatum est ad aliud tempus propter maximos respectus immunitatis Ecclesiasticæ. Si cuiquam, mihi certe perplacent omnia, tamen in his calamitosis temporibus, cum sale et zelo qui est secundum scientiam, agenda existimo. Cavendum est, ne vel minimam suspicionem præbeamus populo, nos cum principibus sæcularibus, iisdemque Catholicis dissentire. Sed hæc quoque, ut aliæ controversiæ, sopienda erit; ego pro mea virili ad hæc peragenda annitar ».

Hæ litteræ cum in manus Caroli Borromæi cardinalis venissent, earum exemplum ad legatos cardinales Concilii præsides misit, ut prudentissimum viri consilium ponderarent, eoque uterentur. Ea porro scripserat Quinquecclesiensis episcopus pro Hungarico regno orator Cæsareus, mandatis a Ferdinando imperatore, ac eorum, quæ in Concilio agebantur experientia apprime instructus, nam Ferdinandus Cæsar de restringendæ principum licentiæ comprimendæque grassationis in Ecclesiasticum ordinem consilio agitato in Synodo scripserat cardinali Morono, se æqui accipere tractationem de redigendo ad æquitatis normam civili magistratu, nec velle episcoporum auctoritatem imminutam, vel labefactatam, cum a Cæsareo munere id abhorreret, ac summopere divinam iram in se concitare vereretur, modeste tamen subjecerat, non videri æquum et honestum, ut Ecclesiasticus magistratus in civilem magistratum, eo non audito, ac in propria causa, sententiam ferret; tum eorum quæ Romanum tangerent imperium, rationem reddidit: vetustate temporum confirmatam esse consuetudinem, ut in comitiis ordinum imperii principes Ecclesiastici partem onerum reipublicæ subeant, quæ deinde in ordines inferiores partienda sint, nec sine causa, cum gerant fiduciarias toparchias et vectigales principatus; nonnullos etiam interdum casus occurrere, in quibus oblique a laicis in Ecclesiasticos juris dicundi auctoritas exerceatur, propterea que decreti Synodalis sententiam non ita late diffundendam, ne major rerum perturbatio, consurgentibus laicis in Ecclesiasticos, oriatur; se quidem in votis maxime gerere, ut omnes corruptelæ deleantur, exscindanturque omnia vitia, tam in civili quam in Ecclesiastico magistratu, sed cum præsentium temporum infelicitas omnes nævos ad vivum resecari non ferat, mitiore modo articulum de constituenda civilis magistratus sanctiore norma attingendum, cum in provincialibus synodis pro diverso provinciarum statu plura accuratius emendari possint, atque ab anathematismis adversus summos principes temperandum videri [1]:

165. « Ferdinandus, divina favente clementia, electus Romanorum imperator, etc. reverendissimo in Christo patri domino Joanni S. R. episcopo Prænestino cardinali Morono, S. D. N. ad sacrum Concilium legato.

« Paternitatem vestram amice requirimus, ne sibi persuadeat, nos decretum illud reformationis, de quo modo quæstio orta est, unquam in malam partem accepisse, sed certo sciat, quidquid super eo admonuimus, non factum esse animo impediendi reformationem in principibus et ordinibus sæcularibus, quam etiam in propria persona nostra subire parati simus: multo minus id egimus, ut alios reges vel principes contra hoc decretum concitaremus, vel eis malum exemplum præberemus, nec quod Ecclesiasticam immunitatem violatam, vel dignitatem episcoporum extenuatam, vel sacri Concilii libertatem imminutam esse cuperemus; nec quod prius decreta in dubium convertamus, aut quod prælatos a residentia deterritos esse vellemus; quia non præterit nos, si tale

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 5. — [2] Ib. p. 143.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3226. p. 29.

quippiam ageremus, nos non solum facturos esse rem ab officio pii et Catholici imperatoris valde alienam, verum etiam gravem Dei offensionem incursuros, sed quidquid in hac parte monuimus, id candide ac sincere factum est.

« Deinde novimus de iis rebus, quæ in decreto illo continentur, ante centum annos et ultra, adeoque illo adhuc tempore, quo omnes Catholice vivebant, graves fuisse quæstiones et rixas inter Ecclesiasticos ex una, et sæculares ex altera parte, quæ in hunc usque diem nondum sunt decisæ, id quod infiniti libri et litterarum monumenta, quæ etiam nunc extant, abunde testantur; e quibus etiam colligitur, quod sæculares tunc intentionem suam forte non minus quam Ecclesiastici omni juri et honestati consentaneam esse conati sunt demonstrare. Quod ergo modo illa omnia unius quodammodo mensis spatio ita ex abrupto, nec auditis sæcularibus determinentur, et quasi unico bipennis ictu decidantur, id nobis etiam, si nostra non interesset, valde tamen durum videretur, præsertim cum soli Ecclesiastici sic in causa propria judices futuri sint.

« Quod vero ad nostrum interesse pertinet, res ita se habet, quod prælati sacri Romani imperii ab immemorabili tempore per contributiones et collectas non solum contra infideles, verum etiam alios imperii hostes rebelles, vel bannitos, imo etiam ad alias imperii necessitates, ut puta, ad retinendam pacem et justitiam, ad exterminandum grassatores, ad intertenendum judicium cameræ, etc. contulerint, quodque iidem prælati in ea re ab inferiori ipsorum clero, ut par est, fuerunt adjuti, et quod idipsum etiam fecerint prælati nostri provinciales, ac reliquorum principum sæcularium, in omnibus iis, quæ necessitates earumdem provinciarum concernunt.

« Et quamvis viæ sunt ordinariæ per quas hujusmodi negotia tractantur, nempe per conventus publicos, non tamen sunt ii auctoritatis tam modicæ quin ea, quæ ibi per plura vota obtinentur, alii, etiam inviti, sequi teneantur.

« Præterea, quod ad jurisdictionem attinet, manifestum est, quod prælati sacri Romani imperii, non solum ex consuetudine omnem hominum memoriam excedente, verum etiam ex publicis imperii constitutionibus et ordinationibus, (quibus conficiendis ipsimet operam suam adhibuerunt) in certis quibusdam causis, vel coram nobis, vel coram imperialis cameræ nostræ judicio, aliisve debitis ac competentibus tribunalibus comparere, ac se et sua defendere debeant.

« Idem sane observari solet cum prælatis, qui immediate sunt in provinciis nostris, quoad judicia provincialia, nec fere quisquam illorum est qui talia judicia vel minimo verbo declinet.

« Quæ quidem omnia sunt ita clara, ut nemo rerum Germanicarum vel mediocriter peritus diversum dicere possit.

« Quod tanto minus mirabitur paternitas vestra reverendissima, quando consideraverit, quod prælati Germaniæ, non solum rebus ac bonis in Germania existentibus, verum ut plurimum insignibus, regaliis, feudis, jurisdictionibus et dignitatibus temporalibus plus quam in ullo alio totius Christiani orbis regno dotati sunt, quæ etiam, vel a nobis ipsis et sacro Romano imperio, vel ab aliis principibus sæcularibus, absque omni controversia recognoscunt.

« Tacemus interea, quam multi sunt casus, in quibus etiam ex mente jurium, ac eorumdem excellentissimorum interpretum, magistratibus sæcularibus potestas non modica in personis ac rebus Ecclesiasticis attributa sit.

« Nos in præsentiarum duos duntaxat articulos memorati decreti attigimus, nempe contributionis et jurisdictionis, qui nos admodum anxios reddunt; nam de aliis, qui supersunt, pauci sane, et vel nos ipsos, vel regna provinciasque nostras concernere possunt, nondum plane deliberare potuimus, quare illos jam in medio relinquimus.

« De cæteris, quæ nos adeo non concernunt, ut eosdem etiam, ne satis quidem assequi valeamus, cum quoquam ne verbum quidem communicabimus.

« Consideratis autem omnibus supradictis manifeste liquet, quod verba decreti adeo generaliter et absque omni distinctione, vel saltem cum tali distinctione, quæ universo huic negotio non satisfaciat, non solum non permanerent, verum etiam nec a nobis expresse acceptari deberent, non tam in proprium nostrum, quam aliorum principum et statuum sæcularium præjudicium, saltem illorum, qui nobis subjecti sunt, nihil certius futurum, quam ut inde in Germania extrema rerum omnium confusio inducatur, et ut sæculares odium suum, quod alias plus nimium contra Ecclesiasticos conceperunt, ita exacuant, ut tandem ad evertendum penitus omnem ordinem Ecclesiasticum, quamcumque occasionem, qua jure quave injuria, sint arrepturi.

« Hanc tam insignem tempestatem, cum nobis videamur quasi e specula quadam prospicere, omnino existimamus neminem esse debere, viros præsertim tantæ auctoritatis, prudentiæ, ut est paternitas vestra reverendissima, cum reverendissimis suis collegis, qui vitio nobis vertat, quod ingenue ac libere proferamus id quod de hujusmodi rebus sentimus, quin potius arbitramur non aliam ob causam oratoribus nostris permissum fuisse, ut de hoc negotio diligenter ad nos referrent ». Et paulo post :

« Probe equidem agnoscimns, quam pio et ferventi zelo hæc et multa alia a reverendissima paternitate vestra, reverendissimisque collegis suis proposita et tractata sint, nihilque posset nobis optabilius accidere, quam ut perditissimi hujus sæculi nostri conditio ita ferret, ut in his omnibus apud utrumque hominum statum rigor antiquorum jurium in omnibus et per omnia servaretur, adeoque pro hoc ferreo aureum quoddam nobis reduceretur sæculum. Sed cum ita ferat hæc ætas, non considerato præsenti tam hominum quam temporum vitio, non possumus non vehementer in hac parte de eventu universi negotii esse solliciti, et censemus diligenter et omnino cavendum, ne dum nimium urgemus ea, quæ hoc tempore executioni demandari proculdubio nullo pacto queunt, non modo oleum et operam perdamus, verum ansam et occasionem præbeamus, ut et alia multa in hoc Concilio sanctissime definienda prorsus evanescant, et ita denique omnis fructus, quem hucusque expectamus ex hoc Concilio, plane pereat, quod malum Deus optimus Maximus pro sua immensa benignitate clementer avertere dignetur.

« Ignoramus quidem an et qui episcopi his de rebus querimoniam aliquam contra nos ad sacrum istud Concilium obtulerunt : at persuasum habemus, si qui tales sunt, illos hujusmodi quærimoniæ non adeo magnam causam habuisse, vel posthac habituros esse ; licet interim nolimus inficias ire, et nobis et inclytis genitoribus nostris varias aliquando contentiones cum ordinariis locorum super jurisdictione ac immunitate Ecclesiastica incidisse, et adhuc nonnullas subsistere, dum hi forte illam nimis extendere, illi vero intra cancellos suos coercere nituntur.

« Verum per nos nunquam stetit neque etiam nunc stat, quominus illæ contentiones tolerabilibus quibusdam remediis, et cum bona utriusque partis gratia, sive in Conciliis provincialibus, sive in Synodis episcopalibus, seu quibuscumque aliis conventibus hinc inde celebrandis componerentur ». Et infra :

« Nobis certe vehementer probatur, quod conclusio totius illius capituli, quod de principum sæcularium reformatione tractat, breviusculis verbis concepta, quodque in ea omissa et mitigata sint illa fulmina, quæ in priori formula continebantur, et quod vice illorum successerit admonitio quædam paterna et generalis, juxta quam principes sæculares scire debeant libertatem et immunitatem Ecclesiasticam sibi summopere commendatam esse debere.

« Quamobrem, etsi nunc in specie de articulis particularibus in capite contentis propter præmemoratas causas tam exacte loqui non possumus, attamen paternitati vestræ reverendissimæ ac collegis reverendissimis sancte recipimus, tantum abesse a genio ac voluntate nostra, quod sanctarum Ecclesiarum Dei jura et privilegia violata, seu labefactata esse cupimus, ut potius eorumdem (prout nobis pro ratione muneris nostri Cæsarei incumbere agnoscimus) fidelis ac diligens advocatus, atque acerrimus protector ac defensor esse, Deoque volente ad extremum usque vitæ spiritum permanere intendamus, etc. Dat. in arce nostra Posonii die XII Septemb. anno Domini MDLXIII, regnorum nostrorum Romani XXXIII, aliorum vero XXXVII ».

166. Cum his Ferdinandus imperator Moronum cardinalem certiorem fecisset modestissimis usus verbis [1], non multos post dies Raynaldus Ferrerius Parisiensis præses unus ex Gallicis oratoribus, petita acceptaque dicendi potestate, quasi ordinaria tractaturus, asserendæ regiæ dignitatis specie in rabiem efferatus, quod reformando civili magistratu leges ferrentur in Concilio, regia transgressus mandata, prolixam orationem habuit in congregatione generali, quæ XXII Septembris die coacta est, cum jam cardinalis Lotharingus Romam versus discessisset. Questus est in primis, se non postulasse tot dogmata fidei sanciri, nec tot anathemata adversus contraria sentientes torqueri, sed morum disciplinam instaurari. Objecit Synodo per calumniam, ipsius decretis occasionem rebellionum adversus reges injici, cum tamen omnium deterrimarum rebellionum exempla in Gallia non ab Ecclesiastico ordine, sed a Calvinistica factione manarint. Civilis magistratus de causis Ecclesiasticis et sacerdotiorum jure cognoscentis temeritatem propugnavit ; contendit etiam spectare ad regem Galliæ, tam civium, quam Ecclesiasticorum opes, ut iis pro republica utatur; demum debacchatus est adversus Patres, qui anathematis pœnam principibus, quos nolebat Ecclesiæ esse filios, sed dominos, intentarent, si decreta Concilii infringerent, protestationemque suam edidit adversus trigesimum quintum caput reformationis. Licet vero, quæ suam dedecebant personam ac provinciam loqueretur, summa tamen patientia a Patribus auditus est, ut cardinalis Moronus præses in litteris [2] mox eodem matutino ad Delphinum Apostolicum internuntium in aula Cæsarea datis testatur : « Quod (inquit) in Conciliis omnia patientissime audienda sunt, et mansuetissime agendum sit, spectando tantum bonum publicum unius Dei causa, a quo prosperi successus sperantur » : addiditque, Ferrerium consectandæ inanis gloriolæ gratia suscepisse defendendam principum causam, ac velle, ut reges sint Pontifices in Gallia, contendisseque regem divino jure dominum esse om-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3215. p. 14. Astulph. Serv. in Actis Conc. Trid. Ext. in Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 1109. p. 143. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3215. Ep. XIV.

nium Ecclesiasticorum bonorum, ut iis pro reipublicæ necessitatibus, sine cujusquam venia utatur, movisseque gravem suspicionem, agitari in Gallia a nonnullis impiis consilia dissolvendi Tridentini Concilii, ut Concilium nationale apud ipsos cogatur ad religionem evertendam : cæterum præsules Gallos et alios asserere, nec reginam, nec proceres Gallos hæc sentire, quæ Ferrerius sentiat. Postremo hæc omnia Ferdinando Cæsari referre jussit, illiusque hortari majestatem, ut perversissimis his temporibus pietatem suam in tuenda Ecclesiastica auctoritate expleret.

167. Cum hæc expensa fuisset atque excussa oratio præsidis Ferrerii, illam pravo animo acerbe ac mendaciter in Ecclesiæ contemptum fuisse compositam observatum est [1], atque animadversiones editæ ea de re fuerunt in singulas ejus sententias ac periodos, atque inter alia, non decuisse virum Catholicum, ut quereretur, fidem Catholicam invitis Gallis promulgatam fuisse hæresesque condemnatas ; male effutiisse disciplinam Ecclesiæ decretis Concilii non sancitam, male iis intercessisse. « Præterea si ad hoc (inquiunt) debita est sancta Synodus, ut ad Ecclesiæ reformationem leges condat, certe etiam illorum debitum erit illis parere, non autem intercedere, aut reclamare ». Male asseruisse Galliæ reges de rebus sacris, deque religione constituere posse, spiritualemque potestatem magistratui civili concessisse : « Hanc potestatem (inquiunt) non agnovit Constantinus, cui cum in Concilio Nicæno episcopi libellos obtulissent, respondit, Deus vos constituit sacerdotes, et potestatem dedit de nobis quoque judicandi, judicari autem ab hominibus non potestis ». Non recte illum consuluisse, cum nulla ratione velit vim hæreticis adhiberi, sed tantum morum exemplo et verbi prædicatione cum eis agatur, cum illi partis viribus sævire in Catholicos consueverint, ac Donatistæ olim idem repetentes a S. Aug. ad Bonif. comitem confutati sint; anathematum vim ab eo male spretam, ac Philippum imperatorem fuisse anathemate a Fabiano percussum ; dum dixit episcoporum auctoritatem magnam esse in ministerio verbi Dei, tacuisse de sacrificio, exemplo Calvinistarum, qui nil aliud quam ministerium verbi Dei agnoscunt ; dumque jactitavit, a pluribus diligenter sacras litteras lectitari, suspicionem injecisse, ne iis adhæreat, qui putant privato sensu intellectas esse verbum Dei, atque hæresi se irretiri patiuntur, dum sensum Sathanæ pro divino sensu stulte adorant.

168. De eadem Ferrerii oratione XXIII Septembris plura cardinales legati ad cardinalem Borromæum scripsere [2], Gallos oratores primum significasse conceptam a Gallica aula lætitiam ingentem ex tractatione constituendæ emendatioris disciplinæ Christianæ, ac circa eam aliqua proponenda accepisse, deinde Ferrerium exposuisse, tercentorum annorum flexu Gallis regibus reformationem in Conciliis Constantiensi, Basileensi, Lateranensi, Tridentino, jam ter congregato, expetitam, nec tamen obtentam, cum magis dogmatibus quam reformationi data sit opera. Addidit [1] (quod vulgo effutiebant hæretici) non tantam esse dogmatum necessitatem, quantam reformationis, cujus defectu tanta mala in Gallia exorta essent. At licet cleri populique mores corrupti hæresim aluerint, tamen tot malorum scaturiginem fluxisse ex Protestantium clientela correpta, repudiatoque Tridentino Concilio, ac sublata inquisitione, a nobis ostensum est. Subjecit audacius reformationis formulam, quæ Patribus excutienda erat data, non esse eam, quæ expectatur, vel qua Dei Ecclesia indigeat, sed emplastrum videri, non quale Esaïæ, quo sanentur vulnera, sed quod exulceret, profundioresque sinus efficiat : dein exposuit, quam reformationem vellet, nimirum, ui tollerentur annatæ, dispensationes, reservationes, regressus, sacerdotiorum in uno capite numerus, exemptiones, et alia, quæ oratoria arte exaggeravit.

« Digressus circa caput trigesimum sextum invectus est acerbis verbis, ea decreta confecta ad populos ad defectionem adversus principes incitandos, addiditque regem Galliæ fundatorem esse omnium Ecclesiarum Gallicanarum, atque expresse de jure divino esse dominum omnium bonorum atque vectigalium Ecclesiasticorum, ac nullius alterius media concessione vel indulgentia iis uti posse pro Reipublicæ necessitate.

Quam vero hæc falso jactata sint, constat, cum plures Gallicanæ Ecclesiæ conditæ essent et vectigalibus auctæ, antequam Galliæ reges baptismalibus sacris essent initiati, atque a privatis plures locupletatas etiam constet.

169. Cum perorasset Ferrerius, cardinalis Moronus significavit illi, ut e cœtu discederet, quo de dando illi responso consilium sumeretur : atqui ille subjecit, se non egere responso. Cum itaque egredi nollet, legatus Patres affatus est, ut in conferendo suffragio, vel alia ratione, ut ipsis visum foret, responderent. Dimisso cœtu, Moronus Ferrerium allocutus dixit, fecisse illum, quod tribuni plebis facere consueverant, qui legibus consulum intercedebant, cui Ferrerius, se nil nisi res optimas poscere respondit : mox legatus, se quoque nil, nisi optima postulare. Acerbissima atque ingrata Patribus accidit hæc Ferrerii oratio, eam enim habitam, ut discordiam sereret, fœdusque om-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 111. — [2] Card. leg. in lit. ad card. Borr. datis XXIII Sept. Ep. CDXXVII.

[1] Ms. Fr. card. Bar. ib. Ep. CDXXVIII.

ne cum Ecclesia abrumperet, Concilii præsides significarunt Borromæo card. XXIII Septemb. Cum vero communis omnium esset opinio, nulla illum regia mandata ad hæc dicenda accepisse, sed præcipiti animi impetu ea effudisse, Ferrerius subjunxit, protestationem suam conditionatam esse, si quid contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ diceretur. Verum ille Ecclesiam Gallicanam, non liberam, sed servam instar Anglicanæ esse affectabat, quare monuit illum legatus, quod abhorrentia a ratione et æquitate dixisset, ac simul flagitavit, ut postrema regis mandata exhiberet, quæ collegis vel etiam Synodo ostenderentur : cumque de intermittendo, sive suspendendo Concilio, vel ejus impediendo fine ageretur, censuere legati, interruptionem Synodi extremum malorum, quod maxime defugiendum erat, parituram, nec præsidis Ferrerii consilium admittendum, a quo manifeste concilium Gallicanæ nationis expetebatur, ubi rex caput Ecclesiæ Gallicanæ instar Anglicanæ pronuntietur, fœdere inito cum Michaele Hospitalio, Gallici scrinii præfecto, cum quo abrumpendæ veteris cum Romana Ecclesia conjunctionis occasionem quærebat, ac simul Ecclesiasticis ditari spoliis, Gallosque a Sedis Apostolicæ obsequio divellere. Hinc occasionem ex cap. quinto et trigesimo sexto nuncupandæ protestationis captatam, quæ quoniam ipsum etiam puduit auctorem, cum postea scripto exaratam legatis tradidisset, in multis immutatam palam omnes sunt opinati.

Præcipua porro illius pars ex Ms. Vaticano afferenda visa est, ut pateat hominis passionibus suis obnoxii infelicitas, ac mox responsum[1] nomine cardinalis Moroni præsidis Concilii illi redditum annectemus :

« Verba prolata a Domino Raynaldo Ferrerio oratore regis Christianissimi in congregatione generali die XXII Septemb. MDLXIII, super reformatione.

170. « Centum quinquaginta anni sunt, et amplius, ex quo reges Christianissimi petierunt a Pontificibus Romanis Ecclesiasticæ disciplinæ jam tum labentis restitutionem, eamque ob causam tantum, nullam præter eam, miserunt oratores ad Synodum Constantiensem, Basileensem, Lateranensem, Tridentinam primam et hanc secundam, in quibus, quæ fuerunt eorum petitiones scripsit in primis doctissimus theologus Joannes Gerson, regis Christianissimi orator, in Concilio Constantiensi, deinde testantur eruditissimi Petri Danesii antististis Vaurensis, oratorisque in prima Synodo Tridentina, et in in hac secunda clarissimi et eloquentissimi oratoris collegæ nostri, qui hic est, Guidonis Fabri, illustrissimique principis et reverendissimi cardinalis Lotharingi orationes, nihil enim in illis actum est, quam de ministrorum Ecclesiasticorum emendandis moribus ». Et infra :

« At, inquiunt, abunde nobis satisfactum est quator sessionibus, cum tot canonibus, decretis et anathematibus. Certe, Patres, si aliud pro alio solvere invito creditori est satisfacere, fatemur satisfactum : sin minus, creditores adhuc sumus, quos nunquam anathemata, aut dogmata, vel doctrinæ Catholicæ definitionem postulasse sciunt manes illustrissimorum legatorum, quorum memoria sit in perpetuam benedictionem, Mantuani et Seripandi, vosque qui adhuc superstites estis, illustrissimi Osi et Simoneta, quibus septuagies septies hoc ipsum prædiximus ». Et infra :

« Rursus dicunt habendam fuisse rationem eorum, qui dogmata, canones doctrinæque Catholicæ certam definitionem petierunt. Hæc certe illis concedimus, si modo etiam nobis concesserint, in judicio familiæ Ersciscundæ semper habitam fuisse rationem in primis filii primogeniti, hoc est regis Christianissimi, quem pro primogenito agnovit Ecclesia Romana ante octingentos anuos.

« Postremo aiunt hoc magno et ingenti reformationis libello superiori mense proposito, de quo nunc vos sententiam dicitis, omnia contineri, quæ ad disciplinam Ecclesiasticam restituendam necessaria esse videntur. Audite, Patres Sanctissimi, nam hic est status orationis nostræ. Vidimus libellum illum, parvis additis et brevibus nostris animadversionibus, quas jamdiu dedimus, quæ de illo esset nostra sententia, significavimus : ac ne videremur in re tanti momenti judicio nostro tribuere, misimus illum ad regem nostrum expeditissimum. Is consultis principibus, et regni proceribus, secretiorisque consilii viris prudentissimis et eruditissimis, nobis rescripsit, sibi quidem gratissimum fuisse, quod omnes animum appulistis ad negotium reformationis adeo exoptatæ et expectatæ in toto orbe Christiano : verum pauca in eo libello reperiri, quibus Catholici homines in officio contineri, adversarii conciliari, et infirmi aut dubii confirmari posse viderentur : pauca etiam in eo esse, quæ sacris Litteris, antiquæ Patrum disciplinæ responderent, multa quæ adversarentur ». Et paulo post : « Quæ vero de principibus indicta causa excommunicandis et anathematizandis adjecta sunt, ea esse sine ullo veteris et Catholicæ Ecclesiæ exemplo, atque hujusmodi, quæ in tanto propter religionem per universum orbem dissidio et discordia, amplissima fenestra ad defectionem et rebellionem seditiosis hominibus, quorum hodie magna est copia, aperta videatur. Denique totum illud caput de principum reformatione, nihil aliud spectare, quam ut antiquissima Ecclesiæ Gallicanæ libertas convellatur, et regum Christianorum auctoritas et majestas minuatur. Re-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3196. p. 228.

ges enim Christianissimos, qui semper in fide et obsequio sanctæ Romanæ Ecclesiæ Maximique Pontificis permanserunt, multa de rebus sacris et religiosis, Constantini Magni, Theodosii, Justiniani et aliorum Christianissimorum imperatorum exemplo constituisse, leges Ecclesiasticas tulisse, easque antiquis Pontificibus Romanis non solum non displicuisse, sed etiam plures illorum inter sua decreta retulisse, et præcipuos auctores Carolum Magnum et Ludovicum, necnon reges Christianissimos divorum nomine dignos censuisse. Antistites autem Galliæ et totum ordinem Ecclesiasticum ex illarum legum præscripto pie et Christiane Ecclesiam Gallicanam multos annos rexisse et gubernasse, idque non tantum post Pragmaticæ Sanctionis aut concordatorum, ut quidam falso existimant, tempora, sed et octuaginta annos et amplius ante editum librum Decretalium : has deinde leges partim succedentibus, et in earum locum substitutis Decretalibus antiquatas, partim magno Ecclesiæ Gallicanæ studio, edictis Philippi Pulchri et Valesii, Caroli V, VI, VII et aliorum Christianissimorum regum tutatas et defensas; se quoque regem, et Carolum, cujus nominis regibus singulari Dei providentia religio Christiana semper præcipuæ curæ fuit, nunc majorem factum vehementer cupere leges libertatesque Ecclesiæ Gallicanæ, proximis temporibus, ambitiosorum quorumdam hominum importunitate immutatas, posteris suis sartas et tectas relinquere, nihil tamen continere, quod repugnet, imo omnino consentire cum dogmatibus Ecclesiæ Catholicæ, antiquis Pontificum et Conciliorum decretis. Et post nonnulla, quibus episcopos imperitiæ sacrarum litterarum perstrinxit, carpsitque Pontifices ob collationem sacerdotiorum, invectus est in decreta Concilii pro tuenda Ecclesiastica immunitate edita, finxitque Gallos reges bona Ecclesiastica jure rapere posse. « Si quis (inquit) de possessione rerum spiritualium coram aliis, quam regis judicibus, de proprietate autem vel quacumque civili aut criminali causa coram aliis quam Ecclesiasticis ordinariis, vel in Gallia delegatis a Summo Pontifice velit litigari, aut antiquissimam appellationem de abusu, cujus in istis capitibus mentio fit, cuique tantum in Gallia locus est, et quo remedio Galli soliti sunt eludere non Summorum Pontificum, quibus semper et honorem quem debent præstitere, sed contra illorum mentem, regisque constitutiones, et Ecclesiæ Gallicanæ libertatem, impetrantes obreptiones et subreptitias litteras impedire, aut quo minus regibus Christianissimis omnis fere Ecclesiarum Galliæ fundatoribus et patronis, qui primum Gallorum, deinde totius Galliæ reges et domini sunt, omnia Galliæ bona et redditus etiam Ecclesiastici, instante et urgente reipublicæ necessitate, qua nulla major necessitas, aut paupertas excogitari potest, subsidio esse possint, ii sciant antiquissimas regum Christianorum leges, libertatemque Ecclesiæ Gallicanæ impedimento fuisse ». Mox prorupit Ferrerius in virulenta verba, quibus eversam voluit Ecclesiæ auctoritatem, ut anathema regibus decreta Concilii violaturis, intentare non posset, contenditque, quantacumque patrarent mala, illis parendum ab Ecclesiasticis, quibus tantum imperatum esset pro illis orare, non in eos animadvertere, quasi idem esset status Ecclesiæ sub regibus Christianis, quos filios habet, non dominos, quosque in capessendo regno legibus obstringit, ac sub ethnicis Cæsaribus, quos non filios obsequentes, sed adversantes tyrannos passa est. Demum probaturus nullas leges imponendas regibus pro Ecclesiastico jure asserendo hac ironia usus est :

« Vultis, Patres sapientissimi, reges et principes reformare ? Vultis adversarios vestros, ac potius nostros ad resipiscentiam cogere » ? et infra, « usque ad majores ascendendum est, Ambrosium, Augustinum, Chrysostomum, et illius temporis episcopos Catholicos, quibus idem fuit olim negotii cum Donatistis, quosque, licet plures numero, non attamen armis, aut reduvias curando vicerunt, sed orationibus, bonæ vitæ exemplo, et assidua puraque verbi Dei prædicatione, sic boni illi Patres, cum se Augustinos, Ambrosios, et Chrysostomos formassent, hæresibus Ecclesiam purgarunt, et principes Theodosios, Honorios et Arcadios effecerunt, idque vos facturos illorum exemplo speramus, atque ut brevi faciatis, oramus Deum omnipotentem Patrem Domini nostri Jesu Christi ».

Hac habita oratione, Ferrerius nunquam amplius Congregationibus interfuit, sed paucis elapsis diebus Venetias concessit.

Hanc Ferrerii orationem, cum non sine stomacho Patres pene omnes accepissent, quam et plures ex ipsis etiam Gallis detestabantur, insequenti die Carolus de Grassis episcopus tunc Faliscorum, ac postmodum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis egregie refutavit, quem et alii quoque sunt secuti. Illam vero [1], quæ cardinalis Moroni nomine in Vaticano Archivio asservatur, juvat hic in medium adducere, quæ sic habet :

« Cum te ad dicendum assurgentem sancta Synodus, clarissime orator, vidit, universa lætari cœpit, sperans ab oratore Christianissimi regis nil nisi rectum, et tanto tamque Christiano principe dignum audiri posse; eademque lætitia initium orationis tuæ prosecuta est, in quo dixisti, a multis sæculis Christianissimos reges reformationem ac disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem expetivisse. Quid enim

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 137.

lætius poterat sanctissimis Patribus accidere, quam ut audirent Christianissimorum regum vota cum ipsorum desiderio consentire, et quod ab ipsis tanto studio, cura ac diligentia tractaretur, id quoque Christianissimo regi optatissimum esse ? Itaque tota illa de reformatione oratio ipsi sanctæ Synodo quam jucundissima fuit. Verum cum tua prolabi cæpit oratio, et a te, quæ non sperabantur, neque tanto consessu digna, audiri cœperunt, tum vero lætitia in magnum quemdam mœrorem cœpit mutari. Cumque a te multa sint dicta, non solum regis Christianissimi oratore, sed homine quovis Christiano indigna, illa ita sancta Synodus accipit, ut ea a te ipso, ac sine ullo regis mandato prolata fuerint. Nam quod esse potest mandatum ut ea, quæ a te præter regis causam parum modeste ac parum Christiane dicta sunt, excusari possint?

« Quodcumque vero sit istud tuum mandatum, cum puer ac minor rex sit, benignitate, qua decet, sic sancta Synodus accipit, ut rei male gestæ culpa non regi puero, sed ejus consiliariis, tibique in primis attribuenda sit ; quamvis in ea oratione multa, ut diximus, tua propria fuerint, ita ut nullius mandati ratione defendi possint. Nam, ut demus tibi regis consiliarios mandasse , ut sanctam Synodum de illo capite, quod ad imperatorem cæterosque reges ac principes pertinet, admoneres, num propterea mandarunt, ut cum tot sanctissimis ac gravissimis Patribus tam immodeste ageres, ut in ipso orationis exordio eam ipsorum reformationem nullam esse diceres ? Num ut leges nobis quasdam describeres, quæ nobis aliqua in parte ita contra jura omnia divina atque humana facere visæ sunt, ut nunquam ab ullo Christiano principe putemus eas latas fuisse ? Quid cum ea numerasti, quæ legibus iis non prohibentur ? Nonne hæc tantum numerasti, non impediri illis legibus episcopos, quominus perpetuo in suis Ecclesiis resideant et purum verbum Dei prædicent (quæ sane tua verba fuerunt, a quibus abstinere debueras, cum satis superque hæreticorum sermone terantur) et ut orationi ac prædicationi incumbant, atque hujusmodi multa numerasti ? Alia vero cum tacueris ea maxime, de quibus nunc agitur, videris illa, tanquam nulla sint, omisisse. Itaque nullam esse Ecclesiasticam jurisdictionem, nulla esse Ecclesiastica jura isto tuo silentio significasti : quæ sane quorum sit opinio (ne pessimos homines nominare cogamur) nemo est, qui ignoret.

« Quid vero cum in illis, quæ prohiberi istis tuis legibus dixisti, post multa illud adjunxisti : « Prohiberi, ut nullus episcopus possit « regi contradicere, si velit omnibus bonis Ec- « clesiasticis uti » ? Nonne id plane impium ac Christiano homine indignum cuivis videri potest ? Quod sane nos nullis Christianorum regum legibus contineri credimus, cum non leges illæ Christianissimorum principum (quales semper Galliæ reges fuerunt) sed tyrannorum censendæ essent. Itane jus canonicum ignoras, vel ignorare te simulas (nam ignorare illud non potes, cum illius scientiam profitearis) ut legibus civilibus ac regiis personas Ecclesiasticas, atque adeo episcopos, et eorum omnia bona omnino subdenda esse contendas ? Nos vero non negamus magnam esse habendam regum, atque aliorum omnium principum rationem ab omnibus Ecclesiasticis viris ac Pontificibus ; et in primis ab iis, qui in eorum regnis habitant, a quibus etiam, cum res postulat, sui reges, non tantum consilio, sed opibus quoque Ecclesiasticis juvari debent : sed impia vox est, ut sacerdotum ac Pontificum, ac bonorum ipsorum rex dominus aut habeatur, aut nominetur ; quanto enim major ac potentior rex fuit, tanto se magis divinis beneficiis obstrictum atque obligatum debet cognoscere, ut filium se Ecclesiæ intelligat esse, non dominum, a se sacris initiatum, ac præceptis Christianis imbutum esse recordetur. Sanctissima illa vox Constantini Magni in Nicæno Concilio edita : *Vos Dii estis, et a nemine judicari potestis*, tuam istam totam orationem, quam in hac sancta Synodo protulisti, et leges istas, si quæ essent, (quas tamen sat scimus nullas esse) omnino refutaret : quam enim dissimiles illius Constantini tua oratio fuerit, non potest sine gemitu Sancta Synodus commemorare. Neque vero ignoramus, quas tu antiquissimas leges velis dicere. Scimus etenim capitula quædam, (nam sic ab illis appellata sunt) a Carolo Magno, Lothario aliisque Galliæ regibus edita fuisse, quæ ad res quoque Ecclesiasticas pertinerent. Verum scimus quoque illis capitulis optimos illos reges nunquam in rebus Ecclesiasticis usos fuisse, nisi postquam, vel a Synodis Provincialibus, vel a Maximo Pontifice fuerant confirmata. Quod cum opus fuerit, ex antiquissimis scriptoribus iisdemque Gallis docebimus.

« Ac sane tota oratio tua ea fuit, ut ostentare nobis tuam antiquitatis ac legum doctrinam, quam profiteris, volueris ; in qua paucula quædam, quæ ad regem pertinerent, fuerunt. Ad regem enim illud solum ex multis, quæ a te dicta sunt spectabat, cum dixisti, providendum esse sanctæ Synodo, ne Christianissimum regem anathemate (quod cuivis homini Christiano horrendum est) facile involveret, atque implicaret : quod tamen ita a te dictum fuit, quasi anathema ipsum parum curares ; cum tamen consiliarii illi regii hoc unum maxime curavisse videantur. Paulo etiam antea questus eras, tam multa anathemata ab hac sancta Synodo edita fuisse, quasi doleres hæreticos hisce Ecclesiasticis telis perculsos ac prostratos fuisse ;

simulque te creditorem, apto sane vocabulo, hujus sanctæ Synodi appellavisti, cui non alterum pro altero, hoc est anathema pro reformatione solvi posset; quasi vero tu is esses, cujus leges sanctam Synodum, tanquam ex præscripto quodam sequi oporteret.

« Sed his missis, ad id quod ad regem pertinet sancta Synodus respondet : sibi maximæ curæ fore, ut leges, quæ ab hac sancta Sede emanabunt, tales sint, ut per eas Christianis regibus ac principibus nulla injuria inferatur. De rege vero Christianissimo eo majorem curam suscipiet, quia pueri et pupilli, et a Christianissimis regibus geniti cura non ad alium magis, quam ad sanctam Ecclesiam spectat. Itaque bono animo, et rex ipse, ac sui omnes esse possunt, nihil ab hac sancta Sede profecturum, quod unquam regiæ dignitati officiat. Sed id vero, quod dixisti, si quid hic contra libertatem Ecclesiæ Gallicanæ statueretur, te regis nomine intercedere, hac tu re quidem ac nomine ipso furorem nobis quemdam tribunitium ostendisti, ac Patres omnes novitate rei ac vocabuli, quo ad concitandos popularium animos tribuni utebantur, commovisti : quidquid vero tu eo vocabulo significare volueris, nostra parum refert. Hoc unum atque ultimum responsum damus, sanctam Synodum omni conatu curaturam esse, ut reipublicæ Christianæ pristina disciplina restituatur, et non solum Gallicanæ, verum etiam omnium Ecclesiarum libertas, quantum fieri possit, conservetur ».

171. *Card. Lotharingus perhonorifice Romæ exceptus.* — Dum hæc gererentur Tridenti, cardinalis Lotharingus Romam advenerat, atque summo a Pontifice honore exceptus in tantum fuerat, ut præter Rom. Pont. consuetum morem, in propriis ædibus ab eodem visitaretur. VIII vero idus Octobris, cum fuisset consistorium apud S. Petrum [1], ac Lotharingus ipse interesset, cum de rebus Concilii ac Patribus magnifice ac veraciter elocutus esset : « De me (subjecit) non dicam aliud, nisi me agnoscere quantum debeam Deo, Sanctitati Vestræ, huic ordini, atque Sanctæ Sedi. Scitote me divino cultui ac dignitati vestræ, nullo unquam tempore defuturum. Postremo polliceor, me totis viribus semper acturum ac curaturum, quæ Sanctitas Vestra mihi sancte jusserit. Scio autem S. V. omnia sancte et juste semper jubere.

« Ad ea Pontifex », pergunt Acta, « benigne atque honorifice respondit; Quæ ipsi jusserit ac Patribus, qui in Concilio adessent, ea fuisse, ut affectibus omnibus exuti, et privata omnimoda ratione remota, libere divino cultui ac reformationi Ecclesiæ deservirent; Dei gloriam tantum præ oculis habentes, idque unum respicientes, ad finem cum decenti maturitate properarent, quem et Dei voluntate, atque ipsius cardinalis auxilio et diligentia satis uberem ac fructuosum se expectare aiebat, neque unquam serum sibi visum, modo is esset, quem oportebat : maturandum vero omnino esse, tum ob detrimentum, quod Ecclesiæ ob prælatorum absentiam patiuntur, tum ob periculorum instantium metum, ne scilicet, aut sua ipsius morte, aut aliorum principum, aut temporum vicissitudine, aut finis Concilii differretur, aut executio impediretur ». Et post multa : « Sperare, inquit, cardinalem ipsum sua virtute ac diligentia viam inventurum, qua hujus modi moderetur; in eo se spem habere. « In te, « inquit, domus inclinata recumbit ». Reformationem se omnino velle; se aliis exemplo futurum, a semetipso inchoationem inchoaturum, mox in collegio, atque aliis principibus curaturum. Sperare se Patres illos, tametsi de privatis ipsorum commodis agebatur, omni affectu seposito, ita se gesturos, ut de ipsis dici non possit: onera insupportabilia imposuistis nobis, quæ nec tetigistis digito ». Demum, subdunt Acta, multis verbis amoris ac benevolentiæ notis insignibus cardinalem Lotharingum laudavit. In cujus viri laudes cumulatius etiam Pontifex effusus est, cum altera ab ejus discessu die, quæ fuit XIX Octobris, ad Tridentinos legatos litteras dedit, queis Lotharingum admirando amplificandi divini honoris studio ardentem commendavit, ac præcipua erga Sanctam Sedem ac Concilii terminationem voluntate præditum extulit.

172. *Pius IV claudendo Concilio studet, quamvis principes obices ponant.* — Concilii itaque conclusionem, quam, cardinali Lotharingo adnitente, propediem fieri posse sperabat Pontifex, acrius etiam apud legatos urgebat, quos etiam per card. Borromæum admonuit, ut nequaquam a proposito animi protestationibus in contrarium editis flecterentur. Sat sibi esse, majorem præsulum partem pro se stare. Sessionem proinde, si res in promptu sint, ne differant, promulgatis decretis sacramenti Matrimonii, et viginti et uno articulis de reformatione conclusis, ut minor rerum moles versanda supersit. Statuant igitur cum Patribus, quod justum simul ac honestum visum fuerit, nec recipiente jam dilationem re, pensi multum habeant adversantia impedimenta, cum jam eæ controversiæ ab aliis Conciliis essent definitæ, atque ipse eisdem posset prospicere. Quibus hæc Pontifex ipse sua subjecit manu : « Perspicimus maxime referre ad cultum Dei et bonum Christianæ reipublicæ, ut quantocius absolvatur Concilium : omnes itaque ingenii vires intendite, omnia impedimenta abrumpite, moras ac dilationes contrahite ».

173. Aliis insuper arcanis litteris XV Octo-

[1] Act. Cons. car. Gambaræ Ms. apud car. Flavium Chisium lit. G.

bris exaratis legatos monuerat Pontifex, ut principibus semper respectus in rebus constituendis haberetur, et modo æquum simul ac honestum servetur, occasiones omnes querelarum, quas tantopere fundunt, præcidant, satisque haberent, generali sanctione sacros canones, veteraque Concilia ac Christianorum imperatorum leges confirmare, nec novas superaddere censuras, novaque anathemata promulgare. Se quidem præsulum patrocinio jurique tuendo nunquam defuturum. Quanta vero benignitate atque honestate Ecclesiasticæ libertati cautum sit, nec tamen principum læsa dignitas, aperte ex capite vigesimo reformationis in sessione ultima promulgatæ deducitur.

174. At cum piis Pontificis studiis Ferdinandum se opponere conari fama esset, ipse datis ad card. Moronum litteris objectam culpam facile diluit, cumque accepisset, quos motus apud Gallos in Concilio suscitaverit reformationis principum negotium, eo fidentius rem exactius considerandam, nihilque novi quod ipsos a filiali erga Sedem Apostolicam obsequio averteret, inducendum suadebat [1].

FERDINANDUS etc.

« Reverendissimo in Christo Patri domino Joanni sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopo Prænestino, cardinali Morono, et sanctissimi domini nostri ad sacrum Concilium legato, etc.

« Quia hoc negotium summi est momenti, (nempe de reformatione principum) quod pro minima quidem parte (uti nos judicamus) ad personam nostram specialiter pertinet, sed sacrum Romanum imperium, regnaque et dominia nostra, et aliorum regum et principum ditiones, necnon libertates, immunitates, privilegia, consuetudines et jura eorum concernunt, pro ratione muneris nostri Cæsarei ac regii nobis incumbit, ut in hoc negotio caute et prudenter agamus, et priusquam certi aliquid statuamus, de iis rebus, quæ rarissime in aula nostra tractantur, eo quod immediate ad regna et dominia nostra spectant, ut sunt illæ, quæ continentur in dicto capitulo, ab iis, qui in regnis et provinciis nostris vices nostras gerunt nostroque loco jus reddunt, exactam informationem accipiamus, ne forte vel imperio, vel regnis et dominiis nostris sine scitu et consensu eorum aliquid præjudicii seu detrimenti inferamus : ideoque nec Paternitas vestra reverendissima, nec quisquam alius nobis vitio vertere debet, si forte videmur in hac parte difficiliores esse, quam forte nonnulli expectabant. Relinquimus autem Paternitatis vestræ reverendissimæ prudentiæ et integritati expendendum, an deceat, vel etiam expediat, nos quippiam acceptare vel spondere, quod incerti sumus, an per nos præstari et executioni mandari queat, necne ? » Et paulo post : « Ne quisquam eorum sinistri aliquid suspicetur, propterea quod super hoc reformationis capite cupiamus audiri, et quod nobis non relinquatur sufficiens deliberandi spatium, nobis reservatas et salvas esse velimus excusationes et informationes nostras, et quæcumque nobis amplius necessaria fuerunt, desuper proponere, dicere et agere. Nos certe non perdemus tempus, sed quamprimum unquam fieri poterit ea, quæ nostra, ac regnorum et provinciarum nostrarum necessitas postulare videbitur, præferemus. Et quando res ejusmodi esset, quæ nostram duntaxat personam tangeret, et non potius ad universum sacrum imperium, regnaque et dominia nostra spectaret, haud dubie ut pius et Catholicus imperator, ita nos essemus exhibituri, ut neque Sanctissimus dominus, neque Paternitas vestra reverendissima, cum suis reverendissimis collegis, ac universo Ecclesiastico ordine justam de nobis conquerendi causam habere posset.

« Neque existimet Paternitas vestra reverendissima, nos sub ejusmodi prætextu et artificio moras velle nectere, ut Concilium diutius extrahatur. Alienissimum est hoc ab instituto nostro, tantum enim abest, quod ulla arte velimus impedire et remorari finem Concilii, quod potius manibus ac pedibus adjuturi sumus, ut id sine ulteriore cunctatione felicem et optatum progressum et exitum sortiatur : id quod Paternitas vestra reverendissima de nobis firmiter sibi polliceri poterit, sicuti etiam supradicto reverendo nuntio significavimus.

« Quod postremo loco Paternitas vestra reverendissima nobis etiam benevole congratulatur de coronatione Hungarica serenissimi filii nostri regis Romanorum ac serenissimæ reginæ conjugis suæ dilectissimæ, nos eam quoque gratulationem ex integerrimo pectore profectam amico et grato animo accipimus, etc. Dat. in arce nostra Posonii die II mensis Octobris anno Domini MDLXIII, regnorum nostrorum Romani XXXIII, aliorum vero XXXVII ».

175. Nec alia in Concilio fuit cardinalis Moroni mens, qui, quantum negotii apud principes facesseret reformationis articulus, probe comperiens, ad aliud differri tempus consultius judicabat, ideoque, ut habent Acta :

« Octava Octobris die coacta est congregatio generalis, in qua actum de promulgandis in proxima Sessione viginti supra unum canonibus de reformatione jam discussis, atque aliis, quæ principes tangunt, rejectis ad alias sessiones, conceptis subjectis verbis [1] a cardinale Morono peroratum est :

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 31.

[1] Tom. x. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3197. p. 176. Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Ext. in Ms. Francisc. car. Bar. sign. num. 1109. p. 145.

« Si ea quæ magis expediunt fieri semper possent, nihil esset cur de iis, quæ nunc dicenda sunt, apud vos ageremus. Sancta enim hæc Synodus nulla re a recto jure suo impediretur; sed quoniam ea est conditio temporum deploranda sane, ut non quod magis expediat, sed quod fieri possit, agere quodam modo necesse sit, mirum vobis, sanctissimi, videri non debet si nos quoque a proposito nostro divellimur, et vobis proponimus, non quod prorsus magis expedire, sed quod minus incommode fieri posse censemus. Nos legati, cum vobis proposuimus triginta quatuor reformationis capitula, quorum in ultimo agitur de iis, quæ pertinent ad amovenda impedimenta, quæ a sæcularibus potestatibus vobis in vestris regendis Ecclesiis afferuntur, ea mente et consilio ea vobis proposuimus, ut in proxima Sessione a vobis decernerentur; nunc autem non solum serenissimi imperatoris, sed fere omnes reliquorum principum et regum oratores, tum intercedendo, ut audistis, tum interpellando, ut nunc auditis, nos aliud cogitare impellunt. Aiunt hi reverendissimi et clarissimi oratores, quamvis principes sui ea bonitate præditi sint, ut libertatem Ecclesiasticam nunquam minuere aut labefactare, semper vero tueri et augere studuerint, idemque in posterum facturi sint, nullamque occasionem daturi, ut aliquid contra eos decernendum sit, multa tamen in trigesimo quinto illo capite contineri, quæ ipsis principibus nova videri possint, et quæ tranquillitati totius orbis Christiani, ac præcipue sacri Romani imperii Ordinibus, eminentiæ, libertati ac juribus non leve afferre possint detrimentum, et quæ sint contra antiquissima privilegia, consuetudines et auctoritatem ordinariam regnorum et dominiorum suorum; has ob causas summo studio a nobis petunt justum aliquod sibi spatium dari, quo ob rei magnitudinem ex imperatoris principumque suorum mandato vos edocere possint de his, quæ contra libertatem imperii et provinciarum suarum utilitatem in eo capite contineri existimant, sperantes, vos pro vestra æquitate, et hoc justum temporis spatium illis concessuros, et cum rem omnem melius intellexeritis, ea ex illo capite ablaturos, quæ contra eorum privilegia, consuetudinem et ordinariam potestatem in eo continentur. Nos vero cogitantes jure quodam, vel saltem æquitate vos, Patres sanctissimi, judicaturos, principibus Catholicis id denegari non posse, quod alienis etiam concederetur, videntesque nullum spatium temporis adeo breve concedi posse, quod, si interim nihil agatur, huic sancto Concilio non valde perniciosum sit, censuimus, non indignum vobis fore, priusquam vos, quid vobis agendum sit, deliberetis, si quod magis expedire judicamus, in medium attulerimus. Cum igitur principibus danda videatur aliqua dilatio ne de vobis jure conqueri possint, dum illi suis de rebus cogitabunt, ne interea cum dignitatis nostræ detrimento frustra hic a vobis tempus conteratur, videtur nobis, si vobis ita placuerit, Sessionem haberi posse, in qua de iis, quæ ad Matrimonii sacramentum pertinent, diuque ac diligenter a vobis tractata et disputata sunt, deque uno et viginti reformationis capitibus, quæ itidem vos diligenter examinastis, Deo vobis propitio decernatur. Hæc est sententia nostra, quæ, nisi fallimur, multis innititur rationibus. Quod si idem vobis, prudentissimi Patres, videbitur, eam sequi poteritis, sin minus, nos meliori judicio vestro acquiescemus.

« Prima igitur, quæ nos movet ratio est, ut diximus, quod principibus Catholicis de re Christiana benemeritis, et spatium aliquod temporis ad vos edocendum petentibus, sine injuria denegari non posse videtur; quod si negaretur, multa inde oriri possent incommoda, ut quisque vestrum pro sua prudentia facile cogitare potest. Quod si danda est hæc illis dilatio, nullo modo convenientius dari potest, quam si trigesimum quintum illud caput et reliqua reformationis pars in proximam alteram Sessionem rejiciatur. Deinde si interea loci Sessio a vobis, de qua nunc tractatur, ante diem destinatum habebitur, profecto consultissimum fuerit huic sanctæ Synodo, si quam suæ existimationis jacturam ex dilatione præteritæ Sessionis perpessa est, eam facile ex hujus anticipatione recuperabit. Videbunt præterea vos omnes Ecclesiæ reformationis vere esse studiosos; quod si fortasse aliter de vobis opinati sunt credentes illud trigesimum quintum ad impediendum reformationis caput esse confictum, quasi principes, qui ab illo sibi capite cavendum putent, vestræ quoque reformationi parere cogantur, hi profecto falsam de vobis susceptam suspicionem deponent, deque pietate vestra quod æquum est judicabunt. Neque illud interea reticendum putamus, quod si in proxima futura Sessione tot præcipuæ reformationis capita statuantur, septimo Matrimonii sacramento suprema imponatur manus, certe maxima dogmatum, et ejus, quæ ad nos pertinet, reformationis pars erit absoluta, et ad finem Concilii maturius deveniri poterit, quod præcipue vobis procurandum est. Quod si aliena rursus impedimenta et procurationes vobis injiciantur, ne ad reliquam reformationis partem accedere possitis, ea vos honestius, ac majori cum vestra, tum Ecclesiæ auctoritate rejicere poteritis: et quod hujus deliberationis caput est, bona, quando fieri possunt, ea nunquam sunt differenda; ejusmodi enim dilationes divinæ voluntati repugnant, et omissæ rei bene gerendæ occasiones raro solent reverti; quod ne vobis contingat, in hac jam examinata reformationis parte, quæ mille in se bona continet, etiam atque etiam

cavendum censemus. Atque hæ sunt rationes, quæ nobis persuadent, ut sessionem habendam censeamus. Quod si vobis prudentissimis Patribus idem probabitur, nos eas rationes bonas esse judicabimus, sin vobis secus videbitur, nos, ut diximus, meliori judicio vestro acquiescemus, existimantes id Spiritui sancto probari, quod vobis probatum fuerit ».

176. Hac pollicitatione, cum sublatus fuisset qui maturando Concilio opponebatur limes, Ferdinandum imperatorem suis autographis litteris[1] incitavit Pontifex, ut qui tam egregiam pro Concilio prosequendo hucusque navaverat operam, eamdem modo pro illo feliciter absolvendo, ne gravaretur, impendere :

« Charissimo in Christo filio Ferdinando in imperatorem electo.

« Charissime fili, salutem, etc. Ex litteris nuntii nostri Delphini intelleximus, quantopere majestas vestra promoverit negotium boni progressus et finis Concilii, quando et dogmata erunt resoluta, et honestæ reformationes factæ, id quod propediem futurum est, quam rem certo scimus ab eximia ejus pietate, ac religione, et simul a devotione et charitate, qua nos et hanc Sanctam Sedem prosequitur, processisse : nos hujus rei perpetuo erimus memores, et parati pares gratias et majores, si poterimus, Majestati Vestræ referre, quandocumque se occasio obtulerit : quam rem cupimus magis factis quam verbis comprobare. Rogamus majestatem vestram, uti totum hoc negotium suscipiat, et ad finem debitum perducat : nos enim illius pariter causa omnia cupimus, neque unquam illius honori atque exaltationi deerimus. Reliqua ex nuntio nostro cognoscet. Deum rogamus, ut majestati vestræ salutem et felicitatem omnem donet. Romæ XXII Octobris MDLXIII ».

177. Joannes quoque Moronus cardinalis primus Concilii præses studium suum contulit ad sollicitandos litteris reges, ut suam auctoritatem pro perducendo ad finem optatissimum Concilio adhiberent, quo argumento extant ejus litteræ[2] ad Maximilianum Romanorum regem, cui summam necessitatem exposuit, ut pro decerpenda ex Concilio expetita utilitate, felici fine clauderetur, ne graviora ex illius prorogatione mala scaturirent :

« Regi Romanorum.

« Serenissime rex, etc. Jucundum mihi est, cum audio ipsum quoque cardinalem Lotharingum ad eumdem finem cogitatus curasque suas dirigere : nihil enim, ut sæpe serenissimo imperatori scripsi, consultius esse potest, nihil utilius reipublicæ Christianæ, nihil optatius, neque magis necessarium, quam finis Concilii, qui si, ut spero, successerit, illum serenissimo imperatori ac majestati vestræ in primis acceptum referre debebimus, eisque gratias habere et referre maximas, tanquam hujus Concilii maxima ex parte auctoribus et perfectoribus; atque hoc tempore, nihil sane est quo de Sede Apostolica magis promereri possint. Ego præter reliqua, quæ hac in causa me summopere delectant, illud vere et solide gaudeo, quod video jam tantam Summo Pontifici cum serenissimo imperatore, cumque majestate vestra charitatem et conjunctionem intercedere, ut vix major intercedere possit; ex qua præsentibus orbis Christiani calamitatibus maxima remedia nobis polliceri et expectare certo possumus. Ipsam vero majestatem hortor et obtestor, ut quam de pietate sua expectationem dedit, hanc sustinere et superare in dies magis magisque studiis omnibus enitatur. Nihil regia majestate dignius, nihil ad omnes felices successus, optatasque imperii accessiones a Deo impetrandas efficacius efficere poterit, etc. Dat. Tridenti die XXV Octobris MDLXIII ».

178. Sed quoniam a nullo magis timebantur moræ, quam a Catholico rege, cum ejus orator comes a Luna novas quotidie nectere non desisteret, placuit Pontifici ad ipsummet regem Carolum Vicecomitem episcopum ad se a Patribus Tridentinis missum submittere, datæque sunt discedenti a Carolo Borromæo card. variæ præceptiones ac monita[1], quibus ille, prout opus esset, consilia aptaret. Jussus est in primis, Pontificis paternum studium in regem ut in filium amantissimum honestis verborum officiis illustrare, utque Tridentinum Concilium, tanquam remedium salutare adversus hæreses, quæ Ecclesiæ membra dilacerant, in hodiernum diem pro divino honore nullius incommodi, vel sumptuum, vel laboris et periculi habita ratione provexerit, ac pro sacrorum ministrorum instauranda disciplina nihil prætermiserit, adeo ut etiam ipsa cardinalium reformatio, suæ Sanctitatis imperio, Concilii Patribus permissa sit. Præterea suam Sanctitatem Concilii arbitrio et potestati permisisse, ut Patres Concilium, vel protrahere, vel contrahere, ac prorogare, vel claudere possent, prout a Spiritu sancto instructi forent, nec voluisse, aut Concilium retardare, vel præcipiti celeritate absolvere, atque adeo omnium operum suorum æquitatem in luce collocasse, ut speret principes suas omnes vires collaturos, ut ad optimum finem perducatur, eoque majorem spem de Catholica Majestate concepisse, quo præ cæteris principibus singulare publici boni studium semper prætulit, studuitque tuendæ veteri religioni, regnaque sua ab hæreseos lue vindicavit. Jam vero Pontificem præviso Concilii fine de

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3216. p. 11. — [2] Ibid. sig. num. 3215. p. 274.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. Ep. XVI et XXXVI. Ext. in Ms. card. Spadæ sig. num. 31. p. 352.

tanti tamque gravis negotii conclusione, et constabiliendis decretis, ac necessariis rebus serio cogitare, nec his recte posse consuli, quin conjuncto principum Catholicorum patrocinio, inter quos maxime de Majestate Catholica maximam fiduciam fovet, tum ob optimam regis mentem non minus opere pii et boni publici studiis flagrantissimi, quam nomine, Catholici, adeoque interprete Vicecomite, sua consilia ad divinum cultum ac religionis Catholicæ decus pure spectantia illi pandere, concepta optima spe, Catholicam majestatem omni animi alacritate atque ardore ad tuendam, augendam illustrandamque Dei Ecclesiam vires suas, auctoritatemque adhibituram, cum pluribus litteris ac legationibus obtulerit, si opus foret, se non modo ditiones suas et regna, sed etiam vitam pro Ecclesia discrimini exposituram. Primum ergo, et gravissimi ponderis illud esse, ut ratio ineatur, qua principes Catholici animis viribusque sint conjunctissimi ad decreta Concilii mandanda operi in iis provinciis, quæ hodie sub eorum ditione sunt constitutæ, et in quibus hactenus, favente Deo, observantia erga Sedem Apostolicam conservata est, licet aliquibus hæresibus sint infectæ, atque hac de re primo cogitandum esse laborandumque antequam de aliis ad viam veritatis traducendis agatur. Itaque conversis a Sanctitate sua oculis ad res Gallicas, his maxime videri opitulandum, cum aliarum vicinarum provinciarum periculum ac ruinam secum trahant, atque adeo maximo desiderio incensam Beatitudinem suam, ut illud regnum in fide Catholica integre confirmatum constansque in obsequio Sedis Apostolicæ, ut olim, conspiciat. Necessarium proinde ducere, ut in fine Concilii modus ad id debitus capessatur, in quem finem videtur agitata in eo regno cum Hugonottis concordiæ actio, ac si hæc res proteletur, grave imminet periculum majoris alterius novitatis in causa religionis, exitialisque omnibus aliis provinciis. Maxima quæque dicta fuisse Sanctitati suæ, ac promissa de optimo regis Christianissimi, reginæque ejus matris animo erga religionem Catholicam, adeo ut collato sermone de suscepto a regina desiderio ineundi colloquii in aliquo loco cum majestate Catholica, Pontificiæque Sanctitati a majestate Christianissima significato desiderio, quo tenetur, ineundi cum sua Sanctitate colloquii, ac sequendæ in rebus gravissimis pro asserenda religione, saluteque, Pontificiæ sententiæ ob singularem observantiam, qua veluti amantissima filia Sedem Apostolicam prosequitur, se ea consilia et præfata colloquia maxime commendasse, atque in eam etiam venisse opinionem, futurum utilius si ea duo colloquia in unum coirent, in quo optima consilia expediri possent : nulla itaque ætatis aut valetudinis vel sumptuum habita ratione, se pro salute et conservatione nobilissimi regni quosvis itinerum labores suscepturum, cum sine eo colloquio non modo religionis res in meliorem statum non sint restituendæ, imo in pejorem collapsuræ videantur. Cæterum, nisi adfuerit majestas Catholica, nolle Pontificem inire colloquium cum Christianissimo, cum absente Catholico nullius utilitatis spes affulgeret.

Significandum etiam Catholicæ Majestati, Pontificem, efflagitante id regina Christianissima, sollicitasse internuntii opera imperatorem ac regem Romanorum, ut vel ambo, aut saltem eorum alter ad id colloquium accedere non gravarentur, non modo pro asserenda regni Gallici salute, sed etiam pro ditionum suarum commodo, tuendisque Catholicis, qui in Germanico imperio supersunt. Cæterum in hujus rei serie purissimis ac sinceris studiis Dei gloriam et publicam Christianorum salutem affectari, nec unquam assensurum Pontificem, ut quippiam in causa religionis novetur. « Ultima Octobr. MDLXIII ».

« Carolus cardinalis Borromæus ».

179. Addita est secunda instructio [1], cum Lotharingus cardinalis Tridento Pontificem salutaturus Romam accessisset, jussusque est Vicecomes significare Catholico regi, illum tantum egisse de progressu Concilii, deque memorato colloquio, cujus disturbandi causam ancipitem esse dixerit Protestantium et aliorum hæreticorum principum terrorem, ne illi sibi diffisi multam inter se armorum societatem coeant adversus Catholicos, atque adeo ad eos demulcendos posse iis significari a Cæsare non adversus eos ullum armorum fœdus in eo colloquio sanciendum, sed tantum de compescendis iis, qui religionem prætexentes seditiones in ipsorum regnis concitant, tum pro tuenda Christiana republica adversus Turcam communem hostem, qui æque hæreticis ac Catholicis infensus est, agitari.

Quod ad locum colloquii attinet, non gravatum iri Suam Beatitudinem, si Nicæam et Villamfrancam accederet, aut si Catholica majestas in Italiam se transferret, Vercellas deligi posse, quo imperator, vel rex Romanorum posset accedere. Egisse etiam cardinalem cum Pontifice de regina Scotiæ nepte tradenda nuptui Carolo Archiduci, affirmasseque, non alia ratione religionem in Scotia restitui posse; nolle enim pati Scotos, ut regina regno discedat, ac si discesserit, redeundi retinendique ejus regni spes evertendas; eo quoque connubio Anglorum Catholicorum res fulciendas, alioquin omni spe restituendæ unquam in Anglia religionis destitutum iri, atque hos sermo-

[1] Ext. in Ms. pag. 356. fin. extract. ex Ital. Ib. p. 358. extr. ex Ital.

nes a Lotharingo cardinale cum sua Beatitudine collatos fuisse. « Romæ ultima Octobris MDLXIII.

« CAROLUS cardinalis BORROMÆUS ».

Tertiis præterea mandatis instructus est Vicecomes, ut Catholico regi, vel ejus administris significaret, Tridentinos Patres nolle longiores in ea urbe moras trahere, tum quia sumptibus sunt exhausti, tum quia eorum Ecclesiæ graviora damna patiuntur, ac nonnullos nulla petita venia abeundi discedere, tum ob ingravescentes maximas bellorum suspiciones fluctuare, ex quo Herbipolis occupata est, ac legitimus episcopus ejectus : pestem propagatam, atque in Tirolensis comitatus partibus serpere, ex quibus gravis conceptus sit terror ; atque utinam repentino metu ne diffugiant. Ingratissimam accidisse Pontifici legationem majoris Commendatoris Castellæ qua ita exposuit Concilium apertum esse pro dogmatibus definiendis, instauranda disciplina ac revocandis in viam salutis aberrantibus, ut visus sit queri regiam majestatem Catholicam nihil vel parum ex his tribus adhuc gestum esse, atque institit, ut lento passu, ac exacta temporis mora, et circuitu longo hæc peragantur : ad quem ita responderit Pontifex regiorum commodorum ac votorum summam haberi rationem, deque ea re explorationem fieri posse, pariterque animadversurum ; Pontificem totius mundi comparandi causa nullam rem Pontificio gradu indignam admissurum, quæ utique fieret, si Concilii læderet libertatem, cui cum summam semper permiserit, non decere, ut jam ulla arte vinciantur illi manus, nec credendum est Patres Concilio finem impositures, nisi omnes dogmatum controversiæ definitæ fuerint, et sacrorum ministrorum populique disciplina instaurata sit, ut jure atque honestissime Catholica majestas efflagitat.

Jussus etiam est gratias agere Catholicæ majestati, quod rem Avenionensem Gallorum regi commendarit, verum non permitti, ut externi milites per regnum iter habeant. Aurasiæ principem, cujus ditio in medio Comitatus Avenionensis jacet, permisisse Calvinisticas conciones, ac ditioni præfecisse pestilentem hæreticum dominum de S. Albano; monitum fuisse Auraicum, ni his medeatur, ditionis suæ jure a Pontifice exauctoratum iri, atque primo occupanti eam adjudicandam. Joannamque reginam Navarræ in jus vocatam proposito publico edicto, lapsoque sex mensium fluxu in eam judiciariam severitatem exercitum iri, usque ad privationem : Pontificem divini amoris ergo sustinendi muneris Apostolici, asserendæque religionis causa diutius rem differre non potuisse, qua jure regio exauctorata, illius regnum ditionesque in primi occupantis jus translatum iri.

Noluisse hactenus Pontificem permittere Concilio, ut quid decerneret contra reginam Angliæ, licet ea non minus rea sit quam altera, idque datum precibus Catholicæ majestatis ; verum in hanc quoque tandem aliquando, ni emendetur, animadvertendum ; saltem debere majestatem Catholicam permonere, ne episcopos et cæteros Catholicos divexet, verum illis libertatem colendæ exercendæque sanctissimæ suæ religionis permittat, aut certe libere e regno abire patiatur.

De quinquennali subsidio pro instruenda classe in aliud quinquennium prorogando, si postuletur ; respondere jussus pecunias pro ea classe ornanda attributas, male collocatas, nec promissam a rege opem pro absolvendo utili Concilio, ut testis est ipse Vicecomes, fuisse suppeditatam. « Datum ultima Octobris MDLXIII.

« CAROLUS cardinalis BORROMÆUS ».

180. *Contra fidei desertores infracto se ostendit animo Pontifex.* — Sub hæc ferme tempora, quibus Pontifex pro salute totius Ecclesiæ consequenda, spiritu discretionis et consilii cuncta perageret, atque Ecclesiasticæ arctæ censuræ nervos cum principibus ita remitteret, ut exinde Catholicæ veritati, Concilium absolvendo, plene consuleret, doctus nimirum [1] *Tempus acquirendi, et tempus perdendi; tempus custodiendi, et tempus abjiciendi;* in iis tamen, quæ ad fidem Catholicam tuendam arcendosque ab ovibus lupos spectabant, constanti infractoque semper animo, nihil remittere aut negligere omnino studebat. Cum autem pseudoepiscopi illi Galliarum, qui Apostolica fuerant notati censura, causam suam in Galliis cognosci exposcerent per hos ipsos dies, nullis neque suasionibus, neque privilegiorum prætextibus a suscepta actione est deterritus, quamvis potentiorum principum auxilio fulcirentur ; nam ut habent Acta consistorialia, cardinalis a Burdesia se a rege ac regina litteras [2] accepisse dixit, « quibus ei mandabant, ut Summo Pontifici ipsorum nomine supplicaret, ut hanc episcoporum causam in Gallia judicari pateretur. Ea esse illius regni privilegia, quibus salvis extra Galliam de his episcopis judicium ferri non posset ; sed de his egisse cum Sanctissimo domino, atque hujusmodi responsum reportasse, ut ad regem et reginam scripserit, Summi Pontificis rationibus ita persuasum, ut quid contradiceret, non haberet, itaque obmutuisse. Quare petiisse, ut earum majestates Summi Pontificis voluntati acquiescerent, aut se docerent, quo pacto ipsorum postulata tueri posset. Hæc se pridie scripsisse, supplicare, ut judicium differatur, donec a rege suo responsum acciperet ; idque eo magis, ut rege huic judicio consentiente, executio etiam sententiæ obtineretur. Nemo censuit dilationem hujusmodi conceden-

[1] Eccl. c. 3. — [2] Ms. apud card. Chisium. lit. G.

dam. Summus Pontifex dixit, sibi non esse in animo infringere Galliæ privilegia ; has tamen causas in Gallia cognosci nolle etc. » et post multa subdidit, « causam hanc nullo pacto dissimulandam, aut ferendam illorum hominum negligentiam, neque hæreticam pravitatem in episcopis cum tanta animarum eis creditarum jactura et pernicie tolerandam ».

181. Cum vero cardinalis Lotharingus, qui jam Roma excesserat, Epistolam ad Pontificem misisset, qua reginæ Navarræ, Odetti Castillionei, et pseudoepiscoporum causas diligenter commendabat, Pontifex subjecto responso[1] gestorum omnium rationem assignavit :

« Dilecto filio in Christo Carolo cardinali tit. S. Apollinaris, de Lotharingia nuncupato.

« Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Præfiximus reginæ Navarræ semestre tempus, bimestre primum pro primo termino peremptorio, secundum pro secundo ; ac tertium pro tertio : ita ut plurimum temporis concesserimus, ut ad sese redeat, si resipiscere velit : quod vero factum est, revocari non potest. Neque vero id egimus permoti a rege Catholico, vel ab alio, sed purissimo divini cultus tuendi studio, defendendæque religionis sacro ardore, in quam illa infensissimum et hostilem animum profitetur. Si ad Ecclesiæ gremium reverti illa velit, clementiæ brachia ad eam reamplectendam explicabimus : at si in profundo malorum, ut hactenus hæsit, hærere velit, Deus his malis consulet.

« Quod ad acta judiciaria adversus Castilionæum, et alios episcopos edita spectat ; pro explorato habeat, nihil actum contra Constitutiones regni Galliæ, quia cardinalium et episcoporum causæ reservatæ sunt Pontifici ex ipsis concordatis cum Gallis regibus, causæque majores et graviores semper Sedi Apostolicæ reservantur. Si Castilionæus se læsum putat, in jus veniat, tum enim in eodem statu, in quo ante primam citationem erat, redintegratum iri atque excipiendum humanissime pro sui gradus dignitate : si insons fuerit, absolvetur : si reus, ac resipiscere velit, redireque ad sanctam matrem Ecclesiam puro corde et fide non ficta, erga eum misericordia et clementia utemur.

« Quod ad episcopos attinet, pronuntiatum a nobis, prout in cedula, nec cedulæ subscripsimus. Majori ex parte notorii sunt hæretici : alii maxima suspicione hæreseos laborant ; omnes in pœnas monitorio edicto contentas incurrerunt. Nos interea ex puro in dominationem vestram studio subscriptionem cedulæ extrahemus, donec ab ipsa responsum sit : precamurque ut interea expendat, quid tuta conscientia agere possimus, nec consentaneum esse, ut hi hæretici Ecclesias Gallicanas administrent, nec posse permitti eas Ecclesias iis, qui diœceses earum ac populos hæretica peste sunt infecturi. Consulere quidem volumus quieti et paci Gallici regni, sed salvo divino honore salvaque conscientia. Misimus episcopum Sanctæ-Crucis, qui de his omnibus ad regias majestates referet ; ac si regina Navarræ ab injuriis Deo inferendis absistat, detque operam, ut filius ad sacrum audiendum se conferat, munusque principis Christiani impleat, justius iras nostras placabit ; exploratumque habeat, apertionem Concilii nobis non officere, quin adversus ipsam, ac memoratos episcopos, si comparere velint, ut crimine se expurgent, non defuturam erga eos misericordiam, quam Castilionæo sumus polliciti : at si in pertinacia obdurescant, perpendat ipsa, quid nobis imperet conscientiæ religio, nec illi a nobis expectent alia, quam optimi Pontificis optimique Christiani officia.

« Quod ad Aquensem episcopum attinet : maxima ille suspicione apud inquisitores nostros laborat, nec antequam se purgaverit, nobiscum tractare ulla negotia potest, nec alia sacerdotia et monasteria sperare a nobis potest nisi illius infamiæ maculam exterserit. Ut vero ipsa pio adducta studio hæc proposuit, ita æqui responsa nostra excipiat. Datum Romæ die xx Novembris MDLXIII ».

182. *Pii IV litteræ congratulatoriæ ad Nemurcensem ducem.* — Sed qui tam districtum ac severum judicem contra desertores Catholicæ fidei se exhibebat, quam se blandum ac providum erga ejusdem fidei pugiles ac propagatores se ostenderet, docent litteræ, quas ad Jacobum de Sabaudia Nemurcensem ducem immisit ; qui velut alter Josias directus divinitus, ut tolleret abominationes impietatis, in diebus peccatorum corroborabat pietatem[1], cumque sacerdotes, prædicti nempe pseudoepiscopi, facti essent populo suo in lapidem offensionis, et in petram scandali[2], in laqueum et in ruinam, ipse stabat pro domo Dei[3], ut prælia Domini præliaretur[4].

« Dilecto filio nobili viro Jacobo de Sabaudia duci Nemursensi.

« Ex venerabilis fratris Prosperi episcopi Chisamensis nuntii nostri, et ex multorum aliorum prædicatione cognovimus singularem zelum, quo sanctam Catholicam fidem prosequeris, ac pia officia, quibus fungi non desistis ad eam pro tua virili parte in isto regno tuendam et conservandam ; qua de re testimonia jucundissima fuerunt ; nihil enim solemus audire, quod majore solatio animum nostrum recreet, quam cum de nobilium virorum tui similium studiis hujusmodi in religionem Catholicam

[1] Ms. arch. Vat. sig. nom. 3216. p. 12. et in Ms. sig. n. 3297. pag. 78.

[1] Eccl. XLIX. — [2] Is. VIII. — [3] I Reg. XXV. — [4] Pius IV. t. II. brev. sig. 2897. Ep. XLV.

audimus. Gratulamur, dilecte fili, nobilitati tuæ de isto divinæ clementiæ munere; non parvum enim habes a Deo æternæ salutis tuæ pignus ac signum, istam, quam dedit tibi, tam bonam, tam rectam et piam mentem. Magna vero tibi a nobis et a Catholicis omnibus debetur laus, quod in tanta perturbatione religionis, quam humanæ salutis hostis in isto olim omnium religiosissimo regno excitavit, ipse pro tua virili parte tam constanter veram et orthodoxam religionem defendas. Facis quod pium Ecclesiæ filium decet. Plane te similem atque æmulum ostendis hac in re majorum tuorum, qui in primis Catholici semper fuerunt. Non eges tu quidem cohortatione nostra, sed tamen paternus erga te noster amor, qui nos, ut tibi gratularemur, his litteris impulit, etiam impellit, ut hortemur nobilitatem tuam, ut quantum potes studii atque officii, conferre perseveres in religionem Catholicam. Nihil Deo gratius facere potes, nulla re melius de rege et regno isto mereri, nulla denique ex re, vel uberiorem a Deo mercedem, vel solidiorem ab hominibus laudem consequi : etc. Die v Novembris MDLXIII ».

183. *Aliquot principes a Sede Apostolica deficere tentant.* — Conflatam esse hoc tempore nefandissimam coitionem in Gallia inter Hugonottos et impios, solo nomine Catholicos, qui ardentes avaritia Ecclesiasticis bonis inhiabant, ut Concilium Tridentinum dissolveretur, ad Galliam ab Apostolicæ Sedis conjunctione divellendam, constat ex subjectis Bracharensis archiepiscopi litteris [1] ad Pontificem exaratis.

« Beatissime Pater.

« Non possum non significare Sanctitati tuæ unum, quod secreta, sed certa relatione nunc hic didici, videlicet, quod Hugonotti qui in Gallia sunt, faventibus quibusdam magnatibus fictis Catholicis, summopere cupiunt, ac totis viribus et mille artibus hic laborant, ut Concilium dissolvatur vel suspendatur, ut sic in sua Gallia celebretur nationale Concilium, ubi simul cum Catholicis episcopis locum habeant ipsorum ministri (ministros Sathanæ intelligat lector). Et si nil aliud possint, saltem viam aliquam inveniant discedendi a Sede Apostolica et Ecclesiastica unione. Quibus scelestis conatibus quantum contranitendum sit, felici consummatione ac confirmatione sacri Concilii, novit Sanctitas vestra, et nos pro nostro virili operam dabimus, ut celeriter et feliciter omnia compleantur, etc. Tridenti IV Novembris MDLXIII.

« Humillimus Sanctitatis vestræ.

« Archiepiscopus BRACHARENSIS primas ».

184. Ex his agnoscat lector, quam exaggerata prudentia Pontifex ad absolvendum Concilium tam studiose incubuerit, ac salubre hoc antidotum, quo sanitas Christianæ Reipublicæ conservata est, probet atque suspiciat; quod profecto plenius cognoscet, si qualis, non in Gallia tantum, sed in omnibus pæne Christiani orbis partibus misera esset Catholicæ veritatis facies, oculis circumlustret; nam et in Belgio diffusum virus præclaras multas civitates infecerat [1], ac ni Margaritæ Austriacæ, ac card. Granvellani sollicita vigilantia ac districtus judiciorum terror adfuisset, hæreticæ novitatis sordibus regio tota illa fuisset inquinata. In Germania vero superiori, velut torrens latius exundans, Herbipolim civitatem occupaverat, ac sensim per alias provincias Italiæ finitimas excurrens, postremo Villaccum Carinthiæ oppidum Caroli Saxi apostatæ ministerio depravaverat. Quin etiam intra ipsam Italiam in Subalpinis, nova quædam in perniciem animarum hæreticæ pravitatis semina latius manabant, quæ tamen Pontifex Apostolica sollicitudine evertere, datisque opportunis litteris [2] penitus excindere satagebat.

185. *Varia in Polonia de religione dissidia.* — Sed cæteris omnibus luctuosior erat Polonorum Ecclesiæ status. Defuncto namque Sigismundo Primo Augustus filius, qui ei in regno successerat, cum parem patri nec animum nec consilium in tuenda Catholica religione haberet, hæreticis in omnem occasionem illuc pervadendi excubantibus, latum aditum patefecit, continuoque omnis errorum ac perditarum opinionum cohors irrupit; ac, quod majores excutiebat lacrymas, ipsi episcopi, qui intenta sollicitudine a caulis Domini lupos arcere tenebantur, mutuis inter se dissidiis altercantes, quicquid irarum et simultatum cum hæreticis esse debuerat, in se ipsos vertebant, ac sanctum ac venerandum antistitum nomen, quod summopere sua quoque ætate Nazianzenus [3] deflebat, privatis contentionibus distrahebatur. Cumque in dies Tridentini Concilii absolutio extraheretur, hæretici hac arrepta occasione, incredibile dictu est, quot convitia et ludibria in illud ingererent, quamque continentibus piorum votis illius conclusio exposceretur. Jamque gravius imminere malum, Camerinensis episcopi litteris compertum est, nempe, quod permulti hæreticorum fautores summa moliebantur ope, ut Concilium gentis, quod Nationale vocant, cogeretur, in quo sine ulla auctoritate Pontificis Maximi de universa religione, prout ex ipsorum usu atque republica visum esset, constituerent. His avertendis malis sollicite excubans Pontifex dissidentes inter se animos per epistolas primo componere adnisus [4], mox immisso Jo. Francisco Commendono Apostolico

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 48.

[1] Ext. in Ms. arch. Vatic. sign. num. 3217. Ep. LXXXVIII, CXV, CXXV. — [2] Pius lib. brev. num. 2847. p. 405. — [3] Orat. I. — [4] Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. p. 404, 752 et 75.

nuntio grassantem latius morbum, si non penitus extinxit, feliciter multum repressit [1].

« Venerabilibus fratribus archiepiscopo Gnesnensi, regni Poloniæ primati, episcopis per Poloniam constitutis.

186. « Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem. Ad aures nostras nuper præter opinionem nostram, nec sine maxima nostra admiratione pervenit non parvas vigere inter vos simultates, dissensiones atque discordias : qua ex re ingentem animi dolorem cepimus : etenim cogitantes nobiscum quanto in periculo Catholica fides ac religio in regno isto, et Ecclesiarum vestrarum salus hoc tempore versentur propter tot hæreticorum sectas, quæ ibi jamdiu corroboratæ atque auctæ sunt, et in dies augentur, nihil videmus alienius ipsius regni tempore, nihil religioni et Ecclesiis perniciosius esse posse, quam eos inter se dissentire, quos summa charitate concordiaque conjunctos tantis patriæ malis, et religionis ac fidei periculis obviam ire decuerat, itaque non possumus non magnopere miserari istius regni statum, et de salute tot Ecclesiarum et populorum vehementer pertimescere ; proinde pro pastorali officio et pro paterno amore, quo regnum istud prosequimur, hortandos vos vehementer in Domino esse duximus, et monendos, ut vestri officii et Christianæ professionis memores odia et simultates omnes deponatis, charitatem nobis a Christo Domino et Redemptore nostro tantopere commendatam, et pacem ejus testamento relictam colatis atque servetis ; memineritis vos Dei sacerdotes, vos animarum esse pastores, vestrum esse officium oves Dominicas, de quibus rationem reddituri estis, non exemplo minus quam verbo pascere. Nolite, quæsumus, quibus charitatis, pacis atque concordiæ exempla præbere debetis, vestris discordiis, vestris dissensionibus offendere. Nolite hanc hæreticis dare lætitiam ut vos inter vos dissentire ac dissidere gaudeant et exultent. Quid illis jucundius, quid optatius accidere potest, quam ut inter vos querelæ, controversiæ, lites et contentiones maneant? Annon majores spiritus sument et vehementius confident propugnaturos se, et confirmaturos esse hæreses et sectas suas ? Dum pastores inter se dissentiunt, gregibus majori audacia insidias comparabunt. Mementote quid Dominus noster illis interminatus sit, per quos scandala veniunt. Quod si tantopere Deo displicet, et tam periculosum est, vel unum pusillum scandalizari : tot populis, qui in nos pastores et præsules suos oculos conversos habent gravissime offensis, quanto vehementius offendi censetis Deum ! Et quanto magis id esse animabus eorum quorum culpa id acciderit, periculosum! Quocirca etiam atque etiam hortamur unumquemque vestrum, ut Apostolici verbi memor accipiat potius et patiatur injuriam, quam cum fratre contendat et litiget. Condonat Deus libenter ipsam injuriam, si quam factam sibi existimat, quem quotidie, ut peccata et debita nostra nobis dimittat, oramus reipublicæ causa deponat inimicitias et odia, sicut non paucos gentiles maxima olim cum laude sua fecisse memoriæ proditum est Quod si adduci non potestis, ut ita faciatis, quod sane vobis esset dignius, at vos saltem hoc facite, ut arbitros, qui de vestris controversiis cognoscant, et ex æquo et bono statuant, eligatis. Habebitis etiam nuntium nostrum virum probum et integrum, cui tuto et fideliter poteritis controversias ipsas amice componendas committere. Te, frater archiepiscope, appellamus ; tu quo magis honore et dignitate antecellis, eo magis in hoc sanctum opus incumbe, etc. Die I Octobris MDLXIII, anno IV.

187. « Datas Epistolas subsecuta est Commendoni profectio », quem, scribit Gratianus [1], « Patavio, quo se ille tum contulerat, atque privatarum rerum cura excitum, in Poloniam protinus Pontifex jubet proficisci. Commendonus, quanquam perexiguum ad se comparandum spatium Pontifex concedebat cupiens mature illius gentis conventui, quem tum maxime indictum Varsoviam acceperat, intervenire, tamen magna adhibita diligentia, paucioribus, quam quos Pontifex præfinierat diebus, cum reliquis rebus splendide instructus, tum egregio comitatu viæ se dedit. Semper quidem ille magnam curam in comitatu atque familiæ delectu habuit, ne quem secum duceret non temporibus, non moribus suis congruentem. Sed tum eo majori quam antea studio, quo in longinquiorem et perturbatiorem provinciam iturus erat, insignes ascivit viros, nulli in ea re impendio aut sumptui parcens ». Antequam Italia excederet, datis ad cardinalem Borromæum litteris [2], absolutam sibi impertiri facultatem circa duo postulavit, quæ dicebat, « duo in istis regionibus experientia me docuit esse admodum necessaria, et in quibus liberam et absolutam habere potestatem multum utilitatis potest conferre. Primum est, hæreticorum, schismaticorum, simoniacorum absolutio, et ipsorum omnium rehabilitatio. Alterum, ut nimirum fructus quacumque mala causa percepti condonari possint, vel aliquod pium opus in eodem loco illis injungendo, in quo bona Ecclesiæ possederunt. Circa quæ duo capita suppliciter dominationem vestram illustrissimam exposco, ut quænam sit Pontificis mens, explorare dignetur, cujus profecto mandatis adamussim obediens ero, ac potius, sicut

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCLXXXVI.

[1] Grat. Vit. card. Com. l. II. c. 4. — [2] Reg. Ep. Com. apud car. Bar. Ep. sub. XXV Octob. data Coneliano. Grat. ib.

solemne mihi fuit, facultates semper concessas magis contraham, quam extendam ». Præcesserat Commendoni in Poloniam adventum magna de prudentia ac virtute illius fama, cum multorum gentis ejus hominum, quos ipse antea amicitia et consuetudine devinctos habebat, sermone et litteris celebrata, tum maxime prædicatione Stanislai Hosii cardinalis Varmiensis, unius e Concilii præsidibus, cui cum Commendono plurimus usus et familiaritas intercedebat. Itaque et advenientem Chelmensis episcopus et Plocentium Palatinus primarii homines perornato ac frequenti comitatu ad tertium ferme lapidem obviam, regis missu, egressi, cum omni humanitatis ac benevolentiæ significatione acceperunt, et apud regem ipsum singulari in honore atque dignatione fuit. Quam vero impigre provinciam obierit, anno insequenti referemus.

188. *Nonnullis causis pendentibus providet Pontifex.* — Is erat status fidei Catholicæ in Gallia, Germania et Polonia. Res vero Concilii, quæ ad illam reparandam agitabantur, ne prospero carerent successu, ac simul principibus ac præsulibus in discusso illo de reformatione principum articulo fieret satis, cum maxime oratores Veneti intercessissent, asserentes, nil æque ac illud felicem Concilii exitum disturbaturum, Carolus cardinalis Borromæus, decretum a Pontifice conceptum ad legatos transmisit, in quo antiqui aliquot canones, atque imperiales simul constitutiones renovabantur, ut eo pro opportunitate uterentur; monens insuper legatos [1], circa causas Ecclesiastici fori probari a Pontifice, ut eæ apud ordinarium judicem referrentur, exceptis tamen causis episcoporum, principum, fiduciariorum bonorum, Matrimoniorum, ac maxime hæreseos.

189. Aliis quoque Epistolis eos ad constantiam ac cœpta perficienda incitavit. Si Patres inter se dissentiant, majoris partis sententiam sequi, vel rem extrahere jussit; caput circa dispensationes intelligi in occultis, non de adductis in forensem contentionem. Addidit, ut in ultima Sessione decreta sub Paulo III et Julio III edita repeterentur, ac darent operam, ut oratores principum Actis Concilii subscriberent, antequam eorum confirmatio postuletur, quam abscissa mora concedendam est pollicitus. Si qui ex improbitate adversentur, Pontificem in ea re consulturum. Circa Matrimoniorum clandestinorum controversiam conciliari inter se Patres jussit, nec propterea sessionem differri; æque accipi a Pontifice ut episcopi in causis matrimonialibus canonicas leges solvant in conscientiæ foro; ut expectativæ gratiæ, reservationes ac similia abrogentur : vetiturum Pontificem, ne legati e latere conferant sacerdotia iis mensibus vacantia, quibus ab ordinariis conferuntur : velle quoque ut Concilium constituat castigatiorem disciplinam cardinalium, quæ ab omnibus commendanda sit, necnon inutiles disceptationes abscindat, ut ad optatum finem Concilium perducatur. Quod si comes e Luna ad Concilium extrahendum protestationem nuncuparit, conjunctis sibi præsulibus contrariam promulgent, vanosque timores pellant; iterumque XXVII Octobris edixit, ut quando comes Lunensis ea, quæ sunt æqua non admittat, haudquaquam attendatur, atque ad claudendum Concilium incumbant, modo major præsulum pars ipsis adhæserit, eoque citius absolvendum Concilium, quo adversi Herbipolis et Bambergæ rumores accelerandum ostendant.

190. Inter canonum disponendorum, ac propediem finitorum curas intercedebat antiqua illa controversia [1] denuo recrudescens super illa verba *Proponentibus legatis*, quæ Lunensis comitis studiis in magnum certamen excesserat; eoque apparebat acrius, quod ipse in suam sententiam Cæsaris regumque oratores adducere studebat, jamque protestationem suam edere meditabatur. Cæsareus quidem orator humaniter ac modeste se excusavit, quod de his a Cæsare mandatum non acceperit. Gallicus vero, qui in jussis se habere dicebat, ut cum Hispano conjunctissimus esset, quid rei esset edoctus, hoc dumtaxat se curaturum responderat, quo protestatio impediretur, atque illud æqui bonique accipiat, quod a legatis dari potest; verum quando is obstinato perduret animo, se juxta regis imperium illi adhæsurum. Lusitanus pariter orator hanc Lunensis comitis contentionem ingratam sibi maxime dixit; si quando autem insistat ardentius, nec suis a concepta deliberatione suasionibus recedat, non posse ex regis præscripto ab illo sejungi. Jamque comes legatos ipsos conveniens longo orationis apparatu, quam nova sit hæc verborum formula *Proponentibus legatis*, demonstrare pertentat : Philippum Catholicum regem, qui pro majori parte Christiano imperat orbi, nunquam passurum, ut inusitata cunctis sæculis formula suo tempore addatur Concilio. Se, quod oratoris erat munus, si quando legati a sententia recedere nollent, suo non defuturum ministerio, a quo tamen omnis esset abfutura immodestia, ut nimirum regis erga Pontificem ac Synodum observantia servetur, omnibusque innotescat, ad hæc non sponte, sed invitum, ac legatorum culpa descendisse.

Tunc Moronus narrationem ab exordio instituens Lunensi ex fide retulit, quæ hucusque in illa disceptatione fuerint peracta, modo

[1] Ep. CXLIV et CXLVII. Ms. arch. Vat. sig. †.

[1] Legati car. in cit. ad car. Bor. Ms. car. Barb. sig. num. 1344.

nihil superesse reliqui, quam ut a Patribus, qua mente ea fuerint inserta verba, et an ipsamet explicare vel expungere velint, postuletur, eorumque sententiæ, quæcumque tandem illa fuerit, ab utraque parte stetur. Quam conditionem cum orator respuere non posset, antequam tamen admitteret, sciscitatus est, num Patres ea verba essent declaraturi ? Cumque omnis se de alterius opinione vadem constituere posse negaret, rem in longas et incertas disceptationes extrahebat, se quidem suo muneri non defuturum, ingeminans. Ob hæc, cum sæpius de protestatione minaretur, lepide cardinalis Moronus absonum dixit maxime fore, ut sine causa protestantem ageret, qui Catholici regis omni officiorum genere Pontifici conjunctissimi esset minister, magnamque suo nomini perpetui dedecoris notam comparare, cum faustum emendatioris disciplinæ progressum inutili hac quæstione dissolveret. Plurimum in eam rem adjuvit, quod Cæsar nunquam oratores suos his disceptationibus immisceri permiserit, quin potius jussa dederit, ut Concilii absolutionem promoverent, ipsi autem ad res componendas intercessere, ut ea aliquando verba declararentur, ne aliquod futuris temporibus præjudicium Conciliis nasceretur. Nec obstitere legati, quin cuncta, quæ agenda expedire censerentur, ingenue sponderent. Jamque ad Pontificem controversia delata, Pontifex edito Diplomate verba illa *Proponentibus legatis*, nitida interpretatione illustravit, ac rex ipse Philippus oratoris sui pertinaciam datis ad eum litteris compescens, Concilio feliciter terminando viam stravit.

191. *Concilio finis manet imponendus, reluctante licet Comite e Luna.* Itaque III Novembris legatos cardinalis Borromæus monuit, ut abscisso comitis Lunensis oratoris Hispani omni respectu, ad claudendum Concilium omnia compararent, bonis quidem verbis eum ducerent, sed ad divinam gloriam et ad promovendum Dei cultum unice spectarent : non illum regiam voluntatem sequi, sed privata studia ; accepisse enim se litteras ab Alexandro Crivellio Apostolico internuntio apud regem Catholicum Montione datas XXIV Septembris, quæ referant, triremium Hispaniæ præfectum ac doctorem Velascum ipsi significasse, præsules Hispanos objurgatos a Philippo rege, quod non supremam auctoritatem in omnibus rebus, uti convenerat, Pontifici detulissent, vetitosque intercedere decretis, eave retardare, ex quibus Concilium in longius tempus differri possit.

Censebat quoque Ferdinandus Cæsar publicæ Christiani imperii utilitati conducere, ut citius Tridentinum Concilium absolveretur, datisque ea de re Possonii litteris [1] IX Novembris, de eo absolvendo mandata suis oratoribus dedit. Pariter Maximilianus II eadem consilia ursit flagrantissimo studio, constabat enim, teste experientia, quod a prudentissimis viris expensum fuerat, Concilii diuturniorem prorogationem, nullam spem revocandorum in gremium Ecclesiæ hæreticorum attulisse, plura vero damna principibus et populis Catholicis peperisse ; ac Delphinus apud Cæsarem internuntius datis ad cardinalem Moronum litteris IX ac XI Octobris indicarat, comitem e Luna, licet reluctetur, cognita Cæsaris constantissima voluntate, assensurum, fallique eos, qui Cæsarem instar heliotropii ad hispanorum cupiditates converti opinantur.

192. Hispanus orator comes e Luna, regiis acceptis litteris [1], cum legati cardinales insinuassent, videri Catholicum regem in eam sententiam inclinare, ut Concilium non protraheretur, profatus est. In ipso Concilii exordio Philippum regem, cum de eo instaurando rogatus esset, non propensum ad id fuisse, cum regna Hispani imperii eo non egerent, nec res in eo statu versarentur, ut optatus finis ex eo attingi posset, verum Pontificiæ voluntati se accommodasse, atque apud Cæsarem reginamque Galliæ Concilii rem promovisse, ut commodo totius imperii Christiani verteretur, atque in ea re principis Christiani partibus perfunctum, ut dici non possit Concilii ipsi ingratum nunc finem, verum eo modo, quo conveniat, et qui ab omnibus bonis expectatur, et Christiano imperio utilitatem afferat, efflagitare. Quod ad episcoporum, Ecclesiarum damna vel incommoda ob diutinam absentiam spectaret, respondebat rex Catholicus, id omnibus rebus maximis commune, ut gravibus sint difficultatibus implicitæ, atque in iis bonum publicum anteferendum privato. Subjecit deinde ad ea, quæ scripta erant, de gravibus periculis quorum impendebat terror, si res Concilii ambiguæ fluctuarent, omnium maximarum agendarum rerum id affine, ut maximis periculis sint obnoxia, verumtamen in incerto eventuum æstu divinæ Providentiæ serviendum, atque ab ejus manu, quæ fuerint ipsi collibita, expectanda. Delapsus dein ad litterarum cardinalitiarum calcem, quibus rogabatur, ut finem Concilii regia opera promoveret, dixit omni studio pronum ferri, ut optimo fine claudatur, et fructus ab universa Ecclesia expetitus decerpatur, qualis ab Œcumenicis Conciliis expectetur, ac mandata ea de re amplissima ad comitem Lunanum data, qui suo muneri non esset defuturus.

Subdidit mox orator, Catholicum regem percupere, ut circa dogmata, consueta Conciliorum forma religiose servaretur, ut in disceptationem controversa capita adducerentur, ne

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3217. Ep. CLVII. IX Nov. MDLXII. Ib. Ep. CLX. Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. p. 81. Ib. Ep. XX et XXII.

[1] Ms. Fr. card. Bar. sig. num. 344. Ep. CDLXII.

cuiquam nova disceptandi ansa relinqueretur, utque in pangendis reformationis capitibus summa prudentia adhiberetur, cum inde publica tranquillitas et Christiani imperii salus affulgere deberet.

Ad hæc respondere cardinales, Concilium a Pontifice, ut communi Christianorum parente indictum, ut fluctuanti circa religionis dissidia Galliæ consuleret. Percrebuisse certam famam, regem Catholicum prorogationem Concilii laudare, quasi hæreticis frænum injiceret, eamque opinionem administrorum operibus confirmatam. Ad secundum articulum subjecere, licet privato bono publicum præponendum sit, tamen ob præsulum diutinam absentiam hæresim latius per Ecclesias serpere, ac bonum illud commune cum tot Ecclesiarum malo non adæquari. Ad tertium subdidere : licet divinæ voluntati parendum sit in eventibus adversis, tamen eventus adversos prævisos, si fieri possit, avertendos. Demum habitis regiæ Catholicæ majestati de optima voluntate gratiis comitem ursere, ut ad Concilium absolvendum operam industriamque conjungeret. Cardinalem enim Lotharingiæ dissertis verbis dixisse, Gallos præsules extrema necessitate ad repetendas suas Ecclesias, in quibus hæresis effuse grassatur, urgeri, ac præterea sumptibus exhaustos ; Gallicana vero natione e Concilio abeunte, disceptatum iri, an Concilium, quod subsisteret, foret Œcumenicum, tum pertimescendum, ne in Gallia nationale cogeretur, atque a Sedis Apostolicæ obsequio discederet : divulsa vero Gallia, etiam Hispaniam Italiamque pericliturras. Inculcarunt etiam comiti legati cardinales, regem Catholicum, si præsentem Concilii statum inspiceret, omnino ad promovendum illius finem studia regia collocaturum, etc. VIII Novembris MDLXIII.

« Illustrissimæ et reverendissimæ dominationis tuæ servi humillimi Jo. cardin. Moronus, Stanislaus cardinalis Warmiensis, Ludovicus cardinalis Simoneta, B. cardinalis Navagerius ».

193. *Sessio octava : decreta, canones et monita de Sacramento Matrimonii.*— Tunc cardin. Lotharingus inter Patres Concilii communem sermonem sparsit [1], necessario claudendum esse absolvendumque Concilium, non modo propterea quod absentibus episcopis hæresis latius diffunderetur, sed quia etiam præsules Galli sumptibus exhausti diutius hærere non possint, de quo legati cardinales undecima Novembris cardinalem Borromæum fecere certiorem [2], atque addidere, se inextricabiles difficultates tolerasse in componendis rebus ad habendam proximam sessionem, tum commendavere Hydruntinum archiepiscopum (is erat Petrus Antonius Capuanus) qui pro tuenda dignitate Sedis Apostolicæ in omnibus expectationem omnem superasset.

Pridie quam solemnis ille episcoporum consessus haberetur, congregatio generalis coacta est, in qua hæc pertracta fuere [1] :

« MDLXIII, x Novembris fuit congregatio generalis » et infra : « in qua proponuntur firmanda decreta publica in sessione die sequenti celebranda, circa quæ decreta illustrissimus et reverendissimus D. cardinalis Moronus ipsius sacri Concilii primus præsidens et legatus inter cætera allocutus est Patres in hanc sententiam, videlicet : Placuisse majori parti Patrum, ut apponeretur in canonibus reformationis in hac sessione publicandis clausula, *Salva semper in omnibus sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate*, verum visum esse dominis deputatis magis convenisse et expedire, ut clausula ipsa differatur in sequentem sessionem, et apponatur in fine omnium decretorum et canonum reformationis in ipsa sessione publicandis, dummodo ex nunc in hac congregatione hoc statuatur et concludatur. Super qua re votis Patrum rogatis, placuit majori parti id, quod ab illustrissimo domino præsidente propositum fuit, et ita conclusum et statutum est : scilicet, ut dicta clausula, *Salva semper in omnibus sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritate*, absque alia Patrum vocatione ponatur in alia sequenti sessione in fine omnium canonum reformationis, etc. Confecta sunt ea de re publica documenta ».

Affulgente XI Novembris die celebrata est sessio XXIV Tridentini Concilii, quæ sub Pio IV Pontifice octava fuit [2], in qua post peracta divina mysteria aliosque ritus consuetos, orationem ad Patres habuit Richardottus episcopus Atrebatensis, atque de redigendis ad officium hæreticis his verbis [3] disseruit :

« Est sane purioris doctrinæ præcipuus usus in Ecclesia, est cultus et rerum divinarum laus eximia : sed nisi licentiam inter homines disciplina cohibeat, nisi rebelles animos castigatio reprimat, nihilo plus proficitur, quam si famelicos leones oratione aut pictis rerum imaginibus lenire contendas ». Et infra : « Spectate quantum hæreticorum causæ decesserit, quantum nostræ accesserit, ex illa immanissima petulantia ; qua suo furore bonorum omnium justissimum odium concitarunt, quod odium quanquam est vi, igni, ferro in nostra viscera sævissime districto conflatum, tamen hac parte et nobis prodest, ut illis obest plurimum, quod ea crudelitate testatum reliquerint, se in ejus Angeli castris militare, quem Joannes Abaddon, id est eversorem, exterminatorem, vastatorem nuncupavit ».

[1] Ib. Ep. CDLXIV. XII Nov. — [2] Gabr. Palæot. in Actis Concil. Trid. Astulph. Serv. in iisdem.

[1] Ext. Ms arch. Vat. sign. num. 3248. Ms. arch. Vat. 3248. — [2] Gabr. Palæot. in Actis Ms. Astulph. Serv. in eisdem. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3199. p. 162.

Doctrina de sacramento Matrimonii adversus novatores, qui libertatem Evangelicam effrænata libertate carnis metientes, publicique omnium ordinum hostes, ut cœlibes ac virgines insectati fuerant, ita conjugatos divino nexu solvere, ac sacramenti dignitate orbare contenderant, polygamiamve induxerant, promulgata est, subjectis[1] concepta verbis :

« Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronuntiavit cum dixit : *Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea : quamobrem relinquet homo patrem suum, et matrem, et adhærebit uxori suæ, et erunt duo in carne una.*

« Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et conjungi Christus Dominus apertius docuit, cum postrema illa verba tanquam a Deo prolata referens dixit : *Itaque jam non sunt duo, sed una caro*, statimque ejusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronuntiatum his verbis confirmavit : *Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

« Gratiam vero, quæ naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, conjugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit : quod Paulus Apost. innuit dicens : *Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea :* mox subjungens ; *Sacramentum hoc magnum est : ego autem dico in Christo et in Ecclesia.*

« Cum igitur Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia præstet, merito inter Novæ Legis Sacramenta annumerandum SS. Patres nostri, Concilia, et universalis Ecclesiæ traditio semper docuerunt, adversus quam impii homines hujus sæculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili Sacramento senserunt ; sed de more suo prætextu Evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiæ Catholicæ sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christi fidelium jactura ; quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere insigniores prædictorum schismaticorum hæreses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos hæreticos eorumque errores decernens anathematismos.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CANON I.

« Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem Legis Evangelicæ sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre ; anathema sit.

CANON II.

« Si quis dixerit, licere Christianis plures simul habere uxores, et hoc nulla lege divina esse prohibitum ; anathema sit.

CANON III.

« Si quis dixerit, eos tantum consanguinitatis et affinitatis gradus, qui in Levitico exprimuntur, posse impedire Matrimonium contrahendum, et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere ut plures impediant et dirimant ; anathema sit.

CANON IV.

« Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta Matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse ; anathema sit.

CANON V.

« Si quis dixerit, propter hæresim aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a conjuge dissolvi posse Matrimonii vinculum ; anathema sit.

CANON VI.

« Si quis dixerit, Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem religionis professionem alterius conjugum non dirimi ; anathema sit.

CANON VII.

« Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet juxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam propter adulterium alterius conjugum Matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque, vel etiam innocentem, qui causam adulterii non dedit, non posse, altero conjuge vivente, aliud Matrimonium contrahere, mœcharique eum, qui dimissa adultera, aliam duxerit, et eam, quæ dimisso adultero, alii nupserit ; anathema sit.

CANON VIII.

« Si quis dixerit, Ecclesiam errare, cum ob multas causas separationem inter conjuges, quoad thorum, seu quoad cohabitationem ad certum incertumve tempus fieri posse decernit ; anathema sit.

CANON IX.

« Si quis dixerit, clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse Matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, et oppositum nil aliud

[1] Concil. Trid. sess. XXIV. p. 179.

esse, quam damnare Matrimonium ; posseque omnes contrahere Matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiamsi eam voverint, habere donum ; anathema sit ; cum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus, tentari.

CANON X.

« Si quis dixerit, statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœlibatus, et non esse melius ac beatius manere in virginitate aut cælibatu, quam jungi Matrimonio ; anathema sit.

CANON XI.

« Si quis dixerit, prohibitionem solemnitatis nuptiarum certis anni temporibus superstitionem esse tyrannicam ab Ethnicorum superstitione profectam ; aut benedictiones, et alias cæremonias, quibus Ecclesia in illis utitur, damnaverit ; anathema sit.

CANON XII.

« Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad judices Ecclesiasticos ; anathema sit ».

His anathematismis promulgatis, perlectum est in eodem solemni episcoporum consessu decretum de clandestinis Matrimoniis, ac leges de Matrimonio rite celebrando latæ, decem capitibus distinctæ.

194. Non prætermittendum vero visum est, quod dicturus Nicosiensis archiepiscopus sententiam, ad decretum de clandestinis, cum illud improbasset, addiderit [1] : « Peto tamen, ne de recta et orthodoxa Græcorum, qui in regno Cypri sunt, fide aliqua suspicio in hac sancta Synodo, occasione eorum, quæ circa VII canonem adducta fuerunt, oriri possit, ut quæ illi, qui in pluribus provincialibus Conciliis, præsertim vero sub R. P. D. Helia quondam archiepiscopo Nicosiensi anno MCCCXL, quæ itidem sequentibus temporibus, atque in Concilio a me præsenti archiepiscopo celebrato professi sunt, Concilii hujus Actis appendantur, præsertim autem verba, quæ continentur in fine Concilii, quod sub præfato R. P. D. Helia celebratum est, ut ex libello Constitutionum insulæ Cypri in forma authentica constat. Verba in cedula continentur, quam dedit tenoris infrascripti.

« Verba excerpta ex Concilio provinciali regni Cypri celebrato sub R. P. Helia archiepiscopo Nicosiensi anno MCCCXL, quæ in fine dicti Concilii sunt.

« Memorati Græcorum, Maronitarum et Armenorum episcopi, et præmissarum aliarum nationum majores, pro se et subditis suis, intellectis omnibus et singulis supradictis, et super articulis singulis fidei et Ecclesiæ sacramentis, ac aliis in dicta serie comprehensis singulis singulariter, universaliter universis juxta religionem interpretum clare, aperte, distincte et singulariter explicite recognoverint humiliter, et devote, et spontanea voluntate, et omni timore semoto, et quacumque actione cessante, humili professione confessi sunt, et devota confessione professi, illa omnia et singula firmiter credebant, prout superius explicite comprehensa, vera esse, et quod illa omnia et singula firmiter credebant, prout superius explicite declarantur, adjicientes rationes, quod ita erat ab omnibus Catholicis absque dubietate credendum, et quod sacrosancta Romana Ecclesia erat mater omnium fidelium et magistra super omnes Ecclesias, plenum principatum obtinens, et primatum, et quod Sanctissimus in Christo Pater D. Benedictus divina providentia papa XII successor B. Petri, et in terris vicarius Jesu Christi erat cunctorum fidelium pater, pastor et dominus, cui singuli prælati Ecclesiarum omnium debent reverentiam humilem, ipsique reverentiam eidem et obedientiam promittebant, petentes humiliter, quod eis liceret in suis ritibus fidei non contrariis permanere, ac deprecantes dictum D. archiepiscopum, ut devotionem eorum intimare domino Summo Pontifici dignaretur ».

Addunt Acta, quod Synodus Matrimonia filiorum familias, quæ sine consensu parentum contracta nonnulli irrita sentiebant, rata esse declaravit : rescissa vero sunt clandestina, quia plures, abjecta ea, cum qua prius clam contraxerant, palam deinde contrahebant cum alia, atque in perpetuo adulterio infelicem vitam traducebant. Instauratum vero est decretum Lateranensis Concilii sub Innocentio III, ut præmissis tribus denuntiationibus, coram parocho proprio, ac duobus, vel tribus testibus Matrimonia celebrarentur, tum additum est : « Qui aliter, quam præsente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et hujusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit et annullat ». Postremo Synodus nuptias inituros hortata est, ut antequam contraherent Matrimonium, exhomologeseos et Eucharistiæ Sacramentis se munirent, deinde cognationis spiritualis gradus ita contraxit : « Ad summum unus et una baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, et illius patrem ac matrem tantum, necnon inter baptizantem et baptizatum, baptizatique patrem ac matrem spiritualis cognatio contrahatur ». Idem de cognatione ex sacramento Confirmationis constitutum. Additæ

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in Actis sess. VII.

leges de Sponsalibus, de gradibus prohibitis, necnon adversus raptores, vagos et concubinarios, magistratus ac proceres Matrimoniorum libertati vim inferentes, prohibitæque etiam certis temporibus nuptiarum celebritates.

195. *Decreta disciplinam Ecclesiasticam concernentia; Hosius æger suam sententiam scriptam mittit.* — Promulgatum quoque fuit prolixius decretum [1] castigatioris disciplinæ circa spectantia ad insignitos sacramento Ordinis distinctum viginti supra unum capitulis, quibus corruptelæ sublatæ, ac mores puriores inducti, in primis de promovendis idoneis præsulibus constituta norma, et cardinalibus doctrina et pietate ornatissimis adlegendis.« Ea », inquit Synodus, « omnia et singula, quæ de episcoporum præficiendorum vita, ætate, doctrina et cæteris qualitatibus alias in eadem Synodo constituta sunt, decernit eadem etiam in creatione S. R. E. cardinalium, etiamsi diaconi sint, exigenda, quos Sanctissimus Romanus Pontifex ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri potuerit, prout idoneos repererit, assumet. Postremo eadem sancta Synodus, tot gravissimis Ecclesiæ incommodis commota, non potest non commemorare, nihil magis Dei Ecclesiæ esse necessarium, quam ut Beatissimus Romanus Pontifex, quam sollicitudinem universæ Ecclesiæ ex muneris sui officio debet, eam hic impendat, ut lectissimos tantum sibi cardinales adsciscat, et bonos maxime atque idoneos pastores singulis Ecclesiis præficiat, idque eo magis, quod ovium Christi sanguinem, quæ ex malo negligentium et sui officii immemorum pastorum regimine peribunt, D. N. Jesus Christus de manibus ejus sit requisiturus ».

Provincialium Conciliorum antiquum morem restitui jussit pro excolendis moribus, detergenda vitiorum labe, componendisque controversiis. Patriarchæ, primates, metropolitani, atque episcopi diœceses suas lustrare jussi: data quoque episcopis et parochis imperia, ut per se prædicationis Evangelicæ munus exerceant, vel si fuerint impediti, idoneos ad id munus adhibeant. Sancitum, ut causæ criminales graviores contra episcopos, etiam hæresis (quod absit), quæ depositione aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantum Summo Romano Pontifice cognoscantur et terminentur.

Plures etiam circa absolutionem peccatorum, visitationem atque Ecclesiarum unionem concessæ sunt episcopis facultates. Parochos insuper ad erudiendam plebem incitavit; ætatem quoque promovendorum ad dignitates distinxit; quibus et plura tam ad dignitatem exercendam, quam ad vitam honeste peragendam præscripsit. Abusus de expectativis ac mentalibus reservationibus, ac pleraque alia, quæ rosea illa Ecclesiasticæ disciplinæ plantaria in carduos spinasque vertebant, antiquavit, sustulit, abrogavit.

Qua reformatione lecta in sessione VIII, cardinalis Lotharingus post cardinales legatos sententiam dicturus schedulam his conceptam verbis [1] dedit: « Cum nudius tertius meam de reformationis articulis dicerem sententiam, præfatus sum, ut nunc etiam, me valde quidem cupere, ut prisca illa Ecclesiastica restitueretur disciplina; sed cum his corruptissimis temporibus et moribus intelligam non posse ea, quibus maxime opus esset, protinus adhiberi remedia, interim assentiri et approbare fateor ea, quæ nunc sunt decreta, non quod ea judicem satis esse ad integram ægrotantis reipublicæ Christianæ curationem, sed quod sperem his prius lenioribus fomentis adhibitis, cum graviora medicamenta pati poterit Ecclesia, Pontifices Maximos, et maxime Sanctissimum dominum nostrum Pium pro sua insigni pietate, et prudentia diligenter curaturum, ut ea quæ desunt implens, et efficaciora inveniens remedia, in usum veteribus jam abolitis revocatis canonibus, et maxime quatuor veterum illorum Conciliorum, quos quantum fieri poterit, observandos esse censeo, vel si expedire videbitur, frequentiori Œcumenicorum Conciliorum celebratione, omnem morbum ab Ecclesia propulsans, eam suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc autem meam mentem et sententiam, tum meo, tum omnium Galliæ episcoporum nomine in acta referri volo, et ut fiat a notariis, peto et postulo.

« Ad quintum caput reformationis, si habita ratione temporum, hoc decretum placet Patribus, id mihi quoque hoc nomine magis placet, quod cum eis in Congregatione heri habita visum sit privilegiis principum non esse derogandum. Hoc ita est conceptum, ut nec Christianissimi Franciæ regni privilegiis, juribusque, et sacris consuetudinibus, quidquam præjudicii afferat, quod quidem mihi placere lubens profiteor, et tum meo, tum omnium Franciæ episcoporum nomine a notariis peto et postulo ut id in Acta referatur (1) ».

196. Cum huic solemni episcoporum consessui cardinalis Hosius legatus morbo implicitus interesse non potuisset, sententiam suam

[1] Cap. 2, 3, 4, 5, 6, 7, 10, 15, 19.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in Actis sess. VIII.

(1) Numerus Patrum qui sessioni huic interfuerunt ex iis resultat quæ Diarii nostri scriptor contigisse narrat, cum decretum de clandestinis Matrimoniis in publica Concilii sessione legeretur. Reclamasse enim adversus sanctionem illam Patres septem et quinquaginta, assensisse vero ex Patribus centum quinquaginta testatur, ex quo Patres septem et ducentos conficias. MANSI.

edito publico hoc documento [1] deprompsit :

« Quod ad decretum de Matrimonio clandestino attinet, asseruit se sentire quod hactenus sensit Ecclesia Catholica, in qua doctus est, prohibitionem Ecclesiæ, ne clam contrahatur, impedire Matrimonium contrahendum, non dirimere contractum ; ab illius itaque sententia non discedit. Quamobrem decretum hoc de clandestinis approbat in omnibus aliis, præter quam quod illi novitas non placet, quod contra doctrinam, quam recepit ab Ecclesia Catholica, non esse debere deinceps rata decernuntur, cum nullam causam videat, quamobrem irrita declarari debeant. Si quid vero secus S. D. N. visum fuerit, ad cujus Sanctitatem remitti causam hanc postulat, illius judicio, qua par est reverentia et animi submissione, judicium hoc suum submittit.

« De nono canone dicit : Nonum canonem approbat, sed eo sensu quo scriptus est et a Patribus approbatus, quorum hanc mentem fuisse non animadvertit, ut vellent decernere legem cœlibatus esse legem Ecclesiasticam ; cum nec proposita fuerit ea quæstio, nec a Patribus disputata, sed verba tantum Lutheri posita fuerunt, non obstante lege Ecclesiastica vel voto, cujus error ipsius verbis positus fuit a Patribus ac damnatus, etc. Acta fuerunt præmissa Tridenti, etc. ».

197. *Disceptatur qua via Concilium quamprimum absolvatur.* — Postridie a celebrata sessione, cardinales legati Carolo Borromæo significarunt [2], congregatos regum principumque oratores postulatos fuisse, ut de absolvendo Concilio sententiam suam nitide expromerent, et modum etiam tenendum significarent, ac Lotharingiæ cardinalem exposuisse, Cæsarem regemque Catholicum de eo celebrando rogatos initio dissensisse, cum eo non egere putarent, at a Pontifice certiores factos de extrema necessitate in quam Galliæ regnum esset adductum, veluti obsequentissimos filios ac principes Christianos Pontificiæ auctoritati cessisse, cum nisi Œcumenicum celebraretur, nationale in Gallia conflandum foret, ex quo illud regnum a Sedis Apost. obsequio divellendum esset. Tum addit quam ægre clerus, regnique Ordines Possiaci congregati adducti essent, ut decreta ac finem istius Concilii expectarent, ac ni citius finis illi imponatur, graviora quam antea pericula Galliæ impendere, summaque precum contentione ursit, ut si Galliæ salus chara legatis cardinalibus esset, ne abrumpi Concilium suspendive paterentur. Quicumque enim ex his casus contingeret, nationalem Synodum in Gallia coactum iri, ac res Galliæ ad extremum exitium pronas futuras. Contendendum itaque omni opera ac studio, ut citissime absolvatur, ac moram periculo non carere, cum interea temporis concionatores hæretici eam pestem toto regno latissime diffundant, et quo magis res differatur, eo pauciores futuros, qui ejus decreta sint admissuri, atque ita e Concilio tardiore perniciem orituram, a quo salus expectabatur, cum singuli majus offendiculum paterentur, studiisque a Sede Apostolica magis aversi futuri essent quam forent ab ea alieni, antequam Concilium inchoaretur. Addidit etiam præsules Gallos diutius Tridenti hærere non posse, atque adeo majori ex parte jam dilapsos ob privata et publica regni incommoda ; si vero Concilium in proxima sessione claudendum sit, retardaturos iter, ut tanto bono perfrui atque patriæ malis medicinam salutarem afferre possint. His persuasi rationibus a Lotharingo allatis cardinalis Madrutius et alii præsules consensere Concilium quantocyus absolvendum, tantummodo Legionensis atque Ilerdensis episcopi insinuarunt, videri necessarium regis Catholici, qui tot et tanta Christiani imperii regna teneret, consensum ; at Granatensis archiepiscopus Concilium absolvendum in eo ancipiti discrimine conclusit, verum alia reformationis capita sancienda atque in eo capite, quod spectaret ad principes, cavendum, ne quid insereretur, quod eorum animos exulceraret, cum Ecclesia eorum patrocinio maxime indigeret. Quod attinet ad dogmata ; ut illa, quæ jam a Conciliis decisa erant, omitterentur, quæ vero diremptæ non erant controversiæ, sine disceptationum ambagibus, pro tollendis corruptelis, dirimerentur brevibus decretis ad fluctuantes confirmandos, non quod hæreticorum pelliciendorum in castra Ecclesiæ spes affulgeat, vel quod Catholici novis decretis egeant ; jam ad retundendas hæreticorum argutias, vel in controversiis de Purgatorio, vel de invocatione Sanctorum, vel de sacris imaginibus plura extare firmissima argumenta. Addunt legati cardinales se ad hæc in opus provocanda studia omnia defixuros, etc. XII Novembris MDLXIII.

198. Proximo die navata est eidem tractationi de absolvendo Concilio opera, ac gesta in conventu ea de causa habito narrat his verbis Gabriel Palæottus [1] :

« Die XIII Novembris MDLXIII. Vocantur coram legatis prælati viginti quinque ex diversis nationibus, et Lotharingus, ac Madrucius, cumque illis communicare incipit cardinalis Moronus de finiendo Concilio, et qua ratione facilius ad exitum perduci possit, postquam jam omnia de Sacramentis, et fere omnia de reformatione sunt absoluta, idque et S. D. N. et valde cupere pro communi utilitate, et quoniam multa inte-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3438. post sess. VIII. — [2] Ms. car. Fr. Bar. sig. num. 1344. Ep. CDLXVI. card. leg. ad car. Borrom.

[1] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Barb. sign. num. 24. pag. 507.

rim accidere possent, quæ, pendente Concilio, magnam perturbationem excitarent. Tum cardinalis Lotharingus longa oratione varias non solum rationes, sed etiam necessitates declaravit pro incolumitate provinciæ Gallicanæ, ut Concilium hoc non suspensione, sed extremo fine, et quam celerrime claudatur. Exorsus est ab indictione hujus Concilii, quod præcipue pro Gallicana natione convocatum fuit, cætera post subsecuta recensuit, sed id potissimum, quod in extremo illo conventu Gallicano superioribus mensibus habito inter regem et Status regni statutum fuerat, ut Concilium nationale celebraretur, si Concilium hoc Tridentinum finem non sortiretur, a quo nationali concilio mala omnia ac damna expectari possint; igitur, si salvam vellemus Galliam, laborandum omnino erat, ut nunc extremas manus huic Synodo imponeremus. In eamdem sententiam diversis etiam rationibus cæteri omnes discesserunt, cum propter pericula, quæ pendente Concilio ex obitu, aut Summi Pontificis, aut Cæsareæ Majestatis imminere poterant, tum ob damna, quæ Ecclesiæ ex pastorum absentia patiebantur, et tandem ut optatum a toto orbe fructum omnes colligere possent; aderant ex Hispanis, Granatensis, Ilerdensis; ex Portugallia, Bracharensis; ex Flandria, Atrebatensis, Namurcensis; ex Gallia, Senonensis et Virdunensis; et ex aliis, tum Italiæ, tum aliarum provinciarum locis quamplures prælati, qui idem sunt secuti ».

De ratione autem absolvendi Concilii jam concluserant, ut quæ supersunt de reformatione et Regularibus proponantur; circa vero reliqua dogmata, videlicet, de Purgatorio, de Imaginibus et veneratione Sanctorum, de Indulgentiis, ea cum satis clara, et superioribus quoque Conciliis fuerint sancita, ideo ad fugiendas disputationes quæ rem nimis in longum traherent, satis nunc esse paucis decretis abusus damnare, qui in singulis irrepserunt. Itaque tres classes constitutæ sunt, et in unamquamque distributi quinque prælati et totidem theologi, qui hos abusus notarent, qui super his decreta conficerent.

199. Decima quarta Novembris significarunt cardinali Borromæo [1] legati Apostolici constitutum fuisse, ut indiceretur ad decimam quintam Novembris Congregatio, in qua denuntiaretur præsulibus, absolvendum esse Concilium in proxima sessione, ut damna, quæ passæ sunt Ecclesiæ ex episcoporum absentia, sarciantur, cumque aliqua dogmata discutienda superessent, tria selecta sunt, de Purgatorio, de Imaginibus, deque Indulgentiis, et hæc non pertractanda scholastico more, cum in aliis Conciliis sint illustrata, sed compendiariæ reformationis modo pro tollendis circa ea corruptelis. Quæ vero in ea Congregatione gesta sint [1], describit subjectis verbis Gabriel Palæottus :

« Die XV Novembris MDLXIII, habetur Congregatio Patrum, super XIV articulis reformationis primo propositis, quorum alias copia data fuit, in qua cardinalis Moronus incœpit: Postquam tractata ea fuerunt, quæ magis necessaria sunt, et quæ ad dogmata pertinent, hæretici autem, quorum præcipue causa hoc Concilium fuit convocatum, quotidie obstinatiores reddi videntur, nec spem ullam nobis præbent eorum emendationis, et quod nos jam omnia, quæ dogmatum sunt, videmur perfecisse, et de reformatione tam multa hactenus constituta sunt, quæ vix a multis sperabantur, quæ sane si quis adhuc perfectiora desideret, animadvertat ille, eos sæpe, qui meliora volunt, amittere etiam bona. Supersunt vero adhuc et alia quædam de reformatione, quæ vobis nunc proponuntur, inter quæ extat illud caput ultimum de principibus sæcularibus, quod redactum fuit in breviorem formam, et cupimus, Patres, boni omnia consulere, nam et conditio temporum, et rerum status ita exigit, ut multa etiam relinquantur principum pietati et religioni, quos præsertim defensores et executores cupimus esse decretorum nostrorum. Jam vero cum fructus sancti hujus Concilii sunt maturi, tempus est eos colligendi, ne nimium dilati putrescant. Sanctissimus noster, sicut initio sanctam hanc Synodum pro Christianæ reipublicæ utilitate convocavit, ita nunc re bene peracta optat tandem finem Concilio imponi, rebus ita publicis exigentibus. Idem etiam petunt oratores Cæsarei enixe, et cardinalis Lotharingus nomine Gallicanæ provinciæ admonet, si salvam volumus illam provinciam, et non penitus interire, ut tandem finem Concilio imponamus, quod et reliqui omnes oratores summo studio contendunt. Quare rogamus vos, ut quam brevissime de rebus agendis sententiam dicatis, atque omissis omnibus, quæ ad speciem doctrinæ seu ingenii spectent, ea tantum quæ necessaria sunt attingatis, cum ornamenta reliqua satis jam omnibus perspecta sint.

« Postmodum cardinalis Lotharingus propositionem cardinalis Moroni in omnibus approbavit, fidemque fecit, expedire Galliæ regno, ut Concilium omnino absolvatur. Duo autem, inquit, non omittam, quorum illustrissimos legatos et reliquos Patres admonitos esse cupio. Primum est, ut post peractam hanc sequentem Sessionem, in quo puto recte omnia concludi posse, quæ supersunt, post paucos dies legatur publice confirmatio Sanctissimi domini nos-

[1] Legati car. Ep. CDLXVII. ad car. Bor.

[1] Act. Concil. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. card. Bar. sign. num. 24. p. 508.

tri, ut quæ feliciter statuta sunt, etiam in perpetuum ævum stabiliantur. Secundum est, ut concedatur omnibus episcopis, cum ad Ecclesias suas redierint, ut possint usque ad certum diem dispensare in impedimentis Matrimonii, et absolvere in foro pœnitentiæ in omnibus casibus, etc ».

Consentiebant [1] cum cardinale Lotharingo ad claudendum Concilium Cæsaris, Lusitani regis, Venetorumque oratores, imo Cæsarei id verbum laxarunt, ipsos, ni cito absolveretur Concilium, e Concilio revocatum iri. At comes e Luna licet mandatum de ea re ab Hispaniarum rege habere percuperet, tamen se non adversaturum professus est, de quibus legatorum ad cardinalem Borromæum extant litteræ XXII Novembris exaratæ. Incumbebant vero Patres scribendis inter alia decretis pro restituenda disciplina monastica, ut refert Palæottus [2]:

« Die XXIII Novembris MDLXIII. Cum vota Patrum de restituenda Regularium disciplina exquirerentur, cardinalis Lotharingus hæc fatus est :

« Non possum inficiari, me et optime de Regularium Ordine sentire, et erga eos maxime affectum esse, scioque quantum in Gallia nostra ipsi etiam martyrio se obtulerint partim amputatis capitibus, partim etiam abrasa corona, et detracta pelle usque ad ossa, excoriatoque capite morti subjecti sint, hac tantum de causa, quod noluerunt renuntiare papatui, et maledicere sanctissimæ Eucharistiæ. Igitur sicuti mihi non placent clerici exempti ab episcopo, sic maxime laudo Regulares a nobis exemptos, et cupio a vobis eorum exemptiones et privilegia conservari ».

200. *Omnes Patres conveniunt ut quam citissime Concilium absolvant, frustra renitente comite e Luna.* — Dum fervent omnia pro claudendo Concilio, Patres universim percupivere, ut Acta Concilii a Pontifice confirmarentur, propterea que legati Apostolici [3] vigesima quinta Novembris cardinalem Borromæum, transmissa etiam ea de re verborum formula, certiorem reddidere. XXVI Novembris Hispanus orator, qui antea pluries significarat, se perducendo ad exitum Concilio non adversaturum, mutavit sententiam, prolixoque sermone altius repetito exposuit [4], quæ Philippus II pro Concilio Tridentino promovendo tuendaque fide Catholica in Gallia egisset, ut misso in Galliam Priore Antonio Toletano proceres ad retinendam veterem et orthodoxam religionem sollicitasset, ac Vindocinensem principem (is erat Antonius rex Navarræ) maximis promissis (scilicet promisso regno Sardiniæ, ut anteà a nobis dissertum fuit) adduxisset, ut non sineret fieri nationale Concilium, sed congregandi Tridentini Concilii finem expectarent, quo corruptelas, quæ in Christiano imperio subortæ fuerant, tollendas, disciplinamque sanctiorem restituendam spondebat, ac licet Franciscus dux Guisius, regiorumque castrorum præfectus a Sancto-Andrea nuncupatus, et Annas magister equitum, Catholici studiisque conjunctissimi, sanctiori regis Galliæ consilio interessent, non sine tamen maximis difficultatibus, ut conspicuum est, votis potitum. Misisse præsules ad Concilium, expectare fructum, ob quem Concilium indictum sit, ac licet circa dogmata ac reformationem plura præclare gesta sint, tamen quæ supersint, non prætermittenda, ut quindecim dierum flexu anticipato Concilium absolvatur; eas esse materias, ex quibus natæ hæreses, quæ lacerent Ecclesiam : imperfectas non relinquendas, ne iterum ad eas retractandas cogendum foret Concilium, nec hujus Concilii exitum necessitatibus Ecclesiæ responsurum, nec sumptibus et laboribus tantis dignum futurum. Non prætermisit etiam, si ea ratione præcipiti absolvatur, non discussis controversiis, quæ aliquo dierum flexu discutiendæ sunt, offendiculum publicum omnibus illatum iri, labefactandamque gloriam, quam Pontifex celebrato eo Concilio jam collegerat; demumque addidit, rem tanti momenti, licet cum Cæsare et Gallo agitata esset, inconsulto rege Catholico, sine summa injuria, cum tam præclare de Sede Apostolica meritus esset, ad exitum perduci non posse.

201. Ad hæc cardinales legati respondere, maximam regis Catholici potentiam merito celebrari, atque ab ipsis coli et suspici, verum necessitate extrema ad Concilium absolvendum compelli, nec relictum in ea re deliberandi locum, Gallos enim tamdiu finem expectasse Concilii, ut expectandi amplius patientia ipsis desit, omnesque Concilii sperati fructus corrumpantur : concionatores hæreticos jam per Galliam latius grassari, ac venena diffundere, de pessimo rerum Gallicarum statu a pluribus fide dignissimis, tum a cardinale Granvella monitos esse religionem fœdius collapsam ab aliquot mensibus, propterea que ad Concilium claudendum a Gallis ipsis, atque a Cæsare, et aliis principibus, tum a Pontifice urgeri, omnesque in ea versari sententia regem Catholicum, si Concilio interesset, in eamdem omnino sententiam descensurum : dogmata sat jam illustrata, ac pro disciplina restituenda plures etiam, quam expeteret rex Catholicus, sanctiones digestas. Objicienti iterum oratori maximo Ecclesiæ damno immaturum finem Concilio impositum iri, responsum est, nullam majorem plagam Ecclesiæ imponi posse, nec ullam rem gratiorem hæreticis posse accidere, quam si finis Concilii disturbaretur. Post multa demum addidere, se optime sperare, ut Cæsareorum et

[1] Card. leg. Ep. CDLXXV ad car. Borr. XX Nov. — [2] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 24. p. 511.— [3] Card. leg. Ep. CCLXXIV. — [4] Ib. Ep. CDLXXVII.

Lusitani oratorum opera Hispanus demulceatur, seque spretis adversis molitionibus Pontificia imperia constanter confecturos. « Tridenti XXVI Novembris MDLXIII.

« Cardinales Moronus, Warmiensis, Simoneta, Navagerius ».

202. Jam pridem Carolus Borromæus cardinalis certiores fecerat legatos Tridentinos [1], fixum stare Pontificiæ menti, ne proximam differrent Sessionem, sed perruptis generosissime difficultatibus ad imponendum finem Concilio connitatur, nec metuendos adversarios, cum Cæsarei ac maxima Concilii pars ipsis adhærerent, graviora damna ex procrastinatione impendere, Christianamque rempublicam hoc remedium saluberrimum ac necessarium confecti perfectique Concilii anxiis animis expectare; controversias de Purgatorio, deque Imaginibus, de quibus cardinalis Lotharingius verba fecit, adeo conspicuas atque illustres, ut ne quidem uno die de his disceptandum sit; itaque cum omnia sint discussa, illustrata atque expedita, firmam spem a Pontifice conceptam esse proxima die IX Decembris exoptatum finem Concilio imponendum, ac si quid circa disciplinæ emendatioris restituendæ leges desiderari visum sit, illud Pontificem accuratius perfecturum : caveant itaque ne Sessionis diem extrahant, sed eo ipso die præsules ad suas Ecclesias dimittantur. Ut vero concepta spe citius Concilium absolutum fuerit ex improviso casu, dicetur inferius. Significavit insuper aliis litteris [2] spem bonam, quam conceperat, quod orator Hispanus se intra æquitatis limites contineat, ut antea in ultima sessione egerat, sed si quando eos excesserit, sine ulla dubitatione prosequantur, ac si verbis etiam contumeliosis in incæpto persistat, ne tamen ab instituta, vel potius pæne confecta actione desistant. Gratissimum accidisse Pontifici, quod mota controversia circa verba *Proponentibus legatis* in publica sessione dirempta sit, multoque charius accepisse, quam si de ea Diploma promulgatum fuisset; cæteras quoque res magis optare, ut a Concilio definiantur, quam si ad eum referantur, ac licet Synodus velit decretum seorsim edere, quo, uti par est, auctoritas Sedis Apostolicæ asseratur, sciant tamen sua auctoritate se modestissime usurum, cum divini cultus amplificationem ac publicæ salutis curam ob oculos propositam habeat. Laudasse Pontificem legatorum gravitatem et constantiam, qui aliquorum præsulum in ferendis suffragiis indignam proterviam repressissent, litem vero, quæ inter archiepiscopos et episcopos intercesserat, ex veterum canonum decretis dirimi jussit.

203. XXVIII Novembris cœtus amplissimi coacti sunt in ædibus cardinalis Moroni, ut omnium nationum consensu de Concilio claudendo decerneretur, in quibus cardinalis Lotharingius peroravit [1], in Gallia religionem in dies collabi, ac nisi absoluto Concilio redintegrari posse : extincta vero in eo regno religione alia regna in exitium prona futura; ac tres partes e quatuor in eam sententiam ivere, claudendum esse Concilium : aliqui tamen opinati sunt, ut Sessio ultima ad octo vel decem dies protraheretur, ut res majori dignitate perficeretur; at Lotharingus cardinalis Cæsareique oratores expetiere, ut de Purgatorio, deque Imaginibus, deque Invocatione Sanctorum ageretur, iis enim omissis, maxima offendicula et damna oboritura, cum hujus temporis hæreses circa ea conflatæ fuissent, aliquos enim suspicaturos propterea ea prætermitti, quod firmo fundamento et ratione carerent, maxime cum Concilium ea de causa congregatum fuisset, consulere tamen ne tempus disceptationibus teratur, sed corruptelarum tollendarum causa decreta optima de iis sancirentur : hæc cardinales legati ad cardinalem Borromæum, quorum litteræ Tridenti XXIX Novembris anno MDLXIII consignatæ. Qui vero conatus eodem die in contrarium adhibiti sint ab Hispano oratore describit his verbis Gabriel Palæottus [2] in Actis Ms. Concilii Tridentini.

204. XXIX Novembris MDLXIII, comes Lunensis convocat omnes prælatos Hispanos in domum suam (*et mox :*) Suspicio tum erat non levis eos consultasse, qua ratione præsens Concilii finis posset impediri, quod scilicet aiebat, neglectam posse videri regis Philippi auctoritatem, si eo ignorante tanta res eorum consensu terminaretur.

Postero die idem comes Lunensis prælatos fere omnes Italos, qui subjecti sunt ditioni et imperio regis Philippi, præsertim ex regno Neapolitano accersit, qui fuerunt circiter quadraginta, eisdemque nonnullas exponit rationes, quibus consentiendum non sit, ut finis Concilii in proxima Sessione habeatur, præcipue vero, quia materiæ omnes, quæ sunt de dogmatibus, non sint digestæ, nec deceat eas temere præcipitare : deinde quia Philippi regis nec consensus, nec notitia ulla in hac re intercedit. Fuit ei ab omnibus responsum, duobus tantum aut tribus exceptis, occasionem hanc absolvendi Concilii, discedentibus Gallis, nullatenus esse omittendam, multa supervenire posse, quæ exitum hunc interturbent, veluti obitum Sanctissimi domini nostri, Cæsareæ majestatis, et alia his similia.

Replicat comes, in præsenti sibi satis certum esse, hoc Philippo regi suo minime expe-

[1] Ext. lit. Ms. arch. Vat. sig. ... Ep. CLX. XVIII Nov. — [2] Ext. ibid. Ep. CLXII. XVIII Novembr.

[1] Ext. in Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1344. Ep. CDLXXVIII. — [2] Ext. in Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 21. p. 513.

dire, propterea que se, quantum in se fuerit, repugnaturum. Inde hora quarta nuntius ex Urbe magna ad eum celeritate missus ab oratore regio in Urbe commorante advenit, qui ei significat, Sanctissimum D. N. gravi et periculosó morbo laborare. Eademque nocte hora nona legati similes litteras accipiunt, quibus in magno discrimine salutis Sanctissimum D. N. positum esse significabatur.

205. *Occasione morbi Pontificis comes e Luna a pertinacia se relaxat.* — Ex casu inopinato Pontificii morbi fracta est pertinax durities Hispani oratoris comitis e Luna, qui Concilio ad exitum perducendo obstabat, atque ab impediendo fine Concilii abstitit, cum ad eum impediendum regia mandata non haberet, ut cardinales legati Borromæum cardinalem de his certiorem fecere. Ita Pontificii obitus fama adeo Hispanum oratorem, et alios qui Concilium protrahendum censebant, permovit, ut publicæ salutis Christiani imperii causa universi ad claudendam optato exitu Synodum consenserint, ne schisma oriretur, ut refert Astulphus Servantius, et Gabriel Palæottus his verbis describit [1] :

Die I Decembris MDLXIII. Hoc tristi nuntio accepto (scilicet lethalis morbi Pii IV) graviter omnes sunt protestati, quodque cardinalis Moronus sæpe præsagiens dixerat posse inopinato interitum Sanctissimi nostri succedere, quodque comes Lunensis aspernari usquequaque solebat, nunc tandem divino judicio accidisse omnes valde mirabantur. Legati statim convocant omnes oratores, rei statum narrant, ac præsens remedium adhiberi postulant. Oratores Concilium ad deliberandum usque in vesperum petunt. Summa hæc erat deliberationis, an Concilium statim, non alio expectato nuntio de obitu Pontificis, finiretur. Videbatur omnibus, si tempus interponatur, posse Christianam rempublicam eo perduci, ut omnia calamitatibus, bellis et certo fere schismate perturbentur. Nam si pendente Concilio mors Pontificis sequatur, periculum erit, ne ejus electio a Patribus in Concilio tanquam ad se spectans vindicetur, aut Galli novos motus hac occasione concitent, atque his, qui jus Pontificis eligendi arriperent, resisterent. Verum Dei clementia factum est, ut oratores omnes in eam sententiam unanimes convenerint, ut primo quoque tempore Concilium finiatur. Cardinalis Lotharingius ardens in hac re in primis erat, oratores Cæsarei, quos antea dubium erat, ne prius Cæsarem consulere vellent, alios potius nunc urgere incipiunt ad opus hoc absolvendum. Orator Portugallensis nervos omnes intendit, et reliqui omnes, ut quamprimum Concilium claudatur. Solus comes Lunensis Hispanus non quidem obstinate, ut antea, nec aperte contradicit, sed tamen non facile aliis adhæret, assensumque suum aliis non vult impartiri.

206. *Unanimi consensu decernitur claudendum esse Concilium.* — Die II Decembris MDLXIII [1]. Legati convocant oratores Ecclesiasticos et prælatos quamplures amplius quam quinquaginta ex variis nationibus, ut ab his certius intelligant, quod consilium in hoc periculoso rerum statu sit ab eis capiendum. Omnes respondent, paucis Hispanis exceptis et tribus Italis, statim Concilium esse finiendum, iis propositis materiis, quæ jam præparatæ erant, nec in his amplius immorandum. Itaque statuunt legati eadem die Congregationem generalem habere, ut Patres sententiam dicant super decreto de Purgatorio, de Imaginibus, quod jam multis ostensum fuerat. Item super decretis de reformatione, quæ jam emendata fuerant. Similiter etiam de Regularibus, quæ emendata erant, licet nondum eorum copia tradita fuisset.

De Indulgentiis autem, cum materia nimis difficilis et quæstionibus implicita videretur, interim supersedendum putant; quamvis ex Patribus multi desiderarent, ut de ea obiter saltem aliquid attingeretur, ne prorsus omissa silentio videretur.

207. Incubuere omni studio et contentione cardinales legati Tridentini, ut Concilium absolverent, Cæsarisque et aliorum regum ac principum oratores, præsulesque mutua voluntatum consensione conspirarunt pro eo claudendo, adeo ut etiam contestarentur se discessuros, ni absolveretur. De navata vero a legatis diligentia in ea re certior factus a Carolo cardinale Borromæo [2], ad quem legati scripserant, Pontifex finem Concilii accelerari jussit propter imminens periculum, atque addidit, ut si perficere non possent ea, quæ spectant ad Imagines, ad Purgatorium, ad monachorum, ad Monialium castigatiorem disciplinam, ac similia, rejiciant illa ad ea, quæ in aliis Conciliis et antiquis constitutionibus decreta sunt potiusquam sessionem extrahant, ut vero hæc omnia concludantur, præsentibus principum oratoribus maximi referre ad divinam gloriam. Cardinalem etiam Lotharingum discessum suum in Galliam maturare, atque adeo finem Concilii omnino accelerandum. Perducto vero ad finem Concilio, se non defuturum illi confirmando, ejusque decretis in opus provocandis eo ardore pietatis, studioque flagrantissimo, quo divina adjutus gratia illud promovit. Subdidit se quidem gravissimæ ægritudinis turbine concussum, sed ex

[1] Card. leg. in litteris ad car. Borr. Ep. CDLXXIX. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1344. Ms. car. Pii sig. num. 201. Ext. in Act. Conc. Trid. Serv. Ms. Fr. car. Bar. p. 150. et aliud Ms. car. Pii. Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Fr. car. Bar. sign. num. 24. pag. 514.

[1] Lit. car. Bor. Ms. arch. Vat. sig. num. ... Ep. CLVI. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3215. Ep. IX. ult. Novemb. XI.

ea procella se collegisse. Contenderent itaque incitatissimis studiis ad finem Concilii, ut citissime eorum conspectu frueretur, atque omnia ad divini cultus amplificationem componat. « Dat. ultima Novemb. MDLXIII ».

Certiorem etiam fecit eadem die Pontifex cardinalem Lotharingum, confirmatum iri a se Concilium, si Synodus confirmari ejus Acta petierit [1], ut petituram accepit, seque publicæ quieti et bono provinciarum consulturum in iis, in quibus Concilium non providit, omnique studio gloriam et cultum divini nominis promoturum, nec partes ullas patris amantissimi optimique Pontificis prætermissurum.

Ad pelliciendum etiam in eamdem absolvendi Concilii censensionem Philippum Hispaniæ regem, Pontifex eadem die ultima Novembris Cribellum in Hispana aula Apostolicum internuntium exponere jussit, propediem claudendum esse Concilium, consentientibus imperatore, Galliæ et Poloniæ regibus, Italiæque principibus : Gallos antea, Julio III Pontifice, nunquam assensisse Tridentino Concilio, minusque pronos ad illud se ostendisse, ut ex inscriptione litterarum constat; jam omnia decreta edita confirmari posse, nec tam eximiam occasionem amittendam; si Concilium semel dissolutum fuerit, non ultra ob graviores sumptus et discrimina congregatum iri, ac modo speratos ex Concilio fructus colligendos. De Hispano oratore queri jussit, qui sine regio mandato iterum vocandos Protestantes intempestive instaret, ex quo Concilii exitus nimium retardandus foret ; præsciri quidem non posse statutum diem absolvendi Concilii, non tamen illius perficiendi occasionem omittendam, nec ob vasta locorum intervalla diem Hispano regi indicari, ejusque responsum expectari posse ; æquo itaque animo acciperet, si finis Concilio imponeretur.

Consultus Ferdinandus de claudendo Concilio, hæc suis oratoribus mandata [2] dedit :

« Negotio isto in ultimam deliberationem apud nos adducto, cum nobis demonstratum sit facile evenire posse, ut reverendissimi legati posteaquam intellexerunt plerosque Patres optare finem Concilii, ad præcavenda mala et pericula quædam impendentia, quibus merito videtur occurrendum esse, eo condescendant, ut permittant Concilio in proxime futura sessione finem imponi, nos ex aliis quoque urgentissimis causis animo nostro occurrentibus adducti sumus, ut vobis injungendum esse censeamus, quod, quandocumque senseritis id agi, ut huic Concilio (quod Deus optimus Maximus faustum ac felix esse jubeat) finis imponatur, vos id nomine nostro non solum non impediatis, verum etiam omni quo poteritis studio ac fidelitate promoveatis ».

Ineunte Decembri recreatus ex ancipiti morbo Pontifex, ad cardinalem Lotharingum, de confirmandis a se Actis Concilii Tridentini, ad discutiendas nefarias eorum artes, qui impie serere dissidia annitebantur, hæc scripsit [1].

« Dilectissime fili. Mentem nostram non penetrant, qui male obloquuntur, nos non confirmaturos Acta Concilii, sed vel partem illorum, vel post plurium mensium flexum. Ea semper fuit mens ac voluntas nostra, ut Concilium frugiferum fiat, cumque divina ope in præsentem statum perductum sit, latet nos, quis fructus colligi possit, nisi confirmetur atque in opus adducatur, atque adeo significamus, si Synodus confirmationem petierit (ut petituram audimus) submota omni mora, alacri animo eam misso concitatissimo cursore transmissuros ; quare fini Concilii promovendo acerrime incumbite ; nam quod ad confirmationem attinet, cum rogati fuerimus, eam, necnon alia, quæ nomine nostro polliciti fueritis, conficiemus : pariterque curam et munus suscipiemus, ut iis, quibus Concilium non providerit, consulamus, pro quiete et beneficio provinciarum et quarumdam nationum, geremusque omnia, quæ ad divini cultus Christianique imperii amplificationem conduxerint, nec ullum optimi Patris officium prætermittemus. Ita spondemus et promissa operibus ornabimus. Datum Romæ I Decembris MDLXIII ».

208. Discussi sunt secunda Decembris die [2] diligenti examine articuli de Imaginibus et de Purgatorio, moxque diremptæ controversiæ, cum tot annis a theologis agitatæ fuissent atque illustratæ, atque in diem sequentem tertiam Decembris indicta est sessio, quæ in ultima sessione ad nonam Decembris extracta fuerat. Ut vero a cardinale Morono Concilii primo præside consulti Patres fuerint, narrat Angelus Massarellus, qui Concilio a secretis erat, ac ejus orationem subjectis conceptam verbis [3] repetit :

« Tractata jam sunt ea, quæ satis hoc in Concilio magis necessaria tractanda videbantur ; nam quod ad fidem spectat, (qui primus erat Concilii scopus) ea sunt conclusa, quæ ad justificationem et ad sacramenta pertinebant, et nostri temporis hæreses certis canonibus damnatæ sunt. Ipsi vero hæretici, quorum resipicentiæ et saluti præcipue consultum oportuit, sæpe a summo Pontifice, et a vobis ipsis, tum litteris, tum certis etiam nuntiis ; et fide publica invitati, nunquam adduci potuerunt, ut huc accederent. Actum est præterea cum principibus, et præsertim cum Cæsarea majestate, cujus ma-

[1] Ibid. Ep. XV. Ext. in Ms. — [2] Arch. Vat. sign. num. 3218. Ep. XCV.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3249. p. 82. — [2] Astulph. Serv. in Actis Conc. Trid. — [3] Ext. in Actis Ms. Congr. Trid. Ms. arch. Vat. sig. num. 3196. p. 42.

xime apud illos debuit esse auctoritas, ut eosdem ad Concilium adeundum persuaderent: sed frustra omnes adhibitæ sunt persuasiones. Utinam venissent, et se Concilio sententiisque nostris submisissent: nullum nobis majus gaudium, nullum illis ipsis et universo orbi Christiano salutarius accidere potuisset. Forte Deus dabit illis mentem sensumque meliorem.

« Interea vos, qui rogando et cunctando pietati vestræ et paternæ erga illos charitati satis abunde satisfecistis, quoniam videtis de illorum adventu nullam esse spem reliquam, nihil est quod ultro tempus conteratis: præsertim cum res Concilii in eum jam sint statum deductæ, ut quoties vobis collibitum fuerit, extremam illis possitis manum imponere. Nam quod ad reformationem pertinet, (quæ secundus Concilii scopus fuerat) multa acta sunt, et in unoquoque dogmate additum est aliquid semper, atque adeo multum, quod ad ipsam reformationem pertineret, et quasi affines illi dogmati abusus tolleret.

« In præcedenti vero sessione tot et tam præclara generalis reformationis decreta sanxistis, ut illa si observetis, restituta omnino videatur antiqua cleri disciplina. Possunt quidem optari majora; sed homines sumus, non Angeli, et pro ratione temporum satis est id amplecti quod possumus. Forsitan quando hæc executioni mandata fuerint, Deus ostendet meliora.

« Pauca vero illa, quæ restant et jam vobis exhibita sunt, tum doctrinæ, tum reformationis capita, ea a vobis privatis vestris in ædibus ita jam examinata et digesta sunt, ut hoc loco, neque longis indigeant disputationibus. Caput de principibus reformatum est, ac certe, si ipsorum principum probitatem animadvertimus, sane possumus acquiescere. Quod si eos ad pietatis studium provocare volumus, exemplo pietatis nostræ multo magis provocandi sunt, quam propositis pœnis aut anathematismis. Vestræ igitur sunt partes, cum illis pie et moderate agere, et ea qua Christianos Patres decet, charitate et prudentia.

« Cæterum cum nil ultra habeamus, neque de fide, neque de reformatione, quod vobis proponamus, et ea, quæ nunc in manibus habetis, commode possint unica futura sessione absolvi, cupimus nos, et maxime opportunum judicamus, si idem vobis videatur, ut eadem futura sessione finis Concilio imponatur. Summus Pontifex idem valde optat, et probat; idem Cæsarea majestas cupit; idem Galli, ut testatur illustrissimus cardinalis Lotharingus: Germania enim et Gallia, ubi omnia ab hæreticis in dubium revocata sunt, eo majorem quotidie trahunt ruinam, quo vos diutius differtis Catholicorum causas et sententias vestris publicatis decretis confirmare, et veluti ab hostium insidiis vindicatas in tuto collocare. Concilium vero ipsum ob Germaniam et Galliam convocatum esse, nemo est qui ignoret; nam regis quidem Catholici regna et pacata erant et Concilio non indigebant; imo vero rex ipse Catholicus Concilium optavit et procuravit, ut Gallorum et Germanorum saluti consuleretur; quod ut jam fiat tempus ipsum monet, oratores principum id omnes exoptant: omnia Concilii finem exposcunt, omnia sunt matura; colligendi sunt fructus: oves vestræ vos expectant, et diuturniorem vestram absentiam ferre non possunt. Quare vestrum reditum ad illas maturantes, expedite ea, quæ in manibus habetis, et finem Concilio imponentes vestris quoque vigiliis et laboribus finem imponite, quæ ut maturiorem et uberiorem fructum vobis ipsis et universo orbi afferant, assidue vestris et omnium piorum precibus a Deo contendendum est ».

His consentanea a Gabriele Palæotto referuntur.

209. *Sessio ultima Concilii: decreta de articulis prius examinatis, sed nondum definitis.* — Assensere legato Apostolico Patres universi, ac sessio vigesima quinta numero a principio Concilii sub Paulo III, nona vero sub Pio IV, incœpit tertia Decembris die, quam Astulphus Servantius [1] in Actis ita describit:

« Anno Christianæ salutis MDLXIII, Indictione VI, Feria VI, die III Decembris, Pio IV Pontifice, celebrata est Tridenti nona eademque ultima sessio, præsidentibus in ea illustrissimis cardinalibus Morono, Varmiensi, Simoneta et Navagerio. Peracta est divina res ab episcopo Sulmonensi, et habita ab Hieronymo Ragazzono Veneto oratio ». Cujus hæc particula decerpenda visa est:

« Nos, inquiebat, urbem hanc in Germaniæ faucibus, id est, in domibus illorum, sive limine positam elegimus, nos custodiam nullam nobis, ne suspicionem illis aliquam minus liberi loci daremus, adhibuimus, nos eam fidem publicam illis concessimus, quam sibi composuerunt, nos hic illos perdiu expectavimus, neque hortari ac rogare unquam destitimus, ut ad veritatis lucem cognoscendam accederent. Verum illis etiam absentibus, satis, ut puto, a nobis consultum est. Etenim cum duo essent, in quibus ægris atque infirmis illorum animis medicina fuit adhibenda; alterum fidei Catholicæ ac vere Evangelicæ illis in rebus, quæ in dubium ab ipsis vocantur, quæque opportunæ his temporibus viderentur, explicata et confirmata, disjectis omnibus ac dissipatis errorum tenebris doctrina: alterum disciplinæ Ecclesiasticæ, cujus potissimum depravatione illi se a nobis defecisse affirmant, restitutio, utrumque quantum in nobis fuit pro temporum horum ratione cumulate præstitimus ».

[1] Act. Conc. Trid. per Astulph. Serv. Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1109. p.

210. Servatis dein consuetis ritibus Sulmonensis episcopus conscenso suggestu decretum de Purgatorio perlegit, quod subjectis verbis conceptum erat :

Decretum de Purgatorio.

« Cum Catholica Ecclesia Spiritu sancto edocta ex sacris litteris et antiqua Patrum traditione in sacris Conciliis, et novissime in hac Œcumenica Synodo docuerit, Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum vero acceptabili altaris sacrificio juvari, præcipit S. Synodus episcopis, ut sanam de Purgatorio doctrinam a sanctis Patribus et sacris Conciliis traditam a Christi fidelibus credi, teneri, doceri et ubique prædicari diligenter studeant. Apud rudem vero plebem difficiliores ac subtiliores quæstiones, quæque ad ædificationem non faciunt, et ex quibus plerumque nulla sit pietatis accessio, a popularibus concionibus secludantur. Incerta item vel quæ specie falsi laborant, evulgari et tractari non permittant. Ea vero, quæ ad curiositatem quamdam, aut superstitionem spectant, vel turpe lucrum sapiunt, tanquam scandala et fidelium offendicula prohibeant. Curent autem episcopi ut fidelium vivorum suffragia, missarum scilicet sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, quæ a fidelibus pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta pie et devote fiant, et quæ pro illis testatorum fundationibus, vel alia ratione debentur non perfunctorie, sed a sacerdotibus, et Ecclesiæ ministris, et aliis, qui hoc præstare tenentur, diligenter et accurate persolvantur ».

211. Huic decreto adjunctum aliud [1] de invocatione Sanctorum, et eorumdem reliquiis et sacris imaginibus, quo hæreticorum idololatriæ calumniam impingentium Catholicis furor damnatus est.

De invocatione, veneratione et reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus.

« Mandat S. Synodus omnibus episcopis et cæteris docendi munus curamque sustinentibus, ut juxta Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum a primævis Christianæ religionis temporibus receptum, Sanctorumque Patrum consensionem et sacrorum Conciliorum decreta, in primis de sanctorum intercessione, invocatione, Reliquiarum honore, et legitimo Imaginum usu fideles diligenter instruant, docentes eos, sanctos una cum Christo regnantes orationes suas pro hominibus Deo offerre ; bonum atque utile esse suppliciter eos invocare, et ob beneficia impetranda a Deo per Filium ejus Jesum Christum Dominum nostrum, qui solus N. Redemptor et Salvator est, ad eorum orationes, opem auxiliumque confugere : illos vero, qui negant sanctos, æterna felicitate in Cœlo fruentes, invocandos esse, aut qui asserunt vel illos pro hominibus non orare, vel eorum, ut pro nobis etiam singulis orent, invocationem esse idololatriam, vel pugnare cum verbo Dei, adversarique honori unius mediatoris Dei et hominum Jesu Christi, vel stultum esse in cœlo regnantibus voce vel mente supplicare, impie sentire. Sanctorum quoque Martyrum, et aliorum cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva fuerunt membra Christi et templa Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda, et glorificanda, a fidelibus veneranda esse, per quæ multa beneficia Deo hominibus præstantur, ita ut affirmantes sanctorum Reliquiis venerationem atque honorem non deberi, vel eas, aliaque sacra monumenta a fidelibus inutiliter honorari, atque eorum opis impetrandæ causa sanctorum memorias frustra frequentari, omnino damnandos esse, prout jampridem eos damnavit et nunc etiam damnat Ecclesia.

« Imagines porro Christi Deiparæque Virginis, et aliorum sanctorum in templis, præsertim habendas et retinendas, eisque debitum honorem et venerationem impertiendam, non quod credatur inesse aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam sint colendæ, vel quod ab eis sit aliquid petendum, vel quod fiducia in Imaginibus sit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in idolis spem suam collocabant, sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant, ita ut per imagines quas osculamur, et coram quibus caput aperimus et procumbimus, Christum adoremus, et Sanctos, quorum illa similitudinem gerunt, veneremur, id quod Conciliorum, præsertim vero Nicænæ secundæ Synodi, decretis contra Imaginum oppugnatores est sancitum.

« Illud vero diligenter doceant episcopi [1] per historias mysteriorum nostræ redemptionis picturis vel aliis similitudinibus expressas erudiri et confirmari populum in articulis fidei commemorandis et assidue recolendis, tum vero ex omnibus sacris Imaginibus magnum fructum percipi, non solum quia admonetur populus beneficiorum et munerum, quæ sibi a Christo collata sunt, sed etiam, quia Dei per sanctos miracula et salutaria exempla oculis fidelium subjiciuntur, ut pro iis Deo gratias agant, ad sanctorumque imitationem, vitam moresque suos componant, excitenturque ad adorandum ac diligendum Deum et pietatem colendam. Si quis autem his decretis contraria docuerit aut senserit ; anathema sit.

[1] Sess. XXV.

[1] Sess. XXV.

« In has autem sanctas et salutares observationes, si qui abusus irrepserint, eos prorsus aboleri sancta Synodus vehementer exoptat, ut nullæ falsi dogmatis imagines, et rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuantur. Quod si aliquando historias et narrationes, sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expediet, exprimi et figurari contigerit, doceatur populus, non propterea divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.

« Omnis porro superstitio in sanctorum Invocatione, Reliquiarum veneratione, et Imaginum sacro usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia vitetur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur ; et Sanctorum celebratione ac Reliquiarum visitatione homines ad comessationes atque ebrietates non abutantur, quasi festi dies in honorem Sanctorum per luxum et lasciviam agantur. Postremo tanta circa hæc diligentia et cura ab episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præpostere et tumultuarie accommodatum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat, cum domum Dei deceat sanctitudo.

« Hæc ut fidelius observentur statuit sancta Synodus, nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab episcopo approbata fuerit. Nulla etiam admittenda esse nova miracula, nec novas Reliquias recipiendas, nisi eodem recognoscente et approbante episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium theologis et aliis piis viris, ea faciat quæ veritati et pietati consentanea judicaverit. Quod si aliquis dubius et difficilis abusus sit extirpandus, vel omnino aliqua de iis rebus gravior quæstio incidat, episcopus antequam controversiam dirimat, metropolitani et comprovincialium episcoporum in Concilio provinciali sententiam expectet, ita tamen, ut nihil, inconsulto Sanctissimo Romano Pontifice, novum aut in Ecclesia inusitatum decernatur ».

His perlectis, Sulmonensis episcopus [1] hæc verba subjecit : « Illustrissimi et reverendissimi Patres. Placent-ne vobis hæc omnia » ? moxque collecta sunt ab Angelo episcopo Telesino, duobus tabellionibus sociato, Patrum suffragia, necnon ab episcopo Castellanetano adjunctis aliis duobus notariis, ut celerius res perficeretur, quibus ad præsidem Concilii cardinalem Moronum delatis, promulgavit ille, omnes assensisse decretis, præsulibus duobus exceptis, qui dixere, se de ea re plenius non fuisse edoctos.

Perlecta deinde fuere ab episcopo Sulmonensi decreta de monachis et monialibus, deque reformatione, quæ typis cusa omnium teruntur manibus, collectisque omnium suffragiis quibus ea confirmabantur, habita est a cardinale Morono elegans oratio, quæ magnis plausibus est excepta, Patribus læta voce respondentibus, *Deo gratias*, cumque omnia absolvi non possent ea sessione, de ea in sequentem diem protrahenda sancitum est.

His addit Gabriel Palæottus [2] : « Legati domum reversi curant ut decreta quædam quæ supererant, componantur, ut die crastina (ea erat IV Decemb.) in sessione promulgentur, atque ita omnia absolvantur. In his erat decretum de Indulgentiis, de quo non placebat cardinali Morono ut quidquam ageretur, partim dubitans ne hinc daretur occasio disputandi et rem protrahendi, partim etiam existimans satius esse rem tantam, tanquam multis capitibus controversam prorsus omittere, quam illam obiter tantum, et leni, quod aiunt, brachio attingere. Verumtamen cardinalis Lotharingius acriter urgebat, et quamplurimi prælati, ut de iis aliqua mentio fieret, ne hæreticorum error sic magis confirmaretur, si nihil de his actum esse viderent ; tum etiam quia hæc sola res prætermissa facile novo Concilio convocando occasionem brevi dare potuisset.

« Itaque nocte ipsa conflatum fuit decretum id de Indulgentiis, summoque mane antequam in Ecclesia proderetur, convocati fuerunt et oratores, et quamplurimi prælati, coramque illis lecta omnia decreta, quæ in sessione ipsa promulganda erant cum hoc de Indulgentiis, in quo tamen cardinalis Moronus aperte coram omnibus professus fuit sibi non placere. Verum Lotharingius, Madrucius, oratores omnes, et alii Prælati contra responderunt, approbaruntque formam decreti jam concepti ; fuerunt tamen in eo tunc detracta quædam verba, quæ prohibebant expresse, ne pro consequendis Indulgentiis certæ taxarentur summæ, neve darentur illæ quas suspensiones vocant. Fueruntque hæc verba sublata in gratiam comitis de Luna dicentis, quod videbantur hæc de industria ita expressa ad notandum Cruciatam Hispanorum ». His decretis in congregatione discussis antequam in sessione pronuntiarentur, cardinalis Moronus his verbis præfatus est :

« Illustrissimi domini ac reverendissimi Patres. Nos ad Ecclesiam ibimus eo animo, ut hodie, si paternitatibus vestris placuerit, finem imponamus, et claudamus hoc sacrum Concilium, et audiatis illam dulcissimam vocem, *Ite in pace*, et de confirmatione a S. D. N. nomine sanctæ Synodi petenda, sicuti in Generali Congregatione conclusum fuit ». Quæ omnium con-

[1] Astulph. Serv. in Actis Ms. ubi sup.

[2] Act. Conc. Trid. per Gabr. Palæot. Ms. Franc. card. Bar. sig. num. 24. p. 522.

sensione confirmata sunt. Deinde acclamationum a Patribus habendarum formulæ propositæ, quæ ab omnibus laudatæ sunt. Quibus constitutis ad sessionem pridie cœptam absolvendam ad Dei Omnipotentis gloriam templum adiere, ac ritibus consuetis usurpatis perlecta sunt decreta, quorum primum de Indulgentiis sic fuit[1] :

212. « Cum potestas conferendi indulgentias a Christo Ecclesiæ concessa sit, atque hujusmodi potestate divinitus sibi tradita, antiquissimis etiam temporibus illa usa fuerit, sacrosancta Synodus indulgentiarum usum Christiano populo maxime salutarem, et sacrorum Conciliorum auctoritate probatum in Ecclesia retinendum esse docet et præcipit, eosque anathemate damnat, qui aut inutiles esse asserunt, vel eas concedendi in Ecclesia potestatem esse negant; in his tamen concedendis moderationem juxta veterem et probatam in Ecclesia consuetudinem adhiberi cupit, ne nimia facilitate Ecclesiastica disciplina enervetur. Abusus vero, qui in his irrepserunt, et quorum occasione insigne hoc indulgentiarum nomen ab hæreticis blasphematur, emendatos et correctos cupiens, præsenti decreto generaliter statuit, pravos quæstus omnes pro his consequendis, unde plurima in Christiano populo abusuum causa fluxit, omnino abolendos esse. Cæteros vero, qui ex superstitione, ignorantia, aut aliunde quomodocumque provenerunt, cum ob multiplices locorum et provinciarum, apud quas hi committuntur, corruptelas, commode nequeant specialiter prohiberi, mandat omnibus episcopis, ut diligenter quisque hujusmodi abusus Ecclesiæ suæ colligant, eosque in prima Synodo provinciali referant, ut aliorum quoque episcoporum sententia cognita statim ad Summum Romanum Pontificem deferantur, cujus auctoritate et prudentia, quod universali Ecclesiæ expediet, statuatur, ut ita sanctarum Indulgentiarum munus pie, sancte et incorrupte omnibus fidelibus dispensetur.

De delectu ciborum, jejuniis et diebus festis.

213. « Insuper hortatur sancta Synodus, et per sanctissimi Domini nostri atque Salvatoris adventum, pastores omnes obtestatur, ut tanquam boni milites illa omnia, quæ sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum mater et magistra, statuit, necnon ea quæ tam in hoc Concilio, quam in aliis Œcumenicis statuta sunt, quibuscumque fidelibus sedulo commendent, omnique diligentia utantur, ut illis omnibus et iis præcipue sint obsequentes, quæ ad mortificandam carnem conducunt, ut ciborum delectus et jejunia, vel etiam quæ faciunt ad pietatem augendam, ut dierum festorum devota et religiosa celebratio; admonentes populos crebro obedire præpositis suis, quos, qui audiunt, Deum remuneratorem audient, qui vero contemnunt, Deum ipsorum ultorem sentient.

De Indice librorum, et Catechismo, et Breviario et Missali.

« Sacrosancta Synodus in secunda sessione sub Sanctissimo domino nostro Pio IV celebrata, delectis quibusdam Patribus commisit, ut de variis censuris, ac libris, vel suspectis, vel perniciosis, quid facto opus esset, considerarent, utque ad ipsam sanctam Synodum referrent : audiens nunc huic operi ab eis extremam manum impositam esse, nec tamen ob librorum varietatem et multitudinem, distincte et commode posse a sancta Synodo dijudicari, præcipit ut quidquid ab illis præstitum est, Sanctissimo Romano Pontifici exhibeatur, ut ejus judicio atque auctoritate terminetur et evulgetur. Idemque de Catechismo a Patribus, quibus illud mandatum fuerat, et de Missali et Breviario fieri mandat, etc.

De loco Oratorum.

« Declarat sancta Synodus ex hoc loco assignato oratoribus tam Ecclesiasticis quam sæcularibus in sedendo, incedendo, aut quibuscumque aliis actibus nullum cuiquam eorum factum esse præjudicium, sed omnia illorum, et imperatoris, regum, rerumpublicarum et principum suorum jura et prærogativas illæsas et salvas esse in eodemque statu permanere, prout ante præsens Concilium reperiebantur.

De recipiendis et observandis decretis Concilii.

214. « Tanta fuit horum temporum calamitas et hæreticorum inveterata malitia, ut nihil tam clarum in fide nostra asserenda unquam fuerit, aut tam certo statutum, quod non humani generis hoste suadente illi errore aliquo contaminaverint, eapropter sancta Synodus id potissimum curavit ut præcipuos hæreticorum nostri temporis errores damnaret et anathematizaret, veramque et Catholicam doctrinam traderet et doceret, prout damnavit, anathematizavit et definivit. Cumque tamdiu tot episcopi ex variis Christiani orbis provinciis evocati, sine magna gregis sibi commissi jactura et universali periculo ab Ecclesiis abesse non possint, nec ulla spes restet, hæreticos toties fide etiam publica, quam desiderarunt, invitatos et tamdiu expectatos, huc amplius adventuros, ideoque tandem huic sacro Concilio finem imponere necesse sit; superest nunc, ut principes omnes,

[1] Ext. in Act. sess. ult.

quod facit, in Domino moneat ad operam suam ita præstandam, ut quæ ab ea decreta sunt, ab hæreticis depravari aut violari non permittant, sed ab his et omnibus devote recipiantur et fideliter observentur. Quod si in his recipiendis aliqua difficultas oriatur, aut aliqua inciderint, quæ declarationem (quod non credit) aut definitionem postulent, præter alia remedia in hoc Concilio instituta, confidit sancta Synodus, Beatissimum Romanum Pontificem curaturum, ut vel evocatis ex illis præsertim provinciis unde difficultas orta fuerit, iis, quos eidem negotio tractando viderit expedire, vel etiam Concilii generalis celebratione, si necessarium judicaverit, vel commodiore quacumque ratione ei visum fuerit, provinciarum necessitatibus pro Dei gloria et Ecclesiæ tranquillitate consulatur ».

215. *Revocantur et confirmantur decreta publicata sub Paulo III et Julio III.* — Subdunt Acta ab Astulpho Servantio [1] conscripta, post hæc decreta repetita collectis suffragiis cardinalem Moronum his verbis Patres compellasse : « Illustrissimi et reverendissimi Patres : Decreta omnibus placent, in decreto tamen indulgentiarum sunt viginti Patres, qui quædam verba restitui cuperent, et ideo Deo gratiæ agendæ », et Patres omnes responderunt *Deo gratias*.

Deinde decretum perlectum est [2] de recitandis decretis sub Paulo Tertio et Julio Tertio Pontificibus in Concilio Tridentino sancitis.

Et successive idem reverendus dominus dominus episcopus Cathaniensis legit alta voce decreta ipsa, quæ in hoc eodem Concilio sub felicis recordationis Paulo Tertio et Julio Tertio Summis Pontificibus publicata fuere tam ad dogmata quam ad reformationem pertinentia, sed illa, quæ ad dogmata pertinent, lecta sunt integre ; eorum vero, quæ pertinent ad reformationem, solum lectum est principium, hoc ordine videlicet :

« Decretum primum sessionis tertiæ Tridentinæ sub Paulo III die quarta Februarii MDXLVI, a Nativitate celebrata, super professione fidei Catholicæ, quod incipit : *In nomine sanctæ*, etc.

« Decretum primum publicatum in sessione quarta sub eodem Paulo papa III, die septima MDXLVI, super receptione sacrorum librorum Veteris et Novi Testamenti quod incipit : *Sacrosancta œcumenica, etc. Hoc sibi perpetuo, etc.*

« Decretum secundum publicatum in eadem quarta sessione. Receptio Vulgatæ editionis, et modus interpretandi et imprimendi sacram Scripturam, quod incipit : *Insuper eadem*, etc.

« Decretum primum publicatum in quinta sessione Tridentina sub eodem Paulo III, die decima septima Junii MDXLVI, de peccato originali, incipiens : *Ut fides nostra Catholica*, etc.

« Decretum secundum publicatum in eadem quinta sessione de lectione et prædicatione sacræ Scripturæ, quod incipit : *Eadem sacrosancta Synodus piis Summorum Pontificum*, etc.

« Decretum primum publicatum in sessione sexta sub eodem Paulo III, die decima tertia Januarii MDXLVII, de justificatione, quod incipit : *Cum hoc tempore*, etc.

« Decretum secundum publicatum in eadem sessione sexta de residentia et aliis ad reformationem pertinentibus , quod incipit : *Eadem sacrosancta*, etc. *Ad restituendam collapsam*, etc.

« Decretum primum publicatum in sessione septima Tridentina sub Paulo III, die tertia Martii MDXLVII, de Sacramentis in genere, de Baptismo et Confirmatione, incipiens : *Ad consummationem salutaris de Justificatione doctrinæ*, etc.

« Decretum secundum publicatum in eadem sessione septima super reformatione, quod incipit : *Eadem sacrosancta*, etc. *Incœptum residentiæ, et reformationis negotium*, etc.

« Decretum primum publicatum in sessione tertia Tridentina sub Julio papa III, die decima prima Octobris MDLI, de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, quod incipit : *Sacrosancta*, etc. *Etsi in eum finem*, etc.

« Decretum secundum publicatum in eadem sessione tertia super reformatione incipiens : *Eadem sacrosancta Synodus*, etc. *Intendens nonuulla statuere*, etc.

« Decretum tertium publicatum in eadem sessione super prorogatione definitionis quatuor articulorum de Sacramento Eucharistiæ incipiens : *Eadem sacrosancta Synodus errores omnes*, etc.

« Decretum primum publicatum in sessione quarta sub eodem Julio papa III, die XXV Novembris MDLI, de sacramento Pœnitentiæ, quod incipit : *Sacrosancta*, etc. *Quamvis in decreto de justificatione.*

« Item aliud decretum publicatum in eadem sessione quarta de Sacramento Extremæ-Unctionis, incipiens : *Visum est autem sanctæ Synodo*, etc.

« Postremo decretum de reformatione publicatum in eadem sessione quarta sub Julio III, quod incipit : *Cum proprie episcoporum munus sit*, etc. Quibus decretis lectis, idem reverendus dominus episcopus Cathaniensis legit decretum tenoris infrascripti videlicet :

« Decretum super fine Concilii, et confirmationem petent illustrissimi domini reverendissimique Patres : Placetne vobis petatur ? »

Et statim Patres omnes interrogati singula-

[1] Astulph. Serv. in Actis Ms. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3248. sub fin.

riter a reverendissimis dominis Thelesino secretario, et Castellanetensi episcopis una nobiscum sacri Concilii, et aliis deputatis notariis suprascriptis responderunt simpliciter per verbum *Placet* exceptis infrascriptis, qui responderunt ut sequitur, videlicet :

« R. D. archiepiscopus Granatensis : Placet quod finiatur, sed non peti confirmationem.

« Reverendus dominus episcopus Dertusensis dixit : Peto confirmationem tamquam necessariam.

« R. D. Pactensis, R. D. Salamantinensis, cum Dertusensi ».

Quibus votis illustrissimis dominis legatis et præsidentibus relatis, illustrissimus dominus cardinalis Moronus primus præsidens præfatus pronuntiavit hæc verba [1] :

« Verba primi Apostolici legati.

« Placuit omnibus finem huic sacro Concilio imponi, confirmationemque a Sanctissimo domino nostro peti uno dumtaxat excepto, qui eam confirmationem se non petere dixit. Ideoque nos Apostolicæ Sedis legati et præsidentes eidem sacro Concilio finem imponimus, confirmationem vero quamprimum a Sanctissimo domino nostro petemus. Vos autem , Patres illustrissimi et reverendissimi, post gratias Deo actas, ite in pace. Cui omnes lætissimarum vocum consensu responderunt. Amen ».

216. *Patrum acclamationes et subscriptiones.* — Mox cardinalis a Lotharingia consurgens altissima voce felicitatem Summo Pontifici comprecatus est his verbis :

« Beatissimo Pio papæ et domino nostro sanctæ et universalis Ecclesiæ Pontifici, multi anni ».

Responsio Patrum.

« Domine Deus, Sanctissimum Patrem diutissime Ecclesiæ tuæ conserva, multos annos ».

Card. « Beatissimorum Summorum Pontificum animabus Pauli Tertii et Julii Tertii, quorum auctoritate hoc sacrum generale Concilium inchoatum est, pax a Domino, et æterna gloria atque felicitas in luce Sanctorum »,

Resp. « Memoria in benedictione sit ».

Card. « Caroli V imperatoris et serenissimorum regum, qui hoc universale Concilium promoverunt et protexerunt, memoria in benedictione sit ».

Resp. « Amen. Amen ».

Card. « Serenissimo imperatori Ferdinando semper Augusto, orthodoxo et pacifico, et omnibus regibus, rebuspublicis et principibus nostris, multi anni ».

Resp. « Pium et Christianum imperatorem, Domine, conserva. Imperator cælestis, terrenos reges rectæ fidei conservatores custodi ».

[1] Astulph. Serv. in Actis.

Card. « Apostolicæ Romanæ Sedis legatis in hac Synodo præsidentibus, cum multis annis magnæ gratiæ ».

Resp. « Magnæ gratiæ : Dominus retribuat ».

Card. « Reverendissimis cardinalibus et illustribus oratoribus ».

Resp. « Magnas gratias : multos annos ».

Card. « Sanctissimis episcopis vita et felix ad Ecclesias suas reditus ».

Resp. « Præconibus veritatis perpetua memoria : orthodoxo senatui multos annos ».

Card. « Sacrosancta Œcumenica Tridentina Synodus ; ejus fidem confiteamur, ejus decreta semper servemus ».

Resp. « Semper confiteamur, semper servemus ».

Card. « Omnes ita credimus, omnes id ipsum sentimus, omnes consentientes et amplectentes subscribimus. Hæc est fides Beati Petri et Apostolorum : hæc est fides Patrum : hæc est fides orthodoxorum ».

Resp. « Ita credimus, ita sentimus, ita subscribimus ».

Card. « His decretis inhærentes, digni reddamur misericordiis et gratia primi et magni supremi sacerdotis Jesu Christi Dei, intercedente simul inviolata domina nostra sancta Deipara et omnibus sanctis ».

Resp. « Fiat, fiat. Amen, Amen ».

Card. « Anathema cunctis hæreticis ».

Resp. « Anathema. Anathema ».

217. Quanto pietatis sensu hæ acclamationes repetitæ fuerint, quantave lætitiæ significatione effusæ, illustrat Gabriel Palæottus his verbis :

« His satis explicare non possum, quanta animi lætitia omnes exultarent, vereque Deum tot bonorum auctorem agnoscerent, atque ei gratias agerent. Vidi ego in media ipsa sessione permultos gravissimos prælatos præ gaudio lachrymas fundentes, invicemque gratulantes, qui antea inter se alieniores videbantur. Ubi vero ad acclamationes ventum est, quæ multis ad eam usque horam et novæ et inopinatæ acciderunt, tunc ingens omnium admiratio, plausus lætitiaque exorta est : nemo erat, qui non vultu, verbis, totoque corpore summam hilaritatem significaret, Deum laudantes, cui honor, virtus et gloria in sæcula sæculorum ». His consentanea scribit Astulphus Servantius [1] : « Qui Patrum, inquit, responsa istis acclamationibus reddita auribus excepisset, eorum vultus et lachrymas lætitia expressas inspexisset, ille se in beatorum sedes translatum putaret, adornati enim erant omnes Pontificio cultu , quorum alii modulato concentu respondebant, alii sublatis in cœlum manibus vociferabantur,

[1] Astulph. Serv. in Actis id. ib. Ms. Fr. car. Bar. sig. n. 1109.

alii lætitiam, qua circumfluebant, non ferentes, vultum premebant manibus; alii flexis genibus, stupore tremoreque sacro perfusi tacite respondebant : alii læto lachrymarum imbre delibuti Omnipotentis Dei magnificentiam efferebant ».

218. Factis acclamationibus præcepit legatus Apostolicus princeps intentata anathematis pœna, ut omnes præsules, antequam Tridento discederent, decretis Concilii subscriberent, ut illa Instrumento publico firmarent, de quo mandato mox publicæ editæ tabulæ. Mox idem cardinalis Moronus Hymnum, cujus exordium est *Te Deum laudamus* præcinere cœpit, qui Hymnus a cantoribus festo vocum concentu celebratus est. Dein memoratus legatus versus ad Synodum, eam Crucis signo et sacra prece lustravit. Porro Synodi Actis [1] subscripsere legati cardinales quatuor, alii cardinales duo, patriarchæ tres, archiepiscopi viginti quinque, episcopi centum sexaginta octo, abbates septem, procuratores absentium cum legitimo mandato triginta novem, Generales Ordinum septem, quibus maxima theologorum multitudo assensit. Ut vero Tridentina Synodus postulantibus Morono et Simoneta cardinalibus a Pio IV confirmata fuerit, proximo anno dicetur. Cum vero dictum sit prima Decembris die deploratæ valetudinis Pontificiæ famam Tridenti increbuisse, addimus die quarta Decembris, antequam ultima sessio in eum diem extracta absolveretur, recuperatæ valetudinis Pontificiæ famam perlatam fuisse.

219. *Cardinalis Moronus certiorem facit imperatorem de fine Concilii.* — Gratiis igitur primum actis Numini, cujus benignitate Concilii absolutio bene feliciterque vertisset, Joannes cardinalis Moronus primus legatus Ferdinandum Cæsarem scriptis litteris [2] non est cunctatus certiorem de omnibus facere, illum etiam atque etiam commendans, quod tam egregio operi, tam promptam atque adjutricem contulerit manum.

« Sacra Cæsarea majestas.

« Auctoritate et pietate majestatis vestræ, ipsiusque oratorum fide et diligentia tandem factum est, ut heri huic sacrosancto Concilio finis impositus sit summa omnium cum pace et concordia, et majori cum fructu et expectatione. Præter Sacramentorum doctrinam et canones, præterque generalem reformationem, facta sunt etiam decreta quædam, sed tamen ita pia et explicata, ut facilia esse possint ad docendum, quid unaquaque de re nobis sit Catholice sentiendum. Ego quidem tantam cepi voluptatem, ut nullam unquam majorem neque parem habuerim. Credo etiam nullum hoc tempore, neque majus, neque par beneficium ab imperatore in Ecclesia conferri potuisse. Vellem ego quas debeo gratias, sed cum pares vix habere possem, quomodo pares referam? Reticebo igitur, et hoc tantum dicam, Sedem Apostolicam debere majestati suæ, non modo universum id, quod ab ipso pro fine Concilii effectum est, sed et illud quoque, quod ejusdem impedimento ab aliis non est confectum. Hoc est esse vere imperatorem Christianum, et Ecclesiæ protectorem, cum non tantum Summo Pontifici et Conciliis obtemperatur, sed etiam præstatur, ne eorum auctoritas ab aliis impediatur aut parvipendatur. Deus qui istam præclarissimam mentem majestati vestræ dedit, idem eidem det omnibus in rebus felices et optatos successus.

« Cras ego hinc discedam, Romam profecturus, quo celerius et libentius pergam, ut majestatis vestræ et serenissimi filii negotiis inserviam, tam in his, quæ ad serenissimi filii confirmationem pertinent, quam in reliquis omnibus, quæ cum episcopo Canadiensi aut cum ipsius oratoribus tractata sunt ». Et mox : « Reliquum est, ut majestati vestræ significem, ipsius oratores reverendissimos Pragensem et Quinquecclesiensem, tanto huic negotio fuisse adjumento, ut illis etiam plurimum debeamus, etc. Valeat serenissima majestas, quam Deus Optimus diu nobis et Ecclesiæ incolumem servet ».

220. *Oratores principum pro sua quisque natione Concilium recipiunt.* — Tum demum, quo major dignitas esset rei, majorque accederet erga tam sanctum peractum opus veneratio, publicis documentis plures regum ac principum oratores Tridentini Concilii Acta [1] VI Decembris, hac, quæ sequitur, forma admisere :

« Anno a Nativitate Domini MDLXIII, Indictione VI, mensis Decembris », et infra : « Illustrissimi et reverendissimi domini Antonius a Muglitio archiepiscopus Pragensis, et Sigismundus a Thuun sacræ Cæsareæ majestatis Ferdinandi Romanorum imperatoris electi nomine imperii, regni Boemiæ, et Archiducatus Austriæ, Georgius Drascovitius episcopus Quinquecclesiensis ejusdem sacræ Cæsareæ majestatis Ferdinandi Romanorum imperatoris electi pro regno Hungariæ, Valentinus Herburthus episcopus Presmiliensis serenissimi regis Poloniæ, Marcus Antonius Bobba episcopus Augustensis, illustrissimi et excellentissimi ducis Sabaudiæ, et Martinus Roias de Portalrubeo, reverendissimi domini Hospitalis S. Joannis Hierosolymitani magni Magistri et totius religionis, ad hoc sacrum Œcumenicum et generale Concilium Tridentinum respective oratores,

[1] Legati card. in lit. ad car. Borr. quæ ext. in Ms. Fr. car. Bar. sig. num. 1344. p. 1732. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3215. p. 15.

[1] De Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3107. p. 84. Et in Ms. arch. Vat. sig. num. 3248. in fin. Actor. Concil.

sponte et ex eorum et cujuslibet ipsorum certa scientia ac spontanea voluntate omnibus melioribus modo, via, jure, causa et forma, quibus magis et melius de jure potuerunt et debuerunt; nomine dictorum principum, omnium principatuum suorum, regnorumque et dominiorum suorum, omnia et singula in hoc sacro Œcumenico et generali Concilio Tridentino, tam sub felicis recordationis Paulo III et Julio III, quam S. D. N. Pio IV Summis Pontificibus acta, decreta, gesta, facta, conclusa et determinata, et totum ipsum Concilium, et in eo contenta quæcumque, acceptaverunt et laudarunt, et eisdem Actis subscripserunt, etc ».

Idipsum pariter præstitere Lusitani ac Veneti oratores :

« Illustrissimus D. Ferdinandus Martinus Mascarenius serenissimi Portugalliæ regis, et clarissimus D. Nicolaus de Ponte doctor et eques serenissimæ Venetorum reipublicæ ad hoc sacrum Œcumenicum et generale Concilium Tridentinum oratores, sponte, et ex eorum, et cujuslibet ipsorum certa scientia et spontanea voluntate », et paulo post : « nomine prædicti serenissimi Portugalliæ regis, et clarissimus dominus Nicolaus nomine etiam clarissimi domini Matthæi Danduli etiam oratoris, et collegæ sui absentis, ac etiam serenissimæ reipublicæ prædictæ, principalium suorum, regnorumque et dominiorum suorum, omnia et singula, tam in hoc sacro Œcumenico generali Concilio Tridentino, tam sub fel. record. Paulo Tertio, Julio Tertio, quam S. D. N. Pio IV Summis Pontificibus acta, decreta, gesta, facta, conclusa et determinata, ac totum ipsum Concilium, et in eo contenta quæcumque, acceptarunt et laudarunt, et eisdem Actis subscripserunt, etc ».

Orator etiam cleri Quinque Pagorum Helvetiorum Catholicorum Joachimus abbas monasterii Divæ Virginis Mariæ in Alma Helvetiorum nomine cleri et populi, et Melchior Lassius de Stantio orator nomine septem Pagorum Helvetiorum Catholicorum Acta omnia Concilii pie admiserunt [1] proximo anno, Indictione sexta, die XXVI Januarii, et quarta Martii, editis apud Helvetios publicis documentis.

221. Cum vero a Concilio Galliarum tunc regis oratores abessent, cardinalis Lotharingus regia instructus auctoritate, oratorum absentiam supplevit, regioque nomine Acta Tridentini Concilii pie admisit [2], quod publico hoc monumento posteritati commendatum, et in omnium gentium oculis collocatum voluit :

« In nomine Domini, Amen. Per hoc præsens Instrumentum, etc. Illustrissimus et reverendissimus dominus Carolus Tit. S. Apollinaris, sanctæ Romanæ Ecclesiæ presbyter cardinalis, a Lotharingia nuncupatus, primas Franciæ et archiepiscopus Rhemensis, qui asserens, se missum ad sacrosanctam Synodum Tridentinam a Christianissimo rege Francorum Carolo Nono, prout constare dixit per litteras, quas illustrissima et reverendissima dominatio sua exhibuit in Congregatione generali ipsius Synodi, et prout credit in Actis sacri Concilii esse registratas, videns oratores Christianissimi regis, ob eorum absentiam et impedimentum, non interfuisse conclusioni ipsius sacri Concilii, quod omnino fecissent, si Christianissimus rex potuisset in tempore scire diem dictæ conclusionis, declarat se ea facere et dicere, quæ prædicti oratores, si adfuissent, juxta morem aliorum oratorum fecissent ac dixissent, asseverans id facere et dicere ex mente prædicti Christianissimi regis. Et idem illustrissimus et reverendissimus dominus cardinalis a Lotharingia petiit hanc acceptationem, ac omnia et singula præmissa in Actis ipsius sacri Concilii registrari; necnon a nobis sacri Concilii notariis infrascriptis unum, vel plura, publicum seu publica confici, sibique tradi Instrumentum et Instrumenta. Acta fuerunt præmissa Tridentini in palatio illustrissimi et reverendissimi D. cardinalis a Lotharingia, præsentibus ibidem episcopo Thelesino secretario, episcopo Virdunensi Nicolao Psaulme, Gabriele Lenoncourt episcopo Ebroicensi, et Carolo de Angennes episcopo Cœnomanensi ».

222. *Pii IV summa lætitia et litteræ gratulatoriæ pro absolutione Concilii.* — Tam felicis exitus allato ad Pontificem nuntio, mirum in modum gavisus, cum jam Dei beneficio periculum mortis evasisset meliusque haberet in dies, XII Decembris coacta card. congr. sic eos, ut Acta Consistorialia referunt [1], affatus est : « Visitavit nos Dominus, admonuit nos infirmitatis et mortalitatis nostræ. Morbo gravissimo laboravimus. Dei beneficio parati sumus ad mortem forti animo suscipiendam, Deique voluntati parendum. Placuit Deo incolatum meum prolongari : laborem non recusamus, donec ipsi placuerit ». Deinde subdit, eo se præterea nomine Deo plurimum debere, quod sibi dedisset, ut finem videret Concilii Tridentini, quod quando sine ulla ipsius opera impulsuve contigerit, Dei voluntate factum existimare. Se in hoc negotio curam liberamque facultatem omnino legatis ac Patribus permisisse, adeo ut interdum nimia videretur, cum neque illius deliberationis particeps esse, neque ulla de re cardinalium sententias exquirere voluisset. Id se effecisse, quod Deo gratius atque acceptius existimasset, cui ut inserviret, si opus esset, Concilium

[1] Ext. ib. p. 87. XXIV Jan. MDLXIV. Ib. p. 88. IV Mart. MDLXIV. — [2] Tom. XX. Ms. arch. Vat. sign. num. 3207. p. 263. et in alio Ms. sig. 3248. in calce lib. inscripti Act. Conc. Trid. sub Pio IV. Auctore Angelo Massarello Secr.

[1] Act. Cons. Ms. ap. car. Chisium lit. G.

denuo indicturum, nedum Acta Concilii Tridentini confirmaturum, executurum, servarique jussurum, quin etiam, si quid in reformatione omissum fuerit, additurum. Tum, ut Deo Optimo Maximo solemnes gratiarum actiones publice persolverentur, supplicationes imposterum decretas, refert Joannes Franciscus Firmanus [1] his verbis :

« Die Dominico XII Decembris MDLXIII, fuit congregatio generalis, in qua S. D. N. proposuit, ut decernerentur supplicationes et jejunia, et redderentur gratiæ omnipotenti Deo ob perfectum Concilium, et sic fuit conclusum, quod processio fieret a Basilica S. Petri ad Ecclesiam B. Mariæ super Minervam pro die Jovis, cum Indulgentiis ». Addunt Acta [2] de pio Pontificis studio, ut Acta Concilii Tridentini in opus provocaret :

« Die Jovis XXX Decembris MDLXIII, fuit congregatio generalis, in qua factum fuit verbum a Sanctissimo super confirmatione Concilii, et dixit velle deputare cardinales una cum legatis, qui fuerunt in Concilio, ut considerarent super hoc, declarando intentionem, se omnino velle executionem ».

223. Eximie meruit de Ecclesia Catholica in promovendo Concilio Tridentino, atque ad exitum perducendo Carolus cardinalis Lotharingus, quod non modo a Gabriele Palæotto, et Astulpho Servantio vidimus Actis consignatum, sed etiam subjectæ ad Nicolaum archiepiscopum Senonensem, ac postea cardinalem Ponticiæ litteræ [3] illustrant :

« Venerabili fratri Nicolao archiepiscopo Senonensi.

« Placuit misericordiarum Patri et Deo totius consolationis paucis post discessum tuum diebus ipsi Concilio optatum finem imponere, tanta quidem consensione omnium, ut divinum ejus beneficium admodum perspicuum et manifestum fuerit : qua in re ejusdem filii nostri (nempe cardinalis Lotharingiæ) tam egregia opera et tam pia voluntas extitit, ut non satis digne a quoquam laudari posse videatur, quanquam et a legatis nostris, et a cæteris omnibus plurimum laudetur et prædicetur ; plurimum ei, et nos et universa debet Ecclesia. Nunc enitendum est, dilectissime fili, ut suum quisque officium Deo et Ecclesiæ præstet, quod, ut de te nobis pollicemur, ita alios de nobis expectare volumus. Speramus Dei auxilio nos assecuturos, ut rectam mentem nostram in iis, quæ in ipsa Synodo constituta sunt, observandis omnes agnoscant. XXIX Decembris MDLXIII, anno IV ».

Stanislaum vero Hosium Polonum cardinalem Warmiensem, quod tam impigre ad exitum usque laboraverit Pontifex præcipue commendavit, cui etiam singulari dilectionis nexu se obstrictum, subjectis litteris, quas integras Rescius [1] Vitæ card. intexuit, professus est :

« Dilecto filio nostro Stanislao S. R. E. presb. card., Warmiensi appellato, Sedis Apostolicæ in Tridentino Concilio legato.

« Vehementer nobis optatum fuit, ut post impositum superno favore finem sacro isti Concilio ad nos redires, ut te, quem inter fratres nostros eximie diligimus, complecteremur, et tibi etiam gratias ageremus pro tantis laboribus, quos in ipso Concilio noster et Apostolicæ Sedis legatus suscepisti : ea te vultus animique lætitia, fili, fuimus excepturi, quam singularis erga te amor noster postulat ; eas vero gratias acturi, quæ tanta tuæ erga Deum pietati, tantæ erga Sedem Apostolicam devotioni et fidei, tanto denique studio, curæ, diligentiæ in commisso tibi a nobis legationis officio adhibitæ debentur ». Et infra : « Sed quando Ecclesia tua, a qua diu abfuisti, primum a felicis recordationis Paulo prædecessore nostro evocatus, deinde a nobis ad Concilium missus tantopere reditum tuum efflagitat, tantopere desiderio et studio flagras commisso tibi gregi præsens tuum pastorale officium ac sollicitudinem præstandi, piæ isti et omni laude dignæ voluntati tuæ morem quin geramus, facere non possumus, etc. V Decembris MDLXIII ».

224. Contulere etiam plurimum ad promovendos Concilii progressus, illudque ad optatum exitum perducendum sacri Caroli Borromæi cardinalis Pontificii nepotis labores, cui virtutes divinis illustratæ miraculis sancti Confessoris Episcopi nomen cultumque pepererunt ; is enim de singulis gravioris momenti rebus, et controversiis, ac difficultatibus in Concilio exortis a legatis Apostolicis monitus omnia referebat ad Pontificem, Pontificiæque voluntatis interpres singula ad legatos perscribebat, ut legatorum ad eum, atque ipsius ad legatos litterarum volumina ostendunt, quæ adeo frequenter per expeditos cursores concitatioribus equis per intervalla dispositis utentes transmittebantur, ut Carolus Vicecomes scripserit [2], quod ob tot difficultates in Concilio exortas opus foret columba, quæ perpetuo Romam Tridento, Tridentumque Roma devolaret. Ut plane Dei consilio factum fuisse apparuerit, quod in manu ejus prosperatum esset Tridentinum Concilium, ut clarissima atque altissima voce virtutis, nempe gestorum ac mirabilium, quibus in Ecclesia Dei illuxit, plus satis manifestum redderetur, quænam esset vera fides, nempe ea, quam Carolus assiduo labore stabiliendam

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. 134. p. 369. Et Joan. Franc. Firman. Diar. tom. XI. Ms. arch. Vat. — [2] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 369. — [3] Pius IV. to. II. brev. sig. num. 2897. Ep. CDII.

[1] Cap. 17. Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CD. — [2] Carol. epis. Vintimil. XVI Januar. MDLXIII. p. 339.

curaverat, et quam jugi postea operatione virtutum comprobavit; ut et hi, qui vel Concilio non credunt, vel de ipso detrahunt, inspecta Caroli conversatione, qui pro illo absolvendo tam strenue insudavit, et qui se totum ad illius normam effinxit, vereantur, nihil habentes mali dicere, sed ipsa rei veritate perstricti glorificent Deum in isto nomine. Porro quanto in hoc opus ardore incubuerit Carolus, ab ejus Vitæ auctore audiamus :

« Tunc Œcumenica Synodus Pii Pontificis auctoritate jussuque Tridenti habebatur, cujus acta progressionesque, cum antea Carolus magno studio ac pietate curasset, tum eo tempore studiosissime cœpit tueri, atque cum de ea dissolvenda quodam tempore ageretur, pluresque ex principibus assentirentur, imo quidam urgerent, ille Pontificis in eo voluntati consentiens, omni auctoritatis suæ conatu restitit perficiendamque curavit. Ad eorum cognitionem, quæ Synodi decretis opus erant, Guilelmo Sirleto plurimum usus est, cujus doctrina, cum antiquæ disciplinæ Græcæque linguæ cognitione, tum vero eximia pietate conjuncta, adeo est delectatus, ut hominem semper plurimi fecerit, neque destiterit, donec eum postea perduceret ad cardinalatus gradum ».

225. *Dæmoniaca curata a sacerdotibus Catholicis, postquam Lutherani ministri nihil profecerint.* — Hoc anno insigni exemplo ostendit Deus quæ sit vera Christi Ecclesia, quæ pellendorum dæmonum potestate implorato Christi nomine polleat, nam cum Lutherani ministri Augustæ arreptitiam curare abacto dæmone frustra conati essent, Catholicus sacerdos malum dæmonem ex obsesso corpore depulit. Rem insignibus circumstantiis instructam his verbis Surius narrat : « Mense Martio hujus anni, in suburbio Augustæ Vindelicorum apud S. Georgium textor quidam habuit filiam annorum viginti a malo dæmone obsessam atque dirissime vexatam, adeo ut parentes ejus tantam calamitatem cernere amplius non sustinentes, Augustanæ Confessionis Lutheranos concionatores ejusdem urbis (erant enim ipsi quoque Lutherani) consilii et opis petendæ causa adierint. Et venerunt quidem nonnulli ex Evangelicis illis præconibus ad puellam dæmoniacam, arbitrati, se virtute et efficacia Lutherici Evangelii Satanam illum expulsuros, sed Satanas Satanam non ejicit. Conati tamen sunt aliquid facere, sed securus eos contempsit teter spiritus, quippe qui Lutheri carnale Evangelium floccipendat. Ne tamen nihil fecisse putarentur, jusserunt parentes diligentem habere puellæ curam. Posse enim Deum facile rursus liberare puellam, si ejus permissu id illi acciderit. Porro virgo quædam Matthiæ Jurati, ejus urbis quondam chirurgi filia, Anna nomine cum famula Margaritha, ex pia quadam Christianæ pietatis com seratione ad eamdem puellam invisendi gratia in hypocaustum venit, perspectaque ejus miseria, cum existimaret, eam non posse unum vivere diem, ægre tantum parentes puellæ permovere potuit, ut accersitum mitterent D. Simonem sacræ Theologiæ doctorem, et apud D. Mauritium Augustæ Catholicum Ecclesiastem. Rogatus ille, ut laboranti puellæ et summis angoribus comprehensæ suam præsentiam non negaret, ad iter se accinxit: cumque haud ita procul ab ædibus dæmoniacæ abesset, illa miserandum in modum clamitare, minitari sui præfocationem, ni dimittatur, simul etiam magno impetu velut e lecto se præcipitare velle; sciscitante vero Anna, quam diximus, et quid sibi vellet, didicit, potum ipsam petere. Tum illa in poculo obtulit illi aquam lustralem sive benedictam, qua hausta, mox cœpit miserabiliter sese agitare, et sursum deorsum movere, adeo ut caput inter pedes adigeretur. Quo viso ii, qui circumstabant, cernere, et re ipsa comperire se dicebant vim quamdam sacratæ illi aquæ inesse ; nulla enim deinceps requie potita est puella, tantamque vim patiebatur ab illo immundo dæmone, qui aquam illam ferre non potuit, ut unus e viris quatuor, qui illam servabant, testatus sit, se ne unam quidem noctem apud illam porro excubare velle, etiamsi urbem Augustam lucraturum se sciret ea opera, nisi parentes illi actutum remedium adferri curarent, adeo nempe tetrum ex ore suo exhalasse fætorem, ut omnes sibi pereundum existimarint.

« Cum sic illa igitur magis magisque exagitata sæviret et tumultuaretur, memoratus D. Simon theologus ad limen domus, ubi ea jacebat, accessit. Tum vero illa barbaricum in morem immaniter vociferari, furere, bacchari, theologo atrociter maledicere : Missum me facito, inquit, sacrifice, probe equidem te sentio, præfocare me vis, furcifer, sceleste, nequam, perditissime. Iis auditis theologus dixit patri puellæ, ut eam liberam sinerent, sed cum immodice sæviret, atque ferociret, clamaretque, se anima et corpore cessisse in jus et dominium mali Dæmonis, idem theologus petiit, ut ejus pedibus vincula injicerentur, itaque ipse ejus parens mantili ejus colligavit pedes ; percontans interim ex theologo, velletne eam duriter ligari ? Cui ille : Minime, inquit, siquidem a te frustra vincietur, nisi Deus eam vinctam tenuerit. Tum illa misera horrendum in modum ad tabulatum usque sese efferate intendens, constrictosque pedes supra caput adducens, se expoliavit, tantamque vim præ se tulit, ut quatuor illi viri, de quibus ante diximus, alios duos sibi adjungere cogerentur, quod non possent soli eam tenere, qui simul omnes clamabant, Jesus, Jesus : malus Dæmon eam asportat. Postquam vero theologus sæpedictus Dei cœpit im-

plorare opem, teter spiritus ad quartam fere horæ partem continenter in puella mire furere et maledicere, tum quoque crassa admodum viri voce multa sciscitari, et respondere disertis verbis non cessavit. Initio his usus est vocibus, ha ha he : equidem, sacrifice, non migro ex hoc domicilio. Simul atque vero a theologo dictum est : Præcipio tibi etc. aliquanto post respondit : Compellor igitur hinc egredi ? Ait Theologus ; In nomine Jesu regis gloriæ præcipio tibi. Tum aliqua interjecta mora, multa nequam Spiritus lugubri voce locutus est, et modo superius, modo inferius emigrare voluit, donec tandem permissum est illi per fenestram abscedere. Antea vero quam id fieret, puella in grabato se pronam invertit, ducensque ronchos, cœpit tumultuari et ferocire, tanquam vomitura ; atque interim ex ejus ore prælonga immanis atra lingua longissime protensa est, osque carbonum instar nigrefactum est, et collum in capitis amplitudinem intuimur, idque sic aliquandiu perduravit. Deinde sursum mox erectis luminibus, Deo laudes gratesque agens, ita ait : Jam nunc ego agnosco et video Deum meum. Multas quoque theologo gratias egit ; a quo creberrime interrogata num se sentiret liberatam ? semper illi respondit ; Liberata sum Dei gratia : sed video quemdam rubicundum capite, tetro vultu, protensa lingua mihi perpetim innuentem, ut ad ipsum veniam. Itaque docuit eam Theologus, ut ter sibi imprimens Crucis signum diceret : *Jesus Nazarenus rex Judæorum.* Cui illa morem gerens, rursus ab illo interrogata, respondit : Quoties Crucem exprimo, toties Dæmon evanescit, sed mox revertitur. Deinde in multis theologus eam pie et Catholice instituit, utque abrenuntiaret sathanæ, et totam se Deo ac Domino suo addiceret, quæ omnia illa se facturam bona fide recepit, et sacrosanctam Eucharistiam accipiens paulatim pristinæ sanitati restituta est. Hanc historiam quisquis sincero perlegit animo, facile videt, apud sectarios nullam esse dæmonum expellendorum potestatem, eamque apud Catholicos in hanc usque diem permanere, nec erit quisquam tam impudens, qui rei hujus veritatem negare ausus sit, cum graves viri eam apud Augustanos compertissimam esse testentur ».

226. *Lusitanus fert opem Abyssinis contra Turcas.* — In Æthiopia ingentes rerum conversiones excitatæ pugnantibus inter se civili bello populis, quos motus Barnagassus princeps auxit. Ex his quidem Pontifex gravem traxit dolorem, cum illud imperium Lusitanorum opera ad Romanæ Ecclesiæ conjunctionem et obsequium pellicere niteretur. Gravioribus itaque curis anxius, ne Turcicum imperium inde latius proferretur, ac religionem Christianam in Æthiopia atque etiam in India postea extingueret, auctumque immensis viribus Christiana Occidentis regna obrueret, Sebastianum Lusitaniæ regem ad ferendam Abyssinis opem incitavit, proposuitque ob oculos, quanti referret ad tuendam rem Indicam Turcicos conatus mature retundere, et quantam gloriam ex præclarissimo facinore collecturus esset [1].

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum regi illustri.

« Non dubitamus, jam in tuam quoque notitiam ea esse perlata, quæ nuper in Æthiopia gesta sunt. Ut enim cognovimus ex litteris ad nobilem virum Alvarum de Castro tuæ majestatis apud nos oratorem ex Ægypto missis, ex his, quas dilectus quoque filius noster Marcus Antonius tit. Sancti-Marcelli presbyter cardinalis Amulius accepit, ortis inter Abyssinos de regno discordiis, Barnagassus quidam ex Abyssinorum principibus pravo admodum detestabilique consilio ad Turcarum auxilium confugit ; illius autem præsidii Turcici præfectus, in spem scilicet ingressus ejus regni per intestinas dissensiones, alias Turcarum cohortes ad se primo quoque tempore mittendas accersivit. Quo nuntio accepto, ad alias gravissimas curas nostras non parva sane sollicitudo accessit ex tanto illius regni discrimine ; etenim nisi impiorum hostium conatus impediatur, verendum esse magnopere intelligimus, ne illa tanta et tam nobilis natio, quæ Christianam religionem jam inde ab Apostolorum temporibus suscepit, et usque ad hæc tempora retinuit, quamque speravimus, divina cooperante gratia et tuæ pietatis auxilio, aliquando ad Ecclesiæ Catholicæ unitatem redactum iri, teterrima Turcarum dominatione opprimatur. Itaque vicem ejus toto ex corde dolentes, et pro pastorali officio tanto in periculo subveniri ei cupientes, in te potissimum, fili, oculos nostros convertimus, qui illi auxilium ferre potes et debes. Majores tui, piæ memoriæ reges, cum Abyssinorum regibus jam pridem amicitia instituta minime eos unquam deseruerunt, sed variis temporibus auxilia illis adversus ipsorum hostes subministrarunt, et cum socialem eis fidem egregie præstiterunt, tum pro sua egregia erga Deum pietate maxime studuerunt Christianæ fidei cultum in illo quoque regno augere et propagare. Hoc autem tempore non solum agitur ejus regni salus, sed si (quod Deus avertat) teterrimi hostes tantum illud et tam opulentum regnum in potestatem suam redigerent, ad eorum vires, quibus tam ægre jam resistimus, magna admodum fieret accessio, et præter commune Christiani nominis in his Occidentis partibus discrimen, tuæ ipsius in India res non parvo in periculo futuræ essent. Abyssinorum enim natione subacta, atque ita Maris Rubri liberam possessionem adepti hostes classium tuarum navigationem in Indiam,

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCXXXV.

et reditum inde in Occidentem quotannis impedire haud dubie conarentur, et te utique in necessitatem adducerent tuendi portus illos Indiæ, quos tenes, multo majoribus sumptibus atque præsidiis. Quantopere vero cupiant et quanti sua interesse intelligant impedire classes tuas, quominus in Indiam navigent, sæpius jam ostenderunt. Moveat igitur te, charissime fili, periculum ejus Christianæ nationis, quæ jampridem est in fide Portugalliæ regum, et tuum auxilium vehementer expectat. Moveat discrimen, quod hæ reliquæ Occidentis provinciæ subituræ essent. Moveat vero etiam proprium et peculiare periculum tuarum classium, et imperii, quod in Indiis obtines, tanto fortissimæ nationis tuæ sudore et sanguine, et tam admirabili majorum tuorum virtute ac felicitate partum et comparatum. Potes etiam nunc imperium illud Abyssinorum ex immanissimorum hostium faucibus eripere, si firma illuc primo quoque tempore auxilia, cum fortibus et rei militaris peritis ducibus miseris. In majoribus quidem tuis tantus pietatis ardor, tantaque animi fuit magnitudo, ut ad infideles ab idolorum cultu ad veram religionem convertendos nullis sumptibus parcentes, maximas et instructissimas classes in Indiam usque miserint, et prolatis feliciter fidei Christianæ finibus summam sibi in cœlo et in terris gloriam compararint. Tu ab illis ortus, tam præclara indole præditus, tantis jam Dei beneficiis usus, Abyssinorum gentem Christi cultricem, et cum familia tua tam vetere amicitia ac tam sancto fœdere conjunctam, Christo et Ecclesiæ surripi, et nefando Mahometi servire patieris? Minime. Nos vero hoc de te vereri aut suspicari non possumus, sed tamen præter officium pastorale, quod nos cogit, ut salutem ejus nationis tibi tam diligenter commendemus, paternus erga majestatem tuam amor noster non minus nos commovit, ut cum hæc res tantopere pertineat ad fidem, ad officium, ad existimationem tuam, et ad tuarum rerum in India tutelam, te ad obviam eundum hostium conatibus hortemur, excitemus et moneamus. Tempus etiam nunc opportunum habet majestas tua; id si, quod tamen non veremur, prætermitteres, frustra esses postea requisiturus. Cave, quæsumus, tam pii, tam necessarii officii fungendi, cave tantæ laudis et gloriæ pariendæ, tanti denique a tuis classibus periculi depellendi tempus amittas. Datum Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die VI Februarii MDLXIII, Pontificatus nostri anno IV ».

227. Gessit morem Sebastianus rex Pontifici ac proregem Indiæ instructa classe contra Turcas Æthiopibus auxilia ferre jussit, in quo pietatem ejus commendavit Pontifex XXVI Novembris [1], stimulosque addidit, ut eam contra Turcas expeditionem conficiendam curaret [1].

« Charissimo in Christo filio nostro Sebastiano Portugalliæ et Algarbiorum regi illustri.

« Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem. Litteras tuas die vigesima Junii datas a nobili viro oratore tuo nobis redditas libentissime legimus; perspeximus enim quantum apud te ponderis habuerit paterna illa hortatio nostra de ferendo Abyssinorum nationi auxilio adversus immanissimos hostes religionis nostræ, qua in re præclarum illum animum majorum tuorum, qui nulla oratione satis laudari possit, tuendæ ac defendendæ Christianæ religionis, et impiorum hostium conatibus in omnibus orbis terrarum partibus obsistendi, singulari Dei beneficio in te redivivum esse summopere lætamur. Majestatis tuæ tam pium istud in religionem studium, firmissimum est, fili charissime, regni tui præsidium. Regiam dignitatem et gloriam tuam is et tuebitur et augebit, cujus tu honorem et cultum tantopere cupere te et paratum esse ostendis tueri, atque omni studio propagare. Quod igitur, et tua sponte gravissimis de causis, quas ipse commemoras, facturus fuisti, et nostra hortatione commotus studiosius te facturum esse confirmas, ut ipsis Abyssinis auxilia mittas, id, quæsumus, quamprimum poteris, effice, cum sicut accepimus, majori illi in dies in discrimine versentur propter novas copias, novosque Turcarum duces illuc cum novo tyranno submissos, ut eo celerius ac maturius auxilium eis ferre necesse sit. Habemus alias duas epistolas abs te die XXVII mensis ejusdem datas, quarum in altera laudas multis verbis consilium nostrum de iis, quæ ad mores pertinent, corrigendis; eo quidem animo sumus, eo ab initio Pontificatus fuimus, ut hominum licentiæ in sacris canonibus negligendis obviam ire statuerimus, id quod multis jam in rebus fecimus, sed nullam deberi nobis laudem putamus, cum id agimus, quod officii nostri ratio postulat, etc. Dat. Romæ apud Sanctum-Petrum sub annulo Piscatoris die XXVI Novembris MDLXIII, Pontificatus nostri anno IV ».

228. *Maximilianus rex Romanorum oratorem ad præstandam obedientiam Pio IV mittit.* — Exegit a Maximiliano Secundo delecto Romanorum rege Pius Quartus, ut veteri more Sacramentum fidei Romano Pontifici præstaret, at ille aliquandiu non assensit [2] subjecitque eum morem obsolevisse, non illud præstitisse Ferdinandum, non Carolum V, atque ad exempla Ottonis Quarti, Frederici Secundi, Rodulphi, Alberti Primi, Henrici Quarti, et Caroli respondit aliam fuisse rationem temporum, nec se iis legibus teneri, quibus Carolus Quartus pro im-

[1] Pius IV. to. II. brev. sig. 2897. Ep. CCCXCV.

[1] Brev. Pii IV. to. II. sig. num. 2897. Ep. CCCXCV. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. XXXII.

perio adversus Ludovicum Bavarum obtinendo se Pontifici astrinxerit, nec ejus rei exempla ostendi in Maximiliano Primo, in Carolo Quinto, in Ferdinando Primo; nec obsoletum morem instaurandum videri, ut Maximilianus Secundus oratorem ad præstandum Romæ Pontifici fidei sacramentum mittat, de quibus plura Delphinus internuntius ad Carolum cardinalem Borromæum datis Viennæ decima quarta Augusti litteris scripsit, additque, dixisse sibi Maximilianum Francfordiæ se consueta juramenta nuncupasse. Porro Pius Quartus rem honestissimam atque Cæsare dignissimam exigebat [1], ut rex Romanorum sacramento fidei insereret paratum se pro fide Catholica mortem oppetere, Cæsareumque responsum contrariis argumentis elisit, ac veterum Cæsarum, qui maxima gloria ac potentia effloruerant, litteras et publica Monumenta, quæ in Annalibus suis locis inserta sunt, transmisit, quibus victus Maximilianus Secundus oratorem ad Pium Quartum misit, qui regio nomine demissa obsequia protectionemque Pontifici spopondit. Quæ vero præterea exigebat Pontifex, ut Maximilianus nullum cum hæreticis vel hostibus Ecclesiæ fœdus jungere posset, non admisit Ferdinandus ob infelicem conditionem temporum, seque ac filium subjectis litteris [2] ad cardinalem Moronum datis honeste excusavit.

FERDINANDUS etc.

« Reverendissimo in Christo Patri domino Joanni sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopo Prænestino, cardinali Morono, et sanctiss. D. N. ad sacrum Concilium legato, amico nostro charissimo, salutem ac benevolentiæ nostræ affectum.

« Cum superioribus diebus paternitas vestra reverendissima nobis per litteras significaverit, quæ ejus sit sententia in negotio legationis, quam a serenissimo principe domino Maximiliano ac Bohemiæ rege filio nostro charissimo, ad sanctissimum dominum nostrum instituta est, ejus officii præstandi causa, quod nos, ac divi prædecessores nostri Sanctitatis ejus antecessoribus felicis recordationis et Sedi Apostolicæ præstitimus ». Et mox : « tandem in eam sententiam seu resolutionem descendimus, quæ rationi et æquitati adeo est consona, ut omnino confidamus, Sanctitatem ejus illi benigne ac paterne acquieturam esse, et inde perspecturam nobis in hac parte, nihil esse propositum, nisi quod sit rectum, justum et consuetum, neque profecto nobis dubitandum arbitramur, quin paternitas vestra reverendissima (posthabita prorsus memoria eorum, quæ ut frustra nobiscum fuerunt attentata, ita nulla ratione a serenissimo filio nostro extorqueri permittemus) ejuscemodi nostram deliberationem et resolutionem non solum sit approbatura, verum etiam solito studio, quo pro sua præclarissima et integerrima in nos voluntate cætera omnia negotia nostra amplectitur, apud Sanctitatem ejus promotura, nec quidquam eorum prætermissura, quæ possunt ac debent a viro in amplissima ista dignitate constituto expectari : licet enim natura a supervacaneis contentionibus et quæstionibus abhorremus, ac filialem nostram observantiam Sanctitati ejus quovis loco et tempore contestari studuimus, sic etiam in hæc justa et æquissima sententia nostra, Deo volente, persistere decrevimus, etc. Datum in civitate nostra Vienna die XVIII Augusti anno Domini MDLXIII, regnorum nostrorum Romani XXXIII, aliorum vero XXXVII ».

229. *Oranum recuperatum.* — In Africa hoc anno Oranum, nobilissima Christianorum arx, non semel contra barbaricos impetus divina virtute defensa, a rege Algerii et Draguto archipirata validissima obsidione pressum est, atque impressionibus hostilibus post sævissimas tormentorum bellicorum diverberationes oppugnatum, sed mira præsidiariorum Hispanorum militari virtute atque constantia propugnatum est, donec regis Catholici classis munitissima suo terrore hostes in fugam compulit adeo præcipitem, ut tormenta bellica abjecerint et multas naves amiserint, de qua victoria Romæ solemni ritu actas Numini gratias a Pontifice refert Joannes Franciscus Firmanus [1] sacrorum rituum magister : « MDLXIII, vigesima secunda Julii in Ecclesia Sancti-Marci missa pro gratiis agendis Deo de liberatione Orani, loci maximi momenti, ab obsidione ». Depulsis ab obsidione Orani Numidis a classe Catholici regis, triremes Melitensium equitum ac Genuensis reipublicæ, et ducis Sabaudiæ Carthagenam appulisse, ac se classi Hispanæ conjunxisse ad expeditionem aliquam conficiendam, referunt litteræ [2] Alexandri Cribellii, in Catholici regis aula internuntii Apostolici, vigesima Junii exaratæ.

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3218. Ep. XXXVI. Ib. Ep. XXXIII. Ib. Ep. LXVIII. Ib. Ep. LXI. — [2] Ms. arch. Vat. sign. num. 3216. p. 28.

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 321. Ep. CII. Jun. MDLXIII. Jo. Fr. Firman. Ms. arch. Vat. Diar. tom. XI. Natalis Comes hist. l. XIV. Joan. Bapt. Adrian. l. XVII. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3215. Ep. CXVI.

PII IV ANNUS 5. — CHRISTI 1564.

1. *Pius IV decreta Concilii Tridentini a se confirmata promulgat, et prohibet ne quis supradictis decretis audeat glossas addere.* — Anno redempti humani generis millesimo quingentesimo sexagesimo quarto, Indictione VII, post absolutam sacrosanctam Tridentinam Synodum Jo. Card. Moronus, qui summa cum omnium approbatione legatum Apostolicum ac præsidem egerat, Pontifici in cardinalium senatu exposuit, communi Patrum decreto sancitum fuisse, ut Actorum, quæ Paulo Tertio, Julio Tertio et ipso Pio Quarto Pontificibus confecta fuerant, confirmatio [1] a Sede Apostolica flagitaretur, eamque a se et Patribus, quorum in ea re personam gerebat, postulari, uti etiam ante arcano colloquio expetierat :

« Die Mercurii », habent Acta, « XXVI Januarii, reverendissimi DD. cardinales Moronus et Simoneta, uti prius privatim petiisse asseruerunt, ita et in sacro Consistorio ordine petierunt a S. D. N. confirmationem omnium decretorum et definitorum in sacro Concilio Tridentino nomine ipsius Concilii, prout in cedula tenoris infrascripti, videlicet :

2. « Beatissime Pater, in decreto super fine Concilii Œcumenici publicato pridie nonas Decembris statutum fuit, ut per Sanctitatis vestræ et Sanctæ Sedis Apostolicæ legatos et præsidentes peteretur nomine dicti Concilii a Sanctitate vestra confirmatio omnium et singulorum, quæ tam sub felicis recordationis Paulo Tertio et Julio Tertio, quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt; quapropter nos Joannes cardinalis Moronus et Ludovicus Simonetta, qui tunc legati et præsidentes eramus, volentes exequi quod in dicto decreto stabilitum fuit, humiliter petimus nomine dicti Concilii Œcumenici Tridenti, ut Sanctitas vestra dignetur confirmare omnia et singula, quæ tam sub felicis recordationis Paulo Tertio et Julio Tertio, quam sub Sanctitate vestra in eo decreta et definita sunt.

« Sanctissimus cum quædam dixisset super necessitate reformationis morum, et de ejus animo propenso ad confirmationem decretorum in materia fidei et reformationis, et ad executionem eorum, et multa de ejus officio pastorali et sollicitudine erga honorem et servitium Dei et hujus Sanctæ Sedis, commendata diligentia DD. RR. legatorum, et pietate Patrum qui in dicto Concilio interfuerunt, habitis votis RR. DD. meorum cardinalium de eorum consilio et assensu omnia decreta et definita in materia fidei et reformationis in dicto Tridentino Concilio confirmavit per verba infrascripta, prout in cedula, quam mihi tradidit, tenoris infrascripti, videlicet :

« Petitioni nomine Concilii Œcumenici Tridentini super ejus confirmatione per dictos legatos nobis factæ annuentes, omnia et singula quæ in dicto Concilio, tam sub felicis recordationis Paulo Tertio et Julio Tertio prædecessoribus nostris, quam Pontificatus nostri tempore decreta et definita sunt, auctoritate Apostolica, et de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium consilio et assensu confirmamus, et ab omnibus Christi fidelibus recipi, et inviolabiliter observari, litterasque super his ad majorem notitiam expediri mandamus, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

« Deinde subdidit [1] multas se difficultates in executione habiturum, eas se tamen velle superare, et difficultates omnes cardinalium auxilio superaturum.

« Postremo se velle dixit, ut episcopi omnino ad suas Ecclesias proficiscantur, neque se eorum opera usuros, nisi in iis locis, ubi suis etiam in Ecclesiis residere possint; revocatu-

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 370.

[1] Act. Cons. Ms. card. Chis. lit. G.

rum nuntios, qui episcopi essent, nullo denique episcopo in suis ministeriis usurum, ac ne rei quidem familiari præfecto usurum.

3. « Dixerat etiam placere sibi, ut causæ in prima instantia in partibus cognoscerentur, et modo justitia administraretur, cupere se nullam omnino litem in Urbem deferri. Optandum sibi esse omnia onera et labores nimios, modo id cum Dei gloria fieret; damnum vero hujus curiæ multo levius fore, quam prima facie videretur, tamen quantumcumque esset pro universali bono Christianæ Republicæ negligendum ». Et quamvis aliqui essent in curia, qui magis quæ sua sunt, quam quæ Christi, quærentes, incommoda et detrimenta aliqua ex instaurata Ecclesiæ disciplina sibi timerent, Pius tamen divina tantum gloria sibi ob oculos proposita omnem quæstus privatique commodi rationem obtrivit, subjectoque Diplomate [1] decreta Tridentini Concilii a se confirmata promulgavit, deditque imperia omnibus præsulibus, ut ea summa religione observanda curarent, tum Cæsarem regesque ac principes alios hortatus est, ut eos publica auctoritate contra protervientes fulcirent; ne etiam ea decreta adulterinis interpretationibus corrumperentur, vetuit, intentato anathemate, ne quis in ea ullos commentarios, aut glossemata ederet, sed si quæ dubia occurrerent, Sedem Apostolicam consuli jussit :

« Ad perpetuam rei memoriam.

« Benedictus Deus et Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum, et Deus totius consolationis, qui respicere dignatus est Ecclesiam suam sanctam tot procellis et tempestatibus agitatam, atque vexatam, et gravius in dies laborantem, apto tandem ei subvenit opportunoque remedio ad plurimas et perniciosissimas hæreses extirpandas, ad corrigendos mores et restituendam Ecclesiasticam disciplinam, ad pacem et concordiam Christiani populi procurandam. Indictum jam pridem in civitate Tridentina Œcumenicum et Generale Concilium a piæ memoriæ Paulo Tertio prædecessore nostro, et sessionibus aliquot habitis cœptum fuerat, ab ejus autem successore Julio in eamdem urbem revocatum post alias sessiones celebratas variis impedimentis et difficultatibus objectis, ne tum quidem peragi potuerat. Itaque diutius intermissum fuerat non sine maximo mœrore piorum omnium, cum quotidie magis Ecclesia ejusmodi remedium imploraret. Nos autem post susceptum Sedis Apostolicæ regimen, tam necessarium ac salutare opus, sicut pastoralis sollicitudo monebat, divinæ misericordiæ fiducia perficere aggressi, adjuti pio studio charissimi in Christo filii nostri Ferdinandi Romanorum imperatoris electi, et aliorum Christianorum regum, rerumpublicarum ac principum, tandem consecuti sumus, quod nec diurnis nec nocturnis curis laborare destitimus, quodque e Patre luminum assidue precati sumus. Cum enim eam in urbem, undique ex Christiani nominis nationibus convenisset nostris convocata litteris, et sua etiam ipsorum pietate excitata, episcoporum et aliorum insignium prælatorum maxima et Œcumenico Concilio digna frequentia, præter plurimos alios pios, et sacrarum litterarum scientia, divinique et humani juris cognitione præstantes viros, præsidentibus ipsi Synodo Sedis Apostolicæ legatis, nobis adeo Concilii libertati faventibus, ut etiam de rebus Sedis Apostolicæ proprie reservatis libere ipsi Concilio arbitrium per litteras ad legatos nostros scriptas ultro permiserimus, quæ de Sacramentis et aliis rebus, quæ quidem necessariæ visæ sunt tractandæ, definiendæ et statuendæ restabant ad confutandas hæreses, ad tollendos abusus et emendandos mores a sacrosancta Synodo summa libertate diligentiaque tractata, et accurate ac mature admodum definita, statuta, explicata sunt. Quibus rebus perfectis, Concilium tanta omnium qui interfuerunt concordia peractum fuit, ut consensum eum plane a Domino effectum fuisse constiterit, idque in nostris atque omnium oculis valde mirabile fuerit. Pro quo tam singulari Dei munere supplicationes statim in hac alma Urbe indiximus, quæ magna cleri ac populi pietate celebratæ fuerunt, laudesque et gratias divinæ majestati merito persolvendas curavimus, cum ejusdem Concilii exitus spem magnam et prope certam attulerit fore, ut majores in dies fructus ad Ecclesiam ex ipsius Decretis Constitutionibusque proveniant.

« Cum autem ipsa sancta Synodus, pro sua erga Sedem Apostolicam reverentia, antiquorum etiam Conciliorum vestigiis inhærens, decretorum suorum omnium, quæ nostris et prædecessorum nostrorum tempore facta sunt, confirmationem a nobis petierit, decreto de ea re in publica sessione facto : Nos ex legatorum litteris prius, deinde post reditum eorum ex iis quæ Synodi nomine diligenter retulerunt, postulatione ipsius Synodi cognita, habita super hac re cum venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus deliberatione matura, sanctique Spiritus in primis auxilio invocato, cum ea decreta omnia Catholica et populo Christiano utilia ac salutaria esse cognovissemus, ad Dei Omnipotentis laudem de eorumdem fratrum nostrorum consilio et assensu in Consistorio nostro secreto illa omnia et singula auctoritate Apostolica hodie confirmavimus, et ab omnibus Christi fidelibus suscipienda ac servanda esse decrevimus, sicut harum quoque litterarum tenore, ad clariorem omnium notitiam confirmamus et suscipi observarique decernimus.

[1] Ext. in Bul. Cons. et post Acta Conc. Trid.

Mandamus autem in virtute sanctæ obedientiæ, et sub pœnis a sacris canonibus constitutis, aliisque gravioribus, etiam privationis, arbitrio nostro infligendis, universis et singulis venerabilibus fratribus nostris patriarchis, archiepiscopis, episcopis, et aliis Ecclesiarum prælatis, cujuscumque status, gradus, ordinis et dignitatis sint, etiamsi cardinalatus honore præfulgeant, ut eadem decreta et statuta in Ecclesiis suis, et diæcesibus, et in judicio, et extra judicium diligenter observent, et a subditis quisque suis, ad quos quomodolibet pertinent, inviolabiliter faciant observari, contrafactores quoslibet et contumaces per sententias, censuras et pœnas Ecclesiasticas, etiam in ipsis decretis contentas, appellatione posposita, compescendo, invocato etiam, si opus fuerit, brachii sæcularis auxilio. Ipsum vero charissimum filium nostrum imperatorem electum, cœterosque reges, respublicas, ac principes Christianos monemus, et per viscera misericordiæ Domini nostri Jesu Christi obtestamur, ut qua pietate Concilio per oratores suos affuerunt, eadem pietate ac pari studio divini honoris, et populorum suorum salutis causa, pro Sedis quoque Apostolicæ et sacræ Synodi reverentia, ad ejusdem Concilii exequenda et observanda decreta, prælatis, cum opus fuerit, auxilio et favore suo adsint, neque adversantes sanæ ac salutari Concilii doctrinæ opiniones a populis ditionis suæ recipi permittant, sed eas penitus interdicant.

« Ad vitandum præterea perversionem et confusionem, quæ oriri posset, si unicuique liceret, prout ei liberet, in decreta Concilii Commentarios et interpretationes suas edere, Apostolica auctoritate inhibemus ». Et infra : « Ne quis sine auctoritate nostra audeat ullos commentarios, glosas, admonitiones, scholia, ullumve interpretationis genus super ipsius Concilii decretis, quocumque modo edere, aut quidquam quocumque nomine, etiam sub prætextu majoris decretorum corroborationis aut executionis, aliove quæsito colore statuere. Si cui vero in eis aliquod obscurius dictum et statutum fuisse, eamque ob causam interpretatione aut decisione aliqua egere visum fuerit, ascendat ad locum, quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apostolicam omnium fidelium magistram, cujus auctoritatem etiam ipsa sancta Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates et controversias, si quæ ex eis decretis ortæ fuerint, nobis declarandas et decidendas, quemadmodum ipsa quoque S. Synodus decrevit, reservamus, parati, sicut ea de nobis merito confisa est, omnium provinciarum necessitatibus, ea ratione, quæ commodior nobis visa fuerit, providere : Decernentes nihilominus irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari etc. Datum Romæ apud S. Petrum anno Incarnationis Domini, etc. MDLXIII, VII kalend. Febr. Pontificatus nostri anno V ».

4. *Carolus Borromæus sanctioris vitæ disciplinam in se suaque familia instituit.* — Adjectæ sunt viginti sex cardinalium subscriptiones, non enim plures Romæ præsentes erant. A dato etiam Diplomate præfixit kal. Maii pro temporis principio, quo decreta emendatioris morum normæ restitutæque sanctioris disciplinæ universos obstringerent. Octo etiam cardinales, inter quos Carolus Borromæus Tit. S. Martini in Montibus adscriptus est, decretis Tridentinis in communem usum adducendis in publicis omnibus tribunalibus ac judiciis præfecit.

Is cum probe nosset, nihil ad revocandam Ecclesiasticam disciplinam, sanctionesque Concilii in opus perducendas salubrius atque efficacius, quam si ipse, ex alta veluti, in qua positus erat, specula, sanctitatis ubique radios diffunderet, ad quod, ut Nazianzenus [1] aiebat, « Se velut spiritualem quamdam statuam ad optimæ cujusque actionis pulchritudinem expolitam imitandum proponeret ». « Ad sui ipsius », scribit Novariensis episcopus, « suorumque meliorem vitæ rationem multa cum instituisset, sancitis demum anno MDLXIII Tridentinæ Synodi decretis, ea studiosus est assecutus, adjecitque etiam sanctiora. Circiter octoginta de domo sua missos fecit uno tempore, eos fere omnes, qui clericali vitæ minus apti videbantur, quos benigne admodum liberaliterque tractatos dimisit. Serica indumenta, non sibi solum, sed familiaribus omnibus interdixit, qui neminem ex eis antea sine sericis splendidisque vestibus admittebat. De corpore suo nihil adhuc severius statuit, quam ut uno die singulis hebdomadis pane tantum et aqua vesceretur. Molesta cæpit esse gravissimarum occupationum assiduitas, quibus ne a divinarum rerum contemplatione abstraheretur, in ædiculam quamdam, quam sibi remoto loco ad id constituerat, sese abdere certis horis cœperat, paulatimque se prorsus a rebus agendis subtrahere velle videbatur, nisi quem vehementer observavit, Bartholomæus archiepiscopus Bracharensis ex Ordine Dominicano magna sanctitate præsul admonuisset, Ecclesiæ Carolique ipsius conscientiæ periculosum sibi videri, diffugere munia, occupationesque illas, quæ facile in homines longe diversæ sententiæ recidere possent. Quæ res fecit, ut consuetos labores atque onera pergeret sustinere ». Hæc et alia plurima hujusmodi sanctiss. cardinalis instituebat ad dandam scientiam salutis plebi Dei, et ad sacros. Tridentini Concilii decreta, non tam verbis quam moribus in opus perducenda.

[1] Or. XIX.

5. *Congregationis Oratorii primordia.* — Sed divino prorsus consilio factum est, ut cum in ipsa Pontificia aula Pontificius nepos, S. R. E. cardinalis, tam illustribus sanctitatis radiis refulgere cæpisset in orbe, in ipsa pariter Urbe Roma S. Philippus Nerius sanctitate ac necessitudine Carolo conjunctissimus hoc ipso anno, quos Christo dudum pepererat filios, ac spiritualibus quotidie exercitationibus ad profectum virtutum excitabat, in unum cogi atque exactius perfectionis iter arripere disposuerit; cui quidem operi, cum primarium veluti lapidem Cæsar Baronins posuerit, justum profecto est, ut ad Ecclesiasticæ Historiæ Patris ornandam memoriam, et quo cœperit anno, et quo etiam modo, in Annalibus Ecclesiasticis demonstretur. Rem gestam commemorant Petrus Jacobus Baccius in Vita S. Philippi, quam fidelissime descripsit, ac Hieronymus Bernabeus, tum in Vita, quam edidit Cæsaris card. Baronii, tum in ea, quæ Ms. asservatur apud nos de gestis S. Philippi, quam propediem ab amicissimis itemque eruditissimis Soc. Jesu sacerdotibus Godefrido Henschenio et Papebrochio in præclarissimo illo opere, cui Titulus *Acta Sanctorum* mensi Maio [1], quem præ manibus nunc habent, inserendam præstolamur. Nos autem ab Antonio Gallonio, qui præsens tunc aderat, et quorum postea pars magna fuit, acceptam hic damus, quæ sic habet :

« Philippus interim, ubi e morbo, de quo nuper est dictum, convaluit, nuntios ad eum confestim Florentini cives mittunt, qui postularent, ut ipsorum Ecclesiæ, quæ S. Jo. Baptistæ nomine celebris habetur, regimen susciperet. Ad hæc Philippus, qui res arduas nonnisi consulto Deo aggredi consueverat, quæ visum est respondit. Sed cum ille rem jam Domino diutius commendasset, annuit tandem, sibique id placere dicit, cupere tamen aliquot e suis discipulis sacerdotio primum initiari, seque præterea e templi S. Hieronymi haudquaquam recessurum significat. Accipiunt Florentini conditionem, domum ad habitandum attribuunt, stipendium, unde vivant, offerunt.

« Interea Philippus tres e suis alumnis sacris initiari facit : Primus sociorum, qui ad apicem sacerdotii evehitur est Cæsar Baronius toti jam orbi ob eruditissimam Annalium Ecclesiasticorum editionem notissimus. Alter fuit Jo. Franciscus Bordinius. Tertius Alexander Fidelius. Convictus cœptus est anno MDLXIV. Principio, etsi ad Ecclesiam S. Hieronymi iretur quotidie, quisque tamen privatim sine certis tum propriis legibus ad Philippi nutum vivebat. Primi ex patribus, qui una esse cœperunt, fuere Cæsar Baronius, et Alexander Fidelius, aliique postea.

[1] Gall. an. 1564. Vita S. Phil.

« Vivebant patres eodem tecto, quibus cor unum erat, et anima una, mutuo se ardentique amore diligebant, Deoque rem gratam facere omni ope nitebantur. Alumnos Philippus mira dulcedine benignitateque regebat, omnia enim ille factus omnibus, eos, quibus parentis loco erat, consiliis paternisque adhortationibus potius quam auctoritate imperioque ad munera obeunda inducebat : illudque mirandum in eo simulque imitandum cernebatur, ipsum nullum ferme unquam imperio aut præcepto ad aliquid agendum impulisse, sed lenitate magis affabilitateque sermonis : facilius enim ille blanditiis, lenibus adhortationibus, modestiaque, rogantis instar potius quam jubentis, eorum quæ agenda erant, ardua magnaque, obedientiam impetrabat, quam alii auctoritate extorquere soleant; ita autem singulorum animos tenebat, ut eos, quoquo vellet, impelleret. Cæterum, ut religiosæ vitæ ritum formamque introduceret, constitutiones quasdam communi consensu condendas curavit, quas alacri fronte promptisque animis susceperunt omnes. Illud vero sapienter monebat, nullam aliam esse certiorem tutioremque rationem recta via, quo quis intendit, perveniendi, quam gnarum itineris ductorem sequi : contra, nihil periculosum magis, quam suo arbitratu, præpositorum auctoritate posthabita semet regere.

« At revertamur ad patres, qui unanimes in Domino ambulantes, magno cum animorum fructu in Christi vinea excolenda apud Florentinos pro viribus laborare cæperunt : accedentium confessiones audire : Eucharistiæ Sacramentum, qui per sacerdotium poterant, ministrare : a prandio ad Ecclesiam S. Hieronymi se recipere, ut ubi de more sermones de rebus piis ad multitudinem facerent. Dominicis diebus præter Oratorii sermones quotidianos, modo Baronius, modo Bordinus in æde sacra, Florentinorum populo qui aderat cupidissime audiente, e suggestu concionabatur, quibus rebus factisque brevi factum est, ut tam sacerdotum numerus, quam confluentium ad eum locum multitudo mirifice augeretur.

« Dictis factisque populum ad omne officium atque virtutem vehementissime accendebant, multos a turpi et flagitiosa vita non ad sobrietatem solum et continentiam, sed ad contemptum etiam rerum fluxibilium, atque ad salutaria Christi consilia, et frequentem sacramentorum usum suaviter compulerunt ». Pergit auctor enarrare de salutari familiarium sermonum quotidiano usu, quem, cum satis abunde card. Baronius primo Annalium suorum Tomo descripserit, non est hic animus ulterius repetere, cum jam longa digressione ab historia deflexerimus, non tamen omnino, ut credimus, inutili, vel injucunda, atque ab instituto aliena, ut in restauratione Hierusalem, quæ per san-

ctiorem a Concilio inductam disciplinam præparabatur, illud, quod Nehemiæ c. IV legitur, impletum fuisse innotescat. *Una manu sua faciebat opus, et altera tenebat gladium* [1], ut nimirum dum ex una parte sacrosanctæ Synodi decreta veluti gladii ex utraque parte acuti tenerentur in manu, atque simul evaginarentur ad faciendam vindictam in nationibus hæresi infectis, et increpationes in populis moribus dissolutis; ex altera probatior sacerdotum vita, atque disciplinæ Ecclesiasticæ exactior censura in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi, quod est Ecclesia, instantius incumberet ».

6. *Pius studet ut omnes principes Concilium recipiant.* — Sed jam ad ea, quæ Pontifex disposuerat, ut non in Urbe tantum, sed in universo terrarum orbe Concilii decreta promulgarentur simul ac custodirentur, inspiciamus.

Habita jam ante fuerant plura consilia de gerendis rebus, postquam Œcumenicæ Synodi Tridentinæ Acta fuissent a Pontifice confirmata, atque post collatas sententias, maximaque prudentiæ maturitate expensas, hæc in opus provocanda decretum fuerat, ut ex Ms. Vaticanis [2] constat :

« Hæc sunt, quæ in præsenti firmanda esse dictum fuit. Primo : facta confirmatione mittantur a Sanctitate sua legati, seu nuntii idonei et graves ad omnes principes quibus deferant confirmationem factam a Sanctitate sua, et curent ut auxilio ac etiam favore ipsorum principum ea, quæ in Concilio statuta sunt, debitam in provinciis executionem consequantur.

« Secundo : significetur archiepiscopis confirmatio Concilii facta a Sanctitate sua, et mandetur illis, ut omnia et singula decreta Concilii observent et exequantur, omnesque suos suffraganeos, etiam exemptos, moneant auctoritate Apostolica ad ea similiter obtinenda et exequenda.

« Tertio : cardinales protectores provinciarum scribant ad illorum reges et principes, ut nominandi seu transferendi ad regimen Cathedralium Ecclesiarum sint præditi omnibus qualitatibus requisitis.

« Quarto : in promovendis episcopis antequam fiant synodi provinciales, hæc observentur. Primo, ut quorum notitia nulla aut recens in curia fuerit, eorum sumatur instructio a nuntiis seu ordinariis, de omnibus qualitatibus requisitis a jure communi, et a sancta Synodo juxta cap. 2, sess. V et VI sub Pio. Secundo, ut promovendus faciat professionem fidei, juxta formam quæ nunc præscribetur. Tertio, ut cardinales faciant relationem, eo modo, quo continetur cap. 5, sess. VIII sub Pio : et in his statuat sua Sanctitas, qui debeant esse hi cardinales, an capita ordinum an vero alii. Quæ autem de promovendis episcopis dicuntur, eadem etiam in transferendis observentur. Quinto resignationes præteritæ, sive signatæ, sive cum data sola usque ad diem confirmationis Concilii expediantur secundum morem antiquum : idemque servetur in dispensationibus matrimonialibus petitis ante confirmationem Concilii in tertio et quarto gradu, aut aliis casibus consuetis. Sexto etiam post confirmationem Concilii, antequam fiant synodi Diæcesanæ, provideat in forma dignum, cum clausula, donec fiant synodi Diœcesanæ ».

Hæc vero in opus provocata fuisse a Pio ostendunt ejus litteræ [1] ad archiepiscopum Gnesnensem datæ XXVIII Martii, quibus eum certiorem fecit de confirmatis a se Tridentini Concilii decretis, jussitque, ut provincialem synodum celebraret, atque ad commendanda operi ea decreta, studium omne atque operam intenderet, quo etiam argumento ad Sigismundum regem Poloniæ, ut regiam in ea re auctoritatem adhiberet, extant [2] litteræ, Philippus quoque Hispaniarum rex [3] ad ejus operis laudem inflammatus est, Helvetique toparchiarum Catholicarum magistratus Pontificiis hortatibus [4] concitati.

Cum vero ad Gallorum postulata, apud quos Huguenotta hæresis sive Calviniana suæ impietatis virus diffuderat, ingentesque controversiarum seditionumque motus concitarat, Tridentinam Synodum coactam viderimus, propterea Pius ad restinguenda hæreseos incendia, legationem Pontificio, Cæsareoque, et Philippi II Hispaniarum regis, ac Philiberti Sabaudiæ ducis nomine ornandam sategit, qua rex Carolus rogatus est [5], ut religionem Catholicam in Gallia assereret, Tridentinaque decreta amplecteretur, totoque regno servanda ediceret. Quia etiam superiore anno regii administri hæretica licentia invaserant, ac distraxerant bona Ecclesiastica, addidere oratores, ne posthac ea publicæ auctioni addiceret. Hortati quoque sunt, ut Gallici nominis proditores, qui Anglos et Lutheranos in auxilium exciverant, meritis pœnis afficeret. Monuere etiam, non esse in terreni regis potestate ac jure illatas Numini injurias remittere, atque adeo templorum eversores, prophanatores sacrorum, sacerdotum interfectores, sacræ supellectilis raptores legibus coercendos. In auctores etiam cædis Guisiani ducis, adeo de re Gallica et religione Catholica bene meriti, animadvertendum consuluere. De qua legatione, redditoque a Carolo rege responso, hæc refert Franciscus Belcarius [6] episcopus Metensis.

[1] Esdr. l. II. c. 4. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3196. pag. 7.

[1] Pius lib. brev. an. V. Ep. CXVII. — [2] Ib. Ep. CXVIII. — [3] Ib. Ep. CX. — [4] Ib. Ep. CVIII. — [5] Ext. ib. post Acta. — [6] Belc. Comment. rer. Gal. num. 26. Jac. Aug. Thuan. l. XXXVI.

7. *Pontifex tam suo quam principum nomine legationem instituit ad Gallum regem, ut eum edoceat quæ agenda sint.* — « Sexagesimi quarti hujus sæculi anni initio Pius IV Pontifex Maximus, Ferdinandus imperator, Maximilianus Romanorum, Philippus Hispaniæ rex, Philibertus Sabaudiæ regulus de communi consensu legatos ad regem Carolum miserunt, veriti, ne propter infirmam ejus ætatem, ad novam Calvinianorum persuasionem , qua bona Galliæ pars infecta erat, sectarum omnium deterrimam, deficeret, et late patentem reipublicæ Christianæ perturbationem multum sua defectione augeret : major enim Germaniæ pars Lutherianam, imo vero fere tota Germania Lutherianam, quæ Augustana dicta est, sequitur, nisi quæ Gallis et Helvetiis vicinior est, quemadmodum Argentinenses et quædam Palatini septemviri provinciæ, quibus Anglia et pleræque ex Flandricis accesserunt, atque ex nostris hominibus, Gallis, inquam, quotquot a vetere persuasione sive religione defecerunt, hi omnes Calvinianam profitentur. Calvinianam voco, quam Joannes Calvinus libris suis, tam Latinis quam vulgari sermone scriptis propagavit, cujus Œcolampadius ac Zuinglius a Martino Luthero præceptore suo dissentientes auctores fuerunt, quibus successit Bucerus omnium hujus sectæ professorum eruditissimus, a quo sua dogmata fere omnia Calvinus sumpsit, nec multum de suo, nisi verba addidit.

« Igitur horum principum legati Februario ineunte ad regiam Fontis-Belaudi sive Bellæ-Aquæ domum, ubi rex tum erat, appulerunt, ac mandata sua exponentes, primum, ut Concilii Tridentini nuper finiti decreta in toto suo regno, terrisque suis et provinciis observentur, institerunt : tum ne quid de sacris bonis, quod propter teneram suam ætatem permisit, deinceps venum eat. Neque vero Philippum Hispaniæ regem, neque Philibertum Sabaudiæ regulum pecuniam suis uxoribus ab Henrico ejus patre in dotem promissam sibi inde exsolvi passuros, ne veluti aurum Tolosanum suis possessoribus, sibi exitio sit. Tertio ut seditiosos, qui exteras nationes Gallis infestissimas in patriam suam immiserunt, puniat. Quarto nec in regis, nec in cujusquam alterius principis potestate fuisse, ut crimen divinæ læsæ majestatis remittat, quod postremæ pacificationis tractatu remissum est, ne Dei ipsius munus usurpare videatur, qui unus suæ majestatis læsæ vindex et moderator esse debet. Postremo ut jus suum unicuique reddat (id enim primum regis officium est) nec Guisani legati sui de republica Christiana tantopere meriti inultam mortem esse patiatur ; ex actis judicii, quo sicarius Mereus damnatus est, et aliis argumentis cædis auctores satis nosci, nisi in tanto crimine pœnas dent, magnum sceleratis ad impia facinora audenda exemplum polliciti sunt. Rex summis illis principibus ipsum de officio suo, ac regni procuratione prudenter admonentibus, ingentes gratias egit. Ut Galli cæterique suarum ditionum populi in vetere religione perseverent, nec ullam aliam admittant, suum scopum esse declaravit ; pacem, qualem potuit, iniisse, ut externi milites e Gallia pellerentur ; cupere, ut suum jus cuique reddatur, idque et religionis causam sedulo curaturum. Precari ut amplius responsum expectent, quod ad illos scripto mandatum brevi missurus est, ubi unumquodque caput, cum regiæ stirpis, cæterisque sanctioris consilii proceribus communicarit ».

8. *Carolus IX sui regni provincias lustrat.*— Non sine causa sollicitatus est Carolus Nonus Gallorum rex, ut in Gallici regni proditores Huguenottos animadverteret, cum illi nunquam pacem culturi essent, sed effundendæ conceptæ nequitiæ ac furoris opportuniora tempora expectarent, atque ad nova bella civilia conflanda arcanis artibus se compararent, quos quidem præterito edicto insolescentes, illud etiam aperte infringere non veritos, multis in locis seditiones excitasse, refert Franciscus Belcarius [1], quas rex Carolus mitiore industria sopire studuit, utque populorum benevolentiam sibi conciliaret, parta jam cum Elisabetha regina Angliæ pace, quæ tertio idus Aprilis Trecis promulgata est, regni provincias lustrare constituit. Lugdunum itaque, quod pacis legibus receptum fuerat ex hæreticorum manibus, adiit, atque in ea urbe arcem, ne iterum a seditiosis occuparetur, extrui jussit, nec inde donec munimentis perfectis defendi posset, pedem movit. Concepit propterea Pontifex spes optimas de rebus Gallicis [2], quas in senatu XIV Julii cardinalibus exposuit. Dum Lugduni rex ageret, Crepanti in agro Antissiodorensi tumultus concitatus, quod Calviniani conventus suos armati peragerent, contemptis regiis edictis, ex quo Catholici, cum graves suspiciones concepissent, ad arma ventum erat ; verum missis qui de causis seditionis inquirerent, belli semina sunt præfocata, redintegratumque pacis edictum, additumque (inquit Belcarius [3]) « Ne in regio comitatu, aut in urbibus, in quibus suos ritus exercere Calvinianis permissum erat, tantisper dum rex ibi esset, iidem ritus exercerentur, sed sola, quam rex profitebatur, religio locum haberet ». Digressus Lugduno Carolus rex in Delphinatum provinciam descendit, Phocensem deinde profecturus. Quo tempore subiit gravis cura Pontificis animum, ne rege Avenionem ingressuro una cum eo hæretici urbem ingrederentur , atque ad eam urbem invadendam conjurarent ; nec sine causa susceptæ eæ curæ, cum circum-

[1] Franc. Belcar. l. XXX. num. 24 et seq. — [2] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sign. num. 134. p. 381. — [3] Belc. l. XXX. num. 28.

jecta regio hæreticis infecta esset, atque etiam pseudoarchiepiscopus Arelatensis ad Calvinismum defecisset. De his vero consultum fuisse cardinalium senatum XXVIII Julii narrant Consistorialia Acta his verbis : « Dixit Sanctissimus ob Avenionem et ejus statum tuendum, nec sumptibus, nec ulli rei pepercisse, et ob id ingentes curas subiisse, a quibus nondum liberatus est, cum rex Christianissimus eo profecturus sit, nec adhuc certum esse, an Hugonotti sint cum illo profecturi : Sanctitatem suam jussisse eosdem honores regi præstari, qui sibi præstarentur, rogasse tamen ne Hugonottos et Sedis hujus rebelles secum ire permitteret, et ut hanc fugiamus indignitatem, et ob dubium, ne exeunte rege, ipsi remanerent, et turbent urbem, et illam ditionem, hoc Sanctitatem suam omnibus viis curaturam, sed nullo modo regi portas claudendas, id enim nec deberi, nec si velit, fieri posse. De rege nihil dubitandum, et sperandum rem bene successuram, sed si illi Hugonotti Avenionem irent, non posse Sanctitatem suam quieto animo esse donec exiissent ».

Exceptus est magnifice Avenione Carolus rex a Borbonio cardinale legato, tranquilleque transactis rebus Massiliam se contulit, indeque Narbonensem provinciam adiit. Non sine causa anxiæ curæ in Pontificio pectore conceptæ erant, nam turbida hæreticorum ingenia non quietura videbantur [1], necnon Catholicorum asperata erant adeo ut in Cœnomania, Turonia et Andegavia non leves exorirentur motus, et Guillelmus Rambulletus Cœnomanensis episcopus, cum ad asserendam religionem optime esset affectus, hæreticorum, qui rapinis Ecclesiasticarum opum assueverant, insolentiam ferre non poterat.

9. In Aquitania etiam recrudescebant priores inimicitiæ, cum Calvinistæ sacras possessiones rapere conarentur et Catholicis infensi essent : quare nonnulli proceres Catholici armorum fœdus, permittente provinciæ præfecto, ad retundendam impiorum vim sanxere, pariterque hæretici provolarunt in arma, at regio imperio ab utrisque arma extorta fuere. Licet vero Aureliæ munitiones disjectæ fuerint, et Montis-Albani propugnacula solo æquari jussa sint, quod hæretici in iis rebellionis vexilla defixissent, atque eversa nonnulla castra essent, arcesque in opportunis locis exædificatæ, non tamen omnia seditionum semina evulsa, cum multi magnates inclinarent in Calvinianos, et Catharina regina atque Hospitalis regii scrinii magister hydram hæreseos blanda manu palparent ; hinc manavit edictum illud promulgatum tum Russillione Turnonii comitatus oppido, quo pax confirmata est, vetitumque Catholicis atque hæreticis rituum suorum causa mutuo se lacessere, vel in iis obeundis impedire, jure tamen Calvinianis pœna capitalis indicta, si vasa sacra diriperent, vel cruces aut sanctorum imagines confringerent. Vetiti etiam nobiles in aliis locis edicto designatis impiam suam superstitionem exercere, ministris Calvinisticis id ausuris exilii pœna proposita ; si in crimen reciderent, morte mulctari jussi : sacerdotes, monachi vel monachæ, qui vota solemnia nuncupata contractis injustis nuptiis violarant, vel ad sua cœnobia redire, vel migrare e Gallia jussi : publici quoque Calvinianorum conventus interdicti, cum ea specie plures conjurationes initas esse adversus regem constaret. Hæc fuit Aurelianensis edicti interpretatio, quam Calvinistæ ægerrime tulerunt, necnon Montisalbani munitionum eversionem, quæ tamen ita dirutæ sunt, ut facile instaurari potuerint, pluresque ab exscindendis bellorum reliquiis alieni erant. Cum vero Tolosanæ civitatis Capitolini magistratus his turbidis temporibus studium flagrantissimum erga religionem Catholicam, ac singularem fidem erga regem præ se tulissent, Pontifex [1] datis XIV Novembris hujus anni litteris eos amplissimis laudibus commendavit, necnon aliis etiam primo Junii die antea exaratis [2] canonicos Parisienses ob fidei constantiam in præterito ab hæreticis illato bello laudibus extulerat. Cum vero tunc plura Gallicani cleri nobilia prædia vel oppida pro conficiendis belli sumptibus fuissent abalienata, pro iis redimendis hanc rationem iniit, quam proposuisse cardinalibus referunt [3] Acta Consistorialia : « V Augusti fecit verbum de duabus petitionibus regis Christianissimi et cleri Galliæ de facultate alienandi de rebus immobilibus vilioribus Ecclesiarum usque ad tricies centena millia francorum pro recuperatione aliorum bonorum Ecclesiasticorum de facto alienatorum pro necessitatibus regni, et tuitione fidei, quia bona quæ fuerunt alienata sunt castra, feuda, et jurisdictiones, ita quod vix quartam partem justi pretii habuerint ». Tradunt eadem Acta [4] XII Maii concessa fuisse a Pontifice vetera indulta regi Carolo ea lege, ut reciproce ea observaret prædecessorum more.

10. *Cardinalem Lotharingium occidere tentant Hugonotti.* — Dum in Narbonensi provincia immoratur Carolus rex [5], periculosissima conjuratio conflata est adversus cardinalem Lotharingum, ejusque nepotes Henricum et Carolum ducis Guisiani in obsidione Aureliæ religionis Catholicæ odio trucidati filios, ut Guisana stirps fidei avitæ studiosissima deleretur. Subornavit ea de causa Gaspar Colinius consobrinum suum Franciscum Momorantium provinciæ Lutetianæ

[1] Belcar. l. XXX. num. 29.

[1] Pius lib. brev. an. V. Ep. LXV. — [2] Ibid. Ep. CLXXXIII. — [3] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 389. — [4] Ib. p. 377. — [5] Belcar. l. XXX. num. 30.

præfectum a paternis virtutibus degenerem, procliviorenque in partes hæreticorum; is edicti regii recentis, quo prohibebantur sclopeti longi aut breves deferri, tuendi specie Carolum cardinalem e Concilio Tridentino reversum, venientemque ad Sancti-Dionysii cœnobium, cujus administrationem gerebat, circiter decem et octo militibus sclopetariis, quos a Francisci Secundi morte ad custodiam sui corporis contra hæreticorum insidias stipatores delegerat, succinctum, opprimere in agro Parisiensi meditatus est; sed ejus nefaria consilia discussa sunt a divina providentia, cardinale citius, quam putarant hæretici, Lutetiam ingresso, itaque armatis succinctus copiis aggredi illum in domo civis Parisiensis, in quam se receperat, ausus est, sed a sclopetariis cardinalis egregie repulsus, tumultuque orto, cum Catholici in cardinalis subsidium concurrerent, Momorantius abscedere coactus est, atque Aumalius dux tunc injuriam ulturus, equestres copias comparat, et Gaspar Colinius hæreticorum turmis instructus Lutetiam provolavit, ut belli redintegrandi occasionem captaret, sed utraque factio regio imperio Lutetia exire jussa est, donec rex ad eam rediisset. De Gaspare Colinio Castilione, harum seditionum incentore atque signifero, qui inter Huguenottos tyrannidem corripuerat, ac Ludovici Condæi principis facilitate, ut nefariis suis consiliis iter muniret, abutebatur ad constabiliendam suam tyrannidem, violatis pacis legibus et contempto rege plura hoc anno novasse, atque Huguenottæ reipublicæ formam seditionum altricem, hæreseosque propagatricem constituisse, refert Guillelmus Rossæus [1] his verbis :

11. *Forma quædam reipublicæ Hugonottæ in Gallia constituitur a Colinio, et decreta Concilii oppugnantur.* — « Proximo, post edictum illud et pacem Aurelianensi obsidione soluta confectam, anno, quam maxime eluxere in homine isto pacis studium ejusque erga regem obedientia, quæ erant pacificationis antegressæ primaria capita. Ille statim regni sui fundamenta ponens distribuit totam Galliam, ut alias annotavimus, in provincias sexdecim, unamquamque rursus provinciam in præfecturas, et harum quamque rursus partitus est in Ecclesias, quas vocabat, quarum unaquæque suum habebat consistorium quasi separatum judicum consessum, ex ministro et certis fratribus Evangelii promovendi studiosissimis compositum; in singulis præfecturis instituit rursus aliud concilium, quod unoquoque mense coibat, et de communibus Calvinianæ causæ rebus consultabat. Quod illic fiebat referebatur ad concilium provinciæ, ab hoc rursus ascendebatur ad grandius concilium provinciarum omnium, in quo pauci homines ex omnibus provinciis delecti communia negotia tractabant, et fratribus erat instar Parlamenti cujusdam Parisiensis. Sed quartum adhuc supererat concilium reliquorum omnium supremum et caput, quod secretum dicebatur, cui Admiralius non modo tanquam rex, sed etiam quasi pontifex præsidebat, ubi de bello, de pace, de religione, de fœderibus principum, sine provocatione statuebatur. Regno Calviniano ad hunc modum in suos ordines distributo, proximum erat commune aliquod ærarium stabilire, sine quo nec in pace, nec in bello aliquid præclare poterat administrari, cum pecunia sit nervus rerum gerendarum, sine quo frigeat in pace consilium, et in bellis expeditio. Ergo statim ab Ecclesiis (Calvinianis) exigit quadraginta librarum millia, quibus collectis, emittit in omnes partes suos exploratores, eosque in omnium principum aulis habebat vigiles. Cum principibus Germanis coibat fœdera, pensiones dabat militaribus quibusdam præfectis, qui semper ad nutum præsto essent, ut si quando de urbe, castello, arce, aut quovis loco magis alicujus momenti capiendo admonerentur, subito injunctum munus capesserent. Ex his autem consistoriis, et conciliis, et exploratoribus præter alia commoda id capiebat utilitatis, ut (quod in regno novo stabiliendo potissimum habetur) adversariorum suorum acta et molitiones, non solum in magnis principum aulis, sed etiam in civitatibus minimisque Galliæ pagis intelligeret. Consistoriis præterea hoc officium injunctum erat, non ut disciplinam Ecclesiasticam curarent, non ut verbum Domini Paulique Epistolas tractarent, sed ut in disciplinam militarem incumberent, verba et jussa Admiralii exequerentur, ad eum, de incremento fratrum, de numero peditum equitumque et armorum statis temporibus referrent, si quis ditior esset et imbecillior, is tenuiorem, sed robustiorem et rebus gerendis acriorem suis pecuniis armaret, si quis ætate defecta, is juvenem suo loco sufficeret, omnes semper in procinctu starent, ut si quæ repentina contra infideles, sic appellabant regem et Catholicos, suscipienda esset expeditio, sine mora efficerent, quod a ducibus præcipiebatur ».

12. Ita nefandissimo patriæ proditore, et conjurato Gallicæ coronæ hoste Hugonotta disciplina constituebatur in Gallia, cum Pontifex disciplinam Christianam arctioribus et sanctioribus legibus a Tridentino Concilio sancitam Galliæ restituere omni contentione annitebatur, de quo extant ad Carolum Lotharingum cardinalem Tit. S. Apollinaris Pontificiæ litteræ [1] IV Aprilis ut omnem operam pro decretis Concilii Tridentini in opus perducendis navaret, necnon aliæ XXV Octobris repetitæ [2], quibus etiam

[1] Guill. Ross. p. 377. Disp. 4. p. 61.

[1] Pius IV. lib. brev. sig. num. 2904. Ep. CXXXIII. — [2] Ib. Ep. XIX.

Metis, et Tulli, ac Viroduni intra legationis suæ fines eadem decreta Tridentina observanda curaret : quo etiam argumento aliæ XXII Julii consignatæ sunt [1] ad Antonium Albonium designatum archiepiscopum Lugdunensem. Misit vero ad Prosperum Santacrucium [2] internuntium plura exempla Actorum Concilii Tridentini, ut ea singulis regni præsulibus distribueret, quod regina Catharina impiis depravata consiliis ægre tulit, admittendoque per regnum Tridentino Concilio reluctata est, quanquam illud petente Gallo rege indictum ac celebratum esset. Obtendebat illa geminas diffugii causas. Prima erat, quod vereretur exasperare Hugonottos, quod eorum doctrina toties in decretis fidei anathemate percelleretur. Altera quod Regularium sacerdotia, commendationis nomine tradi atque abalienari prohiberentur, quæ rex in præmium navatæ operæ conferebat; quæ res regii sigilli præfecto Hospitali ab omni religione alieno ingrata adeo extitit, ut diceret internuntio, cardinalem Lotharingum saturato ventre aliis jejunia indixisse, imo et Carolus Molinæus jurisconsultus impiam consultationem edidit, qua ob multas causas Concilium Tridentinum nullum, vitio indictum, habitum, terminatum contra antiqua Patrum decreta, et regni Francici dignitatem ac libertatem contendit. Hunc Thuanus [3] hæreticos elogiis ornare, Pontificesque, et de Catholica fide bene meritos maledico dente carpere solitus, magni nominis jurisconsultum ac priscæ libertatis retinentem vocat.

13. Qualis vero et quantus esset hic Molinæus, ex fatuis et blasphemis ejus dogmatibus constat; non enim tam hæreticus quam hæresiarcha fuit : primum Calvinista, ut constat ex ejus scriptis, quibus Joannem reginam Navarræ hæreseos propagatricem, fautricemque ministrorum Sathanæ laudat de flagrantissimo studio vivifici verbi Dei, quæ ad se doctos et pios viros, puta Bezam, Viretum, et alias hujusmodi pestes, quæ Benearniam et Aquitaniam polluerunt, advocaverat. In Germaniam vero profectus [4], ob quam profectionem superbe Franciæ et Germaniæ jurisconsultum se appellabat, Lutheranus evasit. Sed non stetit hic impietas Molinæi : cum Joviniano enim blasphemavit, Jesum nascentem Mariæ vulvam aperuisse; effutiit etiam, errare doctores Ecclesiæ, qui merita incarnationis, nativitatis, tentationum, afflictionum, ac laborum totius vitæ commendent, solam enim mortem pro expiandis sceleribus admissam. Addidit etiam cum aliis hæreticis, Petrum nunquam Romæ fuisse, ut non mirum sit, tanta impietate infamem adversus Concilium Tridentinum scripsisse, a quo ejus scripta prohibita fuerant. Non tulit vero omnino impune flagitium, nam qui in religionis causa Tridentino Concilio adhærendum pie sentiebant, illum ut seditiosum in carcerem trudi a senatu Parisiensi curarunt, quem demum in extremo vitæ actu excitis Catholicis theologis resipuisse tradunt [1], in quo adoranda est Redemptoris potestas, « cujus fusi sanguinis tanta fuit », ut ait D. Leo, « efficacia, ut latro in morte justificatus statim cœlum intraverit ». Scripserat etiam antea Calvinus hæresiarcha adversus Tridentinum Concilium pestiferum libellum, cui *Antidoti* nomen inscripserat exemplo Sathanæ, qui Babylone in templo Æsculapii [2], loco in quo teterrimum venenenum condiderat, nomen *Thesauri* insculpi jusserat, cujus thesauri avidus miles, dum locum scrutatur, mox peste extinctus, pestem decennalem in totum orbem effudit. Ausus etiam est nefarius apostata ex-episcopus Petrus Paulus Vergerius in Tridentinum Concilium invehi, postquam resipiscentiæ spem dederat, sed superbia fascinatus resilierat, cum diceret, sibi viro honorato indecorum fore palinodiam canere. Superiori vero extremo anno [3] ministri Lutherani circiter viginti impiam protestationem adversus Tridentinum edidere, cum tamdiu expectati humanissime fuissent, ut ad Synodum accederent, propositisque suis argutiis de Catholicæ fidei veritate instruerentur.

14. *Protestantium argutias adversus Concilium diluit Cardilius.* — Cum vero impia illa protestatione imprudentium oculis densissimas tenebras offunderent, Gaspar Cardilius Hispanus theologus [4] singulas Protestantium argutias et objectiones confutavit eruditissimo libro, quem Carolo Borromæo cardinali sanctorum numerum ac decus aucturo inscripsit :

« Superioribus, inquit, diebus post Vergerium improbum hominem, et Christianæ religionis desertorem, Joannes Fabritius Montanus adversus sanctam Synodum Tridentinam convitiis, maledictis et blasphemiis refertissimam orationem in vulgus dedit. Cæterum cum intelligeret parum eam ad veritatem, cui parabat insidias, evertendam valere per se, collegit hæreticorum copiosam manum, et quod ejus infamis libelli initio faciendum innuerat, junctis copiis Concilium Tridentinum est aggressus, ut quod ratione nullo modo efficere poterat, turba saltem assequeretur atque præstaret. Etenim communi, ut apparet, consilio, a triginta Evangelii Martini Lutheri ministris, aut verius mancipiis Sathanæ, magnis scilicet viris, protestatio quædam composita est, in qua, dum se excusare volunt, quod Tridentum non accesserint, pestilens animi virus, quo plurimum constare vi-

[1] Pius IV. lib. brev. sig. num. 2904. Ep. CLXXIII. — [2] Palavic. card. l. XXIV. c. 11. ex litteris Prosperi Santacrucii ad card. Borr. hoc anno a VII Jan. ad XXIII Jul. — [3] Jac. Aug. Thuan. hist. l. XXXVI. — [4] Sander. hær. 219. Rescius in Sectis Evangelic.

[1] Papyr. Massonius in ejus Elog. — [2] Baron. in tom. II. Annal. — [3] Hieronym. Ragazzon. in oratione habita in ult. Sessione. — [4] Gaspar. Cardill. in Ep. ad Carol. Borr. card.

dentur, in Pontificem Maximum evomunt ». Et infra :

« Quoniam protestatio longissima est et horrendis conviciis maledictisque tota scatet, rationes tantum exploramus singulas, quibus adversarii nostri nituntur, tum ne liber, si singula velimus excutere, in immensum abeat, tum vel ea causa maxime, ne qui nostra legerint viri boni, blasphemiis hæreticorum, quibus protestationem infarciunt, offendi possint : et quoniam me illa Augustini sententia magnopere delectat, cum ait, ego, quando cuique dicendo vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus, quantum mihi Dominus donat, frænatis atque coercitis vanæ indignationis aculeis, auditori lectorive consulens, non ago ut efficiar homini convitiando superior, sed errorem convincendo superior : a convitiis et maledictis regerendis in adversarios, quantum in me situm est, linguam tempero, quod Christianis semper scriptoribus, sed præsertim hoc tempore faciendum existimo, ne cum hæreticis de maledicentia contendere, et quod in iis improbamus, maxime probare videamur, etc. Tridento idibus Novembris MDLXIV ».

Discussurus deinde auctor subdolas Protestantium sententias, demonstrat [1], eos in ipso principio defecisse ab Evangelio, cui velle adhærere falso contestantur :

« Honesta sane oratio, profiteri, protestarique, velle constanter adhærere Evangelio Jesu Christi, cum sit Evangelium, auctore Apostolo, virtus Dei in salutem omni credenti, nisi quod his verbis (aiunt) proximis statim hæretici inficiarentur, pro ingenio suo, quos ob eam rem, et merito, mea quidem sententia, Epiphanius gravis in primis auctor Polypos, Camaleontas et Protheos appellat ». Et infra :

« Se solos Evangelicos putant et appellant adversarii edocti a magistro suo, qui Christiani appellatione prorsus abjecta, ab Evangelio, cujus auctor atque inventor Martinus fuit, se atque suos Evangelicos nominavit, ut vel hac ipsa voce, quod prudenter, uti cætera, vir omnibus numeris absolutus Osius cardinalis animadvertit, palam faceret hominibus, a Christo ejusque corpore, Una, Sancta, Catholica et Apostolica Ecclesia discessisse, neque cum ea quidpiam habere commune, quæ quatuor tantum agnoscit et prædicat Evangelia, consensu antiquitatis fideliter explanata ».

Paucis interjectis auctor demonstrat, hanc Lutheri doctrinam ab ipsis hæreticis nuper damnatam Heidelbergæ, in qua residet elector Palatinus, hoc decreto : « Lutheri et Brentii Catechismi extra Ecclesiam ejiciantur, et eorum scripta nullam habeant auctoritatem ». Et post multa demonstrat auctor, quam inique respuant hæretici Concilium : « Violentum appellant Concilium adversarii, quoniam pravis opinionibus impiisque sententiis vim magnam infert, confutat easdem dissipatque Spiritus sancti gratia, qui Synodum moderatur, et Pontificem Maximum in his, quæ sunt fidei labi aut errare non sinit, hæretici suspectum habent, in eumque turpiter et periculose delinquunt, dum provocant ab eo, qui summus in Ecclesia Christi judex in terris est : a judicio patriarcharum, primatum, archiepiscoporum, episcoporumque, quorum ex officio interest, tum de rebus fidei judicare, tum etiam disciplinam Ecclesiæ constituere, stabilireque perinde ac si dicerent : nolumus a quopiam judicari, sed docere libere quidquid nostro palato arriserit : si enim justos et legitimos judices accusas et a tua causa excludis, nullos habere vis, qui de doctrina tua judicium ferant. Sed repellatis licet hominum judicia, et ab eis, quo jure quave injuria vos eximatis, nunquam, Paulo credite, vel potius Christo, effugere judicii Dei severitatem poteritis ». Et multis interjectis :

« Neque satis esse putant damnare Concilium Tridentinum magno quodam consensu totius Christiani orbis coactum, adimunt etiam, quantum in se est, cæteris omnibus sacrosanctis et vetustis Conciliis auctoritatem, etiam iis quatuor, quæ instar Evangeliorum suscepit et servavit Ecclesia, et quorum est ac semper fuit, ut Augustinus testatur, in Ecclesia Dei saluberrima auctoritas : norunt acuti hac parte hæretici bonam errorum impiarumque opinionum, quas illi mordicus tenent, partem, gravissimo olim sanctarum Synodorum calculo damnatam.

« Nunc illud unum obiter admonere lubet, ut hæreticorum impudentiam orbis terrarum agnoscat, me non satis assequi posse, qua isti fronte Martinum Lutherum, apostatam fidei, religionisque insignem hæreticum, emissi voti violatorem, perturbatorem reipublicæ Christianæ, pacis juratum hostem, vicarii Christi capitalem inimicum, osorem strenuum Apostolicæ Sedis, fidefragum, incontinentia atque libidine perditum, levem admodum præstigiatoremque, et qui se gloriatur Dæmonem præceptorem habuisse, in summa a capite ad talos omni genere flagitiorum scelerumque coopertum, quod universæ hujus temporis loquuntur historiæ, virum Dei audent dicere : nisi, quæ istorum insania est et mentis emotio, Deum Optimum Maximum diis Ethnicorum persimilem esse putant, qui flagitiis et pravis facinoribus oblectetur, et perditis ac deploratis hominibus gaudeat. Ego quidem multos homines egregie iniquos audivi, sed qui tam esset, quam Martinus fuit, novi neminem ».

Inter alias argutias objecere Protestantes, non legitimum fuisse Concilium, quod vellent illud subjici suo conciliabulo, seque illius accu-

[1] Gaspar. card. p. 1.

satores, conjectis in id multis criminibus, constituere, quæ argutia [1], cujus fuerit roboris, ita expenditur :

« Tametsi largiamur (inquiunt) istis Romanistis, (sic Catholicos vocant,) adfuisse Pontifici hactenus vim et facultatem cogendi Synodum, profecto huic Pontifici jus adimendum est, quoniam est ille quidem altera litis pars, cum ab hæreticis multorum et gravissimorum criminum reus agatur.

« At vero si rem altius expendamus, facile comperiemus nullum ab his hominibus argumentum contra hanc sententiam fuisse excogitatum quod minus sit cum veritate et ratione conjunctum, tum quia illud est commune omnium hæreticorum, qua jure quaque injuria Pontifici Maximo, cæterisque, qui Ecclesiam gubernant, intendere, et flagitia pessima objicere, quod Augustinus eleganter demonstrat in Ep. 138, ejus vitam insectari, criminari mores, auctoritatem dignitatemque pro viribus imminuere, ut eodem veluti capite debilitato facilior atque expeditior aditus patere possit ad membra Ecclesiæ tentandum concutiendumque. Hac via ingressi sunt Manichæi, Ariani, Hussitæ, hoc fecit Dioscorus, fecit Photius, sed maxime Lutherani ætate nostra, ut existimare debemus, potius consuetudine quadam aut animi morbo, quam ulla honesta justaque ratione ita evenire ; neque mirum id videri debet, cum nullum hæretici habeant adversarium graviorem, atque hostem hæreseos, quam Pontificem Maximum ; tum etiam, quia obscurum non est, quorum criminum Pontifices reos agere soleant et agant, modo prodiderunt scriptis mentem suam orbi terrarum, sed quam omnia illa vana sint, quæ Pontifici velut gravissima crimina objiciunt, quam levia et prorsus veritatis inania, omnes proculdubio noverunt, qui propius rem ipsam erunt contemplati.

« Si quis autem usquam fuit eorum Pontificum qui Ecclesiam Dei his trecentis annis gubernaverunt, quibus ab hæreticis aguntur rei, qui minime abusus sit facultate, is est profecto maxime Pius IV. Irrepserunt in Ecclesiam sensim, non dubium est, abusus aliquot, qui rempublicam Christi, innocentiam et puritatem vitæ Christianæ aliqua ex parte læserunt, et turpi quadam infamiæ macula ejus egregiam formam infecerunt perturbaveruntque, quod partim hominum culpa accidit, qui libidini suæ atque usui omnia parere voluerunt, partim temporis vitio, quod universa in pejus mutare solet : id hæretici clamant, id Catholici prædicant, Hieronymus, Bernardus, atque alii, mente tamen atque spiritu plane diverso : hæretici enim sæpenumero corruptos mores, et collapsam Ecclesiæ disciplinam commemorant Dæmonis spiritu agitati, ut abscindant, separent, denique, ut odio istarum rerum schismata faciant : sancti vero homines, dum hæc exaggerant, spiritu Dei aguntur, ut pessimis moribus abjectis conjungant cum capite membra ; sed hos abusus, hæc vitia, hanc denique Christiani regni depravationem, tantum abest ut Pius IV aut auxerit, aut foverit quoquo modo, ut neque tolerare ullo pacto potuerit : cum primum enim Summum Pontificatum est adeptus, tum private tum publice adhibere tantis malis remedium conatus est : edidit multas Bullas, quibus Romanæ curiæ antiquum nitorem aliqua ex parte restituit : publicis vero querelis et hæresibus, quæ totum pæne orbem Christianum occupabant, ire etiam obviam studuit generali Concilio indicto, quod instar præsentanei antidoti summique remedii semper habitum est, neque hactenus labori, sumptibus aut saluti pepercit, ut sacrosancti Ecclesiæ conventus Tridenti celebrarentur, quod ipsi etiam hæretici agnoscunt et fatentur non inviti : sic enim disserit Fabritius Montanus in hanc sententiam in illa sua pestifera et turbulenta oratione : Quis cœtus istos indixit ? Romanus utique Pontifex, qui nihil diligentiæ in hoc toto negotio prætermisit, nullis denique sumptibus, nullis laboribus pepercit.

« Cum igitur bonorum virorum judicio Sanctissimus Pius IV pure atque innocenter vitam instituat atque agat suam, cum strenuam impendat operam profligandis hæresibus, vitiis extirpandis, abusibus denique tollendis, cum publicis, tum privatis remediis et curationibus adhibitis, inique profecto facere adversarii videntur, cum jure et facultate vocandi Synodum hoc tempore Pontificem spoliare volunt, præsertim, cum idem ipse sua sponte, huic sacrosanctæ Synodo liberam copiam fecerit corrigendi Ecclesiam suam, curiam suam seque ipsum, si ita res postulare videretur, tanta animi propensione promptitudineque, quantam vix quispiam requirere aut optare potuit. Hujus rei testis oculatus sum ego, testes Patres omnes, quotquot Tridenti adsunt, testis Romana curia, testis Ecclesia universa, testes denique ejus hostes et inimici jurati, quorum ego non linguam, quam venalem habent et mendaciis plurimum assuetam, sed mentem potius appello, ut jam merito adversus eosdem Pontifex de judicio cum illis contendens possit dicere : Quid debui facere vineæ meæ, et non feci ? Quorsum amplius abusus jactatis, o adversarii, atque his dicitis impediri et retrahi vos, quominus Ecclesiam sanctam, quam turpiter et magno vestro malo deseruistis, repetatis » ?

15. Obganniebant etiam hæretici Pontificem præsidere non debere Concilio legatorum opera, sed Cæsarem, quorum sophismata a Cardillio in disputatione secunda dissolvuntur, ex quo hæc

[1] Gasp. card. in disp. 8. p. 35.

breviter delibamus : « Est usque adeo verum, imperatorem non esse Concilii præsidentem, ut in octava Synodo generali, cui interfuit Basilius imperator, damnatus sit, quicumque Concilia generalia dixerit sine præsentia principis sæcularis celebrari minime posse : credibile autem non est Basilium imperatorem sponte sua juri suo hac parte cessisse, aut ulla ratione passurum esse, ut invito sibi ac repugnanti hæc eximia prærogativa adimeretur, quod sine injuria fieri non potuit, sed quoniam constitutissimum habuit, has partes non esse principis sæcularis, quicumque is sit, ut cœperat vulgo eo tempore circumferri, proprium id esse officium imperatoris, non modo patienter tulit, ut decretum de hac re a Patribus in Concilio Œcumenico conscriberetur, sed existimare licet, hortatum fuisse sanctissimos Patres, ut Ecclesiæ honori et dignitati hac parte consulerent ». Multisque interjectis :

« Huc spectat, quod Athanasius scribit in secunda Apologia, volens infringere auctoritatem ejus Synodi, quam Constantius imperator convocaverat, et in qua damnaverat quosdam ex Catholicis viris : ita enim ait : Qua fronte talem conventum, Synodum audet appellare, cui comes præsedit ? Et ad calcem Epistolæ ad agentes vitam solitariam eumdem reprehendens Constantium, et Synodum adulterinam confutans, Constantium, ait, induisse imaginem Antichristi, quoniam sine auctoritate Romani Pontificis Synodum convocavit, et eidem præsedit. Quis enim, inquit, videns eum in decernendo principem se facere episcoporum, et præsidere judiciis Ecclesiasticis, merito non dicat eum illam ipsam abominationem desolationis esse, quæ a Daniele prædicta est.

« Præterea actione prima Synodi octavæ sic est scriptum : Synodus exegit a legatis Romanæ Sedis litteras, quibus notam facerent potestatem suam, ut præsiderent in Synodo ». Et post alia multa :

« Sunt episcopi velut membra ejus corporis, cujus Pontifex caput existit. At superior inferioribus natura præsidet, et caput membris cæteris præficitur, atque ea gubernat; imperator vero neque Pontificis caput est ulla ratione, neque superior eodem, sed vel ordinis diversi est, alter enim summum est in republica Ecclesiastica et spirituali, alter vero in corporali, ita loquamur, aut civili, imo vero, cum Ecclesiastica gubernatio spiritualis sit, civilis corporata, sicut corporatum natura sua spirituali subditum est, ut imperfectum quodvis perfecto, ita quoque necessarium est, ut imperator Pontifici subditus sit, atque ab eo gubernetur ».

16. Præterea Protestantes Concilium Tridentinum liberum non fuisse autumabant, quod episcopi sacramento Pontifici essent obstricti, quasi non liberi sint ordinum conventus, quod sacramento principi suo devincti proceres sint, qui iis intersunt ? Quam vero absona fuerit ea objectio ita a Cardilio [1] in disputatione quarta, utrum Synodus Tridentina fuerit libera, illustratur.

« Cum juramentum, quod Pontifici Maximo episcopi exhibent, nobis objiciunt adversarii, et tanquam novitium inventum, aut tyrannidem potius derident, faciunt sine dubio præter rationem; nam cum Pontifici Maximo, tanquam Vicario suo Christus Jesus abiturus ad Patrem; omnes suas oves commiserit illis verbis : *Pasce oves meas : pasce agnos meos*, ille vero boni Pastoris more cæteros omnes episcopos in partem sollicitudinis vocet, quibus curam committit privatarum ovium, quod inter cæteros accuratissime exposuit Nicolaus I in Epist. ad Michaelem imperatorem ». Et mox : « Qua de re Paschalis Pontifex ad archiepiscopum Panormitanum : « Significasti regem et regni majores « admiratione permotos, quod pallium tibi ab « apocrisariis nostris tali conditione oblatum « fuerit, si sacramentum, quod a nobis scriptum « detulerunt, exhiberes ; mirentur in hac causa « Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum « ovium suarum curam Petro committeret, con« ditionem posuit dicens : *Si diligis me, pasce « oves meas :* Si conscientiarum factor, et cogni« tor secretorum conditione hac usus est, neque « semel tantum, sed et secundo, et usque ad « contristationem, qua nos sollicitudine oportet, « Ecclesiæ prælationem imponere fratribus, « quorum conscientiam non videmus ? Aiunt « omne jusjurandum in Evangelio esse prohibi« tum, neque ab Apostolis post Dominum, ne« que in Conciliis inveniri posse statutum ? quid « est enim, quod Dominus subsequenter ait : « *Quod amplius est, a malo est?* hoc enim am« plius, ut exigamus, malum, nos, illo permit« tente compellit. Nonne malum est ab Ecclesiæ « unitate, et a Sedis Apostolicæ obedientia resi« lire et contra canonum statuta prorumpere ? « quod multi etiam post sacramentum præsti« tum præsumpserunt. Hoc nimirum malo ac « necessitate compellimur juramenta pro fide, « pro obedientia, pro unitate requirere. Aiunt « in Conciliis statutum non inveniri, cum omnia « Concilia per Romanæ Ecclesiæ auctoritatem, « et facta sint, et robur acceperint, et in eorum « statutis Romani Pontificis patenter excipiatur « auctoritas. Cum igitur a Sede Apostolica ve« stræ dignitatis insignia exigitis, quæ a B. Petri « tantum corpore assumuntur, justum est, ut « vos quoque Sedi Apostolicæ subjectionis de« bitæ signa solvatis, quæ nos cum beato Petro « tanquam membra de membro habere, ut Ca« tholici capitis unitatem servare declarent ». Hactenus Paschalis.

[1] Gasp. Cardill. disp. 4: p. 64.

« Ex quibus verbis duo colliguntur adversus apertos istos hostes veritatis. Unum est mentire eosdem, cum aiunt, antiquis temporibus episcopos, non Romano Pontifici, sed potius episcopis comprovincialibus adstringere se et obligare solitos esse, nusquam enim hujus rei vel tenue vestigium in Ecclesiæ historiis indicare mihi poterunt : sed dumtaxat obligabantur addicebanturque Pontifici Romano, exhibito juramento interdum comprovincialibus episcopis.

« Alterum est, quod hæc consuetudo exhibendi juramentum Pontifici novitia non est et tyrannice excogitata, quod hæretici impudentissime mentiuntur, sed antiqua potius nimiumque vetusta. Nam Paschalis, cujus paulo superius testimonium citavi, Ecclesiam rexit anno salutis octingentesimo decimo nono, ut jam octingentis ferme annis ea forma in Ecclesia servata sit, ne Gregorii Magni tempora commemorem, cum iste mos in Christiana republica servabatur. Sic præterea legimus can. 10, Conc. Toletani Secundi : Pontifices omnes Ecclesiarum rectores, quo tempore ordinandi, sub cautione promittant, ut fidei Catholicæ sincera cordis devotione mandata custodientes juste et pie vivere debeant, atque ut debitum per omnia honorem et obsequii reverentiam præeminenti sibi dependant. Hactenus Concilium quod celebratum est ante annum fere millesimum.

« Tyrannice vero factum minime potest existimari, quod a Summis Pontificibus et Synodo magnæ auctoritatis, postulante ratione, et divina consentiente lege, introductum atque servatum est. Illud est autem, ut obiter admoneam, quod in hac formula juramenti hæreticos pessime habet, et torquet mirabiliter quod audiunt, Pontificem maximum simul cum reliquis episcopis conceptis verbis fide data et solemniter exhibito juramento, adversus hæreses omnes ipsarumque auctores conspirasse. Quamobrem non stulte modo, sed etiam admodum inique Pontifex faceret, si episcopos suos aliqua ratione solveret juramento, quod hæretici magnopere contendunt, ut mitiores in se fortasse hostes experiantur, et negligentiores efficiant ». Post multa alia Protestantium argutias [1] dissolvit auctor.

17. « Concilium Tridentinum non fuisse liberum jactabant, quoniam mox initio constitutæ actionis, bellum adversus Lutheranos a Carolo V imperatore invictissimo atque admodum religioso excitatum sit : non eo quidem nomine in eos instructum est quod hæretici essent, sed potius quod res novas molirentur adversus Cæsarem, arma caperent, periculosos tumultus ac seditiones in Germania moverent, pellerent suis sedibus alios, cursum Concilii impedirent, omnia denique confunderent perturbarentque. Hanc ego sententiam eisdem omnino testimoniis convincam, quibus contra principes Christianos hoc loco hæretici agunt, ut intelligant omnes, quam sint adversarii mendaces, inepti et judicii nullius, qui arma etiam nobis suppeditent, quibus superentur.

« Primum hoc docemur protestatione Cæsareæ majestatis, quam citant adversarii, nam post illa verba : magna impensa, magno labore inchoatum est, petitum ab omnibus Christianis Concilium, et causa reformationis morum in eo tractari cœpta, sequitur : eodem quoque tempore bellum imperator gerebat ; sed adversus quos, inquit ? adversus hostes et sacri imperii violatores, hostes vero Cæsaris orator eos appellat, qui rempublicam perturbant, atque adversus suos principes arma movent, violatores autem sacri imperii, qui fidei datæ imperatori, et juramento exhibito reluctantur, et ab obedientia resiliunt, contra hos (inquit Mendoza) ab imperatore Carolo Quinto bellum tunc temporis cæptum esse, atque ea causa, quam dixi, non quod illi essent hæretici, sed, quod ait, adversarii.

« Illo præterea nomine bellum a Cæsare eo tempore excitatum est in Germanos, ut via ad Concilium cogendum tenendumque aperiretur, quam vestra iniquitas aut impietas potius armata præcluserat, quod ex verbis responsi dati a Pontifice Cæsaris oratori plane colligi possit, quod vos etiam memoratis. Ita enim Pontifex ait : Educite vestra scripta diligenter, nulli principi me socium adjunxi, præterquam ipsi Cæsari. Docet quo tempore, in eo scilicet bello, quod videbatur viam munire celebrando Concilio. Quemadmodum autem ii, qui impedimento sunt quominus ethnicis atque infidelibus Evangelium prædicetur, aut rectum Evangelii cursum impediant, bello a nobis, si vires suppetant, a proposito dimoveri possunt, ita quoque, qui rationem et normam a Christo in Ecclesia relictam damnandi hæreses, et reducendi hæreticos homines impedire student, omni vi cogi et castigari debent.

« Illa præterea causa castigari armis tunc omni hæretici jure potuerunt, quod cum multum diuque Concilium proclamassent, cum urgerent vehementer, ut cogeretur, cum ad illud semper provocarent, neque de suis dogmatibus alibi, quam in Concilio Œcumenico, deliberari aut tractari aliqua ratione paterentur, quo tempore eis oblatum est, convocatum atque cœptum, non modo Tridentum venire recusaverunt, sed tunc maxime Pontificem maximum, omnes episcopos, atque etiam totam ipsam Synodum libris contumeliose editis, seditionis et maledictorum plenis insectabantur et proscindebant : quod Epistola Pontificis docet ad episcopos Germaniæ, quam adversarii, cæci omnino

[1] Gaspar. Cardill. in disp. 4. p. 67.

et ignari veritatis citant in præsentia; ita enim ait : Protestantes usque adeo hujus Concilii auctoritatem contempserunt, ut cum Tridenti fere ad biennium episcopi manserint, non modo ad illud accedere recusaverint, sed publicis concionibus et libris contumeliosissime editis palam prædicare ausi sint, nequaquam illud liberum et Christianum esse Concilium, ejusque decreta se esse repudiaturos renuntiaverunt, idque incredibili sane et inaudita verborum petulantia, propterea quod ex auctoritate nostra indictum esset, et ex Ecclesiarum episcopis congregatum ». Subjungit : « Quæ quidem eorum pertinacia causam et necessitatem eidem Carolo imperatori et nobis attulit ineundi inter nos sanctissimi fœderis, ut illos, quando juris ratio et levia remedia nihil proficiebant, armis ad sanitatem redire cogeremus.

« Neque id est ullo modo ab executione inchoare, quod tantopere jactant adversarii inculcantque, sed naturali, divina et humana ratione postulante atque cogente ita factum est ». Et paulo post : « Quanquam ea quoque causa, quod hæretici essent, et Catholicam Ecclesiam deseruissent, jure optimo castigari et domari bello poterant. Primum quidem quoniam post secundam admonitionem (quam rationem vocandi rebelles servat Ecclesia) non unus, aut alter, sed quatuor potius Romani Pontifices Martinum Lutherum, ejus doctrinam, et doctrinæ studiosos, quo tempore bellum excitatum est a Cæsare, excommunicaverant jam, denuntiaverant, et proscripserant Leo Decimus, Adrianus Sextus, Clemens Septimus, Paulus Tertius. Et si nihil simile Sanctissimi Pontifices adversus hæreticos nostri temporis decrevissent, satis movere potuit Christianissimum imperatorem, ut contra eos arma caperet, quod veteres hæreses damnatas ab antiquis Synodis, atque ex tenebris excitatas erutasque, mordicus illi defenderent, et docerent alios ».

18. Non veriti etiam sunt sanctuli Protestantes objicere, Tridentinos Patres nulla pollere potuisse auctoritate ad celebrandum Concilium, cum aliqui ex iis nonnullis flagitiis contaminati fuissent, quorum argumentum, quam insulsum sit, et quam falsa sit hypothesis, qua sibi arrogant sanctitatem, in luce collocat Cardillius [1] : Præter rationem (inquit) hæretici faciunt, dum volunt propter peccata quorumdam, episcopis omnibus divino jure concessam copiam adimere tenendi Concilium, ac de rebus fidei judicandi : præsertim cum sint ipsi multo gravioribus criminibus obnoxii, et carere debeat omni vitio, qui in alterum dicere paratus est, ne illud Pauli merito ei objici posset : *Qui alios doces, te ipsum non doces : Qui prædicas non furandum, furaris; qui dicis non mœchandum, mœcharis; qui abominaris idola, sacrilegium facis :* ut enim cætera hæreticorum hujus ætatis scelera et flagitia prætermittam, quæ numerari sine fastidio lectoris non possunt, et sunt a multis fide dignissimis scriptoribus in historiam relata, quis ignorare queat, horum patriarcham Martinum, dein cæteros omnes, qui impium et sacrilegum istum doctorem sunt consecuti, dum iracundiæ atque indignationi obsequuntur, auram popularem captant, dum eruditionis atque eloquentiæ ambiunt nomen, denique dum student haberi aliquo loco, Cœlum terræ miscere non dubitasse; neque mirum est sic vivant, qui vulgi auribus doctrinam instillant terrenam, animalem, et Dæmoniacam, ut Paulus ait, videlicet : non ad opera juncta fidei, sed ad fidem dumtaxat vim justificandi pertinere; si fides adsit, nullis peccatis hominem damnari ; omnia scelera momento absumi ; contritionem, confessionem peccatorum, castigationemque corporis non esse modo inania, sed etiam efficere hominem infeliciorem ; operum pompas nihil faciendas, esse humanas traditiones et majorum in Ecclesia leges atque instituta vivendi conculcanda : necessitate compulsos, non voluntate, nos facere omnia : cœlibatum sacerdotum esse abrogandum : tollenda monastica vota ; jejunia et ciborum delectum obesse potius quam prosint, atque alia insuper multa, quæ licentiam vivendi laxant, ab obedientia principum retrahunt, et bestiam ex homine faciunt.

« Illud vero inter viros bonos et adversarios nostros interest, quod cum illi tetris abominandisque flagitiis toti coinquinati et cooperti sint, innocentiam nihilominus suam orbi terrarum jactant, magnis clamoribus prædicant celebrantque. Viri autem boni, quales proculdubio Pontificii sunt, cum sint humano more vitiis aliquot infecti, agnoscunt peccata, et cum se supplicio dignissimos arbitrentur, culpam, quacumque ratione possunt, deprecantur, et tum suis, cum sanctorum precibus divinam clementiam implorant, etc. »

19. Obtrusere etiam Protestantes eam argutiolam, Tridentinum non fuisse Œcumenicum Concilium, quod totius orbis episcopi ad illud non confluxerint. Vocatos certe omnes a Pontifice ex remotissimis oris, Æthiopia, Armenia, Ægypto, Græcia, Moscovia, ostensum est suo loco, licet non accesserint, quanta vero dignitate inclaruerit Tridentinum, Cardillius in disputatione quinta [1], utrum Synodus Tridentina fuerit generalis, ostendit :

« Nullus fere est toto orbe Christiano princeps sæcularis, qui ad hanc sacrosanctam Synodum oratorem suum non destinarit. Adest orator Ferdinandi imperatoris, Philippi regis Catholici, regis Galliarum, regis Hungariæ, Bohemiæ,

[1] Gaspar. Cardill. disp. 4. p. 66.

[1] Gaspar. Cardill. disp. 5. p. 75.

Lusitaniæ, Poloniæ, ducis Sabaudiæ, Bavariæ, Florentiæ, Helvetiorum, dominii Venetorum, Equitum militiæ Hierosolymitanæ, reginæ Scotiæ cardinalis Lotharingus in Concilio partes agit, atque ii omnes prudentiæ et rerum gestarum gloria clari », et paulo post : « ut jam turpiter mentiri videamus hæreticos, dum aiunt paucos Hispanos adesse, paucissimos Gallos, Polonos et Anglos nullos. Ergo cum ex toto orbe Christiano episcopi vocati sint, atque in Synodo adsint, quod ex copia ea episcoporum, quæ mandata typis vulgo circumfertur, non obscure patere possit, præter rationem, aut inepte potius faciunt adversarii, dum Tridentinam Synodum, neque Œcumenicam esse, neque generalem ferunt.

« Cætera vetusta Concilia, Nicænum videlicet, Ephesinum, Constantinopolitanum et Chalcedonense, non continuerunt omnes episcopos, quotquot erant eo tempore, imo, neque ex toto orbe terrarum collectis episcopis, et paucioribus, quam adsint Tridenti, constiterunt; nihilominus tamen citra ullam controversiam Œcumenicorum nomen, definitionem, et auctoritatem adepta sunt. Quemadmodum vero Athanasius asseruit totum Christianum orbem in Concilium Nicænum coivisse, in quo tercenti octodecim episcopi adfuerunt, quoniam illud Concilium universalem Ecclesiam repræsentabat et exhibebat, ita quoque de Tridentina Synodo nobis censendum est.

« Rursum, sicut Magnus Leo inquit, canones Concilii Nicæni a totius mundi episcopis esse conflctos, quoniam tametsi trecenti octodecim dumtaxat corpore adessent, cæteri omnes cum illis erant spiritu congregati, ita quoque affirmare oportet, canones Synodi Tridentinæ a totius mundi episcopis conditos esse, qui simul cum his spiritu in Concilio adsunt, quod exhibet Universalem Ecclesiam. Cæteri namque omnes, qui legitima causa impediuntur, ne condendis decretis intersint, condere se illa spiritu jure possunt asserere, sicut Paulus ad Corinthios de illo fornicatore disserens, inquit : *Ego quidem absens corpore, præsens spiritu jam judicavi* ».

Jactantibus hæreticis non fuisse universalem, quod soli episcopi, non laici in ea Synodo suffragia ferrent, responsum est : « Si cui laicorum ea suppeteret facultas, is esset imperator maxime, qui supremus omnium est in civili gubernatione magistratus, at imperator, ut ostendi, solum assistit Synodo, ut causæ ordine agantur, tranquillitas adsit, et exemplo suo ad observationem decretorum cæteros provocet, quare, ne imperator quidem hanc habet facultatem. Neque ullius Concilii Generalis lege aut exemplo probari queat, id præstari debere, aut posse a quopiam laicorum ». Plura ita in hanc sententiam congerit auctor, argutiasque hæreticorum docte confutat.

20. Objecerunt quoque, temnendas esse Patrum sententias, quod illi interdum inter se pugnent, quibus erudite responsum : perpendendum esse, qui et in quibus et quamdiu inter se dissentiant, sequendum enim totius Ecclesiæ in omnibus locis, omnibusque sæculis ita sentientis consensum, quem qui spreverint, spiritu vertiginoso omnia habente incerta fuisse agitatos, recentissimo ipsorum novatorum exemplo in disputatione sexta, utrum Tridentina Synodus Christiana sit, demonstravit.

« Si qua parte pugnare videantur, difficile non est pugnantiam componere; nusquam tamen pugnant, ubi illos explicant locos, quibus Christianæ vitæ documenta continentur ». Et mox : « Non tam exquirimus, quid unus aut alter putarit, quam quis Patrum de ea re fuerit consensus, et quamdiu, ac quibus locis; ex his enim tribus illud proculdubio efficimus, quod Catholicum appellamus. Quanto vos gravius reprehendendi estis hæretici, qui sententiam, non in mensem modo, sed in dies etiam singulos mutatis ». Et paulo post : « Evolvite, quæso, vos tabulas illas, quæ ex scriptis Willelmi Lindani Drodaceni desumptæ vulgo circumferuntur ». Et mox : « Patriarcha vester Lutherus lib. I contra Zuinglianos, a Sathana ortam esse inquit, quod spiritus ille vertiginis ipse sibi contradicat : unde libere concludendum esse ait, Diabolum omnium dissensionum patrem Zuinglianorum esse doctorem. Zuingliani vero de Lutheranis in hunc modum disserunt. In te tuosque retorta, Luthere, de te ipso tuisque plus inter se, quam nobiscum pugnantibus pronuntia, et verissimum dixeris.

« Utrique vero hac parte verum dicunt : hæc est enim potissima hæreseos nota, si pugnantia in his insit capitibus, quæ sunt ad salutem hominum necessaria, ut vere asseruerit Hilarius lib. VII de Trinitate, hæreticorum esse incerta omnia et vana : invicem dissidere : non eadem de eisdem dicere, cum sint, vel duo, vel tres, semetipsos arguere : de eisdem verbis non consentientes, differentia dicere : in idem tamen blasphemiæ concurrere propositum ».

21. Arrogabant sibi iidem novatores fallacem gloriam, se dogmata sua e divinis hausisse Scripturis, quas in depravatos sensus distorquebant, at eam jactantiam communem ipsis fuisse cum veteribus hæreticis atque impiis Judæis, ita ostensum est [1] :

« Quod hæretici Scripturas citare soleant, atque eisdem adversus Catholicos agere, testantur plane, tum veterum, tum etiam recentiorum scripta plena sanctarum litterarum locis perperam explanatis, et in pejorem raptis partem, sed quoniam res aliquo modo per se obscura non est, Tertullianum loquentem audiamus; is ete-

[1] Gaspar. Cardill. disp. 6. p. 118.

nim de præscriptionibus hæreticorum disputans, sic ait : « Hæretici de Scripturis agebant, « de Scripturis suadebant, Scripturas ostende« bant, et hac sua audacia quosdam movebant, « in ipso vero congressu firmos quidem fatiga« bant, infirmos capiebant, medios dimittebant « cum scrupulo ».

« De Scripturis probare studebant Judæi Christum Jesum, neque Prophetam esse : [1] *Scrutare,* aiebant, et *vide, quia Propheta de Galilæa non surgit.* De Scripturis morte dignum esse persuadere conabantur : [2] *Nos,* inquit, *legem habemus, et secundum legem nostram debet mori, quia filium Dei se fecit.*

« Neque mirum videri debet, si servi dominum moribus reddant, si disciduli imitentur præceptorem. Diabolus adversus Jesum Scripturis contendebat dicens, [3] *Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim : Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis, ne unquam offendas ad lapidem pedem tuum.* Nihil igitur mirum est, si hæretici Scripturas quoque obtrudant, Scripturas producant et Scripturis adversus Catholicos agant.

« Verum est etiam illud, quod hæretici nobis objiciunt,ex sacris Litteris hæreses natas esse atque occasionem cœpisse ; quod vel patriarchæ Lutheri verbis convincam, qui, ut scribit Osius card. lib. I contra Brentium, testatur Scripturam canonicam illud esse nomen consecutum, ut liber hæreticorum appelletur, rationem reddit, quoniam ex eo originem ducunt hæreses omnes , quandoquidem Scripturæ testimonio omnes hæretici, ut ille ait, præsidio utuntur ; illo tamen sensu hæc verba usurpamus, ut culpam omnem non in Scripturam sacram, sed in eos potius, qui Scripturam prave interpretantur, et ab Ecclesiæ sensu recedunt, rejiciamus.

« Hilarius lib. II *De Trinitate* adversus id genus hominum agens ; « De intelligentia (in« quit) hæresis est, non de Scriptura ; sensus, « non sermo, fit crimen ». Cyrillus Ep. XXVIII : « Omnes, inquit, hæretici de Scriptura divinitus « inspirata colligunt erroris occasionem , ea « quæ a sancto Spiritu recte dicta sunt, sua « malitia corrumpentes , et super capita sua « flammam inextinguibilem excitantes », quæ verba legimus recitata actione 6, Syn. VII generalis, et Act. 1. Synodi Chalcedonensis, cui est ea Epistola inserta. In libro rursum ad Constantium Hilarius : « Scripturæ , non in legendo « sunt (inquit) sed in intelligendo, non in præ« varicatione sunt , sed in charitate ». Nemo etenim nostrum hæreticos damnat, quod Scripturis utantur, aut Scripturas citent, sed potius, quod præter Scripturas recipiendum esse putant nihil, quod pravam interpretationem sequantur, quod sensum Ecclesiæ atque consensum conculcent, penes quam solum lux est atque intelligentia Scripturarum, quod vel Calvino teste convincam, is etenim Commentariis in Epist. ad Hæbreos : « Peculiariter notandum est (in« quit) quod non est extra Ecclesiam sana Scri« pturarum intelligentiæ lux ». Ipse etiam Martinus Lutherus, in Ecclesia sola, quam Papatum appellat, adesse dixit verum sensum atque interpretationem sanctarum Scripturarum. Nam quemadmodum si illa recte intelligantur, maximum momentum habent ad veritatem docendam, ita quoque si perperam, ad perdendam veritatem, atque hæreses excitandas plurimum valent ; et sicut sacra Scriptura, si, ut par est, accipiatur, fons veritatis est, ita quoque , si contra quam decet ac par sit, certissima erroris occasio. Quod enim ad Pharisæos Christus inquit : *Erratis nescientes Scripturas,* et quod in veteri Lege scriptum est : *Populus meus perit sine scientia*, non ad verba, sed ad sensum Scripturarum haud dubie referendum est. *Verbum Crucis,* hoc est, Evangelium, Paulus ait, *pereuntibus stultitia est, his vero qui salvi fiunt, Dei virtus, et Dei sapientia.* Scriptura sacra, quo sensu a Catholicis profertur, verbum Dei est, quo autem ab hæreticis, Diaboli verbum, ut enim habet Christus ministros suos, ita habet et Sathan ; utrisque autem communis sacra Scriptura, neque earum vis in legendo posita est, sed potius in intelligendo versatur ».

Pergit idem auctor diffuse enarrare, quo pacto ad veritatem assequendam Concilium sapienter prius inquirendo, postea assistricem cælitus sapientiam invocando, se gereret ; quod quoniam alibi a nobis dictum est, repetere modo supervacaneum ducimus.

Refellit deinde auctor calumnias hæreticorum fingentium duos episcopos inique occisos, alterum venabulo transfixum, ut feram, alterum præfocatum laqueo, atque ad fenestram suspensum. Fabulabantur pariter nullam tolerabilem iis concessam subditis fidem publicam. « Citant in suam sententiam Sleydani historiam , et testem suum omnium suorum mendaciorum faciunt, neque vident jurati hostis et sesquihæretici spurcissimi, qualis Sleydanus est, testimonio neminem virum bonum, aut opprimi aut gravari posse : cujus historiæ quanta fides habenda sit, qui nosse velit, historiam evolvat de rebus Ecclesiæ, quam proximis his annis evulgavit Robertus Pontanus, non tam eloquentiæ flosculis, quam veritate conspicuam, facile noverit, quo Sleydanus loco haberi jure debeat, quem tantopere nobis hæretici objiciunt, cum nihil aliud scribendo præstiterit, quam quod hæreticus, hæretici Dorpii Germanicam historiam latinitate donarit, et comprobarit nugas. Hic est enim ille, cujus ex Rufo superius mentionem fecimus, qui aiebat, omni arte nobiscum esse agendum, cum accusaretur, quod nugas

[1] Jo. XIX. — [2] Jo. VII. — [3] Matt. IV.

plurimas historiæ inseruisset. De hujus nugis et apertis calumniis a Latomo historia conscripta est, cujus est titulus, *de undecim millibus mendaciorum Sleydani;* hujus præterea historiam, hujusque mores in historia Ecclesiastica Fontanus Gallus Gallice suis coloribus adamussim depinxit, quæ nuper Italico sermone donata est ».

22. Protestantes ipsos Christiana charitate hortatur auctor [1], ut ad errorum magistros respicientes, hinc etiam quales habuerint doctores intelligant, ut quando prius discendi ardor nobilitas est magistri, ex ipsa doctorum suorum obscuritate admoniti discant contemnere, quod ab auctoribus tanta suffarcinatis malitia acceperunt.

« Agnoscite (Protestantes alloquitur) unde excideritis, quem doctrinæ vestræ auctorem habueritis, hominem, ut cætera taceam, qui diabolo magistro usum se dicere non erubescit, sed magnopere potius gloriatur, qui ut corpori serviret et carnis oblectamenta persequeretur, omnes disciplinæ Ecclesiasticæ et fidei Catholicæ nervos doctrina atque exemplo suo pro virili portione infregit. Evolvite, quæso, vos ab iis initiis, quonam pacto vestra doctrina progressa sit? quibus tumultibus creverit? quibus adoleverit flagitiis? neque enim felicem ullo modo exitum habere possunt, quæ ex malis principiis orta sunt ».

23. Edidit idem auctor egregium libellum de Ecclesiæ traditionibus, in quo demonstrat eas temni non posse [2], nisi Scripturam Sacram, quæ traditione nititur, contemnant.

« Omnia quæ sacris Litteris continentur vera esse firmissime credimus : hoc neque hæretici inficiantur, atque non aliunde habent, ut illis firmiter credamus, quam ex traditione Ecclesiæ ; summe igitur necessaria est Ecclesiæ traditio. Ego cum Lutheranis, qui Ecclesiæ sanctionibus atque statutis auctoritatem adimere conantur, in hunc modum contendo, et quæro in primis, quibus armis velint agere contra Ecclesiam, ut ejus decreta subvertant? Dicent, sat scio, canonicis Scripturis ; nam ad omnia, his hominibus scilicet, expressum Dei verbum facile suppetit. Tunc ego : unde credam Evangelia, sacram et canonicam esse Scripturam? Non poterunt aliud dicere, quam ex Ecclesiæ, traditione, quod, inquam, ita sint ab Ecclesia edocti atque instructi ; Evangelio enim Marci (verbi gratia) credimus, quia divina Scriptura est, cui per se ipsam summam fidem habere necesse est. At scimus Evangelium Marci sacram esse Scripturam, non Bartholomæi, quoniam ipsa Ecclesia Marci nobis tradidit Evangelium, cætera rejecit. Hoc est enim, quod Augustinus scribit : Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiæ auctoritas compelleret, ergo traditionis Ecclesiasticæ maxima auctoritas est, et maximus usus ».

24. *Lutherani frustra tentant conciliare suas opiniones cum opinionibus Zuinglianorum et Calvinistarum.* — A fidei igitur unitate, quæ in Concilio stabilita fuerat, cum obstinata perfidia exulare vellent hæretici, quasi vascula quædam laxata, mirum, quam diversas inter se ac pugnantes sectas influentes receperint, ita ut videre esset Germaniam pæne totam schismatibus dilaceratam, ac dogmatum varietatibus constupratam in tantum, ut quot urbes, tot pæne hæreses peculiares esse, funestissime cernerentur. Quæ religionis dissidia, cum novatores componere adniterentur, inter Lutheranos et Zuinglianos colloquium statuere ; cui quamvis Witembergæ dux ac Palatinus interessent, pax tamen inter impios ac superbos coire non potuit, imo Lutherani, dum Zuinglianos, sive Calvinianos ad se omni arte allicere conantur, novam hæresim Ubiquetariorum conflarunt, ac tam in popina corpus et sanguinem Christi distribui, quam in Lutherana Ecclesia asseruerunt, dum Corpus Christi ubique divinitati conjunctum impie affirmarunt, ut refert Surius [1] his verbis :

« Mense Aprili anni hujus Mulbrunnæ habitum est multis diebus colloquium inter Lutheranos et Zuinglianos, vel Calvinistas. Interfuere colloquio principes duo Palatinus elector et dux Witembergicus. Theologi utriusque principis diu multumque inter se disceptarunt, sed nulla ratione, neutris alteri parti cedere volentibus, ullam concordiam inire et conciliare potuerunt. Defendebant Witembergici theologi, quorum principes facile erant Brentius et Jacobus Smidelinus, una cum pane et vino in cœna Domini, sic enim illi loquuntur, adesse substantialiter et realiter Corpus et Sanguinem Domini, et nedum a bonis, sed etiam a malis ore percipi utrumque : contra Palatini, tam corporalem præsentiam, quam quod ab impiis sumeretur Eucharistia, pernegarunt. Ibi tum multum sudatum est a Smidelino ut persuaderet Christi humanitatem perinde atque divinitatem, non modo in cœna, sed etiam locis omnibus, id est, ubique præsens adesse. Eam stultissimam et hactenus inauditam opinionem hausisse videtur ex Brentio symmista, vel potius præceptore suo. Nam isti homunciones dum suis fidunt ingeniis, ex aliis in alios labuntur errores, quantoque acrius in id incumbant, ut Ecclesiam Catholicam oppugnent, eo deterius obcæcantur, longiusque a luce veritatis in inexplicabilium errorum tenebras recedunt. Nituntur quidem Brentius et Smidelinus docere Christum corpo-

[1] Gasp. Cardill. disp. 9. p. 142. — [2] Gasp. Cardill. in lib. de Traditionibus p. 149.

[1] Surius in Comm.

raliter in Eucharistia præsentem, sed cum id comprehendi nulla ingenii vi possit, sed simpliciter et incunctanter credi oporteat, sub panis et vini speciebus revera Christi Corpus et Sanguinem adesse, isti prodigiosum dogma confingunt, Christi Corpus tam esse ubique præsens, quam est divinitas. Sed humanæ cæcitatis figmentum est, non doctrina Christi ».

25. Cum pugnantibus et contrariis adeo sententiis in re gravissima ad fidem spectante inter se dissiderent novatores, atque a Lutheranis Calvinistæ tanquam hæretici haberentur, tamen Calvinistæ, qui se Protestantes falso appellabant, eamdem cum Lutheranis religionem colere fingebant, nec defuit, qui ad pervertendos Catholicos diceret impudentissime inter Calvinistas et Catholicos de rebus levissimis controverti, quem Guillelmus Rossæus [1] acriter confutat :

« Consideret quisquis, vel hæreticus est, non plane excors et amens, an ipsa impudentia possit esse magis graviter impudens, quam iste Calvinista [2], qui asserit Catholicos et Calvinistas ejusdem esse fidei, et Ecclesiæ domesticos et fratres, quando ipsi Lutherani, cum quibus quoad plurima conveniunt Calvinistæ, propter multas tamen eorum infandas blasphemias, eos tanquam plane atheos ex Ecclesiæ suæ communione ejiciant; sic enim in Synodo quadam admodum celebri scribunt : Quod Calvinistæ se a nobis pro fratribus agnitos scribunt, id tam impudenter tantaque vanitate ab illis confictum est, ut illorum impudentiam satis mirari nequeamus. Nos vero sicut locum illis in Ecclesia nullum concedimus, ita pro fratribus minime agnoscimus, quos spiritu mendacii agitari deprehendimus et in Filium Dei contumeliosos esse. Quibus postremis verbis Lutherani arguunt Calvinistas, illos impie cum Ario de Filio Dei sentire, quod adeo verum est, ut hoc blasphemum mendacium ex ore Hugonottorum frequenter etiam hodie audiatur, Christum unius hominis suffragio in Concilio Nicæno superante Deum esse ; quod in contemptum sacrosancti ejus Concilii effutiunt adeo mendaciter, ubi non modo unanimes divinitatem Christi prædicarunt, sed etiam duo episcopi, qui e vivis ante finem Concilii abierant, divinitus decreto nomina sua adscripserunt. Illæ porro Mulbrunensis colloquii dissensiones tantæ et tam conspicuæ fuere, ut ipsi collocutores toti orbi publicis scriptis testatas esse voluerint, ut narrat Surius. De colloquio Mulbrunensi ingens scriptum Palatini, et aliud Witembergici ediderunt, ut totus orbis sciret, quam præclare inter se consentiant fratres Evangelici, et vel manibus palpare possent, qui velint, quam nihil cum illis commercii habeat Spiritus Christi, qui facit ut sit credentium cor unum et anima una in Domino ».

26. *Ex dissidiis novatorum reducitur junior theologus ad fidem Catholicam.* — Quanta porro esset in Germania sectarum, tamen instar vulpium aversa facie, conjunctarum caudis fraudium suarum ad incendendas agri Dominici segetes, varietas et confusio, describit Staphylus, relata historia unius junioris concionatoris Lutherani, qui Germaniam peragrarat constabiliendæ alicubi suæ cathedræ, sed demum, animadversa horrenda sectarum confusione Babylonica, ad Catholicos digressus veram fidem orthodoxam et uniformem suscepit, quam historiam Surius ita narrat :

« In Apologia sua Staphylus, de quodam juvene concionatore Lutherano commemorat historiam lectu dignam, quam hoc loco inserere paraphrasticos non gravabor, ut norit posteritas, quam monstrosos ediderit dogmatistas ætas nostra. Juvenis quidem concionator Misnensis (est autem Misnia pars Saxoniæ) cum esset aliquandiu concionatus in Misnia, voluit in Saxoniam proficisci (ampla est enim Saxonia, et late patet) idque spe obtinendi alicujus ministerii Evangelici. Erat autem ipse quidem Adiaphorista, id est, Melancthonicus : porro ea Saxoniæ regio, quo se contulit, Illyricanum habuit superintendentem. Quamvis autem Matthias Illyricus discipulus fuerit Melanchtonis, tamen in quibusdam acerrime dissidet a suo præceptore, sicut et Melanchton a suo magistro Luthero. Interrogatus igitur hic juvenis ab Illyricano superintendente, quam religionem profiteretur, respondit, se sentire cum Melanchtone et Georgio majore. Ergo, inquit superintendens, Mamalucha es tu, et apostata hæreticus ? tantum jam intererat inter Melanchtonis et Lutheri doctrinam. Porro sciscitanti superintendenti, num crederet bona opera esse perniciosa saluti? ille quidem respondit, non se id credere, sed potius prodesse ea saluti. Mox vero tanquam Evangelii hæreticus jussus est ex ea urbe totaque regione discedere, jam enim Melanchtonis discipulus Illyricus Melanchtonem ferre non poterat.

« Passus igitur hic miser repulsam, e Saxonia se transtulit in Prussiam, opulentam et uberem regionem. Ibi tum regnabat Osiandrinum Evangelium. Petit vero ab Osiandrino quodam Ecclesiasticum ministerium : Sed illo percontante, num crederet hominem essentiali Dei justitia justum fieri oportere, et num eos, qui diversum sentiant, non alio quam hæreticorum loco haberet ? istoque respondente, aliter docere Melanchtonem atque Illyricum, nec se ita posse de hominis justificatione sentire : illico ceu hæreticus rejectus est, et ex Prutenici principis ditione profligatus.

« Venit igitur in Poloniam ad Calvinianos,

[1] Guill. Rossæus. — [2] Colloquium Mulbrun. p. 12. an. 1564.

sed cum nollet eamdem cum eis cantilenam canere, nec a Lutheri Evangelio deficere ad Zuinglianismum, ab illis itidem haud secus atque hæreticus repulsus est.

« Itaque exclusus a Calvinistis ad Picardos se contulit, sperans ab illo hominum genere, se in eorum sectam et contubernium receptum iri. At illi volebant, ut reliquis sectis omnibus abjuratis, unicam Picardicam, tanquam optimam complecteretur. Quod cum illi non esset integrum, miser ab illis, ut a superioribus, compulsus est fugæ se committere.

« Inde ad Silesianum quemdam nobilem venit, a quo interrogatus, ecquidnam de Suencfeldii Evangelio statueret, an crederet externum ministerium esse supervacaneum, internum verbum, seu verbi prædicati energiam esse ipsum Dei filium, respondit sibi eam videri antiquam hæresim, quæ ab Illyrico, Philippo et Calvino, et aliis multis palam editis scriptis oppugnata sit, quod responsum moleste ferens nobilis Suencfeldianus hominem a se repulit, atque ita rursus ille in pedes se conjicere compulsus est.

« Tot igitur locis repulsam passus ad Anabaptistas in Moravia non infrequentes profugit, non tamen apud eos permanendi animo, sed ut eorum mysteria et institutum exploraret. Verum ab illis callide sane præventus, fidem eis suam exponere jussus est, quæ cum illorum placitis non valde concordaret, nihil morati quod ille longos suos circuitus prætexeret, non aliter quam hæreticum eum a se ejecerunt. Et tamen hæ sectæ omnes sigillatim sibi vendicant puram Evangelii doctrinam, eamque cæteris omnibus detrahunt. In tanta autem doctrinæ varietate fieri quin potest, ut vera sint, quæ docentur ab illis? quid, oro, tandem facient miseri mortales, qui in hos errorum labyrinthos præcipitantur, vel potius sua levitate induci se sinunt? Tam diversis ex orbis nostri angulis clamant certatim pugnantissimi dogmatistæ, novi Evangelii buccinatores : Ecce hic est Christus : et tamen simul mentiuntur omnes, cum non possit esse Christus, nisi in una Sancta Catholica et Apostolica Ecclesia, a qua isti omnes turpiter defecerunt. Sed ut ad nostrum juvenem concionatorem redeamus, venit tandem ille ad Viennam Austriæ, ubi in Catholicum quemdam incidens, suas illi molestissimas peregrinationes et adversos casus, et in quibus versatus esset hæresibus, enarravit, simul obnixe orans, ut ad obtinendam solidam certamque doctrinam et Scripturæ divinæ genuinam interpretationem auxilio sibi esset. Fuit hoc proculdubio divinæ gratiæ opus, ut homo tot exagitatus difficultatibus tandem quandoque rediret ad se, et perspecta falsitate quam hactenus pro Evangelii luce esset amplexus, in viam reduceretur. Possunt enim hæreses de se polliceri veritatem, sed exhibere non possunt. Est vero ab illo Catholico ei datum consilii, ut eum Scripturæ sensum, qui semper et ubique receptus fuit, amplecteretur, porro privatos omnes et singulares sensus repudiaret ; fieri enim non potest, inquit idem, ut privatæ opiniones Catholicum Scripturæ sensum ferant, multo etiam minus, ut inter se consentiant sibique constent. Cum enim non sint isti in eo corpore, quod vivit de spiritu Christi, et ejus perpetuo ductu ac moderamine gubernatur, sed ceu aridi palmites a vite Christo præcisi, foras projecti sint, spiritu vertiginis huc illucque impelluntur et sua commenta venditant cœcis et incautis mortalibus pro verbo Dei ».

27. *Electio Maximiliani in regem Romanorum a Pontifice validata.* — Cum eo progressa fuissent Germaniæ mala, ut abdicato Catholico dogmate, pleræque provinciæ, nihil jam pæne intactum, nihil illibatum, nihil integrum, nihil immaculatum retinerent, factumque ibidem esset impiorum ac turpium errorum lupanar, ubi erat castæ et incorruptæ sacrarium veritatis, peropportuno tempore a Deo consultum fuit, ut Catholicus princeps e maxime Catholica domo in Romanorum regem eligeretur pridem, quemadmodum alibi retulimus. « Quod Pontifex nonis Februarii coacta cardinalium Congregatione [1] professus est, magno in periculo fuisse, ne Romanorum rex hæreticus legeretur, quippe nominatos dicebat, regem Danimarchæ, ducem Saxoniæ, ac regem Navarræ. Eam rem, si ex sententia contigisset, magnam Christianæ reipublicæ, maximam huic Sedi, cujus Romanorum rex defensor ac tutor esset, ejusque Ensis appellari posset, perniciem allaturam. Dei nos beneficio ab hoc periculo liberatos, electo Maximiliano Bohemiæ rege ex familia Catholica in primis, deque Sede optime merita. Addidit Pontifex, Maximilianum, tum per litteras, tum per oratorem suum polliceri se fidei Catholicæ, hujus Sedis ejusque ditionis defensorem perpetuo futurum, *Præstiturumque debitam subjectionem,* quo verbo in juramento etiam usus est, quod in Moguntini episcopi manibus præstitisset, præsentibus hæreticis electoribus, eosque eo verbo offensos, neque enim existimarunt regem ita juraturum. Quare cum in eo juramento subjectionem pollicetur, multo plus tributum sibi videri, quam si obedientia promitteretur ». Post multa in ejus commendationem expressa, adjecit, misisse ipsum oratorem, qui confirmationem peteret electionis, quæ profecto multis ex causis parum firma validaque censebatur. Primum, quod electores hæretici interfuissent ; deinde quod Coloniensis ante suam confirmationem interfuisset, quod ei nullo pacto liceret, cum ante confirmationem

[1] Act. Cons. car. Ghis. lit. G.

atque acceptum pallium archiepiscopalem jurisdictionem exercere non possit: quod quædam etiam Coloniensi ipsi circa religionem fuerint objecta, quæ quamvis falsa speraret, ante tamen confirmationem erant cognoscenda. Tertium, ac maximum vitium esse, quod nondum Ferdinandus coronatus esset, atque antehac inauditum esse, duos eodem tempore fuisse reges Romanorum.

Verum hisce omnibus medicabili dispensatione occurri, longe satius visum est, quod præstaret magis Catholicum habere principem, quam exactam electionis censuram observari, cum majoribus malis amovendis melius subveniret moderatio sinceræ charitatis, quam rigor indiscretæ severitatis. Ideo tum Pontifex ipse, tum ipsi pariter cardinales ad unum omnes censuerunt, ut vitium suppleretur, electioque confirmaretur, ac oratori consistorium daretur: « Itaque sanctissimus », pergunt Acta, « mandavit legi litteras Sereniss. D. Maximiliani Hungariæ et Bohemiæ regis superioribus mensibus in Romanorum regem in oppido Francfordiensi electi ad Sanctitatem suam scriptas, per quas dictam electionem confirmari petebat, quam electionem Sanctitas sua de consilio fratrum approbavit et confirmavit supplendo omnes defectus; ac insequenti die Lunæ septima Februarii fuit Consistorium [1] publicum, in quo fuit receptus orator Maximiliani in regem Romanorum electi, qui obsequium et reverentiam præstitit quam Sanctitas sua admisit et acceptavit ».

28. *Petitur et laicis conceditur usus calicis in Germania.* — Alia quoque legatio ex arcano gesta est Ferdinando imperatore, atque Alberto Bavariæ duce postulantibus, ut usus calicis permitteretur laicis in Germania, utque laici conjugati doctrina et pietate conspicui in iis locis, in quibus cœlibes sacerdotes non sufficerent, ad sacra sacerdotalia Ecclesiasque administrandas admitterentur [2]; ardebat enim laicorum vulgus maxima calicis siti; at quemadmodum hi invidebant calicem sacerdotibus, ita vicissim plures impudici sacerdotes conjugiis inhiabant, quorum cupiditates magis incendere hæretici adulteratis Concilii Tridentini decretis, quibus finxere datam esse a Tridentino Concilio ducendarum uxorum potestatem, eoque mendacio freti canonici Ecclesiæ collegiatæ Beatæ Mariæ in emporio Hamburgensi sacrilegas nuptias inivere, ac viros duos pios eorum impietati resistentes, decanum et alium canonicum, pepulere, quos ab archiep. Bremensi reprimi, atque ad officium redigi XX Julii Pontifex [3] jussit, misitque sincera Concilii Tridentini Acta, ut ea typis excudenda curaret. Piissimus vero imperator ac dux Bavariæ, et calicem laicis, conjugatorumque ad sacerdotales ordines admissionem deposcebant, cum putarent ex animo, reliquias Catholicorum in pluribus provinciis alia ratione retineri non posse, magnam vero Lutheranorum multitudinem ad Catholicæ religionis castra ex ea indulgentia transvolaturam: quæ postulata [1] ab oratoribus exposita XVI kal. Martii Pontifici fuere. Is vero ingemuit tantam perturbationem temporum invectam esse ab effrænata hæreseos licentia, quæ laicorum sacerdotumque munera confunderet, et calicis quidem usum, de quo jam ante in Tridentino Concilio agitatum vidimus, certis legibus indulgeri posse inclinabat Pontifex, qui de eo retulit ad cardinales, ut narrant Acta [2] consistorialia:

« Prima Martii MDLXIV, conquestus est Sanctissimus Dominus noster de qualitate temporum, referens Patribus imperatorem et ducem petere aliquas concessiones: extant utriusque tum Cæsaris, tum ducis geminæ litteræ [3] ad Pium Februario mense, et præsertim ut concedatur eorum subditis communio sub utraque specie, et super hac deputatio facienda est a Sanctitate sua ».

29. Jussit interim, ut omnes invocato Numine, quid agendum foret a Patre luminum exquirerent, ac qui erant presbyteri sacrum de Spiritu sancto per se ipsos, qui vero diaconi, per alios celebrarent, ut missa de cœlis sanctis Dei ipsa sedium suarum assistrice sapientia innotesceret, quid acceptum esset apud illum.

Ferdinandus vero, cum omnem reducendæ Germaniæ spem in eo sitam esse jam crederet, ut et calix permitteretur laicis, et conjugium sacerdotibus non denegaretur, novis etiam litteris [4] Pontificem acrius urgebat, ut postulatis annueret, ac XIV Februarii die has potissimum ad Pontificem scripsit:

« Beatissime in Christo Pater et Domine, Domine reverendissime: post humilem commendationem filialis observantiæ nostræ, continuum incrementum.

« Existimamus supervacaneum esse Sanctitati vestræ prolixe contestari et comprobare summum studii et diligentiæ ardorem, quo hactenus omni loco et tempore procuravimus, et promovimus commodum, pacem, quietem et unitatem sanctæ matris Ecclesiæ: siquidem Deus ipse nobis est testis et conscientia nostra, quod in hac parte neque curis neque laboribus unquam pepercimus; imo, et Sanctitati vestræ hanc nostram voluntatem optime cognitam et perspectam esse non dubitamus. Eo sane pietatis zelo et honesta intentione moti fuimus, cum proxime celebraretur Tridenti sacrum Œcu-

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sign. num. 134. — [2] Jac. Aug. Thuan. l. XXX. in fin. — [3] Pius lib. brev. sign. 2904. Ep. CLXIX.

[1] Jac. Aug. Thuan. l. XXXVI. — [2] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3220. Nona Febr. et XIII et XIV Febr. Act. Cons. lit. G. — [4] Act. Cons. lit. G. Ms. arch. Vat. sig. num. 3221. p. 417.

menicum Concilium, ut ageremus et laboraremus pro concessione calicis, non certe temporalis alicujus commodi aucupandi, seu privati emolumenti et lucri obtinendi gratia, aut etiam quod nos in conscientia nostra, vel minimum scrupulum haberemus de eo quod hucusque, vel in hoc, vel in aliis quibuscumque articulis sensit et observavit sancta mater Ecclesia, sed quia prorsus persuasum habuimus, sicuti etiamnum habemus, hujusmodi concessionem futuram esse utilem in genere, plurimumque momenti allaturam in specie ad reductionem lapsorum et errantium, necnon ad faciendum jam tandem utile principium restaurandæ unitatis et pacis Ecclesiasticæ tamdiu frustra expectatæ et desideratæ. Verum quoniam eo tempore nobis relatum fuerat, non deesse qui de hac materia et concessione nonnihil dubitarint, et varia impedimenta injicerent, facile tulimus rem aliquandiu differri, ut possemus interim pro exoneratione conscientiæ nostræ de hoc negotio conferre cum nonnullis præcipuis atque potissimis sacri Romani imperii prælatis ac principibus, existimantes, quod præhabito eorum consilio, rectius atque liberius possemus deinde omnibus modis instare et elaborare, ut petitioni nostræ satisfieret.

« Instituta igitur matura et diligentissima deliberatione de hoc negotio, utrum scilicet expediat hanc concessionem ulterius requirere et urgere, necne, cum dictis prælatis atque principibus Ecclesiasticis, necnon illustri Alberto Palatino Rheni, et utriusque Bavariæ ducis filio, principe et consanguineo nostro charissimo, et dato eis cogitandi spatio, quo et ipsi possent rem cum suis theologis et doctoribus pietate et eruditione præstantibus conferre, prout contulisse non ambigimus, iidem prælati et principes Ecclesiastici, cum intellexissent, nos ad hujusmodi petitionem tam necessariam, tum regnis ac dominiis nostris, tum universæ nationi Germaniæ inclinatos esse, et statuisse Sanctitatem vestram hoc nomine reverenter interpellare, magnopere collaudato proposito nostro promiserunt, quod et ipsi in hac parte non essent defuturi officio suo, sed obsequenter executuri, quidquid Sanctitas vestra ad filialem et officiosissimam requisitionem nostram dignata fuerit indulgere, concedere atque statuere, et tractaturi, prima opportunitate oblata, hac ipsa de re cum suis provincialibus coepiscopis ac suffraganeis.

« Posteaquam ergo cognovimus, dictos prælatos et principes Ecclesiasticos a nobis in hac parte non dissentire, et in dies magis ac magis experti sumus, quod summa rei necessitas ulteriorem moram non patiatur, ac insuper in memoriam revocavimus, quæ reverendissimi in Christo patres domini Joannes sanctæ Romanæ Ecclesiæ episcopus Prænestinus cardinalis Moronus, et Carolus ejusdem sanctæ Romanæ Ecclesiæ tit. Sancti-Apollinaris presbyter cardinalis de Lotharingia principes, et amici nostri charissimi, nomine Sanctitatis vestræ nobis per episcopum Quinquecclesiensem, tunc Chanadiensem, paucis mensibus ante finem Concilii nuntiavere, et quæ reverendus episcopus Pharensis, nuntius Apostolicus, in eamdem sententiam affirmavit, diutius haud cunctandum, sed primo quoque tempore Sanctitatis vestræ benignitatem ac pietatem hisce officiosis litteris nostris implorandam esse duximus, rati non opus fore, quod Sanctitati vestræ molestiam exhibeamus anxia et prolixa enumeratione multarum gravissimarum causarum, (utcumque eas in promptu habeamus) propter quas Sanctitas vestra merito possit pro æterna multarum animarum salute, humili et filiali petitioni nostræ paterne annuere, sed arbitrati sumus sufficere, et gratius quoque futurum Sanctitati vestræ, alioquin maximis et plurimis negotiis occupatæ, si Sanctitati vestræ desiderium nostrum simpliciter, et quam fieri posset brevissime proponeremus.

« Itaque nunc Sanctitatem vestram nostro et præfati illustris generis nostri ducis Bavariæ nomine impensissime rogamus et obsecramus, ut pro ea auctoritate, quam a Deo Optimo Maximo obtinet, dignetur clementer opitulari tot Germaniæ nationis, ac regnorum et provinciarum populis, quibus viri Catholici et prudentes judicant, Deo propitio hac concessione calicis optime consultum iri, quemadmodum nobis plane persuasimus, Sanctitatem vestram pro summa pietate, et juvandæ instaurandæque collapsæ religionis nostræ Catholicæ ardentissimo studio, lubenter facturam esse, neque permissuram, ut frustra a Sanctitate vestra auxilium petiisse videamur in re tam necessaria, et ad salutem Christiani populi pertinente, quæ in Concilio tam diligenter ventilata et discussa fuit; præsertim cum jam omnibus constet et manifesta sit ingens utilitas, quæ ex hujusmodi concessione expectanda est. Præterea, habita diligentissima deliberatione cum viris Catholica pietate et doctrina claris ac rerum Germanicarum peritissimis, ex illorum sententia Sanctitatem vestram hac quoque de re certiorem reddendam esse censuimus ; quodque Sanctitas vestra maximum quoque momentum adferet tam ad conservandas in Germania, ac regnis et dominiis nostris saltem exiguas hasce religionis Catholicæ reliquias, quam ad cohibendas et exstirpandas hæreses, et earum auctores, ebuccinatores, et propugnatores, si non solum modum et rationem aliquam invenerit, qua sacerdotes, qui assertis suis conjugiis se ab Ecclesia separarunt, Ecclesiæ possint reconciliari, retentis utcumque in contubernio suo assertis illis uxoribus, verum etiam benigne

indulserit, quod in locis, ubi presbyteri in eo numero, qui sufficiat, haberi nequeunt, ab episcopis ordinariis viri laici justæ ætatis, ac doctrinæ, et vitæ probatæ, ac bonæ famæ ad ministerium altaris et ad alia sacerdotum munia admittantur.

« Quocirca prætermittere non potuimus neque debuimus in tanta rerum difficultate, quin etiam hoc nomine Sanctitati vestræ, omni, quo possumus, studio pro nobis ipsis et pro antedicto illustri et charissimo genero nostro reverenter rogamus et obtestamur, ut postposita omni dilatione, in hoc quoque articulo salutare remedium adhibeat : et cum Sanctitas vestra non ignoret, judicio et sententia tot piissimorum hominum tali curatione Ecclesiam Catholicam, divino favente numine, plurimum juvari, et multa animarum millia salvari posse, nequaquam intermittat etiam Sanctitas vestra in hac parte Apostolicam auctoritatem exercere; hoc ipsum enim tempus est (quod cum debita filiali reverentia dictum volumus) quo Sanctitas vestra id præstare, perficere et assequi poterit, ut nomen ejus in perpetuum celebretur, atque laudetur, ac vere de Sanctitate vestra dicatur : Quid potuit facere, et non fecit vere Pius Pontifex, quo nutantes firmaret, lapsos erigeret, et errantes in gremium Ecclesiæ reduceret? Profecto Sanctitas vestra in eo factura est rem vocatione et pietate sua dignissimam, quam proculdubio nos ipsi, et omnes pii et Christi fideles in universo Christiano orbe nostris ad Deum Optimum Maximum orationibus pro incolumitate, et felicitate Sanctitatis vestræ jugiter fundendis promereri studebimus ; cui, quod reliquum est, filialis nostræ observantiæ officia reverenter offerimus ac commendamus. Datum in civitate nostra Vienna die XIV mensis Februarii, anno Domini MDLXIV, regnorum nostrorum Romani XXXIV, aliorum vero XXXVIII.

« Quod nos nostro et fratris illustris et charissimi filii nostri ducis Bavariæ nomine, a Sanctitate vestra studio unitatis et pacis Catholicæ Ecclesiæ promovendæ reverenter petimus, id sine negotio et mora concessum iri confidimus : quinimo illis potissimum de causis, quas Sanctitas vestra ex illustrissimo cardinale Morono, et ex oratore nostro intelliget, omnino ita fore pro certo tenemus ».

30. Ad hæc postulata eblandienda a Pontifice, idem imperator Joannem Moronum cardinalem, qui Concilio Tridentino cum summa legati Apostolici auctoritate præfuerat, interpretem adhibuit, ad quem extant hæ litteræ [1] :

« Ferdinandus, divina favente clementia, electus Romanorum imperator semper Augustus, etc. reverendissimo in Christo patri, domino Joanni S. R. E. episcopo Prænestino cardinali Morono, amico nostro charissimo, salutem ac benevolentiæ nostræ affectum.

« Reverendissime in Christo pater, amice charissime. Posteaquam proximis diebus diutina et matura deliberatione cum viris piis Catholicis et doctis, adhibita specie a S. D. N. pie ac benigne concessa, tandem, Deo propitio, res in eum locum est adducta quod confidamus, tum Sanctitatis suæ voluntati, tum afflictis et turbatis multorum conscientiis probe consultum iri, quemadmodum paternitas vestra reverendissima intelligere poterit : quandoquidem rem omnem cum reverendo episcopo Pharense nuntio Apostolico benevole communicavimus, qui haud dubie, quæ acta sunt, ad Sanctitatem ejus referet, adeo, ut nunc in hoc sacro calicis negotio nobis nil aliud restare videatur agendum, nisi quod quædam Brevia nobis a Sanctitate ejus transmissa latius extendantur, et quædam de novo conficiantur : cujus rei curam magnifico, fideli, nobis dilecto Prospero comiti Archi nostro consiliario et apud Sanctitatem ejus oratori injunximus, eamque nihil plane difficultatis habituram arbitramur, præsertim si paternitas vestra reverendissima suas quoque partes interposuerit, prout interponi vehementer desideramus.

« Sed alterum illud negotium nobis superest conficiendum de conjugio sacerdotum, quod Sanctitas ejus in ulteriorem deliberationem rejecit; est enim illud non minoris momenti, quam concessio calicis, ac diutius nullo modo posthaberi potest nec debet. Quapropter Sanctitatis ejus illud nunc iterum per præfatum oratorem nostrum in memoriam redigendum et reverenter inculcandum duximus, in quo cum paternitatis vestræ reverendissimæ opera nobis maxime itidem usui esse possit, paternitatem vestram reverendissimam summo studio benevole hortamur atque requirimus, ut consideratis æquissimis pariter et gravissimis illis rationibus et argumentis quibus ad hanc necessariam petitionem adducti sumus, et pro sua præclarissima erga nos voluntate velit nobis etiam in hac re, tam pia, tamque utili ad recuperandam Ecclesiæ unitatem et quietem, auxilio suo adesse, et sicuti hactenus consuevit in rebus omnibus, boni protectoris officium præstare, quemadmodum nobis de paternitatis vestræ reverendissimæ pietate ac benevolentia plane pollicemur. Factura profecto est paternitas vestra reverendissima opus pium et sanctum, Deoque Omnipotenti gratum, atque Ecclesiis in Germania, ac regnis, et dominiis nostris saluberrimum, quod paternitati vestræ mutuis Cæsareæ benevolentiæ studiis rependemus, eamdem, quod reliquum est, valere optantes. Datum in civitate nostra Vienna die XVII Junii MDLXIV, regnorum nostro-

[1] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3220.

rum Romani XXXIV, aliorum vero XXXVIII (1) ».

31. Pro Calixtinorum etiam reliquiis, quæ superfuerant in Bohemia, in sinum Ecclesiæ traducendis, idem imperator flagitavit, ut Pontifex permitteret Pragensi archiepiscopo eos ad sacerdotalem ordinem provehere [1], subjectis legibus in libello supplice descriptis :

« Quæ postulat a Sanctissimo D. N. Cæsarea majestas, tria sunt. Primum quod archiepiscopo Pragensi concedatur, ut Calixtinos, qui antiqua conventa et compactata se servaturos spoponderint, omnibus prius hæresibus abjuratis et ritibus ab Ecclesia Romana dissentientibus, dempto calicis usu, Ecclesiæ reconciliare possit.

« Secundum est, quod eidem archiepiscopo Pragensi detur, ut Calixtinos jam reconciliatos ad sacros ordines promovere possit.

« Tertium, quod illis consulatur oppidis, in quibus cum unicus tantum sit sacerdos, diversi tamen sunt communicandi ritus ». Et interjectis pluribus de adigendis Calixtinis, ut profiteantur totum Christum sub qualibet specie contineri, nec utramque speciem necessariam ad salutem, subdit :

« Quod Bohemis id concedi possit, hæc nos persuadent ; quia a centum viginti quinque annis in ritu atque more nutriti sint et educati, ut opus perdifficile sit ipsos ab instituto more divellere. Diversa autem esset ratio, si denuo hæc sibi concedenda peterent. Differunt enim hæc duo ad invicem, si quempiam natura non malum in antiquo more permanentem toleremus vel vetustiorem consuetudinem nulla certa ratione mutari sinamus ».

32. Re igitur a Patribus ac sapientibus viris discussa, consultius visum fuit petitioni calicis assentiri, ut hoc veluti obice submoto, in angulari lapide Catholicæ veritatis conveniret Germanorum natio, quamvis istis proprietatibus distinctius emineret. Igitur episcopos nonnullos auctoritate instruxit Pius, ut certis legibus, laicis calicis usum efflagitantibus permitterent ; hoc ipsum per oratorem suum postulante Ferdinando, quod diceret, nolle se ea, quæ juris erant Ecclesiastici, temere attingere, ut ex subjecta formula [2] manifestius comprobatur :

« Sacra Cæsarea majestas dominus noster clementissimus, posteaquam intellexit instantem petitionem suam, quam fecit primum per suos oratores in sacro Tridentino Concilio, deinde vero apud Sanctissimum in Christo patrem ac dominum D. Pium S. R. et universalis Ecclesiæ Summum Pontificem, jam tandem exauditam esse, sacrique calicis usum iis, qui digne illum in communione sanctæ Catholicæ matris Ecclesiæ petent, posthac minime esse denegandum, existimavit, nunc summam adhibendam esse curam ac diligentiam, ne quod suprema ac legitima Ecclesiæ auctoritate jam licet, illicito ullo modo ad usum proxime redigatur ; quinimo, ne ipsa concessio in sensus non veros a quoquam trahatur, ac ne quod a majestate sua Cæsarea pia mente procuratum fuit, et ejusdem Ecclesiæ ob eam præcipue causam concessum, ut diu frustra exoptata fidelium concordia fieret, schisma majus deterioresque pariat contentiones. Quare tametsi majestas sua Cæsarea nihil minus cogitat, quam falcem in messem S. D. N. cæterorumque episcoporum mittere, quandoquidem probe novit, ac lubenter et aperte profitetur, quod minime ad principes sæculares pertineat de rebus fidei statuere, sed ad Ecclesiasticum ordinem pertineat de rebus fidei statuere, gravioresque religionis et fidei causas ad Apostolicam Sedem sacraque Concilia divina Dei dispositione esse reservatas ; verumtamen, ut majestas sua Cæsarea, tanquam primogenitus Ecclesiæ filius, supremusque ejus advocatus ac defensor, omnem suam promptitudinem, assistentiam et auxilium pro legitima executione piæ hujus sacri calicis concessionis seu permissionis ita exhibeat, ut fructus inde, Deo auspice, animabus fidelium salutaris proveniat, visum est majestati suæ Cæsareæ negotium dare piis aliquot et doctis, pacisque studiosis viris, qui in Dei nomine ac sancti Spiritus, gratia Dei invocata, diligenter cogitarent, perpenderent, examinarentque omnia, quæ juxta formam jam emanatæ concessionis sacri calicis, usum illius (quantum humana discretio, cautela diligentiaque assequi potest) fructuosum reddant, deque tandem omnibus, super quibus unanimiter eos convenire contingeret, Cæsaream suam majestatem commonefacerent. Cum itaque ab iisdem Cæsareæ suæ majestatis mens ac voluntas diligenter fuerit executioni demandata, placuit suæ Cæsareæ majestati, quæ ab illis pie proposita sunt, cum reverendissimis archiepiscopis et episcopis, quorum provinciæ ac diœceses majestatis suæ regna, ac inferioris Austriæ dominia patrimonialia attingunt, pro sacri calicis dispensatione delegatis tenore præsentium benigne conferre.

« Quoniam vero in hac tota actione unicus majestatis suæ scopus est, ut sacri calicis rectus

[1] To. XIV. de Conc. Ext. in Ms. arch. Vat. sign. num. 3201. — [2] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3229. p. 14.

(1) Ferdinandi imperatoris postulationes de usu calicis laicis concedendo non pronis tantummodo auribus excipere Pius visus est, ut narrat hic annalista, sed et Bullam dedit in qua reipsa usum illum permittebat. Has litteras, desumptas ex schedis cardinalis Granuelæ additas legimus in opusculo *De la Tolérance des Religions* excuso Parisiis apud Anissonium MDCXCII, in-12, pag. 77 addition. Cuinam dirigantur, quanquam ibi non legitur, facile tamen ex eorum serie intelligitur ad cardinalem ipsum Granvellanum Mechliniensem archiepiscopum transmitti ; et forte Encyclicæ erant litteræ ad alios pariter per Germaniam archiepiscopos destinatæ, etc.

Hanc dein Bullam Pius V et Gregorius XIII peculiaribus litteris revocandam censuerunt, ut scribit annalista hic num. 36. MANSI.

usus instituatur, piaque Ecclesiæ intentio votivum sortiatur effectum, antequam ea exponantur, quæ servanda pii viri consuluerunt, nonnulla, sine quibus institutum hoc utiliter executioni mandari minime posse videtur, præmittenda esse duxit.

« Concessionis hujus fructum, ex confessorum et concionatorum diligentia in primis pendere plane constat : licet autem de salutari peccata confitendi more, quo ab initio Catholica Ecclesia unanimi sanctorum antiquorum Patrum consensu usa est, et modo etiam utitur, non sit præsentis instituti ex professo disserere, maxime cum præsupponendum sit, sacerdotes conscientiarum præsides ac judices divina ordinatione institutos, a confitentibus sacramentalem confessionem semper requirere, ac potestate dimittendi retinendique peccata divinitus eis tradita nequaquam abuti, tamen quæ hoc tempore, quo calix populo laico exhibebitur, præcipue introducenda et promovenda, ipsisque confessoribus diligenter observanda videntur, hæc sunt :

« Primum Dei populus ita docendus, exhortandus atque admonendus videtur, ut intelligat sentiatque, Romanam Ecclesiam, sub qua matre ac magistra divisim Ecclesiis fides Catholica tradita est, nequaquam esse ideo reprehendendam, quod in Sacramentorum dispensatione salva illorum substantia ea statuat vel mutet, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum et locorum varietate magis expedire judicarit, quinimo potestate sua rectissime et piissime usam esse.

« Videtur insuper populum ita docendum, exhortandum atque admonendum esse, ut in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento sub qualibet specie totum et integrum Christum contineri et sumi conformiter credat, et quod ad fructum sacramenti attinet, nulla gratia necessaria ad salutem defraudari eos, qui unam speciem solam accipiunt, ideoque asserentes sub una panis specie integrum Christum non sumi, æque ac docentes, parvulis, antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, a piis fidelibus Ecclesiasticam unitatem servantibus esse rejiciendos. Piisque pariter ac prudentibus confessoribus faciendum erit pro viribus, ut quisque sentiat, quod si ad communionem accedet, nisi integram atque inviolatam eam teneat et credat fidem, quam Sol Justitiæ Christus Deus docuit, Apostoli, et Beatus Petrus, ejusque legitimi successores tradiderunt, et prædicta Catholica, Spiritu sancto suggerente, Ecclesia perpetuo retinuit, reum eum esse Corporis et Sanguinis Domini, judiciumque sibi manducare et bibere.

» Et quoniam Cæsarea majestas non sine dolore intellexit, esse in dominiis ac regnis ejus, et præsertim in Austria, qui conquerantur, nescitur qua incuria, sacerdotes in aliquibus locis, ut plurimum, omnes qui ad confessionem accedant, publice et illorum facta, quasi in corona audire, ac mox deinde absolvere, ideoque non posse singulos omnia peccata mortalia, quibus si conscientiæ suæ latebras diligenter prius explorarent, Deum suum mortaliter offendisse animadverterent, apud solum sacerdotem secreto confiteri, salutaria super inde consilia quærere, ac per absolutionem postmodum a peccatis relevari, arbitratur majestas sua, Catholicum apprimeque pium confitentium zelum fovendum esse.

« Quare ut sacerdotum omnium, in primis autem dominorum ordinariorum hac in re diligentia merito requiritur, remediumque ab eis sedulo expetitur, ita etiam confessores omnes in ejusdem suæ majestatis dominio degentes seriose videntur præmonendi, ut in privatis secretis confessionibus audiendis prudenter se gerant, juxtaque captum confitentium, quorum omnium et singulorum una atque eadem non est ratio, procedant, tandemque cui vel lac vel solidus cibus convenient, lac solidumve cibum pie præbeant, caveantque perdiligenter, ne theologalibus difficultatibus aliisve occultis mysteriis captum confitentium excedentibus (quæ omnia inutilium disputationum, unde hæreses etiam, proh dolor ! ortæ sunt, multorumque deinceps discordiarum causa et fomentum extiterunt) confitentes deterreant, vel a sacra communione, quæ digne sumentibus medicina semper est salutaris, arceant aut expellant, sed rite omnia tractantes, incorrupteque disponentes, Dei gloriam atque animarum salutem dumtaxat se quærere ostendant.

« Et posteaquam legitima Catholicæ Ecclesiæ auctoritate provisum quoque est, ut in recipiendis ad Ecclesiæ unitatem et gremium lapsis vere pœnitentibus de rigore canonum remittatur, videtur, tam reverendis ordinariis, quam cæteris sacerdotibus prudenter maximaque cum circumspectione agendum esse, ut non modo præstentur atque exigantur (ubi tamen de lapsis notoriis ac scandalosis agetur), quæ in ipsa concessione pro disciplina Ecclesiastica conservanda pie sunt expressa, verum etiam cum promiscua plebe, quæ ignorantiæ vitio, vel errorum tenebris obducta, vel in erroribus nata atque hactenus educata fuit, tanta cum charitate procedatur, ut ea ipsa erroris sui a confessore suo diligenter admonita, ac desuper munere sacramentalis absolutionis accepto, in foro conscientiæ plane tuta, et in unitate Ecclesiæ constituta ad communionem admittatur : efficiantque pii sacerdotes, ut quæ pro rerum, locorum, personarum et temporum conditione ad Dei honorem pœnitentiumque utilitatem expedire cognoverint, ea ipsos prudenter im-

plevisse constare possit. Denique in confessionibus et in concionibus ita se gerant, ut observantiam conditionum, quæ Sanctissimi domini concessioni, pro sublevandarum conscientiarum studio insertæ sunt, Christianis exhortationibus et sua doctrina efficaciter ac suaviter introducant.

« Superest de illis loqui, quæ suæ Majestati a sæpe nominatis viris pro sacri calicis administratione pientissime proposita fuerunt.

« Sanguis Domini nostri Jesu Christi, non aliter ex calice præter formam in Ecclesia perpetuo usitatam administrandus esse videtur, calicesque plures et capaciores antea consecratos omnibus rite illum appetentibus exhibeant.

« Ac ne schisma inter fratres ullum oriatur, quinimo, ut ex hac sacri Concilii et Apostolicæ Sedis gratia et concessione illud obtineatur, quod pii viri jam multum diuque in votis habuerunt, nempe, ut vinculum charitatis sarciatur ac conservetur, atque ut omnes in sancta unius Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ unitate, non modo uno et eodem ore Deum glorificent, sed unum atque idem esse exterioribus quoque signis dignoscantur, pie arbitrati sunt, sincereque consuluerunt, ministrorum, templorum, et altarium differentiam prorsus tollendam esse, pariter etiam prius et posterius in re tanti momenti, omnino esse evitandum : quare omnes tam sub una, quam sub utraque specie communicaturi indiscriminatim ad communionem accedere debere, hoc tamen ordine omnino observato, ut sacerdoti Catholico, qui Corpus Domini sub specie panis præbet in medio altaris existente, levita, vel alius sacerdos Catholicus ministrans e dextro altaris cornu calicem sacrum, et sinistro vero et infra altaris gradus æditu us, vel aliquis alius honestus laicus meram ablutionem vini non consecrati, quemadmodum hactenus in usu fuit, porrigat, ita ut ii qui unica specie contenti esse volent ad illum, puta æditu um solum, qui vero sub utraque communicare maluerint, etiam ad sacrum calicem sese conferre queant.

« Ne vero Christi oves esuriant neve parvuli panem petant, et non sit qui frangat eis, præmittendum consuluerunt piam aliquam populo exhortationem, præsertim in publica et frequenti, communione in lingua vernacula, verbis tamen ejusmodi conceptam, ut populus summatim ex ea de essentialibus ad doctrinam fidei sanctissimæ Eucharistiæ sacramenti atque ejus fructum instruatur doceaturque, tum illos qui sub altera, quam qui sub utraque communicant, utrosque Carnem et Sanguinem Domini integre ac rite sumere, atque, ut juxta, Pauli sententiam, manducans non manducantem contemnere non debet, ita bibenti, ne contemnat non bibentem, cavendum erit : et quemadmodum per varietatem hujus ritus fides aut religio minime variatur, ita debere omnes sollicitos esse servare unitatem spiritus in vinculo pacis.

« Simili modo, quandoquidem rudes homines mentem a terrenis haud facile evocant ad animos in gratiarum Dei actionem et laudem excitandos, possent post communionem, hymnus aliquis vel psalmus, cum responsorio instituto convenientes, et ab episcopo diligenti examinatione præmissa approbati, vulgari lingua decantari.

« Super his autem omnibus expressa dominorum ordinariorum diligentia requiritur in visitatione bis aut semel saltem in anno per universam diœcesim per Catholicos prudentes, doctos et Dei gloriam quærentes, non avaros, non in fide dubios imperitosque homines, instituenda executionique demandanda. Certe alioquin in die tremendi judicii de manibus eorum animæ sibi subditorum requirentur, sentientque se hominibus et Deo potissimum displicuisse.

« Hæc sunt pia illa salutariaque consilia, quæ ut Cæsareæ suæ majestati sincere exhibita ac proposita sunt, ita sæpenominatis reverendissimis prælatis, concessioni tamen Apostolicæ Sedis sacrique Concilii innitendo, benigne significanda esse duxit; non ut eorumdem munus, quemadmodum etiam superius tactum est, sibi usurpare, aut quidquam contra boni imperatoris, ac privilegiorum Ecclesiasticorum defensoris officium attentare unquam cogitaverit, sed ut protectionis atque assistentiæ suæ Cæsareæ studia, cum Apostolicæ Sedis sacrique Concilii studiis pie conjuncta esse sæpenominati reverendissimi episcopi omnino sentiant, ac quid eis liceat pariter, et quid expediat perpendant, certumque habeant, majestatem suam Cæsaream in executionem præmissorum ita effecturam, ut favor et auxilium majestatis suæ eis nunquam desit.

« Hæc omnia majestas sua Cæsarea, tum reverendissimo domino Zachariæ Delphino episcopo Pharensi Sanctitatis suæ nuntio, quam cæteris prænominatis archiepiscopis et episcopis, benigne significare voluit.

« Cupit autem majestas sua Cæsarea hoc pium et saluberrimum negotium sine omni dilatione per reverendissimos dominos archiepiscopos executioni demandari. Ubi sane majestatis suæ Cæsareæ judicio curandum erit, ut etiam suffraganei episcopi ab archiepiscopis subdelegandi, nihil difficultatis faciant, neque moras nectant, sed cum ipsi talia per se soli passim per universam diœcesim suam præstare non possint, mox hujusmodi facultatem prælatis, decanis, ruralibus parochis, prioribus, guardianis, seu aliis monasteriorum præpositis tribuant, eosque de iis omnibus, quæ supra scripta

sunt copiose edoceri curent, et Deo propitio hoc institutum ad Dei gloriam et salutem, quietem et unitatem Ecclesiæ, ac Germaniæ, regnorumque et dominiorum majestatis suæ Cæsareæ, jam tandem perficiatur, quemadmodum majestas sua Cæsarea futurum sibi plane persuasum habet, atque id Cæsarea sua benevolentia pariter ac benignitate lubenter recognoscit. Decretum per majestatem suam Cæsaream die XI Junii, anno Domini MDLXIV ».

33. *Legatio Germaniæ cardinali Morono demandata.* — Ut autem Germaniæ rebus majori, tum præsidio, tum dignitate consuleret Pontifex, Joannem cardinalem Moronum nuper Tridentina legatione gloriose perfunctum, ac Cæsari maxime acceptum, legatum in Germaniam decreverat [1], amplaque illum instruxerat facultate, quo validius hæreticis posset resistere, eorum fraudes pandere atque argutias elidere, libros omnes hæreticorum legendi et apud se retinendi, jussusque fuerat imperatoris ac Bavariæ ducis animum prudenter lenire, ut postulationibus modum ponerent, ne injusta forte conniventia ea populis concedi optarent, quæ in illorum verterent perniciem, quibusve non erigeretur lapsus, sed in ruinam magis impellerentur, quale propemodum fuisset sacerdotum conjugium, atque alia hujusmodi. Cum autem gravis suspicio esset oborta, ne Protestantes legati Pontificii adventu perculsi bellum civile conflarent, ad aliud extrahi tempus legationem visum est, atque ut habent Acta Consistorialia [2] : « XIV Aprilis Sanctissimus fecit verbum de dilatione profectionis reverendissimi domini Moroni legati in Germaniam, eo quia Ferdinandus serenissimus metuebat, ne tumultus Protestantium oriretur, si id suis litteris peteret; dixit tamen sperare, brevi tempore majestatem suam, non solum legati profectionem non ægre laturam, sed etiam magnis precibus postulaturam. Et multa in hanc sententiam locutus est; se quidem, si fieri possit, pro Christiani populi salute centies quotidie mortem oppetiturum, neque privati commodi rationem ullam, sed publicæ tantum utilitatis habiturum ».

34. *Antistites Germaniæ ad Concilium Tridentinum recipiendum exstimulantur.* — Interea [3], ut Tridentina decreta a se confirmata per totam Germaniam promulgarentur simul ac reciperentur, Ecclesiasticos S. R. imperii electores, pluresque alios Germaniæ episcopos suis exstimulavit Epistolis; et quoniam de Friderico designato Colonien. archiepiscopo incommoda quædam dubiæ fidei spargebatur fama, isque, cognito quod sibi objectum erat crimine, suam innocentiam Pontifici asserere studuisset, Pontifex gravi Epistola illum admonuit, ut publicum intemeratæ fidei documentum ederet, Catholicam palam fidem asserendo, ac simul hæreticos e sua provincia strenue eliminando.

35. *Calicis concessio videtur dare, saltem ad tempus, aliquam spem fidei redintegrandæ in Germania.* — Jamque lætior affulgere spes visa fuerat fidei Catholicæ latius in dies per Germaniam propagandæ, quod nova illa calicis permissione, plurimi Viennæ ejurata hæresi, cum Ecclesia sancta in gratiam rediissent, ac Pontifex, cum in Consistorio de Ferdinandi imperatoris ægritudine verba esset facturus, mœstitiam illius nuntii hoc alio consolationis pleno temperavit. Asserunt enim Acta [1] :

« Romæ die Veneris XIV Julii fuit Consistorium : Sanctissimus fecit verbum de infirmitate serenissimi Ferdinandi in imp. electi, et multa de ejus laudibus dixit, et in Christianam religionem pietate.

« Dixit, ipsum maxima cum instantia petiisse, ut Germanicæ nationi et statibus patrimonialibus communio sub utraque specie concederetur : id nisi fieret, brevi fore, ut illarum regionum viri, non solum hæretici, sed etiam infideles fierent, hanc concessionem, remedium tanto malo futuram : hanc petitionem factam ab imperatore communicato consilio cum principibus Catholicis Germaniæ episcopis et electoribus, ideo Sanctitatem suam, quamvis a rebus novis semper abhorruerit, non libenti animo, sed necessitate coactam, ut tantis malis remedium adhiberetur, de consilio quorumdam cardinalium secreto per Sanctitatem suam deputatorum, ac quorumdam prælatorum, qui Concilio interfuerunt, facultatem dedisse quibusdam episcopis hanc concessionem faciendi, quibus tamen non dederat facultatem præcisam concedendi usum calicis, sed ita demum, si exposita ab electo in imperatorem vera esse reperiantur, et cum conditionibus de quibus in facultatibus; se sui consilii rationem nunc reddere voluisse, et certiores nos facere. Ex litteris [2] nuntii Delphini accepisse, Viennæ maxima cum lætitia illius populi usum calicis receptum fuisse, et cum laude et gratiarum actione erga imperatorem et Sanctitatem suam, et duas ex tribus partes ex Lutheranis et suspectis illius civitatis post hanc concessionem resipuisse, et se Catholicos declarasse, quodque idem speratur fore in aliis civitatibus ».

36. Verum brevi spes illa reflorescentis fidei evanuit; ac cum nullus deinceps profectus haberetur religionis, imo contumaciori animo Lutherani in suis hæresibus defigerentur, multaque in dies graviora orirentur incommoda, B. Pius Quintus, qui immediate in Pontificatu Pio IV successit, ac Gregorius postmodum XIII

[1] Jo. Franc. Firman. Diar. to. XI. Ms. arch. Vat. Lib. brev. sig. num. 2908. Pii IV. Ep. CXXXV. — [2] Act. Cons. ubi supra lit G. Pius IV. lib. brev. an. 5. Ep. XL, XLI. — [3] Ibid. Ep. XXI et Ep. CLXXXVII.

[1] Act. Consist. sig. 134. p. 390. — [2] V Aug. Ep. XXXII.

concessionem illam penitus revocarunt, servatumque a pluribus seculis usum sub altera tantum specie communicandi laicos restituerunt.

37. *Pius Ferdinandi obitus* : *turbida initia imperii Maximiliani successoris.* — Ferdinandus vero imperator, cum morbo, quo aliquantulum fuerat levatus, iterum affictaretur, VIII kal. Augusti placidissime efflavit animam hora 23, cum antea tam liberis quam generis, qui lectulo circumstabant, præclara præcepta et consilia dedisset, in primisque Maximiliano, quem hortatus est ac rogavit, ut perennem se religionis Catholicæ defensorem ac vindicem præberet. Hoc accepto nuntio, Pontifex [1] cardinales de imperatoris morte certiores fecit :

« Die v Augusti MDLXIV, fuit congregatio generalis, in qua S. D. N. conquestus est de obitu serenissimi D. Ferdinandi regis in imperatorem electi, qui obiit die XXV Julii maxima cum pietate, cum omnia Sacramenta suscepisset, et multa dixit de ejus laude, et de jactura Christianæ reipublicæ, quam sperabat per serenissimos ejus filios, et præcipue regem Maximilianum resarcitum iri. Fecit verbum de ejus exequiis peragendis, et quod missa cantaretur per cardinalem, et fieret sermo, quamvis non esset de more, et quod illius memoriæ amplissimi honores haberentur : et deputati fuerunt ad hoc reverendissimi Moronus, de Aracœli, Sabellus et Borromæus. Fuit deputatus reverendissimus dominus cardinalis ab Altaemps legatus ad Maximilianum Romanorum regem ».

Explicuisse Ferdinandum in extremo vitæ actu plurima virtutum exempla scripsit Pontifici Matthias Cithardus Ordinis Prædicatorum, qui morienti adstiterat, ut ex Pii [2] ad eumdem religiosum virum responso constat : « Litteræ tuæ, quibus commemorasti singularem Ferdinandi Romanorum imperatoris electi in ferenda diuturni morbi molestia patientiam, tum summam pietatem et religionem, quam is in obitu declaravit, dolorem, quem amisso primogenito nostro cepimus, non parum consolatæ sunt, etc. XIX Augusti MDLXIV, anno V ». Solatus est aliis litteris [3] Maximilianum electum imperatorem de obitu Ferdinandi parentis, quem Deus e mortali vita ad immortalem evocarat, ut illi pro laboribus in asserenda fide Catholica susceptis, felicioris imperii æternitatem conferret. Mariam etiam Hungariæ et Bohemiæ reginam, necnon Ferdinandum archiducem Austriæ, Albertum ducem Bavariæ, eo casu afflictos sacris consolatoriis verbis permulsit. Porro Maximilianus a religione ac pietate imperii sui exordia auspicatus est, ut retulit Pontifex [4] in cardinalium senatu :

« XVIII Augusti MDLXIV, fuit congregatio generalis, in qua S. D. N. communicavit reverendissimis DD. cardinalibus, quæ ex litteris nuntii habebat de successu rerum Germaniæ, post obitum serenissimi Ferdinandi in imperatorem electi, et bonam spem, quam habebat de novo rege Romanorum, qui cum fratribus suis pietatem et religionem paternam imitaturum præ se ferebat ».

Turbida fuere initia imperii Maximiliani ob Joannis Transylvaniæ principis in Hungariam irruptionem [1], qui secum auxiliarem Turcarum exercitum traxit. Pepigerat ille antea cum Ferdinando inducias, quo extincto, eas solutas ratus, cum se Solymanni Turcarum imperatoris beneficio et auctoritate Hungariæ regem diceret, contracto raptim exercitu Sachomar oppidum in finibus Pannoniæ inferioris munitissimum militari astu cepit ; nam vespere qua hora armenta in oppidum reducebantur, submisit milites, qui post terga boum maximam pulveris nubem concitarent, ne ab oppidanis dignoscerentur : ita una cum armentis oppidum ingressi custodes repente adorti trucidarunt, eademque celeritate in apertas arcis portas insiliere, antequam præsidiarii se colligerent; inde Hadadum, Arivanum Pannoniæ oppida cepit, ad Unguarum vero cladem a præsidiariis Germanis accepit, quatuor millibus amissis ex repentina glandium missilium procella, cum propius ad exploranda mœnia accessisset. Submissus vero mox cum copiis a Maximiliano Lazarus Suendius, ut Hungariæ opem ferret, Toccaium et Serenschium oppida cepit, desertumque ab hoste Sachamar instauravit. Pellectus est in societatem hujus belli Turca, qui, ut pro comparando exercitu tempus aucuparetur, de redintegrandis induciis cum Maximiliano egit, ut pacis expectatione illusum atque imparatum adoriretur, de quo rerum successu Pontifex [2] senatum certiorem fecit, seque ad ferendam opem Maximiliano, et conjungendos mutuo fœdere in Turcam principes studia omnia conversurum significavit.

« Die Veneris VI Octobris MDLXIV, fecit verbum de induciis fractis a Transylvano, qui quædam oppida Maximiliani in imperatorem electi occupaverat, et de dubio, quod bellum futurum esset in illis partibus inter Maximilianum et Turcas, quod si hoc occurrerit (quod Deus avertat) cogitandum erit de auxilio ferendo eidem regi et uniendis principibus pro Christiana republica, quibus rebus pro viribus Sanctitas sua se non defuturam affirmavit ».

Licet vero Turca [3] de instaurandis induciis misso Marco Zibinensi ageret, tamen Maximilianus Turcicarum artium non ignarus, ad bellum

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. 134. p. 389. Schard. Ep. rer. gest. sub Ferd. Busaeq. Ep. IV. Isthuan. hist. Hungar. l. XXI in fin. — [2] Pius IV. lib. brev. sig. num. 2984, Ep. 32. — [3] Ib. Ep. 101, 54, 100. — [4] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. 134, 387.

[1] Natalis Comes l. XIV. — [2] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sign. num. 134. p. 390. — [3] Natal. Com. l. XIV.

strenue se accinxit, ac ne auctor belli, vel pacis osor videretur, suis edixit, ut ab injuriis in Turcam inferendis abstinerent, de bellico vero, quem instruebat, apparatu Pontificem fecit certiorem, qui hæc retulit in cardinalium senatu : « Communicavit (inquiunt Acta [1]) Sanctitas sua sacro Collegio apparatus, quos comparabat serenissimus imperator adversus vaivodam Transylvaniæ ». Addunt Acta [2] de pia Maximiliani erga Pontificem observantia :

« XV Decembris retulit se habuisse litteras serenissimi imperatoris, et ipsius fratris, quas attulit episcopus Vintimiliensis, quibus significabant, velle continuare in devotione et obedientia erga Sedem Apostolicam et suam Sanctitatem.

38. *Maximilianus conjugium sacerdotum petit a Pontifice, sed patitur repulsam.* — Refert Jacobus Augustus Thuanus [3] Maximilianum Cæsarem per Prosperum comitem Arcuensem dedisse ad Pontificem litteras quarto kal. Decembris, quibus postulabat, ut de severitate Ecclesiastica permissis sacerdotum conjugiis remitteretur in Germania et Hungaria; non enim calicis concessionem optatum fructum afferre posse, nisi penuria sacerdotum laborantibus provinciis ea in re subveniatur : subjungit ille, additam fuisse succinctam argumentorum pro sacerdotum matrimonio contra cœlibatum enumerationem cum mandato, ut brevis ille commentarius cardinalibus communicaretur. Mox argutias hæreticorum agglomerat, utroque Testamento sacerdotibus uxores permitti, Apostolos, paucis exceptis, conjuges habuisse, nec constare post vocationem iis præceptum, ut se ab uxoribus separarent, in prima Orientali et Occidentali Ecclesia usque ad tempora Calixti sacerdotum conjugia libera ac licita fuisse : consuluisse Dionysium Corinthi episcopum Pinyto suffraganeo, ne cœlibatus onus fratribus imponeret; Paphnutium in Nicæna Synodo dixisse, non esse præbendam sacerdotibus occasionem scortationis vetito conjugio. Dein digressus ad calumnias addit, vix inter multos sacerdotes unum reperiri, qui castum cœlibatum præstet, omnesque fere esse publicos scortatores cum animarum discrimine et populorum offensione; quæ venena ex rapsodo hæretico exsuxisse videtur, qui semper hæreticorum causæ actorem hostemque Catholicorum se in suis historiarum libris profitetur. Refelluntur vero facile eæ argutiæ a sanctis Patribus, nam in primis veteres sacerdotes, quo tempore ministrabant in templo, colebant castitatem, cum itaque augustius sit sacerdotium Evangelicum, in quo non vitulus, sed Filius Dei immolatur, eo magis a sacerdotibus colenda est castitas, quare Ambrosius [1] sensit in cap. III Ep. prioris ad Timoth. « Omnes a conventu fœminæ abstinere debere, quia necesse est eos quotidie præsto esse in Ecclesia, nec habere dilationem, ut post conventum legitime purificentur ». Quod ait Lutheranus in Novo Testamento permitti sacerdotibus conjugia, nullus unquam expressus textus ab hæreticis de ea re asseri potuit, imo contrarium ex Apostolo elicitur, qui enim bigamum non admisit continentem, multo minus conjugali muneri operam dantem : inquit enim Syricius [2] : « Scriptum est : Unius uxoris virum. Non permanenti in concupiscentia generandi dixit, sed propter continentiam futuram », et Hieronym. in Epist. ad Pammachium : « Apostoli, vel virgines, vel post nuptias continentes, episcopi, presbyteri, diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut certe post sacerdotium in æternum pudici », et Epiph. [3] : « Ecclesia liberos gignentem unius uxoris virum non suscipit, sed eum, qui se ab una continuit, aut in viduitate vixit ». Quis vero usus fuerit utriusque Ecclesiæ [4], ex Traditione, et Conciliis, et sanctis Patribus constat. Certe Nicæna prima Synodus canone 3. id nitide interdixit. Cæterum Maximilianus non absolute petierat permitti conjugia sacerdotibus, sed ut conjugati ad sacerdotium in iis locis, in quibus penuria erat sacerdotum, admitterentur, quod permissum aliquando refert Epiphanius [5], « Propter multitudinem, cum non inveniretur ministerium ». Quod ad Thuani et hæreticorum calumnias attinet, omnes fere sacerdotes scortatores esse, optandum summopere esset, ut ne unus quidem hujusmodi inveniretur, et quamvis hierarchiam Ecclesiasticam angelica feliciorem haudquaquam præsumamus, de qua scriptum est [6] : *Qui serviunt ei non sunt stabiles, et in Angelis suis reperit pravitatem, quanto magis hi qui habitant domos luteas et terrenum inhabitant fundamentum?* fidentius tamen cum Scriptura dicam : *Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal,* quod cuique *intuenti probatos tot sacerdotum mores* facile apparebit. Quod si Thuani ætate obsoletior fuerit sacerdotum vita in Gallia, in qua tunc ille scribebat, nunc probitate ornatior est, ut Apostoli verba repetenda sint, [7] *Ubi abundavit delictum, superabundavit et gratia,* etenim hoc sæculo disciplina Ecclesiastica maxime refloruit in sacerdotali ordine, tenente sceptrum Gallicum Ludovico XIV, qui cum probe nosset religionem firmamentum esse regnorum, flagrantissimo pietatis ardore Jansenistarum hæresim nascentem ab Innocen. X et Alexandro VII damnatam celerrime præfocavit, tum animum regium ad

[1] Act. Cons. ubi supra. — [2] Act. Cons. sig. num. 134. p. 392. — [3] Jac. Aug. Thuan. l. XXXVI.

[1] Ambr. in c. 2. Ep. prioris ad Tim. — [2] I ad Tim. c. 3. Syric. in Ep. ad Him. Taur. in Ep. c. 7. Hier. in Ep. ad Pammach. c. 8. — [3] Epiph. hær. 59. — [4] Baron. in Annal. c. 3. — [5] Epiph. ubi sup. — [6] Job. IV. — [7] Ad Rom. XI.

evellendam radicitus Calvinisticam hæresim adjecit, mirasque sapientiæ politicæ artes in ea extinguenda explicuit : etenim hæreticos honorum, officiorum et nobilitatis titulis exuit, plura templa a perduellibus extructa temere, everti jussit, composita cum externis hostibus pace, exercitum fortissimum ad regios nutus paratissimum, profusis militaribus stipendiis sustentavit, moventes arma impios compescuit, seditionumque auctores sustulit; ingentem præconum Evangelicorum multitudinem, sumptu regio sustentatam, ad fidei orthodoxæ veritatem in luce et omnium oculis collocandam per hæreticas urbes et infecta oppida dispersit, denique pluribus centenis millibus animarum ad religionis cultum suavissima providentia revocatis, adeo ut in aliquibus urbibus conversi recenter ad fidem singulari pietate delibuti in Catholicorum civium amplexus irruerent, ac lætitia lacrymas oculis exprimente felices se profiterentur.

39. Cæterum, ut redeat oratio unde digressa est, objecta ab hæreticis in Catholicos sacerdotes crimina retorquet præclare Surius in hæreticos, ut discant prius trabem ex oculis suis tollere, qui festucam in oculis Catholicorum contemplantur : « Valde offenduntur », inquit Surius [1], « isti puri Evangelici impura vita quorumdam in clero Catholico, et eam vehementer traducunt apud indoctum vulgus. Sed sunt ex nostris, qui quandoque in tabulas quasdam visitatorum istorum Evangelicorum inciderunt in iisque plura et deteriora a conjugatis concionatoribus adulteria perpetrata legerint, quam possint apud Catholicos in tam vasto orbe scortatores reperiri. Quidam Lutheranicus sacerdos mirabili fraude adeptus parochiam quamdam uxorem duxit; ea cum novello marito jam minus arrideret, toxico ab illo perimitur, ut novis nuptiis via sterneretur. Interrogatus cur tantum admisisset facinus? respondit, conjugium in Lutheranis sacerdotibus non restinguere vagas libidines. Lutheranis id posset exemplis doceri, ut maxime quoque reprehendendi videantur, qui hodie Catholicis volunt permitti conjugia sacerdotibus contra omnia omnium sæculorum et ætatum exempla. Non frænatur libido libidini indulgendo, sed graviter potius reluctando, et piis studiis perpetuo vacando ». Hæc vero est ratio cur Pontifex conjugatos ad sacerdotium non admiserit, quod curis conjugalibus impliciti, qua par est sanctitate munus sacerdotale administrare non possent, cum etiam Apostolus conjugatos abstinere ad tempus jusserit, ut vacent orationi, eam vero controversiam Concilio Tridentino, petentibus Ferdinando Cæsare et Alberto Bavariæ duce, agitatam fuisse, nec aliquid innovandum visum esse diximus. Num vero spes aliqua conversionis Lutheranorum ex ea concessione affulgere potuit? nulla prorsus potuit, cum hæretici Pontificum et Conciliorum concessiones aspernentur, et in contrarium semper tendere ex cœco furore velint, edocti ab Luthero [1], qui referente Jodoco Coccio ita scribit : « Si Ecclesia per Concilium aliquod, facto decreto Ecclesiastico, contrahendi matrimonii uxoremque ducendi libertatem concederet, tum se potius dissimulaturum et crediturum, quod is homo potius in gratia Dei esset, qui toto vitæ suæ tempore unum, duo, vel tria scorta haberet, quam alius quispiam, qui secundum Concilii definitionem uxorem duceret, imo edicturum se ait sub pœna salutis amittendæ, ne quispiam hujusmodi Concilii permissione uxorem duceret, sed tum primum, vel continenter viveret, vel si id esset impossibile, in sua scortatione, si meretricem haberet, non desperaret ». Quisquis Lutheranus desperatissimi hominis omnia in despectum Ecclesiæ molientis, sectariosque in exitium impellentis sceleratissima verba perpenderit, omnino eum, ne sponte in inferos præcipitet, deserturus est.

40. *Concilium Tridentinum opera cardinalium Commendoni et Hosii in Polonia recipitur.* — A Germanicis rebus ad Polonicas digredimur. Cum in Poloniam Commendonus, ut anno superiori retulimus, pervenisset, prima hujus anni die ad regium colloquium privatim admissus, animum regis ad pietatem ac in fide Catholica constantiam sedulo inflammavit docuitque : subversa religione regni fundamenta subverti ac labefactari ; adimi regibus vires, ac tradi multitudini, et seditiosissimo ac audacissimo cuique adjungi. Excitabat præterea regem [2], parentis sui summi viri ac regis in propulsanda hæreticorum peste diligentia ac pietas ; interdum vicinæ Germaniæ, et tum maxime flagrantis Galliæ ruinas cladesque memorans, ut ex alienis malis utilia sibi exempla caperet, hortabatur. Jam sex abhinc annis in Varsaviensi edicto pie et prudenter comperisse regem, quorsum hæc errorum colluvies tenderet : nec ambigere Pontificem Maximum majori tum pio ardore pro fide Catholica ipsum urgere, cum et majores in dies seditiones excreverint in regno, et Ecclesiastici ordinis oppressio in immensum invaluerit, accepta præcipue occasione ex distorta Petricoviensis edicti interpretatione, ex qua innumeros, qui irrepserant, abusus cum Commendonus enumerasset, rex gratiis primum Pontifici actis, magnam ex tunc existimationem de Commendono suscepit, ac multa salubria in republica hortatu atque consilio ejus acta, multa, quæ evertendæ pietati fuissent, rejecta sunt.

[1] Sur. in Com.

[1] Luth. tom. II. Germanico fol. 214. Jodocus Coccius Julian. c. to. II. contr. l. VIII. ar. 6. — [2] Grat. in Vit. Com. l. II. c. 8. Ep. ad card. Bor. III Jan. in Reg. Ep. Com. Ms. Barb.

41. Nulla tamen major Commendonum urebat cura, quam ut Ecclesiasticos præsules inter se dissidentes conciliaret. Res erat maximis difficultatibus implicita, quod externa specie amicitia et benevolentia præferebatur, odium et obtrectatio vigerent in occulto : perfecit demum hortando obtestandoque singulos, ut communem causam communibus consiliis agerent : non se, non dignitatem suam pertinaci discordia proderent, ad eamque evertendam gradum aditumque ipsis hæreticis panderent. Et quamvis imbutis prava æmulatione atque invidia animis mederi plane non potuerit, id tamen est assecutus, ut alios adjungeret sibi, alios verecundia obstrictos contineret, æquioribusque et erectioribus ad omnia uteretur.

42. In tam acerba rerum Polonicarum jactura, quando luminaria, ut cum Petro Apostolo loquar, quæ in caliginoso loco lucere debebant, mutuis inter se obscurabantur dissensionibus, quid putandum de reliquo populi statu? talibus enim ducibus, quænam possit infelix plebs nullis instructa disciplinis, omnibus exposita erroribus, vel bona capessere, vel mala vitare? cum in regno illo [1], velut in cœnoso gurgite undequaque confluentes hæretici immergerentur, quorum doctrinis nobiles æque ac plebeii seducti in portentosa prolabebantur flagitia, nec Lutheranam modo, aut Zuinglianam, seu Calvinisticam hauserant hæresim, sed etiam Tritheitarum, Arianorum, Trinitariorumque, hoc est, in una natura individuæ Trinitatis hostium blasphemas sectas auctoresque ipsos fovebant, atque impietatis et insaniæ manifesta ediderant documenta, quemadmodum de palatino Vilnesi, qui et ipse Trinitarius erat, ad card. Borromæum scripsit Commendonus, quod in sua ditione Lithuanica profanavit Ecclesias, et in aliquibus locis Poloniæ prophanandas affectavit, decretisque regiis obsistere ausus est.

Cum vero circa præcipua religionis capita inter seipsos hæretici dissentirent, ac mutuis digladiarentur altercationibus, occasione accepta illorum impietatem, pugnantiaque inter se dogmata Stanislaus episcopus Warmiensis, idemque cardinalis Sigismundo regi patefecit, auctorque fuit, ut regia edicta, quæ antea adversus Trinitarios tantum, utpote omnium scelestissimos ediderat, vel rescinderet, vel cæteros etiam hæreticos iisdem edictis complecteretur, utilius futurum ratus, si hostes religionis Catholicæ inter se bella gererent, quam si conjunctis studiis Catholicam religionem oppugnarent, de quibus idem cardinalis [2] atque antea Concilii præses accuratissime scripsit ad Carolum cardinalem Borromæum, ostenditque uti hæretici propriis argumentis convincerentur; tum etiam certiorem fecit de iis quæ cum rege Poloniæ egisset, et quomodo interrogatus ab eo, cur Protestantes ad Concilium oratores suos non misissent, respondisset, illos iniquitatis suæ causæ diffisos judicium diffugisse, lucemque odisse :

43. « Reverendissimo et illustrissimo domino meo domino Carolo Borromæo presbytero cardinali tit. S. Martini in Montibus.

« Fui per sesquihoram cum regia majestate Poloniæ, semotis arbitris, pluribus egi de gravissimis periculis regno illius incumbentibus ; operam illi meam in propulsandis illis pro virili mea detuli : paratum esse me ostendi vitam etiam cum sanguine profundere, dummodo morte mea salus regni re præservari possit. Vidisse me dixi edictum contra hæreticos scriptum : verum, quod soli fere Trinitarii comprehendantur hoc edicto, mihi probari non posse : hoc enim a Sacramentariis agi, ipsorum ut secta vigeat, a qua cum alienatos esse multos intelligant, et in dies etiam alienari plures propter exortam hanc Trinitariorum sectam, haud extinctam, quo sic viribus conjunctis magis formidabiles Catholicis esse queant. Quamobrem, aut omnes hæreticos ex regno simul exterminandos, aut, si ferendi essent aliqui, ferendos esse censui Trinitarios quoque, quo sic mutuis dissidiis ipsi potius ad invicem consumerentur, quam uniti plus aliquid Catholicis negotii exhiberent. Cupere me simul, ut omnes expellerentur, ministri saltem ; nam si nobiles ministri essent destituti, per quos variis et peregrinis doctrinis abducuntur, non magno negotio paulo post eos ad officium sanitatemque reduci posse. Petebam itaque, ne vel hujus, vel illius sectæ fieret in edito regio mentio, sed simul ejicerentur omnes illi ministri, quicumque non essent ab ordinariis episcopis instituti, ne si una aliqua sola secta condemnaretur, approbari cæteræ viderentur. Quoniam vero satis illud perspiciebam difficulter obtineri posse, ut omnes ministri simul ex regno ejicerentur, ac si plurima ea de re edicta scriberentur, executioni tamen mandata non iri, dixi majestati suæ me cupere quidem omnes ejici, sed si difficulter hoc præstari posset, non improbari a me consilium hoc suæ majestatis, quod externos tantum expelli vellet, sive hi essent Germani, vel Helvetii, sive Galli, sive Itali : nam non solum Catholicos, verum et ipsos hæreticos queri, quod regnum illius majestatis factum sit asylum improbissimorum quorumdam hominum, etiam eorum, qui Christum Deum esse negant, quosque ipsi expellunt Geneva, et ex aliis quibusdam Helvetiæ civitatibus, eos in hoc regno non solum recipi, verum etiam honores magnos adipisci non sine magna et majestatis illius, et regni infamia.

[1] Rescius in Vita card. Hosii. — [2] Ms. arch. Vat. sig. num. 3222. Ep. CXLII.

Legisse me, quæ scribunt ea de re ministri Tigurini, tum et Heidelbergenses, quæ sunt a Calvino quoque et a Smidero quodam hac ipsa de re typis edita : pudere me vehementer, quoties et lego et audio, regnum hoc quod sexcentis annis jam Catholicum semper fuit et orthodoxum, nec ulli alii vera pietate erga Deum et religione colenda cessit, nunc demum ita traduci per universum orbem Christianum, quasi factum sit asylum impurissimorum quorumdam hæreticorum. Pertinere hoc etiam ad ipsius majestatis infamiam : sed nec illud me ignorare, quod maxime laborent Sacramentarii Genevenses, Tigurini Heidelbergenses, et qui sunt etiam in hoc regno viri nobiles aliquot, ut ejiciantur Trinitarii, quasi propter illos tantum hoc regnum infame sit, cum non majorem illi pariant infamiam, quam Sacramentarii, et Lutherani, et quicumque tandem alii ; quamobrem nihil posse statui melius, quam ut omnes externi ministri Ecclesiarum, cujuscumque tandem sectæ sint, exceptis sacerdotibus Catholicis, proscribantur, et exterminentur ex omnibus terris majestatis suæ : sic futurum, ut nulla videatur approbari, sed ex æquo condemnentur omnes. Apud me nullum esse discrimen inter Lutheranos, Zuinglianos et Trinitarios : omnes ex patre Diabolo prognatos esse, nec unum alio meliorem esse.

« Inter alia dixi et hoc majestati ejus ; me legisse, quæ Trinitarii scribunt, simul etiam, quæ Sacramentarii contra illos. Reperisse me in quodam Trinitariorum libello quamdam admonitionem ad ministros Tigurinos et Calvinum. Hortantur illos, ut respiciant diligentius ea, quæ Dominus nondum illis aperuit. « Non « dederat, inquiunt, omnia Luthero, plura dedit « postea Zuinglio, et post jam aliis, et nunc cui « vult. Non uno centenario annorum Anti« christus suum regnum stabilivit, omnia ca« pita fidei corrupit, ut fundamentum illæsum « ab illo putaremus ». Fundamentum appellant doctrinam de Trinitate. Sed hoc eorum argumentum sic a Tigurinis ministris refellitur, ut negent universam Christianam Ecclesiam tam esse corruptam, ut illis videtur : nam « Si « sic sentiendum est, dicunt, rejiciendum Sym« bolum Apostolicum, Nicænum, hæc enim in « suis Ecclesiis legunt et canunt Papistæ ». Cæterum omnes hæreses, quemadmodum etiam a Cypriano scriptum legimus, non aliunde natas esse docui, quam ex eo, quod uni sacerdoti, qui vicarium in terris agit Christi, non obtemperatur, et ab illo per summum sacrilegium se præcidunt homines se ipsos amantes, et privato suo, quam publico totius Ecclesiæ judicio plus tribuentes. Jam inde ab initio, cum per Lutherum seditiones has in Ecclesia Dei Sathanas excitasset, non eum alio spectasse, quam ad hanc Trinitariorum hæresim statuendam, nisi quod initio non putavit ab his ordiendum, quæ statim, ut audita fuissent, horrorem animis hominum incussissent ; quorum tanta fuit aliquando pietas, tantus in religione tuenda pius ardor, ut si quis vel de sacrificio, vel de Sacramentis, et de veritate Christi Corporis in Eucharistia vel minimum ambigere fuisset ausus, statim in eum manus injecturi et igni tradituri fuerint. Itaque facilius, minoreque negotio se quævis impia dogmata posse mentibus hominum instillare putavit, si prius a quibusdam in specie levioribus esset exorsus, quale est calix et conjugium sacerdotum, quæ talia judicantur, ut nihil in illis impietatis esse videatur, etiamsi privata sibi quis auctoritate usurpet : sed Sathanam hoc maxime spectare, ut assuescant homines in exponenda Scriptura suum sensum Ecclesiæ sensui et consensui anteponere ; quod ubi quis ausus fuerit in uno aliquo Scripturæ loco facere, jam impediri non poterit, quominus idem in omnibus etiam aliis audeat. Verbi gratia, audet quis ita Scripturam hanc interpretari : *Bibite ex hoc omnes ;* quasi præceptum sit omnibus a Christo, etiam laicis, ut bibant ex calice, nec aliter salvis eis esse liceat, quod hoc sensu clara sit et perspicua : mox audebit ille idem etiam hanc Scripturam, *Pater major me est*, sic interpretari, quasi non sit æqualis Patri Filius, ut creatura tantum sit, non autem Deus, quo sensu non minus clara visa est etiam hoc nostro infelici sæculo hæc Scriptura nonnullis, quam videtur quibusdam illa, *Bibite ex hoc omnes :* quamobrem si quis errare non vult, Ecclesiam ducem sequi debet, non autem sui cordis visiones, cum scriptum sit : *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, et nihil vident.*

« Objiciunt Sacramentarii Trinitariis vetustatem, Concilia, Patres, quod non sit ab illis temere discedendum ; sed respondetur a Trinitariis : Cavete vobis a Gabaonitis, qui imponebant populo Dei laceris vestibus, immundo pane, etc. Sub nomine Dei nostri se venire dicebant, et impositum esse ab eis populo Dei, Scriptura dicit, quod non consuluerunt os Jehovæ. Non imponant nobis Patres, vetustatem, Concilia ; vetusti enim sunt isti panni, quos primo vos lacerastis in aliis articulis fidei ; unus sit magister noster Christus. Os Jehovæ consulendum, non hominum, sunt enim hic plerique Gabaonitæ, qui vobis imponunt, amicos se profitentur, et nihil aliud interea optant, quam ut populum Dei Ægyptum reducant, variis modis, et confessione Augustana, quod vobis postea Dominus patefacit. Sic agunt, cum Trinitariis Sacramentarii, opponunt illis Patres, vetustatem, et Concilia, sed respondent illi vetustos esse hos pannos, quos ipsi primi lacerarunt in aliis articulis fidei ; nec inepte respondere videntur ; nam revera si licet hos vetustos pannos,

Patres, vetustatem et Concilia in uno aliquo lacerare, quis prohibere poterit, quominus idem liceat et in aliis? Mihi hoc responsum Trinitariorum valde probari dixi, quamvis eorum doctrinam impiam judicem. Sed aptius certe respondere non potuerunt; nam hoc est hæreticum esse, et inde manat omnis impietas, cum a Patribus, a Conciliis, a vetustate disceditur, cum isti vetusti panni lacerantur.

« Hæc et alia pleraque in eamdem sententiam dixi, et audivit me majestas sua magna cum attentione : sibi quoque idem visum fuisse, ut omnes potius externi ministri, qui templa occuparunt, proscriberentur edicto regio, quam soli Trinitarii ; nam expedire, ut habeant suos etiam alios adversarios Sacramentarii præter Catholicos, cum bellum hæreticorum sit pax Ecclesiæ ; itaque sic edictum illud conscriptum iri. De libertate Ecclesiastica non fuit locus agendi cum regia majestate pluribus, sed agi cum Procancellario voluit ». Et mox :

« Egi etiam cum illius majestate de his, quæ per me fuerunt acta in oppido meo Braunspergensi : nam sparsus erat rumor Dantisci et alibi, quod ego magna vi et auctoritate usus fuerim, quod confiscare bona civium voluerim, cum tamen ab ea cogitatione longissime abfuerim. Itaque quibus rationibus cum illis egerim, commemoravi, nulla me vi usum esse; verum persuasionibus tantum, quibus illi tandem locum dederunt ». Et paulo post : « Probavit majestas sua factum hoc meum Mihi hæc ratio (inquit) plurimum probatur, prius ut homines doceantur, quam ut aliquid in eos durius consulatur, et vellem, ut fieret Synodus Provincialis, ad quam vocarentur etiam Sacramentarii, atque omnes rationes inirentur, quibus de sententia sua deduci et ad unitatem Ecclesiæ possent aggregari. Tum ego : Absit, inquam, serenissime rex, ut Synodus talis habeatur, nam ego nunquam illi cuperem interesse. De fide nihil statuendum est, nisi in Œcumenicis Conciliis, quale nostris temporibus indictum Tridenti, et viginti fere totos annos duravit, neque tamen quisquam hæreticorum ad illud unquam venire voluit. Catholicam Ecclesiam Concilium Œcumenicum repræsentat : quamobrem in eo, non autem in aliquo provinciali, vel nationali Concilio de his, quæ pertinent ad fidem Catholicam, statui debet. Nos profitemur in symbolo credere Ecclesiam Catholicam, non Polonam, non Lithuanam, non Germanam : velle autem seorsum aliquid in aliqua provinciali Synodo statuere, quid aliud esset, quam hunc articulum fidei tollere : *Credo Sanctam Ecclesiam Catholicam*, et loco illius dicere : Credo in sanctam Ecclesiam Polonam ? Quando autem finis erit disputandi, si quæ toties in Conciliis Œcumenicis decreta jam sunt, ea nihilominus in controversiam vocari debent ? Hoc potius agendum est ab his, qui summa cum potestate versantur, ut quæ decreta sunt in Conciliis, executioni mandari possint.

« Quærebat ex me majestas ejus (scilicet Polonica) quid causæ est, quod nullos Protestantes miserunt Concilium ? Respondi, me nullam aliam videre, nisi quod causæ suæ non fidebant, seque sua impia dogmata minime tueri posse intelligebant ; nam ad singulos principes, et non modo ad singulos, verum etiam ad civitates majores missi fuerunt a Pontifice nuntii [1], quorum etiam unus hic præsens adest, quod responsum tulerint, proculdubio majestas vestra non ignorat. Deinde datus illis erat salvus conductus, qualem ipsi cupiebant, nec erat quod ullum periculum reformidarent, sed notum est illud, *Qui male agit, odit lucem;* cum essent sibi conscii perversæ suæ doctrinæ, nec se tueri posse scirent, non ausi sunt in lucem prodire. Quærebat ex me, quas tum illi causas adferebant, cur venire nollent, aut suos mittere? Consuetas illas, inquam, quod non esset ab imperatore Concilium indictum ; quasi vero sint omnia regna imperatori subjecta, ut ipse possit indicere Concilium, aut quasi ad illum hæc indictio pertineat, cum tamen ipse imperator libenter agnoscat Pontificem tamquam superiorem, et jure hoc indicendi Concilium ultro illi cedat. Mirum est, inquam, quod isti homines tam sunt arrogantes, ut quorum judicio se subjicere vident imperatorem suum, ab eis judicari de doctrina sua nolint. Fuisse et alias quasdam ab illis causas adductas, sed eas frivolas. Deinde legisse me libellum cujusdam Sacramentarii, qui inscribitur, VICTORIÆ VERITAS ET RUINA PAPATUS SAXONICI ; in quo gloriatur quidam, Lutheri, qui se papam fecit in Germania, tunc Confessionis Augustanæ dogmata jam esse proculcata. In eo libello præscribuntur a Sacramentariis eædem leges Lutheranis, quas Lutherani scribunt Christianis, quos vocant Papistas, nam sicut Lutherani nolunt habere episcopos judices, quod eos actores esse dicant, sic et Sacramentarii primam hanc ponunt legem, superintendentes Lutherani volunt absolvi ipsos, Catholicos episcopos intelligit a jurejurando, quo sunt obstricti Pontifici; sic et Sacramentarii statuunt hanc alteram legem, superintendentes et doctores Lutherani laxentur a juramento, quod præstiterunt in nova quatuor Evangelia, in male intellectam Confessionem Augustanam, in Apologiam in articulos Smalcaldicos, in agendas Ecclesiasticas. Tertiam ponunt legem, solum Dei verbum sit judex, quod etiam in ore est Lutheranis. Quartam, tot numero sint Lutherani quod Zuingliani, et habeant paria decisiva suffragia. Quintam, detur utrisque salvus conductus. Sextam, aboleantur omnes illegitimæ con-

[1] Ms. arch. Vat. sig. num. 3222. p. 145.

demnationes, quæ a tempore Lutheri ad hunc usque diem contra Tigurinos latæ sunt; quod idem fieri cupiunt Lutherani condemnationibus contra se latis. Septimam, si partes componi non possint, transactio instituatur Passaviensis, et addunt coronidis loco, quod nobis volumus fieri, etiam aliis facere debemus. Hic dixi, quas leges dant Christianis Lutherani, vicissim easdem illis præscribunt Sacramentarii: quas tamen Lutherani non recipiunt. Multus mihi fuit sermo de eo quod episcopos judices recusarent, quod solum Dei verbum judicem esse vellent, cum qui judicium proferre debet, eum voce uti oporteat, quod scriptum Dei verbum facere non potest. Videat autem, dixi, majestas vestra, quale sit hoc si quis dicat: Nolo quod me rex vel ab eo judices instituti judicent, sed judicent me statuta, sive leges regni, illas audiam. Poteruntne statuta, sive leges regni proferre sententiam, quæ audiatur et cognoscatur, cum has ipsas leges pro suo quisque commodo interpretetur, nisi fiat id voce illius penes quem est ejus rei potestas, cum præclare scriptum sit a quodam ethnico quod lex est mutus magistratus, magistratus vero lex loquens? Oportet igitur a magistratu sententiam proferri. Tum rex: Certe, perquam simile est hoc; nam experior quam etiam nunc unusquisque vult interpretari statuta regni juxta sensum suum. Sed necesse est, ut penes magistratum sit earum interpretatio, ut quem ille protulerit, is esse legis sensus judicetur. Ita est, inquam: absurdissimum est igitur, quod isti tantopere contendunt, solum Dei verbum ut sit judex, cum hoc ipsum Dei verbum quisque pro se trahat, ut necessario illud ab illis, quibus hæc a Deo potestas est concessa, explicari et definiri oporteat, cum scriptum sit: *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus.* Hæc fere per tempus cum regia majestate egi, etc. xv Junii MDLXIV ».

44. Hæc cum opportune insinuasset regi Stanislaus cardinalis Hosius [1], viam propemodum aperire Tridentini Concilii acceptationi visus est, quod duobus postea abhinc mensibus ipso et Commendono adnitentibus in Varsaviensi Concilio exceptum est. Ut autem res clarius innotescat, ab Antonio Maria Gratiano episc. Amerino, qui tunc aderat, magna ex parte desumemus: « Pontifex Maximus », scribit ille, « Concilii acta decretaque cum auctoritate sua comprobasset, rataque omnia habuisset, et referri in volumen, edique, atque pareri legibus iis imperavit; hunc librum ad Commendonum in Poloniam misit, ac dare operam jussit, ut publice acciperetur, ex ejusque præscripto res Ecclesiastica administraretur. Ea res magnam Commendono curam incussit, magnæque illi difficultates proponebantur, qua ab hæreticorum factione prævalida, et regi ipsi formidolosa, qua ab Vangio (erat is Gnesnensis archiepiscopus, ac Poloniæ regni primas) causas publici dissidii atque alienationis quærente. Agere cum rege, et ei solum librum tradere, ut tutius, ita neque ex dignitate rei esse, neque satis firme receptum a rege videri poterat, quod unus non de suorum sententia rex accepisset. Reddere porro in senatu, ne res in disceptationem veniret, atque etiam ne contendentibus hæreticis, si dubio alio atque incommodo responso vulneraretur, tenebat. Helspergæ in Prussia erat, cum id Pontificis mandatum accepit, eo profectus ad videndum Stanislaum Hosium cardinalem Warmiensem, tunc maxime Tridento reversum. Cum igitur aut conandum sibi, ut a rege senatuque acciperetur, aut aliter non reddendum eum librum statuisset, participe consilii sui uno Warmiense habito, profectus ab eo magnis itineribus ad regem contendit: qui longe inde in Lithuaniæ finibus Parzoviæ conventum regni habebat. Eo Commendonus cum venisset, priusquam aliud inciperet, aut rem cum ullo communicaret, regem convenit, atque cum eo de tota re diligentissime egit, quo sibi ex sententia præparato, cum placuisset regi eadem die verba legati audiri, Commendono in cubiculo suo relicto, seque sibi operiri jusso senatum ipsum ipse ingreditur, nec diu moratus ad accersendum eum duos senatores misit, a quibus in senatum, qui frequentissime jam convenerat, est introductus auditusque magno silentio. Porro tanta vi, tanta gravitate atque contentione peroravit, ut non commoverit modo senatum, et maxime seniores, qui et pristinam regni valetudinem optabant, et ejus initia morbi abominabantur, sed ipsos quoque hæreticos obstupefecerit. Ego quidem (verba sunt Gratiani) qui præsens penes ipsum aderam, librum manu ferens, affirmare possum, plerosque lachrymantes me animadvertisse. Cum finem dicendi Commendonus fecisset, velletque senatu abire, manere eum rex jussit. Haud enim, inquit subridens, minus libere apud linguæ nostræ ignarum, quam si abesses, sententiæ a nobis dicentur, ac statim exquiri cæptæ sententiæ. Vangius archiepiscopus Gnesnensis, qui primus rogatur, ab ingenio suo non discedens, cum magno honore verborum, et Pontificis Maximi studium, et Patrum Tridentinorum sapientiam extulisset, accipiendum quidem in præsentia librum, sed Commendono respondendum censuit, regem, postquam illa decreta cum suis legerit, quid sententiæ habeat, judicaturum. Cum episcoporum et Catholicorum omnium fremitu aspernantium orationem ejus est auditus, qua sub arbitrium regis senatusque revocari Concilii scita videbantur. Tum rex, non expectatis aliorum sententiis, quas ex murmure perspexerat,

[1] Lib. II. Vit. car. Com. c. 22.

satis scire se dixit, eam Commendono orationem ex tempore habitam, cum accersitu suo ea die in senatum venisset, neque ita futurum divinare potuisset, ut quæ tanta vi atque ordine pronuntiasset, ea divini numinis instinctu magis, quam præmeditatione, aut facultate sua dixisse, ac monuisse eum existimari posset. Itaque sibi placere, ut Concilii Œcumenici jussa accipiantur, iisque, ut convenit et decet, obtemperetur. Atque in hanc sententiam per vicecancellarium, ut mos regni, responsum Commendono est redditum, deque eo rex senatusque multis inde et gravibus verbis est ab ipso collaudatus ».

45. His ita feliciter expeditis, non est cunctatus rex Pontificem Maximum de omnibus certiorem facere, qui convocato die VI Octobris cardinalium senatu [1], dixit, « Regem Poloniæ in conventu publico sui regni præsentibus principibus sectariis librum Concilii a nuntio Sanctitatis suæ, et Concilium ipsum acceptasse, et curaturum se promisisse ut in regno suo servaretur, fecisseque etiam edicta publica contra hæreticos et forenses, ut e regno exirent, et aliud contra hæreticos ipsius regni, et lectæ fuerunt litteræ et edicta publica per reverendissimum de Gonzaga, ut ultimum presbyterum, cum nullus ex diaconis adesset, et Sanctitas sua maximis laudibus prosecuta est regem, dicens cæteros principes illius exemplum sequi debere, et ita protectoribus mandavit, ut scriberent, neminem enim esse, qui regnum magis infectum haberet, et tamen omnibus postpositis Concilium acceptasse ».

46. *Epistola regis Poloniæ ad Pontificem de Concilio admisso.* — Porro Epistolam [2] regis ad Pontificem scriptam ex Actis Consistorialibus pariter acceptam inserere visum est, tum ad regis pietatem, tum ad Commendoni Apostolici nuntii prudentiam ac dexteritatem magis ac magis insinuandam; quæ erat concepta verbis his :

« Beatissime pater et domine clementissime.

« Post oscula pedum beatorum, meique regni et dominiorum meorum commendationem. Jam inde ab eo tempore, quo ad me venit jussu Sanctitatis vestræ reverendus in Christo pater dominus Joannes Franciscus Commendonus Zacinthii episcopus, nunquam mihi visus est deesse tum officio suo, tum dignitati etiam Sanctitatis vestræ, qua in re non solum mihi probavit voluntatem suam, sed etiam prudentiam et dexteritatem, quod cum semper affatim præstitisset, tum hoc potissimum tempore conventus regni mei, cum Varsaviam ad me venisset, ita se demonstravit, ut non a me solum, sed a toto senatu meo suarum virtutum laudem referret. Nam cum librum Concilii a Sanctitate vestra mihi redditurus, a me propterea in senatum quasi ex tempore adductus esset, ejusmodi oratione [1] est usus, ut temporum nostrorum iniquitatem et perturbationem ob oculos posuerit, et Sanctitatis vestræ singularem de regno meo in his perturbatis temporibus causam et sollicitudinem prædicaverit, et me denique senatumque meum ad complectendum arctius rempublicam, cujus salutem religione Catholica dixit contineri, nomine Sanctitatis vestræ diligenter adhortatus fuerit, ita quidem, ut hæc ipsius oratio plerosque commoveret, ab omnibus approbaretur. Quamobrem ego, qui studium meum nunquam per Dei gratiam ab hac Sede Sanctitatis vestræ aberrare sum passus, et librum quidem ipsum Concilii, qui a Sanctitate vestra mihi reddebatur, animo accepi prorsus gratissimo, et quod superest, omni meo studio ac diligentia curabo ac providebo, ut præcepta ejus libri et instituta non solum in his chartis, in quibus mihi reddita sunt, contineri, sed etiam in Ecclesiis regni mei, ac denique in populi mei mentibus, quam maxime fieri poterit, vigere videantur. Interea me regnumque hoc meum Sanctitati vestræ etiam atque etiam in protectionem commendo. Datum in conventu generali Varsaviensi die XVIII mensis Augusti MDLXIV.

« Sanctitatis vestræ obsequentissimus filius, Sigismundus Augustus rex Poloniæ manu propria scripsit ».

47. *Hæretici, et imprimis Bernardinus Ochinus, Polonia ejiciuntur.* — Sed illud etiam egregium Catholici principis argumentum Sigismundus Augustus in eodem Varsaviensi conventu exhibuit, quod omnes hæresiarchas, atque ab unitate fidei extorres, regno excedere edicto mandaverit; quod cum præclara referat documenta, quanti regnorum quieti consultum sit, ne dissensiones in credendo admittantur, atque ut omnes idem sentiant, justum existimamus hic referre [2], eoque veluti classico quodam reges ac principes excitare, ut peregrinis atque novis doctrinis populos suos non patiantur abduci, Davidicum illud repetentes [3] : *Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via justa.*

« Sigismundus, etc.

« Universis palatinis, etc. Plerisque veteribus tum recentibus exemplis exterioribus, nunc autem quoque ex domestica ac nostra experientia aperte cognoscimus, consensu quidem et concordia religionis firmari ac stabiliri respublicas, easdem autem a commutandis et perturbandis pro cujusque arbitrio religionibus, plusquam ulla alia re dissipari maxime et everti; quod quidem cum omnes omnium nationum,

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sign. num. 134. p. 390. — [2] Ms. car. Ghisii lit. G.

[1] Extat hæc Oratio Commendoni edita in Vita ipsius l. II. c. 11. — [2] Act. Cons. lit. G. p. 286. — [3] Ps. II.

quantumvis barbaræ et inanes ac falsæ religiones confirmare videntur, tum in nostra potissimum Christiana verum esse ostendit; quæ ut sola vera religio est, ita ubi Catholica Ecclesiæ..... iisdem studiis ac cæremoniis culta fuerit, ibi præsentem prope et propitium Deum; et e contra, ubi studiis ac litibus diversis contaminata, ibi maxime facit alienum et aversum : cujus sane utriusque rei nostra et majorum nostrorum memoria facile exempla suppeditare potest. Et enim donec patrum nostrorum memoria, idem de religione Christiana esset nostrorum hominum sensus et consensus, vidimus quanta esset veritas in legibus et auctoritas in magistratibus, et pudor ac obedientia dominaretur in privatis, tum etiam, quanta omnium rerum prosperitas omnia illorum facta et consilia consequeretur ; sic quidem, ut et universus hic imperii nostri orbis, quam longe et late patet, et universus splendor opum quem per Dei gratiam his fere adhuc temporibus intuemur in regno nostro, sola propemodum Christianæ religionis consensione, et ab initio partus, et per sexcentos annos ad nostra usque tempora esse conservatus videatur. Cum intra paucos hos annos, ubi ab ejus religionis concordia obliti muneris officiique nostri discedere cœpimus, et leges elanguerunt, et magistratus dignitatem prope omnem amiserunt, et pudor et obedientia plane interiit, quas res ut privatim quidem confusio, et publice tanta omnium rerum perturbatio est consecuta, ut interdum vix ullis nostris consiliis posse videatur reparari. Quod quidem ira atque indignatione justissima immortalis ipsius Dei non dubitamus evenisse. Cum enim hactenus impunita extiterit in regno nostro hominum quorumdam aperta in Dei majestatem et Catholicam religionem petulantia, qui nescimus ex quibus lateribus procedentes non solum religionis nostræ mysteria, sacraque omnia perstringere, sed etiam ipsi Dei Filio palam convitium facere non verentur, et quæ ab hominum, atque adeo Angelorum ipsorum intelligentia remota sunt, ea sub sensus ipsos suos subjicere conantur. Idcirco ab his quoque politicis rebus merita nostra quidem sententia Deus confudit consilia nostra, ut interdum ne satis quidem ipsa explicari videantur. Quamobrem de constanti atque consentiente consilii nostri sententia, quod nobis in hoc Varsaviensi conventu generali adfuit, ita statuimus, et præsentibus litteris nostris edicimus ac severe mandamus, ut omnes externi homines, qui ex aliis religionibus propter supradictam religionis causam huc confluxerunt, et qui a Catholica religione aversi nova dogmata nostris hominibus obtrudere, eaque sive privatim, sive publice tam scripto quam voce viva proferre audent, continuo ex omnibus ditionibus nostris ita emigrent, ut ne quis prorsus eorum ad kalendas Decembris intra fines nostros remaneat. Quos nos jam pridem hoc ejusmodi decreto nostro proscribimus, et ex omnibus ditionibus nostris exterminamus, proscriptosque et exterminatos esse et haberi volumus, denuntiantes singulis eorum, quod quisquis ejusmodi post tempus designatum intra fines nostros versari visus fuerit, hic utique per officium præfectorum, capitaneorumque nostrorum capi, vinciri, et ut facinorosus ac seditiosus in rempublicam plecti ac puniri, et præterea a privatis etiam hominibus, si quid forte ejusmodi sibi evenerit, ejus rei culpam omnem non in alium quam in se ipsum conferre debebit; neque enim sane amplius ferre possumus, ut propter paucorum quorumdam exulum et abjectorum hominum licentiam ac temeritatem diutius hæc irati atque infesti Dei judicia sustinere omnes in universum, necesse habeamus, etc. » Addit contra remissos executores pœnas, jubetque publica præconis voce edictum ubique publicari. « In conventione nostra generali Varsaviensi die VII Aug. anno Dom. MDLXIV, regni nostri XXXV.

« Petrus Miscous. Rp. Vices. »

Hæc Sigismundus Augustus non minus pie quam veraciter dixit et edixit, cum non ambiguum sit, eos, qui violaverunt fidem, tutos esse non posse : quod perenne veluti monimentum invictissimæ Polonorum genti hic statuimus, ut cognoscant, consona fidei virtute magis quam militum robore quæri solere victoriam ; nec unquam hostes metuendos, nisi quando, quod Deus avertat, ab Ecclesia Catholica non armantur ad pugnam, tunc enim profecto, quod scriptum est [1], adimpleretur: *Nec poterit stare ante hostes suos, eosque fugiet, quia pollutus est anathemate.*

48. Hujus edicti occasione, quod præ cæteris Commendonus [2] jugi suasione ac industria obtinuerat, cum veluti admoto igne latitantes bestiæ e silva diffugerent, magno regni emolumento infamis ille fidei ac religionis desertor Bernardinus Ochinus est ejectus, qui novis ac inauditis blasphemiis bellum Trinitati ipsi inferre, aut revocatis antiquis Arii opinionibus, aut deterioribus additis, impudentissime paraverat. Polygamiam insuper evulgato a se libro intrudere conatus, ac Christianam rempublicam susdeque non minus opinionum, quam conjugiorum varietate confundere. Metu igitur suppliciorum Ochinus Polonia excessit, ac omnibus jam terris extorris ac profugus, cum in vili Moraviæ pago a veteri amico esset acceptus, ibi (ut scribit Gratianus) senio fessus, cum uxore ac duabus filiabus filioque uno peste interiit. Cui etiam sententiæ Hosius cardinalis Varmiensis sese subscribit. Condigna prorsus retribu-

[1] Jos. VII. — [2] Vitæ car. Commen. l. II. c. 9.

tione, ut qui tot animas pestilentia hæreticarum opinionum infecerat, pestilentia consumptus decederet. Verum de loco mortis ejus inter se disputant auctores [1], nec desunt qui extremo vitæ tempore illum resipuisse, fidemque Catholicam palam extulisse scribant: verum cum parum valido nitantur fundamento, modicam aut nullam repererunt fidem apud plerosque, ac Raynaudus in libro de Judæ posteris apostatis a religiosis Ordinibus, Bernardinum ipsum apostatam periisse deplorat (1).

49. *Concilium in spe a Scotis, et reipsa ab Hispanis et Italis recipitur.* — Ad asserendam Catholicam fidem, atque Tridentini Concilii decreta observanda Pius Pontifex [2] Mariam Scotiæ reginam transmissis ad eam Synodi Actis XIII Junii per Epistolas inflammavit, quibus etiam illam est hortatus, ut hæreticos vel hæreseos suspectos dignitatibus amoveret. Joannem quoque archiepiscopum Sancti-Andreæ, Scotiæ primatem, ut ex sacrosancti Concilii præscripto male de fide Catholica sentientes reprimeret, est hortatus, illius in fide constantiam commeritis efferens laudibus, quod multos pro ipsa labores susceperit, multasque subierit ærumnas; gratulatusque est illi non modicum, cum ex Apostolo passiones hujus temporis cum futura gloria comparatæ non exiguæ tantum, sed nullæ sint. Glasceensem etiam præsulem incitavit, ut ad eadem decreta servanda omni studio incumberet. Id ipsum præstitit cum Sebastiano Lusitaniæ rege, atque Henrico tit. SS. Quatuor Coronatorum card. ejus patruo.

50. Italiæ etiam principes sollicitati a Pio ut eadem decreta operi mandanda curarent: inter quos Veneti [3] magna prudentiæ et aliarum virtutum laude exaggerati, cum probe intelligerent, religionem firmissimam esse basim imperii, amplissimo senatusconsulto sanxere, Tridentina decreta sanctissime servanda, cujus exemplum Pius ad Cosmum Florentiæ et Senarum ducem misit, ut eorum laudem ac religionem æmularetur, necnon ad ducem et moderatores reipublicæ Genuensis; ac Pontifex ipse, ut grati animi argumentum erga Venetorum rempublicam, ejusque in Apostolicam Sedem obsequia præberet, palatium prope ædem Divi Marci a Paulo II Romæ excitatum, eidem liberaliter est elargitus, amplissimoque Diplomate Venetorum laudibus conferto munus ornavit. Philippus quoque Hispaniarum rex Catholicus Tridentinæ Synodi decreta in suis regnis atque provinciis servari piissime jussit.

51. *Armeniorum patriarcha ad unitatem Ecclesiæ redit, nuntiumque Romam mittit.* — Cum talia a Catholicis principibus gererentur, ad pleniorem fidei atque unitatis Ecclesiasticæ commendationem, Romam pervenit Michaelis Armeniorum patriarchæ internuntius, qui subjectas litteras [1] ad Pium attulit, quibus patriarcha primatum Romani Pontificis pie agnoscebat, atque Romanæ Ecclesiæ conjunctionem supplex efflagitabat:

« A Porta Eccimiazin, et ab omnibus Sanctis ibi commorantibus, et a cunctis archiepiscopis et ministris illius loci, et a Michaele patriarcha, et ab omnibus fratribus dilectis, qui omnes simul devote osculamur reliquias sanctorum Apostolorum, et cum effectu etiam osculamur pedes patris nostri S. Pii Quarti, qui vere Petrus est: Pacem quoque damus omnibus reverendissimis cardinalibus, cunctisque regibus ac principibus Christum diligentibus. Amen.

« Certiorem facimus Sanctitatem tuam, quod anno Domini MDLXII, vigesima die mensis Maii de Sebastea civitate ego Michalel catholicus miserim ad Beatitudinem tuam Abagarum Benedictum cum duabus litteris, una pro obedientia Sanctitati tuæ præstanda nomine omnium nostrum, et ad osculandos devote Beatitudinis tuæ pedes; altera vero benedictionis nostræ in eum, et meæ procuræ, quam fecimus coram omnibus prædictis, ut legitimus procurator noster sit ac fide dignus apud Beatitudinem tuam, una cum filio suo nomine Sulthan, et puero suo nomine Alexandro, firmiter sperantes, ac petentes, ut confirmetis et renovetis Condacium nostrum, quod olim Beatissimus bonæ memoriæ papa Silvester, et S. Constantinus imperator largitus est regi nostro Tartaro, et S. Gregorio primo nostro patriarchæ, seu catholico, quod (obsecramus) confirmate, ac nobis remittite, renovantes veterem illam inter nos amicitiam, ut fiat *unum ovile, et unus Pastor*, quod ut fiat tempus prope est, ut liberemur ab hac captivitate per manus vestras.

« Hæc enim signa eidem Abagaro misso nostro dedimus, ut Sanctitati tuæ afferat. Miron, crucem auream, annulum benedictum, et reliquias S. Theodori Martyris, paginam quoque omnium locorum ac monasteriorum cunctorum populorum nostræ nationis Armenorum. Exemplum etiam dicti Condacii, quod scriptum

[1] Hist. Arian. p. 2. l. XXII. Theoph. Rayn. to. XVII. — [2] Pius IV tit. ar. tom. V. Ep. CXL. Ep. CXCVII. Ep. LXI, LXXXV et LII. — [3] Mauroc. l. VIII. hist. Ven. Pius lib. brev. divers. Ep. XVII.

[1] Ext. in Ms. card. Bor.

(1) Ochini obitus isto quidem anno a scriptoribus consignatur; et anno quidem labente, ut ex eorum pariter testimonio constat; sed certus mensis et dies ignoti. Locus ubi fato interceptus est, Slaucow Moraviæ parvum et obscurum oppidum fuit. Grassante lue correptum una cum uxore et duobus filiis scribit Gratianus in Vita Commendoni. Sed errasse illum ad uxorem quod attinet, recte admonet *Niceron Memoires pour servir à l'Histoire des hommes illustr. to.* XIX, uxor enim ante aliquot annos obierat; ipse vero cum filiis vulgato pestis morbo implicitus, filii quidem sublati sunt; pater vero ex præsenti quidem morbo convaluit, sed post hebdomadas tres iterum ægrotans interiit. MANSI.

fuit sanguine Christi pretioso in æternum inviolabili. Nunc enim mœsti sumus, ac nimis lacrymabiles, quia de insula Cypri tantum notitiam habuimus de eo, ex alio vero loco nunquam habuimus, neque per vocem, neque per epistolam. Speramus quidem, sanctissime Pater, te ob amorem Christi certiorem nos facturum, si idem orator noster cum pace et incolumitate pervenerit ad vos, qui quidem est vere orator noster : nos autem omnes obedientes sumus Sanctitati tuæ, ac verbo tuo. Quicquid enim ei præceperis, nos devote suscipiemus, usque in diem Christi, velut Condacium præfatum. Manus enim nostra et lingua brevis est inter infideles, propter quos, neque epistolam, neque munus Sanctitati tuæ dignum possumus mittere. Haud solum Turcas timemus, sed magis etiam malos Christianos, qui mixti sunt infidelibus, nam boni et mali ubique reperiuntur. Amicitia vero et conversatio nostra cum bonis est semper : si enim ille orator noster salvus ad vos pervenerit, ipse erit clavis animæ nostræ, et nos læti erimus, ac jugiter mittemus epistolas ad vos apertas, scriptas superioribus characteribus, quos nemo nisi ipse solus scit. Et si aliud quoque signum volueritis, duabus manibus suis, veluti dextera sua utitur. Aliud quoque signum : scit superiora elementa prisca, nisi tantum ipse, qui ea etiam docebit. Devote petimus, ut ipsum cum amore suscipiatis, et ostendatis ei omnia loca sancta, ac reliquias universas, quæ ibi apud vos sunt. Et quando voluerit discedere, benigne mittatis cum litteris favorabilibus, et cum optimo comite, ut possit veraciter nobis narrare quicquid viderit. Vos, sapientes, nostros ritus optime scitis. Epistola hæc scripta fuit Eccimiazin anno a Nativitate Jesu Christi MDLXIII, prima die mensis Aprilis, die vero quinta feria.

« Perveniat hoc scriptum ad magnam Romam ad pedes beatissimi papæ, Amen, Amen, Amen.

52. « Jo. Baptista Æthiops interpretatus est. Romæ XX mensis Martii MDLXIV.

« Interrogatus de fidei articulis Abagarus Armeniorum orator, hoc responsum in publicam formam redactum dedit.

« Nos Armeni, qui in captivitate sumus sub potestate Turcarum et Persarum, hanc fidem tenemus et observamus.

« Credimus Patrem ingenitum esse, et Filium genitum, et Spiritum sanctum (ex utroque per modum unius principii) procedentem, et hos tres unum esse Deum.

« Credimus Mariam Matrem Dei esse Virginem ante partum, et post partum.

« Credimus etiam Christum, assumpta humanitate, omnia miracula fecisse.

« Credimus Mariæ salutationem, Christi Nativitatem, Præsentationem in Templo, Baptismum, Tranfigurationem, Crucifixionem, triduanam sepulturam, Resurrectionem, Ascensionem.

« Credimus sedere ad dexteram Patris et iterum venturum.

« Credimus etiam eum totam humanam naturam, præter peccatum, perfecte nascendo sumpsisse. Hæc quidem omnium nostrum est fides.

« Habemus libros Veteris et Novi Testamenti septuaginta duos ; Prophetas omnes, centum quinquaginta Psalmos, Evangelia quatuor, Epistolas Petri duas, Joannis et Jacobi libros, Epistolas Pauli quatuordecim.

« Habemus etiam septem sacramenta Ecclesiæ. Scimus septem esse peccata mortalia. Inter Prophetas, majorem esse dicimus Moysem.

« Habemus duodecim Apostolos, et septuaginta duos discipulos, quibus omnibus Petrum esse majorem confitemur.

« Credimus si quis confitetur peccata sua sacerdoti, eum absolvi et ligari auctoritate clavium. Concilia nulla habemus præter hæc tria, videlicet Nicænum, Constantinopolitanum, et Ephesinum. Recitamus singulis diebus Symbolum Nicænum.

« Tenemus Missam, quam S. Gregorius nos docuit.

« In sacrificio Altaris fermento et aqua non utimur. In uno eodemque Altare bis uno die non celebramus.

« Si aliquis Christianus ex alia natione, seu secta venerit ad nostram fidem, iterum eum non baptizamus.

« Omnes monachi nostri sunt casti ac virgines, et nunquam ducunt uxores ; clerici vero non regulares ducunt, et postea sacerdotes fiunt.

« Monachi vero nostri auctoritatem baptizandi non habent, neque possunt, præsente sacerdote, dare sacramentum Matrimonii populo.

« Centum ac quinquaginta quinque diebus in quolibet anno jejunamus, abstinentes etiam a piscibus et lacticiniis. Alios etiam infra annum quinque dies jejunii habemus, in quibus ova et lacticinia comedimus.

« Nullo die Dominico totius anni de alicujus sancti vel sanctæ festivitate memoriam facimus, nisi de Domino nostro tantum.

« In festivitate Epiphaniæ Domini concordes sumus cum Ecclesia Romana, in Nativitate vero minime.

« Sabbato Sancto post solis occasum, ova et pisces tantum comedimus.

« Omnes sub utraque specie communicamus.

« Primam et secundam copulam Matrimonii benedicimus ac coronamus, tertiam vero minime.

« Post septimum gradum matrimonium contrahimus. Compatres nostri inter se non contrahunt matrimonium, nisi post quartum gradum.

« Oramus et sacrificamus ad Orientem conversi, et quum genua flectimus, terram osculamur.

« Septem horas Canonicas habemus, quas bis in die in Ecclesiis recitamus.

« Hæc est fides, confessio, jejunium, et oratio omnium nostrum, quæ hoc tempore, et in captivitate, atque igne inter tam multas angustias parva sunt. Nam si palam coram infidelibus dixerimus Christum Deum verum esse, in ignem nos mittunt. Si vero Deus voluerit ut liberemur ab hac captivitate, quicquid præceperis, erit in nostro capite, in præsenti enim tempore non est nobis neque gladius, neque virga. Si quem voluerimus corrigere ex nostris prævaricatoribus, et ad observantiam fidei cogere, is indignatus infidelis efficitur. Ob id igitur humiliter supplicamus Tuæ Sanctitati ac paternæ benignitati, ut nostri miserearis.

« Tu quidem quatuor partium mundi Pontifex maximus es : quidquid tu solveris, erit solutum, et quidquid ligaveris, ligatum erit; ne, quæsumus, respicias delicta et peccata captivorum, sed absolve nos et numera in gregibus tuis fidelibus, veterem, et devotionem, et obedientiam erga Sanctam Romanam Ecclesiam renovans, nos enim sumus Sanctitatis tuæ servi inutiles, ut propheta ait; *Non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.*

« Pro Defunctis Missas celebramus, Deum oramus, et eleemosynam facimus; bona autem stabilia Ecclesiis pro animabus nostris relinquimus. Ter in anno commemorationem pro defunctis in Ecclesiis facimus, sacrificia immolantes, eleemosynas facientes, cibum potumque hominibus Ecclesiasticis, laicis ac pauperibus erogantes.

« Omnium sanctorum reliquias devote veneramur, deque eorum reliquiis in crucibus et in nonnullis vasis pretiosis impositis in altaribus venerabiliter ponimus.

« Cruces benedictas ac oleo sancto perunctas valde veneramur, et altaribus superponimus. Imagines quoque tantum benedictas veneramur, et eas etiam in altaribus ponimus. Bis in anno crucem et imagines sacerdotes nostri et viri Ecclesiastici portant domos, ut imbecilles et infirmi, qui ad Ecclesias propter senectutem aut ægritudinem venire non possunt, eas venerentur religiose et osculentur, hæ autem imagines et cruces crebro apud nos miracula faciunt.

« Hoc autem tenemus de delinquentibus, ligatis, seu excommunicatis, quod si quis sacerdos, episcopus, archiepiscopus, vel Catholicus aliquem delinquentem ligaverit, vel excommunicaverit et defunctus fuerit non absoluto delinquente, quem vivens ligaverat, hunc qui ligatus, seu excommunicatus fuit, nullus successor eorum, qui delinquentem ligaverit, seu excommunicaverit, poterit absolvere, nisi solus Summus Pontifex Romanus, ad quem secundum canonem nostrum mittimus hunc flentem, quem pœnitet delicti sui cum litteris, quibus excommunicatus fuit, ad absolvendum, et ad scindendas hujusmodi litteras, tibi enim soli licet eum absolvere, et conscissis litteris, quibus est ligatus, ad Ecclesiam nostram remittere per doctrinam sancti Gregorii patriarchæ nostri.

« Nos omnes credimus quicquid sancta Catholica et Apostolica Ecclesia credit, et quicquid ipsa anathematizat, nos quoque anathematizamus.

« Tenemus, quod hominis Christiani, qui nolens confiteri peccata sua et agere pœnitentiam mortuus fuerit, anima in manu Diaboli eat ; qui confessus pœnitentiam egerit, ejus defuncti anima in Cælum evolat, qui vero confessus fuerit, et quum Eucharistiam acceperit, defunctus sit absque satisfactione pœnitentiæ, illius parentes, consanguinei et amici, eleemosynis, sacrificiis, orationibus ac aliis piis operibus possunt animam illius eripere, si in Purgatorio versetur.

« Primum quidem patriarcham nostrum fuisse dicimus S. Gregorium, qui primus venit Urbem Romam, quem S. Silvester benedixit ac consecravit tempore Constantini imperatoris et regis nostri Tyridatis.

« Item confitemur Christum dixisse S. Petro Apostolo : Pasce oves meas, pro quo etiam orasse, ne unquam deficeret fides sua, qui autem ex nobis non confitetur sedem Petri esse majorem, et Dominum Pontificem Romanum caput ac patrem esse totius mundi, claviumque possessorem, is, et Evangelia, et Hierusalem, et sedem Gregorianam Eccimiazim negat.

« Parce, beatissime pater, mihi peccatori, qui ita breviter fidem Armeniorum scriptis et paucis verbis, prædictos septuaginta et duos libros nominavi, quia nunquam decet lucernam ponere ante solem, quia tu es sapiens, omniaque sciens.

« Scripta igitur est fides Armeniorum paucis verbis propter lectorem, per manum Abagari et Alexandri presbyteri Armenii, Joanne Baptista Indo interprete in magna Urbe Roma. Tempore Pontificatus S. D. N. papæ Pii IV, anno a Nativitate D. N. Jesu Christi MDLXIV, decima die mensis Novembris, die vero quarta feria.

« Jo. Baptista Æthiops interpretatus est ».

Nuncupatam etiam antea fuisse Catholicæ fidei professionem Romæ ab Abdissu Orientalium Assyriorum patriarcha suo loco diximus, cujus propagandæ latius studio incensus Pius

datis xxvii Junii litteris patriarcham Ninives hortatus est, ut ex concepta illa orthodoxæ fidei formula Malabares in India erudiret.

53. *Præfocandis hæreseon seminibus, exscindendis simoniæ vepribus et erigendis seminariis Pontifex invigilat.* — Ut autem decreta fidei, quæ stabilita fuerant, ab omnibus firmiter servarentur, neque ulla ex hæreticorum lectione librorum hæresis clanculum subreperet illecebra, Pius Pontifex [1] edita Constitutione concessas legendorum librorum prohibitorum facultates abrogavit, cum abunde hæreticorum errores confutati essent; adhibuit etiam viros doctrina ac pietate spectatissimos ad librorum prohibitorum pangendum indicem, occupatumque in ea re Franciscum Ferrerium Ordinis Prædicatorum, Henrico Lusitaniæ regiæ principi eidemque cardinali significavit, quo indice confecto, gravissima censura legentes libros in indice prohibitos perculit ; ad comparandos vero libros veterum Sanctorum Patrum, qui arguendis confutandisque hæreticorum erroribus usui esse poterant, Francisco Avanzato necnon Honuphrio Panvino Augustiniano antiquitatum accuratissimo indagatori provinciam dedit, ut vetustissimorum monasteriorum et cathedralium Ecclesiarum bibliothecas lustrarent in Siciliæ regno et nonnullis aliis provinciis, ut manuscripta Græca, vel Arabica, vel Latina colligerent, quæ typis excudenda mitterent ad M. Antonium card. tit. S. Marcelli. Cumque Guillelmo duci Clivensi instituendi Duyspergæ collegii auctoritatem Pontificio Diplomate contulisset, eum obstrinxit, ut Monhemium hæresiarcham pestilentem, qui corrupisse plurimam juventutem ferebatur, sua ditione ejiceret. Sedulam etiam operam adhibuit Pontifex, ut clericorum seminaria, ex decretis Concilii Tridentini in singulis episcopatibus instituerentur, ut in iis juventus clericalem militiam professura pietate ac litteris imbueretur; de quo ad Joannem patriarcham Venetiarum, atque ad Antonium Albon archiepiscopum Lugdunensem designatum litteræ xiv et xxii Julii hujus anni exaratæ extant. Præluxit in ea re exemplo cæteris Ecclesiarum præsulibus ipsemet Pontifex, ut testantur Acta Consistorialia [2] his verbis : « XIV Aprilis Sanctissimus fecit verbum de Seminario, monendo reverendissimos dominos deputatos, ut ejus executionem maturarent ». Cum vero Societatis Jesu sacerdotes in erudienda juventute et propaganda Christiana pietate magna laude florerent, referunt eadem Acta Seminarii Romani curam illis demandatam fuisse : « XXVII Julii dixit curam ejus datam illis de Societate Jesu, et Sanctitatem suam solvisse portionem suam, et mandavit reverendissimo vicario, ut curaret quod alii solverent ». Complectebatur Pius IV religiosam Societatis Jesu familiam singulari benevolentiæ studio ob promotam ab iis in orbe universo divinam gloriam, cujus rei testes sunt Pontificiæ litteræ [1] ad Maximilianum II imperatorem ultima Septembris hujus anni consignatæ, quibus Societatis ejusdem collegia commendavit hac de causa : « Pro eximiis, inquit, ejus Societatis meritis erga religionem et sanctam Ecclesiam Catholicam, et pro insignibus erga Sedem Apostolicam obsequiis ». Cum vero decanus et collegium Augustanorum canonicorum ejusdem societatis viros inique vexarent, eumdem clerum objurgavit, opera Sathanæ ab eadem Societate alienatum fuisse, jussitque iis conciliari, ne hæretici inde Augustæ invalescerent, deque eorum virtute hoc testimonium protulit [2] : « Ad nos et hanc Sanctam Sedem per hosce annos pervenit bonus admodum et gratus odor fructuum, quos ex dilecti filii Petri Canisii et aliorum Societatis Jesu professorum opera Augustana civitas uberes, Domino cooperante, percepit : auditum enim fuit, quam multi hæretici ad Ecclesiam Catholicam eorum doctrina hortationibusque sint reducti, quantumque adjumenti et solatii Catholicis civibus afferre consueverit eorum fidelis opera et diligens ministerium. Ultima Septembris MDLXIV, anno V ».

54. At non aliter qnam rosis cantharides incubant, ita invidia excellenti virtuti adhærescit, concitatæ sunt ab invidis in eamdem Societatem atrocissimæ calumniarum procellæ, ac libellis famosis, non tam per Urbem, quam per longinqua etiam regna, maximeque per Germaniam a Lutheranis per summam impudentiam fuerunt diffusæ. At Pontifex veritatis indagandæ sollicitus, nonnullis cardinalibus rei inquirendæ provinciam demandavit, propositoque edicto accusatores delatoresve hujus causæ argumenta afferre jussit, at nulli comparuere : indagatisque summa diligentia ac libratis suspicionum momentis compertum est, meras calumnias ab invidis conflatas sparsasque esse, quare Pius [3] paterna vere pietate in eamdem societatem incensus, ornatissimam pro ea apologiam texuit exeunte anno, quam ad Maximilianum II Hungariæ et Bohemiæ regem, imperatorem Romanorum designatum, ad Albertum Bavariæ ducem, ad Danielem archiepiscopum Moguntinum sacri Romani imperii electorem, ad Treverensem, ad Othonem episcopum Albanensem sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalem Augustanum transmisit, atque in ea exposuit, ut ejus Societatis viri per utramque Indiam, atque Orientis regna Evangelium late circumtulissent; ut in Occidente in confutandis erroribus,

[1] Pius lib. brev. an. 5. Ep. CXXVIII. Ext. in Bul. constit. 67. Ib. Ep. CXXV, CXXIX, CXXXI, CCCLXXIX, CLXXI, CLXXII et CLXXIII. — [2] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 377.

[1] Pius IV. lib. brev. an. 5. Ep. XLIX. — [2] Ib. Ep. L. — [3] Ib. Ep. LXXXV, XCI, LXXXIX, XCII, LXXXV. Serar. iu hist. Mogun. Sacchin. p. 2. hist. an. 1564.

convertendisque hæreticis, Catholicis in fide confirmandis, Sacramentis sanctissime administrandis, informanda excolendaque juventute litteris ac pietate, et concionibus sacris habendis felicissimam operam collocassent, compertamque atque illustratam eorum innocentiam, ac mera invidorum malevolentia præclaræ eorum famæ detractum fuisse.

55. Ad exscindendas etiam simoniacæ pravitatis vepres sordesque avaritiæ abstergendas, Constitutionem hoc anno adulto edidit Pontifex adversus confidentiarios, ut referunt Acta [1] Consistorialia his verbis :

« XVI Octobris MDLXIV, fecit decretum super confidentiis, videlicet volens abusus, qui ex confidentiis oriuntur, tollere : inhibuit reverendissimis dominis cardinalibus, ne aliquas Ecclesias, monasteria et beneficia, tam regularia quam sæcularia in confidentiam recipiant, eaque in hujusmodi confidentiam recepta vacare ex nunc decrevit, prout in Bulla desuper expedienda, absolvens eosdem reverendissimos dominos cardinales de præterito in foro conscientiæ ». Cum autem aliqui ad abdicandos se iis sacerdotiis segniores essent, eos Pius ad ea in alios conferenda adegit. Eximie vero meritus est de Ecclesia Mediolanensi, cum Carolum Borromæum nepotem, qui virtutum omnium exemplar vel compendium videbatur, archiepiscopatui Mediolanensi, cujus antea administratio illi concredita fuerat, præfecisset, titulumque Sanctæ Praxedis eidem contulisset. Nam Carolus, ut habet episcopus Novariensis in Vita ipsius [2], « Propius jam ad episcopi munus accedens, quod se grave admodum sustinere sentiebat, et ad salutem sui gregis diligenter exequi cupiebat, in sacris concionibus publice habendis, de quo gravissime consilium constituerat, se cœpit exercere, remotioribus tamen locis, fereque ad virginum cœnobia, quanquam et in suas brevi prodiit, tum Sanctæ-Mariæ, cujus erat archipresbyter, tum Sanctæ Praxedis, cujus titulum habebat, Ecclesias. Inusitata multis sæculis in tali persona muneris functio, concionator haud aptissimus, tali loco, quos in hominum sermones venerit, non est opus explicare, quibus rebus tamen ejus optimum studium superari tardarive non potuit. At vero fecit ea tota morum conversio, constansque in ea voluntas, ut illum tandem vereri quidam, modo summi, modo infimi inciperent, et ipse Pontifex ejus causa quibusdam rebus utiliter abstineret : solidæ virtutis vis hæc est admirabilis, quæ plures a vitiis deterret, et ad quæ recta sunt impellit ».

Permovit ille Pontificem, ut monasticam disciplinam in Humiliatorum Ordine penitus collapsam in pristinum sanctitatis nitorem restituendam curaret, de quo Pontificiæ extant litteræ [1] x Augusti ad Marium Averoldum ejus Ordinis supremum magistrum datæ ; quæ familia cum in archiepiscopatu Mediolanensi admodum esset propagata, dum illi emendandæ piam daret operam, impios in furorem adeo concitavit, ut in ejus mortem conjurarint, ut suo loco dicetur. Coercita ab illo vitia, instaurarique cæptam disciplinam Ecclesiasticam opera Ormaneti hoc anno in archiepiscopatu Mediolanensi ex Tridentini Concilii sanctionibus, testatur Carolus episcopus Novariensis, regemque Philippum regia illum ad id auctoritate fulcivisse : « Nam (inquit) Philippus rex, ac Mediolani dux omnibus provinciarum suarum præfectis jusserat, ut quæ Tridenti constituta erant, omnino servari pro eorum facultate curarent, Ecclesiarum antistites , quibuscumque rebus possent, in iis perficiendis juvarent : et provinciæ gubernator Gabriel de la Cueva dux Alburcherchii, senatusque Mediolanensis, ad omnia in eo genere peragenda pie se paratos ostendebant ».

56. *Philippus rex Hispaniarum in Africa Turcas devincit, et Genuenses Corsicam rebellantem subdunt.* — Confecta est hoc anno a rege Catholico expeditio adversus Afros, qui, parta antea ad Menyngem insulam victoria insolescentes, maritimis excursionibus Christianorum naves intercipiebant, atque Hispaniæ littora continuis grassationibus infestabant ; pro quibus retundendis frangendisque monitos a Pontifice cardinales, ut preces Deo funderentur, docent Acta [2] Consistorialia :

« XXVIII Julii MDLXIV, fuit Consistorium : Sanctissimus dominus noster fecit verbum de profectione in Africam classis regis Catholici, pro cujus felici successu monuit, ut fiant Deo preces, cum præsertim audiatur classem Turcarum etiam exiisse ». Præfectus est cum summo imperio regis Catholici classi conflatæ ex centum et tredecim triremibus, quarum octo fuere Lusitanæ , totidem Florentinæ , tres Sabaudienses, sex Pontificiæ Caroli Borromæi cardinalis, qui postea Sanctorum fastis adscriptus fuit, cura instructæ, Garzias Toletanus Petri filius, qui fortissimis copiis succinctus, ususque secundis auris Pegnonem arcem scopulo insidentem terra marique obsidione cinxit, tantosque in eam impressit impetus, tantaque celeritate, ut nullum obsessis spatium quietis relinqueret , quare fessi hostes tertio die , cum nondum Turcica subsidia convenire possent, oppidum ex desperatione deseruere, exceptis trecentis Turcis pertinacissimis, qui resistere temere ausi, partim tormentis laniati, partim contrucidati, partim capti ac vinculis mancipati

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 392. — [2] Car. a Bas. Ro. l. I. Vit. S. Carol.

[1] Pius IV. lib. brev. an. 5. Ep. XXVII. — [2] Act. Consist. Mariana. Natalis Comes hist. l. XIV. Jo. Bapt. Adrian. l. XVIII. Act. Cons. Ms. card. Spadæ sign. num. 134. p. 381. Sur. in Comm. hoc anno.

fuere : inde munita Christianis præsidiis arce, cum Hispana classis esset discessura, Turcarum auxilia venere, commissoque tumultuario levi prælio, in quo tantum quatuor Christiani desiderati, ac plures Mauri cæsi, victrix classis abscessit, de qua felici victoria Pontificem retulisse ad cardinalium senatum memorant Acta [1] Consistorialia his verbis :

« Dixit gratias Deo agendas pro victoria, quam habuerat classis regis Catholici, et felicitate in occupando loco illo, qui dicitur, Il Pegnone, sine sanguine, et cum celeritate, ac rogandum Deum, ut feliciter illi deveniat in rebus Corsicæ, ad quam navigare aiebat classem, ut a periculo et tumultibus illam insulam liberaret ». Non classis universa ad pacandos Corsicæ tumultus se contulit, sed tantummodo Andræas Auria cum viginti triremibus in insulam Corsicam, quam veteres Cyrnum dixere, vela direxit. Oborti erant ii motus ex levi causa, cum Genuenses inanibus suspicionibus vexassent Sampetrum, olim Gallici nominis studiosum, quod nobile ædificium instar cujusdam munitionis excitaret, vetarentque perduci ad fastigium, nec tamen sumptus e publico vellent dissolvere, de quorum avaritia, cum Sampetrus questus esset apud Corsos [2], Genuenses variis locis trucidati fuere, consertisque minutis præliis conscissi, deque imperio insulæ periclitati, cum parvis sumptibus rem componere potuissent. Ubi vero Hispana auxilia venissent, ac littora circumsedissent, Corsi ad montium munitiora loca se subduxere, atque adeo in pertinacia obfirmati fuere, ut nisi Florentiæ dux, vel Gallus eos in clientelam admitterent, de Turca evocando in ejus insulæ imperium agitaturi viderentur.

57. *Pontifex curis et angustiis quamplurimis implicitus.* — Ob hos et alios tumultus Christiani imperii gravem se traxisse dolorem significavit Pontifex cardinalium senatui, ut referunt Acta [3] his verbis :

« XXVIII Julii MDLXIV. Dixit de tumultibus, qui totam Christianitatem perturbant in Germania inter Danum et Suecum, inter Polonum et Moscovitam, et præcipue de tumultu Corsicæ, ubi prima manus Genuensium fuerat superata et in fugam conjecta : et quamvis rex Christianissimus hic per suum oratorem certiorem fecerit Sanctitatem Suam, omnia se inscio et invito facta fuisse, quod pro certo Sanctitas Sua credit, tamen dubitat, ne tumultus ille magnorum malorum sit principium.

« Dixit etiam valde perturbari de peste, quæ fere totas provincias invasit, et quamvis custodias fieri mandaverit, tamen maximis curis urgeri, cum videat imminere bellum, pestem, famem, signa aperta iræ Dei ob peccata nostra, ideo nos debere jejuniis, orationibus et eleemosynis placare Deum ».

Auxit Pontificias molestias administrorum Hispanorum importunus fastus, qui cum antea Pium in gravissimum discrimen adduxissent, ne Galliæ regnum a Romanæ Ecclesiæ cultu abalienaret, dum superiore anno litem de honorificentiore sede Gallo oratori intenderant, adhuc in eodem molimine obfirmati varie eum fatigarunt, ut honoris supremum apicem Hispano deferret, sed cum Pontifex, ut narrat Jo. Franciscus Firmanus [1], oratori Galliarum, vigesima Maii in die Pentecostes primas detulisset, Hispani administri ita Philippi regis animum iniquis querimoniis asperarunt, ut oratorem suum ex aula Pontificia revocarit, de quo Pontifex purgavit se in cardinalium senatu [2], se nullo modo ab æquitate deflexisse, commendatisque Philippi regis Catholici virtutibus culpam omnem in regios administros derivavit.

« XVII Augusti fecit verbum de revocatione oratoris a serenissimo Catholico rege facta : ob præcedentiam vero cum Christianissimo rege Sanctitatem Suam nihil fecisse, quod juste regi Catholico displicere potuerit, nullam sententiam tulisse, locum tantum solitum oratori Christianissimi regis negari non potuisse, et id sine alicujus præjudicio ; paratum fuisse et esse justitiam ministrare, et causam, si petierint, committere, vel collegio cardinalium, vel auditorum Rotæ; non posse credere regem ægre tulisse id, quod Sanctitas Sua omittere sine injuria non poterat : sperare omnia a regis pietate, quem sibi charissimum filium futurum remotis malis consiliis non dubitabat, et multa dixit in regis laudem, conjiciens culpam omnem, tam factorum quam verborum in hunc oratorem et ministros ». Ornatissimus certe regiis virtutibus erat Philippus Secundus, ac non modo fidei Catholicæ acerrimus vindex adversus hæreticos, defensor adversus Turcas, verum etiam apud Indos Occidentales strenuissimus amplificator.

58. *In America novæ Ecclesiæ conditæ : canonizatio B. Didaci postulata : Græcis Catholicis in Sicilia morantibus Græci episcopi dati.* — Propagata enim latius atque aucta inter Americanos re Catholica, pro condendis novis Ecclesiis atque episcopatibus regiam apud Pontificem operam adhibuit, atque liberalitatem in vectigalibus attribuendis pro divino cultu celebrando explicuit, ut narrant Acta [3] Consistorialia :

« XXII Martii MDLXIV, referente reverendissimo Gonzaga. Cum nuper, seu alias Apostolica

[1] Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 390. — [2] Natal. Com. l. XIII. Jo. Bapt. Adr. l. XVIII. — [3] Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 381.

[1] Diar. to. XI. Ms. arch. Vat. — [2] Act. Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 387. — [3] Ibid. p. 374.

auctoritate translata fuisset sedes episcopalis Ecclesiæ Sanctæ-Marthæ ad oppidum Sanctæ-Fidei in partibus Indiarum, ut supra, ad supplicationem regis Catholici ibidem Ecclesiam Sanctæ-Fidei in archiepiscopalem erexit et instituit, et fuerunt pro suffraganeis assignatæ Pompeiana et Carthaginensis Ecclesia in eisdem Indiis, separatæ a metropolitanis Ecclesiis Civitatis-Regum, et Sancti-Dominici, et reservatum jus patronatus serenissimo regi Hispaniarum, et in archiepiscopum præfecit cum usu pallii reverendum dominum Martinum modernum episcopum Sanctæ-Marthæ, et erexit oppidum Civitatis-Imperialis in partibus Indiarum in civitatem », et interjectis nonnullis de ducentorum aureorum annuo vectigali attributo, « providit de persona Antonii Sancti-Michaelis Ordinis Sancti-Francisci ».

Inclarescente etiam fama sanctitatis beati Didaci Ordinis Sancti Francisci, ob cœlestes virtutes implorato ejus apud Deum nomine editas, Philippus rex deprecatorem egit apud Pontificem, ut confectis de iis Actis judiciariis in Sanctorum Albo eum collocaret, decretosque in ea causa nonnullos cardinales recensent memorata Acta [1] :

« XIV Aprilis MDLXIV. Reverendissimus Alexandrinus ad instantiam serenissimi regis Catholici , et ejus filii serenissimi principis Hispaniarum, et universitatis Complutensis, et ejus regionis, ac totius provinciæ supplicavit pro canonizatione fratris Didaci de Sancto-Nicolao professi Ordinis Sancti-Francisci conversi, qui a centum annis in circa in oppido Complutensi ab humanis decessit, et plurimis miraculis clarere dicitur. Sanctissimus Dominus noster, habitis votis reverendissimorum cardinalium, statuit ut forma antiqua in similibus servari solita servaretur, et deputavit reverendissimos dominos Saracenum, Alexandrinum, de Aracœli et Vitellium, qui examinarent formam solitam, et referrent Sanctitati suæ ».

Extant eo argumento litteræ [2] Pii IV datæ prima Maii hujus anni ad nonnullos Hispanos prælatos prudentia conspicuos, quibus partes demandatæ erant, ut judiciaria Acta de miraculis ad B. Didaci implorata apud Deum suffragia editis conficerent, remque a Philippo rege flagitatam fuisse significavit. Extracta ea actio fuit in posteriora tempora, donec a Sixto Quinto Sanctorum honores illi solemni ritu decreti fuere.

Ad asserendam etiam Catholicam pietatem errorumque semina evellenda, Pius, cum magna Græcorum, qui Turcicam servitutem diffugerant, multitudo in Siciliæ insula ageret, humanissimeque excepta Græco ritu sub Græcorum episcoporum rectorumque auctoritate, libertate Christiana potiri permitteretur , veterumque errorum laqueis implicita eos etiam in Catholicos transfunderet, Constitutione edita [1] concessa iis indulta rescidit.

59. *Tumultus in Piceno.* — Ingentes hoc anno exorti tumultus in provincia Picæni, et præsertim in civitate Asculi, quam perduelles pæne exciderant [2] : ad eas coercendas missus est a Pio Pontifice Cincius Capisuccus Romanus militaribus expeditionibus insignis, quem idem Pius paulo ante speciali Diplomate sanctæ Romanæ Ecclesiæ militum generalem præfectum creaverat. Is administratione suscepta, ac militibus conscriptis, paucis mensibus provinciam pacatam reddidit.

Ut autem Picæni provincia, ac cætera Pontificiæ ditionis loca, quæ multos ab exulibus et latronibus patiebantur incursus, tuta ac tranquilla permanerent, octavo kalendas Novembris Marcum Scitticum cardinalem ab Altaemps provinciæ Picæni, et omnium locorum status Ecclesiastici ad quæ illum accedere contigerit, legatum declaravit.

60. *Calvinus impœnitens moritur.* — Sed antequam ad hujus exitum anni deveniamus [3], ultricem divinæ virtutis manum super nefandissimo hæresum fabricatore contemplari dignum est, qui justo judicio in vita sua projecit intima sua, et consumptus a vermibus, eo quod non dedisset honorem Deo , sed sacrilegis illum blasphemiis provocaverit, expiravit. Fuit is Joannes Calvinus, qui hoc anno XXVII Maii infelicissimam vitam fine infelicissimo, pertinax in hæresi, atque in desperationem efferatus, clausit, de quo hæc Laurentius Surius :

« Obiit Joannes Calvinus Genevensium hæresiarcha, vir pestilentissimus et arrogantissimus, divina Majestate in illum per extremæ vilitatis vermiculos animadvertente : obiit enim morbo pediculari, miser homuncio, qui suo fermento innumeros corrupit, et amplissimas vias Antichristo munivit ». Describit funestissimam ejus mortem fusius Jacobus Laingæus, e quo hæc delibanda duximus : « Quamvis Beza scribat contra eos, qui condemnarunt Calvinum, et dicat eos mentitos esse, qui affirmant impie et misere interiisse, nihilominus certum est, Calvinum impie et misere interiisse, cacodæmones, sive malos spiritus invocantem, jurantem, execrantem, et seipsum tanquam malum auspicium detestantem et mille modis devoventem, ob immensos infandosque dolores, cruciatus, afflictiones, aliaque infinita tormenta, quæ senserat, ac in corpore suo perpessus fue-

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. 134. p. 375. — [2] Lib. brev. Pii IV. sig. num. 2904. Ep. XV.

[1] Bull. in Pio IV. Const. 74. — [2] Natalis Comes in hist. Jacobus. Serhenchiuus in Vitis principum. Ex Epistola S. Caroli. Ex Regist. Vatic. — [3] Diar. to. XI. Ms. arch. Vat. Masson. in Pio IV. Hieron. Bossecus. Jac. Laingæus c. 22 et 26. p. 96. Florim. Raym. Sur. in com. Gill. Roussæ. Gualter. in Chron.

rat. Deo etiam admodum irato atque offenso, et suam iram, severitatem atque justitiam non modo in vita futura, verum etiam in hoc præsenti sæculo apertissime ostendente, monstrante. Hoc idem etiam testantur, qui cum eo vixerunt, et in iisdem ædibus, donec extremum duceret spiritum, et ultimus superesset halitus vitæ, habitarunt. Hoc etiam accedit, quod quamvis miserrimus Beza, vel quicumque alius impius negare vellet, attamen notissimum est, Calvinum detestatum, execratum, atque aversatum fuisse horam, qua unquam studere aut scribere cœperat, adeo scatentibus toto corpore vermibus ac pediculis; tum demum his malis hæc addo, quod omnium miserrimum est, quodque mens meminisse horret; ulcera maxime horrenda ac fœtidissima totum occupabant Calvinum, quod non tam aliis quam ipse sibi molestus et odiosus fuerat. Postremo omnium accidit ad hæc, quod propter fætorem immensum, fætorem minime ferendum ac pestiferum sui corporis odorem, præceperat servis, ne quem intromitterent in suas ædes ».

61. Merito quidem lutulentus porcus toto corpore sic prostratus jacebat in limo, computrueratque jumentum in stercore suo, qui immanem illam blasphemiam ad cætera sua nefanda dogmata adjunxit, ut doceret, Christum Dominum desperasse in cruce, qua quidem non Lutheranos tantum, aut Zuinglianos, ex quibus sua conflavit dogmata, sed ipsum etiam Mahometem impietate superavit, quem Laingæus his verbis exagitat [1], cum ejus confutat blasphemias :

« Tam terribili et horrido timore, dicit Calvinus, Christum perculsum fuisse, quod desperaverat, omni spe destitutus, et dubitaverat se morte absorptum iri. Latine scribit *deglutiri* vel *absorberi,* id quod potuerunt videre, qui legerunt librum Calvini, et in libro suo Gallico transtulit *deglutiri, Englouty.* Majori blasphemia, sive execratione, maledictione, vituperatione, convicio, infamia aut ignominia, nunquam credo hæreticos Ebionem, Marcionem, Paulum Samosatenum, Arium, ne Mahometem quidem, notasse Christum. Nam primum hic sycophanta negat divinitatem fuisse in Jesu Christo, tanquam ignorante suum finem, neque sciente certo et vere se esse Filium Dei, qui habet totam potestatem super vitam et mortem.

« Impius Calvinus, tam immemor, dissolutus, obliviosus fuit, ut non menimerit verborum, quæ Christus locutus fuerat x cap. Joannis : *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, ut iterum sumam eam; Nemo tollit eam a me* (scilicet nolente, et necessitate urgente) *sed ego pono eam a me ipso : potestatem habeo ponendi eam, et potestatem habeo iterum sumendi eam. Hoc mandatum accepi a Patre meo.* Ego istos discipulos Calvini, qui Deum et ejus Ecclesiam Catholicam reliquerunt, libenter interrogare vellem, quomodo sunt tam consilii inopes, omnis rationis expertes, mente intellectuque carentes, ut hoc horrendum monstrum informe, cui nulla ratio, nulla unquam sacrarum litterarum intelligentia fuit, sibi idolum elegerint ».

Lapsus est in eam blasphemiam, cum pro insani capitis libidine interpretatur ea Christi verba : *Deus, Deus meus, quare me dereliquisti ?* jam antea prædicta a Davide, quæ Gregorius Nazianzenus naturæ humanæ, pro qua patiebatur, nomine repetita ait. Divus vero Leo Papa ita interpretatur : « Dicit se derelinqui, ut notum omnibus faceret se non erui, non defendi, sed sævientium manibus derelinqui, hoc est, Salvatorem fieri et omnium fidelium Redemptorem, non per miseriam, sed per misericordiam, nec amissione auxilii, sed definitione moriendi. Quæ vero illic vitæ intercessio sentienda est, ubi anima et potestate est emissa, et potestate revocata; dicit enim Beatus Apostolus Paulus : *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Et iterum dicit : *Christus dilexit Ecclesiam, et tradidit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret;* unde Dominum tradi passioni, tam fuit paternæ quam ipsius voluntatis, ut non solum illum Pater derelinqueret, sed etiam seipsum quadam ratione desereret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione, qui enim venerat mortem et mortis auctorem sua morte destruere, quomodo poterat peccatores salvos facere, si adversantibus repugnaret ? » His divi Leonis verbis blasphemia Calvini convicta est. Refellit eumdem pluribus Laingæus, quod nequiter et imperite corruperit textum Apostoli, *Exauditus pro sua reverentia,* vertens, imo subvertens per hæc verba, *pro sua formidine,* cum a peritis linguæ Græcæ manifesti erroris arguatur, ita ut Christus fuerit exauditus pro sua ευλαβεία, id est, pietate, religione ac reverentia erga Patrem, cujus honorem sua morte provexit.

[1] Jac. Laingæus in Vit. Jo. Calv. c. 24 et 25.

PII IV ANNUS 6. — CHRISTI 1565.

1. *Pius IV ostendit cælibatum sacerdotum semper in usu fuisse.* — Qui sequitur annus millesimus quingentesimus sexagesimus quintus, Indictione octava, incipit, quo Solimanus Turcarum tyrannus elatior fastu, atque efferatior ob religionis dissidia, quæ in Tridentino Concilio componi non potuerant, divulsasque Christianorum vires, cum novatores in pristina pervicacia obduruissent, ambitiosa consilia ad subjicienda suæ tyrannidi Christiana regna convertit, sed divina potentia, quæ mari *Posuit vectem, et ostia,* ut inquit Job [1], dixit, *Usque huc venies, et non procedes amplius, et hic confringes tumentes fluctus tuos,* Turcicos impetus Melitensium equitum virtute fregit; de quibus antequam agamus, quæ tempore præcessere prius delibabimus.

Maximilianus Cæsar, qui imperii habenas in demortui Ferdinandi patris locum moderabatur, cum ex concessione calicis sub utraque specie rem Catholicam auctiorem factam conspiceret, enixe contendit a Pio, ut sacerdotum conjugia permitteret. Pontifex vero ex postulato disciplinæ Ecclesiasticæ adeo contrario gravem molestiam traxit, atque ineunte anno senatum cardinalium de eo consuluit, significans, se vocatis theologis ac juris canonici peritis rem in examen adducturum, ut docent [2] Acta Consistorialia his verbis :

« Romæ XII Januarii MDLXV, fuit consistorium, in quo S. D. N. proposuit, quod serenissimus imperator instabat post concessionem communionis sub utraque specie, quam dicebat habuisse a S. D. N. et ab hac Sancta Sede, multum profecisse in suis regnis, ut similiter concederet circa connubium sacerdotum. Narravit perplexitatem animi sui, et qualitates temporum condoluit, et dixit, se velle consulere hoc negotium, non solum cum dominis reverendissimis, sed etiam cum multis theologis et canonistis, et quod domini interim considerarent ».

Contenderant jamdiu ante Lutherani sacerdotalem cœlibatum inter præcipuos abusus, sive corruptelas inductas ab Ecclesia Romana recensendum, atque etiam suggestum Carolo V fuerat a politicis, Lutheranos, sublatis cœlibatu et jejuniis, ad Ecclesiæ conjunctionem revocandos, sed gravissimo illi errore irretiti erant, non enim recenter invento humano ac tyrannide sæva, sed a vetere Ecclesia Spiritus sancti instinctu afflata sacerdotalis cælibatus constitutus fuerat, ut Pius Pontifex hoc pio et docto responso [1] demonstravit :

« Ad ea quæ consiliarii electorum et principum imperii reformanda censuerunt in Summo Pontifice et Sede Apostolica.

2. « Quod memorant in abusus cœlibatum cleri, et quo pacto sacerdotes eorum uxores ducant, et alios ducere suadeant; res est profecto admiratione digna, quod cœlibatum sacerdotalem abusum vocent, cum potius e converso violatio cœlibatus, et illicitus ad conjugium transitus in sacerdotibus, pessimus abusus dici mereatur : etenim sacerdotes non debere uxores ducere testatur Aurelius in Concilio II Carthaginensi : « Cum, inquit, quia sic docuerunt « Apostoli exemplo, et ipsa servavit antiquitas, « nos quoque custodiamus » ; et paulo ante talis legitur Canon : « Placet, ut presbyteri et dia- « coni, vel qui sacramenta contrectant, pudici- « tiæ custodes ab uxoribus se abstineant ». Ex quibus verbis liquet ab Apostolis receptam esse hanc traditionem, non ab Ecclesia noviter inventam. Augustinus Aurelium secutus in quæstione ultima de quæstionibus Novi et Veteris Testamenti, in hæc sane verba scribit, et interrogat : « Si forte dicatur, si licet et bonum est nubere, cur non licet sacerdotibus uxores habere, id est, ut ordinatis jam non liceat conve-

[1] Job. XXXVIII. — [2] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. pag. 397.

[1] To. X. de Conc. Ms. arch. Vat. sig. num. 3202. p. 119.

nire? Quis nesciat, unumquodque suam legem habere? Est enim, quod omnino generaliter omnibus liceat, est item quod aliis licet, et aliis non licet, et est quod aliquando licet, aliquando non licet. Fornicari omnibus semper non licet; negotiari vero aliquando licet, aliquando non licet: antequam enim Ecclesiasticus quis sit, licet ei negotiari, facto jam non licet: et Christiano, cum uxore sua convenire, aliquando licet, aliquando vero non licet; propter dies enim processionis, aliquando non licet convenire, quia etiam a licitis abstinendum est, ut facilius impetrari possit quod postulatur. Unde Apostolus: *Ex consensu*, ait, *abstinendum ad tempus, ut vacetur orationi;* nam secundum legem, in jejunio cædere et jurgari non licet, postea licet, nimirum servata legum æquitate, quia major reverentia debetur Dei causis. Numquid omne, quod ante cæteros licet, ante imperatorem licet? quanto magis in Dei causis? Ac per hoc antistitem ejus puriorem cæteris esse oportet, ipsius enim personam habere videtur; est enim vicarius ejus, ut quod cæteris licet, illi non licet, quia necesse habet quotidie Christi vicem agere, aut orare pro populo, aut offerre, aut tingere. Et non solum huic concubitus non licet, verum etiam ministro ejus, quia ipse mundior debet esse, quia sancta sunt quæ ministrat». Calixtus papa vir sanctus et martyr constituit ante mille annos et trecentos, ne sacerdotes ducant uxores. Similia leguntur et in sacris Conciliis Næocesariensi, Ancirano, Agathensi, Gerundensi, Meldensi, Aurelianensi. Et ita observatum fuit a tempore Evangelii et Apostolorum quod nunquam licuit, constituto in sacerdotio ducere uxorem.

« Verum quidem est, quod ob ministrorum Dei defectum in primitiva Ecclesia, conjugati admittebantur ad sacerdotium, ut ex canonibus Apostolorum et Paphnutii responso liquet, et in Concilio Nicæno; attamen volentes contrahere tenebantur id facere ante ordinis subdiaconatus receptionem, ut legitur cap. *Si quis eorum, dist. XXXII.* Hanc consuetudinem primitivæ Ecclesiæ usque in hanc diem servavit, et retinuit Græca Ecclesia. Cum vero per gratiam Dei cresceret Ecclesia, ut ministrorum in Ecclesia nullus esset defectus, Siricius papa ante annos mille centum et quadraginta omnimodam indixit sacerdotibus continentiam. *cap. Plurimos dist.* 82. quod Innocentius I, Leo Magnus, et Gregorius Magnus Pontifices approbaverunt et confirmaverunt, et in hunc usque diem Latina servavit ubique Ecclesia. Quibus satis liquidum esse existimatur, non abusum esse cœlibatum cleri, a tam sanctis Patribus tanto tempore comprobatum, et ab universa Ecclesia Latina receptum atque observatum. Ad hæc sacerdotes veteris legis tempore officii et ministerii sui in templo separabantur ab uxoribus, sicut Zacharias tempore vicis suæ Luc. I. Cum autem sacerdos novæ legis semper debeat esse in ministerio, sequitur ut semper is debeat continere. Amplius, conjuges non debent se fraudare officio conjugali, nisi ad tempus, ut vacent orationi, ut in priore Ep. ad Corinthios scribit Apostolus cap. 7; cum vero sacerdos debeat semper orare, ergo semper debet continere. His rationibus usi sunt viri sanctissimi et doctores egregii, Epiphanius, Ambrosius et Augustinus. Præterea S. Paulus ait in priore ad Corinth. cap. 7: *Volo vos sine sollicitudine esse: qui sine uxore est sollicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Sacerdos ergo qui jugiter placere debet Deo, fugiat sollicitudinem uxoris, et non respiciat retro cum uxore Loth.

« Porro adumbrata fuit sacerdotalis continentia etiam in Veteri Testamento; nam Moyses accepturus legem præcepit, ut in diem tertium non appropinquarent uxoribus. Exod. XIX. Sacerdotes igitur accepturi legislatorem Christum Dominum et Salvatorem nostrum, multo minus appropinquare debent uxoribus. Similiter jussi sunt sacerdotes portare femoralia linea, ut operiant carnem turpitudinis suæ. Exod. XXVIII, quod fuit Symbolum futuræ continentiæ in sacerdotibus, ut ait Venerabilis Beda. Etiam Achimelech daturus panem benedictum pueris David, interrogabat prius, an mundi essent a mulieribus, et David respondit mundum se esse ab heri et nudiustertius. I Reg. XXIII. Ergo semper mundi debent esse sacerdotes sumentes panem vivum, qui de Cœlo descendit. Joa. VI. Item manducantes Pascha præcincti erant renibus. Exod. XII. Quare, et sacerdotes manducantes frequenter Pascha nostrum Christum cingere convenit renes per continentiam et munditiam, sicut imperat eis Dominus: *Mundamini*, inquit, *qui fertis vasa Domini.* Isa. LII. *Sancti estote, quoniam sanctus sum.* Lev. XIX. Serviant itaque sacerdotes Deo in sanctitate et justitia omnibus diebus suis. Hinc sanctus martyr Cyprianus testatur sibi a Domino revelatum, et cum severitate injunctum, ut clericos studiose admoneret, ne cum fœminis commune haberent domicilium. Unde continentia sacerdotalis, cum sit a Conciliis et Pontificibus præcepta, a Deo revelata, proprio voto a sacerdote Deo promissa, non est ullo modo rejicienda; nam hoc exigit sacrificii, quod tractant, excellentia, orationis frequentia, libertas et puritas spiritus, ut curent quomodo Deo placeant juxta sancti Pauli doctrinam.

« Et quia constat hanc fuisse antiquam hæresim Joviniani, quam damnavit Romana Ecclesia, et scriptis convicit Beatus Hieronymus; et sanctus Augustinus dicit hanc hæresim confestim fuisse extinctam, neque pervenisse ad

sacerdotum corruptionem ; hanc sacerdotum corruptelam et abusum principes tolerare non debent, in perpetuam sacri Romani imperii ignominiam et infamiam ; sed conforment se potius universali Ecclesiæ. Neque moveantur ab his quæ eis suggeruntur, quod Apostolus inquit, Cor. VII : *Unusquisque habeat uxorem propter fornicationem :* respondet enim sanctus Hieronymus sanctum Paulum loqui de eo, qui non vovit : sicut Athanasius intelligit illud sancti Pauli : *Non peccat virgo, si nupserit;* virginem hic non intelligi illam, quæ Deo dicata sit. Idem notat Epiphanius, Basilius Cæsariensis, et Theodoretus. Sic ad illud : *Melius est nubere, quam uri;* acris extat responsio beati Hieronymi contra Jovinianum, nam ille idem sanctus Paulus ait : *Bonum est homini mulierem non tangere;* habet namque sacerdos medium, ut neque uratur, neque nubat, sed per gratiam Dei contineat, quod oratione devota et castigatione carnis, jejuniis et vigiliis a Deo impetrat. Amplius : dum aiunt Christum docuisse non omnes homines ad cœlibatum idoneos esse : hoc quidem verum ; ideoque nec omnes idonei sunt ad sacerdotium ; sed sacerdos oret, et poterit capere verbum Christi de continentia, sicut sanctus Paulus dixit : *Omnia possum in eo, qui me confortat,* ad Philippen. Est enim continentia donum Dei. Sap. VIII. Præterea cum prætenditur hanc esse ordinationem et præceptum Dei Gen. I, respondit ante mille annos et centum Hieronymus : « Necesse, inquit, fuit prius plantare sylvam, « et crescere, ut esset quod postea posset ex- « cidi ». Præceptum tunc erat de procreatione pro iis, ut repleretur terra, quæ modo repleta, et adeo quidem ut sit pressura gentium ; non est amodo tamen præceptum volentibus continere.

« Vane præterea jactant concionatores mandatum Dei ; ostendant si possunt, ubi Deus præceperit sacerdotibus, ut ducant uxores. At hoc reperitur in jure divino, ut vota semel emissa reddantur. Psal. XLIX, Psal. LXXV, Eccles. V. Quare igitur expressum illud jus divinum non observant ipsi ? Corrumpunt quoque sanctum Paulum, quasi præcipiat episcopum eligendum debere esse maritum, cum sanctus Paulus dicat : *Episcopus sit unius uxoris vir;* quod non est intelligendum, quod debeat esse maritus, alioquin Martinus, Nicolaus, Titus, Joannes Evangelista, imo et Christus non fuissent episcopi. Quare Hieronymus explicat verba sancti Pauli, quod episcopus sit unius uxoris vir, hoc est, quod non sit bigamus. Veritas expositionis liquet non modo ex auctoritate Hieronymi, quæ tamen magna esse debet apud quemque Catholicum, sed ex sancto Paulo quoque, qui de vidua deligenda scribit : *Vidua eligatur non minus sexaginta annorum, quæ fuerit unius viri uxor,* ad Timoth. V. Quod postremo factum adducunt Germanorum, factum afferunt novum : dum enim imperatori Henrico IV contentio esset cum Romano Pontifice, atque etiam cum filio et proceribus imperii, jura humana pariter et divina confusa fuerunt, adeo ut laici illo tempore temere attentarint sacra tradere, sordibus pro sacro oleo uti, baptizare, et multa alia a Christiana religione aliena facere. Simili exorbitantia clerus excessit, quod pro jure jam allegare nequit, neque incivile fuit, sacrilega dirimere Matrimonia, quæ contra vota, contra sanctiones Patrum et Conciliorum nulliter fuerant contracta, quemadmodum et hodie sacerdotum non sunt rata matrimonia.

« Frustra ergo queruntur, mundum senescere, et remedium imbecillitati laxandum. Nam Deo consecrati alia habent imbecillitatis remedia, utpote fœminarum consortia devitent, otia fugiant, jejuniis et vigiliis carnem emacerent, prohibeant sensus externos ab illicitis, et præcipue visum et auditum ; oculos quidem ne videant vanitatem, parvulos denique, id est carnales cogitationes, allidant ad petram, petra autem Christus est : affectus reprimant, Deum frequenter et devote orationibus pulsent. Hæc proculdubio sunt potentissima continentiæ remedia in Ecclesiasticis viris Deo servientibus. Sanctus Paulus recte dæmoniorum doctrinam dixit eorum, qui nuptias prohibent, quales fuerunt Tatianus et Marcion hæretici, quorum Augustinus et Hieronymus meminerunt : sed adeo Ecclesia non prohibet nuptias, ut etiam Matrimonium inter septem sacramenta connumeret, cum quo sane stat, ut ob excellens ministerium Ecclesiasticis excellentiorem præcipiat munditiam : falsum enim est esse mandatum Dei de contrahendo ; alioquin peccasset Joannes Evangelista, Sanctus Jacobus, S. Laurentius, Titus, Martinus, Techla, Agnes, Catharina, Barbara, et cæteræ innumerabiles. Cyprianus vero ab eis inductus non loquitur de virgine, quæ solemne votum fecerat, sed de ea, quæ decreverat continenter vivere, ut initium Epistolæ XI libri primi satis indicat. Certissima etenim est sancti Augustini sententia, virginibus voventibus, non solum nubere, sed velle nubere damnabile est. Unde abusus matrimonii et votifragium in clero tolerandum non est ».

3. Inter cæteros, quos Pontifex gravissimo in hoc negotio consultores adhibuit, Fr. Michael cardinalis Alexandrinus, qui proximo anno Pius Quintus Pontifex Maximus evasit, adnumeratur, de quo hæc Vitæ ipsius auctor [1] scripta reliquit : « Sub finem hujus Pontificatus Maximilianus Cæsar eo nomine II, et alii plerique Germaniæ principes, graviora scelera perniciosaque exempla hac via cautum iri prætendentes,

[1] Gabut. l. v. Py. v. c. 7.

per litteras ac nuntios Pontificem urgebant, ut Germanis sacerdotibus, Græcorum exemplo, uxores ducendi faceret potestatem. Quod etsi Christianis moribus, Apostolicis præceptis, sacris legibus, atque omni Ecclesiasticæ disciplinæ omnino repugnare constabat, Pontifex tamen, ut quid dicto factoque opus esset gravius decerneret, tantorumque principum petitionem haud prorsus contemnere videretur, rem nonnullis cardinalibus ad id selectis expendendam ac definiendam detulit. In iis ergo cum esset Alexandrinus, sacras leges Deique honorem omnium principum gratiæ, cæterisque rebus humanis præferendum ratus, singulari constantia atque animi libertate ita sese opposuit, ut ejusmodi postulata nemo, aut ardentius oppugnarit, aut acrius rejicienda esse contenderit. Potissimusque ipse auctor fuisse dicitur, ut Pont. id nullo pacto faciendum esse responderet; non enim fas esse mala facere, ut eveniant bona; neque cujusvis rei gratia contra leges omnes prostituendum esse, atque adeo prophanandum sacrosanctum sacerdotium, quod sine sancta castitate, aut rite constare, aut Deo placere non posse Catholica et Apostolica semper docuit Ecclesia » : atque ita nunquam ab hujus responsi religione discessum est, quamvis imperator politicis argutiis illusus conjugia sacerdotum a Pontifice permitti flagitaret [1], atque suis oratoribus scriberet: « Etiam nunc in ea sententia firmissime persistimus, si Sanctitas sua pia et benigna mente respexerit ingentem necessitatem sacri imperii, ac regnorum et dominiorum nostrorum, eique auxiliatricem manum præbuerit eo modo, quem nos antehac Sanctitati ejus ostendimus, quod tunc nostri et sacri imperii subditi longe facilius in officio contineri, multaque mala et scandala præcaveri poterunt ». Sensit e contra Pontifex longe graviora mala in imperio emersura, atque in alia regna et provincias, quæ illibatam fidei puritatem colebant, redundatura, si conjugia sacerdotibus indulgerentur; non enim vitia carni indulgendo vincuntur, sed carnem macerando profligantur.

Decretos a Pontifice duos internuntios, Lancianensem episcopum theologica scientia excultissimum, et Petrum Guicciardinum juris canonici peritissimum ad Cæsarem, ut illi ostenderent, quam iniqua essent ejus postulata, Cæsaremque Pontificis monitis assensisse, refert Joannes Baptista Adrianus [2].

4. *Gebennenses Pium IV proditorie occidere tentant.* — Cum ob præclara gesta in Pontificatu suo Pius immortalitate dignus videretur, Sathanas immani in eum odio satellites suos efferavit, adeo ut ad violentam illi mortem inferendam ineunte hoc anno conjurarint, ut ex Actis [1] consistorialibus constat, in quibus hæc referuntur : « XIX Januarii MDLXV, fuit Consistorium in quo Sanctissimus Dominus noster narravit conjurationem detectam in personam suam, de quibusdam sceleratis ». Horum sicariorum insanas molitiones e Gebennensi schola profectas creditum est; in ea enim assassinorum palæstra eruditos constat, qui adversus Franciscum Secundum regem et ducem Guisium conspirarunt, sed nefandissima impiorum consilia immisso divinitus terrore discussa refert Natalis Comes [2] :

« Dicuntur vel insania et furore, vel phanaticis spectris, et a maligno Dæmone impulsi Taddæus Manfredus, Eques Pellizonius, et Antonius Canusinus, et Benedictus Accoltus, et Prosper Pictorius, et alii quidam in caput Pontificis conjurasse, quem interficere decreverant, cum publice daret audientiam, simulantes porrigere chirographum; ac primum percutiendi locum Accoltus sibi depoposcerat, nam sibi persuaserat, sicut reliqui tam fœdæ conjurationis socii, futurum, illo Pontifice trucidato, ut Pontifex divinus, sanctus, angelicus, divino afflatu compulsus cum magno Christianorum consensu Romam convolaret, qui mox esset futurus monarcha et totius orbis imperator. His addidit Accoltus, sibi jus esse remunerandi tam præclari facinoris conscios et adjutores, nisi haberent pro magno præmio totius Christianæ reipublicæ sanctitatem, et novæ vitæ reformationem. Descripsit igitur in chirographo suo adhortationem, qua hortabatur Pontificem, ut dignitatem Pontificiam ultro deponeret, quod nisi statim fecisset, atque concepto in sua mente Pontifici ultro cederet, mortem minabatur. Pro tantis ausis singulis adjutoribus præmia ingentia jam nunc promittit, Antonio Ticinum urbem, Pellizonio Equiti Aquilam, Taddæo Cremonam, aliis consimiliter alia. Sed antequam suscipiatur negotium additur sceleri scelus. Nam cum oportere putarent se prius a peccatis expurgari quam facinus aggrederentur, cætera delicta confitentur sacerdoti, parricidii mentio nulla fit, hoc animo, atque hoc tanto scelere in animo retento, tanquam pio et sancto facinore, Eucharistiam impurissime admittunt. Accoltus postmodo chirographum porrecturus, pallens exorta repentina trepidatione corripitur, neque facinus audet aggredi; ex eo nata est inter conjuratos controversia, donec re a Pellizonio patefacta, omnes capti sunt et in quæstiones traditi, ut sua consilia, et a quibus impulsi tantum facinus ausi essent, aperirent. Alliciuntur etiam sollicitanturque ingentibus pollicitationibus, ut patefacerent a quo inducti hoc maleficium susce-

[1] Adrian. l. XVIII. Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 3216. p. 32. — [2] Jo. Bapt. Adrian. l. XVIII.

[1] Act. Cons. Ms. sig. num. 134. p. 397. — [2] Ms. arch. Vat. Diar. to. XI. p. 399. auct. Jo. Franc. Firman. Cærim. Mag. Natalis Comes l. XIV. Jac. Aug. Thuan. l. XXXVI.

pissent, cum nihil per tormenta extorqueretur, sed neque suppliciis, neque promissis induci possent, ut consiliorum rationes et auctores ullos proferrent, neque ullum certum appareret habere suæ temeritatis ac dementiæ fundamentum, quin etiam Accoltus perridiculum responsum dedit, se locutum esse cum Angelis, qui ad illud facinus essent adhortati. Nam profecto admirabile est tantum dementiæ in animos hominum aliquando contingere, et prope prodigia, cum deliria, et furor, et dementia, vel phrenesis omnem rationem atque rectum consilium exterminent. Cæterum impurissimi homines et conscii tanti sceleris extremis suppliciis affecti sunt, ubi per Urbem attracti fuissent ab equis cum alligatis nudis pugionibus, ut Accoltus inter vel ipsa graviora tormenta semper ridens discruciabatur ». Addit auctor torquendos illos fuisse potius per insignem dosim hellebori, quam per solita tormenta ; at ignoravit ille, Sathanam habere martyres suos, qui ita ab eo occupentur, ut extrema supplicia hilares ridentesque tolerasse fuerint non raro animadversi.

5. *Perfugia et aliqua privilegia rescindit Pontifex.* — Porro ad comprimendam impiorum audaciam decretum esse a Pontifice, ut centum catapultarii in variis Palatii locis excubias agerent, pro tuenda Pontificia salute adversus improvisos hostium impetus, refert Joannes [1] sacrorum rituum magister in Diariis. Administrandæ vero justitiæ studio adductus idem Pontifex, in memorato senatu cardinalium, habito decima nona die Januarii hujus anni, sustulit perfugia, quæ in cardinalium vel oratorum principum ædibus patuerant reis adversus forense satellitium. « Monuit », inquiunt Acta [2], « reverendissimos, ut caverent, ne darent franchitias in domibus suis, quacumque de causa, etiam in civilibus : idem dixit de oratoribus principum ». Rescidit [3] etiam decima tertia kal. Martii omnia privilegia quibusvis concessa sine discrimine civilis, sive regiæ, sive imperatoriæ, sive sacræ dignitatis, quæ pugnarent cum decretis in Concilio Tridentino editis non aliter, quam si conceptis verbis repetita Diplomati Pontificio insererentur. Tradunt etiam Acta [4] Consistorialia Pium Pontificem, ut injiceret frænum internuntiorum, qui ad reges decernebantur, ambitioni, deliberasse de condenda lege , ne internuntii gratia et auctoritate regum pro cardinalatu prensando abuterentur, ac si reges pro eo eblandiendo preces adhiberent pro hujusmodi internuntiis, ut infamiæ nota inusti censerentur cardinales, qui pro iis sua suffragia conferrent, cujus Constitutionis [5] formulæ concipiendæ partes Morono et Amulio cardinalibus demandatæ sunt; eos vero functos suo munere, et eam sanctionem promulgatam fuisse, constat, cum inter alias Pii Quarti Constitutiones inserta sit, in qua etiam hujusmodi internuntiis, qui malis iis artibus cardinalatum exambiverint, proposita est anathematis pœna, omnium quoque sacerdotiorum et dignitatum mulcta infligitur, tum hæc adjecta : « Auctoritate Apostolica harum serie districtius inhibemus, ne deinceps similes imperatorum, regum, reginarum, ducum, aut aliorum principum sæcularium commendationes, preces, aut alios etiam vocales, aut in scriptis favores, ad aliquas Pontificias, aut alias dignitates sæculares, vel regulares, aut etiam cardinalatus, vel alios honores et officia Ecclesiastica consequendum, aut sibi vel aliis consanguineis et necessariis suis quoquomodo per ipsum Romanum Pontificem conferenda, per se, vel alium, seu alios, directe vel indirecte quomodolibet ambire, seu procurare, neve illis etiam ultro sibi per principes sponte oblatis uti præsumant vel audeant, eadem auctoritate et præsentium tenore, statuentes, quod omnes et singuli in præmissis delinquentes, nulla alia monitione præcedente, et absque processu desuper habendo, sententias et pœnas præmissas irremissibiliter eo ipso incurrant ».

6. *Cardinales creantur.* — Mense Martio auxit Pius cardinalium collegium adlectis in senatum viginti tribus viris insignibus, inter quos extitit Hugo Boncompagnus, qui in Pontificatu Gregorii XIII nomen postea gessit , quorum omnium nomina in Actis [1] Consistorialibus recensentur subjectis verbis :

« Romæ apud Sanctum-Petrum die undecima Martii MDLXV, fuit Congregatio Generalis, in qua S. D. N. creavit et assumpsit in sancta Romana Ecclesia cardinales infrascriptos, Annibalem Bozzutum Neapolitanum archiepiscopum Avenionensem, Marcum Antonium de Columna Romanum archiepiscopum Tarentinum, Ptolomæum Gallum Comensem archiepiscopum Sipontinum, Angelum Nicolinum Florentinum archiepiscopum Pisarum, Aloysium Venetum episcopum Patavinum, Prosperum de Sancta-Cruce Romanum episcopum Chisamensem, Zachariam Delphinum Venetum episcopum Pharensem, Joannem Franciscum Commendonum Venetum episcopum Zacintinensem et Cephaludensem, Marcum Antonium Bobba episcopum Augustæ Prætoriæ, Ugonem Boncompagnium Bononiensem episcopum Vestanum, Alexandrum Sfortiam Romanum episcopum Parmensem, Flavium Ursinum episcopum Muranum, Simeonem Nigrum Pasquam Lunensem episcopum Sarzanensem, Alexandrum Cribellium Mediolanensem episcopum Cariaten-

[1] Joan. Fr. Firman. Diar. to. XI. p. 393. — [2] Act. Consist. XIX Jan. — [3] Bull. in Pio IV. Const. 94. — [4] Acta Cons. sig. num. 134. p. 401. — [5] Pius IV. Bullar. in Const. 96.

[1] Act. Consist. sig. num. 134. p. 460.

sem, Carolum Vicecomitem Mediolanensem episcopum Vintimiliensem, Franciscum Alciatum episcopum Civitensem, Franciscum Abundium Castellioneum Mediolanensem episcopum Bobiensem, Guidonem Ferrerium Hipporegiensem episcopum Vercellensem, Antonium Crecchium Ambianensem episcopum, Guillelmum Sireletum Calabrum protonotarium Apostolicum, Gabrielem Paleottum Bononiensem, auditorem Rotæ, Benedictum Lomellinum Januensem clericum Cameræ Apostolicæ, Franciscum Crassum Mediolanensem gubernatorem Bononiæ». Porro de Guillelmo Sireleto hæc in sua hist. scribit Justinianus [1] : « Is dignitatem invitus suscepit, quam cæteri mortales ardentissimis votis ambiunt ».

7. *Hugo Boncompagnus in Hispaniam legatus dirigitur.* — Ex his cardinalibus delectus est Hugo Boncompagnus religione ac peritia rerum gerendarum clarissimus, ut in Hispania legati Apostolici e latere munus exerceret, et causam Bartholomæi Mirandæ archiepiscopi Toletani in crimen hæreseos vocati cognosceret, ut memorant eadem Acta [2] :

« XIII Julii MDLXV, fuit Consistorium, in quo Sanctissimus Dominus noster deputavit legatum de latere in Hispaniam reverendissimum dominum cardinalem Sancti-Sixti Boncompagnum pro cognitione, et determinatione, seu decisione causæ pendentis contra archiepiscopum Toletanum, adhibitis nuntio Sanctitatis suæ et uno auditore rotæ ». Data sunt etiam eidem legato mandata, ut in Valentino regno nonnullos Maurici generis neophitos, qui errorum laqueis irretiti ad superstitionem Mahumeticam transvolare affectabant, ob censuras Ecclesiasticas quibus devincti erant ob contracta in gradu legibus prohibito matrimonia, in fide Christi contineret, eosdemque conciliaret Ecclesiæ, censuris solutos, atque etiam mitigatis legibus de gradibus consanguinitatis, eorum matrimonia rite confirmaret, ut ea benignitate deliniti in Africam trajicere, atque ad Mahometanos ritus deficere desinerent.

« Dilecto filio nostro Hugoni tit. Sancti-Sixti presbytero cardinali ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem Catholicum nostro et Apostolicæ Sedis legato de latere.

« Dilecte fili noster, salutem, etc. Cum sicut accepimus, in regno Valentiæ quamplures noviter a secta Mahumetana ad Christi fidem conversi, ac aliqui ab eis descendentes reperiantur, qui pravum illum Mahumetanum vivendi morem nondum prorsus obliti cæcitate quadam et ignorantia prioris sectæ hujusmodi adhuc obvoluti, cum eorum consanguineis et affinibus in gradibus ab Ecclesia Dei prohibitis, etiam forsan scienter ac temere, diversa matrimonia contraxerunt, illaque carnali copula consummarunt, ac prolem exinde etiam forsan susceperunt et in alia diversa excessus et crimina inciderunt ; sed cum ipsi metu pœnarum, quibus tam a generali, quam aliis ab eo inferioribus partium illarum hæreticæ pravitatis inquisitoribus, excessuum et criminum hujusmodi ratione plectendi forent, non solum per eos perpetratos excessus et crimina hujusmodi confiteantur, sed vias quasdam exquisitas modosque illicitos præparant, ut ad partes infidelium confugiant, ac antea per eos amplexatam fidem Catholicam hujusmodi in æternam animarum suarum damnationem deserant : tantæ noviter conversorum, ac ab eis descendentium hujusmodi multitudini pie misericorditerque parcendum, ac eorum statui salubriter consulendum esse plane sumus arbitrati. Nos igitur attendentes, quod Sedes Apostolica pia mater recurrentibus ad eam post excessum cum humilitate personis libenter se propitiam exhibere, neminique pietatis et misericordiæ suæ gremium claudere consuevit, ac proinde nos quoque, qui Sedis ejusdem beneficiorum eorumdem pietatis et misericordiæ dispensatores sumus, conversorum ac descendentium hujusmodi statui, et animarum saluti, quantum cum Deo possumus, consulere volentes ac de tuis prudentia, dexteritate, pietate, religionis et fidei Christianæ propagationis zelo, animarumque salutis Christicolarum prompta sollicitudine plurimum in Domino confidentes sperantesque, quod ea, quæ tibi duxerimus committenda, ad Redemptoris nostri gloriam, ac animarum salutem, hujusmodi memor, Sanctæ Sedis exaltationem non minus pie et fideliter quam diligenter exequi curabis, circumspectioni tuæ, quam nuper certis tunc suadentibus causis, nostrum, et Sedis ejusdem de latere legatum ad charissimum in Christo filium nostrum Philippum Hispaniarum regem, de fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalium consilio, Apostolica auctoritate deputandum duximus et deputavimus, per præsentes committimus et mandamus, quatenus matrimonia per conversos et descendentes præfatos in gradibus, ut præfertur, prohibitis hactenus contracta, primitus et ante omnia auctoritate Apostolica irrita et inania declares, ac conjuges ab invicem separes, et deinde si a te id humiliter petierint, illos, qui matrimonia in gradibus prohibitis hujusmodi, videlicet in secundo simplice, aut duplici, et tertio etiam simplici, aut duplici, necnon quarto similiter simplici aut duplici consanguinitatis aut affinitatis gradibus, absque Apostolica dispensatione, ut præfertur, in dicto regno Valentiæ tantum contraxerint, a quibusvis excommunicationis, aliisque sententiis, censuris et pœnis Ecclesiasticis,

[1] Hist. Ven. l. XV. — [2] Act. Cons. sig. num. 134. p. 405. Pius IV lib. brev. p. 428.

quas propter præmissa quomodolibet incurrerint, aut eos incurrisse dici seu censeri possit, necnon incestus reatu, et excessibus hujusmodi in utroque foro eadem auctoritate Apostolica, si ita tibi videbitur, in quo conscientiam tuam oneramus, possis absolvere, injuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, qua peracta, cum eisdem noviter conversis et descendentibus, qui matrimonia, ut præfertur, in dictis gradibus prohibitis contraxerunt, ut, impedimentis secundi simplicis, aut duplicis, et tertii etiam simplicis, aut duplicis, quarti similiter simplicis, aut duplicis consanguinitatis et affinitatis graduum hujusmodi non obstantibus, ipsi in illis, ut præfertur, contractis matrimoniis, absque alicujus conscientiæ scrupulo remanere, seu illa de novo contrahere in facie Ecclesiæ solemniter, libere et licite possint et valeant, dicta auctoritate Apostolica misericorditer in Domino dispensare, dummodo mulieres propter hoc raptæ non fuerint, prolemque susceptam, si quæ sit, et suscipiendam exinde legitimam decernere, alias et alia salubrem conversorum et descendentium hujusmodi reductionem et statum, Christianumque et Catholicum vivendi modum, necnon quascumque illis excesuum per eos perpetratorum ratione dandas absolutiones, et pœnitentias, et pœnas eis injungendas, illarumque circumstantiis, quæ quomodolibet concernentia, te rationabili ac pio salubrique consilio et voluntati præfati Philippi regis in præmissis conformando, facere, gerere, et exequi juxta tuam providam desuper adhibendam ordinationem, in præmissis omnibus et singulis amplam et omnimodam potestatem, facultatem et auctoritatem, dicta auctoritate dantes et concedentes; non obstantibus, etc. Dat. Romæ apud S. Marcum die x Septemb. MDLXV, an. VI ».

Pelliciebat ad defectionem infirmos neophytorum Mauricæ gentis animos florentissimi Mahometani imperii amplitudo, juxta illud oraculum : *Prosperitas stultorum perdet illos*, cum Turca coflatis maximis exercitibus ad opprimendum Christianum imperium anhelaret, atque ad fortissima duo illius propugnacula convellenda, Hungariam nimirum, atque insulam Melitam, armorum molem verteret, de quibus agendum modo incumbit.

8. *Melitensis insula a Solymanno impetitur, sed, providente Pontifice, ab invasione Turcica liberatur.*—Prætexuit Solimanus imperator [1] ulcisci maritimas Melitensium equitum grassationes, quasi Christianis non liceret piratarum Maurorum ulcisci injurias; ambitioso vero animo, subacta Melita insula, Siciliæ Italiæque excidia complectebatur, cum principes Christiani ad retundendos sævissimos ejus impetus segnius se compararent, eaque spe insolescens validissimam classem ad Melitam invadendam mense Maio immisit, de cujus numero et viribus hæc refert Surius [1] in Commentariis: « Erant in Turcica classe præter alias naves, tum onerarias, tum Mahonas commeatui convehendo accommodas, tum Liburnicas, hemiolas et scaphas, centum sexaginta octo triremes munitissimæ ; porro navigia simul omnia ad ducenta quadraginta. Ea classis partim primo in Marsasiroccum portum appulit : sed non satis illis fidens, in alium, quam Majorem vocant, sese transtulit ». Coegerat Solimanus in ea classe imperii Turcici omnes vires maritimas, illique tres duces Mustapham, Pialem, ac Dragutum bellica arte florentissimos præfecerat, cujus appulsu terrore completa est Italia, cum intestinis dissidiis, quæ novæ invexerant hæreses, laceratum esset Christianum imperium, et principes Catholici vires suas ad retundendum Turcam non instruxissent, quos a se diligenter monitos impendentis periculi, obtorpuisse questus est in cardinalium senatu Pontifex, addiditque, se non modo ad ditionem Ecclesiasticam defendendam, verum ad auxilia regno Neapolitano vel Hetruriæ afferenda strenue incubiturum, ut narrant Acta [2] Consistorialia XVIII Maii hoc anno confecta :

« Romæ apud Sanctum-Petrum die XVIII Maii MDLXV, Sanctissimus dominus noster fecit verbum super adventu classis Turcarum : condoluit miserias nostrorum temporum, conquestus est de pravis apparatibus a principibus Christianis comparatis, licet ipse multoties monuerit, tandem dixit se defensurum ditionem nostram Ecclesiasticam, et etiam, si opus fuerit, laturum se opem vicinis, videlicet in Tuscia et in regno Neapolitano ».

9. Misit etiam Pontifex Melitensibus equitibus nummaria subsidia, ut stipendia militi solverent, ac auxiliares copias iis submittendas contraxit, quibus Pompeium Columnam bellicæ rei peritia et gloria florentem præfecit, ut ostendunt subjectæ litteræ [3] :

« Dilecto filio nobili viro Pompeio Columnæ Domicello Romano.

« Dilecte fili, salutem, etc. Audito nuper a nobis, Turcicam classem ad invadendam insulam Melitem applicuisse, jamque oppugnationem illius locorum parasse, atque incœpisse : statim, præter ea, quæ illuc antea miseramus pecuniarum subsidia, etiam aliquot militum cohortes ad ipsius insulæ defensionem mittendas duximus. Cupientes autem strenuum et animi magnitudine præstantem virum eisdem militibus præficere, ad te mentem nostram convertimus, firma spe freti, te desiderio huic no-

[1] Natal. Comes, l. XV.

[1] Sur. in Comm. hoc anno. Natal. Comes l. XV. Jo. Bap. Adria. l. XVIII. — [2] Acta Cons. Ms. sig. num. 134. p. 403. — [3] Pius IV. lib. brev. VI. p. 249.

stro cumulate satisfacturum, etc. Dat. Romæ apud S. Petrum die VIII Junii MDLXV, anno VI ».

Confluxere multi viri illustres, ut suo sumptu in tanta necessitate præclaram reipublicæ Christianæ operam navarent, quos recenset Surius [1] in sua historia.

Eadem die septima Junii Pontifex militare fœdus cum Helvetiis Catholicis percussit, ut ex ea gente fortissima, bellicisque artibus et laboribus exercitatissima copias contraheret, de quo fœdere sancito actas Numini grates referunt Acta [2] Consistorialia :

« Romæ apud Sanctum-Petrum die octava Junii MDLXV, fuit Consistorium, in quo fuit initum fœdus inter Pontificem et quinque Pagos Catholicos Helveticorum, et decretum fuit, quod celebraretur Missa de Spiritu Sancto ».

Tradunt eadem Acta, decretas fuisse a Pontifice solemnes supplicationes, ac propositis sacrarum indulgentiarum præmiis populum Christianum incitatum, ut divinam opem contra Turcicam vim imploraret.

10. Prima Turcici belli moles versa est ad Castrum S. Elmi, quod muris tormentorum bellicorum continua diverberatione quassatis, variis impressionibus hostilibus tentatum est, in quibus maximæ Turcarum strages editæ fuerunt, sed demum sub hostium multitudine virtus Christiana succubuit, adeo ut Turcico furore cæsi universi præsidiarii milites pro Christi nomine, non tamen inulti ceciderint. « Perpetuo », inquit Surius [3] ex certissimis Monumentis tum scriptis, « labore nimium fatigati, semper enim fessis Turcis recentes submittebantur, quæ res nostrorum vires exhausit, cæduntur a barbaris hostibus milites Christiani ad unum omnes, sed non inulti, quippe qui fere toti Turcico sanguine erant aspersi ; in ea pugna e nostris desiderati sunt mille trecenti, in quibus equites erant centum triginta. Nemo Christianus ambigit, tam constanter et fortiter pro religione et reipublicæ Christianæ defensione oppetitam mortem immortali memoria, summisque præconiis esse dignissimam. Turcæ, occupata arce, singulari quodam immanissimæ crudelitatis genere sævierunt in milites triginta etiamnum semivivos repertos ; primum singulis pectus ferro scindunt, cor vi extrahunt, deinde caput amputant : corpora postremo tam fœde truncata, ubi a nostris spectari possent, exponunt ; nec his contentus Mustapha ea vestibus cruce candida signatis induta jubet in mare jactari, ut Melitensibus insultaret. Ejus rei indignitate permotus Vallettanus Turcas captivos omnes jubet perimi, nec ullos deinceps captivos fieri, sed captos mox jugulari, cæsorum capita versus hostium castra jactata sunt (1) ».

[1] Sur. in Com. hoc anno. — [2] Acta Cons. sig. num. 134. p. 405. — [3] Sur. in Com.

Turcica illa in Christianos feritate magis inflammati sunt Melitensium animi ad mortem pro Christo constantissime oppetendam, ac Turcicam barbariem vincendam, ac Mustaphæ oratores ad deditionem pellicere tentantes Valletanum Ordinis Melitensis principem, cum ira et indignatione facessere jussi sunt. Traxit maximum Pontifex ex arcis Sancti-Elmi expugnatione dolorem, atque ad maturandm Philippi Secundi regis Catholici auxiliarem classem, precibusque sacris divinam opem implorandam curas defixit, de quibus hæc referunt medio Julio Acta Consistorialia [1] : « Pontifex deflevit expugnationem castri Sancti-Elmi, et fecit verbum de periculo totius insulæ Melitæ, et quia nunc classis regis Catholici ex Hispania huc appulit, ut illi insulæ subsidium ferat ; eleemosinis et orationibus instandum pro felici successu, et ut ira Dei placetur ».

11. Dum Hispana classis auxilia Melitensibus parat [2], Turcæ acerrimas impressiones in Melitensem arcem intulere, commodeque octoginta equites e Sicilia penetrarunt, ac Philippus Lascaris, nobilissima Græcorum familia satus, Turcicæ tyrannidis odio, pietateque incitatus ad Christianos transfugit, atque hostium consilia Valetano equitum magistro patefecit, ac postea eximiam contra Turcas operam posuit. Ad Turcica vero castra ex Africa nova subsidia allata sunt tertio idus Julii ab Algerii regulo, qui cum viginti septem triremibus duo millia militum expeditorum adduxit, oppidique oppugnandi validissimo impetu partes sumpsit, sed majori equitum virtute fracti sunt ejus conatus, duodecim enim triremes Turcicæ tormentis bellicis

[1] Acta Consist. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 408. — [2] Sur. ubi sup.

(1) Narrationem expeditionis barbarorum in Melitam insulam quam hic annalista instituit chronologicis caracteribus destitui lector ferret moleste ; quare ne hoc pariter ornamentum desideretur, adnotationem hanc subjiciendam censeo deductam ex litteris Joannis Valleta, summi Melitensium equitum magistri, ad equitem Georgium de Honenheim datis *VII id. Octobris* MDLXV, ac in Codice Diplomatico Melitensi tom. II, num. 200, legendis. Sultani Solymanni classis ducentis quinquaginta fere velis instructa Bisantio solvit die XI kal. Aprilis atque insulam Melitam tenens die XV kal. Junii, statim ex quadraginta millibus militum quos ferebat partem littori exposuit, partem in navibus continuit. Terrestre agmen ducebat Mustapha bassa, classi vero Pyoli bassa præerat. Post dies aliquot armorum impetus in arcem S. Elmi in ipsis portus Melitensis faucibus conversus est. Pertinaci quinque et triginta dierum obsidione Turcæ in arcem illam evaserunt, cum inter pugnandum Christiani ad unum omnes cecidissent. Dies captæ arcis VIII kal. Julii. Tum versus in urbem novam furor, parumque abfuit quin expugnaretur ; sed stetit virtute equitum ac militum, quibus valida accessio X millium selectorum, inter quos equites ducenti et quatuordecim circiter (quos Garzias de Toledo opportune adduxit) robur et animos auxerat. Tandem in desperationem hostes adducti ab obsidione se recipientes insulam reliquerunt, quod medio circiter Septembri contigisse ex iis constat quæ scribit annalista num. 12.

MANSI.

Melitensium laceratæ ac mersæ mari, duoque millia Turcarum fluctibus hausta ; nec minus eodem tempore terra certatum est, cæsisque Christianis ducentis longe plures Turcæ ceciderunt, necnon grassante dysenterico morbo in castris Turcicis barbaricæ vires debilitatæ sunt. Factæ etiam a Christianis crebræ in Turcas eruptiones, dum assilire in muros niterentur, et maxima strages ad aquæ fontem edita adeo ut mille quingenti Turcæ trucidati sint, centum Christiani tantum occisi, totidemque vulnerati. Cum his cladibus crescebat Turcis furor, murisque tormentorum ingentium, quæ basiliscos vocant, vi dirutis, creberrimi assultus in urbem facti adeo ut tria Turcica signa in urbem illata fuerint, sed Valletanus equitum turma succinctus in eos tanto impetu irruit, ut civibus fœminisque etiam pugnantibus Turcæ demum prostrati murisque dejecti fuerint, pugna ad occidentem solem perducta, in qua ducenti e nostris occubuerunt. Omnium acerrima pugna redintegrata est vigesima quarta die Augusti, per murorum ruinas undique irruentibus Turcis, sed cæsis ex iis amplius mille ducentis, reliqui propulsati sunt ; e nostris centum tredecim Christo animam reddidere.

12. Ob tantam Turcarum pertinaciam conflandis auxiliis intentus erat Pontifex, a quo hæc in senatu cardinalium proposita, narrant Acta [1] : « Vigesima secunda Augusti Pontifex fecit verbum de periculo totius Christianitatis ob bellum illatum a Turcis in Hungaria (de Hungarico bello agetur inferius) et ob classem, quæ Melitam insulam oppugnat, ad providendum necessitatibus , quæ ex hujusmodi periculis evenire possunt, et imposuit statui Ecclesiæ subsidium ». Contulere etiam Sabaudiæ et Hetruriæ duces, necnon Genuenses aliqua subsidia , et classe instructa septuaginta duarum triremium ab Hispaniarum rege, duce Garzia Toletano prorege Siciliæ , qua decem millia peditum auxiliaria cum ducentis equitibus Ordinis Sancti-Joannis , atque octoginta Sancti-Stephani vehebantur, Melitæ illatæ sunt sexta idus Septembris copiæ subsidiariæ moxque in Siciliam rediit prorex, ut reliquam exercitus partem, quæ in Sicilia hæserat, Melitam trajiceret. At Turcæ in desperationem versi, quod pugnam infeliciter confecissent, cum iis, qui recenter venerant, amissis ex suis supra mille quingentos, ad classem e castris se receperunt, extulereque in eam impedimenta et tormenta bellica, excepto uno majoris amplitudinis, quod pilam centum viginti pondo vomebat; potuissent plura illis eripi in trepida ea fuga, sed confecta jam victoria, pluris æstimata est Christianorum vita, quæ in discrimen conjicienda erat, quam barbarica gaza. Periisse in eo bello Turcarum supra viginti millia feruntur, Melitenses equites desiderati ducenti quadraginta, ex aliis bellatoribus duo circiter millia occubuere; his subdit Surius [1] ex narratione tum perscripta : « Fatentur ipsi equites Melitenses non tam humanis viribus, quam Dei virtute se esse servatos. Et est sane etiam plurimum laudanda Pii Quarti Pontificis Maximi erga Rempublicam Christianam paterna sollicitudo, qui amplissimas toto orbe divulgavit condonationes, quas indulgentias vocamus, ut iis invitaret Christianos omnes ad precandum Deum pro salute Melitensium et totius Ecclesiæ. Nec dubitandum est eas Christianorum preces, ferocissimi hostis truculentos conatus vel maxime enervasse. Postremo etiam Catholico et invictissimo Hispaniarum regi Philippo maxime ab omnibus habendæ sunt gratiæ quod Melitensibus in tanta rerum difficultate, non sine magnis impendiis opem tulit ».

Florentissimæ ejus victoriæ fama Romam est perlata mense Septembri, ut refert Cornelius Firmanus [2] cæremoniarum magister in Diariis :

« MDLXV. Decima nona Septembris venerunt nova ad Urbem, quod Melita, quæ per plures menses fuerat tentata et obsessa a Turcis, cum occisione multorum ex ipsis Turcis, fuerat liberata ab obsidione a novem millibus et sexcentis militibus ductis ab illustrissimo Domino Ascanio de Cornia ».

Confirmata est ea fama mense proximo Melitensium equitum principis litteris datis ad Pontificem , qui cardinalium senatui felicem rei exitum retulit ; consignata enim sunt hæc verba Consistorialium Actorum [3] monumentis :

« Romæ decima secunda Octobris MDLXV, fuit Consistorium, in quo Sanctissimus fecit verbum de rebus in Melita insula prospere gestis, cum subsidio et opera regis Catholici, et ejus ministrorum, et virtute magistri equitumque Hierosolymitanorum ».

Actas a Pontifice ritu solemni grates Deo pro parta ea victoria, qua Italia ab imminenti discrimine liberata est, refert Onuphrius Panvinus [4] ; necnon eximiis litteris Pium Valetano magistro equitum de explicata in eo bello virtute militari gratulatum.

13. *Maximilianus imperator auxilia petit contra Turcas Hungariam invasuros.* — Urebant vero eodem tempore Pontificium pectus curæ gravissimæ pro depellenda ab Hungaria Turcica tyrannide, Solimanus enim imperator pellecto in suas partes Joanne Sigismundo Transylvaniæ principe Hungariam Maximiliano imperatori eripere, sibique subjicere moliebatur, cujus sævis et ambitiosis consiliis cognitis orato-

[1] Act. Consist. ubi sup. Jo. Bapt. Adr. l. XVIII.

[1] Sur. in Com. — [2] Cornel. Firman. de Macerati Magist. Cærim. Ms. arch. Vat. Diar. to. XIII. — [3] Act. Cons. p. 409. — [4] Onuph. Panvin. in Pio IV.

rem ad Pium Pontificem misit pro nummariis subsidiis in militum stipendia flagitandis, de quo Acta [1] Consistorialia ineunte Julio conscripta hæc narrant :

« Sexta Julii MDLXV, Sanctissimus fecit verbum de rebus Malthæ et Corsicæ, et dixit venisse huc oratorem a Cæsare petendi auxilii gratia. Creditur enim Turcam et Transylvanum fœdere inito in Hungariam bellum illaturos ; oratorem adhuc non audivisse, quæcumque attulerit, reverendissimis dominis communicaturum, sibi quidem in animo esse Cæsari pro religione et fide pugnanti non deesse ». Petiisse etiam auxilia Cæsarem àb aliis Italiæ principibus, ducemque Hetruriæ illi subsidiarium aurum submisisse, refert Joannes Baptista Adrianus [2]. Addunt vero memorata Acta [3] :

« Decima tertia Julii, Sanctissimus fecit verbum de petitione subsidii ducentorum millium aureorum facta per oratorem imperatoris pro defensione contra Turcas ; et quamvis sit in magnis necessitatibus, et non minori periculo ob vicinitatem classis Turcarum, tamen si tregua, quæ tractatur, non succedat, dixit se pro facultatibus non defuturum Cæsari, sive bellum inferat, sive illi inferatur ». Nonnullis interjectis, paulo post subditur :

« Decima octava Augusti, fuit Consistorium, in quo S. D. N. fecit verbum de subsidio dato quinquaginta millium aureorum imperatori pro bello contra Turcas, et dixit, si bellum fiet, majus subsidium et majora auxilia concessurum ».

14. Non effudit hoc anno universas vires Solimannus in Hngariam, sed Themisuari bassa duce, conjunctoque Transylvano, nonnullas arces bello appetiit in Hungaria ; in Croatiam vero, Serviæ, vulgo Bossinæ, præfectum immisit, Ferdinandus vero imper. Suvenchium militaris peritiæ gloria florentem præfecit exercitui, ac licet Germani in propugnando Satmaro oppido militarem virtutem egregie contra Turcas explicuerint, tamen inopia commeatuum ad nuncupandam deditionem adacti fuerunt, atque a Turcis sanguinem Christianum sitientibus immanissime contrucidati. Aliud quoque oppidum, cui Rivulidominarum nomen erat, deficientibus ad Transylvanum oppidanis, in Transylvani Turcarumque cecidit potestatem, nam cum in proditores Germani injectis flammis sæviissent, consumpto flammis oppido, ad dedendam quoque arcem, in quam ipsi confugerant, numero hostium territi compulsi sunt, ex quibus adversis Hungaricis rebus magnum dolorem se traxisse Pontifex [4] in senatu XXII Augusti habito cardinalibus significavit, divinamque misericordiam precibus flectendam addidit. In Croatia felicius res gesta est ab archiduce Carolo, in quem Serviæ bassa exercitum Turcicum eduxerat ; hostis enim ingenti clade deletus est, commisso prælio ad Savum fluvium, castrisque exutus, de qua victoria Pontifex cardinales XII Octobris certiores fecit, subjunxitque : « Bellum re geri, pacem tamen inter Cæsarem et Turcas tractari, quam secuturam minime credat ». Promovere actionem concordiæ Polonus omni studio contendebat, sed Turca ficto et sævo animo pacis actionem extrahebat, ut potentissimum exercitum ad obruendam Hungariam conflaret. Colloquia vero omnia pacis cum hæreticis et Turcis, nisi damnent impietatem, sibi ingrata Pont. cardinalibus significavit, de quo Acta [1] Consistorialia :

« Die XXVI Octobris MDLXV, fuit Consistorium, in quo Sanctissimus dominus noster fecit verbum de pace, quæ tractatur in Hungaria inter Cæsarem et Turcam, et dixit se non defuturum Cæsari et Catholicis, neque se unquam cum Turcis et hæreticis pacem et commercium habiturum, nisi ad fidem et religionem convertantur et redeant ».

15. *In Polonia hæresis grassatur.* — Quod ad Sigismundum Poloniæ regem [2] pacis inter Cæsarem ac Solimanum interpretem attinet, implicitus ille erat Moscovitico bello, a quo magnis excursionibus Moscoviæ pars evastata est, atque Moscorum copiæ ad Costenagarum urbem profligatæ. At in Poloniæ regno, non ea constantia, qua in hæreticos dictatæ pœnæ fuerant, pariter executioni mandabantur, sed nimia regis indulgentia efferbuit adeo impiorum audacia, ut sacra in Lithuania proculcata fuerint, ad quæ flagitia coercenda Stanislaus Hosius cardinalis Sigismundum regem subjectis litteris [3] excitavit :

« Regi Poloniæ Sigismundo Augusto.

« Credibile non est, quanto fuerim dolore vel stupore potius affectus, cum allatum ad nos fuisset, huc audaciæ atque amentiæ quemdam esse prolapsum, ut omni Dei vel vestræ saltem majestatis metu projecto, sacerdotem, sanctissimum Christi Corpus et Sanguinem suis manibus gestantem, fuste contundere, et pretium redemptionis nostræ conculcare non dubitarit, idque in ea civitatate, ubi præsens aderat majestas vestra, et modo non spectator hujus tam atrocis facinoris fuit una cum præcipua fere senatus et regni, et magni ducatus Lithuaniæ parte. Quis tantam hanc orthodoxorum calamitatem satis deplorare possit ? quod cum liceat in regno majestatis vestræ Lutheranis, Zuinglianis, Picardis, Trinitariis, qui apud me omnes

[1] Act. Cons. p. 408 et 409. Isthuanff. rer. Hung. lib. Natal. Com. l. XV. Jo. Bapt. Adrian. l. XVIII. Sur. in Com. Act. Cons. sign. num. 134. p. 405. — [2] Jo. Bapt. Adrian. l. XVIII. — [3] Act. Cons. sig. 134. p. 408. — [4] Act. Cons. 409. Act. Cons. sig. 134. p. 414. Natal. Comes l. XV. Act. Cons. 109.

[1] Act. Cons. sig. num. 134. p. 414. — [2] Natalis Comes l. XV. — [3] Ext. in Ms. arch. Vat. sig. num. 322. p. 160.

eodem loco sunt, nec unos aliis meliores esse judico, liceat, inquam, blasphemis hominibus istis etiam in iis locis, ubi cum regno suo universo præsens adest majestas vestra, nemine prorsus interpellante execranda sua sacrilegia potius quam sacra exercere, et impium verbum suum pro expresso Dei verbo, quod ex æquo sibi vindicant omnes, imperitæ multitudini venditare, non sine gravi peccato, cum vestræ majestatis, tum senatus universi, præcipue vero episcoporum, qui lateri illius proxime assident, ad quos proxime pertinet hæc auctoritate majestatis vestræ prohiberi , cum hæc omnia liceant impiis istis, quæ lachrymæ sufficere possint ad deplorandum, quod piis hominibus Catholicam et orthodoxam fidem profitentibus sub Christiano, Catholico et orthodoxo rege non itidem licet sua sacra, suasque ceremonias, quas, et sanctis majoribus suis per manus traditas acceperunt, pari saltem, si non majore libertate exercere ? » Et infra : « Memini quod in civitate Quinquecclesiensi, quam nostra memoria Turcorum tyrannis occupavit , templum in quodam itidem, ut nonnullis vestræ majestatis civitatibus, partim a Zuinglianis, sive Lutheranis, partim a Christianis possidetur, ita ut ex æquo in illo Christus et Belial colatur; (quod quemadmodum recte fieri possit, ego non intelligo, cum nulla sit conventio Christi et Belial) : accidit in eo templo, quod unus ex Lutheranis, non percussit ille quidem sacerdotem, quod in oculis majestatis vestræ factum est, sed eripuit tantum sacram Eucharistiam ex manibus illius, et in terram projectam conculcavit. Delatum est ad præpositum ejus civitatis statim nomen illius, qui tantum scelus patraverat, qui re cognita, nulla prorsus interposita mora, e vestigio supplicium de eo sumi jussit. Hæc fecit ille, qui Christum non agnoscebat : nil tale factum adhuc a majestate vestra accepimus, etc. Heilsper. MDLXV ».

Sed jam res Galliæ, ubi pariter languida in hæreticos manus plurimas excitaverat turbas, invisamus.

16. *Carolus IX Galliæ rex sacras ædes a Calvinistis eversas restituit.* — In Gallia [1] Carolus rex, adducendæ ad Philippum Hispaniarum regem Elisabethæ sororis illi desponsæ occasione, regni sui urbes lustravit ad redintegrandas res civili bello admodum labefactatas, queruntur que historici Calvinistæ, illum cum Hispano ad evertendam hæresim fœdus pepigisse, qua suspicione efferati hæretici ad novam rebellionem moliendam se compararunt, atque cum exteris Galliæ hostibus conjurarunt. Dum vero Baiona rediret Carolus rex, religionem Catholicam, quæ a Joanna regina Navarræ, Neraci, quæ urbs Albretensis ducatus princeps est, pulsis sacerdotibus et monachis, eversisque templis prostrata fuerat, restituit, ut narrat Franciscus Belcarius his verbis : « Carolus rex Baiona Neracum adiit, ubi omnes fere ad Calvinianam persuasionem defecerant, sacras ædes instaurari, sacerdotes in eas reduci suis possessionibus fruituros, regios magistratus partim ex Pontificiis, partim ex Calvinianis, juxta recentis pacis edictum creari jussit ; præterea statuit, ut cujusvis professionis monachi, monachæve, quæ neglectis votis matrimonia contraxissent, et abjectis suæ professionis vestibus, parentum aut propinquorum suorum hæreditates cernere conarentur, ab iisdem excluderentur, ut antiquis edictis cautum erat : quas leges in cæteris civitatibus atque oppidis, quæ Calviniani occuparant , observari voluit ». At cum Burdigalensis senatus flagrantissimo pietatis ardore sanxisset, ne hæretici, quos constabat perditissimos esse regni proditores, publicis muneribus adhiberentur, eam legem a Monlucio provinciæ prætore abrogari jussit, ut Calvinianorum votis obsecundaret, sed quam male Carolus rex blanda manu hæreseos monstrum palparet tot cruenta a Calvinistis in eum mota bella [1] conjurationesque perfidæ ostendent.

17. *In Belgio et in Scotia hæretici seditiones movent.* — In Belgio accensæ sunt hoc anno seditionum faces ab hæreticis, quæ inferioris Germaniæ provincias incendiis cædibusque hactenus funestarunt. Promulgari cæperant Tridentini Concilii decreta ad extinguendas hæreses, necnon plures episcopatus in variis urbibus conditi fuerant a Paulo Quarto, ad continendos in religione Catholica populos, studio ac precibus Philippi Secundi Hispaniarum regis Catholici, qui sacræ morum fideique censuræ tribunalia in iis etiam provinciis constituerat. At cum Calvinismus ex Gallia in eas provincias irrepsisset, magnamque nobilium plebeiorumque multitudinem illaqueasset, mutandæ religionis convellendæque reipublicæ formæ consilia instabiles animi susceperunt, ac ingentes querelas de labefactata libertate Belgica profuderunt , qua libertatis voce deludi se plures Catholici passi sunt, cum non adverterent se in Sathanæ servitutem magnificæ libertatis specie abstrahi, adeo ut ad Philippum regem decreta fuerit legatio, quæ efflagitaret Belgarum nomine, ut acerbas Caroli V pro coercendis hæreticis ac religionis illibata integritate tuenda sanctiones abrogaret, ut novos episcopos, in multis urbibus inductos submoveret, ut Antonium Granvellanum cardinalem archiepiscopum Mechliniensem, cujus consiliis Margareta Parmensis Belgii moderatrix regebatur, censuræque exercendæ in impios præfectus erat,

[1] Franc. Belcar. l. XXX. num. 34.

[1] Fr. Belcar. l. XXX. num. 31. Sur. in Com.

quem fastus nimii et crudelitatis nota percellebant, a rerum gubernaculis depelleret, veteremque libertatem Belgicam restitueret; multis deinde verborum lenociniis pollicebantur se in Philippi regis fide et obsequio constantissime perstituros. Intellexit Philippus rex hæresim in multorum Belgarum animis altas radices fixisse, convulsaque religione rebelles Hispanum jugum e suis cervicibus excussuros, nec fidem suo principi servaturos, qui Deo non servarent; edixit itaque, ut in primis Tridentini Concilii decreta ab omnibus pie exciperentur, quæ sine manifesta impietate nemo posset contemnere, utque Constitutiones Caroli Quinti in opus provocarentur; factus etiam certior a seditiosis, pro tuendæ libertatis nomine fœdus conflatum fuisse, ad frangendam eorum pertinaciam expedire arma decrevit (1).

18. Erupit anno proximo in apertum bellum nefaria hæreticorum conjuratio, quæ infame nomen Geusiorum, id est, inopum vagorum sibi ultro ascivit, ac rapinis, cædibus, incendiis, sacrilegiis, omnique flagitiorum genere grassata est. Nec defuere aliqua divinæ iræ in sacrilegos signa, nam in oppido insigni cui Boscum-Ducis nomen est, cum hæretici sacras diffringerent imagines, atque statuam ligneam divi Antonii ascia et bipenni violassent, ut eam flammis succenderent, repente sacro igne correpti die postero maximis discruciati doloribus infelices animas efflarunt, de quo publica tunc Acta confecta fuere.

19. In Scotia cum hæretici Mariæ reginæ viduitatem temnerent, atque ad opprimendam religionem Catholicam sæva consilia cum Elisabetha Angliæ regina, quæ potiora esse Mariæ in Anglicum sceptrum jura non ignorarat, de viro illi tradendo, ex quo prolem susciperet, ad confirmandas regni res, debilitandaque seditiosorum molimina actum est. Deligit illa Henricum Darlæum juvenem forma præstantem, regiaque stirpe satum, et Catholicæ religionis flagrantem, qui cum affinitate sanguinis reginam contingeret, postulatum est utriusque nomine a Pio Quarto Pontifice, ut legem canonicam contrariam ad eorum gratiam solveret, quorum votis assensit Pontifex, ac medio Augusto in cardinalium senatu rem promulgavit, ut referunt Acta [1] Consistoriala :

« Decima septima Augusti » et mox : « fecit verbum de matrimonio reginæ Scotiæ cum Anglo quodam affini suo, et dixit dispensationem se ad illius petitionem concessisse, et illos promittere, se religionis Catholicæ defensores pro viribus futuros esse ». Non pacati propterea hæreticorum motus, nam extremam illi rabiem ad perturbandum publicum Scotiæ statum excitatis seditionibus effuderunt, de quibus Pontifex in senatu [1] decima secunda Octobris die habito conquestus est; verum eorum malignus furor compressus est, cum Henricus rex, qui nefariis suspicionibus in reginam se circumveniri imprudenter siverat, petita venia reginæ conciliatus fuisset, proditores enim crudelibus eorum consiliis de prægnante regina trucidanda oppressi, ad fugam in Angliam compulsi sunt, quorum princeps erat Jacobus nothus Calvinista, qui Scotiæ fax ac turbo horum temporum extitit.

20. *In Anglia oritur Puritanorum hæresis.* — Suscepta est proditorum clientela ab Elisabetha Angliæ regina, de qua ad religionem Catholicam revocanda opera alicujus principis Catholici, quem illa in virum asccisceret, varia consilia agitata sunt, quæ etiam Pontifex cardinalibus inter alia significavit, ut referunt Acta [2] :

« Romæ decima secunda Octobris fuit Consistorium, in quo Sanctissimus dixit, dissensiones non parvas esse in Scotia, deque reginæ Angliæ matrimonio, quod cum quibusdam principibus tractatur; se ubique locorum Catholicis non defuturum, verum ipsis pecunia et militibus opem laturum ». Delusit Elisabetha regina plures principes nuptiarum inani spe et expectatione, ac meretricem agere maluit, ut ipsa edictis suis promulgavit, cum in amasiorum gratiam sanxit, in publicis comitiis, ut si quam prolem spuriam gigneret, ea sceptro Anglico potiretur.

Pullulasse in Anglia hoc anno ab aliquibus ponitur nova Puritanorum pestis, quæ tam immane in Catholicos odium professa est, ut in locis, quæ ritu Catholico aliquando fuerant consecrata, preces fundere, vel concionari, aut sacramentum Baptismi conferre abnueret [3], atque alios hæreticos religionis puritatem non colere argueret, cum tamen adeo esset impia hæc secta, ut ad delendam Christi memoriam festum Resurrectionis Christi diem abrogare,

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 408.

[1] Thuan. l. XL. Buchanam. l. XVII. — [2] Act. Cons. p. 499. — [3] Genebrar. in Chronolog. l. IV. Rescius de Sect. Evangel.

(1) Anonymus scriptor *Bataviæ sacræ* in volumine ejus operis altero pag. 25 exhibet anni hujus Concilium provinciale Trajectense, cujus integra Acta ibidem leguntur. Fridericus Schenckius Trajectensis archiepiscopus cogendos censuit in Synodum provinciales episcopos quinque, quibus die XII Octobris anni hujus coeuntibus, primo quidem de acceptandis Tridentinis decretis actum fuit, statimque episcopi consenserunt. Sed Ecclesiarum ejus provinciæ metropolitanorum capitula se quidem admittere Tridentina illa decreta professi sunt quæ « fidem, sacramenta et ritus Ecclesiæ Catholicæ spectant » : quin ea pariter quæ ad morum reformationem pertinent, nec respuere se, nec renuere significarunt. Cum vere in decretis illis Tridentinis quædam contineantur quæ cum jure suo pugnantia capitula illa censebant; in iis admittendis tantisper se cunctaturos dixerunt, donec Apostolica Sedes consuleretur. Processum est tandem ad canones qui omnes disciplinam præsertim Ecclesiasticam expoliunt atque reformant. MANSI.

ut Papisticum niteretur, atque omnes sanctos Patres antiquos despiceret, corruptamque ab ipsis Apostolorum temporibus religionem mentiretur. His et aliis impiis erroribus fascinati levissimi homunciones, se puros ab omni labe venditarunt, nec defuere alii, qui novas subinde religiones, tanquam novas fabulas fingerent, cum iis omnis religio fabula videretur.

21. *Pontifex et S. Carolus pro sua quisque parte laborant in exscindendis hæresibus et corruptelis.* — Impendebat hoc tempore ingentium discriminum terror Christiano imperio, de quibus Pontificem fecisse verba in senatu cardinalium, necnon de præsidiis ad ea comprimenda comparandis, deque componenda re Ecclesiastica referunt Acta [1] Consistorialia scripta decima secunda Octobris : « Dixit Sanctissimus dominus noster, res in maximo motu versari, Hyeme quieturas, ac verendum ne primo Vere excitentur maximi tumultus ac bella, idcirco statutum sibi esse, omnia necessaria providere, pecuniamque in primis tanquam belli nervum parare. Subsidium quadringentorum millium aureorum ditioni Ecclesiasticæ jam pridem impositum, se utique, ut est pollicitus, non exacturum, nisi perurgens necessitas illum cogat, atque si priusquam exigatur, morte præventus fuerit, illud se jam revocasse, ac ex nunc prout ex tunc revocare. Interim aliter se provisurum, res Ecclesiasticas temporales et spirituales tranquilliori, tutiori meliorique in statu, quam acceperit relicturum. Suos amare, et illis benefacere se cupere, et sine Ecclesiæ dispendio alteriusque alicujus præjudicio, quibus ne laterem quidem hujus sanctæ Sedis daturum ».

Confirmabat in hoc sanctissimo consilio avunculum Pontificem Carolus Borromæus cardinalis [2] a terrenarum rerum amore omnino divulsus, quanquam postea Pius lethali morbo oppressus cardinalis Moroni precibus impulsus in Comitem Annibalem Altempsium, centum millia nummum condito testamento, atque in Marchionis fratris filiam neptem, ac in nonnullos alios largitiones profuderit, quæ postea a Pio Quinto temperatæ fuerunt. Porro Carolus cardinalis Borromæus nepos, qui ex quo Fridericus frater, in cujus capite propagandæ familiæ Borromeæ spes constabat, e vivis excesserat, spretis sæculi delitiis sanctiori vitæ, rerumque cœlestium piæ contemplationi inter medias aulæ Pontificiæ turbas se addixerat, et Mediolanensi archiepiscopatu donatus, cleri Mediolanensis ex Tridentini Concilii decretis ad disciplinam instaurandam, et sanctiores mores excolendos revocandi miro ardore flagrabat, a Pio Pontifice obtinuit, ut ex aula ad suam Ecclesiam discederet, quem Pius, ut sacra ejus consilia promoveret, legati Apostolici in Italia auctoritate instruxit, ut ex Actis [1] Consistorialibus patet :

« Decima septima Augusti, Sanctissimus dominus noster deputavit dominum cardinalem Borromæum legatum Bononiæ et Romandiolæ, ad Sanctitatis suæ beneplacitum, et cum ipse reverendus dominus Borromæus ad visitandam suam Ecclesiam Mediolanensem iter arripiat, et ibi Synodum provincialem celebrandam, illum legatum Sanctitatis suæ et Sedis Apostolicæ per totam Italiam cum facultatibus deputavit et creavit, prout in Bulla ».

Gestam eam legationem a Carolo Borromæo cum maxima divinæ gloriæ amplificatione narrat pluribus Carolus e Basilica-Petri episcopus Novariensis [2], atque singularis sanctitatis exempla ubique eum explicuisse, necnon a Mediolanensibus singulari amore et observantia cultum fuisse.

« Singulari, inquit, et pæne incredibili amoris et observantiæ significatione, civis et pastor exceptus est a Mediolanensibus suis : præcipua namque lætitia, atque hilaritas ejus adventus ingressusque tempore in omnium vultu atque ore versari videbatur, ac memini me tum adolescentulum audiisse, qui eo civitatem ingrediente prædicaret, alterum Mediolanensibus Ambrosium advenisse.

« Urbem ingressus est die Dominico nono kalend. Octobris, anno a salute millesimo quingentesimo quinto, cum vigesimum sextum ætatis annum ageret. Triumphales portas, symbola, elogiaque honorificentissima, ac viarum ornatus, non est opus explicare : e Basilica regum, quæ nunc Eustorgiana est, de more mithra et cæteris Pontificalibus indumentis ornatus prodiit, albo equo, stragulis coloris ejusdem sericis adhibitis insidebat, Confaloneriæ familiæ, cujus illud est jus et institutum, nobiles viri rubeo et splendido vestitu pedites eum cingebant, sericum umbraculum itidem album sublime super eum ferebant; clericis et monachis ordine præeuntibus, majorem Ecclesiam sacra solemni pompa processit. Gubernator, cum senatu, et aliis magistratibus, et omni fere nobilitate comitatus est : universa civitas concurrit; reliqua acta atque adhibita pro ritu consueto.

« Proximo die Dominica celeberrima sacrosanctæ missæ solemnia, cum, ut par erat, maxima omnium ordinum frequentia in majori templo perageret, ad altare sedens concionem habuit, novo plane ejus temporis exemplo, de rebus salutaribus ad populum.

22. « Ad Synodum a Carolo celebratam venerunt hi antistites : Bernardinus Scotus Tit.

[1] Act. Cons. Ms. card. Spadæ sig. num. 134. p. 409. — [2] Act. Consist. VIII Decemb.

[1] Act. Cons. sig. num. 134. p. 409. — [2] Carol. Ep. Novarien. in Vit. S. Caroli l. I.

Matthei presbyter cardinalis Tranensis episcopus Placentinus : Vido Ferrerius cardinalis et episcopus Vercellensis, Hieronymus Vida Albensis, Mauritius Petra Wiglebanensis, Cæsar Gambara Dertonensis, Scipio Estensis Casalensis, Petrus Costiarius Aquensis, Dominicus Bolanus Brixiensis, Nicolaus Sfondratus Cremonensis, ad Apostolicam Sedem postea ob eximiam pietatem elatus, Hieronymus Gallaratus Alexandrinus, Federicus Cornelius Bergomensis ».

Nonnulli, ut Laudensis, Novariensis, Astensis, Savonensis varias excusationes causati defuere. Ejus porro Synodi Acta extant, quæ Carolus Novariensis episcopus his verbis delibat :

« Prima sessione Concilii Patres ab ædibus archiepiscopalibus Senatus ad majorem Basilicam comitatus est; missæ Gubernator interfuit, mox Palmius de Ecclesia ordinanda graviter concionatus est : Carolus Latinam orationem habuit de conciliorum provincialium instituto et necessitate. Alia sunt acta, quibus alter quoque dies consumptus est. Inter ea fuit lectio omnium canonum et decretorum Concilii Tridentini, publicaque eorum receptio ; tum fidei professio, quam unusquisque obiit singillatim. Aliis sessionibus Ambrosiano ritu missæ ab episcopis celebratæ sunt, et decreta Synodi suo quæque loco promulgata, postremæ vero cardinales alii duo Bobba et Castilionæus honoris gratia affuerunt : et Carolus fratres episcopos ad ea perficienda, quæ constituta fuerunt, et ad episcopi munera sancte obeunda, Latina oratione cohortatus est ».

23. Dum Carolus Borromæus Synodum provincialem Mediolani celebraret ad collapsam in ea provincia disciplinam Christianam pristino spendori restituendam, Pontifex Romæ incubuit summo studio ad varias corruptelas exscindendas, sanctissimasque leges constituendas, ut ostendunt Acta Consistorialia decima secunda Octobris.

« Dixit Sanctissimus, se velle deputare reverendissimos, qui forment decretum, in quo intendit revocare omnes alienationes factas ex causa lucrativa de bonis et proventibus Sedis Apostolicæ, tam suo tempore quam prædecessorum suorum ».

Eodem pariter mense, ut tradunt Acta [1], Pontifex nefarium morem, qui irrepserat, ut plures religiosi viri variis artibus ad episcopalem dignitatem anniterentur, quam postea turpiter dehonestabant, sustulit, multiplicesque titularium sive confidentium episcoporum corruptelas excidit :

« Sanctissimus », inquiunt Acta, « Dominus noster, ad cujus notitiam devenit, quod nonnulli episcopi titulares nuncupati, qui quandoque ad cardinalium Ecclesias cathedrales vel metropolitanas, primatiales, seu patriarchales in titulum vel administrationem obtinentium, aut etiam ad aliquorum episcoporum, archiepiscoporum, primatum, seu patriarcharum, qui in eorum Ecclesiis suffraganeos habere consueverunt, instantiam Apostolica auctoritate ad Ecclesias in partibus infidelium existentes promoverentur, et cardinalibus seu aliis prælatis hujusmodi in suffraganeos, ut eorum Ecclesiis in Pontificalibus deserviant, cum assignatione pensionis annuæ ducentorum ducatorum, vel alterius super mensarum Ecclesiasticarum earumdem fructibus, redditibus et proventibus conceduntur et deputantur, post deputationem et concessionem hujusmodi cassationi et extinctioni pensionum ipsarum in toto vel in parte, etiam pacto quandoque assignationem ipsam præcedente, diversimode consentire non erubescunt, etiam interdum Ecclesiis ipsis nullatenus deservire, ac officium suffraganeatus inibi exercere non curantes, sed cœca ambitione ducti, ac solo titulo et dignitate episcopali contenti per orbem vagantur et discurrunt, Pontificalia in aliis diœcesibus, etiam aliquando sine consensu propriorum prælatorum, nummario pretio exercent, simoniacam labem turpiter incurrendo : Volens abusus hujusmodi tollere, de consilio fratrum suorum statuit atque decrevit, quod pensiones, sicut præfertur, reservatæ et assignatæ nullatenus cassari, aut extingui ; seu redimi, vel permutari possint, sed quæcumque illarum cassationes, extinctiones, redemptiones in toto vel in parte etiam Apostolica auctoritate pro tempore factæ nullius sint roboris et momenti : et nihilominus tam episcopo titulari, quam prælato, etiamsi sit cardinalis, cujus ille erit suffraganeus, si huic cassationi tacite vel expresse, aut alio quovis modo consenserint, quoties id attentare præsumpserint, ingressu Ecclesiæ ipso facto interdictus existat, cujus relaxationem, antequam pensio vere et realiter integretur, nequeant obtinere, ita quod pensiones ipsæ ab eisdem suffraganeis, quamdiu vixerint et officium suffraganeatus hujusmodi exercuerint, aliquo pacto abdicari non possint, nisi eosdem episcopos ad alias Ecclesias fructus redditus habentes Apostolica auctoritate transferri contingeret, quo casu, cum oporteat ipsos sic translatos in propriis Ecclesiis residere, pensiones hujusmodi ipso facto extinguantur.

« Item voluit et ordinavit Sanctitas sua, quod si dictos episcopos ab Ecclesiis, in quibus suffraganei adscripti sunt, sine legitima causa ultra tempus, quo per decreta sacri Concilii Tridentini episcopis a propriis Ecclesiis abesse permittitur, recedere contingat, durante absentia hujusmodi, de dictis pensionibus nihil petere et exigere possint. Crescente vero contuma-

[1] Act. Cons. sig. num. 134. p. 414.

cia, alias pœnas in dictis decretis et per Constitutionem nostram contra episcopos non residentes statutas incurrant: et nihilominus dicti episcopi Ecclesias hujusmodi sic deserentes, ab exercitio ordinum Pontificalium in aliis civitatibus vel diœcesibus etiam de consensu prælatorum ibidem præsidentium suspensi sint et censeantur ».

Sanctionem [1] etiam Pauli Quarti editam de rebus Ecclesiæ non alienandis, et de alienatis recuperandis, tanquam acerbiorem temperavit atque ad relaxationem juris adduxit addita distinctione, si sine congrua compensatione, vel Ecclesiæ Romanæ utilitate aut necessitate ea bona alienata fuissent, quæ eo casu male alienata, atque Sedi Apostolicæ juribus restituenda sanxit. Magistratuum etiam, atque officialium stipendia ne populum gravarent, fixa lege circumscripsit; his etiam addunt Acta [2] Consistorialia :

24. *S. Carolus summus Pœnitentiarius eligitur.* — « Septima Novembris MDLXV, facto verbo de reformationibus factis super officiis Camerariatus et Pœnitentiariæ, deputavit et creavit Majorem Pœnitentiarium reverendissimum dominum cardinalem Borromæum, cum facultatibus solitis et consuetis, salvis tamen reformationibus factis et faciendis, et convalidavit Sanctitas sua omnia acta nomine dicti reverendissimi domini Caroli majoris Pœnitentiarii, et deputavit cardinalem Alciatum usque ad reditum ipsius Borromæi ».

Successisse Carolum cardinalem in eo munere Raynuntio cardin. Sancti-Angeli refert Cornelius Firmanus [3] rituum magister, constatque ex Actis Consistorialibus, eumdem cardinalem multa in vita et in morte religionis exempla præbuisse atque hoc elogio [4] a Pio Pontifice commendatum :

« Romæ apud Sanctum-Petrum die septima Novembris millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, fuit consistorium, in quo Sanctissimus dominus noster dixit, superioribus his annis multos desiderari cardinales, sed in nullius eorum obitu graviorem jacturam fecisse se et Sedem Apostolicam, quam in morte cardinalis Sancti-Angeli, qui Parmæ suum extremum diem obierat. Se quidem plurimo dolore affectum esse, cum propter ejus nobilitatem, necnon affinitatem, et mutuæ benevolentiæ officia, quæ inter ipsos intercesserant, tum propter ingenii magnitudinem, summam eloquentiam, sanctam religionem, mentem optimam, et reliquas virtutes, quæ illum Pontificatu maximo jam dignum reddiderant; sperare se optime de illius animæ salute, cum decessisset, prout pium et religiosum cardinalem decebat; in tanto autem mœrore Sanctitatem suam, hoc non modicum solatium capere, cum intelligat eum quemadmodum et juste et probe vitam egerat, ita quoque et sancte et religiose obiisse ».

25. *Gesta a S. Carolo in Mediolanensi Ecclesia.* — Ut vero hujus successor Carolus in piaculario supremo munere illud summa laude gesserit erga ipsum Pium IV Pontificem in extremo vitæ illius actu, dicetur paulo post. Nunc pauca de Synodo Mediolanensi a Carolo legato Apostolico celebrata, aliisque ejusdem Borromæi gestis adjiciamus.

Peperisse maximos pietatis fructus eam Synodum, atque ingentia virtutum exempla a Carolo sanctissimo Apostolico legato, eodemque Mediolanensi archiepisc. explicata refert Carolus episcopus Novariensis, his verbis : « Habuit actio ejusmodi fructum pietatis maximum. Elucebat in amplissima dignitate, præsulum, et Caroli imprimis pietas, modestia, vitæque sanctitas, ac non solum tantæ hospitalitatis officio, sed amplis eleemosynis in clericos aliosque egenos, in Ecclesias, sacraque collegia conferendis præclara piæ liberalitatis edebat exempla. De rebus ad salutem pertinentibus sacri oratores quotidianas ad populum conciones habebant, qui multitudine post hominum memoriam maxima confluebat. Proferebantur decreta ad cleri populique mores componendos aptissima atque illustria : reque ipsa a vitiis et corruptelis sacri prophanique homines, alii exemplo atque honestate commoti, pars metu pœnæ se abducere diligentius studebant.

« Observabant pii omnes etiam ex longinquis provinciis, ac mirabantur in Carolo, tanquam in omnium oculis collocato, animi religiosum ardorem, qui tali ætate, tali apud summum Pontificem, et sanguinis et amoris loco, nihil tamen videretur aliud, quam commissi gregis custodiam et perfectæ vitæ sacerdotalis officia curare, cum præsertim nova tunc satis esset ea disciplinæ ratio, quam sibi cæterisque Carolus decretis instituebat ac exemplis. Sed tantarum quoque rerum restituendarum, ut se darent initia, plurimi expectabant. Amici Carolo multi, etiam ex iis, qui in summis gradibus sedebant, soliciti erant vehementer, ne quæ tali tempore singularis Ecclesiæ putabatur ordinatio ac emendatio morum, usu ipso non sine dedecore careret, propterea quod, corruptis consuetudine animis, plerisque difficilis admodum videbatur, et ex voluntate et virtute sua quisque vel ipsam rerum naturam solet metiri. Carolus vero divino auxilio fretus, spe maxima erat, maximoque animo omnia aggrediebatur, obibat, exequebatur, neque spes eum fefellit ».

Favit Caroli consiliis Mediolani præfectus, cui Philippus rex, cæterisque magistratibus jusserat, ut omni officio ac studio illi obsecundarent. Pontifex etiam ex iis pietatis incrementis ma-

[1] Ext. in Bull. Pio IV. Cons. 104. Ib. Const. 105. — [2] Act. Cons. sig. num. 134. p. 417. — [3] Cornel. Firman. Diar. tom. XIII. Ms. arch. Vat. — [4] Act. Cons. sig. num. 134. p. 417.

gnam voluptatem cepit, cumque accepisset habitam ab eo concionem inter sacra mysteria, palam dixit, ubi quoque cardinalibus idem faciendum subjectisque litteris [1] illi gratulatus est:

26. « Jucundissimæ nobis fuerunt litteræ tuæ omnes : sed postremæ inter cæteras, quas ad nos decima octava hujus mensis die dedisti tum de omni Synodi istius felici progressu, tum præcipue de Concilii Tridentini decretis publice receptis; de istorum populorum præparatione ad ea omnia accipienda quæ in Synodo constituentur, et de prompta item gubernatoris et aliorum serenissimi regis Catholici ministrorum voluntate, qui ad rerum decretarum usum, studium atque operam suam omnem pollicentur. Qua in re divinum auxilium perspicue agnoscentes, quod ardenti optimoque desiderio tuo, ad omnium rerum prosperitatem præsto est, te collaudamus hortamurque ut læto animo pergas optima constituere, et quæcumque possis laudabilia exempla edere. Postea opportune Tridentum versus honoris causa obviam principibus fœminis procedas (erant eæ Joanna et Barbara Maximiliani imperatoris sorores, quarum prima Francisco Cosmi Florentiæ et Senarum ducis filio, altera Alphonso Ferrariæ duci desponsæ erant,) aliaque præstes, quæ nos velle nosti : omnia autem te pro tua prudentia et bonitate facturum non dubitamus. Dominus noster te servet. Romæ VI kalend. Novembris MDLXV ».

Tam eximium Caroli Borromæi exemplum secuti sunt plures archiepiscopi, tum in Hispania, tum in Gallia, tum in Belgio; a quibus plures Synodi provinciales celebratæ sunt; in Belgio quidem Mechlinensis absente Granvellano cardin. archiepiscop. a Martino Rythovio Hyprensi episcopo seniore comprovinciali, Cameracensis a Maximiliano e Bergis ; in Gallia Rhemensis a Ludovico Guisio, Rothomagensis a Carolo Borbonio, Tolosana a Francisco de Joiosa, Burdegalensis ab Antonio Sansaco, Viennensis a Petro Villario, Aquensis ab Alexandro Canigiano, Turonensis a Simone Mailleo ; in Hispania vero Toletana, Cæsaraugustana, Valentina, Salmanticensis ; in Lusitania Bracharensis, quæ vel sub hoc anno, vel proximis coactæ sunt ad decreta Concilii Tridentini in opus provocanda, quarum Synodorum Acta typis excusa extant. Sed ad Carolum Borromæum cardinalem, a quo digressa est oratio, revertamur.

27. *S. Carolus Romam redit, et Pontifici morienti assistit.* — Absoluta synodo Mediolanensi, atque Ecclesiis et Collegiis canonicorum et monialium lustratis, atque in opus sanctionibus Synodalibus adductis, dum Joannam Cæsaris sororem Florentiam deduceret, circiter nonas Decembris de gravissimo Pontificis morbo nuntium accepit, moxque relictis omnibus concitato cursu Romam provolavit, atque avunculo optimo adhuc vivo non modo præsentiæ suæ solatium attulit, sed etiam divinis illum sacramentis, et sacra hortatione, ut mortem cum immortalitate commutaret, communivit.

« Dicitur ante omnia statim medicos ad se vocasse, petiisseque, num spes vitæ reliqua esset? quibus negantibus, tum adiisse Pontificem, dixisseque, nihil petiisse antea unquam quod ab ejus benignitate non accepisset : unum adhuc petere quod omnium minime sibi negari vellet : cum annuisset Pontifex, enixe petit atque obsecrat, quando spes vitæ prorogandæ omnis erepta esset, nihil aliud penitus eo tempore vellet, quam quæ ad animæ salutem pertinenerent, cogitare : tum vero effecit, ne alius quisquam, ut sæpenumero fit, aliena ingereret, molestiamve exhiberet, ac piis sermonibus, mira animi fortitudine eum consolatus, sacra divini Viatici et Extremæ-Unctionis subsidia præbuit, neque aliquo pietatis officio defuit usque ad extremum spiritum. In quo, et accommodatam summo Pœnitentiario muneris functionem, et egregiam in avunculum patremque summum pietatem, tum vero præclaram juvenis humana cuncta despicientis constantiam licuit agnoscere ».

28. Confirmantur hæc a Cornelio Firmano sacrorum rituum magistro [1], qui his interfuit : « Fuit (inquit) datum papæ sacramentum Extremæ-Unctionis per cardinalem Borromæum ejus nepotem indutum superpelliceo et stola, me ante ipsum candelam benedictam tenente : legit commendationem animæ, litanias, et multas orationes. Postea cardinalis legit Passionem, videlicet *Ante diem festum Paschæ,* et quotiescumque occurrebat aliquid pro exhortatione, ad libenter moriendum pro Christi fide hortabatur papam, exponens passionem multasque sanctorum et sacrorum doctorum auctoritates allegans ». Et mox : « Hora tandem secunda noctis decessit satis devote ». Affuit morienti etiam Philippus Nerius Congregationis Oratorii conditor [2], quem Pius rogaverat, ut in eo extremo vitæ actu precibus et sacra opera non deesset, raraque omnino felicitas Pii Quarti suspicienda est, ut duo sancti, Carolus Borromæus ac Philippus Nerius, illum ad vitam pie claudendam sacris hortationibus ardenti studio adjuvarent. Pridie suæ mortis cardinales ad successorem ornatissimum virtutibus deligendum hortatus est, eosque signo Crucis lustravit, condonata gratuita noxarum venia, atque ex iis plures ad manus et oris osculum admisit. Palæottus et Sirletus cardinalis lectulo adstantes, extremas

[1] Ext. Act. tom. ult. Conc.

[1] Ext. Acta tom. ult. Conc. Diar. tom. XIII. Ms. Bibl. Vat. — [2] Vit. S. Phil. l. III. c. 13. num. 3. Act. Cons. p. 417. Onuphrius Panvin. in Vit. Pii V.

preces, quas animæ commendationem dicimus, religiosissime recitarunt. Ipse attentis integris adhuc sensibus cuncta audivit, eis novissime pro se suscepti laboris gratias egit. Dictu mirum est, decimo ante mense, cum Sirletum sacræ purpuræ honore donaret, « Hunc, inquit, in senatum allegimus, ut quemadmodum Paulo IV morienti officiose adfuit, ita etiam suis precibus nostram ex hac vita migrationem apud Deum adjuvet ». Id præsagium fuisse, eventu comprobatum est. Ad extremum octavo ægritudinis die hæc verba proferens : *Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace,* rebus humanis eximitur, ætatis anno 66, mense 8, die 9, Pontificatus vero v, mense xi, die xv. Corpus Basilicæ Vaticanæ lateritio ad tempus extructo solio conditum est, quod postea ad S. Mariæ Angelorum ad Thermas deportatum prope aram maximam tumulatum fuit. Eo Pontifice Italiæ pax, Urbi et provinciis Ecclesiasticis a bello quies, rerum, quæ victui humano necessariæ sunt, copia ; publica incommoda, vel pauca, vel nulla fuere. Hæc ex Panvino (1).

Proximo ab obitu Pii Quarti die cardinales congregati sacramento rite nuncupato spopondere, se constitutas a Pio de Romani Pontificis electione leges sanctissime servaturos, ut testantur subjectis verbis Acta [1] Consistorialia : « Romæ apud Sanctum-Petrum , die Lunæ, decima Decembris, millesimo quingentesimo sexagesimo quinto, cum nocte præcedente decessisset felicis recordationis Pius papa Quartus, facta fuit Congregatio, in qua fuit lecta Bulla ejusdem papæ Pii Quarti edita super electione Romani Pontificis, et ab omnibus juratum fuit illam servare ». Integerrima religione præ omnibus fidem exsolvit Carolus Borromæus cardinalis, nam cum maxima auctoritate polleret in deferendo, cui vellet, Pontificatu, ob ingentem cardinalium numerum, qui a Pio Quarto avunculo creati fuerant, conculcata privatorum commodorum ratione, eum deligendum curavit, qui sanctitate cæteros præcelleret. Fuit is Michael cardinalis Alexandrinus, cui electo nomen Pii Quinti impositum fuit. Electus quidem velut Timotheus alter [1], *secundum præcedentes prophetias.* Humana namque opinio haudquaquam adducebatur, ut crederet, Pauli Quarti alumnum, atque hominem severioris ingenii, quam ut illum ferre multorum infirmitas posse existimaretur, adnitente ipso Pii Quarti nepote, ad Pontificium thronum evehendum. Non latuit tamen amicum Dei sanctum Philippum Nerium supernæ dispositionis consilium ; cœlesti namque illustratus lumine, antequam accederet, manifeste prædixerat : ut enim scribit Hieronymus Bernabeus [2] in Vita ejusdem Sancti Latine conscripta : « Paucis ante diebus, quam Pontifex renuntiaretur Pius hujus nominis Quintus, cum Dei servus ex ædibus charitatis pedem efferret, elatis ad Cœlum oculis, haustoque spiritu, more suo intumescens, et prope extra se raptus dixit : Die Lunæ creandus est Pontifex ». Audivit inter cæteros Marcellus Ferrus, qui deinde cum eodem Philippo per Urbem ambulans rogat illum familiariter, ut quoniam Pontificis electionem proxime futuram dixisset, quis demum futurus esset Pontifex, sibi aperte significaret : cui statim Philippus : « Tibi vero « id tacere nolo. Pontifex erit cardinalis Alexan« drinus [3], idque sine dubio fiet die Lunæ, hora « vespertina », atque ita plane accidit, quemadmodum vir sanctus prædixerat. Hanc ipsam electionem, paulo ante nonnullis aliis prænuntiaverat ». Quammulti quoque alii divinitus, ut fuerunt admoniti, præviderunt, variaque signa e cælo edita præmonstrarunt ; ac sanctus ipse Carolus Borromæus, ut sibi cælitus ostenderetur is quem Deus elegisset, conclave ingressus, quotidianis sacrificiis assiduisque precibus opem a Deo in re tanta petebat, ac divinæ tantum gloriæ et communibus Ecclesiæ commodis in-

[1] Act. Cons. c. 17.

[1] Tim. i. — [2] Hier. Ber. l. iii. c. 6. V. S. Phil. Ms. — [3] Gab. in Vit. Pii V. l. i. c. 8.

(1) Adnotationes has nostras claudimus cum obitu Pii IV Pontificis maximi inter optimos jure accensendi, tum merito suo, tum sanctissimi nepotis ex sorore Caroli Borromæi, quem in omnibus semper adjutorem consultoremque habuit, eodemque auctore indolem quam a natura gerebat in bonum apte propensam, ita explicuit, ut multa et magna ad rei Christianæ commodum moliri atque perficere potuerit. Quanquam ingenio fuit mitissimo, ut ea demonstrant quæ ad componendam Italiam sub decessoribus Pontificibus nunquam non turbatam agitatamque bellis, feliciter præstitit, et notat Tarcagnota sincerus eorum temporum historicus, severam tamen vindictam, cum æquitas exigebat, exercuit in viros potentes, ne ipsis quidem S. R. E. cardinalibus exceptis, cujus exemplum est supplicium de nepotibus Pauli IV sumptum. Dignum etiam Pontificem constantia exhibuit cum reformationis in Concilio stabilitæ opus executioni mandare statim cæpit, perfecissetque, si vitam diutius prorogare contigisset. Immortale etiam ejus opus censendum est Concilii Tridentini, quod intermissum bonus quisque lugebat, restauratio ac tandem absolutio. Id vero ut perficeretur, multa ab optimo Pontifice ardua subeunda erant ; cum in primis, quod a superioribus Pontificibus vix sperandum, de suo jure cesserit in gratiam patrum Tridentinorum, qui opus reformationis a se susceptum vix profecturum sperabant, nisi ab ipsa Romanæ curiæ reformatione inciperetur. Urbis splendorem multis constructis, multis ornatis ædificiis auxit, de quibus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium. Nepotes suos cæterosque sanguine conjunctos ita dilexit, ut in iis efferendis ad summos honores omnia merito nihil gratiæ detulerit. Nam præter S. Carolum Borromæum, cui Romanam purpuram virtus ipsa viri postulabat, e consanguineis neminem alium ea dignitate ornasse comperio, præter Joannem Antonium Serbellonium amitinum suum, quem alioqui virum eo honore dignissimum communis scriptorum omnium consensus agnoscit. Reliquos intra fortunæ privatæ cancellos ita continuit, ut cum delectæ militum manui, quibus obsessis Melitensibus succurrit, præficere Camillum Medicem, suum ex fratre nepotem equitem Melitensem potuisset, Pompeio Columnæ maluit committere, datisque ad summum magistrum equitum Melitensium litteris modeste conquestus est, eo nomine, quod nepotem illum suum ad se Romam miserit, quem periculoso illo tempore ad urbis Melitæ defensionem aptius retinuisset. Vide litteras in Codice Diplomatico Melitensi tom. ii, num. 197. Reliqua eximii hujus Pontificis habes apud Ciaconium. Mansi.

serviens rem omnium gravissimam castissime administravit; nec vivo Pontifice de successore secum a principibus amicisque viris quidquam agi unquam permisit, quod religione sacrarum legum impediri se diceret, neque illo mortuo, eos audire voluit, qui rationes utilitatesque humanas sequi videbantur. « Scilicet[1] vir spiritualis, ea quæ spiritus erant probe sciens, demissos omnes et abjectos animi sensus abjiciendos esse judicavit, neccautionibus et anticipationibus certandum, nec plus gratiæ quam Deo tribuendum, sed unam tantum Ecclesiæ utilitatem ac communem omnium salutem ob oculos ponendam » ; quod cum egregie in Pio Quinto Pont. deligendo præstitisset, et Ecclesiæ Dei utilitati providit, et summam semper in oculis Pontificis gratiam invenit.

[1] Lib. I. Vit. S. Carol. Borr. Naz. Or. 19.

ADDENDA AD ANNUM 1560, NUM. 104

Pius episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Sacrosancta Romana Ecclesia Christianæ Religionis puritatem super omnia desiderans, quemadmodum vigiliis nititur continuis, ne prodigiosa impiorum figmenta in ea ad gregis Dominici perniciem uspiam irrumpant, ita maxime invigilat, ut eorum, quæ Redemptor noster pro sua erga humanum genus misericordia interdum operari dignatur, pia et devota memoria inter Christi fideles ad illius laudem et gloriam, et Catholicæ fidei exaltationem propagentur in ævum. Itaque cum superioribus mensibus ad nostrum pervenisset auditum ex causali conflagratione Ecclesiæ domus sancti Francisci oppidi Murri Vallium, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia, Firmanæ diœcesis, provinciæ nostræ Marchiæ Anconitanæ, quæ quintodecimo kalendas Maii proxime præteriti noctu ingruerat, sanctissimum Corporis Christi sacramentum, quod super altare majus dictæ Ecclesiæ recondebatur, divina virtute illibatum remansisse, ac Christi fideles ad illud, tamquam miraculum in dies magis magisque concurrere. Nos etsi omnibus in rebus, potissimum tamen in causa fidei non temere credendum fore existimantes, venerabili fratri nostro Ludovico episcopo Britinoriensi viro integro et prudenti dedimus in mandatis, ut ad dictum oppidum se conferret, factique veritatem inquireret diligenter, ac quæcumque hac in re comperisset, ad nos fideliter referenda curaret; qui accepto mandato nostro, ad oppidum ipsum accedens, rem omnem subtili indagine perquisivit, indeque formatum legitime processum nobis retulit, nosque negotium hujusmodi venerabili fratri nostro Rodulpho episcopo Portuen. Carpen. et dilectis filiis nostris Joanni Michaeli Sanctæ-Anastasiæ Saraceno, et Jacobo Sanctæ-Mariæ in Via Puteo, ac Joanni Baptistæ S. Clementis Cicadæ nuncupatis, et Clementi B. Mariæ de Aracæli titulorum præsbyteris cardinalibus summæ integritatis et doctrinæ viris, cognoscendum et nobis referendum commisimus. Qui dicto processu diligenter viso et examinato, ac habita alias plena informatione de præmissis, nobis retulerunt, sacramentum ipsum tempore ipsius deflagrationis, ab ea consumpto ligneo tabernaculo, ac liquefacto vase argenteo in quo servabatur, nihilominus vere salvum et illæsum remansisse ; quodque quinto kalendas ejusdem mensis Maii, cum guardianus dicti monasterii dilectum filium Baptistam de Asculo fratrem dicti Ordinis, ac in eadem domo degentem virum (ut etiam aliorum fide dignorum testimoniis accepimus) bonum et simplicem, ac optimæ vitæ, integritatis et famæ, qui in die Sabbati Sancti tunc

proxime præteriti ad idem altare celebrando eamdem Sacrosanctam Eucharistiam consecraverat, et in dictis tabernaculo et vase reposuerat, quique dudum ante, cum de parentibus Hæbreis natus esset, adhuc puer, divina præveniente gratia, a Judaica cæcitate et perfidia ad veram Christi fidem conversus, et statim Ordinem prædictum professus fuerat, ac ejus exemplo, doctrina et sanis suasionibus viginti duos Hebræos ad eamdem Catholicam fidem reduxerat, ad altare prædictum ruderibus purgandis una cum alio ejusdem domus fratre deputasset, et dictus Baptista operi hujusmodi accinctus conscenso altari ingens fragmentum tabulæ marmoreæ illius, quæ violentia ignis disjecta erat, inde amovere tentans, deflexis oculis sacram Eucharistiam in cavo muri, qui prius ipsi tabulæ suberat, vidit, ac magno stupore perterritus, et Dei misericordiam profusis lachrymis implorans, miraculum exclamavit, ac his auditis repente ejus socius prædictus, moxque reliqui fratres dictæ domus, ac denique oppidani omnes eo concurrentes, sacram Hostiam super corporali et fragmento panni linei combusti jacentem modico cinere conspersam, alioquin illæsam pariter viderunt et adoraverunt, magnaque animi devotione et religione Omnipotenti Deo gratias egerunt. Nos consideratis præmissis, et aliis, quæ a præfatis cardinalibus et Ludovico episcopo de hac re audivimus et percepimus, rem ipsam ab omni dolo et fraude alienam, ac præter omnem naturalem rationem contigisse, ac propterea eam pro indubitato miraculo de eorumdem fratrum nostrorum voto et assensu censuimus et judicavimus; et ne tantum miraculum Dei benignitate nostris temporibus, quibus, humani generis hoste instigante, hoc tantum sacramentum ab hæreticis potissimum impugnatur et laceratur, non sine mysterio ad firmamentum fidei et credulitatis nostræ nobis patefactum debito careat præconio, illud sic per universos Christi fideles amplectendum, ac toto corde et animi affectu celebrandum nuntiamus, et ut Christi fideles ad illud colendum peramplius invitentur, eisdem omnibus et singulis utriusque sexus VERE PŒNITENTIBUS, ET CONFESSIS, SEU STATUTIS A JURE TEMPORIBUS CONFITENDI PROPOSITUM HABENTIBUS, QUI DICTAM ECCLESIAM S. FRANCISCI prædictis diebus conflagrationis et manifestati miraculi, quibus ni ea officium Corporis Christi ab Ecclesia institutum solemniter perpetuo celebrari mandamus, a primis Vesperis usque ad occasum solis ipsorum dierum devote visitaverint, necnon Domino nostro Jesu Christo, qui pro ejus immensa pietate tantum nobis miraculum ostendere dignatus extitit, devotas preces effuderint, singulis diebus prædictis, quibus id fecerint, plenissimam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem perpetuis futuris temporibus duraturam misericorditer in Domino elargimur. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ nuntiationis, mandati et elargitionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si autem hæc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ MDLX, tertiodecimo kalendas Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

CÆ. GLORIERIUS.

FR. Cardinalis CÆSIUS. BARENGUS.

INDEX GENERALIS

RERUM QUÆ CONTINENTUR

IN ANNALIBUS BARONII ET RAYNALDI

SUMMARIUM

TOMI I



SUMMARIUM

TOMI II.

LXX. 1. Consules. 2-5. Neronis interitus, et de eodem opinio. 6. Galba imperator. 7, 8. Bellum civile Hierosolymis.

LXXI. 1. Otho imperator et Vitellius. 2-5. Vespasianus imperator. 6-9. De miraculis Vespasiano tributis. 10. Triplici factione divisi in se invicem grassantur Judæi. 11-13. Ignatius succedit Evodio in sede Antiochena, et de hujus epistola.

LXXII. 1-27. De obsidione et excidio Hierosolymæ ac Templi. 28. Tributum Judæorum Romanis dari solitum. 29-32. Judæorum gens vaga et odio habita. 33, 34. De modestia Titi.

LXXIII. 1, 2. Titi de Judæis triumphus. 3-6. De Templi spoliis in triumphum deductis. 7-11. Castella reliqua Judæorum expugnata, et ipsi ubique perditi. 12. Quando et ubi historiam scripsit Josephus.

LXXIV. 1, 2. Consules. 3-5. De sectis Judæorum destructis vel mutatis. 6-12. De Ebione. 13. De Menandro discipulo Simonis. 14. De Cleobulo et Theodoto. 15. De S. Martiale episcopo Lemovicensi.

LXXV. 1. Consules. 2-4. Philosophi ab urbe pelluntur. 5. Apollinaris episcopus Ravennates. 6-8. Philosophis frustra obnitentibus, Evangelium divina virtute, non humana propagatur. 9-12. De Peregrino philosopho. 13, 14. Christianorum officia erga vinctos. 15, 16. De hospitalitate.

LXXVI. De ultimo lustro, longævisque multorum ætatibus.

LXXVII. Templum Pacis a Vespasiano dedicatum.

LXXVIII. LXXIX. Consules.

LXXX. Lini martyrium.

LXXXI. 1, 2. Defuncto Vespasiano, Titus imperat. 3-5. E Vesuvio monstruosa flammarum eruptio. 6, 7. De mundi casu opinio vulgata.

LXXXII. Urbis incendium.

LXXXIII. 1. Titi obitus. 2, 3. Domitianus imperator, ejusque leges.

LXXXIV. De Josepho historico.

LXXXV. Domitianus insectatur Philosophos.

LXXXVI. Domitianus vult videri pius.

LXXXVII. Obitus Aniani episcopi Alexandrini, cui succedit Abilius.

LXXXVIII. Anni agonales.

LXXXIX. Domitianus vult coli deus.

XC. Bellum in Dacos.

XCI. Apollonius reus Romam vocatur.

XCII. 1-3. Joannes apostolus Romæ. 4, 5. Idem relegatus in insulam.

XCIII. 1, 2. Clemens Cleto succedit. 3-6. Persecutio Domitiani. 7, 8. Ignatius Antiochenus episcopus, et ejus epistola. 9. Antipæ martyrium.

XCIV. 1. Acilii Glabrionis interitus. 2-6. Judæorum vexationes et ludibria. 7. Cornelia vestalis viva defossa.

XCV. 1-6. De Clementis epistolis. 7. Plures episcopi a Clemente ordinati.

XCVI. Josephi historici lucubrationes.

XCVII. 1. Apocalypsim scribit Joannes. 2, 3. Idem curavit Asiæ Ecclesias. 4-13. De Apocalypsi quæstiones. 14. Cerinthi hæreses. 15. Dionysius ad Joannem. 16, 17. Persecutio in Judæos familiæ David.

XCVIII. 1. Flavius Clemens occiditur. 2-7. De Flavia Domitilla, aliisque ejusdem familiæ et nominis. 8-10. De Domitiani crudelitate et nece. 11. Martyres passi sub Domitiano. 12. Nerva imperat, ac restituit Christianos exules. 13-21. Joannis reditus Ephesum, ejusque ibi acta. 22. Dionysius mittitur in Gallias. 23. Episcopi Athenienses.

XCIX. 1-6. Joannes scribit Evangelium. 7-10. De ejusdem epistolis. 11-12. De obitu Apollonii Tyanæi. 13. Trajanus adoptatus a Nerva.

C. Obitus Nervæ.

C. 1. Trajanus imperator. 2. Status Ecclesiæ. 3-5. Oraculorum Gentilium extinctio. 6-9. Trajani persecutio in Christianos. 10, 11. Clementis exilium. 12. Flaviæ Domitillæ et aliorum martyria. 13-18. De Trajani moribus. 19. Abilius episcopus Alexandrinus.

CI. 1. Trajani adventus Romam. 2-10. De Joannis evangelistæ obitu. 11. Onesimus episcopus Ephesinus.

CII. 1-4. Clementis papæ martyrium. 5-23. De scriptis Clementis vel eidem tributis, ac præsertim de constitutionibus ac canonibus apostolicis. 24. Sedis vacatio. 25. Persecutio perseverat.

CIII. 1. Consules. 2. Anacletus papa. 3, 4. Dacos vincit Trajanus.

CIV. 1-4. Plinius proconsul in Bithynia, ejusque epistola ad Trajanum. 5-7. De Trajani rescripto. 8. Martyres Romæ. 9. Asiani Christiani martyrii cupidissimi.

CV. 1. Decebalus victus. 2-4. De pseudopropheta Elxai.

CVI. 1. Columna Trajana. 2, 3. Petri trophæa et Pauli.

CVII. 1. Abagarus rex Edessæ. 2. Ecclesia Edessena vexata.

CVIII. Christiani milites martyres.

CIX. 1, 2. Simeonis martyrium. 3, 4. Hæreses invalescunt. 5-36. Ignatius episcopus Antiochenus Romam mittitur, et de ejus epistolis. 37. Martyres Philippenses. 38-65. De Dionysio Areopagita.

CX. 1-7. Acta de S. Ignatii martyrio. 8, 9. Hero, episcopus Antiochenus. 10, 11. Onesimi et Antistii episcoporum martyrium. 12. Cerdonis episcopi Alexandrini obitus.

CXI. Consulum successio.

CXII. 1. Anacleti obitus. 2, 3. Patriarchæ nomen. 4-6. Evaristus papa, et de titulis Romæ ab eo institutis. 7-10. De diaconorum munere et ministerio. 11. Pantheon ictum fulmine.

CXIII. Episcopi Hierosolymitani.

SUMMARIUM

TOMI III.

CCLIII. 1-11. Quæ præcesserint et excitaverint persecutionem sub Decio. 12, 13. Decii edictum de persecutione. 14, 15. Præsides provinciarum exquisitissimis utuntur suppliciis in Christianos. 16-18. Multorum lapsus, eorumque diversa genera. 19-24. Quinam Libellatici, et quid de iis sentiendum. 25, 26. Sede vacante ob Fabiani martyrium clerus Romanus curat omnes Ecclesias. 27-36. Litteræ cleri Romani, et cleri et ep. Carthaginensis ultro citroque datæ; ubi plura de eodem Cypriano et rerum statu. 37-57. Tredecim Cypriani, ob persecutionem latentis, epistolæ, tum ad suum, tum ad clerum Romanum temporibus congruentes. 58-65. De libellis qui a martyribus concedi solebant, ut lapsos Ecclesiæ restituerent. 66-84. Disciplinares leges de lapsis Romæ in concilio editæ universis Ecclesiis præscribuntur. 85-87. De Privato hæretico. 88-95. Cyprianus ordinat suos, nempe potissimum Aurelium Celerinum et Numidicum. 96-98. De aliis Africanis martyribus tum a Cypriano recensitis, tum aliunde cognitis. 99-110. De martyribus Alexandriæ ac Thebaidis. 111-115. De Paulo primo eremita. 116-123. Refellitur Origenis lapsus. 124-128. Persecutio et martyres in Palæstina. 129-138. Persecutio in Ponto, et acta ibidem Gregorii Magni. 139-142. Decius adversus Persas profecturus Valeriano summam tribuit potestatem, qui ex officio sævit in Christianos.

CCLIV. 1-21. Acta Pionii martyris. 22-27. Innumeri martyres in Asia. 28-31. Martyres in Occidente et præsertim Romæ. 32-41. Felicissimus in Ecclesia Africana schismatis auctor. 42-47. Cornelii papæ electio. 48-50. Decii obitus. 51-55. De lapsis statuta. 56-58. Natalitia martyrum celebrata. 59-84. Schisma Novati et Novatiani. 85-89. Synodus Africana. 90, 91. Concilium Romæ habitum. 92-95. Cypriani libellus de unitate Ecclesiæ. 96. Novatus et socii ab Urbe discedunt. 97-103. Lapsorum resipiscentia et restitutio. 104-106. Prava dogmata Novatianorum. 107-110. Fideles a Barbaris abducti redimuntur.

CCLV. 1. Consules. 2, 3. Romæ et alibi Concilia habita contra Novatianum. 4-9. Concilium Africanum, et Cypriani epistola Synodica de lapsis recipiendis. 10-15. Legatio schismaticorum Romam, qui pseudoepiscopum Fortunatum adversus Cyprianum creaverunt. 16-27. Cyprianus ad Cornelium suam texit Apologiam, et schismaticorum in se congestas diluit calumnias circa lapsos. 28-36. Vera de lapsis recipiendis doctrina, auctoritate Romanæ Ecclesiæ, in universis Ecclesiis firmata. 37-40. Libellum de laude martyrii scribit Cyprianus. 41-46. Persecutione instante, per epistolas Cyprianus Christianos in fide corroborat. 47, 48. Cornelii papæ epistola ad Lupicinum Viennensem episcopum. 49-54. Cornelium ad Centumcellas exulantem litteris prosequitur Cyprianus. 55-63. De tempore et actis martyrii Cornelii papæ, ejusque scriptis. 64. Lucius papa. 65. De martyribus sub Volusiano.

CCLVI. 1. Consules. 2-5. Lucio Romam reverso per litteras gratulatur Cyprianus. 6-13. Lue grassante per totum orbem, Gregorii Thaumaturgi in Ponto, et Cypriani in Africa officia. 14-20. Librum de Mortalitate scribit Cyprianus. 21-30. Pro Christianis calumniose exagitatis Apologiam scribit Cyprianus ad Demetrium in Africa proconsulem. 31-37. Recta chronologia statuitur. 38-40. Origenis obitus, et de eo Apologiæ. 41-47. De Origene judicia.

CCLVII. 1-5. Post Lucii papæ martyrium Stephanus succedit. 6-8. Cæsis imperatoribus, Valerianus imperat, varie affectus erga Christianos. 9-11. In Aquariorum hæresim Cyprianus scribit. 12-16. Concilium Africanum.

CCLVIII. 1-10. Schismaticorum conatus in Africa et Romæ. 11-56. Quæstio de rebaptizandis hæreticis inter Cyprianum et Stephanum agitata.

CCLIX. 1-5. Orientalium Ecclesiarum cum Romana sublatum dissidium. 6-19. Excitata Valeriani persecutione, ingens martyrum numerus. 20-29. Acta Stephani papæ.

SUMMARIUM

TOMI IV.

SUMMARIUM

TOMI V.

CCCLX. 1-17. Ecclesiæ calamitati occurrit S. Hilarius tribus libellis ad Constantium datis. 18-29. Macedonium suam sectam propugnantem primus oppugnat Athanasius. 30-43. Ariani, quorum primus Eunomius, favent Macedonianis. 44-49. Meletius creatus episcopus Antiochiæ catholicam fidem defendit. 50-54. Ultima Synodus Arianorum sub Constantio Antiochiæ habita. 55-56. Julianus acclamatus imperator, ejusque conjugis obitus. 57. Persæ urgent Romanum imperium. 58. Redeunte Georgio, Alexandria vexata.

CCCLXI. 1, 2. Juliani hypocrisis et patefacta impietas. 3-6. De Constantii obitu prædictio. 7-10. Juliani adversus Constantium machinationes. 11-13. De præfectura Helpidii. 14-17. Constantius, secundis nuptiis initis, proficiscitur in Persas. 18-32. Constantii obitus, et ejusdem laude et vituperatione digna. 33-44. Miserandus status Ecclesiæ, monachorum hæresi vexante. 45-57. Eustathius Sebastenus hæresiarcha. 58, 59. Athanasius e latebris sauciat Arianos. 60. Auctoris peroratio.

CCCLXI. 1-7. Julianus solus imperator ethnicas superstitiones fovet, christianitatem solemni rita abdicat. 8-10. Julianus magistratus Constantii judicio subjicit. 11-18. Julianus munificus erga provincias, restitutor Catholicorum in odium Constantii. 19, 20. Sensim deorum cultum restituere conatur.

CCCLXII. 1-6. Juliani erga Maximum philosophum observantia cæterosque ejusdem generis, quos magistratibus decorat. 7, 8. Inter Basilium et Julianum epistolæ. 9-12. Gregorius Nazianzenus fratrem Cæsarium, cujus virtutes extollit, a Juliano revocat. 13-21. Ecebolium rhetorem aliosque impietate insignes, magos et augures colit Julianus. 22-26. De genere persecutionis qua usus Julianus. 27-31. Julianus mutat Labarum. 32-36. Adorari a militibus per dolum contendit, eosque ad idololatriam urget. 37, 38. Valentiniani gloriosa confessio. 39-41. De furoribus Juliani. 42-44. Quid Julianus Constantinopoli contra Christianos et Antiochiæ gesserit. 45-53. Quid item Nicomediæ, Cæsareæ et Nazianzi. 54-71. Basilii et Gregorii vitæ institutum et pleraque gesta. 72-80. Juliani persecutio in Galatia, ubi de variis martyribus. 81-89. De oratione a Juliano habita Antiochiæ. 90, 91. Eugenius et Macarius Juliano resistunt. 92-117. Insigne Apollinis templum in Daphne combustum. 118-122. Libanii sophistæ mæniæ. 123-126. Filii sacerdotis templi conversio ad Christum. 127-134. Christianorum militum aliorumque certamen et martyrum. 135-158. Antiochiæ, Gazæ, Arethusii aliisque in urbibus execranda facinora adversus Christianos patrata. 159-170. In Ægypto, maxime Alexandriæ, Christianorum dira vexatio. 171-176. Athanasius e latebris triumphans redit Alexandriam. 177-212. Synodus Alexandrina, auctore Liberio papa. 213-218. Dissidia de episcopatu Antiochiæ inter Luciferum et Eusebium. 219-225. Luciferi episcopi casus, et inde Luciferiani. 226, 227. Eusebii Vercellensis reditus in Italiam. 228-238. Hilarius et ab eo in Galliis congregata concilia et ejus studia ad fidem catholicam tuendam. 239-248. Julianus, Gentilibus et Arianis suadentibus, Athanasium rursus Alexandria exulare jubet, Alexandrinosque vexat. 249-260. Juliani persecutio a Romana Ecclesia ad cæteras Occidentales protenditur. 261-265. Donatistarum legatio ad Julianum, quibus hic favet. 266-277. Donatistarum furor adversus Catholicos, et scelera. 278-309. Iniquissimis artibus, legibus et factis Christianam religionem persequitur Julianus.

CCCLXIII. 1-4. Sinistrorum omnium causa vexantur Christiani. 5-19. Conatus de restituendo Hierosolymorum templo, et prodigia inde secuta. 20, 21. Lex Juliani de sepulcris et funeribus. 22-28. Apparatus Juliani ad bellum Persicum. 29-44. Juliani profectio Antiochia, et ab eo passim res gestæ in

itinere. 45-49. Cladis prænuntia signa. 50-64. Extrema pugna cum Parthis, et Juliani tristissimus interitus. 65-68. Christianorum gaudium, et Gentilium mæror. 69-71. De sepultura Juliani. 72-76. De Libanio et Ammiano laudatoribus Juliani. 77-82. Orationes a Gregorio Nazianzeno in Julianum conscriptæ. 83-92. Basilii et Gregorii in eremo versantium consuetudo et res gestæ. 93-97. Inter Basilium et Libanium epistolæ. 98-113. Basilius a Sabellianis Neocæsareæ calumniam passus, se per epistolam expurgat. 114-118. Joviano imperatore electo, rerum facies immutatur. 119-122. Fœdus initum cum Persis. 123. Jovianus ab Ethnicis derisus. 124, 125. Labarum restitutum. 126-131. Gesta et statuta Joviani pro Christianis. 132-139. Libellus ex Synodo Alexandrina ad Jovianum datus. 140-144. Concilium Antiochenum. 145, 146. Inania Arianorum in Athanasium studia. 147-149. Inter Vitalem et Paulinum dissidia. 150, 151. Christianæ religioni consulit Jovianus.

CCCLXIV. 1-3. Joviani obitus et mores. 4-8. Valentinianus et Valens imperatores. 9, 10. Status Romani imperii. 11, 12. Valens Orienti et Valentinianus Occidenti præfecti. 13-15. Procopii defectio et tyrannis. 16-18. Maximus philosophus dat pœnas. 19, 20. In idololatriam statuta.

CCCLXV. 1-5. Lampsacenum Concilium. 6-10. Dolosa legatio ex Concilio ad Liberium. 11-17. Litteræ Liberii ad Orientales. 18-27. Ex Synodo Illyrica, Liberio papa suffragante, epistolæ synodales, tum imperatoriæ et episcoporum Italiæ. 28-37. Synodus Thyanensis. 38-41. Terræmotus et maris effusio. 42-45. Religiosa rescripta ac statuta imperatorum.

CCCLXVI. 1, 2. Procopius tyrannus atque Marcellus extincti. 3-5. Valens ab Arianis baptizatus vexare incipit Catholicos. 6-19. Gregorius et Basilius ad certamen prodeunt contra hæreticos per scripta. 20-31. Ariani non tantum Catholicos, sed et Novatianos et Macedonianos acriter persequuntur.

CCCLXVII. 1-5. Liberii obitus et sanctitas. 6, 7. Ex Damasi electione schisma Ursicini. 8-13. De cultu externo majestatis Romanorum Pontificum et sacerdotum. 14-19. Causa Damasi adversus Ursicinum. 20-31. Crudelissima imperatoris, justitiæ specie, sævitia. 32-34. Plaga grandinis et famis.

CCCLXVIII. 1-4. Ursicini et sociorum expulsio ab Urbe per Prætextatum præfectum. 5. Clades Moguntina. 6-8. Terræmotus in Oriente, de quo epistolæ Gregorii. 9-11. Cæsarii obitus et scripta. 12-19. In Parmenianum pseudoepiscopum Carthaginensem insurgit Optatus episcopus Milevitanus. 20-24. Ticonius donatista adversatur Parmeniano.

CCCLXIX. 1-5. Ad coercendam Ursicini factionem pluries rescribit Valentinianus. 6-14. S. Hilarius Mediolani adversus Auxentium illius urbis pseudoepiscopum arianum agit. 15-21. Auxentii libellus fidei. 22-25. De Hilarii obitu et ejusdem scriptis. 26-36. Auxentium exultantem victoria Synodus Romæ congregata damnat. 37-39. Ambrosius præfectus Mediolanum mittitur. 40. Rescriptum circa forum sæculare a clericis vitandum. 41-60. Basilius Cæsareæ Cappadociæ episcopus eligitur. 61-63. Emmelia, præstantissima femina, mater Basilii, moritur. 64-66. De Gregorii Nysseni conditione et doctrina. 67. Pax cum Gothis.

CCCLXX. 1-19. Valens arianus in episcopos catholicos invehitur, eosque exturbat ex sedibus. 20-24. Nicopolitani ab Arianis vexati. 25-36. Constantinopolis cives dira patiuntur, martyribus illustrantur. 37-56. Basilii Cæsareæ cum Valente certamen et res gestæ. 57-62. Nova Basilii certamina cum provinciæ Ponticæ præfecto. 63-84. Antiochiæ res gestæ Valentis in Meletium episcopum et cives. 85-87. Antiochenos per epistolam consolatur Basilius. 88-92. De statu Ecclesiæ Antiochenæ Basilius Athanasium consulit, et cum eo de præfecti Cappadocis excommunicatione agit. 93-104. In philosophos gentiles et divinatores severe Valens inquirit et animadvertit. 105-116. Athanaricus Gothorum rex Christianos persequitur. 117-123. De Valentiniani rescripto adversus avaritiam clericorum. 124-132. Falsitatis arguitur lex Valentiniani, et præsertim de scholarum Romæ institutione.

CCCLXXI. 1-6. De Ursicino exule revocando, et adversus senatores maleficii accusatos rescripta imperatorum. 7-11. Legatio missa ab Athanasio ad Orientales Ecclesias, deinde Romam ad Pontificem. 12, 13. Meletium Antiochenum tuetur Basilius contra Paulinum. 14-31. Publica Meletii et Orthodoxorum, ac privata Basilii legatio ad Occidentales et Romanum Pontificem. 32-100. Basilius, auctore Athanasio, visitationem episcoporum Cappadociæ suscipit, in qua plures labores et calumnias perpetitur, optima pro Ecclesiis statuit. 101-107. Gregorius quis, et quando Nazianzenam Ecclesiam administrandam susceperit. 108-115. Valens persequitur præsens Ecclesias Edessæ et Scythiæ. 116-120. De tempore et genere obitus Eusebii Vercellensis. 121-127. Lucifer Calaritanus falso inter sanctos adscriptus, et Luciferianorum facinora. 128-131. Valentiniani rescripta minus justa et pia.

CCCLXXII. 1-3. De Arinthei consulis et Ferentii ducis pietate. 4-16. Tertia legatio Basilii ad Occidentales et Romanum Pontificem, tamen irrita. 17-23. Petrum legatum mittit Basilius cum litteris ad Occidentales. 24-32. Quæ inter Orientales et Occidentales simultas et unde repetenda. 33-47. De Hieronymo peregrinante et in Syriæ eremo commorante, tum de ejusdem primordiis et progressibus. 48-54. Per litteras Damasum consulit Hieronymus, et voti compos fit. 55-61. Hieronymi lucubrationes in eremo. 62. Gregorius Nazianzenus, mortuo parente, fugit Seleuciam. 63-66. Athanasii obitus, elogium et scripta. 67-90. Contra Petrum Athanasio suffectum insurgit Lucius nequissimus

Arianus, unde teterrimæ clades. 91-93. Egregia Melaniæ facta in persecutione Valentis. 94-99. Melania et Ruffinus in Ægypto et Hierosolymis. 100-102. Alexandrinos per epistolam consolatur Basilius. 103-106. Saracenorum regina cum sua gente fidem catholicam præclare confitetur. 107. S. Hilarionis obitus. 108-110. Epiphanii primordia. 111-113. Manichæi lege vexati. 114, 115. Sabæ Gothi martyrium. 116. De curanda Constantinopolitana bibliotheca Valentis rescriptum.

CCCLXXIII. 1-14. Concilium Romanum adversus Apollinarem, in quo et ipse damnatus et alii hæretici. 15-30. Qui scripserint adversus Apollinarem, et ejusdem multiplices sectatores erroresque. 31-34. Epistola Basilii ad Occidentales de statu Ecclesiæ Orientalis. 35, 36. Theodosius senior, Firmi tyrannide repressa, ingrate occiditur.

CCCLXXIV. 1-10. De Ambrosii electione ad episcopatum Mediolanensem. 11. Commentitiæ litteræ nomine Damasi et Aurelii. 12. Concilium Valentinum in Gallia. 13. Legatio ex Pamphylia ad Epiphanium.

CCCLXXV. 1-3. S. Martinus episcopus Turonensis coram Valentiniano. 4, 5. Valentiniani obitus. 6, 7. Cerealis potentia. 8-15. Valens nihil a Themistio philosopho delinitus, monachos catholicos dire insectatur. 16, 17. Epiphanii laudes et lucubrationes. 18-21. Ambrosii electio tum Basilio, tum cæteris probatissima. 22-25. Ambrosii vitæ institutio et sanctitas. 26. Photini obitus.

CCCLXXVI. 1-6. Conventus hæreticorum vetat Gratianus, et de judicio ecclesiastico decernit. 7, 8. Grassatio Barbarorum in Romanum imperium. 9. Pax Mediolanensis Ecclesiæ.

CCCLXXVII. 1-3. Valens, clade accepta, Orthodoxos ab exilio relaxat. 4. Ricomeres dux cum exercitu in Orientem mittitur. 5, 6. Hæretici Macedoniani haud longius progressi, Donatistæ et Manichæi in Africa compressi. 7-9. Augustinus Carthagine seductus a Manichæis. 10-12. Ambrosius scribit de virginitate. 13-15. Ambrosius componit clerum, pravos corrigit usus. 16, 17. Symmachi honores; Ambrosii res miræ gestæ.

CCCLXXVIII. 1-11. Sanctissima Basilii mors, ejusque præconia a Gregorio Nazianzeno et Ephræm Syro. 12-15. Ephræm Syri interitus beatissimus et sanctitas. 16-21. Gratiano adversus Gothos profecturo libellum fidei offert Ambrosius. 22-28. Valentis in bello Gothico miserandus exitus. 29-32. Diversæ clades Gothorum et expulsiones. 33, 34. Gratiani edictum pro catholicis. 35-59. Concilium Antiochiæ celebratur, ex quo legatio episcoporum missa in diversas provincias, ac præsertim Gregorii Nazianzeni Constantinopolim. 60-66. Hieronymus calumniam passus in eremo, et presbyter ornatus a Paulino.

CCCLXXIX. 1, 2. Ausonii consulatus. 3-5. Theodosius imperator adlectus Gothos debellat. 6-10. Gratiani victoriæ, Ambrosii meritis relatæ, quem per litteras invitat imperator. 11-13. Gratiani lex adversus hæreticos, aliæque valde utiles. 14-16. Arianis adhuc procacibus Gregorius virtutis exemplar se præbet. 17-22. Hieronymus a Gregorio Constantinopoli edocetur. 23, 24. De Evagrio et Maximo adversantibus Gregorio. 25-32. Dolosa Maximi Cynici ad sedem Constantinopolitanam assumptio, inscio et dolente Gregorio.

CCCLXXX. 1-3. Theodosius baptizatus miro studio fidei catholicæ per decreta consulit. 4, 5. Contra Maximum plura molientem Damasus favet Gregorio. 6-9. Furentibus Arianis Gregorii æquanimitas. 10-15. Theodosius Constantinopolim veniens episcopali honore decorat Gregorium, frustra obnitentibus Arianis, deque ea re, agit cum Damaso. 16, 17. Petro mortuo, Timotheus ejus frater Alexandrinæ Ecclesiæ præficitur. 18, 19. Anemmium Sirmii episcopum eligit Ambrosius, contra obnitente Justina et Arianis, qui Gratiano consilium postulant. 20. Festi proconsulis ethnici finis infelix.

CCCLXXXI. 1-7. Valentiniani et Gratiani rescriptum adversus Ursicinum schismaticum ejusque asseclas. 8, 9. Theodosii lex contra Arianos. 10-16. In funere Athanarici regis Gothorum clementia Theodosii, ejusque felicitas a pietate comparata. 17-39. Ad confirmandam Gregorii electionem Synodus Constantinopoli celebratur, Damaso auctore, œcumenica, in qua symbolum fidei editur, variæ hæreses damnantur. 40-52. Meletio Antiocheno sanctissime vita functo Constantinopoli, de successione sententiam a Gregorio prolatam nihil Patres curantes, eligunt Flavianum. 53-58. De episcopatu Constantinopolitano, ad componenda jurgia, se abdicat Gregorius. 59-65. De oratione Gregorii ad centum quinquaginta episcopos. 66-68. Gregorius Constantinopoli pergit Cappadociam, comitantibus optimis ex cætu episcoporum, relictis vilioribus. 69-73. De electione Nectarii ad sedem Constantinopolitanam. 74-78. De Ecclesiarum divisione decretum. 79, 80. Theodosius martyrum corpora curat transferenda, pro Ecclesia leges sancit. 81-96. Concilium Aquileiense adversus Palladium et Secundianum. 97. Damasus agit pro cogendo Romæ Concilio generali. 98-115. Gnostici Hispaniam pervadunt, duce Priscilliano, unde Priscillianistæ. 116. Rescriptum adversus Gentiles.

CCCLXXXII. 1-4. Orbis episcopi et Hieronymus Romam veniunt ad Concilium. 5-8. Gregorius, constituto episcopo Nazianzeni Eulalio, recusat accedere Constantinopolim ad Concilium quod ibi Orientales collegerant. 9-23. A Constantinopolitano Concilio litteræ missæ ad Romanam Synodum, cujus plura acta referuntur. 24-36. Hieronymus Romæ apud Damasum, utrum cardinalis; ibique plura scribit, præsertim adversus Helvidium et Jovinianum. 37-45. De Marcella et Paula cæterisque matronis et virginibus ab Hieronymo ad pietatem excultis. 46. Legatio gentilium senatorum pro cultu deorum.

SUMMARIUM

TOMI VI.

agitat, dissidentes episcopos conciliat, cleri mores corrigit, disciplinam collapsam restituit. 87-90. Lege Arcadii immunitas Ecclesiæ violata, suadente Eutropio, qui proinde dat pœnas. 91-94. Ne damnati ad supplicium eriperentur, pietatis intuitu, consulit Arcadius. 95. Gainæ cum Tribigildo duce tyrannis. 96-110. Gazenses Christiani acriter ab Ethnicis vexati legationem ad Arcadium mittunt, qua fungitur Marcus diaconus, auctore sancto Porphyrio episcopo.

CCCXCIX 1-4. De Manlio Theodoro consule, ejusque doctrina. 5-19. Eutropius ex imo ad summum evectus, potentia abusus in odium incidit; confugientem ad Ecclesiam Chrysostomus a furore populi liberat, et de eo orationem habet. 20-25. Eutropii damnatio et alia ejusdem facta. 26. Gainæ recrudescit sævitia. 27-30. Adversus spectacula Chrysostomus declamat. 31-35. Periarchon Origenis a Hieronymo translatum, unde cum Ruffino dissidia. 36-38. Synodus Alexandrina de erroribus Origenis, et Theophili episcopi Alexandrini contra eosdem studium. 39-42. Posthumiani circa Origenistas sententiæ. 43-53. In causa Origenistarum res gestæ a Theophilo et scriptæ Epistolæ, eorumque damnatio. 54-70. Idola et idolorum templa subversa ex imperatorum decretis, ubi maxime de idolo Carthaginensi cui nomen *Cœleste*. 71-76. Christianorum moderatio erga Ethnicos horumque contra sævitiæ et furores in Christianos. 77, 78. Romæ reliquiæ idololatriæ sublatæ; Carmina Sibyllina combusta. 79-82. Honorius edicto Judæos comprimit, deinde Manichæos.

CD. 1. Consulatus Stiliconis. 2-13. Anaunenses martyres passi, deque eorum martyrio Vigilii Epistola ad Simplicianum. 14-18. Qui fuerit Vigilius episcopus et martyr. 19. Quid Vincentius cum S. Martino. 20-22. Rescripta Honorii imperatoris tum pro judiciis episcoporum, tum contra Donatistas. 23-32. Origenistæ dolose per tres libros a Ruffino defensi impugnantur acerrime a Hieronymo in scriptis. 33-35. Anastasius papa damnat Origenis errores, qui proinde ubique damnatur. 36, 37. Fabiolæ funus et laudes. 38-40. Gainas tyrannus rursum conspirat in imperatorem, et cum eodem congreditur. 41-43. Quid Chrysostomus egerit cum Gaina petente Ecclesiam pro Arianis. 44-48. Gainas furit in aulam et Urbem, Chrysostomum legatum recipit, in bello superatur et occiditur. 49. Gentiles plures ad fidem conversi. 50-71. Monachi Origenistæ Theophilo infensi, Alexandria pergunt Constantinopolim; cum Joanne Chrysostomo agunt. 72-83. In Synodo Constantinopolitana, præside Chrysostomo, causa Asianorum episcoporum agi cœpta, qui deinde ob simoniam deponuntur, re explorata et cognita. 84-92. Chrysostomus Constantinopolim ab Asia reversus in Arianos turbas excitantes strenue laborat, quorum plerique, ope Arcadii ab urbe pelluntur, plerique conversi.

CDI. 1-4. Ruffinus ab Anastasio Romam vocatus, venire renuit, ab eodem damnatur. 5-8. Concilium Carthaginense Provinciale pro restituenda Ecclesia Africana legatos mittit ad Anastasium. 9-14. Concilium generale Carthaginense de revocandis Donatistis ad Ecclesiæ unitatem. 15. Honorius immunitatem concedit Catholicis clericis et monachis. 16-52. Narratio Marci Gazensis de legatione quam Porphyrius episcopus suscepit Constantinopolim ad Eudoxiam de eruenda idololatria, et Christianis tutandis, ædificandaque Gazæ Ecclesia; quæ omnia feliciter eveniunt. 53-55. Templa Idolorum in Phœnicia diruta. 56-61. Eudoxia ob vineæ alienæ usurpationem et alia avaritiæ facinora, Chrysostomo infensa, ab Ecclesiæ ingressu prohibetur. 62-66. Dissidia inter Severianum Gabalensem in Syria episcopum et Joannem, quomodo orta et sublata.

CDII. 1-3. Conflictus Origenistarum Constantinopoli. 4-18. Inter Chrysostomum et Epiphanium, qui Constantinopolim pergit, orta dissidia circa hæreses Origenis, de cujus librorum lectione opiniones afferuntur. 19-25. Quid inter Eudoxiam et Epiphanium intercesserit; hujusque acta reliqua Constantinopoli; tum de tempore ejus mortis et laudibus. 26-30. Epistola Anastasii papæ ad Joannem Hierosolymitanum episcopum contra Ruffinum. 31-35. Tribus Ruffini Invectivarum libris per duas Apologias respondet Hieronymus. 36-40. Ruffini minæ nihil terrent Hieronymum qui hæreticis forti simul et demisso animo obsistit. 41. Ruffinus in deteriora lapsus ubique damnatur. 42-48. Anastasii papæ obitus et res gestæ, ubi de dissidiis inter diaconos et presbyteros, eique succedit Innocentius. 49-53. S. Martini episcopi Turonensis interitus, et qui de eo scripserint. 54-67. Concilium Milevitanum in quo agitur de variis causis episcoporum, aliorumque, et de prima sede Numidiæ.

CDIII. 1-7. Theophili Alexandrini Constantinopolim advenientis studia in Joannem Chrysostomum, quæ auget Eudoxia cum cæteris fautoribus episcopis. 8-16. Quid Chrysostomus quadraginta stipatus episcopis, ad Synodum judicii subeundi causa vocatus a Theophilo, egerit et dixerit. 17-22. Capita accusationum adversus Chrysostomum prolata in Synodo *ad Quercum*. 23-29. Lata sententia, in exilium Chrysostomus pellitur, ac deinde ob publicas calamitates restituitur, plaudente populo. 30-32. Theophilus, cujus laude digna referuntur, Alexandriam revertitur. 33, 34. Julia Manichæa cum S. Porphyrio episcopo Gazensi de fide disputat. 35-49. Concilium generale Carthaginense, in quo episcopi ad unitatem Catholicam rovocare conantur Donatistas, quorum præcipui Crispinus et Proculianus conveniuntur a Possidio et Augustino. 50-54. Bellum adversus Alaricum, Gothorum regem, Urbi inhiantem, qui a Stilicone vincitur.

CDIV. 1, 2. Ludi sæculares per summum dedecus restituti. 3-6. In dedicatione statuæ Eudoxiæ, cur Joannes in eam offenderit, et quid concionatus. 7-19. In Joannem collecto Concilio, summa in

eum et cum eo communicantes scelera perpetrantur. 20-22. Tum Joannis, tum Theophili ad papam Innocentium legatio. 23-35. Joannis Epistola ad Innocentium. 36, 37. Innocentii in causa Joannis judicium et Epistola ad Theophilum. 38-42. Joannes ad necem quæsitus tandem intrepido animo recedit Constantinopoli. 43, 44. Conflagratio Ecclesiæ, ejusque causæ. 45, 46. Quando deportatus fuerit Joannes Chrysostomus. 47-53. Ex electione Arsacii luctus bonorum, et in eosdem Joannis studiosos quæstiones et martyria. 54-56. Arcadii rescripta ad compescendas quæstiones, et contra communicantes Chrysostomo. 57-62. Porphyrii episcopi Antiocheni probrosa vita. 63-71. Inter eos qui passi sunt renuentes communicare Arsacio excellunt Nicerate, virgo sanctissima, Olympias et Pentadia diaconissæ, ad quas Joannis Epistolæ. 72-75. Secunda legatio ad Innocentium, tum a faventibus Joanni, tum ab ejus adversariis. 76, 77. Tertia legatio a parte Joannis. 78, 79. Quarta legatio pro Joanne, et qui fuerit Cassianus legatus. 80-85. Honorii ad Arcadium Epistola factum exprobrantis. 86-89. Innocentii papæ Epistola ad clerum Constantinopolitanum. 90-92. Innocentius ad Joannem scribit, agitque cum Honorio de cogenda œcumenica Synodo. 93-103. Joannis in exilium abeuntis labores, et quæ bonorum acceperit obsequia, quæ ab adversariis pertulerit incommoda. 104-108. Cucusi, loco exilii, Joannis mora, et quæ ibi ei exhibita officia. 109-111. De Isaurorum incursionibus. 112-117. Inter plures a Joanne in exilio conscriptas, Epistola affertur illa ad episcopos detentos in carcere. 118-122. Persecutores Joannis Chrysostomi, inter quos Eudoxia, miserrime pereunt. 123-127. Ex Concilio Carthaginensi legatio ad Honorium imperatorem. 128, 129. Felix Manichæus ab Augustino conversus, inde hæresis ipsa debilitata. 130, 131. Innocentii papæ Epistola decretalis ad Victorium Rotomagensem episcopum circa Ecclesiasticam disciplinam. 132-135. Paulæ obitum narrat Hieronymus qui hoc anno varia elucubrat.

CDV. 1-3. Anthemii consulis pietas egregia et fidelitas. 4-12. Epistolæ a Joanne in exilio conscriptæ, ubi de ejus laboribus in peregrinando; de Pelagio hæretico, de Ecclesia Gothorum ab eo administrata, de ejus lucubrationibus ac pietatis operibus. 13-16. Romanum Concilium, ex quo legatio in Orientem, cum Epistolis Honorii et episcoporum. 17, 18. Joannis Epistolæ ad episcopos Occidentales, præsertim ad Venerium Mediolanensem et Aurelium Carthaginensem. 19. Imminens periculum universalis schismatis. 20. Arsacii obitus. 21-24. Querelæ ad imperatorem delatæ de Donatistarum violentiis in Catholicos. 25-33. Diversæ Honorii leges contra Donatistas, ex quibus maxima facta accessio ad Catholicam unitatem. 34-37. Ex Concilio Carthaginensi decreta legatio ad Honorium pro gratiarum actione. 38. Pammachii studium pro conversione Donatistarum. 39-42. Vincentio et Cresconio Donatistis eum provocantibus respondet Augustinus. 43-61. Acta Concilii primi Toletani. 62, 63. De Epistola Innocentii ad Exuperium episcopum Tolosanum.

CDVI. 1-9. In Rhadagaisum regem Gothorum Romæ imminentem copias parat Honorius, eumque divinitus vincit. 10. Atticus episcopus Constantinopolitanus creatur. 11. Epistola S. Joannis Chrysostomi ad legatos Roma in Orientem missos. 12-23. Quot quantaque pertulerint ab adversariis legati. 24-30. Chrysostomus Arabissi agens ultimam scribit Epistolam ad Innocentium, tum ad Julianam et Probam, ærumnisque pæne conficitur. 31-34. Atticus persequitur Joannis participes, et quid propterea Innocentius papa et Honorius decreverint. 35-39. Commentarios scribit Hieronymus in Prophetas quorum alterum dicat Exuperio, itemque Epistolam contra Vigilantium. 40-51. Vigilantii primordia et singulæ ejus hæreses. 52-54. Barbari invadunt Gallias. 55, 56. Translatio Samuelis Prophetæ.

CDVII. 1-3. Honorii decretum contra Donatistas. 4-6. Concilium Carthaginense, et legatio inde Romam missa. 7-9. Chrysostomus transfertur Pityuntem, unde novi labores et obitus. 10-19. Chrysostomi scripta, devotio erga Paulum Apostolum, doctrina, sanctitas. 20-27. Innocentii anathematizantis Arcadium, et hujus se excusantis ultro citroque datæ Epistolæ. 28, 29. Honorius scribit Arcadio in quem et bellum parat. 30, 31. Constantinus tyrannus in imperium insurgit. 32, 33. Arcadius studet expiare delictum. 34, 35. De Adelphii visione narratio et confutatio. 36-40. Theophilus exules ob initam cum Joanne communionem restituendos curat. 41. Leges Honorii contra hæreticos. 42-46. Irruptio Barbarorum in Gallias, Stilicone adjuvante.

CDVIII. 1-3. Arcadius moritur, cum regi Persarum filium commendasset. 4-6. Fœdus centum annorum ictum cum Persis; unde fides Catholica inter ipsos aucta. 7-12. Stiliconis proditio Alaricum foventis, et interitus. 13-16. Sanctiones Honorii in causa Stiliconis. 17-18. Concilium Carthaginense ad reprimendos tumultuantes hæreticos. 19-23. Augustini Epistola ad Olympium. 24-28. Honorii rescripta et edicta adversus hæreticos. 29, 30. In Judæos decernit Theodosius. 31, 32. Porphyrio in sede Antiochena succedit Alexander vir sanctissimus. 33-39. De pace Ecclesiæ Antiochenæ Epistolæ Innocentii ad Alexandrum, Bonifacium et Acacium. 40-42. In Attici causa Innocentii Epistola ad Maximianum episcopum. 43, 44. Melania recedit ab Urbe.

1. Eucherius et Serena occiduntur. 2-7. Urbis obsidionem auro solvunt Romani. 8. Honorius exagitat Mathematicos. 9-13. De pace agitur inter Alaricum et Honorium, qui licet in nonnullis improbandus, optimas tamen dat leges. 14, 15. Hieronymus Isaiam interpretatur. 16-26. Pinianus Romanus cum suis in Africam veniens quid Hippone passus fuerit a populo cupiente ut presbyter ordinaretur. 27-29. Melaniæ senioris filii obitus in Africa, et cæterorum ejusdem familiæ

laudes. 30. Romani fideles excidium urbis antevertunt. 31-36. Augustini de contemptu pecuniæ et profusa liberalitate plura exempla. 37-39. Hispaniæ a Vandalis devastatæ.

CDX. 1. Consules anni hujus aboliti. 2-6. Attalus ab Alarico creatus imperator, unde multa Romanis adversa. 7, 8. Lætæ egregia facta in famis tempore. 9, 10. Attalus privatur imperio, et illius finis. 11, 12. Honorium de perduellibus statuit, relaxat Africanis tributa. 13. Theodosius Orientis oras observari jubet. 14-22. Quando et quomodo Urbs capta fuit ab Alarico, et quid de Honorio sentiendum. 23-28. In direptione urbis Christiana religio triumphat. 29. De capta Urbe Hieronymus. 30-34. Marcellæ et Principiæ aliarumque feminarum laudes. 35-42. Capta Urbe, plurimi petunt Hierosolymam, ubi de Proba cum suis fugiente in Africam, et de Demetriade capta a Gothis. 43. Augustinus cur de Civitate Dei libros scripsit. 44. Triduum Urbis cladis. 45, 46. Alaricus recedit ab Urbe. 47, 48. Concilium Carthaginense, unde legatio ad imperatorem. 49-52. Honorius contra Donatistas dat legem ; pro eorum Collatione cum Catholicis laborat. 53, 54. Donatistarum sævitia in Catholicos et scelera. 55-59. In Barbarorum ubique incursione mira christianarum virtutum specimina. 60-66. Ruffinus moritur in Sicilia, ex quo orta hæresis Pelagiana. 67, 68. Theodosius episcopus quid in Macedonianos. 69-86. Synesius ex philosopho creatus episcopus Ptolemaidis, quomodo in episcopatu se gesserit.

CDXI. 1, 2. Alarico mortuo succedit Athaulphus rex Gothorum ; ejusque consilium de restituendo imperio. 3-35. Solemnes Carthagine Collationes Donatistarum cum Catholicis, cognitore Marcellino, et singula earumdem acta. 36-42. Honorius defensor Catholicæ fidei prosperatur in perduellium et tyrannorum insurgentium internecione. 43-47. Hieronymus ad Ctesiphontem scribit, detegitque latentem Pelagianam hæresim. 48. Millenarii plures hoc tempore. 49-52. Ab Hilario excitatus Augustinus scribere instituit contra Pelagium, qui, cur antea Augustino carus fuerit. 53-62. Synodus Ptolomensis in Lybia adversus Andronicum Provinciæ præfectum, qui damnatus resipiscit, et ab officio deponitur. 63-70. De philosophis Christianam religionem amplexis, Evagrio, Gennadio, et Synesio, deque philosophiæ utilitate ad religionem. 71. Theodotus episcopus Antiochenus.

SUMMARIUM

TOMI VII.

CDXII. 1-3. Honorii pietas et Rescriptum contra Donatistas. 4-7. Donatistæ licet magis sævientes, clementer habiti. 8. Acta contra Donatistas publicari jussa. 9-13. Collatio Augustini cum Fortunio et disputatio. 14-20. De Volusiano, et quas ejus gratia lucubrationes Augustinus scripserit. 21-25. Acta contra Cælestium hæreticum Carthagine. 26. Pelagii hæresis primo damnata Romæ. 27-31. Honorii Rescriptum contra hæreticos, ubi de Ecclesiastico judicio. 32-37. Gothi invadunt Gallias. 38-39. De Paulino auctore carminis Eucharistici. 40. Heros Arelatensis episcopus pellitur. 41-45. Theophili Alexandrini episcopi obitus, scripta, et res gestæ, cui succedit Cyrillus. 46-64. Inter Atticum episcopum Constantinopolitanum et Cyrillum Epistolæ de restituendo nomine Chrysostomi in Diptycha cui tandem favet Cyrillus.

CDXIII. 1-4. De Heracliani consulatu, et tyrannide. 5 et 6. Marcellini, proditione Donatistarum, martyrium. 7-16. Demetriadis virginis præclara facta, laudatore Augustino et Prospero. 17-20. Pelagius scribit ad Demetriadem, quem confutat Augustinus. 21-25. Immunis a Pelagii erroribus Juliana ad quam scribit Innocentius papa. 26-27. De Burgundionibus ad Christum conversis. 28. Theodosius in Oriente hæreticos agitat.

CDXIV. 1. Gothi pelluntur e Galliis. 2-4. Honorius adversus Donatistas rescribit. 5-9. Concilium Donatistarum, eorumque sese necantium insaniæ. 10-15. Pauli Orosii Hispanensis legatio ad Augustinum in Africa circa hæreses in Hispaniam illatas. 16-17. De erroribus ab Origenis Periarchon pullulantibus, quos Augustinus impugnat. 18. Scribit Augustinus commentarium *de Natura et Gratia* adversus Pelagium. 19. Synodus in Macedonia. 20. Translatio reliquiarum.

CDXV. 1-18. Inventio Reliquiarum S. Stephani protomartyris. 19-24. Concilium Diospolitanum, in quo singula capita hæresis Pelagianæ damnantur. 25-31. Quo consilio Hieronymus scripserit Dialogos contra Pelagium. 32-34. Pelagius quas damnavit, repetit hæreses. 35-39. Augustinus per Orosium consulit Hieronymum de origine animarum. 40-50. Sub Cyrillo episcopo Alexandriam turbant Judæi quos comprimit Theodosii Rescriptum. 51-56. Pulcheria creatur Augusta, Theodosium juniorem optime instituit; virtutibus imperium prosperat. 57-58. Zachariæ Prophetæ corpus inventum. 59-62. Attali tyranni et Ataulphi Gothorum regis miserabiles exitus : tum regum Gothorum successio.

CDXVI. 1-3. Concilia Carthaginense et Milevitanum quando fuerunt celebrata. 4-9. Occasio celebrandi Concilium Carthaginense, et acta in eo adversus Cælestium et Pelagium. 10-14. Concilium Milevitanum in eadem causa, et Innocentii papæ studia. 15. Augustinus scribere contra Pelagium jubetur. 16-29. Reliquiæ S. Stephani ab Orosio in Occidentem translatæ, Memoriæ erectæ et patrata miracula. 30-34. Innocentius papa Africanæ Ecclesiæ consulit, admonet per Epistolas Joannem episcopum Hierosolymitanum, solatur Hieronymum. 35. Joannis supradicti obitus, et Praylii electio. 36. Filiæ Arcadii omnes virginitatem sectatæ. 37-39. Imperatorum Rescripta in Gentiles et in *Parabolanos.*

episcopi Cyziceni. 5. Theodosii lex adversus idololatras. 6-13. Augustinus Eradium sibi coadjutorem in episcopatu deligit. 14-18. Libros Retractationum scribit Augustinus. 19-23. Qua occasione libros de *Prædestinatione sanctorum, et de bono perseverantiæ* scripserit Augustinus. 24-25. Prosper in Augustini adversarios scribit. 26-27. Felicis magistri militum scelera.

CDXXVII. 1-7. Bonifacio per calumniam infertur bellum, cujus occasione plures inter ipsum et Augustinum Epistolæ. 8-17. Bonifacius in immania prolapsus facinora, Vandalos ad Africæ devastationem vocat. 18-19. A Vandalis Arianis Hispania agitatur. 20-21. Constantinopolitanus episcopus Sisinnius moritur, et memoria Joannis Chrysostomi publice in Ecclesia incipit celebrari. 22. Imperatorum sanctio de Crucis signo rite colendo. 23-24. Concilium in Oriente contra Massalianos hæreticos. 25-29. Ex schola Theodori Mopsuesteni hæretici, qui perperam a Theodoreto laudatur, Joannes episcopus Antiochiæ Theodoreto mortuo sufficitur, aliique ejusdem generis aliis sedibus Orientis.

CDXXVIII. 1-12. Africæ a Vandalis facta devastatio, ejusdemque causæ. 13. Consultatio Africanorum episcoporum ad fugiendum. 14. Detectis Aetii dolis, Bonifacius recedit a Wandalis. 15-16. Francos, quorum ingenium describitur, vincit Aetius. 17-18. Francos clericos exprobrat Cælestinus de nova habitus inventione et de cujusdam indigni promotione ad episcopatum. 19-24. Nestorii ad sedem Constantinopolitanam evectio, et ejus primordia episcopatus. 25 28. Omnes hæreticos per legem exagitat Theodosius, suadente Nestorio, exceptis Pelagianis, quibus idem Nestorius favet. 29-38. Hæresis Nestorianæ ortus, et quibus magistris et assertoribus eadem uteretur. 39-41. Nestorii primordia, hypocrisis, et licentia episcopatum adepti.

CDXXIX. 1-5. Britannia ab hæresi Pelagiana liberata; et quando Scotia ad fidem Christianam fuerit conversa. 6-8. Palladius Scotorum episcopus creatus in Britanniam legatus mittitur. 9-20. Altera Germani legatio, comite Lupo, in Britanniam; qui per signa et labores Catholicam fidem mire dilatat. 21. Cælestinus de electione episcoporum admonet Apulos et Calabros. 22-26. Nestorius suæ hæresis libros clanculum inter Ægypti monachos diffundit, quibus per Epistolam præsto est Cyrillus. 27-33. Cyrillus, jussu Cælestini, parænelicas litteras dat Nestorio, quem proinde omnes aversantur. — 34-37. Cur Theodosius non represserit Nestorium, qui ejus favore abusus in Orthodoxos furit. 38-42. Quanta a Nestorio pertulerit Cyrillus, et qua mansuetudine et cura ejus saluti studuerit. 43-44. Juvenalis Praylio succedit in Hierosolymitano episcopatu.

CDXXX. 1-2. Possidonii legatio ad Cælestinum. 3-8. Nestorii litteræ ad Cælestinum. 9-11. Litteræ Cyrilli per Possidonium ad Cælestinum datæ. 12-24. Synodus Romana, ex qua Cælestinus dat Nestorio parænelicam Epistolam. 25-28. Cælestinus de Nestorio ad Cyrillum aliosque episcopos scribit. 29-33. Cyrilli Epistolæ ad Acacium Berœensem et Joannem Antiochenum episcopos de Nestorio. 34-43. Joannis Antiocheni ad Nestorium Epistola eumdem ad resipiscentiam adhortantis. 44-49. Quid Theodoretus de Nestorio senserit in sua ad Irenæum Epistola declarat. 50-59. Synodus Alexandrina, ex qua legatio ad Nestorium, deferens ad eumdem Epistolam Synodalem et duodecim anathematismos, et Synodales litteras ad clerum Constantinopolitanum. 60-61. Nestorius ad imperatorem confugit; suos excitat contra Cyrillum. 62-74. Indicitur in annum proximum Synodus Ephesina per Epistolam a Theodosio ad Cyrillum et alios episcopos, et alteram privatim ad Cyrillum datam. 75-86. Sancti Augustini, Vandalis Africam dire vastantibus, ultima concio, infirmitas et obitus. 87-89. Universa Augustini scripta, et qui eadem impugnaverint et defenderint. 90-94. Joannes Cassianus, hortante Leone Romanæ Ecclesiæ archidiacono, contra Nestorium scribit.

CDXXXI. 1-6. Post cædem in Ecclesia Constantinopolitana patratam, Theodosii sanctio de Ecclesiæ immunitate. 6-14. Legati Occidentales ad Concilium Ephesinum cum Epistola Cælestini. 15-20. Cælestini altera Epistola ad Theodosium, et altera ad Cyrillum. 21-22. Qui legati Romani Pontificis fuerint. 23-35. Capreoli episcopi Carthaginensis altera per legatum ad Concilium Epistola pro universa Africana Ecclesia, altera de *Verbi incarnatione*. 36-39. Orientales episcopi, imprimis Cyrillus, Ephesum adveniunt, quos prævenit Nestorius. 40-41. Joannis episcopi Antiocheni ad Cyrillum litteræ se excusantis ne Concilio adesset. 42. Numerus episcoporum Synodi Ephesinæ. 43-47. Theodosii Epistola ad Synodum per Candidianum legatum data. 48-56. Concilio legitime congregato, Nestorius bis et tertio vocatus, renuit accedere. 57-61. Anathemata et sententia in Nestorium prolata. 62-63. Ephesiorum plausus et lætitia. 64-65. De rebus gestis Epistolæ ad Theodosium et clerum Constantinopolitanum. 66-69. Nestorius, ope Candidiani, Theodosium intercipere conatur. 70-72. Joannis Antiocheni Ephesum adventus et audacia. 73-79. Conciliabulum Joannis et Nestorii damnantium Cyrillum, aliosque, et Pelagianam hæresim confirmantium. 80-83. Legati Romani Pontificis adveniunt, cum Concilio agunt, res gestas approbantes. 84. Versutiæ Nestorianorum et calumniæ in Cyrillum. 85-93. Acta Pseudo-Synodi, quæ vera Synodus damnat, et de quibus dat Synodalem ad imperatorem, et Encyclicam Epistolam ad omnes. 94-96. Cyrilli homilia ad populum. 97-100. Nicæna fides confirmatur; hæresis Pelagiana cum Nestoriana in Synodo damnatur. 101-103. Inter privatas res gestas in Synodo est Juvenalis episcops Hierosolymitani causa, primatum sibi arrogantis. 104-105. Epistola Synodi ad Theodosium abeundi veniam petentis. 106-108. Intercepta fraude Candidiani Epistola, deceptus Theodosius in

episcopos decernit, qui litteras Synodales ei clanculum mittunt. 109-112. Schismaticorum litteræ ad Theodosium et ad alios. 113-119. Constantinopolitana civitas commovetur, rei veritate explorata, et Theodosius pro Synodo statuit. 120-128. Quam fraudulenter egerint Schismatici cum Theodosio, qui Joannem comitem sacrarum largitionum legatum Ephesum mittit. 129-130. De Cyrilli captivitate Epistola Synodi ad Theodosium, ejusdemque Cyrilli ad Archimandritas. 131-134. Dolosa Schismaticorum et Joannis comitis adversus Cyrillum et Synodum ad imperatorem relatio. 135-136. Synodi ad clerum Constantinopolitanum Epistola de rerum statu. 137-139. Interea Romanus exercitus a Vandalis in Africa vincitur, a quibus et Marcianus capitur. 140-144. Catholici episcopi imprimis Alypius per Epistolam et legationem Synodum solantur, et cum imperatore agunt. 145. S. Acacius vaticinatur de proxima pace. 146-151. Ex utraque parte, nempe Schismaticorum et Catholicorum, legatio ad imperatorem. 152-154. Cyrillus injuria Ephesi detentus scriptis pugnat. 155-162. Theodosius legatis catholicis favet, fidemque Catholicam tuetur, opera Pulcheriæ. 163-172. Nestoriani legati, quorum acerrimus defensor Theodoretus, pluries ad imperatorem admissi, tandem ad propria reverti jubentur. 173-177. Deposito Nestorio, Maximianus episcopus Constantinopolitanus eligitur, qui præclaras Cyrillo dat litteras. 178-181. Cælestini papæ in damnanda hæresi, Pulcheriæ in templo *Matri Dei Mariæ* excitando, et Theodosii in Schismaticis puniendis laudes. 182-183. Nestorius et maxime Theodoretus pro hæresi scriptis laborant, quæ evertit Cyrillus. 184-190. Gallicanos quosdam presbyteros Augustini scripta impugnantes, Cælestinus, data ad eorum episcopos Epistola, coercet. 191. S. Patricii Apostolatus ad Scotos et Hibernos. 192-198. S. Paulini, de cujus captivitate in Africa historica veritas dilucidatur, mors beatissima et lucubrationes.

CDXXXII. 1-33. Legatione accepta Orientalium de rerum exitu, Cælestinus insignes reddit Epistolas ad episcopos Ephesi constitutos, ad Theodosium et Maximianum, et ad clerum populumque Constantinopolitanum. 34-37. Cælestini papæ laudes, obitus et res gestæ. 38-41. Sixtus ejus successor pro fide Ephesina laborat, per Epistolam Nestorium et Joannem Antiochenum convenit. 42-52. Theodosii pro pace Ecclesiæ solliciti Epistolæ ad Joannem Antiochenum, ad Acacium et Simonem Stylitam miræ sanctitatis virum. 53-72. Joannes, vocatis Antiochiam Syriæ episcopis, veram fidei confessionem et Nestorii damnationem subscribit, mittitque ad Sixtum et Cyrillum, in quem Nestorianorum calumniæ refelluntur. 73-79. Cyrilli ad populum et Pauli pro Joanne legati homilia Orthodoxam fidem profitentis, unde pax et communio redditæ. 80-82. Theodoretus adhuc Nestorio adhærens et Cyrillo subinfensus. 83-84. Cyrilli virtus in exhibendo sua scripta cognoscenda Joanni Antiocheno, et sibi subjectis et adversariis. 85-86. De Judæis in insula Cretæ seductis et resipiscentibus. 87-89. Causa Britii Turonensis episcopi ad Sedem Apostolicam appellantis. 90. Bonifacii comitis exitus. 91-96. De obitu Joannis Ravennatis episcopi, cui perperam asseritur data a Valentiniano constitutio de usu Pallii.

CDXXXIII. 1-10. Imposturas Nestorianorum in se et Sixtum confictas detegit et destruit Cyrillus per Epistolas. 11-20. Sixti ad Cyrillum et Joannem Antiochenum Epistolæ de pace inita gratulantis, unde dilutæ Hæreticorum calumniæ. 21. Quando hæretici *Acephali* dicti sint. 22-23. Incendium Constantinopoli. 24. Petri Chrysologi ad Ravennatem sedem electio. 25-27. Prosper hæresim Pelagianam in Cassiani scriptis latentem insectatur. 28-30. Cassiani Collationes a quibus emendatæ. 31-37. De Sixto et Basso Acta Synodi spuria et legitima historia. 38-39. Spuria Acta Sixti cum Polychronio.

CDXXXIV. 1-3. Proclus ex Cyzicena in Constantinopolitanam sedem transfertur. 4-6. De Sylvano episcopo Troadis. 7-13. Melaniæ junioris acta; quæ patruum Volusianum ad Christum convertit, pro fide Catholica laborat. 14. Theodosii salubris constitutio. 15-18. De Virgine a dæmone obsessa. 19-20. Qui fuerit Vincentius Lirinensis.

CDXXXV. 1-2. Damnantur libri Nestorii. 3-14. Theodori Mopsuesteni scripta improbata, et a quibus defensa. 15-18. Germani episcopi Antissiodorensis in Britanniam legatio et res gestæ. 19-22. Ejusdem Ravennam ad imperatorem legatio et obitus. 23-26. De editione Codicis Theodosiani.

CDXXXVI. 1-9. Nestorii in Oasim relegatio et miserandus interitus. 10-11. Theodoretus defenditur a calumniis.

CDXXXVII. 1-14. Grassante persecutione in Africa sub Genserico, insignis Epistola Antonini Constantinæ episcopi ad martyrium adhortantis.

CDXXXVIII. 1-13. Solemnis corporis Joannis Chrysostomi Constantinopolim translatio. 14-15. Inventio reliquiarum SS. quadraginta martyrum. 16-21. Eudocia peregrinatur Hierosolymam.

CDXXXIX. 1-3. Reliquiarum S. Stephani Constantinopolim translatio. 4-7. Inter sanctas reliquias ab Eudocia Hierosolymæ acceptas, eminent catenæ S. Petri, quarum pars ab ea huc missa colitur Romæ in Basilica ibidem erecta. 8. Quæ Antiochenis Eudocia contulerit. 9-10. Adversus Gentiles Theodosii constitutio. 11-13. Cyrillus et Theodoretus scriptis pugnant adversus Idololatras. 14-18. Adversus superstitiones resurgentes, unde clades in Romanum imperium, sancti episcopi invehuntur. 19-35. Carthago a Vandalis capta suorum flagitiorum dat pœnas. 36-38. Theodosii variæ

constitutiones et rescripta. 39-41. De Sozomeni et Socratis historia judicium. 42-43. Synodus Constantinopolitana. 44-46. Concilium Regiense.

CDXL. 1-5. Sixti papæ interitus, et ejusdem religiosa monumenta, adjuvante Valentiniano. 6-12. Perperam Sixto tribuuntur scripta Pelagiana. — Peroratio cum gratiarum actione.— Auctoris præfatio.

CDXL. 1-3. Quis Leo magnus, et quo rerum statu electus fuerit Pontifex. 4-18. Dira Africanæ Ecclesiæ per Gensericum vexatio; ubi de episcopis, nobilibus viris et feminis extorribus aut martyribus. 19. Mortuo Joanne, Domnus Antiochiæ episcopus eligitur.

CDXLI. 1-2. Cyri consulatus. 3-16. Episcopi recensentur qui Synodo Arausicanæ interfuerunt, inter quos eminet Eucherius, de cujus scriptis et gestis fuse disseritur. 17-18. Acta hujus Synodi, et cætera hujus anni.

CDXLII. 1. Gensericus in Catholicos Africæ grassatur. 3. Concilium Vasense in Gallia Narbonensi.

CDXLIII. 1-7. Leonis papæ studio Manichæi ubique detecti. 8-14. Theodoretus de hæresi apud imperatorem accusatus luculenter per Epistolas se purgat.

CDXLIV. 1-8. Concilium Romanum adversus Manichæos, quorum damnatio ubique innotescit, studio Leonis, qui et Pelagianos persequitur. 9-17. Cyrilli interitus, scripta, et res gestæ, ejusdemque memoria a calumniis vindicata. 18-29. Dioscorus episcopus Alexandrinus eligitur, ad quem Theodoretus scribit, calumnias in se illatas refellens. 30-33. Dioscori legatio ad Leonem, illiusque hypocrisis diu latens. 34-41. De Hunnorum moribus irrumpentium, duce Attila, in Romanum imperium. 42-47. Theodoretus pro suorum Cyrensium utilitatibus laborat.

CDXLV. 1-5. Cyrilli nepotes afflictati a Dioscoro, et Nomo consule. 6. Constantinopolis vexata. 7-10. Theodosii in Manichæos constitutio, et adversus Hilarium Arelatensem rescriptum. 11-16. Controversia inter Viennensem et Arelatensem ecclesiam. 17-19. Hilarii sanctitas et lucubrationes. 20-21. De S. Honorato.

CDXLVI. 1-4. Britannia invaditur a Pictis et Scotis. 5-13. Mirus terræ motus, ubi de Trisagii miraculo veritas adstruitur. 14-19. Cyri præfecti calamitas, unde ad Christum convertitur, virtutibus clarescit. 20-21. Defuncto Proclo Flavianus eligitur. 22-27. Pulcheria administrationem imperii relinquit. 28. Theodoretus de cladibus hujus temporis scribit.

CDXLVII. 1-8. Turibius episcopus Asturicensis liberandæ a Priscillianistis Hispaniæ laborat. 9-12. De Turibio claræ notitiæ. 13-25. Leo Turibii legationi respondens, Concilium generale indicit in Hispania; ubi de Symboli additamento. 26. Leo deponit Bassianum episcopum Ephesinum. 27. De sepulcrorum effossoribus.

CDXLVIII. 1. Consules. 2-7. Theodosii edictum Nestorianos exagitantis. 8-17. Variæ Theodoreti Epistolæ de se ipso rationem reddentis. 18-49. Quomodo hæresis Eutychetis orta et detecta; et singula de eodem acta in Concilio Constantinopolitano. 50-52. Flaviani Epistolæ ad Leonem de damnatione Eutychetis. 53-55. Eutychetis doli et conatus pro sua hæresi, præsertim ad Leonis gratiam captandam. 56-76. Ibæ episcopi Edessæ causa et judicium primum Tyri, deinde Berythi. 77-82. Theodoretus calumniis vexatus se per Epistolas defendit. 83-84. Leo redarguit episcopum Beneventanum.

SUMMARIUM

TOMI VIII.

CDXLIX. 1-3. Theodoreti Epistola ad Protogenem consulem, aliosque viros pro sua causa. 4-7. Quid sanctus Leo litteris Eutychetis præventus ad Theodosium et Flavianum rescripserit. 8-10. Flavianus Leoni respondens rei veritatem docet. 11-21. Secundum Concilium Constantinopolitanum in causa Eutychetis, Chrysaphio protectore superbientis. 22-37. Synodus Ephesina indicitur a Theodosio ad arbitrium eunuchi Chrysaphii, contra canones et ægre ferente Leone. 38-60. Celebris Leonis papæ Epistola Encyclica de Verbi Incarnatione ad Flavianum per legatos missa. 61-63. De Galliæ nonnullis episcopis Leoni gratulantibus. 64-70. Inter plures Epistolas Leonis ad Theodosium, Pulcheriam aliosque, illa recensetur scripta ad Synodum. 71-73. Petri Chrysologi ad Eutychetem Epistola. 74-77. Theodosii Epistolæ ad Elpidium comitem et ad episcopos. 78-80. Synodi Ephesinæ exordium malis artibus et violentiis insigne. 81-89. Eutyches ad Synodum admissus suum legit libellum. 90-109. Dioscori vi et minis Synodus gubernatur, Eutyches absolvitur, Flavianus Eusebiusque damnantur, frustra reclamantibus legatis; et cætera a *Latrocinio Ephesino* scelera patrata; ubi maxime de cæde Flaviani. 110-112. Flaviani et Ibæ laudes per Theodoretum. 113, 114. Qualis hæc Synodus. 115-131. Theodoreti legatio et Epistola ad Leonem appellantis, aliæque ejusdem ad alios datæ in eodem argumento. 132-135. Edictum Theodosii pro Pseudo-Concilio Ephesino. 136-143. Theodoreti injuste damnati Epistolæ, liberrime adversarios objurgantis, et Catholicam fidem propugnantis. 144-149. In Synodo Romæ habita a Leone; Ephesina Acta destruuntur. 150-156. Leonis ex Synodo Epistola ad Theodosium Concilium in Italia postulantis, aliæque privatæ ad ipsum aliosque datæ. 157-164. Valentiniani et Gallæ Placidiæ ad Theodosium et Pulcheriam Epistolæ objurgatoriæ. 165, 166. Theodosius in Epistola ad Valentinianum suam ostendit pervicaciam. 167. Gallæ Placidiæ obitus et laudes. 168-172. Dioscori execrandum scelus, et lapsorum episcoporum status miserandus. 173. Marinæ obitus.

CDL. 1. Annus benignitatis. 2-4. Leonis ad Pulcheriam et archimandritas litteræ. 5-11. Anatolio recipiendo, et episcopis lapsis restituendis studet Leo per legationem, ope præsertim Pulcheriæ. 12-16. Theodosii pœnitentia et obitus. 17-21. Marciani in imperium et conjugium assumpti a Pulcheria primordia, et ad Leonem Epistola de fide Catholica agentis. 22-27. Tum Marcianus, tum Pulcheria per litteras cum Leone agunt de cogendo Concilio, deque Flaviani corpore Constantinopolim transferendo. 28-34. Constantinopoli in Concilio coram legatis Apostolicis episcopi subscribunt fidei Catholicæ, quibus accedit per Epistolam Theodoretus. 35-48. Theodoreti ad Vincomalum, Asparem, et Joannem archimandritam Epistolæ de sua, et de communi Ecclesiæ causa. 49, 50. Catholica veritate affulgente, Orientalis Ecclesiæ gaudium. 51-60. Inter Arelatensem et Viennensem Ecclesiam de primatu quæstio a Leone definita. 61. Ingens fames Italiam vexat.

communicationem præ se ferens Romani Pontificis. 7. Felicis papæ Epistola ad S. Cæsarium Arelatensem episcopum circa ordinandos ad sacerdotium. 8. Theodorici apparatus ad invadendam Italiam adversus Erulos. 9-15. Occasione victoriæ ab Odoacre in Rugos iterum relatæ, ossa S. Severini in Italiam transferuntur, ubi de ejus miraculis et discipulis.

CDLXXXIX. 1-3. Euphemius Flavitæ successor ideo improbandus, quod Acacii nomen non expunxerit a Diptychis. 4, 5. Danielis Stylitæ obitus et miracula. 6-12. Theodorico adveniente in Italiam, præclare facta Epiphanii Ticinensis et Laurentii Mediolanensis episcoporum. 13-15. De rebus gestis ab Honorato Novariensi episcopo. 16-19. Francorum incursiones, in quibus Clodovei regis elucet justitia.

CDXC. 1-8. Recrudescente in Africa persecutione, S. Fulgentius diros patitur cruciatus. 9. De Theodulo presbytero scriptore. 10-36. Cæsarius Arelatensis episcopus librum scribit de *Gratia* et *libero Arbitrio* ad refellendas Fausti lucubrationes de eodem argumento, quarum texitur historia, erroresque deteguntur qui ubique improbantur. 37-41. Quantus fuerit Claudianus qui confutavit Faustum. 42. De Fausto judicium. 43-47. De scriptis Honorati episcopi Massiliensis, Gennadii aliorumque missis ad Romanum Pontificem. 48. Petro Mogo mortuo Athanasius et ipse hæreticus subrogatur. 49-52. Pelagius patricius justissimus injuria occiditur a Zenone. 53. Odoacer iterum vincitur et obsidetur.

CDXCI. 1-5. Miserrimus Zenonis interitus, et de eo judicium. 6-8. Anastasius imperator qui se simulat Catholicum. 9-13. Felix papa dat litteras gratulatorias Anastasio, cujus optima primordia vertuntur in pessima. 14. Civile bellum Constantinopoli. 15-18. Joannes, episcopatu Coloniensi dimisso, in solitudinem divino consilio pergit. 19. Italiæ status. 20. S. Patricii obitus.

CDXCII. 1-5. Felicis papæ obitus et gesta, de ejusque proneptibus Tarsilla, Æmiliana et Gordiana historia. 6. Gelasius papa. — 7-28. Quomodo Gelasius cum Euphemio per litteras egerit renuente delere nomen Acacii a sacris tabulis. 29-31. Gelasius dat litteras circulares ad episcopos Macedoniæ Acacianis inhærentes. 32-35. Litteræ et legatio Gelasii ad Dardaniæ episcopos de cavendis hæreticis. 36-40. Defuncto Sallustio succedit Elias Hierosolymorum episcopus, qui monachos, duce Saba, apud se congregat. 41-46. Miserrimus status Ecclesiæ Orientalis, Anastasio in prava circa religionem abeunte.

CDXCIII. 1. Consules. 2-7. Theodoricus, occiso Odoacre, potitur Italia, litteras legatosque ad Anastasium mittit et ad Clodoveum; bene meretur de omnibus. 8-22. Fausto legato Constantinopolim, Gelasius scribit *Commonitorium* ad refellendam Euphemii audaciam. 23-26. Gelasii Epistolæ ad Honorium in Dalmatia episcopum de Pelagianis inquirendis. 27-38. Eadem hæresi per Picenum serpente, acriter illius provinciæ episcopos per Epistolam admonet Gelasius. 39. Vulgi tumultus Constantinopoli. 40, 41. Quomodo episcopi Orthodoxi communicent Euphemio. 42-44. De apparitione S. Michaelis in Gargano monte.

CDXCIV. 1-15. Insignis Gelasii papæ ad Anastasium Epistola parænetica. 16-18. Euphemio in sententia obstinatus persistente, Gelasius episcopos Dardaniæ et Illyrici ne cum eo communicent, confirmat. 19-22. Romanam Synodum congregat Gelasius, in qua, inter cætera, de Romanæ Ecclesiæ primatu decernitur. 23-27. Ad diversos episcopos Gelasii Epistolæ de disciplina revocanda, et maxime de usu bonorum Ecclesiæ. 28-31. Faustis auspiciis Clodoveus uxorem ducit Clotildem Burgundiæ regis neptem. 32-56. Legatio Epiphanii episcopi Ticinensis ad Theodoricum ad veniam implorandam pro perduellibus, tum ad regem Burgundionum, auctore ipso Theodorico, pro liberandis vel redimendis captivis; quæ omnia feliciter eveniunt. 57, 58. Theodoricus favet Catholicis. 59-66. Insigne miraculum Constantinopoli adversus Arianam impietatem. 67-69. Avitus episcopus Viennensis plura agit ac scribit pro fide Catholica. 70-78. Primordia S. Benedicti enucleantur, et mirabilis progressus ac fœcunditas illius ordinis. 79-81. Britanni ab invasoribus liberati morum pravitate fœdantur.

CDXCV. 1-4. Novæ Gelasii litteræ ad Dardaniæ episcopos refellentis commenta quibus Euphemius eos ad se allicere conabatur. 5-21. Concilium Romanum, in quo Misenus absolvitur. 22-24. Euphemius in exilium pellitur, eique subrogatur Macedonius. 25, 26. Exilium et obitus S. Eugenii episcopi Carthaginensis.

CDXCVI. 1-18. Obitus Gelasii papæ; de cujus scriptis accurate inquiritur, et maxime de volumine contra Eutychetem et Nestorium. 19-22. Gelasii decretum de communione sub utraque specie elucidatum. 23-27. Ejusdem sententia de potestate ecclesiastica et politica. 28-47. Adversus gentilitios ritus et Lupercalia libellus apologeticus Gelasii. 48-52. Translatio S. Severini Neapolim. 53-55. Cætera acta S. Gelasii, cui succedit Anastasius. 56. Flavianus episcopus Antiochenus. 57-59. Epiphanii Ticinensis altera legatio ad Theodoricum, et obitus.

SUMMARIUM

TOMI IX.



D. 1-8. Postulantibus schismaticis visitator a Theodorico Romam mittitur; qui deinde et ipse Urbem petit multis obsequiis frequentatus. 9-13. S. Fulgentius ex Sicilia Romam visit.

DI. 1. Avieni consulatus et laudes. 2. Theodoricus de Sede Apostolica benemeretur. 3-6. Immensa civium cædes facta Constantinopoli ab Anastasio.

DII. 1, 2. In causa Symmachi Synodus Romana dicta Palmaris, ad quam Theodoricus Epistolas scribit. 3-21. Prima actio Synodi, in qua Symmachus, vi et furore schismaticorum licet impetitus, triumphat. 22-24. Alia actio, et Symmachi decretum de non alienandis bonis Ecclesiæ. 25-29. Laurentii Mediolanensis, Petri Ravennatis aliorumque illustrium præsulum studia pro Symmacho, cujus elucet modestia et constantia. 30, 31. Finis Synodi. 32-35. Decretum de concellaneis adhibendis, et unde ejus occasio. 36-38. Symmachi ad Cæsarium episcopum litteræ. 39, 40. Bulgarorum et Persarum res bellicæ.

DIII. 1-9. Nova Synodus Romæ congregatur, iterum insurgentibus schismaticis, quorum objecta diluit Ennodius per libellum Apologeticum inter Acta a Patribus relatum. 10-16. Concordia et unitas restitutæ studio etiam Theodorici quem laudat Ennodius. 17-31. Anastasio in Symmachum contumelias per scripta emovente, dat idem Pontifex libellum Apologeticum. 32. De Romano exercitu fugato.

DIV. 1, 2. Theodoricus Bulgaros vincit. 3-5. Sexta Synodus Romana contra usurpantes bona Ecclesiastica. 6-22. Mentione Valentini episcopi Amiternensis, historia texitur Basilii magi et sancti Equitii. 23-26. In Africana Ecclesia per Trasamundum regem persecutio excitatur. 27-30. Habito Concilio Byzaceno Ecclesiis destitutis ordinantur episcopi. 31-40. S. Fulgentius episcopus Ruspensis, qui cum pluribus sociis deportatur in Sardiniam. 41-43. Symmachus per Epistolas et munera relegatos episcopos solatur. 44-52. Trasamundus novis artibus tentat Catholicos, quibus per scripta præsto est Fulgentius revocatus Carthaginem. 53-62. Rursus in Sardiniam exul Fulgentius, quæ ibi scripserit.

DV. 1-3. Manlius Theodorus consul, ad quem virtute conspicuum scribit S. Fulgentius. 4-8. Anastasius imperator, dum per leges videtur favere Catholicis, intrinsecus fovet nequitiam.

devastantibus, Macedonii obitus. 51. Quid Alexandriæ hæretici passi sint. 52, 53. Himeranni populi Australes ad Christi fidem conversi.

DXVI. 1-6. Revertentibus legatis Apostolicis et ipse Anastasius se Catholicum simulans amplissimam mittit legationem ad Romanum Pontificem, et ad senatum Romanum. 7-18. Epistola Anastasii imp. per legatos Apostolicos missa, et Hormisdæ responsio per legatos imperatoris, qui a Catholica fide alieni cognoscuntur. 19-28. Aviti episcopi Viennensis legatio et litteræ ad Romanum Pontificem, ejusque responsio de Ecclesiæ Orientalis statu. 29-31. S. Aviti laudes. 32-35. Vitaliani lapsus. 36-39. Qui episcopi restiterint Anastasio, dum Dorotheus Thessalonicensis eidem communicat. 40-42. Dioscorus junior episcopus Alexandrinus. 43-48. Joannes electus episcopus Nicopolitanus et simul metropolita Epiri Synodum congregat; unde litteræ et legatio ad Romanum Pontificem. 49-64. Hormisda ad Joannem et Synodum rescribit, mittitque commonitorium subscribendum ab episcopis. 65-68. Catholici episcopi opera Dorothei affliguntur, quibus præsto est Hormisda. 69. Synodus Tarraconensis.

DXVII. 1-32. Novam legationem Constantinopolim decernens Hormisda, dat litteras Anastasio, Timotheo, episcopis hæreticis, Catholicis, clero et populo pro diversitate personarum accommodatas, et fidei libellum a singulis subscribendum. 33-45. Dorotheo insectante Joannem, adjungit Hormisda alias litteras utrisque, tum imperatori, ac commonitorium ipsis legatis jam profectis. 46-50. Anastasius insequitur legatos, terret episcopos, audacter scribit ad Romanum Pontificem. 51-61. Orthodoxi et Syriæ monachi a Severo exagitati, ab Anastasio rejecti, per supplicem libellum adeunt Hormisdam. 62-66. Hispaniarum Ecclesiis constituit vicarios Hormisda, Joannem Tarraconensem, et Sallustium Hispalensem episcopos, docetque quomodo quis admittendus sit ad communionem. 67. Gerundense Concilium. 68-73. In siccitate Palæstinæ miracula Sabæ.

DXVIII. 1-12. Hormisdæ Epistola consolatoria ad Orthodoxos Orientales. 13. Justinus et Justinianus divinitus ex Anastasii manibus erepti. 14-21. Miserrimus Anastasii obitus et quæ funesta illum præcesserint. 22-26. S. Eliæ et S. Flaviani visio de interitu et judicio Anastasii. 27-29. Anastasii nomen damnatum. — Peroratio cum gratiarum actione. Finis Tomi sexti.

DXVIII. Præfatio auctoris cum Numinis imploratione. — 1-3. Justinus ex humili statu imperator Amantium Eutychianum juste capitis damnat. 4-20. Acta publica de acclamationibus in Ecclesia factis Joanni et Justino, professionem fidei Catholicæ exprimentibus. 21-30. Synodus Constantinopolitana et Synodalis relatio de singulis capitibus relate ad controversias, petentibus monachis Orthodoxis. 31-33. Perperam nomina Euphemii et Macedonii in Diptychis retenta. 34-37. De Synodi Constantinopolitanæ Actibus certiores fiunt episcopi Orientis; unde plures in provinciis Synodi. 38-44. Synodales Epistolæ Concilii Hierosolymæ, et Syri ad Synodum Constantinopolitanam querentium de sceleribus Severi. 45-49. Litteræ episcoporum secundæ Syriæ; ubi multa de sceleribus Petri Apameæ sedis invasoris. 50-55. Clerici Antiocheni item per litteras queruntur de malis quæ a Severo passi fuerint. 56-60. Justinus dat edictum de restituendis Catholicis, pro quo Sabas exultat laborans. 61-64. De Sabæ et Theodosii archimandritæ ab exilio redeuntis consuetudine et factis. 65-69. Justinus, dato in Severianos edicto, ad Romanum Pontificem de sua creatione scribit, qui ei respondet. 70-75. Justini, Joannis episcopi et Justiniani comitis ad papam Epistolæ, petentium legatos pro conciliatione Ecclesiarum. 76-81. Justino rescribit Hormisda ac Joanni, cui insinuat quid ultra faciendum pro communione recipienda. 82, 83. Synodus Romana. 84-88. De episcopis Dardaniæ et Illyrici ad communionem Catholicam redeuntibus Hormisda certiorem facit per litteras Cæsarium Arelatensem.

DXIX. 1. Consulatus Eutharici. 2-32. Legationem decernit Hormisda, et dat legatis in scriptis admonitiones, tum totidem Epistolas ad Justinum, ad Euphemiam, ad Joannem episcopum, ad clericos, ad Justinianum, ad Celsum et Patricium viros aulicos, ad præfectum Thessalonicæ, ad Anastasiam atque Palmatiam clarissimas feminas. 33-43. Relationes legatorum de prosperis circa religionem in itinere actis. 44-57. Omnia feliciter gesta a legatis Constantinopoli; ubi fidei libellum ad Hormisda missum ultro subscribunt episcopi. 58-71. Epistolæ gratulatoriæ de rerum eventu ad Hormisdam datæ a Justino, Joanne, Andrea, Prævalitano episcopo, Justiniano, aliisque viris clarissimis et feminis. 72. Publica Romæ lætitia. 73-77. Hormisdæ Epistola ad imperatorem. 78-92. Relationes legatorum de statu Antiochenæ Ecclesiæ de monachis Scythiæ tumultuantibus. 93-98. Piæ Justiniani petitiones et litteræ ad Hormisdam. 99-123. Scythiæ monachi quanta et quibus artibus gesserint Constantinopoli et Romæ ad hæresim propugnandam. 124-139. Ab hæreticis Thessalonicæ nefanda patrantur in legatum Apostolicum, instigante Dorotheo episcopo, qui Constantinopolim vocatur judicandus. 140-142. Quæ fuerit damnatio Dorothei. 143-147. Severus Antiochia, Julianus Alicarnasse pulsi fugiunt Alexandriam; ubi turbatio.

DXX. 1. Vitaliani consulis obitus. 2-6. Justini, Justiniani, atque Hormisdæ ultro citroque datæ litteræ pro conciliatione Ecclesiarum. 7-11. Defuncto Joanne succedit Epiphanius Constantinopolitanus episcopus, ad quem scribit Hormisda. 12-21. Possessori episcopo consulenti Hormisdam de quæstione oborta super Fausti libros, respondet ille, plura addens de Scythiæ monachis. 22-27. Hormisdæ Epistolam impugnant ac sugillant hæretici monachi. 28. De reditu legatorum. 29-38. Epiphanii Epistola ad Hormisdam cum fidei professione, et Justiniani ad eumdem de controversiis religiosis. 39-52. Ex Synodo Constantinopolitana litteræ Synodales, et Epiphanii ad Hormisdam cum legatione et muneribus. 53-59. Justini legatio ad Hormisdam cum suis et Justiniani litteris. 60-63. Dorotheus per legatos et litteras perperam se excusat apud Hormisdam, qui ei respondet. 64-66. De restituendis Catholicis episcopis sollicitus Hormisda scribit ad Epiphanium. 67-71. Justini rescriptum adversus Nestorianos Antiochiæ tumultuantes. 72-74. Legatorum Joannis et Germani laudes.

DXXI. 1. Justiniani consulatus et largitiones. 2-4. Legatorum moræ impatiens scribit licentius ad Hormisdam Justinianus. 5-35. Roma discedunt legati Orientales cum Epistolis Hormisdæ ad Justinianum et Epiphanium summa sapientia et constantia exaratis. 36-39. Paulus episcopus Antiochenus se abdicat, ac moritur, eique succedit Euphrasius. 40. Asterius episcopus Alexandrinus. 41. Obitus S. Brigidæ.

DXXII. 1-3. Boetius cum Symmacho consul, librum de Trinitate scribit. 4-8. Trasamundus Vandalorum rex, accepta a Mauris clade, moritur. 9-15. Hildericus ejus filius et successor episcopos Catholicos ab exilio revocat, inter quos eminet Fulgentius Carthaginem triumphali pompa revertens. 16. Hormisdæ gaudia. 17-21. Fides Christiana propagatur, Lazis et Iberis ad Christum conversis. 22-66. Apud Homeritas Æthiopiæ in urbe Nagran dira Christianorum persecutio a Dunaan Hebræo; ubi ingens martyrum numerus, duce et hortatore Aretha monacho.

DXXIII. 1, 2. Maximus consul, ad quem Theodoricus scribit spectacula damnans. 3, 4. Hormisdæ obitus. 5, 6. De Manichæis ab Hormisda detectis. 7-10. Munera oblata Hormisdæ, et cætera ejus gesta, cui succedit Joannes. 11, 12. Placidus et Maurus S. Benedicti disciplinæ traduntur. 13-15. Manichæi exagitantur. 16-29. Expeditio Elesbaan regis Æthiopum in Dunaan Hebræum, et præclara victoria, qua res Homeritarum compositæ. 30, 31. Æthiopia insignis religione. 32. Euphemiæ Augustæ obitus. 33-36. In Conciliis Africanis Fulgentii pietas et scripta.

DXXIV. 1-3. Arianos Justinus exagitat, pro quibus Theodoricus insurgit.

DXXV. 1-7. Joannes papa Constantinopolim pergit. 8-10. Quomodo ibi contra Arianos steterit Joannes. 11, 12. Cur in Boetium et Symmachum ac senatores commotus fuerit Theodoricus. 13-18. Antiochiæ terræmotus, aliarumque civitatum. 19-23. Joannis et utriusque Zozimi monachorum sanctitas et miracula. 24. Mortuo Joanne succedit Petrus episcopus Hierosolymæ.

DXXVI. 1-4. Joannes papa e carcere scribit ad Italiæ episcopos contra hæresim Arianam. 5-8. Joannis papæ martyrium, et in Urbem translatio. 9-18. Boetii virtus, vincula, scripta, cædes, et laudes. 19-21. Idem de Symmacho. 22-24. Felix, licet optimus, Theodorici opera eligitur Pontifex. 25-29. Theodorici obitus, quem antecedunt et sequuntur diræ visiones. 30-33. Theodorici variæ leges et cura de ædificiis. 34-36. Athalaricus filius Amalasunthæ, et ejus educatio. 37-40. Athalarici de sua successione Epistolæ ad suos Gothos et ad episcopos. 41, 42. De Athalarici possessionibus in Gallia. 43-51. Bellum Francorum adversus Burgundiones ; ubi de S. Aviti factis. 52-54. Ephræm comes Orientis eligitur episcopus Antiochiæ. 55-58. Ephræm per magnum miraculum convertit monachum hæreticum.

DXXVII. 1, 2. Justinianus imperator. 3-32. Agapeti diaconi Epistola parænetica ad Justinianum. 33-37. Per litteras et legatos Athalaricus adit Justinianum, fœdusque sancitur. 38-41. Justiniani edicta de fide Catholica, et de potestate judiciaria episcoporum. 42-44. Magno animo aggressus Justinianus quibus pietatis auxiliis usus fuerit. 45-48. Bellum Persicum præcedunt litteræ inter Belisarium Romanorum et Mirrhanem Persarum duces. 49-55. Prœlium et victoria in Persas. 56. Rex Hunnorum factus Christianus. 57-62. Julianæ Aniciæ obitus, ejusque divitiæ et pietas. 63-66. Athalaricus per Constitutionem clericos Catholicos a laicorum tribunalium vexatione redimit. 67-76. Dionysii Exigui doctrina et pietas; ejusque lucubrationes, maxime de cyclo Paschali, et collectione canonum. 77-79. Hermenefridum Thuringiæ regem prœlio vincit Clotarius, et a S. Medardo recipit miraculum. 80-82. Primordia sanctitatis exhibita a Radegunde, quam Clotarius ducit uxorem. 83-86. Amalafridæ occisione, Athalarici querelæ et minæ ad Hildericum.

DXXVIII. 1-8. Quid sentiendum de Justiniano, cum de rebus Ecclesiasticis leges sanciverit, et quid de ipsis legibus, et quo sensu Illitteratus dictus fuerit. 9-20. Justiniani sanctiones ne episcopi veniant ad curiam, de episcopis ordinandis, et contra raptores. 21-23. Antiochia ex terræmotu Theopolis vocata.

DXXIX. 1. Concilium Arausicanum, cui Cæsarius Arelatensis præfuit. 2-9. S. Fulgentii obitus et lucubrationes. 10-13. S. Benedictus in Cassini monte. 14-17. Nicetius episcopus ordinatur, sanctitate conspicuus. 18-22. De Absagis et Tzanis ad fidem conversis. 23-29. In decemviratu pro compilando Codice Tribonianus et Joannes Cappadox impietate laborant.

DXXX. 1. Felicis papæ obitus et res gestæ. 2-4. Electio Bonifacii cum schismate et interitu Dioscori. 5. Nomine Bonifacii scripta edita. 6-10. Gilimer, Hilderico in vincula conjecto, regnum invadit, unde querelæ et minæ Justiniani. 11-15. Justinianus populos Ægypti sibi adsciscit contra Persas, et ab idololatris facit Christianos. 16-35. Justiniani Constitutio contra hæreticos, et maxime Samaritanos, a quorum vexatione, opera Sabæ ad se legati, liberat Catholicos. 36-40. Templum Deiparæ Hierosolymis, et alia sacra ædificia, suasu Sabæ excitat Justinianus. 41-45. Samaritanorum hypocrisi deceptus Justinianus. 46-51. Theodoricus rex Francorum res Gothorum in Gallia labefactare conatur. 52-55. Theodobertus Theodorici successor, ejusque mores.

DXXXI. 1-5. Synodus Romana sub Bonifacio, qui improbatur quod sibi elegerit successorem. 6-8. Bonifacii obitus et res gestæ, cui succedit Joannes. 9-11. Amalarico rege Gothorum in Hispania occiso, eo quod Clotildem male habuisset, succedit Theudis. 12-19. Concilium Toletanum sub Montano episcopo, quique alii viri sancti eidem interfuerint, et canones. 20-22. Conjuratio contra Justinianum, unde Constitutiones de interdictione armorum et aliæ. 23-26. S. Sabæ obitus et miracula. 27. S. Antonii corporis inventio.

DXXXII. 1-7. De bello Wandalico suscipiendo anceps Justinianus, quibus auspiciis confirmatus illud paraverit. 8-29. Origenistæ iterum insurgunt ex monachis, mirosque adhibent conatus et labores ad maculandas Ecclesias. 30-56. Collatio indicta Constantinopoli a Justiniano inter Severianos hæreticos et Catholicos episcopos, et ejusdem Acta.

DXXXIII 1-18. Justiniani edictum continens professionem Catholicam, et legatio ad Joannem papam cum litteris ad explodendam aliam legationem missam a monachis hæreticis Nestorianis ad eumdem Pontificem. 19-25. Justiniani Epistola ad Epiphanium confirmantis et explanantis suum edictum. 26-31. Legatis Romæ permanentibus, negotium mature perpenditur, de quo et Ferrandus in Africa consulitur. 32-40. In Simoniacos decernitur. 41-59. Africa a Wandalis liberata ad Romanum redit imperium, ubi tota expeditionis series, duce Belisario. 60, 61. Digressio de navali victoria relata in Turcos sub Pio papa V. 62-65. Institutionum ac Digestorum volumina in lucem edita.

DXXXIV. 1. De consulatu Paulini. 2-9. Cassiodorus præfectus prætorio pias ac sapientes Epistolas dat ad papam et episcopos. 10-12. Ad sublevandam penuriam curæ Cassiodori. 13-22. Justiniani edictum Romæ cognoscitur et probatur, quod ipsi imperatori papa Joannes per Epistolam significat, legatis revertentibus datam. 23-28. Joannis Epistola ad senatores de eadem fidei professione. 29-46. Ex authenticitate utriusque Epistolæ primatus Romanæ Ecclesiæ contra novatores asseritur. 47-50. Episcopum nomine Contumeliosum in Gallia deponit Joannes. 51-55. Capto Gilimere, bellum Wandalorum conficitur, de quo triumphat Belisarius. 56-66. Deo referens acceptam victoriam Justinianus, Africæ regimini tum politico tum Ecclesiastico optime consulit. 67-70. Athalarico mortuo, Theodatus regnum capessit, qui legationem mittit ad imperatorem sibi conciliandum. 71, 72. Amalasuntha necatur. 73. Marcellini scripta.

DXXXV. 1. Belisarii consulatus. 2-10. Justiniani tres Constitutiones de episcopis, clericis, atque monachis in officio continendis. 11-15. Optime consultum provinciarum præfecturis. 16-20. Constitutio pro Romana Ecclesia de præscriptione centum annorum. 21-25. Ex Concilio Africano litteræ Synodales ad papam Joannem. 26-28. Defuncto Joanni succedit Agapetus papa. 29-35. Justiniani ad Agapetum litteræ cum fidei professione, et ejusdem Pontificis responsio. 36-41. Agapetus ad Synodales Concilii Africani, et ad privatas Reparati Carthaginensis litteras respondet. 42-47. De rebus et juribus restituendis Africanis Ecclesiis decernit Justinianus. 48-54. Quid Agapetus Justiniano rescripserit petenti ut Arianis resipiscentibus aditus pateret ad episcopatum. 55-57. De privilegiis urbis primæ Justinianæ. 58-64. Defuncto Epiphanio, Anthimus nefarie eligitur episcopus Constantinopolitanus, fraudibus Theodoræ Augustæ. 65-68. Theodosius hæreticus

Alexandriæ episcopus, opera ejusdem feminæ. 69, 70. Severo hæresiarchæ favet Theodora, 71-85. Hæretici Agnoitæ et Gajanitæ, et plurima inde pullulata hæresum capita, et qui pro iis, vel contra ea scripserint. 86-88. Anthimus fidem Catholicam simulat. 89-92. De scholis Romæ aperiendis Agapeti consilium. 93-98. Inito fœdere cum Francis, bellum suscipit Justinianus adversus Gothos, quibus Siciliam adimit. 99-107. In lenones dat Justinianus Constitutionem, et monasterium ædificat prostitutis resipiscentibus. 108-110. Agapeti Epistola ad Cæsarium Arelatensem de bonis Ecclesiæ non alienandis. 111-112. Altera ejusdem ad eumdem Epistola in causa Contumeliosi, et nex a Clotario illata Gualtero.

DXXXVI. 1-9. Inter Justinianum et Theodatum regem aguntur tractatus et pacta. 10-26. Agapetus, suscepta, jussu Theodati, legatione, Constantinopolim pergit; iter signis illustrat, Anthimum hæreticum deponit, Mennam instituit episcopum. 27-31. De rebus gestis Epistola Agapeti ad episcopos Orientales. 32-53. Episcoporum Orientalium et monachorum libelli ad Agapetum querentium et petentium damnationem Severi aliorumque hæreticorum. 54-70. Agapetus Constantinopoli moritur rerum gestarum gloria insignis, Orientalium et Occidentalium præconiis celebratus. 71-93. Præsidibus Menna vicario Sedis Apostolicæ, et legatis Apostolicis Concilium Constantinopoli celebratur, in quo firmatur sententia in Anthimum, Severus cæterique hæretici damnantur. 94-102. De damnatis hæreticis Mennæ Epistola; et Justiniani constitutio de alienandis domibus Ecclesiæ ad Petrum episcopum Hierosolymæ. 103-113. Contra damnatos hæreticos sanctionem scribit imperator. 114, 115. Concilium Hierosolymis. 116. Theodosii Alexandrini exilium. 117-119. Defectio militum Arianorum in Africa. 120-123. De Silverii papæ electione. 124. Aurelianense Concilium secundum.

DXXXVII. 1-4. Capta Neapoli a Belisario, Gothi Theodatum occidunt, Vitigem eligunt regem. 5-7. Roma se tradit Belisario. 8, 9. Vitigis litteræ ad imperatorem. 10-13. Fugientibus Gothis Ravennam, varia signa sanctorum virorum. 14-17. Zoilus succedit Paulo in episcopatu Alexandrino; sub quo miraculum de puella. 18-19. Plures eduntur Justiniani constitutiones.

DXXXVIII. 1-11. Obsidentibus Urbem Gothis, Silverius auro Theodoræ a Belisario pellitur in exilium, in ejus locum intruso Vigilio. 12-20. Vigilii in Silverium Acta, et ejus turpissimum schisma. 21-28. Vigilii Epistolæ ad Eutherium et Cæsarium Arelatensem episcopos qui Apostolicam Sedem consuluerant. 29-87. Auctoritate Apostolica Mennæ et Pelagii Romanæ Ecclesiæ diaconi damnationem subit Origenes, quam Justinianus firmat per Constitutionem. 88. Constitutiones imperatoriæ. 89. Dacius episcopus Mediolanensis contra Gothos implorat auxilium.

DXXXIX. 1-4. Ex insula Palmaria, ubi collegit Concilium, Silverius damnat Vigilium. 5-9. Amatoris episcopi munera et litteræ ad Silverium, qui indefensus crudeliora in dies patitur. 10-12. Hunnorum incursiones, Persarum hostiles motus, aliæque calamitates ingruunt. 13-18. Perdurante Urbis obsidione, fames et pestis vexat Italiam. 19, 20. Mediolanum excisum a Gothis, unde Dacius episcopus evadit.

DXL. 1-3. Silverii papæ martyrium et miracula. 4-10. Post abdicationem factam, legitimus papa eligitur Vigilius, qui transmutatur. 11-26. Epistolæ Vigilii ad Justinianum et Mennam, apertam fidei Catholicæ professionem continentes. 27-31. Concilium Aurelianense tertium; ubi inter alios Albinus et Injuriosus episcopi sanctitate insignes. 32, 33. Bellum civile Francorum divinitus sublatum. 34, 35. Franci juste bellaturi contra Justinianum petunt Italiam. 36-38. Post deditionem Vitigis et Ravennæ Belisario, pauci Gothi regem sibi eligunt Theodebaldum. 39-45. Syriæ et maxime Antiochiæ clades et devastatio per Persas, duce Cosrhoe, a quo pacem ignominiose emit Justinianus. 46. De bello in Africa cum Mauritanis.

DXLI. 1, 2. Cur consulatus cœperit negligi. 3-8. Belisarius victoriarum gloria insignis redit Constantinopolim, virtutibus præclarus. 9-25. Plures hoc anno promulgatæ a Justiniano sanctiones ad fidem Catholicam, Ecclesiasticamque disciplinam sartas tectas conservandas. 26. Auximitæ ad Christum conversi. 27-29. Commentitia aliqua de martyrio S. Placidi, et de Chronico Cassinensi. 30-41. Concilium Arvernense qui episcopi sanctitate conspicui illustraverint, quosque ediderint canones.

DXLII. 1. Totilas Gothorum accipit regnum. 2. Antiochia incensa restituitur. 3-8. Childebertus una cum Clothario fratre bellum gerit in Hispania adversus Gothos; unde redux templa ædificat. 9-11. De tempore obitus sancti Benedicti.

DXLIII. 1-14. Totilæ Campaniam et Samnites hostiliter peragranti quæ et quanta miracula sese obtulerint;

quidque præsertim inter eum et S. Benedictum intercesserit. 15. Secunda Cosrhois expeditio in Romanos.

DXLIV. 1. Totilas tentat litteris senatum. 2. Aratoris carmen in Acta Apostolorum. 3-6. In tertia Persarum irruptione Cosrhoes divinitus ab urbe Sergiopolis repulsus. 7-10. Mira pestilentia grassatur in orbe. 11, 12. Cæsario succedit Auxanius episcopus Arelatensis, ad quem scribit Vigilius. 13-15. S. Gregorii cultus in Hispania.

DXLV. 1, 2. Accedente ad Urbem Totila Belisarius dona offert S. Petro. 3-10. Vigilius Auxanium vicarium in Gallia constituens, ei dat litteras cum pallio, itemque litteras ad Galliæ episcopos. 11-15. Cosrhoes frustra invadit Edessam urbem, quæ divinitus liberatur. 16-18. Quid de Paschatis die statutum. 19, 20. De Concilio Aurelianensi quarto. 21, 22. Gontharis in Africa tyrannus Areobindum occidit.

SUMMARIUM

TOMI X.

De nonnullis Galliæ episcopis militiam sæcularem sectantibus. 13-15. Justino fatuitate laborante, Sophia cum Persis pacem init.

DLXXVI. 1-4. Francorum regibus bello civili inter se digladiantibus, Ecclesiæ vexantur.

DLXXVII. 1, 2. Benedicto papa mortuo, eligitur Pelagius II. 3, 4. Pax inter Francorum reges inita, miraculis ad S. Martini sepulcrum patratis. 5. Ecclesia Dei Genitrici ædificatur ab imperatore.

DLXXVIII. 1-6. Tiberius vir optimus in collegam imperii a Justino adscitus, Eutychium in sedem Constantinopolitanam revocat, defuncto Joanne. 7-14. Reditus Eutychii et ingressus Constantinopolim amore populi et signis illustratus.

DLXXIX. 1-3. De annis Cosrhois Persarum regis ratio. 4-8. Bellum contra Persas cum clade hostium et nece Cosrhois confectum. 9-12. Martyres necati a Longobardis. 13-19. Sigibertus, licet in bello civili Francorum victor, dolo occiditur; sub quo plura divinitus immissa in invadentes jura Ecclesiæ. 20-23. S. Germani episcopi Parisiensis obitus, aliorumque sanctorum virorum. 24-28. Magnæ conversiones Judæorum in Gallia per sanctos Avitum et Germanum factæ. 29-31. Chilpericus regnat in Gallia, munificus erga monachos. 32, 33. De Moroveo Chilperici filio ob incestuosas nuptias cum Brunichilde afflicto.

DLXXX. 1-5. Terræ motus Antiochiæ, ubi Anatolii idololatræ judicium et supplicium. 6-11. Moroveus plura molitus ob regni cupidinem, Turone fugit ad Brunichildem. 12. De die Paschatis in Hispania. 13-21. Concilium Parisiense in causa Prætextati episcopi Rothomagensis, qui calumniam passus, exilio damnatur. 22. Vinum S. Martini.

DLXXXI. 1, 2. Laurentius junior episcopus Mediolanensis. 3-12. Gregorii magni primordia suis quæque temporibus reddita. 13. Eulogius episcopus Alexandrinus. 14. Res Francorum.

DLXXXII. 1-7. Justinus allocutus Tiberium, moritur, qui solus imperat, Sophiæ et Justiniani insidiis elusis, liberalis erga pauperes. 8. Pelagii papæ Epistola ad episcopos. 9-12. Synodi Cabilonensis et Matisconensis in Gallia.

DLXXXIII. 1-10. Mauritius, cujus optima indoles et imperii præsagia patefiunt, Orientis præfecturam a Tiberio accipit, Persas vincit. 11-14. Gregorius ex monacho diaconus cardinalis, et legatus Constantinopolim. 15-21. Concilium Brennacense in Gallia, ubi calumniæ in Gregorium Turonensem diluuntur. 22-25. Filiorum regis Chilperici funera. 26-28. Funera Clodovei, impiæ reginæ Austregildis, et Nantini comitis. 29-31. Martini episcopi Galliciensis obitus et laudes. 32-34. Leuvigildus rex Arianus insectatur Catholicos, Hermenegildo ejus filio ad Catholicam fidem converso ab uxore. 35-37. S. Leandri episcopi Hispalensis legatio ad Tiberium. 38-54. Controversiæ de fide inter Catholicos et Arianos, martyria et miracula. 55, 56. Chilpericus rex in Sabellianam hæresim lapsus resipiscit. 57, 58. S. Mauritii episcopi Cadurcensis, aliorumque sanctorum virorum obitus.

DLXXXIV. 1-6. Martyrium regis Hermenegildi a Leuvigildo ejus patre Ariano interfecti. 7-9. Leuvigildus persequens Catholicos, exilio damnat Leandrum, aliosque episcopos, Suevosque a fide revocat. 10. Vincentii abbatis martyrium. 11. Ægidii episcopi Rhemensis laudes in rebus Francorum componendis. 12. Pro furibus Gregorius intercedit apud Chilpericum. 13. Qui sancti viri hoc anno vita excesserint. 14-18. Pelagius petit auxilium ab imperatore contra Longobardos per Gregorium, ubi de Maximiniano presbytero. 19, 20. Pelagii Epistola ad Auxanium in Gallia episcopum de incursionibus Longobardorum.

DLXXXV. 1, 2. Creatur rex Longobardorum Autharit. 3, 4. Roma defensa divinitus. 5-12. Leuvigildo defuncto Reccaredus succedit, qui Catholicus, Catholicis favet, Arianos confundit. 13-16. Chrodini ducis, Juliani, aliorumque illustrium virorum laudes.

DLXXXVI. 1-7. Eutychius episcopus Constantinopoli post insignem cum Gregorio disputationem de Resurrectione carnis, in confessione dogmatis pie moritur. 8, 9. Joannes jejunator episcopus Constantinopolitanus, ejusque superbia. 10-15. Tiberius pie moritur, cui Mauritius in imperio succedit, Cæsar antea renuntiatus. 16-19. Martyres per Saracenos passi. 20-23. Mauritius Catholica

fide et morum sanctitate spectabilis. 24-27. Misso novo apocrisiario Constantinopolim, Gregorius Romam redit, scribitque adversus schismaticos. 28-85. Tres Epistolæ Pelagii nomine a Gregorio scriptæ ad Istriæ episcopos schismaticos. 86-87. Pelagius per exarchum schismaticos exagitat. 88. Obitus S. Disciolæ virginis in Gallia.

DLXXXVII. 1-6. In Synodo Constantinopolitana habita in causa Gregorii Antiocheni Joannes episcopus nomen usurpat Œcumenici, ejus proinde Acta irritat Pelagius. 7-21. De Joannis præsumptione Epistola Pelagii ad universos episcopos; unde contra Novatores argumenta de Primatu Romani Pontificis. 22-25. Post reditum Gregorii Antiochiam ingens ibidem terræ motus. 26. Avarum grassatio. 27. Blasphemi punitio. 28. Synodus Lugdunensis secunda. 29, 30. Reccaredi conjugium. 31-34. Chilperici occisio et pravi mores. 35-38. Sulpitii et Salvii episcoporum laudes et Lupentii abbatis martyrium. 39, 40. Ingens miraculum. 41-42. Epitaphium Cæsariæ.

DLXXXVIII 1-5. Gregorius episcopus Antiochenus reconciliat exercitum duci Philippico. 6. Mauritius Francos sollicitat in Longobardos. 7-9. Guntheramni regis bellum in Gothos Galliæ Narbonensis. 10-22. Matisconense secundum Concilium sub Guntheramno rege, ejusque canones. 23-29. Guntheramni ad episcopos edictum de moribus populi emendandis. 30. Reccaredus rex pacis studiosus. 31-33. Incendium Parisiacum. 34. De episcopis schismaticis.

DLXXXIX. 1-3. In Synodo Valentina Guntheramni regis liberalitas erga Ecclesias. 4-6. Prætextati episcopi Rothomagensis martyrium. 7, 8. De conversione Gothorum. 9-44. Concilium Toletanum tertium sub Reccaredo rege, præside S. Leandro episcopo Hispalensi legato Apostolico, et singula ejusdem Acta, Decreta et canones 45-47. Reccaredus ob suas virtutes prosperatus. 48. De subdiaconorum continentia. 49-51. Insignis victoria in Persas. 52-55. Maxima Tiberis inundatio.

DXC. 1, 2. Pestis Romæ ex qua moritur Pelagius papa. 3-8. Gesta Pelagii et ejus Epistola ad archiepiscopum Benignum. 9-25. Quæ mirabilia hujus temporis facta narret Gregorius in suo monasterio vitam ducens. 26. Concilium Hispalense. 27. Guntheramnus rex a sicario frustra invaditur. 28-40. Radegundis per Epistolam suum monasterium commendat episcopis, ac sanctissime moritur. 41-43. Bajoariorum conversio per Rupertum episcopum Vangionensem in Gallia. — Auctoris peroratio cum gratiarum actione.

DXC. Præfatio auctoris cum imploratione divini auxilii. — 1-4. Universali voto ad cathedram Romanam expetitus Gregorius. 5-11. Quid senserit et egerit Gregorius antequam confirmatio suæ electionis ab imperatore Mauritio redderetur. 12-19. Concio Gregorii, et Litania septiformis dicta, unde pestis cessatio. 20, 21. Gregorius fugiens divinis patefactus indiciis consecratur Pontifex. 22-24. Pestis, bellum et penuria vexant Romam et Italiam. 25-28. Librum curæ pastoralis scribit Gregorius. 29-33. Gregorii Epistolæ, circa sui muneris labores et curas. 34. Consulit Gregorius Ecclesiis derelictis. 35 42. Schismaticis episcopis ad unitatem revocandis studet Gregorius, qui contra libellum ad imperatorem mittunt. 43. Mauritii imperiosa Epistola ad Gregorium. 44, 45. Pro Arianorum conversione Gregorii studia. 46, 47. Pestis in Gallia, in qua pietas regis Guntheramni lucet. 48, 49. Ex reliquiis sanctorum martyrum miracula. 50, 51. Francorum motus in Longobardos. 52-54. Synodus Antisiodorensis diœcesana. 55-57. De sancto Theodoro episcopo Anastasiopolis.

DXCI. 1-3. Ex privatis Gregorii Epistolis, ejus erga pauperes cura, 4-6. Synodalis Gregorii Epistola ad Orientalis Ecclesiæ patriarchas. 7, 8. Aliæ privatæ Epistolæ ejusdem. 9-14. Cura et vigilantia Gregorii erga episcopos. 15, 16. Ad monasticam disciplinam instaurandam incumbit Gregorius. 17-23. Laurentium archidiaconum, et Demetrium episcopum Neapolitanum deponit, et clericos ad disciplinam, maxime ad cælibatum revocat Gregorius, ubi fabella refellitur de filiis clericorum. 24-31. Ecclesiis ejusque ministris et bonorum Ecclesiasticorum administrationi consulit Gregorius. 32-40. Ad evellendos ex Africa Donatistas incumbit Gregorius, ubi de munere Chartularii. 41. Ne inviti cogantur Judæi ad fidem. 42-48. Gregorii Epistola ad Leandrum episcopum Hispalensem, ubi de Reccaredi factis præclara mentio. 49, 50. Agilulphus rex Longobardorum convertitur ad fidem Catholicam. 51-55. Ecclesia S. Agathæ Romæ catholico ritu dicata. 56. Res bellicæ.

DXCII. 1, 2. Quid Gregorius passus per Arnulphum ducem Longobardorum urbi imminentem. 3, 4. Contra Donatistas in Africa iterum insurgit Gregorius. 5. Legatio episcopi Carthaginensis ad Gregorium. 6. Ad episcopos Hiberniæ schismaticos parænetīcas dat litteras Gregorius. 7, 8. Idem laborat pro episcopis Istriæ schismaticis. 9-14. Quorumdam causas episcoporum et clericorum

jure appellationis cognoscit, ac definit Gregorius. 15-17. Idem in episcoporum mores invigilat, et Ecclesiis consulit. 18, 19. Monachorum et laicorum bono prospicit. 20. De tunica S. Joannis. 21-24. Homiliæ habitæ a Gregorio. 25. Concilium Cæsaraugustanum secundum. 26-28. Hormisda rex Persarum occiditur; Cosrhoes ejus filius ad Romanos fugit. 29. Mauritii lex iniqua.

DXCIII. 1-6. Cosrhoes in regnum restitutus dona offert Ecclesiæ S. Sergii; unde ambigitur fuerit necne Christianus. 7-19. De lege Mauritii prohibentis milites ingredi monasteria, Gregorii querelæ; ubi de immunitatis Ecclesiasticæ juribus. 20-23. Eamdem legem emendatam promulgat Gregorius. 24. De tunica Salvatoris. 25-28. Per litteras et Sabinianum legatum corripit Gregorius Joannem episcopum Constantinopolitanum. 29, 30. Concilium Numidiæ Gregorius redarguit. 31-33. Theodolindam reginam Gregorius a schismaticorum fraudibus deterret. 34-39. De electione Constantii episcopi Mediolanensis, ad quem Epistolæ Gregorii. 40. Schismaticis resipiscentibus consulit Gregorius. 41-48. Gregorius captans recessum, scribit libros Dialogorum, quos postea in græcum vertit Zacharia papa. 49-54. Nonnulli episcopi corripiuntur a Gregorio. 55-62. Gregorii plura documenta ad monachos aliosque; cura de pauperibus ac bonis temporalibus. 63-84. Monialium nobilium in monasterio Pictaviensi rebellio, duce Chrodielde; unde Concilium Pictaviense, in quo ipsæ damnantur. 85, 86. Privilegia concessa monasterio S. Medardi. 87, 88. Ingobergæ reginæ, et Sanctuli obitus. 89-92. Inter Chaganum ducem Abarum, et Priscum ducem Romanorum res bellicæ et fœdus. 93-97. Sanctarum Gliceriæ et Euphemiæ miracula. 98. Theodosius filius Mauritii, et Colinduch martyr.

DXCIV. 1-5. Gregorius papa Constantium episcopum Mediolanensem instruit circa schismaticorum præsumptiones. 6, 7. Episcopi in Africa pugnant in Donatistas. 8-15. Pro Judæorum conversione laborat Gregorius, et Gentilium in insula Sardiniæ, pro quibus legatio et litteræ ad episcopos, clericos aliosque. 16-18. Episcopos et monachos monet ac corripit Gregorius. 19. Locis sanctis consulit. 20-25. Gregorii Epistola ad Constantiam Augustam, petentem reliquias S. Pauli. 26. De Rusticiana, et nutrice S. Gregorii. 27. Synodus Metensis. 28. Erratum in Paschate. 29. Obitus Gregorii episcopi Antiocheni. 30. Evagrii historiæ finis. 31. Obitus Maximiani episcopi Syracusani.

DXCV. 1-6. Irruptio Longobardorum, rege Agilulpho, interrumpit Gregorium a concionibus super Ezechielem Prophetam. 7, 8. Gregorii virtus ex ejus homiliis. 9-15. Miserandus Urbis et Italiæ status, grassantibus Longobardis. 16-19. Quanta cura saluti Urbis prospexerit Gregorius. 20-26. De pace agens cum Agilulpho deridetur Gregorius a Mauritio. 27-37. De origine et progressu præsumptionis episcopi Constantinopolitani se vocantis Œcumenicum. 38-52. In prædicta controversia acriter pugnat Gregorius, scriptis Epistolis ad Joannem ipsum, Mauritium, Augustam, aliosque. 53-56. Causa Joannis et Athanasii presbyterorum in Romana Synodo judicata. 57-59. Synodi Romanæ canones. 60-66. Maximus episcopus Salonitanus, Gregorii opera legitimus evadit. 67. Anastasius Sinaita episcopus Antiochenus. 68. Amos episcopus Hierosolymæ. 69, 70. Ad Galliæ reges Gregorii litteræ. 71. Gregorius libros mittit ad S. Leandrum. 72, 73. Pro Anglorum conversione mira studia Gregorii. 74-78. Mortuo Joanne, Marinianus eligitur episcopus Ravennates, ad quem avaritia correptum scribit Gregorius; deque illius Ecclesiæ privilegiis. 79. Gregorius neminem invitum ad episcopatum cogebat. 80, 81. Monachorum disciplinæ et commodis inservit Gregorius. 82-84. Pseudopropheta in Gallia. 85-89. De S. Aredii sanctitate et miraculis. 90. S. Sulpitii episcopi Bituricensis obitus.

DXCVI. 1, 2. Joannis Jejunatoris obitus et falsa sanctitas. 3-5. Ei succedit in sede Constantinopolitana Cyriacus, qui ad Gregorium mittit legatos. 6-8. A Longobardis, quibuscum frustra pacem tentat Gregorius, dira patitur Urbs et Italia. 9-14. De Anglorum conversione sollicitus Gregorius eo mittit Augustinum et socios. 15. Episcopos circa officia charitatis admonet Gregorius. 16-19. Ad Donatistarum in Africa et schismaticorum conversionem incumbit Gregorius. 20, 21. De regibus Galliæ.

DXCVII. 1-5. Legatio Cyriaci ad Gregorium Catholicam communionem expetentis. 6-15. Anatolio apocrisiarii munere proficiscenti Constantinopolim dat Gregorius litteras ad Mauritium et Eulogium de quæstione nominis Œcumenici; additque alias ad alios optimis documentis refertas. 16-19. Brunichildem reginam de quibusdam abusibus ex Gallia evellendis admonet Gregorius. 20-27. Augustini et sociorum res optime gestæ in Anglia. 28. Concilium Toletanum. 29. Antiochi anachoretæ sanctitate clari obitus.

DXCVIII. 1-7. De conversione hæreticorum Alexandriæ, ad hujus patriarcham scribit Gregorius, et dat magnum specimen humilitatis. 8-10. De pace cum Longobardis sancienda per Probum abbatem

agit Gregorius. 11. Victoria in populos Sclavos. 12-15. Hæreticis Thessalonicæ, et Judæis in Sicilia convertendis dat operam Gregorius. 16-19. Officium et dignitas defensorum instituitur a Gregorio. 20-22. Monasterio Classensi consulit, et Calaritanum episcopum redarguit Gregorius. 23. De oleo sanctæ Crucis. 24-28. Mauritii testamentum, et Theodori episcopi miracula. 29-31. Concilium Oscense in Hispania, et Narbonense. 32, 33. Guntheramni regis obitus.

DXCIX.* 1-3. Pax inita cum Longobardis, non tamen proficua. 4. De causa episcopi Bizaceni. 5, 6. Ad Synodum Constantinopolitanam adeuntes monet Gregorius Orientis episcopos. 7-9. Schismaticorum conversio, et Anastasii episcopi Antiocheni obitus et scripta. 11, 12. Ipsi succedit itidem Anastasius nomine, ad quem scribit Gregorius. 13. Epistola Gregorii ad Mauritium pro eleemosina accepta. 14-18. Gregorius podagra confectus, curas non remittens scribit ad plures; ubi de sacrarum Imaginum cultu. 19-21. Gregorii documenta ad Missæ ritus spectantia. 22. De Claudio viro insigni. 23, 24. Concilium Barcinonense. 25-27. Reccaredi munera ad S. Petrum, ad quem regem, et ad S. Leandrum scribit Gregorius. 28. Pestis in Africa.

SUMMARIUM

TOMI XI.

Romam oppugnaturos auxilia poscit Gregorius. 21. Pro custodia Neapolis mittit Gregorius tribunum.

DCIV. 1-4. Pace facta cum Longobardis, Gregorius gratulatur per litteras Theodolindæ de nato ei filio, cui mittit munera. 5. De Epistolis Gregorii ad sua loca restituendis. 6. De Florentio electo episcopo Anconitano. 7-10. Ad consultationes episcoporum respondet Gregorius de impedimento consanguinitatis in matrimonio. 11-13. Severus et mitis in corrigendo Gregorius. 14, 15. Basilicis SS. Apostolorum assignata prædia pro luminaribus. 16, 17. S. Gregorii obitus et sepulcrum. 18-29. S. Gregorii laudes, scripta, res gestæ, et ejus ac parentum imago. 30-53. Fabula destruitur de anima Trajani ab inferis per Gregorium revocata. 54. De creatione Sabiniani papæ. 55-65. Augustinus in Anglia fidem Catholicam propagat, et schismaticos pugnat, episcopos creat, moritur, eique succedit Laurentius, et ipse laboribus insignis. 66, 67. Honores venales in Oriente. 68-70. Prœlia cum Persis, duce Romanorum Domitio.

DCV. 1. Adaluvaldus rex Longobardorum. 2-7. De Aquileiensi et Gradensi patriarchis. 8. Sabiniani papæ interitus. 9. Penuria. 10. Narses vivus combustus ab imperatore.

DCVI. 1-3. Bonifacius papa III creatur, cui favet Phocas contra Cyriacum episcopum Constantinopolitanum. 4-7. Phocas cur obstiterit Cyriaco, qui moritur; ubi de primatu Romani Pontificis. 8. Concilium Romanum, et Bonifacii obitus. 9. Faustus monachus scribit Vitam S. Mauri abbatis.

DCVII. 1. Bonifacius papa IV, qui Pantheon Deo dicat. 2-5. Phocas cæde nobilium et propinquorum Mauritii cruentatur, ubi de sanctis hujus familiæ feminis. 7-11. S. Theodori prodigia et prædictiones.

DCVIII. 1. Phocas in cives, Persæ in imperium bacchantur. 2-5. Defuncto Thoma episcopo Constantinopolitano succedit Sergius, virtute in suis primordiis conspicuus. 6-8. S. Theodori exhortationes et miracula. 9, 10. S. Eulogii patriarchæ Alexandrini obitus et scripta. 11. De S. Victoris martyris inventione.

DCIX. 1. Bonosus Orientis præfectus a S. Theodoro increpatus et admonitus. S. Anastasius episcopus Antiochenus occiditur a Judæis. 4-6. Tumultus et cædes Constantinopoli, et belli motus ubique.
DCX. Heraclius Phocam bello superatum occidit, imperator coronatur. 6. Clades Romanorum a Persis. 7-9. Joannes eleemosynarius episcopus Alexandrinus, et ejus sanctitatis primordia. 10, 11. Concilium Romanum pro rebus Angliæ, et de dedicatione ibidem Ecclesiæ S. Petri. 12-14. Concilium Toletanum Ecclesiæ Toletanæ jura vindicans.

DCXI. 1. Eudociæ Augustæ partus et obitus. 2-6. Obitus S. Austregisili Bituricensis episcopi, a quo Guarnerii exactoris furor et avaritia repressa.

DCXII. 1. Saracenorum in Syriam incursiones. 2-13. S. Columbanus a Theodorico et Brunichilde vexatus et a Gallia pulsus, sanctis gestis, miraculis ac prophetiis clarescit. 14. S. Desiderii episcopi Viennensis martyrium.

DCXIII. 1, 2. A Persis capta Damascus, ubi in sacrilegos ultio divina. 3. Heraclii incestuosum conjugium. 4. S. Theodorii Siceotæ obitus. 5, 6. Theodobertus Francorum rex a Theodorico fratre victus regno spoliatur. 7-9. S. Columbanus in Italiam venit ad Longobardorum conversionem. 10. Edilberthi Angliæ regis obitus. 11, 12. Sub Eadualdo rege Anglicanæ Ecclesiæ persecutio.

DCXIV. 1. Bonifacii papæ obitus, et electio Deusdedit. 2, 3. Rex Angliæ conversus revocat episcopos. 4-10. Theodorici et Brunichildis mors teterrima; ubi præclarum Fridiburgæ virginis facinus. 11-13. Clotharius solus regnat in Gallia consiliis Faronis bene usus. 14-22. Hierosolymorum devastatio per Persas, cui medetur Joannes episcopus Alexandrinus, et quam deflet Antiochus monachus. 23-31. Antiochi homiliæ et litteræ narrantis cædem et dispersionem monachorum Hierosolymæ. 32-39. Lignum S. Crucis apud Persas a Cosrhoe allatum virtutibus clarescit. 40-42. Sisebutus regnat in Hispania, ejusque et imperatoris zelus in Judæos.

DCXV. 1-5. Persis vastantibus Ægyptum, Joannis Alexandrini sollicitudines, qui et simoniam exturbat

6-7. Eleutherius exarchus in Italiæ regem convertitur. 8. Deusdedit papæ, pestis tempore, miraculum. 9-12. S. Arnulphum Metensem episcopum, aliosque sanctos viros colit Clotharius. 13, 14. Clotharii adversus Burgundiam expeditio; ubi de usu campanarum. 15. S. Columbani obitus.

DCXVI. 1-3. Ecclesia S. Joannis Baptistæ in Modoetia per Theodolindam erecta et ditata. 4-7. Orientali imperio collabente, Modestus monachus curat Hierosolymorum Ecclesiam.

DCXVII. 1-3. Deusdedit papæ obitus, et ejus de spirituali cognatione Decretum, eique succedit Bonifacius V. 4-16. In Agrestinum monachum turbas excitantem Concilium Matisconense colligitur; illiusque et asseclarum exitus. 17. Legatio Heraclii a Cosrhoe rejecta.

DCXVIII. 1-3. Fide Catholica in Anglis prosperante, Bonifacius papa gratulatur per Epistolam ad Justum Rossensem archiepiscopum. 4-8. Heraclii pragmatica sanctio de numero clericorum Ecclesiis inservientium.

DCXIX. 1-4. Concilium Hispalense. 5. Sisebuti regis in Hispania obitus. 6. Capta a Persis Ancyra Galatiæ.

DCXX. 1-5. Nicetæ patricio pecunias paranti ad bellum jussu imperatoris, Joannes Eleemosynarius mire præsto est. 6-9. Joannes Eleemosynarius in Cyprum redit, et testamento facto moritur, miraculis clarus. 10, 11. Georgius Joannis consobrinus ei succedit in episcopatu.

DCXXI. 1, 2. Heraclius divinam opem implorans parat bellum in Persas. 3-9. Persarum copias victoriis elatas Romani divinitus superant ac profligant. 10-13. Anastasius Persa migrans Hierosolymam baptizatur.

DCXXII. 1-10. Heraclius in Persas pugnaturus ducit exercitum in Persidem, urbes capit, usque in Albaniam penetrat, fugiente Cosrhoe a facie ejus.

DCXXIII. 1-7. Annus tertius belli Persici post varia prœlia cum victoria Heraclii clausus.

DCXXIV. 1-3. Quartus annus belli Persici feliciter pro Romanis confectus, magnum virtutis specimen præbente Heraclio. 4, 5. Obitus Melliti episcopi in Anglia sanctitate insignis.

DCXXV. 1-6. Quintus annus belli Persici, in quo Cosrhois copiæ Barbarorum auctæ præsidiis et Constantinopolim usque grassantes, ope præsertim B. M. V. sternuntur. 7-9. S. Paulinus episcopus Eboracensis laborat pro conversione Anglorum Borealium, occasione nuptiarum eorum regis Eduini. 10-14. Bonifacii papæ Epistolæ paræneticæ ad Eduinum et ejus conjugem Edelburgam jam Christianam. 15, 16. Bonifacii papæ obitus et res gestæ.

DCXXVI. 1. Honorius papa creatur. 2, 3. Sextus annus belli Persici felix item Romanis. 4-13. Cæsareæ in Palæstina nobilissimum Anastasii Persæ Christiani certamen et cruciatus. 14-26. Eduinus rex in Anglia miris modis ad fidem Catholicam vocatur. 27-41. Adalvado Longobardorum rege pulso, subrogatur Ariovaldus, qui, utpote Arianus, negotium facessit presbyteris et monachis, quorum abbas S. Bertolfus legatione adit Honorium papam.

DCXXVII. 1-12. Anastasius in Persidem ductus post gloriosum certamen martyrio coronatur. 13, 14. Heraclius potitur oppidis et bonis Cosrhois in Perside. 15-18. Cosrhoes miserrime necatur a filio. 19-22. S. Anastasii triumphus in ejus translatione reliquiarum. 23-29. S. Crucis triumphus in Heraclii triumpho redeuntis Constantinopolim. 30-36. Eduinus rex cum familia et fere universo populo baptizatur in Anglia, unde ibi pax et felicitas.

DCXXVIII. 1, 2. Heraclius S. Crucem refert Hierosolymam; unde festum Exaltationis S. Crucis. 3. Collapsum Persarum imperium. 4. Legationes ad Heraclium. 5, 6. Heraclius magno suo damno sacris se immiscet dogmatibus.

DCXXIX. 1-5. Athanasio Monothelitæ nimis indulgens Heraclius hæresim fovet. 6-12. Ciri et Sergii in Heraclio circa fidem decipiendo quæ fuerint partes.

DCXXX. 1-12. Mahometis obitus, de cujus sectæ origine et progressu multa. 13. Cyrus episcopus Alexandrinus. 14-16. Primogenius creatus ab Honorio Gradensis patriarcha, cui civitati favent summi Pontifices cum Venetis contra Longobardos. 17. De S. Vincentio abbate et martyre in Hispania.

DCXXXI. 1. Arabes Romanum invadunt imperium. 2-4. Clotarius moritur, qui virtutibus pollens S. Lupum mire coluit. 5-8. Sub Dagoberto ejus successore elucet Pippinus major virtute et pietate. 9, 10. De S. Wirone episcopo. 11, 12. Arnulphus Metensis, et Eligius Noviomensis episcopi sanctitate conspicui Dagoberto familiares. 13. De S. Bavone in Gallia.

DCXXXII. 1. Arabes Saraceni invadunt Gazensem regionem. 2-7. S. Amandus episcopus in exilium a Dagoberto pulsus, eo quod ejus nuptias sacrilegas reprehendisset, in Vasconiam ad gentiles convertendos pergit.

DCXXXIII. 1, 2. Ingruentibus Saracenis Heraclius Constantinopolim defert lignum S. Crucis; ubi de ejus cultu. 3-16. Cyrus in Synodo Alexandrina dolose insinuat hæresim Monothelitarum, eique adversatur Sophronius episcopus Hierosolymorum, cujus extat Epistola ad Honorium papam et Sergium. 17-24. Sergii Epistola ad Honorium pro Cyro et contra Sophronium Catholica specie tenus habenda. 25-31. Honorii responsio ad Sergium, quæ delucidatur. 32-36. Quam prudenter Honorius Sergio assensus fuerit circa silentium de duabus operationibus in Christo; unde frustra hæresis insimulatus. 37- 43. Legatio Sophronii ad Honorium, et hujus Epistola ad Sergium Catholicum dogma declarantis. 44-52. Ex utrisque Honorii Epistolis, aliisque documentis comprobatur ejusdem Pontificis Catholica omnino sententia. 53, 54. Sophronius Hierosolymæ episcopus defenditur. 55, 56. Monothelitarum hæresis triplex. 57-60. Honorius papa Epistolam adhortatoriam ad Eduinum regem, et ad episcopos Angliæ mittit pallia cum litteris. 61-66. A perduellibus necatur Eduinus; unde perturbatio in Anglia, et apostasia successorum. 67. Honorii papæ ad Scotos litteræ de celebratione Paschatis. 68-72. Concilium Toletanum quartum, cui præfuit S. Isidorus.

DCXXXIV. 1-4. Saraceni invadunt Ægyptum, inde clades et excidia. 5-16. Osuvaldus sanctissimus rex, nepos Eduini vincit Carduellam invasorem, fidem Catholicam instaurat, vocato ex Scotia Aidano episcopo, et aliis apostolicis viris.

DCXXXV. 1-8. Saracenis loca sancta extra Hierusalem grassantibus, Sophronii episcopi flebilis homilia. 9-11. S. Byrinus ab Honorio missus in Angliam ad evangelizandum.

DCXXXVI. 1-5. Hierosolyma capta a Saracenis, S. Sophronius magno Ecclesiæ damno moritur. 6. Concilium Toletanum quintum. 7-9. S. Isidorus moritur scriptis clarus, eique succedit hæreticus Theodiscus, qui privatur episcopatu. 10-16. Justi archiepiscopi Toletani obitus; ubi series illius sedis archiepiscoporum. 17-19. De episcopis Cæsaraugustanis Joanne et Braulione, et Conantio Palentino.

DCXXXVII. 1-2. Antiochia capta, et reliquiæ translatæ in Occidentem.

DCXXXVIII. 1-4. Honorii papæ obitus ac res ab eo gestæ, et maxime exstinctio schismatis Histrianæ. 5-10. De deprædatione patriarchii Lateranensis, et persecutione Romanæ Ecclesiæ sub Severino Honorii successore. 11, 12. Concilium Toletanum sextum; ubi laudes regis Cinthilani. 13, 14. Ariovaldo succedit Rotharis rex Longobardorum, et ipse Arianus.

DCXXXIX. 1-2. Heraclius Ecthesim promulgat, hoc est, expositionem fidei hæreticam, præsumens eam probari a Severino Pontifice. 3, 4. Severini papæ obitus et res gestæ. 5-7. Legatio a Scotis ad Severinum, quibus Romanus clerus respondit. 8-16. Ecthesis Heraclii confirmata in Synodo Constantinopolitana, plaudente Cyro Alexandrino. 17. Defuncto Sergio, subrogatur Pyrrhus in sede Constantinopolitana, et ipse hæreticus. 18. Imperium Persarum a Sarracenis invasum. 19, 20. S. Amandus baptizat Sigebertum filium Dagoberti regis ad bonam frugem conversum.

DCXL. 1-4. Joannes papa in Synodo fortiter damnat edictum Heraclii, et Monothelitas, ac defendit Honorium. 5-7. Maximi genus et primordia. 8-10. Heraclius negat edictum esse suum. 11. Cyri episcopi Alexandrini obitus. 12. Richarius Francorum legatus ad regem Slavorum. 13. Sub rege Earconberto Ecclesia Anglicana propagatur.

tur. 2-7. Concilium Toletanum octavum. 8, 9. Mediterraneorum Anglorum conversio. 10. Honorii archiepiscopi Dorovernensis obitus, et reginæ Osithæ martyrium in Anglia. 11. Colossus Rhodius a Saracenis fractus. 12-19. De Manichæis in Armenia degentibus.

DCLIV. 1-6. S. Martini obitus, martyris cultu merito venerati, cui succedit Eugenius. 7, 8. Navali prœlio a Saracenis victus imperator. 9. Rotharis regis Longobardorum obitus. 10, 11. Folliani et Levini martyrium; et de aliis sanctitate insignibus viris.

DCLV. 1-4. Eugenio papa defuncto, Vitalianus eligitur, ad quem Constans imperator dolose mittit munera. 5. Petri Constantinopolitani episcopi qualis fidei professio ad Vitalianum data. 6-11. In Britannia Saxonum Orientalium, et Merciorum conversiones. 12. Concilium Toletanum nonum.

DCLVI. 1-27. Acta Maximi abbatis cum legatis imperatoris, qui eum ad hæresim perducere conantes, ad fidem Catholicam convertuntur. 28-37. Maximi Constantinopolim reducti nova cum hæreticis certamina. 38-40. Petro mortuo succedit Thomas episcopus Constantinopolitanus, de cujus fide Catholica opinio. 41-46. Concilium Toletanum decimum, in quo post Potami episcopi Bracarensis ultro pœnitentis depositionem, S. Fructuosus ei substituitur.

DCLVII. 1-29. In senatu Constantinopolitano Maximus coram judicibus rogatus se a calumniis defendit, et Catholicam fidem contra Monothelitas tuetur, donec, cruciatibus fractus, una cum discipulis præclaro occumbit martyrio. 30-36. Index librorum quos S. Maximus elucubravit. 37-39. S. Eugenii episcopi Toletani obitus et scripta. 40-46. S. Ildefonsus eidem succedit, de sede Toletana benemeritus, et erga Deiparam devotione conspicuus.

DCLVIII. 1, 2. Joannes episcopus Constantinopolitanus. 3-7. S. Theodardi episcopi in Gallia martyrium, regnante Childerico.

DCLIX. 1-3. Constans, occiso fratre, conscientia agitatus in Siciliam venit. 4-6. Occiso Rodoaldo Longobardorum rege, succedit Aripertus.

DCLX. 1-3. Clodoveus sacrilege diripit thesaurum Ecclesiæ S. Dionysii.

DCLXI. 1. S. Amandi episcopi Trajectensis obitus et res gestæ. 2. Lupus dux Longobardorum Grados insulam deprædatur. 3. Ecclesia S. Joannis Baptistæ erecta a Recesuintho rege in Hispania.

DCLXII. 1-3. Concilium Clypiacense et Cabilonense in Gallia, Clodoveo rege.

DCLXIII. 1-6. Constantem Romam venientem, ibique commorantem Vitalianus papa benigne excipit, et uti Catholicum prudenter habet. 7, 8. Constantis adversus Longobardos res bellicæ.

DCLXIV. 1. Constantinus episcopus Constantinopolitanus fortasse catholicus. 2, 3. Sclavorum in Italia clades. 4-15. Collatio episcoporum in Anglia quæstionem de celebratione Paschatis definientium. 16-18. Ecgberti sanctitas in Anglia. 19, 20. Regum Anglorum apostasia, et deinde ad fidem reversio. 21, 22. De Clodovei obitu, ejusque filiis successoribus. 23-26. Aigulphi abbatis et sociorum martyrium, ubi controversia de translatione in Gallias corporis S. Benedicti. 27, 28. S. Gertrudis virginis obitus et laudes.

DCLXV. 1-6. Angliæ regi per legationem petenti episcopum respondet Vitalianus papa, optime consulens. 7-12. Obitus S. Eligii episcopi Noviomensis, ejusque miracula; ubi de S. Bathilde regina. 13. Wandregisili obitus et sanctitas.

DCLXVI. 1. Theodorus episcopus Constantinopolitanus hæreticus audacissimus. 2, 3. Concilium Emeritense in Lusitania.

DCLXVII. 1. Saporius Armeniæ præfectus ab imperatore desciscit. 2, 3. Episcopum Lappæ in Creta appellantem ad Romanum Pontificem rite judicat Vitalianus. 4, 5. S. Ildefonsi episcopi Toletani obitus et laudes.

SUMMARIUM

TOMI XII.

DCLXXX. 1-3. Ad Synodum Romæ habitam ab Agathone confluunt legati, atque episcopi sanctitate insignes. 4-35. Ab eadem Synodo legatio ad imperatorem cum litteris tum Agathonis papæ, tum episcoporum. 36-40. Legatis Constantinopoli cum honorificentia habitis, imperator ut Synodus ibidem congregetur dat operam. 41-50. Sexta Synodus a Trullo dicta præsidentibus legatis Sedis Apostolicæ, qui in sex Sessionibus contra Monothelitas strenue pugnant. 51, 52. Pestis ingens in Italia. 53-55. S. Hildæ virginis obitus. 56-58. Regis Wambæ in Hispania abdicatio et Ervigii substitutio.

DCLXXXI. 1-48. Reliquæ decem et octo Sessiones sextæ Synodi, in quibus Monothelitæ Macarius Antiochenus episcopus, Polychronius et cæteri damnantur; ubi ex Actis Synodalibus Honorii papæ memoria defenditur. 49-53. Epistola Synodalis ad Agathonem papam. 54-57. Circa eamdem sextam Synodum animadversiones et commenta. 58-61. Concilium Toletanum XII. 62-66. Peste in Anglia grassante, miracula.

DCLXXXII. 1. Mortuo Agathone papa, Sedes vacat. 2-9. Theodorus syncellus antea hæreticus in sedem Constantinopolitanam restitutus, depravasse Acta Synodalia convincitur. 10-13. Concilium Rothomagense.

DCLXXXIII. 1. Leo II papa. 2-4. Legati Romam redeunt depravata Acta Synodalia referentes. 5-22. Epistolæ Leonis papæ circa sextam Synodum apocryphæ demonstrantur. 23, 24. Concilium Toletanum decimum tertium. 25, 26. Acta sextæ Synodi a Leone missa ad Hispaniæ episcopos.

DCLXXXIV. 1. Leonis papæ obitus. 2, 3. Benedictus papa ejusque litteræ apocryphæ. 4-6. Concilium Toletanum XIV. 7. Filii imperatoris dati in filios Benedicto papæ. 8. Theodorus episcopus Constantinopolitanus moritur. 9. Hibernia ab Anglis vastata.

DCLXXXV. 1, 2. Mortuo Constantino regnat Justinianus qui Manichæos exagitat in Armenia. 3. Errores Armeniorum. 4-7. De litteris Benedicti papæ ad Hispanos datis. 8. Theophanes episcopus Antiochenus moritur. 9, 10. Reliquæ res gestæ Benedicti papæ, cui succedit Joannes V.

11-22. Ebroinus in Gallia, Theodorico rege favente, episcopos et maxime S. Leodegarium ad necem vexat.

DCLXXXVI. 1-3. Defuncto Joanne, Conon papa eligitur, represso schismate. 4, 5. Justinianus fidei Catholicæ proditor. 6-10. De S. Kiliani apostolatu. 11-13. Juliani Toletani episcopi adversus Judæos scripta.

DCLXXXVII. 1-5. Mortuo Conone, Paschalis schisma invalescit, Sergius papa eligitur. 6. Sergii virtus et Ebroini in Gallia interitus. 7, 8. S. Cudberti episcopi et Ervigii regis in Hispania obitus.

DCLXXXVIII. 1-5. Concilium Toletanum XV Egicanis regis pietate illustratum, ubi Julianus Toletanus episcopus reprehensus. 6-8. De Egicanis juramento Ervigio præstito in Concilio tractatio et sententia. 9. Mortuo Theodorico succedit Clodoveus tertius rex Francorum.

DCLXXXIX. 1-4. Ceadvaldæ regis Anglorum peregrinatio ad Urbem, baptismus et obitus. 5-8. Plures Ceadvaldæ reges, et cur hic pietate insignis rex Saxonum dictus. 9-16. Kiliani et sociorum martyrium in Germania.

DCXC. 1-6. S. Ecgbertus cum sociis sollicitus ut ad Germaniæ populos adhuc ethnicos Evangelium deferat. 7-9. Duodecim viri apostolici in Germaniam ituri Romam prius mittuntur ab Ecgberto. 10, 11. S. Theodori episcopi Dorovernensis et aliorum sanctorum obitus. 12-14. Sarracenis Cyprum invadentibus Ecclesia disperditur, ubi de episcopis transmigrantibus sanctio.

DCXCI. 1. Concilium Cæsaraugustanum. 2-4. Mortuo Bertharido succedit ejus filius Cunipertus, in quem insurgens impius Alachis occiditur.

DCXCII. 1-4. Conciliabuli Constantinopolitani tempus. 5-14. Eadem Synodus sub nomine *Quini-Sextæ* fatua et illegitima. 15-33. Per dictam Synodum sanctissimi antiquiores canones destruuntur, et Ecclesiastica disciplina funditus evertitur. 34-38. Misso exercitu imperator subscriptionem Synodi per vim extorquere conatur a Sergio, quem renitentem populus tuetur. 39-52. Constans sequentium Romanorum Pontificum et Ecclesiæ latinæ consilium in respuendis sextæ Synodi canonibus, et inde Græci in deterius lapsi.

DCXCIII. 1-6. Concilium Toletanum XVI, in quo Sisbertus archiepiscopus Toletanus perduellionis reus deponitur. 7, 8. Justinianus imperator in se odium populi excitat. 9-11. Duo Ewaldi martyres in Saxonia.

DCXCIV. 1-4. Leontius, Justiniano turpiter pulso, imperium occupat. 5-8. Concilium Toletanum XVII, ubi adversus Judæos tumultuantes Decreta.

DCXCV. 1, 2. S. Wigberti in Frisia martyrium et sociorum gesta. 3-6. S. Suviberti apostolatus et res gestæ. 7, 8. SS. Ansberti et Audomari obitus.

DCXCVI. 1-12. S. Wilbrordi in episcopum Frisiæ ordinatio, et Suviberti ingens miraculum de mortuo ad vitam revocato. 13. Tumultus in Africa et Leontii ab imperio dejectio. 14, 15. Sarraceni penitus Africæ potiuntur.

DCXCVII. 1-5. Willebrordus Roma rediens in Germaniam religionem restituit, adjuvante Swiberto. 6, 7. Ad Danos prædicat Evangelium Willebrordus. 8, 9. Concilium Trajectense, et qui viri apostolici ibi floruerint. 10. Marcellini apostolatus.

DCXCVIII. 1-7. Lamberti Tungrensis episcopi martyrium et causa martyrii. 8. Synodus Aquileiensis. 9. Ingens Sarracenorum cædes.

DCXCIX. 1. S. Hubertus episcopus Leodiensis. 2, 3. S. Althelmi res gestæ et scripta. 4-7. Pro restituendo canonico Paschate inter Britones laborat Adamnanus. 8, 9. Ejusdem Commentarius de locis sanctis Palæstinæ.

DCC. 1. Ecclesia Catholica una eademque omni tempore. 2-5. S. Wilfrannus ad Frisios Evangelium prædicat, et miraculis fidem propagat.

DCCI. 1, 8. Sergii papæ obitus et præclara ejus gesta, maxime in ornandis Basilicis. 9, 10. Joannes VI papa, qui ab Italiæ militia contra exarchi vim defenditur. 11-14. Impio Witiza regnante in Hispania fides Christiana pessumdatur. 15-22. Quæ causa in Hispaniis apostasiam a fide et Sarracenorum occupationem produxerit.

DCCII. 1. Justinianus ad recuperandum imperium excitatur. 2. Gisulphi Beneventani ducis deprædationes. 3-8. S. Heimerammi episcopi Ratisponensis martyrium.

DCCIII. 1, 2. Justinianus, recepto imperio, a pluribus, maxime a Callinico episcopo Constantinopolitano, dignas exigit pœnas. 3. Cyrus episcopus Constantinopolitanus creatur, et Cunipertus rex Longobardorum moritur. 4, 5. S. Benedicti abbatis in Anglia res gestæ et obitus.

DCCIV. 1-3. S. Boniti ad limina Apostolorum peregrinantis res gestæ cum Ariperto regnum armis capessente, et miracula. 4-11. Edilredo regi in Anglia facto monacho succedit pius Coenredus, sub quo mira a Beda narrantur.

DCCV. 1-3. Joanne defuncto, Joannes VII papa creatur. 4-8. Concilium Romanum in quo S. Wilfridus calumniam passus absolvitur. 9, 10. Wilfridi in Britanniam reditus et sanctitas. 11. S. Heddi in Britannia episcopus. 12-15. S. Swiberti in Germania apostolici labores et miracula.

DCCVI. 1. Justiniani imperatoris adversus Bulgaros bellum.

DCCVII. 1, 2. Joannis VII papæ obitus et res gestæ.

DCCVIII. 1. Sisinnio papæ electo et mortuo sufficitur Constantinus. 2-5. Felix archiepiscopus Ravennates cum civibus ob schisma graves dat pœnas. 6, 7. Inter populos Germaniæ ortum bellum S. Swiberti opus exturbat.

DCCIX. 1-3. Constantinus papa ab imperatore Constantinopolim accersitur. 4. S. Wilfridi obitus. 5. Coenredi regis peregrinatio ad limina Apostolorum. 6. Dagobertus II rex Francorum.

DCCX. 1-3. Constantinus papa Constantinopoli. 4. Dira ultio imperatoris in Chersonenses.

DCCXI. 1. Papæ reditus Romam. 2-4. Swiberti prædicatione et miraculis Saxonum Ecclesia erigitur. 5-10. Justiniano et filio dire peremptis Philippicus Bardanes imperium occupat. 11, 12. In Philippicum hæreticum Romanorum execratio. 13, 14. Felicis Ravennatis ad communionem Catholicam et suam sedem reversio. 15. Benedictus episcopus Mediolanensis Romam venit.

DCCXII. 1, 2. Philippicus favens Monothelitis Joannem ejusdem sectæ ad sedem Constantinopolitanam evehit. 3-7. Episcopi Orientales a fide deficientes Pseudo-Synodum celebrant. 8-10. Ariperto defuncto succedit Luitprandus, qui confirmat donationem factam Ecclesiæ Romanæ, Petrum Ticinensem episcopum ab exilio revocat.

DCCXIII. 1, 2. Philippicus oculis captus imperio dejicitur. 3, 4. Anastasius imperator professionem Catholicam ad papam mittit. 5-16. De curatione virginis arreptitiæ Romæ in Ecclesia S. Joannis Baptistæ ad Aquas Salvias. 17-24. Ingressus Sarracenorum in Hispaniam, deleta Gothorum dominatione.

DCCXIV. 1. Constantini papæ obitus. 2, 3. De Synodo Londinensi falsa assertio. 4-7. Pipini obitus cui succedit, licet illegitimus, filius Carolus Martellus. — Peroratio cum gratiarum actione. — Explicit octavus Annalium tomus.

DCCXIV. Præfatio auctoris. 1, 2. Gregorii II Sedis tempus et electio. 3-5. Gregorii opera deposito Joanne,

DCCXXVII. 1-3. Rebellio et prœlia Constantinopoli adversus imperatorem. 4-17. Contra Iconoclastas strenue per litteras pugnat S. Germanus. 18-20. Joannes Damascenus contra hæresim bellator validissimus.

DCCXXVIII. 1, 2. S. Germanum perdere molitur Leo. 3-10. Joannes Damascenus fraude Leonis obtruncatam dexteram miraculose recuperat, ac se totum vindicandæ Catholicæ fidei dedicat. 11. Sutrium Longobardi occupant et restituunt.

DCCXXIX. 1, 2. Rex Longobardorum Luitprandus Gregorii hortatu resipiscit. 3-7. Inter Gradensem et Aquileiensem episcopos dissensionem compescit Gregorius missis ad episcopum Forojuliensem litteris. 8. Cometarum apparitiones.

DCCXXX. 1-5. A furente Leone in exilium pulsus S. Germanus, in ejus locum subrogato Anastasio. 6, 7. Germani labores et scripta. 8-11. Quid Joannes Damascenus contra Iconomachos et apostatam imperatorem scripserit.

DCCXXXI. 1-4. Defuncto Gregorio rebus gestis insignis, eligitur papa Gregorius III virtutibus clarus, qui ad Leonem mittit legatum. 5, 6. Martyres plures ob sacrarum imaginum cultum. 7-13. Bonifacio ex Germania papam consulenti optima hic per legatum documenta transmittit. 14-26. De Bedæ lucubrationibus, ætate et interitu. 27-30. Beda laudatur a Bonifacio. 31. Sarraceni victi et pulsi a Gallia Narbonensi. 32. S. Eucherius moritur.

DCCXXXII. 1. Irene nubit Constantino. 2, 3. Leo vi et armis sævit. 4, 5. Synodi Romanæ Constitutum et papæ Epistolam despicit Leo. 6-9. Sacris imaginibus et sanctorum reliquiis decorat Gregorius Basilicas Urbis.

DCCXXXIII. 1. Legatio frustra missa ad Leonem. 2. Sævit Leo in SS. imaginum cultores. 3. Carolus rex Sarracenos vincit. 4. Bonifacius contra hæresim pugnat.

DCCXXXIV. 1, 2. Inter alia martyrium S. Joannis abbatis. 3-7. Nothelmus episcopus Dorovernensis quem et alios consulit per Epistolam Bonifacius de cognatione spirituali.

DCCXXXV. 1-3. Hippatius, Andreas, Procopius, Basilius et alii quamplures martyres sub Leone.

DCCXXXVI. 1. Winilus episcopus Bojoariorum. 2. Sævit persecutio. 3. Rectum Philippi præfecti judicium de superstitionibus.

DCCXXXVII. 1-3. Hæresis in Germania.

DCCXXXVIII. 1-6. Bonifacius Romam venit papam consulturus, qui ei redeunti in Germaniam dat comitem Wilibaldum cum litteris commendatitiis ad episcopos et optimates. 7-9. Rex Alfonsus in Hispania fortiter obsistit Sarracenis, unde nomen Catholici. 10. De Wilicario episcopo Viennensi in Gallia.

DCCXXXIX. 1-4. Bonifacius episcopatus et parœcias designat in Germania, omnia per litteras approbante Gregorio. 5-7. Contra Luitprandum Romanis infestum et Basilicam S. Petri deprædantem Gregorius Caroli Martelli opem poscit.

DCCXL. 1-13. Concilium in Germania, de quo Epistola Bonifacii ad Cuthbertum archiepiscopum. 14, 15. Denarium divi Petri in Anglia institutum. 16, 17. Ingens Constantinopoli terræ motus. 18-25. Gregorii papæ adversus Longobardos auxilium poscentis legatio et litteræ ad Carolum Martellum.

DCCXLI. 1-5. Mortuo Leone solus imperat Constantinus impietatis successor, in quem rebellat Artabasdus. 6. Persecutio Christianorum per Sarracenos. 7-12. Gregorii III papæ obitus et res gestæ, ubi de oblatis in Ecclesia. 13. Zacharias papa creatur. 14-21. Caroli Martelli obitus, et de ejus animæ asserta damnatione refutata sententia. 22-28. Carolomannus succedens Carolo, de Synodo cogenda agit cum Bonifacio, qui de hoc et de aliis ad Zachariam scribit.

SUMMARIUM

TOMI XIII.

ovectus Michael Curopolata. 13-17. Monachi restituti ; pax Ecclesiæ reddita. 18-43. Epistola Nicephori episcopi Constantinopolitani ad Leonem papam cum fidei professione. 44-47. Testamentum Caroli Magni de rebus mobilibus. 48. De filiis et nepotibus Caroli Magni.

DCCCXII. 1-3. Manichæi jussu Michaelis imperatoris ad necem quæsiti. 4. Aliæ hæreses et mali mores Constantinopoli. 5-8. Platonis monachi sanctissimus obitus. 9-11. Rejecta conditio de fugitivis reddendis in bello contra Bulgaros. 12, 13. Legatio Michaelis imp. ad papam. 14-18. De tempore cladis acceptæ in saltibus Pyrenæis, quam Turpinus fabulis contexuit.

DCCCXIII. 1-7. Quibus viis et artibus Leo Armenus imperium capesserit, abdicante Michaele, et Bulgaris cuncta vastantibus et Christianos persequentibus. 8-10. Theophanes historicus. 11-15. Carolus legatos mittit Constantinopolim, Italiæ præficit Bernhartum, Ludovicum coronat imperatorem, laborat pro Ecclesia. 16. Concilia Moguntinum et Rhemense. 17-20. Concilia Turonense et Cabillonense : ubi multa de piis peregrinationibus. 21-24. Concilium Arelatense : et de electione episcoporum sanctiones.

DCCCXIV. 1-6. Quando et cur Leo Armenus in cultores SS. imaginum debacchatus fuerit. 7-23. Adhibitis suæ impietatis ministris, Leo Armenus congressum habet cum Catholicis, inter quos Theodorus eminet in defensione SS. imaginum. 24-26. Theodori Epistolæ de præpositis, qui scripto silentium polliciti erant. 27-32. Theodorus dat litteras Nicephoro patriarchæ in exilium pulso, cui sufficitur hæreticus Theodotus ; Niceta et alii exulantur. 33, 34. Processionibus celebrat Theodorus SS. imagines. 35-39. Theodori Epistolæ nomine præpositorum respuentis Pseudo-Synodum. 40-43. Ab hæreticis vafre premuntur Catholici, et maxime Theodorus, qui in exilium et carcerem pellitur. 44-55. Epistolæ Theodori e carceribus ad suos monachos scriptæ. 56. S. Zachariæ corpus missum Venetias. 57-62. Caroli Magni obitus et laudes. 63-65. Ludovicus successor in imperio.

DCCCXV. 1, 2. In Leonem Romanum Pontificem conjuratio. 3-10. Archimandritæ a Leone Armeno vexantur, deceptique in apostasiam incidunt. 11-17. Theodori Epistolæ adhortatoriæ de monachorum lapsu. 18-22. Furens Leo Armenus Theodorum flagris plecti jubet. 23-26. Hispani ad Francos confugientes bene habiti. 27-31. Consulit Ludovicus Hispanis colonis per constitutionem.

DCCCXVI. 1-4. Theophanis certamen et beata mors. 5-15. Theodorus denuo ob fidem Orthodoxam flagellatus, plures dat Epistolas. 16-19. Quomodo cum lapsis agendum sit, docet Theodorus. 20-23. Feminas, inter quas Mariam reginam in fide constantes Theodorus hortatur. 24, 25. Quot scripserit Epistolas Theodorus. 26-34. Confessores ubique existentes per Epistolam Theodorus in fide confirmat. 35, 36. Theodori testamentum. 37-47. Ad episcopos confessores Theodori Epistolæ. 48-53. Leo papa moritur : a quo Compestallana sedes in Hispania fuit erecta. 54-95. Res gestæ Leonis papæ, et munera ab eo collata Ecclesiis et monasteriis. 96-100. Stephanus quintus papa, qui Ludovicum imperatorem adit. 101. Stephani Decretum de electione Pontificis.

DCCCXVII. 1-4. Mortuo Stephano, Paschalis papa creatur, qui legatos mittit ad Ludovicum. 5. Ludovicus in vitæ discrimen adductus. 6-14. Concilium Aquisgranense. 15-18. Bernhardus cum primoribus Italiæ rebellantes a Ludovico reprimuntur et puniuntur. 19. Pallium mittitur ad Viennensem archiepiscopum. 20-23. Theodori Studitæ ad Paschalem papam Epistola. 24. Theodoti pseudopatriarchæ legatio rejecta a Romano Pontifice. 25-35. Theodori Epistolæ ad patriarchas Alexandrinum, Antiochenum et Hierosolymitanum. 36-39. Duo monachi Constantinopolim missi acriter decertant pro fide Catholica.

DCCCXVIII. 1-4. Litteræ Theodori et legatio per Epiphanium missa ad Paschalem papam. 5. De Methodio apocrisiario Nicephori. 6-13. Theodori catechetica Epistola ad dispersos fratres. 14-17. Paschalis papa extorres monachos excipit, monasterium ipsis ædificat, Ecclesiam S. Praxedis instaurat. 18-27. Persecutione recrudescente, Theodorus totus in Epistolis et laboribus : plures martyres. 28. Cœnobium Cassinense sanctitate floret.

DCCCXIX. 1-6. Ex conventu Aquisgranensi legationes ad singulas Ecclesias. 7-11. Nihil actum ab imperatoribus Carolo et Ludovico inconsulta Sede Apostolica. 12. Conventus in villa Engelheim. 13-16. Nova et sævissima in Theodorum Studitam tormenta. 17-20. Ejusdem alia Epistola hortatoria ad dispersos fratres. 21-28. Smyrnam delatus, alacrior ex cruciatibus, alias dat litteras, multa patitur Theodorus.

SUMMARIUM

TOMI XIV.

DCCCXLVI. 1,2. Sarraceni vastant Basilicas SS. Petri et Pauli. 3-6. Sarraceni post monasterii Cassinensis aggressionem divina ultione perempti. 7. Synodus Parisiensis. 8-17. De usurpatis Ecclesiarum bonis querelæ, et mala inde derivata imperatoribus. 18. S. Joannicii obitus.

DCCCXLVII. 1. Sergius de causa Hincmari et Ebbonis scribit in Gallias. 2-6. Sergius papa moritur munificentissimus erga Ecclesias. 7-9. Leonis IV ad summum Pontificatum electi primordia et virtutes. 10,11. Nullum jus imperatori in electione Pontificis, servatis aliis juribus imperialibus. 12,13. Capitularia quæ observanda Lotharius proposuit. 14-20. Ecclesias a Sarracenis deprædatas, et maxime Basilicam S. Petri magnificentius ornat Leo, et muneribus cumulat. 21-23. Serpens fugatus, incendium exstinctum, ædes constructæ a Leone. 24. Terræ motus in Italia. 25-30. Concilium Moguntinum Ecclesiasticæ præsertim immunitati vindicandæ celebratum. 31. Ethelvulphi Anglorum regis peregrinatio et pietas erga Romanam Ecclesiam. 32-35. Methodio defuncto sanctitate et doctrina insigni sufficitur Ignatius in sede Constantinopolitana.

DCCCXLVIII. 1,2. Consilium Leonis de nova erigenda civitate in Vaticano, suffragante Lothario. 3-11. Concilium Moguntinum posterius, et quis Gothescalcus hæreticus in eodem damnatus.

DCCCXLIX. 1-4. Leo papa instaurat mœnia contra incursum Sarracenorum, corpora sanctorum infert in Urbem, Ecclesias ornat. 5-11. Sarraceni prope Ostiam vi armorum divinitus profligati. 12. Epistolæ Leonis papæ fragmenta. 13-18. De Nomenoii tyranni intoleranda pervicacia, quam redarguunt episcopi Synodi Turonensis. 19. Translatio corporis S. Helenæ.

DCCCL. 1-3. Cordubensis Ecclesia nobilitata martyribus. 4. Ranimiro regi in Hispania succedit Ordonius filius. 5-7. Cur Nortmanni in Gallia ad regni partem admissi, in Hispania vero deleti. 8-13. Lupi ad Carolum regem litteræ admonitoriæ. 14-16. Franci a Bohemis victi, et fame ingenti vexata Germania.

DCCCLI. 1. Ludovicus imp. liberat Beneventanos a Sarracenis. 2-7. Persecutione in Hispania per Sarracenos perseverante, multorum martyrium. 8, 9. S. Eulogius Romam cogitans cum aliis sacerdotibus detrusus in carcerem. 10. Ebbonis archiepiscopi Rhemensis obitus.

DCCCLII. 1-4. Dedicatio novæ civitatis Leoninæ in Urbe. 5-7. E Corsica deducta colonia ad Romanum Portum. 8. De vico Sardorum. 9. Dona oblata Basilicæ S. Petri. 10-12. Conciliabulo episcoporum frustra laborante, martyres in Hispania multiplicantur. 13-15. Multi ex Christianis fugiunt, multi a fide deficiunt. 16-20. Conciliabulum Cordubense martyrii meritum deprimendum curat. 21, 22. Regis Sarraceni persecutoris dirus obitus. 23. De translatione S. Remigii. 24, 25. Synodus alia Moguntina sub Rabano.

DCCCLIII. 1-13. Synodi Suessionensis singula Acta in causa clericorum ab Ebbone ordinatorum. 14-16. Ejusdem Synodi approbatio facta a Romano Pontifice, et ab Hincmaro viciata. 17-22. Ex eadem Synodo capitularia Caroli regis de rebus Ecclesiasticis redintegrandis. 23,24. Nortmanni Galliam Aquitanicam invadunt, Nannetensem civitatem cædibus cruentant. 25-31. Cladem prosequentibus Nortmannis, et monasterium vastantibus corpus S. Martini Turone transfertur Antissiodorum. 32-34. Concilium generale Romanum sub Leone IV. 35-42. Acta in causa Anastasii presbyteri cardinalis excommunicati et depositi. 43-55. Persecutio in Hispania sub Mahomad Sarracenorum rege, in qua multi martyres, ex quibus virgines Digna, Columba et Pomposa fuerunt. 56-70. Fabula de femina papa penitus explosa.

DCCCLIV. 1-5. Leo papa novam civitatem ædificat Centumcellensem et Leopolim dictam dedicat. 6. Bellum civile Danorum. 7, 8. Concilium Constantinopolitanum damnat Gregorium episcopum Syracusanum : unde schismatis initium. 9-10. Michaelis imp. in deterius prolabentis turpia et impia facinora.

DCCCLV. 1, 2. Synodus Valentina in Gallia contra hæresim Gothescalci et duellantes. 3, 4. Concilium Ticinense. 5. Ludovicus imp. Romam venit. 6-12. Leonis papæ obitus et dona collata Ecclesiis. 13-20. Legationes ex Gallia et Britannia ad Leonem papam, et ejus Epistolæ. 21-26. Homilia S. Leonis IV ab episcopis recitanda subditis. 27, 28. Donatio regis facta Ecclesiæ Anglicanæ. 20-35. Mirabilia sub Leone IV exempla morientium. 36-49. Benedicto III papa electo, Anastasius Ludovico imp. suffultus pseudo-papa, multa molitus et operatus, tandem reprimitur. 50. Lotharius imp. factus monachus moritur. 51, 52. Theodora Augusta detrusa in monasterium , et de ejus filiabus.

DCCCLVI. 1-5. Inundatio Tiberis et pestis in Urbe. 6, 7. Legatus Michaelis imperatoris et rex Lazorum Romam veniunt. 8-10. Lupi litteræ consultatoriæ ad Benedictum papam. 11-23. Synodus apud Carisiacum, ex qua litteræ adhortatoriæ et capitularia Caroli Calvi ad reprimendos factiosos. 24, 25. Litteræ Apostolicæ Benedicti papæ ad episcopos sub Caroli regno constitutos. 26, 27. Rabani episcopi Moguntini obitus, et martyres Cordubenses.

DCCCLVII. 1. Concilium Moguntinum. 2-4. Apologeticum S. Eulogii pro defensione martyrum in Hispania. 5. Obitus Ethelvulphi Anglorum regis.

DCCCLVIII. 1-7. Benedicti papæ obitus, et munera oblata Ecclesiis. 8-12. Nicolaus a pueritia sancte et docte institutus papa eligitur, eique Ludovicus imp. humillima præbet obsequia. 13, 14. Bremensis Ecclesiæ unio cum Hamburgensi. 15, 16. S. Ansgarii labores apostolici. 17-45. Episcopi sub Caroli regno constituti ad Ludovicum regem Germaniæ paræneticam scribunt Epistolam. 46, 47. Carolus a Ludovico rege impetitus legatos mittit ad Ludovicum imp. et Nicolaum papam. 48, 49. Dona a Nicolao collata Ecclesiis. 50-55. Ignatio patriarcha expulso et dire vexato, Photius intruditur in sede Constantinopolitana.

DCCCLIX. 1-5. S. Eulogii martyrium. 6-16. Legatio episcoporum ad Ludovicum regem optime ad exitum per-

ducta. 17-32. Concilium generale Tullense, et ejusdem Acta tum circa fidem et mores, tum in causa Wenilonis. 33-40. Epistola synodalis ad Britanniæ episcopos, ubi quæstio de prærogativis Ecclesiarum Turonensis et Dolensis. 41-50. Alia synodalis Epistola ad factiosos. 51. De scholis litterarum instituendis in Gallia. 52, 53. Scholæ in Oriente restitutæ per Bardam, ubi de Psello et Metaphraste. 54-60. Conciliabulum Constantinopoli, et callida legatio tum Photii, tum Michaelis imp. ad Nicolaum papam adversus Ignatium. 61-67. Epistola Photii ad Nicolaum papam.

DCCCLX. 1-10. Legati mittuntur Constantinopolim cum mandato inquirendi, et cum litteris Apostolicis ad eumdem imperatorem. 11, 12. Bardas et Photius cuncta moderantur, Michaele imp. inepto et voluptuoso. 13-25. Pax inter reges Francos in Synodo Confluentana, et ejus capitula. 26-31. Ludovici et Lotharii ad Nicolaum litteræ auxilium poscentium contra Carolum fœdifragum. 32, 33. Tiberis inundatio duplex.

DCCCLXI. 1-7. Conciliabulum schismaticorum dictum ab ipsis Œcumenicum, ad quod Ignatius vocatus et indignissime habitus. 8-14. Quam vim passi fuerint legati in Synodo latrocinali, in qua et falsatæ litteræ Apostolicæ. 15-16. Tyrannica sententia et crudelitas Photii in Ignatium ejusque fautores. 17, 18. Canon de non ordinandis laicis et schismaticis. 19-23. Gravissimos perpessus cruciatus Ignatius fugit ac revertitur. 24-33. Theognosti libellus nomine Ignatii ad Nicolaum papam, et hujus litteræ ad Orientales. 34-54. Epistola Photii ad Nicolaum Pontificem data per legatos redeuntes in Urbem. 55, 56. Quid Nicolaus papa, acceptis litteris, coram Ecclesia Romana sanxerit. 57-64. Concilium Romanum in causa Joannis episcopi Ravennatis. 65. Ornamenta Ecclesiis oblata a Nicolao papa. 66. Alphonsus Magnus rex in Hispania.

DCCCLXII. 1-7. Constantinopoli incendium et terræ motus : Michaelis impietas, Photii cooperatio, et dolosæ in Ignatium sævitiæ. 8-18. Nicolaus papa Photii diluit imposturas per Epistolam eidem datam. 19. Encyclica Epistola ad Orientales Ecclesias. 20, 21. Synodus adversus Theopaschitas hæreticos. 22-31. Synodus Aquisgranensis Lotharii divortium turpiter approbat. 32-43. Crebrescentibus querelis adversus Lotharium, Synodus ad Sablonarias celebratur, intervenientibus aliis regibus Francorum ad tollenda scandala. 44-52. Litteræ mutuæ tum episcoporum, tum Nicolai papæ in causa Lotharii cognoscenda in Synodo Metensi. 53, 54. Nicolaus papa intercedit pro Balduino apud Carolum Calvum. 55-60. Legatis proficiscentibus ad Concilium dat Nicolaus commonitoria in causa Lotharii.

DCCCLXIII. 1-11. Romanum Concilium in causa legatorum prævaricatorum, in quo et sententia in Photium et restitutio Ignatii. 12-17. Quanta Photius crudeliter et subdole gesserit post suæ damnationis sententiam. 18-21. Metensis Synodus dicta prostibulum, in qua, corruptis auro legatis, regis divortium admittitur. 22-26. Litteræ Nicolai papæ ex Synodo Romana, et ejusdem capitula in factum Lotharii et ejus complices. 27-32. Episcopi prævaricatores in causa Lotharii adhærent Photio. 33-44. Photii Epistola circularis ad Orientales Ecclesias. 45-49. Armenorum errores. 50-62. Adventius, Metensis episcopus, nomine suo aliorumque episcoporum, qui Concilio Metensi in causa Lotharii interfuerunt, veniam precatur : ejus ea de re ad papam Epistola, qui eidem respondet. 63. Litteræ synodales ex Silvanectensi Concilio ad papam in causa Lotharii. 64-68. Nicolaus papa ad Hincmarum de confirmatione Concilii Suessionensis, et de privilegiis Ecclesiæ Rhemensis. 69-80. Libellus appellationis Rhotaldi episcopi ad Pontificem Nicolaum ob injustam depositionem ipsi inflictam per Hincmarum. 81-89. Nicolaus papa severe egit cum Hincmaro et episcopis Concilii pro restitutione Rhotaldi. 90. Nicolaus omnes in Urbe positos pascit pauperes. 91-93. Inter Nicolaum et Carolum Calvum de causa Balduini, et de Hincmaro acta. 94-97. De monasterio S. Carilephi Epistolæ Nicolai papæ.

SUMMARIUM

TOMI XV.

DCCCLXIV. 1-4. De Rodoaldi legati condemnatione. 5-8. Nicolai consilium de habenda Synodo in causa Lotharii : per litteras excusatorias episcopi conantur avertere. 9, 10. Quid Nicolaus egerit cum Lothario venire Romam pollicente. 11-15. Pro Rhotaldo injuste deposito Nicolai studium, qui tum ad eumdem, tum ad reges dat litteras. 16-18. Post litteras Nicolai ad Hincmarum Rhotaldus venit Romam et restituitur. 19-22. Lotharii Epistola ad Nicolaum papam. 23-27. Aliæ Lotharii litteræ ad Pontificem de legatis Theutgaudio et Gunthario. 28, 29. Nicolaus ad Rotlandum episcopum Arelatensem respondet Apostolicæ Sedi addictissimum. 30. Dona collata Ecclesiis a Nicolao. 31, 32. Nicolaus a multis consulitur : Sardos ab incestis nuptiis cohibet.

DCCCLXV. 1-3. Restitutio Rhotaldi solemniter facta et renuntiata. 4-8. Quid sentiendum de diversis canonum Collectionibus : ibi de Isidoro Mercatore. 9-31. Nicolai ad Galliæ episcopos litteræ de restitutione Rhotaldi : et aliæ tum ad regem, tum ad Hincmarum eadem de re. 32-52. Hincmari apologeticum in causa Rhotaldi. 53-58. Arsenius Nicolai legatus in Gallia cum litteris ad episcopos in Lotharii regno constitutos. 59-64. Arsenius in Gallia Lotharium a divortio revocat, Engeltrudem perjuram excommunicat. 65-68. Nicolai studium de pace firmanda inter Francorum reges et Ludovicum. 69, 70. — Fœdus ictum inter Francorum reges. 71. Episcopus Placentinus per Nicolaum restitutus. 72. Ædificia publica a Nicolao constructa. 73-96. Michaelis imp. lit-t as blasphemas et contumeliosas Nicolaus respondendo mirabiliter confutat. 97-100. Litteræ imperatoriæ igni damnatæ. 101, 102. Translatio reliquiarum : campanarum usus : S. Ansgarii obitus, cui S. Rimbertus succedit.

DCCCLXVI. 1,2. Bulgarorum rex cum sua gente ad fidem Catholicam conversus legatos mittit ad papam. 3. Legatio Pontificis tum ad Bulgaros, tum Constantinopolim. 4-7. Bulgarorum consultationibus respondet Nicolaus. 8-19. Legatos abeuntes Constantinopolim multis Nicolaus Epistolis munit ad plures datis, præsertim ad Theodoram imperatricem sanctitate insignem. 20-23. Ludovici imp. expeditio in Sarracenos Italiam infestantes. 24-28. Waldrada excommunicata a Nicolao papa. 29-42. Adventius episcopus pro Lothario litteras scribit ad Pontificem, et ipse Lotharius suum apologeticum. 43-47. Epistola episcoporum Lotharini regni ad episcopos in regno Caroli constitutos. 48-71. Synodus Suessionensis a Nicolao indicta et celebrata pro re Hincmari, Guntharii et Theutgaudi. 72-87. Epistola Synodalis et Hincmari et Caroli regis ad Romanum Pontificem, qui pariter dat litteras. 88-95. Pro Aquitanicis Ecclesiis et de aliis rebus Nicolai litteræ.

DCCCLXVII. 1-3. Legati Apostolici in Bulgaria fidem Catholicam optime constituunt. 4. Legati Constantinopolim non recepti. 5-41. Synodus Trecensis : et hinc litteræ Synodales, et Hincmari Epistola apologetica ad Nicolaum papam. 42-62. De schismate Photiano Epistola historica et doctrinalis Nicolai papæ ad episcopos Galliæ. 63-75. Objecta a Photianis in Romanam Ecclesiam, et maxime circa processionem Spiritus sancti diluuntur. 76-82. Quæ præcesserint et comitata fuerint Bardæ miserandum interitum. 83. Photius Bardæ mortuo insultat. 84-86. Photii irrita conamina in Nicolaum papam. 87-90. Tragicus Michaelis imp. interitus. 91-99. Basilius nonus imperator restituit Ignatium, pellit Photium, cujus detecta abominanda scripta. 100-107. Basilius circa Photii ejectionem consulit per litteras Romanum Pontificem. 108-113. Ignatii patriarchæ litteræ ad papam consulentis eumdem de lapsis et ordinatis a Photio. 114-119. Ob Theutpergam reginam male habitam a Lothario Nicolaus laborat, et excommunicationem regi minatur. 120-124. Humiles Lotharii litteræ ad papam venire Romam prætexentis. 125, 126. Prohibet Nicolaus Lotharium venire Romam. 127-130. Pro Helletrude vidua bonis spoliata a Lothario Nicolaus laborat. 131. Epistola pœnitentialis Nicolai papæ. 132. Corpus S. Clementis Romam delatum. 133-138. Nicolai postrema Acta, munificentia erga Ecclesias, laudes et obitus. 139-147. Hadrianus, cujus primordia et virtutes prædicantur, papa lætissimis auspiciis eligitur. 148. Dux Spoletinus invadit urbem et deprædatur. 149-157. Per litteras Hadriano papæ blanditur Lotharius, cui ille dat monitorium, agitque in causa divortii. 158, 159. In quibus a Nicolao prædecessore Hadrianus deflexerit.

DCCCLXVIII. 1-6. Hadrianus legatos mittit ad Bulgaros : Waldradam absolvit, datis litteris ad eamdem et ad episcopos. 7-9. Hadrianus coram Orientalibus seipsum justificat. 10-14. Hadriani litteræ redditæ ad Synodum Trecensem. 15-17. Hadriani litteræ ad regem Ludovicum. 18-33. Hadrianus consulit Actardo episcopo a sua sede Namnetensi per Nortmannos expulso, eique pallium confert. 34-39. Legatio Basilii imp. Romam, ubi tertio damnatus Photius et ejus volumina combusta. 40-43. Theognostem redeuntem Constantinopolim Hadrianus prosequitur litteris datis ad Basilium imp. et Ignatium patriarcham. 44-47. Mutuæ inter Photium et Joannem patricium litteræ. 48-50. Lotharii Romam adventus, recessus et interitus. 51, 52. Theutgaudi Trevirensis episcopi obitus. 53-56. Hadrianus ad Galliarum proceres, ut Ludovico imp. in regnum Lotharii succedenti sint fideles.

DCCCLXIX. 1-10. Legati Hadriani Pontificis cum ejusdem litteris ad Basilium imp. causa indicendi Concilium. 11-13. Legatis honorifice exceptis, aperitur Concilium. 14-60. Celebratio Concilii octavi Œcumenici Constantinopolitani cum suis singulis decem actionibus pro condemnatione Photii, quod Basilii imp. pietas illustravit. 61-64. Ejusdem Concilii accurata defensio. 65-67. Litteræ ex Synodo, et circa subscriptionem controversiæ. 68-79. Contentio coram legatis agitata de diœcesi Bulgarorum. 80-85. Libelli subscripti primum ablati, deinde restituti legatis. 86-88. Legati Romam redeuntes vita periclitantur per Basilium imp. ingratitudine insignem. 89-91. Orientalium in Ecclesiam Romanam jugis livor : unde malorum origo. 92. Agitur a legatis Bulgarorum cum Hadriano papa de Ecclesiasticis eorum negotiis. 93-100. Hadrianus per legatos et litteras Carolum Calvum deterret ab occupatione regni quondam Lotharii, quod ad Ludovicum imp. spectare contendit. 101-106. Acta Concilii Metensis dictum regnum Carolo Calvo injuria deferentis. 107-109. Salomon Britanniæ rex petit per litteras, et accipit ab Hadriano SS. reliquias. 110, 111. Dictus Salomon insigne monasterium ædificat.

DCCCLXX. 1-16. Hadrianus per legatos et litteras agit contra invasionem regni Francorum, quod Carolus cum Ludovico rege diviserat. 17-26. Litteræ Hincmari archiepiscopi Rhemensis Carolo blandientis injuriosius scriptæ in Romanum Pontificem refelluntur. 27-32. Hadriani litteræ pro Carolomanno in vinculis detento. 33. De libello precum Caroli regis. 34-38. Hincmarus Rhemensis in Synodo latrocinali Hincmarum Laudunensem episcopum papæ studentem deponit et vexat. 39-43. In Anglia SS. virginum mira fortitudo, et S. Eadmundi regis martyrium. 44-51. Metrophanis Epistola historica de rebus Photii. 52-60. Photii juste cum suis exagitatæ litteræ flebiles et hypocritæ. 61. De filiis Basilii imp. 62. Legatio Petri Siculi ad Manichæos. 63. De imagine Dei Genitricis Mariæ.

DCCCLXXI. 1-14. Ignatii patriarchæ et Basilii imp. Epistolæ ad Hadrianum papam, et ejus responsio de iis, quæ circa Photii schisma definienda supererant. 15. Basilii victoria contra Barbaros. 16, 17. In Bulgarorum causa querelæ Hadriani papæ, et excusatio Grimoaldi episcopi. 18-25. Photii miserationem ciere conantis querulæ litteræ ad Basilium imp. et Bahanem patricium. 26-48. Photii dolosæ ad suos in fide continendos litteræ encyclicæ. 49. Ludovicus imp. coronatur Romæ rex Francorum. 50-71. Ludovicus imp. ad Basilium de imperatorio nomine sibi proprio apologeticam Epistolam scribit, in qua alia multa profert de rebus Italicis. 72-74. Legatio Concilii Duziacensis per Actardum expleta ad summum Pontificem. 75-84. Hadriani papæ Epistoa

ad Carolum Calvum regem de Ecclesiæ Turonensis privilegiis et causa Hincmari Laudunensis. 85-91. Agit Hadrianus per litteras cum Rhemensi et Carolo rege, ut Hincmarum Laudunensem Romam venire sinant. 92-101. Epistola Caroli injuriosius scripta ad Romanum Pontificem, et hujus mollis responsio. 102. Anglicani regis constantia in fide.

DCCCLXXII. 1-3. Hadriani papæ obitus, et Ludovici imp. captivitas ob proditionem Basilii. 4-11. S. Athanasius episcopus Neapolitanus multa passus a Sergio nepote moritur. 12-15. Neapolitanæ Ecclesiæ læta primordia, digna præconia, et florens status maxime sub S. Athanasio. 16. Legatio Basilii imp. ad Ludovicum regem Germaniæ.

DCCCLXXIII. 1. Concilium Romanum in causa Ludovici imp. contra Aldegisum. 2. Pallium missum ad episcopum Coloniensem. 3, 4. Legatio Joannis papæ VIII ad Ludovicum regem. 5-7. Conventus apud Carisiacum et Francofordiensis.

DCCCLXXIV. 1. Joannes papa cum utroque Ludovico Veronam conveniunt. 2. Sarracenorum rex apud Salernum dat pœnas sceleris. 3, 4. Beorredi regis Merciorum pietas et obitus.

DCCCLXXV. 1, 2. Ludovici imp. obitus et laudes : ubi de conversione Slavorum. 3. Carolus Calvus coronatur imperator a Joanne papa. 4, 5. Ludovicus rex ab invasione Galliæ recedit. 6. Engilberga Augusta fit monialis. 7-9. Quomodo dicta coronatio Caroli fuerit expleta.

DCCCLXXVI. 1-17. In Ticinensi Synodo Caroli coronatio confirmatur, cujus Acta integra proferuntur. 18-25. Concilii Pontigonensis in Gallia singulæ actiones coram Carolo imp. celebratæ. 26-28. Ludovicus paternum regnum contra Carolum imp. invasorem defendit, ejusque exercitum sternit. 29, 30. Legati Apostolici a Synodo Pontigonensi Romam redeunt. 31-36. Joannes papa contra Sarracenorum incursiones et marchionum infestationes Caroli imp. opem implorat. 37-39. Carolus imp. de litteris et bonis artibus optime meritus.

DCCCLXXVII. 1-6. Sarracenis infestantibus Campaniam Joannes papa laborat cum diversis illius regionis ducibus : ubi de cæde Sergii per Athanasium episcopum Neapolitanum. 7-13. Joannes, Sarracenis Urbi imminentibus, per litteras et legationem Caroli imp. auxilium enixe efflagitat. 14-16. Caroli imp. et Joannis papæ congressus, quem Carolomannus exturbat, deinde in fugam versus. 17. Moritur Carolus imp. eique succedit filius Ludovicus Balbus. 18, 19. Hincmari litteræ instructivæ ad Ludovicum. 20-22. Rachildis imperatrix vidua minus recte se gerit, propterea reprehensa ab episcopis. 23-25. Hugo filius Lotharii contra Ludovicum insurgens deterretur per litteras Hincmari. 26. Romana Ecclesia tributum Sarracenis solvere cogitur. 27. Lambertus comes adversarius Joannis papæ. 28, 29. Joannes de cogendo Concilio sollicitus : regem Anglorum admonet. 30. Basilius imp. pro pace Ecclesiæ Constantinopolitanæ agit apud Joannem.

DCCCLXXVIII. 1-7. Joannes papa mittit legatos Constantinopolim cum litteris ad imperatorem de tollendis dissidiis, et ad Ignatium patriarcham exprobrans occupationem diœcesis Bulgarorum. 8, 9. Photii ad Anastasium bibliothecarium litteræ nimis ei familiarem. 10-14. Joannes Lamberti ducis Spoleti et Adelberti potentia et armis circumvallatus per litteras cum multis queritur, in Galliam regum opem imploraturus proficiscitur. 15-19. In Synodo Trecensi decernitur Romanæ Ecclesiæ liberatio et Joannis Romam restitutio. 20-25. Hincmarus Laudunensis in eadem Synodo per Joannem papam restituitur. 26-32. Hincmari Rhemensis futiles excusationes, et aliæ ejus lucubrationes. 33. Joannes Bosonem adoptat in filium : Ticinensi Ecclesiæ privilegium confert. 34. Indulgentia concessa pro vivis et defunctis. 35. De Adone archiepiscopo Viennensi. 36-40. Quibus artibus Photius Basilii imp. gratiam captaverit, ut in honore haberetur. 41-48. Ignatii patriarchæ obitus sanctitate et miraculis clari. 49-55. Photius sedem patriarchalem denuo invadens horrende in adversarios Catholicos furit. 56, 57. Constantini obitus et excidium Syracusarum. 58-60. Adelphonsi regis in Hispania pium monumentum. 61, 62. Per Aelfredum Ecclesiæ Anglicanæ instauratorem conversio Gitronis regis Danorum.

DCCCLXXIX. 1. Ludovici imp. obitus. 2. Joannis papæ consilium de novi imperatoris electione. 3-5. Deplorabilis Photii restitutio a Joanne papa culpabiliter facta. 6-53. Joannis papæ litteræ circa Photii restitutionem per legatos missæ in Synodo legendæ, turpiter a Photio falsatæ ostenduntur, facta collatione cum veris. 54-60. Nomine Joannis papæ conficta Epistola a Photio : ubi de additamento *Filioque* in Symbolo. 61-63. Aliæ litteræ Pontificis falsatæ, et legati Apostolici a Photio seducti. 64-73. Synodus Photiana ab ipso Photio descripta, et cum octavo Concilio Œcu-

SUMMARIUM

TOMI XVI.

DCDXLVI. 1-4 Obitus Marini papæ, Agapiti successio : eorumque de monasteriis statuta. 5-6. Guibertus monasterium Gemblacense erigit privilegiis insigne. 7. Edredus rex Angliæ. 8, 9. Corpus S. Hunegundis virginis repertum et elevatum. 10. Legatio Constantini imperatoris ad Berengarium.

DCDXLVII. 1-3. Synodus Virdunensis in causa episcopatus Rhemensis, de qua Hugo subdole Agapitum papam consulit. 4. Ælfegi in Anglia episcopi obitus et sanctitas. 5. Ædithæ reginæ obitus.

DCDXLVIII. 1-7. Legatio Pontificis et Synodus in Gallia, in qua Rhemensis Ecclesia adjudicatur Artaldo contra Hugonem illegitimum episcopum. 8-10. Synodus Trevirensis in causa Ludovici regis et Hugonis principis.

DCDXLIX. 1. Synodus Romana confirmans Acta in utrisque Synodis. 2-5. Dania ab Ottone victa ad Christi fidem convertitur, intercedentibus etiam miraculis. 6. Ungarorum nova incursio in Italiam pecunia redimitur.

DCDL. 1, 2. Otto rex vocatus in Italiam ad Berengarii tyrannidem compescendam, mortuo Lothario. 3. Ramirus rex in Hispania, victis Arabibus, pie moritur.

DCDLI. 1, 2. Conjugium Ottonis cum Adelaide vidua Lotharii. 3. Eadredus universæ Angliæ rex. 4, 5. De Commentario S. Idelphonsi in laudem virginitatis Dei Genitricis Mariæ.

DCDLII. 1, 2. Otto Romam venire per Albericum prohibitus, Berengario in gratiam recepto Italiæ regnum reddit.

DCDLIII. 1, 2. Per Arnolphum Ottoni rebellem Augustæ deprædatio. 3, 4. Pallium per legationem missum ab Agapito papa ad Brunonem archiepiscopum Coloniensem.

DCDLIV. 1. Alberici obitus et successio Octaviani in Urbis tyrannide. 2. Corpus S. Matthæi Salernum translatum. 3. Pax inter Ottonem et filium per S. Udalricum episcopum. 4. Lotharius in regnum Francorum, Willelmus in sedem Moguntinam legitime adsciti. 5-8. Synodus Noviomensis, et de diebus festis servandis monita. 9-13. Ratherii Veronensis episcopi abjectio, restitutio, virtutes et scripta.

DCDLV 1-4. Octavianus juvenculus, mortuo Agapito, Romanum pontificatum occupat. 5-8. Ungari in Germaniam irrumpentes tum precibus S. Udalrici, tum Ottonis armis penitus funduntur. 9, 10. Edvinus rex Angliæ S. Dunstanum ejus impudicitiis aversantem in exilium pellit. 11. Veremundus regnat in Hispania.

DCDLVI. 1. Lues in provinciis Borealibus. 2-5. Defuncto Theophylacto patriarchæ Constantinopolitano succedit Polyeuctus. 6-8. S. Pauli anachoretæ obitus et laudes.

DCDLVII. 1. Joannis papæ conatus in principem Capuanum. 2. Presbyter apostata junctus Sarracenis. 3. Edgarus regnat in Anglia, qui revocat Dunstanum mox episcopum Cantuariensem.

DCDLVIII. 1. Berengarii tyrannis invalescit. 2. De Turcis conversis ad fidem et apostatis. 3. S. Odoni in sede Cantuariensi succedit simoniace Ealfinus, qui misere perit.

DCDLIX. 1. Adalbertus Russorum episcopus. 2-6. Arnulphi marchionis Flandriæ pia largitio, et mira sanatio per preces Gerardi abbatis. 7. Edvinus rex Angliæ pœnitens moritur.

DCDLX. 1-6. Legatio Joannis papæ et aliorum ad Ottonem contra Berengarii tyrannidem, cum juramento ab eodem præstando. 7-10. S. Dunstanus Romam veniens recipit pallium. 11-27. Constantini imp. Orientalis veneno sublati vitia, virtutes, scripta : cui succedit filius Romanus.

DCDLXI. 1, 2. Otto in Italiam venit, regno potitur. 3. S. Mauritii corporis translatio. 4-10. Creta insula a Sarracenis per Nicephorum liberata ad Christianam fidem revertitur ope Niconis Armeni sanctitate celebris.

DCDLXII. 1-12. Otto Romam venit, coronatur imperator, ablata restituit : Romanæ Ecclesiæ jura dato Diplomate confirmat. 13-16. Papiam veniens persequitur hostes : Novarensi Ecclesiæ ablata restituit. 17. Synodus Meldensis in causa Rhemensis episcopi. 18. Obitus S. Guiberti abbatis

DCDLXIII. 1-30. Synodus Romæ coram Ottone imperatore et singula ejus Acta in causa Joannis papæ damnati et depositi, subrogato Leone. 31-40. Hujus pseudosynodi judicium et Acta reprobatione digna. 41. Privilegium monasterio S. Vincentii datum. 42-46. Nicephorus Phocas succedit Romano imperatori Orientali : in patriarcham ob suum matrimonium offendit : in Sarracenos copias mittit.

DCDLXIV. 1-4. Romanorum insurrectione Otto discedit, Joannes papa in Urbem recipitur. 5-15. Synodus Romana, in qua Leo pseudopapa deponitur, fautores damnantur. 16-20. Joanni papæ misere mortuo subrogatur Benedictus, qui in pseudosynodo per Leonem antipapam exauctoratur. 21. Pestis in exercitu imperatoris. 22 30. Leonis nomine constitutiones editæ falsitatis et imposturæ arguuntur. 31. Privilegia concessa ab Ottone monasterio Casinati 32-37. Nicephori imperatoris victoriæ in Sarracenos : ejusdemque vitia, quibus populo infensus evasit.

S. Nilo : Adelaidem aviam exstinctam deflet. 12, 13. S. Stephanus titulo regis Hungarorum insignitur a Sede Apostolica. 14-18. In Polonia, occasione coronæ regiæ, martyrium subeunt monachi. 19-22. De regno Ungariæ oblato Sedi Apostolicæ, et inde animadversiones. — Peroratio cum gratiarum actione. — Divini auxilii imploratio.

MI. 1-8. Opinio de fine mundi inducta, ejusque origo et causæ. 9-11. Temporis ratio dilucidata ex Diplomate Ottonis imperatoris. 12, 13. Congressus Ottonis imp. cum S. Romualdo. 14-18. Otto imp. Romam veniens rebelles compescit, Ecclesiam S. Adalberti ornat reliquiis, et aliis piis operibus vacat. 19, 20. Miraculum de chlamyde Ottonis imp. donata S. Alexio. 21, 22. Romanorum civium florens religio.

MII. 1, 2. Ottonis III imperatoris obitus. 3-10. Hugo marchio Etruriæ dux Romæ, ejusque memoria vindicata. 11-13. Judicium de Ottone, et ejus stemmatis exstinctio. 14-16. Henricus in regno Germaniæ succedit Ottoni. 17-23. Ecclesia Hungarica, Stephano rege, mire aucta florescit. 24. Nortmannorum in Italiam primus adventus.

MIII. 1-8. Sylvester II papa moritur, de cujus doctrina, moribus rebusque gestis accurata inquisitio. 9, 10. Qui duo Joannis nomine summum Pontificatum tenuerint. 11. Episcopi Magdeburgensis per legatum Apostolicum consecratio. 12. Frequens ubique Ecclesiarum ædificatio. 13-17. Abbonis Floriacensis abbatis martyrium, et de ejus vita multa.

MIV. 1. Synodi in Italia et Galliis. 2-4. Roberti regis mira erga episcopos devotio. 5-7. Primordia hæresis Berengarii. 8-11. Lues in Urbe.

MV. 1. Henricus contra Longobardos in Italiam descendit, Papiæ coronatur. 2, 3. Henricus misericors erga rebelles. 4. Synodus Tremoniensis.

MVI. 1-3. Synodus Francofordiensis, in qua Bambergensis cathedra erigitur. 4. Fames et pestis. 5. S. Elphegus episcopus Cantuariensis Romam venit, pallium accipit.

MVII. 1. Henrico regi oraculum de imperio. 2-8. Fulbertus creatur episcopus Carnotensis, jurium et bonorum Ecclesiæ vindex acerrimus.

MVIII. 1-3. Reliquiæ sanctorum pluribus in locis inventæ : de quo et de aliis Fulberti Epistolæ. 4, 5. S. Brunonis episcopi et sociorum martyrium in Russia. 6, 7. S. Bonifacii prædicatio et martyrium ibidem. 8. S. Romualdus martyrii cupidissimus. 9. S. Everardi innocentissimi cædes. 10. S. Reibernus apostolus in Russia.

MIX. 1-3. Joanni XIX mortuo, sub quo Constantinopolitana Ecclesia Romanæ fuit conjuncta, succedit Sergius IV. 4-10. Templum Hierosolymorum Judæorum fraude destructum.

MX. 1. Legatio episcopi Hamburgensis ad papam. 2. De oleo Romæ mire scaturiente. 3. Episcoporum bellantium pravus usus. 4. De Theresiæ Hispanæ nuptæ regi Arabum sanctis factis.

MXI. 1. Consecratio Ecclesiæ Bambergensis et Synodus. 2. Tagmonis Magdeburgensis episcopi laudatissimi obitus. 3. Supplicium sacrilegi militis. 4-6. Danorum persecutio in Ecclesia Anglicana, et inde virtutum prodigia. 7. Terræ motus Constantinopoli.

MXII. 1-5. Sergio IV succedit Benedictus VIII papa. 6. Schisma Gregorii adversus Benedictum, qui adit Henricum regem. 7-10. Slavorum defectio a fide christiana et multorum martyria. 11-13. S. Elphegi martyrium per Danos, qui proinde pœnas luunt. 14, 15. Lievizo archiepiscopus Bremensis, et S. Macharius patriarcha Antiochenus vita defuncti. 16-18. Concilium Legionense. 19. S. Colomanni martyrium.

MXIII. 1. Henricus rex Germaniæ Romam venit. 3. Dux Poloniæ consuetus solvere censum Romanæ Ecclesiæ. 4-6. Benedictus papa præmissus occurrit Henrico venienti in urbem. 7, 8. Unsanus archiepiscopus Hamburgensis, pallio decoratus, virtutibus episcopalibus insignis.

MXIV. 1. Henricus a Benedicto papa coronatur imperator. 2-4. Tumultus Romæ, et egregia imperatoris acta. 5. De Symbolo cantari Romæ cœpto. 6-13. Privilegium ab imperatore Ecclesiæ Romanæ collatum, et donatio Ecclesiæ Novariensi facta. 14-16. SS. Popponem et Odilonem maxime colit Henricus imp. 17, 18. Swenus rex Danorum divinitus dat pœnas.

MXV. 1. Erigendis Ecclesiis et monasteriis Henricus imp. cum conjuge dant operam. 2, 3. Ecclesia Merseburgii erigitur, et donis auget imperator. 4. Ernesti ducis Alemanniæ publica peccatorum confessio et obitus.

MXVI. 1. Sarraceni Romana littora invadentes debellantur. 2, 3. Canutus regnat in Anglia, ad quem scribit Fulbertus episcopus. 4-8. Simeon Armenus crimine hæresis infamatus, sanctitate conspicuus innotescit.

MXVII. 1-5. Manichæi in Galliis exsurgentes et prava dogmata disseminantes Roberti regis pietate exterminantur. 6, 7. Scelera et portenta.

MXVIII. 1. Clades Borealium Ecclesiarum. 2. Ditmari obitus et scripta. 3-6. Nortmanni in Italia Græcos debellant.

MXIX. 1-4. Benedictus papa in Germaniam proficiscitur ad confirmandum episcopatum Bambergensem, et implorandum auxilium ab imperatore. 5-8. Diploma de restitutione facta monasterio S. Gregorii in Urbe. 9. Sergii patriarchæ obitus et Eustathii subrogatio.

MXX. 1-6. Inter Henricum imp. et S. Heribertum episcopum orta dissidia mirabiliter componuntur. 7. Polonorum Ecclesia locupletata et stabilita.

MXXI. 1. S. Heriberti archiepiscopi Coloniensis obitus. 2. Henricus imp. sollicitus de expiando delicto.

MXXII. 1-4. Henricus imp. veniens in Italiam contra Græcos congreditur cum S. Romualdo. 5-8. Progressus expeditionis Henrici in Græcos pietate illustratus. 9-15. Henricus imp. in monasterio Casinensi suæ erga S. Benedictum devotionis fructum recipit. 16. S. Odilo in eodem monasterio. 17. Poloni Christo rebelles per regem Boleslaum ad bonam frugem reducti. 18. Concilium Salegunstadiense. 19. Obitus S. Berwardi. 20-25. Guido Aretinus artis musicæ peritus innotescit, ejusque liber cui nomen Micrologus.

MXXIII. 1. Reliquiæ sanctorum donatæ monasterio Casinensi. 2-4. Congressus Henrici imperatoris cum Roberto rege. 5, 6. Concilium Moguntinum, quod illustrat S. Gothardus. 7. Obitus S. Hartuici.

MXXIV. 1-3. Obitus Benedicti papæ, et de eo visio. 4-7. De Joannis papæ intrusione, et legatione Ecclesiæ Constantinopolitanæ præsumentis dici universalem. 8-11. Henrici imp. obitus sanctitate fulgentis una cum uxore Chunegunda. 12-14. Conradi in regno successoris origo et mores.

MXXV. 1. S. Chunegundis vitam monasticam profitetur. 2, 3. Guillelmus Aquitaniæ dux res Italiæ tentat et imperium. 4. Inventio capitis S. Joannis Baptistæ. 5. Obitus Basilii imp. Orientalis. 6. Obitus Boleslai Polonorum regis.

MXXVI. 1-5. Conradus rex convenit S. Burchardum, cujus morituri oratio et virtutes. 6. Conrado regi Romam venienti occurrit Joannes papa.

MXXVII. 1. Coronatio Conradi imperatoris. 2-7. Canuti Angliæ regis piissimi Epistola. 8-12. De falsis reliquiis impia nundinatio et portenta. 13. Obitus S. Romualdi. 14, 15. De Alphonso V in Hispania et Garsia rege Vasconum.

MXXVIII. 1, 2. Hugone Roberti regis filio defuncto, orta dissidia. 3-6. Discordiæ sedandæ vacat Fulbertus, qui sanctitate insignis moritur. 7-10. S. Olari regis Norwegiæ et Ulfridi episcopi martyrium.

MXXIX. 1-5. Dedicatio Basilicæ Aurelianensis in honorem S. Aniani, cujus Robertus rex fuit studiosissimus. 6-16. Concilium Lemovicense : ubi multa de elevatione corporis S. Martialis.

MXXX. 1, 2. Bellum Conradi in Hungaros irritum redditur. 3, 4. S. Emericus S. Stephani filius moritur. 5. Romani imperatoris Orientalis res pie gestæ. 6-25. De fundatione monasteriorum S. Dominici et S. Sylvestri in agro Sorano et Casæmarii, ubi multa ad hæc spectantia.

MXXXI. 1. Discordia in aula regis Roberti invalescit. 2. Obitus S. Dominici abbatis Sorani. 3. Imago S. Mariæ in Blachernis inventa.

MXXXII. 1-3. De apostolatu S. Martialis controversia. 4. Joannis papæ concessio monachis Leirensibus facta.

MXXXIII. 1-2. Conradus imp. iterum in Italia. 3-8. Joannes XX papa moritur, cui Benedictus IX valde juvenis ob factionem comitis Tusculani subrogatur. 9-14. Roberti regis obitus, virtutes et res pie gestæ, cui succedit Henricus. 15. Guillelmi abbatis obitus.

MXXXIV. 1-7. Conciliorum frequentia in Gallia, in quibus plura statuta quoad disciplinam. 8-26. Universæ Actiones Concilii Lemovicensis. 27. S. Odilo recusat archiepiscopatum Lugdunensem. 28-31. Romano imperatore occiso, Michael per adulteram Zoem ad imperium evehitur. 32. De Ecclesiis Russa et Polona.

MXXXV. 1-7. In Berengarium hæreticum emergentem pugnat Henricus rex opera Durandi episcopi.

MXXXVI. 1, 2. Conradus imp. in Italia. 3. Clades ingens Polonorum Ecclesiæ. 4, 5. Contra Alexium patriarcham insidiæ.

MXXXVII. 1, 2. Benedictus papa Cremonæ coronat Conradum imperatorem. 3. Canonizatio S. Simeonis. 4. Res Hispanicæ.

MXXXVIII. 1-10. Conradus imp. Romam venit ad tyrannidem Pandulphi principis Capuani tollendam. 11-14. Divina ultio in Pandulphum. 15. Polonorum Ecclesia valde agitatur. 16-18. S. Stephani regis Ungariæ obitus sanctissimus. 19-20. Orientales per famem et per Sarracenos vexantur.

MXXXIX. 1. Conrado imp. mortuo succedit filius Henricus. 2. Michael imp. Orientalis a dæmone torquetur. 3-5. Legatio Polonorum ad Benedictum papam.

MXL. 1. S. Chunegundis Augustæ obitus. 2. S. Jacobus pugnat contra Mauros. 3. Sarraceni divinitus superati.

MXLI. 1. Michaelis imperatoris obitus. 2. Nortmanni potiuntur Apulia. 3-11. Casimirus ex monacho Cluniacensi rex Poloniæ coronatur, facta ad id potestate per Romanum Pontificem.

MXLII. 1, 2. Uvo tyrannus Hungaricam perturbat Ecclesiam, resistente ei S. Gerardo episcopo. 3. Constantinus Monomachus imperator.

MXLIII. 1, 2. Pallium missum Hamburgensi episcopo. 3. S. Eduardus rex Angliæ. 3. Conventus Constantiensis. 4. Michael Cerularius patriarcha Constantinopolitanus.

MXLIV. 1, 2. Schisma in Romana Ecclesia tribus pseudopontificibus laborante. 3. Naufragium Gradensis Ecclesiæ. 4-11. Cedentibus pseudopapis Gregorius VI eligitur, cujus legitimitas propugnatur, et ad quem dat litteras Petrus Damiani. 12-16. Gregorii papæ inclytæ virtutes et optimæ res gestæ.

MXLV. 1, 2. Legatio Casimiri Poloniæ regis ad Pontificem Romanum solutura obolum S. Petri. 3. S. Guntheri eremitæ obitus. 4-7. Nortmanni a monachis opera S. Benedicti devincuntur.

SUMMARIUM

TOMI XVII.

MXLVI. 1-5. Henricus rex in conventu apud Sutrium, deposito inique Gregorio, qui sponte cedit, collocat in summo Pontificatu Ebehardum, nomine Clementem II, a quo coronatur imperator. 6. Obitus S. Guidonis abbatis.

MXLVII. 1, 2. Romanum Concilium contra simoniacos. 3-5. Henricus rediens in Germaniam defert secum Clementem et Gregorium. 6-10. Simoniacæ labi delendæ studet quam maxime Henricus imperator, cujus integritatis plura exempla. 11, 12. Diploma Clementis II ad episcopum Salernitanum. 13-15. Petri Damiani litteræ ad Clementem II, qui eum ad se vocaverat. 16. Clemente mortuo, tertio invadit Pontificatum Benedictus IX. 17, 18. Hungarica Ecclesia persecutionem passa, in qua Gerardus episcopus subit martyrium. 19. Godefridi ducis Lotharingiæ pœnitentia.

MXLVIII. 1. Damasus II creatur papa et moritur. 2-4. S. Odilonis abbatis Cluniacensis obitus. 5. Memoria Laurentii archiepiscopi Amalphitani a Benni mendaciis vindicata. 6. Dies anniversaria omnium defunctorum per S. Odilonem inducta. 7. S. Popponis abbatis obitus. 8. Turcarum progressus.

MXLIX. 1-4. Bruno episcopus Tullensis Romam proficiscitur, comite Hildebrando, et summus consecratur Pontifex nomine Leonis IX. 5, 6. Leo papa montem Garganum, ædificat monasterium, 7-9. Synodus et decreta Leonis papæ contra simoniacos. 10, 11. Libellus dictus *Gomorrhæus* Petri Damiani, de quo illi gratulatur papa. 12-14. Petri Damiani calumniam passi Epistola ad Leonem papam. 15. Liber *Gomorrhæus* cur sublatus ab Alexandro papa. 16, 17. Leo papa in Germania, et Synodi Rhemensis integra Acta ab eo celebratæ. 18-23. Synodus Moguntina ab eodem celebrata, et monasterium S. Aurelii episcopi restitutum. 24-27. Leo papa sanctitate et miraculis clarus divinitus Ecclesiæ datus. 28. De Humberto S. R. E. cardinali. 29-31. Leo papa assiduus in visitanda Ecclesia S. Petri, multa eidem donat. 32. Baptismus Cegenis in Oriente.

ML. 1-4. Duæ Synodi Romæ et Vercellis, præsertim contra hæresim Berengarii. 5-12. Acta Synodi in Hispania celebratæ sub Ferdinando Magno. 13, 14. Sueno rex Danorum et Jacobus rex Sueonum in quo deliquerint. 15. Erectio monasterii et obitus SS. virorum.

MLI. 1. S. Joannes Gualbertus excipit Leonem papam. 2. Papa Romam reversus, in Synodo habita clericorum continentiæ consulit. 3-5. Leonis papæ Epistola ad Auximanos contra domorum episcopalium spoliatores. 6. Leo papa Sublacum petit. 7-9. Confirmat jura metropolitani Salernitani. 10. Obitus S. Bareonis archiepiscopi Moguntini. 11. Henricus III nascitur.

MLII. 1, 2. Leo pacem conciliaturus inter regem Hungariæ et imperatorem Germaniam petit. 3-9. Ad Henricum archiepiscopum Ravennatem Petrus Damiani librum mittit de ordinatis a simoniacis, de quo multa. 10-15. Diploma Leonis papæ de corpore S. Dionysii. 16-18. Leone papa celebrante natalem diem Domini Wormatiæ, quæstio cum archiepiscopo Moguntino. 19. Manichæi ab imperatore damnati supplicio.

MLIII. 1. Permutatio facta inter Pontificem et imperatorem. 2, 3. Expeditionem adversus Northmannos ope imperatoris parat Leo. 4, 5. Consulit monasteriis Casinati, et S. Vincentii prope Vulturnum Leo papa. 6-9. Leo papa captus a Northmannis in bello victoribus bene habetur et colitur. 10-17. Factum Leonis papæ prœliantis in Northmannos, perperam a Petro Damiani exprobratum, ex jure et historia defenditur. 18-21. Leo papa Beneventi, acceptis litteris patriarchæ Antiocheni, respondet confirmans ejus electionem. 22-31. Epistola Michaelis Cerularii patriarchæ contra Ecclesiam Latinam, improbantis maxime usum azymorum. 32-39. Leonis papæ Epistola docte refellentis commenta Michaelis. 40. Laboratur pro unitate Ecclesiarum. 41-44. Leonis litteræ ad episcopum Carthaginensem et alios episcopos Africanos : ubi de statu illius Ecclesiæ. 45, 46. De erigendo patriarchatu Hamburgensi inane studium. 47. S. Isidori corpus translatum Legionem. 48. Ordericus novator ejicitur ab Hispania.

MLIV. 1-16. Legati missi Constantinopolim a Leone papa cum litteris ad imperatorem Constantinum et Michaelem patriarcham, acturi tum de conciliatione, tum de Northmannis. 17. De scriptis Humberti episcopi cardinalis. 18-26. Acta Constantinopoli a legatis, qui excommunicant Cerularium. 27-37. Cerularii Epistola ad Petrum Antiochenum episcopum mendax et calumniosa in Romanam Ecclesiam. 38-44. Responsio Petri ad Cerularium valde assentatoria. 45. Reditus legatorum Romam, ex quibus Fridericus fit monachus. 46-51. Obitus S. Leonis IX et miracula ab eo patrata. 52, 53. Legatio ad imperatorem pro petendo Romano Pontifice. 54-56. De Benedicti pseudo-papæ interitu et damnatione. 57. Constantini Monomachi imperatoris obitus : Theodora imperat.

MLV. 1. Victor II papa. 2-11. Ex Concilio Florentino Epistola Petri Damiani de beneficiis Ecclesiasticis : ubi de canonum restitutione pœnitentialium et pœnarum redemptione. 12, 13. In usurpantes bona ecclesiastica ultio divina. 14. Henricus imperator studiosus S. Joannis Gualberti. 15-25. Hildebrandus subdiaconus legatus Pontificius in Gallia Concilia celebrat, simoniacos exturbat, miracula operatur, Berengarium damnat. 26. Frasimundus comes pœnitens veniam a Pontifice petit. 27. Petrus abbas Cassinensis. 28. Subdiaconus propinans venenum papæ arripitur a diabolo. 29. S. Anno Coloniensis archiepiscopus cum Henrico imperatore agit.

MLVI. 1-3. Obitus Henrici imperatoris : et in quo ipse deliquerit. 4-6. Monachi a latronibus vexati ope B. Mariæ Virg. liberantur. 7-9. De usu cruciandi se verberibus seu disciplinæ, et de aliis monachorum ritibus. 10, 11. Henricus filius successor commendatus Romanæ Ecclesiæ. 12-15. Synodus Tolosana. 16. Concilium Compostellanum. 17. Theodora imperatrix moritur.

MLVII. 1. Victor papa redit in urbem, animadvertit in Frasimundum. 2, 3. Petri Damiani ad pontificem Epistola pro Henrico episcopo spoliato. 4-8. Petro abbate Cassinensi abdicante, eligitur Fridericus, qui et cardinalis creatur. 9-11. Idem, mortuo Victore, ad summum evehitur Pontificatum, nomine Stephanus. 12. Abbas Cassinensis eligitur Desiderius. 13-17. Concilia in Urbe, Petri Damiani scriptis et eloquentia illustrata. 18-32. Petrus Damiani episcopus cardinalis creatus insignem ad collegas admonitionem scribit. 33. Stephani papæ Epistola ad Guillelmum archiepiscopum Rhemensem. 34-38. Pulso Michaele, Isacius Comnenus occupat imperium Orientis, pluresque leges condit.

MLVIII. 1. Legatio decernitur Constantinopolim. 2-6. Post multa de monasterio Cassinensi, Stephani papæ obitus Florentiæ. 7-9. Desiderius cum legatis, audita morte Pontificis, redit, abbas Cassinensis eligitur. 10-14. Tumultus in Urbe et schisma a Mincio conflatum, de quo Petri Damiani Epistola. 15. Gerardus episcopus Florentinus electus papa. 16. Benedictus pseudopapa agitur simoniace. 17. Michaelis Cerularii expulsio, exilium et obitus.

MLIX. 1-3. Nicolaus II papa Concilium celebrat, schisma tollit, Romam venit. 4-8. Libellus de abdicando episcopatu Petri Damiani et alii ad id labores ejusdem. 9, 10. Nicolaus papa creat Desiderium cardinalem. 11-22. Concilium Romanum contra Berengarium, quem prius resipiscentem, deinde in hæresim relapsum suo insectatur commentario Lanfrancus, et alii. 23-32. Constitutio Nicolai papæ de Romani Pontificis electione, et quomodo intelligenda. 33-37. Decretum contra

simoniacos, et depositio et excommunicatio aliquorum ex ipsis. 38-43. Nicolaus papa, Petro Damiani per litteras consulente, clericorum libidinem constitutione coercet. 44-60. Legatio Nicolai papæ ad Mediolanensem Ecclesiam, duce Petro Damiani, qui extirpandæ ab ea simoniæ et hæresi Nicolaitarum valde laborat. 61-67. Ab accipiendis muneribus quantum Petrus Damiani abhorruerit. 68-72. Concilium in Apulia, præsente Nicolao papa, in quo Northmanni ad fidem recepti, Guiscardus dux jurat fidelitatem et canonem solvendum. 73, 74. Nicolaus ope Northmannorum a tyrannis vindicat Romanam Ecclesiam. 75-77. Concilium Parisiense pro coronando Philippo rege Francorum filio Henrici. 78, 79. Nicolai Epistola ad Rhemensem archiepiscopum. 80-82. Burchardus episcopus Halberstadensis correptus a Nicolao papa ob invasionem jurium monasterii. 83, 84. Isacius Comnenus deposito imperio fit monachus.

MLX. 1-4. Privilegia concessa monasterio S. Felicitatis Florentiæ. 5. Nicolai papæ res gestæ cum monachis Cassinensibus. 6-8. Petrus Damiani pro Anconitanis intercedit apud Nicolaum papam. 9-12. Legatio et litteræ S. Eduardi regis ad Nicolaum, et hujus ad eumdem litteræ Apostolicæ. 13. Concilium Aceitanum in Hispania.

MLXI. 1-6. Mortuo Nicolao, Alexander II papa creatur, orto inter imschismate Cadaloi pseudopontificis. 7-25. Petri Damiani Epistola ad Cadaloum objurgatoria et parænetica. 26, 27. Cadalous turpissimus. 28-30. Petrus Damiani deponit episcopatum. 31-35. Hildebrandus cancellarius creatus, meritis et virtutibus insignis. 36-44. Petri Damiani ex eremo Epistola apologetica ad Alexandrum papam, et Hildebrandum. 45-49. Aliæ Petri litteræ ad Alexandrum, ubi multa de Ecclesiæ regimine et de seipso. 50-56. Petrus ex eremo graves dat litteras admonitorias coepiscopis cardinalibus : ad labores incumbit. 57-59. Alexandri papæ Epistola ad suos Mediolanenses. 60-62. S. Arialdi et Herlembaldi mirum studium in fidei propagatione. 63. S. Dominici Loricati obitus.

MLXII. 1-4. Parmam redit victus Cadalous antipapa, ad quem Petrus Damiani scribit Epistolam. 15-20. Henricus rex abstractus a matre per Annonem archiepiscopum Coloniensem, qui propter hoc laudatur per litteras a Petro Damiani. 21, 22. Concilium in Osborio. 23-69. Disceptatio synodalis inter regis advocatum et Romanæ Ecclesiæ defensorem. 70, 71. Exitus Cadaloi a Petro Damnaticinatus. 72. Legati Apostolici in Anglia favent electioni S. Vulstani. 73-85. Petri Damiani legatio in Gallias pro monasterio Cluniacensi, quam ipse illustravit doctrinis et factis. 86, 87. Agnes Augusta Romam pœnitentiæ causa contendit. 88-104. Petri Damiani ad Agnetem Epistola spiritualibus referta documentis. 105-108. Alexandri papæ Epistola ad Haraldum regem Norvegiæ adhortatoria. 109-112. De statu Ecclesiarum Danorum et Slavorum. 113-119. Alexander papa pallium cum litteris mittit ad archiepiscopum Dalmatiæ et Slavoniæ et archiepiscopum Salisburgensem. 120. S. Petrus episcopus Anagninus.

MLXIII. 1-4. Petrus Damiani invisit monasterium Cassinense magno ejusdem bono. 5-23. Petrus Florentiam adit sedaturus schisma inter populum et episcopum : unde coactus scribere apologiam de seipso. 24-29. In Theuronem monachum in schismate pervicacem objurgatoriæ Petri litteræ. 30-37. Monachi episcopo infensi papam adeunt : unde Concilium Romanum et ejus canones. 38-57. Schisma Florentinum agitatum in Concilio Romano, et Florentinorum Epistola ad Romanum Pontificem narrantium rei seriem, et Dei judicium per ignem. 58. Petrus episcopus Florentinus reconciliatus monachis. 59. Joannes Gualbertus magni nominis abbas. 60. Petrus cognomento Igneus. 61. Quid in monachos papa. 62-70. Agnetem Augustam in suis mœroribus consolatur per litteras Petrus Damiani. 71. Pars quarta murorum Hierosolymæ ædificata a Christianis.

MLXIV. 1-3. Quæ præcesserint Concilium generale Mantuæ indictum. 4-8. Petri Damiani Epistola objurgatoria ad Godefredum. 9-26. Ejusdem Petri Epistola ad Henricum regem Cadaloo faventem. 27-31. Petrus agit per litteras cum papa et Hildebrando de se ac de profectione Mantuam. 32, 33. Concilium Mantuanum. 34, 35. Cadalous rursum furit in Romanam Ecclesiam. 36-38. Alexandri papæ Epistola ad Rhemensem archiepiscopum. 39-41. Exitus Cadaloi et ejus fautorum. 42. Hugo cardinalis legatus in Hispaniam. 43-56. Celebris peregrinatio Hierosolymam. 57. Terræ motus Constantinopoli.

MLXV 1-9. Nicolaitas seu clericos fornicarios Petrus Damiani exagitat, datis ad plures litteris. 10-15. Incestuosorum hæresim idem insectatur. 16-22. Concilia Romana duo adversus incestuosos et decreta de computandis gradibus consanguinitatis. 23-35. De duobus abusibus tollendis Epistola Petri Damiani ad Alexandrum papam. 36-49. Contra novum simoniæ genus Petrus insurgit. 50-53. Hamburgensis Ecclesiæ martyres apud Slavos. 54-56. Furor Henrici regis in S. Annonem

archiepiscopum Coloniensem. 57, 58. Petrus Damiani per litteras hortatur Agnetem Augustam, ut Romam redeat. 59-62. Ferdinandi Magni obitus in Hispania. 63, 64. Uricæ gentis eruptio et debellatio.

MLXVI. 1, 2. Alexander papa in Nortmannos Godofredum immittit. 3, 4. Idem papa promovet Cassinenses et ornat privilegiis. 5-10. Mortuo S. Eduardo, regnum Angliæ obtinet Guillelmus Nortmannus, qui accepto vexillo a summo Pontifice superat Heroldum tyrannum. 11, 12. Cunonis electi archiepiscopi Trevirensis cædes. 13. Obitus miserandus episcopi vari. 14. Henricus rex cogitur dimittere Adalbertum. 15. Ecclesia Hungarica tumultuatur. 16-22. Ecclesia Mediolanensis a pseudoepiscopo Guidone vexata, Arialdi martyrio illustratur. 23. Joannes Xyphilinus patriarcha Constantinopolitanus.

MLXVII. 1-11. Legatio Pontificia ad Ecclesiam Mediolanensem tollendis abusibus laborat. 12-19. Adalberti archiepiscopi Hamburgensis curæ de propaganda fide et de cogenda Synodo. 20. Eudoxia vidua Constantini imperat Constantinopoli.

MLXVIII. 1. Exactio denarii S. Petri in Anglia. 2. Papa consultus ab episcopis. 3, 4. Principes defensionem Romanæ Ecclesiæ jurant in Synodo. 5. Diogenes imperator Constantinopolitanus.

MLXIX. 1-4. Petrus Damiani in Germaniam legatus prohibiturus divortium Henrici regis a Bertha. 5-7. Petri litteræ duriusculæ ad Alexandrum papam. 8. Papæ decretum de ordinatis per saltum.

MLXX. 1, 2. Germani archiepiscopi Romam veniunt dicturi causam coram Romano Pontifice. 3-10. S. Anno archiepiscopus Coloniensis ab urbe defert reliquias S. Cæsarii miraculis insignes. 11-15. Legati Apostolici in Anglia, qui in Concilio Vintonensi Stigandum pseudoepiscopum Cantuariensem deponunt. 16-21. Lanfrancus episcopus Cantuariensis creatus ad Alexandrum papam scribit querens. 22-26. Aliæ litteræ utriusque datæ de statu diœcesis. 27-30. Basilica Lucæ ædificata et ornata per Alexandrum papam. 31-34. De januis æreis in Basilica S. Pauli extra mœnia. 35-42. Godefredus dux moritur : unde de Beatricis conjugis et Mathildis genealogia disquisitio.

MLXXI. 1-3. Synodus Moguntina in causa episcopi Constantiensis et ejus depositio. 4. Alexander papa Basilicam dedicat Cassinensem. 5-8. Lanfrancus episcopus Cantuariensis Romam veniens cum episcopo Eboracensi, quæ a Pontifice acceperit observantiæ signa, et de quibus egerit. 9-11. Alexandri papæ Epistola ad regem Angliæ per Lanfrancum. 12-14. Diogenis imperatoris miserandus finis. 15-22. Theophylactus episcopus in Bulgaria et ejus litteræ. 23. Petrus episcopus Anagninus apocrisiarium apud Michaelem imperatorem.

MLXXII. 1-6. Causæ ad summum Pontificem delatæ contra Henricum regem et simoniacos. 7. Agnes Augusta ducem Sueviæ liberat. 8-15. Concilium generale in Anglia de primatu Ecclesiæ Cantuariensis super Eboracensem. 16-22. Lanfranci Epistola ad Alexandrum papam et Hildebrandum de controversia definita. 23, 24. Epistola decretalis Alexandri papæ. 25-29. De tempore obitus Petri Damiani. 30-34. Ultima Petri legatio Ravennam et ejus obitus Faventiæ.

MLXXIII. 1-8. Henrici regis temere acta contra Ecclesiarum jura et quoad decimas. 9, 10. Cur episcopus Pragensis depositus, et deinde restitutus fuerit ab Alexandro papa. 11. Anselmus episcopus Lucensis. 12. Miracula et obitus Alexandri papæ. 13-15. De scriptis in Gregorium VII editis. 16-19. Gregorii natales, pueritia et educatio. 20-28. Gregorii VII electio legitima contra impugnatores adstruitur. 29. Agnes Augusta Cassini degit. 30-38. Hugonis cardinalis legatio in Hispaniam ad vindicanda jura Romanæ Ecclesiæ et consulendum negotiis Christianorum. 39-44. Benevolas Gregorius dat litteras ad Henricum regem, qui demisse et pœnitens respondet. 45-48. Consulit Ecclesiæ Mediolanensi Gregorius, et dat litteras ad episcopum Cantuariensem. 49, 50. Studet Gregorius componendo schismati Orientali. 51, 52. Gregorii litteræ ad ducem Venetiarum. 53-55. Litteræ ad Vratislaum ducem Bohemiæ de episcopo Pragensi et de solvendo censu. 56-58. Gregorius Beneventi agit cum Landulpho principe. 59-62. Anselmum episcopum Lucensem a recipienda investitura deterret. 63. Juramentum fidelitatis a principe Capuano exhibitum papæ. 64-66. Cyriacum episcopum Carthaginensem male habitum a suis consolatur Gregorius et populum arguit. 67, 68. Cum episcopis Sardiniæ de rebus disciplinaribus agit Gregorius. 69-75. Gregorius Capua adit Cassinum, Terracinam, Privernum, plures pluribus scribens litteras et consulens Ecclesiis. 76-78. Gregorius sequester pacis inter regem et Saxones 79, 80. Mortuo S. Joanne Gualberto, Gregorius ad ejus monachos scribit. 81. Instauratur dia-

conia S. Mariæ in porticu. 82-89. Ecclesiæ Bulgaricæ infestatio : unde Theophylacti episcopi studia et labores. 90-92. Victoria Michaelis imperatoris adversus Persas et Francos. 93. Scripta Theophylacti.

MLXXIV. 1-3. Legatio a Gregorio papa ad Henricum regem. 4, 5. Gregorius vocat Romam Liemarum Bremensem archiepiscopum, qui obedire renuit. 6-9. De rebus conciliandis litteræ Gregorii ad Henricum regem et Agnetem Augustam. 10-13. Per feminas Ecclesia defensa, ex quibus Mathildis S. Petri studiosissima papæ pias monitiones recipit. 14-17. S. Anselmo Mathildis instruenda traditur. 18,19. De legatione missa ab Agnete ad Gregorium. 20-33. Veritas demonstrata et mendacia confutata circa Mathildis conjugium et statum. 34,35. Calumniæ in Gregorium papam prorsus futiles. 36-44. Synodus Generalis Romæ in clericos concubinarios : unde in Gregorium fremitus. 45-48. Acta in Romano Concilio in causa cleri Lucensis adversus proprium episcopum. 49-55. Expeditioni Orientali parandæ qua litteris qua laboribus vacat Gregorius. 56-61. Epistolæ Gregorii ad Sancium Aragoniæ regem de ritibus Romanæ Ecclesiæ inducendis et aliis. 62,63. S. Hugonis consiliis utitur Gregorius. 64,65. Guillelmi regis Angliæ et reginæ officia erga Gregorium. 66-70. Philippi Francorum regis scelera Gregorius insectatur litteris ad episcopos datis. 71-74. De sua nimia indulgentia apologetica Gregorii Epistola. 75. Anno Coloniensis archiepiscopus Romanæ Ecclesiæ studiosus. 76-78. Indicitur Synodus in annum sequentem, ad quam varii episcopi ad causam dicendam vocantur. 79-80. Gregorius papa ægrotans dat litteras. 81-85. Salomon rex Hungariæ regno pulsus : unde Gregorii litteræ ad Henricum et reginam Judith.

MLXXV. 1,2. Magna Synodus Romæ cogitur. 3-9. Quæ præcesserint Synodum, Gregorio universalem corruptionem deplorante per litteras ad diversos datas. 10-25. Acta Synodi, per quam deponuntur episcopi, clerici simoniaci et fornicarii damnantur : inter Gregorium et Henricum regem plura tractantur. 26-30. Gregorius totus in reformatione Ecclesiæ legatos mittit ad Polonos, ad Russos, ad Danos. 31, 32. S. Annonis archiepiscopi Coloniensis obitus. 33-35. Cincius præfectus urbis infanda audet in Gregorium, instigante Guiberto schismatico. 36-38. Synodus Anglicana.

MLXXVI. 1-6. Henrici regis contemptus in Sedem Apostolicam : unde Gregorii querelæ et monita eum Romam vocantis. 7-11. Refutantur mendacia a scriptore prolata circa indictionem Concilii Wormatiensis. 12-15. Conventiculum Wormatiense, in quo Gregorii papæ depositio decernitur. 16-22. Legatis regiis Romam venientibus, Synodus Romana celebratur, in qua Henricus excommunicatur cum episcopis schismaticis. 23-30. Gregorii Epistola Synodalis et singula decreta excommunicationis in Henricum et episcopos. 31-33. Privilegia Apostolicæ Sedis. 34-37. Divina vindicta in schismaticos. 38. Occiditur Godefredus dux Lotharingiæ. 39-43. Ab Henrico rege deficiunt episcopi et principes, ad quos scribit Gregorius. 44-48. Sollicitus de Henrici pœnitentia Gregorius dat litteras encyclicas. 49-62. Conventus Friburiensis in causa regis, qui acceptis conditionibus in Italiam iter aggreditur. 63, 64. Quo animo regis hostes rem agerent. 65-68. Croatiæ rex creatus a Gregorio in Synodo per legatos Apostolicos. 69-72. Gregorius ad petitionem regis Arabum ordinat episcopum Servandum. 73-75. Rogerius comes Siciliæ reconciliatus Ecclesiæ. 76. Contra clericos fornicarios in Flandria decernitur. 77. Herlembardi martyrium. 78. Beatricis comitissæ obitus.

MLXXVII. 1-16. Henrici regis iter in Italiam : Canusii acta cum Gregorio papa a quo certis conditionibus absolvitur. 17-19. Epistola Gregorii de pœnitentia et absolutione regis. 20-22. Henrici regis juramentum, et de ejus conversione quæstio. 23, 24. Donatio Mathildis facta Romanæ Ecclesiæ. 25-31. Fremitus schismaticorum evellere conantium a papa Henricum, qui eis assentitur. 32-37. Tergiversationes Henrici illudentis principes Germaniæ et Gregorium papam. 38-41. Gregorii judicium de restituendis bonis Ecclesiæ in diœcesi Coloniensi. 42, 43. Gregorius Romam redit. 44-48. Rudolphus rex creatur Germaniæ, inscio Gregorio papa. 49-52. Gregorius de sua profectione in Germaniam ad compescendas turbas dat litteras ad legatos. 53-56. Legati Apostolici vim passi a schismaticis, unde Gregorii litteræ et querelæ. 57, 58. Schismatici divinitus afflicti. 59-65. Variæ legationes missæ a Gregorio, qui de investituris tollendis maxime angitur. 66-74. Suenonis regis Daniæ obitus, et ejus publica pœnitentia ob violatam immunitatem Ecclesiasticam. 75-77. Suenoni succedit filius, ad quem Gregorius scribit. 78. Ladislaus rex Hungarorum. 79, 80. Cincii malus et Agnetis Augustæ sanctus obitus.

MLXXVIII 1-10. Synodus Romæ contra Guibertum et episcopos et laicos schismaticos : et Acta Synodalia. 11-13. Calumniæ a Bennone in Gregorium prolatæ. 14, 15. Ad S. Hugonem Gregorii litteræ de suis cruciatibus. 16-19. Gregorius pacis studiosus legatos utriusque postulat partis, qui Romam veniunt. 20-23. In Synodo Romana excommunicantur Nicephorus invasor imperii Constantino-

politani et invasores monasterii Cassinensis. 24, 25. Jordanus princeps Capuæ redargutus resipiscitur. 26-29. Investiturarum interdictio, et depositio archiepiscopi Ravennatis. 30. De privilegiis adimendis per Pontificem Romanum. 31, 32. Gebehardi archiepiscopi exilium, et Gregorii cura de Norvegiis.

MLXXIX. 1-3. Synodus Romæ contra Berengarium, qui jurando damnat suum errorem. 4-6. Circa Berengarii heresim quas sit calumnias passus Gregorius. 7. S. Bruno Signiæ episcopus. 8-10. Acta in Synodo ab utriusque regis legatis. 11, 12. Juramentum patriarchæ Aquileiensis, et reliqua in Synodo tractata. 13-15. De Bernardo abbate Massiliensi. 16, 17. Legatio in Hispaniam paci conciliandæ. 18. Ducem optimum factum monachum dolet Gregorius. 19, 20. Ad novum regem Hungariæ et ad alios litteræ. 21-25. Rex Angliæ quid ausus fuerit contra Romanum Pontificem, et quomodo resipuerit. 26-28. Gregorius calumniatus se purgat per litteras ad Germanos datas. 29. Dalmatiæ regni invasorescoercet Gregorius. 30, 31. Ad Canutum regem novum Daniæ Gregorii Epistola. 32-35. Legatio, litteræ et catenæ S. Petri ad Alphonsum regem Hispaniarum mittuntur. 36-38. Concilium in Britannia, et decretum a Gregorio missum de falsa pœnitentia proscribenda. 39-41. Martyrium S. Stanislai episcopi Cracoviensis, in cujus auctores Gregorius decernit. 42. Legatio ad regem Hungariæ pro veneratione sanctorum.

MLXXX. 1. Divinum Officium lingua Slavonica celebri negat Gregorius. 2-13. Concilium Romanum de investituris, de excommunicatione schismaticorum et invasorum bonorum Ecclesiæ, de electione episcoporum, et decretum excommunicationis contra Henricum regem. 14, 15. Divina vindicta in Henricum sera æque ac gravis. 16. Diversarum Ecclesiarum juribus per Synodum definitis. 17-21. Conciliabulum Brixiense, in quo, deposito Gregorio, pseudopontifex Guibertus elevatur. 22-27. Virulenta Henrici Epistola ad Gregorium papam, et legatio ad principes. 28-34. Guibertus antipapa, in quem insurgunt viri sanctitate insignes. 35-39. Robertus Guiscardus pœnitens jurat Gregorio fidelitatem, censum solvendum spondet. 40-43. Ad fideles Campaniæ episcopos Gregorii litteræ de schismate Brixiensi. 44-47. Michaelem imperatorem ad se confugientem excipit Gregorius, et pro expeditione Orientali laborat. 48-51. Indicta expeditio in Guibertum, et electus novus a Gregorio episcopus Ravennas. 52-54. Gregorius ad Germanos Catholicos. 55. Rudolphus rex in prœlio occisus. 56-58. Corpus S. Matthæi Apostoli inventum Salerni. 59-61. Gregorius dat et recipit litteras a regibus sibi fidelibus. 62-65. Ab incestuosis nuptiis Gregorius deterret Alphonsum regem Hispaniarum. 66-72. Idem rex in omnibus parens Gregorio disciplinam Ecclesiasticam ad ejus nutum componit. 73, 74. Legatio Armenorum ad papam et eorum errores damnati. 75-78. Concilium Lugdunense, in quo damnatur Rhemensis episcopus : unde Gregorii litteræ ad Philippum regem Galliarum. 79. Meldensis Synodus in qua episcopus creatus S. Arnulphus. 80. Patriarcha Constantinopolitanus.

MLXXXI. 1, 2. Synodus Romæ, in qua iterantur excommunicationes. 3-5. Nova hæresis regem non posse excommunicari confutatur. 6-12. De statu rerum Italicarum Germanicarumque Gregorii litteræ ad episcopos, multa pro bono Ecclesiæ suadentis. 13, 14. Robertus Guiscardus Alexium imperatorem superat in Oriente. 15-24. Henricus machinamenta molitur, descendit in Italiam, illaturus Ecclesiæ Romanæ durissimam persecutionem, ad quam Gregorius fideles per litteras circulares parat. 25, 26. Mathildis pietas laudanda et fortitudo. 27. Denarium S. Petri Gregorius recipit. 28. Lanfrancus archiepiscopus vocatur ad Limina Apostolorum. 29-32. Gregorius nonnullos monet et excommunicat : Visigothos ad fidem conversos recipit. 33-35. Acta a Gregorio cum Bertranno comite, cum comitibus Andegavensi et Pictaviensi. 36-39. S. Canuti martyrium, et laudes.

MLXXXII. 1, 2. Henricus cum Guiberto obsidet Urbem et infestat. 3-5. Gregorius impeditus ne cogeret Synodum dat encyclicam apologeticam. 6-8. Ecclesiæ Tervannensis causa tragica, et ipsius pseudoepiscopi miserandus exitus. 9. Hermannus subrogatur Rudolpho. 10-14. Alexii imperatoris bulla aurea de non auferendis Ecclesiarum ornamentis.

MLXXXIII 1. Guibertus antipapa in Petri Sedem intruditur. 2-5. Synodus Romæ inter pressuras Henrici a Gregorio habita. 6, 7. De corona danda Henrico altercatio, invalescente persecutione. 8-16. Desiderius abbas Cassinensis et cardinalis congreditur cum Henrico.

MLXXXIV 1, 2. Urbe potitur Henricus et coronatur ab antipapa. 3-5. Quæ passus et quæ crudelia Romæ egerit Henricus. 6-9. Accersitus a Gregorio papa Robertus, qui Henricum fugat. 10-12. Gregorius, celebrato Concilio, recedit ab Urbe. 13. Henricus revertitur in Germaniam. 14. Robertus navali prœlio victor. 15-17. Profligati schismatici a Catholicis, et recepti pœnitentes a legato Anselmo. 18-22. Gregorius papa regi Angliæ pro Odone episcopo in vinculis detento scribit.

23-25. De eodem episcopo arte divinatoria et aliis criminibus implicito. 26, 27. Robertus comes Flandriæ precibus Gregorii in suos fit moderatior.

MLXXXV 1-3. Conventus habitus inter catholicos et schismaticos, disputantes de vi excommunicationis Henrici. 4-8. Concilium generale Quintilineburgense contra Henricum pro papa. 9. Conciliabulum Moguntinum schismaticorum. 10. Furena schismaticorum episcoporum et principum. 11-15. Gregorii papæ obitus et miracula. 16-18. Præclare statuta a Gregorio. 19-21. De electione successoris judicium Gregorii et designatio Desiderii. 22-26. Obitus Roberti Guiscardi et munera ab eo oblata monasterio Cassinensi. 27, 28. De Rogerio Roberti vasallo.

MLXXXVI 1-5. Pro Desiderii electione ad summum Pontificatum conatus, ipso resistente. 6-8. In Germania schismaticorum exercitus cum Henrico ingenti clade proteritur. 9-13. Obitus S. Anselmi Lucensis episcopi et miracula, inde schismaticorum conversiones. 14, 15. Scripta et res gestæ S. Anselmi. 16. Carthusiæ solitudo habitari cœpta.

MLXXXVII 1-7. Victor II papa consecratur : ubi multa de turbis Romæ excitatis per antipapam Guibertum nefandis sceleribus maculatum. 8. Victoria adversus Saracenos Africanos. 9-16. Concilium Beneventanum, in quo Victor papa, post multa de statu Ecclesiæ, successorem designat. 17. Victoris obitus. 18-20. Conventus Nemetensis, et infelix obitus schismatici episcopi. 21. Translatio S. Nicolai. 22. Opus quadripartitum Deusdedit presbyteri cardinalis. 23-25. S. Arnulphi obitus et miracula. 26-33. Wilhelmi I regis Angliæ pœnitentia et obitus.

MLXXXVIII 1-4. Terracinæ Urbanus II papa creatur. 5-7. Urbanus papa Cassini sanatus a S. Benedicto. 8-11. Consecratur et privilegiis ornatur Ecclesia monasterii Bantini in Apulia. 12, 13. Primatus datus Ecclesiæ Toletanæ. 14. Schismaticorum episcoporum pœnitentia. 15-25. Berengarii obitus et Epitaphium : utrum de ejus resipiscentia Hildeberto, an Lanfranco sit fides habenda. 26. S. Gebehardus archiepiscopus Salisburgensis ab exilio revocatus moritur.

MLXXXIX 1-4. Urbanus papa legationem Constantiensi decernit episcopo, et Synodum Romæ celebrat. 5-7. Urbanus papa ad Eliam episcopum Barensem. 8. Concilium Trojanum de consanguinitate. 9. Matrimonium Mathildis cum Welphone. 10. Bonizo episcopus martyr. 11. Henricus victus. 12-17. Lanfranci episcopi Cantuariensis obitus ejusque Epistolæ ad reges Hiberniæ. 18. Lues dicta ignis sacer. 19. Nicolaus Grammaticus patriarcha Constantinopolitanus.

MXC 1. Concilium Tolosanum. 2-7. Concilium Melphitanum et ejus acta : ubi Rogerius S. R. E. dux vassallus investitur. 8-19. Ludovicus comes et Waltramo per litteras tentatus, ut adhæreat Henrico, item per litteras docte resistit. 20. Bernardus Constantiensis scriptor contra schismaticos, a quibus multa patiuntur Catholici. 21-29. Urbanus papa pro monachis laborat : et privilegia eisdem collata.

MXCI 1. Urbano papa extra Urbem morante, Guibertus Romæ recipitur. 2. Concilium Beneventanum. 3. Mantua capta. 4-7. Vitæ communis institutio apud laicos ab Urbano approbatur. 8-15. Taraconensis civitas donata S. Petro. 16-22. Inventio corporis S. Sabini in Ecclesia Barensi. 23-25. Confessorum et defensorum catholicæ veritatis obitus.

MXCII 1. Welpho dux propugnator Catholicorum. 2-5. Consecratio Ivonis episcopi Carnotensis. 6-11. Ivo ad Richerium archiepiscopum Senonensem. 12. S. Bruno Romam ab Urbano papa vocatur. 13, 14. Ericus rex Danorum cum summo Pontifice de diœcesum negotiis agit. 15-28. Urbanus papa Ecclesiam monasterii Sanctæ-Trinitatis apud Salernum consecrat, et eidem confert privilegia.

MXCIII 1. Concilium Trojanum posterius. 2-5. Conradus filius Henrici a patre desciscit, justa impellente causa, et rex coronatur. 6. Catholici resurgunt adversus schismaticos. 7-10. Ivonis Epistolæ ad Romanum Pontificem gratulatoriæ et deprecatoriæ. 11-13. S. Anselmus ordinatur Cantuariensis episcopus, ad quem Ivo litteras dat. 14. Confessorum decessus.

Appendix de azymo et fermentato.

SUMMARIUM

TOMI XVIII.

persequitur. 15-20. Concilium Hierosolymitanum, in quo Gibelinus episcopus Arelatensis legatus eligitur patriarcha : unde litteræ ipsius et Paschalis ad Aurelianenses.

MCVIII. 1. Paschalis compescit rebelles. 2, 3. Concilium Beneventanum sub Paschale papa. 4-7. Concilium Londoniense de libertate Ecclesiæ et castitate clericorum. 8, 9. Paschalis papæ litteræ gratulatoriæ ad S. Anselmum. 10-12. De Hierosolymitana Ecclesia amplianda Paschalis litteræ. 13, 14. Patriarchæ Antiocheni querelas compescit papa.

MCIX. 1, 2. Paschalis incestuosum inhibet conjugium Alphonsi Aragoniæ regis cum Uraca : unde Burdini episcopi Bracharensis mala initia. 3, 4. Obitus S. Anselmi et Hugonis abbatis Cluniacensis. 5-7. Godefredus episcopus Ambianensis agit Romæ cum Paschale papa de suis juribus. 8. Pontius abbas Cluniacensis. 9. Egino abbas S. Udalrici Augustæ Vindelicorum.

MCX. 1-7. Henrici regis adventus in Italiam, et pacta conventa inter ipsum et Paschalem papam. 8. Urbs Bethleem erigitur in episcopatum.

MCXI. 1-4. Quæ Henrici regis ingressum in Urbem præcesserint. 5-12. Introducto rege in Basilicam S. Petri, post varios tractatus Romanos inter et Germanos bellum oritur, fit cædes. 13. Epistola Joannis cardinalis Tusculani de rebus gestis. 14-24. Paschalis papa captivus tractus ab Henrico cogitur cum eo de investituris agere, eumque coronat. 25, 26. Conradi archiepiscopi Salisburgensis constantia contra Henrici sacrilegium perperam ab aliquo defensum. 27-32. Conventioni Paschalis adversantur multi, et maxime S. Bruno episcopus Signinus per litteras. 33, 34. Paschalis suum factum damnans recusat ipse damnari. 33-43. De Paschale inter episcopos altercatio, et maxime inter Ivonem et archiepiscopum Lugdunensem. 44. Henricus ubique damnatus. 45. Obitus Boamundi principis Antiochiæ. 46. Berythus et Sidon captæ. 47-49. De certitudine resurrectionis miraculum.

MCXII. 1-3. Concilium Lateranense Paschalis litteræ suum factum improbantis præcedunt. 4-11. Celebratio Concilii Lateranensis. 12-18. Concilium Viennense investituras damnans, cujus confirmationem Paschalis papa differt. 19, 20. Adalbertus archiepiscopus Moguntinus mutatus pro Pontifice contra Henricum. 21. Alexii imperatoris Orientis legatio Romam. 22-25. Causa Herimanni episcopi Augustani ad Paschalem papam delata. 26-28. Craticula S. Laurentii educta et aliæ SS. reliquiæ inventæ Romæ. 29. Arnulphus patriarcha Hierosolymitanus.

MCXIII. 1-3. Paschalis papa Beneventi dat litteras patriarchæ Antiocheno et Balduino regi. 4. Balduini illicitum conjugium. 5. S. Bernardi a sæculo conversio.

MCXIV. 1. Synodus habita Ceperani. 2, 3. Legationes papæ Beneventum ad turbas sedandas. 4-8. Quæ acta in Synodo Ceperani habita. 9, 10. Pallium papa ad Rodulphum archiepiscopum Cantuariensem mittit. 11-14. Synodus Bellovacensis, in qua Godefredus ad suam redire Ecclesiam Ambianensem jubetur. 15. Privilegium datum monachis Vallumbrosianis.

MCXV. 1-4. Ob novi præfecti electionem turbæ Romæ, quibus sedandis Paschalis papa laborat. 5. Concilium Trojanum. 6. Moguntini in imperatorem insurgunt pro suo archiepiscopo. 7. Dietericus cardinalis legatus. 8. Mathildis comitissæ obitus. 9. Concilium Hierosolymitanum in causa Arnulphi patriarchæ.

MCXVI. 1-6. In Concilio generali Lateranensi, Paschalis papæ nobilis pœnitentia, et retractatio pro rebus cum Henrico imp. gestis. 7-16. Chrysolani episcopi Mediolanensis ad Alexium imp. legati docta disputatio de processione Spiritus Sancti.

MCXVII. 1-5. Henrici adventus in Urbem, absente Paschale papa. 6, 7. Henricus imperator legationes ad Paschalem frequentat, pro absolutione obtinenda. 8, 9. De legationibus in Angliam mittendis controversia apud Paschalem papam. 10. Causa Furstani archiepiscopi Eboracensis. 11. Terræmotus in Longobardia; prodigia. 12-14. Origo historica et progressus monasterii Fontis-Ebraldi. 15. Balduini regis pœnitentia. 16. Obitus Muzalonis patriarchæ Constantinopolitani.

MCXVIII. 1-3. Paschalis papæ in Urbem reversi obitus, cui Gelasius II successurus. 4-9. Gelasii papæ

electio, captio et fuga, persequentibus schismaticis. 10. Intrusio Burdini Bracharensis episcopi in Petri Sedem, unde Gelasii Epistolæ circulares. 11-16. Gelasius Romam reversus iterum impetitus et multa passus, rebus bene dispositis, in Gallias navigat. 17-19. Galli liberales erga exulem Pontificem, qui consecrat episcopum Cæsaraugustanum, et dat litteras de indulgentiis. 20. Conon legatus Apostolicus in Germania. 21. Templariorum institutio. 22. Balduini regis obitus. 23-27. Alexius imperator Orientis moritur, Catholicus censendus, hæresum propulsator, in aliis laudandus, in aliis vituperandus. 28. SS. Godefridi episcopi Ambianensis et Lidgani abbatis Ord. S. Benedict. in agro Setino obitus.

MCXIX. 1-3. Gelasius papa Cluniaci moritur, successore designato. 4-8. Calisti papæ II creatio, quæ Romæ et Germaniæ rite innotescit. 9-11. Concilium Rhemense et Henrici imperatoris excommunicatio renuentis dimittere investituras. 12, 13. Congressus regis Anglorum cum Calisto papa. 14-17. Calistus Rhemis Norberto munus prædicandi confirmat, ecclesias dedicat, Cistercienses ornat privilegio. 18-20. Petri Cluniacensis litteræ ad imperatorem Constantinopolitanum et patriarcham pro restitutione cœnobii.

MCXX. 1, 2. Quæ Calistus papa Ecclesiæ contulerit Viennensi. 3-7. Calisti papæ iter et ingressus triumphalis in Urbem. 8-10. Calistus Beneventi investituram dat Willelmo duci, et monasterio Cassinensi consulit. 11. Legatio Ludovici regis ad Calistum papam. 12. Præmonstratensis Ordinis initium. 13. Rogerius princeps Antiochenus occisus.

MCXXI. 1-3. Burdino antipapa sublato Ecclesia liberatur : unde Calisti papæ litteræ circulares. 4, 5. Cupiditas Romanorum cohibita, et pax Ecclesiæ restituta. 6. Legatio archiepiscopi Moguntini pro conversione Henrici imp. 7, 8. S. Erminoldi abbatis Prufonigensis prope Ratisbonam transitus et res gestæ adversus Henricum imperatorem.

MCXXII. 1-3. Concilium generale Lateranense cum singulis canonibus : in quo auditi legati imperatoris de pace acturi. 4-8. Legati ex Concilio in Germaniam missi, per quos reconciliatio imperatoris et libertas Ecclesiæ firmata. 9-11. Pontius abbas Cluniacensis temere se abdicat, Hierosolymam pergit. 12. Obitus S. Berardi episcopi Aprutini.

MCXXIII. 1, 2. Monasterio Cassino et Ecclesiis Compostellanæ et Bracharensi Calistus papa consulit. 3, 4. Dedicationes ecclesiarum in urbe. 5. Venetorum victoriæ in Turcas. 6, 7. Comnenus imperator Orientis, victis hostibus ope B. M. Virg., ei dicat triumphum.

MCXXIV. 1-5. S. Otto episcopus Bambergensis Apostolatum ad Pomeranos suscipit, eosque optime instituit. 6. Obitus Calisti papæ, et ejus munificentia erga Urbis Ecclesias. 7, 8. Electio Honorii II per dolum peracta, deinde validatur. 9. Ingens et insperata victoria divinitus obtenta in Saracenos. 10, 11. Ecclesia Hibernensis languescens per S. Malachiam restituta : et Belgica per S. Norbertum ab hæresi purgata. 12. Constitutio Joannis imperatoris Orientis.

MCXXV. 1. Honorius contumacem abbatem deponit Cassinensem. 2. Honorius Beneventi. 3. Excommunicatio abbatis Cassinensis. 4-7. Cluniacensium querelæ adversus Pontium aggressorem ad Honorium papam delatæ. 8-10. Rhemi liberati a Francis, oppugnante Henrico imp., qui moritur. 11. Lotharius regnat. 12. Joannis Cremensis cardinalis legati in Angliam fama vindicatur. 13. Concilium Londoniense a legato Apostolico habitum.

MCXXVI. 1-5. Legatus Apostolicus missus ad componendas res monasterii Cassinensis : et inde tumultus et rixæ. 6-8. Petri Cluniacensis causa judicata, damnatio et obitus. 9. Matthæus episcopus cardinalis Albanensis ex monacho Cluniacensi. 10, 11. Quæ inter Cluniacenses et Cistercienses dissidia. 12, 13. Tanchelinus hæresiarcha, in quem pugnat S. Norbertus. 14-16. Hæreses Petri Broisini vulgo de Bruis et ejus supplicium. 17. Stephani abbatis Grandimontensis obitus et sanctitas. 18. Godefredi monachi Præmonstratensis diœcesis Monasteriensis obitus.

MCXXVII. 1-5. Defuncto Willelmo duce, Rogerius audacter fit dux Apuliæ, contra quem papa agit in conventu Beneventano. 6-8. Cardinalis episcopus Albanensis legatus Concilium celebrat Trecense, ubi Ordo Templariorum, agente S. Bernardo, confirmatur. 9-12. Inter episcopum Parisiensem et Ludovicum regem, qui illum bonis expoliaverat, dissidia. 13, 14. Qua causa

Ludovicus rex infensus archiepiscopo Senonensi. 15-17. Pro Senonensi archiepiscopo apud Honorium papam agunt Stephanus et Bernardus abbates. 18, 19. Concilium Wintoniæ contra clericos concubinarios. 20. S. Norbertus archiepiscopus Magdeburgensis. 21, 22. Willelmus archiepiscopus Tyri et S. Gualfardi Augustani obitus.

MCXXVIII. 1. Rogerius accipit investituram Apuliæ et fidelitatem jurat Honorio papæ. 2. S. Hugo episcopus Gratianopolitanus frustra pro dimittendo laborat episcopatu. 3. Stephanus abbas patriarcha Hierosolymitanus. 4. Rogerius excommunicatur.

MCXXIX. 1. Honorius papa commotus in Beneventanos. 2. Legatio in Daniam, Svetiam et Bohemiam. 3. De episcopo Virdunensi deposito S. Bernardi litteræ ad papam. 4, 5. Scripta S. Bernardi usque ad præsens tempus.

MCXXX. 1-5. Mortuo Honorio, eligitur papa Innocentius II, contra quem antipapa Anacletus evehitur: unde clades et sacrilegia in Urbe. 6, 7. Antipapæ Anacleti et Innocentii legitimi papæ merita discussa. 8-11. Petri cardinalis episcopi Portuensis litteræ ad cardinales pro antipapa. 12-15. Anacletus antipapa excommunicat Innocentium papam, et scribit ad Lotharium regem. 16-22. Schismaticorum cardinalium et aliæ ipsius Anacleti litteræ ad Lotharium regem et ad reginam. 23-26. Magistratus Romani ad Lotharium litteræ pro Anacleto. 27-34. Anacleti antipapæ legatio et litteræ ad regem Francorum et alios. 35-37. Anacleti litteræ frustra ad se Cluniacenses allicientis. 38-40. Reimbaldi episcopi Leodiensis admonitio circa Ecclesiæ Romanæ statum. 41-45. Legatio ab Anacleto data Gerardo episcopo Engolismensi, cujus ambitionem S. Bernardus perstringit. 46. Matthæus cardinalis legatus Innocentii papæ. 47, 48. Anacleti antipapæ litteræ ad Orientales. 49-52. Anacleti insignia pietatis et munificentiæ monumenta ad sibi animos conciliandos. 52, 53. Rogerius dux creatus et coronatus rex Siciliæ ab Anacleto : qui auctor fuit Siculæ monarchiæ. 54, 55. Quos et quot Anacletus antipapa illuserit. 56-60. Innocentius papa peregrinans obsequiis principum, episcoporum et populorum frequentatur. 61-64. S. Bernardi scripta et labores pro confundendis schismaticis. 65-66. Legatio ad comitem Pictaviensem in schismate obstinatum et pessimis moribus. 67. Clades Christiani exercitus in Oriente.

MCXXXI. 1. Innocentius papa Parisiis Pascha celebrat. 2-4. Rhemense Concilium, in quo consecratus Ludovicus VII rex Francorum. 5, 6. Anacleti excommunicati litteræ auctoritatem præsumptam ostentantes. 7-9. Innocentius papa cum Ludovico rege congreditur, et visitat Claramvallem. 10, 11. Privilegium Cisterciensibus de non solvendis decimis. 12-15. Innocentius papa in Galliis Lexoviense monasterium restituit, florentibus ubique Ordinibus monasticis et piis viris. 16. Balduini regis obitus.

MCXXXII. 1. Innocentius Cluniacensibus privilegium confert, et in Italiam iter aggreditur. 2. Innocentius papa Pisis. 3, 4. Beneventani, rejecto Anacleto, inhærent Innocentio. 5. Bruno Coloniensis archiepiscopus electus. 6. S. Hugo episcopus Gratianopolitanus moritur.

MCXXXIII. 1-3. Innocentius papa Romam venit cum Lothario, eumque imperatorem coronat, concedens allodium Mathildis. 4. Beneventani ad Innocentium. 5. Rogerii crudelitas in Apulos. 6, 7. Innocentius Pisas revertitur, ad cujus urbis cives S. Bernardi Epistola. 8. Diploma Innocentii papæ pro episcopo Pistoriensi.

MCXXXIV. 1. Concilium generale Pisanum. 2. Canonizatio S. Hugonis episcopi Gratianopolitani. 3-5. Episcopi Gallicani a Concilio revertentes per satellites Conradi regis vexantur. 6-9. S. Bernardus legatus cum cardinalibus ad Mediolanenses, ad quos et dat litteras. 10. S. Bernardi reditus ad Innocentium. 11. Rogerius proditione potitur civitatibus. 12. S. Norberti obitus.

MCXXXV. 1-6. Legatio Gaufredi episcopi Carnotensis in Aquitaniam, socio S. Bernardo, qui comitem Pictaviensem a schismate convertit. 7. Ultio divina in Gerardum episcopum Engolismensem Antipapæ legatum. 8-10. De martyrio Thomæ prioris S. Victoris Parisiensis. 11, 12. Adalbertus archiepiscopus Moguntinus suos subditos eximit a tributis. 13-15. Adversus Rogerium in Campania debacchantem legatio et litteræ Innocentii papæ ad Lotharium imp. 16, 17. S. Bernardi litteræ hortatoriæ ad Januenses. 18, 19. Adalbero archiepiscopus Trevirensis consolatur, et S. Bernardus juste redarguit Innocentium II. 20, 21. Moritur Henricus rex Angliæ, eique succedit Stephanus, qui de libertate Ecclesiæ reddenda jurat.

MCXXXVI. 1-8. Quanta Rogerius mala intulerit monasterio Cassinensi per Guarinum cancellarium. 9, 10. Infaustus ejusdem Guarini obitus. 11, 12. Ad legatos Cassinenses Lotharii imp. responsio. 13. Schismate inter se divisi Cassinates. 14, 15. De Conceptione Dei genitricis Lugduni celebrari cœpta et S. Bernardi ea de re sententia. 16-20. Hugonis de S. Victore Epistola ad archiepiscopum Hispalensem apostatam. 21-25. Pœnitentia atque obitus Ludovici Crassi regis Francorum : et Willelmi ducis Aquitaniæ testamentum et obitus. 26-33. In causa Rudolphi patriarchæ Antiocheni acta tum Romæ, tum in Oriente per legatos papæ.

MCXXXVII. 1. Congressus Lotharii imperatoris cum Innocentio papa. 2-5. Innocentius S. Bernardum accersit, qui contra schismaticos laboret. 6-10. Res feliciter gestæ in Apulia ab Henrico duce et Lothario imp. pro Innocentio papa. 11, 12. Innocentius Beneventi Rainulphum ducem Apuliæ creat, et episcopum Beneventanum consecrat. 13-23. Acta Cassini in causa depositionis Rainaldi abbatis, et electionis Guibaldi ab Innocentio papa et Lothario imp., cujus pietas innotescit. 24-33. Rogerius ablata recuperaturus venit et pugnat : ad quem S. Bernardi legatio, et cum schismaticis disputatio. 34-37. S. Malachiæ metropolitæ Hibernensis Romam adventus pallium accepturi et signa.

MCXXVIII. 1-6. Mortuo Anacleto frustra alius subrogatur : unde pax Ecclesiæ reddita. 7-10. S. Bernardus ad suum monasterium revertitur, et pro electione episcopi Lingoniensis laborat. 11. Extincto schismate, Roma refloret. 12. Lotharii imp. obitus. 13. Acta de disputatione coram Lothario a Petro Cassinensi scripta arguuntur falsitatis. 14, 15. Causa inter patriarcham Hierosolymitanum et archiepiscopum Tyrensem, de qua litteræ Innocentii papæ.

MCXXXIX. 1, 2. Conradus rex creatus, rejecto Henrico. 3. S. Bernardus ad Conradum scribit. 4, 5. Concilium generale Romanum, et ejus triginta canones. 6, 7. Pro Petro cardinale Pisano intercedit S. Bernardus. 8, 9. Arnaldus de Brixia cum suis erroribus damnatus. 10-16. Innocentius papa captivus factus a Rogerio, eumdem regem Siciliæ creat, dato diplomate : unde pax juramento firmata. 17, 18. Petri Cluniacensis et S. Bernardi litteræ gratulatoriæ et hortatoriæ ad Rogerium. 19-21. Cistercienses missi in Siciliam : unde Rogerius valde proficit.

MCXL. 1, 2. S. Bernardus Guidonem cardinalem legatum Apostolicum monet de Arnaldo. 3-6. Petrus Abailardus S. Bernardum provocat ad disserendum, a cujus colloquio prosternitur. 7. De Abailardi erroribus S. Bernardus et episcopi Gallicani docent Innocentium papam, qui dat rescriptum. 8-12. Petrus Abailardus ab Innocentio papa damnatus convertitur, fit monachus, sancte vivit et moritur. 13. De Hugone et Richardo de S. Victore. 14. Rogerii invasiones. 15, 16. De Willelmo intruso Eboracensi archiepiscopo, cujus fama vindicatur.

MCXLI. 1-3. Occasione belli Tiburtini Romana seditio orta, instigante Arnaldo de Brixia.

MCXLII. 1, 2. Divortium Radulphi Viromandorum comitis, quem Ivo cardinalis legatus damnat S. Bernardi consilio. 3, 4. S. Bernardi ad episcopum Suessionensem excusatio et admonitio. 5. Petrus Cluniacensis pro rege Ludovico apud Innocentium II agit. 6. Fulco rex Hierosolymitanus moritur, Balduinus succedit.

MCXLIII 1-3. S. Bernardus in Ivonis legati morte calumniam passus ad Innocentium papam scribit. 4, 5. De schismate imminente S. Bernardi Epistola. 6-9. Ludovici regis furores et persecutionem compescere studet. S. Bernardus. 10, 11. Innocentii papæ obitus, qui multas Ecclesias instauravit. 12, 13. Pacifica Cœlestini II Pontificis creatio. 14. Concilium Londoniense. 15, 16. Obitus Joannis imperatoris Orientis, qui succedit Manuel, et Leonis patriarchæ.

MCXLIV. 1. Cœlestino mortuo succedit Lucius II papa. 2, 3. Cluniacensibus datum monasterium S. Sabæ Romæ. 4-8. Lucius papa adversus Romanos Arnaldistas Conradum interpellat, et ejusdem regis auxilium. 9-10. Divina ultio in Ecclesiarum violatores. 11. S. Crucis ope exercitus Christianorum liberatur.

MCXLV. 1-3. Lucii papæ obitus et Eugenii III creatio et fuga. 4-10. S. Bernardi Epistolæ ad papam et cardinales de Eugenii creatione. 12, 13. Arnaldistæ in Urbe debacchantur. 14-18. S. Bernardus per Epistolam monet Romanos. 19-21. Idem hortatur Conradum regem ad defensionem Ecclesiæ. 22-25. Legatio ex Anglia, Armenia et Syria ad Eugenium papam in oppido Viterbii. 26-27. Rolandus electus S. R. E. cancellarius. 28-32. Eugenius, favente Ludovico rege, pro

expeditione in Terram-Sanctam dat litteras Apostolicas. 33. Reditus Eugenii papæ in Urbem. 34-39. Petri Cluniacensis adventus Romam ad Eugenium papam, sedandis Etruriæ tumultibus, et quid ei Romæ contigerit.

MCXLVI. 1. Eugenius III rursus infestatur a Romanis. 2-5. In Concilio Carnotensi decernitur expeditio Hierosolymitana, cujus primarius dux S. Bernardus. 6-9. In quo Ludovicus rex deliquerit, unde infelicem belli exitum sit expertus. 10-20. S. Bernardus tum in conventu, tum per litteras ad principes et populos datas excitat ad bellum sanctum, Judæorum cædem vetans. 21. In quos expeditio parata. 22-24. Nicolaus falsarius litterarum S. Bernardi. 25. Fulcherius patriarcha Hierosolymitanus. 26. Obitus Oxytæ patriarchæ Constantinopolitani.

SUMMARIUM

TOMI XIX.

MCXLVII. 1, 2. Legati decernuntur ab Eugenio III pro expeditione in Terram-Sanctam, ad quam Conradus rex cum suis proficiscitur. 3-6. Judicium Eugenii III papa in causa prioratus S. Genovefæ, et profectio Ludovici regis in Orientem. 7-11. Giliberti episcopi hæresis cognita et damnata in Concilio ab Eugenio III. 12-14. Legatio Alberici episcopi Ostiensis contra hæresim Henricianam Tolosæ. 15-18. S. Bernardi Epistola ad Ildefonsum comitem contra Henricum hæreticum. 19-21. S. Bernardus Tolosanos prædicatione et miraculis ab hæresi expurgat. 22, 23. Hæresis Apostolicorum dicta.

MCXLVIII. 1. Appulsus exercituum in Palæstinam. 2-7. In concilio Rhemensi Eon insignis hæreticus damnatus. 8-12. Fidei symbolum contra Giliberti errores, et Concilii Rhemensis canones. 13-19. Gilibertus confutatus resipiscit : in cujus causa cur S. Bernardus in cardinales offenderit. 20-30. Gaufredi Epistola de rebus gestis in causa Giliberti. 31. De corpore S. Eugenii martyris. 32. Hildegardis virginis sanctitas per Eugenium III probata. 33, 34. Eugenius papa Claramvallem et Cistercium visitat. 35, 36. Causa inter Cantuariensem et Menevensem Ecclesias ab Eugenio cognita. 37. Obitus S. Malachiæ episcopi in Hibernia. 38, 39. Contra Arnaldum clericorum rebellioni studentem decreta. 49. Legatio ad Danos per Nicolaum cardinalem Albanensem. 41-44. Emanuel imperator errorem suum corrigens dat constitutionem pro immobilibus Ecclesiæ bonis. 45-47. Successio patriarchæ Constantinopolitani, et status Ecclesiæ Orientalis.

MCXLIX. 1. Arnaldistæ Romani Eugenium III persequuntur. 2, 3. Eugenii III litteræ ad Conradum regem. 4. Ludovici reditus in Galliam. 5-10. De infelici exitu belli Hierosolymitani. S. Bernardus tum per se, tum per alios a calumniis vindicatur. 11, 12. Henricus Ludovici regis frater monachus Cisterciensis, et mox episcopus Bellovacensis.

MCL. 1-3. Eugenius papa quam benigne exceperit Petrum abbatem Cluniacensem. 4-6. Funera filiorum regis Siciliæ, unde litteræ ad eum Petri Cluniacensis.

MCLI. 1, 2. Moguntinus et Coloniensis archiepiscopi Romam se conferunt ad dicendam causam. 3. Synodus Gallicana pro divortio regis. 4, 5. Legationes Joannis et Jordani cardinalium in Germaniam et Hiberniam. 6. De Gratiano decretorum collectore.

MCLXI. 1. Canonizatio S. Eduardi regis Angliæ. 2, 3. S. Petrus archiepiscopus Tarantasiæ schismaticos exagitat, Romam venit. 4. Carthusiani et Cistercienses laborant pro Alexandro III. 5-15. Alexander papa iturus in Gallias S. Petrum Tarantasiensem præmittit, qui miraculis reges et populos confirmat, celebrato Concilio. 16. Conciliabulum Laudense. 17, 18. Waldemarus rex Daniæ, adhibitis Absalone episcopo Roschildensi et Willelmo viro religioso idolatriam in regno suo evertit, et disciplinam regularem instaurat.

MCLXII. 1-13. Navigatio Alexandri III in Gallias, et quæ Fridericus imp. egerit, ut reges Galliæ et Angliæ a devotione Pontificis removeret. 14-20. Regis Daniæ tentata ab imperatore virtus, ut antipapæ adhæreret et ab Alexandro papa deficeret. 21, 22. Concilium Londinense in Anglia, ubi S. Thomas archiepiscopus Cantuariensis creatur.

MCLXIII. 1, 2. Alexander III Parisiis et postea Turone, ubi celebratur Concilium. 3-15. Sermo synodalis Arnulphi episcopi Lexoviensis. 16. Conradus electus Moguntinus ad Synodum venit. 17, 18, Acta et canones Concilii Turonensis. 19-25. S. Thomas reversus in Angliam, quibus ex causis cum rege luctationem iniverit, unde inter ipsum et Alexandrum III datæ utrinque litteræ. 26. Alexandri papæ admonitio ad episcopos Angliæ. 27. Rex Hierosolymitanus Amalricus.

MCLXIV. 1-4. Conventus exsecrabilis Clarendunæ collectus, in quo S. Thomas indebita regi juramento promittit. 5, 6. S. Thomæ pœnitentia et absolutio. 7-10. Archiepiscopus Eboracensis subrogatur S. Thomæ in legatione Apostolica. 11-14. Alexander III laborat pro Thoma, monet Henricum regem. 15-22. Consultationes episcoporum, et regis minæ ad labefactandam constantiam S. Thomæ. 23-26. S. Thomæ fuga et appellatio per litteras ad Alexandrum papam, qui acta contra ipsum abrogat. 27-31. Obitus Octaviani antipapæ, cui subrogatur Guido, favente imperatore. 32-34. Nuntii regis et legatio episcoporum Angliæ ad Alexandrum III contra S. Thomam. 35-38. S. Thomas suam causam agit in consistorio, ubi Constitutiones Anglicanæ reprobatæ. 39-41. S. Thomas ab archiepiscopatu se abdicat, sed per Alexandrum III restituitur. 42-44. Henricus rex iniquas jubet leges in Ecclesiam, denarium S. Petri inhibet. 45-47. Civitates Longobardicæ contra Fridericum imp. confœderatæ. 48, 49. Alexander papa a Romanis revocatus in Urbem, iter parat. 50, 51. Canonizatio SS. Helenæ Gothæ et Canuti regis. 52. Petri Lombardi et S. Eberardi archiepiscopi Salisburgensis obitus : huic succedit Conradus.

MCLXV. 1. Legatio ad Alexandrum III ab imperatrice Mathilde. 2-7. S. Thomas ab amico admonitus, dat litteras ad Henricum regem et ad episcopum Herefordensem. 8. Legatio regis Anglorum ad papam. 9, 10. Alexandrum III reversurum in Urbem furor schismaticus prosequitur. 11-15. Alexandri III reditus triumphalis Romam, frementibus schismaticis. 16-18. Friderici imp. Epistola ad catholicos S. R. E. cardinales.

MCLXVI. 1-6. Conciliabulum Herbipolense ab imperatore habitum contra Alexandrum III : et quid ibi regis Angliæ legati deliquerint. 7-12. Acta in conciliabulo Herbipolensi ad schisma roborandum. 13-15. Fridericus imp. in Italiam venit, confœderatis Longobardis pro Alexandro III laborantibus. 16. Willelmus rex Siciliæ moritur. 17. Legatio imperatoris Constantinopolitani ad Alexandrum III. 18. Falsis vaticiniis rem agit Fridericus. 19-23. Henricus rex redargutus ab Alexandro III dat litteras apologeticas. 24-36. Alexander papa et S. Thomas per litteras pro conversione regis Angliæ laborant. 37-40. S. Thomæ Epistola ad episcopos Angliæ de unitate Ecclesiæ. 41, 42. De Nomocanone Theodori Balsamonis.

MCLXVII. 1-5. Infaustum Romanorum bellum cum Tusculanis, et summi Pontificis fuga ab insidiis Friderici imp. 6, 7. Fridericus imp. pestilentia afflictus fugit Papiam. 8-13. Res gestæ Friderici contra Urbem, et ejus fuga ignominiosa et clades. 14. S. Thomæ Epistola gratulatoria ad Alexandrum III. 15, 16. De Friderico imp. et Henrico Angliæ rege judicia. 17-19. Alexander III legatum Angliæ creat S. Thomam. 20-29. S. Thomas legati munere fungens abusus corrigit, delinquentes excommunicat, regem minis hortatur. 30-42. Angliæ episcopi adversantes S. Thomæ dant litteras ad eum, qui eisdem rescribit. 43-48. Episcopi Angliæ, datis litteris pro rege, appellant ad Alexandrum III, qui S. Thomæ sententiam confirmat. 49-52. S. Thomas a Pontiniaco monasterio exturbatus dat litteras hortatorias ad regem. 53-62. Rex Angliæ iniquis usus consiliariis legationem impetrat ab Alexandro III : unde sparsa mendacia, et S. Thomæ querelæ et aliorum. 63-67. Vindicatur Alexander III ab illatis in eum calumniis. 68, 69. De cardinalibus auro Angliæ corruptis. 70, 71. Joannis cardinalis Neapolitani auri cupidi legationes in Siciliam et detestandum judicium. 72, 73. Petri Blesensis accessus et recessus e Sicilia.

MCLXXVI. 1, 2. Willelmus rex Siciliæ Joannam regis Angliæ filiam uxorem ducit. 3-14. Tolosates hæretici conventi, convicti et damnati. 15-20. Friderici imp. a Mediolanensibus victi legatio ad papam pro pace ineunda. 21-25. Fridericus imp. Corcyram insulam tentat. 26-30. Episcopi Anglicani curiales excusantur ac defenduntur.

MCLXXVII. 1. Annus placabilis. 2-9. De Alexandro III cum Friderico Venetiis conveniente varietates historicæ. 10-23. De rebus Alexandri III Venetiis gestis usque ad absolutionem Friderici imp. 24-26. Ejusdem Alexandri litteræ gratulatoriæ ad diversos datæ. 27-31. Absolutiones schismaticorum et synodus Venetiis, ubi pax firmata. 32-35. Alexandri III litteræ et legatio ad regem Indorum catholicæ fidei studiosum. 36-39. Alexander III denuo cum imperatore congressus recedit Venetiis Anagniam. 40-84. De rebus Venetiis inter imperatorem et papam transactis fusior et veritati consona tractatio ex aliis authenticis documentis. 85-88. Mendacia de Alexandro III conficta. 89-92. Legatio ab Alexandro papa ad conferendum episcopo Laudensi pallium. 93. Legatio in Nortmanniam. 94, 95. Obitus S. Galdini archiepiscopi Mediolanensis : et structura pontis Avenionensis.

MCLXXVIII. 1-4. Alexander III triumphalis Romam ingressus pœnitentem antipapam benigne suscipit. 5-7. Petri Blesensis Epistola de pace Ecclesiæ. 8-12. Indicitur ab Alexandro III generale Concilium in annum sequentem. 13-16. Litteræ Georgii metropolitæ Corcyrensis Romam versus itinerantis. 17-37. Legati apostolici Tolosæ in hæreticos pugnant, errantes convertunt.

MCLXXIX. 1-13. Concilium generale Lateranense. 14. Archiepiscopo Dublinensi creditur legatio Apostolica in Hibernia. 15. Peregrinatio regis Francorum ad sepulchrum S. Thomæ martyris. 16-18. Alphonsus regio titulo auctus regnum Portugallense vectigale Romanæ Ecclesiæ facit. 19 Litteræ Emanuelis imp Orientis ad Fridericum imp. 20. Theodosii patriarchæ CP. Constitutio de affinitatis gradibus.

MCLXXX. 1, 2. Prophetissa quædam Romæ innotescit. 3. Civitati Alexandriæ datur ab Alexandro III episcopus. 4-11. Controversia de electione episcopi S. Andreæ in Scotia : unde rex excommunicatus et regnum interdictum. 12-14. Statuta regni Poloniæ ab Alexandro III confirmata. 15-20. Pro expeditione in Terram-Sanctam Alexander III dat litteras ad principes et episcopos. 21-24. Emanuelis imp. Orientis litteræ ad Alexandrum papam de expeditione, et obitus. 25-28. Concilium Constantinopolitanum ex Georgio metropolita. 29-33. Obitus Nectarii schismatici, quem Georgius metropolita laudat. 34, 35. Obitus Ludovici regis et Amalrici patriarchæ Hierosolymitani.

MCLXXXI. 1-3. Gaufredus suæ electioni ad episcopatum Lincolniensem renuntiat. 4. Excommunicatio et interdictum in Scotiam. 5-10. Alexandri III obitus : de ejus scriptis, et maxime de rescripto super veneratione sanctorum. 11, 12. Arnulphus ab episcopatu Lexoviensi se abdicat. 13. Ordinis Carmelitani primordia. 14. S. Laurentii episcopi Dublinensis obitus. 15. Lucius papa III. 16. Joannes Saresberiensis moritur. 17, 18. S. Virgilii corpus inventum.

MCLXXXII. 1-3. Lucius III, cognita causa, Scotos ab excommunicatione et interdicto absolvit. 4. Maronitæ ad Ecclesiam reversi. 5. Laborantis S. R. E. cardinalis scripta. 6. Nativitas S. Francisci Assisii.

MCLXXXIII. 1. Ecclesia S. Mariæ-Montis-Regalis erecta in metropolim. 2, 3. Discordia inter Romanos et papam. 4-6. Henricus regis Angliæ filius pœnitens moritur : unde Petri Blesensis litteræ solatoriæ ad patrem. 7. De pace Constantiæ, et de Coterellis hæreticis. 8-14. Andronicus tyrannus in Latinos Constantinopoli degentes horribiliter furit.

MCLXXXIV. Promotio cardinalium. 2. Rex Angliæ legatos ad papam Veronæ commorantem mittit ad pacem inter imperatorem et ducem Saxoniæ instaurandam. 3-6. Obitus Richardi archiepiscopi Cantuariensis et translatio corporis S. Floriani.

MCLXXXV. 1-4. Conventus Veronæ inter papam et imperatorem circa schismaticos. 5-10. Instantibus legatis Hierosolymitanis, Lucius III ad expeditionem Terræ-Sanctæ regem Angliæ et alios sollicitat. 11. Lucii papæ obitus et Urbani III creatio. 12-16. Siculi in Græcos sæviunt : Andronici imp. Orientis miserabilis exitus et pœnitentia.

MCLXXXVI. 1,2. Litteræ Urbani III de sua electione. 3-11. Contentiones inter Urbanum papam et Frideri-

cum imp. circa jura episcopalia. 12, 13. Urbani litteræ ad regem Scotiæ in causa Hugonis episcopi S. Andreæ. 14-16. Mutua officia inter Urbanum III et Balduinum archiepiscopum Cantuariensem. 17-19. S. Hugonis Lincolniensis episcopi mira libertas in suo officio. 20, 21. In Livonia prima sedes episcopalis erecta. 22-24. Gotifridus historiam suam Urbano III offert. 25-30. Henrici regis nuptiæ cum Constantia filia Rogerii regis Siciliæ, et de hujus monachatu fabula explosa. 31. Res Orientales.

MCLXXXVII. 1-3. Octavianus cardinalis legatus in Anglia, ad quem litteras dat Petrus Blesensis. 4-10. Christiani a Saladino victi, et Hierosolyma a Turcis capta et profanata. 11. De patriarchis Hierosolymitanis. 12-18. Mortuo Urbano succedit Gregorius papa VIII, qui de reparandis per expeditionem et alia opera malis Hierosolymitanis litteras dat encyclicas. 19. Quæ cardinales sibi inflixerint facienda pro amore Terræ-Sanctæ. 20. Obitus Gregorii papæ. 21. Odo regum Angliæ et Francorum consanguineus Romam venit. 22. Isaacius Orientis imperator perstringitur a Brana tyranno.

MCLXXXVIII. 1, 2. Clemens papa III creatus expeditionem in Terram-Sanctam confirmat. 3-8. Congressus regum Franciæ et Angliæ, ubi statuta pro expeditione sacra condita. 9-15. Petri Blesensis litteræ de non gravandis Ecclesiis exactione decimarum. 16. Regis Angliæ litteræ ad Orientales spondentis auxilium. 17-19. Fridericus imp. accepta cruce, litteras dat minatorias Saladino, qui audacter respondet. 20, 21. Res Scotiæ compositæ per Clementem III, qui Ecclesiæ Scoticæ privilegium concedit. 22-26. Pax inter papam et Romanos diplomate firmata. 27-29. Gaufredi monachi Claravallensis Epistola super transsubstantiatione vini et aquæ in sanguinem Christi. 30, 31. Athanasii patriarchæ Hierosolymitani obitus, et inter ipsum et Georgium Corcyræ episcopum Epistolaris consuetudo.

MCLXXXIX. 1, 2. Legatio a Clemente papa ad conciliandos reges Angliæ et Franciæ. 3-7. Henrico succedit Richardus rex Angliæ, quem digne et juste reprehendit S. Hugo Lincolniensis episcopus. 8, 9. De expeditione Hierosolymitana acceleranda Petri Blesensis litteræ. 10-12. Quid Friderici imp. et Canuti regis expeditionem retardaverit. 13. Canonizatio S. Ottonis episcopi Bambergensis. 14. Mors Willelmi regis, Siciliæ turbarum origo.

MCXC. 1-3. Richardus rex Angliæ profecturus Hierosolymam Messanæ cum Tancredo rege congreditur. 4, 5. Richardi pœnitentia, et congressus cum abbate Joachim pseudopropheta. 6-13. Fraricus imp., multis rebus gestis, moritur in expeditione Terræ-Sanctæ, eique succedit Henricus.

MCXCI. 1-8. Clementi mortuo, subrogatur Cælestinus papa III : ubi de ritibus in creatione Pontificis. 9-11. Henricus VI Romæ coronatur : unde Tusculum Romanis redditum et destructum. 12. Nuptiæ inter Hispaniarum reges vetitæ. 13, 14. Henrici imp. expeditio in Apuliam. 15-20. Reges Franciæ et Angliæ in Palæstina bellum sanctum gerentes scissione debilitati. 21-34. In perturbatione regni Angliæ legatus Apostolicus lacessitus ab æmulis, defenditur a Petro Blesensi contra Hugonem Coventrensem episcopum, qui pœnitens moritur. 35-38. Cælestinus papa agit per litteras pro legato apostolico in Anglia. 39-44. Rex Angliæ rediens a Palæstina captus a duce Austriæ, tradendus Henrico inperatori. 45-48. S. Hugonis episcopi Lincolniensis mire et sancte gesta. 49-63. Xyphilino patriarchæ Constantinopolitano suum opus dedicat Theodorus Balsamon : ubi de edicto Constantini circa donationem Romanæ Ecclesiæ factam instituta quæstio et fabula explosæ.

MCXCII. 1. Canonizatio S. Ubaldi episcopi Eugubini. 2. Privilegia Ecclesiæ Scotiæ concessa. 3-8. Causa episcopi Eliensis legati Apostolici acta coram Pontifice. 9-12. Cælestini papæ litteræ encyclicæ pro expeditione in Terram-Sanctam. 13-18. De regis Angliæ captivitate luctus et querelæ. 19. De Cencio camerario. 20. Constantia Augusta liberata et restituta imperatrix. 21-24. De Eucharistia ingens miraculum.

MCXCIII. 1. Crudelia Henrici imp. facta. 2-17. Reginæ Angliæ litteræ ad papam pro liberando Richardo filio. 18. Anathema in ducem Austriæ et imperatorem. 19-23. Richardi litteræ et conventio pro sua liberationne. 24. Nuptiæ atque divortium regis Franciæ. 25-27. Isaacius imperator Orientis patriarchatum Constantinopolitanum temere confert.

MCXCIV. 1, 2. Liberatio Richardi regis Angliæ. 3. In excommunicatum ducem Austriæ divina ultio. 4-11. Eboracensis archiepiscopi causa a Cælestino III delegatur, et archiepiscopus Can-

tuariensis fit legatus Apostolicus. 12-16. Canones Concilii Eboracensis. 17. Canonizatio S. Bernardi. 18-22. Clades Siculorum per Henricum imp.

MCXCV. 1-4. Cælestinus papa a nuntiis regis Angliæ sollicitatus ducem Austriæ excommunicat, qui tandem resipiscens moritur. 5. Henricus imp. a papa excommunicatus. 6. Pro ejecta uxore legitima regis Franciæ papa agit. 7-9. Idem agit pro expeditione in Terram-Sanctam. 10-16. Cælestinus adversus Eboracensem archiepiscopum laborat. 17-20. Statuta circa negotium Terræ-Sanctæ. 21-25. Cælestinus per legatos urget expeditionem in Terram-Sanctam, cui Henricus imp. favet. 26. Alexius Angelus imperator Orientis.

MCXCVI. 1-4. Episcopus Bellovacensis in bello armatus captus, intercedente Cælestino papa, liberatur. 5. Henricus imp. redit in Italiam, furit in Nortmannos. 6. Dedicatio Ecclesiæ S. Laurentii in Lucina Romæ.

MCXCVII. 1-5. Henricus imp. in Italiam venit, sœvit in Siculos, terret Alexium imp. Orientis et moritur. 6, 7. De natalibus et ætate Friderici II. 8, 9. Ex testamento Henrici imp. restitutio facta Romanæ Ecclesiæ. 10 13. Coronatio regis Armeniæ per archiepiscopum Moguntinum. 14-17. Redditi monachi suæ Ecclesiæ in Anglia. 18-19. Legatio Apostolica in Poloniam. 20. Controversia inter archiepiscopum Rothomagensem et regem Angliæ.

MCXCVIII. 1-3. Cælestini papæ obitus et gesta. — Tomi absolutio et auctoris peroratio.

SUMMARIUM

TOMI XX.

MCXCVIII. 1-6. Innocentii Tertii creatio, et ejus primordia, virtutes et merita. 7-9. De sua creatione; litteræ Innocentii papæ conantis avertere Philippum regem ab incestis nuptiis. 10. Ungariæ pacandæ studet. 11-13. Gesta Innocentii ante et post suam consecrationem Urbi salubria. 14-17. Picenum, ducatus Spoleti et Assisii, aliæque urbes in Romanæ Ecclesiæ ditionem recipiuntur. 18-20. Jubet Innocentius consecrari Altaria S. Petri, instituit festum Conversionis S. Pauli. 21. Translationes episcoporum temere factas cohibet. 22-25. Civitates ditioni Ecclesiæ Romanæ subjectas sibi alias devincit, alias recuperat. 26, 27. Avaritiam proscindit, jura tuetur. 28-32. Dubia theologica resolvit, Philippum regem a divortio revocat. 33-37. In Hispania, Navarra, aliisque regnis Innocentius res componit, hæreses exstirpat, ope præsertim Rainerii legati. 38-41. Fulconis labores apostolici et sanctitas. 42-44. Terricus hæresiarcha, et alia hæreticorum genera. 45. Conventrensis episcopi pœnitentia. 46-48. Monasticæ disciplinæ restituendæ vacat Pontifex. 49-52. Richardum Angliæ regem tuetur, muneribus ornat. 53-55. Richardus agit cum Innocentio de Othonis ad imperium exaltatione. 56, 57. Philippus rex Galliæ agit de eodem merito pro Suevo. 58-60. Othonis imperio inhiantis litteræ ad papam. 61-66. Philippus et Otho Germaniæ reges electi. 67-70. Innocentius Friderici tutor, mortua Constantia; ubi de regno Siciliæ. 71-73. Contra Sueronem Norvegiæ tyrannum sollicitat finitimos reges. 74-76. Ex Utlandia pravos usus eliminat; Ecclesiæ Suæcanæ consulit. 77, 78. Poloniæ et Ungariæ res componit. 79-88. Status infelix Terræ-Sanctæ, expeditionis instaurandæ gratia nulli operæ parcit.

MCXCIX. 1-15. Quanta Innocentius gesserit ut Siciliæ regnum pupillo Friderico contra Marcualdum armis et dolis agentem tueretur. 16-19. Comitatus Licii Gualterio delatus. 20, 21. S. Homoboni canonizatio. 22-26. S. Petrus Parentius in hæreticos pugnat, martyr occumbit. 27-37. Germaniæ turbas compescere nititur papa, Philippo et Othone regnum inter se contendentibus. 38, 39. Livoniæ populis consulit. 40-44. Contra incestas principum nuptias et maxime Philippi Franciæ regis laborat. 45. Pœnitentis scripta crimina divinitus deleta. 46, 47. Richardu rex Angliæ Gaufridum persecutus moritur. 48, 49. Joannes Richardi successor. 50. Otho pro regni Germanici adeptione Pontificis opem implorat. 51, 52. Papa Compostellanam Ecclesiam ornat privilegiis, Turonensem declarat metropolitanam. 53. Conradum Herbipolensis sedis invasorem excommunicat. 54-57. Franciæ regis, et Flandriæ comitis causam agnoscit, Judæis consulit, Dalmatiam Romanæ Ecclesiæ conciliat. 58. Pro Bulgaris convertendis curat. 59-64. Unioni Græcorum studet, datis litteris ad imp. Alexium et ad patriarcham. 65-69. Gens Armenorum Romanæ Ecclesiæ studiosissima cum Leone rege, cui in multis favet Innocentius. 70-72. De bello crucesignato, et liberandis fidelibus a captivitate Sarracenorum agit.

MCC. 1-4. Bellum et victoria, duce Jacobo, in Sicilia contra Marcualdum invasorem. 5-8. Gualterii Siciliæ cancellarii ambitio et fraudes, ob quas ab Innocentio redarguitur. 9-13. Interdictum in Gallia; curæ Pontificis de restituenda legitima Philippi uxore. 14. Pax inter Francos Anglosque inita. 15. Eborac. archiep. a rege fratre divexatur. 16, 17. Londoniensis Concilii canones. 18-20. S. Hugonis episc. Lincolniensis mors et prodigia. 21-37. Controversia de regno Germanico ab Innocentio per litteras tractatur in favorem Othonis. 38, 39. Conradi archiepisc. Moguntini obitus. 40-43. De episcopis transeuntibus ad aliam Ecclesiam Innocentii judicium; ubi refutatæ in eum calumniæ. 44, 45. S. Chunegundis canonizatio. 46. Innocentii litteræ ad Hungariæ regem pro hæreticis pellendis. 47-50. Schismaticos cohibet, Novarienses increpat, Januenses in fidem suscipit Pontifex. 51. S. Raimundi Placentini mors.

MCCI. 1, 2. Legatio et litteræ Innocentii ad Germanos præsules. 3-12. Innocentius Othoni imperium confirmat. 13-16. Per legatos Apostolicos Othonis evectio; qui papæ jurat fidelitatem. 17-19. Othonis litteræ ad papam et hujus responsum. 20-24. Querelas principum fautorum Philippi diluit Innocentius. 25-29. Othoni conciliare studet Philippum Francorum regem. 30, 31. De fœdere inito inter reges Anglum et Francum. 32. Rex Anglorum turbat Ecclesias. 33-36. De fine mundi opinio et prodigia. 37-40. Duplex victoria Gualterii Bremensis in Apulia contra perduelles regni Siciliæ. 41-43. Innocentii curæ pro succursu Terræ-Sanctæ.

MCCII. 1-5. Innocentio pro regno Siciliæ agente, Marcualdus perduellis moritur. 6. Conciliantur nuptiæ Fridericum inter et sororem regis Aragoniæ. 7-12. Papa disciplinæ restituendæ, hæresi profligandæ, moribus corrigendis dat operam. 13-18. Quæstionibus liturgicis respondet. 19. Concessa multis privilegia. 20-22. De legitimandis filiis Epistola Innocentii. 23, 24. Ejusdem Epistola ad Francorum regem circa divortium. 25, 26. Inter Franciæ et Angliæ reges dissidia. 27. Pro Othone curat Innocentius. 28. In contumaces episcopos animadvertit. 29. S. Willelmi Roschildensis abb. obitus. 30-32. Terræ-Sanctæ calamitates reparat munificentia et liberalitate. 33, 34. Cum rege Bulgarorum tractat per litteras. 35-38. Quæ gesta ejus in rebus Alexii filii Isachii imp. Constantinop. 39-45. Regis Armeniæ ad Pontificem legatio, et officiosissimæ hinc inde litteræ.

MCCIII. 1-8. Splendidissimus militiæ apparatus pro nova expeditione in Terram-Sanctam, et Innocentii circa idem studia. 9-11. Crucesignatorum iter in Syriam, et magnum sanctitatis specimen. 12-18. Restitutio Alexii in imperium Constantinopolit., unde Græca Ecclesia ad Romanæ obsequium adducta. 19-23. Res Ungariæ; Bulgarorum gens Romanæ Ecclesiæ conjunctior. 24-27. Innocentius et card. agunt cum Germaniæ episcopis et principibus pro Othone. 28-30. Philippus Pontificis gratiam studet aucupari. 31-37. Innocentius de Othonis exaltatione sollicitus scribit ad principes et episcopos Lombardiæ. 38-41. In favorem Othonis alios principes sollicitat, episcopo Magdeburgen. excommunicationem minatur. 42-44. Egregia pietatis et virtutum exempla. 45-49. Conradi episc. Herbipolen. cædes. 50-54. Suffridum Maguntinum monet Innocentius, et Antissiodorensem epicopum contra regem tuetur. 55-58. Inter reges Franciæ et Angliæ dissidiis tollendis studet. 59, 60. Mœrentes reginæ Francorum litteræ ad Pontificem. 61. Joannem Anglorum regem arguit Innocentius. 62 S. Vulstani canonizatio. 63 66. Reges Castellæ et Danorum arguit, disciplinam Ecclesiasticam tuetur. 67, 68. Privilegia monasterio S. Pauli aliisque collata. 69, 70. Sequaces Marcualdi in Sicilia compressi. 71, 72. Responsa Innocentii ad Joannem archiepisc. Lugdunensem.

MCCIV. 1-4. Innocentii litteræ ad Alexium imp. et crucesignatos. 5-19. Constantinopolis a Latinis capta, et ad imperium evectus Balduinus. 20-23. Litteræ gratulatoriæ Innocentii ad Balduinum, et crucesignatos. 24, 25. Venetis excommunicatis consulit Pontifex. 26, 27. De sacris imaginibus miracula. 28-45. Acta cum Bulgaris redeuntibus ad unitatem Catholicam; quorum rege coronato, disciplinares leges jubet Innocentius. 46-48. Othonis res prosperæ per Innocentium. 49-51. Ejusdem adversarii increpantur. 52-54. Bohemus a Sede Apostolica regium nomen nanciscitur. 55. Res Germaniæ. 56-63. Hæreses Albigensium et Waldensium. 64-66. Contra hæreses agit, et paci regum consulit Innocentius. 67, 68. Ad diversos viros et ad Joannem Angliæ regem litteræ Pontificiæ. 69. Castellæ rex dissolutis nuptiis incestis, reconciliatur Ecclesiæ. 70-73. Coronatio Petri regis Aragonum. 74-76. De rebus Siciliæ et aliarum regionum curat Innocentius. 77. Donatio hospitali S. Mariæ in Saxia ab Anglo facta. 78, 79. Sardinia Ecclesiæ Romanæ obnoxia. 80, 81. Plura privilegia ab Innocentio collata.

MCCV. 1-3. Balduini imp. et Venetorum ad Innocentium litteræ. 4-6. De electione imp. pacta conventa. 7-9. Gesta Latinorum apud Constantinopolim arguit Innocentius. 10-13. Imperio Orientali et imperatori favet et consulit. 14-16. De legato Constantinopolim misso et de patriarchæ consecratione. 17-20. Latinorum clades, et Balduini captivitas. 21-23. Innocentium inter et

regem Bulgarorum litteræ de Balduini liberatione, et de aliis. 24, 25. Balduini mors, et laudes. 26. Exorta nova imperia. 27-29. Patriarcham Hierosolymitanum creat, et rebus Terræ Sanctæ consulit papa. 30-39. Regis Armenorum ad Innocentium Epistolæ de suis controversiis cum Latinis. 40-42. SS. Reliquiæ Constantinopoli in Occidentem translatæ. 43-47. Adolphus archiepisc. Colonien. Philippo adhæret, unde exauctoratus. 48-51. Innocentius agit pro Othone, quem Philippus bello vicerat. 52, 53. Innocentius Philippo Suevo jura Ecclesiæ invadenti sese opponit. 54. Ordo militiæ Christi institutus. 55, 56. Pontifex tuendo novo Ungariæ regi incumbit. 57. Judæos in Galliis comprimit. 58-60. Ibidem status reginæ de divortio querentis ; episcopi ab Innocentio admoniti ; reliquiarum translatio. 61-67. In reges Angliæ, Hispaniæ, Castellæ aliosque principes jura Ecclesiæ invadentes, vel hæreticis faventes pugnat Innocentius. 68. Privilegia collata. 69. Brenensis comitis cædes.

MCCVI. 1-6. Juramentum extortum a patriarcha Constantinopolit., et ejus conventiones cum clericis Francis. 7. Litteræ Innocentii ad marchionem Bonifacium. 8. Excitantur Occidentales ad auxilium Terræ Sanctæ ferendum. 9-13. Othonem a Philippo in bello victum Innocentius tuetur, datis litteris ad perduelles. 14-18. Philippum cum Othone reconciliat Innocentius missis legationibus. 19-23. De Waldemaro episcopo a carcere liberando Innocentii et regis Danorum litteræ. 24, 25. De matrimonio regis Bohemiæ cognoscit Innocentius. 26. Res Ungaricæ. 27-29. S. Dominicus cum legatis Apostolicis in Galliam missus. 30, 31. Innocentii litteræ ad monachos Cistercienses. 32. Controversiæ inter reges Anglum et Francum. 33. Controversia de electione Cantuarien. episcopi. 34. Innocentius curat res Hispaniæ. 35, 36 Responsa Pontificis ad Hispaniæ præsules. 37, 38. Venetos, Spoletinos aliosque populos arguit Innocentius. 39-41. Alexandrini et Aquenses inter se ab Innocentio conciliati. 42. Privilegia collata. 43. S. Ubaldescæ virg. obitus, et S. Francisci primordia.

MCCVII. 1-3. Patarenos Viterbii grassantes insequitur Innocentius. 4. Viterbium, Tudertum aliaque loca invisit. 5, 6. Gratulatur Friderico Siciliæ regi de ejus ab hostibus liberatione. 7-11. Innocentio pro Othone agente, pax inter hunc et Philippum Suevum conciliata. 12-14. Wladislao duci Poloniæ obstitit Innocentius jura Episcoporum tuendo. 15. Census a Polonis Ecclesiæ Romanæ debitus. 16-18. Electio archiepiscop. Cantuarien. contradicente rege. 19, 20. Veneti imaginem Deiparæ a D. Luca pictam rapiunt.

MCCVIII. 1-5. Philippo Suevo nex proditorie illata. 6, 7. Romanis tumultuantibus senator datus. 8-13. Impensius agit papa pro Othone, datis litteris ad plures, præsertim ad Francorum regem. 14. Dispensatio Othoni data. 15-24. Illata per scelus nex Petro de Castronovo a Raymundo comite Tolosano ; unde in Albigenses bellum. 25. S. Stephanus Carthusianus 26. Sacris interdicitur Anglia. 27, 28. Sora expugnata, cujus dux factus Richardus jurat fidelitatem. 29. Conversio S. Francisci.

MCCIX. 1-7. De dispensatione Othoni super conjugio, et de pace in Germania firmanda Innocentii curæ et litteræ. 8-12. Pontifex contra Friderici consilia tutatur Othonem, qui jurat fidelitatem Rom. Eccl. 13-19. Othonis iter Romam, et coronatio, cujus ritus describuntur. 20. Ejus post acceptum diadema perfidia. 21-23. Bellum sacrum in Galliis adversus hæreticos. 24-27. Montfortius debellatis urbibus princeps præficitur, cui Innocentius conciliat Narbonæ dominum. 28. Almarici hæresis orta et damnata. 29. Anathema in regem Angliæ. 30. Friderici nuptiæ cum regis Aragonii sorore.

MCCX. 1, 2. Otho anathemate ictus ob occupatas Ecclesiæ Rom. civitates. 3, 4. Fridericum et Lusitaniæ regem arguit Innocentius. 5-7. Primatum Hispaniæ Toletano archiepisc. confirmat, equites S. Jacobi comprobat. 8. Joannes rex Angliæ bona Ecclesiæ usurpat. 9, 10. Philippus rex insectatur hæreticos, quos fovet Raymundus. 11-13. Crucesignatorum victoriæ in Albigenses. 14. Quid cum Raymundo actum in conventu apud S. Ægidium. 15. Montfortius divinitus incolumis. 16, 17. Fuxensis comitis hæretici impietas et crudelitas. 18-21. Resipiscentes hæreticos recipit Innocentius, missa fidei formula. 22. Restituitur Regularium disciplina in Galliis. 23. Rex Bohemiæ uxorem repudiat. 24-26. Laudat Danorum regem, increpat et monet episcopos Innocentius. 27. Res Poloniæ. 28. S. Franciscus regulas Ord. scribit. 29-33. Rebus Orientalibus prospiciens Innocentius arguit Henricum imp., episcopos monet, pacem conciliat. 34, 35. Causa Antiocheni principatus commissa episcopo Cremonensi.

MCCXI. 1-4. Othonis in Sicilia progressus, excommunicatio, et Friderici in imperatorem electio. 5-7. Libera episcoporum electio in Sicilia, et Ecclesia Rom. hæres instituta a comite Fundano. 8. Urbes ditionis Ecclesiasticæ servatæ. 9-12. Reges Galliæ, Angliæ, et Lusitaniæ monet et

increpat Innocentius personis, vel juribus Ecclesiasticis infensos. 13. Obitus Lusitaniæ regis. 14-19. Bellicæ res gestæ inter crucesignatos et hæreticos. 20-23. Hæreticos resipiscentes recipit, Ecclesiis probos episcopos præficit Innocentius. 24. Constantinop. patriarchæ obitus. 25-27. Pro Armeniæ rege, pro Antiochia, pro Christianis Orientis curæ Innocentii.

MCCXII. 1-4. In Othonem Ecclesiæ rebellem movetur Fridericus in Germaniam contendens. 5, 6. Lundensem archiepiscopum legatum creat; pro conversis ad fidem curat Innocentius. 7. Controversia de jure coronandi regem Ungariæ. 8. Divortium regis Philippi, recepta uxore tollitur. 9. Consulit rebus Gallicanæ Ecclesiæ. 10-16. Bellum in Gallia contra Albigenses virtute et pietate Montfortii, sceleribus vero Raymundi et hæreticorum insigne. 17-34. Reges contra Sarracenos in Hispania grassantes excitat Innocentius, et preces indicit; unde relata amplissima victoria. 35, 36. Rex Angliæ in regni discrimem adductus. 37. Ecclesia exusta, si parietes exstiterint, iterum non consecranda. 38. Privilegia impertita. 39, 40. De S. Claræ primordiis, et variis miraculis. 41-43 Libertati Ecclesiasticæ in Oriente consulit papa, datis litteris ad Henricum imp. et episcopos. 44, 45. Captivos in Terra-Sancta solatur Innocentius; et mira de sacra expeditione.

MCCXIII. 1-4. Bellum pro Terra-Sancta promovet missis prius litteris ad Soldanum. 4, 5. Circa sacram expeditionem ingens studium. 6. Pelagius Albanen. episc. card. legatus Constantinopolim. 7, 8. Indicitur Œcumenica synodus. 9. Estiensi episc. in fide promovenda Innocentius favet. 10-19. De fautoribus Othonis insignes victoriæ. 20-22. Gertrudis reginæ Ungariæ cædes. 23-25 Fridericus Diplomate restituit immunitatem Ecclesiasticam in Sicilia. 26-50. Acta a Synodo Vaurensi in causa Raymundi Tolosani, pro quo Aragonius rex turpiter agit, Innocentium frustra decipiens. 51-66. Petrus Aragonius hæreticorum fautor Montfortio bellum movet variis eventibus insigne, in quo occiditur. 67-69. De Eucharistia miraculum. 70-72. Virtutis exempla et sanctorum obitus. 73-90. Joannes rex Angliæ a Philippo rege Galliæ bello impetitus Innocentio adhæret, Romanæ Ecclesiæ suum regnum dicat, episcopos revocat, Ecclesiasticis juribus favet. 91-94. In Italia et Hispania Ecclesiis et disciplinæ consultum.

MCCXIV. 1, 2. In arma sacra excitat et hortatur Innocentius crucesignatos. 3-7. De statu Sarracenorum, et eorum principibus. 8-13. Andreas rex Hungariæ regnum suum Pontifici commendat profecturus in Terram-Sanctam. 14-18. Missi in Gallias legati ad compescendos Albigenses, quorum protervia, duce Montfortio, conteritur. 19, 20. Concilium apud Montem-Pessulanum. 21-24. Philippi contra Othonem bellum et victoria. 25-28. Angliam ab interdicto solvit, denarium S. Petri exigit Innocentius. 29, 30. Castellæ et Aragoniæ regna successione regum laborant. 31, 32. Arguit Innocentius Lundensem episcopum.

MCCXV. 1-6. Concilium Lateranense Œcumenicum aperit Innocentius oratione habita ad Patres. 7-12. Decreta et canones contra hæreses, et circa disciplinam Ecclesiasticam. 13-15. De expeditione pro Terra-Sancta decreta. 16-19. de Roderico, et S. Dominico aliisque viris Concilio præsentibus; et approbatio Ordinum SS. Francisci et Dominici. 20-23. Acta a Ludovico rege contra Albigenses. 24, 25. Adjudicata Montfortio Tolosana regio. 26-34. Joannem regem Angliæ ob privilegia reddita deinde ablata in discrimem adductum Innocentius defendit contra proceres regni rebelles. 35. Fridericus Aquisgrani inunctus crucem induit. 36-38. Agitatum de imperio in Concilio, et Sicilia Henrico tradita. 39-41. Datum a Salinguerra fidei sacramentum.

MCCXVI. 1-7. Regnum Angliæ discordiis turbatur, ad quod capessendum jura Ludovici proferuntur. 8. Melgorii comitatus Magalonensi episc. traditus. 9-15 Innocentii papæ obitus, fama vindicata, celebratæ laudes. 16, 17. Honorii III papæ electio. 18, 19. Litteræ de sua promotione. 20-24. Urget expeditionem sacram per litteras et legatos. 25. Obitus Henrici imp. Constantinop. 26-29. Italiæ populis conciliandis studet Honorius. 30-36. Mortuo Joanne Anglorum rege, filio Henrico successori favet eique regnum conciliat. 37-39. Reges Galliæ ab invadenda Anglia deterret. 40-43. Viduis reginis, et comitatui Campaniæ consulit. 44-47. Pax composita, responsa et privilegia ab Honorio data. 48-50. Dominicana familia confirmata, SS. Francisco et Dominico mutua amicitia conjunctis et laborantibus.

MCCXVII. 1-7. Postposito Andrea, Petrus Antissiodorensis coronatur imp. Constantinopol. ab Honorio. 8-12. Petrum et legatum Apostolicum Constantinopolim euntes Theodorus Comnenus proditorie intercipit. 13-17. Honorii litteræ ad Theodorum et Pannoniæ regem pro amborum liberatione; et alia de Orientali imperio. 18-26. Cur exitus belli sacri non satis felix; et de

ejusdem magno apparatu. 27-31. Proficiscentibus crucesignatis in Terram-Sanctam universales preces ab Honorio indicuntur. 32-38. Res gestæ et victoriæ contra Saracenos in Lusitania et Hispania. 39, 40. Gesta crucesignatorum felicia in Terræ-Sanctæ regionibus. 41. Friderici legatio ad Pontificem. 42-44. Regem Bohemiæ objurgando ad meliora revocat. 45, 46. Magdeburgen. et Salisburgen. episcopales sedes auget. 47, 48. Discordiæ exstinctæ in Polonia, cujus fides elucet erga Romanam Sedem. 49-52. Honorii studium in convertendis Albigensibus, opera præsertim S. Dominici. 53-62. Montfortium a Raymundo bello impetitum Honorius defendit, datis ad diversos reges litteris. 63. Mons-Pessulanus fidei Apostolicæ commendatus. 64-66. De duobus Guillelmis sanctitate insignibus. 67-77. Henricus patri succedit in regno Angliæ ; eique Honorius regem Francorum et populos conciliat. 78-81. Ludovicus ab Anglia discedit ; unde pax firmata. 82, 83. Obitus Henrici regis Castellæ, et successio Ferdinandi. 84, 85. Disciplinæ Ecclesiasticæ in Hispania consulit Honorius. 86-97. Ugolinus legatus Pisas missus, cohibiturus injustam occupationem Sardiniæ ; de qua plura. 98-100. Privilegia Januensi Ecclesiæ concessa. 101. Episcopi consecrati. 102. Ordo SS. Trinitatis confirmatus.

MCCXVIII. 1-5. Pelagius Albanen. episc. in crucesignatorum exercitu legatus. 6-12. Felicia crucesignatorum gesta in Ægypto, adjuvante exhortationibus et precibus Honorio. 13-19. Sollicitantur auxilia in opem Terræ-Sanctæ ; ubi de Hospitalariorum et regis Cypri virtute. 20-23. Theodorus Comnenus Ecclesiæ conciliatus et in clientelam Apostolicam receptus. 24-28. Joannes card. Columna legatus Constantinopolim. 29-31. Pisani conciliati Ecclesiæ, donati privilegiis cum Januensibus pacem ineunt. 32 Honorii curæ in pacificandis dissentientibus populis. 33, 34 Acta de inter sanctos adscribendis Willelmo Archiepisc. et Joanne eremita. 35, 36. D. Dominici miracula, et ejus Ordinis diffusio. 37-39. Obitus Othonis imp. 40-42. Ecclesiis Olmucen. et Pragensi consulit Honorius. 43, 44. Pruthenos Christianos tuetur, datis litteris ad episcopos. 45-47. Frisia Oceani eluvie mersa. 48-52. Montfortius in bello pro fide occisus. 53-55. Almaricus patri succedit ab Honorio valde protectus. 56, 57. Philippus Galliæ rex in Tolosanos hæreticos arma parat. 58. Defensa ab Honorio immunitas Ecclesiastica. 59-62. Inita inter Ludovicum et Henricum pax a Pontifice confirmata, qui cæteris Angliæ rebus consulit. 63. Prærogativæ Toletanæ Ecclesiæ confirmatæ. 64-68. Ferrandus Castellæ rex legitimus edictus. 69, 70. Hispanos contra Saracenos excitat Honorius. 71. Regi Lusitano patrocinium Apostolicum datum.

MCCXIX. 1-8. Pecunia et hortationibus urget Honorius expeditionem sacram, ad quam Fridericus se paratum simulat. 9-11. Fridericum increpat Honorius, episcopos monet. 12-19. Crucesignatorum in Ægypto res bellicæ, et Damiatæ expugnatio. 20-22. Petrus Capuanus creatur Antiochiæ patriarcha. 23-25. Fridericus postulat sibi insignia imperialia restitui, eumque jura Ecclesiastica invadentem Honorius arguit. 26, 27. Bohemiæ regem de eodem crimine increpat. 28-31. Salisburgensem, Upsalensem episcopos et canonicos Bremenses de usurpatis juribus arguit. 32. Beatæ M. V. miraculum. 33 Nuptiæ regis Ungariæ cum filia regis Armenor. 34, 35. Henrici ducis Poloniæ pietas, et Waldemari regis Danorum nuptiæ. 36, 37. Auctæ Albigensium res. 38. Turbæ ab Erardo excitatæ in Campania. 39, 40. Induciæ Anglos inter Gallosque protractæ. 41-43. Translatæ reliquiæ S. Thomæ Cantuarien., et agitatum de Hugonis canonizatione. 44. Reginaldus rex Sedis Apostolicæ vectigalem se constituit. 45-47. Hispanos ad pellendos Sarracenos excitat, Miramomelinum Christianis conciliat Honorius. 48. Dissidentes Italiæ populos pacificat. 49. Beneficia et privilegia collata. 50 55. Ecclesia S. Xisti donata S. Dominico, qui signis et virtutibus claret. 56. S. Franciscus in Oriente coram Soldano. 57. Insanum Grandimontensium facinus.

MCCXX. 1-5. Subdiaconus Alatrinus ad reposcenda Ecclesiæ jura ad Fridericum missus. 6, 7. Honorius Fridericum monet et arguit propter dilationem expeditionis sacræ. 8-10. Honorificum Romanorum responsum ad Friderici litteras. 11-17. Electio Henrici in regem Romanorum, de qua Fridericus multum agit cum Honorio. 18-24. Friderici coronatio Romæ, et quid ante et post illam cum Pontifice actum. 25. Sardiniæ invasori se opponit Honorius. 26. Antiquatæ leges a Bononiensibus in academicos latæ. 27-30. Tarvisini ob patrata scelera increpati, et occisores episcopi Anicien. pœna mulctati. 31. Joachimus abbas ab hæresis nota purgatus. 32-36 Papa reges Daniæ et Bohemiæ, missis legatis, tuetur, Sueciæ regem monet, resipiscentem episcopum recipit. 37-41. Serviæ, Livoniæ, et Prussiæ populos recipit ac in fide confirmat. 42. Nicolaus sacerdos sanctus in Suecia. 43. Giroldus episcopus Valentinus. 44-47. Honorii curæ de pupillo rege Angliæ, de reliquiis S. Thomæ Cantuarien.; de Hiberniæ et Scotiæ Ecclesiis ; de canonizatione Hugonis episc. 48, 49. De exactione vicesimæ in Hispania pro bello sacro. 50-52. Lusitanum regem scelerum arguit Honorius. 53-57. De Terra-Sancta sollicitus mittit litteras ad crucesignatos et Hierolosymæ regem. 58, 59. De statu rerum Orientalium.

MCCXXI. 1-7. Ugolinus legatus pro expeditione Orientali, ad quam Fridericus se simulat paratissimum. 8. Poloni ad bellum sacrum sollicitati. 9-21. Christiani exercitus clades, et Damiata a Turcis expugnata; unde Honorii querelæ et litteræ ad Fridericum. 22-26. Robertus rex Constantinop. Ecclesiarum jura confirmat. 27, 28. Matthæus patriarcha Constantinopolit. 29-31. Donationem Mathildis comitissæ Fridericus Ecclesiæ restituere jussus. 32, 33. De episcoporum intrusione Fridericum arguit Honorius. 34-38. Alios usurpatores coercet, bonos episcopos eligit. 39. Gregorius Crescentius card. legatus in Germania. 40. Suecia vectigal solvit Ecclesiæ Romanæ. 41-45. Conradus legatus in Gallia contra Albigenses, quorum fautorem Raymundum increpat Honorius. 46-48. Pontificium studium in convertendis infidelibus, et Christianis tutandis. 49. De coronando rege Scotorum. 50, 51. Ecelini consilium de amplectenda vita religiosa.

MCCXXII. 1-4. Congressus Friderici cum Honorio Verulis habitus. 5-7. Simulante Friderico pietatis studium, Honorius reliquos principes hortatur et monet. 8-13. Cypri episcopos increpat, Achaiæ principem ob Ecclesiasticorum oppressiones insectatur. 14-18. Roberto imp. Constantinop. præsto est, eique Theodorum Comnenum conciliare studet. 19. Donatio a clero Constantinop. Honorio facta. 20, 21. De orationibus Roberti ad Pontificem. 22, 23. Objurgat papa Matthæum patriarcham Constantinop. 24, 25. Imperii Orientalis distractio. 26-32. Friderici Epistolæ ad cardinales et papam de invasoribus Romanæ ditionis. 33-37. In Parentium aliosque Ecclesiarum jura invadentes animadvertit Honorius. 38. Indulgentiæ concessæ invisentibus Ecclesiam S. Mariæ-Majoris. 39. Terræ motus in Italia. 40, 41. Livoniæ Christianis consulit Honorius, episcopos Germaniæ in multis arguit. 42, 43. Ungariæ regem ab indebito juramento solvit. 44-48. In Albigensium hæresim recrudescentem incitat regem Galliæ. 49. Agitur de variis canonizationibus. 50-53. Lusitanum regem Bracharensi archiepisc. conciliat, Aragonii pietatem laudat.

MCCXXIII. 1-6. Celebre in Campania habitum colloquium de re Hierosolymitana instauranda. 7. Mortua Constantia, agitur de novis nuptiis Friderici. 8-10. Joannis Hierosolym. et patriarchæ Alexandri studia contra Saracenos. 11-13. Schismaticorum Orientalium furores repressi. 14-10. Fridericum episcoporum electionem sibi arrogantem arguit Honorius. 20. Pisani increpati ab eodem. 21, 22. Instituta in xenodochio S. Spiritus celebritas, et aliæ disciplinares leges sancitæ. 23-29. Waldemarum Daniæ regem oppressum defendit Pontifex, datis litteris ad episcopos et principes. 30. Metropolitana sedes in Livonia. 31, 32. Incestæ nuptiæ regis Ungariæ. 33-38. Philippi regis Galliæ pientissimi obitus et ejus filii Ludovici successio. 39, 40. Concilium Senonis contra Albigenses. 41-46. Contra Albigenses expeditio conflata. 47, 48. Angliæ rex defensus; Guillelmus episc. Eboracen. sanctorum Catalogo adscribendus. 49-52. De episcopis Patavino et Vicentino Ecclesiasticæ libertatis adsertoribus, 53, 54. Rex Reginaldus laudatur, Ferdinandus redarguitur. 55. Corroborata ab Honorio FF. Minorum disciplina.

MCCXXIV. 1-12. Litteræ Honorii ad Germanos de expeditione Hierosolymitana, de qua etiam Fridericus eidem fuse scribit. 13-16. Bellum inter reges Angliæ et Galliæ. 17-20. Reginæ Georgianorum litteræ ad Honorium de Tartaris fusis. 21, 22. Responsum Honorii ad eamdem. 23-26. Honorius de Constantinopol. imperio sollicitus per litteras multas decernit. 27. Restituendis præsulibus expulsis incumbit. 28-32. Labores suscepti pro liberando Daniæ rege; Guillelmus episc. Roschildensis sanctis adscribendus. 33-35. Belam Hungarorum regem in suam tutelam suscipit Honorius. 36. Religiosos milites S. Mariæ Theutonicorum tuetur. 37, 38. Wratislaviensi episcopo ablata curat restituenda; legatum mittit in Livoniam. 39-41. Legatus missus in Gallias contra Albigenses. 42, 43. Ut libertati restituatur Flandriæ comes laborat Honorius. 44-46. Henricum Angliæ regem et episcopum Cantuarien. redarguit. 47, 48. Novum examen in causa B. Guillelmi, et episcoporum consecratio.

MCCXXV. 1-7. Friderico cunctanti expeditionem leges impositæ, quibus se obstringit. 8, 9. Cæteros principes hortatur, et pro Constantinopolit. imperio agit Honorius. 10-15. S. Engelbertus archiep. Colonien. trucidatus a comite Friderico, qui meritas dat pœnas. 16. Religio in Livonia floret. 17. Liturgica Honorii responsa. 18-20. Rex Sueciæ defensus, milites Theutonici tutati ab Honorio. 21, 22. Archiepisc. Colocen. de puritate fidei sollicitum, et Belam regem litteris Honorius tuetur. 23. S. Elisabeth liberalitas in pauperes. 24-26. Episcopus Glandentensis a sicario cæsus. 27. SS. Quintini et Radegundæ translatæ reliquiæ. 28-35. Novus legatus contra Albigenses, cum litteris Honorii ad Angliæ regem. 36. Impostor supplicio affectus. 37, 38. Mira de B. M. V. protectione et sanctitatis prodigia. 39, 40. Canonizatio S. Laurentii archiepisc. Dublinem. 41-43. Ferdinandus Castellæ rex ob invasionem jurium Ecclesiæ redargutus, ob zelum fidei laudatus. 44. Ad conversionem Turcarum missi viri Apostolici. 45, 46. Dati episcopi, adversante Friderico, Siciliæ Ecclesiis, et Lucæ. 47. Hæreticos in Insubria grassantes

coercet Pontifex. 48, 49. De gestis et miraculis Raynerii episc. inquisitio. 50-54. Constitutio Honorii in eos, qui injuriis cardinales afficiunt. 55. Reatina Ecclesia consecrata.

MCCXXVI. 1-13. Insignis Honorii apologia ad Fridericum ; in qua exprobrat urbium et jurium Ecclesiasticorum invasionem et regis pervicaciam. 14-16. Grassatores fovet Fridericus contra Pontificem. 17-19. Elusa consilia Friderici de Longobardia vi subjuganda. 20-24. Longobardos sibi conciliare opera Honorii studet Fridericus. 25-29. Concordia stabilita inter Fridericum et Longobardos; et ejus conditiones. 30-33. Imperialium urbium invasionem per Ludovicum prohibet Honorius. 34-39. Exstirpandæ Albigensium hæresi studens Honorius regem Angliæ a lædendo rege Galliæ deterret. 40-43. Obsessa et capta Avenione, moritur Ludovicus VIII rex Galliæ, eique succedit filius ejusdem nominis. 44-46. Regni proceres conciliat Henrico regi, et plurium causam apud eumdem suscipit Honorius. 47, 48. Divina ultio in Richardum episcopum et comitis Saresberien. pœnitentia. 49. Guillelmus archiepisc. Eboracen. in sanctorum numerum refertur. 50, 51. Pia S. Francisci mors. 52. S. Engelberti miracula. 53. Waldemarus rex ab extorti juramenti religione liberatur. 54. Dux Norvegiæ crucesignatus in clientelam Apostolicam adscitus. 55-58. Comes Tripolitanus censura irretitus. 59, 60. Creatus patriarcha Constantinop.; missi Minoritæ ad regiones infidelium.

MCCXXVII. 1-3. Honorius litteris exprobrat Friderici simultates cum rege socero. 4, 5. Joannes rex ab Honorio ditionis Pontificiæ parti præficitur. 6, 7. Longobardis Friderico conciliatis, expeditionem sacram urget Honorius. 8-11. Litteræ Honorii gratulatoriæ ad reges Russiæ, et increpatoriæ ad Lusitanum. 12. Honorii III mors. 13-16. Gregorii IX successoris primordia, et solemnis consecratio. 17, 18. Significat præsulibus de sua electione; et Friderico nectenti moras minatur. 19-24. Papa Longobardos et principes litteris excitat et maxime Fridericum. 25. Impostor damnatus. 26-28. Lantgravii Thuringiæ mortem ad suum commodum trahit Fridericus. 29-39. De anathemate in Fridericum inflicto Epistola Encyclica. 40-44. Fridericum pœnitentiam spondentem gravibus litteris monet. 45-47. Friderico respuente monita Gregorii, hic ad res Terræ-Sanctæ instaurandas incumbit. 48, 49. S. Elisabeth a sæculi pompa recedit. 50. Cumani ad fidem Christi conversi. 51. Res Polonicæ. 52-55. Ludovicus rex Galliæ rebelles compescit, recipit litteras Gregorii de pace servanda cum Anglia. 56-62. De solutione decimarum pro bello in Albigenses Ludovicus rex et clerus Gallicanus agunt apud Gregorium. 63-65. Disciplinæ Ecclesiasticæ et Regularium instaurandæ incumbit Pontifex.

MCCXXVIII. 1-4. De Friderici excommunicatione docet Gregorius episcopos Apuliæ. 5-8. Turbas in Urbe excitat Fridericus contra papam, qui fugit Perusium. 9. Friderici iter in Orientem. 10-15. Fautores Friderici ditionem Ecclesiasticam vexant, repulsi tamen et victi. 16-18. Gregorius, litteris datis ad Januenses, de injuriis sibi illatis queritur. 19. Mediolanenses increpat. 20-22. Contra Albigensium hæresim excitat Gregorius Ludovicum regem. 23. Legatus card. contra Albigenses. 24-28. Opera S. Ludovici deleta hæresis Albigensium, conversi hæretici, Tolosana Ecclesia restituta. 29-32. Gregorii ad Academicos Parisiensés litteræ pareneticæ. 33-36. Canonizatio S. Francisci peracta a Pontifice. 37. Translatio corporis S. Augustini. 38, 39. Privilegia collata.

SUMMARIUM

TOMI XXI.

MCCXXIX. 1-14. Turpis et exitialis pacis tractatus Friderici cum Sultano Babyloniæ. 15-21. Pacis initæ capita. 22-29. Friderici de pace vane gloriantis impudentiam detegit Gregorius. 30, 31. Mala a Friderico Terræ-Sanctæ illata. 32-41. Gregorius Longobardos aliosque principes et episcopos contra Fridericum Ecclesiæ jura invadentem excitat, eum excommunicat, subditosque ejus a sacramenti religione absolvit. 42, 43. Fridericus pacem a papa flagitat. 44, 45. Clementia Gregorii a cædibus abhorrentis. 46-48. Joannes rex Hierosolimæ ad imperium Orientale evocatur. 49-51. Theodori Comneni audax animus repressus. 52-55. De academiæ Parisiensis dissolutæ reparatione Gregorius sollicitus. 56. Intestinum Galliæ bellum sopiendum curat. 57-59. Legatio ad regem Aragoniæ, quem coronandum differt Pontifex. 60. Veneratio S. Francisci commendata a Gregorio; et hujus responsa. 61. Florentiæ de Eucharistia miraculum.

MCCXXX. 1, 2. Romani divina ultione probati in Urbem revocant Gregorium. 3-10. Pax statuta inter Fridericum et papam, qui, restitutis omnibus, eum a censuris absolvit. 11, 12. Pontifex gratulatur Friderico de recuperata Ecclesiæ gratia. 13, 14. Aliæ ad Franciæ regem, aliæ ad Longobardos de rebus compositis litteræ. 15-18. Fridericus Anagniæ invisit Pontificem, in quem illius odia brevi recrudescunt. 19, 20. Ecclesiæ juribus vindicandis, cleri moribus emendandis incumbit Gregorius. 21, 22. Reliquiarum D. Francisci translatio. 23-25. Dominicani ad inferendum Septentrionalibus infidelibus Evangelium incumbunt. 26. De B. Virgilii Salisburgensis miraculis inquiritur. 27. Liupoldi ducis Austriæ mors. 28. Bertholdus a B. Elisabeth ad vitam sanctiorem traductus. 29, 30. Disciplinam restaurat Gregorius in Gallia, cujus rex a gravi bello liberatur. 31-34. Alphonsus rex in Hispania profligatis Sarracenis moritur, eique succedit filius Fernandus. 35-37. Gregorius in Hispania cultum restituit, sedem Majoricam excitat.

MCCXXXI. 1-4. Gregorius fidejussores a Friderico exigit, Insubres eidem conciliat. 5-7. Pro Raynaldo duce apud Fridericum intercedit. 8. Esculanum comitatum episcopo tradit. 9-12. Fridericum de iniquis legibus arguit; iratum mulcet, contra hæreticos movet. 13-19. Contra Patarenos aliosque hæreticos leges sancitæ a Pontifice, senatu Romano, et Friderico. 20-22. Ad Ezelinum hæreticum in quem Patavini insurgunt Pontificis pareneticæ litteræ. 23. Hæretici in Galliis quæsiti ad supplicium. 24-28. Renovantur privilegia Cassinensibus. 29. Sylvestrinorum congregatio orta. 30. Responsa Pontificis, ad questiones liturgicas. 31, 32. Gregorius Reate. 33-36. S. Antonii Patavini et S. Elisabeth beata mors. 37, 38. De Luca archiepiscopo Strigoniensi sanctis adscribendo. 39-41. Pravas Strigoniensium consuetudines eliminat Gregorius. 42, 43. Pomeranos ad Christum conversos, et regem Russiæ a schismate revocatum amplectitur. 44. De coronando rege Norwegiæ. 45. Dux Bavariæ occisus. 46-48. Gregorius Parisiensem academiam restituit, dato diplomate. 49, 50. Leges iniquas in Hispania et Lusitania coercet. 51, 52. Regem Angliæ consiliis juvat, a bello revocat. 53-57. Pontifex ad defensionem imperii Hierosolymitani, postulante Friderico, principes excitat.

MCCXXXII. 1, 2. Christiana fides in Septentrionalibus regionibus amplificata. 3-5. Curonii aliique populi ad Christum conversi privilegiis decorantur. 6-8. Sacra expeditio in Prutenos et Stedinghos et Christianorum vexatores. 9, 10. De S. Gothardi et S. Elisabeth miraculis. 11. Conradi Lantgravii Thuringiæ pœnitentia. 12-22. Ungaria ob infractas ab Andrea rege disciplinares leges interdictio subjecta. 23-25. Renovatur diploma de regni Hungarici privilegiis. 26. Rothomagensem archiepiscopum a rege læsum tuetur Gregorius. 27-30. Anglicani præsules arguuntur ob nimiam in dissimulando facinore ignaviam. 31, 32. Pius animus Richardi regis. 33, 34. S. Antonii Patavini canonizatio. 35-38. Pontificiæ ditioni addita oppida, rebellantibus licet Romanis. 39-42. Bellum Viterbiensium contra Romanos clam fovet Fridericus. 43. Idem Sarracenis favet. 44, 45. Bellum intestinum in Terra-Sancta extinguendum curat Gregorius. 46-54. Tentata conjunctio Ecclesiæ Græcæ cum Latina, datis utrinque litteris a Germano patriarcha et Gregorio papa. 55. Manuel Comnenus Thessalonicæ principatum arripit.

MCCXXXIII. 1-14. In Orientem mittuntur litteræ primum, deinde nuntii Apostolici, qui de conjunctione Ecclesiarum multiformiter, sed incassum laborant. 15-22. Ad Sultanum Damasci Pontificis Epistola hortatoria ad fidem Christianam. 23. Præcones Evangelici in Georgia. 24. De Sarracenis Nuceriæ in Apulia ad Christum convertendis curat Gregorius. 25-27. Gregorius, fallente promissa Friderico, in Urbem sibi conciliatam redit. 28-31. Occasione tumultuum Insubriæ Gregorius Friderici querelas fuse diluit. 32. Cajeta ad Friderici obsequium adducta. 33-38. Gregorius Fridericum a crudelitate revocat, Florentinos et Senenses opera Joannis Dominicani sanctitate insignis conciliare studet. 39, 40. B. Dominici miraculis coruscantis Ordo in hæreticis insectandis laborat. 41-47. In fœdissimam Stadingorum hæresim principes et episcopos excitat Pontifex. 48. Conradus Marpurgensis ab improbis cæsus. 49. Judei in Germania grassantur. 50-54. Andreas rex Ungariæ jurat de Ecclesiæ juribus vindicandis et disciplina instauranda. 55. S. Virgilius SS. Catalogo adscriptus. 56. Bosnæ episcopus reprobatus. 57, 58. Dominicani inter Ruthenos et Pruthenos. 59-61. Leges a Raymundo Tolosano in hæreticos latæ. 62. De Campaniæ comitatu controversia. 63. De Stephani Diensis miraculis inquiri jubet Gregorius. 64, 65. S. Eadmundus ad Cantuariensem archiepiscopatum promovetur. 66. Responsa Gregorii. 67, 68. Portugalensis episcopi jura et Majoricum regnum contra Sarracenos Gregorius tuetur. 69. Venerantibus S. Isidori reliquias indulgentiæ.

MCCXXXIV. 1-5. Rebellantibus Romanis, Fridericus Gregorii defensionem fraudulenter suscipit. 6-9. Rebelles profligati. 10, 11. De non alienandis Ecclesiæ bonis sanctiones. 12, 13. Gregorius regem Galliæ hortatur ad jura Ecclesiastica tuenda, et ad infidos ministros reprimendos. 14, 15. Albigensium hæresis ope Raymundi excisa. 16, 17. Obtenta dispensatione, nuptias celebrat Ludovicus. 18-20. Gregorius Francos conciliat cum Anglis quorum rex clementer agit cum intestinis hostibus. 21-23. Divina ultio in avaros et pauperum oppressores. 24, 25. B. Dominicus SS. Catalogo adscriptus. 26. Gregorius opera S. Raymundi Pennafortii Decretales conficit. 27-31. Gregorius Spoleti expeditionem indicit in Terram-Sanctam, datis ad Ludovicum regem, item ad episcopos et populos litteris. 32-35. Syros et Insubres Friderico conciliandos curat. 36-41. Andream regem Hungariæ de non servato juramento arguit; ejus filios Belam et Colomanum de zelo fidei laudat. 42-44. Stedinghi hæretici ad sex millia in prœlio cæsi. 45. Willelmus episcopus Mutinensis in Prussiam legatus mittitur. 46, 47. Reges Daniæ et Norwegiæ ad meliora revocat Pontifex. 48. Agnes Wenceslai regis soror virginitatem Deo vovet. 49-51. Reges Lusitaniæ et Hispaniæ in Sarracenos pugnant. 52. Controversiam de successione in regno Navarræ sopire studet Gregorius.

MCCXXXV. 1-6. Romanorum rebellio pactis et juratis legibus conquiescit. 7-9. Gregorius Friderico favet contra Henricum filium contumacem. 10, 11. Henrici infelix exitus. 12-14. Longobardos cum Friderico, et Italiæ populos inter se conciliare studet papa. 15-19. Episcopus Patavinus ab hæreticis interficitur. 20,21. Judei ab injusta oppressione vindicati. 22-25. B. Elisabeth canonizatio, et translatio. 26, 27. Andreæ regis Hungariæ nuptiæ et mors. 28. Poloni principes inter se conciliati. 29-31. Controversia Henrici cum Scotiæ rege, et matrimonium Isabellæ ejus sororis cum Friderico imperatore. 32. Alfonsus Aragonius legitimitate donatus. 35-35. Tumultus in Aragonia repressi, Balearis insula expugnata. 36-44. Gregorius Funetani regis oratores, litteras et legationem sultani Iconii recipit, et quo Syria recuperetur laborans, jura tuetur Friderici. 45-48. Crucesignatos tuetur et ad expeditionem Terræ-Sanctæ litteris excitat. 49-51. Theobaldus rex Navarræ aliique principes excitantur ad ferendam opem Constantinopoli in discrimen adductæ. 52, 53. Latinorum de Græcis victoriæ.

MCCXXXVI. 1-4. Impendens Longobardicum bellum sopire nititur Gregorius, Friderico pacis consilia respuente et Italiæ dominationi inhiante. 5-7. Ad conciliandam pacem Jacobus cardinalis legatus in Insubriam, et litteræ ad episcopos mittuntur. 8-11. Legatum a Friderico despectum defendit Pontifex. 12, 13. Fridericus Mediolanenses invasurus ob seditionem revocatur in Germaniam, unde Pontificis opem quærit. 14-25. Gregorius multimode læsus a Friderico gravissimis litteris eum objurgat et admonet. 26. Res Senensium, Lucæ et Pisanorum. 27. Ludovicus comes Ferretanus hæredem constituit Romanam Ecclesiam. 28. De Benvenuti Minoritæ sanctitate et miraculis inquiritur. 29, 30. Beati Jordani Dominicani mors et sanctitas.

31-36. Ludovicum regem de legibus latis contra libertatem Ecclesiasticam graviter increpat Gregorius. 37, 38. Ecclesiæ Bellovacensis jura vindicata. 39-44. Tolosanum comitem reprehensum de ignavia erga hæreticos ad expeditionem sanctam compellit Gregorius. 45-47. Ad idem urget pietate insignem regem Ludovicum, Theobaldo eum concilians. 48. Judæos vexatos ad se confugientes defendit papa. 49, 50. Rege Angliæ cum Scoto conciliato, festum S. Eduardi indicit Gregorius. 51. Mira in Anglia. 52-55. Monachus constitutus in Anglia præses justitiarius valde improbatur. 56. Disciplinæ instaurandæ studet Gregorius. 57-60. Cordubam et alias urbes Sarracenis eripit rex Ferdinandus, laudatus adjutusque a Gregorio. 61. Amplificata in Prussia Christiana religio. 62-65. Livoniæ populis nuper conversis consulit Gregorius. 66. Bela et Colomanus ob bona Ecclesiæ occupata corripiuntur. 67-70. Zibislavum banum Bosnensem commendat Gregorius, sollicitus de Constantinopolitano imperio in discordia Vatacii et Asanis.

MCCXXXVII. 1-6. De pace inter Insubres et Fridericum concilianda conventus Mantuæ a Gregorio indictus et legati utrinque missi. 7-11. Mediolanensibus clades a Friderico illata. 12-14. Gregorius honorifice Romæ exceptus Viterbienses rebelles punit. 15. Lucano episcopo bona reddita. 16-23. Legatio in Sardiniam, ditioni Romanæ Ecclesiæ subjectam. 24-27. In expeditione contra Sarracenos Valentiæ Jacobum Aragonium adjuvat, a censuris absolvit, dat episcopum Majoricæ Gregorius. 28. Christiana religio in Marrochitano regno amplificata. 29, 30. Ferdinando regi ob Sarracenos devictos favet, Lusitanum objurgat Gregorius. 31, 32. Tuetur in Galliis jura Ecclesiæ, in hæreticos inquiri jubet. 33-37. Raymundum Tolosanum a Massiliensium partibus bductum ad expeditionem sacram sollicitat. 38-43. Otho cardinal legatus in Anglia et Scotia honorifice exceptus celebrat concilium. 44-50. Canones disciplinares in eodem sanciti. 51-57. Lincolniensis episcopi querelæ de abbate tractandis causis sæcularibus præfecto. 58. Richardi Dunelmensis episcopi pia mors. 59. De vitæ sanctitate et miraculis Ildegardis inquiri jubet Pontifex. 60. De veritate stigmatum S. Francisci ad Germanos scribit. 61, 62. Injustitiæ et benignitatis exempla in Polonia. 63-65. Hospitalarii S. Mariæ aggregati equitibus Crucigeris. 66. Tevestini Christiani a fide deficiunt. 67. Ex Norwegia abusus sublati. 68-73. De Constantinopolitano imperio sollicitus ob Terræ-Sanctæ defensionem legatum ad Bulgaros mittit Gregorius. 74-77. Joannis Brenensis imperatoris Constantinopolitani mors. 78, 79. Crucesignatorum causam papa defendit. 80-83. Urget Fridericum Pontifex in Terram-Sanctam. 84-86. Templarios a Tartaris captos et tentos in vinculis solatur Gregorius. 87-90. De conversione patriarchæ Jacobitarum, et eorumdem erroribus.

MCCXXXVIII. 1-4. De Constantinopoli pressa a Vatacio Gregorius sollicitus opem quærit. 5-10. In Asanem Bulgarum ad schismaticos lapsum Gregorius regem Hungariæ sollicitat. 11-20. Regi Hungariæ postulanti jura in Bulgaria annuit ex parte Gregorius et favet expeditioni. 21-26. Balduino imperatori Constantinopolitano in Occidentem auxilia quæsitum venienti, Pontifex maximopere opitulatur. 27-30. Balduini reditus et expeditio in Orientem. 31-33. Hospitalarios delinquentes corripit Gregorius aliosque abusus evellit. 34, 35. Antiocheni patriarchæ jurisdictionem et jura tuetur. 36-38. Fridericus crucesignatos ab expeditione retardat. 39-41. Tumultus Anglicos compescit, Ecclesiasticæ disciplinæ in Anglia et Gallia consulit Gregorius. 42-44. Ad Ecclesiasticam libertatem defendendam Gregorius incitat Ludovicum regem, qui et Friderici insidias depellit. 45-47. Sarraceni profligati in Hispania, et Valentina regio sacris exuta. 48-51. Lusitanum regem crudeliter et impie in Ecclesiastica jura debacchantem ad officium revocat Pontifex. 52-55. In Galliis et in Bosnia hæresis victa, cultus auctus. 56-58. Duces Poloniæ monet Gregorius, ut ab Ecclesiasticorum virorum injuriis desistant. 59, 60. Henrici ducis Poloniæ pia mors. 61. Archiepiscopi Gnesnensis privilegium. 62. Sopitum Danos inter et Pomeranos bellum. 63-65. De sanctitate Brunonis episcopi Herbipolensis, Wolvandi Ordinis Prædicatorum et aliorum ejusdem Ordinis. 66. Vercellenses reconciliati Ecclesiæ; Bonacursus Lucensis anathemate percussus. 67, 68. Jus in Sardiniam assertum. 69, 70. Fridericus Mediolanenses pacem postulantes respuit. 71, 72. Romanos contra Pontificem subornat. 73. A Gregorio dona Ecclesiis collata et preces institutæ. 74. Veneti in clientelam Sedis Apostolicæ admissi.

MCCXXXIX. 1-12. Gregorius Fridericum, enumeratis singulis ejus facinoribus tum in Ecclesiam, tum in homines, anathemate percellit. 13-16. Friderici minas despiciens Gregorius anathematis sententiam in toto orbe jubet promulgari. 17-22. Ira succensus Fridericus inanes in Gregorium coacervat calumnias. 23-25. Minas adjicit, et auctoritatem summi Pontificis impugnat. 26-29. Insanæ hæreses Friderici, quarum sectatores divinitus puniti. 30-34. Fridericus Cassinenses aliosque viros religiosos expellit ac vexat; furit in Gregorium; in bello a Mediolanensibus victus. 35-37. Adhærentes Friderico episcopi, equites Theutonici, et alii corripiuntur a Gregorio. 38-45. Gregorius mittit legatum ad implorandum auxilia in Gallias, Angliam, et Hispaniam, cujus rex et regina ad eum dant litteras officiosas. 46. Salmantica Academia instituta a Ferdinando. 47-56. Confirmata a Gregorio vetera Toletanæ Ecclesiæ privilegia. 57, 58. Valentinæ et Compostellanæ Ecclesiis prærogativæ corroboratæ. 59-63. Ferrandum Lusitanum ad meliora reversum pœnitentia obligat et a censuris absolvit Gregorius. 64, 65. Pietas Lantgravii Thuringiæ. 66, 67. Lundensi archiepiscopo privilegium datum, et in Dania improbæ consue-

tudines damnatæ. 68, 69. Kunegundis nuptæ Boleslao sanctitas et virginitas; Colomani zelus et virtus. 70-73. Albigensium reliquiæ compressæ in Galliis; Raymundus Tolosanus absolutus. 74, 75. Tuetur Pontifex jura episcoporum in Britannia. 76, 77. Rhemenses archiepiscopo rebelles censuris urget. 78-80. Crucesignatorum arma ad Constantinopoli opem ferendam verti jubet Gregorius. 81. Theobaldus rex Navarræ Massilia solvit. 82, 83. Regi et patriarchæ Armenorum privilegia concessa.

MCCXL. 1-10. Actum de Friderici depositione; aliis interea urbibus Friderico, aliis Gregorio adhærentibus. 11-13. Gregorio studiosi in Urbe vexantur a Friderico. 14-18. Beneventum et Campaniam frustra oppugnat et tentat Fridericus. 19-21. Recuperata Pontifici Ferraria; Veneti et Alexandrini Friderico infensi. 22, 23. De Ambrosii Minoritæ et Oddonis Carthusiani miraculis jussa quæstio. 24, 25. Religiosis viris data privilegia. 26, 27. In Hispania Sarraceni victi, religio amplificata. 28, 29. Episcopus Vigintimiliensis damnatus; pravi usus evulsi. 30, 31. Episcopi Noviomensis electionem irritat Gregorius. 32. Zwerinensis episcopus et Sladensis historicus. 33. Regi Daniæ jus revocandi alienata bona. 34, 35. Estoniæ neophitis et Prussiæ episcopo consulit Gregorius. 36, 37. Ducem Lancitiæ de patratato crimine pœnitentem absolvit. 38-43. Ad Rusudem reginam Georgiæ auxilia contra Tartaros implorantem et obsequium Romanæ Ecclesiæ profitentem præclaras dat litteras Gregorius. 44, 45. Cleri Græci in Cypro pervicacia et fuga. 46. Consanguinitatis gradus declarantur. 47. Nannetensis episcopus ad patriarchatum Hierosolymitanum translatus. 48-50. Christianis post illatam Sarracenis cladem opitulatur Richardus Cornubiæ comes. 51. Territus de Hungaris Vatacius Romanæ Ecclesiæ conjunctionem ambit. 52-54. Concilium œcumenicum indicit Gregorius datis litteris circularibus ad præsules et principes. 55-58. Fridericus terroribus et minis avertere nititur a Concilio episcopos, quos per litteras recreat Gregorius. 59-62. B. Eadmundus in Galliam exul voluntarius pie moritur Pontiniaci.

MCCXLI. 1-3. Tartarorum genus et mores. 4-10. Eorum incursio in Poloniam, cujus dux Henricus aliique proceres magnis consertis prœliis gloriose occumbunt. 11, 12. Moravia et Bohemia metu Tartarorum exagitatæ. 13. Supplicationes et preces ad Deum ingruentibus Tartaris. 14-23. In Tartaros Hungariam crudeliter invadentes expeditionem indicit Gregorius. 24, 25. Egregium viri religiosi, vitam pro aliis exponentis facinus. 26-28. Tartaris cuncta vastantibus, litteræ consolatoriæ Gregorii ad regem Hungariæ. 29-34. Fridericus clam favens Tartaris ditionem Pontificiam vexat. 35-39. Friderici odio in Pontificem succensi prætextus ne Tartaris bellum inferat. 40-42. Constantinopolitanis rebus consulit Gregorius et regis Norwegiæ postulatis annuit. 43. Rex Lusitaniæ in Sarracenos pugnat. 44, 45. Patriarcha Aquileiensis absolutus; sedes episcopalis Recanato concessa. 46-48. Beneventum et Faventiam capit, regni Ecclesias spoliat, præsules vexat Fridericus. 49-53. Consulit Gregorius securitati præsulum itinerantium Romam. 54-59. Fridericiani classem Januensium disjiciunt, præsulibus captis vel mersis. 60-63. Januensium de facinore condolentium litteræ ad Pontificem. 64-66. De eadem re litteræ hortatoriæ Gregorii ad principes et populos. 67-75. Miseranda conditio præsulum captivorum, quos per litteras solatur et hortatur Gregorius. 76-78. Instat apud Fridericum S. Ludovicus, ut Gallos præsules liberet. 79, 80. Audacter furens in terras Pontificiæ ditionis irruit Fridericus. 81. Joannes episcopus cardinal Friderico favet. 82-84. Obitus Gregorii papæ. 85-87. Comitia cardinalium in quibus Cœlestinus papa eligitur et moritur. 88. S. Willelmus episcopus Briocensis. 89. Obitus regis Daniæ et aliorum principum.

MCCXLII. 1-5. Dissidentes cardinales de Pontificis electione et timidos Fridericus conviciis dilacerat, Romanamque ditionem vastat. 6-11. Tartarorum fœdæ grassationes in Hungaria et alibi. 12-16. Ludovicus bello in Anglos feliciter gesto clementer utitur victoria. 17-19. Martyria ab Albigensibus illata et miraculum de innocente occiso. 20-21. Henricus primogenitus Friderici moritur. 22. Montagnana exusta.

MCCXLIII. 1, 2. Fridericus Pontificiam ditionem vastat, Urbem obsidet. 3, 4. Laxati e vinculis cardinales. 5-9. Electus papa Innocentius IV, dat litteras Encyclicas de more. 10-12. Fridericus oratores cum litteris officiosis ad Innocentium mittit. 13-15. Legati Pontificii ad Fridericum cum articulis pacis. 16-22. Per legatos Pontifex respondet querelis et postulatis Friderici. 23, 24. Viterbium populique circumpositi a Friderico deficiunt. 25-28. Quæ auxilia Viterbiensibus submittenda decernit Innocentius, qui Romæ honorifice excipitur. 29-31. Variis Ecclesiis consulit, Albigenses delendos curat Innocentius. 32-35. In regionibus Prussiæ, Croatiæ et Dalmatiæ dilatata religio, sublatæ hæreses. 36, 37. In Tartaros devastantes Innocentius excitat expeditionem. 38. Pia S. Hedwigis mors. 39, 40. De S. Hildegardis miraculis accuratior inquisitio. 41. Canonicis regularibus pileus quadratus concessus. 42. Divina in Ecclesiarum spoliatorem vindicta. 43. De consecrationibus Ecclesiarum. 44. Giennium aliaque loca a Ferdinando Sarracenis erepta. 45-49. Balduinus consecratus imperator Constantinopolitanus, ubi de rebus Thessalonicæ. 50, 51. Constantinopolitanæ Ecclesiæ inopiam levat; muros Hierusalem rejiciendos curat Innocentius.

MCCXLIV. 1-9. Chorasmini a Tartaris ejecti Hierusalem oppugnant ac diripiunt, Christianos lædunt, loca sancta prophanant. 10-14. Christiani, commisso prœlio, obruti numero fugiunt, quærunt

auxilia. 15, 16. Ampliores curæ Innocentii pro Constantinopolitano imperio. 17. Tolosanus comes a censuris absolutus. 18. Ezelinum aliosque Ecclesiæ Romanæ hostes agitat Innocentius. 19. Friderici artes, ut in Urbem irreperet. 20-29. Fridericus præ se fert Ecclesiæ gratiam ambire, unde concordiæ capita proposita. 30-34. Resiliente Friderico a promissis, Pontifex, creatis cardinalibus, illius insidias evitaturus fugit Januam. 35-37. Fremitus Friderici de fuga Innocentii, qui interea in Gallias concedit. 38-42. S. Ludovicus ægrotans vovet expeditionem in Terram-Sanctam, regiam cappellam decorat, Judæorum superstitiones coercet. 43, 44. Bellum compositum inter reges Angliæ et Scotiæ. 45, 46. Querelas regis super electione episcopi Wintoniensis compescit Innocentius. 47-50. De Edmundi archiepiscopi Cantuariensis miraculis et sanctitate, deque aliis viris in Anglia et Germania sanctitate florentibus. 51, 52. Poloniæ tumultus, ad quos sedandos legatus Apostolicus mittitur. 53-55. Quædam de Prædicatoribus et Minoritis statuta, ubi de Adolpho comite Minorita. 56, 57. Ne abbatissæ præsumant virgines velare.

MCCXLV. 1-4. Innocentius in Galliis concilium vocat, studetque interea flectere animum Friderici. 5-10. Sanctium Lusitaniæ regem corripit Innocentius ob insignem ejus socordiam. 11, 12. Sollicitat Pontifex regem Bulgariæ ad Ecclesiæ Romanæ conjuntionem. 13, 14. Vatacius capit Thessalonicam. 15-19. Innocentius ad evangelizandos Tartaros Minoritas mittit cum salutaribus litteris. 20-23. De Tartarorum moribus nuntii apostolici referunt. 24-46. Concilium Lugdunense, in quo discussa causa, et sententia depositionis in Fridericum ab Innocentio prolata. 47-53. Constantinopolitano imperio consulitur, contra Tartarorum invasionem decernitur; expeditio in Terram-Sanctam indicitur. 54. De electoribus imperii. 55-57. Asserta Romanæ Sedis jura ex diplomatibus regiis. 58-62. Insanus furore Fridericus dat litteras ad principes, refertas contumeliis contra Innocentium. 63, 64. Quanta consilii maturatione sententia in Fridericum fuerit lata. 65, 66. Tarvisini, Pisani, aliique populi a Friderico recedunt, sæviente eodem. 67-74. Regnum Lusitaniæ administrandum committitur Alphonso in locum fratris Sanctii regis, qui exul moritur. 75. Rex Zale Sarracenus Christi fidem amplectendi studiosus. 76, 77. Tolosanæ academiæ privilegia, et alia aliis data. 78, 79. Innocentius cum S. Ludovico congressus Cluniacum visit. 80-81. Regnum Ungariæ a Friderici præsumpta potestate vindicat Innocentius. 82. Swantopelkum Pomeraniæ ducem apostatam grassantem in suos et finitimos Christianos coercet monitis et minis. 90, 91. Legatus Apostolicus in Pomeraniam missus, qui res feliciter componit. 92, 93. Daniæ regem ad defendendam contra Barbaros Estoniam excitat Pontifex. 94-99. Nova indicitur expeditio in Terram-Sanctam, ad quam se accingit inter cæteros S. Ludovicus.

MCCXLVI. 1-8. Henricus Thuringiæ electus in regem Romanorum, cui principes et populos conciliare studet Innocentius. 9, 10. Conradus Friderici filius ab Henrico in acie victus. 11-16. Legatio et litteræ Apostolicæ in Siciliam, in causa Friderici, a quo alii Italiæ populi deficiunt. 17-20. Excusatio Friderici uti futilis et mendax rejecta. 21-23. Friderici ad Angliæ regem litteræ injuriosæ in papam. 24-27. S. Ludovicus intercedit pro Friderici reconciliatione. 28-31. Ad Romanæ Ecclesiæ unionem traducti Russi, idcirco donati privilegiis ab Innocentio. 32-35. Legatus Apostolicus in Norwegiam missus, qui regem Yaquinum coronat, natalium macula deleta, profecturum in Terram-Sanctam. 36. Rex Daniæ apud Pontificem de Rosbadensi episcopo queritur. 37. Adversus Bosniæ hæreticos crux ad archiepiscopum Colocensem transmittitur. 38. Albigenses ad supplicium quæsiti. 39. Regis Angliæ jura ac bona tuetur Innocentius. 40. Cordubensis episcopi et Alphonsi regis curæ contra Sarracenos. 41, 42. Contra administratorem regni Lusitani tuetur Innocentius jura Alphonsi regis Castellæ. 43-48. Jacobus rex Aragoniæ ob amputatam episcopo Gerundensi linguam redargutus, pœnitentiam subit. 49, 50. Canonizatio S. Edmundi, et obitus S. Lutgardis viginis. 51-54. Gliscentibus discordiis in Terra-Sancta, Innocentius parandæ expeditioni solerter laborat.

MCCXLVII. 1-3. Mortuo Henrico Romanorum rege, Innocentius legatum Apostolicum in Germaniam mittit. 4-6. Electio Willelmi Hollandiæ comitis in regem Romanorum. 7, 8. Laborat legatus Apostolicus contra Friderici asseclas. 9-11. Post instructas insidias Innocentio Fridericus profectus cum exercitu in Gallias, Parmam obsidet. 12-16. S. Ludovicus, cooperante ejus matre Blancha, expeditionem parat contra Fridericum. 17, 18. Legati Apostolici in Italia, Hispania et Lusitania. 19-21. In Anglia pecuniæ collectæ; sanguis Dominicus, et B. Edmundi reliquiæ translatæ. 22-24. De Guillelmo Briocense episcopo in SS. numerum relato. 25. Polonia bellis agitata. 26, 27. Sarracenis et hæreticis eliminandis ex Hungaria et schismaticorum conversioni studet Innocentius. 28, 29. Daniel Russorum rex et Wasilico rex, Laudemeriæ Ecclesiæ Romanæ se conjungunt. 30-43, Laurentius Minorita in Oriente legatus ad convertendos schismaticos; ex quibus patriarchæ Jacobitarum, et Nestorianus Catholicam fidem profitentur. 44, 45. Insectandis hæreticis in Italia Innocentius dat operam. 46-54. Cleri auctoritatem minuere student in Galliis principes fastidiosi, contra quos insurgit Innocentius. 55. Regnum Hierosolymitanum datum regi Cypri, quem hortatur Innocentius ad S. expeditionem. 56-77. S. Ludovicus et alii principes parant S. expeditionem; dum Soldani litteras dant ad Pontificem, qui eos ad Christi fidem provocaverat. 78-82. Nuntii apostolici ad Tartaros, cum quibus disputantes plura

patiuntur, superbas ad Pontificem litteras referunt. 83, 84. Judæos crudeliter habitos tuetur Innocentius. 85. Altare Lugdunensis Ecclesiæ consecrat.

MCCXLVIII. 1-6. Fridericus clerum sibi adversantem opprimit, unde novis ab Innocentio plectitur pœnis. 7-13. Crucesignati in Germania et Italia contra Fridericum excitantur, inter quos Wenceslaus rex Boemiæ et episcopus Ratisponensis eminent. 14. Aquisgrani Willelmus rex Romanorum coronatur. 15, 16. Conradus Friderici filius fovet hæreticos. 17-19. Insignis Parmensium victoria in Fridericum. 20-24. Episcopi Aretini martyrium et alia Friderici scelera cladem præcedentia. 25-26. Ezelinus de hæresi suspectus vocatur in judicium. 27. In evellendis Albigensium reliquiis opera Pontificia. 28-33. S. Ludovicus ad Terram-Sanctam profectus, in Cyprum appellit, ibique sedat discordias. 34-40. Inter cæteras S. Ludovicus legationem recipit Tartarorum, ad quos suos remittit legatos cum sacris muneribus; ubi Tartarorum initia et conversio referuntur. 41-43. In Tartaros Septentrionales excitat Innocentius ducem Russiæ. 44-46. Hispalim captam rex Ferdinandus ingreditur, comitante archiepiscopo Toletano, cujus sedem D. Ludovicus SS. reliquiis decorat. 47, 48. Ferdinandus et Alphonsus sollicitantur ad locupletandas Ecclesias Sarracenis ereptas. 49. Nuntius Apostolicus in Polonia concilium celebrat. 50-52. Collecta subsidia; regi Scotiæ datum privilegium, et alia aliis collata. 53. Insigni prodigio negligentia prælatorum castigata.

MCCXLIX. 1-6. Crucesignatorum exercitus duce S. Ludovico in Ægyptum contendit, Damiatam capit. 7. Comparata in Occidente auxilia. 8-11. Raymundi Tolosani comitis, et Alexandri regis Scotiæ pia mors. 12. Entius Friderici filius a Bononiensibus captus. 13. Petri e Vineis calamitas et finis. 14. Apuli in Fridericum insurgunt. 15, 16. Russiæ archiepiscopus et Pragensis episcopus indigna patiuntur.

MCCL. 1-4. Crucesignatis Cayrum petentibus res in deterius versæ, S. Ludovico capto et ægrotante, exercitu absumpto. 5-8. Sæviunt Sarraceni in Christianos, inter quos S. Ludovicus mira dat exempla constantiæ. 9-11. Pace inita cum Sarracenis liberatur rex, Sultanus a suis occiditur. 12-25. De Christianis captivis et de statu rerum anxius S. Ludovicus ad Galliæ regnum dat litteras res gestas exponentes. 26-28. Luctus in Gallia et ubique, quem fortius expeditionis studium subsequitur. 29, 30. Pastorelli hæretici exorti in Gallia et dissipati. 31-36. De crucesignatorum clade lætitia Friderici, ejusdem mors, præsumpta pœnitentia, testamentum et sepulchrum. 37. Willelmus Romanorum rex bona Ezelini transfert in Albericum e Romano. 38, 39. Dux Daniæ Ericus occisus a fratre Abele, qui sua morte pœnas luit. 40. Tumultuaria electio episcoporum vetita in Suecia. 41-46. Cypris-Græcis, Albaniæ, aliisque provinciis a schismate ad unitatem Ecclesiæ Romanæ redeuntibus, Innocentius confert privilegia et consulit. 47-51. De Eucharistiæ miraculo, et de multis viris sanctorum Albo adscribendis quæstio. 52. De Parisio historico judicium.

MCCLI. 1-6. Innocentius in Italiam reversus Siciliæ populos ac præsules per legatum et litteras monet, arguit. 7-11. Pontifex studet Germanos ad Willelmi regis partes deducere, avellere a Conrado. 12. Maguntius archiepiscopus depositus. 13, 14. Guillelmi episcopi Sabinensis pia mors et aliorum funera. 15-17. Discessurus Lugduno papa in clientelam Apostolicam cives accipit et commendat præsulibus. 18-25. Reginam Blancam et Angliæ regem cupidos alloquendi Pontificem per litteras Innocentius dehortatur. 26-28. Ferdinandi regis Castellæ obitus, cujus mater Berengaria jam mortua, et Sanctius filius archiepiscopus Toletanus ab Innocentio commendantur. 29. Christianos stipendiarios Marrochitano regi commendat Pontifex. 30-35. Lugduno Januam appulsus dat privilegia; et populis Italiæ pacificandis et ab hæresi expurgandis incumbit. 36, 37. In Ezelinum de hæresi suspectum quæstio instituta. 38-42. Neapolitanos et Capuanos in clientelam Apostolicam receptos privilegiis ornat Innocentius. 43, 44. Manfredus post nactam Pontificis gratiam ab eodem desciscit, urbes Campaniæ occupat. 45-50. Pontifex Mediolani rebus Lithuaniæ consulit. 51. Innocentius Perusii. 52, 53. S. Ludovicus Ptolemaide legatos sultani Damasceni et Assasinorum recipit. 54-58. Insignia pietatis et fortitudinis opera S. Ludovici per quinquennium in Syria. 59. Rudolpho Habspurgensi ob insigne charitatis facinus imperium Germanicum offertur.

MCCLII. 1, 2. Innocentius rescindit sanctiones Friderici adversas Ecclesiis Siciliæ; de Tarentino, Hidruntino et Liciensi comitatibus decernit. 3-5. Missus legatus Apostolicus in Hetruriam contra Friderici asseclas, ferventibus bellis et tumultibus; et multæ urbes reconciliatæ Ecclesiæ. 6. Agitur de B. Rosæ Viterbiensis canonizatione. 7, 8. Item de S. Stanislao episcopo Cracoviensi. 9, 10. Ezelinus de Romano hæresi et crudelitate infamis, et alter Nero. 11-15. S. Petri Veronensis zelus et martyrium. 16. Jutta virgo sanctitate clara. 17, 18. Guillelmi sententias contra imperii principes, et Conradum confirmat Innocentius. 19. In Ecclesiæ Constantiensis oppressionem et Bulgarensis invasorem decernitur. 20-22. Regum Sueciæ et Norwegiæ zelus et pietas. 23-26. Urgente S. Ludovico nova expeditio paratur in Terram-Sanctam, ad quam regem Angliæ sollicitat Innocentius, indictis precibus, et datis privilegiis. 27, 28. Hierosolymitani regni status et S. Ludovici ibi degentis opera. 29, 30. Blanchæ reginæ obitus, et ex eo luctus S. Ludovici. 31. Duella in Galliis damnata ab Innocentio. 32-36. Alphonsi expeditionem

in Sarracenos adjuvat, episcopum Urgellensem corripit, Regularium disciplinam tuetur Pontifex.

MCCLIII. 1-5. Contra Conradum in Sicilia et Apulia grassantem Innocentius vocat ad regnum Carolum Andegavensem dato ei diplomate, pactis utrinque conventis. 6, 7. Innocentius partes tuetur regis Guillelmi, qui de Belgis triumphat. 8, 9. Constitutiones Apostolicæ ad archiepiscopum Bononiensem datæ. 10-12. Petrus Ordinis Prædicatorum SS. Martyrum catalogo appositus. 13, 14. S. Claræ virginis obitum et funus sua præsentia decorat Innocentius. 15. Joannis olim episcopi Bosniensis pius obitus. 16. Helias generalis Minoritarum minister in morte resipiscit. 17-20. S. Stanislai episcopi Cracoviensis canonizatio. 21-24. Poloni excitantur contra Tartaros per legatum Apostolicum. 25. Polexiani ad fidem Catholicam conversi. 26. Lithuanis et Cumanis consulitur. 27-30. Per legatos Apostolicos Hungariæ et Bohemiæ sedandæ incumbit Pontifex. 31. Regem Daniæ hortatur, ut leges rescindat Ecclesiæ adversas. 32, 33. Otho dux Bavariæ divino justitiæ exemplo moritur. 34. Judæi a Galliis expulsi. 35-40. Rex Angliæ ad S. expeditionem excitatus, et de ea leges editæ. 41-43. Richardi Cicestrensis, Roberti Lincolniensis et aliorum sanctorum obitus. 44, 45. Hispanorum expeditio contra Sarracenos Africæ. 46. Lusitania Ecclesiæ Romanæ vectigalis. 47. Theobaldus rex Navarræ. 48, 49. Regulares privilegiis donatos, ad prædicandum Evangelium hortatur Pontifex. 50-52. Galli ad liberationem S. Ludovici et ad S. expeditionem ab Innocentio incitati. 53. Pantaleo Justinianus patriarcha Constantinopolitanus creatus.

MCCLIV. 1-4. Sattach Tartarorum regi ad fidem converso gratulatur Innocentius. 5. Ad Turcarum sulnum litteras et viros religiosos mittit. 6-11. Litteræ Apostolicæ discutientes errores Græcorum, et multa disciplinæ capita. 12-20. S. Ludovici zelus in conversione infidelium, et reditus in Galliam illustratus miraculis et virtutibus. 21-23. Ecclesiasticæ libertatis in Gallia S. Ludovicus assertor. 24-25. Innocentius in Sarracenos Africæ excitat Hispanos, regem Navarræ in clientelam suscipit. 26-29. Ecclesiis Poloniæ, Lithuaniæ, Livoniæ et Prussiæ consulit; contra Tartaros insurgit. 30. De miraculis Nicolai regis Daniæ filii inquiritur. 31-33. Legatus Apostolicus ad conciliandos reges Ungariæ et Boemiæ. 34. Petrus cardinal legatus in Germania Conradi partes debilitaturus. 35-40. Ezelinum de Romano ob ferinam barbariem et hæreses Innocentius solemniter devovet, bonis expoliat. 41-45. A papa in judicium vocatur Conradus, qui dominatu et potentia florens, Manfredo aversante moritur. 46, 47. Conradinus Conradi filius in clientelam Sedis apost. receptus. 48-54. Siciliæ regnum sibi vindicat Manfredus, quem cum fautoribus Innocentius juribus exuit, datis litteris ad Villelmum regem Rom. 55-60. Manfredo resipiscenti papa parcit, jura confirmat et dat privilegia. 61-64. Innocentius in Sicilia honorifice exceptus a Manfredo, populi malis medetur, beneficia largitur. 65-68. Manfredus a Pontifice deficit, ad Sarracenos Nuceriæ transit. 69-74. Innocentii Neapoli obitus et sepulchrum, cujus gloria contra obtrectatores vindicatur. 75. Miraculum de Eucharistia. 76. Alexandri IV electio, laudes, litteræ Encyclicæ, zelus et liberalitas.

MCCLV. 1-7. Manfredi in Sicilias bellicos progressus Pontifex per legatum et tractatus cohibere nititur. 8, 9. Regnum Siciliæ oblatum Edmundo Anglo. 10-13. Ad reprimendas Ezelini sævitias Alexander legatum mittit et dat litteras Encyclicas. 14, 15. Mediolanensibus, et Mantuanis consulit. 16-19. Electiones episcoporum moderatur, disciplinam instaurat, et pœnitentibus meretricibus consulit Alexander. 20-24. S. Clara, explorata ejus sanctitate, SS. Catalogo adscripta. 25, 26. De meritis et miraculis Augustini Nidrosiensis episcopi, et Canuti regis quæstio resumpta. 27-30. S. Francisci stigmata ab Alexandro proposita venerationi populorum. 31-37. Contra hæreticos Insubriæ et Galliæ agens Pontifex censores fidei instituit. 38, 39. Academiæ Parisiensis cum Prædicatoribus et Minoritis controversiæ. 40, 41. Prærogativis sedium Tuamensis et Bituricensis consultum. 42-47. Insignia privilegia collata ab Alexandro regi Galliarum et suis. 48. Lusitaniæ rex de adulterio correptus. 49-51. Sarracenis Africæ profligandis, ibique fidei propagandæ dant operam Alphonsus et papa. 52. Salamanticensis academia confirmata et aucta. 53. Ducatus Sueviæ Alphonso adjudicatus. 54, 55. Bello vastata Colonia. 56. Cracoviensis Ecclesia opibus et prærogativis aucta. 57-63. In regem Lituaniæ a fide discedentem expeditio; unde paganorum conversio, et Ecclesiæ quædam provinciæ additæ. 64. Riga archiepiscopali sede decorata. 65, 66. Jacobus e Trecis legatus Apostolicus in Oriente. 67-73. Infelix Syriæ status ex litteris Alexandri. 74. Constantinopolitanum imperium fulcire studet Alexander. 75-77. Joannis Ducæ obitus et mores. 78. Judæorum immanitas in Hugonem puerum.

MCCLVI. 1. Willelmus rex a Frisiis occiditur. 2-6. Sollicitus de electione novi regis Pontifex, per litteras Germanos ne Conradinum eligant hortatur. 7-12. Turbæ in Germania, et episcoporum Maguntini et Wratislaviensis captivitas; unde excommunicatio et interdictum. 13-15. Pontificis zelus in convertendis Paganis et religione amplificanda in Germaniæ regionibus. 16. Miracula ad sepulchrum B. Stanislai. 17, 18. S. Ludovici insignis sententia de Eucharistia. 19-24. Turbæ in academia Parisiensi adversus religiosos, quos tuetur Pontifex. 25. S. Richardi episcopi Cicestrensis miracula explorantur. 26. Violatores jurium Ecclesiæ in Anglia censuris perstricti. 27-28. Legatus Apostolicus in Aquitaniam pro componendis discordiis. 29. Thomas Sabaudiæ

comes conjectus in vincula. 30-33. Manfredus Siciliam et Calabriam paulatim subjugat. 34-37. Henrico Anglo differente expeditionem in Manfredum, hic cæteras Siciliæ urbes vi ac dolo submittit. 38, 39. Patavium ab Ezelini tyrannide ereptum. 40-43. Gradensis Ecclesia ad patriarchatum evecta. 44. Ordinem Servorum B. Mariæ Virginis confirmat, aliasque religiosas familias fovet Alexander. 45-55. Rebus Terræ-Sanctæ et Græcis schismaticis reducendis incumbit Pontifex. 56-60. Theodorus Græcorum imperator Arsenium patriarcham creat, in Bulgaros Thessalos bellum gerit.

Nicephori Blemmidæ de Spiritus S. processione duæ orationes, quarum mentio fit. 1233, num. 7, 8.

SUMMARIUM

TOMI XXII.

MCCLVII. 1, 2. Dissidentibus inter se electoribus, reges, Villelmo interfecto, designantur Richardus Cornubiæ comes et Alphonsus Castellæ et Legionis rex. 3-5. Exponuntur dissidii causæ et argumenta illi secunda, huic contraria. 6-8. Per oratores Germaniæ salutatus et Coloniensi archiepiscopo Aquisgrani in Romanum regem inauguratus Richardus pias leges sancit. Controversia necdum sedata, reges æmuli gratiam ambiunt Pontificis. 9. Philippo Salisburgensi archiepiscopo exauctorato Ulricum sufficit Alexander. 10-12. Apostolicam Constitutionem de electorum antistitum consecratione contemnens Philippus contumax anathemate percellitur. 13-16. S. Hyacinthi Poloni pia mors, miracula et canonizatio; felix Primislai ducis obitus. 17-20. In Boleslaum sævum, si monitis non cederet, sacrum bellum indici jubet Pontifex. 21-25. Religiosam militiam in barbaros Lituanos, Jaczvingos aliosque commendat et tutatur; milites facinora crudelia committentes anathemate ad officium et obedientiam revocat. 26-28. Danielis regis Russiæ a fide defectio, et Pontificis de eo omnigena sollicitudo. 29, 30. Daniæ episcoporum Concilium ; latas ibi leges Apostolica munit auctoritate Alexander. 31-33. Bellum Danos inter et Norvegos. 34-36. Sepulchrum S. Albani martyris repertum Henricus Angliæ rex pie adit. 37. Mira de sorore D. Edmundi, et Valteri sanctitas. 38-42. Edmundo regis Angliæ filio oratores cum litteris de re Sicula mittenti et Henrico patri suo Siciliam comparare molienti papa per legatos respondet. 43. Archiepiscopus Eboracensis moriturus absolutionem ab anathemate petit. 44-47. Manfredus, Henrico moras trahente, Siculos in sui obsequium adigit ; Aquilani tamen in Ecclesia fide persistunt, distincti idcirco a Pontifice. 48-53. De rebus Italicis, deque favoribus Alexandri in religiosos. 54-57. Pontifex maximus libertatis Ecclesiæ adsertor ipse, Galliarum præsules ad eam tutandam excitat. Episcopis Pampelonensibus privilegium confert coronandi Navarræ reges. 58, 59. Tartarorum de Saracenis Assasinis et de Perside victoriæ. 60-62. De Assasinorum in Phœnicis provincia sede et religione. 63-74. Tartari proditorie vincunt Turcos et tributarium sibi constituunt eorum principem. Pontifex Aladino Iconii soldano superstitonis Mahometanicæ contemptori fidei Christianæ principaliora mysteria per litteras egregie exponit.

MCCLVIII. 1-12. In ingentibus Italiæ turbis crudeles Ezelinus et Albericus anathemate percutiuntur, diversæ civitates variam sortem experiuntur; seditione Romæ excitata Pontifex Viterbium fugit, expertus quarumdam provinciarum suarum defectionem auctore Manfredo, quem astutia sua decepti Siculi regem eligunt. 13-15. Alexander curis de Siciliæ rebus intentus in Angliam nuntium mittit; postposito Alphonso Castellæ rege, Richardum regis Romanorum titulo ornat. 16-19. Ludovicum Galliarum regem ob illustria sanctitatis specimina binis litteris dignatur. 20-22. Discordiæ inter Galliarum et Aragoniæ reges a S. Ludovico optime compositæ ; S. Saturnini miracula. 23-28. Statutis quibusdam de hæreticis latis Catharorum et Valdensium errores describuntur. 29-39. In conciliandis Januensibus et Venetis domi et in Oriente contra Pisanos bellantibus Pontificis paterna studia. 40-42. De turbis Saracenos inter et Tartaros. 43, 44. Michaeli Bulgarorum regi cæso succedit Itechi filius Constantinus.

MCCLIX. 1-5. Ezelino tyranno impie mortuo, et Alberico fratre ejus depulso Ecclesia recreari cœpit. 3. Provida Alexandri de misero Insubriæ statu decreta, quæ spernens ambitiosus Manfredus censuris punitur. 14-17. Pontifex precibus Theobaldi Navarræ regis ut coronetur annuit, ejus pietatem insigniaque studia per litteras laudat. 18-20. Pro Aragoniæ et Castellæ regnis quædam decernit et Valdemaro Sueciæ regi ob graves rationes uxorem neptem ducere concedit Pontifex. 21-26. Pontifex collapsis moribus disciplinæque Ecclesiasticæ instaurandæ incumbit, præsulibus grave eorum munus inculcat. 27-30. Parisienses academicos et pertinacem Guillelmum e S. Amore litteris corripit. 31-44. Tartaris Occidentem sibi subjicere, Ungariam adjungere meditantibus, Alexander horum regem Belam literis solatur eique subsidia pollicetur. 45, 46. De Anglorum turbis deque frustrata pace S. Ludovicum inter et Henricum. 47-51. Lugenti S. regi de morte filii Ludovici consolatoria Pontificis Epistola. 52-60. Græcorum imperii status delecto Michaele Palæologo, et Balduini cum eodem pacis studium optato destitutum successu describitur. 61-63. Quædam de Hospitaliorum et Templariorum ordinibus.

MCCLX. 1-5. Pace ab Alexandro oblata repulsa, Manfredus varios motus excitat, Florentinos in Senenses infauste pugnantes subjugat. 6-12. De Flagellantium hæresis origine, dilatatione et erroribus. 13. Alexander controversiam in clero Urbis natam componit. 14. Edicta Pontificis in defendendo jure Ecclesiastico in Scotia. 15, 16. De Alberto magno deque magicæ artis in Germania funesto exitu. 17-21. Germaniæ imperium Primislao Bohemorum regi offertur; Alexandri de ejus inunctione instructio Pragensi et Olomucensi episcopis. 22, 23. Pontifex de Christianorum in Prussia strage agit. 24. Pax inter Ungaros et Bohemos de Styria prœliantes. 25-28. Tartari devastata Polonia in Asia late progrediuntur. 29, 30. Olaoni eorum regi baptisari cupienti gratulatur Pontifex. 34, 35. Concilium in Galliis de parandis auxiliis Palestinæ Christianis. 36-50. Pontifex Epistola amplissima de controversiis inter episcopos Græcos et Latinos in Cypro decernit. 51-54. Trium principum bellum adversus Palæologum.

MCCLXI. 1-3. Adversus hæreticos et infideles Pontificis decreta et studia. 4-6. Concilium Romæ indictum differtur ob Tartaros in plures provincias irruentes. 7-15. Pontifice post indictum Viterbii Concilium mortuo, Urbanus IV papa eligitur; Encyclicæ ejus litteræ. 16-21. Scribit sorori de sua electione, item S. Ludovico et filio ejus Philippo. 22. De Manfredi tyrannide. 23-25. Pontifex discordias Ecclesiæ Salisburgensis componit. 26-35. Constantinopolis a Græcis expugnata variis turbis vexatur; Palæologus ab Arsenio anathemate feritur. 36. Pontifex instituit Ordinem equestrem B. M., eique formulam disciplinæ præscribit.

MCCLXII. 1-8. Ad Alphonsum imperialia insignia postulantem, ad regem Bohemiæ super Germaniæ electorum consilio Conradinum Cæsarem creandi Pontificis Epistolæ. 9-15. Ad Jacobum Aragoniæ regem, cujus affinitatem affectabat Manfredus, scribit Urbanus eum ab istiusmodi opprobrio dehortans. 16-21. Item ad S. Ludovicum gratulando ipsum affinitatem Aragoniæ regis respuisse. 22. Monita Pontificis ad fidei censores creatos in Liguria et Insubria. 23-26. De Richardi Cicestrensis in Anglia episcopi sanctis adscripti vita et miraculis. 27. Eximiæ virtutes Ulrici Racemburgensis in Germania episcopi. 28. B. Ægidii mors et quædam gesta. 29-32. Quid jam papa Alexander adversus Tartaros constituerat, et qualiter Urbanus super consilio Septentrionalium responderit. 33-43. Invalescente schismaticorum potentia, Urbanus per litteras hortatur fideles et S. Ludovicum ut Balduino arma comparanti opem ferant. 44-51. Studium Pontificis in componenda controversia Margaritam reginam inter et Andegaviæ comitem. 52. Cardinalium creatio.

MCCLXIII. 1-15. Pontifex ob clades Christianis in Terra-Sancta et maxime iis in Syria inflictas ingenti dolore affectus, lugubribus litteris S. Ludovicum ac per eum fideles ad auxilia paranda incitat, obsecratur. 16-21. Pontifex curans recuperare Constantinopolitanum imperium inter alia Ecclesiasticos ad bellicos sumptus tolerandos obstringit, detrectantes objurgat. 22-36. Palæologo gratiam Pontificis ambienti, schisma abjurare Græcosque in gremium Romanæ Ecclesiæ reducere promittenti Urbanus respondet amplissimis et Pontifice dignissimis litteris, et apocrisiarios ad id exequendum mittit. 37-42. Litigium super imperio Occidentali inter Alphonsum et Richardum enatum Urbanus edita Constitutione componere nititur, utrumque Romanorum regis titulo decorando. 43-63. Richardum propterea iratum paterne instruit, utrumque ad mutuam concordiam eodem litterarum exemplo legatis ad eos missis concredito revocat. 64-72. Pontifex Manfredum Italiæ dominium affectantem ad diluendam causam vocat; litteris ad Christi fideles directis ejus tyrannidem exponit. 73-80. Duabus litteris Senensium crudelitates exprobrat, ad officia eos revocat, sed incassum ad auxilia externa confugit, in primis Francorum et Anglorum. 81-86. De exorto in Anglia bello ci- Pontifex sollicitus S. Ludovicum ad illud sopiendum incitat, legatum mittit. 87-90. De Rutenis et Lithuanis, de S. Antonio, Clarissis et Servitis.

MCCLXIV. 1. Pontifex quos ad officium frustra censuris, armis nunc adigere meditatur. 2-12. Ac primo pacem Francorum reginam inter et Carolum Andegaviæ comitem restituere adnisus cum hocce de Siciliæ regno tractat. 13-15. Novos propterea Manfredi insultus Pontifex litteris S. Ludovico significat, et Alphonsum Pictaviæ comitem ad suppetias Carolo ferendas sollicitat. 16-18. In Manfredum sacra militia indicitur. 19-26. Manfredi cum Petro e Vico conjuratio ad redigendum in servitutem B. Petri patrimonium Urbemque Pontifici eripiendam. 27-28. Institutum ab Urbano festum Corporis Domini. 29. Curæ Pontificis de Sardinia et Corsica. 30-31. Urbani clementia in hostes describitur. 32-34. S. Ludovici in pacanda Anglia, Pontificis in Navarræ rege tuendo studium. 35-36. Maurorum in Hispania irruptio et clades. Hispalensis. archiepiscopi privilegium. 37 39. De controversia inter Alfonsum et Richardum Pontificis litteræ. 40. Rodolphus Habspurgensis imperio potitur. 41-43. Archiepiscopum Coloniensem tutatur, Lundensem sede dejicit Honorius. 44-47. Litteris Pontificiis monitus in Ruthenos, Lithuanos aliosque hostes arma suscipit Othocarius Bohemiæ rex, in Jaczingos Boleslaus Cracoviæ dux. 48-51. Ungariæ rex a fœdere cum Tartaris ineundo per Pontificem dehortatus arma in eos comparat. 52-55. Dissidium inter Belam et filium Stephanum Pontifex duabus litteris componere studet. 56,57. In Græcos militiam religiosam instrui curat. 58-65. Palæologi Romanæ Ecclesiæ aggregari cupientis litteræ ad papam, a quo ad propositum exsequendum per Epistolam gratulatoriam adhortatur. 66. Pontifex componendis Græcos inter et Latinos Cyprios discordiis intentus. 67, 68. Pontificis studia pro Palestina et Syria, item pro Sarracenorum conversione. 69-71. Pontificis mors, et Senensium hostilis in S. Sedis patrimonium animus.

MCCLXV. 1-5. Clementis IV electio, primordia et litteræ ad omnes præsules. 6. Gratulatoriæ regis Hungariæ et aliorum. 7-10. Clementis ad varios principes et ad suos cognatos Epistolæ. 11. Tristis orbis Christiani hoc tempore status. 12, 13. Pontifex increpat Carolum Andegaviæ comitem. 14-16. Decernit deficiente hærede legitimo regni successorem esse Ecclesiam. 17-20. Quædam statuta Carolo notificat. 21. Carolo de accepto regio nomine gratulatur. 22-25. S. Ludovici contra Manfredum opem implorat, Carolum cum eodem certare vitat. 26-29. Sacrum bellum in Galliis contra eumdem tyrannum promulgat. 30, 31. Pontificis in tuendo jure Ecclesiastico zelus. 32-36. Clementis validissimæ litteræ contra Saracenos ex Hispaniæ regno pellendos. 37-39. De fidelium in Asia funesto statu, lugubres Pontificis litteræ. 40-47. Pontifex Armeniæ regem Aytonum, Palæologum, S. Ludovicum, item Franciæ fideles totidem Epistolis hortatur ad ferendum Christianis auxilium. 48-50. In Ungaria regnisque finitimis contra Tartaros invasores sacram militiam indicit. 51-57. De sedandis in Dania tumultibus Pontificis et prædecessoris paternæ curæ. 58-60. Tragica Agnetis monialis historia. 61-68. Clemens ad medendum tristi sorti Angliæ in hoc regnum mittit legatum optime instructum, hortatur ad idem Ludovicum, qui ipsi obsequitur. 69-73. Legatus perduelles devincit anathemate, regem libertati restituit. 74. In S. Bonaventuram elogia. 75. De S. Thoma Aquinate ; de Templariis.

MCCLXVI. 1-4. De Caroli et Beatricis solemni inunctione litteræ Pontificiæ. 5-7. Caroli liberalitas, Pontificis querelæ et consilia. 8-11. Clemens litteris gravissime refringit minas Manfredi, in quem expeditio sacra instauratur. 12-21. Parta victoria sibi per litteras gratulantur Carolus et Clemens ; describuntur etiam Manfredi hac occasione exstincti vitia. 22. Plures Italiæ populi Ecclesiæ reconciliati. 23, 24. Pontifex de felicibus e victoria illa successibus, deque Balduino auxilia contra Græcos anhelante. 25, 26. Mauri Hispaniam infestantes prœlio funduntur. 27-33. Pontificis ad regem Aragonum litteræ de secundis nuptiis, et de Saracenis a regno exscindendis ; et de Judæis coercendis. 34. Felicia Alfonsi Castellæ in Mauros gesta. 35, 36. Anglia a perduellibus antea oppressa Pontificis cura erigitur. 37. Jus Ecclesiæ tuetur Pontifex. 38-39. De eadem materia, item de pace litteræ Clementis ad Hungariæ regem. 40. Polonia de Ruthenis victrix. 41-47. Rebus Christianis in Terra-Sancta in maxima discrimina adductis Pontificis iteratæ sollicitudines.

MCCLXVII. 1-4. Conradinus contra Carolum ejusque regnum conjurat, a Pontifice ideo anathemate percellitur. 5. Saluberrima instructio a papa Carolo data. 6-9. Carolus de suscepto paciarii officio scribit ad Pontificem, qui de eodem certiorem reddit Richardum. 10, 11. Pontificis ad Pisanos objurgatoriæ litteræ. 12. Sicilia a Saracenis turbata. 13-16. Henrici Urbis senatoris conjurantis in Carolum mores. 17. Litteræ Pontificis ad Jacobum Aragonium Sardiniam affectantem. 18-21. De proditione in papam conflata deque Guelfis et Gibellinis. 22-30. Clemens diuturnæ de imperio controversiæ definiendæ intentus. 31, 32. Victoria de Saracenis. 33. Pontificis ad Jacobum Aragonium literæ. 34. De Angliæ regno curæ. 35-38. archiepiscopus Narbonensis de hæresi accusatus apologeticum libellum mittit Pontifici. 39, 40. Ad archiepiscopum Bremensem Epistola de erroribus circa Eucharistiam. 41-45. B. Hedvigem sanctis adscribit et encomiis celebrat Pontifex. 46, 47. Scribit ad Bohemiæ regem Ottocharum arma sacra in Lituanos parantem. 48-60. Expeditionem contra Saracenos vovet S. Ludovicus cum tribus

filiis, a Pontifice per Epistolam laudatus, a pluribus principibus imitatus. Clementis de hoc opere sollicitudines. 61-65. Regis zelus restituendo pietatem, mores et concordiam inter dissidentes. 66-69. Clemens Palæologum ad Ludovicum sequendum excitat, Armeniæ regem mœrentem solatur. 70, 71. Apuchæ Tartarorum principi arma Christianis offerenti Pontificis litteræ. 72-81. Pontifex datis doctissimis ac amplissimis ad Palæologum Græcorumque patriarcham Epistolis agit de redintegranda Ecclesiarum conjunctione. 82-84. Clementis in religiosos favor et pietatis promovendæ studium. 85. Mors Parisii Camaldulensis pietate eximii.

MCCLXVIII. 1-3. Clemens hortando Carolum ad redeundum in Siciliam proditionem molientem, in Saracenos sacrum bellum indicit. 4-20. Memoriale Pontificis de Conradini Siciliæ regni invasoris criminibus. 21-24. Queritur Pontifex Romanos Conradini vexilla solemniter excepisse. 25, 26. Perstringuntur scelera et sacrilegia ab Henrico Romano senatore patrata. 27-31. Quærimoniis Pontificiis expositis in litteris ad Annibaldum Urbis proconsulem spretis, Carolus de Conradini et Henrici perduellium aciebus insignem victoriam divina ope reportat. 32, 33. De hoc triumpho Caroli ad Pontificem laureatæ litteræ. 34, 35. Friderici stirpe lugubri modo exstincta, Siciliæ insula ad Caroli obsequia revocatur. 36. Pontificis ad Carolum gravia monita. 37. S. Ludovicus juris Ecclesiæ tutor. 38-41. De variis abusibus Alfonsus Portugaliæ rex a Clemente arguitur. 42-46. Agit Pontifex de imperii controversia inter Alfonsum et Richardum. 47. Otochari regis Bohemiæ insignes virtutes. 48. De Augustini archiepiscopi Nidrosiensis miraculis inquiritur. 49. De reliquiis S. Eduardi; de festo S. Januarii in tempus vernum translato. 50. Pontifex discutit errorem circa S. Pauli caput. 51-53. Apparatus sacri belli a S. Ludovico ornati qui socii. 54-56. Clementis papæ, Salomæ reginæ, Agnetis marchion. Misnensis et Svatopluki ducis mors.

MCCLXIX. Sede vacante. 1. Saracenorum a Carolo subjectorum plures baptisantur. 2, 3. Bellum contra Guelphos. 4-6. Dimicante cum Græcis Carolo, S. Ludovicus Francos in sacrum bellum concitat, varios nactus socios. 7, 8. Rudolfus cardinalis legatus in Oriente. 9-11. Daniæ rex jura Ecclesiæ restituit.

MCCLXX. Sede vacante. 1-5. S. Ludovicus a Palæologo de Græcorum controversia arbiter electus, a cardinalibus super eo instruitur. 6-9. S. regis ad Saracenos debellandos discessuri monita filiis data, et zelus in Tunetano rege convertendo. 10-21. Durante expeditione, pius rex lœthali morbo corripitur, et sanctissime moritur, relinquens hæredibus suis testamenti vice Christianissimam instructionem. 22. Philippi regis de morte patris sui ad clerum litteræ. 23. Tunetani a Carolo strage funduntur. 24. Terribile naufragium classis ex Africa redeuntis. 25-28. Infelici Terræ S. statui medetur Angliæ rex Eduardus. 29, 30. Belæ Ungariæ regi succedit filius Stephanus. 31. Vladislai Salisburgensis archiepiscopi lugubris nex. 32. Margaretæ filiæ regis Belæ pia mors. 33. Fames in Germania, hæreses in Galliis. 34. S. Bennonis translatio.

MCCLXXI. Sede vacante. 1, 2. Reliquiarum S. Ludovici cultus. 3. Philippus et Carolus urgent Pontificis electionem. 4-6. Reliquiæ S. Ludovici in Gallia miraculis fulgent. 7-14. Gregorius X Pontifex creatus. 15-19. Diversæ ad eum gratulatoriæ litteræ. 20. Sollicitudo Pontificis in Tartaris convertendis. 21. Discrimen rerum Christianarum in Septentrione. 22-31. Amplissimum documentum de fœdere Ungaros inter et Bohemos inito a Pontifice corroborato. 32. Richardi electi regis Romanorum, et Entii Sardiniæ tyranni mors.

MCCLXXII. 1-6. Gregorius reversus in Italiam, et de rebus Syriæ instaurandis sollicitus scribit ad Angliæ et Franciæ reges. 7, 8. Hic annuit Pontificis desiderio. 9-11. Describuntur ritus quibus Pontifex esset initiandus et in Pontificalium possessionem inducendus. 12-16. In litteris ad communitatem Januensium datis de Saracenis agit. 17. De Antiochiæ excidii causis. 18-20. Litis de regno Hierosolymitano Nazarenus archiepiscopus judex designatur. 21-30. Litteræ Encyclicæ de Concilio in Saracenorum et schismaticorum causa celebrando. 31. Papæ ad Venetos litteræ. 32-39. Mortuo Balduino II Gregorius ad Alphonsum Castellæ regem imperium anhelantem scribit. 40-46. De componendis discordiis in Italia exortis Pontificis curæ. 47. Studium Pontificis in sopienda veteri de Provincia controversia. 48-50. Defuncto Ungariæ rege Stephano Gregorius regem Bohemiæ ad pacem cum Ungaris excitat. 51-54. Ladislaum defuncti filium saluberrimis præceptis instruit. 55-57. Seconianum oppidum repentino incendio deletur. 58-60. Gregorii paternæ litteræ ad Philippum Franciæ regem. 61-67. Henrico regi Angliæ mortuo succedit filius Eduardus. 68. Cardinalium creatio.

MCCLXXIII. 1-5. De loco celebrandi Concilii, de personis ad idem invitandis, deque rebus ibidem deliberandis. 6-18. Relatio episcopi Olomucensis super rebus Germaniæ et provinciarum vicinarum,

quibus a Concilio providendum esset. 19, 20. De corona Norvegiana. 21. Pontifex Eduardum Angliæ regem consolatur de parentis morte. 22, 23. Gregorius Guidonem occisi Henrici auctorem censuris gravissimis mulctat. 24-34. Papæ in tuenda libertate Ecclesiastica, in componendis controversiis et conciliandis inter se discordibus per Italiam zelus. 35-37. Gregorius Franciæ et Bohemiæ reges ad bellum sacrum excitat. Alfonso hac de re meditanti respondet. 40-43. Lugduno significat Eduardo regi Guidonis pœnitentiam. 44-50. Palæologum per litteras Ecclesiæ Romanæ aggregari petentem ad constantiam hortatur. 51. Grates agit Franciæ regi pro comitatu Venusino Ecclesiæ donato.

MCCLXXIV. 1-27. Concilium Lugdunense II ejusque Acta. 28-31. SS. Bonaventuræ et Thomæ Aquinatis mors, virtutes et canonizatio. 32-43. Alia Concilii decreta bellum sacrum præ primis attinentia. 44-54. Pontificis controversiam inter Rudolphum et Alphonsum componere studentis variæ ad eosdem litteræ. 55. Papa Rudolphum Romanorum regem agnoscit. 56-61. Hanc rem notificat archiepiscopo Salisburgensi et regi Bohemiæ Othocaro quem cum aliis principibus, præcipue cum Francorum rege conciliare nititur. 62. Censuræ in rebelles populos.

MCCLXXV. 1-4. Gregorii pro copiis in Italiam mittendis litteræ. 5-12. De fœdere juncto inter Rudolphum, Siciliæ regem Carolum, et Bavariæ ducem gratulatur; Bohemiæ regem denuo imperatori conciliare studet Pontifex. 13. Belliquadri interest morti B. Raymundi Penafortii miraculis clari. 14, 15. Ibidem cum Pontifice agit Castellæ rex Alfonsus, demum juribus imperii cedens. 16, 17. Bellum sacrum contra Africanos in Hispaniam irruentes. 18-20. De regno Navarræ lis inter Petrum regis Aragonum filium natu majorem et regem Francorum. 21-27. Lusitani præsules ab Alfonso oppressos tuetur Pontifex. 28-35. Regem Aragonum adulterum graviter binis litteris increpat. 36-41. Lausanæ inter Pontificem et Rudolphum colloquium, quo finito, Constitutio editur super ditione Ecclesiastica ab imperatore integerrime tuenda. 42-48. Expeditionis Orientalis a Rudolpho et diversis principibus susceptæ sumptibus providet papa, varias Italiæ civitates invisens. 49. Græcorum res. 50-54. Boamundo Antiochiæ principe defuncto turbisque in Oriente exortis, Pontifex Carolum Siciliæ regem ad copias in Palestinam mittendas excitat.

MCCLXXVI. 1-14 Gregorii obitus, encomia et multiplicia miracula. 15, 16. Innocentius V vix electus Genuenses ad concordiam allicit. 17, 18. Ejus ad fideles et præsules litteræ Encyclicæ. 19-22. Curæ Pontificis de auxiliis adversus Sarracenos ferendis. 23. Rex Aragonum Jacobus pie moritur. 24. Palæologum ad constantiam hortatur, Lucanos et Pisanos ad pacem reducit Pontifex. 25. Ejus mors. 26-28. Adrianus V eligitur et quadraginta dies post moritur. 29-37. Joannes XXI creatus papa, Gregorii Constitutione de Pontificis electione ut rigidiore remissa, Encyclicis litteris fideles principesque salutat. 38-44. Carolus Siciliæ rex clientelare officium novo Pontifici Diplomate amplissimo defert. 45. Pontifex per litteras ad Græcæ Ecclesiæ præsules Lugdunensia decreta inculcat. 46-50. Philippum Franciæ, expeditionis Hierosolymitanæ principem, et Alfonsum Castellæ reges discordes pacificare studet Pontifex.

MCCLXXVII. 1-6. Subsidium Terræ-Sanctæ bello inter Franciæ et Castellæ reges disturbatum deplorat Joannes, legatisque utrosque ad concordiam adducere adnititur. 7, 8. Curæ Pontificis in retundendis Sarracenis in Aragoniæ terras irrumpentibus. 9-11. Pontifex contra errores Parisiensis Academiæ statuit. 12, 13. Defendit libertates Ecclesiæ contra Lusitaniæ regem. 14. Pontificis liberalitas et zelus sacer. 15. De Sarracenorum rebus. 16-18. Carolo Siciliæ regi ceditur jus in Syriam; Sarraceni inter se dissident. 19, 20. Joannis inopina mors, et quædam de ejus vita. 21-28. Sede vacante, Palæologi oratores ad cardinales cum litteris accedunt. 29-33. Andronicus Ecclesiarum reconciliationem litteris ad papam datis ratam habet. 34-39. Constantinopoli ex frequenti episcoporum conventu de fide orthodoxa stabilita ad Pontificem litteræ. 40-42. Adversus perduelles schismaticos synodus Constantinopoli adunata. 43-45. Venetos Anconam oppugnantes cardinales a cœptis abducere nituntur. 46. Esculani et Parmenses a cardinalium cœtu corripiuntur. 47. Cardinales student principes dissidentes pacificare. 48-52. Rodulpho expeditionem in Italiam ante stabilitam cum Carolo concordiam paranti cardinales contrarii. 53. Præmissis solemnibus supplicationibus pro obtinendo probo Pontifice compositisque inter cardinales discordiis Nicolaus III eligitur Pontifex. 54, 55. Prædecessorum exemplo Rudolphum ab ingressu in Italiam revocat monendo eum, ut oratores mitteret. 56, 57. Studium Nicolai conficiendæ pacis Philippum inter et Alfonsum. 58-60. Nicolai tiara redimiti Encyclicæ ad præsules et principes litteræ. 61, 62. Græcorum ad Nicolaum gratulationes. 63. Valdemarus Sueciæ rex a Magno fratre suo victus.

MCCLXXVIII. 1, 5. Palæologo decretum Lugdunense confirmanti per litteras gratulatur Pontifex. 6-12. Alia Pontificis de Ecclesiarum conjunctione studia et statuta. 13, 14. Palæologus de turbis in eum

ob schisma abjuratum concitatis graviter apud Pontificem conqueritur. 15, 16. Nicolai de hac re responsum Palæologo datum. 17-22. De religione inter Tartaros propaganda Pontificis Apostolicæ curæ. 23. Legatus Apostolicus in Ungaria. 24-30. Pontifex bellum Gallos inter et Hispanos sopire studet. 31, 32. Nicolai querelæ de oppressa ab Alfonso Compostellana Ecclesia. 33-37. Pontifex Petrum episcopum Bajocensem, posthabita Galliarum regis gratia, tuetur, reginam criminis accusatam solatur. 38. S. Ludovici mira gesta in Acta rediguntur. 39. Philippi in sanctam Sedem pietas. 40. Eduardi pro Pontificis clientela tributum. 41-44. Bellum inter Rudolphum et Othocarum. 45-50. Rudolphus Romanæ Ecclesiæ jura edito Diplomate confirmat ; de qua re publicæ conficiuntur Tabulæ. 51, 52. Hæc promissa ab ejus ministris violantur Rudolpho conscio. 53. Gotifridus restituit pristina Ecclesiæ jura. 54-56. Æmilii et Bononienses recuperati. 57-62. Poscit Nicolaus a Rudolpho, ut jura ab antiquis imperatoribus concessa confirmet, Siciliam, Sardiniam et Corsicam Sedi Apostolicæ agnoscat. 63-64. Conciliare admittitur Rudolphum et Carolum. 65-72. De pace ejusque conditionibus. 73-76. Urbis administratio Pontifici a Carolo restituta. 77, 78. Pace in diversis Italiæ urbibus revocata, de convertendis Judæis agit Pontifex. 79. Basilicam S. Petri amplioribus redditibus instruit, leges de ritibus in eadem observandis fert. 80, 81. Joannes Ordinis Prædicatorum magister patriarcha Hierosolymitanus. 82-84. Eduardo postulanti decimas pro instaurando bello sacro respondet Pontifex.

MCCLXXIX. 1-8. Monumentum imperiale, quo jura Ecclesiæ Romanæ a Rudolpho asseruntur, et litteris ab ipso electoribusque confirmantur. 9-11. Qualiter Nicolaus pacem Rudolphum inter et Siciliæ regem Carolum promovere studebat. 12-14. Divæ Magdalenæ corporis incorrupti translatio. 15. De regno Hierosolymitano lis. 12-20. De hastiludiorum celebratione Apostolicæ litteræ. 21-26. Sollicitudo Roman. Pontificum in conciliandis Alfonso et Philippo regibus. 27, 28. Nicolaus litteris Alfonsum hortatur ut ministros Dei pristinæ restituat libertati. 29. Alfonsi III Lusitaniæ regis obitus. 30-33. Ladislai Ungariæ regis in Cumanis rerum Christianarum inimicis convertendis curæ. 34. Synodus Budensis; ejus Acta habentur ad calcem hujus voluminis. 35-41. Pontificis ad Ladislaum deficientem ad Cumanorum mores litteræ. 42, 43. Cladem a Lituanis in Polonia illatam deplorat Pontifex. 44-48. Nicolai de Ecclesiarum pastoribus orbatarum providæ Constitutiones. 49-51. Pontificis litteræ ad Boamundum Antiochiæ principem. 52. Confirmantur litteræ de stigmatibus S. Francisco impressis.

MCCLXXX. 1-4. Ad pacem inter principes Christianos firmandam incumbenti pactionemque proponenti Nicolao assentiuntur Rudolphus et Carolus. 5. Carolus monetur ut controversiam de Vulturni ditione apud Sedem Apostolicam dirimat. 6, 7. Pontifex Bononienses dissidentes conciliare studet. 8-10. Ladislaus facinus in pellendo legato Apostolico patratum damnat, leges Pontificias contra hæreticos regio edicto validas una cum Elisabetha regina declarat. 11. S. Hugonis translatio. 12-17. Ut lugubri Christianorum in Syria sorti inimicæ discordiæ inter Francorum et Castellæ reges tollantur, publicas preces indicit Pontifex. 18. Reges prædicti tractant de concordia. 19-22. Andronicus per litteras denuo orthodoxan fidem profitetur. 23-27. De Nicolai repente mortui, et de quibusdam in Urbe gestis. 28. Romæ graves seditones exortæ.

MCCLXXXI. 1, 2. Tumultus interpontificii tempore. 3-10. Martini IV electio, dotes et Encyclicæ ad præsules litteræ. 11-13. Aucto cardinalium senatu ditionem Ecclesiasticam contra Guidonem e Monteferetro tuetur. 14. Seditio nata in Urbevetere comprimitur. 15, 16. De senatoria Urbis dignitate Constitutio Pontificis. 17. Etruscos Rudolpho parere jubet Martinus. 18. Decernit depellendos hæreticos et Judæos ab Ecclesiarum asylo. 19-21. De S. Ludovici miraculis novum examen. 22, 23. Martini benevolentia in reges. 24. Fidelibus res Syriacæ commendatæ. 25, 26. Pontifex in Palæologum ab Ecclesia deficientem sententiam fert. 27, 28. Palæologus in Carolum Siciliæ regem concitatus. 29. S. Thomæ translatio; Annæ reginæ pia mors. 30. Ladislaus Ungariæ rex in libidines effusus.

MCCLXXXII. 1-4. Belli inter Tartaros et Saracenos exitus. 5-7. Carolo de sacra expeditione instauranda meditante Pontifex decimas pro eadem decernit. 8-10. Palæologus anathemate plectitur. 11, 12. Siculæ in Gallos conjurationis tyrannides; Vesper Siculus. 13-23. Ad Panormitanos imperia Pontificis et anathema spernentes mittitur legatus, qui in Petrum Aragoniæ regem fert sententiam. 24, 25. Palæologus ob fœdus cum Petro initum eadem pœna devincitur. 26. Conradus Carolo infensus. 27. Pontificis de Calabris rebellionem in Carolum meditantibus dispositio. 28-31. Coortis in Urbe turbis, Guido quædam ditionis Ecclesiasticæ loca occupat; pœnis ideo mulctatus. 32. Martinus Ecclesiasticorum a magistratibus oppressorum defensor. 33. Leolino Vallensium principi in bello adversus Eduardum caput amputatur. 34, 35. Alfonsi in Sanctium filium perduellem sententia. 36-38. Ladislaum Ungariæ regem turpiter viventem ad melius hortatur Pontifex. 39-41. Jariges et Lituani a Leskone Nigro magna clade delentur.

MCCLXXXIII. 1-4. Martini curæ in Siculis ad officium revocandis. 5-13. Petrus Aragonius Carolum astute provocat ad singulare certamen, quod discutere adnititur Pontifex, sed perperam. 14-24. Instrumento amplissimo describitur historiæ series in ferenda a Pontifice adversus Petrum sententia. 25-34. Diploma quo Pontificis nomine statuta feruntur pro novo Aragonum rege instituendo. 35. Petrus etiam Valentiæ regno a Pontifice exuitur. 36-38. Martinus Angliæ regem a contrahenda cum Petro affinitate revocat. 39-41. A Pontifice Carolo pro regni defensione subsidium pecuniarium mutuatur. 42-46. Principis Salernitani eximiæ pro Siculis leges, quarum quædam ad rem Ecclesiasticam spectantes ab Honorio IV confirmantur. 47. Carolo flagitanti prorogationem pensionis census annuit Pontifex. 48. Hostes ditionis Pontificiæ a Guidone ducti vincuntur. 49, 50. Martini pro Æmilia populisque levandis sollicitudo. 51, 52. Egregium liberalitatis et amoris Pontificis in Romanos documentum. 53. Agit Pontifex de Pisanis et Januensibus conciliandis. 54. De auxilio Alfonso præstando agit. 57. Sancius nuptias vetitas jubetur dissolvere. 58, 59. De incursione Lituanorum in Poloniam Pontificis ad duos præsules litteræ. 60, 61. Rudolphus Ecclesiasticorum privilegia confirmat. 62-69. Martini ad Eduardum Anglorum regem de expeditione Syriaca deque decimis ab ipso occupatis litteræ. 70. Tartarorum regis in Christianos persecutio. 71-74. Palæologo mortuo a schismaticis denegatur Ecclesiasticæ sepulturæ honor.

MCCLXXXIV. 1-3. In Siculos sacram militiam ordinat Martinus. 4-9. Legatus Apostolicus Gallos ad eamdem expeditionem concitans gesta in hac re Pontifici refert. 10-12. Narbonensi archiepiscopo imponit Pontifex, ut de censuris in Aragonios latis diligenter exploraret. 13-14. Carolus Salerni princeps insulam Siciliæ invadens captus. 15-19. De componendis discordiis in ditione Pontificia exortis Martini paterna sollicitudo. 20. Pisanos inter et Genuenses bellum. 21. Impostor in Germania. 22, 23. De Magno Sueciæ et Gothorum rege. 24. Bellum Ericum inter et Magnum affinitate componitur. 25. Libertas Ecclesiæ in Polonia labefactata. 26-29. Leges concordiæ inter clerum et Lusitaniæ regem. 30, 31. Divina justitia in Tartarorum regem. 32-43. Eduardo Syriæ opem ferre meditanti decimasque in hanc rem petenti Pontifex scribit. 44-53. De Becco patriarcha Constantinopolitano deque Græcis schismaticis.

MCCLXXXV. 1, 2. Caroli Siculi pia mors. 3-8. Pontificis sollicitudo pro Siciliæ regno. 9. Conradus de Antiochia in Aprutium irrumpit. 10. Expeditio in Urbinates. 11. Lesko Niger in Hungariam confugit. 12, 13. Martinus mortuus miraculis inclarescit. 14-21. Honorii IV electi exordia, consecratio et Encyclicæ litteræ. 22-24. Ad Rudolphum imperialem consecrationem petentem Pontificis litteræ. 25, 26. Belli in Aragoniam a Francorum rege suscepti exitus. 27. Philippi regis defuncti elogium. 28-56. De Siciliæ statu Pontificis uberior expositio et Constitutiones abhinc servandæ. 57-62. Qualiter Honorii istiusmodi leges, post Nicolai IV tempora viguerint et violatæ fuerint. 63-65. Veneti sacris interdicti implorant Sedis Apostolicæ clementiam. 66. Magistratus Florentini iniquæ leges in jus Ecclesiasticum. 67-69. Guillelmus Montisferrati Marchio a Pontifice judicatur. 70, 71. Sententiam fert Honorius in Viterbiensium causa. 72. Stipendium S. Petri a Polonis et Pomeranis exigit Pontifex. 73. Tartari in Ungaria. 74. Waldemarus Sueciæ rex regno orbatus. 75. Instituti in Sardiana fidei censores. 76, 77. Ægidius Augustinianus Romanus sua scripta Pontificio decreto submittit. 78. Argon Persidis rex principes Christianos contra Saracenos sollicitat. 79. De imperio Tartarico. 80, 81. Honorii ad reges Angliæ et Scotiæ litteræ. 82-84. B. Philippi Servitæ pia mors, egregia opera et miracula. 85. S. Odiliæ V. M. reliquiæ divinitus repertæ.

Concilii Budensis Constitutiones; de quo ad 1279, num. 34.

SUMMARIUM

TOMI XXIII.

MCCLXXXVI. 1-5. Rodulphus ad imperiale insigne accipiendum excitus ab Honorio per Joannem episcopum Tusculanensem in Alemannia legatum. 6-9. Jacobum et Constantiam regni Siciliæ invasores, diris devovet, et in eosdem contumaces interdicto et iterato anathemate animadvertit Honorius. 10-12. Alfonsus Aragonius agit apud Pontificem pro retinendo regno. 13, 14. Tentata conciliatio inter Alfonsum et Carolum Valesium de regno Aragonio. 15. Singulare certamen seu duellum inhibet Honorius. 16-18. Veneti censuris soluti. 19, 20. Guido comes Montisferetri, et Henricus Castellæ resipiscentes ab Honorio recepti. 21. Gadicensi episcopo opitulatur Honorius; ubi de Alfonsi regis Castellæ obitu. 22. Blancæ reginæ consilium de religiosa vita ineunda. 23. Relaxatur interdictum in regno Castellæ. 24. Res Angliæ et Scotiæ perturbatæ. 25-27. Judæorum insolentias in Anglia compescit Honorius. 28. Philippus Pulcher rex Francorum. 29. Viennensem archiepiscopum tuetur Honorius. 30-32. Henricum ducem Wratislaviensem Ecclesiæ jura invadentem Honorius anathematizat. 33, 34. Res Syriæ et Terræ-Sanctæ. 35. Bellum civile inter Tartaros. 36, 37. Carmelitarum decus auctum, et Ordo sancti Guillelmi amplificatus. 38-40. B. Ambrosii Sansedonii beata mors.

MCCLXXXVII. 1-3. Ladislaus rex Ungariæ corripitur ab Honorio. 4-7. Fœdus initum inter Carolum II Siculum, et Alfonsum Aragonium reprobat Honorius. 8. Res Syriæ. 9. Honorii IV papæ obitus. 10. Perusini prope Gualdum arcem excitant. 11-13. Tartari infideles irrumpunt in Polonos et Ruthenos. 14, 15. Dux Wratislaviensis ab insectando episcopo desistit. 16, 17. Sancti Thomæ episcopi Herefordensis obitus et miracula. 18. Martyrium puero illatum a Judæis Wesaliæ in Germania.

MCCLXXXVIII. 1-9. Nicolaus IV papa electus Encyclicas dat litteras. 10-13. Alfonsum Aragonium et Siculos rebelles monet Nicolaus; Caroli captivi defensionem suscipit. 14-15. Legati Aragonii ad Sedem Apostolicam. 16, 17. Liberatur Carolus a captivitate iniquis conditionibus, quas Nicolaus rescindit. 18. De nuptiis inter Catharinam filiam Balduini II C. P. quondam imper. et Michaelem imp. C. P. filium ineundis litteræ Nicolai. 19, 20. Venetas inducit Nicolaus ad reddenda jura patriarchæ. 21. Ugolini comitis miserandus exitus. 22. Imperii jura in Etruria auro vendita. 23. Translatio reliquiarum beati Virgilii Salisburgens. 24-28. Ungariam et Galliam ab erroribus contra mores et fidem vindicat et in hæreticos sanctiones renovat Nicolaus. 29-31. Sclavos ad obsequium Ecclesiæ adducit ope Minoritarum. 32-38. Fidei propagandæ maxime apud Tartaros incumbit Nicolaus. 39, 40. Terræ-Sanctæ studet Pontifex. 41. Nicolaus creatur patriarcha Hierosolymitanus. 42-44 Indulgentiæ datæ visitantibus Ecclesiam S. Mariæ Majoris Romæ.

MCCLXXXIX. 1-11. Carolus II regnum Siciliæ capescit, dato sacramento Romano Pontifici. 12-15. Officia vicissim collata inter Carolum et Nicolaum ad Siculos demulcendos. 16-31. In Lusitania

jus Ecclesiasticum vindicatur insignibus de reconciliatione exaratis Tabulis. 32-39. Conventa confirmat Nicolaus et Lusitaniam ab interdicto solvit. 40. Inita inter Sanctium Castellæ et Philippum Francorum reges concordia. 41-45. Episcoporum in Gallia et Germania libertatem tuetur Nicolaus. 46, 47. Rodulphum insignia imperialia poscentem litteris Romam invitat Nicolaus. 48. Henricus ad ducatum Cracoviæ evectus. 49, 50. Constitutio Pontificia in gratiam cardinalium condita. 51, 52. Academiam in Monte-Pessulano instituit Nicolaus. 53-55. Hæresi comprimendæ in Italia, et pietati fovendæ incumbit. 56. Jacobitarum patriarcham, aliosque episcopos Orientales ad fidem orthodoxam invitat. 57-64. Ad reges et populos Armeniæ, Æthiopiæ et Tartarorum dat litteras paræneticas. 65-67. Tripolis diruta a Saracenis, cæsi Christiani. 68-73. Sollicitatus a legatis Pontifex expeditionem in Terram-Sanctam indicit, certis datis legibus.

MCCXC. 1-6. Dat litteras Encyclicas Pontifex pro sacra expeditione. 7, 8. Classis subsidiaria instructa Venetiis defectu rerum laborat. 9, 10. Francorum rex ad submittendas auxiliares copias sollicitatus. 11-16. Quid inter Pontificem et Eduardum Angliæ regem conventum sit pro sacra expeditione. 17-19. Legatio Pontificia ad reges Transalpinos. 20-23. Acta per legatos cum Alfonso Aragonio et aliis principibus. 24, 25. Cajetæ oppugnatio per Jacobum Aragonium. 26, 27. Seditionibus populorum occurrit, Guidonem comitem reprimit Pontifex. 28-32. Litteræ Apostolicæ ad Gallorum regem pro jure Ecclesiastico tuendo. 33-36. Angliæ regem pro Ecclesiæ libertate et juribus litteris compellat Nicolaus. 37. Scotiæ regnum Baliolo adjudicatum. 38-40. Ladislaus rex Hungariæ in deterius ruens Andream fratrem necat. 41-43. Ladislao mortuo, legatio Apostolica destinatur in Ungariam. 44-47. Dux Wratislaviæ veneno necatus. Magnus rex Gothiæ moritur. 48. Rodericus Minorita episcopus in Africam missus. 49-51. Judæos, hæreticos et pravas hominum sectas comprimit Pontifex. 52, 53. Academia Ulyssiponensis excitata et privilegiis aucta. 54. Miraculum circa Eucharistiam Parisiis.

MCCXCI. 1-5. Christi fideles ad expeditionem Terræ-Sanctæ excitat Nicolaus, duce Eduardo Anglo. 6-18. Excidium Ptolemaidis, et universæ Syriæ, vitiis Christianorum ingravescentibus. 19-22. De clade Syriaca litteræ Nicolai ad Philippum Gallorum regem. 23-28. De eadem re litteræ Pontificiæ ad Genuenses pro instauranda expeditione. 29-31. Consilia inita reparandis Syriæ rebus. 32-37. Reges et principes Orientales et Tartarorum in Saracenos excitat et ad fidem Catholicam hortatur Pontifex. 38-40. Regem Bulgarorum a schismate revocare nititur Nicolaus. 41-43. Regem et reginam Serviæ multis prosequitur officiis. 44. Contentio inepta Veronæ inter Minoritas et Prædicatores. 45-49. Regni Ungarici successione in discrimen adducta, occurrit Nicolaus per legatum invasores cohibens. 50, 51. Rudolphi Romanorum regis, et Alfonsi Aragonii obitus. 52-59. Bellum Siculum recrudescit, in quo insurgit Pontifex pro Carolo II rege. 60. In Siculi cleri mores corruptos animadvertitur. 61. Jura Avenionensis urbis in Carolum transfusa. 62-66. Gratiæ spirituales largitæ et acriter animadversum in Ecclesiasticæ libertatis violatores. 67. Intestinis populorum odiis medetur Pontifex. 68-71. Nazarethana domus divinitus e Syria in Dalmatiam translata.

MCCXCII. 1, 2. Armeni a Saracenis impetiti auxilium a Nicolao postulant. 3-5. Cyprum obsidione cinctum, a soldani morte liberatum. 6-11. Eduardo regi conditiones proponenti ad sacram expeditionem per litteras satisfacit Pontifex. 12, 13. Eduardo regi litteræ Pontificiæ de censu annuo et de regno Scotico. 14-16. Genuenses a Siculorum rebellium fœdere abducit Nicolaus. 17. Nicolai IV papæ obitus. 18-20. Dissensiones de creando Pontifice. 21. Adolphus Nassovius ad solium Germanicum evectus. 22. Sanctæ Cunigundis obitus. 23. Beati Alberti Carmelitæ mors. 24. Florentiæ patrata miracula ad Deiparæ imaginem.

MCCXCIII. 1, 2. Perusium pro eligendo Pontifice conveniunt cardinales quos adit Carolus rex monens eosdem ad celerem Pontificis electionem. 3, 4. Bellum Gallos inter et Anglos. 5. Veneti et Genuenses in Oriente inter se dimicant.

MCCXCIV. 1, 2. Cardinales ad Viterbienses dant litteras, ut eos in fide contineant. 3-7. Cælestini papæ V electio. 8, 9. Cælestini primordia et sanctitas. 10-14. Cælestini adventus Aquilam, ubi consecratur. 15. Encyclicæ litteræ, et Acta Cælestini papæ quoad Siciliam, Syriam, et Ecclesiæ bonum. 16, 17. Numerum cardinalium auget, conclavi futuro consulit, de abdicando Pontificatu sollicitatur Cælestinus. 18-22. Abdicatio Cælestini, et de ea præconium. 23. Electio Bonifacii VIII et ejus anteacta gesta. 24. Nazarethana ædicula e Dalmatia in Italiam divinitus advecta. 25. Bellum inter Francos et Anglos. 26. Hæresis Fraticellorum. 27. Patriarchæ schismatici Constantinopolis electio; Michael imperator coronatur.

MCCXCV. 1-6. Bonifacius alta meditatus Pontificatum init, Romæ coronatur. 7-10. Litteræ Bonifacii de sua

electione. 11-15. Cælestini post suam abdicationem vitæ genus, et obitus miraculis illustratus. 16-18. Carolum Siciliæ regem solvit a pœnis Bonifacius ob non solutum censum contractis. 19. Mariæ reginæ procuratio regni defertur. 20-24. Fœdus inter Carolum et Jacobum Aragonium sub certis legibus initum. 25-28. De regno Majoricarum, et Balearibus insulis propriis regibus restituendis actum. 29-34. Nuptias contrahendas curat Bonifacius inter Catharinam imperatricem Constantinopolis et Fredericum Aragonium. 35. Siculi solvuntur a censuris. 36, 37. Res Friderici in Sicilia, Rogerii in Africa atque expulsio Saracenorum e Luceria. 38-40. Venetos, Genuenses aliosque Italiæ populos ad fœdus ineundum allicit Bonifacius. 41-46. Reges Transalpinos ad pacem adducere studet per legatos et litteras. 47-49. Res Christianæ in Syria et apud Tartaros. 50-53. Pontificiæ litteræ ad reges Daniæ et Galliæ pro tuendis juribus Ecclesiæ. 54-57. Disciplinam Ecclesiasticam et Regularium instaurat, cultum sanctorum auget Bonifacius. 58, 59. Lauretanæ ædis altera et ultima transmigratio.

MCCXCVI. 1. Petrus cardinalis paciarii munere missus ad populos Italiæ. 2, 3. Guido comes Montisferetri Franciscanæ familiæ adsciscitur. 4. Pisani ditioni Pontificis se subjiciunt. 5. Genuenses et Venetos ad fœdus invitat Bonifacius. 6-15. Fridericus Aragonius rex Siciliæ per nefas electus, unde Bonifacius primum monitis, deinde pœnis in eum animadvertit. 16. Ludovicus Caroli regis filius Minorita et Tolosanus episcopus. 17-21. Bello flagrante inter reges Romanorum, Francorum et Anglorum, Bonifacius inducias proponit, ad pacem hortatur. 22, 23. Constitutio Bonifacii ad reprimendos principes ab iniquis exactionibus in clerum; unde regis Angliæ furores. 24-32. Philippum regem paræneticis litteris monet Bonifacius ad rescindendam legem Ecclesiæ libertati adversam. 33. In Toletanum archiepiscopum animadvertit. 34. Fœdam hæresim damnat Pontifex. 35. Missi ad Nazarenæ domus veritatem indagandam exploratores. 36. Henrici episcopi Ratisponensis pia mors.

MCCXCVII. 1-7. Adventus Siciliæ et Aragoniæ regum Romam, et Diploma Pontificium quo regnum Sardiniæ et Corsicæ Jacobo Aragonio datum. 18-24. Idem Jacobus signifer Ecclesiæ creatur. 25. De restituendo regno Balearico laborat Bonifacius. 26-33. Columnensium rebellio, et in eos Diploma Pontificium. 34. Libellus Columnensium in Bonifacium, quorum commenta diluuntur. 35-41. Pontificia in schismaticos Columnenses sententia. 42. Bellum inter Anglos et Francos per inducias dilatum. 43-47. Philippo regi favet Bonifacius circa exactiones clericales, et alia jura. 48-52. Constitutio et declarationes de subsidiis conferendis a clero in bonum reipublicæ civilis, et de aliis ipsi collatis privilegiis. 53. Consultus Bonifacius de jure successionis in regno Siculo dat responsum. 54. Contentio inter archiepiscopum Lugdunensem et cives. 55, 56. Fraticellorum secta inquisita et damnata. 57. Biterrenses in suspicionem hæreseos vocati. 58-67. Ludovicus IX Francorum rex sanctorum Catalogo adjectus, Diplomate Pontificio ejus vitæ gesta referente. 68. Sancti Ludovici episcopi Tolosani obitus. 69. Sanctæ Margaritæ Cortonensis pœnitentia et mors. 70. Stationes Urbis sacris indulgentiis auctæ a Bonifacio.

MCCXCVIII. 1-10. Ad bellum componendum inter reges Angliæ et Franciæ electus Bonifacius sancit concordiæ leges, pacem firmat. 11-15. Rodulfo cæso in bello, Albertus dux Austriæ imperio Romano potitur. 16-19. Armenis auxilium postulantibus contra Saracenos præsto est Bonifacius. 20. Auctoritas solvendæ legis de gradibus consanguinitatis ad papam spectat. 21. Inter regem Cypri et Templarios orta discordia. 22. Gratiæ et privilegia collata. 23. Tres viri insignes cardinales creati. 24. Ecclesiarum jura a Philippi regis invasione vindicat Bonifacius.

MCCXCIX. 1-3. Bellum in Siculos a rege Aragonio illatum et ipsorum clades. 4, 5. Belli Siculi eventus prosperi et infausti. 6, 7. Præneste in odium Columnensium deletum et nova civitas ædificata. 8. Joannes e Ceccano Campaniam et Maritimam infestat. 9-11. Regem Daniæ a censura solvit, super impedimento dispensat, contra Barbaros tuetur Bonifacius. 12, 13. Ungariæ infelix status, cujus regni successioni consulit Bonifacius. 14-21. Regnum Scotiæ Apostolicæ Sedi vindicat Bonifacius, obsistente Eduardo rege Angliæ. 22-24. Ecclesias Cameracensem et Remensem a principum injuriis tuetur. 25. Philippum regem et alios principes ad clericorum jura servanda inducit. 26, 27. Oppidum Argentæ Ravennati Ecclesiæ redditum. 28, 29. Pace composita datur episcopus Pisanis. 30, 31. Anagninæ Ecclesiæ dat episcopum, et optime consulit. 32-34. Basilicam Lateranensem canonicis decorat, et Vaticanum novis sacerdotiis auget. 35. Livoniæ Ecclesiis consulit. 36. De sepeliendis corporibus Bonifacii Constitutio. 37, 38. Regem Cyprium conciliat Templariis et Hospitalariis Bonifacius. 39-42. Viros religiosos ad propagandam fidem missos in Orientem privilegiis ornat Bonifacius. 43-46. Casanus rex Tartarorum Christianus, Armenis auxiliaturus, prælio commisso cum Saracenis, eos penitus debellat. 47. Flagitia Judæorum in Germania.

MCCC. 1-9. Annus Jubilæi celebratur a Bonifacio nova pompa et magnificentia. 10, 11. Genuenses a Friderici et Siculorum fœdere amovet Bonifacius. 12-14. Redintegrandis rebus Caroli II in Sicilia incumbit Bonifacius. 15-19. Studia Bonifacii pro Carolo contra Fridericum. 20, 21. Carolus Valesius in Italiam vocatus a Bonifacio. 22, 23. Ad compescendas factiones missus in Umbriam legatus Apostolicus. 24. Matthæus cardinalis legatus mittitur in Etruriam pro sedandis turbis. 25. Conjuratio in Albertum Romanorum regem. 26. Prorogatæ induciæ inter Anglorum et Francorum reges. 27-31. Jura Ecclesiarum Narbonensis et Magalonensis tuetur Bonifacius apud Philippum regem. 32. Eboracensis Ecclesiæ jura violata ab Eduardo defendit. 33, 34. Joannes dux Britanniæ expeditionem parat in Terram-Sanctam, quæ, recedente Casano, in potestatem recidit Saracenorum. 35. Cyprus intestinis discordiis laborat. 36, 37. Imperii Turcarum initia.

MCCCI. 1-3. In judicium vocatur Albertus a Bonifacio ob patratam Adolphi cædem. 4-10. Nicolaus cardinalis legatus in Ungariam discordiis laborantem missus, et rescissa electio Wenceslai regis. 11-13. Carolus Valesius dux generalis militiæ Pontificiæ creatus. 14. Tusciæ pacandæ additus legatus Apostolicus. 15-17. Carolo Valesio Januenses conciliat Bonifacius pro expeditione Sicula. 18-21. Filii regum Hispaniæ natalium dignitate a Bonifacio donati. 22. Census exigitur ab Eduardo solvendus. 23. Nonnulla privilegia regi Angliæ concessa a Bonifacio. 24. Patriarcharum Orientalium electionibus consulit Bonifacius. 25. Hæretici supplicio affecti. 26-32. Philippus Galliæ rex episcopis et Ecclesiasticæ libertati infensus a Bonifacio redarguitur; unde discordiarum inter utrumque origo. 23-35. Matronæ Genuenses adjuvant expeditionem in Terram-Sanctam. 36, 37. Gesta Cassani in Syria, ejusque mores et conversio ad fidem.

MCCCII. 1-10. Friderico Aragonio regnum Siciliæ defertur per fœdus initum inter ipsum et Carolum, unde Fridericus et Siculi a censuris solvuntur. 11, 12. Cum Philippo et clero Gallicano ei adhærente expostulat Bonifacius. 13-15. Insignis Bonifacii Constitutio de Pontificia potestate. 16. Ab iniquis cœptis Bonifacius deterrere curat Philippum Galliarum regem. 17. Productum inter Scotos et Anglos bellum. 18. Albertus rex Romæ in electores sibi infensos arma capit. 19-25. Controversiis dirimendis de successionibus regnorum Ungarici et Polonici incumbit Bonifacius. 26-28. Oppressores Tridentinæ Ecclesiæ resipiscentes recipit per patriarcham Aquileiensem. 29-36. Concilium in Hispania a Toletano archiepiscopo celebratum.

MCCCIII. 1-7. Confirmatum Alberto Romanorum regnum. 8-13. Romanum imperium ad Germanos traductum. 14-23. Regnum Ungariæ Carolo adjudicatum, rejecto Wenceslao. 24-28. Approbato fœdere inter Carolum et Fridericum, huic regnum Siculum tribuitur certis conditionibus et vectigalibus. 29. Sardinia et Corsica restituuntur regi Aragonio. 30, 31. Ferdinandus Castellæ rex censuris solutus. 32. Controversiæ inter monachos et clericos compositæ. 33, 34. Legatus Apostolicus in Gallia articulos et tractatus pacis exponit, quibus refragatur Philippus. 35. Cleri Gallicani Philippo regi faventis in Bonifacium contumeliæ. 46-40. Quid Bonifacius scripserit et decreverit tum suæ defensioni, tum Gallis inimicis emolliendis. 41-44. Bonifacii captivitas et obitus, ejusque memoria a calumniis vindicata. 45-48. Benedicti XI electio, et ejus virtutes ac primordia. 49-53. Benedictus dat increpatorias litteras ad Fridericum, a quo et fidelitatis sacramentum exigit. 54, 55. Fridericum et Carolum reges Siciliæ ornat privilegiis Benedictus. 56. Ericum Daniæ regem a censuris solvit. 57. Thesaurum Bonifacii direptum recuperare nititur Benedictus. 58, 59. Instaurandæ religioni, et tollendo schismati in provinciis Orientalibus vacat Benedictus. 60. Felicia gesta Christianorum militum contra Turchos. 61-63. Expeditio Tartarorum et Armenorum contra Saracenos. 64. Judæorum furor in Christianos.

MCCCIV. 1-3. Infelix exitus legationis Nicolai cardinalis paciarii munere fungentis in Etruria. 4-6. Florentinos et Lucanos factiosos ad judicium Sedis Apostolicæ vocat Benedictus. 7. Albertum Romanum regem a violandis juribus Ecclesiæ deterret. 8. Bellum Flandriæ. 9-12. Philippum et Gallos proceres in gratiam recipit Benedictus, ornat privilegiis, rescissis Actis Bonifacii. 13-15. In violatores Bonifacii Benedictus dat Diploma excommunicationis. 16. Sacramentum regis Aragoniæ de jure Sedis Apostolicæ in Sardiniam et Corsicam. 17. Regum conventus in Hispania controversiis componendis. 18, 19. Fridericum regem Trinacriæ pacta servare monet Benedictus. 20-22. Beneficia et privilegia collata viris Ecclesiasticis et Ordinibus Regularibus. 24-26. Patriarchæ Orientalis litteræ professionis fidei ad Benedictum. 27. Cassani regis Persidis obitus. 28-30. Carolum Valesium ad imperium Constantinopolitanum recuperandum monet et adjuvat Benedictus. 31-35. Perusii obitus Benedicti papæ et miracula. 36, 37. Cardinales, Sede vacante, Carolum Siciliæ regem censura solvunt.

MCCCV. 1-7. Electio Clementis V ad summum Pontificatum. 8,9. Clemens recipit homagium Jacobi

Aragonii. 10. Fridericus metu perculsus agit demisse cum Clemente. 11-13. Clemens cardinales Lugdunum accersit, ubi coronatur. 14. Creatio cardinalium. 15. Venceslai regis Boemiæ obitus, cui succedit filius. 16. Otto dux Bavariæ affectat Ungariam. 17. Ecclesiarum deprædator in Suecia ultione divina perit. 18. Hæresis Dulcini. 19-21. Labores et fructus Evangelici Joannis Minoritæ apud Tartaros.

MCCCVI. 1. Bonifacii Constitutiones nonnullas revocat, vel temperat Clemens. 2-5. Ad expeditionem Terræ-Sanctæ Carolum Valersium et Venetas excitat Clemens. 6-8. Diploma regis Siciliæ de homagio Sedi Apostolicæ reddendo. 9. Clemens Lugduno Burdegalam repetit. 10, 11. Regnum Sardiniæ et Corsicæ stipendiarium Sedis Apostolicæ Jacobo Aragonio traditum. 12, 13. Curas auget Clemens pro Terra-Sancta, et pro Armenis. 14. Episcopi Glasguensis et Cantuarensis judicio a Clemente postulati. 15. Robertus Brusius regnum Scotiæ occupat. 16, 17. Suecia et Boemia intestinis discordiis laborant. 18. Damnati Beguardi in Synodo Coloniæ. Basileensis episcopus ad Moguntinam sedem transfertur. 19. S. Nicolai Tolentini pia mors.

MCCCVII. 1-7. Pictavium contendit Pontifex, colloquium cum regibus init de Syriæ rebus, et de Constantinopoli imperio vindicando, pluribus ad hoc datis incitamentis et litteris. 8, 9. Inita fœdera inter Belgos, Francos et Anglos. 10, 11. Philippus de Bonifacii memoria damnanda agit apud Clementem. 12. Inquisitiones in Templarios cœptæ. 13. Eduardi regis Angliæ obitus et laudes. 14. Regnum Navarræ capit Ludovicus. 15-21. Regnum Hungaricum Carolo adjudicatum per Diploma Pontificium. 22. De virtutibus et miraculis Ludovici episcopi Tolosani jussa inquisitio. 23, 24. Rex Siciliæ ære alieno gravatus ad Pontificem recurrit. 25. Blanchæ S. Ludovici filiæ spirituales gratiæ a Clemente collatæ. 26. In præsules desciscentes ab officio animadvertit Clemens. 27, 38. Constitutiones disciplinares. 29. Episcopi et prædicatores missi ad Tartaros. 30. Tartarorum mores et superstitiones.

MCCCVIII. 1-8. Inquisitio in Templarios et Indictio Concilii Viennensis. 9. Dulcini hæresiarchæ exitus. 10, 11. Lateranensis Basilicæ Romæ incendium. 18-13. Rebelliones populorum Pontificiæ ditionis. 14-16. Ferraria contra Venetos vindicata. 17. Perusina et Coimbricensis Academiæ. 18. Privilegia collata a Clemente. 19-21. Cæso Alberto Henricus Luxemburgensis eligitur rex Romanorum. 22-25. Caroli successio in regno Hungarico et de ea re publicum Monumentum. 26-29. Regem Rasciorum schisma deserere meditantem litteris et legatione allicit Clemens. 30, 31. Regem Tartarorum ad fidem Catholicam excitat. 32-36. Litteræ Apostolicæ ad Hospitalarios pro Terræ-Sanctæ defensione. 37, 38. Regnum Cypri componit et munit Clemens. 39. Privilegia collata, et obitus beatæ Claræ a Montefalcone.

MCCCIX. 1. Gestorum hujus anni compendium. 2. Sancti Bertrandi Convennarum episcopi translatio. 3. Questiones adversus Templarios habitæ. 4. Philippo rege urgente de Bonifacii memoria instituta questio. 5. Academia Bononiensis privilegiis aucta. 6-8. Ferraria a Venetis oppugnata Romanæ Ecclesiæ restituitur. 9-14. Ludovicus coronatus rex Romanorum legatos ad Clementem mittit postulans imperium ; de quo multi tractatus et acta. 15, 16. Ungariam optimis Constitutionibus munit legatus Apostolicus. 17. Caroli II regis Siciliæ obitus. 18-22. Succedit Robertus qui dat juramentum fidelitatis Pontifici. 23. Compositæ controversiæ inter Robertum et Fridericum. 24. De Pisis et insula Ilva tradendis Jacobo Aragonio. 25, 26. Expeditioni Granatensi contra Saracenos Clemens favet. 27-32. Res gestæ in eo bello. 33-35. Expeditionis contra Saracenos in Syria eventus.

MCCCX. 1-7. Henricus rex Romæ dat regem Boemiæ filium Joannem et imperium sumpturus jurat fidelitatem Pontifici. 8-16. Henrico venturo in Italiam Clemens conciliare nititur populos. 17-21. Henrici in Italiam ingressus. 22-29. Oratores Ferrarienses apud Pontificem eorum civitatis fidem obstringunt. 30-32. Veneta Respublica in discrimen adducta civium conjuratione, ac liberata. 33, 34. Philippum regem Lugdunensibus conciliat Pontifex. 35, 36. Fœdera inter Gallos et Belgos firmat Clemens. 37, 38. De Bonifacii fama questio instituitur per Diploma Pontificium. 39, 40. Arnaldi a Villanova errores et scelera. 41. Concilium Viennense ad sequentem annum extractum. 42. Salisburgense Concilium. 43. Rhodus ab Hospitalariis erepta Turcis. 44. Redindegrata Granatensis expeditio in Saracenos. 45. Constitutio de observandis interdictis Ecclesiasticis. 46. Minoritæ in factiones divisi compescuntur. 47. Cardinales creati.

MCCCXI. 1. Henricus rex Mediolani ferream coronam accipit. 2-4. Guelphorum et Gibellinorum factiones recrudescunt obnitente Henrico concordiam reducere. 5. Cremonenses, Genuenses, Tarvisini ad obsequium Henrici adducti. 6-18. Legati cardinales in Italiam missi coronaturi Henricum

nomine Pontificis cum instructionibus circa ritum coronationis servandum. 19, 20. Sacramentum præstandum ab Henrico. 21. Legatus Apostolicus componendis Italiæ motibus intentus. 22, 23. Brixia et Genua ad Henrici obsequium adductæ. 24. Excitatæ in Ecclesiastica ditione seditiones. 25-32. De memoria Bonifacii Diploma Pontificium in gratiam Philippi regis emissum. 33-49. Acta Bonifacii in Philippum per integrum relata. 50, 51. Quomodo actum cum Bonifacii violatoribus et calumniatoribus. 52. Sollicitantur episcopi ad Concilium Viennense. 52. Questiones habitæ de Templariis. 54. Cœptum Viennense Concilium. 55-65. Sermo præsulis conspicuus de rebus in Concilio pertractandis. 66-70. Litteræ Apostolicæ contra fœdas Dulcini hæreses. 71. Novæ hæresis origo et progressus. 72. Lithuani grassantes in Christianos puniuntur. 73. Venetorum dissensio et infelix Græcæ Ecclesiæ status. 74-76. Exorta inter Genuenses et Hospitalarios discordia. 77. Armeniæ et Cypri reges conciliati, et privilegia collata.

MCCCXII. 1-9. Templariorum Ordo extinctus, eorum bona addita Hospitalariis. 10-16. Bonifacii memoria a calumniis vindicata in Concilio et restaurata. 17, 18. Begardi hæretici damnati, quorum singuli errores refelluntur. 19, 20. Errores Petri Joannis Olivi damnati. 21. Damnati fœderatores et alia salutaria sancita. 22. Indicta expeditio in Saracenos. 23. Disciplina Ecclesiastica et Regularium instauratur. 24. De exemptione Regularium conspicua tractatio. 25. Finis Concilii Viennensis. 26, 27. Episcopis benemeritis privilegia et inobedientibus pœnæ. 28. Intestinas in Anglia discordias componit Clemens. 29. Composita controversia inter regem Francorum et archiepiscopum Lugdunensem. 30. Tumultus Valentiæ. 31-43. Gliscentibus discordiis in Italiæ urbibus, Henricus coronatur Romæ imperator, et dat juramenta. 44-47. Henricus imperator fœdifragus vexat ditionem Ecclesiæ, in Tusciam pergit. 48, 49. Philippus princeps Tarentinus ad sanctam expeditionem incitatus ornatur privilegiis. 50, 51. Philippus rex Francorum ad Syriæ expeditionem se accingit. 52. Civiles turbæ in Ungaria. 53. Expeditio in Saracenos Granatenses Ferdinandi regis morte interrupta. 54. Cardinales creati.

SUMMARIUM

TOMI XXIV.

MCCCXVII. 1-5. Saluberrima Joannis papæ monita ad Philippum Galliæ regem. 6-8. Officia a Joanne exhibita in adversis Philippo et privilegia concessa. 9-11. S. Ludovici episcopi Tolosani solemnis canonizatio. 12,13. Tolosana sedes ad archiepiscopalem evecta et aliæ sedes constitutæ in Gallia. 14. In clericos malos et in laicos monetam adulterinam percutientes animadvertit Joannes. 15, 16. In Academiis redintegrata studia, Constitutionibus datis. 17-22. Bellum inter Robertum Siciliæ et Fridericum Trinacriæ reges Pontificis opera compositum. 23,24. Robertus rex per oratorem fidelitatis homagium dat Pontifici. 25,26. Monita saluberrima Joanni ad Robertum regem et reginam Sanciam. 27,28. Imperii urbes in Italia tyrannis expositas tutatur Pontifex. 29-31. In Ferrarienses perduelles decernit Pontifex. 32, 33. Guelphorum et Gibellinorum factionibus laceratam Insubriam componere studet Joannes. 34. Matthæus vicecomes et alii principes frustra ad pacem allecti. 35,36. Res Genuensium in Cypro, et in Italia. 37-39. Reges Majoricarum, et Castellæ in Saracenos expeditionem parant. 40. Nova equitum militia instituta, et antiquæ redintegratæ. 41. Turbæ in Hispania ob regni successorem. 42-44. Angliæ et Hiberniæ contendentibus sub Eduardo rege et Roberto Brusio consulit Pontifex. 45,46. Optima de bono regimine consilia dat Joannes Eduardo regi. 47, 48. Ad fidelitatis juramentum adigit Eduardum Joannes per legatos Apostolicos, qui interea vexantur a latronibus. 49. Denarius S. Petri ex Anglia, Suecia et aliis regnis collectus. 50. Rutheni et Lithuani ad fidem invitati. 51-53. Pontifex insidiis appetitus : hinc magorum et veneficorum scandala. 54. Geraldus episcopus Caturcencensis lege majestatis damnatus. 55. Concilium Bononiense, et miracula B. Claræ e Montefalcone. 56-61. Variæ Fratricellorum species, et in eos Pontificia Constitutio. 62. Arnaldi a Villanova errores damnati.

MCCCXVIII. 1-3. Tartarorum imperatorem litteris adhortatoriis adit Pontifex. 4-6. Sedes patriarchalis Solfaniensis excitata in Perside. 7. Evangelici præcones ad gentes missi. 8-14. Redintegrata Armenorum cum Romana Ecclesia conjunctio, ad quos litteræ Apostolicæ doctrinales et parænelicæ. 15,16. Gymnasia in Armenia instituta ad docendas Latinas litteras. 17. Regi Armeniæ concessæ prærogativæ. 18-24. Discordias inter Robertum Flandriæ comitem, Philippum Francorum regem, Belgosque componere studens Joannes, ad sanctam expeditionem eos adducere conatur. 25. Mons-Pessulanus Sedi Apostolicæ clientelæ nomine addictus. 26. Academiæ Parisiensis, et aliarum dignitas aucta. 27, 28. Ab Eduardo rege Angliæ parta victoria in Robertum Brusium, unde. Litteræ gratulatoriæ Joannis. 29,30. De Roberto archiepiscopo Cantuarensi et Thoma Aquinate in sanctorum numero collocandis. 31-33. Genuense bellum Friderico Trinacriæ rege Gibellinis, et Roberto Guelphis favente. 34. Rex Trinacriæ Pontifici vectigal pendit. 35. Urosius Rasciæ rex schismaticus regno pulsus. 36, 37. Bellum sacrum in Mauros Granatenses. 38. Cæsaraugustana sedes in archiepiscopalem excitata et Taraconensis divisa. 39. Dissidia regum Lusitaniæ componit Pontifex ope Elisabethæ reginæ, 40. Munera a Lusitaniæ et Galliæ regibus missa Pontifici. 41. Ferrarienses et Marchiones Atestini ad Pontificis imperia redeunt. 42. Æmilia, et aliæ provinciæ discordiis agitatæ. 43-56. Hæreses in Boemia et Polonia etmultiplex Pseudo-minoritarum hæresis ejusque origo, processus et confutatio. 57. Magi ad supplicium quæsiti. 58. Indulgentiæ recitantibus ter Angelicam orationem sub vespertino crepusculo.

MCCCXIX. 1-6. Regiam dignitatem in Polonia restituit Pontifex, frustra renuente Boemiæ rege. 7-9. Guelphis et Gibellinis furentibus, urbes vastatæ, insignia scelera patrata. 10. Bellum inter Genuenses et Cypri regem per arbitrum componere studet Joannes. 11. Helionus Rhodiorum equitum magister creatus. 12. Catalana societas furit in Græcia. 13. Satisfactio pœnitentialis imposita Rogerio interfectori episcopi Frequentini. 14. Litteræ Apostolicæ ad Maladinum Chroatiæ et Bosniæ comitem pro reprimendis hæreticis. 15. Cleri Ungarici legatio ad Pontificem. 16-20. De expeditione Asiatica litteræ Pontificiæ ad reges Galliæ et Angliæ. 21-23. Inter Robertum Brusium et Eduardum regem Angliæ innovatum certamen et pactæ induciæ. 24-27. In Hipania contentio de regno, et clades Christianorum a Mauris accepta. 28. De Compostellæ dominatu inter archiepiscopum et regem controversia. 29. Equester religiosus Ordo institutus in Lusitania. 30. S. Ludovici episc. reliquiarum translatio. 31. Minoritæ martyres in India. 32. Cassinensis episcopatus institutus.

MCCCXX. 1-3. Relata de Urosio rege Rasciæ schismatico victoria a Carolo Ungariæ rege. 4. Wladislaus Poloniæ rex coronatus. 5-8. Christophorus Daniæ rex. 9-12. Quomodo Joannes papa in imperii controversia se gesserit, misso cardinali paciario in Insubriam, qui in Matthæum vicecomitem animadvertit. 13. Passarinus aliique in Italia tyranni in judicium vocati. 14-17. Recrudecente bello inter Fridericum et Robertum; inducias a Friderico violatas queritur Pontifex. 18. Defectiones et conjurationes Ferrariæ et in

Piceno. 19. Isnardi patriarchæ Antiocheni contumacia et judicium. 20. Pax inter Gallos et Anglos. 21-23. Pastorelli in arma coacti et compressi. 24-30. Judæorum in Galliis facinora, et in eos Pontificiæ Constitutiones. 31. Magica pestis damnata. 32-35. Saracenis in Hispania invalescentibus, Pontifex dissensiones ex Lusitania, et Castella avertere conatur. 36-42. Agitata controversia inter Robertum Brusium Scotiæ et Eduardum Angliæ regem, usque ad pactas inducias. 43-46. B. Thomas episc. Herefordensis sanctorum Catalogo adjectus. 47, 48. Genuenses et reges Cypri et Armeniæ ad pacem adducere nititur Pontifex. 49. Creatio cardinalium. 50. Ordinis montis Olivetani initia. 51. Templum B. M. V. excitatum in miraculi memoriam Avenione.

MCCCXXI. 1-4. Tartarorum principibus ad fidem conversis gratulatur Pontifex et fidei propagandæ studet. 5-7. Ecclesias in Tartaria instituit, et sacramentum confirmationis ab episcopis conferri jubet. 8-13. Georgianos et Armenos ad Romanam Ecclesiam reducendos dat litteras Pontifex, plurimis ad ritum et disciplinam expectantibus documentis. 14. Data Pisanis in Asia et Græcia Ecclesiarum condendarum potestas. 15,16. Præcipites in exitium Græcorum res. 17. Minoritæ duo ab hæreticis trucidati. 18, 19. Pestifera Bizochorum secta damnata et perperam hoc nomine veri Franciscani insimulati. 20-37. Joannis e Poliaco error damnatus super exhomologesi apud religiosos sacerdotes facta, pluribus allatis ad rem documentis. 38. Nova superstitio furens in Italia. 39. Collabescit ditionis Ecclesiasticæ status. 40. Guelpha et Gibellina factio Italiam exercet. 41, 42. Maurorum incursiones in Hispania, et controversiæ de juribus Ecclesiarum. 43. Angliæ tumultus. 44. Expeditio Asiatica retardata et in Judæos in comitatu Venusinio animadversum. 45. Controversia de Jaderæ imperio inter Venetos et Ungaros composita. 46. De Thomæ Aquinatis miraculis institutum examen. 47. Raynaldus archiepiscopus Ravennatensis pie moritur. 48. Dantis Aligerii mors et ejus liber de Monarchia.

MCCCXXII. 1, 2. Fridericus comes Montisferetri, et ejus filii perduelles dant pœnas. 3. Recinetum excisum. 4-7. Ditio Ecclesiastica seditionibus agitata et Matthæi vicecomitis scelera. 8-10. Henricus Friderici Austriaci frater arma vertit in Mattheum a quo tamen decipitur. 11-13. Rerum conversiones Mediolani et Parmæ. 14, 15. Ludovicus Bavarus cum Friderico imperii æmulo armis congressus eum vincit et capit. 16-19. Pontifex concordiam in Lusitania restituit. 20, 21. Eduardi res bellicæ contra perduelles in Anglia et Scotia. 22-27. Defuncto Philippo Francorum rege succedit Carolus ad quem Pontifex dat litteras paræneticas et gratulatorias. 28, 29. Divortium Caroli regis, et novæ nuptiæ. 30, 31. Asiana expeditio per oratores Gallos apud Pontificem ventilatur. 32-40. Saracenis furentibus in Armeniam Pontifex dat litteras encyclicas hortatorias ad bellum sacrum. 41-44. Tartaros ad fœdus cum Christianis ineundum et ad fidem Christianam capessendam allicit Pontifex. 45, 46. Sedes episcopales in Oriente institutæ. 47. Rhodus vane tentata a Turcis. 48-50. Catholicis Latinis in Achaia et in Oriente consulit Pontifex contra Turcos et schismaticos. 51 70. Turbæ ex Pseudo-Minoritis coortæ, unde insignis quæstio de paupertate Christi, et Apostolorum penitus exposita. 71. Constitutio Pontificia arcet susceptionem Ordinis sacri post matrimonium ratum. 72. Coerciti nonnulli impostores in agro Piceno.

MCCCXXIII. 1-3. Pontifex pro Christianis in Tartaria degentibus agit apud Usbec Tartarorum imperatorem. 4-6. Armenis contra Saracenos opitulatur Pontifex, pecunia et adhortationibus ad eos missis. 7, 8. Armeni in Perside, et in Armenia Minori ad fidem orthodoxam invitati. 9. Armenia defensa a Tartaris contra Saracenos. 10, 11. De Syriaca expeditione consilium inter regem Galliæ et Pontificem. 12. Minæ Saracenorum in Cyprum cui Pontifex opitulatur. 13. Controversias inter Armenos et Cyprios sedare studet Pontifex. 14-18. Orosium Serviæ regem ad Romanæ Ecclesiæ conjunctionem redeuntem litteris et legatis prosequitur Pontifex. 19, 20. Lithuaniæ, et Ruthenorum rex ad fidem in speciem conversus. 21. Fumariani ethnici in Norwegos barbariem exercent. 22. Inter Daniæ regem, et principem Megalop. discordiam componit Pontifex. 23, 24. Feltrensis episcopi cædes et turbæ in tota fere Italia. 25. Galeatio vicecomite profligato, ceteri tyranni collabescunt. 28-33. Ludovicus Bavarus perduellibus dat opem et sententia Pontificia percellitur. 34-36. Ludovicus suam scribit apologiam. 37. Motus in Sardinia et Lusitania. 38-60. Elucubrationes variæ super controversia de paupertate Christi. 61-63. De eadem quæstione Decretum fidei pronuntiatum e Petri cathedra. 64-66. Thomas Aquinas sanctorum Catalogo adscribitur. 68. De Philippi archiepisc. Bituricensis miraculis, et sanctitate institutum examen. 68. Eleazari Ariani comitis beata mors, quem deinde Gregorius XI in sanctorum numerum retulit.

MCCCXXIV. 1-3. Ludovici Bavari oratorum ad Sedem Apostolicam accessio, et Pontificis responsum in litteris Apostolicis expressum. 4-20. Ludovici Bavari studium, et acta in defendendis per-

duellibus, et hæreticis, et in propugnatione sui asserti juris contra Pontificias leges et et jussa. 21-25. Sententia Pontificis in Ludovicum omni jure imperiali privatum. 26. Carolus Francorum rex ambit dignitatem Romani imperii. 27-35. Ludovicus Pontifici infensus Fraticellorum fit fautor, unde novæ ejusdem hæresis refutationes. 36. Sardinia ab Alfonso Aragonio comparata. 37. Mortuo Sancio rege Majoricarum ejus nepotis successoris tutelam suscipit Pontifex. 38. Ortas discordias inter Anglorum et Francorum reges componere studet Pontifex. 39 41. Andronicus Græcorum imperator metu Tartarorum de ejurando schismate agitat consilia. 42-44. Oratores Armeni pro Asiatica expeditione sollicitanda, quam litteris fovet Pontifex. 45-50. Missi in Lithuaniam legati pro fide amplificanda quos regi litteris paræneticis commendat Pontiex. 51-52. Rex Lithuaniæ in idololatria permanet. 53. Crimina objecta equitibus cruciferis et Poloniæ regum obsequiosæ litteræ ad Pontificem. 54. Visio mirabilis.

MCCCXXV. 1-4. Fridericus e carcere solutus fœdus init cum Bavaro, quod Pontifex improbat. 5-6. Molitur Pontifex transferre imperium Romanum ad Francos. 7. Tentata nova regis Romanorum electio. 8-11. Adversus Ludovicum Germani et Itali excitati; hinc motus, et bella. 12. Concordia firmata inter Francorum et Angliæ reges. 13. Ducem Aquitaniæ salubribus præceptis instituit Pontifex. 14. Belgium civili bello laborat. 15, 16. Dionysii regis Lusitaniæ obitus de quo litteræ Pontificis ad S. Elisabetham viduam. 17.19. Rex Aragonum Sardinia potitur et confectæ tabulæ de tributo solvendo Pontifici. 20-25. Nonnullorum Pseudo-Minoritarum pervicacia et hæresis, auctore Petro Joanne Olivi, cujus errores recensiti et refutati. 26, 27. Fraticellos in Oriente hæresim spargentes reprimit Pontifex. 28, 29. Ad Carolum Ungariæ regem de fide propaganda sollicitum litteræ Pontificiæ. 30. Regi Boemiæ Asianam expeditionem meditanti dat litteras Pontifex. 31. Joannis principis felices in Græcia progressus.

MCCCXXVI. 1. Joannes card. S. Theodori legatus paciarius in Italiam missus. 2, 3. Castrucius dolose in gratiam admitti postulat. 4. Guido episcopus Aretinus perduellis Pontificia sententia percellitur. 5. In ditione Pontificia, varii et tristes belli casus. 6, 7. Fœdus inter Austriacum et Bavarum damnat Pontifex, ac Carolo Francorum regi ad sacrum Romanum imperium evehendo favet. 8. Bochardi archiepiscopi Magdeburgensis Ludovico infensi cædes. 9. Regis Poloniæ irruptio in Marchionatum Brandeburgensem. 10. Septentrionalia regna ab infidelibus infestata. 11-14. Civiles discordiæ in Belgio et dissidia recrudescentia inter reges Angliæ et Galliæ, quibus mederi studet Pontifex. 15, 16. Hugonis Spenserii miserandus exitus. 17. 18. Studia Pontificis de conciliandis regibus, et maxime Roberto Siciliæ et Friderico Trinacriæ. 19. Ecclesiarum juribus et disciplinæ consulit Pontifex. 20. Complutense Concilium a Toletano episcopo celebratum. 21. Privilegia a Pontifice collata. 22. Scurrilitas sacrilega aliquorum in Italia pœnis affecta. 23. Pseudo-Minoritas, et Fraticellos hæresim disseminantes reprimit Pontifex. 24, 25. Commercia cum Saracenis vetita, et id permissum Genuensibus. 26, 27. Andronicus imperator revocandæ ad Romanam Græcorum Ecclesiæ desiderium præ se fert. 28, 29. Cyprios Græcos male de fide sentientes corrigit; et linguarum Orientalium studium in publicis scholis promovet Pontifex. 30, 31. Amplificata apud Tartaros Christiana religio. 32. Gregorium X miraculis clarum Placentini postulant sanctorum Catalogo annumerandum.

MCCCXXVII. 1-2. Bavari in Italiam adventus, et Tridenti habitus conventus. 3. Ludovicus Mediolani ab excommunicatis corona ferrea redimitus. 4-13. Romani enixe agunt per litteras et legatos ad reditum Pontificis in Urbem implorandum. 14, 15. Legatus Pontificius Romam missus a perduellibus repulsus. 17. Tumultus in ditione Ecclesiastica. 17. Pisæ captæ a Ludovico. Guido olim episcopus Aretinus moritur ejurato schismate. 19-26. Pontificia sententia in Ludovicum hæreseos damnatum. 27-37. Marsilius et Jandunus hæresiarchæ, eorumque errores Pontificia Constitutione damnati, et ab aliis refutati. 38. Ludovicus copias Urbem versus ducit. 39. Jacobi regis Aragonum obitus. 40. Synodus Toleti celebrata. 41. Joannis principis in Granatenses Saracenos victoria. 42. S. Elisabethæ Lusitaniæ reginæ pia opera. 43. Eduardus senior Angliæ rex in vinculis extinctus. 44. Super juribus in Aquitania dissidiæ inter reges Angliæ et Galliæ 45-48. Magia, astrologia aliæque hæreses grassantur. 49. Boleslaus dux Russiæ ad fidem Catholicam revocatus. 50. Ludi cruenti Neapoli vetiti. 51. Res Trinacriæ et Cypri. 52. Andronicus junior, pulso seniore, imperium Constantinopolitanum occupat. 53. De religiosis et viris Ecclesiasticis quid decreverit Pontifex. 54. Concessæ indulgentiæ recitantibus vespere Salutationem Angelicam. 55. Cardinalium creatio. 56. Mors S. Rochi.

MCCCXXVIII. 1-3. Ludovici Romam ingressus et coronatio. 4, 5. Indicta a Pontifice in Ludovicum cruciata

militia. 6-8. Cleri, et populi Romani constantiam commendat Pontifex, datis litteris hortatoriis. 9, 10. Pontificii a Ludovici sequacibus, ducibus Marsilio et Janduno, divexati. 11-19. Impia Ludovici in Pontificem sententia, quæ penitus refellitur. 20. Egregium Jacobi Columnæ facinus. 21, 22. Impia lex Ludovici in Pontificem. 23-37. Ludovici in Pontificem sententia capitalis lata, cujus singula capita explcduntur. 38, 39. Rejectæ preces de Friderico Austriaco ad imperium evehendo. 40-42. Indictus conventus principum electorum de creando novo Cæsare. 43, 44. Petrus Corbaria creatur antipapa, qui pseudocardinales creat, et coronatur. 45, 46. Antipapæ nefaria gesta, et in Catholicos persecutio. 47, 48. Indictæ a Joanne papa publicæ preces. 49. Ludovici res everti cœptæ. 50-52. Ludovici et antipapæ fuga, et in Urbe rerum instauratio. 53, 54. Infelix exitus principum Ludovico adhærentium. 55-58. Marchiones Atestini poscentes redire in gratiam Ecclesiæ recipiuntur. 59. Plures urbes ad Ecclesiæ imperium traductæ, nonnullæ abscissæ. 60, 61. Caroli ducis Calabriæ mors Guelphos consternat. 62-66. Michaelis Cæsenatis schismatici Avinionem accessus, et inde fuga, atque impii conatus adversus Pontificem. 67, 68. In Michaelem Cæsenatem, et asseclas sententia Pontificis, qui tamen optime sentit de Minoritis. 69. Caroli Francorum regis obitus, cui succedit Philippus nepos. 70. Joanna regina Navarræ. 71. Belgæ rebellantes a Philippo rege perdomiti. 72, 73. Pontifex Philippum regem ad Ecclesiæ studium hortatur, Anglo conciliare nititur. 74, 75. Anglia et Scotia conciliatæ. 76-80. Poscenti Alphonso regi Castellæ Pontifex dat opes et privilegia ad bellum contra Saracenos Granatenses. 81. Sacrum bellum civili dissensione retardatum. 82. Rex Aragonum sponsionem pro Sardinia præstat. 83. Philippus regia stirpe Baleari progenitus novam Franciscanorum familiam condere postulans rejicitur. 84. Ordinem Eremitarum S. Pauli confirmat, cleri Ungarici avaritiam cohibet Pontifex. 85. Missi viri ex Ordine Prædicatorum in Orientem. 86. Imminens Cypro bellum amovere nititur Pontifex.

MCCCXXIX. 1-3. Nefaria acta antipapæ, quæ Pontifex damnat, datis litteris ad episcopos. 4. Joannes vicecomes pseudocardinalis et legatus in Insubria. 5, 6. Pisis discedente Ludovico, res conversæ in Etruria, legati Pistorienses ad Pontificem. 7-11. Pisanos censuris solutos pristinis juribus restituit Pontifex, eos Florentinis conciliat, et de bene actis commendat. 12-14. Plures Insubriæ urbes, et viri principes a Bavaro desciscunt. 15. Joannes pseudocardinalis et Azo vicecomes ad obsequium Ecclesiæ redeunt. 16. Post varios belli casus Ludovicus redit in Germaniam. 17, 18. Tentata concordia inter principes Italiæ, populus Romanus in fide Ecclesiæ confirmatus. 19. Variorum principum perduellium exitus. 20. Atestini Marchiones Ferrariam accipiunt. 21-68. Sententia Pontificia in Michaelem Cæsenatem, et contra singulos ejusdem errores amplissimus Pontificis Commentarius. 69. Paucis exceptis, universus Minoritarum Ordo in fide Romani Pontificis perseverat. 70-72. Echardus hæresiarcha damnatus. 73, 74. Sedibus Moguntinæ et Vratislavensi consulit Pontifex. 75-77. Petri Cunerii errores circa potestatem Ecclesiæ confutat Bertrandus episcopus Eduensis. 78. Eduardus Gallo adjicit fidem, quam dein violat. 79, 80. Robertus rex Scotiæ ungi et coronari postulat. 81, 82. Roberti regis obitus, cui succedit filius David. 83-87. Alphonsus rex Aragonius Sardiniam et Corsicam Ecclesiæ beneficiarias agnoscit, ac dat fidelitatis juramentum. 88-91. Negata Aragoni dispensatio pro contrahendis nuptiis in vetito gradu. 92. In nuptiis regis Castellæ dispensatum super impedimento. 93. Hispani reges in Mauros fœdus jungunt. 94. Armeni a Saracenis oppugnati per Pontificem sublevantur. 95, 96. Græci Asiatici ad ejurandum schisma invitati. 97, 98. Pro Christianis in Perside laborat Pontifex, datis litteris ad imperatorem Tartarorum cum fidei formula.

MCCCXXX. 1-3. Fuga, detectio et resipiscentia antipapæ. 4-9. Antipapam resipiscentem urbane tractat Pontifex, eique benigne indulget. 18-24. Corbarius Avenionem ingressus in consistorio pseudo-pontificium, publicis de ea re confectis tabulis, deponit. 25-27 De antipapæ resipiscentia gratulationes. 28-38. Principes Germanos et præsertim Boemiæ regem a Ludovici partibus deterrere plurimum studet Pontifex. 39. Joannis regis Boemiæ in Italiam expeditio. 40-43. Plures populi ac præ ceteris Romani ad Pontificis obsequium plane redeunt. 44-48. Reges Hispani adeunt supplices Pontificem super expeditione Granatensi, quam satis feliciter obeunt. 49. Philippus rex Galliæ comiti Atrebatensi infensus. 50. Pontifex Eduardum regem Angliæ a severitate et aliis excessibus revocare nititur. 51, 52. Trevirensi Ecclesiæ illata injuria expiatur publica pœnitentia. 53. Judeorum facinora, et res Græcorum. 54. Gualterus dux in Achaiam parat expeditionem. 55, 56. Patriarcha Jacobitarum ad unitatem Ecclesiæ redit. 57. Joannes Core creatur archiepiscopus Soltaniensis; Nascarini, et alii populi schismatici in Oriente ad fidem Catholicam invitati et traducti. 58. B. Ivonis virtutes et miracula.

MCCCXXXI. 1, 2. Marsilii et Janduni errores a Pontifice excisi et damnati. 3. Thomasius antipapæ cappellanus ejurat schisma. 4-7. Instaurata edicta in Fraticellos, et in sectam Cæsareorum.

8-14. Michaelis Cæsenatis errores a Geraldo Othone refutati. 15, 16. Michael et socii a Minoritis damnati. 17. Reginam Siciliæ edocet Pontifex de Michaelis erroribus. 18. Regis Boemiæ in Italiam adventus. 19. Confœderationes contra regem Boemiæ. 20-24. Diversa studia principum et regum Germaniæ erga sanctam Sedem. 25. Ungariæ rex et regina a sicario appetiti. 26. Carolus rex Ungariæ paternum principatum Salernitanum a Roberto rege Siciliæ poscit. 27, 28. Catalanos, Genuenses, et Baleares ad concordiam revocare nititur Pontifex. 29. Consilia de expeditione Granatensi, et potissimum de Asiatica contra Saracenos et Turcas prosequitur Pontifex. 30. Athenarum ducis in Achaiam irrita expeditio. 31, 32. Jura episcoporum Magalonensis et Rothomagensis tuetur Pontifex. 33, 34. Contendit Philippus rex de creandis cardinalibus natione Gallica. 35-37. Regi Angliæ et reginæ Aragonum Pontificem consulentibus monita salutaria. 38, 39. Corsi salubribus præceptis imbuti a Pontifice. 40, 41. In Dania et Suecia libertas Ecclesiastica asserta. 42. Miraculum S. Hyacinthi, et alia aliorum. 43-45. Controversiæ de visione beatifica initia ; et inde in Pontificem per schismaticos conflata invidia.

MCCCXXXII. 1-7. Consilium Pontificis de adventu in Italiam impedit Philippus rex, qui interea de expeditione Asiatica multa pollicetur. 8. Bononienses Pontificii adventus expectatione nutriuntur. 9-10. Factiones in Italia ingravescunt. 11-16. Veræ causæ cur Ecclesiæ communioni non fuerit restitutus Ludovicus Bavarus, a quo interea populos discedentes anathemate liberat Pontifex. 17. Rex Trinacriæ ad conjunctionem Ecclesiæ sollicitatus. 18, 19. Philippi principis Tarentini mors, et controversia de successione regni Siciliæ. 20. Regina Siciliæ favens Pseudo-Minoritis monetur a Pontifice. 21. Bellum inter Genuenses et Catalanos sopire studet Pontifex. 22-26. Tursicæ grassationes in Græcos, et Andronici imperatoris infelix obitus. 27. Ungariæ regis in Ruthenos expeditio. 28-30. In hæreticis coercendis moræ Pontificis qui veros interea Minoritas colit, inter quos Alvarum. 31. Waldenses pulullant in Pedemontio.

MCCCXXXIII. 1-6. De bello sacro consilia : eique præficitur Philippus, rex Galliæ, datis eidem litteris Apostolicis. 7, 8. Conventiones inter Philippum et Pontificem. 9, 10. Privilegia collata Philippo ad bellum sacrum. 11, 12. Quantus fuerit exercitus comparandus, et qui dolus Philippi. 13, 14. Turcarum in Europam excursiones. 15, 16. De conjungendo fœdere principum in Turcas consilia. 17, 19. Andronicus imperator, episcopi, et populus Græcus ad ejurandum schisma invitati per litteras Apostolicas et legatos. 20. Maurorum in Hispaniam invasio. 21. Pontificis curæ pro Catalanis et Liguribus conciliandis. 22. Delphinus Sabaudum bello appetit, et moritur. 23. Anglum inter et Scotum orta dissidia, bellorum semina. 24, 25. Irrita Joannis consilia repetendi Urbem, quam factiones dilaniant. 26. Pontificia pro Italia pacanda studia. 27. Ungari regis in Siciliam adventus. 28. Ludovici Bavari ad Pontificem legatio. 29. Moguntini episcopi jura defendit Pontifex. 30. Mortuo Wladislao succedit Casimirus in regno Poloniæ. 31-42. Fides in Tartaria amplificata, missis a Pontifice nuntiis et litteris ad principes et populos. 43. Temperatur a Pontifice lex de conjugiis quoad gradus prohibitos in Neophytorum gratiam. 44. Apostatæ a fide apud Saracenos resipiscunt. 45-69. Resumpta quæstio de visione beatifica, editis hinc inde gravissimis Commentariis.

SUMMARIUM

TOMI XXV.

MCCCXXXIV. 1-6. Græcos in Ecclesiæ gremium, sumpta occasione ex incursionibus Turcarum, revocare studet Joannes, adhibita Francorum regis auctoritate missisque Apostolicis nuntiis. 7-11. Qui principes, quæque civitates in Turcas fœdus conjunxerint narratur. 12, 13 Pontificis studium de ferendis Armeniæ contra Saracenos auxiliis. 14-16. Lites inter principes Occidentales enatas Joannes sopire conatur. 17. Ad conventus pro tollendis bellis Italicis habitos Pontifex mittit legatos. 18. Venturini Dominicani zelus; districtæ in Fraticellos leges. 19-23. In pertinacem Ludovicum Bavariæ ducem, quem ad partes Ecclesiæ revocare adnitebatur Joannes, Apostolicæ sanctiones. 24, 25. De pacis Polonôs inter et Cruciferos conditionibus. 26. Carolus Ungariæ rex contra Tartaros athleta. 27-38. Controversiam de beatarum animarum visione examini subjicit Joannes, quem calumniis undique obrutum Benedictus papa anno proximo defendit. 39. Joannis pia mors. 40-45. Calumniæ illi objectæ refelluntur. 46-48. Benedicti XII novi Pontificis patria, primordia, et ad præsules litteræ Encyclicæ.

MCCCXXXV. 1, 2. Benedicti in Ludovico Bavaro Ecclesiæ reconciliando clemens opera. 3-5. Romanorum legatio ad Pontificem, cui Galliæ rex reditum in Urbem impedit. 6, 7. Ludovicus per nuntios veniam petit, nactus idcirco gravissimos adversarios. 8-26. De visione beatifica denuo discussa liber Benedicti amplissimus. 27, 28. Italia a tyrannis laniata, Pontifex Philippum importuna quæque postulantem admonet. 29-31. De classe instruenda, deque bello Turcis inferendo Benedictus agit, hortatur principes. 32-35. Ut Armeniæ opem ferret, Philippum sollicitat. 36-38. Ad pacanda in Scotia enata bella, Pontifex mittit internuntios, Angliæ, et Galliæ regibus scribit. 39-42. Ad litteras Alfonsi Aragonii, de Sardiniæ et Corsicæ regno Sedi Apostolicæ accepto, respondet admittens hanc fidei sponsionem. 43-48. Robertus Siciliæ rex postulatus a Benedicto veteres de regno suo pactiones publicis litteris instaurat. 49-52. Hæc exempla sequi detrectat Fridericus Trinacriæ rex, admonitus ideo per litteras Pontificias. 53-55. Alfonsus Aragoniæ rex, a Benedicto violati fœderis arguitur. 56. Ungaro regi de parta victoria gratulatur papa. 57. Inter Ungariæ, Boemiæ et Poloniæ reges fœdus. 58. De Cruciferorum cum Polonis discordia. 59-63. Pontificis adversus hæreticos in variis regnis pullulantes, et adversus schismaticorum nefaria consilia Apostolici conatus. 64-68. Alfonsum Castellæ ad exscindenda in regno suo grassantia scelera hortatur Pontifex qui Ecclesiarum splendori earumque instaurationi paterne studet.

MCCCXXXVI. 1-16. Benedicti de animarum justarum ante resurrectionem beatitudine, impiarum vero pœna infernali Apostolicum decretum. 17-28. Ludovicus Bavarus, revocatis suis perperam gestis, per litteras supplicat Pontifici, promissa pacta sacramento sanciens. 29, 30. Ad eumdem a cœptis resilientem Pontificis monita, posthabita tamen. 31-38. Per Epistolas et legatos Bavarus denuc

de schismate conflato petit veniam, sua scelera damnat, expeditionem sacram pro iisdem expiandis spondet. 39. Regi Galliæ consilium de jungendo fœdere cum Ludovico petenti respondet Benedictus; Ludovicus sacramenta infringit, quo Philippi expeditio disturbatur 40, 41. Vastata Armenia, Pontifex condolens, insulanos ad religiosam militiam concitat. 42-46. Litis Gallum inter et Anglum papa arbiter scribit Philippo de expeditione sacra jurejurando promissa. 47, 48. Alfonso Aragoniæ rege mortuo, succedit filius Petrus, qui prædecessorum more, fideliter clientis præstat officia. 49-52 De turbis in Aragonia sedandis Pontificis curæ. 53-55. In Scaligerum superbum et rebellem in Italia superiori bellum comparatum. 56. Papa Ecclesiastica jura in Brabantia oppressa tuetur. 57, 58. Benedicti de controversia archiepiscopatus Moguntini litteræ ad Philippum regem. 59, 60. Balduini ab administratione sedis Moguntinæ repulsi ad Pontificem Epistola excusatoria. 61, 62. Benedictus Casimiro Poloniæ regi fœdus cum Ungaris et Boemis exprobrat, jura Ecclesiæ commendat. 63, 64. Ut Robertus Siciliæ rex impietatem Fraticellorum reprimeret, sollicitatur a Pontifice. 65-69. Benedicti in reformanda monastica, præprimis Minoritarum disciplina, eximia studia. 70. Pia S. Elisabethæ Lusitanæ mors.

MCCCXXXVII. 1-4. Denuo tractatur de reconciliatione Ludovici Bavari ad quem a cœptis resilientem dolorose scribit Pontifex. 5, 6. Ad Henricum Bavariæ ducem Ecclesiæ reconciliatum Pontificis litteræ adhortatoriæ. 7-10. Eduardum Angliæ regem ab ineundo fœdere cum Bavaro litteris abducere conatur Benedictus. 11-14. Philippum periculi Galliis ex Germania impendentis monet, suadendo ipsi pacem cum Anglo. 15, 16. Ad sopiendum atrox bellum Anglicum, legatos amplissimis instructos mandatis, mittit Pontifex. 17-21. Asserendæ in Galliis et Anglia immunitati sacerdotali, tuendisque Ecclesiæ privilegiis per legatos operam navat. 22, 23. Benedictus Philippum jurisjurandi graviter monet. 24. Ad Leonem Armeniæ regem clade affectum, Pontificis Epistola. 25. Descriptis belli inter Castellæ et Lusitaniæ reges exordiis, Petro Aragono de suscepto pacis consilio gratulatur Pontifex. 26. Obitus Friderici Trinacriæ regis. Urbibus Italiæ dissensionibus intestinis laborantibus, præfectos imponit Benedictus. Romani fessi discordiis Pontificem ut Romam redeat rogant. 27-29. Bononienses seditiosos gravi edicto percellit, in perduelles pœnas Ecclesiasticas intentat, et demum promulgari jubet Benedictus. 30. Minoritis Venetiis lapsis proposita venia. Bosnia hæresi infecta. 31, 32. Andronicum Palæologum, ad Ecclesiarum unionem urgendam litteris provocat; Robertum Siciliæ regem concordiæ interpretem constituit Pontifex. 33. Hi tamen tractatus ob bella Occidentalia dissolvuntur.

MCCCXXXVIII. 1, 2. Ex conventu suspecto Spiræ in causa Ludovici Bavari habito oratores cum litteris ad Pontificem, qui reconciliationis cum Ecclesia velut conditionem ponit pacem cum Gallo conficiendam. 3-17. Benedicti de tentata a Germanis concordia litteræ, in quibus reconciliationis historiam fuse exponit, nefariorum de eadem commenta perstringuntur. 18-21. In seditionem in Judæos Germaniæ concitatam, episcopum Pataviensem diligentissime per litteras inquirere jubet Pontifex. 22-26. Carolum Ungariæ regem, ut ab opprimendis præsulibus desistat, injurias illatas emendet, per Epistolam monet. 27, 28. De comitatibus Ecclesiæ vectigalibus. 29-31. Pontificis sanctio in ditionis Ecclesiæ tyrannos, præprimis in rebelles Bononienses, quibus mittitur internuntius. 32. Superiores Italiæ provinciæ bellum movent in Scaligeros. 33-49. Petrus Friderici Trinacriæ regis filius, per litteras petit sibi regnum Pontificio beneficio tradi, sed in cassum. In gratiam Roberti pro eo regno opem a Sede Apostolica flagitantis, legatos decernit Benedictus Diplomate instructos amplissimo. 50, 51. Pontificis in conciliandis Hispanis studia, in avertendo ab adulterio rege Castellæ monita. 52, 53. Parens monitis, regi Lusitano fœdere junctus, arma in Barbaros vertere meditatur. 54-58. De Anglico Gallis imminente bello Philippum per litteras paterne hortatur papa; regibus pacem amplectendam suadet. 59-71. Eduardum in Germaniam profectum tituli vicarii Cæsarei a Bavaro accepti, Benedictus per Epistolam arguit; per aliam Leodienses monet, ut ad refellendos Ludovici impetus cum aliis episcopis imperii societatem ineant. 72. Hugoni regi Cyprio gratulatur Pontifex de parta a Turcis victoria. 73-79. Tartarorum imperatoris ad papam legatio, et litteræ honorificentissimæ, quibus Benedictus respondet gratulando, et imperatori, et ibidem fidelibus de egregio eorum in Christianos studio. 80. Minoritæ ad Tartaros missi. 81-87. Pontifex creat cardinales; ritus in creatione servari soliti.

MCCCXXXIX. 1-5. Ludovicum Bavarum, novorum facinorum reum clementer iterum admonet Benedictus. 6-8. Ad ipsum mittit internuntium, proponens concordiæ rationem. 9-12. Eduardum Anglum Gallias invadentem, ut a lite contra episcopum Cameracensem desistat monet, exponens Ludovici causam. 13. Legati cardinales ad Anglum missi, intentantes illi pœnas Ecclesiasticas. 14-16. Pontifex Philippum et Anglum hortatur, ut certamen detrectent, paci animum accommodent. 17, 18. Eduardus concordiam respuens initum cum Ludovico fœdus excusat. 19. Græc per legatos poscunt Concilium et auxilia contra Turcos. 20-31. Barlaami abbatis,

legati Græcorum, de unione Ecclesiarum sermo ad Pontificem et cardinales. 32-42. Ad hæc respondet Benedictus in litteris ad Gallorum regem datis, disserens de doctrinis controversis. 43. Græca monialis in Germania sanctitate illustris. 44-58. Per internuntios Pontificios Trinacrii, seposito cum Petro commercio, regi Roberto parere jubentur, inobedientes pœnis mulctantur. 59, 60. Roberto bellanti contra Petrum gratulatur Pontifex de parta victoria; funesto tamen corrupta exitu. 61. Insubriæ proceres papæ fiduciarii. 62-66. Ob Italiæ quietem Scaligeri, vacante solio imperiali, a Pontifice, ut poscebant, vicarii cæsarei creantur diversis sub conditionibus. 67, 68. Scaligeri necis episcopi Veronensis rei, quali pœnitentia in gratiam admitterentur episcopo Mantuano significat Benedictus. 69. Ad tutandam ditionem Ecclesiæ præfectos provinciarum constituit. 70. Ligures faventes Barbaris increpat. 71. Inter Castellæ et Aragoniæ reges adversus Mauros fœdus. 72. Alfonso Castellæ regi, bellum in Saracenos paranti gratulatur papa. 73-75. Aragonium ad concordiam cum Jacobo Balearium rege sollicitat; hunc de præstanda Petro clientelari sponsione, et de pace colenda monet. 76-78. Alfonso de parta a Garpis Africæ Barbaris victoria gratulatur Benedictus. 79. Eumdem opes Ecclesiasticas invadentem per litteras corripit. 80. Casimirum Poloniæ regem de Ecclesia egregie meritum, elogiis commendat. 81. Ludovicus Ungariæ rex delectus sceptri Polonici successor. 82. Caroli ibidem regis pietatem laudat Pontifex commendans ipsi Ecclesias. 83. Indulgentiæ Ungaris dimicaturis contra impios, 84, 85. Magno Suecorum, Gothorum et Norvegiorum regi petenti ut Scaniæ dominatus ipsi confirmetur respondet Benedictus.

MCCCXL. 1-3. Pacem inter Anglum et Gallum novis dissensionibus turbatam instaurare conatur Benedictus, Belgas Anglorum fautores censuris devinciens. 4-8. Ut Eduardus sceptrum Gallicum abjiciat monetur a Pontifice 9-16. Argumenta suæ causæ Pontifici exponit idem Angliæ rex, dissimulans ea, quibus Philippi jus nitebatur. 17. Benedicti ad Philippum de re gesta litteræ. 18. Inflictas injurias ab iis qui, cum essent ex familia Pontificia, Anglorum oratorem male habuerant, pœnis severis vindicat papa. 19-25 Philippi injusta circa decimas petita repulsa a Pontifice. 26 31. Benedicti curæ precesque pro sopiendo bello, et pace firmanda. 32, 33. Ad Tornacum agitatum fuisse de pace, Eduardus per litteras significat Pontifici. 34-38. Libellus de Eduardi causæ æquitate papæ ab illius oratoribus datus; monetur Anglus, ut petitis modum ponat. 39. Regum oratores conveniunt apud Pontificem. 40-43. De concessis subsidiis bellicis contra Mauros Castellæ regi Alfonso scribit Benedictus. 44-47. Post victoriam navalem ab Afris reportatam, hortatur Pontifex Alfonsum ne animo deficeret. 48-50. Instaurata Christiana classe, firmatoque inter Lusitanum et Castellanum fœdere, Hispanos solemnes supplicationes crucemque induere jubet Pontifex. 51-54. De reportato triumpho reges victores papæ scribunt; qui iisdem congratulatur. 55-57. Eduardum ad arma adversus infideles convertenda per Epistolam hortatur; Petrum Aragonium ut infideles in regno reprimeret, monet Benedictus. 58. Scaligeri vectigal Pontifici pendunt. 59-61. Bononiensibus ad officium revocatis leges impositæ. 62. Italia fame laborante, consulit Pontifex. 63. Petro Trinacrio mortuo succedit filius Ludovicus. 64, 65. Benedictus litteris ad Robertum regem describit quid voti animo conceperit Philippus Balearis princeps, novum ordinem condere affectans. 66-68. Ludovicus Bavarus expeditionem in Italiam molitur; conciliationis ab ipso postulatæ modum proponit Pontifex. 69-71. Papienses derelicto Bavaro ad Ecclesiam redeunt, solvi censuris flagitant. 72. Ut Ulricus e Novadomo hæreticos in Boemia grassantes ad officium cogeret, sacris indulgentiis a Pontifice donatur. In theologorum cœtibus Parisiis varii errores damnantur. 73. Bosniæ Banus Stephanus ad fidem Catholicam revocatus, contra hæresim exscindendam, Sedis Apostolicæ auxilium implorat. 74-76. Tartaricam Ecclesiam curat Benedictus, grates agens imperatori, de egregio in Christianos studio. 77, 78. Casimirum Poloniæ ad debellandos Tartaros excitat. 79. De S. Gertrudis in Deum amore.

MCCCXLI. 1-7. Benedictus ob missa ipsi Mauricæ victoriæ spolia, Alfonso Portugalliæ regi scribit, gratulatur, justis postulatis annuit. 8. Finitimos reges ad belli societatem sollicitat. 9. Philippo de induciis coeundis scribenti respondet Pontifex. 10. Ut Belgæ ad officium redeant instat. 11. Comes Hanoniæ Cameracensi episcopo conciliatus. 12-15. Philippus fœdus cum Ludovico Bavaro inconsulta Sede Apostolica iniens, pro ejus cum Ecclesia reconciliatione agit; cui papa respondet, fœdus illud exprobrans. 16, 17. Ut episcopus Pragensis Joannis Boemiæ regis filium diademate insignire possit, concedit papa. 18. Ducis Brabantiæ ad Pontificem legatio. 19 28. De Mediolanensium cum Ecclesia reconciliatione documentum. 29-33. Joannis Novarensis episcopi et Luchini Vicecomitum Mediolanensium, pollicitationes factæ Sedi Apostolicæ. 34. Lucani, Pisani et Tolentini disceptant. 35, 36. Roberto Trinacriam repetenti Genuenses conciliare nititur Pontifex. 37, 38. De censu Ecclesiæ a Roberto et Aragonio soluto syngrapha Benedicti. 39 41. De Pomeraniæ controversia litteræ Benedicti ad Casimirum Poloniæ regem. 42, 43. Episcopus Cracoviensis Ecclesiæ suæ jura confirmari postulat. 44. Ad tollendas in Cypro dissensiones incumbit Pontifex. 45-47. De hæresibus in Armenia pullulantibus fuse Leoni regi queritur, eumque cum præsulibus ad errores abolendos sollicitat. 48-70. Describuntur centum sexdecim errores ibidem grassantes, censura Pontificia

notati. 71, 72. Monachi Græci fœda hæresi infecti; ejus confutatio. 73-80. Barlaami libellus quo Græcos ad unionem cum Romana Ecclesia hortatur, quatuor signis hanc Ecclesiam veram demonstrans. 81-83. Andronico mortuo succedit Joannes Palæologus. Catalani in Ecclesiæ gremium redire flagitant. 84. Bonifacii VIII adversus Fraticellos Diploma.

MCCCXLII. 1-5. Extrema Benedicti Apostolica gesta. 6-8. Ei mortuo succedit Clemens VI, qui de susceptis gubernaculis dat litteras ad reges et principes. 9-14. Per legatos Gallos Anglis Belgisque conciliare nititur. 15. Dat monita Eduardo de libertate Ecclesiæ labefactata in Anglia. 16-19. Italiæ factionibus laceratæ misso internuntio mederi conatur Pontifex. 20, 21. Romani flagitant per oratores ut Clemens in Urbem redeat. 22. Pontificis excusatio de rebus Italicis. 23. Petrus Trinacriæ usurpator moritur. Roberti regis insigne pietatis specimen. 24. Hispanorum victoria de Marrochitanis. 25, 26. Pro conciliandis regibus Balearium et Aragonensium Pontificis studia. 27. Prussia a Lituanis vastata. 28. Carolo Ungariæ regi succedit Ludovicus filius. 29. Cardinales a Clemente creati.

MCCCXLIII. 1-6. In Turcas sacram expeditionem indicit Clemens. 7, 8. Venetorum duci belli partem suscipienti Apostolicæ litteræ. 9, 10. In sacri belli societatem vocatur rex Cyprius et princeps Achaiæ; decimæ ad ejusdem sumptus conceduntur. 11-19. De instauranda Ecclesiarum unione ad Græcorum imperatorem Alexium Megaducam, et eorum proceres, laicos Ecclesiasticosque, Pontificis litteræ. 20. Armenia a Soldano invasa. 21, 22. Religio apud Tartaros amplificata. 23. Genuenses cum Cypriis pacificare studet Pontifex. 24. Inter Gallos Anglosque bellum atrox. Initæ induciæ. 25-28. Reges Aragonium et Balearem ad pacem sollicitat Clemens. 29-35. Balearicum regnum adjunctum Aragonio. 36. Castellæ rex bello Maurico implicitus. 37. De Philippi regis Navarræ morte condolet papa. 38-40. Sacro bello in Lithuanos instante Poloni a cruciferis dissentiunt. 41. Magno regi Sueciæ monita a Pontifice. 42-59. Clementis in Ludovicum Bavarum edicta, quæ promulgare jubentur præsules. 60. Ludovicus præ se fert se redire velle ad Ecclesiam. 61-69. Henricus archiepiscopus Maguntinus Ludovicô adhærens ad curiam evocatur; Trevirensis præsul redit ad Pontificis obsequium. 70, 71. In Robertum Siciliæ regem, elogium. 72. Novæ in regno Neapolitano conversiones. 73, 74. Dyrrachii ducis infaustæ nuptiæ. 75-82. Edicitur, rege Siciliæ minore, procurationem regni ad Pontificem spectare. 83. Ecclesiasticarum dignitatum collationem Sedi Apostolicæ reservat Pontifex. 84, 85. Describitur horrida in portu Neapolitano tempestas. 86. Gualterus dux Florentiæ pulsus. 87. Pontificiæ ad Luchinum litteræ. 88, 89. Pœnæ in quosdam episcopos negligentiores. 90, 91. Plura ab Eduardo Anglico contra jus Ecclesiæ pertentata. 92. Dies S. Martialis Aquitaniæ apostoli duplici festo recoli jussus.

MCCCXLIV. 1, 2. In Turcas sacra expeditio indicitur. 3-6. De recuperata per crucesignatos Smyrna Pontifex reges Christianos certiores reddit, Anglum ad bellum sacrum sollicitat. 7. Ad Armeniæ regem Guidonem Pontificis monita. 8. De Fraticellorum in Oriente malitiis: Apostolicæ ad Armeniæ clerum litteræ. 9. Neophyti hæretici in Sicilia. 10-13. Clemens agit de conciliando Bavaro, qui ad Pontificem et cardinalium collegium dat litteras. 14. Franciscus Asculanus minorita et Bavari fautor pœnitens. 15, 16. Clemens ob interregnum Italiæ administrator; Andream regio nomine quoad Sicilaim donat. 17-30. Clientelaris sponsio a regina Neapolitana Joanna præstita. 31, 32. Monita Joannæ a cardinale legato tradenda. 33-36. Legatus missus in Aragoniam. 37, 38. Petrum Aragonium inflexibilem ad clementiam sollicitat Pontifex. 39-47. Ad Ludovicum Insularum Fortunatarum principem Ecclesiæ vectigalem Clementis litteræ, ad quas princeps obediens respondet. 48-50. De his insulis queritur rex Castellæ Pontifici, Lusitaniæ rex Alfonsus jus in easdem disceptat. 51, 52. Algezira parta de Mauris; propterea regi Castellano gratulatur Pontifex. 53. In bello contra Mauritaniæ tyrannum, Alfonso Portugallæ conceduntur subsidiariæ decimæ. 54. Regem Castellæ monet adversus juris Ecclesiastici oppressores. 55-58. Ad Eduardum contra jus Pontificium machinantem gravissimæ Pontificis litteræ. 59. In Angliam internuntii. 60. Clemens Davidi regi Scotiæ, ut oratores mittat. 61. Queritur Eduardus inducias a Philippo violatas. 62. Pontificis litteræ ad Joannem Philippi regis primogenitum. 63. Indulgentiæ fidelibus Ecclesiam Urbevetanam visitantibus ob insigne Eucharistiæ miraculum concessæ. 64, 65. Pragensis Ecclesia evecta ad sedem archiepiscopalem; archiepiscopus sacrandi regem Boemiæ jure insignitus. 66. Singulares pugnæ vetitæ in Ungaria. 67. Tartarorum irruptio in Russiam. 68. Cardinales creantur.

MCCCXLV. 1, 2. De Smyrna obsessa, et de clade ibi accepta ad Eduardum Pontificiæ litteræ. 3, 4. Philippum ne ab expeditione in Turcas desisterit litteris monet Clemens. 5-8. Ducibus exercitus crucesignati, præprimis Imberto delphino Viennensi Pontificis litteræ. 9, 10. Eduardus ut in Turcas arma vertat sollicitatur a Pontifice. 11. De malis instaurato bello Anglico illatis. 12. Ob libertatem Ecclesiæ labefactatam, Eduardus monitus. 13. Item Petrus Aragonius, ut cum

Jacobo Balearium rege clementer agat. 14. Internuntius pro pace inter Boemiæ et Poloniæ reges. 15. Poloni cum hostibus iniqua fœdera. 16. Belli inter Boemos et Polonos causæ. 17, 18. Bellum inter Venetos et regem Ungariæ, in quo fœdus interdicit Pontifex cum Ludovico Bavaro, qui crimina expiare detrectat. 19-21. Bertholdo episcopo Argentinensi veniam poscenti, responsum Pontificis. 22. In Italia seditiones et motus. 23-25. Joanna Siciliæ regina monetur a Pontifice ut viro se conciliet. 26-31. De Andreæ Ungariæ regis crudeli nece. 32. Eucharistiæ miraculum Amstelodami. 33. Pro concilianda divina ope publicæ preces indictæ. 34. Christiani in insula Syriæ capti a Saracenis.

MCCCXLVI. 1.2. Bavarum anathemate damnatum promulgari jubet Clemens, scribens de ejus fraudibus Alberto duci Austriæ, et Francorum regi Philippo. 3-8. De ejusdem causa documentum. 9-11. Electores novum Cæsarem creare jubentur. 12-17. Sacremanta Ludovico præstita rescinduntur, Balduino Moguntino archiepiscopatu dejecto sufficitur Gerlacus. 18. Controversia Boemum inter et Polonum reges ad Pontificem delata. 19-27. Sponsionis a Carolo Boemo Pontifici factæ, a patre Joanne rege confirmatæ et amplificatæ documentum. 28, 29. Ludovico Bavaro indicitur bellum a rege Boemo. 30-37. De necessitate creandi novum Cæsarem Pontificis monita; Carolo Boemorum rege in Cæsarem electo, gratulatur Clemens, Diplomate ejus electionem confirmans. 38. Belli Leodiensis exordia. 39-41. Galliæ et Angliæ reges ad pacem hortatur Pontifex, missis nuntiis; ab Anglo consilia spernuntur. 42, 43. De Gallorum cladibus, deque cæso in prœlio Boemiæ rege. 44-51. Ad turbas Neapolitanas componendas, internuntium mittit Pontifex ferens ultricem sententiam in Andreæ regis interfectores. 52. Joanna in crimen vocata a Ludovico Ungariæ rege. 53-56. Ad Ungarorum regem scribens Pontifex, ei regni Siculi donationem negat. 57, 58. Responsum Pontificis de Joanna Neapolitana Elisabethæ Ungariæ reginæ datum. 59, 60. In Insubriam Italiamque mittuntur legati ad pacem restituendam. 61, 62. Alfonso Castellæ regi fidei propagatori decimas ad bellum contra Marochitanos concedit Pontifex. 63. In Septentrione bella. 64, 65. Contra Cantacuzenum instruitur exercitus Christianus. 66, 67. Turcis inducias petentibus assentitur Pontifex. 68, 69 Internuntiis Romanæ Ecclesiæ canones in Armeniam deferendos tradit. 70. Archiepiscopo Soltaniensi provinciam dat inquirere in archiepiscopi Seleuciensis impia dogmata. 71. Venturini Bergomatis pia mors. 72-81. Posoniensis Concilii canones instaurati.

MCCCXLVII. 1-7. De sponsionibus a Carolo Romanorum rege Pontifici factis publica documenta. 8-10. Ludovici Bavari repentina morte Caroli auctoritas confirmata. 11. De instituta Pragæ Academia Pontificium Diploma. 12. De Neapolitanis tumultibus. 13-20. Nicolaus Laurentius pseudotribunus insignis impostor: Pontificis contra eumdem mandata, et ad Romanos litteræ hortatoriæ. 21. In Nicolaum Laurentium conjuratio conflata. 22. Belli inter Genuenses et Venetos exordia. 23. Clementis ad Eduardum Anglum bello Gallico abducendum studia. 24. Anglus et Gallus in Ecclesiasticos inimici. 25, 26. Cantacuzenus cum Palæologo imperium partitur. Constantinopolitanæ pseudosynodi impia doctrina. 27. Cantacuzenus Turcis conjunctissimus. 28, 29. Armeni vexati a Soldano implorant auxilia. 30. Rasciæ regi unionem cum Ecclesia expetenti gratulatur Pontifex. 31. Eucharistiæ veritas Cracoviæ in Polonia insigni prodigio illustrata. 32, 33. Ivo sanctorum Catalogo adscriptus. 34-39. Ritus servari soliti in tribuendis sanctorum honoribus. 40. S. Ivonis translatio.

MCCCXLVIII. 1-10. Ludovico Ungariæ regi, sua in regno Neapolitano gesta excusanti Pontifex respondet scribens Bertrando cardinali, Apostolico legato. 11, 12. Ludovico in Ungariam recesso, Joanna e carcere emissa, nubit Ludovico principi Tarentino, Neapolimque repetit. 13. In Nicolaum Laurentium turbas molientem judicio agitur. 14. Clementis ad Alfonsum Castellæ de jure Ecclesiastico disceptantem responsum. 15. Caroli imperatoris auctoritas in Germania aucta. 16-20. Henricus archiepiscopus Moguntinus postulatur judicio. 21. De pseudominoritis Ecclesiæ infectis Pontificiæ querelæ. 22. Caroli imperatoris in Bavaros expeditio. 23 Cruciferorum in Lithuaniam expeditio. 24. Suecorum exercitus contra Russos. 25, 26. Ad Cantacuzenum legati decreti. 27, 28. Cretensi archiepiscopo de parta victoria gratulatur Pontifex. 29. Clementis de Syria liberanda studia. 30-32. Pestilentia in Occidente. 33 Circa Judæos Pontificis decreta paterna. 34. De horum temporum calamitatibus. 35. B. Bernardi Senensis ex Ordine Olivetanorum mors. 36. Petrus Rogerius creatus cardinalis.

MCCCXLIX. 1-6. De regno Neapolitano cladibus attrito papæ studia et decreta. 16. Clementis pro conciliandis Venetis Liguribusque curæ. 11. De jubilei anno quinquagesimo Pontificium Diploma, 12-14. Graves in Germania turbæ. 15-17. Bavarici schismatici ad Eclesiæ obsequium redeunt. 18-22. Flagellantium pia exordia, defectio et damnatio. 23-25. Cruciferi in Lithuania victores; Pontificis ad Lithuanos et ad Casimirum Poloniæ regem de conversione Lithuanorum litteræ. 26. Clementis pro concilianda inter Gallos Anglosque pace internuntii. 27, 28. Redintegratum

in Mauros sacrum bellum. Alfonsus rex peste obit. 29. Pontificis ad regem Cyprium, de impiis Soldani consiliis litteræ. 30. Induciæ a Turcis postulatæ. 31. Funestæ ex bello Anglo-Gallico sequelæ.

MCCCL. 1, 2. Multitudo ad limina Apostolorum concurrentium. 3. Piorum liberalitas in sacra stipe Ecclesiis conferenda. 4-6. Cardinalis in Urbe legatus petitus insidiis; ob Nicolaum Laurentium in vincula conjectum Clemens Carolo regi grates agit. 7-12. Archiepiscopus Mediolanensis Bononiam affectans cum Pepulis judicio postulatus a Pontifice. 13. Mantuani ad Ecclesiæ obsequium reversi. Concilium Patavii celebratum. 14, 15. Reliquiarum B. Antonii Ulyssipponensis translatio. 16-21. Patriarchæ Aquileiensis cæsi vita illustris. 22-25. De Beneventanæ provinciæ finibus Pontificium Diploma. 26, 27. Ludovicus Ungarus motus concitat in regno Neapolitano. 28-32. Pontifex per legatos ad Romanæ Ecclesiæ obsequium Græcos revocare studet. 33-36. Armorum fœdus in Turcos redintegratum; Pontificis hac de re curæ. 37, 38. Errores apud Armenos sparsos exscindendos curat Clemens. 39, 40. Regi Francorum Philippo mortuo succedit filius Joannes ad quem Pontificis consolatoriæ litteræ. 41-44. Alfonsus Castellæ rex lue ad Heracleam correptus obit; reginam et filium Petrum successorem consolatur papa. 45, 46 Regem Aragonium juris Ecclesiastici læsorem Clemens litteris monet. 47. Cardinalium creatio. 48. Ægidio pileus rubeus transmissus.

MCCCLI. 1-19. Ad exstinguendum Armenorum errores, Clemens eorum patriarchæ fidei Romanæ capita per litteras transmittit; regem ad unionem instaurandam hortatur. 20, 21. In convertendis schismaticis in Servia, Macedonia et Dalmatia Pontificis opera. 22-24. Venetos ac Genuenses dissentientes ad pacem hortantur Petrarcha et Pontifex, at incassum. 25. Christiani in Oriente oppressi. 26. Aragoniæ rex de violatis juribus Ecclesiasticis veniam poscit. 27, 28. In Joannem archiepiscopum Mediolanensem in Pepulosque Lombardiæ actio judiciaria instauratur a Pontifice. 29. Scaligero mortuo succedunt ejus filii. De rebus in Etruria gestis. 30. Carolo de juribus in Italiam recuperandis meditanti Pontifex respondit. 31, 32. Metuentes Carolum vicecomites Mediolanenses pacem expetunt. 33, 34. Poloni et Ungari contra Tartaros. 35, 36. Pestis in Germania et prœlia. 37. In Galliis adversus hæreticos instituta tribunalia. 38, 39. Clemens gravi morbo tentatus, legem Gregorii X de conclavi temperat. 40. De B. Conradi Placentini mirifica morte.

MCCCLII. 1-5. De pace in regno Neapolitano stabilita, deque Ludovico Tarentino coronando Clementis litteræ. 6. Ludovico Ungariæ regi de Tartaris victori, ut provincias ab infidelibus ereptas suo regno adjiceret annuit Clemens. 7-10. Mediolanensi archiepiscopo gratiam Ecclesiæ flagitanti, pactiones proponit papa. 11. In Joannem e Vico, provinciarum invasorem et consortes anathema. 12, 13. Venetos et Genuenses conciliare, Aragonum regem ad concordiam cum iisdem fovendam incitare adnititur Pontifex. 14, 15. Obsessa a Turcis et Genuensibus Constantinopoli, pro pace desudat Pontifex. 16. Compostellanæ Ecclesiæ jura tuetur. 17-19. In Anglorum regem pœnitentem Pontificis benignitas. 20. Valdensis hæresis Ebreduni repullulat. 21-24. Clementis obitus gesta et virtutes. 25, 26. Cardinalium in conclavi conspiratio. 27-31. Innocentii VI creati Pontificis Encyclicæ litteræ.

MCCCLIII. 1-3. Italiæ a tyrannis laniatæ mederi conatur Innocentius. 4, 5. Romanos officii monet 6-8. Ad Joannam Siciliæ reginam Apostolicæ litteræ. 9. Petrus Aragoniæ rex officii monitus per legatos Pontifici respondet. 10, 11. Genuenses Ungariæ regem in Venetos concitant; Pontifex pacis studiosus. 12. Genuenses clade affecti Joanni archiepiscopo Mediolanensi se subjiciunt. 13, 14. Venetos ad pacem sollicitat Innocentius. 15. Eamdem commendat Gallis Anglisque, qui mittunt oratores. 16. Petrus Castellæ rex in vitia præceps. Moguntinus archiepiscopus subitanea morte sublatus. 17. Pontifex Carolo Romanorum regi gratulanti respondet. 18. Barbarorum excursiones in Poloniam. 19. Pro sacro in Turcas bello decimæ indictæ. 20, 21. Philadelphis ad Sedem Apostolicam recurrentibus Pontificis litteræ. 22-24. Cantacuzeno auxilia postulanti Innocentius respondet favorabiliter. 25. De restituenda apud Armenos fide Pontificis curæ. 26-28. De Begardis in Germania hæreticis scribit ad præsules Pontifex. 29, 30. Pactiones a cardinalibus in conclavi conflatæ rescinduntur. 31, 32. Quædam Pontificiæ sanctiones.

MCCCLIV. 1-4. De rebus Italicis; Nicolai Laurentii funesta mors. 5. De divæ Otiliæ in Germania reliquiis. 6-8. Carolo postulanti, ut per legatos Pontificios coronaretur, Innocentius respondet. 9, 10. De tribus coronis Cæsareis litteræ Pontificis. 11. Joannis archiepiscopi Mediolanensis mors. 12, 13. Petrarchæ oratori pro pace inter Venetos ac Genuenses respondet Venetorum dux Dandalus. 14. Aragoniæ regi Sardos subjicienti, scribit papa. 15 De regno Neapolitano. 16, 17. Albertum Bavariæ ducem, Ecclesiæ gratiam exoptantem conciliari jubet Pontifex rite

in Diplomate exposito. 18. Lanceæ, clavo et parti Crucis festus dies assignatus. 19. Pax inter Gallos et Anglos agitata; dissidia inter Gallum et Navarrum reges. 20-22. Castellæ regem vitiis deditum monet papa binis litteris. 23, 24. Abdalum Clarorum-Montium in confiniis Turchiæ regem, fidem suscipere molientem, Pontificis litteræ. 25. Crucesignati adversus Lithuanos. 26-29. Stephano Rasciæ regi unitatem cum Romana Ecclesia anhelanti Innocentius respondet et gratulatur. 30. Turcæ Græcis cladem inferunt. 31. In Fraticellos Orientem impie inficientes pœnæ.

MCCCLV. 1-18. Carolus corona ferrea Mediolani redimitus lustrat Urbis Ecclesias, scribit Innocentio, referens litteras Pontificias; de coronationis ritibus, deque pactionibus juratis. 19-21. Carolo in Germaniam reverso, Pontifici auxilia pro recuperanda ditione sua pollicenti, Innocentius gratias refert, eumque de inimicis monet. 22. Joanna et Ludovicus in Sicilia regnantes, postulantur judicio ab Innocentio. 23, 24. Petrus Aragonius oratores mittit ad Pontifiem. 25. Ducis Veneti in Patritios conjuratio. Italiæ servilis status. 26, 27. Gravis belli Anglos inter et Gallos causæ. 28. Hæreses in Anglia. 29-31. Regi Castellæ vitam castam inculcat, eidemque de pace sibi referenti respondet Innocentius. 32-37. Palæologus restitutus in imperio Constantinopolitano fœdus cum Romana Ecclesia paciscitur. 38. Rhodios ut in Turciam vires sedemque transferant litteris hortatur Pontifex.

SUMMARIUM

TOMI XXVI.

MCCCLVI. 1. Decreti cardinales duo ad Anglum Gallumque conciliandos. 2-6. Litteris hortatoriis ad pacem utrumque regem sollicitat Pontifex, et Gallum ab expilandis subditis deterret. 7. Regis Angli in Gallum pugna et victoria. 8, 9. Pontificis litteræ ad Anglum victorem moderationem suadentis. 10, 11. Pontificis dolor de Joannis regis captivitate. 12, 13. Conventus Metis habitus ab imperatore, et leges ibi sancitæ. 14-23. Comitia Nurembergæ habita, ubi de electione regis Romanorum statutæ leges et electorum jura definita. 24-28. Sacra expeditio in Rascios hæreticos et schismaticos, duce rege Hungariæ, qui signifer Romanæ Ecclesiæ creatur. 29. Regem Hungariæ cum Venetis componit Pontifex. 30. Ludovicus Ungarus excitatus in tyrannos Italiæ, quam factiones dilacerant. 31. Contentio de sanctis reliquiis inter Venetos et Aquileienses. 32-35. Ob conjunctionem Græcæ Ecclesiæ acta et legatio ad Palæologum Græcorum imperatorem. 36. In Turcas Græcis infestos comparata classis. 37. De Genuensibus Aragonio conciliandis et de Aragoniæ et Castellæ regibus inter se componendis actum. 38-40. Petrum regem Castellæ deterret Pontifex ab adulterio et a direptione bonorum Ecclesiæ. 41. Creatio cardinalium. 42. Studium Pontificis erga Carthusianos.

MCCCLVII. 1, 2. De pace actum inter Anglum et Gallum per legatos cardinales. 3, 4. Gallorum intestina bella, et irruptiones in Provinciam. 5. Ludovicus marchio Brandeburgensis in gratiam Ecclesiæ receptus. 6. Cæsenæ expugnatio et Ordelaffi tyranni immanitas. 7. Ungari contra Venetos drogressus. 8-10. Varia bellorum discrimina, in quibus impliciti Ludovicus Siciliæ rex, et Aragonius et Castellanus. 11. Alfonsi regis Lusitaniæ obitus, cui succedit Petrus filius. 12. Districtæ leges in Fraticellos. 13. Pia lex de ægrotis lata.

MCCCLVIII. 1. Res Venetorum, Insubriæ, Etruriæ et Siciliæ ad pacem versæ. 2. Duo cardinales ad sedandas turbas legati in Gallias. 3. Pax inter Anglum et Gallum firmata et rupta. 4. Scotiæ rex libertati restitutus. 5, 6. Lis mota contra mendicantes a clero Anglicano. 7. Thomas Ungarus martyr, et S. Gertrudis pia mors.

MCCCLIX. 1. Regis Angli in Galliam conatus et virorum principum religiosam vitam profitentium virtus. 2. Legatus cardinalis in Hispaniam ad conciliandam pacem, et regem Castellæ ab adulterio revocandum. 3. Instaurata Terraconensis Ecclesiæ privilegia. 4, 5. Ludovicum regem Siciliæ pie monet Pontifex, et contra grassantes turmas tuetur. 6. Forumlivium ex Ordelaffi tyrannide liberatum. 7-10. Ludovicus Brandeburgensis ad Ecclesiæ obsequium reversus. 11. Carolum imperatorem ab Apostolicæ Sedis juribus invadendis dehortatur Pontifex. 12. Ecclesiasticæ disciplinæ restituendæ opera data. 13. Insigne Caroli imperatoris edictum ad tuendum jus

Ecclesiasticum. 14. Variæ restitutiones jurium ereptorum. 15-18. Victoriæ Ungarorum in Rascios et Venetorum in Turcas; in quos invalescentes et in hæreticos B. Petrus Thomas legatus Pontificius mittitur, laboribus et virtutibus clarus.

MCCCLX. 1-3. Pax conciliata inter Anglum et Gallum, de qua litteræ gratulatoriæ Pontificis. 4, 5. Saluberrima Pontificis monita ad Galliæ regem. 6-10. Conatus de recuperanda, ope Ludovici Ungari, Benonia, frustra obnitente Bernabone tyranno. 11. Composita inter Aragonem et Ligurem de Corsica lis. 12. Lithuania a fidelibus domita. 13, 14. In Cypro Hugoni patri succedit Petrus. 15, 16. Controversia de regni Cypri successione. 17. Pontificia liberalitas erga Joannem de Brenna.

MCCCLXI. 1. Bononiensis oppugnatio, furente Bernabone. 2. Wenceslai ortus. 3, 4. Incendia et pestis. 5. Prædonum grassationes. 6. Regina Castellæ a viro necata. 7. Joannes rex Anglico carcere liberatus. 8-10. Infelices Turcarum et prosperi Catholicorum eventus, mira operante B. Petro Thoma.

MCCCLXII. 1. In Bernabonem Vicecomitem Ecclesiæ hostem arma sumpta, sententia lata. 2. Pontifici se subjiciunt Romani; Ludovicus rex Siciliæ et Innocentius papa moriuntur. 3. Innocentii papæ res gestæ. 4. Cardinalium litteræ ad Ægidium cardinalem de morte Innocentii. 5. Orta lis an cardinalis, cui nondum os apertum, collaturus sit suffragium. 6, 7. Urbani V papæ electio. 8, 9. Litteræ Pontificiæ ad episcopos et principes de sua electione. 10, 11. Joanna regina vidua nubit Jacobo Baleari. 12, 13. Bernabos Ecclesiæ gratiam dolose flagitans judiciariis actis percellitur. 14-16. Ludovicus Brandeburgensis et cæteri Bavari ad Ecclesiæ gremium reversi. 17. Rex Cypri in Occidentem venit pro expeditione in Saracenos. 18. Bellum Granatense. 19. Guillelmus Bragose presbyter cardinalis.

MCCCLXIII. 1. Urbani curæ ad reprimendos Italicos tyrannos. 2-5. Inflicta in Bernabonem anathematis sententia et cruciata indicta. 6. Bernabos ad concordiam vocatus, et cæteri Italiæ principes conciliati. 7. Epidemiæ grassatio. 8. Joanna regina Siciliæ censuris soluta et Jacobus Balearis monitus. 9, 10. Inter Aragonios, Genuenses et Castellæ regem orta dissidia. 11. Jacta inter Cæsarem et Ungarum belli semina. 12. Casimiri regis Poloniæ vesania. 13. Lincopensis episcopus ad Sedem Apostolicam a rege Sueciæ accusatus. 14-25. Indicta in Turcas expeditio, cui præficiuntur primo Gallus, deinde rex Cyprius, comparatis ad id necessariis, et sollicitatis imperatore et cæteris principibus et populis. 26. B. Delphinæ miracula. 27. Ugo cardinalis censor fidei creatus.

MCCCLXIV. 1-5. Bernabos adactus ad fœdus ineundum, facta restitutione Romanæ Ecclesiæ et sancitis pactis. 6. B. Petri Thomæ in conciliandis animis virtus et labores. 7. Bellum inter Florentinos et Pisanos, et inde fœdus. 8, 9. Cretenses a Venetis rebellantes ad officium rediguntur. 10, 11. Inter imperatorem et Ungarum fœdus initum in regum conventu Cracoviensi. 12. Aliæ turbæ in Germania Pontificis studio sedatæ. 13. Academiæ Viennensis et Cracoviensis. 14. Regno et regi Daniæ collata munera. 15. De Burgundia inter Francum et Navarrum certatum. 16, 17. Obitus Joannis regis Franciæ, cui succedit filius Carolus. 18. Exorta bella inter Navarræ, Galliæ et Castellæ reges compescere nititur Urbanus. 19-22. Sacerdotales census occupati, et Sardicum vectigal intermissum ab Aragonio. 23. Disciplinæ instaurandæ optima statuta. 24, 25. Expeditio in Turcas parata, legato ad id B. Petro Thoma. 26. Turcarum excursiones in Græciam. 27. Græci schismatici ad unitatem vocati.

MCCCLXV. 1, 2. Cæsar Avenione Urbanum adit, et rei Christianæ et expeditioni in Saracenos consulunt. 3-7. Turmarum vagarum grassationes in Gallia, in Italia et in Hispania reprimere studet Pontifex, easque in Turcas immittere. 8. Petrarcha excitat Pontificem ad reditum Romam. 9, 10. Rogatus Pontifex de reditu in Urbem, mittit Ægidium cardinalem legatum in Siciliam. 11, 12. Aragonius ad clientelarem sponsionem pro Sardinia exhibendam adactus. 13. Angliæ et Hiberniæ census repetitus. 14. Petrus rex Castellæ de crudelitate corripitur. 15. Increpitus rex Poloniæ de adulteriis. 16. Provinciales Synodi indictæ, et disciplina Ecclesiastica restituta. 17. Adversus Beguardos distringi leges jussæ. 18. Rex Cypri, pace composita cum Genuensibus, ad Turcicam expeditionem proficiscitur. 19-21. Rege Cyprio duce, et B. Petro legato, Alexandria capta et inde relicta. 22. Turcis in dies invalescentibus. Græci ad conjunctionem Ecclesiæ provocati. 23. Quæ comparata auxilia.

MCCCLXVI. 1, 2. Palæologus imperator ad Ecclesiæ Romanæ gremium invitatus. 3. Retardatus Ungarus a Turcica expeditione. 4-8. Palæologus spondet cum suis schismatis abjurationem, ad quem

fidei et sacramenti formulæ missæ. 9, 10. Legati ad id missi, et litteræ Apostolicæ. 11. Bulgaria ab Ungaro domita et Christianæ fidei reddita. 12. Veneti et Genuenses in proposito belli sacri confirmantur. 13-15. Saraceni vastant Armeniam, Cypro ac Rhodo minas intentant, in quos proinde Pontifex excitat auxilia. 16. Commercia cum Saracenis interdicta. 17, 18. B. Petri Thomæ obitus. 19-21. Fœderatæ latronum turmæ ubique grassantur, in quas Pontificia studia exeruntur. 22-25. Urbanum Romam redire meditantem Petrarcha luculenta oratione exstimulat. 26, 27. Papæ reditum in Urbem significanti populi et principes gratulantur et præsto sunt. 28. Galeatius Pedemontium occupat. 29. Polonorum in Lithuaniam expeditio. 30. Internuntius in Hispaniam missus ad conciliandos reges Aragoniæ et Castellæ. 31, 32. Petrus Castellæ rex victus et regno pulsus. 33. Cardinales creati.

MCCCLXVII. 1. Urbanus Montempessulanum adit. 2-5. Urbanus Avenione discedens Massiliam petit, Genuam ac Viterbium. 6. Petrarchæ ad Urbanum panegyrica oratio. 7-10. De reditu Græcorum ad Ecclesiæ unitatem sollicitus Urbanus, ad episcopos, principes et proceres schismaticos dat litteras, parante imperatore Palæologo suum in Urbem adventum. 11. De Cantacuzeni erroribus disquisitio. 12. Catharenses Catholici oppressi a schismaticis. 13. Petrum Cypri regem de adulterio corripit Urbanus. 14. Ægidii cardinalis obitus et laudes. 15. Guillelmus episcopus Sabinensis legatus in Siciliam missus. 16. Fœdus inter Pontificem, imperatorem et Ungarum aliosque principes. 17. Petrus regnum Castellæ recuperat, obnitente Henrico comite Gallorum. 18. Petri regis Lusitaniæ mors et virtutes. 19. Præsules ad Ecclesias redire jussi.

MCCCLXVIII. 1-3. In Bernabonem sceleribus insignem et Ecclesiæ hostem excitata imperatoris potentia. 4-7. Carolus imperator venturus in Italiam, Romanæ Ecclesiæ jura Diplomate confirmat. 8. Caroli imperatoris in Italiam et Romam adventus, fœdera facta, imperatricis coronatio. 9. Capocii cardinalis virtutibus clari obitus et creatio cardinalium. 10. Regina Siciliæ et Cypri rex Urbanum adeunt. 11, 12. Vetitus cultus temerarie datus nonnullis defunctis viris sanctitate florentibus. 13, 14. Capita SS. Apostolorum Petri et Pauli accurate servata cum aliis SS. reliquiis. 15. S. Thomæ Aquinatis corpus Tolosam translatum. 16, 17. Censores fidei contra Fraticellos, quorum ante-signanus Dionysius errores revocat. 18. Ludovicus Ungarus pro fidei propagatione laborat. 19. Nonnulli Albaniæ principes Ecclesiæ se aggregant. 20. Græculi in Candia schisma confirmant.

MCCCLXIX. 1-3. Palæologus imperator Græcorum Romam venit fidemque Catholicam profitetur. 4, 5. De ea re Encyclicæ litteræ Pontificis. 6. De vagis turmis in Turcas traducendis actum. 7. Regis Cypri cædes. 8, 9. Concitatæ a Bernabone turbæ, ad quas compescendas Ungarus operam Pontifici defert. 10. Polonia a Tartaris vastata. 11. Petrus rex Castellæ profligatus et cæsus, unde exortum bellum inter Angliam et Galliam. 12, 13. Bosniam et Dalmatiam contra hæreticos tuetur Pontifex. 14. Minoritæ ad gentes missi. 15. Vetitum Constitutione Pontificia ne quid exigatur ab ingredientibus Ordines religiosos. 16. Privilegia data Basilicæ Vaticanæ.

MCCCLXX. 1-3. Publicæ litteræ de Palæologi conversione et Pontificis Epistola hortatoria ad Græcos schismaticos. 4. Palæologus reversurus in Græciam privilegiis ornatur. 5. Walachiæ et Bulgariæ reginæ conversæ. 6 8. Princeps Walachus in schismate hæret, et Moldavus ad Romanam Ecclesiam traductus. 9-12. Episcopum et Minoritas mittit Pontifex ad Tartaros, quos et litteris ad fidem allicit. 13. Cypro laboranti contra Turcas præsto est Urbanus. 14. Perusini et alii Etruriæ populi rebellantes domiti. 15, 16. Cassinensi monasterio privilegia vindicata et observantia regularis indicta. 17, 18. In Hispania de regno certamina et Maurorum incursiones. 19, 20. Consilium Pontificis de redeundo Avenionem quomodo ortum et acceptum. 21. Cardinalium creatio, et de suffraganeis episcopis Diploma. 22-24. Urbani cæteræ res gestæ, laudes, obitus et sanctitas. 25. Cardinalium litteræ ad ejus fratrem Anglicum. 26, 27. Gregorii XI electio, dotes et litteræ datæ de sua exaltatione. 28. Regum Scotiæ et Poloniæ obitus.

MCCCLXXI. 1-3. Bellum inter Anglos et Gallos, quod compescere nititur Gregorius, 4, 5. Dissidia inter reges Castellæ, Lusitaniæ et Navarræ composita ; Sardinia et Corsica Sedi Apostolicæ adjudicatæ. 6. Diversi reges moniti. 7. De pace Etruriæ sollicitus Gregorius. 8. Turcicis grassationibus ingravescentibus, Gregorius ad arma excitat Christianos. 9. Rhodiorum equitum magister administrandæ Cypro præfectus. 10. Cardinales creati, et errores circa Eucharistiam damnat.

MCCCLXXII. 1, 2. In Bernabonem tyrannum nova judiciaria actio indicta, et arma excitata. 3. Ferrariensis præfectura Atestinis ad vitam concessa. 4. Exactum a regibus vectigalibus Sedis Apostolicæ juramentum et in primis a Joanna regina Siciliæ. 5-24. Pax inter Joannam Neap. et Trinacriam inita, et confirmata a Pontifice, datis de fœdere Diplomatibus. 25. Liberatus Trinacrius

onere adeundæ Sedis Apostolicæ. 26. Consilia Anglos et Gallos componendi agitata. 27. Aragonum leges immunitati Ecclesiasticæ adversæ emendantur. 28, 29. Formidandi Turcarum progressus, in quos Gregorius excitat Ungarum, Palæologum cæterosque principes, indicto Thebis conventu. 30. Armenia evastata a Turcis. 31. In Cypro inter Genuenses et Venetos ortum dissidium, belli semen. 32. Minoritæ ad Tartariam aliasque gentes missi. 33 35. Hæreses et hæretici : Albertus episcopus, Begardi, Beghinæ, Waldenses, Tolosani, Raymundus Lullus. 36. Fraticelli suos obtrudunt ut sanctos.

MCCCLXXIII. 1, 2. Imperatoris Constantinopolitani ad Pontificem legatio contra Turcarum progressus. 3-7. Turcis Ungariæ minitantibus, expeditio in illos indicta, et sollicitati reges et imperator. 8. Genuensium in Cyprum expeditio. 9. Smyrnæ custodia Rhodiis equitibus tradita. 10-12. Judiciaria acta in Bernabonem. 13. Bernabonis copiæ profligatæ. 14. Vexata peste Italia. 15. Ecclesia S. Mariæ Majoris anno jubilæi lustrari jussa. 16. Lithuanos principes ad fidem allicere nititur Gregorius. 17. Studia nonnullorum in Saracenis ad fidem convertendis. 18. Schismaticorum fraudes in Creta repressæ. 19-21. Waldenses, Turlupini, aliique hæretici damnati et repressi. 22. Anglis Gallisque conciliandis navata opera. 23, 24. Bellum inter reges Castellæ, Lusitaniæ, Navarræ et Aragoniæ compositum opera Guidonis cardinalis. 25, 26. Felix S. Birgittæ obitus. 27, 28. S. Andreæ Corsini episcopi mors et miracula.

MCCCLXXIV. 1-3. Gregorius de Græcæ Ecclesiæ conjunctione sollicitus mittit legatos et nuntios. 4. Palæologi cum Turcis indignum fœdus, unde mala in imperium Orientis. 5. Emmanuel Peloponnesi despota bene affectus erga fidem Catholicam. 6. Ungarum tepescentem in expeditione Turcica arguit Gregorius. 7. Smyrna in periculum adducta. 8. Prædicatores in Majorem Armeniam missi, facultatibus instructi ad fidem amplificandam. 9. De episcopali sede in Walachia erigenda agitatum. 10, 11. Milleczius hæresiarcha. 12. Commentarii quibus tit. : *Speculum Saxonum* damnati. 13. Dæmonum cultores et dæmoniaci. 14. Fraticellorum dementia. 15. Bernabonis insolentia retusa. 16-18. Controversia de principatibus inter Joannam Siciliæ reginam, et Ludovicum regem Ungariæ. 19, 20. Fridericus rex Trinacriæ initum cum Joanna fœdus confirmat, et publica de hac re Documenta. 21. De Anglo et Gallo conciliandis actum, et controversa jura Pontificia a rege Anglo. 22. Hieronymitarum Ordo in Castella institutus. 23. Gregorius de Sede Apostolica Italiæ restituenda certiores facit Christianos principes.

MCCCLXXV. 1-4. Ex concertationibus habitis inter Latinos et Græcos plures conversi, inter quos Joannes Cantacuzenus. 5. Emanuel filius Palæologi ad fidem Catholicam vocatus a Gregorio. 6-8. Ungariæ rex valide incitatus a Gregorio ad Turcicam expeditionem. 9. Hospitalarii in Græciam contra Turcas jussi trajicere. 10. Captata occasione, belli sacri parandi consilia cœpta. 11. Studia Gregorii pro conciliandis Anglis et Gallis. 12. Cyprus in discrimen adducta a Genuensibus. 13-15. Florentinos in se concitatos mulcet Gregorius, eorumque crudelitatem redarguit. 16, 17. Induciæ a Bernabone violatæ et rebellio contra Pontificem a Florentinis promota. 18. Thomasuccius tertiarius prophetiæ dono clarus. 19, 20. Rex Trinacriæ regio diademate insignitus. 21, 22. Reges Gregorius suum reditum in Urbem ægre ferentes solatur ac monet. 23, 24. Gregorii edictum de præsulum residentia. 25. Cretenses a schismaticorum insidiis tuetur Gregorius. 29. Hæretici in Delphinatu Viennensi aliisque provinciis bacchantes strenue impugnati. 27. In Africa et Asia hæreticos insectatur, lapsis in apostasiam consulit Gregorius. 28. Cathedrales erectæ ; impius abusus damnatus. 29. Pars Delphinatus fiduciaria Sedis Apostolicæ. 30. Rex Ungarus a conferendis Ecclesiasticis dignitatibus deterritus. 31. Cardinales creati.

MCCCLXXVI. 1-5. Florentini judicio postulati apud Sedem Apostolicam, et sententia Pontificia perculsi. 6, 7. Legatio S. Catharinæ ad Pontificem pro Florentinis. 8, 9. Creati duo cardinales legati in Italia, quorum alter Robertus perfidia et crudelitate clarescit. 10, 11. Consilium initum a Gregorio redeundi Romam, et Romanorum cum eodem conventa. 12. Gregorii reditus in Italiam. 13-18. Studia Caroli imp. pro filio ad imperium evehendo, quibus morem gerente Gregorio, Wenceslaus in regem Romanorum eligitur, corruptis auro electoribus. 19-22. Legatus missus in Aragoniam ad conciliandam pacem; et Lusitaniæ rex excitatus, et privilegiis ornatus ad expeditionem in Mauros. 23. Genuenses in Turcas classem parant. 24. Gregorii pia Constitutio.

MCCCLXXVII. 1. Gregorii in Urbem adventus et triumphalis ingressus. 2, 3. Pro Florentinis ad pacem adducendis S. Catharinæ Senensis legatio et labores. 4, 5. Wicleffus hæresiarcha grassari incipit. 6. Eduardi regis Angliæ obitus. 7. Friderici regis Trinacriæ mors ; decretum Caroli imp. de Ecclesiastica libertate, et pie gesta a Gregorio.

MCCCLXXVIII. 1. Conventus habiti pro conciliandis Florentinis. 2. Decretum Gregorii de proximis cardd. comitiis pro deligendo successore. 3. Gregorii obitus et laudes.

1. Ordo narrationis, prout schisma exortum postulat. 2. Cardinalium Gallorum dissensio, variæque factiones in creando Pontifice. 3. Barensis archiepiscopi futuri Pontificis dotes. 4. Quomodo Urbanus VI papa electus fuerit. 5-7. Libertas electionis factæ vindicatur. 8-15. Turbæ populares Romæ propter electionem Pontificis, qui tandem pacifice Pontificatum init. 16. Encyclicæ Urbani lit. de sua electione. 17. Testimonia de canonica electione Urbani. 18-20. Cardd. Avenionenses Urbanum agnoscunt. 21. Sancita inter Urbanum et Florentinos pax. 22, 23. Intestinæ discordiæ primordia, et occasiones. 24. Adriana Moles tenta a Gallis. 25, 26. Odia cardinalium rebellium in Pontificem, et secessus Anagniam. 27. Excitatæ in Pontificem Gallicæ turmæ. 28-30. Quam clare cardinales conjurati, et ipse Petrus de Luna ut verum papam Urbanum coluerint. 31-35. Joannis Lignani elucubratio defensiva electionis Urbani. 36-39. Baldi jurisconsulti amplissimus Commentarius pro canonica Urbani electione contra cardinales eam oppugnantes. 40. Itali cardd. Anagniam vocati per litteras ad Pseudo-pontificem creandum. 41. Card. S. Petri moriturus publicam protestationem emittit de legitima electione Urbani. 42. Cœtus sapientum convocati in Gallia ; et exhibita Synodi convocatio ad præcavendum schisma. 43, 44. Cardd. rebelles aversantur Concilium. 45. Card. Ambianensis schismatis architectus. 46. Carolus rex, Ludovicus Adegavensis, et regina Joanna favent schismati. 47-50. Cardd. perduelles judiciariis fucis innixi dant litteras encyclicas ad universos fideles. 51. Angli schisma execrantur, datis ad id rationibus. 52-55. Maxima pars orbis adhæret Urbano, tribus cardd. Italis ab eo deficientibus, spe inani illectis. 56-58. XX Sept. creatus antipapa, in quem et suos cardd. Pierii declamatio. 59-61. Qui viri et quæ regna Urbanum coluerint; et maxime Academia Parisiensis. 62. Carolus rex Galliæ ad schisma allicere conatur populos, quod Angli detestantur. 63-71. Litteræ Encyclicæ perduellium cardd. quæ invicte refelluntur. 72-102. Series factorum comprobantium legitimam electionem Urbani, a quo et novi cardinales creati. 103-111. Schismatis auctores in judicium vocati, et Pontificium contra eos edictum. 112. Ab antipapa pseudocardinales creati. 113-115. Wicleffi hæresis invalescit. 116. Bellum inter Venetos et Genuenses. 117, 118. Caroli IV imp. mors.

MCCCLXXIX. 1. Præcipuæ res hoc anno gestæ. 2-4. Jacobi Ursini card. morituri protestatio de legitimo papa Urbano et schismaticorum Commenta ad respuendum Concilium. 5-7. Conventus habiti in Hispania, et responsa Petri de Aragonia pro Urbano. 8-19. Alfonsi eremitæ eximius Commentarius pro Urbano. 20-22. Testimonia SS. Catharinæ Suecæ, et Catharinæ Senensis pro Urbano. 23. S. Catharinæ Senensis litteræ ad Joannam reginam Neapol. datæ. 24, 25. Certatum feliciter armis contra schismaticos, et Arx S. Angeli recuperata. 26-29. Favente Joanna, Neapolim confugit antipapa, in quem et fautores sacra expeditio indicta. 30. Antipapa Massiliam applicit, a Gallis exceptus. 31, 32. Joanna regina de pace cum Urbano agit, missis ad eum oratoribus. 33. Antipapæ acta tyrannica. 34. Romanorum rebellio contra Urbanum. 35. Bononiensium rebellio. 36-38. Edictum Wenceslai imp. contra antipapam et schismaticos. 39. Coloniensis archiepiscopi litteræ contra schismaticos. 40-42. Litteræ Wenceslai imp. et Richardi regis Angliæ Urbano adhærentium. 43-46. Meneldus episc. Corduben. legatus Pontificius ad regem Aragoniæ. 47. Petrus Aragon. rex Urbani monita rejicit. 48, 49. Carolus Francorum rex a sanctis viris monitus ne antipapæ adhæreat. 50, 51. Galliæ rex et Galli edocti a Pileo card. Ravennate. 52, 53. Caroli regis in schismate pertinacis edictum contra Urbanum. 54. Cruenta inter Venetos et Genuenses bella. 55. Pius obitus B. Joannis Brylington. 56. Miraculum de Eucharistia.

MCCCLXXX. 1, 2. Schismatici adjuti a Joanna regina, in quam Pontifex fert sententiam. 3-5. S. Catharina excitat Ludovicum regem Hungarum et Carolum principem Dyrrachii ad tuenda jura Urbani contra Joannam reg. 6-8. Bellum contra schismaticos laudatum, et magnis sumptibus paratum. 9, 10. Anglis Galliam vastantibus, Carolus Galliæ rex moritur, protestatione emissa circa schisma. 11, 12. Ludovicus comes Andegavensis spe illectus regni Neapolitani et imperii antipapam fovet. 13-17. Petrus episcopus Toletanus refellit Commenta schismaticorum aversantium Concilium. 18, 19. Episcopus Faventinus ad regem Castellæ ab Urbano missus. 20. Duo cardd. Italorum lapsus. 21-23. Damnatæ Wicleffi hæreses. 24-27. S. Catharinæ Senensis obitus, virtutes et divina munera. 28. Venetorum victoria contra Genuenses.

MCCCLXXXI. 1-23. Translatio regni Siciliæ ad Carolum principem Dyrrachinum facta ab Urbano, et data hinc inde Diplomata. 24,25. Carolus Neapolim victor ingreditur. 26. Schismatici præsules exauctorati, et novi cardinales creati. 27, 28. Revocandis ad Ecclesiam schismaticis data opera. 29-33. Conventus Salmanticensis, in quo rex Castellæ contra Urbanum dat sententiam. 34-36. Disceptatio habita in Lusitania a Petro de Luna schismatico cum præsulibus Catholi-

cus. 37. Sancitum fœdus inter Venetos et Genuenses. 38-41. Ab exitiali doctrina Wicleffi et sociorum ortæ seditiones in Anglia contra sacrum et politicum statum. 42 44. Wicleffi errores circa Eucharistiam. 45, 46. Pius S. Catharinæ Suecæ obitus. 47. Anticardinales ad propagandam perfidiam publica edunt Acta. 48. Acta antipapæ pro Urbano V sanctis adnumerando. 49. Armenia a Saracenis evastata. 50. Ducis Moscorum expeditio in Livoniam.

MCCCLXXXII. 1. Joannæ reginæ mors miseranda. 2, 3. Ludovici Andegavensis expeditio contra Apuliam et ditionem Ecclesiasticam. 4-9 In Ludovicum Andegavensem sententia lata ab Urbano et arma excitata. 10. Schismaticus exercitus depressus. 11. Deficientibus aliquibus populis ab Urbano, ipse suæ causæ æquitatem promulgari ubique jubet. 12 21. In Joannem regem Castellæ sententia lata ab Urbano. 22-25. Faventinus episc. ad Aragonios scribit Commentarium contra schismaticos. 26. Ludovici regis Hungariæ mors. 27, 28 Episcoporum Cracoviensis et Magdeburgensis misera mors. 29-31. Pestiferæ propositiones a Wicleffo transmissæ ad conventus Londinenses. 32-35. Quibus artibus Wicleffus multiplices suos errores propagaverit. 36, 37. Synodus Londini celebratur damnans errores Wicleffi. 38. Postulati judicio Wicleffus et asseclæ. 39. Synodus Oxoniensis. 40. Willelmus e Windurby hæreticus. 41. Wicleffistarum turpitudo.

MCCCLXXXIII. 1, 2. Contra vim exercitus schismatici Urbanus parat arma et auxilia. 3, 4. Urbani iter in Apuliam et Neapolim, ejusque captivitas. 5. Rex Aragoniæ Urbano adhærere ostentat. 6-8. Joannes rex Lusitaniæ electus, quem ducem expeditionis contra regem Castellæ schismaticum creat Urbanus. 9. Sacra militia in Anglia adversus Gallos conscripta, et irrito successu dissoluta. 10-12. Translatio capitis S. Dominici et prodigia circa sacras Imagines.

MCCCLXXXIV. 1-3. Ludovici Andegavensis schismatici infelix contra Carolum regem Siciliæ, expeditio et obitus. 4. Dissidia inter Urbanum et Carolum recrudescunt. 5. Regulares omnes suis immunitatibus privati ab Urbano. 6, 7. Gerardi Magni pius obitus et virtutes. 8-12. Wicleffi miserandus obitus, et de ejus erroribus examen. 13, 14. Miracula circa Eucharistiam.

MCCCLXXXV. 1-6. Gliscentibus discordiis inter Urbanum et Carolum, cardinalium conspiratio facta in Pontificem, qui Luceriæ obsidetur. 7, 8. Pontifex incolumis Neapoli adit Genuam. 9. Carolus Siciliæ rex ad capessendum regnum Hungariæ accitus. 10, 11. Regis Lusitaniæ victoria contra regem Castellæ schismaticum. 12. Bernabos tyrannus Mediolani captus et necatus a Galeatio nepote.

MCCCLXXXVI. 1-3. Carolus Siciliæ et Hungariæ rex trucidatus, unde in utroque regno turbæ. 4-6. Lithuani Polonis conjuncti, et fidem edocti. 7. Divinæ exemplum justitiæ. 8. Dux Austriæ favet antipapæ. 9. Gallus eremita hypocrita ad Urbanum accedit. 10, 11. Urbani severitas in defectores, quorum numero crescente per conjurationem, cardinales captivi in carcere necantur. 12. Pontifex Genua recedens adit Lucam. 13. Fesulanæ Congregationis exordia. 14, 15. Lecestriæ ducis in Castellam expeditio, et pax firmata. 16. Corcyra ad Venetos revocata.

MCCCLXXXVII. 1-7. Neapolis capta et vexata a schismaticis, duce Othone de Brunsvich, in quos sacram expeditionem urget Urbanus. 8 Achaiam Ladislao eripere tentat Urbanus. 9. Legatio schismaticorum ad populos pro Concilio celebrando. 10. Obitus Joannis Aragonum regis, qui ad antipapam defecerat, et Caroli regis Navarræ. 11. Petri Lucemburgensis obitus, et sanctitas. 12. Urbanus Perusium contendit. 13. Scaligeri principatu depulsi. 14. Sigismundus Hungariæ regno potitus. 15. Lithuani ad Christi fidem traducti, opera Wladislai regis. 16-18. Reliquiæ superstitionis et idololatriæ in Lituania aliisque gentibus subpolaribus. 19. Petrus Pareshul apostata ex Ordine S. Augustini.

MCCCLXXXVIII. 1-4. In Mauros Afros littora Italiæ et Græciæ infestantes sacra expeditio. 5-7. Gliscentibus factionibus in regno Siciliæ, illud sibi Urbanus recuperare tentat, bellicumque apparatum jubet. 8, 9. Urbanus Romam redit. 10. Conversio Judæorum. 11. Albertus Sueciæ rex in odium subditorum lapsus. 12, 13. Wicleffi et sociorum scripta incendi jussa.

MCCCLXXXIX. 1, 2. Annus Jubilæi ad triginta trium annorum cursum redactus. 3. Institutum festum Visitationis B. M. V. 4, 5. De festo Corporis Christi litteræ Apostolicæ. 6, 7. Manfredi Claromontii in Africam expeditio. 8, 9. Copiæ antipapæ, duce anticardinali Pileo, ditionem Ecclesiasticam et Etruriam vexant. 10, 11. Urbani papæ obitus. 12, 13. Bonifacius IX papa creatus prudentia insignis. 14. Antipapa in Bonifacium censuras promulgat, et coronat Ludovium regem

Siciliæ. 15-17, Commentarii Joannis e Montesono contra schismaticos. 18, 19. Anglia miraculis illustrata SS. Joannis de Bridlington, et Ethelredæ. 20, 21. Wicleffistæ spernunt miracula. 22. Divina in sacrilegos Eucharistiæ derisores vindicta. 23. Sublatum a Wicleffistis sacerdotium.

MCCCXC. 1. Annus Jubilæus celebratur. 2. Impostorum circa Indulgentias corruptelæ quas damnat Bonifacius. 3-5. Wenceslai regis Romanorum litteræ et oratores ad Bonifacium præ se ferentis Ecclesiæ patrocinium se suscepturum. 6 8. Dux Bavariæ pro conciliandis Ecclesiæ schismaticis interpes adhibitus. 9. Eodem consilio missus in Trinacriam internuntius. 10-15. Bonifacius regnum Siciliæ decernit Ladislao in gratiam recepto, qui coronatur et dat sacramentum fidelitatis. 16. Tentatus veneno Ladislaus. 17. Ludovici Andegavensis in Neapolitanum regnum expeditio. 18. Bonifacius vicarios constituit in ditione Ecclesiastica. 19. Leodienses ad defectionem a Pontifice sollicitati præclare renuunt. 20. Regis Navarræ lapsus in schisma; mors regum Castellæ et Scotiæ. 21 Expeditio sacra contra Tunetanos. 22. Amurates occisus.

MCCCXCI. 1-4. Decretæ Pontificiæ legationes in Hispaniam, et alia regna ad eversionem schismatis. 5-11. Trinacriæ sedandæ incumbit Bonifacius, quam in Tetrarchias partitur. 12. Ludovicus Andegavensis Ladislao infensus anathemate defixus. 13. Instaurata in antipapam edicta : res Etruriæ et Aragoniæ. 14-19. Leges ab Anglo contra Ecclesiasticam libertatem latæ, quas arguit Bonifacius, edita sanctione et misso internuntio. 20-22. Wicleffistarum flagitia in Anglia. 23. Missus a Pontifice internuntius in Angliam ad fœdus conciliandum. 24-26. Commentarius quinque dialogorum a Joanne e Montesono conscriptus. 27. Dyrrachinus principatus datus Georgio Stratimero. 28. Dissentientes Dalmatæ et Macedones Turcas in se concitant. 29-32. S. Birgittæ memoria consecrata a Bonifacio. 33. Quatuor Minoritæ affecti martyrio.

MCCCXCII. 1-3. Utriusque Siciliæ rebus consulit Bonifacius, ne schismaticis subdantur. 4. In ditione Ecclesiastica turbæ inter proceres concitatæ sedantur. 5. Bononienses perpetuum obsequium devovent Pontifici. 6. Idem obsequium profitentur Perusini. 7. Galliæ rex schismatis propagator percussus amentia ad meliora convertitur. 8. Vicleffistæ damnati, et plures ex ipsis conversi. 9. Præsentia Christi in Eucharistia miraculo comprobata.

MCCCXCIII. 1. Gallos dehortatur Bonifacius a schismate. 2. Viterbium ad Bonifacii obedientiam revocatum, et Piceni rebellio. 3, 4. Coorta Perusii seditione, Pontifex abscedit. 5. Pontifex Romam repetit, præhabitis pactionibus cum Romanis, et accepto Columnensium obsequio. 6. Turbæ in Castella a schismaticis; Trinacria obnoxia Aragoniis, obsessa Constantinopolis. 7. Puer ad vitam revocatus baptizatur.

MCCCXCIV. 1, 2. Raymundi Rogerii circa Avenionem grassationes. 3. Sorbonici mala schismatis deplorantes ad regem Galliæ dant litteras. 4, 5. Clementis antipapæ mors et mores. 6. Quibus artibus Petrus e Luna Pseudopontifex fuerit renuntiatus. 7, 8. Sorbonicorum litteræ parænetìcæ ad antipapam. 9. Petri e Luna ficta ostentatio de tollendo schismate. 10-12. Cœtus Gallici ex quibus via utriusque abdicationis proposita. 13, 14. Galli ad schisma aversandum propensi per litteras parænelicas sollicitantur. 15-17. Internuntii ad Galliæ regem et cardinales schismaticos missi cum amplissimis facultatibus. 18. Gallorum divisiones. 19. Franciscus archiepisc. Burdegalensis in Hispaniæ legatione confirmatus. 20. Regnum Neapolitanum bello agitatur. 21. Grassationes in ditione Ecclesiastica. 22. Internuntii in Angliam pro vindicandis juribus Ecclesiæ. 23-25. Mahometani in dies protenduntur, contra quos Bonifacius expeditiones sollicitat, missis legatis et litteris. 26. Clades a Mauris illata in Hispania.

MCCCXCV. 1-3. Oratores principes a Galliæ rege ad antipapam missi, et hujus responsa. 4. In cœtu Parisiensi agitata consilia ad tollendum schisma. 5-8. Scriptus Commentarius, suadente antipapa, ad insinuandam compromissi viam. 9-11. Quæstiones in Academia Parisiensi agitatæ ad renovendum antipapam et appellatio interposita. 12, 13. Scribit in Sorbonicos Joannes Azo. 14, 15. Synodus Parisiis habita. 16. Ladislaus in Neapolitano regno confirmatur. 17. Seditio Romæ coorta armis sedatur. 18. Wicleffistarum facinora in Anglia. 19. Alienata a Wenceslao imperii jura. 20, 21. B. Margaritæ Picenæ obitus et virtutes. 22. Margarita regina Sueciæ. 23. Bajazetis progressus, et Tamerlanis irruptiones.

MCCCXCVI. 1. Perusini et finitimi populi in gratiam recepti. 2. Francorum et Anglorum reges juncti fœdere qua via schisma tollendum decreverint. 3. Missi a Petro e Luna impostores ad Urbem. 4, 5. Ad

SUMMARIUM

TOMI XXVII



MCCCXCVII. 1. Britones ditionem Pontificiam infestantes placare nititur Bonifacius. 2. Anglos in Italiam irrito successu evocat Pontifex; Romanæ Ecclesiæ juribus vindicandis studet. 3-5. Francofurti conventus celebrati, et dolosæ ad Bonifacium legationes, præsertim Roberti eremitæ, in causa schismatis. 6. Conflata conjuratio in Pontificem a Martino Aragonum rege, et ab antipapa. 7-16. Henricus Castellæ rex ad Aragonium dat litteras, in quibus, discussis aliis de tollendo schismate rationibus, præfert consilium de urgenda utriusque Pontificis abdicatione. 17. Duo Minoritæ a Granatensibus martyrio affecti : postulata auxilia contra Turcas : Tartarica tribus in Lithuaniam adducta.

MCCCXCVIII. 1-15. Celebratur Parisiis conventus, et rex Galliæ celebre dat edictum in causa schismatis. 16. Acephali constituuntur, et antipapam deserunt pseudocardinales. 17. Crimina objecta antipapæ a Petro de Fureyo card. schismatico. 18-23. Guillelmus de Agrifolio pseudocardinalis Petrum e Luna de schismate et de hæresi convincit. 24. Petrus e Luna a Gallis obsidione cinctus. 25, 26. Henricus Castellæ rex, datis litteris, se suosque populos obedientiæ Benedicti subtrahit et acephalos constituit. 27-30. In Henricum Castellæ regem censuras et pœnas confirmat Bonifacius. 31. Bonifacius regem Galliæ conciliare Ecclesiæ studet, opera regis Angli. 32-35. Sollicitatus a Gallo Anglus ut a Bonifacio deficiat, Oxonienses doctores consulit, qui egregias ad eum dant litteras. 36. In Germanorum et Gallorum conventu prolatum decretum de utriusque Pontificis cessione. 37-38. Ladislao regi Siciliæ plures principes conciliat Bonifacius adversus æmulum Ludovicum Andegavensem schismaticum. 39. Florescere cœptæ Ladislai res, et Martini Aragonii conatus in Trinacria per Bonifacium repressi. 40. Græcorum imperatori auxilium contra Turcas postulanti consulit Bonifacius ; et Ostiam ad Sedis Ap. imperium revocat. 41. S. Francisca divinitus curata a S. Alexio.

MCCCXCIX. 1-4. Bajazetes ingentes facit progressus, contra quem sacrum bellum indicit Bonifacius. 5. Legatus Pontificius in Anglia ad implorandam opem contra Turcas; et ex Gallia nonnulla ad id missa auxilia. 6, 7. In Turcas qui provincias Polonicas vastabant indicta sacra expeditio, duce Wladislao rege. 8. Tartarorum victoriæ in Lithuania; et Hedwigis reginæ pia mors. 9-11. Pactiones a regibus Gallo et Aragonio impositæ Petro e Luna, et ab eodem per jusjurandum firmatæ. 12. Trevirensis cleri postulatis annuens Bonifacius, ejusdem Ecclesiæ dat administratorem Fridericum episc. Trajectensem. 13. Annatæ jure repetitæ a Bonifacio. 14-18. Honoratus Cajetanus Fundorum comes, præcipuus schismatis auctor, Pontificia sententia percellitus. 19. Proceres Neapolitani traducti ad Ecclesiam, invalescente Ladislao contra Ludovicum Andegavensem. 20. Richardo pulso, Henricus Lancastrius sceptro Angliæ potitur. 21. Animorum motus ad noxas expiandas facti, et supplicationes habitæ. 22, 23. Raymundi Capuani, Ordinis Prædicatorum pia mors et virtutes. 24. B. Dorotheæ obitus, et B. Liduvinæ exemplum patientiæ. 25, 26. B. Laurentii Justiniani sanctitatis primordia. 27. Miraculum de Eucharistia in Posnia.

MCD. 1. Gallorum pii concursus in Urbem pro Jubilæo. 2. Fundorum comitis tristis exitus; et Columnensium nocturna irruptio in Urbem. 3, 4. Lata a Bonifacio sententia in Columnenses. 5, 6. Ex turmis Albatorum plures exorti abusus. 7. In Tamerlanem infestantem Poloniam indicta expeditio. 8, 9. Bajazete Constantinop. imperium invasuro, Emmanuel imp. in Occidentem venit auxilia implorans. 10. Petrus e sancto Superano princeps Achaiæ et signifer Romanæ Ecclesiæ creatus. 11. Neapolis a Ladislao recuperata, ejectis Gallis. 12, 13. Conventus principum electorum in Germania pro abroganda Wenceslao imperiali dignitate. 14, 15. Wenceslai iniqua facta, ob quæ exauctoratus. 16. Bopardienses conventus, in quibus Robertus creatus Romanorum rex. 17. B. Virginis jussu monasterium Nussiense instauratum ; S. Florentii obitus ; Thomæ a Kempis virtutes.

MCDI. 1-5. Roberto regi Italicam expeditionem suscipienti mittit legatum Bonifacius cum postulatis. 6-8. Orator missus a Roberto ad Bonifacium amplissimam pro eo habet orationem coram Pontifice et cardinalibus. 9. Electio Roberti confirmata a Bonifacio. 10. Robertus a Mediolanensi duce propulsatus. 11. Bonifacius Columnenses et alios resipiscentes in gratiam recipit. 12-14. Dux Aurelianensis subornatus ab antipapa concordiam inter ipsum et pseudocardinales instaurat. 15. Bellum Anglos inter et Gallos accensum. 16. Wicleffistarum doli in Anglia pro rege et magnatibus subornandis in conventu Londinensi repressi. 17. Bucicaldi res gestæ in Saracenos et Tamerlanis in Turcia.

MCDII. 1. Joannis Galeatii obitus. 2. Scotiæ sceptri hæredis tristis mors. 3, 4. In Anglia recrudescit Wicleffi hæresis, cujus errores recensentur. 5, 6. Tamerlanes, commisso prælio, capit Bajazetem, et inhumane tractat. 7. Creati cardd. a Bonifacio.

MCDIII. 1-5. Confirmat Bonifacius sententiam in Wenceslaum latam, et Robertum in regem Romanorum eligit, datis ad id litteris Apostolicis. 6, 7. Wenceslaus ob morum fœditatem et crudelitatem suis Bohemis exosus in vincula conjectus, et per varias vices eductus. 8. Oratores a Roberto ad Bonifacium missi dant ejus nomine juramentum. 9. Bonifacius pro recuperanda Bononia Baltassarum Cossa legatum creat. 10. Ad recuperandum Perusium aliasque civitates data imperia, et pœnæ impositæ. 11. Pandulfum Malatesta ad suas partes revocat Pontifex. 12. Plures Insubriæ urbes in jus Romanæ Ecclesiæ redeunt. Perusini a censuris absoluti. 13, 14. Hungariæ regnum ad Ladislaum Siciliæ regem devolutum; ad quod legatus in Pannoniam missus a Bonifacio. 15. Sigismundus, pulso Ladislao, Hungariæ regnum recuperat. 16. Sigismundus vexat Ecclesiam. Bonifacii Constitutio circa alienationes bonorum Ecclesiarum. 17. Petrus e Luna ex Avenionensi custodia aufugit, eique contendunt nonnulli doctores deferenda obsequia. 18-20. Tolosanæ Academiæ litteræ ad Carolum regem circa jura Summi Pontificatus. 21. Galli iterum obsequium antipapæ deferunt. 22. Gallorum in Angliam expeditio. 23. Wicleffistarum hæresis in Wandalia coercita suppliciis. 24. Waldenses hæretici et Manichæi. 25. Tamerlanes sultanum Babylonis profligat, et a Jerosolyma divinitus repellitur. 26. In Persidem signa vertit Tamerlanes.

MCDIV. 1. Bonifacii ægritudo, et Ladislao regi permissum jus alienandi terram Stili in Calabria. 2. Jura ditionis Pontificiæ tuetur Bonifacius, et dat Constitutionem de eligendis magistratibus. 3-5. Petri e Luna pertinacia, qui ad fallendos suos sectatores dolosas dat litteras. 6, 7. Antipapæ oratores ad Bonifacium. 8. Bonifacii papæ obitus et laudes. 9. Acta cum oratoribus antipapæ antequam cardinales conclave ingrederentur. 10-13. Electio Innocentii VII, qui dat litteras Encyclicas et indicit Synodum. 14. Decretum Innocentii pro Ladislao rege. 15. Ingratus Ladislai in Ecclesiam animus. 16-18. Fœderis capita inter Innocentium et Romanos deprecatore Ladislao rege sancita. 19. Pontificis indulgentia Romani insolescunt. 20. Proceribus in Anglia clero insidiantibus Thomas Cantuarien. obsistit. 21. Varia inter Anglos Gallosque prælia. 22, 23. Magorum maleficia in Synodo Lingonensi proscripta. 24. Asiam sibi subjicit Tamerlanes.

MCDV. 1-4. Tamerlano consilia agitante contra totam Europam, Innocentius papa expeditionem indicit ad preces Paleologi imp. 5. Tamerlanis peritia rei militaris, et barbari mores. 6. Albericus Barbianus proditor Bononiam occupare tentat; Forolivienses ad officium revocati. 7, 8. Cardinales creati ab Innocentio, qui perduellium furore actus fuga Viterbium petit. 9, 10. Ladislaus dominium Romanum ad se trahere studet, sed propulsatur. 11-13. Dolos antipapæ detegit Innocentius, datis litteris Apostolicis. 14-16. Novæ antipapæ artes, et candida Innocentii pro sedando schismate vota; ad quod Synodum iterum indicit. 17. Antipapæ in Italiam accedenti adhærent Genuenses et Pisani, unde Petrus card. missus legatus in Liguriam. 18. Legato tradita formula damnandi schismatis; contra quod Pragæ Synodus indicitur. 19. Caroli VI regis Galliæ calamitas. 20. Conjuratio in Anglia adversus regem ; Eboracensis archiepisc. carnificis manu cæsus. 21, 22. De archiepisc. Eboracensis cæde judicium Gregorii XII, nunc card. Corarii, qui Piceno præficitur. 23. Auctum Venetum imperium. 24-26. Insignia de B. M. Virginis protectione exempla.

MCDVI. 1. Restitutum Innocentio Urbis imperium et ejus Romam reditus. 2. Academia Romana instaurata. 3, 4. Lata sententia in Columnenses perduellionis duces, et in eos indicta expeditio. 5. Lata etiam sententia in Perretum Trojæ comitem et alios perduelles. 6. Judicio agit Innocentius in Ladislaum, eumque regno Neapolitano exauctorat. 7. Ladislaus in gratiam Pontificis restitutus, fœdus cum eo paciscitur, et Romanæ Ecclesiæ vexillifer creatur. 8. Innocentii papæ obitus et laudes. 9-12. Ancipites cardd. sententiæ de creando successore, et conventa in conclavi edita. 13. Angelus Corarius renuntiatus Pontifex instaurat sponsionem abdicationis. 14, 15. Petrum e Luna ad abdicationem sollicitat Gregorius, datis ad eum litteris. 16. Anticardinales et principes de his certiores facit Gregorius et coronatur. 17. Henrici regis Castellæ mors. 18. Moveri cœpta lis de auctoritate papæ et Concilii, et jacta sanctionis pragmaticæ fundamina, antipapa tyrannidem exercente in clerum Gallicanum.

MCDVII. 1, 2. Antipapæ litteræ ad Gregorium præ se ferentis studium de sua abdicatione. 3. Carolus rex consulit ut quisque contendentium cedat coram senatu suo; spreto consilio, antipapa colloquium urget, ad quem legatos mittit Gregorius. 4. Colloquii Saonæ incundi leges pactæ. 5. Oratores ad varia regna missi. 6. Spondet Gregorius de non offendendo æmulo, et subsidia nummaria expostulat, datis ad id litteris. 7. Gravissimæ causæ ob quas declinata Saona a Gregorio. 8. Excusat se Gregorius cum antipapa de adeunda Saona. 9. Antipapæ incitamentis et principum legationibus victus, Gregorius discedit ab Urbe ad colloquium iturus. 10, 11. Repetitæ Gregorii querelæ suspectam Saonam esse. 12. Expetiti a Gregorio securitatis modi antequam Saonam accederet. 13. Bucicaldum maxime suspectum a Genuæ præfectura removendum Gregorius postulat. 14-18. Ladislaus fidem violat, civitates Pontificias et Romam ipsam invadit; unde querelæ et pœnæ intentatæ a Gregorio. 19. Conquisitæ a Ladislao causæ cur ita se gesserit, supplicibus datis litteris. 20-22. Gregorius a suis et ab hostibus proditus, antipapæ exponit consilium et causas mutandi Saonæ locum. 23-27. Promulgatæ causæ ob quas Saonam non adeat Gregorius. 28. Indictæ preces a Gregorio pro instauranda Ecclesiarum conjunctione. 29. Varia circa Pontificatus abdicationem acta et dissidia. 30. Schisma in Ecclesia Leodiensi. 31. Aurelianensis dux antipapæ defensor occisus. 32-34. Sigismundus Pannoniæ rex expeditionem parat in Turcas, ad quod Gregorius dat litteras.

MCDVIII. 1, 2. Antipapæ doli, quos declinat Gregorius. 3. Ladislaus Romam occupat, ejus in Urbem ingressus. 4. Antipapa Romam occupare nititur. 5, 6. Gregorius fideles de rerum statu edocet. 7. Gregorio novos cardinales creare meditanti acriter resistunt cardinales. 8. Soluto sacramento, cardinales creat, unde sex cardinales Gregorio adversantur et Pisas petunt. 9-19. Cardinales aversi provocant ad Concilium, datis rationibus, quas refutat Gregorius. 20. De redigendis in ordinem papa et antipapa actum. 21-31. Indictum Concilium hinc a papa illinc a cardinalibus. 32-39. Cardinalium litteræ ad Gregorium exprobrantium temere illius acta, et convocantium Pisis Concilium. 40. Perjuria et fraudes Petri e Luna Gallis nota, qui ab eo deficiunt. 41. Gregorius purgat se ab imposito crimine et cardinales ad officium revocat. 42. Alii cardinales deserunt Gregorium qui Senas honorifice ingreditur. 43. Balthasaris Cossæ insignis defectio et gesta adversus Gregorium. 44-46. Responsio cardinalium data Senensibus Pisas missis ad eos revocandos. 47-51. Responsa cardinalium confutat Gregorius. 52-58. Cardinales sententia decretoria damnati a Gregorio conantur ad se allicere præsules Gregorii studiosos aliosque ejus administros. 59. Cardinales alii creati a Gregorio, ex quibus Lucam Florentinum in Etruria legatum creat. 60. Gregorius Ariminium profectus Antonium card. Portuensem in Germaniam legatum mittit. 61-66. Judiciaria acta Gregorii in cardd. Pisani conventus. 67. Indictum a Gregorio Utinense Concilium. 68. Leodiense bellum cruentissimum. 69. Pragæ celebrata synodus adversus Wicleffistas. 70. Wicleffistica hæresis Pragæ propagata per Joannem Hus et Hieronymum Pragensem. 71. Miraculum Eucharisticum. 72. Puer naufragus divinitus servatus.

MCDIX. 1-4. Gregorius cardinales edictis insectatur. 5-10. Florentini sentiunt cum cardinalibus, unde Gregorii apologia ad eos transmissa. 11. Card. S. Sixti missus legatus in Pannoniam, etc., et card. episc. Portuens. in Angliam et Germaniam. 12. Pisani Acta Concilii : sessiones prima, secunda et tertia. 13-18. Cæsareus orator nomine Roberti regis Rom. proponit dubia circa validitatem convocationis et celebrationis Concilii. 19-33. Cæsarei oratores Pisis abscedunt, dato insigni Diplomate de provocatione ad aliud Concilium Œcumenicum. 34-39. Carolus de Malatestis agit de concordia integranda inter cardinales et Gregorium. 40-44. Responsa cardinalium contendentium pro Concilio Pisis celebrando. 45. Difficultates ingentes circa auctoritatem Pisani Concilii, et numerus Patrum qui eidem interfuerunt. 46. Acta in sessionibus quinta, sexta, septima, octava et nona. 47-70. Capita criminum objecta Gregorio et Petro e Luna in triginta septem articulos distributa. 71. Pisani Concilii decretum et sententia lata contra papam et antipapam. 72. Cardinales eligunt Pontificem Petrum de Candia seu Alexandrum V. 73. Alexander confirmat Acta Concilii Pisani, dissolvit sententias aliorum Pontificum, sancit leges. 74-78. Petrus e Luna insurgit in Acta Concilii Pisani. 79. Pisani Concilii con-

troversa auctoritas. 80. An Alexander fuerit verus Pontifex. 81. Cur Gregorius a Pontificum catalogo non eradatur. 82. Synodus Aquilegiensis a Gregorio indicta et habita, in qua damnantur duo Pseudopontifices. 83. Gregorius decernit cessurum se, si æmuli cedant. 84. Acta Conciliabuli Perpinianensis, quo Petrus e Luna illudit præsulibus. 85-87. Alexander V pro Pontifice se gerens Romam capit, Ladislaum in judicium vocat, dato ad id decreto, qui tamen Gregorio magis magisque adhæret. 88. Pragenses doctores damnant iterum Wicleffum, cujus errores Joannes Hus clam diffundit. 89. Alexander V damnat Joannem Hus Wicleffi errores prædicantem. 90. Burginus hæresiarcha, et alii hæretici.

MCDX. 1. Roberti regis obitus, et Sigismundi electio. 2. Martini regis Aragonum mors, cui succedit Ferdinandus. 3. Miserandum prælium inter Polonos et Cruciferos. 4. Gregorii sententia in schismaticos. 5. Alexander Bononiam se confert. 6-15. Gregorium et antipapam insectatur Alexander, dato Diplomate. 16. Romani, decretis oratoribus, Alexandro se subjiciunt. 17. Alexandri mors. 18-20. Creatio Balthasaris Cossæ qui Joannis XXIII nomen assumit. 21, 22. Dat litteras Encyclicas ad universos præsules. 23, 24. Omnes ad suum obsequium traducere nititur. 25. Legatum mittit in Hispaniam, et Ludovicum Andegavensem inducere nititur in regnum Neapolitanum. 26. Ludovici Andegavensis classis profligata a Ladislao. 27-28. Sigismundus rex ad Joannis partes se confert. 29. Instituendæ in Pannonia Academiæ potestas data. 30. Henricus Lusitanus, ad detectas Barbarorum oras lustrandas, classem instruit. 31. Puer mersus aquis vitæ restitutus, et Judæorum immanitas in puerum Christianum.

MCDXI. 1. Gregorius secum non sentientes edictis defigit, anathemata infligit, Ecclesiæ consulit. 2. Joannis XXIII gesta. Gregorium et Petrum e Luna ut hæresiarchas insectatur. 3. Joannes parat in Ladislaum expeditionem. 4. Fractæ tumultuario bello Ladislai copiæ, qui tamen fuga lapsus reintegrat exercitum. 5. Joannes sacrum bellum in Ladislaum indicit, ob quod Hussitæ illum carpunt, et turbas cient. 6. Joannes Æmiliæ partem amittit. 7. Concilium Romæ celebrandum indicit Joannes. 8. Aurelianenses bellum indicunt Burgundo. Granatenses Castellam excursionibus infestant. 9. Cardinales creati a Joanne. 10. Charismata S. Franciscæ Romanæ, et Evangelistæ ejus filii. 11. Ægidius hæresiarcha.

MCDXII. 1. Gregorii litteræ Encyclicæ ut schismaticis resipiscentibus et Catholicis consulat. 2. Ladislaus ad Joannis partes transit, datis ad eum supplicibus litteris. 3. Concordiæ leges inter Joannem et Ladislaum, qui perfide prodit Gregorium, et Gaieta expellit. 4. Gregorius Gaieta fugiens Ariminum appellit. 5. Concilium a Joanne XXIII celebratum, Joannes Hus damnat hæresim, simulate tamen et perfide. 6. Inter Polonum et equites Cruciferos pax inita. 7. Intestina Gallorum bella, et redintegrata pax. 8, 9. Commentarius contra Judæos editus ab Hieronymo de Sancta Fide.

MCDXIII. 1-4. Wicleffi libri damnati in Concilio Romano. 5-12. Congregati Pragæ doctores pro damnandis Wicleffi hæresibus, et vindicando ab hæreseos infamia Bohemico nomine. 13. Anglia tumultibus concussa per Joannem Oldcastellium hæreticorum signiferum. 14. Oldcastellius in jus vocatus a Synodo et damnatus. 15. Joannis Parvi errores damnati. 16, 17. Joannis XXIII litteræ de indictione Concilii. 18. Cardinales creati, et legati missi a Joanne. 19. Ladislaus rex Romam dolose occupat, Joannes cum cardinalibus fugit, Sigismundi auxilium implorat. 20. S. Franciscæ filius per miraculum restitutus. 21, 22. Joannes et Sigismundus Laudam convenientes Constantiam designant pro celebrando Concilio, ad quod litteræ Encyclicæ datæ. 23. Gregorius a Joanne ut veniat ad Concilium provocatus. 24. Samagitia ad Christum conversa.

MCDXIV. 1. Gregorius Constantienses conventus disturbare nititur, datis ad Sigismundum litteris. 2. Decernit legatum ad Constantienses conventus. 3. Joannis Pontificatus in controversiam vocatus in Germania. 4. Reprehensus Gregorius a Sigismundo, causam suam tuetur de se non subjiciendo Concilio. 5. Joannis XXIII in Ladislaum consilia. 6. Ladislaus rex moritur, unde variæ rerum conversiones. 7, 8. Joannes Constantiam adit, primam Concilii sessionem celebrat, in qua ejus Diploma legitur. 9. Joannes præsules ad Concilium sollicitat; in Wicleffi errores pugnat. 10. Judiciarius ordo constitutus in Joannem Hus. 11. Hussi ad Concilium adventus. 12. Sigismundus Aquisgrani Germanica corona redimitus. 13. Sigismundi et episcopi Constantiam frequens adventus. 14. Flagellantium hæresis. 15, 16. Lollardi hæretici in Anglia rebellantes repressi. 17. Wicleffista divinitus conversus ad fidem Catholicam. 18. In sumptione Eucharistiæ miraculum. 19. Conspecta e cælo crux. 20. S. Vincentius Ferrerius dono linguarum præditus. 21. Bellum recrudescit inter Aurelianenses et Burgundum.

MCDXV. 1. Constantiensi Concilio auctoritatem tribuit Gregorius. 2-4. Joannis artes et effugia, ejusque sponsio litteris confirmata de abdicatione Pontificatus. 5. Pro reductione Petri de Luna conatus varii, et congressus Villæfrancæ indictus. 6. Turpis Joannis fuga ab urbe Constantiæ et turbæ hinc ortæ. 7, 8. Status controversiæ an papa sit supra vel infra Concilium qualis

extiterit. 9-13. Joannes suæ fugæ inanes causas prætexit, contra quem Constantienses Patres dant litteras Encyclicas. 14. Sessio quinta Concilii; variæ Joannis vices hac illac fugientis. 15. De sponsionibus Joanni XXIII faciendis, et designata loca ad quæ ipse se conferret. 16. Parisiensium doctorum litteræ lectæ in Concilio, et judiciaria actio instructa in Joannem. 17. Fridericus Austriacus in crimen Joannis abducti vocatus. 18. Mira vis Conciliorum ad pacandas Ecclesiæ turbas. 19, 20. Accusationum in Joannem capita. 21. In Concilii potestatem redactus Joannes. 22. De mitiganda in Joannem sententia actum. 23. Latæ in Joannem sententiæ formula. 24. Joannes latam in se sententiam confirmat; et exauctoratus custodiæ mancipatur. 25. Inducti a novatoribus ritus in porrigenda Eucharistia. 26. Gregorii XII litteræ ad Concilium productæ. 27. Pars quæ Gregorium et quæ Joannem erant secutæ conjunctæ sunt, et Gregorius abdicat. 28. Novi cardinales a Concilio creantur, et cardinalatus jura sibi reservat Gregorius. 29. Gregorius creatus perpetuus Piceni legatus, et alia amplissima ei attributa. 30. Petrus e Luna in judicium vocatus et pœnæ in eum decretæ. 31. Joannes Hus fugam bis tentat, et in vincula conjicitur. 32. Hussitæ turbas movent pro illo liberando. 33. Hæreticorum calumniæ in Concilium confutantur. 34. Judices e singulis nationibus delecti ad hæreticorum causam cognoscendam. 35. Quadraginta quinque articuli Wicleffi iterum damnantur. 36. Damnato Wicleffo, Joannes Hus pertinacior evadit. 37. Joannis Hus tergiversationes et perfida responsa. 38. Hus urgetur pie et sollicite ut suos abjuret errores. 39. Tentatæ omnes artes ut Joannes Hus resipiscat. 40. Hus pugnantia inter se docuit, mendacissimus et imprudentissimus. 41. Errores Wicleffi et Hussi contra sacramenta et dogmata Ecclesiæ. 42. Lata in Joannem Hus sententia, qui proinde sacerdotali dignitate exauctoratur, et vivus exuritur. 43. Encyclicæ Concilii litteræ ad Bohemos, et excitata Pragæ seditio ab hæreticis. 44. Sessiones XVI, XVII et XVIII habitæ, in quibus de permovendo Petro e Luna actum ut Pontificatum deponeret, decreta ad eum legatione, et de cæteris. 45. Sessio XIX, in qua Hieronymus Pragensis hæresim revocare pollicetur, et multis verbis suadet. 46. Sponsio indemnitatis facta hæreticis ni hæresim damnent, non valet. 47, 48. Colloquia regum cum Petro de Luna, et hujus effugia et deliramenta. 49. Porrecti iterum supplices libelli a regibus Petro e Luna, qui pertinacior Illiberim fugit. 50. Respuit Petrus salubria consilia. 51. Paniscolam se subducit, dum oratores Hispani instant iterum ut Pontificatum deponat. 52. S. Vincentius Ferrerius in Petrum e Luna invehitur, ejusque pertinaciam reprobat. 53. Hispanorum decreta pro abolendo schismate concepta, et plurium Bohemorum defectio. 54. Dum Sigismundus imp. regibus Angliæ et Galliæ componendis vacat, Turcæ sævam excursionem in Hungariam aliasque regiones faciunt. 55. Veneti a Concilio Constantien. ut arma in Turcam expediant sollicitati. 56. Lusitani in Africa bellum feliciter gerunt contra Saracenos, capta urbe Septa. 57. Pius Henrici e regia stirpe Norwegiæ obitus.

MCDXVI. 1-3. Ferdinandus rex Arag. se a Petri e Luna obsequio suosque populos subducit. 4, 5. Aragones deserunt antipapam, laudati a S. Vincentio Ferrerio. 6. Litteræ Concilii ad Hispanos datæ ut veniant ad firmandas pactiones. 7. Confecta harum litterarum plura exempla ad reges et principes. 8. Concilii litteræ ad Bohemos, quibus præcipui Hussi fautores damnantur. 9. Bohemos Sigismundus increpat et minatur. 10. Oratores Aragonenses se sistunt Concilio. 11. Ferdinandi regis obitus cui succedit Alfonsus, qui dat litteras ad pseudocardinales Lunanos ut adeant Constantiam. 12. Pseudocardinales Lunani reluctantur, et Alfonsum subornare nituntur. 13-18. Adductus in judicium coram Patribus Hieronymus Pragensis et multorum errorum et criminum accusatus. 19. Ejusdem Hieronymi tergiversationes et simulationes detectæ. 20. Impia et seditiosa concio Hieronymi Pragen. habita in Concilio. 21. Sententia in Hieronymum lata, et ejus supplicium. 22. Indictum a Concilio ut de sanctitate et miraculis aliquorum servorum Dei inquireretur. 23. Datæ litteræ a Concilio ad præsules et principes ut Constantiam accederent. 24, 25. Vocati in jus Hussitæ, lectæ regis Aragon. litteræ. 26. Excusationes regis Aragon. admittit Concilium. 27, 28. Laudata Aragoniorum pietas; disceptata jura et nomina aliorum regum. 29. Lectæ in Concilio litteræ regis Poloniæ omnimodam subjectionem profitentis. 30. Aliorum legatorum acta coram Concilio. 31. De honoris gradu inter oratores certatum. 32. In Petrum e Luna inquisitum, et aliæ ortæ contentiones. 33. Alia acta Concilii, et dissensiones ac bella in variis regionibus. 34. Sigismundus curat ut, sedatis regum controversiis, Turcarum progressus impediatur.

MCDXVII. 1. Fridericus Austriacus Tridentinæ Ecclesiæ oppressor damnatur a Concilio. 2, 3. De Anglica natione lis mota ab Hispanis et Gallis, et quomodo a Concilio dirempta. 4. Judiciorum ordo in Petrum e Luna, et hujus fallacia responsa. 5. Expositum Concilio Petri e Luna pertinax responsum et in eum indictum judicium. 6, 7. Castellæ regis oratores denuntiant discessionem a Petro e Luna, qui inanes et hypocritas querelas effundit. 8-11. Accusationum præcipua capita proposita in Concilio adversus Petrum e Luna. 12. Pronuntiatur schismaticus et hæreticus, et omni jure et honore exauctoratur. 13, 14. Sanctiones Concilii ad præcavenda schismata. 15. Formula fidei quam professuri sunt novi Pontifices. 16. Statutæ leges electionis Pontificum.

1-3. Hic incipit volumen XVIII Raynaldi. — Creatio et coronatio Martini V papæ. 4. Gratulatoriæ

ad eum litteræ ducum et principum. 5. Præsulum preces ad flectendam Petri e Luna pervicaciam. 6. Jacobus S. Eustachii creatus legatus ad tuendam ditionem Ecclesiasticam. 7, 8. Pragensis Academia infecta hæresi laicos irretit, proposita eisdem communione calicis. 9, 10. Bohemorum pertinacia et furor in fovenda hæresi. 11. Flagellatorum impia et crudelis secta. 12. Pia B. Nicolai Albergati gesta.

MCDXVIII. 1. Ecclesiæ in ordinem veterem reductæ ; indictum Ticini Concilium. 2. Dissoluta Synodus. 3, 4. Constitutio contra Wicleffi et Hussi hæreses. 5. Instaurata Bonifacii Constitutio de inquirendis hæreticis. 6. Martini ad Bohemos litteræ pareneticæ. 7. Joannes Præmonstratensis apostata. 8, 9. Legatus Apostolicus in Bohemiam et Hungariam missus. 10. Sigismundi nimia clementia malum auget. 11. Fraticellorum reliquiæ in Italia. 12, 13. Ad Petri e Luna pertinaciam emolliendam omnia adhibent rationum et precum momenta ejus pseudocardinales. 14. Pseudocard. Petri e Luna ad Martinum confugiunt. 15. Alfonsus rex antipapæ pertinaciam fovet. 16. Sigismundus rex optime de Ecclesia meritus. 17. De Græcis Ecclesiæ gremio restituendis agitur. 18. Privilegia confirmantur regi Poloniæ optime de Ecclesia merito. 19. Idem rex Polon. creatur vicarius Pontificis. 20. Eodem privilegio ornatur Lituaniæ dux. 21-23. Regem Lusitaniæ bellum in Mauros parantem Martinus sollicitat, aliosque excitat, et privilegiis ornat crucesignatos. 24, 25. Ad sedandum bellum inter Galliæ et Angliæ reges legati Apostolici missi. 26-28. Factiones Burgunda et Aurelianensis in Gallia debacchantur. 29, 30. Petrus card. decernitur legatus in regnum Neapolit. 31. Jacobus rex ab uxore Joanna tentus in carcere, in libertatem restitutus fugit. 32. In simoniacum scelus Constitutio. 33. Aliæ Martini sanctiones. 34, 35. Dispensatur impedimentum affinitatis inter Joannem comitem Fuxi, et Blancham Navarræ. 36. Martinus Gebenna Mantuam pergit.

MCDXIX. 1. De pace inter Cruciferos et Polonos agit Martinus. 2. Judæos ab injuriis vindicat eisque consulit. 3. Ferrariam et Florentiam contendit Martinus. 4. Romani gravibus discordiis impliciti. 5. Balthasar Cossa ad Pontif. transferri jussus, primus cardinalis creatus, moritur. 6. Anathema latum in Petrum e Luna 7. Decretus in Aragoniam internuntius ad schisma tollendum. 8. Joann i Luitaniæ regis bellum in Africa gerenti favet Martinus, datis litteris Encyclicis. 9. Inter Angliam et Galliam bella. Burgundi et Delphini partes inter se digladiantur. 10. In Bohemia crescit in dies impietas hæreticorum, unde conjurationes et cædes. 11, 12. Piissimus B. Vincentii Ferrerii obitus. 13. Bernardinus Senensis sanctitate floret, cujus est æmulus Manfredus Ord. Præd. 14. Misera Constantinop. imperii conditio.

MCDXX. 1, 2. Sacra expeditio in Petrum e Luna indicitur. 3-5. Civiles motus in Castella, quos compescere nititur Martinus. 6. Gallicum regnum in potestatem Anglorum redactum. 7. Jacobus rex Neapolit. divinis animum applicat. 8. Ludovicus Andegaven. ad regnum Neapolitan. adspirat, ad quod decretus a Martino legatus. 9. Martinus regno Neapolit. consulit, Bononiam recuperat. 10. Quæ feliciter gesta a Martino Florentiæ. 11. Florentia discedens Martinus Romam ingreditur. 12. Inter Polonos et Cruciferos recrudescente bello, Martinus occurrit. 13. Hussitis ad arma et seditiones ruentibus, Martinus sacram expeditionem indicit. 14. Pragam obsidet Sigismundus, quem Zisca hæreticorum dux iniquis postulatis tentat fallere. 15. Pragenses Ecclesiæ expilatæ, plures urbes ab hæreticis occupatæ. 16. Salisburgensis Synodus. 17-20. Nicolai Serurarii errores et damnatio. 21, 22. Wicleffistæ in Scotia. 23. S. Bernardinus in Italia inclarescit. 24. Utinensium dissidia mire sublata. 25. B. M. Virginis opem vir simplex experitur. 26. Mahometes I Turcarum imp. contra quem Martinus sacram indicit expeditionem. 27, 28. Græcis ad Ecclesiæ sinum redire cupientibus Martinus per legationem consulit. 29. Ob mortem Mahometis Græci timore soluti. Lusitanorum in Fortunatas insulas navigatio.

MCDXXI. 1. Joanna perduellis Braccium evocat contra Martinum. 2. Alfonsus Aragonius regnum Neapolit. invadit. 3. Alfonsus hæresiarcham Petrum e Luna fovet, a perditis hominibus suffultum. 4. Fraticellorum reliquiæ ex Italia avulsæ. 5. Tres sectæ in Bohemia impudentissimæ. 6, 7. Hæresi grassante in Bohemia, Martinus sacram expeditionem indicit, legatum mittit. 8. Card. Branda legatus Leodium venit. 9. Hæreticorum pertinacia insignis. 10. Expeditio Sigismundi in Bohemos. 11, 12. Pseudosynodus habita a Calixtinis schismaticis, et ejus canones. 13. Crucesignatorum successus in bello Bohemico. 14. Samagitæ ad Christum traducti Martini litteris recreantur. 15. Discordiæ inter regem Poloniæ et ducem Lituaniæ. 16. Spes de Græcorum reductione. 17. De Granatensibus debellandis agitatum ; ad quod Martinus regi Castellæ favet. 18. Post prælia et cædes Anglus rex Gallicis regionibus potitur, multa pollicetur Martino favore Ecclesiæ. 19-21. Henricus Anglus et Delphinus sollicitati ad pacem a Martino, missis litteris et legato Nicolao Albergato. 22. Ditionis Pontificiæ res curat Martinus. 23. Genuenses in servitutem redacti.

MCDXXII. 1, 2. Turcæ in Orientale imperium irrumpunt, Constantinop. obsident ; Martinus reges et principes excitat ; Græcos ad ejurandum schisma hortatur. 3. Legatus ad Emmanuelem imp. missus.

4. In Christianos ferentes opem Turcis Martinus pœnas sancit. 5-14. Acta legationis gestæ Constantinopoli a nuntio Apostolico Antonio Massano circa unionem Ecclesiarum. 15. Responsum Joannis imp. ad Martinum V circa idem. 16, 17. Furentibus in Bohemia factionibus hæreticis, Martinus Ecclesiasticos viros arma in eos tractantes a censuris immunes declarat. 18, 19. Ad reprimendos Bohemorum impetus solemne colloquium indicitur Nurembergæ, ad quod Martinus invitat Sigismundum. 20. Sancitum in colloquio delendos internecione hæreticos. 21, 22. Bohemi a Polono auxilio conquirunt, quæ Martinus avertere nititur. 23. Novæ hæreses in Anglia. 24. Deistarum hæresis. 25. Repullulant Lunani schismatis reliquiæ. 26, 27. Joannes Armeniaci comes schismaticus in judicium vocatur a Martino. 28. Henricus V Angliæ rex moritur, cui succedit Henricus VI. 29. Martini studia pro pace instauranda, et vindicanda libertate Ecclesiastica in Anglia. 30-32. Sabaudiæ dux ad concordiam urgendam sollicitatus inter Gallos et Anglos, addito legato Apostolico. 33. Carolus VII rex Galliæ, legitimus a Martino habitus, datis ad eum litteris. 34, 35. Contentio pro regno Neapolit. inter reges Siciliæ et Aragoniæ. 36. Edita a Martino pro Judæis sanctio.

MCDXXIII. 1, 2. Ticinense Concilium, et de eo Martini litteræ ad episcopos et Sorbonicos. 3, 4. Internuntii a Martino missi ad Ticinense Concilium, quod, lue grassante, transfertur Senas. 5, 6. Sanctiones adversus schismaticos. 7. Petri e Luna obitus, et novi antipapæ creatio ope Alfonsi regis. 8, 9. Valentini Paniscolam obsidere deliberant; dum Alfonsus schismaticos fovet : de qua re Martini litteræ. 10. Martinum ad Senense Concilium profecturum retinent Alfonsi et Senensium malæ artes. 11. Senenses increpat Martinus libertatem Concilii vindicans. 12. Alfonsi iras ob regnum Neapolit. mitigat Martinus. 13. Inter Alfonsum et Joannam aspera contentio de regno Neapolit. 14. Martinus Joannæ regnum confirmat, Aragonii rebus in deterius lapsis. 15. Adversus Hussitas comparata expeditio. 16. Habita Synodus Lancitiensis ad tutandam Poloniam ab hæresi. 17. Poloni præsules pacis interpretes inter principes Polonos et Sigismundum. 18, 19. Apparatus bellicus contra Bohemos, augente studia Martino pro hæresi abolenda. 20. Hæreticorum immanitas. 21. Cantuariensis archiep. temeritas Jubilæum indicentis. 22. Denegata episcopo Herefordensi venia abdicandi episcopatum. 23. Creatio cardinalium. 24. Inter Castellanum et Aragonum fœdus initum. 25. Rex Castellæ sui spes ingentes concitat. 26. Turcæ minantur Constantinopolim. 27. Divinæ liberalitatis exemplum insigne.

SUMMARIUM

TOMI XXVIII



MCDXXIV. 1. Turbæ in Concilio Senensi excitatæ, ad quas sedandas Toletanus archiepiscopus sollicitatus. 2. Damnata Petri e Luna memoria. 3. Actum de Græcis ad Ecclesiam Catholicam reducendis, de hæreticis Bohemis opprimendis, de disciplina restituenda, de Romana curia componenda. 4. Leges cardinalibus datæ. 5. Indicta Basileensis Synodus a Senensi. 6. Commoniti Basileenses de celebranda Synodo Basileæ. 7. Censores fidei in variis provinciis constituti. 8. Principum consilia de Bohemis hæreticis opprimendis, et litteræ Apostolicæ ad Sigismundum Romanorum regem. 9. Sigismundus Lithuanus Bohemos hæreticos tuetur; unde anathemate a legato perculsus, cujus sententiam Pontifex confirmat. 10. Vetita cum hæreticis commercia mercatores exercent, qui propterea anathemate et pœnis devincti. 11. Polonus rex Bohemicam coronam offerentibus hæreticis bellum denuntiat, ni errores deponant. 12. Missus a Polono in Bohemos exercitus. Regi Poloniæ affinitate junctus Martinus. Carthusiani in Poloniam vocati et missi. 13. Martini studium de SS. reliquiis religiose asservandis. 14. Recuperandæ ditioni Ecclesiasticæ fœdus init cum duce Mediolanensi Martinus. 15. In obsidione Aquilæ Braccius captus et cæsus. 16. Martini litteræ de parta victoria, ex qua Perusium aliæque urbes in Pontificis potestatem rediere. 17. Genuensium in regno Neapolitano egregiæ res gestæ. Recuperata a rege Ludovico Neapolis. 18. Mediolanenses inter et Florentinos dissidia ob Forolivii principatum; ex quo Bononia in periculum adducta. S. Bernardini Senensis prædicatio. 19. Rex Scotiæ ex Anglico carcere dimissus. 20. Jus Ecclesiasticum a Carolo VIII rege Galliæ defensum. 21. Mulierculæ impostura in Synodo Lugdunensi damnata. 22. Puella Schiddensis sola Eucharistia vitam sustentat. 23. Inter Græcos et Turcas induciæ, non tamen proficuæ Christianis.

MCDXXV. 1. Cardinalis Fuxensis in Aragoniam legatus missus sedandi schismatis causa. 2-4. Legatum recipere renuit Alphonsus rex, in quem propterea legibus agere decernit Martinus, datis ad Castellæ regem litteris. 5. Caroli regis Navarræ obitus, cui succedit Joannes Aragonius. Inter Aragonios, Genuenses et Florentinos varia belli discrimina. 6. Pacem inter Anglos et Gallos promovere nititur Martinus. 7. Anglus potentiam suam jactans a Martino commonitus. 8. Carolum Galliæ regem iniquas juri Ecclesiastico leges abrogantem commendat Martinus. 9. Jacoba Bavara, viro dimisso duce Brabantiæ, ducit Humphridum ducem Glocestriæ, unde dissidia et certamina. 10. Consulit Burgundo Pontifex ut uxorem ducat. 11. Dissidia inter regem Daniæ et Sclevicenses principes componere curat Pontifex. 12. Ericus rex ex peregrinatione Terræ-Sanctæ reversus consecrat Christo arma in hæreticos. 13. Koributus regis Poloniæ nepos confirmat hæreticos Bohemos in pertinacia. 14. Rex Poloniæ hæreseos odio nepotem Bohemorum regem bello appetit; ad quod dux Lithuaniæ etiam sollicitatus. 15-18. Exercita in hæreticos censura, datis ad id litteris Apostolicis. 19. Christianæ disciplinæ instaurandæ navata opera præsertim in Corsica. 20. Christiani divenditi Turcis a mercatoribus, in quos Martini papæ Constitutio. 21. Methone a Turcis vastata et Cyprus; ubi viri nobilis martyrium.

MCDXXVI. 1-6. Regis Aragonum defectio, in quem Pontificium edictum. 7. Ægidius Munio, procurante Alphonso, antipapali diademate insignitus. 8. Reges certiores facti de vocato in jus Alphonso. 9, 10. Joannes comes Armaniaci pervicax in schismate, contra quem Pontificium

edictum. 11-14. Conradus Pragensis archiepiscopus fautor hæresis damnatur. 15. Mercatores deterriti a commeatu cum hæreticis, in quos et viri principes incitati. 16. Catholici ab hæreticis in acie victi. 17. Hæreticorum irruptio in Lusaciam, et eorum immanitas. 18. B. Joannes Capistranus oppositus Fraticellis. 19, 20. Arrogata a politicis Anglis Sacerdotiorum conferendorum auctoritas quo nomine episcopus Wintoniensis a Martino increpatus et excitatus. 21. Initum fœdus in Mediolani ducem. 22. Turcarum in Negropontum irruptio; et de Græcis Ecclesiæ conciliandis actum. 23. Cyprus ab Ægyptio divexata; et cur vetita a Pontifice peregrinatio ad Terram-Sanctam. 24. Cypri miserandum excidium, et Christiani cæsi et capti. 25. B. Nicolaus Albergatus pacis interpres missus, et litteræ ad Genuenses datæ ad ferendam opem Cypro. 26. Novi cardinales creantur.

MCDXXVII. 1. Creatus in Bohemos legatos cardinalis Anglus. 2. Rogatus Angliæ rex ut faveat expeditioni Bohemicæ. 3. Admissum ab Henrico cardinale legationis munus. 4, 5. Expeditionis Bohemicæ discrimina. 6. Cladem luget Pontifex. 7, 8. Pilzinenses a disceptando cum hæreticis deterrentur. 9. Decreta a Martino nova expeditio in hæreticos. 10, 11. Bohemi hæretici de conversione agunt. 12. Sigismundus Zischam sibi conciliat, qui tamen impius moritur. 13. Germani dissidiis impliciti, et censura fidei instituta. 14. Wicleffi ossa exuri jussa. 15. Labefactatum in Anglia jus Ecclesiasticum Martinus restituendum curat. 16. Cantuariensis archiepiscopus a Martino admonitus. 17. Poloniæ rex tentat muneribus Martinum corrumpere, a quo de hoc et aliis admonetur. 18. Moniti Angliæ senatores de restituendo jure Ecclesiastico. 19. Violata a Lusitano Ecclesiastica immunitas. 20. Aragonius in judicium vocatus. 21. Cardinalis Fuxensis in Aragoniam ingressus. 22. Inter regem Aragonium et legatum Apostolicum pactiones sancitæ. 23. Cyprius rex redemptus. 24. Miraculum ingens B. M. Virginis opera editum.

MCDXXVIII 1. Rex Aragonum obsequia defert Sedi Apostolicæ. 2, 3. Pax composita in Italia inter Mediolanenses, Venetos et Florentinos. 4. Rebus ad pacem vergentibus in Italia, Turcica potentia augetur in Oriente. 5, 6. In Bohemos decretum a Germanis bellum, de quo litteræ Pontificiæ ad principes. 7, 8. Fraticelli in Piceno grassati, contra quos animadversum. 9. Angli Gallicanas Ecclesias diripere tentant, in quos Joanna virago divinitus excitata. 10. Miraculum B. Mariæ Virginis.

MCDXXIX. 1, 2. Ægidius Munio antipapatu se abdicat. 3. Alphonsus Borgia commendatus de impenso opere. 4, 5. Ægidius cum schismaticis ad obedientiam coram legato Apostolico admissus dat juramentum, et ad episcopatum Balearicum evehitur. 6. Anticardinales falsæ dignitatis insignia exuunt. 7-9. Dertusensis Synodus indicta et habita a legato, in qua plura circa fidem et mores decernuntur. 10. De bello inter reges Hispaniæ oborto. 11. Decretoria Martini adversus comitem Armaniacum sententia. 12. Redit ad gremium Ecclesiæ Armaniacus. 13, 14. Wladislaus rex Poloniæ jus Ecclesiasticum lædit, quem proinde corripit Martinus. 15. Florentini clero imponunt vectigalia. 16, 17. Hussitarum immanis furor, contra quos Anglica expeditio parata in Gallos traducitur. 18. Mira Joannæ puellæ facinora in Gallorum auxilium. 19. Turbæ in regno Neapolitano excitatæ, et Bononienses domiti. 20. Instaurata decreta de colenda solemni pompa Eucharistia, et datæ indulgentiæ. 21. De liberandis captivis a Saracenis tentis actum. 22. Conradini Ordinis Prædicatorum et Joannis Gersonis pia mors.

MCDXXX. 1. Hæreticorum in Germania excursiones. 2, 3. Joanna puella capta ab Anglis et supplicio affecta. 4. Burgundum Carolo regi Gallorum conciliare nititur Pontifex. 5. Synodi Tarraconensis Acta confirmata a Martino, et creatio cardinalium. 6. De Franciscana familia reformanda, auctore B. Joanne e Capistrano. 7. Witoldi ducis Lithuaniæ mors, qui delatam ab hæreticis coronam spreverat. 8. Græcorum res in diem collapsæ.

MCDXXXI. 1. Julianus cardinalis Cæsarinus legatus contra Hussitas. 2. Martini papæ V obitus et ejus memoria vindicata. 3, 4. Eugenii IV papæ electio, et ejus primordia et laudes. 5-7. Gesta in conclavi a Pontifice confirmantur, subjecto Diplomate. 8, 9. De suscepto Pontificatu litteræ Encyclicæ ad præsules et principes. 10. Columnenses turbas in Urbe movent, et læsæ majestatis lege damnantur. 11. Contra Columnenses parata arma, et Hugo episcopus legatus in Campania. 12, 13. Columnenses domiti, et Senenses per litteras Pontificias emolliti. 14, 15. Missus cardinalis Albergatus ad componendos Anglos et Gallos, irrito tamen successu. 16. Reges Hispaniarum ad concordiam vocati. 17. Cardinali Cæsarino legato in Germania data imperia ut Basileensi Synodo præsideret. 18. Hussitis hæreticis exstirpandis curæ impensæ. 19. Bellum apparatum in Bohemos hæreticos, et infeliciter confectum. 20, 21. Cœpta Basileensis Synodus, et cur Bononiam translata. 22. Legati cardinalis Cæsarini litteræ ad Eugenium contra translationem Concilii. 23, 24. Patres Basileenses Hussitas invitant ad disceptandum. 25. Eugenius Basileensium opinionem damnat, et soluta Synodo Bononiensem indicit. 26-30. Sigismundus imperator, et præsertim Julianus cardinalis legatus, multis allatis

rationibus Eugenium a proposito dimovere conantur. 31. Sigismundus rex corona ferrea Mediolani redimitus. 32. Galeottum Malatestam pietate insignem saluberrimis monitis urget Eugenium. 33. Ambrosii monachi litteræ ad Eugenium cum libro S. Bernardi *de Consideratione*. 34. Dominicus Capranica cardinalis infensus Eugenio et demum reconciliatus. 35. Thessalonica et aliæ urbes sublatæ a Turcis ; Cyprus opem implorat, cujus rex moritur.

MCDXXXII. 1-3. Sigismundus imperator ad Eugenium de instauranda Synodo Basileensi dat litteras, adductis ad rem causis. 4, 5. Basileenses pertinaces invitant Bohemos, et Eugenio resistunt, 6. Gallicani præsules de non dissolvenda Synodo Basileensi solliciti. 7. Sollicitati Angli ut Basileensi Synodo faveant. 8, 9. Sessiones Conciliabuli Basileensis. 10. De Bohemis ab hæresi revocandis agit Pontifex cum rege Poloniæ. 11. Acta temeraria Basileensium. 12-14. Nuntii Pontificii ad Basileenses gravibus orationibus eos ab incœptis dehortantur. 15, 16. Basileensium responsio futilis et fallax. 17, 18. Insignes viros consulentes deterret Eugenius ne Basileam adeant, episcopos varios ad se convocat, Sigismundum adhibet, Basileensibus nefaria usque molientibus. 19. Legatos mittit Eugenius Basileam cum plena potestate instaurandi ibi Concilium. 20. Monita Eugenii ad Senenses, et curæ adhibitæ pro pace Italiæ. 21. Acta cum Sigismundo de rebus componendis, et de ejus adventu in Urbem. 22, 23. Turbæ in regno Neapolitano ; infelix exitus Carraccioli ; Avenionensis comitatus præfectura. 24. Bernardinus Senensis a calumnia hæreseos vindicatus.

MCDXXXIII. 1, 2. Ad Concilium Basileæ instauratum accedunt Bohemi, cum quibus disceptatio habetur. 3, 4. Eugenio cum Basileensibus clementer agenti hi acrius resistunt. 5, 6. Litteræ Eugenii de instaurato Basileensi Concilio. 7, 8. Septemviri ad Synodi patrocinium suscipiendum excitati, et legati cardinales creati. 9-11. Apostolicas litteras Basileenses respuunt, temere et insolenter contra Eugenium pugnantes. 12, 13. Pacta fœdera, pax conciliata antequam Sigismundus Romam accederet, coronam accepturus. 14. Sigismundus Romæ coronatus dat juramentum. 15, 16. Insigne edictum dat Sigismundus de libertate et immunitate Ecclesiastica et ex Urbe discedit. 17. Basileenses abdicationis pœnam Pontifici intentant. 18, 19. Eugenii litteras pro concordia datas male acceptant Basileenses in protervia obstinatissimi. 20. Rescissa Basileensium gesta contra Pontificem. 21. Basileensium objecta plane diluta per litteras Eugenii apologeticas. 22. Basileenses reprimit dux Bavariæ ne in schisma erumpant. 23, 24. Sigismundi imperatoris opera et præsentia Basileenses multa pollicentur. 25. Nicolaus e Fortebrachiis et Carolus Malatesta Pontifici infensi. 26. Grave bellum conflatum in Eugenium a duce Mediolanensi. 27. Cardinales a Basileensi Concilio ad ducem Mediolanensem missi. 28. Oratores Concilii ad imperatorem Constantinopolitanum ; Turcarum in Oriente progressus ; Alphonsi regis Aragonii super Siculo regno conatus. 29. Missi ab Eugenio ad Barbaricas gentes præcones Evangelici. 30. B. Laurentius Justinianus creatus episcopus Venetiarum sanctitate insignis. 31. B. Lidwinæ felix obitus. 32. Francisca Romana sanctimonialium Ordinem instituit.

MCDXXXIV. 1. Oratores missi a principibus ad Eugenium de rebus Concilii. 2. Turrecrematæ responsum ad singula objecta Basileensium contra Eugenium. 3-5. Eugenius pacis studio molliter Pontificiam auctoritatem tutatur apud Basileenses. 6, 7. Dux Mediolanensis fingit se creatum Italiæ legatum a Concilio, quem Sigismundus imperator increpat ac reprimit. 8, 9. Rebellione Romanorum exorta, Eugenius fuga sibi consulens Florentiam adit. 10. Datæ ab Eugenio ad Basileenses litteræ. 11, 12. Romani post varias vices ad obsequium Pontificis reducti. 13. Basileensium objecta contra Pontificis auctoritatem diluuntur a Turrecremata. 14. Pontificii legati ad iniquum sacramentum adacti, et exclusi a præsidentia. 15, 16. Græcorum oratores de conjunctione Ecclesiarum agunt. 17. Litteræ Eugenii ad Basileenses circa reductionem Græcorum. 18. Trapezuntinus imperator et Armenii ad Ecclesiæ gremium invitati. 19. Sultani Ægyptii minæ in Rhodios irritæ. 20. Contra Turcas in Macedoniam irruentes sacra indicta expeditio. 21. Canariarum insularum incolis ad fidem conversis consulit Eugenius. 22-24. Hæretici Bohemi in factiones divisi insigni victoria deleti. 25. Theodoricus archiepiscopus Moguntinus. 26. Edita sanctio adversus Simoniacos. Wladislai Poloniæ regis pie gesta et obitus. 27. Subrogatus in ejus locum Wladislaus III ejus filius quem salubriter monet Eugenius. 28. Ludovici Andegavensis obitus. 29. Regularium disciplinæ instaurandæ data opera. 30. Civilia Gallorum bella sublata, et Amedæi ducis Sabaudiæ secessus. 31. Trium Magorum reliquiæ cultæ Coloniæ.

MCDXXXV. 1, 2. Constitutæ a Concilio in clericos libidinosos pœnæ et latum edictum ad exhauriendum Pontificis ærarium. 3-5. Legati Pontificii et Basileenses missi ad conventum Atrebatensem pro concilianda pace inter Gallos et Anglos. 6. Nefaria lis mota apud Basileenses ab archiepiscopo Turonensi. 7. Iniquæ lites motæ a Basileensibus Pontifici, qui tamen instaurandæ disciplinæ studet quam maxime. 8. Basileenses discrepantia paciscuntur cum Græcis ab iis quæ paciscitur Eugenius circa locum Concilii. 9. Damnati Commentarii Augustini Romani. 10. De pace actum inter Pontificem et ducem Mediolanensem, Florentinos et Venetos.

11. Bononia Pontifici restituta. 12. Mortua Joanna II Neapolitani regni jura ad Sedem Apostolicam devoluta. 13. Aragonium et Andegavensem de regno Neapolitano certantes Pontifex edicto deterret. 14. Alphonsus Aragonius victus a Genuensibus et cum rege Navarræ captus. 15. In partes Renati Andegavensis inclinat Eugenius. 16. Angliæ rex jus Pontificium invadens monetur ab Eugenio.

MCDXXXVI. 1. Basileenses auctoritatem Pontificiam opprimere meditati plura sibi arrogant. 2-15. Libellus Apologeticus pro Eugenio. 16, 17. Actum per legatos cum Bohemis hæreticis, et pactiones confectæ circa usum Eucharistiæ. 18. Gratulatur Eugenius Pragensibus pacis consilia suscepisse. 19. Bohemi in communionem admissi, quibus nonnulla iniqua indulget Sigismundus. 20. Pragæ magnis honoribus exceptus Sigismundus Catholicum cultum instaurat, hæreticos punit. 21. Nova Eugenii studia pro Renato Andegavensi. 22. Anglicum bellum componere studet Eugenius. 23, 24. Reges Lusitaniæ et Castellæ de Africana expeditione certant. 25, 26. B. Didacus apud Canarienses Evangelium propagat; quos etiam bene instituit episcopus Robicensis. 27. Eugenii studium pro Blachis, Bulgaris Moldavisque a schismate revocandis. 28. Jus Ecclesiasticum violatum in Lusitania, quare admonitus rex ab Eugenio. 29-31. Ecclesiastica libertas in Scotia violata per Eugenium vindicatur, datis litteris ad Jacobum regem et missis internuntiis. 32. Jacobus rex Scotiæ a patruo peremptus. 33. Dirempta Trevirensis archiepiscopatus lis.

MCDXXXVII. 1, 2. Gravis de loco Concilii designando contentio, obsistentibus Eugenio Basileensibus. 3, 4. Basileensibus in pertinacia hærentibus, Græci palam in Concilio protestantur. 5-7. Actum de celebrando in Italia Concilio. 8, 9. Confirmat Eugenius decretum Basileensium de eligenda ad Concilium civitate Italica. 10. Missi internuntii Apostolici, et data regibus monita ut Græcis faveant. 11. Pacta cum Græcorum oratore de adventu et loco Concilii, et nuntius missus ad imp. et patriarcham adducendos. 12. Tarantasiensis archiepiscopus creatus legatus a latere. 13. Sanior pars Basileensium insignienda nomine Concilii a Græcis recognoscitur. 14. Basileensium factiosorum ad Græcos legatio. 15. Seditiosi Basileenses vim inferunt præsidi Apostolico. 16. Eugenius in jus vocatus a seditiosis Basileensibus. 17. Indictum ab Eugenio Ferrariæ Concilium. 18. Basileenses mendaciis et calumniis Eugenium impetentes refelluntur et odio sunt apud pios. 19. Decretum Basileensium de mulcta imponenda sacerdotiis irritum declarat Eugenius. 20. Sigismundi imperatoris pietas et religio. 21. Turrecrematæ Commentarii de Eucharistiæ sacramento. 22, 23. Bohemi agunt cum Concilio de communione sub utraque specie. 24. Sigismundi imperatoris obitus et Africana expeditio infelix contra Sarracenos. 25. Alphonsus Aragonum rex Neapolitanum regnum invadit et Basileensibus favet, cum duce Mediolanensi fœdere junctus. 26. Pyrrhus abbas Casinensis proditor Eugenii exauctoratus. 27-29. Magorum plura et infanda facinora. 30. Joannes Vitellescus card. creatus.

MCDXXXVIII. 1. Cœpta Synodus Ferrariæ, præside Nicolao Albergato. 2. Sessio prima de legitima translatione Concilii, et damnati Basileenses factiosi. 3, 4. Eugenius Ferrariam accedit, et in cœtu episcoporum sua pia studia exponit. 5. Contra Basileenses lata Constitutio. 6, 7. Patriarcha et imperator Græcorum Venetiis Ferrariam adeunt, furentibus invidia Basileensibus. 8, 9. Argutiæ et sophismata Basileensium contra Pontificis auctoritatem diluta. 10. Renatus rex Neapolitanus ad Ferrariense Concilium oratores mittit. 11. In promulgatione Ferrariensis Concilii quo ordine et habitu consederint Patres. 12. Decretum de congregatione Concilii Ferrariæ. 13. Eugenii litteræ ad Carolum regem pro Basileensibus intercedentem. 14. Carolus ad Basileenses deficit, Pragmaticam Sanctionem edit; Henricus Angliæ rex erga Sedem Apostolicam bene affectus. 15. Colloquium de Purgatorio habitum inter Græcos et Latinos. 16. Pro expensis in Græcorum negotio necessariis spiritualia privilegia collata, et decimæ jussæ. 17. Bessarionis oratio hortativa pro Ecclesiarum conjunctione, quam excipit archiepiscopus Colossensis. 18, 19. Certatum de additione *Filioque* contra Marcum Ephesinum. 20. Sequitur disceptatio de verbo *Filioque* et de Purgatorio. 21. Exorta pestis Ferrariæ et ab Eugenio indicta expeditio in Turcas. 22. Studia Eugenii pro sedando bello in Bohemia. 23. Albertus creatus Cæsar. 24. Hæretici in Hungaria grassantes pœnis mulctantur. 25. Fures sacrilegi in Urbe puniuntur. 26. Obitus Jacobi olim regis Neapolitani et Eduardi Lusitaniæ regis.

MCDXXXIX. 1, 2. Ob luem translatum Ferraria Florentiam Concilium. 3. Eugenii Florentiam ingressus et deinde patriarchæ et imperatoris Græcorum. 4, 5. Disceptatum de verbo *Filioque* et tandem Græci conveniunt. 6-8. Josephi patriarchæ obitus in communione Catholica, et post disceptationes de controversiis latum et lectum decretum de conjunctione Orientalis et Occidentalis Ecclesiarum. 9. De reductione Græcorum litteræ Encyclicæ summi Pontificis. 10. Subsidia Græcis in Turcas sollicitat Eugenius. 11. Fantinus Cretensis in Græcia et Isidorus Kiovensis archiepiscopus in Russia legati. 12-16. Armenii fidem Catholicam in Synodo recipiunt. 17. Episcoporum Armenorum jurisdictioni consulit Eugenius, et reductioni Judæorum

et Æthiopum. 18. Extracta Synodus Florentina ob Basileensium schisma. 19, 20. Conventus Moguntini et Basileensium tumultuaria decreta contra Pontificis auctoritatem. 21. Basileensium acta nefaria, duce pseudocardinali Arelatensi. 22, 23. Albertus Cæsar frustra exoratus a Pontifice ut schismaticos compesceret. 24. Francorum rex pacis Ecclesiæ studiosus ad quem litteræ datæ ab Eugenio. 25, 26. Aucti Basileæ tumultus. 27. Pestis Basileenses schismaticos consumit, dum rex Galliæ dux Burgundiæ et rex Angliæ in obsequio erga Pontificem confirmantur. 28-31. Rescissa omnia acta Basileensium et errores damnati. 32-35. Basileensium crescente insania, creatur pseudopapa Amedeus dux Sabaudiæ. 36. Moniti reges ab Eugenio ut coerceant schismaticos. 37. Pragmatica Sanctio in Galliis instaurata. 38. Alphonsum Aragoniæ regem Sedi Apostolicæ conciliare et reges Romanorum et Poloniæ ad concordiam adducere studet Eugenius. 39. Alberti regis Romanorum obitus, et varii reges ab Eugenio ad concordiam allecti. 40. Sanctio Eugenii de cardinalitiæ dignitatis præstantia. 41. Cardinalium numerus valde auctus.

MCDXL. 1-3. Basileenses promulgant Amedeum antipapam, in quos et præcipue Arelatensem sententia anathematis prolata. 4. Schismaticorum vesania, in quos quomodo se habuerit Carolus rex Galliæ. 5. Sollicitatus rex Carolus ut Pragmaticam Sanctionem tollat. 6. Anglorum rex Henricus constantissimus in obsequio Sedis Apostolicæ. 7, 8. Dux Mediolani et Hispani exsecrantur antipapam, in quem dat litteras Encyclicas Eugenius. 9. Poggius Florentinus in Amedeum invehitur. 10. Aucta ex interregno insolentia antipapæ et Basileensium, quorum sophismata diluuntur. 11. Cædes cardinalis Vitelleschi, pugna et victoria contra ducem Mediolanensem : Ludovicus patriarcha Aquileiensis et cardinalis. 12. Fridericus III ad imperium evectus. 13. Alphonsus Aragonius regnum Neapolitanum sibi vindicans bella movet. 14. Tumultus graves concitati in Hispania quos compescere nititur Pontifex. 15. Pia S. Franciscæ Romanæ mors et miracula. 16. Marcus Ephesinus schismatis instaurator. 17. Circa processionem Spiritus sancti diluta sophismata Græcorum. 18. Controversia de fermentato. 19. De Paschali communione declaratio.

MCDXLI. 1. Jacobitæ Orientales conciliati Romanæ Ecclesiæ. 2. Oratores Æthiopum missi ad Eugenium. 3. Habita oratio a legato Æthiopum. 4. Nicodemi abbatis Æthiopum litteræ ad Pontificem pro unione Ecclesiarum. 5. Constantinopolitanus imperator schismatis delendi curas remittit. 6. Vetiti Latini a Græcorum communione abstinere. 7. Anathema latum in hæreticos et in Amedeum antipapam. 8. Ludovicus episcopus Visensis simulat resipiscentiam. 9-12. Gallorum regis ad Eugenium legatio postulantis generale Concilium. 13. Rex Castellæ Eugenii causam tuetur. 14. Wladislaus rex Poloniæ Eugenio adhæret. 15. Cæsar Eugenio Ladislaum puerum commendat. 16. Fœdus init Eugenius adversus Alphonsum cum Genuensibus. 17. Constituta forma judiciaria adversus Alphonsum regem. 18. Mediolanensis ducis cum Liguribus et Florentinis bellum, quod continuo componitur ; principis Atestini demissio insignis et mors. 19. Exortæ in aula Castellana turbæ. 20. Indultum equitibus Calatravensibus ne castitatis votum nuncupent.

MCDXLII. 1. Traductum Florentia Romam Concilium. 2-6. Synodalia decreta de multis gentibus revocatis ad Romanam Ecclesiam quibus data formula Fidei. 7. Eugenii decreta referunt Æthiopes inter veterum Conciliorum decreta. 8. Patriarcha Alexandrinus conjunctus Ecclesiæ Romanæ. 9, 10. Ludovicus cardinalis Arelatensis exauctoratus ; dux Britanniæ ut a Basileensium doctrina caveret instructus. 11, 12. Alphonsus Neapoli potitur ; Franciscus Sfortia perfidiæ nomine ab Eugenio lata sententia damnatur. 13. Excitata ab Eugenio subsidia contra Turcas, qui in prælio vincuntur. 14. In Aquitania Anglos inter et Gallos certatum : Lusitanorum res bellicæ in Africa. 15. Consultum Hispanis ne Judæorum consortio inquinentur. 16. Insignis miraculum Virginis ope editum.

MCDXLIII. 1-5. Fœdus ab Eugenio sancitum cum Alphonso ad quod firmandum pacta conventa. 6, 7. Confert Eugenius Alphonso regni utriusque Siciliæ jus fiduciarium. 8. Diplomata Pontificia de adoptione Alphonsi, de ejus successoribus in regno, de restitutione Ecclesiarum, de redintegrandis Neapolitanæ coronæ juribus. 9. Commendatus ab Eugenio Alphonsus. 10, 12. Expeditio in Africam indicta. 13-19. Turcis longe lateque grassantibus et graviora in dies minitantibus, Eugenius sacram jubet expeditionem. 20. Turcæ fusi ab Hungaris ; unde rerum conversio in Macedonia et aliis provinciis. 21. Scanderbegi insignis victoria in Turcas, de qua ei gratulatur Wladislaus rex. 22. Data opera pro comparatione classis in Turcas, et pro convalidanda conjunctione Græcorum. 23. Basileensium novatorum ausus de celebrando tertio Concilio. 24. B. Nicolai Albergati obitus et laudes, et Alphonsi Tostati doctrina et sanctitas. 25. Deiparæ auxilium miraculo confirmatum.

MCDXLIV. 1-4. Ad Turcicam expeditionem, Wenceslao duce, parantur subsidia. 5. Frustra tentatur conciliatio inter Anglos et Gallos : Wladislaus contra Amuratem parat bellum. 6. Aranitus Cermenici princeps ad bellum excitatus ab Eugenio, quod Georgius Serviæ despota nefarie retardat.

7, 8. Crucis militiam professuris propositæ indulgentiæ, et Christiani Turcis opem ferentes damnati. 9. Insignis clades Christiani exercitus ad Varnam, cæso Ladislao rege et Juliano cardinali. 10. Rhodii oppugnati ab Ægyptiis strenue defenduntur. 11. Corsica in Pontificiam clientelam reversa. 12. Piceni obsecuti Eugenio, qui et cum Mediolanensibus fœdus init. 13. Ludovicus Gallus signifer Ecclesiæ creatus, qui Helvetios Basileensium fautores acie fudit. 14. Poloni Basileensibus adhærentes admoniti ut resipiscant. 15, 16. Sessio prima Lateranensis Concilii Florentia translati : Abdala Edessæ archiepiscopus schisma abjurat. 17. Falsam opinionem de Spiritu sancto Eugenius Apostolicis litteris damnat. 18. Objectiones schismaticorum de ea re a Bessarione dilutæ. 19. Marcus Ephesinus Græcanici schismatis confirmati auctor, quem refutat strenue Gennadius. 20. Lis mota inter regum oratores. 21. S. Bernardini obitus et miracula.

MCDXLV. 1-11. Jura regni Neapolitani a Pontifice accipit Alphonsus rex, data ad id Bulla Aurea. 12. Casimirus dux Lithuaniæ a Polonis in regem electus, et Conradus episcopus Wratislaviensis restitutus. 13. Ladislaus rex salutatus ab Hungaris, a quibus redintegrata in Turcas expeditio. 14. Versæ ab Amurate vires in Scanderbegum. 15. De classe Pontificia. 16, 17. Georgius Hiero monachus confutator Marci Ephesini qui in sua perfidia moritur. 18. Rhodus oppugnata ab Ægyptiis. 19. Amplissima legatio Marco patriarchæ data adversus Saracenos. 20. Inter Cyprium regem et Nicosiensem archiepiscopum controversia composita ab Eugenio. 21, 22. Cyprii hæretici et schismatici ad fidem orthodoxam traducti. 23, 24. Dardania ad Ecclesiæ conjunctionem revocata opera Stephani regis. 25. Antipapæ conatus in Avenionem ; Odo episcopus Dertusensis pseudocardinalatu se abdicat ; Æneas Sylvius actorum Basileæ veniam ab Eugenio poscit. 26. Horrenda magorum flagitia. 27. B. Bernardini sanctitas miraculis comprobata, et de ejus canonizatione instituta actio. 28. Obitus Antonii cardinalis Corarii.

MCDXLVI. 1. Coloniensis et Trevirensis archiepiscopi exauctorati. 2-4. Quare septemviri defectionem ab Eugenio moliuntur ; unde legationes hinc inde missæ præsertim de novo cogendo Concilio. 5. Schismaticorum inania studia et Germanorum ad Pontificem legatio, duce Thoma episcopo Bononiensi qui cum aliis cardinalis creatur. 6. Burgundiæ dux insectatur schismaticos, quos resipiscentes excipit Eugenius. 7. Infectæ schismate aliquæ Galliæ provinciæ. 8. Amadeus arithmeticus hæreticus. 9. Laurentii Vallæ hæreses qui tamen resipiscit, et veniam ab Eugenio poscit. 10. Hussitica lues in Moldaviam progressa. 11. In Ecclesiasticæ ditionis grassatores et præcipue in Franciscum Sfortiam lata sententia. 12. Rex Alphonsus concitatus in Florentinos qui Sfortiam tuebantur. 13. Ad Boleslaum Mazoviæ ducem litteræ Eugenii.

MCDXLVII. 1, 2. Revocata ad Eugenii obsequium Germania. 3, 4. Publica exsultatio et litteræ Pontificiæ de redintegrata Germania. 5. Pollicetur Eugenius indicturum Concilium in Germania, si reges assenserint. 6, 7. Basileensium perfidia detegitur ; Eugenius reliquis Germanorum postulatis satisfacit. 8. Nicolaus Tolentinus sanctorum Catalogo adjectus. 9, 10. Ecclesia Wilzenacensis privilegiis ditata ob insigne Eucharistiæ miraculum. 11. Joannis e Poliaco error reviviscens damnatur. 12. Corsicam juris Pontificii asserit Eugenius qui et electioni Romani Pontificis et quieti publicæ consulit. 13, 14. Eugenii papæ virtutes, obitus et laudes. 15. Amedeo antipapa inani spe elato, Nicolaus V papa eligitur. 16. Nicolai primordia et virtutes. 17. Conventus Germanorum apud Aschafemburgium, in quo opera Friderici regis verus Pontifex recognoscitur. 18, 19. Amedeum antipapam ad saniorem mentem redigere omnimode conatur Pontifex opera usus regis Galliæ. 20. Lugdunensis habitus conventus pro schismate tollendo dum Nicolaus ad aberrantes reducendos dat litteras. 21. Gnesnensis archiepiscopus schisma damnans restituitur, et plures reges Ecclesiæ conciliantur. 22. Alphonsus Aragoniæ rex, Philippus dux Burgundiæ et Renatus Siciliæ rex Pontifici obsequentissimi. 23. Gestum a Joanne rege Navarræ bellum cum Castellano, et Fraticellorum hæresis rursus damnata. 24. Religiosa pompa Corporis Domini a cathedrali Ecclesia ducenda. 25. De pace Italiæ restituenda actum ; Philippi Mariæ Mediolanensis ducis mors et mores. 26. Ortam inter Cæsarem et Hungaros controversiam sedare nititur Nicolaus. 27. Græci in Latinos vetera alunt odia. 28. Varia Saxonibus a Nicolao data responsa. 29. Beata Coleta sanctimonia floret.

MCDXLVIII. 1. Clerus populusque Basileensis veniam schismatis poscunt. 2. Galli oratores de pace Ecclesiæ agunt. 3. Pactiones de conferendis in Germania sacerdotiis, et annatæ sanctione Pontificia confirmatæ. 4, 5. Joannis cardinalis legatio et acta in Bohemia circa electionem regis et episcopi Pragensis. 6. Adornata ab Huniade in Turcas expeditio. 7. Huniadis in Turcas irruptio, et prælium triduanum. 8. Decreta legatio pro Alphonso et Florentinis conciliandis ; Mediolanenses a pluribus appetiti. 9. Clandestina matrimonia vetita in Andegavensi synodo ; et quæstiones de indulgentiis et confessione et potestate Pontificia imprudenter habitæ coercentur. 10. De transferendis Mariæ Salome et Mariæ Jacobi reliquiis actum. 11. Insigne miraculum S. Barbaræ et alia S. Lidwinæ.

MCDXLIX. 1. Amedeus antipapatum deponit et Ecclesiæ reconciliatur. 2. Regum opera in tollendo schismate. 3, 4. Fallaces antipapæ litteræ in pseudosynodo Lausanensi editæ. 5, 6. Pseudocardinales Basileenses Nicolaum deligunt fictione juris, et honores deferunt Amedeo; schismatis exstinctio. 7, 8. Celebrata Romæ ob deletum schisma publica lætitia; cum pseudocardinalibus pie actum; contentio inter Gnesnensem et Cracoviensem episcopos. 9. In hæresim Manichæam recrudescentem in Bosnia Nicolaus decernit. 10. Vetiti Latini Græcorum ritus usurpare : Amuratis cum principibus Christianis varia certamina. 11. Obitus Palæologi imperatoris. 12. Inter Neophytos et Christianos veteres lis mota. 13. Nicolaus ancipiti morbo Tolentini implicitus. 14. Nicolai studia pro amplificanda Ecclesiæ dignitate. 15. Indicit Jubilæum annuum. 16. Violatæ ab Anglis induciæ, qui seditionibus laborant.

MCDL. 1. Insignis Jubilæi anni celebritas multitudine populorum et virorum Romam confluentium. 2-4. Consecrata Bernardini Senensis memoria post diligentem de ejus miraculis inquisitionem. 5. Æneas Sylvius Romam venit. 6. Consulitur iis qui Romam ad jubilæum venire non possent. 7. Huniades expeditionem in Turcas meditatus. 8. Indictæ inter proceres Pannoniæ induciæ. 9. Tartarorum in Poloniæ terras irruptio. 10, 11. Ad sedandas discordias in Germania missus Nicolaus Cusanus cardinalis, optime suo munere functus. 12. Idem cardinalis legationem obit in Bohemia contra Hussitas. 13. In Bosna Manichæi Turcas evocant in Catholicos. 14. Chaldæi in Cypro in veteres errores lapsi; equites Hierosolymitani ad disciplinam revocati. 15. Fœdus initum inter Rhodios et Amuratem, qui in obsidione Croiæ moritur. 16. Mahometes Amurati succedit in imperio. 17. Insula Castrirubei Aragonio permissa, obstantibus equitibus Hierosolymitanis. 18. Subsidia Aragonio pro classe adversus infideles sustentanda concessa; instituta Academia Barcinonensis; conditum Bisuntii gymnasium. 19. Gradensis patriarchatus translatus Venetias; dux Genuensis rosæ aureæ munere ornatus. 20. Pulsi universa Normannia Angli; obitus cardinalis Arelatensis et Amedei.

MCDLI. 1, 2. Mortuo Amurate, Græci in schismate obdurantur, quos sollicite admonet Nicolaus. 3. Confutatæ a Gennadio Græcorum calumniæ; vaticinia de eversione Græcorum. 4. Periclitanti Cypro subvenire nititur Pontifex, et Hispaniæ a Sarracenis vexatæ. 5. Confirmatum decretum pro neophytis; et sanctiones contra Judæos et Saracenos datæ. 6. Decreta contra relapsos in superstitiones, et censor fidei constitutus in Galliis. 7. Nicolai studia pro sedando bello inter Anglos et Gallos. 8. Aquitania subacta a Gallorum rege quem Philelphus ad bellum contra infideles adhortatur. 9. Rex Anglus frustra sollicitatus ad pacem; Cadomensis Academiæ confirmata jura; Glasguensis Academia excitata in Scotia. 10. Legatus in regnum Neapolitanum a Nicolao decretus pro vindicanda Ecclesiæ libertate. 11-13. Hungari a Friderico repetunt Ladislaum regem, cujus educationem postea illi permittunt; colloquia Æneæ Sylvii cum Georgio Podiebratio et cum ipsis Bohemis hæreticis. 14. B. Joannes a Capistrano in Bohemiam missus. 15. B. Joannes, hæreticis infensus, plures Bohemos convertit, a Poloniæ rege invitatur. 16. B. Vincentius Ferrerius miraculorum gloria inclarescit. 17. Privilegiis ditata ædes B. Virginis Hallensis, miraculorum gloria insignis.

MCDLII. 1. Friderici imperatoris in Italiam et in Urbem adventus. 2. Solemnis Friderici III imperatoris coronatio. 3. De imperialibus insignibus collatis Friderico Nicolai litteræ. 4. Æneæ Sylvii oratio nomine Cæsaris habita coram Pontifice et cardinalibus pro Terræ Sanctæ expeditione. 5. Habita a Ladislao rege apud Pontificem oratio, qui Strigoniensis Ecclesiæ privilegia confirmat. 6. Æneas Sylvius in Bohemia et aliis provinciis creatus nuntius Apostolicus. 7. De tutela Ladislai controversiam pro Friderico dirimit Nicolaus. 8, 9. Cardinali Cusano data legatio in Bohemia, qui ad Bohemos hæreticos reducendos multis laborat. 10. Hispani a Granatensibus Mauris divexati. 11. Lusitanus in Mauros sacram expeditionem meditatus ornatur a Pontifice privilegiis. 12. Exactarum a clero decumarum rex Lusitanus veniam poscit et obtinet, cujus honori Pontifex etiam consulit. 13. Anglorum discordiæ civiles. 14. Septentrionales reges mutuis bellis impliciti. 15. Scanderbegus et Ducagnini Albanienses principes in se arma convertunt; Cyprus a Turcis infestata. 16. Mahometis II consilia et apparatus pro expugnanda Constantinopoli, de quo solliciti Genuenses frustra Alphonsum Aragonium excitant. 17. Illæsa inter flammarum globos Eucharistia. 18. Joannes episcopus Leodiensis cur episcopatu se abdicaverit. 19. Pontificis in concubinarios Constitutio.

MCDLIII. 1. Imminenti Constantinopolis excidio Latini nullas ferunt suppetias. 2. Isidorus cardinalis ad Græcos a Nicolao missus, et classis parata. 3. Expugnatio Constantinopolis ob retardata auxilia, et schismati adscripta. 4-6. Quanta horribilia patrarint Turcæ in capta civitate. 7. Classis Pontificia a Turcis intercepta; consilium Æneæ Sylvii de Christianis in Mahometem concitandis. 8. Friderici imperatoris consilia de expeditione Constantinopolitana. 9-11. Concitare nititur Nicolaus Christianos ad Turcicum bellum, datis litteris Apostolicis. 12. Italia civilibus bellis attrita; unde auctæ res Turcicæ. 13. Languida regum consilia de bello in Turcos. 14-16. Reliquiæ Græcorum in schismate obdurantur, quos arguit Gennadius.

17. Sindon delata in Occidentem. 18. Granatenses in Castellam irruptiones agunt. 19. Impostores in Hispania vendunt indulgentias. 20. Edelinus magus. 21. Richardus dux Eboracensis seditionum in Anglia auctor. 22. Sicarii immunitate Ecclesiastica abusi, et de ea re sanctio. 23. Ladislaus Pragæ Bohemica corona redimitus. 24. Stephani Porcarii Romæ conspiratio; studia Nicolai pro libris Græcis comparandis et litteris fovendis.

SUMMARIUM

TOMI XXIX

MCDLIV. 1-5. Ratisponensis et Francofurtensis conventus in quibus sacri belli necessitas, ex eloquenti præsertim Æneæ Sylvii oratione, confirmatur; sed nobile illud consilium ob discordias prinpum Christianorum ad nihilum redigitur. 6. Copiis in Hungaria comparandis præficitur Hunniades. 7. Pax Italica et præcipuæ fœderis conditiones. 8. Propter eximium studium, rosa aurea missa, et possessiones in Africis littoribus a Pontifice Lusitano regi concessæ. 9, 10. Pax Aragonos inter et Castellanos redintegratur. 11. Ad componendas res Prussiæ Nicolaus e Cusa in legationem mittitur. 12. Constitutio Ursini cardinalis adversus luxum muliebrem.

MCDLV. 1, 2. Conventus in Austria de gerendo bello sacro. 3-5. Confirmata pax Italica. 6. Athenæ expugnatæ et Cassa in periculum adducta. 7-9. Lusitanæ coronæ addicta regna Africæ Orientalis per Diploma Apostolicum. 10, 11. Nicolai jamjam morituri oratio ad cardinales. 12-16. Hujus Pontificis pius obitus et præclara gesta. 17. Bessarione amoto, eligitur Alphonsus Borgia qui sibi nomen Callisti Tertii adsciscit. 18, 19. Se Turcis arma illaturum vovet Pontifex, et per legatos varia regna movet. 20-23. Spei melioris interpres S. Antoninus in sua ad Callistum luculentissima oratione. 24, 25. Spondet Bosnæ regi clientelam Pontifex et mittit legatum de conciliandis Hungaris. 26, 27. Card. S. Angeli in Germaniam et Poloniam, necnon Nicolai de Cusa in Angliam legatio. 28, 29. Classi Pontificiæ præfectus Petrus Tarraconensis cum munere cardinalis legati a latere. 30, 31. Pontificis exhortationibus excitati, Alphonsus rex Aragonum et Philippus dux Burgundiæ cruce signantur. 32-36. Orientalibus coloniis gravia mala imminent, faventibus principum Christianorum discordiis. 37, 38. Immunitas Ecclesiastica defensa a Callisto, et repressa in Gallæciis scelera. 39. Indictum Mahumetanis Granatensibus bellum. 40-42. Vincentius Ferrerius sanctis ascriptus. 43, 44. Beati Laurentii Justiniani obitus et laudes. 45-54. Acta Concilii Suessionensis de cultu divino instaurando, et de moribus præsertim clericorum castigandis.

MCDLVI. 1-4. Litteræ Apostolicæ de cruciata ad Alanum legatum in Gallia, quas promulgari vetat rex Carolus, politicorum consiliis irretitus. 5. Plurium, imprimis Delphini, pius ardor, et implorata a Genuensibus regis Anglorum auxilia. 6, 7. Fœdus Italicum ab Alphonso rege confractum, mox a Callisto restauratum. 8-11. Ad bellum sacrum inflammati Lusitani, Genuenses et Alphonsus Aragonius. 12. Cruce signata classis impie ab Aragonia in Genuenses conversa. 13. Pontificiæ classi præficitur Ludovicus cardinalis. 14, 15. Dum universum orbem edomare meditatur Mahometes, navali pugna superatur ab Hunniade. 16-18. Germanos principes litteris et legatis Callistus frustra tentat. 19-23. Humana destitutus ope ad divinam confugit Pontifex indictis precibus. 24-37. Celeberrima de Machomete ad Belgradum reportata victoria. 38, 39. De successu lætus Pontifex, ne inanis fiat conatur. 40-43. Imperatoris et regum torporem insudat excutere suis litteris Callixtus. 44-48. Ad bellum sacrum Lusitani, Itali et Æthiopes ipsi concitati. 49. Pontificius thesaurus a Callisto in Turcas exhaustus. 50. In Ægeo mari res feliciter gestæ. 51, 52. Extincto Hunniadi sufficitur Nicolaus e Wylack. 53-64. B. Joannis Capistranensis pia mors, laudes et miracula. 65-68. Anathemate plectuntur Christiani Christianos opprimentes, Turcis opitulantes et Judæis communicantes. 69, 70. Callisti sanctiones de controversiis in Bohemia dirimendis, et de concionibus in sacello Apostolico habendis. 71-73. Cardinalium creationes et eximia castitatis exempla. 74. Terræ hiatus in regno Neapolitano.

MCDLVII. 1. Instructam a Callisto classem non in Turcas, sed in insulam Cyprum dirigendam curant Pontificis nepotes, qui propterea in vincula conjiciuntur. 2, 3. Mahometi denuo incursionem minitanti adversari rogantur reges. 4-7. Hungaria intestinis dissidiis agitatur; exinde multo dolore afficitur Pontifex. 8, 9. Pacem inter regem Hungariæ et imperatorem conciliare nititur Callistus. 10, 11. Ladislaus fœdus jungit cum Friderico, et inducias Turcicas rumpit. 12, 13. B. Jacobus Picens B. Joanni Capistranensi suffectus. 14-16. Ladislai mors pia, sed rei Christianæ funesta. 17-20. Bosniæ rex ad bellum sacrum se accingit, quem Callistus tum legatis et litteris stimulat, tum decumis amplissimis adjuvat. 21-26. In Macedonia Scanderbergus Mahometis impetum sustinet solus, inter omnes principes de Ecclesia optime meritus. 27, 28. Scanderbergi fortitudo, et Epirotarum nonnullorum principum defectio. 29, 30. Insignis perfidia Pauli Craiensis, schismatis germina serentis. 31-33. Ingens lætitia ob multa navalia prælia feliciter gesta. 34, 35. Callisti studia pro regibus, præsertim Septentrionalibus, ad sacrum bellum inflammandis. 36-38. Indicti a Pontifice solemnes Christianorum principum cœtus. 39-50. Injustæ Germanorum querelæ confutatæ. 51-58. Galli principes et clerici, inter quos eminet Academia Parisiensis, non solum opes solvere recusant, sed ad futurum Concilium Generale provocant, haud obnitente legato cardinale Æduensi. 59. Classem auro decumano comparatam, non in Turcas, sed in Anglos convertit Carolus. 60-62. Suecia concussa bellis, Carolo rege ejecto, cum Dania et Norwegia conjungitur sub uno Christierno qui causam Christi despicit. 63, 64. Frustra conatur Callistus ut inter Genuenses et Alphonsum Aragonium pacem componat. 65. Laudantur et Sabaudus et Leodienses Pontificis votis obsequentes. 66-68. Minorita ad Usumcassanum et Georgianos missus. 69. Principes Babylonici ad defectionem sollicitati. 70, 71. Castellani in Granatenses bellantes crucis symbolo insigniuntur. 72. In Navarra dissensiones. 73-80. Bulla de institutione festi Transfigurationis. 81-88. Osmundus episcopus sanctorum Albo repositus. 89. Spina Dominica stupendo miraculo flores producit. 90, 91. Exorti in Longobardia hæretici. 92. Reginaldus Pecokius, episcopus Cicestrensis, Wicclefiana hæresi implicitus. 93. Marmora ex Ecclesiis extrahi vetatur.

MCDLVIII. 1-5. Procurante Callisto, Huniadis filius e carcere ad thronum Hungaricum evectus. 6-10. Congratulatoriæ Callisti ad Matthiam litteræ. 11-13. Fœdus Christianorum principum sollicitat Pontifex, et inducias cum Turco pangi vetat. 14-17. Scanderbegus, licet a nepote traditus, de Turcis insignem reportat victoriam. 18, 19. Legatus ad constantiam incitatus; dissidia Germanica et Hungarica sedata; classis instructa. 20-28. Inter multos Bohemici regni æmulos rex creatur Podiebratius, cujus fraudes mox detectæ. 29, 30. Genuenses oppressi ab Alphonso Aragonio, qui in medio belli ardore moritur. 31-34. Callistus Neapolitanum regnum ad Ecclesiam Romanam jure devolutum pronuntiat. 35, 36. Venetos ad arma in Turcas, Navarræ regem et filium ejus ad concordiam, Alphonsum ad Ecclesiasticas immunitates colendas hortatur Pontifex. 37-39. Inter Rothomagensem et Lugdunensem archiepiscopos de primatu, necnon inter Florentinum et Dominicanos de ordine servando in processionibus Corporis Christi controversia dirimitur. 40, 41. Callisti obitus et eximiæ dotes. 42, 43. Cardinalis Capranicæ mors et virtutes. 44. Mors Joannis regis Cypri.

HIC INCIPIT SEPTIMUS RAYNALDI TOMUS IN PRIORIBUS EDITIONIBUS.

1-4. Callisto suffectus Æneas Sylvius, cui Pii II nomen inditur. 5-8. Pactiones inter cardinales initæ. 9-12. Res a Pio II præclare gestæ ante suam ad Pontificatum evectionem. 13. Encyclicæ Pii litteræ. 14-18. Indicti ab eo Mantuæ Christianorum principum conventus. 19. Gratulatoria oratio S. Antonini ad Pontificem nomine Florentinorum. 20-27. Ferdinandus in regno Neapolitano a Pio confirmatus, impositis prius quibusdam conditionibus, et rescisso decreto adversus Ferdinandum lato. 28, 29. Reluctantibus licet Gallis principibus, cardinalis Ursinus ad coronandum Ferdinandum missus. 30-49. Diploma Pii de regio jure in Ferdinandum translato. 50. Trinitarii tres martyrio affecti Constantinopoli.

MCDLIX. 1. Ad Mantuanos conventus profecturus Pius consulit ne, ipso extincto, aliquod schisma oriatur. 2, 3. Nova militia in Turcas instituta. 4-8. Pontificis iter Mantuam versus, et sollicitati principes ut illuc conveniant. 9-13. Pergit Perusium ubi læte excipitur, dein Senas, patriam suam, cujus magistratus supremus rosa aurea donatur. 14-17. Fridericum frustra dehortatur ab Hungarico regno affectando, ne Matthiam regem ad iniquum cum Turcis fœdus adigat. 18-23. Podiebratii dolos subodoratus Pius in Bohemiam nuntios mittit qui concordiam componant, et controversiam de usu calicis sedent. 24, 25. Henrici regis Castellæ egregia fidei amplificandæ studia et querelæ de abusu juris asyli. 26. Burgundiæ ducem hortatur Pontifex ut nata inter Germanos dissidia compescat. 27. Annuit Marchionum Brandeburgensium postulatis de Eucharistia absque velamine exponenda singulis festivis diebus in urbe Osteinsi. 28, 29. Reginaldus Cicestrensis in hæresim relapsus insignibus episcopalibus privatur. 30. In Britannia Minori animadvertitur in hæreticos matrimonium damnantes, et magicis artibus faventes. 31. Novus in Longobardia hæresiarcha perpetuo carceri mancipatur. 32. Pius a

Florentinis magnifice exceptus. 33-37. S. Antonini pia mors, laudes et miracula. 38. Frustra conatur Ferdinandus rex ut Malatestam ad pacem adducat. 39, 40. Magnis honoribus Bononiæ et Ferrariæ excipitur Pontifex qui dat litteras Renato ad demulcendum ejus animum. 41-43. Mantuam ingressus Pius hortatur tum sermonibus, tum litteris principes ut Christianam rem uno animo tueantur. 44. Ensis sacra prece lustratus ad imperatorem missus. 45. Monitus Francorum rex ut *Christianissimi* nomen factis exornat. 46-48. Commendati Peloponenses qui Christi causam defenderunt. 49-51. Orientales reges in Mahometem jungere arma pollicentur, atque de hoc consilio ducem Burgundiæ certiorem faciunt. 52, 53. In conventu Mantuano ducis Burgundiæ oratores pericula belli Turcici enarrant, et a Pontifice redarguuntur. 54-58. Germaniam bellis misere discerptam componere Pontifex connititur et rem feliciter gerit, unde litteræ gratulatoriæ principibus Germanis. 59. In Mantuano conventu lis de sessionis honore dirimitur decreto Pontificio. 60-63. Oratio habita a Pio in qua prolixe exponuntur causæ inferendi bellum Turcis. 64, 65. Militaria consilia in quibus actum de copiis, navibus et subsidiis comparandis. 66, 67. Oratores a rege Gallo in Mantuam missi et delatum a Britanno duce obsequium Pontifici. 68, 69. Quibus de causis Pius regnum Neapolitanum Ferdinando asseruerit. 70-72. A Gallis et Anglis desertus Pontifex ad Germanos se convertit, qui auxiliarem exercitum pollicentur. 73. Sigismundus Austriæ dux Pium Mantuæ adit. 74. De De Polonis conciliandis cum cruciferis actum. 75. Quæsita a Gothis et Lithuanis auxilia, et fœdus cum principe Ciliciæ pactum. 76-78. Datur imperium cardinali legato ut Turcis irruentibus adversetur. 79-81. Dissidia Sicula ad tempus pacata. 82. Altacer a Lusitanis captum, et clerici censuris soluti. 83. Pax inter Gallum et Burgundum confirmata : Valentinensis et Ingolstadensis Academiæ erectæ. 84. Gregorio Græcorum patriarchæ apud Sedem Apostolicam vita functo sufficitur cardinalis Isidorus Ruthenus. 85. In Cypro ortæ graves dissensiones. 86. Fascinariorum secta oborta. 87. Constitutio de non conferendo episcopatu junioribus clericis.

MCDLX. 1-6. Indicta a Pio II in cœtu Mantuano expeditio in Turcas. 7-9. Decreta principum consensu subsidia. 10, 11. In clericos conquerentes de decumis et ad futurum Concilium provocantes Pontificia sanctio. 12-14. Conventum dimissurus Pius quot et quanta in eo constituta sint exponit. 15-23. Pius per litteras et legatos, imprimis per Bessarionem, totus incumbit concordiæ principum arctius relingandæ, apparatibus belli urgendis, duci crucesignatorum eligendo, sed omnis spes expeditionis evanescit. 24-26. In extasi revelatur Dionysio Carthusiano principes indignos esse qui expugnent Turcas. 27-30. Senas reversus Pontifex quinque cardinales creat. 31, 32. Cardinalis Borgia ob solutiores mores graviter a Pio perstringitur. 33, 34. Immunitas Ecclesiastica in cardinale Nicolao de Cusa læsa a Sigismundo qui anathemate plectitur. 35-38. Provocantem ad futurum Concilium Sigismundum redarguit fortiter Pius Constitutione edita. 39-44. Ante quinquennium iidem errores ab ipso, tum cardinale, jam confutati in Epistola ad Martinum Mayer, Coloniensis archiepiscopi scribam primarium. 45-54. Adversati Pontificiæ auctoritati in provisione quorumdam sedium episcopalium reges Castellæ, Poloniæ et Galliæ. 55. Jacobus Lucensis, renitente licet duce Mediolanensi, sedi Ticinensi sufficitur : insignis legatio patriarcharum Orientalium ad Pium mittitur. 56-59. Monobassienses Pontificio imperio se submittunt. 60, 61. Scanderbergum Pontifex gratulatur, quod Ferdinando Siculo opem clientelarem ferre meditatur. 62-68. Res Siculæ primum Ferdinando adversæ, dein opera Pontificis restitutæ. 69-73. Seditiones in Urbe et Ecclesiastica ditione in Gallorum gratiam. 74-77. Georgius Podiebratius larvam Catholicæ fidei præferens, se dat concordiæ interpretem inter imperatorem et Ungarum. 78-83. Georgius ex arte turbas in Germania excitat, quibus frustra conatur sibi viam sternere ad imperium. 84-87. Germanos in Turcas incitat Bessario, cujus diligentes curæ laudantur a Pontifice. 88, 89. Imperatore negotiis arduis implicito, et Palatino detrectante, deficit dux qui præficiatur exercitui Germanico. 90. Hungari, ne pangant inducias cum Turcis deterriti. 91, 92. Thomas Bosnensis regiam coronam exambit a Pio. 93-96. Jacobus, spurius Aragonius, cum exercitu Ægyptiaco Cypro potitur. 97-100. Minaces ad Pium litteræ sultani Ægyptiaci cujus insipientia confunditur, et insolentia retunditur. 101-103. Orientalium regum legatio insignis ad Pontificem. 104. Decretum Pontificium in Albanos proditores. 105. Comparata a Venetis classis ad Turcicos impetus comprimendos. 106-109. Lites et pugnæ de sceptro Anglico inter Henricum regem et ducem Eboracensem ex quibus Scotiæ rex occasionem accipit invadendi Angliam. 110-113. Armaniacum comitem, incestus reum, in sinum Ecclesiæ recipit Pontifex, injuncta gravi pœnitentia ; et Gallorum regem rogat, ut principatui illum restituat.

MCDLXI. 1-6. Omnimode tuetur Pontifex Ferdinandum adversus Gallos quorum res in Siculo regno et Liguria collabuntur. 7, 8. Excitatæ in ditione Ecclesiastica turbæ et dux Pontificii exercitus a Malatesta fusus. 9, 10. Crimine hæreseos postulatus Malatesta, et moniti Veneti ne cum ipso consortium ineant. 11. Censuræ in Sigismundum Austriacum exercitæ. 12, 13. Sigismundum imperatori infensum Sfortia debellare promittit, ut Ecclesiæ hostem Helvetii insectantur. 14, 15. Invigilat Pontifex ne in se vel imperatorem aliquid pravi moliantur principes Germani. 16-25. Dietherus Moguntinus exauctoratur, et in ejus locum Adolphus Nassoviensis

citius reddendum revocat et Genenuensium animos erigit. 11. Lesbo propulsati Veneti, captivi Christiani vexati. 12. Hungarorum fausta expeditio. 13-24. Philelphi litteræ ad ducem Venetorum de conficiendi belli ratione. 25-30. Gravissimis argumentis Pius urget Burgundum qui voti neglecti reus totius orbis spem fallit. 31. In Pisano portu instructa classis Pontificia. 32. Turbæ in Hispania. 33. Brachio S. Joannis Baptistæ Ecclesia Senensis donata : Georgio regi Bohemiæ dies dicta. 34, 35. Sigismundo Austriaco injurias expianti venia datur. 36-40. Roma egressus Pontifex multo labore conficit iter, et tandem Anconam appellit. 41-44. Pii morientis extrema verba et eximia exempla. 45-49. Spes de Scanderbergo maximæ Pii morte evanescunt. 50, 51, Philelphi et Simonetæ obtrectationes confutatæ. 52, 53. Pontificis laus et exequiæ. 54-56. Inclusi conclavi cardinales ad aliquas pactiones se astringunt. 57, 58. Petrus tituli S. Marci cardinalis creatur Pontifex, et Pauli II nomen sibi adsciscit. 59, 60. Litteræ Encyclicæ et primordia novi Pontificis. 61-64. Etsi quidam cardinales obstiterint, pactiones in conclavi juratas Paulus dissolvit. 65. Agitata a Paulo expeditionis Turcicæ consilia. 66-69. Res infeliciter gestæ a Venetis ob exortam inter eos et Rhodios discordiam. 70, 71. De gratiis expectativis tollendis, et de commendis non multiplicandis actum. 72. Pax Ferdinandum inter et Renatum Andegavensem proposita. 73, 74. In Sicilia Gallorum, et in Cypro Genuensium collapsa potentia. 75. Eversi comitis impietas insignis. 76. Cosmæ Medicæi mors et elogium. 77. Parisiis Atheismus prodigio damnatus.

MCDLXV. 1, 2. Principes Itali stipendia ab Ungaro sollicitata variis artibus pendere diffugiunt. 3-6. Tentatus lenociniis Mahometis Ferdinandus in Ecclesiam insolescit. 7, 8. Turbæ in Castella et Catalonia. 9. Anglia civili cruore madet. 10-13. Galliæ rex et dux Burgundiæ inter se dimicant. 15, 15. Caroli ducis Aurelianensis et Ludovici cardinalis Alebretensis pia mors. 16-19. Scanderbergus a Pontifice adjutus Turcas multis præliis atterit. 20-25. B. Andreas Chiensis glorioso martyrio coronatus. 26-44. Podiebratius rex Bohemiæ se dat audacter judicem controversiarum fidei, et Wicleffi impia dogmata tuetur.

MCDLXVI. 1-6. Rebus Orientalibus in deterius versis, Paulus principes hortatur ut arma in Turcas moveant. 7. Scanderbergi pia mors. 8-12. Francisco Sfortiæ, minore ob voluptates gloria donato, succedit Galeas, iniquus in Ecclesiasticos viros et imprimis in cardinalem Papiensem. 13-16. Ludovicus XI, recuperato et pacato regno, litteras et nuntium mittit ad præstandam solemni ritu Pontifici obedientiam. 17. Belgium civili bello flagrat. 18, 19. Hispania triplici bello lacerata. 20-24. Paulus Beneventanorum archiepiscoporum temeritatem reprimit, curiam Romanam purgat ab omni Simoniæ labe, et sanctionem edit severam in eos qui inimicorum propinquos lædebant. 25. Domini Brixinensis et Roderici Sanctii libri Apologetici pro statu Ecclesiastico. 26-30. Georgium Podiebratium hæresis fautorem regno exauctorat Pontifex. 31. Polonos inter et Cruciferos instituta pax.

MCDLXVII. 1-8. Decreta Pontificia adversus Georgium et Hussitas. 9-14. Fraudibus Podiebratii illaqueatur Casimirus rex Poloniæ. 15. Nonnulli Fraticellorum sequaces hæresim ejurant. 16. Auctus cardinalium numerus. 17-21. Dissensiones Florentiæ, necnon in regnis Castellæ et Novarræ, quas Paulus sedare studet. 22, 23. Philippi ducis Burgundiæ obitus et virtutes.

MCDLXVIII. 1-14. Armis certatum in Podiebratium, cui plures urbes ereptæ. 15-26. Diploma Pauli concordiam inter principes imperantis ; pax exinde sancita, et laudes Deo persolutæ. 27-31. Dux Mediolanensis et Ferdinandus Neapolitanus pactis abuti tentant ad Pontificium jus declinandum. 32, 33. Leodienses a Carolo Burgundo summa strage affecti. 34. In Hispaniis bella civilia. 35. Pestis in Urbe grassata. 36-38. Turrecrematæ obitus, scripta et munificentiæ testimonia. 39, 40. Nova cardinalium creatio. 41. Sanctio celeberrima de non alienandis bonis Ecclesiasticis. 42-48. Romæ honorificentissime exceptus a Paulo imperator Fredericus, qui ostentat magnam religionis speciem.

MCDLXIX. 1-7. Imperatoris ab Urbe discessus, et S. Georgii Ordo militaris institutus. 8. Viennensis episcopatus in Austria a Paulo II conditus. 9-11. Victorini, Podiebratii filii, in terras Friderici irruptiones reprimit Matthias Ungarus. 12-19. Venetorum in Turcas victoriæ magnis cladibus immixtæ. 20. Christiernus Suecus in suos usus derivat Ecclesiasticas decumas. 21-23. Detecta divinitus cardinalis Balvæ perfidia, pax redintegratur inter Ludovicum Galliæ regem et Carolum fratrem. 24-27. Venetorum armis confisus Paulus repetere tentat divulsas ab Ecclesiæ ditione toparchias. 28-30. Petrus Maronitarum patriarcha de quibusdam fidei capitibus a Pontifice eruditus, et in patriarchatu confirmatus. 31. Academia condita in Scotia.

MCDLXX. 1-4. Casimirus Poloniæ rex, repulsa Hungari regis societate, ad Podiebratium se convertit et Radicensibus conventibus se implicat. 5-9. Casimirum objurgat Paulus, et rogat eum ut oratoribus ducis Moscoviæ aditum permittat. 10. Fœdus inter imperatorem et Hungarum

instauratur. 11. Nefarium votum de evertenda religione Christiana a Mahomete editum. 12-15. Eubæa a Turcis capta et devastata. 16-19. Canalius dux Venetus propterea insimulatus et vindicatus. 20-23. Cardinalis Bessarionis ad Bessarionem monachum litteræ condolentis de præsenti clade, et prædicentis mala Italiæ imminentia. 24-35. Ejusdem Bessarionis orationes parænetica ad principes Italos de concordia firmanda, et de potentia Turcarum citius refrænanda. 36. Transalpini principes ab eodem cardinale moniti et ad se accingendum sollicitati. 37. Cypri regnum ad Venetos devolutum. 38-43. Paulus dat operam ut Itali dynastæ ligam renovent quam Nicolaus formaverat. 44. Erga Ferdinandum Pontificis benevolentia: calix aureus Basilicæ Lateranensi a rege Galliæ oblatus. 45. Carolus Borbonius Lugdunensis archiepiscopus comitatui Venusino præficitur. 46. Valentina Ecclesia ab Ecclesiæ Tarraconensis jure metropolitico soluta. 47. Super sepulchrum Varadæ Colocensis cardinalis creati suspendi permittit Paulus insignia hujus dignitatis. 48. Carvajalis cardinalis mors ac res præclaræ gestæ. 49, 50. Eduardus Angliæ rex regno pulsus, et Henricus solio restitutus. 51. In Academia Lovaniensi errores sparsi, et a Paulo aboleri jussi. 52-54. Ostensum Dionysio Carthusiensi imminens Gueldriæ excidium. 55. Jubilæus annus redactus ad vigesimum quintum. 56. Veritas religionis Christianæ, teste et fatente Marsilio Ficino, miraculis comprobata.

MCDLXXI. 1, 2. Urget Paulus concordiam inter imperatorum et Ungarum. 3-5. Ad Ratisponenses cœtus cardinalis Senensis mittitur legatus. 6-14. Licet instent Turcicæ grassationes, verba, non res, his conventibus prodeunt. 15-26. Georgius in augustias conjectus expetit Ecclesiæ gratiam, quæ non nisi positis antea conditionibus illi offertur. 27, 28. Monita legato data de re Bohemica. 29 33. Conqueritur Matthias Ungariæ rex quod nec Cæsar nec Pontifex promissa adimpleant. 34-41. Varii principes anhelant regnum Bohemicum, sed Matthiæ Ungaro Apostolicum patrocinium promissum, et ensis benedictus missus. 42-45. Sollicitatus ne deserat Christianos Ludovicus Galliæ rex qui in Burgundico bello iras exercet. 46. Periclitantur Christianæ res in Oriente, Macedonia et Cypro. 47-50. Usumcassanus Pontifici fœdus proponit, sed desunt ocasioni principes. 51-53. Novæ in Anglia rerum conversiones. 54, 55. Decreti judices in causa Balvæ cardinalis, necnon episcopi Virdunensis, crimine proditionis oneratorum. 56, 57. Borsius Mutinæ dux ducis Ferrariensis titulo insignitus. 58. Lauretana ædes a Paulo II exornata. 59. Icunculæ quæ vocantur AGNUS DEI vendi aut permutari prohibitæ. 60. Pontifex et Lusitanus rex certant muneribus. 61, 62. Non divinæ ultioni, sed nimiæ plethoræ adjudicanda Pauli mors repentina. 63-65. Pauli memoria vindicatur. 66-70. Sixti IV electio, dotes et litteræ Encyclicæ. 71-75. Decernit Pontifex tueri Christianam fidem contra Turcas. 76-78. De Concilio cogendo frustra agitatum: quatuor legati in varia regna missi a Sixto. 79. Cardinalitius senatus auctus. 80, 81. Jacobus Picens Minorita morbo, et Philippus Clivius, vinculis, ope Virginis liberati. 82. Catalani et Genuenses inducias paciscuntur. 83. Dionysii Carthusiensis pia mors. 84. Obitus Amedei Sabaudiensis, sua liberalitate in pauperes insignis.

MCDLXXII. 1-3. Fideles ad cruciatam militiam in Turcas excitati. 4, 5. Classis Pontificia sacra prece lustrata, et legati in varias provincias missi. 6-9. Bessario dolore confectus moritur: illius præclara gesta et doctissima scripta. 10, 11. Venetæ reipublicæ bibliothecam legat Bessario, cujus funera Romæ peracta, et titulus ad Riarium cardinalem transmissus. 12. Ludovicus Galliæ rex salutandæ Virginis hora meridiana auctor. 13. Amissas provincias Ludovicus recuperat armis et astutia. 14-16. Legati tam Galli regis quam aliorum principum Sixto ferunt obsequia. 17-19. In Scotia archiepiscopalis sedes erecta, et decumæ imperatæ. 20. Quæsita ex aliis regnis subsidia. 21, 22. Roderici Borgiæ in Hispaniam legatio improbe gesta. 23, 24. Petrus Navarræ comestabilis, cæsi præsulis Pampilonensis reus, ad pœnas subeundas se offert. 25. Gasto Fuxensis regno Navarræ potitus, mox e vivis tollitur. 26. Isabella Castellana nupta Aragonio. 27. Lusitani regis in regnum Phutense expeditio. 28-32. Sixtus Polonum regem ad deserendas partes Bohemorum et ad jungendam amicitiam cum Matthia Hungaro adducere satagit. 33, 34. Silesii et Moravi intentato anathemate obsequi jussi Matthiæ. 35-40. Marcus cardinalis in regna Borealia mittitur ad firmandam pacem inter Polonum et Hungarum. 41. Navigat Rhodum legatus et equitum controversiam sedat. 42, 43. Cruceata classis littora Asiæ infestat. 44-47 Usumcassani victoriæ. 48, 49. Insignis Moscoviæ ducis ad Sixtum legatio quæ proponit Tartarorum fœderationem adversus Turcas, sed rejicitur ut periculosa. 50, 51. Fœdus Italicum Paulo II sedente institutum a Sixto repellitur. 52-59. Ferdinandus ab onere pendendi vectigalis liberatus promissa non adimplet: quædam possessiones ab Ecclesiæ ditione improvide per Sixtum divelluntur. 60. Sanctio Pauli II de Jubileo ad vigesimum quintum reducto a Sixto confirmatur. 61. Sedantur lites ob Pragmaticam Sanctionem in Galliis subortæ. 62. Xenodochium et cænobium conduntur a Willelmo cardinale Spoletano. 63. Ludovici Morbioli pia mors. 64. Evangelii præcones ad Canarios et Guineos missi.

MCDLXXIII. 1, 2. Præclara gesta Petri Mocenici et Usumcassani. 3-5. Jacobo rege mortuo, Cyprii in varias

MCDLXXIX. 1-4. Redintegrare in Turcas bellum nititur Sixtus, missis in Germaniam et Insubriam legatis. 5-7. Interemptus helleboro Papiensis cardinalis, doctissimis scriptis et piis operibus commendabilis. 8-15. In crimen ab æmulis adductus, Sixtus illud a se removet. 16-18. Inter Ecclesiæ clientes, alii ex infidelitate pœnis affecti, alii ob virtutem laudati. 19. Sixtus a Ferdinando hucusque devoto desertus ad pacem cogitur. 20-25. Ad repellandos Mahometis incursus, classis in Hispania instructa, Ordines equestres in unum coadunati et fœdus inter Bohemum et Ungarum sancitum. 26-29. Ad Germanos principes Matthiæ Ungari querelæ quæ spernuntur. 30, 31. A Joanne, Moscovita duce, Novogordia et Tuversia Polonis erepta. 32, 33. Hæretica Petri de Osma et Joannis Burchardi dogmata. 34. Indulgentiæ concessæ festis Conceptionis, S. Francisci et S. Antonii Patavini.

MCDLXXX. 1-13. Rhodum a Turcis obsessam propugnat Aubussonius cælesti virtute confirmatus. 14-6. Partæ victoriæ trophæa B. Virgini dedicata. 17, 18. Calabria a Turcis invasa. 19-28. Ad obicem ponendum Turcicis grassationibus Sixtus principes incitat ad concordiam, tum decumas imperat impendendas in sumptus bellicos. 29. Festivitas Omnium sanctorum diebus octo celebranda. 30-32. Genuenses pacati et Lauretana domus contra Turcarum incursus communita. 33-37. Data Juliano cardinali provincia pacis conciliandæ inter ducem Austriacum et regem Gallum, necnon inter Gallos et Anglos. 38. Joanna Castellana in religionem ingressa, extinguuntur civilia dissidia. 39-41. Florentini in Ecclesiæ gratiam recepti. 42. Nicolaus eremita Helvetius sanctitate clarus. 43. Cardinales novi in senatum adlecti. 44. Mota lis de annulo Virginis pronubo. 45. Editum Utini insigne miraculum : Dugloski historici obitus.

SUMMARIUM

TOMI XXX

MCDLXXXI. 1, 2. Cardinalis Melphitensis in Germaniam missus ad conciliandos imperatoris et regis Hungariæ animos. 3-13. Interprete rege Gallo fœdus initum et pactiones sancitæ inter principes ad Turcas pellendos ex Italia. 14, 15. Grassantibus Turcis in Calabriam instruitur sumptu Pontificio classis. 16, 17. Balva cardinalis Ecclesiasticæ potestati traditus : legatio Caroli Provinciæ comitis ad Pontificem. 18-23. Promulgata in Turcas sacra militia. 24. Exortæ in Germania turbæ. 25, 26. Mahometes repentina morte sublatus. 27. Ibletus Fliscus aggressus disturbare Pontificiam classem anathemate plectitur. 28, 29. Classis sacra prece a Pontifice lustratur, et Hydruntum obsidione pressum recipitur. 30. Ferdinandi Siciliæ regis ad Sixtum de hac victoria laureatæ litteræ. 31-34. Concilium de bello in Turcicum ipsum imperium inferendo, Ferdinandi culpa, non Sixti, inane efficitur. 36, 37. Confirmantur a Pontifice concordiæ leges initæ inter Castellæ et Portugalliæ reges de terris et insulis recenter detectis. 38. Lusitani ad regnum Manicongi perveniunt. 39. Alfonsi Lusitaniæ regis mors et laudes. 40, 41. Æthiopum legatio ad Sixtum. 42, 43. Martyres Marrochitani in sanctorum Albo repositi.

MCDLXXXII. 1-9. Ferdinandi Neapolitani copiæ a Malatesta profligatæ, et de hac victoria litteræ Sixti ad imperatorem. 10. Roberti Malatestæ mors a Pontifice defleta. 11, 12. Ferdinando pacem flagitanti annuit Pontifex, qui templum B. Virgini in pacis monumentum erigit. 13-15. Initæ et promulgatæ leges pacis Italicæ. 16. Balva cardinalis carcere liberatus : pax Ludovicum inter et Maximilianum. 17-21. Sixtus armorum fœdus jungit cum Ferdinando in Venetos, quos frustra ab obsidione Ferrariensi desistere hortatur. 22. Monitus dux Mediolanensis ne Ecclesiasticæ immunitati noceat. 23-28. Andreas Graianensis, schisma molitus, ad potestatem sæcularem confugit, ne ad subsellia Apostolica traducatur. 29. Sixti studium erga regem Poloniæ bello implicitum adversus infideles. 30-34. Turcarum in Transylvaniam irruptio et clades, unde ad Hungarum Sixti litteræ gratulatoriæ. 35. Dissidia inter imperatorem et Hungarum rei Christianæ nociva. 36, 37. Zizimus Bajazethis frater ad Christianos profugit et in Galliam perducitur. 38-41. Postremum Granatense bellum et Mauricæ res inclinatæ. 42-44. Eduardus Angliæ rex a Pontifice congratulatus, et mystico munere ornatus. 45. Calix a Gallo rege Ecclesiæ Lateranensi oblatus. 46. Horrenda pestis Galliam invadit. 47-54. B. Bonaventura sanctorum Catalogo adscriptus.

MCDLXXXIII. 1-5. Venetis pacem repudiantibus indicitur bellum a fœderatis principibus Italis. 6, 7. Pontifex a rege Neapolitano, Venetus a Renato Lotharingiæ duce copias auxiliarias expostulat. 8-17. Diploma Apostolicum quo anathema Venetis intentatum notum fit aliis principibus. 18-21. Veneti hoc edicto perculsi provocant a Pontifice ad futurum Concilium ; hujus appellationis iniquitas et inanitas. 22-24. Cavet Pontifex ne Veneti sibi socios adsciscant. 25-27. Senis gravissimæ factiones ortæ. 28-33. S. Francisci Paulani opera Ludovicus Galliæ rex pie vitam claudit. 34, 35. Succedit Ludovico Carolus ad quem mittuntur a Pontifice consolatoriæ litteræ. 36-40. Sixtus vigilat tum immunitati et disciplinæ Ecclesiasticæ servandæ, tum motibus civilibus in Gallia et Hispania comprimendis. 41, 42. Eduardi regis Angliæ obitus et Richardi ducis in nepotem sævitia. 43, 44. Granatenses ab Hispanis victi. 45-48. Mahumetica superstitio et Judaica perfidia in Hispania repressæ. 49-51. Justa severitas Catholicorum principum ipsis invidiam parit, de qua a Sixto vindicantur. 52-56. Litigantibus inter se imperatore et Hungaro, Turcæ in Bessarariam irrumpunt et hæretici in Bohemia tumultuantur. 57. Kioviam instaurare Polonus meditatur. 58. B. Leopoldus clarus miraculis. 59, 60. B. Simon

Lipnicensis et Hugo archiepiscopus Pisanus sanctitate illustres. 61. Cardinalis Estotevillæ mors et laudes. 92. Cardinalitius senatus auctus. 63. Regina Cypri in clientelam Pontificiam recepta. 64. Controversia de Immaculata Conceptione.

MCDLXXXIV. 1-6. Ecclesiæ immunitates in Portugallia, et jura regis in Scotia Sixtus tuetur. 7-9. Pontificium studium in Ungaro et Austriaco conciliandis. 10, 11. Inter Maximilianum et Belgas de Philippi educatione certatum. 12-18. Italia intestinis bellis cruentata. 19, 20. Fessi principes de pace agunt. 21, 22. Sixtus animi dolore et podagra extinguitur. 23-27. Sixtus munificus in Urbem, suorum amantior, in cogenda pecunia solertior, in conjungenda Moscovia cum Ecclesia Romana ardentissimus. 28. Admittitur in conclave cardinalis Ascanius. 29-39. Conditæ a cardinalibus leges tum ad sua jura protegenda, tum ad res Ecclesiasticas moderandas, quibus obstrictus sit futurus Pontifex. 40-44. Innocentii VIII electio, patria et genus. 45. Sacri ritus in electione servati. 46-48, Antequam coronetur, Innocentius plures scribit litteras officiorum refertas ad diversos principes. 49-59. Ritus in coronando Pontifice adhibiti. 60-63. Innocentii litteræ tum Encyclicæ ad omnes principes, tum privatæ ad regem Hungarum, ut arma in Turcas convertant. 64-68. Walachia vastata, Rhodus discrimini exposita, et Sicilia periclitata. 69-71. Siciliam et littora regni Neapolitani præsidiis muniri jubet Pontifex. 72, 73. Bajazethus monitus per Rhodiorum magistrum de fœdere inter principes inito dexteram S. Joannis Baptistæ in signum pacifici animi ad eum mittit. 74-76. Fascinariorum flagitia. 77, 78. S. Casimiri Poloniæ regis obitus. 79. Joannes e Ducla minorita celebris miraculis. 80, 81. Fœneratores et Marrhani in Hispania coerciti. 82. Congi regnum et Guinea adscripta regi Lusitano.

MCDLXXXV. 1-5. Moniti ab Innocentio principes ut Bajazetho in Italiam irrumpenti celeriter se opponant. 6-8. Chiensium patrocinium suscipit Innocentius, Rhodiorum equitum fidem et fortitudinem extollit et pacandis civilibus bellis incumbit. 9-11. Bellum Bavariense sedatum, Austriacum vero magis accensum. 12. Zizimus Pontifici in custodiam commissus. 13-15. Turcarum per Walachiam grassationes Polonorum ope reprimuntur. 16. Moscovita in Livoniam incurrit. 17. Lacticinia tempore Quadragesimæ Hungaris permissa. 18, 19. Augustinus pseudoepiscopus Sanctariensis hæreseos Hussitarum instaurator. 20. Vetitus usus candentis ferri ad probationem. 21-25. Marrhani libertatis asserendæ specie seditionem excitant, in qua Petrus Arbuesius martyr occumbit. 26. Ecclesiasticis moribus perpoliendis navata opera a rege Ferdinando. 27-32. Bellum Granatense magno ardore gestum, et aurum subsidiarium abunde collectum. 33-35. Africana expeditio suscepta a Lusitanis. 36, 37. Delata Innocentio obsequia Galli regis qui monetur ne quidquam innovet cum Ecclesiæ damno. 38-42. Ferdinandus Neapolitanus Ecclesiæ juribus infensus. 43-45. Italia bello concussa. 46-51. Concitatos in Scotia tumultus compescere nititur Pontifex, et ad Leodienses internuntium mittit qui pacem procuret. 52, 53. Henricus Richmundiæ comes tyrannidem Richardi Angliæ regis evertit, et in ejus locum sufficitur. 54-60. De Leopoldo sanctis adscribendo actum et Diploma de cultu ipsi exhibendo promulgatum. 61. Canonizatio B. Catharinæ Suecæ ad aliud tempus remissa. 62. Orta lis inter parochos et Mendicantes, et confirmata ab Innocentio Sixti prædecessoris sententia decretoria.

MCDLXXXVI. 1-5. Quibus de causis bellum Ferdinando Neapolitano inferre coactus fuerit significat Innocentius qui Renatum Lotharingiæ ducem sibi socium adnectere nititur. 6. Gallorum rex spondet Renato in Ferdinandum auxilia. 7. Pontificius exercitus in Apuliam irrumpit. 8-16. Dolis Ferdinandi adductus Pontifex ad pacem præpropere sanciendam. 17-20. Promulgata pax solemni ritu, sed mox a Ferdinando violata. 21-23. Ob hanc indecoram pacem Pontifex calumniis et periculis gravissimis exponitur. 24-29. Trepidatur ne rex Ungarus, Ferdinandi gener, in Picenum irrumpat; unde ad ipsum Pontificis litteræ. 30-32. Turcæ Fanum tentant, sed virtute Stephani Corsi propulsantur. 33, 34. Ab Innocentio compressi sicarii, privatorum factiones abolitæ, et turbæ Italicæ sedatæ. 35, 36. Florentini de immunitate Ecclesiastica et Veneti de jure Pontificio aliquid detrahere conantur. 37-39. Hungari regis indigna postulatio, et atrox animus. 40. Vetita in Hungaria singularia certamina. 41. Fredericus imperator ab Hungaro lacessitur. 42-44. Maximilianus, imperatoris filius, creatur rex Romanorum. 45. De Valentinensi et Diensi comitatibus lis orta. 46-48. Controversia de jure successionis in Anglia a Pontifice dirempta. 49, 50. Missa sacra munera ad principes. 51-53. Bellum Mauricum a cardinali Mendoza promotum et ab Hispanis feliciter gestum. 54, 55. In terris Maurorum ditioni ereptis propagata pietas a Ferdinando, in cujus gratiam Pontifex suspendit leges vectigalium prohibitivas. 56. E Canariis insulis ad Americæ continentem prolata religio. 57. Sæculares magistratus affectant cognoscere causas de hæresi. 58. Hussitica hæresis corroborata ab episcopo transfuga cui pœnitenti ignoscit Pontifex. 59, 60. Miraculum insigne S. Barbaræ ope editum. 61. E Walachia pulsæ Turcarum copiæ. 62. Florentina synodus a Niphone patriarcha Ruthenis commendata. 63-65. Turcæ in Christianos grassati maxima demum strage delentur. 66-68. Æthiopes ad veram fidem adducti, et mancipia Christiana vendi vetita Mauris. 69. *Caput Tormentosum* vocari cœptum *Caput Bonæ-Spei.*

MCDLXXXVII. 1-5. Turcis imminentibus, Innocentius fœdus init cum Venetis, quos et Hungaros cum imperatore conciliat. 6, 7. Perditi homines, præsertim Bucolinus, Turcas in Italiam adducere tentant. 8. Italorum varia dissidia. 9-12. Inter Pontificem et Neapolitanum regem recrudescit discordia. 13-15. Victoriæ insignes a Ferdinando de Mauris reportatæ. 16. Marrhani ex Hispania profugi Urbem inficiunt. 17, 18. Joanna, quæ sibi nomen reginæ Castellæ arrogabat, e septis monasterii, jussu Pontificis egredi vetita. 19-21. Instigantibus Ferdinando et Elizabetha, Innocentius disciplinam monasticam in Gallæcia instaurat. 22, 23. Monasterium S. Mariæ de Zebrero e ruinis excitatum. 24, 25. Grassantur Hussitæ in Bohemia : Waldenses in Ebredunensi diœcesi repullulant. 26-33. Mandata a Pontifice data de miraculis et virtutibus Margaritæ Scotiæ reginæ inquirendis. 34. Carola Cypri regina Romæ obit.

MCDLXXXVIII. 1, 2. Maximilianus Belgarum captivus libertati restituitur. 3, 4. Jacobum Scotiæ regem a suis jure cæsum pronuntiant regni ordines, qui in ejus locum filium natu majorem sufficiunt. 5, 6. Episcopus Varadiensis, calumniam passus, in S. Francisci Ordinem se confert. 7. Innocentius disciplinæ Ecclesiasticæ invigilat. 8. Ordinum Equestrium summus magistratus translatus ad reges. 9, 10. Turcarum terra marique conatus infausti; Zizimus Pontificiæ tutelæ commissus ; indulgentiæ fidelibus propositæ. 11. Per Apostolicum nuntium in Turcas concitat Pontifex Germaniæ principes. 12-16. De Usumcassani morte et liberis necnon de quibusdam Persarum usibus oratoris Venetorum relatio. 17. Cyprus in Venetorum ditionem cedit. 18. Septentrionalium Ecclesiarum curam gerit Innocentius. 19, 20. Varii in ditione Ecclesiastica tumultus. 21, 22. Instauratur Pii II Constitutio in violatores Ecclesiasticæ immunitatis.

MCDLXXXIX. 1-4. Obstante licet Bajazethe, Zizimus Romam perductus et in conspectum Pontificis admissus. 5-9. Gravis inter Pontificem et regem Neapolitanum discordia. 10-14. Incitante et subsidia præbente Innocentio, ingentes in Granatensi regno progressus effecti a Christianis. 15. Tartari a Podolia depulsi. 16-18. Dissidia Suedos inter et Danos orta pacantur a Pontifice. 19-22. Auctus cardinalium senatus. 23. In sacra æde Lauretana plurimæ cœlestes virtutes recensentur.

MCDXC. 1-4. Bajazethes præter spem conciliatus Rhodio principi oratorem ad Pontificem mittit. 5, 6. Bajazethis munera suspecta Pontifici, quem monet Maximilianus de consiliis Turcicis. 7-9. Mutata rerum facie, bellica consilia abjiciuntur. 10, 11. Matthiæ Hungari mors et elogium. 12, 13. Wladislaus a majori parte electus solemni ritu sacratur Hungariæ rex. 14, 15. Hungaria bellis civilibus et Turcarum incursionibus vexatur. 16-21. Ferdinandi res prospere gestæ in Granatensi regno. 22. Calumniæ in Innocentium sparsæ vindicantur. 23. Sodalitium e *Misericordia* nuncupatum instituitur. 24. Lusitani devehunt sacerdotes ad Congitanos.

MCDXCI. 1-5. Excisum Hispania Maurorum imperium. 6-9. Præcones Evangelici magno gaudio et fructu a Congitanis recepti. 10. Spes fidei amplificandæ inter Jalophos ad irritum cadit. 11, 12. Hungaria interno externoque bello dilaniata. 13, 14. De armis in Bajazethum vertendis actum. 15, 16. Inter Maximilianum et Gallorum regem orta discordia. 17. Innocentii Constitutiones pro libertate Ecclesiastica tuenda. 18. Jacobi Alamanni pius obitus et miracula.

MCDXCII. 1-5. Ob restitutum Christo Granatense regnum ingens tum in Hispania, tum Romæ lætitia. 6. Ecclesia Granatensis metropolitanam dignitatem resumit. 7. Res Christiana regni Maurici excidio mirifice augetur. 8, 9. Judæi ab Hispania ejecti ; detestabile scelus ab ipsis in Germania patratum. 10-13. Inter Pontificem et regem Ferdinandum constituta pax. 14-17. Titulus crucis Romæ inventus ; ferrum lanceæ et alia sacra lipsana oblata Pontifici a Bajazethe. 18, 19. Propulsati Turcæ ab Albæ-Græcæ mœnibus. 20. Fœdus a Maximiliano initum cum Anglo in Gallos. 21-25. Mors Innocentii : consilia de successore eligendo agitata. 26-29. Corrupti auro cardinales corruptum moribus Pontificem deligunt, Rodericum Borgiam, qui Alexandri Sixti nomen sibi assumit. 30, 31. Alexander nepotem cardinalem creat, spreto sacramento, spurio confert episcopatum. 32. Beatrix defraudata spe matrimonium ineundi cum Wladislao. 33, 34. Laurentii Medicei et Gerardi cardinalis pius obitus : Ardicinus cardinalis Camaldulensium institutum amplectitur. 35. Libertas Ecclesiastica obtrita in Belgio. 36. Ferdinandus Hispanus insidiis appetitur. 37-40. Patefactus a Columbo novus orbis.

MCDXCIII. 1-4. Hungari primum victores, mox a Turcis victi et discordiis civilibus impliciti. 5-8. Urso legato provincia datur Hussitarum hæresim extinguendi, principes inter se reconciliandi et bellum in Turcas parandi. 9. Cæsarea ditio a Turcis vastata. 10-13. Friderici imperatoris mors et laudes. 14. Granata metropoleos jure exornata. 15, 16. Secunda Columbi in novum orbem navigatio et colonorum introductio. 17. Lusitani ob contempta Columbi consilia illi invident. 18-22. Jura Occidui orbis trans Oceanum regibus Castellæ ab Alexandro asserta. 23. Quibus causis permotus fuerit Columbus ad indagandum novum orbem. 24-26. Missi a Pontifice sacerdotes amplissimis ornati privilegiis, et indulgentiæ propositæ aurum subsidiarium conferentibus. 27-30. Excitant Galliæ regem ad Italicam expeditionem proceres Neapolitani , Florentini, necnon Pontifex ipse. 31, 32. Neapolis et Hispaniæ reges pericula sibi imminentia omni modo removere nituntur. 33, 34. Turpissima quorumdam cardinalium pro-

motio. 35. Religiosæ vitæ formam a B. Francisco Paulano conditam approbat Alexander. 36-38. Picus Mirandulanus eruditionis gloria clarus, pia mentis et animi demissione clarior.

MCDXCIV. 1-4. Mortuo Ferdinando Neapolitano, ejus filius regni investituram accipit ab Alexandro, qui legatum decernit ut ipsi coronam imponat. 5. Neapolim veniens legatus honorificentissime recipitur. 6-14. Ritus investituræ, inunctionis et coronationis novi regis. 15-19. Monetur rex Gallus tum per legatum Apostolicum, tum per Ferdinandum Hispanum, ut intermittat Italicam expeditionem, sed potius in Turcas arma vertat. 20-30. Caroli adventus in Italiam et ingressus pacificus in Urbem. 31. De novi orbis imperio certatum inter Lusitanum et Hispanum. 32-35. Novæ insulæ detectæ ab Hispanis qui Barbaros scelerum fœditate asperant. 36-39. Jus expugnandæ Africæ datum Hispanis, reservato Lusitanis Phutensi regno. 40, 41. Hungarorum in Turcas excursio felix ; militia S. Georgii confirmata. 42. S. Bernardini Feltrensis corpus reperitur corruptionis immune.

MCDXCV. 1-3. Immorante Romæ Carolo, lis mota de Alexandri Pontificatu. 4. Carolus Alexandro ut Christi vicario obsequium præstat. 5-11. Neapolitani populi et arces se dedunt Carolo qui victoriæ fructu ignaviter se defraudat. 12. Zizimi mors. 13-16. Causæ multiplices odii in Galliæ regem, et fœdus armorum inter principes in eum sancitum, instigante imprimis Pontifice. 17-19. Ferdinandus et Elizabetha specie Turcicæ expeditionis incitantur ad depellendos Gallos de regno Neapolitano. 20-22. Carolus Neapoli recedere coactus Romæ a legato recipitur, et magnam animi moderationem ostendit. 23-27. Iter faciens per fines Florentinorum rex Gallus magnum timorem incutit. 28-32. Prælio cruento Itali castris propulsati, sed mox a Pontifice ad spem reducuntur. 33. Pactiones inter Gallos et Venetos utrinque spretæ. 34-38. Gallorum res labefactatæ in regno Neapolitano tum principum ignavia, tum horrenda lue venerea. 39-41. Maximiliani imperatoris sanctio in blasphemos. 43. Insigne divini amoris prodigium in pia virguncula. 43. Thomas eximius concionator tertii Ordinis S. Francisci sanctitate floret. 44-46. Joannis regis Lusitani et Alphonsi Neapolitani obitus. 47-49. Ximenius Toletanus rerum gestarum magnitudine clarissimus.

MCDXCVI. 1, 2. Fœdus armorum Romæ promulgatum adversus regem Carolum. 3-5. Carvajal cardinalis legatus ad Cæsarem, et intentatæ Carolo regi censuræ. 6. Ritus a Cæsare observandi cum ferrea corona redimitur. 7-9. Maximiliani in Italiam adventus, et turpis ex Italia discessus. 10-15. Gallicus exercitus fœderatis Italorum armis et censuris Ecclesiasticis pressus dissolvitur. 16, 17. Virginius Ursinus censuris defixus ob non servatam Sedi Apostolicæ fidem. 18, 19. Pontificius exercitus ab Ursino profligatur. 20. Consilia pacis dissipata. 21-23. Decretum Concilii Florentini circa Ecclesiarum unionem Constantino Georgiæ regi transmissum. 24. Suecis pugnaturis adversus Moscovitas schismaticos propositæ indulgentiæ. 25. Rex Hispaniæ Catholicus cognominatur. 26, 27. Judæi ab Emmanuele rege ejecti Lusitania. 28, 29. Commendat Pontifex Lusitani regis consilia de Africana expeditione conficienda. 30. Indiarum imperium comparare statuunt Lusitani. 31-36. De permittendo conjugio religiosis equitibus actum. 37. Confirmatur ab Alexandro equester Ordo S. Michaelis. 38-40. Decretum quo cardinalibus recenter creatis, licet pileus eis non sit traditus, jus confertur exercendi officia cardinalitia. 41. Savonarola concionum habendarum munere interdictus.

MCDXCVII. 1, 2. Ecclesiæ res, Pontificio exercitu fuso, labefactatæ mox in melius commutantur sub Consalvo duce qui rosa aurea donatur. 3-8. Ex spurii funesto casu mœrore confectus Alexander agitat consilia de disciplina Ecclesiastica restituenda, et id muneris mandat cardinali Senensi. 9-14. Cæsar Borgia creatus legatus ad conferenda Friderico Neapolitano regia jura et insignia. 15-19. Ad Sedem Apostolicam vocatus Savonarola judicium diffugit. 20-27. Suam docendi et agendi rationem Savonarola defendere nititur. 28. Plures theologi adversus Hieronymum scribunt. 29. Ab impostore Anglia turbata. 30. Academia Parisiensis propugnatrix doctrinæ quæ tenet B. Virginem in Conceptione sua a labe esse immunem. 31, 32. Infausta Polonorum expeditio in Bajazethem. 33. Lusitano regi conceditur a Pontifice jus in terras Barbaris ereptas in Africa. 34. Joannes Hispaniæ princeps in ipso ætatis flore extinctus. 35. Ximenius restituenda disciplinæ Ecclesiasticæ vacat. 36, 37. Classis Lusitana duce Vasco Gamma missa in Indias.

MCDXCVIII. 1-3. Caroli VIII mors miseranda. 4-6. Ludovicus ejus successor obtinet a sancta Sede ut suum cum Joanna Valesia conjugium declaretur irritum. 7-9. Florentini a Pisanis cæsi : Veneti ex Camaldulo divinitus propulsati. 10-19. Savonarola ab adversariis suppliciis affectus 20, 21. Alexandrum principes hortantur ne sui officii sit immemor. 22. Marrhani quadraginta hæresim publice Romæ ejurant. 23, 24. Regna Hispaniæ in Austriacam stirpem translata ; Synodus Toletana congregata ; magicæ artes ab Academia Parisiensi damnatæ. 25-35. Pickardorum errores exponuntur et refelluntur. 36-38. Polonus Germanos sollicitat ad bellum, non sine laude, sed sine fructu. 39. Turcarum ingens multitudo frigore perit. 40. Columbi in novum orbem varia itinera. 41-46. Per vastissimos Africæ flexus Gamma ad Indiam applicat, cujus situs et incolarum mores accurate describuntur.

MCDXCIX. 1-4. Conversio Granatensium, et inter eos viri principis. 5-9. Turcarum in Italiam excursiones et Naupactum Venetis ereptum. 10, 11. Grimanus præfectus a Venetis accusatur, et a filio suo cardinali defenditur. 12-14. Germani ab Helvetiis fusi, et dira fames inde secuta. 15-20. Galliæ rex ducatum Mediolanensem ambit et assequitur. 21. Genuenses in Gallorum ditionem se conferunt. 22-24. Bellum Riariis illatum a Gallis et Alexandro ipso, qui paratum sibi venenum effugit. 25-29. Diploma Apostolicum de Jubilæo. 30. Sacerdotibus Ecclesiæ Pragensis amplissima datur potestas reconciliandi Hussitas hæreticos. 31. Marsilius Ficinus pie moritur. 32. Ob Indiam patefactam celebrati a Lusitanis triumphi.

MD. 1. Jubilæi anni celebritas. 2-4. Alexander in vitæ discrimen adductus. 5, 6. Regum oratores splendida pollicentur, sed vana. 7-9. Diplomata Apostolica tum de bello Turcis inferendo, tum de decimis etiam a cardinalibus solvendis. 10. Ritus servandi in crucesignatis lustrandis. 11, 12. Methone et Corone a Turcis expugnatæ. 13-16. A Pontifice principes sollicitati ut arma in Turcas jungant; preces solemnes ad hoc indictæ, et eleemosynæ in stipendia militum conversæ. 17. Pisaurius nonnihil cursum victoriarum Barbaricarum continet. 18. Reges quæ sua sunt quærunt, non cladem Turcarum. 19. Tartari et Moscovitæ magna strage deleti. 20, 21. Missi ab Alexandro ad Germanos et Hungaros legati, ut occasione Jubilæi congerant aurum in sumptus sacræ expeditionis erogandum. 22. Ex stipe collata a Venetis instructæ quindecim triremes; cardinalis Borgiæ misera mors. 23-27. Ludovicus Sfortia et cardinalis Ascanius ejus frater in diversis certaminibus adversus Gallos primum victores, mox victi in vincula conjiciuntur. 28-30. Inter Gallos et Anglos novi fœderis pactiones. 31. Caroli V natalia. 32-37. Ferdinandus et Isabella in subjectione et conversione Maurorum de re Christiana optime meriti. 38-44. Quam fœdissime a dæmonibus delusi fuerint Hispaniolæ incolæ. 45-51. Patefacta a Lusitanis Brasilia. 52-55. In India Capralis in portum Calecutii appellit; Septentrionales oras lustrat Corteregalis. 56, 57. Variæ cardinalium ad reges Transalpinos legationes. 58. In Italia Lucia sanctimonialis stigmatibus insignita. 59. Crucis signa in Germania vestibus divinitus impressa. 60-73. Waldensium in Bohemia repullulantium sophismata ab Henrico Institoris refelluntur.

MDI. 1-4. Ungarus sacro in Turcas fœderi accedit; Pontifex singulas expeditionis partes exponit, tum per litteras legato, tum oratione in cardinalium senatu. 5-8. Gallum inter Germanumque contracta affinitas, et Hispaniæ reges ad sacram militiam sollicitati. 9-14. Cruces e cœlo lapsæ in Germanorum vestes. 15-17. Non in Turcas, sed in Italos crucesignati arma vertunt. 18-22. Alexandri edictum in Columnenses qui se Pontifici subjiciunt. 23. Novo decreto commendatur Ordo Minimorum. 24-35. Diploma Apostolicum quo confirmatur novus sanctimonialium Ordo a Joanna Valesia conditus. 36. Auctoritate Apostolica vetitum ne ulli libri de fide tractantes, nisi permittente episcopo, typis mandentur. 37-39. Dirimitur controversia de Ruthenorum Baptismate, quo fit ut bella inter Moschum et Lithuanum orta residant. 40, 41. Ecclesiæ Wilnensi Tartarorum incursionihus vexatæ permittitur vim vi repellere. 42-45. In Insubria et Bohemia refrænantur diabolicis superstitionibus dediti. 46. Columba sanctimonialis sola Eucharistia sustentata. 47. Regulæ quibus vera miracula discerni possint a falsis. 48, 49. In Moravia et Gallia prodigia diabolica. 50, 51. Galliæ rex exercitum suum una cum copiis Pontificiis immittit in regnum Neapolitanum. 52-72. Judiciaria sententia qua Fredericus in sacro purpuratorum patrum senatu spoliatur jure regni Neapolitani. 73, 74. Neapolis a Gallis occupata. 75. Remissum Ludovico Gallo vectigal pendi solitum a rege Neapolitano. 76-78. Grassantibus undique Turcis, triennales decumas pro expeditionis sumptibus Lusitano regi Alexander attribuit. 79, 80. Pia regum Hispaniæ studia pro restituendo Christi cultu in regno Granatensi; Petri Martyris in Ægyptum legatio. 81-83. Classis Christiana vel in apparatu tardior, vel in discessu festinantior. 84. Turcæ ab Hungaris fusi : Lithuaniæ dux ad sceptrum Polonicum vocatur. 85-88. Americi Vesputii in Americam navigatio. 89-91. Reperti in Indiis Christiani.

MDII. 1-6. Indicæ regiones in ditionem Lusitanorum reductæ. 7-9. Maxima Hispanorum in lustrando orbe novo gloria. 10-14. Cæsaris Borgiæ crudelia et impia facinora. 15, 16. Ob incertos limites orta inter Gallum et Hispanum dissidia; Ferdinandus onere veniendi ad Sedem Apostolicam pro fidei sacramento nuncupando levatur. 17-22. Datam occasionem deturbandi imperii Turcici amittunt Christiani, licet a Pontifice stimulati. 23, 24. Germaniam pestis et seditio depascunt. 25. Sacra Biblia instar Hexaplorum Origenis a Ximenio edita. 26. Constitutio adversus eos qui lædunt agentes negotia in Curia Romana.

MDIII. 1. Sublatus e vivis Alexander cum regnum spurio condere pararet. 2. Empta pax iniquis conditionibus a Venetis. 3, 4. Hispanorum res in Apulia inclinatæ, et Germanicis auxiliis restitutæ. 5-7. Gallorum casus adversi. 8, 9. Cæsaris Borgiæ sævitia in Ursinos. 10-12. Borgianæ felicitatis ostenta momento dissipata, et per mortem Alexandri in adversos casus delapsa. 13-15. Pius III creatur Pontifex, et fere statim moritur. 16-19. Pii III mors bonis acerba et flebilis.

1. Hic incipit tomus VIII edit. Romanæ. 2-9. Cardinales conclave ingressi ferunt leges quasdam

quibus Pontificem novum devincire intendunt. 10-12. Julii II electio et litteræ Encyclicæ. 13. Pacem inter principes instaurare nititur Pontifex. 14-19. Gallicus exercitus non minus dissensionibus intestinis quam Hispanis viribus attritus e regno Neapolitano discedit. 20. Julius initio sui Pontificatus multis difficultatibus implicatus. 21, 22. Immunitates regibus Hispanis confirmatæ, et dispensationes matrimoniales nato regis Anglorum concessæ a Sancta Sede. 23. Legato commissa cura sedandi lites ortas inter Comitatus Venusini incolas et finitimos populos. 24. Francofurti insignes conventus celebrati : miracula ad reliquias trium Virginum edita. 25. Petri Aubussonii cardinalis obitus et laudes. 26. Christi fides a Lusitanis in India propagatur. 27-33. Maximi labores suscepti a primis Americæ colonis.

MDIV. 1-8. A Julio admonitus dux Venetus ut erepta Ecclesiæ Romanæ restituat. 9-13. Æmiliam contra fas Cæsari Borgia traditam recuperare studet Julius. 14, 15. Hispanus Gallusque de triennalibus induciis rogantur, ut junctis armis cogant Venetos ad restituenda male parta. 16-18. Decernit Julius ut lis de regno Neapolitano ad ipsum referatur. 19, 20. Contempto Pontifice, Gallus male paciscitur cum Hispanis. 21, 22. Ferdinandus in Pontificem arroganter se gerit : fallaces Hispanorum induciæ. 23-26. Pacis inter Bavaros interpretem agit Julius. 27-31. In Bohemia tumultus ab hæreticis excitati et strages editæ. 32. Pontificium auxilium in Turcas postulatum. 33-35. Egregia regum Angliæ pietatis monumenta et exempla : præcisi abusus qui ex immunitate Ecclesiastica orti fuerant. 36, 37. Julius consanguineorum affectibus nimis indulget magno Ecclesiæ detrimento. 38. Hispaniæ reges ad Africanam expeditionem conficiendam hortatur Pontifex. 39. Columbus magnis ornatus honoribus. 40. Philippus Austriacus dotali jure Hispaniæ regna corripit; Fridericus Neapolitanus in Gallico exilio moritur. 41. Præclarum regis Lusitani studium in fide propaganda apud Congenses. 42-45. Lusitanorum in India victoriæ.

MDV. 1. Veneti nonnulla restituunt Julio, alia retinent. 2, 3. Summa Pontifici officia præstare æmulantur principes Christiani. 4, 5. Lusitani ad arma capessenda in Barbaros Africæ sollicitantur, propositis a Pontifice sacris præmiis. 6-8. Militiam sacram *Christi* nuncupatam pluribus sanctionibus decorat Pontifex. 9-12. Ludovicus XII divinitus sanatus, et per legatum ad sacram expeditionem promovendam incitatus. 13-15. Pax inter Hispanum et Gallum sancita, positis quibusdam conditionibus. 16, 17. Susceptam a Ferdinando expeditionem Africanam prosequi hortatur Pontifex. 18-20. Julius censuras intentat perduellibus ferentibus arma in Cæsarem. 21, 22. Nova sacramenti formula electis Treverensibus imposita. 23. S. Annæ caput oppido Durensi adjudicatum. 24-29. Opera cardinalis Gurcensis composita pax inter Danum et Lubecenses. 30-34. Helenæ Moscovitæ Rhutenorum erroribus implicatæ nubit Alexander Poloniæ rex, et quidem suo damno. 35-39. In Tartaros expeditionem conficere meditatur Polonus. 40. Pro immunitate Ecclesiastica, in Hungaria labefactata, laborat Pontifex. 41-44. Auctum cardinalium collegium. 45. Raymundi cardinalis Gurcensis obitus et elogium. 46-48. Margarita virgo Ravennatensis sanctitate illustris. 49-55. Spretæ Mahumetanorum minæ et multa in India a Lusitanis præclare gesta.

MDVI. 1-5. Julii II Constitutio Apostolica in Simoniacos. 6. Rhodii equites insulam Rhodum defendere jussi. 7-10. Lusitani Evangelio apud Æthiopas et Indos propagando navant operam. 11, 12. Lusitanus rex sollicitat Pontificem de pace inter principes Christianos sancienda et de sepulchro Dominico recuperando, in cujus rei gratiam rosa aurea donatur. 13-15. De sacra in Syriam expeditione agitata consilia, promovente cardinale Ximenio. 16, 17. Fœdus initum inter Philippum Austriacum et regem Anglum. 18. Judæorum Neophytorum editæ strages Olissipone. 19. Expeditio Julii contra Bentivolos et Balionos et profectio ex Urbe. 20-22. Quo ritu excipiendus Pontifex ab episcopo loci. 23-27. Recuperatæ urbes captæ, et intentatæ in Bentivolios censuræ. 28-32. Bononia a tyrannide Bentivoliorum liberata. 33. Flaminiæ civitates a Venetis occupatæ repetuntur; Saonenses damnis afficiuntur a Genuensibus. 34. Gallici ordines sponsalia Claudiæ cum Carolo V abrumpunt, unde origo Mediolanensis belli inter Germanos et Gallos. 35-37. Contentiones inter Philippum Austriacum et Ferdinandum Hispanum. 38, 39. Alexandri regis Poloniæ mors et elogium. 40. Basilii ducis Moscoviæ obitus. 41. Francofordiensis Academia instituta. 42, 43. B. Bennonis gloria prodigiorum coruscantis causa apud sanctam Sedem a Saxonibus propugnata. 44. Christi sindon culta Camberiaci et illustrata miraculis. 45. Instaurandæ basilicæ Vaticanæ jacta a Julio fundamenta : regula decem beneplacitorum confirmata. 46-48. Coloniæ in Americam ductæ.

MDVII. 1-5. Julii ex Bononia discessus et in Urbem triumphalis ingressus. 6, 7. Sedati motus Genuenses et Liguria in Gallicam provinciam redacta. 8-10. Pacem inter Gallum et imperatorem redintegrare nititur Pontifex. 11, 12. Lusitanus rex, occasione sumpta de Turcico imperio a Persarum armis et sectis labefactato, bellum sacrum promovet. 13-20. Socotora insula et aliæ Orientis regiones Christo a Lusitanis restitutæ, et exinde magnæ per Urbem lætitiæ significationes. 21, 22. Pontificis litteræ ad principes Christianos de ineunda inter ipsos concordia, et viribus in Turcas conjungendis. 23. In America amplificatum imperium Christianum. 24. Auctum cardinalium collegium. 25. Felix obitus S. Francisci Paulani. 26-28. Sacra ædicula Lauretana miraculis illustrata, et indulgentiis decorata. 29. Leges militiæ S. Jacobi instaurata. 30. Blasphemus impostor in Germania.

MDVIII. 1-8. Germano, Gallo et Venetis inter se conciliandis totus est Julius, et profitetur se cum regibus bellicos labores in Turcas suscepturum. 9-12. Solemnes gratiarum actiones pro Indicis Lusitanorum victoriis. 13, 14. De Castello regno orta disceptatio; Ungarus et Polonus ob ingruentia bella excusati de non missis ad Pontificem legatis; Ismael Persarum rex prophetam agit. 15-18. Pickardorum errores. 19, 20. Tartari et Moschi a Polonis fusi. 21-29. Bentivoli Bononiam tentant. 24, 25. Cardinalium plurium obitus, et novorum creatio. 26. Sixtus Robureus creatus eques Rhodius. 27, 28. Infestata Liguria a Saracenis : Carolus Sabaudiæ dux ense sacrato donatus. 29. Sanctio contra raptores bonorum ad naufragos pertinentium. 30-32. Paralytica sanata in æde Lauretana.

MDIX. 1-4. Conspirant cum Pontifice reges in Venetos. 5-9. Moniti Veneti ut Ecclesiasticas urbes restituant. 10-12. Initio certaminis Veneti victores, mox deleti, cælo in eos pugnante. 13-15. Veneti et Bentivoli male ad Concilium futurum provocant. 16-18. Restitutæ a Venetis urbes. 19. Placato Pontifice, Veneta virtus reflorescit. 20, 21. Simultas exorta inter Julium et Gallorum regem. 22. Exorta apud Helvetios hæresis. 23-28. Oranum, duce Ximenio, Afris ereptum. 29. Sopita lis inter Ferdinandum et Maximilianum reges. 30, 31. Lusitanorum in Indiam expeditio ingens et prospera. 32, 33. Gratulatoriæ litteræ imperatricis Æthiopum ad regem Lusitanum. 34. Concussa terræ motu Constantinopolis. 35. Henrici VII Angliæ regis obitus et elogium : latæ leges adversus provocantes ad singulare certamen.

MDX. 1-6. Pactiones inter Pontificem et Venetum initæ. 7-11. Ritus servati in absolutione censurarum, et celebrata Venetiis publica lætitia. 12. Cæsar et Gallus ægre ferunt pacem Venetis datam. 13-15. Dissidii inter Pontificem et ducem Ferrariensem causæ. 16, 17. Divinitus edita futurorum bellorum præsagia. 18, 19. Quinque cardinales a Julio deficiunt. 20. Turonenses cætus in quibus agitantur subdolæ propositiones auctoritati Apostolicæ hostiles. 21. Damnata a Ferdinando Hispano schismatica molimina. 22, 23. Galli cum Bentivolis tentant Bononiam. 24-28. Neapolitani regni jura a Gallo ad Hispanum transmissa. 29. Judæi e regno Neapolitano ejecti. 30-33. Bugia, Tripolis et aliæ arces ab Hispanis captæ. 34-36. Urbs et insula Goa ab Albuquerquio recuperatæ. 37. Missi sacerdotes ad Congense regnum. 38, 39. Prussia et Livonia infestata a Moschis et Tartaris : Poloni ab omnibus derelicti cum Turca ineunt pacem. 40, 41. Eucharistia transfossa a Judæis, divinitus integra remanet; unde Judæi a Marchia Brandeburgensi depulsi.

MDXI. 1-6. Maximiliani et quorumdam cardinalium argutiæ pro celebrando in Julium conciliabulo. 7, 8. Falsitatis et impudentiæ convicti schismatici. 9-15. Indictio Lateranensis Concilii. 16-22. Contendunt inepte schismatici jus vocandæ Synodi ad se devolutum, et inchoant Pisanum conciliabulum. 23-29. Seditiosos in sua contumacia perstantes ab impio conatu revocare nititur Pontifex. 30, 31. Angeli anachoritæ litteræ objurgatoriæ tum ad Carvajalum, tum ad Gallorum regem. 32-36. Judiciaria actio contra cardinales rebelles qui exauctorantur. 37-41. Decreta conciliabuli Pisani a Cajetano refutata. 42, 43. Pisis Mediolanum factiosi se conferunt. 44-46. Potitur Mirandula Pontifex. 47. Cardinalium creatio. 48, 49. Exercitus pro recuperanda Ferraria a Julio comparatur. 50. Mediolanensis senatus censuris perculsus. 51-53. In conventibus Mantuanis de pace inter principes agitur. 54, 55. Hieronymus Æmilianus a Germanis in carcere retentus, et B. Virginis ope liberatus. 56, 57. Proditi Galli a Gurcensi. 58, 59. Bononia a Gallis occupata. 60, 61. Alidosius cardinalis a duce Urbini trucidatus. 62. Joannes Medicæus instructus mandatis pro Bononia et Ferraria recuperandis. 63-67. In Gallum regem cæteri principes fœderati. 68, 69. Prona ad jugum subeundum Africa. 70. Malaca capta a Lusitanis. 71. Goa oppugnata ab Indis. 72-75. In America Cuba insula explorata.

MDXII. 1, 2. Negant schismatici liberum Romæ Concilium celebrari posse : a Cæsare mitti legatos postulant. 3, 4. Cardinalis Sedunensis legatus Apostolicus ad imperatorem et ad Helvetios. 5-7. Gallorum victoriis elati schismatici Pontificem contumacia impudenter accusant. 8-19. Inanes schismaticorum argutiæ a Cajetano in suis Commentariis confutatæ. 20, 21. Immane prælium ad Ravennam commissum. 22-24. Angustiis pressus Julius pacem a Gallo propositam admittere cogitur. 25-37. In Pontificem furunt schismatici. 28, 29. Post aliquot prorogationes, indicitur Concilium ad tertium Maii diem. 30, 31. Veteribus corruptelis e curia Romana sublevandis datur opera. 32-34. Quæsita et responsa circa ritus in Concilio servandos. 35-38. Pontificis ad Lateranensem Basilicam solemnis profectio, et incæptum Concilium. 39-41. Pontificis et Ægidii Viterbiensis orationes quibus aperiuntur causæ indictionis Concilii. 42, 43. Prima sessio : imperata præsulibus modestia. 44, 45. Habita a Spalatensi archiepiscopo oratio de expeditione in Turcas decernenda. 46, 47. Secunda sessio : Angliæ et Hispaniæ reges se profitentur Pontifici et Concilio conjunctissimos. 48-51. Pisani conciliabuli gesta rescissa; præsulibus non accessuris ad Concilium objectæ pœnæ. 52, 53. Inter secundam et tertiam sessionem, multa regna adhærent Concilio. 54-58. Galli ab Insubria pulsi in odium schismatis. 59, 60. Cardinalis Mediceus ex hostium manibus ereptus. 61, 62. Medicei Florentiæ restituti. 63-68. Ludovico rege anathemate percusso, ruit undique in Italia Gallica potestas omnium Italorum plausu. 69, 70. Plurium Italicarum urbium ora-

tores fidem Julio addicunt. 71-76. Ferrariæ dux a Pontifice veniam precatur, sed jussus Ferrariam restituere fugit. 77-81. Rex Navarræ, socius Galliæ regis, regno pulsus. 82-85. Oratores regum Daniæ et Scotiæ profitentur se Pontifici et Concilio adhærere. 86-89. Conventus tum Treviris, tum Coloniæ ab imperatore congregati, in quibus pœnæ in ebrios statuuntur, et cardinales perduelles damnantur. 90, 91. Gurcensis purpura donatus; fœdus inter Pontificem et principes, exceptis Venetis et Gallis initum; de præda Italica inter victores certatur. 92-95. Sessionis tertiæ Acta : imperatoris nomine Gurcensis Concilio Lateranensi adhæret. 96-99. Gallia sacris interdicta; præsulum non concurrentium ad Concilium inertia insignis. 100-102. Veneti Concilio se jungunt; de abroganda Pragmatica Sanctione actum. 103. Quarta sessio : Marcelli ad Julium oratio parænetica. 104. Tartarorum Præcopiensium in Poloniam irruptio, et parta de eis victoria. 105-107. Turcicum imperium gravissimis seditionibus exagitatur. 108-118. In Indiis et Congensi regno Christiana res divina ope et Lusitanorum virtute aucta. 119. Antonii Laurerii Minoritæ nobile facinus.

SUMMARIUM

TOMI XXXI

MDXIII. 1. Julius se ad mortem pie comparat. 2-6. Concilii Lateranensis sessio quinta, absente ob morbum Pontifice; Julii laudata constantia; pœnæ adversus Simoniacos latæ : actum de abroganda Pragmatica Sanctione. 7, 8. Extrema Pontificis gesta et dicta. 9, 10. Julii obitus et laudes. 11, 12. A Bellarmino egregie diluuntur quæ Julio improbe objecta fuerant. 13, 14. Congregati cardinales Joannem Medicæum eligunt, qui Leonis X nomen sibi assumit. 15-17. Electus Pontifex principes de sua electione certiores facit, et Petri Delphini litteris gratulatoriis honoratur. 18. Selymus insidiatur Rhodo. 19, 20. Lateranense Concilium celebrare prosequitur Pontifex, et anniversaria die qua captus fuerat, triumphali pompa ingreditur Basilicam Lateranensem. 21-28. Sessio Sexta in qua agitur de bello Turcis indicendo et de concordia inter principes ineunda. 29-31. Galli apud Novariam cæsi Italia discedunt. 32-36. Dissidia inter Polonos et Cruciferos componere tentat Pontifex. 37-40. In pactionibus propositis stare abnuit Albertus Cruciferorum magister supremus, et in Polonos incitat Moscovitas qui prælio superantur. 41, 42. Septima Concilii sessio in qua recitantur litteræ Poloni regis, Sfortiæ ducis, et cardinalium rebellium Concilio tandem adhærentium. 43. Missi legati ad principes pro pace publica concilianda. 44-50. Cardinalibus schismaticis restitutus honor, et celebrata per Urbem lætitia. 51, 52. Scriptor Actorum conciliabuli Pisani veniam poscit et obtinet. 53-62. Gallorum rex victus ab Anglis, et ultione divina pressus errorem tandem agnoscit et adhæret Concilio. 63-69. Thomas cardinalis Strigoniensis legatus decernitur in Poloniam, Bohemiam et Hungariam, tum ut arma Turcica avertat, tum ut erroribus Bohemorum obsistat. 70-75. Recensentur a Pontifice articuli controversi inter Bohemos et Romanam Ecclesiam. 76. Wladislaus rex monitus ut compescat motus concitatos in imperatorem a schismaticis. 77-82. Italiæ paci providet Pontifex. 83, 84. Auctum cardinalium collegium. 85-89. Concilii Lateranensis sessio Octava : regis Galliæ recitantur litteræ quibus excusat se de schismate, et profitetur se Concilio adhærære. 90. Plures alii principes similiter se subjiciunt. 91. Aquensis senatus in judicium vocatus ob immunitatem Ecclesiasticam labefactatam. 92-97. Diversæ Concilii sanctiones tum in errores circa animam humanam, tum de legatis pro pace mutua inter principes decernendis, tum de Ecclesiastica disciplina restituenda. 98, 99. Rhodii equitis oratio implorantis auxilium principum. 100. Omni ope nititur Leo reges in Turcas conjungere. 101-104. Pontificiæ Litteræ quibus exponitur Cæsari fore ut Turcæ ob principum discordias confirmentur. 105, 106. Rogatus Anglus ut pacem cum Gallo ineat. 107-115. Conflatum ex omnibus populis fidelibus exercitum immittere in Turcas meditatur Pontifex. 116, 117. Indictum a Javæ rege Lusitanis bellum : classis Barbarica capta. 118-130. Partæ a Lusitanis victoriæ in Arabico sinu et Indis. 131-138. In Africa restituitur Azamora imperio Christiano. 139-141. Patefactæ ab Hispanis in America incognitæ terræ, et amplificatum Castellanum imperium.

MDXIV. 1, 2. Lusitani regis legatio insignis ad Pontificem et munera utrinque oblata. 3. Concilii Lateranensis sessio Nona, in qua profertur Lusitani regis Epistola conferentis suis legatis plenariam potestatem. 4- 7. Gallorum episcoporum accessus a Mediolanensi retardatus. 8, 9. Solvuntur censuræ quibus præsules Galli ob schisma erant vincti. 10-14. A Concilio principes concitantur ad pacem et indicuntur preces solemnes. 15, 16. Affectata privilegia a cardinalibus cum præsulum damno. 17-35. Diploma de Ecclesiastica disciplina instauranda. 36. Controversiæ Pruthenorum et Polonorum cardinalibus permissæ. 37-42. Selimi in Italiam

expeditio retardata a Persis. 43-45. Cæsar admonitus de periculis a Turca imminentibus. 46-48. Rhodii equites denuntiant apparatum Turcicæ invasionis. 49, 50. De Juliacensi ducatu lis pacata et concordia inter Gallos et Anglos sancita per affinitatem. 51-67. Hortatur Pontifex ut Hungarus, Polonus et Livoniæ dux sibi invicem opitulentur. 58-65. Ingens Poloni victoria de Moscovitis, et solemnes gratiarum actiones. 66-86. Ruthenorum mores et errores. 87-102. Mittitur a Leone nuntius ad Maronitas quorum fides ad rectum reducitur. 102-109. Quæ fuerint tunc temporis Abyssini imperii fines, fruges et ritus sacri. 110, 111. Amplificata in America res Christiana.

MDXV. 1, 2. Querelas episcoporum adversus cardinales et monachos sopire studet Leo. 3. Sancitum percipi posse sine usura pro stipendiis ministrorum aliquid lucri in gestione bonorum quæ dicuntur *Montes pietatis*. 4-6. Sanctiones diversæ quibus episcoporum auctoritas communitur, Synodorum Provincialium præcipitur celebratio, et pœnæ constituuntur in eos qui edunt libros sine permissu ordinariorum. 7-9. Segnitie Christianorum principum multa exoriuntur mala. 10. Ludovico XII in medio festorum nuptialium extincto succedit Franciscus dux Engolismensis. 11. De armis in Turcas vertendis agitur. 12, 13. Exortæ inter Genuenses et Mediolanenses dissidia. 14, 15. Dux Genuensis cum Gallo paciscitur. 16. Intentatum anathema occupaturis Parmam et Placentiam. 17-19. Ut aditus obstruatur florentissimo Francorum exercitui, pactæ conditiones cum Anglo, et Eboracensis archiepiscopus creatus cardinalis. 20-22. Helvetii victi apud Marignanum : Mediolanum Francisco Gallo deditum : hujus regis virtutes et vitia. 23-26. Inter Pontificem et Galliæ regem initum fœdus, et pacis conditiones. 27-36. Leonis iter ad Bononiam, et congressus cum Francisco. 37, 38. Excitatur Lusitanus ad vertenda in Turcas arma. 39, 40. Franciscus in Galliam redit, Florentiam Leo, ægre ferens pactum armis extortum. 41, 42. Sollicitatus Polonus ad jungendas cum Hungaro vires, imprimis cum pollicitus sit Persa se eis auxiliaturum. 43-50. Celeberrimus Viennæ regum conventus, in quo pacis conditiones firmantur, et controversiis finis imponitur. 51. Transylvanus a Turcis fusus. 52-54. Selymus Turca et Ismael Persa pariter in bello fortes, sed in doctrinis diversa sentientes. 55, 56. Albuquerquius vita et morte gloriosus. 57-59. In Africa Lusitani victi, Hispani victores. 60. Ferdinandus distractus curis ab Africano bello. 61-64. In America propagata religio.

MDXVI. 1-5. Præsules conqueruntur de monachorum privilegiis. 6-8. Maronitæ Lateranensi Concilio et fidei Catholicæ adhærent. 9-11. Prohibetur ne prædicatores in explanatione sacrarum Scripturarum a veritate ad fabulas convertantur. 12-17. Pacta inter Leonem et Franciscum Galliæ regem de sacerdotiorum provisione. 18-20. Sanctio contra clericos concubinarios et fornicarios. 21. Decernitur censuras non contrahi, nisi rite denuntiatæ fuerint. 22-27. Pragmatica Sanctio rescissa, et auctoritas Pontificia in clariori luce posita. 28-38. Privilegia in *Mari Magno* contenta revocantur, sed cætera monachorum jura confirmantur. 39-42. Ferdinandi Hispaniæ regis obitus et laudes. 43-46. Ximenius operam dat ut Carolo V regnum deferatur, exercitus comparetur, et classis instruatur. 47. Africa a Ximenio tentata. 48-54. Pontificiæ curæ in reprimendis Africæ piratis. 55-57. Selymus Syriam domat, Rhodo minatur et ingentem incutit terrorem orbi Christiano. 58-60. Hungarus præmonitus ne inducias cum Turca ineat, promissis cæteroquin ex communi principum thesauro stipendiis. 61-63. Wladislaus rex e vivis sublatus : ejus filius in clientelam Apostolicam commendatus et receptus. 64, 65. Deturbantur Hungari a pace cum Turcis ineunda. 66-71. Dalmatia a Turcis vexata in extremam pæne desperationem adducitur. 72-74. Tartarorum incursio in Poloniam et Russiam. 75-78. Helvetii in duas partes discissi, obsistente licet totis viribus Pontifice. 79. Immissus in Insubriam exercitus, sed ob nimiam cunctationem profligatus. 80. Composita pax inter Franciscum et Carolum V. 81-83. Urbinate ducatu exauctoratur Robureus, et Laurentius Medicæus donatur. 84-90. Politiorum litterarum cultores et Theologicæ scientiæ detractores, inter quos Reuchlinus et Erasmus, viam struunt Lutheranismo. 91-95. Contra Erasmi scommata et declamationes defenditur ab Alberto monachismus. 96-100. Impia dogmata ab Erasmo sparsa. 101. Philippus Benitius et Elizabeth Lusitaniæ regina inter sanctos collocantur. 102, 103. Res Christiana in Mauritania claudicat ; Gundisalvus Vascius a Mauris affectus martyrio. 104-116. Missæ a rege Lusitano, amplificandæ religionis studio, legationes ad Congi regem, ad Persam Sophi, necnon ad Sinenses, quorum mores describuntur. 117-118. In America patefactæ in dies novæ regiones.

MDXVII. 1. Ultima sessio Lateranensis Concilii. 2-5. Litteræ quibus imperator profitetur se una cum Pontifice suscepturum arma in Turcas. 6-8. Gratulatur Pontifex Angliæ regi de sponsione auxilii. 9-15. Electi Pontificis ædes diripi vetitum : decretum pro tuendo imperio Christiano. 16, 17. Pluribus licet renitentibus dissolvitur synodus. 18-20. Monitus Rhodius ut se adversus Turcas communiat. 21, 22. Provisum Turcarum grassationibus terra marique comprimendis. 23-29. Superatis Mamaluchis et Ægyptiis, Selimus de subjiciendo sibi Occidente cogitat, unde fit ut de classibus Hispaniæ, Galliæ et Italiæ conjungendis actum sit. 30-54. Quænam consilia in sanctiori senatu inita sint pro defensione rei Christianæ.

55. Germani principes decretum Pontificium laudant. 56-79. Lutherus indulgentias oppugnat : vera de indulgentiis doctrina. 80. Veneta respublica pristinæ restituta amplitudini. 81-86. Robureus principatus Urbinatis iterum potitur, Picenum invadit, et a celesti virtute impeditur quin ædem Lauretanam diripiat. 87, 88. Conflare exercitum ex Helvetiis conatur Pontifex. 89-99. Conjuratio quorumdam cardinalium adversus Leonem : Petrucius strangulatur, Riarius vero et Bandinellus venia donantur. 100-102. Auctus cardinalium senatus : pia sanctio pro cardinalibus defunctis. 103-107. Cardinalis Ximenius pie moritur : ejus animi dotes et præclara gesta. 108-111. Deposcitur undequaque ut Ximenius sanctorum Albo inscribatur ob patrata in vita ac post mortem miracula. 112. Caroli V in Hispaniam adventus. 113-115. Diversæ sanctiones quibus sacrum audiri extra parochialem Ecclesiam permittitur ; instauratur decretum de fide addicenda Sedi Apostolicæ a præsulibus recenter electis, et approbantur quædam precum formulæ. 116. Eduardi Galvani vaticinia. 117. Templum S. Thomæ dicatum in Indiis reperitur. 118. Yucatan provincia in America patefacta.

MDXVIII. 1, 2. Prodigia Romæ visa, malorum præsagia. 3-30. Imperii electores in Augustano conventu congregati proposita consilia de bello Turcico Pontificis arbitrio submittunt. 31-35. Germani belli sacri onus refugere videntur. 36-39. Missi legati Apostolici ad Germanos, Gallos, Hispanos et Anglos. 40-49. Solemnes supplicationes indictæ. 50, 51. Summa ratio belli gerendi. 52-54. Thomas de Vio missus in Germaniam legatus. 55-63. Quo ritu Albertus Moguntinus insignibus cardinalatus, et Maxilianus Cæsar ense et pileo ornatus fuerit. 64-69. Maximilianus Germanos ad bellum sacrum hortatur. 70-75. Plocensis episcopus nomine regis Poloniæ Germanorum inertiam perstringit in conventu Augustano. 76-84. Confutantur ab Alberto Pio Huttenis argutiæ et calumniæ. 85-89. Thomas de Vio Sedem Apostolicam ab omni avaritiæ suspicione vindicat. 90. Lutherus a Maximiliano ut calumniator denuntiatus. 91-101. Quibus de causis Lutheranismus latius se diffuderit. 102-111. Fraudium artifex Lutherus. 112-149. Hæreticorum cavillationes circa indulgentias, Purgatorium et vim anathematis. 150-153. Bibienæ cardinalis in Galliam legatio et eximiæ de ea conceptæ spes. 154. Parisiis sancitum fœdus inter Anglos et Gallos. 155, 156. Hispani et Galli clam mutuo flagrantes odio. 157-163. Dirimitur in gratiam Caroli lis qua rursum agitatum fuerat utrum Neapolitanum regnum imperio adjungendum sit, necne. 164. Spina Dominicæ coronæ sanguinem fundit. 165. In Dania induciæ violatæ. 166. Diploma Apostolicum in falsos testes circa hæresis inquisitionem. 167. Turcæ in Africa victi. 168-170. Lusitanorum in Oriente res præclare gestæ. 171, 172. Hispani perlustrant insulas Americæ.

MDXIX. 1-3. Ex imperatoris morte aucti Luthero animi : Maximiliani elogium. 4-6. Providet Pontifex ut in eligendo imperatore rei Christianæ consulatur. 7-22. Galliæ et Hispaniæ reges affectant imperium : suam quisque causam coram electoribus propugnat. 23. Oblatum imperium Friderico Saxoni et ab ipso declinatum. 24-30. Carolus electus et renuntiatus Cæsar : leges ipsi impositæ. 31. Poscit Carolus ut regnum Neapolitanum retineat. 32, 33. Mærore conficitur Franciscus ex tradita æmulo dignitate imperiali. 34, 35. Circumvenire principes tentat Lutherus. 36-47. Ex imprudenti concessione internuntii Apostolici renovantur controversiæ de rebus ad fidem pertinentibus. 48. A Lovaniensibus et Coloniensibus theologis Lutherus damnatus. 49. Quali modo defunctis applicari queant indulgentiæ. 50. Zuinglius Helvetios inficit. 51-53. Insana Lutheri audacia et mira perfidia. 54-56. Heresiarchæ favent rhetores, politici necnon principes ipsi, spe deprædationis bonorum Ecclesiasticorum allecti. 57, 58. Christiernus Daniæ rex coactum ex indulgentiis aurum diripit et Sueciam sibi adsciscit, violatis induciis. 59, 60. In Lithuaniam irrumpunt Moscovitæ, quorum dux Basilius consilia agit de schismate abjiciendo. 61. Sollicitatur Gallus ut priora consilia diligentissime exequatur in Turcas. 62. Expeditionis in Algerium luctuosus exitus. 63. Xerifii in Africa novam superstitionem conflant. 64. Maldivæ a Lusitanis partæ. 65-75. Duce Ferdinando Cortesio, Hispani novas terras lustrant quarum incolæ sacrificiis humanis dediti ad mitiores mores reducuntur. 76-85. Decreti sanctorum honores B. Francisco de Paula, gloria miraculorum coruscanti. 86, 87. De aliis viris præstantissimis in Albo sanctorum conscribendis agitatum. 88. Monomachia vetita a Leone.

MDXX. 1-3. Larvam Catholici viri deponens Lutherus palam hæresim profitetur. 4-14. Negatur a Luthero sacerdotalis ordo, qui propugnatur ab Eckio. 15-17. Calumnia Lutheri in auctoritatem Pontificiam et jus canonicum. 18-48. Joannes Faber in totidem responsionibus confutat triginta articulos excerptos ex operibus Lutheri. 49, 50. Impium librum inscriptum *de captivitate Babylonica* edit hæresiarcha. 51-59. Edictum Pontificium quo Lutherus in jus vocatur. 60-63. Promulgato edicto dubium præstant obsequium principes Germani, excepto imperatore. 64, 65. Joannis Fischeri ad Anglos monita : Henrici VIII libellus aureus. 66-68. Ex scriptis Fischeri eruitur inanitas et pravitas systematis Lutheri admittentis solas Scripturas sufficere in controversiis de rebus ad fidem pertinentibus : Hamela, urbs Saxoniæ a S. Bonifacio defensa. 69. Carolus V ex Hispania in Germaniam se confert. 70-72. Absente Carolo diræ dissensiones Hispaniam dilacerant. 73-75. Carolus Aquisgrani corona Germanica

redimitus. 76-81. Civilia inter Christianos bella exitialia : a Polonis in Cruciferos justæ effunduntur querelæ. 82, 83. Dalmatia et Croatia vastatæ a Turcis : sacerdotis Dalmatæ in fide constantia. 84, 85. Actæ Deo grates de extincto Selymo. 86. Constantinopoli dignitas patriarchalis empta : Simoniaci Simoniacos pellunt. 87-89. Christierni Daniæ regis atrox facinus. 90. Delatum Pontifici a Jacobo rege Scotiæ obsequium. 91. Maurus prænobilis sacro baptismo initiatus. 92-95. Lusitanorum in insulam Sumatram et in Sinum Arabicum expeditio. 96-98. Mexicana terra a Cortesio recuperata. 99-101. Magellanis navigatio, et freti conjungentis utrumque Oceanum inventio.

MDXXI. 1-4. Lutherus et sectatores ejus anathemate plectuntur. 5-7. A theologis Parisiensibus hæreseos convictus Lutherus. 8-10. Wormatiæ paratur conventus : fides publica hæresiarchæ data, sed ab eo non servatæ leges syngraphæ. 11. Erfordiæ concionante Luthero, templum concutitur. 12, 13. Lutheri in conventu Wormatiensi superbia et audacia. 14-16. Caroli V ad principes in Lutherum oratio male ab ejusdem asseclis excepta. 17-24. Lutheri pertinacia et alia vitia. 25-41. Caroli V Edictum in Lutheranos. 42, 43. Lutherus laborat infamia societatis cum dæmone. 44, 45. Evadit Lutherus ab amicis tectus. 46-50. A dæmone Lutherus, ipso fatente, edoctus, illusus et induratus. 51. Damnant Lutherum Parisienses. 52, 53. Vitiorum illecebris multi ad Lutheranismum abripiuntur. 54-71. In opus pestiferum *de Captivitate Babylonica* Henricus Angliæ rex scribit librum *de Septem Sacramentis*. 72-74. Librum Angliæ regis gratulatorie accipit sibi oblatum Summus Pontifex qui decernit auctori titulum *defensoris fidei*. 75-79. Pontifex primum in Francisci, mox in Caroli partes inclinat. 80-91. Diploma Apostolicum quo permittitur Cæsari ut cum imperio jungat Neapolitanum regnum sub certis conditionibus. 92, 93. Aliud Diploma quo declaratur nihil detrahi juribus Joannæ reginæ concessis. 94-97. Belli inter Carolum et Franciscum conflati causam quisque in suum adversarium derivat. 98-101. In obsidione Pampelonensi Ignatius Loyola vulneratur, et a B. Petro sanatus de perfectiori vita cogitat. 102-104. Recepta ab Hispanis Navarra. 105. Perditissimi latrones grassantur in Galliis. 106-108. In Italia res Gallorum pessumdatæ. 109-112. Leonis X mors inopinata forsan veneno illata : hujus Pontificis mixta vitiis dotes. 113-120. Emmanuelis Lusitaniæ regis, Ecclesiæ propugnatoris fortissimi, obitus et virtutes. 121-124. Solimanus, reliquiis Mamaluchorum cæsis, Alba-Regali potitur et Rhodiam expeditionem conficere meditatur. 125, 126. Lusitanorum insigne facinus adversus barbaros. 127. Præcones Evangelici in Americam missi. 128-130. Ferdinandi Cortesii in Mexicano regno gesta. 131. Navis, orbe terrarum peragrato, in Hispaniam revertitur. 132. De Moluchis insulis inter Lusitanos et Castellanos lis orta.

MDXXII. 1-7. Divino instinctu ducti cardinales eligunt Hadrianum tum in Hispania agentem. 8-12. Hadrianus frustra nititur bellum componere inter Cæsarem et Gallum. 13-15. Italia bello et peste laborat. 16, 17. Hadriani iter et in Urbem ingressus. 18. Pontificis egregiæ dotes. 19-28. Obsidione pressa Rhodus certis conditionibus Turcis se dedere cogitur. 29-33. Lutherus e latebris prodiens et audacior absentia imperatoris factus, ubique suorum errorum semina spargit, parvi ducens doctrinæ suæ mutationes. 34-39. Carolstadius hæresim Iconoclastarum renovat. 40-44. Lutherus in quibusdam sententiis a Carolstadio dissentit ; Turcas commendat ; sanctos Patres in interpretatione Scripturarum spernit et fidem fingit extingui bonis operibus. 45-47. Convellere statum Ecclesiasticum et scriptis et dictis conatur Lutherus. 48-52. Scriptura sacra corrupta a Luthero : in jejunia et cælibatum declamat. 53, 54. Anabaptistarum ortus. 55-59. Ex Lutherana secta imperii excidium non sine causa sed tardius præmetuit Carolus V. 60-64. Admoniti ab Hadriano de malis imminentibus principes. 65-71. Data internuntio Apostolico mandata. 72-88. Hadriani litteræ ad Saxonem. 89. Reliquiæ S. Apostoli Thomæ in Indiis repertæ. 90-99. Regionem Nicaraganorum perlustrat, et ad fidem adducit Ægidius Gonsalus. 100-102. Minoritæ in Evangelio disseminando per infideles populos Americæ promptissimi.

MDXXIII. 1-13. Missus ab Hadriano internuntius ad reducendos ad officium Germanos : corruptorum principum responsa. 14-20. Internuntii replicatio, quamvis magni sensus et ponderis, spreta ut inanis ab impiis politicis. 21-27. Edictum nomine Cæsaris promulgatum, quo nonnullis flagitiis providetur, sed nihil statuitur in Lutherum causam horum malorum. 28-51. Instigante Luthero, porrigitur Hadriano libellus supplex continens querimonias Germanicas. 52-57. Tollantur abusus, sed non evertatur Ecclesia. 58-62. Ritibus sacris substituit Lutherus novas et nugatorias formulas. 63-69. Quinam fuerint Lutheri oppugnatores. 70. Convicia Lutheri in principes. 71-76. Novatoris argutiæ contra castitatem. 77-79. Ineptiæ quibus suam doctrinam fulcire conatur Lutherus, et perfidæ artes quibus allicit principes ad direptionem censuum Ecclesiasticorum. 80, 81. Decretum Poloni regis de tuenda religione. 82-87. Causæ multiplices quæ impulerint ad hæresim. 88. Magorum impia facinora. 89-94. Diploma Apostolicum quo B. Bennoni sanctorum decernuntur honores. 95-101. S. Antoninus Catalogo sanctorum inscriptus. 102-105. Peregrinatio S. Ignatii ad limina Apostolorum et ad Terræ-Sanctæ loca. 106. Rhodiorum princeps amissam Rhodum recuperare nititur. 107. Pa-

triarcha Alexandrinus obsequium defert Hadriano. 108-111. Res Gallicæ in Italia penitus ruunt, et Pontifex init fœdus cum Cæsare et Anglo. 112-119. Hadriani pius obitus, et rei Christianæ luctuosissimus. 120-124. Cæsarei oratoris supplex libellus ad cardinales in conclavi congregatos, quo postulat ut subsidiarium aurum impendatur ad repellendos Gallos Italiæ invasores. 125-127. Clementis VII electio et primordia. 128-130. Clemens pollicetur se futurum pacis arbitrum. 131-133. Poscit Hungarus rex ut Capistranus inter sanctos referatur. 134-136. In Mexicano regno Christiana res amplificata. 137-139. Minoritæ sedulam dant operam ut Barbari ad Christum adducantur.

MDXXIV. 1-5. Cardinalis Campegius missus ad Nurembergenses conventus, et ei adjunctus cardinalis Salisburgensis. 6-13. Post multas et ancipites concertationes proponitur nomine Cæsaris absentis edictum quo postulata Pontificis eluduntur. 14-16. Jure queritur Pontifex litteris ad imperatorem missis, quod utriusque vota contempta fuerint. 17-19. Mandata data regi Angliæ et cardinali Eboracensi de futuro conventu Spirensi et de Lutheranorum conatibus. 20. Clemens queritur apud Gallum de comitiis Nurembergensibus. 21,22. Carolus V Pontifici adhæret adversus Lutherum. 23-39. Ferdinandus archidux Austriæ cœtus Catholicorum celebrat Ratisbonæ, in quibus edictæ sanctiones a legato Apostolico ad Ecclesiasticam disciplinam instaurandam. 40. Lutheri declamationes. 41. Liberæ civitates hæresi infectæ. 42. Sichingus Treviris propulsatus. 43-46. Muntzerus fax Germaniæ. 47. In principatu Ultrajectino turbas concitat hæresis. 48-51. Lutheri furor in virginibus constuprandis, et in miraculis denegandis. 52. Helvetii decernunt tuendam fidem orthodoxam. 53-57. Tigurini a Zuinglio corrupti. 58-60. Œcolampadius a Fischero confutatus. 61. Monasterium usque adhuc religione florens impura doctrina contaminatur. 62. Hæreticorum in episcopos et sacerdotes summa petulantia. 63-68. Ludovici Hungariæ regis vigilantia in Pighardos et Callixtinos. 69, 70. Bellum inter Polonos et Cruciferos sedare nititur Clemens : Prussorum princeps ad Lutheranam hæresim deficit. 71-74. Pontificia legatio ad Moschorum principem et tentatum fœdus in Turcas. 75. Clementis monita ad Hungaros. 76, 77. Solymanus arma vertit in Achomatem Ægypto potitum, quem in rebellione firmaverat spes Christiani subsidii. 78-81. Clemens concordiæ interpretem frustra agit inter Gallum et Hispanum. 82-96. Redintegratur bellum inter Carolum V et Franciscum Galliæ regem. 97-99. Ex his bellis oriuntur ingentia mala rei Christianæ nociva. 100. Illuminatorum hæresis in Hispania. 101. Laurentius Justinianus miraculis clarus. 102. Ordinis Theatinorum exordium. 103-108. Abyssinorum regis ad Lusitanum litteræ. 109-111. Orta rursum inter Castellanum et Lusitanum discordia de novi orbis finibus. 112-116. A B. Martino Valentino propagata in Mexico fides.

MDXXV. 1-3. Celebratur Jubilæus annus. 4-16. Rusticorum Lutheranorum rebellio, postulata et strages. 17-20. Quid sit vera libertas Christiana. 21. In urbe Ultrajectina tumultus. 22-26. Exultat Lutherus in medio Germaniæ luctu, rusticos in cladem inducit, et victos dilacerat conviciis. 27. Francofurti et in aliis urbibus latæ a Lutheranis leges iniquæ. 28-34. In Dania, Belgio et Hollandia pestis Lutherana serpit. 35. Polonia Sigismundi regis virtute præservata ab hæresi. 36-39. Blasphemiæ a Lutheranis jactatæ in B. Virginem et sacras imagines. 40, 41. Catholici doctores scriptis certant adversus Lutherum. 42-51. Lutheri et Zuinglii dissidia circa Eucharistiam. 52, 53. Lutherus ob sacrilegas nuptias objurgatus ab Anglo rege. 54-58. Albertus Cruciferorum magister in Prussia Lutheri exemplum sequitur; non vero Albertus cardinalis Moguntinus, nec Georgius Saxoniæ dux qui confutant hæresiarchæ impias persuasiones. 59, 60. In Protestantismo ipso schismata. 61-64. Tigurini ad Anabaptistarum sectam deficiunt. 65. Lutherana hæresis illata in Gallias. 66. Laxatæ a Carolo V hæresi habenæ. 67-73. In quo Moscovitæ cum Catholicis consentiant et ab ipsis dissentiant. 74-92. Bella inter Carolum V et Franciscum I Turcis prospera, principibus funesta, et Pontifici luctuosa. 93. Hebræorum Arabum legatio ad Pontificem. 94-102. Mexicani subacti a Ferdinando Cortesio. 103. Jacobus Picens miraculis clarus. 104. Capucinorum exordia.

MDXXVI. 1-4. Adducta in discrimen Christiana res ob acerbiores leges a Carolo V impositas Francisco Galliæ regi. 5-8. Adversus Cæsarem nimis potentem fœdus sancitum inter cæteros principes. 9, 10. Cæsar exterritus pacem offert quæ non accipitur a Clemente. 11. Causas indicti Carolo V belli litteris exponit Pontifex. 12-15. Petrus Navarrus classi sociali præfectus, et expeditionis Genuensis dux renuntiatus. 16-18. Clemens, rerum conversa facie, pacem cum Cæsareis componit. 19-21. Columnensium in Urbem irruptio et ministrorum Cæsareorum proditio. 22-43. Caroli V Apologeticæ litteræ quibus ad Pontificem remittit bellorum causas. 44. Humanioribus litteris Carolus spondet Pontifici suum obsequium. 45-56. Denuo publici dissidii causas in Pontificem et Gallorum regem avertere nititur Carolus Epistola ad cardinales, necnon in libello ad septemviros transmisso. 57-59. Admoniti principes a Pontifice de Hungariæ periculo. 60-62. Germanorum ignavia suadente Luthero confirmata. 63-66. Ingens Hungarorum clades : Buda capta a Solimano, et Ecclesiæ profanatæ et direptæ. 67-69. Pontificis cum Columnensibus contentiones. 70, 71. Hungaria mutuis discordiis attrita. 72-77. Joannes Faber legatus ad regem Anglorum. 78. Melite insula data

SUMMARIUM

TOMI XXXII

MDXXVII. 1, 2. A pluribus prædicta Urbis direptio. 3-7. Pollicitationibus Cæsaris allectus Clemens adire reges statuit ad urgendam concordiam, sed a proposito Pontificem deterrent Galli. 8-10. Proregis Neapolitani consilia nefaria. 11, 12. Induciæ sancitæ, et quibus conditionibus. 13, 14. Germanicus exercitus Flaminiam invadit. 15-22. Romæ excidium et Pontificis captivitas. 23-27. Inter principes agitur de liberando Pontifice. 28-31. Differt Carolus dimittere Pontificem. 32. In Oriente rem Christianam restaurandi spes affulget. 33, 34. Lautrechius nimias nectit moras, quarum impatiens Pontifex acerbioribus legibus se subdit, nec tamen in libertatem mittitur. 35-42. Caroli V litteræ quibus se immunem profitetur tot et tantorum facinorum. 43. Toletano archiepiscopo exponit Clemens calamitatem suam. 44, 45. Divina vindicta in sacrilegos reliquiarum raptores. 46, 47. Pontifex ignobili cultu ex servitute evadit, et Lautrechium certiorem efficit de libertate recuperata. 48-51. Pontificis ad principes congratulatoriæ litteræ. 52, 53. Ditionis Ecclesiasticæ infelix status. 54-58. Lutherus et Sacramentarii inter se pugnant. 59-61. Erasmus in Lutherum scribit. 62-64. Furiis conscientiæ torquetur Lutherus. 65, 66. Corrupta a Luthero sacra Scriptura. 67. Pseudoevangelii pessimi fructus. 68-75. Anabaptistica pestis sævit præsertim in Moravia. 76-80. Anabaptistarum mores, fraudes et flagitia. 81-84. Livonia contaminata hæresi. 85. Abbas Farnensis ob hæresim exustus in Scotia : Gostavus Sueciæ rex subornatus a Lutheranis. 86. In Belgio fideles ab hæresi miraculo deterriti. 87-104. Senonensis synodus adversus Lutheranos. 105. Beatus Hyacinthus miraculis claret. 106. Tartarorum in Lithuaniam irruptio. 107. Hungaria civilibus bellis laniata. 108-119. Propagata apud Mexicanos religio.

MDXXVIII. 1. Pactiones concordiæ initæ, sed de modo illas exsequendi lis orta. 2, 3. Pontificis et Pontificiarum rerum miser status. 4, 5. Germani Roma divulsi ob Neapolim a Gallis obsessam. 6-8. Tardius obstant Galli submissis e Germania copiis. 9. Detrectat Clemens se implicare bello. 10. Lautrechius epidemico morbo extinguitur ; eversæ Gallorum res. 11. De concordia agit Clemens apud Carolum V. 12, 13. Veneti et Florentini gravissime animum Pontificis offendunt, et ruunt in pejus. 14, 15. Ad meliorem frugem adducitur Cæsar, et ipsius rogatu Romam redit Clemens. 16. Cæsareum nomen tuendi specie Columnenses plura perpetrant scelera. 17. Ad pacem inclinat rex Gallus. 18-23. Bernenses conventus se arbitros dogmatum fidei constituunt. 24-29. Zuinglius cum Luthero, et Anabaptistæ cum utroque pugnant. 30. An tolerandæ sint sectæ contrariæ certant novatores. 31-39. Balthasar hæresiarcha captus, confutatus et Viennæ flammis exustus. 40. Populus ignorans quid sit credendum in atheismum prolabitur. 41-43. Monitus a Pontifice Ferdinandus ut non sinat Ecclesiam opprimi a Lutheranis. 44. Pulsus ab Hungaria Joannes in Turcarum clientelam se confert. 45, 46. Indictæ a Clemente solemnes supplicationes. 47-52. Lutheranæ sectæ reformatio. 53-78. Joannes Faber Lutheri variationes facete enumerat. 79. Prussi denegant episcopis decumas. 80, 81. In Galliam irrepit hæresis. 82-102. Parisiis celeberrima synodus contra hæreticos celebrata. 103-106. Trajectensis principatus jura ab episcopo in Carolum V, assentiente Pontifice, translata. 107. Brixiam inficit hæresis. 108, 109. Jacta hoc anno schismatis Anglicani semina. 110. Lusitanorum quorumdam insignis apud Indos fidei confessio.

MDXXIX. 1-3. In sacris violandis Lutherani Turcis pejores. 4. Hæretici Helvetii Catholicos opprimere nituntur. 5-10. Multoties, sed præsertim in conventu Smalcaldiensi, Landgravius Hassiæ Lutheranos et Sacramentarios conciliare tentat. 11, 12. Joannes Agricola Antinomorum sectam

condit. 13. Morbus epidemicus, cui nomen *Sudor Anglicus*, totam Germaniam vastat. 14. Apud Batavos moniali cuidam datur cœleste visum de Lutheranorum damnatione : Bruxellis mulier divinitus sanatur orans ante Eucharistiam : Carolus V veniam dat lapsis, non relapsis. 15-25. Cætus Spirenses, contra quorum decreta protestantur aliqui Germaniæ principes, unde prima origo nominis Protestantium. 26, 27. Caroli V litteræ adversus Anabaptistas, quorum præcipua dogmata hic exponuntur. 28-31. Contradictiones Lutheri volentis simul et vetantis arma sumi contra Turcas. 32-39. Imminente Turca et Lutheranis frementibus, Ferdinandus Hungariæ rex poscit auxilium a Pontifice et flebilibus litteris universos fideles ad arma concitat. 40-43. Hungari inter se divisi viam patefaciunt Turcis, qui Viennam Austriæ obsidione premunt. 44. Anxiæ Pontificis curæ, qui Cæsarem necnon Angliæ et Galliæ reges ad subveniendum Germaniæ periclitanti provocat. 45. Amissa recuperandæ Rhodi occasio. 46-49. Removet castra a Vienna Solymannus, non sine magna suorum strage. 50, 51. Liberati cardinales obsides, et Clementis ad eos consolatoriæ litteræ. 52-55. Perusinorum defectio et reductio. 56-59. Pontifex et Cæsar de consilio se mutuo invisendi cogitant : colloquia inter reges. 60-66. Fœdus init Clemens cum Carolo V, unde patet via ad publicam pacem. 67-69. Concordiæ inter regem Gallum et Carolum V Cameraci pactæ præcipui interpretes Margareta Austriaca, et Mercurinus Gattinaria. 70. Carolus V in Italiam appellit. 71-74. Turbatæ res Italicæ, imprimis in republica Florentina, propter Mediceorum odium. 75-77. Bononiam profectus Clemens futuris providet sapientissime. 78-85. Pontificis et Cæsaris ingressus in civitatem Bononiensem. 86-89. Quibus legibus et ritibus promulgata sit pax inter Cæsarem et quosdam principes Italos. 90-93. Henricus Angliæ rex, cupidine incensus, in Pontificem exasperatur. 94. Orchadenses insulæ D. Magni clientelæ commendatæ. 95-97. Propagata inter Mexicanos religio.

MDXXX. 1-3. Promulgata pax inter Cæsarem et principes Italos, exclusis Florentinis. 4. Ravennates venia donati : Venetorum oratores a Pontifice et Cæsare excepti. 5-15. Bononiæ Carolus V corona ferrea a Pontifice redimitus. 16-45. Biduo elapso Cæsar corona aurea ornatur. 46, 47. Pontificis litteræ de collatis Carolo imperialibus insignibus. 48, 49. De Concilio celebrando inter Pontificem et Cæsarem habita colloquia. 50-52. Edicto severo providet Clemens ne Itali peste Lutherana inficiantur. 53. Creati novi cardinales. 54-56. Carolus V in Germaniam proficiscitur, Mutinam in fidem suam recipit et Atestino adjudicat. 57-59. Campegio cardinali legato datur potestas absolvendi Christiernum Daniæ regem duplici crimine hæreseos et cædis sacrilegæ. 60-64. Conventus Augustani indicti. 65-73. Causæ hujus conventus expositæ ab imperatore. 74. Internuntius Pontificius de iis abolendis hæresibus agit : responsum a cardinale Moguntino datum. 75. Vetiti Lutherani habere conciones Augustæ. 76-78. Lutherani subdole petunt Concilium. 79-84. Melanctonis insignis improbitas in exponendis suorum asseclarum doctrinis. 85-89. In confutationibus et colloquiis inanibus consumptum tempus. 90-94. Joachimus elector Brandeburgensis Catholicam fidem tutatur. 95-98. Ex utraque litigantium parte pauciores deliguntur ut ad concordiam propius accedant. 99-103. Mollius agit Cæsar cum hæreticis. 104-106. Statuuntur leges usque ad Concilium duraturæ. 107-111. Cæsaris mandata parvipendere gloriatur Lutherus. 112-114. Per Joachimum Brandeburgensem defensa Christi causa adversus latrones. 115, 116. Joannes Faber demonstrat Lutherum sibi non esse consentaneum. 117-120. Zuingliani et Lutherani sibi invicem adversantur. 121-123. Minis et molitionibus hæreticorum cogitur Cæsar providere rei Christianæ. 124-168. Imperatoris et principum declarationes et decreta pro defendenda religione ab erroribus hæreticorum et incursionibus Turcarum. 169, 170. Egregium exhibent pietatis specimen erga fidem orthodoxam Joachimus dux Brandeburgensis, Georgius Saxonius, et Ferdinandus Bohemiæ rex. 171-177. De celebrando Concilio actum et quibus conditionibus : cur non fuerit indictum. 178. Hortatur Clemens principes ut in Turcas arma jungant. 179, 180. Restituti Francisco I liberi. 181-183. Pro juvando Ferdinando Pontificis studia. 184-186. Strigonium receptum, sed Buda frustra obsessa a Christianis, qui misere trucidantur. 187-190. Florentinæ reipublicæ mutatur forma. 191-202. Henricus VIII, impuris implicatus amoribus, enixe et cum minis postulat suum dissolvi matrimonium, sed secundas nuptias inire prohibetur. 203. Gebenna obsessa a Sabaudo. 204. Adeni rex fit Lusitanorum vectigalis.

MDXXXI. 1, 2. Ferdinandus, Caroli V frater, Romanorum rex electus, a Clemente confirmatur. 3, 4. Gallus et Anglus patrocinantur Lutheranis. 5-8. Conciliabulum poscunt hæretici, Concilium autem verum optant Pontifex et imperator. 9-15. In decretum Augustanense insurgit Lutherus. 16-20. Thomas de Vio scribit contra Lutheranos. 21. Dux Sabaudiæ pro fide pugnat adversus Gebennenses. 22-24. Ad subveniendum duci Sabaudiæ a Zuinglianis oppresso incitantur a Pontifice principes Catholici. 25-30. Zuingliani a Catholicis cæsi, et Zuinglius ipse inter alios trucidatus. 31-36. Vires ampliores comparant hæretici qui pluribus subsequentibus præliis funduntur. 37, 38. Dolet Pontifex quod principes amittant exscindendæ hæreseos occasionem. 39, 40. Carlostadius misere perit : Bullingerus inter Tigurinos instaurat hæresim. 41-45. Lutherus insectatur Sacramentarios et Anabaptistas, irretitus et ipse iisdem erroribus. 46-50. Wicelius, ex lectione Patrum ab hæresi conversus, fortiter et acute Lutheranismum

redarguit. 57-59. Albertus Brandeburgensis apostata et perduellis. 60-64. Hæreticorum sævitiæ et sacrilegia inter Torpatenses. 65, 66. Colonienses in fide Catholica constantes. 67-69. Anceps rei Christianæ status, ob ingentes Turcarum apparatus. 70. Classem in Mare Rubrum adversus Lusitanos transfert Turca. 71-73. Conversa in Pannoniam Turcarum arma. 74-76. Moldavi et Walachi in Poloniam irrumpunt, sed ingenti clade delentur. 77. Maronitæ a Pontifice moniti ut pro Christo adversa ferant. 78-91. Angliæ rex Henricus, reluctante licet Pontifice, divortium anhelat, ad exitium raptus libidine et assentatorum obsequiis. 92-94. Auctum cardinalium collegium, et imposita cuique novo cardinali formula sacramenti. 95, 96. Queritur Clemens de regiis administris qui in Hispania Pontificiam auctoritatem labefactare tentant. 97-99. Mutata reipublicæ Florentinæ forma. 100. Mantua et Monsferratus conjuncti. 101. Reliquiæ ex Urbe avectæ concessæ archiepiscopo Calaritano. 102-105. Ecclesia in Europa oppugnata apud novos populos Americæ amplificatur.

MDXXXII. 1-5. Solymanno Occidentale imperium affectante, Pontifex principibus Christianis periculum imminens denuntiat. 6, 7. Veneti et Polonus initas cum Turca inducias abrumpere recusant: Gallus et Anglus conspirant in imperatorem; solus Scotus paratum se præbet. 8-12. Pontifex detegit dolos Solymanni pacem postulantis ut imparatos opprimat. 13-15. Ratisponæ conventus ordinum Germaniæ indicti, et sopita discordia inter Frisingensem episcopum et Bavariæ ducem. 16-20. Nimis indulget Carolus V politicorum consiliis. 21-24. Cardinalis Medicæi in Germaniam legatio et profectio. 25-27. Permissa et promissa Lutheranis a Carolo V, unde latius grassatur hæresis. 28. Damnati blasphemi in B. Virginem. 29. Impedimenta et pericula in cogendo Concilio. 30, 31. Solymanni irruptio in Germaniam. 32-34. Ad Guntium oppidulum retardati Turcæ ope S. Martini. 35-39. Hæc mora Christiano exercitui facultatem dat sese comparandi, unde hostis profligatur. 40-43. Multiplices causæ ob quas non potuerit Carolus insequi Turcas. 44, 45. Galliæ et Angliæ regum prava consilia in Carolum et Pontificem. 46-51. Venetorum expeditio in Græciam. 52, 53. Italorum seditio adversus Cæsarem. 54-61. Cæsaris cum Pontifice colloquium Bononiæ habitum, et consilia in eo agitata. 62-66. Pontificis responsa ad Angli regis querelas, qui in schisma incidit, et secum totum regnum in perniciem trahit. 67-72. Studet Pontifex Italiæ paci et fidei præservationi. 73-75. Thomas de Vio cardinalis egregie confutat fallacias hæreticorum de justificatione. 76-78. Wicelius Lutheranorum fidem arguit, ut novam et impiam. 79-81. Michael Servetus et Joannes Campanus Trinitatis hostes. 82, 83. A multis accusatur Erasmus ut Arianismi instaurator. 84. Joannes Bugenhagius Lutheranismi propagator. 85, 86. Joannis ducis Saxoniæ obitus infelix. 87, 88. Dania et Suecia hæreseos præda. 89, 90. Melchior Hoffmannus Anabaptista seductus a dæmone prophetam agit. 91-93. Ritus Catholici aboliti in Westphalia. 94-97. Minoritarum magistri litteræ de præconibus Evangelicis. 98. Congregatio nova, Strictioris Observantiæ dicta, instituitur.

MDXXXIII. 1-8. Pontificis ad principes litteræ de futuri Concilii commodis et conditionibus. 9-18. Lutherani principes eludere Concilium satagunt, sed eorum argutias confutat Cocleus. 19. Catholici ipsi non consentiunt inter se de congregando Concilio. 20-30. Æthiopum imperatoris legatio. 31. Ferdinandus rex Romanorum postulat auxilia contra Turcas. 32. Decumæ clero Lusitano imperatæ. 33, 34. Diversa fœdera quibus pacatur Italia. 35. Discessus Caroli in Hispaniam: Spina coronæ Dominicæ concessa imperatrici. 36. Barnabitarum Ordo incipit. 37-41. Domus Lauretanæ origo certior effecta, necnon recentibus miraculis confirmata. 42. Apud Batavos imagines Deiparæ in mediis flammis illæsæ. 43-56. Lutherus promulgat suam cum dæmone disputationem. 57. Georgius Stifelius delusus a dæmone. 58, 59. Lutheranorum mores depravati ex depravatis principiis recte deducti. 60. Joannis Matthiæ, Harlemensis pistoris, fraudes et errores. 61. In Helvetia Zuinglianorum insidiæ deteguntur et ad nihilum rediguntur. 62. Camberiaci sacra sindon in mediis ignibus servata. 63. Bernardi Rotmanni et Sebastiani Franci dogmata insana et impia. 64. Prohibita versio vulgaris Scripturæ. 65-75. Henrici cum Anna Bolena incestuosæ et infandæ nuptiæ. 76. Jacobus Scotiæ rex constituit communi ordinum consensu fidem veterem retinendam esse. 77-89. Clementis cum Francisco rege colloquium Massiliæ habitum, propemodum in verbis et in exterioribus amicitiæ signis consumptum. 90-95. Pax turpis cum Turcis conficitur. 96. Consentanea Indorum traditio cum Ecclesia Romana de S. Thoma apostolo.

MDXXXIV. 1, 2. Argumenta Henrici VIII ex Scriptura sacra petita pro rescindendo conjugio a J. Cocleo confutantur. 3-11. Defixus anathemate rex Anglus se caput Ecclesiæ Anglicanæ profitetur, et in Catholicos sævit. 12-14. Ingentia mala oborta ex disturbato Concilio. 15-18. Franciscus Gallus, Austriacæ familiæ infensus, hæreticis favet. 19-35. Anabaptistæ Monasterium infestant. 36-38. Dæmonis cum Lutherano ministro colloquium. 39-43. Lutheranus se ad Zuinglianos defecisse negat: Calvinismi principia. 44-46. Societatis Jesu incunabula. 47. Wittembergæ hæresis cum litteris instillata. 48-50. Melanctonis errores circa Baptisma. 51-53. Wicelius propugnat jejunia, orationes et eleemosynarum largitiones. 54-58. Grittus et Lascus rei Christianæ proditores justas dant pœnas. 59. Corone Turcis dedita. 60, 61. Barbarossæ ex-

cursiones in Italica littora : Ragusæorum privilegia confirmata. 62-65. Fides propagata in Mauricis insulis. 66. Neophyti Judæi venia donati a Clemente. 67-69. Clementis morbus, obitus et sepultura.

HIC INCIPIT ANNALIUM TOMUS XXI EDITIONIS ROMANÆ CUM RAYNALDI CONTINUATIONE.

1-3. Cardinalis Farnesius electus Pontifex sub Pauli III nomine statim de indicendo Concilio cogitat. 4-7. Hungaricas dissensiones extinguere satagit Paulus. 8-10. Gratulatoriæ litteræ principum ad Pontificem et Pontificis ad principes. 11, 12. Lutherus contra Ecclesiasticos ritus et papam declamat. 13. In India episcopi constituuntur. 14, 15. Sacramenti formula a novis cardinalibus recitanda.

MDXXXV. 1, 2. Henricus VIII se caput Ecclesiæ Anglicanæ declarat. 3-6. Reginaldus hunc primatum adulterinum confutat et regis sævitiam in Catholicos denuntiat. 7-9. Roffensis cardinalis in morte sustinenda fortitudo et aliæ præclaræ virtutes. 10-14. Pontifex, ob persecutionem Anglicanam mœrore confectus, ad deturbandum regno tyrannum alios principes concitat. 15-17. Thomæ Mori constantia in fide, et gloriosa mors. 18. Pauli III sententia in Henricum regem Angliæ. 19. Lutherus scriptis commovet populum contra archiepiscopum Moguntinum. 20-24. Calvini natales, mores, scripta et errores. 25. Geneva, pulsis episcopo et clero, a fide deficit. 26, 27. Dux Sabaudus et Helvetii Catholici ab hæreticis profligati. 28. Tuendæ fidei Catholicæ tum in Italia, tum in Polonia Paulus invigilat. 29, 30. De Concilio mox congregando agit per litteras cum imperatore Pontifex. 31-36. Vergerius in Germaniam nuntius mittitur ad præparandam viam Concilio : Protestantium insolens responsum. 37. Disciplinam Ecclesiasticam pristino splendori restituere statuit Paulus. 38-42. Monasterium sedes regni Anabaptistarum, quorum deliramenta, fraudes et turpia opera deteguntur. 43-47. Solymanni in Perside et Armenia clades. 48-54. Fausta Caroli V expeditio in Tunetum. 55, 56. Persarum contra Solymannum florentissima victoria. 57, 58. Sedandis discordiis undequaque ortis Pontifex incumbit. 59. In Congi regno et in America religio amplificata.

MDXXXVI. 1. Romæ triumphali pompa excipitur a Pontifice Carolus V. 2, 3. Coram Pontifice agitur de pace inter Cæsarem et Gallum regem necnon de causis paci obstantibus. 4, 5. Non minus a Pontifice quam a Cæsare desideratur Concilium. 6-10. Apologia Cæsaris et responsio Pontificis circa moram quæ intervenit. 11. Roma profectus imperator Florentiam petit : Franciscus ducatum Sabaudiæ invadit. 12, 13. Objecta sibi a Cæsare rex Galliæ diluit, litteris ad Pontificem missis. 14-16. Per legatos Pontifex pacem inter Cæsarem et Franciscum regem conciliare tentat. 17-20. Cæsar in Galliam irrumpit, et quidem infeliciter, nec tamen pax redintegratur. 21-23. Dum rex Gallus fœdus impium cum Turcis init, Pontifex Turcicas incursiones reprimit, et pios stimulos addit regi Poloniæ. 24, 25. Moritur regina Catharina non sine veneni suspicione. 26. Anna Bolena ob adulterium et incestum pœna capitis plectitur. 27-29. Henricus rex de nova condenda religione cogitat, monasteria evertit et spoliat. 30-32. Monentur a Pontifice Galliæ et Scotiæ reges ne auxilia subministrent regi Anglo contra populum suum. 33-35. Paulus III Concilium Œcumenicum indicit. 36-38. Joannis Fabri libellus de his quæ tractanda sint in futuro Concilio, et Pauli animadversiones. 39. Ejusdem Fabri Epistola ad nuntium Apostolicum in Germania de necessitate Concilii. 40. Paulus ad Urbem vocat episcopos magni nominis. 41, 42. Moniti Poloniæ, Daniæ et Sueciæ reges de mox celebrando Concilio. 43, 44. Timent, temnunt et calumniantur futurum Concilium Lutherani. 45. Italia pacificata ; Capuccinorum familia confirmata ; impuræ sectæ in Mediolanensi agro repressæ. 46. Zuingliani et Lutherani frustra tentant inter se concordiam inire. 47. Erasmus Roterodamus moritur Catholicus. 48. Fides propagatur in Indiis Orientalibus et Occidentalibus. 49. Cardinalium creatio.

MDXXXVII. 1, 2. Monet Paulus Cæsarem et Gallum regem Concilium discussum iri, ni pacem inter se ineant. 3, 4. Eligitur Mantua ut sedes Concilii, et duci Mantuano, aurea rosa donato, præscribitur ut quod opus sit præparet. 5. Lutherani Concilium calumniis insequuntur. 6-11. Nuntii missi ad principes ; instructio Morono legato data. 12-19. Episcopus Aquensis, Pontificius nuntius ad Germaniam inferiorem, principes Lutheranos invenit paratiores ad certandum quam ad obediendum. 20. Mantuam adire ad Concilium statuit Pontifex. 21-23. Dux Mantuæ petens militare præsidium Concilio impedimenta ponit. 24-32. Prorogatur Concilium. 33, 34. Veneti pro congregando Concilio Vicentiam concedunt. 35. Cardinalis Salisburgensis ob imprudentiam reprehensus a Pontifice. 36. Faber pro conciliandis hæreticis Bohemis laborat. 37. Contra Cæsarem odio conjuncti Lutherani, licet secum ipsi discordes. 38-42. Missus in Angliam cardinalis Polus, studiis Catholicorum suffultus. 43, 44. Pia Pontificis consilia evanescunt et Romam revocatur Polus. 45. In Polonia hæretici ab episcopis reprimuntur. 46, 47. Ad Clissiam clades insignis Christianorum. 48-50. Paulus laborat ut pacem inter imperatorem et regem Galliæ conciliet. 51-53. Solymannus contra Venetos arma movet et rejici-

tur. 54-56. Rursus Concilium indicitur, et ad illud principes invitantur. 57-59. Pro pace legatos mittit Paulus. 60-64. Solymannus sævo bello Venetos et Hungaros vexat. 65. Christiernus rex Daniæ hæresim Lutheranam diffundit. 66. Alexandri Medicei funestissima cædes. 67. Hieronymi Æmiliani felicissimus obitus.

MDXXXVIII. 1. Plures Synodi in Germania contra hæreticos collectæ. 2. Calvini audacia et pertinacia in in abolendis Genevensis Ecclesiæ ritibus. 3-7. Fœdus initum contra Turcas a principibus Christianis, et apparatus ad bellum. 8-10. Niciam, permittente Sabaudo duce, appellit Pontifex, Cæsarem et Gallorum regem invisurus, et ad mutuam pacem adducturus. 11-19. Decennales tantum induciæ inter utrumque principem statutæ. 20, 21. Composita inter Ferdinandum Bohemiæ Joannemque Hungariæ reges vetera dissidia. 22, 23. Conjunctæ classes Pontificis, Cæsaris et Venetorum ; Barbarossa ex Creta repellitur. 24, 25. Paulus Cæsarem hortatur ut Constantinopolim invadat ; decumas Hispano clero imponit. 26, 27. Auriæ ducis inertia ; pars classis Barbarossæ naufragio perit, 28. Ex Moldavia Turcarum exercitus recedit. 29. Solymannus cogitat pellere ex India Lusitanos, sed ipse profligatur. 30. Guidobaldus de Ruvere ad officium redactus. 31-36. Rogantibus principibus, Concilium tertio prorogatur ad tempus. 37. Cochleus deridet et confutat articulos quos Lutherus volebat a suis Concilio proponi. 38-40. Agitur de concordia cum Lutheranis. 41. Dissident inter se Lutherani. 42. Calvinus nec cum Luthero nec cum Zuinglio convenit in dogmate sacratissimæ Eucharistiæ. 43. Augustinus Tarvisinus suas propositiones purgat ab hæretica suspicione. 44-46. Triginta sex Franciscani ab Henrico VIII neci traduntur ; divus Thomas Cantuariensis in jus vocatur ; thesauri Ecclesiæ expilantur. 47. Trina cardinalium creatio. 48. Octavius Farnesius Urbis præfectus creatur. 49. Quantum sit periculum in nimia librorum Gentilium lectione.

MDXXXIX. 1-9. Timori cedentes principes Catholici legatos Francofordiam mittunt, qui cum Protestantibus ineunt concordiam rei Catholicæ perniciossimam. 10-14. Lundensis archiepiscopi perfidiam Pontifex Cæsari detegit, consulit ordinum imperii convocationem, et de Maria regina queritur quod hæresi faveat. 15-17. Licet monita Pontificis magni pendat, Cæsar novum colloquium in Germania proponit. 18, 19. Georgius dux Saxoniæ una cum filio veneno extinguitur, et Henricus frater recipit Ducatum quem Lutherana hæresi inficit. 20, 21. Poloniæ rex monetur ut a finitimis hæreticis se contaminari non sinat. 22. In pium consilium mores reformandi insurgunt Lutherus et Sturmius. 23, 24. Alexander cardinalis Franciscus, mandatis amplissimis instructus ad imperatorem legatur. 25, 26. Exponuntur principibus causæ propter quas prorogandum sit Concilium. 27-30. In retundendis Turcis imminentibus Paulus studio indefesso laborat. 31. Barbarossa Castrum-Novum recuperat. 32. Spes concordiæ inter Cæsarem et Gallum regem iterum affulget. 33, 34. Sadoletus Comitatum Venusinum ab hæretica lue vindicat, et Judæorum audaciam reprimit. 35. Henricus VIII contra Lutheri sectam leges edit. 36. In Hibernia, Armachanus archiepiscopus exauctoratus ; in America nova sedes episcopalis instituta. 37, 38. Auctum cardinalium collegium. 39. Granatæ Joannes Avila sanctitate floret. 40. Societatis Jesu natalitium.

MDXL. 1, 2. Frustra a legato tentata pax inter Cæsarem et Galliæ regem. 3, 4. Gandavenses ad obedientiam Cæsaris redeunt, sed hæc victoria ad rem Catholicam nihil prodest. 5-8. Tristis rerum facies in Germania. 9, 10. Cæsar in Belgio prohibet libros hæreticorum. 11-13. De pace inter Cæsarem et Galliæ regem iterum agitur. 14-22. De conventu Spiræ habendo sententia legati, et responsio imperatoris. 23-25. Cæsaris litteræ ad Protestantes pro conventu Spirensi. 26-28. Postulante Cæsare, legatus, qui jam Romam profecturus erat, ad conventum Spirensem a Pontifice mittitur. 29-31. Qui fuerint tunc temporis fidei Catholicæ pugiles. 32, 33. Spira Haganoam conventus transfertur : rerum gerendarum compendium a Pontifice legato Morono datum. 34-38. Quid agendum sit cum Lutheranis ex Joanne Fabro. 39-46. Propositiones factæ a rege Ferdinando principibus Catholicis Haganoæ congregatis, et principum responsio. 47. Scriptura exhibita Protestantibus in conventu. 48. Oratio oratoris Galli in diæta Hagaonensi. 49. Joannis Cochlei scriptum quo singuli articuli Augustanæ fidei discutiuntur. 50-52. Infelix exitus conventus Hagaonensis : idem timendum de Wormatiensi. 53. Monita Joannis Fabri. 54-57. Cur nuntium miserit Pontifex, quæ mandata ei dederit, et quos socios ei adjunxerit. 58-60. Wormatiense colloquium sine fructu dissolvitur. 61-63. Joannis Hungariæ regis morte regnum illud perturbatur. 64. Henricus VIII Angliæ rex sævit in Anglos. 65. Morum reformationi incumbit Paulus. 66. Franciscus Xaverius in Indiam mittitur. 67. Societatis Jesu confirmatio.

MDXLI. 1-5. Legatio cardinalis Contarini ad dietam Ratisbonensem. 6, 7. Quinam collocutores interfuerint huic conventui. 8-10. Liber offertur examinandus quem erroribus refertum J. Eckius demonstrat. 11, 12. Cæsar aperit suam sententiam de concordia firmanda. 13, 14. Teritur tempus in controversiis inanibus. 15. Contarenus se purgat de rebus sibi calumniose objectis. 16, 17. Ex utraque parte proponuntur argumenta coram Cæsare. 18-24. Circa tolerantiam politicam et quædam alia Pontifex gravem dat Contareno admonitionem. 25. Exponitur

SUMMARIUM

TOMI XXXIII

MDXLII. 1-8. Instructio data Morono internuntio ad conventum Spirensem destinato. 9, 10. Rex Galliæ per epistolam et oratorem aperit in hoc conventu suam sententiam de præsenti statu rerum. 11, 12. Moronus ad dietam accedit, in qua Concilium Tridenti celebrandum proponitur. 13. Bulla indictionis Concilii. 14-16. Quid de hac indictione senserint principes. 17-20. Maranum occupant Galli, unde exardescit ira inter imperatorum et Gallum regem. 21, 22. Mittit Paulus Montepolitianum ad Carolum pro pace. 23-26. Mors cardinalis Contarini, cujus fama injuste læsa defenditur. 27, 28. Pontifex regem Galliæ hortatur ad pacem. 29. Quintuplici exercitu Franciscus aggreditur Carolum. 30-35. Per litteras amantissimas Pontifex utriusque principis animum flectere nititur. 36. Expeditionis Hungariæ contra Turcas infaustus exitus. 37-40. Lutherani contra Catholicos bellum movent et ditiones Ecclesiasticas invadunt. 41. Livonia peste Lutherana infecta. 42. Eckius contra mendaces Lutheranos scribit. 43. Legati a latere Tridentum deputati. 44. Helvetios, etiam hæreticos, ad Concilium invitat Paulus. 45, 46. Germaniæ præsules ignavia insignes. 47. Cardinalium Gallorum et Hispanorum segnitiem litteris Paulus perstringit. 48-50. Poloniæ episcopos monet Paulus ut hæresim in fomite præfocare studeant. 51. In Scotia res penitus labefactatæ morte Jacobi regis. 52-55. Hæresis Calviniana Galliam implet suis erroribus. 56. Ochimus Capuccinorum generalis ab Ecclesia deficit. 57. Armeni fidei Catholicæ exemplum eximium profitentur. 58. Auctus cardinalium senatus.

MDXLIII. 1-4. Imperatoris oratores coram legatis Apostolicis exponunt quibus de causis Cæsaris clientes ad Concilium se conferre non possint, et ipsi Tridento discedere cogantur. 5-10. Concilii congregandi studia strenue navata a Paulo qui Bononiam se confert ad invisendum imperatorem. 11-16. Non Bononiæ, ad quam accedere abnuit imperator, sed in castro Buxeti tandem possunt iniri colloquia, quæ nihil proficiunt. 17. Concilium differt Paulus ob bella inter Cæsarem et regem Galliæ. 18-20. Expositæ principibus causæ dissoluti Concilii. 21. Hermannus archiepiscopus Coloniensis in hæresim Lutheranam lapsus. 22, 23. Colonienses et Monasterienses ad fidem Catholicam servandam hortatur Paulus. 24-28. Coloniensium constantia. 29. Pontifex archiepiscopo Coloniensi scribit ut resipiscat. 30. Commendat Paulus pietatem ducis Bavariæ. 31. Claudius Jayus et Petrus Faber ex primis decem sociis S. Ignatii, pro fide laborant in Germania. 32, 33. Conventus imperialis habitus Nurembergæ. 34. Solymanus Hungariam invadit. 35. Aquilegiensis Ecclesia ab administris conculcata. 36-39. Classis Turcica, a rege Galliæ excitata, gravia Christianis affert damna; Nicia tamen ex Turcis recipitur. 40. Motus Tunetani. 41. Cæsari Clivensis dux se humiliat. 42-48. Conventus ordinum imperii, Norimbergæ primum, dein Spiræ coadunantur. 49, 50. Instructio data Sfondrato nuntio in Germaniam destinato. 51, 52. Per litteras et nuntios paci principum Christianorum totus est Pontifex. 53. Solemnes supplicationes indictæ. 54, 55. Henricus Angliæ rex bellum movet contra regem Scotiæ. 56. In Poloniam se hæretici intrudere tentant. 57, 58. Petri Vermilii defectio a fide. 59. Georgius David hæresiarcha. 60. S. Francisci Xaverii miri labores in India.

MDXLIV. 1, 2. Cæsar pacis verba respuit et ad comitia Spiræ cogenda se convertit. 3. Paulus ad conventus Spirenses rescribit se defensurum Niciæ arcem, et aliunde Christianitatem totam illis commendat. 4, 5. Carolus prudentia motus humana edicit decretum cujus venenum annotationes subnixæ demonstrant. 6-9. De Spirensi decreto gravissime queritur Pontifex tam apud imperatorem quam apud alios principes. 10, 11. Colonienses pro tuenda Catholica religione

ad Pontificium nuntium scribunt. 12-14. Conatus internuntii, et supplicationes cleri Coloniensis ad Cæsarem. 15. Archiepiscopus Coloniensis obdurescit in hæresi. 16-18. Ardet bellum inter Cæsarem et Franciscum regem : Anglus etiam in Galliam irrumpit. 19-21. Inter ipsos bellicos motus spem pacis Pontifex non deserens duos legatos mittit ad pacem tractandam. 22-27. Fœdus pactum, ob quod gratiarum actiones persolvuntur a Pontifice utrique principi. 28-33. Paulus redintegrandi Concilii percupidus futuris providet, præsentia componit et preces solemnes indicit. 34-36. Articulos condemnantes hæreses a Lovaniensi Academia editos Cæsar confirmat. 37. In Gallia hæreses deprimuntur opera cardinalis Turnonii. 38. Thomas Villanovanus sanctitate claritatem adeptus. 39. S. Francisci Xaverii opera Apostolica et miracula. 40-42. Cardinales creati. 43. Inventio cadaveris imperatricis Mariæ Honorio desponsatæ.

MDXLV. 1-3. Deputantur iterum pro Concilio tres legati quibus data potestas etiam illud alias transferendi, si necessitas exegerit. 4-6. Legati Tridentum ingrediuntur; orationes Cæsareorum nuntiorum et legati responsio. 7, 8. Diploma Pontificium quo monentur præsules ut per seipsos, non per procuratores, ad Concilium accedant. 9-14. Legatorum ancipites curæ de aperiendo Concilio. 15. Plures episcopi Tridentum adveniunt. 16. Regis Lusitaniæ ad Pontificem gratulatoriæ litteræ. 17-19. Providet Pontifex ne in comitiis Wormatiensibus res religionis pertractentur, sed referantur ad Concilium. 20-23. Votis Protestantium, qui repudiant Concilium et comitia reclamant, Cæsar annuit. 24-28. Articuli conclusi in dieta Posoniensi. 29, 30. Omnes episcopos, etiam in curia degentes, Pontifex jubet Concilio adesse, et regibus scribit ut sui regni præsules ad Concilium mittant. 31-34. Morte ducis Aurelianensis, filii Francisci regis, pax abrupta, sed mox reparata. 35-38. Legati solemniter Concilium aperiunt. 39-42. Bulla facultatum legatis concessarum, litteræ absentium, et oratio legati præsidis. 43. Articuli propositi circa ordinationem Concilii. 44, 45. Hieronymus Oleaster nomine regis Lusitaniæ perorat, et litteras sui principis legi postulat. 46. Episcopi Galli petunt ut nihil in Concilio tractetur ante adventum oratorum regis Galliæ. 47. Instructio ad legatos de rebus Concilii. 48. Censuras theologorum Lovaniensium Carolus V confirmat, unde Lutheri impius furor. 49. Lutherus suo magno periculo dæmoniacam curare aggreditur, sed incassum. 50. Novos errores disseminat David Georgius. 51. Swenckfeldiana hæresis propagatur. 52, 53. Hæresis repressa Mantuæ et Mutinæ. 54. Paulus concedit ut clerus Siculus subveniat imperatori de pecuniis Ecclesiasticis. 55. Carolus V cum Turcis inducias paciscitur : Protestantium potentia amplior et gravior fit. 56, 57. Paulus curat pacem firmare inter imperatorem et regem Galliæ. 58, 59. In Lusitania contra hæreticos exercita severitas, et simultates erga Pontificem depositæ. 60. Paulus cardinales creat. 61. Æthiopes cum Romana Ecclesia, damnato Dioscoro, conjunguntur. 62. Singularis casus Gamrati Cracoviensis episcopi. 63. Parma Placentiaque Aloysio Farnesio traditæ. 64. Dissidia inter Lutheranos et Sacramentarios. 65. Ceilanensis reguli filius occisus ob fidem.

MDXLVI. 1-3. Controversia de titulo qui inscribendus sit Concilio, et de loco qui assignandus sit aliquibus præsulibus. 4-6. Secunda Concilii sessio in qua promulgatur decretum de vita sanctiore a clericis ducenda. 7. Prohibetur ne episcopi per procuratores Concilio assistant. 8. Leguntur Bullæ facultatum legatis concessarum ut ipsi aperiant Concilium. 9. In designanda Synodo adoptantur hæ voces tantum : *Œcumenica et Generalis.* 10-14. Agitatur inter Patres de modo et ordine procedendi, et iterum de titulo decretorum. 15, 16. Tertia sessio in qua legitur decretum de symbolo fidei. 17, 18. Cur non fuerit adjectum decreti titulo : *Universam Ecclesiam repræsentans*, et non simul cum decretis de reformatione decreta de fide proposita fuerint. 19-47. Explanatur quæstio de Scripturæ et Traditionum auctoritate, necnon de Vulgatæ versionis sinceritate. 48-51. Sessio quarta in qua edita sunt decreta de canone Scripturarum, de authenticitate Vulgatæ et de pœnis in typographorum avaritiam et temeritatem. 52. Litteræ Caroli V procuratorem Cæsareum constituentis. 53, 54. Vulgata translatio Romæ semper in usu fuit, et nunquam in suspicionem hæretici erroris adducta. 55, 56. Vera libertas et zelus sincerus in Synodo Tridentina. 57-60. Pauli ad Helvetios hæreticos litteræ quibus ad officium illos reducere tentat. 61. Declamationes episcopi Fesulani contra monachos. 62-64. De episcoporum residentia agitur. 65-68. An pertineat ad legatos solos proponere quæ in Synodo tractanda sint. 69-73. Discussio de peccato originali. 74. Catalogus errorum circa peccatum originale. 75-83. Declarationes et canones de peccato originali. 84-86. Decretum de munere prædicandi. 87-93. Ratisponense colloquium. 94, 95. Fœdus inter Pontificem et imperatorem. 96-102. Gallum regem, Polonum, Venetos et alios principes Paulus hortatur ut arma contra Lutheranos sumant. 103, 104. Hermannus Coloniensis a sede deturbatus propter apostasiam. 105-108. Insurgunt Protestantes adversus Cæsarem. 109. Edictum imperatoris contra rebelles. 110, 111. Saxo et lantgravius victi, et ad pacem nonnisi duris conditionibus admissi. 112-114. Udalricus Wittembergensis et comes Palatinus arma deponunt. 115. Concionatores Lutherani ponunt paci obicem. 116-118. Admonitiones legatorum circa justificationis dogma et capita discutienda. 119-123. Sedatis prius dissensionibus de præcedentia, oratores regis Galli admittuntur in Concilium ; unius ex ipsis oratio, et legati responsio. 124-129. Sextæ

sessionis prorogatio : Concilii translatio agitatur. 130-138. Errores et dubia de justificatione. 139-145. Impii Lutheri mors impia. 146. Petri Fabri mors pretiosa. 147. Venetos hortatur Paulus ut Lutheranæ hæresi Vicentiam inficienti se objiciant. 148. In Scotia novæ circa fidem contentiones. 149. Inter Gallum et Anglum confecta pax. 150-153. Lusitani sua virtute Christi regnum explicant in Indis. 154-157. Plures archiepiscopatus constituti in America. 158. Apud Armenos archiepiscopum Nazovanensem Paulus creat. 159. Fratri Lusitaniæ regis ad cardinalatum evecto permittitur apud regem ipsum morari.

MDXLVII. 1-5. Disputatur de decreto residentiam præscribente. 6-16. Sessio sexta : decretum et canones de justificatione. 17-19. Animadversiones quorumdam Patrum circa titulum decreti. 20-23. Approbatur decretum de residentia, sed nonnihil emendatum. 24-34. Disponitur materia proximæ sessionis, scilicet de Sacramentis et de Reformatione. 35-41. Canones de Sacramentis, et decretum spectans ad disciplinam Ecclesiasticam. 42-54. Peste Tridenti sæviente, transfertur Concilium Bononiam. 55-57. Ex hac translatione gravissimæ dissensiones inter imperatorem et Pontificem exortæ. 58. Acta Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Sacramento Pœnitentiæ. 59-61. Prælati Hispani jussu Cæsaris Tridenti morantur. 62-65. Prima sessio Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Sacramentis Extremæ-Unctionis, Ordinis et Matrimonii. 66-67. Secunda sessio Concilii Bononiensis : articuli hæreticorum de Purgatorio et indulgentiis. 68. Decreta de indulgentiis. 69, 70. Articuli hæreticorum de missa et quibusdam aliis discutiuntur. 71. Tertia sessio Concilii Bononiensis prorogatur. 72-77. Admonitiones Concilii circa abusus qui subreperant in administrandis sacramentis. 78, 79. De validitate translationis Concilii disceptatum. 80-83. Carolus V oppugnat Concilium Bononiense, cujus rex Galliæ Henricus defensionem suscipit. 84, 85. Conventus Augustani postulant, sed iniquo animo, ut Concilium Tridento restituatur. 86. Archiepiscopus Gnesnensis synodum colligit de episcopis Polonis ad Concilium mittendis, sed anceps remanet, audita translatione Concilii. 87-90. Per cardinalem Madrutium Romam deferuntur postulata Cæsaris. 91-97. Pontifex, consultis Patribus, judicat non obtemperandum votis Cæsaris. 98-105. Cæsaris et Ferdinandi fratris victoriæ contra Lutheranos : gratiarum actiones et gratulationes exinde prolatæ. 106, Lutherani victi Concilio se submittunt. 107-114. Genuæ Flisci conjuratio et Parmæ Aloysii Farnesii cædes; unde nova odia exorta inter Pontificem et Cæsarem. 115. Scotiæ ab hæreticis infestæ libertas restituta. 116-119. Francisci Galliæ regis obitus, et filii Henrici coronatio. 120-124. Henricus VIII Angliæ rex moritur, non sine voto, sed equidem inani, præstandi obsequium Pontifici. 125-128. Providet Paulus rei Catholicæ, tum in Hibernia tum in Scotia. 129, 130. Dux Somerseti quod reliquum erat Catholicorum dogmatum et rituum in publicis comitiis abrogat. 131, 132. Tumultus exorti ob inquisitionem in regnis Neapolitano et Lusitano. 133. Poloniæ rex Sigismundus acerrimus religionis defensor. 134. Carolus de Guisa et Julius de Ruvere ad cardinalatum evecti. 135. Religio propagata in Indis Orientalibus et Occidentalibus. 136. Obitus S. Cajetani Thienæi.

MDXLVIII. 1-6. Paulus, consultis præsulibus Concilii Bononiensis, respondet tum statibus imperii, tum oratoribus Cæsareis circa reditum Concilii ad Tridentum. 7-13. Protestatio facta a procuratoribus imperatoris in ipso Concilio Bononiensi et responsio sacræ Synodi. 14. Translatio Concilii juridice facta. 15-18. Injuste sibi arrogat Cæsar potestatem statuendi de rebus religionis. 19-25. Coram ipso Pontifice protestantur Cæsarei oratores. 26-30. Paulus III protestationi Caroli V respondet, consultis prius præsulibus Bononiensibus. 31-33. Ob litem motam a Cæsare suspenditur Concilium. 34-38. Pontifex mandat tum patribus qui Tridenti remanserant, tum iis qui Bononiæ, ut mittant delegatos Romam ad subsellia Apostolica. 39-41. Præsulum Hispanorum responsio fallax et de ea rectum severumque judicium Pontifici obsequentium. 42, 43. Ex agendi modo præsulum Hispanorum et ipsius imperatoris schisma timendum. 44-48. Cæsar petit ut mittantur in Germaniam nuntii Pontificii facultatibus amplissimis instructi pro conciliandis Protestantibus. 49. Rex Galliæ minatur se revocaturum præsules suæ ditionis, si hæc concedantur. 50, 51. Cæsar subornatus ab impiis decretum nefarium, *Interim* dictum, ferre meditatur. 52, 53. Articuli propositi a Protestantibus, tanquam omnino necessarii, singulatim refutantur. 54-57. Carolus V temere se immiscet rebus Ecclesiasticis tractandis, quamvis a Pontifice monitus. 58. Responsio Pauli petitionibus iniquis cujusdam ducis Germaniæ. 59, 60. Deplorandum Caroli V decretum, dictum *Interim*. 61. Promulgatur sanctio inscripta : Reformatio politiæ imperialis. 62-64. A viris optimis *Interim* Caroli V reprehenditur, et in conciliandis Protestantibus nequaquam proficit. 65. Cæsar mitiorem se gerit erga Pontificem. 66-72. Quibus conditionibus admittendi sint in gremium Ecclesiæ hæretici. 73-78. Sententia Gallorum episcoporum de reformatione morum. 79. Decretum Sorbonicum contra Calvinistas. 80. Hæresis in Anglia propagatur. 81-83. Sigismundus senior moritur magno Poloniæ damno. 84. Res Turcicæ. 85. Apud Indos S. Francisci Xaverii exantlati labores. 86. Librum Exercitiorum S. Ignatii Paulus III approbat. 87. Carolus Borbonius ad dignitatem cardinalitiam evectus.

MDXLIX. 1-4. Nuntii Apostolici in Germaniam missi nihil proficiunt, obdurescentibus in suis erroribus

et criminibus Lutheranis; in Brunswicensi tamen ducatu Catholica religio restituitur. 5-7. Magdeburgenses præ cæteris in Cæsarem audaces. 8. Difficultates in observatione decreti *Interim* nuncupati. 9-11. Cæsar non solum Placentiam restituere recusat, sed et Parmam sibi arrogare affectat. 12-22. Lite rursum et acerbius agitata de translatione Concilii, Paulus pacis gratia Concilium Bononiense dissolvit. 23. Detrectatum a Pontifice fœdus cum rege Gallo : Ochini impia scripta et Vergerii a fide defectio. 24. Patriarcha Aquilegiensis hæresis suspicionem incurrit. 25, 26. Compositæ controversiæ cum Hussitis. 27-31. Spes oritur redintegrandæ fidei in Anglia. 32. Henricus II Galliæ rex hæresibus regnum purgare curat. 33, 34. Calvinus ab Espencæo confutatus. 35. Armeni se Ecclesiæ Romanæ conjungunt. 36-44. Apostolici labores S. Francisci Xaverii apud Indos et Japonenses. 45. Auctus cardinalium numerus. 46. Permittitur a Pontifice ut Poloniæ reginæ nondum coronatæ porrigantur osculanda intra missarum solemnia Evangelium et patena. 47, 48. Pauli Pontificis mors et virtutes.

MDL. 1. Cardinalis de Monte creatur Pontifex nomine Julii III. 2-4. Julius notam facit suam electionem Cæsari, Parmam Farnesio restituit, et Lutheranos principes demulcere tentat. 5, 6. Carolus V Julio pollicetur se Ecclesiam defensurum, et Julius Carolo paterna officia repromittit. 7-11. De redintegrando Concilio Tridentino agitur, necnon de removendis impedimentis huic redintegrationi, præsertim a Gallo rege, suscitatis. 12, 13. Scribit Julius multis principibus Germaniæ, etiam hæreticis, occasione Concilii. 14, 15. Aliqui cardinales deputati ad sanctiorem morum disciplinam restituendam. 16, 17. Henricus Galliæ rex benigniorem se præbet postulatis Pontificiis de Concilio, et petit ut confirmentur veteres Ecclesiæ Gallicanæ immunitates. 18. Protestantes Concilium admittunt, modo juxta sua placita celebretur. 19-21. Bulla reassumptionis Concilii. 22-24. In Germania et Belgio contusa hæreticorum tyrannis. 25-27. Joannis de Vega in Africam expeditio faustissima. 28. Absolvit Julius a censuris omnes qui sine consensu Apostolico decimas in Sicilia exegerunt, et alias exigere concedit. 29, 30. Pax inter regem Galliæ et Eduardum Anglum : regina Scotiæ et comes Araniæ gratulatorias a Pontifice accipiunt litteras. 31-34. In Anglia hæreses variæ disseminantur, et Catholici vexantur. 35, 36. Crescit et protegitur hæresis Calviniana in Gallia. 37, 38. Providet Julius ne hæresis in Italiam latius serpat, et condemnat judices sæculares se immiscentes causis religionis. 39-42. Poloniam a labe hæretica purgare nititur Julius. 43-45. Fides in India propagatur opera Joannis regis Lusitani. 46. Confirmatur iterum a Julio III Societas Jesu. 47-49. Annus Jubilæi a Julio III indicitur : mira charitatis opera Romæ edita erga pauperes peregrinos. 50. Pontifex memor præteritæ calamitatis solemnes gratiarum actiones Deo præstat. 51. Joannis a Deo, conditoris Ordinis *ab Hospitalitate* nuncupati, mors pretiosissima.

MDLI. 1-3. Sancit Carolus V ut Germani et Protestantes se Concilio submittant, sed Henricus Galliæ rex favet Protestantibus. 4-6. Julius creat legatos qui solemniter Tridentum ingrediuntur. 7, 8. Prima sessio Concilii Tridentini sub Julio III. 9. Episcopi sollicitantur a Pontifice ut ad Concilium accedant. 10, 11. Helvetios invitat Julius, dum obsistit Henricus Galliæ rex. 12. Pontifex exauctorat doctores Sorbonicos a fide deficientes. 13-17. Parmense bellum accenditur. 18-20. Cæsaris arma implorat Julius unde aucta dissidia inter Gallum et Pontificem. 21-23. Parmensi obsidione soluta, Julius ad pacem cum Gallo se convertit. 24-26. Cæsaris odio confirmata hæresis. 27-33. Secunda Concilii sessio in qua leguntur litteræ Galli regis ad Concilium. 34-36. Responsio Concilii ad protestationem Henrici. 37. Impius agendi modus principum Concilio detrahentium. 38. Accedentibus Tridentum septemviris prælatis, spes concipitur melioris exitus. 39, 40. Hæreticorum articuli contra Eucharistiam discutiuntur in Concilio. 41, 42. Sessio tertia : leguntur et laudantur litteræ marchionis Brandeburgensis. 43-51. Concilii decretum et canones circa Eucharistiam. 52. Decretum de reformatione circa causas Ecclesiasticas. 53-55. Discutiuntur articuli hæreticorum de Sacramentis Pœnitentiæ et Extremæ-Unctionis. 56-59. Sessio quarta : declarationes et canones de Pœnitentia et Extrema-Unctione. 60. Articuli hæreticorum de sacrificio Missæ. 61. Insigne prodigium in Germania : vinculo sacramenti inique præstiti Brunswicenses absolvuntur. 62. Osiandri novum dogma de Justificatione. 63. Buceri mors et variæ opiniones : Mauritius Saxoniæ dux Cæsari infidus. 64, 65. Ecclesiastici septemviri retinentur in Concilio a Pontifice. 66-68. Exardescente iterum bello inter Carolum et Henricum regem, Turcæ victores evadunt. 69-73. Excitati in Transylvania et Polonia motus. 74. Auctus cardinalium numerus. 75. Urbs graviore annona laborat. 76. Confirmata Coloniensis Ecclesiæ privilegia, et instaurata Academia Ingolstadensis. 77. S. Franciscus Xaverius miraculo duobus simul in locis visus. 78. Gundisalvum Dominicanum inter beatos Julius III reponit. 79. Rex Lusitaniæ obedientiam Julio præstat. 80, 81. Comiti Lumensi episcopum postulanti annuit Pontifex. 82-85. In quibusdam Hispaniæ provinciis jus Ecclesiasticum ad quosdam certos limites sapienter reductum.

MDLII. 1, 2. Trevirensis ob valetudinis incommoda Tridento discedit, et Protestantium delegati conditiones iniquas ponunt in celebratione Concilii. 3-9. Proponitur discutienda formula doctrinæ de Sacrificio Missæ necnon de Sacramento Ordinis. 10-13. Oratores Protestantium postulant

ut supersedeatur promulgationi decretorum prædictorum, donec admittantur in Concilium. 14-16. Non Concilium, sed colloquium inane petunt Lutherani. 17-19. Instructio Pontificis circa petitiones Protestantium. 20-22. Sessio quinta sub Julio III; salvus-conductus concessus hæreticis; lis de præcedentia dirempta. 23, 24. Oratores Lusitani ad Concilium accedunt, et Joannis regis pietas commendatur. 25-29. Sessio sexta : causæ et decretum suspensionis Concilii. 30-35. Bellum movent in Carolum V Lutherani auxilio Henrici II Galliæ regis. 36, 37. Rex Lusitaniæ pro pace cum Octavio Farnesio scribit Julio a quo responsum benevolentiæ plenum accipit. 38-41. Induciæ inter Pontificem et regem Galliæ opera cardinalis Turnonii. 42, 43. Senenses tumultus. 44. Legati pro pace inter Carolum V et Henricum electio. 45-51. Apologia Ferdinandi regis de cæso Georgio cardinali. 52. Georgii cardinalis occisores dant pœnas a Deo mulctati. 53-55. Repressi in Polonia hæretici. 56. In Germania Zuingliani imposturæ et contradictionis convicti. 57. Ferrariæ hæresis excisa. 58. Fides propagata in Peruvia. 59-62. S. Franciscus Xaverius, dum Sinensibus Evangelium inferre cogitat, sanctissime moritur, et miraculis claret.

MDLIII. 1-16. Maria regina Catholica in solium Angliæ evecta, Pontifex tum per litteras, tum per legationem cardinalis Poli invigilat ut religio orthodoxa in pristinum statum restituatur. 17. Carolus V bellum Senensibus infert, quos Galli strenue defendunt. 18-21. Bellum Senense Julius componere tentat. 22-34. Frustra Pontifex per epistolas, nuntios et preces solemnes indictas ad concordiam Gallum et Cæsarem reducere curat. 35. Turca, auxiliante Gallo, multa mala infert Christianis. 36. Michael Servetus jussu Calvini Genevæ exustus. 37. In Germania bellum civile inter præcipuos Protestantium defensores. 38. Nuntius Apostolicus ad Grisones in fide confirmandos missus. 39. Ottho Augustensis cardinalis doctrina, zelo et pietate conspicuus. 40, 41. Monet Julius Polonos ne facile credant Moschovitis, et ostendit novatores non minus civili statui infestos esse quam Ecclesiastico. 42-45. Assyrii ad unitatem redeunt, misso Romam patriarcha. 46-48. Ad præparanda decreta de reformatione multi Romam acciti præsules, et auctus cardinalium senatus.

MDLIV. 1-3. Philippus Hispaniarum rex uxorem accipit Mariam Angliæ reginam, quod Calvinistæ omni modo impedire conantur. 4-8. Cardinalis Polus amplissimis facultatibus munitus tam pro confirmandis episcopis hæresim ejurantibus, quam pro reditibus per nefas possessis a restitutione eximendis. 9-12. Philippus II in Angliam appellit ad nuptias cum Maria ineundas, collatis sibi prius a Pontifice juribus regni Neapolitani. 13-17. Anglia ad fidem Catholicam redit pietate Philippi et Mariæ, sed præsertim opera cardinalis Poli ; unde maxima in Urbe signa lætitiæ, et gratiarum solemnes actiones. 18. Ex Anglia exteri hæretici ejiciuntur. 19. Confirmat Julius pacta cum Germanis a Nicolao IV sancita. 20. Bellum in Belgio et Italia ab Henrico Galliæ rege contra Cæsarem gestum. 21. Neapolitani tumultus componuntur. 22. Ad sepulchrum Christi reparandum Julius III pecuniam colligit. 23. Pontifex corruptelas quæ in cardinalitium ordinem irrepserant purgat, et religiosorum quorumdam ambitionem reprimit. 24-26. Spes reducendi Æthiopes ad unitatem Ecclesiæ affulget. 27. Pro tuenda fide fortiter certant usque ad mortem Orientales Indi. 28, 29. Floret fides in insula Japoniæ ob miracula ibi ostensa. 30. Pro fide amplificanda in America Julius III religiosos eligit. 31. De morte filii consolatur Pontifex Joannem Lusitaniæ regem. 32. Conimbricæ perditissimus peccator a tyrannide Sathanæ vindicatus.

MDLV. 1, 2. Ingenti repletus gaudio Julius ob Angliæ reditum ad fidem Catholicam. 3-5. Cardinalis Moronus mittitur in Germaniam, quæ hæresi Lutherana laborat. 6, 7. Julius III in regno Neapolitano Philippum regem Hispanum confirmat et in insula Corsicæ libertatem Ecclesiasticam defendit. 8-11. Ecclesia Abyssina ad conjunctionem cum Ecclesia Romana revocatur per patres Societatis Jesu. 12. Julii III obitus. 13-20. Marcellus II, potius ostensus quam creatus Pontifex, morte immatura præreptus. 21-23. Pauli IV electio, patria, parentes, mores et primordia. 24. Scribit imperatori et Romanorum regi ut res Germaniæ collapsas restaurent. 25-28. Anglicanæ Ecclesiæ providet et Philippo regi gratulatur. 29-32. Cramnerus de sede Cantuariensi dejectus, et hæreticorum duces capitali sententia damnati. 33, 34. De restituenda disciplina in Anglia agitur, et Synodus convocatur, 35, 36. Per cardinalem Polum instaurata pax inter Cæsarem et Galliæ regem. 37, 38. Philippus rex Angliæ Paulo IV obedientiam præstat pro regno Neapolitano fiduciario. 39, 40. Henricus Galliæ rex, a Pontifice monitus, contra hæreticos in suo regno insurgit, sed a politicis ejus severitas reprimitur. 41. Assertum jus Pontificium in Britannia et Provincia. 42, 43. Colonienses in fide stabiles : Sacramentarii exagitati a Lutheranis. 44-46. In Augustanis conventibus Bavarus et rex Romanorum Ferdinandus rei Catholicæ propugnatores fortissimi. 47-49. Ex matris obitu Carolus V nimio mœrore confectus in filium transfert majorem sui principatus partem. 50-53. Hæc Cæsaris cessio, sicut et decretum dietæ Augustanæ hæreticos et Catholicos in æqualitate constituens, rei Christianæ exitialis. 54. Constitutionem edit Paulus IV ad hæreticos comprimendos. 55-63. Irrepenti in Poloniam hæresi obsistit Paulus tum per nuntios, tum per litteras hortatorias ad regem, præsules et magnates Polonos. 64. Antonium Navarræ regem laudat

Paulus ob fidem Catholicam. 65. Mors Geraldi Ruffi pseudoepiscopi Olorensis. 66-69. Pia mors et canonizatio S. Thomæ de Villanova. 70. Electio Danielis archiepiscopi Moguntini mira Dei providentia. 71. Cardinales creantur. 72, 73. Dux Montorii accendit inter Pontificem et Philippum II bellum, quod prius sopitum cardinalis nepos rursus inflammat.

MDLVI. 1-7. Pius ardor Pauli in exscindendis hæresibus, moribus reformandis et pace restituenda deprimitur administri Hispani superbia et proditione. 8-14. Gropperus primum respuit, deinde jubente Pontifice accipit cardinalatus insignia. 15, 16. Hæretici inter se dissident. 17-21. Paulus ad Maximilianum et Albertum Bavariæ ducem, necnon ad episcopos Germaniæ scribit ut Catholicam fidem defendant. 22-24. Lutherani Evangelii obtentu decipiunt incautos et viam præbent incursionibus Turcarum. 25. David Georgius Major hæresiarcha et impostor moritur. 26. Palatinus et Badensis dux religionem Catholicam e sua ditione evellere conantur. 27. Henricus Galliæ rex, non semper sibi constans, in hæreticos sui regni severitatem exercet. 28. In Anglia religio refloret. 29. Rex Poloniæ per oratorem obedientiam Pontifici præstat. 30-33. Hæreticis in Polonia resistunt Andreas Cracoviensis et Hosius Warmiensis. 34, 35. Geminæ Pauli litteræ ad regem Poloniæ quem hortatur ut hæreticos e regno ejiciat. 36. Pauli deturpat litteras Vergerius qui refellitur ab Hosio. 37. Eucharistia a Judæis confossa sanguine manat. 38-41. Præscribit Paulus ut Synodus congregetur ad comprimendas hæreticorum insidias. 42. Joannes Lusitaniæ rex per oratorem obsequium præstat Pontifici. 43. Commendat Paulus regi Abyssinorum patriarcham. 44. S. Ignatius obit.

MDLVII. 1-4. Paulus instituit congregationem quæ terror Officialium nuncupatur, festum Cathedræ S. Petri Romæ celebrari jubet, et cardinales creat. 5-10. Hispanus Roma potiri tentat, sed cælesti virtute Urbs liberatur. 11-27. Paci procurandæ inter omnes principes Christianos Paulus totis viribus incumbit. 28. Henricus rex Calvinistas perniciosa dogmata spargentes deterret. 29, 30. Paulus in Gallia constituit Inquisitionis tribunalia quæ ob censorum mollitiem nocent potius quam prosunt fidei. 31-35. Dissolvitur colloquium Wormatiense, cujus inanitas innotescit sicut et cæterorum conventuum. 36. Pontifex liberaliter consulit annonæ. 37. Paulus evocat ad se præsules magni nominis pro Concilio disponendo. 38-41. Usus calicis in Polonia sub obtentu fictæ religionis fovet dissidia. 42-47. Pontifex legationem Anglicanam cardinali Polo abrogat et Guillelmum sufficit, sed, reclamante regina, res in statu quo prius remanent ad tempus. 48. Varia circa collegium cardinalium Paulus disponit. 49. Mors luctuosa Joannis regis Lusitaniæ. 50. Indicæ res Christianæ efflorescunt. 51. Sebastianus, triennis puer, salutatur Lusitaniæ rex, et Catharina tutrix regni consilia salutaria accipit a Pontifice. 52. Mulierem publice prædicare vetat Pontifex.

SUMMARIUM

TOMI XXXIV.

MDLVIII. 1-3. De Concilio cogendo scribit Paulus tum Philippo Hispano, tum Henrico Galliarum regi, tum cardinali Caraffæ legato. 4. Mors et præclara gesta cardinalis Poli. 5. Duo Pauli nepotes avaritiæ et ambitioni nimis indulgent; Pontifex ipse respondit Philippo regi super negotium pacis. 6. Inter Anglos et Francos varia in Belgio certamina. 7-9. Carolus V imperium Ferdinando fratri relinquit, et mox ipse moritur. 10. Mariæ Angliæ reginæ obitus. 11, 12. Elizabetha ad regnum Anglicum evehitur, et, licet hæretica, religionem Catholicam initio regni permittit. 13. Magdeburgi ritus Catholici restituti. 14. Paulus episcopos Germaniæ hortatur ut religionem Catholicam restaurent. 15. Melchior Zobel episcopus Herbipolensis trucidatur; Calvinistica pestis etiam proceres in Gallia inficit. 16-19. Providet Pontifex ut hæreticis obsistatur in Polonia. 20. Livonia a Moschis infestata; captivi e carceribus Turcicis liberati; Bergomensis episcopus flagitio hæresis convictus. 21. Potestatem legendi libros hæreticos rescindit Paulus. 22. Ecclesia Goana in metropolitanam erecta, suffraganeos habens episcopatus Malacensem et Cochinensem. 23. Collegio cardinalium varia munera oblata. 24. Ultio divina in Lauretani sacelli violatores.

MDLIX. 1-8. Elisabetha Angliæ regina, detracta larva, hæresim fovet, et se gubernatricem Anglicanæ Ecclesiæ a comitiis decerni jubet. 9, 10. Episcopi spoliantur, et sacræ imagines conteruntur. 11. Pax inter Henricum Galliæ regem et Philippum Hispanum firmata. 12, 13. Hæresim Calvinianam ad Senatum ipsum Parisiensem propagines extendentem exstirpare sibi proponit Henricus, qui, morte interceptus, habet filium Franciscum successorem. 14. Pauli contra hæreticos et schismaticos gravissima sanctio. 15. Libros hæreticorum legere et retinere vetitum. 16. Paulus assignat stipendia pro inquisitione in Hispania. 17. Edictum adversus confessores ad turpia sollicitantes. 18-20. In Hispania hæresis suspicio attingit quosdam proceres, imo quosdam præsules. 21. Sollicitatur a Pontifice Joanna regni Hispani moderatrix ut Catholicam fidem tueatur. 22. Hæreticorum tentamina in Italia ipsa. 23. Lutherani in multas sectas divisi, et in duram servitutem redacti. 24. Paulus non assentit duci Brunswicensi petenti ut frater tres simul episcopatus conjunctos gerat. 25, 26. Hosius demonstrat pericula emersura ex facilitate nimia in controversiis permittendis. 27-29. Regem Poloniæ monet Paulus ut a se removeat suspicionem nimiæ facilitatis erga hæreticos. 30-32. Paulus nepotes ejicit. 33-35. In Belgio et in India plures sedes episcopales institutæ, et data cardinalibus monita. 36, 37. Mortuo Pontifice, coorta Romæ seditio et pactiones in conclavi sancitæ a cardinalibus. 38. Creatio Pii IV qui promissa in conclavi firmat. 39-41. Pii IV patria, familia et virtutes. 42. Electio Ferdinandi I a Pontifice confirmatur.

MDLX. 1, 2. Pius IV thiara Pontificia redimitur et a Ferdinando imperatore litteras gratulatorias et obsequii plenas recipit. 3, 4. Principes Christiani Concilium petunt a Pio. 5-9. Pontificis monita ad regem et episcopos Poloniæ circa hæreticos. 10. Lutherani et inter se et ab aliis hæreticis dissident. 11, 12. Hortatur Pius Germaniæ episcopos, ut cleri mores a luxuria et avaritia deturbent. 13, 14. Pontificis ad Cæsarem amantissimæ litteræ quibus suorum consiliorum rationem aperit. 15-20. Maximiliano Bohemiæ regi in fide fluctuanti Pius IV Hosium mittit qui illum confirmet. 21. Bavariæ ducem hortatur Pius ad constantiam in fide. 22, 23. Archiepiscopus Toletanus hæresis suspicione notatus. 24. Responsum datum oratori reginæ Scotiæ de periculis præsentibus Ecclesiæ. 25. Renovantur indulta concessa Galliæ regibus a Pontificibus præcedentibus. 26-28. Calvinistæ conjurationem contra regem Galliæ conflant. 29, 30. De expugnanda Geneva, ex qua principium sumpsit conjuratio, cogitant Franciscus rex et Philibertus dux Sabaudiæ. 31, 32. Edictum Remorentinense quo censura sacræ fidei in Gallia

constituitur. 33-35. Quidam politici insipienter consulunt non durius agendum cum hæreticis. 36-38. Armeniacus cardinalis in Galliam mittitur ad confirmandum in fide regem et reginam Navarræ. 39-41. Calvinismus in Gallia proficit et vexat regnum. 42-45. Tentat Pontifex tum per litteras, tum per diversos principes Elizabetham ad veram fidem revocare. 46. Fracta in Scotia potentia Gallica. 47-54. Celebres ordinum conventus apud Fontem Bellæaquæ, in quibus edictum Remorentinense funditus evertitur. 55, 56. Difficultates objectæ circa modum et locum Concilii. 57-59. Ex testimonio oratoris Veneti aperte constat Pontificem sibi in animum induxisse non dissolvendum, sed prorogandum Concilium. 60. Hæretici student Concilio disturbando. 61-63. Cum principibus agit Pontifex de mox cogendo Concilio. 64-66. Sacramento obstringit Pius suscepturos posthac munus episcopale ad tenendum et profitendum quæ hucusque decreta fuerint contra hæreticos. 67-69. Rursum indicitur Concilium Tridentinum. 70-72. Scribit Pius ad imperatorem et Galliæ regem ut Concilio faveant. 73-76. Lutherani principes et magistratus invitantur ad Concilium. 77, 78. Omnem curam impendit Pontifex ut omnes principes Christiani, etiam Orientales, Concilium adeant. 79. Anabaptista flammis damnatus. 80-82. Patefacta conjuratio cujus caput et dux Condæus in vincula conjicitur. 83, 84. Condolet Pontifex de morte Francisci regis, ex qua magnum patitur damnum religio Catholica. 85, 86. Pius scribit regi Navarræ commendans ipsi Carolum puerum. 87-90. Post partam de Turcis victoriam, Christiani mox terra marique devicti apud Tripolim, et decumæ impositæ regnis Hispanis in auxilium contra Turcas. 91. Venetis archiepiscopatum Nicosiensem donat Pius IV. 92-96. S. Carolus Borromæus creatur cardinalis, eligitur archiepiscopus Mediolanensis, et constituitur protector Helvetiorum Catholicorum apud Sedem Apostolicam. 97. Proceditur contra cardinalem Caraffam et ejus fratrem ducem Palliani. 98, 99. Absolvitur cardinalis Moronus et ad majorem dignitatem provehitur. 100. Philippi Melancthonis obitus. 101. Heidelbergæ exurgit novus hæresiarcha. 102. Congensibus Evangelium prædicatur. 103. Erectio ducatus Brachiani et marchionatus Anguillaræ pro Paulo Jordano Ursino et successoribus. 104. Veritas præsentiæ Christi corporis in Sacramento miraculo comprobatur (1).

MDLXI. 1-4. Præsides Concilii designati a Pontifice, cardinales creati, et indulgentiæ concessæ orantibus pro felici rerum exitu. 5-9. Diversæ sanctiones quibus providet Pius libertati Concilii et successioni Pontificum, durante Concilio. 10. Preces indictæ in formam Jubilei. 11-13. Statuta circa jus sententiam ferendi, sedium ordinem, et diem inchoationis Concilii. 14-18. Pellicere ad Concilium studet Pontifex regem Portugalliæ, Germanos principes et etiam Moschorum ducem. 19-22. Commendonus et Delphinus cardinales legati Ferdinandum imperatorem adeunt, eique exponunt quo fine et quali modo cogere Concilium Pontifex statuerit. 23-29. Legatorum in conventu Nauburgensi orationes coram Lutheranis frementibus sed nil objicientibus. 30-41. Cum duce Saxoniæ et electore Brandeburgico Commendonus agit; electoribus Coloniensi et Trevirensi legationem suam exponit; Clivensem ducem, Bruxellas et Aquisgranum invisit. 42-46. In Academia Lovaniensi excitant turbas Baii et Hessel opiniones de quibus a Pontifice silentium indicitur. 47-50. Commendonus Lubecam petit et hujus civitatis statum deplorat; Daniam et Sueciam frustra tentat ingredi. 51, 52. Abbatem Martinengum ad Elizabetham Angliæ reginam Pius legat, sed regno arcetur. 53, 54. Commendonus Romam revocatur. 55. Canobius ad Cæsarem et in Poloniam mittitur. 56-59. Lutheranorum objectiones contra Concilium Tridentinum. 60. Sternbergerus novas hæreses contra Trinitatem promulgat. 61, 62. S. Theresia reformationem Ordinis Carmelitarum aggreditur. 63, 64. Æthiopes ad Concilium invitati. 65-67. Societatis Jesu religioses Pius IV commendat. 68. In Belgio divina vindicta contra Calvinianum contemptorem Eucharistiæ. 69. Pius IV sustollit lites ortas in Belgio circa fines incertos quarumdam diœceseon. 70. In America, Philippi Hispaniarum regis ope, multæ sedes episcopales eriguntur. 71, 72. Decimas eidem regi concedit Pius ob bellum contra Turcas. 73-75. Pontifex laudat regum Lusitanorum pro fide labores, patruum regis creat legatum a latere, et prohibet Catharinæ reginæ ingressum in monasterium, publicæ utilitatis causa. 76. Maria Scotiæ regina rosa aurea donatur. 77. Principis Transylvaniæ consanguineum, in ordine diaconatus constitutum nuptias inire permittit Pontifex. 78, 79. Saluberrimæ sanctiones a Pio IV editæ. 80, 81. Pauli IV nepotes neci traduntur, et Caroli V memoria vindicatur. 82, 83. Quisnam tunc fuerit status aulæ Gallicæ. 84-88. Cardinalis Ferrariensis in Galliam legatus mittitur a Pio qui infelicem statum religionis deplorat in illo regno. 89-100. Renitentibus licet doctoribus Sorbonicis, Calvinistæ colloquium cum Catholicis obtinent: quænam agitata fuerunt in colloquio Possiaco. 101, 102. De retinendo in vera fide Antonio Navarræ rege consilia versant Catholici proceres. 103. Parisiis tumultus ab Hugonottis concitati. 104, 105. Pestis hæretica irrepit in comitatum Venusinum, favente Aurasiæ principe. 106. Pius IV scribit duci Sabaudiæ ut religionis defensoribus auxilium præstet.

MDLXII. 1-4. Diu multumque disceptatur inter Patres utra istarum vocum *continuatio* an *nova indictio* adhibenda sit in Actis Concilii redigendis. 5-8. Prima sessio sub Pio IV celebrata, et decreta in ea lata. 9-11. Articuli adoptati tum de admittendis in Concilium hæreticis, tum de tollendis

(1) (In fine voluminis, ante Indicem generalem, unum reperies brevem, anno 1560 a Pio IV datum.)

dissensionibus inter oratores principum. 12-14. Oratoris regis Lusitani sermo et synodi responsio. 15-17. Articuli exhibiti ab oratoribus imperatoris et responsum legatorum. 18. Admonentur Patres ne divulgent quæ tractata fuerint in Concilio, antequam firmentur. 19-21. Secunda sessio. 22, 23. Agitur de salvo conductu hæreticis dando. 24-27. Principes et oratores Galli instanter petunt ut quæstiones quæ viderentur graviores ulterius tractentur. 28-31. Assyrii et Jacobitæ ad unitatem redeunt. 32. Capita reformationis proponuntur disceptationi Patrum. 33, 34. Philippus Hispanus oratorem ad Concilium mittit; responsio Concilii. 35-37. Orator ducis Florentini exhibet erga Concilium præclara propensionis signa, quæ lætanter excipiuntur. 38, 39. Helvetiorum Catholicorum oratores ad Concilium accedunt et perorant. 40. Responsio Concilii data oratoribus cleri Hungarici. 41. Proponitur discutiendus articulus de residentia. 42. Venetæ reipublicæ oratoribus respondetur a Patribus : contentiones inter Bavaros et Venetos de honorificentiori loco. 43. Orator Gallus postulat ut Sessio proxima differatur. 44-46. Sessio tertia sub Pio IV, in qua mandata et litteræ principum recipiuntur : oratio Galli legati et Synodi responsio. 47, 48. Sessio quarta sub Pio IV et ejus Acta. 49-51. De communione sub utraque specie disputatur, et articuli propositi discutiuntur. 52-54. Auditur orator ducis Bavariæ cujus pietas a Patribus commendatur. 55-58. Cæsar postulat ut tollantur jejunia, et sacerdotibus concedantur uxores : responsa ad quæstiones propositas. 59. Capita libelli imperatoris. 60, 61. Cur palam non fuerit lectus libellus Cæsareus exponunt legati : imperator suæ conscius imprudentiæ se excusat. 62-64. Responsio Patrum ad singulos articulos petitionis Cæsareæ benigne accipitur ab ipso imperatore. 65-69. Usus calicis instanter petitur ab oratoribus Cæsareis, Gallis et Hungaris. 70-72. Sessio quinta sub Pio IV, in qua statuitur de communione sub utraque specie, et de reformatione cleri. 73-85. Post multas disceptationes de usu calicis, hæc controversia relinquitur Pontifici dirimenda. 86-88. Articuli Gallorum de reformatione et legatorum responsio. 89-92. Discutiuntur articuli de Sacrificio missæ et de Ordinis sacramento. 93. De auctoritate Pontificis et episcoporum controversia oritur. 94. Nuntiatur adventus Gallorum præsulum. 95. Postulat imperator ut mentio Sacrificii missæ non fiat in Concilio, sed repulsam patitur. 96-100. Modus tractandi res Conciliares : exponuntur opiniones theologorum de sacrificio Missæ. 101, 102. Sessio sexta sub Pio IV : decreta et canones de sacrificio Missæ. 103-105. Examinatur quæstio an sint juris divini et residentia et episcoporum auctoritas. 106, 107. Orator regis Poloniæ a Concilio recipitur. 108. Proponitur decretum de residentia. 109-113. Cardinalis Lotharingus, præsulibus et oratoribus Gallis stipatus, Tridentum appellit. 114-116. Querelæ Lotharingi cardinalis in Synodo expositæ. 117-126. Successivæ prorogationes septimæ sessionis ob exortas controversias tum de residentia, tum de jurisdictione episcoporum. 127. Hortatur Pius electorem Brandeburgensem ut viros pios ad Concilium mittat. 128-133. Hugonottorum conjuratio : Hospitalis cancellarii edictum nefarium. 134-136. Cardinalis Ferrariensis, in aula Gallica nuntius, ab Hosio reprehenditur. 137, 138. Lucenses commendantur a Pontifice quod solliciti sint ne ipsorum mercatores in hæresim incidant. 139, 140. Hugonottorum Condæus protector et Guisii hostes infensissimi : tumultus Vassicenus. 141-143. Dum Calvinistis favet Joanna Alebretensis, ejus maritus Antonius Navarræ rex fœdus init cum aliis principibus Catholicis, et simul cum Catharina Galliæ regina Pontificis gratulationem meretur. 144. Montmorantii præclara de re Catholica merita. 145-148. Aurelia capta et expilata ab Hugonottis. 149-156. Perfidia sua et feritate totum Galliæ regnum conturbant Calvinistæ, contra quos offerunt auxilia principes Christiani. 157, 158. Hugonotti a Tolosanis magna strage profligati : Montlucii laudes. 159-162. Impia Calvinismi facinora. 163-167. Varia et irrita concordiæ tentamina cum Hugonottis. 168-170. Bellum instruitur contra hæreticos ; urbes ab ipsis captæ plerumque recuperantur ; rex Navarræ vulneratus pie et catholice moritur. 171-173. Regis Navarræ mors maximam cladem affert Franciæ et Navarræ ; cardinalis Borbonius tutor regni designatur. 174-179. Guisius præclaram de Hugonottis victoriam reportat prope oppidum Druidum. 180. Rex Galliæ Carolus præcipit ut Avenionensis ditio ab Hugonottis defendatur. 181. Dux Sabaudiæ hæreticorum fallaciis illusus. 182, 183. Maria Scotiæ regina religionem Catholicam erigere curat. 184. Crux miraculosa in India Orientali detegitur. 185. Ordo S. Stephani in Etruria confirmatur. 186. Decimas imponit Pius in favorem Philippi Hispani pro bello contra Turcas. 187. Maximilianus II Romanorum rex eligitur. 188. Multæ reformationes a Pio IV constitutæ. 189. Thermas Diocletiani in Ecclesiam conversas Pius IV tradit Carthusianis.

MDLXIII. 1. Solemnes gratiarum actiones pro parta de Hugonottis victoria. 2. Pontificis gratulatoriæ litteræ tum ad ducem Monspenserium, tum ad senatum Tolosanum. 3-11. Septima sessio iterum prorogatur, de auctoritate papæ magna orta controversia. 12. Querelæ cardinalis Lotharingi de creatione cardinalium, pendente Concilio. 13. De residentia oritur quæstio. 14, 15. Philiberti Sabaudiæ ducis recipitur orator, cui respondet sancta Synodus. 16. Legati Commendonum cum instructione ad imperatorem mittunt. 17, 18. Septima septimæ Sessionis prorogatio. 19-21. Articuli de sacramento Matrimonii a theologis minoris ordinis discutiuntur. 22. Hispani theologi queruntur quod sibi anteponantur in ordine dicendi Sorbonici doctores. 23-26. Litteræ Galli regis, oratoris ejus allocutio, et Synodi responsio. 27. Examen quorumdam abusuum circa sacramentum Ordinis aliquot Patribus committitur. 28, 29. Po-

stulata Gallorum ad Concilium referuntur. 30, 31. De congressu Cæsaris et Pontificis agitur. 32. Ferdinandi querimoniæ de lento gressu Concilii et responsio legatorum. 33-38. Inter imperatorem et Pontificem litteræ utrinque missæ circa ordinem Concilii. 39-42. Anxius Pontifex de quorumdam, præsertim Gallorum, erga se mentis affectu. 43, 44. Pius respondet postulatis Germanorum. 45, 46. De conjugio sacerdotum acerrime disputatur. 47-49. Cupiditatum lenociniis allecti in hæresim dilabuntur aliqui præsules, inter quos Castilionus. 50-53. Dux Guisius proditorie ab hæreticis occiditur. 54. Calvinistarum impietates et scelera, 55, 56. Pax cum Hugonottis firmatur in Gallia. 57. Pius IV episcopos a Concilio digressos revocat, absentes invitat. 58, 59. Duo ex Concilii præsidentibus, Mantuanus et Seripandus diem obeunt supremum. 60-64. Ut legati præsidentes mittuntur a Pontifice Tridentum cardinales Moronus et Navagerius qui in Concilio perhonorifice recipiuntur. 65. Discutitur an procuratores episcoporum absentium in Synodum sint admittendi. 66. Comes e Luna orator Hispanus petit ut verba : *proponentibus legatis*, e decretis Concilii tollantur. 67-70. Gravissimæ difficultates obstant congressui Pontificis et imperatoris, licet utrinque expetatur. 71. Petrus e Soto theologus apud omnes summæ existimationis, Tridenti moritur. 72. Prorogatio octava Sessionis septimæ. 73-81. Carolus IX Synodo denuntiat et simul excusat pactiones ictas cum Hugonottis. 82-84. Responsum magna Concilii maturitate digestum datur præcedentibus litteris. 85. Arma Gallorum conversa feliciter in Anglos. 86. Restaurata religio Lugduni et Rothomagi. 87-91. Dissensiones in Concilio præsertim circa verba : *proponentibus legatis*. 92. Nona prorogatio septimæ Sessionis. 93-98. Contentiones de præcedentia inter oratores Gallos et Hispanos. 99, 100. De auctoritate summi Pontificis disceptatur. 101, 102. Ferdinandus imperator et Albertus dux Bavariæ Pontificis dignitatem defendunt 103. Catechismorum editio a Patribus Concilii promota. 104. Prorogatio decima Sessionis septimæ. 105-110. Reviviscit ardentius controversia de præcedentia inter oratores Gallos et Hispanos. 111, 112. Leguntur et laudantur in Concilio litteræ reginæ Scotiæ. 113. Pius IV Scotis proceribus scribit, ut eos in fide confirmet. 114-116. Libratis utriusque partis sententiis, Synodus prudentius censet non percellendum Elisabetham Angliæ reginam edicto conciliari. 117. Imperator Elisabethæ scribit pro Catholicis. 118-121. Agitatur quæstio an sit papa supra Concilium. 122-124. Adducuntur in examen quædam reformationis capita, et sedatur controversia de jurisdictione episcoporum. 125-128. Sessio septima : decretum et canones de sacramento Ordinis. 129. Renovantur antiquæ Constitutiones de residentia. 130. Turcarum exercitum et classem delent Hispani. 131, 132. Angli e Gallia ejiciuntur ; Carolus IX favet hæreticis, unde justæ querelæ Parisiensis senatus. 133. Pius IV Joannam Navarræ reginam ut hæreticam condemnat. 134. Nonnulli episcopi Galli infecti Calvinismo. 135. Pius IV scribit admonitorias epistolas principi Auriacensi. 136. Offeruntur Concilio litteræ observantissimæ ducis Senarum et Margaritæ Austriacæ. 137. In Concilio expenditur duorum præsulum, Toletani videlicet et Aquilegiensis doctrina, in qua nihil a fide alienum reprehenditur. 138-140. Illusus a politicis Ferdinandus postulat usum calicis et abrogationem cœlibatus Ecclesiastici. 141, 142. Comes e Luna Concilium turbat. 143. Veneti oratores Græcos invitari poscunt. 144, 145. Approbantur a Patribus litteræ Margaritæ Austriacæ. 146. Non Hispano more, sed secundum jus commune tribunalia inquisitionis Mediolani constituuntur. 147-149. Orator equitum S. Joannis Hierosolymitani ad Concilium accedit, et de tardo adventu se excusat. 150-152. De Matrimonio clandestino maxima contestatio. 153, 154. Principes protrahunt suam reformationem. 155. Prorogatio sessionis octavæ. 156-160. Legati mittunt ad Pontificem internuntium qui certiorum illum faciat de progressu Concilii, dum cæteroquin monent Cæsarem simul et Hispanum regem ne amplius nectant moras circa absolutionem Concilii. 161-170. Agitur de reformatione principum. 171. Cardinalis Lotharingus perhonorifice Romæ exceptus. 172-179. Pius IV claudendo Concilio studet, quamvis principes obices ponant. 180, 181. Contra fidei desertores infracto se ostendit animo Pontifex. 182. Pii IV litteræ congratulatoriæ ad Nemurcensem ducem. 183, 184. Aliquot principes a Sede Apostolica deficere tentant. 185-187. Varia in Polonia de religione dissidia. 188-190. Nonnullis causis pendentibus providet Pontifex. 191, 192. Concilio finis manet imponendus, reluctante licet comite e Luna. 193, 194. Sessio octava : decreta, canones et monita de Sacramento Matrimonii. 195, 196. Decreta disciplinam Ecclesiasticam concernentia ; Hosius æger suam sententiam scriptam mittit. 197-199. Disceptatur qua via Concilium quamprimum absolvatur. 200-204. Omnes Patres conveniunt ut quam citissime Concilium absolvant, frustra renitente comite e Luna. 205. Occasione morbi Pontificis, comes e Luna a pertinacia se relaxat. 206, 208. Unanimi consensu decernitur claudendum esse Concilium. 209-214. Sessio ultima Concilii ; decreta de articulis prius examinatis, sed nondum definitis. 215. Revocantur et confirmantur decreta publicata sub Paulo III et Julio III. 216-218. Patrum acclamationes et subscriptiones. 219. Cardinalis Moronus certiorem facit imperatorem de fine Concilii. 220, 221. Oratores principum pro sua quisque natione Concilium recipiunt. 222-224. Pii IV summa lætitia et litteræ gratulatoriæ pro absolutione Concilii. 225. Dæmoniaca curata a sacerdotibus Catholicis, postquam Lutherani ministri nihil profecerint. 226, 227. Lusitanus fert opem Abyssinis contra Turcas. 228. Maximilianus rex Romanorum oratorem ad præstandum obedientiam Pio IV mittit. 229. Oranum recuperatum.

MDLXIV. 1-3. Pius IV decreta Concilii Tridentini a se confirmata promulgat, et prohibet ne quis supradictis decretis audeat glossas addere. 4. Carolus Borromæus sanctioris vitæ disciplinam in se suaque familia instituit. 5. Congregationis Oratorii primordia. 6. Pius studet ut omnes principes Concilium recipiant. 7. Pontifex tam suo quam principum nomine legationem instituit ad Gallum regem, ut eum edoceat quæ agenda sint. 8, 9. Carolus IX sui regni provincias lustrat. 10. Cardinalem Lotharingum occidere tentant Hugonotti. 11-13. Forma quædam reipublicæ Hugonottæ in Gallia constituitur a Colinio, et decreta Concilii oppugnantur. 14-23. Protestantium argutias adversus Concilium diluit Cardilius. 24, 25. Lutherani frustra tentant conciliare suas opiniones cum opinionibus Zuinglianorum et Calvinistarum. 26. Ex dissidiis novatorum reducitur junior theologus ad fidem Catholicam. 27. Electio Maximiliani in regem Romanorum a Pontifice validata. 28-32. Petitur et laicis conceditur usus calicis in Germania. 33. Legatio Germaniæ cardinali Morono demandata. 34. Antistites Germaniæ ad Concilium Tridentinum recipiendum exstimulantur. 35, 36. Calicis concessio videtur dare, saltem ad tempus, aliquam spem fidei redintegrandæ in Germania. 37. Pius Ferdinandi obitus: turbida initia imperii Maximiliani successoris. 38, 39. Maximilianus conjugium sacerdotum petit a Pontifice, sed patitur repulsam. 40-45. Concilium Tridentinum opera cardinalium Commendoni et Hosii in Polonia recipitur. 46. Epistola regis Poloniæ de Concilio admisso. 47, 48. Hæretici, et imprimis Bernardinus Ochinus Polonia ejiciuntur. 49, 50. Concilium in spe a Scotis, et reipsa ab Hispanis et Italis recipitur. 51, 52. Armeniorum patriarcha ad unitatem Ecclesiæ redit, nuntiumque Romam mittit. 53-55. Præfocandis hæreseon seminibus, exscindendis Simoniæ vepribus et erigendis seminariis Pontifex invigilat. 56. Philippus rex Hispaniarum Turcas in Africa devincit, et Genuenses Corsicam rebellantem subdunt. 57. Pontifex curis et angustiis quamplurimis implicitus. 58. In America novæ Ecclesiæ conditæ: canonizatio B. Didaci postulata; Græcis Catholicis in Sicilia morantibus Græci episcopi dati. 59. Tumultus in Piceno. 60, 61. Calvinus impœnitens moritur.

MDLXV. 1-3. Pius IV ostendit cœlibatum sacerdotum semper in usu fuisse. 4. Gebennenses Pium IV proditorie occidere tentant. 5. Perfugia et aliqua privilegia rescindit Pontifex. 6. Cardinales creantur. 7. Hugo Boncompagnus in Hispaniam legatus dirigitur. 8-12. Melitensis insula a Solimanno impetitur, sed providente Pontifice, ab invasione Turcica liberatur. 13, 14. Maximilianus imperator auxilia petit contra Turcas Hungariam invasuros. 15. In Polonia hæresis grassatur. 16. Carolus IX Galliæ rex sacras ædes a Calvinistis eversas restituit. 17-19. In Belgio et in Scotia hæretici seditiones movent. 20. In Anglia oritur Puritanorum hæresis. 21-23. Pontifex et S. Carolus pro sua quisque parte laborant in exscindendis hæresibus et corruptelis. 24. S. Carolus summus pœnitentiarius eligitur. 25, 26. Gesta a S. Carolo in Mediolanensi Ecclesia. 27, 28. S. Carolus Romam redit, et Pontifici morienti assistit.

Barri-Ducis — Ex typis Cœlestinorum — Bertrand

